

Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

+ *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.

+ *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.

+ *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.

+ *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertati di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da `http://books.google.com`

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

<36619774090010

<36619774090010 S

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

2° Cheg. 11.

Digitized by Google

REV. PATRIS

LVDOVICI

AB

ALCASAR

HISPALENSIS.

E Societate IESV Theologi, & in Prouincia Bætica S. Scripturæ Professoris,

VESTIGATIO ARCANI SENSVS

IN

APOCALYPSI.

CVM

OPVSCVLO DE SACRIS PONDERIBVS AC MENSVRIS.



ANTVERPIÆ,
Apud Heredes Martini Nutij.
M. DC. XIX.
Cum Gratia & Priuilegio.

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

A

SANCTISSIMO
AC
BEATISSIMO
PATRI ET D. N.
PAVLO V.
B
PONTIFICI
SVMMO

LVISIVS AB ALCASAR, *Hiſpalenſis, è Societate*
IESV:

C DVBITARE non poſſum, Beatiſſime Pater, quin ſi ad te allatum eſſet, Luiſium quendam Hiſpalenſem, vnum ex Societatis ſcriptoribus, huic ſanctæ Sedi ſuos dedicaſſe commentarios; id obſequij, quantulumcumque eſſet, pro tua ſingulari humanitate, affabili & iucundo vultu excipere dignareris. Sed; ô miram huius Sedis felicitatem! Expende, quæſo, quàm alius ad te afferatur nuncius: Ipſam Ioannis Apocalypſin, ſacræ Scripturæ faſtigium, repertum eſt felici hoc tui Pontificatus tempore, ab initio cùm ſcripta eſt, huius Sedis Maieſtati fuiſſe dicatam: atque hanc dedicationem ab ipſo Ioanne, prophetiæ oculis Eccleſiæ Romanæ magnitudinem præuidente, pulcherrimo illi operi ſuo fuiſſe impreſſam. Potuitne optatior vllus huic Sedi afferri nuncius de alicuius libri dedicatione; aut qui te, Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſorem, (vbi primùm conſtet, rem eſse certam & minimè dubiam) maiori lætitia affecturus videatur? Ego igitur (quem à tua Maieſtate adeunda, paruitas, pudorque meus alioqui omnino deterrerent) cùm fortunatiſſimo quodam ſtudiorum meorum ſucceſsu id eſsem conſecutus, vt tam boni, tamque exoptabilis *nuncij baiulus* eſse poſsem, continere me iam nec potui, nec debui: quin lætitiâ geſtiens & exultans, ad te ipſum per hanc epiſtolam adirem,

Apocalypſin à Ioanne dicatã fuiſſe Rom. Eccleſiæ.

D

2.Reg.18.22

† 2 rem

Digitized by Google

rem totam nunciarem, tuiſq; pedibus me prouolutum conſiderans, A
omnem meæ perſuaſionis rationem; & omnia, quibus ipſa perſuaſio innititur hypothematis, ſeu fundamentis, in his commentariis ſupplex tibi offerrem. Nec enim eiuſmodi eſt hoc nunciorum genus, vt in eis aliquid ſibi credi, poſtulare poſſit, qui nunciat. Nec ego is ſum, qui fidem ſine ſatisdatione, vlla ex parte exigere audeam. Sed quemadmodum, ſi quis afferret, inuentam à ſe fuiſſe quadraturam circuli, non aliter reciperetur, quàm oblatâ ſimul, & allatâ ſolidę demonſtrationis à ſe inuentæ ratione, & formâ quæ euidentiam apodixeos faciat Mathematicis: ita qui conſecrationis ſupradictæ nuncium ad te afferre audet, Pater ſanctiſſime; vt culpam leuitatis præſtet, B
offerre ſimul & exhibere debet manifeſtam totius rei oſtenſionem, in qua prudentes harum rerum æſtimatores acquieſcere debeant. Id verò à me factum iri non crederem mihi, niſi meam priùs perſuaſionem non paucis, neque ineruditis ita probaſſem, vt iam nullam temeritatis ſuſpicionem reueritus, tuum tandem iudicium, (in quo ſunt omnia,) ſubire optem; vt tunc demum verâ exultare lætitia, ac ſolido triumphare gaudio poſſim, cùm tibi (vt ſpero) in hoc meo conatu fuerit ſatisfactum.

Quoniam verò dedicationis, quam ad te affero, intelligentia pendet ex meæ perſuaſionis atq; conatus ſumma; da mihi hanc veniam, Beatiſſime Pater, vt eam priùs ſummam proponam paucis, antequam C
de mira ipſius dedicationis conuenientia; & de admiranda, quæ hanc ad Sedem redundat inde gloria, dicere pergam.

Apocalypſeos ſumma. *Perſuaſio igitur mea eſt, Spiritus ſancti mentem in libro Apocalypſeos fuiſſe, egregium quoddam ænigma proferre, quod excellentiam Eccleſiæ Chriſtianæ primitiuæ, duaſq; præclaras ipſius victorias adumbraret, alteram videlicet, quam de Hieroſolyma rebelli iam reportauerat, alteram, quam de antiqua Roma ethnica deinceps conſecutum iri, cæleſti oraculo promittebatur. Maximum autem fore inter duas prædictas victorias diſcrimen, quia exitus primæ, fuerat Hieroſolymæ ac populi Iudaici reprobatio: alterius autem finis & fructus futurus erat, Vrbis & Orbis, id eſt, Romæ ac Gentilitatis ad fidem Chriſti conuerſio: per quem erat futurum, vt mundani Imperij domicilium ad ſe Chriſto transferente*, latiùs præſideret Roma religione diuina, D
S. Leo ſerm. 1. in natali Apoſtolorum. quàm olim dominatione terrena, *gentibus omnibus Chriſtianæ fidei ac ſimul Romæ primatui ſe ſubiicientibus, & in Sede Petri Vicarium Chriſti Domini ſuppliciter adorantibus. Secundum hæc, ſeptem illæ plagæ, per clarigantes denunciatæ tubas, bellum de cælo pro Eccleſia Chriſtiana aduerſus rebellem Hieroſolymam geſtum repræſentant. Quamuis enim Hieroſolymæ nomen ſub Sodomæ & Ægypti appellatione occultetur, more Propheticò; explicationis tamen gratiâ addun-*

A *adduntur illa verba*, Vbi Dominus crucifixus est. *Triumphus autem, quem de illa obtinuit populus Christianus, decimæ partis conuersione definitur (quemadmodum multò antè prænunciauerat Isaias) reliquis nouem Iudæorum partibus excæcatis, & exclusis. Atque ita cum caput vndecimum Apocalypseos in Iudaici populi obduratione terminetur: statim initio duodecimi proponitur Ecclesia ad Gentilitatis desertum Commigrans: in quo deserto Romanum Imperium idolis seruiens, ac præsertim Roma, suas omnes vires atque potentiam opponit Euangelio, in omnes Christianos sæuiendo crudeliter. Tunc verò aduersus Romam ethnicam mirificè Deus pro suis belligerare describitur, septem mysticæ indignationis phialis in eam de cælo effusis.* Apocal. 11. 8. Isa. 6. 13.

B *Huiusque tandem belli exitus est totius Romæ ad fidem Christi conuersio, idolorum ruina sempiterna, ac propè æterna Ecclesiæ pax. Cui longæuæ pacis promissioni adnectitur admonitio de funesta Antichristi persecutione, & prophetia perfectæ victoriæ de illo à Roma obtinendæ, ac demum amplissimi æternique triumphi, qui eandem Romam Ecclesiarum Reginam manet in patria cælesti. Hoc nimirum est meæ interpretationis filum, quod in Apocalypsi vniuersa mihi ducitur, & continuatur absque vlla ordinis perturbatione. In hoc verò argumento Babylonis nomen Occidentalem Babylonem (vt loquitur Augustinus) hoc est antiquam Romam denotat: quemadmodum & in Petri Epistola.* August. 18. de Ciuit. c. 27.

C *Sponsa autem, quæ nubit Agno, non est alia quàm Roma noua, siue fidelis: vniuersáque Apocalypsis reuocatur mihi ad admirabile illud mysterium, Deique consilium arcanum de Ierosolyma ac Iudaicâ Gente reprobandâ; Româ autem ac Gentilitate eligendâ, erigendâ diuinissimè. Ac præterquam quòd præcipuum huius sacri libri argumentum ac veluti scopus est, conuersionem Romæ ad fidem Christi principatúmque eidem Romæ in omnes Ecclesias à Deo concessum, ac magnitudinem triumphi cælestis & æterni eidem promissi celebrare; ad hoc ipsum argumentum locupletandum, visum fuit Spiritui sancto copiosè alludere ad plurima, eadémque illustrissima veteris Testa-*

D *menti capita, præsertimque ad librum Iobi, ad Dauidis Psalmos, ad Salomonis Canticum, ac denique ad maiorum minorúmque Prophetarum vaticinia. Factumq; est, vt in ipsis Apocal. tenebris magna mirabilisq; lux inclusa & abscondita seruaretur ad germanum & genuinum eorum omnium librorum intimum sensum contemplandum atque cernendum. Videlicet, quia dum tot eorum capitibus vtitur Spiritus sanctus ad Apocalypseos telam texendam, per eam ipsam allusionem, & applicationem scitissimè indicat nobis, ac detegit verum mysterium, quod in illis latebat tectum; ac ad vitam & mentem eorum capitum per illam indicationem attentum interpretem animaduertere quodammodo cogit.*

Digitized by Google

Habes, Pater Sanctissime, persuasionis meæ atque conatus summam. Verùm vbi tandem illa dedicatio, quam me in ipsa Ioannis Apocalypsi reperisse, volebam intelligi? Sanè vbi maximè optari posset ab eo, qui illam sartam tectam in omnem æternitatem vel maximè conseruari cuperet. Quemadmodum enim Phidias nobilis statuarius clypeo Mineruæ sic suam inclusisse effigiem celebratur, vt eâ conuulsâ, totius operis colligatio solueretur; sic in ipso totius Apocalypseos nexu & colligatione, ac in totius libri cohærentia inclusa est proculdubiò egregia illa dedicatio; neque aliter conuelli potest, quàm totius nobilissimi operis colligatione solutâ. Libet enim contemplari Apocalypsin quemdam magnæ Mineruæ (hoc est diuinæ Sapientiæ) clypeum. Ac quemadmodum Phidias in suo clypeo fertur cælasse Amazonum prælium intumescente ambitu parmæ, in concaua autem parte Gigantomachiam: sic (vt paruis magna componere liceat) extat in Apocalypsi tum stupenda prorsus quasi fœminarum (id est, infirmæ Gentis) virtus & audacia, quæ de suis finibus egressa magnas prouincias inuasit, atque possedit (quod fuit Amazonum victoriis longè mirabilius & glorioſius;) tum Romanorum Principum (quasi quorundam gigantum) in Ecclesiæ persecutione dimicatio aduersus Deum, ac huius belli exitus Dei maiestate dignissimus. Sanè ad hæc eadem mysteria significanda eisdem comparationibus vtitur Spiritus sanctus. Quod enim legimus, *Noua bella elegit Dominus*, per respectum ad bellicam fœminarum (quasi Amazonum) virtutem dictum est. De Romanis autem Principibus ab Ecclesia triumphatis ait Isaïas, *Gigantes non resurgent*. Facit præterea vtriusque nominis, cùm Amazonum, tum Gigantum etymologia: hoc enim sonat, Terrigenas, seu terræ filios. illud, inopes, aut in communi viuentes. Facit etiam duplicis belli designatio, ac alterius collocatio in parte tumescente, alterius in concaua. humiles enim exaltati sunt, superbi autem depressi, vt prophetauerat Virgo Mater, Lucæ 1. Inter hæc autem, Ioannis cum Phidia comparatio prætereunda non est, propter egregium discrimen. Alter enim fuit inanis gloriæ cupidus, vt sui similem speciem inclusserit Mineruæ clypeo, quia non licebat inscribere: alter verò, qui non sibi inanem gloriam, sed solidam potiùs Christo, ac ipsius Sponsæ vehementius optabat, cùm eo tempore ederet Apocalypsin, quo rem tantam aperta dedicatione significare non decebat, certè in elegantissimo veræ Sapientiæ clypeo, Sponsæ Christi (id est, Romanæ Ecclesiæ,) cui opus suum dedicabat, mirabilem inclusit speciem, eamque tandem excludi (vt ita dicam) ac propalari, post diuturnam huic quasi diuinissimo ouo incubationem, valde erat optabile.

Aristl. de mundo, cap 6. Valerius lib. 8. c. 14. vbi de C. Fabio.

Dedicationē à Ioanne inclusam fuisse in totius operis colligatione, & cohærentia: id quod Phidiæ comparatione explicatur.

Plin. lib. 36. cap. 5.

Iudith 5. 8.

Isa. 26. 14

Luc. 1. 52.

Cicero Tusc. 1.

Iam

Digitized by Google

A Iam verò ex dictis facili negotio colligitur, nullam vnquam alicuius libri dedicationem huic Sedi Apostolicę aut factam fuisse, aut fieri potuisse, quæ ipsi operi oblato aptior & conuenientior existat, quàm est Apocalypsi conueniens supradicta dedicatio, quam nobis desuper datum est in operis colligatione animaduertere. Neq enim illa fuit extrinsecùs aliunde quæsita & operi afficta, sed potiùs ita cohærens cum omni corpore, vt penitus ex eius visceribus desumpta sit, atque ex intimo argumento deprompta. Ipsius enim Apocalypseos neruis & colligationi inhærebat impressa consecratio, quam ego expressam extare volui, neque enim illam ipse apposui, sed solùm
E expositi, vt interpretis officium postulabat.

Dedicationis supradictæ commendatio.

Porrò, quàm existat huic Sanctæ sedi glorioſum, quòd ipsa Ioannis Apocalypsis ex intimo argumento tota huius sanctæ Ecclesiæ magnitudini ac felicitati dicata sit, secumque adeò nobilem sacræ Scripturæ partem afferat, eidemque dedicationi mancipare videatur; hæc malo, Sanctissime Pater, tibi expendenda relinquere, quàm in solis claritate explicanda laborare. Quærere enim alium librum, qui Ecclesiæ Romanæ ceterarum Reginæ parem possit afferre gloriam, perinde est, ac velle, vt mundus hic spectabilis non minùs ab alio astro illuminetur, ac luce compleatur, quàm à sole: præsertim
B cùm, quemadmodum lucem suam cetera omnia astra à sole participant; sic reliquæ sacræ Scripturæ partes, quæ Ecclesiæ Romanæ gloriam describentes, adiuuare videntur illius lucem, eæ ferè omnes ab Apocalypsi illuminatæ, ab ea quodammodo accipiant, vt ipsæ etiam sint huic Sedi valdè honorificæ & glorioſæ. Quare coniunctâ Apocalypseos dedicatione cum ipsius alluſionibus, quasi sole cum astris ab ipso illuminatis, valdè mirabile est, quantum inde Ecclesia Romana accipiat amplitudinis, splendoris, & gloriæ. Vt enim nonnulla valdè illustria encomia breui percurram, quæ ab eo lumi-
num concursu fiunt manifesta. Inde primùm habemus filium illum masculum, quem enixa est Mater Sion, & qui regendis Gentibus nas-
D cebatur, esse populum fidelem Romanum, hoc est, huius tuæ Vrbis Ecclesiam, Pater Sanctissime, per reliquos autem filios eiusdem Matris (qui eodem capite commemorantur) ceteras Christi Ecclesias denotari. Quemadmodum etiam Psal 44. Regina illa, quæ nupserat mystico Salomoni, eidemque adstabat à dextris, eadem est Ecclesia Romana: proximæ autem eius, Ecclesiæ ceteræ, quæ post illam Regi adducendæ erant. Simile est in Canticorum libro cap. 6. de sexaginta Reginis, octoginta concubinis, ac innumeris adolescentulis. illæ enim omnes Ecclesiæ peculiares sunt, quarum princeps atque Regina est Ecclesia Romana, illa (nempe) *vna perfecta & electa genitrici suæ, quam ceteri omnes beatissimam prædicauerunt.*

Quàm sit glorioſa Ecclesia Rom. ea dedicatio.

I. Apoc. 12.

Psal. 44.

Cant. 6. 8.

Digitized by Google

Ab eadem luce clarescit, in Romæ ad fidem Christi conuersio- A
2. nem impendi eos omnes Psalmos, quibus propter summæ exulta-
Apoc.19. tionis materiam inscribitur *Alleluia*. Eodemque referri septem Dei
Apoc.10. voces atque tonitrua, quæ Psalm. 28. decantata fuerant.

3. Inde præterea claret de conuersione Romæ ad fidem Christi, ac de ipsius in ceteras Ecclesias principatu integra extare capita plura, eaque illustrissima in Isaiæ ac Ieremiæ vaticiniis. Atque hunc esse sensum literalem, quem illi in eis capitibus præcipuè significare volebant, tangentes Iudaica, sed Christiana respicientes.

4. Inde etiam est, vt de Ecclesiæ Romanæ fundatoribus, Petro & Isa. 21. Paulo videamus honorificentissimam fieri mentionem ab Isaia cap. B
21. in illa biga equitum, qui famam rei præclarè gestæ in triumphali
Apoc.19. & 21. vehebant curru, quorum alter erat ascensor asini, alter cameli. Atque hos ipsos Apostolos esse duos illos Angelos, Babylonis ruinam Ioanni nunciantes, ante quorum pedes cecidit ipse Ioannes, vt eos adoraret.

5. Ab eodem sole illuminatur genuinum argumentum Cantici Canticorum; & agnoscitur, illud esse magna ex parte idem, quod & Apocalypseos; atque Apocalyptico filo semel deducto, & feliciter glomerato, facilè idem præstari in Canticorum libro: illiusque verissimam acoluthiam Romanæ Ecclesiæ esse admodum honorificam. Ac eius libri contextum postulare & cogere, vt sponsæ laudes quæ canuntur cap. 4. & 6. omnes referri debeant ad eam sponsam siue Ecclesiam, quæ ceterarum omnium est princeps atque Regina.

6. Præterea eodem iubare conspicuum fit, Angelum illum habentem potestatem magnam, & claritatem eximiam, Apoc. 19. in proprio & germano sensu esse Petrum Apostolorum principem. Atque adeò ex Apocalypsi desumi posse, cùm elegantissimam, tum grauissimam inscriptionem, quæ in fronte augustissimi in vniuerso orbe templi eidem Petro in monte Vaticano ædificati (cui tu, ô Beatissime Pater, extremam iam manum admouere omni ope conaris) aureis literis effulgeat, hoc tenore: ANGELO DESCENDENTI DE CÆLO, HABENTI POTESTATEM MAGNAM, A CVIVS GLORIA ILLVMINATA EST TERRA, ET ANTE CVIVS PEDES CECIDIT IOANNES, VT EVM ADORARET. D

7. Denique ab eodem luminis fonte deriuatur, vt omnem illam
Apoc.21. & 22. supra modum admirandam cælestis Hierosolymæ immensitatem, & gloriam, cuius descriptio claudit Apocalypsin, non dubitemus esse figuram, & indicationem eius gloriæ, quâ in patria cælesti fruitura est Ecclesia Romana, ceterarum Ecclesiarum Regina. Eadem enim est, quæ desponsata fuerat Agno cap. 19. & cui cælestis Hierosolymæ nomen tribuitur cap. 21.

Non

Digitized by Google

A Non addo plura, quia ſeptem ingentia Eccleſiæ Romanæ elogia, ac præclara ſtemmata videor mihi tetigiſſe, quæ mirificè ab Apocalypſi (vt ego quidem cenſeo) illuminantur. Et decet ſacræ Reuelationis interpretem ſeptenario maximè delectari, qui propter ipſius ſacramentum adeò familiaris eſt Ioanni, vt quadragies ferè ab illo in hoc opere vſurpetur. Hos ego ſeptem glorioſos Eccleſiæ Romanæ titulos & prærogatiuas contemplor, (Beatiſſime Pater) à Ioanne ipſo tibi offerri, tanquam totidem pretioſiſſimas gemmas mirificè effulgentes in eo diademate, quo Romanum Pontificem coronat Apocalypſis; atq; illas ſpero à peritis diſcernendi probatum iri tan-
B quam adamantes veros, & longè maximum rerum omnium humanarum pretium habentes; & qui mirum in modum Summi Pontificatus apici, ſeu thiaræ ſacræ conueniant. Ea verò ſpes mihi fecit animos, vt conceptum de Ioannis dedicatione nuncium, ac de gemmis pretioſis tibi ab illo oblatis, auderem ſupplex ad te afferre, ante tuos pedes per intimam deuotionem cadendo, vt adorem eum, qui Petro ſucceſſit in illa eâdem magna poteſtate; ac ſperando fore, vt quemadmodum à Petri gloria illuminata eſt terra, ſic à tua gloria (quæ eſt eadem illa gloria Petri) illuminetur ea obſcuritas, quam meum opus, meaque promiſſa ex eo habere poſsunt, quòd à me proficiſcantur. Si enim tu ea probes, & complectaris; inde illa
C plena lucis euadent. Tunc verò dubium non erit, quin *noua & ve-* Cant. 7. 8
tera ſeruata tibi fuerint; quem Deus Eccleſiæ ſuæ multos annos ſeruet incolumem, vt illos omnes perfruatur nobilis aquila glorioſo de dracone triumpho, quem mihi repræſentat inſigne tuum; cuius interpretationem ad ſymbolum aquilæ in commentario cap. 4. reuerenter attingo, vbi de te non tecum: hic ad te non plura. Hiſpali in domo Societatis, 1. die Martij, anno M. D C. X I I.

Digitized by Google

FACVLTAS PROVINCIALIS CASTELLÆ.

EGo Gaspar de Vegas, *Præpositus Prouincialis Societ.* IESV, *in Prouincia Castellæ, potestate ad id mihi factâ à Reuerendo admodum Patre Claudio Aquauiua, Præposito Generali eiusdem Societ. concedo, vt typis mandetur opus inscriptum,* Vestigatio arcani sensus in Apocalypsi, *compositum & exactè elaboratum à* P. Ludouico ab Alcasar *Theologo eiusdem Societatis, & S. Scripturæ publico professore, iudicio nostræ Societatis approbatum. In cuius rei fidem has literas manu nostra subscriptas, sigilloque nostro munitas dedimus. Matriti, 5. die Aprilis, anno* M. DC. XII.

Gaspar de Vegas Prouincialis.

HETÆRVS LECTORI.

AMbiges, mi Lector, nec sine causa, quare opus hoc, Hispalitanum cùm sit, excusum fuerit non permissu Prouincialis Bæticę, verũ Castellæ Prouincię. Sed animum intende: libens te certum faciam de re, quam noster *Luisius* tibi esse notam, vehementer optat. Nempe quantum debeat hoc opus Patri Antonio Padillæ. Atque ita liceat modò per te, etsi parumper immorer, de tanto viro pauca præfari. Nec abs re erit, mihi crede. Prætereo claram auorum & proauorum seriem, altum sanguinem. In ipso ætatis flore, cùm esset familiæ princeps Padillarum, clarissimi parentis occasu paternam creuit hereditatem, Adelantadus Castellę renunciatus. Sed tãtus Dei amor Antonium à primis annis incenderat, vt breui eo se principatu abdicauerit, eumq; sorori (quia fratrem non habebat) fruẽdum reliquerit: ac B. Ignatium secutus, mundana omnia spreuerit, calcauerit. Deinde verò, cùm propter mirabilem vitæ sanctitatem, diuinum ingenij acumen, incredibilem animi magnitudinem, & singularem iudicij sapientiam, omnium nostrũ spes in eum essent coniectæ, vicit proculdubio in his omnibus cunctorũ expectationẽ vir laude maior, etiãsi obscurus nasceretur. Et in Theologicis præsertim studiis eos fecit progressus, vt valde admodũ ille nostrorum hominum Theologiam promouisse, verissimè à doctissimis censeatur. Neque solùm fuit ille eximiũ nostræ Societatis decus & ornamentum: sed plures etiam post se ad eandẽ vitæ rationem suo exemplo adduxit. Multi enim eius vestigia sunt secuti: inter quos filius sororis, noster Martinus Padilla, eius, qui hodie Adelantadus Castellæ germanus frater, ac natu maior. Soror etiam, Martini mater, Comes Santagadææ, atque huius germana Domina Casilda, amplexæ Christianam paupertatem, in Virginum cœnobiis Christo se consecrarunt, vtraque Comitatum relinquens, & ius primogenituræ Padillarum. Erant igitur, viuente magno Antonio, tres alij eiusdem Familiæ principes, præter Martini fratrem, qui ei successit, eodem tempore viuentes, quos ad Christi paupertatem adduxit Antonij exemplũ: eorumque singulos se principatu abdicasse necesse fuit, vt remaneret Princeps familiæ Eugenius, qui hodie est. Mirandus sanè quaternio, & cui similem alium vix vlla sæcula hactenus viderint, aut visura credantur: ac totus valdè glorioſus Antonio, quem ceteri sint secuti, quiq; ipsos principatu eis relicto, adeò honestarit, quosq; propterea adeò etiã in terris honorauit Deus, vt filij, atq; nepotes prædictæ Comitis Santagadęæ (quæ vidua demum clausit beatum agmen) capita sint hodie plurium ex præcipuis Hispanorum magnatum familiis.

Hic itaque Antonius Padilla cùm fortè ex itinere hospitẽ habuisset *Luisium* nostrum, totum hoc opus auidè legit, & exscripsit. (Cuius de eo iudicium ipsius manuscriptum literis mandassem, ni calamum arceret Auctoris modestia.) Vidensq; editionem protelari, enixè petiit à R^do admodum Patre Generali, & Prouincialibus, vt Auctor Salmanticam (vbi tunc ipse nostri Collegij Rector) adiret, vt opus typis celeriùs mandaret. Petiit inquam, & obtinuit. Iuit namque *Luisius* Salmanticam, ibiq; commoratus operi supremam manum imposuit. Habes iam, amice Lector, rationem ob quam commissa approbatio huius libri Prouinciali Castellano, non Andalusio. Addam tamen, hoc ipsum non parum splendoris operi attulisse. Nam à conterraneis lectum mirum neutiquam, si id ipsi lau-

Digitized by Google

laudassent ac probassent. Egresso autem à Bętica *Luisio*, eius Apocalypsis collata est cum Theologis non Salmanticensibus modò, sed etiam Complutensibus, ac Pincianis, ac tandem è Prouincia Castellæ sex iudices grauissimi electi (inter quos Antonius Padilla, & Pater ipse Prouincialis) vt omnia æqua trutina penderent: & ne forsan perfunctoriè & oscitanter id fieret, creatus etiam quidam, qui Aristarchi munere fungeretur, emunctæ naris vir, qui ne suo deesset officio, omnia vndequaque collegit, quę à Zoilo quouis potuissent obiici. Ac deinde iudices cuncti omnia exactissimè perpendere; & vnanimi consensu vniuersum *Luisii* opus approbarunt, & plausibus etiam exceperunt, breuem scribentes, ac nomina subscribentes, & nihil esse in opere testati litura dignum, nec in doctrina, nec in modo interpretandi Scripturas: imò potius omnia lectu & scitu digna. Incunctanter literæ ad P. Generalem missæ à singulis, quibus certus de hisce omnibus fiebat. Nec rescripserat ipse, & Antonius supremum diem obierat; seu potiùs abierat ad cęlestem patriã: & quæ pulcherrimæ editioni ab eo parabantur, interiere omnia: redeundumq; Hispalim *Luisio* fuit. Ipse tamen agnoscit atq; fatetur, huius editionis maturationem magno Antonio prorsus deberi, qui & corpore indutus & exutus, cum Deo & cum hominibus, gratia, auctoritate & virtute omnia tesqua & ardua (quæ solẽt in rebus humanis occurrere,) calcarit, superarit. Scilicet vt omnibus palam fiat, quãtum, & quale opus hoc ipse censeret, & quo amore *Luisium* prosequeretur. Nam quẽadmodum cùm viueret, etsi inter vmbras humilitatis (quam colebat ex animo) fulgores quidam perpetes splendebant nobilitatis auitæ, & animi ad principatum nati, in iis rebus effuso fauore prosequendis, quas fouendas propterea susceperat, quod ita expedire iudicasset: ita nunc persuasum est *Luisio*, ab Antonio in cœtu Diuorum eandem erga se fidem conseruari, ac cælestia in suum opus deriuari auxilia. In extremo enim communis huius aëris haustu, Societatis superioribus scriptum reliquit, nihil adeò ex hac vita se præter *Luisij* Apocalypsim in meditullio cordis secum deferre: nullius rei curam adeò animo suo insitam & infixam; videlicet, quia sibi persuaserat, valdè admodum hoc opus referre, tum ad Dei Opt. Max. gloriam, tum ad Romanę Ecclesię dignitatem. Quare licèt liber summo Pontifici propterea dicetur, quod eam dedicationem petat totius operis argumentum; & quòd ita voluerit, iusserit magnus Antonius; considerato tamen gratitudinis debito, ipsi soli Antonio dicandus erat. Imò verò non solùm gratitudinis ergô, sed etiam iustitiæ iure, eò quod ille subhastatum, verè αὐτωνύμως, siue suprà omnes licitatus, suo sibi iure vendicauerit. Hocque ipsum testatus est *Luisius* ipse hisce versiculis,

ὁ πάτερ αὐτωνῆ σου τλῶ ἰχνέαν.
ἀνδ' ὅτε ἡ ἰχνεία αὐτὴ σὸι ἀποκηρύπτεται.

Iudicium Magistri Fr. Augustini Antolinez, primi Theologiæ Cathedrarij in Salmanticensi Academia, in qua & sacræ Scripturæ Cathredam tenuerat.

Commentarios in Ioannis Apocalypsim Patris Luisij ab Alcasar *è Societate* IESV, *perdoctos sanè & eruditos, rerum serie, & cohærentiâ (desideratâ hactenus) ingenij acumine & eruditione excogitata planè mirabiles, vetere Patrum orthodoxaque doctrina refertos, & ad reliquos Sacræ Paginæ libros intelligendos, lucis ac vocis plenos, quos de mandato supremi Senatus vidi, typis mandari dignos esse censui. In Conuentu Salmanticensi Ordinis Eremitarum S.P.N. Augustini, pridie Calendas Augusti anno* M. DC. XI.

Fr. Aug. Antolinez.

Digitized by Google

Facultas Prouincialis Flandriæ.

CAROLVS SCRIBANI Præpositus Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Flandriæ, potestate ad id mihi facta, ab Adm. R.P.N. Generali Claudio Aquauiua, tibi Martino Nutio facultatem concedo, vt *P. Ludouici Alcasar* Soc. IESV, in Bætica S. Theologiæ Professoris, *Vestigatio arcani sensus in Apocalypsi S. Ioannis*, Societatis eiusdem Doctorum Theologorum iudicio examinata & approbata, typis per te excudatur. In quorum fidem has literas mea manu subscriptas & sigillo munitas dedi, Antuerpiæ xi. Martij, M. DC. XIV.

Carolus Scribani.

Approbatio Censoris ordinarij.

INfrascriptus S. Th. Licent. Canonicus & librorum Censor Antuerp. præsenti testimonio adfirmo, *Vestigationem arcani sensus in Apocalypsi*, summo studio & industria factam per *R. P. Ludouicum ab Alcasar*, è Societ. IESV, Theologum ac philosophum acutissimum, perutilem esse, non modò ad occulta rerum diuinarum illo libro contenta mysteria cognoscenda, verùm etiam ceteros S. Scripturæ recessus magis abditos indagandos: vt quæ viam sternat, quod iusto sapienti adscribit Ecclesiasticus, *Inversutias parabolarum quiuis introeat & occulta prouerbiorum exquirat.* Quare dignissimam censui, quæ ocyùs euulgatâ luce donetur. Actum Antuerpiæ, in Semin. Episc. Kal. Martij, M. D. C. XIV.

Laur. Beyerlinck.

SVMMA PRIVILEGII.

ARCHIDVCVM *Priuilegio cautum est, ne quis proximo decennio citra voluntatem Martini Nutij Typographi Antuerpiensis, vllo modo imprimat, vel alibi impressum in suas ditiones importet, venalemue habeat Reuerendi Patris* Ludouici ab Alcasar Hispalensis è Societate IESV, Theologi, & in Prouincia Bætica sacræ Scripturæ Professoris, *librum, cui titulus,* Vestigatio arcani sensus in Apocalypsi, cum Opusculo de sacris Ponderibus ac Mensuris. *Qui secus faxit, confiscatione librorum, ac graui pœna mulctabitur, vt latiùs patet in literis datis Bruxellæ in Concilio Brabantiæ, XVII. Martij, anno* M. DC. XIV.

Signat

De Vvitte.

Hetærus de sequenti imagine ex Isaia c. 21.

NOli putare, optime Lector, existimasse *Luisium* nostrum, licere sibi ad Apocalyptici vestibuli ornamentum per accommodationem huc transferre, quod non erat eo respectu Isaiæ reuelatum. Sed potiùs sic habeto, propterea hic appositam fuisse eius visionis imaginem, quia persuasum habet *Luisius*, Spiritus sancti mentem in reuelatione illa Isaiæ facta non fuisse aliam, quàm vt extaret in veteri Scriptura insigne vaticinium de cælesti Apocalypsi, quæ à Ioanne erat spectanda, ac de ipsius Apocalypseos argumento præcipuo. Res sanè magna, si certa; ac de certitudine à te ipso ferendum est iudicium, perlecto capitis decimi septimi commentario, vbi res in disputationem veniet. Tunc verò, si tibi fuerit satisfactum; fortasse fatebere, nihil grandius optari potuisse ad Apocalypseos propyleum exornandum: nihil aptius cogitari; quàm tanti fuisse apud Deum reuelationem hanc Ioanni faciendam, vt augustissimo prognostico, & antiquissimâ prærogatiuâ eam singulariter honorare, & prænunciare decreuerit in ipso Isaiæ libro, designatis speculatore & argumento: idque in literali nobilissimi vaticinij sensu: qua ratione de vllo alio noui testamenti libro negat *Luisius* se peculiarem reperisse prophetiam.

Digitized by Google



Digitized by Google

IOANNIS *insignia sunt, quæ primùm eminent diuisa, Aquila, & Serpens: posteà in Domini Nostri Pauli clypeo coniuncta. Quòd verò Aquila Ioannis in nubibus depicta sit, desumptum ex Aristophanis adagio,* Aquila in nubibus: *quod apprimè quadrat Ioanni in Apocalypseos ænigmatibus. Adstant pro foribus Petrus, & Paulus, qui huic domui magnam intus maiestatem, aliquam foris claritatem tribuunt. Nam & in Apocalypsi, Petrus est magnæ potestatis Angelus; Paulus, qui primam effudit phialam (vt in stylobatis calatum cernis:) caditq; Ioannes ad vtriusque pedes, vt eos adoret: & in suis etiam epistolis, Apocalypseos argumento facem vterq; præfert. Et propterea Petrus ait, se clauem daturum ad aperiendam Apocalypseos ianuam, nimirum quia id omnino præstat dum Babylonis nomen tribuit Romæ Cohæretq; dictum Pauli,* Mysterium dico, *si per mysterium intelligas, quod ille solet, nempe reprobationem Iudæorũ, electionem Gentium.*

Digitized by Google



Digitized by Google

CARMEN AVCTORIS
AD
IOANNEM
APOSTOLVM.

SOla Aquilæ ſpecies, aut ſola Draconis imago,
(Chriſti, ô delicia) fuerant inſignia honoris
Vſque tui: nunc illa ſuper, draco ſubter, eodem
Cernuntur clypeo. Neque fas, ſine numine iuncta
Credere in inſigni Pauli, quem numinis inſtar
Vera colit pietas. Iam verò, quæ noua cauſa
Subſit, vt illa duo Cathedram ſociata beatam
Nunc primùm Petri decorent, ab origine pande
Spiritus alme, tui ne magni Vatis aberret
Interpres. Forſánne Aquilæ noua cauſa triumphi
De ſerpente ſubeſt depreſſo. ac tempore Pauli
Aſcenſurus erat fauſto cælum omine Titan,
Romanoq́ throno ſpes expectata fruenda,
Hæreticuſq́ furor frangendus ab alite ſacra?
Spero equidem, cauſamq́ iuuat perpendere belli
Quod gerit aduerſus, volucrum Regina, draconem.
Plin.l.10.c.4. Draco oua aquilæ conſectatur auiditate maleſica. Illa ob hoc rapit vbicunque viſum. Duri putaminis appellatio bene cõuenit difficultati ænigmatum.
Naturæ arcanos quibus explorare receſſus
Cura fuit, tantæ referunt primordia pugnæ
In ſerpentis atrox rictu inſectantis hianti
Oua aquilina ſcelus. Cauſa hæc, rapiatur ab illa
Vt viſus ſerpens vbicumque. Quid aptius ergo
(Dilectam ſobolem, duroq́ putamine clauſam,
Si videt excludi, gaudereq́ lute, minaci
Serpente eluſo) quàm ſacra triumphet vt ales
Deſuper, & plauſum geminet redimita coronâ:
Dum ſubter fremit ille dolens ſæuo irritus ore?
Quippe Aquilæ pullus ſacræ implacabile bellum
Haud dubiè pro matre geret, cùm dira tonanti
Suggeret aduerſus ſerpentem fulmina, in auras
AEtheris aſcendens. Ergo ô tu vere Aquilarum
Regina, ac tanti ouis feliciſſima partu,
Hoc decus eſt inſigne tuæ, noua gloria, parmæ,
Hactenus in denſis Aquilæ tibi nubibus omnes
Tura adolebamus. Iam ruptis cùm micat ignis
Nubibus, armigeram ſuperi te cernimus eſſe
Regis, & horriſoni tonitrus modò filia pro.lis
Splendidior tenebris è magnis, fulminis inſtar,
Terrificusq́ ſonus genitam te voce tonantis
Eximia, ac voci tuæ facta æqualia pandent
Hoſtibus attonitis. Erat autem pignore nato,
Floridior tibi vere nouo renouanda iuuentus.
Excludi ſed enim fœtus non antè valebat
Quàm longa annorum ſeries completa fuiſſet
Fixa Dei placito. Sed, quò cunctatio maior,
Hoc maioris erat diuinæ animatio molis,
Dignior & ſumma ſpe ingentis ſæcula lucis
Plurima dilata. Supereſt ea nunc tibi cura
(Ne voret ore draco, neu frigus (lædat iniquum)
Dum pipit, implumem pietate fouere paternâ:
Solis vt aduerſus radios ſi firma probetur
Stare acies, ſobolis veræ decoretur honore
Illa tuæ, ouo nata tuo, a te fœta, probata,
Altaq́ conſpicuam, & præſenti numine plenam,
Mirabunda ſibi quam ſemper adeſſe deinde
Caſtra Dei videant (Romanæ gloria Gentis)
Ac ſimul ante acies fulgens procùl emicet, illam
Horreſcat Stygiuſq́ draco, ſoboleſq́ draconis,
Excluſamq́ gemant æterno tartara fletu.

Nubes denſæ Apocal. denotant, & *Aquila in nubibus*. adagiũ eſt ex Ariſtophane. *Marc.3.17. Pſal.102.5.*

Plin.l.10.c.3. Implumes etiam pullos cogit aduerſos intueri ſolis radios, illumq cuius acies firma contrà ſteterit, educat. *Plin.l.10.c.4. ait*, no fere legionis Rom. vnquam hybernaſſe caſtra, vbi non aquilarum eſſet iugum, ac ſolius Aquilę ſignum in aciem à Romanis portatum.

TOTIVS

Digitized by Google

A

TOTIVS OPERIS DIVISIO.

PLACVIT primò totum opus in duos tomos diuidere, ea ratione, vt alter contineat commentarium, ac notationes in ipsam Apocalypsin: alter verò commentarium in eas sacræ Scripturæ partes, quę singulariter ab Apocalypseos allusionibus illustrantur. Hic verò posterior tomus non est à priore distractus ac dissolutus, sed cũ eo potiùs maximè cohæreus: quippe ænigmata integrè ac perfectè nequeunt enodari, nisi loci etiam, ad quos fit in eis allusio, optimè explicentur. Illud verò in Apocalypsi mirabile valde est, ex obscurissimis nempe illius tenébris lucem exoriri clarissimam, eamque in multa alia sacrarum Literarum capi-
B ta, atque adeò in integrum etiam librum, (qui & ceteris omnibus Veteris Scripturę creditur difficilior, & mysteriorum magnitudine cunctis refertior) refundi: atque hanc ipsam, quæ veteribus Scripturis communicatur lux, in magnam commentariorum Apocalypseos confirmationem, & ipsius ænigmatum illustrationem redundare.

Singuli autem tomi quinos habebunt libros, vt sint veluti duæ manus decem digitis distinctæ, ac se mutuo iuuantes. Hæc autem erit prioris tomi distinctio. *Primus* liber complectetur proœmiales Apocalypseos notationes. & duorum ac viginti capitum Paraphrasim. *Secundus*, commentarium priorũ trium capitum, quæ non sunt aliud, quàm prologus, quem Spiritus sanctus sacræ actioni præposuit. *Tertius*, commentarium à cap. 4. ad vndecimi vsque finem, id est, vsque ad *Judæorum diminutionem*. *Quartus*, octo capita subsequen-
C tia ad vndevigesimi finem exponet. Quę pars ad *Diuitias gentium* spectat, & ad Imperij Romani conuersionem pertingit. *Quintus* denique trium postremorum capitum conficiet commentarios, in quibus finem sacræ actioni imponunt descriptio longinquæ pacis Ecclesiæ, nec non victoria glorioſissima, quam obtinebit de Antichristo, ac demum vniuersalis Iudicij dies, & æternæ gloriæ magnitudo, quæ in cælo Romanam Ecclesiam manet. His, corollarij loco, accedet *Opusculum de sacris mensuris*, cui magnam lucem accendere videtur Apocalypsis.

Alterius tomi diuisio huiusmodi erit. *Primus* liber continebit commentarium prestantissimę partis libri Iob, quatuor nempe capitum, in quibus Deus cum Iobo loquitur: quę nimirum capita ab Apocalypseos etiam allusione mirificam mutuantur lucem. *Secundus* complures explicabit Psalmos perdif-
D ficiles, qui Apocalypseos etiam allusione faciles admodum redduntur explicatu. *Tertius* acoluthiam complectitur & commentarium in totum Cantici Salomonis librum, quem Apocalypsis etiam respicit, & illustrat. *Quartus* comprehendit commentarios præcipuorum capitũ, quæ ex Maioribus (quos vocant) Prophetis Apocalypsis accersit. Et *Quintus* demum in Prophetis Minoribus idem munus, quod in Maioribus quartus, præstabit.

Digitized by Google

LIBER PRIMVS,

Continens Notationes proœmiales in Apocalypſim, & ſingulorum capitum Paraphraſim.

EXORDIVM.

QVICVMQVE pingendi artis peritus eſt, priuſquàm penicillum arripiat, & picturam ipſam viuis coloribus exprimat; duo præſtet imprimis oportet. Alterum eſt, tabulam ipſam vel linteum, (quod eſt pictura illuſtrandum) colorum pulchritudini aptiſſimè excipiendæ, & penicilli dexteritati ſine vllo impedimento exprimendæ diligenter præparare. Alterum, aliquo ſiue lapillo, ſiue carbone, vel gypſo totam hiſtoriã poſteà depingendam ductis lineamentis primò adumbrare, & quamlibet ſuo loco figuram aptè concinneque delineare: ita vt in lineis ipſis appareat, non quidem picturæ pulchritudo, ſed ipſius diſpoſitio, ac veluti vmbra veritatis eius, quę poſtea multiplici colorum venuſtate & elegantiâ in lucem erit proditura. Simile quid præſtandum videtur iis, qui alicuius libri commentarium edere ſtatuunt, priùs enim quàm manus ad penicillum, vel potiùs animum ad ipſa commentaria appellant, duo ſibi neceſſaria ſunt. Primùm proœmialibus notationibus, ſiue prolegomenis quaſi tabulam prępararе, & obuias quaſq. difficultates, quæ in primo ipſo limine ſolẽt incurrere, complanare. Deinde poſt tabulã ipſam egregiè aptatam, quædam veluti lineamenta ducere, & in vmbra totum opus ita diſtribuere, ſuaſq. perſonis ſingulis ſedes deſignare, vt poſteà in ipſa eminentia elegans & concinnum appareat. Atq. huc debet dirigi Paraphraſis ſcopus, vt in ipſa, ante idoneam colorum proportionem, & congruentem totius libri explicationem, ipſamet hiſtoriæ partitio, & apta figuræ cuiuſque lineamenta indicent; opus illud ſibi omnino eſſe conſtans & cohęrens; atq. adeò, ſi commentarij ipſius luce veluti colorum varietate expoliatur, & veluti animetur; rem fore ſingularis ſapientiæ, nec indignam, quæ eodem illo ordine ſcripta ſit in libro, quem interpres commentariis illuſtrandum aggreditur. Has igitur volui eſſe duas huius libri primi partes, nimirum Notationes proœmiales, atque Paraphraſim. Libuit enim hoc libro complecti quidquid ante ipſius Apocalypſeos commentarium præmitti oportere duxi. Quapropter in Notationibus quidem quaſi tabulam, ſeu linteum aptare eſt animus, atque ita facilem & læuem reddere, vt obices ac difficultates, quæ poſſent obiici aduerſus meam interpretationem, aut omnino ſublatę, aut ſuperatu faciliores multò ſint. In Paraphraſi verò oculis ſubiicere intendo prima ipſa totius operis lineamenta, partitionem, & vniuſcuiuſque figurę ſcopum, non vt ex primis hiſce lineis Spiritus ſancti mentem attigiſſe iudicer, ſed vt meâ intentione, vniuerſaque operis hiſtoria, quam in toto hoc libro exprimere conor, poſſit animum Lector informare; ac proinde vt appareat, argumentum operis totius eſſe Sp. ſancto digniſsi-

Digitized by Google

A dignissimum,& dispositionem ipsam atque ordinem rerum inter se mirificè concinnatum,& solùm superesse,vt rectè & ordinatè varij disponantur colores ea concinnitate,qua opus est,vt ænigmata iudicentur esse enodata.

Notationes,quæ à me proœmij loco præmittuntur,alicui fortassis nimis multæ, atque adeò plures solito videbuntur. Ceterùm si nulla est in ipsis superuacua,

Non sunt longa, quibus nihil est, quod demere possis.

vt scitè Martialis lib. 2. Epigr. 77.

Et meâ quidem sententiâ in hisce Notationibus non digredior ad rem aliquam, quæ parum ad libri huius ornamentum, aut æstimationem conducat: quæue adiumento non sit ad nostri argumenti difficultatem superandam. Quidquid præterea neutri ex hisce duabus rebus conferens addatur in proœ-

B mio,otiosum planè & superuacaneum esse existimo: & tam in proœmio ipso, quàm deinceps in commentariis, illud semper præstare si minùs potui, ac optasse me fateor,quod Plinius Iunior lib.5.epist.6.his verbis consulit: *Primum ego officium scriptoris existimo, vt titulum suum legat, atque identidem interroget se, quid cœperit scribere, sciatque si materiæ immoratur, non esse longum: longissimum, si aliquid accersit atque attrahit. Breuis est, qui facit, quod instituit. Non enim excursus hic eius, sed opus ipsum est. Si nihil inductum, & quasi deuium loquitur, non epistola, quæ describit; sed res, quæ describitur magna est.* Hoc ergo Plinij consilium capiendi & exequendi auidus, (& aliud simile Philonis Poëtæ Græci,) in his prolegomenis exoptaui; nihil aut relinquere, quod ad tabulam ipsam poliendam, ac præparandam opus esset; aut accersere,quod minimè esset eam ad rem necessarium. Similiter etiam in toto horum commentariorum ac li-

C brorum sequentium decursu illud mihi in votis cumprimis est,vt inter duas lineas, siue regulas (quod aiunt) quidquid dixero, inscribam. Altera est, ne quid afferam,quod ad intelligentiam rei ipsius,quam commentario susceperam illustrandam, nihil referat. Altera, ne quid prætermittam,quod ad eiusdemmet rei cognitionem opus esse videatur. Sic solent qui scribere discunt, inter duas parallelas, characteres efformare: vt & ipsæ literæ pares inter se,& ipsarum lineæ rectæ existant.

Primam harum regularum multi transiliunt,vt suos commentarios multiplici rerum pretiosarum supellectile locupletent.Liceat tamen mihi,obsecro, inopi,& rerum egeno nihil curare de veste filo,auro,& opere acupicto elaborandâ; sed tantùm de concinnãda,& leuidensõ(quod aiunt)filo consuenda,ne

D disrumpatur. Atque hic saltem sit noster tenuitatis prætextus;nempe,sic nobis videri expedire,vt tota mentis intentio ad contextus seriem,& intelligentiam colligatur. Atque huic saltem excusationi faueat Florus initio suæ historiæ,vbi ait, *Ipsa sibi obstat magnitudo, rerumque diuersitas aciem intentionis abrumpit.* Quod eò solùm dictum velim,vt aliquam meæ paruitatis excusationem afferam,in aliorum enim scriptis magnam rerum copiam,& varietatem cum exacta interpretatione coniunctam dilaudo admiror,atque suspicio.

Verùm esto,in commentariis longiùs interdum liceat per varia eruditionis prata diuagari: in Paraphrasi saltem nemo non viderit, minimè expedire, aut latè excurrere, aut eam rerum copiâ ditare. Quapropter quamuis in proœmij Notationibus longior alicui videri possim;in Paraphrasi tamen satis caui, ne simile quid mihi vitio verti posset. Imò verò suspicor,nimiùm me breuem,

& parcum

Digitized by Google

& parcum visum iri. Huiusce tamen rei excusatio ea est imprimis, ne in Paraphrasi succincta accidat illud Horatij, in arte Poët. A

——Breuis esse laboro,
Obscurus fio.——

Nam cùm scopus in Paraphrasi proponere sit, non probare, vt totum filum in vniuerso opere ducendum, & omnium libri partium cohærens ordo & continuata series percipi possint; oportet omnia simul compendiariâ breuitate sub mentis aciem subiici; & propterea Paraphrasim ipsam ab iis omnibus secerni, quæ ad deducti fili cognitionem necessaria non sunt. Nec enim ad perfectionem Paraphrasis satis est, vt in summam redigat, quod fusè in commentario disputatur; sed opus est, in ea dumtaxat exprimi quasi neruos, quibus ipsius textus connexio & coagmentatio constat: alioqui suas partes Paraphrasis non præstabit, quæ non sunt aliæ, quàm vt appareat ex ipsa, totâ rei ipsius seriem B ducto & continuato filo optimè cohærere. Quod si desit; quantumuis multa, eaq; præclara tum commentarius contineat, tum etiam Paraphrasis breuiùs contrahat; libri ipsius elegantia atque sapientia minimè innotescent: si Paraphrasis malè cohærentia, atque adeò dissoluta complectatur. Quamobrem eo rectiùs, & ipsi operis acoluthię congruentiùs Paraphrasis suum assequitur finem, quo contractior in se, & ad præcipua puncta constrictior esse videbitur. Et sanè non satis comprehendit (opinor) totius libri seriem, qui paucis summam eius complecti nescit.

Hinc est, quòd conatus ipse sim Apocalypseos acoluthiam, non solùm breui verborum ambitu in Paraphrasi, sed breuiùs adhuc in notatione septima proœmiali coërcere. Ibi enim contendi singulis capitibus titulos per ordinem præfigere: atqui breuissimum integro capiti titulum apponere, qui argumenti medullam complectatur, non est admodum facile. Deinde in eadem notatione hanc rursus acoluthiam paulò latiùs explicui. Quare Paraphrasis quamuis videatur breuis, tertia est Apocalypseos summa, ceterisque fusior, singulatim enim perstringit, quidquid cõtinet textus, & symbolorum singulis suam distribuit significationem: ita vt sensus, quem ipse in cuiusque capitis filo, & in omnibus singulorum capitum partibus persequor, possit facili negotio percipi; & manifestè cernatur, libri seriem & totius argumenti discursum excellentissimum esse solumque desit, vt commentarius ac notationes librorum subsequentium ostendant, cuiusque symboli applicationem ad eum sensum, quem mihi tanquam genuinum proposui explicandum, benè & cohærenter aptari, quemadmodum opus est, vt censeatur solutum esse ænigma, & ipsius elegantia propalata. C

Digitized by Google

LIBRI PRIMI PARS I.

QVÆ EST NOSTRÆ INTERPRETATIONIS PROOEMIVM,

In sex & viginti Notationes partitum.

NOTATIO PRIMA.

In qua primùm expenditur, quanti momenti & ponderis sint Notationes istæ, quæ ante commentarium præmittuntur: & deinde earum series ob oculos ponitur.

EX eorum numero, qui in hos meos labores inciderint, (si qui fortè erunt) suspicor, aliquos ad singulorum ænigmatum interpretamẽta festinantes, hoc quidquid est proœmij, cùm primùm videant bonas illud paginas implere; facilè prætermissuros, vt citiùs de ipsa Apocalypseos interpretatione iudicium ferre valeant, persuasum habentes, huiusmodi notationes proœmiales non esse tanti, siue ad degustandum aliquid ex opere, siue ad iudicium de illo ferendum, vt non sit pluris facienda celeritas iudicii ex qualibet commentarii parte vnam aliquam Apocalypseos figuram meditantis, quàm molesta longioris proœmii consideratio. Verùm enim verò si vlla est habenda ratio sensus opinionisque meæ; multo plus ad Apocalypseos intelligentiam conferunt hæ notationes proœmiales, quàm vlla mei commentarii pars. Neque aliter se habet hoc proœmium respectu commentarii, quàm caput in animali ad reliquas corporis partes comparatum; cui omnes tanquam reginæ facilè cedunt, quamque tueri prudentia naturæ cogit, cum aliarum etiam partium dispendio, si opus sit: nimirum quia caput est veluti arx & Capitolium, in quo sensus omnes, tam externi, quàm interni, patriorum penatum instar, suum habent domicilium; quo deuicto, illicò cetera omnia corruunt: extemplò enim reliquum corpus omni sensu & intelligentia priuetur necesse est, & inanimum remaneat. Quò spectet hæc capitis similitudo, seu comparatio, facilè, opinor, Lector intelliget. Adiiciam tamen aliud simile, vt mentem meam magis explicem, & eam Lectori, aptissimo (vt mihi quidem videtur) exemplo confirmem.

Animaduerto igitur in bellis, quædam esse prælia, quibus minimè dimicatur de summa imperii, sed de castello aliquo, aut vrbe, quæ magnæ cuiusdam monarchiæ sunt partes exiguæ. Alia verò esse prælia, quibus non de hoc vel illo castello aut munitione, sed de toto imperio agitur: eò quòd ex illo prælio pendeat, cui deferenda sit totius imperii monarchia: & quamuis plurimæ supersint difficultates posteà superandæ; tamen priùs etiam, quàm illæ superentur, ex illius prioris prælii victoria agnoscit victor se iam esse totius imperii monarcham, qui hostem suum imperij possessione spoliauerit, atque eius potentiam in se transtulerit. Huiusmodi fuere prælium Pharsalicum, quod Cæsar cum Pompeio commisit; & Actiacum, quo Augustus decertauit cum Antonio; & antè, Cilicense, quo Darius & Alexander de totius Asiæ imperio dimicarunt. In eiusmodi ergo prælijs, quis non videat, quanto fuerit maioris momẽti singularis illa victoria, quàm quod, quis oppidum & quamuis vrbem inuadere & sibi subiicere? In Apocalypsi ergo (id est, in libro omnium difficillimo) facilè apparet scriptorem, qui eam interpretandam suscipit, cum iis omnibus bellum suscipere, qui eam quam ipse profert, expositionem non recipiant. In hoc autem bello, (quod Angelicorum instar, intellectualibus viribus & armis geritur) quæuis disputatio circa genuinum huius vel illius figuræ mysterium omnino sunt veluti prælia, quibus non de summa imperij, sed de hac vel illa vrbe siue castello decertatur. Decertatio verò de totius Apocalypseos argumento, siue mysterio, & de totius libri summa & scopo, quid est aliud, quàm prælium, quo de imperio dimicatur? Hoc verò admisso, admitti etiam necessariò debet, disputationem hanc, quæ in notationibus proœmialibus continetur, si in ea de totius libri summa atque substantia decernitur, & de vero huius mysticæ nauigationis cursu statuendo; longè maioris momenti esse, quàm omnem aliam de aliqua Apocalypseos figura, deque illius legitimo sensu, disputationem. His addo, hac præcipuâ victoriâ comparatâ, longè maiorem fore victoriæ cùm facilitatem, tum etiam securitatem in prælijs, seu disputationibus circa hanc vel illam figuram: vt facilè apparet ex comparatione præliorum, quæ Cæsari committenda fuere post superatum in acie Pharsalica Pompeium: vel quæ Augusto post victoriam Actiacam, aut Alexandro post deuictum Darium. Quòd si imperatores illi valdè fuissent imprudentes, si eo prælio contempto, in quo de summa imperii agebatur, suam omnẽ curam & industriam ad in-

Alcasar in Apocal.

Digitized by Google

uasionem huius vel illius munitionis, aut vrbis, transtulissent: hæc ipsa exempla à Lectoris prudentia exigere videntur; vt si de meo opere iudicium ferre velit, non existimet pluris referre quamuis commentarij partem perlegisse, quàm ad huius proœmii disputationem attentum & æquum se iudicem præbere. Sic enim habeat Lector, in hoc opere disputationem præcipuam, & veluti prælium de summa imperii, positum esse in huius proœmii controuersia, & in harum notationum campo, atque in hoc certamine; quo, de germano totius Apocalypseos argumento inter varias opiniones dimicatur: atque ad hanc disputationem reuocari ea omnia, quæ in his notationibus continentur. Quamuis enim priores notationes non videantur incipere ab ipsa controuersia de Apocalypseos scopo & argumento: facilè tamen cernitur, libri auctoritatem & auctorem, causámq; propter quam Caluinistæ eum A recipiunt, ac quæstionem de tempore, quo scripta est Apocalypsis; & qua ratione potuerit Ioannes per futurũ enunciare ea, quæ iam præterierant; & denique titulum & obscuritatem libri; facilè (inquam) apparet, hæc omnia ante disputationem de argumento, præstituenda fuisse. illa verò quatuor notationibus peraguntur. In reliquis autem huius proœmij notationibus, primùm ex variis opinionibus de Apocalypsis argumento, siue subiecta materia eligitur ea, quam nos Dei æmulatione æmulamur, & cui imperium deferendum esse efflictim contendimus: ac deinde expenditur, quàm sint valida ea, quæ pro argumento à nobis electo militant aduersus eos qui aliter sentiunt; quamque benè & plenè diluantur ea, quæ eidem argumento videbantur obiici posse. id quod vt ex ipsa subsequentium notationum serie meliùs percipi valeat, ecce illam subiicio cum notis è regione.

Series subsequentium notationum.

2 De auctoritate, & auctore Apocalypseos, & cur Caluinistæ eam recipiant.
3 De tempore, quo scripta est Apocalypsis, & qua ratione potuerit Ioannes per futurum enunciare ea, quæ iam præterierant.
4 De titulo, quem Ecclesia huic libro apposuit.
5 De obscuritate Apocalypseos.

Notæ ad hanc ipsam seriem.

Facilè intelligitur hæc fuisse ad disputationem de argumẽto supponenda; nempe vt constet oportere, vt illud sit tãto scriptore dignum, & aptum tempori, quo scriptum est: atq; vt suæ inscriptioni, & ipsius tituli elegantię respondeat; curque res ipsa tantam obscuritatem postulauerit.

6 De variis opinionibus circa argumentum Apocalypseos.
7 Argumenti nostri & acoluthiæ eius indicatio.

His duabus notationibus ob oculos ponitur, quę sint aliorum opiniones de Apocalypseos argumento, & quam nos amplectendam esse contendamus.

8 Eiusdem argumenti confirmatio à dignitate.
9 Secunda confirmatio à cohærentia & continuata totius libri serie.
10 De egregio fructu & filo aptè deducto à principio libri vsque ad finem. Vbi per occasionem de ænigmatis explicandi ratione.
11 De hæreticorum confutatione ex eodem filo aptè deducto.
12 Confirmatio tertia ab obseruatis tum indiciis à Ioanne datis, tum etiam antiquorum Patrum vestigiis.
13 Supradicta indicia atque vestigia non videri obseruata ab iis, qui diuersa Apocalypseos argumenta excogitarunt.

Sex istæ notationes pro nostro argumento pugnant, triplici armorum genere aduersarios oppugnantes: obiecta nempe illis nostri argumenti dignitate eximia, filo perpetuo, & auctoritate grauissima, (quæ omnia in alienis argumentis videntur prorsus desiderari,) & positis præterea ob oculos maximis nostri fili vtilitatibus.

14 De præcipuo huius libri scopo; & cur obscurissimè scriptus sit.
15 De summa huius libri perfectione symbolica.
16 De energia perfecti symboli; & an claritati deseruiat.
17 Ex clariori antiquæ doctrinæ perceptione colligi interdum multa, quę prima specie videantur noua.
18 Apocalypsin veteris Scripturæ locis ac libris lucem præferre.

In his etiam continentur quatuor egregiæ nostri argumenti confirmationes; scilicet à cõuenientia obscuritatis magnæ;
Ab exacta vniuscuiusque symboli conuenientia cum re significata;
A mira luce, quæ in doctrinam Euangelicam ab ipsis symbolis deriuatur;
Et à face, quæ ex Apocalypseos tenebris procedit ad sacræ Scripturę intelligentiam.

19 Responsio ad ea, quæ nostro argumento obiici possunt: & primò ad nouitatem explicationis.
20 Responsio ad secundã obiectionẽ, nempe de grauissimarum expositionum iniuria; & per occasionem de multiplici sensu literali eiusdem loci.

Tandem quia non satis erat alienis oppugnatis nostram confirmasse sententiã, nisi plenè & planè satisfieret ijs omnibus, quæ nobis obiici posse videbantur: ideò ex postremę notationes conantur nihil præterire ex iis quibus visum est nostrum argumentum oppugnari posse. Ea verò ad quatuor capita reuocantur,

12 Re- nempe

21 Responsio altera ad eandem obiectionem, & nostri argumenti cum receptis explicationibus conciliatio.
22 Responsio ad peculiarem quãdam querelam de iniuria, quam videmur facere iis sensibus, qui dicũtur esse à Deo reuelati.
23 Responsio ad aliam obiectionem, scilicet de magnarum rerum omissione.
24 Responsio ad obiectionem vltimam de nimia mystici sensus consectatione.
25 De nonnullis sacræ Scripturæ locis in confirmationem eius phrasis, per quam nos ad vltimam obiectionem respondimus.
26 De interpretibus Apocalypseos.

nempe ad expositionis nouitatem, ad aliarum expositionum iniuriam, ad rerum magnarum omissionem, & denique ad nimiam mystici sensus consectationem; atque hæc per ordinem refutare conati sumus.

NOTATIO SECVNDA.

De auctoritate & auctore libri Apocalypseos; & cur Caluinistæ eam recipiant.

1. APOCALYPSEOS librum esse canonicum, (id est, legitimam sacræ Scripturę partem) & à Ioanne Euangelista fuisse scriptum, non tam mihi probandum est, quàm supponendum, indicatis tamen auctoribus, qui ea de re copiosè agunt. Hi sunt Bellarminus tom. 1. disputatione de Verbo Dei, cap. 19. Baronius to. 1. anno 97. Salmeron in præludiis ad Apocalypsin sub finem to. 16. Ribera quæstione proœmiali, cap. 1. Pamelius in Tertullian. Pererius disput. 3.

Catholici, qui olim non recipiebant Apocalypsin.

Vt verò breui perstringam, quæ ab his auctoribus dicuntur, quod ad libri auctoritatem spectat, nonnulli ex Catholicis eum respuebant; vt Caius antiquus auctor apud Eusebium lib. 3. cap. 28. qui eum Cherinto tribuebat. præterea non recipitur ab Anastasio, & Dorotheo; quin & tempore B. Hieronymi Græcorum Ecclesiæ Apocalypsin non recipiebant; vt ipsemet tradit epistola ad Dardanum, (quæ est 129.) licet variè Hieronymi dictũ intelligatur: Bellarminus enim vult, id esse intelligendum de paucis quibusdam obscuri nominis Græcis; at Baronius existimat Hieronymum habuisse respectum ad Basilium, Nazianzenum atque Nyssenum; qui visi sunt interdũ ab eo libro citando abstinuisse. Addit insuper, Nazianzenũ, dum texuit catalogũ librorum Canonicorum, nullam de Apocalypsi fecisse mentionem; sicut neque Concilium Laodicenum: ea fortasse de causa, quòd qui Clementis nomine habetur Canon Apostolorum 84. Apocalypseos non meminerit. Hunc tamen Canonem apocryphum esse demonstrat Pererius. Addit Baronius Amphilochium Basilio coæuum in catalogo Canonicorum librorum in fine dicẽtem: *Ast Apocalypsin Ioannis aliqui ijs inserunt: rursus, sed longè plurimi adulterinam respuunt.* Huc accedit, quòd nec Basilius, nec Cyrillus vnquam in suis operibus vtuntur Apocalypsi.

2. Cæterùm existimo, Hieronymum de Græcorum Ecclesiis loqui; non verò de Basilio, Cyrillo, Nysseno, vel Nazianzeno: hi enim Patres, vt posteà probabimus, Apocalypsin Canonicam esse Scripturam censuerunt. Quare non bona est consecutio; Ecclesiæ Græcorum non recipiebãt, non ergo recipiebat Basilius, aut Gregorius, aut Cyrillus. Et verò Hieronymi verba hæc sunt, *Græcorum Ecclesiæ Apocalypsin Ioannis non suscipiunt eâdem libertate, qua Latinorũ consuetudo non recipit epistolam ad Hebræos, inter Canonicas Scripturas: & tamen nos vtraque suscipimus, nequaquam huius temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes.* Sicut ergo Latinorum consuetudo epistolam ad Hebræos minimè recipiebat, cùm tamen sapientissimi Latinorũ, (vt Hieronymus, Ambrosius & Augustinus) de eius auctoritate non dubitarent; ita etiam neque Græcorum sapientissimi dubitabant de Apocalypsi: quoniam non ignorabant consensum antiquitatis, & Ecclesiæ Latinæ auctoritatem respui non posse. Aliud igitur est, nondum inter Græcos communi fuisse consuetudine hunc librum receptum, vt simul cum ceteris Canonicis asseruaretur, & recitaretur in Officio Ecclesiastico: aliud verò, sapientissimos Doctores Hieronymo æquales veritatem ignorasse: hoc enim est falsum, illud verum. Atque eam fortassis ob rem interdum ab eo libro citando abstinebant etiam sapientes, præsertim cùm ad populum verba facerent.

3. *Quosdam de auctore dubitasse.*

Ex his verò, qui de Canonica Apocalypseos auctoritate non dubitarunt, quidam in dubium vertêre, an eius auctor esset Ioannes Euangelista, vt Dionysius Alexandrinus, qui dicebat, Ioannem Theologum, siue presbyterũ esse quemdam alium Christi discipulum huius libri scriptorem: cuius rationes, (seu coniecturæ potiùs) à plerisque afferuntur, & refelluntur.

Iam dubitare non licere.

Sed quidquid alii quondam censuerint, iam inter Catholicos dubitare non licet, nec de libri huius auctoritate, nec de auctore: vniuersæ namque Ecclesiæ perspicuum planè est, librum & esse Canonicum, & à Ioanne Euangelista conscriptum; & oppositæ dubitandi rationum nubeculæ, oborta hac veritatis luce dissipatæ funditus euanuere. Id quod cùm Patrum consensu, tum etiam Conciliorũ decretis sancitũ est. Patrum quidem testimonia (vt Dionysii Areopagitæ, Iustini Martyris, Irenæi, Hippolyti, Theophili, Clementis Alexandrini, Origenis,

Alcazar in Apocal.

Digitized by Google

genis, Dionysii Alexandrini, Athanasij, Chrysostomi, Epiphanii, Cypriani, Hilarii, Hieronymi, Augustini, Ambrosii, Gregorii Magni, &c.) congerit hîc Glossa & Pererius disputat. 3. Insigne est illud Tertulliani, 4. contra Marcionem cap. 5. *Etsi Apocalypsin* (inquit) *Marcion respuit; ordo tamen Episcoporum ad originem recensus in Ioannem stabit auctorem.* Conciliorum verò decreta, (vt Ancyrani, Toletani IV. & recentiorum, præsertim Tridentini) nota sunt.

4. *Magna huius libri excellentia inter sacros.*

Et quidem auctoritatem Canonicam cum ceteris Scripturæ libris communem habet Apocalypsis; illud singulare maiestatis & excellentiæ argumentum, quòd cùm per tot annorum seriem, & ordinem sæculorum omnes se eius nescire expositionem fateantur ingenuè: ita tamen suum intellectum in eius obsequium captiuent, vt clausis ingenii oculis, non illam venerentur modò, sed inter ceteros etiã Scripturæ libros principem ei locum tribuant. Reliquos sanè si veneratur Ecclesia, aut omni aut magna saltem ex parte intelligit; hunc & non intellectum veneratur, & non posteriori tempore conscriptũ, postrema tamen in sede collocat, vt ceterorum agmen claudat. Quod summæ dignitatis est, vt infrà perstringam.

Huc spectat, quòd Millenarii (qui multi & grauissimi fuere) propterea illo errore implicati sunt, quòd de libri auctoritate non dubitantes, aliter exponere nescirent. Tanta fuit apud illos libri huius auctoritas, vt quòd in eo asseri putarent, quamuis fabulosum videretur, non dubitarint pertinacissimè propugnare.

De sententia Nazianzeni, Basilij & Cyrilli.

Quod verò ad Gregorii Nazianzeni, Basilij, ac Cyrilli Alexandrini mentẽ attinet; dubitari non posse videtur, quin Apocalypsin inter Canonicas Scripturas numerarint: nam Andreas Cappadociæ Episcopus, & antiquissimus huius libri interpres, ait, constare hunc librum à Gregorio Theologo, & à Cyrillo Alexandrino diuinum appellari. Citat porrò frequenter Gregorii Nazianzeni in Apocalypsin commẽtarium, vt cap. 1. in ea verba, *Qui est & qui erat*; & in id, *Similes aurichalco*; & in id, *Sacramentum stellarum*. Et cap. 3. in illud, *Vtinam frigidus aut calidus esses*. Præterea Aretas prædicti Andreæ successor testatur, Apocalypsin à Gregorio Naziãzeno inter legitimos Ioannis Apostoli libros numerari. Certè Nazianzenus aliquãdo citat Apocalypsin (scilicet oratione 35.) in titulo etiã Aretæ habetur eum commẽtarium collectum esse ex Basilio, Nazianzeno, Cyrillo, Papia, Philone, & aliis. Nyssenum verò eiusdem fuisse sententiæ cum Basilio, Gregorio, Cyrillo, Athanasio atque Chrysostomo quis dubitet?

5. *Cur Caluinistæ recipiant Apocalypsin.*

Hactenus de Catholicorum sententia. Vt verò de Hęreticis nonnihil perstringã (licet nulla eorum ratio in re tanta videatur habẽda) percommodè accidit, vt, quamuis Lutherani Apocalypsin hac tempestate explodant, (sicut Marcionistæ olim, & Alogiani) Caluinistæ tamen, qui acriores Ecclesiæ Romanæ hostes videri volunt, censuerint sibi recipiendam esse Apocalypsin; nempe vt obscuris libri ænigmatis abuterentur ad acerbitatis suæ virus in Romanum Pontificem euomendum. Atque hic potissimus est scopus tot librorũ, quos illi in Apocalypsin euulgarũt. Verùm ipsorũ conatus non irritos solùm, sed stultissimos etiam euasisse constabit; si vera ac germana Apocalypseos explicatio planum fecerit, nihil præstantius aut excellentius ad Romanæ Ecclesiæ, ac Pontificis summi auctoritatem stabiliendam & roborandam aut fingi aut excogitari potuisse, quàm vniuersum huiusce libri argumentum.

His addo, exactam Apocalypseos interpretationem non ijs solùm Hæreticis inferre bellum, qui huius libri auctoritatem recipiunt; sed etiam iis omnibus sectariis, qui quamuis negent hunc esse librum Canonicum, de eius tamen antiquitate non dubitãt; hoc est, vniuersis qui id fatentur, quod nemo vnquam inficiari potuit, aut in ius & litem vocare: nempe Apocalypsin non esse librum paucis abhinc annis à Catholicis confictum; sed qui scriptus sit ante triumphatam ab Ecclesia Christiana Romam veterem idolorum cultricem. Hoc enim admisso, si ex perfecta applicatione omnia quadrante constiterit, ænigmata Apocalypseos ad perpendiculum conuenire cum ijs, quæ hodie Ecclesia Romana amplectitur & profitetur; ex hoc ipso euidenter infertur, scriptori huius libri diuinitus reuelata fuisse ea, quæ Ecclesiæ Christianæ erant euentura; atque ex interpretationis euidentia, vnà cum libri antiquitate coniuncta, summam eidem libro conciliari auctoritatẽ. Præterquam quòd, percepto semel totius libri filo, & miris eius allusionibus animaduersis; adeò in ea mira elucet statim sapientia, vt hæc ipsa sit ingens argumentum plenum lucis ac vocis, tum ad fidei Christianæ confirmationem, tum etiam ad summam ipsius Apocalypsis maiestatem Canonicam.

Atq; hæc de libri auctoritate dicta sint, priusquam ad argumentum veniamus; ex cuius explicatione spero non parum eidem auctoritati vis ac ponderis accessurum.

NOTATIO TERTIA.

De tempore, quo scripta fuerit Apocalypsis, & quo pacto potuerit per futurum enunciare ea, quæ iam præterierant.

1. *Opinio Hentenij & Salmeronis.*

APOCALYPSIN scriptã esse ante Hierosolymæ excidium contendunt Hentenius & Salmeron. Eadem fuit sententia Ioannis Anii; quem refert & sequitur Hentenius, & idem videtur amplecti Caponsachius. Censent enim in Apocalypseos prophetia singillatim prędici illius vrbis vastitatem; quam existimant propheticè enunciari, nisi ante euentum ipsum, non posse. Sic expresè Methodius, (quem citat & sequitur Andreas in suo commentario, cap.

Digitized by Google

cap.33.) asserit enim, *Ioannem in Apocalypsi nihil vidisse de ijs mysteriis, quæ iam erãt impleta; sed solùm ea, quæ tunc agebantur, cùm ei reuelata sunt, & quæ postea futura erant.* Subscribit Abulensis in Iosue, cap.10. quæst.86. vbi hæc habet, *In Apocalypsi continentur nobiliora, quæ facta sunt in Ecclesia, à tempore reuelationis Ioanni factæ, vsque ad diem iudicii: & licèt quædam scribantur per modum præteriti, nihilominùs quando scripta sunt, omnia futura erant.*

2. Probant deinde Hentenius & Salmeron suam opinionem: Primò, Tertulliani auctoritate, quem aiunt duobus in locis affirmare Ioannem fuisse à Nerone in Pathmos insulam relegatum. Id quod roborare possent ex Hieronymo, qui lib.1. contra Iouinianum, c.14. idem videtur asserere ex Tertulliani testimonio; in editione enim Erasmi sic ait: *Refert Tertullianus, quòd à Nerone Ioannes missus in feruentis olei dolium, purior & vegetior exierit.* Atque eodem modo legit hunc Hieronymi locum Pamelius in notis ad Tertulliani librum de Præscriptionibus, n. 215. vbi eandem videtur sequi sententiam.

Tertiò, probant ex Eusebio in libris de Demonstratione Euangelica, *Quibus* (aiunt) *vtpote posteriùs scriptis & accuratiùs, maior fides habenda est, quàm ijs, quos scripsit de historia Ecclesiastica.*

Quartò, possent pro se adducere Epiphanium hæresi 51. dicentem, *Reuersionem Ioannis ab insula Pathmo factam fuisse sub Claudio Cæsare.*

3. *Aliorum opinio.* Alii è contrario, (vt Ribera, & Viegas) propterea negant Apocalypsin agere de Hierosolymæ euersione, quòd certum esse existiment, hunc librum Domitiani tempore fuisse conscriptum.

4. *Media via incedẽdum esse.* Ceterùm inter vtramq; opinionẽ mediâ viâ incedendum mihi est. Censeo enim cum Hentenio & Salmerone Hierosolymæ ruinam in Apocalypseos prophetia contineri: nihilominùs tamen cum Ribera & communi asseuero, Domitiani tempore fuisse scriptam; nec duo hæc inter se pugnare, sed mira potiùs conspiratione conuenire. Prophetia enim huius libri non solùm futuros Ecclesiæ successus complectitur, sed eos etiam, qui præcesserant, quando Ioanni facta est reuelatio. Ita apertè docet Augustinus 20. de Ciuitate cap. 8. cuius hæc sunt verba, *Apocalypsis complectitur totum tempus à primo aduentu Christi, vsque ad secundum.* Ex sententia igitur Augustini comprehendit etiam Ecclesiæ euentus à primo Christi aduentu ad illud vsq; tempus, quo Ioannes scripsit. Haymo etiam in præfatione, *Magna* (inquit) *est distantia inter hanc prophetiam, & eas quæ ante Christi aduentũ reuelatæ sunt, quia quod Prophetæ priores cernebãt à longè venturum, hoc Ioannes maxima ex parte factum ostendit.* Accedit Gilbertus in sua itidem præfatione (quã multi commentariis illustrarũt, vt Glossa, Albertus, Thomas & Hugo) vbi *præstare*, ait, *hanc prophetiam prophetiis veteris testamenti; quia de Christo & Ecclesia sacramenta denunciat, quæ iam erant magna ex parte adimpleta.* Eadem ferè habet Ricardus de sancto Victore in suo prologo. Rupertus quoque asserit, *Apocalypsin continere, qualis fuisset, qualis tunc esset, & qualis futurus esset Ecclesiæ status.* Beda denique, *Ioannem à passione Christi recapitulare.*

Alcasar in Apocal.

Sed ex prophetiæ nomine, quod huic libro tribuit Ioannes, oritur non leuis difficultas: proponitur enim nobis liber ænigmaticus, & totus liber appellatur prophetia; non ergo superest locus, vt dicamus, quædam ex ænigmatis ad futura spectare, quædam verò ad ea, quæ iam præterierant. Huc accedit, Ioannem ab his verbis exordiri: *Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus, vt palàm faceret seruis suis, quæ oportet fieri*, id est, quæ proculdubiò eueniẽt. Quæ verba toti libro, veluti titulus, præfixa sunt: atqui titulus complecti debet omnia, quæ in libro continentur: quare nulla debet esse pars, quæ ad tempus futurũ non spectet. Vrgetur adhuc difficultas. Qua enim parte Apocalypsis nobis videtur agere de iis, quæ iam erant impleta, vtitur Ioannes futuri temporis verbis, & forma prophetiæ, vt cap.9.6. *In diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eam; & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* Et c.10.7. *In diebus vocis septimi Angeli cõsummabitur mysteriũ Dei.* Et c.11.2. *Ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus, & dabo duobus testibus meis, & prophetabunt, & bestia vincet illos, & occidet eos; & corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis; & videbũt de tribubus, & gaudebunt, & munera mittent inuicem*, &c. Omnia isthæc futura nos cogere videntur, vt asseramus illam vaticinij partem, nequaquam tunc fuisse expletam, quando fuit Ioanni reuelata. Quemadmodum enim vsitatissimum in prophetiis est, ad firmitatis significationem, in re adhuc futura præteritis vti verbis; sic etiam certum est, in verbis futuri temporis retinendam esse futuri significationem; atque id nos, Deo fauente, manifestum faciemus in expositione psal.67. & in orationis Habacuc commentario.

5. *Difficultas ex nomine prophetiæ.*

6. Nihilominùs grauissima auctoritate statutum iam & stabilitum est, Apocalypsin multa in se comprehendere, quæ iam ea tempestate præterierant, qua Ioanni facta est reuelatio: ex quibus sunt, Ecclesiæ Christianæ excellentia atque maiestas, & varii etiam euentus, qui eidem Ecclesiæ ad eum vsque diem acciderant. hæc enim est sententia Augustini, Bedæ, Haymonis, Ricardi, Ruperti, Gilberti, Strabonis, Alberti, Thomæ, Hugonis, & cõmunis expositorum cum Ambrosio in c.4 de quo ibidem latiùs. Quam ob rem magni æstimandum est, si facilis huic quæstioni exitus inueniatur; ita vt perspicuè appareat, mirum fuisse artificiũ, librũ vniuersum ad prophetiæ normã redegisse; licèt bona argumenti pars iam re ipsa fuerit cõpleta.

7. *Quæstionis enodatio.* Vt igitur propositæ quæstioni faciam satis, animadũertendum est totam Apocalypseos seriem fuisse Ioanni repræsentatam, & ab eo recensitam, non quidem vt nouum aliquid, & tunc primò reuelatũ; sed vt rem animæ Christi multò antea (nempe sub ipsam incarnationẽ) ostensam. Itaque coram Ioanne veluti actio quædam est ab Angelis data Apocalypseos, seu reuelationis quę primò fuerat facta animę Christi. Id quod non leui coniectura, sed expressis potiùs Ioannis ipsius verbis in ipso Apocalypseos limine, planum fit. Sic enim ille: *Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus.* Quid quęso clarius, aut expressius? quisue nesciat in

Apocalypsis prius Christo, quàm Ioanni ostensa.

Digitized by Google

comœdia aliqua seu tragœdia quod attinet ad ipsam loquendi rationem, nequaquã spectandum esse tempus illud, quo actio datur; sed potiùs tempus rei ipsius, cuius datur actio? quare, si modò historia Iosephi repræsentetur: necesse est, vt fratres de eius morte deliberantes tanquam de re futura colloquantur. Simili ergo ratione, cùm Angeli Ioanni repræsentent, quod Christo fuerat antea prænunciatũ; quid mirum eos de Hierosolymæ vastitate, tanquã de re futura loqui; si quando Christo ostensa est, futura erat? Constat igitur per futurũ efferri aptè potuisse, quę iam sub ipsum actionis seu repetitionis tempus fuerãt expleta. Quo vel illud inprimis indicatur, omnia Deum diuino cõsilio disposuisse; nec minùs certò euẽtura ea, quæ nondum erãt impleta; quàm quæ iam euenisse constabat, eodẽ prorsus modo, quo fuerant ostensa Christo, & ab ipso prædicta: atque adeò Dei ciuitatis structurã ad fastigium demũ prouehendã fore per eos gradus, quos diuina prouidentia statuerat, & animæ Christi præmõstrauerat.

8. Notum est, vel pueris, Anchisæ ad Æneam vaticinium à Virgilio confictũ lib. 6. atque aliud simile in Æneæ clypeo fabulosa Vulcani dextera cælato, libr. 8. vbi ingeniosus poëta illa tanquam futura enunciauit, quæ iam præterierãt, quando ab eo scripta sunt: quòd eo tempore erant futura, quo & ab Anchise prædicta, & à Vulcano finguntur præmonstrata. Non tamen longiùs potuit progredi ethnici vatis mens, quàm ad ea, quæ accidisse iam pro certo compererat. Quod igitur fuit in Virgilio fictio poëtica, idem in Ioanne extitit veritas prophetica; quodq; Virgilius per futurorum ignorationem in Romanæ reipublicę prædictione non potuit absoluere, id Ioannes diuina luce illustratus in Christianæ rei vaticinio ad exitum vsq; cumulatè perduxit. Et quidem ingeniosum Virgilio fuit, vt Romanorum historię decus & splendorem afferret, ambitioso mendacio Anchisem genitorem inducere, qui Æneæ populi Romani parenti futura sui generis euenta indicaret: sed quanto minus est, quod fingendo comminiscitur poëta, quàm quod verissimè asserendo enunciat Propheta noster? nempe æternum genitorem Filio suo, id est Christo, populi Christiani parenti, suæ gentis historiam omnem reuelasse, atque eam reuelationem ab Angelis coram ipso Ioanne repetitam?

Virgiliana Æneidos exemplo probatur.

9. Ipse demum titulus, *Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus*, nos vna ex parte cogit, vt priores Ecclesiæ euentus, qui iam præterierant, in Apocalypsi comprehendi fateamur. Etenim nemini dubium esse potest, quin hæc sit bona pars eius reuelationis, quæ Christo fuerat ostensa. Ex alia verò parte nos ipsemet titulus docet, quemadmodum propositam quæstionem dissoluere valeamus.

Cùm verò valdè oporteret, (vt inferiùs explicabimus) vt Apocalypseos argumentum sub ænigmatum inuolucris & integumentis delitescerẽt, quò difficiliùs posset intelligi: nonnihil ad eum finem conduxit, vt prophetico stilo conscriberetur; ac futuri temporis verbis, ea, quæ iam fuerant peracta, dicerentur.

Quam verò dubitandi rationem superiùs opposuimus, ex illis verbis, *Vt palàm faceret seruis suis, quæ oportet fieri citò*; facilè suo loco soluetur. 10.

Hæc si Hentenius animaduerteret, non ita se fortassis diuexaret, dum rationes & argumenta animis anxiè disquirit; quibus probet, ante Hierosolymæ excidium scriptã fuisse Apocalypsin; nã vt in ea de Hierosolymæ vastitate ageretur, non opus erat antea fuisse conscriptã; vt ex superiùs dictis manifestè constat. Præterquam quòd falsum omnino est, Ioannẽ scripsisse ante vrbis euersionem. quare in re prorsus inutili ac ficta ludit operã Hentenius. certissimũ namq; est, quod docent Irenæus, Eusebius, Hieronymus, Nicephorus, & ex interpretib. Primasius, Andreas & Aretas, in ea primi capitis verba, *Ego Ioannes frater vester*, & alij multi; Ioannem scilicet sub Domitiano in Pathmos insulã fuisse relegatum, & sub eodem vidisse, & scripsisse Apocalypsin; de quo vide Riberam hîc, & Baronium tom. 1. Quin ex ipso contextu manifestè colligitur, non fuisse conscriptam Apocalypsin ante imperium Domitiani: quoniam c. 2. 13. facit mentionẽ Antipæ pro Christo occisi; quem constat passum fuisse sub Domitiano, vt videre est in Martyrologio, die 11. Aprilis.

Ioannẽ non scripsisse Apocalypsin ante Hierosolymæ excidium.

Sed iniiciet fortasse alicui scrupulum Antipæ mentio; agitur enim de illo in Apocalypsi, tanquam de homine iam occiso: ergo actio, quam vidit Ioannes, non fuit repræsentatio eius reuelationis, quæ animæ Christi in ipso incarnationis instanti facta fuerat: quando enim facta est animæ Christi reuelatio, non fuerat occisus Antipas. Si igitur ad illud tempus conformãda erat locutio ac repræsentatio; non erat agendũ de Antipa, quasi de occiso, sed tanquam de occidendo. Huic argumẽto multa similia ex ipso Apocalypseos contextu aggeri possunt. Nam septem epistolæ, quæ habentur cap. 2. & 3. non possunt concipi quasi dictatæ à Christo Ioanni ante passionẽ; & c. 11. 8. manifestè est sermo de Hierosolyma; quasi de ciuitate, in qua Dominus fuerat crucifixus: non ergo potest reuocari repræsentatio ad tempus, in quo harum rerum prophetia fuerat animæ Christi reuelata; tunc enim nondum Christus fuerat crucifixus. 11. *Obiectio.*

Respondetur tamen, in hac repræsentatione idem accidisse, quod in aliis præteritarum historiarum actionibus euenire solet. Quamuis enim in ipso actionis decursu locutionis modus cum historiæ ipsius tẽpore conformandus sit; & quæ tunc erant futura, per futurum; per præsens, quæ præsentia; quæ præterita, per præteritum sint efferẽda: nihilominus tamẽ actionis cuiusq; tum vsus, tum decorum fert, vt prologus vel interpres ad spectatores ipsos cõuersus aliquid dicat, quod ipsum actionis tempus respiciat, & spectatoribus admonendis conueniat. Vt si Hispali in publica scena detur historia Imperatoris Theodosij, qui Italicæ, (quam veterem hodie Hispalim appellant) ortus dicitur: ille, qui prologum agit, rectè potest auditores Theodosii exemplo cohortari ad pœnitentiam de aliquo scelere agendam; siue obiurgare potiùs, quòd præstantissimi Imperatoris zelum ac feruentem in Deum fidem non imi-

12. *Solutio.*

tentur.

Digitized by Google

tentur. Interpres etiam aliquis, dum suas agit in scena partes, & Italicæ Imperatoris patriæ facit mentionē; potest obiter spectatores admonere, Italicā eam fuisse vrbē, cuius modò ruinę tribus ab Hispali milliatibus ad D. Isidori, visuntur.

13. Haud secùs accidit in Apocalypsi; in qua prima illa persona, quæ prologum agit, septem epistolas ad septem Asiæ Episcopos, & totidem ipsorū Ecclesias dictat: quemadmodū in prologo ad prę̄sentes auditores sermo conuerti solet. Statuit enim Spiritus sanctus, vt symbolica hæc repræsentatio ad septem Episcopos mitteretur. Quamobrem ad ipsos singillatim in prologo, sermonis cōuersionem fieri voluit. Simili ratione interpres, (vt diximus) potest ad maiorem rei alicuius explicationē verba aliqua quasi de suo addere, ad spectatores cōuersus. Atque hoc pacto ille Angelus, qui c. 11. Ioannem alloquitur, interpretis partes agens, verba illa adiecit, loquēs de Hierosolyma, *Vocatur spiritualiter Sodoma & Aegyptus, in qua Dominus crucifixus est.* Itaq; in his, non rerū, quæ repræsentantur, sed ipsius repræsentationis tempus spectandū est: vt ex superiùs posito exemplo satis constat. Et hactenus ad obiectionis dilutionē dictum sit.

14. *Apocalypsis anno decimoquarto Domitiani scripta:* *nēpe quinque & viginti annis post euersam Hierosolymam.* Vt ergo ad tempus in quo Apocalypsis fuit scripta, regrediamur; certum est non solùm sub Domitiano scripsisse Ioannē, sed quo etiā ipsius imperij anno scripserit, nēpe 14. vt rectè colligit Baronius to. 1. Annaliū. Ex quo elicitur, Apocalypsin fuisse scriptā 25. annis post euersam Hierosolymam; fuit enim euersa anno Christi 72. annus verò 97. fuit Domitiani imperij 14.

15. *Soluuntur argumenta Hentenij.* Iam quod ad Hentenij fundamenta attinet, ea diruere nullius negotij est. In primis falsò ait, Tertullianū duobus in locis asserere Ioannem à Nerone relegatū; nam eius historię semel tantùm meminit Tertullianus, nēpe libro de Præscriptionibus (n. 215. apud Pamelium) eius autē verba sunt: *Felix Roma, vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioānis Baptistæ exitu coronatur, vbi Apostolus Ioannes posteaquā in oleū igneū demersus nihil passus est, in insulā relegatur.* Hęc ille. Atq; hinc (Deus bone) argumētatur Hentenius, Ioannem à Nerone in Pathmos relegatū eodem omnino tempore, quo ille Petrū & Paulū Romæ interemit. Vnde hoc Tertulliano imponitur? quasi non possit verissimè dici, felicē esse Romā; vbi Apostoli, vbi Agnes, vbi Laurentius passi sunt.

16. *Hieronymi mens de tē-* Ad Hieron. Respōdeo, non illū ibi respexisse ad aliū Tertulliani locū, sed ad ipsummet, quē iam citauimus. Vidit hoc Pamelius; & debuisset A sanè animaduertere, mēdosum esse Hieronymi locū, nec ibi esse legendū *à Nerone*, sed *Roma*, vt emēdauit Marianus Victorius ex antiquis manuscriptis, cogēte etiā ratione: nam si Hieronymus ad eum Tertulliani locum se retulit, dicere non potuit, asseri à Tertulliano id, quod nec Tertullianus dicit, nec verū putauit ipse Hieronymus; vt patet ex lib. de Scriptorib. Ecclesiast. *pore, quo Apocalypsis fuit scripta.*

Eusebius verò in libris de Demonstratione Euangelica non alibi eius historiæ mentionem facit, nisi libro 3. cap. 7. vbi Eusebius etiam ipse non meminit Neronis, sed Romæ. ait enim: *Petrus capite in terram verso cruci affigitur, Paulo verò caput abscinditur, & Ioannes in insulam relegatur.* hæc ille narrans, qui ex Apostolis Romæ passi fuerint; sed de tempore, nec verbum. Similis ergo fuit deceptio ex eo colligere simul facta, B quòd simul ab Eusebio referuntur. 17.

Sed quid ad Epiphanium dicemus? Respondeo, ipsius locū proculdubiò esse deprauatum; quomodo enim reditus ex insula potuit sub Claudio contingere, cùm Claudius Neronem antecesserit? Adde huc, in terminis ipsis manifestā inuolui repugnantiā; nā Epiphanius ibidē quasi æqualia omnino, & sibi mutuo respondentia apponit hæc duo, nempe, *post nonaginta annos vitæ, & post reuersionē ex insula Pathmo.* Igitur ex eodē loco manifestè cōcluditur, nō designari ab Epiphanio tēpus aliquod ante Hierosolymæ ruinā; præsertim sub Claudio, qui obiit anno post Christū natū 56. quando Ioannes nondū erat sexagenarius, cùm Christo maior natu non esset. Quòd si iuxta Epiphanium, Ioannes iā erat nonagenarius, cùm scripsit Apocalypsin; C ergo multis retro annis fuerat destructa Hierosolyma, quā cōstat fuisse euersam an. Christi 72. 18. *Quid Epiphanius ea de re senserit.* *Hierosolyma anno Christi 72. euersa.*

Ex dictis infero, Apocalypsin non propterea de Iudæorū supplicio agere, quòd ante eorum vrbis excidium scripta fuerit; sed idcirco, quia Apocalypseos prophetia vniuersam Ecclesiæ Christianæ historiam ab ipso exordio complectitur; ac proinde eam etiam partem, quæ præterierat, quando Ioannes scripsit. Atque in c. 4. constabit, ipsius argumentū, iuxta omnium sententiam, esse Christiani populi excellentiam ac dignitatem. Omnia porrò, quæ in eodem cap. continentur, cōpleta iam fuisse, & Ioanni comperta. Propria enim illius capitis inscriptio est ea, quam illi Ambrosius præposuit, scilicet, *De statu & sublimitate Ecclesiæ Christianæ.* Atqui Ecclesiæ maiestas atque præstantia, dubitari non potest, quin Ioanni esset iam satis perspecta. 19.

NOTATIO QVARTA.

De titulo libri.

1. *Multorum ex libris canonicis inscriptiones non ab ipsis sacris scriptoribus positæ, sed ab Ecclesia additæ.* Latinvs titulus sic habet, *Apocalypsis B. Ioannis Apostoli.* In quo notandum Primò est, in Apocalypsi manifestè reperiri id, quod in multis libris Canonicis obseruari solet; scilicet, quas habēt inscriptiones, non fuisse à sacris scriptoribus appositas, sed ab Ecclesia. Ex initio enim primi Apocalypseos capitis constat, Ioannem magna cum consideratione ab illo alio titulo mysterij pleno incepisse; *Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus:* quo tacitè videtur recusasse, ne libri appellatio præferat ipsius scriptoris D nomen; ad eundem ferè modum, quo nostræ Societatis auctor, eam Iesu Societatem, non Ignatij, voluit appellari. Ecclesia tamen meritò Ioanni eum defert honorē, quem ille reiecerat.

Secundò, obseruat Hieronymus ad Galat. 1. *Apocalypsis*, verbū esse proprium Scripturarum, & à nullo sæculi sapientū vsurpatum, sed à Septuaginta inuentū. Reclamant aliqui, & ostendunt verbū ἀποκαλύπτω apud Isocratē & Plutarchum, & alios Græcos scriptores. Alij verò, vt Hieronymum defendant, existimant, illū non 2. *Apocalypsis, secundùm Hieronymū, vox sacris Litteris peculiaris.*

Digitized by Google

loqui de verbo ἀποκαλύπτω quod reuelare significat, sed de nomine *Apocalypsis*, quod reuelationem sonat. Ostendendũ tamen erat, vbi LXX. interpretes hoc nomine vtãtur. Quoniam verbo ipso Reuelandi sæpe vtuntur; at nomine (quod ego viderim) nusquam. Vtitur quidem illo Ecclesiast. c. 22. 27. & c. 41. 29. nunquam tamen Septuaginta. Adde, quòd ratio Hieronymi est, nouæ rei nouum verbum inueniendum fuisse; atqui hæc ratio non minùs procedit in verbo, quàm in nomine.

3. *Hieronymi mens explicatur.*

Crediderim Hieronymum de vtroque loqui indiscriminatim, & pro eodem vtrumque reputasse: præsertim cùm apud Græcos non sit magis nouum, ex vsitato verbo deriuare nomen quàm ex indicatiuo infinitiuum. Deinde sacrum Doctorem non ignorasse arbitror, id quod ex Plutarcho & aliis adducitur: existimasse tamen nomen *Apocalypsis* esse in Scripturis peculiare: quoniam quamuis in alia phrasi fuerit vsurpatum à Græcis, non verò in ea, in qua Apocalypsis ad visa diuina refertur. Id quod dicendum est de verbo latino; *reuelare* enim latinis auribus idem erat, quod *auferre velamen*: at in Scriptura sacra vsurpatur hoc verbum ad occultarum rerum supra naturalem ostensionem in visione aliqua diuina significanda. Huic enim nouæ rei necessariò erat noua aliqua phrasis accommodanda.

4. Tertiò, rationem reddamus oportet discriminis inter græcum titulum, & latinum; græcus enim sic habet, Ἀποκάλυψις Ἰωάννου τοῦ θεολόγου, Apocalypsis Ioannis Theologi. Hoc verò epitheto Apostolus ipse designatur, non alius. id quod ex Dionysio Areopagita egregiè confirmatur; qui epistola decima ad Ioannem sic scribit: *Ioanni Theologo, & Apostolo, Euangelistæ in Pathmos insulã relegato.* & infrà, *Nulla aduersitas nos priuabit Ioannis clarissimo radio, id quidem consecuturos memoria ac renouatione tua verissima Theologia.* Ioannes ergo per excellentiam Theologus appellatur, quoniam ex scriptoribus sacris nullus est, qui sublimiùs de Deo loquatur. Et ob hanc rationem scriptores antiqui nomen Theologi Ioanni Euangelistæ tribuerunt. Ipsi enim ante alios hoc nomen tributum esse constat, non solùm à Dionysio, sed etiam ab Euodio, (referente Nicephoro 2. histor. c. 3.) & ab Origene homil. 2. in diuers. Athanasio in Synopsi, Epiphanio hæresi 51. Chrysost. proœ. psalmi 37. Cyrillo Hierosol. catech. 2. & Alexandrino 3. de Trinitate, Damasceno 4. de fide, Anonymo lib. de Translatione S. Iacobi scripto ante annos 600. His adde Cæsarium dialogo 3. & Anastasium Sinaitam psal. 6. Sed cur illi à Græcis in hoc potissimùm libro Theologi cognomen apponitur? Suspicor Dionysium Areopagitam, aut alium similem huius fuisse tituli auctorem; vt significaret, altissimam esse huius libri Theologiam. Sic enim censet ipse Dionysius, vt videre est in lib. de Ecclesiastica Hierarchia, cap. 3. part. 3. Concinnum igitur atque elegans fuit, vt græcus ipse libri adeò theologi titulus exprimat, librũ scriptũ esse ab eo, qui antonomasticè Theologus nũcupatur.

5. Quartò, supereſt in hac notatione explicandum; cur vox græca, *Apocalypsis* relicta sit ab interprete: cùm Reuelationẽ dicere potuerit? quo simul Vallę nobilis Grammatici scrupulũ euellemus. Primò, nonnulla tam græcæ, quàm hebraicæ linguæ vocabula in Vulgatam latinã irrepserunt ex eo, quòd Latina Ecclesia plures habuit magistros & Hebræos & Græcos. Eorum enim vocabula, quibuscum eadem nobis vitę communio est, frequenter contingit, vt nobis adhęrescant & insideant: atque in Latina Ecclesia id fieri decuit, tum vt gratum animum ac memorẽ erga eos ostenderet, à quibus doctrinam ac religionem accepit; tum etiam quoniam, vt vniuersalis omnium mater cunctas terrarum orbis nationes complectens, meritò tres communiores linguas, hebraicam, græcã & latinam in rebus sacris coniũgit, vt omnium inter se vnionẽ sub eadẽ fide & religione tueatur. Deinde sæpe fit, vt græcum aliquod vocabulum potiùs, quàm latinum, à Latinis ipsis vsurpetur; eò quòd græcum in ea significatione sit vsitatius: Verbi gratia, *Philosophus*, idem est, quod amator sapientiæ; græcum tamẽ nomen destinatum iam est atq; dicatum ei, qui sapientiæ studium profitetur. Et verisimile est, quondam Apocalypseos nomen magis fuisse receptum, quàm Reuelationis, ad ea ipsa indicãda, quę Deus singulariter alicui ostẽdit. Hinc fortasse est, vt Vulgatus Apocalypseos nomen reliquerit, 1. Cor. 14. 26. atq; idem obseruare licet in *euangelio*, id est, bono nũcio, & in plerisq; aliis. Prętera in librorũ inscriptionibus familiare est, græcis vti vocabulis; vt in Genesi, Exodo, Deuteronomio, Paralipomenis, Parabolis, Ecclesiaste, Euangelio, &c. Id quod fieri solet, aut propter energiã, aut ob aliã congruentiam.

Cur græca vox sit ab interprete relicta.

6. *In voce Apocalypsis singulare quid delitescit.*

Denique in nomine ipso *Apocalypsis* singulare quiddam delitescit, quod in latino verbo non reperimus. Reuelare enim nihil aliud est, quàm detegere: ἀποκαλύπτειν verò ita significat detegere, vt oppositum etiam significet, quod est tegere. Norant hoc Henricus Stephanus in suo Thesauro; & pleraq; alia dictionaria græca, vt Basileense ex officina Petriana, & Regiorum bibliorum lexicon: afferuntque id psal. 31. *Quorũ tecta sunt peccata*: vbi in bonis codicibus legi asserunt ἀπεκαλύφθησαν, licet alii, ἐπεκαλύφθησαν legant. Sed quidquid sit de hoc testimonio; in vocum significatione, dictionariis standum videtur. Quòd si compositionem respicias, notum est præpositionem ἀπὸ, aliquando simplicis significationem augere, (vt in his, ἀποκαθαίρω, *tergo*: ἀποκαίω, *uro*: ἀποκηρύττω, *clamo*) licèt in aliis verbis significationem simplicis destruat: sicut apud Latinos præpositio, *re*, (quæ solet alioqui significationem simplicis in cõtrariam vertere;) aliquando etiam illam auget; vt in *repugno*, *reseco*, *retardo*, *reuello*, &c. quamuis vtramque vim & destruendi & augendi, non soleant huiusmodi præpositiones in eodẽ verbo exercere: in aliquo tamen verbo vtrumq; præstant, vt docẽt dictionaria in verbo, *resigno*, & in ἀποκαλύπτω. Quod si ita est; quis non videat miro consilio fuisse factum, vt latina editio græcum adhuc Apocalypseos nomen in titulo retineret? Etenim si libro ipsi opus est vt titulus respon-

Digitized by Google

spondeat; notum est, quæ in hoc libro reuelantur, eadem obscurissimorum ænigmatum inuolucris velari; atque adeò valdè tegi ea ipsa, quæ deteguntur. atqui vtrumque simul exprimere Latinum nomen non poterat. In titulo ergo Apocalypseos nomen sonat reuelationem cuiusdam prophetiæ aptissimis ænigmatibus obtectam.

NOTATIO QVINTA.

De huius libri obscuritate.

1. TITVLI energia deduxit nos ad cõsiderandam operis ipsius obscuritatem; quæ tanta est, vt omnium ferè Doctorum communis consensus sit, hunc librum hactenus explicatum non fuisse: vndealiquorum verba subdere placuit, qui id manifestè confitentur. Dionysius Alexandrinus apud Eusebium, libr. 7. hist. c. 23. planè asserit, *se apocalypsin non intelligere; & quæ in ea scripta sunt excedere, atque eminere humanæ auditionis modum.*

Apocalypseos obscuritas ex interpretum consensu.

2. Richardus de S. Victore in priori prologo ait, *se in hoc libro medullam mysteriorum attingere non valere, & aliqua solùm circa superficiem carpere.*

Ioachimus Abbas in præfatione, siue introductione, cap. 8. sub finem affirmat; *Sine notitia septem bellorum spiritualium Ecclesiæ, ambulare per librum istum, deuiare est, & aliquid definire, temeritas.*

Caietanus ad calcem noui testamenti, *Apocalypsin*, inquit, *fateor, me non intelligere: exponat cui Deus concesserit.*

Hentenius in suo iudicio, *fieri non posse*, asserit, *vt data quauis enarratione, singula aptè quadrent: & satis esse si in genere habeatur, quid singulis contineatur capitibus.*

Pannonius in præfatione ait, *esse opus immensæ difficultatis.*

3. Arias Montanus in prologo asserit, post annos triginta in studio sacræ Scripturæ positos, se solitum dicere, *à se melius quàm à commentatoribus, quos legere contigerat, Apocalypseos lectionem intelligi; cùm illi tanquam perceptam exponere pergerẽt, & variis expositionibus obscuriorem redderent; ipse autem fateretur, se non intelligere.*

Gagneius in præfatione ait, *abstrusa huius prophetiæ arcana vni tantùm diuo Ioanni nota esse, & diuinare in iis, non esse suum; sed eius, qui diuino sit afflatus spiritu.*

4. Salmeron præludio 4. *Apocalypseos expositionem esse veluti quadraturam circuli; de qua dici solet, Scibilis est, sed nondum scita.* & fol. 451. addit, *Apocalypsin esse inaccessibilem.* & præludio 1. asserit, *audax esse & temerarium exactam & perfectam explicationem eius polliceri.* Non tamen videtur hoc dicere, vt alios condemnet; sed solùm vt se excuset: subdit enim, *se quædam in genere dicturum; reliqua verò, de quibus vehementer dubitat, valentioribus explicanda relinquere: supra humeros enim facultatis suæ esse singulis applicare singula.*

5. Pererius in prologo disput. 1. *multos opinari, absq; singulari Dei reuelatione, Apocalypsin esse prorsus incomprehensibilem.* & disp. 3. latè agit de magna huius libri obscuritate; & fatetur germanã Apocalypseos expositionem non videri inuentam.

Ribera in proœmio, *Apocalypsin* affirmat *esse mare magnum, plenum procellis & tempestatibus; in quo omnis sapientia humana deuoratur.*

Viegas in epistola ad Odoardum notat, in Apocalypsin quadrare illud Ecclesiastici 6. 22. *Tanquam lapidis virtus probatio erit in illa, & non demorabuntur proiicere illam.* & illud Zachariæ 12. 3. *Omnes qui leuabunt eam, concisione lacerabuntur:* illius instar sphæræ grauissimi ponderis, de qua Hieronymus ibi. Et quoniam tanti Doctoris incidit mentio; claudat ipse reliquorum agmen, & dicat, quid sentiat in hac re. Ad Paulinum sic ait, *Liber in Apocalypsi septem sigillis signatus ostenditur: quem si dederis homini scienti litteras, vt legat; respondebit tibi: Non possum, signatus est enim. Quanti hodie putant se nosse litteras? tenent signatum librum, nec aperire possunt; nisi ille reseraverit, qui habet clauem Dauid; qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.* Hæc Hieronymus. Ex quibus omnibus facilè apparet, quàm spissum ac difficile opus aggrediamur.

6. Atque hæc quidem difficultas ex duplici capite mihi vehementer augetur. Primò, ex mearum virium tenuitate. Secundò, ex operosa rei ipsius mole; quæ mihi multo maior ac grauior, quàm ceteris contigit. Interpretes enim ferè omnes, dum totius Apocalypseos onus grauissimum reputant; illud varias in partes, id est in plures visiones, diuidunt. ne totam explicationis seriem connectere, & vno quasi filo ducere cogantur. Ego verò id mihi in animum induxi, & mea explicatione persequi statui; vniuersam Apocalypsin vnica visione, eaque continua comprehendi, nulla ordinis perturbatione, aut digressione interiecta. Quare necesse est, vt integrum meis humeris onus incumbat, id est, cunctas libri huius figuras ac symbola coagmentem, atque eandem structuram per ordinem componam.

Augetur Apocalypseos difficultas duplici ex capite.

7. Hoc igitur ex capite valdè crescit exponendi difficultas. Cogor enim totam Apocalypsin, vt vnicum ænigma suscipere; atqui in ænigmate, quo maior est rerum numerus, quæ sunt ad eius enodationem cõciliandæ, & declarandæ, eo plus operis & negotii capessit interpres. In Apocalypsi verò symbolorum numerus penè in infinitum excurrit: ipsorum porrò nouitas & insolentia planè admirabilis ac formidanda.

8. Præter hæc nemo hactenus ab vllo interprete in obscurissimo libro requisiuit collimati scopi euidentiam: satis enim superque processisse iudicatur interpres, qui probabilem fecerit coniecturam, & se auctoris mentem assecutum fuisse, ostenderit verisimile. Ego verò qui totam Apocalypsin vnicum esse ænigma reputẽ, eo ipso videor strictiori legi addictus. Nec enim ænigmatis interpres officio suo satis feciſſe putatur, quousq; ex apta & cohærẽti singula-

Digitized by Google

ſingularium partium applicatione, totius ænigmatis pateat enodatio. Iam hoc ipſum in Apocalypſeos interpretatione, libri omniũ obſcuriſſimi, quantum erit reperiri? Ad hoc me faſtigium aſpiraſſe non inficior; quò ſi minùs potuero conſcendere, illud ſaltem præſtitero, nempe, optaſſe. Nam, *In magnis, voluiſſe ſat eſt.* Propert.

9. Non me latet, temeritatis crimen mihi à multis obiiciendum fore; ab iis præſertim, qui in ea ſunt mente, vt Apocalypſin ſemper futuram eſſe Apocalypſin, exiſtiment; id eſt, obſcuriſſimam, & nunquam eius difficultatis iuga ab vllo mortali ſuperãda. At ego arbitror multo meliùs ac digniùs de Dei bonitate illos ſentire; qui ſperant aliquando futurum, vt Eccleſiæ tantum myſterium patefiat: ita vt ſapientibus tunc fatendum ſit, Apocalypſin fuiſſe intellectam.

10. Sed noſtræ huic ſpei nonnulli opponent; neutiquam veriſimile eſſe, qui hac tempeſtate operam ſacris Litteris quantumuis ſtrenuam nauarint, eos plus fore cognitionis & intelligentiæ adepturos, quàm qui Apoſtolos ſunt proximè ſubſecuti; aut ab eorum diſcipulis cęleſtem doctrinam hauſerũt: nec prudenter ſibi quemquam polliceri, (cùm nec ea ingenij acrimonia, nec vitæ ſanctimonia ſit præditus,) eò ſe poſſe pertingere, quò tot doctiſſimi pariter ac ſanctiſſimi viri per mille quingentos annos non acceſſere.

11. *Apocalypſin à Ioannis diſcipulis intellectam, credere par eſt.* Sed vt hac in re quid ſentiam, paucis exponam. Primò, nulla mihi ſubeſt dubitatio, quin ii præſertim Ioannis Apoſtoli diſcipuli, quos ipſe ſingulariter diligebat, Doctoris mentem in Apocalypſeos interpretatione planè perceperint. Cuius rei non probabili ſolùm ducimur coniectura, quòd ipſum Ioannem habuerint præceptorem; ſed inſignia etiam extant veſtigia & indicia, (vt ſuis locis videbimus) quibus quaſi in ſemine bona germanæ totius libri expoſitionis pars continetur. Quòd verò hac de re non planè & apertè verba fecerint, nec commentarios ediderint; id ſingularis prudentiæ fuit, imò & neceſſarium; vt explicato argumento palàm fiet.

12. Deinde negari non poteſt, quin ille, qui ad explicandam Apocalypſin modò accedit, antiquis huius libri interpretibus hoc ſaltem præſtet, quòd poſt eorum omnium labores nouiſſimus operi ſuccedat. Nec mirandũ ſi pigmęus gigantum brachiis ſublatus, eò manu contingat, quò illi per ſe attingere non valebant; & nonnihilo altior ipſis effectus ingentem camporum planiciem proſpectet, quam illi prorſus videre non poterant. Hac ſpe allicimur quotquot poſt antiquorum labores, nouos meditamur commentarios; ſperantes aliquando fortaſſe futurum, vt Apocalypſis ita exponatur, vt libri totius difficultas ſuperata ſit; nec de argumenti ſerie deinceps dubitetur.

13. Si quis verò nouus interpres (quod non peculiariter de me, ſed de quouis alio dictum velim) eò fortaſſe pertingat: nulla id ratione nouitij interpretis ingenio arrogandum eſſet, ſed peculiari Dei prouidẽtiæ, qui hoc in Eccleſiam ſuam beneficium conferet, quando congruentius fore iudicauerit: ac propterea cui libuerit ſuæ lucis radium immittet; quemadmodum in Tobiam iunioręadeò beneficus extitit Deus, vt angelum ei præbuerit viæ ducem & comitem, qui illum à deuoratione piſcis eripuit primùm; poſtea à dæmone liberauit; & tandem ſingulari Dei liberalitate Tobias ipſe locupletatus, patrem ſuum *videre fecit lumen cæli.* Sic ergo, ſi fautore Deo & Angelo cuſtode laborioſi huius itineris duce, Apocalypſeos viam difficultatis ac ſalebrarum pleniſſimam interpres aliquis ingreſſus ab illa beſtia de mari aſcendente non fuerit deuoratus, (de qua c. 13.) ſed illam potiùs apprehenderit, atque adeò comprehenderit; ſi felicem eius decurſum impedire non poſſit diabolus ille, qui c. 20. ab angelo ligatus ſcribitur; ſi nouus interpres non ſolùm inueniat talenta illa decem, quæ ſperabat, & nouerat ſenior aliquis; ſed multo eis maiores diuitias reportet, & pulchram adeò expoſitionem, vt illam tanquam ſponſam duxiſſe videatur; ſi denique contingat, vt ſenior aliquis Tobias gratulari poſſit, ſe iam cæli lumen videre, quod antea non videbat, propterea quòd iunioris expoſitione ſit factum, vt totius libri ſeriem, & aptam intelligentiam, tetra caligine priùs circumfuſam intueri iam liceat; ſi hæc (inquam) omnia pro votis vlli aliquando acciderint; tunc verò fatendum ipſi erit, (niſi planè deſipiat,) aliorum meritis Deum benignè conceſſiſſe, quod ipſius induſtriam, ingenium & vires omnino ſuperabat. Quare tunc etiam, cùm velut alter Daniel veriſſimam rei difficillimæ interpretationem explicare poſſit Eccleſiæ, Danielis exemplo dicendum ei eſſet ex corde, *Mihi, non in ſapientia, quæ eſſet in me pluſquam in cunctis viuentibus, ſacramentum hoc reuelatum eſt; ſed vt interpretatio Eccleſiæ Chriſtianæ manifeſta fieret.*

NOTATIO SEXTA.

De variis opinionibus circa argumentum Apocalypſeos.

1. OBSCVRITATEM, de qua proximè egimus, ſubſecuta eſt expoſitionum varietas atque diſſenſio. De hac ergo varietate nonnihil dicendum eſt in præſenti: ea tamen ſolùm attingam, quæ ad totius libri argumentum ſpectant: minutiores enim varietates penè infinitæ ſunt. Certè vnius ſymboli, (nempe quatuor animalium) triginta ferè expoſitiones numerantur. Sed conſideratâ totius libri ſerie, octo inuenio vias in Apocalypſi interpretanda excogitatas. Spirituales nempe, ſine prophetia, duas; hiſtoriales verò, ſiue ad hiſtoriæ prophetiam ſpectantes, ſex.

2. Illas autem explicationes ſpirituales, & ſine prophetia appello, quæ ad nullam Chriſtianæ Eccleſiæ hiſtoriam ſigillatim deſcendunt; ſed ſolùm

solùm generatim de Ecclesiæ, aut professionis Euangelicæ excellentiis agunt; deque bello inter bonorum & improborum respublicas, siue inter virtutem ac vitium, & de postremo vtrorumque exitu. Huius generis duæ sunt explicationum viæ. Altera, quæ Christianam Ecclesiam, & improborum rempublicam considerat. Altera, quæ subtilius texit argumentum, & intra humani pectoris recessus contemplatur bellum inter carnem & spiritum, inter veterem Adamum & nouum, qui secundùm Deum creatus est: atque totam Apocalypseos molem intra vnius hominis pectus hæc opinio includere conatur: vt mirari iam desinamus Homeri Iliada nuce inclusam.

1. opinio.

2. opinio.

2. Ticonij expositio de vniuersa Apocalypsi.

Prima harum expositionum est Ticonii, quẽ sequuntur Primasius & Beda, vt ipsimet fatentur. Vnde Beda valdè Ticonii commentarium commendat. Eâdem quoque viâ incedere placuit Cassiodoro, qui Primasij explicationem laudat. Subscribit Zegerus, qui Bedam omnibus interpretibus Apocalypseos præfert. Atq; eadem ferè vestigia sectantur Ansbertus, Anselmus, Haymo, Ricardus, Rupertus, Albertus, Hugo, Thomas, Dionysius, & Titelmanus. Secunda harum opinionum est Ariæ Montani, quam maximè faciunt illius studiosi, quos habet non paucos.

Aria Montani expositio.

4. Vtramq; viam nonnulli mysticam vocant; ego non sic eas appello; quia in cæteris etiam explicationibus, aut omni, aut certè maiori ex parte, non is existimatur esse literalis sensus, quem verba sonant; sed qui sub eo latet: atque adeò mystici sensus nomen meritò tribuitur in ænigmatis legitimo ac literali sensui, qui per ipsum ænigma siue per ipsam parabolam intenditur. Quamobrem ii etiam, qui in Apocalypsi quærunt historiæ Ecclesiæ Christianæ prophetiam; non aliter eam indagant, quàm vt sensum mysticum & literalem, qui per Apocalypseos ænigmata fuerit significatus.

4.

5. Salmeronis & Pererij sententia de totius Apocalypseos intelligentia.

Sed veniamus iam ad diuersas eorum vias, qui Ecclesiæ Christianæ prophetiam ex Apocalypsi conantur elicere. Horum quidam sibi persuadent, vniuersam Christianæ Ecclesiæ prophetiam hoc in libro contineri: vniuersam (inquam) id est, omnes ferè Ecclesiæ euentus, qui erant in singulis eius ætatibus futuri; non quidem minutiores, sed præcipuos & magis insignes. Hos auctores appellare possumus totius historiæ interpretes: quorum persuasio in eo nititur, quòd sibi incredibile videatur Ecclesiæ Catholicæ non factam fuisse earum rerum reuelationem, quę illi erant euenturæ. Sic enim (inquiunt) milit Deus Agabum prophetam qui famem futuram prædiceret, & persecutiones Paulo Hierosolymis euenturas prænunciaret; (Act. 11 28. & cap. 21. 11.) quanto conuenientius fuit, aliquem prophetam præmitti; & præscribi prophetiam, qua calamitates, & felices successus Christianæ Ecclesiæ vsque ad mundi finem euentura, præsignificarẽtur? Hoc est argumentum Salmeronis, prælud. 1. in Apocalyp. §. 2. & Pererii disputat. 4. proleg. fin.

5.

6. Agendo, autem de modo, quo Apocalypsis totam Ecclesiæ historiam complectitur; interpretes illi totius historiæ, tres in sententias distrahuntur.

3. opinio, Lyrani & aliorum.

Prima est Lyrani, Antonini, Aureoli, Ederi, & Lizarazi, qui putant, à cap. 4. Apocalypseos, seruata temporum consequentia, singillatim ad peculiares Ecclesiasticæ historiæ euentus deueniri. Atque hi auctores vehementer laborant, dum Apocalypseos seriem ad Ecclesiæ historiam aptare conantur; & eam ad rem in sex visiones partiuntur Apocalypsin. A cap. 4. primam quidem visionem septem sigillorum ad Iuliani vsque tempora extendunt. Secundam septem tubarum ad Mauricium. Tertiam draconis, & duplicis bestiæ, ad Carolum Magnum. Quartam phialarum, vsque ad Henricum Imperatorem. Quintam Babylonis, vsque ad Antichristum. Sextam denique, quæ finem libri comprehendit, ad extremum iudicii diem, ac bonorum præmia, & improborum supplicia. Ceterùm aduersus hanc opinionem rectè opponit Pererius disp. 8. prolegom. non solùm violentiam applicationis, sed etiam hiulcam vacuitatem. Quoniam tempus, quod post Aureoli ætatem futurum erat, adumbrari censuerunt per vltimam Ioannis visionem, quę pertinet ad Antichristum; & ab ætate Aureoli vsq; ad hodiernum diem, 300. anni fluxerunt: in quo temporis decursu, neque Antichristus venit, & res in Ecclesia euenerunt haud paulò, quàm superioribus temporibus, celebriores.

7.

4. opinio. Ioachimi & aliorum.

Secunda opinio est Abbatis Ioachimi, Vbertini de Casalis, Seraphini, & aliorum; qui non tam de temporis, quàm de dignitatis ordine curant, & septem in Ecclesia status diuersos hoc ordine considerant: Apostolos, Martyres, Doctores, Anachoretas, Pastores, Concionatores, Regulares, & denique Fideles sub Antichristo. Atque in hos septem status existimant Apocalypsin semel, iterum, ac sæpissimè reuolui. Affirmant porrò, septem in Ecclesia status esse mente concipiendos. Primum fundationis sub Apostolis; Secundum persecutionis sub ethnicis Imperatoribus; Tertium prosperitatis sub Constantino; Quartum diuisionis sub hæreticis; Quintum tranquillitatis & incrementi sub Carolo Magno & successoribus; Sextum extremæ persecutionis sub Antichristo; & Septimum extremi iudicii.

5. opinio, Pererij.

Alii magnos Ecclesiæ labores & ærumnas ad septem reducunt, & totidem etiam insignes ipsius prosperitates enumerant; quæ est Pererii contemplatio disput. 5. prolegom. Nec deerit qui dicat, in hoc veluti cardine septem illarum calamitatum & prosperitatum sæpiùs verti Apocalypsin. Et certè, quod ad Turcarum bellum attinet, in bellua marina capitis 13. significatum, expositionem Ioachimi sequuntur Ioannes Annius, Hentenius, Seraphinus, Hortolanus in Cantica, Luisius Legionensis, & Ferdinandus del Castillo.

8.

6. opinio.

Tertia tamen opinio est, in Apocalypsi quidem contineri omnes euentus insigniores, quos Ecclesia per ætates singulas erat habitura, sed in eorum significatione nullum seruari ordinem, nec temporis, neque dignitatis, neque doctrinæ: atque hæc sententia Pererij in prolego-

legom. disp.7. & 9. cuius opinionem sequi videntur nonnulli, qui ad quasdam Ecclesiæ historias existimant spectare quædam Apocalypseos ænigmata: neque tamen de vllo libri ordine cogitant. Ex his sunt, qui per locustas capitis 9. Lutheranos intelligunt, vt Bellarminus in oratione quadam in fine tomi 3.

9. Hactenus quinque enumerauimus interpretandi vias; duas, spiritualis explicationis sine historia; & tres alias interpretum totius historiæ. Aliud tamẽ explicationis genus est eorum, qui Apocalypsin de Ecclesiæ historia prophetiam esse fatentur; sed non de tota historia, verùm de aliqua solùm parte. Et hoc exponendi genus in varias item opinionum species subdiuiditur. Quidam enim, vt Ribera & Viegas, existimantes se Victorini & aliorum antiquorum vestigiis insistere, totam ferè Apocalypsin de extremis Ecclesiæ temporibus exponẽdam esse censent; sub ipsum Antichristi aduentum sumentes exordium. Sed in eius temporis euentibus significandis, opinantur ordinem historiæ nulla ratione seruari. *7. opinio.* Aliorum opinio est, partem historiæ Ecclesiasticæ, in qua potissimùm versatur Apocalypsis, non esse extremum Ecclesiæ Christianæ tempus; sed prima potiùs ipsius Ecclesiæ tempora, & singillatim bellum Ecclesiæ cum Synagoga, & cum gentilitate, ac de vtrisque hostibus triumphum. De quibus bellis existimant tractari saltem à c. 5. vsque ad 20. De bello quidem cum Synagoga, vsque ad c. 11. & deinceps de bello cum gentilitate, & de Ecclesiæ victoria vsque ad cap. 20.

10. At enim, quinam sunt huiusmodi sententiæ auctores? Ego sanè nonnullos facilè proferam doctos & graues, qui hanc explicandi viam rectissimam iudicantes, eam insequi valdè expetierint; nullum tamen, qui re ipsa fuerit persecutus. Iudicium verò suum ac desiderium satis expressit Hentenius in prologo ad Aretæ commentarium; vbi eandem asserit fuisse sententiam Ioannis Annij Viterbiensis. Subscribit noster Salmeron prælud. 7. in Apocalypsin, docens à cap. 6. vsque ad 12. agi de Synagogę & iudaismi abrogatione, & inde vsque ad c. 20. de excidio gentilismi, & Ecclesię regno. Hanc eandem diuisionem, & argumentũ proponit Edemarus in œconomia, & Bullengerus etiam in suis prolegomenis, in secunda partitione. Præterea, quod attinet ad bellum Ecclesiæ cum Iudæis, eiusdem est sententiæ Caponsachius, & Foerius etiam: vt videre est in Isaiæ commentario cap. 34. n. 4. Et præter hos auctores habet hæc sententia plures alios multò grauiores, vt videbimus notatione 12.

11. Præter has septem vias, fuit alia, quam vt omnino fabulosam relinquebam; videlicet, *8 opinio Millenariorum omnino fabulosa.* Millenariorum opinio, qui de extremis etiam temporibus explicabant Apocalypsin, sed valdè fabulosè. Existimabãt enim post Antichristi persecutionem iustos solùm resurrecturos, vt cum Christo mille annis in terra regnarent; & post illorum mille annorum spatium, Gogi & Magogi bellum futurum; & tandem generalem omnium resurrectionem, atque extremum iudicium. Hanc Apocalypseos expositionem meritò Hieronymus sæpe irridet. Aduertendum tamen est, Millenarios, etsi in sua expositione valdè aberrabant, non tamen exponendi ordinem perturbasse. Quare existimantes per marinam belluam capitis 13. Antichristum indicari; post illius mortem constituebant mille illos annos alligati dæmonis, de quibus c. 20. Licèt autem nullus iam sit auctor, qui Millenariorum errori subscribat; ceterùm quod attinet ad mille annorum designationẽ post mortem Antichristi, consentiunt cum Millenariis, Ioachimus Abbas, Vbertinus de Casalis, Seraphinus de Fermo, Pannonius, Hortolanus in Cantica, Bullengerus, & alij. Et quod magis miror, etiam Pererius bellũ illud Gogi & Magogi interpretatur non de bello Antichristi, quod ipse sextam Ecclesiæ calamitatem appellat; sed de bello alio valdè diuerso, quod ipse appellat septimam Ecclesiæ calamitatem, ab Antichristi reliquiis ipsi Ecclesiæ inferendo: sic enim ille disp. 5. prologi, in septem illis Ecclesiæ calamitatibus.

12. Ex his octo viis, septimam ego, vt rectiorem, mihi eligendam censeo, vt sequenti argumento explicabo. Quod mihi argumentum, & ingenti labore, & pluribus annis in eo studio consumptis, stetisse confiteor.

NOTATIO SEPTIMA.

Argumentum Apocalypseos, quo distinctione capitum obseruata, indicatur totius libri acoluthia, siue cohærentia, & apta series.

CAPVT I.

PRÆCEDVNT libri totius titulus, & elogium (seu commendatio,) nec non epistola dedicatoria. Et mox incipit narratio visionis cælestis. Prima autem persona, quam videt Ioannes, prologum agit, summã totius Apocalypseos repræsentans. Summa verò est, Christum in Ecclesia Christiana esse valdè mirabilem, & pro illa contra Iudæos & Gentes pugnare; atq; adeò illam glorioſissimè triumphaturam.

CAPVT II. & III.

Deinde ille idem, qui prologum agit, monet singulos Episcopos Asiæ, (atque in eis fideles omnes ad septem genera reuocatos,) vt ex Apocalypsi hac vberrimum capiant fructum.

CAPVT IV.

Post hæc inchoatur actio, quemadmodum fieri solet absoluto prologo; ponitúrque initio ob oculos imago noui regni cælestis fundati in Iudæa post Christi resurrectionem: atque ex Iudaici

Digitized by Google

Iudaici templi comparatione expenditur, quantum præstet figuris antiquis Christianæ Religionis veritas & maiestas.

CAPVT V.

Liber autem signatus sigillis septem designat opus fuisse, vt Christus discipulis suis aperiret sensum ad intelligendas sacræ Scripturæ prophetias; quæ Iudæis in Christum credentibus summam felicitatem, & Iudæis non credentibus summam miseriam annuntiabant. Quia quo tempore Deus in Ecclesia primitiua, & in eius hostibus perfectissimè complebat illa, quæ prædixerat per Prophetas; eo ipso tempore prophetiæ videbantur clausæ ac signatæ. Atque eas tunc aperuisse, id nimirum fuit libri sigilla resignare, quod Christi gloriam adeò amplificauit.

CAPVT VI.

Apertis enim sacræ Scripturæ sigillis, compertum est verè Deum ascendisse suos equos, vt Iudæos saluaret, atque bearet. Enimuerò nihil potuit felicius hominibus accidere, quàm illa quatuor, quæ primitiuis Christianis concessa sunt.

Nempe,
- In Christum crucifixum credere.
- Christum crucifixum prædicare.
- Pro Christo paupertatem amplecti.
- Pro Christo libenter mori.

Et simul etiam compertum est, erga Iudæos Christo repugnantes, non statim Deum effudisse iram suam; sed priùs *longanima expectatione, & seria comminatione*; vt resipiscerent, voluisse & procurasse.

CAPVT VII.

Et quia ad seueriſſimam tandem punitionē deueniendum fuit; ne quis putet eam calamitatem ad vniuersum Iudæorum genus pertinuisse, recensetur priùs magnus credentium numerus ex illo populo sub nouis Patriarchis, (id est, sub Apostolis) in nouas tribus distributus; atque is nouus Israël asseritur omnino indemnis atque securus ab omni plaga; vtpote qui cruce Christi & Spiritu Dei signatus sit, & protectione Angelorum munitus. *Nihil* enim *damnationis iis, qui sunt in Christo Iesu.* Rom. 8. 1.

CAPVT VIII.

Deinde notatur, quo tempore immissæ sint in Iudæos septem plagæ; scilicet cùm satis iam admiranda fidelium patientia & perfecta charitas in Iudæorum persecutione perspectæ erant. Tunc enim in Iudæos rebelles immissæ sunt *septem plagæ*; sed paulatim eos inuadere iussæ, vt plurimorum pœnitentiæ locus esset. Porrò ex septem plagis, quatuor primæ sunt, *Fames, Bellum, Pestis*, & *Ignorantia*: grauissimæ illæ quidē; sed tres, quę sequūtur, multò grauiores.

CAPVT IX.

Harum prima est concupiscentiæ plaga, per quam Iudæi traditi sunt in desideria cordis eorum. Altera est irarum plaga, quarum furiis accensi Christianos sunt persecuti.

CAPVT X.

In ea persecutione effulgēre cœpit diuini consilij arcanum de diminutione Israëlis ad diuitias Gentium; atque adeò ad magnam Ecclesiæ Christianæ felicitatem.

Alcasar in Apocal.

CAPVT XI.

Et ipsis etiam prædestinatis ex populo Iudæorum, persecutio illa Iudaica mirificè profuit. Illuxit enim mirabilis *doctrina & sanctitas* seruorum Christi in media persecutione procurantium salutem Iudæorum. Et licèt paulisper visæ sint prosterni, & iacere; nihilominùs tamen surrexerunt victrices, & glorioſissimè de suis hostibus triumpharunt. Atque ex ipso rebellium Iudæorum numero, & ex ipsius perfidæ Hierosolymæ ciuibus, decimam partem Euangelio subiecerunt; quemadmodū ab Isaia prædictum erat cap. 6. Reliqui verò Iudæi vltima tandem plaga, id est, *horrenda obstinationis grandine*, percussi sunt omnes, vt sic tandem ad Gentes iusta fieret commigratio.

CAPVT XII.

Vniuersalis autem Gentium omnium christianismi imperium, non Ecclesiæ Hierosolymitanæ, sed cuidam ipsius egregiæ proli, nempe Romanæ Ecclesiæ, destinatum erat à Deo; atque ita præcipua Ecclesiæ Hierosolymitanæ cura fuit Ecclesiæ Romanæ fundatio, quæ primùm facta est in Iudæorum gente, quæ Romā incolebat. Hanc verò egregiam prolem, statim ac nata est, deuorare vnicè expetiuit Diabolus; sed frustra: quia *portæ inferi non præualebunt aduersus eam*. Fundata autem Ecclesia Romana religionis Christianæ arce & metropoli, statim maiori conatu cœpit Gentibus prædicari Euangelium, fremente Diabolo, & Neronem excitante ad Ecclesiam Christi extinguendam. Sed Nerone occiso, cùm Diabolus se non posse contra Euangelij præcones præualere, videret; omni conatu aduersus Ecclesias, quæ per vniuersas prouincias fundabantur, cruentas persecutiones moliri instituit. Matth. 16. 18

CAPVT XIII.

Atque adeò duas aduersus Christianum nomen excitauit bestias: alteram è mari, hoc est, superbiam Imperij Romani idola colentis; alteram è terra, id est, sapientiam carnis, quæ prioris bestiæ auctoritatem suis artibus augeret. Ita Satanas, Mundus, & Caro in Euangelium coniurarunt, omni ex parte Ecclesiam persequentes.

CAPVT XIV.

Huic tamen bello opposuerunt se primitiui Christiani ex populo Israël, cælestis vitæ exēplo, & Euangelij prædicatione mirificè pro Christo pugnantes; atque ea ratione multos ex Gentibus ad Christum trahentes. In persecutione autem doctrina cælestis fidelium patientiam confirmabat. Eamque patientiam subsecuta est copiosa messis, & lætissima vindemia, id est, innumerabilium hominum conuersio & martyrium.

CAPVT XV.

In bello ergo mystico, quod Christiani primitiui aduersus gentilitatem gerebant, consilium Dei fuit aduersus gentilitatē nouis plagis pugnare valdè diuersis ab iis, quas in mysticam Ægyptum, id est in Iudæos rebelles, immiserat. In hos enim, sicut olim in Ægyptios, tamquam in hostes, verè ac vehementer sæuitum est: nouissimarum verò plagarum vindicta

non alia fuit, quàm destructio idololatriæ atque peccati per conuersionem Romani Imperij. Sic enim facta est vindicta in nationes, iuxta sacræ Scripturæ phrasim. Et hanc nouissimè Deus ostendit iram, & indignationem suam contra peccatum.

CAPVT XVI.

Plagæ ergo nouissimæ, quibus Deus idololatriam debellauit, fuere

1. Pudor & dolor Gentilium, dum de peccatis arguuntur.

2. Persecutionis crudelitas in Euangelij prædicatores.

3. In Gentiles etiam ad fidem Christi conuersos mira sæuitia.

4. Ex Christianorum sapientia grauissima offensio.

5. Summa in persecutione excæcatio.

6. Post inuasionẽ Romæ maior persecutio.

7. Manifesta vrbis Romanæ diuisio; Euangelio prævalente, & idolorum cultura ruente.

CAPVT XVII.

Denique vniuersa Roma ad fidem Christi conuertitur; atque is glorioſissimus Ecclesiæ Christianæ triumphus egregio spectaculo celebratur, in quo orbis regina, ciuitas Martyrũ cruore ebria, superbiæ suæ & impietatis pœnas mirandum in modum luit, à suismet senatoribus occisa & combusta: nimirum quia per eorum conuersionem effectum est, vt Roma impietati & peccato moreretur, ac veræ religionis ardore conflagraret.

CAPVT XVIII.

Eam verò conflagrationem, (quæ fidelibus lætissima fuit,) eorum lachrymæ prosequuntur, qui ex Romanorum sceleribus, & idolorũ cultu rem suam & auctoritatem augebãt: quorum proinde fletus & lamentationes de conuersione Romæ impiæ in Romam sanctam appositissimè referuntur.

CAPVT XIX.

Succedunt continuò festiuæ celebritates nuptiarum nouæ Romæ cum Christo, id est, publicum Christianæ religionis exercitium, in totius orbis metropoli ac theatro; easque nuptias consequitur totius Imperij Romani ad fidem Christi conuersio, significata sub specie cruentæ cædis; sed eius cædis, quæ Angelos mirifico gaudio affecit.

CAPVT XX.

Deinde pax Ecclesiæ per multa sæcula continuatur: quibus elapsis nouum bellum insurgit Gogi & Magogi; quod est atrox ac luctuosa Antichristi persecutio. Sed de illa etiam triumphabit Ecclesia; fiet enim diuini Spiritus igne, vt iudaisini, gentilismi, & sectarum omnium reliquiæ consumantur. Et tunc demum vniuersalis iudicij dies finẽ temporibus imponet.

CAPVT XXI. & XXII.

Ecclesiæ tamen Romanæ triumpho nullus erit finis; quia in cælesti patria, & in Dei beatitudine in æternum triumphabit, illiusque felicitatis supra omnem modum admirandæ contemplatio claudit Apocalypsin. Sacræ autem visioni annectit Ioannes, quantum debeat liber hic æstimari à Christi seruis.

Summæ singulorum capitum breuiores ad iuuandam memoriam.

I. Apocalypseos elogium, & epistola dedicatoria, & visionis cælestis prologus.

II. Breues Christi epistolæ ad quatuor conscientiarum genera, monentes vt ex Apocalypsi fructum capiant.

III. In aliis tribus epistolis reliqua tria conscientiarum genera similiter à Christo admonentur.

IV. Glorioſissimum Deo fuit Ecclesiæ Christianæ templum, quod in Sionis arce dedicatũ est post Christi resurrectionem.

V. Nihilominùs liber manebat clausus atque signatus; & eum aperuisse fuit singularis Christi gloria.

VI. Apertis sigillis constat Deum ascendisse suos equos, vt Iudæos in Christum credentes saluaret atque bearet; & similiter constat, contra incredulos maximam Deum ostendisse patientiam, & in comminando, pietatem.

VII. Tau Christi innumeros Iudæos ipsi adhærentes ex omni natione, securos reddit ab ira in gentem Iudæorum effundenda.

VIII. In Iudęos autem non signatos tandem immittuntur septem plagæ; quarum primæ sunt, Fames, Bellum, Pestis, Ignorantia.

IX. In desideria deinde cordis eorum traduntur Iudæi; & in plagam irarum aduersus Christianos.

X. Fortis Angelus repræsentat consilium Dei de diminutione Iudæorum ad diuitias Gentium.

XI. Ardente verò persecutione Iudaica, doctrina & sanctitas seruorum Christi mirabiliter triumphant de perfida Hierosolyma; conuersa ad Christum decima parte, & reliquis Iudæis obduratis.

XII. Caput deinde Catholicæ Ecclesiæ Roma eligitur; atque adeò præcipua primitiuę Ecclesiæ cura fuit, Ecclesiæ Romanæ fundatio; quæ feliciter successit, & iram Diaboli supra modum inflammauit.

XIII. Excitat Diabolus aduersus Christianum nomen mundi, (id est Imperij Romani) superbiam, & carnis scientiam.

XIV. Sed resistentibus primitiuis Christianis, & egregiè pugnantibus, subsequitur innumerabilium ex Gentibus conuersio atque martyrium.

XV. Consilium Dei fuit, nouo plagarum genere aduersus gentilitatem pugnare, multò aliter, quàm aduersus mysticam Ægyptum, id est aduersus Iudæos, pugnauerat.

XVI. Idololatriæ ergo debellandæ immittuntur septem plagæ: nimirum, Pudor Gentilium, Persecutionis crudelitas, Intestinum bellum, Ex sapientia offensio, Summa excæcatio, Inuasio vrbis Romanæ, illiusque manifesta Diuisio.

XVII. Noua denique vrbis conflagratio (id est integra Romæ conuersio) prophetatur.

XVIII. Terrigenæ flebunt, & lamentabuntur supradictam conflagrationem.

XIX. Il-

Digitized by Google

XIX. Illam autem summis gaudiis celebrabunt filij Dei, atque eam consequetur totius Imperij Romani ad fidem conuersio.

XX. Lætitiam autem populi Christiani continuabit multorum sęculorum pax: sed eam pacem postea disturbabunt Antichristi bella; & tandem post Ecclesiæ perfectam victoriam, vniuersalis iudicij dies finem temporibus imponet.

XXI. Lucebit verò Ecclesiæ Christianæ in cęlesti patria lux æterna, & beatissima felicitas.

XXII. Aquæ demum viuæ fluuius singulariter beatam vrbem lætificat, & claudit Apocalypsin.

NOTATIO OCTAVA.

Argumenti confirmatio ex illius dignitate.

1. *Argumenti Apocalypseos præstantia.*

APOCALYPSEOS argumentum quodcumque illud sit (neque enim de nostro nunc agimus) præstantissimum ac excellentissimum esse debere, & ipsius libri textus, & grauissimorum Doctorum consensus validissimè persuadent. Textus quidem ipse cap. 1. disertè docet, hanc esse reuelationem illam animæ Christi ab æterno Parente cõmunicatam: & ab ipso Christo ęnigmatis quasi conuestitam, ac Ioanni charissimo discipulo per cælestem nuncium missam. Beatum præterea esse qui audit, aut legit, quæ in hoc libro continentur. Et cap. 5. affirmat Ioannes se ingentem lachrymarũ vim effudisse præ dolore; quòd non inueniretur, qui septẽ libri sigilla reseraret. Porrò septem hæc sigilla sunt bene magna libri pars, quæ à cap. 5. ad vndecimi vsque finem protenditur. Deinde integrum caput quintum mirificè expendit, quàm gloriosum Christo fuit, sigilla ipsa aperuisse. Et per capita subsequẽtia singulorum mysterium sigillorum insigni actione celebratur. Quòd si oculos ad alia libri capita conuertamus, facilè ex iis elicitur ipsorum argumẽtum nihilo inferioris excellẽtiæ esse. Certè caput 4. capiti Isaiæ 6. ceteris longè sublimiori illius prophetiæ parti; & Ezechielis currui æquè sublimi, apertè respondet. Caput verò 19. Agni nuptias lętissima celebritate peragit: atque in eo quidem capite semel, & rursus cap. 22. tanta Ioannes lætitiæ voluptate gestit, vt se ad Angeli pedes prouoluat, eos exosculaturus, ob iucundissimum nuncium, quem ei de rebus summi ponderis ac momenti deferebat.

2. *Eadẽ Apocalypseos argumenti excellentia Patrum testimonio cõprobatur.*

Tantæ ipsius textus maiestati & energiæ cõmunis Patrum & interpretum sensus egregiè concinit. Dionysius quidem Areopagita cæterorum coryphæus de Eccles. Hierarchia cap. 3. p. 3. extremam sacrarum Litterarum partem designãs; *Arcanam illam* (inquit) *ac mysticam omnino visionẽ dilecti discipuli, diuinamq; Domini Iesu Theologiam, eis, qui dij fieri merentur, exponit; eosq; per mysteria sacra sustollit, atque confirmat.* Egregia sanè verba, & omni animaduersione digna. Tertul. item de Corona militis c. 15. loquens de Apocalypsi, *Si tales imagines in visione, quales veritates in repræsentatione?* Epiphanius lib. 2. cap. 51. docet *totam Apocalypsin referri debere ad spirituale Dei negotium, & ad ea, quæ in lege & prophetijs præcipuè Dominus respiciebat.* Hieronymus lib. 9. in Isaiam ad fin. asserit, *Apocalypsin medullata Ecclesiæ Sacramenta contexere.* Et epist. 103. c. 7. *Pro merito*, inquit, *voluminis laus omnis inferior est.* Oportet igitur argumẽtum excelsum esse quidda, ac planè diuinum. Ricardus de S. Victore libr. 7. cap. 12. affirmat *librum istum non solùm esse Euangelium; sed in Euangelica doctrina, quemadmodum vltimum, ita etiam summum locum obtinere, ac in ipso sacram Scripturam, ad modum arboris, cacumen extulisse.* Haymo in præfatione: *Tanta* (inquit) *est distantia inter hanc prophetiam, & eas, quæ ante Christi Domini aduentum reuelatæ sunt; quanta inter seruum & dominum. inter legem & Euangelium, inter Deum & hominem.* Gilbertus demum in Apocalypseos proœmio, (quod commentariis illustrarunt Glossa, Albertus, Thomas, & Hugo.) ait, *hanc prophetiam præstare veteris Testamenti prophetiis; sicut Euangelium, legis obseruantiis.*

3. Ex dictis constat, hunc librum meritò in Scriptura ceterorum agmen claudere; illisque veluti apicem & coronam addi. Atque adeò confitendum est, ipsius argumentum mirum in modum esse præstans & excellens.

4. *Obiectio.* Dicet quispiam, longè plus nimio procedere, qui hunc librum Euangeliis ipsis superiorem esse asserãt; cùm in iis ipsissima Christi verba referantur. Quid verò his dignius ac præstãtius esse possit? *Responsio.* Cui tamen illud Respondeo, quod Christus suis discipulis edixit: *Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modò, cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Ioan. 16. 12. Quod igitur Christus suis Apostolis per se non exposuit, (quoniam teneri adhuc & imbecilli erãt) sed diuino spiritui, qui eis postea reuelaret, reliquit; hoc continet Apocalypsis. Et verò perspicuum est, quod eis Christus, quippe nondum capacibus, tunc obtexit, id sublimius & excellentius esse; quamobrem potuit id in Apocalypsi contingere.

5. *Hanc Apocalyptici argumenti excellentiã in nostro commentario non desiderari.* Hactenus ostendimus Apocalypseos argumentum præstantissimum & excellentissimum debere esse. Iam eiusmodi excellentiam & dignitatem in nostro argumento minimè desiderari, videbit quicumque illud attentè percurrerit; & multò magis qui integrum perlegerit commentarium. Etenim in Ecclesiæ Christianę præstãtia inueniet c. 4. explicatam mysterii Trinitatis prædicationem, & c. 21. singulas per ordinem Apostolici Symboli veritates, suo splẽdore quasi gemmis quibusdam illustrantes Apocalypsin. Præter hæc, septem sigilla ad septẽ diuinæ prouidentiæ perfectiones siue spiritus spectant; quibus nihil magis theologicum potuit optari. Atque in quatuor primis, id est, in Dei quadriga, expenditur mira & abscondita

Digitized by Google

salutis ac redemptionis, quam Christus attulit, A perfectio: atque adeò Ecclesiæ Christianæ sanctitas admiranda. Deinde in rebellium Iudæorum repulsa, & in Gentilium euocatione atque electione: in persecutionibus ab vtroque populo contra Dei Ecclesiam concitatis: & in diuerso victoriæ genere: in seueriſſimis aduersus Hierosolymam plagis, & in suauissima illa nouissimarum plagarum in Romam veterem ingruentium inuentione; in mystica decimæ partis Hierosolymæ ruina, & in spirituali vniuersæ Romæ conflagratione: in nouæ denique Romæ desponsatione cum Agno, & in conuersione Romani Imperij, ac mille annorum pace subsecuta: in his, inquam, omnibus adeò theologicè proponitur admirabilis diuinorum consiliorum executio, vt nihil sublimius excogitari posse videatur ad totius Scripturæ apicem & coronam. Nihilo sunt his inferiora, quæ ad calcem libri de Antichristi bello, de die iudicij, & de æterna cælestis patriæ beatitudine subiiciuntur.

6. *Confirmatur ex Pauli testimonio.* Huius argumenti maiestatem ac reconditã sapientiam ponderat egregiè Paulus ad Ephes. 3.10. vbi agens de humani generis redemptione, & Ecclesiæ Christianæ celsitudine, asserit, Deum in spiritualis mundi, id est Ecclesiæ Christianæ, creatione seu fabrica, angelis patefeciſſe suam ipsius sapientiam multiformem. *Omnia* (inquit) *creauit Deus, vt innotescat principatibus & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Quasi diceret, Ecclesiæ mysteria adeò alta & sublimia esse; vt illis Cherubinos ipsos ac Seraphinos ingenti admiratione defixos Ecclesiæ ipsius opifex tenere voluerit; dum noua illis sapientiæ arcana & abstrusa mysteria spectanda proposuit, quæ in ipsa Christi Ecclesia maximè elucent. Sistit hîc Nyssenus homil. 8. in Cantica, & Pauli sensum *in multiformi illa sapientia*, curiosa indagatione rimatur. *Egregia Nysseni verba.* *Re vera* (ait) *per Ecclesiam portatur ad supramundanas potestates varia & multiplex Dei sapientia, quæ per contraria res efficit magnas & admirabiles. Quomodo enim facta fuit vita per mortem? & per peccatum iustitia? & per maledictionem benedictio? & per ignominiam gloria? & virtus per imbecillitatem? Nam in prioribus temporibus solam simplicem & vniformem Dei sapientiam nouerant supramundanæ potestates congruenter naturæ facientẽ miracula; nec in ijs, quæ cernebant, erat quidquam variũ. Hoc autem multiplex & varium sapientiæ genus, quod constat ex connexione cum cõtrarijs, nunc autem apertè ostensum est per Ecclesiam; nempe quemadmodum suo liuore, suisq; vibicibus nostra sanauit vulnera, quemadmodum imbecillitate crucis vires expugnat aduersarij, &c. Hæc omnia, & quæ sunt huiusmodi, cùm sint varia & multiplicia, per Ecclesiam didicerunt, & admirati sunt.* Hæc Nyssenus. Et sanè quod de Christi triumpho expressè asseuerat, id etiam ad Ecclesiæ similiter triumphos extendi vult: in quibus multiformis item Dei sapientia iuxta Nysseni mentem effulget. Etenim in Christianorum intellectu sub obsequium crucis captiuo, eorum sapientiæ sublimitas splendescit. In bello pax, copia in inopia, vita in morte; vt quatuor primis sigillis, & in aliis præterea Apocalypseos symbolis adumbratur. Præsertim in triumpho, quem Ecclesia de Iudæis & Gentibus, per ipsas persecutiones, per ignominiam & mortem, obtinuit.

Atque vt ad Angelos redeamus: certum est 7. illos non cognouisse à principio creationis speciales omnes conditiones mysteriorum nostræ Fidei: sed postea per Ecclesiam, & præcipuè per Christi Domini instructionem plenè fuisse edoctos. Docet hoc D. Thomas 1.p. q. 57.a.5. & 3.p.q.12.a.4. in *Sed contra*, ex Dionysio Areopagita, Durandus 3. dist. 13. q.2. Bonauentura 2.q.3. Plena ergo notitia doctrinæ Euangelicæ non erat Angelis communicata ante Christũ. Et hinc est quòd sæpe Paulus nostræ fidei mysteria appellat *Sacramenta abscondita à seculis in Deo.* Vide 1.Corinth.10.11.Galat.4.24.Ephes.3. B 6.Coloss.1.26.& 27.Hebr.8.5.& c.10.1.

Denique Apocalypseos argumentum claudit in se, & Theologiæ medullam, & Christianę philosophiæ ac doctrinæ Euangelicæ quasi nucleum siue animam. 8.

Obiectio. Sed obijciet quispiam, Euangelij doctrinam, ac vaticinium de Ecclesiæ futuris euentibus videri diuersa inter sese ac dissimilia esse: huius libri porrò prophetiam Ecclesiæ successus prænunciare, certum esse; ipse enim textus ait, *Beatus qui audit verba prophetiæ libri huius.* Et Hieronymus lib.10 contra Iouinianum, cap.4. *Ioannes* (ait) *sicut appellatur Euangelista, quia librũ Euangelij condidit; ita etiam appellatur Propheta, quia scripsit Apocalypsin infinita futurorum mysteria continentem.* Tertullianus insuper lib.3.contra Marcionem, cap.24. hunc librum appellat, *noua prophetia fermonem, qui apud fidem nostram est.* Concinit Augustin.20.de Ciuit.c.8. & alii, quos notatione 3.retulimus. Atque hoc prophetiæ nomen, sunt qui existiment, Ioachimi & Aureoli & Lyrani expositioni fauere. Quorum opinioni Abulensis astipulatur.

Solutio. Huic obiectioni Respondeo Primò, miro 9. artificio fuisse factum, vt tota Euangelij doctrina ad propheriæ normam redigeretur: id quod verissimè fieri potuit. Etenim in prophetia, quę Christi animæ fuit ostẽsa (quæ huius libri prophetia est, vt notatione 2.explicuimus) cõprehenditur Ecclesiæ fundatio atque præstantia, nec non ipsius virtutes & prærogatiuæ: in quibus includitur Apostolici Symboli, & Christianæ fidei articulorum professio. Secũdò aduerto, licèt Christi prophetia omnes Ecclesiæ euentus siue maioris, seu minoris notæ distinctè contineat: in hoc tamen libro expediens non fuisse, vt singula minutatim notarentur; sed præcipua tantùm illa puncta, quæ in nostro argumento designantur, vtpote in Ecclesiæ successibus extantia & eminentia; & quæ propriè ad historiam Theologicam spectare possunt. Atqui in hisce punctis totam Ecclesiæ historiã coërceri, rectè ac verè affirmatur: quemadmodum & à Christo fuit dictum Ioan.15.15. *Omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Tertiò noto, Apocalypseos excellentiam in eo in primis consistere, quòd non solùm præcipua capita seligat, minutioribus omissis, sed in iis etiam capitibus, quæ tractanda desumit, non

tam

tam rei euentum ex corpore ipso atque cortice A
spectet, quàm ex anima historiæ & admiranda
diuinæ prouidentiæ perfectione; quæ ibi po-
tissimùm enitescit, & sapientum oculos ad se
conuertit ac trahit. Atque hoc sanè est, histo-
riam theologicè & iuxta absolutæ sapientiæ
præcepta tractare; nec in simplici solùm euen-
tuum narratione pedem figere. Et quidem si
Ioannes Ecclesiæ vaticiniũ fuerat litteris man-
daturus; facilè perspicitur, ea ratione scriptu-
rum, vt ipsius prophetia ceteris Prophetarum
vaticiniis non solùm non esset inferior, sed lon-
go etiam interuallo antecederet.

10. Ad hanc nostri argumenti excellentiam il-
lud addo, quod ipsam non parum adstruat atq;
confirmet: eius videlicet dignitatem in aliis B
explicandi rationibus, quas notat. 6. posuimus,
nequaquam reperiri.

Prima enim opinio, eo ipso quòd ad singula-
res Ecclesiæ successus non descendat, sed gene-
ratim omnia & confusè accipiat; necesse est, vt
spirituale Sodomam, & Ægyptum, (id est Hie-
rosolymam) à Babylone, (id est Roma) non di-
stinguat; ac proinde supradictum vtriusque po-
puli, Iudaici & Gentilis mysterium prætereat.
Nec non alia similia, in quibus Theologici ar-
gumenti celsitas apparet.

Deinde Arię Montani expositio subtilior est,
quàm solidior; & philosophico argumento,
quàm prophetico congruentior. Non inficior,
quin vt pia ac ingeniosa accommodatio accipi
possit: vt tamen sit litteralis prophetiæ sensus,
minimè probo. Etenim si quis Christi passio-
nis ac resurrectionis historiam referret ad my-
sticam mortem ac resurrectionem, qua homo
moritur peccato, ac Deo resurgit; nemo nega-
uerit, eam esse piam atque elegantem applica-
tionem; explicationem tamen esse litteræ, nul-
lus dicet; sed accõmodationem tantùm, quæ in
litterali sensu fundata consurgit. Atq; ita Arias
ipse in commentariis, quos postea in Isaiam e-
didit, fatetur ingenuè per Babylonem in Apo-
calypsi, Romam esse intelligendam; & multa
alia similiter in eodem libro exponit.

11. Iam Lyrani & Aureoli expositio nequaquam
argumẽtum Theologicum deligit; sed minuta
quædam, & sacræ Scripturæ maiestate non ita D
digna. Quorum reuelatio omnino fuisset inu-
tilis & superuacanea; nec enim alicuius fuisset
vsus antequam impleretur, cùm præsertim per-
cipi non posset; nec posteaquàm dicitur fuisse
expleta, ad fidei confirmationem potest quid-
quam deseruire, cùm incertum adhuc valdè sit,
(ne quid grauius dicam) eam fuisse Spiritus
sancti mentem. Nam & ipsi huius opinionis
auctores inter explicandum se formidare fa-
tentur: ex quibus Antoninus §. 15. meram esse
accommodationem suspicatur. Idem fatetur
Lyranus sæpe & præsertim cap. 17. & 18. & 19.
& 20. In eadem formidine est Ederus, vt ipse
sæpe significat.

Nec verò expositio Abbatis Ioachimi est ve-
risimilior, aut probabilior, aut sacræ Scripturæ
grauitati conuenientior. Atque (vt nihil dicam
de violentia explicationis) ab incremento, &
tranquillitate Ecclesiæ sub Carolo Magno, &
successoribus eius, (quem facit quintum Ec-
clesiæ statum) transit ad extremam persecutio-
nem sub Antichristo: in quo valdè defecit ab
intentione complectendi vniuersam Ecclesiæ
Christianæ historiam. De quinta explicatione
dicemus infrà; vbi de ordine & serie nostræ ex-
plicationis.

Sexta autem opinio, quæ eorum ferè Apoca- 12.
lypseos vaticinium ad Antichristi tempora re-
fert, nullo historiæ ordine seruato, (vt alia o-
mittam) nescio quid respondere possit iis, qui B
notant in ea opinione, exiguam solùm Eccle-
siæ Christianæ prophetiæ partem tractari, & præ-
cipua ipsius euenta prætermitti; & ex multo-
rum sæculorum historia, extremum solum eli-
gi, quod nulla ratione comparandum est cum
primis Ecclesiæ Christianæ temporibus; si ad
dignitatem rerum, & profunditatem Theolo-
giæ, & diuinæ prouidentiæ consilia aduerta-
mus animum. Quòd verò nonnulli sibi per-
suadent ea, quæ de Ecclesiæ Christianæ perfe-
ctione fuerant à sacris Vatibus prædicta, prio-
ribus Ecclesiæ temporibus non fuisse comple-
ta, sed ad postremam ætatem referenda, id mi-
hi persuadere non possum: licèt enim sapienter
Augustinus censeat, eorum virtutem ac robur,
C qui ab Antichristo se inuictos præstiterint, ex-
celsa planè futura; nihilominùs prudentes æsti-
matores iudicabunt, primigeniæ Ecclesiæ for-
titudinem minorem non fuisse, sed potiùs ma-
iorem. Qui ergo interpretationem suam om-
nem ad posteriora illa tempora conferunt; hi
nec maius & excellentius, nec pluribus scatens
mysteriis argumentum sibi desumunt; inuol-
uunt enim silentio tam Iudaici populi repul-
sam, quàm Gentilicii electionem: quæ duo in-
ter cetera Ecclesiæ euenta, tanta sunt admira-
tione digna, vt iure Paulum in illam exclama-
tionem impulerint: *O altitudo diuitiarum sapien-
tiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iu-
dicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* ad Rom. 11. 33.
Quod idcirco Paulus ipse *Dei mysterium* sæpiùs
appellat, vt videbimus Apocalypseos 10. vbi
Ioannes eandem locutionem vsurpat.

Illud tamẽ addo, quicumque Apocalypseos 13.
argumentum continere in se doctrinæ Euan-
gelicæ medullam animaduerterit; illum proti-
nus facilè prospecturum, conuenientissimum
fuisse, Christi reuelationem ænigmatum inuo-
lucris & sacris symbolis cõuestire; etenim nul-
lam aliam ad rem aptiùs ac digniùs ænigmata
aut hieroglyphica vsurpantur, quàm ad ea, quę
valdè amamus atque æstimamus. Atqui nihil
tam Christo, quàm Ioanni charius erat ac pre-
tiosius, quàm doctrinæ Euangelicæ perfectio,
& Christianæ Ecclesiæ triumphi.

Digitized by Google

NOTATIO NONA.

Confirmatio secunda nostri argumenti à cohærentia, & continuata totius libri serie.

1. NOn satis constat inter interpretes, an tota Apocalypsis Ioanni sit in vnica extasi, vel in pluribus ostensa. Antiquiores vnicam solùm visionem agnouisse videntur; quia nullius meminere diuisionis, vt Victorinus, Ticonius, Andreas, & Aretas. Alij licèt varias in partes diuidant Apocalypsin, vt in quatuor, vel in septem, vel etiam in septemdecim (ad tot enim se extendit Ederus ex Athanasio) multi tamen illorum fortasse maioris solùm distinctionis gratia eam ita partiuntur, non verò quòd intelligant fuisse plus quàm vnam extasin: quemadmodũ plerique orationem Dominicam (quam vnicã esse orationem nemo dubitat) distinctionis ac doctrinæ ergò, in plures petitiones distinguũt. Aliqui tamen expresè notant, Apocalypsin plures fuisse Ioannis extases; ac propterea minimè in eis esse requirendam continuationis seriem. Ex his sunt Ribera & Caponsachius. Neque aliter probant, nisi quia fieri non posse putant, vt filum à principio ad finem vsque integrè deducatur. Eadem est opinio Pererii disp. 7. causa 5. & disp. 9. regula 4.

Apocalypsin aliqui plures in visiones partiuntur.

2. Et verò, ex eo quòd Ioannes librum suum in singulari appellet Apocalypsin, non in plurali, Reuelationes; nõ inde solidum argumentum desumitur, vt vnicam fuisse extasim, siue reuelationem affirmetur. Nam apud Isaiam etiam in singulari est, *Visio Isaiæ.* cùm tamen plures fuisse constet: scilicet in diebus Oziæ, Ioathan, Achaz, & Ezechiæ.

Plus habet roboris, vt Apocalypsin vnicam fuisse visionem credamus; quòd Ioannes in ipso exordio locum ac diem designet, *In insula Pathmos, in Dominica die.* Cùm nullibi præterea in toto libro quid simile præscribatur. Hic namq; Prophetarum mos est, quoties noua visio inchoatur; signum aliquod, distinctionis gratiâ, præstituere, (vt, *Onus Aegypti, Onus Moab, Anno quo mortuus est Ozias.*) aut mensem etiã anni designare; quod frequens est apud Ezechielem.

Vnicam tamen visionem fuisse probatur.

3. Diceret quispiam, contingere potuisse, vt Ioannes plures visiones illo ipso die habuerit; & licèt detur, Apocalypsim vnam fuisse visionem; hoc non cogere, vt integer discursus ab exordio in finem vsque libri deducatur. Sicut enim in eadem epistola diuersa possunt capita contineri, quæ inter se minimè cohæreant; sic etiam in eadem extasi possunt diuersa, & minimè inter se connexa Prophetæ ostendi. Cetertùm hæc euasio non satisfacit. Omnes enim fateri debemus, quidquid in Apocalypsi agitur, esse Ecclesiæ Christianæ prophetiam; atque adeò necesse esse, vt partes omnes ad vnicum Ecclesiæ argumentum pertineant. Quare, si eadem est visio, non plures, oportet vt omnia Ioanni fuerint ostensa optima serie, & ordine legitimo. Et credibile non est, eum ordinem ab illo perturbatũ fuisse, siue is fuerit naturæ ordo, siue artis. Quemadmodum concinnum aliquod poëma, seu comœdia optimam partium inter sese connexionem & concatenationem habeat necesse est.

Obiectio.

Dilutio.

Quinimò, etsi fingamus, hanc visionem Ioanni fuisse, non totam eodem die, sed in diuersis per partes indicatam; si tamen vnicum est argumentũ, expediebat vt partes omnes aptæ inter se essent atque coalitæ; id est, optima serie ordinatæ. Quemadmodum si longa satis actio ac tragœdia in binos aut ternos partitur dies; non ideo argumenti filum abrumpitur, sed attexitur potiùs, & idem vlteriùs producitur; non aliter ac secundus actus tum primo connectitur, & cum tertio quartus. Prætereà quòd verisimilius multò est, totam Apocalypsin vnicam extasim fuisse.

4. *Quàm sit optabile vnicũ expositionis filum in tota Apocalypsi attexere.*

Atque illis etiam ipsis, qui existimant Apocalypsin non idem contextus filum ducere, optabile valdè esset, optimam in ea continuationem reperire; necessitate enim coacti illã in varias visiones partiũtur: atque hac ratione suã in exponendo ordinis perturbationem excusant. verbi gratia, persuadet sibi noster Ribera, Romæ conflagrationem, de qua cap. 18. futurã ante illam Hierosolymæ euersionem, de qua c. 11. ac proinde plagas nouissimas, de quibus c. 15. & 16. priùs futuras, quàm tubarum plagas, de quibus c. 8. & 9. & 11. Verũ quis dubitet, ipsius expositionem multò suauiorem ac similiorem vero futuram, si Apocalypsis apponeret primò phialarum plagas, & Babylonis incendium; deinde plagas tubarum, ac Hierosolymæ ruinam?

5. *Quas denorent difficultates, qui ordinem in Apocalypseos interpretatione perturbant.*

Alias ordinis perturbationes non absimiles deuorant tam Ribera ipse, quàm alij interpretes; nimirum mille annos pacis, de quibus c. 20. re ipsa complendos antequàm ascendat bestia de mari, de qua c. 13. Et meo quidem iudicio maiori rerum consequentia procedebant Millenarij; qui cùm existimarẽt bestiam illam marinam c. 13. esse Antichristum, mille pacis annos post eius mortem collocabant. Et quoad hanc partem idem sequuntur Seraphinus de Fermo, Pannonius, & Bullengerus; qui tamen dũ mille pacis annos ad breuiora multò tempora contrahunt, violenter nimis exponunt.

Minùs violenta videtur communis interpretatio, quę mille annos alligati Dęmonis à Christi passione enumerare incipit. Sed hîc magna est ordinis confusio ac perturbatio, quòd cum in Apocalypsi alligatio Dæmonis, c. 20. describatur, id est, sub Ecclesiæ prophetiæ finẽ; illius alligationis interpretatio ad ipsa Ecclesiæ nascentis exordia referatur.

6. *Nostrum argumentũ quantopere ab his ordinis perturbationibus abhorreat.*

Ab omni hac confusi ordinis perturbatione valdè abhorret nostrum argumentum: etenim fingi non potest tragœdia, cuius series & continuatio meliùs & congruentiùs sit inter se cohærens, quàm filum, quod in nostro argumento

to deducitur. Quòd si totius contextus applicatio ad sensum, quem ego propono, apta atque congruens esset; haud dubiè ex ipsa acoluthia & consequentia à nobis inuenta, validum desumeretur argumentum; quo Apocalypsin ipsam eiusmodi acoluthia cõtextam fuisse probaretur. Neq enim fieri potest, vt in libro confusè & permixtim, id est inordinatè, scripto, singulæ partes ad argumenti vnitatem aptissimè applicentur: atque hac ratione legitimus in eis ordo, & integrum consequentiæ filum reperiatur. *Quod non est, non scitur*, vt scitè docet Aristoteles; neque vlla est vel hominis, vel etiam Angeli tãta ingenii vis, quę in serie viginti duorum capitum libri ænigmatici pulcherrimo argumenti ordine excogitato, sed ab intentione auctoris longè diuerso, in singulis ænigmatis exponendis, valeat omnia perfectè quadrare; & somnato filo connectere, nũquam abrupto.

7. Fateor propositum ordinem ac seriem non magni esse faciendam; vbi applicatio non esset satis apta. An verò ipse omnia quadrarim? id nec mei iudicii est, nec quid ego sentiam, curabunt sapientes; ad quos iudicium spectat. Id vnum affirmatim: si qua expositio esset eiusmodi, vt apprime seruato ordine & cohærentia omnia perfectè quadraret; eam verò sapientibus debere probari, vt sacri scriptoris mentem; & illius filum vt verum & germanum recipiendum. Atque adeò eos, qui eiusmodi continuationem non fuissent assecuti, scriptoris mẽtem non probè tenuisse: quoniam totius libri acoluthiam nõ perceperũt. Quod potissimum est in sacræ Scripturæ interpretatione; cùm scilicet antecedentia omnia, & consequentia aptè cohærent, & tamquam filum quoddam à principio vsque ad exitum ducitur; quod non limit à proposito aberrare, vt egregiè noster Turrianus, in proœmio ad tractatum de Sanctissima Eucharistia, & multò antea Athanasius duobus in locis, oratione 3. contra Arianos.

8. *Partium inter se proportio quàm pulchra.* Et quamuis generatim loquendo, acoluthiæ comprehensio magni momenti sit: sunt tamen nonnulla, in quibus multò pluris facienda est, tum ad veram rei intelligentiam, tum etiam ad voluptatem: vt in valdè ingeniosa alicuius tragœdiæ inuentione ac serie, ille qui totius fabulæ ordinem & argumentum integrum nõ percepit; non vidit id, quod erat in ea optimum ac pulcherrimum. Simile est de partibus corporis humani; quę tametsi singulæ in suo genere perfectissimæ sint, numquam tamen vera illa, germana & expressa pulchritudinis species ac proportio existit, nisi ex partium consensione mirabili, & apta compositione, & concinnitate membrorum; quæ, vt veram pulchritudinem efficit, ita etiam singulas partes maiori afficit splendore, & nouo quodam lepõre ac venustate commendat. Quid ædium partes? quid orationis membra? cùm illustria, cùm amplissima sint; si seponantur singula, & seorsum aspiciantur; habebúntne aspectum præclarum, nisi vnum in corpus coalescant, in quo partium illa admirabilis constructio cohærentiaque cernatur, quæ sola pulchritudinem rebus addit, & conciliat dignitatem? Illi igitur, quos præteriit vnitas & integritas huius libri ex pluribus symbolis in vnam speciem, eamque pulcherrimam conformata; etiam si particulas singulas valdè attenderint; pulchritudinem tamen totius non videntur aspexisse.

9. Cùm ergo in Apocalypsi tanti momenti sit totius libri filum; idcirco in eo ducendo tantoperè laborauimus. In quo video priores illas opiniones, (de quibus notat. 6.) aliter se gessisse. Prima enim incidit sæpe filum, quasi verò perinde sit scindere, ac soluere. Secunda non videtur curare de filo, vt liberiùs philosophetur. Tertia in deducendo filo laborat illa quidem; sed fatetur tandem se ad finem vsque glomerare totum non posse, id est, continuare applicationem vsque ad finem aũ tum Ecclesiæ. Quarta filum adeò tenuem duxit, vt sæpiùs illud abrumpi necesse sit. Vtinam quinta pro duce fila dederit Ariadnæ, vt est in prouerbio.

10. *Nullum in Apocalypsi nec in aliis prophetiis rerum aut temporum ordinem seruari, nonnullis placuit.* Hucusq; scripseram, cùm ad meas manus peruenit commentarius in Apocalypsin nuper editus viri doctissimi & amicissimi, cuius hæc sunt verba disput. 7. prolegom. *Commune est huic prophetiæ cum aliis prophetiis veteris testamenti, nec in ordinanda visionum serie, nec in tractatu explicatuq; cuiusque visionis rectum aliquem & distinctũ, ac perpetuum seruare ordinem, vel temporum, vel locorũ, vel rerum gestarum, vel dignitatis negotiorum, vel personarũ: sed frequenter vsurpare anticipationes & recapitulationes, id est priora posteriora ponere, & anteponere posteriora: crebris etiã & subitis vti transitionibus ex vno in aliud vel simile, vel dissimile, & ex figura ad rem figuratam, vel è contrario. Et cùm aliquid fuerit captum dici & declarari, repentè eo prætermisso transire ad aliud: atque illis non perfectè declaratis, rursus ad priora resilire. Hæc autem ordinis commutatio & perturbatio, & non cõtinua rerum tractatio valdè obscurat eorum, quæ dicuntur, sententiam; & legentium turbat atque confundit intelligentiam. Hoc tamen cõsultâ operâ fit in prophetiis; vt sine Dei spiritu, quo illa sunt condita, sint mortalibus impenetrabiles: & ne diuina prophetia, tanquã quid humani ingenij & rationis & prudentiæ inuentum atque institutum putetur.* Nec contentus hoc semel animaduertisse, posteà disp 9. ait *Repetere conuenit prophetiam hanc, siue quæ in ea narrantur visiones, non perpetua ac directa serie, nec iuxta ordinem temporum, & rerũ gerendarũ, conscriptas esse in hoc libro; sed non rarò, quæ posteriora sunt, priùs; & quæ priora, posteriùs tractari. Nec semper, cùm visionis narratio inchoatur, ea continuatur vsque ad finem: sed interrumpitur nonnunquã interiectis aliis rebus satis diuersis: & postea ad visionẽ, quæ inchoata fuerat, tractandam reditur. Frequentes itaque sunt in hoc libro anticipationes, recapitulationes, trãsgressiones, item & regressiones, nec nõ repetitiones earundem rerũ, atque retractationes; quin etiam repentinæ translationes.* Hactenus ille. Atque præter ipsius auctoritatem, quæ magna est; opponit nobis Propheratũ consuetudinem, & rei ipsius conuenientiam: *vt sine Dei spiritu prophetia sint impenetrabiles*, &c. Scio idem nonnullis arrisisse super Canticorum libro; qui addunt dignius sacrosancta Scriptura esse, ordinem contemnere, & animi concepriones nõ quidem nexas & cohærentes, sed dissipatas & dissolutas proferre; vt videre est in Salomonis parabolis.

Digitized by Google

11. *Explodituꝛ hæc opinio.* Ab his, qui ita sentiunt, vt vna ex parte asse- A rant nullum ordinem, aut continuatam seriem in Apocalypsi & Cantico Canticorũ esse quærendam: ex alia verò affirment, in applicatione non oportere, vt omnia ad viuum resecentur; sed satis esse cuiusque figuræ, aut ænigmatis, præcipuas partes applicare; ab his, inquam, obsecto inprimis, vt animaduertant eâdem etiam ratione Ouidij Metamorphosin nostræ fidei mysteriis posse applicari. Etenim, si nullo opus est ordine, neque omnium partium perfecta applicatione; quæ Ouidij fabula reperiatur, quæ non aptè ad aliquod ex nostræ fidei mysteriis accommodetur? Sic Actæonis apologus, qui in ceruum conuersus suis canibus esca fuit; potuit appositè ad Eucharistiæ mysterium aptari. Et idem dico de ceteris ipsius commentis. Cui verò hęc explicandi ratio ita satisfaciet, vt in ea acquiescat intellectus, quasi in germana ænigmatis interpretatione?

Deinde, quòd aiunt, Prophetarum esse morem, nullum ordinem in iis, quæ dicunt, seruare: si singulæ Prophetarum visiones, aut conciones singulæ separatim sumantur; permultæ eiusmodi in eis reperiuntur, in quibus de earum ordine & continuatione, à principio ad finem vsque congruentissima ratio reddi possit. Quod dubitabit nemo, qui strenuam Prophetarum intelligentiæ nauarit operam.

12. *Transitiones, quæ apud Prophetas reperiuntur, ordinatè fiũt.* Tertiò, quamuis sæpe admittenda sit transitio ab historia ad prophetiam: non tamen ita ex abrupto, vt nulla sit habenda præcedentis historiæ ratio; sed potiùs vt aptissima sit vtriusque cõnexio. Sic enim videmus viros spirituales in familiari sermone, sæpe occasione data à corporeis ad spiritualia transire: sic tamen vt nõ tam institutum abrupisse sermonem, quàm per eum ipsum ad altiora conscendisse iudicẽtur. Quare ad plenam intelligentiam spiritualis doctrinæ, ad quam transisse videntur, necesse est animaduertere, quid antea agebatur; vt appareat quàm consentaneè atque decorè, quàm scitè & eleganter posterior sermo sit cum priore connexus. Vnde illud Ioan. 4. n. 33. *Numquid aliquis attulit ei mãducare? Dicit Iesus; Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me.* Ecce transitum; sed in quo nulla ratione debeat negligi contextus. Huiusmodi ergo sunt transitus Prophetarum. Plerisque tamen videntur abrupti; quoniam ignorato contextu non possunt percipere, quàm aptè & cohærenter fiant. De D transitu Prophetarum agit Acosta de Nouissimis temporibus lib. 1. cap. 11. ex Hieronymo, Chrysostomo, Augustino, & Ticonio. Agit etiam Ribera Oseæ 2. §. 34. & 35. vbi adducit Hieronymi locum, & probat nõ fieri transitionem ex abrupto. Agit etiam Hieronymus Prado in Ezechielem. His solùm addo, aliquando suspicionem esse, vbi nullus est transitus, eo nomine prætexi continuationis ignorantiam. Certè vbi verè Prophetæ ab vno sermone in alium transeunt, mira elucet in transitione prudentia atque connexio. Cæterùm quod supradictus Auctor asserit, Scripturam in Prophetarum visionibus referendis, ordinem perturbare atque confundere; postrema anteponere, posponere priora, cœpta amputare, & ad alia absque vllo ordine transire; hoc (inquam) demiror à prudentibus hominibus sacræ Scripturæ tribui. quod, si quis ita loqueretur, illi vitio ab omnibus vertendum foret; atque adeò permixti admodum atque confusi ingenii à ceteris iure optimo haberetur. Ac licet acuta nimis ac subtilia disputaret; ipsius in loquendo perturbationem ordinis, & tumultuariam rerum concisionem, cuncti meritò damnarent. Sunt tamen nonnulla, in quibus nihil refert hoc vel illo ordine dici; atque in his mirum non est, ordinem ab Scriptura cõtemni. At, vbi permagni interest ad earum rerum, quæ dicuntur, intelligentiam, eas ordine proferri; verisimile non *Orde in Prophetarum non diuina* est, in libro adeò sapienter scripto hunc ordinem desiderari. Quod verò additur, eiusmodi *vaticinis* B ordinis obseruationem, humani ingenij & ratiocinationis & prudentiæ inuentum redolere; Respondeo, id potiùs in hominibus distinctè & ordinatè loquentibus diuinæ Sapientiæ imitationem ac vestigium apparere. Quia, *quæ à Deo sunt, ordinata sunt*, Rom. 13. 1. *Sapientia contrarius, sed illi potiùs consentaneus valdè est.*

13. Quartò, negari non debet, quin, si Apocalypsis est quoddam spectaculum ac veluti tragœdia, & Salomonis Canticum est vnicum poëma; cùm vtriusque libri argumentum celsissimum sit; multò congruentius foret, vt nullus eiusmodi saltus, seu transitio in illis esset; optima enim in prophetia transgressio fieri debet ad magis spiritualem, magisque sublimem sermonem. Quòd si omnia altissima sunt; minimè *In Apocalypsi potissimùm ordinem seruari constat.* conueniens est, vt filum præcidatur. Ad hæc, si- C quis est liber, qui nos inuitet & alliciat, vt attẽtè eorum de quibus agit ordinem considere-mus; hic profectò est Apocalypsis. Permultas enim diuisiones facit; multos item septenarios constituit; & septem non ampliùs sigillis designatis, eorum singula per ordinem à primo ad vltimum enumerat. Apponit namque, *Primum, Secundum, Tertium*, &c. Quæ omnia euidenti sunt argumento hunc librum magno ordine & rerum connexione conscribi. Iam in plagis, quis nesciat ordinem similiter ac seriem seruari? ac poni priùs, quæ minùs graues sunt; deinde graviores, & ante tres postremas, illa *Væ, Væ, Væ*, repeti; quæ tribus ipsis plagis respondent. In quibus etiam idem ordo ac gradatio seruatur; ita vt quinta sit seuera; seuerior sexta; septima seuerissima. Similis est ordo in phialis, D & in duodecim fundamẽtis. Etenim nisi Ioannes in eorum ordinata serie ac distributione magnam adhiberet curam; nihil erat, cur diceret, *Fundamentum primum iaspis; Secundum saphirus; Tertium calcedonius*, &c.

14. *Retorquetur aduersariorum argumentum.* Quintò, ad id, quod adiungitur, oportuisse vt omnia permixtim & absq; vllo ordine scriberentur; quò difficiliora essent intellectu, & quò minùs possent intelligi absque eo spiritu, quo fuere conscripta; ad hoc ipse facilè dixerim, multò esse difficilius rerum omnium seriem, & cohærentem ordinem rectè intelligere. Etenim, si hæc nobis mens semel insideat, in Apocalypseos expositione ordinem non esse spectandum; sed satis esse, quamlibet seorsum partem singulari mysterio applicare: eo

ipso

ipso tollitur magna ex parte difficultas. Quod adeò verum est; vt ille ipse, qui priusquam ab Apocalypsi ordinem tolleret, tantopere eius difficultatem expenderat; addat posteà duabus illis regulis, nempe (de non seruando ordine, deque non omnibus ad viuum resecandis) applicationem non ita esse difficilem, vt nonnulli opinantur. Hæc ille docet; & quidem satis verè, si regulæ illæ nõ Lesbiæ essent. Ordinis enim seruandi, & omnia quadrandi obligatione sublata, non video quid difficultatis supersit.

15. *Ordinis perturbatio, ad ignoratæ explicationis solatium inuenta.*

Sextò, prædictæ regulæ, vt verum fatear, documenta non sunt, quæ nos ad veram interpretationem ducant; sed euasiones potiùs, quibus solatium sibi quærant ij, qui Apocalypseos filum & perfectam applicationem assequi non possunt. Nam ipsimet, qui has nobis regulas præscribunt, multò pluris suam explicationem A ducerent, nec immeritò; si in ea totius contextus filum ex ordine duceretur: & applicatio ita esset omni ex parte perfecta, vt nihil omitteret. Quis hoc neget? Si ergo interpretatio aliqua proditet, quæ ipsorum etiam iudicio nobilius argumentum contineret, neque vmquã filum abrumperet; & applicatio vndique esset aptior, quàm ea, quam ipsi excogitauerant; nec particulam vllam præteriret: fatendum esset omnibus, expositiones eas, quæ nullum seruabant ordinem, nec omnia perfectè quadrabant, minimè esse veras atque germanas. Nec enim fieri potest, vt fili continuatio, & perfecta partium omnium applicatio reperiatur, vbi minimè ea fuerant ab auctore intenta. Si verò intenta, sed hactenus reperta non fuerant; certè veræ interpretationis inquisitio non consistit in declinãda difficultate, sed in eam superandi conatu.

NOTATIO DECIMA.

De egregio fructu ex filo aptè deducto à principio vsque ad finem libri. Vbi per occasionem de ænigmatis explicandi ratione.

1. *Fructus ex continuata serie perceptus.*

SI vniuscuiusque symboli applicatio ad eam B partem, quæ illi respondet, non esset apta, modicus sanè fructus ex continuato Apocalypseos filo posset percipi, vt superiori notatione dixi. Verùm si singularum partium accommodatio ita aptè & concinnè quadraret, vt sapiẽtum iudicio, in quouis symbolo seorsum desumpto ad illam cui deseruit, significationem peræqua proportio reperiretur, & excellenti digna ingenio: tunc verò ingens proculdubiò vtilitas proueniret ex totius libri ad Ecclesiæ successus per ordinem applicatione. Quod nõ ideò dictum velim, vt eiusmodi perfectione aliquid meæ applicationi arrogem; sed vt probẽ C in magno pretio habendam expositionem illam, quæ omnia Apocalypseos symbola, eâ ratione per ordinem applicaret. Hinc enim duo inprimis emolumenta maxima sequerentur.

2. *Ingens ex diuini ænigmatis solutione solatium.*

Primum esset, maximum fidelium solatium, & summa animorum voluptas ex manifesta pulcherrimi ænigmatis intelligentia; in qua mens omnino conquiescat. In ænigmatis enim, quo maior erat obscuritas & difficultas ante inuentam solutionem; eo maior solet esse claritas atque iucunditas post diuinatum mysterium, quod latebat; & post agnitam velaminis proportionem pulcherrimam. Quod cùm ita sit; quanta & quàm ingens voluptas caperetur ex superata difficultate eius præsertim libri, omnium quotquot vmquam fuere, difficillimi; atque ita superata, vt legi iam atque intelligi magna cum facilitate ac voluptate possit? Facilitas in eo sita est, quòd ex ænigmatis explicatione tollitur ipsius omnis difficultas. Siqua enim adhuc residet, nondum censetur ænigma explicatum; nondum integra applicationis serie ostensa. Postquàm verò superata est omnis difficultas, tunc ingens voluptas percipiatur necesse est; tum ex veritatis reconditæ euidentia, tum ex contemplatione mirificæ D symbolorum ad res significatas proportionis.

3. *Obiectio.*

Dicat aliquis, fieri non posse, vt tanta inde nobis oboriatur claritas. Licèt enim omnia symbola congruenter ad interpretis mentem applicentur, singulorum tamen applicatio euidens esse non potest; sed ad summum probabilis & verisimilis. Atqui probabilitas, vel coniectura non affert animo eam perspicuitatem & voluptatem. Respondeo tamen, in ænigmatum explicatione quiddã singulare satis contingere; ex probabili enim & cohærenti singularum partium declaratione coalescit totius ænigmatis euidentia: quod multò aliter in argumentationibus solet euenire, in quibus conclusio debiliorem antecedentis propositionis partem consequitur; ita vt siqua ex præmissis probabilitatis limites non excedebat, ex vtrâque probabilitas tantùm in conclusionem deriuetur. At in ænigmatis exponendis diuersâ longè ratione fit. Ex iis enim, quæ non vt clara ac certa, sed vt probabilia tantùm statuimus, ad summam claritatem, & euidentem totius ænigmatis solutionem progredimur; vbi omnia quadrat applicatio, & partium omnium cohærentia mirabilem efficit concentum. Nec obstat, interpretem interdum per singularũ partium applicationem dubium incertumque ferri; & quędam nondum satis certa assumere, donec perspicuam totius ænigmatis solutionem cernat. Qua in re idem omnino cõtingit, quod in arcanis notis, (*cifras* vocant,) quibus nonnulli vtuntur, explicandis solet euenire. Proponitur enim mihi ob oculos epistola nouis quibusdam & inusitatis characteribus scripta; quos pro suo libito finxit scriptor, & in singularum literarum locũ, eas supposuit figuras, quas ipse excogitauit, inuersis ac permutatis pro voluntate litteris. Huiusmodi ego epistolę vt characteres internoscere, ac sensum valeam percipere; nec possum, nec debeo ex compertis

Responsio.

Ænigmatis solutio ex apta omnium partium applicatione euidenter constat.

Idem apposita satis similitudine probatur.

&

& exploratis ad planam epistolæ notionē procedere; sed ea tantùm assumere, quibus ad faciendam coniecturam niti possim; obseruatisq; iis præceptis, quæ norunt interpretandi magistri, ex ipsius epistolæ characteribus varia ac multiplicia cōfingo alphabeta. Et suppono, v.g. litteram M, pro A. literā Q. pro L. & sic in aliis: & incertùs adhuc ad epistolæ lectionem aggredior; donec post multiplicem litterarū, seu characterum commutationē, illud tādem inuenio alphabetum, quo verba possint efformari, sententiæ ex verbo cōponi, sensus integer ex sententiis coalescere, & tota demū epistola aptissima consequentia perlegi. Tunc qui priùs anceps ac lubricus in coniectando processeram; ex sola partium singularum probabilitate in eam repentè euidentiam erumpo, vt scriptoris mentem ab vllo dubitationis vestigio optimè percalleam. Ita vt, si iuxta meam legendi rationem epistola hæreticas assertiones contineat; dubitare non possim, quin eas scriptor notis eiusmodi mandare voluerit.

4. Idem omnino in ænigmatum expositione inuenio, in qua dum explicandi præcepta seruantur ad amussim; nec aliquid violenter, sed debita cum proportione applicatur; minimè ab interprete requirendum est, vt quod ad enodationem priùs assumit, planum sit & exploratū (id quod in Philosophorum argumētis iure requirimus;) sed illud solùm, ne quid ineptū aut minùs probabile præstituat. Quòd si hac via ad omnium ænigmatis partium idoneam & cohærentem expositionem perueniat, ac sensum integrum, & omnia perfectè quadrātem assequatur; in quo partes omnes cohæreant, & ad argumenti vnitatem coalescant; tunc verò manifestè videt, se scopum collimasse, neque vllus ea de re dubitationis scrupulus sibi remanet. Atque perspicuitas illa, quæ ex congruenti partium omnium inter se colligatarum cohærētia consurgit; eam omnem dubitationem tollit, quæ priùs in singulis partibus inerat. Atque in iis præsertim tollitur dubitatio, quæ si aliter exponatur, ænigmatis enodatio non cohæret. In eis enim sublata omni formidine, certò & euidenter agnoscit interpres, sic esse interpretandū; sicut antea explicari posse cōiectabat. In aliis verò nonnullis, quorum variæ interpretationes totius ænigmatis sensum, siue totius libri filum non immutant; non mirum est, post enodatum ænigma manere adhuc dubitatiunculas aliquas, & facultatem aliter atque aliter interpretandi in minoris momenti particulis. Itaque in ænigmatis expositione non per modum argumentationis procedendum est; sed curandum vt omnia congruenter aptentur; quod vbi fit, videas extemplò dubitationem in euidentiam commutari. Atque vt euincatur in singulis partibus auctoris mentem ac sensum fuisse diuinatum; optima probatio est, omnia hoc pacto perfectè quadrari, & inter se compacta in pulchram structuram coalescere. Quemadmodum & in notarum interpretatione (de qua suprà) nulla priùs certa cognitio fuerat cuiusque singulatim litteræ, verbi gratia, M. aut L. donec manifestus verborum & sententiarum decursus id planum facit. Et tunc euidens est pro M. fuisse suppositum characterem illum, qui ipsius figuram nullatenus referebat.

Ex hisce omnibus elicitur, quo pacto intelligendum sit commune illud Theologorum axioma ex Dionysio desumptum, epistola 9. ad Titum, *theologiam* nempe *symbolicā non esse argumentatiuam*. Quoniam in symbolorum explicatione proceditur ab obscuris ad clara: in argumentis contrà, à clarioribus ad minùs clara. Quod non obstat quo minùs auctoris mentem clarè & euidenter possimus in ænigmatis agnoscere. Tunc autem apta & cohærens partium omnium accommodatio ita efficaciter intellectum illustrat, vt ei prorsus satisfaciat, & amatores veritatis summa afficiat voluptate. 5. *Theologiam symbolicam non esse argumentatiuam, quo pacto intelligendum.*

B Id vt ampliùs explicetur, considerandum est quotidianum in ænigmatis exponendis experimentum. Etenim, siquis mihi offerat ænigma, in quo videam solem inter alia depictum: ad eius explicationem nō mihi licet solem ad violentam significationem symbolicam detorquere; ceterùm inter eas, quas aptas atque probabiles esse constat, eam licet seligere, quæ magis arrideat; possum nempe illum ad Christum applicare, ad rationem, ad sapientiam, ad regē, &c. Quòd si cum ea, quam assumo significatione cetera omnia æquè probabiliter cohærent, & partes omnes inter se venustè consentiunt; nulla mihi tunc supereſt dubitatio, quin ænigma manifestè explicauerim, & veram ac germanam ipsius expositionem attigerim. Nec solùm hac claritate fruitur interpres; sed ceteri etiam qui C interpretationem audierint, licet mediocri ingenio sint, modò ad rerum huiusmodi cognitionem idoneo. Si enim illi audientes interpretationem, non sibi persuadēt interpretem collimasse; non in illos culpa, sed in ipsum interpretem conferenda est. Compertum namque est, veram ænigmatis explicationem omnibus communiter satisfacere: atque adeò nondum explicauit is, in cuius explicatione ceteri non acquiescunt. Cùm igitur Apocalypsis ad vnicum ænigma ex pluribus contextum reducatur; certum debet esse, explicationem, in qua proposita audientium mentes non conquiescant, minimè esse veram ipsius enodationem. 6. *Ænigmatis soluendi ratio exemplo declaratur.*

In ænigmatibus propheticis manifestum est interpretationem illam, quæ omnino ordinatim quadrat (ita vt euentus ipsi per ordinē vaD ricinij partibus aptè applicatis respōdeant) perspicuè ostendere, & eum esse germanum ænigmatis sensum, & ænigmata ipsa esse in magno pretio habenda, vt verè prophetica. Contrà autem, si euentuum series symbolorum ordini nō congruat, aut prophetia ipsa ludibrio erit, si de eius possit auctoritate dubitari; aut saltem constabit, nondum esse ænigmatis mysterium diuinatum. Huic rei exemplum aptum afferri potest, liber siue prophetia de summis Pontificibus, qui Abbati Ioachimo tribuitur; in quo si perspicuè constaret, ipsius symbola siue ænigmata Pontificibus eodem ordine, quo alij aliis succedunt, conuenire; ita vt triginta symbola totidem Pontificibus per ordinem quadrare cernerentur; planum inde fieret, illius libri 7. *Quæ ænigmatū prophetic orum ratio sit.*

scri-

scriptorem fuisse Prophetam, librumq; ipsum summa religione suscipiendum. Enimuerò, si inter applicandum magna ordinis apparet perturbatio; prudentissimus quisque facilè iudicabit, librum illum nugatorium planè esse; ex eo tamen, quòd symbolum aliquod singulari alicui Pontifici videatur posse applicari, & alterum alteri (vel si plura pluribus conueniant, nõ tamen ordinatim, sed ordine potiùs peruerso atque confuso) nullum elicitur argumentum, vt ipsius scriptorem Prophetam fuisse credamus. Vbi enim peruertẽdi ordinem assumitur licentia; per ipsam ænigmatum obscuritatem atque varietatem licet, vt hoc vel illud ænigma, (etsi omnia ficta sint & commẽtitia) certo cuidam Pontifici applicari posse videatur. Quemadmodum humaniorum litterarum studiosi, quamcumque ad rem, (quam velint vel laudare, vel vituperare) multa & varia ex antiquis arcanis & Poëtarum fabulis præsertim solent eruere, quæ illi facilè accommodent; cùm tamẽ nullus in animum inducat, propriam eiusmodi fabularum significationem fuisse illam, cui denuo ab studiosis aptantur. Si ergo ex Poëtarum fabellis nonnulla per speciem afferri potuerũt ad singulare aliquod euentum ornandũ; quid mirum si ad eiusdem significationem symbolicam aliquid ex Apocalypsi trahatur; licet à sacri Scriptoris mente valdè abhorrens: præsertim cùm tanta sit in eo libro symbolorum & ænigmatum varietas? Præterquàm quòd eo faciliùs possunt eiusmodi ænigmata ad varios sensus detorqueri, siue vtrumque applicari, quo obscuriora sunt ac difficiliora. Hanc ob rem Astrologi iudiciarij, ne ita facilè mendaces deprehendantur, obscurè admodum de futuris enunciant. Atque idem prorsus in eo libro de Pontificum prophetiis supradicto contingit; cui cùm tantæ sint obscuritatis tenebræ offusæ, facile est aliquod ex ijs ænigmatis, seu delirijs potiùs, ad Sixtum V. aut ad Gregorium XIII. aut alium quemuis accommodare.

A

B

C

8. Ceterùm sapientes iure librum illũ irrident; quòd ea contineat vaticinia, quæ Pontificibus per ordinem minimè possint aptari. Si tamen aptari perfectè & ordinatè possent, difficultas illa tandem vinceretur; liberque ipse summa apud omnes esset veneratione. Ex quo infero, tãti momenti esse, totã Apocalypsin ad Theologicam Ecclesiæ historiam per ordinẽ applicare; vt illi ipsi, qui olim de libri huius auctoritate dubitarunt, siquam fortè aptam & congruentem Apocalypseos applicationem ad id, quod proposui argumentum, siue acoluthiam reperirent; hoc idem eos peruinceret, & hanc esse Spiritus sancti prophetiam, & omni veneratione dignissimam fateri cogerentur. Cùm hoc argumentum nobilissimam Ecclesiæ prophetiam contineat. Symbolorum autem series manifestè quadrata cum historiæ veritate (cùm librum ante Ecclesiæ de Roma triumphum fuisse scriptum, constet,) dubios confirmaret omnino; nec ampliùs de eius auctoritate dubitare permitteret.

Ioachimi liber vaticinium de Summis Pontificibus continẽs ineptias à sapientibus explodi.

9. Quid igitur aut fidelium consolationi maius, aut Apocalypseos auctoritati magnificentius excogitari posset; quàm id quod exordinata & conuenienti eius libri ad prædictum argumentum applicatione proueniret? Siquidem hoc fuisset satis, vt liber hic summæ esset apud omnes existimationis, & diuini numinis afflatu crederetur scriptus; etiamsi non antea ab Ecclesia id fuisset decretũ, nec de eius scriptore constitisset. Quid insuper maiori æstimatione dignius esset, quàm si illud ænigma, in quo tot graues auctores, siue eius auctoritatem derogando, siue fabulosè interpretãdo, offenderant; manifestè constaret, ideo fuisse, aut reiectum, aut ad eiusmodi commenta detortum, quòd minimè fuissent ipsius sensum assecuti: & eam germanam interpretationem omnia quadrantem, quam Romanæ Ecclesiæ filij, & præsertim Theologi optare maximè potuissent? Et hactenus de primo ordinatæ explicationis emolumento. Alterum notatione sequenti subliciam.

NOTATIO VNDECIMA.

De Hæreticorum confutatione ex eodem filo aptè deducto.

1. Ex ordinata & cõsequẽti Apocalypseos interpretatione validum ad confutandos hæreticos argumentũ sumitur.

DIxi de fidelium solatio. Addo nunc, ex eadem apta & ordinata interpretatione validam Hæreticorum, & præsertim Caluinistarum confutationem peti posse. Scio hoc nouum multis atque adeò paradoxum visum iri. Primò enim cõmunibus est infixa sensibus illa ex Dionysio sententia, *Theologia symbolica non est argumentatiua.* Deinde, vbi symbolis vti volumus, ad eam rem comprobandã, de qua disceptatur; nulla alia in re niti posse videmur, nisi in apta symboli ipsius applicatione: quę quantumuis apta sit, responsio in promptu est, eiusmodi nempe applicationem concinnam sanè esse & elegantem, malè tamen locatam; cùm ad rem falsam aptatur symbolum, quod sæpe vsu venit. Et quemadmodum Catholici Caluinistas iure optimo irridemus, qui maris belluã, cap. 13. aut Gogi laruã ex cap. 20. Romano Pontifici impingunt; & Ecclesiæ Romanæ figuram Babylonis idolorum cultum suadentis cap. 17. imponant: sic etiam eam Catholicorum expositionem videntur illi posse illudere, quę locustas, cap. 7. ad eos referat. Et communiter loquendo ænigmatis declarationem præcedit rei ipsius cognitio, ad quam applicatur. atque ita ænigma non affert eius rei cognitionem; sed veritati præcognitæ velum obscuritatis obducit. Quare cùm de rei alicuius veritate controuersia est; nihil videtur conferre posse ænigmaticum velum.

2. Nihilominus absque dubio, maximo foret Hæreticis, & præsertim Caluinistis, dedecori & probro, (vtinam & pudori) ea totius Apocalypseos explicatio, quæ nostro argumento vniuersum

uersum contextum cum debita ænigmatum proportione cohærere, planum faceret atque perspicuum. Nec enim illud effugium quærere possunt, hunc librum à Papistis (sic illi nos appellant) in nostrorum dogmatum confirmationem, & Romanæ Ecclesiæ auctoritatem fuisse confictum; quandoquidem libri antiquitatem probè norunt; nec nouum esse figmentum, sed vetustissimam prophetiam, & permagno pretio ab ipsis Caluinistis æstimatam; quò in Romanam Ecclesiam (perperam explicando) conuicia & maledicta congerant. Et quamuis eorum nonnulli commentarios in Apocalypsin ediderint gloriosè exordientes à titulis magnificis, quibus promittũt *methodos facillimas ad explicationem Apocalypseos ex ipso libro desumptas, methodicas analyses, claues nouas propheticas eiusdem libri*, & sexcenta huiusmodi: sed cùm apud eos nihil ita vulgare sit, quàm militem glorioſum imitari, ac montes (quod aiunt) aureos polliceri: eò tandẽ tota hæc tendit iactãtia, quod expressit Horatius: *Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus*. Nec enim aliud suis cõmentariis præstant, quã summi Pontificis auctoritatẽ, musculorũ instar, arrodere, idque ridiculè. Dubiũ autẽ non est, eos, qui aliquid ingenij nacti sunt apud illos, manifestè agnoscere, Apocalypsin se prorsus non intelligere, nec posse vllã probabilẽ ducti filirationẽ reddere. Atqui, (vt iam superiùs ostendimus) oportebat ænigmatis interpretẽ perspicuã ipsius declarationẽ reddere, ita vt audientibus siue legentibus satisfaciat: quod sine totius cohærentiæ applicatione fieri minimè potest. Ad eam tamẽ euidentiã opus est, vt omnia ab initio ad finẽ vsque per ordinem applicentur; omnia quadrent, & singularum partium applicatio ostendat symbola eodem quo exponũtur modo, eiusmodi habere proportionẽ, quæ in optimis ænigmatis requiritur; vt ingeniosus quisque ea se condidisse, nõ solùm nõ erubescat, sed etiam meritò gaudeat. At horum ostentatorum explicationes eæ sunt, quæ ipsorum inscitiam & ingeniorum tarditatem non obscurè præ se ferãt. Quandoquidem ridiculas explicationes, & violenter detortas, pro veris ac seriis venditant. Sed hanc fortasse ignominiam ea solùm ex parte subterfugiunt, quòd nullus eis fidẽ habeat; atque adeò nõ ita rudes & hebetes reputantur, ac reputarentur, si quas ederunt Apocalypseos interpretationes, ipsismet interpretibus probatũ iri crederetur. Hisce tamen glorioſis titulorum pollicitationibus, eam saltem consequentur gloriã, vt mendaces & irrisores, ac gloriolæ inanis captatores ab omnibus habeantur. Ceterùm quæ vana sunt, futilia & commentitia, facilè, ceu fumus, euanescunt; nec fieri vmquam potest vt verum ac solidum honorem sibi quispiã possit cõparare ex violenta ac ridicula planè interpretatione; in qua quicũque aliquo sit ingenio, perspicuè cernat, nullã esse solidi aut expressi vmbram, nedum veritatẽ; in qua possit intellectus conquiescere, & ænigmatis difficultatem superatam cernere.

Arrogantes Hæreticorũ inscriptiones.

Superbi Hæreticorum tituli ipsorũ inscitiam retegunt.

3. Præcipuũ ergo discrimẽ inter Rom. Ecclesiæ filios, & inter ipsius hostes, nẽpe Hæreticos, hoc est; quòd illi Rom. Pontificem, vt Christi vicarium in terris, & Róm. Ecclesiam, vt ceterarum omnium caput agnoscũt ac venerantur: isti verò tam Pontificem, quàm Ecclesiam Romanã reiiciunt ac detestantur. Licèt autem Caluinistæ summa vi nitãtur Romæ ac Pontifici summo bellũ hoc libro indicere; quicumq; tamen ex eis aliqua fuerit ingenij perspicacitate, qua possit interpretationis consequentiã attẽdere, & expositionẽ omnia quadrantẽ aptare, facilè aspiciet bellum huiusmodi nõ vanũ esse solũ & inane, sed omni etiã irrisione dignũ: nihil enim connectunt, & *nec caput*, (quod aiunt) *nec pedes*.

Discrimen inter Catholicos & Hæreticos in Apocalypseos interpretatione.

Dum de aliis controuersiis disceptatur, è tãta huiusce libri obscuritate aliqui adhuc clarissimi doctrinæ radij emergunt, ad Hæreticorum nebulas dissiciendas; vt consultiùs fortasse, vel fraudulentiùs potiùs se gessisse videãtur Lutherani, qui libri huius auctoritatem abnegarint; quòd ab eo nihil sibi in nos præsidij, sed multum nobis roboris ac virium in eos, desumi posse viderent; vt in iis præsertim, quæ bonorum operũ necessitatem ad salutem spectant. At in controuersia de Ecclesiæ Romanę auctoritate, libri obscuritas ac difficultas securos Caluinistas suo iudicio reddebat, ne bellum sibi à Catholicis ex hoc libro inferendum extimescerent. Quinimò illi potiùs in nos iacula hinc petita immittere audebãt, & nos Apocalypseos ænigmatis deterrere. In hoc ergo congressu si planè constaret Apocalypseos filum esse idem omnino, quod ipse in mea acoluthia texui; tunc verò quid posset grauius & Romanæ Ecclesiæ auctoritati præstabilius, quid aduersus Caluinistas acrius ac validius reperiri?

4. *Lutherani Apocalypsi auctoritatẽ derogant.*

Ab hac formidine longè absunt Sectarij, existimantes accidere id nusquam posse; nec timendum vmquam putant, vt cælum ruat: atque adeò stultum planè esse, quemquã sibi tot ac tanta polliceri. His ego dixerim, me non esse eiusmodi, qui hęc tam prędara mihi assumam, & ea me præstiturum ausim affirmare: non inficiari tamen, me id maximè cupere atque conari. Nunc verò hypotheticè, siue conditionaliter loquor; nempe, si illud planè constaret, constiturum etiam similiter de Caluinistarum stultitia. Quod vtrũque vt liqueat, nihil aliud opus est, quàm vt omnia huius libri ænigmata ordinatim & aptè ad argumenti seriem applicentur. Adulterinum namque filũ perduci ad extremum nõ potest; sed facilè abrumpitur, & in media deficit textura. Atq; in hac inter Catholicos & Hæreticos disceptatione, dum alii Rom. Ecclesię atq; Pontificis maiestatẽ propugnant, alii oppugnant, si omnibus planũ fieret, Hæreticos nõ potuisse, neque posse totius libri ænigmata consequenti ordine aptare, Catholicos verò id egregiè prędtitisse; quid ad hæc possent Hæretici opponere? Nónne ipsi hanc esse ænigmaticã Ecclesiæ prophetiã fatentur? Quî igitur potest in æternam Dei veritatem ac sapientiã cadere, vt symbolicũ vaticinium diuinitus exaratum commentitiæ doctrinæ aptè & ordinatè cõueniat? Si verò interpretatio omnia concinnè quadrasset; stultũ esset adhuc cõtendere, eã rei propositæ non esse aptã atque quadratã. Huius enim, (vt ita dicã) circuli quadratura

5.

tura in manifesta proportione consistit. Quare A postquam applicatio omnia prorsus quadrauit; non potest intellectus asserere, nondum aptè conuenire explicationē. Quemadmodū enim si hæreticus nunc ingeniosa conderet ænigmata, quæ Caluini dogmata significarent, vbi idonea eorum applicatio cerneretur; minimè negare possent Catholici, quin illa ad eiusmodi significationem idoneè cohærerēt, & integrè atque ordinatim ad Caluini hæresim accommodarentur; ita etiam si apposita vniuersæ Apocalypseos interpretatio, & Catholicorum doctrinæ apprime cōgruens inueniretur; illud saltem Caluinistæ concoquere minimè possent, qua B nimirum ratione fieri potuisset, vt Apocalypsis, (quam illi aduersus Romani Pontificis auctoritatem fuisse conscriptā ineptè gloriabantur) adeò appositè esset explicata è Pontificiæ auctoritatis, & Rom. Ecclesiæ re: vt ipsi etiam negare non possent, nihil congruentius ad Pontificis ipsius gloriam & Ecclesiæ splendorē scribi aut effingi potuisse. Quòd si hanc metam mea expositio non attigerit; spero tamen, quæ summa est Dei prouidentia, Caluinistas in hoc retè tandem aliquando induendos, Deo ipso opem atque præsidium Ecclesiæ præstante; vt explicata Apocalypseos obscuritate, Hæretici manifesti erroris conuicti, & summo dedecore affecti obmutescere cogantur.

6. *Responsio ad superiùs obiecta.* Iam vt ad obiectiones initio propositas respondeamus. Ad Primam ex Dionysij sententia Respondeo, vnumquodque seorsum symbolum, quantūuis eleganter applicetur, nihil quidem probare; si verò omnia alicuius libri symbola egregiè & ordinatè alicui significationi conueniant; tunc argumentum inde satis efficax ad eam stabiliendam significationem desumi: vt epistolæ exemplo notis incognitis ac nouis characteribus scriptæ, superiori notatione ostendimus.

Ad Secundam similiter Respondetur. admissa enim semel epistolæ cuiuspiam nouis notis scriptæ auctoritate, postquam vniuersa fuerit perlecta; necesse est, quidquid in ea fuit lectum, eandem eum epistola auctoritatem habere communem. Idem igitur esset dicendum de huius libri interpretatione; si eiusmodi esset, quæ singulas eius partes idoneè & cohærenter applicaret. Cùm enim ipsius libri auctoritas (ab Hæreticis etiam) vt diuina recepta sit; quantumuis tergiuersando cauillentur, negare tamē non possunt; quin, si illius explicatio apta sit & ordinatè cohærens, ab omnibus sit vt vera atq; germana accipienda. Quod verò additur Hæreticorū explicationes à nobis irrideri; Respondeo, id nos iure agere: eorum namque interpretationes contra Romanam Ecclesiam nō solū non cohærent cum totius libri serie; sed violēt; etiam sunt, & planè ridiculæ. Neque valdè mirarer, si nostras explicationes, quæ non solidiori, quàm suæ niterentur fundamento, illi etiam ludibrio haberent. De his tamen mihi non est sermo; sed de illis duntaxat, quæ omnia pertommodè quadrarent, vt satis exposui.

Ad id demum, quod subditur, inutile prorsus videri ænigmatis inuolucrum, quando de C rei ipsius veritate disceptatur; Respondeo, id solùm tenere, dum totius libri series non est congruenter applicata. Cererùm vbi hoc manifestè fuerit præstitum, obscuritas ipsa ac difficultas in euidentiam commutantur. Id quod manifestè patet in notarum (de quibus suprà diximus) interpretatione: quibus licèt epistolarum sententias obducere atq; obtegere voluerit scriptor; at vbi variè coniectando aliquod tādem alphabetum deprehenditur, quo series epistolarum legi possit; idem notarum integumentum retegit lucem obiectam, qua totius epistolæ sensus palàm fiat; ita vt de intentione scribentis non possit dubitari.

NOTATIO DVODECIMA.

Confirmatio tertia nostri argumenti ab obseruatis tum indicijs ad explicationem datis à Ioanne ipso, tum etiam antiquorum Patrum vestigijs.

1. *Confirmatio nostri argumenti ab indicijs à Ioanne Apostolo obseruatis.* IN perfrigidis & horrētibus natura locis, vbi D multa nix per hiemem de cælo decidit, ingens esse solet viatoribus in montium traiectu, & accliuium locorum angustijs superandis difficultas: viæ enim altissima niue obductę, atque adeò obstructæ, dubia & incerta gradientium vestigia, passim fallunt. Quare viatores frequēter, aut præcipites in procliue agi, & in niuē penè toti demergi, aut viæ ignoratione decepti in varia ac diuersa ferri solēt. Tanto huic malo vt opportunè subueniatur, in vijs ipsis, quæ solent frequentiùs hirsuta niue tegi, columnæ aliquot extantes & eminentes, idoneis in locis ita aptè dispositæ collocantur; vt cæcos viarum exitus, & anfractus ancipites viatoribus tanquam indices ac duces præmonstrent. Interdum tamen tanta niuium ingruit vis & copia, vt columnæ ipsæ immersæ penitus vix appareant. Multa obscuritatis & difficultatis veluti nix, qua angustæ aut flexuosæ Apocalypseos viæ, & præruptæ, ænigmatum diuerticula sunt obsita, scitissimum quemq; & Scripturæ viarum peritissimū fallerent; nisi diuino consilio fuisset factum, vt duo potissimùm præsidia, & viarum adiumenta, aliqua saltem ex parte itineris difficultatem eleuarent, & spem injicerent viatoribus progrediendi longiùs, & in vlteriorem partem traijciendi. Alterum est, viæ ipsius signa prospicere, ac veluti extantia columnarum capita, quæ principis iussu sunt difficilioribus in locis erectæ. Alterum eorum vestigia, qui viæ non ignari tantum susceperē iter. Hæc certè duo me in tā ta Apocalypseos difficultate solantur. Video enim me nusquam recedere à signis seu colum-

Alcasar in Apocal.

C nis,

Digitized by Google

nis, quas Ioannes certis locorum spatiis per totam Apocalypsin diuino instinctu defixit. In quibus symbolorum aliquot significationem expressis verbis asserendo, columnas totidem in difficilioribus viæ angustiis erexit. Video insuper me antiquissimorum Patrum vestigiis insistere, quos laboriosæ huius viæ intelligẽtiam minimè latuisse putandum est: quippe qui Ioannis discipulorum explicationem, quam à magistro ipsi acceptam suis posteris quasi iure hereditario tradiderunt, studiosè ac diligenter conseruarunt.

2. *Qua Ioãnes indicia ad Apocalypseos interpretationem conducentia reliquerit.*

Quod ergo ad Ioannis signa, siue columnas attinet; huc spectant illæ symbolorum expositiones, quas per contextum dispersas legimus. In his sunt stellæ septem, & totidem candelabra, cap. 1.20. *Septem stellæ, Angeli sunt septem Ecclesiarum; & candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt.* Item, *Lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei*, cap. 4.5. Item, thymiamata, siue *odoramenta, quæ sunt orationes Sanctorum*, cap. 5.8. Item, *ciuitas magna, qua vocatur spiritualiter Sodoma, & Aegyptus; vbi & Dominus eorum crucifixus est*, cap. 11.8. Item *Draco, qui vocatur diabolus, & satanas, qui seducit vniuersum orbem*, c. 12. 9. Item, *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt*, cap. 14.4. Item, *Septem capita septẽ montes sunt, super quos mulier sedet*, cap. 17.9. & ibidem num. 15. *Aquæ, quas vidisti, populi sunt & gentes, & linguæ.* & num. 18. *Babylon*, seu *mulier quam vidisti, est ciuitas magna, quæ habet regnum super reges terræ.* Item, *Byssinum, iustificationes sunt Sanctorum*, cap. 19.8. Item, *Stagnum ignis est mors secunda*, c. 20.14.

3. *Duplex in Apocalypsi ciuitas Ecclesia bellum indicẽs, sunt Hierosolyma & antiqua Roma.*

Inter tot tamque præclara signa, duo illa sunt vel maximè notanda, quæ de duplici ciuitate tradit; quarum vtraque Christianæ Ecclesiæ indicit bellum. Cogit enim nos Ioannes, vt ciuitatem primam intelligamus esse perfidam Hierosolymam, alterã verò antiquam Romam ethnicam. Etenim quid expressiùs de prima dici posset, quàm Dominum fuisse in illa crucifixum? & de secunda, quid clariùs, quàm eam esse ciuitatem magnam super septem montes sedentem, ac regibus terræ dominantem? Itaque Sodoma & Ægyptus in Apocalypsi antiquam Hierosolymam perfidam clarè indicant; Babylonis nomine Roma significatur; (quo etiam nomine illam compellat Petrus epist. 1. fine.) Deinde contextus ipse persuadet, septem tubarum plagas esse eas, quas Deus in rebellem Hierosolymam immisit; plagas verò phialarum esse, quibus Christus Romę ethnicæ bellum intulit. Euidens namque est septem tubarum bellum vnicum esse, & in septem partes diuisum aduersus eosdem hostes continuari, (quemadmodum septem illæ buccinæ Iosue 6. totidemque circuitus eidem vrbi Iericho minabantur.) In sexta autem tuba, vbi manifestè de illa ipsa vrbe sermo est, in qua Dominus fuerat crucifixus, dicitur, *Decima pars ciuitatis cecidit.* Itaque certum omnino est, omnes illas tubarum plagas in Iudæorum gentem fuisse immissas, quæ cum Christiana Ecclesia bellum gerebat. Atque huius belli exitus fuit decimam partem ciuitatis cadere, & à perfida Hierosolyma Deum (in septima tuba) arcam testamenti auferre, & Iudæos ipsos horribili grandinis procella percutere. Lege cap. 8. & 9. & 11. Hoc autem finito bello Christiana Ecclesia in desertum protinus aduolat, initio cap. 12. Quis verò dubitet, volatum eiusmodi in desertum nihil esse aliud; quã Ecclesiam derelicto iudaismo ad gentilitatem se recipere? Gentilitas enim sæpiùs apud Prophetas deserti nomine indicatur. Vt igitur in Iudæorum bello princeps eorũ ciuitas fuit designata, quæ Christi Ecclesiam acerrimo bello exagitabat, (ea scilicet vrbs, in qua Christus crucifixus est:) ita etiam in Gentilium bello aduersus Ecclesiam suscepto præcipuum belli caput ac robur, Romam ethnicam, & ipsius potentiam esse denotatur. Nec minùs compertum est, quemadmodum tubarum bellum vnum fuit tantùm, licèt in septem puncta partitum; ita similiter phialarum bellum esse idem omnino, non plura; & totidem in puncta seu partes secari. Quare septem phialæ aduersus eandem vrbem effunduntur, quæ proculdubiò Roma ethnica erat, licèt Babylonis nomine appelletur. Septima igitur plaga ingentem illam affert vrbi ruinam, qua superba Babylon in tres partes diuiditur. Quam diuisionem deinde mirabilis illa exustio consequitur, cuius fumus durat in sæcula sæculorum. Ex quo fumo manifestè elicitur, de mystico hîc incendio agi. Qui enim posset aliter fumus ille in sæcula sæculorũ permanere? Nec minùs certum est, decimæ partis prioris ciuitatis ruinam similiter fuisse mysticam; in qua decima Iudaicæ Gentis pars Christo faces submisit, ad illius fidem conuersa, iuxta Isaiæ vaticinium, cap. 6.13.

Mulieris volatus in desertum cap. 12. quid significet.

Septem tubarum bellum vnicum esse, non plura.

4. *Duplex in Apocalypsi bellum, alterum ad cap. 11. cum Synagoga, alterum deinceps cum gentilitate.*

His leuiter perstrictis (postea enim suis locis singula sunt singillatim enucleanda) facilè intelligitur, totius Apocalypseos seriem; expressam Ioannis de vtraq; ciuitate declarationem; Ecclesiæ de eisdem ciuitatibus victoriam reportantis, & postea mille annorum pace fruentis descriptionem; hæc, inquam, omnia manifestè conuincere, à cap. 5. ad finem vndecimi, agi de Ecclesiæ bello cum Synagoga, & à cap. 12. ad 19. de bello cum gentilitate. Atque ab his præfixis punctis discedere, idem planè esse existimo, ac nullam ducere rationem de erectis in hac via columnis, quæ viatores aberrantes in eam reducant.

5.

Hæc omnia, quæ nuper diximus, ostendunt Ioan. Annium, Henteninm, Salmeronem, cæteroſque notat. 6. opinione 7. relatos ipsius Ioannis verbis, & Apocalypseos textu fuisse compulsos, vt pro comperto haberent, à c. 5. ad 19. sub ænigmatum velo describi persecutionem, quam Ecclesia à Iudæis & Gentibus passa est; & spirituale bellum, quod ipsa eisdem intulit; & quem de ipsis triumphum glorioſum reportarit. In quo illud inprimis notandum est, hisce auctoribus argumẽtum id ita necessarium fuisse visum, vt ipsum assetere non dubitarent; quantumuis ad singulorum ænigmatum applicationem parem animum se afferre non posse, cognoscerent. Et quod maius est, cùm cẽserent cum eo argumento non cohærere, Apocalypsin ante Hierosolymæ vastitatem fuisse conscriptam; ne ab eo, quod necessarium ducebant,

Digitized by Google

bant, deuelli possent; in eam venisse mentem, vt Apocalypsin sub Nerone fuisse scriptã, contra totius antiquitatis sensum, affirmarẽt. Si igitur textus ipse homines ita doctos impulit; vt, quãuis eas difficultates superare non possent, nihilominus certissimum statuerent, illud esse huius libri argumentum; quid agerent, si difficultatem ænigmatũ sublatam esse vidissent; & animaduertissent in Apocalypsi debuisse per prophetiam, enunciari ea, quæ iam præterierãt?

6. Vt igitur superiùs dicta paucis complectar. Hę sunt duæ quasi columnæ in Apocalypseos via præfixæ; in quas interpres identidem oculos referre debet; altera nimirum indicans tubarum plagas esse bellum Dei pro Ecclesia aduersus Synagogam. Altera docens plagas phialarum esse bellum aduersus Gentiles: atque adeò à cap. 6. ad finem vndecimi agi de excidio iudaismi; à duodecimo verò ad decimum nonum de excidio gentilismi.

Duo indicia à Ioanne ad Apocalypseos expositionem data.

His positis, facilè animaduertitur, duo hæc Apocalypseos signa seu columnas ita esse inter se dispositas, vt altera alteri egregiè respõdeat, & alterutra in alterius cognitionem facilè ducat: ita vt qui alteram inspexerit, non possit nõ (nisi supinè admodùm conniueat) ad alterius aspectum deuenire. Ex altera enim ad alteram aspectus patet. Dicam clariùs; quicunque aduerterit, tubarum plagas ad Iudæorum excidiũ spectare; eo ipso (si sibi constare velit) tenetur ad asserendum, per plagas phialarum, gentilitatis excidium indicari: hoc enim priori illi Iudæorum bello connectitur. E contrario etiam, qui nouerit in phialarum plagis bellum cum Gentibus contineri; necessariò fateri debet, in plagis tubarum contineri similiter bellum cum Synagoga: hoc enim illi antecessit. Et vtrumque bellum, Ecclesiæ nempe cum Hierosolyma & cum Roma, sunt inter se connexa.

7. *Indicia item à Patribus obseruata.*

Quæ cùm ita sint, quicunque ex antiquis Patribus nos expresè moneat, secundum illud bellum Romæ ethnicæ ac gentilitati fieri; hoc ipso tacitè nobis innuit, primum bellum cum perfida Hierosolyma geri. Ac proinde ex eo solùm, quòd in Apocalypsi asserant, Babylonis nomen veteri Romæ ethnicæ imponi; nos admonitos etiam volunt, spiritualem Sodomam & Ægyptum esse Hierosolymam rebellem. Simili etiam ratione, qui affirmant Deum phialarum plagis bellum gentilitati inferre, eâdem consequentia significant, tubarum plagis bellum cum iudaismo geri.

8. Ex his deducitur, ad Apocalypseos intelligẽtiã antiquos Patres nobis multò plus lucis afferre, quàm aliqui fortasse opinantur. Quotquot enim eorum per Babylonẽ in Apocalypsi antiquam Romam ethnicam intelligunt, eo ipso sunt auctores nostræ expositionis à cap. 5. vsque ad 19. Illud autem expresè docent Hieronymus multis in locis, Tertullianus, & Paulus Orosius (vt videbimus c. 17.) Quos sequuntur ex recentioribus non solùm octo illi auctores, quos notat. 6. pro septima opinione expressimus; sed etiam alij doctissimi, vt Hesilius in primã Petri, Bellarminus in controuersiis to. 1. lib. 2. de Rom. Põtifice, c. 2. & l. 3. c. 14. Gagneius *Alcasar in Apocal.* in Apocal. Pererius in proleg. disput. 7. causa 4. Mendoza in quodlibetis, quæst. 4. Scholast. n. 6. (vbi affert Augustinum & Nicephorũ libr. 2. historiæ, cap. 15.) Prado in Ezechiel. c. 23. n. 31. vbi de poculo aureo, de quo Apoc. 17. 6. Suarez 3. p. to. 2. disp. 56. sect. 2. & Marquez de cælesti Hierosoly. fol. 83. & alij plerique. Fauent Papias, & Eusebius lib. 2. historiæ, c. 14. & 19. nec non ij, qui sacræ Scripturæ prophetiã de regno Romanorũ destruendo spiritualiter esse intelligendam censent. Ex quibus sunt Strabus, & Burgensis apud Maluendã de Antichristo lib. 5. c. 1. Facit Augustinus, dum docet Romam in sacra Scriptura filiam Babylonis appellari; & dũ Romæ tribuit nomen Babylonis Occidentalis. vide illum 18. de Ciuitate, c. 27. Præterea expositionem Hieronymi, qui nomine Babylonis in Apocalypsi, intelligit Romam, adeò probat magnus Cassiodorus libr. de Diuinis lectionib. cap. 9. vt ideo asserat Apocalypsin Hieronymi expositione conspicuam esse. Et Hieronymus quidem sępe affirmat, Apocalypsin mysticè esse intelligendam, (vt in Isaiam l. 9. fin. & in Ezechielem, cap. 38. necnon epistola 148. vbi ait, *ea etiam quæ videntur dici de Enoch & Elia, cap. 11. spiritualiter esse intelligenda. Quoniam omnis ille liber, aut spiritualiter intelligendus est, aut fabulis acquiescendum.*) Sed mystica Hieronymi expositio ea procul dubiò est, vt Babylonis nomine intelligatur Roma ethnica antiqua; atq; vt de excidio iudaismi & gentilismi agat præcipuè Apocalypsis.

Quid Hieronymus de Apocalypseos interpretatione senserit.

9. Adhæc, si, vt superiùs ostẽdimus, qui phialarum plagas de excidio gentilismi exponũt; eo ipso nostrũ argumentũ saltem à c. 5. vsq; ad 19. amplectuntur; magnam profectò eidem argumento conferunt auctoritatem Irenæi verba lib 5. cap. 30. dicentis, *Ioannem in Apocalypsi vidisse eadem plagas vniuersaliter accipere Gentes, quas olim particulatim accepit Aegyptus; & vidisse profectionẽ populi ex Aegypto fuisse typum & imaginem profectionis Ecclesiæ ex Gentibus.* Et subdit, *se hanc explicationẽ ab antiquo presbytero magna cum animi refectione didicisse.* Hæc Irenæus. Qui quamuis, dum ex propria sententia loquitur, non magnam admodũ habeat in Apocalypseos expositione auctoritatem, vtpote qui mille annorũ fabulam fuerit secutus; vbi tamẽ affirmat ab antiquo presbytero se hoc didicisse, non videtur aut grauior auctoritas, aut testis fidelior afferri potuisse. Irenæus namque fuit Polycarpi auditor, & Polycarpus Ioannis Euangelistæ. Quare sub nomine antiqui presbyteri, suum magistrum Polycarpum, vel alium non minori antiquitate & auctoritate designat. Itaque ex prædictis Irenæi verbis habemus expressum venerandæ antiquitatis vestigium, quod nobis vniuersæ Apocalypseos argumentum ostendit.

Quid Irenæus.

Huc etiã spectãt, quę ex Patribus adduximus notat. 8. Nec alia præterea antiquitatis expressa vestigia indicare hîc visũ est, quibus ad singulariũ locorũ explicationes vtendũ nobis erit; vt ad quatuor animalium, & ad septẽ sigillorum expositionem: ibi enim suis in locis reponentur. Hîc verò ea solùm attingere fuit animus, quæ ad totius argumẽti seriem conducũt.

Digitized by Google

NOTATIO DECIMATERTIA.

Supradicta indicia atque vestigia non videri obseruata ab iis interpretibus, qui alia Apocalypseos argumenta excogitarunt.

1. DIVERSAS de huius libri argumento opiniones, (si nostram excipias) ad septẽ capita reuocauimus notat. 6. nempe ad opiniones Ticonij, Montani, Lyrani, Ioachimi, Pererij, Riberæ, & ad Millenariorum fabulam. Obsecro ergo Lectorem, vt earum refricet opinionum memoriam, quo me faciliùs attendat.

Impugnantur aliorum interpretationes.

Primùm autem de Ticonij, Lyrani, Ioachimi & Pererij opinionibus satis constat, eas nulla ratione attendisse ad Ioannis signa, siue columnas: nec prædicta antiquorum Patrum vestigia in Apocalypseos serie tractãda, obseruasse. Quare de illis nil ampliùs hîc dicẽdum est.

Arias verò in sua illa spirituali accommodatione, dum Apocalypseos bella vult intra vnius hominis pectus includere; nõ video, qua ratione possit in bello illo spiritali, quod intra vnius hominis pectus geritur, distinguere duo veluti bella, quorum primum respondeat bello Hierosolymitano, & alterum bello Gentilicio: & alterius exitus sit, decimam partem Hierosolymæ corruere; alterius verò, vniuersam Babylonem conflagrare: atque his succedere mille annorum pacem; ac demum Antichristi bellum. Etenim, licet mysticum duarum vrbium prælium in hominis pectore piè meditari, subtile sit inuentum, nec improbandum; ceterùm ille trium bellorum ordo ad mysticum hoc bellum transferri non potest. Nec contendit Arias omnia per ordinem ad subtilissimam illam normã redigere. Posse verò multa non ordinatim, sed promiscuè, & absque filo accommodari, non inficior. Quinimò existimo, si Arias suam illam applicationem in litterali sensu stabiliret, multa præterea illũ ingeniosè pro votis aptare potuisse. Nam in perfidæ Hierosolymæ bello aduersus Dei Ecclesiam poterat contemplari, quã acriter Deo conentur obsistere ij, *qui semel fuerant illuminati, & gustauerant donum cæleste, & verbum Dei, & prolapsi sunt*, ad Heb. 6. 4. Quorum ex numero vix decima tãdem pars, id est perpauci, sese illi submittẽt. In bello etiam Romæ ethnicæ aduersus Ecclesiam gesto, idoneus sese dabat sermo de eorum repugnantia, qui cũ Deum non antea cognouerint, ab eo clementer ad gratiam inuitantur; ex quibus quantumuis reluctentur, multo tamen plures Christi luce solent illustrari, & eius amore incendi, dummodò diuini verbi concionatores suum strenuè munus obeant.

2. *Sexta explicandi ratio refellitur.*

Sed vt ad eam opinionem deueniamus, (quæ sexta fuit inter octo illas notat. 6. propositas) illa quidem bonas Ioannis columnas cõspexit; concedit namque ciuitatem, in qua Dominus crucifixus est, (de qua cap. 11.) esse Hierosolymam, Babylonem verò, (de qua c. 7.) esse Romam. Verùm, vt hoc animaduertit; ita non satis attendit, in Apocalypsi potuisse tractari de bellis, quæ duæ illæ vrbes Ecclesiæ primò nascenti, atque adeò ante illos mille annos intulerũt. Hoc vt nonnulli probent, tribus fundamentis nituntur. Primum est. Apocalypsis, vt de re futura, agit de ruina Hierosolymę; cùm tamen Apocalypsis ipsa fuerit vigesimo quinto anno post priorem illam vastationem scripta. Necessarium ergo est, vt de alia ruina sub finem mundi futura loquatur. Secundum. Prior illa Hierosolymæ ruina propter persecutionem, quam in Ecclesiam nascentem concitauit, non decimam modò partem, sed vniuersam vrbem solo adæquauit; nec (iuxta Christi prophetiam) relictus fuit lapis super lapidem. Atqui ruina, de qua Apocalypsis, decimam tantùm vrbis partem diruet. Ita enim cap. 11. *Decima pars ciuitatis cecidit.* Tertium. Nõdum vniuersa Roma flammis fuit exusta, cùm tamen textus totam deflagraturam esse affirmet, ob idololatriæ scelus, & in Ecclesiam persecutionem; idque per decem Reges exequendam. Non autem rationi est ac diuinæ pietati consonum, vt Roma sub mundi finem cõburatur pro idololatriæ peccato, quo sub Christi tempora, antequam Christiana sacra susciperet, fuit infecta; ac pro acerrima antiquorum Imperatorum oppugnatione, qua Ecclesiam tantopere afflixerunt. Cùm igitur hæc opinio in tanto tamque inextricabili labyrintho faciliorem exitum non inueniat; illud affirmare non dubitat, Romam scilicet sub Antichristi aduentum à vera Christi fide & religione non defecturam solùm, sed inanis superstitionis cultricem, & idololatriæ caput extituram; & multò atrociùs, quàm olim, in Christi Ecclesiam atque eius filios grauissima persecutione exarsuram: tunc verò pro tam horrendo scelere daturam pœnas, & igne penitus comburendam fore. Qua in sententia adeò tenaciter hi auctores inhærent, vt ne ab ea cogantur discedere, nihil curent de seruando Apocalypseos ordine; qui priùs ruinam Hierosolymæ ponit; deinde Babylonis incẽdium; postea mille annorum pacem ante bellum Gogi & Magogi. Asserunt namque inuersum esse textus ordinem; priùs enim mille annos pacis præterituros; mox Romæ scelus & impietatem, atque eius incendium euentura; demum Hierosolymæ vastationem. Plagas autem phialarum, quas Ioannes appellat nouissimas, plagis tubarum anteceſſuras.

Argumenta pro eádem interpretatione diluuntur.

Huius opinionis propugnatores mihi fortassis opponent, nimis me mysticè textum explicare; quasi verò id in ænigmatis sit absurdum: de hoc tamen infrà latiùs dicam. Interim nonnulla habeo, quæ illis vicissim opponam. Ac Primò, dum se nimiùm litterales profitentur in quauis seorsum ænigmatis parte (quod Hieronymus sæpe Apocalypseos interpretibus vitio vertit:) ad totius tamen texturam accedentes, vehementer peruertunt ordinem; nec probabilem possunt rationem reddere, cur Spiritus sanctus statuerit, vt Apocalypsis ita promiscuè atque confusè scriberetur: & in ea appellarẽtur plagæ nouissimæ, quæ priùs erant immittendę. 3.

Vide

Digitized by Google

Vide sup.not. 10. vbi ostendimus quanti interA sit, libros symbolicos & ænigmaticos debito ordine,ac rerum serie constare.

4. Secũdò, hi auctores rem nouã,incertã(& in ea quidẽ sententia)improbabilẽ in medium adducunt;dum asserunt, Romã Catholicam religionẽ deserturã,& futurã idololatriæ metropolim,ac sæuissimã Christianæ Ecclesiæ oppugnatricẽ.Cui enim vnquã venit in mentem rationi consentaneum esse ; vt qui ænigma difficillimũ æquè ac grauissimũ aliter extricare nesciam,nouum quiddam & inauditum excogitem , quod sublato ipso ænigmate nullã in se probabilitatis speciẽ habeat?Quòd si ea fuit illorum mens,vt aliquã Apocalypseos interpretationẽ inuenirẽt, quæ & omnia quadraret,&bonis ingeniis satisfaceret;planè ab eo scopo penitus aberrarunt, nec voti cõpotes euaserũt.Siquidẽ nec eorũ declaratio Doctorum est cõsensu recepta, nec inuento fides habita:tũ propter magnam ordinis perturbationẽ,tũ etiã propter aliquã symbolorum interpretationẽ non satis aptè applicatam.

5. *Refellitur eadem sententia ab indecoro, quod inde in Apocalypsin redundaret.* Tertiò,qui hãc sententiã defendunt debuissent animaduertere,se illud Apocalypsi tribuere,quod summæ imprudẽtiæ esset. Cũ enim liber hic Ecclesiæ Christianæ prophetiã complectatur,cũque ante Romæ conuersionem fuerit scriptus; valdè imprudẽter se gessisset scriptor, si magnũ illũ ac celeberrimũ triumphũ, quem fuerat Ecclesia de superba Roma atque eius imperio reportatura, prætermitteret;& glorioſum earũ persecutionũ finẽ,quę tunc Ecclesiã ipsam vehemẽter conflictabãt, & in arctissimas redigebãt angustias:atq; iis omissis ad aliã persecutionẽ transiret, quã ipsi suspicãtur à Roma aduersus Christi Ecclesiã sub mũdi senescentis finẽ,ante aduentũ Antichristi, fore excitandam. Iam,cuius prudẽtiæ est, cũ Ecclesia tantopere à Romano Imperio diuexabatur, nullam facere mentionẽ de acerbissimę illius persecutionis fine , triumphũ de idololatria inclytũ præterire (quo nihil orbis vidit admirabilius:) atq; iis omissis aliud arripere,quod ad eãdẽ similitudinẽ fingitur, post aliquot annorũ millia euenturũ?

6. *Item ab ignobiliori argumento.* Quòd si nouę huius opinionis auctores velint asserere,persecutionẽ illã,quã ipsi excogitant à Roma excitandã aduersus Christi Ecclesiam, multò horribiliorẽ futurã , quã eas,quæ in Ecclesiæ exordiis præcesserũt;illud tamẽ pro certo habeãt,vindictã , quã ipsi in Babylonis exustione intelligũt,ignobiliorẽ multò esse illa,quã Deus olim de Romæ persecutionibus sumpsit. Quæ enim esse potest cõparatio illius vindictæ, qua vrbs corporeo igne cõflagraret;cũ illa,quę ciuitatẽ vniuersam diuini Spiritus igne inflammauit; exustis sceleribus, & in fauillã redactis? Apostoli quidẽ cũ adhuc in Christi schola rudes essent & informes,Samaritanis Christũ nõ recipientibus,nõ aliã nobiliorẽ cogitabant vindictã,quã vt igne absumerentur eorũ corpora.

Luc.9.54. *Vis* (inquiunt) *dicimus,vt ignis descendat de cælo,& consumat illos?* Quibus, *Nescitis* (ait) *cuius Spiritus estis;filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.* Quasi diceret, Excellentiorẽ vindictam& glorioſiorẽ meditor.Hũcverò spiritũ imbiberat B.Ignatius nostræ Societatis parens; qui aduersariũ vniuersis Societatis hominibus in Hispaniis degẽtibus ignẽ ac flãmas minitantẽ,nõ alia vindicta optauit vlcisci, quàm vt inimicus ipse charitate flagraret;&amici eius ac necessarij nõ solũ in Hispania,sed in vniuerso terrarum orbe degentes Spiritus sancti igne inflãmarentur & arderẽt. Huiusmodi ergo vindictam,à Parente optimo institutus,sacręScripturę spiritu dignissimã esse didici.Ad hãc(vt videbimus) pertinẽt nouissimæ plagæ:hãc enim nouissimã vlciscendi rationẽ,hæc noua bella elegit Dominus ; vt multò nobiliora, & Apocalypseos spiritu digniora: in quibus nõ solũ magis Dei bonitas & benignitas elucet;sed eius etiã virtus atque potẽtia multò præstantiùs & excellentiùs eminet.

7. Quartò,cùm res adeò sit incerta, quã hi auctores suspicãtur; miror illos nõ fuisse veritos, B ne quam ansam præberent Hæreticis Romam, eiusque in Diuorum imagines religionẽ detestantibus,in nos cauillandi;atque adeò iactãdi, doctos etiam homines inter nos ipsos reperiri, qui affirmẽt Romæ peruersionẽ,& ad idololatriam reditum fuisse in Apocalypsi prædicta.

Item ab obscuro. Quintò,cùm saltem dubium valdè sit Romã iterum ad idolorũ cultũ reuersuram (nec enim hæc opinio certũ id facere potuit)hoc ipso conuincitur minimè potuisse, vt de ea re ita latè in Apocalypsi ageretur. Quæ enim in hoc libro tractãtur,eiusmodi esse debent, vt verè de illis affirmari possit,quod textus initio præmittit;nimirũ,*Beatũ esse qui legit & audit verba prophetiæ huius.* Atqui,vt verũ fatear,me latet omnino, quã possint homines adipisci felicitatẽ ex eo, quòd C Romam à Christi fide defecturam suspicentur.

8. Atque hæc eadem ratio non minus habet roboris cõtra omnes illas declarationes,quæ de rebus incertis,aut minoris momẽti Apocalypsi tribuũtur. Quæ enim incerta sunt,licèt maxima videãtur; & quæ parua atq; exigua, licèt certissima sint; næ vtraque indigna sunt eo libro,qui de iis rebus se agere profitetur,quarũ ex lectione,aut etiã auditione homines beati efficiãtur?

Huic opinioni nihil antiquos Patres, quos pro se affert, fauere,& cur. Præter hæc;horum auctorũ interpretatio ex antiquis Patribus illos pro se afferre conatur, qui sibi persuaserunt Romanũ Imperiũ eò vsq; duraturum,donec Roma ob idololatriæ scelus corporeo igne cõbureretur ; idq; per decẽ Reges,(de quo infrà c.17.) Nũc illud dico solũ,ilD lã quorũdã Patrũ persuasionẽ cũ tribus aliis rebus fuisse coniunctã. Prima erat, Millenariorũ fabula,qui post Romæ incendium mille annos cõfictæ felicitatis expectabant, Christo visibili specie in terris regnante.Secũda erat, formido falsò existimantium Antichristi aduentum iam iam imminere.Tertia, ipsius tẽporis circumstãtia,quo illi Patres scripserũt; tunc enim Roma idolorũ cultui adhuc dedita , dæmonum obsequio militabat. Quibus positis, aduertendum est,Millenarios,licèt in eum errorẽ inciderint, in eo tamen cõsequenter fuisse locutos;&quãuis Apocalypsin nimis ad literam intelligerẽt, (vt notauit Hieronymus) cõtextus tamẽ ordinẽ seruasse in bestiæ de mari ortæ persecutione, in Babylonis exustione per decem Reges, & in mille annorũ pace. Atqui dum Romæ idololatria & Ecclesiæ persecutiones durabãt,nil mirũ

Digitized by Google

eos fuisse opinatos, vtrũq; etiã duraturũ; donec Roma pro vtroq; scelere cõflagraret: ac postea Ecclesiã mille annorũ pace fruiturã. Verũ enim verò postquã experimento ipso compertũ fuit, cogitationẽ illã falsitatis fuisse conuictam; nec magis esse verũ, Antichristũ adeò citò fuisse vẽturũ, vt illi suspicabantur; certè qui nunc opinatur se illorũ Patrũ vestigia sectari, dum asserit, Romã pro nouæ idololatriæ delicto esse igne absumendã, manifestã antiquorũ deceptionem admittit; sublato veritatis & cõsequentiæ fuco, quã in Apocalypseos interpretatione se obseruare putabãt. Etenim non ita mirũ erat, persuadere sibi quẽquã ea tẽpestate, qua falsa idolorũ religio vigebat, illã Roma superstite finẽ nõ habiturã. At, postquã multis retro sęculis idololatria penitus interijsset, iterum Romæ ab inferis excitãdã, ac toti vrbi dominaturã; id verò antiquorũ aliquis nõ solũ nõ scripsit, sed neq; somniauit: neque illorũ cuipiã in mẽtem venit, Apocalypseos ordinẽ peruersum esse atq; confusum. Atque adeò post mille annorũ pacẽ Babylonis idololatriam & incendium subsequi.

9. *Opinio de Roma sub mundi finẽ ad idololatriã reditura, probabilitate caret.*

Quæ cùm ita sint: existimo nouã hãc opinionẽ nullã in se probabilitatẽ habere. Nec tamen seueriori illã nota dignã cẽseo. Licet enim nulla mihi subeat dubitatio, quin Roma nũquam sit ad idololatriã regressura: ceterũ quemadmodũ sub Iuliano apostata idolorũ cultura caput rursus attollere visa est; nec tamẽ idcirco Romanæ Ecclesiæ fides defecit: sic etiã posset eadem Ecclesia, & summus ipsius Pontifex in grauissima quauis persecutione stare: quãtumuis Vrbis imperium penes impios Romanos, idolorũ cultores, rursus esset: vt sub Domitiani & Maximiani tẽpora accidisse nouimus. Adde, calamitosa hæc tẽpora, quæ prædicti auctores cogitarunt, ad Antichristi tempestatẽ quodãmodo referri posse, in qua receptum est, idolorũ cultũ suscitandũ fore. Itaque nihil est, quòd grauioris cẽsuræ nota prædictæ opinioni inuratur. Nec mirum, doctissimos alioqui viros difficultatis procella abreptos, in eam fuisse opinionẽ delatos.

10. *Cur improbabilitatis præcedens opinio damnatur.*

Quòd si aliquis illã etiã nouitatis & improbabilitatis notã mallet à me fuisse prætermissã; huic ego respõderim, id me vehemẽter optasse; ne quos tãtopere amo ac suspicio, nõnihil perstringerẽ; sed priuatæ rationes communi diuini obsequij curæ cedere debuerũt, & publicę Romanæ Ecclesię auctoritati: cuius honori deseruit, qui nullã esse probabilitatẽ nouę huius opinionis ostendat. Addo, opinionẽ istã vnius aut alterius fuisse, nõ multorũ ex nostra Societate. Ferè enim cõmuni consensu opposita sententia nostris hominibus recepta est. Quã Card. Bellarminus to. 1. l. 2. de Romano Põtifice, c. 2. Salmeron to. 16. disp. 8. in 1. epistolã Petri, Maldonatus Luc. 22. 32. ex Leone Papa, & alij plerique tuentur, eaq; semper mihi certissima visa est. Et spero ex ipsius Apocalypseos verbis atq; cõtextu me perspicuè ostẽsurũ, neutiquã Ioannẽ nouæ illi opinioni fauere; sed nostræ potiùs valdè astipulari: & Romã absq; dubio vsq; ad ipsã saltẽ Antichristi persecutionẽ nũquam Catholicã religionẽ desertutã. Scio à Maluẽda l. 4. de Antichristo c. 5. opinionẽ hãc tribui Suario, & Bellarmino; sed immeritò, vt suo loco videbimus.

11.

Nunc illud animaduerto, prædictis signis, siue columnis minimè duci, qui alterius vrbis ruinã, & incendiũ alterius, ad nouissima mundi tempora referat. Primò enim hoc textus ipsius ordini repugnat; in quo priùs decimæ partis Hierosolymæ ruina describitur. & aliud est, columnas veluti duces, ac viæ indices sumere; aliud, post multas circuitiones & anfractus ad posteriorem priùs deuenire; deinde regredi ad priorem, & in vtriusque veluti basi offendere.

Deinde, quæ Hierosolyma Antichristi tẽpore ædificãda esse perhibetur, nõ ea est, quę in sacris Litteris vocatur *spiritualiter Sodoma & Aegyptus, in qua Dominus crucifixus est*; Christus enim in antiqua Hierosolyma fuit crucifixus, non in nouissima: ac primã illã Prophetæ vocãt Sodomã & Ægyptũ, non secundã. Cùm verò Apocalypsis ait, *Vocatur spiritualiter Sodoma*, &c. non dubiũ, quin de Prophetarũ sermone loquatur.

12. *Diluuntur argumenta superiùs adducta.*

Iam facile est oppositæ sententiæ argumenta diluere. Ad Primũ, vidimus notat. 3. certissimũ esse Apocalypsin modo prophetico elegantissimè agere de iis, quæ iam fuerant impleta; atq; idverbis de futuro significare. Quod si animaduertissent istius opinionis auctores; non hos anfractus ac diuerticula quærerent.

Ad Secundũ & Tertiũ Respõdeo, mirari me his auctoribus ita nouũ & inusitatũ videri, quod est in ænigmatis non solũ pulcherrimũ, sed etiã antiquissimũ, & omnibus notũ; mysticã scilicet locutionẽ, quæ aliud in aure sonat, aliud offerat mẽti. Quę verò illos loquẽdi formulę deterrẽt, *Decima pars ciuitatis cecidit. Cecidit Babylõ. Igne cõburetur.* Hæ, inquã, & similes loquendi formulæ eâdẽ omnino ratione à Ioãne hic vsurpãtur, qua sæpissimè fuerãt à Prophetis vsurpatæ, & abomnibus Patribus explicatæ; vt suis locis cõstabit.

NOTATIO DECIMAQVARTA.

De præcipuo scopo huius libri, & cur obscurissimè fuerit scriptus.

1. *Scopus, in quem Ioan. videtur intẽdisse, dum Apocalypsin scripsit.*

OSTENDIMVS superiori notatione, Apocalypsin nullã Romæ ruinã atq; excidium, (vt aliqui existimãt) minitari. Reliquum est, vt quantopere eam extollat atque amplificet, indicemus. Contingit sæpe, vt liber integer in lucem proferatur, cuius is sit scopus & intẽtio, vt præcipua aliqua illius pars ceteratum ornatu compta & conuestita, & præcedentium ac subsequẽtium septa comitatu prodeat & emineat. Reliquæ verò partes illius gratia scribantur, quam potissimũ respiciebat scriptor. Hoc dum attentè considero, certissimum mihi est, Apocalypsin vniuersam Ioannem fuisse ostensam, ac per eum Ecclesiis communicatam; vt ipse primùm, deinde Ecclesiæ, maximum inde caperent solatium; factæ certiores grauissimam illam persecutionem, qua Roma, eiusque Imperium in Christi Ecclesiam acerrimè furebãt, eum exitum habituram, quem vix homines cogitare potuissent, nedum suspicati. Ipsarum enim

Digitized by Google

enim perſecutionum ope & adminiculo futurum, vt Eccleſia tam de Romana ciuitate, quàm de toto gloriosè triumpharet Imperio; & idolorum cultu penitus corruẽte, Chriſti crucifixi erectum vexillum ſumma omniũ religione ac veneratione in vniuerſo orbe coleretur. Neque id ſolùm; ſed Roma idololatriæ caput ac princeps in Catholicæ religionis metropolim admiranda viciſſitudine mutaretur: Eccleſiæ porrò imperium adeò firmum, ſtabile & conſtãs Romæ futurũ; vt expulſa ſemel ac penitus deleta idololatriæ impietate, Cathol. religionis pietas, & publicus eius vſus ac profeſſio in ea vrbe sẽper efflorescerent, ac sũma Rom. Pontif. auctoritas ſupremo honore culta permaneret.

2. *Apocalypſis quatuor in partes diuiditur.*

Ad pleniorem huiuſce rei intelligentiã animaduerto Primò, Apocalypſin iuxta meum argumẽtũ quatuor in partes diuidi. Prima tribus primis capp. abſoluitur; quę veluti prologus toti ſcenæ deſeruiunt. Secũda, capita 8. ſequentia cõplectitur de Eccleſiæ primitiuæ excellentia, & de excidio iudaiſmi. Tertia ad alia octo, & alterius etiã partẽ ſe extendit, in quibus de gẽtilitatis bello, deque Eccleſiæ victoria agitur. Quarta deniq; ad totius hiſtoriæ cõplementũ, paci Eccleſiæ ſubiungit breuẽ Antichriſti belli, ac diei extremæ deſcriptionẽ: & in fine annectitur triũphus patriæ cæleſtis. Prologus igitur (vt in comœdiis fieri ſolet) toti libro præponitur: ideoq; etſi præcipuo fini deſeruiat eiuſmodi prologus, aliud tamẽ eſt, quod ſibi vt ſcopũ proponit ſcriptor. Deinde, quamuis in ſecunda parte, Apocalypſis ab exordio Eccleſię incipiat, & agat de bello illi à Synagoga illato, & de ſeueriſſimo Iudæorũ ſupplicio; verùm (vt notat. 3. probauimus) Apocalypſis ſcripta fuit quinque & viginti annos poſt Hieroſolymæ vaſtitatem. Quare totã eam partẽ iam re ipſa Ioannes completã viderat. Atqui perſpicuũ eſt, quę fuerant peracta, & Ioanni experimento ipſo comperta, non ita neceſſarium fuiſſe, vt eidem iterũ nota fierent. Sed ideo enunciata illi ſunt, vt integra totius hiſtoriæ conſtaret ſeries; & vt cõſequentia cũ præcedẽtibus connexa, ex horũ euentu ſimiliter euentura crederentur. Atque vt Dei miſericordiæ magnitudo in ſubſequẽtibus magis innoteſceret, operæpretium fuit diuinæ iuſtitiæ ſeueritatẽ in pręcedẽtibus expreſſiſſe. *Oppoſita enim iuxta ſepoſita clariùs eluceſcunt.*

3. *Quàm ornatè Apocalypſis deſcribat finẽ belli à Roma ethnica in Eccleſiam ſuſcepti.*

Si ergo præterita non propter ſe ipſa ſcripta ſunt, ſed eorum cauſa, quæ nondum præterierant; facile eſt animaduertere, illũ fuiſſe præcipuum huius libri ſcopũ, de quo tertia pars Apocalypſeos agit; ſcilicet, vt grauiſſimi illius belli, quo Roma ethnica Eccleſiã Chriſtianam affligebat, feliciſſimus exitus nunciaretur. De quo adeò magnificè & ſplendidè, adeò illuminatè & diſtinctè agit Apocalypſis; vt tã in ſacris Litteris, quàm in profanis nihil vnquam fuiſſe ſcriptum exiſtimem tanto ſymbolorum ornatu & maieſtate, tanto myſteriorum pondere & magnificentia; ac Romæ & ipſius Imperij cum Catholica Eccleſia bellum; feliciſſimus Eccleſiæ de vtroque triumphus; interitus Romæ veteris, & eam lugentium næniæ, ſeu lamentationes; nouæ Romæ gloria & ſplẽdor; ipſius cum Chriſto nuptiæ, & clariſſimi triumphi perpetuitas.

Antichriſti bellum non eſt præcipua huius libri pars.

In quarta demum parte ſatis paret Antichriſti bellum, & extremi iudicij diem iuxta meum argumentum non eſſe præcipuam huius libri tractationem: hæc enim breuiter, & per modũ appendicis tractata ſuperiorem hiſtoriam claudunt. Quod verò ad extremũ additur de cæleſtis patriæ triũpho; haud dubiè pertinet ad Romanæ Eccleſiæ triumphi æternitatem, vt ſuo loco videbimus. Atque eo etiam triumpho ſignificatur, nouę Romę magnitudinem, licet in hac vita ſit admirabilis; nõ tamẽ omnino intuentiũ oculis hîc apparere; in æterni verò triumphi die tunc demum clarã omnibus atque conſpicuam fore; cùm meritorum præmium aſſequetur, & ipſius gloriæ pleniſſimus cumulus accedet.

4. *Præcipuũ libri huius ſcopus, Roma ad Chriſti fidem conuerſio.*

Ex dictis manifeſtè colligitur, præcipuũ huius libri ſcopum, iuxta mei argumẽti expoſitionem, nõ eſſe alium, quàm admirandam Romæ cõuerſionem ex idololatriæ principe & capite in Chriſtianæ religionis metropolim: atq; eius conuerſionis mirabiles fructus. Fuit autem maximè expediens, vt hic finis & ſcopus totius libri ſeligeretur; nõ tantũ quia aptiſſimus erat ad Ioanni atque Eccleſiis ſolatium afferendum, quando Roma ardens furore & inſania in nouũ Chriſti nomẽ ſęuiebat; ſed etiam quia in Eccleſiæ prophetia nihil erat ita magnum atque mirandũ, quòd præcipuè ſpectaret Scriptoris intentio; & quod adeò optare poſſet, magnificè admodũ tractare, vt parẽ rei ſcriptionẽ afferret.

Quanta fuerit Roma veteris amplitudo.

Ipſius autẽ facinoris magnitudo tanto clarior eniteſcit, quanto maior fuit Romæ antiquę amplitudo; de qua multi extant libri. & quotquot in hiſtoriis vel mediocriter ſunt verſati, nõ affirmant ſolũ, nihil vnquã vidiſſe mundum ita magnum & excellens, aut tãta admiratione dignum, vt Romã veterẽ; cùm potentia, imperio atque triũphis totum terrarũ orbẽ ſibi ſubiectũ tenebat; ſed aiunt etiã ceteras mundi vrbes, ſi cũ Roma antiqua cõparẽtur, eſſe veluti exigua quædã opidula cũ potẽtiſſimi Imperatoris regia cõparata. Romã igitur ad tantũ magnitudinis faſtigiũ aſcendiſſe, eo Dei cõſilio factũ eſt, vt eo maior eſſet Chriſti crucis triumphus, quo de potẽtioribus hoſtibus ageretur. Licet enim huc applicare illa ſacræ Scripturæ verba Exod. 9. 16. & ad Rom. 9. 17. *Quia in hoc ipſũ excitaui te, vt oſtẽdã in te virtutẽ meã, & vt annũcietur nomẽ meũ in vniuerſa terra.* Romæ igitur magnitudinem ſemel mẽte cõprehẽdiſſe, magnopere cõducit; vt clariùs intelligatur, nihil potuiſſe maiusaut gloriosius excogitari ad Eccleſię decus & maieſtatem, quã difficillimũ Romã expugnandi facinus aggredi, & feliciſſimè cõficere. Illã in quã Romã, quæ idololatriæ olim caput, (quẽadmodum & Imperij) omne ſuum robur, vires ac potentiam ad Chriſti Euangeliũ ac nomen, ſi poſſet, extinguendũ cõferebat. Romã ergo idololatriæ arcẽ occupaſſe, illamque Chriſtianæ religionis arcẽ cõſtituiſſe, nõ aliud fuit, quã incredibilẽ rerum cõmutationem, qualis nunquã viſa erat, facere; victoriam, omnium quotquot reportatæ ſunt, glorioſiſſimam cõparare; miraculorũ omnium, quæſperari poterãt, maximũ edere; inclytum de vniuerſo terrarũ orbe triumphũ agere; ampliſ-

Roma veteris magnificentia in Chriſtiana Eccleſia ſplendorem ac maieſtatem ceſſit.

Digitized by Google

simum Catholicæ Ecclesiæ imperium stabilire; idololatriam ex vniuersa Romæ ditione atque imperio ablegare; excellentissimũ ex Christi redemptionis effectibus in sceleratorũ cõuersione præstare; eiusmodi denique facinus ita ingẽs & glorioſum patrare, quod reliquorũ omnium summũ ac præstantissimũ inter infinita alia caput iure optimo tollat. Hinc Ecclesiarũ colonię penè innumeræ: hinc fortissimi Religionum exercitus, ac Religiosorum agmina selectissima; hinc eximius diuini cultus splẽdor ac maiestas; hinc diuina ad animorum salutem oracula atque responsa; hinc demum cælestis Fidelium omnium doctrina atque institutio, tanquam proprio ex fonte & origine deriuantur.

5. Cùm hoc igitur tam egregium & excellens factũ in Ecclesiæ gloria ac maiestate adeò emineat, cumque ita sit debitũ ceterarũ Ecclesiarum in Ecclesiam Romanã obsequium & veneratio; facilè ex attenta omnium horum consideratione perspicitur, summopere oportuisse, librum hunc, qui totius Scripturæ finis est atque apex, eum potissimum habere scopum; vt de triũpho hoc celeberrimo ageret, qui inter Christi redemptionis effectus adeò excellit. Nec enim fas erat rẽ adeò ingentem atque sublimẽ in sacris Litteris aut omitti, aut minùs ornatè ac decorè tractari. Quòd si pro dignitate magnificè tractanda erat, nullibi aptiùs, quã in vltimo eoque excellentissimo sacræ Scripturæ libro.

Hic liber Romanæ vrbi gloriosissimus.

Ex quo etiã apparet, nullũ librum conscribi aut edi potuisse, ex quo tãta gloria, maiestas & splẽdor alicui vrbi proueniat; quanta ex hoc libro Romæ, id est Romanæ Ecclesiæ, dimanat.

6. *Cur liber hic adeò obscurè conscriptus.*

Ex dictis colligitur, cur ita obscuris ænigmatibus liber hic fuerit scriptus. Tũc enim, cũ Roma idolorũ cultui esset dedita, & bellũ grauissimũ in Ecclesiã concitasset, minimè expediebat eodẽ tẽpore prophetiam de Ecclesiæ Romanæ victoria aduersus Romã ita cõscribi, vt ab ipsis hostibus posset intelligi. Si enim ad eorũ notitiã perueniret, Christianis hãc esse iniectã spẽ, vt ad Romę dominatũ & imperiũ aspirarẽt; atque ad id opẽ sibi & auxiliũ à Deo suo pollicerẽtur; quis nõ videat, quã acriter ac vehemẽter huius rei cognitio eos aduersus Christianos accẽderet & inflamaret? & quibus furiarũ machinis eos demoliri atq; euertere conarẽtur? Itaq; ex eo quòd præcipuus huius libri finis & scopus planè agnoscatur, facili etiã negotio intelligitur, nõ solũ prudẽtis cõsilij fuisse; sed etiã necessarij, vt prophetia hęc stilo obscuritate, atq; adeò ænigmatũ inuolucris tegeretur. Hinc etiã fit satis dubitationi, quæ mentẽ posset pulsare, cõsideratâ huius libri difficultate. Si enim illius argumentũ tãti momẽti erat ad Ecclesiæ Christianæ institutionẽ & gloriã; cur nõ claro & perspicuo stilo fuit cõscriptus, ita vt posset cõmuniter à Christianis, Doctoribus præsertim, intelligi? Ceterũ hęc quæstio facilè soluitur, animaduersâ, quã diximus, occultè scribẽdi necessitate in ea re, cuius cognitio tãtopere Christiani nominis hostes aduersus Ecclesiã irritaret. De quo optimè Pererius disp. 7. causa 4. Cùm verò hoc caput ceterorũ præcipuũ adeò tectè & occultè scribi oporteret; cũque totius libri stilũ vnum eundemque esse expediret; idcirco ceteræ libri partes ad præcipuæ huius normã prudẽter satis ac sapienter redactæ sunt. Et quoniã grauissimã rem, arcanã & occultã seruari valdè opus erat; hoc ipsum sacrũ scriptorẽ coẽgit, vt iis ænigmatis vteretur, quibus nulla vnquam obscuriora ac difficiliora litteris fuere mandata.

7. *Apocalypseos obscuritas nihil vtilitatis Christiano populo detraxit.*

Nec verò tãta obscuritas Christiani populi institutioni quidquã detraxit. Ex rebus enim, quas hic cõtinet liber, quæ singulis Fidelibus sunt ad salutẽ necessariæ; eæ in aliis Scripturæ partibus expressę satis & explicatæ sunt: quare Fidelibus nequaquã defuit earũ rerũ cognitio, quas manifestè scire singulis opus erat. Quòd verò eadẽ alibi clara atq; patẽtia, alibi tecta & occulta in sacris Litteris habeamus; vtrũq; diuinæ prouidẽtiæ atq; cõsilij fuit, vt aliis in libris Fideles rerũ sibi necessariarũ perspicuã haberẽt cognitionẽ; in aliis sacrarũ Litterarũ studiosi laudabiliter ęquè atq; vtiliter Scripturæ difficultate exercerẽtur: fideiq; dogmata alibi tecta, detectaalibi, Fideles vna ex parte sui cognitione illustrarẽt; ex alia ad venerationẽ ac reuerẽtiã inducerẽt. Is enim sacrorũ velaminũ fructus, cũ videamus à Deo tãti habita nostrę fidei mysteria, vt ea ænigmatũ & hieroglyphicorũ velo occultarit. Certũ nãque est, nullã aliam ad rẽ aptiùs & cõgruentiùs ænigma adhiberi, quã ad ea, quæ valdè diligimus & æstimamus, ornãda & cõuestiẽda. Præterquã quòd diuini Spiritus sapiẽtia duo hæc mirũ in modũ complexa est; scilicet, vt vna ex parte huius libri mysteria velata essẽt; ex alia verò in ipsa ænigmatũ obscuritate, veluti per tenue velũ interiectum, quãuis singularũ partium pulchritudo nõ clarè dignoscatur; corpus tamẽ ipsum satis appareat: ita vt multa nobis percipiantur ex iis, quorũ cognitione indigemus. Scilicet, quanta sit eorum, qui Christo strenuè deseruiunt, felicitas, quantũuis aduersa fortuna iactẽtur; quantaque è contrario sit improborum infelicitas; licèt opum copia & rerum prosperitate circumfluant.

Vtilitas ex sacrorum obscuritate.

8. Sed pergamus iam ad libri scopũ, atque ad ea deueniamus, quæ nõ ita sunt ad cuiusq; ex Fidelibus salutẽ necessaria; quæ tamẽ summopere expediebat, vt Catholicæ Ecclesiæ abditè & occultè traderẽtur, nẽpe vaticiniũ triũphi, quẽ ipsa fuerat ex Roma reportatura: & ad quod deinde maiestatis fastigiũ Romana Ecclesia in terris erat extollẽda. Cælestis certè spõsi charitati, & ipsius singulari in sponsã prouidẽtiæ non erat cõsonũ, ipsam de admirabili hac prophetia celare; sed eã potiùs ipsi tradere, & nõnullis ex suis familiarissimis abstrusi huius libri mysteria reserare. Quia tamẽ permagni intererat, vt liber difficillimus intellectu foret; diuini cõsilij fuit, librũ ipsũ ænigmatis inuolutũ suæ Ecclesiæ tradere; & eosdẽ, quibus interpretatio impertiebatur, seriò admonere, ne quid ex ea euulgarẽt, præter id, quod ex aliis in alios translatum satis esset, vt prophetiæ ipsi lucẽ & auctoritatem eo tandem tempore afferret, quo Deus prophetiæ huius mysteria Fidelibus patefacere decreuisset.

Cur tanta libri huius obscuritas.

Licèt autem, quanta sit in hac re obscurè loquendi necessitas, adeò sit manifestum, vt aliis exemplis minimè indigeat; ceterùm 2. ad Thess.

Digitized by Google

Thess. 2. 7. in iis verbis, *Tantum vt qui tenet nunc, teneat*, habemus expressũ Pauli prudentię exẽplũ. Vbi Hieronymus notat, *Apostolũ fuisse obscurissimè locutum; ne causam persecutionis arriperẽt Romani; si diceret, delendum esse imperium.* Et Chrysostomus ac Theophylactus ibidem notant, magnam esse prudentiam, aduersarium nõ irritare; quando id potuit obscurè loquendo vitari.

Hæc obscuritas in Romana Ecclesia vtilitatem maximè redundat.

Præterea, tanta hæc libri obscuritas, & tot retro sæculis non satis percepta explicatio in maximam Romanæ Ecclesiæ maiestatem cedunt; cuius magnitudo & excellentia tam abditis & abstrusis mysteriis fuerat multò antè prædicta. Cedit etiam in ingentem diuinæ longanimitatis & prouidentiæ admirationem; quæ statuit ita obscurè & ænigmaticè hunc librum conscribi, & in media hac caligine & obscuritate summa Fidelium veneratione obseruari; & tot sæculorum seriem expectauit, donec reconditi huius arcani cognitio congruentissimo tempore patefiat.

9.

Tempus, quo Deus Apocalypsin suæ Ecclesiæ reserat, appropinquare, piè creditur est.

Quoniam verò multis abhinc annis mihi persuasi, Apocalypsin ad Romanæ Ecclesiæ dignitatem & splendorem pertinere; id mihi liceat suspicari, quod prudentibus probatum iri spero: scilicet imminere iam tempus, quo Deus difficilis huius ænigmatis interpretationem sit hominibus manifestaturus. Nam, vt Cardinalis Bellarminus sapienter notauit in præfatione ad tomum primum controuersiarum; ab ipso Ecclesiæ nascentis exordio hæretici ipsius hostes, Apostolici Symboli capita, siue articulos diuersis sæculis per ordinem impugnarunt. Contrà verò, diuina prouidentia eodem gradu atque tempore, eo plus singulis articulis lucis & roboris contulit, quo hæretici ipsos magis magisque obscurare & labefactare conabantur. Itaq; prioribus sæculis priora Symboli capita; mediis media; his demum postremis postrema sunt & impugnata ab hæreticis, & à Deo vicissim confirmata. His igitur calamitosis temporibus, eò hæreticorum amẽtia processit; vt omnes oppugnationes ac machinas ad Romanæ Ecclesiæ, ac Pontificis summi auctoritatem diruendam admoueant. Quod non est aliud, quàm illum articulum oppugnare; *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam.* Quid ergo opportunius, quàm vt antiquæ & obscuræ prophetiæ nouam & clarissimam lucem afferendo; Romanæ Ecclesiæ arcem, quam hæretici deijcere ac solo adæquare tantopere expetunt, nouis Deus propugnaculis eodem tempore muniat & obuallet? Quid Deo ipso dignius, quàm eodem libro, quo hæretici Romanæ Ecclesiæ bellum indicebant, illos glorioſissimè debellare? Quòd si ita accideret, non minùs in Catholicorum solatium, quàm in hæreticorum ignominiam redundaret.

Liceat mihi præterea cogitare & sperare; 10.
Deum singulare hoc beneficium in nostram Societatem collaturum; aliquem nempe ex ea selecturum, quo, vt instrumento, ad huius libri optatam ab Ecclesia interpretationem, vtatur. Tum vt hac denuo accessione sua in nos cumulet promerita; quibus ad peculiare Romani Pontificis obsequium & obedientiam nostræ Societatis homines singulari voto adderet, fuit dignatus. Tum etiam vt ij, quos hæretici tanquam acerrimos Romanæ Ecclesiæ defensores grauissimis odiis insectantur, hoc speciatim afficiantur honore, vt egregio hoc officio in Romanam Ecclesiam, summique Pontificis auctoritatem præstito, suam in ipsum pietatem & obseruantiam profiteantur.

Professii Societatis nostra peculiari se voto summo Pontifici adstringunt.

Licèt autem me ceterorum omnium ex nostra Societate indignissimum reputem, & quãtacũm sim ingenij exiguitate non ignorem: noui tamẽ Deũ ad digniorem & actioris ingenij virum seligendum nequaquam teneri constrictũ. Quin imò eo magis constare solet aliquid à Deo esse factũ, quo instrumentum, per quod factum est, minùs erat aptum & idoneum. Et quidẽ, quemadmodum ab omni arrogantia omnino velim esse immunis; ita etiã ad perfectam libri huius intelligentiam debeo aspirare: præsertim cùm hoc opus non meo consilio, sed Superiorũ iussu fuerim aggressus; qui id mihi muneris nec optãti, nec opinanti quidem imposuere, vt Apocalypseos interpretationi operã nauarem. Quoniam autem ad arduam hanc prouinciam suscipiendam, meam spem in B.P.N. Ignatij subsidio posui ac defixi; idcirco vt testarer, siquã huic libro lucem attuli, eam totam veluti scintillam clarissimæ huic faci à me referri acceptã, quam Deus in Ecclesia sua accendit; non tantùm ad hominum corda inflammanda, sed etiam ad illustrãdas mẽtes, cùm Ignatium Societatis IESV ducem ac parentem constituit. Vt meam, inquam, grati animi significationem testarer, placuit pietatis ergò expressis id verbis fateri. Quãobrem in breui oi Apocalypseos capitũ summa, quã argumento, & acoluthiæ subiecci, explicationi meę hunc titulum per acrosticha præfixi, AB IGNATII FACE SCINTILLA. Non absimili inuento Alfonsus Hispanię Rex suas septem Partitas ab his septem litteris inchoauit ALFONSO. Quæ tamen in ipsis Partitis adeò dispertitæ sunt, vt à paucis fortasse id animaduertatur. Nostra verò confessio magis in promptu est; vt faciliùs ab omnibus legi possit.

Alfonsus Hispaniæ Rex septem Partitas ex totidem sui nominis litteris inchoauit.

NOTATIO DECIMAQVINTA.

De summa huius libri perfectione symbolica.

1.

Symbolorũ perfectio in quo sita sit.

HACTENVS de auctoritate, de obscuritate, de argumento, & de veri argumẽti signis. Nunc ad summã perfectionẽ symbolicã, quæ in singulis seorsum symbolis elucet, deueniamus. Quæres peracris ingenij viros summa afficit voluptate. Perfectio namque symbolorum sita est in apta proportione, quæ inter symbolum ac rẽ per illud significatã reperitur. Ac vixest aliud, quod ita ingenium pascat & delectet, atq; optima rerũ inter se proportio & cõuenientia. Hoc facilè apparet in magno oblectamento, quod solẽt capere ingeniosorũ animi ex aptis allusionibus & cõcinnis comparationibus, quas in iis deprehendunt, quæ vel solutâ, vel strictâ, oratione

Digitized by Google

oratione legunt. Iam ſymbola & quæ ex iis conſtant ænigmata non aliud ſunt, quàm venuſtæ comparationes & alluſiones peracutæ; in quibus ſuppreſſa applicatione ſola exprimatur comparatio, vt ingenij acies hanc vnam ad rem vehementer intenta, veram applicationem acriori indagine perſcrutetur; atque eâ inuentâ, eo maiori afficiatur voluptate, quo maior eſt venandi leporem, quàm emendi voluptas.

2. *Iniuriam nõ Ioanni modò, ſed & Chriſto & Spiritui ſancto irrogat, qui hæc Apocalypſeos ſymbola non ſummè eſſe perfecta arbitratur.*

Symbolorum igitur ſumma perfectio conſtitit in ſumma proportione ſymboli cum ea re, ad quã ſignificandã vſurpatur: & in pulcherrima vnius rei ad alteram alluſione. Atqui iniuriam facit nõ Ioanni ſolùm; ſed Chriſto etiam, & ſancto Spiritui, qui credit huius libri ſymbola non ſummè eſſe, perfecta. Chriſtus horum eſt auctor ſymbolorum, ac ſummam ſapiẽtiam latêre non potuit ex rebus homini notis (vnde ſumenda erat ſignificatio ſymbolica) quæ illarũ eſſet propoſito myſterio cõgruentior. Nec cõſonũ rationi eſt, ipſum, cùm aptiora multò ſymbola præuiderit, minùs tamen aptum elegiſſe.

Interpres quid in ſymbolorum explicatione præſtare debeat.

Ex quo planè intelligitur, interpretem non ſatis ſuo muneri feciſſe, mediocri tantùm applicatione ad ſacræ Scripturæ ſymbolum excogitata. Indignum enim Spiritus ſancti ſapientiâ eſt; ſi exiſtimemus, ſe eo ſymbolo fuiſſe vſum, quod illi ſignificationi non deſeruiebat aptiſſimè. Etenim, ſi Virgilius comparationem, quæ ſatis concinna non eſſet, minimè afferret; quînam credibile eſt Spiritum ſanctum illud vſurpaſſe ſymbolum, quod optimi ingenij vir, vt ſuum, venditare erubeſceret? Animaduertendum porrò eſt, ſymbola eiuſdem ferè cõditionis eſſe cum poëſi; in qua mediocritas nullius pretij eſt, vt benè Horatius in arte poëtica:

——*Hoc tibi dictum*
Tolle memor: certis medium & tolerabile rebus
Rectè concedi. conſultor iuris & actor
Cauſarum mediocris, abeſt virtute diſerti
Meſſalæ; nec ſcit quantum Caſſelius Aulus;
Sed tamen in pretio eſt. Mediocribus eſſe poëtis
Non homines, non dij, non conceſſere columnæ.
Vt gratas inter menſas ſymphonia diſcors,
Et craſſum vnguentum, & Sardo cum melle papauer
Offendunt; poterat duci quia cœna ſine iſtis.
Sic animis natum inuentumq́; poëma iuuandis,
Si paulùm ſummo diſceſſit, vergit ad imum.

Quamobrem homo prudẽs & ingenioſus nullum debet ſymbolum aut ænigma edere, quod excellens non ſit ad ea, quæ velit, ſignificanda. Vnde etiam certò videtur inferri, Chriſti ſymbolorum mentem non fuiſſe illum aſſecutum, qui non animaduertit, vnumquodque ſymbolum eſſe ad ſuam ſignificationem aptiſſimum. Non igitur interpretis explet partes, qui figuram aliquam ſeu ſymbolum, quacumque proportionis vmbra inuenta, ad quamlibet pietatis ſpeciem, quæ primò occurrit, facilè aptat. Hoc ſi ad veram ſymboli ſignificationem ſatis eſſet, quo difficilior eſt Apocalypſis, eo facilior eſſet ipſius expoſitio; parit enim obſcuritas varietatem. Sed præter difficultatem deducendi filum & ſeriem ſymbolorum connectendi; in ſingulis etiam ſymbolis magnum eſt inter vnam & alteram applicationes diſcrimen: nec aliquid ad rem videtur eſſe factum, donec vnumquodque ſymbolorum ita aptatur, vt appareat mirum fuiſſe ſingulorum artificium. E contrario verò, ſi in applicatione, quæ omnia congruenter connectit, maximam cuiuſque ſymboli perfectionem cerneremus; tunc ipſamet ſymbolicæ ſignificationis pulchritudo valdè confirmaret, illam verè fuiſſe Chriſti Aſſertoris noſtri mentem.

Chriſti ſymbola perfectiſſima eſſe debere.

Quid in Apocalypſeos ſymbolis requiratur.

Verùm, vt ſymbolum aliquod in ratione ſua perfectum ſit & abſolutum, & ad eam, quæ affertur ſignificationem, excellens; non ſatis eſt vt aliqua ex parte ſit apta comparatio; ſed oportet vt omnibus ritè perſpectis, intellectui planum fiat, rem illam, quæ ad ſymbolum eligitur, fuiſſe factam aut creatam ad veritatem illam, cui applicatur, repræſentandam. Vulgare eſt in comparationibus, *eas non in omnibus tenere.* Quod etſi ſuo etiam modo ad ſymbola poſſit extendi; nihilominùs tamen multò cumulatior & perfectior debet eſſe proportio illius rei, quæ eo potiſſimùm fine fuit condita, vt aliquid aliud repræſentaret. Et quidem animaduerſione dignum eſt, eam abſolutam ſymboli rationẽ non in iis ſolùm rebus reperiri, quas ad aliarum ſignificationem ars excogitauit; ſed in iis etiam, quas ab initio Deus condidit, præter proprium cuiuſque finem. (cui iuxta inditas ſibi à natura vires, quæque deſeruit; vt ignis ad calefaciendum; ſol ad illuminandum; & ſic de aliis) præter eum, inquam finem, docet arcana philoſophia in rerum creatione, eam fuiſſe opificis & conditoris mentem; vt in rebus creatis, quæ ſub oculorum aſpectum cadunt, haberent homines mirifica ſymbola ac hieroglyphica; quæ hominibus ipſis myſticè indicarent doctrinam illam, quæ illorum maximè intereſt; veram ſcilicet de fide & moribus diſciplinam. Neque verò id fit, qua ratione cauſam effectus indicat, (hæc enim non obſcura eſt, ſed clara: non myſtica, ſed manifeſta ſignificatio) ſed quẽadmodum figura ſymbolica repræſentat figuratum. Arcanum hoc illis retegit Deus, quos reficere vult ac recreare admirabilis ſuæ prouidentiæ contemplatione, & magna corporearum rerum cum ſpiritualibus proportione & congruentia: quos hunc ad finem maxima ſpiritualium librorum copia locupletat; quibus campi, montes, mare, vaſtæ & incultæ ſolitudines, tota denique mundi vniuerſitas redundat. Hæc doctrina perdiſcitur, naturalium rerũ cognitionem cum attenta fidei myſteriorum cõſideratione coniungendo; miramq́; proportionem & ſimilitudinem ſpectando, quam ſingulis creatis rebus indidit Deus alicui ex fidei myſteriis appoſitè reſpondentem. Atque huius facultatis ſtudioſos nunquam aut libri, aut ſtudendi auiditas deficiunt; quin & ex ipſa rerum, quas ediſcunt, notitia, creſcit magis atque viget in eis legendi denuo ac diſcendi ardor. Quo fit, vt tantam elegantiam ac venuſtatem quotidie inueniant in ſignificatione mirabili, qua Deus elementa, plantas, animantia, metalla, ac lapides ipſos ornauit; vt ſibi pro comperto habeant, in harum rerum ſingulis, proprias ac naturales facultates, quas in ſe continent, mini-

3. *Optima ſymboli explicandi ratio quid exigat.*

Quem ad finem Deus creaturas produxerit.

Digitized by Google

minimam eſſe partem eorum, quæ in eis ſcitu digna reperiuntur. Quamobrem Origenes (vtpote in hac arcana diſciplina ſatis verſatus) homil. 3. in Cãtica: *Cùm plures,* inquit, *ſint, verbi gratia, in grano ſinapis virtutes, quæ rerũ cæleſtium imagines teneant; vltimus & extremus eius vſus eſt iſte, qui habetur apud homines in miniſterio corporali. Et ita etiam in reliquis vel ſeminibus, vel virgultis, vel radicibus, vel animantibus intelligi poteſt; vt vſum quidem & miniſterium hominibus præbeant, habeant autem incorporalium rerum imagines, quibus doceri anima poſſit & inſtrui, ad contemplanda ea, quæ ſunt inuiſibilia & cæleſtia.* Hanc ait Origenes verã eſſe ſcientiam, quam Sapiens, vt donum excellentiſſimũ Deo acceptum refert Sap. 7. num. 17. *Ipſe dedit mihi horum quæ ſunt, ſcientiam veram; vt ſciam naturas animalium, & iras beſtiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum; differẽtias virgultorum, & virtutes radicum; & quæcunque ſunt abſconſa & improuiſa didici. Omnium enim artifex docuit me ſapientia; eſt enim in illa Spiritus intelligentiæ ſanctus, vnicus, multiplex, ſubtilis, ſuauis, acutus,* &c.

Origenis mens de ſymbolica rerum creatarũ ſignificatione.

4. *Quæ ſit vera de rebus naturalibus ſcientia iuxta ſacræ Scripturæ phraſim.*

In his verbis aduerte, iuxta ſacræ Scripturæ phraſim, veram ac ſolidam rerum naturalium ſcientiam, illam eſſe, quæ & fidei & moribus probis deſeruit. Atque eapropter coniungit hîc Sapiens animantium facultates, ac belluarũ ferociam cum arcanis humani cordis cogitationibus, & cum iis myſteriis, quæ abſconſa & improuiſa appellat. Quam ad rem aſſerit; ſibi opem præſtitam à diuino Spiritu ſubtili, ſuaui & acuto; quẽ vnicum ac multiplicem nominat propter plurimarum rerum varietatem; quas ea proportione atque concentu coniungit, vt omnia mirificè inter ſe conſonent. Hæc poſtquam Origenes eleganti ratiocinatione prouexit, poſtremò his verbis finem imponit: *Cuncta igitur ex viſibilibus referri poſſunt ad inuiſibilia, & à corporibus ad incorporea, & à manifeſtis ad occulta; vt ita creatura mundi tali quadam diſpenſatione condita intelligatur per diuinam ſapientiam, quæ rebus ipſis & exemplis inuiſibilia nos de viſibilibus doceat, & à terrenis nos transferat ad cæleſtia.* Hactenus Origenes; qui non dubitat, eam fuiſſe præcipuam diuini opificis in rerum corporearum creatione mentem, vt myſteriorum noſtræ fidei ſymbola, ac veluti veſtigia præ ſe ferrent. Itaque propriũ ſingularum rerum munus, quo vſui corporum deſeruiunt, & in quo Ariſtotelis philoſophia conquieſceret, minimè fecit ſatis infinitæ Dei ſapientiæ, & præcipuæ ipſius de animarum ſalute prouidentiæ, nec admirabili conſilio, quo nos ex viſibilibus ad inuiſibilia, ex corporeis ad incorporea voluit attollere. Quapropter veriſimile eſt, infinitam Dei omnipotentiam, cùm infinitas animantium, plantarum ac lapidum ſpecies condere poſſet; ex ipſa rerum, quas in poteſtate habebat infinitate, eas rę ipſa elegiſſe atque creaſſe, quæ ad ſignificãda ſalutis noſtræ myſteria, & conuenientem morum diſciplinam, aptiores erant. Atque ea ratione factum eſt, vt vniuerſa hæc rerum creatarum machina cum admirando Dei in hominum ſalute conſilio ſuauiſſimum concentum efficeret; & res corporeæ ſpiritualium repræſentationi deſeruirent.

Deus ex infinitis rerum naturalium ſpeciebus, quas condere potuiſſet, cur has potiùs, quàm illas elegerit.

A Origeni conſonat Tertull. libro de Reſurrectione. Expendit enim, quòd cùm idem ſit auctor naturæ, qui gratiæ ac ſupernaturalium rerum; quaſdam effecit res naturales, quæ ordinem rerum ſupernaturalium aliquo velut paradigmate repræſentarent. Nec enim aliter ſapientiſſimus mundi opifex, atque omnium rerum molitor Deus architectatus eſt vniuerſa; quàm vt diuinitatis ſuę effigiem, atque pulcherrimam Chriſti ſui imaginem vultumque ac digitos in totius mundi tela imprimeret. Conſimilem ferè in modum ex Ariſtotele libro de Mundo, cap. 6. proditum accepimus, tanto Phidiæ artificio, tamque fallenti oculos ſymmetria, imaginem ſui ſimulachro deuinxiſſe Mineruæ; vt eximere inde ſi quis cuperet, alia via non poſſet, quàm vt ipſum ſimulachrum opuſque eiuſmodi compactile confunderet.

Tertullianus Origeni conſonat in rerum à Deo creatarum fine.

B

Dum hanc igitur rerum ſignificationem attentè mens conſiderat, tantoperè eâ capitur; vt id non immeritò iudicet, in plurimis ex iis rebus, quæ humano viſui ſunt obiectæ, licèt alioqui ad hominum vſus nullius vtilitatis forent; ſatis tamen ſuperque eſſe, eam ſignificationem in eis reperiri, quam vt indicarent, conditæ ſunt: vt ex eo ſolùm illarum productio congruentiſſima & Deo valdè digna videatur. Nec verò id propterea dixerim, quòd exiſtimem, creaturam aliquam eſſe, cuius natura aut hominibus, aut aliis animantibus, quibus homo indiget, non vſui & vtilitati ſit. Huius enim rei nulla tenet ſapientes dubitatio. Illud tamen aſſero, eâ etiam ſublata vtilitate, ſufficere adhuc ſignificationem ſymbolicam rebus ipſis innatam; vt eas condidiſſe ſummæ ſapientiæ fuiſſe appareat. Etenim in diuini conſilij ratione, maioris multò momenti eſt, viſibilem creaturam hominum animis ſpiritualis libri vices gerere, quàm eorundem hominum corporibus naturali commoditate ſeruire. Quòd ſi in hac commoditate naturalis philoſophia adeò admiratur Dei conditoris ſapientiam, prætermiſsâ ſpiritualium rerum repræſentatione; quanta illos occupabit admiratio, qui corpoream hanc rerum molem mentis oculis penetrantes, occultiorem illam Dei ſapientiam in eiſdem rebus abditam intuentur? Licèt autem Deus infinita ſua prouidentia atque ſapientia vtriſque hominum commodis tam corporum, quàm animarum, in mundi huius creatione conſuluerit; pluris tamen animi inſtitutionem, quàm corporis alimenta duxiſſe, quis dubitet?

C

D

5. *Symbolica naturalium rerũ ſignificatio quantopere ſapientium mentes capiat.*

Hunc eundem potiſſimùm finem in Iſraëlitici populi euentibus, & externa rerum facie Deus intendit; vt docet Paulus 1. Cor. 10. 11. *Omnia in figura contingebant illis.* Et quod maius eſt & excellentius; ipſa Chriſti Saluatoris noſtri miracula, reconditâ myſteriorum ſignificatione plena ſunt; vt conſtans eſt ſanctorum Patrum ſententia. *Habent enim Chriſti miracula, ſi intelligantur, linguam ſuam,* vt acutè Auguſtinus tract. 24. in Ioannem. Vide etiam eundem tract. 44. & Gregorium homilia 2. in Euan-

6. *Chriſti miracula reconditâ myſteriorum ſignificatione plena fuere.*

Euangelium. Perſpicuum autem eſt, cùm in veteris Teſtamenti figuris, tum in Chriſti Domini miraculis, ſignificationis elegantiam in eo ſitam eſſe, vt diuina prouidentia ipſis vtatur ſymbolis, quæ in prima mundi fabrica ediderat. Noua enim repræſentatio coaleſcit ex rerum, quibus ad eam opus eſt, coniunctione, vt ſingulæ propriam exerceant ſignificationem; eam nimirum, quam cuiuſque rei natura, pro inſita ſibi ſimilitudine, repræſentat. Atque hanc ſimilitudinem eo fine tribuit illi architectus Deus, vt eam ad altiora deinceps myſteria indicanda vſurparet; vtque ſuis familiaribus ſolatio & oblectamento eſſet. Itaque primigenia ſymbola atque emblemata illa propriè ſunt, quæ Deus in prima mundi ſtructura & editione, mirabili varietate produxit: atque ab his quidquid eſt boni, concinni & elegantis in ceteris hominum ſymbolis ſiue antiquis, ſiue recentibus, deriuatur. Neque enim ſatis aptum eſſe poteſt hieroglyphicum id, quod non in naturali aliqua fundetur proportione; cui Deus myſterij ſignificationem addictam & annexam eſſe voluit.

Quanam propria cuiuſque rei ſymbola.

7. Si ſuperiùs dicta attentè conſiderentur; facilè intelligitur ex ijs, proprium cuiuſq; rei ſymbolum illud eſſe, quod ſuam naturam ad eam rem ſignificandam accepit. Deinde, quis dubitet, totam ſymbolicæ ſignificationis elegãtiam conſiſtere in optimo ſymboli cum veritate, cui applicatur, connubio? Hoc eſt, vt ad illud myſterium adumbrandum nullum aliud præterea ſymbolum ita aptum & congruens excogitari poſſe videatur: & ſymbolum ipſum ad nullam aliam ſignificationem ita congruenter aptari poſſit. Atque ad hoc ſymbolicæ perfectionis faſtigium niti debet, qui Apocalypſeos explicat ſymbola. Exempla ſint. Applicantur nubes, Euangelicæ prædicationi; ſceptrũ ferreum, Chriſti regno; leo, virtuti ac fortitudini; vitulus, beneficentiæ; homo, rationi & iuſtitiæ; aquila, ſapientiæ; equus, ſaluti ſeu ſaluationi; ſol, diuinitati; luna, humanitati Chriſti, atque etiam Virgini Mariæ; horribilis grando, obſtinationi cordis; duodecim gemmæ, totidem per ordinem Apoſtolici Symboli articulis; ingens meſſis, multorum conuerſioni; magna vindemia, martyrio plurimorum; mirabilis terræ motus, admirandę rerum mutationi, &c. In hiſce omnibus illud interpretis debet eſſe munus, vt oſtendat, eiuſmodi ſymbola nulla alia ratione ita rectè ac cohærenter diſtribui, nec ad alias ſignificationes adeò aptè accommodari potuiſſe; nec in eorum loco alia potuiſſe ſymbola reponi æquè ad eam ſignificationem conducentia. Idem etiam ſtudendum interpreti eſt in ijs ſiue ſymbolis, ſiue alluſionibus, quæ ex veteribus hiſtorijs petuntur. *Omnia enim in figura contingebant illis.* Nam ſi ratio nos cogit, vt in iis ſymbolis, quæ ex rebus naturalibus Apocalypſis deſumit, ſymbolicam perfectionẽ in ſũmo gradu eſſe credamus; quis neſciat idem omnino eſſe dicendum in iis hieroglyphicis, quæ vel ad veteris inſtrumenti hiſtorias, vel Prophetarum vaticinia alludunt? Quamobrem ſi in Apocalypſi altaris ignis ad religionis & charitatis ignem; ſi viginti quatuor Salomonici templi principes, ad Eccleſię Chriſtianæ ſacerdotes; ſi Ægypti plagæ, ad eas, quibus Deus gentilitatem debellauit, plagas; ſi denique Cyri ac Darij per exhauſti fluminis alueum in Babylonem irruptio, ad nouum & inſperatum Chriſtianorum occupandæ Romæ conſilium & aggreſſionem applicatur; in iis atque aliis id genus ſymbolis, id vnum interpres ſpectare debet, vt planum faciat, non alia æquè apta & elegantia reperiri; neque illa in alia ſignificatione adeò concinnè exponi poſſe.

Varia Apocalypſeos ſymbola.

Quàm aptè debeãt ſymbola rebus, quibus deſeruiunt, quadrare.

Quod hactenus dictum eſt de perfectione ſymbolica, cogit, vt in ſingulis Apocalypſeos figuris nulla pars quantumuis exigua relinquatur, quæ non ad ænigmaticum ſenſum explicãda ſit. Sed dicet fortè aliquis, nimiam eſſe moroſitatem, omnia ſingillatim velle applicare: cuius opinioni non deerit patronus; cùm recẽs quidam ſcriptor prudens ac doctus, dum regulas ad Apocalypſeos intelligentiam præſcribit, hæc verba inter alia protulerit: *In tractandis, ait, viſionibus huius libri non ſunt omnia ad viuum reſecanda, nec minutiſſima quæque ſcrutanda: neque nimis moroſè & anxiè inhærendum ſingulis verbis; neque de accommodatione omnium ad id, quod nos intendimus, ac docere volumus, nimio plus laborandum. Hoc etiam ſeruandum eſſe in tractandis parabolis monuit Chryſoſtomus, Matth 25. Satis igitur fuerit ſcopum, ad quem tota viſio dirigitur, indicare, & oſtendere principales eius viſionis partes ad id, quod nos intendimus, aptè & congruẽter accommodari, & bellè quadrare.* Hęc ille. Et præter homiliam illam Chryſoſtomi in Matthęum, quæ eſt 63. Theophylactus Lucæ 16. ait, *Non oportet omnes parabolarum partes curioſiùs inquirere; ſed quatenus propoſito vtiles. Reliqua enim omittenda ſunt, quaſi parabolam contexentes, & nihil ad propoſitum conducentes.* Præter hæc, Auguſtinus de Ciuitate libr. 16. cap. 2. fin. *Propter ea*, inquit, *quæ aliquid ſignificant, etiam ea, quæ nihil ſignificant, attexuntur. Solo enim vomere terra proſcinditur; ſed vt hoc fieri poſſit, etiam cetera aratri membra ſunt neceſſaria: & ſoli nerui in citharis aptantur ad cantum; ſed vt aptari poſſint, inſunt & cetera in compaginibus organorum, quæ non percutiuntur à canentibus; ſed ea, quæ percuſſa reſonant, his connectuntur. ita in prophetica hiſtoria dicuntur etiam aliqua, quæ nihil ſignificant; ſed quibus adhæreant quæ ſignificant.*

8. *Nihil in Apocalypſeos figuris eſſe debet, quod non ad ænigmatici ſenſus normam rediigatur.*

Hanc ad rem alia poſſent inſuper afferri: ſed meo iudicio, valdè aberrãt qui exiſtimãt, quod de parabolis dicitur, ad ænigmaticas viſiones pari ratione poſſe extendi. De parabolis quidẽ eſt alia ratio, vt infrà dicam. Ceterùm de viſionibus ænigmaticis; qui arbitratur ſacrã Scripturam addere aliqua, quæ nihil ad ſignificationem myſterij deſeruiant; ille profectò Spiritus ſancti ſapientiæ iniuriam irrogat. Quis enim dubitet ænigma multò perfectius fore, ſi nihil contineat omnino, quod myſterio careat? Aut quis ignoret, nonnulla minutiora nihil ad ſignificationem conducentia in ænigma ingerere; nihil eſſe aliud, quàm verſum inutilibus & ſuperuacuis dictionibus infarcire? Quis enim ingenioſus homo auderet proferre in lucem aliquod ænigma, cuius nonnullæ partes nulli eſſent vſui & vtilitati ad ſignificandum? Cur igitur illud Spiritui ſancto tribuatur, quod ingenioſi hominis ſapientiâ ac prudentiâ indignum

9. *Inter parabola & ænigmatis interpretationem quid interſit.*

Digitized by Google

In sacri ænigmatis explicatione, satius esse nostram ignorantiã, quàm aliquam eius partem minùs aptam fateri.

gnum prorsus existimemus? Quanto prudentius erit, quod explicare aut applicare nescimus, in eo grande aliquod mysteriũ abstrusum esse, planè fateri; quod nostra exilitas ac paruitas consequi nequeat: quàm temerè & audacter proferre, nihil ibi latêre mysterij? Multo aliter iudicaret Augustinus; cuius ea sunt verba in proœmio psal. 118. de illius expositione agens, *Quanto videtur apertior, tanto mihi profundior videri solet; ita vt etiam quàm sit profundus, demonstrare non possim*, &c. Quare mea quidem sentẽtia consultius est ad Augustini imitationem, credere nos alicuius visionis scopum non collineasse; quando reliquæ sunt partes aliquæ, quæ explicari & applicari adhuc non possunt; quàm nobis persuadere, satis esse, vt præcipuæ applicentur partes; nec oportere vt minutiorum applicatio quæratur. Nostram certè ignorationẽ cõfiteri satius est, quàm eorum, quæ ignoramus, culpam in Scripturam conferre. Etenim si in acuti & perspicacis ingenij ænigmate, illum non immeritò irrideremus, qui se ipsius sensum probè assecutum esse iactaret; cùm tamen aliquæ partes à se non intellectæ nec applicatæ manerent: illum etiam non iniuria irridere possemus, qui sacræ Scripturæ ænigma aliquod se intelligere affirmaret; propterea quòd illud solùm applicet, quod sibi videtur præcipuum, ceteris intactis prætermissis.

10. *Obiectio.*

Dices, eandem videri esse rationem parabolarum & ænigmatũ; & de parabolis id expresẽ docere Chrysostomum, Augustinum & Theophylactum, quod suprà vidimus. *Solvitur.* Ad hoc dico, Augustinum, (vt ex ipsius contextu euidẽs est) non ibi de parabolis agere, sed de sacræ Scripturæ historijs; ibi enim manifestè loquitur de Noë & filiorum historia. Atque in eius enarratione asserit, eam fuisse Spiritus sancti mẽtem, vt mysterium agnosceremus, quod Deus in ea voluit significari. Quod vbi fuerit animaduersum, clarè perspicitur, Augustinum satis meritò dixisse, non opus esse, vt vniuersa historia secũdùm omnes sui partes illi mysterio significãdo deseruiat. Ad cuius probationem mirificè conducunt duo illa aratri & citharæ exempla.

11. *Quæ in sacris parabola appellantur, omnes esse fictas, non est necesse.*

Atque vt ad parabolas deueniamus; non est necesse, vt omnes, quæ parabolæ appellantur, fictæ sint. Qua enim ratione referri potest ficta aliqua narratio, vt per eam salutis doctrina explicetur; eãdem recenseri potest vera historia ad ipsammet doctrinam elucidandam. Exempli gratia, si historia de filio prodigo in aliqua orbis parte eodem modo, quo à Christo narratur, accidisset; ad Christi mentem seu finem, quem intendebat, non minùs esset apta, quàm si illam omnino finxisset. Imò verò non desunt, qui existiment parabolas omnes, quas narrauit Christus, veras fuisse historias, quæ alicubi acciderant. Nemo enim ficta vtitur narratione, quando veram nouit historiam, quæ æqualiter possit eidem instituto conducere. Atque homines aliquos ita insigni memoria & ingenio præditos videmus, vt quamcumque ad rem, de qua incidat sermo, veræ alicuius historiæ meminerint, eamque appositè recensere cũ audientium admiratione norint. Si ergo id in homuncionibus ex luto effictis reperitur; Christus, qui historias omnes, quotquot in toto terrarum orbe euenerant, habebat in promptu, quid necesse habebat fictis narrationibus vti, cùm iis, quas nouerat innumeras, vti posset?

12. *Damasceni mens de parabolarum veritate.*

Hæc fortè ratio est, quæ Damascenum impulit, vt diceret, sermone de iis qui in fide migrarunt; *Ne quis dicat, quòd parabola sit, propterea minùs satis comprobatum, quod propositũ fuerat. Sciat diuinas Saluatoris nostri parabolas, rerum esse existentium, sicut in eis contentæ sunt & demonstratæ.* Hæc Damascenus. Si verò Christi parabolæ, historiæ veræ sunt; ad eas extendi potest, quod Augustinus asserit de historia Noë. Notum enim est, prudenter satis referri veram aliquam historiã, quæ alibi accidit; vt quod præcipuum in ea est ad rem illam, de qua agitur, applicetur. Quòd si Chrysostomus & Theophylactus arbitrãtur in Christi parabolis esse aliquid, quod mysterio vtile non sit; verisimile est, illos existimare, veras esse narrationes. Nam in fictis præstat fortasse, nihil absque mysterio fingere. Aut forsitan quod dicunt, non de omnibus Christi parabolis, sed de nonnullis singillatim intelligẽdum est. Atqui aliquas ex Christi parabolis, veras fuisse historias, quis dubitet? Si tamen in parabolis doceat prudentia non ea solùm debere confingi, quibus inest mysterium; sed nonnulla etiam, quæ ipsam narrationem ad imitationem veræ historiæ comitentur; id saltem in ænigmaticis ac symbolicis visionibus abs re est; quarum lex est, vt nihil absque mysterio contineant: atque adeò addere aliquid in ænigmate, quod mysterio vacet, perinde est, ac ineptum ænigma proferre.

13. *Chrysost. & Theophylactus explicantur.*

Ceterùm vt regrediar ad Chrysostomum & Theophylactum; verisimile existimo, illorum mentem esse, non vt superuacanea esse in parabolis verba aliqua affirmẽt; sed vt qui omnium sensum assequi non potuerit, præcipuarum partium intelligentia contentus sit, & ex iis fructum percipere cõnetur; nec tam de noua mysteriorum inquisitione solicitus sit, quàm de fructu capiendo ex iis, quæ probè intellexit. In quo tamen non negatur, quamlibet earum particulam, licèt valdè exiguam, reconditis sensis scatere; sed prudenter monentur concionatores, vt ad audientium potiùs fructum, quàm ad ingenij ostentationem, mentem intendant.

Et quidquid sit de mente Chrysostomi & Theophylacti; illud certè indubitatum est, eum, qui ex visione ænigmatica nihil non aptè & concinnè applicat, multo magis cunctis satisfacere; quàm qui ea tantùm applicat, quæ sibi potiora videbantur. Quamobrem inuenta expositione aliqua, quæ omnia etiam minutissima egregiè quadret; euidenter demonstrabitur, interpretationem illam, quæ omnium applicationem assequi non potuit, veram & germanam non fuisse.

Digitized by Google

NOTATIO DECIMASEXTA.

De energia perfecti symboli, & an claritati deseruiat.

1. DIximvs de perfecta propositione. Nunc de energia, id est, de vi & efficacitate optimi cuiusq; symboli; quod postquã ritè est applicatum, multo plus vno aut altero verbo complectitur, quàm aliter magno verborum anfractu dici posset. Solent magna & perspicacia ingenia breui interdũ sententia multo plus, quàm alij ingẽti volumine coërcere. quod perinde est, ac maris immensitatem quodammodo in nuce includere. Eiusmodi ergo energia nulla alia in re ita elucet, atque in excellentibus symbolis; quæ ob mentis oculos posita, integri sæpe libri materiam vnico verbo complectuntur. Cùm enim totam suam naturam ad peculiarem rem significandam acceperint; omnes, quas habent vires ac facultates, eidem significationi augendæ & perficiẽdæ deseruiunt. Etenim cùm, v. g. legimus: *Byssinum iustificationes sunt Sanctorum*; in hac veluti summa, liber integer de byssi, seu lini dotibus & facultatibus continetur. Atque huc spectant, quæ Plinius de lino latè scripsit; *& de iniurijs* (sic enim ille) *quibus semper melius, id est, candidius & splendidius euadit*. Consideratisque iis omnibus, quę lino sunt propria, & animaduersâ pulcherrimâ eorum omnium proportione ad iustificationes Sanctorum significandas; non est maius vero, in symbolica lini significatione integri libri materiam recondi. Idem dico de margaritarum symbolo ad virginitatem significãdam; ac de singulis gemmarum ad eum, cui aptantur articulũ. Et certè tot tantaque sunt, quę in vnoquoque symbolorum eiusmodi includuntur; tam æqua & apta eorum proportio, vt attentè consideranti ingentem pariat admirationem.

Exempla de eleganti symbolorum Apocalypseos significatione.

2. Iam verò, cùm in symbolis aliquæ ex sacris Litteris historiæ perstringuntur; liquet planè, latissimum ea ratione aperiri campum. Verbi gratia, vbi per nubes affirmatur Euangelij concionatores indicari: si præter naturales nubium qualitates, (in quibus tanta est ratiocinandi seges) mentis aciem in iis defigamus nubibus, quibus olim Deus suam voluit maiestatem ac præsentiam testari; vt per desertum *in columna nubis*; in monte Sina, quando ad legis promulgationem *operuit nubes montem*: in dedicatione tum tabernaculi, tum templi Salomonis; *cùm operuit nubes tabernaculum*: &, *nebula impleuit domum Dei*. Denique in Christi transfiguratione & Ascensione, *Nubes lucida obumbrauit eos*. Et, *Nubes suscepit eum ab oculis eorum*. Si ad hæc igitur omnia in Apocalypseos nubibus respicitur; quis possit verbis complecti, quæ nubium symbolum in se habet inclusa? Infiniti penè operis sit, si alia id genus symbola velimus percurrere; & expendere, quàm sit fœcunda, & quanta rerum vbertate affluens propria vniuscuiusque symboli significatio.

Quantus in sacris symbolis campus ingenijs pateat.

Exod. 13. 21. Exod. 24. 15. Exod. 40. 34. 3. Reg. 8. 10. Matth. 17. 5. Act. 1. 9.

Sed præter eam fœcunditatem, illud habent singulare symbola; quòd cùm multa summa breuitate complectantur, nihilominùs breuitatem comitetur maxima perspicuitas. Hoc aliquis fortasse primo aspectu, fieri non posse iudicabit. nam, vt rectè Horatius,

3. *Symbolorũ fœcunditatem & breuitas & perspicuitas comitantur.*

—— *Breuis esse laboro;*
Obscurus fio. ——

In Arte Poët.

Quî igitur claritas esse potest, vbi libri integri doctrina vnico verbo clauditur? Cui ego vicissim non nego, symbola, priusquam applicẽtur, non satis percipi, quin obscura valdè, & difficilis ænigmatis instar esse. Quando verò optimè accommodantur, tota illa obscuritas in magnã desinit claritatem. Cùm enim iuxta Aristotelẽ, *nihil sit in intellectu, quin priùs fuerit in sensu*; hinc fit, vt ex rerum corporearum comparatione ad cognitionem spiritualium ascendamus. Quo verò comparatio melior est, eo plus illis lucis & claritatis affert. Quòd si ità est; nullis verbis rei spiritualis veritas clariùs explicari potest, quàm symbolis; quæ inter cõparationes aptissima & excellentissima sunt. Siquidem ex iis rebus desumuntur, quarum natura ad illud, cui aptantur, significandum producta fuit.

4. *Fideles in rerum supernaturalium cognitione per meliorem veritatis creditæ perceptionẽ illustrantur.*

Notò prætera, rerum spiritualium cognitionem, (quod neminem latet) non habere à fide claritatem: fides enim per se obscura est. Cum ea tamen bene stat, fideles in rerum supernaturalium cognitione proficere, & illustrari per melioré veritatis creditæ perceptionem, per apprehensionem perspicaciorem, per maiorem eorum quæ fides docet, æstimationẽ. Quam cognitionis excellentiam suo modo possumus claritatem appellare. Ad hanc ergo claritatem notum est, significantiores comparationes plurimum conferre, atque illis cognitæ veritatis conceptionem pleniorem fieri & illustriorem; & perfectiùs apprehendi ab intellectu, quæ absque comparationibus nõ adeò distinctè percipiebantur. Cùm autem symbola inter ceteras comparationes valdè emineant; non dubium est, quin permagnì interfint ad grauius veritatis pondus & æstimationẽ. Quãta verò sit symbolorum seu comparationum necessitas, ad rerum spiritualium declarationem; spiritualis vitæ magistri valdè ponderant, eamque Dionysij Areopagitæ, ipsiusque Pauli doctrinâ confirmant. Et remotis comparationibus, aiunt, Christianæ Philosophiæ arcana explicari vix posse. Constat ergo spirituali doctrinæ & cognitioni magnam claritatis lucem ex optimis symbolis accedere; scilicet quando interpretatio symbolum veritati per illud significatæ perfectè aptat.

5. Hæc omnia si ita sunt, vt reuera sunt: cùm Apocalypseos symbola tantopere excellentiâ & elegantiâ præstent, negari non potest, quin vera

Digitized by Google

Ex Apocalypſeos explicatione magnam accipit lucem ſpiritalis doctrina.

vera Apocalypſeos expoſitio, magnã ſit lucem ſpirituali doctrinæ allatura. Id vt exemplo comprobemus; de ſacerdotalis dignitatis præſtantia multa poſſunt acutè & ingeniosè dici; meo tamen iudicio quęcumque humana ratiocinatio in ea re conſequi poteſt & expendere; dignitatis huius celſitatem minùs explicant, quàm vnum Apocalypſeos ſymbolum; in quo viginti quatuor ſenioribus coram ſupremo Deo, throni, (id eſt ſellæ regiæ cum hypopodio) conceduntur. Etenim ſi ibi ſacerdotalis dignitas & excellentia repræſentatur; quid aliud potuit cõfingi, quod ita ſignificanter exprimat celſiſſimam illam officij maieſtatem; quæ non ſella tantùm, ſed regali etiam throno coram infinito Deo donatur? Apocal. 4. 4. *In circuitu throni ſedilia viginti quatuor, & ſuper thronos viginti quatuor ſeniores ſedentes.* Satis nunc ſit, locum quaſi digito B oſtendiſſe. Et ſimile eſt in aliis permultis; quibus mirum eſt, quanta cognitionis lux fidei myſteriis effulgeat. In iis quæ ad morum doctrinam ſpectant, non minor eſt claritas, quæ ex ſymbolicis his ſignificationibus accipitur. Nam quod attinet ad humani cordis affectiones, de quibus ſpiritualis vitæ doctores ſapienter ac copiosè agunt; vniuerſæ eorum morali philoſophiæ magna oboritur lux ex cap. 9. Apocalypſeos, ſi ſub fraudulentis illis locuſtis, cordis deſideria; ſub furentibus equis, iræ ac furores ſignificentur; quæ ſunt veluti Sirenes ac furiæ huius tantæ tamque admirandæ tragœdiæ. Et quæ de his ſymbolis exempli gratia ſubdidi; de ceteris omnibus dici ſimiliter poſſunt. Demum concludo, non magnam ſolùm eſſe ſymbolorũ Apocalypſeos elegantiam, non mirã ſolùm C energiam; ſed, quod mirabilius eſt, clariſſimam quoque eſſe lucem, quam præpotens Deus in his ſymbolis abſtruſit. Et mirum ſanè eſt, ex libro ita obſcuro tantum claritatis elici poſſe: certiſſimum tamen id eſſe debet. Nec verò inuſitatum Deo eſt efficere, vt lux de tenebris ſplendeſcat, de quo vide 2. Corinth. 4. 6.

Ad moralem doctrinam magna ex Apocalypſi lux refunditur.

In obſcuris Apocal. ſymbolis magnam lucem delitescere.

Ex iis, quæ ſuperiùs diximus, illud etiam obiter conſtare velim; Ioannem in ipſismet veritatibus, quarum antea cognitionem imbiberat, multò magis ſapientem & illuſtratum ex tot ſymbolorum reuelatione euaſiſſe. Atque hæc maior lux in fidei myſteriis atque doctrina, pluris à Dei familiariſſimis æſtimatur, quàm aliarum denuo veritatum, quæ ſibi priùs erant ignotæ, reuelatio.

6. Ioannes ex huius libri ſymbolis multò magis illuſtratus euaſit.

Quòd ſi me aliquis roget; an cenſeam, iuxta A meam huius libri interpretationem, Ioanni in hoc libro res aliquas, quas ipſe antea neſciebat, fuiſſe prædictas? Reſpondeo, non dubitandum eſſe, quin Ioannes probè noſſet Chriſtiano populo apud Danielem promiſſum fuiſſe mundi dominatũ, & de Romano Imperio triũphum: nihilominus tamen certũ videtur ex eadem victoria atque triumpho, in Apocalypſeos reuelatione multa fuiſſe illi clarè ac diſtinctè oſtenſa, quæ antea non nouerat, & quorum cognitio ingenti eum affecit voluptate: ſcilicet, magnam illã victoriam, ex Romæ conuerſione principium ſumpturam, & qua ratione, quibuſque inſtrumentis fuerat ad Chriſti fidem conuertenda; quanta porrò erat futura nouæ Romæ ſanctitas atque auctoritas; quanta Chriſtiani populi acceſſio & incrementũ; atque alia eiuſdem rationis, quæ latiùs in argumẽto perſtrinximus, & ſuis inferiùs locis explicabimus. Itaque in hac reuelatione Ioanni oſtenſa, illud ei videtur accidiſſe, quod Angelis in humani generis redemptionis myſterio euenisſe D. Thomas affirmat: licèt enim conſtet, ipſis ante Chriſti incarnationem hoc myſterium innotuiſſe; poſtea tamen Chriſti doctrina, & ipſius rei ſucceſſu & euidẽtia, plures denuò circumſtantias cognouerunt, quarum antea cognitionẽ non habebãt. Etquãuis rèuelatio Angelis facta non per ſymbola & ænigmata, ſed propria & aperta fuerit; Ioanni autem in ſymbolis & ænigmatis ſit oſtenſa; ceterùm qui ænigmata planè percipit, clariſſimam rei ſibi ſignificatæ notitiam aſſequitur. Atqui cõpertum eſt, Ioanni fuiſſe omnino explicatum ænigmaticæ huius actionis ſenſum. Prętereaquòd, cùm eſſet cæleſti luce illuſtratus, & ſacræ Scripturæ myſteriis aſſuetus, licet ſingillatim nõ illi huius viſionis interpretatio indicaretur; de eius tamen intelligentia neutiquam dubitaret. Cùm enim ſibi indubitatũ eſſet, in Babylone Romam deſignari, & in ſacris Litteris ignem eſſe Sp. ſancti ſymbolum: ex eo quòd illi prænunciaretur Babylonem citò igne conflagraturam; qui ita acutè percalebat, non magis dubitaret de ſenſu, quàm ſi ei apertè diceretur, Romam eo igne fore inflammandam, quem Chriſtus venit mittere in terram, & ſic de ceteris.

An Ioannes Apocalypſeos reuelationibus fuerit nouas veritates edoctus.

Nec plura de his. illud tãdem pro colophone addidero, non fruſtra nobilia & perſpicacia ingenia naturâ ſuâ ad ſymbola, emblemata & ænigmata ingenti cum voluptate ferri; quin & ſacras ipſas Litteras eiuſmodi ſymbolis & myſticis ſignificationibus ſcatêre.

NOTATIO DECIMASEPTIMA.

Ex clariori eiuſdem doctrinæ perceptione colligi interdum multa, quæ noua primo aſpectu videantur.

1. APOCALYPSEOS ſymbola, vbi cognita D perſpicuè fuerint, magnam ſpirituali doctrinæ lucem & claritatem allatura, ſuperiori notatione oſtenſum eſt; atque illud additum, nouam myſteriorum fidei lucem, quæ clario-

Alcaſar in Apocal.

rem eorundem inſpectionem efficiat, pluris fieri debere, quàm veritatum nouarum reuelationem. His modò id annecto: quod etſi ſpiritualibus viris compertum ſit, omittere tamen in præſenti non debui: Nempe, eos, qui maio-

Digitized by Google

rem & clariorem lucem earumdem veritatum, quæ omnibus notæ sunt, adipiscuntur; quædam animaduertere, quæ minùs acutè inspicientibus, noua videri solent: cùm tamen noua doctrina non sit, sed vnius veritatis cum alia cõparatio. Id quod hominum verè spiritualium proprium est; vt sapienter Paulus 1. Cor. 2. 13. *Loquimur in doctrina Spiritus spiritualibus spiritualia comparantes.* Exemplum esto, quod frequenter vsu venit. Qui enim Christianæ fidei rudimẽta, quę pueris etiam proponi solent, satis edoctus, nũquam tamen eorum inter se comparationem audierat; hic sanè absque noua aliqua doctrina, ex attenta solùm mysteriorum, quæ iam didicit meditatione, & acriore adhuc perceptione; id tandem cernit, quod sibi antea distinctè propositum non fuerat, videlicet, tria illa Christi incarnationis, passionis, & Eucharistiæ beneficia inter cetera omnia in genus hominum collata, clariora longè esse & præstantiora. Hæc beneficiorum quorumdam cum aliis comparatio sibi antea clarè prædicta non erat: sed ille Dei gratia adiutus assidua doctrinæ sibi traditæ cõsideratione, & spiritualibus spiritualia comparando, discit per se, quod non fuerat doctus ab aliis. Nec tamen nouam doctrinam discit; quãuis noua sibi in ea claritas effulgeat. Porrò iis comparationibus mirum in modum crescit spiritualis doctrinæ æstimatio atque distinctio. Quod viri pij, & diuinis contemplationibus dediti experimento affatim didicerunt.

Multa non noua, sed nouè exhac interpretatione colligi.

Ex noua sacrorum mysteriorum comparatione, noua ipsorum mysteriorum cognitioni lux oboritur.

2. His igitur nouis diuinarum rerum comparationibus existimo permagnam in Apocalypsi lucem afferri; cùm ex argumenti filo ac serie, tum ex accurata mysteriorum fidei tractatione; non tam ad eorum corpus quàm ad animam & medullam spectante. Quod quoniã magni momenti esse duxi, in peculiari notatione seponere statui; & ad nonnulla singillatim descendere, valdè digna, quæ à Christianis hominibus ponderentur.

Septem diuina prouidentia perfectiones in septem primi capitis spiritibus adumbrata.

Primò, vt de septem spiritibus loquamur, quos in ipsa capitis primi salutatione legimus; si vera explicatio sit, quam ipse sequor, de septẽ diuinæ prouidentiæ perfectionibus; ei, qui in attenta diuinæ prouidentiæ consideratione non fuerit versatus, nouũ fortasse videatur eius prouidentiæ perfectionem ad septem spiritus seu virtutes reduci. Verùm qui in fidei mysteriis meditationis fixerit pedem; magnam proculdubio inueniet lucem; magnaque perfundetur voluptate; vbi aduertit diuinæ prouidentiæ perfectiones seu virtutes in septem, nostro modo, partiri. Quem numerum in septem sigillis obseruauit Ioannes; perspexit enim in singulis sigillis, latêre priùs, deindè retegi atque patêre earum perfectionum singulas. Cumque animaduerteret, sigilla esse non ampliùs septem; hinc manifestè elicuit, in illo septenario infinitam Dei prouidentiæ perfectionem contineri: atque adeò sub his septem rationibus esse spiritualibus nominibus venerandam.

3. Non me latet, (quæ est in humanis ingeniis diuersitas) aliquos fortasse nõ defuturos, apud quos mea hæc de septem spiritibus expositio non bene de nouitate audiat. Ceterùm, aliud est disputare, vtrùm doctrina hęc de septem diuinæ prouidentiæ perfectionibus sit noua; aliud, vtrùm hæc fuerit Ioannis mens, quando de septem Dei spiritibus meminit. Quod ad primum attinet; non in hoc tantùm loco, sed generatim loquendo, id apud me firmiter statui; non solùm, nequid nouum in doctrina, sed etiam nequid minùs certum & in quo variis Catholicorum opinionibus disceptetur, in tota Apocalypsi proferam. Existimo enim imprudentiæ notam mihi posse inuri; si Apocalypseos ænigmata ad eius rei explicationem traherem, quæ non sit certa & communis Catholicorum omnium doctrina; in qua consentiendum nobis omnibus necessariò sit. In aliis liceat sanè vnicuique hanc aut illam probabilem opinionẽ defendere. At ænigmata ad opinionum significationem non ita aptè vsurpantur; aptissimè verò ad communem totius Ecclesiæ doctrinam, in quam vt certam atque ab omnibus receptam Catholici omnes pedibus (quod aiunt) ire debent. Atq; in hoc sensu prudentissimum est illud ex Dionysio, *Theologia symbolica non est argumẽtatiua.* De quo suprà notat. 10. Nec enim consentaneum est, ænigmatum interpretatione vti velle ad singularem interpretis opinionem suadendam. Itaque quocunque in loco aliquam Apocalypseos interpretationẽ sequor, hoc ipso in primis statuo, doctrinam ipsam, cui textum applico, non esse alicuius propriam, aut duorum vel trium opinionem, sed communem Catholicorum omnium sententiam. In quo, si fallor, meam expositionem irritam ac nullam esse volo: Huius enim ædificij fundamentum in vera ac solida doctrina iacere statuo. Iuxta id, *Principium verborum tuorum veritas,* Psal. 118. 160. Cum hoc tamẽ rectè componitur, aliquid interdum in Apocalypsi iuxta meam explicationem reperiri, quod prima specie videatur nouum: propterea quòd à multis illac fuerit obiter prætergressum. Non tamen semper id est re vera nouum, quod prima specie nouum videtur. Aduertit hoc M. Tullius lib. de Perfecto oratore; vbi ait, *Quidam reprehendent; quòd inusitatas vias indagemus, tritas relinquamus. Ego autem & me sæpe noua videri dicere intelligo; cùm pervetera dicam, sed inaudita plerisque.* Contingit sanè aliqua propterea noua & inaudita nonnullis videri, quòd ea non antea seriò considerauerint: quæ tamen ita sint in communi ac certa omnium doctrina solidata; vt nil aliud sint, quàm noua veteris mysterij ponderatio; noua veteris doctrinæ animaduersio; & vnius virtutis cum alia comparatio. Quemadmodum si, verbi gratia, asseramus Dominicæ incarnationis, passionis, & Eucharistiæ beneficia potissima esse omnium, quotquot in nos contulit Deus. Hoc enim qui neget (nisi fidem etiam negare velit) quid dicat, planè non intelligit. Similiter ergo diuinę prouidentiæ perfectiones seu virtutes ad septem reuocare, nonest distinctionem aliquam in diuina natura constituere: sed de Dei attributis ac virtutibus pro nostro captu loqui, atque ex Apocalypseos visione colligere, in septem sigillis totidem diuinæ prouidentiæ perfectiones considerari. Nempe, *magni animi*

In tota hac interpretatione nihil in doctrina aut nouum, aut minùs certum adstruitur.

Ænigmatis solutio ad opinionum probationẽ non aptè vsurpata.

Cur nonnulla plèrisque videantur noua, alioqui antiqua iam & recepta.

Virtu-

Digitized by Google

Virtutem; *Beneficentiam*, *Aequitatem*, ac *Sapientiam*. Quorum documenta clarissima in Iudæis ad Christi fidem conuersis mirè edidit, *Patientiam* porrò, *Comminationem*, ac *Seueritatem*; quibus in rebelles Iudæos, & Christi fidem resp uentes, vsus fuit. Atque ex penitissima huius discursus intelligentia planum fit, totam Dei prouidentiæ perfectionem in septem illis attributis consistere. Atque hæc de primo superioris diuisionis membro.

4. Iam quod ad alterum spectat; vtrùm scilicet, ea fuerit Ioannis mens, cùm de septé spiritibus mentionem fecit? & vtrùm septem spirituum nomen, septem illis virtutibus aptè quadret? Quamuis meam ipse interpretationem ita verâ existimem, vt de ea nulla me teneat dubitatio; sed neque hîc probandi locus est, nec ceteros ad meam adducere sententiam contenderim. Vnusquisque in suo sensu abundet. Atque in hoc non valdè laboro; ne quis meam declarationem nouam esse credat: fortassis enim hac in re, vt in aliis etiam non paucis, aliquam præ se fert nouitatem; non tamen ita magnam, quin in præcipua totius corporis fabrica & structura auctores habeat & architectos, tum ex veteribus, tum ex recentioribus non ignobiles, vt vidimus notat. 12. Illud ergo inprimis statuamus oportet, doctrinam esse certam, & extra omnem controuersiæ aleam inter Catholicos positam; posteà verò ad expositionis nouitatem pergemus, & ad nouæ explicationis censuram, de quo infrà notat. 19. Sed vt hoc etiam obiter dixerim; vbi de doctrinæ firmitate & excellentia constet, hoc ipsum ad nostram declarationem confirmandam conducet.

5. Vt verò ad eandem de septem spiritibus veritatem regrediar; tantum abest vt eiusmodi doctrinam, tanquam nouam reijciendam esse A verear, vt licèt mea interpretatio nullius præterea vsus & vtilitatis foret, quàm vt spiritualis vitæ sectatoribus hoc munusculum deferrem, ac de septem spirituum excellentia agerem: meum tamen hunc laborem non cassum & inutilem, sed vtilem fore ac fructuosum ducerem. Verè enim tractus hic in Apocalypseos primis ac potissimis debet numerari. Sed de hoc latiùs suo loco. Et breuiter percurro nonnullas alias huiusmodi considerationes, quas nobis Apocalypsis abundè suppeditat. *Doctrina de septem diuina prouidentiæ spiritibus viris spiritualibus valdè vtilis.*

Ex his est, conscientiarum discrimina in Christianis hominibus esse septé; quarum ad singulas singulæ Christi epistolæ in secũdo & tertio capitibus diriguntur. Atq; ibi ostendemus, diuisionẽ hãc septé conscientiarũ, nec in plura, nec in pauciora membra fieri debuisse; idque dignũ valdè esse, quod à piis & spiritualibus hominibus attentè consideretur. Alia est consideratio, B quatuor inordinatos amores esse veluti duces ac principes belli, quod aduersus virtutẽ ac pietatem magna animorum strage & internecione geritur; hos esse, *Amorem vitæ & voluptatis*, *Amorẽ diuitiarũ*, *Amorem pacis mundanæ*, *Amorem proprij iudicij*, de quibus cap. 6. & 9. Alia est, septem esse plagas, quibus Dei seueritas in hac vita rebelles & obstinatos peccatores percutit; quæ eo, quo enumerantur ordine in maiorem ac maiorem grauitatem excrescunt. Eæ sunt, *Fames*, *Bellum*, *Pestis*, *Ignorantia*, *Concupiscentia*, *Ira*, *Obduratio*. *Christianorum hominum conscientias ad septem discrimina reuocari.* *Septem plagæ, quibus Deus obstinatos percutit.*

Possem & alia similia considerationum momenta in Apocalypsi ponderare; sed pro exemplo hæc adnotasse satis fuerit. Atque hæc sit huius notationis clausula, Apocalypsin videlicet permagni ab omnibus spiritualis vitæ tum doctoribus, tum discipulis, æstimari debere ob nouam lucem, eamque copiosam, quam doctrinæ spirituali affert.

NOTATIO DECIMAOCTAVA.

Apocalypsin obscurioribus veteris Scripturæ locis ac libris facem præferre.

1. *Ex obscurissimi huius libri interpretatione multa in difficillimos veteris Testamẽti locos refunditur lux.*

ADDERE hîc visum est, quod sacrarum Litterarum studiosis tanti pretij futurũ existimo, vt vix aliquid pluris ab iis æstimetur. Idq; adeò mirũ est; vt nisi ipsis cernatur oculis, credi vix possit: Hunc nempe librum, qui hactenus ceterorum Scripturæ obscurissimus iure optimo est habitus, eam in se lucẽ continere, quæ si rectè agnoscatur, multis ac difficillimis veteris Testamenti locis, maximam sit claritatem allatura; sed enim verissimũ id est. Apocalypsis nãque si rectè intelligatur, sua luce illustrabit permultas ex antiquis prophetiis: Cantici Canticorum contextum; præcipuam libri Iobi partem; ex Psalmis difficiliores; ac penè quidquid est in veteri Testamento pulcherrimum & difficillimum. Hoc si ita esset, quid aliud, obsecro, admirabilius? quid magis Theologis exoptandum posset afferri? quid præterea dignius summâ Christi sapientiâ, quàm Ioanni dilectissimo discipulo ænigmata hęc adeò obscura mississe, atque in illis ingentem lucem ad sacrarum Litterarum intelligentiam inclusisse?

Alcasar in Apocal.

C Hoc vt planum fiat, prænotandum est, priùs etiam quàm hanc lucem videre contingat, Apocalypsin legenti constare, ipsius seriem atque contextum variis figuris ac symbolis esse compositum; quibus manifestè alluditur ad insignia quæque & admiranda, quæ tum in Prophetis, tum in ceteris sacræ Scripturæ libris effulgent. Itaque Ioannes*, vt omnes actionis huius partes, & quasi personas elegãtissimo ornatu conuestiret; omnes sacræ Scripturæ apothecas perscrutatus, quidquid in D eis pulchrum, quidquid speciosum, quidquid auro rigens erat, in vnam Apocalypsin transtulisse videtur; & suo quæque loco aptè disposuisse. Nec dubium, quin id non leuiter & perfunctoriè; sed sapientissimè & appositissimè præstiterit: atque adeò ad veram & perfectam veteris Scripturæ locorum intelligẽtiam respexerit. Quod cùm ita sit, dubitari non potest, quin perfecta Apocalypseos elegantia cõprehendat veram & germanam Propheterum & aliorum, quos respicit, locorum mentem. Si- 2. *Ex Apocalypseos intelligentia quãdam aliorũ Scripturæ locorũ explicatio colligatur.*

* *seu potius Christus, à quo hæc prophetia, eiusmodi symbolis cõsuetis ita ad Ioannem missa est.*

Digitized by Google

quis humaniorum litterarum apprime doctus emblema aliquod, seu ænigma miro artificio componeret; in quo ad varios Homeri, Virgilij, & aliorum locos per allusionem respiceret; næ præcipua huius operis perfectio postularet, vt eiusmodi allusio verum ac proprium eorum, quæ tangit, sensum contineret. Si igitur hoc ad eruditi hominis perfectum opus exigitur, quid de eorum ænigmatum perfectione credendum est, quæ Christi sunt ingenio concinnata? Cùm igitur constet Apocalypseos artificium, eorum locorum, quos respicit, intelligentiam in se complecti; eâdem etiam ratione constare debet, veram Apocalypseos interpretationem iis omnibus plurimum lucis allaturam. Sicut ergo vera Prophetarum expositio, ac ceterarũ Scripturæ partium, quas Apocalypsis perstringit, ipsius Apocalypseos interpreti maximũ adiumẽtum præstaret: ita etiam Apocalypseos intelligentia ad eorum locorũ declarationem quàm maximum conferret auxilium. Si semel igitur vera huius libri acoluthia & cohærentia inueniatur; hæc eadem vaticinia Prophetarum, & multos alios Scripturæ locos mira luce perfundet.

Atque hac quidem luce cumulatè perfruentur ij, qui me pleniùs & perfectiùs Apocalypseos sensum perceperint. Ceterùm hęc ipsa intelligentiæ scintilla, quam mihi videor assecutus, quantulacumque est, eiusmodi me luce ad aliorum Scripturæ librorum intelligentiam collustrat; vt verè affirmare possim, plurìs à me fieri, quod ex Apocalypsi ad veteris Scripturæ interpretationem edidici, quàm quidquid præterea per totos quatuor & triginta annos ex sacræ Scripturæ studio hausi. Placet igitur insigniores aliquot locos pręscribere, vt quemdam veluti indicem conficiam eorum quæ præcipuè ad Apocalypseos interpretationem sum per appendicem additurus. Tum quia illis fuit lux ab Apocalypsi impertita; tum etiam quia ad pleniorem Apocalypseos ipsius intelligentiam spectant.

3. *Qui Scripturæ loci ab Apocalypsi lucem accipiant. Ac Primò Canticum Cãticorum.*

Ex his primo loco designo Canticum Canticorum, qui liber licèt non sit primus in eorũ ordine; quos selecturus sum; est tamen, cui maior fortasse lux ab Apocalypsi diffunditur. Mihi certè ex Apocalypsi non solùm vnius aut alterius Canticorum capitis, sed totius libri seriem ac sensum collegisse. eo fuit iucũdius, quo liber hic ceteris veteris Testamenti difficilior, non immeritò habeatur. Difficultas verò hæc in totius libri filo deducendo, & connectenda serie præcipuè posita est. Ad hunc igitur librum non solùm bis aut ter alluditur in Apocalypsi; sed in totius etiam libri contextu & argumento. Quod vbi primùm animaduerti, & præsertim in Christi nuptiis cũ Romana Ecclesia (de quibus Apocal. 19. n. 7. *Venerunt nuptiæ Agni*) manifestè respici finem capitis tertij Canticorum, in quo de mystica Salomonis desponsatione agitur; agnoui protinus, in eo Canticorum loco sermonem esse penitus de publici Christianæ religionis exercitij celebritate in vrbe Romana: ac mox Apocalypseos acoluthia me docuit, quo pacto Canticorum filum ducerem, & contextum ordinarem. Quare omnium cõsequentiam capitum, ac totius libri sensum interpretari sum ausus. Quod totum vni Apocalypsi referri acceptum, mihi summo solatio est.

Proximo loco Iobi librum constituo: licèt enim Apocalypseos fax quatuor tantùm Iobi ipsius capita videatur illustrare; verùm in quatuor his totius libri medulla & substantia continetur. Iobi enim historia breui absoluitur; & quod reliquum est totius libri, ad eius historiæ animam spectat, id est, ad varias de illa historia ratiocinationes. Et quamuis in iis, quæ amici cũ Iobo ratiocinantur, quæque ipse ad eorum rationes respondet, multa sint, quæ discere possimus; hæc tamen omnia longè inferiora sunt, si cum egregia illa contione, quam Deus ad Iobum è nube habuit, conferantur. Atque in hac Dei oratione contineri debet, quæ fuerit in Iobi historia diuinæ prouidentiæ mens atque cõsilium; & quæ sit vera & opportuna consolatio ad eos subleuandos, qui similiter ac Iob, aduersa fortuna oppressi in mœrore & squalore iaceant. Illa ergo Dei concio per tota quatuor capita durat, quæ vniuersi libri medullam comprehendunt. Atque hæc mihi capita Apocalypsis exposuit, postquàm animaduerti, conspirationem illam Draconis, Belluæ marinæ atque terrestris expressam Apoc. 12. & 13. perspicuè referri ad tres illas belluas, quas Deus debellare & euertere tantopere apud Iobum gloriatur. Eæ verò sunt, Satan, Behemoth, Leuiathan. De Dracone namque Ioannes: *Vocatur*, inquit, *Diabolus, & Satanas, accusator fratrum nostrorum*. Quibus verbis, quasi extento digito, Iobi accusatorem indicauit. Et mox maris bellua Leuiathã, siue cetum: & bestia de terra Behemoth, siue elephantem, respicere agnoscuntur. Deinde, vbi percepi Apocalypseos sensum in illa trium belluarum coniuratione, & in bello, quod aduersus ipsas gerit Deus pro Ecclesia; inde eliciuisse me existimo, Dei ad Iobum concionem ex proportione mysterij Apocalypseos intellectam, excellentissimam esse; tum ad historiæ ipsius rationem & animam, tum ad Iobi ipsius vexati atque afflicti solatium.

4. 2. *Iobi liber.*

Gradum facio ad nonnullos ex Psalmis, difficiliores pariter & eleganiores, quibus lucem & claritatem ingentem Apocalypsis impertitur. In 10. namque capite Ioannes septem tonitruorum vocem se audisse testatur; quod non fuit aliud, quàm psalmum 28. designare, vbi septies vox Domini repetitur; nec alibi præterea in tota Scriptura septem tonitruorum mentio fit. Et ex Apocalypseos contextu patuit, quod esset septem Dei vocum in psalmo mysterium: perinde enim fuit psalmum citare, atque dicere, ibi proprium esse locum ipsius argumento. Quantum igitur, quamque excellens est, Ioannem, vt primùm vnico verbo psalmum difficillimum perstrinxit, ex eo solùm ipsius argumentum exponere? Idem omnino contingit in psal. 44. 47. 67. & 109. & in aliis non paucis.

5. 3. *Psalmorum liber.*

Atque vt ad Prophetas deueniamus; caput Apocalypseos IV. Isaiæ thronum, & currum Ezechielis illustrat; quæ duo in vtriusque prophetia sunt præstantissima. Præterea, quidquid

6. 4. *Isaias, Ieremias.*

Isaias

Isaias ac Ieremias nonnullis capitibus de Babylonis excidio vaticinantur, ad Babylonicæ conflagrationis lumen, (de qua in Apocalypsi) perspicuum redditur.

Ezechiel. Bina etiam Ezechielis capita de Gog & Magog, à 20. Apocalypseos lucem accipiunt. Nec non magnifici templi & nouæ ciuitatis visio, de quibus in extremis eiusdē Prophetæ capitibus.

Daniel. Visio præterea quatuor belluarum (de qua Daniel. 7.) in 13. & 17. Apocalypseos explicatur. Et mirabilem illum Angelum, (de quo Daniel cap. 10.) prima Apocalypseos persona suo fulgore collustrat. Et stātē super aquas (Daniel. 12.) ille similiter, qui habet pedem dextrum super mare (Apoc. 10.) Duodecimo etiam Danielis capiti mira lux accedit ex duodecimo Apocalypseos.

Habacuc. Equi insuper, de quibus Apocal. 6. nos ad insignis Habacuc cantici explicationem ducunt:

Zacharias. atque ad secundam Zachariæ visionem, quæ omninò occupat sex prophetiæ illius capita. Duodecimum etiam eiusdem Zachariæ caput ex 1. Ioannis optimè intelligitur. Alij denique permulti atque insignes veteris Testamenti loci maximam ex eo accipiunt lucem, quòd illi fulgentissimis Christi Domini oculis in sua Apocalypsi perlustrentur. Quæ splendidissima lux ad penitiora difficilioraque singulorum Prophetarum capita, vnicâ solùm allusione extenditur. Sed mirabilius id iure apparet, quòd simul atque Apocalypsis obscurissimo alicuius Prophetæ loco lucem attulit, in eamdem protinus Apocalypsin, vnde lux effluxit, maximo cum fœnore reflectatur. Id quod quotidianâ aliarum rerum experientiâ non obscurè compéritur. Ex candela enim aliqua accensa pluribus aliis lux atque ignis communicatur, earumque vicissim luce candela prior, quæ ceteras omnes accēderat, multò redditur lucidior & illustrior, omnibus vndique luminibus sibi mutuò splendorem suggerentibus. Et quidèm licèt Apocalypsis hoc solùm præstet, vt locus aliquis ab ea tactus statim illustretur & accendatur; ipsa tamen materia, quæ ignem concepit, aptissimum illi præstat alimentum, quo fulgor eius ac lux mirè excrescit & augetur. Quo fit, vt nouus ignis denuo augescens maiori fulgore possit facem, quæ ipsum accenderat, illuminare. Atque adeò ex eo quòd Prophetæ alicuius locus quàm aptissimè consonare & quadrare conspicitur sensui ab Apocalypsi intento; inde ipsius Apocalypseos sensus & significatio, crescente adhuc claritate, magis illustratur; vtroque loco sibi inuicem opitulante, & mutua consensione validissimè auxiliante.

Verùm vt Apocalypseos liber ceteris possit afferre lucem; omnino est necessarium, vt luce ipse sua in primis enitescat ac vigeat; qua penitus orbus esset, si eius integra series simul explicata conspectaque non foret. Quoniam *ipsa sibi obstat magnitudo*, vt ait Florus, *rerum q; diuersitas aciem intentionis abrumpit.* Quare operæ pretium est, totam Apocalypseos interpretationem seorsum contemplari; vt deinde ad eorum locorum explicationem, quibus ab Apocalypsi lux oritur, expeditior via pateſcat. *Spiritum nolite extinguere*, inquit Apostolus 1. Thess. 5. 19. Nec absimili ratione eos, qui Apocalypseos face locorum aliorum lucem accendere atque illuminare parant, commonere possis, vt expectēt priùs, quousque Apocalypseos cohærentiam perceperint; ne si plures simul candelæ, lucis accipiēdæ gratiâ, ad vnam tumultuariò accedant, accensam vix atque lucentem prorsus extinguant, & omnes luce frustrentur.

7. *Apocalypsin priùs intelligi oportere, vt inde aliorum Scriptura locorū intelligentia percipiatur.*

Hæc ergo fuit causa; quapropter Apocalypseos interpretatio separata fit à multis locis qui ab ipsa illuminantur. Eosdem tamen omisisse locos illa luce fraudatos, quam ab Apocalypsi mutuantur, fas non erat. Præsertim cùm ipsi vicissim lucem Apocalypseos reddant clariorem. Sed quoniam res est laboris atque operæ penè infinitæ; satis mihi erit inchoasse: prouehent alij, vtinam & perficiant.

NOTATIO DECIMANONA.

Responsio ad ea, quæ nostro argumento obijci possunt. & primò ad nouitatem explicationis.

1. HACTENVS nostrum Apocalypseos argumentum statuimus, & ipsius confirmationem per aliquot capita tractauimus. Reliquum est ad proœmij totius complementum, iis obiectionibus satisfacere, quæ nobis possint opponi. Quæ autem mihi in præsenti occurrunt, (licèt non omnes fortasse præuiderim) ad quatuor capita reuocabo. Primum erit de nouitate expositionis nostræ. Alterum, de alterum expositionum iniuria. Tertium de rerum magnarum omissione. Et quartum de nimia mystici sensus consectatione. Ad quorum singula singulis etiam notationibus respondere conabor.

Obiectiones, quæ contra nostram expositionem opponi possunt.

2. Quod igitur ad primum spectat; nouarum expositionum licentiam coërceri oportere, persuadent ea quæ Ribera in proœmio Aggæi adducit; vbi agit de veterum Doctorum explanatione sequenda. Ac præsertim illud Ruffini, qui lib. 11. historiæ, cap. 9. asserit, *Basilium atque Gregorium non ex propria præsumptione, sed ex maiorum scriptis, sacra Scriptura voluminibus operam dedisse, & maiorum intelligentiam fuisse secutos.* Deinde Dionysius de cælesti Hierarchia, c. 1. nos docet, *ad sacrarum litterarum intelligentiam, prout illas à Patribus accepimus, accedendum esse.* Præterea Clemens Alexandrinus epist. 3. *Oportet*, ait, *sacræ Scripturæ intelligentiam discere ab eo, qui à maioribus eam sibi traditam seruat.* Vincentius item Lirinēsis cap. 27. adducit illud Pauli 1. Tim. 6. 20.

De nouarū expositionū licentia coercenda.

Digitized by Google

& epist. 2. cap. 1. 14. *Depositum custodi.* Et addit: *Quid est depositum? id quod tibi creditum est; non quod à te inuentum; quod accepisti, non quod excogitasti; rem non ingenij, sed doctrinæ; non vsurpationis priuatæ, sed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non à te prolatam; in quâ non auctor debes esse, sed custos; non institutor, sed sectator; non ducēs, sed sequens.* Cassiodorus etiam in præfatione suæ Institutionis hortatur, vt *ad Scripturas per expositiones probabiles Patrum accedamus.* Huc spectat id Ecclesiastici 8. n. 11. *Non te prætereat narratio seniorum; ipsi enim didicerunt à patribus. Quoniam ab ipsis disces intellectū.* & iterum n. 9. *Ne despicias narrationem presbyterorum. Quoniam ab ipsis disces sapientiam & doctrinam intellectus.*

3. His atque aliis similibus deterreri videmur, ne nouas explicationes à nobis inuentas in medium proferamus. Ceterùm notandum est, hæc omnia à Patribus contra hæreticos dici, qui ad nouæ doctrinę confirmationem sacræ Scripturæ testimoniis abutuntur: non contra Catholicos, qui doctrinam ab Ecclesia receptam nouâ aliquâ Scripturæ expositione conantur illustrare. Probatur hoc Primò, ex decreto Tridentini sess. 4. vbi sic explicat, à quibus nouis expositionibus cauendum nobis sit: *Ad coërcenda petulantia ingenia decernit sancta Synodus, vt nemo sacram Scripturam ad suos sensus cōtorquens, contra eum sensum, quem tenuit & tenet sancta Mater Ecclesia; aut contra vnanimem sanctorum Patrum consensum interpretari audeat in rebus fidei & morum.* Expendantur, obsecro, verba sanctæ Synodi.

Satisfit obiectioni.

Quæ explicandi nouitas sit laudabilis.

Secundò, Doctores Scholastici cum D. Thoma, 1. p. q. 1. a. 10. & cum D. Augustino, definiunt; si sensus, quem quis affert, congruat aliqui cum sana doctrina, & cum aliis clarioribus sacræ Scripturæ locis, & possit referri ad Dei gloriam, & Ecclesiæ vtilitatem: tūc omnem huiusmodi sensum admittendum esse; nec facultatem sic interpretandi sacram Scripturam appellandam esse nimiam licentiam: imò potius putandum esse, Spiritum sanctum eam facultatem hominibus eruditis concessisse. Ita expressè Valentia ex verbis Augustini, & similiter ibi Caietanus.

Multas etiā à sanctis Patribus Scripturæ expositiones inuentas.

Tertiò, videmus singulos Patres multas eiusmodi nouas explicationes attulisse. Quod qui ignoret, in eorum lectione se minimè fuisse versatum satis prodit. Quòd si Doctores sacri nullam sacræ Scripturæ explicationem nouam antiquioribus addidissent; quot & quantis interpretationum opibus ac diuitiis Ecclesiam defraudassent? Si ergo in illis tantopere commendantur, & quidem satis meritò, nouæ quas ediderunt declarationes; iam cuius prudentiæ est, recentioribus veterum Patrum imitatoribus id vitio vertere, quod illis laudi & honori ductum fuit? Quasi verò sola annorum vetustas expositionem aliquam de meliori nota posset commendare. Scitè sanè Horatius lib. 2. epist. 1. ad Augusti.

Si meliora dies, vt vina, poëmata reddit;
Scire velim, pretium chartis quotus arroget annus?
Scriptor abhinc annis centum qui decidit, inter
Perfectos veteresq; referri debet, an inter
Viles atque nouos? &c.

Quartò, ipsi Patres diuersis verbis id se fecisse docent, ex quibus satis sit Gregorij Magni verba referre; qui in proœmio libri Regum, hæc habet: *Quia in diuersis sanctorum Patrum operibus diuersa huius libri testimonia inuenīuntur exposita; notare debet lector, quòd aliquando eorum sensus tractando subsequor; aliquando autem enodare historiam aliter intendo: vt opus, quod spe diuinæ inspirationis aggredior, & antiquorum Patrum auctoritate sit validū, & lectori nequaquā fastidiosum; dum inter ea quæ nouit vetera, ea etiā, quæ non nouit, noua repræsentat; ad quā profectò sententiarum pronunciationē aliquando ex necessitate ducor. Quia Patres venerabiles, si seriatim cuncta exponerēt, quæ ex parte tetigerunt, eam seriē locutionis, quā tenere visi sunt, obseruare nequaquā potuissent. Dum igitur sanctorū Patrū intellectus prætereo, necessitate aliquādo, aliquando commoditate vtor. Quia & fastidium lectori amoueo; & dū totū seriatim discutio, multa ex mediis cōtra me veniunt, quæ illorū sententias nō permittūt.* Hactenus Gregorius.

4. *Insignis Gregorij Magni locus pro nouæ interdum sacrarū Litterarū explicatione astruenda.*

Quintò, nō solū hæc Patres se præstitisse testantur; sed & hortantur nos etiam ad nouas eiusmodi explicationes. Nam Vincentius Lirinensis, qui fideles à nouitate exponendi tātopere deterrere videbatur; in eodē illo 27. cap. subdit se de conseruando fidei Catholicæ talento fuisse locutū. Et mox: *O Timothee,* (inquit) *ô sacerdos, ô tractator, ô doctor; si te diuinū munus idoneum fecerit ingenio, exercitatione, doctrina; esto spiritualis tabernaculi Beseleel: pretiosas diuini dogmatis gemmas exsculpe; fideliter coapta; adorna sapienter; adjice splendorem, gratiam, venustatem; intelligatur te exponente illustrius, quod antè obscurius credebatur.* PER TE POSTERITAS INTELLECTVM GRATVLETVR, QVOD ANTEA VETVSTAS NON INTELLECTVM VENERABATVR. *Eadē tamē, quæ didicisti, ita doce, vt* CVM DICAS NOVE, NON DICAS NOVA. Hæc ille. Ac si apertiùs diceret: Doctrina nō sit noua, sed antiqua, illā tamē nouæ expositionis illustratione exornare non te pigeat. Deinde verò subdit, INVIDVM ESSE HOMINIBVS, ET EXOSVM DEO, QVI HVNC RELIGIONIS PROFECTVM PROHIBERE CONETVR. *Sed ita tamē, vt verè profectus ille fidei sit, non permutatio.* Hucusque Vincentius. Quòd si sacræ Scripturæ expositores per Beseleel (vt ille ait) significantur: expende, quid de eo dicatur Exod. 35 fin. *Implevit eum Dominus spiritu Dei, sapientia & intelligētia & scientia & omni doctrina ad excogitāndum & faciē-dum opus in auro & argēto, &c. vt faciat opera polymitarij ac plumarij de hyacintho ac purpura & byssō;* ET TEXAT OMNIA, AC NOVA QVÆQVE REPERIAT. Vide Origenem homil. 12. in Numeros.

Ad nouas indagandas interpretationes nos Patres etiam hortantur.

Egregium pro eādem re Vincentij Lirinensis testimoniū.

Beseleelis exemplo ad idem inducimur.

5. Sextò, Chrysostomus optimè in hanc sententiam loquitur: quem adducit Turrianus in prologo de Eucharistia; vbi ipse etiam egregiè. & similiter Rupertus in prologo Apocalypseos, & Ribera in proœmio duodecim Prophetarum.

Septimò, Christus denique Assertor noster laudat Magistros, qui cum veteri doctrina nouam explicationem coniungunt. Ait enim Matth. 13. 52. *Omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamilias; qui profert de thesauro suo noua & vetera.* Atque huc fortassis spectat id Cant. 7. 13. *Noua & vetera dilecte mi seruaui tibi.*

Christus item Dominus nos ad nouas indagandas expositiones hortatur.

His

6. *Exemplo comprobatur noua interpretationis ratio.*

His igitur præiactis, vt propiùs ad quæstionem accedamus; producatur, exempli gratia, locus aliquis, quem noua expositione quis de mysterio Eucharistiæ intelligat, vt illud Ierem. 31.22. *Femina circundabit virum.* Et prodeat aliquis rigidus censor, qui dicat sibi non arridere explicationem; quia nemo Patrum sic explicauit. Tunc ab eo ipso inquiram; Num illis verbis existimet Eucharistiæ mysterium aptè significari potuisse? si neget; orabo hominem, vt intentionem saltem explicantis probet; ac meminerit, quod August. ait 2. de Doctrina Christiana c.36. nempe: *Quamcunque sententiam aliquis ex loco sacræ Scripturæ eliciendam putet, modò fidei consentanea sit, & charitatem Dei & proximi promouere possit; non falletur perniciosè, etiam si non assequatur id, quod scriptor Canonicus intendit.* Deinde conabor ostendere: quàm aptè per verba illa possit significari Eucharistiæ mysterium; & quàm bene cohæreat cum ea explicatione contextus. Addo etiam Græci & Hebræi textus conuenientiam, & alias huiusce modi coniecturas. Quòd si iam censor fateatur, textum ipsum nequaquam repugnare, sed videri potiùs ad eam significationem aptum; illam tamen se adhuc despicere, quia Patrum auctoritate non confirmatur; & ad prudentis grauitatis opinionem pertinere putet, nihil probare, quod sit de nouo inuentum, nec redoleat vetustatem. Tunc, obsecro, vt expendatur; an secundùm rectam rationem atque prudentiam coram Deo approbari non debeat expositio, alioqui apta & Catholicæ fidei deseruiens; si tamen noua sit? Nunquid non est absque dubio asserendum, omnia illa, quæ tum ad contextum ipsum apta, tum Deo digna per verba illa significari potuere: omnia (inquã) illa ab Spiritu sancto fuisse intenta? Qui ergo fatetur, his verbis Catholicam Eucharistiæ veritatem aptissimè intelligi potuisse, & contextum ea ratione cohærere; eo ipso fateri debet, illum sensum & esse legitimum, & ab Spiritu sancto intentum. Et qui adhuc tergiuersatur, & expositioni detrahit, Spiritui sancto resistere videtur.

Suspicor censorem hîc argumenti vi coactum, & penè constrictum; vt aliqua ratione elabatur, reuocaturum esse in dubium id, quod antea nobis concesserat; videlicet contextum eam explicationem ferre: si enim eam ferret, non reseruasset nouo interpreti Spiritus sanctus, sed eam multis antea Patribus inspirasset. Verùm enim verò, aliud est dubitare, an explicatio textui cõgruat: (in quo ipse fateor meam explicationem, nisi optimè quadret, esse nullam,) aliud verò, eam non recipere, quantumuis quadret. Et quidem nouus interpres conuenientiam debet attendere; & explicare, quàm aptè per ea verba possit Eucharistiæ veritas significari. Iniquum autem est, eâ explicatione minimè auditâ, pronunciare de illa, Non quadrat. Quod enim additur; *Si quadraret, iam antea Patribus inspirasset Deus*, hoc multò iniquiùs dicitur. Consideretur quid Iudith in presbyteris suis reprehendat, c.8.13. *Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei.* Nónne omnes fatemur, sacrã Scriptu-

Nouus interpres nouæ explicationis congruentiam debet ostẽdere.

A ram pelagus esse inexhaustum? nónne hoc ad eius dignitatem & excellentiã pertinet, vt maris instar immensi nunquam exhauriatur? Quis ergo est, qui Deo terminos audeat circumscribere, & veluti quibusdam eum cancellis coërcere; ne vllam iam deinceps explicationem nouam inspiret, quantumuis fidei Catholicæ conducentem? Hoc certè nihil aliud est, quàm religionis profectum prohibere, quod tantopere Vincentius Lirinensis execratur.

Sed cõcedent fortasse Deo, vt nouam de antiqua veritate explicationem, cui volet inspiret; mihi tamen inspiratam esse non credent. Ego sanè id libenter condono: sed adhuc prudentis est, D. Thomam in hac re imitari; de quo legitur à quouis homine semper doceri illum voluisse. Quia veritas à quocunque dicatur, à Spiritu sancto est. Decet autem Deum semper aliquid posteriori sæculo reseruare; vt semper non solùm sine fastidio, sed maxima etiam cum voluptate sacræ Scripturæ studio operam nauent fideles. Addo huc, id ipsum sæpe pertinere ad maximam fidei confirmationem. Verbi gratia, Post mille quingentos annos reperiri Symbolũ ipsum Apostolorum pretiosissimis gemmis affabrè sculptum; atque ita inueniri, vt nemo quãtumuis proteruus criminari possit, fictam esse ab aliquo paucis abhinc annis hanc gemmarum dispositionem, & Apocalypsi additam. Quomodò enim fingi posset ea gemmarum dispositio, cuius mysterium ferè ignorabatur? Certè me non minùs delectat & consolatur aptissima Symboli huius applicatio in Apocalypsi; quàm si meis oculis haurirẽ in ipsa insula Pathmos altissimo monte complanato pretiosissimam tabulam ex duodecim gemmis cõpositam, fuisse repertam; & in eis gemmis elegantissimè Symbolum Apostolorum dispositum, & pulchrè cælatum vnà cum antiquitatis euidentia ab ipso Apostolorum tempore comprobata. Simile est de vniuersa Ecclesiæ historia Theologica in serie Apocalypseos inuenta.

7. *Noua Scripturæ interpretatio deseruit interdum ad fidei confirmationem.*

Denique aliud est dubitare, vtrũ ipse in scopum collineauerim, (de quo nõ contenderim:) aliud verò generatim disputare, an noua explicatio, apta tamẽ & fidei Catholicę deseruiens, propterea refelli debeat, quòd noua sit? hæc enim est nõ parui momẽti cõtrouersia; & in qua prudentiã eorum desidero, qui prudẽtes videri volunt. Etenim, vt iam satis probatum est, dum nouus expositor aliquid explicat sine Patribus, quod cohæreat aptè, & fidei Catholicæ conueniat; magis obedit ipsorũ Patrũ nutui & hortationi, quã si cũ Patribus sẽper explicaret. Videat igitur cẽsor & antiquitatis admirator, num audacẽ ac licentiosum debeat appellare eum; qui ad eiusmodi explicationes non solùm accepit à Patribus facultatẽ, sed monita etiã & exempla.

Controuersia de expositionis nouitate admittenda, aut reijcienda, permagni momenti est.

Præter hæc, in illa censura, prudentia etiam desiderari videtur; dum ibi *trepidatur timore, vbi non erat timor.* Ecquid enim periculi est ex eo, quòd veritates Catholicæ putentur in sacra Scriptura ad literam fuisse significatæ pluribus in locis, quàm hactenus putabatur? Imò verò, quis non videat, si proferatur locus aliquis ad amussim cum recepta vetitate conueniens, in

In nouitatis censura requiritur prudentia.

ipsius

ipsius veritatis honorem, & consolationem fidelium redundare? atque ea ratione Scripturam illustrari, & Dei gloriam augeri? Certè amanti Eucharistiam neutiquam erit difficile credere id, quod in ipsius Eucharistiæ cedit honorem. Ac similiter amanti Romanam Ecclesiam vix aliquid gratius potest accidere, quàm ipsius gloriam & splendorem ita ad viuum depictam & expressam in præstantissimo sacræ Scripturæ libro contemplari.

Denique ab iis omnibus, qui nouitatem explicationis nobis obijciunt, petere velim; an fateantur, communem esse Doctorum omnium consensionem, ex receptis expositionibus nullam esse, quæ non reliquerit clausum librum septem sigillorum? Nam si hoc ita est, vt certè est; exigere vt nulla noua expositio prodeat in lucem, non videtur esse aliud, quàm contendere, vt semper hic liber maneat clausus; neque vnquam eius obscuritati lux aliqua afferatur.

Quæ exponendi nouitas damnãda.

Egimus hactenus cum iis censoribus, qui noua omnia despiciunt. Negari tamen non potest, quosdam esse nimiùm nouitatis studiosos; & quibus tantopere noua placeant, vt nouitas ipsa eos valdè delectet, licet explicatio ipsa apta non sit. Fateor ergo, in nouis explicationibus diligentissimo examine opus esse; ne nos nouitate species sine solido fundamento decipiat. Addo etiam in antiqua atque recepta loci alicuius intelligentia exactam adeò diligentiam non requiri. Hoc enim veterum auctoritati condonandum est; vt ipsa aliquam fundamenti vicem per se supplere possit. At, vbi deest robustæ alicuius ac receptæ auctoritatis pondus; necesse est, vt explicatio ipsa sit ex se grauis, solidâ atque robusta; & adeò apta atque conueniens, vt sine alicuius auctoritatis adminiculo placeat, atque cohæreat. Et tunc fidelibus maximo erit solatio in iis locis, qui denuò de Christianæ fidei mysteriis exponantur; si post diligentissimũ examen, Catholicæ veritati adeò inueniantur congruentes, vt nulla dicentis requiratur auctoritas, vbi explicationis pulchritudo, & firmum rationis & conuenientiæ fundamẽtum satis per se & gratiæ & auctoritatis concilient.

Duplex noua explicationis genus.

Quæ superiùs de noua explicatione dicta sunt, ad eam referri debẽt, quæ noua sit omnino, neque priùs ab vllo inchoata. Atque ita locum Ieremiæ adduximus, *Fœmina circundabit virum*; qui à nobis ad veritatem Eucharistiæ refertur, nouâ prorsus, (quantum videre cõtigit) expositione; & quæ neque expressa apud antiquos inueniatur, neque adumbrata. Hoc nouæ expositionis genus est veluti noua domus, quæ à fundamentis denuo educitur, cùm antea non fuerit inchoatà. Est tamen aliud nouæ explicationis genus; sicut & domus nouæ, quæ ideò noua appellatur, quia recèns est reconcinnata, perfecta & absoluta; non tamen à nouis fundamentis educta, sed in veteribus, & multò antea positis erecta, atque ad fastigium perducta. Itaque non noua omnino; sed partim nouitatem præfert, partim vetustatem. nouitatẽ quidem, propter id quod supra vetera fundamenta fuit denuo ædificatum: vetustatem verò ob ea, quæ priùs posita fuerant, fundamenta.

Vt igitur de nostra expositione singillatim agamus: vidimus iam superiùs notat. 12. quę habeat præiacta fundamenta, tum ex veterum auctoritate, tum etiam ex ipsa Ioannis interpretatione. Vidimus præterea ex recentioribus non paucos, eosque doctissimos vehemẽter optasse id quod iam erat inchoatum ædificium, absoluere: nempe explicationem, quæ à cap. 5. ad 19. de excidio iudaismi & gentilismi contextum interpretetur. Quare si qua in re, quæ noua sunt, placere debent; non in alia profectò magis, quàm vbi nouitas antiquis fundamentis nititur; & præsertim vbi ipsa fundamenta absolutionem ædificij postulabant. Hoc enim erat iuxta Saluatoris nostri dictum, *proferre* NOVA ET VETERA.

Nostra explicatio, etsi aliqua, non tamen omni ex parte, noua.

His, quę nuper diximus, illud adiungo, quod verè affirmare possum; me videlicet in hac Apocalypseos declaratione, non solùm iacta iam ab antiquis fundamenta reperisse; sed illud penè fuisse expertum, quod ei contingeret, cui parẽtes domum si minùs absolutam, at erectis iam in sublime parietibus confectam structurę molem reliquerunt, ita vt non aliud perfectioni totius operis deesset, quàm ianuas & fenestras effingere pariter atque compingere; medianis parietibus cellas & conclauia diuidere; opere tectorio & albario exornare; domum denique habitabilẽ reddere. Tunc enim filij in parentes pietas & obseruãtia suo quasi iure deposcit; vt hæc, si sibi facultates suppetãt, præstet cumulatè. Quod vbi diligẽter perfecerit; quãuis gypsati parietes, ianuæ, fenestræ, conclauiũ diuisio, totiusque domus concinnitas & exornatio noua sint; re tamen vera, nihil est de integro ædificatũ; nec parietes altiùs, quàm erant, erecti. Idem ferè mihi accidisse video, nam (vt notatione 12. ostendi) præcipua totius argumenti moles & structura, quam in Apocalypseos expositione absoluere statuo, ab antiquis Patribus fuit multò antè prædicta. Nec defuere ex iunioribus multi, qui traditum à Patribus argumentũ perficere vehementer optarint, addita noua luce & concinnitate. Quod cùm ita sit, quis non videat, non modò non reprehẽdi, sed laudari etiã debere filium, qui ædes à parentibus ædificatas iam, sed non absolutas, cõcinnare ipse & exornare studet? Ego quidẽ molem hanc atque ædificium, altiùs quàm antea erat, attollere nec potui, nec debui. Vt enim in notatione illa demõstraui; antiquorum iam auctoritate sancitum erat, per Babylonẽ in Apocalypsi Romã ethnicam antiquam indicari, plagasque cap. 16. descriptas, esse illas, quibus Deus gentilitatem debellauit. Quare mea fabricatio vetus est, non noua; nec quidquã aliud faciendũ mihi restitit, quàm septem plagarum diuisiones apponere; atque iis, aliisq; eiusmodi veluti medianis parietibus ac fenestris, ianuisque additis, huic tanto ædificio distinctionẽ pariter ac lucẽ afferre.

Nostra interpretationis fundamenta per antiqua sunt.

In hoc ergo explicandi genere considerari oportet, tantum & antiquitatis & auctoritatis esse, quantum optare possemus. Est enim nostri argumenti substantia valido antiquorum Patrum præsidio roborata, atque in eodem explicationis genere latissimus optimis ingeniis patet

patet campus. Cùm enim Patres concinnam singularum partium distinctionem nõ expressérint: ad eam concinnitatem inueniendam non exigua superfuit difficultas nouo interpreti superanda. Qui si omnia iam absoluta, & suis in locis aptè concinnéque disposita repe- A risset; quod ageret, nisi transscribere, nihil esset. Magna igitur animaduersione dignum est, in vna eademque exponendi ratione, ingenij inuentionem cum auctoritate Patrum, & nouitatem cum antiquitate, mirum in modum conspirare.

NOTATIO VICESIMA.

Responsio prima ad obiectionem de grauissimarum expositionum iniuria: & per occasionem de multiplici sensu litterali eiusdem sacræ Scripturæ loci.

1. OBIECTIONI ex nouitatis nota petitæ B ita mihi feciſſe videor ſatis, vt quoad eam partem repulsam meæ expositionis non extimescerẽ; nisi aliunde suboriretur timor, ne aliqui nouâ interpretatione admissâ, veteres seu iam diu receptas, excludendas idcircò, & loco mouendas formidarent. Et quidem id vnũ est, quod in nouis expositionibus vel maximè displicet: quòd antiquioribus sese opponant, atque iis auctoritatem derogent, quæ antiquitatis calculo fuerant commendata. Aliqui enim non adeò fortasse curarent de ingeniorum licentia coërcenda; sed gauderent potiùs, ea in laudabili hac litterarum palæstra exerceri, & nouis expositionibus Ecclesiæ gloriæ & fidei mysteriis deseruire.

Obiectio ex aliarum expositionum iniuria.

Erit ergo forsan, qui meæ interpretationi opponat grauissimam illâ iniuriam antiquis C expositionibus irrogari; atque adeò me *contra torrentem*, (quod aiunt) *niti*, & per nimiam audaciam, rebus communi Ecclesiæ consensu receptis, & pro vero Apocalypseos sensu existimatis, robur ac firmitatem auferre videri. Eiusmodi autem ferè sunt, quæ sequuntur. Primò, sexti sigilli comminationes de extremi iudicij signis ad litteram esse intelligendas. Secundò, plagas tubarum ac phialarum esse, quas Deus est in sceleratos homines, sub mundi finem, immissurus. Tertiò, duos testes, de quibus c. 11. *Dabo duobus testibus meis*, &c. esse Enochum & Eliam; qui Antichristi tempore ad Iudæorum animos Euangelica prædicatione permouendos, venturi, ab Antichristo occidendi, & resurrectionis gloria insignes in totius orbis luce excitandi sunt. Quartò, Antichristum Hierosolymis regnaturum, atque eo tempore decimam vrbis partem horribili terræ motu casuram. Quintò, maris belluam, de qua c. 13. fore Antichristum: belluam verò terræ, magnum eius satellitem & administrum futurum. Sextò, Romam sub mundi finem per decem reges esse vastãdam; & ex iis tres ab Antichristo opprimendos fore; reliquos sponte sua illi fasces submissuros. In his atque alijs, quæ ad mundi finem spectant, existimant nonnulli suam expositionem ita esse communi consensu receptam; vt ab ea discedere, audax & temerarium videatur. Quamobrem nolunt aliam præterea declarationem, vt litteralem, admittere. Verentur enim, ne, si semel concedant in iis locis alium præterea sensum litteralem subesse ab Spiritu sancto in- B tentum; id solùm satis sit, vt ipsorum expositio non ita certa & constans permaneat. Nec enim videtur ab Apocalypseos contextu firmum argumentum duci posse, ad Enochi & Eliæ aduentum comprobandum; si concedatur semel, locum ipsum alio præterea sensu litterali exponi posse. Atque id est, quod magis dolent, qui alij expositioni erant addicti: nolẽt enim eam declarationem recipere, quæ suam eneruet.

2. *Occurritur superiori obiectioni, duplici via.*

Auderent fortasse nonnulli huic obiectioni respondere, asserendo eiusmodi expositiones, quas aliqui adeò certas reputant, multis in rebus non ita ab Ecclesia esse receptas; vt magnæ audaciæ tribuendum sit, defendere, in Apocalypsi non illud significari. Certè de illis decem regibus dubitat Augustinus, vt suo loco videbimus. Et bestiam de mari plurimi ex Catholicis contendunt, ad Antichristum referri nõ posse. Ego verò hac vti defensione nulla ratione volo. Nam ad meæ expositionis propugnationẽ, alias impugnare non est necesse; vt mox explicabo. Quare quicumque aliam expositionem à mea diuersam, certam esse duxerit; huic ipse ostendam, me non vnâ solùm, sed duplici posse via incedere: vt meam interpretationem absq; aliarum iniuria defendam; ac ceteras omnes eo firmitatis gradu relinquam, in quo à doctis, vel ab Ecclesia collocantur. Quòd si aliquo loco ostendero, plures esse interpretes, qui recedant ab ea, quæ communis expositio putabatur; aut ratione & auctoritate probauero, fundamentũ quo aliqua interpretatio nitebatur, non ita esse firmum, vt de eo non liceat dubitari: nõ idcirco ea mihi mens est aut animus, vt aliorum expositiones oppugnare & euertere contendam; D sed tãtùm vt de expositione, quam ipse sequor, congruentem reddam rationem. Relictâ igitur omnino viâ illâ, qua receptas aliorum expositiones negem, vt meam asseram; duas insuper alias vias, quas insequar, inuenio; & in vtrâque conabor manifestè ostendere, nihil esse, cur aliquis extimescat, meam expositionem iis declarationibus aduersari., quę inter Doctos communi sunt consensione firmatæ.

3. *Prima obiectionis solutio.*

Prima via est; nõ opus esse, vt litteralis vnius loci sensus sit vnicus solùm; sed aliquando esse duos, aut plures. Et quòniam permagni mea interest, ne quis sibi persuadeat, aliorum sensus à me propterea negari, quòd propriũ affirmare cõtendam: lectorem obsecro, vt mihi per eum liceat, nonnihil in hac digressione immorari.

Pri-

Primùm ergo noto; iam diu receptum esse, vt quod auctor significare voluit per verba siue propriè, siue figuratè sūpta, id appelletur litteralis sensus. Vnde sæpe sensus litteralis figuratus est; & sub allegoria, metaphora, aut ænigmate absconditus. De quo latè expositores D. Thomæ 1.p.q.1.a.9.& 10.

Eidē Scriptura loco duplicem sensum litteralem inesse posse.

Huiusmodi verò litteralē sensum in eodem sacræ Scripturæ loco non oportere vnicum esse semper; sed aliquando esse duos aut plures, expresè docet D. Thomas a.10. vbi Caietanus, Molina, Valentia, & ceteri communiter expositores. Idem sæpe docet Augustinus, vt 3. de Doctrina Christiana c.27.& l.12. Confess. c.31. Gregorius hom.10. in Ezechielem ait, *hunc esse fructum difficultatis sacræ Scripturæ; vt eo plures interpretationes bonas habeamus, quo maior fuit explicandi difficultas.* Earum autem varietatem per se esse vtilem, explicat optimè Augustinus epist. 59. sub finem. Idem docet Abulensis in id Matth.2. *Ex Aegypto vocaui filium meum.* Lyranus Danielis 8. Driedo de Ecclesiast. dogmat. cap.2. Canus de locis, lib.2.cap.11. Turrianus in prologo libri de Eucharistia, Burgensis, Castro, & Catharinus, quos refert Vazquez 1.p.q.1.a.10. Ratio verò D. August. & D. Thomæ irrefragabilis videtur, Deum scilicet suo intellectu omnia comprehendere.

4.

Pro cuius rationis explicatione aduertendum est, sæpe contingere, vt in familiari sermone aliqua proferatur sententia, quæ dupliciter accipi poterat; & vtroque modo non solùm verè & eleganter, sed etiam ad rem atque prudenter. Fingamus (exempli gratia) Petrum cum Ioanne & Francisco suis familiaribus colloqui: sitque Ioannes arcanorum naturæ curiosus inquisitor: Franciscus verò pauper, & amator parsimoniæ; incidenteque sermone de auro, Petrū respicientem ad amicos dicere, *Gallinæ carnes sunt auri venenum.* Hanc sententiam Ioannes meritò accipiet, vt sonat, de miraculo naturæ, quod scribit Plinius lib.28.cap.4. Franciscus verò iure putabit, Petrum metaphoricè loqui, & parsimoniæ tradere præceptum; atque illos his verbis notari, qui splendidè epulantes patrimonia dissiparunt. Quis ergo non videat, Petrum sapienter se gerere, si vtrumque sensum intendat? Nam si ad alterum solum respexisse dicatur; dicendum etiam est, non ei vtrumque occurrisse: alioqui enim sermoni suo fœcunditatem nō inuideret. Cùm igitur ab initio Deus comprehenderit, quidquid postea singulis in tempore inspirat; absque dubio asserēdum est, omnia, quæ aptè per quemuis sacræ Scripturæ locum significari potuere, ab Spiritu sancto fuisse intenta. Cùm *aptè* dico, non intelligo solùm verè, ad Dei gloriam & proximorum salutem; sed etiam congruenter considerato contextu.

Probatur exemplo.

5.

Sensum ænigmatis illum esse propriè, quicunque ei optimè quadret.

Quod licet in alijs adeò verum sit, multo tamen euidentiùs probatur in ænigmate, sensum eius esse quidquid optimè quadrat. Nam in ceteris dicat fortè aliquis, se habere ius, vt sua verba in eo solùm accipiantur sensu, quem ille voluit significare. In ænigmate verò id nulla ratione locum habet. Quemadmodum enim A præclarè à Philosophis solet distingui finis artis à fine artificis; ita similiter fieri aliquādo potest, vt ænigmatis sensus alius sit ab auctoris cogitatione. Si enim ipse per ænigma, quod excogitaui, nihil aliud significare volebā, (verbi gratia) quàm solem; & posteaquàm ænigma, vt potui, depictū & subditis carminibus auctū produxi, ac præmium cuiuis interpretāti sum pollicitus; tunc si accedat aliquis, &, me nihil tale suspicāte, ostendat meum ænigma cū anima rationali ad amussim congruere; atque ad hāc intelligētiam optimè applicari, quidquid vel pictura repræsentat, vel carmina notant: si tūc nihil aliud propositæ interpretationi, nisi diuersa auctoris mēs, possit obijci; quis nō videat, æquos iudices debere pro interprete ferre sententiam? & me ænigmatis auctorem fore ridiculum, si ab interprete collineatum esse negem, quòd alia mihi fuerit mens? Certè in me tunc non iniuria dicatur, *Non recipit stultus verba sapientiæ, nisi dixeris, quæ sunt in corde eius,* Prouerb.18.2. Constat igitur per ænigma non minùs significari id, quod auctor neutiquam cogitabat, quàm quod ille respexerat: si vtriq; tamen sensui quadrat optimè, quidquid & depictum cernitur & descriptum. Videant ergo quid dicāt, qui nouā aliquā Apocalypseos explicationē quadrare quidē contextui fateantur; sed ex Ioannis adhuc mente nō esse, suspicentur. Hoc enim non est de laude expositionis quidquā detrahere, sed de Spiritus sancti potiùs sapientia. Quamobrem, cùm constet Apocalypseos auctorē optimè animaduertisse id, quod illo significatur ænigmate; alterum è duobus necessariò est dicendum, aut nouū interpretem veram Apocalypseos intelligentiam & Ioannis mentem fuisse assecutū; aut explicationem illam huius libri ænigmatibus nō quadrare. Ioanni enim vel etiam Spiritui sancto irrogatur iniuria; si quis dicat explicationem quadrare, sed non ad eorum esse mentem. Atque eo maior iniuria irrogabitur, quo magis cōstet, nullum fingi posse argumētum Spiritu sancto, & eius amanuensi Ioanne dignius.

Qui nouā expositionē & Apocalypsi quadrare, & tamen ex Ioannis mente non esse dicat; is sanè Spiritui sancto derogat.

6.

In humanis ænigmatis duplex sensus vitiosus: in diuinis non item.

Quòd si quispiam dicat, in ænigmatis esse nouum, quòd diuersis significatis possit congruenter aptari; Respondeo, fœcunditatē hāc & vbertatem, quam humana ænigmata non capiunt, in diuinis fortasse esse summæ perfectionis argumentum, ob infinitam Spiritus sancti sapientiam; qui & vtrumque sensum præuidit, & significare voluit vtrumque. Aut forte aptè connecti possunt, & in vnū coalescere, qui diuersi sensus esse videbantur. Si verò aliquis persistat adhuc, ad propriam ænigmatis definitionem spectare, vt vnicā habeat significationem; præterea nullam. Cum hoc non nimis digladiabor; nec enim tanti refert Apocalypseos figuras propriè & strictè ænigmata esse appellandas. cū multa sint prēterea symbolorum, emblematum ac hieroglyphicorum genera; & quidem mea multo plus interest, ne quis existimet, quòd vnus asseratur sensus, ceteros idcirco negari; cuius rei nunquam mihi venit in mentem.

7.

Non deerit fortè qui dicat, multiplicem sensum litteralem in vno aut altero loco admitti posse; non verò in integro libro. Quia pleraque

Digitized by Google

Num litteralis sensus multiplex in uno non solum Scriptura loco, sed etiam libro integro esse possit.

raque sunt, in quibus fœcunditatem litteralis sensus inuestigare nihil aliud sit quàm nodũ in scirpo quęrere. Nihilominùs tamẽ assero, allatã suprà pro singulari loco rationem, æquè in integra serie, & totius capitis intentione, vel etiã aliquando libri, habere locum. Nam si vnum aut alterum verbum citra contextus violentiam dupliciter accipi potest; & digna de diuina sapientia & comprehensione existimatio nos cogit neutram respuere intelligentiam, si vtraq; erat apta, & Deo digna; cur si in integro psalmo, aut alia sacræ Scripturæ parte duplex occurrat series & intentio, atque vtraque aptè ipsius verbis respondeat; cur, inquam, non simili ratione dicemus, eam etiam fœcunditatem esse sacrâ Scripturâ dignissimam? Certè pluribus sententiis eodem ferè modo acceptis, sæpe diuersa series & quasi fili deductio ad sacræ Scripturæ maiestatem, ad Ecclesiæ ædificationẽ, & ad Dei gloriam multo aptiùs deseruit. Cuius rei exempla possem ex psalmis adducere non pauca; & aliqui nobiles Canticorum interpretes, libri seriem ad litteram dupliciter explicare, vt de Ecclesia, & de anima iusti, conati sunt.

8. Si verò mihi obiiciat aliquis, in eiusmodi explicationibus, satis esse, si vna litteralis, altera spiritualis dicatur; Respondeo, huius appellationis libertatem in nostra potestate non esse. Nam, vt præclarè docet D. Thomas 1. p. q. 1. a. 10. *Litteralis sensus est, qui significatur per verba ipsa siue propriè, siue figuratè accepta. Spiritualis verò, qui non per ipsa verba significatur, sed solùm fundatur in litterali; eò quòd significetur per rem ipsam litteraliter significatã.* Quare secũda vel tertia explicatio, si ostendatur aptè per ipsa verba vel propriè, vel figuratè significari, nõ appellabitur spiritualis ab iis; qui cum D. Thoma semel statuerint, in quo cõsistat spiritualis vel litteralis intelligẽtię ratio. Vel ergo reiiciatur, si non quadrat bene; vel si quadrat, tanquam litteralis admittatur.

Expositiones aliquot, quæ mysticæ vocantur, esse litterales.

Ex dictis efficitur, multas explicationes quæ mysticæ solent appellari, vel litterales esse, vel solùm pias accommodationes. Quia strictè loquendo, spiritualis sensus non est, cui suprà dicta D. Thomæ de sensu spirituali definitio non quadrat.

Discrimen inter Doctores Scholasticos & Scripturæ interpretes de duplici sensu litterali.

Infertur præterea ex dictis, id esse discrimis inter Theologos Scholasticos, & prudentes sacræ Scripturæ expositores; quòd illi pugnant inter se, dũ quæstioni propositæ variè respondent: hi verò propositum locum variè explicantes nulla ratione sibi aduersantur: modò vtraque expositio sit fidei consentanea. Et opinio, quæ secundum, vel etiam tertium sensum litteralem profert, nullà ratione eum sensum excludit, qui alioqui litteralis certò habendus est; neque certus his excludit alios. Quare qui scit expositionem aliquam esse omnino certam, & propterea ægrè fert, aliam vt litteralem induci; frustra perturbatur, ac meras vmbras extimescit.

9. Quæ hactenus de sacræ Scripturæ fœcunditate generatim ab verè dicta sunt, eadem de Apocalypsi speciatim atque verissimè dici possunt. De qua Hieronymus ad Paulinum epist. 103. cap. 7. ad finem: *Apocalypsis*, ait, *Ioannis tot in se habet sacramenta quot verba. Parum dixi; pro merito voluminis laus omnu inferior est; in verbis singulis multiplices latent intelligentiæ.* Hæc ille. Quod ex ipsa Apocalypsi validè roboratur, cap. 17. 9. vbi Angelus septem belluæ capita duplici sensu exposuit: *Septem capita*, inquiens, *septem montes sunt, super quos mulier sedet; & reges septem sunt.* Qui locus (meo quidem iudicio) receptam de duplici sacræ Scripturæ sensu sententiam non parum confirmat. Quòd si fœcunditas sensuũ, est difficultatis sacræ Scripturæ fructus, vt suprà ex Gregorio vidimus; non mirum est, nullum esse omnino librum adeò fœcundum; cùm cõstet, hunc esse omnium difficillimum.

In Apocalyp. tot sacramenta, quot verba, ex Hieronymo.

10. Iam ad ea, quæ initio notationis obiecta sunt, ex communi quarundam expositionum, quas ibi retulimus, sensu petita; facilis est responsio. Omnes enim illæ expositiones per me eodem firmitatis robore, quo antea erant suffultæ, manebunt. Quare, cùm ego perspicuis verbis asseram, mea declaratione nullam communi Doctorũ consensione receptam excludi, nihil est quòd vereantur, illis à me iniuriam irrogari.

Responsio ad obiectiones suprà adductas.

Sed quid ad illud, quod ab aliis replicari posse initio diximus? minus saltè roboris alicui manere loco ad veritatis alicuius comprobationem, si ostẽditur locum eundem aliter posse ad litteram explicari. Esset enim solidius ac robustius argumentum, si vni cum tantùm sensum locus habere posset. Respondeo; hanc probandi rationem non semper esse necessariam; quam in supradictis locis requirere, nil aliud est, quàm contendere, Apocalypsin non alio litterali sensu posse constare præter eum, quo aliqui eam exposuerunt. Quod nulla ratione dicendum est. nec verò id erat ad eorum dogmatum confirmationem necessarium: cùm ex aliis sacræ Scripturæ locis manifestè probẽtur, quæ de nouissimis mundi temporibus Ecclesia pro certis habet; vt Antichristum esse vẽturum, & eodem tempore duos illos Prophetas ad Iudaici populi conuersionem à Deo mittendos fore. Alia præterea singularia, quæ ex Apocalypseos verbis nonnulli probare contendunt, nec ex alio Scripturæ, aut certo fundamento constabant, ea ab Ecclesia non habentur tanquam certa; sed de hoc alibi latiùs.

NOTATIO VICESIMAPRIMA.

Responsio altera ad eandem obiectionem; & nostri argumenti cum receptis explicationibus conciliatio.

1. Erst meam ipse expositionem cum aliorum interpretationibus conciliare, non curarem: communis tamen Theologorum consensio, (vt iam vidimus) mihi concedebat impunitatem; vt absque aliarum iniuria, quæ certæ iudicantur, meam explicationem litteralem

Alcasar in Apocal.

Digitized by Google

esse existimarē. Cùm enim tanta sit sacræ Scripturæ fœcunditas, & vbertas; cuique licet probabilem declarationem eligere. Illud optandum est, vt singuli filum deducant optimè. Cùm verò ipse fateor, in aliorum declarationibus me id præstare non posse; non idcirco illis notam aliquam inscientiæ inustam volo: sed meam potiùs ignorationem agnosco. Aliorum ergo interpretationibus omnino prætermissis, eam cuius seriē intelligere mihi videor, proferre licebat. Nec erat cur alicuius querelam extimescerem. Ceterùm copia & facultate causæ fidens, nullo modo hîc consistam: longiùs prouehar, & quam mihi sacræ Scripturæ fœcunditatem manifestè fauere probaui, eam liberaliter condono. Esto; nullus sacræ Scripturæ locus duplicem posset sensum admittere. esto; nulli liceat nouam proferre expositionē, quę receptas à Patribus non sibi cōciliet atq; connectat. Non propterea dissidebimus: alia namque mihi restat via; quam eo libentiùs capessam, quo video illis gratiorem futuram, qui ad eam declarationem, quæ præcipua Apocalypseos capita ad nouissima tēpora deuoluit, animū ac mentē penitus adiecerunt.

2. *Restringitur sententia de duplici sensu litterali admittendo.*

Atque vt verum fatear, ex eo mihi subit cupiditas, noua ratione oppositam obiectionem diluendi, quòd videā probabilitate non carere Gabrielis Vazquez sententiam 1. p. q. 1. a. 10. qui communē de multiplicitate sensuum opinionem his limitibus circumscribit, vt omnes sensus eiusdem loci in vnum possint coalescere, qui cæteros complectatur. Aliter enim minimè esse congruens existimat, vt iisdem verbis varii sensus dissiti atque diuersi, & nulla inter se ratione cohærentes significentur. Atque hoc fortasse senserunt Medina lib. 6. de Recta in Deum fide, c. 25. & Ribera Oseæ 11. 5. Et quidem Gabrielis Vazquez sententiam nonnullis viris doctis valdè probari, mihi compertum est. Certè illud dubitari non potest, sæpe multiplicari sensus; quia nullus adhuc fuit inuentus, qui omnes comprehenderet. Et negari non debet, quin illa sit felicior explicatio, quæ ad vnitatem reuocat omnes eas, quæ omnino videntur recipiendæ. Nec tamen huius rationis sunt illa, quæ ipse impugno: vt eorū opinio, qui Romam iursus idololatriæ caput futuram excogitarunt. Verùm Enocho & Elię, eorum prædicationi, & aliis id genus rebus, quæ ab Ecclesia receptæ sunt, in mea explicatione locum dabo. Et vniuersim loquendo, magni momenti esse duco, vt noua interpretatio ex ceteris complectatur ea quæ sunt certa ac solida; atque his adijciat, quod ab Spiritu sancto præcipuè significatum fuisse, arbitratur.

3. *Pluribus in locis Scriptura iisdē verbis duo asserit; alterum per modū comparationis, alterum vt præcipuè intentum.*

Hoc plurimis in locis felicissimè per modum comparationis præstatur: animaduertendo, Scripturam iisdem verbis duo significare solere; alterum vt præcipuè à Spiritu sancto intentum; alterum vt præcipuo sensui, comparationis loco, deseruiat. Sed exemplo res fiet illustior. Prouerb. 11. n. 1. legimus: *Statera dolosa abominatio est apud Dominum.* Hæc sententia à Iansenio & aliis explicatur, vt sonat; à nobis verò ad litterā exponitur de iniquo iudice per comparationem ad stateram dolosam. Similiter caput vltimum Prouerbiorum à Iansenio & aliis explicatur de egregiæ matronæ laudibus: nobis autem sensus litteralis omnino videtur esse de eius viri felicitate, qui sapientiam duxit vxorem; per comparationem ad eum, cui optima vxor contigit.

Neque hic explicandi modus pro allegorico habendus, sed pro litterali.

Solet hoc explicationis genus nonnullis valdè allegoricum videri. Quos ego obsecro, vt animaduertant eiusmodi allegoriis comprehendi totum id quod potuit optari ab iis, qui litteralissimi videri volūt: & præter eorum desiderium addi aliquid, quod sit multo melius & elegantius. Id quod manifestè ratione probatur. Nostra enim explicatio parabolicum sensum cum sensu grammatico cōparat; & (verbi gratia) cum statera dolosa, omnem iniuriam quæ simulatione iustitiæ fit. Quid ergo clarius, quàm hac allegoria comparationem vnius cū alio contineri? aut quis nesciat, per comparationem vtrumque asseri, & sensum grammaticum, & eum ad quem transfertur? Nam qui ait, iudicium iniquum vel simulatam iniuriam perinde esse ac staterā dolosam abominabilem Domino; in hoc ipso inuoluit manifestè stateram dolosam Domino esse abominabilem.

Hæc explicandi ratio nihil grammatico sensui adimit.

Ergo acceptis allegoricè verbis, nihil prorsus de sensu grammatico, aut de eius vi & efficacitate amittitur. Explicatio igitur allegorica sensum grammaticum non omittit; sed admittit potiùs, & vt certum præstituit; atque eo veluti fundamento nititur, ad statuendam dignioris sententiæ firmitatem. Negari enim non potest, quin illud, quod sensui grammatico additur, multo sit in se nobilius & excellentius: non solùm propter proportionis elegantiam vnius sententiæ cum alia, in qua fundatur; sed etiam propter ipsius obiecti dignitatē. Nam grāmaticus sensus agit (verbi gratia) de statera dolosa, qua vilissimæ quæq; merces ponderantur: seu de laudibus bonæ fęminæ, alter verò de iudicis officio, vel de sapientiæ præstantia & dignitate.

4.

Denique sæpe contingit sensum purè grammaticum frigidum per se esse; nec cohærere vel cum libri titulo & argumento, vel cum auctoris dignitate & sapientia; allegoricum verò non solùm esse præstantiorem, sed multo etiā aptiùs cum libri argumento, & cum expectatione de illo habita cohærere. Licet hoc in prędictis exemplis manifestè cernere; quia iuxta sensum grammaticum nihil in iis locis, aut nomine parabolæ, aut magnifica illa Salomonis præfatione dignum reperimus: *Audiens sapiens sapientior erit: animaduertet parabolam & interpretationem, verba sapientum & ænigmata eorum.* In sensu tamen allegorico vix aliquid excogitari potuit; quod meliùs vel parabolarū titulo, vel auctoris promissioni responderet. Adde, ad totius libri clausulam ineptas ac frigidas videri matris Bethsabee prolixas laudes, aut bonæ vxoris encomia, si in eis sistas. At parabolica descriptio eius felicitatis, quam consequitur is, qui sapientiā duxit sponsam; hæc aptissimè & elegantissimè claudit eū librum, qui sapientiam ad se iuuenes inuitantem induxerat.

Hoc

Hoc ergo nouæ explicationis genus, quod veterem amplectitur; & per quod interpres attollens animum, & ad altiora conscendens efficit, vt ea quæ antea dissoluta, aut minùs cohærentia apparebant, videantur iam aptissima, & suo loco posita; hoc inquam explicandi genus & nouitatis & vetustatis studiosis debet esse pergratum; quia sic per illud vetera retinentur, vt venustati addatur venustas; & sic noua proferuntur, vt antiquâ expositione nitatur noua. Qua ratione, & antiquitas renouata, & nouitas antiquitate firmata prodeunt. Atque hoc est, *proferre* simul *noua & vetera*. Vt noua veteribus gratiam, & antiqua nouis auctoritatẽ conciliẽt.

Nostra explicatio nouitatem cũ antiquitate coniungit.

5. *Peculiare ænigmatum artificium.*

In multis igitur Apocalypseos locis, huius generis explicationem afferre contendo; vt in duobus illis Prophetis Enocho & Elia. Quam ad rem aduerte, sæpè in ænigmatibus contingere, vt multæ eiusdem ænigmatis partes habeant alioqui verum sensum si accipiantur vt sonant: nihilominùs tamen artificium ænigmatis postulat, vt allegoricè sumantur; quia sensus grammaticus non cohæret cum totius ænigmatis argumento. Imò verò fortasse nihil est in figuris eiusmodi gratius, aut elegantius, quàm sub vna veritate aliam abscondere, & ea ratione negotium interpreti facessere; dum ea ipsa, quæ ponuntur ob oculos, tanquam verissima & notatu digna eius ad se animum vocant; & suspicari faciunt nihil ibi præterea esse quærendum: re tamen vera per eam explicationem nequeat ænigmatis difficultatem vincere, & omnes eius partes ad vnitatem reuocare. Ita fit, vt primus ille sensus non delectet solùm, sed & doceat; atque hac ratione lectoris animus, dum fallitur, non fallatur. Licet enim fallatur quatenus in eo sensu sistit, qui ænigmati non satisfacit; id tamen inquo sistit, non solùm est verum, sed vt verum etiam ad ænigmatis sensum præstituitur.

Exemplo planum fit.

Id vt exemplo planum fiat ex ipsa Apocalypsi desumpto; Ioannes cap. 15. & 16. alludit ad Ægypti plagas, easque assumit vt significet Ecclesiæ Catholicæ in egressu ex gentilitate simile quid euenturum fuisse, atque Israëlitico populo contigit ex Pharaonis seruitute egredienti. Si hæc est Ioannis mens, (vt suo loco videbimus:) negari non potest, quin perfecta & literalis vtriusque capitis intelligentia plagarum Ægypti historiam præstituat & complectatur. Ille ergo, qui in ea sisteret historia, nec longiùs progrederetur; falleretur quidem dum sistit, nec ænigma adhuc intelligeret: eius tamen intelligentia non solùm esset vera, sed literalis etiam, & à Spiritu sancto (licèt minùs præcipuè) intenta. Quod facilè suadetur; quia ex hypothesi, sensus integer illorum capitum est, spiritualiter Ecclesiæ contingere in exitu ex gentilitate, quod historicè contigit Israëli egredienti ex Ægypto; & plagas plagis respondere. Quis igitur non videat, in hoc integro sensu vtrasque plagas ad literam comprehendi? & eum, qui vtrasvis neget, Apocalypseos veritati contradicere? sed quamuis in literali sensu vtræque includantur; non tamen ex æquo, sed primæ quidem vt minùs præcipuæ; secundæ verò, vt principales: quia hæ sunt ænigmatici sensus pars; illæ autem ad comparationem in contextu afferuntur.

Apocalypseos doctrina generalis est.

Simile est de epistolis, quæ c. 2. & 3. continentur. Qui enim in septem Episcopis gradum figeret, nec vltrà procederet; hic sanè non intelligeret, quod aptissimum Spiritus sanctus in ænigmatis contextu respicit, quodque in singulis epistolis iteratâ repetitione animaduertit: *Qui habet aures audiendi audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis.*

6.

In ea igitur ænigmatis parte, cuius species ipsa & imago est etiam in se vera, id omnino contingit, quod in similitudine seu comparatione, quæ ab aliqua veritate desumitur. In qua res vtraque simul asseritur; & ea, quæ comparatur: & illa etiam, cui comparatur: altera per modum comparationis; altera vt ipsius finis præcipuè intentus. Aliquando ergo aliorum expositio sistit in eo sensu, quem ego literalem quidem esse & verum assero, minùs tamẽ præcipuum. Nam præcipuus sensus ille est, qui totius contextus filum ducit; nempe de excidio iudaismi & gentilismi. Et quemadmodum miri artificii est, quando de persecutione agitur, qua Romanum Imperium Ecclesiam diuexauit, Imperium ipsum vt horribilem quemdam Antichristum considerare, & cum vltimo illo Antichristo sub finem mundi futuro conferre; ita etiam, cùm de veteris Hierosolymę vel Romæ veteris excidio agitur; elegantissimum est, vindictam quam Deus de hostili vrbe sumit, cum ea comparare, qua in extremi iudicii die vlturus est peccatores. Et sanè decorum valdè seruatur, dum Ioannes in Apocalypsi considerat Deum, quemadmodum terrarum orbem ante extremi iudicii diem præuiis signis atque portentis est admoniturus; ita etiam Iudaicum populum, priusquam in eum iustissimam iram effunderet, eiusmodi prodigiis perterruisse, quibus extremi iudicii diem sibi quodammodo imminere putaret. Atque hanc extremi iudicii prodigiorum coniunctionem cum Hierosolymæ vastationis tractatu simili ratione in Euangelio legimus, Matth. 24. Vbi licet aliqui in rerum connexione non parum difficultatis inueniant; ex dictis tamen facilè colligitur aptissimè illa duo coniungi.

7. *Qua ratione nostra explicatio alias receptas complectatur.*

Nostra itaque explicatio veritatem eorum, quæ de nouissimis temporibus Ecclesia recipit, ea ratione complectitur; vt non opus sit in earum rerum prophetia Apocalypseos filum continuari, neque confugere ad vnius reuelationis diuisionem in visiones plures; neque pro veris & certis admittere nonnulla quæ sunt, si non fabulosa (vt ait Hieronymus) at dubia & incerta, & hoc saltem honore indigna, vt in excellentissimo sacræ Scripturæ libro, tanquam maximi momenti veritates, & Christianæ Ecclesię valdè necessariæ reponãtur. Ab omnibus hisce angustijs ipse me facilè expedio; qui præsertim respicio ad sensus ænigmatici continuationem. Atqui in iis, ex quibus allegoria desumitur, & ænigmatis veluti cortex componitur; neq; historiæ requiritur ordo, neque vt veris ficta non misceantur; aut ea, quæ alioqui magni momen-

Digitized by Google

ti non sunt: sed solùm opus est vt omnia ænigmatico sensui optimè accommodẽtur, & sensus ille sit continuatus, Deo dignus & aptissimè cohærens. Interilla verò ex quibus ænigmatis species & imago componitur: satis est, vt ea tanquam vera & certa recipiantur, quæ Ecclesiæ consensus recipienda esse, vt talia, nobis edicit. Id quod ex Apostolica traditione, & ex aliis sacræ Scripturæ locis manifestum est. In reliquis facultas nobis est ac libertas, ne ea ex Apocalypsi vt certa colligamus, quæ Ecclesia nondum inter certa numerauit. Nam quando de duplici re agitur, quarum altera præcipuus est dictionis finis, altera comparationis partes agit; non exigitur necessariò, vt comparatio ad omnia sese extendat. Quod perspicuum est in pluribus sacræ Scripturæ locis: in quibus per comparationem à Salomone (verbi gratia) petitam, de Christo Domino sermo instituitur; cùm tamẽ multa dicantur, quæ in Salomonem ipsum non quadrant. Quod nullius difficultatis erit attentè cõsideranti psalmorum aliquot eum esse scopum; vt ostendant Christum, etsi nonnullis in rebus cum Salomone comparetur, multis tamẽ partibus illi præstare. Quòd si id est psalmi argumentum, vt Christum Salomoni præferat; quid mirũ si multa de Christo prædicet, quæ Salomoni minimè conueniant?

8. *Receptam in aliquibus Apocalypseos locis intelligentiam in nostra explicatione minimè reiici.*

Ex his omnibus elicio, non solùm non à me reiici receptã multis in locis Apocalypseos intelligentiam; sed ostendi etiam, quomodo illa cohæreat cũ ea, quã denuo ipse afferre videor; dum ænigmaticum sensum cũ veritate quam Apocalypsis assumit, per modum cõparationis coniungo: ita vt integer sensus vtramq; veritatem comprehendat. Atq; hac ratione, quamuis sacra Scriptura duplicẽ sensum litteralem sub eâdem littera non reciperet; non propterea vllam ego intelligentiam ab Ecclesia receptam reiiciebam, quòd nouã assererẽ. Quia ænigmaticus sensus vtrumq; comparationis mẽbrum claudit, & eo ipso asserit grãmatici sensus veritatẽ, vbi eam Ecclesia recipit; & cũ ea coniungit id, quod Sp. sanctus præcipuè intendit.

9. *Quo pacto Apocalypseos artificium in rebus futuris sæpe fundatur.*

Apocalypseos ergo artificium in rebus futuris sæpe fundatur; sicut aliquando in præsentibus (vt in epistolis) & aliquando in præteritis (vt in Ægypti plagis.) Et quemadmodũ in eis locis, vbi præteritas res videtur describere (vt plagas Ægypti) affirmat obiter eiusmodi plagis perculsam fuisse Ægyptum; sed aliud est, quod sub ea descriptione præcipuè contendit: sic etiam vbi res futuras describere videtur, (quas Ecclesia in nouissimis temporibus verè futuras esse credit, vt aduentum Eliæ & Enochi) eâdem ratione dicendum est, Ioannem ea quidem asserere, quæ apertè videtur describere; sed sub ea descriptione sensum alium ad litteram ab Spiritu sancto magis intendi in sui pulcherrimi ænigmatis decursu. Quia sensus ille primus non aliter videtur cohærere cum tota libri serie, nisi per comparationem; vt iam explicatum est.

Commune est Prophetarum, Iudaica tangere, Christiana respicere.

Et verò veritates alias sub aliarum velo occultare; & has tangere, illas respicere; id non est Apocalypseos proprium, sed cõmune Prophetarum: qui, ad Iacobi patriarchæ imitationem, IVDAICA TANGVNT, CHRISTIANA RESPICIVNT. Vidit hoc acutè ac sapienter August. ser. 14. de Sanctis, vbi ait, *In præclara illa prophetia, cùm patriarcha benediceret filiis suis, præsentes tangens, futura prospiciens, prædictiũ erat, quod Paulo contigit, scilicet in illis verbis, Beniamin lupus rapax, manè rapiet prædam, & ad vesperam diuidet escas.* Hæc Augustini animaduersio ad insignes alias prophetias applicata, magnam earum intelligentiæ lucem affert. Atque illud præsertim obseruandum, Prophetarum esse morem historias antiquas commemorando, vti verbis de futuro: tunc verò legitimum esse eorum sensum atque pulcherrimum, antiquas historias mysticè fuisse renouandas. Quod vbi animaduertitur, apparet protinus, eos, licet antiquæ historiæ ordinem minimè videantur seruare, seruare tamen rationis ordinem ac seriem. Cùm enim eorum mens sit historiarum veterum renouationem prædicere; ratio ipsa postulabat, vt renouationis futuræ ordinem, non præteritæ historiæ, seruarent. Hoc videre est præsertim in Habacuci Cantico, & in psal. 67. vbi historiæ antiquæ verbis de futuro tanguntur, *Pluuiam voluntariam segregabis Deus hereditati tuæ. Deus ab Austro veniet*, &c. (Sunt enim plusquàm viginti futura vtrobique) Quorum capitum perfectam intelligentiam hæc Augustini animaduersio veluti clauis aperuit.

10.

Vt igitur ad propositam quæstionem redeamus; vnico verbo dico, non omitti à me receptas expositiones; sed illis eam addi, quæ aptè inter se connectantur. Etenim in iis locis, de quibus est controuersia, vbi in prodigiis extremum iudicium anteceßuris, in nouissimorum temporum suppliciis, in Enochi & Eliæ prædicatione, in futura Hierosolymæ ruina, & eiusmodi aliis, sistatur: grauissima extẽplò occurrit difficultas Apocalypseos ordine connectendo. Nam hęc omnia cùm post mille annorum pacem (de qua c. 20.) credantur euentura; multò tamen antea referuntur in Apocalypsi, nempè à c. 6. vsq. ad 11. Phialarum autem plagæ, quas contextus appellat nouissimas, & posteriori loco ponit, priùs quàm tubarum plagæ commemorandę videbantur. His rebus expositores in tantas angustias rediguntur, vt ad Apocalypseos diuisionem in plures reuelationes minimè cohærentes confugiant. Quare, siqua inueniatur expositio, quæ nullam ex receptis ab Ecclesia rebus omittendo, omnes Apocalypseos partes cõstanti filo connectat; ea verò ex hisce difficultatum salebris felicitèr emergit.

Quanam Apocalypsin explicandi ratio censeatur optima.

11. *Qua ratione, recepta singularitẽ Apocalypseos partiũ doctrina in nostra explicatione locum habeat.*

Restat, vt, iuxta huius notationis doctrinam explicationibus illis initio superioris notationis positis in nostra interpretatione singulis per ordinem locum demus.

Quod attinet ad Primam. Sexti sigilli explicatio erit, ante vastitatem Hierosolymæ à Tito illatã & ante Synagogæ repulsã; horribiles cæli minas atq; prodigia præcessisse; eorũ instar, quę sunt vltimi iudicij diẽ anteceßura. Atq; eodem modo vtrãq; rẽ Christus in Euãgelio cõiungit.

Ad Secundam similiter dicendum est, in septem tubarum plagis; Deum scilicet Apostolorum

lorum tempore, ſeptem aduerſus Iudæos plagas immiſiſſe, ad earum ſimilitudinem, quas contra ſceleratos homines eſt ſub mundi finem immiſſurus.

Ad Tertiam pari ratione fit ſatis, in duobus teſtibus. Quemadmodum enim Antichriſti tempore Deus eſt Enochum & Eliam ad Iudæos conuertendos miſſurus; Apoſtolicæ prædicationis tempore Enochum & Eliam myſticè & ſpiritualiter miſit: de quo ſuo loco.

Ad Quartam; non abſimili ratione philoſophandum eſt in ruina ciuitatis (ſi tamen ita certum eſt, ac nonnulli putãt.) Sicut decima Hieroſolymæ vrbis pars creditur Antichriſti temporibus ruitura; haud ſecùs olim Apoſtolorum A tubis partem Hieroſolymæ decimam myſticè corruiſſe.

Ad Quintam ſimili modo Reſpondeo; in beſtia de mari, c. 13. deſignari Imperiũ Romanum Eccleſiam perſequens inſtar Antichriſti, eandem extremis temporibus perſecuturi.

Ad Sextam denique. De illis decem Regibus dubitat Auguſtinus, vt videbimus cap. 17. Quod tamen ſi certum eſſet, rectè de myſtica Romæ veteris ruina agi poſſet, per cõparationem ad propriam vaſtationem, quæ futura eſſe perhibetur: & tunc de decem myſticis Regibus, quorum operâ Deus myſticè Romam veterem incendit, per comparationem ſimiliter ad Reges illos decem ageretur.

NOTATIO VICESIMASECVNDA.

In qua reſpondetur peculiari cuidam obiectioni, eorum nempe qui ſuſpicari poſſunt, noſtrâ explicatione iniuriam fieri aliis expoſitionibus, quæ quibuſdam Dei familiaribus reuelatæ fuiſſe produntur.

1. Reuelationes, quæ noſtræ interpretationi oppoſita circumferuntur:

DIXIMVS in genere de grauiſſimarum explicationum iniuria, & dupliciter ad eam obiectionem reſponſum eſt. ſuboritur tamen peculiaris difficultas ex iis, quæ legimus de nonnullis Apocalypſeos figuris, quibuſdam Dei amicis, cæleſti reuelatione expoſitis. Dicat enim aliquis, in Apocalypſi, libro omniũ difficillimo, & quem multi cenſuerunt, abſque peculiari Dei reuelatione penitus intelligi non poſſe, ſaltem debuiſſe haberi rationem eius fili, quod per aliquas Dei reuelationes (quarum notitia ad nos peruenit,) indicatum eſt.

ac primò Abbatis Ioachim.

Inter eas verò nonnulli quaſi cæleſtia oracula venerantur multa ex iis, quæ à Ioachimo Abbate ſcripta ſunt; quæ videlicet ipſe videtur C abſque Dei reuelatione præuidere & prædicere non potuiſſe: conſtatque illa ab eo ſcribi tanquam germanum ac litteralem Apocalypſeos ſenſum.

S. Brigitta,

Secundò, deinde in beatæ Brigittæ reuelationibus, l. 6. c. 10. refertur, interrogatam fuiſſe illam, quid ſignificarent ſeptem tonitrua, quæ Ioannes ſe audiſſe aſſerit cap. decimo; ac reſpõdiſſe, diuina reuelatione ſe fuiſſe edoctam, ſeptem illa tonitrua eſſe comminationes perſecutoribus Eccleſiæ de cælo intentas.

S. Vincentij Ferrerij,

Tertiò, præterea Vincentius Iuſtinianus in vita B. Vincentii Ferrerii 1. p. cap. 19. aſſerit, mortuum quemdam coram populo multo à beato Vincentio vitę reſtitutum; vt eo prodigio confirmaret, ſe ipſum eſſe illum Angelum, quem Apocalypſis refert viſum fuiſſe per medium cæli volantem, & magno clamore dicentem, *Timete Dominum, quia venit hora iudicii eius*, Apoc. 14. 16.

S. Michaëlis,

Quartò, adhæc F. Franciſcus Ximenius Patriarcha Hieroſolymitanus, qui ſcripſit anno ſalutis noſtræ 1392: lib. 5. de Natura Angelica, cap. 38. citat librum alium de S. Michaëlis Archangeli miraculis; in quo aſſeritur, ab ipſo Michaële Archangelo reuelatam fuiſſe periſtaſim ſiue circumſtantiam tẽporis, quo implenda B eſt prophetiá, quæ latet ſub figura ſexti ſigilli, quod Agnus aperuit, Apoc. 5. 6. Ex quo videtur conſtare, nondum adueniſſe tempus illud, quod Archangelus Michaël deſignauit.

B. Hildegardis.

Quintò, poſtremò Taulerus, in eo opuſculo, quod Vaticinij titulo inſigniuit, fol. 671. refert, à B. Hildegarde luce clariùs expoſitum fuiſſe caput nonum Apocalypſeos. Atqui tam illam capitis noni expoſitionem, quàm alias, quas in libro B. Hildegardis inſertas inuenimus, non videtur ipſa aliter quàm per diuinam reuelationem conſecuta fuiſſe. Quæ verò extant in operibus B. Hildegardis, huiuſmodi ſunt. Primùm ſeptenarius quidam plagarum in epiſtola ad Abbatiſſam S. Glodeſindis, fol. 105. & 106. Nempe, *Vana gloria. Delectationis amplexatio. Viuere quaſi Deo mortuum. De præditis peccatis ſe excuſare. Superbia. Quærere ſolatiũ à creatura, & non à Deo. Idololatriæ ſeruitus, quæ diabolum adorat.* Subdit verò ſeptem hæc vitia ſubiici per ſeptem dona Spiritus ſancti. Et videtur in eis plagis ad ſeptem plagas Apocalypſeos reſpicere. Præterea, in epiſtola ad Moguntinenſes, fol. 125. inſerit B. Hildegardis explicationem ſaphiri, topazij, & nubis; quæ ſunt ex ſymbolis Apocalypſis; & fol. 131. docet, quomodo ſit intelligenda viſio illa ciuitatis ſanctæ quæ deſcribitur Apoc. 21. Et tandem in epiſtola ad Abbatem S. Martini in Colonia, fol. 102. interpretari videtur illam periphraſim Dei, *Qui eſt, & qui erat, & venturus eſt.* Ait enim, *Incipe ab eo qui eſt, vt in illo finiaris, qui erat & qui venturus eſt.*

2. Reſponſio ad prædictas reuelationes.

Hi ſunt, quos meminiſſe poſſum, loci Apocalypſis, quorum expoſitio proditur fuiſſe à Deo reuelata; non quidem vniuerſæ Eccleſiæ, ſed prædictis perſonis. Et omitto peculiarem aliam reuelationem mihi à graui admodum Religioſo narratam, & nuper cuidam ſanctiſſimæ fœminæ, (vt ille aſſerebat) factam; & quam ex ipſius ore ille acceperat. Eam, inquam, conſultò prętereo, ne quis fortaſſe ſuſpicetur, rem eſſe fictam ad auctoritatem aliquam meæ in-

Digitized by Google

terpretationi conciliandam. In vniuerſum autem fidenter pronuncio, vbi de vero Apocalypſeos argumento agitur, & tantæ molis opus ſuſcipitur; non ſolùm non eſſe reprehenſioni obnoxium eum, qui ad eiuſmodi peculiares reuelationes non ab Eccleſia approbatas, non adhæret; ſed eum etiam, qui adhæreſceret, argui poſſe imprudentiæ. Quamuis enim nulli reuelationi diuinæ ſubeſſe poſſit falſum; in eis tamen referendis, quæ dicuntur à Deo peculiariter alicui perſonæ reuelata, ſæpe contingit, eos à quibus ſcriptores bona fide acceperunt, aut fallere, aut falli. Atque ita dum non alio firmiori teſtimonio roborantur quàm libri alicuius typis excuſi narrationes; abſque iniuria eius perſonæ, cui facta dicitur reuelatio, ſæpiùs euenit, vt quæ reuelationis nomine obducitur, non ſit reuelatio; ſed vel fictio, vel vana perſuaſio eius, à quo emanauit in vulgus. Atque vt omittam nunc fraudes, dolos atque præſtigias: certè humanum eſt decipi, & quæ Dei aliquis amicus aliquando à ſe ipſo dicit, tanquam oraculum à Deo illi communicatum accipere ac diuulgare; vel eò flectere, & in eũ vſum accipere, quem neutiquam Dei amicus cogitabat. Et poſſem quidem multa huiuſmodi in præſenti recenſere, quæ cùm veræ putarentur reuelationes, erroris poſtea conuictæ ſunt. Sed vnum exempli gratia non præteribo, quod in antiquiori cuiuſdam grauiſſimi Ordinis, ſeu familiæ religioſæ hiſtoria typis excuſa, referebatur. Auditum eſſe ex ore illius Ordinis Patriarchæ, (qui inter magnarum gentium cælites meritiſſimò commemoratur) ſibi reuelatum fuiſſe à Deo, Luſitaniæ regnum, Caſtellæ regnorum coronæ & imperio nunquam coniungendum fore. Quæ prophetia, vbi rerum euentus eam falſam eſſe oſtendit, coëgit illum Ordinem, vt eandem hiſtoriam emendatam denuo prodire curaret, abſque vlla illius reuelationis mentione.

3. *De Ioachimi reuelationum veritate non conſtare.*

Præterea habeo aliquid, quod ſingulis argumentis ſuprà poſitis reſpondeam. Ad Primum. Credat qui volet, Abbatem Ioachimum, fuiſſe Dei Prophetam: non ego: qui nouerim illum in arcano Trinitatis myſterio craſſiſſimis tenebris fuiſſe circumfuſum; & quæ oſcitans hallucinatus erat turpi errore ab antiqua Eccleſiæ doctrina recedendo, ea voluiſſe inuehere in Chriſtianas ſcholas; vt pro vnico Deo, tres deinceps Dei adorarentur. De hoc verò illius errore conſtat; & habetur de ſumma Trinit. & fide Catholica, cap. *Damnamus*. Quare, ſiquâ vnquam Ioachimo illuxit prophetiæ lux, cùm conſtet etiam ab ea aliquando deſartum, & proprij iudicij præſtigiis deluſum; manifeſtum quoque erit, non irrogari ei iniuriam, ſi dicamus aliqua ab ipſo exiſtimata fuiſſe prophetica enunciata; quæ ſomnia potiùs erant atque deliria. Cuiuſmodi eſt, quod aſſerit de duodecim Spiritus ſancti Apoſtolis in nouiſſimis temporibus à Deo mittendis; qui non ſint Chriſti Apoſtolis futuri inferiores. Atque hoc ille ſomniũ perſuadet ſibi in litterali Apocalypſeos ſenſu contineri in numero viginti quatuor ſeniorum. Quare tantum abeſt, vt ipſius veſtigijs inſiſtere debeant prudentes Apocalypſeos expoſitores; vt potiùs mihi erroribus vanis & illuſionibus, ſeu falſis perſuaſionibus obnoxii videantur, qui Ioachimum in Apocalypſi ſequuntur ducem, & ipſius interpretationibus adhærent.

Ioachimum in Trinitatis myſterio erraſſe.

4. *De B. Brigitta reuelationibus circa Apocalypſin. quid dicendum.*

Ad Secũdum. Cùm illa reuelatio, quæ B. Brigittę tribuitur, non reperiatur ipſius manu ſcripta; nec extet in libro ab ipſa edito, neq; edito ab eo, qui ex ipſius ore accepit; facilè fieri potuit, vt ad eum, qui ſcripſit, nonnihil immutata perueniret. Præterquam quòd in noſtra expoſitione, ſeptem illa tonitrua capitis decimi, verè dici poſſunt minæ perſecutoribus Eccleſię intentatę; primis ſcilicet perſecutoribus, id eſt Iudæis, quibus illa tonitrua minabantur, derelictis citò Deum ad Gentes commigraturum.

5. *Quid de B. Vincentij perſuaſione circa iudicij extremi diẽ.*

Ad Tertium. Perſuaſionem B. Vincentii, ſeu potiùs formidinem de valdè inſtante vniuerſalis iudicii die; ego in præſenti non voco in ius & litem, Doctorum iudicio relinquens, quo gradu certitudinis ea habenda ſit. Si verò huius Euangelici prædicatoris verbis is tribuatur ſenſus, qui multis etiam ſacræ Scripturæ ſententiis (idem propè ſonantibus) tribuitur à doctis: non video, quorſum ad confirmationem eius veritatis de qua nemo fidelium dubitat (in aliquo nempe ſenſu veriſſimè dici, propè eſſe diem Domini: in eo ſenſu videlicet, in quo Apoſtolorum etiam, imò verò Prophetarum temporibus verum erat) non video, inquam, quorſum ad eam veritatem confirmandam aliquis ab inferis foret euocandus, & vitæ mortali reſtituendus. Si verò demus, propter aliquam nobis ignotam cauſam congruentiſſimum fuiſſe, vt adeò ſtupendo prodigio illi veritati adderetur fides & robur; ſaltem id quod additur, nempe eodem miraculo probatum fuiſſe, quod intenditur; videlicet B. Vincentium eſſe illum Angelum per medium cæli volantem, & clamore magno dicentem, *Timete Dominum, quia venit hora iudicij eius*. hoc, inquam videri mihi additum eſſe ab ſcriptore Iuſtiniano; vt ſcriptioni adderet ornatum & maieſtatem. Neque mirum, ſi quem Apocalypſeos locum cum pleriſque exiſtimabat, non poſſe aliter quàm de extremi iudicii die exponi; permittendum ſibi eſſe cenſeret, vt illum prædictæ hiſtoriæ adaptaret. Sed à B. Vincẽtio creditum & prædicatum fuiſſe, genuinum ſenſum ab Spiritu ſancto intentum in ea Apocalypſeos parte, non eſſe alium, quàm vt ille Angelus Vincentium ipſum repræſentaret; id verò nulla ratione veriſimile eſt. Si autem non agatur de ſenſu litterali illius loci, ſed ſolùm aſſeratur B. Vincentium ſibi accommodaſſe figuram illam: vt ſignificaret, ſibi à Deo præceptum eſſe, vt ſimilem legationem obiret; id eſt, vt ſimiliter clamaret, *Timete Dominum, quia venit hora iudicij eius*. hac ratione miraculũ, quod nobis obiicitur, non eò ſpectabit; vt certò conſtet de vero Apocalypſeos loci ſenſu, ſed ſolùm de legatione, quam à Deo acceperat. De quo ego non contendo, cùm id ad ſenſum atque contextum Apocalypſeos minimè pertineat.

Ad

Digitized by Google

6. *Ad librum de S. Michaëlis Archangeli reuelationibus.*

Ad Quartum Reſpondeo, librum illum de S. Michaëlis Archangeli reuelationibus eſſe apocryphum, vtpote qui certum auctorem non habeat. Cuius verò prudentiæ eſt, fidem habere narrationi, cùm prorſus neſcias, cui fidē habeas? Neq; refert, quòd in eo libro nonnulla vera & certa reperiantur. ſæpe enim falſa miſcentur veris. Sexti autem ſigilli prophetiam nondum eſſe impletam credent fortaſſe alii; non ego, qui certum habeam ex illo Apocalypſeos contextu conſtare prophetiam illam impletam eſſe priuſquam eam Ioannes ſcriberet. Hoc verò nulla ratione repugnare, oſtenſum eſt ſuprà notatione 3.

7. *Ad S. Hildegardis reuelationes, quid dicendum.*

Ad Quintum. Dico expoſitionem illam capitis noni Apocalypſeos, quam Taulerus ait, eſſe luce clariorem; non extare in iis S. Hildegardis operibus, quæ ſunt typis mandata: niſi alia fortaſſe ſit editio auctior eâ, quam mihi videre contigit. Atque ita ſcire non poſſum, an expoſitio illa à Taulero laudata, ſit illa eadem, quam ego amplector, vel alia; neque an ſit litteralis ſenſus, vel pia aliqua accommodatio. Illas autem ſeptem plagas quas in B. Hildegarde lego, non ait illa ad explicationem Apocalypſeos vllo modo ſpectare. Interpretationem autem ſaphiri, topazii, & nubis, nec non ciuitatis cæleſtis, & aliorum eiuſmodi, quamuis ad Apocalypſin pertineat; reuelatam tamen fuiſſe à Deo non conſtat. Neq; enim aſſerit B. Hildegardis id ſe per reuelationem didiciſſe. nec eſt, cur exiſtimemus, illam abſq; peculiari Dei reuelatione, ex proprii ingenii ſolertia & perſpicacia, circa illa ſymbola philoſophari non potuiſſe, ſuo (vt aiunt) marte; ſiue per accommodationem, ſiue etiam per germanæ interpretationis opinionem. Hæc tamen ipſius Sanctæ opinio non magis cogit nos, neq; conſtringit, vt credamus ipſam ad ſenſum litteralem collineaſſe; quàm beatum Bernardum atq; Rupertum in eis, quæ nobis expoſita reliquere.

8. Addo vlteriùs, etiamſi demus aliquam perſonam in vera reuelatione illi à Deo facta, audiſſe hanc aut illam Apocalypſeos figuram, in hoc vel illo ſuccęſſu fuiſſe impletam, vel fore implendam; adhuc ea peculiaris reuelatio non afferret neceſſitatem id accipiendi de litterali ſenſu, quem Spiritus ſanctus intendit in Apocalypſeos tela atque contextu delineare. Cur enim non poſſit Spiritus ſanctus in peculiari reuelatione aliqua Apocalypſeos figura vti, eamque ad ſucceſſum aliquem accommodare, quem libri huius contextus non deſignabat? Si verò hoc negandum non eſt, ſatis (opinor) explicatum manet, liberum me & expeditum manere ab omnium reuelationum peculiarium reſpectu, in proferenda libri huius interpretatione. Si quis tamen contendat, forſan eſſe legitimos ſenſus eos, qui mihi meræ accōmodationes videntur eſſe, præter fili ſeriem; ſaltem nulli interpretationi facio iniuriam; dum aio, me prorſus non conſequi qua ratione eam poſſim cum ijs, quæ præcedunt, quæq; ſubſequuntur, contexere. Neque enim aio, neminem id conſecuturum; ſed ſolùm non conſequi me; qui tamen plures ſenſus litterales eidem loco ſubeſſe poſſe, non inficior, vt expoſui ſuprà notat. 20.

NOTATIO VICESIMATERTIA.

Reſponſio ad obiectionem de rerum magnarum omiſſione.

1. QVERELIS de nouitate noſtræ expoſitionis & de aliarum iniuria, exiſtimo me feciſſe ſatis: oportet modò obiectioni reſpondere, de rerum magnarum omiſſione, quæ imperfectionem argumenti notat. Cùm enim Apocalypſis Eccleſiæ prophetiam ab ipſius exordio ad finem vſque contineat; ipſa prophetiæ integritas & plenitudo poſtulare videbatur, ne duobus aut tribus tantùm punctis pro dignitate deſcriptis, multa alia maximi momenti prætermitteret.

Obiectio de rerum magnarum omiſſione.

In primis Eccleſiæ perſecutiones, quarum meminit noſtrum argumentum, tres omnino ſunt, Iudæorum ſcilicet, Romanorum, & Antichriſti. Quomodo igitur Hæreticorum, Maurorum ac Turcarum, prouinciarumque infidelium, vt Perſidis & aliarum, perſecutiones ſilentio inuoluuntur? Si vna ex præcipuis huius libri partibus bellum erat à dæmone, ipſiuſque ſatellitibus aduerſus Eccleſiam gerendū; quamobrem tam diuturna bella, tam grauia & periculoſa ſilentur, quibus tantopere Eccleſia fuerat vexanda?

Denique, inter triumphos ac victorias ab Eccleſia reportatas, cur de nouo Orbe, cur de Orientis India, cur de Iaponia, cur de Sinis, cur denique de vniuerſo terrarum ambitu triumphus glorioſiſſimus reticetur?

Quòd ſi decimæ partis ex Iudæorum impietate ad Chriſti fidem conuerſio, adeò fuit Eccleſiæ magnifica & glorioſa; quanto glorioſior & magnificentior extitit Arianorū ad rectam Catholicæ religionis viam reductio? quorum ſæuiſſima peſtis ita longè lateque graſſata fuerat, vt meritò Hieronymus dicere potuerit, *Ingemiſcens orbis terrarum, ſe Arianum eſſe miratus eſt.* Sic Hieronymus in vita Damaſi, quæ habetur in lectionibus Breuiarii die 11. Decembr.

2. Vt verò ad Eccleſiæ decus ac pulchritudinem ſingillatim deueniamus: cur Apocalypſis rem adeò excelſam ac ſublimem reliquit, & quæ tantùm Eccleſiæ ipſi contulit ſplendoris ac dignitatis: nempe tot Religioſorū Ordinum exordia atque proceſſus? Etenim ſi pulchra hæc Religionum varietas tanti fuit ab Spiritu ſancto in Cantico Canticorum habita; vt digna fuerit, quæ tria extrema capita illius libri occuparet, (vt ibi explicabimus;) quid de Apocalypſi dicemus rem tantā prætereunte? Omitto alia quàm plurima non ita magni momenti, ad quæ ſingillatim deſcendit Aureoli & Lyrani explicatio, de qua ſuprà notat. 6. opinione 3.

Digitized by Google

vbi adduximus Salmeronis nostri verba. Verumtamen in rebus adeò sublimibus atq; præstantibus, vt eæ sunt, quas modò perstringimus, nequaquâ tantæ prophetiæ plenitudini & integritati videtur fieri satis, si silentio penitus obruãtur. Nec sufficit ad hæc dicere, nostra interpretatione non omnes bonas expositiones contineri: atque adeò fieri, vt in aliis peculiares illi Catholicæ Ecclesiæ euentus atque progressus locum habeant. Etenim cùm nostra explicatio prophetiam de Ecclesia Christiana complecti conetur, oportebat vt illis euentibus, qui adeò sunt magni atque excellentes, in ea daretur locus.

3. Propter hæc videatur fortasse alicui nostra interpretatio in multis deficere; & dum altas ac speciosas ideas consectatur, insignes rerum euentus non attendere. Quamobrem nonnullis fortè aliud argumentum magis arridebit; si minùs Theologicum, plus tamen de singularibus Ecclesiæ successibus agens. Atq; id placuisse dicent, non solùm Ioachimo, Lyrano, Aureolo, & Antonino; sed aliis etiam non paucis. Nam cap. 6. in equo nigro, qui tertius est, communis interpretatio Hæreticos intelligit; vt videre est apud Riberam. Et cap. 13. in maris bellua Mahometicam sectam, seu domum Othomanicam aliqui adumbrari volunt. Præterea, quartum equum nonnulli de Agarenis interpretantur, capite 6. ex plagis etiam tubarum locustas Bellarminus & alii de Lutheranis & Caluinistis exponunt. Item in Gogi & Magogi prophetia, (quæ c. 20. scribitur) intelligere videtur Hieronymus Hæreticos; vt videre est in Ezechielis commentario, cap. 38. & 39. Item de Arianis explicat S. Prosper characterem & nomen & numerum nominis bestiæ, de quibus cap. 13. Deniq; Augustinus imaginem bestiæ (de qua eodem capite) videtur referre ad Pseudochristianos, id est, Hæreticos.

Accedit, quòd textus ipse expressè loquitur de Nicolaitis, c. 2. n. 6. & 15. & de quadam Pseudoprophetissa, c. 2. n. 20. Non igitur est credibile, alias hæreses in Apocalypsi omitti, quæ multo grauiùs erant Ecclesiam oppugnaturæ.

4. *Diluitur superior obiectio.* Nihilominùs tamen frustra his atque aliis conetur quis suadere, Apocalypseos prophetiam ad singula Ecclesiæ bella cum Arianis, Pelagianis, & Hæreticis aliis, cumq; Agarenis, Turcis ac Persis descendere, & ad cetera superiùs connumerata. Licet enim, cùm Deo collibitum est, minutiora etiam suis fidelibus soleat reuelare; ceterùm inutilis prorsus ac vana reuelatio digna Deo non est, neque vnquam à Deo fuit facta. Atqui ante ipsa bella, certũ omnino est Apocalypsin ad illa singulariter præcognoscenda, nullius vtilitatis Ecclesiæ fuisse. Quæ verò applicationes post exortas iam hæreses à nonnullis fieri solent, singulis hæresum monstris cum figuris Apocalypseos comparatis; hæ licet ingeniosæ fortasse sint; re tamẽ vera non tam explicationes sunt, quàm applicationes; eæq; ita parum solidæ, vt nec fide confirmandæ, nec maioris momenti fructui sint vtiles. Nec (mea quidem sententia) prudenter philosophatur, qui diuinæ prouidentiæ dissonum reputat, res adeò graues non fuisse Ecclesiæ priùs distinctè reuelatas. Etenim si voluisset Deus Ecclesiam de his bellis singillatim fuisse præmonitam; alio certè modo, id est certiùs & clariùs, eam præmonuisset. Cùm verò id non præstiterit; argumento est huiusmodi prædictionem Ecclesiæ minimè expedire; quemadmodum nec peculiaria schismata prænoscere, aut bella inter Christianos Principes gerenda; nec vrbis Romæ direptiones; aut alias id genus calamitates. Et præterquam, quòd magnæ prudentiæ est, diuinæ prouidentiæ se submittere; ac certissimè reputare, illud à nobis nequaquã sciri oportere, quod Deus ignotum esse voluit: si res ipsa attentiùs adhuc consideretur; humana mẽs sibi facilè persuadet, Ecclesiæ communiter non expedire, vt euentus deinceps futuri præsciantur. quemadmodum nec peculiari homini congruens est, futura suæ vitæ euenta prænoscere. Nimia hominum curiositas suapte vi & cupiditate fertur ad rerum futurarum prænotionem. Verùm, si res æquâ rationis trutinâ ponderetur; earum ignoratio multo plùs nobis conducit quàm præcox & præmatura cognitio. Ne in aliis rebus ignaui atque socordes, aliarum metu & nimio angore conficiamur. Multo satiùs est inter spem & metum absque certa futurorum euentuum cognitione in timore & tremore nostram salutem operari, ac rerum omnium curam diuinæ prouidentiæ committẽtes, iuxta Christi consilium, semper orare, nunquam deficere. Ex eo igitur, quod de singularibus hominibus in suis cuiusque rebus ratio persuadet, eâdem proportione rectè colligitur, Ecclesiæ etiam valdè expedire, similem de futuris euentibus ignorationem.

Ecclesia non expedire singularium euentuum futurorum reuelationẽ.

5. *De grauissimis Ecclesiæ euentis locis indicandum.* De tribus quidem illis grauissimis successibus in bellis cum Iudaico populo, cum Gentilicio, & cum Antichristo oportuit valdè Ecclesiam ab ipso sui exordio fuisse præmonitam; vt diuinæ in eam prouidentiæ maximum haberet pignus; vtque ex harum rerum notitia in Dei cognitione, in diuinarum rerum scientia, ac salutari doctrina prouectior fieret ac robustior; nec non vt alacri & erecta spe Dei opem atque subsidium in aduersis omnibus sibi præsentissimum fore, non dubitaret. Et licet Apocalypseos prophetia obscurissima fuerit; antiquitatis tamen vestigia, quæ reliqua sunt, nos certiores omnino reddunt, horum trium bellorum exitus antiquis Doctoribus agnitos fuisse atque compertos: quatenus illis innotuisse oportuit. Nec enim dubitarunt, Babylonis nomine veterem Romam ethnicam significari; ac de ea Ecclesiam triumphaturam, & longa deinde pace fruituram; victoriâ etiam ex Iudaico populo reportatâ, decimam eorum partẽ Catholicæ fidei fuisse subactam, triumphumque de Imperio Romano integrũ fore reportandum, vniuersa gentilitate ad fidem conuersa. Ac demum sub mundi finem de Antichristo, deque omnibus sectis & hæresibus, deque iudaismi & gentilismi reliquiis, Ecclesiam acturam triumphum. Hæc est Apocalypseos prophetiæ summa; cuius cognitio

Eccle-

Digitized by Google

Ecclesiæ noua non est; sed illi potiùs ab ipso initio valdè nota.

6. *Cur Iudæorum, gentilismi & Antichristi bellum Ecclesia reuelari oportuit: alia hæreticorũ & Maurorum non item.*

Hæc certè tria, nempe, supplicium Iudaici populi, Ecclesiæ de idololatria triumphus, ac victoria de Antichristo futura, proculdubiò sunt inter omnes Ecclesiæ Christianæ triumphos præstantissima. Nil ergo mirum, si expressiùs agatur de iis, quæ in se sunt multò maiora & euidentiora. Præterea Iudæi, & idololatræ (ac simile erit de Antichristo) eò vires omnes ac neruos contenderunt, vt Christi nomen penitus delerent; atque hunc ad finem grauissimo bello vniuersam Christi Ecclesiam infestarunt; vt Christi ipsius fidem ac religionem fideles abnegarent. Hæretici verò, etsi alioqui acerrimi Ecclesiæ hostes, bello intestino ac domestico, quod periculosissimum est, ipsam afflixerint; re ipsa tamen eorum bellum, generatim loquendo, non adeò internecinum fuit; B cùm totum robur ac lacertos non tam ad Catholicam religionem aperta vi extinguendam quàm ad suam impietatem dolis ac technis amplificandam, conferre videantur. Turcarum insuper & Maurorum bella Christianis illata in Imperii potiùs propagationem, quàm in Christiani nominis violentam extinctionem incumbunt. Quamuis enim alicubi tam Hæretici, quàm Mauri minis, tormentis ac dirissima morte, Christianos ad eiurandam Christi fidem impellere conati sint; nulla tamen harum persecutionum vniuersæ Ecclesiæ fuit communis & generalis; neque eiusmodi persecutionẽ illi communi instituto profitentur: illud potiùs præ se ferunt, vt dum suas superstitiones defendant, ceteros facilè in sua quemq; C religione viuere permittant. Vbi igitur magis fuit grauis & cruenta persecutio; illic quoque illustrior fuit & glorioſior victoria. Atq; idem Antichristi tempore continget. Quare multò fuit congruentius de tribus supradictis atrocissimis bellis expressè ac distinctè agere. Præsertim cùm in Hæreticorum aut Maurorum bellis non adeò manifestè & euidenter triumphet Ecclesia: quinimo illi interdum triumphant, ad finem mundi omnes demum cum Antichristo superandi. De quo Apoc. 20. 12.

7. Hæc ergo, quæ præcipua sunt, oportuit Ecclesiæ reuelari; in ceteris, quæ horum comparatione, multò erant inferiora, existimo Ecclesiæ magis expediens fuisse, ne illi distinctè prædicerentur. Satis fuit Christum generatim D prophetasse Ioan. 15. 20. *Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* & Matth. 18. 7. *Necesse est, vt veniant scandala.* Et per Apostolum 1. Corin. 11. 19. *Oportet hæreses esse.* Et alia huiusmodi. Distinctior ergo prophetia Ecclesiæ erat inutilis; doctrina tamen ad omnẽ eiusmodi euentum sanè quàm vtilis, atque hanc egregiam satis habemus in Apocalypsi. Ex iis enim, quæ in trium bellorũ descriptione dicuntur, quomodo sit de reliquorum successu philosophandum, docentur fideles. Videlicet, quæ sit diuinæ prouidentiæ in illis omnibus ratio, & in occurrentium omnium persecutionum permissione dispositio: quid sperandum sit Ecclesiæ: quid agendum; & quis exitus persecutores & persecutos A maneat. Distinctioris prophetiæ desiderium imprudentiæ & vanitatis arguitur; sublimior autem & excellentior ad omnem euentum doctrina optari non potuit.

8. *Primum ex superioribus argumentis soluitur.*

Vt igitur argumenta superiùs posita diluamus; ad Primum assero, non exiguum singularis libri argumentum esse, sed maximum potiùs & grauissimum, de tribus illis rebus distinctè agere; id est, de iudaismi & gentilismi & Antichristi victoria. Qui verò existimet Apocalypsin non de his tantùm bellis tractare debere; sed ceterorum etiam omnium exitum distinctè describere; id assumit, quod non solùm non probatur, sed etiam expediens non fuisse probatum est. Atque vt de hæreticorum persecutione singulatim loquamur; obseruandum est, hæreticorum primos fuisse illos qui ex Iudæis Christi fidem recipere noluerunt. Penes Iudæos enim ad Christi vsq; aduentum fides erat & Ecclesia. Quare, qui ex iis se Euangelio subiecerunt, illi perstiterunt in fide; qui verò Christum respuentes, Christianos sunt persecuti, hi nimirum à vera Christi fide desciuerunt. Et qui animaduerterit, Apocalypsin esse veluti mirabilem quamdam tragicomœdiam; facilè perspiciet, in actione de Iudæorum bello, deque eius exitu, contineri pariter eorum omnium bellorum imaginem, quibus hæretici omnes Ecclesiam impugnant; & quis eorum bellorum exitus futurus sit. Quemadmodum enim Deus aduersus Iudæos septem plagas immisisse describitur; ita etiam in hæreticos eisdem plagis animaduertit, & priusquam eos septimâ plagâ percutiat, iisdem remediis vtitur, quibus ad Iudaici populi conuersionem fuisse vsum legimus. Ceterùm, cùm hæreticorum obstinatio & peruicacia Iudaicæ perfidiæ sit similis; ideò plerumque euenit, vt decimæ eorum partis ad fidem conuersio, pro ingenti lucro atque victoria computetur. Atque id est, hostilis vrbis decimam partem corruere, & Christiano populo infidelem decimas dare. At ceteri in sua impietate obstinati & obdurati persistunt.

9. *Apocalypseos doctrina de tribus Ecclesiæ bellis ad alia etiam extendi potest.*

Hæc animaduersio est iuxta receptum in optimis actionibus seu comœdiis morem; vbi in singulari aliquo exemplo communis tradi solet ad cetera eiusmodi doctrina. Atqui exẽpli vis ac robur magna sunt, præsertim in illustri re & omnibus communiter nota. Vt si detur in scena celebris historia. Cùm ergo Ioannes Apocalypsin scripsit; Christianis omnibus manifestum erat bellum, quod Iudæi aduersus Christi Ecclesiam gesserant, Deique vindicta, & totius rei exitus. Quare nihil potuit eligi, quod ita ad viuum exprimeret hæreticorum bellum, hæresum causas, ac singulare Dei beneficium in eos; quos teterrimo huic bello subducit, & in fide vera conseruat. Diuinæ item prouidentię patientiam, comminationem, ac seueritatẽ in hæreticos; charitatem etiam mirabilem, qua per fideles hæreticorum conuersionem miris modis procurat; & Christianæ Ecclesiæ doctrinam ac sanctitatem, qua Deo in re tanta, tamque glorioſa fidelissimum præstat obsequium, & huius obsequii fructum singularem.

Digitized by Google

gularem. Denique ad hæreticorum mores & immanem furorem, quo Ecclesiam persequũtur, effingendum, aptior & expressior imago depingi non potuit, quàm quæ c. 9. Apocalypseos describitur. Atque ad eorum obstinationem repræsentandam 11. capitis finis aptissimus etiam est. Clariorem & magis distinctam de hæreticorum bellis prophetiam optasse, futile prorsus erat & inane. Superioris autem actionis ad persecutionem hæreticorum applicatio, elegantissima est omnium, quæ de hac re institui poterant tractationes.

10. Quod de hæreticis hactenus dictum est, ad Mauros etiam ac Turcas suo modo extẽdi potest; qui inter hæreticos quodammodo numerandi videntur. Bona enim prouinciarum pars, quæ Mahometicam sectam profitentur, superiori ætate Christi fidei militabant; atque ex pristina illa Euangelii luce, qua quondam illustrati fuere, aliquæ in eis reliquiæ perseuerant; dum idololatriam detestantur, nec alium agnoscunt Deum præter cæli ac terræ conditorem. Cùm igitur hæc prioris ignis fauilla apud eos resideat, cùm Ecclesiæ bellum inferant, cùm à Iudæis mutuam circumcisionem atque alias nõnullas id genus cæremonias accipiant; hæc omnia idoneam satis materiam præbent, vt Iudaici belli actio in Apocalypsi data ad Turcarum etiam & Maurorum bella applicetur. Nec absimilis est eorum obstinatio. Quare quantumuis crebris cohortationibus, & Euangelij prædicatione alliciantur, vix vnquam decima eorũ pars ad Christiana sacra traducitur.

11. Ex his omnibus infero, quod de perfida Hierosolyma in Apocalypsi describitur, posse etiã aptissimè accommodari ad hęreticorum, Maurorum atque Turcarum vrbes Ecclesiæ aduersarias; vt ad Londinum, Geneuam, Constantinopolim, Argerium. Scio à quibusdam Constantinopoli applicari, quod in Apocalypsi de Babylone dicitur; imò verò Aretæ. Caponsachio, & aliis nonnullis sensum literalem videri. Ceterùm contextus proculdubiò de Roma agit, (de quo suprà, & infra.) Bellum autem, quod Ecclesiæ infert Constantinopolis, Iudaicum potiùs bellum, quàm Romanum refert, vt iam explicaui.

Quibus addo: in Gogi & Magogi bello (quod idem cum Antichristi bello est, & Turcis ab aliquibus accommodatur) Antichristi præcursores posse comprehendi; in quorum numerũ non aptè adscribi videntur, qui multis retro sæculis, nempe ante mille annorum pacem, hæresiarchæ præcesserunt. Gogi enim & Magogi bellum post hosce mille annos succedit in Apocalypsi.

Quo pacto Apocalypseos doctrina ad alia similiter extendi possit.

Iam de aliis idololatris extra Romani Imperii terminos positis, illud breui perstrinxerim, descriptionem felicissimi triumphi de bello Romano satis fuisse, vt inde facilè Christiani colligerent; si se ipsi strenuè gerant, atq; Dei bella viriliter pugnent, Deum illis de quauis hostili vrbe, quantumuis potentissima, gloriosam victoriam concessurum, vt Romæ Ethnicæ exemplo fuerat quàm mox ostensurus. Atque eapropter non opus fuit, vt Persidis, Meaci, & aliarum prouinciarum persecutio singulariter describeretur. Atque in mysticis his bellis aduersus quosuis Gentiles; non secùs, ac in Romæ veteris bello spes Christianorum esse debet, veræ Religionis igne hostiles vrbes, *Deo auctore & consummatore*, prorsus esse inflammandas. Et spirituali Meaci, Sinarum, aut cuiusuis alterius Gentilium prouinciæ expeditione, nos docet Apocalypsis ob oculos ponere bellum illud, quod Babylon aduersus Ecclesiam Christi gessit, atque illius exitum felicissimum

12. *Pra Romana Ecclesia victoria de Imperio Romano parta, cetera omnes minoris momenti.*

Ad id verò, quod de subiugato nouo orbe, & eiusmodi aliis Ecclesiæ victoriis additur, Respondeo; præ Romani Imperii victoria, ceteras omnes exiguas esse valdè atque minutas. Quæ autem armorum vi, ac militum copiis in Ecclesiæ Christianæ decus à Christianis conficiuntur; hæc omnia sunt instar copiosi fructus, qui ex deuicto Romano Imperio, & parta totius mundi diuturna pace, nunc à fidelibus decerpitur.

De triumpho ex Arianis comparato, dum omnes ad Christi fidem reducti dicuntur, non facilè crediderim; omnes, qui obstinata mente suos errores propugnabant, Christianæ Ecclesiæ se sponte subiecisse. Multos verisimile est Arianorum doctrinam per imprudentiam absque vlla pertinacia fuisse sectatos; atque eos fuisse ingentem illam multitudinem, quæ facilè ad Ecclesiæ gremium rediit. Nec requirendum est, vt ad singularia hæc Apocalypsis descendat; cùm præcipuus eius finis fuerit ingentes victorias atque triumphos ab Ecclesia reportandos prædicere. Addo etiam hæreticorum reductionem, conuersionemque Maurorum, Principum sæpe Christianorum potentia & auctoritate fieri. Atque hic est fructus temporalis Ecclesiæ dominatus, & mille annorum pacis, de qua Apocal. 20.

13. *Cur Religiosorum Ordinum pulchritudo in Apocalypsi prætermittatur.*

Sequitur argumentum de Religiosorũ Ordinum pulchritudine ac varietate. Ad quod tria breuiter Respondeo. Primum; quia ea res latè satis atque mirificè in Cantico Salomonis fuerat tractata, idcirco opus non fuisse Ioannem distinctè de eâdẽ in Apocalypsi agere. Quemadmodum & in historia Euangelica Ioannes ea ferè consultò prætermittit, quæ fuerant ab aliis Euangelistis conscripta. Præterquàm quòd in cap. 19. Apocalypseos clarè innuit Ioannes, suũ & Cantici Canticorum argumentum idem penè esse. Quare non sine causa omisit, quæ fusè in Cantico illo erant tractata. Et quidẽ decõrũ fuit partẽ illam argumenti, nimirum spirituales mystici Salomonis cũ sua Sulamite delicias, in libro amatorio referri: librũ verò de Ecclesiæ triumphis, nempe Apocalypsin, totũ in præcipuis Ecclesiæ bellis atque victoriis consumi.

Secundò Respondeo, ingentem monasteriorum ac Religiosorum Ordinum multitudinem inter diuturnæ pacis Ecclesiæ fructus cõputari, atque adeò cap. 20. in illa pacis mentione includi; præconia tamen Religiosi status ad Canticorum librum remitti; vbi noster commentarius illa expendet.

Tertiò Respondeo, Quemadmodum in Apocalypsi, licet distincta non sit de hæreticorum bellis

Digitized by Google

bellis propheta, est tamen admirabilis doctrina, quæ ad ea bella applicanda sit; eaq; desumitur ex iis, quæ in Iudæorum bello dicuntur: ita similiter licet Apocalypsis distinctè de Religionum Mendicantium varietate & pulchritudine non meminerit; iisdem tamen Religionibus veluti quoddam perfectionis speculum ob oculos proposuit imitandum; dum de primitiuæ Ecclesiæ excellenti virtute ac vitæ sanctimonia scribit, ac de ardenti illo diuinæ gloriæ zelo, & proximorum salutis desiderio. De qua primitiuorũ Christianorũ Euangelica perfectione distinctissimè agit Apocalypsis c. 6. A in quatuor equis, & c. 7. & 8. & 10. & 11. & 14.

Denique ad obiecta de Nicolaitarum hæresi in Apocalypsi expressa, Respondeo, illam Nicolaitarum mentionem non esse prophetiam, sed laudationẽ potiùs Ephesini Episcopi, quòd eos detestabatur; & Pergameni obiurgationem, quòd eos in suaEcclesia degere permittebat. Septem verò epistolæ c. 2 & 3. sunt veluti admonitiones, quibus persona illa, quæ prologum agit, auditores, seu lectores potiùs cohortatur; vt fructum ex actione, siue spectaculo capiant; quo loco aptè eorum seu vitia, seu virtutes notari possunt. 14. *Cur Apocalypsis Nicolaitarũ hæreseos meminerit; nó verò aliarum.*

NOTATIO VICESIMAQVARTA.

Responsio ad obiectionem de nimia mystici sensus consectatione.

1. *Quid de mystici sensus cõsectatione dicendum.*

ILLVD postremò inuenio, (quod in mea declaratione nonnullis primo aspectu non parum displiceat) nimiam scilicet mystici sensus consectationem; præsertim in aliquot locis, in quibus, vtpote insignioribus, plus fortassis offendent. Ex his sunt, quæ de decimæ partis Hierosolymæ ruina c. 11. & de Babylonis conflagratione c. 17. & 18. referuntur. Vtrobique enim plerisque persuasum est, de seuerissima agi vindicta; qua in Hierosolymam ac Romam iustissimè pariter ac grauissimè aut sæuitum est, aut sæuietur. Ego verò eiusmodi supplicij seueritatem, de decimæ Iudæorum partis ad fidem Christi conuersione, deq; mystica Romæ totius per Sp. sancti ignem conflagratione interpretandam esse contendo. Deinde cap. 9. 20. opus mihi est expressam idololatriæ mentionem mysticè accipere; cùm tamen ipse contextus videatur de propria & stricta idololatria loqui. Ait enim; *homines non pœnitentiam egerunt de operibus manuum suarum; vt non adorarent dæmonia, & simulachra aurea & argentea & erea & lapidea & lignea; quæ neq; videre possunt, neq; audire, neque ambulare.* Præterea in duobus testibus cap. 11. multi asseuerabunt, contextum perspicuè agere de duobus Prophetis; qui tribus annis cum dimidio Christi Euangelium prædicaturi sunt; ac multis miraculis comprobaturi, postea occidendi; & corpora iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, & post tres dies & dimidium resurgent, & ascendent in cælum in nube. At duos Prophetas, non duos esse homines, sed sanctitatem atque sapientiam Ecclesiæ Christianæ significare, violentissimum esse dicent. B C D

Obiectio.

2. In his atque aliis eiusmodi, multi non dubitant legitimum contextus sensum esse illum, quem primo aspectu verba sonant; atq; adeò mysticos in his sensus consectari, nil esse aliud, quàm relicto solido pauimento velle per aëra volitare, & quasi *in auibus cæli ludere.* Certè Hieronymus sæpe in Origene reprehendit coactas allegorias. Sic enim de illo loquitur Ierem. 27. *Allegoricus semper interpres, & historiæ fugiens veritatem. Nos simplicem ac veram sequamur historiam, ne quibusdam nubibus atque præstigiis inuoluamur.*

Baruch 3. 17. *Origenem de allegoriea nimium interpretatione non bene apud Hieronymũ audire.*

Atque ibidem & duobus etiam sequentibus capitibus repetit, *Delirat & in hoc allegoricus interpres, & somniat.* Et alibi notat Origenem ex proprio ingenio sacræ Scripturæ sensum facere. Vereor ergo, ne simile quid de me aliqui suspicentur. Quamuis autem ipse coner contextum omnem quadrare, & continuata serie exponere, eodem quasi filo deducto; putabunt tamen me in eo conatu non solidam explicationem, sed vmbram & imaginem tenere; atque vt omnia consonent, hominum cogitationi ac naturæ ipsi vim inferre; dum iram in misericordiam noua metamorphosi conuertere studeo. Id enim non esse valdè absimile Nicolai Copernici audaciæ; qui vt omnium Astrologiæ phænomenon siue apparentium rationem redderet, peregrino & incredibili inuẽto solem in centro mundi fixum atque immobilem collocat; tellurem in quodam epicyclo assiduo motu circunducit. & quãuis miro artificio eclipses omnes ac syderum conuersiones inter se cohærere ostendat; nemini tamen sanæ mentis figmentum illud suum pro vero persuasit, quòd res violentas assumat. Non minùs violentum cuipiam videbitur, magnam Dei iram illam appellari; quæ inimicos sibi conciliat, & homines ex impiis & sceleratis pios efficit ac sanctos. Quibus addi potest, id vnum vel maximè in Ticonii expositione (quam Primasius, Beda, Anselmus, Ansbertus, & alii sequuntur) doctissimis viris displicere; quòd multa in ea explicentur in sensu mystico & non litterali. Sic enim censet Ribera, & alij. Si illa igitur interpretatio nimiùm mystica iudicatur; quanto magis eadem nota inuretur nostræ; quæ in summa seueritate summam indulgentiam atque clementiam intelligit?

Huic obiectioni vt satis faciam, quædam mihi sunt breuiter præmittenda. Primum sit; sensum mysticum tripliciter accipi posse. Primò, pro eo, qui sensui grammatico opponitur; sic sæpe sancti Doctores meritò sensus mysticos vel spirituales, vel allegoricos appellant eos, quos Spiritus sanctus per verba ipsa voluit significare. Scilicet cùm figuratè loquitur. De quo bene Ribera Malachiæ 1. §. 12. & latissimè Villaui- 3. *Tria ante solutionem præmittenda.* *Mysticum sensum tripliciter accipi.*

Digitized by Google

Villauicentius de sensibus sacræ Scripturę. Secundò, sensus mysticus vel spiritualis, vel allegoricus dicitur is, qui non est intentus per verba siue simpliciter, siue figuratè accepta; sed per ipsam rem significatur: & sic loquuntur Scholastici cum D. Thoma 1.p.q.1. ar.9. & 10. Tertiò, impropriè appellatur sensus mysticus, qui neque litteralis est vllo modo, nec solidè in littera fundatus; cò quòd ab Spiritu sancto nõ sit per ipsam significatus: sed solùm in eius ingenio fundatur, qui de rebus sacris prout lubet philosophatur; & eas vtcumque accommodat iis sacræ Scripturæ locis, cum quibus aliquam videntur habere proportionis vmbram. De his accommodatitiis sensibus vide Acostam de Christo reuelato lib. 2. c. 11. & 12.

Quid inter triplicem mystici sensus acceptionem interſit.

Inter tria hæc mystici sensus genera multum interest. Primus enim sensus, licet mysticus iure appelletur, est tamen ipsa Spiritus sancti mẽs & in multis locis genuinus sacræ Scripturæ sensus; præsertim in parabolis, ænigmatibus, & quibusuis allegoriis. Secundus verò sensus, si sit verus & genuinus, licet non fuerit à Spiritu sancto per ipsa verba intentus; sæpe tamen præstat sensui litterali, & pluris faciendus esse iudicatur à viris sapientibus; eò quòd fuerit per rem ipsam à Spiritu sancto repræsentatus. Tertius deniq; nõ videtur magni faciendus; quinimò expedit plerumque nimiam aliquorum licentiam cohiberi: qui Origenis, si minùs ingenium, audaciam tamen imitantes accommodationes quasdam fingunt; quæ ingenii potiùs somnia, quàm Spiritus sancti sensa iudicandæ sunt. Qua de re Acosta in prologo ad librum de Nouissimis temporibus.

4.

Hieronymus interpretationem nimiùm litteralem in Apocalypſi reprehendit.

Secundò aduerto, quemadmodum in Apocalypsi expositiones nimiùm mysticæ meritò displicẽt; ita etiam doctos ac prudentes offendunt, quæ nimiè sunt litterales. Certè id sæpe Hieronymus in Millenariis reprehendit, quòd voluerint Apocalypsin nimis litteraliter accipere. Atque epistola 148. ait, *Omnis ille liber*, (agit autem de Apocalypsi) *aut spiritualiter accipiendus est, vt nos existimamus; aut fabulis acquiescendum est*. Quòd si Hieronymũ roges, quo pacto sit Hierosolymæ ruina secundùm decimam partẽ accipienda? Quid, si de vniuersæ Babylonis incendio? Quid, si de duobus testibus capitis vndecimi consulas? facilè vno & altero verbo vniuersali propositioni respondet, OMNIS ILLE LIBER *aut spiritualiter accipiendus est*; *aut fabulis acquiescendum*. Hæc Hieronymus de præcipuo Apocalypseos argumento. Eadem est Epiphanii sententia; qui lib. 2. cap. 51. disertè docet totam Apocalypsin referri debere ad spirituale Dei negotium. Suffragatur Dionysius Areopagita c. 3. de Eccles. hierarchia; qui Apocalypsin appellat *arcanam ac mysticam omnino visionem*. Haymo item in præfatione ad Apocalypsin, *In hoc libro*, inquit, *nihil est historicè accipiendum*. Atque eadem fuit Ticonii mens, vt patet ex eius commentario, quem sequuntur multi & graues, quorum suprà meminimus.

Apocalypſin iuxta veterum Patrũ mẽtem, ſpiritualiter explicatum iri.

5.

Tertiò aduerto, quando extrema displicent, mediam viam esse tutissimam; iuxta alterius apud Poëtam (Ouid. 2. Metamorph.) consilium;

Inter vtrumque tene: medio tutissimus ibis.

Ex illis igitur octo explicationum generibus, quas notat. 6. retulimus; quædam sunt valdè mysticæ, aliæ nimiùm litterales. Etenim duæ primæ distinctionem illarum duarum ciuitatũ à Ioanne indicatam non admittunt; atque ita ad præcipuas litteralis sensus partes non descẽdunt. Posteriores, præter septimam, dum eam sibi argumenti materiam proponunt, quæ sensibus percipitur, humi serpunt, & de sublimiori intelligentia, nempe de spirituali, non valdè laborant. Inter hæc ergo extrema, expositio nostra media est. Nam & duarum illarum vrbium distinctionem complectitur; & quæ de ipsarum ruina & incendio dicuntur, spiritualiter intelligenda esse affirmat; vtrumq; ex Hieronymi & antiquorum Patrum sententia, vt vidimus notat. 12.

In ſermone & myſtico & hiſtorico locutionem quidẽ eandem eſſe, ſignificationis verò modum diuerſum.

Quartò noto, in sermone mystico, locutionis formam esse eandem, ac in sermone historico: in significatione tamen hoc esse discrimen, quòd in sermone mystico significatur per ipsa verba id, quod in historia significatum est per ipsas. Verbi gratia: in libris Regum sermo est ad litteram de Salomonis diuitiis & sapientia: ibi manifestum est textum ipsum non agere de Christo, quem tamen Salomonis diuitiæ & sapientia figurabãt: ac propterea verissimè dicitur ea historia allegoricè ad Christum spectare. Itaque in historia illa sensus de Christo mysticus fuit, non litteralis; quia significatus est, non per verba, sed per rem ipsam. Vbi verò scriptoris intentio est per ipsa verba de Christo loqui, non tamen palàm & apertè, sed allegoricè; tunc elegantissimè inscribitur psalmus *in Salomonem*: & verba ipsa Salomonẽ personant, eiusque diuitias & sapientiam. sed nimis hebes ac tardus sit, qui non videat, per ea ipsa verba Christum significari: neque aliter de Salomone mentionem fieri, nisi vt locutio sit mystica & allegorica. Certum ergo est, in sermone mystico per litteram ipsam significari id, quod in historia per ipsam significabatur.

Ex quo manifestè colligitur, omnes eos auctores, qui dixerint, in antiquis bellis, & in seueritatis atque vindictæ exemplis per res ipsas mysticè significatam fuisse peccati, in peccatorum conuersione, destructionem; eosdem pariter testari, in sermone mystico ad litteram significari optimè eandem peccatorum conuersionem per verba, quæ summam seueritatem, (vt verbi gratia, ruinam inimicorum, & vrbium exustionem) sonant. Neque enim iure quispiam asseret, violentam esse allegoriam; si eiusmodi proportionem inter res ipsas esse fateatur, vt historia seueritatis, peccati destructionem, & conuersionem sceleratorum appositissimè figurarit.

6.

Peccatorum conuerſionẽ in antiquis ſummæ ſeueritatis exemplis fuiſſe figuratam.

Superest igitur ostendere, quàm sit & in se certum, & ab omnibus receptum, peccatorum conuersionem in antiquis summæ seueritatis exemplis fuisse figuratam, nec non eandem conuersionem, (in qua maximè elucet summa Dei misericordia & indulgentia) iuxta Scripturę phrasim ad litteram significari in mystica ea locutione; quæ nil aliud sonet, nisi summam seue-

Digitized by Google

Sólutur obiectio superiùs facta.

seueritatem atque vindictam. Duo hæc connexa inter se sunt, vt vidimus; atq; adeò quod re ipsa fuit in seueritatis exemplis figuratum; idem omnino significatur ad literam à Prophetis per phrasim seu locutionem, quæ seueritatem sonat. Quare auctores, quos mox referam, & alii de veteri figurarum significatione, alii de sacræ Scripturæ phrasi agunt. Verùm quodcunque ex his dicetur, in idem recidit. Præterquam quòd ferè omnes exprimunt, vsitatam esse sacræ Scripturæ phrasim, per verba, quæ vindictam ac seueritatem præ se ferre videntur, ad literam loqui de summa Dei clementia & misericordia; deque maximo beneficio, quod in eos confert peccatores, quos à peccati tyrannide liberat. Proferam ergo primò huius obseruationis auctores; deinde eorum locos vnà cum Scripturæ locis indicabo.

7. *Patres huic rei fidem astruunt.*

Quod ad Auctores spectat (ne cui fortasse hęc locutio redoleat nouitatē) plurimos habeo atque grauissimos: ex quibus sunt Dionysius Areopagita, Irenæus cum antiquiore presbytero, Origenes, Athanasius, Basilius, Cyrillus, Epiphanius, Chrysostomus, nec nō Tertul. Arnobius, Hieron. Ambrosius, Augustinus, Ruffinus Aquileiensis, Gregorius, Hesychius, Beda, Ricardus de S. Victore, Brunus, S. Thomas, & D. Bonauentura. Ex Rabbinis Abenezra, & Kimhi. Ex interpretibus sacræ Scripturæ recentioribus iisque doctissimis, Forerius, Ianssenius, Genebrardus, Arias Mōtanus. Ex nostris Salmeron, Toletus, Ioan. Fernandez, Viegas.

Communis & quotidiana locutio, peccatorum cōuersionem per militiæ ac belliti congressus comparationem denotari.

Facile esset multos præterea auctores, si opus foret, conglobare; satius tamen esse existimo, si aduertam, hunc esse communem & quotidianū loquendi modum in religiosorum hominum familiari sermone. Cùm enim inter eos incidit sermo de Euangelico aliquo concionatore, qui multorum hominum animos ex misera Dæmonis seruitute ereptos ad singulare Dei obsequium traducit; atque vrbes integras & prouincias ad pietatem & Christi amorem cōuertit; & doctrinæ virtute & exemplorum vi ex infidelibus ac peccatoribus in veros fideles & amicos Dei commutat. Cùm de eiusmodi (inquā) concionatore sermo est, nihil frequentius, quàm dicere, eum esse acerrimum cælestis militiæ ducem, qui homines quamplurimos ac Gentes sub Christi signa compellat; qui in hostili acie ingentes edat strages, qui Dæmonis arces & castella munitissima solo adęquet; qui crebris concionum ictibus & oppugnationibus fortissima vrbium mœnia expugnet ac diruat; qui deniq; ardētissimo charitatis igne populos accendat & inflammet. Nec tamen aliquis hanc loquendi rationem aut nouam aut inusitatam reputet. Si igitur hic sermo in quotidiano vsu minimè durus & insolens nobis videtur; cur in eisdem Apocalypseos locutionibus nostræ peregrinantur aures? neque in hoc peruagato sermoni versantur? cúrve quod vulgari sermone conceditur, abstrusis Apocalypseos ænigmatis denegabitur.

8. *Metaphoræ huius ratio & congruentia.*

Quòd si in huius allegoriæ vsu rationem attentè perscrutari velimus; inficiabitur nemo, belli ac victoriæ metaphoram, ad spiritualē militiā ac triumphum aptissimè transferri. Quemadmodum enim Dæmō suis oppugnationibus significanter dicitur hominum animis inferre bellum, eosque deturbare, occidere, & maximas in eis edere strages: simili etiam ratione valida Euangelicorum concionatorum phalanx nō minùs appositè dicetur homines prosternere, perimere, ac flammis accensis exurere; cum hoc tamen discrimine, quòd hæc ruina, hic interitus, hoc incendium in summum ruentium, occisorum & inflammatorum beneficium redundat. Illi enim cadunt, qui se Christo sponte submittunt; illi interficiuntur, qui peccato & sceleri moriuntur; illi inflammantur, qui ardentissimo charitatis igne se totos, vt holocausta, Deo dicant & consecrant.

Eadem locutio humanarum litterarum studiis vsitata.

His adjicio, eum loquendi morem non apud spirituales modò homines vsitatum esse, sed etiam ab humaniorum litterarum studiosis receptum. Norunt enim vulgare esse tum apud veteres Poëtas, tum etiam apud Ethnicos sapientes, huiusmodi affectus amori tribuere. Quapropter illi arma ad eam rem apta, nempe ignem & sagittas effingebant; his enim armis corda icere atque vrere dicitur. De quo Alciatus & eius interpretes in emblematis 107. & 110. & 113. Quid igitur mirum, si asseramus Christiani, Christum suorum verborum telis, ac diuini Spiritus igne corda hominum transfigere, gētes prosternere, atq; vrbes inflammare?

Apud sapientes etiam vulgaris sermo est, beneficiis bellum gerere, beneficiis vincere. Vide Senecam lib. 3. de Beneficiis in fine, *Ad hoc vnum, ait, contumax fui, ne beneficiis vincerer. Certè obsecro vos, & fessi quoque restituite aciem: felices qui vicerint, felices qui vincentur.* In Christiana ergo Philosophia, quæ nos docet beneficiis cum hostibus pugnare, eosque charitatis igne accendere; quid aptius dici potest, quàm eò vsque cum hoste pugnare, donec victus cadat, aut etiam ardeat? Huc spectat id Prouerb. 25. n. 22. *Prunas congregabis super caput eius*: siue, vt Paulus vertit ad Rom. 12. 20. *Carbones ignis congeres super caput eius.* Vbi prunæ, vel carbones videntur incendiarię bolides, aut aliquid esse simile (De quo armorum genere antiquo agit Lipsius de Magnitudine Romana.) Nam per similitudinē belli loqui ibi Sapientem, satis docet Pauli cōtextus: ait enim, *Noli vinci à malo; sed vince in bono malum.* Sermo ergo est de magna beneficiorum ad superandum inimicum efficacitate. In quo sensu, *congerere carbones super inimici caput*; idem est, ac conijcere carbones in caput eius, siue ignitis carbonibus in caput hostis immissis ipsum oppugnare. Quod est efficacissimum pugnæ genus, & cui vix vllus possit resistere. Pro hac explicatione facit, quòd non semel aliàs in S. Scriptura inter arma missilia carbones numerantur, vt psal. 119. 4. *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatorijs*; id est sagittæ pariter & igniti carbones. Et psal. 17. num. 13. & 14. describitur Deus iaciens carbones ignis, id est fulmina, quæ velut accensas bolides iaculatur. Quid igitur aliud præstat Deus, cùm peccatores ad se allicit atque conuertit; nisi illos acutis sagittis, & ignitis beneficiorum carbonibus

Nec sacris litteris insolens.

Digitized by Google

oppugnare; donec eos his telis deiiciat, his carbonibus accendat?

Peruincunt ſanè (meo iudicio) hæ rationes, locutiones illas proſternendi, occidendi, atque inflammandi eam ad rem eſſe aptiſſimas. Dicet tamen aliquis, illud ſaltem, quod in noſtra Apocalypſeos expoſitione additur, non parum deſuetudinis & inſolentiæ habere: nimirum ingentem Dei iram atque furorem in peccatorum conuerſione vel maximè oſtendi. Reſpondeo tamen, hoc ita verum ac pulchrum à me reputari, vt vix quidquam in tota Apocalypſi elegantius reperiam. Notandum verò eſt iram illam quam Deo ex eius effectibus tribuimus; quæque ad peccatorem, tum in hac vita, tum in alia ſeueriſſimè puniendum fertur; non omnino deſtruere illud, quod Deus ſummopere deteſtatur, nempe peccatum: peccatore enim ad inferos deturbato, durat adhuc perſtatque in eo peccatum. Cùm autem Deus peccatores ad ſe per ſcelerum deteſtationem reducit; tunc funditus euertit, quod ſibi præſertim erat infenſum, quodque ipſe cum primis oderat. Tollit enim penitus de medio peccatũ, & peccatorem ipſum, quatenus peccator eſt; non quatenus homo. In hac igitur noua vindictæ ratione, quã Deus de ſuo aduerſario (id eſt de peccato) voluit ſumere; ſi rectè inſpiciatur, non ſolùm infinitæ in homines charitatis & indulgentię documenta edidit; ſed infiniti etiam in peccatum odii & deteſtationis: quandoquidem nihilo inferiori ſupplicio cõtentus, ipſum euertit omnino, ac de medio ſuſtulit. Atque mentis acie non admodum perſpicaci eſt, qui hanc locutionem miram in ſe elegantiam continere non viderit.

Quæ Dei ira præſtantior.

Hactenus nihil aliud egimus, quàm auctores obiter recenſere; & perſtringere breuiter rationem, quamobrem nulli nouum videri debeat, ſi in ſpirituali victoria allegoria petatur à bello & à verbis ſeu locutionibus, quibus effectus ruinæ, interitus atque incendii, nec non affectus odii, furoris & iracundiæ ſignificari ſolent. Reliquum eſt vt Scripturæ locos proferamus, non quidem omnes, (ſunt enim hac de re pænè innumeri) ſed aliquos; qui ſatis oſtendant hanc eſſe vſitatiſſimam ſacrarum Literarum locutionem. Vbi pariter auctorum, quos ſuprà retulimus, locos indicabimus.

NOTATIO VICESIMAQVINTA.

De nonnullis ſacræ Scripturæ locis ad ſupradictæ phraſis probationem.

1. PRodeat Primò virga illa ferrea pſalmi 2. ter in Apocalypſi repetita; quæ ſymbolum eſt egregium Chriſti potentiæ atque virtutis ad inimicos conterendos. Quæ Chriſti virtus & efficacitas cum Chriſtiana Eccleſia ac ſingulatim cum familiariſſimis Dei ſeruis fuerat communicanda. Sceptrum autem ferreum, (vt ex ſe conſtat) maximam ſeueritatem ſonat, atque vim ad cõfringendum & conterendum. Vnde Danielis 2.40. *Quomodo ferrum comminuit, & domat omnia*, &c. Nec minùs conſtat, illam conterendi virtutem Apoſtolis & viris Euangelicis impertitam, ad mundi conuerſionem referendam eſſe. De quo tamen ſceptro ſuo loco latiùs; nempe cap.2.notat.4.

Secundò pſal.17.n.9. *Aſcendit fumus in ira eius; & ignis à facie eius exarſit; carbones ſuccenſi ſunt ab eo.* In quem locum eleganter Ruffinus Aquileienſis, qui eum optimè de hac myſtica vindicta explicat. Sumitur autem comparatio ex eo, quod ſolet euenire; quando aggeſtis in foco lignis ignis admouetur. Primò enim apparet fumus; flamma deinde; tandem ſuccenſæ atque ignitæ prunæ. Et fumus quidem, (qui veluti prima ira eſt) videtur minas intendere: atque id eſt, *Aſcendit fumus in ira eius*. Flamma verò media inter fumum & prunas ardentem iram repræſentat, quæ in eum ſæuit, qui adhuc eſt inimicus: quemadmodum flamma ardeſcit, dum adhuc ei materia ſubiecta repugnat. Prunæ autem ſiue carbones ſuccenſi atque igniti iram extremam indicant, ſiue nouiſſimam; vt loquitur Apocalypſis. Nam vt in candentibus atque ignitis carbonibus ignis nihil inuenit repugnãtis & obſiſtentis materiæ, de qua iam veluti triumphat: ita extremæ ſeu nouiſſimæ iræ, quã Deus in peccatorum conuerſione exercet, ipſi non iam repugnantes, ſed faciles & obſequentes ſubiiciuntur.

2. Tertiò, pſal.28. perſpicuum eſt Dauidis bella, gentilitatis conuerſionis vmbram ac figurã fuiſſe. Atque hæc explicatio auctores habet Iacobum fratrem Domini, Ioannem Euangeliſtam, & communem Eccleſiæ conſenſum, vt in pſalmi ipſius interpretatione oſtendam.

3. Quartò, pſal.47.S. *In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis*. Vbi Auguſtinus per *naues Tharſis* intelligit nationes omnes; quæ ſuperbiæ flatu tumidæ vela aduerſus Eccleſiam Chriſtianam expandũt. Quarũ ſuperbiam euertit Chriſtus, cùm eas ad Euangelii fidẽ traduxit. Vide Ruffinum in eundẽ locũ, & Viegam c.13.ſect.1.§.1.

Quintò pſal.67. per alluſionem ad Dauidis bella, agitur de Chriſti victoriis in mundi conuerſione: vbi n.22. dicitur, *Deus confringet capita inimicorum ſuorum; vt intingatur pes tuus in ſanguine*, &c. Vide Genebrardum, v.14. eiuſdem pſalmi; vbi docet in ſacra Scriptura hoſtium clades non tam ſignificare abolitionem, quàm conuerſionem: & notat id etiam doceri ab ipſis Rabbinis, præſertim à Kimhi, & Abenezra. Vide etiam Viegam cap.16.ſect.3.§.8. vbi ait, hanc ſacræ Scripturæ conſuetudinem ex Pſalmis, Iſaia & Zacharia conſtare. Hunc etiam locum Ruffinus pro nobis explicat.

Sextò, pſal.96.3. *Ignis ante ipſum præcedet, & inflãmabit in circuitu inimicos eius*. Quod Ambroſius Luc.12.49. de charitatis igne exponit; atque ea

eſt

est genuina expositio psalmi, vt suo loco videbimus.

Septimò, psal. 103. 35. *Deficiant peccatores à terra; & iniqui, ita vt non sint.* Quod sic Basilius explicat, *Non vt pereant, orat; sed vt conuertantur.* Vide eundem Basilium psal. 6. n. 11.

Octauò, psal. 106. 16. *Contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit;* spiritualiter intelligendum esse, docent Ambrosius & Augustinus.

Nonò, horribilis illa belli, armorum ac sanguinis facies in psalm. 109. *Dominus à dextris tuis confregit in die iræ suæ reges; iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita,* &c. ad litteram de conuersione peccatorum agit; vt eo loci constabit.

Decimò, psalm. 149. 6. *Gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis; ad alligandos reges eorũ in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis; vt faciant in eis iudicium conscriptum, gloria hæc est omnibus Sanctis eius.* Ex contextu ipso clarè ostenditur, sermonem esse de vindicta & internecione spirituali. Nec enim de alia victoria & excidio diceretur; *Gloria hæc est omnibus Sanctis eius.* Nam Pauli gloria non erat Mauros sternere, sed Gentes ad Christi fidem conuertere. Hinc illud: *Increpationes in populis.* Quod non est aliud, quàm eos peccatores conuincere, & pœnitentiæ salutari subiicere. Lege Augustinum in hunc psalmum; & videbis quomodo pugnent Sancti educentes gladios spiritus; & quas edant in hostibus strages. *Pagani*, ait, *occiduntur, cùm Christiani fiunt: quia quæro paganum, & non inuenio; ergo mortuus est paganus. Nam si non occiduntur, vnde dictum est Petro, Macta & manduca? Sic occisus est Paulus persecutor, & erectus est Paulus prædicator.* Quare ipse Paulus inquit, *Viuo ego, iam non ego.* Atque hunc esse psalmi legitimum sensum probat Augustinus ex contextu ipso; in illis verbis, *Increpationes in populis.* & cùm dicitur, *Ad alligandos reges eorum in compedibus*: de compedibus sapientiæ exponit, de quibus Eccli. 6. 25. *Iniice pedem tuum in compedes eius, & ne acedieris in vinculis eius.* Et infrà num. 30. *Erunt tibi compedes eius in protectionem.* Quod argumentum fusè atque eleganter ibidem persequitur Augustinus. Chrysostomus etiam (vt ait Genebrardus) hunc psalmum ad Euangelij victoriam de satana, Gentibus & Iudæis refert. Et ipse Genebrardus in argumento psalmi rectè asserit, hunc psalmum esse propheticum de Ecclesiæ victoria. Et Iansenius in argumento etiam ait, *Nihil dubium quin Spiritus sanctus potissimùm hic vaticinatus sit de victoria, quam fideles per Christum consequuntur; qui spiritualibus armis dæmones superant, omnesq; reges ac populos Euangelio subiiciunt, in captiuitatem redigentes, vt inquit Paulus, omnem intellectum in obsequium fidei.* Abenezra hunc psalmum similiter explicat de victoria & vindicta spirituali per conuersionem: vt refert Genebrardus psal. 67. n. 14. vbi etiam adducit alia ad rem.

4. Vndecimò, vide etiam psalmum 82. 14. *Pone eos vt rotam & sicut stipulam: sicut ignis qui comburit syluam.* &c. *& cognoscant, quia nomen tibi Dominus.* Et psal. 143. 6. *Fulgura coruscationem, & dissipabis eos; emitte sagittas tuas, & conturbabis eos.* Quem A locum rectè pro nostra sententia explicat D. Brunus Carthusianus.

Duodecimò, Isaiæ 1. n. 24. *Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Quanam ratione? statim explicat: *Et conuertam manum meam ad te; & excoquam ad purum scoriam tuam; & auferam omne stannum tuum; & restituam iudices tuos, vt fuerunt priùs; & consiliarios tuos, sicut antiquitus. Post hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis, Sion in iudicio redimetur, & reducent eam in iustitia: & conteret sceleratos, & peccatores simul, & qui dereliquerunt Dominum consumentur, confundentur enim ab idolis, quibus sacrificauerunt.*

Decimotertiò, Isaiæ 34. n. 2. *Indignatio Domini super omnes gentes, & furor super vniuersam militiam eorum; interfecit eos, & dedit eos in occisionem,* &c. B Vbi ingentem stragem & internecionem depingit. Et nu. 8. subdit, *Quia dies vltionis Domini, annus retributionum iudicij Sion.* Quibus describit Idumææ exustionem. Ac subdit n. 10. *Nocte & die non extinguetur; in sempiternum ascendet fumus eius.* Hoc loco nobiscum conuenit Arias Montanus; dum explicat, Idumæam pro Romano Imperio accipi debere, & vrbem Bosra pro Roma, & incendium pro igne Euangelij.

Decimoquartò, Isaiæ 59. 15. *Facta est veritas in obliuionem; & qui recessit à malo, præda patuit; & vidit Dominus, & aporiatus est; & saluauit sibi brachium suum; & iustitia eius ipsa confirmauit eum; indutus est iustitia, vt lorica, & galea salutis in capite eius; indutus est vestimentis vltionis, & opertus est quasi pallio zeli; sicut ad vindictam, quasi ad retributionem* C *indignationis hostibus suis, & vicissitudinem inimicis suis, & veniet Sion redemptor; hoc fœdus meum cum eis,* &c. Vide Forerium ibi.

Decimoquintò, Isaiæ 63. 3 *Torcular calcaui solus: calcaui eos in furore meo; & conculcaui eos in ira mea, & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui: dies enim vltionis in corde meo, annus redemptionis mea venit.* 5. Vbi Forerius optimè.

Decimosextò, Micheæ 5. 9. *Omnes inimici tui interibunt;* spiritualiter exponit Hieronymus.

Decimoseptimò, Nahum 1. totum caput terribilem sonat vindictam. *Vlciscens Dominus in hostes suos; indignatio eius effusa est vt ignis,* &c. Video tamen totam hanc vltionem in eam pacem desinere ad finem capitis, *Ecce pedes euangelizantis pacem.* & n. 7. *Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis.* Quod verò dicitur nu. 9. *Non consurget duplex tribulatio,* D videtur homines securos reddere; ne post perfectam spiritualem vindictam, aliam præterea extimescant. quasi dicat, Ille, de quo Deus spiritualem hanc sumpsit vindictam, seuerũ illud supplicium, quod metuerat, euasit.

Decimooctauò, Sophoniæ 3. 8. *In die resurrectionis meæ in futurum congregabo gentes, & colligam regna; & effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei. In igne enim zeli mei deuorabitur omnis terra; quia tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno.* Præclarè hæc Hieronymus exponit. Atque ex hoc loci (meo iudicio) illustratur illud Ecclesiastici 36. 7. *Innoua signa, & immuta mirabilia; glorifica manum & bra-*

Digitized by Google

chium dextrum; excita furorem, & effunde iram; extolle aduersarium, & afflige inimicum; festina tempus, & memento finis, vt enarrent mirabilia tua, in ira flammæ deuoretur, qui saluatur. Video aliter exponere Iansenium & Lyranum; sed Hieronymi expositionem præfero, dum in Sophoniæ loco explicat zelum, quo deuoranda erat omnis terra, & spirituali explicationi mirificè deseruiunt illa verba, *Innoua signa, & immuta mirabilia.*

6. Decimononò, Zachariæ 12.6. *Ponam duces Iuda, sicut caminum ignis in lignis; & sicut faciem ignis in fœno. Et deuorabunt ad dexteram & sinistram omnes populos in circuitu.* Locus est manifestus, si notes de Apostolis esse sermonem.

Vicesimò præterea, *aggrauari manum Domini super Azotios*, designat virtutem Domini ad conuertendos Gentiles per internam inspirationem, ex Gregorio. Vide Lauretum in Sylua, verbo *Grauis*. Vltio etiam, quam exercet Deus in deos Ægypti, Numer. 23. conuersionem peccatorum significat ex Origene & Augustino.

Vicesimoprimò, cadere insuper, est subiici Christo eos, qui ad fidem veniunt, ex Basilio psalm. 44. & Tertulliano aduersus Iudæos, & Hieronymo, Isa. 13. 17. 26. & Amos 7. & ex Gregorio, 1. Reg. 14. & 2. Moral. 38. quos affert Lauretus. Vbi etiam subdit, ruinam Damasci esse; cùm Gentiles ad Christi fidem veniunt, & habitatores terræ dici non cadere, cùm mali non resipiscunt, sed in peccatis persistunt, Isaiæ 26. Item, eadere in gladio, qui conuicti verbo Dei deserunt errores, Isaiæ 13. Hæc & alia Lauretus ex Patribus, verbo *Cadere*; vbi affert pro nostra explicatione Origenem, Hieronymum, Hesychium Leuit. 26. Gregorium, Richardum, Bedam & Augustinum.

Vicesimosecundò, de igne verò in eadem significatione, insignis est locus Lucæ 12. 49. *Ignem veni mittere in terram.* Quod de igne Euangelii, siue de igne Spiritus sancti, quo illuminantur corda & purgantur, exponunt Ambrosius, D. Thomas in Catena, Bonauentura in Commentario, & Cardinalis Toletus; qui pro hac explicatione adducit Origenem, Tertullianum, Athanasium, Cyrillum, Hesychium, Ambrosium, & Gregorium. Atque eadem est Salmeronis expositio.

Vicesimotertiò, hæc omnia optimè calluerat Paulus; qui, ne nobis primus harum locutionum aspectus fucum faceret, nos præmonuisse videtur, quo pacto eas accipere debeamus. Sic enim ille 2. Cor. 3. 6. *Sufficientia nostra ex Deo est, qui nos fecit idoneos ministros noui testamenti; non litera, sed spiritu; litera enim occidit, spiritus autem viuificat.* Quæ verba significanter exprimunt robur atque virtutem, quæ Deus suis administris ac cælestis militiæ ducibus (id est viris Apostolicis) cõfert ad vindictam eam quam Deus in Scriptura dicitur de Babylonis & aliis hostibus sumpturus. Cuius vindictæ rationem ac modũ mox explicat Paulus dũ ait, *Non litera, sed spiritu.* Litera enim interitũ & occisionẽ sonat: atq; hoc est, *litera occidit.* Huius autem literæ spiritus nõ est alius, quàm peccatori vitam & æternam salutem tribuere; *Spiritus autem viuificat.*

Præter hos, qui notant in Apocalypsi omnia mysticè esse intelligenda, (vt Dionysius, Epiphanius, Hieronymus, & Haymo suprà allati; quibus addo S. Ephrem, lib. de Pœnit. vbi ait; *Cuncta per parabolã & ænigma locutus est Ioannes in Apocalypsi.*) ii etiam qui plagas capitis XVI. mysticè exponendas esse docent de bello à Deo aduersus gentilitatem gerendo, (quæ est expositio Irenæi. & antiqui presbyteri) ii omnes ruinam & incendium duarum vrbium hostilium, quas Apocalypsis designat, mysticè intelligendas esse, manifestè sentiunt. 7.

Consideratis locis, auctoribus, & rationibus suprà adductis, nullus erit, opinor, qui non fateatur ad significandam mysticam Ecclesiæ victoriam, de quadam Hierosolymæ parte, & de Roma vniuersa; idoneum satis esse ænigma, quod sonet, decimam Hierosolymæ partem corruisse, & Romam vniuersam flammis absumptam. Verùm non mihi satisfacio ex eo solùm, quòd probarim eiusmodi allegoriam cum phrasibus in sacra Scriptura receptis valdè cõgruere, atque adeò nouitatis & insolentiæ argui debere. Sed illud præterea addo, tam contextum, quàm rei ipsius euentum cogere; vt hanc explicationem censeamus esse propriam atque legitimam. Si enim Babylonis nomine Roma vetus, quæ Christianum nomen persequebatur, intelligenda est, quo alio modo Roma combusta fuit? Si quis ad direptiones à Gothis factas confugiat; næ ille Apocalypsi nimias valdè hyperboles tribuet, & minimè cohærentes. Vbi enim inueniet decem illos reges, qui potestatem eâdem hora acceperunt; & facta manu vrbem pariter inuaserunt atque vastarunt? Vbi incendium illud, cuius fumus durat in sæcula sæculorum? Præterquàm quòd illæ calamitates non Romæ immissæ sunt propterea quòd Martyrum cruorem effunderet, & Christi Ecclesiam infestaret. Atqui Apocalypsis, Romæ incendium supplicii loco statuit ob persecutiones, quibus Babylon Christianam Ecclesiam affligebat. *Apocalypseos bella mystice esse intelligẽda, & cõtextus & euentus cogunt.*

Vbi verò aduertatur, Romæ incendium mysticè esse accipiendum; quid cohærentius, quàm aduertere pariter, decimæ partis Hierosolymæ ruinam mysticè etiam sumi debere? Quod nobis necessariò persuadet nõn solùm Isaiæ vaticinium (cap. 6. n. 13. *Adhuc in ea decimatio, & conuertetur.* quod conuersionem decimæ partis spectat) sed euentus etiam ipse: iam enim non solùm decimæ partis, sed totius etiam vrbis ruinam omnium oculi miserando spectaculo conspexerant: & nihilominùs Apocalypsis, vbi ad vindictæ quam Deus de Iudaico populo sumpsit, prophetiam accedit, non asserit totam Hierosolymam corruisse; sed id tantùm, *Decima pars ciuitatis cecidit.* Perspicuum igitur est, non de propria ruina, sed de metaphorica & mystica esse sermonem.

8. Postquam igitur constet, hanc esse veram intelligentiam; protinus apparet mirum Apocalypseos artificium. Atque illud inprimis licet conspicere, quanto pluris Deus mysticam vindictam, quàm veram ac propriam de hostibus vltionem, faciat. Siquidem ad Apocalypseos *Ex mystica bellorum interpretatione mirum Apocalypseos artificium apparet.*

Digitized by Google

pseos prophetiam, non totius vrbis excidium, sed decimæ tantùm partis ciuitatis ruinam assumpsit. Et statim cernitur, congruentissimum id fuisse ad eum librum, qui de septem Dei spiritibus, deque Diuinæ prouidentiæ excellentia, sermonem instituit. Vrbis enim quantumuis egregiæ atque ingentis inuasio, direptio & exustio, res est adeò factu facilis, vt à paucis hominibus vnâ eademque nocte iniri ac perfici possit. Ceterùm tam decimæ partis Hierosolymæ, quàm Romæ totius conuersio, facinora fuere adeò præstantia ac difficilia, vt nisi Dei brachio, robore ac virtute patrari nequaquam possent. Atque adeò dignissima sunt quæ admirabilibus symbolis ac hieroglyphicis celebrentur; & in totius Scripturæ meta atque fine, vt præcipua capita, reponantur. Qui verò aliter Hierosolymæ ruinam, ac Romæ incendium exponunt; næ illi rem Deo ita dignã, & quam ipsius prouidentia ita magni æstimet, in suis explicationibus non inuenient.

Semel autem admissâ nostrâ explicatione, miram Apocalypsis lucem, non Romæ solùm splendori ac dignitati, sed complurimis etiam Scripturæ locis explicandis adducit, in quibus similis vindictæ & seueritatis fremitus ac stridor sonat: in Psalmis præsertim ac Prophetis, & singillatim in Babylonis vastatione; cuius vaticinium adeò est apud Isaiam & Ieremiam iterata repetitione celebratum.

Et ad Primam quidem obiectionis partem positæ initio huius tractationis, satis superque dictum est.

Mystica idololatria acceptio Paulo etiam vsitata.

Ad Secundam partem de mystica idololatriæ acceptione solùm dico, mirari me, eam quibusdam videri nimiùm mysticam expositionẽ in ænigmate, quam citra ænigma, apud Paulum expressã legimus, ad Ephes. 5. 5. *Omnis fornicator aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus.* Et ad Philip. 3. 19. *Quorum deus venter est.* Si igitur Paulus sic loquitur in literali sensu & expresso in epistola; quid mirum Ioannem in ænigmate eâdem ratione loqui? Nec opus mihi est ad cõmunem loquendi consuetudinem inter religiosos viros vsitatam confugere; qui res illas quibus plus nimio hominum corda effrænatâ cupiditate adhærent, solent idola nuncupare.

Res inanimas per prosopœiam quasi animatas in ænigmatis induci minimè nouum videri.

Ad Tertiam deniq; partem de duobus testibus breui etiam Respõdeo (nec enim iam pluribus oportet vti) non esse nouum in ænigmatis ac parabolis de virtutibus seu vitiis quasi de personis per prosopopœiam loqui. Quare si de iustitia ac de misericordia quasi de duabus sororibus, aptissimus instituitur sermo; idne mirum in sanctitate ac sapientia videatur, vt de illis tanquam de duobus Christi testibus, aut de duobus Prophetis ad Iudaicum populum à Deo missis, sermo sit? Libri extãt integri eiusmodi prosopopœiarum pleni; in quibus nemo vnquã offendit. Quòd si offendat fortasse quispiam in eo, quod de duorũ testium interitu ac resurrectione asseritur. Id sanè Daniel expresserat c. 8. 12. *Veritas prosternetur in terra.* & quidem quando Christi martyres occiduntur; nihil significantius, quàm dicere, veritatem interiisse ac sanctitatem. Simili ratione, quando virtus ac veritas, quæ oppressæ antea & abiectæ iacebant, extolluntur deinde, & in summo prętio habentur; significantissimè dicentur reuixisse, atque in cælum euectæ fuisse. Hæc est ergo resurrectio, in cælum ascensio, de qua Apocal. 11. Si verò textus ibi in duorum testium mẽtione Moysem & Eliam respicit (vt suo loco videbimus) notum est, Moysis personam ad legem seu doctrinam significandam conuenienter aptari; vt nos docent Origenes, Arnobius, Tertullianus, Ambrosius, Augustinus, Cyrillus, Gregorius, & Beda apud Lauretum, verbo *Moses*. Vnde per ipsius comitem Eliam significari zelum ac sanctitatem quisque facilè eliciet. Sed de his latiùs cap. XI.

NOTATIO VICESIMASEXTA.

De interpretibus Apocalypseos.

SECTIO I. *De ijs, quorum notitia ad me peruenit, ipsos tamen nancisci hactenus non potui.*

I. Melito Episcopus Sardensis, floruit anno Christi 160. Meminit eius Hieronymus de Viris illustribus; & quamuis Angelus Rocha sibi persuaserit, huius Melitonis esse eum commentarium, qui extat sub nomine Primasij; cõiecturâ tamen proculdubio aberrauit, vt constabit infrà, vbi de Primasio.

II. Methodius Lyciæ Episcopus & martyr sub Decio & Valeriano anno 225. Scio Hieronymum in Catalogo, & similiter Trithemium, vbi de Methodio agunt, peculiarem mentionẽ non facere alicuius commentarii in Apocalypsin: verũ Hieronymus ait, multa ab eo fuisse scripta, quæ vulgò lectitantur, & Andreas cap. 13. citat commentarium Methodii, eumq; aliis expositoribus præfert. Et Aretas cap. 33. citat commentarios Andreæ atque Methodii.

III. Hippolytus Episcopus Portuensis, qui floruit anno Christi 235. cuiusque meminit Hieronymus in Catalogo. Et notandum est, Hippolyti commentarium in Apocalypsin fuisse opus aliud ab eo, quod idem auctor scripsit de Antichristo & consummatione sæculi: atque illud iniuria temporum interiisse. quamuis enim Erasmus asserat, se vidisse Basileæ commẽtarios quosdam in Apocalypsin Hippolyti titulo; subdit tamen eos non esse Hippolyti Portuensis, cùm sint valdè ieiuni; & in eis ipsis citari Hippolytum nescio quem. Addit in Græcis commentariis citari Hippolytum Episcopum Romanum, & dubitari potest, an ipse Hippolytus Portuensis sit, qui inibi Romanus appellatur.

IV. S. Hieronymus, quem Cassiodorus asse-

Digitized by Google

rit scripsisse commentarios in Apocalypsin. A Imò verò ait, Apocalypsin conspicuam esse B. Hieronymi expositione. Floruit verò Hieronymus anno Christi 422.

V. Gennadius, (anno Christi 490.) inter expositores Apocalypseos commemoratur à Trithemio.

VI. Et similiter Cassiodorus, qui floruit anno 577. & scripsisse fertur complexionem in Apocalypsin.

VII. Isidorus Hispalensis, anno 630. Quamuis enim neque Braulius, neque Ildephonsus, neque Sigebertus, (qui scripserunt indicem operum Isidori) huius libri meminerint: aiunt tamen eum multa alia scripsisse, præter ea, quæ ipsi designant. Et monachus quidam Benedictinus, nomine Beatus, qui scripsit anno Christi 970. (vt infrà videbimus) in præfatione asserit, se suam explicationem collegisse ex libris Victorini, Isidori & Apringii. Nisi id fortasse solùm respicit ad proœmium Isidori in Apocalypsin; in quo proœmio aliquorum locorum expositionem indicat. B

VIII. Albinus, (qui & Alcuinus) anno 770. quem refert Trithemius.

IX. Rabanus Maurus, anno 855. qui ab eodem refertur.

X. Biecus (qui & Beatus) Monachus Benedictinus, cuius quidem commentarium manuscriptum, quamuis ad meas nondum peruenerit manus, scio à multis fuisse visum & lectum: nam in templo opidi Valcabado, prope Licuanum atque Saldanam sepultum iacet ipsius Beati corpus; & ibi etiam seruatur commentarium eius in Apocalypsin in chartis pergamenis, Gothicis characteribus exaratum: & ex eius prologo hæc referũtur verba: *Hæc ego sancte Eteri te petẽte, ob ædificationem Fratrum, tibi dedicaui; vt quem consortem perfruor Ordinis, coheredem etiam faciam mei laboris.* Et in fine ait, absolutum à se fuisse opus, Era 1008. qui est annus Christi 970. Testaturq; se suam expositionem collegisse ex Victorino, Isidoro & Apringio. Sic Yepes in historia Benedictina 3. p. fol. 282. Sic etiã Ambrosius Morales lib. 13. cap. 26. & 27. vbi asserit, alia eiusdem operis exemplaria per Hispaniam esse dispersa. Ex his verò exemplaribus fuit proculdubiò, quod refert Ioannes Grial in notis ad Isidorum de Viris illustribus, verbo Apringius. & quod optimè ille probat, falsò sibi fuisse pro opere Apringii venditatum. Sed quòd existimauit non extare aliud opus, quod Apringio tribuatur, nisi illud quod ipse deprehendit fuisse ad Eterum scriptum; in hoc ipse deceptus videtur. pro quo vide infrà sect. 3. in principio. C D

XI. Gaufredus, quem refert Trithemius, anno Christi 1160.

XII. Ioannes Valeis Minorita, ex eodem Trithemio, anno 1270.

XIII. Augustinus de Ancona, quem Angelus Rocha refert, scripsisse in Apocalypsin Triumphum atque Catenam, & refertur etiam à Trithemio, anno 1330.

XIV. Ioannes de Bachone, anno 1350. ex eodem Trithemio.

XV. Ioan. Tacesphale Carmelita, ex eodem.

XVI. Augustinus de Roma, Augustinianus anno 1410. ex eodem.

XVII. Augustinus de Hassia, Carthusianus, anno 1428. ex eodem.

XVIII. Bernardinus Senensis, Minorita, anno 1450. ex eodem.

XIX. Ascensius.
XX. Bruno Senensis.
XXI. Fredericus Venetus.
XXII. Henricus Hassius.
XXIII. Elias Minorita.
XXIV. Iacobus Stralensis.
XXV. Ioannes Galensis.
XXVI. Ambrosius Compsa.
XXVII Ioannes Haiton.
XXVIII. Ioannes Sulnon.
XXIX. Ioannes Torphe.
XXX. Iordanus.
XXXI. Nicolaus Alsentinus.
XXXII. Simon Tolosanus.
XXXIII. Thomas Suduolcus.
XXXIV. Vitalis Cardinalis.

Hos omnes refert Angelus Rocha, scripsisse in Apocalypsin.

XXXV. Eduardus Leus.
XXXVI. Ioannes Capgrauius.
XXXVII. Ioannes Lopez.
XXXVIII. Simõ Iatumpus.

qui ab eodẽ Rocha referuntur scripsisse in omnes noui testamenti libros.

XXXIX. Alexander de Ales.
XL. Augustinus Nebiensis.

quos idem refert scripsisse in omnes vtriusque testamenti libros.

XLI. Ioannes Annius Viterbiensis scripsit quæstiones in Apocalypsin: quas refert Henenius in prologo, quem adiecit commentariis Aretæ. Atq; eas quæstiones dicitur reipublicæ Christianæ principibus dedicasse.

XLII. Cyprianus Monachus Cistercienſis, cuius manuscriptum commentarium sacerdos quidam ex nostra Societate mihi retulit se vidisse in quodam illius Ordinis Monasterio; vbi seruatur vnà cum Regis priuilegio, quod iam bonus Pater Cyprianus impetrarat, ne ab aliquo absque ipsius facultate ederetur.

XLIII. Luisius Legionensis Augustinianæ familiæ decus & ornamentum, scripsit in Apocalypsin, eiusque commentarium confirmauit mihi grauissimus quidam eiusdem Ordinis Prælatus, idemque doctissimus, se habuisse, & extare nunc in Salmanticensi cœnobio.

XLIV. Basilius Ponce prædicti Luisii nepos, & eiusdem gloriæ heres, libri à se nuper editi quæstione sexta expositiua, ait se quoque habere absolutos commentarios in Apocalypsin, quos propediem in lucem edet.

XLV. Gregorius Lopez, vir alioqui idiota, sed sanctitatis opinione clarus in prouincia Mexicana, creditus est diuina reuelatione accepisse ea, quæ scripsit in Apocalypsin vulgari idiomate; quia Latinam linguam nunquam didicerat. Floruit circa annum Dom. 1590. Et obiisse fertur in oppido quodam, cui S. Fides nomen dedit, & sex propè milliaria dicitur distare ab vrbe Mexico; vbi & eius cõmentarius asseruatur. Audiui à quodã nostræ Societatis sacerdote, viro integerrimo, prædictũ Gregoriũ

à se

Digitized by Google

à se aliquoties visitatum; & post mortem etiam quæsitũ, & inuentam eius pauperem supellectilem miro quodam odore fragrãtem; & propterea in magna veneratione habitam. Neque tamẽ vnquam odorari potui, quibusnã rebus figuræ Apocalypseos à prædicto Gregorio applicatæ fuerint.

XLVI. His addere possum tres alios ex nostra Societate scriptores; quos ad me allatum est, in Apocalypsin scripsisse. Primus est Andreas Eudæmon Ioannes Cydonius, qui desumpsit sibi refellendam explicationem Thomæ Brigmati hæretici; vt refert Cardinalis Bellarminus in Apologia fol. 132. Atque idem Eudæmon, (quod huc etiam fortasse spectat) respondisse fertur ad librum Roberti Abbatis de Antichristo, vt idem Cardinalis ibidẽ scribit.

XLVII. Secundus est Petrus Layerus; quem noster Petrus de Ribadeneira scripsisse ait de Antichristo; & audio etiam scripsisse eum in Apocalypsin commentaria.

XLVIII. Scio etiam Philippum de Peralta ex Toletana prouincia sacerdotem, qui se sacræ Scripturæ interpretationi multis abhinc annis consecrauit, in Apocalypsin scripsisse, licet hactenus eius opus non sit typis excusum.

Sectio II. *De nonnullis qui ab aliquibus inter expositores Apocalypseos numerantur; cùm tamen verius videatur, errore eam famam increbuisse.*

I. Primus ex his est Papias, qui floruit anno Domini 100. & propterea videtur inter interpretes Apocalypseos numerari; quia fuit auctor fabulæ Millenariorum, quam secuti sunt Iustinus, anno Domini 150. Apollinaris, an. 165. Irenæus anno 175. Tertullianus, ann. 200. Nepos, anno 240. & Lactantius, anno 320.

II. Iustinus Martyr.

III. Irenæus, quem interpretatũ fuisse Apocalypsin asserit Hieronymus; sicut de Iustino, lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, in Ioanne Euangelista. Sed cùm ad Iustini & Irenæi opera accedit, non meminit Apocalypseos commentarii. Quare suspicor, dici eam interpretatos, eò quòd sparsim in suis operibus nonnulla ex eo libro exponant.

IV. Nepos, quem Angelus Rocha asserit scripsisse in Apocalypsin; sed non alio (vt puto) quàm superiùs indicato fundamento.

V. Dionysius autem Alexandrinus propterea dicitur explicasse Apocalypsin; quia scripsit duos libros aduersus Nepotem Episcopum, qui mille annorum fabulam asseruerat. In quibus de Apocalypsi Ioannis diligentissimè disputat; vt refert Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis. Floruit autem Dionysius anno Domini 255.

VI. Ambrosius etiam Mediolanensis connumeratur ab Angelo Rocha inter Apocalypseos expositores; nempe, quia is commentarius, qui Ambrosii nomẽ præfert existimatus est ab illo, quemadmodum & ab aliis, esse Mediolanensis Ambrosij fœtus genuinus; in quo tamen proculdubiò deceptus est, vt dicemus, infrà in Ambrosiastro.

VII. Sancto etiam Augustino tribuit idem Angelus Rocha eam Apocalypseos expositionem, quæ inter eius opera extat. Sed limatior censura id opus Ticonio tribuit. Et quamuis suspicari aliquis fortasse poterat, quemadmodũ Augustinus desumpsit ex Ticonio regulas eas, quas tantopere probat; sic etiam fortasse desumpsisse ab illo, & emendasse expositionẽ illam, præsertim cùm ea ab erroribus Ticonii purgata sit. Et tamen suspicio non substitit, vt patet, tum ex prologo Primasij in Apocalypsin, tum ex 20. Apocalypseos c. ab Augustino explicato in libris de Ciuit. Dei (de quo infrà.) Nec enim illa expositio cum Ticonii commentario valdè concordat.

VIII. Sanctus item Thomas à nonnullis creditur in Apocalypsin scripsisse; refert enim Angelus Rocha B. Thomam inter eos, qui vniuersos noui testamenti libros suis commentariis illlustrarunt; sed quod ad Apocalypsin attinet, suspicor id non alio niti fundamento, quàm quòd eius nomen præferat quidam cõmentarius; qui tamen vt alienus, reiectus est ab editione Romana Pii V. Pontificis iussu edita, & idem Angelus Rocha existimat id opus esse Thomæ Anglici Augustiniani.

Sectio III. *De quatuor manuscriptis à me visis.*

I. Primo loco commentarium commemoro S. Apringij Hispani, ac Episcopi Pacensis; qui floruit anno Domini 530. Quamuis enim euidenter ostenderit Ioannes Grial id opus, quod ipsi ostensum est, non esse Apringii, vt notaui suprà sect. 1. in Bieco; aliud tamen extat opus in nonnullis Hispaniæ bibliothecis, quod à doctis & antiquitatis studiosis tribuitur Apringio. Huius operis quatuor exemplaria manuscripta mihi videre contigit; tria in Regia S. Laurentii bibliotheca, & quartum in nostro Collegio Vallisoletano in bibliotheca Patris Antonii de Padilla (quem totius nostræ Societatis gloriam meritò appellare possum.) Atque ex his exemplaribus vnum perlegi à principio vsque ad finem, reliqua satis habui conferre cumeo, quod legeram, quantum opus fuit, vt dubitare non possem, quin omnia essent eiusdem operis exemplaria. Sed, vt verum fatear, ex tribus exẽplaribus, quæ apud S. Laurentium mihi ostensa sunt, vni eorum, (quod est propter Scripturæ antiquitatem venerandum) deerat principium & finis, & Apringii titulus recèns est adiectus. Duo reliqua nuper sunt ex alio descripta; & vtrumq; quidem præfert Apringii nomen; sed vnde illa fuerint translata, non constat. Quod verò reperi in Patris Antonii bibliotheca, est quidem illud multis abhinc sæculis scriptum in membrana literis Gothicis, neque vllum ei deest folium; titulum tamen Apringii non habet neque in principio neq; in fine, sed potiùs aliquid; ex quo suspicatus initio fui, an hoc esset illud opus, quod Bieco Monacho tribuunt Ambrosius Morales, & Yepes suprà relati. Præ-

Digitized by Google

fert enim scriptum fuisse ab Obeco presbytero ad instantiam Sempronij Abbatis. Re tamen attentè inspecta censeo, Obecum illum presbyterum non esse auctorem, sed descriptorem seu antiquarium, qui opus illud descripsit atq; depinxit. Nam se & scripsisse & depinxisse asserit, & habet liber picturas satis multas. Atque ex ipsa scriptione constat, Obecum illum fuisse alioqui idiotam: voluit enim Sempronio Abbati gratificari, & in folio integro nihil aliud extat, quàm eum librum esse Sempronii Abbatis supellectilem, & triginta nouem lineis sic disposuit characteres; vt sursum, deorsum, dextrorsum, & sinistrorsum hæc verba legerentur, SEMPRONIVS ABBA LIBRVM. Quo quid infantius? Atque de hoc exemplari satis. Auctorem tamen censeo, non esse aliũ, quàm Apringium; tum quia sic bona fide scriptum reperio in exemplaribus, quæ vidi apud S. Laurentiũ (quorum vnum eò ex bibliotheca Domini Petri Ponce de Leon Episcopi Placentini allatum fuerat:) tum quia à viris doctissimis, & antiquitatis studiosis accepi, eiusdẽ operis alia exemplaria antiquissima cum titulo Apringii, fuisse ab ipsis perspecta apud Magistrum Aluarum Gomezium, & apud quemdam Regis Secretarium, cui nomẽ Vallejo fuit, imò verò aliquod etiam in Bibliotheca Vaticana. His accedit, quòd sæpe in eo opere fit mentio persecutionis quam patiebatur Ecclesia in Africa, eo tempore quo liber scribebatur; quod cum Apringii tempore cohæret, & cum minùs antiquo scriptore non cohæret. Libuit autem hîc subiicere quid censuerit B. Isidorus de Apringii opere in libello de Viris illustribus. *Apringius* (ait) *Ecclesiæ Pacensis Hispaniarum Episcopus, disertus linguâ, & scientiâ eruditus, interpretatus est Apocalypsin sancti Ioannis Apostoli subtili sensu, atque illustri sermone: meliusq; penè quàm veteres Ecclesiastici viri. Claruit temporibus Theudis Principis Gothorum.*

II. Præterea, S. Martinus patronus Legionensis scripsit commentarium in Apocalypsin, & autographon ipsius manuscriptum seruatur Legione in cœnobio S. Isidori, vnà cum ipsius S. Martini reliquiis; inter quas ostenditur digitus ipse, quo liber scriptus est, adhuc integer & incorruptus. Quamuis autem ego Legione non fuerim; partem tamen aliquam eius ibi ab amico curaui mihi describi, quam & apud me habeo.

III. Vidi præterea, atque perlegi ex bibliotheca S. Laurentii vnum manuscriptum, quod appello *Rubricas antiquas*, id est, commentarium Apocalypseos rubricâ exaratum in libro venerandæ antiquitatis, eoq; valdè pulchro, & elegantibus picturis ornato; vbi tamen nulla fit mẽtio auctoris, seu collectoris earũ rubricarũ.

IV. Alterum eiusdem bibliothecæ commentarium perlegi, incerti etiam auctoris, distinctionis gratiâ appello *Membranas minores*. Quia in quarto, (vt appellant) scriptus liber est & compaginatus.

SECTIO IV. *Syllabus interpretum typis excusorum, quos nactus sum.*

I. Victorinus Episcopus Pictauiensis & martyr anno Christi 270. De quo Hieronymus in Catalogo. Cùm liber in principio habeat prologum Hieronymi; suspicari licet, ab eodem Hieronymo expurgatum fuisse; quia Victorinum constat fuisse Millenarium. In hoc autem libro nihil est, quod eam fabulam redoleat.

II. Ticonius, qui floruit anno 390. Extat inter opera Augustini, & hic quoque expurgatus est proculdubiò. Constat enim Ticonium fuisse Donatistam, & quædam miscuisse quæ sano intellectui non congruebant.

III. Ambrosiaster: sic eum appello, qui inter opera Ambrosij legitur. Constat enim id opus non esse Ambrosij Mediolanensis, quia (vt demonstrat Pererius noster disput. 2.) ex ipso opere euidenter patet, illud fuisse scriptũ 200. annis post Ambrosii obitum.

IV. S. Augustinus, quamuis non scripserit in totam Apocalypsin, saltem exposuit caput 20. lib. 20. de Ciuit. Dei. Floruit autem sanctus Doctor anno 430.

V. Primasius, anno 440. & quamuis opus, quod Primasii nomen præfert, tribuatur Meltoni ab Angelo Rocha: constat tamen eum deceptum fuisse; quia auctor operis in prologo asserit, se adducere, quæ reperit ab Augustino exposita, etsi numero pauca; & ex Ticonio deflorare quæ sano congruunt intellectui. quod est quasi gemmas ex stercore colligere.

VI. Beda, anno 730. quem ceteris omnibus præfert Zegerus.

VII. Haymo, anno 830.

VIII. Strabus auctor Glossæ ordinariæ, anno 840.

IX. Ansbertus, anno 890. qui cap. 17. in ea verba, *Ego ostendam tibi*, ait fol. 330. sæpe se instructum fuisse à Christo per internam inspirationem, vt obscura Apocalypseos intelligeret. Et eôdem spectant, quæ scribit fol. 362. in id capitis 19. *Hæc verba Dei vera sunt.*

X. Andreas, quem insigniter laudat Peltanus.

XI. Aretas, quem laudat Henterius.

XII. Anselmus Cantuariensis, anno 1080.

XIII. Anselmus Laudunensis auctor Glossæ interlinealis, anno 1110.

XIV. Rupertus, anno 1120.

XV. Richardus de S. Victore, anno 1140.

XVI. Ioachimus Abbas, anno 1200. de quo dixi iam suprà, notat. 22. Nec muto sententiã. quamuis sciam quid dicat Angelus Rocha de illo: nempe, manifestum esse illum habuisse donum intellectus. vide infrà L.

XVII. Hugo Cardinalis, anno 1240.

XVIII. Albertus Magnus, anno 1260.

XIX. Thomas Anglicus, nempe, non Angelicus, vt dixi suprà, & eum Angelus Rocha asserit fuisse Augustinianæ familiæ; extatq; excusus Florentiæ, anno 1549.

XX. Vbertinus de Casalis libro de 7. statibus Ecclesiæ qui excusus est Venetiis, an. 1516. Floruit anno 1300.

XXI. Aureolus, anno 1317.

XXII. Nicolaus de Lyra, eisdem penè vestigiis, anno 1320.

Digitized by Google

XXIII. Paulus Burgensis, anno 1434.

XXIV. S. Antoninus in historia, expositionē Aureoli atque Lyrani secutus, anno 1460.

XXV. Dionysius Carthusianus, anno 1470.

XXVI. Ciruelus in expositione Missalis, quę excusa est Compluti anno 1528. & ferè insistit Aureoli & Lyrani vestigiis.

XXVII. Erasmus in notationibus ad nouum Testamentum.

XXVIII. Seraphinus de Fermo.

XXIX. Vatablus.

XXX. Zegerus.

XXXI. Anonymus quidam, quē tamen constat fuisse Franciscanæ familiæ, inscripsit verò opus suum, *Sermones in Apocalypsin*.

XXXII. Claudius Carmelita.

XXXIII. Gagneius.

XXXIV. Pannonius.

XXXV. Ederus in Oeconomia, ex Aureolo.

XXXVI. Serranus.

XXXVII. Salmeron in præludiis.

XXXVIII. Caponsachius.

XXXIX. Melo.

XL. Franciscus Ribera.

XLI. Blasius Viegas, ferè ex Ribera, quod attinet ad interpretationem; quamuis nonnulla misceat ex Aureolo, & Antonino.

XLII. Arias Montanus.

A

XLIII. Lizarazùs ex Aureolo.

XLIV. Bulengerus.

XLV. Pererius, qui deficit in cap. 8.

XLVI. Iacobus Suarez, in tria priora capita.

XLVII. Mazerius in cap. 12. & quædam alia loca.

XLVIII. Hentenius in iudicio, quod prologi loco Aretæ apposuit.

XLIX. Ioannes Benedictus in scholiis marginalibus sacræ Scripturæ.

L. Philippus de Mantua, qui solet coniungi cum Abbate Ioachimo; & laudatur ab eo, qui Ioachimo prologum adiecit. His addo nonnullos, qui quamuis non videantur id agere vt

B

Apocalypsin exponant; eorum tamen opera sunt valdè coniuncta cum Apocalypseos expositione.

LI. Ex his est Hortolanus in commentario Cantici Canticorum Salomonis; vbi multa ex Apocalypsi exposuit propter argumenti similitudinem.

LII. Cardinalis item Bellarminus in opere de Antichristo non pauca ex eodem libro interpretatur.

LIII. Leonardus Lessius in opere de Antichristo.

LIV. Et multò plura Maluenda in opere de Antichristo.



LIBRI

Digitized by Google

LIBRI PRIMI PARS SECVNDA: QVÆ CONTINET TOTIVS APOCALYPSEOS PARAPHRASIM.

Capitis primi pars prima, quæ est totius Apocalypseos titulus & elogium.

TEXTVS.

1. APOCALYPSIS Iesu Christi, quam dedit illi Deus palàm facere seruis suis, quæ optaret fieri citò: & significauit, mittens per Angelum suum seruo suo Ioanni.

2. Qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Iesu Christi quæcunque vidit.

3. Beatus qui legit, & audit verba prophetiæ huius; & seruat ea, quæ in ea scripta sunt: tempus enim propè est.

PARAPHRASIS.

ANIMA ænigmatum huius libri est prophetia illa de Ecclesiæ Christianæ euentibus, quam Deus animæ Christi apertè reuelauerat; vt aliquam eius partem ipse etiam apertè doceret, eam scilicet partem, quam citò oportet fieri. Visum est autem Christo Domino, prophetiam illam sibi reuelatam huius libri ænigmatibus conuestire; vt sic vestita per Angelum repræsentaretur Ioanni dilecto discipulo in Pathmos insula degenti. B

Et Ioannes postquam contemplatus est vniuersam hanc repræsentationem & eius mysteria penetrauit; non solùm scripsit ea, quæ vidit, sed etiam Apostolica auctoritate declarauit, nihil in his ænigmatibus contineri, quod non sit purum putũ Dei verbũ, & ipsius Christi doctrina cælestis.

Et quamuis nonnulla sint in hac prophetia, quæ non videantur ad singulos homines spectare, neque opere complenda, nisi aliquot post sæcula: nihilominus fructus prophetiæ huius & felicitas, quam promittit recipientibus, verè sunt magna & admiranda; & valdè propè est tempus & oportunitas eo fructu fruendi. Atque adeò quicunque recipit huius prophetiæ veritates, & eas fideli mente recolit; meritò se appellare poterit felicem atque beatum. C

Capitis primi pars secunda, quæ est Epistola dedicatoria.

TEXTVS.

4. Ioannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia. Gratia vobis & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est; & à septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt.

5. Et à Iesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps re-

PARAPHRASIS.

Ioannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia. Intentio mea est in hac epistola salutare vos, ad quos hunc Apocalypseos librum mitto; & operis argumentum vobis indicare. Hæc vt præstem, in primis opto vobis gratiam & pacem; deinde precor illam à Deo Patre nostro, cui nomen יְהוָה *Iehoua*. Huius autem nominis veram interpretationem vobis propono; vt per eam intelligatis totam Apocalypsin ad huius nominis veritatem reuocari. Quia summa huius libri est id ipsum, quod diuinissimum Dei nomen importat. Nempe Deum opere præstare, quod antè promiserat; Deum scilicet incepisse opus suum; & absolutissimam perfectionem eidem operi daturum. Precor præterea vobis gratiam & pacem à septemplici diuinæ prouidentiæ Spiritu; id est, à septem virtutibus, in quibus diuinæ prouidentiæ perfectio consistit: nempe, à Fortitudine, Beneficentia, Æquitate, Sapientia, Potentia, Comminatione & Seueritate. Quas virtutes in septem lampadibus figuratas in conspectu throni conspexi; atque illis totidem libri sigilla respondent, quæ bonam Apocalypseos partem occupant. D

Precor etiam vobis gratiam & pacem à Christo Domino; quem hæc reuelatio ostendit, fuisse testem fidelissimum; & esse primogenitum mortuorum, & principem regum terræ. Ostendit autem Christum fuisse testem fidelem; quia repræsentat, quàm fuerit vera Christi prædicatio de Iudæorum reprobatione, & de spiritu, quem accepturi

Digitized by Google

A gum terræ; qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.

6. Et fecit nos regnum, & sacerdotes Deo,& Patri suo : ipsi gloria & imperium in sæcula sæculorum: Amen.

7. Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Et plangent se super eum omnes tribus terræ: etiam: Amen.

B

8. Ego sum α, & ω, principium, & finis, dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est, omnipotens.

accepturi erant credentes in eum: & de Ecclesiæ Christianæ bellis atque victoriis. Christum autem verè esse primogenitum mortuorum, ex eo demonstratur; quia ad Christi similitudinem ex persecutionum abysso Christiana Ecclesia gloriosè emerget; ac denique res ipsa ostendet, Christum esse principem regum terræ. Quia ipsius tandem cruci reges terræ subijcientur, eamque supplices adorabunt. Atque ita ei, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.

Et qui suam in nos benignitatem declarauit, multò meliùs, quàm Pharao in genus sacerdotale; efficiens nos peculiare Dei regnum, & nos quasi Dei sacerdotes diuitiis regalibus & immunitate cumulans, (quemadmodum in Apocalypsi indicatur) Christo inquam Christianorum parenti sempiterna erit gloria & imperium glorioſum in ipsius Ecclesiæ Christianæ gloria & imperio sempiterno.

Quamuis enim Ecclesiam Christianam persequantur nunc Iudæi atque Gentiles; ecce tamen Apocalypsis proponit nobis Christi aduentum in prædicationis Euangelicæ nubibus; per quam Deus cælestem imbrem effundit, id est, spiritum gratiæ & precum; atque ita fiet, vt aperiantur cæcorum oculi, & aspiciant in fidei auctorem, & consummatorem Iesum. Et qui priùs Christum persequebantur, ad eum conuersi planctus ad sidera tollant; & se suis peccatis passioni Dominicæ causam dedisse, pœnitentiam agentes, lamententur. Atq; adeò Iudæis & Gentibus ad Christum conuersis, maxima erit Christianæ gentis gloria. Fiet, Fiet.

Christus enim in hac Apocalypsi docet, se inchoasse ædificium Ecclesiæ Christianæ; & quod inchoatum est, se glorioſissimè perfecturum. Atque id est, Christum esse α, & ω, principium & finem, id est auctorem & consummatorem. Et eadem est significatio nominis IEHOVA, ad quam vniuersa Apocalypsis reuocatur.

Capitis primi tertia pars, quæ narrationem primæ visionis continet.

TEXTVS.

9. Ego Ioannes frater vester, C & particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Christo Iesu: fui in insula, quæ appellatur Pathmos, propter verbum Dei, & testimonium Iesu.

10. Fui in spiritu in Dominica die, & audiui post me vocem magnam tanquam tubæ, dicentis:

11. Quod vides, scribe in libro, & mitte septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia, Epheso, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiciæ. D

12. Et conuersus sum, vt viderem vocem, quæ loquebatur mecum; & conuersus vidi septem candelabra aurea.

13. Et in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis, vestitum podêre, & precinctum ad mamillas zona aurea.

PARAPHRASIS.

Ego Ioannes frater vester; atque adeò vobiscum particeps tribulationum Christi, particeps regni, & particeps patientiæ nobis elargitæ, cùm essem in Pathmos insula; in quam propter Euangelij prædicationem fueram relegatus.

Die quadam Dominica in extasim raptus diuinissimæ reuelationis spectator fui. Et initio quidem audiui à tergo magnum tubæ clangorem, sed is clangor erat vox articulata, quæ mihi distinctè dicebat:

Scribe in libro ea, quæ videris; & mitte septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia, scilicet Epheso, &c.

Et cùm statim me conuertissem, (nempe in extasi) vt viderem, quis ad me per tubæ clangorem loqueretur; ecce conspicio septem aurea candelabra, singula septenis lucernis collucentia; & omnino eius formæ, quæ præcepta est Moysi, Exodi 25.

In medio autem candelabrorum adstabat sacerdos quidam tunica byssina sacerdotali indutus, & altissimè præcinctus aurea zona.

Quem

Digitized by Google

14. Caput autem eius & capilli erant candidi, tanquam lana alba, & tanquam nix; & oculi eius tanquam flamma ignis.

Quem niuea & veneranda canicies decorabat. Porrò oculorum flammæ indicabant eum ira ardentem. A

15. Et pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti; & vox illius tanquam vox aquarum multarum.

Sed illud mirabile, quòd pauimentum ex pedum contactu valdè fumigabat. Erant enim pedes ei, non carnei, sed ex chalcolibano ardente; sicut altare holocausti, quod fecit Salomon; quòd erat ex chalcolibano, & igne sacro semper ardebat. Qui verò me priùs voce tubæ fuerat allocutus, paulo pòst voce aquarum multarum, id est voce maris fremitus persimili, mecum colloqui cœpit.

16. Et habebat in dextera sua stellas septem, & de ore eius gladius ex vtraque parte acutus exibat; & facies eius sicut sol lucet in virtute sua.

In dextera autem gestabat septem annulos, quorum gemmæ videbantur esse stellæ cælestes, ac de ore eius gladius procedebat anceps. Post hæc transfigurata est illius facies. Cùm enim priùs oculorum flammæ distinctè perciperentur; postea tota facies splendebat, sicut & sol cùm maximè lucet.

17. Et cùm vidissem eum, cecidi ad pedes eius tanquam mortuus; & posuit dexteram suam super me, dicens: Noli timere, ego sum primus & nouissimus.

Hæc omnia vbi primùm conspexi, despondi extemplò animum; & ad eius pedes semianimis corrui. Sed ille me restituit, impositâ super me dexterâ, & his verbis me confirmans: Ne timeas; ego sum primus & nouissimus. B

18. Et viuus, & fui mortuus: & ecce sum viuens in sæcula sæculorum; & habeo claues mortis, & inferni.

Et viuus, & fui mortuus; & ecce sum viuens in sæcula; & habeo claues mortis & inferni.

19. Scribe ergo quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc.

Hæc ille, non solùm vt me consolaretur; sed etiam vt totius visionis scopum indicaret; subiecit enim, Scribe ergo & quæ vidisti, & eorum significationem, atque adeò prophetiam Ecclesiæ Christianæ. & quidem nota illa illationis, *Scribe ergo*, indicabat, ex verbis, quæ audieram, intelligi iam posse totius visionis scopum, & prophetiæ substantiam saltem in summa.

20. Sacramentum septem stellarum, quas vidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea: septem stellæ, Angeli sunt septem Ecclesiarum: & candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt.

Vt ergo distinctioris explicationis faceret initium; subiecit, gemmas annulorum esse Episcopos; candelabra autem, Ecclesias. C

Interpretatio superioris Paraphrasis.

Quia septem erant Ecclesiæ, ad quas primùm voluit Christus Apocalypsin mitti; ideo septem Ioanni ostensa sunt candelabra. Idem tamen symbolũ ad reliquas Ecclesias extendi debet: quemadmodum stellarum symbolum, quod Asiæ Episcopis tribuitur, ad reliquos similiter Episcopos, & Euangelij ministros referendum est. Porrò septenæ lucernæ in singulis candelabris, septem diuinæ prouidentiæ spiritus denotant in Christi Ecclesiis effulgentes. Elegantissimum verò fuit in Ecclesiarum symbolo (id est in candelabris) spirituum Dei splendorem repræsentare; & in Christi figura, ipsarum Ecclesiarum perfectionem. Atque ita mirabilis ille sacerdos, qui intra candelabra apparuit, Christum significat; qui in Ecclesiis suis valdè mirabilem se ostendit. Et primùm eius præsentiæ & prouidentiæ oleum, lumen & gloriam omnẽ accepta referunt candelabra, id est Ecclesiæ. Deinde, quidquid mirabile in sacerdotis persona notatur, id omne referendum est ad eos Ecclesiæ Christianæ euentus, qui in Apocalypsi continentur. Totius enim spectaculi prologum agit hæc persona, quæ primò Ioanni apparuit; atque adeò totius Apocalypseos argumentũ ob oculos ponit. D

Vox ergo tubæ symbolum est Iudaicæ persecutionis, in qua valdè gloriosæ fuere Christo religio, charitas & sapientia populi Christiani; qui per ipsam persecutionem mirificè proficiebat in tribus illis excellentiis. Porrò podêris byssina immaculatam religionem repræsentat; zona aurea insignem charitatem; canicies venerandam sapientiam.

Sed quò magis gratia & sapientia Christianæ Ecclesiæ vigebat, eò magis perfidi Iudæi iram Christi aduersus se irritabant; atque in plagis contra eos immissis, & in bello mystico, quod aduersus eos gerebatur, oculorum flammæ iram Christi denotant.

Huius

Digitized by Google

A Huius belli exitus fuit decimæ Iudæorum partis conuersio; & ceteris obduratis, Euangelij ad Gentes transmigratio; vt Christianæ religionis ignis gentilitatem inflammaret. Hunc verò Christianæ religionis conatum significant pedes ex chalcolibano ardente.

Verùm prædicationem Euangelii ad Gentes excepit persecutio ab Imperio Romano aduersus Christi Ecclesiam excitata; quam persecutionem vox aquarum multarum adumbrat.

In ea tamen persecutione, admiranda prædicatorum Euangelij constantia, & efficacitas verbi Dei pollicebantur fidelibus glorioſum de Imperio Romano triumphum, per conuersionem scilicet Vrbis, & orbis. Et prædicatorum quidem constantiæ symbolum, stellæ sunt; verbi efficacitatis, gladius anceps ex ore procedens; & clarissimi triumphi, lux solis in facie fulgurantissimi.

His consideratis, videlicet persecutionum magnitudine, & tantæ rei mole ac difficultate, deficiebat per se humana infirmitas, quæ triumphum de Imperio Romano incredibilem iudicaret. Ad hoc autem significandum cadit Ioannes tamquam mortuus; sed illum Christi dextera confirmat, & illa verba, *Ego sum primus, & nouissimus*, id est, consideratio potentiæ Christi, qui est solus Deus potens; & quem valdè decet, suum opus consummare.

Cùm verò ait, *Fui mortuus, & ecce sum viuens in sæcula*; prototypum proponit siue exemplar, in quo
B cernitur ex magnis persecutionibus Ecclesiam gloriosè emersuram.

Concludit denique se habere claues mortis & inferni; vt ex eo constet, persecutiones, quæ aduersus Ecclesiam insurgunt, ab ipso Christo esse ordinatas; nec maiores futuras, quàm Christianæ felicitati conueniat.

CAPVT II.

Capitis secundi pars prima; quæ est epistola ad Ephesinum, & sub eius persona ad fideles probos, sed in quibus pristinus charitatis ardor refrixit.

TEXTVS.

1. ANGELO Ephesi Ecclesiæ scribe: Hæc dicit, qui tenet
C septem stellas in dextera sua; qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum.

2. Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuã; & quia non potes sustinere malos: & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt: & inuenisti eos mendaces.

3. Et patientiam habes; & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti.

4. Sed habeo aduersum
D te, quòd charitatem tuam primam reliquisti.

5. Memor esto itaque vnde excideris; & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem: venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.

6. Sed hoc habes; quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.

7. Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.

INTERPRETATIONIS SVMMA.

EPISTOLARVM Christi, quæ in hoc secundo & tertio capite continentur, ea est intentio; vt singula conscientiarum genera animaduertant, quem debeant fructum ex hac reuelatione decerpere.

In hac ergo epistola genus conscientiæ ex descriptione Episcopi intelligitur. Laudantur enim eius virtutes; illud reprehenditur, quòd de antiquo charitatis feruore remiserat. Quare hortatur hominem Christus, vt instauret vota, & prima opera faciat. Scopus itaque huius epistolæ est, hortari eum, qui de antiquo charitatis feruore remiserat, vt ad antiquum feruorem seriò redire deliberet: ad quem finem ex ipsa Apocalypsi quatuor ei puncta proponuntur; nempe,

- Excellentia vocationis diuinæ,
- Feruor deuotionis antiquæ,
- Periculum ex remissione,
- Et fructus renouationis egregius.

Porrò excellentia vocationis ex Christi periphrasi colligitur. Magnum enim est, electum esse in annuli Christi gemmam siue stellam, & in lucernam candelabri Ecclesiæ. Indignum verò est, vt qui ad eiusmodi dignitatem fuit euectus, à primo splendore deficiat.

Deinde antiquus feruor ob oculos ponitur in ipsa Episcopi descriptione, & admonitione. Ipsa autem antiquorum operum recordatio, posterioris remissionis exprobratio est.

Adhæc, remissionis periculum eleganter significatur illis verbis, *Mouebo candelabrum tuum de loco suo*, quod est, ex remissione orituram esse perturbationem pacis. Et sanè paci se existimabat Episcopus consulere, nonnihil remittendo de primo feruore.

Denique renouationis votorum fructus egregius est, *Edere de ligno vitæ*, id est, à Christi virtute confortari ad spiritualis iuuentutis vires in suo vegeto vigore conseruandas, vt deinceps non senescant.

Digitized by Google

A

Capitis secundi pars secunda; quæ est epistola secunda ad Smyrnensem, & sub eius persona ad fideles probatæ & perfectæ virtutis.

TEXTVS.

8. Et Angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit primus & nouissimus, qui fuit mortuus, & viuit.

9. Scio tribulationem tuã, & paupertatem tuam, sed diues es; & blasphemaris abhis, qui se dicunt Iudęos esse, & non sunt; sed sunt Synagoga Satanæ.

10. Nihil horum timeas, quæ passurus es. ecce missurus est Diabolus aliquos ex vobis in carcerem, vt tentemini: & habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

11. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis: Qui vicerit, non lædetur à morte secunda.

SVMMA INTERPRETATIONIS.

Ex descriptione Episcopi intelligitur genus conscientiæ, cui hæc epistola scribitur. Nimirum vir erat perfectæ virtutis, in summa paupertate diues, & in magnis ærumnis fidelis. Atque ita exhortatio non est alia, quàm vt perseueret vsque ad mortem. Scopus ergo huius epistolæ est, viros probatæ & perfectæ virtutis hortari ad perseuerandum. Quam ad rem ex ipsa Apocalypsi, quatuor eis puncta ponuntur ob oculos: nempe,

- Christi Domini prouidentia & exemplum,
- Perfectæ virtutis excellentia,
- Breuitas laborum huius vitæ,
- Coronæ æternæ præstantia.

B

Primùm in periphrasi Christi Domini, notatur prouidentię ipsius perfectio in illis verbis; *Primus & nouissimus.* Vt eius fauorem promittant sibi Sancti in suis aduersitatibus. Exemplum verò eiusdem Christi in passione & in gloria proponitur in altera parte periphrasis, dum dicitur, *Qui fuit mortuus, & viuit.*

Deinde quanta sit perfectæ virtutis excellentia, illud satis indicat, quod huic Episcopo dicitur, *Sed diues es.*

Breuitatem laborum huius vitæ denotant illa verba, *Habebitis tribulationem diebus decem.*

Excellentia autem prędmij indicatur coronæ nomine. Et denique virtutis perseuerantiæ respondet æterna gloriæ permanentia: hoc enim est, *Non ladi à morte secunda.*

C

Capitis secundi pars tertia; quæ est epistola ad Pergamenum, & sub eius persona ad fideles probos; sed in eo reprehensibiles, quòd in aliqua re sint pusillanimes, & propterea in Dei obsequio non valdè proficiant.

TEXTVS.

12. Et Angelo Pergami Ecclesiæ scribe: Hæc dicit qui habet rhomphæam vtraque parte acutam.

13. Scio vbi habitas, vbi sedes est Satanæ: & tenes nomen meum; & non negasti fidem meam. Et in diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, vbi Satanas habitat.

14. Sed habeo aduersus te pauca: quia habes illic tenẽtes doctrinã Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israël, edere, & fornicari.

SVMMA INTERPRETATIONIS.

Cuiusmodi conscientiæ genus sit, cui hæc epistola mittitur, ex descriptione Episcopi constat. Laudantur enim eius virtutes; illud reprehenditur, quòd non audeat bellum gerere cum Nicolaitis. Atque ita exhortatio est, vt bellum gerere non reformidet. Scopus ergo huius epistolæ est, viros probos, sed in aliqua re ad Dei obsequium pusillanimes, hortari; vt corde magno & animo volenti sint ad ea omnia, quæ ad maiorem Dei gloriam spectant. Atque ad hanc rem quatuor eis puncta ex ipsa Apocalypsi proponuntur. nempe,

D

- Potentia virtutis Christi,
- Gloria ipsius Christi in eo, quod aggrediendum proponitur,
- Pudor pusillanimi ex data alteri prouincia atque corona,
- Eximius magnanimitatis fructus.

Primùm in periphrasi Christi aptè describitur, maximam esse illius virtutem; atque adeò confidendum esse in Christo: cuius ope nihil est adeò difficile, quod non possit facilè superari. Quemadmodum ad gerendum bellum cum Hæreticis, Episcopus ille animari debebat; sciens Christum esse, qui in suis pugnat, & vincit.

Deinde

Digitized by Google

A 15. Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.

Deinde id etiam animos addere debet seruis Christi, quòd glorioſum ſit Chriſto fauere ſuis ſeruis in iis, quæ propter ipſum aggrediuntur. Quemadmodum Pergameno conſiderãdum erat, Nicolaitas eſſe Chriſti inimicos; atque adeò glorioſum eſſe Chriſto, Epiſcopo fideli aduerſus infideles bellum gerenti, preſentiſſimam opem ferre.

16. Similiter pœnitentiã age; ſi quo minùs veniam tibi citò, & pugnabo cum illis gladio oris mei.

Pudor autem, quo puſillanimes ſuffundendi ſunt, egregiè expenditur in illis verbis, *Veniam tibi, & pugnabo cum illis in gladio oris mei.* Quod eſt, ex terræ puluere alium ſuſcitare, cui detur prouincia illa & corona egregia, quam illi propter puſillanimitatem non ſunt conſecuti.

17. Qui habet aurem, audiat quid ſpiritus dicat Eccleſiis: Vincenti dabo manna abſconditum; & dabo illi calculũ candidum, & in calculo nomen
B meum ſcriptum; quod nemo ſcit, niſi qui accipit.

Magnanimitati verò promittitur primùm, manna abſconditum, id eſt, maxima ſuauitas in ipſa difficultatis aggreſſione abſcondita: deinde calculus candidus, id eſt, in Chriſti imitatione maxima felicitas; quia manibus fortium diuitias parat; & in ipſo calculo nomen Chriſti ſcriptum, id eſt, maxima Ieſu Chriſti gloria in perfecta hominis ſanctificatione.

Capitis ſecundi pars quarta, quæ eſt epiſtola ad Thyatirenum; & ſub eius perſona ad fideles probos, & in Chriſti obſequio feruidos; ſed in eo reprehenſibiles, quòd per imprudentiam in rebus inutilioribus occupati, ea prætermittant, ex quibus Dei gloriam maximè prouehere poſſent.

TEXTVS.

18. Et Angelo Thyatiræ Eccleſiæ ſcribe. Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tamquam flammam ignis, & pedes eius ſimiles
C aurichalco.

19. Noui opera tua, & fidem, & charitatem tuam, & miniſterium, & patientiam tuam, & opera tua nouiſſima plura prioribus.

20. Sed habeo aduerſus te paucà; quia permittis mulierem Iezabel, quæ ſe dicit propheten, docere, & ſeducere ſeruos meos, fornicari, & manducare de idolothytis.

21. Et dedi illi tempus, vt pœnitentiam ageret: & non
D vult pœnitere à fornicatione ſua.

22. Ecce mittã eam in lectum: & qui mœchantur cũ ea, in tribulatione maxima erunt; niſi pœnitentiam ab operibus ſuis egerint.

23. Et filios eius interficiam in morte; & ſcient omnes Eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutans renes & corda: & dabo vnicuique veſtrum ſecundum opera ſua. Vobis autem dico.

Alcaſar in Apocal.

SVMMA INTERPRETATIONIS.

Thyatirenſis Epiſcopi deſcriptio indicat, cuiuſmodi conſcientiæ genus ſit, cui hęc epiſtola ſcribitur. Erat ille in Dei obſequio feruidus, & multarum virtutum gloria clarus; in eo tamen reprehenſibilis, quòd Iezabeli, id eſt, Iudæorum Synagogæ coniuêret; non animaduertens, ex eo maximum detrimentum in Eccleſiam Chriſtianam redundare; & fruſtra tunc in eorum conuerſione procuranda conſumi tempus, quod poterat cum ingenti fructu in procuranda Gentium conuerſione collocari. Huiuſmodi erat Thyatirenſis imprudentia, cum ipſius probitate & feruore coniuncta. Ad ſcopum tamen huius epiſtolæ intelligendum, reuocanda eſt hypotheſis ad theſim (vt aiunt Rhetores,) id eſt, argumentum ſpeciale ad generale: & ij ſunt in genere conſiderandi: qui quamuis ſint probi, & ſpiritu feruentes; in eo tamen ſunt reprehenſibiles, quòd in iis conſumunt tempus, ex quibus parua aut nulla vtilitas ſperari poteſt: cùm poſſent ſe ad eas occupationes transferre, ex quibus magna diuinæ gloriæ illuſtratio ſperanda eſſet. Quemadmodum de iis dici poſſet, qui vbi multi ſunt concionatores, & animi auditorum obdurati, concionantur; cùm poſſent (verbi gratia) apud Sinas & Iaponios cum ingenti fructu Dei gloriæ deſeruire. Quod verò de Euangelij prędicatione dictum eſt, ſimiliter in multis aliis occupationibus intelligi debet.

Itaque ſcopus huius epiſtolæ eſt, hortari feruidos in Dei obſequio; ſed imprudenter ſuam operam locantes; vt ſe ad ea transferant, in quibus Dei gloriæ multò vtiliùs deſeruire valeant. Quam ad rem ex ipſa Apocalypſi hęc puncta conſideranda proponuntur:

- Manifeſta Dei vocationis indicia,
- Exigua ſpes colligendi fructus ex præſenti occupatione.
- Libertas ſpiritualis, ad quam vocati ſumus,
- Eximius alterius occupationis fructus.

Primùm in periphraſi Chriſti proponuntur huic Epiſcopo indicia manifeſta; ex quibus debuiſſet animaduertere, ſe à Deo ad alia vocari. Erat enim nimis addictus Iudæorum familiaritati, (ſcilicet, vt eos ad Chriſtum traduceret.) Iubetur autem conſiderare manifeſta reprobatæ Synagogæ & Gentiliſmi electi ſigna.

Deinde ex re ipſa conſiderare iubetur, non ſolùm ſine fructu ſe operam locare, ſed etiam cum manifeſto damni periculo.

Digitized by Google

24. Et ceteris, qui Thyatiræ estis; Quicumque non habent doctrinam hanc, & qui nō cognouerunt altitudines Satanæ, quēmadmodum dicunt, non mittam super vos aliud pondus.

25. Tamen id, quod habetis, tenete donec veniam.

26. Et qui vicerit, & custodierit vsque in finem opera mea; dabo illi potestatem super Gentes.

27. Et reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur.

28. Sicut & ego accepi à Patre meo; & dabo illi stellam matutinam.

29. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

Magnum enim imminebat periculum Ecclesiæ ex familiaritate cum Iudæis, fideles in seruitutem legis inducere conantibus; de cetero autem in sua pertinacia obduratis. A

Præterea ex libertate Euangelica ab onere legis Mosaicæ, tacitè monetur Thyatirensis, vt animaduertat se in libertatem vocatum esse; atque adeò non esse addictum, vt suæ propensioni seruiat, & Iudæis connitatur; sed liberum esse per Dei gratiam, posseque suæ propensioni dominari, & ad occupationem maioris gloriæ Dei se transferre.

Denique ad alliciendum Dei seruum, vt nouæ occupationis labores libenter capessat; iniicitur illi certissima ingentis fructus spes in illis verbis, *Dabo illi potestatem super Gentes, & reget eas in virga ferrea, & dabo illi stellam matutinam.* B

CAPVT III.

Capitis tertij pars prima, quæ est epistola ad Sardensem: & sub eius persona ad fideles improbos, qui peccatum lethale committere audent. C

TEXTVS.

1. ET Angelo Ecclesiæ Sardis scribe: Hæc dicit, qui habet septem spiritus Dei, & septem stellas: Scio opera tua, quia nomen habes, quòd viuas, & mortuus es.

2. Esto vigilans, & confirma cetera, quæ moritura erant. Non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo.

3. In mente ergo habe, qualiter acceperis, & audieris, & serua, & pœnitentiam age. Si ergo non vigilaueris, veniam ad te, tamquam fur; & nescies qua hora veniam ad te.

4. Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerūt vestimenta sua; & ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.

5. Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis; & non delebo nomen eius de libro vitæ; & confitebor

INTERPRETATIONIS SVMMA.

EX Episcopi descriptione colligitur conscientiæ genus, cum quo sermo est in præsenti epistola. Descriptio enim est illaudati Episcopi; qui Dei timore postposito, ea præstare negligebat, ad quæ ex Episcopali munere tenebatur; scilicet vigilare, & confirmare. Atque ita exhortatio est ad pœnitentiam & vitæ emendationem. Quare scopus huius epistolæ est, fidelibus improbis, & proiectæ ad scelus audaciæ persuadere pœnitentiam. Quem ad finem hæc illi puncta ex ipsa Apocalypsi proponuntur:

- Deformitas sceleris in persona ad magnam sanctitatem obligata,
- Repentinæ mortis periculum,
- Aliorum innocentiæ exemplum,
- Magnitudo clementiæ Christi.

Primùm, quanta esset obligatio Episcopi, ex periphrasi Christi intelligitur; atque ex eo ipso expenditur, quàm sit turpe, eum iacêre in peccato, qui vocatus est ad magnam sanctitatem. D

Deinde ad repentinæ mortis periculum, nihil aptius, quàm illa metaphora; *Veniam ad te tamquam fur.* Repentinæ autem mortis nomen latiùs patet, quàm multi cogitant.

Exemplum vitæ immaculatæ aliorum ad pudorem inducit eum, qui iacet in peccato; & ostendit obseruari posse ab illo legem Christi, quam alij sanctissimè obseruant.

Denique quoniam veniæ spes proponenda erat peccatori, magnitudo clementiæ Christi significantissimè describitur in promissione vestimentorum alborum, (id est, bonæ conscientiæ gaudij: ac si non decidisset vmquam à Dei gratia.) Additurque Christum non solùm deinceps non recordaturum esse scelerum pœnitentis; sed etiam coram Deo & Angelis in eius amicitia gloriaturum.

Capitis

Digitized by Google

A nomen eius coram Patre meo, & coram Angelis eius.

6. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

Capitis tertij pars secunda; quæ est epistola ad Philadelphium: & sub eius persona ad fideles modicæ virtutis à Deo protectæ, & feliciter in omnibus procedentis.

TEXTVS.

7. Et Angelo Philadelphiæ Ecclesiæ scribe: Hæc
B dicit sanctus & verus, qui habet clauem Dauid; qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.

8. Scio opera tua. Ecce dedi coram te ostium apertum; quod nemo potest claudere; quia modicam habes virtutem, & seruasti verbum meum, & non negasti nomẽ meum.

9. Ecce dabo de Synagoga Satanæ, qui dicunt se Iudæos esse, & non sunt,
C sed mentiuntur. Ecce faciam illos vt veniant, & adorent ante pedes tuos; & scient, quia ego dilexi te.

10. Quoniam seruasti verbum patientiæ meæ; & ego seruabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem vniuersum tentare habitantes in terra.

11. Ecce venio citò: tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.

D 12. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei; & foras non egredietur amplius: & scribam super eum nomẽ Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Ierusalem; quæ descendit de cælo à Deo meo; & nomen meum nouum.

13. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

SVMMA INTERPRETATIONIS.

Philadelphij descriptio docet nos, hanc epistolam ad eos scribi, qui sunt virtutis modicæ à Deo singulariter protectæ, & pro sua modica virtute diligenter Christo in omnibus deseruiunt. Scopus autem epistolæ est, eos hortari, vt in eo vitæ genere perseuerent, ad robustæ virtutis statum aspirantes. Atque eius rei gratia hæc illis puncta ex ipsa Apocalypsi ponuntur ante oculos:

- Christi intentio in paterna prouidentia erga virtutem modicam,
- Agnitio imbecillitatis propriæ, ad quam Dei beneficia nos inuitant,
- Perseuerandi necessitas, vt quis robustam virtutem consequatur,
- Excellentia virtutis robustæ, quam Deus perseueranti promittit.

Primùm periphrasis Christi docet nos, Christum, qui est verus sanctus, (id est perfectæ sanctitatis amator) dum adeò virtuti modicæ fauet, vt omnipotentiæ suæ claue, omnia illi commoda promat, & incommoda reprimat, non aliud intendere, quàm vt modicæ virtutis fideles ad robustam virtutem proueniant.

Deinde ex duplici illo beneficio in eiusmodi genus hominum collato, nempe prosperi successus in re valdè difficili (id est, in conuersione Iudæorum) & miræ euasionis à maximo periculo, (id est, *ab hora tentationis, quæ ventura erat in orbem vniuersum*;) docetur homo agnoscere propriam imbecillitatem. Eiusmodi enim beneficia sæpe à Christo virtuti modicæ conferuntur; vt eam tueatur, & animosiorem ad Dei obsequium faciat.

Præterea adspiranti ad virtutem robustam præcipitur, ad eam felicitatem consequendam, opus esse perseuerantiâ; sed additur, perseueranti non diu esse expectandum: nam pro rei magnitudine valdè citò ad eam felicitatem perducuntur, qui perseuerant in Dei obsequio. Atque hoc est illud, *Ecce venio citò: tene, quod habes*, &c.

Quanta verò sit excellentia eius felicitatis, quam in hac vita consequuntur, qui ad virtutem robustam perueniunt; id ex allegoria columnæ in templo Dei, & tituli in illa scripti eleganter expenditur.

Digitized by Google

A

Capitis tertij pars tertia, quæ est epistola ad Laodicenum: & sub eius persona ad fideles in Dei obsequio tepidos.

TEXTVS.

14. Et Angelo Laodiciæ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit: Amen, testis fidelis & verus, qui est principium creaturæ Dei.

15. Scio opera tua: quia neque frigidus es, neque calidus: vtinam frigidus esses, aut calidus!

16. Sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus; incipiam te euomere ex ore meo.

17. Quia dicis: Quòd diues sum, & locupletatus, & nullius egeo; & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.

18. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias; & vestimentis albis induaris, & non appareat confusio nuditatis tuæ; & collyrio inunge oculos tuos, vt videas.

19. Ego quos amo, arguo & castigo. Æmulare ergo, & pœnitentiam age.

20. Ecce sto ad ostium & pulso: siquis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam; intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.

21. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo; sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius.

22. Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis.

SVMMA INTERPRETATIONIS.

Manifestè est sermo cum tepidis, cuiusmodi erat Laodicensis Episcopus. Tepidi verò sunt, qui scienter quidem non audent peccatum mortale committere; & ideò se reputant iustos. Sed quia de cetero suis volunt concupiscentiis indulgere; inde facilè non videntes se venenum peccati mortalis obbibere, nihilominùs re ipsa à Dei gratia excidunt. Scopus ergo huius epistolæ est; hortari tepidos, vt teporis miseriam agnoscant, & feruorem spiritus amplectantur. Atque ad hanc rem hæc illis puncta ex Apocalypsi proponuntur:

- Magna tepidorum miseria,
- Proximum indurationis periculum,
- Amoris Christi cum hominis tepore collatio,
- Felicitas eius, qui Christo amanti manus dat.

B

Primùm, periphrasis Christi notat, illum esse verissimum atque scientissimum: atque adeò non dubitandum, quin certissimum sit, quod de magna tepidorum miseria asserit; dum ait, *Vtinam frigidus, aut calidus esses!* Res ergo est planè miranda, sed verissima, & animaduersione dignissima.

Deinde proximum indurationis periculum significant illa verba, *Incipiam te euomere ex ore meo.*

C

Sed res mira, homine tepente in Christi amore, Christus adeò feruet in hominis amore, vt stare ad ostium, & pulsare dicatur, scilicet quemadmodum describitur Cant. 5. 2.

Porrò, quanta sit felicitas animæ, quæ Christo amanti manus dederit, aptissimè explicatur ex mutua hospitalitate, & ex mystica animæ ad thronum Christi adscensione.

D

CAPVT

Digitized by Google

A

CAPVT IV.

In quo agitur de nouo templo Ecclesiæ primitiuæ, à Christo fundato; & de comparatione eius templi cum templo Salomonis.

TEXTVS.

1. POST hæc vidi: & ecce ostium apertum in cælo; & vox prima, quam audiui tamquam tubæ loquentis mecum, dicens: Ascẽde huc, & ostendam tibi, quæ oportet fieri posthæc.

B 2. Et statim fui in spiritu: & ecce sedes posita erat in cælo, & supra sedem sedens.

3. Et qui sedebat similis erat aspectui lapidis iaspidis, & sardinis: & iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinæ.

4. Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor; & super thronos vigintiquatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis; & in capitibus eorum coronæ

C aureæ.

5. Et de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua: & septem lampades ardentes antę thronum; qui sunt septem spiritus Dei.

6. Et in conspectu sedis tamquam mare vitreum simile crystallo; & in medio sedis, & in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis antè & retro.

D

7. Et animal primum simile leoni; & secundum animal simile vitulo; & tertium animal habens faciem quasi hominis; & quartum animal simile aquilæ volãti.

PARAPHRASIS CAPITIS QVARTI.

A. POST hæc vidi denuo Apocalypsin inchoari. Et ecce ostium in cęlo reseratum, vt mihi aditus pateret: & prima illa tubę articulatę vox, per quam filius hominis ad me fuerat in præcedenti visione locutus, eadem efficaciter me iussit eò conscendere, & ingredi per illud cęli ostium; nec non futuros Ecclesiæ Christianæ successus, in ea visione, quæ mihi erat proponenda, contemplari.

B. Raptus igitur fui in extasi in cęlũ: & ecce Dei optimi maximi cęlestẽ thronum intueor, illius instar throni, quem Deus ipse quondã in templo Salomonis habebat; qui ex Cherubinis alas super propitiatorium extendentibus constabat. Supra huiusmodi thronum aspexi speciem figurâ humanâ sedentis.

C. Eademque sedentis species ex duplici constare gemma videbatur; nimirum à lumbis deorsum ex iaspide; & à lumbis sursum ex sarda. Thronum autem Dei mirabilis quędam iris circumdabat, in semicirculi figuram supra thronum ipsum extensa; tota smaragdina; atque adeò sine peregrini alterius coloris admistione.

D. Hic autem thronus erat in medio quadrati spatij, (sicut apud Salomonis templũ in ædicula, quæ Sanctum sanctorum appellatur) cuius spatij latera singula, sex thronis, (id est regiis sedibus) constabant. Atque adeò in Dei sedis circuitu quatuor & viginti sedes erant collocatæ. In eis sedebant vigintiquatuor principes Dei, & principes sanctuarij, id est principes Sacerdotum, (quos quatuor & viginti fuisse legimus, 1. Paral. 24.) Erant autem omnes lineis vestibus strictis induti; quas *Roquetes* appellant: & eorum capitibus aureæ impositæ erant coronæ.

E. Porrò, ex Dei throno non solùm procedebant nubes (vt in templo quondam Salomonis, & in tabernaculo Mosis, ipso dedicationis die accidit) sed etiam fulgura subinde micabant: quibus tonitrua succedebant humanas comitantia voces. Ardebant etiam ante Dei thronũ septem lampades, ad aurei candelabri similitudinem, quod olim in templo collucebat.

F. Adhæc, loco maris ænei, quod Salomon fabrefieri iussit; vas aliud simile in conspectu throni positum cernebatur; non tamen ex ære, sed ex vitro crystallino valdè pellucenti; vt aquæ copia, quam ad sacerdotalis gentis ablutionem continebat, eorum etiam oculis semper esset conspicua.

Atque vt par illud ingentiũ Cherubinorũ, quos cõdidit Salomõ, erat in sacrę ędiculę medio, nec nõ in sacris ipsis parietibus circùm insculptũ; vt & in medio situ, & in circuitu, Cherubini cõspicerentur. Sic quatuor mirabiles Cherubini, non iã efficti, sed veri ac viui in cęlesti hoc tẽplo & mediũ occupabant locũ, & ipsius ambitum; nimirũ vnus eorũ quaternio in medio erat, & in quatuor Dei throni lateribus similes alii quaterniones, quasi per singulos parietes, principũ thronos circumuallantes.

Licèt autem illam oculorum multitudinem non in suis animalibus (seu, viuis Cherubinis) viderit Ezechiel, sed in rotis: ipse tamen Cherubinos mihi ostensos vidi, seu Argos, plenos oculis antè & retro.

G. Adde huc; quòd etsi Ezechielis Cherubini erant sibi mutuo similes omnino, & singuli quatuor habebant facies: hi tamen, quos ipse conspexi, singuli singulas solùm facies habebant: leoninam primus, alter vitulinam, humanam tertius, & quartus aquilæ simillimam. Cetera humani omnes corporis figura constabant.

Digitized by Google

8. Et quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas: & in circuitu & intus plena sunt oculis; & requiem non habebant die ac nocte dicẽtia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est.

9. Et cùm darent illa animalia gloriam & honorem, & benedictionem sedenti super thronum, viuenti in sæcula sæculorum;

10. procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno; & adorabant viuentẽ in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum, dicentes:

11. Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.

H. Singuli autem Cherubini senas habebant alas, sicut & Isaias suos describit Seraphinos: duas nempe extensas; totidem inferiora corporum obtegentes; & duas præterea alias (quas Ezechielis Cherubini non habebant) vt suas verecundè facies cooperirent. Ceterùm tam hi Cherubini, qui erant in circuitu, quàm qui in medio, omnes erant oculis pleni, vti superiùs dicebam: eorum verò officium erat frequentissimè trisagion illud, quod audiuit Isaias, iterare clamando in eius honorem, qui sedebat in throno: nec die id solùm, sed & nocte præstabant. A

I. Hunc Cherubinorum clamorem excipiebat sacrificiorum cruentorum loco incruentum laudis sacrificium: quo Deus mirificè colitur, à viginti quatuor suprà dictis pontificibus cum ingenti reuerentia ac veneratione oblatum.

B

K. In quo demum sacrificio defertur sedenti in throno honor & gloria: tum propter antiquam, tum vel maximè propter nouam creationem, noui scilicet hominis, qui secundùm Deum creatus est.

Interpretatio superioris Paraphrasis.

C

A. Ostium in cælo apertum, & Ioannis illuc ascensus, symbolum est maximæ rerum diuinarum reuelationis; quæ Apostolis & viris Apostolicis erat promissa.

Vox autem tubæ Iudaicam adumbrat persecutionem; per quam Spiritus Christi ad cęlestis doctrinæ cognitionem, quæ in hoc libro describitur, suos euexit amicos; præsertim ad eius doctrinæ partem, quæ vsque ad 12. caput extenditur: ex quo orditur belli à Gentibus etiam excitati descriptio. Quod bellum spiritalis similiter doctrinæ cognitione Christianam imbuit gentem. Atque hoc ad reliquam libri partem spectat.

B. Thronus cęlestis Ioanni visus, ille est, quem Deus Pater post Christi Filii passionem habet in Christianæ Ecclesiæ sapientia & sanctitate, nobilissimo excellentiarum pari: quod Christo Domino, tamquam vero Propitiatorio nititur.

C. Duæ gemmæ ad Dei Patris omnipotentiam referuntur; quę in creatione primò, deinde in Christi resurrectione mirum in modum effulget. Creationem iaspis, sarda Christi resurrectionem indicat. Iris autem smaragdina symbolum est noui atque æterni fœderis, quod fuit in Christi passione sancitum.

D. Vigintiquatuor principes sacerdotum, Christianæ Ecclesiæ presbyteros repręsentant; qui ex regali sacerdotio vniuerso, id est, ex populo Christiano, ad celsissimam hanc dignitatem sunt sublati; vt verè sint Principes Dei; apud quem proinde thronos veluti Dij, habent. D

E. Fulgura atque tonitrua nouum & admirabile docendi genus innuunt: in quo cęlestis vitæ fulgorem vsurpant oculi, & diuinæ potentiæ vocem aures excipiunt. Deinde septem lampades symbola sunt totidem diuinæ prouidentiæ spirituum excellentissimè in primitiua Ecclesia eminentium. De quibus dictum est cap. 1.

F. Mare vitreum perspicuam atque patentem in Christiana Ecclesia remissionem peccatorum figurat, ad frequentem gentis sacerdotalis, id est, Christiani populi conscientiæ ablutionem; quę ad peragenda huiusce populi sacrificia est cum primis necessaria.

Animalium quaternio Apostolos, & successores eorum Episcopos denotat; propterea quę in medio & in circuitu conspiciuntur; quia ad ipsos incumbit, tum in medio esse, vt fideles regant; tum in circuitu, vt eos ab hostibus tueantur. Oculorum plenitudo vigilantiam designat, vt Ecclesiam Dei sponsam custodiant.

G. Per quatuor illas facies figurantur quatuor item virtutes, quæ in Christianæ Ecclesiæ Principibus maximoperè enituerunt; id est, Fortitudo, Beneficentia, Æquitas, ac Sapientia. De quibus dictum est cap. 1. notat. 5.

H. Sex alæ, cęlestis vitæ cursum denotant. Et illæ quidem, quibus teguntur corpora, ad hon o-

rem

Digitized by Google

A rem pariter & decorem pertinent virtutum earum, quæ sunt Angelis & sanctis viris communes; sicuti prompta etiam & expedita ad Dei obsequium celeritas. Quæ verò alæ vultum obducũt, sanctorum sunt hominum propriæ; quorum pudor & verecundia de anteactæ vitæ peccatis eo est maior, quo sanctiores ipsi sunt, & in altiore dignitatis gradu collocati.

Trisagion, quod Cherubini clamabant, vniuersam Apostolici Symboli doctrinam comprehendit: à cuius prædicatione nullo rerum aduersarum turbine viri Apostolici deterrentur.

I. Quorum prædicatione factum est, vt Christianæ religionis cultus (id est, Venerandum Eucharistiæ sacrificium) anilibus veterum sacrorum superstitionibus reiectis, tamquam Deo gratissimus, cum magna diuini Numinis reuerentia exerceatur; per legitimos videlicet ministros, quos presbyteros appellamus.

K. Per huiusmodi sacrificium vero æternoque Deo, non solùm tamquam rerum omnium opifici; sed etiam tamquam nouæ creaturæ conditori gratiæ aguntur immortales.

B

CAPVT V.

De difficultate prophetiarum sacræ Scripturæ ex aliena diuini operis specie; eo ipso tempore, quo perfectissimè implebantur, deque Christi gloria eas explicantis.

TEXTVS.	PARAPHRASIS.
1. ET vidi in dextera sedentis supra thronum, librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem.	A. ET vidi in dextera sedentis in throno librum inuolutum: cuius vtraque pagina erat scripta. Nihil tamen ex eo legi poterat; quousque resignarentur septem sigilla, quibus erat clausus. Quamuis enim iam fuisset multis Dei amicis reseratus; clausus tamen adhuc & obsignatus manebat.
2. Et vidi Angelum fortem prædicantem voce magna: Quis est dignus aperire librum, & soluere signacula eius?	B. Porrò, fortis quidam Angelus voce magna clamauit: Quis est dignus librum aperire, & septem eius signacula resignare?
C 3. Et nemo poterat neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum, neque respicere illum.	C. Nec tamen vllus eorum, qui aut in cælo sunt, aut degunt in terris, aut subterranea inferorum claustra incolunt, inuentus fuit, qui vel librum posset aperire, vel illo alteri etiam aperto frui.
4. Et ego flebam multùm; quoniam nemo dignus inuentus est aperire librum, nec videre eum.	D. Quamobrem ingentem ipse lachrymarum vim profudi: quòd reperiretur nemo, qui librum reserare posset, aut eodem, postquam alteri fuisset resignatus, frui valeret.
5. Et vnus de senioribus dixit mihi: Ne fleueris: ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & soluere septem signacula eius. D	E. Inter hæc vnus è senioribus me dolentem ac flentem his dictis fuit consolatus: Ecce vicit leo de tribu Iuda, ac de progenie Dauidis, atque is fuit ipsius victoriæ fructus vberrimus, vt ipsum ille librum aperiret, sigilla nempe eius reserando.
6. Et vidi; & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum, Agnum stãtem tanquam occisum habentem cornua septem, & oculos septem; qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram.	F. Vix ea; cùm ecce tibi, quem leonem esse audieram, in Agni specie atque figura apparuit, sedenti in throno propior, quàm prædicta quatuor animalia, & seniores; atque adeò medius inter Deum & homines. Iacebat autem tamquam occisus: & septem in capite cornua, totidemque oculos habebat.

G. Qui

Digitized by Google

7. Et venit,& accepit de dextera sedentis in throno librum.

8. Et cùm aperuisset librum, quatuor animalia, & vigintiquatuor seniores ceciderunt coram agno; habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.

9. Et cantabant canticũ nouum dicentes: Dignus es Domine accipere librũ, & aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione.

10. Et fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes; & regnabimus super terram.

11. Et vidi, & audiui vocem Angelorum multorũ in circuitu throni, & animalium, & seniorum; & erat numerus eorum millia millium.

12. Dicentium voce magna: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.

13. Et omnem creaturam, quæ in cælo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo: omnes audiui dicentes: Sedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum.

14. Et quatuor animalia dicebant: Amen, & vigintiquatuor seniores ceciderunt in facies suas, & adorauerunt viuentem in sæcula sæculorum.

G. Qui surrexit mox; & ad eum, qui in throno sedebat, accedens, librum de ipsius dextera accepit. A

H. Quem vt primùm aperuit, quatuor animalia, & vigintiquatuor seniores coram ipso Agno procubuerunt; citharasque vt eas pulsarent, protulerunt; nec non phialas aureas, vt sacrum in eis thymiama adolerent, & in Agni honorem suffirent.

I. Dum autem pulsarent citharas, nouum hoc canticum ipsi Agno concinebant, Dignus es Domine, qui librũ accipias, & clausa eius signilla resoluas; quoniam occisus es, & tuo sanguine Patri Deo hunc populum comparasti; nos inquam omnes, quos ex tot mundi nationibus selegisti. B

L. Effecistique peculiare Dei regnum; quemadmodum Ægyptiorum sacerdotes erant lectissima regni pars. Ex eo autem, quòd in nobis Deus singulari prærogatiua dominetur ac regnet; & libri obsignati sigilla nobis ipse resignaris, felices nos ac fortunatos, & regiam dignitatem assecutos iure optimo reputamus. Huiusmodi erat animalium & seniorum cantilena.

M. Illis autem Agnum hac ratione adorantibus pariter & celebrantibus; circumstabat innumerabilis Angelorum multitudo, qui signati libri resignationem celebrantes, C

N. Voce magna septem Agno tribuebant laudes, prædicantes dignissimum eum esse, cuius Virtus, Diuinitas, Sapientia, Fortitudo, Honor, Gloria & Benedictio summis in cælum præconiis ferantur.

O. Ceteras autem rationales creaturas; non eas modò, quæ in cælo sunt, verùm etiam, quæ in terra, quæ sub terra, & quæ in mari, eas inquam omnes reserato libro audiui, sedenti in throno, & Agno quadruplicem laudem deferre: nempè Benedictionem, Honorem, Gloriam & Potestatem. D

P. Has verò quatuor laudes animalia quatuor confirmabant dicentia: Amen. Protinus quatuor & viginti seniores quadruplici illa creaturarum benedictione summoperè gaudentes in facies suas procidérunt, & sedentem in throno supplici cultu & adoratione sunt prosecuti.

Inter-

Digitized by Google

A

Interpretatio superioris Paraphrasis.

A. Inuolutus liber atque signatus nihil aliud continebat, quàm ea, quæ reseratis posteà sigillis retecta sunt, cap. 6. & 8. Nimirum: in altera pagina, quàm essent felices Iudæi, qui Christum eiusq; doctrinam amplexi sunt: in altera, qua se ratione gereret Deus in Iudæos, qui Christum reiecerunt. Atque hic est prorsus antiquæ prophetiæ scopus.

Porrò Dei dextera excellentissimam eius operationem designat. Libri autem sigilla denotant, quo tempore prophetiæ perfectissimè complebantur. Propter summam tamen præstantissimæ operationis dissimulationem, prophetias ipsas adeò obscuras permansisse; vt absque singulari Dei Spiritu intelligi nequaquam posset, illas ea ratione compleri. Et quoniam septem sunt virtutes, in quibus perfectio prouidentiæ consistit; atque illæ omnes in prophetiarum complemento, quo operabantur perfectiùs, eo magis latebant, ideò liber iste septem sigillis obsignatus apparet.

B. Fortis Angelus, qui clamat, *Quis est dignus*, &c. potest non ineptè intelligi esse Oseas, vel Isaias, aut Paulus; qui disertè scripserunt, sine diuino Spiritu agnosci non posse ea, quæ sunt Spiritus Dei. Ex quo fit, librum illum reserari ab eo non posse, qui Dei Spiritum non valeat communicare.

C. In cælo dicuntur esse ij, quorum conuersatio in cælis est, (quod erat primitiuæ Ecclesiæ elogium.) Esse verò in terra, periphrasis est Iudæorum; & esse sub terra, dæmonum. Non autem,
B aut Christianæ conuersationis excellentia, aut Scribarum in sacræ Scripturæ studio assiduitas, aut dæmonum sapientia potis erat, prædictum librum alicui reserare; aut etiam postquam alteri fuisset resignatus, eius doctrinam ac veluti nucleum sine Dei Spiritu percipere.

D. Fletus Ioannis indicat Apostolorum commiserationem de Iudæorum cæcitate.

E. Senior ille, qui Ioannem consolatur, Lucas est; in iis scilicet, quæ in Apostolorum Actibus scripsit.

F. Agnus iacens denotat, Christi morti debere acceptum referri, quòd eius libri animâ ac nucleo possint Christiani potiri. Medius autem locus, quem Agnus occupabat, quasi ob oculos nobis ponit, eum esse mediatorem Dei & hominum. At cornua septem, & oculi totidem adumbrant principatus ipsius perfectionem, in septem illis virtutibus sitam, quæ diuinæ prouidentiæ præstantiam & excellentiam complent. Et notandum est, hunc eumdē Agnum esse vnicum nouæ legis sacrificium; ad cuius oblationem Eucharisticam abluũtur sacerdotes in mari vitreo, de quo suprà, c. 4.

G. Aperit Agnus librum in conuersione Pauli & aliorum ex iis, qui Euangelio pertinaciter obsistebant.

H. Adoratio quatuor animalium & seniorum, de Missæ sacrificio intelligenda est, in gratiarum actionem pro Pauli & aliorum conuersione. Citharæ ad gaudium & iucunditatem spectant.
G Aureæ verò phialæ (siue calices) insignia sunt sacerdotij. Ac thymiamata, quæ in phialis adolentur, orationes sunt ac vota eorum, pro quibus offerebatur sacrum: qui nimirum ad fidem Christianam traducebantur.

I. K. Nouum canticum est noua laus, quæ Christo tribuitur ob rebellium conuersionem.

L. Magnus ille Angelorum numerus, qui animalium & seniorum consessum circumstipabat; non solùm adest, vt fideles tueatur ac protegat; sed etiam venerationis ergò in Missæ sacrificio, quod quatuor animalia & seniores offerebant.

M. Septem item laudes, quas Angeli Agno decantant, cùm apertionem libri in infidelium conuersione celebrant; referendæ sunt ad septem illas virtutes, in quibus prouidentiæ perfectio consistit.

N. Demum creaturarum omnium laus innuit, reserato libro constare, non fideles tantùm sapientissimi Dei gloriæ in electorum salute ac felicitate obsequi: sed ipsos etiam rebelles Iudæos, imò verò Dæmones etiam, atque Gentiles, quantumuis Euangelium videantur illudere. nam omnia cooperantur in bonum.

O. Atque hanc veritatem confirmat quatuor animalium prædicatio, pro eadem que seniores, siue sacerdotes, in Missæ sacrificio immortales Deo agunt laudes.

D

CAPVT VI.

De perfecta felicitate Iudæis in Christum credentibus allata: ac de patientia, & comminatione Dei erga eos, qui Euangelio aduersabantur.

TEXTVS. PARAPHRASIS CAPITIS SEXTI.

1. ET vidi, quòd aperuisset Agnus vnum de septem sigillis: & audiui vnum de quatuor animalibus, dicens, tamquam vocem tonitrui, Veni, & vide.

A. APerit Agnus primum sigillum, & tunc primum animal ex quatuor vocat Ioannem voce tonitrui. *Primi sigilli resignatio.*

B. Et

2. Et vidi; & ecce equus albus: & qui sedebat super illum, habebat arcum, & data est ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret.

3. Et cùm aperuisset sigillum secundum, audiui secundum animal dicens: Veni, & vide.

4. Et exiuit alius equus rufus: & qui sedebat super illum, datum est ei, vt sumeret pacem de terra, & vt inuicem se interficiant, & datus est ei gladius magnus.

5. Et cùm aperuisset sigillum tertium, audiui tertium animal dicens: Veni, & vide. Et ecce equus niger: & qui sedebat super illum, habebat stateram in manu sua.

6. Et audiui tamquam vocem in medio quatuor animalium dicentium: Bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario, & vinum & oleum ne læseris.

7. Et cùm aperuisset sigillum quartum, audiui vocem quarti animalis dicentis: Veni, & vide.

8. Et ecce equus pallidus: & qui sedebat super illum, nomen illi Mors, & infernus sequebatur eum. Et data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & bestiis terræ.

9. Et cùm aperuisset sigillum quintum; vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant.

10. Et clamabãt voce magna, dicẽtes: Vsquequò Domine (sanctus & verus) non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra?

11. Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ; & dictum est illis, vt requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conserui eorũ, & fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut & illi.

B. Et ostendit ei equum album; cuius sessor arcum manu tenebat: & data est ei victoriæ corona, exiuitque vincens, vt vinceret. A

C. Aperit Agnus sigillum secundum, & tunc secundum animal vocat Ioannem. *Secundi sigilli resignatio.*

D. Eique demonstrat equum rufum; cuius sessori traditur gladius magnus, vt pacem terræ perturbet.

B

E. Resignat tertium sigillum Agnus; moxque tertium animal Ioannem accersit, & illi equum nigrum indicat, cuius sessor stateram in manu sua tenebat. *Tertij sigilli resignatio.*

F. Audiebatur autem vox animalium ad equitem, per quam summæ se inopiæ libenter subiiciebant; ita tamen vt olei & vini copia non deesset. Dicebant enim: Chœnix tritici denario, & tres chœnices hordei denario: vinum tamen & oleum ne læseris.

G. Aperto per Agnum quarto sigillo, quartum animal Ioannem accit. *Quarti sigilli resignatio.*

C

H. Illique monstrat equum pallidum, cui insidebat Mors, eamque infernus sequebatur. Morti autem concessa fuit potestas, vt in quatuor mundi plagas, nempe Orientalem, Occidentalem, Septemtrionalem, & Meridionalem, mirum in modum sęuiret, idque quadruplici ratione; videlicet gladio, fame, peste, & bestiarum crudelium ministerio.

I. Quintum sigillum resoluit Agnus; & ecce subtus altare holocausti, (quod erat in templo Salomonis) visæ sunt eorum animæ, qui pro Christi fide ac religione fuerant trucidati. *Quinti sigilli resignatio.*

D

K. Quæ omnes animæ clamabant, vindictam à Deo de terræ habitatoribus postulantes, & de vindictæ prolatione conquerentes.

L. Verùm Deus, qui animarum gloriam noluit differre: respondit, oportere differri vindictam, quam postulabant: donec eorum compleretur numerus, qui fuerant in eâdem persecutione occidendi.

M. Re-

Digitized by Google

A 12. Et vidi, cùm aperuisset sigillum sextum: & ecce terræ-motus magnus factus est, & sol factus est niger, tanquam saccus cilicinus; & luna tota facta est sicut sanguis.

13. Et stellæ de cælo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cùm à vento magno mouetur.

14. Et cælum recessit sicut liber inuolutus, & omnis mons & insulæ de locis suis motæ sunt.

15. Et reges terræ, & principes, & tribuni, & diuites, & fortes, & omnis seruus, & liber abscondérunt se in speluncis, & in petris montium.

16. Et dicunt montibus & petris: Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni.

B 17. Quoniam venit dies magnus iræ ipsorum: & quis poterit stare?

M. Resignat Agnus sextum sigillum; cùm ecce tibi apparet subita imago quædam, & effigies prodigiorum Dei, iudicium portendentium; videlicet terræ-motus magnus; maxima solis obscuritas; lunæ color sanguineus; stellarum casus in terram; cælum ipsum reuolui atque recedere visum; montium & insularum, propriis relictis sedibus, in alia loca transmutatio. Tanta denique formido animos mortalium omnium occupans, vt mortem ipsam vehementer optent, dicentes, se Dei & Agni iram perhorrescere. *Sexti sigilli resignatio.*

Interpretatio superioris Paraphrasis: primùm de quatuor sigillis resignatis.

A. vsque ad H. Apertis quatuor primis sigillis patefecit, quàm perfectam salutem Christus iis attulerit, qui eum receperunt. Apparent enim in quatuor equis Fides, Audacia, Egestas, Mors, salutem Christianis afferentes: propterea enim in equis apparent. Et fides quidem eorum corda transfigit; Audacia ad Christi prædicationem eos stimulat & accendit; Egestas fortunis ac possessionibus priuat; Mors demum in eos non minùs, quàm in ceteros sæuit, per gladium, famem & pestem. Atrocius verò, quàm in reliquos homines, per crudeles bestias in Christianos immissas.

Enimuerò in quatuor hisce effectibus mirè splendescit, in perfectissima fidelium salute summa diuinæ prouidentiæ perfectio. Et in primo quidem immensa Christi Virtus extat atquæ eminet: in secundo largissima eius Beneficentia: in tertio summa Æquitas: in quarto admirandum Consilium, siue Sapientia. Ad quarum Christi virtutum cognitionem cognoscendam, eodem ordine Apostolicæ virtutes, siue perfectiones inuitant, videlicet, eorum virtus, ad Christi suspiciendam Virtutem, in hominibus Christianæ religioni subiiciendis; Apostolica beneficentia, ad Christi

C Beneficentiam; & sic de ceteris.

Equorum autem colores prædictis quatuor effectibus aptissimè congruunt. Nam color equi albus mansuetudinem denotat, atqui in mansuetudine Fides suscipitur. Color rufus ardorem præ se fert, isque in confessione Christi relucebat. Niger color ad modestiam refertur, quæ in paupertate notatur. Postremò color pallidus ad mortificationem, mortemque ipsam pertinet; cui se fideles sponte pro Christo offerebant.

Præterea in primo sigillo, vox tonitrui prædicationem Apostolicam refert, in qua cælestis eorum virtus cum primis apparebat. Equitis arcus virtutem denotat Fidei, quæ veluti transfixis hominum cordibus, eos omnino subiicit Christo. Corona victoriam Fidei adumbrat, iuxta illud Ioannis: *Hæc est victoria, quæ vincit mundum fides nostra.* Nimirum quia *exiuit vincens, vt vinceret*; primitiuos scilicet 1. Ioan. 5. 4.
Christianos sibi subiiciens, vt per eos alii quamplurimi Christo similiter se submitterent.

In secundo sigillo, gladius ille magnus is est, de quo Christus ait, *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Matth. 10.
Quia nimirum fidei confessio mundanam pacem videbatur perturbare. Cuius pacis perturbatio 34.
ad Euangelicæ pacis pulchritudinem & abundantiam in primis expediebat.

In tertio sigillo statera, est æquitatis trutina, quæ singulis diuidebat, prout cuique opus erat, ex earum possessionum pretio, quibus sponte se fideles abdicabant. Quòd verò quatuor animalia clamabant, *Chœnix tritici denario*, doctrina est Apostolica; per quam edocebantur Christiani *panem artum*, atque adeò parsimoniam amare; & habentes alimenta & quibus tegerentur, his esse contenti.

D Vini autem & olei copia in tanta rerum ceterarum inopia, de vino lætitiæ & mysticæ vnctionis oleo, accipienda est.

In quarto sigillo procedit mors obequitans tanquam salutis instrumentum. Subsequitur sine equo infernus; quia Christianorum mortem consequitur quidem corruptio (quæ ad gloriosam pariter resurrectionem à Deo ordinatur;) ipsa tamen corporum corruptio non affert salutem: nam extra omne periculum iam erant positi, qui in Domino mortui fuerant. Tandem in Christianorum cæde gladius & mors bellum atque pestem significant. Bestiarum verò crudelitas, tyrannorum & persecutorum immanitatem; quæ ex primitiuis Christianis multos nece crudelissima sustulit.

De quinti sigilli resignatione.

I. K. L. Apertis tribus extremis sigillis, reseratur, quàm sit longanima Dei expectatio, quàm seria comminatio, quàm seuera punitio erga Iudæos, qui Christum admittere noluerũt. Ad quintum ergo sigillum spectat Dei patientia; quæ tanta est, vt effuso Martyrum cruore vindictam clamitante, & quodammodo de dilatione expostulante; nihilominùs vindictam satis meritã

Digitized by Google

protrahat, scilicet donec numerus Martyrum in ea persecutione interficiendorum expleatur. A

Ipsi autem Christiani, quos Iudæi religionis specie immaniter contrucidauerant, meritò effinguntur in altari holocausti occisi; ac proinde sub eodem altari eorum animæ existere, poscentes vltionem de terræ habitatoribus, id est, de Iudæis.

Patientissimus verò Deus, animas quidem Martyrum absque vlla dilatione glorioſis immortalitatis stolis donat; oportere autem respondet, vindictam, quam postulant, aliquantò ampliùs differri.

De sexti sigilli resignatione.

M. Ad hoc sigillum pertinet seria comminatio, qua Deus in rebelles & obstinatos Iudæos vtebatur, miris eos minis atque portentis deterrens. Huiusmodi autem minæ elegantissimè explicantur per comparationem ad ea prodigia, quæ diem iudicii sunt anteceſſura.

Ex quibus, terræmotus symbolum est magnæ illius rerum mutationis, quæ Iudaico populo in Romanos rebellante, ingentem Iudæis ipsis portendebat calamitatem. Solis obscuratio figurat signa diuinæ iræ aduersus Iudæos. Sanguineus Lunæ color, eosdem pro Christi passione pœnas grauissimas luituros esse, denotat. Stellæ è cælo cadentes, discipulorum Christi cædes designant, quæ ipsis pariter Iudæis erant piandæ. Cælorum complicatio atque receſſus symbolum est Christianorum abſentiæ: quæ maximum etiam Iudæis ipsis malum prænunciabat. Montes & insulæ suis sedibus motæ, stupendam Romanorum celeritatem demonstrant, & difficultates omnes diuina virtute in perniciem Iudæorum complanatas. Postremò miseranda Iudæorum omnium formido planè ostendit, Christum suæ necis ab ipsis vindictam reposcere. B

CAPVT VII.

De seruorum Christi libertate, & securitate à plagis contra rebelles Iudæos immittendis.

TEXTVS.

1. POst hæc vidi quatuor Angelos, stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terram, neque super mare, neque in vllam arborem.

2. Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui, & clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ & mari.

3. Dicens, Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoad vsque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.

4. Et audiui numerũ signatorum, centum quadragintaquatuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israël.

5. Ex tribu Iuda, duodecim millia signati. Ex tribu Ruben, duodecim millia signati. Ex tribu Gad, duodecim millia signati.

6. Ex tribu Aser, duodecim millia signati. Ex tribu Nephthali, duodecim millia signati. Ex tribu Manasse, duodecim millia signati.

7. Ex tribu Simeon, duodecim millia signati. Ex tribu Leui, duodecim millia signati. Ex tribu Issachar, duodecim millia signati.

8. Ex tribu Zabulon, duodecim

PARAPHRASIS.

A. ABsolutâ repræsentatione, quæ ad sextum spectabat sigillum; ante septimi resignationem, vidi quatuor Angelos in quatuor extremis Iudææ angulis singulos ventis singulis dominantes, eosque omnino cohibentes; donec signum à Deo daretur, vt ventos ruere permitterent, imperarentque vti Iudæam ingenti excitata tempestate subuerterent. C

B. Deinde alium conspexi Angelum ab Oriente exurgentem, ac Dei viui sigillum in manu tenentem; qui quatuor illos Angelos, qui ventos in terræ & maris perniciem erant immissuri, sic clamans fuit allocutus:

C. Cohibete adhuc ventorum impetum, nec permittatis eos vel minimum terræ, mari atque arboribus detrimentum importare: quoad sigillo hoc serui Dei nostri notentur, & signum *tau* in eorum frontibus imprimatur; quò oritura tempestas signatis nulla ratione noceat.

D. Postea dictum mihi est, omnes Dei seruos ab illo Angelo fuisse signatos, eosque omnes esse Israëlitas, & pari numero ex tribubus singulis selectos. Nimirum ex tribu Iuda, Ruben, Gad, Aser, Nephthali, Manasse, Simeon, Leui, Issachar, Zabulon, Ioseph & Beniamin; duodecies mille ex singulis: atque adeò omnes esse centum quadragintaquatuor millia. Ex tribu verò Dan, neque vnum fuisse signatum. D

E. Hæc

Digitized by Google

A millia signati. Ex tribu Ioseph, duodecim millia signati. Ex tribu Beniamin, duodecim millia signati.

9. Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus, & populis, & linguis: stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.

E. Hæc cùm audissem, ostensi mihi sunt, qui fuerant signati. Licèt autem priùs audiuissem, omnes illos & Israëlitas esse, & præscripto illo numero, nempe centum quadragintaquatuor millium, constare; vbi tamen eos conspexi, animaduerti & turbã esse ingentem, quam nemo dinumerare posset; & non omnes Israëlitas esse; sed potiùs ex vniuersis gentibus, tribubus ac populis; eos tamen omnes vidi throni atque Agni conspectu fruentes, stolis sacerdotalibus indutos, & palmas in manibus gestantes.

10. Et clamabant voce magna dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum: & Agno.

F. Qui omnes magnavocum contentione clamabant, asserentes; se suam salutem & incolumitatem Deo Patri super thronum sedenti, nec non cælesti Agno, acceptam referre.

11. Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, & seniorum, & quatuor animalium, & ceciderunt in
B conspectu throni in facies suas, & adorauerunt Deum,

G. Omnes verò illi Angeli, qui thronum, seniores & animalia circumstabant, (qui suprà dicti sunt septem laudes Agno tribuisse) nunc septem itidem laudes easdem sedenti in throno, suppliciter adorantes, detulerunt, Amen in principio & in fine hymni geminantes.

12. Dicentes, Amen. Benedictio, & Claritas, & Sapientia, & Gratiarum actio, Honor, & Virtus, & Fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum, Amen.

13 Et respondit vnus de senioribus, & dixit mihi: Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & vnde venerunt?

H. Exin è senioribus vnus me affatus edocuit, turbam illam maximam, quam prospectabam, ex magna miseria atque angustia ad eam deueniisse felicitatem; stolasque suas in Agni sanguine dealbasse.

14. Et dixi illi: Domine mi, tu scis. Et dixit mihi, Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt
C stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni.

I. Propterea illos fuisse id assecutos; vt antè Dei thronum adstarent, eique iugiter in templo dies nocteque ministrarent; nec non vt Deus in eis habitaret, ac paternam in illos beneuolentiam exerceret.

15. Ideo sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius: & qui sedet in throno, habitabit super illos.

16. Non esurient, neque sitient ampliùs, nec cadet super illos sol, neque vllus æstus.

K. In eis proinde impleri, quod scriptum ab Isaia est, nempe: *Non esurient, neque sitient ampliùs, neque cadet super illos sol, neque vllus æstus.*

17. Quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.

L. Quoniam Agnus, qui huius ouilis est pastor, in loco amœnissimo, vmbris opacantibus referto, & aurâ salutiferâ afflato, vberrimis eos pascuis reficit, & vitalibus aquis eorum sitim extinguit. In quibus demum impleatur, quod alibi scripsit Isaias, nimirum, eorumdem lachrymas Dei manu abstergi.

Interpretatio superioris Paraphrasis.

D Iure optimo totum hoc caput, post sexti sigilli repræsentationem, & ante resignationem septimi interijcitur. Quia post sigilli sexti comminationes, & ante plagarum septimi seueritatem consentaneum erat primitiuos designari Christianos, qui magna ex parte cum Iudæis infidelibus erant permixti. Vt hoc sigillo notati atque cogniti reseruarentur immunes ab iis plagis, quæ fuerant in Iudæos obstinatos immittendæ. Atque hic est huius capitis scopus.

A. Quatuor ergo venti symbolicè denotant tempestatem plagarum, quibus Deus percussurus erat Iudæos. Nam irruentes venti, & secum colluctantes ingentem solent cladem afferre. Cùm autem præcipui venti sint quatuor; ideo quatuor veluti Æoli effinguntur eisdem imperantes. Per hos verò quatuor Angelos angelica adumbratur potestas, cuius ministerio Deus fuerat in Iudæos animaduersurus.

B. C. Iam alius ille Angelus, qui ab ortu Solis ascendere visus est, ipsam Spiritus sancti gratiã repræsentat; qua Dei serui ac familiares signantur, vt nihil eis noceat. Cæterùm quia fieri non po-

test,vt Angeli vel creaturæ aliæ quidquã damni inferant signatis; ideò aptissimè fingitur imperasse quatuor Æolis, ne ventos in ludæam irruere permitterent, quousque Dei serui forent signati. A

D. Porrò, signati hi de quibus est sermo,nonalii sunt,quàm primitiui Christiani; in quos diuini Spiritus gratia largiter est effusa. Horum maxima pars erant Israëlitæ secundùm carnem; sed non solùm illi, verùm etiam, qui ex gentilitate eis adiecti erant. Omnes verissimè,sed mysticè dicuntur esse Israëlitæ;ex nouo scilicet Israële,& ex nouis Patriarchis, id est Apostolis. Et similiter numerus ille duodecim milliũ ex tribubus singulis collectorum,est etiam mysticè sumendus. Inter Patriarchas, primus refertur Iudas; quia Petrum repræsentat. Beniaminum verò,qui Ioannem refert, ipsiusmet Ioannis Christiana vrbanitas in vltimum reiecit locum. Leui omnino videtur esse Matthias,in Iudæ locum suffectus; & propterea omittitur Dan,qui Iudam suo nomine præferebat. Atque adeò tribus Dan falsos Christianos, & Iudæ sectatores referre videtur.

E. Turba magna,quam dinumerare nemo poterat,ex omnibus gentibus coacta,iidem illi sunt, qui priùs dicti fuerãt,centum quadraginta quatuor millia Israëlitę;primitiui videlicet Christiani, non ex Israëlitico solùm populo,sed ex omnibus etiam gentibus ac nationibus conglobati. Qui ideò sunt signati; quia ante thronum & in conspectu Agni existunt, ac proinde ab omni plaga securi, eò quòd Dei tabernaculo flagellum appropinquare non possit. Stolæ albæ eorum gaudium mentis denotant; palmæ, victoriam.

F. Ingens ille clamor indicat affectum singularem, ac mentis deuotionem tribuentium Deo & Agno salutem propriam,& ab omni plaga immunitatem.

G. Angelorum hymnus Deo septem laudes deferentium, confessio est pariter & admiratio septem diuinæ prouidentiæ Spirituum mysticè elucentium in Christianis eripiendis ab iis plagis, quæ in Iudæos perfidos immittendæ erant. B

H. I. K. L. Ea omnia quæ senior Ioanni asseruerat de magna illius turbæ conuersione, deque eorum omnium felicitate, ostendunt, sic esse scriptum à D. Luca in Apostolorum Actibus.

CAPVT VIII.

De tempore,quo immissæ sunt aduersus Iudæos rebelles septem plagæ: ac peculiariter de fame,peste, & ignorantia.

TEXTVS.

1. ET cùm aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cælo,quasi media hora.

2. Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei, & datæ sunt illis septem tubæ.

3. Et alius Angelus venit, & stetit ante altare, habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, vt daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei.

4. Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.

5. Et accepit Angelus thuribulum, & impleuit illud de igne altaris; & misit in terram; & facta sunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræ-motus magnus.

6. Et septem Angeli, qui habebant septem tubas, præparauerunt se vt tuba canerent.

7. Et primus Angelus tuba cecinit, & facta est grando,& ignis, mista in sanguine; & missum est in terram, & tertia

PARAPHRASIS.

A. RESignat Angelus sigillum septimum, quo aperto fit silentium in cælo per mediam ferè horam. *Septimi sigilli resignatio.*

B. Videtque Ioannes septem Angelos, quibus tubæ totidem datæ sunt in manus. C

C. Accedit interim diuersus alius Angelus ad altare aureum: & in acerra, siue thuris nauicula accepit magnam thymiamatis copiam, quam in altaris igne adoleat.

D. Cuius odoris fumus afflatus ascendit ad Deum.

E. Deinde implet Angelus acerram prunis altaris,easque mittit in terram. Quo facto tonitrua excitantur, voces & fulgura; consequiturque ingens terræ-motus. D

F. Tum demum septem Angeli tubas personaturi attollunt. Quorum clangores singulos, singulæ mox calamitates subsequuntur: sæuæ quidem omnes; pleræque tamen non omnem prorsus iram, sed tertiam solùm illius partem,effundunt.

G. Clangit primus Angelus;& illico pluit in terram grandine,igne & sanguine; comburiturque tertia pars arborum. Ex fœno autem & segetibus *Prima tuba.*

Digitized by Google

A pars terræ combusta est, & tertia pars arborum concremata est, & omne fœnum viride combustum est.

8. Et secundus Angelus tuba cecinit, & tanquam mons magnus igne ardens missus est in mare, & facta est tertia pars maris, sanguis.

9. Et mortua est tertia pars creaturæ eorum, quæ habebant animas in mari, & tertia pars nauium interiit.

10. Et tertius Angelus tuba cecinit, & cecidit de cælo stella magna ardens tanquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum.

B

11. Et nomen stellæ dicitur absynthium, & facta est tertia pars aquarum in absynthium, & multi hominum mortui sunt de aquis, quia amaræ factæ sunt.

12. Et quartus Angelus tuba cecinit; & percussa est tertia pars solis, & tertia pars lunæ, & tertia pars stellarum; ita vt obscuraretur tertia pars eorum; & diei non luceret pars tertia, & noctis similiter

13. Et vidi; & audiui vocem vnius aquilæ volantis per medium cæli, dicentis voce magna: Væ, væ, væ habitantibus in terra de ceteris vocibus trium

C Angelorum, qui erant tuba canituri.

getibus ea etiam sunt exusta, quæ adhuc in herba erant.

H. Clangit secundus Angelus, & tertia maris pars in sanguinem conuertitur. Id quod prouenit ex igneo monte in ipsum mare deiecto. *Secunda tuba.*

I. Quo facto interiit tertia eorum hominum pars, qui in mari degebant; tertia item pars nauium periit.

K. Clangit tertius Angelus; & tertia fluminum ac fontium pars pestifero veneno inficitur ab stella magna de cælo cadente. *Tertia tuba*

L. Hinc fit, vt exitialium aquarum virus amarissimè hominum plurimos enecet.

M. Clangit quartus Angelus: & visa sunt astra, nempe, sol, luna, & stellæ tertiam suæ claritatis partem amisisse. Vnde dies & noctes multò sunt solito obscuriores redditæ. *Quarta tuba.*

N. Posthæc, antequam reliqui tres Angeli clangant, apparet aquila per medium volitans cælum; & voce magna ingeminans, Væ, væ, væ habitantibus in terra.

Interpretatio superioris Paraphrasis.

A. Vt primùm septimum aperitur sigillum; declaratur, quàm seuerè punierit Deus Iudæos, qui Christum excipere noluerunt. Cetèrùm quoniam suam in obstinatos Iudæos iram non effudit Deus, donec clarissimum perfectæ patientiæ exemplum primigenia Ecclesia præberet; ideò vt temporis circumstantia notetur, fit in cælo silentium per dimidiam ferè horam. Quo symbolo per allusionem ad Tobiæ sustinentiam, innuitur perfectissima Christianæ Ecclesiæ patientia; cuius maximam in primis gessit Deus curam, ante Iudaici populi punitionem.

B. Prædictæ autem patientiæ obseruationem subsequitur visio septem tubarum; quæ totidem sunt Angelis datæ. Vbi Notandum est singulos Angelos personam gerere eorum Prophetarum, quibus plagæ singulæ in Iudæos immittendæ, sunt præcipuè reuelatæ. In quibus septem Angelis diuinæ seueritatis ministris alluditur ad septem Persarum regis cubicularios, (de quibus Esth. 1.10.) Quia verò septem plagis erant mulctandi Iudæi; ideò tubæ septem prædictis Angelis traduntur, id

D est, totidem prophetiæ aduersus Iudæos prænunciatæ. eò quòd Prophetę antiqui, quo tempore plagæ erant effundendæ, visi sunt sententiam aduersus reos diuina auctoritate pronunciare. Septenarius autem plagarum huiusmodi est Fames, Bellum, Pestis, Ignorantia, Desideria cordis, Iræ aduersus Christianos, Obduratio.

C. D. E. Dein plagarum quæ inferendæ erant, demonstrationem consecuta est Christianæ Ecclesiæ oratio feruens pro Iudæis, & diligentissimæ conuersionis eorum cum ingenti fructu procuratio.

F. Quibus præmissis, Prophetæ describuntur tubas attollere, plagarum sententiam aduersus rebelles prolaturi. Ad hæc, quòd plagæ singulæ non totam effundant iram; sed pleræque tertiam solùm partem: hoc nihil est aliud, quàm Deum in plerisq; calamitatibus suæ memorem clementiæ, vt reliquos ad peccatorum detestationem, ac veram resipiscentiam adducat; multò pluribus peperciſſe, quàm erant ij, in quos sæuiebatur.

G. Primus Angelus personam eorum Prophetarum gerit, qui famis supplicium aduersus Iu- 1. *Plaga.*
dæos prædixerunt. Plagæ ergo primæ descriptio famem designat; quæ Iudæam peruasit, non secùs ac si de cælo dira grando sanguine & igne permista pluisset.

H. Secunda est plaga belli, cuius incendio mare (id est Romanum Imperium) aduersus Iudæos 2. *Plaga.*
sese cruentum exhibuit.

Digitized by Google

I. Nec solùm plurimos eorum occidit; sed multas etiam Iudææ vrbes euertit omnino.

3. Plaga. K. Tertia est pestilentiæ plaga, quæ grassata in Iudæos est; perinde quasi funesti alicuius sideris influxu, fluminum aquæ & fontium exitiali veneno fuissent infectæ. A

L. Sic enim fiebat, vt plurimorum mors nihilo segnior & placidior esset, quàm si venenum mortiferum obbibissent.

4. Plaga. M. Quarta est ignorantiæ plaga. Quamuis enim Iudæis denegata sit ea lux; quam ex Creatoris operibus, ex Redemptoris, atque etiam ex Apostolorum, ex vera item eorum doctrina consecuti fuere: defuit tamen illis tertia claritatis pars, hoc est Spiritus sancti illustratio; sine qua præstabilius aut tolerabilius saltem iis fuisset; si neque Deum, neque Christum, neque Apostolos agnouissent.

N. Euangelica sapientia, (cuius symbolum est aquila sublimè volans & acutissimè cernens) docet Christianos; tres eas, quæ supersunt plagas, antecedentibus multò esse graviores.

CAPVT IX.

De plagis concupiscentiæ, ac de plaga iræ in Iudæos rebelles immissis.

B

TEXTVS.

1. ET quintus Angelus tuba cecinit; & vidi stellam de cælo cecidisse in terram; & data est ei clauis putei abyssi.

2. Et aperuit puteum abyssi; & ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ: & obscuratus est sol, & aër de fumo putei.

3. Et de fumo putei exierunt locustæ in terram; & data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ.

4. Et præceptum est illis, ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem; nisi tantùm homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis.

5. Et datum est illis, ne occiderent eos; sed vt cruciarent mensibus quinque: & cruciatus eorum, vt cruciatus scorpij, cùm percutit hominem.

6. Et in diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eam: & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.

7. Et similitudines locustarum similes equis paratis in prælium: & super capita earum tanquam coronæ similes auro; & facies earum tanquam facies hominum.

8. Et habebant capillos, sicut capillos mulierum; & dentes earum, sicut dentes leonum erant.

9. Et habebant loricas, sicut loricas ferreas; & vox alarum earum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum.

10. Et habebant caudas similes scorpionum; & aculei erant in caudis earum, & potestas earum nocere hominibus mensibus quinque.

11. Et habebant super se regem Angelum abyssi; cui nomen hebraicè Abaddon, græcè

PARAPHRASIS.

A. CLangit quintus Angelus, & stella de cælo cadit; cui stellæ (mirum dictu) tradita est clauis, qua aperuit ostium putei abyssi. statimque fumante puteo sol penitus oculis subtrahitur; & nox ac tenebræ aëri offunduntur. *Quinta tuba.*

B. Caligo hæc immittit in terram nubes, seu potiùs diluuium locustarum aculeum in caudis habentium.

C. Quibus desuper imperatum est; ne messes, aut arbores corroderet; sed in ipsos tantùm homines irruerent, nempe in eos, quorum frontibus Dei signaculum non esset impressum.

D. Eos autem non quidem occiderent; sed adeò vehementer cruciarent, vt mors ipsis in votis sit. Durat verò hæc plaga quinque menses; quemadmodum aqua in communi diluuio terram centum quinquagintà diebus inundauit. C

E. Porrò istarum locustarum figura prodigiosa erat; sunt enim cataphractis equitibus quodammodo similes; & nihilominùs blandienti vultu & ornatu miseros decipiunt mortales, nempe coronis fulgorem auri imitantibus; & (sirenum instar) humana facie, comisque femineis. Ac tamen ipsa sunt hostes infestissimi; dentes enim habent leoninos, ex quorum impressione ater profluit sanguis.

D

F. Iam earum loricæ non minùs duræ sunt, quàm si ex ferro aut chalybe essent conflatæ; & stridor, quem pennis excitant, fragorem curruum in bella ruentium imitatur.

G. Caudarum verò aculei sentiuntur esse similes scorpionum tenui fistula perforati, qua venenum effundunt.

H. Et quamuis verè dixerit Salomon, *Regem locusta non habet*; hæc tamen portentosa

Digitized by Google

A autem Apollyon; latinè habens nomen, Exterminans.

12. Væ vnum abiit; & ecce veniunt adhuc duo væ post hæc.

13. Et sextus Angelus tuba cecinit: & audiui vocem vnam, ex quatuor cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Dei.

14. Dicentem sexto Angelo, qui habebat tubam: Solue quatuor Angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate.

15. Et soluti sunt quatuor Angeli, qui parati erant in horam, & diem, & mensem, & annum: vt occiderent tertiam partem hominum.

16. Et numerus equestris exercitus vicies millies dena millia; & audiui numerum eo-
B rum.

17. Et ita vidi equos in visione; & qui sedebant super eos, habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & sulphureas; & capita equorum erant tanquam capita leonum; & de ore eorum procedit ignis, & fumus, & sulphur.

18. Et ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum; de igne, & de fumo, & sulphure, quæ procedebant de ore ipsorum.

19. Potestas enim equorum in ore eorum est, & in caudis eorum; nam caudæ eorum similes serpentibus, habentes capita, & in his nocent.

C 20. Et ceteri homines, qui non sunt occisi in his plagis; neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum suarum, vt non adorarent dæmonia, & simulacra aurea, & argentea, & ærea, & lapidea, & lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare.

21. Et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis suis, neque à veneficiis suis, neque à fornicatione sua, neque à furtis suis.

toſa monſtra regem habent, cui militant, nempe, malum quemdam Angelum, qui ex abyſſi puteo vnà cum ipſis locuſtis erupit. Huic Angelo nomen eſt Apollyon, propter ingentem, quam edit, ſtragem.

I. Finito quinti Angeli clangore, protinus ſextus clangit; auditurque vox altaris aurei, vltionem poſtulantis: vox inquam ex quatuor ipſius altaris angulis prodiens. *Sexta tuba.*

K. Sextus ergo Angelus reſoluit ſtatim vincula malorum quatuor Angelorum, qui in magno flumine Euphrate (qui mediam interfluit Babyloniam) ligati, ſemper tamen parati erant, vt eùm primùm dimitterentur, horribili exercitu Iudæam inuaderent, & tertiam Iudæorum partem trucidarent.

L. Vt ergo quatuor illi Angeli vinculis expediti ſunt, Iudæam inuaſit equeſtris exercitus: cuius equitatus ducentorum millionum numerum implebat.

M. Erantque omnes loricati; loricæ tamen ex veſte hyacinthina, igne & ſulphure erant inflammatæ. Equorum capita capitibus leonum erant ſimilia; atque ora ignem, fumum & ſulphur ſpirabant, ſeu potiùs euomebant.

N. Quo igne, fumo ac ſulphure occiſa eſt tertia Iudæorum pars.

O. Equis inſuper erant pro caudis ſerpentes; quorum morſibus ſcelerati ſæuiſſimè cruciabantur.

P. Nihilominùs tamen ſextæ huius plagæ ſeueritas ſatis non fuit, vt ceteri Iudæi, qui à prædicti exercitus vaſtatione ſuperſtites euaſerant, ad Deum ſupplices conuerterentur, & à ſuis flagitiis reſipiſcerent. Sed perſtiterunt adhuc in dæmonum, ſiue idolorum cultura, adorantes ſimulacra aurea, argẽtea, & ærea, lapidea item ac lignea.

Q. Similiter etiam remanſerunt in homicidiis, veneficiis, fornicatione & furtis.

Interpretatio ſuperioris Paraphraſis.

A. Quinta eſt concupiſcentiæ plaga, qua Deus obſtinatos perculit Iudæos; permittendo ſcili- *5. Plaga.*
cet, vt lex ipſa per Moyſen tradita, illos, tanquam ſtella de cælo ruens, opprimeret. Atque ita ad-
D uerſus Iudæos manifeſta fieret iuſti iudicii abyſſus. Ex ea enim abyſſo, quaſi ex patenti puteo, per occaſionem legis, fornacis magnæ fumus ſeſe extulit, id eſt, errorum & perturbationum nebula; quæ non ſolùm miſeris ſapientiæ ſolem ex oculis eriperet, ſed tenebras etiam denſiſſimas offunderet.

B. Quibus ex tenebris deſideria cordis careruatim numeroſo agmine prodiere: atque iſthæc cordis deſideria in locuſtis, ventroſo animali, eleganter figurantur; eò quòd inſaturabilia ſint, & vix vnquam ceſſent intima viſcera erodere, & morſibus animum carpere & vellicare. Sed habent præterea aculeum in cauda; quia doloris ſtimulum animo infixum relinquunt, id eſt, curas, metus, & acerbos conſcientiæ morſus & cruciamenta.

C. A caudæ tamen ictu atque à morſu illi omnes ſunt tuti, qui diuino ſpiritu ſignati, imitationem Chriſti profitentur, in ceteros ſine diſcrimine ſæuiunt locuſtæ.

D. Neque tamen eos interimunt; ſed lento cruciatu, peracri tamen, adeò torquent, vt mortis votum ſit eis frequentiſſimum. Ita fit vt cruciatus huiuſmodi eo ſit vehementior, quo prolixior; neque vllus ſupererit tam grauis ſupplicii finis, quouſque Deus ſuum dignetur Spiritum emitte-

Digitized by Google

re, qui horrendam hanc plagam à miseris auertat Iudæis; vt olim communem diluuij calamitatem qua tellus obruta erat, zephyrus à Deo missus leniter spirando propulit. A

E. Has autem locustas nemo putet bestiolas esse, quæ vinci facilè possint; valdè enim difficilis est de illis victoria. Non secùs, ac si aduersus cataphractos equites bellum geratur. Difficultatem augent fallacia atque pellacia: hæc enim monstra sirenes sunt, quæ fucato vultu atque pigmentis oblito, obiectaque oculis titillantis voluptatis specie plerosque pelliciunt. Deinde primi osculi prætextu leoninos imprimunt dentes; quibus lacerantur animi, & atro inficiuntur veneno.

F. Et tunc quidem si locustas sæuire incipientes confodere aggrediatur; experietur miser animus, earum loricas esse chalybeas; & validioribus adhuc viribus ad prosternendas bestiolas opus esse. Atque illæ numero & audacia auctæ in hominem inuolant; & importuno stridore ita eius aures opplent, nullum vt consiliis salubribus, aut præceptis locum relinquant.

G. Ac demum scorpionum aculeis animum sæuissimè cruciant; quia concupiscentia *in nouissimo mordebit vt coluber*, & extrema voluptatis dolor amarissimus occupat.

H. Denique desideriorum seu locustarum agmina Dæmoni, (siue inordinato sui ipsius amori) militant: Deo id meritissimè permittente in grauius rebellium & obstinatorum supplicium. Quanta verò sit strages, quam Dæmon, (siue inordinatus suimet amor) in hominum animis per cordis desideria faciat, id ex nomine Exterminatoris, & ex allusione ad Sepulchra concupiscentiæ, facile intellectu est. B

Sexta plaga. I. Sexta est irarum plaga, quam violata religio in vltionem de Iudæis sumendam implorat. Quia concupiscentia sua abstracti & illecti creaturæ potiùs, quàm ipsi creatori more turpiter gesserunt. Et quia scelus hoc suis desideriis obsequendi commune ferè fuit vniuerso Iudæorum populo; ideo religionis altare omni ex parte conclamat, vniuersalem de iis vindictam postulans.

K. Quam autem vindictam altare postulat; ea est, vt quatuor mali Angeli soluantur; nempe Amor vitæ, Amor pecuniæ, Amor honoris, & Amor proprii iudicii; scilicet vt iras in Iudæos immittant: erant enim veluti impediti hi amores, siue sopiti potiùs, & conniuentes interim; dum res humanæ ad eorum voluntatem fluere videbantur. Sextus tamen Angelus non aliter eos dicitur soluere, nisi quatenus sententiam de illis soluendis pronunciat. Deinde, quòd in flumine Euphrate quatuor illi Angeli fuisse alligati fingantur; nihil aliud denotat, nisi irarum exercitum, qui erat impetum in Iudæos facturus, esse quodammodo Babylonium, id est, valdè infensum & hostilem. Illos autem quatuor Angelos, quamuis sint compedibus irretiti, semper tamen esse paratos; significat, Christi inimicos ab eo exercitu nunquam esse securos. Tertiam verò hominum partem ab irarum exercitu periisse, non exaggeratio est, sed veritas certissima.

L. Ducentorum millionum numerus indicat, infinitas esse irarum affectiones. Iam quòd iræ tanquam equites inducantur, ad earum prætextum eleganter conducit.

M. Loricæ designant, rationes eas, quibus se ab ira excusare, & à culpa eximere conatur, ridiculas omnino, ac meras esse nugas; nec aliud continentes, nisi iram ipsissimam, arrogantiam, & grauioris indignationis atque furoris fomitem. Mira equorum figura ad ipsius iræ magnitudinem referenda est. Fingiturque aptissimè ab huiusmodi monstris leones ferocitate superari ab iisdem euomi ignem (id est furorem.) Quin fumus, (id est perturbationum nebula) adiungitur, sulphurque adiicitur; quia dictis ac factis, incredibili celeritate, furoris flamma augetur; ita vt eam extinguere sit valdè difficile. C

N. Ab hoc irarum igne, fumo, ac sulphure plurimi Iudæorum miserè interierunt.

O. Adhæc, equorum caudæ meritò serpentibus comparantur, propter conscientiæ morsum, desperationem, & anxietatem; quæ omnia ira in eorum animis relinquit; quos ipsa in indignationem ac furorem vertit.

P. Iudæorum idololatria mysticè hîc accipienda est, sicut sæpè alibi. Aurea, argentea, & ærea simulacra, pecuniam denotant à Iudæis ipsis quodammodo adoratam. At simulacra lapidea atque lignea domos eorum ac possessiones innuunt.

Q. Homicidia ad Christi & Christianorum neces referuntur, Veneficia ad doctrinæ pestiferæ suggestiones, Fornicatio ad inordinatum creaturarum amorem, Furta deniq; ad fœnora & vsuras.

D

CAPVT X.

De arcano Dei consilio diminutionis Israëlis ad diuitias Gentium.

TEXTVS.

1. ET vidi alium Angelum fortem descendentē de cælo amictum nube; & iris in capite eius; & facies eius erat vt sol, & pedes eius tanquam columnæ ignis.

PARAPHRASIS.

A. VIDI præterea Angelum grandem & fortem, veluti gigantem, de cælo descendere; vestitum nube, & iride coronatum: cuius facies veluti sol ex se splendorem emittebat: & crura illius, (quæ magnitudine & fortitudine columnas quodammodo referebant) erant ex chalcolibano ardente.

B. Affe-

Digitized by Google

A 2. Et habebat in manu sua libellum apertum. Et posuit pedem suum dextrum super mare; sinistrum autem super terram.

B. Afferebat hic Angelus in manu apertum libellum exiguum; & pedem dextrum in mari posuit, sinistrum in terra; specie quidem volentis à terra ad mare transire, & ignitis pedibus ipsas maris vndas inflammare. Pes autem, quem in mari fixit, non aquis mergebatur; sed in iis, tanquam in solido pauimento, consistebat.

3. Et clamauit voce magna, quemadmodum cùm leo rugit. Et cùm clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas.

C. Et magnum edidit clamorem leonis instar rugientis: cuius vocem ingentem consecutæ sunt septem tonitruorum voces, quæ psalm. 28. referuntur.

4. Et cùm locuta fuissent septem tonitrua voces suas, ego scripturus eram: & audiui vocem de cælo dicentem mihi: Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, & noli ea scribere.

D. Cùm autem percepissem ipse distinctè septem illas tonitruorum voces; volui, quod perceperam, scribere; è cælo tamen mihi imperatum est, vt rem totam sigillo obsignatam, sicuti & antea erat, atque adeò intactam relinquerem.

5. Et Angelus, quem vidi stantem super mare & super terram, leuauit manum suam ad cælum.

B

E. Porrò prædictus Angelus manum alteram in cælum sustulit.

6. Et iurauit per viuentem in sæcula sæculorum; qui creauit cælum, & ea quæ in eo sunt; & terram, & ea quæ in ea sunt; & mare, & ea quæ in eo sunt: quia tempus non erit ampliùs.

F. Et iurauit per Deum, qui in æternum viuit; quique cælum, terram, mare, & quæ eorum ambitu coërcentur, solus condidit; expectationis non ampliùs fore tempus, sed finiendum tandem esse: vbi primùm septimus Angelus tuba caneret; quo etiam tempore Dei fore mysterium consummandum, sicut fuerat à Prophetis prædictum.

7. Sed in diebus vocis septimi Angeli, cùm cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei; sicut euangelizauit per seruos suos Prophetas.

8. Et audiui vocem de cælo iterum loquentem mecum, & dicentem: Vade, & accipe librum apertum de manu Angeli stantis super mare, & super terram.

G. Dehinc mihi de cælo præceptum est, vt à prædicto Angelo apertum illum libellum, quem manu gestabat, acciperem.

C 9. Et abij ad Angelum, dicens ei; vt daret mihi librum. Et dixit mihi: Accipe librum, & deuora illum; & faciet amaricari ventrem tuum; sed in ore tuo erit dulce, tanquam mel.

H. Accessi ergo ad eum, ac petij; tunc ille dextram porrigens, Accipe, (inquit) libellum, illumque deuora; quod cùm fecissem, sensi libellum in ore quidem mihi tanquam mel dulcuisse; eam tamen dulcedinem subsecutus est amarissimus viscerum dolor.

10. Et accepi librum de manu Angeli, & deuoraui illum; & erat in ore meo tanquam mel dulce; & cùm deuorassem eum, amaricatus est venter meus.

11. Et dixit mihi: Oportet te iterum prophetare gentibus & populis & linguis & regibus multis.

I. Admonitusque ab Angelo sum, denuo mihi Gentibus, populis, linguis & regibus multis prophetandum esse.

Interpretatio superioris Paraphrasis.

D

A. Angelus fortis Christum figurat in Apostolica prædicatione admirabilem; & Iudæos derelinquere, atq; ad Gentes se transferre parantem: nubes, prædicationem; Iris, pacem; Solis splendor, lucem Euangelii, & mundi illustrationem adstruunt. At ardentes pedes constantiam prædicatorum denotant, & mirabile inflammandi homines studium.

B. Exiguus ille libellus Verbum illud abbreuiatum indicat, de quo Isaias cap. 10. 23. hoc est diminutionem Iudaici populi, quæ futura erat diuitiæ Gentium. Pes sinister super terram positus paucorum ex Iudæis conuersionem designat. Pes autem dexter qui in mari nititur, felicem gentilitatis vniuersæ fidem & inflammationem.

C. Clamor angeli, exultationem Christi & Apostolorum ostendit, ad capiendam ex Gentibus prædam; nec non ipsammet eorundem prædicationem. Septem verò tonitruorum voces effectum significant, qui Apostolicam ad Gentes prædicationem fuerat consecuturus; nempe, victoria de vniuersis Gentibus parta. Is enim est sensus psal. 28. vbi de septem tonitruis agitur.

D. Ioannes autem illius psalmi intelligentiâ tantopere delectatus fuit, vt eam protinus litteris

Digitized by Google

ris mandare voluerit. Sed prohibitus de cælo fuit, propterea quòd expediret, rem illam eo tempore non euulgari. A

E. F. Iuramentum Angeli denotat, id quod ipse iurat, fuisse olim à Deo testificatum; tempus scilicet esse aliquando venturum, cùm succidenda esset ficus, neque ampliùs ex ea fructus expectandus. Nec aliud hîc significatur mysterio Dei, nisi Iudaici populi reprobatio & Gentilicij electio, quondam à Prophetis prænunciata; nondum tamen satis intellecta, quousque re ipsa Deus id mysterium Ecclesiæ reuelauit,

G. H. Dulcedo libri in ore indicat suauissimam fuisse Apostolis supradicti mysterii notionem. Viscerum autem amaritudo innuit dolorem illum continuum atque tristitiam magnam, de qua Paulus ad Rom. cap. 9. 1. & 2.

I. Quod Ioanni dicitur, *Oportet te iterum prophetare*, ad secundam Apocalypseos partem referendum est. Prima enim est veluti prophetia ad Iudæos; secunda verò prophetia ad Gentes.

CAPVT XI.

De doctrina & sanctitate seruorum Christi; quibus illi de perfida Hierosolyma triumpharunt, subiectâ fidei Christi decimâ eorum parte, & reliquis obduratis. B

TEXTVS.

1. ET datus est mihi calamus similis virgæ; & dictum est mihi, Surge, & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo.

2. Atrium autem, quod est foris templum, eiice foras, & ne metiaris illud: quoniam datum est Gentibus, & ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.

3. Et dabo duobus testibus meis; & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.

4. Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes.

5. Et si quis voluerit eos nocere; ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum, & si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi.

6. Hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum: & potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinem; & percutere terram omni plaga, quotiescunque voluerint.

7. Et cùm finierint testimonium suum, bestia, quæ ascendit de abysso, faciet aduersùm eos bellum, & vincet illos, & occidet eos.

8. Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ voca-

PARAPHRASIS.

A. FOrtis ille Angelus, quem paulò antè descripsi, mensorium dedit mihi calamum illius mensuræ, quam describit Ezechiel (iustâ scilicet antiquæ staturæ humanæ mensurâ) qui tamen calamus virgæ percussoriæ speciem præferebat, dictumque est mihi, vt eo calamo templum Dei, altare holocausti, atque homines Deum in ipso templo adorantes metirer.

B. Additumque est, vt metiri contemnerem atrium illud, quod situm erat extra murum, diuidentem sanctuarium, & vulgi locũ: quòd hoc atrium à Gentibus erat conculcandum, mensibus quadraginta duobus; & reliqua similiter ciuitas, excepto Dei templo.

C. Subiicit Angelus ille fortis, daturum se os & sapientiam duobus suis testibus (quo nomine Eliam & Mosem, Dominicæ transfigurationis testes, videbatur adumbrare,) atque eos saccis amictos, Hierosolymæ, diebus mille ducentis sexaginta, hoc est, quadraginta duobus illis mensibus, prædicaturos. C

D. De quibus subinde testibus sic loquitur; Hi sunt duæ oliuæ à Zacharia descriptæ, & duo candelabra.

D. Si quis autem illis obesse tentarit, expediens erit, eundem illo flagrare igne atque consumi; qui de ipsorum ore procedit, & potis est inimicos deuorare.

E. His adiunxit: Eisdem testibus esse potestatem claudendi cælum, ne tribus illis annis cum dimidio pluat, (quod ad Eliam videtur spectare.) Esse insuper potestatem conuertendi aquas in sanguinem, & terram Ægyptiacis plagis percutiendi: quod Mosem non obscurè adumbrat. D

G. Adhæc, postquam clarissimum de Christo reddiderint testimonium, occidendos eos fore à bestia, quæ de abyssi puteo ascendit, id est, à locustis illis, de quibus c. 9.

H. Occisorum autem testium corpora Hierosolymæ per dies tres & dimidium humi prostrata conspicienda

A tur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus; vbi & Dominus eorum crucifixus est.

9. Et videbunt de tribubus, & populis, & linguis, & gentibus corpora eorum per tres dies, & dimidium: & corpora eorum non sinent poni in monumentis.

10. Et inhabitantes terram gaudebunt super illos; & iucundabuntur; & munera mittent inuicem. Quoniam hi duo Prophetæ cruciauerunt eos, qui habitabant super terram.

11. Et post dies tres & dimidium, spiritus vitæ à Deo intrauit in eos; & steterunt super pedes suos; & timor magnus cecidit super eos, qui viderunt eos.

12. Et audierunt vocem magnam de cælo, dicentem eis: Ascendite huc. Et ascenderunt in
B cælum in nube: & viderunt illos inimici eorum.

13. Et in illa hora factus est terræmotus magnus; & decima pars ciuitatis cecidit, & occisa sunt in terræmotu nomina hominum septem millia: & reliqui in timorem sunt missi, & dederunt gloriam Deo cæli.

14. Væ secundum abijt, & ecce væ tertium veniet citò.

15. Et septimus Angelus tuba cecinit: & factæ sunt voces magnæ in cælo dicentes: Factum est regnum huius mundi Domini Dei nostri, & regnabit in sæcula sæculorum, Amen.

C

16. Et viginti quatuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, & adorauerunt Deum, dicentes,

17. Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens: qui es, & qui eras, & qui venturus es: quia accepisti virtutem tuam magnam, & regnasti.

18. Et iratæ sunt Gentes, & aduenit ira tua, & tempus mortuorum iudicari, & reddere mercedem seruis tuis Prophetis, & sanctis, & timentibus nomen tuum, pusillis & magnis; & exterminandi eos, qui corruperunt terram.

D 19. Et apertum est templum Dei in cælo: & visa est arca testamenti eius in templo eius, & facta sunt fulgura, & voces, & terræmotus, & grando magna.

spicienda esse; non permittentibus aduersariis ea in monumentis deponi:

I. sed potiùs de duorum Christi testium interitu triumphantibus, & iucundissimam celebritatem agitantibus, eò quòd hi duo Prophetæ eos, qui terram incolunt, cruciauerint.

K. Exactis tamen tribus diebus atque dimidio, in aduersariorum suorum oculis surrecturos illos esse glorioſos; & nube euectos in cælum ascensuros.

L. Quo tempore decimam Hierosolymæ partem ingenti terræmotu esse casuram; & septem nobilium hominum millia occidendos fore. Reliquos verò Hierosolymæ habitatores timore concussos, suum scelus ac flagitiũ confessuros, Deumque hac ratione glorificatũros. Atque hactenus de plaga sexta.

M. Clangit tandem septimus Angelus; & audiuntur voces in cælo dicentes, aduenisse iam tempus à sacris quondam Vatibus pronunciatum; in quo Deus optimus maximus, & eius Christus regnum erant in mundo, firmamque sedem per sæcula habituri. *Septima tuba.*

N. Hanc ob rem viginti quatuor seniores suppliciter atque demissè Deo gratias agunt.

O. Subditur, Gentium iram aduersus Dei regnum nihil omnino profuturam; quin potiùs illam, ab ira Dei nouissima esse absumendam: futurum enim vt mortui reuocentur ad vitam; Deus suum iudicium conspicuum ac manifestum reddat; omnibus Christi seruis copiosam referat mercedem; ac terræ demum corruptores destruantur.

P. Denique apertum est Dei templum in cælo; & visa testamenti arca, quæ in Iudaico quondam fuerat templo, in cæleste templum translata. Quo tempore eduntur fulgura, voces, terræmotus, & grando magna.

Interpretatio superioris Paraphrasis.

A. Calamus similis virgæ, est mensura laborum & aduersitatum ad Christi imitationem. Qui calamus tunc datus est Ioanni; quando experimento magni incrementi spiritualis, quod ipse ex rerum aduersarum tolerantia percipiebat, edoctus maximè est, ad excellentis sanctitatis perfectionem, quò Christiana accersebatur Ecclesia, non solùm nihil officere persecutiones, sed plurimùm etiam conferre. Atque hoc fuit metiri templum, altare, ipsosque adorantes.

B. Atrium

Digitized by Google

B. Atrium autem, quod extra templum erat, denotat externa bona, quæ fidelibus & infidelibus communia sunt; quæ bona tempore persecutionis sunt omnino à fidelibus contemnenda. Futurum porrò erat, vt Iudaica persecutio aduersus spiritalem Hierosolymam, id est, aduersus Christi Ecclesiam non minùs inualesceret, quàm Antiochi quondam persecutio aduersus fideles Iudæos fuit roborata. Verùm vt persecutionem Antiochi, post tres annos & dimidiatum, pax fuit atque lætitia consecuta; sic breui Christianam Ecclesiam fore à Iudæorum rebellium oppressione liberandam. A

C. Duo illi testes, qui in ea persecutione egregiam Christo operam strenuamque nauarunt, sunt mysticus Elias, ac mysticus Moyses, hoc est, discipulorum Christi DOCTRINA & SANCTITAS.

D. His enim duobus testibus mirificè conueniunt symbola duplicis oliuæ, id est, duorum Cherubinorum, & duplicis candelabri.

E. Ex quorum testium ore sub illius persecutionis tempus diuinus exibat ignis; qui potis erat eorum inimicos accendere & inflammare; eodemque igne incendi atque consumi, inimicis Euangelii maximè expedit.

F. Contrà verò nihil iisdem inimicis calamitosius, quàm vt duo illi Prophetæ à Christianæ veritatis prædicatione discedant; hoc enim esset cælum claudere, ne pluat. Licet autem Christi testes prædicatione sua hostes Euangelii plagis Ægyptiacis spiritualiter percellant; hæc tamen percussio ad animarum conuersionem ordinatur. B

G. H. I. Ex Iudæorum concupiscentiis ortum est peracre bellum in ea persecutione aduersus doctrinam & sanctitatem Euangelicam gestum. Quo tandem factum est; vt multis Christi seruis occisis, prosternerentur in terra Doctrina & Sanctitas, & aliquando in Hierosolymæ perfidæ plateis afflictæ iacerent; de earumq; morte & contumelia Iudæi rebelles, tanquam victores gloriarentur.

K. Breui tamen eorum gloria atque triumphus in luctum & stuporem conuersa sunt. Viderunt enim Euangelicam doctrinam & sanctitatem, quæ prostratæ iacebant, Dei virtute resurgere glorioſas; & per Euangelicæ prædicationis nubem ad cælum euehi.

L. Terræmotus, commutationem rerum designat. Ruina decimæ partis Hierosolymæ, conuersionem partis decimæ ab Isaia prædictam; in qua etiam conuersione sunt occisa illa septem millia, quorum meminit Paulus. Ceteri verò Iudæi, quantumuis obstinati, saltem timore perculsi confessi sunt, se esse peccatores; atque ea certè ratione Deo dederunt gloriam.

Plaga septima. M. Septimus Angelus gerit eorum Prophetarum personam, quibus Iudæorum obduratio & reprobatio fuit reuelata. Pronunciatâ autem diuinæ seueritatis sententiâ, agnoscit cælum, id est Christiana Ecclesia, aduentare iam tempus; cùm, repulsis ac reprobatis Iudæis, Gentes omnes ad Christi Ecclesiam traducantur; atque adeò regna mundi subiiciantur Deo. C

N. De hac Gentium vocatione Christiani sacerdotes mirificè exultant, & in gratiarum actionem sacrificium Eucharistiæ Deo deuotissimè offerunt.

O. Qui licet videant, Gentium populos initio aduersus Euangelium exardescere, non dubitant tamè, quin per nouissimam Dei iram & vindictam mysticam sint Euangelio subiiciendi. Quippe certò sciunt, appropinquare iam tempus, in quo mortui mysticè resurgant; id est, cùm Gentibus diuinus effundatur Spiritus liberalissimè; nec non appropinquare pariter iudicium mundi, de quo locutus fuit Christus Ioan. 12. Cernunt etiam ob Gentium conuersionem iis, qui Christi gloriam optabant ac procurabant, lætissimam sui desiderii, & impensæ operæ mercedem esse reddendam. Denique non procul abesse, quin dii Gentium qui terram corruperant, omnino exterminentur.

P. Has verò Gentium diuitias cum Iudæorum diminutione esse coniunctas & copulatas, indicat translatio arcæ testamenti in cælum; id est, Iudaici populi reprobatio & miseranda admodum induratio: quam designat grando magna eo ipso tempore decidens, quo cælum fulgurabat atque tonabat, & tellus tremore concutiebatur.

D

CAPVT XII.

De transitu Ecclesiæ ad gentilitatem, ac de Ecclesiæ Romanæ fundatione, quæ iram diaboli supra modum inflammauit.

TEXTVS.

1. ET signum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius; & in capite eius corona stellarum duodecim.

2. Et in vtero habens clamabat parturiens; & cruciabatur, vt pariat.

PARAPHRASIS.

A. GRandinis supradictæ visionem consecuta est res valdè mirabilis: nempe signum stupendi cuiusdam mysterij; mulier videlicet sole amicta, lunæ claritati innixa, & stellis duodecim redimita.

B. Erat autem non solùm prægnans, sed etiam parturiens; atque adeò clamans, & grauissimas patiens angustias.

C. Ere-

Digitized by Google

A 3. Et visum est aliud signum in cælo: & ecce draco magnus rufus, habens capita septem, & cornua decem; & in capitibus eius diademata septem.

C. E regione huius mulieris (res mira) visebatur etiam in cælo draco magnus & rufus, septemplici capite horrendus, & decem cornibus armatus; gestabatque in singulis capitibus coronas singulas.

4. Et cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram; & draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura; vt cùm peperisset, filium eius deuoraret.

D. Porrò caudæ ictibus ac verberibus tertiam stellarum partem è cælo deiecit in terram: & ore hians minabatur mulieris fœtui, sperans eum à se deuorandum, simul ac proditet in lucem.

5. Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes Gentes in virga ferrea, & raptus est filius eius ad Deum, & ad thronum eius.

E. Sed mulier masculum peperit filium; cui totius orbis imperium, nationum omnium subiugatio, atque adeò ferrea Christi virga destinata erant. Nec valuit eum draco deuorare: quia raptus est infans ad eum thronum, quem in Sanctis sanctorum habet Deus.

B 6. Et mulier fugit in solitudinem; vbi habebat locum paratum à Deo, vt ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta.

F. Mulier verò sibi fugâ consulens in desertum se proripuit; vbi tres annos cum dimidio commorata est. Quo tempore nunquam illi defuit aut refugii locus, aut cibus à Deo sibi paratus.

7. Et factum est prælium magnum in cælo; Michaël & angeli eius præliabantur cum dracone; & draco pugnabat & angeli eius.

G. Muliere ergo in desertum commigrante; ecce Michaël & angeli eius visi sunt in cælo cum dracone eiusque angelis præliantes. Et quamuis draco, atque ipsius angeli acriter pugnarent; non tamen resistere valuerunt, neque vllus eis in cælis relictus est locus: sed in terram sunt deturbati.

8. Et non valuerunt, neque locus inuentus est eorum ampliùs in cælo.

9. Et proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas; qui seducit vniuersum orbem; & proiectus est in terram, & angeli eius cùm illo missi sunt.

C 10. Et audiui vocem magnam in cælo dicentē: Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius: quia proiectus est accusator fratrū nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.

H. Deiecto dracone clamor cæli exauditus est concelebrantis salutem, virtutem, regnum & potestatem Christi: qui dum draconi propter ipsius calumnias permittere visus est, vt Dei famulos, (non secùs atque olim Iobum) vehementer affligeret ac tentaret; eâ tamen ipsâ Sanctorum afflictione fuit consecutus, vt draco de cælo præceps detruderetur, & sancti viri glorioſissimè de illo triumpharent.

11. Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, & propter verbum testimonii sui; & non dilexerunt animas suas vsque ad mortem.

I. Quare proposita draconis sæuitia, cælis edicitur, vti lætentur; terræ autem dicitur & mari, Væ vobis: *quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quòd modicum tempus habet.*

12. Propterea lætamini cæli, & qui habitatis in eis. Væ terræ & mari; quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quòd modicum tempus habet.

D 13. Et postquàm vidit draco, quòd proiectus esset in terram; persecutus est mulierem, quæ peperit masculum.

K. Postquam igitur draco se in terram proiectum aspexit: persecutus est mulierem, quæ filium pepererat masculum.

14. Et datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum in locum suum; vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis à facie serpentis.

L. Sed datæ fuerant mulieri alæ duæ prægrandis aquilæ: quibus securè & celeriter peruenire posset ad eum refugij locum, quem illi Deus in deserto præparauerat: quo in loco mulier alitur procul à serpentis conspectu, per tres annos atque dimidium.

15. Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen; vt eam faceret trahi à flumine.

M. Draco verò, vt mulierem ex tutissimo illo receptaculo extraheret, emisit aquæ flumen ex ore aduersus ipsam mulierem. Ceterùm Dei prouidentia factum est, vt terra flumen illud absorberet,

16. Et adiuuit terra mulierem; &

aperuit terra os suum, & absorbuit flumen, quod misit draco de ore suo.

17. Et iratus est draco in mulierem; & abiit facere prælium cum reliquis de semine eius: qui custodiunt mandata Dei, & habent testimoniū Iesu Christi.

18. Et stetit supra arenam maris.

sorberet, & mulier ex ea inundatione incolumis euaderet. A

N. Perstitit tamen draconis ira in mulierem concepta. Quapropter decreuit, non illam modò & primogenitum eius filium insectari: verùm etiam bellum gerere contra ceteros ipsius mulieris filios: qui Dei præcepta custodiunt, & Christi testimonium habent.

O. Ad hoc autem bellum commodè gerendum, visus est draco arenam maris, tanquam locum sibi aptissimum seligere.

Interpretatio superioris Paraphrasis.

A. Indurationem Iudaici populi subsecutus est Ecclesiæ primogenitæ transitus ad Gentes. Qui transitus fidelibus ex circumcisione ad Christum traductis fuit valdè mirabilis. Et quoniam Ecclesia ad Gentes diuino lumine illustrandas proficiscitur; ideò apparet claritate solis amicta, lunæ innitens, & stellis coronata. Est autem sol, diuinæ claritatis symbolum; luna humanitatis Christi; & stellæ duodecim Apostolorum totidem qui fidei symbolum condidere. B

B. Parturientis symbolum ad officium prædicationis referendum est. Nam Ecclesia nationes illuminando multos Christo filios enixa est. Sicuti ab Isaia fuerat prædictum cap. 66. 8. Quare dolores parturientis innuunt solicitudinem & labores prædicantium. Clamores autem prædicationem ipsam, vel etiam prædicantium orationes.

C. Quòd in cælo apparuerit draco; dæmonum confidentiam denotat, de primigeniæ Ecclesiæ conatibus frustrandis. Figura draconis magnam eorundem dæmonum potentiam atque astutiam indicat. Septem capita de multiplici tentandi ratione intelliguntur. Quarum tentationum genera
Ad Ephes. 6.12. ad septem capitalia vitia reuocantur. In decem cornibus significatur, bellum nobis esse *aduersus plurimos principes, & potestates tenebrarum harum*. Coronæ septem indicant, dæmones non de alia victoria aut dominatu cogitare; quàm de subijciendis sibi hominibus per septem capitalia vitia.

D. Stellæ, quas caudâ deiecisse dicitur draco, ij sunt prædicatores Euangelici; quibus dæmonis persecutio corpoream attulerat necem. Spes autem deuorandi fœtum, refertur ad confidentiam spiritaliter occidendi eos, quos Ecclesia Christo gigneret; & eosdem deuorandi, antequam in fide & charitate adolescerent,

E. Masculus filius est Ecclesia Romana; quam primogenita Ecclesia initio fundauit in ijs Iudæis, qui Romam incolebant; quique Christi fidem amplexati sunt. Huic Romanæ Ecclesiæ destinatus à Deo erat principatus inter Ecclesias omnes, & mystica Gentium omnium subiugatio per ferreum Christi sceptrum adumbrata. Quòd verò dicitur puer ad thronum Dei raptus; indicat C
Ad Hebr. 9.8. Romanæ Ecclesiæ *propalatam fuisse sanctorum viam*; & per admirabilem sanctitatē atque sapientiam fuisse redditam à dæmonum incursibus securam.

F. Deinde mulieris fuga in desertum, transitus est Ecclesiæ primogenitæ à Iudæorum obstinatione ad gentilitatem: id est, ad Euangelium Gentibus promulgandum: subditurq; in deserti incommodis atque molestiis, (quæ paucos annos erant duratura) nunquam defuisse Euangelicis con-
Ioan. 4. 34. cionatoribus, aut refugium in Deo; aut eum cibum, de quo Christus dixit, *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me*.

G. Michaëlis bellum cum dracone desumptum est ex Danielis capite 12. vbi in sensu proximo de Mathathia agitur; cui Michaëlis nomē tribuitur, propter Dei zelum, quo se Antiocho opposuit, zelum Archangeli imitatus. Mysticus tamen Mathathias & mysticus Michaël (de quo Daniel & Ioannes loquuntur) Christus est, à quo angeli ipsius (id est Euangelici prædicatores) erecti & excitati aduersus idololatriam constanter prædicarunt; & dæmonem, eiusque satellites (id est sacerdotes idolorum) è cælo deiecerunt. Quia quantumuis repugnare conati sint; nihilominùs ab Euangelij ministris effectum est, vt manifestè constaret, omnem illam diuinitatis & religionis speciem, quam idololatria præ se ferebat, fictam esse & ementitam, atque vero Deo inimicam; nec alio fundamento niti, quàm terrenis & sordidis hominum affectibus. D

H. Clamor cæli, admirationem Ecclesiæ repræsentat de admirabili Dei consilio in diuinæ virtutis efficacitate ostendenda, & in regno Dei, atque potestate Christi stabiliendis. Dum enim Dæmoni (propter ipsius importunas aduersus Christi famulos calumnias) permissum est, vt eos validissimè tentaret, & eorum prædicationi impediendæ machinas omnes admoueret, hac ipsa via consecutum fuit, vt & dæmon ipse maiori cum probro & dedecore caderet, & Euangelici prædicatores glorioſiùs de illo triumpharent: nec non sui erga Christum amoris darent documenta clarissima.

I. Exultare iubentur cæli, (id est Christi Ecclesia) præuidentes persecutionem à dæmone suscitandam. Quippe eâdem persecutione fuerat Ecclesiæ gloria multiplici incremento prouehenda. Mari autem & terræ (id est infidelibus, mundanis atque terrenis) edicitur *Væ*. Quia illis dæmon erat ad persecutionem abusurus; sciens, quia modicum tempus habet; videlicet vsque ad idololatriæ ruinam.

K. Illam draconis persecutionem de persecutione Neronis explico: & ante illam meritò dicitur

A tur draco in terram deiectus. Ea enim persecutio propterea est coorta; quia per Euangelii prædicationem idolorum cultus despicatui habebatur. Dæmonis iram stimulabat partus mulieris, id est, Romanæ Ecclesiæ fundatio; à qua sibi maximè dæmon ipse timebat.

L. Aquila magna symbolum est cælestis sapientiæ. In duplici eius ala adumbrantur duo Testamenta; quibus valdè adiuta fuit Ecclesia, vt magno cum solatio ad perfugii locum euolaret, quem sibi Deus in deserto præparauerat; nimirum ad pacem & securitatem in Deo retinendã inter Gentiles ipsos, & eorum persecutiones, mystico illo tempore duorum & quadraginta mensium, quo persecutiones erant duraturæ. Interim dæmon impedire non poterat, quin Ecclesia primogenita cælesti aleretur cibo, de quo suprà, versu 6.

M. Flumen, quod draco euomuit ex ore, Neronis persecutionem figurat. Terra autem, quæ flumen absorbuit, eos designat qui Neronem occiderunt. Eo enim sublato, & legibus ipsius abrogatis; cessauit persecutio, quam ille contra Ecclesiam excitarat.

N. Bellum, quod draco cum omnibus mulieris filiis gerere decreuit, generales denotat persecutiones, quæ aduersus omnes Christianos à Romanis Imperatoribus, dæmone instigante, sunt excitatæ. Porrò de Christianis Ecclesiis verissimè dicitur eo præsertim tempore, illas custodire mandata Dei, & Christi approbationis habere testimonium in manifestis ipsius donis, iisque præclarissimis.

B O. Arena maris, in qua constitit draco, designat infinitum impiorum numerum, per quos dæmon cum fidelibus erat dimicaturus: excitando videlicet, & instimulando bestiam maris & bestiã terræ; de quibus sequenti capite agitur.

CAPVT XIII.

De Imperij Romani superbia Ecclesiam Christi persequente.

TEXTVS.

1. ET vidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem, & cornua decem; & super cornua eius decem diademata, & super capita eius nomina blasphemiæ.

C

2. Et bestia, quam vidi, similis erat pardo, & pedes eius sicut pedes vrsi, & os eius sicut os leonis, & dedit illi draco virtutem suam & potestatem magnam.

3. Et vidi vnum de capitibus suis, quasi occisum in mortem: & plaga mortis eius curata est: & admirata est vniuersa terra post bestiam.

D 4. Et adorauerunt draconem, qui dedit potestatem bestiæ, & adorauerunt bestiam dicentes: Quis similis bestiæ? & quis poterit pugnare cum ea?

5. Et datum est ei os loquens magna, & blasphemias, & data est ei potestas facere menses quadraginta duos.

6. Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius: & eos, qui in cælo habitant.

Alcasar in Apocal.

PARAPHRASIS.

TOtius capitis summa paucis comprehensa hæc est. Cum dracone coniurant duæ horrendæ bestiæ; maris altera, altera terræ.

De bestia maris.

A. Maris bestia septem constabat capitibus & cornibus decem. In horum singulis singulæ erant coronæ impositæ. In illorum, id est capitum, frontibus inscriptum erat hoc nomen, *Antichristus*, quod blasphemum est aduersus Christum.

B. Hæc bestia pardo, id est pantheræ, erat similis. Quare tota erat ocellis vndique distincta, & egregia pulchritudine constans ad pantheræ imitationem. Pedes verò habebat vrsinos; & sonus, quem ore edebat, rugitum referebat leonis. Huic bestiæ suam draco virtutem & potestatem magnam contulit; eamque vti instrumentum assumpsit ad eam exercendam facultatem, quam plurimi æstimat draco, nempe, Christi seruos persequendi.

C. Primum huius bestiæ caput fuerat occisum; quare deiectum erat quasi extinctum. Reuixit tamen; & post huiusmodi resurrectionem homines generatim marinam bestiam secuti sunt, & magnâ reuerentiâ ac veneratione prosecuti.

D. Procubuere igitur in genua ante draconem & bestiam, pro summa stultitia reputantes, si quis bestiæ auderet obsistere.

E. Bestia autem Christianam religionem probris ac maledictis superbè proscidit; & per duorũ & quadraginta mensium spatium, (nempe per tres annos & dimidium) dixit ac fecit.

F. Dixit quidem; dum petulanti ore in Deum, in eius nomen, in Dei tabernaculum, & in cælites ipsos contumelias atque blasphemias euomuit.

Digitized by Google

7. Et est datum illi bellum facere cum Sanctis,& vincere eos. Et data est illi potestas in omnem tribum,& populum,& linguam,& gentem

8. Et adorauerunt eam omnes,qui inhabitant terram, quorũ non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni, qui occisus est ab origine mundi.

9. Siquis habet aurem,audiat.

10. Qui in captiuitatem duxerit,in captiuitatem vadet:qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Hîc est patientia,& fides Sanctorum.

11. Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra;& habebat cornua duo similia agni,& loquebatur sicut draco.

12. Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu eius: & fecit terram, & habitantes in ea adorare bestiam primam,cuius curata est plaga mortis.

13. Et fecit signa magna, vt etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram in conspectu hominum.

14. Et seduxit habitantes in terra, propter signa,quę data sunt illi facere in cõspectu bestiæ, dicẽs habitãtibus in terra,vt faciant imaginem bestiæ,quæ habet plagã gladij,& vixit.

15. Et datũ est illi, vt daret spiritũ imagini bestiæ,& vt loquatur imago bestię;& faciat vt quicunq; non adorauerint imaginẽ bestiæ, occidãtur.

16. Et faciet omnes pusillos,& magnos,& diuites,& pauperes,& liberos,& seruos habere characterem in dextera manu sua,aut in frõtibus suis.

17. Et nequis possit emere,aut vẽdere; nisi qui habet characterẽ, aut nomẽ bestiæ,aut numerũ nominis eius.

18. Hîc sapientia est. Qui habet intellectum, computet numerũ bestiæ. Numerus enim hominis est: & numerus eius sexcenti sexagintasex.

G. Fecit autem; nempe bellum cum Sanctis, eos triumphans,& suammet ipsius potentiam in prouincias omnes crudeliter exercens. A

H. Quamobrem sese illi subiiciunt omnes terræ incolę;quorum nomina non erant ab origine mundi conscripta in libro eius vitæ,quam ab Agni nece prædestinati omnes participant.

I. Audiant hoc quicumque idoneas ad audiendum habent aures: Qui nunc violenter capiunt Christianos, eorundem posteà erunt captiui; & qui nunc Christianos immaniter trucidant,ab ipsis posteà trucidabuntur. Sic enim fieri oportet; sicque euenturum Sancti ipsi sperant atque confidunt.

De bestia terræ.

K. Terrestris bellua duo habebat cornua, cornibus agni similia. In sono autem,quem ore edebat,similis erat draconi. B

L. Porrò, quam draco marinæ bestiæ potestatem fecerat,eandem exercebat bestia terræ in marinę bestiæ conspectu, vtpote ipsius administra. Atque ita effecit, vt terrigenæ omnes bestiam maris adorarent; postquam primum eius caput quod fuerat occisum, reuixisse visum est.

M. Vt autem homines in fraudem inducat bestia terræ,duo miracula per speciem ingentia edit. Alterum est,vt ignis è cælo descendere videatur.

N. Alterum;terræ incolis persuadere,vt quilibet marinæ bestiæ effigiem & imaginem sibi exprimat, post primi capitis resurrectionem. Hiscę imaginibus bestia terræ spiritum tribuit & vitam; easque in marinæ bestiæ conspectu loqui facit. Qui autem bestiæ imaginem non adõrant,eos omnes iubet occidi C

O. Vt autem adoratores à non adoratoribus faciliùs dignoscantur; in adorationis signum iubet omnes in fronte & in dextera notam atque insigne bestiæ marinæ gestare: & hac nota non insignitos commercio atque conuictu humano prohiberi. Signum verò illis impressum,alterum est è duobus:aut bestiæ nomen,aut numerus nominis bestiæ. Est enim character quid commune ad nomẽ & ad numerum.

P. Numerus nominis marinæ bestiæ ad computandi rationem hominibus familiarem subductus, conficit 666.

Interpretatio superioris Paraphrasis. D

Quoad totius capitis summam; Bestię duæ, quæ in bello aduersus Christianam religionem gestó suppetias dæmoni tulere, sunt: altera Romani Imperii ethnici *Superbia*; altera *Sapientia carnis*. Harum prima in mundi huius mari enutritur: secunda in terra humani cordis eorũ, qui terreni sunt.

De bestia maris.

A. Septem capita indicant successionem Romanorum Imperatorum, qui post Neronem persecuti sunt Ecclesiam. Et fortassis septenarius capitum numerus numero præcipuarum ac generalium persecutionum à Domitiano ad Diocletianum vsque respondet. Decem cornua auctoritatẽ adumbrant Romani senatus, qui quasi Regum consessus erat.

B. Similitudo pardi (hoc est pantheræ) ad mundanam refertur gloriam. Vrsini pedes, ad sordidas voluptates. Rugitus leonis, ad crudelia contra religionem Christianam edicta. Iam quòd draco dicitur suam potestatem magnam dedisse bestiæ; eò spectat, vt facultatem sæuiendi in Christianos dæmoni permissam, decreuerit ipse per Imperium Romanum exequi.

C. Resur-

Digitized by Google

A C. Resurrectio occisi capitis, persecutionem Neronis in Domitiano instauratam, repræsentat. Renouationem autem eiusmodi, subsecuta est terrigenarum omnium approbatio, per ingentem Romani Imperii idololatræ æstimationem.

D. In ea persecutionis approbatione genu flectebant miseri ante ipsummet dæmonem, qui in idolis colitur; & ante Romani Imperii superbiam. Existimabant enim illum fore stultum reputandum, qui bestiæ sese opponere, & cum ea prælium committere auderet.

E. Quod bestię permissum est dicere & facere; ad verba & ad bellum attinet, quibus Romanum Imperium Christianam infestabat Ecclesiam. Spatium autem trium annorum & dimidii, mysticū est; & eandem habet significationem, quam suprà cap. 11.

F. Dei nomine honor ipsius & gloria figurantur; nec non promissiones in diuino nomine inclusæ. Tabernaculum Dei ex allusione ad antiquum tabernaculum, denotat Christianæ religionis humilitatę; eo scilicet tempore, quo nondum erat extructum mysticum Salomonis templum, quod postea ex deuictarum Gentium spoliis ædificatum est. Denique primitiui Christiani, & ii præsertim qui pro Christo obierant, sunt qui in cælis habitare dicuntur.

G. Vincendi verbum ad Martyrum carnificinam transferendum est.

B H. Ii dicuntur in libro vitæ scripti, qui ad Christianam religionem efficaciter erant, ex æterna Dei prædestinatione, vocandi. In Christo autem prædestinati erant ad fidem illi, qui reipsa Christi fidem amplectuntur.

I. Romanum Imperium, dum idolis seruiens, in Christianos furit; verè dicitur Christianos in capriuitatem trahere: sed spes certissima Ecclesiæ erat iniecta, fore vt Romanum Imperium Christianæ fidei subiiceret: atque hac ratione, qui tunc alios captiuos ducebant, per ipsam Christianorum patientiam atque fidem, asseritur eos captum iri; & Dei verbi gladio occisum eos, qui potentiæ suæ armis tunc in Christianos sæuiebant.

De bestia terræ.

K. Duo cornua cornibus Agni similia, intelligenda sunt de imitatione duorum ex septem illius Agni cornibus, (de quibus cap. 5.) hoc est, de minarum terrore, & de suppliciorum seueritate: quibus sapientia carnis cum Christi Ecclesia dimicabat. Iam, quòd bestia terrę dicitur in loquędi ratione draconē imitata, allusio est ad illa serpētis verba, Gen. 3. 4. *Nequaquam moriemini*: &, *Eritis sicut dij*.

L. Sapientia carnis, vt gratum hominibus faceret, & se Romano probaret Imperio; singulis persuadebat, vt renouatæ persecutionis edictis se subderent, & persecutionē ipsam aduersus Christianos vrgerent. Atque hac ratione Romanum Imperium per carnis sapientiam, tanquam per fidissimam administram exercebat eam tyrannidem, ad quam illud sibi dæmon substituerat.

M. Ignis de cęlo descendere visus in hominum conspectu, explicandus est de falsa zeli Eliæ imi-
C tatione. Hac enim quodammodo videbatur ignis ille persecutionis, quo sapientia carnis Christianos exurere tentabat, esse religionis ignis de cælo descendens.

N. Idolum, quod ethnici singuli effinxisse dicuntur, est magna illa existimatio, quam animo concipiebant de Romani Imperii Ecclesiam persequentis magnitudine & diuinitate. Huic autem simulachro dicitur carnalis sapientia spiritum & sermonem dedisse; quia affectus deprauatus idolum illud animabat, atq; illi mirabilem persuadendi vim tribuebat, ita vt singuli idolo illi falsitatis à seipsis expresso, sese sponte subiicerent; nec dubitarent in eos excandescere, qui huiusmodi simulacro cultum deferre recusarent.

O. Commercii prohibitio denotat, iis omnibus, qui in bello aduersus Ecclesiam, Romani Imperii partes non sequebantur, veluti execrandis reipub. hostibus, aquâ & igne interdici. Iam, quòd omnes, qui se subijciebant Imperio, dicuntur ipsius Imperii characterem accepisse; ex antiquæ militiæ consuetudine petitum est. Verùm accipere in fronte characterem, est propalàm in ea Christianorum persecutione gloriari; nec solùm opere, sed aperta etiam professione morem idololatriæ gerere. Designatur autem duplex character; alter nominis per literas expressi; alter nominis eiusdem ad numeros reuocati. Etenim tam ethnicorum gloriatio, quàm operatio, qua Christianos oppugnabant, duplex erat; altera expressior, altera non ita manifesta; sed apud sapientes viros
D perinde valens.

P. Nomen illud Romani Imperii religionem Christianam persequentis (cuius numerus dicitur esse 666.) non aliud est, quàm ἡ ἀλαζονεία βίου, hoc est, SUPERBIA VITÆ. In quo Ioannes alludit ad id, quod in sua Canonica, cap. 2. 16. scripserat.

CAPVT XIV.

De exercitu seruorum Christi aduersus Gentiles pugnantium: ac de eorum victoria in plurimorum conuersione, atque martyrio.

TEXTVS.

1. ET vidi, & ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor

Alcasar in Apocal.

PARAPHRASIS.

A. ET vidi Agnum in monte Sion, ducem videlicet & imperatorē illius gentis; aduersus quam draco, & bestia maris, ac bestia terræ acerrimum bel-

Digitized by Google

millia habentes nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis.

2. Et audiui vocem de cælo tanquam vocem aquarum multarũ, & tanquam vocem tonitrui magni; & vocem quam audiui, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis.

3. Et cantabant quasi canticum nouum ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores, & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra.

4. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum, quocunque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitię Deo, & Agno.

5. Et in ore eorum non est inuentum mendacium: sine macula enim sunt ante thronum Dei.

6. Et vidi alterum Angelum volantem per medium cæli habentem Euangelium æternum, vt euangelizaret sedentibus super terram, & super omnem gentẽ, & tribũ, & linguam, & populum.

7. Dicens magna voce: Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicii eius; & adorate eũ, qui fecit cælũ & terrã, mare & fontes aquarum.

8. Et alius Angelus secutus est dicens; Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ à vino iræ fornicationis suæ potauit omnes gentes.

9. Et tertius Angelus secutus est illos, dicens voce magna: Si quis adorauit bestiã, & imaginem eius; & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua.

10. Et hic bibet dé vino iræ Dei, quod mistũ est mero in calice irę ipsius, & cruciabitur igne & sulphure in cõspectu Angelorũ, Sanctorũ, & ante cõspectũ Agni.

11. Et fumus tormentorum ascendet in sæcula sæculorum: nec habent requiem die ac nocte, qui adorauerunt bestiam & imaginem eius; & si quis acceperit characterem nominis eius

12. Hic patientia Sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, & fidem Iesu.

13. Et audiui vocem de cælo dicentem mihi: Scribe, Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos.

lum gerunt. Aderat cum Agno lectissimus exercitus. nempe centum quadraginta quatuor millia fortissimorum militum, qui nomen Agni & nomen Patris eius in frontibus inscripta gerunt. A

B. De cælo autem supra Agni exercitum resonabat vox duplex; altera similis fremitus; quem mare procellâ conquassatum edit; altera similis tonitruo magno. Cælestibus hisce vocibus associabatur vox item prædicti exercitus; quæ suo concentu referebat musicam suauissimã citharœdorum canẽtium pariter, & citharas pulsantium.

C. Et cantabant quasi canticum nouum, quo Deum in throno supra nubes sedentem, & quatuor Dei insigniferos, simulque presbyteros coràm adstantes mirificè recreabant. Neque illud canticum & harmoniam suauissimam vlli hominum imitari poterant, nisi prædicti Agni milites centum quadraginta quatuor millia; quos ipse sui sanguinis pretio sibi comparauerat. B

D. Hi adolescentibus virginibus comparantur; quæ ab Agno attractæ in ipsius vnguentorum odorem currunt, vt habetur Cantic. 1. 3. Atque has veluti primitias offert humanum genus Deo, & Agno.

E. Sunt hi *veri Israelitæ, in quibus dolus non est:* quia inculpatos se, & sceleris puros in omnibus exhibent coram Deo.

F. Supra hunc autem exercitum vidi tres Angelos; quorum primus per medium cæli volitans, felicissimum rei cuiusdam nouæ, ac perpetuò duraturæ nuncium afferebat, quem populis omnibus nunciaret.

G. Nuncius autem is erat, aduenisse scilicet iam diuini iudicii horam; atque adeò deinceps Deum verum fore ab vniuersis gentibus adorandum. C

H. Subiecit alter Angelus, non procul abesse Babylonis ruinam.

I. Tertius demum adiecit; si quis ex Agni exercitu ad aduersarios transfugeret, & marinã bestiam, atque eius imaginem adorans, ipsiusmet bestiæ characterem in fronte aut in manu acciperet.

K. Hunc minimè à Dei ira euasurum; sed igne ac sulphure in omnem sæculorum memoriam discruciandum; atque ex eodem igne fumum in sæculorum sæcula ad cælum vsque ascensurum, in præsenti etiam vita, nulla in re quietem & tranquillitatem adepturum. D

L. His tribus vocibus patientia Sanctorum confirmatur.

M. Dein iniunctum mihi est è cælo, vt sciberem; felices eos esse, qui ante mortem se morti totos deuouent, vt ad Christi Domini normam sese effingant; sic enim verâ requie in mediis ipsis laboribus & ærumnis fruituros; atque adeò in fide stabiles, in opere efficaces inuentum iri.

N. Sub

Digitized by Google

A 14. Et vidi,& ecce nubem candidam, & ſuper nubem ſedentem ſimilem Filio hominis,habentẽ in capite ſuo coronam auream, & in manu ſua falcem acutam.

15. Et alius Angelus exiuit de templo,clamans voce magna ad ſedentem ſuper nubem: Mitte falcem tuam, & mete; quia venit hora vt metatur,quoniam aruit meſſis terræ.

16. Et miſit qui ſedebat ſuper nubem falcẽ ſuam in terrã,& demeſſa eſt terra.

17. Et alius Angelus exiuit de templo,quod eſt in cælo, habens & ipſe falcem acutam.

18. Et alius Angelus exiuit de altari,
B qui habebat poteſtatẽ ſupra ignem,& clamauit voce magna ad eũ, qui habebat falcem acutã, dicens: Mitte falcem tuam acutã, & vindemia botros vineæ terræ,quoniam maturæ ſunt vineæ eius.

19. Et miſit Angelus falcem ſuam acutam in terram, & vindemiauit vineam terræ,& miſit in lacũ iræ Dei magnum.

20. Et calcatus eſt lacus extra ciuitatem, & exiuit ſanguis de lacu vſque ad frænos equorum per ſtadia mille ſexcenta.

N. Sub hæc, ſubſecuta eſt copioſa meſſis, & optima vindemia, meſſorem autem vidi ſupra nubem candidam; geſtabatque in capite coronam & falcem acutam in manu.

O. Ad quem cùm alter quidem Angelus è templo procedens, ſic verba feciſſet: *Mitte falcem tuam, & mete; quoniam aruit meſſis terra.*

Haud mora; falcem ille miſit,& ſubitò demeſſa eſt terra.

P. Porrò vindemiator, Angeli ſpeciem gerebat;& de cæleſti templo progrediebatur, falcem in manu gerens acutam.

Q. Alius item Angelus,qui habebat poteſtatem ſuper ignem,ab altari egreſſus, ſic vindemiatorem eſt allocutus: *Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ, quoniam maturæ ſunt vuæ eius.*

R. Quod cùm ille præſtitiſſet,vuæ protinus in magnum diuinæ iræ torcular immiſſæ ſunt.

S. Calcatum eſt autem torcular extra ciuitatem; & tanta fuit ſanguinis vuæ, ſeu muſti copia; vt eius torrens per ſtadia mille ſexcenta effluxerit,vſque ad equorum frænos pertingens.

Interpretatio ſuperioris Paraphraſis.

A. Agnus in Sione monte viſus Chriſtum denotat; qui cæleſti ſpiritu exemploque ſuo atque
C doctrina primitiuos Chriſtianos tanquam agnos inter lupos mittit ad bellum cum Romano Imperio gerendum. Itaque exercitus, qui Agnum conſtipabat, primitiui ſunt Chriſtiani; quos Apoſtoli atque diſcipuli,primùm ex Iudaiſmo,deinde etiam ex Gentibus ad Chriſtũ traduxerant. Et per hunc primitiuorum exercitum Chriſtus Romanum ſubiugauit Imperium. Quare exercitus hic ſunt illi ipſimet,de quibus cap.7. vbi explicatum eſt myſtẽrium numeri centum quadraginta quatuor millium. Nomen Agni, & Patris eius in frontibus inſcriptum, indicat publicam chriſtianiſmi profeſſionem; quæ illis præſertim temporibus Chriſto valdè glorioſa extitit.

B. Per ipſam Romani Imperii perſecutionem Deos ſuos milites ad pugnam, id eſt, Euangelii prædicationem accendebat. Atque hæc eſt ſignificatio vocis aquarum multarum, quæ de cælo fuit exaudita. Deinde vox tonitrui magni eſt vis illa diuina atque cæleſtis, quam eidem prędicationi ſuggerebat Deus inter mediam perſecutionis procellam. Cùm enim primitiui illi Chriſtiani cernerent incredibilem virtutem & admirabilem efficientiam, qua Deus ſuum verbum roborabat; hoc ipſum illis animum vireſque addebat ad Chriſti nomen conſtanter prædicandum,& pro illo ſtrenuè dimicandum. Atque ex Chriſtianorum parte, tum omnium inter ſeſe concordia, tum verborum & ſanctiſſimorum operum conſociatio prædicationem ipſam maximè prouehebat. Hac enim ratione ipſi veluti diuini quidam Orphei atque Amphiones immanes ad ſe feras,& rigentia
D ſaxa cæleſtis muſicæ concentu trahebant.

C. Canticum nouum ad nouam concionandi rationem refertur. Quippe viri illi Apoſtolici tanto animorum ſtudio & contentione,tanta etiam in laboribus & ærumnis gloriatione ad hominum ſalutem ac Dei gloriam aſpirabant.

D. E. Virginitatis nomen in præſenti allegoricè accipitur; ſicut à Paulo 2. Corinth. 11. 2. atque ita eôdem ſpectat verorum Iſraëlitarum gloria & vita immaculata.

F. Tres Angelorum voces exhortationem continent, quæ ſit ab Agni ducibus ad vniuerſum exercitum prædictum; vt eum ad ſtrenuè belligerandum excitent, accendant, inflamment. Cùm enim tres eſſent contrarii exercitus duces; nempe draco, beſtia maris & beſtia terræ; diſtinctionis gratiâ aduerſus eorum ſingulos ſingulæ itidem voces diriguntur ex ſacris Literis depromptæ. Prima ex Ioannis Euangelio; ſecunda ex Paulo; tertia ex ſecunda Petri epiſtola.

G. Prima ergo vox eſt illa eadem, quæ habetur Ioan. 12. 31. *Nunc iudicium eſt mundi; nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Qui vniuerſis Gentibus feliciſſimus extitit nuncius, atque æternus.

H. Secunda vox prædicit, tollendum eſſe de medio illud Imperium Gentilium Romanorum Chriſto aduerſantium; & ruituram Babylonem, id eſt, Romam ethnicam illius Imperii caput; prout Chriſto inimicae rat. Sic enim deſtructa eſt, cùm Roma Chriſtianam religionem ſuſcepit. Quamuis

uis autem hæc prophetia sit petita ex Isaia & Ieremia; hîc tamen proximè ad locum Pauli respicitur, 2. Thessal. 2. A

I. K. Tertia vox ex secunda Petri 2. seueriſſimam comminationem continet aduersus eum, qui carnis pellacia deceptus à Christi fide in persecutione defecerit. Et in punitione æterna fumus ascendens in sæcula sæculorum, typus est æternæ Dei gloriæ, ex æterno impiorum supplicio redundantis.

L. M. Vterque hic versiculus in paraphrasi est explicatus.

N. Messis est symbolum conuersionis multorum ex gentilismo. Vindemia verò, sanguinis ab eisdem pro Christiana fide profusi. Messor ergo est Christus Dominus, qui per Gentilium conuersionem in mundo regnat. Nubes, supra quam sedet, prædicatores sunt Euangelici. Falx acuta, verbum Dei.

O. Angelus ille qui clamat, *Mitte falcem tuam, & mete*; Prophetam Ioëlem significat.

P. Q. Vindemiator Angelus, & ille alter, qui ab altari procedit, & potestatem habent super ignem; Mosem & Eliam adumbrant; qui tamen in præsenti mysticè sunt accipiendi, sicuti cap. 11. Quare cùm Mosi attribuitur vindemia, sapientiæ Sanctorum adscribitur; quòd vitam pro Christo contemnant, & se conculcandos ac perimendos tyrannis obiiciant. Postulat autem Elias à socio Mose, vt vindemiet; quia diuinæ gloriæ zelus ab Euangelica sapientia exigit, vt Christianus in persecutione libenter se morti offerat. B

R. Lacus iræ Dei magnus, pro mysticæ iræ torculari vsurpandus est; in quo & Christus Iesus, & ipsius Martyres pressi sunt.

S. *Extra ciuitatem*, quia extra portam Christus passus est. Et ea phrasis (vt constat ex Paulo ad Hebr. 13. 12.) ad improperium, quod Christi Martyres patiuntur, deseruit optimè. Iam, quòd sanguineus torrens per mille sexcenta stadia inundare perhibetur; de mysticæ Palæstinæ gloria accipiendum est. Et verò Palæstina per stadia totidem in longitudinem patebat. Demum sanguis dicitur ad frænos equorum pertingere; quo significatur, equos illos (de quibus c. 6. actum est) largissimè ex hoc sanguine bibere; iuxta illud psalm. 109. fine, *De torrente in via bibet; propterea exaltabit caput.*

CAPVT XV.

Denouo plagarum genere, quibus aduersus gentilitatem Deus multò aliter pugnauit, quàm aduersus iudaismum. C

TEXTVS.

1. ET vidi aliud signum in cælo magnum & mirabile; Angelos septem habentes plagas septẽ nouissimas; quoniam in illis cõsummata est ira Dei.

2. Et vidi tanquam mare vitreum mistum igne: & eos qui vicerunt bestiam, & imaginem eius, & numerum nominis eius, stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei.

3. Et cantantes canticum Moysi serui Dei, & canticum Agni, dicentes: Magna & admirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens: iustæ & veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum.

4. Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum? quia solus pius es: quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conspectu tuo; quoniam iudicia tua manifesta sunt.

PARAPHRASIS.

A. ET vidi (ait Ioannes) signum aliud in cælo magnum atque mirabile, nempe genus quoddam plagarum valdè nouum, per quas expleta est ira Dei.

B. Hæ verò plagæ licèt aliquam videantur habere cum plagis Ægyptiacis similitudinem; non tamen immissæ sunt in Ægyptum, nec Israëlis liberationem anteceſſerunt; sed consecutæ sunt potiùs Israëlitarum transitum per mare rubrum. Priùs enim aspexi Israëlitas mare traiicientes: sed & ipse transitus per mare fuit valdè nouus & inusitatus; nec enim diuisum fuit mare, vt transitum præberet Israëlitis (iis videlicet, qui bestiam eiusque imaginem, & numerum nominis eius deuicerunt) quin imò in modum glaciei aut vitri coactum, & quasi conflatum victoribus citharas pulcherrimas gestantibus supra se ipsum liberam & expeditam viam strauit. Illis autem per mare summum transeuntibus, vidi mare ipsum sub gradientium pedibus exardescens. D

C. Illi verò interim canticum illud Moseos concinebant, *Cantemus Domino; gloriosè enim magnificatus est.* Quod est etiam canticum Agni. Continetur autem eo cantico admirabile illud facinus, quod præstitit Deus; dum Israëliticum populum per mare traiecit, & arcanum Dei iudicium atque consilium submergendi in eodem mari Ægyptios ponè sequentes; nec non formido ingens, qua insolitum hoc opus Idumæos, Moabitas, Philisthæos, & Chananæos perculit.

D. Hunc

Digitized by Google

A 5. Et posthæc vidi,& ecce apertum est templum tabernaculi testimonij in cælo.

6. Et exierunt septem Angeli, habentes septem plagas de templo, vestiti lino mundo & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis.

7. Et vnum de quatuor animalibus dedit septẽ Angelis septem phialas aureas plenas iracundiæ Dei viuentis in sæcula sæculorum.

B 8. Et impletum est templum fumo à maiestate Dei, & de virtute eius; & nemo poterat introire in templum, donec consummarentur septem plagæ septẽ Angelorũ.

D. Hunc ergo Israëlis traiectum subsecuta est plagarum visio, quæ fuit huiusmodi. Apparuit in cælo exemplar tabernaculi testimonij, quod Moses fabricauit; in eoque visum est referari oraculum illud, quod Sancta sanctorum appellatur.

E. Ex oraculo egressi sunt septem Angeli, qui in phialis nouas eas gestabant plagas, quas erant effusuri. Angeli autem lineis strictis erant amicti, sicuti olim sacerdotes. Zonis verò aureis circa pectora cingebantur; quemadmodum prima illa Apocalypseos persona.

F. Hisce Angelis datæ fuerant plagarum phialæ à primo quatuor animalium, hoc est, à leone. At liquor ille, quo phialæ redundabant, erat huiusmodi vindictam de hominibus sumpturus, vt meritò dicantur phialæ fuisse irâ æterni Dei plenæ.

G. Vix dum Angeli de oraculo processerant, cùm templum impletum est fumo; qui ab ipsius Dei gloria exoriebatur. Eratque fumus adeò densus, vt nemo templum succedere posset, id est, in eo vllam claritatem cernere; donec plagæ illæ septem effusæ sunt omnes.

Interpretatio superioris Paraphrasis.

A. Primus huius capitis versus complectitur summam eorum, quæ deinceps cap. 15 & 16. narrantur. Dicitur autem hæc visio magna atque mirabilis; quo sensu mulier illa amicta sole, dicta est signum magnum. Quia mirabile valdè est, sic Deum cum gentilitate se gessisse, & nouo plagarum genere cum eis depugnasse, iis nimirum plagis quæ mysticam effundunt iram: per quam & peccatum ipsum prorsus euertitur, & peccatores ab eius tyrannide liberantur.

B. Tubarum plagæ in mysticam Ægyptum sunt immissæ; id est, in perfidos ac rebelles Iudæos, qui impedire nitebantur Israëlis exitum in Euangelicam libertatem. At phialarum plagæ successerunt Israëlis egressioni ex Ægyptiaca seruitute, & ingressioni in gentilitatis mare. Atque adeò contra eos inferuntur, qui obstare conabantur, ne mysticus Israël nationes alias in fidei obsequium subiugaret. Præterea in noui Israëlis transitu per gentilitatis mare, non solùm mare ipsũ cedit, sed etiam conglaciat. Illud enim inprimis admiranda Dei gesta commendat, quòd aquæ
C multæ nouum Israëlem non modò non obruerent; verùm etiam in seipsis sustinerent; & Christi milites per summas maris vndas non secùs ac per solidam planiciem, graderentur. Porrò dum mare mistum igne apparet; innuitur, impletam esse illam Isaiæ prophetiam, *Aquæ ardebunt igne.* Quippe gentilitatis mare calefieri, accendi & inflammari cœpit ipsomet Euangelicæ prædicationis igne. Atque hic est Christi pedum ignis, vt vidimus cap. 1. & 10. De significatione bestiæ, & imaginis eius, & numeri nominis eius diximus cap. 13. De citharis seruorum Christi cap. 14.

C. De sensu mystico Cantici Mosis sermo est. Qua ratione cohæret optimè, vt mysticus Moses sit idem, qui & Agnus: dux nempe eorum, qui in gentilitatem penetrarunt, velut agni inter lupos. Et in illo quidem Cantico, sicuti Israëlis transitus per mare denotat felicem primigeniæ Ecclesiæ ingressum in gentilitatem: sic etiam Pharaonis exercitus submersio, ad rebellis Hierosolymæ vastationem referenda est. Tremor verò Idumæorum & Moabitarum in sensu mystico respicit salutarem timorẽ, quo erant concutiendi, qui adhuc Ecclesiæ & Euangelio aduersabantur.

D. Tabernaculum testimonii Christianam religionem in primitiuo illo tempore, figurat. Sacellum huius tabernaculi intimum Christianis primitiuis apertum erat, postquam templi velum scissum est.

E. Ex illo verò adyto, siue oracolo exierunt mysticarum plagarum ministri; id est, Apostolici
D viri, qui ad faciendam vindictam in nationes profecti sunt. Ex quibus in hac sacra actione septẽ eliguntur, pro numero plagarum; de quibus in subsequenti cap. sermo est. Quid autem significet in viris Apostolicis poderis byssina; quid zona aurea circa pectus, cap. 1. explicatum est.

F. Primum ex quatuor animalibus, nempe leo, (quo denotatur virorum Apostolicorum magnanimitas) dicitur eis dedisse phialas. Quippe res fuit maximæ fortitudinis atque roboris, adoriri gentilitatis expeditionem; quæ hîc sub vindictæ specie adumbratur. In phialis innuitur prædicationis officium, quod perinde est, quasi mysticum sacrificium; in quo libatur & effunditur Christi sanguis veluti admirabilis quidam liquor; ex quo mirifici sequuntur effectus in mystica illa vindicta, quam Deus de Gentibus sumpsit.

G. Progressis autem ad hoc facinus egregium viris Apostolicis, illa gloria, quæ à solo Deo est, & quam ipsimet Apostolici viri quærebant, in eiusmodi periculum visa est vniuersam Christi Ecclesiam reuocasse; vt parum abesse videretur ab incendio ac destructione. Hoc ergo periculum ardendi & pereundi significatur in densissimo fumo à Dei gloria procedente, & templum ipsum vndique occupante; donec ad plagam septimam ventum est. tunc enim disparuit fumus, & gloriæ Dei claritas prorsus apparuit.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XVI.

De septem plagis aduersus gentilitatem immissis.

TEXTVS.

1. ET audiui vocem magnam de templo dicentem septem Angelis: Ite & effundite septem phialas iræ Dei in terram.

2. Et abiit primus, & effudit phialam suam in terram, & factum est vulnus sæuum, & pessimum in homines, qui habebant characterem bestiæ, & in eos, qui adorauerunt imaginem eius.

3. Et secundus Angelus effudit phialam suam in mare, & factus est sanguis tanquam mortui, & omnis anima viuens mortua est in mari.

4. Et tertius effudit phialam suam super flumina, & super fontes aquarum, & factus est sanguis.

5. Et audiui Angelum aquarum dicentem: Iustus es Domine, qui es, qui eras sanctus, qui hæc iudicasti.

6. Quia sanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt; & sanguinem eis dedisti bibere: digni enim sunt.

7. Et audiui alterum ab altari dicentem; Etiam Domine Deus omnipotens, vera & iusta iudicia tua.

8. Et quartus Angelus effudit phialam suam in solem; & datum est illi æstu affligere homines, & igne.

9. Et æstuauerunt homines æstu magno, & blasphemauerunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas, neque egerunt pœnitentiam, vt darent illi gloriam.

10. Et quintus Angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ: & factum est regnum eius tenebrosum, & commanducauerunt linguas suas præ dolore.

11. Et blasphemauerunt Deum cæli præ doloribus, & vulneribus suis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus suis.

12. Et sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphraten: & siccauit aquam eius, vt præpararetur via regibus ab ortu solis.

13. Et vidi de ore draconis, & de ore bestiæ, & de ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modū ranarum.

PARAPHRASIS.

A. VOx magna de cælo exaudita clamat septem Angelis; Ite, & septem phialas aduersus terrigenas effundite.

B. Vt primùm ergo fuit in terrā effusa prima phiala; qui insigniti erant marinæ bestiæ charactere, & eius imaginem adorabant, molestis ac verecundis vlceribus percussi sunt, sicuti Exod. 9. 10. *Prima phiala.*

C. Deinde secunda phiala in mare fuit immissa; vnde effectū est maris fluctus sanguineo inficerentur rubore. Quemadmodū immolatæ hostiæ sanguine tingebatur aqua lebetis, in quē sanguis ipse sacrificii influebat per altaris gyrū diffundendus. Maris autē vndâ sanguine intinctâ, pisces mox in mari inuenti interierunt. *Secunda phiala.* B

D. Tertia phiala super flumina & super aquatum fontes decidit; ex quo tota aqua potabilis in sanguinem pariter versa est. *Tertia phiala.*

E. Tunc Moses (qui ab aquis accepit nomen, & propterea aquarum Angelus appellatur) Deum collaudauit, dicens: Domine, qui es, & qui eras, iustum te in hoc iudicio exhibuisti.

F. Quia terrigenæ Sanctorū & Prophetarū sanguinem effuderunt; eisque sanguinē bibendum propinasti: digni enim hac potione sunt.

G. Mosis socius, (id est Elias, qui vocatur altaris Angelus, propter curatum Dei altare) Deum pariter commendauit propter æquissimum eius iudicium, quod in tertiæ plagæ effusione enitebat. C

H. Quarta phiala in solem fluxit; qui vehemētissimo æstu homines torruit & excruciauit. *Quarta phiala.*

I. Ardenti ergo solis æstu exurebantur homines; qui pro pœnitentia & superiorum scelerum detestatione, nec non pro gloria, quam Deo deferre deberent, in eum contumelias ac blasphemias euomebant.

K. Quinta phiala in sedem bestiæ effusa est. Quare in eiusdem bestiæ regnum densa tenebrarum caligo incubuit; & dolor pariter adeò rabidus & efferatus, vt homines proprias linguas morsibus laceratas deuorarent. *Quinta phiala.* D

L. Quamobrem Deo non tribuerunt gloriam suis linguis, nec de præteritis flagitiis resipuerunt; sed nimia potius doloris impatientia Deum blasphemiis exprobrarunt.

M. Sextæ phialæ effusio in flumen Euphraten facta est; hinc instauratum est antiquum illud & admirabile facinus, cùm flumen repentè exaruit, vt Orientis reges, id est, Cyrus & Darius, per siccati fluminis alueum Babylonem adorirentur, eamque occuparent. *Sexta phiala.*

N. Protinus in relictis fluminis lacunulis tres apparuere ranæ; quas ore eiectarunt draco, bestia maris, & bestia terræ.

O. Tres

Digitized by Google

A 14. Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa, & procedunt ad reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei.

O. Tres huiusmodi ranæ diabolico spiritu instinctæ coëgerunt reges terræ, vt aduersus præpotentem Deum bellum conflarent acerrimum. Hanc tamen aduersus se conspirationem permisit Deus; quippe prælium fuerat committendum in die illo magno, quo ipse suæ potentiæ contrà illos clarissima daret documenta.

15. Ecce venio sicut fur. Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua; ne nudus ambulet, & videant turpitudinẽ eius.

P. Quoniam verò grauissimum hoc bellum, dæmonis instinctu in Ecclesiam repentè concitandum, nihil aliud est quàm horribilis quædam persecutio; ideò fideles à Deo verbis illis prænonẽtur: *Ecce venio sicut fur. beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua; ne nudus ambulet, & videãt turpitudinẽ eius.*

16. Et congregabit illos in locum, qui vocatur hebraicè Armagedon.

Q. Atque ad eorum, qui vigilant erigendam ac roborandam spem, subiungitur, ne de victoria dubitent; prælium enim in campo Armagedon committendum fore, quod idem significat atque insidias, siue insidiarum locum.

17. Et septimus Angelus effudit phialam suam in aërem; & exiuit vox magna de templo à throno, dicens: Factum est.

R. Septima phiala in aërem coniecta est; moxque vox de templo exaudita clamauit; *Factum est.* *Septima phiala.*

B 18. Et facta sunt fulgura, & voces, & terræmotus factus est magnus, qualis numquam fuit ex quo homines fuerunt super terram: talis terræmotus, sic magnus.

S. Vix ea; cùm in aëre visa sunt fulgura, auditæ humanæ voces tonitruis associatæ; & terræmotus fuit repentè subsecutus, omnium quotquot visi sunt maximus.

19. Et facta est ciuitas magna in tres partes, & ciuitates Gentium ceciderunt, & Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ eius.

T. Et magna vrbs Babylon fuit tres in partes diuisa; & Gentium ciuitates illi subiectæ corruerunt. Quibus ostentis significauit Deus, sibi in memoria fixam esse vindictam de Babylone sumendam, & suæ indignationis calicem illi porrigendum.

20. Et omnis insula fugit, C & montes non sunt inuenti.

V. Insulæ ac montes ex oculorum conspectu extemplò subtrahi visi sunt; ita vt & mare ipsum absque difficultate sulcari, & terrarum viæ decurri possent.

21. Et grando magna sicut talentum descendit de cælo in homines: & blasphemauerunt Deum homines propter plagam grandinis: quoniam magna facta est vehementer.

X. Sub hæc; è cælo decidit grando adeò magna, vt granum quodlibet appenderet talentum: decidit autem in homines, qui grandinis ictibus percussi, conuicia & maledicta in Deum ingesserunt.

Interpretatio superioris Paraphrasis.

A. Voce ingenti de cælo exaudita significatur expressum ipsius cæli decretum, & Apostolorum consultum de mystico bello gentilitati per Euangelii prædicationem, & Romæ præsertim, inferendo. Hoc bellum in phialis figuratur; nam prædicationis Euangelicæ interuentu oppugnabatur gentilitas vi & efficacitate Christi sanguinis in Gentiles ipsos per prædicationis officium effusi. Ipsa autem Euangelii promulgatio ad Gentes perinde erat, quasi admirabile quoddam sacrificium Deo oblatum, & quasi excellentissima vini libatio, ex qua miri sequerentur effectus. Et quia D bellum hoc ad septem prædicationis veluti prælia redigitur, ex quibus totidem diuersi effectus redundarunt; ideò per septem phialas denotantur. Ad quarum singulas singuli Dei ministri seliguntur in hac sacra actione; illi videlicet, qui ad eam dimicationem in eiusmodi phiala adumbratam videntur aptiores.

B. Primus ille fuit congressus, in quo Gentiles de suis sceleribus & flagitijs insimulati sunt. Hinc effectum est, vt mystice renouaretur acerba illa vlcerum Ægypti plaga. Namque Gentiles ægerrimè id tulerunt, & dolore pariter, rubore atque furore præoccupati sunt: dum sua peccata fœda ac detestabilia propalàm sugillari viderunt. Atque hæc prima phiala ad beatum Paulum spectat: propter ea, quæ cap. 1. epist. ad Romanos latè describit. *Primaphialarum plaga.*

C. Secundæ phialæ effusio adumbrat, quemadmodum in ipso Euangelicæ prædicationis decursu, cùm Romani Imperatores vehementiùs irritarentur, alius fuit effectus subsecutus: videlicet horribilis illa persecutionum procella, quam Romanum Imperium contra Euangelii prædicatores excitauit: id quod in sanguineo maris colore figuratur. *Secunda plaga.*

D. E. F. G. Tertiæ phialæ scopus is est, procedente adhuc Euangelii prædicatione, & infidelium *Tertia plaga.*

Digitized by Google

fidelium complurib⁹ ad Christi fidem commigrantibus, ipsa Christiani nominis persecutio in domesticum bellum & intestinum euasit; atque adeò ipsosmet persecutores grauiter perculit. Hoc denotant fontes & flumina in sanguinem conuersa. In ea autem plaga, (ex qua ingens ad Deum gloria redundauit, ob magnum infidelium numerum, qui & traducebantur ad fidem, & pro ipsa mortem oppetebant) Moses mysticus & mysticus Elias, nempe Euangelii prædicatorum sapientia & sanctitas inducuntur; qui gaudio exultant, & propter illius plagæ efficientiam Deo laudes decantant. A

Quarta plaga. H. I. Prosequitur adhuc in quarta phiala Euangelii prædicatio: quæ effecit, vt veri Dei lux Gentilium deceptionẽ & falsitatem in inanium deorum adoratione reuinceret. Vnde, qui obstinati erant, grauiter offensi sunt perspicuitate illa, qua prorsus confundebantur; & in eum, quem colere ac suspicere deberent, plurima iecêre maledicta. Huc pertinet mysterium solaris splendoris & claritatis, quæ illos ita perculit, vt æstuarint pariter & blasphemarint.

Quinta plaga. K. L. Quinta phiala repræsentat maiorem prædicationis Euangelicę progressionem; dum idolorum cultores ad suorum scelerum & anteactæ vitæ detestationem cohortatur. Quod in obstinatis ac rebellibus nihilo fuit vtilius, quàm vt cæsti illa doctrina deteriores fierent ac duriores; & densissimis affectuum prauorum tenebris obuoluerentur; & præsertim in Christianos, eorumque vitam integerrimam odium atque inuidiam conflarent. Hæ enim sunt tenebræ, de quibus in hac plaga mentio fit. Iam linguarum morsus & manducatio, denotant inordinatas cupiditates, & deprauatas affectiones fuisse causam, vt linguis omnino carere viderentur ad dilaudandum Deum, & ad sua ipsorum scelera confitenda. B

Sexta plaga. M. N. O. P. Q. Dum Euangelij prædicatio latiùs serpit, ad intima Romæ penetralia, atque adeò ad ipsas nobilium & senatorum ædes penetrauit. Atque hæc est mystica Babylonis inuasio, (quæ fuit sextæ phialæ effectio) in qua innouatur admirandum illud facinus, cùm flumen Euphrates, (id est, amor atque animi propensio ad delicias, & vitæ huius voluptates) in pluribus ex præcipuis Romanis prorsus exaruit: & Petri ac Pauli victoria ad Romæ interiora peruasit, quà Euangelii aduersarii sibi minùs præcauendum esse putauerant.

Tres ranæ designant dæmonis, mundi atque carnis sermonem; qui sua contentione atque clamore euicerunt, vt persecutio acerrimè recrudesceret præ doloris ac furiatum magnitudine, quòd Catholica fides in intimos Romæ recessus se insinuasset. Verùm hæc maior persecutio expediens erat; vt fides altiores ageret radices, & Christiana religio victrix demum euaderet. Verba illa, *Ecce venio sicut fur*, admonent eos, qui Christi fidem receperant, vt vigiles sint ac solertes; futurum enim, vti sæuissima in illos persecutio repentè exoriatur. Nomen Armagedon, (quod insidias significat) consolationem affert vigilantibus; dum eos reddit securos de felici illius persecutionis exitu, qui in maius Ecclesiæ trophæum, & in victoriam glorioſissimam fuerat redundaturus. C

Septima plaga. R. S. T. Euangelica prædicatio, repugnantibus licet persecutorum furiis, magis magisque augescit; & diuino aspirante Numine eò demum conuersionis efficientia peruadit: vt (sicuti in septimæ phialæ effusione, eiusque effectu figuratur) impunitas Christianis concedatur, vt publicè Christianam religionem Romæ profiteantur. Tunc autem Romæ totius conuersio quasi facta iam reputatur. Fulgura, voces & tonitrua in eadem hîc vsurpantur significatione, atque in cap. 4. Magnus terræmotus indicat incredibilem illam rerum mutationem, cùm persecutionis furor in publicam ac manifestam religionis Christianæ professionem fuit Romæ mutatus. Babylonis diuisio in tres partes adumbrat Romæ totius diuisionem in tres hominum factiones. Alii enim Christianos se propalàm profitebantur; alii idolorum cultum adhuc publicè retinebant; alii denique neutram in partem concedebant. Ruina multarum ciuitatum mystica est, id est, conuersio ad Christi fidem. Quibus euentibus mysticè se Deus vlciscebatur de Roma ethnica. Atque id est, quod textus ait, videlicet: *Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ eius.*

V. Insularum ac montium fuga, & ex oculis subtractio symbolicè denotat, omnia fuisse impedimenta de medio sublata; quò liberè & expeditè Euangelica prædicatio posset toto terrarum orbe felicissimo successu discurrere.

X. Tunc verò grando magna immissa innuit obstinatissimam eorum obdurationem, qui in suorum adhuc idolorum superstitione persistebant. Talenti verò mentio duo inuoluit: alterum est magna cæsti supplicii grauitas: alterum æquissima Dei iustitia in eo supplicio mirè elucens. D

CAPVT XVII.

De mystica conflagratione Occidentalis Babylonis, hoc est, Romæ veteris.

TEXTVS.

1. ET venit vnus de septem Angelis, qui habebant septem phialas, & locutus est mecum, dicens: Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas.

PARAPHRASIS.

A. PRimus Angelorum, qui septem habebant phialas, ad me accedens, in hæc verba prorupit: Huc ades, vt tibi ostendam supplicij seueritatem, quo afficienda est meretrix illa magna, quæ sedet super aquas multas; id est Babylon, quæ ad Euphratis fluminis ripas sita est.

B. Hæc

Digitized by Google

A 2. Cum qua fornicati sunt Reges terræ; & inebriati sunt, qui inhabitant terram, de vino prostitutionis eius.

3. Et abstulit me in spiritu in desertum; & vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, & cornua decem.

4. Et mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis; habens
B poculum aureum in manu sua plenum abominatione & immunditia fornicationis eius.

5. Et in fronte eius nomen scriptum: Mysterium: Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ.

6. Et vidi mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum Iesu, & miratus sum, cùm vidissem illam, admiratione magna.

7. Et dixit mihi Angelus: Quare
C miraris? Ego dicam tibi sacramentum mulieris & bestiæ, quæ portat eam, quæ habet capita septem, & cornua decem.

8. Bestia, quam vidisti, fuit, & non est, & ascensura est de abysso, & in interitum ibit: & mirabuntur inhabitantes terram (quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ à constitutione mundi) videntes bestiam quæ erat, & non est.

D 9. Et hic est sensus, qui habet sapiētiam. septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet; & reges septem sunt.

10. Quinque ceciderunt; vnus est, & alius nondum venit; & cùm venerit, oportet illum breue tempus manere.

11. Et bestia, quæ erat, & non est, & ipsa octaua est; & de septem est, & in interitum vadit.

12. Et decem cornua, quæ vidisti, decem Reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam reges vna hora accipient post bestiam.

B. Hæc est meretrix famosa, cum qua Reges terræ se turpiter commiscuerunt; & cuius calice inebriati sunt terreni incolæ, impotentissimè sæuientes aduersus eos, qui ipsos ab hac impura societate separare contendunt.

C. His dictis, me Angelus spiritu in desertum sustulit; vbi mulierem aspexi sedentem super illam maris bestiam, de qua suprà cap. 13. (super illam inquam, quæ blasphemiæ nominibus erat plena, & septem capitibus, ac decem cornibus constabat.) In hac tamen visione visebatur bestia illa coccineo colore omni ex parte tincta.

D. Ipsa insuper meretrix gemmis ac margaritis pretiosissimis erat ad amussim composita; manuque prætendebat inauratum calicem, plenum tamen detestabili illo suæ fornicationis liquore; quo gentes inebriabat, & in furorem ac rabiem agebat.

E. Gestabat item insignis meretrix inscriptionem in fronte mysterij plenam; nempe, *Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ.*

F. Porrò erat valdè ebria. Vinum autem, quo se ad ebrietatem ingurgitarat, erat Christi Martyrum sanguis; cuius crapulam & ebrietatem vehementer miratus sum.

G. Tum Angelus ad me. Cur, ait, miraris? Ipse tibi enodabo mysterium visionis huius, quæ tibi ostensa est.

H. Hæc maris bestia, quam vidisti, non diu persistet; modò enim est, modò non est. Et quantumuis se rabidam & efferatā exhibeat; paulò pòst sese in mare demergit, nec apparet. Licèt autem post paruum temporis interuallum rursus emergat, seque aliorum oculis spectandam præbeat (quasi post magnam aliquam submersionē sua rursus capita, & horribilem illam speciem exerat:) breui nihilominùs corruet, & funditus interibit. Tunc autem terrigenæ à Deo reprobati in maximam rapientur admirationem; quòd bestia illa, quæ tantam præ se immanitatem ferebat, ex oculis penitus euanuerit.

I. Septem bestiæ capitibus adumbrantur tum montes septem, tum etiam totidem Reges.

K. Nec verò Reges huiusmodi eodem simul tempore, sed per variam temporum successionem sunt victuri; ita vt post quinque Regum interitum, regnet sextus ante septimum; sed neque septimus ipse diu durabit.

L. Adhæc: Bestia, quæ erat, & non est, rursus apparebit; cuius caput Rex alius, siue tyrannus erit ordine octauus, qui erit ex septē illis prioribus: sed exigui temporis spatio interibit omnino, neq; ampliùs in orbe cōspicietur. Et hactenus de capitibus bestiæ.

M. Per decem cornua, totidem designātur principes; qui Reges etiam vocantur. Quamuis enim reapse Reges non sint; ipsorum tamen potestas regiæ instar potestatis est. Horum autem decem principum & Regum aliorum, qui in septem capitibus indicantur, discrimen est eiusmodi: quia Reges per bestiæ

Digitized by Google

capita designati, non simul, sed vnus post alium imperitarunt. At principes in cornibus decem figurati eadem hora, id est simul, potestatem exercent, quæ illis post bestiam, siue cum bestia ipsa concessa est. A

13. Hi vnum consilium habent; & virtutem & potestatem suam bestiæ tradent.

N. His vnum idemque est consilium; & suam bestiæ virtutem ac potestatem tradent.

14. Hi cum Agno pugnabunt; & Agnus vincet illos: quoniam Dominus dominorum est, & Rex regum; & qui cum illo sunt, vocati, electi, & fideles.

O. Atque hac ratione aduersus Agnum dimicabunt; qui tamen eos vincet. Quia ipsius potentia est omnium suprema, eiusque milites electi atque fideles; quare pro Agno strenuè militantes triumphabunt de decem Regum potentia.

15. Et dixit mihi: Aquæ, quas vidisti, vbi meretrix sedet, populi sunt, & gentes, & linguæ.

P. His Angelus adiunxit: Quas vidisti aquas, eæ sunt populi, gentes, & linguæ. B

16. Et decem cornua, quæ vidisti in bestia, hi odient fornicariam: & desolatam facient illam, & nudam; & carnes eius manducabunt, & ipsam igni concremabunt.

Q. Quæ verò cornua decem in bestia conspexisti, hi odio persequentur meretricem bestiæ insidentem: ipsam nudabunt prorsus atque vastabunt; eius manducabunt carnes, eamque igni concremabunt. Itaque principes per cornua significati, qui antea aduersus Agnum bella ciebant; illi ipsi, postquam ab Agno fuerint superati, arma aduersus meretricē, cui priùs famulabantur, conuertent, & eam internecione delebunt. Huius autem vastitatis ordo ita disponetur: vt eam vestibus spolient, morsibus impetant ac deuorent, ac demum igni comburant.

17. Deus enim dedit in corda eorum, vt faciant, quod placitum est illi: vt dent regnum suum bestię, donec consummentur verba Dei.

R. Denique hoc erit egregium vnius Dei summi ac præpotentis facinus. Ille enim hos animos addet decem cornibus, id est, principibus; atque has vires suggeret, vt ea in re Dei voluntati obsecundent. C Quam ad rem,, qui priùs suam bestiæ virtutem ac potestatem, non verò regnum, commiserant; postea regnum quidem eidem, non tamen virtutem ac potestatem tradent. Omnem enim vim suam atque potentiam illi in bestiæ oppugnationem atque perniciem conferent: & propterea suum regnum in bestię manus tradent; donec impleatur tandem, quod Deus hac ratione fieri decreuit.

18. Et mulier, quam vidisti, est ciuitas magna, quæ habet regnum super reges terræ.

S. Vt autem dubitari non possit, quæ ciuitas per meretricem à te conspectam significetur, expressis tibi verbis edissero, eam esse ciuitatem illam magnam, quæ terræ Regibus dominatur.

Interpretatio superioris Paraphrasis.

A. Hic Angelus, qui Ioanni ostendit supplicium de Babylone sumendum, significat B. Paulum: atque Babylon, de qua hîc sermo instituitur, ethnicam denotat Romam veterem. Pœna in eam exercenda mysticam adumbrat vindictam; quam Deus de illa sumpturus erat, cùm illam Catholicæ religionis igne succendit. Dicitur autem Roma sedere super aquas multas, ob imperium amplissimū, quo omnibus Imperij prouincijs dominabatur; quia *aquæ multæ, sunt populi multi.* D

B. Fornicatio, cuius mentio fit, spiritualiter accipienda est; & inanem idolorum superstitionem adumbrat: quo in sensu verissimè asseritur, terræ Reges, nempe Imperatores & Senatores ac reliquos principes cum Roma ethnica turpiter coire ad fornicationis spiritualis actionem. Porrò fornicationis calix, quo inebriata dicitur terra, furorem indicat & immanitatem, qua idolorum cultores abrepti Christianos exagitabant; veluti ab ipsa Roma inebriati, & in furorem aduersus fideles acti.

C. Desertum, vbi Ioannes eam meretricem conspexit, gentilitatem innuit; vt in Scriptura sæpe aliàs. Aptissimè autem fingitur mulier maris bestiæ insidens: quippe erat Romani Imperij domina, cuius imaginem præ se ferebat bestia. Quòd autem hæc bestia coccineo nunc colore imbuta appareat; id denotat, Imperium ipsum Romanum innocente Martyrum sanguine vbique profuso redundare. De blasphemiæ nominibus, de septem capitibus, & cornibus decem suprà iam cap. 13. actum est.

D. Meretricis ornatus symbolum est diuitiarum, opum ac facultatum, nec non mundanæ gloriæ ac potestatis; quibus Roma ethnica circumfluens intumescebat. ad quam etiam significa-

tionem

Digitized by Google

A tionem confert aureum poculum ; nam idololatria & vesana persecutio in Christianum nomen susciatata spectabantur quidem, vt honorificum quid atque glorioſum ; cùm tamen incluſus hoc calice liquor immundus ac deteſtabilis prorſus fuerit.

E. Frontis titulus eſt, publica idololatriæ profeſſio, qua non ſolùm Roma ethnica gloriabatur; verùm etiam ſe myſticæ Hieroſolymæ, id eſt Eccleſiæ, infenſam atque infeſtam iactabat; eamque crudeli bello oppugnabat, vt idololatriæ ſuperſtitionem, vt altrix ac princeps foueret atque firmaret.

F. Ebrietas, de qua hîc Ioannes, nihil aliud eſt, quàm quod perſecutionum tempore accidebat Romæ ; quando eodem Chriſtianorum cruore ſuffuſo, perſecutionis furor magis gliſcebat; iudiceſque ipſi ita in rabiem efferabantur, vt ebrij prorſus & mente alienati viderentur. Ioannes autem illud vel maximè admirabatur, quòd tãta eſſet hominum cæcitas, dementia atque inſania.

G. B. Paulus, (cui Deus ſuam admirabilem prouidentiam in hac Romæ ethnicæ ebrietate permittenda reuelarat) eſt hic Angelus, quem Deus ad Ioannem miſit, eidem expoſiturus earum omnium perſecutionum exitum.

H. Maris beſtia nihil eſt aliud, quàm Romanum Imperium ethnicum, quatenus infeſtabat
B Eccleſiam. Dicitur autem hæc beſtia modò eſſe, modò non; & aſcenſura de abyſſo, atque in interitum ruitura; quia perſecutiones non diu perdurabant; ſed Deo ſic prouidè diſponente, intermittebantur. Et quamquam rurſus exoriebantur repentè; omnes tamen demum conſumendæ erant, Chriſtiana Religione omnibus idolorum ſuperſtitionibus ſuperante: & tunc quidem ingens fuerat ſubſecutura Gentilium omnium in ſua obſtinatione manentium admiratio : quòd Romanum Imperium ethnicum in Chriſti Domini fidem ac veram Religionem conceſſerit.

I. Septem montes ij ſunt, quibus Roma extructa eſt. Septem Reges non vniuerſos Imperatores ethnicos repræſentant; ſed eos dumtaxat qui à Nerone Eccleſiam ſunt perſecuti. Ad ſeptenarium verò numerum rediguntur ; quia perſecutiones ipſæ fuere ſeptem, ſicuti explicatum eſt, cap. 13.

K. Vbi autem ſemel ſtatuatur, perſecutiones ante Eccleſiæ victoriam Conſtantini tempore partam futuras, ſeptem non ampliùs fore; mox facile eſt intellectu, quod textus ait, nimirum, poſt quinque Regum interitum, ſucceſſurum ſextum Regem, deinde ſeptimum; nec eorum aliquem longo tempore duraturum.

L. Poſtquam videbatur beſtia per Eccleſiæ victoriam prorſus interijſſe; quòd rurſus tunc ſeſe oculis obijciat, referendum eſt id ad Iuliani apoſtatæ perſecutionem; quæ perinde fuit, quaſi quædam beſtiæ ipſius reſurrectio. Vnde octauum caput eſt Iulianus, qui eleganter ex ſeptem illis prio-
C ribus eſſe dicitur. Prophetia verò eſt eiuſmodi, in eo nimirum beſtiam fore penitus extinguendam ; quia non iam ampliùs Romanum Imperium amplexurum fuerat idolorum impietatem, nec Chriſtianam Eccleſiam perſecuturum.

M. In decem cornibus Romani Senatores idololatriæ ndicantur. Etenim Imperij Romani perſecutiones aduerſus Eccleſiam, non excitabantur ſolùm Imperatorum iuſſu, ſed totius etiam Senatus conſulto; cuius auctoritas maxima erat, & Senatus ipſe veluti Regum conſeſſus. Præter hæc, denarius cornuum ingentem Senatorum denotat multitudinem. Denarium enim multiplicationis eſſe numerum, nemo neſcit. Iam quòd cornuum poteſtas dicatur eſſe magna poſt beſtiam, vel cum beſtia, ſignificat maximam eſſe Senatus auctoritatem, & maximam quidem poſt Imperatoriam, aut ſimul etiam cum ipſa Imperatoria poteſtate.

N. Porrò, vt indicetur in Senatu omnes ſe ad Imperatorum nutum ac voluntatem effinxiſſe in decretis de Catholica Eccleſia perſequenda ; aptiſſimè dicuntur ij vno eodemque conſilio ſuæ virtutis ac poteſtatis copiam beſtiæ feciſſe. Præſertim cùm non decreto ſolùm, ſed omni etiam opum vi pro idololatria aduerſus Eccleſiam pugnauerint.

O. Ceterùm quantumuis Senatorum vis atque potentia ingens ſit ; multò tamen maior eſt Chriſti virtus, & ipſius militum robur ac fortitudo; quę potens haud dubiè erit, ad glorioſiſſimum de Senatu triumphum agendum, nempe per ipſorum Senatorum conuerſionem ad verum Chriſti cultum ac fidem.

D P. Q. Neque aduerſus Agni potentiam vllius erit momenti, quòd meretrix ſit mundi dominatrix, ſubique mundi populos, gentes ac linguas imperio ac poteſtate ſubegerit. Etenim vbi Agnus Romanos Senatores ad ſuam traduxerit religionem, & ipſorum corda cæleſtis ſpiritus igne occupauerit; ipſimet Agnum ab infami meretrice vlciſcentur, myſticum nempe bellum aduerſus Romam ethnicam gerentes. Illis enim ad Chriſti religionem conuerſis, ipſorum item familiæ ſuorum principum exemplum ſecutæ ad Eccleſiam ſimiliter aggregabantur ; nec non tanta pariter populi frequentia ac multitudo, vt Roma ethnica, (id eſt ethnicorum factio) nudata prorſus & ſpoliata maneat. Quippe homines, potentia atque fortunæ ad Chriſti partes commigrabunt ; & ipſorum ethnicorum conuerſione fiet, vt Senatores iam Chriſtiani meretricem ipſam commanducare ac deuorare videantur. Poſtremò per generalem conuerſionem Roma ipſa illo exardeſcet igne, quem Chriſtus Ieſus venit mittere in terram; ſicque Romæ conuerſio erit effectio ſubſecuta ex admirabili illo ſtudio ac mentis ardore, quo Romani Senatores Chriſtiana ſacra complexi, in Romæ ac totius Imperij conuerſionem incumbent.

R. Hoc ergo facinus egregium planè & admirandum Dei omnipotentis proprium erit. Ipſe enim tantum roboris ac fortitudinis Romanis Senatoribus Catholica iam religione initiatis ſubminiſtrabit; vt ipſos Romanæ conuerſionis zelo ac diuino quodam æſtu inflammet; hacque ratio-

Digitized by Google

ne diuinæ prouidentiæ se peridonea exhibeant instrumenta. Atque hanc ob rem, qui quondam ethnici suam operam & industriam bestię locauerant: eiusque nutui, nec non Imperatorum voluntati in Christianæ Ecclesiæ persecutione prorsus obsecundauerant: postea Christianis sacris imbuti, non iam suam opem, virtutem, ac potestatem bestiæ credent: quinimò suam omnem vim atque industriam aduersus bestiam ipsam, pro Romanæ vrbis totiusque orbis conuersione conferent. Suum tamen regnum (id est senatoriam, quam habebant, dignitatem) & quidquid fortunarum possidebant, facilè dimittent; inque bestiæ manibus ac potestate relinquent. Etenim harum omnium rerum pro Christo abdicatio magnopere conferet ad Romam triumphandam, & sub Christi iugum submittendam. Itaque fortiter & alacriter se omnibus abdicabant; quoad re ipsa perficiatur Dei consilium in ipsius Romæ conuersione procuranda. Tunc enim, vbi ipsius Romæ saluti fuerit plenè & cumulatè consultum, non erit necesse Romanos Senatores in Dei obsequium se fortunis ac dignitate priuare; imò potiùs ipsorum auctoritas & amplitudo diuinæ gloriæ, & mundi ipsius conuersioni allaborabit. A

S. Tandem in extremis verbis, ne ad sensum alium hæc detorqueatur prophetia, expressè dicitur ea meretrix, quæ in hanc inducitur tractationem, esse Roma; illa nempe ethnica, quæ Christi infestabat Ecclesiam. B

CAPVT XVIII.

De lamentatione eorum, qui Romam ethnicam interijsse, grauissimè accepturi erant.

TEXTVS.

1. ET post hęc vidi alium Angelum descendẽtem de cælo, habentem potestatem magnam: & terra illuminata est à gloria eius.

2. Et exclamauit in fortitudine dicens; Cecidit, cecidit Babylon magna: & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immũdi, & custodia omnis volucris immundæ & odibilis.

3. Quia de vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes; & Reges terræ cum illa fornicati sunt; & mercatores terræ de virtute deliciarum eius diuites facti sunt.

4. Et audiui aliam vocem de cælo, dicentem: Exite de illa populus meus, vt ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis.

5. Quoniam peruenerunt peccata eius vsque ad cælum, & recordatus est Dominus iniquitatum eius.

6. Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis: & duplicate duplicia secundùm opera eius: in poculo, quo miscuit, miscete illi duplum.

PARAPHRASIS.

A. HActenus de ijs, quæ à primo ex septem phialarum Angelis de ruina Babylonis accepi. Nũc illud addo, eandem prophetiam ab alio mihi Angelo fuisse cõfirmatam; ab eo nimirum, qui magnæ potestatis & auctoritatis Angelus verissimè nuncupatur. Is enim mihi visus est è cælo descendens, splendorem ita magnum ex se emittens, vt terra omnis illuminata sit à gloria & claritate ipsius. C

B. Et exclamauit contenta voce dicens: Cecidit, cecidit Babylon magna, miserè corruit, & prostrata est, atque adeò conuersa in dæmoniorum domicilium, in immundorum spirituum & volucrum lmpurissimarum custodiam.

C. Euersa autem est tribus de causis. Primò, quòd suæ prostitutionis vino vniuersas inebriauerit gentes. Deinde, quia suis veneficijs ac lenocinijs Reges terræ pellexit, vt secum fornicarentur. Tertiò, quia ipsius deliciæ, elegantiæ, atque blanditiæ tantum expensarum insumebant; vt terreni principes sese mercaturis & negotiationibus occuparent, quo hisce nundinis se locupletarent.

D. Hactenus magnæ potestatis Angelus. Post hæc, alia è cælo vox fuit exaudita; quæ fideles hortabatur, vt Babylone egressi, aliò concederent; ne in ipsius scelerum atque flagitiorum communionem venirent, atque adeò ijsdem inuoluerentur plagis. D

E. Pergit adhuc eadem vox cælestis, atque ait, *Quoniam peruenerunt peccata eius vsque ad cælum.* In quo fit allusio ad turrim Babel. Quòd si Babylonis flagitia in cælum vsque peruenerunt; tempus etiam peruenit, quo Deus Babylonem ipsam exscindat atque deuastet.

F. Addit insuper: Paria ipsius sceleribus rependite, sicut ipsa retulit vobis: Et iuxta ipsius opera illi duplicia duplicate. item, Quod vobis propinauit poculum, idem etiam duplum illi impingite.

G. Quan-

Digitized by Google

A 7. Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum; quia in corde suo dicit: Sedeo regina, & vidua non sum, & luctum non videbo.

G. Quantum se gloria ac delicijs beauit, tantum illi tormentorum ac luctus date. Et quia in corde suo ait: *Sedeo regina, & vidua non sum, & luctum non videbo.*

8. Ideo in vna die venient plagæ eius: mors, & luctus, & fames, & igne comburetur: quia fortis est Deus, qui iudicabit illam.

H. Idcirco vna eademque die omnes ei plagæ huiusmodi contingent; hoc nimirum ordine, Mors, Luctus, Fames, atque Combustio. Et quamuis fieri videatur non posse, vti hæc series suppliciorum seruetur; id tamen vni Deo facile factu est, qui hoc pacto supplicium de Babylone sumet.

9. Et flebunt, & plangent se super illam reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, & in delicijs vixerunt; cùm viderint
B fumum incendij eius.

I. Hisce omnibus versibus pergit adhuc cælestis illa vox; applicans ad Babylonis incendium lugubres illas nænias, quas Ezechiel de Tyri vastitate cecinit. In quibus inducuntur tria hominum genera, qui præficarum vice Babylonem erant lamentis prosecuturi: nimirum, Reges, negotiatores & nautæ. Atque hi omnes dicuntur Babylonem eiusque ruinam deflere, *à longè stantes propter timorem tormentorum eius.*

10. Longè stantes propter timorem tormentorum eius, dicentes: Væ, væ, ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis: quoniam vna hora venit iudicium tuum.

11. Et negotiatores terræ flebunt, & lugebunt super illam; quoniam merces eorum nemo emet amplius.

12. Merces auri, & argenti, & lapidis pretiosi, & margaritę, & byssi, & purpurę, & serici, & cocci, (& omne lignum thyinum, & omnia vasa eboris, & omnia vasa de lapide pretioso, & æramento, & ferro, & marmore,

13. Et cinnamomum) & odoramentorum, & vnguenti, & thuris, & vini, & olei, & similæ, & tritici, & iumentorum, & ouium, & equorum, & rhedarum, & mancipiorum, & animarum hominum.

14. Et poma desiderij animæ tuæ discesserunt à te; & omnia pinguia & præclara perierunt à te; & amplius illa iam non
C inuenient.

15. Mercatores horum, qui diuites facti sunt, ab ea longè stabunt propter timorem tormentorum eius flentes, ac lugentes.

16. Et dicentes; Vę, væ ciuitas illa magna, quæ amicta erat byssо, & purpura, & cocco, & deaurata erat auro, & lapide pretioso, & margaritis.

17. Quoniam vna hora destitutæ sunt tantæ diuitiæ; & omnis gubernator, & omnis qui in lacum nauigat, & nautæ, & qui in mari operantur, longè steterunt.

18. Et clamauerunt videntes locum incendij eius, dicentes: Quæ similis ciuitati huic magnæ?

19. Et miserunt puluerem super capita sua; & clamauerunt flentes, & lugentes dicentes: Væ, væ ciuitas illa magna, in qua diuites facti sunt omnes, qui habebant naues in mari
D de pretijs eius, quoniam vna hora desolata est.

20. Exulta super eam cælum, & sancti Apostoli, & Prophetæ; quoniam iudicauit Deus iudicium vestrum de illa.

K. Perstat adhuc vox illa de cælo missa; & exultare iubet cælum, Apostolos ac Prophetas in Babylonis excisione, quòd de illa sint à Deo egregiè vindicati.

21. Et sustulit vnus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, & misit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, & vltrà iam non inuenietur.

L. Cælestis eadem vox dictis adiungit, quemdam Angelum fortem sustulisse lapidem magnum molarem, & misisse in mare, atque dixisse: *Hoc impetu mittetur Babylon, & vltrà non inuenietur.*

Digitized by Google

22. Et vox citharœdorũ,& musicorum,& tibia canentium, & tuba non audietur in te ampliùs;& omnis artifex omnis artis non inuenietur in te ampliùs ; & vox molæ non audietur in te ampliùs.

23. Et lux lucernæ non lucebit in te ampliùs; & vox sponsi, & sponsæ non audietur adhuc in te : quia mercatores tui erant principes terræ; quia in veneficijs tuis errauerunt omnes gentes.

24. Et in ea sanguis Prophetarum & Sanctorum inuentus est;& omnium, qui interfecti sunt in terra.

M. Idem verò ille Angelus, qui lapidem ingentem in mare coniecit, dicitur ad ardentem Babylonem conuersus asserere, nullam deinceps in ea musici concentus vocem, nullum artificis operantis murmur, nullum molæ circunductæ strepitum exauditum iri; nullam insuper accensum iri lucernam, nec vocem aliquam nuptiarum fore auribus vnquã excipiendam; & totam hanc vastitatem atque internecionem euenturam in supplicium meritissimum; propterea quòd Babylonis mercatores fuerint antea terræ principes, & gentes omnes Babylonis veneficijs illectæ fuerint in errorem inductæ. A

N. Nec non quòd Babylon ipsa deprehensa sit, atque conuicta homicidij in cæde Euangelij prędicatorum,&aliorum Christi Martyrum, quæ per omnes prouincias patrabatur. B

Interpretatio superioris Paraphrasis.

A. B. Angelus potestatis magnæ B. Petrum figurat; qui dum in prioris epistolæ fine Romam nomine Babylonis vsurpat; prędicauit, Isaiæ ac Ieremiæ vaticinia, quæ de Babylonis ruina agunt, in pręcipuo sensu de Roma ethnica fore intelligenda. Iam Petrus ipse meritissimè dicitur magnæ potestatis Angelus. Cumque ipsius dignitas, qua verum Christi vicarium agit, sit planè cęlestis, idcircò visus est de cęlo descendens. Splendor autem ille, quo illuminata est tellus ab ipsius gloria, videtur esse illustrissima illa Petri confessio de Christi diuinitate: *Tu es Christus filius Dei viui.* Cuius vicem ei Christus rependens, illum Ecclesiæ suę principem atque caput constituit. Quippe & celebris illa confessio, & dignitas, quam propterea Petrus fuit à Christo adeptus, terram vniuersam clarissimo splendore collustrant. C

Quòd verò dicitur Babylonem esse dæmonum habitationem, & omnis volucris immundę domicilium factam; referendum est ad communem Christianorum existimationem, qua post Romę conuersionem vetus idolorum superstitio contẽnenda,& despectui habenda erat. Tunc enim animaduersurę erant Gentes; qui antea dij ab eisdem tantopere suspiciebantur, eos impurissimos esse dæmones. Vnde quod antiquę idololatriæ residuum esset Romæ, prioribus illis post ipsius vrbis conuersionem annis, perinde erat ab hominibus reputandum, quasi deserta aliqua ac derelicta domus; quam non iam homines incolunt, sed lemures, laruæ, noctuæ, & aliæ aues immundæ.

C. Triplex ratio, quæ de mystica Romæ vastitate redditur, indicat rationes eas, quę Deum ad Romæ ipsius, eiusque infelicitatis commiserationem adduxerunt ; vt scilicet cum ea clementer se gereret, & mystico conuersionis supplicio eam puniret. Quam ad rem glorioſissimè patrandam diuina pietas perpendit, quòd Romę ipsius scelera fuerint grauissima. Vnde Prima ratio siue causa est, quia Roma Gentes vniuersas spiritalis fornicationis calice inebriauerat : dum eas aduersus Christi nomen & Catholicam religionem efferauit. Secunda causa est, quia principes ipsos Roma ita illexerat, vt ad mysticam fornicationem, nempe idololatriam, omnes cum illa coirent. Tertia, quia Christiani nominis persecutio ethnicis ipsis principibus perinde erat, quasi mercatura quędam, siue negotiatio; qua ad suam conseruandam auctoritatem, qua ad opes ac delicias assequendas, Christianis renuentibus, atque adeò labores & cruciatus perferentibus, vtebantur.

D. Cęlestis vox innuit, Ecclesię prædicationem in ea Petri voce innixam, qua Romam nuncupauit Babylonem. Atque hęc Ecclesiæ vox reliquam huius capitis partem occupat. Primùm ergo phrasis illa, *Exite de illa populus meus*, &c. continet vocem eiusmodi siue clamorem, quo incitantur Christiani, (qui inter idololatras tecti ac dissimulati erant) ne se ampliùs celent; sed suam fidem retegant ac prodant: quippe si occulti adhuc remaneant, quando Dei instinctus eiusque gloria ad publicam fidei confessionem compellunt; in huiusmodi inquam dissimulatione latere periculum, ne simul cum infidelibus in eandẽ idololatrię communionẽ inducantur: ac proinde imminere itidem periculum easdem luendi pœnas, quibus ethnici in sua cęcitate obdurati acerrimè fuerunt puniti. D

E. Christiani verò homines erecti & excitati eo nuntio, qui Romę crimina ac maleficia ad summum peruenisse cumulum renunciabat; suam profitentes fidem, non dubitant vitam etiam pro ipsa asserenda profundere; vt hoc pacto diuini consilij ratio in mystica Romæ ruina destinatum finem assequatur.

F. Quod cælestis enunciat vox verbis illis, *Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis*; exhortatio est ad Christi fideles, vt spiritaliter præstent, quod tyranni crudeliter & immaniter præstabant. Hi enim Christianos sub persecutionis tempus horribili strage contrucidabant. Postea autem Euangelio tandem pręualente, fideles Christi serui mysticè de infidelibus sumpsere vindictam. Quòd si vehemens fuit atque ardens ethnicæ Romæ zelus in pristina idolorum cultura retinenda, & in Euange-

lij

Digitized by Google

A lij prædicatoribus acerrimo odio exagitandis; consentaneum valdè erat, fidelium studium & contentionem multò esse ardentiorem in idololatria ipsa abolenda, inque ethnicis hominibus spirituali nece occidendis. Miscere autem ei duplum in eodem poculo, fortasse exhortatio est, vt duplo sit vehementior fidelium virorum indignatio contra idolorum impietatem, & in ea prorsus delenda zelus atque ardor. Etenim si inauratus calix, quo ipsa indignationem Gentibus propinabat, religionis prætextum indicat; idem quodammodo videtur esse calix, quo Romę indignatio aduersus idololatriam pro vero religionis cultu concepta propinetur.

G. Verba illa, *Quantum glorificauit se, tantum date illi tormentum*, nos admonent, & prænunciant pariter ex Euangelij prædicatione eiusmodi fructum decerptum iri; vt non solùm Roma ad Christianam religionem commigret, verùm etiam post suam conuersionem conuertat veterem illum fastum ac superbiam in humilitatis ac pœnitentiæ exercitationem. Vt verè constet, quàm fuerit inanis ac futilis Romæ ethnicæ confidentia, dum gloriabatur se viduam gentili Imperatori nec esse, nec fore, nec verò sterilem vmquam futuram, id est, absque numerosa ciuium ethnicorum multitudine, qui idololatriæ cultum proueherent.

H. Ideò, vt vana ipsius securitas ac fidentia clariùs pateat, eiusmodi sententia aduersus eam fertur; vt idololatriæ & peccato moriatur, ac deinde veterem suum deploret errorem, postea esuriat
B ac sitiat iustitiam, postremò Spiritus sancti igne inflammetur.

I. Vt edoceamur vrbem eandem esse mysticam Isaiæ & Ieremiæ Babylonem, & spiritalem Ezechieli Tyrum, (nimirum veterem Romam ethnicam) ideo cælestis vox Tyri lamentationes ad Babylonis applicat incendium. Atque hi omnes, qui inducuntur Babylonem deflentes, ijdem sunt, qui Romæ doluerunt conuersionem, quòd ipsi in sua obstinatione perstiterint. Vnde illi omnes lamentantur longè stantes propter timorem ignis & tormentorum vrbis, id est, fugientes procul, ne mystico Romæ igne pariter exardescerent; néve Christianæ vitæ rigorem subirent in condonandis iniurijs, in contemnendis opibus, in vitæ integritate, castimonia ac pœnitentia amplectendis. Distinctio Regum, mercatorum atque nautarum superbos, auaros & voluptuosos adumbrat. Nam superbia in principibus dominatur potissimùm; in mediocris fortunæ hominibus auaritia; in infimis & abiectis libido. Quicumque autem ex his in sua impietate permanserunt, suo quisque affectu permoti, Romæ conuersionem deplorarunt.

K. Postquam expressa fuit lamentatio eorum, qui ex Romanæ vrbis idololatria rem suam augebant; aptissimè additur ratio, quapropter cælum (id est, Christiana Ecclesia) & singulatim Apostoli ac Prophetæ, id est, Euangelici prædicatores) collætentur.

L. Fortis Angelus Ieremiam figurat; ob ea, quæ cap. 51. 63. conscripsit; quibus significatur, vin-
C dictam mysticam de spiritali Babylone (id est, de Roma ethnica) sumptam, fore æternam; nec vmquam Romam ad superstitiosum idolorum cultum redituram.

M. His subiungitur; quod Ieremias de propria Hierosolymæ vastitate prædixit, id mysticè in spiritalis Babylonis, id est, Romæ ethnicæ, excisione fore complendum. Quod autem Deum permouit, vt ethnicam euerteret Romam, illud fuit: Primò, quia mercatores, qui quæstum sibi ex idololatria faciebant, erant principes ipsi & magistratus. Secundò, quia Roma ipsa suis illecebris ac lenocinijs totum pellexerat orbem; vt & veneraretur idola, & Christianos persequeretur.

N. Ac demum, quia quidquid Christiani cruoris in toto terrarum orbe effundebatur, vindictam aduersus Romam ethnicam denunciabat.

CAPVT XIX.

De gaudio Christianæ Ecclesiæ ex Romæ conuersione, quam Imperij etiam Romani conuersio erat subsecutura.

D

TEXTVS.

1. POsthæc audiui quasi vocem turbarum multarum in cælo dicentium: Alleluia; salus, & virtus, & gloria Deo nostro est.

2. Quia vera & iusta iudicia sunt eius, qui iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua; & vindicauit sanguinem seruorum suorum de manibus eius.

3. Et iterum dixerunt, Alleluia. & fumus eius ascendit in sæcula sæculorum.

4. Et ceciderunt seniores vigintiquatuor, & quatuor animalia; & adorauerunt Deum sedentem super thronum, dicentes, Amen, Alleluia.

5. Et vox de throno exiuit, dicens: Laudem dicite Deo

PARAPHRASIS.

A. POst hæc audiuit Ioãnes quadruplex Alleluia: ex quibus duo prima sunt prolata à turba magna cælesti; tertium pronunciauerũt seniores, & animalia; quartum verò erat vox turbæ magnæ multarum aquarum, & tonitruorum magnorum. Singula ex his quatuor Alleluia aliquid denuò addebant. Primo enim ex illis adiunctum fuit,

Digitized by Google

nostro omnes serui eius, & qui timetis eũ pusilli & magni.

6. Et audiui quasi vocem turbæ magnæ, & sicut vocem aquarum multarum, & sicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium: Alleluia, quoniam regnauit Dominus Deus noster omnipotens.

7. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei; quia venerunt nuptiæ Agni: & vxor eius præparauit se.

8. Et datum est illi, vt cooperiat se byssino splendenti, & candido. Byssinum enim iustificationes sunt Sanctorũ.

9. Et dixit mihi, Scribe: Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt: & dixit mihi; Hæc verba Dei vera sunt.

10. Et cecidi ante pedes eius, vt adorarem eum. & dicit mihi: Vide ne feceris: conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu. Deum adora. Testimonium enim Iesu est spiritus prophetiæ.

11. Et vidi cælum apertum; & ecce equus albus; & qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis, & Verax; & cum iustitia iudicat, & pugnat.

12. Oculi autem eius sicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse.

13. Et vestitus erat veste adspersa sanguine: & vocatur nomen eius, Verbum Dei.

14. Et exercitus, qui sunt in cælo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo & mundo.

15. Et de ore eius procedit gladius, ex vtraq; parte acutus; vt in ipso percutiat gentes. & ipse reget eas in virga ferrea: & ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.

16. Et habet in vestimento & in femore suo scriptum: Rex regum, & Dominus dominantium.

17. Et vidi vnum Angelum stantem in sole, & clamauit voce magna, dicens omnibus auibus, quę volabant per medium cæli: Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei.

18. Vt manducetis carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & sedentium in ipsis, & carnes omnium liberorum, & seruorum, & pusillorum, & magnorum.

fuit, *Salus, & gloria, & virtus Deo nostro, quia iudicauit de meretrice magna.* Secundo additur, *Fumus eius ascẽdit in sæcula.* Tertio, *Amẽ.* Quarto, *Quoniã regnauit Dominus Deus noster.* A

B. Quartum Alleluia hisce verbis prouehitur, *Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam Deo,* &c.

C. His annectitur, Angelum (illum scilicet magnæ potestatis, de quo initio cap. 18.) Ioanni edixisse, *Scribe, Beati qui ad cenam nuptiarum Agni vocati sunt.*

D. Ad cuius Angeli pedes cùm Ioannes se vellet venerabundus prouoluere, vt eum adoraret: tum ille; Caue (inquit) ne feceris, sum enim vnà tecum seruus, & cum ceteris tuis fratribus, qui Christi Domini testimonium habent. Sed Deo cultum & adorationem defer: *Testimonium enim Iesu est spiritus prophetia.* B

E. Cernit deinde Ioannes ex cælo aperto prodijsse imperatorem equo albo insidentem: cui nomen *Fidelis* & *Verax.* Ipsum verò pergere, vindictam de suis hostibus sumpturum: quibus vt bellum inferret, rationem pro se & æquitatem ferebat.

F. Ipsius oculi flammarum instar ardebãt. Porrò tegmen capitis multiplicis lintei gyro constabat; in quo multæ erant coronę (nam singula linteati tegminis volumina sunt veluti coronę singulæ, si antiquitatis vestigia relegantur.) Gerebat item in diademate nomen aliud compendiarijs notis scriptum; quæ eidem vni innotescebant: quare solus ipse norat nomen illud, quod in diademate gestabat. C

G. Priùs autem quàm dux ipse in præliũ concurreret, vestem inimicorũ sanguine maculosam ferebat: & præter duo prædicta nomina, tertium aliud habebat eiusmodi, *Verbũ Dei.*

H. Præstantissimum hunc ducem ponè sequebantur cęlestes phalanges; omnes verò byssо candida & munda amicti, equis albis vehebantur.

I. At cædes in hostibus edenda erat prorsus gladio ancipiti, qui ex ducis ore prodibat. Et quidem mirum est, inimicos priùs eo gladio fore occidendos; deinde ab eodem duce ferrea virga regendos: atque vtraque de causa verè satis dicitur hic dux ac Dominus iræ omnipotentis Dei torcular calcare. D

K. Enimuerò citra tria illa nomina superiùs dicta est etiam dignissimus tanti ducis titulus, & stemma; *Rex regum, & Dominus dominantium.* Quod inscriptionis insigne inscriptum (id est, acu pictum) in veste ferebat; nempe in ea vestimenti parte, quæ femora contegit.

L. Antequã ad ipsius congressus & cędis spectaculũ perueniatur; apparet quidã Angelus, qui solis claritati expositus cælestes inuitat aues, vt ad lautissimum cogantur epulum; quod sunt habituræ in eorũ carnibus, qui prędicti ducis gladio occidendi sunt. Exprimitur autem in conuiuio apponendam plurimam carnium copiam tam equitum, quàm equorum.

M. Postea

A 19. Et vidi bestiam, & reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciẽdum prælium cum illo, qui sedebat in equo, & cum exercitu eius.

M. Postea clades ipsa, & internecio figuratur. Primoque dicitur exercitus, in quem dux iste impetum erat facturus, esse marinæ bestiæ exercitus; nec non tam bestia ipsa, quàm terræ Reges, eorumque exercitus coacti iam atque parati esse, vt cum prædicto duce & eius copijs confligeret.

20. Et apprehensa est bestia, & cum ea pseudopropheta, qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperũt characterem bestiæ, & qui adorauerũt imaginem eius. Viui missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure.

N. Verùm vbi cælestis dux in eos irruit, dehiscens tellus bestiam marinam, & terræ bestiam absorpsit, ealque in ignitum stagnum demersit.

21. Et ceteri occisi sunt in gladio sedentis super equum,

O. Ceteri autem occisi sunt ipsius ducis gladio, qui ex eius ore prodit; & vniuersæ aues ipsorum carnes depastæ sunt.

B qui procedit de ore ipsius, & omnes aues saturatę sunt carnibus eorum.

Interpretatio superioris Paraphrasis.

A. Per quatuor Alleluia indicatur publica & generalis gestientis Ecclesiæ lætitia in Gentium subiugatione; id est, in earum ad Christi fidem conuersione, quæ Romæ conuersionem subsecuta est. Itaque quadruplex Alleluia perfectam continet laudem, quam Christiana Ecclesia Deo decantauit ob clarissimam victoriam de Roma partam. Hęc autem perfecta laus quatuor amplectitur partes, quæ quadruplici respondent Alleluia. Prima laus est per fidem cognitio præstantissimi illius facinoris. Secunda, Dei glorificatio per Christianæ vitæ opera, quæ laus diuturna ac perpetua est. Tertia est, quam Deo ipsius ministri deferunt, nempe Sacerdotes & Euangelici concionatores,

C dum sua munia strenuè obeunt. Quarta denique vniuersalis de animarum conuersione zelus, quo Ecclesiæ Christianæ filij in totius mundi conuersione constantissimè laborarunt. In quadruplicis huius Alleluia numero fuit habitus respectus ad Psalmos omnino viginti, quibus Alleluia pro inscriptione est. In eo autem, quod singulis Alleluia subiungitur, obiter attingitur eorundem Psalmorum argumentum; quod non est aliud, quàm quod in hac Apocalypseos parte tractatur; atque in eorum omnium argumento directè agitur de Ecclesiæ Christianæ lætitia ob gentilitatis conuersionem.

B. Euidenter habetur hîc sermo de Agni nuptijs, quæ Babylonis conflagrationem consequuntur. Cùm verò hæc Babylonis exustio nihil aliud significet, quàm Romę ethnicę ad Christum conuersionem: perspicuè hinc elicitur huiusmodi nuptias ad illud idem tempus referendas, quo gentilitas ad fidem traducta est. Et contextus sanè ipse satis vrget, vt sponsæ nomine hoc in loco Romana designetur Ecclesia, ceterarum Ecclesiarum caput: nec non nuptialis celebritatis dies sit lætissima illa Christianæ religionis in Romana Ecclesia publicè promulgatæ lux; quando fides Catholica ex idololatria triumphum reportauit. Ecclesia ergo Romana per comparationem ad Reginam Esther dicitur in præsenti se ad hasce nuptias præparasse; eidemque datum, vt se byssino splendenti & candido amiciat.

C. Beatum Petrum adũbrat Angelus ille, qui Ioanni enuntiat, *Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni*

D *vocati sunt*. Quorum verborum sensus is est; publica Christianæ religionis professione Romam semel inuecta, magnificum fore cælestis sapientiæ conuiuium, quo Deus Romanæ Ecclesiæ nuptias celebraturus erat; cùm per Ecclesiam ipsam Romanam ipse cælestis doctrinæ perfectionem & copiam suis fidelibus impertiret.

D. Delinitus Ioannes, & mirum in modum recreatus certissima tantæ prosperitatis spe, ad quam Christi Ecclesia in terris per Romæ & gentilitatis conuersionem extollenda erat; sese abijcit ad Petri pedes, (quem ille indicabat Angelus, à quo certior ipse Ioannes fiebat de prædicta Ecclesiæ prosperitate) quasi eos deosculaturus, ob felicissimum illum venturæ lætitiæ nuntium. Licet autem Ioannes hac in re, non malè, (sed rectè se gesserit; Petrus tamen pro summa ipsius vrbanitate, passus non est Ioannem se illi tantopere demittere; sed vt cum eo simpliciùs & facilìùs ageret, eamque reuerentiam vni reseruaret Christo. Ait verò Petrus se esse conseruum eorum omnium, qui Ioannis appellantur fratres; nempe Prophetarum, siue eorum, qui spiritum prophetiæ habent, id est, qui Euangelicos prædicatores agunt.

E. Quòd Ioannes hîc cælum reseratum suspicit; Ecclesia Christiana est, vt sæpe alibi; quòd autem nunc cælum patescit, denotat, ante publicam religionis Christianæ exercitationem, cælum ipsum quasi occlusum & obseratum videri, cùm nondum Christianæ Ecclesiæ gloria & splendor terrarum orbi sese explicuerit; sicuti postea cognitus fuit & spectatus per Euangelij prædicatorum exercitum, qui equestribus huius capitis copijs designatur. Præterea cælum ipsum aperiri, mysteriorum

Digitized by Google

riorum reuelationem denotat. Huius militiæ & expeditionis dux Christus est: qui obequitans apparet, quia aduentat suis salutem & incolumitatem allaturus, vt ex c.6. colligitur. Albus item equi color facit cum prælij huius significatione. Quippe plus iam in eo triumphi, quàm prælij, videbatur fore. Ducis huius nomen, id est, Fidelis & Verax, reuocandum est ad fidelitatem & veracitatem, qua Christus suis stetit promissis in victoria suæ Ecclesiæ de Gentibus glorioſissimè comparanda. A

F. Oculorum flammæ eiusdem hîc significationis sunt, atque cap.1. Multiplex corona multiplicem denotat dominationem ac regnum in omnes mundi nationes. Diadematis notę symbolicè innuunt incomprehensibilem Christi victoriæ atque regni magnitudinem: cùm ipse nouerit solus, quot & quàm glorioſæ fuerint ipsius victoriæ.

G. Dux hic sanguine infectas gerit vestes, antequàm prælium committat: quia maxima mundi conuersio præstituit, atque, vt ita dicam, præsupponit Christi Domini passionem: in qua verè ac significanter dicitur Christus iræ Dei lacum, siue torcular calcasse, & hostium sanguine immaduisse. Iam quòd ipsius nomen esse, *Verbum Dei*, perhibetur: ideo fit, vt denotetur huius belli atque expeditionis efficacitas. Etenim si Dei verbum efficaciſſimum est: quid existimamus fore in eo, qui id tam accuratè susceperit, vt infectus sanguine prælium ipsum iniret?

H. Exercitus equis albis portatus symbolum est Euangelij prædicatorum: quorum ministerio Deus vsus fuit ad glorioſam hanc expeditionem. Hoc autem concionandi munere plures tunc Christianorum, ac ferè omnes fungebantur. Porrò in ijs ipsis symbolum equitum ad saluandi munus refertur: & albus equorum color triumphi speciem habet. Nec verò in hoc prælio milites ipsi sanguine asperguntur: non enim iam tunc eis sanguine hæc expeditio stabat: sed Christi sanguinis merito ac valore suffulti vniuersum orbem triumpharunt, sanctitatis atque iustitiæ amictu induti. B

I. Christus ipse est, qui hanc mysticam cædem facit: & ipsius oris gladius est cælestis illius doctrina: vnde prædicatorum exercitus, per illam militum prælium committentium speciem, fruitur triumpho; tota tamen victoriæ atque triumphi gloria vni Christo debetur. Ad hæc, quos Christus oris sui gladio mysticè interficit, eosdem deinceps virga ferrea moderatur ac regit. Quare qui peccato sunt mortui, viui postea & incolumes manent, vt Christi gubernatione fruantur. De virga autem ferrea satis multa sunt dicta cap.2. notat.4. & 5.

K. Præterea, vt significetur, quantam Christi victoria felicitatem importet ijs, qui mysticè ipsius occiduntur gladio, & ferreo sceptro reguntur; illud additur, quod ad titulum spectat, *Rex regum, & Dominus dominantium*. Quam inscriptionem dux ipse in femore gestabat. Hoc autem innuit, quos ipse sibi subijcit, eosdem ab eo fieri reges: & quod sublimius est, filios. Nam in femore propagatio generis intelligitur.

L. Angelus aues ad conuiuium inuitans Ezechielem significat. Dicitur verò huiusmodi Angelus in solis claritate visus, vt inde ad epulum inuitaret aues: quia in doctrinæ Euangelicæ claritate (quando *habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis*) apparet, Ezechielis vaticinio inuitari Angelos, qui per cęli aues figurantur, ad opiparum conuiuium, quod eis Christus apponit in tot gentium atque nationum conuersione: tam sapientum, quàm rudium & insipientium: quia *homines & iumenta saluat Dominus*: qui omnes post Romæ conuersionem Christiana sacra susceperunt. C

M. Exercitus ille, cum quo prælium cælestis Imperator committit, est vniuersum Romanum Imperium idololatriæ deditum. Propterea, quod ad figuram ipsam attinet, inducitur maris bestia, & Reges etiam ac gentes, quas sibi subiectas & obsequentes habebat. Omnes enim vnà coniurauerant in Christi Euangelium ac fidem.

N. Illinc tamen fuit hic effectus consecutus, vt in inferos detruderentur maris bestia ac bestia terræ: id est, illi omnes in quibus pertinaciter restitit Imperij Romani ethnici, & carnalis sapientiæ contentio aduersus Ecclesiam: ipsa autem Ecclesia salua & incolumis superesset, & nihil iam sibi deinceps prȩcaueret à Romano illo Imperio ethnico, & ab illa carnis sapientia, quę pro idololatria contra Euangelium depugnabat.

O. Hinc etiam subsecutum est, vt Gentes omnes Christianam amplecterentur religionem. Quarum conuersio eleganter figuratur in ea cæde & internecione, quam Christi gladius in hostium exercitu edidit: nec non in eo epulo lautiſſimo, quod Angelis fuit apparatum per generalem illam innumerabilium hominum conuersionem. D

CAPVT XX.

De diuturna pace Ecclesiæ post Imperij conuersionem: ac demum de Antichristi temporibus, & de vniuersalis Iudicij die.

TEXTVS.	PARAPHRASIS.
1. ET vidi Angelum descendentem de cælo habentem clauem a-	A. EX tribus illis, dracone, bestia maris, & bestia terræ, (quorum coniuratio c.12. & 13. depicta est) suprà iam dictum, quid de duabus bestijs actum sit. Superest nunc draconis

Digitized by Google

A byſſi,& catenam magnam in manu ſua.

2. Et apprehendit draconem, ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus,& Satanas,& ligauit eum per annos mille.

3. Et miſit eum in abyſſum, & clauſit, & ſignauit ſuper illum, vt non ſeducat ampliùs gentes, donec conſummentur mille anni. Et poſt hæc oportet illum ſolui modico tempore.

B

4. Et vidi ſedes, & ſederunt ſuper eas, & iudicium datum eſt illis, & animas decollatorum propter teſtimonium Ieſu, & propter verbum Dei, & qui non adorauerunt beſtiam, nec imaginem eius, nec acceperunt characterem eius in frontibus aut in manibus ſuis,& vixerunt, & regnauerunt cum Chriſto mille annis.

5. Ceteri mortuorum non vixerunt, donec conſummentur mille anni. Hæc eſt reſurrectio

C prima.

6. Beatus & ſanctus, qui habet partem in reſurrectione prima. In his ſecunda mors non habet poteſtatem; ſed erunt ſacerdotes Dei & Chriſti, & regnabunt cum illo mille annis.

conis exitum explicare:id quod Ioanni hoc modo fuit oſtenſum. Videre ſibi viſus eſt Raphaëlem Angelum,è cælo deſcendentem, qui clauem putei abyſſi, & catenam ingentem manu geſtabat.

B. Hic Angelus apprehenſum draconem catena conſtrinxit, vt per mille annorum ſpatium religatus maneret.

C. Hanc ad rem illum in abyſſi puteum detruſit, & claui obſerauit, clauſtrumque ipſum obſignauit ſigillo, vt draco ante mille annos euadere inde non poſſit ad Gentes ſuis lenocinijs ſeducendas. Ceterùm Ioanni tunc reuelatum fuit, diuino conſilio eſſe decretum, vti exactis mille annis draco ſolueretur catena,& exiguo temporis interuallo Gentes decipere permitteretur.

D. Interim verò ſimul ac alligatus eſt draco, apparuerunt repentè throni; in quibus conſederunt ij, quibus iudicare conceſſum eſt. Tunc autem à mortuis ſunt excitati, qui ingruente ac ſæuiente perſecutione mortem pro Chriſto fortiter tolerauerunt. Nec ſolùm Martyres reuixere; ſed ij etiam Confeſſores, qui perſecutionis tempore firmiter ſe geſſerunt, nec beſtiæ dedêre manus, neque ipſius ſtemma atque inſigne, ſiue fronte, ſiue manu acceperunt. Hi inquam omnes reſurrexerunt, vbi primùm ligatus eſt draco, cum Chriſto victuri ac regnaturi mille ipſos annos, quibus draco conſtrictus permanſit.

E. Mortuorum reliqui,(nempe Chriſti Martyrum inimici) qui Martyres ipſos diuexarunt, non tunc excitabuntur ab inferis: ſed quando ſolutus fuerit draco. Subdit Ioannes, quod de aliorum reſurrectione poſt draconem alligatum,& de reſurrectione aliorum poſt eumdem ſolutum dixit, non fore intelligendum de reſurrectione generali, ſed de alia prima.

F. Nihilominùs ſicut beati, ac verè felices ſunt cum gloria reuicturi extremo generalis reſurrectionis die; ceteri verò ſummæ infelicitatis & ignominiæ pleni: ita etiam qui fuerint ad vitam reuocati ſub draconis illigati tempus, ſanctos illos ac beatos verè eſſe, nec ampliùs morituros; ſed Dei fore atque Chriſti ſacerdotes, & cum eo regnaturos mille ipſis annis, quibus religabitur draco.

7. Et cùm conſummati fuerint mille anni, ſoluetur Satanas de carcere ſuo,& exibit,& ſeducet gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ, Gog, & Magog, & congregabit eos in

D prælium, quorum numerus eſt ſicut arena maris.

8. Et aſcenderunt ſuper latitudinem terræ; & circuiuerunt caſtra Sanctorum, & ciuitatem dilectam.

9. Et deſcendit ignis à Deo de cælo, & deuorauit eos: & Diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris, vbi & beſtia,

10. & Pſeudopropheta cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum.

11. Et vidi thronum magnum candidum, & ſedentem ſuper eum, à cuius conſpectu fugit terra & cælum, & locus non eſt inuentus eis.

G. Enimuerò tranſactis mille annis ſoluetur draco, & gentes ſeducet, quæ in quatuor terræ angulis commorantur, atque innumerabilem conflabit exercitum aduerſus Sanctorum copias & ciuitatem Deo chariſſimam. Huius exercitus à dracone coacti dux nomine Gog; exercitus verò ipſe nomine Magog compellantur.

H. Sed ignis è cælo deſcendet, & Gogi exercitum deuorabit. Quo peracto draco in ſtagnum ignis & ſulphuris deijcietur; vbi cum maris & terræ beſtijs in æternum cruciabitur.

I. Poſt hæc cernit Ioannes magnum & candidum thronum; è cuius conſpectu cælum ac terram extemplò ſe ſubducere ac penitus euaneſcere aduertit.

K. Dein-

Digitized by Google

12. Et vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni: & libri aperti sunt: & alius liber apertus est, qui est vitæ; & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundùm opera ipsorum.

K. Deinde mortuos vniuersos videt ad vitam reuocari, & ante thronum illum sisti: referari libros; & librum etiam vitæ aperiri: atque mortuos omnes iudicari iuxta ea, quæ in libris erant pro vniuscuiusque operibus descripta. A

13. Et dedit mare mortuos, qui in eo erant, & mors, & infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant, & iudicatum est de singulis secundùm opera ipsorum.

L. Atque in hoc quidem generali iudicio, nullus ex mortuis poterit delitescere, quin iudicis sententiam exceepturus ante ipsius tribunal sistatur. Quare ibi apparebunt quotquot deuorauerat mare, quotquot in terra sunt extincti, qui inquam vocantur captiui mortis & inferni. Hæ enim tragicæ personæ inducuntur quasi simul associatæ; ita vt, quos mors occidit, deuoret infernus.

14. Et infernus & mors missi sunt in stagnum ignis. hæc est mors secunda.

M. Peracto iudicio infernus & mors mittuntur in ignitum stagnum, cui nomen mortis secundæ inditur. B

15. Et qui non inuentus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.

N. Et qui in libro vitæ non est inuentus scriptus, in illud ipsum stagnum fuit detrusus.

Interpretatio superioris Paraphrasis.

A. In Angelo, qui de cælo descendit Draconem alligaturus, ad Tobiæ librum alluditur; vbi Raphaël (quod nomen sonat *Medicina Dei*) Dæmonem constrinxit, vt Sara tranquillè & pacatè suo posset matrimonio frui. Quamobrem dæmonis alligatio, cuius mentio in capite hoc fit, eò est referenda, vt Romana Ecclesia Agni sponsa quietè & pacificè fruatur matrimonio, quod superiori capite fuit indicatum: videlicet per publicum ac pacificum Catholicæ religionis vsum ac professionem, toto illo Dæmonis alligati tempore. Mirificè ergo in huiusmodi figura exprimitur singulare beneficium, quo cælum ipsum nouam Romam tranquillam ac securam reddit de diuturna atque felici Christianæ religionis possessione. Clauis ergo & catena sunt symbola impedimentorum: quibus arcetur Dæmon, quominus publicum Christianæ fidei vsum possit in Romana Ecclesia interpellare. Porrò abyssus non hîc infernum adumbrat, sed profundum diuini iudicij consilium; sicuti suprà cap. 9.

B. Millenarius numerus in præsenti mysticus est, & plenitudinem temporis à Deo præfiniti vsque ad Antichristi aduentum, indicat.

C. Sigillum securitatis est symbolum, in qua Dei ponitur auctoritas. Quod postea subiungitur de dracone post modicum tempus soluendo, ad Antichristi persecutionis tempus referendum est. C

D. Quæ de thronis deque inibi sedentibus dicuntur, sunt accipienda atque explicanda de publica auctoritate, qua in hoc felici Christianæ professionis tempore Episcopi suas regunt & moderantur Ecclesias. Cuius verò resurrectionis hîc mentio fit, ea mystica est; per quam dicuntur resurgere atque regnare, qui mortem pro Christo subierant: quando ipsorum virtute ac fortitudine adiuta & roborata Ecclesia pacem, securitatem ac regnum adipiscitur.

E. Simili loquendi ratione dicuntur contrariæ factionis milites (id est antiqui Ecclesiæ persecutores) reuicturi, cùm draco solutus fuerit, id est, Antichristi tempore.

F. Verùm primi illi, qui religato dracone fuerint ad vitam reuocati, ij sanè beati erunt atque felices, & à morte secunda prorsus immunes. Qui meritò appellantur Reges & Sacerdotes, qua ratione sacerdotale regnum Sanctis tribuitur. D

G. At temporis à Deo præscripti transacta plenitudine, (quæ per mille annorum symbolum designatur) Antichristus soluto Diabolo consurget cum innumerabili exercitu, & contra ciuitatem dilectam, id est, contra Romanam Ecclesiam, bellum præcipuè suscipiet, & ab ea publicum Christianæ religionis vsum tollet. In qua Antichristi persecutione pristinum Gogi & Magogi bellum reuiuiscet.

H. Cuius belli exitus is erit, vt Deus mystico Spiritus sancti igne exercitum Antichristi inflammet, & Romanæ Ecclesiæ glorioſum dedat de suis hostibus triumphum, omnibus ad veram religionem conuersis. Paulò pòst mundi exitus subsequetur: & tunc detrudetur in infernum Diabolus, quò bestia maris, & bestia terræ priùs, deinde Antichristus similiter, & ipsius ministri coniecti fuerant.

I. His exactis sequitur vniuersale iudicium; vbi thronus ingens & candidus denotat amplissimam iudicis maiestatem, & celebertimam illius diei lætitiam. Cælorum & terræ abstractio ex intuentium oculis, repræsentat rectissimam illius iudicij æquitatem; in quo nec mysticorum cælorum gratia ac fauor, nec terræ mysticæ pietas & commiseratio aliquem protegere aut defendere valebunt; sed sola cuiusque causæ merita patrocinio erunt.

K. Qui

Digitized by Google

A K. Qui libri in eo iudicio dicuntur aperti, sunt sacræ Literæ, qua veluti norma, atque regula cuiuslibet hominis iudicium faciendum est. Liber autem vitæ designat electorum catalogum.

L. Quod de mortuis maris, mortis & inferni dicitur, in paraphrasi obiter explicatum est. Notandum tamen mortis mortuos, ac mortuos inferni non esse distinctos.

M. Peracto iudicio eleganter fingitur, duas illas tragicas personas, mortem & infernum, (de quibus sæpe agit Apocalypsis) in ignitum stagnum, id est in inferorum ergastula, concludi; vt vterque in damnatos sæuiant. Scriptum namq; est, *Mors depascet eos.* & similiter infernus depascet eos. Psal. 48. 15.

N. Damnati autem illi omnes erunt, quorum nomina in vitæ librum relata tunc non inuenientur. Quippe ad æternam damnationem vitandam non satis est, aliquando in libro vitæ fuisse scriptum; nisi in Dei gratia quispiam perseueret. Qui enim in ea non permanent, ex libro vitæ delentur.

CAPVT XXI.

B

De admirando Ecclesiæ Romanæ triumpho in patria cælesti.

TEXTVS.

1. ET vidi cælum nouum, & terram nouam. Primum enim cælum, & prima terra abijt; & mare iam non est.

2. Et ego Ioannes vidi sanctam ciuitatem Ierusalem nouam descendentem de cælo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.

C 3. Et audiui vocem magnam de throno dicentem, Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.

4. Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum; & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà, quia prima abierunt.

5. Et dixit, qui sedebat in throno: Ecce noua facio omnia; & dixit mihi: Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt & vera.

D 6. Et dixit mihi: Factum est. Ego sum A, & Ω, initium & finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis.

7. Qui vicerit, possidebit hæc; & ero illi Deus, & ille erit mihi filius.

8. Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti

Alcasar. in Apocal.

PARAPHRASIS.

A. CÆlis ac terræ, quæ à conspectu sedentis in throno disparuerunt, alij succesſere noui cæli ac terra noua, quæ Deus condidit. In hac tamen noua creatione nullum extitit mare.

B. Atque in hac eadem creatione mysticam Hierosolymam, (quæ meritò dicitur de cælo à Deo descendere, vtpote cælestis ac diuina ciuitas) aspexi cum ea gloria & splendore, quem in cælis est habitura, id est ea gloria, amplitudine ac maiestate ornatam, quæ filij Dei sponsam decent.

C. Ex eo autem throno, quem in glorioſa hac ciuitate Deus habet, ingens processit vox dicens: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis*, &c.

D. In ea felicissima sede nullæ erunt lacrymæ, nulla mors, nullus luctus, aut dolor. Nam militiæ atque laboris tempus iam præterijt, & triumphi atque gloriæ tempus succedit.

E. Ibi perfectè implebitur, quod scriptum est: *Ecce noua facio omnia*, quippe nulla remanebunt vetustatis antiquæ vestigia. Porrò, vt Deus huius certissimæ spei firmitate suos consolaretur seruos, me iussit id ipsum scribere; & iterum atque iterum eius nomine asserere.

F. Cumque Deus in suo ipso opere pulcherrimo gloriaretur, & supernę ciuitatis gloriam mihi demonstraret; addidit insuper, in huius operis perfectione satis ostendi, ipsummet Deum, qui hoc inchoauit opus, esse solum, qui illud absoluere, atq; ad glorioſum illud fastigium cumulatè perducere potuerit: quin etiam totam hanc felicitatem gratis promitti illi, qui seriò ac vehementer illam optarit.

G. Nihilominùs tamen eam gloriam ac felicitatem non adipiscentur, nisi victores validi ac fortes; cùm hæc sit filiorum Dei hereditas. Nam Dei aduersarij (ij autem sunt timidi, infideles, homicidæ, fornicarij, venefici, idololatræ, & quicunque se vitijs ac flagitijs dederunt) omnes apud inferos æternis ignibus addicentur.

Digitized by Google

igne & sulphure, quod est mors secunda.

9. Et venit vnus de septem Angelis habentibus phialas plenas septem plagis nouissimis, & locutus est mecum, dicens: Veni, & ostendam tibi sponsam vxorem Agni.

10. Et sustulit me in spiritu in montem magnum & altum; & ostendit mihi ciuitatem sanctam Ierusalem descendentem de cælo à Deo.

11. Habentem claritatem Dei; & lumen eius simile lapidi pretioso, tanquam lapidi iaspidis, sicut crystallum.

12. Et habebat murũ magnum & altum habentem portas duodecim; & in portis Angelos duodecim, & nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israël.

13. Ab Oriente portæ tres, & ab Aquilone portæ tres, & ab Austro portæ tres, & ab Occasu portæ tres.

14. Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.

15. Et qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundineam auream, vt metiretur ciuitatem, & portas eius, & murum.

16. Et ciuitas in quadro posita est, & longitudo eius tanta est, quanta & latitudo: & mensus est ciuitatem de arundine aurea per stadia duodecim millia: & longitudo, & altitudo, & latitudo eius æqualia sunt.

17. Et mensus est murum eius

A

H. Hactenus promiscuè & generatim dixi quemadmodum cælestis Hierosolymæ gloria atque maiestas mihi fuerit per speciem visa: nunc verò ostensam mihi visionem distinctiùs & explicatiùs proponam. Inprimis ergo septem Angelorum, qui phialas tenebant, primus, (ille nimirum, qui meretricis magnæ damnationem mihi ostenderat) ad me accedens: *Veni* (inquit) *& ostendam tibi sponsam vxorem Agni.*

I. Vt verò cælestem mihi vrbem indicaret, me spiritu sustulit in montem magnum atque editum, in cuius vertice extructa erat ciuitas; vt eam ingressus singillatim contemplarer gloriam, quam Deus mysticæ Hierosolymæ præparauit.

B

K. Vbi ad montis culmen conscendi, primò diligenter notaui admirabilem prorsus lucem & claritatem, qua cælestis hæc ciuitas fruitur. Tota autem ea claritas atque fulgor deriuatur ex luminari quodam simili lapidis pretiosi, qui iaspis pariter & crystallus lucidissima foret. Nec aliud est hoc luminare, quàm ipsemet ciuitatis huius princeps; qui in medio ipso vrbis situ ceteris partibus editiore solio insidet pulcherrimo & ornatissimo.

L. Obseruaui deinde duodecim in ipsa ciuitate portas; tres nimirum ad Orientem; tres ad Aquilonem; tres ad Austrum; & tres ad Occidentem. Hisce in portis duodecim scripta erant duodecim tribuum Israëlis nomina, (earum scilicet tribuum, de quibus suprà c. 7. actum est) ita tamen vt nomina singula singulis portis essent insculpta. In singulis item portarum vnus Angelus erat ianitor constitutus.

C

M. Præterea, cùm ipsa ciuitas in editi montis vertice foret constituta, fundamenta ipsa murorũ foris poterant discerni; & ad cuiusq; portæ latera erant duodecim Apostolorum nomina in ipsis fundamentis impressa: fundamentum enim omni ex parte habebat duodecim veluti lineas & coria, in quorum infimo nomen erat Petri Apostolorum principis; deinde cetera Apostolorum nomina per ordinem sequebantur, vsque ad Matthiæ nomen, quod in superiore corio erat. Quo verò ordine essent nomina reliquorum scripta, id non constat.

N. Qui autem mecum loquebatur manu gerebat calamum, qui iustam humanæ staturæ mensuram continebat; illam inquam, quæ in sacris Literis prima mensura appellatur. Vnde calamus iste eiusdem erat longitudinis cum Ezechielis calamo: cum eo tamen discrimine, quòd hic calamus aureus fuerit, Ezechielis non item. Hunc ergo calamum Angelus manu gestabat, ad ciuitatem, portas & murum dimerienda.

D

O. Muri ipsi in quadrum erant perfectissimè dispositi; quorum latera singula excurrebant in duodecim stadiorum millium longitudinem, id est, in mille quingenta milliaria, si milliaribus singulis octo tribuantur stadia. Quæ singulorum laterum longitudo centuplo maior est quàm ea longitudo, quæ vnicuiq; Babylonis vrbis lateri inerat. Et quamuis tanta esset tamque immensa cælestis ciuitatis magnitudo; pauimentum tamen ipsius & murorum fundamentum ita erat omni ex parte ad perpendiculum exæquatum, vt murorum corona æqualis vndique consurgeret.

P. Ciuitatis murus calamo, quem Angelus manu tenebat

Digitized by Google

A centum quadraginta quatuor cubitorum, menſura hominis, quæ eſt Angeli.

18. Et erat ſtructura muri eius ex lapide iaſpide. Ipſa autem ciuitas aurum mundum ſimile vitro mundo.

19. Et fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioſo ornata. Fundamentum primum, iaſpis: ſecundùm, ſapphirus: tertium, calcedonius: quartum, ſmaragdus:

20. quintum, ſardonyx: ſextũ, ſardius: ſeptimum, chryſolitus: o-
B ctauum, berillus: nonum, topazius: decimum, chryſopraſus: vndecimum, hyacinthus: duodecimum, amethyſtus.

21. Et duodecim portæ, duodecim margaritæ ſunt per ſingulas: & ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis; & platea ciuitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum.

22. Et templum non vidi in ea; Dominus enim Deus omnipotens templum illius eſt, & Agnus.

23. Et ciuitas non eget ſole, neque luna, vt luceant in ea; nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius eſt Agnus.

24. Et ambulabunt Gentes in lumine eius; & reges terræ afferent gloriam ſuam & honorem in illam.

25. Et portę eius non claudentur per diem: nox enim non erit illic.

26. Et afferent gloriam & honorem Gentium in illam.

27. Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium; niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni.

nebat, menſuratus in altitudinem patebat centum quadraginta quatuor cubitis, id eſt humanis ſtaturis viginti quatuor ſecundùm antiquam dimenſionem.

Q. Vrbis ædificia omnia ex auro pellucido erant fabricata.

R. Fundamenta pulchertimè erant diſpoſita, veluti duodecim ex lapillis pretioſiſſimis lineæ; quarum quælibet totum ciuitatis quadrum circuibat. Harum autem gemmarum profundior erat iaſpis; deinde hoc ordine reliquæ ſubibant; ſapphirus, carbunculus candidus, ſmaragdus, ſardonyx, ſardius, chryſolitus, berillus, topazius, chryſopraſus, hyacinthus, amethyſtus.

S. Adhæc; portæ ipſæ duodecim, quantumuis ſummæ tum maieſtatis fuerint, tum proportionis; ſingulæ tamen ex ſingulis erant margaritis fabricatæ. Iam ipſius vrbis viæ erant latiſſimæ, & omnes ex auro perſpicuo ac pellucente, ſicuti ipſa ædificia.

T. Nullum in hac ciuitate templum peculiare viſebatur. Templum quippe illius erat, Deum & Chriſtum in media ipſa vrbe ſedentem in throno habere: atque hoc templo tota fruebatur ciuitas.

V. Nihilo magis ſole, aut luna indigebat. Dei namque claritas eidem pro ſole eſt, & claritas Chriſti pro luna.

X. Tametſi autem qui ciuitatem cæleſtem verſus iter faciunt, necdum ad eam peruenere, non poſſunt hæc duo luminaria maxima atque clariſſima cernere, donec intro ſuccedant; ſplendor tamen, qui ſeſe ſupra muros attollit, eſt ita conſpicuus ac fulgens, vt longiſſimè proſpici poſſit; & eis indicare viam, qui ad cæleſtem vrbem pergunt, quò Reges terræ ſecum conuehunt, quidquid gloriæ atque pretij poſſidebant.

Y. Iſaias de Hieroſolyma prodidit, ipſius portas nec noctę, nec die obſeratum iri: ego verò ſolùm aſſero huius vrbis portas die non claudi. Cùm enim ibi nox minimè ſit; ſi die non clauduntur portæ, nunquam omnino claudantur neceſſe eſt. Iſaiæ 60. 11.

Z. Qui verò hanc ingrediuntur vrbem, eò conferunt quidquid in mundo optimum, quidquid glorioſum, quidquid honorificum eſt.

AA. At ſcelere aliquo inquinatus nemo illuc intrabit; ſed ij ſolùm qui in libro Agni ſunt ſcripti. Quare illuc minimè patebit aditus efferatæ alicui beſtiæ venenatæ aut immundæ.

Digitized by Google

Interpretatio superioris Paraphrasis.

A. Noui cæli, ac noua tellus absque mari, repræsentant nouum Beatorum felicitatis statum post extremum iudicium. Cælorum autem veterum mysticorum proprium erat, agere de animarum salute & incolumitate, deque Sacramentorum administratione: & terræ mysticæ erat, per patientiam ac voluntariam afflictionem proferre veros animi fructus. At verò noui cæli mystici, illud sibi vt proprium ac peculiare officium ducent, Dei conspectu & gloriæ lumine æternùm frui, absq; vlla deinceps motus conuersione. Nouæ autem terræ illud erit proprium munus, nempe glorię dotes, quibus glorioſa Beatorum corpora circumfluent. Porrò in hac noua creatione mysticum mare non apparebit; id est, nulla iam ingruent pericula, nullæ inconstantiæ vicissitudines, nullæ procellæ aut tempestates.

B. Per nouam seu mysticam Hierosolymam Romana indicatur Ecclesia; & ea est, quæ eleganter dicitur de cælo à Deo descendere, vel descendisse. Hanc verò Romanam Ecclesiam, ait Ioannes se nunc vidisse in ea gloria, quam post iudicij diem possidebit, id est, ea gloria ac maiestate suspiciendam, quæ Christi sponsam in cælo decebat.

C. Atque idem ipse Dominus, qui in glorioſa hac ciuitate suum habet thronum, asserit atque confirmat, Sanctos omnes ipsius conspectu in ea vrbe familiarissimè & amicissimè fruituros; nec non mutua omnes inter se præsentia, sicut sese mutuo cernunt atque fruuntur, qui intra idem commorantur tabernaculum.

H. Angelus, qui Ioanni hanc supernæ ciuitatis effigiem demonstrauit, beatum adumbrat Paulum; id quod egregiam habet conuenientiam.

I. Cur superna ciuitas sit supra montem efficta, facilè intelligitur.

K. Præcipua cælestis Hierosolymæ felicitas est gloria, quam essentialem vocant; quæ consistit in ipsa diuinæ essentiæ atque naturæ fruitione. Felicitas isthæc summa symbolicè figuratur in ea claritudine, quam Ioannes ex iaspide viridi, sed crystalli similitudinem habente, dimanare conspexit. Nam iaspis est gloriæ ac diuinitatis symbolum, vt dictum est cap. 4. & in primo etiam ciuitatis fundamento tractatur. quapropter iaspis crystalli instar pellucidus, & summam emittens claritatem atque splendorem, symbolum est aptissimum, quo significatur, in patria cælesti Deum suam intimam detegere claritatem; atque eadem beari, & glorioſissimam reddi totam illam cælitum beatissimorum vrbem.

L. Duodecim ciuitatis portæ, ternæ ad singulas quatuor mundi partium obuersæ denotant, vniuersis gentibus atque nationibus (si tamen in fide & charitate sint) aditum in hanc vrbem sine vlla exceptione patescere. Et duodecim quidem portarum symbolum ad eos propriè spectat, qui Gentium conuersioni fuere instrumento & adiumento: quæ Gentes sunt mystici Hebræi Christum eiusque fidem ac religionem amplectentes. Hi cap. 7. in duodecim diuiduntur tribus, quarum Patriarchæ sunt Apostoli. Iam quòd adeò sit exiguus portarum huius vrbis numerus, si ipsius immensitatem spectes, id sanè honorificentissimum est ijs, qui suam operam & industriam ad Gentium conuersionem contulerunt. Quòd autem in Apocalypsi porta Dan non numeretur inter ceteras, innuit, nonnullis satis minimè fore, fuisse eos in hac vita aliorum salutis instrumentum, vt portarum gloriam in cælesti Hierosolyma adipiscantur. Angeli huius vrbis ianitores denotant, nihil in hanc ciuitatem ingressurum, quod non deceat ipsius dignitatem. Ecquis enim Angelos aut supplantare aut superare valeat?

M. Duodecim Apostolis fundamentorum symbolum & gloria attribuitur: quòd primi ipsi Apostolicum Symbolum composuerint & prædicauerint. Quamobrem parui refert, legitimũ ipsorum Apostolorum ordinem ignorari; satis enim est, Symboli capitum ordinatam seriem cognosci.

N. Aureus calamus maximas Christi meritorum diuitias adumbrat: quorum dimensione cælestis Hierosolymæ ædificium mensuratur. Nam cui magna fuerit meritorum Christi cognitio (cuiusmodi habebat Paulus) ille poterit rectè dimetiri cælestis huius vrbis longitudinem ac latitudinem, murorum altitudinem, & fundamentorum profunditatem. Quin & Angelus ipsas etiam portas haud dubiè dimensus est: non tamen expressa fuit singularum portarum latitudo; vt angustus earum aditus tacitè innueretur; vt habetur Lucæ 13.24.

O. Quadrata vrbis area symbolum est perfectionis, quæ huic mystico ædificio inest. In quo mirum in modum elucent præcipuæ quatuor diuinæ prouidentiæ perfectiones. Ad hæc, insignis tanti ædificij magnitudo respondet ingenti saluandorum hominum multitudini, quod Christo Domino, eiusque Apostolis glorioſissimum accidit: murorum atque ædificiorum æquabilitas nobis exprimit maximam beatorum ciuium pacem ac beneuolentiam.

P. In muro Christiano indicantur sacerdotes; qui per viginti quatuor item seniores, siue principes figurantur; de quibus cap. 4.

Q. Ædificiorum materia ex perspicuo & pellucido auro, symbolicè innuit, Sanctorum gloriam perfectissimam esse, ac deriuatam à Christi gloria, quæ per chrysolitum denotatur.

R. Singulis Apostolici Symboli articulis numero duodecim, singulæ etiam ex totidem gemmis sunt selectæ ac destinatæ; quæ illis ipsis articulis, ad quos aptantur, magis appositæ & congruentes visæ sunt Spiritui sancto.

S. Portæ singulæ ex singulis margaritis effictæ ingentem pariter perfectionem & charitatem adumbrant, quæ in primæuis illis Hebraici populi Christianis enituit: in ijs inquam, qui se totos in

Gen-

Digitized by Google

A Gentium conuersionem strenuè impenderunt; quorum vestigia sacræ Religiosorum hominum familiæ consectari studeant. Viarum symbolum transfertur ad eam gloriam, quæ communis est illius vrbis non supremis solùm (qui per ædificia figurantur) sed etiam infimis. Aurum translucidum eandem hîc cum ædificijs significationem sortitur.

T. Singulari aliquo orationis loco opus non est, vbi Dei & Christi conspectu clarissimo Sancti fruuntur. Quæ visio eorum corda animosque rapit, & cum Deo perfectissimè copulat.

V. Solis symbolo, Dei claritas: Lunæ verò, humanitas Christi significatur: vt cap. 12. 1. explicatur.

X. Conspicuus splendor, quem viatores illuc pergentes longè prospiciunt, antequam duplex illud luminare cernant; indicat illud ipsum, quod Euangelica prædicat doctrina de incredibili felicitate, quam Deus suis electis recondidit & asseruauit. Hic fulgor procul sese prodens Gentes inuitat, vt se viæ committant, & in gloriosam hanc vrbem rectà contendant. Reges qui suam secum gloriam asportant, sunt Ecclesiæ principes, qui secum aduehunt virtutum suarum ac meritorum thesauros.

Y. Portæ ipsæ non clauduntur die aut nocte; quia qui idonea meritorum supellectile instructi,
B & debitis (si quibus premebantur) solutis, ad cælestem beatitudinem pergunt; ijs nunquam ingressus interdicitur.

Z. Gentium gloria atque diuitiæ, quæ per ciuitatis portas intro inuehuntur, ostendunt quidnam in terrarum orbe debeat maximi fieri & æstimari; nimirum vera animi sanctitas ac vitæ puritas, & integritas, & quidquid ad veram sapientiam & virtutem spectat.

CAPVT XXII.

De æterna felicitate prædicti triumphi, & quanto in pretio Apocalypseos liber haberi debeat.

TEXTVS.

C 1. ET ostendit mihi fluuiũ aquæ vitæ splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei & Agni.

2. In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem Gentium.

3. Et omne maledictum non erit ampliùs: sed sedes Dei & Agni in illa erunt, & serui eius seruient illi.

D 4. Et videbunt faciem eius: & nomen eius in frontibus eorum.

5. Et nox vltrà non erit, & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis. Quoniam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in sæcula sæculorum.

6. Et dixit mihi: Hæc verba fidelissima sunt, & vera. Et Dominus Deus spirituum prophetarum misit Angelum suum ostendere seruis suis, quæ oportet fieri citò.

7. Et ecce venio velociter. Beatus, qui custodit verba prophetiæ libri huius.

PARAPHRASIS.

A. ILle item Angelus fluuium mihi monstrauit aquæ vitæ, à Dei & Agni sede effluentem, crystalli instar pellucidum ac splendidum; qui fluuius tot in diuortia atque torrentes diuidebatur, quot erant ciuitatis viæ. Per omnes enim aquarum fluenta ferebantur.

Ex vtraque autem fluminis parte erant vbique arbusta mirifica eiusmodi arboribus constantia, quibus ligni vitæ nomen meritò deberetur. Ferebant autem duodenos singulis annis fructus, nimirum singulos mensibus singulis; & earum quidem arborum folia erant maximè salutaria.

B. Hæc omnia vbi mihi indicauit Angelus, subiecit: qui hanc ingrediuntur vrbem, eos esse omnes ab omni maledicto liberos, & Dei atque Agni cõspectu in hac ciuitate regnantium semper frui.

Adhæc, hac eadem in vrbe omnes Dei nomen frontibus impressum gerere; sicuti olim gerebat Aaron, cùm Sancta sanctorum intrabat.

Digitized by Google

8. Et ego Ioannes, qui audiui, & vidi hæc. Et postquam audissem, & vidissem, cecidi vt adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendebat.

9. Et dixit mihi: Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum prophetarum, & eorum, qui seruant verba prophetiæ libri huius: Deum adora.

10. Et dicit mihi: Ne signaueris verba prophetiæ libri huius; tempus enim propè est.

11. Qui nocet, noceat adhuc; & qui in sordibus est, sordescat adhuc; & qui iustus est, iustificetur adhuc; & sanctus, sanctificetur adhuc.

12. Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundùm opera sua.

13. Ego sum A, & Ω, primus & nouissimus, principium & finis.

14. Beati, qui lauant stolas suas in sanguine Agni: vt sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem.

15. Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis seruientes, & omnis, qui amat & facit mendacium.

16. Ego Iesus misi Angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesijs. Ego sum radix & genus Dauid; stella splendida & matutina.

17. Et spiritus, & sponsa dicunt: Veni. Et qui audit, dicat, Veni. & qui sitit, veniat; & qui vult, accipiat aquam vitæ, gratis.

18. Contestor enim omni audienti verba prophetiæ libri huius: Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.

19. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate sancta, & de his, quæ scripta sunt in libro isto.

20. Dicit, qui testimonium perhibet istorum. Etiam venio cito: Amen. Veni Domine Iesu.

21. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

A C. Quibus omnibus tum visis, tum auditis; ingenti ipse tantæ spei solatio delinitus, ad ipsius Angeli pedes, qui mihi vrbem demonstrabat, præ lætitia & alacritate volui procidere: sicut suprà ad Angeli magnæ potestatis pedes me abieci. Sed non minùs hic Angelus, quàm ille, me ab hac adoratione arcuit.

D. Post hæc idem mihi Angelus edixit, ne verba prophetiæ libri huius signarem; tempus enim propè esse.

B E. Quin etiam ipsius Christi agens personam, subiunxit: sicut is, qui nocet, nocere adhuc pergit; & qui iacet in sordibus, sordescit adhuc: sic etiam qui iustus, adhuc iustificetur oportet; & qui sanctus, adhuc sanctificetur. *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundùm opera sua.*

C

F. Porrò tam Christi spiritus, quàm Ecclesia Christi sponsa fideles omnes docent, vt singuli preces effundant obnixè dicentes, *Adueniat Domine regnum tuum.* Itàque qui hanc sancti Spiritus & Ecclesiæ præceptionem intentè excipiunt, dicant similiter, *Adueniat Domine regnum tuum.* Quam orationem oportet iterari maxima cum siti ac desiderio fruendi cælesti beatitudinis æternæ fluuio; nec non summa diligentia, atque studio præstandi strenuè, quidquid ad eius fruitionem opus erit. Etenim quantumuis vehemens studium atque contentio adhibeatur; tanta est tamen felicitas, quæ speratur, vt iure optimo aqua vitæ gratis dicatur concedi.

G. Denique aduersus eos, qui huius libri doctrinæ sese opponere contenderent; addentes, aut detrahentes ex verbis ipsis, aut doctrina, quod addi, aut detrahi minimè potest, quin eidem libri huius doctrinæ obsistatur: aduersus hos inquam, (quod idem est, atque aduersus Hæreticos) diræ & execrationes ipsius Dei iactantur: quibus eiusmodi intenditur comminatio, aduersus eos scilicet Deum septem tubarum plagis belligeraturum. Quòd si in vitæ librum priùs erant relati; eorum nomina ex eodem libro delenda, eosque per finalem impœnitentiam damnandos, nisi maturè resipuerint. D

H. Hæ comminationes ab ipso intenduntur Christo, qui omnia in hoc libro descripta testificatur. Quin & ipse se citò venturum ad illa ipsa implenda asseuerat. Ego verò aio: Etiam Domine, *Veni Domine Iesu.* Cuius gratia cum vobis omnibus permaneat. Amen.

Inter-

Digitized by Google

A

Interpretatio superioris Paraphrasis.

A. Per flumen symbolicè significatur cælestis voluptatis magnitudo, qua Beatos Dei & Christi visio perfundit. In vitæ ligno denotatur immortalitas, quæ ex visione ipsa beata procedit; quæ immortalitas perfectissimè sanat quæcumque vulnera ac cicatrices Beati in hac mortali vita habuerint: & propterea arborum folia dicuntur esse ad sanitatem gentium.

B. Maledictum tam culpas, quàm pœnas comprehendit. Ea enim omnia complectitur, quæ homines solent alijs maledicendo imprecari. Quòd omnibus Dei nomen in fronte sit inscriptum, indicat, omnes esse potentes ad diuinam maiestatem pro nobis in hac vita degentibus exorandam.

C. Beatus Paulus est ille, ad cuius pedes se Ioannes prouoluit; vt ex superiùs dictis videre est.

D. Quòd Ioanni præcipiatur, ne libri huius prophetiam designet; perinde est, quasi certior reddatur librum hunc, quantumuis obscurum, summo adhuc solatio & vtilitati fore in ijs omnibus quibus homines singulos ad suum ipsorum emolumentum imbui oportet. Atque in hoc sensu libri huius prophetia respectu singulorum citò est explenda.

B E. Christus suos admonet, & hortatur iustos; vt quando Ecclesiæ persecutores magis magisque sæuiant, tunc ipsi eam captantes occasionem ex persecutione sibi fructum decerpere, & in vitæ integritate ac sanctimonia progressus facere studeant. Sic enim vtrique pariter ad destinatam sibi mercedem atque exitum præparabuntur.

F. Christus Iesus semet vocat Dauidis radicem; qua appellatione significatur, quando Dauidis regnum absumptum iam atque extinctum videbatur, tunc quidem radicem abditam latuisse, vbi minùs opinabantur homines; eamque fuisse potentem ad instaurandam Dauidici regni felicitatem cum toto illo incremento, quod fuerat à Prophetis prædictum. Quia verò, vt homines maximam mystici Dauidis regni felicitatem assequerentur, vtque Catholica Ecclesia in hac vita ad ingentem claritatem perueniret, opus erat fortitudine ac tolerantia earum persecutionum, quas tunc perpetiebatur Ecclesia; idcirco in medijs ipsis aduersitatum procellis ait Christus, se luciferum etiam esse, qui in obscura adhuc nocte solatium hominibus afferat, certissima solis quàm mox oriturí expectatione.

G. Cetera omnia, quæ ad capitis calcem subsequuntur, in ipsa paraphrasi explicantur.



Digitized by Google

LIBER SECVNDVS,

CONTINENS

COMMENTARIVM

TRIVM PRIORVM

CAPITVM

APOCALYPSEOS,

quæ ſunt ſacræ actionis prologus.

EXORDIVM.

QVANTVM in egregiè extructis ædibus interius ædificium ſolet arte & elegantia externam porticum ac veſtibulum ſuperare: tantum cuperem ipſe ſubſequentes libros priori antecellere. Etenim dum ad libri ipſius, qui explicatur, commentarium peruentum non eſt; vix potuit ex magnitudine & pulchritudine Apocalypſeos illud diſcerni, quod vel externa facies præ ſe fert. Quamobrem ſpero voluptatem multo maiorem perceptum iri ab ijs, qui ipſam Apocalypſin per commentaria ingreſſi, intima penetralia admirandæ huius domus, quam ſibi Sapientia conſtruxit, inſpexerint.

Totius operis diuiſio.

Ipſum verò Apocalypſeos opus conſidero ego, veluti regiam aliquam quatuor in partes pulcherrimè diuiſam: atque eapropter, meum ipſe commentarium in quatuor diuido libros, quorum ſinguli ſingulis regij huius ædificij partibus reſpondeant.

Atque in primis, horum commentariorum in plures libros diſtinctio non minus habet commodi & emolumenti, quàm ſublimis alicuius ſcalæ in multas partes, & quaſi diuiſiones partitio; aliquot ſtatiunculis viciſſim interpoſitis. quippe, cùm accliuis ſit via, ac proinde aſcenſu difficilis; graue ſatis eſt & oneroſum, ſi nullæ ſint in ſcalis diuiſiones, vbi ſiſtere quiſque, & aliquanto poſſit requieſcere. Quare hominum induſtria modum tandem exco-

Digitized by Google

A excogitauit atque inuenit; quo scalis in varias veluti sectiones diuisis, & facilitas in ipso conscensu, & pulchritudo etiam in aspectantium oculis adderetur.

Superioris diuisionis ratio.

Deinde hæc commentarij distinctio in quatuor partes aut libros non est pro interpretis libito excogitata; sed congruens valdè cum ipsa Apocalypseos, quam in se continet, distinctione. Ex ijs enim, quæ diuiduntur, quædam sunt, in quibus nullum apparebat diuisionis aut distinctionis signum, siue inchoatio; vt in pomis, piris, aut hyemalibus peponibus: quæ si diuidere, & varias in partes secare velis, tam partium numerus, in quas diuidenda

B sunt, quàm diuisionis ipsius locus omnino sunt secantis placito relinquendi. Alia verò sunt, in quibus natura ipsa diuisionem atque sectionem inchoauit: vt verni pepones, & punica mala. In quibus apta & conueniens diuisio ea est, quæ natiuæ ipsi distinctioni, in huiusmodi fructibus à natura insitæ conformatur. Vsu venit autem, punici mali fragmina non esse inter sese æqualia; sed alterum altero maius: tunc autem non rectè secabit, qui illud in partes æquales diuidet.

Non aliter in Apocalypsi philosophari licet, cuius si diuisio arbitraria foret omnino, consentaneum minimè esset ex quatuor

C libris sequentibus, primo scilicet, & quarto, terna capita singulis tantùm concedi, & tam secundo, quàm tertio octona singulis attribui. Atq; ob huius discriminis rationem, qui intimos Apocalypseos recessus non inspexerit, meam fortè diuisionem aut vt nouam mirabitur, aut damnabit etiam vt dissentaneam. Qui verò libri ipsius intimam distinctionem seriò attenderit, facilè cernet, distinctionem in partes omnino æquales, inæqualem planè & dissonam, non secùs atque in malo punico, esse, atque adeò inæqualitatem ipsam hac in parte veram æquitatis speciem induere. Etenim, vt primùm quis ad Apocalypseos diuisionem mentem velit adijcere, facilè animaduertet, nec primum librum po-

D tuisse à capite tertio progredi: nec fas esse in libro secundo minùs quàm octo sequentia capita comprehendi, vt re ipsa penitus considerata manifestum erit. Sed percommodè accidit, vt tertius etiam liber octo itidem capita complectatur, & quarto demum tria capita postrema supersint. Qua ratione inter quatuor hosce libros aliqua reperitur in ipsa inæqualitate proportio.

Hic ergo liber (qui & primus est commentariorum, & in nostri operis ordine secundus) primam Apocalypseos partem contemplatur, id est, prologum sacræ huius actionis: in qua post titulum à Ioanne inscriptum, & post epistolam dedicatoriam; prima figura Ioanni visa vniuersæ Apocalypseos summam continet;

dum

Digitized by Google

dum sub Christi persona nobis ob oculos ponit, quàm se admirabilem Deus exhibuerit in Christianæ Ecclesiæ exordio, nec non in glorioſissima victoria, quam ei præbuit primò ex Iudaico populo; deinde ex Gentilicio. Posteà verò persona eadem, quæ capite primo, Apocalypseos summam paucis complexa est, in capite mox secundo atque tertio, ad prologi consuetudinem, admonet septem Episcopos (atque in ipsis cunctos fideles ad septem conscientiarum genera redactos) de maximo emolumento, quod omnes ex Apocalypseos doctrina percipere & possunt, & debent. Quæ omnia ad sacræ huius actionis prologum attinent, vt suo loco planum fiet. Atque hæc leuiter attigisse sit satis de secundi huius libri argumento: vt ea lector conferat cum ijs, quæ notatione septima proœmiali, & in priorum trium capitum paraphrasi dicta à nobis sunt. A B

Porrò illum in meis commentarijs ordinem (ad Illustrissimi Cardinalis Toleti imitationem) seruare statui, vt hoc opus commentariorum & notationum serie ac distinctione contexam. Et ad commentarium quidem spectat, quod ad textus declarationem magis erat necessarium: quidquid autem his annectitur, reijcitur in notationes. Et primùm hæc distinctio conducit ad operis claritatem; præsertim adiunctis notationum titulis; quò faciliùs lector possit animaduertere, quis sit commentarius, quæ notatio, quod singularum annotationum argumentum. Secundò, hac ratione onus commentarij magna ex parte minuitur, efficiturque, vt seorsim inueniatur ab illo, qui contenta in notationibus non quærit. C

Tertiò, huiusmodi diuisio idonea satis est, vt absque commentarij ipsius perturbatione, ex professo allusiones Apocalypseos exponantur (quæ & quàm plurimæ sunt, & cum primis elegantes) & cum ijs conferantur locis, ad quos Apocalypsis alludit. Qua in re vehementer cupio, vt locos alios cum alijs componere atque conferre, perinde sit, ac si vitis ad palmam adiungatur (qua vtitur comparatione Spiritus sanctus Cant 7.8.) hoc est, vt non solùm pulchrè & eleganter, sed etiam vtiliter & fructuosè fiat; necnon voluptatis etiam ac suauitatis ratio habeatur. Sic enim apparebit, Apocalypseos palmæ firmitudinem & celsitatem maximo esse adiumento; vt vitis ad eam adhærentis palmites hoc veluti fulcro & adminiculo erigantur, & nitidi ac pingues vuarum racemi gratum oculis spectaculum, & gustui suauitatem præbeant. Ex eisque efficiatur vinum illud in Canticorum libro laudatum. D

Quartò, quamuis forsan alicui videri possim notationum spe-

Digitized by Google

A cie atque prætextu, ad varias digressiones liberè excurrere: confido tamen, quemlibet facilè perspecturum, perpaucas ex illis omitti à me potuisse, si omnia mihi erant dicenda, quę ad exactam Apocalypseos intelligentiam conducunt: id quod me valdè expetijsse, ac mihimet imposuisse non inficior.

Quintò, non omnes notationes de ijs agunt locis, ad quos Apocalypsis alludit. Ex illis enim non paucæ impenduntur in symbolorum Apocalypseos perfectionem, & in alias etiam res non
B parui momenti ad nostræ explicationis complementum.

Sextò, non omnes Apocalypseos allusiones in notationibus explicari ex professo potuerunt. Interdum enim alluditur ad integra veteris testamenti capita, nec semel ad integrum librum. Quamobrem operæ pretium fore visum est, si allusiones illæ, quæ breuiter exponi potuerunt, locum in his notationibus haberent, quæ commentario connectuntur: quæ verò adeò in locum excreuerent, vt totam aliquorum capitum siue libri interpretationem poscerent, illæ ad quinque postremos huius operis libros re-
C ijcerentur: quibus in libris, ex Apocalypseos allusione, seorsum explanantur ea, quæ oportuit ab alijs compluribus separari; quæ in priorum librorum notationibus continentur. Et quidem in vtrisque id exoptaui, vt innotesceret, ex Apocalypsi clarissimam ad locos eos, quos respicit, lucem refundi: atque allusione ipsa rectè percepta plurimum etiam lucis ex eisdem locis Apocalypsi vicissim afferri: & denique ad perfectam sacri huius libri explicationem permagni interesse eorum, ad quos alludit, locorum attentam considerationem.

Digitized by Google

A

Libri titulus ab Ecclesia appositus sic habet;

APOCALYPSIS B. IOANNIS APOSTOLI,

de quo satis suprà in prologo, notatione 2. & 4.

CAPVT I.

CAPITIS primi textu attentè perlecto, facilè apparet, illud in tres diuidi partes; quarum prima totius est operis titulus & elogium: secunda, epistola dedicatoria: tertia, narrationis initium; quod nos totius actionis prologum esse asserimus. Seruatur in hac distinctione multorum librorum consuetudo, quorum in fronte præfigitur titulus, totius operis elogium continens, deinde subditur epistola, seu dedicatio libri: tertiò annectitur prologus. Notandum verò est, tres has primi capitis partes triplicem esse facem ad obscuritatem Apocalypseos aliquo modo illustrandam. Quia in horum trium singulis argumentum operis indicatur: in titulo breuiter, paulò latiùs in epistola, in prologo seu prima actionis persona distinctiùs. B

PARS PRIMA,

QVÆ TITVLVS EST, ET ELOGIVM LIBRI. C

TEXTVS.

Vers. 1. APOCALYPSIS Iesu Christi, quam dedit illi Deus palàm facere seruis suis, quę oportet fieri citò: & significauit, mittens per Angelum suum seruo suo Ioanni.

2. Qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Iesu Christi quæcumque vidit.

3. Beatus qui legit, & audit verba prophetiæ huius, & seruat ea, quæ in ea scripta sunt: tempus enim propè est. D

COMMENTARIVS.

VERS. 1. APOCALYPSIS IESV CHRISTI] Id est, prophetia Christo reuelata. Quia res ipsa reuelata fuerat animæ Christi; non quidem ænigmaticè, sed apertè. Palàm enim, & non per ænigmata, loquitur Christo Deus.

Cur hæc prophetia, Apocalypsis Iesu Christi appelletur.

Præterea prophetia hæc meritò appellatur Apocalypsis, seu reuelatio Iesu Christi; quia nemini ante Christum perfectè reuelata fuerat, neque ipsis etiam angelis. Vide Paulum ad Ephes. 3. 9. de sacramento abscondito à sæculis in Deo; *Qui omnia creauit, vt innotescat principatibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei, secundùm præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro*, de quo loco diximus in prologo notat. 8.

Obiectio.

PALAM FACERE] id est, vt palàm faceret. Constructio græca. Sed quid est hoc? Numquid Christus palàm fecit fidelibus omnia, quæ in hoc libro ænigmaticè significantur? vt Romam esse prorsus debellandam, & subijciendam euangelio, & mille annorum pacem, & huiusmodi alia? immò verò propterea hæc obscurissimis ænigmatibus obtexit; quia summopere expediebat, ne cunctis fidelibus omnia ista palàm fierent. Quare neque per hunc librum, neque per manifestam aliam reue-

Digitized by Google

A reuelationem fidelibus communiter innotuerant ea, quæ velata esse oportebat. Quidergo est, Christum accepisse hanc reuelationem à Patre, vt palàm faceret seruis suis? Respondetur, Ioannem non asserere Christo datam esse hanc reuelationem, vt eam palàm faceret seruis suis; sed vt palàm faceret ea, quæ oportet fieri citò. q.d. In hac reuelatione continentur quædam, quæ citò oportet fieri; & alia, quæ non adeò citò implebuntur: atqui quamuis tota reuelatio videatur ænigmatibus obscurissimis occultata; ea tamen, quæ oportet fieri citò, fidelibus omnibus sunt adeò manifestata, vt verissimè dicatur Christus ea palàm fecisse seruis suis, id est, reipublicæ Christianæ, tum quia obscuritas ænigmatum huius libri non obstat, quò minùs satis constet ex hoc libro manifestè colligi, singulos homines citò (nempè in die mortis) visuros, quanta sit felicitas seruorum Christi, & quanta inimicorum eius infelicitas ac miseria; tum etiam, quia illa, quæ oportet fieri citò, non solùm hoc in libro continentur, sed etiam apertè fuerant Ecclesiæ reuelata, & palàm facta. Prudentissimè ergo Ioannes initio libri respondet tacitæ obiectioni, quam videbat posse opponi contra summam huius libri obscuritatem; nempe, cur adeò obscurè proponantur ea, quæ sunt ad salutem necessaria? Huic (inquam) obiectioni respondet, ea quæ oportet fieri citò, & quæ singulos nosse oportet, manifestissimè doceri. q.d. Tota obscuritas ad ea reuocatur, quæ singulis non sunt adeò necessaria, & quæ non adeò citò oportet fieri; scilicet ad ea, in quibus obscuritas erat maximè conueniens.

Responsio.

Quid sit, Palam facere seruis suis.

B QVÆ OPORTET FIERI CITO] Diximus, hæc non de omnibus affirmari, quæ in Apocalypsi continentur: quia Romæ conuersio, diaboli solutio post ligationem, & Antichristi persecutio, non adeò citò erant opere complenda; vt ex ipso textu manifestè colligitur. Sed obijciet aliquis vltimâ Apocalypseos partem esse patriæ cælestis triumphum; & post illius descriptionem subdi, c. 23. n. 10. *Ne signaueris verba prophetiæ huius; tempus enim propè est.* Tota ergo prophetia erat citò implenda. Respondeo, huius prophetiæ finem, id est, diem iudicij, & patriæ cælestis triumphum aliqua ratione verissimè esse valdè propinquum. Nam ratione singulorum nulla est longior intercapedo, siue dilatio temporis, quàm vsque ad diem mortis; & huius propinquitatis, tanquam rei maximi momenti, oportuit admonitos fuisse fideles. Quòd autem re ipsa iudicij vniuersalis dies post meam mortem, aliquot annorum millia differatur, an citò adueniat; id parum aut nihil mea refert: atque ita non est verisimile de propinquitate, quæ ad rem non pertinet, toties agere Scripturam. Vtrumque ergo cohæret optimè; nempe & finem huius prophetiæ mihi considerandum, tanquam citò implendum; & nihilominùs multa in hac prophetia contineri, quæ non adeò citò oportebat fieri. Ex hoc fortasse loco, vt ex aliis similibus, multi ex vetustioribus suspicabantur, extremi iudicij diem iam imminere. Sed Christus Matth. 24. 36. & Paulus 2. Thessal. 2. 1. & Petrus epist. 2. c. 3. n. 8. monuerunt nos eam suspicionem à legitima sacræ Scripturæ significatione alienam esse, vt obseruarunt Augustinus 18. de Ciuitate cap. 53. & D. Thom. in locum illum Pauli ex 2. ad Thessalonicens. 2. Quare cùm sæpe

Difficultas circa textum, eiusq; solutio.

C sacra Scriptura videatur asserere iudicij diem propè esse; cumque ex Christi Iesu verbis & Petri atque Pauli constet, non eum esse sensum, quem nonnulli formidabant; eorum omnium locorum proculdubiò sensus est, verissimè diem iudicij appropinquare respectu singulorum. Atque hoc iterum atque iterum inculcare, maximæ erat prudentiæ, & nobis valdè necessarium eius rei memoriam refricare, quæ nostra tanti interest; & cuius plerosque tanta tenet obliuio.

Quo sensu dies iudicij propè esse verè dicatur.

ET SIGNIFICAVIT] ἐσήμανεν. quod nos in præsenti de ænigmatica significatione intelligimus. Sicut etiam Ioan. 12. 32. *Si exaltatus fuero à terra*, &c. *Hoc autem dicebat significans, qua morte esset moriturus.* & c. 21. 18. *Extendes manus tuas, & alius te cinget*, &c. *Hoc autem dixit significans, qua morte clarificaturus esset Deum.* Vtrobique est idem verbum σημαίνων. Prophetia ergo huius libri reuelata est Christo Domino nuda & aperta: sed eam visum illi est ænigmatibus conuestire, & ad Ioannem mittere: nimirum quia valdè oportebat non clarè & apertè sed tectè & occultè loqui; vt diximus in prologo notat. 14. Quare optimè explicuit Glossa cum Beda & Ruperto; *significauit*, scilicet *sub figillo*; ne locus sit furibus peruertendi; & vt gratior sit fidelibus inuentio. Atque ex hoc verbo colligitur perfectionem symbolicam horum ænigmatum æstimandam esse ex ingenio & sapientia Christi Domini. Vide in prologo notat. 15.

MITTENS PER ANGELVM SVVM SERVO SVO IOANNI] Hoc in Ioannis decus & dignitatem

Ioannis dignitas ex Angelo, qui ad eum mittitur.

D cedit. Facilè quidem posset Spiritus sanctus absque vllo internuncio per semetipsum hanc Ioanni prophetiam reuelare. Ceterùm, vt ipsius dignitatis ac meritorum se rationem habere ostenderet, Angelum ad eum legauit. Qua ratione Hieronymus Matth. 2. D. Ioseph dignitatem colligit, ex eo quòd Magos Deus de reditu in patriam nullius interiectu Angeli admonuerit; Ioseph verò, quoties illi fuerat aliquid reuelandum, Angelum legauerit. Verba Hieronymi sunt: *Qui munera obtulerant Domino, consequenter responsum accipiunt; non per Angelum, sed ipsum Dominum; vt meritorum Ioseph priuilegium demonstraretur.* Maiori enim honore à Rege afficitur ille, cui aliquem ex aulicis sibi familiarissimis legat, quàm cui meras epistolas mittit.

QVI TESTIMONIVM PERHIBVIT VERBO DEI, ET TESTIMONIVM IESV CHRISTI QVÆCVMQVE VIDIT] Græcè sic habetur, ὃς ἐμαρτύρησε τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, καὶ τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ ὅσα εἶδε, hoc est (vt verbum verbo reddatur,) Qui testatus est verbum Dei, & testimonium Iesu Christi, quæcumque vidit. Vides verbum Dei, & testimonium Iesu Christi vtrumque esse in accusatiuo. Et græcæ lectionis sensus facilis est, Ioannem testari, quæcumque vidit, (id est omnes huius libri figuras) esse verissimum Dei verbum à Christo testificatum, hoc est, nihil in his figuris contineri, quod non sit purum putum Dei verbum, & Christi doctrina. Hunc etiam sensum recipit latina lectio, (licèt nonnihil obscurè) quia cùm ait,

VERS. 2.

Digitized by Google

A

Verbum Dei quo sensu accipiendum in præsenti.

Testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium IESV *Christi quæcumque vidit.* Perinde est, ac si diceret; Ioannes testimonium perhibuit iis, quæ vidit, tanquam verbo Dei, id est, doctrinæ diuinæ; & quæcumque vidit, asserit non esse aliud, quàm testimonium Iesu Christi: neque dubium quin hic sit planus græcæ lectionis sensus. Atque ita verbum Dei in præsenti non pro Dei Filio, sed pro ipsius doctrina accipiendum est. Neque enim aliud patitur græca phrasis. Qui verò loci à nonnullis adducuntur, vt probent sermonem hîc esse de Filio Dei; vt ille Lucæ 4.22. *Omnes testimonium illi dabant*; & alij similes; nihil ad rem. In his enim locis latinæ lectionis græca eodem casu respondet. Vt in hoc Lucæ, πάντες ἐμαρτύρουν αὐτῷ, id est, Testificabantur ei. Secùs est in præsenti. Neque obstat græcus articulus; quia tam doctrinæ Euangelicæ, quàm Dei Filio, & græcè & hispanicè aptissimè additur articulus; & maximè cùm sermo est de vniuersa Christiana doctrina. Atque id est, quod Ioannes significat, nempe vniuersæ doctrinæ Christianæ substantiam atque medullam in iis, quæ vidit, contineri. Ex quo etiam intelligitur, Ioannem perfectè intellexisse significationem eorum omnium, quæ illi Angelus inspicienda proposuit. Vnde obiter constat non in scopum collineari ab eo, qui applicat figuras Apocalypseos ad res minoris momenti, aut incertas; de quo suprà in prolegom. notatione 8.

Totius huius ænigmatis sensum à Ioanne fuisse perceptũ.

QVI TESTIMONIVM PERHIBVIT VERBO DEI, ET TESTIMONIVM IESV CHRISTI QVÆCVMQVE VIDIT] Nostra explicatio confirmatur ex eo, quod legimus infrà nu. 9. *Fui in insula Pathmos propter verbum Dei, & testimonium Iesu.* Vbi sensus planus est, se in exiliũ fuisse missum propter euangelicam doctrinam, quam prædicabat. Ipsa itaque doctrina euangelica appellatur verbum Dei, & testimonium Iesu. Vide etiam infrà num. 5. *Et à Iesu Christo qui est testis fidelis*, vbi de veritate eorum agitur, quæ à Christo fuerant prædicta; nempe de reprobatione Iudæorum, & Gentium electione. Eôdem igitur spectat in præsenti testimonium Iesu Christi. Nihil enim cohærentius, quàm vt testis & testimonium, vt coniugata de eâdem re accipiantur. Atque cùm hæc in libri titulo præfixa sint; quid aptius, quàm vt ad libri argumentum respiciant? Quo animaduerso, statim liquet illa verba (*quæcumque vidit*) non esse referenda ad opera & miracula Christi (siue conscripta in Euangelio, vt Ambrosius, Beda, & Rupertus exponunt; siue à Ioanne prædicata, vt Ribera, & Viegas volunt) sed ad ipsius Apocalypseos visiones. In quarum singulis semper ait Ioannes; *& vidi, & vidi.* Atque ita in præsenti de ipsa visione loquitur; aliter enim non esset sermo ad rem.

B

Quid sit, Quæcũque vidit.

VERS. 3. BEATVS QVI LEGIT ET AVDIT VERBA PROPHETIÆ HVIVS; ET SERVAT EA, QVÆ IN EA SCRIPTA SVNT] Nota dupliciter posse seruari verba: Primò, si executioni mandentur: quod ad sola præcepta, vel monita referri potest. Secundò, si deuota eorum memoria conseruetur. Qua ratione non solùm præcepta seruantur; sed quæcunque aliæ res, quas videre, siue audire contingat. Vide Lucæ 2.19. *Maria autem conseruabat omnia verba hæc.* & n. 51. *Mater eius conseruabat omnia verba hæc.* Quod ergo in præsenti dicitur: Beatum esse, qui seruat verba prophetiæ huius; secundo modo videtur accipiendum: vt non solùm referatur ad monita vel præcepta, sed etiam ad totius libri discursum atque doctrinam. Hæc enim interpretatio videtur plenior & aptior. Itaque verba hîc accipiuntur pro rebus iuxta receptam sacræ Scripturæ phrasim. Sed ad eam felicitatem, de qua agit Ioannes, non est necessaria lectio vel auditio horum ænigmatum: satis enim est, vt res ipsæ, quæ in eis continentur (id est, doctrina Euangelica de prouidentia Dei erga Ecclesiam Christianam) quauis alia ratione innotescant homini, & debita reuerentia suscipiantur, & fideli memoria conseruentur. Hæc ergo sententia eadem est cum illa Lucæ 11.28. *Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*, græcè φυλάσσοντες τὸν λόγον τοῦ θεοῦ. Vbi verbum Dei habet articulum, sicut in nostro textu.

C

Verba huius prophetiæ seruari bifariam posse.

Verba hîc pro rebus accipi, iuxta Scripturæ phrasim.

Quî dicatur beatus, qui audit & seruat prophetiæ huius verba?

Sed obijciet aliquis; Si ad felicitatem, quam Ioannes prædicat, non sunt necessaria huius libri ænigmata; quorsum Ioannes in commendationem huius libri ait, *Beatus qui legit & audit verba prophetiæ huius.* Respondeo, ad commendationem ænigmatis valere, quòd eius medullà sit res maximi momenti, & cuius notitia possit beare hominem. Atque hinc etiam confirmantur, quę de argumenti dignitate suprà dicta sunt in prolegom. notatione 8.

TEMPVS ENIM PROPE EST] Græcè καιρὸς, quæ vox propriè opportunitatem significat. expende ergo nexum orationis. Prædicantur felices, qui doctrinam huius prophetiæ intimo corde seruauerint: quia propè aderit opportunitas; scilicet vberrimum capiendi fructum ex hac prophetia; videlicet in singulorum morte, & in vitæ etiam casibus, præsertim in persecutionibus & tentationi-

D

Habac. 2.4.

bus, quia *iustus ex fide viuit*, id est, in doctrina fidei inuenit remedium ad securitatem & felicitatem præsentis vitæ; & ad æternæ consecutionem. Hic est, meo iudicio, sensus legitimus: in quo etiam inuoluitur, hanc prophetiam respectu singulorum verissimè impleri in morte vniuscuiusque.

Qua ratione tempus propè esse dicatur?

Nota præterea, in his verbis alludi ad illud Ezechielis 12.27. *Ecce domus Israël dicentium; Visio, quam hic videt, in dies multos; & in tempora longa iste prophetat.* Similis enim obiectio videbatur fieri posse prophetiæ Ioannis: quia multa continet Apocalypsis, quæ implenda erant post longa tempora; vt victoriam de Imperio Romano, mille annorum pacem, solutionem draconis post mille annos, &c. Huic ergo obiectioni respondet Apostolus, licèt verum sit, nonnulla contineri in Apocalypsi post diuturnum tempus implenda; nihilominùs summam & substantiam totius prophetiæ, & finẽ illius respectu singulorum citò complenda esse; & adeo citò, vt beatus sit, qui prophetiæ huius memoriam deuota mente recolat; quia propè est tempus & opportunitas vberrimum capiendi fructum ex huius prophetiæ fide & veneratione.

Non desunt, qui contendant, in his verbis significari, nihil contineri in Apocalypsi, quod non citò implendum esset; atque adeò non solùm respectu singulorum, sed etiam respectu totius mundi citò venturum fuisse diem iudicij vniuersalis; quia sacra Scriptura loquitur de tempore respectu

æterni-

Digitized by Google

A æternitatis: vt videtur docere B. Petrus epist. 2. c. 3. n. 8. *Vnus dies apud Dominum, sicut mille anni; & mille anni sicut dies vnus.* Dico tamen eam interpretationem non videri ad mentem sacræ Scripturæ. Quia quod ait Apocalypsis, *Beatus qui legit, & audit verba prophetiæ huius, & seruat, &c. tempus enim propè est;* omnino promittit ante multos annos colligendum esse maximum fructum ex huius prophetiæ fide & memoria. Ad locum autem diui Petri, Respondeo, sapientissimè fuisse locutum: quia supponit singulis hominibus breui adesse mortem; & quia post mortem, Sancti non iam tempore mensurantur, sed æuo aut æternitate; ideò ait non tardare Deum promissiones suas. Scilicet, quia vnicuique appropinquat mors: post mortem autem ij, qui fruuntur Dei beatitudine, parum aut nihil curant, quòd dies iudicij mille annos differatur: *Quia mille anni apud Dominum sicut vnus dies.* Agit ergo Petrus de iis, qui sunt apud Dominum. Si verò in hac vita, vt promissio Dei impleretur, singuli mille annos expectarent; non videretur consolatio humanæ imbecillitati accommodata, dicere citò implendam esse Dei promissionem. Quia si sufficeret comparatio temporis cum æternitate; illi etiam, qui post decem annorum millia visitandus à Deo esset, & interim cruciandus, pari ratione ad eum consolandum dici posset, Expecta paulisper, quia citò visitaberis; quæ tamen (prout est humana infirmitas) potiùs videretur irrisio, quàm consolatio.

Vnus dies apud Dominum, sicut mille anni, &c. quidsit?

NOTATIO I.

De titulo, quem Ioannes huic libro præposuit.

TITVLVS, quem Ioannes huic libro præfixit, is est, B *Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus palàm facere seruis suis, quæ oportet fieri citò, & significauit mittens per Angelum suum seruo suo Ioanni, qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Iesu Christi quæcunque vidit. Beatus qui legit, & audit verba prophetiæ huius, & seruat ea, quæ in ea scripta sunt; tempus enim propè est.* Existimo hic Ioannem consultò nonnulla coniunxisse; quæ primo aspectu paradoxa, hyperbolica, & inter se pugnantia viderentur: vt ænigmatici libri titulus suo etiam modo ænigmaticus, & plenus elegãtiæ esset.

Apocalypsis latinè reuelatio.

De nomine quidem Apocalypseos, & cur græca vox relicta fuerit in latina lectione, diximus in prolegomenis no. 4. Nunc ex ibidẽ dictis illud assumo, nomen Apocalypseos latinè reuelationem sonare: quæ vox magnam claritatem præ se ferre videtur. Reuelare enim nil aliud est, quàm sublato velo rem oculis videndam subijcere, quæ velamine obducto latebat. Quare nouum & insolitum apparet, libro ita difficili & obscuro titulum Apocalypseos, qui claritatem promittit, inscribi. Accedit quòd promissionem claritatis augent illa verba, quæ sequuntur; scilicet *palàm facere seruis suis*, de quibus notatione proxima.

Circa libri titulum difficultates.

I. II. Secundò, illud etiam mirum est; Ioannem reuelationem sibi factam narraturum, eam appellare reuelationem à Deo datam animæ Christi; & quem librum Ecclesia appellat Apocalypsin Ioannis, appellari ab ipso Ioanne, *Apocalypsin Iesu Christi, quam dedit illi Deus.* Difficultate insuper non caret, affirmare librum hunc reuelationem esse Christo factam. Cùm enim continuato ænigmate totus texatur; verisimile non est Deũ cum Christo per ænigmata loqui. Nam si ad Mosis excellentiam spectabat id Num. 12. 8. *Ore ad os loquor ei, & palàm, & non per ænigmata & figuras*, &c. quantò maiore iure de Christo Domino id dicendum est?

III. Tertiò, duo in hoc titulo coniungit Ioannes, quæ disiũncta valdè inter se & oppositа videntur; nempe hunc librũ & prophetiam esse, & Euangelium. Quod enim ait (Quæcunque vidit, esse ipsum Dei verbum, & Christi testimonium) idem est, ac si diceret; esse Iesu Christi Euangelium. Atqui prophetia est promissio, euangelium verò est optimus nuntius, quo prophetiæ impletæ esse perhibentur: atque hæc est Christianæ doctrinæ summa. Quomodo ergo stare potest, vt Euangelium ipsum sit prophetia?

IV. Quartò, designare volens Ioannes, quo tempore sint huius libri prophetię implendæ, semel atque iterum affirmat, citò esse cõplendas: cùm tamẽ postea mille annos pacis interponat; & ea disertè prophetet, quæ post mille quingentos annos nondũ effectum fuere sortita.

V. Quintò, felices prædicat eos, qui ea, quæ hìc scripta

Alcasar in Apocal.

C sunt, audiunt, vel legunt; eò quòd tempus propè sit: quasi magni momenti sit, hanc prophetiam, antequam impleatur, legisse: & quasi illi, qui Ioannis tempore eam legebant, eousque futuri essent superstites, donec expleri viderent: cùm tamen post tot sæcula nondum sit omnino impleta; & scopus ipsius libri (triumphus scilicet de Roma) plus ducentos annos fuerit delatus.

VI. Sextò, in his verbis, *Beatus qui legit, & seruat*: si modum loquendi attendamus, videtur innui aliquorum superstitio existimantium nulla sibi aduersa & contraria euentura, si aliquam formulam certis verbis conceptam in sinu gestent: alioqui enim non facilè occurrit, quid prosit legere, & non intelligere. Quò spectat impia illa Lutheri irrisio asserentis, ridiculum esse prædicare beatum illum, qui seruat verba prophetiæ huius; cùm tamen nemo sciat, quid sibi velit hæc prophetia.

Vniuersa hæc locutionum nouitas & insolentia præterquam quòd ad libri ænigmatici titulum (quod iam dixi) conueniens erat, vt dignum esset patellâ operculum; sui admiratione animum sollicitat, ad plenam huiusce tituli intelligentiam inuestigandam: ex qua lucis non parum ad argumenti cognitionem sese effunder. Quemadmodum psalmorum tituli animaduersi atque percepti, maximopere conferunt ad ipsorum psalmorum intelligentiam; vt Hieronymus & Augustinus sapienter adnotarunt; quorum verba referemus in notatione de Psalmorum titulis.

Soluuntur difficultas.

Vt igitur superiorum difficultatũ nodos soluamus: ad Primum, vidimus iam in commentario, licèt liber hic difficillimus ex se sit, eius tamen prophetiam clarissimè fuisse reuelatam Christo; qui etiam Ecclesiam suam magna perspicuitate docuit: non quidem totam prophetiam, sed eam partem, quæ singulis erat necessaria, atque id est, quod citò fieri oportebat. Illa ergo clarissima reuelatio Christo facta, his verbis indicatur, D *Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus.* Quamuis enim per Angelum postea sit Ioanni repræsentata; Christo tamen fuerat priùs quàm Ioanni, aut alij cuicunque reuelata. Hoc enim tantum arcanum diuino in pectore fuerat reconditum; neque vlli vnquam siue homini, siue angelo reseratum; vt diximus in prolegomenis notat. 8. Et fortasse reuelationis nomen denotat ea, quæ Christo sunt reuelata, relata priùs sub veteris instrumenti figuris fuisse. Reuelare namque est detracto velamine aliquid ostendere. Ceterùm, vtcumque hoc sit, si ad Apocalypseos argumentum notat. 7. propositum, animus intendatur; facilè cuiuis Theologo apparebit, eam esse summam illius reuelationis, quę de Christianæ Ecclesiæ euentibus Christo fuit facta: atque adeò titulum eius esse aptissimum; *Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus.*

Apocalypseos seu reuelationis nomen quid innuat.

Digitized by Google

Sed obijciet quispiam; hæc tituli verba aliter posse construi, nempe ita vt verbum illud *dedit* ad ea, quæ sequuntur, referatur: qua ratione non erit sensus, Apocalypsin hanc fuisse datam seu communicatam animæ Christi; sed datum esse illi, vt eam reuelationem palàm faceret seruis suis. Respondetur, eiusmodi constructionem ab ipso textu respui; quia verbum illud *palàm facere* alium præterea habet accusatiuum: atque adeò necessariò sic est locus construendus; reuelationem hanc fuisse datam Christo, vt ipse palàm faceret eam partem, quam citò fieri oportebat.

Apocalypsis Iesu Christi, duplicem sensum habere posse.

Fateor hæc verba, *Apocalypsis Iesu Christi*, seorsum sumpta aliter intelligi potuisse. Nam Paulus 1. Cor. 1. 7. & Petrus epist. 1. cap. 1. n. 7 & 13. Apocalypsin, seu reuelationem Iesu Christi vocant, eam, quę ab ipso Christo in die iudicij facienda est. Sed in præsenti contextus nos cogit, vt de ea reuelatione interpretemur, quæ Christo fuit facta.

Soluitur II. difficultas.

Ad Secundum Respondetur, huius libri ænigmata non fuisse Christo reuelata; sed prophetiam ipsam, quam ille hisce ænigmatibus à se compositis conuestiuit. Neminí enim reuelari dicuntur ea, quæ ipse ingenij viribus subtiliter excogitauit. Nihilominus tamen ipsorum ænigmatum titulus aptissimus est, *Reuelatio Iesu Christi, quam dedit illi Deus.* Nam pictura ænigmatica dupliciter inscribi potest: Primò, aspiciendo ad id, quod ob oculos ponitur. Secundò, ad reconditum sensum attendendo. Exempli causa: in Alciati emblematis quædam sic inscribuntur, *Vespertilio, Statua Bacchi, Tumulus meretricis.* Quædã verò sic, *Desidia, Ignauia, Garrulitas, Fatuitas.* Si igitur primum ex his modum respiciamus; fateor non videri aptã huius libri inscriptionẽ, *Apocalypseos Iesu Christi.* At verò iuxta secundũ modum inscriptio est aptissima. Reconditus namque sensus eadem ipsa doctrina est, quæ fuit animæ Christi reuelata. Illi enim discursũi, quem notat. 7. prolegomenon posuimus, mirificè quadrat reuelationis Christo factæ titulus. Deinde ænigmata discursum illum velantia eleganter & idoneè inscribuntur, *Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus.* Titulus enim emblematis elegantior, fermè ab ipsa emblematis recondita significatione desumitur. Tale est Gerionis emblema: depingitur enim homo triplici capite, manibus ter binis; titulus est, *concordia insuperabilis.* Qua ratione licèt emblema sit obscurissimum; si tamen lucem significet, aptè & verè inscribetur hoc modo, *Nihil clarius*: quòd si sapientissimè sit confictum, ignorantiam tamen repræsentat, *Ignorantia*, erit eius titulus oppositus. Cùm ergò hic liber sit continuatum quoddam ænigma à Christo Domino, charissimo discipulo missum; conueniens fuit, titulum à Ioanne excogitari, qui ænigmatis medullam indicaret: & cùm hæc medulla sit, eadem illa reuelatio quam Deus animæ Christi communicauerat; ad ipsa ænigmatum mysteria propriè refertur huius libri titulus. Alioqui enim liber ipse, si ænigmata respicias, potiùs est epicalypsis quàm apocalypsis; quia ænigmatica propositio potiùs obuelatio, quàm reuelatio censenda est; ænigmata enim non detegunt, sed potiùs tegunt veritatem. Sapienter tamen Ioannes eiusmodi titulum libro præposuit; qui non ænigmata, sed eorum significata respiceret. Neque offendet in hoc, qui consideret simile quid pleriſque aliorum librorum titulis contingere. Geneſis enim, Exodus, &c. nõ significant; libros (quibus eiusmodi tituli præfiguntur) ipsam esse rerum generationem, aut exitum populi de Ægypto; sed iis libris harum rerum tractatum contineri.

Soluitur III.

Ad Tertium Respondetur, reuelationem Christo ostensam de Christianæ Ecclesiæ præstantia & eius euentis, continere in se euangelicam omnem doctrinam: (vt explicatum est in prolegomenis notatione 8.) atque eadem doctrina euangelica, non solùm bonus est nuncius eorum, quæ iam impleta fuêre; sed certissima etiam eorum prophetia, quæ restant implenda; & *sperandarum substantia rerum*, vt ait Paulus ad Hebr. 11. 1.

Soluitur IV.

Ad Quartum. Verba illa, *quæ oportet fieri citò*, non ad vniuersa, quæ continet Apocalypsis, referenda sunt; sed ad ea solùm, quæ Christus manifestè seruis reuelauit; quæ non totam prophetiam complectuntur, sed eam partem, quam omnibus palàm fieri oportebat: vt in commentario explicatum. Vide etiam proximam notationem.

Duplex anigmatis inscribendi ratio.

Soluitur V.

Ad Quintum. Ingens illa felicitas, quæ legentibus, vel audientibus huius libri prophetiam, eamque seruantibus promittitur; non secundùm eam partem accipienda est, quæ agit de Roma, de Antichristo, ac de iis rebus, quæ post aliquot sæcula erant implenda; sed secundùm doctrinæ euangelicæ medullam, quę in toto hoc libro continetur, quæque ad singulos spectat, & citò complenda est. Hæc enim docet probis ac gnauis Christi seruis æternam felicitatem promitti perfruendam; eosque quantumuis in hac vita aduersæ fortunæ procellis iactentur, fauſtos tamen esse ac fortunatos; contrà verò, crucis Christi inimicis æternam miseriam & infelicitatem esse paratam; & in præsenti etiam, quantumuis exultare & triumphare videantur; miseros tamen verè esse & ærumnosos. Cùm verò hic præcipuus sit fructus, quem singuli ex huius libri prophetia poterant decerpere, idcirco magnæ sapientiæ & prudentiæ fuit prædicare felicitatem eorum, qui huius libri prophetiam audierint atque conseruauerint.

Sensus sic dicendus beatus, qui audit & seruat hanc Apocalypseos prophetiam.

Soluitur VI.

Ad Sextum. Diuus Ioannes verba facit de iis, qui intra proprij pectoris recessus hanc seruant doctrinam, eam assiduè meditantes, atque ad eius se normam totos effingentes. Quod quidem propriè spectat ad commendationem doctrinæ in huius libri ænigmatibus inclusæ; sed reconditæ etiam doctrinæ laus in ænigmatis laudem elogiumque redundat. Lutheri verò calumniam refellit Bellarminus de verbo Dei, cap. 19. vbi ait, etiam si multa sint in hoc libro obscurissima vaticinia; multa tamen esse præcepta vitæ clarissima; & præsertim exhortationes ad perseuerantiam & patientiam tempore persecutionum. Hæc ille ex abundanti. Verùm vt rectè & eleganter dicantur per lectionem, siue auditionem huius prophetiæ beati homines, qui eam in corde seruauerint; satis est horum ænigmatum medullam esse euangelicæ doctrinæ substantiam.

NOTATIO II.

Ad illa verba, Palàm facere seruis suis, quæ oportet fieri citò.

CONSTRVCTIO græca est *palàm facere*, id est, vt palàm faceret. Quare quod Ioannes asserit, illud est, reuelationẽ scilicèt, quæ in hoc libro continetur, ab æterno Patre fuisse Christo datam; vt ipse palàm faceret seruis suis quæ oportet fieri citò. Plerique interpretes existimant, palàm facere idem esse, ac Ioanni hæc ænigmata misisse Christum, & Ioannis interuentu Asiæ Ecclesiis. Sic enim palàm facta sunt ea, quæ futura erãt. Mihi tamen aliter videtur; quia ænigma non facit palàm ea, quæ significat; cùm palàm loqui, & ænigmaticè loqui, sint inter se opposita: & præsertim cùm huius libri ænigmata sint valdè obscura. Expende illa verba Num. 12. 8. *Palàm, & non per ænigmata.* Ergo Palàm, & Obscurè contrária sunt: vt etiam apud Ciceronem 4. Academic. Atque ita semper in Scriptura, *palàm facere* ad claram manifestationem refertur, vt Exodi 2. 14. *Quomodo palàm factum est?* & Deut. 13. 3. Ecclesiastici 38. 38. & cap. 39. 11. Similiter ergo accipiendum est in præsenti; neque enim licet abusiuè accipere, cùm verbum græcum δείξαι ad ostensionem & manifestationem pertineat. Scio quosdam vertere, *indicare*; fortasse ne de clara manifestatione intelligere cogantur; aut quia palàm

Palàm loqui, & ænigmatice loqui, inter se opposita.

Digitized by Google

palàm facere, videtur eis æquiuocum; & ad id referri posse, quod in multorum conspectu efficitur. Hoc tamen nihil est; quia palam facere alicui, non potest aliter, quàm de manifestatione accipi. Et ea est vsitatissima phrasis non in sacra Scriptura solùm, sed etiam in Plauto & ceteris latinitatis auctoribus. Verbi autem Græci propria vis non potuit meliùs exprimi: atque ita Erasmus etiam in præsenti vertit, *Palàm facere*.

Assero igitur Primò, ea omnia, *quæ oportet fieri citò*; non fuisse palam facta Ecclesiæ per hæc ænigmata, sed per ea quæ Christus discipulos suos manifestè docuit: & præsertim per Spiritum sanctum; de quo Christus ipse dixerat, *Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis*, Ioan. 14. 26. Et quidem qui semel Apocalypseos argumentum rectè intellexerit, nõ dubitabit, quin huius doctrinæ pars, quæ Christianorum singulos contingit (ea scilicet quæ citò erant implenda) palam facta sit Ecclesiæ per Spiritum sanctum, quem illi Christus misit. Vnde Paulus 1 Cor. 2. 10. *Nobis reuelauit Deus per Spiritum suum*. Et eodem modo intelligendum est Christum aperire sigilla illa, de quibus Apocal. 5. scilicet Spiritu suo Ecclesiæ impartito (vt eo loci videbimus.) Quia aperire sigilla, perinde est, ac palam facere ea, quæ in libro continentur.

Dubitatio circa textum. Sed rogabis, quæ fuerit causa, cur Christus cùm ab initio suæ conceptionis hanc reuelationem acceperit, vt palam faceret ea, quæ oportet fieri citò; nihilominus communiter loquendo non ea palàm fecerit Ecclesiæ, quousque in cælos conscendit? *Responsio.* Respondetur, in diuinę prouidentiæ consilio decretum fuisse, vt magna hæc sapientia & claritas Ecclesiæ tribueretur; vt præmium Christi passioni debitum: atque ita ait Ioannes in Euangelio cap. 7. 39. *Nondum erat Spiritus datus; quia Iesus nondum erat glorificatus*. Et in Apoc cap 5 n 5 *Ecce vicit leo aperire librum, & soluere signacula eius*. Palàm igitur fecisse, fuit Christi victorię præmium. Vnde colligitur, quàm magnum & præstans fuerit, palàm fecisse ea, quę oportebat fieri citò.

Secundò assero, quemadmodum magni artificij fuit, huius libri ænigmatibus eiusmodi titulum inscribi, *Reuelatio Iesu Christi*; non quòd ipsa ænigmata per se sint reuelatio; sed quòd eorum medulla sit Iesu Christo reuelata (vt suprà diximus;) sic etiam verba illa, *palàm facere*, quę in titulo apponũtur, nõ congruere ænigmatibus ipsis per se: nec enim ænigmatum est palàm facere; sed in eis includitur reuelatio, quam accepit Christus, vt Ecclesiæ suæ palàm faceret eam partem, quam citò oportet fieri. Quare eodem modo continent ænigmata hęc reuelationem Iesu Christi, & eam partem quæ palàm facta est Ecclesiæ.

Quinam seruorum Christi nomine comprehendantur. SERVIS SVIS] Numquid omnibus Christianis? an amicis solùm? Respondetur, fidelibus in communi hæc mysteria per doctrinam fidei reuelari; amicos tamen Dei per Spiritus sancti dona penitus illustrari. Et primò intelligenda videtur hæc vox de iis, super quos Spiritus sanctus visibili specie descendit: deinde de ceteris, qui eiusdem Spiritus participes facti sunt. Per eorum autem prædicationem & explicationem constat, non solum iustis eam cælestis doctrinæ lucem esse concessam, sed etiam vniuersæ Ecclesiæ, & doctis præsertim hominibus. Atque ita seruorum Christi nomen ad Ecclesiam Christianam videtur pertinere. Perspicuum verò est eos, qui plus se in litterarum studium, necnon in cælestium rerum meditationem impendunt, plus assequi lucis; ita vt cum Propheta verissimè canant, *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*, psal. 92. 5.

QVÆ OPORTET FIERI CITO] Plerique hæc ad vniuersam Apocalypseos prophetiam referre videntur. Atque alij quidem aduerbium *citò* ad initium prophetiæ applicant, nimirum, quia citò futurum erat, vt impleri inciperet prophetia. Alij per comparationem tẽporis cum æternitate diem etiam iudicij citò futurum esse exponunt. In vtraque ipse declaratione non parum difficultatis reperio. In prima; nam si initium tantùm prophetiæ attenditur, iam illud fuerat completum: scilicet quod attinet ad septem sigilla, & Ecclesię commigrationem a Iudæis ad Gentes. Præterquã quòd de ipso etiam prophetiæ fine idem omnino asseueratur c. 22. 6. *Oportet fieri citò. Ecce venio velociter*; & num 10. *Tempus enim propè est*. Secunda etiam expositio non est ad rem (vt in cõmentario vidimus) eò quòd humanæ imbecillitati non sit accommodata. Vtramque autem expositionem pariter redarguit verbum illud, *palàm facere*. Quòd enim Apocalypsis asserit citò esse complendum, asserit etiam seruis Christi palàm factum esse. Quod ergo non est factum palàm Ecclesiæ, non affirmatur citò implendum fuisse. Iam verò vidimus, non fieri palàm, quod non clarissimè manifestatur. Quis igitur non videat, noluisse Christum, Ecclesiæ suæ ab initio adeò clarè innotescere futuram Romæ totius conuersionem; & cetera, quæ deinceps euentura erant? Quare verba illa, *quæ oportet fieri citò*, non possunt ad vniuersam prophetiam extendi. Atque adeò sensus legitimus est, Christo totam hanc prophetiam fuisse ostensam, vt palàm ex illa faceret ea, quæ oportet fieri citò. Quod ideo dictum est a Ioanne; ne Christiani, quibus persuasum est huius libri doctrinam esse ad salutem necessariam, de eius obscuritate conquerantur. Certè hic sensus Ioannis prudentiam valdè commendat. Atque ita meritò a nobis hæc verba, *palàm facere, quæ oportet fieri citò*, de manifestatione perspicua intelliguntur communicata Ecclesiæ, antequàm hic liber scriberetur; non tamen extenduntur ad vniuersa, quæ liber complectitur.

CAPITIS I. PARS II.

QVÆ EST EPISTOLA DEDICATORIA.

TEXTVS.

Vers. 4. IOannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia. Gratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est; & à septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt.

5. Et à Iesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum & princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.

6. Et fecit nos regnum & sacerdotes Deo & Patri suo: ipsi gloria & imperium in sæcula sæculorum, Amen.

7. Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Et plangent se super eum omnes tribus terræ: etiam. Amen.

8. Ego sum A, & Ω, principium & finis, dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est, omnipotens.

Digitized by Google

A

COMMENTARIVS.

LIBRI elogium & titulum elegantem sequitur epistola dedicatoria; cuius munus est salutare eos, quibus liber dicatur; eisque operis argumentum indicare. Primùm ergo Ioannes salutat septem Ecclesias Asiæ, quibus mittit Apocalypsin. Et cùm salutatio Apostolica sit, *gratia & pax*; quasi explicare volens, à quo postulet eis gratiam & pacem, artificiosè totius libri summam inserit. Atque ita, vt huius libri argumentum idem esse confirmetur, quod notat. 7. prolegomenon iuxta nostram acoluthiam posuimus; videbimus nunc Ioannem in dedicatoria epistola totum illum discursum ad compendiariam summam redigere.

Gratia & pax, Apostolica salutatio.

VERS. 4. IOANNES SEPTEM ECCLESIIS] Rectè docet Ribera, non posse negari, quin hoc sit propriè intelligendum de septem illis Ecclesiis, quæ statim enumerantur: sicut certum est Pauli epistolam ad Romanos ad eosdem fuisse scriptam. Sed constat etiam, ex Apostolorum intentione non scribi solùm Corinthiis, quæ ad illos diriguntur epistolæ; sed ceteris etiam quibus eâdem doctrinâ opus sit.

Septenarius numerus an vniuersitatem significet, & quomodo.

Dubitatur tamen, vtrùm hîc lateat mysterium in numero septenario; ita vt non scribatur solùm vniuersæ Ecclesiæ id, quod ad septem illas Ecclesias dirigitur; sed etiam in septenario numero Ecclesiæ vniuersitas designetur. Sanè id affirmant Chrysostomus hom. 22. ex variis in Matthæum, Augustinus 17. de Ciuit. c. 4. Gregorius lib. 23. Moral. cap. 1. Isidorus lib. 8. Etymolog. c. 1. Aretas, & Beda. Chrysostomi verba sunt; *Septem Ecclesiæ sunt omnes Ecclesiæ propter septem Spiritus. Omnes ergo, in quibus abundantior est spiritus sapientiæ, est vna Ecclesia; & omnes in quibus abundantior est spiritus consilij, est altera Ecclesia*: & sic de ceteris. Eôdem fortasse spectant Augustinus, Isidorus & Gregorius; aiunt enim, *Ideo septem scribi Ecclesias, vt vna catholica septiformi gratia Spiritu plena designetur.* Acuta sanè expositio: eiusmodi tamen, quæ mysticum potiùs sensum, quàm literalem redoleat.

B

Oportet ergo strictiùs examinare, qua ratione septenarius numerus possit vniuersitatem denotare. Quamuis enim id à plerisque asseratur ex Augustino 11. de Ciuit. c. 31. adhuc tamen non videtur verisimile iuxta hebræam phrasim, si audias septem Hispanos occubuisse; de Hispanis omnibus posse intelligi. Et nihilominùs in quibusdam locis, vt statim videbimus, aptissimè deseruit septenarius vniuersitati. Quæ est ergo ratio discriminis? Respondeo, tunc aptè per septenarium vniuersitatem intelligi, cùm vniuersa aptè ad septem reuocari possunt; vt vniuersi dies ad septem dies hebdomadæ; & simile est apud Hebræos de septem annis. Præterea omnes virtutes aptè reuocantur ad septem; dona item omnia Spiritus sancti; similiter omnia peccata, &c. Quare, si audias aliquem septem diebus hebdomadæ scribere; iure intelligis, eum semper scribere. Quemadmodum & qui ornatus est omnibus virtutibus, vel vitiis omnibus coopertus; satis significatur, si septem virtutibus, aut septem vitiis dicatur insignitus. Secùs tamen est in aliis: cùm enim venti, verbi gratia, ad septem non reducantur; ideo qui septem ventos dixerit, non omnes significabit. In Apocalypsi ergo plurimos inuenimus septenarios; in quibus procul dubio vniuersitas continetur: vt in septem sigillis, septem tubis, septem phialis, septem capitibus tam draconis, quàm bestiæ, septem oculis & cornibus Agni, &c. in quorum explicatione oportet ostendere, quomodo vniuersa congruenter ad septem illa reducantur. Ita vt illa septem, quæ recensentur, sint veluti septem dies hebdomadæ, qui omne tempus complectũtur, & veluti continua circulatione perseuerant. Ac fortasse interdum poterat extendi numerus, v. g. vsque ad octo, vel restringi ad sex. Sed elegantissimè & accommodatissimè reuocantur ad septem ea omnia, quæ aptè poterant ad eum numerum reduci: vt in his septem significetur ordinaria & perseuerans operum diuinæ prouidentiæ successio, veluti in septem hebdomadæ diebus.

Multi Apocalypseos septenarij vniuersitatem significant.

C

Hoc posito, assero per septem Ecclesias, quæ hîc enumerantur, aptissimè Ecclesias omnes indicari. Etenim illarum Asiæ Ecclesiarum differentia in septem epistolis desumitur penes Episcoporum diuersitatem; vt cap. 2. & 3. constabit. Id quod iure optimo fuit factum; cùm Episcopi sint Ecclesiarum capita, & ex capitum dissimilitudine diuersitas etiam Ecclesiarum appositè consideretur. Præterquam quòd Ecclesiarum status ex ipso Episcoporum statu & qualitate ferè pendet. Quòd si septem tantùm Episcoporum genera possunt reperiri; nec poterunt similiter plusquam septem Ecclesiarum genera dari.

Dico ergo Episcoporum numerum aptissimè ad septenarium reuocari. Etenim conscientiarum genera septem tantummodò sunt (vt infrà videbimus) atque ita Episcoporum vniuersitas ad totidem genera reuocatur. Quæ tamen genera omnia in septem Asiæ Episcopis, ad quos scribit Ioannes, inueniũtur. Omnes enim sunt mirè inter se diuersi atque dissimiles: nec aliquis præterea reperiri potest, qui ad eorum aliquem non referatur. Atqui mirum planè est, ad varias Episcoporum differentias indicandas, quæ erant in Ecclesia futura, Dei prouidentiam in ipso Ecclesiæ exordio, ad septem illas Asiæ Ecclesias totidem Episcopos elegisse; quos præsciuerat conscientiis ita dissimilibus fore, vt in his aptè omnium conscientiarum genera exprimi possent. Quòd verò tunc in Asia non essent plures, quàm septem Ecclesiæ; contextus ipse non obscurè innuit, *Ioannes septem Ecclesiis.* Præsertim cùm in græco articulus præfigatur.

D

Apostolicæ salutationis Gratia & pax, quid significet.

GRATIA VOBIS, ET PAX] De hac salutatione latè multi in epistolis Petri & Pauli. Ex quibus breuiter colligo genuinam huius salutationis significationem esse, precari Christianis à Deo non solùm gratiam, sed spiritualem etiam donorum abundantiam; hoc est, *Vt vitam habeant, & abundantiùs habeant*, Ioan. 10. 10.

Pacis nomẽ in sacris pro

Pro hac explicatione Nota, familiarem esse sacræ Scripturæ phrasim, pacis nomen ponere pro abundantia: pax verò Christi est *illa pax Dei, quæ exuperat omnem sensum*, Philip. 4. 7. & cohæret optimè nomen

A nomen pacis; quia ex spiritus abundantia nascitur, vel in ea sita est pulchritudo illa pacis, de qua Isaiæ 32.18. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* *abundantia sumi.*

Notandum verò est in hac epistola dedicatoria (in qua includitur totius Apocalypseos argumentum) ad illa verba, *Gratia vobis & pax*, septem epistolarum intentionem reduci videri. Scopus enim earum est, Episcopos & Ecclesias hortari, vt Christi gratia & ipsius beneficentiæ abundantia fruantur; atque eum fructum ex Apocalypseos doctrina percipiant.

AB EO QVI EST, ET QVI ERAT, ET QVI VENTVRVS EST] Græcè ἀπὸ τοῦ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, quod est ad verbum; gratia vobis & pax ab ens, erat, & venturus. Sunt qui græcam locutionem excusare conentur à solœcismo, supplentes nescio quid. Nihilominùs tamen Grammaticis non satisfaciunt: eatenus, vt Erasmus dicat, his verbis græcis nullum inesse sensum. sed de hoc infrà. Quod verò ad grammaticam attinet; si suppleretur genitiuus θεοῦ (id est Dei) alius remaneret scrupulus, quia genitiuo siue ablatiuo (genitiuus enim græcus vertitur in ablatiuum) apponeretur nominatiuus: hac ferè ratione, *Gratia vobis à Deo ens, erat, & venturus est.* Quòd si nulla esset maior difficultas, quàm in nominatiuo collocari id, quod genitiuo siue ablatiuo per appositionem additur; *Difficultas in textu græco.*

B ea videtur esse phrasis Ioannis. Nam similiter infrà vbi legimus, *& à Iesu Christo, qui est testis fidelis*, græcè legitur ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ ὁ μάρτυς, ὁ πιστός, id est, à Iesu Christo testis fidelis. Sed in græco articulus in ea locutione videtur relatiui officium gerere; sicut expressum est à Vulgato, *à Iesu Christo, qui est testis fidelis.* Cæterùm maiorem habet difficultatem hic locus græcè; *ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est.* Nam præpositio ἀπὸ, quæ genitiuum regit, non habet post se alium genitiuum, nisi solùm articulum; & cùm dicitur, ὁ ἦν (latinè, *qui erat*) articulus ibi cum solo verbo *erat* coniungitur.

Fateor ergo, græca hæc verba prima facie Grammaticorum regulis non conformari. Id tamen Ioannes de industria ita præstitit; vt latens inibi mysterium meliùs agnosceretur. Quod si Erasmus probè intelligeret, non diceret nullum esse græcæ lectionis sensum. Nec erat, cur se quisquam defatigaret inuestigando aliquid, quod in textu suppleret; vt solœcismus excusaretur. Ioannes enim id affectauit; scilicet vt ex noua hac loquendi ratione intelligeretur, verba illa, *Ens, erat, & venturus*, nomen esse proprium. Quod vt intelligi posset, congruens fuit, vt phrasis ipsa solœcismi speciem præ se ferret; neque aliter posset excusari, nisi vt nomen proprium accepta. Quibus ita acceptis nullus inest solœcismus, sed recta potiùs loquendi ratio. Hoc exemplo fiet manifestum: Si quis dicat Augustinum epistolam scripsisse ad Deum-dedit, atque aliam à Deo-gratias accepisse; nisi aduertatur illa esse nomina propria, videntur solœcismi; verùm vbi quis aduertit nomina esse propria, nihil in ea locutione inuenit, in quo offendat. Hoc namque modo sumenda sunt nominum instar indeclinabilium. Ac præsertim hac ratione sumi solent ea nomina, quæ ex pluribus dictionibus componun- *Erasmus textum græcum non satis intellexit.*

C tur; quando ipsa complexio non videtur commodè flecti posse per casus. Vt nomen pueri apud Isaiam 8.3. *Accelera spolia detrahere, Festina predari.* Dico ergo hanc ipsam solœcismi vmbram optimum esse argumentum ad id, quod fusè notat. 3. probabimus; scilicet Ioannem non alluisse solùm ad nomen Iehoua, sed græcè etiam exprimere ac pronunciare voluisse; & quatuor illas litteras יהוה non simplicem esse dictionem, sed quatuor dictiones; quarum prima tantùm elementa scribebantur; atque integrum nomen hebraicè esse יהי והוי והיה (*iehie, hoia, ve haia*) quod latinè ad verbum sonat, ERIT, ENS, ET FVIT. Ioannes verò in eius nominis declaratione prudentissimè temporum ordinem commutauit; & propterea non dixit, ERIT, ENS, ET FVIT; sed *Ens, erat, & venturus.* His de rebus rationem reddam seorsum in notatione illa tertia. Nunc solùm noto, Ioannem, dum gratiam & pacem exposcit ab eo, qui appellatur Iehoua, quod sonat, ERIT, EST, ET FVIT; illud nobis indicasse mysterium, scilicet nomen Iehoua, valdè esse aptum ad Apocalypseos argumenti summam atque compendium. Nam si proprium epistolæ dedicatoriæ est, argumentum paucis complecti; quid elegantius, quàm, postquam dixit, *gratia vobis & pax*, cùm additurus esset, à quo gratiam & pacem deprecaretur; in diuino nomine, atque in iis, quæ mox subiungit, Apocalypseos argumentum complecti? Vide illud Zachariæ 12.n.1. *Dicit Dominus extendens cælos, & fundans terram, & fingens spiritum hominis in eis.* Vbi ea omnia, quæ ibi tribuuntur Deo, addita sunt ad complectendum illius visionis ar- *Græcus textus qua ratione intelligendus, ne solœcismi speciem præ se ferre videatur.*

D gumentum: aliter enim non esset ad rem (vt notauit Arias.) Videtur autem eorum sensus huiusmodi esse: eum scilicet, qui cælum ac terras (res adeò inter se distantes atque diuersas) & qui carnem & spiritum, (quorum naturæ sunt ita dissimiles vel potiùs pugnantes) pulchrâ quadam societate & conspiratione conciliauit; eum, inquam, reipsa effecturum vt terreni atque carnales homines, qui Christum persequebantur, cælestem spiritum accipiant, quemadmodum infrà dicitur Zachariæ 12. n.10. *Effundam super eos spiritum gratiæ & precum; & aspicient in quem confixerunt*, &c.

Similiter ergo ad argumentum Apocalypseos spectare videntur illa omnia, *ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à septem spiritibus*, &c. Alioqui non vsurparet Ioannes nouas & inusitatas locutiones in salutatione Apostolica. Verùm si earum vsurpatio Apocalypseos argumento mirificè congruebat; quis non videat, nouam hanc loquendi rationem prudentissimam fuisse, ac Ioanne dignissimam? Sanè id nemini dubium erit, qui aduerterit, proprium nominis Iehoua mysterium esse, vt significet Deum perfectè & cumulatè suis promissis staturũ, & prouecturum vlteriùs maximum illud Ecclesiæ opus, quod figurauerat, promiserat, & inchoauerat; & ad finem demum admirabili magnitudine ac perfectione perducturum. Quòd si hæc erat propria diuini huius nominis vis, quid aptius ad Apocalypseos argumentum complectendum?

Sed dubitabit aliquis, an hæc verba, *qui est, & qui erat, & qui venturus*, æterno Patri in præsenti tribuantur, vel Deo trino, & vni. Ribera notat, hîc nullam distingui personam, sed sermonem esse de Deo indistinctè. Cæterùm considerata sacræ Scripturæ consuetudine, dicendum videtur in præsen-

Digitized by Google

Verba illa qui est, & qui erat, &c. ad aeternum Patrem referenda.

ti referenda hæc esse verba singillatim ad Deum Patrem. Licèt enim nihil contineant, quod non conueniat etiam Filio,& Spiritui sancto,& quamuis eadem verba infrà num.8. mysterio Trinitatis applicentur,(vt ibi videbimus)sæpe tamen Dei nomine singulariter intelligi solet Pater,iuxta id ad Heb.1.num.1.*Multifariam, multisq; modis olim Deus loquens Patribus in prophetis, nouissimè locutus est nobis in Filio.* & in salutatione Apostolica solet exprimi, *Gratia vobis,& pax à Deo Patre, & à Iesu Christo*; atque ita cùm in præsenti dicitur,*Gratia vobis,& pax ab eo qui est*,&c. *& à Iesu Christo*, similiter primam illam periphrasim referre debemus ad Patrem; quandoquidem substituitur loco illorum verborum,*à Deo Patre*.Quomodo autem Deus Pater dicatur venturus,vide notationem 3. vbi explicabimus, non solùm ad diem Iudicij referri debere,quod dicitur de aduentu Dei,sed etiam ad quamuis insignem Ecclesiæ liberationem atque victoriam.

NOTATIO III.

Ad illa verba, Qui est, & qui erat, & qui venturus est. *Vbi de nomine Iehoua. Et quia longiuscula erit disputatio, in aliquot sectiones distribuetur.*

SECTIO I. *Ioannem non solùm alludisse ad nomen Iehoua, sed etiam illud expressisse.*

Verbis illis, qui est, & qui erat,*&c. nomen Iehoua innuisse probatur.*

DIXI in commentario Ioannem per hæc verba, *Qui est, & qui erat*,&c. nomen Iehouæ exprimere voluisse. Qua in re quia plus latet mysterij, quàm aliquis fortassis opinabitur; idcircò de illa seorsum agere operæ pretium esse duxi. Assero ergo in primis, Ioannem illis verbis,*Qui est,& qui erat,& qui venturus est*,ad sacrosanctũ nomen Iehoua respexisse. Quod probo Primò; quia in eis verbis manifestè voluit verum Deum designare,(vt patet ex contextu;) cõstat autem, nomen Iehoua esse Dei veri maximè proprium; vt notat Hieronymus in psalmum 8. & omnes, qui de eo nomine scribunt; vt Galatinus libr. 2. cap.10. & 11. Gueuara in Habac. cap.2.num.377. Delrius in Magia, Gabriel Vazquez 1.p.tom.1 disp.59. & Masius in Iosue cap.2.num.10.

Nominis Iehouah *etymologiam desumi à verbo substantiuo.*

Secundò probatur, quia Ioannes ad Deum verum denotandum verbi substantiui propria vi & significatione vsus fuit:dum ait, *Qui est*,&c. Atqui certum est, nominis *Iehouah* significationem desumi à verbo substantiuo.Licet enim non desint, qui nominis Iehouah etymologiam ignotam esse dicant, vel etiam qui alias etymologias fingant: nihilominùs certum est, veram eius nominis etymologiam desumi à verbo substantiuo;vt ex illo Exodi 3.14. *Ego sum, qui sum*, efficaciter probant Lipomanus, Theodoretus,Vatablus, & Caietanus, nec non Bellarminus in Grammatica hebræa; Prado in Ezechielem,Masius in Iosue,& Marianus Victorius in scholiis ad epistolam Hieronymi 136. Vnde multi (vt Marianus Victorius) Iehouah nomen exponunt per illud Platonis in Timæo ὁ ὢν quo nomine Deum appellabat, cùm illud ab Ægyptiis Theologis (Iustino Martyre,& Goropio in Hermathena lib. 1. testantibus) didicisset. Et Masius in epistola ad Ariam Montanum, ipsius Ariæ psalmis præposita, Plutarchum affert libro de figura *Ei* apud Delphos;vbi de solo Deo verè dici posse,quòd sit,multa disputatione conatur adstruere.

Plato quo nomine Deum appellarit.

Nomen Iehouah *tria tempora complectitur.*

Probatur Tertiò.Nam Ioannes in sua periphrasi tribuere voluit Deo,*esse,fuisse*, & *fore*, atque id ipsum notat de nomine Iehouah Prado,Oleaster,Vatablus in illud Exod.3.14. *Ego sum,qui sum*, & Galatinus libr.2. cap.10. Vide etiam Clementem Alexandrinum libr.5. Stromatum cap.2. vbi sic exponit nomen *Iehoua*, *Qui est, & qui futurus est*. Vnde nonnulli ad æternitatis significationem respexere; vt Masius. Facit quod refert Plutarchus libr.de Iside & Osiride; nempè in Ægypto signum,quod Sai est Mineruæ, quam eandem putant Isin esse, inscriptionem habere huiusmodi: *Ego sum vniuersum, quod fuit, quod est, & quod est futurum: flammeumq; meum nullus mortalium aperuit vnquam.* Vide Goropium in Hermathena lib.5.fol.106.Vbi contendit ex Plutarcho,per Isidem, Diuinam Sapientiam intelligi; Isidisque nomen idem sonare, quod, *est, est.* Denique cùm constet Ioannem hìc ad Iehoua nomen alludere;hæc ipsa allusio efficaciter probat, per nomen Iehoua tribui Deo esse,fuisse, & fore.

Isidis nomen quid etymo, quid significatione importet.

Assero Secundò,Ioannem hìc non solùm ad nomen Iehoua habuisse respectum; sed propriam etiam quatuor litterarum hebraicarum vim & significationem expressisse.Pro quo Notandum est,quædam esse nomina incomplexa,vt Adam,Noë, &c. alia verò complexa,vt nomen montis, *Dominus videbit*, Genes. 22.14. nomen putei *viuentis & videntis*, Genes. 24. 62. nomen pueri *Accelera spolia detrahere, festina praedari.* Isaiæ 8.3. Dico ergo, nomen Iehoua esse nomen complexum,ex pluribus dictionibus conflatum; quarum prima quæque tantùm elementa scribuntur; & propterea cùm nomen integrum sit יהי הוי ו הי *ihie, hoia, vau haia*, quatuor solùm litteras in compendium redactas scribi solitas(יהוה) Si autem integras dictiones velis ad verbum latinis vocibus exprimere, earum propria vis eiusmodi est, ERIT, EST, ET FVIT. Quod ipsum expressit Ioannes,cùm ait,*Gratia vobis,& pax ab eo qui est, & qui erat,& qui venturus est.* Hæc explicatio alicui forsan cabalistica & paradoxa videatur,sentẽtiam tamen cohibeat tantisper, quæso, quousque nostras rationes expendat. Quarum Prima est,quia hæc explicatio ab ipso Apostolo Ioanne videtur omnino tradi; quandoquidem ad Iehoua nomen respiciens,illud hisce verbis declarat, *Qui est*, & *Qui erat*, & *Qui venturus est*. Quasi tria illa tempora expressè dicat in nomine diuino contineri. Quomodo autem tria tempora illa exprimet,nisi nomen ipsum plures in se dictiones contineat?

Nominum Hebraicorum alia incomplexa, alia complexa.

Nomine Iehoua omnes temporis differentias cõprehendi.

Secunda. Plures auctores suprà relati, nempe Clemens Alexandrinus, Galatinus, Masius, Oleaster, Vatablus & Prado id ipsum notant; videlicet nomine illo diuino omnes temporis differentias comprehendi; id autẽ nisi pluribus dictionibus fieri nequaquã poterat.

Nomen Iehoua nulla simplici voce graeca vel latina exprimi posse.

Tertia. Multi sedulò obseruarunt nomen Iehoua, nulla simplici voce græca vel latina exprimi posse; (vt Arias Montanus præfatione in Psalmos) non igitur est vnica dictio simplex. Alioqui per nomen Ens, vel per illud Græcorum, ὁ ὢν vel τὸ ὄν exprimebatur satis. Ac meo quidem iudicio,qui dictionem esse simplicem autumant, & eam per græcum ὁ ὢν interpretantur ea expositione contenti;consequenter loquuntur,(vt Masius,& Marianus Victorius)si enim vnum & simplex est nomen,quod à verbo substantiuo deducitur; quid aliud, quæso,fuerit,nisi ens aut essentia? Antiquos verò Hebræos nobiscum facere argumento est, quòd nomen hoc vsitato more nomen expositum appellabant (vt refert Galatinus)nimirum indicantes, compendiarium esse,ac proinde explicatione indigere.

Quarta. Auctoritate Clementis Alexandrini confirmatur, qui nomen Dei tetragrammaton, appellat nomen

Iehoua nomen ænigmaticum ac symbolicũ.

nomen mysticum, ænigmaticum, atque symbolicum, lib.5. Stromatum, cap.2. Quòd si vna tantùm & simplex esset dictio à verbo substantiuo deflexa; non erat quòd mysticum, & symbolicum diceretur. Nemo enim τὸ ὄν, mysticum nomen esse dixerit. Si verò sint plures dictiones, quarum prima tantùm elementa scribuntur; tunc meritò mysticum appellatur: ac præsertim à Clemente Alexandrino, qui eodem libro obseruat, *duplicem fuisse apud Aegyptios hieroglyphicã scribendi rationem in sacra, qua insculpitur, scriptura; vnam quidem κυριολογικὴν, id est, propriè loquentem, per prima tantùm dictionum elementa; alteram verò symbolicam.* Cui ergo rei prima illa hieroglyphica scribendi ratio magis conueniat, quàm sacræ sculpturæ in lamina aurea, quæ põtificis Hebræorum caput decorabat? Si in aliis vel rerum scribendarum reuerentia, vel abbreuiandi necessitas homines notis vtentes ad compendiariam scribendi rationem impulit; vt cernere est in antiquorum notis; cuius nominis maior dignitas atque maiestas? quódve augustius ad sculpturam spatium grandiorum præsertim litterarum, quantas fuisse opus erat, vt à procul adstantibus cerni possent?

Iehoua nomen quatuor litterarum.

Quintò probatur ex communi appellatione, qua nomen Iehoua quatuor litterarum nomen appellatur, vt à Clemente Alexandrino suprà, ab Origene homil.4. in Ezechielem, Theodoreto q.15.in Exodum, Hieronymo psal.8. Eusebio de Præparatione lib. 11.c. 8. & à

Idem nomen in aurea pontificis lamina impressum.

Philone in libro de vita Mosis; cuius ea sunt, *Lamina aurea, qua pontificem coronabat; insculpta erat quatuor litteris nominis illius; quod solis iis, qui aures ac linguam sapientiâ purgatas habent, fas est audire, nominaréque in sacris; præterea nemini.* Et verò, meo iudicio, non quatuor litterarum nomen appellaretur, nisi de illo, tanquam de abbreuiatione aliqua vel compendio, & scripturâ mysticâ sermo esset; in qua sua cuique litteræ peculiaris respondet significatio. Alioqui nomen אדני (*adonai*) est etiam quatuor litterarum. Expende verba Hieronymi epistola 136.ad Marcellam, quæ huic nostræ rationi valdè fauent: nec non ab Origene non solùm nomen, sed etiam signum quatuor litterarum appellari homil.14.in Numeros; quod nostram coniecturam plusculum iuuat.

Quatuor huius nominis litteris aliud præterea scribi, apud Hebræos fas.

Sextò probatur ex Nazianzeni verbis oratione 36. quæ est 4.de Theologia. *Hebraorũ* (inquit) *doctissimi & antiquissimi quique propriis notis summum illud nomen honorandum duxerunt; ac ne iis quidem litteris aliud quiddam eorum, qua post Deum sunt, scribi sustinuerunt.* Hoc (vt mea fert opinio) ad compendiariam scribendi rationem referendum est, qua prima quæque singularum dictionum elementa conscribuntur. Perspicuum namque est, Nazianzenum non id agere, vt huius nominis litteras ex communibus alphabeti hebraici fuisse neget. Constat enim ex communi alphabeto semper desũptas fuisse quatuor illas litteras. Quid ergo sibi vult Nazianzenus, cùm ait illas quatuor litteras, ita esse huius nominis proprias, vt illis nihil præterea aliud scriberetur? Omnino de complexione illa quatuor litterarum loquitur. Nam singulas diuisim, certum est non fuisse propriàs illi, sed aliis vocibus communes. Quòd si de simplici vel incomplexo nomine sermo esset; quid nouum nobis proferret Nazianzenus? Nónne omnibus vocibus ac nominibus propria est litterarum complexio? Superest ergo necessariò (si quid tanti viri auctoritati ac testimonio tribuendum est) vt de compendiaria, siue abbreuiata litterarum complexione loquatur; in qua notum est eas litteras, quæ ad peculiarem aliquam significationem restringuntur, quod ex se est, posse præterea ad alia significanda vsurpari. Exemplis id planum fiet. Quatuor hæ litteræ, I. N. R. I. complexim sumptæ, apud Christianos ad eum solùm vsum desumuntur, vt significent, *Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum*, cùm tamen aliis præterea significatis deseruire potuissent, vt si quis per easdem litteras significare intenderet, *Iulius, nobilis Romanorum Imperator.* Simile est de celeberrimis Romanorum litteris, quas in vexillis impressas gestabant, S. P. Q. R. Quibus licèt nihil aliud ipsi voluerint significare, nisi *Senatus populusq; Romanus*: quis tamen dubitet ad alias significationes vsurpari ab aliis potuisse? vt si quis diceret, *Sabinis pulis quis resistet?* qua ratione dicuntur priùs à Sabinis vsitatæ fuisse.

Cur nominis Iehoua litteris nulla propria puncta subscribi possint?

Septimò, si semel admittas nomen Iehoua quatuor dictiones continere; facilè cernes, cur quatuor eius litteris nec subscribantur, nec subscribi possint puncta propria. Propria enim non esse, sed aliena quæ subscribi solent; demonstrat egregiè Bellarminus in Grammatica hebræa.

Cur dicatur nomen ineffabile.

Octauò, in nostra sententia facilis est ratio, cur hoc nomen sit appellatum ineffabile; quòd scilicet ad compendia redactum, vt fermè scribitur, nequaquam pronunciari possit. Eâdem enim ratione diceretur inscriptio hæc, S. P. Q. R. eo modo, quo scribitur, proferri non posse; cùm omnes eius litteræ sint aphonæ. Quòd si vocales, ad consonantes pronunciandas, adscisceantur, tunc compendium dissoluitur. Id ergo ipsum in Iehoua nomine contingit. Sunt enim omnes quatuor litteræ consonantes: vocales verò, quas ad pronunciationem accersimus, si propriam nominis pronunciationem quæras, abs re sunt; ac si ad proferendum compendium illud, S. P. Q. R. enunciet aliquis *sepequure*. Adde, quòd cùm dictionum primæ litteræ scribuntur compendiario more; licèt sint omnes litteræ vocales, rectè dicemus, non eo modo, quo scribuntur, esse proferendas. Verbi gratia, A. A. C. quod est, *ante auditam causam*, non debet proferri, aac.

In publicis scriptionibus primas tantùm nominum litteras compendiosè scribi sæpe solitas.

Nonò confirmatur; quia in publicis scriptionibus, & præsertim in rebus sacris, in symbolis, & insignibus ex vsu antiquissimo, compendiosè scribi solitas primas tantùm dictionum litteras, notius est, quàm vt probationem requirat. Exempli tamen gratia ex multis pauca proferamus;

D. O. M. pro *Deo Optimo Maximo.*

F. E. R. T. in Ducis Sabaudiensis insigni: pro *Fortitudo eius Rhodum tenuit.*

I. N. R. I. pro *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.*

V. D. M. I. Æ. in hæreticorum vexillis: pro *Verbum Dei manet in æternum.*

Simile est illud, S. P. Q. R. & alia innumera.

Machabæorum nominis origo.

Decimò, accedit quòd aliqua nomina hebræa ex simili alicuius sententiæ scriptura per prima elementa quibusdam videntur conficta. Huiusmodi est, quod tradit Genebrardus in Chronologia ex R. Isaac Benshola, nempe ex eo quòd Iudas Mathathiæ filius in vexillis tanquam certæ victoriæ omen fecit inscribi per prima elementa illud Exod. 15. 11. *Quis similis tui in fortibus Domine?* inde populum breuitatis causa legisse *Machabi*: & paulatim tandem obtinuisse, vt huius tesseræ auctor Iudas, & fratres illius, & posteri Machabæi dicerentur; verba illa hebraicè sic habent מי כמוך באלים יהוה, & primę litterę. מ. כ. ב. י. Similiter Latini

Spurij vnde dicti.

spurios dixere ex eo quòd iis litteris S. P. notarentur, id est, *sine patre*, vt docet Plutarchus in Quæstionibus Romanis. Simile quid tradit Hieronymus de Traditionibus Hebr. ad finem, super illud 3. Reg. 2. 8. *Maledixit Semei Dauid, maledictione pessima. Pro Pessima* (ait) *hebraicè legitur, Nimrezeth*, quod quinque litteris enunciatur ן. מ. ר. ז. ת. quæ sunt prima elementa harum vocum; *Noeph, Moabita, Rasah, Tsara, Thoaba*, id est, adulter, Moabita; impie, leprose, abominande: atque adeò sensum esse; Semei his conuitiis lacessisse Dauidem; quæ tamen maledicta primis solùm litteris Scriptura significauerit. Dictionatia verò *Nimrezeth*, ac si esset simplex dictio, maledictionem roboratam, seu vehementem interpretantur. Similiter contractè proferimus illud FERT Sabaudiense; & crucis titulum INRI. vt suprà explicauimus

Quas Semei dixerit Dauidi conuenerit.

Est tamen diligenter obseruandum, multum interesse discriminis, vtrùm nomen ex pluribus dictionibus per prima elementa scriptis effingatur; an in scirpo quæratur nodus, id est, in nomine simplici, & (vt aiunt) termino incomplexo, singularum litterarum, more cabalistico, vis & potestas, somniatâ subtilitate disquiratur. Vt si quis dicat hoc nomẽ Deus, idẽ valere quod *Dominus, Excelsus, Vnicus, Sũmus.* Simile est meo iudicio, quod Valuerdius in Alphabeto Salomonis refert, nempe ארגמן (*argaman*) quod purpuram significat, ex quatuor primis litteris esse compositum, à quibus quatuor

Hebraicũ purpura nomen quid sonet Valuerdio.

Ange-

Angelorum nomina initium sumunt; nempe Raphaël, Gabriel, Michaël, Nuriel; quæ asserit eorũ animalium esse nomina, quæ vidit Ezechiel cap. 1. Eo enim splendore, veluti regali purpura amiciebatur Deus; iuxta illud, *amictus lumine sicut vestimento.* Itaque longè aliud est, ex simplici dictione conari exprimere, seu potiùs extorquere mysteria; quàm eorum opinionem refellere, qui simplicem esse dictionem arbitrabantur; quæ reuera plures essent. Galatinus ergo videtur philosophari in nomine Iehoua (primo modo, id est, cabalistico) sicut Valuerdius in hebraico purpuræ nomine. Qua ratione non difficile fuerit, ex singulis cuiusuis nominis literis argutari, & mysterium Trinitatis, Incarnationis, & quæcunque alia in litterarum nominis Iehoua serie & in quouis alio comminisci. Sic philosophatur Galatinus, litteras nominis Iehoua esse has tres *iod, he, vau*: & primam applicat Patri, quia significat principium; secundam Filio, quia *he* significat esse, vel viuere; tertiam Spiritui sancto, quia est coniunctio copulatiua. Aliter etiam cogere conatur, vt eædem litteræ mysterio Trinitatis deseruiant; excogitatis tribus nominibus, quæ ab illis tribus litteris incipiant. his nempe, *iad, hu, vehu*, quorum significatio est, Deus ipse, & ipse. Tertiò denique ad illa etiam tria tempora descendit, *haia, houa, ihie*; quæ sonant, Fuit, est, & erit; vbi omittit litteram vau. Sed nunquam illi venit in mentem nomen ipsum Iehoua esse complexum, & ex quatuor dictionibus cõpositum. Imò verò non putauit, propriam huius nominis significationem petendam esse à verbo substantiuo. Ego eiusmodi philosophandi rationem, quam in termino incomplexo nemo prudẽs probabit, ostendo non solùm esse verisimilẽ; sed etiam certam in nomine complexo, & antiquorũ notis scripto. Sed de iis infrà.

Psal. 103. 12.

Nomen Iehoua quomodo explicet Galatinus.

Denique in nostra explicatione inuenitur id, quod erat optandum, nempe hoc nomine verbum substantiuum comprehendi; neque vllam fieri litterarum radicalium mutationem. Ipsa enim potiùs radix היה (*haia*) & rami ab ipsa pullulantes, stabiles & inuariati in hoc nomine reperiuntur.

Nomine Iehoua comprehendi verbum substantiuum.

Sectio II. *De huius nominis vi ad significanda Dei attributa, & mysterium Trinitatis.*

Statvtis his, quæ iam abundè probauimus; videlicet, hoc nomẽ esse cõplexum, & quatuor litteras quatuor dictionum loco poni; atque adeò (יהוה) esse idẽ; quod *ihie, hoia, ve haia*, siue (vt latinè dicam) erit, est, & fuit; his, inquam ita cõstitutis, Nota Primò, rationi valdè consentaneum fuisse, vt hoc nomen summa diuinitatis mysteria complectatur; tum quòd sit maximè Dei proprium, & summæ apud omnes religionis; tũ etiam, quia epitheta & elogia, quæ ei antiqui Patres tribuunt, argumento sunt, abstrusa in eo mysteria contineri. A Clemente enim Alexandrino (vt vidimus) appellatur mysticum; ab Eusebio, symbolicum, lib. 11. de Præparatione c. 8. à Nazianzeno, summum nomen, Orat. 36.

Primum ergo optabile est, vt hoc nomen trinitatem personarum, & essentiæ vnitatem designet. Hoc enim est summum diuinitatis arcanum. Atque videtur esse decens, vt id mysterium per celsissimum Dei nomen indicetur. Adde, nomẽ hoc Isaiæ 6. coniungi cum illo trisagio, *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Et trisagion illud ad mysterium Trinitatis spectare, communis est Patrum sententia. Galatinus etiam lib. 2. c. 10. & Gueuara Habac. 2. n. 357. aiunt, hoc nomine insinuari diuinam essentiam per semet existentem cum ipsius vnitate, & cum æterna personarum distinctione, origine & productione. Hæc illi: & Gueuara quidem non est aggressus ad explicandum, quanam ratione id mysterium hoc nomine significetur. Galatinus, & alij aggressi sunt; sed cabalisticè potiùs, quàm solidè meo iudicio. Quare aliâ nobis viâ insistendum, & respiciendum ad veram nominis vim ERIT, EST, ET FVIT. Etenim si in illo trisagio, Isaiæ 6. & Apocalypsis 5. certum est ex Patribus personarum trinitatem denotari; cur non idem in illa triplici repetitione substantiæ ERIT, EST, ET FVIT, subodoremur?

Trinitatis mysterium in nomine Iehoua, indicari.

Sed obijcies, personas Trinitatis esse tres; litteras autem Iehoua esse quatuor. Respondetur: In pluribus dictionibus coniungendis aptissimè interijci coniunctionem copulatiuam; cui seorsum respondet etiam sua littera in notis antiquorum, vt videre est in illa communissima inscriptione S.P.Q.R. *Senatus, populúsque Romanus.* In nomine ergo יהוה illud ו vau, coniunctio copulatiua est: atque eius adiectio non solùm non est otiosa in mysterio Trinitatis, sed etiam mirificè deseruit. Explicato enim nomine manifestè patet, tres solũ subsistentias in illo contineri, Erit, est, & fuit: sed eas vnitas per coniunctionem copulatiuam &; ita vt vnum nomen constituant; quod ad vnitatem essentiæ spectare facilè intelligitur. Tres itaque subsistentiæ per triplicem verbi substantiui repetitionem denotantur: vnitas verò essentiæ per coniunctionem copulatiuam.

Soluitur difficultas.

Trinitatis mysterium quomodo nomine Iehoua significetur.

Sed dicat aliquis, ad trinitatem personarum indicandam aptius fuisse sine vlla variatione dicere, EST, EST, EST. sicut Isaiæ 6. & Apocalypsis 5. dicitur, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*: quia illa temporum distinctio non solùm non deseruit, sed etiam obest personarum proprietatibus indicandis. Videtur enim illud ERIT ad Patrem pertinere; EST ad Filium; & FVIT, ad Spiritum sanctum; quæ distinctio potiùs est dissentanea, quàm consentanea veritati. Nam videntur ita cõcipi tres personæ, quasi non simul existant; sed quasi Spiritus sanctus fuerit, Filius nunc sit, & Pater aliquando futurus. Respondetur tamen, vt intelligeretur non esse eiusdem veritatis repetitionem, sed subsistentium distinctionem, elegantiæ fuisse aliquam verbi substantiui distinctionẽ proponi. Et verò manifestum est, distinctionem illã temporum, non ita distribui Diuinis personis, vt vni earum negetur, quod alteri tribuitur; sed ita vt solùm innuat, aliquam esse aptam conuenientiam, vt Patri aptetur Fore; Filio Esse; & Spiritui sancto Fuisse. Et ratio quidem illa eadem videtur esse, propter quam Theologi potentiam Patri tribuunt, Sapientiam Filio, & Spiritui sancto Bonitatem. Illud ehim futurum ERIT, ad potentiæ manifestandæ promissionem referri debet: vt expressit Ioannes cap. 1. n. 8. dum ait, *Qui est, & qui erat, & qui venturus est Omnipotens.* De quo infrà Simili modo illud FVIT ad æternam Dei bonitatẽ referri potest; quæ prima omnium fuit ratio, quæ Deum induxit, vt se creaturis communicaret. Denique ex tribus temporum differentiis, nulla est æternæ Sapientiæ accommodatior, quàm temporis præsentis; quia & futuris & præteritis Dei sapientia præsens adest, & omnia in sua æternitate intuetur præsentia.

Dicet rursus alius, ad personarum distinctionem significandam, si verbi substantiui variatione significanda erat, aptiorem fuisse distinctionem, Ero, eris, & erit: siue Eram, eras, & erat; quàm Erit, est, & fuit; quia distinctio personarum melius exprimitur tres distinguẽdo personas, ego, tu & ille; quàm tria tempora. Respondetur, distinctionem illam, Ego, tu & ille, non habere locum, nisi cùm duo ex illis tribus loquuntur inter se; nomen autem, quo Deum appellamus, non deseruit vt Pater cum Filio colloquatur, sed vt nos de ipso loquamur. Vnde absre erat, vt distinctio illa, Ego & tu, in nomine diuino includeretur. Omnibus enim tribus personis appellandis conuenit pronomen *ille.* Verum quidem est, Deum, vt huius nominis vim indicaret, dixisse per primam personam, *Ego sum, qui sum*, Exod. 3. vel (vt ex hebræo ad verbum redditur) *Ero, qui ero*; illa tamen sunt Dei ipsius verba: atque ita per primam personam protulit, Sum, vel Ero. Nec verò solùm loquebatur prima Trinitatis persona, sed Deus trinus & vnus. Et tunc quidem ad propriam diuini nominis vim exprimendam, decuit vt Deus, qui de se loquebatur, per primam personam (vt grammatici aiunt) loqueretur. In aliis verò locis, quamuis dicat, *Ego Dominus*; non opus fuit formam nominis Iehoua immutare. Quia sensus est, Ego sum ille, qui meritò à vobis appellor Iehoua, quod sonat Erit, est, & fuit.

Cur nomen Iehoua personas diuinas in tertia persona explicet.

Nota præterea, in nomine Iehoua mirabile quid cõtingere, quod ad mysterium Trinitatis referri potest; nempe idem nomen legi posse, vt plures dictiones, & vt vnicam dictionem, non variatâ significatione essentiali. In aliis dictionibus quę ex primis plurium dictionum elementis componuntur, si id quod ex primis illis litteris coalescit, spectemus; inueniemus aut nihil prorsus

Nomen Iehoua vt plures dictiones & vt vnicam legi posse, inuariatâ essentiali significatione.

Digitized by Google

sus significare, vt I N R I. in titulo crucis, aut significare aliquid longè diuersum, vt F E R T. in Sabaudiensi symbolo. At in nomine Iehoua, si consideremus hanc ipsam dictionem Iehoua, quæ ex primis plurium elementis componitur, nimirũ ex illis *iehie, hoia, ve haia,*) mirabile hoc reperitur, nempe non variari significationem essentialem: quia significatio essentialis nominis extensi, non est alia, quàm verbi substantiui, Erit, Est, & Fuit: ipsa autem dictio Iehoua, considerata vt vnica dictio, est nomen verbale, quod eandem verbi substantiui significationem seruat. Et probatur; quia cùm Vatablus, Caietanus, Marianus, Bellarminus, Prado & alij nulla ratione animaduerterint, hanc esse plurium dictionum abbreuiationem, sed omnino nomen hoc vt simplicem dictionem considerauerint; nihilominùs illud deriuant à verbo substantiuo היה vel הוה (*haia*, vel *haua*.) atque ea est receptissima opinio. Quamuis deriuationis forma non eodem modo ab omnibus explicetur. Vatablus ergo deriuat à verbo הוה *haua*; addito *iod* formatiuo, quod sæpe nominibus addi solet: Caietanus, Bellarminus, & Prado deriuant à verbo היה *haia*, permutato *iod*, in *vau*; quia hæ litteræ sunt permutabiles. Goropius in Hermathena pro eadem radice reputat *haua*, & *haia*; vt apud Græcos eadem verba terminantur in ϝω & in σω: sed vtcumque hoc sit, significatio tandem est eadem. Atque adeò mirabile est, tres illas subsistentias distinctas, & inter se vnitas, E R I T, E S T, E T F V I T, & vnicum nomen simplex Iehoua, eandem habere significationem essentialem; ita vt nomen etiam ipsum sit quodammodo trinum & vnum, ad Trinitatis diuinæ significationem.

Nominis Iehouæ duplex etymon, iuxta diuersos.

Sectio III. *De eiusdem nominis vi ad diuinæ prouidentiæ perfectionem indicandam. Et cur Ioannes commutato ordine dixerit,* Qui est, & qui erat, & qui venturus est.

Diximvs de summo diuinitatis mysterio ad intrà (vt Theologi loquuntur) videamus iam an eodem nomine designetur perfectio operum Dei ad extrà. Prado in Ezechielem ait, nomen Iehoua potissimùm referri ad incarnationis mysterium, siue ad opus nostræ redemptionis; & à futuro, ait, facinore deriuari. Credit enim, huius nominis significationem esse per modum futuri: eò quòd Exod. 3. sic in hebræo explicetur; *Ero, qui ero*, id est, ego ero is, quem me esse decet; scilicet in humani generis redemptione. Et facit quod nonnulli suspicantur, non debuisse scribi יהוה *Iehoukh*, sed יהיה *Iehie*, quæ est tertia persona futuri, *erit*, atque id fuisse proprium Dei nomen. Ita Lipomanus Exodi 3. Genebrardus lib. 1. de Trinitate, & in Chronologia; nec displicet coniectura Bellarmino in Grammatica hebræa fol. 185. sed etiam suprà vidimus integrum fuisse Dei nomen, *Eris, est, & fuit*. Et communem scriptionem diserte probat Hieronymus epist. 8. & epist. 136. & nihilominùs dico hoc ipsum nomen elegantissimè referri ad præclara Dei opera; hac ratione, vt *fuisse* dicatur Deus, quòd illis initium dederit; & *esse*, quòd det progressum; & *fore*, quòd daturus sit perfectionem.

Quo pacto nomen Iehoua ad diuina prouidentia opera referatur.

Pro maiori explicatione Nota verbum substantiuum referri sæpe in sacra Scriptura ad opus; & quidem non sine elegantia: atque ita Ioannis 1. cùm dicitur, *In principio erat Verbum*, non solùm fuisse ipsum significatur, sed & fuisse opificem rerum omnium. Alluditur enim ad illud Geneseos 1. *In principio creauit Deus cælum & terram*, nempe dicendo *fiat*, vt statim sæpiùs exprimitur. Ecce *in principio*, id est, in mundo inchoando inuenimus Verbum, nempe rerum omnium opificem; *quia dixit Deus, Fiat, & factum est*. Quòd si tunc erat Verbum; vtique Apvd Devm proferentem; atque adeò Devs erat Verbvm: quia nihil potest esse apud Deum, quod non sit Deus. Hac ergo ratione, cùm Deus dicitur fuisse, esse, & fore; elegantissimè significatur à Deo fuisse principium Ecclesiæ; à Deo esse progressionem, & ab eodem perfectionis cumulum esse futurum. Et hanc esse genuinam nominis Iehoua significationem, constabit in expositione illorum verborum, *Ego sum* A & Ω, *principium & finis, dicit Dominus omnipotens, qui est, & qui erat, & qui venturus est*. Hunc eũdem sensum expressit Augustinus ser. 3. de Ascensione; *Fidelis quisque*, ait, *cùm iam tanta perceperit; per ea quæ cognouit præstita, discat sperare promissa; ac Dei sui præteritam præsentémque bonitatem, quasi futurorum teneat cautionem*. Hæc Augustinus. Et licèt ille eo loci, non agat de nomine Iehoua, eius tamen consideratio aptissimè deseruit ad nominis Iehoua vim & energiam exprimẽdam. Atque eadem est ratio, propter quam in Psalmis adeò celebratur diuini nominis gloria, vt dicemus psal. 28. n. 2. in ea verba, *Afferte Domino gloriam nomini eius*.

Cur Ioannes in nomine Iehoua temporũ ordinem inuerterit.

Nunc reddenda nobis ratio est, cur Ioannes temporum ordinem inuerterit. Explico clarius, Ioannes Iehoua nomen voluit exprimere, quod idem sonat, atq; Erit, est, & fuit: cur ergo ordine immutato, sic exponit *Qui est, & qui erat, & qui venturus est*? Respondeo, id fuisse sapientiæ & elegantiæ singularis. Etenim antiqui Patres animum adijcere præcipuè debebant ad futura Domini opera, videlicet ad generis humani, quam sperabant, redemptionẽ. Atque ideò in Dei nomine, quod ad diuina opera refertur, a verbo Erit, initium sumebant; in ea potissimum oculos conijcientes, quæ Messiæ aduentum erant consecutura. Ioannes verò cùm eo tempore scribat, quo iam Deus humanam naturam induerat, & Ecclesia effuso Christi sanguine fruebatur; eo ipso quòd ab excellentiori & digniori parte significati incepturus erat, ab eadem scilicet, quam primo loco antiqui collocabant; idcirco non à verbo Erit, sed ab Est sumit initium; & propterea ait *ab eo qui est*, &c. q. d. Iam Christiani hoc tempore iis fruimur, quæ antiqui Patres futura sperabant; atque ita vnum & idem sunt antiquorum erit, & nostrum est: & quod ipsis erat est, (nempè figuræ, & antiquæ legis cæremoniæ) id ipsum nobis est fvit: & quia nondum hactenus omnia, quæ ipsi sperabant, sunt opere cõpleta (restat enim secundus Christi aduentus; & diuini operis perfectio & consummatio) ideò non solùm dicimus, *ab eo qui est & qui erat*, sed etiam, *ab eo, qui venturus est omnipotens*. Itaque rerum ipsarum mutatio effecit, vt etiam ordo in designanda temporum distinctione mutaretur: sicut post secundum Christi aduentum, non dicemus Christum venturum, sed iam venisse.

Cùm ergo Ioannes ait; *Gratia vobis & pax ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est*; præcipit vt animaduertamus, à quo postulet gratiam & pacem: ab eo scilicet, cui nomen erat Iehoua, idem valens, quod Erit, est, & fuit: sed commutat ordinem Ioannes dicens, *ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est*. quasi dicat: Iam Deus re ipsa Est Saluator omnium, qui olim Erat promissor per figuras; & nihilominus post Messiæ aduentum adhuc a nobis Venturus expectatur Dominus: atque vt regnum eius adueniat, subinde precamur. Itaque verbum Est, ad præsentem veritatem: verbum Erat, ad antiquas promissiones & figuras, ac Ventvri nomen ad ea, quæ speramus, refertur. Et acutissimè hæc coniunxit Ioannes in epistola dedicatoria, in qua erat ei totius operis argumentum indicandum: vt significaret ea, quæ complectitur Apocalypsis, nempe Euangelij veritatem, antiquas figuras ei deseruientes, & futuri regni prophetiam. Ex hac nominis Iehoua explicatione aptè intelligitur locus ille Exodi 6. n. 3. (qui multos torsit) *nomen meum Adonai* (hebraicè *Iehoua*) *non indicaui eis*. Vbi non est sermo de vocis sono, sed de re per nomen ipsum significata, q. d. Non me ostendi re ipsa Iehoua, non mei nominis expressam eis re ipsa veritatem patefeci, cuius præcipua vis est, in his magnis promissis, quæ præstiti, implendis. Licèt autem integrum eorum complementum sit Messiæ tempore futurum, nunc tamen populo meo ingentem mei nominis manifestationẽ exhibere volo: dum eos ex Pharaonis seruitute eduxero, & in terram induxero promissam. Qua in re admirabile meæ fortitudinis, beneficentiæ, iustitiæ ac sapientiæ documentum edam. Eôdem spectat illud Exodi 3. 14. *Sum qui sum*, hebraicè, *ero, qui ero*, id est, Sum is, qui esse debeo, & quem me fore promisi. Quibus primam partem sui nominis explicat, in qua potissimum gloriabatur.

Cur Ioannes nominis Iehouæ meminerit in dedicatoria epistolæ.

Sed rogabis, cur Ioannes non solùm temporum ordinem

Digitized by Google

Cur in nomine Iehoua futurũ tempus per periphrasim enunciari Ioannes?

dinem inuerterit, sed etiam verbum *erit*, mutauerit in illam periphrasim, *qui venturus est?* Respondetur, id sapienter & eleganter esse factum; cùm ad erigendam spem, tum ad maiorem Catholicæ veritatis expressionem. Nam Deum futurum esse, poterat ad eius æternitatem referri; vel, si ad prouidentiam, significare posset, Deum semper futurum, eum qui est; atque adeò sicut illa, quæ modò sunt, ab illo dependent, ita ab illo esse oriturum & sustentandum, quidquid deinceps fuerit. Qua ratione non melior nobis status proponebatur, quàm is, in quo sumus. Cùm verò dicitur Deus esse venturus; tunc eius seruis regnum illud felicissimum, quod sperant, manifestè promittitur; & Deum ipsum venturum, vt eos saluet. Quàm aptè verò per Dei aduentum, ostensio diuinæ maiestatis & potẽtiæ in suorum redemptione & felicitate indicetur; id facilè ex multis sacræ Scripturæ locis intelligitur, ex quibus certum quoque est, Christianos etiam expectare redemptionem. Et constat in secundo Christi aduentu, non solùm verè intelligi Christum esse venturum; quâ homo, sed etiam quâ Deus est, modo suprà explicato. Atque hæc promissio non in iudicij solùm die intelligitur implenda; sed etiam in quauis insigni Ecclesiæ & Sanctorum liberatione & gloria.

Num in eo ordine à Ioanne seruato locum habeat mysterij Trinitatis significatio?

Reliquum est expendere, an in ordine, quo Ioannes dixit, *Gratia vobis & pax, ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est*, locum habeat mysterij Trinitatis significatio? Ad hoc dico, nonnullos in illa salutatione Deo trino & vni applicare illa verba *qui est, & qui erat, & qui venturus est*; eam tamen explicationem à me non probari. Primò, quia statim sequitur, *& à Iesu Christo*, atque ita aptius est, vt in salutatione, cùm dicitur, *ab eo qui est, & qui erat*, &c. intelligamus sermonem esse de Patre. Et facit quòd forma salutationis Apostolicæ est, *Gratia vobis & pax à Deo Patre, & à Iesu Christo*. Secundò, quia in allusione ad nomen *Iehoua*, voluit Ioannes argumentum Apocalypseos complecti (vt iam explicauimus) & ad eam argumenti complexionem nihil aptius, quàm significatio perfectionis diuinæ prouidẽtiæ. Hæc enim coërcet in se vniuersam Apocalypseos seriem. Trinitatis verò mysterium non spectabat directè ad argumentum Apocalypseos. Tertiò, quia quamuis in hac salutatione per illa verba, *qui est, & qui erat, & qui venturus est*, non designetur Christus; oportet tamen, vt quod ea verba tribuunt Patri in salutatione, cùm dicitur, *Gratia vobis & pax ab eo qui est, & qui erat*, &c. idipsum verissimè tribui possit Filio: quia paulo infrà (nempe n. 8.) cùm dicitur, *Ego sum* Α *&* Ω, *principium & finis, dicit Dominus, qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens*; omnino loquitur Christus, vt censet Nazianzenus orat 35. (qui ait, *Hæc perspicuè de Filio Dei dicuntur*) Athanasius, Cyprianus, Bernardus, Idacius Clarius, & Phœbadius, siue Sebadius, vt eo loci videbimus. Notãdum ergo est, significationem mysterij Trinitatis, licèt pia valdè sit, & ingeniosa videatur in nomine *Iehoua*, non tamen esse adeò certam, sicut perfectionis prouidentiæ significationem. Hanc enim omnino vsurpat Ioannes, & iuxta eam docet Patrem esse Iehoua, & Filium similiter esse Iehoua. In altera verò significatione, neque Pater est Iehoua, neque Filius, sed tres personæ coniunctim. Quartò, licèt mysterij Trinitatis significatio habeat locum in illis verbis, ERIT, EST, ET FVIT, sed commutato ordine, quemadmodum Ioannes commutauit; hæc verba, *qui est, & qui erat, & qui venturus est*, eidem mysterio significãdo non quadrant. Quia non manet idem ordo in significatione potentiæ, sapientiæ & bonitatis.

SECTIO IV. *Quibus litteris tam hebraicè, quàm græcè scriberetur nomen tetragrammaton, & de vera nominis radice.*

Nomen tetragrammaton qua ratione scriberetur.

IPOMANVS Exodi 3. putat sic scribendum esse, יהוה quæ litteræ sunt tertiæ personæ futuri verbi substãtiui; vt sit eius significatio, *Erit*. Similiter Genebrardus, & Bellarminus, quos retulimus initio sectionis præced. Facit, quòd Hieronymus affirmat, fuisse nonnullos, qui Hebræorum characterum similitudine decepti proferebant, *nim*, id est, *pipi*. Nimirum quia græcas

A esse litteras existimabant. Nihilominùs communis scriptio certissima est. Quia non est vllo modo verisimile in diuino nomine, quod erat aureis litteris inscriptum, & in quo tanta erat Iudæorum obseruantia atque religio, eiusmodi commutationem irrepsisse. Accedit, quòd communem scriptionem diserte confirmat auctoritas Hieronymi epist. 8. & epist. 136. cui etiam eorum omnium innititur opinio, qui à nomine Iehoua detortum esse arbitrantur nomen Iouis; è quibus est Marinus in dictionario, Masius in epistola ad Ariam Montanum, ipsius Ariæ psalmis præfixa, & Marianus Victorius in scholiis ad Hieronymi epistolam 136. Quamuis ab ea coniectura abhorreant Augustinus 1. de Consensu Euangelistarum cap. 22. & lib. 6. de Ciuit. cap. 6. & lib. 7. c. 5. & Galatinus lib. 2. cap. 10.

Nominis tetragrammati originem Hebræi se nescire fatentur.

Quod ad nominis radicem spectat; Hebræi ipsi non erubuerunt fateri; ignorare se, à quo fonte deriuetur hoc nomen; & suspicari esse alicuius peregrinæ linguę. Vide Gueuaram in Habac. c. 2. n. 136. & Goropium in Hermathena, fol. 15. qui hoc referunt ex Rabbi Mose
B Ægyptio; & aiunt, neminem Rabbinorum ab eo dissentire. Facit, quòd Hieronymus de locis hebraicis nullam huius nominis interpretationem ponit, nec in vllo alio loco. Oleaster Exodi 6. deriuat à nomine *houa*, quod calamitatem seu vastitatem significat. Sed huic etymologiæ obstat locus Exodi 3. 14. qui ad huius nominis explicationem referendus est, vt ceteri omnes interpretes conueniunt; & notat Theodoretus. Vide, quæ suprà adduximus sectione 2. Quare receptissima sententia est, hoc nomen deriuari à verbo hebraico substantiuo. Ait ergo Masius hanc esse nominis Iehoua significationem, *Qui ab æterno exiſtit, ipse sibi essentia est, & à quo pendet rerum omnium essentia*. Vide Goropium in Hermathena, fol. 12. qui probare cõtendit, hoc quod est, esse fontem omnis creaturæ, id esse summum in Deo; & affert Platonem. Alij dicunt, significationem huius nominis esse eandem cum significatione futuri ERIT. Et facit locus Exodi 3. 14. iuxta hebræum. Goropius tamen ait, ibi in hebræo poni futurum pro præsenti. Fortasse, quia sæpe in lingua hebraica futurum
C absoluitur à tempore, & deseruit propositionibus perpetuæ veritatis, quas Latini per tempus præsens enunciant. Atque ita optimè Vulgatus transtulit, *Ego sum, qui sum*. Nostra tamen sententia est, Iehoua non deriuari ab vllo verbo; sed esse ipsum verbum substantiuũ in triplici tempore; quod satis superque à me probatũ est. Nunc solùm addo, tacitè mihi valdè fauere Hieron. qui cùm cæterorum Dei nominum etymologiam seriò examinet & explicet; huius solùm, quod erat inter cetera Dei nomina præstantissimum, etymologiam prorsus omittit: non vtique omissurus, si esset vnicum nomen deriuatum ab aliqua radice. Sed si nostra sentẽtia vera est, ridiculum esset ab Hieronymo huius complexi, *Erit, est, & fuit*, etymologiam requirere, præsertim cùm apud Hebræos prima origo siue radix, sit tertia persona præteriti. Atqui radicis ipsius radix requiri quî potest?

Alterum placitũ ãdè de ri.

Nomen Iehoua à nullo alio deriuari, sed esse ipsum verbum substantiuum.

De punctis nomini hebraico Iehoua subscribendis, quid sentiendum.

Iam de punctis propriis nomini יהוה subscribendis in nostra sententia quæstio est inanis; si enim sunt prima quatuor dictionum elementa, perinde est quærere
D de propriis cuiusque litteræ punctis, ac de propriis vocabulis harum notarum S. P. Q. R. Qui verò nõ animaduerterunt nomen יהוה esse plurium dictionum complexionem; in quærendis propriis punctis frustra laborant. Bellarminus in Grammatica hebræa probare contendit hanc prolationem quatuor litterarum Iehouah esse nouam, & antiquis inauditam. Similiter Genebrard l. 1. de Trinitate, & ps. 82. fine, & Collectanea Clementis Alexandrini fol. 814. Hi aiunt, eius prolationis primum inuentorem esse Pagninum. Ego eandem reperio in Hieronymo, ps. 8. nisi locus sit fortè corruptus: nec tamen affirmat Hieronymus ea esse nominis huius propria pũcta; sed solùm eo modo legi posse, mutuatis scilicet vocalibus aut punctis à nomine Adonai. Ea enim puncta in Bibliis hebraicis huic nomini subscribuntur, vt animaduertant lectores ibi legendum esse Adonai. De quo latè Bellarmin. in Grãmatica: vbi etiã notat, cur alia puncta subscribantur, cùm sequitur Adonai: nempe vt legatur Elohim. Genebrardus existi-

Quid senserit Bellarminus.

Quid Genebrardus.

mat

Digitized by Google

mat propriam prolationem esse *Iehueh*, psalm. 17. n. 35. & ps. 82. fin. in Chronologia verò scribit *Iahuhe*.

Si esset vnicum & simplex nomen deriuatū à verbo *haia*, vel *haua*, præfixo *iod* formatiuo, sicut Iacob à verbo *acab*; proferendum videbatur *Iehaueh*. Nemo tamen huiusmodi prolationem sequitur.

Græca huius nominis scribendi ratio.

Superest de græcanica huius nominis scriptione nō nihil dicere. Origenes religionis ergò numquam illud scripsit, sed in eius locū suffecit ἀδόναι, (Adonai) in Hexaplis. Clemēs Alexand. l. 5. Stromatū, in græcis exemplaribus scribit, Ἰαὲ vel Ἰάου. Manifestè verò falluntur, qui existimant Clementē Alexandr. scripsisse *Iaho*, quia id græcè scribi nō potuit; cùm in medio dictionis nullus sit apud eos aspiratæ vocali locus. *Iao* poterat scribi græcè; & sic scribitur apud Macrobiū l. 1. Saturnal. c. 18. vbi refert oraculū Apollinis, φράζεο τῶν πάντων ὕπατον θεὸν ἐμμεμαὼς ἰάω. id est, *Statue omniū supremū Deū esse Iao*. Vide collectanea in Clemētem Alexan. f. 814. vbi afferūtur verba græca Clemētis, Theodoreti, & Diodori Siculi l. 1. Biblioth. Græcos autē communiter scripsisse Ἰάου, patet ex Eusebio de Præparat. Euāgelica, l. 11. c. 8. vbi ait, nomē hoc quatuor vocalibus constare. Nec obstat, quòd hebraicè per quatuor cōsonantes scribatur. Tū quia omnes illę consonātes prisco Hebræorū more, vocaliū etiā munus sæpe exercebāt; tum etiā quia pro cōsonantibus accepte nullo modo ad id nomē græcè scribendū poterāt cōiungi, cū secundum & quartū locū hebraicè occupet aspiratio, in quibus locis à Græcis minimè admittitur. Bellarminus ait, Theodoretū q. 15. in Exod. scripsisse *Iaue*, vel *Iah*: suspicor esse typographi mendū; quia saltē *Iah* græcè scribi nō potuit.

Varia huius nominis apud Græcos scribendi ratio.

SECTIO V. *Cui dicatur nomen ineffabile?*

Primis sæculis vsque ad Esdræ tempora nomen Iehoua proferri solitum.

PRIMO manifestum videtur prioribus sæculis vsque ad Esdræ tempora communiter proferri solitū; nec vnquam eius nominis pronunciationē fuisse religioni, vel scrupulo. Patet hoc ex multis S. Scripturæ locis, Genes. 14. 22. & c. 15. 2. & 8. & c. 22. 14. & c. 26. 22. & c. 28. 16. & c. 29. 33. & c. 30. 6. Exod. 5. 2. & c. 8. 8. & c. 17. 15. Iudic. 6. 24. & 1. Esdræ 8. 28. 29. & sæpe alibi.

Quo ex tēpore nominis Iehoua proferendi religio increbuerit.

Secūdò, cōsuetudo huius nominis nō proferendi, à tēpore LXX. interpretū primò recipi cœpta est. Ipsi certè primi omniū nomē hoc occultare studuerūt, eius loco reponētes hoc nomē κύριος, quod est *Dominus*; nimirū pio illo pronūciato ducti; *Nō vulgāda sacra*; nec, vt apparet, absq; peculiari Dei instinctu. Deinceps eandem consuetudinē certū est ab Hebræis acceptā, & ad posteros per manus deriuatam, vt videlicet eo nomine nusquā prolato, *Adonai*, id est, *Dominus*, nomen in eius locū vsurpatū substituerent. Atque ita in Vulgata scriptum reperitur Exodi 6. 3. *Nomen meū Adonai nō indicaui eis*, hebraicè יהוה & LXX. ibi etiā legūt *Adonai*. Scriptores quoq; noui testamenti, vbi proferūt testimonia ex veteri, nō aliter hoc nomē, quā per Domini nomen exponūt: quæ est manifesta expositio nominis *Adonai*.

Nomen Adonai pro Iehoua substitutum.

Hoc non superstitiosè factum, vt putauit Forerius.

Ex dictis infertur, non superstitioni Iudaicæ tribuēdū fuisse à Forerio in prologo ad Isaiam, quòd nomen Iehoua efferre non auderent: cū potius tribuendum sit religiosæ & laudabili obseruātiæ, quā laudat Nazianz. orat. 36. & Eusebius de Præparat. lib. 11. c. 8. Genebrard. psal. 82. fi. licèt Masius in præfat. in psal. Ariæ, dubitare videatur. ait enim, *Graci, & Latini inde vsque à nostra Ecclesia initiis, siue Iudaicâ superstitione non repudiatâ, siue cum iudicio, & cum aliquo mysterio semper pro nomine Iehoua substituerunt Adonai, vel Dominus.*

Qui superstitionē fuisse credunt, dicent fortè maioris esse reuerētiæ Dei nomē adhibere in iusiurandū, & in laudibus diuinæ maiestatis. Respōdetur, consonum esse veritati, principio aliqua excepta fuisse tempora, quibus proferri deberet; proferri enim solitū certis quibusdā festis à pōtifice Iudęorū, vt in die ieiunij sanctificationis, cū populo benediceret, &c. scribūt Rabini, & refert Galatinus l. 2. c. 10. Fateor tamē religiosā reuerentiam desciuisse posteà ad eam superstitionē, vt quouis tēpore proferre nefas esse arbitrarētur: & cōstat Iudæos de hoc nomine opiniones alias magis superstitiosas habuisse. Vide Goropium in Hermathena f. 11. & seqq.

Probabilis conjectura de noua Iehoua prolatione.

Cur dictum sit nomen ineffabile.

Dictū est ergo nomen ineffabile, eò quòd prohibitū erat ne efferretur. Ita expresè Nazianzenus orat. 36. & Theodoretus q. 15. in Exodum. Aliorū opinio est dictū esse ineffabile, non quòd proferri non liceret, sed quia satis explicari nō possent mysteria, quę cōtinet. Ita ferè Gueuara in Habac. Nostra autē sententia est, potuisse quidē nomē soluto cōpendio proferri: hac nimirū ratione *Iehie, hoia, ue haia*, & nihilominùs dictum esse ineffabile, si quatuor solæ litteræ considerentur, sicut cętera cōpendia, v. g. S. P. Q. R. Huic explicationi deseruire potest, quod ait Goropius in Hermathena fol. 14. nēpe hoc nomē dici ineffabile, quia sunt quatuor consonātes sine vocali. Et fortasse hoc est, quod ait Eusebius de Præparat. lib. 11. c. 8. *Proferre non possunt*: & Hieronymus epist. 36. *Ineffabile putauerunt*. Primum ergo dictum est ineffabile, quia efferri nisi soluto cōpendio non poterat. Deindę aut breuitatis causa, aut obseruantiæ, aut mysterij, præceptū aut receptum fuit, vt ne dissolueretur compendium, sed eius loco legeretur Adonai. Ita nusquam prolato nomine, inualescens processu temporis desuetudo verę tandem pronunciationis obliuionem & ignorantiam induxit. Atque eò deducta res est, vt Hebræi ipsi fateri non erubuerint, ignorare se, à quo fonte deriuetur hoc nomen: & suspicari esse alicuius peregrinæ linguæ, vt supra notauimus.

Aliorum opiniones.

Auctoris sententia.

COMMENTARIVS.

D ET A SEPTEM SPIRITIBVS, QVI IN CONSPECTV THRONI EIVS SVNT] Locus difficilis; ex quo tamē, si bene intelligatur, maxima lux Apocalypseos expositioni accedet. Difficultas verò in eo sita est; quemadmodū scilicet spirituū nomē, & verbū illud *septē* in præsenti accipiēda sint. Circa primū tres vidētur esse opiniones. Prima per septē spiritus intelligit septē Sp. sancti dona. Tenēt Victorinus, Eucherius, & Ansel. Secūda de angelis explicat. Ita Aretas, Lyra, Hugo, Dionys. Ribera, Viegas & Serarius. Tertia spirituū nomen accipit pro spiritu Dei, qui est in Deo. Ita Ambros. Primasius, Haymo, Beda, Ansbertus, Rupert. Thom. & Idacius Clarius in Biblioth. SS. Patr. l. 3. cōtra Varimādū.

Varię opiniones de septem spirituum significatione.

Ex his opinionibus prima fundatur in eo Isaiæ 11. 2. vbi septē Domini siue Iehoua spiritus commemorātur; spiritus sapiētiæ, & intellectus, spiritus cōsilij, & fortitudinis, spiritus sciētiæ, & pietatis, & spiritus timoris Domini. Hæc tamē opinio, nisi explicetur, & ad tertiā reuocetur; parū probabilis videtur. Quia abhorrēs est ab omni loquēdi cōsuetudine, precari gratiā & pacē à Deo, & ab ipsis Sp. sancti donis, & à Christo. Quæ enim est ista cōiunctio tā inepta, precari gratiā à largitore, & ab effectibus gratię; vel ab ipsa gratia, quā opto, & à Christo? Numquid dona ipsa sunt aliud, quàm gratia & effectus illius? quid ergo sibi vult hæc coniunctio & confusa ordinis perturbatio? existimo itaque huius opinionis auctores esse explicandos, non de ipsis donis; sed de Spiritu sancto, quatenus illorum spirituum auctor est. Atque hac ratione se videtur explicare Anselmus. Ad locum autem Isaiæ respondetur, familiare esse sacræ Scripturæ, ipsam Spiritus sancti participationem appellare Spiritum sanctum. Ab hac tamē participatione non potest postulari gratia & pax. Adde huc, ipsum etiam Isaiæ locum fortasse intelligi posse de ipso spiritu Dei, qui in Deo est, prout est auctor illorum donorum. Atque hoc modo locus ille Isaiæ fauebit potiùs tertiæ expositioni.

Reijcitur septē spirituū expositio de septem Spiritus sancti donis.

Prima igitur explicatione ad tertiam reuocatâ; supereſt controuersia inter secundam & tertiam opinionem. Secunda enim contendit, per nomen spirituum angelos hìc esse intelligendos. Tertia verò pro Dei spiritu, qui Deo ipsi intimus est, sumendum putat.

Alcasar in Apocal.

Digitized by Google

Sed priusquam ad disputationem veniamus, notandum est; harum opinionum singulas in binas alias subdiuidi. Qui enim de angelis interpretantur, alij per septem spiritus, intelligunt septem angelorum principes, cælestis hierarchiæ magnates; alij septenarium explicant de omnium angelorum vniuersitate. Ex iis autem, qui spirituum nomẽ de spiritu, qui in Deo est, exponunt; alij quidem stricte accipiunt pro ipsa Spiritus sancti persona; alij non ita stricte de Spiritu sancto interpretantur, satis esse existimantes, vt spiritus Dei nomen significet, quod Deo ipsi intimum est. Sed de iis differentiis infrà dicemus. Nunc de eo solùm disceptamus; vtrùm spirituum nomen ad angelos, an ad spiritum, qui in Deo est, referendum sit. A

Secunda sententia de angelis explicans.

Quòd autem ad angelos referri oporteat, probatur Primò; Quia in Deo septenarius non habet locum: de septenario verò angelorum sæpe meminit sacra Scriptura, & frequentissimè Apocalypsis. Secundò, esse in conspectu throni, idem est quod ante Dominum adstare; quod de spiritu Dei, qui est in Deo, videtur dici non posse. Cùm tamen id angelorum sit proprium; vt constat ex illo Tobiæ 12.15. *Ego sum Raphaël angelus, vnus ex septem, qui adstamus ante Dominum.* Tertiò, hi septem spiritus dicuntur mitti à Deo in omnem terram Apocalyp. 5. 6. Constat autem angelos esse, qui à Deo mittuntur. Quartò, cap. 3. septem spiritus coniunguntur cum septem stellis; hac ratione, *Hæc dicit, qui habet septem spiritus Dei, & septem stellas*, vbi videtur loqui Christus, quà homo est tanquam caput angelorum superiorum & inferiorum; id est, cælestium spirituum & Episcoporum: nam Episcopi etiam appellantur angeli in Apocalypsi, & eis stellarum symbolum tribuitur. B

Refellitur: & eius argumentis sit satis.

Nihilominùs certum mihi est, alteram expositionem sequi; sed antequam ad eam explicandam & confirmandam veniò; ab argumentis propositis me expediam. Ad Primum Respondeo, in Deo non esse propriè septenarium; sed nostro modo intelligendi aptè reuocari ad aliquem numerũ virtutes & attributa Dei. Siquis enim dixerit, præcipua Dei attributa esse tria; nempe Potentiam, Sapientiam ac Bonitatem; à nemine reprehendi poterit de ternarij mentione. Quare, si Scriptura & ratio persuadeant septem esse attributa, in quibus diuinæ prouidentiæ perfectio consistat; non erit cur spirituum, siue virtutum septenarius à vera & recepta doctrina existimetur abhorrere. Accedit, quòd multi grauissimi interpretes satis esse putant donorum Spiritus sancti distinctionem; vt ipse Spiritus sanctus septemplex dicatur; sicut ab effectis Spiritus Dei dicitur multiplex Sapientiæ 7. 22. *Sanctus, vnicus, multiplex.* Et Ecclesia de ipso canit; *Tu septiformis munere.* Ad angelorum verò septenarium Respondetur, frequenter quidem in sacra Scriptura fieri de septem angelis mentionem; eos tamen esse septem illos spiritus, à quibus hîc gratia & pax postulatur; hoc non solùm non probatur

Frequens septem angelorum mentio in sacris quid significet.

efficaciter, sed validissimè potiùs redarguitur; vt mox videbimus.

Ad Secundum Respondetur, verè dici angelos, qui Deo ministrant, esse in conspectu Dei: non tamen verum est ea omnia, quæ in conspectu Dei esse dicuntur, Deo ipsi ministrare. Nam psal. 95. 7. dicitur, *Confessio & pulchritudo in conspectu eius.* Quod idem est, ac in Deo effulgere, quidquid laudabile & pulchrum est. At nemo dixerit, pulchritudinem & perfectionem, quæ in Deo enitescit, ipsi ministrare Deo. Præterea, Ioannes loquitur de spiritibus Dei appositè ad Apocalypseos visionem, in qua vidit septem spiritus figuratos in septem lampadibus, quæ erant in conspectu throni, cap. 4. 5. Fingamus ergo Iustitiam ac Misericordiam, quasi sorores duas vtrumque Dei latus circumstantes à Ioanne fuisse visas (quemadmodum aptè pingi possunt:) nónne rectè posset dicere Ioannes, se gratiam sedentis in throno, & vtriusque sororis ad eius latera adstantis valdè optare? Quid ergo mirum, cùm septem Dei spiritus figuratos viderit in septem lampadibus, quæ erant in cõspectu throni; si dicat ab iis spiritibus, quos vidit in conspectu throni, se gratiam ac pacem exposcere? Præterea, cùm Ioannes in illa capitis 4. visione ante Dei thronum septem lampades; viginti quatuor seniores, mare vitreum, iridem, atque alia multa conspexerit; sapienter quidem ex his omnibus selegit sedentem in throno, septem lampadas, atque Agnum, à quibus postularet gratiam ac pacem. q.d. Ex omnibus quæ vidit, tantùm in Principe, in lampadibus, & in Agno diuinitatem se recognoscere. C

Septenarius angelorum numerus in Scriptura quò respiciat.

Porrò, de septem virtutibus, in quibus diuinæ prouidentiæ perfectio consistit, agitur in Apocalypsi, tanquam de supremo prouidentiæ Dei senatu atque concilio. Licèt autem Deus suum consilium in semetipso contineat; ceterũ de summo ipsius concilio agit Scriptura per allusionem ad concilium Assueri supremum; de quo Esther 1. 13. *Sapienter ex more regio semper ei aderant; & illorum faciebat cuncta consilio. Erant autem septem duces Persarum atque Medorum, qui videbant faciem regis, & post eum* (siue cũ eo) *residere soliti erant.* Et fortasse Danielis 7. n. 9. (vbi dicitur, *Throni positi sunt,*) & n. 10. (*Iudicium sedit*) & num. 16. (*Iudicium sedebit*) sermo est de septem spiritibus diuinis per allusionem ad septem regis Persarum consiliarios. D

Ad Tertium Respondetur. In sacra etiam Scriptura dicitur Deus mittere Spiritum sanctum, & suam etiam sapientiam, misericordiam & veritatem: *Mitte illam de sede magnitudinis tuæ*, Sap. 9. 10. *Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suã*, psal. 46. 4. Eodem igitur modo verè dicetur Deus mittere suam virtutem, beneficentiam, iustitiam, &c. Præter hæc, suo loco videbimus, an septem illi spiritus, qui in omnem terram mitti dicuntur, ijdem sint cum iis, à quibus gratia & pax postulatur; & qua ratione mitti dicantur.

Ad Quartum Respondetur, longè aliam esse legitimã illius loci expositionem; vt ibidẽ cõstabit.

Septem Dei spiritus quinam sint.

Dilutis igitur oppositæ sententiæ argumentis; statuendum est, spirituum nomine in præsenti nulla ratione angelos denotari, sed aliquid diuinum, & æquale Deo. Et inprimis hæc est plurium & grauissimorum interpretum sententia, quos suprà enumerauimus. Deinde argumentis egregiè confirmatur. Primò, quia bona Theologia non fert vt gratia & pax euangelica ab angelis postuletur. Secundò, quia licet posset ab angelis exposci gratia & pax, adhibendo eos, vt deprecatores;

Digitized by Google

A tores; valdè tamen inurbanum esset, & ab omni comitate abhorrens, hoc ordine postulare; à Deo, ab angelis, & à Christo. Nec est vlla sufficiens tam crassæ rusticitatis excusatio. Tertiò, quia si in gratiæ & pacis petitione nominandi fuerunt præcipui deprecatores & aduocati; non leuis inconsiderantiæ fuit, omisisse Virginem matrem, & fortasse etiam alios Sanctos, qui non minùs valent apud Deum gratia, quàm angelorum principes. Quartò, si propterea per septem spiritus intelliguntur angeli, quia frequens mentio est in Apocalypsi de septem angelis, illius sententiæ auctores minimè consequuntur, quod intendunt; vt scilicet Apocalypseos initium, veluti propylæum, seu vestibulum ædificij ipsi penetrali respondeat. Etenim in Apocalypsi plures sunt angelorum septenarij; ac meo quidem iudicio euidens est, septem angelos tubarum, ab angelis phialarum esse diuersos. Quamobrem si in his verbis, *& à septem spiritibus*, &c. haberetur ad eos angelos respectus, de quibus posteà in ipso decursu agitur; neutiquam esset dicendum, à septem spiritibus; sed potiùs à quatuordecim. Quandoquidem duo posteà occurrunt diuersi septenarij: nec maior est ratio, cur ab angelis tubarum, quàm à phialarum angelis gratia & pax petantur; siue ab aliis quibuslibet, quorum meminit Apocalypsis; quos millia millium, atque adeò innumerabiles esse dicit.

Quintò, licèt nonnunquam angelis nomen spirituum tribuatur; cæterùm in Apocalypsi, spiritus ab angelis manifestè distinguit Ioannes. Septem enim spiritus figuratos se vidisse asserit in septem B lampadibus; angelos verò sub humana specie conspexit. Quòd si vellet gratiam ac pacem ab angelis exposcere; nequaquam hîc eis nomen immutaret, quod posteà plusquam septuagies attribuit. Quin & in eâdem capitis quarti & quinti visione, septem spiritus per septem lampades indicati, ante Dei thronum visi sunt; angelorum autem multitudo in ipsius throni circuitu.

Ioannes in Apocalypsi spiritus ab angelis distinguit.

Sexto, septem spiritus, de quibus hîc agitur, nominat Ioannes Spiritus Dei cap. 5. 6. angelos autem licèt Scriptura *administratorios spiritus* appellet, ad Heb. 1. 14. nunquam tamen Spiritus Dei appellat; nisi fortasse Danielis 3. 65. vbi legimus, *Benedicite omnes spiritus Dei Domino*. Quod de angelis nonnulli accipient; sed fortasse litteralis sensus est de vento vehementi; iuxta hebraicam phrasim, quæ per genitiuum *Dei* solet magnitudinem significare; vt cùm ait, *Cedros Dei, montes Dei*, &c. præterquàm quòd genitiuus ille *Dei*, in eo Danielis loco non legitur in septem M S. vt notant Louanienses; neque reperitur in græcis codicibus. Itaque sacræ Scripturæ phrasis non est, angelos spiritus Dei nuncupare. Imò verò expressè Scriptura docet, quod Spiritus Dei nomine appellatur, esse intimum Deo. 1. Cor. 2. 11. *Quis hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quæ sunt Dei, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei*. Quem locum infrà latiùs explicabimus.

Angelos licèt Scriptura spiritus appellet, non tamen solet appellare Spiritus Dei.

Septimò, in his verbis, *& à septem spiritibus, qui sunt in conspectu throni*, necessariò dicendum erit, Ioannem ad libri huius argumentum respexisse, vt diximus suprà. Alioquin non commutaret Ioannes formulam salutationis Apostolicæ, quæ erat hæc, *Gratia vobis & pax à Deo Patre, & à Iesu Christo*; C neque noua ratione vsus inter nomen Dei, & nomen Iesu Christi, mentionem septem spirituum interponeret. Necesse ergo est, vt hi septem spiritus, quorum hîc meminit, sint maxima argumenti Apocalypseos pars. Quis igitur in Apocalypsi non videat, ipsius scopum non esse de angelis cælestis hierarchiæ disputare; sed de Christianæ Ecclesiæ celsitate atque victoriis? Non igitur cohæret, vt in his verbis, in quibus Apocalypseos argumentum Ioannes complecti volebat, de angelorum agat dignitate; sed de diuinæ prouidentiæ perfectione, quam in Ecclesiæ bellis ac felicibus euentis Deus ipse mirum in modum manifestat.

In septem spirituum mentione Ioannes Apocalypseos argumẽtum respexit.

Octauò, si per septem spiritus essent intelligendi angeli, aut sequenda erat opinio Lyræ, Hugonis & Dionysij, qui de vniuersitate angelorum exponunt; aut opinio Aretæ, Riberæ, Viegæ, atque Serarij (in Tobiam cap. 12.) qui de septem principibus intelligunt; quos aiunt esse magnates curiæ cælestis. Sed neutra harum expositionum est amplectenda; nulla igitur ratione Ioannes in præsenti angelos designat. Huius argumentationis maior propositio est nota. Nec enim alius videtur esse modus exponendi de angelis. Minor verò probatur; quia Lyrani expositio manifestè ab ipso Ioanne refellitur; narrat enim cap. 4. & 5. se vidisse ante thronum Dei septem spiritus per septem illas lampadas figuratos: angelorum verò multitudinem in circuitu throni, animalia scilicet ac seniores circundantem. Quare, cùm septem spiritus appellat, perspicuè eos distinguit ab angeD lorum vniuersitate ac multitudine. Et hæc de Lyrani opinione. Opinio autem Aretæ quamuis adeò certa videatur alicui, vt scripserit, impium esse, qui neget in sacris Litteris asseri proprium quendam septenarium magnatum aulæ cælestis; longè tamen aliter de illo septenario iudicandum est: vt seorsim ostendam not. 4. vbi de loco Tobiæ 12. *Ego sum Raphaël vnus ex septem, qui adstamus ante Dominum*. Si ergo explicatio illa de septenario principum non solida est; neque illa altera de vniuersitate angelorum: vtrâque opinione exclusâ, nullus relinquitur locus, vt septem spiritus de angelis exponi valeant.

Septem spirituum expositio depeculiari aliquo angelorũ septenario nequaquã solida.

Denique, si apta explicatio inueniatur, quæ ostendat hæc verba (iuxta sacræ Scripturæ phrasim) de Dei Spiritu, qui in ipso est, posse conuenienter accipi; atque hunc sensum complecti bonam Apocalypseos argumenti partem; si eiusmodi (inquam) explicatio reperiatur, illa haud dubiè erit, quam obuiis vlnis accipere & amplecti debeamus.

Sed meo iudicio, huic intentioni non faciunt satis, qui existimant, sermonem hîc esse de ipsamet Spiritus sancti persona propter septiformem gratiam, id est, septem ipsius dona. Contra hanc enim expositionem occurrunt protinus aliqua argumenta, quibus non ita facilem & expeditam inuenio responsionem. Primò enim dura nimis locutio est, ipsissimam Spiritus sancti personam propterea septem spiritus absolutè nominare, quia septem fidelibus dona tribuit. Cuinam, obsecro, hoc non valdè violentum videatur? Nónne inaudita esset omnino locutio, atque adeò

Opinio exponentium septem spiritus de ipsa Spiritus sancti persona validè refutatur.

Digitized by Google

meritò explodenda; si Patrem propter multa in nos collata beneficia, multos patres appellaremus? Nónne durissimum planè, & minimè admittendum, si Christum septem esse Christos diceremus, propter septem, quæ in Ecclesia instituit Sacramenta? Cur non igitur æquè dura erit locutio, Spiritus sancti personam propter septem dona, septem spiritus compellare? Præsertim cùm nullum similis locutionis exemplum in tota sacra Scriptura reperiamus?

Secundò, si per septem spiritus intelligenda esset Spiritus sancti persona, in tribus personis Trinitatis, Patre, Filio ac Spiritu sancto designandis, ordo ab Scriptura & bona Theologia seruatus peruerteretur. Quis enim ordo est dicere, Patrem, Spiritum sanctum, & Filium? atqui textus ait, *Gratia vobis & pax ab eo, qui est, & qui erat, &c. & à septem spiritibus, & à Iesu Christo.*

Tertiò, septem spirituum Dei mentio in hac dedicatoria epistola argumentum certè Apocalypseos respexit (vt iam diximus.) Atqui de Spiritus sancti persona, deque septem ipsius donis, contextus posteà non agit ex professo. Declaratio verò, quæ in hac salutatione ad libri argumentum non attendit, non omnino satisfacit.

His argumentis cogimur, vt seriò disquiramus, an aliquæ in Deo virtutes, siue attributa sint, quæ iuxta sacræ Scripturæ locutionem, Spiritus Dei possint ac debeant nominari? Etenim, si inueniremus diuinæ prouidentiæ perfectionem in septem virtutibus omnino consistere, quibus septem spirituum nomina ad amussim quadrarent, ac de iis fusè in Apocalypsi agi; inficiabitur nemo, hos esse septem Dei spiritus, à quibus Ioannes gratiam ac pacem orat. Nam si in his virtutibus (seu attributis) prouidentiæ perfectio sita est, qua Deus Ecclesiam moderatur; cùm dictum iam fuerit, *Gratia vobis & pax à Iehoua*; nihil aptius, quàm nomini diuino mentionem septem illarum virtutum adiungere. Nomen enim Iehoua (vt latè explicauimus) nobis proponit ob oculos, Ecclesiæ Christianę opus à Deo institutum, ab illo prouehi, & ab eodem ad summam perfectionem esse perducēdum. Qua verò ratione hoc Deus efficiat, & perfecturus sit, id Ioannes sapienter indicat, factâ septē spirituum mentione. Per hæc enim attributa se Deus ostendit fortissimum, beneficētissimum, æquissimum ac sapientissimum in Euangelico spiritu, quem Christianæ genti largitur; nec non patientissimum, minacissimum & seuerissimum erga Christianæ Ecclesiæ hostes.

In Apocalypsi longum de septem spiritibus instituit tractationem.

In his verò virtutibus vniuersam prouidentiæ perfectionem consistere, seorsum notat. §. ostendam. Sed quædam hîc prætereire non debeo. Primùm de his septem virtutibus agi per ordinem in septem sigillis, à c. 5. vsque ad 11. quæ nobilis valdè est Apocalypseos pars. Atque adeò decorum mirificè seruatur, dum in epistola dedicatoria, pars adeò digna, atque notāda ex imis Apocalypseos visceribus singillatim tangitur.

Secundò aduerto, me non esse primum, qui septem sigillorum mysterium cum mysterio septem spirituum idem esse affirmem. Sic enim diserte docent nonnulli auctores ex iis, qui septem spiritus sumunt pro spiritu, qui in ipso Deo est, & singillatim Rupertus.

Spiritum sumi interdum pro ea virtute, qua in alicuius gubernatione eminet.

Tertiò noto, phrasim esse valdè vsitatam, spiritum poni pro ea virtute, qua præsertim gubernator aliquis suos subditos regit ac moderatur. Sic dicimus, hunc lenitatis spiritu; illū seueritatis gubernare. Cōsonat illud Pauli ad Gal. 6. 1. *In spiritu lenitatis.* Vide illud Esther 13. 2. *Voluit clementia & lenitate gubernare subiectos.* Si ergo spiritus aptè gubernatoris virtutē significat; tot erunt perfectissimæ gubernationis spiritus, quot virtutes necesse est in gubernatione perfectissima eluceāt. Eiusmodi verò perfectionem in septem virtutibus sitā esse, nos docet Apocalypsis, & explicabimus notat. §. & c. 6.

Illustris Pauli locus ad septem spirituum doctrinam intelligendam.

Quartò, spiritus nomine præcipuè appellari solet, quod occultum atque intimum est in ipsa gubernandi ratione: vt Paulus clarè significat 1. Corint. 2. Quod caput illustrissimum est, & ad Apocalypseos mentem de septem spiritibus intelligendam, egregium. *Sapientiam*, ait, *loquimur inter perfectos; sapientiam verò nō huius sæculi, neque principum huius sæculi, qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est; quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram. Quam nemo Principum huius sæculi cognouit; si enim cognouissent, nunquam Dominū gloriæ crucifixissent. Sed sicut scriptum est, Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum. Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita, & quæ sunt Dei, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes. Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia enim est illi, & non potest intelligere; quia spiritualiter examinatur.* Hactenus Paulus: qui proculdubiò agit de nobilissima quadam doctrinæ Euangelicæ parte; quæ docet, ne in externa illa facie Christi atque suorum, humilitatis, debilitatis & inopiæ offendamus; neque in oppugnatione, quā à mundo contemnente & persequente patiuntur: sed potiùs agnoscamus in viua in Christū humilē atque inopē fide, in mundanæ pacis, & opum ac diuitiarū, vitæque ipsius contemptione, in his (inquam) veram illam felicitatē, quam mundo fuerat verus Redēptor allaturus; in his sapientiam, in his libertatem ac dominatum, in his pacis abundantiam, in his diuitias, in his denique veram vitam, atque animi voluptatem esse sita. Atq; hoc ait Paulus ignotum fuisse omnibus huius sæculi principibus; alioqui enim Christum non crucifixissent. Vbi principum nomine dæmones intelligendi videntur. Verùm quod dæmones latuit, quid mirum carnales homines latuisse? Ea sanè felicitas, qua Deus in hac vita familiares suos beare statuerat, longè sublimior erat, quàm vt externis sensibus, aut etiam humano captu percipi posset; quin imò dæmonum etiam cognitionem præteruolabat. Neque satis erat, eam ex se esse magnam & admirandam, vt facilè in hominum, aut saltem dæmonum cognitionem veniret. Iinò verò, quo illa erat maior & mirabilior, eo erat magis abscondita; & neque eam capere homines sensibus ad

terrena

A terrena atque infima depressis, nec diuini consilij sublimitatem dæmones poterant attingere. *Quia neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascendit*, &c. Verba sunt Isaiæ, cap. 64. 4. quæ Paulus in sensu litterali affert: eâdem enim de re agit Isaias; nempe de felicitate, quam Messias in hac vita suis amicis erat largiturus. Atque hanc ingentem felicitatem affirmat Paulus à Spiritu Dei solùm posse reuelari: erat enim arcanum in diuino pectore penitus abstrusum; nec vlli præterea, quàm ipsius Dei Spiritui notum; atque ideo illi solùm reseratur, qui Dei Spiritum participat. Hæc expositio eo vel maximè confirmatur, quod mox additur; spiritum nempe, quem Deus viris Apostolicis tribuit, non esse mundanum, sed diuinum; *vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis*. Non ait, *quæ donabuntur*, sed *quæ donata iam sunt*. Atque ita non dubium est, quin de ingẽti felicitate agat, qua in hac mortali vita spirituales viri perfruuntur; eo vel maximè tempore, quo eos mundus insectatur, & cùm inopes, viles & abiecti, atque ipsa totius mundi fæx omnium oculis videntur. Congruit optimè, quod statim subdit Apostolus; *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei*. Quòd verò ait, *Spiritualibus spiritualia comparantes*, significat se spiritualibus viris interpretari doctrinam spiritualem, quę est res valdè abscondita, & veluti quædam apocalypsis. Itaque *comparare*, hoc loco est *interpretari*. Sic Theophylactus, qui græcè nouerat meliùs, quàm Erasmus: & pro verbo græco συγκρίνειν, sæpe vertit Vulgatus *interpretari*: vbi manifestè est sermo de ænigmatum, vel etiam difficilium somniorum interpretatione. Vide Genes. 40. & 41. & Daniel. 5. Quibus locis hæc phrasis sæpiùs vsurpatur. Siquis B verò malit, vt datiuus ille *spiritualibus*, non ad homines, sed ad res referatur; sensus erit, Apostolum ad spiritualem doctrinam explicandam, spirituali etiam ac mystico sacræ Scripturæ sensu vti. Et hactenus de loco Pauli; qui meo iudicio, est quasi vita & anima illius tractatus, qui de libri sigillis cap. 6. Apocalypseos instituitur, in quibus Deus suos septem spiritus retegit, qui carneis oculis tantopere erãt obtecti: atque ab his septem spiritibus petit Ioannes gratiam & pacem Euangelicam. Est autem magna animaduersione dignum, quemadmodum in Deo septem horum spirituum perfectio cum eorum cognitione coniuncta est; sic etiam suo modo illi veram Dei spirituum cognitionem conferri; qui diuini illius Spiritus sit particeps, id est, Fortitudinis, Beneficentiæ, Æquitatis, ac Sapientiæ Apostolicæ. Sed de his latiùs, cap. 6.

Erasmus taxatur.

Superest, vt obiectioni cuidam respondeamus, priusquam progrediamur vlteriùs. Illa autem est huiusmodi: In nostra expositione septem Dei spiritus sunt Virtus, Beneficentia, Iustitia, Sapientia, Patientia, Comminatio, Seueritas; & ab his septem postulat Ioannes gratiam & pacem. Hoc verò difficultate non caret. Nam si strictè loquamur, non videtur ad septem hos omnes spiritus spectare, quòd gratiam & pacem conferant. Nam spiritus seueræ vltionis nõ gratiam & pacem, sed vltionem & vindictam effundit: & spiritus seriæ comminationis terrores injicit ac minas: spiritus autem patientiæ non tam largitur gratiam, quàm cohibet vindictam. Imò verò largiri gratiam & pacem videtur propriè ad solam beneficentiam pertinere. Quo modo ergo postulatur gratia & pax à septem C spiritibus, si nomine septem spirituum intelliguntur spiritus sapientię, spiritus patientię, spiritus terroris ac vindictæ?

Qui demum sint septem spiritus Dei.

Respondetur gratiam & pacem tribuere, esse quidem proprium beneficentiæ munus, sed non solius: quia beneficentia ad suum benemerendi de hominibus officium aliorum spirituum exigit comitatum, & diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum; atque ad eorum gratiam & pacem prodest, quòd Deus patienter peccatores expectet, quòd eos terreat, quòd seueram de eis vindictam sumat. Et verò de patientia Dei expressit Paulus, ad Romanos 9. 22. dum ait, *Deum sustinuisse in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam*. Ecce longanima expectatio Dei electorum suorum gratiam & pacem mirabiliter auget. Imò verò non sineret crescere paleam, nisi id tritici incremento prodesset. Similiter dico, terrores de cælo prodesse electis ad gratiam & pacem; nec non etiam vindictam, quam Deus de peccatoribus sumit: non solùm quòd earum rerum animaduersio & consideratio spirituali iustorum incremento sit vtilissima; sed etiam quòd Deo omnia suauiter disponente, cuncta ad electorum salutem referuntur: & vnius lapsus in alterius felicitatem cedit; atque huius obduratio, qui minis atque terroribus indurescit, initium est beneficiorum, quæ in alium conferuntur. Vnde ad Rom. 11. 15. *Amissio eorum, reconciliatio est mundi*. Et Nota, hanc explicationem cum argumento Apocalypseos vald D dè cohærere. Etenim vna ex præcipuis rebus, quæ in ea aguntur, est, Patientiam; Comminationem, atque Seueritatem, quas Deus in Iudęos rebelles exercuit, in Gentilium felicitatem redundasse. Præterea, expectatione, comminatione atque supplicio, quibus Deus vsus fuit aduersus Gentes ac Romanum Imperium, ijsdem fuit ad Catholicæ Ecclesiæ prosperitatem vsus: atque in suorum electorum gratiam, & pro illorum pacis pulchritudine augenda, Deus cum suis hostibus bella gessit; vt in multis sacræ Scripturæ locis videre est: in quibus Deus pro suorum salute aduersus hostes describitur apprehendere arma & scutum. Præter hæc gratia atque pax Ecclesiarum ex eo etiam non parum pendet, quòd Deus easdem Ecclesias expectet, comminationibus terreat, ac puniat etiam interdum. In multis enim offendimus omnes, & indigemus Dei patientia, comminatione ac seueritate.

Digitized by Google

NOTATIO IV.

An Tobiæ 12. num. 15. sermo sit de proprio septenario quorumdam angelorum, per quos Deus mundum gubernat.

RESPICIMVS in commentario expositionem illam, quę verba Ioannis, *à septem spiritibus*, ad septem angelorum principes referebat. Id quod tum aliis rationibus, tum hac refutauimus, quòd res esset incerta, nec solido aliquo fundamento posset stabiliri. Nunc quoniam locus ille Tobiæ 12. ***Ego sum Raphaël vnus ex septem, qui adstamus ante Dominum***, nobis obijcitur ab iis, qui contendunt septenarium illum non posse negari: ideò visum est, eam quæstionem singillatim disputare; scilicet, An negari possit ille septenarius; & quomodo intelligendus sit Tobiæ locus.

Peculiarē angelorū septenariū qui negant.

Prima opinio negat septenarium illum proprium præcipuorum Dei ministrorum, ac proinde contendit, locum illum figuratè esse accipiendum. Hanc opinionem manifestè sequuntur ij interpretes, qui sacræ Scripturæ locos, in quibus de septem angelis, vel septem spiritibus sermo est, recusant exponere de proprio angelorum septenario. In his sunt Lyra, Carthusianus, & Hugo. Qui eos locos de angelis quidem exponunt; sed aiunt, per septenarium designari vniuersitatem & maximam eorum multitudinem. Deinde de præfinito angelorum septenario manifestè recusant exponere, qui per septem spiritus aiunt significari ipsum Spiritū sanctum propter septem gratiarum dona. Quamuis enim videatur violenta expositio; in eam tamen abeunt, fugientes ab angelorū septenario. Il sunt Primasius, Ambrosius, Ansbertus, Anselmus, Beda, Rupertus, Haymo, Thomas, nec non Idacius Clarius; vt vidimus in commentario. Præterea similiter respuunt proprium angelorum septenarium, qui septem spiritus exponunt de ipsis Spiritus sancti donis: vt Victorinus Martyr, & plures alij Ecclesiastici & Hebræi apud Hieronym. Zachariæ 4. Idem etiam tacitè videtur negare Hieronymus Isaiæ 3. laudat enim Hebræos, qui sentiant alio atque alio tempore modò hos, modò illos angelos Deo ministrare. Eidem opinioni valdè fauent ferè omnes Doctores Scholastici, dum de angelis ex professo tractantes, omnino prætereunt eum septenarium. Atque illi præsertim, qui ea expresè dicunt; quæ cū eo septenario nulla ratione possunt congruere; vt D. Thomas, qui ait Michaëlem esse ex ordine Principū; Gabrielem ex Archangelorum ordine, Raphaëlem verò ex infimo ordine Angelorum. Atqui si Michaël, Gabriel, & Raphaël sunt tres ex illo septenario Principum (vt omnes assertores septenarij præstituunt) opus erat septem omnes esse ex eodem ordine, scilicet ex supremo. Si verò ex diuersis essent ordinibus; non quidem essent septem, sed nouem; cùm constet totidem esse angelorum choros. Huic etiam sententiæ accedunt, qui Raphaëlem aiunt fuisse Angelum custodem Tobiæ vel Sarę.

Rationes autem, quæ contra illum septenarium militant, huiusmodi sunt. Prima; quia proprius ille præcipuorum angelorum septenarius non est asserendus, nisi à sacra Scriptura doceatur: neque facilè credi debet id in Scriptura asseri, quod pleriq; interpretes Catholici aliter exponunt. Secunda; quia iste septenarius paucos habet ex Patribus patronos. Nam præter Clementem Alexandrinum & Aretam, à nullo alio antiquorum videtur asseri. Quamuis enim Aretas pro se citet Irenæum; eius tamen locus non inuenitur. Et fortasse exponi posset eodem modo, quo à plerisque exponitur locus Tobiæ. Tertia; loci sacræ Scripturæ, qui pro angelorum septenario facere videntur, multò aptiùs aliter explicantur, vt videbimus infrà. Quarta denique; multo magis diuinam decet maiestatem, vt millia millium assistant ei ex præcipuis etiam ministris, præsertim si eorum ministerio conueniat vt mittantur eo modo, quo missus est Raphaël: nam possent simul occurrere plurimæ similes occasiones, quibus simili ministro opus esset.

A Id quod ex eo inprimis confirmatur; quia Doctores illi, qui existimant in sacra Scriptura asseri proprium præcipuorum angelorum septenarium, consequenter dicunt, eos angelos mitti à Deo in terras, & nihilominus eos esse curiæ cælestis magnates, à quibus meritò postuletur gratia & pax, secundùm Deum. Atqui doctrina hæc pugnat cum recepta Theologia. Doctores enim Scholastici Dionysij Areopagitæ vestigiis insistētes, aiunt Cherubinos & Seraphinos non mitti ad homines. Quare illi septem, qui mittuntur, non possunt esse ceterorum omnium angelorum antesignani. Atq; adeò à Seraphinis potiùs, quàm ab illis postulanda erat gratia & pax, vtpote coniunctioribus Deo.

Angelorum septenarium qui adstruunt.

Secunda opinio est, in loco Tobiæ sermonem esse de proprio septenario angelorū, & eos esse præcipuos diuinæ prouidentiæ ministros. Huius opinionis auctores sunt Clemens Alexandrinus libr. 3. Stromatum, Aretas Apoc. 1. vbi pro se adducit Irenæum; & ex iunioribus Ribera ac Viegas Apocal. 1. & Serarius Tobię 12. B Pro eadem opinione citari possunt ij, qui septem planetis septem angelos præficiunt; (inter quos numerāt Michaëlem, Gabrielem, & Raphaëlem) & singulis eorum certam periodum annorum tribuunt. Qua de re latè scripserunt Trithemius lib. de Secundæis, Cornelius Agrippa lib. 3. de Occulta philosophia, Ioannes Basilius Heroldus, Theodorus Gramineus Colonienſis, & Michaël Aitsingerus Austriacus in suo Pentaplo; & aiunt esse veterum Hebræorum traditionem. Et citant Abrahamum quemdam Abenezra. Quòd si abstrahamus ab annorum periodis, & à nominibus Michaëlis, Gabrielis, &c. huic eidem opinioni multi Peripatetici subscribunt, qui singulis cælis singulas præficiunt intelligentias, atque adeò septem planetis septem angelos præcipuos. Præterea extat libellus Neapoli editus anno 1594. de Septem principibus angelorum Deo adstātibus cum orationibus singulorum: & constat in Sicilia in diœcesi Panormitana esse antiquum templum septem principibus angelorum dicatum. C

Rationes verò ad prædictum angelorum septenariū affirmandum hæ sunt. Prima; quia sępiùs repetitus numerus septenarius, in re præsertim historica, omnino videtur propriè accipiendus. Atqui legimus angelos septem Tobiæ 12. 15 & Apoc. 8. 2. vbi septem angelis in conspectu Dei stantibus, dantur septem tubæ, & c. 15. 7. angelis septem dantur septem phialæ, & c. 17. 1. & c. 21. 9. Legimus etiam septem spiritus Dei in conspectu throni, Apoc. 1. 4. & c. 3. 1. & c. 4. 5. & c. 5. 6. & Zachariæ 4. 10. Quòd verò in his locis per spiritus intelligantur septem angeli; videtur efficaciter probari, ex eo quòd ijdem spiritus appellentur septem angeli in locis suprà dictis, nempe cap. 8. & cap. 15. Apoc.

Rationes probatis eadem opinio.

Secunda ratio est, quia virtutes principales, ad quas ceteræ omnes reuocantur, sunt septem; nempe tres D Theologales, Fides, Spes, Charitas; & quatuor Cardinales, Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Temperantia. Ergo ex iis angelis, qui diuinæ prouidentię in hominum salute procuranda ministrant, septem debent esse principes; vt singuli singularum virtutum præcipuam curam gerant. Et confirmatur à simili: nam & dæmon humani generis hostis præcipuos septem dæmones capitalibus vitiis præfeciſſe creditur; vt ex Antonio apud Athanasium, & ex Sereno apud Cassianum probat Serarius Tobiæ 3. quęst. 6. Similis ratio afferri potest ex septē donis Spiritus sancti; vel ex septē virtutibus, quę septē vitiis capitalibus opponūtur; vel ex præcipuis diuinæ prouidentiæ attributis, quibus angeli præsertim seruiunt: nam & attributa sunt septem (vt videbimus notatione proxima.) Et vero simile est, quālibet diuinam virtutem suum habere exercitum angelorum, atque adeò vniuersam militiam cæli in septem exercitus distribui, & singulos singulis exercitibus duces.

Deni-

Digitized by Google

Denique secunda hæc opinio adeò placet nonnullis, vt dicant eam non posse nisi impiè negari. Nihilominus tamen prima opinio non solùm est tuta, sed etiam multò communior atque receptior. Et quidem, si auctores & rationes respicias, vtrimque satis munita. Addo etiam Serarium, cui opposita placebat, postea dubitare; ait enim forsan septem angelos coram Deo adstantes non esse eosdem semper; sed alios atque alios. Ita ille quæstiunc. 7.

Expenditur Tobiæ locus de septem angelis.

Sed veniamus ad locum Tobiæ 12. & expendamus, quam vim habeat pro secunda opinione. Verba Raphaëlis sunt: *Ego sum vnus ex septem, qui adstamus ante Dominum*: non ait se esse ex principibus angelorum; sed ex angelis septem, qui adstant ante Dominum. Adstare autem ante Dominum commune est omnibus angelis: iuxta id Danielis 7. n. 10. *Decies centena millia assistebant ei.* Et confirmatur ex omnibus, quæ adducit Serarius quæst. 9. vt explicet, quid sit adstare ante Dominum. Adde, quòd ex ipsa legatione apparet Raphaëlem non esse ex summis principibus, vt sapienter expēdit D. Thomas 2. sentent. distinct. 10. Locus ergo non spectabat ad præcipuos quosdam ministros; sed ad omnes angelos Deo assistentes, & ministrantes. Angeli enim superiores nulla ratione sibi solis arrogabunt dignitatem & munus adstandi Deo. Quare non est ad rem examinare, an principes angelorum sint septem; sed potiùs explicare, quomodo omnes angeli aptè appellentur septem. Si enim huius appellationis conueniens ratio reddatur; hauddubiè is erit legitimus loci sensus.

Per septenarium quandoque quomodo vniuersitas significetur.

Primà ergo explicatio est Lyrani, Hugonis & Carthusiani; qui aiunt septenario numero solere denotari vniuersitatē. Verùm huic explicationi obijcitur; ineptè id fieri, nisi peculiari aliqua ratione vniuersitas tota ad septenarium reuocetur; vt ostendimus in commentario huius capitis, v. 4.

Cur Angelorum septenarius numerus in Scriptura assumatur.

Sit igitur secunda explicatio, regis consiliarios, & similiter etiam regis ministros, in Scriptura appellari septem, per allusionem ad consiliarios, & ad intimos ministros regum Persarum. Vide 1. Esdræ 7. num. 14. & Esther 1 num. 14. Ex quibus locis constat supremos regni Persici consiliarios fuisse septem; *qui ex more regio, regi semper aderant, & illorum faciebat cuncta consilio.* Et appellantur septem duces Persarum atque Medorum, *qui videbant faciem regis*, & primi post eum sedere soliti erant. Ex capite etiam 1. Esther num. 10. similiter constat, intimos regis ministros, qui in conspectu eius ministrabant, fuisse septem; eosque omnes eunuchos iuxta antiquam consuetudinem. Quibus positis nota ex Serario Tobiæ 12. quæst. 8. nō fieri in sacra Scriptura mentionem septem angelorum, nisi postquam Israëlitæ viderunt in aula regum Persicorum septem consiliarios & totidem cubicularios. Cùm verò constet, regios cubicularios regni Persici fuisse septem; facilè intelligitur illos fuisse appellatos septem viros: (Hispani eos appellaremus, *los sietes.*) Cùm enim ad dignitatem aliquam certus aliquis virorum numerus statutus est; sæpè vsu venit vt numerus ipse pro dignitate sumatur: huiusmodi apud Latinos triumuiri, decemuiri, quindecimuiri. Et apud Hispanos, *los seises, los treses, los veintiquatros.* Et contingit etiam, vt augeatur postea numerus; & nihilominus primi numeri nomen apud ipsos remaneat. Senatores enim apud Hispanos appellantur 24. *los veintiquatros*, quamuis centenarium numerum conficiant: & pueri cantores in primariis templis sex appellantur, *los seises.* Quia sex primò designati sunt. Et manet senarij nomen, quamuis crescat postea numerus. adeò vt si quis apud Hispanos dicat, *los Cherubines son los seises de la capilla del cielo*; quamuis verba sonent in musica cælesti Cherubinos esse sex vel senos, nemo tamen, qui phrasim intelligat, suspicaturus sit Cherubinorum numerum ad senarium coarctari; sed eorum solùm significari officium, & in diuinis laudibus suauitatem. Si ergo quamuis Cherubini sint millia millium, per allusionem ad pueros cantores appellantur sex, vel seni, quid mirum, angelos omnes, qui adstant ante Dominum, appellari septem, si ad cubicularios regni Persici alludatur? Porrò allusionem apertè confitetur Serarius:

Quo extempore angelorum septenarius in Scriptura vsurpari cœperit.

quin & Aristoteles libr. de Mundo ad Alexandrum post medium, tradit maiestatem & prouidentiam regum Persarum fuisse imaginem quamdam diuinæ maiestatis & prouidentiæ. atque idem affirmat Apuleius; quod ab Aristotele fuit mutuatus, quamuis eum non referat. De quo videri potest libellus de regio Persarum principatu, ex Aduersariis Barnabæ Brissonij folio 64. & 65. vbi affert verba Aristotelis & Apuleij.

Cur Apoc. 4. seniores viginti quatuor esse dicantur.

Eadem omnino ratione Apocalypseos 4. & sæpe alibi, Christiani sacerdotes nuncupantur viginti quatuor seniores; & in visione vigintiquatuor seniorum figurati sunt, per allusionem ad vigintiquatuor principes Salomonici templi, de quibus 1. Paralip. 24. vbi appellantur Principes Dei, & Principes sanctuarij. Et manifestum est ex ipsa figura, eos præfiniti numeri nomen accipere; quantumuis eorum numerus in multa millia extendatur. Quemadmodum igitur quiuis Christianus sacerdos potest iure optimo dicere se esse vnū ex viginti quatuor senioribus, de quibus Apocalypsis, (nimirum, quia in ipsis sacerdotalis dignitas figuratur, vt eo loci videbimus;) sic Raphaël verè ait, se esse vnum ex septem cubicularijs regis supremi, accepto numero pro dignitate: scilicet quia septem illi regis Persarum cubicularij *in conspectu regis ministrabant, videntes faciem eius*: vt habetur Esther 1. 10. ex quo aptè desumpta fuit allusio ad angelos significandos, qui *semper vident* (ait Christus Matth. 18. 10.) *faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Quod quia non est peculiare septem principum priuilegium, sed communis omnium angelorum dignitas; ideo de omnibus angelis (sine dubio) loquitur Raphaël.

Altera septenarij angelorum numeri explicatio.

Prædictam explicationem huius loci veram ac germanam reputo. Ceterùm ad maiorem rei copiam & abundantiam, alteram subiiciam, quæ alicui fortassis non displicebit; Raphaëlem scilicet loqui de septem Dei spiritibus, de quibus diximus agere Ioannem in illis verbis, *à septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt*, Apocal. 1. 4. Quamuis enim angeli non sint ipsi spiritus Dei, sed spirituum Dei ministri; nihilominus

Angelus in Scriptura sæpe experiūtur Deū loqui.

sæpissimè in sacra Scriptura loquuntur ex personā Dei: vt cùm aiunt, *Ego Dominus* (vt Genes. 16. 9. 10. & Iudicum 13. num. 12. 14. 16. & sæpe alibi.) Dicere ergo se esse Gabrielem (loquendo ex persona Dei) perinde est, ac dicere se esse Deum fortem, seu Dei fortitudinem. Similiter dicere se esse Raphaëlem, perinde est ac dicere se esse Deum benignum & salutarem. Quare, si Dei spiritus sunt septem, atque ex eis vnus est Virtus seu Fortitudo, alter Beneficentia: qui Beneficentiam vt ipsius ministerrepræsentat, rectè potest dicere se esse vnum de septē Dei spiritibus. Hæc expositio satis erat consentanea, si diceret Raphaël, *Ego sum vnus ex septem Dei spiritibus.* verùm non ita dicit; sed, *Ego sum Raphaël angelus, vnus ex septem, qui adstamus ante Dominum.* Quòd si angelus diuinæ beneficentiæ personam ageret; videtur non potuisse dicere, se esse angelum, qui adstat ante Deum: quia Dei beneficentia neque est angelus, neque ante Dominum adstat?

Angeli nomina quæ voces in hebræo respondeant.

Huic tamen obiectioni dici posset, voci *Angelus* non semper in hebræo respondere מלאך (*malac*) quod propriè significat nuntium, siue legatum: interdum enim, vbi nos legimus *angelus*; in hebræo legitur אלוה (*eloha*) & in plurali (*elohim*,) vt psal. 8. num. 8 *Minuisti eum paulò minus ab angelis.* (quod citat Paulus ad Hebr. 2. 7. & 9.) & psal. 96. 8. *Adorent eum omnes angeli eius.* & psal 137. 1. *In conspectu angelorum psallam tibi.* & Oseæ 12. 3. *Directus est cum angelo.* Si ergo accipiatur Angeli nomen, vt respōdet huic voci *eloha*, siue *elohim*; apprime decet vt spiritus Dei, qui sunt Virtus, Beneficentia, Iustitia Dei, &c. appellentur *Elohim.* Hæc enim vox propriè significat iudices. Vnde Deo vero, & omnibus, qui præsunt, sæpissimè tribuitur id nomen. Et præterquam quòd hoc est frequens Dei nomē in Scriptura; ineſt insuper eidē nomini peculiaris elegantia ad diuinæ prouidentiæ attributa significanda; dum considerantur quasi septem regij consiliarij, ex quibus supremum prouidentiæ concilium atque tribunal constat. In hac consideratione, nihil est aptius, quàm eos Dei spiritus appellare *Elohim*: hoc enim nomen pro-

Elohim quid propriè Hebræis sonet.

Digitized by Google

priè ſonat iudicem ſeu gubernatorem. Quamobrem hoc nomen videtur angelis tribui; non tam ob ſuam celſitatem, quam ob Dei figuram ſiue perſonam, quam ſæpe agere deſcribuntur; dum dicunt, *Ego Dominus*. Et nomina Michaëlis, Gabrielis ac Raphaëlis ex ſe videntur expoſcere; vt quando cum angeli nomine coniunguntur, tunc nomen angeli accipiatur, non vt ſignificat nuntium, ſed vt eſt idem quod *Eloha*. Qui enim dicit, *Ego ſum Raphaël*, (quod idem ſonat, ac Deum ſalutarem;) ſiue *Ego ſum Gabriel* (id eſt Deus fortis;) perſpicuum eſt illum non ſolùm ſe Dei nuntium appellare; ſed loqui etiam Dei nomine, perſonam illius agendo: atque ideo aptiſſimè appellat ſe *Elohim*.

Raphaëlis & Gabrielis etymon.

Huc accedit, quòd licèt hîc *malac* in hebræo ſcriptum eſſet (quod propriè ſignificat nuntium ſiue legatum) poterat nihilominus qui ſe appellat Raphaëlem, id eſt, Deum ſaluatorem, dicere, *Ego ſum angelus Raphaël*; id eſt *legatione Raphaël*, quod idem eſt, ac ſua legatione Deum ſalutarem, repræſentare. Sic apud Paulum *Vocatus Apoſtolus*; idem eſt, *ac vocatione Apoſtolus*. & fortaſſe etiam ipſi ſpiritus Dei, (id eſt, Virtus, Beneficentia, &c.) quemadmodum à Deo mitti dicuntur, dici etiam poſſunt angeli ſeu legati. Quia & Chriſtus appellatur in ſacra Scriptura Angelus, & ſecũda ac tertia perſona Trinitatis dicuntur mitti. Quare, dum diuini ſpiritus nomine loquitur, potuit eius legatus dicere, *Ego ſum angelus Raphaël*. Neque obſtat, quod ait, ſe eſſe ex iis, qui adſtant ante Dominum; quia ſpiritus etiam Dei, qui verè ſunt in Deo, figurata locutione rectè dicuntur adſtare, ſiue eſſe in conſpectu throni: vt vidimus in commentario v. 4.

Addo huc, in ſacrarum Litterarum fœcunditate vtramque expoſitionem habere locum; atque in prima quidem fieri alluſionem ad ſeptem Aſſueri regis cubicularios; in ſecunda verò ad ſeptem conſiliarios eiuſdem, ſiue ſapientes. Et hactenus de loco Tobiæ.

Ad argumenta verò initio propoſita facilis eſt reſponſio. Ad Primum Reſpondetur, non minùs frequenter reperi viginti quatuor ſeniores, quàm ſeptenarium angelorum: atque adeò non eſſe inconueniens, vt figurata locutio ſæpiùs iteretur. Et ex locis quidem Apocalypſeos, vbi de ſeptem ſpiritibus, non aptè deſumitur argumentum ad probandum angelorum ſeptenarium: quia Theologia ſymbolica non eſt argumentatiua. Et in commentario explicui, eos locos de ſeptem prouidentiæ attributis, atque idem dico de loco Zachariæ. Quod verò obijcitur, eoſdem ſpiritus in Apocalypſi angelos appellari; ad id Reſpondeo, nõ eſſe eoſdem qui angeli nominantur, & qui nominantur ſpiritus: addo etiam alios eſſe angelos tubarum, & alios angelos phialarum, & neutros eſſe ex iis, qui propriè appellantur angeli, vt ſuis locis videbimus.

Ad Secundam rationem Reſpondetur, virtutes eſſe inſe connexas; ac propterea non videri conueniens, vt cura vnius virtutis ad vnum angelum pertineat, & cura alterius ad alterum: ſed de omnibus ſinguli curam gerant. Et confirmatur: quia ſingulis hominibus peculiaris angelus cuſtos aſſignatur. Si igitur qui proximè de omnibus vnius hominis virtutibus curam ſuſcipit, eſt vnus; generalis etiam cura non eſt diſtribuenda per ſeptem, ſed omnibus pariter incumbit. Alioqui oporteret ſeptem angelos cuſtodes ſingulis hominibus aſſignari, ſingulos ſingulis principibus ſubordinatos. Ad ſimile verò, quod ex dæmonibus adducitur, Reſpondetur; diuiſionem illam dæmoniorum in ſeptem ſpiritus vitiis ſeptem capitalibus præpoſitos, non eſſe diſtinctionem realem (vt Philoſophi loquuntur) ſed formalem. Nec enim neceſſe eſt, ſingulos ad ſingula vitia ſingillatim deſtinari; cùm quilibet ſit, homines omnium vitiorum ſuggeſtionibus oppugnandi peritiſſimus: ſed in eodem dæmone ſeptem hi ſpiritus denotant ſeptemplicem tentandi rationem. Multò enim veriſimilius eſt, eoſdem eſſe dæmones, qui ad omnia vitia nos pellicere conantur; vt dicam Apoc. 12. vbi de ſeptem capitibus Draconis. Ad aliud verò, quod additur de ſeptem Spiritus ſancti donis, & de ſeptem ſpiritibus, quæ ſeptem capitalibus vitiis opponuntur; Reſpondetur, ex his ſeptenariis non bene colligi vnum angelorum principum ſeptenarium; ſed aut plures ſeptenarios diuerſos, aut nullum. Quare argumentum nihil probat, quia plures eſſe ſeptenarios, nemo contendit.

Ad diſtinctionem autem illam, quæ fingi poteſt ſeptem exercituum angelorum, vt ſinguli ſingulis Dei ſpiritibus miniſtrent, Reſpondetur; ſi angeli in ſeptem claſſes eſſent diſtributi, tunc quidem in qualibet ſeorſum claſſe eſſet vnus angelus ceterorum princeps & anteſignanus; præſertim ſi omnes inter ſe ſpecie diſtinguuntur. Ceterùm diuiſio hæc angelorum in ſeptem illas claſſes non eſt veriſimilis; Primò, quia licet in aliquot Dei operibus vnus ſpiritus plus aliis eluceat; in aliis tamen multis plures ſpiritus æquè ſplendent: atque adeò qui angelus in illo opere miniſtrat, non plus huic ſpiritui, quam illi famulatur. Deinde quia quilibet angelus ſuapte naturâ æqualiter eſt idoneus ad omnibus ſpiritibus miniſtrandum: nec eſt, cur aliqui ſingillatim deſtinentur ad vni tantùm ſpiritui famulandum, cùm omnes ſint ad cuiuſque ſpiritus Dei iuſſa exequenda promptiſſimi. Quare, ſicut in dæmonibus nuper diximus, eundem ſæpe eſſe, qui homines perluxuriæ blandimenta, & per ſuperbiæ faſtum; aut alterius vitij incitamenta oppugnat; ita è contrario de angelis in Dei famulatu philoſophandum eſt. Nec contrà hoc facit, quòd angelorum quidam appelletur Gabriel, alter Raphaël, &c. hæc enim nomina non iis indita ſunt, quòd proprium eorum munus ſit huic potiùs ſpiritui, quàm alij famulari (verbi gratia, Fortitudini Dei, potiùs quàm Beneficentiæ:) ſed quòd in ea apparitione, quæ de illo in Scriptura ſingillatim recenſetur, enituit maximè virtus illa diuina, quam ipſius angeli nomen præfert.

Accedit demum, non omnes fortaſſe ſpiritus, ſiue Dei prouidẽtiæ virtutes, ſi propriè & ſtrictè loquamur, angelorum famulatu vti: quia ad differendam punitionem (quod proprium eſt patientiæ ſeu longanimæ expectationis) ſuperuacuum omnino videtur eſſe angelorum miniſterium.

Ad auctoritatem Clementis Alexandrini, Aretæ, & aliorum, qui proprium angelorum ſeptenarium affirmabant; Reſpondetur, plures eſſe, qui eum negent. Libri verò & imagines, quæ pro ſeptenario angelorum adſtruendo afferuntur; non nituntur communi aliqua Eccleſiæ Catholicæ doctrina; ſed peculiari alicuius, vel aliquorum opinione. Licèt autem opinio illa in communi conſiderata probabilitate non careat; cùm pro ſe habeat Clementem Alexandrinum, Aretam, & aliquos ex doctis recentioribus; multò tamen probabilior eſt oppoſita ſententia. Et ſaltem in nominibus aliquot ex ſeptem illorum angelorum cauè procedendum eſt: nam in Concilio quodam Romano, cui præfuit Zacharias Papa, aſſeritur Romanam Eccleſiam repudiare peculiaria omnia nomina angelorum, exceptis tribus illis, *Michaël, Gabriel, Raphaël*, quæ in ſacra Scriptura habemus expreſſa.

In Concilio Romano, præter tria angelorum nomina, cetera excludi.

Huius Concilij meminerunt Martinus del Rio de Magia libr. 1. cap. 4. quæſt. 4. Serarius Tobiæ 12. f. 177. Surius in vita S. Bonifacij menſe Iunio folio 598. & Baronius tom. 9. Annalium, folio 153. C. & anno Chriſti 745. folio 179. vbi etiam refert, eandem doctrinam de tribus tantummodo angelorũ nominibus recipiendis, haberi in capitularibus Caroli Magni libr. 1. cap. 16. Verum eſt tamen, hoc quod ex Concilio illo Romano adducitur, adhibita aliqua moderatione videri intelligendum eſſe; ſcilicet ne recipiantur angelorum nomina, quæ certa aliqua ſacræ Scripturæ hiſtoria non nituntur. Neque enim diſſonum eſt Vrielem appellare eum, qui in igne Moyſi apparuit; Exod. 3. 2. Vriel enim ſonat idem, quod ignis Dei: & Vrielis nomen recipiunt D. Ambroſius 3. de fide ad Gratianum, cap. 2. Iſidorus libr. 7. Etymol. cap. 5. Miſſa Æthiopica (quæ habetur tom. 4. Bibliothecæ ſanctorum Patrum) necnon Albertus Magnus, & ſanctus Bonauentura. Et confirmari poteſt ex precibus Græcolatinis, aliiſque nonnullis, quæ refert Serarius Tobiæ 12. quæſt. 14. quibus adde Durantium de Ritibus Eccleſiæ lib. 2. num. 22. Andreamcapite 22. commentariorum, quos in Apocalypſin

Concilij Romani verba quo ſenſu accipienda.

Vriel, angeli nomen, quid ſonet, quodve auctoritatis pondus habeat.

Digitized by Google

pſin ſcripſit; Pradum in Ezechielem capite 1. ſect. 10. Valuerdium in Alphabeto Salomonis folio 64. Sixtum Senenſem lib. 2. verbo Ioſeph. Vide etiam hiſtoriam Surij, an. 1544. menſe Februario, vbi de ſepulchro Mariæ filiæ Stiliconis.

Propter hæc, videtur non eſſe reſpuendum Vrielis nomen; ita tamen vt ei angelo tribuatur, quem in igne apparuiſſe certum ſit ex libris Canonicis. Vriel enim ille, de quo 4. Eſdræ 4. 1. & capite 5. 20. & capite 10. 28. apocryphus eſt; ſicut & Ieremiel, de quo 4. Eſdræ 4. 37.

Quòd ſi hæc nomina reſpuenda ſunt, quanto magis A ea, quæ non alio nituntur fundamento, niſi Hebræorum fabulis; cuiuſmodi ſunt nomina, quæ intelligentiis cælorum motricibus tribuunt Trithemius, Cornelius Agrippa, Theodorus Graminæus, & Aitſingerus? Quis porrò non videat ridiculum eſſe Gabrielis, Raphaëlis & Michaëlis nomina inter earum intelligentiarum nomina connumerare? Quaſi verò Gabriel ille, ac Raphaël, qui Danieli & Tobiæ apparuerunt; cælos mouendos aliis commiſerint, dum legatione fungebantur. Si verò quis reſpondeat eadem nomina tribui poſſe aliis atque aliis angelis; ſaltem negari non poteſt, quin mutatio illa nominum vana ſit.

Angelorum nomina, quæ Hebræorum fabulis nituntur, reſpuenda.

NOTATIO V.

De ſeptem virtutibus ſiue attributis, in quibus conſiſtit integra prouidentiæ perfectio.

SEPTEM ſpiritus Dei, de quibus agit Apocalypſis, B quod attinet ad eam gubernationis partem, quam in improbos & ſceleratos exercere debet; illud non primò & directè eſt neceſſarium ad optimam gubernationem; ſed ſecundarium, & per occaſionem adiunctum ad improbos inhibendos vel puniendos. Fiet hoc ſubiecto exemplo illuſtrius. Promiſit Deus ſuo populo, ſe illi perfectum regem, Chriſtum ſcilicet ſaluatorem, miſſurum. Primum ac præcipuum in hac promiſſione, vt conſtat, eſt, Meſſiæ dotes & admirandas facultates depingere; quibus eos omnes bearet, qui ſe illi ſubijcerent; & obſequentes præſtarent. De his igitur ſolùm facultatibus ſermo eſt, quando Meſſiam recipientibus promittitur maxima felicitas. Ceterùm quando agitur de eorum peruicacia & obſtinatione, qui ſe illi ſubmittere noluerint; oportet, vt de aliis Meſſiæ partibus agatur. Primas igitur gubernationis partes quatuor eſſe affirmo; ſecundarias verò tres; atque adeò integram perfectionem ſeptenario contineri, vt ſequenti ratiocinatione explicabitur.

Quæ gubernatoris virtutes appellentur.

Virtutes igitur gubernatoris propriè & ſtrictè loquendo, eas appellamus, in quibus ſita eſt gubernatoris ipſius perfectio; quatenus gubernator eſt. Aliæ quidem virtutes ſunt, vt conſtat, quibus homo inſtructus & munitus eſſe debet; vt qua homo eſt, ſit optimus & integerrimus. Eiuſmodi ſunt abſtinentia in cibo & potu; effrænatarum cupiditatum moderatio, aſſidua precandi conſuetudo, atque aliæ id genus. Quæ tamen licèt ad gubernatorem ſpectent; non verò qua parte gubernator, ſed qua homo eſt. Neque idem ſunt, ſed valdè diuerſa inter ſe; eſſe aliquem probum hominem, ſanctimoniæque ſtudioſum; ac eſſe optimum gubernatorem. Quare homines erunt nec pauci, qui ieiuniis, precationibus, & corporis macerationi ſtrenuam nauent operam, atque adeò in ſuis ipſi penetralibus probi ac ſancti ſint; quos tamen non ideò idoneos eſſe gubernatores dicemus.

Quæ, & quæ ſint optimi gubernatoris virtutes.

Vt igitur ad Principis virtutes, quatenus Princeps & moderator eſt, veniamus; aſſero illas eſſe quatuor præcipuas, & per ſe primò requiſitas, nempe præclaram Sapientiam, ingẽtem Fortitudinem, magnam Æquitatem, & liberalem Beneficentiam. Quibus tres alias per occaſionem neceſſariò debere adiungi propter improborum duritiem ac peruicaciam. Eæ ſunt, longanima Expectatio, ſeria Comminatio, ſeuera Punitio. Itaque virtutes omnes, ad quas perfectiſſima gubernatio reducitur, ſunt omnino ſeptem: Sapientia, Fortitudo, Beneficentia, Iuſtitia, Patientia, Comminatio, Seueritas.

Quæ primaria gubernandi partes in Principe, quæ ſecundariæ.

Diximus autem quatuor priores eſſe præcipuas, in quibus gubernandi perfectio per ſe primò poſita eſt; quia Patientia, Comminatio & Seueritas, non in eos neceſſariæ ſunt, qui ſe Principi ſponte ſubijciunt, eumque diligunt & obſeruant; ſed in eos, qui ſe duros & obſtinatos exhibent. Atqui huiuſmodi ex ſubditis eſſe multos, qui Principis iuſſa renuant, licèt certò futurum eſſe conſtet (quæ hominum eſt ad malum procliuis natura) id tamen nec per ſe erat neceſſarium, nec ex Principis intentione ac voluntate accidit. Quam ob rem, C

Primas illas eſſe quatuor ſic doceo. Gubernatoris virtutes omnes, ſuorum ſubditorum felicitatem ſpectant. Omnia autem, quæ ſubditi à Principe ſibi optare poſſunt, in his continentur; nempe vt princeps ſe illis æquum, vt etiam beneficũ oſtendat. Ad quæ duo omnia reuocantur, quæ ab illo ſibi poſſunt expetere. Hæc ſunt, quæ toties ſacra Scriptura reperit ſub nomine Miſericordiæ & Veritatis. Miſericordia enim eſt Beneficentia; Veritas autem idem quod Iuſtitia. Atque idem ſenſus Iuſtitiæ & Pacis, quæ ſolent aliquando coniungi. Nam Pacis nomen in ſacris Litteris omnem felicitatem ſignificat. Itaque qui Principi ſubiecti eſſe volunt, nihil aliud ab illo ſibi ipſis exoptare poſſunt, niſi vt in eos & æquitatem ſeruet, & beneficia conferat. Enimverò non ſufficit vt illis vtrumque præſtare velit; ſi tamen non poſſit, aut neſciat. Poſſe autem dico, non ſolùm phyſicâ (vt aiunt) potentiâ, ſed etiam pari animi magnitudine, quod eſt virtutis: ſcire quoque dico, non ſolùm theoricè (quod aiunt) ſed etiam practicè, id eſt, mirabili valere conſilio & ſapientia ad ea dirigenda, quæ reſpublicæ conueniant; quod eſt ſummæ prudentiæ. Quòd ſi Principi & poteſtas ſit, & ſapientia; nihil planè deeſt ad ſubditorum felicitatem. Poſſe igitur fortitudinis eſt; ſapere verò ſapientiæ. Atque adeò in quatuor hiſce virtutibus Sapientia, Fortitudine, Beneficentia & Æquitate includitur quidquid requiritur ad primam illam atque potiſſimam gubernationis partem, quæ fidelium ſubditorum felicitatem ſpectat. D

Virtutes in Principe neceſſaria ratiocinatione indicantur.

Dicet aliquis, has quatuor virtutes ad tres reduci potuiſſe; ſcilicet ad Potentiam, Sapientiam, & Sanctitatem ſeu Bonitatem. Reſpondeo, licèt Beneficentia & Iuſtitia poſſent ſub Bonitatis nomine includi; illas tamen eſſe inter ſe diuerſas, & præſertim in gubernatione diſtinguendas. Sunt enim in reipublicæ rectoribus valdè

valdè diuersi spiritus (vt aiunt) dum alius adeò propendet ad beneficentiam, vt in ea sitam esse putet suæ gubernationis excellentiam; alius omnino ad iuris æquitatē inclinat, & in ea præsertim excellere gestit. Atque adeò cùm de gubernatoris virtutibus agitur, oportuit has duas inter se distingui. Quamobrem stemma insignium optimi Principis egregium, erit clypeus quadam veluti cruce in quatuor partes distinctus, in quarum singulis singula eluceant symbola; in alia, Fortitudinis; in alia, Sapientiæ; in alia, Beneficentiæ; in alia, Æquitatis.

Optimi Principis insigne siue summa.

Primaria gubernatoris virtutes ab Isaia expressa.

Porrò euidens est, sacras Litteras sæpe ad quatuor harum virtutum distinctionem habuisse respectum. Atque inprimis illustrissimus est Isaiæ locus capite 9. num. 6 & 7. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis. Et factus est principatus super humerū eius: & vocabitur nomē eius admirabilis consiliarius; Deus fortis; Patet futuri sæculi; Princeps pacis. Super solium Dauid sedebit, vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia vsque in sempiternum.* Manifestè agit Propheta de absolutissima gubernandi ratione, quam erga suos Messias ostensurus erat, ad veram eorum, qui ipsum reciperent, felicitatem. Vbi rectè notat Forerius *admirabilis* esse adiectiuum nominis *Consiliarius*; atque adeò coniungenda esse hæc duo; sicut & illa, *Deus fortis*. Quæ igitur aptiora verba ac significantiora apponi potuissent ad summam in gubernatione Sapientiam, quàm illa, *admirabilis consiliarius*. Quidve maioris momenti in reipublicæ moderatione, quàm Principem excellenti prudentia ac sapientia esse præditum; & congruentissimam rationem atque admirabile consilium inuenire, ad suæ intentionis finem in optima reipublicæ administratione, efficaciter assequendum? nempe vt subditi re ipsa iucundissimos beneficentiæ & æquitatis fructus percipiant? Potéstne quidquam felicius aut fortunatius reipublicæ contingere, quàm eximia hæc & singularis Principis sapientia? nihil sanè.

Atque in illa phrasi, *admirabilis consiliarius*, videtur fieri alluſio ad mirabile Salomonis consilium, de quo 3. Reg. 3. 24. *Afferte mihi gladium*. effectus autem consecutus inde fuit is, quem textus mox subijcit num. 28. *Audiuit itaque omnis Israël; & timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in illo.* Vnde intelligitur nihil esse, quod tantam Regi auctoritatem conciliet, aut quo ille plus à subditis colatur & obseruetur, quàm optimam de ipsius consilio ac sapientia existimationem.

Nullo alio tantam regi auctoritatem, quàm optimâ sapientiæ existimatione comparari.

Deinde ad Fortitudinem indicandam, quid magis solidum & expressum, quàm *Deus fortis*? adiectiuum enim & substantiuum mirificè cohærent. Nam ipsum Dei nomen hebraicè Virtutem & Fortitudinem denotat: *gabor* autem (quod est adiectiuum) gigantem, qui ceteros antecellit, significat; vt bene ibi Forerius.

Dei nomen hebraicè quid sonet.

Iam Beneficentia quo alio modo posset elegantiùs explicari, quàm illis verbis, *futuri sæculi* (siue Christiani populi) *pater*? Quo alio nomine, quàm patris, mirifica benefaciendi voluntas appellari congruentiùs potuisset? & quid est esse Christiani populi patrem, nisi erga suos omnes & erga singulos paternâ esse beneficentiâ? Addit verò deinde Propheta, *princeps pacis*, quod idem est, ac summopere beneficus; atque idem statim repetitur, ac magis ponderatur: *Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis.* Est autem sacræ Scripturæ familiare, *pacis* nomine prosperitatem omnem denotare: atque adeò *auctor pacis* idem est, ac omnis prosperitatis reipublicæ auctor.

Pacis nomine in sacris prosperitatem denotari.

Denique ad magnam Æquitatem siue Iustitiam, qua Christus suos erat fideles recturus, manifestè spectant illa verba, *Super solium Dauid sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iustitia vsque in sempiternum,*

Has easdem quatuor Messiæ virtutes regius celebrat Psaltes psal. 71. & psal. 144. & vtrobique nomen illud *Mirabilia* ad eandem est significationem referendum, qua dixit Isaias, *Admirabilis consiliarius.*

Præterea in nominibus quatuor maiorum Prophetarum voluit Deus, vt harum quatuor virtutum mysterium includeretur. Nam Isaias idem sonat ac *Domini salus*: ecce Dei Beneficentiam. Ieremias, *Celsitudo Domini*: ecce Cōsilium mirabile, iuxta illud Isaiæ 55. 9. *Sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ*, &c. Ezechiel, *Fortitudo Dei*: ecce Virtutem. Et Daniel, *Iudicium Dei*: ecce Æquitatem. Sic enim explicantur quatuor hæc nomina ab Hieronymo in prologo commētarij in Ioelem prophetam. Notandum verò est, inter hos quatuor Prophetas medium esse interiectum Baruch, quod nomen sonat, *Benedictum*: nimirum vt intelligatur benedictus Dei his quatuor Dei prouidentiæ spiritibus circummuniri.

Primæ quatuor gubernatoris virtutes in quatuor maiorum Prophetarū nominibus adumbratæ.

Isaiæ nominis etymon, item Ieremiæ, & Ezechielis, Danielis, & Baruchi.

Huc spectat, quod cap. 4. videbimus; quatuor scilicet animalia, Leonem, Vitulum, Hominem & Aquilam esse veluti insigniferos diuinæ prouidentiæ. Leo namque proprium est Fortitudinis symbolum; Vitulus, summæ Beneficentiæ; Homo, Rationis & Æquitatis; Aquila, altissimæ Sapientiæ. Cùm igitur in quatuor primis sigillis (id quod posteà videbimus) quatuor hæc præcipua diuinæ prouidentiæ attributa, singula singulis contineantur, quæ in primitiuæ Ecclesiæ subsidium & adiumentum excelluere: nihil potuit conuenientius excogitari, quàm id quod expressè narrat textus; scilicet Ioannem fuisse à leone vocatum, vt primi sigilli equum consideraret; à vitulo deinde, vt sigilli secundi equum cerneret; à tertio verò animali hominis faciem habente, ad tertium equum; vt ab aquila, ad quartum.

Leo, Vitulus Homo & Aquila quarum virtutum sint symbola.

Nec nouum est ac nuper excogitatum, quatuor illa animalia Dei prouidentiam referre. Hoc enim temporis antiqui auctor Polychronius animaduerterat, quem refert Pradus Ezechielis 1. quin & Pradus ipse & Valuerdius in Alphabeto Salomonis aiunt nomina illorum animalium esse *Michaël, Gabriel, Raphaël, Vriel* siue *Nuriel*: de quibus nominibus diximus notatione præcedenti. Neque displicet eorum cogitatio: si hæc nomina prædictis quatuor virtutibus significandis accommodentur. Præterea Pierius lib. 32. vbi de capite, affert quandam antiquissimam diuinæ prouidentiæ picturam; quæ in quatuor angulis quatuor hęc nomina habet conscripta; *Virtus, Auctoritas, Scientia, Felicitas.* Vbi Virtus idem est, quod Fortitudo; Auctoritas verò referenda videtur ad facultatem rectè iudicandi, quæ plurimum in se cōtinet auctoritatis. Alioqui deesset in illa tabula, Iustitia, facultas tam illi propria, quàm quæ maximè. Scientia ea est, quam nos Sapientiam appellamus. Felicitatis autem nomen Beneficentiam indicat: iuxta illud Christi ab Apostolo relatum Actuum 20. 35. *Beatius est magis dare, quàm accipere.* Alioqui abs re esset felicitatis nomen in Dei prouidentia, nisi ad beneficentiam referretur.

Quatuor virtutibus prædictis contendet aliquis fortasse debuisse addi duas alias in gubernatore maximè necessarias; Religionē scilicet, & Maiestatem, quibus Principi valdè opus esse notant ij, qui de gubernandi ratione scribunt. Ceterum quod attinet ad Religionem, licèt magni momenti sit, non tamen virtus est gubernatoris, quatenus est gubernator; & saltem dum de diuinæ prouidentiæ virtutibus agitur, certum Religioni locum non esse, cùm Religio virtus sit, non Dei propria, sed hominum erga Deum: subditos verò ad rectam Religionem informare, id est beneficentiæ atque iustitiæ munus. Quod autem ad Maiestatem spectat, fateor propriæ auctoritati ac maiestati consulere, summi esse ponderis in reipublicę administratione. Verùm non id ab alia virtute prouenit, quàm à Sapientia, à Iustitia, Beneficentia & Seueritate. De Sapientia insigne est illud 3. Regum 3. 28. quod paulò antè retulimus; *Timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo.* Iustitiâ etiam & Beneficentia auctoritatem regiam corroborari & confirmari, & Scriptura sæpe testatur, & experientia manifestè docet. Iam quòd Seueritas soleat maiestatem Principis augere, disertè scribunt Cicero, Seneca, Tacitus atque Vegetius apud Lipsium in Politicis partim libr. 4. cap. 9. & partim libr. 5. cap. 15.

Primarias gubernatoris virtutes quatuor nō amplius esse.

Quatuor virtutes prædictas Isaias cap. 9. vt vidimus, hoc ordine enumerat, *Sapientia, Fortitudo, Beneficentia,*

Quatuor virtutes enumerādi ordo alius

Digitized by Google

apud Isaiam, atque apud Ioannem; & quare.

centia, Iustitia. In Apocalypsi, ordine immutato, sic recensentur; *Fortitudo, Beneficentia, Iustitia, & Sapientia.* Cuius diuersitatis dum causas inquiro, ea se mihi offert; quòd Isaias de nostræ redemptionis mysterio sermonem instituat; in quo primùm occurrit mirabile Dei Consilium homines per Christi crucem è Dæmonis seruitute eripiendi; deinde mira Fortitudo, quo tantum opus suscepit atque perfecit, quando nimirum *exultauit vt gigas*, &c. Tertiò, Beneficentia summa, qua sibi Christianos cooptauit in filios, & spiritualis felicitatis fecit participes. Ac denique perfectissima Iustitiæ proportio, quæ suum hominibus ius tribuit, & meritis præmiis cumulatissimè remunerat. Apocalypsis autem in quatuor primis sigillis directè agit de spiritu, & sanctitatis excellentia in Ecclesiam primitiuam collata; in quo primùm elucet Christi Fortitudo in sceleratorum conuersione, atque adeò in animis etiam inimicorum perfectè sibi subijciendis: mox incredibilis Beneficentia illis præstita per magnum charitatis Christianæ incrementum: pòst magna in eorum gubernatione Æquitas ac Iustitia: & tandem mirum Dei Consilium in eorum exaltatione per cædes & ignominias. Sed de hoc latiùs cap. 6.

Secundaria Principis virtutes quot, & quæ sint.

Diximus de quatuor præcipuis virtutibus, in quibus potissimùm prouidentia consistit; supereſt vt de eius perfectionis complemento dicamus; id est, qua ratione ergà repugnantes & contumaces se gerat. Nota ergo hanc diuinæ prouidentiæ in huiusmodi homines rationem ad tria capita reduci; videlicet ad longanimam expectationem, seriam comminationem, ac seueram punitionem. Quicunque id paulò attentiùs considerare velit, animaduertet, tribus his facultatibus, seu attributis comprehendi quidquid in hac materia dici potest; atque hunc eundem esse illarum virtutum ordinem. Primum enim est sceleratos ad pœnitentiam expectare; deinde eosdem minis deterrere; tertiò in perfidos & obstinatos supplicij seueritate animaduertere. De harum virtutum singulis, nempe de patientia Dei, de minarum terrore, & supplicíorum grauitate frequens est in sacris Litteris mentio. Verumtamen in tribus postremis ex septem Apocalypseos sigillis tres huiusmodi virtutes per ordinem adeò aptis & elegantibus symbolis, ita clarè ac distinctè significantur; vt nihil aliud expressius & congruentius optari potuerit. Etenim ad summam Dei patiętiam quasi ob oculos ponendam, quid conuenientius potuit depingi, quàm id, quod aperto quinto sigillo notatur; cùm martyrum animæ inducuntur; à Deo vindictam postulantes; ac Deus vicissim respondens, *Expectate modicum tempus; donec impleatur numerus fratrum vestrorum?* Ad ingentes item comminationes, quibus Deus Iudaicum populum commonuit ac terruit, & quibus solet sceleratis hominibus comminari; quid plenius & illustrius, quàm id quod resignato sexto sigillo apparuit, omnium, scilicet, comminationum & prodigiorum imago, quæ sunt extremum iudicij diem antecessura? Quam etiam imaginem protulit Christus, & Iudæorum oculis quasi spectandam dedit; cùm eis Hierosolymæ excidium minitatus, vltimi iudicij signa coniungit, Matth. 24. Marci 13. Lucæ 21. Denique ad seueram punitionem quid apertius, quàm septem septimi sigilli tubæ, quæ septem illas plagas comitantur prædictas in Scriptura contra rebelles Iudæos, qui Euangelio erant repugnaturi? Certè Leuit. 26. 28. expresè dicitur, *Corripiam vos septem plagis.*

Dei patientia symbolum.

Diuinæ cõminationis symbolum.

Seuera punitionis symbolũ.

Constat igitur ex dictis, virtutes, in quibus diuinæ prouidentiæ perfectio sita est, esse septem; nimirum Fortitudinem, Beneficentiam, Æquitatem, Sapientiam, necnon Patientiam, Comminationem, & Seueritatem. Et quamuis Fortitudo ac Sapientia non solùm ad Beneficentiam & Æquitatem requirantur; sed etiam ad Patientiam, Comminationem, & Seueritatem; & similiter Æquitas in ipsa etiam Seueritate mirificè eluceat; ceterùm septem illæ omnes virtutes & ratione inter se distinguuntur, vt dictum est; & priores præcipuè ad fidelium subditorum felicitatem referuntur: at posteriores complectuntur, quemadmodum se Deus gerat erga impios; & transgressores sibi repugnantes.

Postquam animaduertatur gubernatoris virtutes esse septem, atque has ipsas in diuina prouidentia licèt perfectissimæ sint, nobis tamen in hac vita esse valdè occultas (vt cap. 5. explicabitur.) Virtutem item occultam nomine spiritus congruenter appellari: atque hoc ipsum spiritus nomen præcipuis gubernatoris virtutibus à sacra Scriptura tribui solere. His (inquam) omnibus animaduersis, facilè cernitur conuenientissimam fuisse locutionem, qua septem virtutes (ad quas perfectissima Dei prouidentia reducitur) septem spiritus nominantur; de quibus sermo est in septem Apocalypseos sigillis. Certè Forerius Isaiæ 11 n. 2. vbi septem spiritus videntur enumerari, ait non esse cur de distinctione illorum donorum subtiliùs agatur; præsertim cùm eas tantùm Spiritus sancti operationes ibi recenseri existimandum sit, quæ supremum iudicem ac magistratum decent.

Cur Angeli in Apocalypsi septem Deo laudes tribuant.

Præterea in confirmationem superioris doctrinæ, aduertendum est, angelos in Apocalypsi dum inducuntur Dei prouidentiam admirantes, & propterea illum debitis laudibus & gloriæ præconiis celebrantes: ea laudandi formula vti, quæ septem omnino laudes contineat cap. 7. 12. *Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo nostro.* Et quia in Apocalypsi etiam asseritur septem Dei spiritus in Christo esse; ideò, vt indicetur Christum ipsum ab angelis adorari, ingenuè fatentibus illum, vt supremum cælorum atque terrarum moderatorem, suspici, & ab omnibus coli debere: ideò (inquam) Apoc. 5. n. 11. angeli similiter, septem Agno tribuunt honores. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Hæ septem laudes planè respondent septem attributis ac septem sigillis; quemadmodum Isaiæ trisagium cap. 6. & Apoc. 4. *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, personarum Trinitati respondet. Numerus enim laudum non ab eorum desumitur numero, qui eas decantant; sed à numero earum rerum, quæ commendantur. Quare frustra spirituum septenarius in angelis requiritur; cùm non sit ibi quærendus, sed in diuinæ prouidentiæ attributis: vt iam explicauimus.

Cur itidẽ Christo laudes totidem decantent.

Atque ex his ipsis septem prouidentię attributis forsan optima desumitur ratio, septem donorum Spiritus sancti. Nam septenarij ratio, quam reddũt aliqui Scholastici Doctores, subtilior est, quàm vt à me hactenus percipi potuerit. Si tamen sumatur ratio septenarij ex septem prædictis attributis, ea tunc videtur plana & expedita; & respondent (meo quidem iudicio) per ordinem singula dona singulis attributis. Nam quòd quatuor priora dona appellentur, sapientia, intellectus, cõsilium & scientia, optimè habet. Hæc enim quatuor nomina quadruplicem illuminationem intellectiuæ potentiæ significant: nempe ad considerandos illos occultissimos Dei spiritus; Sapientiam, Virtutem, Beneficentiam & Æquitatem, in suorum amicorum gubernatione. Donum namque Spiritus sancti consistit in Dei spiritus cognitione, & humili eidem subiectione. Atque de illis quatuor spiritibus præcipua difficultas est in iis ipsis agnoscendis: sunt enim quatuor illi spiritus tribus posterioribus multò occultiores; atque ideò conueniens fuit per nomina donorum ipsorum significari intellectus illustrationem ad Dei spiritũ dignoscendum. Atque ita expresè loquitur Paulus agens de donis Spiritus sancti ad Ephes. 1. 17. 18. *Deus Domini nostri Iesu Christi Pater, det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis in agnitione eius, illuminatos oculos cordis vestri; vt sciatis quæ sit supereminẽs magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus.* &c. Alia autem tria donorum nomina ostendunt effectus, quos in spiritualibus viris præstat trium posteriorum spirituum consideratio. Effectus enim consideratæ Dei Patientiæ est, vt ipsam imitemur; quod proprium est fortitudinis, vt conueniunt Theologi cum Philosophis. Ex Comminationis consideratione oritur reuerentia erga Deum; quę propriè appellatur pietas. Et ex seueræ Punitionis cogitatione

Septem Spiritus sancti donorum congruens ratio vnde sumi possit.

Trium posteriorũ diuina prouidentiæ spirituum consideratio.

tione crescit & augetur eadem reuerentia siue timor Dei. Quare in illo Isaiæ loco idem nomen hebræum respondet pietati ac timori.

Septem Planetarum applicatio ad septem diuinæ prouidentiæ spiritus.

Animaduerso spirituum diuinæ prouidentiæ numero, occurrit statim conuenientissimum fuisse, errantes stellas siue Planetas (qui sunt maiora cæli luminaria, quæ nobis Dei prouidentiam repræsentant) esse septem. Et mox facilè perspicitur, per Solem significari Dei Virtutem ac Fortitudinem; per Iouem, Æquitatem; Beneficentiam, per Venerem; per Mercurium, Sapientiam; Patientiam, per Saturnum; Comminationem, per Lunam; & per Martem, Seueritatem. Multa de singulis dici possent ad rem, vniuscuiusque propriâ vi atque naturâ consideratâ; verùm indicare satis sit. In primis Solis maxima virtus conspicua est & manifesta. Iupiter dicitur suapte vi homines ad iustitiam inclinare: vnde est illud Poëtæ, Virg. Æneid. 10. *Rex Iuppiter omnibus idem.* Venus ad amicitiam & beneficentiam inclinat. Mercurius ad sapientiam. Saturnus propter mirandam cursus tarditatem, aptissimum est patientiæ symbolum. In Luna multa sunt ad comminationem denotandam; vt coloris mutatio, lucis imminutio & crebri defectus. Denique nota est causa, propter quam Mars appellatur sanguineus atque horribilis. Hæc de septem Planetis. Ad eosque proculdubiò alluditur in septem lampadibus, quibus septem Dei spiritus figurantur, cap. 4. & quidem satis congruenter; cùm conditi fuerint, vt septem Dei spirituum prouidentiam indicarent. Vbi ergo attentè perpēdatur septem Dei spiritus in septem Planetis fuisse repræsentatos; mox apparet, quàm fuerit conueniens antiquissimum illud institutum, dies omnes per hebdomadas siue septenarios numerare; vt ipsamet temporis successiò nobis frequenter in mentem Dei prouidentiam reducat. Atquè eadem est ratio, propter quam sacra Scriptura toties septenarium, tum alibi, tum præsertim in Apocalypsi vsurpat.

Septem capitalia vitia totidē diuinæ prouidentiæ spiritibus è regione opponi.

Forsan etiam in septem capitalium vitiorum enumeratione, & in septem Draconis capitibus consideratum est, id fuisse Dæmonis in oppugnandis hominibus consilium; vt scilicet, se Dei prouidentiæ opponeret, & contra septem ipsius spiritus, septem item oppugnationum machinas, id est, septem tentationum genera institueret. Ego quidem sic existimo, Dei Sapientiæ, superbiam opponi; Fortitudini, acediam; Beneficentiæ, inuidiam; Æquitati, auaritiam; Patientiæ, iram; Comminationi, gulam; ac Seueritati, luxuriam. Superborum enim est velle sibi sapere, neque Dei sapientiæ subijci. Pigritiam siue acediam Fortitudini opponit sæpè Sapiens, vt Prouerbiorum 10. 4. *Egestatem operata est manus remissa; manus autem fortium diuitias parat.* De auaritiæ iniquitate videbimus capite 6. in tertio sigillo. Porro Dei comminationes flocci faciunt, qui se ad helluationem & crapulam inuitant. Seueritati denique diuinæ singulariter aduersantur, qui quam placare corporis castigatione debebant, illecebris potiùs & voluptatibus irritant. Cetera consultò omitto, quia clara per se sunt & manifesta. Atque his septem vitiis contrariæ sunt septem illæ virtutes, quæ homines Dei prouidentiæ submittunt, id est, demissio animi siue modestia, Sapientiæ diuinæ; diligentia, Fortitudinis charitas, Beneficentiæ; largitas, Æquitati; patientia, ipsius Dei Patientiæ; temperantia, Comminationi; & castitas ac voluntaria carnis maceratio, Dei Seueritati.

Verùm his atque aliis considerationibus omissis, quę aliunde videntur accersitæ; ad ipsam Dei spirituum perfectionem oculos parumper conuertamus; quæ scitu dignissima est, & ad agnitionem pulcherrima, & ad Dei venerationem conuenientissima. Perfectio ergo diuinæ prouidentiæ, in absolutissima singulorum spirituum perfectione consistit, id est, in Fortitudine infinita, Beneficentia immensa, Æquitate summa, Consiliorum admirabilitate incredibili, Patientia interminata. Comminatione horribili, & seueriſſima Punitione. Et mirandum planè est atque diuinum, in Dei prouidentiæ operibus, horum omnium attributorum summam perfectionem enitescere; nec alia aliis impediri, aut imminui. Considerată ergo singulatim harum virtutum perfectione, nulla non est admirabilis; multò tamen mirabilius est, sic Deum vniuersis vti, vt quantumuis cum infinita perfectione vtatur singulis, nulla tamen ex eis aliarum vsum impediat.

Diuina prouidentiæ perfectio in quo cōsistat.

Dicam clariùs: Infinita Dei beneficentia nullis limitibus circumscribitur; non beneficiorum magnitudine, non dulcedine munerum, non humanitate officij; non peccatorum remissione; nec enim esset infinita, si quo posset fine terminari. Igitur si finis Beneficentiæ nullus est, qua ratione virtus hæc cum infinita Seueritatis, Æquitatis, ac Sapientiæ ostensione cohærebit? Hæc enim omnia, vt superiùs admouimus, postulant, vt summus honor & veneratio infinitæ Dei Maiestati deferatur: & summi momenti est in gubernatione, vt princeps suo consulat honori. Immensa verò maiestas postulat, vt in retinenda auctoritate & tuenda sui reuerentia, nullis præfiniatur terminis. Humana industria maiestatem comitate & humanitate attemperat; & vt alteri partem addat, alteri adimit: nec enim rationem vllam nouit, vt quanto sublimior sit maiestas, tanto se gerat facilius & humaniùs; sed quo proniùs ad alteram inclinat, eo longiùs ab altera declinat. Vna Dei prouidentia aquilam cum boue nouit coniungere; & efficere, vt quæ summa est ostensio maiestatis, eadem sit summa beneficentiæ: vt ab altera amorem conciliet, ab altera reuerentiam tueatur.

Ita etiam pugnare inter se videntur Virtus & Æquitas. Virtus enim perardua quæque perrumpit, difficultates temnit, obstacula superat; vt quæ sequitur prosequatur, & semel suscepta consequatur. Summa autem Æquitas omnia circumspicit; nil perturbatè aggreditur; nullo quantumuis speciosо prætextu, vel infimæ subditorum iniquitati conniuet. Hinc fit, vt in fortissimis principibus vel ducibus præclarum aliquod facinus aggredientibus æquitas ferè virtutem non æquet; nec valdè curent tenuiorum querimonias, qui interim iniuriam ac detrimentum accipiunt. Contrà fit, vt qui præ æquitatis studio cauent diligentissimè, ne alios vel minimum perstringant; ij plerumque nil magnum aggrediantur, vel certè ad finem non perducant. Homines itaque cum summum & absolutissimum principem arbitrantur; qui si fortissimus, non valdè sit iniquus; vel, si æquissimus, pusillo animo non sit. Diuina autem prouidentia eo plus summæ æquitatis laude præcellit, quòd sit summæ virtutis, sine vllo vel leuissimo aut æquitatis à virtute, aut virtutis ab æquitate detrimento. Apertum est enim infinitam virtutem præclarissima & maxima quæque assequi debere; & multò esse gloriosius atque præstantius cum suauitate, quàm cum violentia facilem in re difficili effectum obtinere. Hinc illud Sapient. 8. 1. *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*; quod est fortitudini æquitatem adiungere; vt ne cuipiam iniuria violenter inferatur, hominis & leonis coniugatione gloriosè ostentată.

Septem spirituum doctrinā ad varia Christi Domini mysteria posse extendi.

Cùm generatim contemplati fuerimus perfectionem, quam in se continent septem hæc diuinæ prouidentiæ attributa, & quatuor priorum à tribus posterioribus distinctionem; facilè erit vnicuique animaduertere in insignioribus Dei prouidentiæ operibus, quam perfecta singulorum attributorum documenta in iis eluceant. Etenim in Christi crucis mysterium, quod fuit omnium quæ Deus patrauit gloriosissimum, si mentis aciem diuino fidei lumine illustratam attentè quis intendat; inueniet profectò nihil dignius, præstantius aut excellentius à Deo fuisse præstitum; & in quo tantopere septem hæc attributa excelluerint: cùm nihil vnquam

Applicatur ad Christi crucem.

Digitized by Google

quam effecerit Deus, quod adeò admirabile ipsius consilium, ingentem fortitudinem, incredibilem beneficentiam, summam æquitatem, inexhaustam patientiam, grauissimam in peccatores comminationem, & seuerissimam de peccato vindictam ostentarit.

Item ad Eucharistiam. Eadem ferè ratione licet in Eucharistię Sacramento philosophari. Quòd si æqua animi trutina ponderemus, nullum aliud excogitari potest epulum, in quo adeò eluceſcat non solùm Dei beneficentia, sed ipsius etiam mirabile consilium, necnon æquitas & virtus; & cetera etiam quæ diximus attributa. Elucet enim mira Dei patientia in eos qui indignè communicant; mira etiam comminatio; ac mira in eos, quos indurat, seueritas. Eadem ratiocinatione vti facilè possumus in gubernatione, qua Deus prædestinatos à suæ conuersionis exordio ad extremum vsque æternæ felicitatis finem moderatur ac regit. Iucundissimum namque est, & omni pariter admiratione dignissimum, contemplari immensam ipsius Virtutem, Beneficentiam, Æquitatem, Sapientiam, quorum Deus mira edit documenta in suos; & similiter Patientiam, Comminationem & Seueritatem in eorum aduersarios.

Horum autem eo magis cognoscitur admiranda perfectio, quo Dei prouidentia magis est tecta atque recondita. Quinimmò idcirco tegitur ac celatur, vt eo illustrior & excellentior virtus existat, quo magis externa facies imbecillitatem præ se ferebat: & eo sublimior emineat sapientia, quo maior stultitiæ erat species: & sic de reliquis, vt cap. 5. & 6. explicabimus.

B

COMMENTARIVS.

ET A IESV CHRISTO, QVI EST TESTIS FIDELIS] Videtur solœcismus in græco, de quo tamen iam suprà diximus vers. 4. alluditur autem in his verbis ad id psalm. 88. 38. *Testis in cælo fidelis.* Appellat verò Ioannes Christum testem fidelem, vt significet, in Apocalypsi repræsentari, quàm fuerit vera Christi prędicatio; nempe de regno cælorum, quod in terris erat instituendum; de spiritu quem accepturi erant credentes in eum; de Iudæorum excęcatione & supplicio; & de transitu Ecclesiæ ad Gentes. Item ad illa: *Omnia traham ad me ipsum.* Et: *Confidite, ego vici mundum.* Et: *Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Quæ omnia cum argumento Apocalypseos concordant, & eò respiciebat Ioannes in hac epistola dedicatoria, vt diximus suprà vers. 4. VERS. 5.

Christus cur à Ioanne testis fidelis vocatus. Ioan. 12. 32. Ioan. 16. 33. Ioan. 15. 20.

PRIMOGENITVS MORTVORVM] Nota hîc certissimam esse veritatem, Christum esse primum eorum, qui ad vitam immortalem surrexerunt; vt obseruant omnes Doctores ex 1. Corinth. 15. 21. & Colos. 1. 18. Sed non id solùm significat Ioannes in præsenti; quia id per se ad argumentum Apocalypseos non pertinebat. Potissimùm ergo significat resurrectionem Christi Domini esse exemplar spiritualis resurrectionis Ecclesiæ ex abysso persecutionum gloriosè emergentis. Vide infrà num. 18. vbi in eodem sensu dicitur: *Fui mortuus, & ecce sum viuens in sæcula sæculorum.* quia, vt ait Paulus Rom. 8. 29. *Deus prædestinauit seruos suos conformes fieri imaginis filij sui: vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.*

C

Christi resurrectionē spiritalis Ecclesia resurrectionis esse exēplar.

ET PRINCEPS REGVM TERRÆ] Hoc etiam ad felicitatem Christianæ Ecclesiæ referendum est. nimirum quòd serui Christi Domini per spiritum Dei efficiantur reges, spirituali quadam & mirabili ratione: de quo in nonnullis capitibus Apocalypseos sermo erit, vt cap. 6. & 14. Præterea hoc epitheto indicatur præcipua ministrorum Ecclesię dignitas; qui constituti sunt *principes super omnem terram*, id est, sacerdotes & Episcopi, de quo cap. 4. Significatur insuper, mundi imperia Christianæ Ecclesiæ subijcienda fuisse, & pręcipuè Imperium Romanum. Quod erat prępipuus Apocalypseos scopus; vt scripsimus in prolegomenis notat. 14.

Ecclesia ministrorum dignitas.

QVI DILEXIT NOS, ET LAVIT NOS A PECCATIS NOSTRIS IN SANGVINE SVO] Græcè in datiuo, τῷ ἀγαπήσαντι ἡμᾶς καὶ λύσαντι, id est, ei qui dilexit nos, & lauit. Nec est, quòd suspicemur græcos codices esse vitiatos: quia vulgata lectio latina facilè admittit constructionem græcę locutionis: vt patet ex simili loco cap. 6. num. 4. *Qui sedebat super equum rufum, datum est ei, vt sumeret pacem de terra.* Similiter ergo in præsenti verba hæc, *qui dilexit nos,* non sunt construenda cum præcedentibus; sed cum his, quæ infrà habentur, *ipsi gloria.* Hæc de constructione. De sensu verò notandum est, in ijs verbis, *lauit nos in sanguine suo,* alludi ad antiquæ legis purificationes; *cùm omnia penè in sanguine mundabantur,* vt docet Paulus ad Hebr. 9. 22. Quamuis autem carnei oculi Christum in crucem suffixum, & cruore vndique manantem perhorrescant; ille tamen cruor est verissimum animarum smegma siue sapo, qui sordes omnes & peccatorum maculas abstergit.

D

ET FECIT NOS REGNVM ET SACERDOTES DEO, ET PATRI SVO] Aptior erit constructio in græco; si hæc verba legantur per parentheſim. Alioqui enim scrupulus occurrit, cur non legatur in græco πεποίηκεν, sed ἐποίησεν. Res tamen est parui momenti; & vtcunque hoc sit, sensus grammaticus optimè percipitur. VERS. 6.

REGNVM] Plerique græci codices habent βασιλεῖς, id est, reges. Et sic legit Tertullianus; & exponit D. Thomas ad Hebr. 1. Atque hunc sensum in præsenti plerique interpretes sequuntur. Et pro confirmatione adduci potest, quod cap. 5. num. 10. repetitur hæc sententia, *Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes:* & subditur, *& regnabimus super terram.* Ergo nomine regni intelliguntur reges.

Nihilominùs omnino videtur à Ioanne scriptum esse βασιλείαν, id est, regnum, (vt habent etiam quædam Græca.) Quia prętер auctoritatem vulgatæ lectionis, multò verisimilius est mutatum fuisse *regnum* in *reges*; eò quòd sequeretur, *sacerdotes*, &, *regnabimus*, quàm scriptum fuisse initio *reges*, & mutatum in *regnum*, sine vlla mutandæ lectionis specie probabili. Quòd autem re vera meliùs habeat *regnum*, quàm *reges*, satis confirmauero; si probem, non significari in præsenti directè,

Cur Ioannes dixerit Fecit nos regnum; *non verò* reges.

Digitized by Google

Christianos factos esse reges, sed factos esse regnum Dei. Aduerte igitur in hoc loco proculdubiò A
respici ad illud Exodi 19.6. *Vos eritis mihi in regnum sacerdotale*, vbi LXX. legunt, *sacerdotium regale*; vt expressit etiam D. Petrus epist. 1. cap. 2. 9.

Terra sacerdotalis in Aegypto libera olim & immunis.

Omissis ergo ijs, quæ vtroque in loco multi notant, (& præcipuè Hesselius 1. Petr. 2.) non videtur dubitandum, quin Moyses respexerit ad eam historiam, quæ habetur Genesis 47. 22. vbi redditur ratio, cur soli sacerdotes in Ægypto non fuerint compulsi vendere possessiones suas; nimirum quia terra sacerdotalis tradita fuerat à Rege sacerdotibus; quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur. Itaque ingens erat honos & gratia, quam rex Ægypti sacerdotibus deferebat: magnaque priuilegia, immunitates & exemptiones, quibus sacerdotes Ægypti fruebantur. Porrò fames, labores & ærumnæ, quæ ceteros diuexabant, sacerdotes ne minimùm quidem perstringebant, singulari Regis in ipsos beneuolentia & beneficio. Atque cùm hęc essent notissima populo Israëlis ex Ægypto egredienti; dubitari non potest, quin ad hęc respiciatur Exodi 19.6. cùm populo dicitur: *Eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea est enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale & gens sancta.*

In hac allusione quis non videat filios Israël non appellari debuisse reges, sed Dei regnum; & nihilominùs debuisse appellari sacerdotes? Sumitur namque comparatio ab Ægyptijs sacerdotibus, qui erant peculium siue peculiare regnum Pharaonis, speciali prouidentia regnantis in- B
ter eos: non tamen erant reges, sed lectissima regni pars. Quemadmodum in Hispania militares ordines, vt D. Iacobi, atque alij, speciale sunt Regis peculium. Ex quo patet dici rectè potuisse, *regnum sacerdotale, & regale sacerdotium:* non tamen *reges & sacerdotes*, neque *sacerdotium & reges*; sed *regnum & sacerdotes.*

Deinde eadem comparatio multò congruentiùs ad Christianam Ecclesiam translata est à D. Petro epistola 1. cap. 2. 9. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta*, &c. Vides sapientissimè Ioannem dixisse, non *reges & sacerdotes*; sed *regnum & sacerdotes.* Præterquàm quòd Christiani non aptè dicuntur reges respectu Dei; licet dicantur spiritualiter sacerdotes respectu Dei, cui offerunt vitulos labiorum suorum. & textus subiungit, *Fecit nos regnum & sacerdotes Deo, & patri suo.*

Hæreticorũ insania refellitur.

Colligere tamen ex hoc loco, non debere distingui laicos à proprijs sacerdotibus; stultissima est insania hęreticorum; vt ex loco Exodi manifestè constat. Quia negari non potest, quin in populo Israëlitico esset distinctio sacerdotum à non sacerdotibus; & nihilominùs vniuerso Israëli in locutione illa figurata dictum est, *Vos eritis mihi in regnum sacerdotale.*

Supereſt respondere argumento adducto ex Apocalypsi 5.10. *Fecisti nos Deo nostro regnum, & regnabimus super terram*, vbi videtur regnum poni pro regibus. Respondeo tamen non poni: sed ex C
eo, quòd sint regnum peculiare Dei, optimè inferri, quòd sint reges & principes: quia *seruire Deo regnare est.* Vel potiùs in hoc etiam alluditur ad Ægypti sacerdotes; de quibus verè dicebatur, eos regnare in terra Ægypti: non solùm quia amici regis dicuntur regnare; sed etiam quia olim in Ægypto sacerdotes erant iudices populi, & summus sacerdos erat supremus iudex; vt tradit Ælianus lib. 14. de Varia historia cap. 34. vbi de iudicibus Ægyptiorum. Et cohæret optimè, quod Ioannes in ijs verbis significare etiam volebat, scilicet populo Christiano tribuendum esse Imperij Romani principatum, ex prophetia Danielis cap. 7. 27. *Regnum, & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, detur populo sanctorum Altissimi.* Porrò ex dictis intelligitur quàm aptè fiat mentio regni sacerdotalis in epistola dedicatoria: nimirum quia ad argumentum Apocalypseos pertinent gratiæ & priuilegia populi Christiani; de quibus cap. 6. & 7. & principatus huic populo destinatus à Deo; de quo latè cap. 12. & 17. & 18. &c.

Sacerdotes olim in Aegypto fuisse populi iudices.

IPSI GLORIA ET IMPERIVM IN SÆCVLA SÆCVLORVM, AMEN] Dupliciter exponi possunt hæc verba. Primò, per modum optantis gloriam & imperium ei, *qui dilexit nos, & lauit nos*, &c. Secundò, per modum affirmantis, & indicantis argumentum Apocalypseos. Atque hic secundus sensus videtur aptior, & dedicatoriæ epistolæ conuenientior. Sensus ergo est, ex Apocalypseos reuelatione constare gloriam & imperium tradita esse Christo; quia gloria & imperium sempiternum Ecclesiæ Christianæ ad Christi gloriam & imperium spectant: & ex Christi gloria & D
imperio deriuatur, quòd Christiana Ecclesia de suis hostibus triumphauerit, & in cælesti patria sit in æternum triumphatura.

VERS. 7. ECCE VENIT CVM NVBIBVS, ET VIDEBIT EVM OMNIS OCVLVS, ET QVI EVM PVPVGERVNT] Prophetiam vltimi iudicij tangi manifestum est: neque aliud hîc cogitat communis interpretatio. Atque vt hac explicatione contenti nullam præterea inuestigemus, nos contextus ipse videtur cogere. Coniungit enim Christi in nubibus aduentum cum eorum planctu, qui eum in crucem egerunt: sicut Matth. 24. 30. *Tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli.* Præterquàm quòd si hęc epistola continere debet Apocalypseos argumentum; ad argumentum ipsum spectat extremi iudicij dies, de quo cap. 20. cuius mentionis proprius locus videtur esse hîc, id est, in fine argumenti.

In ænigmate aliud verbis perstringi, aliud sensu innui.

Nihilominùs non est, cur nouum & insolitum alicui appareat; si ænigma ijsdem verbis, quibus aliquid perstringit, aliud diuersum potissimùm significare contendat. Atque vt id communi interpretationi demus, quod studet, scilicet in his verbis aduentum Christi ad extremum iudicium affirmari; satis est, vt veritas hîc attingatur. Nam eo ipso, quòd eius fiat mentio, & in eo veluti in basi mysticus alius sensus innixus exurgat; id (inquam) sufficit, vt verissimè asseueremus Christi secundum aduentum à Ioanne hisce verbis confirmari. Quare non est cur aliquis

existi-

Digitized by Google

A existimet in præsenti me à communi expositione discedere, cùm eam potiùs amplectar, & quasi supponam. Sic enim nouam cum veteri expositione aptissimè conciliari, explicaui iam in prolegomenis notat. 21. Itaque non est cur peregrinum videri debeat in ænigmate, quod primo adspectu secundum Christi aduentum ad iudicium sonet; cùm tamen reconditus sensus, quò tendit potissimùm, diuersus sit. Vt igitur ad rem deueniam; quæ præcedunt, & quæ consequuntur, in eam me suspicionem trahunt, vt existimem sub figura aduentus Christi ad iudicium, alium hîc latere sensum. Nam in antecedentibus, verba illa, *primogenitus mortuorum*, alium habent abstrusum sensum, præter eum quem prima fronte gerunt; vt suprà vidimus. Similiter quæ sequuntur infrà, *Fui mortuus, & ecce sum viuens in sæcula sæculorum*, (de quo posteà) sub mortis & resurrectionis veritate aliam abscondunt. Si ergo in his ænigmatis filum postulat, vt sensui grammatico alius etiam magis reconditus adijciatur; quid mirum, præsentem locum simili ratione esse interpretandum?

Arbitror igitur in hoc loco contextum agere de Christi & Ecclesiæ victoria in ea Iudæorum & Gentium conuersione, de qua fusè in Apocalypsi sermo est. Itaque Christi aduentus, qui hoc loco innuitur, est ad triumphandum de peccatoribus Christi fidei subiectis. Et nubibus Euangelicæ prædicationis officium repræsentatur: hæ enim sunt mysticæ nubes, quibus veluti curru triumphans Christus glorioſissimè inuehitur. Quod verò subditur, *& videbit eum omnis oculus*, idem est, atque aperiendos cæcorum, id est, peccatorum, oculos, *vt aspiciant in auctorem fidei & consummatorem Iesum*: & eum verum esse Deum agnoscant, quem antea cæci & amentes acerrimè persequebantur. Illud autem, *qui eum pupugerunt*, exprimit eosdem, qui suis flagitijs ac sceleribus, veluti lanceis, Christum pro ipsis passum vulnerauerunt; eosdem (inquam) id est, Ecclesiæ persecutores, in Longino figuratos; atque adeò non solùm Iudæos, sed omnes etiam gentes in Christum fuisse credituras. *Et plangent se super eum.* Hoc ad eorum pœnitentiam spectat & peccatorum detestationem, quæ verissima est passionis Christi veneratio. Hebr. 12. 2.

Hanc ipse interpretationem germanam, & ipsi textui cohærentem existimo. Quia manifestum est, & omnium consensu receptum, Ioannem hîc respexisse ad Zachariæ locum capitis 12. 10. *In illa die effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ & precum: & aspicient ad me, quem confixerunt: & plangent eum planctu quasi super vnigenitum*, &c. Huc, inquam, sine dubio Ioannes spectauit in hoc loco. Ac licèt interdum contingat allusionem fieri ad aliquem Propheræ locum, considerato illius sensu mystico, non literali: ceterùm hoc in loco, interpretum nemo potest dubitare, eundem esse sensum à Ioanne & à Zacharia intentum. Hoc enim exigit Apocalypseos perfectio; vt proprium Prophetarum sensum attendat Ioannes, & in eodem ipsorum verba citet. quod vsque adeò verum est, vt multi ac graues Theologi contendant Zachariam in sensu proprio de extremi iudicij die agere: eo vel maximè nitentes, quòd Ioannes hîc Zachariæ verba afferat ad damnatorum in iudicij die planctum indicandum. Ex quo infero, si efficaciter probaretur Zachariam non de hoc planctu loqui; sed de eo, quo Christi amici ac fideles, ipsius Christi passionem prosequuntur, ac dolent se ipsos suis sceleribus ad id causam præbuisse; si hoc (inquam) efficaciter probaretur; fatendum quoque esse, Ioannem in præsenti de eodem amicorum luctu loqui. Atque adeò præcipuam contextus intentionem esse agere de Christi triumpho in peccatorum conuersione. Huc accedit, allusionem quidem ad mysticum Prophetæ sensum, licèt literalis non esset, nihil absurdi continere: verùm si Propheta nullo modo agit de inimicorum, sed de amicorum planctu; tunc sanè ipsius verba adducere ad luctum inimicorum significandum, hoc non esset ipsius verba ad sensum mysticum vsurpare; sed contorquere potiùs & violenter pertrahere. Quòd autem legitimus verborum Zachariæ sensus sit de amicorum planctu Christi passionem lugentium, explicabimus seorsum notat. 6.

Confirmatur nostra explicatio: quia in dedicatoria hac epistola illud potissimùm spectatur, vt ipse in se Apocalypseos argumentum paucis coërceat; cuius argumenti precipua pars est, persecutorum conuersio, quam elegantissimè comprehendunt (vt diximus) illa verba, *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt*: & illud etiam *Amen*, quod Ioannes subdit, aptissimum est ad prædictam explicationem, nec non ad Ioannis solatium designandum ex certissima prophetia de mundi conuersione, & Ecclesiæ Christianæ triumpho. *Præcipuam argumenti Apocalyptici partem esse peccatorum cõuersionem.*

Superest respondere ad argumenta, quibus omnis alia expositio excludebatur, præter illam de die iudicij: ad locum Matthæi 24. 30 Respondetur, nihil obstare, quòd ijsdem penè verbis Christus in Euangelio solùm agat de die iudicij, & Ioannes in Apocalypsi ad mysticum sensum præcipuè respiciat. Quid enim mirum, quòd Apocalypsis ænigmaticè loquatur? vtrùm verò locus ille Matthæi 24. præter sensum de die iudicij admittat etiam alium de triumpho Ecclesiæ in Euangelij prædicatione ad Gentes post Iudaici populi repulsam; id alterius negotij est.

Ad confirmationem ex argumento Apocalypseos Respondetur, non opus esse, vt epistola dedicatoria ad omnia minutatim descendat, de quorum singulis est agendum in libro: satis enim est, vt totius argumenti substantiam attingat. Quamobrem necessarium minimè erat agere hîc separatim de Christi aduentu in nubibus ad extremum iudicium. Neque tamen omnino prætermittitur dies iudicij in præsenti; satis enim perstringitur, dum de triumpho Ecclesiæ agitur per allusionem & comparationem ad illius diei gloriam.

ET VIDEBIT EVM OMNIS OCVLVS] Præter ea, quæ suprà diximus, Nota fortasse hîc antithesim esse inter nubes & verbum videndi. Nubes enim oculorum aciem solent impedire, & res ipsas, quæ præsentes sunt, abscondere: sic Euangelici concionatores, dum Christum prædi- *Antitheſis inter nubes & verbum videndi.*

Digitized by Google

prædicant, & hunc crucifixum (vt ait Apostolus) quasi nubem, seu magnam nebulam audientium oculis offundunt, quæ eis visum quodammodo eripiat. Quæ enim maior nebula, quàm Christi infirmitatem & ignominiam adorandam proponere? In hac tamen nebula, in his nubibus ingens Dei gloria & infinita maiestas apparet: iuxta illud, *Apparebit maiestas Domini, & nubes erit*, 2.Machab. 2.8. de quo infrà, notat.7. Quemadmodum nunquam filij Israël manifestiùs viderunt Dei gloriam, quàm vbi domus Dei impleta est gloria atque caligine, 2.Paral.5.3. & 3.Reg.8.10. & sicut illi tunc maximè videbant, cùm minimè videbant; sic Christi gloria in ignominiæ & infirmitatis prædicatione maximè elucet. Quod ergò dicitur, *videbit eum omnis oculus*, idem est, ac aperientur oculi eorum, & maxima perfundentur luce. Eo ferè sensu, quo dicitur Iob 42.5. *Auditu auris audiui te; nunc autem oculus meus videt te*: similiter ergo in præsenti, *videbit eum omnis oculus*, id est, *replebitur terra scientia Domini*, Isaiæ 11.9. A

Verba autem illa *omnis oculus*, non opus est, vt in nostra expositione se extendant ad singulos homines; sed sufficit in eodem sensu sumi, quo dicitur Lucæ 3.6. *Videbit omnis caro salutare Dei*, scilicet Iudæi, Gentiles, & totius orbis nationes. Latiùs tamen illa verba paterent, si ad vltimam Ecclesiæ victoriam referrentur, quando omnes Iudæi, & reliquiæ gentilismi, & sectarum omnium conuertentur. B

ET PLANGENT SE SVPER EVM OMNES TRIBVS TERRÆ] Reciprocum illud *se* videtur à Vulgato interprete additum. Nam græcè solùm est, κόψονται, id est, plangent; vel planctus ad sidera tollent, ex Glossario. Fortè tamen in codicibus Græcis emendatioribus non deest reciprocum illud. Valdè enim suspicor hîc non redundare, sed habere optimam energiam: quia sermo est de luctu pœnitentiæ tam apud Zachariam, quàm in præsenti loco. Atqui optima Christi passionem deflendi ratio est per imitationem ad id Ieremiæ, Thren.4.num.20. *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris*; & cap.5.num.16. *Cecidit corona capitis nostri, væ nobis, quia peccauimus.*

ETIAM, AMEN] Hæc repetitio & affirmationi & gaudio Ioannis de Ecclesiæ victoria, significando appositissima est.

NOTATIO VI.

Ad illa verba Apoc.1.7. Ecce venit cum nubibus, *&c.* & plangent se super eum. *Vbi locus Zachariæ 12.n.10. explicatur.*

Explicatur Zachariæ locus c.12. à num. 10. vsque ad 14.

ZACHARIÆ verba sic habent num.10. *Effundam super domum Dauid & super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ & precum: & aspicient ad me, quem confixerunt; & plangent eum planctu, quasi super vnigenitum; & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti.* num.11. *In die illa magnus erit planctus in Ierusalem, sicut planctus Adadremon in campo Mageddon.* num.12. *Et planget terra: familia, & familia seorsum: familia domus Dauid seorsum, & mulieres eorum seorsum.* num.13. *Familia domus Nathan seorsum, & mulieres eorum seorsum: familia domus Leui seorsum, & mulieres eorum seorsum: familia Semei seorsum, & mulieres eorum seorsum.* n.14. *Omnes familiæ reliquæ, familia & familia seorsum, & mulieres eorum seorsum.* C

In primis circa voces ipsas, quædam nobis notanda sunt. Primò, vbi Vulgatus habet *spiritum gratiæ & precum:* Septuaginta legunt, *gratiæ & misericordiæ.* Hebraica sonant, *gratiæ & miserationū. hhen vethahha nunim*, חן ותח נונים. Et notat Arias Montanus, vtrumque ab eadem radice deriuari: & *hhen*, esse misericordiam seu miserationem; *thahha nunim* verò esse vindictæ postulationem. Ita vt alterum sit de Christi passione dolere; alterum vindictam à Deo postulare. Ribera asserit *thahha nunim* duo significare, scilicet misereri, & orare.

Secundò, vbi Vulgatus legit *confixerunt*, LXX. *insultauerunt*; sed eorum lectionem emendauit Euangelista ex hebræo. Cur autem LXX. verterint *insultauerunt*, vel *saltauerunt*; optimè explicant Ribera hîc, & Toletus Ioannis 19.37. vterque ex Hieronymo: & similiter Iansenius in Concordia Euangelica cap.144. Vsus est autem Ioannes hîc verbo græco ἐξεκέντησαν, quod Latinus interpres reddit *transfixerunt*, Ioannis 19.37. & idem verbum reddidit, *pupugerunt* hîc, id est, Apoc.1.7. atque in Euangelio id refert Ioannes singillatim ad vulnus Christi lateri inflictum; licèt posset etiam ad clauos & ad spineam coronam extendi. C

Tertiò, *sicut planctus Adadremon in campo Mageddon.* Chaldæus (quem Arias asserit paulò post Zachariæ tempora scripsisse) hæc verba in duas historias diuidit: certum tamen est, hîc non ampliùs vnam iuxta Vulgatam tangi posse. Coniungit enim planctum Adadremon in campo Mageddon. Quare idem erit Mageddon, quod Mageddo 2.Paralip.35.22. atque in eodem campo sita est vrbs Adadremon, vt notat Hieronymus hîc. Itaque planctus de quo agit Zacharias, comparatur cum eo, quo Iosiæ regis mortem Iudaicus populus fuit prosecutus. Porrò nomen Adadremon significat locum malogranatis consitum. Nam LXX. transtulerunt, planctus ῥοῶνος, id est, malorum granatorum: vbi Hieronymus notat, græcum nomen non sonare malum granatum, sed locum his arboribus consitum. Si verò expendatur vis nominis hebraici; *remon* idem est, quod *malum punicum*; & fortasse nomen Adadremon coalescit ex his duabus dictionibus *hadar remon*; quod est, decor seu pulchritudo malorum punicorum. Vtcumque hoc sit, nomen erat illius campi, in quo mortuus est Iosias. D

Iosias rex vbi fuerit occisus.

Quartò, nomina *Nathan, Leui, & Semei* existimat Arias Montanus esse nomina præcipuarum familiarum eorum, qui à Dauide genus ducentes Iosiam proximè cognatione attingebant; quos verisimile est in lamentatione seu luctu de morte Iosiæ acerbiùs doluisse. Certè Lucæ 3. Semei, Leui, & Nathan inter progenitores Christi post Dauidem collocantur. Ribera tamen Hieronymum secutus, per Nathan intelligit Prophetam; per Leui, Patriarcham Iacobi filium (ex quo Leuitæ;) & per Semei, eum, ex quo Scribæ & Pharisæi.

Quænam familia Nathan, Leui & Semei apud Zachar.

Vtcum-

Digitized by Google

Vtcumque hoc sit; Semei sonat *obedientem*; Leui *copulatum*; & Nathan *donatum*.

De quo planctu agat Zacharias c.12.

His præiactis, vt ad præcipuam quæstionem veniamus; prima difficultas est, quem planctum speciatim significare voluerit Propheta, cùm ait; *plangent eum, quasi super vnigenitum; & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti.* Communior explicatio est, Zachariam loqui de planctu Iudæorum damnatorum in die iudicij, cùm viderint Christum sua vulnera in maiestate ostentantem. *I.Opinio & communior.* Hanc expositionem sequitur Ribera; & pro ea citat Augustinum, Theodoretum, Rupertum, Theophylactum, D.Thomam, Euthymium & Lyranum. Eandem ait significari ab Hieronymo atque eam sequuntur Suarez 3.p. tit.2. disp.57.sect.9. Iansenius in Concordia, cap.144. & Toletus Ioannis 19.n.37. Stapletonius, & plerique omnes. Probant Primò, ex Apocal.1.7. *Ecce venit cum nubibus; & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt; & plangent se super eum omnes tribus terræ.* Ex quo loco videtur is sensus esse adeò certus, vt de eo dubitari non possit. Probant Secundò, ex verbo *aspicient*: quia impij Iudæi Christum, nisi in die iudicij, non videbunt. Quare Suarez affert Patres, vt probet ex hoc loco insignia crucifixionis ab impijs esse in die iudicij aspicienda.

Tertiò, quoniam Iudæi increduli, in nulla huius vitæ calamitate crediderunt eam illis euenire ob Christi cædem: atque ita necesse est, vt referatur ad diem iudicij, quod dicitur, *dolebunt super eum.*

II. tamen præfertur. Nihilominùs tamen existimo multò verisimilius esse, Zachariam loqui de planctu fidelium & amicorum, scilicet eorum, super quos Deus spiritum gratiæ & precum effundit. Et probatur Primò, ex antecedentibus (quod validissimum est argumentum.) Sic enim continuata serie textus: *Effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ & precum; & aspicient, & plangent.* Vbi euidens est meo iudicio, aspectum illum & planctum (*& aspicient, & plangent*) referri quasi effectus, quos excitauit spiritus gratiæ & precum à Deo super homines effusus, id est, spiritus commiserationis & pietatis, quo Christi mortem deflerent. Et confirmatur ex similibus locis; in quibus manifestum est agi de spiritu à Deo misso; & ea, quæ statim adijciuntur, esse illius spiritus effectus. Isaiæ 44.3. *Effundam spiritum meum super semen tuum, & super stirpem tuam: & germinabunt inter herbas, quasi salices.* Ezechielis 36.27. *Spiritum meum ponam in medio vestri; & faciam, vt in præceptis meis ambuletis.* Danielis 13 45. *Suscitauit Dominus spiritum pueri Danielis, & exclamauit.* Ioëlis 2.28. *Effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri.* Aggæi 1.14. *Suscitauit Dominus spiritum Zorobabelis, & reliquorum; & ingressi sunt, & faciebant opus.* In his locis atque alijs similibus idem est loquendi modus (vt constat) atque in Zacharia: vnde quemadmodum in his post mentionem spiritus à Deo missi, mox subijcitur effectus illiusmet spiritus; sic etiam de loco Zachariæ sentiendum est.

Probatur Secundò, ex sequenti contextu: se enim ipse declarat Propheta, cùm ait: *Plangent eum planctu, quasi super vnigenitum, vt doleri solet in morte primogeniti: sicut planctus in campo Mageddon.* Atqui eiusmodi comparationes manifestum est ab amicorum planctu & lamentis esse petitas: qui intimo cordis sensu amici mortem lamentantur. Vide 2.Paralipom.35.ad finem; vbi, *Vniuersus Iuda & Ierusalem luxerunt Iosiam, & vsque in præsentem diem lamentationes Ieremiæ super Iosiam replicant, & quasi lex obtinuit in Israël.* Quis ergo non videat, hanc comparationem ad damnatorum in die iudicij rabiem & dolorem esse ineptissimam, aptissimam verò ad Christianorum super Christi morte commiserationem & luctum, præcipuè in hebdomada sancta?

Probatur Tertiò, quia res est valdè violenta à gratia fidelibus elargita & pijs eorum precibus, extemplò ad efferatam damnatorum rabiem in eadem periodo transire: cùm nullum aliud suppositum (vt Grammatici loquuntur) verbis illis *aspicient & plangent*, addatur. Ex vulgari aliquo sermone ad pia & spi-

A ritualia colloquia gradum facere, res est apud pios & spirituales viros vsitata, qui in hoc Christi & Prophetarum morem sectantur. Ceterùm ex sermone valdè spirituali, ad alium longè diuersum, nec magis pium, ita derepentè transilire, nullo in ipsis verbis transitionis signo dato, nullo alio noui verbi supposito adiecto; hoc sanè nec prudentem decet sermocinationem, nec simili alio Scripturæ exemplo confirmari poterit. *Transitio in familiari sermone qua probanda; qua verò non.*

Verùm ne nobis expositionis nouitas obijciatur, proferamus auctores, quos in hac explicatione de planctu pietatis & amoris subsequimur. Hieronymus in hoc loco manifestè est pro nobis. ait enim: *Crucifixo Domino Saluatore, renouabitur planctus in Ierusalem, separatus viris à faminis, eò quòd tempore luctus, non debeamus seruire coniugijs & operi nuptiarum.* Deinde adducit illud Ioëlis 2.16. *Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo.* & subdit, *hoc non solùm in tempore angustiæ fieri, sed etiam in tempore orationis, quando volumus deprecari. Igitur & nunc tribus domus* B *Dauid, & tribus domus Nathan, & tribus domus Semei à suis vxoribus separantur, vt plangant Dominum.* Hæc Hieronymus. *Hieronymi mens de Zachariæ loci explicatione.*

Deinde Eusebius libr.8. Demonstr Euangel.cap.4. & Cyrillus, qui ad tempus excidij Hierosolymitani referunt hanc prophetiam, fortasse intelligendi sunt de planctu eorum Iudæorum, qui per occasionem illius calamitatis conuersi sunt ad Christum. Nam ceteri Iudæi, qui in sua perfidia perstiterunt, nullo modo aspexerunt in Christum, neque illum planxerunt eo tempore: vt optimè probat Ribera ex Iosepho.

Præterea Arias Montanus in Zachariam apertè explicat de luctu amicorum. Et similiter Salmeron de Passione Domini tom.10.tract.48. in fine: ait enim sibi videri Zachariam loqui de ijs, qui reuertebantur percutientes pectora sua. Et Ribera fatetur, quosdam de luctu fidelium in die Christi passionis explicare. Sed de hoc infrà.

Denique optima confirmatio nostræ explicatio- *Soluuntur prima opinionis argumenta.*
C nis, erit solutio argumentorum oppositæ sententiæ. Nam si bene soluantur, dubitabit nemo, nostram explicationem esse amplectendam. Ad Primum ergo dico, Apocalypsin esse librum valdè obscurum, & ænigmaticum. Quæ ergo prudentia est ex allusione Apocalypseos ad locum Zachariæ, fortasse non satis intellecta, seriò statuere eum locum, ad quem alludit, necessariò esse intelligendum de planctu damnatorum in die iudicij? Quid, si locus Apocalypseos præcipuè agat de planctu eorum, qui conuertuntur ad Christum? dicent, hoc fieri non posse propter illa verba: *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus.* Verùm de ænigmatis recondito sensu, ex sono verborum decerni non debet; & in explicatione illius loci, nisi fallor, ostendi, Ioannem quidem alludere ad diem iudicij; sed conuersionem multorum ad Christum præcipuè significare, & ad hanc præcipuam significationem vsurpare Zachariæ verba. Et sanè, cùm locus Zachariæ per se consideratus sit multò clarior, quàm Apocalypseos; rationi consentaneum est, vt
D Zachariæ contextum non relinquamus propter difficultatem loci Apocalypseos; sed potiùs studeamus ex claro Zachariæ contextu difficili Apocalypseos loco lucem afferre. Atque id nos in commentario curauimus.

Ad Secundum Respondetur, verbum *aspicient* congruenter referri ad fidei & pietatis aspectum. Vide Michææ 7.7. *Ego autem ad Dominum aspiciam.* Et ad Hebr. 12.2. *Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum.* Vbi alluditur ad locum Zachariæ. *Verbum aspicere apud Zachar. quo sensu accipiendum.*

Ad Tertium Respondetur, non bene applicari locum impijs Iudæis in sua impietate permanentibus; nec ante diem iudicij, nec in die iudicij: sed conuersis ad Christum optimè aptari; quando de suis peccatis agunt pœnitentiam, vt infrà clariùs patebit.

Altera quæstio est, an Zacharias potissimùm agat de eorum planctu, qui Christi mortem lamentati sunt, ipsa die, qua Christus fuit mortuus; vt ij, qui percutiebant pectora sua, & mulieres de *Num de amicorum planctu sit sermo apud Zachar.12.*

Digitized by Google

quibus Euangelistæ loquuntur. Arias Montanus & Salmeron hanc interpretationem sequuntur. Et addit Arias, hunc locum antiquis fuisse difficillimè obscurum; sibi autem esse apertum ex Euangelij interpretatione. Nimirum, quia existimat, Ioannem in Euangelio cap.19.37. significare eam prophetiam fuisse impletam in ipsa Dominicæ passionis die. Verùm ibi Ioannes non meminit planctus, sed solùm vulneris lanceæ. Et quamuis nemo plangeret, cùm Christus passus est; nihilominus, vt probaret Euangelista vulnus lanceæ fuisse præuisum a Zacharia, aptissimè potuit dicere, quod dixit; nempe, *Et alia Scriptura dicit, Aspicient in quem transfixerunt*, neque enim hoc est dicere, Iudæos illo die aspexisse, & planxisse; sed tantùm Prophetam meminisse illius transfixionis. Atque ita ex Euangelistæ loco non probatur planctum, de quo loquitur Zacharias, esse planctum mulierum illarum, de quibus Matthæus cap.27.55. Marcus cap.15.40. Lucas cap.23.49.55.. Quare ab hoc argumento, quod in loco ex Euangelio Ioannis desumpto nititur, ad probandum agi ibi de amicorum planctu, facilè se expediunt Toletus notat.22.in Ioan.cap.19. & Ribera, Zachariæ 12.

Quo sensu explicetur hic planctus à Hieronymo de amicorum ploratu.

Vidimus explicationem Montani & Salmeronis: sed considerato Zachariæ contextu, verisimilior multò est Hieronymi expositio, qui (vt supra vidimus) locum exponit de fidelium planctu, qui post Spiritus sancti effusionem conuersi sunt ad Dominum. Quod probatur; quia præcedens contextus loquitur de persecutione, qua Christi Ecclesia afflicta fuit a Iudæis & Gentibus. Et mox, vt significaret Propheta nihil obstare persecutionem, quo minus Christi crucifixi fides caput attollat; subdit, Deum effusurum suum spiritum in eos, qui illo antea carebant; & effecturum, vt ex persecutionibus Ecclesiæ multorum oculi aperirentur, & ad Christum conuersi planctus ad sidera tollerent.

Hanc Hieronymi expositionem confirmat res ipsa. Nam qui Christi mortem luxerunt eadem die, qua ipse passus est, proculdubiò non tot fuere; nec tanto omnes affectu, vt textus significat. Primò, propter id quod ait, *effundam spiritum meum*. Atqui *nondum erat spiritus effusus, quia Iesus nondum fuerat glorificatus*, Ioan.7.39. Deinde, quia textus asserit, magnam fore familiarum multitudinem, quæ se hisce lamentis darent; *viri seorsum, & mulieres seorsum*; & planctum quidem eiusmodi futurum, qui fuerat in Iosiæ lamentationibus figuratus. Quod licèt quodammodò inter fideles cœptum videatur fuisse, quo die Christus in cruce mortuus fuit; non tamen est tunc omnino impletum; sed posteà multis ad fidem Christi conuersis; vt infra explicabimus.

Zacharia contextus per ordinem explicatur.

Superest nostram explicationem textui per ordinem applicare. *Effundam super domum Dauid, & super habitantes Ierusalem spiritum*, scilicet, vt illi Christum agnoscant, & alios ad eius cognitionem adducant. *Spiritum gratiæ & precum*. Iuxta id, quod Arias notat, fortè spiritus gratiæ non est hic eius gratiæ, quam iustificantem appellant Theologi; sed spiritum commiserationis ac doloris; nempe vt propterea de peccatis doleant, & Christi passionem pijs lachrymis prosequantur. Quòd Christus eis præ rebus omnibus placeat. Vocis autem *precum* significationem Arias restringit, ad vindictæ postulationem de ijs, qui Christum crucifixerunt. Sed precum nomen latius patet; & aptiùs potest exponi. Licèt non absre sit, vt peccator, qui se suis sceleribus Christum crucifixisse agnoscit, à Deo de illis vindictam exposcat; id est, vt destruantur peccata ipsa; quæ est phrasis sacræ Scripturæ. Atque hic videtur genuinus esse sensus.

Et aspicient ad me. Huc spectat Paulus Hebr.12.2. *Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum.* Suspicor etiam in præsenti *aspicere* idem esse, quod aperire oculos, & Christum agnoscere: Ioannes enim Apocalyp 1.7. huc loci respiciens dixit, *Et videbit eum oculus*; eo ferè sensu, quo dicitur Iob 42.5. *Nunc autem oculus meus videt te*; qua phrasi, noua & singularis lux in Dei cognitione significatur.

Ad me. Hinc Theologi colligunt Christum esse Deum: nam in Zachariæ contextu loquitur Deus; & ait, *aspicient ad me, quem confixerunt*. Et verbum *confixerunt*, exponit Ioannes de vulnere lanceæ, Ioan.19 37. Sed occurrit in constructione scrupulus. Prius enim dicit, *Aspicient ad me*. Et mox subdit; *plangent eum*; vbi dicendum videbatur *plangent me*. Aliqui cogitabunt, eum ipsum, qui loquebatur de se in prima persona, loqui iam de se ipso in tertia persona. Verùm quia hoc fortasse, considerato contextu, valde durum est; ideo adijciam aliam eius dubij solutionem. Ea verò est accusatiuum *me* referri ad Patrem; & *eum* ad Filium, qui est Christus Dominus. Nam in Prophetis, cùm Deus loquitur, frequenter locutio tribui solet Patri. Vt colligitur ex primis verbis epistolæ ad Hebræos, *Multifariam olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè locutus est nobis in Filio*. Et quamuis prima facie videatur locutio illa ad Patrem referri non posse; cùm non ille, sed Filius vulnus acceperit; re tamen attentiùs inspecta, significanter satis hæc verba in Patris persona referuntur, quasi dicat, Mihi inflictum fuit vulnus, quod Christi corpus accepit, (iuxta illud eiusdem Zachariæ cap.2.8. *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*. Ipse tamen in eos meum spiritum immittam; quo eorum oculi illustrentur, & agnoscant in me hastam fuisse adactam, quæ in Iesu Christi corpus adacta fuit; & tunc Saluatoris mortem lachrymis atque eiulatu prosequentur. Hac ratione videntur omnia aptè cohærere. Et quamuis in constructione, ille accusatiuus *me* referatur ad Patrem; nihilominus sermo est de vulneratione Filij, atque adeò optimè fecit Euangelista, qui de lanceæ vulnere interpretatus est.

Cur Zacharias cap.12. eadem de re loquens primo de æterni Patris persona mox de Christo loquatur.

In Prophetis, cum Deus loquens inducitur, familiare est tribui locutionem Patri.

Quem confixerunt. Verbum hebraicum significat perfodere ad interiora vsque: vnde vulnerationi lanceæ optimè quadrat.

Licèt autem prophetia posteà fuerit integrè completa, quando Ecclesiæ persecutores ad fidem conuersi sunt: verum eorundem persecutorum fuit imago ac figura miles ille, de quo Ioan.19.34 *Vnus militum lancea latus eius aperuit*. Illud enim vulnus non ideò inflixit miles, vt Christum occideret, qui iam vltimum spiritum exhalarat, sed vt hasta illum confoderet, qui pro hominum salute fuerat mortuus. Quid enim aliud agebant persecutores Ecclesiæ, quam veluti lanceis in Christum pro ipsis mortuum sæuire? Gregorius Nazianzenus (in poëmate, quod inscribitur *Christus patiens*) auctor est, militem illum, qui lanceam in Christi latus adegit, oculorum altero fuisse captum: & Christi sanguine & aqua ad oculos admotis visum recuperasse, & Christi virtute agnita pectus suum percussisse, & ipsum vt verum Dei filium agnouisse.

Longinum, qui Christi latus perfodit, visum sanguine & aqua ex Christi vulnere manantibus recuperasse.

Scio non defuisse aliquem, qui huic historiæ fidem abroget, & apocryphum esse affirmet. Fortasse tamen non negaret, si locum Nazianzeni obseruasset, cuius auctoritas grauissima est. Salmeron tomo 10.fol.496. non solùm citat Nazianzenum, sed etiam Isidorum, huius tamen locum non reperio. Romanum quidem Martyrologium die 15. Martij asserit Longinum martyrem fuisse eum militem, qui Christi latus lancea aperuisse perhibetur. Atque illud saltem nemini dubium esse debet, eum militem Christi fidei nomen dedisse, atque illum suppliciter adorasse, quem hasta perfoderat. Constituta igitur vt vera historia illa a Nazianzeno affirmata, valde verisimile est Ioannem cap. 19.37. Zachariæ locum retulisse, non solùm, vt ostenderet, Prophetam vulnerationis lanceæ fecisse mentionem: sed etiam vt diuinæ prouidentiæ consilium indicaret, quæ illi oculos reserauit, qui Christum iam mortuum hasta percussit: neque hoc solùm, sed ipsa etiam vulnerantis culpa atque sæuitie vsus est Deus ad illius conuersionem. Nempe vt ea ratione Longinus figuraret, per ipsam Ecclesiæ persecutionem, & præsertim per eam quæ à Romano Imperio excitanda erat, persecutorum tandem oculos aperiendos fore, & Christi passionem pijs lachrymis, & pœnitentiæ dolore veneraturos. Atque huc spectant verba illa

Longinum ad Christi fidem conuersum & martyrem subisse.

Apo-

Digitized by Google

Apocal.1.7. *Et videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.*

De quo planctu & dolore Zachariæ loquatur.

Et plangent eum planctu, quasi super vnigenitum, Omnino est sermo de amicorum dolore. Verum non expono solùm de dolore, quem propriè fideles concipiunt de ipsa Christi passione, eam lugentes; sed etiam vniuersè de ijs, qui ad Christum conuersi pœnitentiam de suis peccatis agunt; & præsertim de rigida & aspera Religiosorum vita; deque eorum omnium, qui ob Christi amorem appetitiones suas comprimunt, & religiosæ mortificationi studeut. Etenim hi omnes compatiuntur Christo, vt Paulus loquitur; atque in eorum austera viuendi & cupiditates coërcendi ratione, explicitè aut saltem implicitè includitur de Christi morte commiseratio. Itaque sua peccata detestari atque deflere, & pro Christo sponte dolores & ærumnas perpeti; hæc omnia implicitè saltem ad Christi passionis recordationem & veneration-
B nem referuntur. Lugent enim sua scelera, considerantes, ea causam Christi passioni dedisse. Quod dum præstant, Christi mortem spiritualibus nænijs, seu lugubri cantu celebrantes, iusta illi egregiè persoluunt: atque in Religiosorum hominum pœnitentia re ipsa comprobatur, quod Propheta ait, *plangent eum planctu, quasi super vnigenitum.* Fit autem in his verbis manifestè allusio ad planctum super Iosiæ morte excitatum; quum his verbis describit Ieremias Threnorum cap.4.20. & cap.5.18. *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cecidit corona capitis no-*
A *stri; va nobis quia peccauimus.* Vnde verba illa, *plangent eum, quasi super vnigenitum;* verè implentur, quando nostra peccata deflemus.

Sicut planctus, Adadremon, id est, complebitur in Christiana Ecclesia, quod fuerat præsignificatum in lamentatione pro morte Iosiæ edita in Adadremon; siue in loco, cui malorum granatorum copia nomen fecit. Sunt verò peculiares Ecclesiæ, & præsertim Religiones ac monasteria veluti malorum granatorum loca. Quorum cura ad sponsam Christi attinet; vt videbimus Cant 6.10. & c.7.12.

Peculiares Ecclesiæ & præsertim religiones per loca malogranatis cõsita figurari.

Familiæ domus Dauid, & mulieres eorum seorsum, alluditur ad Iudæorum lamenta: in quibus viri seorsum, & seorsum mulieres lugebant: ac prædicitur simul pœnitentia vitæ religiosæ, quæ à Monachis separatim in monasterijs, & separatim à fœminis monialibus agitur.

In Iudæorum lamentu viros seorsum, fœminas seorsum plangere consuesse.

Domus Dauid, domus Nathan, domus Leui, familiæ Semei, Placet Ariæ Montani obseruatio, existimantis mentionem hic fieri insigniorum familiarum à Dauide genus ducentium: quas dolor de morte Iosiæ propius tangebat. Quod aptum est ad significandum, in ea pœnitentia ac pio planctu pro Christi Iesu passione, (de quibus suprà dictum est) eos in primis excellere, qui pietate & charitate ad Christum ipsum propiùs accedunt. Nec abs re sunt horum nominum significata ad Religiosorum Ordines indicandos. Dauid enim exponitur, Dilectus; Nathan, Donatus; Leui, Copulatus; & Semei, Obediens.

Nominũ Dauid, Nathan, Leui & Semei etymologia.

NOTATIO VII.

De symbolo nubium: ad illa verba, Ecce venit cũm nubibus, *Apocal.1.7.*

NOTATIONE XV. prolegomenon generatim disputauimus de magna perfectione symbolorum, quæ in Apocalypsi vsurpantur: & licèt de singulis ex professo agere, infiniti esset operis ac laboris: sunt tamen nonnulla, quæ præteriri non debent; vt sint veluti argumentum ceterorum perfectionis. Inter hæc primò occurrit symbolum nubium; quod sua pulchritudine nos allicit, vt in ea contemplanda paulisper immoremur.

Mystica nubis significatio.

Primùm symbolicæ perfectionis fundamentum est rei ipsius, quæ in symbolum eligitur, naturalis historia seu philosophia. Hæc verò docet nos, nubes esse admirabile vniuersalis Dei prouidentiæ argumentum. E nubibus emittit Deus rorem, pluuiam & ingentes imbres, niuem, grandinem, lapides, tonitrua, fulgura ac fulmina. In nubibus etiam pulchra Iridis facies apparet. Nubes itaq; terrorem interdum, interdum hilaritatem afferunt. Nã & summæ beneficentiæ & summę seueritatis sunt administræ. Præterea nubibus Sol obducitur, ac tegitur cælũ; nubibus Solis ardor remittitur, nubibus hyemis frigus tẽperatur, & frangitur calor æstatis; licèt interdũ etiam ijsdem augeatur æstus, *calore sub nube torrente,* vt dicitur Isaię 25.5. Hęc omnia nobis quasi ob oculos varijs in locis sacra Scriptura proponit. De rore, Isaiæ 18.4. *Sicut nubes roris in die messis.* De pluuia, Iudicium 5.4. *Nubes distillauerunt aquis.* & 2. Reg.22.12. *Cribrans aquas de nubibus cali.* Iob 26.8 *Qui ligas aquas in nubibus; vt non erumpant pariter deorsum.* Ps.146.8. *Operit cælum nubibus, & parat terræ pluuiam.* Vide Eccles.11.3. Præterea de tempestatibus, Iob 36.27. *Effundit imbres adinstar gurgitum, qui de nubibus, fluunt.* 3.Reg.18.45. *Ecce cæli contenebrati sunt, & nubes & ventus; & facta est pluuia grandis.* Ezechielis 30.3. *Dies nubis.* Et num.18. *Ipsam nubes operiet.* Ioël 2.2. *Dies nubis, & turbinis.* De tonitruis, psalm.76.18. *Vocem dederunt nubes.* & Psalm.67.35. *Virtus eius in nubibus; ecce dabit voci suæ vocem virtutis.* De Iride, Genes.9.13. *Arcum meum ponam in nubibus; cumq; obduxero nubibus*
C *cælum, apparebit arcus meus in nubibus.*

Nubium velocitas.

Præter hæc, magna est in nubibus varietas. Aliæ enim pulcherrimæ sunt, aliæ è contrario nigerrimæ. Inest etiam nubibus magna celeritas ac velocitas, Ieremiæ 4.13. *Ecce quasi nubes ascendet; & quasi tempestas currus eius,* & Baruch 6.61. *Nubes, cùm imperatum eis fuerit perambulare vniuersum orbem, perficiunt, quod imperatum est.* Illud etiam obseruatione dignum est, nubes ab humo consurgere; & ad locum adeò excelsum attolli, vt nulla eò vis humana possit pertingere, quæ illas impędiat, Psalm.134.7. *Educens nubes ab extremo terræ,* & Ieremiæ 51.16. *Qui leuat nubes ab extremo terræ.*

Nubium natura ac proprietates.

Quin & hoc nubibus peculiare est: quæ non sicut Sol, Luna & stellæ, certa semper & stabili vice suos cursus & exitus conficiunt; fixa illa ac perpetua ratione, quasi naturæ necessitatem indicantes: sed iam apparent, iam euanescunt, nunc ab ortu feruntur in occasum; nunc à meridie in septemtrionem, vel etiam è
D contrario: modò copiosos imbres effundunt; modò aridæ ac sitientes sterilescunt. Ex quibus liquidò cernitur, Deum non ex necessitate naturæ, (quod aiunt) operari; sed vt potissimum gubernatorem: penes quem habena rerum omnium potestas est; qui pro suo libitu nubes hùc illuc trahit; & quouis facillimè circumducit. Hoc certe mirum est arcanum, & infinitæ Dei scientiæ vestigium; iuxta id Iobi 37.16. *Nunquid nosti semitas nubium, magnas & perfectas scientias?*

Nubium varietas ac vicissitudo.

Ex dictis intelligitur, nihil esse in rebus naturalibus, in quo tanquam in naturę instrumento, adeò Dei prouidentia effulgeat, vt in nubibus: atque adeò acutum fuisse inuentum & ingeniosam excogitationem, ex nubibus Dei prouidentię currũ, ex ventis equos effingere. Id quod innuit Ps.98.7. *Ponis nubẽ ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorũ.* Varios olim ac multiplices currus Poëtę suis cõmentitijs dijs finxerunt, & à varijs tractos animalibus: sed nihil est in ijs omnibus, tantæ aut elegantiæ, aut proportionis, vt cũ hoc nubiũ

Multiplex nubium vsurpatio sacris Literis.

Nubes Dei & currus.

Digitized by Google

Nubes Dei currus.

& ventorum currū possit vlla ex parte conferri. Et sanè is est Deo in primis glorioſus: quod & sacra Scriptura non semel expendit, vt Deuteronomij 33.26. *Magnificentia eius discurrunt nubes.* Eccli.43.16. *In magnitudine sua posuit nubes.* Psal.67.35. *Magnificentia eius in nubibus.*

Præcipua sacrarum Literarum historia, in quibus nubium fit mentio.

Quod hactenus diximus, ad naturalium nubium historiam pertinet. Verùm ad symbolicam earum significationem, non solùm nubium natura, sed sacræ etiam Scripturæ historiæ attendendæ sunt: in quibus illæ sunt illustrissimæ. Primò, nubes ea, qua Deus Israëliticum populum ex Ægypto ad terram promissionis duxit. Secundò, quæ montem Sina operuit, quo tempore Deus legem populo ferebat. Tertiò, quæ Moysis tabernaculum impleuit, quo die absolutum est. Quartò, quæ Salomonis templum in die dedicationis similiter occupauit. Quintò, quæ in Christi transfiguratione visa est: & Sextò, quę in ipsius ascensione.

De nubis columna, quæ populum præcedebat.

In prima ergo harum nubium ostendit Deus suam singularem in populum illum prouidentiam; cùm eum nubea columna duxit atque protexit; quæ die solis æstum eis arcebat, & nocte suo lumine illos illustrabat; & modò consistens, modò progrediens, vbi esset sistendum, quà progrediendum, indicabat. In ea nube Deus pro suo populo pugnabat, inter ipsum & eius hostes interiectus: Exodi 14.20. In ea nube propè ad illos accedebat, & faciebat illis suæ præsentiæ copiam: cùm inclinata nube tabernaculum operiebat. Denique in nube illa præsente Dei præsentiam agnoscebant. Et de his sæpe sacra Scriptura loquitur.

Nubes in monte Sina ad legis promulgationem visa.

Simili ratione cùm legem Deus in monte Sina promulgare voluit; vt cælestem esse legislatorem aduerterent, ad eos ait Exodi 19.9. *Veniam ad te in caligine nubis*: atque ita factum est, nu 16. *Cœpit nubes densissima operire montem; & habitauit gloria Domini super Sina operiens illum sex diebus.* Deuter.4.11. *Accessistis ad radicem montis; erantq; in eo tenebræ, & nubes, & caligo.* vide Deuter.5.22. Ecclesiastici 45.5.

Nubes in Moysis tabernaculo & in Salomonis templo apparens.

Deinde, cùm Moyses erectum tabernaculum, & Salomon templum consecrauit; vtrobique Deus suę præsentiæ & prouidentiæ atque fauoris insigne edidit argumentum in nube; qua & tabernaculum primò, & posteà templum implenit. Exodi 40.32. *Postquàm omnia perfecta sunt, operuit nubes tabernaculum, & gloria Domini impleuit illud; nec poterat Moyses ingredi, nube operiente omnia, & maiestate Dei coruscante: quia cuncta nubes operuerat.* & 2.Paralip.5.13. *Ita vt impleretur domus Dei nube; nec possent sacerdotes stare, & ministrare propter caliginem.* & 3.Reg.8.10. *Nebula impleuit domum.* & 11.12. ait Salomon: *Dominus dixit, vt habitaret in nebula.* & 2.Paralip.6.1. *Dominus pollicitus est, vt habitaret in caligine.*

Nubes in Christi transfiguratione.

De transfigurationis nube, vide Matth.17.5. Marci 9.7. Lucæ 9.n.34.35. *Nubes lucida obumbrauit eos.* & olim, *Nubes tenebrosa illuminauit noctem*, quando inter Hebræos & Ægyptios se interposuit, Exodi 14.19.20. & Deus de nube fuit locutus, *Et ecce vox de nube.*

De nube ascensionis, Actor.1.9. *Nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Et locus Danielis 7.13. videtur intelligendus de ascensione & non de die iudicij.

Præter has nubes, duo sunt in sacra Scriptura nubium vaticinia; alterum Ieremiæ, 2.Machab.2.8. vbi agens de die, quo manifestanda erat arca Dei, *Apparebit* (inquit) *maiestas Domini, & nubes erit, sicut & Moysi manifestabatur, & sicut cùm Salomon petijt,* &c. Alterum verò de nubibus in die iudicij; de quibus sæpe sacra Scriptura loquitur. Actor.1.11. *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Matthæi 24.30. *Venientem in nubibus cæli.* & cap.26.24. Marci 13.26. *Venientem in nubibus.* cap.14.61. *Venientem cum nubibus.* Lucæ 21.27. *Venientem in nube.* 1.Thessal.4.17. *Rapiemur cum illis in nubibus.*

Hactenus de nubium natura, & sacris earum historijs atque prophetijs. Nunc ad significationem veniamus. Ac Primò, quod ad eas nubes spectat, quibus Deus in veteri historia suam præsentiam testari voluit; illis indicauit, Deum, qui Israëliticum populum ducebat, qui legem eis promulgabat, qui in Moysis tabernaculo, & postea in Salomonis templo celebrabatur, verum esse ac supremum totius rerum vniuersitatis gubernatorem; qui suam in nubibus prouidentiam ostentat. Ac facilè perspicitur, congruentissimè nubium ministerio fuisse vsum, vt se hominibus cognoscendum proponeret. Neque enim aliud signum aptius & conuenientius videtur eligi potuisse. Nam nubes sunt in rerum natura præcipuum diuinæ prouidentiæ instrumentum, vt superiùs vidimus. Quòd si omnes Dei spiritus (de quibus notat.5.) velimus percurrere; cunctos ferè in nubibus mirè expressos inueniemus. Ibi namque infinita potentia apprimè figuratur, quæ in nubibus & earum effectibus splendet: ibi maxima illa beneficentia, quæ per nubes suos effundit thesauros; quibus terram fœcundat, & orbem vniuersum alit. Ibi admirabile consilium ac sapientia; quæ viam & rationem inuenit, qua nubes ab humo eductas in sublime attolleret, & inde iacentem terram multiplici fonte irrigaret. Ibi ingens patientia eius; qui manibus tenet fulmina: & tamen non dissimulat solùm, sed pluit etiam super eos, qui eum ad iracundiam prouocant. Ibi horribiles minæ; quas nubes crebro tonitru atque fulgetro nobis intendunt. Ibi denique grauissima suppliciorum seueritas; quæ cùm sæpe aliàs, tum præsertim in generali illa mundi eluuione sese ostendit. Solam æquitatem tegere videntur nubes. Ceterùm id ipsum congruentissimum erat; oportebat enim Dei prouidentiæ æquitatem in hac vita occultari; vt cap.5. explicabimus.

Nubes præcipuum diuinæ prouidentiæ instrumentum.

Septem diuina prouidētia spiritus in nubibus mirè effulgere.

Cùm igitur valdè expediret Dei prouidentiam fuisse abditam; eo ipso elegantissimum fuit nubium symbolum ad eam prouidentiam significandam eligere: quæ vna ex parte Dei præsentiam indicant; ex alia verò cælum obtegunt, & lucem oculis eripiunt. Et ad hoc arcanum indicādum magnæ sapientiæ fuit, vt nubes in qua Deus ad tabernaculi & templi dedicationem, suam præsentiam exhibuit, templum vsque adeò impleret, vt sacerdotes nihil omnino dignoscerent. Ex quo colligitur Dei consilium fuisse, vt suam prouidentiam præsentissimam pariter & occultissimam esse monstraret.

Nubes partim tegēdo, partim detegendo diuinā designant prouidentiam.

Nubes itaque Dei prouidentiam partim tegendo, & partim detegendo appositè figurant. Pro quo aduertendum est, nubes ipsas dupliciter cogitari posse. Primò, vt currum aut sedem, quę eius conspectum qui venit in nubibus, non prohibet. Secundò, vt operimentum, quo aliquid tegitur, ne cernatur. Cum priori cogitatione facit, quod habetur Apocal.14.4. *Sedentem super nubem candidam*, & psal.103.3. *Ponis nubem ascensum tuum.* Cum posteriori verò illud psalmi 17.12. *Posuit tenebras latibulum suum* Ps.96.2. *Nubes & caligo in circuitu eius.* Ezechiel.32.n.7. *Solem nube tegam.* Exodi 40.34. *Operuit nubes tabernaculum eius.* & alia huiusmodi.

Duplex nubiū consideratio.

In Christi transfiguratione & ascensione, & in die supremi iudicij congruentior de nubibus philosophādi modus est; vt accipiantur tamquam perspicua signa, quæ ostendant Christum esse supremum mundi Dominum ac moderatorem. Propria enim nubium significatio est diuinitatis ostensio in eo, qui tanquam nubium Dominus, earum vtitur obsequio ad suam prouidentiam indicandam; & eam vel tegendam, vel detegendam; prout magis ad ipsius gloriam conducat. Atque ideò toties Scriptura repetit nubes extremi iudicij. Quæ significatio tantam in se habet energiam, vt licèt Christus non esset ad iudicium in nube corporea venturus; verè tamen & eleganter dici posset, ipsum in nubibus venturum, iuxta sacræ Scripturæ locutionem. Nec ideo negarim veras & corporeas nubes in die iudicij futuras. Non enim mihi animus est, innouare aliquid, quod ad doctrinam attinet: sed illud asserere, symbolicam nubium significationem esse adeò pulchram & aptam; vt licet tunc propriæ nubes futuræ non essent, verissimè tamen & significantissimè diceretur Christus in cæli nubibus venturus. Quod idcirco dictum velim; vt animaduertatur, multò maius & excellentius in nubibus latere

Nubes in Christi transfiguratione, ascensione & iudicio quomodo accipiendæ.

Digitized by Google

tere mysterium, quàm existimabit quispiam, qui grammaticum solùm sensum considerauerit: cui nonnullos plus nimio addictos esse video. Etenim quod dicitur 2. Machab. 2. 8. quòd scilicet in arcæ manifestatione, *apparebit maiestas Domini, & nubes erit, sicut & Moysi manifestabatur.* Hoc (inquam) vt opinor, non debet intelligi, vt externa verba sonant, & aliqui interpretantur, videlicet ad Iudaici populi conuersionem Deum sub mundi finem veterem illam testamenti arcam manifestaturum. Non enim aut verisimile esse, aut legis Euangelicæ tempori congruere arbitror, vt Deus arcam illam asseruet nouissimis mundi temporibus propalam Iudæis ostendendam: sed Ieremiam prophetam ibi loqui de arca mystica (vt Ambrosius & Rupertus intellexere, quos adducit Serarius.) Quare verba illa, *sicut & Moysi manifestabatur*; mysterij similitudinem respiciunt, non eandem nubium formam. Vide Matth. 26. 29. Marc. 14. 25. Lucæ 22. 18. *Non bibam de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, quo illud bibam nouum.*

Locus ergo ille 2. Machab. 2. 8. in vero ac germano sensu agit de mystica arca, scilicet Christo, aut de Euangelica doctrina, & de mysticis nubibus, id est, de magna diuinitatis ostensione, qua ab hominibus cognoscendus erat. Atque idem videtur esse mysterium nubis Ezechielis 10. 3. *Nubes implenit atrium*: & nu. 4. *Repleta est domus nube.*

Nubes prouidentia præsertim supernaturalis symbolum.

His constitutis nubium symbolum iure optimo applicatur ad ea omnia, quæ sunt præstantissima supernaturalis prouidentiæ instrumenta, qua Deus Ecclesiam suam moderatur. Quare in primis hoc symbolum Christi humanitati meritò tribuitur. quæ expositio est Hieronymi, Cyrilli, Hesychij, Augustini, Gregorij & Ruperti apud Lauretum. Et hæc significatio in eo potissimùm fulcitur, quòd Christi humanitas est præcipuum diuinitatis instrumentum in prouidentia, qua suæ consulit Ecclesiæ. Atque ipse Christus est, qui suo populo præit, illum ignea columna illuminans pariter ac protegens. Cui significationi apprime deseruit, quod de naturali ac supernaturali nubium historia dixi.

Nubes angelorum symbolum.

Deinde, angelis applicat D. Dionysius nubium symbolum de cælesti Hierarch. cap. 15. Sunt enim mobilia instrumenta, quibus Dei prouidentia in hominum salute vtitur. Et paulò infra peculiarem rationem huius significationis perstringemus. Quare hìc solùm addo, in cap. 1. Ezechielis, (vt ibi videbimus) nubium symbolum ad vnum ex nouem angelorum choris singillatim accommodari.

Nubes Euangelici concionatoris symbolum.

Ceterùm frequẽtior significatio symbolica nubium est, vt per illas Ecclesiasticæ hierarchiæ angeli, id est, Euangelij concionatores significentur, nec non ipsa Euangelij prædicatio. Obseruandum enim hìc est, in symbolis ferè non esse distinctionem inter abstracta nomina, atque concreta. Nam leo, v.g. fortitudinis pariter ac viri fortis symbolum gerit. Promiscuè ergo agemus de Euangelicis prædicatoribus, & de ipsa Euangelij prædicatione.

In primis ad hoc munus viri sanctissimi à Deo euocantur, qui ex terrenæ humilitatis humo, & ex huius sæculi mari, cælesti quadam vi tolluntur à Deo ad cęlestem vitam, vbi *spiritu Dei aguntur*; quemadmodum nubes è terra ac mari in aëra sublatæ à ventis impelluntur. Quæ consideratio est Arnobij, Hieronymi, Augustini, & Gregorij apud Lauretum. Nota id ad Rom. 8. 14. *Quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei*: vbi alludit Paulus ad id psalmi 88. 7. *Quis in nubibus aequabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei?* vbi pro eodem videntur poni *nubes* ac *filii Dei*. Facit quòd idem nomen hebraicum נשׂיא *nasi*, & in plurali נשׂאים *nesim*, significat nubes & principes, à radice נשׂא *nasa*, id est, *attollere*: eò quòd supra ceteros attollantur.

Secundò, illud ipsum, quod est agi à spiritu Dei, Euangelicos prædicatores efficit nubes mysticas; nam in prædicationis officio Spiritus sancti vis eos idoneos facit ministros Euangelij: atque hæc ratio esse videtur, quare Origenes, Arnobius, Hieronymus, Augustinus, & Gregorius apud Lauretum A Euangelicis prædicatoribus symbolum nubium accommodent.

Tertiò, hæc est nubis atque ignis columna, quæ Dei populum præuia ducit, atque ei in noctis caligine lucem præfert: hæc etiam columna inter Israëliticum populum, & Ægyptios ipsius persecutores se mediam interponit, vt Dei populum defendat, & pro ipso cum aduersarijs bellum gerat.

Quartò, hæ nubes in populum emittunt doctrinæ cælestis rorem ac pluuiam illam fœcundam ac pinguem, de qua D. Dionysius de cælesti Hierarch. cap. 15. Nec constrictæ sunt ad peculiarem aliquem locum, vt ibi solùm pluant; sed quocumque eas Spiritus cælestis impulerit, ibi suam pluuiam largè effundunt. Nota insuper, nubes in orbis obsequium se impendere, & superimpendere, quemadmodum Paulus loquitur 1. Corinth. 12. 15.

Quintò, harum nubium gloria est Iris cælestis, id est, Christi passio, 1. Corinth. 2. 2.

Sextò, hæ mysticæ nubes, sunt gloriosissimus Dei B currus, (iuxta ea quæ suprà diximus) qui Christi nomen quoquò gentium portat.

Septimò, hæ nubes sunt Dei prouidentiæ testimonium, & concionatores sunt testes. Vnde Paulus ad Hebræos 12. 1. *Ideo nos tantam habentes impositam* (græcè circumiacentem) *nubem testium*: tam magnum scilicet testimonium, quod nos circumdat; illius instar nubis, quæ in transfiguratione Petrum, Iacobum & Ioannem circumstetit; & alterius etiam, quæ in Moysis tabernaculo atque in Salomonis templo sacerdotes circumstipabat.

Octauò, in his nubibus aduentat Christus, vt se hominibus cognoscendum exhibeat, Apoc. 1. 7. *Ecce venit cum nubibus*: vbi sermonem esse ad literam de mundi conuersione, in commentario explicauimus. Et confirmatur, quia similiter de Euangelicæ prædicationis gloria sermo est in ceteris omnibus locis Apocalypseos; in quibus fit mentio nubium, vt cap. 10. n. 1. *Amictum nube*: cap. 11. 12. *Ascenderunt in nube*: & c. 14. 14. C *Sedentem super nubem candidam.*

Nonò, de his nubibus ait Isaias cap. 19. 1. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur in Aegyptum*, id est, in gẽtilitatem, ad idololatriam destruendam. Et de eisdem nubibus loquitur Isaias ipse cap. 45. 8. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum*: quod est, Christum prædicare.

Decimò, earundem nubium vox est tonitrus: atque hæc est potens Dei vox (de qua psalm. 28. vide etiam psal. 67. 35. & ps. 76. 18.) humanæ voci suggerente Deo diuinam virtutem, quam cælestis lucis fulgor comitatur. Ignis autem nubium fulmen est; quod ad diuini spiritus ignem, quem viri Apostolici ore fulminabant, mirificè aptatur, Apoc. 11. 5. *Ignis exiet de ore eorum.* & Nota fulminis ignem ad interiora mirificè penetrantem. Vide Plinium lib. 2. cap. 51. *Fulminis ignis ad interiora penetrans.*

Vndecimò, hæc videtur esse mystica significatio nubis in transfiguratione, & ascensione Christi. vtriusque historiæ mysterium est Christi gloriæ manifestatio & exaltatio; cui nubes Euangelicæ deser- D uiunt.

Duodecimò, Euangelij doctrina nubes est, quæ Dei gloriam ac præsentiam manifestat in ipsa caligine, quam humanæ rationis oculis offundit, dum ea ipsa tegit, quæ verissima esse confirmat. Vt in tabernaculi ac templi dedicatione figuratum est. Etenim prædicatio mysteriorum Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, & Christi mortis, est quidem ipsi Deo nubes gloriosissima, eiusmodi tamen, quæ nobis summè occultet idem, quod testificatur; & captiuet intellectum in obsequium fidei. Atque ita re ipsa comprobatur Ieremiæ prophetia 2. Machab. 2. 8. & Ezechielis 10. 3. de quibus suprà. Quòd si obscurissima fuit nubes, in qua Deus præsentem se esse ostendit, quando ad montem Sina descendit, vt legem promulgaret; multò obscurior & glorioſior est nubes Euangelicæ prædicationis. Et in ea verissimè impletur illud Salomonis, *Dominus dixit, vt habitaret in nebula*: in ea (inquam) nebula, quæ vna ex parte nos conuincit, vt certissima ac planè diuina nostræ fidei myste-

Digitized by Google

mysteria esse credamus; ex alia verò, obscuritate sua ac maiestate, Dei magnam à nobis reuerentiam & venerationem requirit, oculis tantorum mysteriorum fide velatis.

Decimotertiò, hæc ipsa obscuritas maximum est Dei prouidentiæ ac maiestatis signum: iuxta id psal.17. 12. *Posuit tenebras latibulum suum*, & psal.96.2. *Nubes & caligo in circuitu eius.*

Decimoquartò, nubes in se Solis claritatem accipiunt, & desuper valdè illustrantur: sed eam claritatem nostro visui accommodant, & temperatam ad nos transmittunt. Hoc significat S. Dionysius de cælesti Hierarchia c.15. quamuis ipse de Angelis loquatur: sed in Angelis etiam Ecclesiasticæ Hierarchiæ verum esse comprobatur. A

Decimoquintò, harum denique nubium comitatu septus Christus ad extremum iudicium veniet, *in sanctis millibus suis*, Deuteronom.32.2. & *in nubibus*, & *cum nubibus*. vtraque enim phrasi vtitur sacra Scriptura.

Hæc indicasse sit satis. Et quamuis multæ aliæ comparationes ex nubibus desumantur, non solùm in bonam, sed etiam in malam partem; eas tamen omnes omitto, quia mei instituti solùm fuit explicare, cui potissimùm significationi symbolum nubium deseruiat.

COMMENTARIVS.

VERS.8. EGO SVM A ET Ω, PRINCIPIVM ET FINIS; DICIT DOMINVS DEVS, QVI EST, ET QVI ERAT, ET QVI VENTVRVS EST OMNIPOTENS] Duo sunt in his verbis exponenda. Primum, quis loquatur; alterum, quid significet. Circa primum, dicet fortasse aliquis loqui hîc Patrem æternum. Nam Ioannes ad finem dedicatoriæ epistolæ, manifestè videtur repetere voluisse, quod initio illius per explicationem nominis Iehoua significauerat; nempe Deum hoc Christianæ Ecclesiæ opus exorsum fuisse, & idem deinceps prouectum, ac glorioſissimè perfecturum. Hoc autem principio Patri æterno attribuit, in ea salutatione; *Gratia vobis & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est*: addit enim mox; *& à septem spiritibus*, &c. *& à Iesu Christo*: ergo similiter in præsenti, cùm repetit, *qui est, & qui erat, & qui venturus est*, Patrem item æternum indicat. Nam & nomen *venturus* eidem suprà tribuerat. B

Patrisne, an Filij verba sint, Ego sũ A & Ω.

Assero tamen, in hoc versu sermonem esse de Christo. Quod Primò probatur; quia sic censet explicandum esse hunc locum Nazianzenus orat.35. vbi ait, *Hæc perspicuè de Filio Dei dicuntur*. Eadem est explicatio Athanas. tractatu in id Matth.11.27. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*. & Ruffini Aquileiensis in expositione Symboli Apostol. & Idacij Clarij lib.3. contra Varimand. & Phœbadij, siue Sebadij, Agenni Galliarum Episcopi lib. 3. contra Arrianos. Accedit, quòd dum vigebat hæresis Arriana, in Catholicorum sepulchris incidi solebant hæ duæ literæ A & Ω, quibus notabatur, eum, qui ibi iacebat, in diuinitatis Christi confessione obijsse; vt aduertunt antiquarij, Ambrosius Morales in historia lib.11.cap.41. C

In Christi persona hæc dici.

In Catholicorum olim sepulchris incidi solita A & Ω, & cur?

Probatur Secundò; quia verbum illud *dicit*, necessariò debet designare eum, qui Ioanni Apocalypsin misit; hunc verò fuisse Christum, expresserat ille suprà. Tertiò, ex collatione huius loci cum illo Apoc.22.2. *Ecce venio citò, ego sum A & Ω, principium & finis*: & statim subdit, *Ego Iesus, ego radix Dauid*. Ergo in præsenti etiam loquitur Christus. Confirmatur, quia esse primum & nouissimum, idem omnino est, quod esse A & Ω, (vt mox explicabimus) & cap.2.nu.8. manifestum est loqui Christum & dicere: *Ego sum primus & nouissimus*.

Vnde ad priorem difficultatem Respondeo, optimè cohærere inter se, vt quod Patri initio epistolæ tribuitur, idem in fine tribuatur Christo: cùm Pater & Filius sint idem Deus. Argumentum autem Apocalypseos, quod hisce verbis indicatur, non peculiariter exigit, vt de Patre potiùs, quàm de Filio sermo sit. Quin imò ipsi argumento congruentius est, vt Iehoua nomen & Ecclesiæ Christianæ fundatio atque perfectio, quæ primò tributa sunt Patri, tanquam totius diuinitatis, ac proinde bonorum omnium fonti & origini; eadem nunc æqualiter tribuantur Filio, *per quem omnia facta sunt*, & cui Pater Christianæ Ecclesiæ fundatæ, erectæ atque perfectæ honorem singulariter vult deferri. Arrianis non placeret nostra expositio; quia per eam nomen Iehoua expressè tribuitur Christo; sed Ioannes Arrianus non erat. D

Quorsum se vocet Christus A & Ω.

Diximus, cuius hæc sint verba. Superest vt dicamus, quid illis significetur. In quo adnotatio D. Isidori libr.7. Etymol.cap.2. verissima est, asserentis pro synonymis accipi tria illa *A & Ω, principium & finis, primus & nouissimus*. Nam cap.22.13. coniunguntur omnia, *Ego sum A & Ω, primus & nouissimus, principium & finis*. Deinde horum verborum finis est, animos addere illis, qui rei difficultatem humano iudicio metientes possent animum despondere. Videre est hoc cap.1.17. vbi dicitur: *Noli timere; ego sum primus & nouissimus*. & cap.2.num.8. similiter dicitur: *Hæc dicit primus & nouissimus; nihil horum timeas*. Huc etiam spectat mentio omnipotentiæ, quæ nomini diuino adiungitur in præsenti, & cap.4.8. scilicet ad erigendam spem. His præiactis dico, hæc verba *A & Ω, primus & nouissimus, principium & finis*, coniungi cum nomine Iehoua, vt in re tanti momenti idem sensus varijs nominibus magis magisque explicetur, & repetatur. Nominis autem Iehoua expressio (id est, illa verba, *qui est, & qui erat, & qui venturus est*,) vt suprà iam vidimus, eò propriè spectat, vt indicetur Deum esse auctorem & consummatorem felicitatis Ecclesiæ Christianæ. Eadem ergo est significatio, cùm dicitur *A & Ω, principium & finis*. Cùm enim illæ duæ sint prima & vltima græci alphabeti literæ, in græco sermone pro principio & fine ponuntur; atque ita maioris expressionis gratia additur

Digitized by Google

A tur *Principium & finis*; quod nihil aliud est, quàm dicere Deum esse auctorem & consummatorem, id est, qui incepit, & qui perficiet.

Hoc vt planum fiat; Notandum est, vsitatam esse in sacra Scriptura locutionem, vt abstracta ponantur pro concretis. Sic Christus à Paulo appellatur *sapientia, iustitia, & sanctificatio, & redemptio*, 1.Corinth.1.30. id est, sapientiam, iustitiam, sanctificationem & redemptionem tribuens. Quid ergo planius, quàm vt *principium & finis* denotent incipientem opus, & perficientem? Clarè hoc expressit Paulus, dum Christum appellat *auctorem & consummatorem*, ad Hebr.12.2. Vtitur enim ijs concretis, quorum abstractis hîc vsus fuit Ioannes. Nam quod nos legimus *principium & finis*, græcè legitur ἀρχὴ καὶ τέλος; & pro auctore & consummatore, Paulus græcè ait, ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν. Eôdem spectat illa phrasis Zachariæ 4. n.9. *Manus Zorobabel fundauerunt domum istam, & manus eius perficient eam.* Denique Nota, in nomine finis, quod Apocalypsis tribuit Deo, omnino alludi ad illum multorum psalmorum titulum *in finem*, de quo dicemus notat.8.

In sacris sæpe abstracta pro concretis poni.

Quid sibi velit Christus, cùm se principium & finem appellat.

Scio multas alias horum verborum circumferri explicationes. Hieronymus libr.1. contra Iouinianum, explicat hæc verba iuxta id ad Ephes.1.10. *Instaurare omnia in Christo.* Tertullianus de Monogam.eò spectat, vt omnis disputatio desinat in Christum, & per Christum omnia ad initium reuocentur; & homo reuertatur ad paradisum, vbi priùs erat. Petrus Damianus Christi
B summam sapientiam arbitratur his verbis significari. Augustinus & Epiphanius, (licèt non eodem modo) exponunt de duplici Christi natura, diuina & humana. Quò fortasse spectabat vetus illa in Christianorum sepulchris consuetudo; cuius paulò antè meminimus. Sixtus Senensis libr.2. initio, & Cardinalis Bellarminus libr.1. de Christo, cap.4. exponunt de primo principio & vltimo fine rerum omnium. Prado in Ezechielem, initium & finis sermonum, quos vel Prophetæ vel Apostoli fecerunt; finis legis, consummatio, summa, scopus, initium viarum Dei, summa omnium legalium, caput Ecclesiæ, consummatio sermonum, &c. Arias Zachariæ 4. existimat per A & Ω, significari summum Ecclesiæ ornamentum. Alij ad æternitatis significationem respiciunt. Prætereo delirium eorum, quos refert Tertullianus; qui ad nomen græcum columbæ referebant, A & Ω, computatione arithmetica. Cetera suam habent probabilitatem. Germana tamen interpretatio est, quam initio posui. Et fortasse eodem sensu ab Ethnicis appellatur Iupiter terminalis, græcè πέρμιος, ὅθεν τὸ πάντων ἀρχὴ καὶ πέρας εἶναι. Quòd verò *primus & nouissimus* idem sit, quod principium & finis, dicam infrà num.17.

Varia Doctorum expositiones de A & Ω, *principio & fine.*

NOTATIO VIII.

De illo titulo psalmorum, In finem; *ad illa verba Apocal.* 1.8. Principium & finis.

Vox in finē: *multorum psalmorum titulis prefixa quid significet.*

VIDIMVS iam in commentatio, quid sit Deum esse principium & finem. Sed vt maior lux eis verbis afferatur; oportet explicare, quæ sit propria significatio tituli illius in multis psalmis vulgatissimi, *In finem*; ad quem mihi persuadeo Ioannē in his verbis alludisse.

Quadruplex eius vocis expositio.

Atque vt priùs breuiter varias referamus expositiones, quò faciliùs deinceps potiorem eligamus: hæc locutio *In finem* in psalmorum titulis quadrupliciter videtur exponi posse. Primò enim refertur ad durationem diuinæ laudis: ita vt *in finem* sit idem, quod in perpetuum. Secundò, ad perfectionem & excellentiam psalmi; vt perfectum & consummatum opus denotetur. Tertiò, ad vltimam mundi ætatem, id est, ad tempus legis gratiæ, vt eò respiciat psalmus. Quartò ad Dei victoriam: vt *In finem* sit idem, quod *Deo victori.*

1.Expositio.

Primâ expositionem sequitur R. Abraham exponendo dictionem hebraicam *lamnaseah*, quasi synonymam
D dictionis *laneseah*, vt videre est in thesauro. Facit, quòd vtramq; dictionem videtur eo modo exponere LXX.

Lamnaseah, & laneseah, quid hebraicè.

& Vulgatus. Pro vtraque enim indifferenter reddunt *in finem*, & pro *laneseah* sæpe etiam vertunt *in seculum* vel *in perpetuum*. In 56.psalmis titulus est *lamnaseah*, & in omnibus vertunt *in finem*. Et pro *laneseah*, vertunt similiter *in finem*, psalm.9.1.& 19.psalm.12.1.psalm.15.11. psalm.43.23. psalm.48.10. psalm.51.17. psalm.67.17. psalm.73.3.& 10.psalm.88.47. Isaiæ 13.20. & Amos 1. 11. Et quòd *In finem* sit idem, quod *in perpetuum* vel *sempiternum*, probatur tum ex contextu: tum etiam, quia pro eadem dictione *laneseah*, vertunt *in æternum*, psalm.48.20.& Isaiæ 57.16.& *in sempiternum*, Isaiæ 25.
C 8.& *in perpetuū*, ps.102.9.Isaiæ 28.27. Vide etiam Isaiæ 34.10. *à generatione in generationem*: hebr. *leneseah naseahim*, & Ieremiæ 15.18. *dolor perpetuus*: *neseah*. Quòd autem in principio multorum psalmorum inscribitur *In finem*, vel *in sempiternum*, non minùs cohærere videtur, quàm quod in psalmorum singulorum fine canit Ecclesia, nempe *Gloria Patri*, &c. *nunc & semper, & in secula.* Hoc ipsum tenet Iansenius, qui tamen credit Septuaginta non legisse *lamnaseah*; sed, *laneseah*.

II.Expositio.

Secundam expositionem amplectitur D. Chrysostomus (vt refertur in Notationibus ad Biblia Vaticana LXX.interpretum, Iob 23.litera K.fol.720.) ait enim *in finem* esse idem, quod rationem efficacem (seu conuincentem) atque perfectam. Huius tamen phrasis reddit rationem Chrysostomus; nimirum quia apud Hebræos finis atque victoria, siue excellentia eadem dictione significantur. Certè absolutionis & consummationis nomina finem denotant, & sæpe ad rei perfectionem referuntur; atque absolutum aliquod opus magnopere perfectum est. Sic fortasse Thren.3.18. *Periit finis meus*, id est, omnis mea perfectio & excellentia, hebr. *nisehi*. atque eadem sanè est dictio Isaiæ 63.6. pro qua virtutem legimus, id est, maiestatem & gloriam, heb. *niseham*, & in alijs locis Vulgatus reddit *victoriam*, vt dicemus infrà. Sed quòd in psalmorum titulis, ad psalmi sit excellentiam, victoriæ nomen referendum, confirmari potest ex lectione Septuaginta interpretum Habac.3. in fine. Nam vbi nos legimus, *Victor in psalmis canentem*; legunt ipsi, *Vt vincam in cantico eius*: ergo de psalmi victoria est sermo; & eo loco respon-

respondet in hebræo *lamnaseah*, & manifestè respicitur ad psalmorum titulos; in quibus eadem dictio legitur.

Ad eandem victorię significationem seu analogiam reuocari potest quædam alia Merceri expositio; qui *lamnaseah* interpretatur *ad prænalendum*, scilicet vocis contentione, aut musicæ perfectione. Nam hæc etiam victoria se tenet ex parte psalmi seu cantici; atque adeò, si *In finem* ad victoriam psalmi referatur, eo nomine poterit denotari vocis contentio. Quò etiam referri potest lectio LXX. Habac. 3. fin. *Vt vincam in cantico eius*. & facit locus Ieremię 8.5 *auersione contentiosa*, heb. *nisahhat*.

III. Explicatio. Tertiam explicationem docet Theodoretus, quam sequitur Genebrardus, referens eandē significationem de Messiæ temporibus tradi à Kimhi in dictione *lamnaseah*. Facit locus Pauli Rom. 10. 4. *Finis legis est Christus*. Facit etiam quòd hac explicatione propheticus psalmorum sensus commendetur. Adde huc, nihil aptius esse, quàm vt nomen *finis* denotet nouissima tempora. Paulus quidem sic loquitur 1. Corinth. 10. 11. *In quos, fines sæculorum deuenerunt*. Et sic etiam loquitur Irenæus lib. 4. cap. 50. vbi vtitur psalmorum phrasi *In finem*, ad eam respiciens, & eam exponens.

IV. Explicatio, quæ cæteris præfertur. Quartam explicationem omnino sequitur Vulgatus interpres, & Ecclesiæ consensus Habac. 3. fin. Legimus enim, *deducet me victor in psalmis canentem*. Et quamuis nonnulli contendant legendum esse *victori*; vtrouis modo victoria defertur Deo. Et fortasse constructio legitima est, *deducet me* (Deus) *canētem in psalmu, Victor, victor*, quod est Deum victorem prædicare. Et sic quamuis in hebræo *lamnaseah* sit in datiuo, aptissimè tamen reddidit noster interpres in nominatiuo, *Canentem victor*. Verùm vtcumque hoc sit, euidens est victoriam deferri Deo; & manifestè respicitur ad psalmorum titulos, in quibus legitur *lamnaseah*: atq; adeò certum est, in titulis psalmorum per vocem illā, quàm LXX. atq; Vulgatus transtulere *in finem*, deferri victoriam Deo. Sed prima facie difficile apparet, quonam modo phrasis illa *In finem* eidē significationi possit deseruire. Ad hoc dico phrasim esse hebraicam, vt notauit Chrysostomus, nomine finis significari victoriam: & sicut hispana phrasi, & fortasse etiam hebraica, *festinare* ponitur pro pudefieri, hispanè, *correrse*; sic in sacræ Scripturæ lectione (vbi certum est multos esse hebraismos) non debet videri coactum, quòd finis ponatur pro victoria; præsertim docente id expresè Chrysostomo, & cōtestantibus omnibus dictionarijs. Multa huiusmodi deuorantur in singularum linguarum phrasi. Et ne ab hac dictione *mnaseah* abeamus; Latinis auribus non videretur minus coactum, eadem dictione significare finem, atque præpositum siue præfectum. In hebræa autem & hispana phrasi non est coactum, sed aptum. Atque ita, esse *mnaseah* est *ser cabo*, quod nomen militare est Hispanis pro plurium cohortium siue triremium præfecto. *Præpositos* vertit Vulgata 1. Paral 23. 4. & 1. 2. c. 2. 2. & nu. 18. & eadem analogia, qui vincit, appellatur *mnaseah*: manet enim superior effectus.

Nomen finis, hebraica phrasi, & victoria, & vincenti tribui. Ex dictis colligo, hebraica phrasi, nomē *finis* non solùm victoriæ tribui, sed ipsi etiam vincenti, siue victori. Atq; ita debet accipi in titulis psalmorum, *In finem*, id est, in victorem, siue ad victorē. Et perinde est psalmum dedicare victori (in datiuo) ac referre illū ad victorem. Aut si finis ponatur pro victoria, *In finem*, erit idem quod *ad victoriam*, nempe ad canendam seu celebrandam Dei victoriam. Similiter psal. 71. inscriptio est *in Salomonem*, hebraicè in datiuo *lasselomoh*.

Eandem explicationem confirmat locus 1. Paral. 15. 21. *Pro octaua canebant epinicion*, id est, *victoriale*, scilicet carmen: vbi etiam manifestè respicitur ad psalmorum titulos, quamuis in hebræo ibi non legatur *lamnaseah*, sed *lenaseah*, minimo discrimine: quia ex Grammatica hebræa constat *lamnaseah* sonare *vincenti*; & *lenaseah*, *ad vincere* (in infinitiuo) siue *ad victoriam*.

Confirmatur eadem explicatio ex versione Aquilæ, Symmachi & Theodotionis, & ex versione Hieronymi; quę omnes ad victoriam referuntur. Nihilque aptius potuit optari, quàm inuenire concordiam inter versionem LXX. quam sequitur Vulgatus, & inter antiquas aliorum versiones. Accedit, quòd euidēs est dictionem hebraicam *lamnaseah* habere formā participij præsentis in datiuo. Nam *lamed*, est articulus datiui, ac participia in coniugatione *piel* incipiunt per ם. Constat autē *nasah* esse idem, quod vincere, non solùm quia id asserunt dictionaria, sed etiam ex ipsa Vulgata lectione in locis suprà adductis, & nonnullis alijs, vt Prou. 21. 28. *Vir obediens loquetur victoriam*. & 1. Par. 29. 11. *Tua est victoria*. & 1. Reg. 15. 29. *Triumphator in Israēl non parcet*. Atque ita negari non potest, quin genuina versio pro *lamnaseah*, sit, *vincenti*, siue *victori*. Cùm igitur eum sensum non solùm recipiat Vulgata lectio, sed etiam suadeat; non erit fas ab eo recedere.

Cur Deus appelletur principium & finis. In nostræ explicationis confirmationem obserua, Deum appellari principium & finem Apoc. 1. 8. atque eodem modo se appellare Christū, c. 22. 13. Et proprius illius locutionis sensus est, Deum siue Christum esse, qui Ecclesiam incepit, quique eam est perfecturus. q. d. Deus hoc ędificium inchoauit, atque ipse ad finem vsque perducet, nec aliquis potens erit ad ipsius operis perfectionem impediendam. Itaque abstractum ponitur pro concreto, τέλος pro τελειώτης, id est, finis seu consummatio pro consummatore, vt notauimus in commentario, Apoc. 1. 8. Habemus igitur, Deum in sacra Scriptura appellari finem propter efficacitatē, qua suum opus perfecit. Quid ergo aliud est esse victorem, nisi potentem esse ad quamlibet superandam difficultatem, vt rem semel inchoatam absoluat? Quare si nomen *finis* eam significationem in vsu sacræ Scripturæ admittit, idem prorsus erit, *in finem*, & *in victorem*, seu *vincentem*. Vidimus autē idem esse *vincenti*, ac *in vincentem*: sicut idem est *Salomoni*, & *in Salomonem*, psal. 71. 1. Et mea quidem sententia, in nomine *finis*, quod Ioānes Christo tribuit, habuit respectum ad titulum psalmorum, qui Dei victoriam celebrant illa phrasi, *In finem*. Et fortè maiorem habet energiam nomen *finis*, quàm nomen *victor*: quia qui semel vincit, meritò appellatur vincens. cùm verò dicitur Deus principium & finis; non solùm significatur Deum vnam aut alteram difficultatem superare, sed omnes etiam quantumuis graues superaturum, & tandem voti compotem euasurum, atque adeò adepturum victoris & operum suorum consummatoris gloriam. Nostra ergo sententia est, LXX. voluisse, vt in titulo non solùm vincentis significatio ineesset, sed etiam analogiæ lux, qua hebraica vox vincentem significat, nempe analogia perficiēdi & consummandi sua consilia, & superandi omnes difficultates. Quod egregiè significat latina vox *in finem* iuxta sacræ Scripturæ phrasim, vt iam vidimus.

Si verò LXX. in psalmorum titulis phrasi illa *In finem* vellent significare idem, quod *in perpetuum*, vel *in æternum*; dicerent græcè absque articulo, εἰς τέλος, quemadmodum sæpe loquuntur in locis ijs, quos superiùs adduximus, in quibus idem est *in finem*, quod *in perpetuum*. Verùm in psalmorum titulis non ita loquuntur, sed appositio articulo, εἰς τὸ τέλος; illum scilicet indicantes, qui per excellentiam hebraica phrasi *finis* appellatur, id est, eum, qui semper voti compos euadit in suo opere perficiendo, & oppositis difficultatum molibus disijciendis.

Præterea, si significatio huius dictionis *In finem*, respiceret psalmi ipsius perfectionem; nullum erat fundamentum, vt hæc inscriptio 56. psalmis præponeretur, ceteris alijs omissis, præterquam quòd hic titulus *In finem*, deest psalmo 18 (qui omnium est mea sententia præstantissimus) & psalmo etiam 71.

Adhæc, si *In finem* tēpus legis gratię designaret; valdè coactum esset, Dauidē, cùm Deum obsecrat, vt se à morbo eripiat, psalmo hunc titulum *In finē* in ea significatione præfixisse. Accedit, quòd ad mysteriorū, quibus psalmi scatent, profunditatē, & ad eorum de Christo significationē, non est minus aptum Victoris nomen. Christus enim est magnus ille Victor: atq; in eodē sensu se ipse appellat principium & finem, in Apoc. 1. Verùm enim verò non opus est, vt in psalmis omnibus illius tituli *In finem* significatio, Christi mysterium respiciat; sufficit, vt ad Deum sicut victorē referatur: atque ad eandem Dei tanquam victoris considerationem fuit habitus respectus in Salomonici templi

com-

Digitized by Google

conſtructione, & eadem eſt ſignificatio palmarum & Cherubinorum in templi parietibus diſpoſitorum, vt dicemus ſuo loco. Quare nullus eſt pſalmus, cui hæc ſit inſcriptio *in finem*, qui non appoſitiſſimè ſupremo victori dictus & conſecratus ſit. Etenim, cùm Dauid ſuppliciter à Deo expoſcit, vt ſe ſiue à Saule, ſiue ab ægritudine, ſiue à peccatorum pondere liberet; aut ei propter aliquam eiuſmodi liberationem, gratias agit, in his omnibus argumentis Deum reſpicit, vt victorem cuiuſcumque difficultatis omnipotentem: atque hoc eſt τὸ τέλος, quod aiunt LXX. hebraica phraſi. Quin imò in græca locutione, τέλος propriè etiam ſignificat magnorum magiſtratuum dignitatem; vt videre eſt in dictionarijs: quod aliquantulum ad phraſim hebraicam accedit.

Quicunque pſalmus titulum habet, In finem, aptè ſupremo Victori Chriſto dicatur.

τέλος quid ſignificet.

Ex ijs, quæ dicta ſunt, aptiſſima redditur ratio, quæ his omnibus pſalmis quadret, quibus inſcriptio eſt, *In finem*, & pluribus etiam pſalmis ſatisfit, qui eiuſmodi titulum non habent; quòd eorum argumento idoneus non ſit. Exempli gratia, primus pſalmus agit de hominis iuſti felicitate: quod argumentum propriè & directè, non Deum reſpicit, vt victorem; & ſimile eſt in multis alijs. Negari tamen non poteſt, nonnullos eſſe pſalmos, quibus titulus *in finem*, ſeu *victori* mirificè congruebat: cùm tamen non habeant. Sed in eis etiam non eſt difficile rationem aptam reddere, cur illis hic titulus deſit. Ac primùm in aliquot pſalmis, qui omni titulo carent, vt pſal. 2. perſpicuum eſt, cùm nullum omnino habeant, non eſſe peculiarem difficultatem cur hic deſit. Quòd verò alijs præponatur titulus, alijs non item; aut occultius habet myſterium, aut nihil aliud eſt, quàm ſi quem olim habuit, interijſſe. Et tam in ijs, quàm alijs pſalmis ideo fortè non inſcribitur, *Victori*, ſiue *in finem*; quòd pſalmus adeò manifeſtò Dei victoriam canit, vt indice titulo opus non ſit. In quibuſdam pſalmis hæc ipſa Dei victoriæ ſignificatio includitur in titulis alijs, qui ipſis peculiari ratione præfiguntur, vt pſal. 28. *In conſummatione tabernaculi*, quia ea conſummatio fuit initium ingentis illius fauoris, quo Deus Dauidem fuit dignatus, pro illo aduerſus vicinas omnes gentes pugnando. Et pſal. 71. *In Salomonem*, quia illius comparatione vtitur ad agendum de Chriſto. Denique quando alicui pſalmo peculiaris titulus congruit: hæc ipſa ſatis conueniens eſt ratio, cur illi communis titulus, *in finem*, non apponatur.

Cur pluribus pſalmis deſit inſcriptio, In finem.

Exciderat pænè LXX. interpretes cum Vulgato conciliare Habac. 3. fin. Nam LXX. non videntur agere de Dei victoria, ſed de Pſalmorum excellentia: legunt enim, *vt vincam in cantico eius.* Reſpondeo, ideo Vulgatum LXX. interpretibus correctionem adhibuiſſe in eo loco. Nam in originali manifeſtè Deo victoria defertur. Atque hoc ipſum ſignificare voluerunt LXX. licet obſcurius explicauerint. Vt igitur cum Vulgato concilientur; videntur illa verba, *vt vincam*, ſiue *triumphem*, de Dei victoria atque triumpho eſſe intelligenda. Etenim qui canit, aut celebrat triumphum, recte dicitur exultare ac triumphare.

Vulgatus cum LXX. conciliatur.

A

Demum auctoritas Vulgati atque Eccleſiæ nos cogit, vt credamus, *Lamnaſeah*, ſiue *in finem* idem eſſe, quod *victori*; agnoſcendo ſcilicet Dei omnipotentiam in quibuſlibet vincendis difficultatibus. Quæ verò expoſitiones ab hac diſcedunt, congruentes eſſe non poſſunt. Atque ex ijs, quæ aliquam probabilitatem habere videbantur, initio relatæ ſunt. Aliam conſultò omiſi, quòd verbo *in finem* aptari non poſſit. Hoc verò dixerim propter nonnullorum expoſitionem; qui *Lamnaſeah* idem eſſe volunt, ac *præfecto muſicæ*. Ridiculè ſanè meo iudicio. Nam in loco Habac. 3. ineptum eſſet opinari, cum contextu cohærere poſſe, ſi legeretur, *Deducet me præfecto muſicæ in pſalmis canentem.* & iam vidimus Habacuci locum legitimo ſenſui vocis *Lamnaſeah*, lucem præferre.

Ad id autem argumentum, in alijs ſcilicet locis *Mnaſehhim* eſſe præfectos, ſeu præpoſitos, vnde id inferebatur, *Mnaſeah* in pſalmis eſſe cantorum præfectum; Reſpondetur, non ſatis eſſe, ſi attendatur quid poſſit ſignificare hoc nomen *Mnaſeah* in re muſica, & in pſalmis: ſed in quo ſenſu accipiendum ſit in titulo, qui myſterij plenus eſſe debet. Atqui ſenſum optimè Habac. expoſuit in fine ſuæ prophetiæ. Licet autem ipſe non exponeret; qui rem attentè perpenderet, videret facilè nomen, quod ſignificat *vincenti*, in pſalmi titulo propriè admodum vſurpari, vt pſalmus ipſe Deo tanquam *victori* canatur: & humile valdè eſſe, nec parum violentum, nomen illud ad muſicæ præfectum referre. Miror eiuſmodi auctores non hoc nomen *Mnaſeah* ad aliquem fabricarum, aut cohortium præfectum referre voluiſſe; qui etiam hebraicè appellantur, *Mnaſehhim*. Quòd ſi attendatur ſolùm quid ſingulæ voces ſeorſum ſumptæ poſſent ſignificare, meræ nugæ ſæpenumero dicentur: nam εἰς τέλος (quod eſt *in finem*) poſſet græcè ſignificare idem, quod *tandem*. Vox etiam *naſah*, ſiue *neſah*, has omnes admittit ſignificationes, *roborare, fortificare, vrgere, inſtare, vincere; victoria, virtus, excellentia, perfectio, finis, præpoſitus, internecio, ſanguis*, &c. Nihilominùs tamen ad pſalmi titulum dubitari non poteſt propriam eſſe ſignificationem, *Vincenti*.

B

C

Si cui fortè occurrat dubitatio, cur in eodem titulo adeò variè ac multipliciter ſumatur præpoſitio, ſiue articulus ל. ita vt ad pſalmi ſcriptorem, ſiue auctorem deſignandum dicatur *Ledauid*; & ad ipſum pſalmum victori dicandum, *Lamnaſeah*. Reſpondeo rationem ac prudentiam tunc docere, quomodo accipienda ſit præpoſitio; quando cum hoc nomine, vel cum illo coniungitur. In pſalmo 71. *Leſalomoh* non ſignificat Salomonem eſſe auctorem; ſed ibi de Salomone agi (ſcilicet myſticè) & *Ledauid* indicat Dauidem eſſe auctorem. Atque in eodem titulo, *Euripidu tragœdia Hecuba*, Genitiuus *Euripidu*, auctorem; *Hecuba* verò denotat argumentum. Hiſpanico idiomate diceremus, *Tragedia de Euripides de Hecuba*, vbi particula *de* in altero nomine ad auctorem, in altero ad hiſtoriam refertur.

Cur in eodem titulo variè ſumatur hebraica eadem præpoſitio.

Digitized by Google

A

CAPITIS I. PARS III.

De prima visione, quæ est veluti prologus totius spectaculi.

TEXTVS.

Vers. 9. EGo Ioannes frater vester, & particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Christo Iesu; fui in insula, quæ appellatur Pathmos, propter verbum Dei, & testimonium Iesu.

10. Fui in spiritu in Dominica die, & audiui post me vocem magnam tanquam tubæ,

B

11. Dicentis, Quod vides, scribe in libro, & mitte septem Ecclesijs, quæ sunt in Asia, Epheso, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiciæ.

12. Et conuersus sum, vt viderem vocem, quæ loquebatur mecum. & conuersus vidi septem candelabra aurea.

13. Et in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis, vestitum podere, & præcinctum ad mamillas zona aurea.

14. Caput autem eius & capilli erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix, & oculi eius tanquam flamma ignis.

15. Et pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti: & vox illius tanquam vox aquarum multarum.

16. Et habebat in dextera sua stellas septem: & de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat: & facies eius sicut sol lucet in virtute sua.

C

17. Et cùm vidissem eum, cecidi ad pedes eius tanquam mortuus. Et posuit dexteram suam super me dicens; Noli timere, ego sum primus & nouissimus;

18. Et viuus, & fui mortuus; & ecce sum viuens in sæcula sæculorum, & habeo claues mortis & inferni.

19. Scribe ergo quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc.

20. Sacramentum septem stellarum, quas vidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea: septem stellę, Angeli sunt septem Ecclesiarum: & candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt.

COM-

Digitized by Google



Digitized by Google

COMMENTARIVS.

VERS. 10. AVDIVI POST ME VOCEM MAGNAM, TANQVAM TVBÆ] Dubitatur Primò, vtrùm vox, quam audiuit Ioannes, fuerit omnino similis sono tubæ. Negabit aliquis; sed ideo dicet appellari tanquam tubæ, quòd grandis vox fuerit. Primò, quia similiter Isaiæ 58. 1. dicitur, *Quasi tuba exalta vocem tuam*. vbi nemo suspicatur sermonem esse de proprio tubæ sono. Vide etiam Oseæ 8. 1. & 1. Machab. 5. 31. Secundò, nam contextus ipse non ait, *audiui vocem tubæ*; sed, *magnam tanquam tubæ*, id est, magnam sicut est magna vox tubæ. Tertiò, quia erat vox articulata, cuiusmodi non est vox tubæ. Quartò, quia eadem vox videtur esse, quæ primò voci tubæ comparatur; & deinde voci aquarum multarum, infrà n. 15.

Vox Ioanni audita num voci tubæ fuerit persimilis, & quomodo?

Assero tamen nihilominus, vocem hanc quam audiuit Ioannes, non solùm cum sono tubæ comparari, quòd magna fuerit; sed etiam, quòd tubæ sono fuerit persimilis; qua ratione vox articulata eum potest imitari. Hoc vt ita intelligam, in primis adducor Ioannis ipsius loquendi ratione: eodem enim modo hîc dicit *tanquam tuba*, & n. 15. *tanquam vox aquarum multarum*. Quare quemadmodum intelligendum erit secundum; sic etiam primum debet intelligi. Nisi enim Ioannes aliquid aliud vellet significare præter vocis contentionem & magnitudinem; non diceret, *tanquam vox aquarum multarum*: cùm ergo dixerit vocem qua Christus eum fuit allocutus, primò fuisse tanquam tubæ, & postea tanquam vocem aquarum multarum; necesse est eum non significare solùm vocem illam fuisse magnam; sed etiam illis duobus sonis fuisse persimilem. Probatur Secundò, quia c. 4 num. 1. rursùs agit Ioannes de hoc eodem tubæ sonitu; dum ait, *vox prima, quam audiui, tanquam tubæ loquentis mecum*. Vbi videtur perspicuè se referre ad hanc tubæ vocem capitis primi. Ideo enim dicit, *Vox prima, quam audiui, tanquam tubæ*: ac proinde certum etiam videtur in hoc capite primo non tantùm innuere voluisse, Christi vocem fuisse ingentem; sed etiam in ea tubæ similitudinem exprimere: siquidem ait, vocem illam quam c. 4 exaudijt, esse vt primam vocem huius capitis 1. Ac distinctè explicat primam hanc vocem esse tanquam tubæ. q. d. vocem illam capitis 4. non assimilari voci aquarum multarum, sed priori voci sono tubæ persimili. Denique considerato vtriusque vocis mysterio, palàm fiet primam vocem fuisse tubæ omnino similem.

Argumentis primò positis fit satis.

Ad argumenta igitur antea posita, Respondetur; ad Primum, in eo Isaiæ loco euidenter patere ex contextu, solùm agi de vocis contentione. Dicitur enim *quasi tuba exalta vocem tuam*. In præsenti verò contextus ipse cogit, vt pari ratione accipiantur *vox tubæ*, & *vox aquarum multarum*. Ad Secundum Respondetur, particulam illam *tanquam*, interdum comparationem importare; interdum verò rei proprietatem aut perfectam repræsentationem; sic enim sæpe ponitur in Apocalypsi. Quod ergo nunc dicitur *tanquam* tubæ, non significat vocem, quæ magnitudine comparetur tubæ; sed vocem magnam, eamque omninò similem voci tubæ, id est, quæ illam valdè repræsentaret. Ad Tertium Respondetur, ideò, vt rem nouam ac miram ponderari vocem illam, & esse tanquam sonum tubæ, & nihilominus esse articulatam. Quod mysterio nõ caret (vt infrà videbimus.) Ad Quartum Respondetur, non esse vnam eandemque vocem, quæ priùs cum tubæ sono, deinde cum sonitu aquarum multarum comparatur: sed Christum primò cum Ioanne fuisse locutum voce tubam referente; & mox voce maris sonitum imitante.

Cui tubæ fuerit similis vox Ioãni audita.

Dubitatur Secundò, cuius tubæ sono intelligenda sit fuisse similis prima vox, quam audiuit Ioãnes. Duplex enim tubę genus reperimus in sacra Scriptura, alterum, quod hebraicè appellatur *Hasosera*; alterum, quod *Sophar*. & quidem pro *hasosera*, semper Vulgatus transtulit *tubam*; & reperitur in triginta ferè sacræ Scripturæ locis. Pro *sophar* verò sæpiùs ponit *buccinam*; nempe quadraginta ferè locis: quamuis in alijs viginti quinque locis reddiderit tubam; sed addita aliquando distinctione; vt videre est ps. 97. 6. vbi legimus, *in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ*: quod est in originali, *in hasoseroth, & voce sophar*. Ex quo loco, & ex multis alijs certum est, *sopharoth* esse tubas bellicas; quas Latini appellant lituos & cornua; *hasoseroth* autem esse alias tubas festiuas, vel ad euocandum populum. Quamuis iubilei promulgatio tubis bellicis fieri soleret, vt constat ex Leuitico, c. 25. 6. quod tamen mysterio nõ vacabat. Quibus positis Respondeo, certum mihi esse, Ioannẽ, cùm de hac prima voce *tanquam tubæ* loquitur, agere de tuba bellica; cuius strepitus raucus est & horribilis; vt constat, nõ solùm ex Scriptura, sed etiam ex libris humaniorum literarum. Vide Tiraquellum in commentario ad Alexand. ab Alexandro, l. 4. cap. 2. vbi adducit multa ex Virgilio, Horatio, Cæsare, Liuio, Vegetio. Hoc idem mihi persuadeo; quia Ioannes hanc vocem tubæ similem componit cum altera sonitum aquarum multarum referente; quæ etiam in sacra Scriptura bellicum indicat tumultum, (vt mox videbimus.) Id quod multò clariùs constabit ex vtriusque vocis mysterio paulò pòst explicando.

Duplex in sacris Literis tubæ genus vsitatũ.

Quis sonitus Ioanni sit auditus similis aquarum multarum.

Dubitatur Tertiò, qũis sonitus sit, qui appellatur aquarum multarum, infrà n. 15. cùm dicitur, *vox illius tanquam vox aquarum multarum*. Vt enim vocis, quæ tubæ sonitum refert, mysterium rectè intelligatur; necessarium est, duas hasce voces, quibus Christus cum Ioanne fuit collocutus, inter se conferre. Atque ideo oportet, priusquàm longiùs progrediamur, explicare quis sonitus sit, qui postea appellatur vox aquarum multarum.

Alluſio Ioãnis ad Ezechielem.

Ad hoc obseruandum est Primò, hîc manifestam allusionem contineri ad visionem, quam refert Ezechiel cap. 43. initio, vbi ait: *Ecce gloria Dei Israël ingrediebatur per viam Orientalem: & vox erat ei, quasi vox aquarum multarum: & terra splendebat à maiestate eius*. Hîc autem ait Ioannes, *Vox illius tanquam vox aquarum multarum*. Et versu sequenti, *Facies eius sicut sol lucet in virtute sua*.

Vt

A Vt ergo mysticum huius comparationis sensum percipere possimus ; oportet priùs intelligere rem ipsam , vnde sumitur comparatio. Sonitum quidem aquarum multarum non omnes eodem modo accipiunt.Nam fluminum strepitus, præsertim vbi ingens aquarum vis ex edito loco præcipitat,sonitus etiam pluuiæ magnæ,& similiter sonitus maris; hæ omnes sunt voces aquarum multarum.Quin & tonitrua,quæ ingruenti aliqua tempestate perstrepunt, videbuntur alicui voces aquarum multarũ dici posse,ex psal.28.3.*Vox Domini super aquas,Deus maiestatis intonuit.*& facit illud Ezechielis 1.n.24.*Audiebam sonum alarum quasi sonum aquarum multarum,quasi sonum sublimis Dei,quasi sonus erat multitudinis.* & psal.76.18. *Multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes.*& Apoc.14.2.& c.19.6.coniungitur vox aquarum multarum cum voce tonitrui. De sonitu certè magnæ pluuiæ, videtur loqui Isaias 28.2. *Sicut impetus grandinis,turbo confringens , sicut impetus aquarum multarum inundantium super terram.*De fluminum autem murmure & strepitu,psal.92.4.*Eleuauerunt flumina fluctus suos à vocibus aquarum multarum.* Et fortasse Ieremias cap.51.num.55.vbi de Babylonijs, *Sonabunt fluctus eorum,sicut aquæ multæ.*

Sonitum aquarũ multarum multipliciter accipi posse.

Certum tamen est, vocem aquarum multarum debere hîc intelligi de voce , seu stridore maris. Id enim expressiùs habemus ex sacra Scriptura , maris scilicet vocem appellari vocem aquarum multarum,vt patet Isaiæ 17.12. *Væ multitudini populorum, vt multitudo maris sonantis, & tumultus turbarum,sicut sonitus aquarum multarum. Sonabunt populi, quasi sonitus aquarum inundantium.* Et Ieremiæ 50. B 42.*Ecce populus venit ab Aquilone,& gens magna & reges multi:vox eorum quasi mare sonabit.* Præterea in sacra Scriptura , aquæ multæ & mare videntur esse synonyma.Genes.1.10. *Congregationes aquarum appellauit,maria.* מים enim sunt aquæ, ימים verò maria.Quòd autem alicubi coniungantur voces aquarum multarum & voces tonitruorum, non probat vocem aquarum multarum accipi debere de tonitruis:id enim violentum est; & quamuis coniungantur, ad res diuersas referuntur, vt Apoc.14.2. *Audiui vocem de cælo tanquam vocem tonitrui magni,& tanquam vocem citharœdorum:* ex quo loco non debet inferri,tonitrui magni, & vocem citharœdorum esse vnam & eandem in illa visione. Illud autem psal.28.3. *Vox Domini super aquas multas,* aliam habet loquendi formulam , atque alium sensum, de quo suo loco dicemus.

Vox aquarũ multarum quomodo hîc accipienda.

Aquas multas & mare sæpe in sacris synonyma.

Denique mihi videtur certum in præsenti, per vocem aquarum multarum designari vocem maris;quia id ad sensum præcipuum est multò aptius, vt infrà constabit. Et confirmatur; quia Ioannes erat in insula Pathmo,vbi semper audiebat maris sonitum ; vnde verisimile est desumpsisse comparationem.Cùm enim strepitum illum maris assiduè auribus acciperet(quem sacra Scriptura vocem aquarum multarum appellat)dubitari non potest,inde comparationem fuisse petitam.

Quibus ita constitutis huius visionis declaratio maiori ex parte pendet ex idonea ratione red- C denda de re adeò noua atque mira, quòd scilicet priùs Christus Ioannem alloquereturvoce simili sonitus tubæ;deinde voce aquarum multarum seu maris.

Ad hoc obseruandum Primò est,ex sacræ Scripturæ vsu vtrumque esse sonitum belli. Ac primò frequentissimus vsus tubæ *sophar* erat in bello ; & in hoc sensu ponitur in Scripturæ quinquaginta locis(de quo infrà notat.9.)Olim enim tubæ eiusdem erant vsus in bellis,ac nostra tempestate sunt tympana.Quare tubæ sonitus pro ipso bello sæpissimè ponitur,vt Ieremiæ 42.14.*Non videbimus bellum,& clangorem tubæ non audiemus.* Deinde,sonitum maris siue sonitum aquarum multarum ad bellum referri euidentissimum est,Isaiæ 17.12.& Ieremiæ 50.42.Atque ipse huius capitis contextus efficaciter persuadet vtrumque esse sonitum belli:alioqui enim non posset reddi apta ratio,curà sono tubæ transeatur ad sonitum maris.Si tamen vterque tanquam sonitus belli accipiatur;miram habet congruentiam & aptissimam explicationem.

Tubæ olim eiusdem fuisse vsus in bellis, atque hodie tympana.

Secundò obseruandum est, licet vterque sonitus bellum repræsentet ; hoc tamen inter illos interesse, quòd sonitus tubæ indicat bellum, quod ab vno populo fit: sonitus verò aquarum multarum bellum,quod multi simul populi ac nationes inferunt. Non dubitabit de hoc,qui rationẽ perpenderit,& verba Scripturæ. Primùm enim tubæ sonitus,etsi vehemens sit, & classico canendo aptus; cùm tamen non sit ita magnus , ad vnicum tantùm populum extendi posse videtur. Quare D clangor tubæ non est aptus ad bellum significandum,quod multæ simul nationes inferunt. Atq; ita clangor tubę ad vnius populi bellum manifestè refertur,Oseæ 5.8.*Clangite tuba in Rama.*& Amos 2.2. *In sonitu Moab,in clangore tubæ.*& cap.3.6. *Si clanget tuba in ciuitate,& populus non expauescet.* Verùm maris sonitus significantissimè exprimit multorum populorum siue nationum tumultum ad bellum vnà coniurantium. Nam *aquæ multæ sunt populi multi. Sedet enim Babylon super aquas multas,* Apoc.17.2. & ait Angelus num.15.*Aquæ,quas vidisti,populi sunt, & gentes, & linguæ.* Scilicet propter confusionem linguarum, dissonum murmur, & imitationem confusionis maris & fluctuum. Et Isaiæ 17.12.& Ieremiæ 50.42.(quæ suprà adduximus)manifestè sermo est de multorum populorum bello.

Inter tubæ & aquarũ multarũ sonitus ad belli significationem quid interfit.

Tuba clãgorẽ ad vnius populi bellũ aptè referri: aquarũ verò multarũ sonum ad multarum nationum bellum.

Obseruandum est Tertiò(id quod latè in prolegomenis disputauimus,præsertim notatione 12.) Apocalypseos argumentum ad duo potissimùm capita reuocari,nempe ad bellum Synagogæ,& ad bellum gentilitatis , vtrumque aduersus Ecclesiam gestum : & simul ad Ecclesiæ victoriam ex vtrisque reportatam.Quæ cùm ita sint,facilè quisque animaduertet,Synagogæ bellum,id est, vnius Iudæorum populi,congruentissimè tubæ sono significari;Gentium autem bellum (id est,vniuersi Imperij Romani,atque adeò totius orbis)sonitu aquarum multarum.

Apocalypseos argumentum duo bella complecti.

Synagoga bellum, sono tubæ;bellũ gentilitatis voce aquarum multarum aptè exprimi.

Quartò,obseruo in hac prima visione,quæ (vt deinceps videbimus) veluti prologum Apocalypseos agit, totum ipsius argumentum includi debere. Atque ad indicandam horum bellorum distinctionem,omnino nescio quid aptius potuerit excogitari,quàm duo illi sonitus & tubæ,& aquarum multarum.

Digitized by Google

Sed dices, hanc non esse aptam duplicis illius sonitus significationem. Textus enim ipse ostendit eandem Christi vocem fuisse, quæ priùs tubæ sonitus similitudinem, deinde multarum aquarum retulit; atqui violentum valdè est, Christi vocis sonum ad Synagogæ & gentilitatis bella figuranda detorquere. Nam huiusmodi bella non inferebat Christus, sed ipsi potiùs inferebantur. Huius obiectionis dilutio elucidabit primæ huius visionis elegantiam; in qua totius libri argumentum compendiaria summa continetur. Oportet igitur animaduertere, duo illa bella aduersus Christi Ecclesiam ab eius hostibus geri: ijsdem tamen bellis Ecclesiam ipsam à Christo fuisse edoctam, (ac præsertim Apostolicos viros) euangelicæ doctrinæ medullam atque substantiam, quæ in his Apocalypseos ænigmatis includitur. Quare elegantissimum fuit, Christi vocem sono tubæ priùs, deinde sonitus maris similem figurari. Quod perinde est, ac dicere, per ea ipsa bella Ioannem & Ecclesiam à Christo didicisse doctrinam ferè omnem, quæ hoc libro comprehenditur. Per illa scilicet bella, doctrina & spiritus Christi erudiebat fideles; & agnoscendam proponebat diuinæ prouidentiæ sublimitatem, & Christianæ vocationis excellentiam; & vera ac solida bona, quæ nobis attulit Christus multò præstantiora & excellentiora ijs, quæ sibi ex venturo Messia carnales Iudæi exspectabant. Siquidem Ecclesiæ felicitas non solùm diminutionem, sed magnum potiùs incrementum, Synagogæ & gentilitatis bellis experta est. His item bellis Christus Ecclesiam docuit curam, quam de illa gerit: quandoquidem eorum bellorum exitus fuit mystica decimæ partis Hierosolymæ ruina; & mysticum pariter Romæ, atque ipsius Imperij incendium; ac demum vniuersalis Ecclesiæ pax.

Cur Christi vox primò voci tubæ, deinde sono aquarum multarum similis figuretur.

Cur vox Christi, licet similis tubæ & aquarũ multarum voci, articulata tamẽ sit.

Hinc colligitur Primò, quàm concinnè & eleganter excogitatum fuerit, vt voces tubæ ac sonitus maris, quæ ex se confusa sunt ac dissona in Christi ore, id est, per spiritum oris Christi, euaserint voces articulatæ atque distinctæ; quibus familiares suos cælestem doctrinam distinctè docet. Inter tibicines siue cornicines summa artis peritia est, si quis tubam corneam ita apprime inflet, vt humanam penè vocem imitetur. Hæc igitur mira sapientia atque peritia in Christo Domino perfectissimè reperitur, qui raucum militiæ atque persecutionis sonitum & horribile pelagi murmur, ori suo admouens, id est doctrinæ suæ applicans & diuino spiritu animans; vt præpotens vtriusque instrumenti dominus, ea non cogit solùm humanas imitari voces, sed etiam cælestem ac diuinam sapientiam distinctè modulari.

Secundò, ex dictis infertur, quàm sit mira proportio huius primi introitus & quasi vestibuli Apocalypseos, cum totius sacri spectaculi, mox dandi, imagine atq; pictura. Quemadmodum enim hic tubæ sonitus à sonitu maris distinguitur; & primus Synagogę bellum, alter bellum gentilismi figurat: ita etiam post c. 4. vbi prima prioris belli tractatio inchoatur, rursus primæ tubæ sonus auditur; & in altera parte, quę sumit exordium à cap. 12. & ad c. 19. protenditur, non semel fit aquarum multarum mentio; & exponitur, per aquas multas, multos populos, gentes ac linguas significari. Quinimò in capite ipso 12. vbi dicitur Draco ingens flumen ex ore euomuisse, in flumine illo forsitan, prima Romani imperij persecutio, quam Nero excitauit, indicatur; quæ multarum etiam aquarum fuit. Nec nouum est sacram Scripturam, aquarum multarum sonum interdum in flumine, interdum in mari repræsentare; cùm in ipsius Scripturæ locutione, maris nomen ad magna etiam flumina applicetur, & fluminum appellatione mare significari soleat: vt psal. 92. 4. *Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina vocem suam: eleuauerunt flumina fluctus suos à vocibus aquarum multarum; mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.* vbi ad literam agitur de persecutione à gentilitate in Christi Euangelium concitanda. Et dicuntur aquæ multæ fluctus suos ad cælum vsque sublaturæ, id est, horribilem tempestatem commoturæ in Ecclesiam. Ceterùm quantumuis crispantes fluctus cælum ferire videantur; non solùm Ecclesiæ nauis non est illis absorbenda, sed ipsa potiùs persecutione & fluctuum sæuientium impetu gloriosè exaltanda, & ad felicitatis portum conuehenda. Licet enim mirus sit tempestatis & persecutionis furor; multò tamen in suis consilijs admirabilior est Deus: atque hoc est, *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.* Adhæc non vacat mysterio, quòd prima Neronis persecutio flumini ingenti assimiletur; & postea in Romani Imperij persecutionibus, fluminis nomen in nomen maris & aquarum multarum immutetur; vt suo loco expendemus.

In Scriptura sonum aquarum multarum interdum in flumine, interdum in mari significari.

Qua sint mirabiles elationes maris.

Præterea, quemadmodum initio per tubæ sonitum, Synagogæ bellum; & per sonitum aquarum multarum, bellum gentilismi innuitur: sic etiam postea in plagis, quas Deus & in Synagogam & in gentilitatem immisit, admirabilis proportio reperitur. Primæ enim Iudæorum plagæ per tubas significantur: secundæ verò (id est Gentilium) per phialas. Ita fit, vt Iudæorum tubæ, id est, bello, septem item tubæ ipsos debellaturæ respondeant; & contra multas maris aquas, septem phialarum effusione pugnetur. Atque ipse textus exprimit, phialarum aquam potentem esse ad fluminis Euphratis (quod Babylonem alluit) aquas absorbendas & exsiccandas. Ac pulcher sanè est tubarum ad tubam, & phialarum ad aquas respectus; vt eodem armorum genere vtrimque bellum geratur. Præterquam quòd hac ratione ostenditur diuina prouidentia bellum mundi, despectui atque ludibrio habere: iuxta id psal. 2. nu. 4. *Qui habitat in cælis irridebit eos, & subsannabit.* Nam contra Iudaici belli tubam non alia immittit arma, quàm septem tubas, vt olim contra Iericho: & contra aquarum multarum impetum satis est cælum septem aquæ phialas effundat, quasi aquæ tantùm guttis contra maris furorem pugnetur.

Iudæorum plagis, tubas; plagis Gentium, phialas aptè respondere.

Bellicis tubis annum olim iubilei promulgari solitũ apud Hebræos, & huius rei mysterium.

Sed illud etiam peculiari consideratione dignum est; quòd bellicis tubis, iubilei siue redemptionis annus promulgabatur. In quo veluti in figura primitiui Christiani admonebantur, ne animum demitterent, cùm aduersus Ecclesiam Iudæos furere ac sæuire cernerent; sed potiùs intelligerent bellicam illam tubam illorum respectu nihil esse aliud, quàm iubilei siue redemptionis promulgatio-

Digitized by Google

A gationem; iuxta illud Christi, Lucæ 21.28. *His autem fieri incipientibus, respicite & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Et sanè Deus Iudæorum bello (aduersus primos illos Christianos excitato) vsus fuit; vt re ipsa fideles magnum illum iubileum consequerentur, id est, egregium redemptionis fructum; atque eam libertatem, quæ in pacis mundanæ, diuitiarum, ac vitę despicientia consistit. Quam nobis felicitatem veram ac solidam Christus sui sanguinis effusione comparauit.

NOTATIO IX.

De tubæ symbolo ad illa verba Apoc. 1.10. Audiui post me vocem magnam, tamquam tubæ.

Tuba quibus nominibus in Scriptura vocetur, & quibus locis.

IN quibus locis Vulgatus vtitur nomine tubæ, non semper est idem nomen hebraicè: sæpe enim hebræa vox est, חצוצרה *haſoſera*, nempe in triginta ferè locis, id est, Numerorum 10. num. 2. 8. 9. & 10. & cap. 31. 6. & 4. Reg. 11. 14. & cap. 12. 13. & 1. Paral. 13. 8. & cap. 15. 24. & 28 & cap. 16. 6. & 24 & 2. Paral. 5. 12. & 13. & cap. 7. 6. & cap. 13. 12. & 14. & cap. 20. 28. cap. 23. 13. cap. 29. 26. 27. 28. & 1. Esdræ 3. 10. & 2. Esdræ 12. 34. & Psalm. 97. 6. Oseæ 5. 8.

שפר

Sæpe etiam tubæ respondet in hebræo, *ſophar*, nempe in 25. locis. Vt Iosue 6. 5. & num. 20. Iudicum 7. 8. 16. 18. 20. & 2. Reg. 20. 22. 3. Reg. 1. 41. & 4 Reg. 9. 13. & 2. Esdræ 4. 20. Iob 39. 27. Psalm. 46. 6. Psalm. 80. 40. Psalm. 97. 6. Psalm. 150. 3. Isaiæ 18. 3. & cap. 27. 13. cap. 58. 1. Ieremiæ 6. 17. cap. 42. 14. Oseæ 5. 8. cap. 8. 1. Ioëlis 2. 1. 15. Amos 2. 2 cap. 3. 6. Sophon. 1. 16. Zachariæ 9. 14.

Bis quoque in hebræo pro tuba legitur *carna*, scilicet Danielis 3. num. 5. & 15. vbi fortè idem, quod cornu. Præterea semel in hebręo legitur *thacoagh*, scilicet Ezech. 7. 14. Semel item inuenitur *hasbighi*, quod sonat iubilationem aut vociferationem, Leuit. 23. 24. vbi de festo tubarum. Aliquando solùm legitur *therughah*, quod vociferationem sonat, aut ouationem, vt Num. 29. 1.

Vbi verò Vulgatus posuit *buccinam*, est ferè semper in hebræo *ſophar*, nempe penè quadragies; his scilicet locis, Exodi 19. 16. & 18. & cap. 20. 18. Leuit. 25. 9. Iosue 6. 4. 6 8. 9. 13. cap. 6. 16. Iudicum 3. 27. & cap. 6. 34. cap. 7. 19. 22. & 1. Reg. 13. 3. & 2 Reg. 2. 28. & cap. 6. 15. & cap. 15. 10. cap. 18. 16 cap. 20. 1. & 3. Reg. 1. 34. & 39. & 1. Paral. 15. 28. & 2. Paral. 15. 14. & 2. Esdræ 4. 18. Iob 39. 28. Ieremiæ 4. 19. 21. cap. 6. 1. cap. 51. 27. Ezechielis 33. 3. 4. 5. 6. Oseæ 5. 8. Psalm. 80. 4. Sed Exodi 19. 13. vbi Vulgatus posuit buccinam hebraicè legitur יובל quod Arias vertit, *arietis cornu*, & sermo est de tuba seu buccina, quæ in monte Sina exaudiebatur; quam constat esse eandem, quæ infrà in eodem num. 16. & 18. appellatur *ſophar*. Atque hinc colligitur harum buccinarum seu tubarum sonitum horribilem potiùs fuisse, quam festiuum. In alijs tamen locis vtrumque nomen coniungitur *ſopharot iobelim*, vt Iosue 6. 4. & cap. 6. 6. vbi Vulgatus transtulit, *iubileorum buccinas*. Arias tamen vertit, *tubas arietum*, vel *arietinas*.

Quòd autem *haſoſera*, & *ſophar* fuerint instrumenta diuersa; ex eo certò conijcitur, quòd nunquam pro *haſoſera* redditur latinè buccina, quod nomen frequenter ponitur pro *ſophar*. Præterea aliquando sacra Scriptura vtrumque instrumentum coniungit, vt 1. Paral. 15. 28. & 2 Paral. 15. 14. & Oseæ 5 8. & psalm. 97. 6. ex quo patet, ea esse diuersa, atque id ex sequentibus amplius confirmabitur.

Descriptio tubæ haſoſera ex Ioſepho.

Haſoſera tubam describit Iosephus 3. Antiquit. cap. 15. his verbis: *Canna erat tibia paulò crassior, longitudine paulò minùs cubitali, cuius os tantum patebat, quantum ad inflandum sufficeret, desinebatq; in extremitatem campanulæ similem, quemadmodum tuba.* Duæ, quas describit Iosephus, erant argenteæ; non tamen dubium, quin multæ aliæ fuerint æreæ. Et tam argenteæ, quàm æreæ appellantur tubæ ductiles: sic enim B appellat eas Vulgatus psalm. 97. 6. Arias ibi vertit tubam classicam, fortasse quia Iosephus vbi suprà, videtur dicere eam classico sono vicinam esse: sic enim vertit Ruffinus. Verùm id, neque est in græco, nec in versione Gelenij: atque, vt infra videbimus, nomen tubæ bellicæ melius conuenit illi, quæ appellatur *ſophar*. Duæ illæ argenteæ, quas Moyses fieri iussit, Num. 10. 2. (vt eo loci constat) factæ sunt ad signum mouendi castra, ad conuocandum vel populum vel principes, ad celebranda festa publica, epulas, holocausta, atque pacifica, & ad inuocandum Dei fauorem, cùm populus exibat ad bellum: & in ipso etiam bello inuenimus *haſoſeroth* aliquando, vt Num. 31. 6. Oseæ 5. 8. & 2. Paral. 13. 12. 14. At ex ceteris locis constat, eiusmodi tubas ceteris vsibus suprà dictis potissimùm deseruisse. Quòd autem earum sonus non esset horrificus constat, quia in pluribus locis adhibentur in Dei laudibus, in pompis solemnibus, & in regum coronatione: vt 4 Reg. 11. 14. & 1 Paralip. 13. 8. cap. 15. 24. cap. 16. 42. & 2. Paral. 20. 28. cap. 23. 13. cap. 29. num. 26. 27. 28. & 1. Esdræ 3. 10. & 2. Esdræ 12. 34. Psalm. 97. 6. Et quia C ad celebranda festa publica factæ sunt, vt constat ex loco illo Num. 10. suprà citato. Quòd tamen etiam in bello interdum deseruiant, ideò fit, quia in bello etiam opus est sono festiuo, & alacri; vel ad Dei fauorem inuocandum, vt suprà.

Tuba ſophar olim cuiuſmodi fuerit.

Tubam, quæ appellatur *ſophar*, asserunt dictionaria fuisse corneam. Quod probatur Primò; quia Vulgatus pro *ſophar* posuit *tubam corneam*, psalm. 97. 6. & similiter ibi LXX. & omnes Græci interpretes. Atque Arias Montanus ibi transfert *cornu*. Adde huc necesse esse, vt eadem sit tuba, quæ appellatur *ſophar*, & *iobel*. Nam Exodi 19. vbi de eadem tuba sermo est, quæ in monte Sina personabat; priùs vocatur *iobel*, num. 13. & postea *ſophar*, num. 16. & 18. & cap. 20. 18. Et Iosue 6. num. 4. & 6. legimus *ſopharoth iobelim*, & Arias Montanus semper explicat cornua arietis, vel tubas arietum, vel arietinas. Masius autem Iosue 6. ait satis apparere ex sacris verbis eas buccinas D fuisse cornua, negat tamen fuisse arietina. Quia cornua arietum sunt solida: & oportet buccinam esse cauam, vt inflari possit. Quare de forma seu figura cornu arietis videtur loqui Arias: sed neque est id certum, vt mox videbimus.

Assero igitur in primis in significatione *iobel* non videri verisimilem Ariæ Montani & Rabbinorum opinionem, asserentium propriè significari idem, quod buccinam arietinam. Ratio illorum est, quia Arabicè aries appellatur *iobel*. Sed contra hanc opinionem facit Primò, quod suprà notauimus ex Masio. Deinde quia manifestè Arias discedit à Vulgato Iosue 6. 4. vbi legimus, *Sacerdotes tollent septem buccinas, quarum vsus est in iubileo.* ergo *ſopharoth iobelim* iuxta Vulgatum, non sunt idem, quod buccinæ arietinæ, vt putauit Arias; sed tubæ ex ijs, quæ anno iubilei inflandæ erant; iuxta præceptum quod habetur Leuit. 25. 9. nimirum, vt promulgaretur annus iubilei *buccina ſophar*, id est, *buccinis ſopharoth*, posito singulari pro plurali Nec iubet lex, vt promulgetur iubileus buccinis arietinis;

Digitized by Google

Annus iubileus vnde dictus.

sed solùm præcipit, vt buccinis *sophar* publicetur. Ac propterea annus remissionis appellatus est iubileus. Quia eiusmodi clangoribus longè lateque perstrepentibus indici debebat: vt benè conijcit Masius Iosue 6.4.

Sed obijcies in significatione vocis hebraicæ, multò magis Iosepho, quàm Masio esse credendum; & Iosephum quidem lib. 3. Antiquit. cap. 14. asserere annum remissionis appellari iubileum; & *iobel* Hebræis significare libertatem. Respondetur, euidens esse ex sacra Scriptura *iobel* significare buccinam; vt patet Exodi 19. 13. quod est, ante iubilei præceptum. Quare, quod Iosephus ait, non debet esse primaria significatio, sed secundaria. Nam quia *iobel* significat buccinam, inde etiam annus libertatis dictus est *iobel*, eò quòd buccinarum sono indicebatur: & consequenter nomen *iobel* ad libertatem significandam traductum est. Etymologiam huius vocis fundat Masius in primo musices inuentore, qui appellabatur Iubal, Genes. 4.21. *Pater canentium cithara & organo.*

Iobel quid in Sacris significet.

Iobel, id est, buccina, etymon, ex Masio.

Secundò assero, certum videri tubam seu buccinam *sophar* appellandam esse corneam. Nam vt supra vidimus, ab omnibus sacræ Scripturæ interpretibus cornea appellatur. Non tamen satis constat, an appelletur cornea propter materiã, vel solùm propter formam. Fortè in hoc nomine accidit, quod in vulgari *cornèta*, quæ à forma sic appellatur; vel fortasse à prima materia eiusmodi instrumenti. Præterea instrumentum musicum, quod à Latinis appellatur cornu, à nemine putatur fuisse cornu naturale; nisi fortasse in rudioribus sæculis. Ergo similiter existimandum est de buccina *sophar*. Alioqui enim non satis aptè appellaretur tuba & buccina. Constat namque hæc esse apud Latinos instrumenta musica: nempe cornua, lituos, tubas, & buccinas: & fortasse *hasosera* in eo differt à *sophar*, quòd hæc sit incurua, non verò illa. Atque ita *sophar* complectitur lituos & cornua: vel si ex materia sumendum est discrimen; omnes tubæ ex ære vel argento dicentur *hasoseroth*: eis enim conuenit nomen tubæ ductilis, quo Vulgatus & omnes Græci interpretes vocem hebraicam *hasosera* exponunt. Et *sophar* comprehendet omnes tubas ex cornea vel lignea vel ossea materia; quæ omnes appellari possunt cornua à prima materia.

Tuba sophar vsus in bello frequens.

Tertiò assero, frequentissimum vsum tubæ *sophar*, in sacra Scriptura esse in bello: sic enim ponitur in Scriptura quinquaginta ferè locis. Et facit, quòd similiter apud Latinos ea instrumẽta, quę litui & cornua appellantur, ferè non vsurpantur nisi in bellis. & litui quidem edebant stridorem & sonum acutum; cornua verò raucum, vt ex latinitatis auctoribus satis constat. Accedit, quòd *hasosera* vix est vlla mentio in bello, nisi fortè ad victoriæ sonum edendum: quia Numer. 31. 6. vbi fit mentio *hasoseroth* in bello, additur epithetum *therughah*, quod ouationem reddit Arias: & similiter 2. Paral. 13. 12.

Sonum tubæ sophar fuisse terrificum.

Quartò, vbi aduertatur, frequentem vsum tubæ *sophar* esse in bellis; facile est intelligere, eius sonum fuisse terrificum. Quare aptissimus fuit ad legem in monte Sina promulgandam, Exodi 19. & 20.

Quintò, licèt asper esset sonus & raucus; potuit tamen in celebritatibus & acclamationibus habere locum, vt grauioris soni instrumenta in musica, quę acutos & excitatos aliorum instrumentorum sonos comitentur. Quamobrem in vndecim sacræ Scripturæ locis reperimus *sopharoth* in diebus festis, in pompis & diuinis laudibus: sed in horum locorum nonnullis coniunguntur *sopharoth* cum *hasoseroth*: vt psalm. 79. 6. & 1. Paral. 15. 28. & 2. Paralip. 15. 14. Aduerte tamen aliquando, peculiaris elegantiæ esse, lætum ac festiuum instrumentum cum terrifico copulare: vt in solemni iuramento, 2. Paral. 15. 14. Ad illud enim etiam spectabat caput diris & imprecationibus deuouere, nisi iureiurando starent.

Illud magis videtur mirum, quòd iubilei annus promulgaretur tubis *sopharoth*, Leuit. 25. 6. sed de huius rei mysterio nonnihil in commentario diximus.

Symbolica significatio tubæ Ioanni audita.

His obseruatis, veniamus ad significationem symbolicam eius tubæ, quam Ioannes se audisse ait, Apoc. cap. 1. Censebit aliquis nostram expositionem non esse satis aptam: quia plurimæ aliæ allusiones & significationes occurrunt, quæ aptiores fortasse multis videbuntur. Primò, existimari potest in Apocalypseos tuba alludi ad tubam illam, quæ exaudita est in monte Sinai, Exodi 19. & 20 cuius fortasse significatio erat, legem esse spiritualem (vt ait Paulus ad Rom. 7. 14.) Facit, quòd tuba vehementi spiritu inflatur. Qua ratione tuba Christi ad spiritum Christi referri posset. Vel si Christus in præsenti, vt perfectus legislator depingitur (quod nonnulli suspicati sunt) bene habet, vt tuba Christi comitetur ipsius legem. Aut fortasse vox tubæ inuitat Ioannem ad scribendum (ait enim tuba, *Quod vides, scribe in libro*) vt ea ratione Spiritus sancti inspiratio significetur. Nam *Spiritu sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines*, 2. Petr. 1. 21. & congruit, quòd Ioãnes à tergo eam vocem audierit. Quia Spiritus sanctus dum non videtur ab hominibus, & se monitorem ac magistrum exhibet; efficit, vt aures nostræ *audiant verba post tergum monentis*: vt habetur Isaiæ 30. 21. Sed conuersus est Ioannes, & vidit sacram repræsentationem, quia voluit Christus Ioannem non solùm audire verba post tergum monentis, sed etiam totius prophetiæ spectatorem esse, & spectaculi ipsius contemplatorem.

Secundò, dici posset per tubam in Apocalypsi, Euangelij promulgationem indicari: (per allusionem ad tubas, quibus iubilei annus promulgabatur) atque adeò Euangelij ministros, esse quasi tubicines, seu cornicines, qui cælestes tubas inflent: ipsam porrò tubam esse Christi Euangelium, quod humano generi redemptionem promulget; nuntium sanè toti terrarum orbi felicissimum. Atque ita festiuo tubæ sonitu ritè significatur. Fieri autem debet Euangelij promulgatio ingenti vi atque spiritu, optimis etiam exemplis atque operibus, doctrinæ prædicationem adiuuantibus. Quod etiam innuitur in modo ac ratione, qua tubæ applicatis ad foramina manibus ac digitis, & vocis simul spiritu connitente modulatos emittunt sonos.

Sacerdotes per tubicines figurati.

Quod verò hoc tubicinum munus sit propriè sacerdotum, figuratur in eo, quod apud Hebræos in vsu erat; scilicet tubas sacras à sacerdotibus inflari, & tubicinum officium non esse aliorum, quàm sacerdotum. Vide 1. Paral. 16. 6. & nu. 42. & 4. Reg. 12. 13. & 1. Machab. 16. 8. *Exclamauerunt sacris tubis.* & Numer. 10. 8. & 2. Paral. 7. 6. & cap. 13. 12. 14. & cap. 29. 26.

Tertiò expendendum occurrit, an aliqua hîc lateat allusio ad festum tubarum, de quo Leuit. 23. 24. & Numer. 29. 1. incidebat autem festum illud in Kalendas Septembris, vnde etiam incipiebant annum Iudæi, vt noui anni mystici nos admoneat Christi tuba.

Quartò, qui Apocalypsin opinantur ad nouissima tempora præcipuè pertinere; existimabant in Apocalypseos tuba fieri allusionem ad tubam illam Christi, de qua Matthæi 24. 31. & 1. ad Corin. 15. 52. & 1. ad Thess. 4. 16. Huc spectat opinio Cypriani Monachi, qui existimat vocem, de qua hîc agimus, ad graues comminationes spectare.

Quintò, si vox tubæ referatur (vt sæpè aliàs in sacra Scriptura) ad conuocandam multitudinem; fortasse non erit abs re, si intelligamus, in præsenti per vocem tubæ conuocari populum Christianum ad contemplationem mysteriorum Apocalypseos: vel etiam ad cultum diuinum, vt Isaiæ 27. 13.

Sextò, putabit aliquis vocem tubæ in præsenti spectare ad celebrandam Ecclesiæ Christianæ fundationem; & ad offerendum sacrificium laudis; vel ad Christi coronationem. Quia sæpe vox tubæ edicit lætitiam ac celebritatem, & Dei laudem. Vide 1 Esdræ 3 num. 10. vbi tubæ sonitus auditur in templi fundatione, & 3 Reg. 1. 41. in coronatione Salomonis, & 4. Reg. 9. 13. in coronatione Iehu, & 4. Regum 11. 14. & 2. Paral. 23. 13 in coronatione Ioas regis, & 2. Paral 7. 6. in dedicatione templi, & 2. Paral. 29. num. 2. 6 in sacrificio solemni: & Eccli. 50. 18. in libatione, & Psalm. 97. 6. & 150. 3. in diuinis laudibus. Huc spectant pompæ festiuæ, in quibus sonus tubæ resonabat; vt videre

Digitized by Google

videre est 2. Regum 6.15 & cap. 18.16. & 1. Paral 13.8 & in ipsa etiam Apocalypsi festiuus est tubæ sonitus cap. 18.22.

Septimò, cùm in Apocalypsi sermo sit de victorijs Ecclesiæ, & de diuinæ prouidentiæ triumphis; ad hæc etiam referri potest tubæ sonitus, iuxta illud psalm. 46.6. *Ascendit Deus in tubilo, & Dominus in voce tubæ.* vide etiam 2. Paral. 20.28. Accedit, quòd in solemni pompa ac celebritate, qua Dei arca ad modum triumphi referebatur, centum ac viginti sacerdotes tubis canentes incedebant, 2. Paral 20.28. & ad lætissimæ victoriæ nuntium promulgandum deseruit tuba, 1. Reg 13.3.

Octauò, si adeò placet, vt clangor tubæ omnino sit bellicus in præsenti; satius esse videtur, vt, quoniam Christus clangere describitur, explicetur de bello, quod Christus Dæmoni, mundo & carni, tetterrimis animarum hostibus, indicit; de quo etiam bello apertè agit Apocalypsis.

Nihilominus certum mihi est, has omnes explicationes non esse ad mentem Apocalypseos. Etenim quantumuis plurima afferantur ad alicuius ex his probabilitatem adstruendam, maner adhuc violentum, quòd humili ratione, ipsi Christo tubæ sonitus tribuatur. Pro quo aduertendum est, quando munus de quo agitur, non adeò dignum & decorum est, vt propriè ad principem pertineat; inconsideratiæ esse illud principi arrogare, quod ipsius ministrorum proprium est. Quemadmodum in legis promulgatione in monte Sina, quamuis tubæ vox exaudita fuit, non ideò aptè dicitur Deus ipse hunc tubæ sonum edidisse per se; sed angelus. Atque ita non rectè excogitatum erit; si, vt significetur Christum legislatorem esse, ipsi Christo detur sonus tubæ. Similiter in Euangelij prædicatione, quam per suos ministros exercet, neutiquam decorum seruabitur, si repræsentetur Christum esse, qui tuba canat; sed qui suos tubicines mittat. Porrò extremi iudicij tubam Scriptura non Christo, sed eius ministris attribuit; vt patet Matthæi 24.31. *Mittet angelos suos cum tuba.* & 1 Thessal. 4.16. *Ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei.* vbi euidens ex contextu est, appellari tubam Dei, non quòd Deus per se eum tubæ sonum moduletur, sed quòd vel ipsius Dei minister hunc sonitum edat, vel quòd sonus ipse ingens sit, (vsitata Scripturæ phrasi, vt *Cedri Dei*, &c.) Aliud est de potestate mortuos excitandi. Nam cùm illa sit propria Christi virtus; ideo dicitur Ioan. 5.25. *Mortui audient vocem filij Dei.* Denique quod principe munus dignum non est, eidem non rectè accommodatur. Licet autem Dei sit proprium *operari omnia in omnibus*, 1. Corinth. 12.6. sed cùm sermo est de Christo, tanquam de causa particulari, nihil illi tribuendum est, quod principem dedeceat. Inflare verò tubam non spectat ad principem, neque in diei festi celebratione, neque in congreganda multitudine, neque in triumpho, neque in bello indicendo, &c. In his omnibus non solùm est ineptum tubæ clangorem principi, vt causæ peculiari tribuere; sed etiam tubæ vocem: quia nihil illi tribuendum est, quod ipsius personam non deceat. Sunt tamen nonnulla officia adeò ex se digna, quæ ad alios directè spectare non possunt, nisi ad principem ipsum: atque hæc quidem si ad principem referantur, illi gloriosum valdè erit. Eiusmodi est vis & efficacitas, quam Christi verba habent; quod ipsius Christi opus proprium est. Et eapropter Christo apponitur gladius ab ore procedens. Quod amplius explicatur cap. 19. 21. vbi dicitur, *Ceteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius.* Licet enim in suo exercitu cælestem equitatum ducat; præclarum tamen facinus mysticæ occisionis (hoc est, conuersionis animorum) adeò proprium Christi est, vt ab alio præstari non possit.

Sed dices, in præsenti capite considerari Christum non in se ipso tantum, sed in mirabilibus etiam, quæ operatur in Ecclesia; atque adeò ea omnia, quæ per suos efficit, ipsi Christo posse in hac visione tribui. Respondeo, seruandum adhuc esse decorum: quod non sit, si tubæ vox Christo adscribatur; quod gloriosum illi munus in prædictis sensibus non est. Quamobrem quæ hic Christo tribuuntur egregia facinora, quæ per suos præstat, ea sunt, quæ propriè ipsius dignitatem decent.

Christo ipsi tubam tribuere, non ita decorum: secùs tamen ipsius cõcionatoribus.

Reiectis aliorũ explicationibus de tuba, nostra statuitur.

Quærenda ergo est aliqua explicatio vocis tubæ, quæ Christum maximè deceat. Atque eiusmodi sine dubio est, quam nos in commentario secuti sumus Quod enim proprium Christi spiritus est, Christi ipsius voci ac doctrinæ meritò tribuitur. Atqui Iudæorum bellum, quod ipsi Ecclesiæ Christianæ acerrimum inferebant, ad Ecclesiæ eiusdem disciplinam & institutionem admirabiliter conuertere; hoc verò proprium Spiritus sancti munus est, qui est Spiritus Christi. Quare si vox tubæ Iudæorum bellum aduersus Ecclesiam appositè significat; nihil potuit elegantius excogitari, quàm tubæ illius vocem Christo dare; & repræsentare Christum per eam tubam cum familiarium suorum animabus loqui. Atque hic diuinæ institutionis modus non minùs Christo est gloriosus, quam septem libri sigilla (de quibus cap 5.) reserare. Quia tam hoc, quam illud directè est spiritus Christi officium: iuxta id 1 ad Corinth. 2.10. *Nobis reuelauit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.*

Confirmatur hæc nostra explicatio. Quia nihil congruentius est, quàm vt eadem omnino ratione vox tubæ tribuatur Christo, ac vox aquarum multarum. Hanc autem vocem postremam ad multarum gentium bellum esse referendam, & sacræ Scripturæ phrasis, & contextus ipse Apocalypseos efficaciter meo iudicio persuadent. Vnde perspicitur proprium etiam esse Christi facinus, Ecclesiam docere arcanam & altissimam Theologiam, quæ in huius libri ænigmatis abdita est per bellum ipsum, quo Gentes illam premebant. Qua in re illud implerum fuit, quod Christus Ioannis 14.n.26. suis Apostolis fuerat pollicitus; *Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia.* Atqui quod Christi Spiritus docet suos, id iure ipsi Christo tribuitur. Et interna Spiritus sancti & Christi doctrina & institutio, Iudæorum & Gentium bello vsa fuit, tanquam voce, qua suos amicos erudiret, & sese in eorum mentem insinuaret, cælestem instillando doctrinam.

Confirmatur Secundo, quia vox aquarum multarum denotat confusionem; iuxta illud Lucæ 21. 25. *Præ confusione sonitus maris & fluctuum*: docere autem eiusmodi doctrinam, quæ ingentem pacem & solatium secum afferat, atque id per belli confusionem; hoc Christi Spiritus proprium esse facilè cernitur.

Voce aquarum multarum confusionem denotari.

Præterea negari non potest, tubæ vocem in sacræ Scripturæ phrasi esse belli symbolum. Nam tuba classicum canitur, 2. Esdræ 4.20. & Amos 2.nu.2. & cap. 3.6. & Sophoniæ 1.16 Ioëlis 2.1. Personuit etiam tuba, vt populus pro Absalomo contra Dauidem coniuraret, 2. Reg. 15.10. & simili modo 2. Reg 20.1. In ipso etiam belli conflictu sonat vox tubæ, 1. Machab. 3.33. & cap. 4. 13. & cap. 16.8. Iob 39 27. Notæ insuper sunt Gedeonis tubæ, Iudic. 7.8.16.18.20 Itaque tubæ id olim præstabant quod nunc tympana in bellis. Vide Ieremiæ 6.17. & cap. 4.14. Iudith 15.3. & 1. Machabæorum 7.35. Denique Apocalypseos tubæ bellicæ sunt; & quid aptius, quam vt eodem modo tubæ nomen accipiatur in prologo?

In commentario ad eam propendi sententiam, vt tubæ vox in præsenti acciperetur, non vt tubæ *Hasosera*, sed vt tubæ *Sophar*. Fundamentum est; quia tubam *Sophar* certum est ab Scriptura appellari tubam corneam: eiusmodi autem sunt propriè tubæ bellicæ.

Quin in alijs etiam auctoribus, vbi sermo est de bello & tuba bellica, litui & cornua frequentissimè appo-nuntur, vt Virgil. 3. Georgic.

Primus equi labor est animos atque arma videre
Bellantum, lituosq; pati.

Et Æneidos 6. agens de Miseno Æneæ tubicine,

Et lituo pugnas insignis obibat & hasta.

Idem lib. 8. initio,

Vt belli signum Laurenti Turnus ab arce

Tuba, litui, cornua in bellis vsitata.

Extu-

Extulit, & rauco crepuerunt cornua cantu.

Item Horatius lib. 2. Carminum, ode 1.

Iam nunc minaci murmure cornuum
Perstringis aures; iam litui strepunt, &c.

Et lib. 1. ode 1.

Multos castra iuuant, & lituo tuba
Permissus sonitus.

Ouidius 3. Fastorum:

Iam lituus pugnæ signa daturus erat.

Si quis tamen adhuc contendat, *Hasosera* etiam esse tubam bellicam; non propterea nostra corruet explicatio, dummodo de tubæ bellicæ voce sermonem esse conueniamus. Hæc enim est præcipua meæ expositionis basis. Et negari non potest, quin vox tubæ in frequentissimo sacræ Scripturæ vsu bellum repræsentet. Denique omnia hac ratione mirificè cohærent; scilicet vocem aquarum multarum eo modo esse accipiendam; & in nostra explicatione vtramque vocem Christo esse dignissimam, & congruentissimam Apocalypseos argumento; vt duo illa bella in prologo indicentur, ad quæ tota ferè libri series reuocatur.

COMMENTARIVS.

Varia sententia de prima Apocalypseos figura scopo & fine.

HÆc præmisisse visum est ante disputationem de primæ huius visionis scopo, id est, de significatione primæ personæ, quæ Ioanni apparuit. Permagni enim refert semel percipere, quò hæc figura potissimùm spectet, ac de singulis ipsius partibus per ordinem postea dicemus. Nunc totius figuræ finem exponere est animus, & quid per eam significetur. Qua in re primùm mihi aliorum opiniones breuiter sunt referendæ. Nonnulli igitur hac expositione contenti, solùm notant, hac prima figura Christum Saluatorem nostrum designari; atque ipsius admirandam virtutum perfectionem, quam Christiani debeant imitari. Nec defuit, qui cogitaret, cùm Apocalypsis sit Christi prophetia, oportuisse vt initio imago aliqua siue effigies ipsius Christi collocaretur; cuius loco repositam fuisse ænigmaticam Christi figuram, vt libri principium toti prophetiæ responderet, id est, vt totus liber symbolicus esset & ænigmaticus. B

Irenæus ait, hanc figuram ad sacerdotalem & glorioſum regni Christi aduentum pertinere. Hæc ille, forsan vt millenarius. Luisius Legionensis de nominibus Christi, asserit totum hoc ænigma ad Christi ardentem charitatem referri debere. Stunica in Zachariam sentit hanc esse Christi figuram, quatenus supremus iudex est. Ribera existimat hoc primum ænigma ad iustorum consolationem & terrorem impiorum spectare. Pererius affirmat in hac figura depingi prouidentiam, quam Christus erga suam Ecclesiam exercet, & in hoc ipso proponi exemplum gubernationis Ecclesiasticæ, quod Ecclesiæ rectores debeant imitari. Pannonius arbitratur, hanc imaginem cuilibet iusto conuenire: quia Christus & Ecclesia sunt vnum. Alijs videtur hîc depingi Christus, qua ratione est perfectissimus legislator. Multi denique opinantur, hîc singulariter exprimi Christi prouidentiam erga Ecclesias illas Asiæ, quæ per septem candelabra designantur. Hæ sunt variæ sententiæ, quas inuenio; & vix est vllus dicendi modus, ex quo non possit aliquid ad veram explicationem desumi. Verissima tamen sententia est, hanc primam Apocalypseos personam prologum agere, & summam totius spectaculi perstringere. Nec verò ipse primus huic expositioni auctor sum: in alijs enim nonnullis eam adumbratam saltem, si minùs expressam, reperi. C

In comœdijs qui prologũ agit, totius argumenti summam pauci debere cõplecti, præcipit Aristoteles.

Ad cuius explicationem aduerto, rationi esse valdè consentaneum, atque adeò iuxta ipsius artis præcepta; vt in quauis actione, siue comica, siue tragica sit, persona quæ in scenam prodit prima, totius actionis argumentum paucis explicet. Certè id in comœdijs, & in tragœdijs præstari debere præcipit Aristoteles 3. Rhetoricorum cap. 17. Quod licèt hac nostra tempestate (vt aiunt) ferè non obseruetur; id tamen ab Aristotele fuisse traditum, argumento est multò rationi esse congruentius. Quin & apud Isaiam credit Forerius concionem capitis primi esse ceterarum omnium illius prophetiæ summam. Facit, quòd in orationum exordijs videmus ab optimis quibusque auctoribus seruari; vt breuem ipsius orationis propositionem præmittant; quæ præcipua eorum, quæ dicenda sunt, capita complectatur.

Prima Apocalypseos figura quo pacto totius argumenti summam cõplectatur.

Adhæc, cùm iam statuerimus huius libri argumentum ad duplex potissimùm Iudæorum ac Gentium bellum reuocari; dubitare non possum, veram vocis tubæ & vocis aquarum multarum expositionem (quas voces textus in prima hac visione Christo attribuit) eam esse, quæ superiùs manet explicata de vtriusque belli distinctione. Quòd si hic est earum vocum sensus; quis non videat præcipuam huius figuræ intentionem esse totius Apocalypseos argumentum summatim complecti? Et mea quidem sententia, quemadmodum argumenti Apocalypseos persuasio plurimum confert ad scopum huius figuræ intelligendum; ita etiam harum duarum vocum (id est tubæ & maris) intelligentia non parum confirmat illud esse verum Apocalypseos argumentum, nempe de duplici illo bello. Duæ enim hæ voces, si rectè inspiciantur, respondent duabus illis columnis, de quibus notatione 12. prolegom. diximus. D

Collatio primæ huius figuræ & eius partium cum præcipuis totius Apocalypseos partibus.

Præterea in singulis huius primæ visionis partibus cernitur manifestus respectus ad multa ex ijs, quæ postea in totius libri processu tractantur. Nam vestitus poderis respondet vestimentis albis, quibus seniores sunt amicti, cap. 4. & byssino, quo se induit Agni sponsa, cap. 19. Deinde poderis byssina & zona aurea respiciunt angelorum vestitum, qui phialas effundunt, cap. 16. Canities huiusce personæ videatur fortasse alicui referre seniorum canos, de quibus cap. 4. Oculorum flammæ, eædem sunt cum illis cap. 19. 12. *Oculi eius sicut flamma ignis.* Pedes ex chalcolibano ardenti sunt illi ipsi, qui Angelo forti tribuuntur, cap. 10. num. 1. *Pedes eius tanquam columnæ ignis.* Atque ipse ignis est, qui postea Babylonem incendit & exurit. Septem stellæ, quas in manu gestat Christus,

Digitized by Google

A Christus, respondent stellis, quibus mulier illa coronatur, de qua cap. 12. Gladium oris vtraque parte acutum inuenimus postea cap. 19. 15. Splendor solis in facie, de quo hîc, legitur pòst cap. 10. num. 1. *Facies eius vt sol.* atque eodem solis splendore mulier vndique amicîtur cap. 12. De morte, inferno, & clauibus agitur deinceps non semel. Denique nihil est in toto hoc capite, cui non aliquid ex hoc spectaculo postea respondeat. Nec in verbis solùm, sed multò magis in præcipuo sensu atque mysterio, vt suis locis videbimus. Itaque si primam hanc visionem cum tota Apocalypsi conferre velimus; nulla potest remanere dubitatio, quin hæc figura totius libri summam coërceat, atque adeò hîc sit perfectus prologus; in quo iuxta rationis atque artis præcepta, tota reliqua actio paucis indicatur.

Difficultas aduersus dicta. Obijciet tamen aliquis hanc figuram manifestè Christum referre, vt ex ipsius patet verbis; *Fui mortuus, & ecce sum viuens in sæcula.* ac proinde coactum esse, in ea Apocalypseos summam proponi. Apocalypsis enim propriè ac directè agit de Christiana Ecclesia. Quare distinctio, quæ inter sponsum & sponsam est, aut inter caput & reliqua corporis membra, hæc eadem futura videtur inter huius figuræ & reliquarum Apocalypseos mysterium. *Solutio.* Respondeo tamen, Quicunque hanc figuram attentè considerauerit, facilè animaduertet, non id fuisse Spiritui sancto consilium; vt in ea, Christi persona, prout est in se, exprimeretur; sed miranda opera, quæ in suis effecit. Quamobrem magno
B cum decoro depicta hîc fuit hæc Christi effigies admirabili totius corporis cultu atque habitu; scilicet niueis canis atque cæsarie, candida veste, zona aurea, pedibus æreis & ardentibus, oculis flammeis, gladio ex ore prodeunte, &c. Atque magna hæc nouitas & insolentia est appositissima; vt indicetur, Christum in suis Sanctis admirabilem esse; iuxta id, quod tanquam epiphonema claudit psalmum 67. *Mirabilis Deus in Sanctis suis, ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ.* Et notandum est, huius psalmi argumentum esse haud dubiè (vt suo loco explicabitur) idem cum argumento Apocalypseos; nimirum de victorijs, quas Ecclesia Christiana de suis hostibus fuerat consecutura. Atque vt in eo psalmo epiphonema, quod totius psalmi summam continet, Deum in suis Sanctis admirabilem repræsentat; ita similiter totius Apocalypseos argumentum in alia eiusdem rationis sententia venustè & eleganter comprehenditur; scilicet in hac, *Mirabilis Christus in Sanctis suis: ipse dabit virtutem & fortitudinem Ecclesiæ suæ.* Atque hic est præcipuus primæ figuræ scopus. *Psalmi 67. argumentum idem cum argumento Apocalypseos.*

Hoc ampliùs roboratur, si consideretur illam Christi imaginem, de qua c. 5. Cantic. à num. 10. ad finem vsque capitis agitur, non solùm Christum, prout in se est, exprimere; sed etiam prout in suis præclara & excellentia operatur. Hæc enim est vera effigies Christi, qua vult Paulus Rom. 13. 14. nosmetipsos indui. Atque hoc modo interpretantur illam Christi imaginem septem grauissimi doctores, Nyssenus, Paulinus, Ambrosius, Gregorius Magnus, Philo Carpathius, Guillelmus, & Ho-
C norius. Et ea est illius loci germana expositio; vt in eius libri interpretatione constabit. Itaque non est nouum, in sacra Scriptura agi sub Christi figura de ipsius Ecclesia.

Scripturam aliquando de Christo & Ecclesia, vt de vna persona loqui. Præterea, prima Ticonij regula, quam refert & laudat Augustinus lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 30. est, *Aliquando sacram Scripturam de Christo & Ecclesia loqui, quasi de vnica persona; in eis tamen locis distinguendum esse, quid Christo, quid Ecclesiæ conueniat.* In hac igitur figura sermo quidem videtur esse de Christo; & ad eum spectat gloria, tanquam ad auctorem & consummatorem, ac nostræ salutis exemplar: contextus tamen propriè agit de corpore Christi mystico, atque adeò de admirandis operibus, quæ ab ipso Christo in suis fidelibus & in eorum hostibus patrantur. Et horum omnium in Christi imagine expressio mirificam habet congruentiam, tum ad Christi cum Ecclesia vnionem significandam, tum ad denotandum, omnem Ecclesiæ gloriam in Christi tandem ipsius gloriam cedere. Ac propter vtramque rationem familiare sacræ Scripturæ est, Deum sua ipsius Ecclesia vestire, atque ipsam vt Christi gloriam considerare.

Licet autem textus videatur de Christo loqui, & certa ipsius signa præscribere; asserens ipsum fuisse mortuum, & ad immortalem vitam resurrexisse, & claues mortis atque inferni habere; nullus tamen mirari debet, in Christi persona ac similitudine de Ecclesia ipsius sponsa sermonem instituì. Primò, quia Ecclesiæ excellentiæ in Christi (vt dixi) decus ac gloriam & in clarissimum suæ virtutis
D argumentum referuntur: atque ita qua ratione Paulus ait, *Viuo ego, iam non ego; viuit verò in me Christus*; eadem etiam dici iure posset, Christiana Ecclesia nihil esse aliud, quàm Christus in illa res miras operans. Deinde, quia Ecclesiæ excellentiæ illam Christo Domino similem reddunt; ita vt verè ac rectè dicatur Ecclesia ipsa in Christum transfigurari, cum illo simul mori atque resurgere, atque eum in diuini verbi vi & spiritu, ac in fluxarum rerum contemptu imitari. Denique Ecclesia cum Christo tam indissolubili est vnionis vinculo colligata, vt ad Christianam ipsam Ecclesiam depingendam, mysticam Christi figuram depingere elegantissimum fuerit. Qua verò ratione singula, quę Ioannes refert de mira illa persona sibi ostensa, Apocalypseos summæ deseruiant; & in paraphrasi indicaui, & deinceps explicabo. *Quàm aptè sermo instituatur de Christo & de Ecclesia, vt de vna persona.*

AVDIVI POST ME VOCEM MAGNAM TANQVAM TVBÆ] Quid tuba significet nuper vidimus. Sed cur Ioannes eam post tergum audiuit? Putabit aliquis, hanc Ioannis post tergum auditionem eodem esse modo intelligendam, atque illud Ezechielis 3. 12. *Audiui post me vocem commotionis magnæ.* Sed valdè diuersa est ratio. Ezechieli enim non à tergo sed à fronte currus cum toto illo strepitu priùs apparuerat. Et postea cap. 3. missus à Deo Propheta ad populum, visionem reliquit à tergo; atque ita dum pergit, strepitum, quem ante se priùs audierat, à tergo postea exaudit; vt præsenti adhuc currus ac rotarum stridore, quasi stimulis quibusdam agitatus, ad iussa diligentiùs properaret. At Ioannes è contrario, cùm vocem priùs à tergo accepisset auribus, conuersus fuit protinus, vt loquentem videret: cuius rei rationem modò inuestigamus. VERS. 10. *Cur Ioannes vocem tubæ à tergo audierit.*

Prima

Digitized by Google

Aliorum opiniones.

Prima ergo expositio est, Christi prouidentiam, quæ in hac visione Ioanni ostensa fuit, ideo apparere à tergo, vt significetur singulare Dei præsidium, quo Ioannes ipse inter ingruentia huius vitæ pericula tutus erat. Et Christi quidem prouidentia rectè post nos esse fingitur; quia cùm ipsam non videamus, ab ipsa videmur atque protegimur. Huc spectat explicatio Origenis, atque Hieronymi Ezech. 3. 12. A

Secunda explicatio est, ideo vocem à tergo fuisse auditam, quia reuelata sunt Ioanni, quæ erant ignota Ecclesiæ. Quod enim post nos est, nescimus, cùm illud non videamus. Ita Ambrosius, Thomas Anglicus, Pannonius, & Ribera.

Tertia est, Ioannem, qui contemplationi rerum cælestium vacabat, reuocari ad aliorum correctionem. Hanc sequuntur Anselmus, Richardus, Rupertus, Albertus, & vtraque Glossa.

Quarta è contrario existimat, homines admoneri, vt à terrenis auertantur, & conuertantur ad cælestia. Serui enim sumus fugitiui; atque vt nos reuocet, clamat Christus. Ita Ambrosius & Lyra.

Quinta est Glossæ & Alberti, qui à tergo apparuisse aiunt visionem, vt Ioannes intelligeret eadem mysteria contineri in Lege & Prophetis.

Sexta est, vt Ioannes reuelationem esse Spiritus sancti agnosceret; quia Spiritus sanctus dum non videtur ab hominibus, & se monitorem & magistrum exhibet, videtur facere, *vt aures nostræ audiant verba post tergum monentis*, vt habetur Isaiæ 30. 21. B

Hæ omnes explicationes (vt eis nihil aliud obijciam) non cohærent cum germana vocis tubæ significatione, quæ est de bello à Iudaico populo aduersus Ecclesiam gesto, (vt suprà vidimus.) Quare, quòd Ioannes tubæ vocem à tergo audiuit, & mox conuersus fuit, vt se alloquentem videret; ratio fuit, vt intelligeret se vocari ad bellum, quod iam præterierat considerandum. Ac primùm ita res se habet, vt vidimus notat. 3 prolegom. bellum scilicet Iudaicum iam tunc fuisse peractum. Nam quinque & viginti annis ante hanc visionem Ioanni ostensam Hierosolyma fuerat euersa. Deinde ad hoc repræsentandum, concinnum valdè & elegans fuit, tubę vocem post tergum sonuisse. Quod enim iam præterijt, id verè & aptè dicimus retrò reliquisse, sicut & id quod nondum euenit, dicitur ante nos esse, iuxta id ad Philipp. 3. 13. *Quæ retrò sunt obliuiscens; ad ea verò, quæ sunt priora, extendens me ipsum.* Præterita sunt τὰ ὀπίσω, siue quæ retrò; futura verò seu priora, τὰ ἔμπροσθεν, id est, quæ à fronte. Si ergo Ioanni solùm reuelaretur, quod erat futurum; neutiquam vocem Christi à tergo, sed antè audiret. Cæterùm cùm reuelatio exordium caperet ab eo, quod iam præterierat; elegantissimè fuit excogitatum, vt principio tubæ vox à tergo resonaret, vt posteaquam ipse conuersus fuit, vocem aquarum multarum (quæ persecutionis Gentium symbolum erat) à fronte audiret. Atque hanc prorsus existimo propriam esse locutionis huius significationem. C

Cur Ioannes tubæ vocem primò à tergo: deinde vocē aquarum multarum à fronte audierit?

VERS. 11. EPHESO, ET SMYRNÆ, ET PERGAMO, ET THYATIRÆ, ET SARDIS, ET PHILADELPHIÆ, ET LAODICIÆ] Eodem ordine textus has septem vrbes enumerat; quo posset eas percommodè peragrare, qui à Ioanne Apocalypsin ad illas deferret. Pathmo enim insulæ ceteris omnibus vicinior est Ephesus; inde ad septemtrionem vergenti occurrunt primò Smyrna; deinde Pergamus. Hinc deuexa linea inter orientem solem, atque meridiem tres alias, Thyatiram, Sardin, ac Philadelphiam hoc eodem ordine percurrit. Et progredienti versus meridiem vltima est Laodicia. Considerandа verò hîc maximè est singularis Dei prouidentia; quæ suauiter & efficaciter dispposuit, vt Ioannes ab vrbe Roma (in qua longissimè ab ijs vrbibus dissitus erat) in Pathmon insulam relegaretur; quæ Asię contermina atque ipsis vrbibus vicina erat; quò faciliùs inde per literas cum suis Ecclesijs agere, easdemque salutaribus institutis instruere & informare posset.

Quem ordinem seruarit Ioannes in septem vrbium enumeratione.

Sunt qui circa harum vrbium nomina, & eorum significationes argutè nimis velint philosophari. Sed hæc consideratio nullo solido fundamento nititur. Nam Laodicia sonat idem, quod populus iustus, atque epistola ad Laodicenum Episcopum scripta, ipsius potiùs tepiditatis reprehensionem continet; tepidumque frigido deteriorem esse textus affirmat.

VERS. 12. ET CONVERSVS SVM VT VIDEREM VOCEM, QVÆ LOQVEBATVR MECVM] Sunt qui notent, in præsenti videre esse idem, quod audire, (vt Exod. 20. 18. *Populus videbat voces.*) solet enim hoc verbum ad omnes sensus extendi. Cæterùm licèt alijs in locis hæc expositio locum habeat; hîc tamen nihil ad rem. Nec enim conuersus est Ioannes, vt audiret sonum, quem antea auersus audiebat: sed vt videret eum, qui secum colloquebatur. Atque ita *vt viderem vocem*, idem est, atque, vt viderem quis esset, qui ea me voce compellabat. Qua loquendi ratione, ipse qui clamat appellari solet vox, vt Ioannis 2. 3. *Ego vox clamantis in deserto*: abstractum pro concreto. D

Quid hic sit, videre vocem.

ET CONVERSVS VIDI SEPTEM CANDELABRA AVREA] Certum videtur, hæc candelabra considerandа esse eiusdem omnino formæ ac figuræ, atque illa quæ in templo Salomonis erant; singula scilicet septenis lucernis collucentia; quorum forma describitur Exodi 25. 31. vsque ad finem capitis. Quod licet alicui forsan nouum videatur; ego tamen verissimum esse mihi persuadeo. Primò propter id, quod sequitur; illum scilicet, qui in medio horum candelabrorum apparuit, quasi illorum curam gerens, vestitum fuisse podere, id est, linea stricta: quæ illum sacerdotem esse facilè indicat, cùm hic esset proprius veterum sacerdotum vestitus. Cùm igitur sacerdotem audimus medium inter candelabra, protinus mentem subit manifesta ad templi Salomonici candelabra atque ad sacerdotes allusio. Atque ita illam veterum candelabrorum formam referre debent hæc, de quibus in præsenti.

Candelabra septē Ioanni visa, cuiusmodi forma sint excogitanda.

Confirmatur, quia tota Apocalypsis plena est allusionibus ad varios veteris instrumenti locos. Quare cùm hîc apponantur candelabra aurea; alluditur proculdubiò ad aurea illa candelabra, quæ erant in templo; cùm nullibi præterea aurea candelabra reperiantur. Accedit, quòd peculiariter etiam

Digitized by Google

A etiam respicere videtur hic locus Zachariæ visionem; cùm cap.3.4. conspexit sacerdotem Iesu mutatoriis vestitum, id est *podêre*, vt vertunt LXX. & mox cap.4.2. *vidit candelabrum aureum, & septem lucernas super illud*. Candelabra igitur aurea, inter quæ adstat sacerdos podêre indutus, omnino censenda sunt esse heptalychni, id est septem lucernas habentia; atque ita appellantur septiformia à Bachiario. Facit candelabri Zachariæ significatio, quæ eadem est cum horum candelabrorum significationibus. Apud Zachariam enim candelabrum illud Ecclesiam significat; vt docent ibi Hieronymus & Cyrillus.

Cùm igitur hæc candelabra illorum veterum similitudinem exprimant, & eorum omnium significatio sit eadem; dubitatio occurrit, cur cùm in Moysis tabernaculo, & in visione Zachariæ vnum esset candelabrum; in templo verò Salomonis decem (3.Reg.7.49. & 2.Paral.4.7.) in præsenti sint septem? Respondetur, rationem discriminis esse; quia Ecclesia vna est & multiplex. Quamuis enim sit vnica Ecclesia Catholica, includit tamen sub se multas peculiares pro numero Episcoporum. Numerus ergo septenarius electus est in præsenti propter septem Ecclesias Asiæ (vt suprà vidimus.) Denarius autem congruentissimus fuit in templo Salomonis; quia hic est proprius multiplicationis numerus: atque in symbolis idem valent decem, quod multi, in rebus præsertim permanentibus, vt videbimus cap.12. & 13. & 17. vbi de decem cornibus.

Cur, cùm in Salomonis templo decẽ fuerint candelabra: Zachariæ tamen vnũ, Ioanni verò septem sunt visa.

Superest considerare, quàm idonea fuerit excogitatio aurei candelabri cum septem lucernis & reliquo ornatu, ad Ecclesiæ perfectionem exprimendam; sed de hoc dicemus notatione sequenti.

NOTATIO X.

Ad septem candelabra cap. primi Apocalypseos. Consideratio candelabri aurei, quod olim Deus fieri iussit.

QVONIAM candelabra aurea eâdem specie visa sunt Ioanni, atque illud quod à Moyse factũ est (vt vidimus in Commentariis) ideo operæ pretiũ erit, contemplari & formam & significationem illius antiqui candelabri; de quo Exodi 25.31. vsque ad finem capitis, & cap.37. à n.17. vsque ad 25. De eodem etiã Iosephus lib.3. Antiquit. cap.10. Philo in libello qui inscribitur, *Quis rerum diuinarum heres*, longè post medium; & lib. de Vita Moysis, paulò post initium. Vide etiam Choul de Religione fol.10. vbi describit candelabrum, quod expressum est Romæ in arcu Titi. Nota tamen Iosephum, cùm de candelabro illo loquitur, quod Titus in triumpho portauit, hæc dicere; *Candelabrum auro factum, sed opere commutato à nostri vsus consuetudine*. Et videtur quidem candelabrum, quod marmore in eo arcu Titi expressum est, ad illius similitudinem factũ, quod in triumpho gestauit Imperator. Quamobrem descriptio illa, quæ in arcu suprà dicto conspicitur, nõ firmam omnino facit fidem ad veram antiqui candelabri formam exactè cognoscẽdam. Neque plus ad eam cognitionem afferunt adiumenti picturæ, quas Arias & alij euulgarunt: quæ variæ sunt atque diuersæ; & textus verba alius hoc, alius illo modo explicat.

Candelabri aurei, quod in templo erat, consideratio.

De septem lucernis textus sic ait; *Lucerna luceant ex aduerso*, LXX. verò transferunt, *ab vna facie*. Vnde certum videtur esse, ellychnia non media fuisse in lucernis, sed ad latus vnum deflexa, & omnia ad Propositionis mensam conuersa; vt expressè præcipitur Num.8.2. *Lucerna è regione respiciant ad mensam panum Propositionis*. Hoc non fuit animaduersum in vulgaribus picturis; quarum aliæ ellychnia in mediis lucernis collocant; aliæ verò non omnes ad eam partẽ, sed ad diuersas respicientes constituunt. Præterea in illo ipso loco Numerorum 8.2. disertè præcipitur, vt lucernæ contra Boream respiciant. Atque ita opus erat, vt ad mensam Propositionis essent conuersæ. Quare, quod ait Iosephus candelabrum in templo fuisse obliquè positũ, vt lucernæ respicerent ad Orientem & Meridiem; manifestus videtur error. Quia est contra sacræ Scripturæ præceptum, & contra rectam rationem. Candelabrum enim erat ad meridianam partem templi; atque adeò ad oppositam partem conuersæ erant lucernæ.

In templi candelabro, qua fuerint sphærulæ.

Quas textus sphærulas appellat, cogitandæ sunt fuisse pomorum similitudines. Quia vox hebræa põma significat. Atque ita in hoc candelabro est aliqua arboris similitudo; quod brachia & ramos vtrimque expandit, & floribus ac pomis est onustum. Quamuis flores, ob peculiare mysterium, non omnes ex eadem arbore fuerint desumpti, vt deinceps videbimus.

Alcasar in Apocal.

Quod ad lilia attinet, falluntur qui ea depingunt ad similitudinem eorum florum, qui propriè appellantur irides, & sunt coloris ianthini vel cærulei. Cõstat enim lilia esse flores candidos, hebraicè, *susanim* appellatos; vnde hispana vox defluxit, *açuçenas*. atque eadem est significatio nominis græci, quo LXX. atque Iosephus vsi sunt, κρίνα, atque ita Vulgatus secutus LXX. *lilia* dixit. Quamuis hebræa vox, quæ in candelabri descriptione ponitur, non lilia, sed flores generali vocabulo significet. Et similiter 3.Reg. 7.49. vbi legimus, *quasi lilij flores & lucerna desuper*. Verùm LXX. & Iosephus, vt oculati testes expressèrunt, flores illos fuisse lilia.

Quæ item liliorum forma.

Licèt autem LXX. & Vulgatus solùm meminerint liliorum; quia illa fortasse inter alios flores eminebãt: ceterùm dubitari non debet, candelabri aurei flores non solùm fuisse lilia, sed etiam flores malorum granatorum, qui cytini appellantur. Nam præter sphærulas & lilia, cytinorum etiã expressè meminit Iosephus lib.3. Antiquit. cap 7. quod licèt Ruffinus ipsius interpres prætermiserit, græcè tamen perspicuum est: ita enim legimus, πεποίηται δὲ σφαιρία κρίνα σὺν ῥοίσκοις καὶ κεφαλιδίοις, id est, (ad verbum) *Facta sunt autem sphærula & lilia cum cytinis & craterculis*. Gelenius vertit, *Eratq; distinctum globulis, liliis, malis punicis, craterculis*. Sed quæ Gelenius mala punica appellat, cytini sunt; id est, primi mali punici partus cum flore. Sic enim accipienda est græca vox ῥοίσκος. sicut etiã in granatulis, quæ pendebant ex tunica hyacinthina Aaronis, quæ à LXX. interpretibus sic describuntur Exodi 28.31. ὥσει ἐξανθούσης ῥοιᾶς ῥοίσκος, id est, quasi florentis mali punici mala punica; quæ est manifesta cytinorum descriptio. Roisci igitur, quorum meminit Iosephus in candelabro, cytini sunt, id est, flores malorum punicorum. Neque eos Iosephus de suo adderet, nisi in candelabro vidisset. Et præter Iosephi oculati testis auctoritatẽ; in candelabro, quod est in arcu Titi, licèt aliqua ex parte sit ipsius figura immutata (vt Iosephus aduertit) distinctè tamen in eo reperiũtur suprà dicti cytini. Et quidem hæc coniunctio liliorum & cytinorũ mysterio non vacat. Hi enim sunt præcipui flores, qui in Canticorum libro celebrantur. vt in eius libri commentario videbimus. Nota præterea, Lipomanum in descriptione candelabri, liliis addere rosas & germina: hæc tamen vnde ille desumpserit, ignoro.

Quos textus appellat scyphos in hucis modũ, numero erant viginti duo; vt colligitur ex textu. Hos alij

Digitized by Google

Qua fuerit scypherũ figura in candelabro.

huius figuræ, alij alterius fuisse considerant. Omnes tamen vt vasa seu pateras vacuas illas depingunt. Septuaginta *craterculos* eos appellant; Arias Montanus *calices*. Ego quidem in eã partem inclino, vt hæc vasa non vacua, sed plena fuisse existimem sphærulis & liliis; quæ (vt iam adnotauimus) poma sunt & flores. Id mihi persuadet Primò, quòd textus ipse ait, *tres scyphi per singulos calamos, sphærulaq; simul & lilia*. Vbi aptior constructio est, vt hoc modo intelligatur: Sphærulaque simul & lilium per singulos scyphos. Hoc enim est *simul*, id est, singulæ sphęrulæ ac lilia cum singulis scyphis. Sicut expressit textus ipse in quatuor aliis scyphis, qui sunt in hastili. Et iuxta hanc explicationem aberrant picturæ vulgares; quæ cum quolibet scypho non sphęrulam & lilium coniungunt; sed priùs tres scyphos ponunt, deinde sphærulam, & posteà lilium. Huius errati auctor fuit R. Salomon, vt Lyra animaduertit. Verùm Exodi interpretes omnes notant cum singulis scyphis sphærulas singulas & lilia esse debere. Ita expressè Beda, Lyra, & Caietanus.

Secundò id mihi probatur. Quia scyphi pleni pomis ac liliis pulchriores erunt; & hoc modo aptiorem habebunt rationem in candelabri structura: alioqui congruens ratio non facilè occurrit, cur scyphi vacui relicti sint. Et forsan cùm dicitur sphærula & lilium, accipiendus singularis numerus pro pluralis; ita vt in quolibet scypho plures sint sphęrulæ ac lilia (necnon cytini.) Quemadmodum cornu copiæ fingi solet. Aut forsan quæ sphærula nominatur, in scyphum impacta debet esse; sicut glandes in natiuo illo calyce inclusæ sunt, siue insidentes. Atque hoc fortassis significant illa verba *in nucis modum*. Multi enim ex iis fructibus, qui nuces appellantur, præter proprium corticem, habent præterea vel folliculum, vel calycem, in quo recipiuntur. Denique alterutra ex his considerationibus facilè deseruit, vt calyx continere videatur, atque protegere sphęrulas & lilia atque etiam cytinos. Nam & flores suos calyces habent natiuos.

Candelabrum ipsum an ductile vel tornatile fuerit.

Præterea candelabrum appellat Vulgatus *ductile*, LXX. & Philo vertunt *tornatile*, Iosephus *fusile*. Relinquo aliis expendendum, an hæc tria conciliari possint. Ego quidem LXX. lectionem cum Vulgata facilè conciliarim. Ex opere enim ductili nonnullæ partes (verbi gratia nodi aliqui) perfici solent opere tornatili. Aut fortasse tornatile ad pulchritudinem & venustatem refertur; vt nonnulli accipiunt id Canticorum 5.14. *Manus eius tornatiles.*

Cum candelabro emunctoria etiam coniungenda.

Cum candelabro coniungenda sunt emunctoria, de quibus Exodi 25.38. & septem infusoria, de quibus Zachariæ 4.2. siue lecythi sint, vt putat Ribera; siue fistulæ, vt vult Arias.

Quot auri pondo habuerit candelabrum.

Totum verò candelabrum ex auro purissimo factũ esse expressè habet textus, atque aureum talentum appendisse; id est, sesquimille vncias, quæ faciunt libras Romanas 125. quæ ad nostras libras redactæ, sunt ferè 94 Animaduertit tamen Iosephus, candelabrum non fuisse solidum, sed cauum.

Cauum fuisse, non solidũ, Iosephus tradit.

Notandum est etiam hìc, Plinium libr. 34. cap. 3. meminisse candelabrorum æreorum magni pretij, præsertim quæ erant ex ære Corinthio, in Ægina elaborata. Verùm illa alterius erant figuræ & vsus; & sanè latinum nomen à candelis deriuatur; & ea, de quibus Plinius agit, candelas sustinebant, non lucernas.

Mystica candelabri aurei significatio.

Hactenus de templi candelabro, & eius partibus. Quod ad mysticam eius significationem spectat, hęc præcipuè desumenda est ex septem lucernis. Philo, Iosephus, Clemens Alexand. & Hieronymus epist. 128. in septem his lucernis septem planetas contemplantur; & sanè ad planetas habitum fuisse respectũ, non inficior. Hęc tamen non potest esse præcipuè intenta significatio. Nam candelabrum est symbolum Ecclesiæ (vt exprimit Apocalypsis, & in illo etiam Zachariæ candelabro cap. 4. notant Hieronymus & Cyrillus.) Quare ea lucernarum significatio quærenda est, quæ Ecclesiæ conueniat. Nec dubium est, quin optima fuerit septem lucernarum excogitatio in candelabro, quod fiebat ad significandam Ecclesiam; cuius planetæ multò sublimiores ac nobiliores sunt. Illud ergo prima aduertendũ est, in ea templi parte, quæ dicebatur Sanctum, ad dextrum arcæ latus, fuisse candelabrum; & ad sinistrũ Propositionis mensam. Quorum ratio est; nam mensa Ecclesiæ doctrinam repręsentabat (id est, sacram Scripturam) candelabrum autem vitæ sanctitatem. Et quidem, quòd mensa sit doctrinæ sacræ Scripturæ symbolum, perspicuè docent Origenes, Hieronymus, Hesychius, Gregorius, & Beda apud Lauretum. Facit, quòd Christi doctrina & sacra Scriptura appellatur panis; vt docent Origenes, Arnobius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius, Hesychius, & Philo apud eũdem Lauretum: & singillatim 12. Propositionis panes de Apostolorum doctrina explicant Cyrillus, Ambrosius, Hesychius & Richardus. Porrò in illa mensa non modò erant panes; sed calices & pateræ ad vina libanda; vt constat Exodi 27.29. & cap. 37.16. & Num. 4.7. id quod in arcu etiam Titi distinctè cernitur. Hęc igitur est mensa, hoc epulum illud diuinæ Sapientiæ, de quo Prouerb. 9.2. & num. 4. *Comedite panem meum: & bibite vinum, quod miscui vobis.* quæ declaratio & per se est manifesta, & auctorem etiam habet magnum Dionysium epistola 9. quæ est ad Titum.

Mensa templi, & candelabrũ quid significauerint.

Cùm igitur per mensam, Ecclesiæ doctrina significetur; congruenter etiam per candelabrum, eiusdem Ecclesiæ sanctitas indicatur. Quare ad Ioannis consolationem, illi ob oculos ponitur suarum septem Ecclesiarum sanctitas, quarum symbola in septem illis aureis candelabris aspiciebat. Atque hęc candelabri significatio ex eo comprobatur, quòd iustus sæpè solet cũ ardente lucerna conferri. Vide Ioan. 5.35. *Ille erat lucerna ardens & lucens.* & Matth. 5.16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.* Quapropter in multis eiusdem candelabri lucernis, rectè vnius Ecclesiæ sanctitas figuratur. Concinunt Origenes, Ambrosius & Augustinus apud Lauretum; qui docent in candelabro designari omnes bene operantes propter virtutum claritatem.

Obseruandum tamen est, in candelabri ac mensæ consociatione rectè quidem doctrinę mensam, & candelabrum sanctitati applicari. (ideò enim præcipiebatur, vt candelabrum respiceret Propositionis mensam: quia vera sanctitas illa est, quæ ad sacræ Scripturæ doctrinam conformatur) Ceterùm si candelabrum separatim sumatur, appositum est symbolum ad optimi exempli lucem, & lucem pariter sapientiæ significandam. Quamobrem, vt mirus splendor sanctitatis & sapientiæ Ecclesiarum Christi apprime designaretur, nõ necesse fuit in hac visione, præter septem candelabra, totidem mensas apponi. Nam candelabra ipsa cęlestis etiam sapientiæ excellentiam egregiè significant. Atque ita cap. 11. vbi sub nomine duorum Christi testiũ, de Ecclesiæ sapientia & sanctitate agitur, de illis dicitur; *hi sunt duo candelabra.* Duplex namque est modus effulgendi, ac mundum lumine illustrandi: alter excellentiã sapientiæ; virtutum exemplo alter. Et ad sanctitatis & sapientię distinctionem indicandam, idoneum fuit duorum candelabrorum symbolum. Hic verò, vt intelligatur, quam recta alios illustrandi ratio sit, sanctæ simul vitæ atque sapientiæ radios effundere; eleganter etiam singulis Ecclesiis singula candelabra accommodantur; vel in mensa epulum sapientiæ significabatur, ad quod inuitantur fideles; in candelabro autem & sapientia & sanctitas, quæ in eis elucet. Sed vt ad septem lucernarum numerum veniamus, vidimus iam superiùs ex Origene, Ambrosio & Augustino, ad virtutum claritatem & fulgorem referri. Quibus addo Hesychium, qui Leuitici 24. asserit lucernas candelabri esse virtutes. In hac significatione, lucernarum numerus septenarius quadrat cum numero virtutum: aptè enim illæ ad septem reduci solent, nempe ad tres Theologales, & quatuor Cardinales; vel ad septem illas, quæ septem vitiis capitalibus opponuntur; vel ad septem Spiritus sancti dona. Atque hac ratione congruens videtur reddi ratio numeri septenarij lucernarum. Verumtamen Zachariæ locus cap. 4.10. vbi agens de septem lucernis candelabri ait, *Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in vniuersam terram.* Hic (inquam) locus postulat, vt eum præcipuè attendamus in harum septem lucernarum explicatione. Sapienter enim ait Idacius lib. 3. contra Varimandum, septem

Candelabrum templi respiciebat Propositionis mensam: & cur?

Mystica septẽ lucernarum significatio.

lucer-

Digitized by Google

ucernas in capite candelabrorum, esse septem spiritus Dei, qui in omnem terram mittuntur. Et quidem postquam Deus suum spiritum omnibus mundi nationibus elargitur, verissimè dicitur septem suos spiritus in omnem terram mittere. Nam in excellenti fidelium sanctitate effulgent in primis Dei Virtus, Beneficentia, Æquitas & mirabile Consilium: neque solùm hæc, sed etiam Dei Patientia. Nam vt iustus persecutione probetur ac perficiatur, necessarium est Deum persecutorum improbitatem ac malitiam patienter sustinere. Comminatio etiam ostenditur. Nam ea, quæ iustus perpetitur, magnum supplicium peccatori minantur; iuxta illud Lucæ 23. 31. *Si in viridi ligno hæc fiunt*, &c. Denique Dei Seueritas maximè elucet in sceleratorum obduratione, quod maximum est in hac vita supplicium; atque id quoque erat ad magnam Sanctorum patientiam necessarium.

Septem oculi Domini, apud Zachariam, quid significēt.

Ex illo Zachariæ loco, meo iudicio, manifestè colligitur, abs re esse per septem oculos Domini intelligere angelos septem, siue angelorum multitudinem. Quia sermo est de candelabro Ecclesiæ, de cuius splēdore & ornatu solicitam curam gerebant Iesus & Zorobabel. Atqui in Ecclesiæ candelabro (siue sermo sit de antiqua Ecclesia Israëlitica, siue de Ecclesia Christiana) lucernæ splendentes nō sunt angeli; neque ideo negatur nos à Deo per angelos illustrari. Ast propria Ecclesiæ lux, qua ipsa effulget, ipsius est proculdubio sanctitas ac sapientia. Quare, sicut non est ad rem interpretatio de angelis in septem illis candelabri lucernis; ita neque in septem illis oculis vel spiritibus Dei. Quia Zacharias ait, septem lucernas candelabri esse septem illos oculos & spiritus Dei. In lucernis autem candelabri quis non videat, ineptum esse de angelis interpretari? Quemadmodum cùm de Ioanne Baptista dicitur, *Ille erat lucerna ardens & lucens*; nullus dicet lucernæ illius lucem esse angelum Ioannis custodem.

D. Isidori de eisdem explicatio.

D. Isidorus has septem lucernas accommodat ad septem Diaconos, quos asserit ex ordine Apostolorum in qualibet Ecclesia futuros (iuxta locum Actorum 6. n. 5.) qui sunt in gradu sublimiori, quàm ceteri; & possunt etiam appellari Pontificis oculi. Sed non potest ea esse propria expositio. Nam septem Diaconi non sunt septem Dei spiritus qui mittuntur in omnem terram.

Ego quidem certam esse existimo Benedicti Ariæ Montani declarationem; qui septem oculos Domini de ipsius prouidentia interpretatur. Et oculorum etiam symbolum ad prouidentiam aptissimum est; vt constabit cap. 5. Apocalyps. num. 6. vbi de septem oculis agni dicitur, eos esse septem spiritus Dei missos in omnem terram. Illud in sua explicatione intactum prætermisit Arias; cur diuinæ prouidentiæ oculi septem esse dicantur? id est, cur Dei prouidentia ad septem reducatur perfectiones? de quibus nos latè diximus suprà notat. 5.

Obiectio.

Sed obiicies; quemadmodum angeli non sunt ipsa Ecclesiæ Christianæ lux atque perfectio, ita etiā quod in Ecclesiæ candelabro effulget, non videri esse eamdem perfectionem septem spirituum Dei. Hi enim spiritus sunt in Deo ipso; atque adeò effectiuè (quod aiunt) non formaliter perficiunt & illustrant Ecclesiam.

Solvitur.

Respondetur, esse maximè appositam locutionem, & sæpè in sacra Scriptura vsurpatam, agere de Sanctorum virtutibus, vt de effectibus spiritus Dei, qui in ipsis habitat, valdè propriis. Atque hac ratione dicitur Deus suum spiritum hominibus immittere, atque ipse spiritus in illis habitare dicitur. Quòd si excellentia sanctitatis & sapientiæ, quæ in Ecclesia sunt, est euidens argumentum, præstantiæ & excellentiæ septem spirituum Dei; quid aliud considerari potuit in Ecclesiæ dignitate illustrius, & quod in symbolo præcipuè esset repræsentandum, quàm hæc septem Dei spirituum gloria? Certè nihil aut ipsi Ecclesiæ gloriosius, aut Deo honorificentius.

His animaduersis, facili negotio perspicitur, quàm congruenter facta fuerit ad septem Planetas allusio, qui ad septem spirituum Dei symbola creati sunt; vt explicauimus notatione illa 5. Et septem etiam Spiritus

Alcasar in Apocal.

A sancti dona (quæ in septem lucernis intelligit Beda & plerique alij) consistunt in horum Dei spirituum cognitione & communione. In capitis autem 6. Apocalypseos declaratione, ostendemus, vnum ex præcipuis rebus Apocalypseos esse tractationem, qua demōstretur in excellenti primitiuæ Ecclesiæ sanctitate inter Iudaici populi persecutiones, maximè septem Dei spiritus effulgere. Atque in hac prima visione (quæ totius libri prologus est, & argumentum indicare debebat) id fuit potissimùm spectandum. Persecutio autem Iudæorum se etiam extendit ad Christianos in septem illis Asiæ Ecclesiis degentes, vt constat ex cap. 2. n. 9. & cap. 3. n. 9.

Mystica malorum granatorum, quæ in templi candelabro erant, significatio.

Diximus de septem lucernis. Percurramus reliqua. Flores malorum granatorum indicāt glorioſum Christianarum Ecclesiarum exordium. In quo enituit purpureus ille Martyrum rubor, qui eas maximè decorauit. Atque hoc felix initium ingentem deinde fœcunditatem pollicebatur.

Liliorū significatio.

Lilia propriè sunt symbola glorioſæ earumdem Ecclesiarum exaltationis. Scio multos in lilijs reperire B virginitatis significationem; atque in eorum cum cytinis coniunctione, Martyrum ac Virginum decus contemplantur; quod tantopere Ecclesiam exornauit. Ceterùm significatio felicis reipublicæ exordij & admirabilis exaltationis, est propria atque germana; vt videbimus in notatione ad Canticorum caput 2. Atque dum Ecclesiæ Christianæ prophetia ob oculos ponitur; sæpe gloriatur Deus illam se incepisse, atque eandem ad absolutam perfectionem prouecturum: & hoc propriè est Deum esse A & Ω, principium & finem. Quare valdè decuit in Ecclesiarum symbolo duos illos flores interponi, quos diuinus spiritus sapientissimè elegit ad Ecclesiæ principium ac sublimitatem repræsentanda.

Sphærulæ, cùm aurea poma sint, apprime denotant virtutum fructum, quem Ecclesiæ arbor producit pretiosissimum. Et hæc eadem est pomorum significatio in libro Canticorum. Poma etiam aurea, sunt multarum animarum ad Christi fidem, & ad vitæ sanctitatem conuersio per efficaces conciones, & per Sacramenta egregiè administrata. Hæc enim animarum lucrandi cura, Christianæ Ecclesiæ spiritus propria est; & vix antea audita erat. Florum autem & sphærularum, siue pomorum copulatio eamdem hîc habet significationem, quam in Canticorum cap. 4. 13. *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus*; & in eo etiam libro distinctè de prædictis fructibus agitur.

Scyphorum significatio.

Iam scyphi (qui cōsiderandi sunt, vt calyces, qui fructus & flores comitantur & protegunt, atque horrētes echinorū aculeos imitantur) idoneè videntur ad sacras cerimonias externas, ad modestiam & ad corporis castigationem, & alia eiusmodi applicari. Hæc enim præsidio sunt & defensioni solidis virtutum fructibus. Et eam ob causam Sancti inedijs, vigilijs, atque alijs macerationibus suam carnem affligunt; iuxta illud Pauli, *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo; ne fortè, cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.*

Mysticatotius candelabri significatio.

Hæc de singulis candelabri partibus. Quòd si totum D spectare velimus; auri purissimi, qua constat materies indicat, quāti sit pretij atque æstimationis apud Deum Ecclesiæ Christianæ sanctitas, & quanta in sanctissimis viris conscientiæ puritas atque integritas. Significat præterea, aurum Christianæ perfectionis persecutionum igne probari. Quòd verò fuerit ductile, denotat (vt rectè Gregorius homil. 6. in Ezech.) Ecclesiam ferendo quotidie progredi, proficere ac perfici; quod primæuis illis temporibus potissimùm quadrat. Huc spectat auri firmitas atque tenacitas; quod malleorum ictibus ad summam vsque tenuitatem productum, integrum tamen persistit & minimè fractum.

Deinde apta omnium candelabri partium coagmentatio, Ecclesiæ vnionem repræsentat. Quòd autem caunm sit, fortè innuit internum Dei spiritum, quo intimi Ecclesiæ sinus pleni sunt.

Quid per cādelabri infusoria designetur.

Præterea infusoria fortassis sunt, Ecclesiæ Sacramenta. Denique quemadmodum templi candelabrum in veri Dei honorem ac venerationem ardebat; ita

Digitized by Google

similiter hęc mystica candelabra in mediis tenebris effulgentia summum Deo honorem ac gloriam deferūt. Ceterùm licet hæc omnia elegantem habeant applicationem; illustrissima tamen est in candelabro, septem lucernarum significatio, ex quibus, vt ait Philo, quæ medium tenebat locum, ceteris altiùs eminebat. Atque ita etiam Dei sapientia, & mirabilium consiliorum spiritus, qui in Apocalypseos ordine inter reliquos medius est, sublimiùs & eminentiùs caput videtur attollere, & maiorē Deo venerationē conciliare. Quemadmodum Salomonis sapientia singulariter effecit, vt eum omnes timerent ac venerarentur, 3. Reg. 3. 28. Atque eadem forsitan est ratio, quapropter Ezechielis 1. A 10. dicitur, *Facies aquila desuper ipsorum quatuor.*

Oblitus interim fuerā, quid significet in candelabro iustū talenti pondus. Cuius mysteriū omnino magnitudinē cum æquitate coniungit. Et reuera ita accidit, vt gloriæ & excellentiæ pōdus, quod in Christiana Ecclesia reperitur, licèt maximū sit, sit pariter iustissimū. Etenim, etsi totū id in Dei gratia ac singulari beneficio nitatur; hęc tamen gratia, si Christi merita respiciamus, iustissima est. Cuius argumentum, & præmij quod illi respondet magnitudo, adeò iusta & æqua sunt, adeò Sanctorū meritis debita, vt Paulus maximus Dei gratiæ concionator dixerit, 2. Tim. 4. 8. *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus iustus iudex*, &c. *Quid per iustū talenti pondus, quo candelabrum constabat.*

COMMENTARIVS. B

VERS. 13. *Similis filio hominis nū immotus, an deambulans Ioanni apparuerit*

ET IN MEDIO SEPTEM CANDELABRORVM AVREORVM SIMILEM FILIO HOMINIS] Non existimandum est, hanc figuram consistentem & immotam apparuisse, sed potiùs in medio candelabrorum ambulantē; vt explicatur c. 2. 1. *Qui ambulat in medio candelabrorum.* Ambulat autem in medio illorum; vt foueret oleo, accenderet, & emungeret. Hîc enim est aperta allusio ad munus de candelabris curandis, quo hebdomadarius in templo Salomonis vtebatur. Quare persona, quam vidit Ioannes, vestita erat podêre: id est, veste illâ lineâ, quam induebant sacerdotes.

Quid sit, similem filio hominis.

SIMILEM FILIO HOMINIS] Similem ait. Primò, quia visio erat imaginaria; atque ideo quamuis apparuisset perfecta hominis figura, rectiùs erat dicere, se hominis similitudinem vidisse, quàm se vidisse hominem. Hieronymus Dan. 10. n. 5. *Ecce vir.* Symmachus, *Quasi vir. Non enim erat vir; sed viri habebat similitudinem.* Hæc Hieronymus. Vide etiam Daniel. 8 n. 5. *Quasi species viri.* Deinde quia non erat quoad omnia hominis similitudo; vt patet ex pedum descriptione, de qua infrà. Quapropter in candelabris dixit se vidisse candelabra: & in hominis figura non dixit se vidisse hominem, sed hominis similitudinem.

SIMILEM FILIO HOMINIS] Communis expositio erat, *similem filio hominis*, id est, similem Christo; ac si dicatur figura ea, quam Ioannes conspicit, Christo Domino esse valdè similis, & illis verbis *filio hominis*, designetur ipse Christus: atque adeò ex oris similitudine agnouerit Ioannes, eâ figurâ Christum referri. Ribera tamen optimè probat non dici angelum similem homini, id est Christo; sed similem homini, eò quòd humana specie apparuerit; sicut Danielis 10. 16. dicitur, *Ecce quasi similitudo hominis tetigit labia mea.* Licèt autem Christus in Euangelio sæpiùs se filium hominis appellet; non ideo filius hominis significat Christum. Sic enim Ezechiel etiam appellatur. Et nomen hoc *filius hominis* designare solet eum hominem, de quo est sermo; alioqui nomen commune est. Vide Numer. 23. 19. *Neque vt filius hominis, vt mutetur.* Iob 25. *Quantò magis putredo, & filius hominis?* Psalm. 8. *Quid est homo, quòd memor es eius: aut filius hominis?* Ex phrasi ergo hebraica idem est homo & filius hominis: quia omnes sumus Adæ filij. C

Quisnam in simili filio hominis figuretur.

Verum est hac figura, quæ Ioanni apparuit, significari Christum, vt ex contextu manifestè constat. Ceterùm, quia non illud potissimùm intendebatur, vt Christus in se ipso significaretur; sed quatenus in suis fidelibus admirabilis est: idcirco oportuit figuram, quam aspexit Ioannes, non fuisse Christo similem; sed potiùs aliam, atque eam valdè mirabilem.

Quòd autem in medio candelabrorum apparuerit, ratio est, quia candelabra, Christianæ Ecclesiæ excellentiam & splendorem repræsentant. Atque in medio eorum Christum incedere, hoc est ibi suam vim ac virtutem ostendere, iuxta illud Matth. 18. 20. *Ibi ego sum in medio eorum.* Atque ideo Isaias cap. 12. 6. Ecclesiam hortatur, vt exultet atque triumphet, Deumque collaudet, *Quia magnus in medio illius sanctus Israël.* D

Cur Christus in figura humana apparuerit.

SIMILEM FILIO HOMINIS] Meritò Christus in figura humana conspicitur. Nam Deus etiam olim ante incarnationem, cùm suis prophetis & amicis apparebat (angelo scilicet misso, qui Deum ipsum repræsentaret,) humana induebatur figura. Primò, quia homo est imago Dei; & quamuis ratio imaginis non consistat in corporis figura; assumptâ tamen corporeâ figurâ eius naturæ, quæ est imago Dei, assumitur similitudo hominis, ac proinde imaginis Dei repræsentatio. Atque adeò nulla figurâ magis decebat Dei apparitionem.

Secundò, ad agendum cum hominibus, humana figura erat maximè conueniens: & singillatim ad magnam erga eos ostendendam amicitiam. Amicitia enim amantem in amatum transmutat.

Tertiò, si finis erat, Deum in hac figura repræsentare mirabilia in hominibus operantem, quid congruentius esse potuit, quàm Deo humanam figuram, admirabilem tamen, tribuere? Quo significaretur, Deum esse, qui in ipsismet hominibus latet, & per illos admiranda facinora edit. Etenim, si Christus est, qui in Paulo operatur (vt ipse Paulus ait: *Viuo ego, iam nō ego, viuit verò in me Christus*) rectè ergo consideratur, eum qui videtur, Paulum non esse. Quòd si Paulus non est, & Paulus apparet; ergo Pauli habet figuram; & qui operatur in Paulo, ipsius Pauli figuram induit. Sic ergo Deus, dū per homines res efficit admirabiles, eleganter in humana forma depingitur. Quare aptissimum fuit (etiamsi mentem ab incarnatione abstrahamus) Christo in præsenti humanam figuram dedisse. Et

idcirco

Digitized by Google

A idcirco non in propria figura Christus apparuit, sed in alia distincta. Nã in suis fidelibus, qui verè ab ipso distinguuntur, Christus ipse delitescit, eorũ indutus figura. Atque figuræ ipsi peculiares ac miras addere conditiones canorum, zonæ aureæ, pedũ ardentium, &c. elegantissimũ fuit; vt res admirandæ significarentur, quas in suis operatur: iuxta illud psal. 67. *Mirabilis Deus in Sanctis suis.* Omitto alias considerationes, quæ in Christi incarnatione nituntur, & ab aliis sapienter explicantur. Sed quòd Christus non in sua figura, sed in aliena visus sit Ioanni; meo iudicio aptissimum fuit, vt intelligamus hîc apparuisse Christum, qua ratione gerit Ecclesiæ (id est, aliorum hominum) personam.

VESTITVM PODERE] *Poderis*, si etymologiam respicias, significat vestem talarem; ex vsu tamen sacræ Scripturæ, pro veste sacerdotali accipi solet. Et nonnumquam id nomen tribuitur tunicæ pontificis hyacinthinæ; aliquando verò tunicæ lineæ, quæ erat omnibus sacerdotibus communis. Dubitatur ergo an in præsenti sermo sit de veste podêre hyacinthina, vel linea? Respondetur, proculdubiò sermonem esse de veste linea. Et in primis ea est, quam podêrem absolutè vocat Iosephus lib. 3. Antiquit. cap. 8. & Hieronymus epistola 128. Et licèt tunicæ lineæ non tribuatur podêris nomẽ apud LXX. in Exodo, cap. 28. 39. neque ibi exprimatur fuisse talarem; ceterùm Ezechielis 9. 2. vbi legimus, *Vir vestitus lineis*, vertunt LXX. *vestitus podêre*. Vbi Hieronymus notat, podêrem quod LXX. transtulere, vnam esse ex vestibus pontificis, quæ latinè talaris dicitur; ex eo quòd ad pedes vsque descendat. Et manifestum est, ibi Hieronymum non loqui de veste hyacinthina, sed de linea: quia vox hebraica *badim*, significat linum. Atque eadem per lini nomen vertitur, vbi legimus, *balteus lini, ephod lini, vestimentum lini. femoralia lini*, &c. Atque iidem etiã LXX. eodem nomine sæpenumerò vertunt, & Danielis 10. 5. vbi Vulgata legit, *vir vestitus lineis*, transferunt LXX. *vestitus byssina*: & alij vertũt *podêre*. Zachariæ etiam 3. 4. vbi nos legimus *mutatoria*, LXX. legunt *podêrem*. vbi etiam videtur esse sermo de veste byssina. Ergo nomen podêris absolutè positum apud Hieronymum, & apud LXX. designat tunicam lineam sacerdotalem.

Vestis podêris, quæ fuerit.

B Sed his opponi potest, Primò, quia Exodi 28. LXX. appellant podêrem tunicam hyacinthinam, non verò byssinam; & similiter ibi Augustinus. Et sic etiam loquitur Philo. Et in præsenti Hugo de tunica hyacinthina exponit. Secundò, quia Ecclesiastici 45. 10. vbi nos legimus *circum pedes*, est in græco, *podêris*: & manifestè est sermo de hyacinthina. Tertiò, Sap. 18. 24. podêris designat hyacinthinam; vbi dicitur, *in veste podêris totus erat orbis terrarum*. Quartò, Hieronymus epist. 128. singillatim indicat, quousque linea illa tunica demissa esset: & ait; *vsque ad crura descendit*. Non igitur ad pedes erat demissa; atque adeò dici non potest talaris siue podêris.

Diluuntur difficultates, quæ contrà opponi possunt.

Ad Primum Respondetur; per solum nomen podêris numquam intelligunt LXX. hyacinthinam, nisi quando ab illis additur, *podêris hyacinthina*. Et tamen licèt non addant *byssina*, solo nomine podêris intelligunt byssinam, Ezechielis 9. 2.

Quæ fuerit vestis hyacinthina.

Ad Secundum, non constat an eo nomine designetur vestis hyacinthina, Eccli. 45. 10. Ad Tertium in eo loco podêris nomine significatur hyacinthina, (quamuis aliter alij exponant) sed ex adiunctis intelligitur, de quo podêre sit sermo: ac propterea nõ opus fuit ibi adiicere hyacinthinæ epitheton.

C Ad Quartum Hieronymus etiã Ezech. 9. vbi de byssina veste agit, explicat eã esse talarẽ, & ad pedes vsque descendere. Quare, quod alibi ait, *vsque ad crura descendit*; ne sibi contradicat sanctus Doctor, inclusiuè (vt aiunt) exponendũ est, id est, descendit vsque ad crurũ opertionẽ, sicut feminalia Exodi 28. 42. dicuntur descendere *vsque ad femora*, & Hieronymus exponit, *vsque ad genua & poplites*.

Denique in præsenti per *podêrem* sermonem esse de veste linea manifestum est ex Danielis 10. 5. vbi legimus, *Ecce vir vnus vestitus lineis*; ad quem locum proculdubiò respexit Ioannes, vt explicabimus notat. 11. Accedit, quòd persona hæc apparuit inter candelabra & quasi de illis curam gerens; quod non erat summi sacerdotis munus; atque ita nulla ratione cohæret, vt sacerdos inter candelabra, tunica hyacinthina vestitus apparuerit.

Nota præterea, tunicam hanc lineam, quæ appellatur podêris, esse illam eamdem, quæ appellari solet, Ephod lineum. Vide 1. Reg. 22. 18. vbi Doëg dicitur trucidasse 85. sacerdotes vestitos ephod lineo: & Iudicum 17. 5. explicatur ephod esse vestem sacerdotalem. Vbi ex contextu constat, non esse sermonem de superhumerali pretiosissimo & pontificali, sed de ephod lineo. Eandem vestem LXX. appellant *stolam sanctam*, Ezech. 10. 2. Hæ autem vestes sacerdotales non fiebant ex quouis lino, sed solùm ex byssо; vt videre est Exodi 39. 25. byssum autem esse lini genus pretiosissimum, splendens & candidum, expressè habetur Apocalypseos 19. 8. & de hoc lini genere, & eius ingenti pretio latè Plinius lib. 19. cap. 1.

Quod ad significationem attinet; podêris byssina, ministrorum templi erat vestitus & ornatus; qui religionis immaculatæ est egregium symbolum; vt videbimus notatione sequenti.

NOTATIO XI

Ad illa verba capitis primi vestitum podêre. *De symbolo lini, & de tunica byssina sacerdotali.*

Quid per podêrem & zonam figuretur.

PODERE̅M & zonam Christi figuratè accipi debere, nemo dubitat: sed quo sensu sint accipienda, in eo variant interpretes. Primò enim quidam intelligũt sermonem esse de qualitatibus, quæ verè & propriè sunt in Christo (vt ipsi loquuntur); vt de sacerdotio, quod Christus per se exercet; vel de sanctitate, & charitate, quæ in Christo sunt. Secundò, alij exponunt de iis, quos secum Christus per amicitiam coniungit: qua ratione fideles ipsi conuenienter dicuntur esse vestis & zona Christi. Notum est illud Ierem. 13. 11. *Sicut lumbare,*

D

Alcasar in Apocal.

bare, &c. Nota est significatio tunicæ inconsutilis; & visio illa qua Christus Petro Alexandrino veste discissa se conspiciendum præbuit. Tertia explicatio est de perfectione ipsorum fidelium; nempe de sanctitate & charitate, quibus suos fideles Christus exornat. Nam quia ad conditoris gloriam spectat perfectio creaturæ; ideò appositè perhibetur Deus *amictus* solis *lumine sicut vestimento*, psalm. 103. 2. Similiter ergo Christus rectè depingitur suorũ fidelium vestitus sanctitate, & charitate præcinctus. Atque hanc tertiam explicationem nos genuinam arbitramur. Quia Apocalypseos argumentum, quod in hac visione proponitur, non est aliud, quàm Christum esse mirabilem in Sanctis suis.

Podêrem byssinam esse sanctitatis symbolum.

Iuxta hæc diximus breuiter in commentario, podêrem byssinam esse egregium sanctitatis & immaculatæ religionis symbolum. Id quò ampliùs explicetur, obseruandum est Christianum populum esse populum sacerdotalem, qui Deum vera sanctitate colit & veneratur: id est, magno conscientiæ candore, & affectuum puritate. Hoc Christus significauit Ioan. 4. 23. *Venit hora quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Et Iacobus in sua epistola cap. 1. 27 *Religio vera hæc est, immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Itaque vera Dei veneratio ac religio in hoc præcipuè consistit, vt animus ab omni peccatorum labe detersus, & à terrenis affectibus abstractus, per veram iustitiam ac morum sanctimoniam in Dei vnius obsequiũ penitus incumbat. Iuxta argumentum igitur Apocalypseos, ad maximam puritatis huius religionis perfectionem ac Dei venerationem summopere conduxit persecutio aduersus Ecclesiam concitata. Per eam enim suorum familiarium animos ab omni Deus scelerum fœce eluit, & ad rerum huius vitæ fluxarum contemptionem informauit; & animi candoris, & diuini obsequij curam edocuit. Ad hoc ergo significandum nullum aliud symbolum potuit eligi aptius atque elegantius, quam podêris byssina; vt constabit ex iis, quæ subiiciam.

Byssus quid propriè sit.

Licèt byssi nomen æquiuocum sit, vt constat ex iis, quæ affert Rhodiginus lib. 23 cap. 8. receptissima tamẽ huius vocis vsurpatio est pro quadam lini specie valdè pretiosa. Sic loquitur Plinius de byssо lib. 19. cap. 1. & eodem modo loquitur sacra Scriptura. Nam vestes illæ, quæ Exodi 28. 40 42. appellantur lineæ (nempe linea stricta & femoralia sacerdotum) proculdubio factæ sunt ex byssо, quam Dominus offerri à populo iusserat, Exodi 25. 4. Atque ita eædem appellantur *byssinæ*, Exodi 39. 35. & ab Hieronymo epist. 128. & Iosepho 3. Antiqu. cap. 8. Et similiter eadem vestis appellatur *ephod lineum*, 2. Reg. 6. 14. & *stola byssina*, 1. Paral. 15. 27. Porrò linum byssinum fuisse valdè pretiosum, satis patet ex omnibus iis locis, in quibus fit mentio illius in sacra Scriptura; vt Genes. 41. 42. Esther 1. 6. Ezech. 16. 13. & 1. Machab. 14. 43. Non tamen opus est, vt in sacris byssi nomen singulariter referatur ad illud genus lini ex Achaia, quod auri pondere vendebatur; & cui solũ tribuit Plinius byssi appellationem. Sed per similitudinem tribuitur byssi nomen cuicumque optimo lino vndecumque aduecto. Optimum autem appello illud, in quo reperiantur cõditiones eæ, quibus lini pretium augetur apud Plinium; nempe *eximius candor & splendor, mirandæ tenuitas, vnà cũ densitate & æqualis fili neruositate atque constantia.* Huiusmodi linum quacumque ex prouincia sit, byssus erit. Atque ita Ægyptiam byssum variam legimus Ezechielis 27. 7. vbi varietas ad texturæ artificium videtur referenda. Quia quod ad colorẽ attinet, simplex est color byssi: atque ita candor & splẽdor commendantur in ea Apocal. 19. 8 & n. 14. Candoris autem nomine albus omnino color videtur in byssо & lino denotari. Quamuis enim Rondeletius de Piscibus part. 2. lib. 1. c. 5. referat ex Pausania, byssum Iudaicam referre colorem & splendorem auri (cuiusmodi fortasse est linum nuper ex Indicis regionibus aduectum, quod *Pittum* vulgò appellant;) de hoc tamen aurei coloris lino non videtur agere sacra Scriptura. Quia eius byssum Ioannes non solùm *candidam* appellat, sed etiam *albam*, Apocal. 19. 14. vbi græcè habetur λεῦκον pro albo. Quod sæpe in sacra Scriptura requiritur, vt byssus retorta sit; ad maiorem firmitatem videtur pertinere; vt optimè neatur & torqueatur, vt cernere est in eo linteo, quod domesticum Hispani appellamus.

Sacerdotũ vestes olim ex lino.

Quòd autem vestis byssina vel linea sit religionis symbolum, in eo nititur, quòd scilicet ea erat vestis sacerdotum. Apuleius in Apologia de lineo textu, *Sacerdotalis* (inquit) *est vestitus & amictus.* Et Herodotus lib. 2. num. 46. *Sacerdotes Aegyptij vestem tantummodò lineam gerunt, nec alsam eis induere fas est.* Verum est tamen, Plinij tempore (vt ipse tradit lib. 19. cap. 1. & lib. 4. cap. 29.) Ægypti sacerdotes gossipina veste indui solitos. Sed antiquus mos erat, vt lineis vterentur. Et Isiacos sacerdotes lino velatos, notat Hadrianus Iunius. Vtcumque hoc sit, illud est certum, in populo Israël vestes sacras sacerdotum fuisse lineas; atque eas adeò fuisse templi proprias, vt nec ipsi sacerdotes aut Leuitæ alibi ferè, nisi in templo illis vterentur. Quamuis enim 1. Reg. 22. 18. in Saulis domum conuenerint 85. sacerdotes vestiti ephod lineo: illi tamen hauddubiè ephod lineo se indũerunt, ne ita facilè contemni aut violari possent. Hoc tamen eis nihil profuit, nec obstitit, quominùs vestiti ephod lineo trucidarentur vniuersi. Rarò itaque extra templum ephod lineo induti apparebant. Vide Ezechielis 44. 17. *Cùm ingredientur portas atrij interioris, vestibus lineis induentur: neque ascendet super eos quidquam laneum, quando ministrant. Vitta linea erunt in capitibus eorum, & feminalia linea erunt in lumbis eorum.* Et num. 19. *Cumq; egredientur exteriùs ad populum: exuent se vestimentis suis, in quibus ministrauerant, & reponent ea in gazophylacio.* Ex hac animaduersione constat, eam vestem vt religiosam fuisse habitam: quamuis ea non ad sacerdotes solùm pertineret, sed etiam ad cantores & ceteros Leuitas, quando in templo ministrabant. Quia 2. Paral. 5. 12. legimus Leuitas & cantores vestitos byssinis, & filios eorum & fratres. Atque ita Samuel puer gerebat ephod lineum, 1. Reg. 2. 18. quia Leuita erat, & in templo ministrabat; siue ob peculiarem deuotionem; quemadmodum nunc puerum monachali habitu vestimus. Et hac ratione Dauid eandem vestem induit, vt in pompa coram arca Dei saltaret *accinctus ephod lineo*, 2. Reg. 6. 14. id est, *stolâ byssinâ*; vt explicatur 1. Paral. 15. 27.

Cur byssinæ vestis fuerit sacerdotum propria.

Ratio verò, cur vestis byssina ad sacerdotalis officij insigne fuerit electa, desumi potest ex iis, quas subiiciemus considerationes. Ceterùm, cùm constet lineam vestem fuisse propriam sacerdotum, & Dei ministrorum, & ad ipsorum indumenta destinatam, (loquor autem de veste extima:) ex hoc, inquam, solùm aptissimum est religionis & diuini cultus symbolum. Et in hac significatione apparet, Ecclesiam byssо vestitam à Ioanne fuisse conspectam, id est, diuino cultui penitus consecratam. Et quasi aliquis rogaret, quænam esset sacerdotalis vestis eius populi, qui regale sacerdotium appellatur; Respondet Ioannes, *byssinum iustificationes sunt Sanctorum.* Quasi dicat, propriam horum Dei sacerdotum vestem, qua à profanis distinguãtur, esse veram sanctimoniam: iuxta id psalm. 92. 5. *Domum tuam decet sanctitudo Domine, in longitudinem dierum.* Et psalm 131 9. *Sacerdotes tui induantur iustitiam.* Byssina ergo vestis, quæ Dei domus siue ministrorum Dei propria erat, aptissimum est sanctitatis symbolum. Vide Apoc. 15. 6. *angelos vestitos lino mundo & candido;* & cap. 4 4. *seniores in vestimentis albis.*

Lini proprietates & mystica earum significatio.

Prima lini proprietas.

Rationes, propter quas meritò sacerdotibus & templi ministris linea vestis fuit destinata, ex ipsius lini conditionibus petendæ sunt. Prima est *mundities*; tum quia multò meliùs detergat sordes, quàm lanea; tum quia lauari frequentissimè potest. Quare rectè Apuleius in Apologia de lineo textu, *Mundissima lini seges.* Vide Herodotum lib. 2. numer. 45. vbi ait, Ægyptios ferre vestimenta linea semper recèns abluta, huic rei præcipuè vacantes. Optimè ergo accommodatur linum mundiciæ cordis significandæ: vt fideles (qui mystici sacerdotes sunt) animaduertant curam ac diligentiam, quam in suis peccatorum maculis eluendis debent frequentissimè adhibere. Eandem significationem respiciebat mare illud æneum, in quo sacerdotes lauabantur sæpissimè. Et linum postulat frequenter lauari;

eò

eò quòd quouis macula in eo propter ipsius candorem, maximè offendat.

Secunda. Secunda conditio *simplicitas*. Nam, vt ait Plinius, *tentatum est tingi, & insaniam vestium accipere: ceterùm manst candori pertinax gratia*. Lanea ac serica fucum & adulterinum colorem facilè admittunt. At linum simplicitatis amans, illum omnino respuit. Est ergo elegans hieroglyphicum animi candidi, & ab omni fuco abhorrentis. Atque ita veræ religionis simplicitas fictionem omnem & hypocrisim auersatur.

Linum albi coloris nimium tenax.

Tertia. Tertia conditio virtutem spectat. Linum enim præstat robore & neruositate fili; vt eleganter expendit Plinius. Gossipium ac lana segnia sunt & remissa: linum verò illis multò durius atque fortius est; & ad retia atque alia eiusmodi, in quibus vi & robore opus est, maximè idoneum. In quo illud obseruatione dignũ est, quod Plinius animaduertit; esse linum, quod cùm tenue admodum sit, ita tamen sit neruosum ac robustum, vt apros in eius retia se induentes, concìdat.

Lini robur ac fortitudo.

Quarta. Quarta, *linum* (ait Plinius) *semper iniuria melius.* Quod optimè exprimit, quantopere vera sanctitas rebus aduersis, ærumnis ac persecutionibus augeatur.

Lini tolerãtia. Iniuriæ, quas tolerat linum, donec ad optatum candorem & splendorem perueniat, plurimæ sunt; scilicet *Euelli, siccari, macerari fluuio, iterum siccari, tundi malleo stupario, decorticari, scindi spathâ ligneâ, pecti ferreis hamis, neri, in filo poliri, illidi crebrò in silice ex aqua, texi, & tundi clauis.* Hinc est vt Becanus lib.2. Hermathenæ cõtendat, esse optimũ patientiæ symbolum: aptius tamen est, vt sanctitatis symbolum gerat, quæ afflictione & rerum aduersarum tolerantia semper euadit melior.

Quinta. Quinta, linum in eo differt à lana, quòd hæc est propria brutarum animantium vestis; linum verò est nobilis plantæ medulla, quæ hominum industriæ abdita asseruatur. Vnde Apuleius in illa Apologia, *Lana*, inquit, *segnissimi corporis excrementum, pecori detracta iam inde Orphei & Pythagoræ scitis profanus vestitus est.* ita lanea vestis videtur desidiam atque segnitiem indicare: & in lino saltem maior multò diligẽtia significatur.

Sexta. Sexta, mira est lini tenuitas atque subtilitas, quod valdè perpendit Plinius in thorace illo, qui in Rhodiorum insula in templo Mineruæ ostendebatur, cuius singula fila 365. filis constabant. Hieronymus etiam in id Ezech.16. *Cinxi te bysso:* ait, *Tenuissima ex byssi fila texuntur in veste pontificis.* Hoc aptum in primis est, vt denotetur hanc mysticam veræ sanctitatis vestem non crasso (quod aiunt) filo, sed tenui atque subtili esse texendam.

Mira lini tenuitas.

Septima. Septima, linum ingentem vtilitatem hominibus affert, *Orbem terrarum* (ait Plinius) *vltro citroq; portat.* Quibus verbis ponderat magna commoda, quæ ex lino ad nauigationem sequuntur. Vela enim, quibus naues vti solent, ex lino generatim conficiuntur. Vnde linum ipsum est præcipuum instrumentum, cuius ope ac subsidio maxima nauigia, tot ac tantis oneribus stipata se mari committant, & in remotissima litora nauigent. Et semine paruo nascitur gracilis & humilis auena, vt ingentes opes ac merces vtilissimæ ex aliis prouinciis in alias aduehantur. Quod mirificè repræsentat, quàm vtilis sit toti terrarum orbi Christi fideliũ sanctitas; quæ secundo diuini spiritus flamine aspirante, cælestes opes ac merces planè diuinas ad barbaras etiam Gentes & longissimè dissitas nationes comportat. Summa etiam vtilitas lini est; quòd ex eo tentoria fiant, & vela etiam in atriis, aut locis aliis patentibus intendi solita; quæ Solis ardorem arceant. Non secùs iustorum sanctitas Reipublicæ vmbraculum est ab æstu; & vitæ humanæ forum spiritualiter inumbrat, vt salutariùs homines viuant.

Lini vtilitas in nauigatione.

Ingens Achaici lini æstimatio. Magnus erat sine dubio optimæ byssi splendor; siquidem Achaica byssus auri pondere vendebatur; ita vt vncia byssi centum argenteis nummis appenderetur; aut, secundùm nouum monetæ valorem, centum decem: & libra 12. vnciis constans, mille ac ducentos argenteos valeret; seu (noua ratione) 1320. quo pretio sericum in triginta libras vendi solet. Quin addit Pausanias, Iudææ byssum Achaica fuisse præstantiorem. Si igitur magnum ipsius splendorem cum ingenti pretio

Iudaica byssi pretiosa ac valor.

A & magnis eius deliciis consideremus; facilè intelligimus abyssum aptè deseruire ad opes, gloriam atque delicias denotandas: quippe quæ res erat principum valdè propria. Vide Genesis 41.42. vbi de byssina Iosephi stola in ipsius triumpho; & Lucæ 16.19. in diuite auaro. In eâdem verò veste, prout est sanctitatis & religionis symbolum, hæc omnia optimam habent significationem. Nihil enim honorificentius, nihil præstantius atque glorioſius spiritu principali, quo Deus suos amicos confirmat. Nullæ sunt deliciæ, quæ veræ sanctitatis delicias vlla ex parte æquare possint; nullæ opes, quæ cum ipsius opibus valeant comparari.

Huc vsque de byssо, ex qua fiebat poderis sacerdotalis. Sed in ipsa etiam vestis illius textura atque figura nonnulla sunt ad eandem sanctitatis significationẽ notanda. Primùm vestis illa appellatur linea stricta, Exodi 28.4. & iuxta ea, quæ Hieronymus tradit epist. 128 ex Iosepho lib.3.cap.11. consideranda est, vt tunica clausa, quæ ad talos vsque defluat, & cum venustate strictè corpori aptetur; hoc est, absque plicaturis & sinubus, quantum commodè fieri posset: non tamen existimanda est nimis arcta, cùm supra ceteras vestes indueretur; & ea induti sacerdotes, nudorum celeritate discurrerent, vt ait Hieronymus. Habebat autem circa collum (inquit Iosephus) amplam aperturam; cuius oræ vncinis à pectore & a tergo committebantur. Verùm pro vncinis græcè est ἡρτημμένους, quasi dicat Ligatis, seu ligaturis, à verbo ἀρτάω, quod est ligare. Atque ita videntur ἡρτημμέναι esse veluti ligulæ, quas Hispani appellant *cintas* siue *alamares*. Atque hoc est, quod dicitur Exodi 28.39. *Stringes tunicam byssо;* quod sic exponunt LXX. *Cosymbi tunicarum ex byssо.* Et latina versio pro *cosymbi*, transfert, *nodi*: alij vertunt *constrictiones*. Forsan erant ocelli & orbiculi, *ossales y botones*. Hæ aperturæ & colligaturæ ad pectus & ad terga nonnihil erant demissæ; atque ita opus fuit, quò facilius vestis byssina indui posset.

Linea stricta, quanã fuerit.

Cur linea sacerdotum vestis vocaretur stricta.

Ex his infertur, quare hæc tunica dicatur stricta; videlicet non tam quòd esset arcta, quàm propter cõstrictiones illas vel nodos. Atq; ita dictio, חשבץ *thasbegh*, quam Vulgatus vertit *stricta*, LXX. transtulerunt *cosymbota*; ex hebræo redditur *ocellata*. Arias Montanus existimauit esse textorum ocellorum figuram; cuiusmodi in mappis Belgicis siue Gallicis reperiũtur. Et facit, quòd byssus Ægyptia appellatur *varia*, Ezech.27.7. & Ammonius pro *badim* (quod est byssina vel linea) transfert *tunicam variam*, Ezechielis 9.2. & Danielis 10.15. vt habetur in editione Sixtina LXX. interpretum. Nihilominùs certum est, alium esse sensum dictionis *thasbegh*. Quia LXX. testes oculati vertêre (vt diximus) *cosymbota*. Atque si Vulgatam lectionem cum græca, hebraica, cum LXX coniungamus omnes rectè conciliantur. Nam cosymbi, nodi, constrictiones & ocelli in idem recidunt in ligulis siue ocellis supradictis.

Pro dictione græca *cosymbota* ait Augustinus q.114. visum esse interpretibus Latinis honestiùs exponi *cum cornibus*, quàm *cum cirrhis*. Existimo eam versionem, quam refert Augustinus, non esse optimam; sed neque omnino aberrare. Quia cirrhi sunt crispati capilli, vel nodi ex illis facti & forsan nodi, quibus adstringebatur hæc vestis, erant aliquo modo cirrhis similes; præsertim si in constrictionibus illis erant aliquæ ligulæ cum floccis, capillorum instar; quales hodie fiunt. Forsan etiam cornua sunt flexus in ipsis ligulis adstrictis, (sicut curuitates & flexus fluminum appellantur cornua) aut aliqua erat cornuum similitudo in figura ligularum & constrictionum. Vtcumque id sit, materia cosymborum erat byssina, vt requirit textus.

Hæc omnia referenda sunt ad significandam promptam & agilem in diuino obsequio celeritatem. Atque ita D Hieronymus notat, sacerdotes hac tunicâ byssinâ indutos nudorum celeritate posse discurrere. Indutum enim esse veste minimè sinuosa, eaque nodis seu laqueis constricta, habitus est prompti atque parati.

Deinde obseruant Iosephus & D. Hieronymus, tunicas has byssinas fuisse ex duplici sindone, vel è duplicata tela; quod fortasse ad multiplicis fili structuram spectat: quemadmodum sericũ duplex dicimus, quod

Digitized by Google

duplici filo contexitur. Quo significari videtur solida ac robusta virtus, quæ nullis aduersis frangatur.

Tandem, quòd fuerit vestis talaris, à multis aptè applicatur ad virtutis perseuerantis significationem.

A Quia à capite vsque ad pedes extendi, symbolum est perseuerantiæ, à principio vsque ad finem vitæ; vt nouit Nyssenus de vita Mosis, & Gregorius Magnus 1.Reg.2. *Talaris vestis, perseuerantiæ symbolum.*

COMMENTARIVS.

ET PRÆCINCTVM AD MAMILLAS ZONA AVREA] Primùm circa visionem dubitatur, vtrùm hic modus nimis altè se accingendi, fuerit apud antiquæ legis sacerdotes in vsu positus. D. Hieronymus agens de veterum sacerdotum veste, epist. 128. ait, *Balteo stringebatur linea tunica inter vmbilicum & pectus.* Iosephus verò lib. 3. Antiquit. cap. 8. asserit, lineam vestem accingi solitam circa pectus paulò axillis inferiùs. Ad hanc altitudinem cinguli dubio procul alluditur in præsenti. Ceterùm videtur intendisse Spiritus sanctus hoc cingulum altiùs adhuc, quàm prisci sacerdotes solebant, attollere; ait enim textus, πρὸς τοῖς μαζοῖς, id est, ad mamillas; quod est, quam maximè attolli potest zona. Notandũ verò est, angelum Danielis 10.5. nõ fuisse adeò altè accinctum, cùm Propheta dicat, *Renes eius accincti auro obryzo.* At circa renes accingi, communis & est & erat se accingendi ratio, vt patet ex Iob 12.18. & Isaiæ 11.15. Porrò zona aurea alludit ad angelum auro obryzo cinctum, Danielis 10. Et obseruandum est, communem sacerdotum balteum fuisse ex byssо, purpura, cocco, & hyacintho intertextis, absque vllo auro. Balteus autem summi pontificis, quo adstringebatur superhumerale & tunica hyacinthina, ex eadem erat materia, quo balteus sacerdotum; sed erat auro intertextus. Itaque communium sacerdotum zona ex byssо & variis coloribus constabat: zona autem pontificis summi ex byssо, coloribus, & auro; quam verò Daniel zonam in angelo, & quam Ioannes in hac prima figura conspexêre, erat vtraque ex auro. Sed non opus est, eas considerare ex auri lamina; non enim inconueniens est, vt ex auro textili cogitentur. Quòd si opus est, vt non misceatur alia materia; merum aurum sine alia materia, neri ac texi potest; vt notat Plinius lib. 33. 3. B

Mystica zonæ significatio. Deinde circa significationem zonæ vide notat. 9. in principio de triplici explicandi ratione. Primò ergo, nonnulli in Christo ipso considerant, vel clementiam, qua cohibet iram; vt Andreas & Aretas: vel dignitatem regiam, vt Rupertus, Zegerus, Serranus, Pererius: vel charitatem, vt Legionensis, Ribera, & Thomas Anglicus: vel sapientiam, vt Albertus. Et erit fortasse, qui de Christi iustitia exponat, iuxta id Isaiæ 11.5. *Iustitia cingulum lumborum eius.* Secundò, aliqui Ecclesiã faciunt Christi ipsius zonam; vt Victorinus, Ticonius, Primasius, Beda. Vel aliquam Ecclesiæ partem; nam de choro Patriarcharum exponit Ambrosius. Tertia explicatio statuit id, quod est certissimum, nempe sermonem esse de Christo in Sanctis; atque adeò non esse quærendam hîc aliam zonam, nisi eam, qua Sancti sunt præcincti. Zonam ergo in præsenti de castitate Euangelica exponunt Chrysostomus, Gregorius, Haymo, Anselmus, Richardus, Glossa, Albertus, Lyra, Pannonius, & plerique alij. Eôdem spectat communis ferè expositio eorum verborum Lucæ 12.35. *Sint lumbi vestri præcincti.* Præterea zonam hîc de pietate Christiana, vel de timore & reuerentia interpretantur Abbas Ioachimus atque Dionysius. Hæ sunt explicationes aliorum, quas referre visum est: vt omittam alias de Incarnatione, & de Zodiaco. Vt autem meam sententiam aperiam, eam quatuor ad puncta reducam. C

Varia aliorum explicationes.

Auctoris sententia. Primò igitur assero, hoc symbolum zonæ propriè spectare ad præparationem animi & promptitudinem in Dei obsequium. Probatur Primò, quia zona vestem podêrem comitatur: & vtraque spectat ad sacerdotis habitum. Sacerdotes verò ad id accingebantur, vt expediti essent atque parati ad templi ministeria. Secundò probatur, qui illa etiam phrasis Lucæ 12.35. propriè spectat ad præparationem; vt egregiè ibi probat noster Maldonatus ex Cypriano, & ex variis sacræ Scripturæ locis. Tertiò, quia hæc erat Orientalium regionum consuetudo, longis scilicet vti vestibus: ideoque qui ministraturi erant, aut iter acturi, collectam vestem cingulo stringebant ad lumbos; ne sibi impedimento esset. Iuxta hanc igitur consuetudinem, præcingere se aut lumbos accingere, idem erit, quod se ad iter vel ad ministerium comparare. Nam in modo apud Orientales vsitato induendi se, extimam vestem accingere alioqui non solebant: atque id colligitur tum ex sacra Scriptura, tum ex antiquis picturis, siue numismatis. D

Altè se præcingere, quid mystic. Secundò assero, altè se præcingere, maiorem præparationem & promptiorem diligentiam significare. Hoc constat ex Horatio sat. 5. lib. 1. *Hoc iter ignaui diuisimus; altiùs ac nos Præcinctis vnum.* Et ex Plauto in Amphitr. *Cingitur; certè expedit se.* Et ea est sine dubio causa, quòd sacerdotes soliti essent altè se præcingere, quod Iosephus affirmat. Turnebus etiam lib. 15. Aduersariorum cap. vltimo, vbi agit de altè cincto, & Sigonius lib. 3. de Iudiciis, cap. 19. aduertunt, morem altè se cingendi propriũ fuisse sacerdotum. Quod apertè significabat eos promptos atque paratos esse ad Dei obsequium. Ex his constat, rationem, cur in hac visione adeò altè cingulum fuerit sublatum, eam fuisse; vt indicaretur Christi seruorum ac familiarium ad ipsius Christi ministerium præparationem ac deuotionem esse multò maiorem, quàm illam, quæ in antiquis cernebatur.

Zona aurea quid. Tertiò, quòd zona sit aurea, meo iudicio, significat charitatis aurum esse, quod magnã in primis affert diligentiam ad res Dei ministerio conuenientes. Ideò enim vetus illud cingulum in zonam auream commutatum fuit; cùm alioqui ad significandam præparationem satis fuisset altissimè præcingi (id est ad mamillas) vt animaduerteretur, charitatem Dei & proximorum esse, quæ hanc magnam diligentiam & celeritatem secum afferat; dum pectus corroborat atque cõstringit. Ad robur

spectare

Digitized by Google

A spectare potest id Isaiæ 22. 21. *Cingulo tuo confortabo eum.* Et ad constrictionem, insignis est ille Pauli locus 2. Corinth. 5. 14. *Charitas Christi vrget nos.* & Coloss. 3. 14. *Vinculum perfectionis*, id est perfectum, quod aureæ zonæ egregiè conuenit. His adiungitur leges optimè dici constringere & obligare; & ad auream charitatis legem siue zonam Christum suas omnes leges reuocasse. Hoc verò est cingulum, quod pectus stringit, & constringendo locupletat & exornat. Ex ea constrictione, mira diligentia in diuini obsequij operibus intelligitur. Atque huic zonæ egregiè conuenit esse *zonam gloriæ*, vt loquitur Ecclesiasticus 45. 8. & *balteum regum*, Iob 12. 18.

Quartò assero, non ideò expositionem de Euangelica castitate esse reiiciendam, cùm eam multi auctores, illiique grauissimi amplectantur. Atque eam recepisse videtur Ecclesiæ consuetudo in oratione, quam sacerdos recitat, cùm se sacro cingulo adstringit, *Præcinge me, Domine, cingulo puritatis: & extingue in lumbis meis humorem libidinis*, &c. Hæc tamen explicatio debet ad nostram de charitate reduci. Propriũ enim cinguli est efficere, ne vestis hac illac diffluat: & vbi primùm in superuacuas cogitationes ac præsertim impuras distrahimur; quasi diffluit vestis: quod nobis magno est impedimento, ne celeres & expediti res ad diuinum obsequium spectantes executioni mandemus. Zona autem, quam Ioannes vidit, non lumbos, sed pectus stringebat. Cui optima significatio inest, scilicet Christiana charitate, non solùm turpes actiones & affectus cohiberi, sed etiam cordis cogitationes. Quamobrem rectè notauit Chrysostomus, per zonam in lumbis legem antiquam significari,
B Euangelium verò per zonam ad mamillas. Et Gregorius ait aurea zona ad mamillas refrænari non solùm operis, sed etiam cordis luxuriam.

Illud insuper addo, consentaneum valdè fuisse, vt in hoc Apocalypseos prologo, (qui totum argumentum debet complecti) aliquid de Christianæ charitatis perfectione diceretur, quæ Euangelicæ perfectionis (de qua adeò fusè in Apocalypsi agitur) est summa: & singillatim agitur etiam in Apocalypsi de charitate & de magno incremento, quod illa in persecutionibus accepit, nempe in sigillo secundo, cap. 6. & in thuribulo, cap. 8. & in libello, cap. 10.

NOTATIO XII.

Ad illa verba capitis 1. Præcinctum zona aurea; *de symbolo auri ad charitatis significationem.*

INTER symbolicas auri significationes, nullam inuenio, quæ illi aptiùs conueniat, quàm sanctitatis perfectio, quæ in charitate perfecta consistit. Atque hoc modo auri symbolum accipiunt Augustinus, Hilarius, Gregorius, & Richardus de S. Victore apud Lauretum. Et eôdem fortasse spectant, qui ad opera perfecta id applicant; vt Arnobius, Ambrosius, Hieronymus. Et qui de perfectione obedientiæ exponũt; vt Origenes, Gregorius & Beda apud eundem. Nos directè de charitatis perfectione interpretamur. Ad quod nouem sunt per ordinem in auro consideranda, scilicet *generatio, splendor, pondus, facilitas materiæ, constantia, munditia, medicina, miracula, pretium.*

Aurum charitatis symbolum.

Nouẽ in auri symbolo considerãda.

Ac primò, generatio.

Primò, in auri generatione, seu productione notandum est, quod ait Plinius lib. 33. cap. 3. *Cetera metalla igni perficiuntur. hoc statim aurum est, cùm capitur. Inuenitur autem tribus modis, scilicet fluminum ramentis, puteorum scrobibus, & ruina montium.* Deinde obseruandum est ex eodem Plinio, aurum nasci semper cum aliqua argenti mistione. *Omni auro*, inquit, *ineſt argentum vario pondere, quòd si quinta pars fuerit argenti, appellatur electrum* Hæc Plinius. Sunt tamen qui pro certo asserãt, alicubi nasci cũ aliquo eris põdere admixto.

Aurũ argento mistũ inueniri.

Quid in auri generatione symbolicè figuretur.

Auri in hac parte significatio facilis est. Nam licèt vera charitas in ipso conuersionis exordio producatur; ferè tamen affectus alios bonos quidem, non tamen ita perfectos tunc habet admixtos. Quòd verò semper aurum cum argẽto mixtum reperiatur; significare potest mutuam conspiratiõnẽ, quam charitatis aurum cũ sapientiæ argento habet. Argento enim sapientiam designari, ex aliis sacræ Scripturæ locis notum est. Et propterea videtur Deus coniunctione auri cum argẽto delectatus, tum in naturali productione; tũ in sacræ Scripturæ symbolis. Vide Cantic. 1. 11. *Muranulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Et Zachariæ 6. 11. *Sumes aurum & argentum, & facies coronas.* Huc spectat illud 1. Cor. 13. 6. *Charitas congaudet veritati.*

Argento sapiẽtiã significari.

Item aurum reperiri in fluminum ramentis, denotat in sapientiæ fluminibus nasci veræ charitatis au-
C rum; in contemplationis etiam puteis altè defossis similiter inuenitur: necnon in ruinis montium; id est, in maximis laboribus atque ærumnis, in quibus perfecta Dei charitas apparere solet.

Secundò, splendor.

Secundò, quod ad auri splendorem attinet, illud obscurare affectat Plinius; fortasse vt auri contemptor videatur. *In argento*, ait, *clarior est color, magisq; diei similis; & ideo militaribus signis familiarior: quoniã is longiùs fulget: manifesto errore eorum, qui colorem siderum placuisse in auro arbitrantur.* Hæc ille. Communis tamen æstimatio est, solis radios aureos videri & appellari; atque aurum ipsum ceteris metallis splendidius esse. Gregorius explicans id Apoc. 21. *Ipsa verò ciuitas aurum mundum*, ait: *Auri metallum nouimus potiori metallis omnibus claritate fulgere.* Nonnihil facit illud 1. Machab. 6 39. *Refulsit sol in clypeos aureos, & resplenduerunt montes ab eis; & resplenduerunt sicut lampades ignis.* Prætẽrea illud aurum melius reputatur, quod colorem ignis magis refert, *vt simili colore* (ait Plinius) *rubeat, quo ignis: ipsumq; obryzum vocant.*

Quid per auri splendorem.

D Splendor eximius auri ad miram charitatis gratiam & splendorem referri potest, vel potiùs ad regium charitatis ornamentum. Charitate enim vestiri, est quasi auro textili apprime elaborato ornari. Vide psal. 44. 10. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato.*

Tertiò, pondus.

Tertiò, in auri pondere manifestè hallucinatur Plinius: ait enim, *aurum non pralatum esse pondere omnibus metallis, cùm cedat plumbo.* Cõtrarium tamen post alios exactissimè noster Villalpandus experimento ipso demonstrauit; vt ipse ait tom. 3. in Ezechielem fol. 302. & iuxta ipsius examen, proportio auri ad plumbum in pondere maior est, quàm 3. ad 2. ad argentum maior, quàm 9. ad 5. ad æs cyprium siue cupreum maior, quàm 2. ad 1. ad ferrum maior, quàm 7. ad 3. ad argentũ viuum eadem est proportio, quæ 5. ad 4. ad stannum denique vt 5. ad 2. Verum est tamen non adeò mihi esse compertum, vt Villalpãdus statuere videtur, æquale scilicet esse pondus in eâdem cuiusque metalli specie; id est, in magnitudine æquali nullum esse aurũ purum alio puro

Aurum ceteris metallis ponderosius.

Auri proportio in pondere ad cetera metalla.

auro

auro ponderosus. Ego non valdè mirarer, aliquod aurum reperiri, quod plus ponderis alio haberet; & aliquod plumbum leuius alio. Nam inter margaritas notum est, Orientales Occidentalibus esse multò leuiores. Et inter præcipuas margaritarum dotes pondus iure numeratur; sic enim Plinius, *Omnis dos in candore, magnitudine, orbe, lauore, pondere.* Nihilominus tamen certissimum est, aurum rem esse ceteris omnibus grauiorem. Quare, si Plinius fieri iussit duos globos eiusdem magnitudinis; alterum aureum, alterum plumbeũ, vt vtriusque pondus examinaret; fortasse ei aurifex imposuit, & pro auro supposuit argentum inauratum. Neque enim probabile est Plinij tempore, aut plumbum tanto fuisse grauius, quàm nostrum; aut aurum tanto leuius. Hæc de pondere. Ipsius autem significatio, cum pretij significatione videtur coniungenda. Illud tamen ex Augustino addi potest, *Pondus meum amor meus*; amor enim amantem propter amicum ad quãlibet rem quantumuis abiectam suo pondere demittit. Quin & Deum ipsum ad infima terrarum sola deduxit.

Pretiosa margarita vnde æstimentur.

Quid per auri pondus.

Quartò, in materiæ facilitate Plinius plumbum auro anteponit. Et quidem mollius esse plumbum, non inficior. Sed si omnia perpendamus, multò maior est materiæ facilitas in auro. Primò enim plumbum minimè potest in tantam tenuitatem reduci, atque aurum. Ex auro verò videtur quodammodo mathematicæ superficies, lineæ atque puncta fieri posse. Quod licèt hyperbolem contineat; mirum tamen valdè est, quantopere possit attenuari aurum. Notat Plinius, auri vnciam in septingenas & quinquagenas bracteas, quaternùm vtrimque digitorum dilatari: & iuxta hanc diuisionem, ex vno nummo aureo nostrorum (ex quibus octo cum dimidio conficiunt vnciam) efficiendi erant 88. panes aurei, (quos vocant,) quaternorum vtrimque digitorum. Hoc tamen tempore fieri videntur plusquam ducenti. Singuli enim æstimantur tribus marauedinis: atque adeò ducenti panes, sexcentis. Quòd si tertia huius valoris pars, manuum structuræ ac labori assignetur; auro ipsi 200. panum solùm manent 400. marauedini; qui æquus est nostri nummi aurei valor. Itaque hodie ad tenuitatem duplo maiorem redigitur aurum, quàm Plinius existimauit; cùm tamen ipse dicat, *Nihil laxiùs dilatatur.* Præterea filum, quod ex auro integrum ducitur, adeò est subtile; vt lineam Mathematicam quodammodo referat; id quod Plinij etiã tempestate ita fiebat. Ipse enim ait, *Super omnia netur ac texitur lana modo, & sine lana. Tunicâ aureâ triumphauit Tarquinius Priscus: & Agrippina Claudij vxor inducta est paludamento auro textili, sine vlla altera materia.* Præter hæc, facillimè aurum redigitur in puluerem tenuissimum; idque vel eo liquore, quem *aquam fortem* appellamus; vel etiam fumo ex plumbo; vt tradit Guillielmus Gilbertus in suo libro de Magnete. Nec solùm fit aurum puluis tenuissimus, sed etiam potio; ita vt nõ edi tantùm possit, sed etiam salutariter bibi. Porrò ex hac materiæ facilitate prouenit, vt in auro possit scribi, & res aliæ quælibet páruo impendio inaurari. *Marmori & ijs, quæ candefieri nõ possunt, oui candido illinitur: ligno glutini quadam ratione; æs inauratur argento viuo, & hydrargyro.* Ad eandem facilitatem spectat, quòd *palea citissimè aurum ardescat; cùm alioqui pruna ligni violentissimi indomitum sit*; vt notat Plinius. Hæc in auro facilitas materiæ, significat charitatem omnibus sese facilè accommodare; vnde Paulus, *Omnibus omnia factus sum*, 1.Cor. 9.22. Quòd verò aurum subtiliter ad inaurandũ dilatetur, mirè charitatem exprimit. *Quia vniuersa delicta operit charitas*, Prouerb. 10. 12. & Iacobi 5.20. & 1. Pet 4 8. & quid est adeò vile & squalidum, quod inauratum non splendidè & ornatè tegatur?

Quartò, materiæ facilitas.

Quanta sit auri facilitas præ plumbo, & ceteris metallis.

Vsus omnino aurea Tarquinius olim Priscus & Agrippina vsi.

Quid per auri facilitatem figuretur.

Quintò, auri constantia admiranda planè est. Commune est omnibus metallis fusilia esse atque ductilia: auro verò peculiaris inest firmitas & constantia. In primis, *auro, rerum vni, nihil igne deperit: tutò etiam in incendijs rogisq; durante materia. Quinimò quò sapiùs arsit, proficit ad bonitatem*, Plinius; &, *in Igne probatur aurum*, Ecclesiast. 2.5. Quàm igitur mirabile est aurum vel toto anno in ignem iniectum nulla ex parte consumi, & perfectius semper euadere? Deinde non minùs eadem apparet constantia auri *contra salis & aceti succos domitores rerum*: & contra eum etiam succum, quem aquam fortem appellant. Tertiò, quòd adeò possit attenuari, vt iam vidimus, nec frangatur; id etiam ad constantiam eximiam spectat. Quartò, *quàm minimum vsu deteritur; cùm argento, ære, plumbo linea producantur, manusq; sordescant decidua materia.* Quintò, huc spectat prunæ ligni violentissimæ indomitum esse aurum: cùm alioqui paleâ citissimè ardescat, vt iam diximus.

Quintò, auri constantia.

Auri quàm minimum vsu deteri.

Hæc constantia valdè est charitatis propria, *Charitas enim numquam excidit*, 1.Cor. 13.8. *Et tamquam aurum in fornace probantur iusti*, Sapient. 3.6. Vera namque sanctitas aduersitatum ac tribulationum igne non decrescit, sed perficitur; non minuitur, sed augetur. Nec horribilis ignis violentiam extimescit, nec ipsius vi liquefit, aut mollitur. *Charitas patiens est: omnia suffert, omnia sustinet*, 1.Cor. 13 n 4.

Quid per auri constantiam.

Sextò, nullum est metallum adeò mundum. Ceterorum contrectatione manus commaculantur. *Manus sordescunt decidua materia.* Auro verò nequaquam. Deinde; *Non rubigo vlla, non aerugo, non aliud ex ipso, quod consumat bonitatem, minuatue pondus.* Charitas item limpidissima est; ab auaritiæ & ambitionis sordibus valdè aliena, *non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt*, 1.Cor. 13. 5. abhorret à peccatorum maculis; *non gaudet super iniquitate.*

Sextò, auri munditia.

Quid per auri munditiam.

Septimò, *aurum plurimis modis pollet in remedijs: vulneratisq; & infantibus salutariter applicatur.* Quod non maleficorum veneficio, sed naturæ potiùs beneficio præstari verisimile est. Deinde ignis cauterium auro impressum nihil carnem lædit; & neque sentitur ferè, neque inustæ notæ vestigium vllum relinquit. Præterea de auro potabili multa, eaque miranda chymici prædicant: & Martinus del Rio libr. 1. de Magia cap. 5. asserit, eã rem non esse minùs vtilem ad sanandũ, quàm ad alendum; & quoad fieri possit, vitam propagandam. Ceterùm difficillimum est aurum potabile conficere, in quo permulti in cassum laborarunt. Hęc de medicinis aptè possunt deseruire ad illud, quod Paulus de charitate affirmat, cùm ait, *Charitas benigna est*, id est, benefica. Et hoc est verum aurum potabile, quod tribuit immortalitatem, iuxta id Ecclesiast. 6. 16. *Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis.*

Septimò, auri remedia.

Quid per auri remedia & medicinas.

Octauo, inter auri miracula recenseri possunt multa ex his, quæ diximus de facilitate materiæ, eiusque constantia: necnon illud quod tradit Plinius; scilicet prunæ violentissimi ligni indomitum esse; paleâ verò citissimè ardescere. Huc etiam spectat, quæ de electro tradit Plinius lib. 33 cap. 4. *ad lucernarum lumina, clariùs argento splendescere* Et illud præsertim; *Electrum, quod natiuum est, venena deprehendit: nam discurrunt in calycibus arcus cælestibus similes cum igneo stridore; & geminâ ratione prædicunt.* Hanc fortassis ob causam natiuum electrum pluris fit, quàm purum aurum: nec immeritò. Dè factitio enim id non est verisimile; cùm perfacile factu sit, quatuor auri partibus vnicam argenti admiscere. Aliud præterea non minùs mirum recensęt his verbis Plinius: *Non prætereibo miraculum. Si auro liquescenti gallinarum membra misceantur; consumunt illud in se. Ita hoc auri venenum est.* Huc etiam fortasse spectat, quod addit ipse Plinius, *Auro superlato esse vim maleficam, gallinarum & pecorum fœturis.* Itaque aurum & gallina nescio quid inter sese oppositionis & antipathiæ habent.

Octauò, auri miracula.

Mira natiui electri proprietas.

Liquescẽs aurum iniectis gallinæ membris consumi.

Auri & gallinæ antipathia.

Prædicta auri, præsertim cum argento coniuncti (id est, electri) miracula elegantissimè exprimũt magna illa & admiranda, quæ charitas (siue sanctitas) cum sapientia coniuncta edit. Qua de re latè Apocal. 11. agitur sub nomine duorum illorum testium. Quòd verò clarissimè splendescat, & à veneno liberet, iridis cælestis specie ostensâ cum igneo stridore: hæc (inquam) omnia mirificam habent applicationem, de qua cap. 4. Oppositio autem & repugnantia quam aurum habet cum gallinæ carnibus, fortassis innuit, timiditatem (quæ per gallinam animal imbelle ac timidum denotatur,) charitati esse contrariam, aut corporis potiùs delicias & blandimenta.

Quid per auri miracula figuretur.

Nonò, dignum valdè obseruatione est, aurum argento tantopere æstimatione præferri, vt auri vncia eodem pretio ac 12. vnciæ argenti æstimetur. Atque id etiam

Nonò, auri æstimatio.

Digitized by Google

etiam receptum est in auro & argento, cum legitima æris admixtione cõflatis: sic enim auri vncia 100 valet argenteos; nec plus valoris habent 11. argenti vnciæ, sed aliquanto minus. Et maius est pretij discrimen inter aurum purum & purum argentũ. Nec verò hoc est nouum inuentum, sed antiquissima potiùs æstimatio; vt constat ex Platone. Quòd si attendatur non auri pondus, sed æqualis auri atq; argenti magnitudo; globus ex auro puro, pluſquàm 20. argẽtei globi eiusdem molis, (si cetera sint paria) æstimatur. Denique licèt gemmæ sint ac margaritæ, quibus homines plus valoris ac pretij, quàm auro detulere; ceterũ ad numismata, quæ ad hominum commercia sint recepta, nihil est quod non sit auri pretio multò inferius.

A Iam ingens auri pretium ad maximam charitatis æstimationem aptè refertur; quæ est veluti vsitatum numisma, pro cuius valore ac pretio hominum merita æstimantur ac rependuntur. Nec aliquod est promeritum, quod possit cum charitatis valore conferri. Quin imò sine illa nihil est, quod in Dei æstimatione alicuius pretij sit. Vide 1. Corinth. 13. 1. *Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam*, &c. Vbi multa in hanc sententiam præclarè tractat Apostolus. Et tandem concludit, *Maior autem horum est charitas.* Vide etiam Apocalypsis 3. 18. *Suadeo tibi emere aurum ignitum probatum, vt locuples fias.* Hac enim diues est & locuples homo, & absque illa inops ac pauper. *Quid per auri æstimationem.*

COMMENTARIVS.

B CAPVT AVTEM EIVS, ET CAPILLI ERANT CANDIDI, TAMQVAM LANA ALBA, ET TAMQVAM NIX] Quod ad visionem attinet; sunt qui notent, Ioannem nihil dicere de barbę canicie, sed tantùm de canicie capitis. Aptius tamen videtur, vt capillorũ nomen ad barbam etiam extendatur: quia vox græca τρίχες, pro qua noster vertit *capillos*, ad barbam quoque refertur. Atque ita non est inanis repetitio, *caput autem eius & capilli.* VERS. 14. *Capillorum nomen quò se hic extendat.*

TAMQVAM LANA ALBA, ET TAMQVAM NIX] Niuis comparatio applicari potest vel proximè ad lanã; ita vt dicatur canos fuisse instar lanæ candidissimæ. Vel proximè etiam potest ad canos referri: ita vt duplex sit comparatio, altera lanæ candidæ, altera niuis. Et vtrouis modo eôdẽ recidit sensus. In niuis autem comparatione videtur non solùm haberi respectus ad candorẽ; sed etiam ad pulchritudinem & splendorem. Nonnulli de propriis lanæ ac niuis qualitatibus, nempe de calore & frigore hîc philosophantur: sed omnino extra rẽ. Quorsum enim hæc ad canos, de quibus agitur?

Sed gradum iam ad caniciei mysterium faciamus. Multi de Christi æternitate, vel de ipsius sapientia interpretantur. Suprà tamen vidimus, in hac visione non agi de Christo in se ipso, sed in suis fidelibus. Quare omnino existimo, sermonem esse de mira Ecclesiæ Christianæ sapientia. Hic C enim sensus valdè cohęret cum prȩcedentibus. Etenim podẽris & zona significant (vt diximus) fidelium sanctitatem, & charitatem. Atqui congruentissimè fit, vt sanctitati & charitati sapientia adiungatur. Ordo præterea inter tria hæc mirificè seruatur; quia prius est mundari à peccato & sanctificari; mox virtutum perfectionem in feruore charitatis amplecti; & posteà alios docere & instruere per sapientiam. *Quid canicies significet.*

Deinde canicies est optimum sapientiæ symbolum. Vide Prouerb. 20. 29. *Dignitas senum canicies*, scilicet propter sapientiam, quam cani præ se ferunt, & Eccli. 28. 8. *Corona senum multa peritia.* Iob 12. 12. *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Sapientiæ 4. 9. *Cani sunt sensus hominis.* Et meo quidem iudicio ad Dei sapientiam spectat id Danielis cap. 7. 9. 13. 22. *Antiquus dierum sedit*, &c. Agitur enim de Deo ibi, tamquam de summo rerum omnium moderatore per infinitam sapientiam. *Canicies sapientiæ symbolum.*

Præterea in hac prima visione, quæ summam Apocalypseos claudit, non decebat inuolui silentio magnam Christiani populi sapientiam; quæ mirum in modum excreuit iis persecutionibus, de quibus in hoc libro agitur. Per illas enim Christus suam docuit Ecclesiam Christianæ Philosophiæ fastigium. Et ad hanc Christianæ Ecclesiæ sapientiam spectat apertio sigillorum, quę Iudaico populo denegata, Ecclesiæ Christianæ cõcessa fuit. Et sanè Iudaici populi sapientia, si cum Christiana comparetur, nondum erat caniciem & maturitatem assecuta.

Lanæ autem ac niuis comparationes ideò hîc coniunctæ sunt; vt vna ex parte magna senectus in laneis capillis repræsentetur; ex alia verò ingens gloria in natiuo candore niuis atque nitore. Quo D significatur, sapientiæ celsitatem, qua Ecclesia Christiana splendescit, illi esse glorioſissimam. *Quorsum lanæ ac niuis comparationes hic coniunctæ.*

Adhæc existimabit aliquis, huius figuræ canicie indicari Christianæ religionis antiquitatem; de qua latè & eleganter Eusebius lib. 1. historiæ cap. 4. Augustinus to. 1. lib. 10. Cõfess. c. 43. & to. 2. epist. 49. ad Deo gratias, in solutione q. 2. & epist. 105. ad Innocentium Pap. & epist. 157. ad Optatum; & to. 4. lib. de Catechizandis rudibus, cap. 19. & lib. de Patient. cap. 21. & tom. 7. lib. 3. contra duas epist. Pelagianorum c. 4. Ambrosius lib. 10. in Luc. cap. 22. Tertull. in Apologet. aduersus Gentes, Clemens Alexandrinus in Orat. adhortat. ad Gent. in fine, & ibidem Heruetus, ac D. Thom. 1. 2. q. 107. a. 1. Et dici posset, huius figuræ caniciem eleganter respondere illi obiectioni quam Ecclesiæ hostes initio illi opponebant de religionis nouitate. Hi enim cani significare videntur Christianam religionem fuisse Iudaicis ritibus ac cæremoniis multò antiquiorem; non solùm quòd in ipsius fundamentis ac figuris admirabilis huius templi structura à mundi nascentis exordiis fieri cœpta fuerit; sed etiam quia reuera antiqui patriarchæ & prophetæ Christiani fuisse censendi sunt; vt docet D. Thomas suprà citatus. *Christiana religionis antiquitas.*

Atque hæc explicatio de antiquitate Christianæ religionis fortasse non erat abs re: ceterùm altera illa interpretatio de Ecclesiæ Christianæ sapientia est multò aptior & conuenientior.

Canticorum 5. 11. legimus, comas sponsi esse nigras: sed sicut in prȩsenti cani habent sensum elegantem; ita etiam ibi comæ nigræ (vt suo loco dicemus;) neque alia concordia opus est, quàm vtriusque loci intelligentia.

ET

Oculi vt flamma ignis quid innuant.

ET OCVLI EIVS TAMQVAM FLAMMA IGNIS] Dubitandum non est, quin hoc sit proprium iræ symbolum. Vide cap. 11. 19. vbi describuntur bestiæ quædam terribiles, *ira plenæ, vaporem ignium spirantes, horrendas ab oculis scintillas emittentes.* Iob etiam 19. 6. de flamma oculorum sermo est sub illis verbis, *terribilibus oculis*; vt explicat Mercerus verbo, עטף *latas.* In præsenti verò sermonem esse de ira Christi, patet euidenter Apoc. 19. 12. & c. 2. 18. Cur autem iratis oculi maximè rubescant, disputat Aristoteles in problem. sect. 31. problem. 3. & respondet, præsidium caloris in eam partem tamquam violatam transmitti; quæ & sensu & motu facilior est. Vtcumque hoc sit, hic modus exprimendi hominem iratum vsitatissimus est apud profanos etiam auctores. Homerus enim Iliados 19. v. 16. vbi agit de Achille, ait; *Oculi eius tamquam flamma,* ὥστε σέλας. Et iterum ad finem eiusdem libri: *Dentes quidem eius stridebant: oculi verò splendebant vt flamma ignis, & cor illius subibat intolerabilis ira.* Virgilius etiam 3. Georg. *Flammantia lumina torquens.* (sermo est de angue.) Et Georg. 4. Proteo tribuit ardentes oculos præ ira. & lib. 6. Æneid. agens de Charonte, *Stant lumina flamma.* Et lib. 7. de Alecto, *Flammea torquens lumina.* Seneca lib. 1. de Ira cap. 1. iratum hominem describit *micantibus oculis.* Et lib. 2. cap. 35. sic ait; *Flammâ lumina ardentia.* Vbi Lipsius similia ex Homero & Lucretio affert. Cicero etiam in Verrem sic loquitur, *Ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat.* A

Duplex Dei ira in Apocal.

Adhæc obseruandum est, duplicem Dei iram in Apocalypsi depingi; alteram antiquam, alteram nouissimam: illam in plagis tubarum, in quibus se aduersus Iudaicum populum ostendit iratum; hanc verò in phialarum plagis, quibus suæ aduersus idololatriam indignationis ingens præbet argumentum, per ipsius euersionem & conuersionem peccatorum. De hac ira nouissima diximus in prolegom. notat. 24. & 25. Perspicuum autē est, in oculorum ardentium symbolo vtramque irā, tam primam quàm nouissimam indicari: vt patet Apoc. 19. 12. vbi sermo est de Romani Imperij cōuersione, & Christus flammeis oculis depingitur. Atque hac ira nouissima non solùm fuit vsus Christus aduersus idololatras, sed etiam erga decimam Hierosolymæ partem, quam Euangelio subiecit. B

Hæc cùm ita sint; aliquis fortè opinabitur, cùm duo sint huius figuræ oculi, in læui oculi flammis iram priorem denotari; in flammis verò dextri, posteriorem seu nouissimam, quæ gratiosa hominibus est. Sed vereor hanc significationis distinctionem oculi sinistri à dextro, subtiliorem esse, quàm solidiorem. Nam in nouissima ira rectè consideratur Christus flammas oculis euomens, absque vlla dextri aut læui oculi distinctione. Quare planiùs ac veriùs iudico sine aliquo discrimine, Christi oculorum flammas de ipsius ira intelligere; quæ interdum aduersus sola peccata feratur, interdum etiam aduersus ipsos peccatores. Atque vtrumque in suæ Ecclesiæ beneficium redundat. Nam dum sceleratos debito supplicio afficit, iustos de suis hostibus vlciscitur.

Sed obiicies, hāc Christi irā, siue primam siue nouissimā, esse virtutem ac perfectionē Christi in se ipso, quod minimè videtur esse ad rem in huius visionis declaratione: siquidē in ea, vt suprà ostēdimus, non agitur de Christo in se ipso, sed quatenus per suos res mirandas operatur. Respondetur, in Christo quidem propriè nō esse iram. Quare nō agitur de propria ira, sed de ipsius effectu in peccati destructione, siue in peccatoris supplicio. Ad argumentū verò Apocalypseos non spectant solùm admirabilia, quæ Christus in suis fidelibus operatur: sed supplicium etiā, quo in Ecclesiæ hostes animaduertit: hoc enim etiam facit ad Christianæ Ecclesiæ gloriam. Præterquàm quòd præcipuus Christi iræ effectus est, peccatorum conuersio. Et licèt hæc ira in iis exerceatur, qui hostes priùs fuerant; non tamen eos in eodem hostium statu relinquit, sed ad suam amicitiam traducit, & Ecclesiæ filios efficit. Atque hæc est maxima Ecclesiæ victoria, vt ex hostibus amicos atque filios reddat. C

Cur Christi ira in ipsius oculis exprimatur.

Præterea, iram Christi in ipsius oculis depingere, elegantiæ fuit; iuxta id quod Aristoteles ait loco suprà citato, oculos scilicet inflammari; quia ad partem violatam ascendit calor. Quòd si hoc ita est; aptè depinguntur oculi Dei ira inflammati: eò quòd peccator diuinæ maiestatis oculos offenderit, rem sceleratam coram ipsis patrando, & oculos maiestatis eius prouocando, vt loquitur Isaias cap. 3. 8. Et fortasse etiam oculorum Christi flammæ significant iræ Dei nullum peccatum abscondi posse. Quæ enim tenebræ impediant perspicientiam, cuius oculi iaculantur claram lucem? facit illud Ierem. 32. 19. *Oculi eius aperti sunt, vt reddat filiis Adam secundùm fructum adinuentionum eorum.*

Quid hic per pedes.

VERS. 15. ET PEDES EIVS SIMILES AVRICHALCO, SICVT IN CAMINO ARDENTI] Per pedes non defuit qui non pedes ipsos intelligeret; sed hypopodion, siue scabellum pedum, in quo insistere somniatur persona illa, quæ primò Ioanni apparuit. Sed hoc ridiculum est, & ex eo loco Danielis 10. 6. ad quem hîc alluditur, conuincitur falsitatis. Præterquam quòd figura hæc non insistebat scabello; quia ambulabat in medio candelabrorum, vt suprà vidimus. D

De aurichalco varia aliorum opiniones.

Pro aurichalco contendit Nebrissensis legendum fuisse *chalcolibano*; & sermonem esse de thure masculo. Sed hoc est improbabile, vt videbimus notat. 14. De succino accenso quidam. Sed hoc etiam est improbabile. Alij explicant de ære, cui admistum sit pseudargyrum; sic enim æs cogitur imitari auri colorem, de quo Strabo lib. 13. Huiusmodi est factitium aurichalcū, quod Hispani appellant, *açofar*, siue *laton*. Sed constat in sacra Scriptura, & præsertim in hoc loco, non esse sermonem de eiusmodi aurichalco. Vidè Rhodiginum lib. 19. cap. 9. Alij existimabunt chalci aut æris nomen hîc posse accipi pro ea ferri specie, ex qua gladij acies conflatur. Sic enim nonnulli exponunt nomen hebraicum *nehhoseth*: vt videre est in Thesauro hebraico. Et facit Primò vicinitas hebraicarum vocum. Quia *nahhus* est acies ferri: & *nehhoseth* æs candens. Et Prado Ezech. 1. in expositione non videtur hæc distinguere, num. 7. ait enim: *Quasi æs vel chalybs candescens.* Facit secundò, quòd etiam apud Græcos & Latinos χάλκος & *æs* aliquando pro chalybe vsurpatur. Nihilominus constat, illud æs montis Libani, ex quo factæ sunt columnæ æneæ, & mare æneum, & cetera vasa, non fuisse ferrum; sed proprium æs, idque valdè pretiosum, vt in notat. 14. constabit.

Prado

Digitized by Google

A Prado in Ezech. fol. 34. significat, non solùm pedes huius figuræ concipiendos esse similes aurichalco, sed totũ etiam corpus; cum hoc tamen discrímine, quòd superiora complet splendor maior, inferiora verò calor vehemẽtior: Ioannem autem de pedibus peculiariter locutũ, quia in simulacro stante meliùs deprehenditur pedũ materia. Pro hac opinione prima facie stare videtur, quòd Ioannes in hac figura certissimè alludit ad similem visionem, quæ Danieli est ostensa cap. 10. n. 6. vbi dicitur, *corpus eius quasi chrysolitus*. Et infrà: *Brachia eius & quæ deorsum sunt, vsque ad pedes, quasi species æris candentis*. Existimo tamen hoc à Ioanne conspectũ simulacrum non ita fore accipiendum, vt totũ esset simile aurichalco; sed solùm secundùm pedes ac tibias. Ioannes enim manus etiam conspexit, quẽadmodum Daniel. Cùm ergo similitudinem ad æs candens siue aurichalcum Ioannes in pedibus constituat; & Daniel in brachiis, & in iis, quæ deorsum sunt vsque ad pedes; nihil est cur confundamus quæ sacri Scriptores distinguunt: sed constituatur oportet differentia à Ioanne & Daniele designata; deinde idonea differentiæ ratio quæratur; & in ratione discriminis animus acquiescet. Quòd si tota figura ex aurichalco ardenti fuisset, non video cur existimandum foret, superiorẽ eius partem maiore splendore compleri, & inferiorem calore vehementiore æstuare. Imò verò propriũ caloris est, sursum ascendere; splendoris autem, æqualiter sese sursum ac deorsum extendere.

His ita positis, dubitatur cur non dicat Ioannes, Pedes erant ex aurichalco; sed, *similes aurichalco*. Et similiter Daniel cap. 10. 6. *quasi species æris candentis*. Respondebit quispiam, pedes quos Ioannes B aspexit, & brachia quæ vidit Daniel, cogitanda esse carnea; siquidem vtraque erat hominis viuentis figura: similitudinem autem aurichalci in eo forrasse consistere, quòd inflammabant & vrebant, ac si reuera essent ex ære ardenti. ceterùm hoc non cohęret. Nam si in eo solùm sita esset similitudo quòd exurerent; non erat cur comparatio ab aurichalco seu chalcolibano singillatim, sed à metallo in genere peteretur. Deinde verba illa Danielis, *quasi species æris*, omnino postulant, vt veram æris similitudinem viderit, non modò in calore, sed etiam in colore, duritie & ceteris. Ad dubitationem igitur Respondeo, veram ac propriam loquendi rationem in visione imaginaria esse; cùm quis videt hominem, dicere, Vidi similem homini vel filio hominis, vt Ioannes dixit initio huius visionis: quia non erat verus homo, sed veri hominis imago, siue spectrum; atque ita quamuis veram aurichalci speciem viderit, aptè tamen dicit, se vidisse pedes similes aurichalco.

Pedes cur similes aurichalco.

SICVT IN CAMINO ARDENTI] Ex græco videbatur vertendum, *ardentes*, in nominatiuo plurali. Videtur tamen noster interpres legisse πεπυρωμένῳ, quæ lectio (ait Pererius) multò congruentiorem atque commodiorem habet sententiam. Sed quod ad nostram explicationem attinet; vtro- *Num pedes*
uis modo idem est sensus. Dubitatur tamen, vtrùm comparatio ex ære iam liquefacto, an ex ære *ex ære liquefacto, an*
succenso quidem, sed nondum liquescente, desumatur. Ratio dubitandi est; quia æs in fornace li- *solido apparuerint.*
quefit: & æs illud montanum siue ex monte Libano, effossum, liquefactum est à Salomone ad effi-
C ciendum mare æneum, &c. Sed cùm æs priusquam liquefiat, accendatur; ab ære candente quidem siue succenso, non tamen liquefacto, videtur omnino sumpta comparatio; vt hac ratione pedes in Ioannis figura, brachia verò atque crura in visione Danielis aptam membrorum figuram & firmitatem haberent. Effingere enim eiusmodi partes ex ære liquefacto, id ad rem minimè est. Accedit, quòd in ęre candente (vt infrà videbimus) allusio fit ad altare æneum, quod lignis ad sacrificia aggestis certè aliquantulum accendebatur, atque candebat; nec tamen liquefiebat. Atqui pedum æs non alio modo est concipiendum, quàm altare æneum holocaustorum igne apparebat.

Sed dices, non cohęrere, quòd Ioannes viderit pedes veluti ex ęre candenti; & simul potuerit notare illud esse chalcolibanum, siue pretiosum æs; quale ex monte Libano effodiebatur. Si enim coràm apponantur æs Libani candens, & aliud quoduis æs vel metallum similiter candens; non poterit oculus inter illa discrimen inuenire. Respondeo; forsan illud ęs dignosci poterat propter maiorem splendorem. Quemadmodum Plinius ait, Electrum ad lucernarum lumina clariùs argento splendescere. Sed quidquid de hoc sit; Ioanni haud dubiè fuit reuelatum, id etiam, quod oculis distinguere non posset, si coràm apponeretur; nempe illud quod ardere videbat, esse æs Libani aut æris Libani simile. Ac demum, cùm Ioannes ipse asserat pedes, quos vidit, æri ex Libano in camino ardenti similes sibi fuisse visos; textus ipse cogit, Ioannem agnouisse metalli speciem, quamuis non frigidum, sed candens atque coruscans aspexerit. Hæc de vocum acceptione hîc annotasse sit
D satis. Cetera, quæ hac de re disputare visum est, ad notationem 14. reiecimus.

De pedum significatione.

PEr Christi pedes, ipsius humanam naturam intelligunt Nazianzenus apud Andream, & Damascenus apud Riberam, nec non Rupertus, Pannonius, & Zegerus. Alij, pedes referunt ad posteriorem vitæ Christi partem, peculiariter passionibus obnoxiam, vt Dionysius Carthus. Sed neutra harum expositionum cohęret cum huius visionis scopo, qui est agere non de Christo in se ipso, sed in suis fidelibus mirabilia patrante, vt suprà vidimus.

Pedum in camino ardenti significatio.

Alij igitur ad mysticum Christi corpus respicientes, per Christi pedes intelligunt, vel fideles in communi, vt Lyra, vel aliquam fidelium partem. Et quidam de pręcipua Ecclesiæ parte exponunt, id est, de Apostolis; sic Victorinus, Ticonius, Ambrosius, Andreas, Aretas, & Pererius in Danielem. Alij de prędicatoribus in communi, vt Haimo cap. 2. n. 18. vel de Ecclesiæ defensoribus, vt Iacobus Suarez ex Nysseno & Theodoreto, vt ipse putat. Alij de nouissimi temporis fidelibus, id est, de illis, qui ab Antichristo affligentur, exponunt. In his sunt Ticonius, Primasius, Ambrosius, Haymo, Beda, Anselmus, Glossa, Albertus, Thomas. Alij, imperfectionem aurichalci considerantes respectu

Varia sententia de pedum significatione.

Digitized by Google

auri, exponunt de infirmis atque imperfectis fidelibus, vt Richardus de S.Victore, & Ioachimus. A
Nec defuit qui ad falsos prophetas expositionem accommodaret, vt Caponsachius.

Aliud expositionis genus est, pedes huius figuræ referēdos esse ad ipsius Christi affectus. Sic Pannonius, & Iacobus Suarez. Vel ad aliquam Christi actionē. Et verò de actione cōculcandi inimicos, id est, seuerissimè iudicandi ac vindicandi, exponunt Seraphinus de Fermo, & Ribera. Et præter ea quæ ipsi adducunt, illud etiam cōsiderari posset, ad supplicij seuerissimi symbolum inter cetera metalla congruentissimè æs ardēs fuisse vsurpatū. Ferrum enim non ita facilè liquatur: aurū verò & argentū, etsi liquefiant, nō ita noxia & exitialia sunt: plumbū autem & stannū nō tantum pollēt robore ac viribus, neque sunt carni valdè inimica. Quare solùm remanet æs, quod violentissimū & valdè exitiosum est, præsertim si liquefiat. Atqui hi pedes videntur aptè significare posse, *Lento quidem gradu, ad vindictam sui, diuinā iram procedere, sed tarditatem supplicij grauitate compensare.* Valer. Max. lib. 1. c. 1.

Vera sententia de pedū significatione.

Hæ sunt aliorum expositiones, quas referre visum est. Nostra tamen expositio ad septem puncta reducitur. Primum est: huius figuræ pedes respondere pedibus angeli fortis, de quo cap. 10. 1. *Et pedes eius tamquam columnæ ignis.* Atque, vt ibi videbimus, certissimum est per illum Angelum significari firmum & stabile Dei decretum transferendi Ecclesiam & Euangelium ad Gentes. Ex quo facilè intelligitur ad profectionem prædicatorum Euangelij denotandam conuenientissimum fuisse, eam per huius figuræ pedes indicari. In eodem enim sensu, vt explicetur eadem fidelium profectio ad prædicandum Euangelium, dicitur Isaiæ 52. 7. *Quàm pulchri super montes pedes annunciantis & prædicātis pacem!* Et Nahum 1. 15. *Ecce super montes pedes annunciantis & euangelizātis pacem.* Et ad Rom. 10. 15. *Quàm specioſi pedes,* &c. atque iuxta eundem sensum dicitur, Cant. 7. n. 1. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis.* Eôdem spectant crura sponsi, quæ cōparantur columnis marmoreis, Cant. 5. 15. B

Cur figura huius pedes ex ære sint efficti.

Secundò, cùm igitur per huiusmodi pedes fuerit prędicatorum profectio ad Euangelium Gentibus promulgandum significanda; summoperè conueniens fuit, huic figuræ pedes æreos affingere, ad indicandum robur & firmitatem, qua ad tantam expeditionem opus erat; & ad pericula superāda, quæ sese in ea offerrent: vt hac ratione tam ad itineris longitudinem, quàm ad tribulos, spinas, ac serpentes conculcandos minimè deficerent. Simili ratione dicitur Ieremiæ 1. 18. *Ego dedi te hodie in columnam ferream, & in murum æneum: & bellabunt aduersum te, & non prævalebunt.* Et cap. 15. 20. *Dabo te populo huic in murum æneum fortem.* Eâdem ratione de Behemoth dicitur Iob 40. 13. *Ossa eius veluti fistulæ æris.* vbi de tibiis est sermo. Vide etiam Ezechielis 40. 3.

Cur item ex ære montis Libani.

Tertiò, huius profectionis & Euangelicæ prędicationis finis erat terrarum orbem illo igne accendere, de quo Christus dixit, Lucæ 12. 49. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt ardeat?* Ad quod congruentissimum fuit, vt huius simulacri pedes, qui ærei fingebantur, essent ex ære montis Libani, & ardentes aspicerentur. Vbi obseruandum est, quidquid Salomon ex ære ad templum & eius ministeria fecit, ex pretioso illo ære fuisse fabrefactum, quod eius parens Dauid, ex Adarezeris victoria atque vrbibus aduexerat. Quare certum est, totum illud æs fuisse ex monte Libano. Atque inter alia, quæ Salomon ex illo ære conflauit, nihil aliud erat quod semper arderet, nisi altare holocausti, iuxta illud Leuit. 6. 12. *Ignis in altari meo semper ardebit.* Et quidem lignorum strues, quę in ipsum continenter absumenda iniiciebantur, ingens valdè erat. Vnde illi nomen *Ariel*, id est, *leo Dei.* Atque ita certum est, vbi agitur de ardenti ære montis Libani, alludi ad holocausti altare. Ad significationem igitur ignis cælestis, & Deo sacri, nihil aliud potuit magis idoneum afferri, quàm ille ignis altaris. Si ergo Apocalypsis tota ex veteris testamenti allusionibus constat; nec alibi præterea æs montis Libani ardens, nisi in altari holocausti reperitur; iam facile est videre, figuræ huius pedes ex ære Libani ardenti, ad ignem illum holocausti respicere; atque adeò egregium esse symbolum, quo repręsentetur, pedes illos, qui Deo tantopere placent, intendere vt veræ religionis ignem in orbe vniuerso accendant; quod & fecerunt. Hic est enim ignis ille, quo Babylon exusta est. C

Quartò, nostra hæc expositio non noua est. Hanc enim eandem videntur admittere ij auctores, qui in his pedibus Apostolos & Euangelicos concionatores denotari existimant; quod qui asserant, multi sunt, vt vidimus, nec ignobiles. Necab hac expositione discedunt, qui chalcolibano, (de quo hîc est sermo) fortitudinem significari autumant. Inter quos est Irenæus, qui refert chalcolibanum ad fortitudinem fidei & perseuerantiam; & Rupertus cap. 2. num. 18. explicat de fortitudine in itineribus. Item Serranus de fortitudine ad toleranda omnia. D

Inimicorum conculcatio quo pacto hic accipienda.

Quintò, actio illa conculcandi inimicos, de qua nonnulli interpretantur; si ad mysticam conculcationem referatur, mirificè nostræ expositioni deseruit. Nam Euangelici concionatores quidquid conculcabant, id totum cælesti illo igne succensum Deo in suauissimum holocaustum offerebant: atque hac ratione, Ecclesiæ Christianæ subiiciebant orbem, scilicet conculcando. Iuxta illud Iosue 1. 3. *Omnem locum quem calcauerit vestigium pedis vestri, vobis tradā* Et Deut. 11. 24. *Omnis locus, quem calcauerit pes vester, vester erit.* Huc spectat illud psal. 59. 10. *In Idumæam extendam calceamentum meum.* & similiter psal. 107. 10. Nec alius est sensus eorum verborum psal. 109. 1. *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*; scilicet per sanctificationem. sic enim explicauit Paulus; vt in expositione eius psalmi videbimus. Isaiæ 63. 3. *Calcaui eos in furore meo*: similiter agitur de mystica & sanctificante conculcatione. Quòd verò Christi hostes igne adurantur, quo ad veram religionem inflammantur; phrasis est vsitatissima sacræ Scripturæ; vt vidimus in prolegom. notat. 24. & 25.

Sextò, nostra expositio validè confirmatur ex antecedenti & subsequenti contextu. Præcedunt enim oculi inflammati. Et ex Christi indignatione aduersus Iudaicum populum duxit originem ingens illud beneficium, quo mundum vniuersum cumulauit: vt Paulus docet ad Rom. 11. 12. id quod mirè etiam repræsentatur in cap. 10. Apoc. quò hîc respicitur. Hoc de præcedenti contextu.

Quòd

A Quod verò ad subsequentem attinet, mox sequitur *vox aquarum multarum*; quæ indicat Gentium persecutionem aduersus populum Christianum concitatam. Atqui perspicuum est, post Euangelij promulgationem, protinus persecutionem Imperij Romani subsecutam fuisse.

Septimò, caminus ignis propriè respicit ignem altaris: quem manifestum est in sacra Scriptura caminum appellari, Isaiæ 31.9. Præter hæc tamen potest etiam hic caminus aptè significare æruminas & calamitates, quas Euangelici concionatores in Euangelij promulgatione tolerarunt. Et omnia satis quadrant; per hos enim dolores atque martyria ipsi Christi amore succensi totam vniuersam eodem igne inflammarunt. *Caminus ignis quid per allusionem respicias.*

Restabat hunc locum conciliare cum illo Danielis 10.6. *Brachia eius, & quæ deorsum vsque ad pedes, quasi species aris candentis.* Sed de hoc dicemus seorsum notat. 18.

Considerata pedum ex chalcolibano significatione, facilè cernitur congruentissimum fuisse, vt huius figuræ pedes essent ex chalcolibano, non verò ex auro; nam altare holocausti non fuit ex auro, sed ex chalcolibano. Præterquam quòd ad summæ fortitudinis significationem, conuenientius fuit æneos pedes, quàm aureos effingi.

NOTATIO XIII.

Ad ea verba, Pedes eius similes aurichalco: *vbi examinatur, quid sit hoc in loco aurichalcum.*

Aurichalci nomine quid Ioannes intellexerit.

IN præsenti examinãdum est, quid nomine Aurichalci intelligendum sit? Græcè quidè legitur *chalcolibanon*, qua voce Antonius Nebrissensis in sua Quinquagena cap. 4. contendit significari thus masculum; & addit, sic exponi à Græcis omnibus commentariis in præsenti loco, & apud Orpheum in hymnis frequentẽ esse titulum, *Chalcolibanos in Apollinem, in Latonam, alios; deos*, id est, masculũ thus, seu masculi thuris sacrificiũ. Quemadmodum apud Virgilium in 8. Eclog. legimus,

Antonij Nebrissensis de aurichalco opinio.

Verbenasq; adole pingues, & mascula thura.

De nostra verò lectione tandẽ censet Nebrissensis, eam esse corruptã, & nostrũ interpretem sic scripsisse, *Pedes eius similes chalcolibano*, græca voce relicta; deinceps tamẽ librariorũ ignorantiâ, pro *chalco*, irrepsisse *aurichalcum*; & vocem Libani fuisse detractã. Nebrissensis cõiectura in eo nititur; quòd in veteri manuscripto Palẽtino scriptũ repererit, *pedes eius similes aurichalco Libani*. Præterea, quia Libani vox duas habet significationes; alterã mõtis Libani, & alterã thuris, & in præsenti (ait) *significatio thuris certissima est, adeò vt si interpres aliter exposuisset, ignorantia arguendus esset. Quinsi ita verteret* (ait Antonius) *verisimile non esset, interpretem posuisse aurichalcum, sed orichalcum. Nam orichalci vox à Latinis est recepta, aurichalcum verò dici non posse testatur Festus, & persuadet ratio, quia non fit compositio ex voce græca & latina.* Hæc Antonius.

Reiicitur Nebrissensis opinio.

Nihilominus tamẽ assero in primis, si generatim loquamur, & ab hoc loco mentẽ abstrahamus; nõ ita esse certũ, vt statuit Antonius, chalcolibanon apud antiquos Græcos significare thus masculũ. Primò, quia licet Libanos habeat thuris significationem; chalcos tamen propriè significat æs: atqui æreũ thus pro masculo thure durissimum est. Quãuis enim dici soleat turris ahenea & murus aheneus pro forti; verùm nõ dicitur masculũ thus à summa fortitudine, sed à puritate & candore; vt notat Plinius lib. 12. c. 16. Nec verò aptum est epithetum *thus forte*; neque hæc est analogia, qua nonnulli fructus & gemmæ appellantur mares, sed propter præstantiam; vt videre est apud Pliniũ l. 37. c. 7. vbi sæpe vtitur in gemmis distinctione mariũ à feminis. Quòd si chalcolibanos accipi posset pro thure; fortassis dici posset æris adiectionem ad pretium spectare. Quemadmodum Plinius l. 21. cap 7. agens de saliunca ait, eam herbã esse tantæ suauitatis, vt metallum esse cœperit; id est, eã tanti æstimari, ac si esset nummus. Adhuc tamen violentum est, thus ea ratione æreum appellari. Deinde dictionaria græca Henrici Stephani, Scapulæ atque aliorum nullam eiusmodi significationem chalcolibano apponunt; sed asserunt potiùs esse speciẽ metalli.

Thus masculum quod propriè vocetur.

Ad id verò, quod Nebrissensis affert ex Orphei inscriptionibus, Respondeo, me Orpheum nõ vidisse; suspicari tamen ex illis titulis colligi non posse, chalcolibanon significare thus masculum: non enim ineptus erat titulus, *Statua Apollini ex orichalco*, vt *Obla-Alcasar in Apocal.*

B *tio orichalci, Latonæ*, &c. præsertim si orichalcum res sit pretiosissima, de quo infrà.

Chalcolibanũ hic non pro specie thuris, sed pro aris specie accipiendum.

Secundò, affirmo in hoc saltem loco Apocalypseos, euidens meo iudicio esse, chalcolibanon non accipi pro specie thuris, sed pro specie æris. Pro quo in primis est auctoritas Vulgatæ & Latinorum omnium cũ bona Nebrissensis venia. Deinde, vt videbimus notat. 18. in tota hac figura manifestissima est allusio ad figuram illam Danielis 10. vnde ad id quod ibi dicitur num. 6. *Brachia eius, & quæ deorsum sunt vsque ad pedes, quasi species aris candentis*, hæc in Apoc. respondent, *Pedes eius similes aurichalco: sicut in camino ardenti*. Et neque in hebræo, neque in græco vllus est odor thuris in loco Danielis: quia hebraicè legitur, כעין נחשת קלל, *keghein nehhoseth calal*; vbi Pagninus vertit; *Sicut color aris candẽtis*: Arias & Thesaurus, *Sicut oculus aris politi*: Græci omnes, *Sicut species aris candentis*. Quibus adde, in hebræo, eodem prorsus modo legi Ezechielis 1. n. 7.

C vbi noster interpres, *Scintillæ sicut aspectus aris candentis*: LXX. *Quasi fulgurans æs.* & Prado ibi, *Scintillæ*, ait, *quas scilicet vibrabat fornax accẽsa, in animalibus ipsos repercussa coruscabãt, quasi æs vel chalybs candescẽs*, pag. 22.

Quis ergo non videat Ioannem in hoc loco respexisse & expressisse Danielis & Ezechielis verba; præsertim cũ maioris explicationis gratia addiderit, *sicut in camino ardenti*? Vnde etiam confirmari potest nullam hìc esse thuris mentionem. Thus enim super prunas adoleri solet; sed in fornacem siue in caminũ immitti neutiquam. His expensis existimo nullam Nebrissensis opinioni probabilitatem manere. Quare miror nonnullos ipsam quasi probabilem referre, nullâ interim impugnatione seu refutatione adhibitâ.

Præter hæc, pro Vulgatæ lectionis sensu optima sumitur confirmatio ex pulchritudine mystici sensus, de quo in huius loci commentario. Ad id verò, quod nobis opponit Antonius ex Græcis commentariis, fateor

D Andream & Aretam vtramque expositionem referre, nempè de thure & de ære; cùm tamen non decernant, vtram vt veriorem amplectantur. Quin potiùs Aretas in eam magis propendet opinionem, quam primo loco apponit, & latiùs persequitur, de ære, quod auri speciem habet. Aliorum Græcorum commentarij non extant. Quod ideò dixerim, ne quis prima specie in Nebrissensis verbis offendat, cùm videat omnes Græcorum commentarios. Quid autem mirum, in loci valdè difficilis expositione Andream non collineasse, nec ad Danielis locum attendisse?

Qua aris species per chalcolibanum denotetur.

Superest expendere, quæ æris species per chalcolibani nomen denotetur. Dicet fortasse aliquis, *chalcolibanon* idem esse, quod *æs candens*. Quia si Ioannes voluit exprimere Danielis & Ezechielis locos superius allatos; *nehhoseth calal*, idem sonat quod *æs candens*. Etenim licet Arias transferat, *æs politum*, & hebraicus Thesaurus (verbo קלל *calal*) non illi tribuat significationem

Aliorum sententia.

cationem candentis, sed tersi, mundi, politi ac læuis: ex contextu tamen euidens est, sermonem esse de ære cãdente, siue ardente, vt exposuit Vulgatus; & eodem ferè modo LXX. Quia Ezech. 1. 7. legunt ἐξάστραπτον χαλκὸς, id est, *fulgurans æs*: & Danielis 10. 6. ὡς ὅρασις χαλκῦ ἡλεκτρωμένου, id est, *vt species æris coruscantis*. Verùm quî idem esse potest Libanus, atque candẽs? dicet fortasse aliquis, *libanon* hebraicè idem esse, quod album, aut candidum; atque adeò propter vicinitatem, metallum ardescens posse dici candidum. Quia candẽte est fieri quodammodo candidum: sed de hoc infrà.

Dicat alius, chalcolibanon appellari quamdam speciem æris candidi, id est, illius æris, quod per se erat candidum, antequam in fornacem mitteretur. Ad cuius probationem adduci potest Virgilianum illud 12. Æneidos,

Ipse dein auro squallentem albo{que} orichalco,
Circumdat loricam humeris.

Facit, quòd apud Q. Curtium libr. 9. inuenimus, ferri candidi talenta centum. Deinde probari poterit: quia non mirum est cum voce græca χαλκὸς iungi à Ioanne hebraicum epitheton, atque adeò ipsum vt Hebræũ Hebræorum vti consuetudine, qui res omnes candidas appellant *libanum*. Etenim thus appellare *Libanum*, hoc Græci ex Hebræis accepisse videntur: Hebræi verò ita appellant, quia thus optimum est candidum. Vide Plinium lib. 12. cap. 14. Mons autem Libanus, quidquid Pagninus dicat, nõ potuit desumere appellationem à thure. Certum namque est, illud non nasci in mõte Libano, ex Plinio & omnibus. Thus enim regionem calidam exposcit, & soli illud Sabæi colligebant. Notum est id Georg. 1. *Solis est thurea virga Sabais*. Quare videtur mons Libanus traxisse nomen à candore niuis. Est enim mons niuibus coopertus. Et forsan vinum Libani Oseæ 14. 8. idem est, quod vinũ album: & domus saltus Libani, 3. Reg. 7. 2. fortè dicta fuit propter alborem parietum.

Thus vbi nascatur.

Mons Libanus vnde dictus.

Græca dictionaria affirmant, thus nominari *libanon* à verbo græco λείβω, quod est *stillo*. Forsan ergo chalcolibanos est veluti stillatio æris, & quinta (vt aiunt) essentia illius; id est, purissima & perfectissima æris substantia.

His addi potest id, quod multi opinantur, orichalcum scilicet vocari etiam electrum. Quamuis enim alioqui electrũ sit ex auro & quinta argenti parte cõflatum, iuxta Plinium lib. 33. cap. 4. in alia tamen significatione ponitur electrum pro quadã æris specie valdè pretiosa; quæ ferè appellatur *orichaleum*: atque id fuisse album argumento est quod ait Martialis,

Pallida sic niueo radiant electra metallo.

Et orichalcum appellari album, suprà iam vidimus ex Virgilio. Consonat aurichalci nomen, quod ei nonnulli tribuunt; quod ostendit id proximè ad colorem auri accessisse: aurum verò, si cum ære comparetur, potest aliqua ratione album appellari. Ego tamen verisimilius esse puto, chalcolibani nomine pretiosum illud æs designari quod Libanus mons gignebat. vide 2. Reg 8. 8. *De Bete & de Beroth ciuitatibus darerer tulit rex Dauid as multum nimis.* & 1 Paral. 18 8. *De Thebath, & Chun vrbibus Adarezer aris plurimum, de quo fecit Salomon mare æneum, & columnas, & vasa anea.* Scilicet altare holocausti, & multa alia vasa: quia ad altare, eiusque vasa extenditur nomen vasis, vt videre est Num. 7. 1. Quare in voce aurichalci pro chalcolibano notandus est respectus ad illud æs mundissimum, de quo 2. Paral. 4. 16. quod ipsum vocatur aurichalcum, 3. Reg. 7. 45. vbi dicitur ea omnia quæ fecit Hiram ex ære, fuisse facta ex aurichalco. Constat autem altare holocausti factum fuisse ab Hiram. Id enim expresè asseritur 3. Reg. 13. 14. Vide etiam Iosephum libr 7. cap. 5. vbi notat illud æs pretiosius auro reputatum. Et facit, quod ait Plinius lib. 34. cap. 1. *Celebritas æris in Asia.* Cùm antea dixisset, *æris in vsu proximum est pretium argento, imò etiam ante argentum, ac penè etiam ante aurũ Corinthio.* Agit autem de materia, non de opere. Aliquod igitur extitit æs pretiosissimum. Quis ergo dubitet æs illud, ex quo mare æneum, & altare æneum, & columnæ Booz & Iachin in templo Salomonis exstructa fuere, optimũ fuisse & perfectissimũ? Quòd autem æs illud fuerit ex monte Libano, constat, quia vrbes illæ Adarezeris ad Libani montis radices sitæ erant, inter Hemath & Damascum; vt notat Prado in Ezechielem fol 33 & regnum Adarezeris (quod appellatur *Soba*) esse terminum Aquilonarem terræ promissionis, & occupare montem Libanum, dubitari non potest ab iis, qui sacræ Scripturæ geographiam edocti fuerint.

Aurichalci sensus.

Nomen vasis in Scriptura aliquando ad altare, eiusque vasa extendi.

Orichalcum quid sit.

Præterea certum est, illud ipsum æs, quod appellatur chalcolibanon, appellari etiam orichalcum, id est, æs montanum; videlicet à monte Libano. Orichalci autem pretium & bonitas adeò à nonnullis exaggerantur, vt ab aliis recenseantur inter fabulosa. Et quidem Scaliger in Festum negat eiusmodi orichalcum in rerũ natura inueniri. Et probat ex Aristotele & Hesychio apud interpretem Apollonij id ipsum negantibus. Seruius in 12. Virgilij ait; *Apud maiores orichalcum pretiosius omnibus metallis fuit.* Plinius lib. 34. cap. 2. *Orichalcum*, inquit *præcipuam bonitatem, admirationemq; diu obtinuit: nec reperitur, longo iam tempore effœta tellure.* Suidas asserit chalcolibanum pretiosius esse auro: atque idem ait Hieronymus de electro; vbi electri nomine suspicantur quidam Hieronymum non intelligere id, quod ex auro & argento conflatur. Vide etiam de orichalco Rhodiginum lib. 19. cap. 9 vbi ex interprete Aspidis Hesiodicæ notat, orichalcum esse æneũ metallum quod in montibus enascatur: & ex Philopono aduertit, *orichalcum esse materiam metallicam quidem, sed are pretiosiorem, quæ* (inquiunt) *modò non reperitur*. Vide etiam Brodæum lib. 8. cap. 23. & Scaligeri Notas ad Festum verbo *aurichalcum*. Plautus etiam in Pseudolo; *Dij immortales, orichalco contrà non charum fuit mendacium*. Idem in Milite; *Ego istos mores orichalco comparem*. Hinc Seruius coniectat, orichalcum fuisse omnibus metallis pretiosius. Præterea dictionarium Scapulæ refert Aristotelem ἐν πελέτοις, abnuere speciem metalli huius comperiri vsquam: plerosq; enim suspicatos nominari orichalcum quidem, ceterùm haud quaquam esse; & hoc de iis vnum censeri, quæ prodita temerè sint. Refert etiam ex Scholiis Hesiodi, orichalcum esse æs candidum, quod in montibus inueniatur; aut materiam quamdam metallicam ære pretiosiorem. Nititur Hesiodo in Aspide, & Platone in Crit. Hæc Scapula verbo *orichalcum*. Et verbo *chalcolibanon*, ait esse speciem electri auro pretiosiorem, quæ orichalcum appellatur.

Orichalci pretium.

Nota ergo, hoc orichalcum tantopere commendatum, quod nonnulli commentitium duxere, metallum absque dubio fuisse pretiosissimum. Et vero est simile, auri admistionem habuisse: & Scaliger quidem fatetur ex auro & ære fieri præstantissimum æs. Eiusmodi igitur æs videtur productum olim naturaliter ex monte Libano: vt bene coniectat Prado fol. 33. Hùc spectat, quod refert Festus; *Aurichalcum* (ait) *quidam veterum putauerunt compositum ab are & auro.* Hodie sanè in America argentum cum aliqua mistione auri sæpe reperitur. Quid ergo mirum, aliquando æs cum aliqua auri admistione fuisse inuentum?

De aurichalci nomine quid dicendum.

Quibus constitutis non est cur assereret Antonius Nebrissensis corruptã esse nostram lectionem, eò quòd pro chalcolibano legamus aurichalcum. Nam Festus refert quosdam ex antiquis sic enunciasse. Licèt autem non sit elegans compositio ex græca & latina voce, satis est esse significantem ad auri, quam habet mistionem indicandam, vel etiam ad pretium atque colorẽ. Præterquam quòd nõ desunt qui eam compositionem ex græca & latina voce probent; de quo Rhodiginus lib. 19. cap. 9. Rondeletius etiam lib. 5 de Piscibus cap. 2. eumdem piscem appellari docet *auratam* vel *oratam*: nam pro *aurum orum* rustici dicebant; vt *orichalcum* & *oriculam*, pro *aurichalcum*, & *auriculam*. Itaque non deest qui existimat, orichalcum esse corruptionem ex aurichalco. Et saltem ad pretiosum æs significandum prudenti limè noster interpres aurichalcũ dixit, sciens eam etiam vocem à nonnullis fuisse vsurpatam, vt notat Festus Pompeius. Neque solùm Vulgatus in hoc loco Apocalyps. vtitur ea voce; sed etiam 3. Reg. 7. 45. vbi sermo est de illo ipso ære montis Libani, ex quo factum est mare æneum, & altare holocausti.

Ad

Ad ea verò, quæ superiùs allata sunt ad probandum chalcolibanũ esse idem quod æs cãdens, Respondeo, in illa ipsa phrasi, *æs cædens*, duo posse cõsiderari, & metalli speciem albam, & candorẽ ex igne: & ad candorem ex igne contractum deseruit quod mox Ioannes subiicit, scilicet *volut in camino ardenti*: speciem autem metalli significauit illa vnica dictione *chalcolibani*; quam noster interpres prudentissimè transtulit *auricholcum*.

NOTATIO XIV.

Ad illa verba, sicut in camino ardenti. *De significatione symbolica ignis, & de allusione ad ignem altaris holocausti.*

Ignis proprietates, & symbolica significatio.

NOTATIONE 24. & 25. prolegom. ostendimus phrasim esse in sacris Literis valdè vsitatã igne accendere & inflammare, ad significandam peccatorũ conuersionem & eorum veræ religionis igne inflammationẽ. Licèt autem hic loquendi modus ita sit notus, vt alia præterea declaratione nõ indigeret; verùm quia in hoc loco ex reliqua Apocalypsi primò vsurpatur ea phrasis ad indicandum veræ religionis ignem, operæ pretium fore duxi multas ac varias proportiones perstringere, quæ in hoc symbolo reperiuntur ad eam significationem, quæ illi in sacris Literis tribuitur.

In primis antequam ad eum ignem; qui in altari holocausti ardebat, deueniamus; in ipsa ignis generatim sumpti natura, mira est conuenientia ad ignẽ Spiritus sancti significandum: propter multas ignis facultates, ei significationi deseruientes. Hæ autem huiusmodi sunt. Primò, ignis videtur esse quodammodo omnipotens, si quidem metalla omnia liquefacit, ac ferri duritiẽ emollit. Secundò, quia si hostis, terribilis est ac formidandus: sin verò amicus, summè beneficus est. Quãtam edat stragem, cùm iratscitur, omnibus planum fit in fulminibus, in incendijs & exustionibus terrarum. Et ideò appellatur consumptor & depopulator. Beneficia verò, quæ illi largitur, cui se amicum ostendit, immensa penè sunt. Absque eius enim adiumento nullum ex metallis ad nostram vtilitatem aptare possemus. Sublato autem ferri vsu, quid nobis solidi commodi, aut emolumenti constaret? Cibus certè absque igne agrestis planè esset ac belluinus.

1. Est ignis efficacitas.

2. Ignis & hostis terribilis, & amicus beneficus.

3. Ignis lux, & eius vtilitas.

Tertiò, quemadmodum Deus verũ est ac tutũ miserorum perfugiũ, & in laboribus solatiũ; atque ad eũ omnes confugimus, & nos ipse à periculis eripit; sic etiã quodammodò se habet ignis, quo nocte indigemus, ne tenebris inuoluti iaceamus. Absque eius luce metus & horror increbrescũt: ac sine Deo, *ibi trepidauerũt timore, vbi non erat timor*, psalm. 13. 5. Ita in tenebris homo solus & quasi omni præsidio destitutus est, ignis verò lumine, licèt solus sit, comitatus tamen esse videtur.

4. Ignis & in demissos humanitas, & in elatos vltio.

Quartò, quanta reuerentiâ ac veneratione sit nobis cum Deo agendum, appositè in igne indicatur: quem tangere aut manibus contrectare nemo impunè audebit. Quòd si quis ipsum cum modo ac mediocritate accedat, hunc ignis fouet & calefacit: temerarium autem & inconsultè properantem adurit. Vide Nyssenum de carbonibus ardentibus in vita Moysis.

5. Ignis actiuitas.

Quintò, adhæc ignis numquam est otiosus ac languens, sed viuidus semper & aliquid agens. Suum nimirum calorem ac lumen, quod ex se est, semper aliis liberaliter impertitur. Id quod propriè est Dei symbolum, qui semper suæ liberalitatis ac beneficentiæ rebus creatis copiam facit. Vehemens etiam ignis calor ingentem Dei denotat charitatem, qui se ipsum communicare vult, cùm ait, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat?* Luc. 12. 49.

6. Ignis virtus in venis silicis delitescens.

Sextò, quòd ignis virtus in abstrusis silicis venis deliteſcat; innuit, quàm sit Deus in rebus creatis internus & abditus. Quare Augustinus exclamat, *O secretissime, ô præsentissime!*

7. Ignis in tenebris præcipuè fulgens.

Septimò, micat ignis in tenebris, quod indicat Deũ nullis nostris peccatis vinci: de quo optimè Ioannes in Euangelio cap. 1. 5. *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Et Sapientiæ 7. 30.

8. Claritas ignis.

Octauò, Dei insuper ingens claritas, inuisibilis splẽdor & immensa gloria percommodè in igne repræsentantur.

9. Ignis cætera metalla purificans.

Nonò, quòd metalla, v. g. aurum & argentum, ignis expurget ac purificet; indicat quantopere Deus animorum puritate delectetur. Et è contrario quàm auersetur sordes & immunditiem, scoriam, spurcitias, &c. Ignis etiam ipse purus in se est, & ab omni externa rei concretione seiunctus; nec in eo quidquam est, quod ignis non sit. Longè aliter quàm cætera elementa.

10. Et cum aliis communicatio, & integritas.

Decimò, ignis & cum aliis se communicat, & integer in se persistit; quod diuinitatis vestigium non obscurum est.

11. Lucis, caloris & vis in eo coniunctio.

Vndecimò, summæ Dei sapientiæ, bonitatis & potentiæ coniunctio in ignis luce, calore & efficacitate mirificè exprimitur.

12. Contrarij eius effectus.

Duodecimò, alia ignis constringit & obdurat; alia laxat & mollit. Sic Deus *cui vult miseretur; & quem vult, indurat*, Rom. 9. 18.

13. Plura liquefacibilia vnit.

Decimotertiò, ignis dum plura inter se diuisa liquefaciendo vnit & coagmentat; aptè denotat proprium solius Dei esse opus, homines diuersos atque adeo diuisos, diuini Spiritus vinculo & vnione cõpulare.

14. Aquam sibi aduersariã calefacit.

Decimoquartò, aquam etiam sibi aduersariã calefacit ignis: quemadmodum Deus inimicos ipsos & aduersarios non cessat beneficiis prosequi.

15. Præcipua eius efficacitas sursum.

Decimoquintò, igni maior inest efficacitas sursum, quàm deorsum. Itaque ad ipsum accedẽti, demissione opus est, vt frigidus si sit, calefiat: elatum enim & arrogantem vehementi calore arcet. Ita diuina maiestas ad sui veneratione mcogit. Et alioqui hominũ necessitati morẽ gerit, dũ viã inuenit atque hominibus tradidit, qua absque detrimento, quin magno potiùs cũ emolumento ad eum possint accedere, & eius beneficijs frui. Hoc insuper indicatur, quàm sit excelsus Deus: siquidem ignis, ipsius symbolum, semper sursum ascendit. q. d. Cælestis sum, & omni humano captu sublimior: quòd verò in terris verser, id est, vt hominum imbecillitati ac paruitati me accommodem.

16. Multiplex in effectibus.

Decimosextò, ignis alia in cineres, alia in fauillam redigit: ex aliis partem absumit, & in fumum exhalat, & partem mundat ac purificat: alia liquefacit, non tamen consumit, vt aurum: alia non calefacit, vt adamantem & carbunculum: alia in calcem conuertit: ex alijs sordes & scoriam relinquit. In quibus rebus omnibus considerari possunt varij ac diuersi effectus, quos Dei prouidentia in hominum animis præstat.

17. Vestigium in eo mysterij Trinitatis.

Decimoseptimò, denique in igne vestigium nescio quod mysterij Sãctissimæ Trinitatis reperitur, (vt notat Damascen. lib. 1. Fid. orthod. c. 9.) in qua semper gignitur sapientia, & spiratur amor. Quemadmodum ignis semper ex se & lucẽ & calorẽ producit. Atqui lux symbolũ est sapientiæ, calor verò amoris. Quinimò id interne, siue (vt aiunt) ad intrà, in igne contingit, quia ab ipso emanat ipsius lux interna & calor internus.

Ignis altaris holocausti mystica significatio.

Præter has omnes rationes, in igne altaris holocausti peculiaris inuenitur ratio, cur sit aptum symbolum illius ignis, quo Deus animas sanctificat. Ille enim ignis fuit peculiari miraculo à Deo cõcessus in summæ gratiæ atque fauoris significationem, vt illo & Deus ipse coleretur, & sacrificia illi offerrentur. Vide Leuit. 9. 24. *Apparuit gloria Domini omni multitudini, & ecce egressus ignis à Domino deuorauit holocaustum & adipes, qui erant super altari.* Atque ille ignis semper in altari asseruatus fuit; & idcirco Deus in Nadab & Abiud seueriſsimè animaduertit, quia ignem alienum imposuerunt thuribulis: vt habetur Leuit. 10 in princ. de quo agit Ribera lib. 4. de Sacrificijs, cap. 2. n. 6. & 7.

Hic verò ignis fuit in profundo & sicco puteo absconditus, cũ populus ductus fuit captiuus, vt habetur 2. Machab. 1. 19. & iterum ingenti miraculo est accẽsus post reditũ è captiuitate. Quod anniuersaria gratula-

Digitized by Google

tione celebratum est; atque hæc celebritas Dies ignis appellabatur. Ex quibus apparet altaris ignem esse idoneum valdè symbolum ad religionis siue Spiritus sancti ignem significandum. Atque ita dubitandum non est, quin prunas ignis altaris in terram spargere, A sit terram accendere illo igne, quem Christus venit mittere in terram. Atque hic est proprius sensus prunarum ignis, quæ in terrā immissæ sunt, Apoc. 8. 5. Nec dissimilis, opinor, est sensus illius visionis, quam refert Ezechiel cap. 10. 2. vt videbimus Apocal. 8.

COMMENTARIVS.

Varia expositiones de voce aquarum multarum.

ET VOX ILLIVS TANQVAM VOX AQVARVM MVLTARVM] Variæ sunt huius loci expositiones. Prima interpretatur de prædicatione Euangelij in toto orbe terrarum. Ita Ticonius, Gregorius Ezechielis 1. Haymo, Ioachimus, Seraphinus, Zegerus, Iacobus Suarez atque Pererius. Atque in hac declaratione animaduerunt optimè cohærere, vt qui priùs loquebatur voce tubæ cum Iudaico populo, posteà voce aquarum multarum cum toto orbe loqueretur: quia *aquæ multæ sunt populi multi*. Ad hanc etiam primam expositionem reduci potest Andreæ & Aretæ explicatio; qui hac voce Christi effectum esse aiunt, vt torrentes aquæ viuæ per terrarum orbem personarent. B

Secunda expositio est, hac voce indicari omnes orbis nationes Christi fidem esse professuras. Ita exponit Hieronymus Ezechielis 43. 2. atque asserit, sic explicasse Ioannem in Apocalypsi, dum docet aquas multas esse populos multos, atque adeò sensus videtur esse voce Christi locuturas fuisse omnes gentes. Idem sequuntur Primasius, Ambrosius, Beda, Glossa, Anselmus, Richardus, Rupertus, Dionysius, Pannonius, Albertus.

Tertia expositio est de Baptismo. Ita exponunt Victorinus & Primasius.

Quarta, de concordia Scripturarum, quæ sunt veluti flumina multa. Tenent Rupertus, Ioachimus, Pererius. Qui etiam philosophantur in mysticis effectibus aquæ; qui sunt, à vitiis eluere animas, fœcundare, &c. quod etiam persequitur Thomas Anglicus.

Quinta explicat de magna auctoritate & virtute Christi loquentis. Ita Lyra: cui consonat Serranus explicans de efficacia doctrinæ.

Sexta, de voce terribili Christi in die iudicij. Hanc tenet Ribera.

Septima, de cælestis virtutis cursu variis modis in naturam humanam influente. Sic Arias Montanus. C

Vera interpretatio.

Nostra tamen expositio est de persecutione Romani Imperij, vt suprà vidimus, comparantes vocem tubæ cum voce aquarum multarum. Et negari non potest, quin vocem aquarum multarum pro conspiratione multarum gentium ad bellum Dei populo inferendum, vsurpauerint Isaias & Ieremias. Valdè autem cohæret, vt Ioannes in Apocalypsi eodem modo vsurpet vocem aquarum multarum, sicut à Prophetis vsurpatur. Atque hic sensus aptissimus est huic loco. Hæc enim figura, quæ primò Ioanni apparuit, prologum Apocalypseos agit, cuius argumentum reducitur ad illa duo bella populo Christiano illata, alterum à Iudæis, alterum à Gentibus. Quòd verò hæ voces Christo tribuantur, significanter satis factum fuit; vt indicetur per duo illa verba Christianam Ecclesiam à Christo & ab ipsius Spiritu, veram Apocalypseos philosophiam edoctam fuisse; sed de hoc diximus latiùs suprà, vbi de voce tubæ.

Obseruandum præterea est id, quod Ioannes posteà cap. 17. 15. ait, *Aquæ multæ populi sunt & gentes & linguæ*; non tam in eo niti, quòd multæ aquæ aptè ex se significent populorum ac nationū multitudinem; quàm quòd maris procellosi fremitus, idoneum sit symbolum maximi strepitus, & confusi murmuris editi ab eo exercitu, in quo multæ ac variæ gentes ad idem bellum confluunt. Atque hoc modo congruenter dicitur, *Aquæ multæ sunt populi multi*; id est, aquæ multæ frementes & fluctus suos eleuantes, repræsentant fremitum & concursionem exercitus ex multis gentibus & linguis conflati, quæ simul in eumdem populum desæuiant. Sed de hoc dicemus latiùs cap. 17.

Quid sit apud Ezechielem sonus aquarū multarum.

Ezechielis currus significatio.

Hîc solùm addo, hanc eamdem significationem exercitus ex confusa populorum multitudine coaliti, & aduersus Dei populum frementis (quæ expressa est in Isaia cap. 17. 12. & in Ieremia cap. 50. 42.) hanc inquam, esse eandem significationem vocis aquarum multarū, Ezech. 1. 24. *Audiebam sonū alarum, quasi sonum aquarum multarum.* & cap. 43. 2. *Vox erat ei, quasi vox aquarum multarum* (LXX. *quasi vox castrorum.*) Propria enim significatio illius currus, quem vidit Ezechiel, erat Deum ad vastādam Hierosolymam pergere, & Babyloniorum exercitum ad vrbis excidium ducere. Quare currus ille bellicus erat: fit enim in eo allusio ad veterum principum morem in populi alicuius vastationem proficiscentium; moris enim erat, principes falcatis curribus ad bellum prodire. Quòd autem ea sit genuina significatio currus Ezechielis, apertè constat ex eiusdem Ezechielis cap. 43. 3. *Et vidi visionem secundùm speciem, quam videram iuxta fluuium Chobar, quando venit, vt disperderet ciuitatem.* Hoc supposito, apprime conuenit, vt audierit Ezechiel sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum. Vastitas enim Hierosolymæ inferenda erat per Babyloniorum exercitum, qui ex multis gentibus & linguis erat conflatus; atque hic est sonus ille aquarum multarum. Quod verò additur, strepitum illum animalium alis esse editum; indicat totum illum belli apparatum, quem Nabuchodonosor coniectabat, esse quasi instrumentum, quo diuinæ prouidentiæ currus vtebatur ad Hierosolymæ vastationem. Deus enim erat præcipuus illius belli dux. D

VERS. 16. ET HABEBAT IN DEXTERA SVA STELLAS SEPTEM] Mira est in hominibus ingeniorum diuersitas. Hîc enim textus ipse expressè distinguit candelabra ab stellis; atque ait, candelabra septem, esse septem Asiæ Ecclesias; stellas verò septem, esse angelos illarum septem Ecclesiarum.

Ac

Digitized by Google

A Ac ne in angelorum nomine error nobis obreperet, singulos illos septem seorsum describit: atque eorum & virtutes commendat, & vitia reprehendit, & peccantes ad pœnitentiam hortatur. Ex quo euidentissimum est, sermonem esse cum Episcopis illarum Ecclesiarum. Neque nouum est in sacra Scriptura ministros Dei appellari Angelos. Nihilominùs tamen ex auctoribus multi seriò affirmarunt candelabra atque stellas idem esse in præsenti; & per hos septem Angelos Ecclesias ipsas significari. Ita Victorinus, Ticonius, Ambrosius, Haymo, Beda; &, quod magis miror, Augustinus in regulis Ticonij lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 30. videtur dicere, obscurissimum esse an septem angeli sint Ecclesiæ ipsæ. Alij concessâ inter angelos & Ecclesias distinctione, hos septem angelos de spiritibus cælestibus exponunt. Quę interpretatio grauissimos habet auctores, Origenem homil. 20. in Num. Ambrosium lib. 2. in Luc. cap. 2. & epist. 21. Hieron. Matth. 18. & Micheæ 6. Hilarium ps. 124. Pro eâdem citat Aretas Nazianzenũ & meritò. Quia id expressè asserit Nazianzenus orat. 32. coram CL. Episcopis, & ait, se id à Ioanne doceri: & Andreas videtur citare Epiphanium & Irenęum. Neq; solùm hæc opinio antiquos habet patronos; sed eam etiam nostris temporibus secuti sunt Maldonatus Matth. 18. n. 10. & Arias Montanus Zachariæ 4. 2. vbi de septem lucernis: *Stella* (inquit) *in dextera Christi constituta significant cælestes spiritus certis ordinibus distinctos, in ministerium Ecclesiæ deputatos.* *Varia de septem stellis sententia.*

Alij in his septem stellis & angelis putant denotari septiformem Dei spiritum; & videntur intelligere de septem Spiritus sancti donis: quam explicationem amplectuntur Victorinus, Seraphinus, Caponsachius, & Arias Montanus in præsenti, & cap. 2. in principio; vbi ait has septem stellas esse septem spiritus in diuina essentia constantes. Appellat autem ipse diuinam essentiam, illam, quam Paulus vocat *nouam creaturam.* B

His annumerari possunt duæ aliæ singulares expositiones: quarum altera est Andreæ, qui septem stellas in dextera Christi exponit de totius vniuersi gubernatione, quæ in Christi manu est: altera Ioachimi, qui somniat in his septem stellis respici ad septem viros singulos ex singulis mundi ætatibus selectos; nempe ad Adamum, Noachum, Abrahamum, Mosem, Dauidem, Ioannem Baptistam, & in tempore Antichristi Eliam.

Verùm enim verò textus ipse meo iudicio ita clarè atque distinctè exprimit per has septem stellas significari septem Ecclesiarum Asiæ Episcopos; vt minimè assequar, quæ possit probabilitas alicui ex ceteris expositionibus remanere. Si interpretum solùm auctoritatis ratio haberetur; licèt pro nobis Ambrosium, Richardum, Glossam, Albertum, Lyranum, Thomam, Riberam, & communem sententiam habeamus; fateor tamen grauiores auctores Origenis expositioni adstipulari. *Aliorum opinionibus reiectis, vera sententia statuitur.*

Ceterùm textus ipse nos cogit, vt tam eam, quàm reliquas à textu discedentes relinquamus. Neque video quid non solùm in doctrina, sed etiam in phrasi & modo loquendi, occurrerit difficile in plana & communi expositione; vt propterea oportuerit aliam interpretationem excogitare. Etenim Dei ministros Angelorum nomine appellari, notũ est esse receptam sacræ Scripturæ phrasim. Nam C Ioanni Baptistæ Angeli nomẽ tribuitur Malachiæ 3. 1. Nec dubitare licet, an ibi sit sermo de Ioanne Baptista; cùm expressè Christus dixerit, *Ipse est enim de quo scriptum est*; Matth. 11. 10. & Luc. 7. 27. Quin etiam ipsi Christo Angeli nomen tribuitur in eodem Malachiæ loco, paulò infrà. Neque solùm hominibus, sed rebus etiam rationis expertibus, quæ Deo ministrant, tribuit sacra Scriptura Angelorũ nomen; vt videbimus cap. 8. Apoc. Stellarum verò symbolum aptissimè iis congruere, ad quos ex proprio munere spectat multos ad iustitiam erudire, expressum erat Danielis 12. 3. Quare mirari satis non possum, quæ fuerit ratio, cur ab expressa in ipso textu expositione tot auctores recesserint. *Per stellas septem, totidem Asiæ Episcopos figurari.*

Sed iis omissis, in ipsa communi & certa interpretatione, quædam nobis obseruanda sunt. Atque in primis, septem stellas, quas nonnulli in vola manus considerant, aut in modum coronæ super extremos digitos, multò conuenientiùs existimo veluti gemmas in annulis infixas considerare; atque adeò in ipsius manus digitis. Et quidem, esto earum figuræ stellas fulgentissimas referant; quid tamen prohibet septem stellas in annulis aptatas, vt gemmas, considerare? Imò verò non solùm sic concipi possunt, sed id etiam contextus exigit. Ratio enim ipsa cogit, vt cogitatio accommodetur rei, de qua est sermo. Verbi gratia, in cap. 4. vbi ad templum Salomonis alluditur; cùm mare vitreum legimus, omnino cogitandum est mare illud vitreum simile mari æneo, sed ex vitro. Cap. verò 15. vbi ad egressum filiorum Israël ex Ægypto per mare rubrum respicitur, quamuis similiter legamus mare vitreum, videtur necessariò cogitandum ipsum mare rubrum congelatum, vt vitri D speciem referat. Cùm ergo in præsenti legamus stellas in dextera; quid aptius, qnàm eas gemmarum instar in annulis fixas considerare? Confirmatur hoc, si obseruetur, gemmas ipsas, quæ in annulis collocari solent, vt denotetur eas esse optimas atque fulgentes, congruenter stellas appellari. Sic loquitur Virgilius Æneidos 4. *Septem stellas rectius vt annulorum gemmas considerari.*

> ——— *Stellatus iaspide fuluo*
> *Ensis erat.* ——— Quod Iuuenalis satyra 5. explicat de gemmis.
> *Nam vitro, vt multi, gemmas ad pocula transfert*
> *A digitis, quas in vagina fronte solebat*
> *Ponere zelotypo iuuenis prælatus Hiarba,* id est, Æneas.

Neque abs re est, quod refert Rhodiginus, lib. 6. c. 12. *Scribit Damis, sapientum Indorum principem Hiarchan tam scitè tamq; doctè annulos septem compegisse, qui & stellarum septem nominibus essent præsignes; vt Apollonium Tyanæum dono acceptos singulis diebus singulos iuxta dierum nomina eis distinguentem, gestasse proditum sit.* Quæ etiam narrat Philastrius lib. 3. cap. 13. *Septem annuli mirè ab Hiarcha principe compacti.*

Ad picturam porrò; si pingitur Christus dexteram super Ioannem porrigens, optimè conspicientur septem annuli cum totidem gemmis siue stellis. Vbi verò semel statuamus, sermonem esse

Digitized by Google

de gemmis in Christi annulis infixis; considerari etiam potest in singulis gemmis stemma aliquod siue insigne insculptum; verbi gratia crux (quæ signum est Dei viui, vt videbimus cap. 7.) aut etiam quatuor animalia; quæ sunt diuinæ prouidentiæ quasi sigillum. Nec verò hoc esset perperam, & sine fundamento fingere; sed potiùs antiquitatis vsum sectari: veteres enim, vt constat, annulorum gemmis pro sigillis vtebantur: neque vlla erat gemma, quæ figurâ aliquâ, seu charactere non esset insignita: aliter enim in annulis non collocabantur. Vide Esther 3. 10.

Veteres annulorum gemmis pro sigillis fuisse vsos.

Quòd si sermo est de maximo honore, quo Christus Episcopos dignatur; optimum est summæ dignitatis symbolum, Christi esse annulum, aut ipsius annuli gemmam; vt multis ex locis facilè intelligitur, Ieremiæ 22. 24. *Si fuerit Iechonias annulus in dextera mea.* Ecclesiastici 43. 13. *Zorobabel quasi signū in dextera manu: sic & Iesus filius Iosedec.* Aggæi 2. 24. *Ponam te quasi signaculum.* Quibus si addatur, gemmam esse adeò conspicuam & collucentem, vt stellarum splendorem referat; manifestum est comparationi eidem adiici splendorem & energiam.

His præmissis, cùm vox aquarum multarum repræsentet (vt iam vidimus) persecutionem, quam Romanum Imperium aduersus Ecclesiam excitauit; obseruandum est id, quod post vocem aquarum multarum sequitur, significare debere quod subsecutum fuit post Imperij Romani persecutionem. Quare in hac Episcoporum cum stellis comparatione denotatur, grauissimâ Romani Imperij persecutione, fidelium Episcoporum, qui Euangelium promulgabant, dignitatem ac celsitudinem mundo probatam & spectatam fuisse. Facilè enim agnoscebatur, inter ingentis persecutionis procellas Episcopos strenuè suo munere fungi, & cælestis doctrinæ lucem terris impertiri; neque gentilitatis tenebras posse doctrinæ Euangelicæ impedimento esse. Quemadmodum stellis noctis obscuritas non obstat, quo minùs suum lumen diffundant: sed potiùs in ipsa caligine stellæ magis effulgent. Stellarum etiam comparatio idonea est ad significandum quantum effulsit in Euangelij prædicatoribus vitæ atque doctrinæ celsitas. Quam ne minimùm quidem lædere aut perstringere videbantur aduersariorum machinæ; siquidem non ideò vel minimùm latebat. Nam vt rectè Augustinus lib. 1. de sermone Domini in monte cap. 6. tom. 4. *Calcari non potest nisi inferior: sed inferior non est, qui quamuis corpore multa in terra sustineat, corde tamen fixus in cælo est.*

Quid sit, septem stellas in manu Christi esse positas.

Quod autem de septem illis Episcopis dicitur, ad quos Apocalypsis primò erat mittenda; perspicuum est, eâdem ratione posse etiam de ceteris Euangelicis concionatoribus intelligi: ex quorum prædicatione ad Gentes, rectè consideratur Christianam Ecclesiam fuisse veluti cælum stellis ornatum, quod vniuersum terrarum orbem illuminabat. Id quod Paulus significat Philip. 2. 15. *In medio nationis praua & peruerse lucetis, sicut luminaria in mundo.* Dum autem Euangelium Iudaico solùm populo promulgabatur; prædicatores non ita aptè videbantur stellarum vicem gerere; quādoquidem non vniuersum orbem illuminabant. Verùm postquam Euangelij lux in Gentes, atque adeò in totum terrarum orbem penetrauit, verissimè illis hoc stellarum symbolum quadrauit; & in iis fuit omnino impletum, quod Danielis verbis exprimitur cap. 12. 3. *Qui ad iustitiam erudiunt multos* (id est, omnes Gentes) *tamquam stellæ in perpetuas æternitates.*

Stellarum symbolum ad quos item possit extēdi.

Atque (vt hîc nonnulli ex Ruperto adnotarunt) non obstat, aliquem ob sua scelera, stellæ symbolo & appellatione esse indignum; eidem tamen propter excellens munus, quo fungitur, alios suis concionibus illustrando, stellæ symbolum deberi. Quare nonnullos ex illis septem Episcopis acriter obiurgat Christus ob eorum peccata; ob sui tamen muneris dignitatem, rectè illos stellarum nomine repræsentat. Quod nos omnes debet impellere, vt ipsos veneremur ac suspiciamus; & Deum per homines nos illuminantem admiremur.

Collocantur autem hæ stellæ in Christi dextera, vt indicetur in Episcoporum & Euangelij prædicatorum munere, Christi dexteram, id est, eius virtutem ac sapientiam, excellere & eminere; eosque à Christo in pretio & honore haberi, vt dexteræ annulos seu gemmas. Si verò concedatur gemmas has & stellas, Christi charactere esse insignitas, hoc etiā designabit, Christianorū Episcoporum potestatem in toto orbe excellere; atque ipsis vt Ecclesiæ principibus in hominum animas virtutem & imperium à Deo concedi; suæ item dignitatis characterem ad dimittenda peccata & Christi corpus ritè consecrandum; & demum ad opera excellentia ac planè diuina, quemadmodum regis sigillum ad rem quantumuis difficillimam præstandam potens est veluti regis instrumentum.

Cur septem stella in Christi dextera.

Iuxta hæc, quæ diximus, non opus est, vt in his septem stellis peculiariter septem planetæ considerentur. Sed fortè in hac ipsa ad planetas allusione peculiaris est significationis elegantia: non quidem vt denotetur septem planetas in Christi manu esse (hoc enim exiguum est, & ab huius loci sensu alienum) sed vt significetur discrimen, quod inter Episcopos Asiæ erat. Smyrnensis enim se habebat veluti Sol, qui omnia sua virtute superat: Philadelphiensis, vt Iupiter, ob properam valdè & felicem fortunam: Sardensis, vt Mars, propter audaciam: Laodicensis, vt Saturnus ratione ignauiæ atque pigritiæ: Ephesinus, vt Mercurius; quia licèt prudens erat, tamen remissi ardoris: Pergamenus, vt Luna, propter morum inæqualitatem: Thyatirensis denique vt Venus, ob imprudentem feruorem. Hæc accommodatio atque distinctio pleniùs intelligetur, postquam de septem conscientiarum differentiis singillatim loquemur; quæ omnes in iis septem Episcopis exprimuntur. Atque idem etiam discrimen inter alios Ecclesiarum Episcopos ferè reperitur: licèt Christi sit intentio, vt omnes Solis instar effulgeant.

Applicatio septem stellarum ad septem planetas.

Quamuis autem stellarum symbolum speciatim Episcopis destinetur; quia ad ipsos potissimùm spectat Euangelij promulgandi munus: non tamen dubium est, quin hic splendor & gloria mysticarum stellarum ceteros etiam Euangelij prædicatores contingat, licèt Episcopali dignitate non fungantur, vt B. Dominicum, B. Franciscum Xauerium, atque alios id genus. Quare Ecclesiæ stellarum

Stellarum symbolum ad omnes etiam Euā-

Digitized by Google

A rum numerus, insignium Episcoporum numero minimè circumscribitur. Nam vt rectè notauit Haymo, huiusmodi stellæ non Episcopos modò significant, sed etiam generatim quoscumque insignes Euangelij prædicatores. *gelices concionatores posse accommodari.*

Hanc insuper gloriam & dignitatem Episcopi & ceteri concionatores Euangelij ab Apostolis hereditario iure acceperunt: ad quos scilicet Apostolos potiori iure attinet, mystici cæli stellas fuisse. Quamobrem Ecclesiæ corona ex duodecim stellis constat (Apoc. 12.) illi enim sunt præcipuum Ecclesiæ decus & ornamentum. Enimuerò ipsis Apostolis non priùs stellarum nomen tribuit Apocalypsis, quàm Euangelij lucem in Gentes inueherent. Atque ita cap. 12. depingitur mulier, quæ Euangelium ad gentilitatem asportat post Iudaici populi reprobationem, quæ præcedenti cap. 11. fuerat repræsentata. Atque id ipsum, quod in ea duodecim stellarum corona significatur (id est, Euangelii prædicatio ad omnes Gentes;) indicatur posteà cap. 14. sub specie musicæ suauissimæ. Et prædicatorũ numerus, qui antea ad XII. Apostolos fuerat contractus, laxatur deinceps & extenditur ad 144. millia. singuli nempe ex Apostolis, validissimi exercitus ex duodecim militũ millibus coacti, duces constituuntur; vt sic omnes acerrimum idololatriæ bellum indicerent. Qui 144000. stellæ sunt: Apostoli tamen (quibus maiori iure hæc ratio conuenit) meritò stellæ primæ magnitudinis possunt appellari. In cælo hoc corporeo, quod sub oculorum cadit aspectum, astrologi præter mille & viginti tres stellas, inueniunt omnino nullas, quæ dignosci ac distingui possint: at in *Quando stellarum symbolum Apostolis tribuat Apocalypsis.*

B mysticis cælis, in iis (inquam) qui enarrant gloriam Dei, psal. 18. 1. multò maior, absque vlla comparatione, stellarum numerus inest. Neque solùm est magnæ excellentiæ promissio, quæ Abrahamo fuit facta, ipsius nempe genus vt cæli stellas fore; sed etiam promissio fuit ingentis multitudinis filiorum præstantissimorum, quæ Christi fidem & Euangelium prædicantes, excellentes fuerant, per fidem, Abrahami filii futuri.

Obseruandum porrò est, pollicitationem illam, qua Abrahamo asseueratum fuit ipsius prolem vt cæli stellas futuram, esse diuersam ab ea, qua certior fuerat factus de innumerabili suorum posteritate. Nam Genes. 13. 16. dictum illi fuerat à Deo, *Faciam semen tuum sicut puluerem terræ.* Et posteà c. 15. n. 5. rursus ad illum Deus, *Suspice* (inquit) *cælum, & numera stellas, si potes, sic erit semen tuum.* Si de numero solùm filiorum vtrobique sermo esset; multo maior erat prima promissio. Etenim quantumuis stellæ cæli sint plurimæ, perspicuum est puluerem terræ esse multò numerosiorem. Quare manifestè apparet, priorem promissionem agere de Abrahami posterorum numero: secundam de numero eorum, qui insignes & excellentes fuerant extituri. Quòd si vtrumque in sensu spirituali intelligatur; in Abrahami gloriam multò maiorem, & Deo digniorem promissionem redundat. *Abrahamo duplicem à Deo promissionem de posteritate esse factam.*

ET DE ORE EIVS GLADIVS VTRAQVE PARTE ACVTVS EXIBAT] Hunc gladium ex Christi ore prodeuntem de seueritate in proferenda sententia, vel etiam de ipso improborum supplicio interpretantur Andreas, Aretas, Rupertus, Beda, Albertus Magnus, Ioachimus Abbas, Antonius, Lyranus, Seraphinus, Caponsachius, Serranus, & Ribera: qui putat se probare hanc expositionem ex capite 2. & 19. Et forsan facit pro hac interpretatione quod refert Ioannes Bohemus de Gentili ritu, vbi de Asia: principem scilicet, cùm primùm regni diadema accipiebat, dicere solitum, *Oris mei sermo de cetero gladius meus erit.* *De gladio ex ore prodeunte aliorũ placita.*

C

Alii gladium ex ore prodeuntem de doctrina exponunt; vt Tertullianus, Victorinus, Ticonius, Primasius, Haymo, Anselmus, Albertus, Thomas. Et plerique eorum, quòd anceps sit gladius, exponunt propter duo Testamenta.

Nonnulli satius esse putant vtrumque sensum amplecti; vt Pannonius, Zegerus, Iacobus Suarez. Imò verò Andreas etiam vtrumque sensum ponit. Nec non Aretas partim in præsenti, & partim epistola 3. vbi de rhomphæa, & similiter Arias Montanus.

Singularis est Ambrosij explicatio, qui exponit de electis in fine mundi contra Antichristum pugnaturis.

Mihi tamen certissimum est, sermonem esse de *gladio spiritus, quod est verbum Dei.* de quo Paulus ad Ephes. 6. 17. & Heb. 4. 12. *Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingẽs vsq; ad diuisionẽ animæ ac spiritus, cõpagum quoque ac medullarũ,* &c. Hoc mihi persuadeo, Primò, quia cõtextus nullũ aliũ sensum admittit. Antecedit enim stellarũ splendor, qui significat doctrinæ Euãgelicæ lucẽ, quam Episcopi & Euangelij promulgatores Gentibus impertiebãtur. Huic verò prædicationi omnino adiungenda erat sermonis vis & efficacitas in animarũ conuersione. Ad quam eandem efficacitatẽ docet nos Paulus aptissimũ esse symbolũ gladiũ spiritus. Atque hic ipse est gladius, de quo ps. 149. 6. *Gladij ancipites in manibus eorum. Ad faciendã vindictam in nationibus, increpationes in populis,* &c. *Gloria hæc est omnibus Sanctis eius.* Manifestum autem est, Sanctorum gloriã non in eo sitam esse, vt ferreis gladiis in suos hostes strages edant, vel vt seueritate supplicii in eos animaduertant: esse tamen illis glorioßissimam mundi conuersionem, quæ gladio & efficacitate diuini verbi facta fuit. *Gladium esse gladium spiritus, quod est verbum Dei, verior sententia.*

D

Deinde in prima hac visione (totius Apocalypseos prologo) illud potissimùm attenditur, quod posteà in reliquo libro repræsentandum est. Quare dubium non est, quin gladius anceps eundem sit sensum hîc habiturus, atque cap. 19. 15. *De ore eius procedit gladius acutus.* Vbi Christus apparuit in equo albo sedens, ingenti equitum exercitu stipatus, vt prælium committeret cum hostibus. Exitus verò fuit, aduersarios omnes Christi gladio fuisse occisos; *Apprehensa est bestia & pseudopropheta: viui hi duo missi sunt in stagnũ ignis: & ceteri occisi sunt in gladio sedentis super equũ, qui procedit de ore ipsius.* Quo in loco (vt ibidẽ videbimus) certũ est sermonẽ esse de totius Romani Imperii ad Christi fidem conuersione: in qua homines peccato & idololatriæ mortui sunt; atq; huius mortis siue occisionis proprium fuit instrumentũ diuini verbi gladius, qui procedit ex ore Christi. Hunc nobis sensum veriorem

Digitized by Google

rem reddit filum & consequentia Apocalypseos: & (vt notat.24. & 25. prolegomenon vidimus)licèt huiusmodi sensus valdè mysticus videatur;elegantissimus tamen est,& sacrâ Scripturâ dignissimus.Quamobrem(vt mea fert opinio)dubitari non potest,propriam significationē huius gladii ex Christi ore procedentis esse diuini verbi virtutem & efficacitatem in mundi conuersione. A

Cur gladius anceps esse fingatur.

Quibus animaduersis facile intellectu est,cur gladius anceps esse fingatur;videlicet vt ea ratione significetur gladium ita faciliùs & efficaciùs ad intima penetrare. Pro cuius intelligentia aduertendum est discrimen, quod Liuius lib.22.inter Gallos & Hispanos assignat, qui locus est ex Polybio exscriptus. Vterque igitur asserit Hispanorum esse in præliis consuetudinem,punctim petere hostē; Gallorum verò, cæsim ferire. Et eandem differentiam Polybius ipse constituit inter Romanos & Gallos.Hinc est vt Hispanis opus sit gladio ancipiti;Gallis autem ad eam pugnandi,quam olim habebant,consuetudinem,non item.Vt ergo denotetur diuini verbi gladium corda transfigere, nihil potuit significantius excogitari,quàm gladius anceps;quia qui punctim non feriunt, illis opus non est gladio ancipiti: sed eiusmodi quo Turcæ vtuntur (*cimiterra* vocant.) At ad punctim petendum hostem,& cor penetrandum,gladius anceps necessarius est. Quod & D.Paulus ponderauit, agens de Dei verbo, *Penetrabilior* (ait) *omni gladio ancipiti*.

Qualis debeat esse gladij ex Christi ore prodeuntis pictura.

Hic est haud dubiè legitimus sensus. Pictura autem erit exigui pugionis aut sicæ ex ore prodeuntis,quæ satis sit ad symbolum. Manifestum est autem, cuspidem aduersam esse debere, non auersam,vt denotetur, Christum oris sui gladio aduersus hostes bellum gerere. Quòd autem in ore Christi gladius apponatur,magnam habet energiam;Spiritus enim Christi est, qui huic gladio vim & robur addit. Atque ita cap.19.ponderatur, licèt multi sint in Christi exercitu milites, mysticam tamen animorum occisionem, quæ ipsis veram afferat vitam, rem esse quæ propriè ipsius Christi gladio conficienda sit. Quo illud vel maximè nobis significatur,hominum industriam, & prædicatorum quantumuis strenuorum solertiam,efficaces ex se non esse ad hoc egregium facinus,quod in peccatorum conuersione elucet; atque adeò tanti operis decus & gloriam in ipsum Christum cedere,à quo mystica illa cædes fit. Verumtamen licèt hæc ita sint,vt tamen Christus suis militibus honorem tribuat,& suæ gloriæ efficiat participes; asseritur aliis in locis, se illis oris sui gladium in manus tradere, atque illos esse qui animas ad Christum conuertunt. Christus enim illis vt instrumētis vtitur,atque eos vult honore ornare,& mundi conuersionis gloriam cum ipsis cōmunicare. B

De vultus claritate quid alij senserint.

ET FACIES EIVS SICVT SOL LVCET IN VIRTVTE SVA] In huius claritatis explicatione varij sunt interpretes. Ac Primò, Ticonius,Primasius & Albertus Christum,qua homo est, hîc comparant soli; quia natus est,& passus,& resurrexit; sicut sol oritur,occidit, & rursus oritur. Secundò, Andreas, Aretas,Lyranus & Zegerus aiunt Christum cum sole conferri; quia ipse est spiritualis hominum lux. Tertiò,Beda, Richardus & Ribera exponunt de ipsa corporea claritate, qua fulget nunc Christus in cælo,& qua amictus in iudicio apparebit. Verùm hæ explicationes abs re videntur esse. Quia hæc prima visio (vt suprà ostendimus) non describit qualis sit Christus in se ipso, sed quàm mirabilis in Sanctis suis. Quartò ergo, Anselmus, Interlinealis, Thomas & Arias de claritate gratiæ interpretantur, qua iusti omnes in hac vita fruuntur. Quintò,Ioachimus singulariter exponit de magna claritate,qua in sexta ætate fruitura est Ecclesia.Et contendit etiam faciem Mosis,quæ cornuta apparuit,similem fuisse lunæ; ac faciem Christi similem soli. Quo in discrimine philosophatur vt solet. Sextò,Antoninus exponit de mysteriorum nostræ fidei fulgore. Septimò, Seraphinus de miro ipsius Apocalypseos splendore explicat, in quo mentes humanæ caligant. Octauò denique,Ticonius,Ambrosius,Haymo,Rupertus,Albertus,Pannonius, Suarez,Pererius, & communis exponunt de claritate Beatorum post resurrectionem. C

Vera vultus claritatis significatio ex ipso contextu probatur.

Ceterùm pro nostra explicatione aduertendum est Primò,in voce aquarum multarum,in stellarum splendore, & in oris gladio per ordinem fuisse significatas Imperij Romani persecutionem, Euangelij prædicatorum constantiam, & diuini verbi in mundi conuersione efficacitatem: & congruens ordo exposcere videbatur, vt tribus his rebus consequenter annecteretur admirabilis Romanæ Ecclesiæ splendor & gloria post Imperij conuersionem. Hæc igitur gloria Rom.Ecclesiæ est, meâ sententiâ,proprius & legitimus sensus huius claritatis atq; fulgoris,qui ex Christi vultu prodit.

Cur Christi vultus fulgere dicatur.

Secundò aduertendum est,ad hanc significationem valdè conueniens symbolum esse claritatem vultus Christi. Idem enim est fulgere ipsius vultum,ac caput fulgere.In hoc autem mystico Christi corpore,Romana Ecclesia,respectu aliarum Ecclesiarum, caput est. Et quidem facilè cernitur, ingentem gloriam & maiestatem aptissimè magnæ claritatis symbolo denotari. D

Tertiò aduertendum, multa in Romanæ Ecclesiæ gloria comprehendi; atque ea omnia huius claritatis symbolo conuenienter exprimi.Scilicet religionis decus,imperij maiestatem, Doctorum sapientiæ claritatem,Religionum regularium institutionem; & quidquid denique ad Ecclesiæ Romanæ magnitudinem atque præstantiam attinet:qua de re multi extant libri sapienter scripti.

Num totum Christi corpus, an sola facies effulserit.

Quartò aduertendum, in hoc symbolo manifestè alludi ad Christi transfigurationem, de qua Matthæi 17.2. *Resplenduit facies eius sicut sol.* & Lucæ 9.29. *Species vultus eius altera*. Et tam in hoc symbolo, quàm in transfigurationis historia occurrit quæstio, vtrùm totum Christi corpus effulserit sicut sol, aut solùm vultus? In qua difficultate alii dicent vniuersum Christi corpus æqualiter resplenduisse: sed vultum ideò ab Euangelistis præsertim fuisse expressum , quia patens erat & apertus, ac ceteris corporis partibus superior; vt quod de illo dicebatur,de reliquis corporis partibus dicendum esse putaretur. Alij dicent narrationi Euangelicæ conformius esse affirmare, facié esse,quæ potissimùm splenduit;atque inde ad totum corpus splendorem non quidem ita magnum dimanasse.Sed quidquid de hac quæstione sit,transfigurationis splendor ingenti non caruit mysterio:

Digitized by Google

A rio: atque in eo Christus indicare voluit, crucis dedecus & confusionem in maximum fuisse decus ac gloriam commutanda. Quocirca congruenter fuit factum, vt fulgor ille præsertim in capite & vultu emineret; qui locus pudoris ac verecundiæ esse solet. Iuxta illud psal. 68.8. *Operuit confusio faciem meam.* Et quemadmodum ignominia Ecclesiæ illata, tot ex ipsius filiis suppliciis, tormentis ac morte acerbissimè propter Christi fidem mulctatis, Romæ magis, quàm in alia orbis parte visa est: ita etiam statuit Deus, vt Christianæ Ecclesiæ decus, maiestas ac gloria, Romæ præsertim, vt in mystici huius corporis capite, eminerent: atque inde ad reliquum Ecclesiæ corpus deriuarentur.

Quintò notandum, perspicuum videri, Ioannem non vbi primùm caput ac vultum conuertit ad videndum eum, qui per vocem tubæ eum compellabat, protinus Christi vultum solis instar fulgentem aspexisse. Prius enim ipsius oculos vidit, vt flammas ignis. Quòd si tunc facies Christi vt sol effulgeret; oculorum flammæ conspici ac distingui præ ingenti totius vultus claritate non possent. Etenim si solem oculis constare fingeremus, in eo certè neutiquam possemus dignoscere, an vt flammæ ignis splendescerent: quia nimio solis ipsius splendore nostri perstringerentur oculi, quo minùs id distinguere & dignoscere possemus. Quamobrem multò conuenientius est intelligere, Ioannem vidisse primùm oculos Christi flammantes, deinde vultum in solis splendorem commutari. Quod ad magnam mutationem & vicissitudinem, quæ in mundo subsecutura erat per Romæ & ipsius Imperij conuersionem, mirè deseruiit; dum Ioannes in Christo aliam commutationem aspexit illi similem, quam olim in monte Thabor viderat.

Qua ratione sit considerandus hic vultus splendor,

B

Sextò, huic Christi vultus transfigurationi respondet posteà in Apocal. cap. 18.1. terræ illuminatio, & quidquid cap. 19. & 20. dicitur de Christianæ Ecclesiæ gloria post idololatriam superatam. Vide etiam Ezechielis 43.2. *Et terra splendebat à maiestate eius.*

Septimò, Ecclesiæ gloriam in Christi vultu & splendore exprimi, cohæret cum modo loquendi sacræ Scripturæ; in qua Deum sui vultus claritatem & fulgorem ostendere, idem est, quod valdè fauere hominibus. Expende id psal. 79.4.8.20. *Ostende faciem tuam, & salui erimus.* & psalm. 62.2. *Illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.* Et psal. 118. num. 135. *Faciem tuam illumina super seruum tuum.* & psal. 4.7. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.*

Deum sui vultus claritatem ostendere, quid sit in Scripturæ phrasi.

Octauò, in hac Ecclesiæ claritate comprehenditur etiam gloria, quæ ex idololatriæ expulsione in ipsam Ecclesiam refusa est. Hoc enim fuit ex orbe tenebras depellere: quemadmodum Sol exoriens noctis caliginem disiicit, & omnia sua luce complet; *Habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis*, Isaiæ 9.2.

Nonò, hæc expositio de Ecclesiæ Romanæ splendore & gloria non excludit communem illum sensum de beatitudinis gloria & claritate. De vtrâque enim gloria sermo est in Apoc. atque hæc, quam Deus Romanæ Ecclesiæ in terra largitus est, gloriam illam repræsentat, & quodammodo inchoat, quam in cælesti patria consequetur.

C

Denique si in Apocalypsi adeò ex professo agitur, vt posteà videbimus, de Romanæ Ecclesiæ gloria; negari non potest, quin hęc eadem gloria attingenda fuerit in hac prima visione, quæ cùm futura esset libri prologus, totius argumentum debebat comprehendere. Et ad aliquam huius Ecclesiæ gloriæ mentionem faciendam in hac prima visione, aptior locus seligi non potuit, quàm facies Christi, solis instar fulgentissimè splendens.

VERS. 17.

ET CVM VIDISSEM EVM, CECIDI AD PEDES EIVS TAMQVAM MORTVVS] Hunc Ioannis casum ad pedes filij hominis ad reuerentiam ac venerationem erga Christum referunt Andreas & Aretas; illum comparantes Iosue casui cap. 5.14. vbi dicitur, *Cecidit Iosue pronus in terram adorans.* Similiter explicat Ambrosius, Glossa, Ioachimus, & Pannonius. Ceterùm aliud est sponte ad alicuius pedes venerationis ergò procidere: vt cecidit Iosue, & Ioannes coram Angelo cap. 19.10. & cap. 22.8. aliud verò est præ timore ac trepidatione corruere exanimatum. Atque hoc modo cecidit sine dubio Ioannes in hac visione: sicut Daniel c. 10.9. & discipuli in transfiguratione, Matth. 17.6. Metus autem ac pauor fuêre, qui Ioannem exanimarunt; sicut expressit Matthęus in transfiguratione, *Ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valdè.* Atque hac ratione esse intelligendum in præsenti, notant Rupertus & Albertus: imò verò etiam Andreas & Aretas Afferunt enim exemplũ Danielis. Hęc est ergo literalis huius loci explicatio, vt constat ex ipso cõtextu, & præsertim ex illis verbis, *Noli timere.*

Ioannem ad Christi pedes prostrati, non tam ad reuerentiam, quàm ad trepidationem referendum.

D

Nonnulli tamen minimè adhuc contenti literali hoc sensu ad mysticos alios deflectunt. Atque alij dicunt in Ioanne Ecclesiam repræsentari, quæ coram Christi maiestate mysticè moritur per veteris Adami mortificationem. Ita Primasius, Haymo, Pannonius & Suarez. Alij contemplantur hunc Ioannis ad pedes Christi casum significare promptam & expeditam voluntatem vestigiis Christi insistendi, quamuis pro illo vitam profundere opus sit; quemadmodum & Christi pedes erant in camino. Ita Albertus & Thomas.

Censeo tamen proprium sensum mysticum cum literali cohęrere, & in eo fundari debere. Quare cùm in literali sensu ingens metus & pauor Ioannem ad casum impulerint exanimatum; illud ad mysticum sensum congruentiùs aptatur, vt persecutionum & ærumnarum magnitudine & atrocitate perpensis, quæ per vocẽ aquarum multarũ indicantur; humana fragilitas metuat, atque animum despondeat, quasi tantum de Romano Imperio triumphũ, & tam excellentem Ecclesiæ futuram gloriam vix credere sufficiat. Et cũ hoc sensu illud etiam cohęret optimè, quod sequitur. Christus enim Ioannem erigit, fulcit ac roborat; atque illi ob oculos ponit suæ dexteræ vim ac potẽtiam, suæ resurrectionis exemplar, imperiumque ac dominatum, quem in mortem & infernum habet.

Quid significet, Ioannẽ ad Christi pedes procidere.

Præterea metus Ioannis & ipsius in terram lapsus possunt etiam cõgruenter denotare humanam imbecillitatem; quæ in medio persecutionum impetu ac furore periclitabatur. Et quidem multi vehe-

Digitized by Google

vehementi illius procellæ vi compulsi lapsuri erant; alij vacillantes iam & titubantes non procul erant à ruina futuri: Christus tamen Ecclesiam suã sua ope ac virtute roboraturus erat, & in nutanti humanæ naturæ infirmitate suũ robur ac vires ostensurus; vt hac ratione, ipsius virtus & efficacitas magis emineret. Etenim nisi homines infirmi essent & imbecilli, & ruinis ac lapsibus obnoxij; non adeò mirum esset, in tanta persecutione Ecclesiam stabilem & inconcussam manere. At tantũ opus tamque arduum prouehere, atque ad id præstandum debilibus instrumentis vti, hominibus scilicet, qui ad casus & ruinas procliues sunt; hoc verò summæ virtutis est, & Dei gloria valdè dignum. A

ET POSVIT DEXTERAM SVAM SVPER ME] Christus, manu super Ioannem imposità, ipsum exanimatum protinùs miraculosè restituit, & mirificè confirmauit; vt patet ex contextu. Quia ille ipse, qui tamquam mortuus ceciderat, statim iubetur septem epistolas scribere ad septem Ecclesias Asiæ; easque Christo dictante mox excipit. Atque ita non solùm verbis, sed etiam re ipsa, & amissi vigoris atque animi restitutione ostensum est Ioanni; non esse cur consideratæ persecutionum atrocitate & sustinentium imbecillitate deficeret aut vacillaret. Dextera enim Christi Ecclesiam roboratura erat. Ac Ioannes quidem ipse satis nouerat Christi dexteram esse potentissimam ad debiles confirmandos, & ingens iis robur ac vires addendas. Etenim si ipsius serui ac famuli ea fuerunt virtute ab eo insigniti, vt ægrotos imposita solùm manu sanarent (iuxta illud, *super ægros manus imponent, & bene habebunt*, Marci 16.18.) quanto magis Christi ipsius dextera efficax erit ad debiles fulciendos, & vigorem eis impertiendum, vt persecutionum impetum possint sustinere? Præterea Christum suam dexteram extendere, idem est atque aduersitatibus ipsis & ærumnis sese opponere, & suos securos reddere. Docet hoc Ecclesia in quadam oratione, his verbis Deum alloquens, *Contra cuncta nobis aduersantia dexteram tuæ maiestatis extende.*

Christi dextera vis at potentia.

B

DICENS, NOLI TIMERE; EGO SVM PRIMVS ET NOVISSIMVS] Aliqui existimant idem esse *primum & nouissimum*, atque *Deum & hominem*; ac proinde Christum se hîc appellare nouissimum; quia factus est nouissimus virorum. Ita Aretas, Rupertus, Pannonius, & alicubi D. Ambrosius. Alij appellationem nouissimi referunt ad iudicandi & retribuendi potestatem. Sic Richardus, Thomas, Serranus, & Ribera. Hæ tamen expositiones non videntur esse ad rem. Manifestè enim hæc verba desumpta sunt ex Isaia, qui eis vtitur in tribus locis, id est cap. 41.4. & cap. 44.6. & cap. 48.12. & in tribus his locis loquitur ipse Deus. Sensus autem in Isaia est, Deum Israëlis esse primum & nouissimum; id est, præter illum, nullum alium Deum esse. In capite quidem 41. agit de admirando facinore, quo suam Ecclesiam amplificauit, & Gentes ad eam adduxit; atque ait, *Ego primus & ego nouissimus. Viderunt insulæ, & timuerunt; & vnusquisque dicet fratri suo, Confortare*, &c. In capite verò 44. hæc eadem locutio magis adhuc sic explicatur, *Ego primus, & ego nouissimus; & absque me non est Deus.* Vbi contextus etiam est de ingenti Christianæ Ecclesiæ prosperitate, vt apparet ex iis quæ sequuntur, *Noli timere Iacob serue meus; effundam enim aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam Spiritum meum; & germinabunt inter herbas, quasi salices*, &c. Demum in cap. 48. est etiam sermo de præstantissimo opere, quod Deus erat facturus, non permittendo, vt Ecclesiæ persecutio vehementior esset, quàm ipsa ferre posset. ait enim: *Ecce ego excoxi te, sed non quasi argentum: elegi te in camino paupertatis. propter me faciam, vt non blasphemer, & gloriam meam alteri non dabo. Audi me Iacob. ego ipse, ego primus, & ego nouissimus. manus quoque mea fundauit terram, & dextera mea mensa est cælos: ego vocabo eos, & stabunt simul.*

Esse primum & nouissimum, quid sit.

Ex Isaia lux Apocalypsi data.

C

Ex his locis constat, cùm in præsenti dicitur, *Ego primus & nouissimus*, sensum esse huiusmodi, Christum scilicet vnicum esse Deum, nec alium præterea esse. Atque ita exponit Athanasius. Quare ex hoc loco coniuncto cum tribus illis Isaiæ clarè colligitur Christi diuinitas, vt benè Valentia 1. p. disp. 2. q. 1. punct. 1. §. 12. in 7. testim.

Christi diuinitatem ex hoc loco colligi.

Notandum tamen est, non solùm his verbis significari Christum vnicum esse Deum; sed etiam ipsum Ecclesiæ opus incepisse, illudque prouecturum; nec suorum ærumnas ac calamitates obstituras, quo minùs suum ipse opus perficiat. Probatur hoc Primò, quia hęc verba *primus & nouissimus*, synonyma debent esse eorum, A & Ω, *principium & finis*; vt docet Isidorus lib. 7. Etymolog. cap. 2. & apertè colligitur ex Apocalypsi cap. 22. 13. vbi tamquam synonyma coniunguntur A & Ω, *primus & nouissimus, principium & finis*. De quibus verbis diximus suprà n. 8. atque hæc explicatio apposita valdè est ad eum solandum, qui fracto ac debilitato animo erat. Et propterea cap. 2. n. 8. adiungitur Dei omnipotentia & promissio.

Primum & nouissimũ idẽ esse, quod A & Ω, *principium & finem.*

Secundò probatur ex ipso Isaiæ contextu tribus illis locis prędictis. Vt enim fideles confidant Gentium deos minimè fore potentes ad Dei populum delendum; ideo eis dicit, se esse primum & nouissimum, qui & Ecclesiæ suæ structuram exorsus fuit, & est cumulatè perfecturus. Atque hoc ipsum fundatur in eo, quòd Deus sit vnicus: ad quem proinde spectat templum, quod incepit, absoluere; nec pati ab hostibus illud deiici. Nec enim ab alio Deo expectanda est salus populi, quàm ab ipsius populi conditore. D

Probatur Tertiò, quia hic sensus optimè cohęret cum eo, quod sequitur, *sum mortuus, & ecce sum viuens*. q. d. Nónne vides, me subiisse mortem, vt resurgerem gloriosus? atque vt ex sepulchro victor & in ęternum victurus proditem? sic ergo Ecclesia mea, quantumuis prematur, opprimetur numquam; & ex maximarum persecutionum barathro, cùm iam immersa videbitur, quasi ex tartari faucibus gloriosè emerget, & in sæculorum æternitatem regnabit.

Quartò huic explicationi adstipulatur D. Ambrosius; qui hęc verba ait esse mysticè intelligenda de Christi diuinitate: *Qui propterea dicitur primus, quia est auctor omnium; & propterea nouissimus, quòd omnia concludat*, id est perficiat. Et alibi ait: *Primus, quia per ipsum omnia; nouissimus, quia per ipsum resurrectio*. Consonat interpretatio Primasij, Bedæ & Ruperti; qui sic exponunt, *Primus & nouissimus, id est*

per

A *per quem omnia facta, & instaurata.* Consentit Lyra, qui explicat, *Primus & nouissimus, id est potens te saluare.*

ET VIVVS, ET FVI MORTVVS, ET ECCE SVM VIVENS IN SÆCVLA SÆCVLORVM] Græcè, καὶ ὁ ζῶν, καὶ ἐγενόμην νεκρὸς, καὶ ἰδοὺ ζῶν εἰμὶ. constructio ergo est; Is qui viuens sum: atque ita & si mortuus fui, sed ecce me viuum & gloriosum & in æternum victurum. Itaque mortuus fui; vt per mortem, meæ vitæ efficacitatem & mortis victoriam euidentiùs ostenderem: sic ergo eueniet Christianæ Ecclesiæ ad similitudinem meæ mortis & resurrectionis. Hæc verba eò respiciunt, quod posteà latè in Apocalypsi tractatur de magna gloria ac maiestate, quam Ecclesia per ipsas ærumnas & calamitates adeptura erat. De qua admirabili Ecclesiæ præstantia vide Pererium Exodi 3. §. 16. de significatione rubi ardentis, qui non comburebatur. Quia scilicet ibi erat verus Deus, ex Philone & Theodoreto, & §.17. ex Hieronymo epist.127. Deinde mira Ecclesiæ multiplicatio, quò magis afflictabatur, innuitur sub populi Israëlitici figura in Ægypto; de quo ibi Pererius cap.1. §. 5. Christianismum etiam persecutionibus fuisse auctum, tractat Nazianz. orat.3. aduersus Iulianum, & orat.23. in laudem Heronis, & in carmine de præceptis ad virgines. VERS.18.

ET HABEO CLAVES MORTIS ET INFERNI] Horum verborum quinque inuenio expositiones. Prima est de potestate, quam Christus habet liberandi homines à peccatis, & consequenter à dæmone & inferno per peccatorum remissionem; quam etiam potestatem cum Ecclesia com- *Claues mortis & inferni, quæ dicãtur, dissentiunt auctores.*
B municauit. Sic exponunt Ticonius, Primasius, Beda, Rupertus, Ioachimus, & Sixtus Senensis in suâ Bibliotheca, lib.6. annot.45.

Secunda explicatio est de potestate Christi ad Catholicæ Ecclesiæ hostes morte & damnatione puniendos. Ita Andreas, Richardus, Serranus, & Arias Montanus.

Tertia interpretatur de potestate, quam habet Christus ad mortuos ab inferis excitandos. Tenent Lyra, Pannonius & Ribera.

Quarta vniuersalior est, de potestate vitæ & mortis, id est, viuificandi & occidendi. Habent Aretas, & Maldonatus Matth.16.19. & Pererius hîc.

Quinta est de Christi potestate ad cohibendum diabolum & eius ministros, vt tentatio non sit *Quinta sententia, vt verior, præfertur.*
maior, quàm vt fideles possint sustinere. Hanc tenent Haymo, Anselmus, Glossa, Albertus, & Thomas. Mihi quidem quinta hæc expositio videtur propiùs ad sensum germanum accedere; quam sequẽtibus obseruationibus sic ampliùs explico. Primò ergo obseruo, hęc esse postrema ex iis, quæ Ioannes tradit de illa persona, quę ipsi primùm apparuit. Licèt enim posteà persona illa Ioanni præcipiat scribere, & deinde aliquid ei de ipsa visione explicet: hoc tamen non est aliquid addere de ea persona, quæ Ioanni visa est. Quare hæ claues postremum est omnium, quæ de illa hîc narrãtur. Et quamuis omnia, quæ de ipsa dicantur, debeant ad rem esse, & scopo huius visionis congruentia; decorum tamen exigit, vt vltima hæc verba valdè cohæreant cum omnibus, quæ antecesserant, &
C cum totius visionis scopo. Sit ergo primæ huius visionis scopus summam totius Apocalypseos complecti, & eam ad duo illa valla reducere, quæ contra Christianam Ecclesiam sunt à Iudæis & Gentibus excitata; ad hoc ipsum spectare debet, quod de his mortis & inferni clauibus additur.

Secundò noto, nomina mortis & inferni hîc accipi debere eodem modo, quo postea in Apocalypseos decursu accipiuntur. Atque cap.6. in 4. sigillo constabit, mortem & infernum duas quasi personas esse, quæ Christianæ Ecclesiæ excidium & internecionem minitari videbantur. Atqui ex eo loco clarè infertur mortis & inferni distinctio. Mors enim inducitur quasi præuia incedens, infernus verò subsequens. Quo innuitur, mortem occidere, & infernum deuorare: & in strage, quæ aduersus Christianos in Ecclesiæ persecutionibus edebatur; videbatur quidem mors multos ex Christianis variis tormentorum generibus perimere, infernus autem ipsorum animas & corpora deglutire. Est enim infernus persona tragica, cuius officium est deuorare eos, quos mors occidit, & eorum corpora in sepulchris retinere, atque corrumpere; aſt animas, quasi vinculis constrictas in terræ visceribus retinere. Dicemus de hoc latiùs cap.6. Nunc tantùm dico, morti congruenter tribui sagittas & alia ad occidendum instrumenta; & inferno fauces solum ad deuorandum. Atque has omnino esse existimo inferni portas, de quibus Christus Matth.16.19. vt videbimus notat.15.

Tertiò noto, vt Christiani pro certo haberent Ecclesiam persecutionibus non esse consumen- *Ingens laborum & calamitatũ solatium.*
D dam & conficiendam, sed augendam potiùs & illustrandam; ad hoc (inquam) magno esse solatio; perpendere, eiusmodi aduersitates & ærumnas non casu, sed peculiari Dei prouidentia accidere, qui Ecclesiam ipsam magno prosequitur amore. Et cùm persecutiones graviores aut minores esse non possint, quàm Deus statuit (siquidem folium in arbore absque eius nutu minimè nutat) quando ipse permittit mortem & infernum in Christianos sæuire; non est cur timeatur, hoc in Christiani populi à Deo dilecti detrimentum, nedum excidium casurum; cùm in ipsius potiùs gloriam & exaltationem tandem redundet.

Quartò his additur ad maiorem fidelium consolationem, Christum non modò quatenus Deus est, Dominum esse mortis & inferni; sed etiam quatenus est homo, vtriusque claues tenere; id est, supremam in illos potestatem. Quo innuitur, morti & inferno non plus licere, quàm quod per Christum licet. Christum verò, qui noster frater est, & vitam pro nobis libentissimè profudit, qui Ecclesiam suam vt charissimam sponsam vnicè diligit; quis dubitet, non plus potestatis morti & inferno contra Ecclesiam concessurum, quàm ad ipsius Ecclesiæ vtilitatem & emolumentum opus sit? Hic certè sensus est eorum verborum *habeo claues mortis & inferni.* In quibus (vt constabit notat.16.) non est sermo de Christo, quatenus Deus, sed quatenus homo est: id quod valdè commodum fuit ad maius Ecclesiæ Christianæ solatium.

Digitized by Google

Ecclesiam mediis persecutionibus ad maiorem gloriã euehit.

Ex dictis facile intelligitur, non solùm Ecclesiæ persecutiones non fore maiores, quàm ipsa possit tolerare, vt Paulus ait, 1.Cor.10.13. *Non patietur vos tentari supra id, quod potestis.* Sed etiam esse medium ad maiorem Ecclesiæ gloriam & sublimitatem. Atque hoc est, quod mox subdit Apostolus, *sed faciet etiam cum tentatione prouentum.* Nec enim aliter patereturqui Ecclesiam suam sponsam tanto prosequitur amore. A

Quintò noto, claues mortis & inferni non esse directè claues ad vinctos è carcere seu custodia eruendos, vbi à morte & inferno in vinculis detinentur. Plenius enim est, si dicamus, Christum habere dominatum & summam potestatem in ipsam mortem & infernũ; nec illos quidquam exequi præter id, quod sibi à Christo imperatur. Quemadmodum enim, qui aliquid conditũ & claue obseratum habet, proprius ipsius dominus est, ita Christus morti & inferno dominatur, qui illi vt supremo Domino omnino obsequuntur. De symbolo autem clauis nonnihil dicemus notat.16.

Sextò notò, in hoc dominatu, quem Christus in mortem & infernum exercet, non solùm includi, ipsos Christo perfectè obedire, quod attinet ad eorum numerum, qui occidendi & deuorandi ab illis sunt, & ad corporis dumtaxat deuorationẽ, animâ intactâ (vel aliquo tempore in igne Purgatorij detentâ, si indigeat; sed etiam includi potestatem ad mortuos excitandos. Nam mortis & inferni Dominus eis potest præcipere, vt captos reddant: atqui captos reddere idem est, ac ad vitam restituere, quod ita repræsentatur Apocal.20.13. *Mors & infernus dederunt mortuos suos.* B

Septimò, licèt in hoc loco directè de morte & inferno non agatur, nisi quatenus illis datur facultas, vt Christianos occidant & absumant; verùm obiter etiam, & quasi indirectè innuitur maxima strages, quam mors & infernus edent in Ecclesiæ aduersariis & sceleratis. Nam cùm mors & infernus ministri Christi sint, qui ad eius nutum præstò sunt; manifestum est, illos multo maiorẽ & grauiorem cædem in Christi hostibus, quàm in ipsius famulis ac seruis facturos. Huc spectat quod ait Hieronymus epist.29. ad Theodorum paulò post initium; *Christianorum mors potiùs est similitudo mortis, quàm mors.* Quasi dicat, Damnum quod mors & infernus Christi amicis inferunt, esse quasi per speciem solùm, & quod satis est ad nobiliorem ipsorum gloriam: at in improbos verò sæuiunt mors & infernus, & damnum eis verum, horribile & æternum inferunt.

NOTATIO XV.

Ad illa verba cap.1.n.18. Habeo claues mortis & inferni: *vbi per occasionem explicatur locus Matthæi 16.n.18. de portis inferni.*

Porta inferi quæ dicantur.

INTELLIGENTIÆ eorum verborum (*habeo claues mortis & inferni*) quàm bene conueniat explicatio huius loci Matth.16. vidimus in commentario. Superest nunc, vt Matthæi verba attentè inspiciamus. Ea verò sunt; *Porta inferi non præualebunt aduersus eam*: id est, aduersus Ecclesiam (de qua ibi sermo est.) Græca sic habent, Καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς, vbi aduertendum est, nomen ᾅδης, id est, *infernus*, accipi solere, vt nomen tragicum, pro persona ficta, quæ homines mortuos deuorat, cadauera corrumpit, atque animas quasi vinculis quibusdam, siue carcere habet constrictos; itaque vim atque potentiam, quam aduersus homines habet, deuorando maximè exercet. Et hac ratione illum significauit Sapiens Prouerb.1.12. *Deglutiamus eum, sicut infernus.* Ad deglutiendum igitur manifestum est, necessariò requiri, vt oris hiatum pandat: id est, sepulchra, & quasi fauces, siue voragines. Vide Prouerb.30.16. *Infernus & os vulua.* Quorum alter ad vorandum referat ora, alter ad producendum. Facit illud Isaiæ 5.14. *Dilatauit infernus animam suam*, quia dilatantur fauces, quà spiritus emittitur (qui appellatur anima) quando multa deuorantur. Si igitur damnum, quod inferre potest, est homines deglutire; perspicuum est, vt quã plurimos voret, opus esse, multas aperire fauces, id est, sepulchra. Hæc ergo ora, quæ ad gentes deuorandas infernus aperit, propriè & eleganter appellari solent portæ inferi.

Infernus in Scriptura quo pacto accipi soleat.

Vnde sensus illorum verborum (Matthæi 16.18.) est, quantumuis multa guttura infernus pandat ad Ecclesiam Christianam absumendam, nullatenus futurum, vt aduersus eam possit præualere. Licèt enim permulti Martyres trucidentur; multò tamen plures erunt, qui Christo & eius fidei nascentur, Martyrum ipsorũ exẽplo permoti. Et qui fuerint ex Martyribus occisi, glorioſi ac triumphantes resurgent. Atque ita nec militans Ecclesia minuetur, sed potiùs augebitur; & quos infernus deglutijsse visus est, nõ eos deuorasse gloriabitur; quia potissima pars (id est animæ) euadent liberæ; nec C quæ deuorauerat corpora, semper apud se retinebit, sed ex ipsius potiùs faucibus gloriosè emergent.

Confirmatur hic sensus ex Isaia 38.10. vbi Ezechias de se loquens, *vadam* (inquit) *ad portas inferi.* Et quidẽ qui adeò in extremis est, vt illi sepulchrum reseretur, hic aptè dicitur ad portas inferi peruenisse. Ecce alius locus, in quo fit mentio portarum inferi, & tamen nõ est sermo de aliis portis, nisi de sepulchro. Et hãc Isaiæ phrasim exponit Ecclesiasticus cap.51.9. his verbis; *Vita mea appropinquans erant in inferno deorsum.*

Alia expositio, quæ ità explicat, vt asserat in portis ciuitatis solere esse consilium ac potentiam; vereor ne plus satis subtilis sit. Primò; quia infernus, qui (vt vidimus) appellatur ᾅδης, non inducitur quasi magno cõsilio vim inferens, sed quasi ingenti deuoratione. Deinde, quia licèt consideretur ipse habere vrbem munitissimam; erit quidem munita, ne ex ea vincti extrahantur; sed non video, quam aptum inuentum sit, in regni Plutonis portis consilium aduersus Ecclesiam D considerare; nec ex illis portis tormenta in Ecclesiæ Christianæ arcem displodi.

Præterea aduerto, in sacra Scriptura dæmonẽ & infernũ, quasi diuersas personas solere induci. Dæmon enim est viuorũ tentator, siue accusator; infernus verò mortuorum deuorator. Atque ita Scripturę phrasis est, mortuos descendere ad inferos; vt patet Genes.37.35. Num.16.30.33. Iob 17.16. Psal.54.16. Psal 113.17. Psalm. 138.8. Isaiæ 14.15. Baruch 3.11. Ezech.31.16. & 17. & cap. 32.27. Matthæi 11.23. Lucæ 10.15.

Ex prædictis colligo, illorum verborum Matth.16. 18. *Porta inferi non præualebunt aduersus eam*, sensum esse; Ecclesiam, licèt graui simæ aduersus eam excitentur persecutiones ad Christianum nomen delendum; licèt mors in Christianorum corpora acerbissimis cruciatibus grassetur; licèt infernus maximos oris rictus expandat, ex hisce tamen omnibus victricem atque adeò triumphatricem proditurama: tum quia mortui glorioſi & incorrupti resurgent; tum etiam quia

gens

Digitized by Google

gēs Christiana per martyria & persecutiones crescit, & multiplicatur.

Pro nostra explicatione stat Theophylactus, qui de omnibus Ecclesiæ persecutionibus interpretatur.

Maldonatus hìc considerat, Ecclesiam esse veluti exercitum, qui inferorum vrbem expugnare contendat: & verba illa *non prævalebunt*, idem esse ac, Inferorum portæ ac potentia illi obsistere non valebunt. Adducit autem Maldonatus pro se Hilarium. Verùm, ni A fallor, multò aptius est, vt portæ inferi appellentur ora, quæ infernus referat, vt Isaiæ 38.10.

Quamuis autem aliquando hæ duæ personæ mors & infernus distinguantur, vt in Apocalypsi; alias tamen concipi solent, quasi eadem persona sit quæ occidat & deuoret. Quando autem agitur de mortis & inferni portis, videntur inter se non distingui. Eædem enim portæ sunt, quæ alibi portæ mortis, alibi portæ inferi nominantur.

Mors & infernus in sacris aliquando vt diuersa personæ; aliquando, vt eadem, inducuntur.

NOTATIO XVI.

Ad claues mortis & inferni. De claue Dauidis, de qua Apocal.3.7. & de claue domus Dauid, de qua Isaiæ 22.22.

Quid sit, habere claues mortis & inferni.

APoc.1.18. dicitur, *Habeo claues mortis & inferni.* Ad has verò claues manifestè respicitur cap.3. n 7 vbi dicitur, *Hæc dicit qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.* Manifestū enim est nomina siue appositā quæ sibi attribuit Christus in septem epistolis cap.2. & 3. concilianda esse, quoad eius fieri possit, cum prima hac figura Apocalypseos. Et primo aspectu nouum apparet, claues mortis & inferni, quasi idē essent cum claue Dauidis, in eā commutari.

Deinde, in claue domus Dauid manifestè respicitur ad id, quod Deus affirmat de Eliacim Isaiæ 22.22 *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius: & aperiet, & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat.* Quare necessarium videtur, vt horum Isaiæ verborum sensus quadret cum ils, quæ in his locis de Christo dicuntur. Nec obstat, apud Isaiam non legi *clauem Dauid*, sed *clauem domus Dauid* Idem enim est vtriusque locutionis sensus; & fortasse non caret mysterio, quæ apud Isaiam dicitur clauis domus Dauid, in Apocalypsi dici clauem Dauid.

Clauis domus Dauid quæ dicatur apud Isaiam.

Vt ergo ad explicationem accedam, notandum est in Isaia idem esse Deum promittere Eliacimo clauem domus Dauidis, ac summam illi potestatem polliceri in administratione eius regni, quod a Dauide ipsius posteri iure hęreditario acceperunt. Hanc tamen potestatē Deus Eliacimo promittit, nō vt regi, sed vt supremo inter regis ministros. Atque hęc explicatio est iuxta peritiorū huius loci interpretū mentem; vt Forerij, Adami & Ariæ Montani. Non ignoro Riberam cōtendere, clauem Dauidis esse supremam summi pontificis dignitatē. Verùm siue Eliacimus summus fuerit pontifex, siue nō; iste tamen sensus nō illis verbis recte quadrat, vt verba ipsa expendenti constabit; sed quē suprà diximus. Ex quo intelligitur reges à Dauide genus ducentes, & ipsius regnū hęreditate possidentes, appellari domum Dauid; vt apud ipsum Isaiam c.7.13. *Audite ergo domus Dauid.* Et quidem vsitatus est apud nos similis loquendi modus, *domus Austria, domus Sabaudia.*

Quanam in sacris appelletur domus Dauid.

Hęc explicatio confirmatur consideratā ipsā clauis analogiā, & supremi ministri officio. Etenim magnati illi, apud quem rex potissimùm regni gubernationem collocat, & cui præcipua regni negotia gerenda ac decernenda committit; videtur rex ipse quasi clauem suā ac potestatem tradidisse. Quod verò dicitur *super humerum eius*; ideò est, quia tunc gubernationis totius pondus supremus ille regis minister suis humeris sustinet, id est, sua industria, cura ac solicitudine quasi super humeros gestat.

Cur dicatur Deus Eliacimo dare clauem domus Dauid super humerum eius.

Facit etiam clauis analogia in prædicto sensu ad significandam ministri industriā, dexteritatem & sapiētiam; qua illi opus est vnà cum regiæ potestatis auctoritate. Nam ad obserandum & reserandum necessariū est, clauem ad ferrea portæ claustra aptare; in quo non viribus solùm, sed etiam dexteritate opus est

His præiactis assero Primò, in hoc loco Christū nō comparari Dauidi, sed Eliacimo. Hoc probatur tum ex Hieronymo Isaiæ 22. tum etiam ex manifesta loci ad locum allusione. Nam hæc verba, *qui aperit, & nemo claudit*, manifestè respondent verbis Isaiæ; *aperiet & non erit qui claudat*: sed ibi est sermo de Eliacimo: igi-

Eliacimum Christi figuram fuisse.

tur Christus in Apocal. Eliacimo se comparat. B

Secundò assero, Eliacimum fuisse supremum regis ministrū atque adeò Christum in præsenti supremum Dei ministrū se appellare; & in hoc loco Dauidē gerere personā Dei Patris; sicut & alibi. Cōstat enim Dauidem fuisse figuram Dei Patris; vt videre est in Sylua allegoriarum ex Ruperto. Et ipsa dignitas regis populi Dei aptum satis præbet huic analogiæ fundamentum.

Quòd si opponat aliquis, non videri veritati consonum, quòd Christus se Dei ministrum appellet, cùm sit verè filius ac rex; & multò minùs, quòd se Christus ministrum dicat Dauidis, cùm ipse sit verus Dauid, & antiqui Dauidis dominus: Respondetur, verum non esse vero contrarium; oportere tamen, vt metaphoræ non ita misceantur, vt cōfundatur sensus. Fateor ergo Christum esse verissimum Dei Patris Filium, regni Dei legitimum hæredem, regni ipsius possessorem & verum Dauidem. Hęc tamen non impediunt quo minùs alioqui etiam respectu Dei Patris, Christus quà homo est, in Scriptura supremus Dei minister nuncupetur. Vide Isaiæ 49.5.6. Tunc verò necesse est, vt Deus Pater cōsideretur tamquam rex vtens Christi ministerio; sicut Ezechias ministerio Eliacimi vtebatur: atque adeò vt Christus distinguatur à rege Dauide, vel Dauidis successore, & Ezechias vel Dauid personam Dei Patris gerat. Atque ad hunc sensum spectat quòd in aliis Scripturę locis Deus Pater dicitur sedere in solio regio Ecclesiæ (vt videbimus Apoc.4. & Isaiæ 6.) & Christus dicitur tradere regnum Deo Patri. C

Tertiò assero, facilè reddi aptam rationem, cur clauis domus Dauid, quæ est apud Isaiam, commutata sit in clauem Dauidis, Apoc.3. Nimirum quia aptior erat Dauid, quam Ezechias, ad gerendam Dei Patris personam. Non solùm quia primus in illa familia regia; sed etiam quia totius Israēlis fuit rex potentissimus. De Deo autem Patre sermo erat; vt de rege Israēlitici populi, & regni Ecclesię monarcha: atqui Ezechias solùm erat rex Iuda. Cohæret autem comparatio hac ratione. Quemadmodum Eliacimus præcipuus fuit minister Ezechiæ hęredis Dauidis; ita Christus Redemptor noster, quatenus homo, potissimus est supremi regis minister. Et quemadmodū Ezechias gubernationis pondus Eliacimo imposuit; sita similiter supremus cæli rex, Christo vt homini, gubernandi potestatem concessit, & *omne iudicium* (id est, gubernandi munus) *dedit Filio, quia filius hominis est* id est, quatenus filius hominis est. D

Cur apud Isaiā dicatur clauis domus Dauid. *in Apocalypsi verò,* clauis Dauid.

Ioan.5.27.

Quartò ex dictis constat, quomodo claues mortis & inferni eædē sint cum claue cælestis Dauidis. Quia si clauis est suprema potestas ad regni Ecclesiæ gubernationem; eadem potestas suprema verè dicitur clauis regis tamquam Domini, & clauis Christi hominis tāquam præcipui ministri; & claues mortis & inferni tamquam earum rerum, quæ supremæ potestati subiectæ sunt. Perspicuum enim est, summum regni Ecclesiæ regem, supremum fore Dominum mortis & inferni. Constat autem ex contextu epistolæ ad Episcopum Philadelphiæ, ideò Christum in ea affirmare se clauem Dauidis habere, vt Episcopus nosset; quòd ipse ab hora tentationis seruaretur, quæ ventura erat in vniuersum

Claues mortis & inferni eadem esse cum claue cælestis Dauidis.

Digitized by Google

niuersum orbem (cùm mors & infernus in Christianos sequituri erãt) id ex Christi prouidentia proficiscit; qui non patitur suos tentari supra id quod possunt. Cumq; Episcopus Philadelphiæ, modicæ adhuc virtutis esset; nondum idoneus erat, vt in tam apertum discrimen vocaretur. Quare, vt speraret se per Christum ab ea persecutione seruandum, ei dicitur, Christum ipsum rerum omnium claues & potestatem tenere.

Quintò, in hoc obiter significatur, Christum non solùm suprema potestate sibi à Patre tradita fungi ad morti & inferno dominandum: sed admirabili, qua pollet sapientia, qua omnia suauiter disponit, clauem clausiris ferreis aptare eâ dexteritate, vt facilè circumducatur; siue aperiendum sit, siue claudendum. Atque ita sine vlla difficultate tandem fiat, quod ad Dei Patris gloriam Christus statuit atque decernit. Hoc est illud Sapientiæ 8.1. *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.*

Sextò in illis verbis, *Aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit*; indicatur proprium clauis vsum postulare, vt vna solùm sit. Vbi enim plures sunt, iam claues esse desinunt: siquidem non certus est qui clausit, ne- A minem mox reseraturum. Vnde etiam constat Matth. 16.19. quod Christus Petro promisit; *Tibi dabo claues regni cælorum* (scilicet ad spiritualem Ecclesiæ administrationem) idem esse, ac si diceret; Tibi & successoribus tuis dabo claues; non verò ceteris. Vbi agitur de clauibus supremę gubernationis ad imperandum, prohibendum, concedendum, aut negandum. Vnde Petro obligante, nemo poterat à præcepti obligatione absoluere; Petro indulgente, nemo prohibere. *Claues regni cælorum Petro à Christo traditæ quæ fuerint.*

Ceterùm, licèt contra supremã potestatem nulla reperiri possit clauis: cum hoc tamen stat, vt qui summi imperij clauẽ habet, ministro aliquo vtatur ad aliquid opere præstandum. Tunc autẽ videtur clauem ministro tradere, vt ianuam aliquam aperiat. Atque ita Apoc.9. *data est* (scilicet à Christo) *clauis putei abyssi cuidam stellæ.* Vbi Nota Christum ex eo quòd clauem Dauidis habeat, habere etiã claues non solũ mortis & inferni, sed ceterarũ etiã rerum, quæ in suprema monarchæ Ecclesiæ potestate includuntur: id est, clauẽ vitæ æternæ, & cælestium præmiorum, clauem suppliciorũ, clauem abyssi, & clauẽ cęli; & demum rerum omnium creatarum, siue naturalium, siue supernaturalium.

NOTATIO XVII.

Comparatio eius figuræ, quæ ostensa est Ioanni cap.1. cum ea, quæ ostensa est Danieli cap.10.

SI Ioannis & Danielis visiones simul inter se collatæ reponantur, nullus erit, opinor, qui manifestè non videat cap.1. Apocal. picturam, fuisse allusionem & comparationem ad eam, quam Daniel narrat se vidisse cap.10. Quod vt ipsis oculis perspicuè cernatur, vtramque simul apponere visum est. B

Ex Daniele.	*Ex Apocalypsi.*
Leuat oculos Daniel, & ecce vir vnus,	Conuertitur Ioannes, & videt similem filio hominis,
Vestitus lineis, seu byssina,	Vestitum podêre,
Renes eius accincti auro obryzo,	Præcinctum ad mamillas zonã aurea:
Oculi ei vt lampas ardens,	Oculi eius tamquam flamma ignis,
Brachia eius & quæ deorsum vsque ad pedes, quasi species æris candentis:	Pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti:
Vox sermonum eius, vt vox multitudinis,	Vox illi tamquam vox aquarum multarum,
Facies eius velut species fulguris.	Facies eius sicut sol lucet in virtute sua.
Consternatur Daniel, & vultus eius hæret in terra.	Cadit Ioannes tamquam mortuus.
Tangitur manu, & erigitur super genua, & super articulos manuũ.	Imponitur super eum dextera, & mirificè confirmatur.

Hanc notationem huc vsque distuli; quia cùm Danielis locus (vt opinor) non fuerit hactenus satis ab interpretibus explicatus; congruens esse duxi, vt tota cap.1. Apocal. figura priùs explicaretur; ex qua deinceps faciliùs lux in illam Danielis refunderetur, atque adeò ipsius explicationi quasi facem præferret. Quare multa ex iis, quę in Ioannis explicãda figura dicta sunt, ex æquo ferè ad Danielis explicationem deseruient. Atque ita exponemus iam breuiter Danielis figuram; & simul eam cum figura Apocalypseos conferemus.

Ad eius ergo explicationem Notandum Primò est; C apud Danielem vnam eandemq; visionem continuari in cap.10. & 11. & in principio 12. Summa autem trium horum capitum huiusmodi est. In 10. videt Daniel angelum illum admirabilem, cum quo manifestam habet comparationem visio cap.1. Apocal. In 11. ille ipse angelus Danieli prędicit afflictionem sui populi orituram ex bellis regum Aquilonis & Austri; eam nempe historiam, quæ in Machabæorum libris continetur. Initio autem capitis 12. (n.1.2.3.& 4.) depingitur strenua virtus ac robur animi, quod Deus Mathathiæ & filiis eius erat additurus; vt pro Dei honore ac reipublicæ incolumitate acerrimè dimicarent, & glorioſas ex hostibus reportarent victorias. ac demum populi Israëlitici describitur splendor sub principibus & pontificibus Machabæis. *Eandem continuari visionẽ in Daniele c.10. & 11. & initio 12.*

Comparatio figuræ Ioanni visa cum Danielis angelo.

Consideratâ allusione hac adeò manifestâ, non D possum nõ mirari interpretum diligentiam, quam clarissima hæc comparatio penitùs præteruolarit. Certè, vbi Virgilius in illustri aliqua comparatione Homerum imitatur; interpres qui eiusmodi collationem non deprehenderet ac notaret, negligentiæ meritò & oscitantiæ argueretur. Atque hæc Ioannis ad Danielem allusio non solùm imitatio est, sed etiam comparatio. Sicut autem quæ per comparationem ad aliud efferuntur, non satis percipi possunt; nisi duo illa extrema inter quæ est comparatio, mutuò conferantur: ita etiam quod per allusionem ad rem aliam dicitur, non probè intelligitur; nisi allusio ipsa tractetur & explicetur. Quamobrem non solùm est operæ pretium, sed etiam ad explicationem necessarium, figuram Ioanni ostensam cum figura Danielis conferre. Cumque ambæ in multis conueniant; & in iis tamen conuenientiæ partibus nonnihil discriminis appareat; tam conuenientiæ, quàm differentiæ reddenda ratio est: nimirum conuenientiæ, ex similitudine significationis; differentiæ, ex aliquo rei significatæ discrimine.

Scio hanc interpretationem nonnullis fortasse humilem & abiectam visum iri: spero tamẽ à doctioribus non fore reiiciendam; si ea, quæ iam subiiciam, aduertantur. Hæc sunt, me non inficiari, sub illa eadem Machabæorum historiæ comparatione, in Danielis prophetia aliud sublimius & excellentius delitescere. Noui enim morem esse Prophetarum, vt docet Augustinus, Iudaica tangere, Christiana respicere. Ceterùm vt præcipui sensus maiestas intelligatur; oportet priùs historiã, sub cuius cortice occultatur, perfectè cognoscere. Cõstabit id manifestè in psal.28. cuius licèt præcipuus sensus sit de Christianæ Ecclesiæ victoriis; at ipsarum figura sine dubio est de victoriis ac triumphis Dauidis. Si autem priùs psalmus ad Dauidis victorias non idoneè applicetur; intelligi non poterit sensus potissimi elegantia ac maiestas. Mea igitur sententia, certum *Prophetis familiare esse, Iudaica tangere, Christiana respicere.*

Digitized by Google

Cotextus series & explicatio apud Danielē, c.10.11.& 12.

certum est in tribus illis Danielis capitibus prophetiæ tangi historiam, quæ in Machabæorum libris latiùs describitur. Perlegatur, obsecro, textus ipse; atque ex eo planum fiet, in cap.11. sermonem Primò institui de vltimis regibus, qui Persarum monarchiam erant possessuri: deinde gradum fieri ad monarchiam Alexandri, & ipsius in quatuor regna diuisionem: hinc ad bella exorta inter Antiochum & Ptolemæum (qui respectu Hierosolymæ sunt reges Aquilonis & Austri) & afflictionem atque angustias grauissimas, in quas Hierosolyma inter vtrumque regnum interiecta, his bellis redacta fuit. Denique textus ipse attentè legi non potest, quin protinus inspiciatur cap.11. continere in se, Machabæorum historiæ prophetiam. Deinde cap.12. perspicuè connectitur cum iis, quæ in 11. fuerant prædicta. Sic enim exorditur; *In tempore illo consurget Michael.* Vbi agitur haud dubiè de Mathathiæ ac filiorum incredibili robore ac fortitudine animi. Neque hunc sensum dirimit, quod postea additur de resurrectione multorum. Quin imò hæc phrasis aptissima est, & valdè sacræ Scripturæ familiaris ad denotandum in posterorum virtute siue improbitate, antiquorum imitationem: vt videbimus Apocal.c.13.

Machabæorū bella præ cæteris veteris Testamenti, fuisse Christianæ Ecclesiæ persecutionum figuram, & cur?

Secundò, obseruandum est inter omnia veteris Testamenti bella, nulla esse, quæ adeò clarè repræsentent Christianæ Ecclesiæ persecutiones atque victorias; vt illa, quæ in Machabæorum libris recensentur. Etenim ea solùm persecutio videtur ex antiquis propriè aduersus veram religionem pugnare. In aliis bellis de imperio & libertate decernebatur: in illis Machabæorum de vera suorum maiorum religione. Atque eò deducta res est, vt meritò sacra Scriptura asserat Danielis 12.1, *Veniet tempus, quale non fuit, ex quo gentes esse cœperunt vsque ad illud.* Quin & illustrissimi fuere Martyres, qui eo tempore fortiter occumbendo, veri Dei religionem effuso cruore testati sunt. Hisce grauissimis angustiis & calamitatibus, Machabæorum virtus & clarissimæ ipsorum victoriæ successerunt: quæ quòd pro tuenda religione reportatæ sint, meritò possunt cum Christianæ Ecclesiæ victoriis conferri.

Angelus Danieli visus cur mirabili adeò specie apparuerit?

Tertiò aduerto, ex dictis non obscurè colligi, quamobrem hæc figura Danieli visa ceteris omnibus angelorum visionibus, qui olim apparuerunt, nouâ illâ & insolitâ specie, præstaret. Etenim si solùm ad naturæ angelicæ perfectionem innuendam deseruiret; hæc eadem ratio de ceteris angelorum visionibus erat. Quòd autem angelus Danieli adeò miro corporis cultu atque habitu fuerit visus; argumento est peculiarem rationem extitisse; quare angelus Dei gerens personam, nouam illam figuram in ea visione indueret. Vbi verò huius figuræ ratio ex illius visionis fine & scopo desumatur; nimirum ex Machabæorum victoriis, quæ in ea prophetia prædicebantur, & ex gloria ac maiestate, quam per ea bella fuerat Dei populus adepturus; illico apparet, congruentissimè ad illam repræsentandam victoriam angelum in cultu ac vestitu adeò glorioso apparuisse. Sicut enim victoriæ illæ erant omnium simillimæ iis, quas Deus Christianæ Ecclesiæ fuerat concessurus; ita conueniens fuit vt Deus in illis plusquam in aliis gloriaretur: quòd essent victoriæ ex persecutione illa, quæ fuerat aduersus religionem concitanda.

Quartò obseruo, quemadmodum visio capitis primi Apocalypseos, totam ipsius libri historiam respicit; & Christo eiusmodi cultum ac figuram tribuit, quæ ad significandas Christianæ Ecclesiæ victorias ex Iudæis & Gentibus reportandas, idonea esset; non aliter commodum fuisse, vta ngelus ille, qui Danieli sui populi tam afflictionem & angustias, quàm gloriosam victoriam prædicebat; illo etiam vestitu cultuque vteretur, qui aptus esset ad maximum Dei beneficium indicandum, quod suo populo per Machabæos erat præstiturus. Atque vt in Apocal. visione depingitur, quàm fuerat Deus mirabilis in Ecclesia Christiana futurus; ita in Danielis figura exprimi oportebat, quàm se mirabilem fuerat Deus, Machabæorum tempore, in Iudaicū populum ostensurus. Et sanè nobilissima illa historia meruit, vt eam sacra Scriptura admirandâ illâ angeli visione exornaret. Licèt autem prophetia cap.11. & initij 12. alium præterea sensum sublimiorem habeat; hoc

A non impedit, quo minùs angeli figura ad Machabæorum victorias repræsentandas debeat accommodari. Quandoquidem hæc saltem comparatio erat vsurpanda ad reconditum illum sensum nobiliorem, qui illi subeset. Quòd si huius historiæ prophetia, figuræ vices gestura erat, vt in ea quiuis alius sensus sublimior includeretur; quis non videat appositè angelum ornatu ad ipsam figuram accommodato apparuisse?

Quis fuerit potissimus scopus figuræ, quæ Ioanni apparuit, quàm quæ Danieli.

His omnibus constitutis, in vtraque figura tam Danielis, quàm Ioannis, exprimitur epiphonema illud psal.67. mirabilem scilicet Deū esse in Sanctis suis, & ipsum daturum fortitudinem plebi suæ; cum hoc tamen discrimine, quòd Danielis visio victorias antiqui populi sub Machabæis respiciat; visio autem Ioannis ad Christiani populi victorias de Iudæis & Gentibus partas respicit. Vtriusque tamen visionis scopus fuit, repræsentare Deum in suis futurum mirabilem. Quamuis autem verum sit eum qui Danieli apparuit angelum fuisse; in plerisque tamen antiqui temporis apparitionibus, Dei personam angelus gerebat; & ideo legimus sic eos sæpiùs fuisse locutos, *Ego Dominus.*

B Quòd ergo angeli illius habitus constat ex symbolis beneficiorum Dei erga suos; eleganter significat ea ipsa beneficia fuisse Deo valdè glorioſa, angelo Dei vices gerente. Sicut in Ioannis visione habitus Christi iis constat symbolis, quæ beneficia ab ipso Christo Christianæ Ecclesiæ data in victoriis de Iudæis & Gentibus indicant: quia eiusmodi beneficia sunt Christo valdè glorioſa.

Supereſt nunc vtramque Danielis & Ioannis visionem iuxta singula, quæ in textu de illis exprimuntur, breuiter inter se comparare.

Cur Ioannes conuertat oculos, Daniel verò leuet?

Cur Daniel oculos leuet, Ioannes conuertat.

Ioannes initio suæ visionis audit tubæ vocem, quæ Iudaici populi bellum repræsentabat; vt suo loco diximus. Idcirco percommodum fuit, vt Ioannes caput conuerteret, ad ea scilicet contemplanda, quæ retro erant, id est, quæ iam fuerant peracta. At quæ Daniel vidit, omnia erant futura: atque ita attollit oculos, vt videat ea, quæ nondum euenerant. Iam suprà vidimus ex Pauli verbis, ea quæ anteceſſerunt, retro relinqui; &
C quæ futura sunt, anteriora esse. Quod ergo multis pòst annis erat futurum, videbatur longè distare. Quare oportuit Danielem oculos leuare; præsertim cum visio è cælo aduenire.

De vtriusque visionis podere.

De podere seu byssina vtriusque visionis.

In vtraque visione expediens fuit linea vestis, quæ veram & illibatam religionem repræsentat, ac laborum tolerantiâ probatam. Et certè Mathathias atque eius filij (& eorum cohortatione & exemplo, Iudaicus illius temporis populus) acerrimos se Dei cultus ac religionis æmulatores præstiterunt, grauissimos pro ea labores & ærumnas fortiter tolerando. Præterquam quòd in iis sacerdotij enituit gloria; ideoque valdè decuit angelum, vt eorum religionem calamitatibus & ærumnis spectatam, & sacerdotij decòre ornatam signaret, lineis vestibus indutum apparere. Vide suprà notat.11. de symbolo lini atque podēris.

Cur Ioannes viderit zonam auream ad mammillas; Daniel verò renes accinctos auro?

D

Diuersa in vtroq; angelo se cingendi ratio & discriminis causa.

Machabæos & Israëliticum populum sub eorum signis militantem Dei charitas cinxit, & strenuos atque expeditos reddidit ad Dei iussa accuratissimè exequenda. Cuius diligentiæ ac celeritatis decus & splendor rectè in aureo cingulo notatur; vt vidimus in aureæ zonæ explicatione. At nobilior & sublimior diligentia ex perfectiori charitate profecta, quæ pectus constringit, ornat ac locupletat; hæc appositè, vt suprà vidimus, per zonam auream altiùs præcinctam indicatur. Iam verò cui dubium est, primitiæ Ecclesiæ Christianos altiùs fuisse præcinctos, atque adeò maiore charitate ac deuotione & diligentia ornatos?

Quid per podēris & balteī coniunctionem denotetur.

In coniunctione præterea podēris linei & baltei aurei, vero simile existimo sacerdotalis dignitatis ac regiæ coniunctionem in Machabæis significari. Nam & podēris est habitus sacerdotum, & balteus aureus regum videtur fuisse insigne. Vide Iob 12.18. de balteo

Digitized by Google

regum. Concinit, quòd fibula aurea Ionathæ (de qua 1.Machab.10.89.& cap.11.58.& cap.14.44.) erat etiam veluti regium insigne. Et similiter in Apocalypsi pedêris & zona aurea ad regale sacerdotium spectare possunt.

Aut fortasse zona aurea significat glorioſi belli balteum. Nam balteus ad militiam quoque spectat; vt colligitur ex aliquibus sacræ Scripturæ locis,& ex profanis auctoribus palàm fit. Atqui societas religionis ac belli propter religionem susceptiinMachabæis extitit glorioſiſſima: sed multò adhuc glorioſior atque sublimior in bellis,quæ Christiana Ecclesia gessit cum Iudæis & Gentibus;de quibus etiam triumphauit.Nec abs re est; quod Apocalypseos 15. 6. legimus in bello contra Babylonem; Angelos scilicet, qui effundunt phialas, indutos esse podere & zona aureâ. Hæ autem expositiones de balteo regio, & de balteo militari conciliari debent cum explicatione de charitate,quam in commentario, & in notatione de auri symbolo secuti sumus. Charitas enim est spiritus ille principalis, quo se confirmari optabat Dauid Psalmo 50.14.& quæ homines efficit Dei filios, atque adeò reges. Et eadem est, quæ ad militiam cælestem Dei milites accingit, vt fortiter, alacriter & glorioſè pro Deo pugnent.

Ad perfectionem quoque charitatis fortasse spectat, quod in Danielis loco ex hebræo ad verbum redditur, *lumbi eius accincti massa auri obryzi.*

Angeli Danieli viſi corpus cur quaſi chryſolitus. Quid per chryſolitum figuretur.

Cur Daniel viderit corpus angeli quaſi chryſolitum?

Chrysolitus symbolicè significat summę gloriæ manifestationem; vt videbimus Apocal.21.20.in septimo fundamento ciuitatis,quod spectat articulũ de Christi Ascensione; in qua ipsius gloriæ magnitudo præsertim effulsit.Et quidem ad denotandam ingentem gloriam ad quam Hebræorum respublica Machabęorum tempore fuit erecta;nihil potuit seligi magis ad rem,quàm effigies corporis ex chrysolito.Vide illud 1.Machab.2. 64.*Vos ergo filij cõfortamini, & viriliter agite in lege:quia in ipsa* GLORIOSI ERITIS.Et illud 1.Machab.5.63.*Viri Iudæ* MAGNIFICATI *sunt valdè in conspectu omnis Israël & Gentium omnium, vbi audiebatur nomen eorum.* Huic chrysolito nihil in capitis primi Apocalypseos visione respondet. quod non per obliuionem accidit;sed per summam prudentiam prætermissum fuit. Nam initio Christiana Ecclesia suum decus & splendorem abditum omnino & occultum habebat; iuxta illud psalm. 44.14 *Omnis gloria eius ab intus.* Ac tantò maior erat suæ felicitatis magnitudo,quantò occultior;vt elegantissimè describitur Apocal.6.in quatuor primis sigillis. Sed propter eandem rationem non erat ad rem symbolum, quod summam gloriæ manifestationem indicaret; vbi externa facies ignominiam potiùs ac dedecus præ se ferebat. Atque ad hanc significationẽ multò fuit congruentius, vt figura, quæ repræsentabat Ecclesiam,eam Christi persona indutam repręsentaret.Nam hæc fuit maxima Christi gloria in terris; abscondere scilicet,summam beatitudinem sub humilitatis & abiectionis specie. Quò spectat illud Pauli, *Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo,* ad Colosſ.3. Hoc autem intelligitur, si prima Ecclesiæ Christianæ tempora respiciamus. Posteà tamen multò maior & illustrior illam manebat gloria externa, quàm quæ Iudaico populo Machabæorum tempore fuit. Cuius rei significationi deseruit solis splendor; vt mox dicemus.

Cur prima figura Ioanni viſa non item chryſolito ſimilis apparuerit?

Cur Daniel viderit in angeli facie fulguris ſpeciem, Ioannes verò lucem ſolis?

Cur Danielis angelus facie fulgur, at angelus Ioannis ſolem referat?

Daniel de angelo à se conspecto ait; *Facies eius, velut species fulguris*: Ioannes tamen de figura, quam vidit, *Facies eius sicut sol lucet in virtute sua.* Vbi præter magnũ discrimen, quod inter lucem solis & fulguris speciem intercedit; in ordine etiam aliam inuenio differentiam non minori animaduersione dignam. Hæc autem est. Danielem cum zonâ aureâ chrysoliti gloriam & fulguris splendorem continenter coniunxisse, at Ioannem solis splendorem, vt totius visionis clausulam,extremo loco collocasse. Imò, vt suo loco diximus, hanc solis lucem non initio Ioannes aspexit;sed post visionem pedum ex aurichalco ardenti,vocisaquarum multarum, stellarum septem & gladii ex ore prodeuntis; post hæc (inquam) omnia vidit nouam Christi transfigurationem. Et verò cùm solis splendor aptissimum sit symbolum ad præstantissimam Ecclesiæ Christianæ gloriam: quæ idololatriæ tenebris depulsis totum orbem compleuit;facile est animaduertere congruenter fuisse factum, vt Danielis angelo vultus solùm instar fulguris radiaret. Nam magna illa Israëlitici populi gloria & notitia veri Dei, quæ ex illa populi Iudaici gloria Machabæorum tempore ad Gentes dimanauit,non expulit ex mundo idololatriam,neque orbem compleuit; sed in mediis idololatriæ tenebris fulguris instar emicuit; & breui aliquo tempore suspicari fecit Gentiles, verum esse Deum, qui à Iudaico populo colebatur.

Ordo item deſcribẽdi faciẽ fulgorem cur in Ioanne & Daniele diuerſus?

De oculorum flammis in vtrâque figura.

Hæ oculorum flammæ in vtrâque visione denotant maximam indignationem,quam Deus in Ecclesiæ hostes ostendit; nec non zelum, qui priùs Machabæos, deinde Christianos accendit & inflammauit ad inferendum Dei hostibus bellum. Nam & primitiui Christiani mystico bello, siue spirituali contra Gentes pugnarunt.

Quid per oculorũ flammas in vtraque figura?

Cur Ioannes viderit pedes ex chalcolibano; Daniel autem brachia & quæ deorsum vsque ad pedes, quaſi ſpeciem aris candentis?

Pedum diſſimilitudo in vtrâq; viſione, & eius ratio.

Pro voce hebraica *marghelota*, pro qua noster vertit, *quæ deorsum vsque ad pedes*, hebraicæ linguæ periti contendunt significari non solùm tibias, sed etiam pedes: cui sententiæ cùm olim peculiari ductus ratione reclamarim; nunc re attentiùs considerata, facilè subscribo. Quare quod LXX. exponũt σκέλη, id est, crura, sicut in Ioannis visione nomen pedum, tibias etiam siue crura comprehendit. Vulgatus tamen vsus est illa periphrasi.*quæ deorsum vsque ad pedes*, vt excluderet superiorem corporis partem,quæ erat ex chrysolito: & non solùm pedes & tibias, sed etiam femora complecteretur. His ita constitutis, differentia inter Ioannis ac Danielis visiones in eo sita est, quòd Daniel viderit non pedes modò,sed etiam brachia ex ære candente; Ioannes brachia videatur aspexisse carnea,& pedes ex ære candenti. Ratio autem huius discriminis petita ex significatione est aptissima: nam Dei virtus & gratia mirum robur ac vires Machabæis subministrauit, vt Dei bella acriter susciperẽ, & feliciter peragere valerent. Quamobrem conuenienter satis figuræ illi brachia ac pedes ex ære candente affícta sunt; quæ vna ex parte strenuam & indefessam fortitudinem ad pugnandum significarent; ex altera ostenderent quantopere ipsi hostibus præstarent, & quantam in eis cædem essent facturi. Et quasi brachia ac pedes ex cãdenti ære haberent, æris vi atque ignis efficacitate in hostes impetum faciebant Machabæi, & acerrimo bello eos fundebant ac dissipabant. Arias Montanus in hoc Danielis loco non legit,*quaſi ſpecies aris candentis*; sed,*quaſi ſpecies aris politi*, vel *terſi*; quod potest ad armorum splendorem referri. Sed prudentis esse duco, potiùs credere LXX. Interpretibus atque Vulgato; quorum lectio idoneam satis habet significationem, vt iam vidimus.

Num Danielis angelus pedis etiam ex are candenti habuerit?

Quid per brachia ac pedes ex ære in Danielis figura adumbretur.

Verisimile etiam est, in æris igne significari religionis ardorem ac zeli, quo Machabæi succensi in bella pro Dei religione ruebãt.Verùm cùm in Apocalypseos figura non ea fuerit mens, vt proprium bellum in ea repræsentaretur;sed mysticum,quod Euangelii prædicatione cum Gentibus gerebatur; idcirco ad proprii belli significationem vitandam, brachiorum ex ære symbolum prætermissum fuit, quo robur ad vulnera infligenda, & cædem edendam innuitur;& illud symbolum

Cur Ioannis angelus non brachia ærea habuerit.

Digitized by Google

bolum fuit selectum, quod denotaret Apostolorum & Euangelii concionatorum virtutem, qua per totum orbem discurrerunt Euangelium prædicantes. Hoc autem significant pedes mystici Christi (siue quod idem est, Ecclesiæ) atque id fuit aptissimum symbolum ad virorum Euangelicorum profectionem, idque in Canticorum libro, in Isaia, & Nahum, in eadem significatione vsurpatum. Pedibus autem ex ære ardenti, & singillatim ex chalcolibano, siue ære montis Libani, significata fuit virtus, atque constantia profectionis; in quo facta est manifestè allusio ad altare holocausti: atque hac ratione eleganter indicatum fuit bellum, quod ab Euangelii prædicatoribus in gentes suscipiendum erat nequaquam iuxta Machabæorum morem, fore brachiorum vi & corporis atque armorum fortitudine; sed solùm constantia ac perseuerantia in prædicatione Euangelica. Quare ex vna parte brachia carnea & inermia tribuuntur eis, quæ pacificos illos ostendant, & paratos ad hostes etiam complectendos; ex alia tamen ærei pedes, id est, constantia in Euangelij promulgatione. Ac denique ignis chalcolibani designat, eos proficisci vt terrarum orbem accendant illo igne, quem Christus venit mittere in terram; & mundum tandem eorum prædicatione penitus inflammandum, & in holocaustum gratissimum Deo consecrandum.

Quod vtriusq; vocis discrimen, quæ discriminis ratio?

Cur Daniel audierit vocem multitudinis: at Ioannes priùs vocem tubæ, deinde vocem aquarum multarum?

Si per vocem aquarum multarum denotaretur, vt nonnulli volunt, Gentilium populos, Christi doctrinam suscepturos; facile erat rationem reddere, cur Daniel vocem multitudinis exaudit, & non aquarum multarum; nimirum quia Iudaicus populus Machabæorum tempore multus fuit, non tamen multitudo populorum. Sed hæc ratio non satisfacit; nam, vt vidimus, vox tubæ & vox aquarum multarum, Iudæorum & Gentium persecutiones indicant; quibus Christus suos amicos docuit altissimam Apocalypseos doctrinã. Quæ tamen docendi ratio in legis gratiæ tẽpora seruabatur: quare exigendum non est, vt in Danielis figura, (quæ Iudaici populi futurum statum Machabæorum tempore repræsentat) significatio vocis multitudinis similis sit significationi vocis aquarum multarum. Præter hæc, in Danielis figura non est vox tubæ; nec idem seruatur narrationis ordo, qui in figura Apocalypseos. Nam apud Danielem, postremum omnium est vox multitudinis; in Apocalypsi autem priùs est tubæ vox; deinde in vocem aquarum multarum commutatur. Cui subiiciuntur stellæ in dextera, gladius in ore, & in facie splendor solis fulgentissimi. Itaque symbolum maximi fulgoris solis consequens est ad vocem aquarum multarum. Existimo ergo in Daniele, vbi illius visionis finis est vox multitudinis, significationem esse, victoriã ac pace per Machabæos partã fidelium numerum augendum fore. Atque ita in Daniele, multitudinis vox non innuit persecutionem, sed prosperitatem. Quare non rectè Arias Montanus transtulit, *vox tumultus*; nam hebræum vocabulum *hamon* (à radice *haman*) non significat, nisi multitudinem, & solet vsurpari in significatione multiplicationis & augmenti; vt videre est in Thesauro linguæ sanctæ. Magnum igitur est discrimen inter vocem multitudinis & vocem aquarum multarum. Et quamuis Ioannes ad Danielis locum alludat; multiplicationis tamen populi symbolum, in symbolum multiplicationis hostium commutauit: vt eò maior esset gloria claritatis solis, quò maior fuerat procella atq; tempestas contra Christianam Ecclesiam concitata.

Quid per vocẽ multitudinis apud Danielẽ.

Cur angelus, qui apparuit Danieli, neque canos habuerit in capite, neque stellas in manu, neque gladium in ore?

Ex horum symbolorum significatione (de qua suo loco disputauimus) planè perspicitur, ea non esse apta ad figuram Danieli visam. Nam canities summæ prudentiæ terrena despicientis, & cælestis splendor orbem vniuersum illuminans, nec non prædicationis efficacitas; hæc (inquam) omnia Christiani populi fuerunt excellentiæ ac prærogatiuæ, & quæ nullo modo illi communes erant cum Iudaico populo, siue Machabęorum tempore, siue alio quouis. Licèt enim in eo populo, Prophetę diuina luce valdè illustrati extiterint, & Deo maximè familiares; ast generatim loquendo, rerum temporalium contemptio, vis atque animus vniuerso orbe prædicandi, & prædicationis ipsius efficacitas, non erant illius temporis virtutes. *Nondum enim erat Spiritus datus, quia* IESVS *nondum fuerat glorificatus*: nec Iudaico ipsi populo rerum humanarum despicientia prædicabatur. *Danielis angelus canos nec stellas, nec gladiũ habuerit?*

Sed obiicies, Danielis 12. 3. vbi sermo est de Iudæorum populo, dici; *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, tanquam stella in perpetuas aeternitates.* Respondeo, verum esse, aliquo modo elogium illud doctoribus Iudaici populi olim congruisse propter egregiam ac salutarem doctrinam, qua populum imbuebant. Hoc tamen laudis præconium adeò illis parèe conueniebat, si cum populi Christiani doctoribus conferantur; vt antiquis potiùs aptari videatur, tanquam figuris Christianæ Ecclesiæ Doctorum; quàm quòd sibimetipsis perfectè quadret. In quo ferè accidit, quod in iis Psalmis, qui in cortice ipso literæ Salomonem ac Dauidem sonant: in quibus Psalmis interdum ita assurgit stilus, vt fateri nos cogat, respectu ad Christum in iis asseri ea, quæ ratione Dauidis aut Salomonis nimis exaggerata videbantur.

Cur Daniel steterit super genua, & super articulos manuum?

Daniel cur super genua & manuũ articulos steterit?

Danielis pauor non adeò ingens fuit, atque Ioannis. Nam etsi Daniel corruerit, & vultus eius hæserit terræ; ex contextu tamen apparet, ipsum non fuisse ita exanimatum, vt vsu sensuum priuatus sit. Sic enim ait; *Audiens iacebam, & vultus meus hærebat terræ.* Ioannes verò *cecidit tanquam mortuus.* Itaque perspicuum fit Danielis metum non adeò fuisse magnum, vt pauorem Ioannis: & quidem satis meritò. Quæ enim figura apparuit Ioanni, multò erat horribilior. Sed mirabile est etiam Danielem angeli attactu non ita fuisse roboratum, vt Ioannem. Nam Daniel, postquàm eum Angelus tetigit, vix tandem potuit toto corporis nixu quasi reptare super genua, & super articulos (siue palmas) manuum. At Ioannes mirabili Christi dexteræ virtute contactus tantum animi ac roboris recepit; vt calamum protinus iubeatur arripere, & septem epistolas Christo dictante conscribere. Ratio huius discriminis est; nam licèt Christianæ Ecclesiæ procellæ ac tempestates multò vehementiores fuerint, quàm eæ, quibus fuit Iudæorum populus iactatus; & ex se efficacissimæ forent ad maximum horrorem incutiendum; vis tamen ac robur Christi dexteræ, tempore legis gratiæ, multò maiora & præstantiora miracula patrauit, & in maiori timendi & pauendi occasione suam virtutem magis ostendit; dum plus animi ac fortitudinis suis addit. Quia *lex ad perfectum non adducebat*, ad Hebr. 7. 9. postea autem *virtus in infirmitate perficitur*, 2. ad Corinth. 12. 9.

Quis fuerit angelus, qui apparuit Danieli?

Theodoretus, Carthusianus & Pererius existimant angelum, qui in hac visione Danieli apparuit, fuisse Gabrielem. Gregorius autem 17. Moral. cap. 8. & Cassianus collat. 8. suspicantur eum angelum *Quis fuerit angelus Danieli visus?*

Digitized by Google

habuisse peculiarem curam illius populi Hebraici, qui Babylone captiuus tenebatur. Sed quidquid sit de huius angeli persona & officio; optabilius est, meo iudicio, intelligere, quoisum spectet mirabilis illa figura, in qua angelus apparuit. Quòd si significatio, quam ei tribuimus, satisfaciat; per illam optima redditur ratio, quapropter angelus qui apparuit Daniel, appellatur Gabriel, id est, *virtus Dei*, vel *Deus fortis*. Nam eius visio eò spectabat, vt Daniel agnosceret Dei virtutem ac robur, cuius eximia documenta Deus ipse fuerat editurus in sui populi liberatione per Machabæos; iuxta illud Psalm. 67. fine, *Mirabilis Deus in Sanctis suis: ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ.* Nisi autem fallor, ex comparatione harum duarum visionum Danielis & Ioannis, egregiè confirmatur, collineatum esse in ea expositione; quæ vtramque visionem comparando, cuiusuis conuenientiæ aut discriminis aptam & cohærentem inuenit rationem.

COMMENTARIVS.

VERS. 19. SCRIBE ERGO QVÆ VIDISTI, ET QVÆ SVNT, ET QVÆ OPORTET FIERI POST HÆC] Particula illa *ergo* in præsenti est nota illationis. Nam Christus ex eo, quod Ioanni dixerat, *Ego sum primus & nouissimus; & fui mortuus, & ecce sum viuens, & habeo claues mortis & inferni*; inde infert æquum esse, vt Ioannes visionem scribat sibi ostensam. Hæc itaque illatio nos docet, verbis illis, quæ mysticus Christus Ioanni dixit, scilicet, *Primus & nouissimus*, &c. visionem ipsam declarari. Alioqui enim, quomodo ex illis verbis possit inferri, Ioannem debere scribere, quæ viderat? B

QVÆ VIDISTI] Visionem ipsam capitis 1. per hæc verba denotari, meo iudicio, perspicuum est ex ipso contextu. Suprà enim dictum Ioanni fuerat, *quod vides scribe in libro*; & post visionem ei dicitur, *Scribe ergo quæ vidisti*; & particula illa *ergo*, non permittit, vt sermo sit de alia re, quàm de ipsa capitis primi visione.

Quanam Ioannes scribere iubeatur.

ET QVÆ SVNT, ET QVÆ OPORTET FIERI POST HÆC] Ambrosius, Rupertus, Anselmus, Albertus, Ribera, & Pererius in prolegom. disp. 9. & 11. intelligunt, his verbis Ioanni præcipi, vt præter visionem capitis primi, scribat etiam præsentem, qui tunc erat, Ecclesiarum statum; necnon ea, quæ posteà futura erant. Hanc tamen explicationem, vt existimo, respuit contextus. Illa enim particula *ergo* postulat, vt quæ Ioannes iubetur scribere, includantur in præced. capitis 1. visione. Quia non iubetur modò scribere, sed per illationem dicitur illi, *Scribe ergo quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc.* Atqui ex præcedenti visione non bene colligitur, æquum esse, vt scribat ea, quæ in illa visione non includuntur. Huic argumento aliud addo, quod apud me vim habet non exiguam; nempe verbum substantiuum, vbi sermo est de ænigmatibus, non aliter intelligi solere, quàm de ipsorum ænigmatum significatione. Nam si designato ænigmate dixeris, Quid est hoc? perinde est, ac si roges, Quid significat hoc ænigma? Sermo autem erat de visione ænigmatica: quia illa verba, *quæ vidisti* non aliud designabant, quam visionem illã primi capitis. Cùm ergo subditur, *& quæ sunt*; illud propriè præcipitur, vt scilicet non solùm scribat visionem, sed etiam illius significationem. Confirmatur, quia in sequenti versu bis ponitur idem verbum substantiuum in eodem sensu: dicitur enim, *Candelabra sunt, Ecclesiæ; stellæ sunt, Angeli Ecclesiarum.* Neque in hoc tantùm loco, sed in aliis etiam, vbi sermo est de ænigmatis, eodem modo solet loqui Scriptura; vt videbimus notat. 18. Quæ obseruatio lucem præfert aliquibus locis; qui aliàs non satis intellecti, hac obseruatione optimè intelliguntur. C

ET QVÆ OPORTET FIERI POST HÆC] Vidimus opus esse, vt hæc quoque verba ad primi capitis visionem referantur. Alioqui ex visione præcedenti non colligeretur, *Scribe ergo, quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc.* Distinctio autem illa de præsentibus ac futuris, non est ad rem. Hîc enim, vt vidimus, idem est *esse* ac *significare*. Sicut autem in eâdem visione ad symbola ipsa referuntur illa verba *quæ vidisti*; & ad symbolorum significationem referuntur illa, *& quæ sunt*; sic etiam ad rei totius summam atque substantiam spectant illa, *& quæ oportet fieri post hæc.* Nam scopus huius visionis non erat alius, quàm describere, quem exitum habituræ essent Ecclesiæ persecutiones; & *oportet fieri* in sacræ Scripturæ phrasi non aliud significat, quàm certissimè futurum esse. Itaque tria illa, *quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc*, ad eandem visionem spectant: eâdem prorsus ratione, ac si Ioanni dictum esset; Scribe visionem, & eius significationem; atque adeò quem exitum certissimè habitura sit persecutio, quam Ecclesia Christiana patitur. D

Sed dicat aliquis hunc sensum, quamuis alioqui videatur aptus, propterea tamen displicere, quia Ioannes non scripsit significationem visionis sibi ostensæ: imò verò ex iis, quæ viderat, non aptè inferebatur ipsum iam posse significationem scribere; atque adeò alium esse quærendum sensum, cùm ei per illationem dicitur, *Scribe ergo quæ vidisti, & quæ sunt.* Ad hoc Respondeo, Ioanni non fuisse præceptum vt nimis distinctè scriberet significationem visionis sibi ostensæ; sed vt eam scriberet, id est, vt aliquo modo in ipso textu indicaret: quod & fecit non modò in hoc capite, sed in aliis etiam nonnullis. Nam quod explicauit, vrbem illam, cuius decima pars cadere visa est, esse Hierosolymam; & Babylonem, quæ ardere conspecta est, esse Romam; hæc (inquam) benè intelligenti deseruiunt ad explicationem visionis cap. 1. Certè mihi illæ Ioannis explicationes facem prætulerunt ad intelligendam cap. 1. visionem. Et quamuis plurimis non satis fuerit hæc Ioannis expositio, vt visionis significationem intelligerent: non tamen propterea negandum est Ioannem scripsisse significationem. Quòd verò nimis breuiter & obscurè eam scripsit, sapienter fecit; quia id summopere expediebat, vt vidimus in prolegom. notat. 14.

Ad

A Ad id,quod opponebatur,ex ijs nempe,quæ Ioannes viderat, non rectè colligi ipsum posse scribere significationem, Respondeo,Ioannem,præterquã quòd figurã capitis primi viderat,ab ea audisse illa verba,*Ego primus & nouissimus,& fui mortuus,& ecce sum viuens:& habeo claues mortis & inferni.* Et cùm Ioannes tanta sapientia polleret, nec non sacræ Scripturæ atque eius phrasium intelligentia;illud satis fuit,vt perfectè intelligeret omnium,quæ viderat significationem. Quia *sapienti*, vt dicitur,*dictum sat*. Quod autem ei dictum fuit, *Scribe ergo quæ vidisti*, &c. non tantùm infertur ex eo, quod Ioannes viderat; sed ex eo etiam, quod audierat.

SACRAMENTVM SEPTEM STELLARVM] Pro *Sacramento* græcè legitur *mysterium*:& vtrumque nomen tam græcum, quam latinum analogum est. Nam aliquando accipitur pro recondita significatione,vt in præsenti:& aliquando pro symbolo ipso,siue signo occultam significationem includente.Et sic Eucharistiæ species appellatæ sunt à Christo *mysterium fidei*. Atque eâdem ratione baptismus & ceteræ sacræ cæremoniæ ad animarum sanctificationem à Christo institutæ appellantur Sacramenta: quia eam ipsam sanctificationem significant, quam Christus per illa ipsa operatur. De quo vide notat. sequentem. VERS.20.

NOTATIO XVIII.

Ad illa verba, Scribe quæ vidisti, & quæ sunt; *de phrasi sacræ Scripturæ, in qua verbum substantiuum ad significationem refertur, cùm de ænigmatis agitur. Et per occasionem explicatur locus Eccles.*12.13.

Cùm de ænigmatis est sermo, ipsorum significationem per verbum substantiuum denotari.

DIXIMVS in commentario verbum substantiuum, cùm de ænigmatis agitur, ipsorum significationẽ frequenter denotare. Hoc si generatim solũ præcipiatur,notissimum est; nec ab vllo in dubium vertitur. Sunt enim multa sacræ Scripturæ exempla, in quibus nemo est,qui non videat, eam esse phrasim verbi substantiui, vt Ezech.5.1. *Ista est Ierusalem*, Danielis 4. 19.& cap.7.17.& 23. & cap.8.20.21 & Lucæ 8.12. *Est autem hæc parabola*; vbi optimè Iansenius.

Nihilominus tamen aliqui sunt loci,in quibus quia non aduertitur proprium eorum esse sensum, vt verbum substantiuum iuxta illam phrasim sumatur; propterea varia sensuum diuerticula quæruntur,nec verus interim attingitur. Quamobrem id hic animaduertere visum est; atque eius rei singulare proferre exemplũ, quodam in loco, qui hactenus multos torsit, neque cuius intelligentiam satis assecuti videntur. Vbi autem semel aduertatur,ibi de ænigmatis illius significatione sermonem esse; verus aperitur sensus; nec germanus solùm, sed etiam perutilis & sacrâ Scripturâ dignissimus. Locus autem est clausula illa libri Ecclesiastæ, *Deum time,& mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo.* Vbi valdè laborant interpretes; dum exponere contendunt,qua ratione timor Dei, & ipsius mandatorum obseruatio sit omnis homo. In quo dum variè philosophantur,concionantur potiùs, quam explicãt. Nam verã loci interpretatio ex eo pendet, vt animaduertatur, quod in illo capite ea verba antecedit, esse quoddam ænigma siue parabolam, quæ hominis mortalitatem eleganter depingit; & innuit fore tandem vt tempus aduenial, in quo sensus proprio munere fungi non possint; atque adeò neque aures audire,neque videre oculi,nec pedes incedere, nec molere dentes; & multa alia eiusmodi, quæ sapienter ab interpretibus exponuntur.Hęc tamen omnia sub ænigmatica & parabolica locutione dicuntur: atque ad finem longioris allegoriæ subditur; *Finem loquendi pariter omnes audiamus*: id est, hanc de hominis mortalitate tractationem absoluamus, & imponamus pariter finem libro Ecclesiastæ, *Deum time,& mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo.* In quibus verbis notandum est, illa *Deum time, & mandata eius obserua*, respondere iis, quæ initio ænigmatis præposita sunt, scilicet, *Memento creatoris tui,antequam veniat tempus afflictionis*: atque hac eâdem phrasi totum ænigma seu parabola continuatur; *antequam tenebrescat Sol & Luna.* & infrà; *Antequam rumpatur funiculus argenteus*,&c. Idem verò est, *Memento creatoris tui*,ac *Deum time,& mandata eius obserua.* Cùm autem postremò additur, *hoc est enim omnis homo*; demonstratiuum *hoc*, totum ænigma siue allegoriam,quã antea proposuerat,proculdubiò designat.

Hoc est omnis homo. quid sit apud Ecclesiastem.

B Atque ita dicere,*hoc est enim omnis homo*,idem est ac dicere;Hoc,quod suprà depinxi,omnes sumus,id est,eò sumus omnes deuĕturi; cuncti enim mortales sumus. Quare,cùm morituri tandem simus, & Deo rationem strictissimè reddituri; æquum est, vt tandem aliquando animaduertamus, mortalem hanc vitam meram esse vanitatem; ac proinde timeamus Deum, & ipsius præcepta seruemus.

Ad huius sensus confirmationem Nota Primò,cùm ænigma adeò longum & mirabile fuerit antea ob oculos positum, vbi extremò subiungitur,*Finem loquendi audiamus*,siue inceptum sermonem absoluamus; adiectiuo illo,*hoc*,aptissimè propositum ænigma designari. Id sanè mihi nihilo est obscurius, quàm si extento digito ipsum mihi ænigma Ecclesiastes indicaret.

Quòd si aliquis in eo fortasse hęreat, quòd iuxta nostram explicationem,illud pronomen *hoc* non designat C id, quod proximè præcedit, sed superius ænigma. Ad hoc facilis est responsio;nempe sæpe ita contingere, vt pronomen *hoc* omnino sit referendum ad id,quod paulò superiùs remanebat. Pro quo vide insignem locum 1.Cor.7 6. *Hoc autem dico secundùm indulgentiam.*

Nota Secundò, eiusmodi sensum & prudentissimũ esse,& sacra Scriptura dignissimum.Cùm enim nostro aspectui subiecerit humanæ mortalitatis ac fragilitatis imaginem ad viuum expressam; quid potuit cõgruentius subdi, quàm vt admoneremur effigiem illam esse propriam nostræ naturæ;atque adeò finis picturã,quæ nobis vitæ exitum in mentem reducat? Quòd si hic Ecclesiastæ liber, est concionatoris sermo; quid, quæso,potuit aptius eligere & in medium proferre?

Fingamus concionatorem aliquẽ ante principis viri cadauer tumulo honorificentissimè impositum,ad numerosam audientium multitudinem cõcionem habiturum. Quid prudentius præstare potuisset, quàm pro suæ concionis themate,digitũ in cadauer intendere;& simul addere, *Deum time,& mandata eius obserua; hoc est enim omnis homo*? Idem dixerim de eo concionatore; qui sub finem concionis hominis cranium produceret, & eo designato, subiungeret, *Hoc est enim omnis homo*; atque ita homines ad pœnitentiam & præteritorũ resipiscentiam hortaretur. Hoc ergo ipsum præstat sapientissimus Salomon; qui tamen pro cadauere, aut cranio, demonstratiuo illo *hoc*, designat viuã nostræ mortalitatis imaginem, quam Spiritus sanctus expressit.

Nota Tertiò, ex subsequenti contextu nostram hãc declarationẽ satis cõfirmari. Sequitur enim; *Et cuncta, quæ fiunt adducet Deus in iudicium.* Quis autem nesciat post mortem statim iudicium subsequi; atque adeò strenuos concionatores recordationi mortis iudicij memoriam congruentissimè annectere, vt hac ratione homines

hominēs ad Dei timorem impellant? Id ergo ipsum Ecclesiastes, vt concionator egregius, præstitit.

Totius libri Ecclesiastæ epilogus.

Nota Quartò, sententiam illā, *hoc est enim omnis homo*, iuxta nostram explicationē, esse satis idoneam conclusionem, epilogū & epiphonema totius libri Ecclesiastæ. Quidquid enim in eo latè agitur de rerum humanarū vanitate, ad id tandem reducitur, nos scilicet esse mortales; ac proinde nihil esse in hac vita, quod firmū & stabile diu sit. Quid verò magis ad rē, quàm vt breui & eleganti sententia Ecclesiastes, quasi quodam epilogo totā concionem coërceat? id quod se facturū ipse admonuit; atque ad id audientium attentionem captauit, cùm dixit; *finem loquendi pariter omnes audiamus.*

Quintò confirmatur; quia alij sensus, qui à multis afferuntur, violenti sanè sunt. In quibus tamen impugnandis immorari non est animus: quia nonnullis fortasse placebunt, & ex iis vtilitatem percipient.

Ex meo ipse sensu satis velim, ne quis sibi detrimentum pariat, nostra explicatione abutendo. Et venit in mentem quempiam fortè hæreticum, Sanctissimæ Eucharistiæ aduersarium, in hoc loco diligenter quæsturum exemplum aliquod sensus illius metonymici, quē teterrimus dæmon ab inferis excitauit ad eneruandam vim illorum verborum, *Hoc est enim corpus meum.* Primâ enim facie videtur illius metonymicæ intelligētiæ splendidum exemplum desumi posse ex nostra horum verborum explicatione, *Hoc est enim omnis homo.* Et addet præterea hæreticus Eucharistiam à Christo appellari mysterium seu Sacramentum; & Sacramenti nomē esse referendum ad significationem; vt refertur in vlt. vers. cap. 1. Apocal. *Sacramentum stellarum, quas vidisti in dextera mea.* Vbi stellæ Ioanni ostensæ dicuntur esse angeli. Non quòd essent verè angeli Ecclesiarum; sed quòd eos solùm significarent, tamquam illorum symbola. Hoc est Nouatorum argumentum. In quo, vt solent, araneorum instar, ex odoratis floribus sibi virus exsugunt. Catholici verò, quibus in religione siue doctrina aliquid nouare semper piaculum fuit, veritatem Eucharistiæ non à nostro cerebro singimus; sed à Christo Domino traditam, & ab Ecclesia perpetua veneratione conseruatam, fideliter retinemus. Argumentum autem hæreticorum facilè euanescit; animaduertendo, nō negari à nobis Eucharistię species esse signa à Christo instituta, quibus corpus ipsius & sanguis significātur, significatione ab ipso Christo ordinata. Sed ab Ecclesia edocti nouimus, quædam esse symbola non ad aliud, quàm ad doctrinam & significationem institu-

Pro Eucharistiæ veritate aduersus huius temporis hæreticos asserenda.

Hæreticorum argumentum refellitur.

A ta; vt sunt ænigmata atque parabolæ. Alia verò ad animarum sanctificationem esse facta; in quibus ex ipsa significatione efficacissimum sumitur argumentum ad probandum, verè in ipsis includi id, quod significant. Verbi gratia; baptismus siue sacra ablutio signum est ablutionis animæ à peccatorum sordibus. Hoc ergo ipsum, quod externa illa abluendi actio significat, in eo Sacramento verè ac propriè continetur. Per id enim verè abluitur anima & sanctificatur. Et quidem Christi excellentiam summopere decuit, vt in sacris ritibus ac cerimoniis, quas Christianæ Ecclesiæ instituras reliquit, earū significatio nō esset, vt significatio ænigmatū; quæ ad id ipsum, quod significatur, operandū minimè extēditur; sed vt in ipsius Christi miraculis accidit: in quibus externum illud opus, erat latentis miraculi vestigium. Verbi gratia; dum Christus cæcum illuminabat, animæ pariter oculos, id est, mentem vera fide

B illustrabat; dum sanabat ægrotū, vnà animæ morbum depellebat. Atqui hanc operandi rationem Christi excellentia esse dignissimam, velle negare; id verò est cæci & ægroti propriū in sua cæcitate & ægritudine perstare cupientis. At Ecclesiæ filiis nihil id difficultatis; sed summam potius credibilitatem habet; iuxta illud, *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*, Psal. 92. 5. Quia signa merè signa instituere quiuis facilè poterat: signa tamen eiusmodi efficacitatis plena Ecclesiæ relinquere, hoc solius erat Christi potestatis. Inter hæc igitur signa & Sacramenta supremum ac præstantissimum est sine dubio Eucharistia. Atque ita ex ipsa metonymia (liceat mihi sic loqui) in qua hæretici tantopere debacchantur; id est ex eo quòd species Eucharistiæ Christi

C corpus & sanguinē significent; Catholici in veritate fidei confirmamur, quòd scilicet in eis Christi corpus & sanguis verè ac reapse contineantur. Etenim si baptismus operatur, quod exterior ablutio significat; nō minor debet esse, sed multò maior, Eucharistiæ excellentia. Quare minimè dubitamus, verè etiam & propriè ipsius Christi corpus & sanguinem in admirabili hoc Sacramēto includi. Quod qui negant a Deo planè sunt derelicti; atque adeò indigni, qui fruātur immenso hoc beneficio, quod Christus in suā Ecclesiam cōtulit, cùm nobiscum in sacrosancta Eucharistia manere voluit, & pectora fidelium succedere, atque suā præsentia succendere; & admirādo hoc opere infinitam suam beneficentiam ostentare, quæ angelos ipsos admiratione & stupore tenerēt defixos; vt suis tandem beneficiis, hominum & angelorum captum omninò superaret.

Duplex sacramentorum symbolorū modus.

PROOEMIVM
IN CAPVT II. ET III. APOCALYPSEOS
IN TRES NOTATIONES DIVISVM.

NOTATIO I.

In qua explicatur, qui sint angeli, ad quos Ioannes scribere iubetur.

Qui fuerint septem angeli, ad quos Ioannes scribere iubetur.

D VO hæc capita nihil aliud continent, quàm septem epistolas, quas Christus Ioanni dictauit ad septem Ecclesiarum Asiæ angelos mittendas. Et in commentario quidem c. 1. v 16. posuimus varias opiniones de septem stellis siue angelis, ad quos septem hæ epistolæ diriguntur. Vbi ostendimus in plano illius loci sensu, per illos angelos, septem homines illarum Ecclesiarum Episcopos designari. Quod ipsum ex epistolarum contextu validè confirmatur. Nam si cælestes angeli essent; non erat ad

rem

Digitized by Google

rem epistolas illis per Ioannem scribi, & mitti. Et alioqui constat homines Dei ministros, præsertim sacerdotes appellari Angelos. De quo vide Dionysium de cælesti Hierarch. c. 12. Accedit, quòd angeli nomen nil aliud sonat, quàm nuntium: atque ita eadem analogia, qua nunciorum nomẽ præcipuis summi Pontificis ministris in regum curiis degentibus solet attribui; præcipuis etiam Dei ministris, quos ipse in terris habet, tribui censendum est. Imò verò Seraphinorum etiam appellatio tribuitur. Episcopis in sacra Scriptura; vt videbimus in explicatione cap. 6. Isaiæ.

Sacerdotes in scriptura Angelos vocari. Angeli nominis etymologia.

Alia expositio erat, angelorum & stellarum nomine designari Ecclesias ipsas. Quò spectare existimo illorum sententiam, qui ea, quæ Christus in angelis Ecclesiarum Asiæ reprehendit, notant non esse ipsorum peccata; sed Ecclesiarum. Quam expositionem ab Andrea, Areta, Ansberto, & Anselmo, accipit Pererius c. 2. disp. 2. Et confirmat; quia Ephesinus Episcopus erat tunc Timotheus, magnus Dei amicus Quòd si de ipso Timotheo sermo esset, nequaquam ei diceretur, *habeo aduersus te, quòd charitatem tuam primam reliquisti.*

Num Angeli septem, quibus Ioannes iubetur scribere, sint septem Ecclesiæ?

Quòd verò Episcopus de subditorum peccatis, nullâ ipsius culpa admissis reprehendatur, non iudicat dissonum Pererius; sed id fieri ait, *quò excusatior ipse sit apud subditos, si eos reprehendat; tamquam ipsi peccata eorum imputanda sint, nisi eos reprehenderit, & quantum in ipso est, correxerit.* Verùm hæc expositio violenta est. Textus enim expresse candelabra ab stellis distinguendo, & affirmando per candelabra Ecclesias; & Episcopos, siue angelos per stellas indicari; manifestè innuit, culpas seu defectus illos, quos Christus in Episcopis reprehendit, ad ipsos Episcopos propriè spectare. Quando populi culpa Episcopo potest adscribi propter ipsius negligentiã, quam in suorũ emendatione procurãda adhibuit: tunc sanè Episcopus potest meritò obiurgari propter suæ Ecclesiæ peccata Quando autem Episcopi culpa nulla fuit; quid potest violẽtius esse, quã ipsum de illis defectibus accusari, quorũ culpa minimè in ipsum refunditur? Deinde inter has septẽ epistolas sunt aliquæ, in quibus nulla Episcopi obiurgatio continetur: aliæ, in quibus nulla Episcopi laus.

Reiicitur præcedens expositio.

Atqui mirum non est, primitiuæ Ecclesiæ temporibus peculiares fuisse personas tantã morum probitate ac sanctimoniã, vt nihil in iis reprehensione dignum appareret: alias adeò perditis ac profligatis moribus, vt nihil in iis laudem mereretur. Existimare autem primitiuæ Ecclesiæ tempore integras Ecclesias reperiri in Asia, in quibus nihil esset, quod posset iure laudari; & alias, in quibus nihil, quod posset vituperari; hoc nulla ratione veritatis speciem habet. Igitur tam laudatio, quàm vituperatio septem illorum Episcoporum, Ecclesiarum statum minimè describunt directè, sed singularium Episcoporum viuendi rationem. Quòd autem vnusquisque ex illis Episcopis dissimilis esset conscientiæ reliquorum, mirandum non est. Nam inter homines diuersitas & inæqualitas frequens esse solet. At septem illas Ecclesias tantopere inter se moribus ac vita dissidere; vt septem Episcopi depinguntur; hoc mihi probabile neutiquam fit. Etenim generatim loquendo, in qualibet fidelium republica omnes illæ diuersitates conscientiarum reperiuntur: nec verisimile est, septem illas Ecclesias Asiæ, quod attinet ad conscientiarum status, fuisse inter se adeò diuersas. Præterea textus ipse aliquando distinguit Episcopi statum ab statu Ecclesiæ: Nam in epistola ad Thyatirensem, peccatum Episcopi est, permittere mulierem Iezabel. Subditorum verò alij mœchabantur cum Iezabele; alij eius doctrinam non recipiebant. Et in Ecclesia Sardensi Episcopus ipse de morte animæ reprehenditur; & subditur nihilominus, aliquos esse in ea Ecclesia, qui non inquinauerunt vestimenta sua.

Denique explicatio illa Peretij probari potest Victorino, Ticonio, Ambrosio, Haymoni, & Bedæ, qui non distinguunt angelos ab Ecclesiis: vel iis fortasse, qui illarum Ecclesiarum angelos de angelis cælestibus interpretantur, in quos culpa non cadit: in communi tamen & certa sententia, quæ non dubitat angelos illos esse Episcopos, certum mihi quoque est, peccata de quibus angeli arguuntur, esse ipsorum Episcoporum peccata. Neque obstat, Christum in epistolis singulis repetere, *Qui habet aures audiendi, audiat, quid spiritus dicat Ecclesiis*: simile enim ratione dicitur; *Quod vobis dico, omnibus dico, Vigilate.* Marci 13. 37. & tamen ipsis primùm Apostolis verè & propriè dicebatur. Simili etiam modo epistola ad Corinthios scripta, ad omnes etiam Ecclesias spectat: quod enim ad doctrinam attinet, generalis est, & omnibus Ecclesiis vtilissima: cùm tamen aliquid in ea Ecclesia reprehendatur (vt epistola 1. cap. 5 1. quòd vxorem patris aliquis habet concubinam) quòd non in omnibus Ecclesiis reperietur. Adde, Christum non dicere in epistola ad Ephesinum, *Qui habet aures audiendi, audiat, quid spiritus dicat Ecclesiæ Ephesinæ*; sed, *quid dicat Ecclesiis.* Ex quo manifestè constat non recte inferri, Episcopum non distingui ab Ecclesia; id enim saltem nemo dicet, angelum Ephesi ab omnibus Ecclesiis non distingui. Illud certè verissimum est; quod Ephesino Episcopo scribitur, doctrinam esse Ecclesiis omnibus vtilissimã. Nam in omnibus Ecclesiis Christiani aliqui deprehendi solent, Episcopo Ephesi in eo similes, quòd charitatem primam reliquerint. Et quia in singulis Ecclesiis fideles reperiuntur, qui, quod attinet ad conscientiæ rationem, similes sunt, alij Ephesino Episcopo, alij Smyrnensi, alij Laodiceno, & sic de reliquis; idcirco in epistolis singulis repetitur, doctrinam illam ad omnes Ecclesias tradi, & ad communem vtilitatem conscribi

Ad id, quod obiiciebatur, verisimile non esse, vt de Timotheo insignis sanctitatis viro, & qui fuit martyr Christi glorioſus; verè dici possit ipsum primam charitatem reliquisse; Respondeo, verum quidem esse Timotheum illum esse Ecclesiæ Ephesinæ Episcopum, qui cum Christus loquitur in epist. 1 cap. 2. vt probat optimè Pererius cap. 2. disput. 2. nihil tamen esse, cur tantopere Lyra, Ribera, & Pererius concedere reformident, Christi martyri glorioso eam inuri notam. Illis enim verbis non continetur lethalis culpæ macula; vt in explicatione videbimus. Nec Lyra & Ribera ab hac se expediunt difficultate, asserentes Timotheum superstitem non fuisse. Nam præterquam quòd hoc falsum est; illud saltem negari non potest, post Ioannem & Timotheum, in episcopatu Ephesino Onesimum successisse; qui fuit vir etiam sanctissimus, & sub Traiano martyrio coronatus; vt probat Baronius. Quare necesse est reprehensionem illam ad gloriosum aliquem Christi martyrem pertinere. Verùm enim verò cum semel statuatur, Ephesini Episcopi obiurgationem non esse de lethali culpa; non adeò mirum est, virum alioqui sanctum aliquantulum remisisse de pristino animi ardore & feruore charitatis; ac propterea à Christo admoneri, & obiurgari, vt non solùm ad pristinum redeat feruorem, sed etiam vt nouus ardor priori antecellat.

Vtrùm Timotheus fuerit Ecclesiæ Ephesinæ Episcopus, ad quem Ioannes scripsit?

Timotheo Onesimũ in episcopatu Ephesino successisse.

Superest modò examinare, vtrum sint propriis nominibus noti septem illi Episcopi, ad quos Ioannes septem epistolas scribit?

Qua in re Primò existimo valdè coactum esse, quod Aureolus excogitauit; videlicet non opus esse illos omnes, ad quos Ioannes has scripsit epistolas, ea tempestate fuisse illarum Ecclesiarum Episcopos: sed potuisse Ioannem per spiritum propheticum cum iis loqui, qui nondum fuerant nati.

Hæc consideratio ideo fuit ab eo excogitata, vt affirmare posset Thyatiræ Episcopum, cui Ioannes scripsit, fuisse Irenæum. Frustra tamen hac in re laborat Aureolus. Improbabile enim est, epistolam ad Thyatirensem Episcopum scribi, nec tamen illam dirigi ad eum, qui nunc episcopali eius vrbis officio fungitur; sed ad illũ, qui post 100. annos Episcopus creabitur Si admitteretur quod Epiphanius asserit, Ioannis scilicet tempore nec Ecclesiam Thyatiræ, nec Episcopum fuisse; tunc satis esset Ioannem cum eo Episcopo loqui, qui primus erat futurus. Ceterum quod Epiphanius affirmat, tunc Thyatiræ Ecclesiam non fuisse, viris doctis non placet, vt bene Pererius cap. 2. disp. 15. Quare certius est, Ioannem tunc scripsisse ad eos, qui eodem tempore Episcopi illarum Ecclesiarum erant.

Num Irenæus fuerit Thyatiræ Episcopus; cui Ioannes scribere iubetur?

Vtrùm Ioannis tempore Thyatirensis Ecclesia erecta fuerit, necne.

Peccata, de quibus septem Episcopi arguuntur, ipsorum esse propria, non subditorum.

Ephesi

Digitized by Google

Timotheum tũc Ephesi Episcopum.

Ephesi Episcopus erat Timotheus. Licèt enim Ribera ex Metaphraste voluerit elicere Timotheum iam fuisse mortuum, cùm Ioannes Apocalypsin conscripsit; verùm hoc nec Metaphrastes asserit, nec dubium est Timotheum Ioanni Apostolo fuisse superstitem, vt probat hic Pererius cap. 2. disput. 2.

Smyrnæ tunc Polycarpum fuisse Episcopũ, probabile est.

Smyrnensem Episcopum fuisse tunc Polycarpum nõ est omnino certum. Nam etsi pro comperto sit, illum à Ioanne Smyrnæ Episcopum fuisse creatum, & Ioanne ipso vita functo plures annos vixisse: non tamen constat Polycarpum Smyrnensi Ecclesiæ fuisse præfectum ante Apocalypsin Ioanni reuelatam. Verumtamen licèt certum omnino non sit; verisimile nec immeritò reputatur. Atque huic probabilitati fauet ipsa epistola, quæ ad Smyrnensem Episcopum scribitur; vt bene colligit Pererius, cap. 2. disp. 8.

De Pergami Episcopo, non constat.

Pergami Episcopus quis fuerit, non constat Aureolus enim & Lyranus designant Carpum martyrem sanctissimum; sed illi absque dubio falsi sunt, vt rectè Pererius cap 2. disp. 11.

Thyatiræ Episcopũ, ad quem scribitur, esse Irenæum, commentitium planè est, & Aureoli somnium: non solũ, quia Ioanni coæuus non fuit; sed etiam, quia nullo vmquam tempore fuit Episcopus Thyatiræ; vt benè A Pererius c. 2. disp. 15. De Carpo martyre; cuius meminit Eusebius lib. 4. cap. 14. in fine (in quo agit de Polycarpi martyrio) de hoc, inquã, Carpo certò affirmari videtur, fuisse Thyatiræ Episcopum. Id enim asserit Martyrologium Roman. 13. die Aprilis; quamuis ipsius martyrium Pergami fuerit, vt tradit Eusebius. Non tamẽ certum est, Carpum fuisse Episcopum, cùm Ioanni ostensa fuit Apocalypsis. Atque ita non satis conuenit de Thyatiræ Episcopo, quicum Ioannes loquatur.

Carpum fuisse Thyatiræ Episcopum, quo tẽpore Ioannes scripsit, nõ satis constat.

Sardensis etiam non constat quis fuerit cõstat tamẽ Melitonem nec Sardis, nec alibi fuisse Episcopũ, vt notat Pererius c. 3. disp. 1. Quare deceptus est Aureolus.

De Sardensi, quis tunc fuerit, non cõuenit.

Philadelphiæ Episcopus non potuit esse eo tempore B Quadratus cum bona Aureoli ac Lyrani venia. Nam Quadratus fuit Athenarum Episcopus, de quo Pererius cap. 3. disp. 10.

Quadratus nõ fuerit tunc Philadelphiæ Episc.

Denique Laodicenum Episcopum verisimile non est tunc fuisse sanctum Episcopum Sagarem; vt idem Pererius cap. 3. disp. 17. Quare ex his omnibus septem Episcopis, Ephesinum certũ est esse Timotheum, Smyrnæum est verisimile esse Polycarpum; & Carpum fuisse Thyatirensem non caret probabilitate. De ceteris certum est, nulla verisimilitudine affirmari posse, qui fuerint ij, ad quos Ioannes scribit.

Nihilo plus cõstat de Laodiceno.

NOTATIO II.

In qua expenditur, quorsum in Apocalypsi inserantur epistolæ ad septem illos Asiæ Episcopos?

Cur hic septem epistolæ ad Asiæ Episcopos inserantur.

QVi sibi persuadent Apocalypsin non esse vnicam reuelationem eâdem serie continuatam, sed in varias diuidi; facile dicũt primam visionem cõtinere in se Ecclesiarum Asiæ institutionem. Atque ita nullã inueniũt difficultatem in eo, quòd hic septem epistolæ inserantur. Verùm cùm iam viderimus visionem 1. cap. esse totius Apocalypseos argumentum, & quasi totius actionis prologum; & in vniuerso libro à primo capite agi de duobus illis bellis à Iudeis & Gentibus aduersus Ecclesiam susceptis illos, qui hoc sibi in animum induxerint, non potest non hęc stimulare cura, qua scilicet, ratione septem hæ epistolæ hic interponantur. Statuendum enim in primis est, illum ipsum qui prologũ agit, & vtriusque belli argumẽntum proponit, post ipsius argumenti propositionem has septem epistolas Ioanni dictare; quas ipse ad septem Asiæ Episcopos mittat. Atqui nouum & insolitum videtur, illum, qui prologi partes agit, posteà septẽ addere epistolas, quę diuersum argumentum à reliquo actionis corpore contineant.

Qui Apocalypseos agit prologum, ab eodem has septem epistolas Ioanni dictari.

Re tamen attentius inspectà apparet, hunc septem epistolarum interiectum, mirificam cum Apocalypseos argumento habere connexionem. Ad cuius explicationem liceat mihi perfectæ alicuius comœdiæ iuxta præcepta Platonis & Horatij, (qui comœdias moribus informandis deseruire volunt) à sapienti comico compositæ exemplo vti. Licèt enim humilis sit comparatio; conferet tamen non parum ad horum duorũ capitum cum 1. & cum ceteris cohærentiam intelligendam. Sapiẽs igitur comœdiæ scriptor, in ipso prologo, postquã fabulæ argumentum proposuit, sapienter se gereret; si auditores commoneret fructus & vtilitatis, quam possent ex ea fabula decerpere. Vt si diceret, iuuenes ibi posse animaduertere quàm sit illis cauendum à mulierum fraudibus ac præstigiis; diuitiarum cupidos ibi posse discere, *non confidere in incerto diuitiarum*; afflictos ibi doceri, non esse desperandum in huius vitæ ærumnis; & alia huiusmodi.

Quæ sit harum epistolarum cũ cæteris Apocalypsi connexio.

Rectè in actionu prologo auditores de fructu ex ipsa actione percipiendo admoneri.

Apud Athenæum lib. 6. cap. 1. quędam Timoclis carmina referuntur ex comœdia, quam ipse Dionysiazusi vocauit (id est sacra Dionysij celebrantes) quæ aliquam similitudinem habent cum eo, quod modò dicebamus. Ea verò carmina sic habent,

Primùm, tragœdi quanta commoda adferant,
Perpende, sodes. Si quis est pauperculus,
Maiore pressum si videbit Telephum

C *Mendicitate, leuiùs suam ferat*
Mendicitatem. Insanus estne quispiam?
Furiosum is Alcmæona proponit sibi.
Captus oculis aspicit cæcum Oedipum.
Gnatus obijt? Niobe dabit solatium.
Claudus aliquisne est? is Philoctetem aspicit.
Miser aliquis senex? tuetur Oeneum.
Alterius etenim quisquis arumnas viri
Esse graviores videbit, quàm sint sua,
Animo æquiore miserias ferat suas.

Constat ergo in prologo, post argumentum propositum, aptissimè admoneri auditores de fructu ex illa actione percipiendo. In hoc ergo sacro Apocalypseos spectaculo prologum agit persona filij hominis. Et cũ in 1. cap. totius operis argumentum posuerit ob oculos; nunc auribus & notis iubet accipere, quemadmodum singuli fideles fructũ possint capere vberrimum. Atque is est prorsus scopus septem earum, quæ dictantur deinceps, epistolarum. Quamuis enim ad septem illos Asiæ Episcopos mittantur epistolæ; easdẽ tamẽ sibi ipsis scriptas debere Christianos reliquos reputare, non solùm rationis paritas suadet; sed persuadet etiam rationis perspicuitas. Quia in singulis exprimitur, *qui habet aures, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.*

D Prętera notandum est, tantam esse sacrarũ Literarũ perfectionẽ, vt in hisce epistolis ad quẽlibet ex fidelibus peculiaris epistola contineatur. Nã, vt mox videbimus, inter Christianos omnes, septẽ non ampliùs conscientiarũ genera reperiuntur: atque hæc septẽ genera inter septẽ Asiæ Episcopos partita sunt. Quod verò seorsum singulis edicitur, ceteris etiam sui similibus scribitur: atque adeò singulis fidelium Christus peculiarem destinat epistolam, ipsos admonens de emolumento, quod ex Apocalypseos Theologia capere debeant.

In septem hisce epistolis ad quemlibet fidelium peculiarẽ epistolam contineri.

Quibus animaduersis manifestè perspicitur verissimum esse, quod Victorinus martyr in suo commentario affirmat; in his scilicet septem epistolis considerari septem fidelium classes: & primam epistolam cum vna classe loqui: secundam cum altera: tertiam cum alia classe; & sic de reliquis. His tamen non negatur propriè hìc sermonem institui cum illis Asiæ Episcopis; sed affirmatur in illis Episcopis esse sermonem cum ceteris sui similibus; septem insuper esse classes fidelium, & vniuersas in septem Asiæ Episcopis distinctè repræsentari.

In hisce epistolis, septem hominum classes considerari.

Ex

Digitized by Google

Ex his elicio, auctores illos, qui affirmare videntur stellas, candelabra, angelos & Ecclesias idem esse; non ea esse mente, vt affirment nullam esse distinctionem inter angelos Ecclesiarum & Ecclesias: sed vt indicent, scribere ad Laodicenum Episcopum, & ad tepidorum classem scribere, si præcipuus attendatur finis, idem esse. Quod enim Laodicensi tepido dicitur, id omnibus tepidis dicitur.

Restat, vt plenam conscientiarum diuisionem in septem has differentias videamus. Nam si diuisio exacta A sit & perfecta, & cum ijs, quæ textus ipse de septem Episcopis affirmat, appositè congruat: nulla cuiquam supererit dubitatio, quin sublimem hunc finem Spiritus sanctus in hoc libro intenderit. Quo enim præstantior & excellentior sapientia in sacris Literis inuenitur, eo propiùs ad Christi, (qui Patris Sapientia est) intentionem acceditur. Nihil autem in præsenti optandum magis erat, quàm idoneam inuenire rationem, quæ omnino satisfaceret; cur hic septē huiusmodi epistolæ, simul cum Apocalypseos argumento, sint conscriptæ.

NOTATIO III.

De septem conscientiarum generibus, quæ inter fideles reperiuntur: & quàm aptè consentiat hæc diuisio cum ijs, quæ de septem Ecclesiæ Episcopis in Apocalypsi referuntur.

Omnia conscientiarū genera inter fideles ad septem capita reuocari.

CVM res magni momenti sit, cognoscere conscien- B tiarum genera, quæ in hominibus fidelibus reperiri possunt, vt id clariùs eluceat, operæ pretium erit diuisionem ipsam priùs considerare; & deinde ad septem Episcopos applicabitur. Fideles ergo omnes in gratiā Dei recepti sunt. Sed ab ea gratia dupliciter excidere contingit. Primò, per manifestam alicuius præcepti transgressionem, ex qua qui peccat, nouit se Dei gratiam amisisse. Secundò, per occultum peccatum, per quod similiter amittitur gratia, sed nescit miser homo, se illam amisisse. Atque hæc sunt duo pessima conscientiarum genera, Primum improborum, qui proiecerunt se ad scelus audacter; Secundum tepidorum. Tepidos autem appello eos, qui non audent scienter lethale seu capitale scelus admittere; de cetero autem perfectioris vitæ studium amplecti nolunt. His frequenter contingit, vt, dum suis concupiscentijs non se putant adeò indulgere, vitam gratiæ amittant; nihilominùs re ipsa lethaliter peccent, & sint æternæ damnationis rei, quamuis se ipsi iustos reputent.

Primum conscientiarum genus improborum. Secundum, tepidorum.

Sextum, timidorum seu pusillanimorum. Septimum, imprudentium.

Ex ijs, qui in gratia Dei permanent (licèt nemo sit, qui ab omni peccato veniali sit immunis per longum tempus; exceptis tamen ijs defectibus, qui humanæ conditioni sunt quodammodo ineuitabiles, & in quibus non hæret homo iustus, sed potiùs ab eis se frequēter abluit;) nonnulli sunt, quorum vita meritò appellatur irreprehensibilis; eò quòd non solùm à peccatis caueant diligenter, sed etiam in omnibus diuinæ vocationi pro virili respondeant. Horum autem duo quoque sunt genera: alterum probatæ virtutis, & alterum protectæ. Priores sunt, quorum virtus est magna, & magnis laboribus ac difficultatibus superādis idonea, & per ipsas tentationes indurata & roborata est. Posteriores verò ij, quorum vires adhuc modicę & nondum aptæ magnis incursibus; singulari tamen Dei prouidentiæ præsidio munitæ ac septæ à periculis liberantur. Atque ita feliciter in Dei obsequio procedunt: & nihil est in quo diuinæ vocationi pro sua modica virtute non obsecundent.

Tertium genus eorū, qui sunt probatæ virtutis.

Quartum eorum, qui sunt protectæ.

Supersunt ij, qui Dei quidem gratiam diligenti cura custodiunt; aliquid tamen est, in quo hæreant, & in quo diuinæ vocationi non gerant morem; ex ijs scilicet, quæ non ad gratiæ conseruationem, sed ad vitæ spiritualis perfectionem spectant. Quare, licèt mereātur laudem propter perseuerantiam in gratia, & propter actiones studiosas; eorum tamen laudi meritò adiungitur reprehensio ob defectum illum, in quo hærent. Tria ergo sunt eiusmodi defectus genera. Quòd enim homo Deo ad perfectionem vocanti non pareat, aut in eo situm est, quòd nonnihil de pristino ardore remittat, quod est in perfectionis via aliquantulum retrocedere; scilicet propter lassitudinem: aut in eo cōsistit, quòd occasionem oblatam maioris Dei obsequij & insignioris perfectionis prætermittat, quod est minùs progredi, quàm deberet. Hoc verò dupliciter contingit. Nam vel occasio insignis prætermittitur ab eo,

Quintum eorum, qui ob lassitudinem aliquantum retrocedunt.

qui eā animaduertit, sed eam accipere nō audet; quod est pusillanimitatis siue timoris: aut ab eo, qui alijs occupationibus imprudenti zelo impeditus, non animaduertit, quanto magis possit proficere in vita spirituali, & Dei gloriæ deseruire, si occupationes illas in alias commutaret; atque hoc est imprudentiæ.

Ex dictis colligo, septem esse conscientiarum genera inter fideles, non plura neque pauciora. Duo eorum, qui exciderunt à gratia Dei, qui sunt improbi & tepidi. Duo illorum, qui pro sua virtute egregiè Dei vocationi in omnibus respondent, qui sunt probati & protecti. Tria verò in gratia quidem perseuerantium, sed in aliquo hærētium, quominùs Deo se perfectè subijciant, qui sunt sublassi, pusillanimes, & imprudentes.

Hęc autem septem conscientiarum genera explicari possunt per comparationē ad trapezitas siue argentarios, quorū officium est pecuniæ augendæ intendere. Primùm enim pessimi trapezitæ sunt, qui capitalē (vt aiunt) summā amiserunt, siue ludi & luxurię causa, siue C etiam negligentię. Optimi autem trapezitę censentur, qui in augenda pecunia nullam iusti lucri occasionem amiserunt, siue ij sint magni negotiatores, siue mediocres, *vnusquisq; secundùm propriam virtutem*, vt Christus loquitur. Alij demum sunt, qui capitalem quidem pecuniæ summam non solùm non imminuerunt, sed etiam auxerunt. Nihilominùs tamen optimi trapezitæ gloriā non sunt assecuti, eò quòd non adeò pecuniam auxerint, vt par erat. Quod varijs de causis contingere potest. Primùm, si nōnihil fuerint lassati, & minorem, quàm soliti erant, in negotiando diligentiā adhibeant. Deinde si optimas augendæ rei occasiones elabi prætermittant; aut scienter propter pusillanimitatem; aut imprudenter, dū minoribus lucris soliciti intendebāt.

Declaratur eadem doctrina similitudine trapezitæ.

Vidimus in superiùs dictis septiformem diuisionem: & metaphysicè quidem fortassis in plura vel pauciora membra fieri posset. Si tamen res moraliter expendatur; omnes viri sapientes facilè intelligent, diuisionem D aptiorem fieri non potuisse, quàm in septem illa membra enumerata; & nec plura, nec pauciora potuisse excogitari. Quia illa procul dubio sunt, quæ constituunt diuersos animorum status, & quę valdè sunt animaduersione digna; vt vnusquisque expendat in se & in ijs, qui ipsius curæ commissi sunt, ad quem statum siue ipse, siue illi pertineant.

Supradicta ergo diuisio fuit mirificè à Spiritu sancto expressa in septem Episcopis Asiæ, & in septem ad illos epistolis c. 2. & 3. Apocal. In eis tamen non is seruatur ordo, quem nos expressimus. Quia cùm prima facie videri vellet Spiritus sanctus non ad alios scribere, quam ad septem illos Asiæ Episcopos; omnino debuit incipere à Metropolitano, id est, ab Ephesino, & suum iter ad ceteras ciuitates per ordinem prosequi. Præterea Ioannes epistolas in insula Pathmo scripsit, & considerato insulę situ, septem vrbes eodem ordine sunt dispositę, quo Ioannes illas recenset, vt patet ex geographica earum descriptione.

Quem Ioannes ordinem his in epistolis seruauerit.

Digitized by Google

Pars Asiæ veteris, in qua cernuntur septem illæ vrbes, quas Ioannes commemorat Apocalypseos cap. 1. 2. & 3. ex veteri Græcia Abrahami Ortelij.



Vides, optime Lector, Pathmo insulæ proximam esse Ephesum : ac deinde ei qui peragraturus sit eas ciuitates quarum meminit Apocalypsis, commodum esse vt primùm accedat Smyrnen, deinde Pergamum : ac inde descendat eodem ordine quo à Ioanne reliquæ vrbes commemorantur.

Applicatio septem conscientiarum generum ad septem Asiæ Episcopos.

Nec magni intererat, ante extremum iudicium bonos ab improbis & tepidis separare; sed potiùs aptius erat eosdem in narratione miscere, vt ferè semper esse solent.

Quid in Ephesino notetur.

Ac primùm Ephesinus Episcopus (qui proximus insulæ Pathmo erat) ille quidem multis virtutum præsidijs erat munitus; de pristina tamen animi intentione ac vigore nonnihil remiserat: atque ita ad eum scribitur, *Scio opera tua, & laborem, & patientiam, & quia non potes sustinere malos: & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt; & patientiam habes, & non defecisti. Sed habeo aduersus te, quòd charitatem tuam primam reliquisti.*

Quid in Smyrnensi.

Smyrnensis ad altissimum venerat perfectionis gradum; & ad eas virtutis opes, vt summis difficultatibus & periculis, illius robur & constantia maximè enitescerent, quo nihil est in hac vita præstantius. Idcircò audit, *Scio tribulationem tuam & paupertatem tuam, sed diues es.* (q.d. Virtutis opes satis magnas ad omnia habes) *nihil horum timeas, quæ perpessurus es*, &c.

Quid in Pergameno.

Pergamenus virtutis erat studiosus; sed pusillanimitas illi vitio vertitur. Vnde illi dicitur, magnũ quidem esse quòd in persecutione non celet fidem; esse tamen indignum, quòd Nicolaitis se opponere non audeat. *Tenes nomen meum, & non negasti fidem meam: sed habeo aduersus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Nicolaitarum.*

A In Thyatirensi ardor animi ad omnem virtutem vigebat; sed erat nihilominùs reprehensibilis, quòd nimium Iudæis connueret: nec animaduerteret, se in Gentium salute procuranda posse Deo multò magis deseruire. Quare ei dicitur: *Noui opera tua, & ministerium, & patientiam, & opera tua nouissima plura prioribus. Sed habeo aduersus te, quòd permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit propheten, seducere*, &c. Porrò Iezabelis nomen in ea epistola Synagogæ tribuitur. *Quid in Thyatirensi.*

Sardensis erat omnino improbus & proiectæ ad scelera audaciæ: atque ita meritò audit, *Nomen habes, quòd viuas, & mortuus es* quod ad mortem animæ & ad vitam delicios am referendum est. *Quid in Sardensi.*

B Philadelphius erat virtutum exercitationi valdè deditus, neque iure poterat in aliquo reprehendi. Nondũ tamen eos fecerat in virtute progressus, vt vir spectatæ virtutis dici posset; sed propter integritatis studium amabatur à Deo, & tenera adhuc virtus, diuinæ protectionis ope munita, ab omni periculo defendebatur; ne supra id, quod poterat, tentaretur. Huic ergo dicitur, *Scio, quia modicam habes virtutem, & seruasti verbum meum. Ego dilexi te, & seruabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in vniuersum orbem.* *Quid in Philadelphio.*

Laodicenus deniq; erat prorsus reprehensibilis; non quia improbus, sed quia tepidus. Quamuis enim non in scelera præceps ferretur; non tamen seriò apud se statuerat virtutem colere; neque bonum sic volebat, vt nouc- *Quid in Laodiceno.*

Digitized by Google

nouerat, à propria concupiscentia abstractus & illectus; cui propterea dicitur, *Tepidus es, & neque frigidus, neque calidus.*

Eorundem Episcoporum ad septem planetas accommodatio.

In septem ergo Episcopis, mores omnium Episcoporum ob oculos ponuntur. Si quis verò per septem stellas ad septem planetas respiciat; possunt etiam singuli Episcopi cum singulis planetis comparari. Ephesinus enim erat, veluti Mercurius, bonus & prudens, sed remissi ardoris. Smyrnensis, veluti Sol, virtutis eximiæ omnia nubila superantis. Pergamenus, vt Luna, timidior (nam Luna timorem creditur indere ijs, quibus dominatur.) Thyatirensis, sicut Venus, imprudenter feruidus. Sardensis, vt Mars, audax & præceps ad malum. Philadelphius prosperioris fortunæ, vt Iupiter. & Laodicenus, vt Saturnus, piger ac segnis.

His in epistolis salutarem omnibus conscientiarum generibus doctrinam contineri.

Quòd si hæ septem conscientiarum classes in septem Episcopis figuratæ sunt, verisimile est has epistolas esse veluti propriam normam ac regulam doctrinę & institutionis, quæ singulis harum conscientiarum tradi debent: ac proinde in his septem epistolis Christum Saluatorem nostrum admirabili sapientia comprehẽdisse totam mirabilis doctrinę substantiam, quam Euangelici concionatores, & spiritualis vitæ magistri suos auditores aut discipulos docere debent. Propterea enim Christus has epistolas dictauit Ioanni, qui eas scriberet, & ad Episcopos mitteret, vt intelligamus has epistolas concionatoribus ac viris spiritualibus à Christo tradi, vt ipsi eas singulis, pro cuiusque necessitate, distribuant.

Quàm sit harum epistolarum doctrina spiritualibus viris vtilis.

Et certè magnam affert lucem, solatium & vtilitatem hæc conscientiarum distinctio spiritualibus hominibus, & præsertim vitæ religiosæ magistris: & illis omnibus perutilis hæc distributio laudis, reprehensionis, cohortationis & comminationis. In quibus Christi sapientia maximè apparet, & rerum omnium cuiusque hominis conscientiæ necessariarum admirabilis comprehensio. Quare in optima harum septem epistolarum interpretatione spiritualis vitæ sectatoribus tractatus integer proponitur, qui moralis doctrinæ continet summam, & veluti ideam septem generum conscientiarum, & eorum omnium, quibus earum quælibet imbui debeat. Hæ porrò epistolæ sunt veluti septem Christi Pontificis summi Decretales, quibus totum hoc cæleste Ius canonicum, doctrinæ scilicet ad mores spectantis, comprehenditur, & miro exemplo ostenditur, quomodo considerationis theorica (per quam altissima Apocalypseos Theologia cognoscitur) ad eam praxim applicari debeat, per quam hominum conscientiæ informentur, & in vera sanctitate proficiant.

Ex dictis sequitur, inter hos septem Episcopos, duos inculpatæ vitę fuisse; alterum virtutis eximiæ, alterum virtutis modicæ. Atque hi sunt Smyrnensis, & Philadelphius. Præterea duos fuisse illaudatos; in quos scilicet nulla cadit laudis particula; vnum perditum, tepidum alterum. Et hi sunt Sardensis, & Laodicenus. Tres denique esse, quorum laudi adiungitur reprehensio, primo propter lassitudinem, alteri propter pusillanimitatem, & tertio propter imprudentiam. Et hi per ordinem numerantur Ephesinus, Pergamenus & Thyatirensis. Cumque non sint plura conscientiarum genera; non erit vllus ex fidelibus, ad quem ex his epistolis aliqua scripta non sit.

Cur in harum epistolarum alijs sola laus, alijs sola reprehensio, alijs obiurgatio laudi admixta contineatur.

Sequitur deinde in duabus ex his epistolis nullam Episcoporum laudem contineri debere, sed solam reprehensionem: in alijs item duabus è contrario, nullam reprehensionem, sed solam laudem: in tribus autem reliquis laudi reprehensionem debere adiungi. Præterea, vbi nulla est reprehensio, nulla etiam erit comminatio. Quare in binis literis nulla comminationis est mentio; quæ tamen est in quinque reliquis contra illos, ad quos scribuntur; nisi mores correxerint. Atque ita non est omnino verum, quod fortasse per obliuionem dixit Hieronymus epist. 50. nempe in

A his omnibus epistolis contineri comminationes aduersus eos, qui non egerint pœnitentiam. Porrò vniuersis epistolis inter se collatis, mirabiles existunt tum dissimilitudines Christi appellationum in singularum inscriptionibus, tum etiam varietates siue præmiorum ad inuitandum, siue minarum ad deterrẽdum. Et cùm ratio ex se postulet, vt hæc omnis diuersitas ad conscientiarum genera referatur; diligenter inuestiganda est idonea ratio; in qua acquiescat animus, qui antea anceps dubitabat, cur in hac epistola aliter se Christus appellet, quàm in illa? cur aliud præmium proponat? alias intendat minas? Ad ipsam ergo Episcoporum dissimilitudinem omnis alia variandi ratio referenda est. Atque in singulis epistolis sapientiæ est considerare, qualis sit aptior doctrina ad quodlibet ex illis septem conscientiæ generibus. Applicatio tamen ipsa ostendet, epistolas à Christo Ioanni dictatas, esse perfectam imaginem eorum, quæ mens optare poterat. Aduerte autem ex vnius epistolæ cum altera comparatione, aliquid etiam deprehendi dignum, quod ad morum doctrinam perpendatur. v.g. si sexta epistola cum secunda coniungatur, apparet eosdem, qui perfecto & optimo Episcopo siue Prælato se subijcere nolunt, mediocri facilius acquiescere. Nam Synagoga Satanæ blasphemat Smyrnensem, & prouoluitur ad pedes Philadelphij.

B

Ad fructum ex his epistolis percipiendum postulare à Deo cæleste lumen debemus, vt dignoscamus singuli, quænam ex conscientiarum differentijs nostra sit, & videamus ex illis epistolis, quænam ad nos singulariter spectet. Obseruandum autem est, Christianos aliquos fortassis non ad vnam solùm ex prædictis classibus spectare; sed ad duas, vel etiam tres: vt qui vna ex parte esset aliquantulum tepidus, ex altera timidior, & ex alia imprudens; cum hoc tres epistolæ loquentur. Nec ideò est minùs perfecta diuisio, quòd duæ vel tres differentiæ simul in eundem confluant. Quemadmodum diuisio boni in vtile, honestum & delectabile, optima est; licèt aliquando in eadem re tria hæc membra simul coniungantur.

C

Diuina prouidentiæ ratio in septem hisce Episcopis potissimum seligendis.

Notanda præterea est diuinæ prouidentiæ ratio atque consilium, quæ illarum Ecclesiarum eiusmodi Episcopos eadem tempestate selegit, in quibus septem conscientiarum discrimina supradicta insigniter emineret. Hos ergo septem Episcopos Deus, quasi septem specula, fidelibus constituit, in quibus quisque conscientiam & vitæ rationem posset contemplari. Et cuiusque discriminis præclarum est exemplum, quod nobis proponitur non tantùm, quia illi in excelso dignitatis gradu (id est dignitate episcopali) erant collocati; sed etiam quia vnusquisque in sua vitæ ratione insignis est; tepidus (inquam) est valdè tepidus; imprudẽs valdè imprudens: & idem de ceteris iudicium esto. Quamuis autem id ita esse congruerit ad illam conscientiarum diuisionem meliùs exprimendam, facilè tamen perspicitur, singulas differentias intra suę rationis limites latiùs se posse extendere; atque adeò augeri, vel minui. In aliquibus enim (exempli gratia) tepiditas peccati lethalis labem contrahet: in alijs venialis rationem non excedet. Et præmia similiter atq; comminationes eadem proportione accipienda sunt. Deniq; huius diuisionis consideratio minimè fit per violentam accommodationem, sed aptissima potiùs est ipsius contextus declaratio, vt illi manifestum erit, qui seriò Spiritus sancti intentionem in his epistolis assequi studeat. Inueniet enim, longè aliter applicari septem epistolas, septem prædictis conscientiarum generibus, quàm singulas singulis ex septem virtutibus; nimirum tres primas charitati, fidei & spei (quas Theologicas appellamus) & quatuor postremas quatuor virtutibus Cardinalibus. Nonnulli enim hoc modo septem epistolas applicare conati sunt: sed quàm aptè, aliorum sit iudicium.

D

Digitized by Google

CAPITIS II. PARS I.

Quæ est epistola ad Ephesinum Episcopum: & sub eius persona ad quoscunque fideles, in quibus pristinus charitatis ardor aliquantulum refrixit.

TEXTVS.

Vers. 1. ANgelo Ephesi Ecclesiæ scribe; Hæc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum.

2. Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes sustinere malos: & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt, & inuenisti eos mendaces.

3. Et patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti.

4. Sed habeo aduersum te, quòd charitatem tuam primam reliquisti.

5. Memor esto itaque, vnde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.

6. Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.

7. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesijs: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.

COMMENTARIVS.

VERS. 1. *Cur Episcoporum nomina subticeantur?*

ANGELO EPHESI ECCLESIÆ SCRIBE] Similis est inscriptio in omnibus epistolis. Vbi Notandum est silentio inuolui proprium Episcopi nomen. Quia postquàm ad Episcopi dignitatem fuit euectus, debet in virum alterum mutari, & antiqui nominis obliuisci. Vide illud 1. Reg. 10. 6. *Mutaberis in virum alium.*

Initium epistolæ cuiusq; vnde, & cur sumatur?

HÆC DICIT, QVI TENET SEPTEM STELLAS IN DEXTERA SVA, ET AMBVLAT IN MEDIO SEPTEM CANDELABRORVM] A nomine scribentis videbantur epistolæ incipiendæ. Et pro Christi nomine (qui epistolas illas dictabat) in singulis epistolis eligitur aliquid eorum, quibus Christus in primi capitis visione mirabiliter insignitus atque ornatus apparuit: vel aliquid ex ijs, quæ de se ipse in eadem visione dixerat. Ex quo perspicitur, harum epistolarum illum esse finem ac scopum, vt Apocalypseos repræsentatione ad nostrarum animarum vtilitatem vtamur. Inter periphrases verò, quas Christus in his epistolis pro suo nomine substituit, in singulis illa seligitur, quę ad eam epistolam aptior est, considerato illius Episcopi statu, ad quem ea epistola dirigitur.

Cur hic titulus huic præfigatur epistolæ.

Cùm igitur hæc prima ad Ephesinum scribatur, qui in charitatis feruore segniùs quàm olim se gerebat; percommodè Christus in ea hunc sibi titulum assumit, *Qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum.* Quod vt penitus intelligatur; meminisse oportet, in prima illa visione per candelabra splendentia significari, quantum Christianæ olim Ecclesiæ, Iudaicæ persecutionis tempore, omni virtutum splendore effulserint; seu potiùs quantum in eis enituerint septem diuinæ prouidentiæ spiritus. Per stellas autem Christi dexteræ indicari, Christianæ Ecclesiæ Episcopos à Deo fuisse electos, vt cælestium instar stellarum, Gentes sua doctrina & sanctitatis luce collustrarẽt; & in suo illo fulgore Christi dexterę potentiam manifestarent. Vtraque ergo consideratio aptissima est, vt Episcopus, qui in antiqua charitate deferbuerat, animaduertat; quàm indignum sit pristinum feruorem remisisse. Hac enim re (quod ad ipsum attinet) candelabri, id est, Christi Ecclesiæ, splendor imminuitur, & obscuratur etiam fulgor, quem ex se debet effundere qui vocatus est, vt esset stella siue gemma in Christi annulo. Atque hoc est illi ante oculos ponere suæ vocationis celsitatem, pristinum splendorem & obligationem qua teneatur, ne quid eidem vocationi desit, quo minùs splendor ille, quem Deus optat à suis seruis & familiaribus in toto orbe emitti, vel minimùm decrescat. V.g. eligit Religiosos homines, qui in mundo eluceant veluti Ecclesiæ candelabra aurea, aut Christi dexteræ stellæ, conspicuo doctrinę & sanctitatis fulgore. Quòd si illi in primæ charitatis feruore refrigescant, necessariò desiderandum est, quod Christus ex Religiosis viris maximè expetit, videlicet vt sint mundi lux. Quamobrem ad eos excitandos, qui tepescere ex primo ardore videbantur, nihil accommodatius est, quàm illis in mentem reuocare celsum dignitatis gradum, quò Deus ipsos extulit; & priorem illum splendorem, quem quondam effundebant.

Cur hic Christus dicatur in

Deinde ideò dicitur Christus in medio candelabrorum deambulare, vt meminerint fideles, ex parte Christi copiosum eis auxilium offerri, atque adeò Christum ipsum valdè cupere, ne illi obsistant,

Digitized by Google

A sistant, quoties ipsos veluti candelabra emungere, & oleo augere conatur: considerent item, cùm tantum in Christo habeant præsidij, pudendum planè esse, vt per ipsos stet, quo minùs orbem suo illustrent fulgore; vt proximi *glorificent Patrem eorum, qui in cœlis est*, & luce, quam per illos sibi Deus impertit, ad suam ipsi vtilitatem fruantur. *medio candelabrorum ambulare.*

Prætereà asserere Christum in medio candelabrorum incedere, & septem stellas in annulis gestare; hoc (inquam) vna ex parte illis Christi opem & præsidium pollicetur, quo effulgeant vt par est, & in diuino obsequio strenui atque constantes fiant; ex alia verò illis Christi supplicium comminatur, qui sua ignauia ac desidia se ferri sinunt. Quòd enim in medio candelabrorum ambulare dicitur, planè ostendit, nihil ipsum latere, & grauiter splendoris remissione offendi. Annulos porro præsentes intuetur, qui multò antea per Ieremiam dixerat, *Si fuerit Iechonias annulus in dextera mea, inde euellam eum*, Ierem. 22. 24. atque idem comminatur illi, qui cùm annulus illius sit, suæ tamen vocationi non respondet. *Quid sit, Christum septem stellas in manu gestare.*

Hanc explicationem tituli, quo Christus in hac epistola vtitur, legitimam reputo. Sed dicet aliquis, cap. primi contextum distinguere ab stellis candelabra; & candelabra quidem pro Ecclesijs sumere, pro Episcopis verò stellas; cùm tamen nos in præsenti videamur vtrumque symbolum Epi-
B scopo tribuisse. Respondeo, quod asseritur septem diuinæ prouidentiæ spiritus in primitiuis Ecclesijs olim splenduisse, sicut lucernas in aureis candelabris, licèt non solùm de Episcopis, sed etiam de tota Ecclesia affirmetur; illum tamen splendorem atque illud candelabri symbolum non minùs ad Episcopos, quàm ad ceteros spectare; quin imò ad eos peculiari ratione applicari, vt ad magistros ceterorum. Atque ita Christus dixit, *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum*, Matt. 5. 15.

SCIO OPERA TVA, ET LABOREM, &c.] Commendantur Episcopi Ephesini opera & virtutes, defectus tamen in eo notatur. Egregia opera, quæ laudantur in eo, Ribera cum Ambrosio exponit de his operibus, quæ efficiebat ipse antequàm primam charitatem relinqueret. Verisimilius tamen est, de ijs etiam esse intelligendum, quæ præstabat Episcopus, cùm hæc ad illum scribebantur. Nam in præsenti subditur; *Non potes sustinere malos.* VERS. 2. *Quid in Ephesino cõmendetur.*

Porrò ea omnia, quæ ad Ephesini laudem in hac epistola pertinent, optimè Pererius explicat disp. 3. & 4. Illud tamen noto, in verbis illis, *Non potes sustinere malos*, non opus esse, vt malorum nomen ad hæreticos solùm coarctetur. Nam in feruenti zelo aduersus alia etiam vitia ac scelera; in peracri item dolore, quo Dei serui stimulantur, ob aliorum hominum flagitia; (eorum præsertim qui suæ fidei commissi sunt) verè locum habent ea verba, *Non potes sustinere malos.* Vt & illud Pauli, *Quis scandalizatur, & ego non vror?* 2. Corinth. 11. 29.

C Præter hæc, in ijs, TENTASTI EOS, QVI SE DICVNT APOSTOLOS ESSE, ET NON SVNT] indicatur Episcopi prudentia. Neq; mirum est eius, qui prudentia pollebat, remissionem reprehendi. Sæpè enim vsu venit, vt remissio in eis notetur, quorum alioqui prudentia spectatur. Eorum autẽ remissio plerumq; oritur ex eo, quòd plus æquo humanarũ rationum momenta ponderant, atq; ita iudicãt non expedire, vt omnia ad viuum ex feruore spiritus resecentur; sed propter pacis bonum, conniuendum esse interdum, & aliquatenus carni acquiescẽdum; ne, si omnia ad amussim spiritualis perfectionis exigantur, fremant subditi; & in maiores difficultates deuoluatur gubernatio. Et quidem negari non potest, quin optima prudentia omnia attentè examinet, & nimium zelum debeat cauere. Sed *medium tenuere beati.* Et fortasse plus peccant Prælati per remissionem, quę sub specie prudentiæ obrepit, quàm per imprudentiam, quæ sub specie zeli. Vtrumque tamen peccatum reprehendunt epistolæ Christi; alterum in Ephesino, in Thyatirensi alterum. Cùm ergo Ephesinus humanis rationibus plus æquo tribueret, & remittendi occasionem ex vano timore turbulentæ ciuium seditionis desumeret; sapientissimè scripta est ad illum comminatio, de qua infrà. *Ephesini Episcopi prudentia indicatur.* *Adhuc tamen remissionis insimulatur.*

SED HABEO ADVERSVM TE, QVOD CHARITATEM TVAM PRIMAM RELIQVISTI] Ambrosius & Haymo existimant hunc Episcopum charitatem amisisse. Multò tamen verisimilior est explicatio Riberæ & Pererij; qui asserunt illum non quidem amisisse charitatem, sed aliquantulum ex pristino ardore remisisse. Quòd si aduertimus hunc Episcopum (vt suprà diximus) fuisse sanctum Timotheum; pro certo videtur habendum, obiurgatum non fuisse propter lethale aliquod peccatum. Præterquàm quòd ipsius patientia, zelus & egregia opera collaudantur; neque so-
D lùm opera quę olim fecerat, sed etiam, quæ tũc faciebat, cùm hæc epistola ad eum scripta est, (vt suprà vidimus.) Cum quo tamen stare potest, ipsum aliquantulum deferbuisse, cùm adeò sit humanæ naturæ imbecillitati procliue; vt expendit optimè Pererius disput. 5. Quamobrem B. P. N. Ignatius, sapientissimè in nostra Societate bis quotannis votorum instaurationem instituit. Nouerat enim, quantum expediret, homines ex infirmitate naturæ labantes ac senescentes instaurari frequenter ac renouari. Ad eiusmodi renouationem suadendam, nescio quid aptius hac epistola posset afferri. VERS. 4. *Vtrùm Ephesinus de charitate amissa obiurgetur.* *Votorum instauratio bis quotannis in Soc. Iesu instituta.*

Cùm ergo agatur hîc de persona, quæ pluribus erat virtutibus, ijsque laude dignis prædita; reprehensionem tamen merebatur propter antiqui feruoris remissionem; quînam, obsecro, meliùs lassa virtus describi potuisset, quàm illis verbis, *Charitatem tuam primã reliquisti?* Quid enim aliud est à pristino charitatis feruore nonnihil descisere, quàm charitatem illam primam reliquisse? Porrò hæc remissio intelligenda est de minori studio & contentione in ijs omnibus operibus, quæ ad feruentem charitatẽ spectant. Quare emendatio in eo consistit, vt opera iuxta antiquum illũ ardorem fiant, atq; hoc est, *prima opera fac.* Quemadmodũ enim dicitur, *Charitatem tuam primam reliquisti*; non quòd ei charitas defuerit; sed quòd non erat adeò feruẽs diuini obsequij æmulator, ac fuerat olim: *Remissio, de qua obiurgatur Ephesinus, cuiusmodi sit intelligenda.*

Digitized by Google

sic etiam cùm additur, *prima opera fac*, in eo sensu accipiendum est, vt antiquum feruorem ac zelum in bonis operibus & eorum perfectione renouare contendat. A

VERS. 5. *Quo sensu Deus venire dicatur. Mouere candelabrum de loco suo quid sit. Aliorum placita.*

SIN AVTEM, VENIO TIBI, ET MOVEBO CANDELABRVM TVVM DE LOCO SVO] *Venire* dicitur Deus phrasi hebraica, cùm suam prouidentiam in aliquo peculiari opere manifestat. Quid autem sit *mouere candelabrum de loco suo*, quadrupliciter video à varijs auctoribus explicari. Primò, Andreas intelligit de translatione sedis Pontificis, quæ quondam erat Ephesi, in regiam ciuitatem, scilicet Constantinopolim. Secundò, Ambrosius & Beda interpretantur de priuatione mercedis, quæ pastori pro labore & cura debebatur. Tertiò, Haymo, Rupertus, Richardus, Thomas, Carthusianus, & Ribera affirmant in hoc loco candelabrum designare episcopale munus ac dignitatem; comminationem autem esse, Deum ab Episcopo munus ablaturum, nisi ad antiquam charitatem rediret. Hæ tamen explicationes mea sententia parum consentaneæ sunt; & in tertia illud mihi minimè probatur, quod aiunt, hîc scilicet aliter accipi candelabri nomen, quàm in prima visione; vbi pro Ecclesia sumitur. Contra hoc enim illud validum est argumentum, quòd in his septem epistolis, semper ad visionem primi capitis habeatur respectus. Quare coactum est aliter accipere in præsenti nomen candelabri, quàm in primo capite. Præsertim cùm in hac ipsa epistola expressa mentio fiat septem candelabrorum primi cap. Adhæc non ostenditur ea ratione, quàm apta sit eiusmodi comminatio respectu superioris querelæ; in qua Episcopus obiurgatur, quòd charitatem suam primam B reliquerit. Præterea Deus Episcopos sua dignitate & episcopatu priuare non solet, nisi illam simul cum vita auferat. Quòd si sensus sit illum vita spoliandum; cur hæc comminatio in hac epistola potiùs, quàm in ceteris adhibetur? Denique hęc explicatio meo iudicio violenter textui accommodatur; neque sensum continet magni faciendum.

Auctoris mens.

Quarta igitur explicatio est, Christum huic Episcopo minitari, nisi ad charitatem primam redeat, fore vt ipsius Ecclesia commoueatur ac perturbetur. Ac Primò, hæc est explicatio Victorini, qui, quod dicitur *mouebo candelabrum tuum*, sic exponit; *dispergam plebē tuam*. Hoc ipsum aptiùs fortasse explicauit Andreas; cuius ea sunt, *Mouebo candelabrum tuum, id est, Ecclesiam in fluctus atq; tempestates conijciam*. Eôdem spectat Lyra sic explicans, *Obedientiæ tuæ subtraham subditos tuos*. Quod etiam ad pacis Ecclesiasticæ perturbationem pertinet. Hanc igitur Victorini, Andreæ atque Lyrani expositionem verissimam iudico. Nam si rem ipsam inspiciamus; propria remissionis pœna est, vt qua ratione existimabat aliquis se quiete & tranquillitate fruiturum, remittēdo scilicet aliquid de feruore & zelo, eadem tandem res deuoluatur in maiorem ciuium seditionem, & Ecclesiasticæ pacis perturbationem. Tum quia æquum est, vt diuina prouidentia ea ratione puniat eos, qui ab ipsius consilio discedunt, & proprio consilio fidunt; nempe, deducendo eos ad eas ipsas difficultates, propter quas Dei consilium reliquerunt. Tum etiam quia ita est hominum naturæ consentaneum, vt ex remissione C ducis oriatur perturbatio militum; & disciplina ac seueritate multò meliùs conseruetur & augeatur pax & obedientia. Optimè ergo habet textus, qui ad eum qui remisit de antiquo feruore ait, *Age pœnitentiam, & prima opera fac*, id est, inflammare iterum pristino zelo: *sin autem, mouebo candelabrum tuum*, id est, inducam te in eam ipsam tentationem, à qua per humanam prudentiam cauere tibi putabas; & puniam tuam negligentiam seditione & commotione ciuium tuorum; à qua certissimè fugeres, si meis consilijs perfectè acquiesceres per zelum & spiritus feruorem.

Quid sit, prima opera facere.

Hic sensus aptissimè ad textum applicatur. Nam si candelabrum est Ecclesia, quid aliud designare potest commotio candelabri, quàm commotionem atque perturbationem reipublicæ? Ita fit, vt Prælatus, dum parat quietem, inquietem pariat; & dispergatur plebs, & subditi à Prælati obedientia sese subtrahant.

Eadem cōmotionis candelabri doctrina ad singularem cuiusq; vtilitatem applicatur.

Præterea cum eadem proportione loquendo, hoc ipsum solet homini contingere, in suarum cupiditatum moderatione. Qui enim in priori spiritus ardore refrigescunt, existimantes hoc modo se minus laboris ac difficultatis habituros; ij in grauiores perturbationes solent incidere. Quare, dum laborem subterfugiunt, quem illi in suis cupiditatibus cohibendis exhorrent; in maiores difficultates deueniunt. Atque ita iustissimum est diuinæ prouidentiæ supplicium, vt qui pristinum charitatis feruorem relinquit, in se ipso commotionem candelabri experiatur.

ODISTI FACTA NICOLAITARVM] Quæ sint hæc Nicolaitarum facta vel opera, infrà num. 14. explicatur illis verbis, *Edere & fornicari*, id est, edere de idolothytis, & carnis voluptatibus se tradere: atque ad vtramque rem Nicolaitæ turpi sua doctrina licentiam permittebant, vt ex eodem loco videtur colligi. Ait enim textus infrà, num. 14. *Balaam docebat Balac mittere scandalum coram filijs Israël, edere & fornicari. ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.* Victorinus in præsenti hæc ait, *Nicolaitarum hæresis erat, vt delibatum exorcizaretur & manducari posset; & vt quicumque fornicarius esset, octauo die pacem acciperet.* Plerique Nicolaitis doctrinam tribuunt multò adhuc pestilentiorem. Aiunt enim illos non solùm omnigenæ luxuriæ sordibus fuisse inquinatos, sed eas etiam affirmasse ad salutem necessarias. Ceterùm vtcumque hoc sit; flagitiosæ vitæ & doctrina & pessimo exemplo fauebant. An verò Nicolaus ipse huius sectæ auctor extiterit, vel absque illius culpa appellati sint Nicolaitæ; in vtramque partem per varios & graues auctores disceptatur. Et quidem Nicolaum ipsum accusant Irenæus, Tertullianus, Hilarius, Epiphanius, Hieronymus, & plerique. Eundem excusant Clemens Rom. Clemens Alexand. Hippolytus, Eusebius, Theodoretus, Dorotheus, quos refert & sequitur Baronius tom. 1. anno Christi 68. vbi etiam affert S. Ignatium. Verùm quod Ignatius ait, id vnum est, eos falsò Nicolaitas fuisse nuncupatos. Licet autem Nicolaus illius hæreseos auctor extiterit, potuit Ignatius verè & eleganter dicere, illos falsò Nicolaitas appellari. Quia nomen hoc sonat victoriam omnem. Qui verò carnis illecebris sese totos dedunt, illi quidem non victores sunt; D

VERS. 6. *Nicolaitarū hæresis qua fuerit.*

Num Nicolaus huius secta auctor extiterit?

Digitized by Google

A sunt; sed victi, atque serui peccati. Et fortasse excusatio Nicolai orta est, ex eo quòd verba Ignatij non intelligerentur.

QVI HABET AVREM, AVDIAT QVID SPIRITVS DICAT ECCLESIIS] Hæc sententia in ceteris omnibus epistolis iteratur. Et semper adiungitur his verbis, quibus præmium vincenti spondetur. Vnde duo infert Ribera. Primum est, in præmio illo non esse sermonem cum Episcopo, cui epistola scribitur; sed generatim cum omnibus Ecclesijs. Alterum, verba illa, *Qui habet aurem, audiat*, non esse referenda ad ea, quæ Episcopo scripta sunt; sed solùm ad præmium, cui adnectuntur. Ego contrà sentio; Primò, tam præmia, quàm cetera omnia in epistolis aptissima proportione distribui iuxta cuiusque Episcoporum conscientiæ necessitatem. Existimare enim has esse communes sententias, nec ad hanc epistolam potiùs, quàm ad illam attinere, hoc certè est, magnam ipsis epistolis venustatem ac decorem detrahere, & difficultatem subterfugere; ne teneamur ad reddendam rationem, cur hoc singillatim præmium in hac epistola; illud in alia, non tamen è contrario designentur. Secundò, si præmia in septem epistolis iuxta septem conscientiarum differentias magna conuenientia distribuuntur; manifestum est in singulis epistolis, præmium priùs Episcopo, deinde sui similibus proponi (si ea præstiterint, quę Christus hortatur.) Tertiò, in præmio, comminatione, consilijs & exhortatione; quod Episcopis dicitur, dicitur etiam Ecclesijs, iuxta illud, *Quod vobis dico, omnibus dico*. Et propterea sententia illa in omnibus epistolis repetitur, *Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis*; quę rectiùs intelligetur, opinor, si ad omnia referatur, quandoquidem eadem est omnium ratio. Quartò, quòd hęc verba coniungantur, *qui habet aurem, audiat*, cum præmio, quod mox proponitur; non ideò fit, vt ad præmium solùm referantur, sed quia vtramque rem (scilicet admonere, doctrinam illius epistolæ ad Ecclesias spectare, & victori præmium proponere) oportebat ad finem epistolę apponi. Quare interdum antecedit præmium; interdum admonitio illa *qui habet aures*, &c. subsequitur. Nec aliquid referre puto, quòd præmium vel præcedat, vel subsequatur, vel etiam interponatur.

Nũ in præmiis & admonitionibus ad epistolarum calcem additis sermo sit cum singulis Episcopis.

VERS. 7.

B

VINCENTI DABO EDERE DE LIGNO VITÆ QVOD EST IN PARADISO DEI MEI] Vincentis nomine Rupertus hîc intelligit eum, qui pœnitentiam agit de peccato; quod Christus in Ephesi Episcopo reprehenderat, quòd scilicet primam charitatem liquerit: cuius peccati pœnitentiam consequuntur ipsius pœnitẽtię fructus: ij sunt, ad pristinum charitatis vigorem redire, & prima opera facere. Itaque iuxta Rupertum, ille sub vincentis nomine est intelligendus, qui suam vincit remissionem vera pœnitentia ac seria deliberatione Deo iuxta pristinam charitatem seruiendi. Hęc Ruperti explicatio non videtur probabilis Pererio. Quia verbum illud, *vincenti*, præcisè & absolutè ponitur, atque adeò omnes victores Sanctos, quocumque modo vincant, amplectitur. Quòd si ad epistolæ contextum respiciatur; paulò antè Dominus non solùm de agenda pœnitentia fuit locutus; verùm etiam de patientia in aduersitatibus ac tribulationibus, de non tolerandis pseudoapostolis, & de prosequendis odio Nicolaitis. Propter hæc Pererius verius reputat, vt de omnibus Sanctorum victorijs sermo sit, siue Martyrum, siue Pastorum, siue Doctorum, siue Religiosorum de mundo, carne, diabolo; siue denique eorum, qui de suis peccatis per pœnitentiam triumphant.

Vincentis nomine quę hic Rupertus intelligat;

C

quem Pererius.

Mihi hæc Pererij expositio minimè probatur. Si enim hæ præmij promissiones adeò generatim sumantur, magna concinnitate & artificio epistolas priuabimus, in quibus præmia sapientissimè singulis designantur. Quòd si in his septem epistolis de omni victorum genere sermo esset; elegans illa præmiorum partitio gratis omnino fuisset proposita, & nulla habita ratione Episcopi, ad quem vnumquodque singillatim destinatur. Quod qui dixerit, mea opinione, difficultatem conatur effugere, & generali expositione contentus est, quod aptam rationem minimè inueniat, cur Ephesino potiùs, quàm alijs dicatur, *Vincenti dabo edere de ligno vitæ*. Atqui *sermo opportunus est optimus*, vt ait Sapiens Prouerb. 15. 23. Ac proinde non vidit optimam horum præmiorum partitionem, qui non animaduertit, quàm opportunè præmia singula proponantur, id est, quàm appositè ad singularum epistolarum argumentum.

Ruperti sententia præfertur.

Ad Pererij verò obiectionem Respõdetur, Vincentis quidem nomen absolutè & abstractè positum latiùs patere; cohortationi tamen subiunctum referri omnino debere ad eum, qui difficultatem superat, quæ in ea re præstanda, quam Christus hortatur, potest occurrere. Quamobrem, vt septem epistolarum hortationes diuersæ sunt, ita etiam diuersa præmia illis mirificè respondent. Quod autem additur, in hac epistola non tantùm fieri mentionem de agenda pœnitentia, verùm etiam de patientia, de odio Nicolaitarum, & alijs; ad hoc Respondeo, harum quidem rerum factam fuisse mentionem in Ephesini Episcopi commendatione: præmium tamen directè ad hortationem respicere. Hortatio autem continebat, vt ignauiam in diuino obsequio deponeret, & ad antiquum charitatis feruorem rediret. Et cùm in hac superanda esset non leuis difficultas; idcircò illi additur, *Vincenti dabo edere de ligno vitæ*.

D

Eapropter mihi maximè arridet Ruperti explicatio; quam non probabilem solùm, sed etiam certam existimo. Cuius præcipua confirmatio ex eo petitur, si in illa appareat huius præmij proportionem cum exhortatione, quæ mox additur egregiè congruere. Obseruandum igitur est, eiusmodi hortationem ad Ephesinum Episcopum eò potissimùm spectare, vt antiquum instauret vigorem, nec in via Dei se languescere patiatur. Atqui ad hoc nihil potuit afferri congruentius, quàm lignum vitæ. Quis enim nesciat, vitæ lignum appellari illud, de quo Genes. 2. 9. & cap. 3. 22. quod ab insita virtute, & vires renouare poterat, & senium prohibere? In quo apparet aptissima conuenientia cum spirituali renouatione, de qua hîc sermo erat. Cur igitur omittenda prorsus est hæc congruentissima proportio; nec considerandum in hoc præmio haberi respectum ad vitium recupe-

Qua sit cohortatio Ephesino Episcopo adiecta, & quorsum.

Digitized by Google

rationem, ne vetustas ac lassitudo obrepat; sed solùm fieri sermonem de communi sanctorum Martyrum, Virginum & Confessorum vita. A

Sed obijciet quispiam; ad eius quidem virtutem, qui quotidie vires renouat, nec senescere patitur, aptum esse symbolum, edere de ligno vitæ: in hac tamen epistola non afferri ligni vitæ symbolum ad virtutem ac meritum; sed ad eius præmium indicandum; præmium autem, quod virtutibus promittitur, idem esse, scilicet immortalitatem, quam vitæ lignum apprime repræsentat: atque adeò non videri hîc sermonem esse de vnius solùm virtutis, sed de omnium præmio.

Lignũ vitæ quo pacto hic sumatur.

Vt huic Respondeam obiectioni, assero Primò, lignum vitæ, licet hîc propriè pro immortalitatis ac beatitudinis præmio sumeretur, concinnè tamen & eleganter considerari, vt spiritualis renouationis præmium, qua anima instauratur, nec suas vires patitur veterascere; essequè cælestem beatitudinem; quatenus eundem cumulatissimè præstat effectum. Valdè enim aptum & congruens est, vt eum qui vota sua renouare studet, nec patitur vnquam virtuti senium obrepere; remuneret Deus compensando gloria immarcescibili virtutem senectutis expertem. Congruenter enim virtuti perseueranti & non deficienti respondet gloria nunquam deficiens, seu vita vetustatis expers; quam eleganter significat esus ligni vitæ. Atque hanc immortalis glorię significationem ferè huius loci interpretes sequuntur. B

Lignũ vitæ de sacra etiam Eucharistia exponitur.

Enimuerò huic explicationi addit Rupertus aliam, quæ mihi etiam perplacet; ea autem est; in hoc loco non modò de æternæ beatitudinis præmio sermonem instituì, sed etiam de fructu ex sacra Eucharistia percipiendo in hac vita ab eo, qui fortiter apud se statuerit sua vota ac desideria instaurare, & antiquum studium & contentionem repetere; nec in virtutum exercitatione langueſcere. Hæc expositio vt rectè percipiatur, notandum est Primò, in re adeò difficili (cuiusmodi est non pati animi virtutem senescere, nec à pristino ardore desciscere) non satis esse hortationem; sed oportere eiusmodi homini, qui hæc in mente firmiter deliberauerit, non modò in cælesti vita præmium promitti, sed etiam præsentem opem atque subsidium; cùm humana imbecillitas ex natura sua quotidie desciscat atque deficiat. Ad hoc ergo nihil potuit Christiano homini opportunius & congruentius proponi, quàm vires sibi ex sacra communione addendæ. Etenim diuinus hic vitæ cibus illum propriè effectum sortitur, vt animi vires vegetet ac roboret: ita vt nec retrocedant, nec deficiant. Quare Christus assertor noster, Ioan. 6. 48. dixit, *Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducauerunt manna, & mortui sunt. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* q.d. Manna non eam virtutem, quam lignum vitæ, habebat; atque ita qui manna ederunt, mortui sunt: hic verò cęlestis cibus panis est vitæ; & instar ligni vitæ ea virtute est præditus, vt animi vires roboret atque confirmet, nec pristinum vigorem hebescere patiatur. Atque adeò, qui ritè, vt par est, hunc cibum ederit, spiritualiter fit immortalis. Nam ab hoc cibo virium instaurationem accipit, & viuidam virtutem, nec vetustati vnquam obnoxiam. C

Quorsum fructus ex Eucharistia percipiendus Ephesino promittatur.

Quàm sit opportunus hic de Eucharistia sermo.

Quòd autem in hoc pane vitæ, ad vitæ lignum fiat allusio, meâ sententiâ euidens est, & genitiuus ille, *vitæ*, qui adiectiui vicem supplet, allusionem in se ad vitæ arborem ferè semper includit. Opponet tamen aliquis, non cohærere vt in præsenti sermo sit de Eucharistia. Nam Eucharistiæ cibus communiter omnibus fidelibus proponitur. Quòd si Christus in Eucharistia lignum vitæ appellatur, non solùm edit de ligno vitæ, qui seriò statuit antiquum charitatis feruorem renouare, sed etiam quicumque ad sacram synaxim accedit. Respondeo, Eucharistiæ in spirituali sensu congruere, quod de antiquo manna dicitur, Sap. 16. 21. *Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat; & deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat, conuertebatur.* Fingamus ergo cibum aliquem in cuiuspiam hominis ore, eius rei induere saporem, quem homo ipse pro libito elegerit. Quando homo ille eiusmodi cibo vescens, dicetur aut caponem, aut phasianum edere? Tunc, opinor, quando ipsi libuit, vt cibus ille caponem aut phasianum saperet: non verò quando noluit. Si ergo sacra Eucharistia est, quæ admirabilem illam ac planè diuinam virtutem continet, qua in hominum animis egregios ac miros effectus operetur, prout fuerit ipse animatus, qui eam suscipit; si strictè loquamur, non in quouis cælestem hunc cibum communicante præstat munus arboris vitæ, corroborando vires, & senium prohibendo: sed in his, qui miros hos effectus auidè experentes vera deliberatione vota sua renouandi, Christi corpus suscipiunt. Atque ita formaliter loquendo (quod aiunt) non omnes, qui ad hanc mensam accedunt, edunt de ligno vitæ, id est, non omnes illam perfectam renouatæ virtutis spiritualem immortalitatem participant; nisi qui ad illam aduenient ita comparati atque dispositi, quemadmodum Christus ab Ephesi Episcopo expetit. D

Militantem Ecclesiam esse terrenũ Dei paradisum.

Cohærent cum hac explicatione vltima illa verba, *quod est in paradiso Dei mei.* Etenim licèt cęlestis patriæ beatitudo iure optimo Dei paradisus appelletur, ac licèt in æternę patriæ gloria Ioannes vitæ arborem viderit, Apocal. 22. nihilominùs Ecclesia etiam militans est terrenus Dei paradisus; in cuius medio Christus sub Eucharistiæ speciebus habitat. Præterea in hac epistola peculiaris extitit ratio, vt vberes fructus ex Eucharistiæ communione percipiendi promitterẽtur. Hic enim cibus ex prima sui institutione ad id nobis singillatim subministratur, vt spirituales animæ vires instauret; ne pristina virtus ac vigor debilitentur. Atque item lignum vitæ de Eucharistia interpretantur Anastasius Sinaita l. 9. Hexaëmeron post initium, tom. 1. Bibliothecæ, & Paschasius Abbas Corbeiensis lib. 1. de Corpore & sanguine Domini cap. 8. & habetur tom. 6. Biblioth. Et quidem satis meritò: nam in Eucharistia verè Christus existit, qui est Patris Sapientia, & antonomasticè iustus, & ob vtramque rationem illi symbolum vitalis ligni debetur. De sapientia enim scriptum est, Prouerb. 3. 18. *Lignum vitæ est ijs, qui apprehenderint eam.* Et de iusto c. 11. 30. *Fructus iusti lignum vitæ.*

Et quanquam c. 22. 14. Apocal. ligni vitæ symbolum vsurpetur ad immortalitatis præmium, quo

Beati

A Beati fruuntur in cælo, significandum; symbola tamen cap. 21. & 22. Apocalyps. dum gloriam triumphantis Ecclesiæ repræsentant, indicant etiam Ecclesiæ militantis pignora ac merita: vt in duodecim gemmeis fundamentis constabit, quibus denotatur gloria, quæ XII. fidei articulis respondet. Sunt enim mirifica symbola earumdem veritatum, quæ in XII. articulis à fidelium cœtu creditis continentur. Hoc suo loco speciatim explicabimus: hîc verò obiter perstrinxisse sit satis, vt aduertatur, fortassis per vitæ arborem ideò cælestis patriæ immortalitatem significari, quia symbolum erat immortalitatis spiritualis, quam in hac vita per Eucharistiam homines consequuntur. Quare significatio arboris vitæ in hoc cap. & c. 22. eadem erit, videlicet in hac vita esse in Ecclesia arborem vitæ, quæ reparet ac restituat pristinas vires atque vigorem: & eorum præmium, qui in hac vita arborem vitæ in Ecclesia plantatam degustant, esse fructum arboris vitæ, quæ in patria cælesti est. Quæ autem de communione sacramentali diximus, ad spiritualem etiam communionem extendi suo modo possent.

Symbola, qua triumphantis Ecclesiæ præmia figurant, suo etiam modo præmia militantis applicari.

B

CAPITIS II. PARS II.

Epistola ad Smyrnensem Episcopum, & sub eius persona ad fideles probatæ & perfectæ virtutis.

TEXTVS.

Vers. 8. ET Angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit primus & nouissimus, qui fuit mortuus, & viuit.

9. Scio tribulationem tuam & paupertatem tuam, sed dives es: & blasphemaris ab his qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt, sed sunt synagoga Satanæ.

C 10. Nihil horum timeas quæ passurus es: Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, vt tentemini: & habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

11. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesijs: Qui vicerit, non lædetur à morte secunda.

COMMENTARIVS.

QVàm sit verisimile, Smyrnensem, ad quem epistola scribitur, esse Polycarpum, diximus in proœmio huius capitis notatione 1.

PRIMVS ET NOVISSIMVS, QVI FVIT MORTVVS, ET VIVIT] Cohortatio ad Smyrnensem est, vt in medijs laboribus atque ærumnis non timeat; cùm à se Christum habeat; & vt ipsius ope suffultus vsque ad mortem firmus ac fidelis persistat. VERS. 8.

NIHIL HORVM TIMEAS QVÆ PASSVRVS ES. Et infrà, ESTO FIDELIS VSQVE AD MORTEM] Ad depellendum igitur timorem & corroborandam spem, nihil opportunius, quàm animaduertere Christum esse primum & nouissimum, vidimus in commentario cap. 1. in illis verbis, *Noli timere, ego sum primus & nouissimus*. Ad ingentes verò dolores & calamitates, quibus Deus familiarem suum Polycarpum exercebat ac probabat, quid consultius esse potuit, quàm illi statuere ante oculos, quemadmodum hac eadem via Deus charissimum sibi filium Iesum Christum deduxerit; vt in eo veluti in exemplari quodam enitescat, tribulationum ac dolorum magnitudinem esse magnæ Dei amicitiæ pignus, & viam ad maximum decus & gloriam? Propterea ergò in Christi periphrasi dicitur, *qui fuit mortuus & viuit*; eadem significatione & elegantia, qua dictum est cap. 1. 18. *Fui mortuus, & ecce sum viuens in sæcula sæculorum.* VERS. 10.

D *Christi exemplum ad pellendam ex animo formidinem efficacissimũ.*

SCIO TRIBVLATIONEM TVAM ET PAVPERTATEM TVAM, SED DIVES ES] Hæc est descriptio magnę sanctitatis, in media aduersitate, tribulatione atque egestate, felicitatem summam, summasque diuitias potiri, & aduersis omnibus opes virtutis supereśse. Itaque verba illa *dives es*, spirituales diuitias designant; eas potissimùm, quas sanctissimi quique viri in Christo habent, qui immensas Christi diuitias pro suis possident. Vide Iacobi 2. 5. *Diuites in fide.* Eccli. 44. 6. *Homines diuites in virtute.* 1. Timoth. 6. 18. *Diuites in bonis operibus.* Vide etiam 2. Machab. 7. 24. Quòd si iuxta receptam definitionem, dives est cui nihil desit; quid felicius, quàm in medijs tribulationibus ac paupertate gloriari iure posse? sicut & Paulus gloriabatur, Rom. 5. 3. *Gloriamur in tribulationibus*; & 2. Corinth. 7. 4. *Superabundo gaudio in omni tribulatione.* VERS. 9.

Diuitias hic pro spiritualibus esse accipiendas.

BLASPHEMARIS AB HIS, QVI SE DICVNT IVDÆOS ESSE, ET NON SVNT, SED SVNT SYNAGOGA SATANÆ] Eadem est hæc locutio cum ea, qua D. Ignatius asseruit Nicolaitas falsò ita appellari, vt

suprà

Digitized by Google

ſuprà diximus. Similiter ergo ait Chriſtus, Iudæos Euangelij aduerſarios indignos eſſe Iudæorum nomine, quod confeſſionem & Dei laudem ſignificat, cùm iam Dei populus non ſint, ſed ſynagoga Satanæ. Quapropter acerrimo odio proſequebantur Polycarpum, vt conſtat ex epiſtola, quam Smyrnenſis Eccleſia ad Ponti Eccleſias ſcripſit, & refert Euſebius lib.4.cap.14. Chriſtus igitur ſuum Epiſcopum conſolatur aſſerens eos, qui illum odio habent, quique eum maledictis proſcindunt, à Satanæ partibus eſſe. A

VERS.10. NIHIL HORVM TIMEAS, QVÆ PASSVRVS ES. q.d. Etſi grandis ſit tribulatio futura; nihil tamen eſt cur paueas, quia ego tecum ſum. ECCE MISSVRVS EST DIABOLVS ALIQVOS EX VOBIS IN CARCEREM VT TENTEMINI. His verbis prædicitur ingens perſecutio, qua Smyrnæ fideles fuerant cõflictandi. ET HABEBITIS TRIBVLATIONEM DIEBVS DECEM] Pererius diſp.9. refert horum verborum explicationes octo. Quædam ex illis eſt Andreæ & Aretæ exiſtimantium his verbis idem ſignificari, ac ſi Chriſtus propoſita tribulationum huius vitę breuitate, Smyrnenſes conſolaretur. Nec enim breuis vitæ tribulationes diuturnæ eſſe poſſunt; nec patitur Deus Eccleſiæ tribulationes diutiùs durare; iuxta illud Matt.24.22. *Propter electos breuiabuntur dies illi.* Verùm hæc explicatio non placet Riberæ & Pererio. Quia decem dies (inquiunt) pro paucis phraſis eſt in ſacris Literis minimè vſitata, & frequentiſſimum eſt denarium numerum ſumi pro multis, & decies pro ſæpè. Cuiu slocutionis multa ſunt & obuia in ſacris Literis exempla. Geneſ.31.n.41. Iacob queribundus dixit ſocero ſuo Laban, *Immutaſti mercedem meam decem vicibus*, id eſt, ſæpenumerò. Num.14.22. *Tentauerunt me iam per decem vices* id eſt, ſæpiùs. 1.Reg.1.8. Annæ Samuelis matri dixit vir eius, *Numquid non ego melior tibi ſum, quàm decem filij?* id eſt, multi. Iob 19.3. *En decies confunditis me*, id eſt, ſæpe, varijſque in sebus vultis me confundere. Eccleſ.7.20. *Sapientia confortauit ſapientem ſuper decem principes ciuitatis.* Propter hæc Ribera & Pererius, nec non Cantipratenſis l.6. Hypotypoſ.c.4. tribulationem dierum decem opinantur in præſenti poni pro longa perſecutione, & multo tempore duratura. Nihilominùs mihi maximè arridet explicatio Andreæ & Aretæ. Ac Primò ea ratione optimè cohæret contextus: ſic enim ſolemus ad perſeuerantiam hortari; quomodo dixit Paulus, *Tempus breue eſt*, 1.Corinth.7.29. Et alibi, *Momentaneum & leue tribulationis noſtræ*, 2.Corinth.4.17. Deinde, quod attinet ad phraſim, Reſpondeo; ſimile quid in noſtro idiomate, & in quouis alio cerni, nempe eundem numerum aliquãdo poni ſimpliciter, vt ſonat; aliquando verò amplificandi gratia, & aliquando etiam extenuandi: res tamen ipſa manifeſtat, quomodo numerus accipi debeat. Nam ſi nimius exceſſus ſit, eſſe decies maiorem, vel decies mutatam eſſe mercedem, tunc ratio poſtulat vt hyperbolicè accipiatur; ſed tribulationem durare decem dies non ſolùm non eſt nimium, ſed potiùs valdè breue: ergo extenuãdi cauſa dictum eſt *decem*. Quibus addo, ſæpe nos eadem phraſi vitæ huius breuitatem extenuare, dicendo eam vix durare decem dies. Vide Num.11.19. *Non vna die vel duobus, vel quinque aut decem, ſed donec exeat per nares veſtras.* Similiter ergo in hoc loco, decem dierum mentio ad temporis extenuationem & breuitatem ſpectat. Et quòd alibi numerus denarius ſymbolum ſit multitudinis (vt in decem cornibus draconis & beſtiæ marinæ) non probat decem dierum mentionem debere eſſe ſymbolicam; ſicut neque in ſupradicto loco Num.11.19. Itaque quamuis verum ſit, maiores adhuc difficultates & anguſtias Smyrnenſi Epiſcopo prædici; hæc tamen non eſt comminatio, ſed diuinæ potiùs prouidentiæ declaratio, in maiorem familiarium ſuorum gratiam ac beneficium. Et cum hoc ſenſu rectè conſentit, quod ſubditur; eas ſcilicet perſecutiones non duraturas pluſquam decem dies, hoc eſt, breuiſſimas fore: vt breuitatis conſideratio iuſtos in ſuis ærumnis conſoletur. B C

Tribulationem habere diebus decẽ, *quid ſit.*

Denarius numerus pro multitudine in Scriptura ſumitur.

Decẽ dies *pro exiguo temporis ſpatio ſumi.*

VERS.10. & 11. DABO TIBI CORONAM VITÆ, ET QVI VICERIT, NON LÆDETVR A MORTE SECVNDA] Vtraque hæc propoſitio ad huius epiſtolæ præmium pertinet, & vtraque directè loquitur de illo præmio, quod Smyrnenſi Epiſcopo promittitur; vt in præmio ſuperioris epiſtolæ oſtendimus. Connexio verò harum partium eiuſmodi eſt: *Ei, qui in magnis perſecutionibus ad mortem vſque fidelis extiterit, dabo coronam vitæ, neque eam vitam vſquam amittet: quia qui vicerit, non lædetur à morte ſecunda.*

Corona vitæ promiſſa Smyrnenſi qua ſit.

Pro huius promiſſionis explicatione, oportet ſingulas voces expendere. *Dare coronam vitæ*, videtur eſſe beatitudinis præmium tribuere. Sunt autem, qui coronam vitæ pro corona, quæ ſemper viuat, accipiant, id eſt, pro corona *immarceſcibili*; vt loquitur Petrus epiſt.1.cap.6.4. vel *incorrupta*, vt loquitur Paulus 1.Corinth.9.25. & ſic etiam aiunt dici ſuperbiam vitę, id eſt, numquam deficientem. Planius eſt ac verius, vt *corona vitæ* pro beatitudinis corona ponatur. Aptiſſimè autem reſpondet morti pro Chriſto toleratæ, veræ vitæ præmium. Nomen autem *corona* maiorem ex ſe energiam, quàm præmij nomen habet. Nec enim quoduis præmium appellabitur corona, ſi de humanis loquamur. Nam cunctis quidem moribus ſtipendium ac præmium reddebatur; corona tamen ijs ſolùm, qui inſigne aliquod facinus patrabant. Quare corona aptiſſimum eſt præmij excellentiſſimi ſymbolum. Cùm ergo agatur hîc de patientia in maximis laboribus ad vitam vſque pro Chriſto profundendam; congruens ſatis fuit *corona* nomen vſurpare, vt ſignificetur, beatitudinem, quæ illos omnes manet, qui Smyrnenſi Epiſcopo fuerint perſimiles, clariſſimam eſſe ac præſtãtiſſimam; iuxta illud Matth.5.12. *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Vt enim inter milites hi erant inſignes, & ceteris multò honorificentiùs habiti, qui coronam fuerãt adepti; ſic inter Beatos, qui pro Chriſti nomine plura & grauiora fuerint perpeſſi, illi meritò ceteris adeò eminent, vt coronam in cælis habere dicantur. Quare, etſi beatitudinis præmium, generatim loquendo, adeò magnum eſt & excellens, vt corona poſſit meritò appellari, quæ cuilibet Beato conceditur; nihilominùs ſi aliorum præmia cum præmijs aliorum conferantur; illi propriè corona decorati dicentur, qui plurima aduerſa pro Chriſto fortiter tolerarint. Atque ita D.Iacobus etiam fuit locutus c.1.12. *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Fit hîc præterea allu- D

Plus energia in corona nomine, quàm in præmii contineri.

ſio

A sio ad luctatorum coronas, qui in palæstra victoriam reportabant: quæ tanti ab omnibus æstimabantur, quanti Horatius ponderat lib.1.ode 1. Perspicuum autem est, Martyres esse glorioſos Christi athletas, qui huius vitæ rerum cupiditate nudi, & diuini Spiritus gratia veluti oleo deliburi, acerrimè dimicarunt, & præmium fuere clarissimum adepti. Atque in martyrij laureola celebri apud Theologos, manifestè alluditur ad illam, quæ appellabatur sacri certaminis corona.

Martyres esse glorioſos Christi athletas.

Altera præmij pars est, *Qui vicerit, non ladetur à morte secunda*. Mors autem secunda respondet morti primæ. Et sunt qui cum Haymone putent in Apocalypsi peccatum ipsum appellari mortem primam. Vnde philosophantur alij, separationem animæ à corpore dici mortem secundam; & propterea adiungi, eos qui vicerint, non lædi à morte secunda; quia ijs, qui de peccato triumphant, nihil damni affert mors, siue separatio animæ à corpore. Qui sic exponunt, concionantur, non explicant. Constat enim in Apocalypsi, mortem secundam esse gehennam. Vide Matth.10.28. & Apocal.20.14. & cap.21.8. Scio aliquos putasse gehennam appellari mortem secundam, eò quòd illam antecedat peccatum, quod est mors prima; ita Haymo. Alij peccatum ipsum appellant mortem secundam; eò quòd mortis nomen primò inditum sit separationi animæ à corpore; & secundò extensum sit ad peccatum. Ita Rupertus & Albertus. Certum tamen est, animæ à corpore separationem appellatam fuisse mortem in præsenti: nam de ea dictum est, *esto fidelis vsque ad mortem*. Quare

Quæ sit mors secunda.

B quod subditur, eum, qui vicerit, non læsum iri à morte secunda; eodem sensu intelligendum est, atque illud ad Rom.6.9. *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur. Quòd enim mortuus est, peccato mortuus est semel.* Atque ita secunda mors est quam dixit Christus Matth.10.28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.*

His ita constitutis expende, quàm aptè hoc præmium in secunda epistola collocetur; vbi hortatio est ad dolores & tormenta æquanimiter ad mortem vsque pro Christo toleranda. Magnis ergo tribulationibus proponitur corona, id est maximum præmium; morti proponitur vita; & perseuerantiæ in laboribus magni præmij perseuerantia, quod fine omnino carebit. Qui enim pro Christo moriuntur, liberi iam sunt & à qualibet alia morte securi. Atque hoc est, *qui vicerit, non ladetur à morte secunda*.

Præmium huius epistolæ quàm aptè cum ipsius doctrina consentiat.

Atque vt priori epistola, vitæ vigor ac vegetæ vires senium nescientes sunt appositæ, vt sanctissimi Eucharistiæ effectus; ita similiter in hac epistola securitas à morte secunda ponitur etiam vt ipsius Eucharistiæ effectus. Christus enim est, qui in medio candelabrorum positus (id est, in sua Ecclesia) in his epistolis loquitur; & ex collatione huius præmij cum præmijs aliarum epistolarum, videntur præmia, quæ in his omnibus epistolis proponuntur, considerari veluti effectus

Liberationem à morte secunda esse Eucharistiæ effectum.

C à Christo in sacra communione manantes. Sed de communione etiam spirituali id intelligo, vt dixi epistola prima.

CAPITIS II. PARS III.

Quæ est epistola ad Episcopum Pergamenum, & sub eius persona ad fideles alioqui laudabiles, sed in eo reprehensibiles, quòd spiritualem pugnam reformident.

TEXTVS.

D *Vers.12.* ET Angelo Pergami Ecclesiæ scribe; Hæc dicit, qui habet rhomphæam vtraque parte acutam.

13. Scio vbi habitas, vbi sedes est Satanæ: & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam. Et in diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, vbi Satanas habitat.

14. Sed habeo aduersus te pauca: quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filijs Israël, edere & fornicari.

15. Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.

16. Similiter pœnitentiam age: si quo minùs, veniam tibi citò; & pugnabo cum illis in gladio oris mei.

17. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesijs: Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.

COM-

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

VERS.12. *De qua rhomphæa hic sermo sit.* HÆC DICIT QVI HABET RHOMPHÆAM VTRAQVE PARTE ACVTAM] Hæc rhomphæa proculdubiò est ille gladius anceps, de quo cap.1.16. Atque ita genuinus sensus est de verbi Dei vi & efficacitate; vt eo loco explicuimus. Sed quorsum istud elogium Christi ad Episcopum Pergamenum? Respondetur, ex illa visione capitis primi nihil aliud potuisse aptiùs ad Christi periphrasim pro hac epistola assumi. Nam Christi ad Pergamenum exhortatio est, ne bellum hæreticis Nicolaitis inferre reformidet. Hancque ad rem quid concinnius, quàm illi proponere diuini verbi virtutem ac robur? Pudendum enim esse, cùm Pergameno Episcopo hic gladius fuerit traditus, ipsum tergiuersari adhuc, & hæreticorum congressum subterfugere. Atque ad animos illi faciendos nihil potuit congruentius afferri; cùm tanta sit diuini verbi vis atque potentia, quam ei spiritus Christi impertitur. Quare cùm hanc verbi diuini virtutem Paulus agnoscat, ad Ephes.6.19. postulat ab Ephesijs, vt pro se ipso preces ad Deum fundant: *Vt detur mihi* (inquit) *sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium Euangelij; vt in ipso audeam, prout oportet me loqui.* Et ad Colossens.4.3. ab eis etiam exposcit, vt pro ipso orent; *Vt Deus* (inquit) *aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi; vt manifestem illud, ita vt oportet me loqui.* Quod ergo bis repetit Apostolus, *vt oportet me loqui*, propterea dicit, quia datus ei fuerat gladius, qui ex ore Christi procedit: atqui hoc gladio instructum dedecet bellum aduersus Euangelij hostes formidare. Aduerte etiam ex Pannonio in hac epistola alludi ad historiam Balaami, atque in gladio siue in rhomphæa Christi haberi respectum ad angelum, qui districto gladio contra Balaamum stetit.

Quorsum hic rhomphæa bis acuta mētio?

VERS.13. *Antipa martyrium quod.* SCIO VBI HABITAS] Hæc est Episcopi descriptio; in qua manifesta est pusillanimitas veræ virtuti adiuncta. Eius enim fidei constantia laudatur in ea persecutione, in qua Antipas in æneo boue combustus est. Reprehenditur autem, quòd se hæreticis opponere non audebat. Hanc inæqualitatem imitantur non pauci, qui aduersus semetipsos, aut vanas mundi leges arma capere non audent, alioqui virtutis studio & exercitationi valdè dediti. Nota insuper grauissimam fuisse Pergami persecutionem; vt apparet ex Antipę martyrio (de quo bene hîc multi) & ex verbis Aretę: *Pergamus* (inquit) *idololatriæ dedita erat supra ceteram Asiam.*

VERS.14. *In quo Nicolaita Balaami doctrinā fuerint secuti.* HABES TENENTES DOCTRINAM BALAAM] q.d. Nicolaitas esse imitatores consilij Balaam, in eo quòd fornicationem consulentes magnam Ecclesiæ Dei perniciem importabant. Quemadmodum ille in populum Israëliticum eandem inuexit per consilium, quod regi Balac dedit, vt Israëlitas per feminas pulchras seduceret. Id enim, quod Num.25. narratur, ad suggestionem Balaam factum est vt bene colligit Ribera ex Iosepho 4.Antiqu.cap.6.& ex illis verbis Num.24.n.14. *Verumtamen pergens ad populum meum dabo consilium, quod populus meus populo huic faciet extremo tempore.* Et ex Micheæ 6.n.5. *Memento quid cogitauerit Balac, & quid responderit ei Balaam.* Hæc Ribera. Ceterùm non necesse est ad Hebræorum traditionem, neque ad coniecturas confugere; cùm eadem veritas apertè tradatur Num.31.16. *Cur feminas reseruastis? nónne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israël ad suggestionem Balaam, & prævaricari vos fecerunt?*

EDERE ET FORNICARI] Edere scilicet, de idolothytis, quod erat peccatum Nicolaitarum; vt tradit Victorinus. Licèt Beda in epistola ad Thyatirensem hoc exponat de spirituali idololatria; forsan quia Nicolaitæ non erant idololatræ, sed hæretici. Lyra etiam ait, verisimile non esse in Pergamena Ecclesia rem adeò nefandam fuisse, scilicet inducere in fornicationem. Forsan ergo Nicolaitæ id non directè suadebant; sed teterrimo suo exemplo ceteris offendiculo erant; nec non manifesta contentione, qua suadebant, aduersus fornicarios & aduersus edentes de idolothytis non adeò rigidè, vt tunc fieri solebat, agendum esse.

NOTATIO IV.

Ad illa verba, Edere & fornicari, *& ad facta Nicolaitarum.*

De Nicolaitarum erroribus quæstio. IN consilio, quod Balaam Madianitis dedit, inter se valdè connexa erant, manducare de idolothytis & fornicari. Mulieres enim Madianitæ cum Israëlitis se commiscere nolebant, nisi illi de idolothytis ederent. At in Nicolaitis duo hæc videntur dissoluta; atque adeò nouum apparet vtrumque in illis coniungi, cùm idololatræ non essent. Quorsum ergo suasuri erant idolothytorum esum? Hoc Aretæ fortassis & Bedæ difficultatem incussit; aiunt enim, quæ de suasione Iezabelis dicuntur ad manducandum de idolothytis, spiritualiter esse accipienda. Et nec Beda, nec Aretas affirmant fornicationem, de qua ibi sermo est, spiritualem esse (quod Ambrosius & alij existimarunt) sed idolothytorum manducationem. Et meo iudicio, si, quæ de fornicatione dicuntur, accipiantur, vt sonant; considerātè adhuc Beda & Aretas suspicati sunt, quod dicitur de idolothytorum manducatione, esse spiritualiter sumendum. Nec enim Nicolaitæ & Iezabel idololatræ erant. Quare, cùm in illis fornicatio nullam habeat cohærentiam cum idolothytorum manducatione, si verba, vt sonant, accipiantur; cumque Apocalypsis manifestè ad Madianitarum historiam alludat, indicio est, hanc coniunctionem mysterio non vacare. Quod ad Iezabelem spectat, dicam infrà, nunc de Nicolaitis.

Num quæ de fornicatione & idolothytorum esu tribuuntur Nicolaitis, sint spiritualiter accipienda.

Existimo ergo per allusionem ad Madianitarum historiam, nimiam edendi & bibendi licentiam, & quasuis epularum delicias, quæ Nicolaitarum luxurias comitabantur, idolothytorum esus nomine aptissimè signi-

Digitized by Google

significari. Nec enim est huius libri sapientię consentaneum, vt res inter se dispara tas absque vlla elegantia coniungat. Quòd si gulæ cum luxuria copulationem hìc velit indicare, id optimam in se continet doctrinam. Nam *sine Cerere & Baccho friget Venus.* Et vix lasciuia aliqua aut libido est, quæ non gulæ fomite alatur. Quare, vbi primùm luxuriæ laxantur habenæ, ad nimias etiam epularum lautitias atque crapulam sese intemperantia effundit: deinde allusio ad Madianitarum historiam, quæ Israëlis filios in fraudem sua pellacia induxerunt, hunc loquendi modum elegantissimum reddit; vt scilicet effrænata gulæ licentia, quæ ad luxuriam tendit, appellerur manducatio idolothytorum. Est autem aptissima allegoria, tum ob ea Pauli verba, ad Philipp.3.19. *quorum Deus venter est*; tum etiam, quia conuiuia, quæ ad effrænatam libidinem diriguntur, eò ipso Veneri & Cupidini consecrantur, atque ita iure appellantur idolothyta. Huc accedit, vt idololatria appellatur fornicatio, ita etiam fornicationem nominari spiritualem idololatriam, ac proinde gulæ intemperantiam, quæ ad lasciuiam & luxuriam vergit, eleganter dici manducationem de idolothytis. Quod qui attentè consideret, iudicabit, hanc loquendi rationem esse Apocalypseos elegantia & sapientia dignissimam.

Terentius.

Crapula & ebrietas libidinem ferè comitari solet.

Hæc ipsa explicatio ampliùs stabilitur. Nam qui de hæresibus scribunt, quique de Nicolaitis extra Apocalypsin agunt, omnes expressè meminerunt licentiæ & impunitatis, quam ipsi luxuriæ concedebant; manducationem verò idolothytorum non eis assignant, nisi qui de illis agunt in expositione Apocalypseos. Quin etiam ex interpretibus Apocalypseos, Aretas & Beda, vt iam diximus, hunc idolothytorum esum figuratè accipiunt. Ex quibus conijcitur Apocalypseos verba occasionem præbuisse, vt Nicolaitis adscribatur, quod aliunde ignoratur omnino. Hoc autem si attentè inspiciatur, solidum minimè est: nec enim est æquum, vt ex Apocalypsi argumentum sumatur ad illud asserendum, quod alias ignorabatur. Nam ex ænigmaticis libris firma argumenta capi non possunt ad doctrinam alioqui incertam; propterea quòd verba ipsa prima specie videantur sonare: præsertim cùm graues sint interpretes, qui ea ipsa verba mysticè exponant; & quod caput est, cùm prædictus sensus sit Apocalypsi valdè dignus. Quia & mira est doctrinæ grauitas, & elegans loquendi ratio.

Nicolaitarum libido ac luxuria.

Nec tamen hoc obstat, quo minùs verum fortè sit, Nicolaitas, qui adeò carnis libertati fauebant, contendisse etiam, ne adeò seuerè & strictè, vt primitiuæ Ecclesiæ tempore fiebat, ab idolothytorum esu abstineretur. Verumtamen in Apocalypsi arbitror non ad hũc errorem præcipuè respici: hoc enim non magnam habet cum fornicatione cohærentiam. Nec ipsum Apostolorum præceptum abstinendi ab idolothytorum esu generale fuit, sed ad præscriptum tempus Ecclesijs aliquot initio fuit impositum, vt aliorum offensio tolleretur, de quo Bellarminus lib.4. de Rom. Pontif.cap. 16. & interpretes Pauli 1.ad Corinth.8.9.

Hæc de idolothytorum manducatione, quæ Nicolaitis in Apocalypsi videtur tribui. De Iezabelis verò fornicatione & manducatione, alia est ratio longè diuersa; vt in explicatione epistolæ ad Thyatirensem videbimus. Nam ipsius fornicatio mystica est: sed eadem proportione appellatur manducatio de idolothytis illud, quod mysticam eam fornicationem præcedit, vt præcedit gula luxuriam.

COMMENTARIVS.

C SIMILITER POENITENTIAM AGE] Non defuit, qui huic loco subesse mendum putaret: & græcè quidem facile erat errorem subrepere, vt bene Ribera; nam, ὁ μισῶ est *quod odi*, & ὁμοίως, *similiter*. Hanc tamen secundam lectionem noster interpres legitimam reputauit; quod licèt nonnihil difficultatis habeat, quia in superiore epistola nulla est ad pœnitentiam cohortatio; id tamen non abs re est. Primò, quia sensus eiusmodi reddi potest, Similiter sicut Ephesino præcepi, vt exponunt Primasius & Ambrosius. Secundò, quia fortè sensus est, quemadmodum Nicolaitis pœnitentia opus erat, sic etiam Pergameno eadem opus esse; quòd non ita seriò de eorum ad fidem reductione egerat. Aliter etiam nonnulli exponunt. Vide Thomam Anglicum & Glossam. VERS.16. *Similiter hìc, in quo sensu accipiendum.*

SI QVO MINVS, id est, sin minùs, vt Ioan.14.2. VENIAM TIBI CITO, ET PVGNABO CVM ILLIS IN GLADIO ORIS MEI] Hæc verba nonnulli exponunt de supplicij seueritate, qua Deus Nicolaitis & Pergameno Episcopo comminatur. Nobis tamen multo aliter explicandus est locus; quia gladium oris Christi omnino intelligimus de verbi Dei efficacitate. Illud, *veniam tibi*, difficultatem non habet, vt vidimus in epistola prima; & sensus est, Christum suam prouidẽtiam ostensurum cum ipsius Pergameni Episcopi pudore atque rubore. Illud autem, *pugnabo cum illis in gladio oris mei*; eiusmodi habet sensum. Accusauerat Christus Episcopum de ignauia, quòd armatus diuini verbi gladio, cum Nicolaitis tamen confligere non auderet. Ad quod nulla valuit opportunior addi comminatio, D quàm futurum esse, vt ex infima plebe aliquos Deus suscitaret, qui cum Nicolaitis confligerent, & eos vincerent, ac veritati subiugarent; quasi expeditionem & coronam ad alios Deus transferat, & Episcopum pudore suffusum atq; confusum relinquat. Quàm sit hæc comminatio ad ignauiæ supplicium idonea, facilè quiuis cernet; nempe prouinciam illam alteri committendam, qui eam optimè gerat, & rei feliciter gestæ gloriam consequatur. Atque hunc esse morem diuinæ prouidentiæ, notissimum est, & cap.etiam 3.explicatur, *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Vbi nonnulla colligit Ribera §.25.ex Gregorio, Hieronymo, & ex varijs S.Scripturæ locis. *Quid sibi velit, Christum sui oris gladio pugnare.*

Sed obijcies, non dici in præsenti, Ego mittam alium meo gladio instructum, qui pugnet contra Nicolaitas; sed, *veniam ego & pugnabo*. Respõdetur, Licèt Deus sit, qui in suis semper pũgnat, & omnia in omnibus operatur; speciatim tamen Christi opus esse dicitur, cùm quemuis infimæ sortis hominem cælesti afflat spiritu, ac per eum præclara & insignia edit facinota. De quo 2.Paral.20.nu.16.& 17.&c. *Non eritis vos, qui pugnabitis.* atque eadem sententia reperitur Exodi 14.14.& nu.25.Deut.1.30. & cap.3.22.Iosue 10.14.& n.42.& cap.23.3.& num.10.Iudith 5.16. vide etiam Apocalyps.19.21. *Ceteri occisi sunt in gladio sedentis super equum.* *Quo sensu dicatur pugnare Christus, cùm sui pugnãt.*

VINCENTI DABO MANNA ABSCONDITVM] *Vincentis* nomine non significatur in præsenti quilibet VERS.17.

Digitized by Google

Quis vincentis nomine intelligatur.

libet vincens generatim (vt vidimus epistola 1.) sed is solùm, qui suam vincit pusillanimitatem, & A
serio apud se statuit defectum in Pergameno Episcopo reprehensum à Christo, per veram pœnitentiam & emendationem, corrigere. Etenim in his omnibus epistolis vincens appellatur Episcopus, qui Christi hortationem, quam illa epistola describit, opere præstat, atque difficultatem in ea re occurrentem superat.

Mãna absconditum, quid sit.

In manna abscondito significatur magna aliqua suauitas occulta; & licèt Victorinus, Andreas, Haymo, Glossa, Thomas & Pererius id exponant de æternæ beatitudinis felicitate; Ambrosius verò, Richardus & Bernardus l. 1. de Conuersione ad cleros c. 21. explicent de suauitate contemplationis: hæ tamen interpretationes non deueniunt singillatim ad præmium aliquod, quod proprium videatur esse huius epistolæ. Ribera ait, meritò cælestem dulcedinem promitti spernentibus impuras carnis voluptates; & meliorem cibum, idolothyta comedere nolentibus. Verùm iam suprà vidimus opus esse, vt singula præmia singulis Episcopis congruentia proponantur, iuxta ea, quæ ad illos propriè scripta sunt. Episcopo ergo Pergameno fuerat scriptum, non vt à carnis voluptatibus abstineret; sed vt ignauiam depelleret, & gladio spiritus aduersus hæreticos vteretur. Huius facinoris difficultates imbecillus animus perhorrescit, neque potest suspicari sub ea periculorum & anxietatum specie voluptatem aliquam posse latere. Vt si, exempli gratia, cogitemus statum eorum Catholicorum, qui nunc in Anglia aduersus hæreticos gerunt spirituale bellum. Verùm Christus in B
hac epistola confirmat, maxima esse in eo vitæ genere gaudia abscondita; & quo magis per speciem apparet Christi milites esse omni solatio destitutos, eo magis illos in tribulationibus gaudio abundare & superabundare: vt 2. Cor. 1. 5. *Sicut abundant passiones Christi in nobis*, &c. & c. 4. 8 *Aporiamur, sed non destituimur*. Res quidem est valdè mira, sed omni fide dignissima: & scimus, eos qui è periculis euasere, & iam nunc inter Catholicos tranquillè viuunt, fateri sibi deesse illius consolationis abundantiam, & cælestium gaudiorum incredibilem voluptatem, qua in medijs difficultatibus Anglicanis diuina prouidentia illos copiosissimè recreabat. Decet hoc in primis ipsam Dei prouidentiam. Deinde periculorum contemptio, & singularis Dei curæ frequens experimentum in multis, quæ occurrunt, tanto gaudio replent fidelium corda, vt externæ omnes difficultates facilè superẽtur.

Deus suorũ pericula cælestis suauitatis copia eleuat.

Mãna absconditum ad Eucharistiam applicatur.

Hoc est ergo manna absconditum, quod vincenti promittitur. Atque hæc maxima dulcedo iure optimo peculiariter refertur ad eam, quam ex sacra Christi Eucharistia participant ij, qui fortiter deliberant belli difficultatem non perhorrescere, siue contra hæreticos, siue etiam contra proprias cupiditates. Quare de Eucharistię suauitate exponunt hîc Primasius, Andreas, Rupertus, Serranus. Et notat insuper Aretas, hoc manna absconditum opponi ijs cibis prohibitis, quibus Nicolaitę vescebantur. Connexio verò est eiusmodi: Nicolaitæ præ delectabili sensuum gustu mea præcepta contemnunt: qui verò se Nicolaitis constanter opponet, & bellum cum eis spirituale suscipiet; hic C
veram suauitatem absconditam tamen gustabit.

Vtrùm mãna absconditi nomine de cælesti beatitudine agatur.

Illud autem *absconditi* nomen meo iudicio cogit, ne hîc directè agatur de præmio æternæ beatitudinis, sed de præmio, quod in hac vita confertur. Propriè enim absconditum appellatur, quod præsens est, ita tamen abditum, vt reuelatione opus sit: neque aliter agnoscatur. Atque in hoc sensu loquitur sacra Scriptura. Vide Isaiæ 45. 15. *Verè tu es Deus absconditus*. Habac. 3. 4. *Ibi absconsita est fortitudo eius*. Matth. 11. 23. *Absondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*. Matth. 13. 44. *Simile est regnum cælorum thesauro absconsito in agro*. Rom. 2. 29. *Sed qui in absconsito Iudæus est*. Coloss. 3. 3. *Vita vestra absconsita est*. 1. Pet. 3. 4. *Absconsitus est cordis homo*. Imò verò illa etiam verba Isaiæ 64. 4. *Oculus non vidit, Deus, absque te, qua præparasti exspectantibus te*; directè non agunt de æternæ vitæ beatitudine, sed de absconsita felicitate primitiuę Ecclesię; vt explicauit Paulus. Ex his ergo colligitur, manna absconditum non esse præmium cælestis beatitudinis; sed ingens quoddam beneficium, quod in hac vita Deus illis tribuit, qui se constanter parant ad prælium pro Deo committendum, vt suprà explicatum est. Quòd si manna præmium est huius vitæ; idem etiam de calculo dicendum est. Contextus enim postulat, vt duo hæc eodem modo accipiantur. Et tam calculus, quàm quod in eo scriptum est, abdita etiam sunt & occulta, vt infrà videbimus.

Quis sit calculus candidus vincenti promissus à Christo.

ET DABO ILLI CALCVLVM CANDIDVM, ET IN CALCVLO NOMEN NOVVM SCRIPTVM, QVOD NEMO SCIT, NISI QVI ACCIPIT] *Calculus* hic multos torsit, atque vt ab eo nos expediamus, priùs examinandum est, quid calculi nomine intelligatur in sensu grammatico. De gemma pretiosa D
exponunt Victorinus, Primasius, Haymo, Anselmus, Serranus: quibus manifestè fauet Hieron. epist. 143. quæ est ad Damasum; vbi hunc locum adducit, & confert cum calculo illo, de quo Isaiæ 6. quem ipse existimat fuisse carbunculum. Contra hanc calculi acceptionem opponunt Ribera, Pererius, & alij nomen græcum ψῆφος, quod asserunt non posse significare gemmam, sed vulgarem lapillum. Verùm multò maior est Hieronymi auctoritas etiam in græca vocum significatione. Et notum insuper est, Dioscoridem per nomen ψῆφος intelligere gemmam. Et quemadmodum appellari solent lapides vel lapilli, ita etiam ijs quadrat nomen calculi vel ψήφου: nec enim calculus aliud est, quàm lapillus. Accedit, quòd in Martiali legimus, *Calculos gemmeos*. Quare nouum videri non debet, lapides pretiosos in sacris Literis calculos appellari. Quin imò Isaiæ 6. vbi nos legimus, *In manu eius calculus*, apud LXX. est *carbunculus*. & D. Hieron. ibi sic ait, *Calculus iste, qui à solis LXX carbunculus est interpretatus, potest non carbonem significare, vt plerique existimant, sed carbunculum lapidem*. Putabit aliquis, non posse in Isaia calculum pro gemma accipi: textus enim ait, *quem forcipe tulerat de altari*. Sed hoc Hieronymus non ignorabat; & tamen asseruit esse carbunculum gemmam: & in notatione sequenti videbimus D. Hieronymi sententiam, vtpote elegantis sensus & grauissimæ auctoritatis, esse sequendam.

Ac primò de sensu Grãmatico.

ψῆφος quid græcè.

Pretiosos lapillos interdum calculos in Scriptura appellari.

Cùm

Digitized by Google

A Cùm igitur semel statuamus, per nomen calculi aptè significari posse gemmam, næ significatio vulgaris lapilli, huius loci est indigna. Primò, quia licèt humaniorum literarum studiosi sæpiùs calculorum nomine vtantur ad vulgares illos significandos, quorum vsus est siue erat in ludendo, in supputando, in ferendis suffragijs, & in dierum distinctione notanda: eiusmodi tamen vsus non reperiuntur in veteris Testamenti libris. Cùm igitur tota Apocalypsis sit allusio ad insignes sacræ Scripturæ locos, minimè satisfacit illa calculi expositio, quæ ad aliquem ex his locis non respiciat. Deinde, quia declarationes, quæ in hoc loco ad vulgaris calculi significationem referuntur, nullam ostendunt elegantiam Apocalypsi dignam in coniunctione manna absconditi cum vulgari calculo. Tertiò, quia ad eum finem scribendi in calculo pretiosum nomen, multò congruentius est, vt sit gemma, quàm lapillus vulgaris; præsertim si nomen in eo scribendum, sit nomen Iesu, vt videbimus infrà.

Cum hac gemmæ significatione consonat epithetum *candidi*, sed de hoc epitheto dicemus seorsum, notat. 6.

Transeamus iam ad secundam quæstionem de præcipuo sensu, qui per hunc calculum hîc intenditur: ex quo etiam magis confirmabitur sermonem esse de gemma. Qui censent hunc calculum esse gemmam, asserunt hîc per illum significari adoptionem filiorum Dei. Ceterùm vt aliquid B huic loco aptum & plenum affirmetur, oportet ostendere symbolicam significationem elegantem esse, & sensum congruere cum hortatione, quæ à Christo fit Episcopo Pergameno. *Secundò, de calculi significatione.*

Obseruandum ergo est, hortationem esse, vt animum ac vires caperet, nec prælium cum Euangelij aduersarijs recusaret. In symbolo autem manna dictum ei fuit, si constanter se spirituali prælio committeret, in eo ipso quod sibi insipidum & amarum videbatur, magnam se dulcedinem ac suauitatem absconditam inuenturum. Ad hæc mox additur calculi symbolum, cui ego eiusmodi significationem tribuo, Pergamenum scilicet Episcopum, si pro Euangelio acriter cum hostibus dimicauerit, ad gradum quemdam perfectissimum ac summi apud Deum pretij hac ratione venturum, id est, ad altissimam Iesu Christi imitationem, & maximam apud eum gratiam, qua facilè possit quamlibet superare difficultatem. Et quidem, quod ad huius sensus substantiam spectat, negari non potest eum esse valdè ad rem, & Apocalypseos Theologia dignissimum. Dum enim homo aliquis spirituale bellum refugit, minimè ad præclaram illius rei imitationem perueniet, quæ maximè in Christi vita effulget; nimirum ad virtutem & animi robur, quo se pro æterni Patris gloria & obsequio Scribis & Pharisæis palàm opposuit, eosque acriter obiurgauit; & vitam demum amisit, vt in ea re Patris iussis obtemperaret. Eadem etiam ratione, qui sibi ac suis effrænatis cupiditatibus & affectibus vim afferre recusat; hic quidem longissimè distat à Christi imitatione; quæ C in eo consistit, vt se ad maiorem Dei gloriam totum dicet & consecret; nec difficile quidpiam, vt ei gratum faciat, subterfugiat. Ad hunc verò statum peruenire res est, vt constat, in spirituali vita maximi pretij: quò vbi aliquis accedit, adeò se diuina ope munitum & obuallatum sentit, vt dicere possit cum Paulo, *Omnia possum in eo, qui me confortat*, Philipp. 4. 13. Negari ergo non potest, quin si calculi symbolum huic significationi aptè deseruiret, nihil esset, quod ampliùs in huius loci explicatione desiderari posset.

Illud igitur superest, vt videamus symbolicæ huius significationis elegantiam. Pro quo Aduerte Primò, calculum, de quo fit mentio Isaiæ 6. proculdubiò fuisse carbunculum; atque ipsius propriam significationem esse de perfecta Christi imitatione, vt videbimus in sequenti notatione. Quid ergo elegantius & Apocalypseos sublimitate dignius, quàm in calculi mentione alludi ad calculum Isaiæ; & illum similiter in eadem significatione vsurpari? Præsertim quia, vt in notatione videbimus, Ioannes hac calculi allusione Isaiæ loco lumen attulit, cùm antea fortassis non satis intelligeretur. Allusio etiam ad calculum Isaiæ coëgit, vt hîc pro carbunculo calculus poneretur; vt intelligeretur obiter, quàm aptè vterque locus sibi mutuo responderet; & simul appareret, cur apud Isaiam non fuerit vsurpatum in hebræo nomen carbunculi vsitatum; sed aliud, quod calculum significat, & carbonis ardentis habet etymologiam. Auctores porrò, qui asserunt in Apocal. nomen calculi significare gemmam, omnes eò videntur spectare, vt Apocalypseos locus Isaiæ respondeat; atque ita expressit Hieronymus epist. 143. Alioqui non video, cur nonnulli notent calculum hîc esse carbunculum; vt Haymo, Ansbertus, & alij. *Quanta sit in calculi symbolo elegantia. In hoc Apocalypseos calculo ad calculum Isaiæ fieri allusionem.*

D Secundò Aduerto, quod Christus in hac epistola ait, *dabo illi calculum*, si locus attentè inspiciatur, hoc modo construendum esse. Quemadmodum Isaiæ 6. altare pro pruna Seraphino tradidit carbunculum pretiosissimum; cumque Seraphinus ad ipsum cum formidine accederet, reputans esse prunam, & illa sibi manum exurendam; inuenit quam putabat esse prunam, pretiosum esse carbunculum: sic etiam qui cum hæreticis confligere, aut proprijs cupiditatibus bellum inferre recusabat, veritus eò se detrudere, quod sibi magno dolori & anxietati fore existimabat; ipse (qui verum altare sum) omnem ipsius formidinem ac metum in rem summi pretij atq; valoris conuertam; eumque ditabo pretioso meæ imitationis carbunculo, quo maximopere diues ac lætus remanebit. Pro hoc facit, quòd ij etiam, qui non exponunt de gemma, vt certum statuunt, calculi significationem futuram esse, vt rei maximæ æstimationis; vt Pererius disp. 12. ad finem, qui ait, *Calculus candidus incomparabilem diuitiarum, id est rerum pretiosarum, copiam denotat.* *Quis sit sensus promissionis à Christo facta de calculo candido.*

Tertiò Noto, carbunculum esse tertium numero inter eos pretiosos lapides, de quibus Apoc. 21. qui etsi appelletur ibi chalcedonius, eo tamen nomine de carbunculo sermo est, vt suo loco constabit. Ille autem carbunculus incarnationis mysterium significat, ad cuius rei symbolum sapienter fuit inter ceteras gemmas electus. Proprius enim ac natiuus carbunculi color est, veluti accensę prunæ; *Carbunculus incarnationis symbolum.*

Digitized by Google

prunæ;atque idcirco appellatur latinè carbunculus,& græcè ἄνθραξ. Atqui prunę comparatio eximia est ad Incarnationis mysterium denotandum;qua vtuntur Iustinus q.44. ad Orthodoxos, Cyrillus lib.de Incarnatione Vnigeniti,c.8.& Damascenus l.4.de Fide orthod.cap.14. nec immeritò, quia pruna siue ferrum candens mirificè repræsentat vnionem duplicis naturæ in eodem supposito. Videmus enim in pruna lignum esse ignem,& ignem esse lignum siue ferrum. Atq; eodem modo in carbunculo videtur lapis esse ignis, & ignis lapis. Cùm igitur ignis diuinitatis sit appositum symbolum; optima est comparatio ad coniunctionem alterius naturæ cum diuina significandam; & carbunculus quidem aptiorem habet ad hoc congruentiam, quàm pruna; quia cùm ardere videatur,non tamen comburitur aut consumitur. Quod mysterium, Mosis rubum reddidit conuenientem Incarnationis figurã. Hoc constituto,ad Christi imaginem siue imitationem denotandam nihil afferri potest accommodatius, quàm pretiosam hanc gemmam alicui in manus tradi,quasi illi in ipsius operibus,quædam tribuatur imitatio virtutis Christi veri Dei atq; hominis: atq; ad hanc imitationem ignis figura siue symbolum admirabile est;illo enim homo accensus atque ignitus Seraphini instar efficitur;id quod in carbunculo eleganter repræsentatur. Atque hic est propriùs Seraphinorum sensus apud Isaiam; vt patebit in eius capitis commentario.

Quid sit, calculum candidum siue pretiosam gemmam in manus alicui tradere.

Quartò, si calculus est gemma; nullius difficultatis est, quod mox additur de nomine nouo in calculo scripto. Nam proprius gemmarum vsus est in annulis ; & idcircò nomen aliquod siue insignia in eis cælari solebant. Vnde & in duodecim illis gemmis Rationalis,duodecim Patriarcharum nomina erant insculpta,Exodi 28.11. Vide etiam Sap.18.24.vbi parentum magnalia dicuntur fuisse in lapidibus illis insculpta. Et quamuis interpretum multi opinentur, nomen in calculo inscriptum (de quo Ioannes) esse nouum nomen, quod Christi imitatori tribuitur , cùm in filium cooptatur, mea tamen sententia Ambrosij & Glossæ expositio verior est, qui in hac gemma existimant inscriptum promitti Iesu Christi nomen. Et valde est ad rèm,vt sermo sit de ipso nomine Iesus. Quin & Glòssa singillatim descendit ad quinque literarum considerationem , siue ad quinque Christi vulnerum sculpturam. Quòd si hæc gemma Christi imitatori datur, vt Christi virtute reddatur fortis ac potens,& omnia possit in eo,qui ipsum confortat per sui imitationem; quis non videat , multò esse aptius illi in sigillo sculptum Iesu nomen tribuere ; quàm nomen, quo appellandus sit is, cui gemma tribuitur ? Sic enim aptissimè significatur, Christi Iesu virtute ac nomine posse eum egregia quæque facinora aggredi atque perficere; vt ea præstet regis annulo ac sigillo qui regi sit valde charus,& multum apud eum gratia valeat, & quem rex velit regia auctoritate ad ea, quæ velit vti. Imitatio ergo Christi hominem quodammodo omnipotentem efficit. Nam & Paulus ait : *Omnia possum in eo qui me confortat*. De hac autem Iesu nominis virtute licèt multi, qui ad veram Christi imitationem non accessere,speculatiuè loquantur; multi tamen excellentius id sentiunt & experiuntur,qui gemmam hanc pretiosissimam acceperunt,quæ eos inflammat, locupletat , & omnipotentes reddit. Et verò hoc est,quod textus ait,*quod nemo nouit,nisi qui accipit*. Quanquam id extendi potest non solùm ad nomen, sed etiam ad lapidem ; quorum pretium atque solatium nemo satis nouerit niſi qui possidet.

Nomen siue insignia in annuli gẽma calari solita.

Quod sit nomen calculo insculptum.

Calculo nomen inscriptum quomodo nemo norit nisi qui accipiat.

Eorum expositio,qui in calculi nomine filiorum adoptionem intelligunt, potest ad prædictum sensum reuocari. *Hi enim sunt filij Dei,qui spiritu Dei aguntur*. Et illi etiam sunt, qui Christum imitantur; quorum adoptio in eo sita est vt Iesu Christi similes efficiantur. Quare hanc eis adoptionem communicare,est ipsius Christi nominis dedere virtutem,qua diuites ac potentes permaneant.

Aretæ declaratio de calculo candido,quem in sacris,quæ appellabantur, certaminibus, victori tradi solitum affirmat; fortassis accipienda est non de vulgari calculo, sed de gemma. Nam ad victoris præmium multò magis idonea est; & hac ratione explicatio non erat absre; si tamen verum est,calculum candidum olim victoribus tribui solere.

Quin etiam calculi gemmei Martialis , quos ipse inter apophoreta enumerat lib.14.distich.20. fortè hic possent deseruire. Præcedit enim manna, quod est splendidi instar epuli. epulum autem mox sequitur calculus candidus, veluti quoddam illius conuiuij apophoretum, id est, vt effectus quem sacra Christi corporis susceptio in eius anima operatur , qui ad has sacras epulas ita accedit dispositus ac paratus, vt Christus à Pergameno Episcopo exigit. Ceterùm quod magis hîc facit ad rem,est alluſio ad Isaiæ locum; in qua Christus siue in Eucharistia , siue in spirituali communione rite concipitur quasi altare,quod suis Seraphinis pro ignitis prunis carbunculos pretiosissimos donat.De quo dicemus notat.sequenti.

Calculus candidus ad sacram Eucharistiam accommodatur.

NOTATIO V.

Ad calculum candidum, Apoc.2.17. in qua explicatur calculus ille Isaiæ 6. n.6. ad quem Ioannes in præsenti alludit.

Cuiusmodi sit calculus ille Isa.6.

VERBA Isaiæ sunt, *Volauit ad me vnus de Seraphim,& in manu eius calculus , quem forcipe tulerat de altari.* Antequam ad prophetici sensus mysterium accedo, statuendum primò est, num in sensu grammatico calculus in præsenti sit gemma vel pruna? De pruna siue carbone ignito plerique accipiunt , vt notat Hieron. Isaiæ 6.& similiter exponunt recentiores. Atque hunc sensum videtur cõtextus ipse suadere. Figura enim est eiusmo-

Prunam siue carbonem fuisse ignitum plerique putant.

Digitized by Google

eiusmodi, vt calculum Angelus ab altari forcipibus capiat. Atqui in altari semper erant prunæ; gemmæ verò nusquam in eo visæ. Adde, quòd ad gemmam in manu sumendam, forcipibus opus non erat. Præterea constat hoc calculo fuisse mundata Isaię labia: & ignis cauterio id factum esse, videtur valdè conueniens; gemmæ autem contactum non conuenire. Confirmatur denique hic sensus ex huius visionis similitudine cum alijs. Quia Ezech. 10. 2. qui indutus erat lineis iubetur ingredi in medium rotarum, & implere manum suam prunis ignis, quæ erant inter Cherubim, & effundere super ciuitatem: *Et extendit Cherub manum ad ignem, qui erat inter Cherubim, & sumpsit, & dedit in manus eius, qui indutus erat lineis.* Similiter etiam Apocal. 8. 5. *accepit Angelus thuribulum, & impleuit illud de igne altaris, & misit in terram.*

Gemmam tamen fuisse cũ Hieronymo statuitur.

Ceterùm, vt credamus, calculum Isaiæ esse gemmã, non parum vrgent nomen ipsum calculi, D. Hieronymi auctoritas, hebræa vox, LXX. interpretum cum nostro Vulgato concordia, & calculus Apocal. 2. 17. Expendamus igitur per ordinem singula. Primò si in visione Isaiæ sermo est de pruna & non de lapillo, quæ poterit excusatio afferri pro Vulgato vsurpante nomen calculi, qui idem est atque lapillus? Esse quidem calculos gemmeos, & latinum nomen calculi gemmis tribui posse, nomen item græcum quod ei respondet, nẽpe ψῆφος, hæc omnia demonstraui in commentario. Verũtamen vt calculi appellatio tribuatur prunæ, omnino nescio quod aptum exemplum, aut ratio possit afferri. Nihil enim durius, quàm prunas eo nomine nuncupare; cuius significatio nõ est alia, quàm nominis, *Lapillus*. Adhæc, D. Hieron. qui calculum transtulit, se ipse explicat, Isaiæ 6. & epist. 143. ad Damasum: asseritque se pro calculi nomine lapidem intelligere. In commentario Isaiæ sic ait, *Calculus iste, qui à solis LXX. carbunculus est interpretatus, potest non carbonem significare, vel prunam, vt plerique existimant, sed carbunculum lapidem.* Non ait Hieronymus non posse nomine hebraico significari prunam, ne communem interpretationem damnet: verumtamen existimasse illum non esse prunam, sed lapidem, manifestum est argumento, quòd calculum transtulerit; & simul aduertit hebream vocem posse lapidem carbunculum significare. Deinde epist. 143. quæ est ad Damasum, sic ait Hieronymus. *In hebræo pro carbone, quem posuerunt LXX. legitur calculus, ceteris quoque interpretibus super hoc consonantibus. Videtur autem mihi sermo diuinus calculi appellatione signari. Sicut enim calculus genus est lapidis durissimi & lauissimi, ita sermo Dei. Et in Apocalypsi Dominus vincentibus pollicetur lapidẽ candidum, & in eo scriptum nomen. Videntur autem LXX. transferentes hoc loco ἄνθρακα, idem sensisse quod ceteri: ἄνθρακα quippe, quem nos carbunculum interpretamur, genus est lapidis fulgentis atque nitentis: quem etiam in duodecim lapidibus inuenimus. Siue igitur calculum vertamus, siue carbunculum; in calculo, diuini sermonis veritas & rigor: in carbunculo, lucens doctrina manifestè ostenditur, iuxta id psalmi 18. Mandatum Domini lucidum, illuminans oculos.* Hæc Hieronymus: ex quibus constat eum manifestè recusare de pruna locum intelligere.

Hieronymi sensus de calculo Isaiæ.

Calculi nomine tam græci, quàm hebraici etymologia.

Præterea vox hebræa est רִצְפָּה, *risṗa*, quæ etsi deriuetur à רָצַף, *resep*, quod significat prunam, (vnde dicitur panis subcinericius, hebraicè *panus prunarum*) *risṗa* tamen non significat prunam, sed lapillum, si quidem interpretes omnes, vt notat Hieronymus, transtulerunt calculum; præter LXX. qui verterunt ἄνθρακα. quæ vox etsi carbonem denotare videatur, hoc tamen proprium est nomen pretiosi lapidis, quem Latini carbunculum nominant. Atque ita conciliat Hieronymus LXX cum ceteris interpretibus; & clarè asserit hebræam vocem non sonare carbonẽm aut prunam, sed calculum. Et certè ea ipsa, quæ afferuntur ad probandum sermonem hìc esse de pruna; nimirum loci cõtextum, altare in quo erat calculus, & forcipes quibus traditur; hæc (inquam) mihi confirmant non agi de pruna, sed de lapide, siquidem tot indicia non satis fuere, vt interpretes relicto lapilli nomine, prunæ nomen substituerent. Quod mihi euidens argumentum est, hebrææ vocis significatione illos fuisse coactos, vt de lapide sermonem instituì crederent, etsi primo aspectu videretur contextus prunam exposcere.

Alcasar in Apocal.

Ex hac eadem radice deriuatur hebraicum participium, quod Cantic. 3. 10. ponitur, vbi nos legimus *charitate constrauit*, hebr רָצוּף, *rasuph*: atque eadẽ est vox, quæ 2. Reg. 16. 17. posita est, vbi nos legimus *stratum lapidibus*, & Esther 1. 6. vbi legimus *stratum lapide*. Atque ita LXX. Cantic. 3. 10. verterunt *lithostroton*, & V. editio, *medium eius calculis compositum*. Et de calculis (id est de carbunculis) intelligunt Ambrosius, Theodoretus, & Nyssenus, quos refert & sequitur Delrius. Nec facit contra hoc Vulgati lectio. Vulgatus enim ibi (vt & alijs in locis) sapienter respexit ad præcipuum sensum. Sensus autem charitatis exprimitur carbunculis, quibus Salomonis lectica strata erat, vt dicemus in eius loci commentario. Hebræa itaque vox, qua vtitur Isaias c. 6. 6. non solet in sacra Scriptura accipi pro prunis; sed propria ipsius significatio est lapilli, & præsertim eius, qui à Latinis appellatur carbunculus, à Græcis ἄνθραξ. Quare etsi derivatio eius sit à pruna, in hoc tamen nomine hebraico accidit quod in latino *carbunculus*, quod non sumitur pro qualibet pruna, sed singillatim pro lapide illo pretioso, qui suo colore prunæ speciem refert.

Quid sit, charitate constrauit, Cant. 3.

Præter hæc, vbi semel aduertatur hebræa voce significari carbunculum pretiosum, & LXX. carbunculum etiam transtulisse, & reliquos interpretes calculum, quis non videat valdè esse verisimile, Ioannem Apoc. 2. 17. ad Isaiæ calculum respexisse? De hoc diximus in commentario. Quòd si sensus ille adeò est sacræ Scripturæ dignus, vt mea fert opinio, ille ipse Apocal. locus egregiè cõfirmat in Isaiæ loco sermonem esse non de pruna, sed de gemmeo calculo (vt loquitur Martialis l. 14. dist. 20.) neque solùm id confirmat, sed etiam miram affert lucem eidem Isaiæ loco. Nec absque Dei prouidentia fuit factum, vt lectio Vulgata, quam Ecclesia sequitur, cum ceteris interpretibus consentiens, in Isaia legeret calculum, quò faciliùs cerneretur allusio atque proportio loci Apocal. ad Isaiam, vt vidit & notauit D. Hieron. epist. illa 143. ad Damasum. Quamobrem si concedatur in Isaia sermonem esse de lapide, & non de pruna, nullum dubitare posse existimo, quin Apocalypseos locus ad illum Isaiæ referatur. Et licèt alioqui id certum non esset, vbi sensus grauitas & maiestas in Apocalypseos loco aduerteretur, simul cum veterum interpretum concordia, cum Canticorum loco, & cũ Hieronymi notatione; hæc omnia euidenter ostendunt Isaiæ locum de lapide, non de pruna agere.

Dicet aliquis, rectè concipi posse ignitum lapidem sicut ferrum candescit, & de calculo ignito videtur inselligere Ecclesia, quæ sic præcipit orare sacerdotes, *Deus qui labia Isaiæ calculo mundasti ignito*, &c. Respõdeo Ecclesię phrasim intelligendam esse, vt phrasim sacræ Scripturæ ab Ecclesia vsurpatam. Dicere autem *calculum ignitum*, idem est ac dicere, *lapillum ignitum*: igniti verò lapides pro carbunculis, id est, pro gẽmis quæ prunarum colorem & fulgorem mirificè referunt, leguntur apud Ezech. 28. 14. 16. Quare, si semel admittamus calculum ab Isaia visum, fuisse lapillum, videtur certum, ideo ignitum appellari, quia colorem & splendorem ignis habet. Nam qui prunam esse arbitrantur, non asserunt esse lapillum, sed ex ijs prunis accensis quæ semper in altari ardebant. Et Ecclesia in sua oratione videtur cogere, vt in visione Isaiæ non prunam sed lapillum fuisse existimemus. Nam ad significandam prunam, insolita esset locutio, dicere calculum ignitum, id est, ignitum lapillum.

Quo sensu dicat Ecclesia, Deum labia Isaiæ mundasse calculo ignito.

Supereſt, vt respondeamus ad id, quod obiectum est ex contextu & ex similitudine loci Ezechielis, & ca. 8. Apocal. Ad Primum dico, in propheticis visionibus multa esse admiranda, & valdè diuersa ab eo, quod prima specie videbatur dicendum. Reuerentia autem ac veneratio sacrarum Literarum exigit, ne ideo visiones diuerso modo considerare audeamus, ac in ipso textu figurantur. Sed sacram Scripturã suspicientes, & mente apprehendentes quod Propheta ait, vt ab eo depingitur, ac lucem à Deo poscentes; cernemus miram fuisse cõcinnitatem in eo, quod priùs apparebat violentum. Fateor ergo prima facie non videri aptum, vt de

Quanta sit sacris Literis reuerentia deferenda.

Digitized by Google

ma carbunculo dicatur, eam fuisse à Seraphino forcipibus apprehensam ex altari. Ceterùm S. Scripturæ veneratio nos obligat, vt eiusmodi fuisse rationem existimemus. Et nisi me fallo, mysterium eius visionis adeò est S. Scriptura dignum; vt ipsa significationis maiestas & elegantia validè confirmet, calculum illum, quo Seraphinus prophetæ labia contigit, carbunculum ac gemmam pretiosissimam fuisse.

In explicatione autem mysterij quædam mihi statuenda sunt ex ijs, quæ in commentario c.6. Isaiæ certissima esse oſtẽdam; nempe thronum illum, quem vidit Isaias, esse eum thronum, quem Deus in Ecclesia Christiana habet; & adstantes Seraphinos esse Apostolos & viros Apostolicos, qui Euangelium erant prædicaturi. His ita constitutis, aduertendum est, deliberationem imitandi perfectè Christum, & prædicandi Euangelium Apostolis sese in mentem obiecisse, vt rem summæ difficultatis; opinantibus scilicet priusquam in terra ignem, quem Christus venit mittere, accenderẽt, sibi ipsis manus conflagraturus; atque id conari non aliud esse, quàm medium complecti ignem. Verumtamen postquam diuina gratia suffulti firmiter apud se decreuerunt, Christum imitari, hac ipsa imitatione se summopere diuites ac potentes inuenerunt, & tandem perspexerunt, licèt externa facies erat laborũ ac persecutionum, nihil tamen sibi esse timendũ ab huiusmodi aduersitatibus, sed potiùs oportere illas à se amari atque æstimari; cùm non in sui ipsorum detrimentum, sed in magnum potiùs solatium, magnasque diuitias essent tandem redundaturæ. Ad huius ergo mysterij significationem aptissimum fuit, vt Isaiæ in ea visione oſtenderetur Seraphinum prunam ex altari sumere iussum, pauidè ac pedetentim accessisse, & forcipibus accepisse: posteà tamen, quàm ipsum extraxit, aduertisse illam pretiosam prunam, id est, carbunculum esse; atque adeò non modò absque timore, sed etiam cum ingenti solatio eam in manus sumpsisse. In hac visione existimo per altare significari Christum, qui Dei atq; hominum amore ardescit; ac in se ipso Deo offert gratissimum holocaustum, vel odorem suauitatis. Seraphinus verò accedens ad prunam accipiendam ex mystico illo altari, denotat studium ac voluntatem, quam habet Christum imitandi, & sumendi ex eo partem aliquam ardentissimæ illius charitatis, qua ob Dei gloriam nullum subterfugere laborem decreuit. Hæc igitur Christi maximæ virtutis participatio, hæc imitatio tantæ charitatis eleganter consideratur, vt pruna quædam illius altaris, quam sibi Seraphinus ex ea vult desumere. Ad metum autem exprimendum, quo priùs detinebantur Apostoli, horrentes rei ipsius difficultatem, aptissimum fuit depingere Seraphinum forcipibus ad capiendam prunam accedere. Vt autem significetur, quemadmodum deposito metu, deprehenderũt illud quod sibi formidandum videbatur, summam potiùs felicitatem atque diuitias allaturum; nihil congruentius, quàm repræsentare eas, quæ videbantur esse prunæ, propiùs accedenti pretiosissimas prunas, id est, carbunculos gemmas apparuisse, atque adeò vnde sibi damnum timebant, magnam ibi prosperitatem ac diuitias reperisse. Ad huius significationis energiam expendendam, nota perfectum carbunculum vnius drachmæ pondere sexagies mille nummis aureis hodie æstimari, id est, pluris quàm adamantes quatuor eiusdem ponderis.

Iam, quòd Isaiæ labia admoto carbunculo mundentur, indicat Isaiam in spiritu vidisse maximos Apostolorum animos ac vires, qui Christi imitationem ac laborum tolerantiam atque contemptum apprehendentes pro accensis prunis carbunculos pretiosissimos essent capturi: Isaiam verò exosculantem prunas illas (id est, Christi imitationem, quam in Apostolis sibi oſtensis præuidebat) cepisse vires ad eosdem Apostolos (siue ad illum Apostolum, qui ad se in spiritu accedebat) imitandos, & ad libertatem liberè enunciandam, licèt propriæ vitæ dispendio.

Si hac ratione visio Isaiæ intelligatur, dubitabit nemo, congruentissimum fuisse, vt prophetæ oſtensum sit, prunas illas altaris esse carbunculos gemmeos, & patet etiam significationem fuisse mirificam; tum vt Isaias corroboraret animum, & erigeret ad liberè Dei verba enuncianda (qui fuit illius visionis effectus, vt patet ex cõtextu) tum etiam ad id, quod Christus Pergami Episcopo suadere intendit, Apoc.2. vt scilicet erecto animo sit ad bellum spirituale cum Nicolaitis gerendum, licèt vitam ipsam profundere opus sit: atq; vt intelligat eiusmodi Christi imitatione, se ditissimum ac potentissimum fore.

Ac, ne quis id ex meo cerebro confictum arbitretur; quod firmius fundamentum afferri potest, quàm prunam illam calculum appellari? Et quamuis contextus de igne altaris agere videatur; omnes tamen veteres interpretes in eo firmiter persistere, vt calculum pro carbone supponant; & LXX. carbunculum scripsisse; & expresè asseri, Seraphinum (qui priùs forcipibus calculum tulerat de altari) posteà illum manu apprehendisse, & Isaiæ oſculandum exhibuisse? Quę omnia manifestum præbent signum, illam fuisse gemmam; id quod Apocal. allusio multò etiam magis confirmat: vbi nemini venit in mentem, sermonem esse de pruna, & videtur certissimum alludi ad Isaiæ locum.

Confirmatur prædicta explicatio, quia carbunculus colorem & splendorem prunæ apprime repræsentat, & quicumque optimum carbunculum manu tenuerit, si attentè illum inspiciat, penè existimabit se in manu prunam habere: quamobrem prunæ nomen Hebræi, Græci, ac Latini illi tribuerunt. Vt ergo significetur celebre illud spiritualium virorum dictum; nimirum, labores pro Christo susceptos, licet externam laborum faciem habeant, viris tamen sanctis non labores, sed lapides pretioſos apparere; quid aptius effingi potest, quàm carbones in carbunculos fuisse conuersos? atque adeò licèt videantur exurere; re tamen vera, neque vrere, neque aliud detrimenti afferre, sed plurimum potiùs felicitatis atque diuitiarum? Accedit, quòd non solum non vrit carbunculus, sed certum est & admiratione dignum, ignem ab ipso contẽni, cùm ipsum ignis calefacere non possit. Quod non solùm à Plinio & alijs multis, sed etiam ab Aristotele affirmatur l. 4. Meteor. c.48. Nihil ergo adduci potest magis appositum, vt oſtendatur Christi imitationem, & laborum pro ipso tolerantiam, eiusmodi esse virtutem, quæ miram continet impassibilitatem; quasi fieri non possit, vt tribulationis ignis lædat eum, qui ardet igne charitatis; vel, vt alius sit vrendi effectus, quàm carbunculi victoriæ gloria; quæ in eo sita est, vt in suo igne semper ardeat; nec tamen consumatur, aut exuratur; externum verò ignem penitus despiciat.

Ad illud de labijs igne mundandis, Respondetur, cauterij considerationem ortam fuisse ex imaginatione prunæ. Si enim calculus non est pruna, frustra fingitur cauterium. Et quidem, si daretur optio, non video cur cauterium eligendum esset. Quia pruna ori apposita impedimentum afferre solet, non expeditionem, vt notauit Forerius, atque ita coactum est, labiorum cauterio factum esse vt propheta auderet loqui. Oſculo verò sacri carbunculi animatum fuisse prophetam, id intellecta illius carbunculi significatione apprime decet. Aut si omnino opus erat, vt aliqua fieret repræsentatio purificationis labiorum per ignem; ad repræsentandam purificationem per ignem, satis fuit carbunculus lapis, eò quòd sit lapis ignitus, & veluti pruna pretioſa.

Superest modò respondere ad ea, quæ ex Ezech. & ex c.8. Apocal. objiciuntur. Nota ergo mira esse discrimina, mirasque conuenientias, quæ in visionibus propheticis reperiuntur, vt vidimus c.1. Apoc. not. XVII. Quare veram declarationem non attinget, qui differentias commiscere & conturbare voluerit, & inter diuersas visiones nihil discriminis esse contenderit. Nã in differentiis magna solet elegantia atque doctrina contineri. Assero igitur in Isaiæ visione sermonem esse de effectu, quem in Euangelij prædicatoribus Christi imitatio operatur. Et ad eiusmodi considerationẽ concinnè satis prunæ in carbunculos conuersæ sunt. In illa autem Ezechielis visione c.10. & Apoc.8. voluit Sp. sanctus significare mirandum effectum, quem per ignem altaris Dei ministri in terra operari conãtur, accendẽdo scilicet in ea verę religionis ignem, iuxta id Luc.12.49. Ignem

Dei thronum Isaiæ visum esse illum, quẽ Deus in Ecclesia Christiana habet.

Diuina gratia viu ad apostolicos viros in Euangelij prædicatione roborandos.

Per altare Isaiæ visum figurari Christum.

Carbunculi pretium.

Quid sit Isaiæ labia admoto carbunculo mundari.

Carbunculi ad ignitam prunã similitudo, ex qua & nomen traxit.

Carbunculum igne non incalescere.

Nũ Isaiæ calculus fuerit ignis cauterij.

Quæ conuenientia, quæ discrimina in similibus prophetarum visionibus soleãt reperiri.

Cur Isaiæ & Ioãni sit visus carbunculus: Ezechieli verò ignita pruna.

Digitized by Google

Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat? Ad hoc verò minimè erat ad rem prunas in carbunculos commutare; sed potiùs considerare oportet successas prunas maximæ vis & efficacitatis ad terram inflammandam. Ex ipso ergo rei significatæ discrimine conuincitur mens, in Isaia prunas eleganter fuisse in carbunculos conuersas; in Ezechiele autem & Apoc. 8. veras prunas congruenter effingi efficacissimas ad inflammandum & comburendum.

Cur Isaiæ calculi nomine, non carbunculi vtatur?

Postremò Nota, expediens fuisse, vt Isaias nomine רִשְׁפָּה, *rispa*, vteretur, quod calculum ignitum significat: nō verò נֹפֶךְ, *nopec*, quod videtur esse vsitatius carbunculi nomen; id nempe, quod designat carbunculum inter gemmas Rationalis. Ratio ergo est, quia nomen רִשְׁפָּה, *rispa*, manifestam habet prunæ etymologiam, nec tamen significat prunam, sed lapillum. Patet hoc ex ipsa etymologia & ex locis suprà adductis. Si igitur Isaiæ intentio consideretur, quòd scilicet sermo fuerit de prunis altaris, in lapides pretiosos conuersis, vt hoc clariùs significetur, conuenientissimum fuit vti nomine רִשְׁפָּה, *rispa*, quo exprimitur, illud quod pruna videbatur, esse lapillum. Deinde Ioannes, vt pateret se ad Isaiæ locum habuisse respectum, vsus fuit nomine calculi. Nam licèt LXX. transtulerint, *Cur Ioannes item calculi nomine sit vsus* ἄνθρακα, id est, carbunculum; hoc tamen nomen græcè poterat ambiguè sumi, cùm aliquando pro carbone seu pruna accipiatur. Cùm autem vox hebræa propriè sonet idem, quod calculus (vt notat Hieron.) Ioannes fuit vsus græca voce, ψῆφος, quæ directè respondet calculo, & hebræo similiter nomini. Et certè Spiritus sanctus Vulgatum interpretem duxit, vt transferret calculum Isaiæ 6.6. (sicut Aquila, Symmachus & Theodotion verterant;) vt Ioannis allusio ad Isaiæ locum clariùs innotesceret.

NOTATIO VI.

In qua disputatur, an possit calculus candidus accipi de adamante, & an adamas possit inter carbunculos computari?

Haec gemma, de qua Ioannes loquitur, sit carbunculus, an adamas?

VBi semel admittatur sent. D. Hieron. scilicet calculum Isaiæ 6. & Apoc. 2. esse gemmam; subit protinus quæstio, an Apocal. 2. 17. calculus candidus sit carbunculus, vel adamas? Licèt enim certum sit, in Apoc. loco alludi ad locum Isaiæ, & apud Isaiam, cap. 6. sermonem esse de carbunculo; nihilominus tamen allusio fieri potuit in Apocalypsi ad Isaiam commutato carbunculo in adamantem ob peculiarem aliquam rationem. Et quidem siue Apocalypsis Isaię locum respiciat, siue nō; illud pro comperto est, in Apocal. de calculo candido sermonem institui. Quòd si calculus est gemma, necessariò videtur dicendum, calculum candidum non esse gemmam rubrā, sed adamantem, qui est gemma candida. Præsertim cùm græcè legamus ψῆφον λευκὴν, id est, *calculum album*. Nomen verò gemmæ albæ appositè quadrat adamanti, quemadmodum appellari solet vinum album, quod rubrum non est. Rubinus autem gemma cādida esse non potest. Quin imò apparet ideò fuisse dictum calculum candidum, vt à carbunculo distingueretur, veluti dici solet vinum album ad distinctionem nigri vel sanguinei.

Adamantis inuicta vis.

Hæc opinio duplici ratione videtur roborari. Prima est, quia ad mysticā significationem, quæ hic intenditur, adamas congruens satis est: ille enim aptiùs, quàm carbunculos impassibilitatē repræsentat: quippe adamantis inuicta vis neq; ferrū timet, neq; ab igne incalescit. Eius porrò potentia tanta est, vt nihil sit adeò durū quod ille non facilè perrumpat. Quamobrem ad significandā ingentem vim atq; potentiam, quam Deus suis familiaribus tribuit contra hæreticorum duritiem & obstinatorum hominum peruicaciam, valdè apta est adamantis firmitas ac robur: atqui de hisce rebus videtur esse sermo in epistola ad Pergamenum.

Adamantem in Scriptura nunquam inter gemmas numerari.

Secunda ratio est, quia si semel admittatur, hoc in loco adamantem per calculum candidum indicari; hoc ipsum alia nos difficultate expediet, cui alioqui non congruenter fit satis. Ea verò est huiusmodi; cur scilicet, in S. Literis nunquàm adamas inter gemmas aut lapides pretiosos numeratur, neque in gemmis Rationalis, neque in fundamentis nouæ Hierosolymæ, nec in regis Tyri corona, nec alio præterea in loco? Miratur quidem Hieronymus, cur hyacinthus pretiosissimus lapis non annumeretur inter gemmas Rationalis: & in eam deuenit suspicionem, per lygurium fortè intelligendum esse hyacinthum. Nec absimili ratione, vt carbunculus in nouæ Hierosolymæ fundamentis ne desit, omnes ferè sibi persuadent, qui appellatur chalcedonius, eum esse carbūculum. Si igitur curiosè disquiritur, vt in sacris Literis quoties plures numerantur gemmę, carbunculus & hyacinthus silentio non inuoluātur; quantò maior est ratio, ne credamus adamantē lapidem adeò pretiosum semper fuisse prætermissum?

Eadem res ad variarum rerum symbola solet vsurpari.

Quòd si aliquis respondeat, in S. Scriptura adamantem inter pretiosas gemmas vel ob id maximè de industria non describi, quòd proprium sit symbolum iniquæ rei, vt tyrannidis aut terrenæ sapientiæ; hæc ratio minimè facit satis: etenim licèt acuta ingenia, multa possint conglobare vt adamanti significationem tyrānidis aut mundanæ sapientiæ tribuant; in hoc tamen idem accidit, quod in alijs rerum naturalium compluribus: quæ, si earum symbolica significatio attendatur, possunt & in bonam & in malam partem accipi. V. g. leo optimè vsurpatur ad fortitudinem significandam, atque etiam ad superbiam & elationem: nec altera significatio ex his alteram excludit, quin imò vtramque sacra Scriptura complectitur. Similiter ergo adamas, quamuis possit in malam accipi partem eleganter, proculdubiò tamen potest etiam non minori elegantia ad bonam significationem applicari. Nec credibile est, Sanctum optima significatione eius gemmæ non vti, quæ inter ceteras gemmas obtinet principatum. Si verò dixerit aliquis satis esse, vt sacra Scriptura adamantem ad duritiem indicandam vsurpet Ieremiæ 17. 1. Zachariæ 7. 12. & Amos 7. iuxta lectionem LXX. interpretum. Contra hoc tamen est, quia ex eorum locorum contextu constat, adamantem in illis accipi non quatenus gemmam pretiosam, sed quatenus durissimum lapidem: quare non immeritò ad peccatoris duritiem inuenidam aptatur. Quod autem in primis esset optandum, illud est, vt inter ingentis pretij res, vt smaragdus ac topazius eximuntur à sacra Scriptura, ita etiam aliquando adamas apponatur, quippe qui lapidum pretiosorum præstantissimus est, vt omnes affirmant cum Plinio l. 37. c. 4. *Maximum in rebus humanis, non solùm inter gemmas, pretium habet adamas.* Iā si solùm omitteretur inter Rationalis gemmas, fortè illa reddi posset ratio, adamantem videlicet fuisse prætermissum, siue quòd inter filios Israëlis non inueniretur (nam *adamas*, vt ait Plinius, *diu non nisi regibus, & ijs admodum paucis cognitus.*) siue quia 12. lapides Rationalis totidem Patriarcharum nominibus cælandi erant; cùm tamen adamas optimus cælum omnino respuat. Ceterùm in comparationibus saltem sacræ Scripturę, in prophetarum visionibus, & præsertim in Apocalypsi, nulla videtur ratio reddi potuisse, cur adamas vt gemma pretiosissima nunquam vsurparetur.

Adamas olim perpaucis cognitus.

Vtrùm adamātis gemma sit aliqua mētio in sacris Literis.

Huiusmodi difficultatem nonnulli satis se commodè subterfugere putarunt, asserentes in nominibus gēmarum interdum commutationem reperiri, & lapidem, qui appellatur iaspis, adamantem esse. Hoc tamen validè à me impugnabitur Apoc. 21. Quamobrem eò tandem videmur deuolui, vt in sacra Scriptura,

nullus alius sit locus, in quo de adamante vt de lapide pretioso mentio fiat, nisi hic, vbi de calculo candido. Vidimus autem in commentario, eos omnino falli, qui existimant per calculum non posse gemmam intelligi. Oppositum enim constat ex Dioscoride, Martiale, D. Hieron. & ex antiquis interpretibus, vt Aquila, Symmacho & Theodotione.

In hac controuersia optabile sanè est, vt in sacris Literis fiat mentio adamantis, vt rei pretiosissimæ. Nam etsi aliquando animi contentionem eò admoui, vt aptas omnes considerationes coniungerem, quas reperire possem, vt adamas tyrannidis significationi siue terrenæ sapientiæ deseruiret; fateor tamen me non satis in eo conquiescere. Quamuis autem adamas elegantissimum esset ad eam significationem symbolum; sine dubio potest etiam non minus appositè ad constantiam ac virtutem vsurpari. Nec est, cur sacræ Literæ respuant huiusmodi symbolum huic significationi adeò aptum; cùm Deus naturalem perfectionem ita ingentem ei gemmæ tribuerit.

Enimuerò si concedatur, oportuisse adamantem veluti pretiosissimum lapidem in sacra Scriptura habere locum; meo quidem iudicio non satisfit ex eo solùm, quòd in c.2. Apocal. ei locus detur. Adhuc enim ea ratio militat, nimirum cur adamas inter 12. gemmas fundamentorum, & in regis Tyri corona atque alijs Scripturæ locis, vbi variæ gemmę copulantur, non habeat sedem. Præterquam quòd Apocal.2. manifesta est allusio ad cap.6. Isaiæ. Quare, si apud Isaiam certum est agi de carbunculo, neutiquam allusioni fit satis, si in alterum lapidem carbunculus mutetur. Neque enim aptè potest alludi ad altaris prunam, si lapis ille, in quo consistit allusio, diuersus sit à carbunculo prunæ colorem referente.

Dicam igitur quid mihi veniat in mentem in hac difficultate haud exigua: quod quamuis primo aspectu videatur paradoxum; spero tamen doctis probatum iri, consideratis ijs, quæ in meę opinionis confirmationem adducam. Assero igitur valdè mihi esse verisimile, in sacris Literis nomine carbunculi adamantem comprehendi; imò verò inter carbunculos iuxta sacrę Scripturę phrasim, adamantem vt perfectum carbunculum reputari: quod vt significaret, dixisse Ioannem, *Dabo illi calculum candidum*; per allusionem scilicet in nomine carbunculi ad Isaiæ locum; addito mox adiectiuo, *candidum*, vt illum innueret, qui in sacræ Scripturæ locutione perfectus carbunculus est.

Nomine carbunculi adamantem etiam in Scriptura comprehendi, probabile videtur.

Hanc ad rem Primò aduerto, peruagatum esse vulgi nimis creduli errorem, existimãtis gemmam illam, quæ appellatur carbunculus, magnum ex se fulgorem facis instar collucentis, emittere; eamque in animalis cuiusdam fronte innasci. Quod sanè merũ est figmentum: peritiores enim rectè norunt eos, quos vulgò rubinos appellãt, alioquè id genus rubeos lapillos, à Latinis dici carbunculos; ob similitudinem, qua prunæ colorem referunt. Id quod compertum est apud Plinium, & apud alios auctores tam græcos, quàm latinos, qui de pretiosis lapidibus accuratè scripserunt.

Carbunculum & in animalis fronte nasci, & facu instar effulgere, vulgi error inolevit.

Secundò aduerto, ex gemmis alias aliarum esse affines & cognatas; atque adeò mirum non esse eas, quæ ab aliquibus auctoribus ad diuersa genera referuntur, ab alijs idem ad genus reduci, v.g. inter carbunculos annumerat Plinius quosdam, quos ipse amethystizontas nominat: eò quòd extremus igniculus in amethysti violam exeat. Quid igitur mirum, huiusmodi carbunculos inter amethystos ab alijs adscribi? Idem etiam Plinius alios assignat carbunculos, nempe Arabicos, quos ipse similes cuidam chrysolitorum speciei esse affirmat. Et sanè inter chrysolitos valdè accẽsos (qui vulgò hyacinthi appellantur) & inter carchedonios (quos vulgus granates appellat) tanta est affinitas, vt non videam, quare ad idem genus reduci non possint. Atque multa eiusmodi notari possunt ab ijs qui gemmarum inter se cognationem paulò attentiùs obseruauerint.

Varia carbunculorum species.

Tertiò aduerto, me non esse primum, qui candidum esse carbunculum, eumque inter ceteros carbunculos optimum, annotauerim. Plinius enim lib.37.c.7. ait, *Calistratus fulgorem carbunculi debere candidum esse posuit; ob idq; à pleriſq; hunc carbunculum candidum appellari.* Existimabit aliquis colorem candidum quidquam prunæ colori detrahere. Secùs tamen est; aliter enim non vt præcipua carbunculi virtus designaretur illum esse candidum. Hoc vt apertius fiat, notandum est, prunas, quò magis accensæ sunt, eò minus rubri coloris habere, quod etiam in ferro succenso apparet, quod, cùm summopere ignitum est, argentum appellare solent ferrariæ artis periti, ob coloris scilicet cum argento similitudinem: tunc autem nihil aut ferè nihil habet coloris rubri, sed proprius ipsius color est candidus, vnde & ferrum candens dici solet. Quando verò rubescit, dici solet aurum: & tunc non ita est accensum, coloremque roseum vel rubeum refert. Quòd si nonnihil adhuc ignis & color remittant, colorem habet violaceum ac cæruleum, cùm tamen ignitum adhuc sit ferrum. De quo videndus est Ioannes Baptista Porta libr.13. Magiæ naturalis cap.3. Itaque non idem sunt color prunæ, & color rubeus. Ac licèt ij, quos vulgò rubinos nominant, propriè sint carbunculi, non tamen minùs propriè esset lapis ille, cuius color ferrum maximopere candens, & argenteum colorem ac nomen habens referret, licèt tunc ferrum ipsum ignitum nihil, aut ferè nihil habeat coloris rubei.

Ferrum quò magis est accensum, hoc minùs rubescere.

Si igitur hæc attentè perpendantur, ecquis est lapis, qui ferri valdè accensi (cùm scilicet appellatur argentum) colorem magis imitetur, quàm eximius quisque adamas? qui inter pretiosos lapides maximè effulget atque scintillat, & in hoc liquidissimus quidam ignis apparet; ignis (inquam) non in rubro colore, sed in cãdido ac liquido. Quin & propria optimi carbunculi analogia, est ignis liquidus: vt rectè notat Plinius l.37. cap.6. vbi de opalo; in quo ait lucere carbunculi ignem tenuiorem. Hanc suspicionem non parum confirmat, opinor, certa ad Isaiæ carbunculum allusio. Atque ex alia parte epitheton *candidum*, debet certè magnam in se perfectionem indicare. Quare si adamantem sacræ Literæ adscribunt inter carbunculos; in eo valdè conspirant imitatio ignis & prunæ vehementer succensæ, atque color candidus, qui ad magnæ perfectionis significationem maximè conducit.

Carbunculi optimi analogia.

Quotidiana iam consuetudo, qua in lapidibus rubri coloris imitationem ignis contemplamur, efficit, ne aduertamus ignis imitationem, quam huiusmodi lapilli referunt, non in rubro colore, sed in luce potissimùm consistere. Si verò illud ita esset, quòd vulgò iactari solet, gemmam videlicet carbunculum dictam reperiri, quæ tantam ex se lucem emittat, vt facis instar accensæ radiet; quis non videat, licèt rubra eiusmodi gemma non esset, sed colorem adamantinum referret omnino, aptè tamen carbunculum nuncupari? Reiecto ergo hoc figmento de eiusmodi lapide adeò cõspicuo atq; fulgente, vt in tenebris ad eius lucem legi possit & scribi; manifestè constat nullum esse lapidẽ pretiosum, qui cõceptæ cupiditati adeò fulgentis lapidis magis sit affinis, quã lectissimus est adamas. Vnde si lux est, quæ per ignis imitationẽ carbunculo nomẽ hoc tribuit; nihil est mirandũ, eos, qui hodie adamantes reputantur, iuxta S. Scripturæ vsũ carbunculos debere nuncupari.

Accedit, quòd ea quæ Plinius & alij de suis tradunt adamantibus, non ijs conueniunt, quos hodie adamãtes dicimus. Nostri enim adamantes in mortario ferreo, chalybeo pistillo contusi facillimè confringuntur & atteruntur. De suis tamen Plinius hæc habet; *Incudibus hi deprehenduntur ita respuentes ictum, vt ferrum vtrimque dissultet, incudesq; etiam ipsa dissiliant.* Deinde nostrates adamantes magnetẽ sua virtute nequaquam priuant. Iam, quod aiunt, eum hircino sanguine molliri, in nostris adamantibus nugatorium planè est. Dicet tamen aliquis; Etsi hoc ita esset, nempe hac tempestate insignes illos antiquorum adamantes non reperiri, verùm sacræ Literæ cùm adamantis meminissent, eum debebant considerare, vt à carbunculis omnino diuersum. Respondeo tamen, non opus esse, nec oportere Scripturam de aliquorum fabulis, qui de adamantibus scripserunt, ducere rationem. Præsertim cùm eiusmodi fabellæ ad Israëlitici populi notitiam nondum fortasse peruenissent.

Adamantis duritie.

Carbunculi candidi species ab aliquibus tradi.

Ex

Digitized by Google

Coniectura de veterum, deq; nostrorũ adamantum qualitatibus.

Ex ijs quidem, quæ Plinius & alij de huiusmodi lapillis pretiosis, literarum monumentis consignarunt, alia verisimile est ab ipsis auctoribus fuisse conspecta, quæ possunt inter certa computari; alia verò, quæ ipsi fama tantum & auditione acceperunt; quę si oculis ipsi vsurpassent, id nobis explicuissent. Illud certum est, illos vidisse adamantes, qui ictibus frangebantur, & alio perforabantur adamante: ita enim Plinius memorat. Quare quod de alijs asseritur, simile vero est communem fuisse & peruagatam vulgi deceptionem, atque adeò extirpatu difficilem. Nam adamantes, qui inter optimos ad selectissimos habebantur, nullus opinor, incudis ac mallei experimento subijceret, ne tantæ iacturæ periculũ subirent. Quòd si aliquis adamas huiusmodi ictibus expositus, fractus dissiluit, in promptu erat responsio, illum ex ijs fuisse deprehendi quos Plinius nominat Siderites, qui teruntur, & perforãtur. Atq; in gẽmis, magaritis, vnionibus, alijsq; rebus eiusmodi pretiosissimis, veris falsa addere, ac nimias hyperboles & exaggerationes vsurpare perfacile est. Vt si quis dicat Galliarum Regi esse carbũculum, cuius luce ingens conclaue media nocte conspicuum appareat.

Iam, quod de hircino sanguine asseritur, vel fingitur potiùs; quis vnquam vidit, aut periculum fecit? Esto tamen, ab aliquo id fuerit conspectũ; qua ratione probabit reliquis, id nisi sanguine hirci fieri aliter nequaquam potuisse? Quis autem non videat, facile hoc figmentum à nugatore aliquo potuisse confingi, atque alios per imprudentiam ficta contriti adamantis specie per hircinum sanguinem fuisse deceptos? Præterquam quòd certum est, nisi inter duo ferrea instrumenta frangi adamantem non posse: in quocunque enim alio metallo, vt in ligno, penitus adigitur. Atque ita haud difficilè fuit aliquos decipi, falsò existimantes hunc lapidem crebris ictibus quantumuis validissimis non conteri; postea verò hirci sanguine delibutum, ictibus in incude contusum molliri ac frangi.

Sed quidquid sit de hoc; Respondeo Secundò eximios adamantes valde esse fulgentes, & in natiuo illo candore & splendore ignitum lapidem repræsentare; quamobrem sacram Scripturam annumerare eos inter carbunculos, illisque primum inter eos locum concedere; nec obstare quòd Plinius eos seorsum apponat.

Adamantum figura cuiusmodi apud Plinium.

Hoc ideo dixerim; quia qui hodie appellantur adamantes, eos Plinius haud dubiè inter suos adamantas adscriberet; eò quòd sint *laterum sexangulo lauore turbinati in mucronem.* Quam ille figuram adamantibus assignat Notum tamen est, alijs præterea lapillis eandem natura sua inesse figuram; nec solùm gemmis, sed etiam alijs vulgaribus calculis: ex quibus ipse sat multos in riuulo quodam legi. Quamobrem mirum non est inter carbunculos reperiri, alios quidem latos & rubeos, qui vulgò rubini nuncupãtur; alios verò turbinatos in mucronem sexangulo laterum læuore.

Adhuc tamen aliquis obijciet. Si in sacris Literis nomen carbunculi nostris adamantibus tribuitur, eadem perstat difficultas: etenim illa ipsa interrogatio, quæ antea de adamantibus fiebat; fiet etiam eodem modo de carbunculis, qui inter gemmas optimi sunt: atque ita si adamantibus carbunculorũ nomen in sacra Scriptura conceditur, nihil loci rubinis in eadem Scriptura reliquum erit. Ad hęc tamen duo Respondeo: Primum est, ex eodem genere non opus esse, vt sacra Scriptura ad Rationale, siue ad ciuitatis Dei fundamenta plusquam vnam speciem seligat. Num in Plinij vsu illæ omnes species sub genere ac nomine carbunculi comprehenduntur, quæ vulgaribus nominibus appellari solent, *rubi, balax, spinella, granate, rubaza*, &c. Et satis est aliquã ex hisce speciebus seligi ad Rationale. Quare, si carbunculus & adamas in sacrarum Literarum vsu, sub eodem genere sunt; sufficit vt ex ijs adamas eligatur, qui prunam magis ignitam (vt vidimus) suo colore imitatur. Secundò respondeo, quemadmodum nos sub eodem genere complectitur vulgares illas species, quas nuper dixi, ita etiam mirum non esse ab Scriptura numerari sub vno genere, quæ ignitam prunam candidam imitantur; sub alio autem genere gemmas omnes rubras, vt sardum (qui carnis conspicuæ refert colorem) rubinum, spinellam, &c. Atque ita in sacræ

Varia carbunculorum nomina vulgaria.

A Scripturæ vsu fortè non est distinctio inter sardum & carbunculum; quorum vterque rubeus est: in Rationali autem potest contingere, vt nomen sardæ, designet rubinum; nomen verò carbunculi, adamantem.

Denique opus nõ est, vt Scriptura nominibus gemmarum adeò stricte & presse vtatur, vt Plinius. In hoc enim rectè sentiunt, qui Scripturam ab strictissima hac nominum obligatione liberant. Verùm non pro cuiusque libito hæc nomina immutanda sunt; nec dicendum, iaspidem in Scriptura esse adamantem. Hoc enim violentum valde est, nec id patitur græci nominis analogia. At igniti lapidis nomen indere adamanti, id (vt vidimus) carbunculi nominis analogia non respuit; quandoquidem Calistratus & Plinius aduertunt, carbunculos esse candidos, eosque perfectissimos reputari. Præsertim cùm nos doceat experientia, prunas magis accensas & ignitas esse illas, quæ non rubrum, sed candidum potiùs colorem præ se
B ferunt.

Præterea cum hac mea opinione optimè quadrat, Ioannem in [illegible] gemmis fundamentorum nouę Hierosolymæ (de quibus cap. 21. in tertio fundamento) nomen Chalcedonij vsurpare pro nomine carbunculi. Vbi (vt id obiter adnotem) non lego *Calcedonium* sine aspiratione, vt aliqui librariorum errore decepti legunt, sed *Chalcedonium*, vt biblia Regia & alij habent. Et qui id attentè aduertit, facilè videbit calcedonij nomen nullam peculiarem vim aut congruentem etymologiam habere; chalcedonium verò habere magnam energiam.

Gemm. cedonij cum aspira. no scribendum.

Deinde probabile est, adamantem appellatum fuisse chalcedonium ab ijs, qui iuxta Cyprum insulam incolebant. Nam Chalcedon idem est, quod æreum: Plinius autem asseuerat adamantem Cyprium vergere in æreum colorem: atque addit eum esse in medicina efficacissimum. Nil igitur mirum, inde ortum duxisse, vt carbunculus medicinæ vtilis chalcedonius diceretur. Rubinus quidem ærei coloris nec dari vnquam potest; nec, si daretur, in magno pretio esset: at adamas coloris ærei reperitur quidem, vt notum est, & magni apud omnes haberi merebatur, quòd ad medicinam sit aptissimus. Æreus præterea color nonnihil ad ignitæ prunæ colorem conferet. Et licèt Plinius fabulosos adamantes ijs anteponat, quos nominat Cyprios; hos tamen præferri etiam illis, quos dicit Siderites, id est, ferreos; ex quorum genere sunt, qui hodie agnoscuntur. Illis enim conueniunt proprietates, quas Plinius adamanti Sideriti adscribit; nimirum ictibus frangi, & alio adamante scalpi posse.

Chalcedonij gemma etymon.

Præterea Chalcedonis nomen in adamante fortassis indicat illum esse, qui omnia metalla vincit ac domat. Etenim nomine *Chalcos* vti, ita vt ferrum atque aciem chalybeam comprehendat; hoc quidem Græcorum proprium est, vt constat ex græco thesauro. Aut fortè *Chalcedon* idẽ est, quod durissimum & constantissimum, eadem phrasi, qua Horatius dixit, l. 1. epist. 1.

Aheneus idem, quod durissimus.

C ——— *Hic murus aheneus esto,*
D *Nil conscire sibi.* ———

vbi *aheneus*, idem est, quod firmissimus; atque idem etiam esset chalybeus, siue sidereus, id est ferreus. Itaque in nomine Chalcedonis optimam reperimus energiam ad adamantis significationem. Sin de carbunculo rubeo, seu de rubino, aut de alia diuersa gemma sermo esset, non redditur ratio apta eidem nomini Chalcedonis.

Hactenus de colore carbunculi, & chalcedonij & calculi candidi in sacræ Scripturæ locis. Quòd si symbolum ac mysterium attendere velimus, aptissimum mea sententia reperitur in eo, quod adamas fuerit præsertim delectus ad idem, quod iuxta aliorum opinionem per rubinũ aptè indicaretur. Etenim quod attinet ad prunæ pretiosę significationem, illa quidem rubino non melius quadrat, quàm adamanti. Quin imò adamas est pruna candida, siue calculus candidus, id est, pruna nimis accensa atque ignita. Quod ideò non est ab aliquibus animaduersum, quòd vulgari cõsuetudine ab ipsa veritate abstracti nõ considerant in adamãte candentis prunæ similitudinẽ ac significationẽ. Ceterũ vbi ad hanc cogitationem animũ seriò adiecerint sicut

Digitized by Google

sicut sacros Scriptores factitasse existimo; non modò non difficultas inuenitur vlla, sed etiam deprehenditur in adamante prunam pretiosam referri multò magis ignitam, quàm carbunculum.

Carbunculus, & adamas ignem non incalescentes: quid symbolicè significent.

Iam, ad id quod de carbunculo asseritur, scilicet igne nõ calefieri, hoc maiorem adhuc habet locum in adamante, qui neque potest ferro vulnerari, neque calefit ab igne. Atque ideo accommodatus planè est, vt per eum significetur, quantumuis ei face ac ferro indicatur bellum; nihil illi esse quod timeat, propter mysticæ impassibilitatis donum.

Præter hæc, si carbunculus inueniebatur aptus ad illud significandum, quod initiò per speciem prunæ metum incutit, deinde manu contrectatum, hominem solatur ac ditat; eadem omnino symbolica significatio perfectiùs adamanti inest: qui præterquam quòd prunæ magis ignitæ & candentis similitudinem præfert, habet etiam tribuli speciem. Omnes enim adamantes turbinati atque adeò acuminati nascuntur; qui quodammodo videnti horrorem incutiunt, & vt sibi caueat, commonefaciunt. Quin etiam hebraicum nomen adamantis deriuatur à verbo, quod significat cauere: eiusque nomen tribulis commune est, quorum nomen Hispanum *abrojos* monet, vt sibi quisque caueat, & oculos aperiat. Hæc tamen cuspis, hæc pruna, si manum admoueas, solatium pariter ac diuitias affert.

Adamanti figuram inesse tribuli, cui & hebraicum quadrare nomen.

A

Adamantis insuper potentia ad quodlibet quantumuis durum perrumpendum, admirabilis est ad denotandam ingentem vim ac fortitudinem, quam Deus illi impertit, quem mystico adamante locupletat.

Adamantem ferri ictibus in aliud ferrum impacti solùm cedere, & quid per hoc figuretur.

Quòd verò solùm ferri ictibus in aliud ferrum impacti cedat adamas, mirè exprimit ferreum Christi sceptrum esse, cui vni fasces submittit adamas; hocque ferrum esse, quod adamantem infringit ac mollit. At enim hic ipse adamas contritus, hic puluis adamantinus maximè est vis atq; potentiæ ad rem aliam quamlibet domandam & confringendam.

Licèt autem ante humani generis redemptionem adamas fuerit aliquis inuentus, qui ferro minimè cederet: iam ferreæ Christi virgæ nihil non cedit atque subijcitur.

Ferrum adamante tactum volui ad Septemtrionem.

Denique verum fortasse est, quod affirmat Ioannes Baptista Porta in sua magia lib. 7. cap. 55. ferrum scilicet adamante tactum volui ad Septemtrionem. Quod ideò forsan in adamante non animaduertitur, vt in magnete; quia ille multò minor est. Si verò hæc illi virtus insit, significatio eadem erit, quam magnetis esse dicemus notat. 8.

B

CAPITIS II. PARS IV.

Quæ est epistola ad Thyatirensem Episcopum: & sub eius nomine ad fideles in Dei obsequio feruidos, sed per imprudentiam deceptos.

TEXTVS.

Vers. 18. ET Angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis, & pedes eius similes aurichalco.

19. Noui opera tua, & fidem, & charitatem tuam, & ministerium, & patientiam tuam, & opera tua nouissima plura prioribus.

20. Sed habeo aduersus te pauca: quia permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit propheten, docere, & seducere seruos meos, fornicari, & manducare de idolothytis. C

21. Et dedi illi tẽpus, vt pœnitentiã ageret, & non vult pœnitere à fornicatione sua.

22. Ecce mittam eam in lectum: & qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint.

23. Et filios eius interficiam in morte: & scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes & corda; & dabo vnicuique vestrûm secundùm opera sua.

24. Vobis autem dico, & ceteris, qui Thyatiræ estis: Quicumque non habent doctrinam hanc, & qui non cognouerunt altitudines Satanæ, quemadmodum dicunt, non mittam super vos aliud pondus.

25. Tamen id quod habetis, tenete donec veniam.

26. Et qui vicerit, & custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super Gentes.

27. Et reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur.

28. Sicut & ego accepi à Patre meo: & dabo illi stellam matutinam.

29. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesijs. D

COMMENTARIVS.

Quanam hæc sit, qua Iezabel à Christo vocatur.

ANTEQVAM ad interpretandam Christi periphrasim accedo, qua ipse in hac epistola vtitur; operæ pretium erit examinare, quæ sit hæc Iezabel, quam textus inducit. Christus enim vitio vertit Episcopo, quòd damnum permisisset Thyatirensi Ecclesiæ à Iezabele illatum. Quare ex huius intelligentia pendet optima applicatio tam periphrasis, quàm ipsius epistolæ contextus.

Singularem fuisse faminã, aliquorum opinio est.

Multi affirmare videntur, Iezabelem hanc fuisse singularem aliquam fœminam, quæ se prophetissam comminiscebatur, & fideles alliciebat, vt cum ea fornicarentur, nec ab idolothytorum esu abstinerent. Quam explicationem ex antiquis sequuntur Primasius, Ambrosius, Rupertus, Anselmus: & ex recentioribus Ribera & Pererius. Alij, licèt non ita clarè loquantur, in eandem tamen opinio-

Digitized by Google

A opinionem propendêre videntur; quos tamen nostra huius epistolæ interpretatio (quam mox trademus) fortè nobiscum conciliare poterit. Nam, cùm textus peculiarem fœminam nominet; illi de fœmina etiam loquũtur, non satis decernentes, vtrùm vera sit persona an ficta. Hoc enim pro certo statuere aut noluerunt, aut non potuerunt. Qui post reliquos extremus scribit, hoc eis præstat; vt collatis ijs, quæ à prioribus dicta sunt, nouam possit lucem afferre; quod in præsenti epistola me facturum spero.

Obseruo ergo Primò, mihi esse valdè verisimile, hanc Iezabelem non esse singularem fœminam, sed gentem aliquam, aut sectam. Quæ sententia non noua est, sed eam expresè sequuntur Ticonius, Epiphanius hæresi 51. Andreas, Aretas, Haymo, Beda, Aureolus, Richardus, Albertus, Thomas & Seraphinus. Hi auctores atque alij, licèt discrepantes inter se sint in designanda gente siue secta, quæ hîc Iezabelis nomine appelletur; in eo tamen conueniunt, eam non esse peculiarem fœminam, sed gentem aut sectam. Argumenta quibus id suadetur sunt. Primum, si peculiaris esset fœmina, quæ tantam perniciem in Ecclesiam Thyatirensem inueheret, vt Iezabelis nomine ab Spiritu sancto nuncupari mereretur; non poterat non ipsius tam nomen, quàm historia omnibus esse cognita & manifesta. Quod tamen contrà accidit: nam qui eam veram esse fœminam arbitrantur, & inter se valdè dissentiunt, & quid pro certo asserant, non habent: quòd si quid affirmant, id

B coniectando potiùs est, aut fingendo. Nonnulli opinantur, quod veri nullam similitudinem habet, illam videlicet vxorem fortasse fuisse Episcopi ipsius. Ita Haymo, Albertus, Anselmus & Thomas Anglicus. Sed res est prorsus incredibilis. Si autem Episcopus permitteret propriam vxorem tantopere esse Ecclesiæ exitialem, multò grauiùs ac seueriùs à Christo obiurgaretur & terreretur minis.

Probabilius gentem aliquam siue sectam hoc nomine nũcupari.

Secundum, si hæc Iezabel cum Babylone cap. 17. Apocal. comparetur; videbimus vtramque appellari fœminam, vtramque fornicariam, & vtrique nomen afflictum imponi: & Apocalypseos consequentia postulat, vt quemadmodum Babylon non est mulier peculiaris, sic etiam Iezabel accipiatur pro gente aliqua vel secta.

Tertium, videtur res minimè digna Apocalypseos magnitudine & artificio, atque harum epistolarum sublimitate; vt in illis ad rem adeò exiguam ac minutam deriuetur sermo, vt ad singularem quandam fornicariam, quæ se prophetissam fingebat. Quod si ad singulare deueniretur, vt res alia sic perpendi posset, non adeò mirarer: nam & ad Antipæ martyrium singillatim deuenitur, vt persecutionis magnitudo expendatur; præcipua tamen huius epistolæ intẽtio est, Episcopum reprehendere, quia Iezabelem permittebat: id quod Apocalypseos præstãtię (vt dixi) minimè respondet.

Apocalypsi esse indignũ vt singularis fœminæ mentio adeò peculiaris fiat.

Quartum, Christi periphrasis in hac epistola, & alia ex eadem verba postulant, vt Iezabelem non

C pro vnica persona, sed pro gente vel secta accipiamus. Dicet tamen aliquis, non esse ad harum epistolarum consuetudinem aptum, si de aliqua secta sermo sit, illi figuram fœminæ adscribere. Nam de Nicolaitis iterum atque iterum simpliciter agitur. Nec secùs est de Synagoga Iudęorum. Respõdeo; Vbi sermo tantùm erat de bello cum Nicolaitis per publicas disputationes gerendo; deque odio, quo Iudæi Smyrnensem Episcopum prosequebantur; & de ijs, qui se Episcopo Philadelphiæ subiecturi erant; tunc (inquam) non opus fuit de vtrisque per ænigmata & personarum fictionem agere: cùm verò in hac epistola instituendus esset sermo de magno Dei mysterio, id est, Iudaici populi reprobatione, & Gentilicij electione; non mirum est, hîc ad maiorem dissimulationem induci meretricis figuram; vt in præcipua deinceps Apocalypseos actione, idem mysterium tegitur duarum ciuitatum specie; ex quibus altera quoad decimam ipsius partem concidit, c. 11. altera penitus conflagrat, c. 18. & in cap. etiam 17. fingitur meretrix quædam Romam repræsentans.

Cur de Nicolaitis simpliciter fiat sermo, de Synagoga verò symbolicè.

Obseruo Secundò, per hanc fœminam, quę appellatur Iezabel, significari Iudęorum Synagogam; eam præsertim, quam illi Thyatiræ habebant. Huiusmodi assertionem à nemine exprimi video: qui enim putant Iezabelem hîc non esse fœminam aliquam, sed gentem vel sectam; alij dicunt esse Nicolaitarum hæresim; alij Priscillianistarum; alij hæresim generatim sumptam, id est, omnes hæreticos; & alij Mahometicam sectam. Ego tamen arbitror, Iezabelem hîc non esse aliam, quàm Iudæo-

D rum Synagogam, qui omni studio & arte contendebant, vt Thyatiræ fideles cum ipsis in Mosaicæ legis obseruatione consentirent. Hoc mihi multis argumentis persuadeo.

Iezabelis nomine Iudaeorum Synagogam indicari.

Primum, quia periphrasis Christi est, *qui habet oculos tanquam flammam ignis, & pedes eius similes aurichalco*. Quæ duo symbola (vt c. 1. vidimus) propriè indicant indignationem Christi aduersus Iudæorum Synagogam, & Ecclesiæ transitum ad gentilitatem. In hac ergo epistola satis apparet, Christi indignationem esse contra Iezabelem, & epistolę scopum esse fructum, qui ex Euangelij ad Gentes prædicatione per Thyatiræ fideles fuerat percipiendus. Quod si ita est, quiuis facilè cernat, argumentum Apocalypseos postulare, vt per Iezabelem Iudæorum Synagoga figuretur.

Secundum, hanc eandem persuasionem adiuuat illorum verborum declaratio, *non mittam super vos aliud pondus*. Quorum sensus est; nolle Christum vt sui fideles cærimoniarum veteris legis onere grauentur. Atque eadem verba sunt magnopere congruẽtia cum Apostolorum decreto Act. 15. 28. *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil vltrà imponere vobis onerũ*, &c. Illa ergo, *non mittam super vos aliud põdus*, ita exponunt Victorinus, Ambrosius, Primasius, Beda, Haymo, Ioachimus, Rupertus & Lyranus. Quæ expositio adeò probabilis & communis si suscipiatur; optabile valdè est, vt epistolæ contextus omnino cum ea sententia conueniat. Si autem per Iezabelem Iudæorum Synagogam intelligamus, omnia aptè cohærent; cùm aliter epistolæ partes inter se non consentiant.

Quo sensu Christus dicat, se aliud pondus non missurum.

Tertium, ex Pauli epistolis manifestum est, primitiuæ Ecclesiæ tempore, Iudæos præsertim pseudoapostolos vehementer contendisse, vt fideles in Mosaicæ legis custodia cum ipsis conuenirent.

Quæ

Digitized by Google

Quæ dicantur altitudines Satanæ.

Quæ tamen diabolicæ fraudes, ac technæ erant ad grauissimum Christianæ Ecclesię detrimentum. A
Atque id in hac epistola significatur verbis illis *altitudines Satanæ*; græcum enim nomen profunditates sonat; & ad astutias, callidaque consilia diaboli, & occultas ipsius artes ea vox referenda; vt doctè probat Pererius disp. 18. Quantum verò damni Christianis Iudæi non solùm bello & aperta vi, sed persuasione etiam ac fallaci doctrina conarentur inuehere, id multis locis docet Paulus, vt ad Titum 1.10. & infrà & 1. Corinth. 11.26. & Galat. 2.4.

Thyatira Episcopus cur imprudentiæ arguatur.

Quartum, Thyatiræ Episcopus imprudentiæ arguitur, vt constabit infrà: quod eò debet spectare, vt Iudæos fugiat, & fideles ex eorum commercio secernat; & tam Episcopus, quàm ipsius discipuli ad Gentium conuersionem traducantur. Huc enim huius epistolæ argumentum tendit. Quam ad rem congruentissimum est, vt Iezabel Iudaicum populum repræsentet.

Quintum, ad singularem fœminam, quantumuis improbissimam ac detestandam, nimis hyperbolicè videtur Iezabelis nomẽ aptari ad sectam item Nicolaitarum & ad reliquas ab alijs designatas, non video quàm aptè Iezabelis nomen conueniat. Quem enim Apostolum occidere conati sunt Nicolaitæ; vt Iezabel Prophetas Domini non conatu solùm, sed etiam re ipsa occidebat? Vide 3.Reg.18.4.13. Ad Iudæorum autem Synagogam nullũ significantius nomen potuit applicari. Nam vt Iezabel Dei Prophetas inexpiabili odio prosequebatur; ita Synagoga (Achabi, id est, dæmonis B
vxor) Apostolos & Christianos Episcopos bello internecino insectabatur; eosque vel de medio tollere, vel in fraudes ac fallacias inducere summopere contendebat; vt saltem Christiani legem Mosis obseruarent, quod Ecclesiæ maximam perniciem importaret.

Sextum, hoc si statuamus, Iezabelem esse Synagogam; optimè habet, vt Christus Episcopum obiurget, quòd à Iezabele damnum Ecclesiæ illatum permittat. Et quamuis culpa Episcopi non alia fuerit, nisi aliqua imprudentia, dum veretur ne Iudæos iritet, & sperat sine magno Ecclesiæ damno fieri posse, vt per fidelium amicitiam ad Christum traducantur; nihilominùs Christus, qui hac in re ludi operam videbat, & frustra Iudæis morem geri, quòd nullus ex ijs fructus esset percipiendus, & in Christianos maximum damnum redundaret; iure optimo Episcopum arguit: & asserit in illum conferri culpam, quòd Iezabelem permittit docere & seducere fideles, &c. Ad veritatem autem verbi illius *permittis*, non opus est, existimetur Episcopi culpam fuisse grauissimam. Nam D. Petri defectus aut nullus omnino fuit, aut leuissimus, & tamen Paulus prudenter dixit, *Cùm vidissem quòd non rectè ambularent ad veritatem Euangelij, dixi Cephæ coram omnibus; Si tu, cùm Iudæus sis, gentiliter viuis & non iudaicè: quomodo cogis gentes iudaizare?* ad Galat. 2.14.

Septimum, si totius epistolæ contextus idoneè ad nostram sententiam applicetur; argumento C
erit, nos collineasse in Iezabelis explicatione. In aliorum enim explicationibus non video, quomodo huius epistolæ partes aptè congruant inter se. Ad id autem, quod optari poterat ab ijs, qui Iezabelis personam ad hæreses applicant, nempe vt huius epistolæ auctoritate contra hæreses vterentur, nostra etiam expositio locum præbet. Nam, vt diximus in prolegomenis, notat. 23. quod in Apocalypsi dicitur contra Iudæorum Synagogam, vtile etiam valdè est, vt cognoscatur, qua ratione Dei prouidentia aduersus hæreticos se gerat.

Quod hic contra Synagogam dicitur, posse etiã aduersus hæreses aptari.

Si quis tamen optabat in hac epistola repræsentari Prælati imprudentiam, qui se decipi facilè sinat à præstigiatrice fœmina, vel ab impostore aliquo, qui reuelationes fingant, & commentitiæ sanctitatis specie multa scelera atque flagitia celent; ad hoc etiam nostra expositio commodè vsurpari potest. Figura enim sumitur à muliercula præstigiatrice, quæ sanctitatem mentita multis clàm libidinibus esset dedita: & hac comparatione facilè quis ad similes euentus vti potest ex ipsius epistolæ tenore. His præiactis ad epistolæ contextum accedamus.

VERS. 18. HÆC DICIT FILIVS DEI, QVI HABET OCVLOS TANQVAM FLAMMAM IGNIS, ET PEDES EIVS SIMILES AVRICHALCO] Non potuit quidquam congruentius pro hac epistola ad Christi periphrasim assumi. Vbi enim per imprudentiam errabat Episcopus, nihil oportunius, quàm Filium Dei esse eum, à quo suæ imprudentiæ arguitur. Et quis nesciat, nomen Filij Dei summam sapientiam importare? Etenim si sapientia magna angeli nomine denotatur (vt videre est 2.Reg.14. 20.) quanto magis nomine Filij Dei; qui est ipsa Dei Patris Sapientia? Iam, ad Christi indignationem D
contra Iudaicum populum significandum, quid aptius, quàm oculi flammantes? Certè is ipse fuit sensus flammeorum oculorum cap. 1. Deinde, si Christi intentio est præcipere Episcopo, vt relictis Iudæis ad Gentium conuersionem procurandam conuertatur; proprium huius rei symbolum sunt pedes ex chalcolibano ardenti, vt cap. 1. explicatum est. Et quoniam pedes ex chalcolibano singulatim denotant profectionem ad Euangelium Gentibus prædicandum, & ad ipsas Christianæ fidei religione inflammandas; ideò existimo non solùm Episcopo imperari, vt Thyatiræ Euangelium Gentibus diuulget; sed etiam vt Iudæorum persecutionẽ fugiens tam ipse, quàm fideles Thyatira egrediantur; ac per vicina oppida dispersi quocumque accesserint, ibi Iesu Christi fidem Gentibus prædicent; & ignem illum accendant, quem Christus venit mittere in terram. Cùm verò grauissimum esset damnum, quod Iudæi fidelibus Thyatiræ importabant, & multo adhuc grauius periculum immineret; Episcopum arguere, quòd illud permittebat, idem videtur esse, ac ipsum reprehendere, quòd non Thyatira discederet cum omnibus fidelibus, vt imminens discrimen vitarent. Hanc autem fugam Christus ad gentilitatis bonum ac salutem dirigebat. nam eadem ratione accidit in ea persecutione, quam Iudæi Hierosolymis aduersus Christianos concitarunt; vt ex Apostolorum Actibus constat. Atque ita optimè fit satis obiectioni, quam aliqui Apocalypsi opposuerunt. Epiphanius enim videtur concedere Thyatirensem Ecclesiam annis quàm pluribus post Apocalypsin conscriptam, fuisse erectam atque fundatam. Sed quid mirum, si Christi iussu fi-

Quorsum hic Christus dicatur Filius Dei?

Quorsum habere flãmeos oculos?

Quorsum pedum ex chalcolibano ardenti fiat mentio?

Nam Thyatirensis Ecclesia post scriptam Apocalypsin potuerit fuisse fundata?

deles

Digitized by Google

A deles Thyatiræ initio degentes vnà cum Episcopo ciuitatem illam dereliquerunt; vt periculum declinarent, quòd sibi ipsis, si ibidem persisterent, impendebat; & ad disseminandum Euangelium varias in partes diuisi sunt? Videatur quid hîc Pererius & Ribera dicant ad illam obiectionem ex Epiphanij auctoritate.

NOVI OPERA TVA, &c.] In huius Episcopi descriptione manifestè patet illum fuisse in Dei obsequio valdè feruidum; quãdoquidem tot eius virtutes cõmendantur à Christo, & in earum studio quotidianũ incrementũ. *Opera tua nouissima plura prioribus.* His annectitur, hunc Episcopũ à Christo increpari, quòd Iezabelem permitteret: non tamen addi, vt pœnitentiam agat, nec minas illi intendi, si secùs faxit. Cernimus autem in ceteris epistolis quando Christus Episcopum arguit, mox comminationem adiungere, nisi resipuerit. Vnde infero, huius Episcopi culpam imprudentiæ tantùm fuisse; quòd deciperetur, existimans se, si Iudæis conniueret, eos hac viâ ad Christum traducturum. Quòd si ipsius defectus per imprudentiam fuit, cùm alioqui esset diuini obsequij æmulator, & in eo diligentissimus; perspicuum est non opus fuisse hortatione ad pœnitentiam, nec comminatione; sed suæ tantùm imprudentiæ admonitione, ac detrimenti, cuius periculum sua Ecclesia subibat, & exiguæ vel nullius potiùs vtilitatis, quæ è Iudæis esset percipienda. VERS. 19. *Cur Thyatirenſi Epiſcopo non intendantur mina, ſi ſecùs faxit.*

PERMITTIS MVLIEREM IEZABEL, QVÆ SE DICIT PROPHETEN, DOCERE, ET SEDVCERE SERVOS MEOS, FORNICARI, ET MANDVCARE DE IDOLOTHYTIS] Iezabel est ficta persona, quæ B Iudæorum Synagogam repræsentat, vt suprà explicauimus. Illa igitur verba, *quæ se dicit propheten*, aptissimè intelliguntur de pseudoapostolorum fraudibus, qui se confingebant Apostolos, vt fideles deciperent. Atqui manifestum est pseudoapostolos non fuisse ex Gentibus, sed ex Iudæis. Constat verò prophetæ nomen ad prædicatorum officium referri (sicut & nomen Apostolorum) & ad sacræ Scripturæ intelligentiam. His cohæret quod sequitur, *docere, & seducere seruos meos*; quod ad doctrinam de coniungendis legalibus cum Christi fide referendum est; de quo latè Paulus in epistola ad Galat. & Tit. 1. 11. *Docentes quæ non oportet turpis lucri gratiâ.* Eorum verò doctrinâ multi ex simpliciori- bus seducebantur, vt ex Pauli epistolis colligitur. VERS. 20. *Quo ſenſu myſtica Iezabel Dei ſeruos ſeducere dicatur.*

FORNICARI, ET MANDVCARE DE IDOLOTHYTIS] Ex his verbis colligere volunt Andreas & Aretas, Iezabelis nomine sectam Nicolaitarum denotari. Nam quod hîc traditur de Iezabele, idem est, quòd de Nicolaitis fuerat prædictum in epistola ad Pergamenum, *edere & fornicari*. Ceterùm, vt vidimus, multa sunt argumenta, quæ nos cogunt vt credamus, per Iezabelis nomen Iudæorum Synagogam hîc significari. Nec mirum est, quod in vno sensu de Nicolaitis dicitur, in alio magis recondito de Iudæis affirmari; cùm Iudæi designantur sub ficta Iezabelis persona. Synagoga ergo Iudæorum dicitur inuitasse ad fornicationem Christianos, quòd eos sibi coniungere curauerit in illicita legalium obseruatione, quæ erat spiritualis quædam fornicatio. quippè consociatio erat illicita cum meretrice. Synagoga enim in legalium obseruatione post eorum prohibitionem meritò di- C citur fornicari à Deo; iuxta sacræ Scripturæ phrasim: atque ita Christianos inuitare, vt se cum illa coniungant in illa legalium rerum iam prohibitarum obseruatione, erat quasi ipsos ad fornicationem quandam inuitare. *Idolothytorum eſus & fornicatio quomodo accipienda.*

Quòd si illa obseruatio legalium meritò dicitur fornicatio cum infideli meretrice: manducatio de idolothytis illud appellabitur, quod ipsam fornicationem antecedebat, sicut præcedit gula luxuriam. Nam in hoc alluditur ad id, quod filiis Israël accidit cum Madianitis feminis; quæ Balaami cõsilio Israëlitas ante fornicationem illiciebant ad manducandũ de idolothytis; vt habetur Num. 25. 2. Si autem idolothytorum esus ante fornicationem præmittebatur; Iudæorum amicitia & cum iis societas atque commercium iure optimo dicetur manducatio de idolothytis. Hoc enim spiritualem fornicationem prædictam antecedebat. Licèt autem potuerit cõtingere, vt ex fidelibus aliquos ignorantia excusauerit, ita vt eorum peccatum non adeò esset graue; res tamen ipsa erat suo ex genere grauissima; & quæ, per summam diaboli astutiam, in maximum Ecclesiæ damnum vergebat. Quamobrem eam Spiritus sanctus verbis adeò grauibus increpat, alludens ad fornicationem filiorum Israël cum Madianitis. Hæc autem allusio multum habuit decori; quia in ea de Synagoga sub meretricis infidelis figura sermo est. Cuiusmodi erant Madianitæ mulieres, quæ Israëlitas deceperunt.

D ET DEDI ILLI TEMPVS, VT POENITENTIAM AGERET; ET NON VVLT POENITERE A FORNICATIONE SVA] Id est, satis diu Synagogam expectaui, & ad ipsius conuersionem nullum non mouì lapidem, priusquam illam penitus derelinquerem; quare nimia ipsorum pertinacia factum est, vt eos tandem reprobarim, qui mea patientia abusi sunt, nec ad me conuerti voluerunt. VERS. 21.

ECCE MITTAM EAM IN LECTVM] Cùm semel statuerimus, Iezabelem esse populum Iudaicum; morbus illius intelligendus est eo ferè modo quo dicitur in psalmo 67. 10. *& infirmata est.* Cùm enim gens aliqua vehementer laboribus & ærumnis opprimitur; si de illa sub fœminæ alicuius figura sermo sit, omnes illi labores & calamitates grauissimi morbi nomine aptè significantur. Hæc igitur comminatio denotat grauissimas tempestates ac procellas, quæ erant contra Iudæorum gentem per Romanos excitãdæ: quæ omnia fuere meritissimum à Deo supplicium propter Iudæorum ipsorum obstinationem, quòd Euangelium recipere noluerint. VERS. 22. *Quæ ratione Iezabel in lectum dicatur mittenda.*

ET QVI MOECHANTVR CVM EA, IN TRIBVLATIONE MAXIMA ERVNT, NISI POENITENTIAM AB OPERIBVS SVIS EGERINT] Sensus est, quo tempore ingens calamitas Iudæos cõcusserit, & ipsi ad internecionẽ fuerint diligentissimè conquisiti; qui adhuc ex Christianis cum ipsis communionem in cerimoniarum obseruatione habuerint, magnopere afflictabuntur, quòd Iudæorum nomine, non Christianorum, calamitatem illam perpetiantur. Nam si ob Christianum nomẽ vexa-

Digitized by Google

rentur,id non iis dedecori ac probro,sed laudi potiùs ac gloriæ dandũ esset. Sed illos quasi Iudæos (cùm tamen Iudæi non sint)fore cruciandos, ob id solùm quòd externa facie cum Iudæis consentire voluerint, neque id sine conscientiæ morsu;id verò grandem ipsis tribulationem importaret. A

VERS.23. ET FILIOS EIVS INTERFICIAM IN MORTE] Dignissimum est Apocalypseos Theologiâ, vt phrasis hæc denotet supplicium summæ seueritatis contra Iudæos in hac vita à Deo sumptum; nẽpe in obduratione eorum.Christianos autem,qui per imprudentiam cum ipsis consenserant, non dicitur idcirco morituros,sed in maximam tribulationem deuenturos,nisi resipiscant. Verùm Synagogæ filiis,nominis Christiani hostibus grauiores multò intenduntur minæ;illos scilicet ex vitę libro delendos fore,& obdurationis morti dandos.

Quæ sit hæc comminatio Iezabelis filijs intentà.

ET SCIENT OMNES ECCLESIÆ,QVIA EGO SVM SCRVTANS RENES ET CORDA]Si simplex esset de meretricis supplicio tractatio,hæc sententia minimè erat ad rem. Nam meretricis scelera nõ affectuum solùm & cogitationum sunt(quæ significantur in renibus & cordibus)sed reipsa etiã, cum prauo exemplo & multorum offensione,perpetrata. Quare ex huius sententiæ contextu clarè elicitur,non esse sermonem de singulari aliqua meretrice. Sed dicet aliquis eandem obiectionem contra nostram etiam declarationem habere locum. Peccata enim Synagogæ non fuerant tantùm affectu & cogitatione commissa,sed etiam opere in Christiani nominis persecutione.Respondetur; Quando externa in Christianam Ecclesiam persecutio punitur;si solùm externi operis pœna attendatur,in hoc non apparet Christum esse renum & cordium scrutatorem. Sed priusquam ad id deueniatur,illud in Iudæis præcedit,multos scilicet ex his, qui in speciem viri erant probi, & zelum Dei habere videbantur;re ipsa tamen Euangelium non suscepisse,sed perstitisse adhuc duros & obstinatos.Quòd si rogetur;cur Deus,qui aliis immerentibus suam lucem & gratiam impertijt, auxilio scilicet efficaci eis præstito,Iudæos illos,qui probi ac religiosi homines videbantur, cæcos & illo efficaci auxilio destitutos reliquerit:vera huic interrogationi Respõsio illa est; Deum videlicet in aliis suæ gratiæ vires ostendisse;in aliis suæ iustitiæ edidisse documenta.In his igitur,in quibus suam seueritatem ostendit,cùm ipsorum scelera externa non fuerint,fateamur necesse,Deum suę Ecclesię declarasse,se esse qui renes & corda scrutatur. Atque in hoc eodem sensu dicitur Lucæ 2. 35. *Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Atque ita per Iudaici populi reprobationem Christus suas Ecclesias admonuit,ne sibi satis esse putent Christianos ritus exteriùs tantùm & per speciem obseruare; sed mentis potissimùm puritatem & integritatem colant, & occultam animi superbiam à se ablegent:omnia enim perscrutari Deum,& omnia diiudicare. Id quod verbis subsequentibus declaratur,*Et dabo vnicuique vestrùm secundùm opera sua.* Quia verò scrutari renes & corda,est proprium Dei,vt habetur psal.7.10.ideo valet etiam hic locus ad probandam Christi diuinitatem.

Quomodo Deus renum & cordium scrutator dicatur.

B

VERS.24. VOBIS AVTEM DICO,ET CETERIS, QVI THYATIRÆ ESTIS] Vera huius loci lectio non est absque illa coniunctione,*&*,vt nonnulli suspicantur.Nam in bibliis correctis,& præsertim in Vaticanis,ita legitur *vobis & ceteris.* Illud tamen manifestus præli error videtur, quod in nonnullis vidi, scilicet *& ceteris quia.*Ex græco enim constat non esse veram lectionem *quia*,sed *qui*. Nam græca sic habent,τοῖς ἐν Θυατείροις,Sed quid est *Vobis & ceteris qui Thyatirę estis*? Nónne illud *vobis* Thyatirẽses designati Ita sanè.Qui ergo sunt ceteri?Valdè suspicor ad ceteros omnes Christianos Christum suã admonitionem extendere.Thyatira enim idem est atq; illuminata; vt docet Hieronymus de Nominibus hebraicis in Actibus Apostolorum.Omnes autem,qui in Catholicæ Ecclesiæ gremio sunt, sunt etiam in mystica Thyatira,id est in ciuitate à Deo illuminata. Portò non est à sacræ Scripturæ grauitate abhorrens,nominis significationem respicere,& mysticam intelligentiam in sensu litterali requirere.Hîc verò peculiaris fuit ratio;vt indicaret Iudæos, de quibus sermo erat, esse cæcos; at fideles cælesti lumine illustratos. Cùm autem Thyatirensibus epistola scribatur; pulchrè extensa fuit ad omnes fideles locutio,ea verba adijciendo,*vobis & ceteris qui Thyatirę estis.*Si alicui magis placeat alia Thyatiræ etymologia,in ea etiam poterit suo modo philosophari.

Quanam vera loci huius lectio.

Thyatira *quid sonet.*

C

Christianorum Thyatirensium tam prudẽtes,quàm imprudẽtes Christus designat & admonet.

QVICVMQVE NON HABENT DOCTRINAM HANC, ET QVI NON COGNOVERVNT ALTITVDINES SATANÆ]Ex fidelibus alij imprudenter pseudoapostolorum doctrinam susceperant,coniungentes Mosaicæ legis cæremonias cum fide Christiana;alij verò prudentiùs se gerentes doctrinam illam omnino respuerant. Hic igitur locus videtur vtrosque signare atque distinguere; prudentes quidem iis verbis,*qui non habent doctrinam hanc*(quod de doctrina Iezabelis,seu pseudoapostolorum omnino intelligendum est;atque ita ferè omnes accipiunt:)imprudentes autem verbis illis,*qui non cognouerunt altitudines Satanæ,quemadmodum ipsi dicunt.* Nihil enim congruentius, quàm vt verba illa *non cognouerunt*,& *quemadmodum dicunt*,ad eosdem referantur.Sensus autem est,illos aut molliter accusari,aut etiam nonnihil excusari;relatis his verbis, quæ ipsi posteà suæ imprudentiæ conscij proferebant.Scilicet se antea non animaduertisse, quàm fallax & fraudulentus esset dæmon; neque fuisse suspicatos tantum detrimenti afferri posse ex eo, quòd ipsi cum Iudæis in legis cærimoniis conformarentur.In hoc sensu sumitur vox illa *altitudines*,vt necessariò accipienda est vox græca,pro profunditate & calliditate;qua etiam ratione explicant Andreas & Aretas.Et constructio eiusmodi est,vt hæc pars aptissimè cohæreat cum subsequente. Quòd si aliqua in re Dæmon transfigurauit se in angelum lucis & in pacis suasorem,vt maximo detrimento Christianam rem afficeret;non in alia magis, quàm in ficta illa pacis persona quæ tanti damni atque exitij erat;vt Paulus sensit, & in hac Christi epistola confirmatur.Vbi aduertendum est, in hoc eodem sensu dici à Paulo,dæmonem se transfigurare in angelum lucis,2.Cor.11.13.*Eiusmodi pseudoapostoli sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi:& non mirum;ipse enim Satanas transfigurat se in angelum lucis.*

D

Altitudines Satanæ pro profunditate & calliditate.

NON MITTAM SVPER VOS ALIVD PONDVS]His verbis exponit suam mentem Christus,& fide-

les

Digitized by Google

A les de sua voluntate certiores facit; ne scilicet suis humeris grauissimum cæremoniarum veteris legis pondus imponant. Confirmat insuper se id minimè permissurum. Hæc est, vt diximus, communis horum verborum expositio, quam sequuntur Victorinus, Ambrosius Primasius, Beda, Haymo, Ioachimus, Rupertus, Albertus, Lyranus, Interlinealis, Dionysius, & Iacobus Suarez. Atque hanc expositionem esse verissimam, persuadet locus ille Actuum 15. & eâdem sententiâ valdè comprobatur germanam Iezabelis & totius epistolæ explicationem eam esse, quam superiùs tradidimus. *Non mittere aliud pondus, quid sit.*

TAMEN ID, QVOD HABETIS, TENETE, DONEC VENIAM] Hoc est, quod Paulus ait, Galat. 5. 13. *Vos enim in libertatem vocati estis, fratres; tantùm ne libertatem in occasionem detis carnis.* Onus enim siue obligatio, quam Christus Christianis imposuit, non alia est, quàm vt naturalem legem obseruent, & in ipsum credant, in ipso sperent, & ipsum ament, & ipsius Sacramentis fruantur. Naturales autē leges Christus ad vnam redigit proximi charitatem; idque est præcipuè onus, quod fidelibus Deus præcipit, vt sustineant. Atque ita Paulus in eodem loco postquam dixerat, *Tantùm ne libertatem in occasionem detis carnis*; subdit, *Sed per charitatem seruite inuicem*: & alibi, *Qui diligit proximum, legem impleuit.* VERS. 25.

ET QVI VICERIT, ET CVSTODIERIT VSQVE IN FINEM OPERA MEA; DABO ILLI POTESTATEM SVPER GENTES] Verba illa, *qui vicerit*, vt in superioribus epistolis, sic etiam in præsenti non debent generaliter accipi de iis omnibus, qui in Dei gratia decesserint; sed veluti promissio Thyatirēsi Episcopo singillatim facta; si accuratè perfecerit, quod Christus illi in hac epistola significat, & difficultatem quamlibet occurrentem superauerit. Atque hæc eadem promissio iis proponitur, qui Episcopum in nobilissima hac expeditione imitati fuerint. Ea verò est expeditio, ad quam Episcopus inuitatur, nempe vt cognitâ suâ imprudentiâ, qui Iudæis plùs æquo morem gesserit; ipsos fugiat, & ad Euangelij prædicationem ad Gentes proficiscatur. Viri etiam spirituales simili ratione excitantur, vt suis commodis omissis totum illud tempus se amisisse reputent, quod expenderint, humanis rationibus nimis indulgendo, & hominibus politicè morem gerendo; & vt agnoscant magnam esse imprudentiam, quæ carneis oculis prudentiæ speciem exhibet; pacem item mundi contemnant, ac se cælestium armorum præsidio communiant ad bellum dæmoni inferendum, & animarum conuersionem procurandam. Hic ipse est non minima ex parte libri Canticorum scopus, vt in ejus commentario videbimus. Quòd si semel rectè percipiatur, quid Christus in hac epistola ab Episcopo Thyatirensi postulet; & quare ab iis verbis exordiatur, *Hæc dicit filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis, & pedes similes aurichalco*; minimè dubium erit, hoc præmium nobili illi expeditioni designari. Atque ipsa etiam verba, quibus præmium indicatur, magnopere confirmant illud iis promitti, qui cetera omnia relinquunt, & se totos ad Euangelij prædicationem & proximorum salutem consecrant. VERS. 26. *Quis hic propriè vincere dicatur.*

Sed dubitatur, an in huius epistolæ præmio sermo sit de copiosa mercede, quæ in cælesti patria Euangelicis viris proponitur; vel de præmio, quod in hac vita cōsequuntur. Verba illa *qui vicerit, & qui custodierit vsque in finem opera mea*, videntur non permittere, vt de præmio quod in hac vita conceditur, sermo sit. Præmium enim meritis succedit: merita verò, quæ postulantur, sunt custodire vsque in finem opera Christi. Horum autem verborum significatio expleri nequit ad extremum vsque vitæ spiritum. Priùs enim non sunt custodita vsque in finem opera Christi. Cōfirmatur, quia præmium ad duo potissimùm reducitur; primum est virga ferrea, sicut Christo tradita fuerat: alterum stella matutina. Atqui virgam ferream videtur accepisse Christus in die resurrectionis: stellam autem matutinam referunt ad resurrectionem Victorinus & Primasius: & singulariter ad corporis gloriam in ipso generalis resurrectionis die, Haymo atque Lyranus. Quamuis Richardus exponat de animæ gloria ante corporis resurrectionem. *Num huius epistolæ præmium sit de præsentis vitæ præmio, an de futura intelligendū.*

Nihilominus valdè optabile est, vt referatur hoc præmium ad beneficium, quo Deus in hac vita afficit eos, qui se in Euangelij prædicationem totos impendunt; atque ad hoc præstandum, cetera omnia relinquunt, vt se Christi fidei promulgandæ consecrent. Quemadmodum fecerunt Apostoli, & post illos omnibus sæculis viri Apostolici. Nam licèt Christo præmium virgæ ferreæ in resurrectionis suæ diem asseruatum sit, *(priùs enim nō fuerat spiritus datus quia Iesus nondum fuerat glorificatus.)* Ceterùm quando mundus iam fruitur effectibus virgæ ferreæ Christi, id est, ingenti ipsius efficacitate & potentiâ ad Gentes sibi subijciendas, & suæ ditioni subiugādas, per earum sanctificationem: ij, qui vt illius ministri, atque adeò vt ipsius instrumenta portionem aliquam eius gloriæ participāt, in hac vita exercent illam Christi patientiam, tanquam eius ministri, Gentes in ipsius obsequium subijciendo Christi virgæ potentiâ; quæ idcirco illis in hac vita tribuitur. Confirmatur insuper, nam vt cap. 12. videbimus, puer ille masculus, quem peperit fœmina, Romanam Ecclesiam repræsentat, quæ fuit matris Sionis filius primogenitus. De illo autem puero textus ait, *qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea.* hac autem potentia manifestum est, Romanam Ecclesiam in hac vita potiri. Vide Apoc. 12. 5. & cap. 19. 15. *De præsenti præmio sermonem esse probatur.*

Res ergo ipsa postulat, vt virgam hanc ferream viris Euāgelicis in hac vita dari credamus. Quod, intellecto virgæ ferreæ symbolo, dubium non erit: de eo autem symbolo agemus notat. 7. Si verò virga ferrea in hac vita ministris Euangelicis datur; idem quoque dicendum erit de stella matutina, de qua infrà. Itaque ratio cogit, vt illa verba *qui custodierit vsque in finem opera mea*, ita explicentur, vt non solùm sit sermo de cælestis beatitudinis præmio; sed de illo etiam, quod in hac vita cōsequuntur strenui Euangelicæ prædicationis ministri. Pro quo aduertendum est; *custodire mandata Dei*, esse phrasim in sacra Scriptura vsitatam: custodire verò opera Christi non alibi in sacra Scriptura reperiri, quantum meminisse possum. Et quamuis communis expositio pro eodem reputet custodire opera Christi, & opera à Christo præcepta exercere; mihi tamen magis arridet, vt τηρεῖν, sit obseruare, *Custodire opera Christi, quid sit.*

Digitized by Google

vt sæpe alibi; & obseruare opera Christi vsque in finem, sit oculos ac mentem intendere in opera à Christo patrata, & in ipsius perseuerantiam; vt eum vtraque in re imitemur. Per hanc autem eius loci constructionem licet, vt præmium non solùm de cælesti beatitudine exponatur, sed etiã de beneficiis à Christo in hac vita collatis in eum, qui Christi perseuerantiam in Euangelij prædicatione diligenter obseruat; vt eam imitetur, & obstantia quæque facilè superet. Quamuis autem hoc modo cõstruamus, *qui custodierit vsque in finem opera mea*, id est, qui opera à me præcepta vsque in finẽ exercuerit; illud, *vsque in finẽ*, potest accipi, non solùm de vitæ fine, sed de fine etiam & perfectione singulorum operũ; vt esset, difficilem quamque rem semel susceptam ad finem perducere. Huic enim perseuerantiæ rectè promittitur ferrea virga in hac vita, & stella matutina; vt statim explicabimus. A

VERS. 27. DABO ILLI POTESTATEM SVPER GENTES] Id est, magnam vim & efficacitatem in Gentium conuersione & sanctificatione.

Quæ sit hæc potestas super Gentes à Christo promissa.

ET REGET EAS IN VIRGA FERREA, ET TANQVAM VAS FIGVLI CONFRINGENTVR] Eôdem spectant virga ferrea & potestas super Gentes. Est enim virga ferrea elegantissimũ symbolum imperij & sceptri Christi Domini, id est summæ potestatis ad subijciendas sibi Gentes per earum conuersionem & sanctificationem, ex psal. 2. Etsi autem hæc virga, Christi est propria; ministro tamen, quo Christus vt instrumento vtitur ad Gentium conuersionem, verè dicitur potentiæ virga ab eodem Christo tradi, vt illius vi in hominum conuersione mirabilem se ostendat. Quod mox subditur de confractione siue de contritione Gentium, mysticè est accipiendum, sicut vindicta mystica; de qua sæpe agitur in Apocal. vt latè diximus in prolegom. notat. 24. & 25. & singillatim de Christi virga ferrea, & de Gentium per eam virgam confractione dicemus notat. 7. Hîc solùm addo, præmium eiusmodi, sicut ea, quæ in tribus prioribus epistolis posita sunt, considerari tanquam effectus, quos Christus in Eucharistia (siue sacramentaliter, siue etiam spiritualiter susceptus) illi communicat, qui ad eandem accedit Eucharistiam, eo animo affectus, quem Christus ab Episcopo Thyatirensi exigit. B

NOTATIO VII.

De virga ferrea, quæ ter in Apocalypsi reperitur ex psal. 2.

Virga ferrea symbolum, & eius significatio.

SYMBOLVM virgæ ferreæ ter in Apocalypsi reperitur. Ex quo facilè intelligitur id esse pulcherrimum; quia *bis aut ter quod pulchrum*; vt est in prouerbio. Loci verò sunt cap. 2. 27. *Dabo illi potestatem super Gentes; & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringẽtur.* & cap. 12. 5. *Mulier peperit filium masculum, qui recturus erat omnes Gentes in virga ferrea.* & cap. 19. 15. *De ore eius procedit gladius; vt in ipso percutiat Gentes, & ipse reget eas in virga ferrea; & ipse calcat torcular vini furoris Dei.* In his omnibus locis manifestum est alludi ad psal. 2. num. 9. *Dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ: reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Et sensus quidem virgæ ferreæ idem proculdubiò est in psalmo & in Apocalypsi.

Quæ sensus sit accipienda virga ferrea, variant auctores.

Sed quæ sit germana huius virgæ significatio, in eo dissentiunt interpretes. Primò enim non pauci eam referunt ad seueritatem in die iudicij contra inimicos Christi exercendam. Vnde cùm ea virga promittitur Sanctis, explicant promitti Sanctis potestatẽ in die iudicij, quam ipsi simul cum Christo aduersus ipsius hostes exercebunt: scilicet, quia Sancti vnà cum Christo

I. Sententia de seueritate in die iudicij explicat.

erunt iudices in illa die. Ita Victorinus, Andreas, Areras, Lyranus, Ribera, & in explicatione psalmi Eugubinus, Iansenius, & plerique. Hoc Primò probatur ex similibus sacræ Scripturæ locis, vt est illud Sapient. 3. 8. *Iudicabunt nationes.* & psalm. 109. 6. *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas.* Malachiæ 4. n. 3. *Calcabitis impios.* Psal. 149. 6. *Gladij ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus.* Matth. 19. 28. & Lucæ 22. 30. *In regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël.* Secundò probant; quia hoc adiectiuum, *ferreus*, in sacra Scriptura sæpissimè ad pœnæ seueritatem refertur. Tertiò, addunt contextum, qui expressè meminit validæ contritionis; exemplo vasis figuli confracti. Quæ similitudo manifestè spectat ad supplicij grauitatem; vt patet Isaiæ 30. 14. & Ieremiæ 19. 11. Quibus locis comparatio videtur desumpta ex psal. 2. Quartò denique notant, vbi nos legimus, *reges eos*, verbum ipsum hebraicum contritionem sonare: atque ita ex hebræo ad verbum fuisse reddendum, *Conteres eos in virga ferrea.*

Secunda explicatio vniuersam illam rigoris & seueritatis faciem, quam præ se fert virga ferrea atque vasis figuli confractio; accipit de mira potentia ad euertionem peccati & prauarum cupiditatum, & denique ad hominum sanctificationem. Atque hæc in primis est expositio Hilarij, & Augustini psalm. 2. & ex recentioribus Varlenij & aliorum. Deinde in Apocalypsi eodem prorsus modo capiunt virgam ferream Ambrosius, Rupertus, Dionysius Carthus. Zegerus, atque Pannonius. Quorum plerique exemplum illud confracti vasis figuli aiũt esse intelligendũ de vase molli ac tenero (scilicet antequã igne decoquatur & induretur) quod frangitur à figulo vt in meliorem formam cõmutetur. C

II. Sententia de potentia ad peccati euersionẽ, & hominum sanctificationem.

Tertia explicatio est de rigore ac seueritate gubernationis; non solùm in vltimo supplicio, quod de dãnatis sumendum est; sed etiam in seueritate legum & in earum obseruatione ab omnibus in hac vita exigẽda; & in puniendis etiam iis, qui delinquunt. Ex quo fit, vt alij castigati coërceantur & conuertantur; alij vltimo supplicio damnẽtur. Sic Richardus, Anselmus, Albertus, Interlinealis & Thomas. Atque hanc declarationem afferunt ex Hieronymo (Ieremiæ cap. 18. & 19.) *Vas figuli, dum massa tenera est & mollis, iterum posse reformari & instaurari; imò ideo frangi solere, vt refingatur in meliorem formam: secùs esse, si induratum conteratur, & comminuatur; tunc enim nequaquam refici & reparari posse.* Vnde philosophatur Hieronymus, Iudæos ante Christi aduentum sæpe grauissimis calamitatibus fuisse fractos; iterum tamen à Deo recreatos & instauratos: at cùm indurati & obfirmati in malitia Filium Dei occiderunt, ita esse à Deo fractos & contritos, vt eorum potẽtia & regnum ampliùs instaurari nõ possit.

III. De gubernationis seueritate.

Quarta explicatio virgã ferream exponit esse optimum perfectæ prouidentiæ symbolum; atque adeò nõ solùm ad seueritatem spectare, sed etiam ad omnem gubernationem: id est ad iustitiam, ad beneficentiam, ad sapientiam, ad potentiam, & ad omnes denique optimæ gubernationis virtutes. Ita videtur intellexisse virgam ferream Andreas, Albertus, Thomas, Serranus, & alij; qui promissionem virgæ ferreæ, quæ facta erat Ecclesiæ, exponũt de potẽtia, quę ipsi Ecclesiæ data est in hoc sęculo, vt præsit Gentibus & eas regat, idque optimâ gubernãdi ratione ad imitationẽ gubernationis Christi; cuius virga ferrea est *virga æquitatis* aut *dilectionis*, (psal. 44. 7. ad Heb. 1. 8.) & virga totius consolationis, iuxta id psal. 22 4. *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* D

IV. De perfectæ prouidentiæ ratione.

Ex

Digitized by Google

Virga ferrea locutione summam seueritatem importari.

In primis igitur in virga ferrea & in vasis figuli cõfractione, locutionis figuram nihil aliud sonare, quàm seuerissimam vindictam atque supplicium, fit planum ex sacra Scriptura Isaiæ 30 14. *Comminuentur sicut lagena figuli, contritione perualida: & non inuenietur de fragmentis eius testa, in qua portetur igniculus, aut hauriatur parum aquæ de fouea.* & Ieremiæ 19. 11. *Conteres lagunculam, & dices: sic conteram populum istum, sicut conteritur vas figuli, quod non potest vltrà instaurari.* Ex ipsa etiam Apocal. c. 19. 15. manifestum est, per hanc phrasim summam vindictam significari; coniungitur enim virga ferrea cum gladio percutiẽte & cum furore Dei: *De ore eius gladius procedit, vt in ipso percutiat Gentes; & ipse reget eas in virga ferrea; & ipse calcat torcular vini furoris Dei.* Ex his patet, consideratione illam de vase figuli molli ac recens effecto, quod frangitur vt in meliorem formam reficiatur, acutam quidem esse illam & elegantem; non tamen ad summæ vindictæ significationem. Phrasis autem sacræ Scripturæ vindictam seuerissimam sonat omnino. Nec est cur hanc loquendi rationem refugiamus; quia sermo est de ira nouissima, de qua diximus in prolegomenis notat. 24. & 25. Atqui in vindictâ nouissimâ, figura qua repræsẽtatur, est summæ seueritatis; quamuis reconditus sensus sit de summa beneficentia atque clementia.

At enim, dicet aliquis, in psal. 2. non videtur textui congruere vindictæ & iracundiæ figura; non enim inter se cohærent, *dabo tibi Gentes possessionem tuam*; &, *reges eas tanto rigore, vt in gubernatione appareat iracundia, quam aduersus illos habes; & acerrima vindicta, quam de illis sumes.* Et similiter in præsenti non videntur cõsonare, *dabo illi potestatem super Gentes: &, reget eas durissimo imperio.* Quia antequam ad reconditum sensum accedamus, non parum nouitatis habet, vt locutionis forma repræsentet in Gentibus viro Apostolico subijciendis, tanquam Christi possessione & hæreditate, se iracundiam, furorem atque vindictam ostensurum. Respondetur in eo modo loquendi indicari Gentes, quas Deus Christo & viris Apostolicis subigit; bellum illi antea intulisse, & grauissimis iniuriis illius iram prouocasse. Atque ita allegoria est huiusmodi: Ego illos tuo impetio subijciam; & tunc poteris te ab illis vlcisci, & eos rigidissimo imperio flectere; vt meritas pœnas luant iniurtarum, quas tibi irrogauerunt. Certè hæc locutionis forma optimè cohærens est: ita enim solet accidere, vt si quam prouinciam hostilem sibi & contumacem Rex aliquis, suæ ditioni subdat; in veterum iniuriarum supplicium grauissima illi imperet vectigalia, & cum eis rigidissimè se gerat. Atque ita videtur Dauid inimicas sibi nationes, quas domuit, vectigalibus & seueritate oppressisse atque grauasse; ad quam historiam in his locis fit allusio. Sed in hac loquẽdi ratione latet infinita diuinæ suauitatis & beneficentiæ magnitudo, vt dicemus infrà. Itaque non est, cur in locutionis figura, durissimæ vindictæ repræsentationem vitemus; quantò enim seueritas fuerit maior, tantò sacræ Scripturæ intentioni congruentior erit. Quis autem non videat, virgæ ferreæ phrasi aptè significari durissimum imperium? Certè in ea significatione accipitur in sacra Scriptura adiectiuum *ferreus*; vt *iugum ferreum*. Deut. 28 n. 48. *Fornax ferrea*. Deut. 4. n. 20. *Manica ferrea*. Psal. 149. 8.

Quis lateat sensus sub virga ferrea allegoria.

Durissimi Imperij speciem in virga ferrea denotari.

Mystica vindicta ad obstinatos non extendi.

Secundò, in hac acceptione non debet vindicta restringi ad eos, qui in sua peruicacia perseuerauerint. Nam sacra Scriptura vniuersaliter ait, Christo omnium gentium possessionem esse dandam, & omnes gentes ab ipso in virga ferrea regendas. Atque in figura locutionis non est sermo de damnatis, neque de extremi iudicij seueritate; sed de durissimo imperio in hac vita, & de summa vindicta, quam Christus sumit de gentibus in earum gubernatione.

Sub mystica vindicta nomine maximam misericordiam delitescere

Tertiò, licèt phrasis sonet vindictam; significatio tamen, quam Spiritus sanctus intendit, est quam Hilarius & Augustinus nos docent; scilicet de mystica vindicta. Atque ad eum sensum fuit elegantissimum vti phrasi summam vindictam atque durissimum imperium sonante; vt vidimus in prolegomenis notat. 24. & 25. Ad cuius phrasis probationem, licèt nullum aliud

Alcasar in Apocal.

A esset argumentum præter hosce locos, qui de ferrea Christi virga loquuntur; ij profectò satis erant, vt reuincerent, hanc esse propriam nouissimæ iræ significationem in Apocalypsi. Aliter enim Christus non tantopere virgam suam ferream iactaret in eos, qui sibi tanquam possessio & hæreditas dati sunt; nec eam vt magnum præmium vitis Apostolicis polliceretur; nec tantæ esset gloriæ puero, quem peperit mulier, Apocal. 12. illum recturum fuisse omnes gentes in virga ferrea.

Euangelicam perfectionem sub durissimi imperij specie adumbrari.

Quartò, ipsa Euangelicę vitæ perfectio magna cum energia repræsentatur, vt durissimum imperium, quo Christus gentes sibi subiectas moderatur. Quid enim in speciem durius, quàm subditis diuitias ac libertatem auferre, eos acriter verberare, & omnibus nudare vestibus, aut cilicina veste induere, & cogere ad cetera omnia, quibus spirituales viri se sponte subijciunt; & præsertim ij, qui martyrio pro Christo subeundo, aut religiosæ vitæ instituto, (quod est alterum martyrij genus) se penitus deuouent? Quisue in eos durissimum B hoc exercet imperium, nisi gratia Christi, & diuina ipsius virtutis efficacia? Non dubitamus Christiani, quin id, quod seruitutem, asperitatem, egestatem, laborem & carnificinam etiam præfert; summa sit potius libertas, ingentes diuitiæ, ac maxima felicitas. In eo tamen, quod sub externum oculorum cadit aspectum, quis non videat aptissimam esse proportionem; vt durissimi imperij instar significetur? Etenim si Turca aut crudelissimus alius tyrannus homines sibi subditos ita seuerè tractaret, vt ij qui se Christi imitationi consecrant, semetipsos voluntaria abnegatione affligunt, & cruciant; nemo non diceret ipsius virgam esse ferream, & imperium longè durissimum. Quid ergo elegantius, quàm Christũ iactare se virgâ ferreâ gẽtibus quæ sibi erant infensæ, dominari? Nam si Christo adeò gloriosum est, quòd Christiani pro illo se àbdicent libertate, fortunas abijciant, honores contemnãt, aspernentur voluptates; & grauissima denique tormẽta ac mortem ipsam subeant constantissimè; eo præsertim animi ardore & contentione, qua feruidi Christi C cultores, primitiuæ Ecclesiæ tempore, id præstare solebant; congruentissimè quidem repræsentatur tanquam res ad Christi gloriam maximè spectans, ipsius imperium esse virgam ferream; quæ ossa omnia conterat, atque comminuat.

Nihil præterea Apostolicis viris illustrius aut magnificentius est, quàm vt virgæ ferreæ Christi participes fiant; & videant per suam prædicationem, nationes, quæ antea vanæ idolorum superstitioni deditæ erant, sub Euangelij ditione positas, se sponte submittere; vt opibus ac honore priuentur, & patienter tolerent non rigidam solùm vitæ ac morum disciplinam, sed etiam crudelissima tormenta, quibus si tyranni alicuius iussu cruciarentur, ipsius imperium valde appellaretur durum.

Cur virga ferrea imperium viris quidem Apostolicis cõcedatur super gentes: ac verò Romanæ Ecclesiæ super omnes gentes?

Aduerte insuper, in cap. 2. Apocal. gloriam virgę ferreæ promitti viris Apostolicis; & tunc quidem non dici singulis, *Vincenti dabo potestatem super omnes gẽtes*; sed D *super gentes*: cùm tamen cap. 12. vbi de Romana Ecclesia sermo est, clarè asseratur ipsam in omnibus gentibus virgâ ferreâ dominaturam (*qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea*) in quo, vt ego existimo, attenditur *primò* ad Ecclesiæ Romanæ potestatem; ad quam spectauit ab ipso suæ fundationis exordio prædicatores Euangelicos in totum orbem dimittere, qui gentes omnes non modò Christi fidei subijcerent, sed etiam ipsius Christi imitationi, & propriæ voluntatis abnegationi, atque adeò morti pro fide tolerandæ, sicut innumerabiles Martyres per totum orbem effecerunt. Secundò, locum habet hæc virga ferrea in obedientia & submissione, qua vniuersæ gentes sese erant subiecturæ peccatorum confessioni, amori inimicorum, carnis castigationi, ieiuniis ac pœnitentiis, quæ summus Põtifex imperaret, ac demum iis omnibus, quæ durissimi imperij speciem habent, licèt vera hæc sit via, qua libertate Euangelica, & pacis pulchritudine ac vera voluptate fruantur animæ. Ad hæc, ferrea Ecclesiæ Romanæ virga, qua gentes omnes moderatur singillatim splendet in religiosorum ordinum institutione,

Virgam ferreã in Christiana obedientia & subiectione habere locum.

Digitized by Google

Et in religioſa potiſsimũ vita perfectione.

eſt ſingulare Eccleſiæ Romanæ decus, (de quo etiam latè agitur in Canticorum libro, vt in eius commentario videbimus.) Et certè in religioſa vita obedientiam, paupertatem, & caſtitatem perfectè amplectente, eſt quædam imago imperij prima ſpecie duriſſimi, atque adeò glorioſiſſimi tam Chriſto, quàm Romanæ Eccleſiæ ipſius ſponſæ; quæ ſacras Religioſorum familias inſtituit, eaſque per ſuos miniſtros moderatur atque conſeruat.

Quintò, in hac rigidi imperij figura includitur, quidquid tertia expoſitio contendebat. Quidquid enim Euangelica lex habet ſeueritatis in præceptis, & caſtigationis in defectis ad homines coërcendos, idoneè cogitatur vt duriſſimum imperium, quo Chriſtus gentes ſibi antea aduerſas vlciſcitur; ea ratione, quam iam explicauimus. Quod verò ad rem magis facit, illud eſt, quod tam Chriſto, quam viris Apoſtolicis eſt multò glorioſius; ſcilicet voluntaria ſummiſſio eorum, qui illorum prædicatione permoti ſponte ſe ſubdunt Pœnitentiæ, Paupertati, Caſtitati, Obedientiæ & laborum pro Chriſto tolerantiæ.

Cur Chriſti virga fingatur eſſe ferrea.

Sextò, licèt virga ferrea electa fuit, vt ſymbolum ſceptri Chriſti, ob eam, quam habet proportionem, ad rigidum imperium indicandum; præter hæc tamen, ſi ferri proprietates conſiderentur, perſpicietur Chriſti ſceptrum non ex auro, nec argento, ſed ex ferro eleganter fingi. Ad cuius rei declarationẽ Nota, ſceptrum eſſe gubernationis ſymbolum: perfecta verò gubernatio conſiſtit in ſeptem illis ſpiritibus, de quibus cap.1. notatione 5.

Igitur ſi ferrum quacumque alia re congruentius eſſet ad ſeptem ſpirituum ſignificationem; mirificè accideret, vt ſymbolum Chriſti imperij, eſſet virga ferrea. Nam ſeptem illos perfectiſsimæ prouidentiæ ſpiritus diſtinctè docet Apocalypſis in Chriſto; etiam quatenus homine, reperiri; atque eis Chriſtum mirũ in modum vti in eo, quod prima facie duriſsimum imperium videtur, quo Chriſtianam Eccleſiam moderatur. Atque hæc eſt, vt videbimus, intentio & arcanum ſeptem ſigillorum.

Septem diuina prouidẽtiæ ſpiritus in ferri proprietatibus figurati.

Ac primò per ferrum fortitudo ſeu potentia figurata.

Septem igitur ſpiritus (vt ſuprà oſtendimus) ſunt Potentia, Beneficentia, Æquitas, Sapientia, Patientia, Comminatio & Seueritas. Ac Primo aptiſſimè ſignificatur Potentia in ferro: quia nullum metallum adeò forte. Atque ita ferrum eſt fortitudinis ſymbolum, vt tradunt Hieron. & Greg. in Sylua; qui addunt ferro optimè ſignificari ſummam vim & efficaciam prædicationis Euangelicæ. Et Hieron. Micheæ 4. ait, nil aliud eſſe ferreum cornu Eccleſiæ, niſi ipſius Potentiam.

Quamobrem Daniel in ferro repræſentat Romanorum potentiam; quia *quomodo ferrum comminuit & domat omnia*, &c. Dan.2. 40. Et magna etiam potentia, quæ Romanæ Eccleſiæ erat concedẽda, explicatur virga ferrea Apoc.12. Secundò, ad gubernationis Beneficentiam rectè aptatur ferrum: quia ferrum eſt inter omnia metalla vtiliſſimum; adeò vt ſine ceteris parum aut ferè nihil videatur humanæ vitæ commodis deeſſe: at ferro ſublato omnia ferè artium inſtrumenta tolluntur, & maxima incommoda generi humano ſubeunda inuehuntur. Quare neceſſarium eſt, vt quò ferri vtilitas non peruaſit, ibi gentes belluarum inſtar degant. Adde huc, ſceptrum Chriſti Regis noſtri ferreum indicare, noluiſſe Chriſtum ſceptrum aureum ſibi effingi ex ſuorum ſubditorum diuitiis; ſed elegiſſe, ſibi paupertatẽ, &, vt ſuos ditaret, ſemetipſum exinaniſſe. Sibi namque duritiem ferri elegit, vt nos ſuæ charitatis auro locupletaret. Tertiò, ad Æquitatem indicandam deſeruit optimè ferrum; iuxta illud Pſal.44.7. ad Hebræos 1.8. *Virga æquitatis, virga regni tui.* Quartò, ad Sapientiam accommodatur aptè virga ferrea: ferrum enim eſt inter omnia metalla, quod imaginem quãdam cœleſtis ſapientiæ participat; quæ in magnete figuratur, vt dicemus notatione ſequenti. Adhæc, ſi regis ſceptrum, ferreum conſideremus; tali arte elaboratum concipiendum eſt, vt propter mirandum operis artificium, regis manu dignum cenſeatur: atque ita in ferreo ſceptro ſapientia ſplendeſcet. Quintò, ad Patientiæ ſignificationem nullum eſt metallum, quod cum ferro poſſit comparari. Apparet hoc in incudibus, quæ ita patienter atque conſtanter impactos malleorum ictus ſuſtinent ac reſpuunt. Sextò, ſplendor auri vel alterius metalli non eſt aptus ad Comminationem; ferrum verò micans minatur & terret: vide Deut.32.41. *Si acuero, vt fulgur, gladium meum.* Et pſal.7.13. *Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit.* Septimò denique, ad ſeueriſsimam inimicorum Punitionem non aliud potuit excogitari ſceptrum, niſi ferreum; vt per ſe patet,

6. Comminatio.

7. Punitio.

Alia præterea mira proprietas ineſt virgæ ferreæ, ſi conſideretur ferri cum magnete cognatio: ſed de hoc dicam notatione ſequenti; res enim digna eſt, quę ſeorſum perpendatur. Quare in hac notatione nil aliud reliquum eſt, niſi vt argumentis primæ expoſitionis faciamus ſatis.

Satisfit argumentis ſuprà adductis.

Ad Primum Reſpondeo: loci ibidem allati, ferè omnes, licet primo intuitu vindictam ſonent, procul dubio tamen agunt de myſtica vindicta, de qua latè egimus in prolegomenis notat.24. & 25. Illa verò Chriſti promiſsio, *In regeneratione, cùm ſederis filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël*, quamuis à pleriſque ad diem iudicij referatur; mihi tamen valdè probatur ea explicatio, quam Hilarius & auctor operis imperfecti in Matth. tradunt; qui non de condemnatione impiorum in die iudicij, ſed de poteſtate, quam Apoſtoli in Eccleſiæ gubernatione erant habituri, exponunt. Quod enim plerique Apoſtolos in die iudicij iudicaturos explicant; ſi per comparationem intelligas, Niniuitæ etiam ſic iudicabunt. Sin de accuſatione exponas, non multum tribues Apoſtolis; qui vt iudicaturi dicantur, & in thronis tanquam iudices conſeſſuri, non ſatis videtur eos eſſe accuſatores, vel Chriſti aſſeſſores, aut etiam ſententiæ promulgatores.

Matth.19.28.

Promiſſio Apoſtolis à Chriſto facta de conſeſſione & iudicandi poteſtate, quo ſenſu intelligenda.

Quare difficile eſt intelligere, qua ratione tanquam magnus honor tribuatur Apoſtolis, quòd ſint in die iudicij iudicaturi duodecim tribus Iſraël. Si tamen de Eccleſiæ gubernatione exponantur Chriſti verba; magnum continent honorem, nempe ſupremam in Eccleſiæ adminiſtratione dignitatem. Et omnia ſic maximè cohærent. nam regeneratio pro hominum renouatione, quæ per Euangelij prædicationem facta eſt, certiſsima eſt ſacræ Scripturæ phraſis: iuxta id Ioan.3.5. *Niſi quis renatus fuerit denuo*, &c. & ad Titum 3.5. *Per lauacrum regenerationis.* Quæ regeneratio perfecta eſt, poſtquam Chriſtus ſedet ad dexteram Patris in ſede maieſtatis ſuæ. Priùs enim, *nondum erat ſpiritus datus; quia Ieſus nondum fuerat glorificatus.* Iam, *iudicare* in ſacra Scriptura ſæpiſsimè ponitur pro gubernare; & tribuũ Iſraëlis nomen ad Chriſtianam Eccleſiam in Apocalypſi manifeſtè tranſfertur c.7. Adhæc, Apocal.20.4. de Epiſcopis Eccleſiæ poſt ligatum Satanam dicitur, *Vidi ſedes, & ſederunt ſuper eas: & iudicium datum eſt illis.* quem locum non ſpectare ad diem iudicij, ſed ad gubernationem Eccleſiæ, ibidem conſtabit. Licèt autem in Eccleſiæ pace maior ſit externa harum ſedium auctoritas; Apoſtolorum tamen dignitas multò ſanè fuit excellentior: quare ipſi dicuntur ſediſſe in duodecim thronis iudicantes nouas veri Iſraëlitici populi tribus. Harum verò ſedium maieſtas Apoſtolorum morte nõ fuit terminata; ſed creuit potiùs poſt eorum mortem. Nam magna, qua apud Chriſtum pollent in cælo auctoritate & gratia, ſuis ad Deum aſſiduis precibus militantem Eccleſiam inde gubernant; atque ita Eccleſiæ ipſos veneratur, vt ſupremos principes, à quibus proſperum ac felicem euentum in rebus omnibus ſperat.

Regeneratiõ pro ſpirituali hominũ renouatione in ſacris vſurpari.

Ad Secundum, fateor virgâ ferreâ duriſsimum imperium denotari, ſed ſub eo locutionis cortice nucleus latet ſuauiſsimus, vt iam explicuimus. Vnde etiam cõſtat ad Tertium, in quo nobis contextus obijciebatur. Neque enim nego contextum poſtulare, vt vaſis confractio perualidam contritionem ſonet; ſed eiuſdem contritionis, ſeu confractionis allegoriâ, aſſero ſummum beneficium ſæpiſsimè in ſacra Scriptura indicari. Alioqui non adeò placeret Deo cor contritum & humiliatum.

Ad Quartum Reſpondetur, hebraicæ linguæ peritis eſſe manifeſtum, eoſdem characteres hebraicos, quibuſdam affixis punctis, ſignificare *cõteres eos*; aliis verò

punctis

2. Beneficentia.

3. Æquitas.

4. Sapientia.

5. Patientia.

Digitized by Google

Conterere in Psal. 2. quo sensu accipiendum.

punctis appositis esse idem, quod *pasces*, vel *reges eos*. Et quidem Doctores aliqui, vt Eugubinus & Iansenius contendunt hebraicam vocem iis punctis esse scribendam, quibus significat *conteres*, vt legunt Massoretæ. Quis tamen non videat, quanto æquius sit, vt credamus non solùm Septuaginta interpretibus; sed etiam Ioanni, qui in Apocal. ter repetit, *reges eos in virga ferrea*, & græcè vtitur verbo ποιμαίνειν, quod significat *pascere* aut *regere*? Quod non ideò dixerim, quòd ad respondendum argumento, necesse sit significationem verbi *contero*, subterfugere; restat enim eadem difficultas in eo, quod mox subditur, *tanquam vas figuli confringes*. Videmus autem suprà eleganter vsurpari allegoriam validæ contritionis & durissimi imperii ad significationem summi beneficij, quod Christus celat sub seueritatis prætextu, qua suos familiares tractat. Nihilominùs tamen Ioannes nos docet, huius loci lectionem non esse, *Conteres eos in virga ferrea*, sed, *reges eos in virga ferrea*; quod miram in se continet elegantiam. sic enim significatur gubernationem fore pastoris & summopere hominibus benignam atque beneficam; quamuis virga aut sceptrum ferreum corporeis auribus sonet durissimum imperium & contritionem perualidam. & vt significetur etiam proprium sensum ab Spiritu sancto sub eo cortice intentum esse summi beneficij, quo Christus suos amicos afficit, dum eos eiusmodi gubernationi subijcit, cuius externa facies magnam præ se fert seueritatem & durissimum imperium. Ad hoc igitur prudentissimè fuit appositum verbum *pasces*, quod pastoris officium ac gubernationem in summum ouium beneficium significat; nec minùs eleganter cum verbo *pasces* coniungitur *virga ferrea*, quæ rigorem sonet. Idcirco Ioanni verbum *reges* siue *pasces* tantoperè placuit, vt illud cum virga ferrea coniunctum ter repetierit. Atque vbi animaduertatur, virgam idē esse, quod sceptrum; simul etiam perspicietur appositè assumi verbum, quod gubernationem significat, & cum nomine sceptri copulari. Cuius consideratio est, licèt aliis regibus sceptrum aureum in manu depingatur (vt Assuero, Esther 5.2.) regi tamen cælesti & ipsius ministris congruentissimè virgam ferream attribui; vt significetur ingens Christi gloria, qui imperio in speciem durisimo suos gubernat; cùm tamen sit in summum beneficium eorum, qui tanquam vas figuli confringuntur. Atque ideo ter Ioannes repetijt (opinor) verbum *pasces*; vt nobis planum faceret, non esse ad rem significationem seueriſſimæ sententiæ; quam Christus in extremo iudicio contra suos aduersarios est laturus: illa enim non iam erit sententia pascentis eos, sed potiùs igni pascendos tradentis.

NOTATIO VIII.

In qua iterum agitur de virga ferrea; consideratis iis, quæ ferro à magnete communicantur.

SECTIO I. *Subsequentis doctrinæ redditur ratio.*

VIDIMVS superiori notatione, Spiricum sanctum peculiares ferri proprietates attendisse, vt virgam ferream eligeret ad Christi imperij symbolum. Eos verò effectus, quos magnes in ferro mirum in modum operatur, consultò omisimus; visi enim sunt dignissimi, qui separatim in alia notatione cõsiderentur. Illi igitur hic breuiter proponentur à me; vtinam adeò dilucidè, vt res bene intelligatur. Nam si ita fiat, spero visurum lectorem, naturalem vim & facultatem, quam naturæ conditor tribuit magneti, vt ferrum ad se traheret, & nautici sideris cognitionem illi daret: eò præsertim spectasse, vt virgæ Christi ferreæ symbolò nihil deesset ex his, quæ ad symbolicam perfectionem optari poterant; iuxta ea, quæ diximus in prolegom. notat. 15.

Duo in Christi imperio ferreo in primis considerãda.

Vt igitur meum sensum exponam; aduerto, in durissimo Christi imperio per virgã ferream ipsi Christo adeò gloriosam tepræsentato, duo inprimis consideratione digna esse: alterum est efficacitas suauissima, qua homines ad se trahit; ita vt quod ipsos à Christo alienaturum fore videbatur, (nempe durum valdè ipsius imperium) id ipsum occultâ quadam virtute ad Christum alliciat, ac trahat tanta vi ac suauitate, vt ipsemet Christus de se asserat Ioan. 12.32. *Si exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad me ipsum.* Alterum est magna sapientia, quam manifestat Deus in hac durissimi imperij ratione; quæ scilicet, est abdita illa sapientia, de qua Paul. 1. Corinth. 2. atque illud ingens mysterium, quod Deus suo in pectore clausum tenebat, nec angelis reuelauerat; scilicet mysterium multiformis sapientiæ (de quo Ephes. 3.10.) quæ diuitias in paupertate absconderet, vitam in morte, in iniquitate æquitatem, & fortitudinem in imbecillitate, vt suprà latiùs explicauimus ex Nysseno. Hæc igitur duo, quæ tantopere in durissimo Christi imperio fulgent; nimirum efficacitas suauissima, qua Deus homines ad se attrahit, & diuina sapientia quam retegit, dum eos per speciem durissimi imperij beat; hæc (inquam) duo voluit diuina prouidẽtia ad viuum exprimere in duplici facultate miranda, quarum vtramque magnes virgæ ferreæ communicat. Significatio autem adeò est elegans, vt hoc symbolum censeam nobilissimum inter omnia, quę ex naturalibus rerum creatarum facultatibus sumi possint. Atque vt hæc significatio iucundiùs percipiatur, opus est priùs animaduertere vtramque magnetis proprietatem; & quemadmodum eas ferro impertiatur. Deinde quanto magis eminẽãt ambę in ferro post magnetis cõtactum, quam in magnete ipso. In hoc enim fundamento solidanda est symbolica significatio.

SECTIO II. *De duabus magnetis facultatibus seu viribus.*

Duplex in primis magnetis facultas.

DVARVM magnetis proprietatum altera est nauticum sidus indicare, altera ferrum attrahere. Vt ergo exordiamur à primas arbitror in ea cælestis ac diuinæ sapientiæ figuram ac symbolum contineri. Pro cuius intelligentia notandum est, in nautico indice siue acu, miram apparere sapientiæ imaginem. Nam quotumque siue loco, seu tempore (etsi cælum vndique nubibus obducatur; & sol, luna atque sidera omnia abscondantur in nebula) nobis hic index designat non solùm mundi polos, sed etiam Orientis & Occidentis solis plagas, & omnium ventorum vias. Hanc verò admirandam sapientiam, ferrea acus mutuam accipit à magnete ex ipsius attactu. Ipsi tamen magneti innata est atque insita à natura mira illa sapientia, quã cũ ferro communicat. Quare, si magnes aliquis in subereo cortice (qui instar situlinis exiguæ) super vndas impo natur, protinus conuertit corticem, prout opus est; vt cæli polos & omnium ventorum plagas designet.

Prima magnetis vis nauticum sidus indicare.

Nauticum indicem siue acũ esse sapientiæ symbolum.

Magnes naturã suã cæli polos & ventorum plagas designat.

Ingenti hac & arcana vtilitate, plurima antea sæcula, caruit orbis noster; donec accessit tandem tempus, quod Deus æternã mente destinarat, vt suaui Euangelij iugo subijceret insulas, prouincias, ac regna noui orbis cum aliis regionibus à nobis disiunctis. Tunc enim diuina prouidentia, vt ad remotas insulas & priùs ignotas aditus patẽret; vtque classes concionatorum & Euangelij ministrorum ad eas possent suum iter dirigere; occultam hanc magnetis proprietatem hominibus detexit; quod summi momenti fuit, ad longinquas Oceani nauigationes; id est, vt naues pelago se cõmittere, & in alkũ inuehi auderẽt; & à terræ conspectu valdè disiunctæ rectà cursũ tenere ad eam insulã seu portũ, qui multis leucarũ millibus distet; idq; per dies multos ac noctes, sine solis, sine lunę, sine siderũ conspectu.

Hanc magnetis proprietatẽ priscis olim fuisse ignotam.

Et vt clariùs constaret, reconditam hanc magnetis vim ideo fuisse à Deo retectam, vt maria omnia nauigari possent; congruentissimè fuit ab ipso Deo prouisum, vt arcanum hoc in magnete ipso non experimento percipiatur, nisi cùm magnes in exigua veluti nauicula super aquam collocatur, vt suprà dixi-

Quando hæc magnetis natura in ipso deprehendi soleat.

Digitized by Google

diximus. Atque hac ratione hominum industria mox addidicit, quòd sibi ad nauigationem opus erat, nempe acum ferream nauticam in aliqua veluti parua lintre collocare; ne frequens nauis iactatio, ipsius acus liberam conuersionem impediat.

Magnetis partem alteram directè ad septẽtrionem, alterã ad meridiem respicere.

Deinde notandum est, quemadmodum in eiusmodi acu ratio designandi varias ventorum regiones in eo sita est, vt ex duabus acus partibus extremis altera septentrionem respiciat, altera meridiem; ita etiam in quolibet magnete, esse quoddam punctum, siue ipsius magnetis particulam, quæ ad septentrionalem plagam se directè conuertat; alteram, quæ meridionalem è regione respiciat. Et quacumque ratione magnes diuidatur, in quolibet frusto duo hæc puncta septentrionale & meridianum semper est reperire. Et quocumque modo ac situ constituatur magnes; vbi potest, protinus conuertitur ad suum naturalem situm; ita vt altero puncto septentrionem, altero meridiem prospectet. Qui autem huius artis apprime peritus fuerit, facilè in quocumque magnete vtrumque punctum designabit; & ostendet, vtrum ad septentrionem, vtrùm ad meridiem respicere natum sit.

Quomodo magnes hanc polos respiciẽdi qualitatẽ nautica acui imprimat.

Notatu etiam dignum est, septentrionali parte magnetis illud ferri extremum contingi, quod meridiem spectare debet. Ratio verò est, quia ferrum iam contactum eodem manet nutu atque pondere, quod illi magnes communicauit. Atqui certum est (si magnetis septentrio septentrionem mundi aspiciat, atque ea ex parte illum cuspis acus contingat) cuspidem illam lapidis septentrioni obuersam, ad mundi meridiem aspicere. Sit enim magnes lapis quadratus, cuius punctum, A sit ipsius lapidis septentrio mundi septentrionem respiciens, & punctum, B. meridiem spectet: tunc cuspis acus, quæ punctum, A contingit, eo ipso meridiem mundi necessariò spectat. Et hæc de prima virtute magnetis, quæ consistit in polorum mundi certissima designatione.

Altera magnetis virtus ferrũ ad se trahere.

Altera magnetis virtus est ferrum ad se trahere: in qua mirè elucet infinita Dei charitas. Proprius enim diuinæ charitatis effectus est, homines ad se attrahere & sibi vnire; nec propriè charitas reperitur, nisi erga personas rationis participes. Si igitur magnes est inter omnes lapides sapiens (vt iam vidimus) atque eam sapientiam impertit ferro, quod ad magnetis naturam propriùs accedit; quid potuit ad Dei bonitatem & charitatem indicandam magis appositum effingi, quam singularis ea virtus, quæ à Deo magneti insita fuit; vt ferrum ad se traheret, secum vniret, & quolibet ferret? Nullum aliud metallum præter ferrum trahit magnes: ferrum enim est illi quasi cognatum, & solum capax illius sapientiæ, quæ in magnete reperitur; quod est esse veluti aptum ad disciplinam & ad cælestem doctrinam perdiscendam.

Quò ferrũ latius, eò magis aptum, vt à magnete trahatur.

Deinde quantò ferrum tersius ac læuius est, tantò est magis dispositum, vt cum magnete vniatur. Quo innuitur, animum, quantò magis fuerit ab omni scelere purus & immunis, & virtutum splendore conspicuus; tantò esse aptiorem, vt illum Deus secum arctissimo charitatis vinculo copulet.

Magnetẽ præsente adamãte, ferrũ dimittere, nec ad se trahere, putarunt veteres; alijs item vim suam amittere. Vtrumque falsum. Vnum ignẽ hac virtute magnetẽ primare posse & quomodo. Symbolica prædictorum significatio.

Veteres existimabant, magnetem præsenti adamante dimittere ferrum, nec illud ad se attrahere. Verùm adamantes, quos hodie nouimus, hac potentiâ carent. Commentitium est etiam, quod nonnulli asserunt de aliis. Vnus ignis virtutem hanc magneti detrahere potest. Licèt enim ferrum per mediam flammam, magnetis vnionem appetens, ad eam aduolet: si tamen ferrum sit candens; non trahitur à magnete, donec refrigeretur. Si magnes etiam accendatur & igneſcat, omnis illi virtus penitus deperit, ita vt deinceps ferrum attrahere non valeat. Nam magnetis virtus consistit in subtiliori quadam substantiæ parte, quæ igne omnino exhalatur & in fumum abit. Horum autem significatio huiusmodi est. In primis si quondam tyrannis (quæ per adamantem denotari potest) aut etiam rusticitas per allia denotata gloriabatur, se abstrahere homines à vera fide & religione, qua cum Deo coniunguntur; posteà per Christi passionem ac mortem homines, verè iam dicunt, Rom. 8. 35. *Quis nos separabit à charitate Christi?*

Secundò innuitur diuinam charitatem esse amorem spiritualem; illum verò, qui spiritualis non sit, non charitatem esse, sed sordes potiùs ac fæditatem. Atque ita consumptâ subtiliori illa magnetis substantiâ, quæ est quodammodo spiritualis; nulla illi remanet virtus, nec ferrum ampliùs trahit, neque deinceps magnes dici meretur: atque adeò Dei charitatem non repræsentat. Ignis autem figurat id, quod spirituali substantiæ contrarium est; vtpote quam in magnete consumpsit. Et quemadmodum ferrum, dum est ignitum, à magnete non trahitur: ità homo, dum in animo affectus spiritui contrarios admittit, à diuina charitate non trahitur. Vbi tamen aduersus ille affectus refrixit; mox redditur aptus, vt à Deo alliciatur atque trahatur.

Tertiò, quòd ferrum per medias flammas ad magnetis vnionem properet (priusquàm igneſcat) ostendit; quod ex se contrarium spiritui videtur, dum animam non occupat; minimè illi inhibere spiritualem cum Deo coniunctionem; at cùm contrarius ille affectus in animæ consensum irrepsit, protinus vnionem cum Deo dissolui.

Platonis locus de magnete.

Denique placuit hîc adijcere Platonis locum in Ione siue Iliade, vbi Socrates ad Ionem sic ait: *Diuina vis te mouet, quemadmodum in lapide magnete. Nam & hic lapis non solùm ipsos annulos ferreos trahit; sed etiam vim annulis indit, vt idem hoc facere possint, quod lapis; alios scilicet annulos trahere. Vnde aliquando longa admodum ferri annulorum catena efficitur, dum alij ex aliis pendent. Omnibus autem his ex illo lapide vis applicatur. Sic verò etiam Musa* (hanc ille spiritum quemdam diuinum esse supponit) *numine quidem afflatos ipsa facit: dum autem per hos numine afflatos alij afflantur, catena dependens connectitur.* Hæc Plato; quorum applicationem spiritualibus viris expendendam relinquo.

Sectio III. *Virtutes magnetis in ferro magneti coniuncto multò magis apparere, quã in magnete ipso.*

IN duabus magnetis facultatibus suprà dictis manifestè cernitur, magnetem esse symbolum sapientiæ cum bonitate in Dei natura coniunctæ. Illa enim cælestis sapientiæ & ingentis bonitatis atque charitatis repræsentatio magneti naturalis est: atque adeò optimè indicat sapientiam & bonitatẽ proprio in fonte existẽtes, id est in diuinitate, cui summa sapientia ac bonitas naturales sunt. Mirum tamẽ est, has easdẽ virtutes tam sideris nautici indicandi, quàm ferrum attrahendi, in ipso magnete, si ab instrumento omni separatus sumatur, nõ valdè apparere: in ferro tamẽ quod ipsi magneti fuerit applicatum & ipsius instrumentum effectũ, maximopere easdem virtutes eminere. Quod ampliùs adhuc declaretur oportet. Vis conuertendi se ad septentrionem, quamuis magneti insita sit à natura, multò clariùs & euidentiùs in ferro magnete contacto aspicitur. Vt enim solus magnes absq; ferro nobis septentrionem designet, multo labore opus est; & difficilè valde erit solo magnete absque ferro rectum nauigationis tenere cursum; & dignoscere quam in partem iter dirigẽdum sit. In ferrea tamen virgula, quæ magnetis virtutẽ participauerit (siue sit acus nautica, siue acus vulgarij horologiorũ) adeò est patens & clara hæc virtus, adeò facilis ipsius vsus; vt conspecta acu, nullo negotio quilibet, quà sit nauigaturus, deprehendat. Et in obscurissima nocte, quantumuis densissimis nubibus cælum sit obductum, distinctè perspicietur, quæ sit meridionalis, mundi pars, quæ septentrionalis, quæ orientalis, & quę occidẽtalis; quæ demũ sit propria cuiusque venti plaga. Quanta igitur est, quàm magna & admirabilis hęc sapientiæ cælestis imago, quæ mihi designet in summa obscuritate omnem cæli situm; & quà sol oriatur, vbi occidat, veluti digito certissimè demonstret?

Vtramque magnetis virtutẽ in ferro illi adiuncto multò maiorẽ inesse.

Quod ad alteram spectat proprietatem trahendi ferrum, licet ea etiam magneti naturalis sit, nec ferrum illam ex se habeat, sed à magnete mutuatam; vbi tamen ferrum cum magnete coniungitur mirum vade est, quantò maior inde sequatur effectus, & quantò ponderosior ferri vis trahatur ac tollatur. Quidam existimauit magnum satis esse, si magnes ferro armatus atque adiutus, ferri pondus triplo maius ad se trahat,

Digitized by Google

Quantò maius pondus ferrum magnete contactum quàm magnes ipse attollat.

trahat, quàm magnes inermis, id est, sine ferri adiumẽto poterat. Id quod vt rem miram & animaduersione valdè dignam litteris consignatum reliquit. Ego tamen experientia edoctus didici, à magnete ferrea virga bene applicata munito, non tantùm triplo maius põdus, sed etiam centuplo eleuari. Est apud me magnes, qui absque vllo ferri adiumento, vix 5. vncias ferri attollit: si tamen virgâ ferreâ applicatâ adiuuatur, plusquã 200. ferri vncias eleuat. Et exiguo alicui magneti, qui inermis vix duas ferri drachmas potest attollere, exigua etiam virgula ferrea adiuncta, plusquàm ducẽtas drachmas ad se trahit. Hoc discrimen inter exiguã ferri vim, quæ ab inermi magnete attollitur, & aliam multò maiorem quam ferrum magneti admotum eleuat, multò maius & mirabilius est; si ferrea virgula, quæ illius tractionis est instrumentũ futura, in magnete includatur, perforato scilicet lapide à septentrionali parte ad meridionalem (quæ duo sunt pũcta in quibus magnetis vis efficacior existit) & ferrea virgula, veluti clauo, per foramen penitus adacta. Sic enim tãtopere vis magnetis augetur, vt maximam videntibus pariat admirationẽ. Id quod eodẽ ferè modo accidit, si magnes in duas partes discindatur, & inter vtramque ferrea veluti tabella vtrique parti æqualiter admota collocetur. Magnetem hac ratione dispositum memini me apud excellentissimum Castellæ Comitem (vulgò Stabilem) vidisse; qui magnes, cùm absque ferri adminiculo, vix tres aut 4. vncias attolleret; applicatâ tamen & interiectâ ferreâ tabellâ, tantum attollebat ponderis, vt ad talentum Hispanum (vulgò *arroba*,) parum illi deesse videretur. Atque eo studio, quod in magnetis natura curiosè indaganda collocaui, (in huius symbolicæ significationis obsequium) certam auderem præscribere rationem; vt magnes qui sine ferri adiumento vix libræ pondus attollebat, adiuncto ferro facilè centum pondiũ siue centũ libras tollat. Et vt aliis naturæ arcanis, diligenter in magnete obseruatis supersedeam; quiddam interim aduertisse contentus ero; vt clarè perspiciatur ferrum magneti applicatũ, ferreum ad se pondus trahere multò maiore vi, quàm trahit magnes. Ferro enim, quod sibi magnes attraxit & coniunctum tenet, si ferrum alterum propè admoueatur, primum illud magnetem, cui adhærebat, deserit; & applicito ferro adhærescens, illud sequitur: quasi dicere quodammodo videatur, sibi magnetem præcipere; vt quãuis eum derelinquat, admotum denuo ferrũ comitetur. Quòd si attentè id consideremus; & si ferrũ à magnete per speciem separetur, non tamen omninò remouetur ab illo. Nam remanet intra sphæram virtutis magnetis, atque ideo ferrum aliud quæritat. Lapidis enim virtus, cui subiacet ferrum, illud impellit & cogit, vt ferrum alterũ sequatur.

Ferrũ magneti adiunctum, si aliud ei ferrum admoueatur, magnetem deserit, ac ferro applicito adhæresc it.

Sectio IV. *Applicatio prædictæ philosophiæ ad significationem mysterij cui deseruit.*

Mystica magnetis, eiusq; proprietatum significatio.

SI magneti naturale est sapientiam ac bonitatẽ repræsentare; nemo nesciat quàm congruens symbolum diuinitatis sit, cui infinita sapientia naturalis est; & similiter bonitas, quia creaturas suas ad se allicere ac trahere contendit. Manifestũ est autem ferrum naturâ suâ esse magneti quodammodo cognatũ. Quare lapidis huius virtus, qua ferrum ad se trahit, secũ copulat, & nautici sideris scientiam ac vim attrahẽdi aliud ferrum illi impertit; appositissimè deseruit ad significandum, quemadmodum Deus eos, qui sunt rationis participes, atque adeò diuinæ naturæ cognati, trahat ad sese, coniungere secum conetur, & suæ sapiẽtiæ ac bonitatis eos participes efficiat. Et verò rationales animas ex Dei esse genere affirmat Paulus Actor. 17. 28. *Ipsius enim & genus sumus.* Atq; ex hac hominum cognatione cum diuina natura, sequitur eos esse habiles & aptos ad disciplinam, & cælestis sapientiæ capaces. Et vt ostenderet Deus, nihil se de rebus aliis creatis, præ rationali natura curare; voluit vt magnes nihil aliud ad se traheret præter ferrum, quod est illi cognatum, & ipsius disciplinæ capax.

Si hoc igitur statuatur, per magnetem scilicet diuinam naturam figurari, & humanam per ferrum; quis non videat incarnationis mysterium mirificè indicari in ferro, quod sit magneti intimè coniunctum, & illi vt instrumentũ deseruiat ad suam virtutẽ manifestis argumentis declarandã. Licèt enim diuina natura sit bonitatis & sapientiæ fons; verũ infinita hæc eius virtus ante altissimũ incarnationis mysterium sua opera quasi quibusdã limitibus circumscribebat. Postquam autem humanã naturã sibi vnionis vinculo copulauit; per illam quasi instrumentum coniunctũ immensam suam virtutem summopere ostendit; dum hominibus affatim cõmunicauit cælestem illã sapientiam, charitatem ac sanctimoniã, qua ipsi cum Deo & inter sese consocientur. Hæc certè sapientiæ & bonitatis communio, qua Deus per Christum homines diuinis hisce opibus locupletauit, haud dubiè est cẽtuplo & millecuplo maior; atque adeò infinitum habet excessum, si cum eo, quod ante incarnationem generi humano communicauerat, comparetur. Nec fieri vsquam potuit, vt tantum hoc, tamque infinitum discrimen integrè magnes ac ferrum figurarent. Enimverò vt hoc per symbolum indicaretur, nihil potuit esse congruentius, quàm excessus, quo ferrum magneti vnitum superat ipsum magnetem in alio ferro trahendo, & in cælestis virtutis sapientia ostentanda.

Diuinæ sapientiæ thesauros asserit Paulus in Christo esse absconditos ac depositos, vt ipse hominibus atq; angelis eos impertiatur; & simul patefaciat ea, quæ Deus antea reserare noluerat. Quam ad rem elegantissimè videmus in ferro cælestis sapientiæ repræsentationem multò magis, quàm in ipso magnete manifestam. Quòd si acus nautica eo esset artificio elaborata, vt ferro magnes esset inclusus quasi anima: næ multò euidẽtior & efficacior esset vis, qua sideris notitiam & cælestẽ illam sapientiam nautis indicaret. Christi ergo humanitas est veluti ferrum, quod intimè est cũ diuinitatis magnete vnitũ, atque ipsius sapientiam integrè participat; eamque admirabili virtute retegit, & ostendit.

Homines autem ad se trahere & sanctificare, licèt proprium diuinæ naturæ sit; constat tamen ex sacra Scriptura, ante incarnationis mysterium, id parcè admodum ac modicè fuisse à Deo in hominibus præstitum. Posteà verò tantus fuit, tam copiosus & abundãs effectus eiusmodi subsecutus, vt Christus Dominus meritissimè dixerit, *Omnia traham ad me ipsum.*

Integrã tamen Christi sententiã repetamus oportet, *Ego, si exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad me ipsum*, Ioan. 12. 32. Hoc enim fuit reseruasse Christũ clarissimã suæ virtutis demonstrationẽ, vt esset suæ passionis effectus. Et quidẽ, quod videmus in magnete tollere ad se ferrũ ac trahẽre, id nobis quasi quibusdã vocibus videtur dicere, hunc lapidẽ fuisse productũ, vt miram illam Christi sententiã symbolicè exprimeret. Magnã porrò Christi virtutis demonstrationẽ, vt suæ mortis effectũ fuisse reseruatã; id etiã figuratur in ferro cũ magnete vnito, vt ipsius virtutis instrumento. Vt enim præstãtior sit effectus, opus est vt ferrũ virgæ figurã habeat, alioquin multò minor effectus erit. Sin ferrũ in virgæ figurã sit extentũ, & optimè magneti adiunctũ: admirabilis est virtutis magneticæ ostensio & demõstratio; idque nõ solũ in magna ferri vi ad se trahẽda, sed etiã in nautici sideris scientia illi cõmunicãda. Quod enim ferrũ ad se magnes trahit, eidẽ mirã hãc scientiã impertit. Quid ergo est ad magnũ ferri põdus trahendũ, oportere, vt instrumentũ coniunctũ, virgę ferreę formã habeat, quę sit magneti optimè applicata & valdè subiecta? Respõdeo, huius significationẽ esse illã ipsam, quã Christus illis verbis explicuit, *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Nam, vt superiori notatione vidimus, virga ferrea durissimũ indicat imperiũ. In Christi autem passione ac morte cũ fuit exaltatus à terra, ostẽdit Deus vt in exemplari, quali ratione cum suis amicis se gesturus esset, scilicet per speciem durissimi imperij. Quem enim vnquam Deus tanta seueritate tractauit, atque Christum? In ipso igitur Christo mirandũ in modum demonstrauit suum imperium (in quo singulariter gloriatur) esse virgã ferreã. Et statim hac eâdẽ virgâ suæ virtutis efficaciam mirificè ostendit in sapientię ac sanctitatis cum hominibus communione; dum eos diuino suo spiritu docuit, ac sanctos effecit. Et quoniam Christi humanitatis ferrũ adeò se diuinitatis magneti subiecit,

Digitized by Google

subiecit,& in virgæ ferreæ formam extendit, ac se formam & exemplar maximæ seueritatis constituit,quam Dei amicos subire oportet, propterea gentes omnes traditæ sunt illi in possessionem, atque concessum vt eas virga ferrea gubernaret,id est imperio durissimo & Christo ipsi glorioſissimo.

Et verò admiratione dignum est,Deum per Christi tormenta ac mortem ad se attraxisse homines. In quo edocemur,si Deo placere velimus,necesse esse,vt Christum imitemur,& nos in cruce extendamus,vt ferrum ad virgæ similitudinem extenditur. Ecquis animalis homo non diceret, propositâ Christi cruce homines à Deo esse deterrendos;ne ab eo tractarentur,vt Christus fuit tractatus? Id tamen maximè est mirandum, non solùm homines à virga ferrea trahi,sed etiam id efficacissimè & suauissimè effici: vtrumque enim explicatur eo verbo,*Omnia trahamad me*,vt rectè Augustinus expendit.

Magna huius suauitatis pars ostenditur in ea efficacia,quam adhibet Christus, vt homines se mutuò ament. In hac enim magna proximi charitate apparet ingens suauitas,qua Deus ad se homines trahit. Quod vt significetur,aptissimum est quod in ferro accidit;cui veluti præcipit magnes, vt illum relinquat, & coniungi cum alio ferro contendat. Nec tamen id est à magnetis virtute separati,sed cum ea magis vniri(vt suprà explicauimus. Quod idem est,atque illud quod Christus ait: *Si offers munus tuum ad altare; & ibi recordatus fueris,quòd frater tuus habet aliquid aduersum te; relinque ibi munus tuum ad altare, & vade prius reconciliari fratri tuo*,&c. Suauitas insuper Christi legis apparet in eo, quòd suam legem vniuersam ad proximi charitatem reduxerit:Nam hoc est præceptum Christi, vt diligamus inuicem; & *qui diligit proximum,legem implesuit*. Qua charitatis demonstratione Christus magna vi homines ad se corripit ac trahit; quemadmodum ferrum magneti adiunctum, quodlibet aliud ferrum trahit.

Matth.5. 24.

Rom.13.8.

Quod autem de Christo hactenus diximus,de viris etiam Apostolicis suo modo intelligendum est,quibus dat Deus virgam, quod est animarum imperium illis tradere. Licèt autem non adeò sint cum diuinitatis magnete coniuncti,vt Christus;ad Christum tamen accedentes,duas illas virtutes admirabiles ab eo accipiunt, quas aliis permultis ipsi communicent, vt in magnete lapide repræsentari videmus:qui non solùm virtutem, quam habet sibi intimâ trahendi ferrum, communicat illi quod ipsi vt præcipuum instrumentum,coniunctissimum est;sed cuiuis etiam alij ferro quod ad illud,quod erat coniunctius, proximè accedat: & eo magis, quo magis ad coniunctum instrumentum adhæserit.

Ex dictis cernitur ad virgæ ferreæ symbolicam perfectionem,repræsentantis regiam Christi potestatem, valdè esse considerandas duas illas vires seu proprietates, quas ferrum à magnete participat: nec minores Deo deberi gratias ob ingens beneficium, quo Philosophiam symbolicam affecit; & ob spirituale solatium quod animis affert magnetis consideratio, quam ob maximam vtilitatem nauigationi & hominum commercio magnetis proprietatibus allatam.

His addo,eundem vsum virgæ ferreæ magnete contactæ;qui tanti est ad nauigationem momenti, esse etiam ingentis emolumenti iis, qui miram huius lapidis naturam attentè perpenderint; vt spiritualem inde institutionem;& virgæ Christi ferreæ exaltationem eliciant. Primò enim, vt in tumentis maris vndis, præsertim in media obscuritate & sæuientibus procellis,permagni refert ad id iter rectè prosequendum,ferreę virgæ(id est,nauticæ acus) gubernationi se subijcere: ita qui se virgæ ferreæ Christi subiecerit, agnoscens id ipsum, quod durissimi imperij speciem habet, esse veluti acum nauticam, quæ rectâ ad felicissimum gloriæ portum dirigat;næ ille sapit:secùs verò desipit. Atque hoc durum Christi imperium, hæc virga ferrea, hæc nautica acus est, quæ Petri nauem, id est Catholicam Ecclesiam,ad eam felicitatem adduxit,quam per ipsas tribulationes consecuta est.

Denique quemadmodum post cognitam ingentem illam virtutem acus nauticæ, quam ex magnetis contactu accepit;nulla iam est insula,quantumuis distans atque longinqua,quò nauigationis cursus feliciter dirigi non possit:sic etiam Petri nauis,id est Romana Ecclesia,& concionatores Euangelici, qui ipsius sunt ministri,cum spirituali acu nautica,id est, cum virga ferrea,quam eis Christus concedit,ad quascunque nationes remotissimas, ad Antipodas ac nouum orbem felicissimè nauigant,Christi Euangelium promulgaturi, & quibuslibet procellis superatis gentes vniuersas subijciunt ipsius Christi ditioni; cui cum Patre & Spiritu sancto sit sempiterna gloria.

COMMENTARIVS.

VERS.28. *Quasi stella matutina.*

ET DABO ILLI STELLAM MATVTINAM]In virga ferrea nemo est,qui non videat, manifestè alludi ad psal.2.Stellam autem matutinam,ad quam hîc alluditur, abscondisse videtur nebula: scribitut enim Eccli.50.6.*Quasi stella matutina in medio nebulæ*. Et cùm, meo indicio, ad eum locum fiat allusio in præsenti;nemo tamen est interpretum (quos ego quidem viderim) qui eò respectum esse notauerit,neq; eius loci in huius explicatione meminerit. Quod verò hîc non fiat stellæ matutinæ mentio,sine respectu ad aliquē veteris Testamenti locum;negauerit nemo; qui animaduertat vix esse aliquod symbolum in Apocalypsi,aut ne vix quidem, in quo non alludatur ad aliquem veteris instrumenti locum. Verùm non semper constat de loco eiusmodi,ad quem alludatur; vt in septem tonitruis cap.10.in quibus nemo hactenus aduerterat,alludi ad psalm.28.vbi septies vox Domini repetitur. In præsenti ergo alij putabant respici ad illud Isaiæ 14.12. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer*?atque ita explicabant,*dabo illi stellam matutinam*, id est, dabo sub eius potestate dæmonem. Ita Andreas & Aretas. Alij credebant perstringi hîc locum Iobi 38.32. *Numquid producis Luciferum in tempore suo*?Sic Gregorius ibi.Alij ad Balaami prophetiam referebant,Num.24.17. *Orietur stella ex Iacob*.ita Ambrosius hîc.

De huius loci allusione, aliorum placita.

Auctoris sententia.

Huiusmodi tamen allusiones non satisfaciunt. Andreæ quidem & Aretæ allusio violenta est. Hic enim locus respondere debet iis,quæ Christus de semetipso ait, Apocal. 22.16. *Ego stella splendida & matutina*.Est enim phrasis violenta,*dabo illi stellam*,id est,*subijciam illi stellam*.Allusio ad Iobi locum non subsistit.Quia Iobi c.38.hebræa non designant Luciferum,sed in communi signa cælestia: stellæ verò prophetiæ Balaami deficit appositum *matutina*. Itaque allusiones hactenus notatæ non sunt verisimiles. Quare videtur certa esse allusio huius loci ad id Eccli. 50.6.vbi expressè legimus, *Quasi stella matutina*.

Stella matutina nomine de quo sit sermo apud Ecclesiasticum.

Duo tamen contra hoc obijci possunt.Primum,in Ecclesiastico sermo est de Simone Onię filio; non de Christo,nec de beneficiis ab eo in viros Apostolicos collatis.Secundũ,pro stella matutina in Ecclesiastico,legitur ἑωσφόρος,ab ἠώς, quod propriè significat aurorã:in præsenti verò legitur πρωϊνὸς, à πρωΐ,id est,*manè*,Ad Primũ tamen Respondeo, quòd locus ille Ecclesiastici loquatur de Simone

Oniæ

A Oniæ filio, minimè obstat allusioni. Nam similiter de Eliacim regis Ezechiæ ministro sermo erat Isaiæ 22.22. cùm dicitur, *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius*; & tamen haud dubiè alluditur ad eum locum, Apoc. 3.7. vbi de Christo dicitur, *Qui habet clauem Dauid*. Quin elegantiæ plenum est, quòd Apocalypsis Christo tribuat elogia, quæ in veteri Testamento aliis fuerat priùs attributa. Quo nobis planum fit, sacros Vates, & veteris Testamenti scriptores, dum præterita tangunt, ad futura respicere, id est, ad Christum & Christianam Ecclesiam, vt docet Augustinus. Ad Secundum Respondeo; si sumatur comparatio (vt conuenit inter omnes) à Veneris stella; idem est, siue appelletur ἑωσφόρος, siue πρωϊνὸς; nam nomen *manè* ad auroram se extendit eo modo, quo Ioannes in Euangelio loquitur, cap. 21.1. *Manè cùm adhuc tenebræ essent*. Et fortè vt vox πρωϊνὸς, vsurparetur, quæ ponitur in Apocalypsi, respectum fuit ad propriam significationem hebraicæ vobis, quæ in Ecclesiastico erat. Constat enim eum librum priùs hebraicè fuisse scriptũ. Verùm quidquid de hoc sit; vt clarior appareret allusio, non sine diuino consilio vtrobique Vulgatus posuit stellam matutinam. Et certè illud Simonis Oniæ filij elogium omnino Spiritui sancto placuit ad Christum transferre. Ibi enim coniunguntur tres comparationes, *stellæ matutinæ, lunæ*, ac *solis*: quæ omnes Christo in Apocalypsi tribuũtur; vt ex aliis locis constabit. Hæc de allusione. Et vbi ad locum aliquem alluditur, vix potest verus sensus cognosci, nisi sciatur ad quem locum fiat allusio.

B Eapropter, varij sunt hoc loco explicando interpretes. Quidam enim exponunt de dæmone; vt Andreas & Aretas. Alij de Christo; vt Primasius, Ambrosius, Beda, Pannonius, Anselmus & Ribera. Alij de Angelo custode; vt Dion. Carthusianus. Alij de gloria animæ ante corporis resurrectionem; vt Richardus & Rupertus. Alij de ipsa resurrectione corporum; vt Haymo & Lyranus. Alij de luce in corde fidelium; vt Aretas & Glossa. Alij de participatione gloriæ Ioannis Baptistæ & Eliæ; vt Aretas. Alij de dono præscientiæ; vt Ioachimus. Alij de clara rerum diuinarum intelligẽtia, & sacræ Scripturæ intellectu; vt Gagneius & Serranus. Alij denique de inuisibili (siue aliquando visibili) Christi apparitione, qua sanctos viros animam agentes consolatur; ita Ribera.

Veram tamen expositionem esse existimo, vt viro Apostolico in hac vita spondeatur in mediis calamitatibus ac persecutionibus maximum à Deo solatium spe certissima Ecclesiæ prosperitatis & ingentis fructus, quem, Deus ex illius prædicatione percepturus est. Et in primis iuxta hunc sensum verissimè dicitur Christus esse stella matutina; scilicet quia in ipsis persecutionibus, suos consolatur certissima spe Solis quàm mox orituri, id est, prosperitatis breui subsecuturæ. Atque in hoc sensu cõueniens valdè fuit, vt Christus in fine Apocalyps. veluti breui totius libri epilogo de se ipso asseret, *Ego stella splendida & matutina*. Nam totus hic liber eò tendit, vt Christianæ Ecclesiæ tunc vehementer afflictæ promittatur, illam non multò pòst, Romani Imperij victoriâ glorioſissimè fruituram: atque ad hoc Christus suam interponit fidem; affirmans, se per libri huius reuelationem esse suæ Ecclesiæ veluti stellam Veneris, quæ Solis claritatem non procul distare nuntiat. *Quid in stella matutina promittat Christus.*

C Deinde, quod Christus generatim de se ait, propter huius libri prophetiam; hoc ipso affirmatur hîc viros Apostolicos maximè frui. Cùm enim Dei opem in animarum conuersione experiantur; & videant per ipsas oppugnationes, fideles longè lateque propagari; ipsamet diuinæ opis experientia eos maximopere solatur, & securos de futuro successu facit. Et quidem hac in re aliud multò est per speculationem tantùm loqui, aliud rebus ipsa experiri, & quasi manibus cõtrectare. Ad Dei autem prouidentiam spectat, vt solatium hoc ac voluptatem illi abundantiùs capiant, qui in vinea Domini intensiùs laborant. Christus itaque, vt stella matutina, qui in laboribus, felicitatis spe suos solatur, hoc munere præcipuè fungitur cum viris Apostolicis prædicationis muneri destinatis; qui cùm ardentiùs Ecclesiam ament, ideo plus ceteris de ipsius felicitatis spe lætantur. Apparet hoc maximè in Ioanne, qui se ad Angeli pedes iterum atque iterum vt eos oscularetur, abiecit, præ gaudio quo fuit cumulatus certissima illa spe, quæ de Christianæ Ecclesiæ felicissimo progressu fuit sibi ab ipso Angelo iniecta.

D Tertiò, hunc sensum comprobat contextus illius loci Ecclesiastici cap. 50. 6. vbi dicitur, *Tamquã stella matutinã in medio nebulæ*, vel *in medio nubis*. & verba illa, *in medio nebulæ*, ostendunt, opinor, in diebus nubis atque caliginis, id est, cùm populus magna aliqua calamitate erat afflictus, ingenti tamen fuisse solatio, quòd Simonem filium Oniæ pontificem haberent; cuius virtute atque præsidio securi reddebantur de felici rerum euentu, quo erant citò fruituri. Quemadmodum Veneris stella, etsi nox sit obscurissima, cùm apparet, certam iniicit spem, Solis ortum non procul abesse.

Atque vt hunc effectum; quemadmodum & reliquos in præmiis harum epistolarum propositos, ad sacram communionem in Eucharistia; vel ad communionem, quam vocant, spiritualem, referamus; cùm Christus ait, *Victori dabo stellam matutinam*, idem est ac dicere; si ad me accesserit, efficiam vt in ipsius corde Lucifer oriatur, id est, vt mente ipse persentiat incredibile solatium, certior redditus de magnæ vineæ, in qua laborat, felicitate futura. Non ago nunc de spe, quæ iusto inest potiendi in cælo diuina claritate: in his namque symbolis respicitur ad cap. primi visionem; in qua Solis claritas fuit symbolum eius felicitatis, qua fruitura erat Ecclesia Christiana in hac vita. Vnde Veneris stella, quæ Solis aduentum prænunciat, debet esse certissima spes illius magnæ prosperitatis. Atque hæc erat promissio ad Thyatirensem Episcopum maximè idonea, vtpote cui præcipiebat Christus, vt se totum Gentium prædicationi consecraret. *Stella matutina ad Eucharistiã applicatur.*

CAPI-

CAPITIS III. PARS I.

Quæ est Epistola ad Episcopum Sardensem; & sub eius persona ad fideles improbos, id est, proiecta ad scelera audaciæ.

TEXTVS.

Vers. 1. ET Angelo Ecclesiæ Sardis scribe; Hæc dicit, qui habet septem spiritus Dei & septem stellas: scio opera tua, quia nomen habes quòd viuas, & mortuus es.

2. Esto vigilans, & confirma cetera, quæ moritura erant. Non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo.

3. In mente ergo habe, qualiter acceperis, & audieris: & serua, & pœnitentiam age. Si ergo non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur; & nescies, qua hora veniam ad te.

4. Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua: & ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.

5. Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis; & non delebo nomen eius de libro vitæ; & confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram angelis eius.

6. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

COMMENTARIVS.

Vers. 1. Quorsum huius epistola initiũ à septem Dei spiritibus & à septem stellis ducatur.

HÆC DICIT, QVI HABET SEPTEM SPIRITVS DEI ET SEPTEM STELLAS] Quid significent septem spiritus Dei & septem stellæ, vidimus cap. 1. Hîc enim explicandum est quorsum vtatur Christus hac periphrasi in epistola ad Sardensem. Ad quod Respõdeo, Sardensem Episcopum, vt posteà dicemus, esse in lethali peccato: quia debitum officium minimè præstabat. Nec enim vigilabat in sui gregis custodia, sed eius curam abiecisse prorsùs videbatur. Quod ergo Christus illi persuadere conatur (vt ex ipsa constabit epistola) est, vt oculos aperiat, & attentè consideret sui muneris obligationes, & ad eas implendas enitatur. Atque ad hanc intentionem illi explicandam optimè asserit Christus se habere septem spiritus & septem stellas. Primùm enim septem spiritus Christi proponunt ob oculos Sardensi Episcopo, quonam modo deberet suam Ecclesiam regere ad imitationem Christi, cuius septem spiritus sunt, Virtus, Beneficentia, Æquitas, Sapientia, Patientia, Comminatio & Seueritas. Et quemadmodum in his septem spiritibus optimæ gubernationis perfectio sita est; ita in illis, vt in limpidissimo speculo omnes suos defectus Episcopus conspicere poterat: qui non solùm non se constantem & sapientem exhibebat; sed etiam ouium cutam omnino deposuisse videbatur: & nec se illis beneficum neque æquum præstabat; non earum insciriam patienter (prout opus erat) tolerabat; non iis minas à Deo intentas ponebat ob oculos; non cum iis vnquam debita seueritate vtebatur. Iam si in his omnibus aut ex toto, aut magna ex parte Episcopus negligenter se gerebat; neque officium, vt par erat, præstabat; atque adeò si ab eo expetebatur, vt se totum ad Christi veri pastoris exemplum conformaret; quid aliud congruentius illi potuit proponi, quàm septem spiritus Christi? Quòd verò septem stellæ septem spiritibus addantur, idem est ac si illi Christus diceret; idcirco te Episcopum constitui, vt in septem gubernationis spiritibus me imitarere: ideò te tantæ dignitati præfeci; ideò te honore, auctoritate ac potestate auxi. Hæc enim omnia nomine stellæ, seu gemmæ annulorum Christi significantur, vt suo loco vidimus. Itaque & stellæ & spiritus Dei Episcopo proponuntur: stellæ quidẽ; vt agnoscat quid sit quo ipse obligetur; spiritus autem, vt noverit ad quid obligetur. Vides ergo aptissimè cohærere, vt septem spiritibus adiungantur in hac Christi periphrasi septem stellæ. Episcopus autem propterea de suæ vocationis sublimitate admonetur; vt erubescat, se officio omnino deesse. Et similiter facta est mentio septem stellarum in epistola ad Ephesinum, vt animaduerteret indignum esse, Christi gemmam minùs splendere, quàm debebat.

Huiusmodi expositio germana est (opinor) in periphrasi, qua Christus in hac epistola vtitur. Cui tamen posset fortasse annecti, Christum ideo Sardensi dicere, illum esse vnum ex septem stellis; vt consideret se inter septem illos Episcopos, eo nomine esse indignissimum; ac proinde vehementer erubescat, se non solùm procul esse ab imitatione Smyrnensis Episcopi, Philadelphij, Pergameni, Ephesini, & Thyatirensis; sed etiam improbitate Laodiceno Episcopo anteire.

Præter hæc, diceret alius, Christum hac periphrasi respondere cuidam obiectioni, quæ posset occurrere hanc epistolam legenti, & pariter consideranti Episcoporum aliquot in suo munere negligentiam. Obiectio autem siue admiratio ea est; cur scilicet Christus permittat hominem adeò deprauatæ conscientiæ, & sui officij negligentem Episcopalem sedem occupare? Huic ergo admirationi

A tioni dicat aliquis Christum in huius epistolæ periphrasi respondere, dum ait septem esse suæ prouidentiæ spiritus, & huius prouidentiæ perfectionem compleri patientia, commination atque vindicta, ac propterea se permittere, vt homo nequam inter Christi stellas numeretur & Episcopalem sedem occupet. Tantò autem magis timerè debet Episcopus improbus Dei vindictam, quantò maior est patientia Dei cernentis & sustinentis eius improbitatem.

Quæ fuerint Sardensis Episcopi peccata.

SCIO OPERA TVA, &c.] In huius Episcopi descriptione non omnes interpretes consentiunt. Aliqui enim cum Ruperto opinantur eum fuisse impuris libidinibus inquinatum. Alii cum Lyrano hypocritam fuisse credunt, & sanctitatis specie occulta peccata tegentem. Ipse tamen mihi persuadeo, huius Episcopi peccata, quæ Christus in eo reprehendit; non fuisse occulta; nec optimam de illo fuisse sanctitatis existimationem; nec luxuriæ eum fuisse deditum; nec commissionis peccata in eo reprehendi; sed magnam solùm negligentiam in pastorali munere obeundo, in commisso sibi grege curando, in debilibus confirmandis, in docendo & exhortando, in iis denique omnibus accuratè præstandis, ad quæ Episcopus ex officio Episcopi tenetur: multo enim maius obligationum pondus ei incumbit, quàm aliqui existimant. Ac Primò in hoc explicandi modo graues interpretes sequor, vt Primasium, & Bedam. Deinde valdè fauet nobis Christi periphrasis, *qui habet septem spiritus.* Hæc enim verba sunt apprime apta ad eum obiurgandum, qui ab iuncto sibi of-

Neglecti officij scelerè fuisse constrictum verior sententia est.

B ficio declinat. Tertiò, si huius Episcopi peccatum esset, quòd turpi voluptatum cœno aut aliis sceleribus commissionis, pessimi exempli, & aliorum offensionis esset immersus; Christi obiurgatio maiore adhuc acrimonia constaret. Licèt enim grauissima sit; non tamen aliam præ se fert querelam nisi pastoralis officii deserti. Quartò, vt hic Episcopus graue aliquod scelus singillatim admisisse credatur, vt fictæ sanctimoniæ, & optimæ existimationis apud omnes per simulationem affectatæ, aut concubinatus, siue alterius singularis sceleris; ad hoc (inquam) opus erat, vt clarè ex ipso contextu, aut magna saltem verisimilitudine eliceretur: atqui (vt infrà expendemus) nulla potest fieri ex contextu firma eiusmodi scelerum coniectura. Quod enim peculiariter perstringitur, nihil aliud est, quàm Episcopum ab officio discedere. Et quidem generalia verba, qualia sunt ipsum esse mortuum, id est lethali scelere constrictum: &, nisi se ad meliorem frugem recipiat, tepentina opprimendum calamitate, verba ista hæc non indicant quibus singillatim peccatis esset deditus ille Episcopus. Quamobrem nulla ratio solida est, vt existimemus pluribus illum sceleribus fuisse constrictum; quàm iis, quæ textus exprimit. Certè qui apud se rectè perpenderit, quàm graue sit crimen in Episcopo, ipsum sui muneris obligationes prætermittere, non alia desiderabit peccata, vt verè Episcopo dicatur eum esse mortuum, & Christum ad eum tanquam furem aduenturum. Præter hæc argumenta, illud apud me plurimum valet; hanc scilicet epistolam ad primitiuæ

C Ecclesiæ Episcopum D. Ioannis discipulum conscribi. Nec ita facilè credendum est eo ipso tempore Episcopum reperiri tantæ aliorum offensioni obnoxium, siue ob luxuriam, siue ob auaritiam: Atque vt exempli gratiâ Episcopus aliquis designetur in peccato mortali existens, nullum aliud exemplum afferri potuit congruentius, quàm illius Episcopi: qui creditum sibi munus per summam negligentiam desereret, & grauiter propterea obiurgaretur. Vt cognoscatur grauissimam esse culpam illam, & propter eam Episcopum, nisi resipiscat, fore damnandum; sicut alii ob latrocinia & adulteria.

Ex dictis infero, verba illa, *scio opera tua*, non esse referenda ad mala opera Episcopi: nec enim illi imputatur aliud præter grauissimam omissionis culpam, in quam inciderat, non ob facta opera, sed ob eorum defectum: Quare illud, *scio opera tua*, intelligendum est de bonis operibus, quæ nonnulla præstabat Episcopus: ita enim textus innuit. Verùm quia in peccato lethali fuerant facta (eò quòd Episcopus officio suo deerat) ideo hæc verba non sunt loco laudis accipienda; sed quasi diceret Christus, Noui à te bona aliqua opera fieri, ea tamen nihili facio, quia à te sunt in lethalis sceleris statu patrata. Quòd verò non sit sermo de flagitiosis operibus, ex eo probatur; quia non bene contextus cohæreret ea ratione; scilicet scio te praua opera facere, quia scio te esse mortuum: Hoc (inquam) non cohæret, quia mortui non est operari. In bonis autem operibus contextus optimè quadrat: Nihil de tuis bonis operibus curo, quia sunt in peccato lethali facta. Itaque huius Episcopi culpa non erat ex hypocrisi, non ex libidine, aut ex alio id genus scelere: sed ex eo quòd illa non

Quænam Sardensis Episcopi opera Christus se scire dicat

D præstaret, ad quæ ex pastorali officio tenebatur.

Sed obiiciat aliquis, ex hac expositione sequi, in his epistolis exempla non esse ad omnes conscientiarum differentias spectantia; cùm aliæ præterea in Christianis esse possint. Nec enim hîc est exemplum hypocrisis, nec lethalium scelerum, quæ sint per commissionem patrata. Respondeo, diuisionem in septem conscientiarum genera esse plenam ac perfectam; vt vidimus in proœmio capitis secundi; non tamen esse materialem, vt ita dicam, sed formalem. Nec enim singillatim descendit ad singulas vitiorum aut virtutum species; quod infiniti operis esset; sed ad septem communes illas differentias. Sub illius ergo differentia, qui est in mortali peccato, atque adeò nihil in se habet vera laude dignum, comprehenduntur diuturno concubinatui dediti, ficti, auari, & reliqui omnes scelerati. Quòd verò peccata commissionis sint aut omissionis, non ideo diuersum conscientiarum genus constituunt. Atque ita satis fuit exemplum proponere in singulari aliquo, cuius peccata omissionis erant. Id quod summoperè ita fieri oportuit; vt Episcopi ac Prælati sibi persuadeant, illos, licèt nullis aliis sceleribus cooperti sint; si tamen ea, quæ sui officii sunt, omittant, grauissimè peccare: atque id esse satis, vt in æternam damnationem ruant. Vt enim scitè Magister Ioannes Dauila, Euangelicus nostri sæculi concionator (quem honoris causa nomino) aiebat; tot tantæque sunt pastoralis muneris obligationes, vt qui tertiam tantùm earum partem opere im-

Num diuisio conscientiarum suprà tradita in septem genera sit adæquata.

Digitized by Google

pleret, sanctus ab hominibus reputaretur. Cùm tamen æternam condemnationem, eo solo contentus, neutiquam esset euasurus. A

SCIO OPERA TVA; QVIA NOMEN HABES QVÒD VIVAS, ET MORTVVS ES] Horum verborum connexio nonnihil difficultatis habet. Quod enim Christus initio ait, *scio opera tua*; videtur, vt certum statuere opera aliqua bona fieri ab Episcopo Sardensi, vt benè coniiciunt Ambrosius & Andreas. Atqui ille qui mortuus est, nihil operatur. Quæ est ergo illa coniunctio, *Scio opera tua, quia nomen habes quòd viuas, & mortuus es*? Si illa particula *quia*, reddit rationem; non videtur apta ratio. Si autem solùm explicat, quæ sint illa opera huius Episcopi, quæ Christus nouerat; habere nomen viui, & esse mortuum, nullum est opus. Ad hæc dico, horum verborum sensum esse; licèt Episcopus nonnulla opera bona faceret, Christum tamen ea pro nihilo ducere; quia videbat ea esse facta in peccato lethali.

Agnoscebat igitur Christus opera Sardensis Episcopi; & agnoscebat ea esse inania, quia sciebat illum esse mortuum, quamuis nomen haberet viuentis.

Quid sit, nomen habere viuentis.

Sed quid est *nomen habere viuentis*? An vera est eorum coniectura, qui suspicantur huius Episcopi nomen fuisse eiusmodi vt eius etymologia sonaret vitam? vt si vocaretur Zozimus? Facit pro hac suspicione, quòd simili phrasi dicit Noëmi (Ruth cap. 1. 20.) se nomine esse formosam; re tamen ipsa deformem propter tristitiam. Ceterùm non opus est in re prorsus incerta niti: cùm ex nomine stellæ, cuius proximè facta est mentio, solidior sensus desumi possit. si enim ad stellæ appellationem respiciatur, aptè dicetur Sardensi, *nomen habes quòd viuas*. Nam stellæ munus est esse veluti lucem viuam & semper fulgentem; & eiusmodi esse oportebat eum, quem Christus in stellam delegerat. Extinctus tamen erat, & remanserat vt stella mortua, quæ nullam optimi exempli ac doctrinæ lucem emittebat. B

In viuentis nomine respici quodammodo ad Episcopi etymologiã.

Eôdem recidet sensus, si in eo quod huic Episcopo dicitur, *nomen habes quòd viuas*, respiciatur ad ipsum Episcopi nomen; quod græcè significat *inspectorem* siue *speculatorem*: ad quod attentione & vigilantia opus est. Atque id est, quod mox ab eo exigitur, *Esto vigilans*. Etenim qui adeò se negligenter gerebat, vt sopore videretur oppressus; iure mortuus appellatur, cùm somnus imago mortis meritò appelletur.

An Sardensis Episcopus occulto aliquo peccato mortali fuerit infectus.

Rupertus conijcit, hunc Episcopum dici mortuum propter occultum peccatum; & sibi persuadet fuisse peccatum luxuriæ. Et aliquis fortè existimabit, eam explicationem roborari posse illis Pauli verbis 1. Tim. 5. 6. *Quæ in deliciis est, viuens mortua est*; potuisse etiam Paulum dicere, eam quæ in deliciis est, nomen habere, quòd viuat. Nam delicioſam vitam, mundani homines absolutè vitam nominare solent. Vnde Horatius: *Dum licet, in rebus iucundis viue beatus*. Et fortassis sapientia carnis huc illud Ecclesiastici 30. 23. detorqueat, *Iucunditas cordis, hæc est vita hominis*. Quæ phrasis si admittatur, non video, cur similiter ad diuitias referri non possint illa verba, *nomen habes quòd viuas*. Nam mundani eos mortuos iudicant, qui anguste & exiliter viuunt iuxta illud ex antiqua comœdia: C

Argentum, sanguis atque anima est mortalibus:
Hoc qui caret, nec sibi parauit sedulò,
Hic viuos inter mortuus circumambulat.

Meo tamen iudicio hæc non sunt in præsenti ad rem. Nec enim est apta ratio, cur credamus Sardensem Episcopum luxuriæ aut auaritiæ studuisse. Quod verò Paulus ait, *quæ in deliciis est, viuens mortua est*; idem etiam posset dicere de quolibet, qui se ignauiæ ac socordiæ permittat. Itaque esse mortuum est commune epitheton improborum; & ex communi nomine non potest inferri, in quo peculiariter delinqueret Sardensis,

Vnde conijci possit, quæ fuerint Sardensis peccata.

Optima coniectura est animaduertere, qua de re ipsum Christus singillatim arguat; & credere eam esse rationem, quare mortuum illum appellet. Illud autem, quod in eo Christus reprehendit, ad hæc capita, vt videbimus, reducitur; scilicet quia non vigilabat, neque confirmabat eos, qui ipsius curæ commissi erant: & quòd ipsius opera plena non erant. Quæ omnia non luxuriam aut auaritiam in Episcopo arguunt. Sed grauem solùm omissionis culpam; quòd Episcopalis officij curam abijciat.

Multò aliter exponit Lyranus; *Nomen habes, qui viuas*, id est, sanctitatis famam. Sed non cohæret explicatio cum contextu epistolæ. Nam qui ita se negligentiæ ac socordiæ tradebat, non est verisimile sanctitatis fama floruisse; & præsertim Ecclesiæ primitiuæ tempore. D

VERS. 2. ESTO VIGILANS ET CONFIRMA] Optimè coniiciunt Primasius, Beda & Pererius, idem esse hunc Episcopũ non vigilare, atque nullam habere rationem sui gregis: quia vigilare, & confirmare, vtrumque ad Episcopi officium spectat. 2. Timoth. 4. 5. *Tu verò vigila*. & Lucæ 22. 32. *Confirma fratres tuos*. Porrò in vtroque verbo videtur hîc continuari metaphora stellæ. Quia stellæ lucentes vigilare videntur in nocte. Vide illud Iob 38. 37. *Concentum cæli dormire quis faciat*? Et siderum etiam virtus cælestis vitam atque vigorem rerum inferiorum confirmat & vegetat. Monetur ergo Episcopus, vt à somno suæ negligentiæ & incuriæ expergiscatur; & meminerit, valdè indignum esse, vt is, cui vigilare pro grege incumbit ex munere, & moribus atque doctrina confirmare cæteros fideles; negligentiæ somno se opprimi permittat.

Quid sit esse vigilantem hoc in loco.

Quid sit cetera genere neutro.

CETERA, QVÆ MORITVRA ERANT] Simplicius erat; confirma ceteros fideles, qui propter tuam negligentiam spiritualis mortis periculo sunt propinqui. Sed quia ad Episcopum in metaphora stellæ (vt diximus) sermo erat; ideo aptius fuit in genere neutro dicere, *confirma cetera, quæ moritura erant*. Est enim proprium siderum cælestium, cetera omnia visibilia, id est inferiora, cælesti virtute confirmare, & absque hoc siderum influxu & confirmatione non subsisteret inferiorum

vita,

Digitized by Google

A vita neque virtus. Quibus adde, phrasim esse sacræ Scripturæ, cùm agitur vniuersè de personis, loqui de illis in genere neutro; vt *Omnia traham ad me ipsum*. Vide Riberam in expositione epistolæ ad Hebræos in phrasi vigesima; vbi ait, *Genere neutro, tanquam ad id aptissimo, vtitur Sacra scriptura ad vniuersitatem significandam*. Prætereà in præsenti est sermo ad pastorem respectu ouium; & oues græcè appellantur, πρόβατα genere neutro. Quòd verò hîc sermo sit de pascendis regendisque ouibus, non mea solum explicatio est; sed etiam Primasij & Bedæ. Qui exponunt, Christum dicere Sardensi, nisi vigilanter in grege pascendo persistat: vt multi iam perierant, ita reliquos esse perituros.

Cùm de personis generatim agitur, neutrū pro masculino poni, usitata Scripturæ phrasi.

Multò aliter Andreas & Ambrosius, qui *Cetera quæ moritura erant*, ad opera Episcopi referunt. Sed quia vigilare & confirmare spectant ad Episcopi officium; ideo aptius est, vt ceterorum nomine eos fideles designari intelligamus, qui Episcopi ipsius curæ erant commissi. Consonat optimè contextus; quia vigilante Episcopo confirmantur ceteri. Quemadmodum pastores & canes, oues excitant atque erigunt; & eas à luporum incursionibus tuentur ac protegunt, scilicet vigilando, clamando, circumeundo, & lupos persequendo. Nam accurrentes eis succurrunt, & lupos clamoribus perterrefaciunt. Addo etiam, confirmationis nomen ad exhortationem, quæ fit verbo & opere, esse referendum. Hoc enim modo intelligendum est, quod Christus dixit Petro, *Confirma fratres tuos*. Huc etiam spectat id Ezechielis 34. 16. vbi bonus pastor ait, *Quod infirmum fuerat, consolidabo*. Et conquestus fuerat de improbis pastoribus, n. 4. *Quod infirmum fuit, non consolidastis*.

Vigilare & confirmare. propria Episcopi munia.

B Nota prætereà Paulum Timotheo scribere, vt vigilet. Non quòd ipse non vigilaret: sed eum hortatur vt suam curam ac vigilantiam augeat ac prouehat. Sardensem tamen Episcopum, dum ei dicitur, *esto vigilans*, manifestum est obiurgari quòd non vigilabat: vt patet ex contextu.

QVÆ MORITVRA ERANT] ἃ μέλλει ἀποθνήσκειν, id est *quæ moritura sunt*, vel, *quæ futurum est, vt moriantur*. Sed sapienter noster interpres explicauit ea phrasi, *quæ moritura erant*. Propterea enim Episcopus à Christo vocibus & clamoribus excitatur: quia pastoris somnus gregi periculosissimus est. Verùm vt indicet sperare se, hac correctione Episcopum experrecturum esse, & suas oues confirmaturum, ac defensurum; non ait, *quæ moritura sunt*, sed *quæ moritura erant*. q. d. Si non te ego excitarem, illæ morerentur. Hac tamen admonitione spero te excitatum iri; atque adeò ipsas mortis periculum euasuras. Vide infrà n. 16. vbi legimus, *Incipiam te euomere*. Vbi idem est verbum μέλλω in græco.

NON ENIM INVENIO OPERA TVA PLENA CORAM DEO MEO] Decem horum verborum interpretationes refert Pererius disp. 5: Quam ipse sequor hæc est. Redditur hîc ratio, cur Christus dixerit *Cetera moritura erant*, id est, ceteri fideles spiritualis mortis periculo sunt proximi: quia Episcopi opera non erant plena coram Deo, id est quia Episcopus sui officij partes non implebat; non

Quæ dicantur opera plena coram Deo.

C præstabat id, quod in Dei conspectu debebat; non vigilabat, non sua exhortatione roborabat fideles. Atque inde periculum mortis imminebat gregi. Etenim pastoris non cutantia & canis somnus gregem manifesto mortis periculo exponunt. Hæc est Bedæ explicatio; iuxta illud Pauli 2. Tim. cap. 4. & 5. *ministerium tuum imple*. Atque ad hanc eandem explicationem reuocari potest, quod hîc aiunt Victorinus, Primasius, & alij.

VERS. 3.

IN MENTE ERGO HABE, QVALITER ACCEPERIS ET AVDIERIS, ET SERVA.] Cùm Sardensis hic Episcopus fuit in episcopali sede constitutus; videntur ei eadem fuisse dicta, quæ Paulus ad Timotheum scribit, *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple*: siue enim Sardensis fuerit electus à Paulo primo Ecclesiarum Asiæ institutore; siue à Ioanne, qui Paulo in hac cura successit; Apostolorum doctrina eadem erat. Quare, dum Sardensi dicitur, vt habeat in mente, quæ acceperat & audierat; illi probro datur, quòd ea obliuioni tradidisse videatur.

SI NON VIGILAVERIS, VENIAM AD TE TANQVAM FVR, ET NESCIES QVA HORA VENIAM AD TE] Aptissima comminatio ad eum, qui notabilis negligentiæ somnum dormiebat. Et generatim loquendo, fideles, qui lethalis sceleris tenentur, hoc se solatio decipere solent, quòd sibi persuadent, pœnitentiæ spatium sibi ante mortem à Deo concedendum. Contra hanc verò inanem confidentiam opportuna comminatio est, edicere sceleratis, incautos & inopinatos à diuina vindicta opprimendos esse. Eadem comparatio ab aduentu furis est Matth. 24. 43. & 1. Thessal. 5. 2.

D & Apoc. 16. 15.

VERS. 4.

SED HABES PAVCA NOMINA IN SARDIS] Multi notant phrasim esse hebraicam, vt nomen pro re ipsa, cuius nomen est, ponatur, Quemadmodum nomen Dei pro Deo, nomina hominum pro hominibus, sicut sæpe aliàs abstracta pro concretis. Huic tamen phrasi opus est grano salis: alioqui insulsa est. Nec enim licèt pro libito ea phrasi vti quouis in loco: verbi gratia locutus sum cum nomine Petri; Respondit mihi illius nomen, &c. nemo prorsus sic loquetur. In quibus autem locutionibus locum habeat illa phrasis, in quibus non; non solùm pendet ab vsu, sed etiam à ratione, quæ si attendatur, S. Scripturæ energia intelliget. Tunc ergo nomen aptè ponitur pro re cuius est nomen; cùm ad nomen ipsum respicere, sapientiæ fuit. Id quod variis de causis contingit. Primò enim quando nomen ipsum exprimit id, de quo est sermo, vel ad laudem vel vituperationem; tunc nomen ipsum vsurpare elegantiæ & energiæ plenum est. Hoc enim est agere de illius nomine virtute. Ideo in sacra Scriptura sæpenumero in Dei laudibus ipsum Domini nomen laudatur: vt significetur, quàm verè nominetur Deus Iehoua; & quàm illi sit gloriosum quòd hoc nomen significat, id est, *esse, fuisse & fore*; vt explicauimus cap. 1. notat. III. simile est de nomine Iesu, quod saluatorem siue salutem sonat. Deinde, etiam si ad nominis veritatem non respiciatur, vbicunque tamen aptè ad nominis ipsius vel prolationem, vel scriptionem, vel notitiam attenditur, aptè ponitur nomen pro re, cuius nomen est. Quæ in re idem contingit, quod in nonnullis latinè lin-

Quo sensu dicantur hîc pauca nomina.

Nomen pro re, cuius est nomen, quādo possit eleganter poni.

guæ phrasibus. Nam pro eo quod est accusare aliquem, latinè dicitur deferre nomen alicuius. Quia in accusatione nominatur & scribitur nomen eius, qui accusatur. similiter ergo locutione hebraica, vt significetur in aliquo hominum confessu omnes, qui eò conueniunt fuisse suis nominibus accersitos, rectè dicitur *Turba nominum* 120. Actor. 1. 15. sic enim græca; licet apud Vulgatam correctum sit, *turba hominum*. Quod non per errorem, sed per prudentiam factum est. Sæpè enim Vulgatus hebraismum in latinam locutionem commutat. Nec absimili locutione in præsenti loco, *pauca nomina*, id est pauci, quorum nomina Deo sunt nota; id est quorum singulos nouit & amat. sic Beda, Ambrosius, Haymo, & plerique. Quod qui contemnat, & ad hebraicam phrasim confugiat, asserens hebræorum locutione poni nomen pro re, cuius est nomen; næ ille hebraicæ phrasis tollet energiã, atque adeò granum salis. Vbi nomina scribuntur (vt in militia) facilè cernitur, violentum non esse, si dicantur centum esse nomina in quadam militum cohorte; id est centum homines. atque ita fortasse Christiani possent appellari nomina; vel quòd in libro Episcopi conscribi solerent primis illis Ecclesiæ temporibus, vel quòd eleganter concipiantur velùti in libro vitæ conscripti de quo infrà. Aliquis adderet, propterea etiam rectè Christianos appellari nomina, quia in baptismo dederunt suum nomen, & testati sunt se debitores esse imitationis Christi. Nomina enim pro debitoribus sumi, vsitata locutio est apud latinitatis auctores, & apud Græcos etiam. A

QVI NON INQVINAVERVNT VESTIMENTA SVA] De luxuriæ sordibus exponit Aretas, quibus inquinantur corpora, quæ sunt animarum vestimenta. Sed non est, cur in hac epistola coarctemus sermonem ad luxuriam, neque conuenit cum phrasi Apocalypseos, vt corpus ipsum appelletur vestimentum. Aliter enim accipitur stola, quæ sanguine agni lauari dicitur, cap. 7. 14. & cap. 22. 14. Ambrosius, Haymo, Beda, & Anselmus hunc locum explicant de conseruata innocentia baptismali. Ribera de conseruata etiam gratia post pœnitentiam. Verùm in vtrâque opinione, si propriè loquendum sit, non debet concipi innocentia vel gratia, tanquã vestimentum, quod inquinari potest. Quia gratia amittitur, non polluitur, per peccatum lethale: & textus in præsenti agit de vestimento, quod pollutum manet, nõ verò exuitur. Sumi quidem alioqui vestem pro charitate & reliquis virtutibus, non inficior; vt in epistola ad Laodicenum Episcopum; in qua ei dicitur, vt induatur vestibus albis, ne appareat confusio nuditatis eius. Hic verò diuersa est metaphora: nam peccata veluti maculæ vestimentorum concipiuntur. Et in hac differentia multum elegantiæ est. Nam in epistola ad Laodicenum agitur de virtutis defectu, qui est veluti nuditas: at in hac non solùm sermo est de virtutis defectu, sed etiam de peccatorum maculis. Nam agitur hîc contra improbos & sceleratos; ibi contra tepidos, qui neque sceleribus contaminare se volunt, neque veræ virtutis gloriâ induere. B

Vestimentum *mystice pro conscientia capi.*

In præsenti ergo, conscientia videtur esse vestimentum. Sicut enim eadem vestis potest priùs munda, posteà sordida apparere; sic vnius hominis conscientia aliquo modo eadem est ante peccatum & post peccatum. Nec enim mutatur dictamen rationis; sed in eo est discrimen, quòd admisso scelere polluitur conscientia, quæ priùs erat munda. Eôdem sensus recidet, si dicas vestem esse perfectionis Christianæ gloriam, quæ per Sacramentorum Christi participationem dealbatur, & à peccatis cauendo conseruatur immaculata. Inquinarur autem peccatorum sordibus, & velut infertur crimen gloriæ; quemadmodum dicitur improbus religiosus suum habitum & professionem inquinare. Aliud tamen est, monachalem vestem omnino deponere. C

Quid sit inquinare vestimẽta.

Mihi certè hîc valde placet, vt de conseruata innocentia baptismali sit sermo; quæ expositio est plurium & grauiorum Doctorum. Ad id autem, quod opponitur, admodũ esse paucorum gratiam illam & innocentiam in sacro baptismate acceptam non amittere; Respondeo, textum de paucis loqui. Ait enim, *Habes pauca nomina in Sardis*, &c. & sermo ẽst in tempore primitiuæ Ecclesiæ; cuius sanctitas non minor erat, quàm nunc viget in aliquo religiosorum ordine, quantumuis perfectioni spirituali dedito. In quo tamen aliquibus religiosis, nec paucis, tam singulare beneficium tribuit Deus, vt post religionis ingressum nullo lethali scelere se contaminent. Congruit hic sensus cum verbis illis. *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis*; de quo dicemus inferiùs.

Quorsum hic mentio fiat Sardensium non inquinantium vestimenta sua.

Sed quorsum in præsenti mentio est de iis Sardensibus, *qui non inquinauerunt vestimenta sua*? Ribera existimat, hanc esse veluti consolationem adiectam Sardensi Episcopo, vt meliori animo sit, nec prorsus opera sua Deo displicere existimet. Hoc tamen meo iudicio est omnino alienum ab huius epistolæ contextu. Sardensis enim depingitur, vt quidam Episcopus in peccato mortali existens, & non minùs displicet Deo prælatus improbus, quamuis habeat aliquos subditos Dei amicos. Aptius ergo est, & præcedenti comminationi cohærentius, vt propter eos paucos Sardenses, qui erant Deo valdè chari, à comminatione conuertat Christus sermonem ad exhortationem Episcopi: quasi dicat, se propter paucorum illorum orationes Episcopi conuersionem valde curare; eumque proinde exhortari vt pœnitentiam agat. Proponit præterea Christus Episcopo, bonorum subditorum exemplum, vt erubescat se ab illis sanctitate superari, & prauos mores emendare studeat. D

Ambulare in albis, *quid sit.*

ET AMBVLABVNT MECVM IN ALBIS, QVIA DIGNI SVNT] Multi notant beatorum gloriam albis vestibus in præsenti significari. Ex quibus est Maldonatus noster Matthæi 17. 2. Ego tamẽ has vestes albas in hoc loco non solùm intelligo de gaudio ac lætitia sempiterna, qua fruuntur beatorum animæ, sed etiam de maxima bonæ conscientiæ iucunditate, quæ iustis est in hac vita. Cui explicationi fauet non modò rei veritas & congruentia sermonis, sed etiam quia hac omnino phrasi sermo est de vestimentis albis cap. 7. 9. *Amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorũ*. & n. 14. *Qui amicti sunt stolis albis venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas in sanguine Agni*. Ibi enim non est sermo de cælestis patriæ felicitate, sed de gaudio & felicitate bonæ conscientiæ in hac vita; vt in eius capitis cõmentario manifestũ erit. Simile est de illis verbis, *Beati qui lauant stolas suas in sanguine agni*, c. 22. 14.

QVI

Digitized by Google

A QVI VICERIT, SIC VESTIETVR VESTIMENTIS ALBIS] Ex præmiis, quæ in aliis epistolis proponuntur, constat in his epistolis præmium directè promitti Episcopo, si id præstiterit, ad quod eum Christus hortatur; & pro ea re adipiscenda quamcunque difficultatem superarit. Quod tamen Episcopo singillatim dicitur, ad os etiam extenditur, qui eâdem doctrinâ indiguerint. Cùm autem Episcopus hic lethale scelus commisisset, & Christus eum ad pœnitentiam & ad sui muneris debita præstanda hortaretur; necesse est vt Vincentis nomine in præsenti intelligatur, qui resipiscit à peccato per pœnitentiam & vitæ emendationem. Et ita explicant Ambrosius, Haymo, Beda, & Anselmus. Neque eam interpretationem relinquent nisi ij, qui nihil curant, vt harum epistolarum prœmia impertiantur Episcopis cum proportione ad genus conscientiæ vniuscuiusque. VERS. 5.

Vincentis nomine quis intelligatur in hac epistola ad Sardensem.

SIC VESTIETVR VESTIMENTIS ALBIS] Suprà diximus, vestem albam esse lætitiam ac iucunditatem bonæ conscientiæ in hac vita. Cùm ergo dicitur, *sic vestietur*; peccatori promittitur, si pœnitentiam egerit, se bonæ conscientiæ lætitiâ fruiturum; quemadmodum & illi, qui primam baptismi innocentiam cõseruarunt: *Sic vestietur vestimentis albis*, sicut illi. Quare nihil opportunius potuit proponi peccatori, quem mortalis peccati conscientia mordet, quàm si ad Deum per pœnitentiam conuertatur, posse ipsum bonæ conscientiæ iucunditatem capere; quemadmodum si primam baptismatis gratiam conseruasset. Hoc autem præmium, vt & cetera, proponitur etiam vt effectus

Vestimenta alba pro Eucharistia etiam Sacramento.

B sacræ communionis, siue sacramentalis, siue spiritualis. A Christo enim magna hæc bonæ conscientiæ lætitia deriuatur ad peccatorem, qui ad ipsum, cum vera scelerum detestatione accedit; & Christi corporis communione magnopere hoc gaudium confirmatur; æternæ beatitudinis pignore acceptum.

ET NON DELEBO NOMEN EIVS DE LIBRO VITÆ] D. Thomas 1. p. q. 24. & Anselmus ac Lyranus hîc existimant in iis locis, vbi sacra Scriptura significare videtur, aliquos posse deleri de libro vitę, nõ agi de catalogo eorum, qui absolutè & simpliciter electi sunt ad vitam æternam; sed de eorum catalogo, qui iuxta præsentem iustitiam habent ius ad æternam vitam. Ribera tamen probabilius esse reputat in sacra Scriptura nomen libri vitę non aliter vsurpari, quàm pro catalogo eorum, qui sunt prædestinati; dici tamen aliquos deleri, vel non deleri, non re ipsa, sed spe, vel opinione, aut agnitione humana: quòd se ipsi putent scriptos in eo libro, vel quòd homines sic de illis iudicent. Sæpe enim Scriptura loquitur de rebus, prout ab hominibus iudicantur. Atque hanc censet Ribera esse explicationem Augustini, Ambrosij & Ruperti; licet tacito auctorum nomine à D. Thoma hæc explicatio impugnetur. Disputauit eandem quæstionem Pererius disput. 7. 8. & 9. & D. Thomæ expositionem amplexus est. Et, nisi ego valdè fallor, meritò Pererius Diuum Thomam fuit sectatus. Atque iis relictis quæ ipse affert, illud addam quod me satis vrget; scilicet minimè esse aptum, si hortari velis aliquẽm, vt pœnitentiam de suis peccatis agat, illi in memoriam adducere tractatum de prædestinatione & de libro vitæ, in quo illi tantùm sint scripti, qui re ipsa ad æternam beatitudinem destinati sint; in quo nemo aut addi denuo, aut deleri possit. Multò congruentius est illum admonere, quemadmodum priusquam deliquisset, ius ad Beatorum præmium habebat; quòd per peccatum amissum possit, si resipuerit, verè recuperare. Quamuis autem certum sit, verum vero consonare; veritatum tamen aliquot consideratio nihil est accommodata ad pœnitentiæ hortationem; cui rei veritates aliæ magnopere conducunt. Cùm ergo sacra Scriptura peccatorem ad pœnitentiam hortatur, eas procul dubio proponit veritates, quæ ad eam cohortationem congruentiores sunt.

Deleri de libro vitæ, quid sit.

D. Thomæ sententia præfertur.

C

Obseruandum est, nomine libri vitæ semper Dei gratiam nobis ob oculos poni. Ex eorum enim esse numero, qui ius ad beatitudinem habent, nemo potest, propter ea opera, quæ dum esset in peccato mortali, ante conuersionem fecerat: iis autem omnibus, qui sunt iustificati, eam iustificationis gratiam Deus omnino gratis concessit. Vt verò Christianus homo ad pœnitentiam excitetur; valdè est ad rem, illi in mentem reuocare ius, quod per baptismum ad beatitudinem acquisierat; ac simul commonere, vt peccata quæ postea fecit, per pœnitentiam deleat. Sic enim reapse ius illud se consecuturum, quod ei Dei gratia concesserat. Quamobrem loci, quos ex sacra Scriptura affert Ribera, qui antiquo Dei beneplacito tribuunt, quòd aliquis in libro vitæ scriptus sit; non video cur

D non possint etiam intelligi de illo iure, quod iuxta præsentem iustitiam iis omnibus generatim cõceditur, qui sacro baptismate abluuntur. Hoc enim ius etiam tribuitur per Dei decretum ab æterno; & per eam gratiam, quam iis conferre decreuit, quos ipse ad Ecclesiam re ipsa vocare voluit, & beatitudinis iure impertire, quantumuis præscierit, eorum aliquos hoc ius ob sua scelera amissuros.

Demum non solùm mihi placet D. Thomæ sententia multò magis, quàm sententia Riberæ; sed etiam D. Thomæ explicationi addo id, quod (vt existimo) ab hoc loco & aliis exigitur: illud autem est libri vitæ catalogo, de quo his locis sermo est, non solùm comprehendi eos, qui secundùm præsentem iustitiam ius habent ad gloriam, sed eos etiam, qui ius per baptisma acquisierunt; dum ipsorum peccata non eò peruenerint, vt re ipsa excludantur. Quę tamen exclusio propriè pertinet ad damnationis sententiam, aut ad excæcationem & obdurationem; per quam homo in hac vita à Deo derelictus & in peccato obduratus permaneat. Et antequam ad eiusmodi statum perueniat, quantumuis licèt plurima peccata mortalia homo aliquis Christianus patrauerit, ob quæ sæpiùs è libro vitæ deleri meruerit; meritò tamen concipitur, vt homo, qui semel fuit in eorum descriptus catalogo, quibus ad æternam vitam ius concessum est, & nondum est ex ipso albo deletus: quia etsi grauia peccata commiserit, nondum tamen est omnino exclusus.

Huic considerationi congruenter aptatur contextus: affirmare enim peccatori, licèt mortuus sit, si tamen egerit pœnitentiam, ipsius nomẽ non esse delendum de libro vitæ; id sanè est, quasi eidem

Digitized by Google

dicere, sibi, etsi deleri meruerat, resipiscendi tamen spatium à Dei misericordia concedi; atque adeò re ipsa non deletum iri, si opportunè per pœnitentiam suæ saluti consulat. Præter hæc, eiusmodi consideratio veteri illi consuetudini respondet, ad quam in metaphora libri vitæ alluditur. Licet autem communem eam apud omnes ciuitates consuetudinem viguisse, generatim probare non possim: quod tamen de aliqua singulari probauero, exemplo esse potest & argumento, id in aliis etiam fortasse vsitatum fuisse: atque id consentaneum est ad ea, quæ hodie in multis cœtibus ac sodalitiis vsu recepta sunt. Nota ergo Sigonium de rep. Athenienſi l. 2. c. 2. asserere apud Athenienses ciuium omnium album siue catalogum fuisse, in quem qui relati non essent, ciues non habebantur; quique erant relati, poterant ob sua demerita deleri. In hac igitur consuetudine perspicuum fit, ciuem aliquem grauia scelera committere potuisse, ob quæ ex eo catalogo deleri mereretur; ceterùm dum sententia in eum lata non erat, nec ipsius nomen re fuerat deletum; ciuis adhuc habebatur. Atque hac ratione generatim loquitur Paulus de Christianis ad Ephes. 2. 19. *Estis ciues sanctorum, & domestici Dei*; ob ius scilicet, quod eis ad æternam vitam fuit per baptisma concessum. Ex hoc igitur catalogo rectè concipitur Christianus nondum esse deletus, quamdiu illi cælorum porta est aperta, neque eius lis à Christo decisa est, vt statim executioni mandetur. Hanc existimo esse verè huius loci locutionem, *Non delebo nomen eius de libro vitæ*. Et vt peccator aliquis ad pœnitentiam excitetur & erigatur, atque illi proponatur ob oculos periculum, quod sibi imminet; ne si emendationem comperendinet & in longum protrahat, de libro vitæ deleatur; ad hoc (inquam) nihil potuit congruentius dici.

Athenienſiũ consuetudo de ciuibus recenſendis.

A

B

ET CONFITEBOR NOMEN EIVS CORAM PATRE MEO, ET CORAM ANGELIS EIVS] Facilè est videre, quàm idonea etiam sint hæc verba, vt peccator ad pœnitentiam alliciatur. Praua enim conscientia peccatori obijcit, fore vt Christus erubescat vt probum Christi ipsius cultorem illum agnoscere & profiteri, qui sua mandata contempsit: vide id Lucę 9. 26. *Hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua & Patris & sanctorum angelorum.* & c. 12. n. 9. *Qui negauerit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei.* Satis ergo appositè peccator ad scelerum suorum resipiscentiam inducitur; dum illi pro præmio suæ pœnitentiæ proponitur, Christum illius scelera quantumuis grauia fuerint, non ampliùs recordaturũ; nec futurum vt erubescat eum coram Patre & angelis eius seruum suum confiteri. Hoc rectè de die extremi iudicij intelligitur: sed potest etiam nõ incongruè eo modo explicari, vt ex hoc tempore Christus eum suum esse seruum glorietur, qui veram egerit pœnitentiam.

CAPITIS III. PARS II.

C

Quæ est epistola ad Philadelphium, & sub eius persona ad fideles modicæ adhuc virtutis, sed à Deo protectæ, & felicibus euentibus auctæ.

TEXTVS.

Vers. 7. ET angelo Philadelphiæ Ecclesiæ scribe, Hæc dicit Sanctus & Verus, qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.

8. Scio opera tua. Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere: quia modicam habes virtutem, & seruasti verbum meum, & non negasti nomen meum.

9. Ecce dabo de Synagogâ Satanæ, qui dicunt se Iudæos esse & non sunt, sed mentiuntur: ecce faciam illos, vt veniant, & adorent ante pedes tuos, & scient quia ego dilexi te.

D

10. Quoniam seruasti verbum patientiæ meæ, & ego seruâbo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem vniuersum, tentare habitantes in terra.

11. Ecce venio citò: tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.

12. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur ampliùs: & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei, nouæ Ierusalem, quæ descendit de cælo à Deo meo, & nomen meum nouum.

13. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

COMMENTARIVS.

VERS. 7. ANGELO PHILADELPHIÆ ECCLESIÆ SCRIBE] Vt intelligatur, quàm sapienter in hac epistola Christus in titulo se appellet *Sanctum verum, qui habet clauem Dauid*, &c. & vincenti promittat, *Faciam illum columnam in templo*; nosse priùs oportet, quod conscientiæ genus Philadelphiæ Episcopum contingat. Animaduertendum ergo est, inter illa septem Christianorum discrimina (de quibus

Digitized by Google

A quibus egimus in procemio c.2.notat.3.)Philadelphium esse eum,in quo diuini fauoris & custodiæ protectio singulariter elucet.Is enim erat pietatis quidem & diuini obsequij studiosus, & vitæ irreprehensibilis;nondum tamen eos fecerat in virtute progressus, vt vir spectatæ virtutis dici posset: sed propter sanctitatis studium amabatur à Deo;& tenera adhuc virtus diuinæ custodiæ protectione defendebatur ab omni periculo,ne supra vires tentaretur.Itaque magna ipsius felicitas non oriebatur ex ingenti virtutis suæ perfectione;sed ex peculiari Dei cura ac patrocinio, quo ipsum à tentationibus eripiebat,& felicibus euentibus prouehebat. Constat enim ex duplici causa oriri posse, vt vas aliquod non frangatur; altera, quòd vas ipsum sit per se valdè durum,atque adeò quibuscũque ictibus facilè resistens;altera, quòd magna diligentia seruetur & protegatur propter ipsius fragilitatem.Sic ergo aliquando contingit vita inculpabilis & integra diuinorum præceptorum custodia,vbi spirituales vires non sunt adeò robustæ, eò quòd infirmæ virtuti fauere velit Christus, & sancta desideria prosperis euentibus fouere;& hominem ab iis protegere incursibus,ex quibus periculum aliquod videbatur imminere; & virtutis viam spirituali solatio non solùm facilem, sed etiam suauissimam illi reddere.Sic in Religiosorum familiis sæpe contingit tirones aliquos valdè elucere in suarum regularum obseruantia;& nihil in eis reperiri,quod meritò reprehendi possit:& nihilominus prudentes magistri norunt,opus esse omni custodia; quousque virtus adhuc tenera altiores agat radices,& aduersus pericula induretur.Interim monent,nihil esse,quòd glorietur virtus noua,quòd non experiatur tentationes,sed potiùs magnam in Christo sectãdo suauitatem. Quamuis enim hæc maximum Dei beneficium præ se ferant; non tamen id conceditur propter virtutis iam adultæ incrementum,sed propter virium potiùs imbecillitatem. Scio ab aliis huius Episcopi sanctitati multum tribui: ipse tamen opus mihi esse duxi, initio huius epistolæ quid sentiam explicare;cuius tamen probationem suum in locum relinquo; cùm scilicet Christus ei dicit, *Scio opera tua,quia modicam habes virtutem.*

Quod conscientia genus Philadelphio Episcopo fuerit

Modica virtutis, sed à Deo protecta descriptio.

B

Hæc dicit Sanctvs et Vervs] Ribera ait,his epithetis vti Christum, quia huius Episcopi sanctitas in sequentibus laudatur,& eius causa illi magna promittuntur.Atque ita exponit, *Sanctus*,id est,auctor & amator sanctitatis;& *Verus*,id est, verax in promissis.Et adducit illud psal.144. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis,& sanctus in omnibus operibus suis.* Existimo tamen congruentius esse,vt in præsenti se Christus appellet sanctum & verum(id est perfectum) vt Episcopus Philadelphius,qui nondum erat perfectæ virtutis,animaduertat se nondum esse sanctum & verum, vt statim explicabimus; quia nondum erat probatæ & spectatæ virtutis, quantumuis diuini fauoris experiretur erga se plurima signa.Hæc explicatio in primis stabilitur textu græco; in quo deest coniunctio illa copulatiua,quam noster adiecit:vnde græca non sonant, *sanctus & verus*, sed, *sanctus verus.*Quare coniungi debent in sensu duo hæc nomina, ac si alterum esset alterius epitheton; id est; veritas sanctitatis:*Sanctus verus*,id est,qui habet veram sanctitatem.Notanda est deinde græcorum articulorum energia.Nam sicut in illa Petri confessione, *Tu es Christus filius Dei viui*, singula nomina habent in græco singulos articulos, (*el Christo,el hijo de el Dios,el biuo*:) sic in præsenti duplicatur articulus,qua loquendi ratione ceteris videtur negari id,quod tribuitur illi. Quare cùm Christus scribens ad Philadelphium ait,*Hæc dicit sanctus verus*,tacitè innuit Episcopum nondum esse sanctum verum; quia modicam adhuc habebat virtutem,vt posteà dicitur.Tertiò notandum est, sæpe in sacra Scriptura verum non opponi falso, sed imperfecto; vt Eccli. 25. 12. *Beatus qui inuenit amicum verum.* Ieremiæ 2.21. *Omne semen verum*,id est optimarum vitium propagines. Ioannis 1.9. *Erat lux vera.* & cap.4.23.*Veri adoratores.*cap.6.32.*Panem de cælo verum.*cap.15.1. *Ego sum vitis vera.*1.Timoth. 6. 19. *Vt apprehendat veram vitam.*1.Pet.5.12.*Hanc esse veram gratiam Dei.*1.Ioannis 2.8.*Verum lumen iam lucet.* Sic verũ Religiosum dicimus eum, qui perfectus est,quemadmodum Christus dixit,*Ecce verè Israëlita.* Atque eodem modo sæpe loquuntur Patres,vt Clemens Alexan.3.Stromatum,cùm ait, *Vera cognitio est lumen in anima ortum ex obedientia mandatorum Dei.* Similiter ergo in præsenti, *verus sanctus* perfectam dicit sanctitatem; vt eam sibi proponat imitandam Episcopus Philadelphius, & putet se longè abesse à perfectione,dum eius virtus non est tentata & explorata. Confirmatur hic sensus: nam si *verus* in præsenti idem esset, quod verax in promissis, non erat cur Christus appellaretur in hac epistola verus potiùs,quàm in præteritis.

Cur se Christus sanctum & verum hic vocet?

C

Verum sæpe in sacris non tam opponi falso, quàm imperfecto.

D

Qvi habet clavem Davib] Miror tot esse interpretes, qui de claue scientiæ interpretentur.in his sunt Primasius,Ambrosius, Andreas, Aretas, Rupertus, Anselmus,Richardus, Lyranus, Thomas, Pannonius. Atque huc spectat etiam Ioachimus; qui interpretatur Christum esse, qui aperit psalmos Dauidis, & concedit cui vult arcanam & liberam psalmorũ iubilationẽ.Alij(quod magis miror) clauem hanc aiunt esse humanam Christi naturam; atque adeò in his verbis mysterium incarnationis tangi. Ex his sunt Ambrosius,Haymo,Albertus, Thomas. Nec desunt qui clauis Dauidicę nomine crucem Christi intelligant.Sic sanè Albertus,& eandem explicationem videtur amplecti Pererius disp.3.Affert enim illud Isaiæ,*Cuius imperium super humerum eius*,c.9.6.quod ait à Patribus,& Ecclesiæ DD.de cruce exponi;& singillatim à Tertulliano & Augustino.

Certissima explicatio est de summa Christi potestate ad Ecclesiæ Christianæ gubernationem. Atque ea est explicatio Ticonij,Primasij,Ambrosij,Andreæ,Aretæ,Bedæ,Anselmi,Riberæ,Pererij & Iacobi Suarez.Et in hac summa Christi potestate includuntur ea omnia,ad quæ speciatim nonnulli applicant clauem hanc potentiæ Christi; vt potestas absoluendi à peccatis,de qua Pannonius; & potestas claudendi limbum, & aperiendi paradisum, de qua D. Thomas à Pererio relatus. Imò verò in hac vniuersali Christi potestate includitur potestas illa referandi sacræ Scripturæ mysteria;quam scientiæ clauem appellant, iuxta Christi phrasim,Lucæ 9.Et quoniam Christus passione

Clauis Dauid, *quæ sit.*

Digitized by Google

sua promeritus est, vt hæc vniuersalis imperij Ecclesiæ potestas ipsi daretur; ideo aptè etiam conci- A
Crux veluti Christi clauis. pitur crux ipsa Christi veluti clauis, qua ille cælum aperuit; & veluti instrumentum omnipotentiæ Christi, quod est clauis regia, qua res omnes claudi & aperiri possunt. In quo alludi solet ad claues optimas ferreas, quæ in crucis figuram serratæ conspiciuntur.

Verùm allusione istâ concionatoribus omissâ; vt ad perfectam periphrasis Christi intelligentiã attendamus, statuendum est, in hoc loco manifestè alludi ad id Isaiæ 22.22. *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius.* quem locum latè explicauimus cap. 1. notat. 16. Quoniam verò periphrases Christi in his epistolis sparsæ, omnino desumptæ sunt ex illa visione, quæ describitur Apoc. 1. ideo etiam certum est ad clauem hanc Dauidis, de qua in præsenti sermo est, spectare claues mortis & inferni; de quibus diximus in commentario cap. primi.

Ex his ergo tria licet inferre. Primum est, clauem illam domus Dauid (de qua Isaiæ 22.) nulla
Iudæorum fabella de aurea templi claue à pontifice gestari solita. ratione esse templi Salomonis clauem, neque dignitatis pontificiæ insigne: quia respiciens Christus Dominus ad illam ipsam, quam Isaias clauem domus Dauid appellat, ait in præsenti, se esse qui habet clauem Dauid. Atqui nemo erit, qui non videat nimis coactum esse, vt clauis Dauidis significet clauem templi, aut summi pontificis dignitatem. Scio non deesse, qui asserant Eliacimum illum (de quo Isaiæ 22.) fuisse summum sacerdotem. Et video etiam, quæ hîc notat Albertus, scilicet clauem domus Dauid à Iudæis exponi de claui quadam aurea, quam dicunt fuisse in templo, & B
Eliacimus qua ratione Christi fuerit typus. in festis gestari solitam à pontifice super humerum. Fabella est hæc ab aliquo Rabbino somniata: & siue Eliacimus fuerit, siue non fuerit summus Iudæorum sacerdos, saltem locus ille Isaiæ de dignitate pontificia non agit; sed de summa potestate, quam Eliacimus tanquam minister regis Ezechiæ habiturus erat in regni administratione. Ex quo factum est, vt Eliacimus vniuersum regiæ gubernationis onus suis humeris sustinere visus sit: atque ea ratione fuit figura Christi Domini, qui crucis onere suis humeris assumpto, assumpsit etiam summam in regno Ecclesiæ potestatem, quam ei Pater imposuit.

Secundò, ex dictis colligitur, Christum in præsenti non agere de se, qua ratione Deus est, sed qua homo; atque adeò in huius periphrasis allegoria Christum Dominum non tam considerari vt regem Ecclesiæ, quàm vt supremum regis æterni ministrum. Atque ita quamuis Ticonius, Beda, & plerique ex suprà designatis auctoribus, notent per clauẽ Dauidis significari regiam Christi potestatẽ: nihilominus si strictè loquamur, potiùs est in præsenti sermo de summa potestate, quã Christus habet, vt supremus Dei minister. Nihil tamen prohibet, quin hæc eadẽ ministri Dei potestas appellari possit regia: quamuis enim Eliacimus (qui figuram Christi gessit) non fuerit rex, sed minister tãtùm regis; Christus tamen, quatenus supremus Dei minister, non solùm rex appellari potest, sed etiam Rex regũ, & supremus mũdi princeps atq; monarcha. aptissimè enim vniuersi reges cõsiderantur C
tanquã Dei ministri; vnde oportet vt summus minister Rex regum sit, & Dominus dominantium.

Tertiò infero, licèt clauis (id est potestas) gubernationis regni Dauidici (id est regni Dei) latissimè pateat, neque vllis terminis cohibeatur; atque adeò & peccatorum venia, & mysteriorum sacræ Scripturæ apertio in manu Christi sit; & licet clauis hæc vniuersam Christi omnipotentiam contineat; nihilominùs opus esse, vt in præsenti singillatim agatur de huius omnipotentiæ dominatu in mortem & infernum, & in eas persecutiones, quæ aduersus Ecclesiam erant concitandæ. Manifestè enim alluditur ad claues mortis & inferni; in quibus singulariter agitur de Ecclesiæ persecutionibus, vt vidimus in commentario capitis primi.

His suppositis facilè cernitur, aptissimum & elegantissimum fuisse, vt in epistola ad Philadelphi-
Quorsum in Philadelphij epistola clauis Dauidica mentio fiat. um, in Christi periphrasi fiat mentio clauis, seu clauium & summæ potestatis, quam ille habet supra mortem & infernum. In ea enim epistola agitur de beneficio in modicæ virtutis Episcopum conferendo; Christo scilicet eius animi sinceritatem intuente, & propterea virium eius debilitatẽ tuente, & eum seruãte ab hora tentationis, quæ vẽtura erat in orbẽ vniuersum. Ad quã rem omnino opus erat vti suprema illa potestate, quam Christus habet supra mortẽ & infernum. Præcipere enim illis, vt, dum grauissimè orbem vniuersum infestant, Philadelphium tamen Episc. non attingant, eò quòd Christus eum à cõmuni velit calamitate seruare: id verò non alius certè potuit, nisi ille qui habet in manu clauẽ imperij, & speciatim claues mortis & inferni, & suprema in eos dominationẽ. D
Cur hic Dauidica potiùs clauis, quàm clauium mortis & inferni Christus meminerit Nihilominus Nota sapientissimè factum esse, vt Christus in huius epistolæ periphrasi non diceret se esse eum, qui habet claues mortis & inferni; sed, *qui habet clauem Dauid.* Latiùs enim patet clauis Dauid, quàm claues mortis & inferni (vt ex dictis patet.) Et quanuis ex allusione ad claues capitis primi constare deberet in claue Dauidis considerari dominatum quem habet Christus in mortẽ & infernum; prudentiæ tamen fuit vti nomine clauis Dauid, quæ vniuersam Christi potentiam comprehendit: nimirum quia in hac epistola non solùm elucet potentia Christi in seruando Philadelphio à tentatione, quæ ventura erat in orbem vniuersum; sed etiam in aperiendo illi ostio ad conuersionem animarum, & ad subijciendos Iudæos in obsequium Christi. Constabit hoc apertè ex ipsius epistolæ contextu: atque ita patet, sapientissimo consilio & eleganti energia vsurpatam fuisse in hac epistola clauem Dauidis, hoc est supremam & absolutam potestatem regni Dei. Id enim significat clauis Dauid, vt vidimus c. 1. not. 16. & admonito lectore, vt illã, si placuerit, notationem legat; nõ opus erit hîc repetere, quæ ibi dixi. Illud addo, licèt suprema Christi potestas egregiè eniteat in seruandis iis, quos ille vult à morte & inferno, dum grassatur persecutio; fortasse tamen magis elucere eandem Christi potestatẽ in aperiendo, cui vult, ostio ad conuersionẽ animarum, & claudendo cui vult, præsertim cũ sanctiori clauditur, & minùs sancto aperitur. Huius enim discriminis verissima ratio desumitur ex supremo Christi dominatu, *vt sublimitas sit virtutis eius & nõ ex nobis.*

Digitized by Google

A QVI APERIT, ET NEMO CLAVDIT; CLAVDIT, ET NEMO APERIT] Ex his verbis euidentissimum est alludi ad locũ Isaiæ 22.22. vbi de Eliacimo dicitur, *Aperiet, & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat.* Atq; hoc est explicare, qua ratione Christus habet clauem, nempe tanquam supremus Dominus: quia vt cæt. diximus, ea est vera clauis, quæ vnica est; & per quã ea, quæ sub clauí cõtinentur, omnino sub eius potestate sunt, qui habet clauẽ. Huiusmodi verò verba aptissima erant huic epistolæ ob ea, quæ in illa continentur; videlicet huic Episc. aperiendũ esse ostium ad Iudæorũ conuersionẽ; & quod ad eum attinet, claudendũ esse ostium mortis & inferni, vt eum attingere nõ valeant; & quod ostium Christus aperuit, nõ posse ab vllo alio claudi; neq; aperiri, quod ille clausit. *Quid sibi velit,* Claudit & nemo aperit. *&c.*

SCIO OPERA TVA.] Ribera explicat de strenuis laboribus huius Episcopi. Verum ex eo, quod Christus ait, *Scio opera tua,* nihil eiusmodi colligitur: quia eadem verba dicuntur ad Episcopum Sardensem; qui tamen erat peccato lethali obnoxius propter negligentiam in officio Episcopi exercẽdo. Quantam verò sanctitatem tribuat Christus Episcopo Philadelphio, statim videbimus. VERS. 8.

ECCE DEDI CORAM TE OSTIVM APERTVM, QVOD NEMO POTEST CLAVDERE] Ex varia modicæ virtutis acceptione oritur, vt hæc etiam verba variis modis accipiantur; nimirum ab aliis cum Ambrosio de aperta sacræ Scripturæ intelligentia? ab aliis cum Andrea de ostio aperto ad prædicandum & docendum cum magno animarum fructu. Nobis hæc secunda explicatio videtur in B præsenti germana: & consonat id Pauli 1. Corinth. 16. 9. *Ostium mihi apertum est magnum & euidens.* & 2. Corinth. 2. 21. *Cùm ostium mihi apertum esset in Domino.* Et quamuis aperto ostio, vt Episcopus efficaciter prædicare posset, consequatur eorum qui conuertuntur ad Dominum, ingressus in Ecclesiam; neque eum ingressum à dæmone posse impediri: nihilominus directè, neque Paulus in locis adductis, neque Ioannes in præsenti agunt de ostio Ecclesiæ; quia Paulus ait, sibi denuò apertũ esse magnum ostium ad prædicationem Euangelij, id est, facilem aditum. Quare de se loquitur Apostolus, tanquã de volente ingredi per ostium, & se inuenire ait facilẽ aditum, & animos ad recipiendã Euangelij prædicationem optimè comparatos. Similiter ergo intelligendũ est, quod Episcopo Philadelphio dicitur: & speciatim agitur hîc de ostio, quod Deus aperiebat huic Episcopo, vt Iudæis cũ fructu posset prædicare, & non paruum eorum numerũ Christi fidei subijcere. Neque hoc diuinare est; sed textum ex iis, quæ mox subijciuntur, interpretari: subiungit enim contextus, *Ecce dabo de synagoga Satanæ, qui se dicunt Iudæos & non sunt; ecce faciam illos, vt veniant & adorent ante pedes tuos, & scient, quia ego dilexi te.* Huic ergo promissioni aptissimè conuenit ostij aperti phrasis; & eius ostij, quod clausum videbatur. Atque ita non est, quòd aliam illius ostij explicationem quæramus. Ostium apertum *quid sit.*

QVIA MODICAM HABES VIRTVTEM] Ex proprio & genuino huius virtutis modicæ sensu pendet ferè totius huius epistolæ apta intelligentia. Sed referamus priùs varias expositiones. Nonnulli C exponunt ideo virtutem Philadelphij modicam dici; quia donum patrandi miracula nõ acceperat. Ita Ioachimus, Lyranus, Dionysius, & Seraphinus. Alij ad defectum scientiæ & Scripturarum intelligentiæ referunt, quòd eius virtus dicatur modica. Sic Ambrosius & Victorinus. Alij cum Richardo de exiguis corporis viribus & de imbecillitate interpretantur. Alij ad potentiæ sæcularis exiguitatem spectant, eo quòd esset humilis in sæculo, nec auxilium haberet potentium amicorum: qui eum tuerentur, & iniurias aduersariorum ab eo arcerent. Sic Victorinus & Ribera. Et facit quod notat Andreas, scilicet ex veterum monumentis constare Philadelphiam vrbem ambitu, ciuiumque numero paruam fuisse. Ticonius exponit de modica fide, iuxta illud Euangelij, *Si habueritis fidem sicut granum sinapis.* Primasius, Haymo, Beda & Albertus accipiunt de modestia eius, qui agnoscit suas vires esse modicas; & non confidit in eis, sed in Deo. Atque eõdem spectant Thomas & Interlinealis; qui aiunt virtutem modicam esse idem, quod non superbam. Pannonius etiam ait, huic Episcopo propter humilitatem promitti ostium apertum in sacræ Scripturæ intelligentia. Alia explicatio est, virtutem modicam non esse aliud, quàm vires humanas per se ipsas non posse aperire id ostium, quod Deus Philadelphio reserare volebat. Atque hæc videtur esse expositio Glossæ, Alberti, atque Zegeri. Denique non desunt qui dicant Philadelphij virtutem appellari modicam vel paruam respectu eius, quam habiturus erat in patria. Sic Thom. Anglicus & Interlinealis. *Quò sensu Philadelphius modicæ virtutis esse dicatur.* *Auctorum hac de re dissensio.*

Difficultas huius loci varietatem interpretationum multiplicauit. Sed vt in ea varietate id eligamus, quod magis contextui conueniat; notandum est modicam virtutem omnino esse idem, quod D vires exiguas: contextum verò postulare, vt vires exiguæ, de quibus est sermo, intelligantur esse exiguæ ad subijciendos Euangelio Iudæos. De hoc enim effectu sermo est, cùm dicitur, *Ecce dedi coram te ostium apertum; ecce dabo de synagoga Satanæ: ecce faciam, vt veniant & adorent ante pedes tuos.* Nihil sanè cohærentiùs, quàm vt modica virtus, de qua agitur, ad præclarum illũ effectum modica esse dicatur; & propterea Christum supplere, quod deest Episcopo, quia volebat, vt conuersio illa Iudæorum, huius Episcopi interuentu sortiretur effectum. Hoc est procul dubio fundamentum, cui niti debemus in explicatione virtutis modicæ, quam in hac epistola legimus. Atque ita cardo disputationis vertitur in eo diuinando, quod huic Episcopo præcipuè deerat ad eam rem patrandam, quam per eum Dominus patrare volebat. Quibusdam id præcipuè huic Episcopo defuisse videtur, quòd miracula non ederet. Hæc enim peculiariter requirebant Iudæi, iuxta id 1. Cor. 1. 22. *Iudæi signa petunt.* Alij defectũ scientiæ cogitant; quia ad Iudæos redarguendos existimant, opus fuisse multâ sacræ Scripturæ peritiâ & intelligentia, iuxta id 2. Timoth. 3. 16. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum & arguendum.* Et cap. 4. 2. *Argui in omni patientia & doctrina.* Et ad Titũ 1. 9. *Oportet Episcopũ esse amplectentem eum, qui secundũ doctrinã est sermonem; vt potens sit exhortari in doctrina; & eos, qui contradicunt, arguere.* Et quidẽ ex variis explicationibus suprà relatis, istæ sunt quę videntur magis ad rem. Et fortasse in Philadelphio vtrumque desiderabatur, scilicet & plenitudo doctrinę & donũ miraculorũ. *Sententia Auctoris.* *Cuius rei defectus in Philadelphio notetur.*

Re

Digitized by Google

Re tamen attentè considerata, neque certum est Philadelphio defuisse vel doctrinam vel eloquentiam, vel miracula; neque istæ sunt potissimæ partes, quibus ad Iudæorum conuersionem opus erat. Nam quod ad miracula siue signa attinet; quamuis ea à Iudæis peterentur, eorum tamen calumniis & malitiosis interpretationibus erant exposita; nequeullum est ad hominum conuersionem efficacius miraculum, quàm concionatoris sanctitas admiranda. Quòd autem ad sacræ Scripturæ intelligentiam spectat; credibile non est, à Paulo vel Ioanne fuisse ad Episcopatum Philadelphiæ assumptum eum, qui non esset satis in sacræ Scripturæ intelligentia instructus; vt potens esset eos, qui contradicerent, arguere. Et quamuis scientia atque doctrina ad officium prædicationis sint necessariæ, quia *sibi solùm prodest* (vt ait Hieronymus) *sanctarusticitas*, sed præter necessariam doctrinæ sufficientiam, vberrima illa scientiæ abundantia, quæ paucis contingit, non solet esse multò efficacior ad animarum conuersionem: eloquentia verò admirationem potiùs parit, quàm morum aut fidei mutationem. Quare quod potissimum est & semper fuit ad subijciendos Euangelij inimicos, non sunt miracula, non admiratio scientiæ vel eloquentiæ, sed maximæ vires spiritus & robustæ sanctitatis efficacia vnà cum doctrinæ sufficientia. Quæ cùm ita sint, neque à prudentibus rerum æstimatoribus negari possint; hæc ipsa consideratio ostendit, valde esse verisimile, ad Iudæorum conuersionem potissimùm deesse Philadelphio robustæ sanctitatis virtutem; & propterea virtutem illius appellari modicam.

Sanctarusticitas sibi solùm prodest, ex Hieronymo.

Huic opinioni manifestè fauet contextus. Primùm enim si consideretur hic Episcopus esse quidem Deo gratus & sanctitatis amator, sed nondum adeò robustus, vt magnæ aduersitatis impetum sustinere & superare facilè posset; huic sanctitatis mensuræ apprime conuenit modicæ virtutis nomen. Neque enim negari potest, quin modica & maxima virtus habeant inter se oppositionem relatiuam: sed maxima virtus non dicitur, nisi ea quæ est valde robusta: ergo modica seu parua non est alia, nisi quæ adhuc imbecilla est: ac proinde sicut coactum esset, vt in S. Scriptura diceretur Episcopus maximæ virtutis ille, qui est potens in sæculo, vel qui superbus est, ita etiam non cohæret, vt per modicam virtutem intelligamus vel modestiam, vel defectum potentiæ. Quòd si aliquis obijciat græcum nomen, quod hîc respondet virtuti, non esse, ἀρετὴν, quæ opponitur vitio, sed δύναμιν, quod propriè significat potentiam; Respondeo in sacra Scriptura sanctitati rarò tribui nomen ἀρετῆς, & frequentissimè nomen δύναμις.

Secundò valdè nobis fauet contextus epistolæ: in eo enim dicitur, *Seruabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem vniuersum.* Quis ergo non videat, hanc promissionem non debuisse fieri, nisi ei, qui nondum erat validæ virtutis? Nam protegere & seruare aliquem, vt tentationis impetum nõ sentiat, non esset alioqui magnum beneficium, cùm aliter potiùs se gerat Deus cum iis, qui magnã sanctitatem sunt consecuti, maximis illos obijciens periculis & tentationibus vt eorum virtus magis eniteat. Si enim paruum lucernæ lumen opposita manu ab aura defendimus; cùm maior ignis opponi soleat auræ vehementi, vt suas vires magis exerat; & ipse confirmetur & magis effulgeat. Tertiò cum eâdem modicâ virtute (quod ad formam locutionis spectat) cohæret bene; quod in textu dicitur, *Ecce dedi coram te ostium apertum quod nemo possit claudere.* Quia puero imbecillo ingressuro & egressuro per aliquam ianuam, opus est, vt non solùm ostium aperiatur vtcunque; sed etiam prouideatur, ne aura fortè valuas impellat, & puero difficultatem afferat, & cogat eum lachrymari, sed de huius loci sensu dicemus infrà.

Quartò ex illis verbis, *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Manifestè perspicitur, hunc Episcopum nondum esse firmam columnam; & propterea à Christo inuitari, vt ad procurandam virtutem solidam ac robustam animetur; vt ea ratione gloriam columnæ consequatur. Hoc verò argumentum maiori explicatione columnæ illius, maiores accipiet vires: & res est infrà explicanda.

Quintò denique nostra expositio valde confirmatur ex illa superiori partitione septem conscientiarum, ad quam omnia genera Christianorum reuocantur, (de qua in proœmio cap.2.notat.3.) Negari enim non potest, quin dignissima illa sit, quæ in his septem epistolis contineatur; atque adeò cùm ceteræ epistolæ manifestè deseruiant ceteris generibus, & hæc sine vlla textus violenta detorsione applicari possit Episcopo imbecillæ & protectæ à Deo virtutis; non video, cur hæc explicatio non sit admittenda tanquam propria & genuina. Et ne quis putet hanc interpretationem ex meo cerebro confictam; primùm, illi auctores, qui modicam virtutem applicant eius modestiæ, qui agnoscit suas vires esse exiguas, & non esse in eis confidendum, sed in Deo; hi (inquam) auctores propè accedunt ad nostram explicationem. Nam modicam virtutem pro exiguis viribus accipiunt. Deinde manifestè sunt auctores nostræ expositionis Andreas, Aretas, Richardus atque Rupertus. Andreas enim modicam virtutem de exigua virtute exponit: & subdit, Deum à Philadelphio non exigere, quod vires illius exiguas excedat: Aretas quoque ait, Deum habere rationem difficultatis laborum, & mensurare labores iis, qui parua virtute sunt. Rupertus exponit de virtute, quæ adhuc erat modica & augeri debebat. Richardus interpretatur de imbecillitate siue in corpore, siue in corde.

Obiectiones aduersus prædictã expositionem: & earum solutio.

Sed contra hanc modicam seu paruam & imbecillem virtutem, quam Episcopo Philadelphio tribuimus, obijciet fortasse aliquis, ea quę in ipso laudat Christus, multò maiorem ostendere sanctitatem. Ait enim; *Seruasti verbum meum, & non negasti nomen meum.* Et infrà, *Seruasti verbum patientiæ meæ.* Cùm ergo, *Patientia opus perfectum habeat* (Iacobi 1.4.) Ipse textus videtur tribuere huic Episcopo sanctitatis perfectionem. Et confirmatur, quia status ipse Episcopalis requirit maximam sanctitatem; atque adeò Episcopus imbecillæ virtutis, eo ipso est reprehensibilis. Cùm ergo statuatur, eum

irrepre-

Digitized by Google

A irreprehensibilem describi, consequenter videtur dicendum, virtutem eius non fuisse paruam & imbecillam, sed potiùs valdè perfectam.

Ad primum Respondetur, non posse negari, quin seruare Christi verbum, & patientem esse & irreprehensibilem, dupliciter contingat, vt suprà explicauimus. Quia verè laudatur de his omnibus nouitius in Religione monastica, si talem se gerat sub disciplina magistri; quamuis dubitetur, an eum virtutis gradum sit consecutus, vt relictus in iis occasionibus & periculis, quibus expositi sunt procuratores, eandem integritatem & vitæ irreprehensibilis laudem sit conseruaturus. Cùm ergo ea, de quibus iste Episcopus laudatur, eiusmodi sint, vt modicæ seu paruæ adhuc virtutis proprietas retineri possit; quis non videat aptiùs esse sic interpretari, vt vtrumque simul accipiatur, vt sonat? Ad locum verò ex epistola Iacobi dico, ex contextu manifestum esse Apostolum ibi loqui de eiusmodi patientia, quæ multis magnisque tentationibus probata est: quare potiùs distinguit patientiam protectam à patientia probata. Episcopi ergo Philadelphiæ patientiam propterea dicimus non fuisse perfectam, quia nondum erat satis probata.

Ad confirmationem Respondetur, exempla septem eorum generum, in quæ conscientiæ Christianorum diuiduntur, posita fuisse in Episcopis, vt clariùs elucerent: doctrina tamen singulis Christianis applicari debet, iuxta vniuscuiusque statum: atque ita non nego, quin multò maior sanctitas requiratur in Episcopo, quàm in homine priuato, vt irreprehensibilis censendus sit. Sed adhuc
B inter Episcopos irreprehensibiles manifestum est, alium esse alio perfectiorem; & alium, cuius virtus propterea non deficit, quia non adeò probatur variis tentationibus. Huiusmodi ergo existimandus est fuisse Philadelphius, non ille quidem viribus gigantis, sed mediocribus & à Deo protectis.

Alia obiectio, eiusq; responsio.

Rursus tamen obiiciat alius, non bene cohærere contextum: agnosco tuam virtutem esse modicam; & propterea ego tibi aperiam ostium ad prædicandum Iudæis, & illos conuertendos. Respondetur, in diuino consilio hanc visam fuisse egregiam rationem; nempe ad præclarum admodum facinus patrandum, nolle vti ministerio alicuius Episcopi admirandæ sanctitatis laude excellentis; sed ministerio alterius, cuius virtus erat modica; *Vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis*, hoc 2. Cor. 4. 7.
est, manifestum constet, mirandas animorum conuersiones, non concionatoris ipsius viribus, sed Dei ope & virtute fieri. Atque ita visum est Christo Domino, valdè expedire, vt res adeò præclara (scilicet conuersio non paucorum Iudæorum ex iis, qui obstinatissimi, & religionis Christianæ acerrimi hostes videbantur) non fieret interuentu Episcopi Smyrnensis, qui erat diues in virtute, & robustarum vitium athleta; sed interuentu Philadelphii, cuius vires erant modicæ vel exiguæ. Non me latet, ex hac Christi promissione, *Ecce dabo de synagoga Satanæ*, &c. nonnullos illaturos, eximiam fuisse huius Episcopi sanctitatem; quandoquidem propter eam videtur Christus ei promittere, se facturum, vt Iudæi ad ipsius pedes procidant, parati ad exequendum quidquid ille iusserit. Ab iis tamen obsecro, vt animaduertant non semper inter concionatores eum esse magis Deo gratum, cui-

Concionatorum meritis non semper fructum respondere.

C us prædicationi statim respondet maior fructus in conuersione animarum. Patet hoc in prædicatione B. Iacobi Apostoli patroni Hispaniæ, qui tam paucos discipulos vidit ante suum obitum ex tota Hispania (quam peragrauit) suæ prædicationis efficaciâ ad fidem Christi conuersos. Prosper igitur successus non semper commensuratur Episcopi meritis; sed potiùs sæpè Deus mediocri sanctitati concedit id, quod maiori negat, ad maiorem ipsius probationem. Non mirum ergo est, Episcopo Philadelphio datum esse, quamuis etiam modicæ virtutis, vt alienorum laborum fructus ipse colligeret. Possunt ad hanc rem expendi illa Christi verba, Ioan. 4. 38. *Alii laborauerunt, & vos in labores eorum introistis*. Et notari debet haud dubiè inter hos septem Episcopos, ad quos hæ septem epistolæ diriguntur, maximè omnium commendari Smyrnensem; qui tamen non modò non obtinuit, vt ante eius pedes procederent Iudæi supplices, sed potiùs nullus ab illis maiorem persecutionem sustinuit, vt ea ratione propiùs ad Christi imitationem accederet. Smyrnensi ergo dicitur:

Discrimen inter Smyrnæum & Philadelphium Episcopos.

Scio tribulationem tuam. Blasphemaris ab iis, qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt, sed sunt synagoga Satanæ. Esto fidelis vsque ad mortem, &c. Philadelphio verò, *Ecce dabo de synagoga Satanæ qui se dicunt Iudæos esse, ecce faciam vt veniant & adorent ante pedes tuos*, &c. Alii fortasse dicent hæc verba, *Ecce dabo de synagoga Satanæ*, &c. accipi posse veluti præmium, quod promittitur Philadelphio, si ad virtutem robustam peruenerit. Verùm non ea ratione proponitur hoc in textu, neque opus est ad has angustias redigi: Smyrnensi enim Episcopo (qui ad perfectam sanctitatem peruenerat) non est apertum ostium ad Iudæorum conuersionem. Et suprema Christi potestas in eo maximè cernitur, quòd ad rem adeò
D magnam possit vti ministerio eius, qui per se non videbatur maximè idoneus: & propterea Christus in hac epistola vsurpat illam periphrasim, *qui habet clauim Dauid*.

ET SERVASTI VERBVM MEVM, nempe pro tua modica virtute, ET NON NEGASTI NOMEN MEVM] id est, quamuis non sis adhuc robustæ sanctitatis, nihilominus per gratiam & protectionem meam hactenus te irreprehensibilem seruasti; & nunquam te Christianum esse erubuisti. Sunt qui ex his verbis, *Non negasti nomen meum*, colligant constantiam huius Episcopi, dum magnis persecutionibus vrgeretur. Verùm, vt quis meritò laudetur, quòd Christi nomen nunquam erubuerit; satis est, vt palàm confiteatur nomen Christi, interim dum alij confiteri erubescunt; quamuis per Dei prouidentiam liberetur ab iis tentationibus, in quibus modica virtus fortasse vacillaret.

ECCE DABO DE SYNAGOGA SATANÆ, &c.] Iam hoc suprà explicatum est.

VERS. 9.

QVONIAM SERVASTI VERBVM PATIENTIÆ MEÆ] Illud *quoniam*, videntur aliqui in constructione referre ad superiora. Et facit, quòd in aliquibus emendatis codicibus nulla interponitur distinctio. In plerisque tamen tam Græcis, quàm Latinis cogit distinctio, vt illud *quoniam* referatur ad subsequentia. Et sic optimè cohæret contextus; *quia tu seruasti verbum patientiæ meæ, ideo & ego ser-*

Causalis particula quibuscum cohæreat.

uabo

Digitized by Google

Quid sit apud Ioannē seruare verbum.

uabo te. Deinde circa phrasim nota, apud Ioānem ésse idem *seruare verbum*, quod apud Latinos *obseruare legem, siue præceptum.* Exempla sunt obuia: vt in Euangelio Ioannis c.8.51.& 52.& c.14.23.24.& cap.15.20. cap.17.6.& 1.Ioannis 2.4.& in Apocalypsi non solùm hoc loco, sed etiam cap.22.9. Itaq; sæpè Ioannes vtitur hac phrasi; neq; ea reperitur apud alium sacrum Scriptorem. Quod enim dicitur Eccli.22.13. *Serua verbum tempori*, aliò spectat. Ex quo obiter noto ex ipsa phrasium similitudine confirmari posse scriptorem Apocalypseos & Euangelij esse eundem. Certè si de huius libri scriptore non constaret, ex hac phrasi desumi posset non leuis coniectura. Quod verò ad significationem spectat; omnino accipienda est hæc phrasis in præsenti in eo sensu, in quo eam vsurpare solet Ioannes. Quarè quod Christus ait. *seruasti verbum patientiæ meæ*, omnino significat, ab hoc Episcopo obseruatum fuisse præceptum, siue consilium patientiæ Christi; nequis cum Beda & Haymone, *verbum patientiæ*, pro exemplo patientiæ accipiat.

Quodnam sit cōsilium siue præceptum patientia Christi?

Sed quod est præceptum siue consilium patientiæ Christi? Quidam hîc patientiam Christi accipiunt pro expectatione siue spe in Christum, per quam quis patienter expectat auxilium & præmiū ab ipso Christo, & afferunt id Psal.70.4.5. *Eripe me Domine*, &c. *quoniam tu es patientia mea.* Simplicius est, vt verbum patientiæ Christi sit præceptum de patientia ab ipso Christo singulariter commendata; vt non de quacunque patientia sermo sit, sed de ea, quam Christus singulariter docuit; quæ nimirum reddit bonum pro malo. Vide 2.ad Thessal.3.5 *In charitate Dei & patientia Christi.* aut fortasse patientia in præsenti pro perseuerantia accipitur: sic enim verbum patientiæ Christi, erit verbum illud de fructu afferendo in patientia, Lucæ 8.15.

Vers.10. Christus quo sensu dicatur Philadelphium ab hora tentationis liberaturus.

ET EGO SERVABO TE AB HORA TENTATIONIS] Thomas Anglicus, & alij sic exponūt, *Seruabo te*, id est, efficiam non vt non tenteris, sed vt non vincaris. Mihi tamen ea expositio coacta videtur. Quia seruare est idē, quod custodire, defendere, protegere. Quis ergo nō videat, aliud esse, custodire hominē à lapsu; & aliud, custodire ab hora tentationis? Sicut ergo ille dicitur seruatus à lapsu, qui per Dei gratiam non cadit; sic seruatus à tentatione est, qui nō tentatur. Sed obijcies, nō videri hanc promissionē dignam Deo, neque sic Deū solitū esse amicos suos à tētatione liberare. Quinimò Tobiæ dixit Angelus c.12.13. *Quia acceptus eras corā Deo, necesse fuit vt tētatio probaret te.* Vide Eccli.2.5. *Quoniā in igne probatur aurū & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis.* Respōdetur, tentationē tunc esse maximū beneficiū, cū homo eā speratur superaturus, & perfectior ex illa euasurus. Cū verò eiusmodi est, vt verisimile sit, hominē ab ea opprimendum; tunc potiùs est singulare Dei beneficiū ab ea liberari. Quid enim aliud obsecramus in oratione Dominica, cū dicimus, *Ne nos inducas in tētationē?* Et quid aliud promittit Paulus, cū ait 1.Cor.10.13. *Fidelis Deus, qui nō patiętur vos tētari supra id quod potestis.* Decet ergo Dei bonitatē ex electis suis valida tētatione probare illos, qui eā ferre possunt; & ab illa seruare eos, qui ferre nō possunt. Quare cū Philadelphius descriptus sit Deo quidē gratus, sed nōdum robustæ virtutis; cōueniētissimè promittitur ei, *Ego seruabo te ab hora tētationis, quæ vētura est in orbē vniuersū.* Hoc est enim quod dicitur 2.Pet.2. *Nouit Dominus pios de tētatione eripere.*

Quando tentatio sit maximum à Deo beneficium.

Pro nostra explicatione manifestè sunt Aretas & Lyranus. Vterque enim exponit, *Seruabo te ab hora tentationis*, id est, præripiam te per mortem; ne plus affligaris, quàm ferre poteras. Et afferunt id Sap.4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius; aut ne fictio deciperet animam illius.* Sed non necesse est coactare explicationem ad beneficium mortis præuenientis. Quia multis modis seruare potest Deus eum, quem ipse eximere vult à tentatione irruente super ceteros. Qua verò ratione seruatus sit Episcopus Philadelphius, id nulla ratione constat.

Duplex apud Ioannem vsus verbi seruare.

Nota præterea, quàm aptè coniunctæ sint duę phrases, in quibus vtitur Ioānes Seruādi verbo. Nā *seruare verbū*, idē est quod *seruare* siue *exequi mandata*: *Seruare* autē *hominē à malo*, idē est quod *protegere*, siue *defendere.* Cū ergo modicæ virtutis Episcopo exequēti mādata Dei pro viribus suis, cōuenientissima esset promissio, Deū non permissurum, vt supra vires suas tentetur seruus Dei, atq; adeò effecturū, vt à magna quadam aduentura tentatione eximatur; aptissimè vtrūque expressum est, eiusdem verbi repetitione, *Quoniam seruasti verbū Dei; ego seruabo te.* Ego, inquam, qui sum Verbum Dei: atque adeò Verbum Dei seruabit te fideli protectione, quia tu seruasti verbū Dei fideli executione.

Qua appelletur hora tentationis.

AB HORA TENTATIONIS QVÆ VENTVRA EST IN ORBEM VNIVERSVM] Conueniunt interpretes, his verbis designari proximā persecutionē generalem, quæ excitanda erat aduersus Christianos. Sed occurrit dubium, cur scilicet tēpus persecutionis appelletur hora? Sunt qui notent, nomen horæ accipiendū esse pro breui tēpore. Notandum tamen est, græca phrasi horæ nomen multò latiùs patēre, quàm apud Latinos. Quod enim Latini dicunt, tempus vernum, tempus autumnale, tēpus hyemis; id græca phrasi passim dicitur, hora verna, hora autumni, &c. & quatuor horæ anni dicuntur à Græcis, quas Latini tēpestates appellant, id est ver, æstas, autumnus & hyems. Imò verò hora etiam à Græcis vsurpatur frequenter pro ætatē, v. g. iuuenili, vel quauis alia. Non est ergo, quòd in præsenti suspicemur, horæ nomine designari breuitatē persecutionis, quasi hyperbolicè ad vnius horæ spatium redigatur. Horæ enim nomen in græca locutione non habet aliam vim, quàm si *tempus tentationis* poneretur. Sed adhuc inquiret aliquis; cur non satis fuerit dicere, *seruabo te à tētatione*; & additū sit, *seruabo te ab hora*, vel *à tēpore tentationis*? Respondetur, forsan horæ nomine designari tempus id, quo persecutio erat maximè arsura & afflictura fideles; q.d. Eo ipso tempore tu eris immunis & exemptus. Omnino autem videtur esse sermo de persecutione, quam passa est Ecclesia sub Traiano (vt optimè conijcit Ribera noster.) Atque ea dicitur ventura in orbem vniuersum, scilicet in orbem Romanum, siue aduersus fideles in omnibus orbis Romani prouinciis.

Nomen hora apud Græcos latiùs patēre, quàm apud Latinos.

De quatentatione, si ne persecutione hic sermo sit.

TENTARE HABITANTES IN TERRA] Id est, ex iustis eos, qui sunt adhuc viatores; quod est dicere, eos qui sunt in patria, securos esse ab omni tentatione.

ECCE

A ECCE VENIO CITO] Quamuis Philadelphius securus reddatur ab illius gratissimæ tentationis hora; absque dubio tamen non est exemptus à multis aliis tentationibus, quæ frequenter in vitam humanam incurrunt. *Tentatio enim est vita hominis super terram*; vt hebræa sonant, Iob 7. 1. & præsertim primis Ecclesiæ Christianæ temporibus multis incommodis atque molestiis afficiebantur fideles. Atque ita aptissimè hortatur Christus Philadelphium, ne ab incepta sanctitatis via desistat, duabus ei propositis rebus valdè ad consolationem idoneis; nempe vitæ breuitate, & protectionis diuinæ securitate. VERS. 11.

TENE QVOD HABES, VT NEMO ACCIPIAT CORONAM TVAM] Nota hîc Primò, his verbis nonnihil confirmari nostram expositionem de modica huius Episcopi virtute. Illa enim exhortatio, *Tene quod habes, vt nemo*, &c. innuit meritò timeri posse lapsum eius, qui nondum erat robustæ virtutis. Et saltem in verisimili labendi periculo aptior est huiusmodi commonefactio. Et illa verba, *Tene quod habes*, omnino hortantur, vt ab incepto non desistat. Porrò in ea metaphora respici videtur ad eum, qui pondus aliquod sustinet, vt vires suas probet; atque ita admonetur opus esse perseuerantiâ, vt propositum præmium nõ amittat. Vide illud Eccli. 6. 21. *Quàm aspera est nimiùm sapientia indoctis hominibus, & non permanebit in ea exters. Quasi lapidis virtus probatio erit in illis, & non demorabuntur proïcere illam*: quo loco virtus lapidis videtur poni pro grauitate lapidis, qua vires iuuenum probantur. Ex græco enim sic redditur ad verbum, *quasi lapis probationis validus*. Et desumpta
B est comparatio à consuetudine illius regionis, de qua videndus est Hieronymus in id Zachariæ 12. n. 3. *Ponam Ierusalem lapidem oneris cunctis populis: omnes qui leuabunt eam concisione lacerabuntur*.

Deinde in illis verbis, *Vt nemo accipiat coronam tuam*, significatur nunquam permitti à Deo, vt iustus aliquis cadat & condemnetur, quin alium ipsius loco substituat. Quæ doctrina expresè docetur à D. Gregorio 25. Moral. cap. 9. & 10. & à D. Thoma 1. p. q. 23. ar. 6. ad 1. vbi hunc Apocalypseos locum adducit. Idem obseruant in præsenti Primasius, Rupertus, Haymo, Beda, Lyranus; & ex nostris Ribera atque Pererius disp. 14. Et pro maiore eiusdem doctrinæ explicatione notandũ est, in Dei prouidentia certum & definitum prædestinatorum numerum esse prius ratione; quod verò hic vel ille ad eum numerum pertineant, id esse posterius ratione. Supponit hæc Theologia aptissimè considerari in diuinis actibus per ordinem ad obiecta, quosdam esse priores ratione, & alios posteriores: & illud in obiectis appellari prius, quod est ab alio independens; posterius verò, quod dependet ab illo. Si tamen res attentè perspiciatur, valdè est rationi consentaneum, vt numerus certus & definitus beatorum in Dei intentione sit prior, quàm huius aut illius hominis salus: quia bonum quò communius, eò diuinius; & in ipso numero ciuium per se sumpto, id est, in decreto numeri à Deo definiti & statuti, vt non sint plures neque pauciores, in eo cernitur exactissima sapientissimi architecti dispositio, & apta rei destinatæ proportio. Et quemadmodum in ædificio materiali prior est numerus lapidum in mente architecti, quàm huius vel illius lapidis electio; re-
C probatio autem huius aut illius lapidis cõiuncta est cum alterius substitutione in locum eius, qui dum incideretur aut expoliretur, inuentus est inutilis: ita etiam in spirituali cælestis ciuitatis ædificio numerus electorum est prior in intentione, quàm huius aut illius hominis salus; & reprobatio eius, qui iam erat vocatus & iustificatus, semper est cum alterius substitutione coniuncta. Ex quo intelligitur eos, qui cadunt ab amicitia Dei, & condemnantur, eo ipso impedire, quod ex se est, ne mundus iam citò intereat. Constat enim impleto numero electorum non esse ampliùs diem iudicij prorogandum. Quare sub finem mundi vltimus hominis lapsus à gratia, non erit re ipsa posterior vltimâ peccatoris conuersione.

Deum non permittere vt iustus aliquis cadat, & damnetur; quin alium eius loco substituat.

Ordõ ac prioritas in diuinis actibus.

QVI VICERIT, FACIAM ILLVM COLVMNAM IN TEMPLO DEI MEI] Sunt, qui existiment, hæc non magis dici ad Episcopum Philadelphium, quàm ad quoscunque alios fideles. Verùm in superioribus epistolis iam annotauimus opus esse, vt singula præmia singulis Episcopis aptissimè proponantur; nec satis facere interpretem, qui non reddat rationem conuenientem, cur in hac epistola potiùs, quàm in ceteris hoc vel illud præmium victori promittatur. Id quod esse necessarium, constat in hac epistola fortasse clariùs, quàm in ceteris. Non enim est credibile, omnibus, quos hora mortis Dei amicos inuenerit, promitti illos futuros esse columnas in templo Dei. Atque ita Ribera §. 32. fatetur non de omnibus electis esse sermonem. Si ergo non est sermo de o-
D mnibus in præsenti, quis non videat, quàm sit verisimile singillatim fieri promissionem Episcopo Philadelphio, & iis qui similes eius fuerint, id est iis, qui cùm nondum sint spectatæ seu probatæ virtutis, sed adhuc paruæ & protectæ à Deo, ad robustam tamen virtutem aspirant; & pro ea consequenda pro viribus laborant, legitimè certando pro sibi data gratia? Dico ergo, iis sub metaphora columnæ promitti virtutem robustam, quam in votis habebant. Id enim, quod est inchoatum & imperfectum, in via est ad perfectionem: atque ita virtus adhuc modica optare videtur incrementum, & ad statum robustæ virtutis peruenire. Quid ergo aptius excogitari potuit, quod modicæ virtutis hominibus ob oculos poneretur, quàm vt eò sua vota dirigant, & omni conatu accedere concupiscant, in Dei promissione & gratia confidentes? VERS. 12.

Quid sit esse columnam in tẽplo Dei.

Oportet tamen attentè inspicere, an in præsenti sit sermo de officio columnæ in Ecclesia militante, vel de præmio æternæ retributionis: Ribera propendet in sententiam Ambrosij, qui de mercede æternæ vitæ hæc verba exponit. Argumenta huius opinionis sunt; Primum, quòd sequatur, *Et foras non egredietur amplius*. quod non est in vniuersum verum in iis, qui in hac vita fuerunt aliquando columnæ Ecclesiæ. Alterum est, quòd statim adijciatur, *Scribam super eum nomen ciuitatis nouæ Ierusalem, quæ descendit de cælo*. & constet ex cap. 21. 2. hanc nouam ciuitatem, quæ dicitur de cælo descendere, esse illam ipsam, quæ triumphat in cælo.

Num columna officium Dei Philadelphio promittat in militante Ecclesia, vel in triũphante.

Digitized by Google

Verior & communior expositio.

Nihilominùs Gregorius 17.Moral.c.14.(vbi hunc locum exponit)nomen columnæ accipit de iis,qui in Ecclesia militanti officium columnarum egregiè præstant: atque eam expositionem sequuntur hoc loco Ticonius,Primasius,Haymo,Beda,Andreas, Aretas, Anselmus, Richardus, Ioachimus, Albertus, Lyra, Thomas, Zegerus, Suarez, & ceteri ferè omnes. Persuadetur hæc expositio Primò, quia quamuis in patria vnicuique detur præmium pro meritis; in cælo tamen non fit homo columna Ecclesiæ. Fieri enim columnam, est accipere vires robustas, quibus onus Ecclesiæ vel Ecclesiarum sustinere possit; quod munus in hac vita præstant insignes sanctitate viri. Quare sacra Scriptura magnis viris tribuit in hac vita columnarum nomen; quod eis aptiore proportione conuenire videtur, quàm Beatis. Secundò Episcopus Philadelphiæ, quando hæc epistola ad eum scripta est, erat adhuc virtutis modicæ; & opus habebat, vt eum Christus seruaret ab hora tentationis, quæ ventura erat in orbem vniuersum: atque ita nondum merebatur nomen & symbolum columnæ. Vt autem in cælo præmium columnæ consequeretur; opus erat, vt priùs in hac vita esset Ecclesiæ columna. Ergo multò aptius est, vt ipsi facienti quod in se est, per Dei gratiam, promittatur virtus columnæ. Nam, quod ad præmium cæleste attinet, certum est præmium atque mercedem fore cum proportione ad merita. Tertiò, si nomen columnæ accipiatur de firmitate & virtute sanctitatis robustæ, quam tribuit Deus in hac vita iis, qui se ipsos vincunt, & vocationi diuinæ respondent; statim facilè apparet, quàm aptè proponatur hoc præmium in hac epistola. Aliter cõuenientius erat, vt præmium columnæ proponeretur Smyrnensi potiùs, quàm Philadelphio. Propter hæc omnino mihi videtur sequenda expositio D. Gregorij.

Columna promissionis applicatio ad sacram Eucharistiam.

Quod verò in superioribus epistolis annotaui, vt præmia proponantur tanquam effectus ab Eucharistiæ communione manantes in eos, qui ad illam ea animi præparatione accedunt, quam Christus in illis Episcopis optabat; id similiter in huius epistolæ præmio aduerto: nimirum eum, qui ad Christum in Eucharistia, vel etiam in communione spirituali accedit, eo *corde magno, & animo volenti*, id est, hilari ac prompto, quo Christus Philadelphium esse volebat, ad virtutem scilicet robustam pro virili aspirando; eum ab ipso Christo (qui est sanctus verus & veræ sanctitatis fons) efficiendum esse columnam Ecclesiæ, id est, participaturum robustam virtutem, & vires ingentes, quibus Ecclesiæ sit maximo ornamento pariter & adiumento, & Ecclesiarum onus cum magno honore sustineat.

Ad argumenta Riberæ. Ad Primum Respondetur, illa verba, *Et foras non egredietur amplius*, apponi tanquam aliquid consequens ad rationem siue analogiam columnæ. Ipsum enim pondus seu grauitas columnæ, & onus, quod sustinet supra se, immobilem eam reddunt. Quod non contingit in multis aliis, ex quibus potuit allegoria desumi. Quamuis enim iustis meritò tribuatur symbolum, (verbi gratia) candelabri, candelabro tamen non apponetur aptè illud elogium, *& foras non egredietur amplius*. Ex hoc ergo ipso, meo iudicio colligitur, symbolum columnæ in præsenti epistola non referri ad gloriam Beatorum. Quia in cælo commune est omnibus Beatis, foras non esse egressuros; & tamen non omnes Beati sunt columnæ, vt fatetur Ribera. Cùm igitur, non esse foras egressurum, adijciatur tanquam id quod est proprium columnis; nulla ratione cohæret, vt id singulariter tribuatur cælestibus columnis, quod ceteris etiam commune est in cælo. Qua verò ratione in Ecclesia militante sit singularis columnarum gloria, ampliùs non esse egressuras ex templo, dicemus infrà.

Militantem Ecclesiam dici de cælo descendere, & cur.

Ad Secundum Respondetur, Ecclesiam militantem esse, quæ propter admirandam sanctitatis excellentiam magna cum energia dicitur de cælo descendere, siue de cælo delapsa. Triumphantis enim Ecclesiæ gloria non est de cælo descendere; sed potiùs in cælo permanere. Neque huic veritati aduersatur id, quod legimus Apoc.21.10. *Ostendit mihi ciuitatem sanctam descendentem de cælo*. Licet enim certum sit Ioanni in ea visione ostensam fuisse Ecclesiæ triumphantis gloriam; locutionis tamen illius forma non alia fuit, quàm si Ioanni diceretur, Vísne videre quanta sit Ecclesiæ militantis excellentia? Veni ergo, & intuere eandem Ecclesiam in cælo triumphantem. Nec enim illa, quæ triumphat, est alia ab ea, quæ militauit; & vniuersa illa triumphi gloria abscondita erat in Ecclesiæ militantis virtute & sanctitate. Quare quanuis in fine Apocalypseos describatur triumphus patriæ cælestis, & gloria eorum, qui de cælo non descendent; iure optimo asseritur illa cælestis ciuitas esse eadem illa, quæ de cælo descenderat, & quæ in terris militabat. Quòd si alicui necessarium omnino videatur, vt nomen Hierosolymæ de cælo descendentis directè tribuatur Ecclesiæ triumphanti; cur saltem dici non poterit, eum qui in hac vita sanctitatem robustam consecutus est, & officium columnæ egregiè præstat in Ecclesia; eum (inquam) in hac vita gestare inscriptum nomẽ cælestis Hierosolymæ, eò quòd facilè ab omnibus cernatur, huiusmodi hominem esse cælestis Hierosolymæ ciuem, cuius conuersatio in cælis est, & quem in cælo manet locus valdè sublimis?

Quid sit non ampliùs egredi foras.

ET FORAS NON EGREDIETVR AMPLIVS] Hic tenor locutionis omnino innuit, eum qui efficitur columna, solitum fuisse egredi ex templo, antequàm fieret columna. Vide Genes.24.23. *Nisi venerit frater vester minimus vobiscum, non videbitis ampliùs faciem meam*. & 4.Reg.2.12. *Non videt eum ampliùs*. Hinc ergo constat illa verba, *foras non egredietur ampliùs*, nõ esse referẽda ad egressum è templo Ecclesiæ per infidelitatem. Licet enim perseueranti a in fide Catholica sit maximum Dei beneficium; plurimi tamen sunt, qui quanuis non sint Ecclesiæ columnæ, nunquam tamen abiurarunt fidem, neque ea ratione egressi sunt è templo Dei: & non erat cur Episcopo Philadelphio vincenti speciatim promitteretur perseuerantia in fide Catholica. Quid ergo est, non egredi ampliùs ex templo? Respondetur hanc esse significantissimam metaphoram ad eum statum indicandum, ad quem

Digitized by Google

A quem in hac vita perueniunt ij, qui virtutis robustæ constantiam, & deuotionis firmitatem consequuntur. Sic enim illi se totos Deo dicant & consecrant; sic omnes suas actiones diuino obsequio mancipant, vt non solùm tempus vllum, & actionem aliquam in alia re collocare, sed neque cogitationem à Deo & à rebus diuinis diuertere vnquam velint. Vide id Lucæ 2.37. vbi de Anna, *quæ non discedebat de templo ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte ac die.* Antequam homo ad huius deuotionis statum pertingat, officio hominis Christiani, aut etiam religiosi se satisfeciſſe putat, si tertiam diei partem in rebus in Dei obsequium spectantibus collocauerit: reliquas diei horas, licere sibi putat egredi ex templo, & sine crimine otiari, aut pro libito negotiari. Ille verò, quem Christi virtus & deuotionis ardor columnam fecit, non solùm deinceps egredi ex templo nō vult (id est, pro libito vlli rei vacare nisi Deo, vel propter Deum) sed neque posse videtur vlli vnquam rei intentus esse, aut etiam de alia cogitare, quàm de Dei & proximorum obsequio.

Atque vt ex ipsa columnæ astrologia hoc ampliùs explicetur; Notandum est in ædificio materiali firmitatem ipsam columnæ, & onus quod sustinet, esse id quod eam facit immobilem. Interim ergo, dum quis non est consecutus virtutis robur & firmam deuotionis constantiam, non videtur esse columna. Et licèt candelabrum templi sit, aut quiduis aliud ad sacram supellectilem spectans, absque vllo religionis metu potest aliquando è templo efferri, & circunduci: ita tamen vt suo tempore in templo deseruiat. Postquàm autem factus est columna Ecclesiæ per virtutem robustam & B deuotionis constantiam; firmitas ipsa columnæ, & cura sustinendi onus sibi impositum, reddunt eum quodammodo immobilem: ita vt deinceps neque libeat, neque posse videatur egredi è templo, & foris vagari. Certè in hoc sensu illa verba, *Et foras non egredietur ampliùs*, promissionem aptissimam continēt; eius nempe rei, quam maximè optare poterat is, qui ad sanctitatis perfectionem aspirat. Patet ergo quàm aptè in metaphora columnæ dictum sit, *& foras non egredietur ampliùs.* Atque vt clariùs appareat, hæc verba ad eandem columnæ metaphoram spectare; Nota græca (si ad verbum reddantur) non sonare, *foras non egredietur ampliùs*, sed *non egrediatur*: quod est dicere, Ego faciam illum columnam immobilem, quæ deinceps foras non egrediatur. Nemo autem inficias ibit, quin aptissimè per templi nomen designetur Dei cultus & obsequium: sicut per exteriorem plateam aptè significantur exterioris hominis occupationes, vt loquuntur spiritualis vitæ magistri.

Columnam onere ipso quo premitur, firmiorem reddi.

Quid iis promittatur verbis, Foras non egredietur ampliùs.

Neque verò supradicta columnæ immobilitas eiusmodi est in hac vita; vt nulla ratione fieri possit, eum, qui erat columna, officio suo deesse, vel etiam aliquando confringi, & foras proijci in frusta discissam; id quippe fieri posse non negamus. Nihilominùs tamen verissimè dicitur magna esse constantia eorū, qui per Dei gratiā adeò robustā virtutem consecuti sunt, vt mereantur columnæ Ecclesiæ appellari. Quòd si ij confirmati esse in gratia dicuntur, qui Spiritu sancto repleti sunt, & singulari Dei prouidentia adeò constantes efficiuntur, vt nulla ratione ab statu gratiæ deturbentur; C non video, cur non sit censendum ad eam felicitatem peruenisse eos, qui propter eximiam sanctitatem columnæ Ecclesiæ appellantur. Fortasse tamen contextus non postulat, vt tantùm appellentur columnæ ij, qui nunquam re ipsa ab ea constantia cadēt, quam symbolū columnæ repręsentat: illa enim verba, *Et foras non egredietur ampliùs*, quamuis copiosum Dei auxilium promittant ad conseruandam columnæ constantiam; fieri tamen potest, vt libertatis naturalis conditione abutatur homo, & desinat esse columna. Vnde quod textus asserit, dum ait, *foras non egredietur*, sub ea conditione intelligendum est.

De allusione ad columnas Booz & Iachin, dicam seorsum in notatione sequenti.

ET SCRIBAM SVPER EVM] Adhuc perstat in metaphora columnæ, cui sit inscriptus glorioſus titulus: & verti poterat *super eam*, scilicet columnam; sed quia columna nomen græcum est masculinum (nempè στύλος,) & quia sermo est de homine, quem Christus facit columnam; ideo Vulgatus scripsit *super eum*.

NOMEN DEI MEI, ET NOMEN NOVÆ IERVSALEM, ET NOMEN MEVM] In notat. sequēti ostendam valdè esse verisimile, in columnis illis Booz & Iachin (id est in stylobatis, in quibus colūnæ insistebant) scriptū fuisse, trophæa hæc in Dei victoris gloriam, ad templi Hierosolymitani decorem à Salomone erecta fuisse. Per allusionem igitur ad antiquarum columnarum titulum, ait D Christus se columnæ mysticæ (de qua sermo est) similem titulum additurum; videlicet trophæum hoc in Dei victoris gloriam & in nouæ Hierosolymæ decorem à Christo animarum sanctificatore erectum fuisse. Titulus autem columnæ siue trophæi aptissimè significat id quod robusta alicuius sanctissimi viri virtus præ se fert. Sicut enim, cùm de seruis Dei, quasi de hominibus, sermo est; illi qui publicè profitentur, & re ipsa ostendunt se Christi seruos esse, eleganter dicuntur in frontibus gestare scriptum Christi nomen. & quemadmodum Babylonis etiam aut bestiæ nomen dicuntur in frontibus gerere, qui in mundi famulatu gloriantur; ita, cùm de aliquo seruo Christi sub metaphora columnæ sermo est, titulus & inscriptio non est aliud, quàm si diceretur, in eius admiranda virtute id elucere & facile agnosci ab eo, qui eam columnam contempletur; si tamen non sit omnino rudis & legendi ignarus. Hic est totius inscriptionis sensus. Verùm de singulis partibus nonnihil etiam dicendum est.

Qui sit hic titulus mystica columnæ à Christo inscribendus.

NOMEN DEI MEI] Quater in hac promissione, Deum suum appellat Christus. *In templo Dei mei; Nomen Dei mei; Ciuitatis Dei mei; & Quæ descendit à Deo meo.* Hæc pronominis repetitio, in qua Christus, quà homo est, Patrem sæpiùs appellat Deum suum, non solùm spectat ad reuerentiam diuinæ maiestatis, & ardentissimum amorem erga Deum; sed etiam ad exultationem & gratiarū actionem de summa beneficentia Dei erga homines, & de spiritu collato fidelibus propter ipsius Christi amorem.

Quater in hac promissione Christus repetit Deum meum, &

Digitized by Google

quod sit repetitionis huius mysterium.

amorem. Quòd enim Deus cælestis gratiæ thesauros adeò liberaliter hominibus distribuat, id omnino in gratiam Christi facit, & in eo maximè ostendit Deus, quàm sit totus Christi Domini. Quare repetitio illa pronominis *meus* ad summam Christianæ Ecclesiæ excellentiam, & ad columnæ (de qua sermo est in præsenti) admirandam virtutem referenda est quasi diceret, tantam esse Christianæ Ecclesiæ excellentiam, & adeò mirabilem columnarum ipsius gloriam, vt in iis mirum in modum eluceat, Deum optimum maximum esse totum Christi Domini; & nihil excogitari posse adeò magnum atque mirabile, quod Christi seruis non concedat libentissimè Deus, vt suo Christo gratificetur.

Quòd verò Christus ipse dicatur scribere nomen Dei sui in columnis Ecclesiæ; indicat Christum esse animarum sanctificatorem, & in columnarum virtute & pulchritudine mirificè exultare; eò quòd in eis omnipotentis Dei virtus, atque victoria clarissimè effulgeat; quemadmodum ex trophæis & monumentis constare solet magnitudo victoriæ.

ET NOMEN CIVITATIS NOVÆ IERVSALEM, QVÆ DESCENDIT DE CÆLO] Iam suprà expressum erat, hanc esse columnam templi Dei (*Faciam illum columnam in templo Dei mei.*) Sed quoniam templi Dei nomen videbatur accipi posse de templo Salomonis: ideò, vt intelligeretur in præsenti de multò excellentiore templo, additum est in titulo nomen nouæ Hierosolymæ; quod est dicere, in excellentia huius columnæ manifestè cerni, eam non esse ornamentum illius templi, quod in antiqua Hierosolyma ædificatum erat; sed illius potiùs templi, quod ædificauit Christus in noua Hierosolyma, id est, in Ecclesia Christiana.

Qua sit hic noua Ierusalē descendens è cælo.

Porrò nouæ Hierosolymæ nomen ad Ecclesiam in cælis triumphantem, vel ad gloriam Beatorum plerique referunt. Ego de Ecclesia Christiana in terris militante, & de eius templo sermonem esse intelligo. Hæc enim est Hierosolyma, quæ dicitur de cælo descendere (vt suprà explicaui) & in hac exercent propriè officium columnarum ij, quos Christus facit columnas; atque de eo officio, quod in hac vita exercent viri sanctissimi, sermo est in hac epistola ad Philadelphium. Fauet nostræ explicationi, quòd in præsenti manifestè agitur de columna templi, cùm tamen de patria cælesti expressè dicatur c.21. n.22. *Templum non vidi in ea.* Neque nouum est, vt Ecclesia Christiana, quæ in terris versatur, appelletur noua Hierosolyma ad veteris distinctionem; iuxta illud, *Ecce noua facio omnia*, Apoc.21.5. Et sic accipiunt Hierosolymæ nomen Origenes, Hieronymus, Augustinus, & Gregorius apud Lauretum. Quomodo autem rectè intelligatur spiritualis Hierosolyma (quæ in terris est) habere templum columnis ornatum, licèt in visione Ezechielis templum distet à ciuitate quindecim millia calamorum; dicemus notatione secunda.

Christi nominis virtutem non in characteribus ipsis, sed in rei veritate consistere.

ET NOMEN MEVM NOVVM] Vanum est, quod nonnulli cogitarunt, neminem ante Christum Dominum fuisse appellatum Iesum iis litteris & ea prolatione, qua Christus Dominus Iesus appellabatur. Quasi verò virtus & excellentia nominis proprij, quod Christo datum est, ad ipsos characteres reuocandæ sint, & non potiùs ad rei veritatem. Nota ergo, si in præsenti sermo sit de nomine Iesu, non dici nouum cõsideratâ prolatione & litteris, sed consideratâ virtute & veritate. Si litteras ipsas respicias; ex varia eiusdem nominis prolatione oritur, quòd vnius & eiusdem hominis nomen nunc scribatur *Iesuagh*, nunc *Iehosuagh*. Videmus enim Iesum filium Iosedec appellari *Iehosuagh*, in libris Aggæi & Zachariæ, & eundem videmus appellari *Iesuagh*, 1.Esdræ 2. Sic nos Hispani sine discrimine nunc dicimus *Ioan*, nunc *Iuan*; *Fernando*, & *Hernando*. Et siue nomen Iesu ita scribatur, vt significet veram salutem; siue salutem Domini aut saluatorem; pro eodem reputo. Neque est in appellatione nouitas, sed in virtute & veritate. Et quidem si de litteris atramẽto scriptis sermo esset, distingui non posset nomen Christi nouum ab aliis, qui eodem nomine priùs erant appellati. Sed quia sermo est de ea scriptione, quæ digito Christi fit, ideo eleganter dicitur in titulo huius columnę, de qua est sermo, nomen Christi nouum scriptum esse: nimirum quia in admiranda columnæ excellentia effulgeat eam esse erectam ab eo, qui noua ratione & planè diuina Saluator appellatur. His addo, non esse sermonem solùm de noua ratione, qua Christus etiam ante passionem saluator appellabatur; sed de noua ratione, qua post resurrectionem saluatoris nomen habet. Prius enim *nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Cùm verò Christus resurrexit, prodijt ex sepulcro *Filius Dei in virtute secundùm spiritum sanctificationis*, ad Rom.1.4. id est, cum pleniſſima & efficacissima sanctificandi homines virtute & excellentia. His ita constitutis, non valdè refert, siue nomen Christi nouum interpreteris de nomine ipso Iesu, vel de nomine efficacissimi sanctificatoris.

Variatio in nominis Iesu characteribus.

Quoniam verò nouitatem nominis Christi à resurrectionis mysterio inchoamus; putabit fortasse aliquis huc spectare Pauli verba ad Philipp.2.9. *Propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Qua ratione, cùm dicitur, *scribam super eum nomen meum nouum*; sensus erit, in huius columnæ excellentia gloriam Christi nominis elucere. Certè hic sensus parum differt à superiori explicatione: verùm Paulus ad Philip.2. non videtur solùm agere de virtute sanctificandi; sed etiam de vniuersi monarchia, & de supremi imperatoris dignitate.

NOTA-

Digitized by Google

NOTATIO I.

De allusione columnæ in templo Dei ad columnas æreas, de quibus 3. Reg. 7. 15. & 2. Paral. 3. fin.

Ad quæ tẽpli Salomonici colũnas respiciat Christus in hoc columnæ symbolo.

NON erit inanis labor, attentè inspicere ad quas columnas templi Salomonici alludat Christus; cùm ait, *faciam illum columnam in templo Dei mei.* Neque dubitandum est, quin in his verbis respiciat Dominus ad templum Salomonis. Porrò in templo Salomonis erant plurimæ atriorum columnæ, de quibus fit mentio Ezechielis 42. 6. Constat autem templi nomine comprehendi atria duo, id est, atrium sacerdotum, & atrium Israëlis, vt videbimus cap. 11. 1. Nihilominus tamen, cùm columnæ symbolum in præsenti vsurpetur ad magnæ sanctitatis significationem, non videtur adeò conueniens, vt ex atriorum columnis desumatur comparatio.

Porrò intra portas sancti ædificij (id est in aula sancta, vel in adyto sanctissimo) nullæ erant columnæ; nisi quis fortasse hoc nomen extendere velit ad palmas illas, quibus templi ipsius parietes intrinsecus erant distincti. Verisimile enim est, quod nõnulli contemplantur, illas fuisse semicolumnas Corinthias ad palmarum similitudinem factas. Vide 3. Reg. 6. 29. *Omnes parietes templi per circuitum sculpsit varijs caluturis, & fecit in eis palmas prominentes de pariete.* Verùm quoniam sacra Scriptura palmis illis non tribuit columnarũ nomen, ideò verisimilius est quod Beda, & post eum alij cogitarunt, scilicet in hoc columnæ symbolo respici ad duas columnas illas æreas Booz & Iachin, quæ erant in porticu pro foribus templi; de quibus 3. Reg. 7. 15 & 2. Paral. 3. fin. Et considerata illarum columnarum magnitudine & firmitate & insigni etiam loco in quo erant erectæ, & quasi obiectæ oculis vniuersi Israëlis, facilè cernitur conuenientissimum fuisse vt ex eis desumeretur comparatio: sermo enim est de columna valdè notabili, cuius titulus & inscriptio cõspicua sit, & vniuersæ Ecclesiæ ad legendum & obseruandum proposita. Et valdè verisimile est nomina illa Booz & Iachin in columnis illis Salomonis fuisse sculpta; & fortasse cum ipso Salomonis nomine, & cum templi mentione; in hunc ferè modum: *Booz in Dei victoris gloriam, & templi Hierosolymitani decorem à Salomone erecta.* Et in altera similiter: *Iachin in Dei victoris gloriam,* &c. Neque istud est somniare, sed ex ipsa huius loci allusione, ex nominibus Booz & Iachin, ex Iosephi narratione, & ex alijs insignibus columnis coniectare; vt ex ijs, quæ Romæ, altera Traiani & altera Antonini nomen præferunt. Erit autem nostra coniectura probabilior; si columnæ illæ à Salomone pro foribus templi positæ non ad sustinendum ædificium, sed veluti trophæa Deo victori erectę sunt ad magnificentiam & ornatum, de quo infrà. In trophæis enim nemo negauerit, semper titulos fuisse sculptos.

Ad columnas Booz & Iachin alludisse verisimilius est.

Inscriptiones, quæ probabili coniectura videntur in columnis Booz & Iachin positæ.

His constitutis; vt allusionis elegantia plenius intelligatur, oportet nonnihil agere de columnis illis à Salomone factis, & de earum significatione siue mysterio. Et quidem, quod ad formam earum attinet, noua cuiusdam docti & amici explicatio est, eam fuisse Corinthiam; & partem ædificij ab eis sustentatam fuisse. Mihi multò verisimilior videtur communis sententia; quæ scapo singularum columnarum tribuit altitudinis 18. cubitos, circumferentiæ verò 12. cubitos, ac proinde circumferentiæ diametro, siue crassitudini columnæ quatuor ferè cubitos. Itaque proportionem longitudinis ad crassitudinem vix esse sicut 5. ad 1. In his insuper columnis nullam ædificii partem niti, sed duplex solùm capitellum. Et sanè quod ad crassitudinem singularum attinet, Ieremias eam disertè explicat cap. 52. 21. *Decem & octo cubiti altitudinis erant in columna vna; & funiculus 12. cubitorum circuibat eam.* Similiter loquitur Iosephus

Quæ fuerit duarum tẽpli columnarum figura.

A libro 8. Antiquit. capite 3. & valdè coactum est, vt de altitudine singularum, & de crassitudine vtriusque simul sumptæ verba Ieremiæ accipiamus.

Sed obijcient nobis illi, quibus noua placet opinio, valdè deformem esse columnam, cuius longitudo non sit plusquam quincupla ad crassitudinem, & nihil eiusmodi cogitandum esse de Salomonis sapientia. Addent etiam, eam proportionem nulla ratione cohærere cum pulcherrima illius ædificii structura. Respondeo nouam esse opinionem, & fortasse ante hos dies inauditam, duas illas columnas æreas Booz & Iachin, ad sustinendum ædificium factas esse: vbi verò non cogitentur tanquam ædificii partes, sed tanquam trophæa quædam ab ædificio omni separata; nulla erit obligatio, vt in eis seruetur proportio altitudinis ædificii. Et quidem ipsa sacræ Scripturę verba (meo iudicio) cogunt, vt Booz & Iachin non existimentur esse

B columnæ ædificii & partes illius, sed supellex siue vasa templi (vt loquitur de illis Ieremias cap. 27. fin.) tum quia non seruant columnarum ædificii proportionem; tum etiam quia singulæ habent duo capitella, quod fortasse non est satis aptum ad ędificiorum columnas: præsertim cùm opus sit capitella, bases, & stylobatas esse tantæ altitudinis, vt omnibus computatis singulæ columnæ sint 35. cubitos altæ. Sic enim videtur interpretandum, quod habetur 2. Paralip. 3. 15. *Triginta & quinque cubitos habebant altitudinis.* Vtcumque hoc sit, singularum scapi erant alti 18. cubitos, crassi autem ferè quatuor, quia *funiculus duodecim cubitorum circuibat eam.* Atque hæc non est proportio columnæ ad ædificium sustinendum factæ. Ad trophæa verò aptissimum fuit, vt non seruaretur in eis integræ columnæ proportio, sed multò maior crassitudo sita vt partis potiùs columnæ, vel arboris crassissimæ trunci instar es-

C set. Trophæum enim nihil aliud est, quàm monimentum erectum in victoriæ signum. & cùm trophæa per se erigerentur ab omni ædificio disiuncta; ratio postulabat, vt quàm maximè crassa fierent: & fortasse ipsa trophæi crassitudo ad robustas victoris exercitus vires significandas nonnihil conducebat.

Sed dices, Quorsum trophęa in templo? Si enim trophæa monimenta sunt à victore erecta in loco, vbi hostes in fugam conuertit, nulli hostes fuerant eo loco fugati. Respondeo, ad rationem trophęi satis esse, vt conuenienti loco erigatur in signum victoriæ, etiam si hostes non fuerint eo ipso loco in fugam cõuersi. Nam Sallustius de Pompeio ait, de victis Hispanis trophęa in iugis Pyrenęi montis posuisse, & Romæ quoque in arcubus ex marmore ędificatis fingebantur. Quàm verò conueniens fuerit, vt in templo Salomonis Deo victori erigerentur trophęa; facilè cernet, qui animad-

D uertat, illud templũ Deo victori fuisse ædificatũ. Quẽ admodũ enim Philippus II. Rex Hispaniæ D. Laurẽtio ædificauit augustissimum tẽplum propter victoriam, quã ipsius die festo, & ipsius patrocinio cõsecutus erat: sic etiã templum Salomonis ędificatũ est Deo propter victorias eximias, quas illius ope atque virtute reportauerat Dauid Salomonis pater. Constat hoc ex multis sacrę Scripturæ locis. Vide 1. Paralip. 26. 27. vbi legimus, Dauidem, & principes familiarum, tribunos, & centuriones, & duces exercitus sanctificasse thesauros *de bellis & manubijs præliorum ad instructionem* (id est erectionẽ) *& supellectilem templi Domini.* Et 1. Paral. 29. 11. legimus tribunos & centuriones in Dei templum ędificandum obtulisse plurima auri & argenti talenta, & Dauidem benedixisse Domino coram omni multitudine, atque dixisse, *Tua est Domine magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria, & tibi laus.* Ergo ma-

Num Booz & Iachin co ũnã aliquam templi siue ædificij partem sustinuerint.

Duarum tẽpli columnarum longitudo & crassitudo.

Booz & Iachin ad trophæa erigenda videri extructas.

Trophæa olim in loco etiam à pugna ipsa disiuncto erigi solita.

Quare in Salomonis templo trophæa fuerint erecta.

Digitized by Google

nifestum est illud templum propriè fuisse ædificatum Deo victori propter victorias Dauidi concessas.

Quorsum templi Salomonici parietes & valuæ palmis & Cherubinis fuerint ornatæ.

Hinc est, vt eius templi parietes & valuæ omni ex parte Cherubinis & palmis ornata fuerint atque distincta. Cherubini enim (hoc est, iuuenes alati) victoriarum imagines sunt: vt facilè concedet, qui nouerit eiusmodi figuram semper à Græcis atque Romanis Victoriæ esse tributam; id quod ex innumeris, quę extant hodie, antiquis sculpturis & numismatibus, euidentissimum est. Ethnicos autem eiusmodi simulacra ad imitationem Salomonici templi effinxisse, expressè affirmatur 1. Machab. 3. 48. *Expanderunt libros legis, de quibus scrutabantur Gentes similitudinem simulacrorum suorũ.* Vide ibi Serarium, & quæ adducit ex Clemente Alexandrino, atque Hieronymo. Quòd autem simulacrum Victoriæ effingeretur, alterâ manu palmæ, alterâ oleæ ramum præferens; id etiam ex eodem templo videtur deriuatum; quia in eo erat frequens palmarum & oliuæ frondium imitatio. Et palmarum præsertim symbolum ad victoriam ex eodem templo omnino videtur desumptum. Nam Cherubini ipsi (siue victoriæ) inter palmas in parietibus & portis cernebantur. Et in sacra Scriptura palmam ad victoriæ significationem referri, expressè docent Origenes, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Hesychius & Rupertus. Cùm autem constet palmã oriundam esse ex Iudęa atque Phœnicia (& propterea in antiquis numismatis, vbi Iudæa effingitur, palmam veluti notam, & insigne addi) dubitari non debet, quin ex templo Salomonis desumptum sit; vt palma pro victoriæ symbolo ponatur ab Ethnicis, atque vt in certaminibus palma esset victoriæ signum. Et deinde frequentissimus vsus est palmæ pro victoria; vt constat ex Gellio, Plinio, Plutarcho, Cicerone, Virgilio, Terentio, Horatio, Ouidio, Tibullo, & denique ex omni antiquitate. Vide Pierium lib. 50. vbi de palma. Cuius rei, quia lippis etiam & tonsoribus (quod aiunt) nota est, exemplis supersedeo.

Ethnicos Victoriæ simulacrum ac figuram ex Salomonici templi Cherubinis fuisse mutuatos.

Palma victoriæ symbolum.

Iudæa palmis abundasse præ cæteris regionibus.

Cùm ergo constet, Salomonicum templum Deo, quatenus victori, ædificatum esse, vt parietes ipsi clamant; quid aptius, quàm vt in templo Dei victoris, eiusdem trophæa viserentur? & ad trophæa quid congruentius, quàm miranda illa crassitudo columnarum ex ære, quæ non ad sustinendum ædificium, sed ad designandas victorias Dauidi concessas erectæ sunt? Sed dices, Si columnæ illæ trophæa erant, vbi exuuiæ hostium, vbi tela trunca, vbi clypei perfossi? eiusmodi enim spolia in trophæis figi solita discimus ex Virgilio lib. 11. Respondeo, multò elegantius & significantius fuisse sculptam speciosam illam malorum punicorum multitudinem quæ in capitelli formam supra columnas æreas posita sunt. De numero malorum punicorũ videntur prima facie discrepare sacræ Scripturæ loci; quia Ieremiæ 52. 23 legimus, *malogranata 96. dependentia, & omnia malogranata centum.* Et sic etiam 2. Paral. 3. 16. At 3. Reg 7. 20. legimus, *ducentos ordines malogranatorum*, & 3 Reg. 4. 42. & 2. Paral. 13. expressa sunt *malogranata quadringenta.* De cõcordia horum locorum videndus noster Villalpandus; qui omnia egregiè cõciliauit. Sed pergamus vlteriùs, & explicemus, quorsum tot mala punica super trophæa victoriarum Dauidis? Ad hoc ergo aduertendum est, earum omnium victoriarum fructum fuisse, maximam imperij Dauidis dilatationem, innumeris populis (qui prius erant Israëlis inimici) ipsius ditioni subiectis, & potentiam veri Dei agnoscere coactis. Cùm verò malum punicum sit egregium vnius vrbis, siue etiam regni symbolum (vt videbimus in notatione ad commẽtarium libri Canticorum) nihil potuit magnificentius & gloriosius in trophæis supradictis collocari, quàm miranda illa malorum granatorum species, quæ elegantissimè significarent triumphum de quàm plurimis vrbibus, atque etiam regnis Dauidi à Deo subiectis: Dauidis item gratum animum; qui, vt Deo victoriam acceptam referret, Deo ipsi trophæa erigi iussit, & ingentis earum vrbium multitudinis symbola capitellorum loco in trophæis collocari.

Quomodo trophæa in templi columnis fuerint expressa.

Cur malogranata in columnarũ capitellis efficta.

In qua capitelli parte fuerint malogranata expressa.

Suprà dicta malogranata constituit Villalpandus in capitello tertio (tria enim ille capitella singulis tribuit columnis; ego tamen malogranata in circuitu capitelli secundi fuisse non dubito, quia hæc sunt sacræ Scripturæ verba, 3. Reg. 7. 11. *Malogranatorum ducenti ordines in circuitu capitelli secundi.* Neque vnquam meminit sacra Scriptura capitelli tertij

Lilia quomodo in capitellis figurata.

Præterea formam lilij Villalpandus considerat in capitello primo, mihi vtrumque capitellum ad imitationem lilij factum fuisse videtur. Quia 3. Reg. 7. 19. legitur; *Capitella, quæ erãt super capita columnarum, quasi opere lilij fabricata erant.* Vbi manifestè est sermo de capitello primo, quia sequitur, *Et rursum alia capitella in summitate columnarum*, &c. Quòd autem capitellum etiam vltimum (in quo erant mala punica) in formam lilij desierit, probatur, quia post descriptionem capitelli secundi, in fine adijcitur; *Et super capita columnarum opus in modum lily posuit: perfectúmque est opus columnarum.*

In coniunctione malogranatorum & lilij, non desunt, qui existimeot respici ad significationem Martyrum & Virginum. Verum etsi flores malorum granatorum rectè appellentur flores Martyrum (vt dicemus in notat. ad cap. 8. Canticorum) ipsa tamen malogranata vrbium potiùs symbola sunt; neque aliter vnquam accipiũtur, vt notat Hieronymus. Lilia verò licèt à plerisque existimentur esse virginitatis symbolum; constat tamen in sacra Scriptura omnino referri ad glorioſæ exaltationis significationem, vt copiosè disputabimus in notat. ad lib. Canticorum. His itacõstitutis, apparet formam lilij, & malorum punicorum imagines elegantissimè fuisse coniuncta in trophæis erectis Deo victori ob victorias Dauidi concessas, & dilatatũ eius imperium. Quia multis vrbibus gloriosè deuictis & suo imperio subiectis, mirificè exaltata est Israëlis gloria. Et cùm ad hanc significationem erecta fuerint Deo victori trophæa; facilè cernitur aptissimè id excogitatum fuisse ad illarum columnarum decus & ornamentum.

Malogranata vrbium symbola.

Lilia exaltationis symbolum.

Cur lilia cum malogranatis in templi columnis fuerint cõmixta.

De trophæis consultò omitto ea, quæ humaniorũ litterarum studiosi congerunt. Ex sacris noto columnas illas, quæ in sepulchro Machabæorũ erectæ sunt, & super eas arma, omnino fuisse trophæa. Vide 1. Machab. 13. 29. ex quo loco intelligitur non alienũ à Dei populo, vt ad trophæa columnæ erigerentur. Intellectâ verò significatione liliorum & malorum punicorum; nemo negauerit, duas illas columnas æreas appositè ad eam cogitationem erectas fuisse. Atque vbi semel animaduertatur illas esse trophæa, statim appareat, quàm sit violentum eas velle ad Corinthiam proportionem reuocare, & aliud onus ædificij eis imponere; præter capitella, quæ liliorum & malogranatorum speciem repræsentant.

Columnæ in Machabæorũ sepulchro erectæ trophæa fuisse.

Concedatur etiam Hispalensi, vt suspicari liceat, Herculis columnas trophæa fuisse. Cùm verò Herculis fama plusquàm 200. annos Salomonis ætatem antecesserit (iuxta Eusebij Chronicon) & illius columnarum (id est trophæorum) fama mundum compleuerit; verisimile est Herculis columnas non fuisse magis ignotas Salomonis tempore Hebræis, quàm modò sunt Hispanis. Si ergo nostra ætate in symbolo columnarum, quod Hispani Reges vsurpant cum eo titulo (*Plus vltra*) respectum est sine dubio ad Herculis columnas; quid mirum simili allusione erexisse Salomonem excellentiores columnas Deo propter victorias Dauidi concessas? Certè hanc coniecturam nonnihil iuuat binarius ipse columnarum, qui binario respondere videtur.

Herculis columnas multo ante Salomonis ætatem fuisse erectas.

Plus vltra in Hispanorum Regum stemmatis ab Herculis columnis vsurpatum.

Vtcunque hoc sit; prædicta victoriarum Dauidis significatio in templo Salomonis considerari debet veluti cortex, sub quo nucleus suauissimus latet, id est, significatio victoriarum Christi & Ecclesiæ Christianæ. Quia *omnia in figura contingebant illis.* Et quemadmodum prophetæ, dum Iudaica tangunt, Christiana respiciunt; ita etiam templum illud, & omnia ipsius ornamenta, dum Dauidica repræsentare videbantur, ad Christiana potissimùm respiciebant. Quòd si in duabus illis columnis respectum fortasse est ad famã de Herculis columnis toto terrarum orbe celebratis; id quoque ipsum Christi mysteriis deseruit optimè. Christus enim est verus Alexicacos, & Anexicacos, id

Victoriæ Dauidis fuisse figuram victoriarũ Christi & Ecclesiæ.

est,

Digitized by Google

est, malorum tolerator atque depulsor, & Christus est, qui in templo Dei, id est, in Ecclesia Christiana, Deo victori columnas siue trophæa gloriosissima erexit. Et multitudo illa malorum punicorũ aptissimè designat innumeras vrbes, & quàm plurima regna, Christi virtute fidei Christianæ subiecta.

Quid per duas templi columnas figuretur.

In hac verò arcana significatione, quam Spiritus sanctus præcipuè spectabat, elegantissima est duarum columnarum distinctio. In Christi enim & Ecclesiæ Christianæ victoriis, excellentia sanctitatis vnà cum sapientiæ excellentia mirum in modum effulgent; atque ad has duas excellentias vniuersæ Christianæ Ecclesiæ gloria reuocatur: quarum altera locupletat intellectum; altera beat voluntatem. Ad hanc eandem sapientiæ cum sanctitate coniunctionem, sæpè alias in sacra Scriptura duplicantur symbola; vt in libro Canticorum, *Vinum & amplexus, palma & vitis, hortus & fons*; in Zacharia, *corona aurea & argentea*; *Zorobabel & Iesus*; in transfiguratione, *Moyses & Elias*; de quibus etiam dicemus in duobus testibus Apocal. 11. Sed ne tam citò ex templo Salomonis egrediamur; ad eandem omnino rationem referendum est, quòd mensa & candelabrum sibi mutuo respondeant; & quòd Cherubini semper bini effingantur. Ex quo non defuit, qui suspicaretur, in illo veluti coniugio, alterum Cherubinum masculâ specie, & alterum fœmineâ fuisse efformatos. Et quidem si commentum hoc probabili aliqua posset coniectura stabiliri, non malè cohærebat cum sanctitatis & sapientiæ coniugio; & facile erat statuere, vtri aptiùs virilis forma esset tribuenda; & qua ratione intelligi debeat mas fœminam fœcundare; & quæ sit huius mystici cõiugij procreatio. Vanum tamen est allegoriam cogitare, vbi fundamentum non extat. Et verò, ad perfectionem victoriæ Christi, id est ad perfectionem sanctitatis & sapientiæ, quæ in Ecclesia Christiana effulgent, multò aptius fuit vtriq; Cherubino virilem tribuere figuram, (sicut Romana Ecclesia in filio masculo matris Sion repræsentatur Apocal. 12.) Et facit, quòd sicut in vero Dei cultu duo Cherubini masculi denotant excellentiam sapientiæ & sanctitatis; ita in vano idolorum cultu duæ mulieres alatæ (quæ cum duobus Cherubinis procul dubio cõparantur) impietatis amphoram attollunt, & eam in Babylonem deferunt, vt ibi in templo colatur. Istæ verò mulieres vanam sanctitatis speciem, & falsam sapientiæ vmbram aptissimè denotant. Sicut enim perfectio in specie virili, ita imperfectio in fœminea designatur. Sed de hoc dicemus plenius Zachariæ cap. 5. Interim satis sit in masculorum Cherubinorum iugo siue binario designari perfectionem veræ sapientiæ & sanctitatis: in illis autem mulieribus imperfectionem adumbratæ sanctitatis & sapientiæ.

Varia sanctitatis & sapientiæ symbola.

Virum templi Cherubini mas & fœmina fuerint.

Duæ mulieres amphoram portantes apud Zachar. quid significent.

Quòd autem perfectioni sanctitatis & sapientiæ egregiè deseruiat duarum columnarum symbolum, facilè ostenditur ex verbis Pauli, 1. Timoth. 3. 15. vbi Ecclesiam appellat *columnam & firmamentum veritatis*, id est, veræ doctrinæ & veræ sanctitatis: vtraque enim appellatur veritas in sacræ Scripturæ phrasi. Prætereà ad Galat. 2. 9. de Petro, Iacobo & Ioanne agens Paulus ait; *Qui videbantur columna esse*, scilicet propter excellentiam sanctitatis atque doctrinæ. Quid ergo aptius in duarum columnarum ærearum distinctione, quàm vt altera ad sapientiã, altera ad sanctitatem referantur.

Sed dicat aliquis; Si hæ duæ excellẽtiæ figuratæ sunt in duobus Cherubinis & in coniunctione candelabri cum mensa; coactum videtur, vt ad eandem significationem aliud etiam symbolum adijciatur. Respondeo aptissimum fuisse, vt par illud nobile virtutum & in porticu, & in templo, & in adyto sanctissimo, varijs in symbolis effulgeret: nimirum quia sanctitatem & sapientiam Ecclesiæ Christianæ & catechumeni quasi in porticu admirantur; & fideles veluti in templo vtilissimè obseruant; & viri spirituales, qui ad interiora velaminis penetrasse videntur, in gigantæis Cherubinis omni ex parte perfectis summa cum voluptate contemplantur. Sed de candelabro ac mensa, & de in-

Cur tot fuerint sanctitatis & sapientiæ symbola in Salomonis templo.

A gentibus Cherubinis alias. Nunc ad columnas reuertamur.

Duarum columnarum templi firmitas ac robur.

Atque in eis primùm firmitatem & robur egregiè repræsentat miranda crassitudo 4 ferè, vt diximus, cubitorum hebraicorum. Licèt enim mensura hæc non excedat mensuram quinque Romanorum pedum (vt *infra* probabimus in dimensione calami hebraici ad cap. 21. Apoc.) ea tamen mensura satis est ad stupendã columnæ præsertim æreæ crassitudinem. Accedit, quòd *grossitudo aris quatuor digitorum erat*, Ieremiæ 52. 21. Et quòd intus essent cauæ, forsasse ad spiritum sanctitatis & sapientiæ Christianæ referendum est; sicut aurum, quo erant inauratæ.

Deinde non est nouum, illas duas columnas de sanctitate & sapientia interpretari; quia communis explicatio, (Bedæ de templo c. 16. Angelomi 3. Reg. 7.) eas de prædicatoribus Euangelij exponit; atque vt cohæreat binarius, nihil aptius, quàm alteram doctrinæ, alteram sanctitati ministrorum Euangelij tribuere.

B Quadrat verò optimè, vt hę duæ comitentur templi valuas: sic enim denotant eos, qui Euangelij prædicatione auditâ in templum Dei, id est in Ecclesiam, ingrediuntur, ante ingressum fuisse admiratos prædicatorum sanctitatem atque doctrinam. Certè si quis in eis columnis assereret designari Petrum & Paulum Ecclesiæ Romanæ columnas, nemini posset ea expositio displicere. Quantò ergo plenius est, vt significatio sit generalis, & ad omnes Apostolicos concionatores extẽdatur, imò verò ad doctrinã & sanctitatẽ Ecclesiæ & prædicatorum eius? Sic sanè quadrabat optimè iis columnis id Ps. 74. 4. *Ego confirmaui columnas eius.* Et qui sapientiam, id est, religionem Christianam ducit vxorem; ad hac columnas securè recumbit, iuxta id Ecclesiastici 36. 26. *Mulier bona columna, vt requies.*

Cur duæ columnæ ad templi valuas positæ.

Nomina harum columnarum erant *Booz*, id est, *in fortitudine*, & *Iachin*, quod est, *præparabit.* Erat autẽ Iachin ad dexteram, & Booz ad sinistram respectu portę tẽpli. Ac præterquam quòd nemo dexterã negabit sanctitati; si altera erat sanctitatis, & altera sapientiæ symbolum; ipsa etiam nominum distinctio eò nos ducit.

Etymon nominum Booz & Iachin.

C Quia nomen illud *Booz* (id est, *in fortitudine*) quadrat optimè instrumento: quemadmodum etiam *Iachin* efficaciam affirmat in effectu. In prædicatione autem Euangelij, quis non videat sapientiam esse veluti instrumentum; sanctitatem verò esse eam, quæ verbo tribuit efficaciam?

Ex dictis colligo in Apocalypsi cùm dicitur, *faciam illum columnam in templo Dei mei*, singillatim respici ad columnam Iachin. Quanuis columnæ nomen & allegoria possit & ad sanctitatem & ad sapientiam referri; cùm tamen per allusionem ad illas columnas in singulari dicitur, *faciam illum columnam*, cõmodè accipitur de vna illarũ. cumque virtuti modicæ propriè aspirandũ esset ad virtutem & sanctitatẽ robustã; (cuius symbolũ singillatim erat Iachin) nihil conueniẽtius, quàm vt ad eam singulariter respectũ esse intelligamus. Habet autem procul dubio energiam allusio ad columnas illas, quæ erant in porticu, vt cogitemus virtutem, quæ vincenti promittitur in hac epistola,

Ad vtrũ horum columnarum fiat potissimùm allusio in Apocalyps.

Cur columnæ in porticu templi fuerint.

D eiusmodi esse, vt admirationi futura sit nõ solùm fidelibus, qui in Ecclesiam ingressi sunt; sed infidelibus etiam, qui propiùs accedunt, & ad sanctitatem gentis Christianæ considerandam aduertunt animos.

Continet etiam hæc allusio respectum ad mala punica & ad lilij formam in capitellis: ex quibus innuitur, in hac epistola vincenti promitti eiusmodi sanctitatem, quæ cum magna Christiani nominis exaltatione, non vnam aut alteram vrbem solùm ad Christum conuertit, sed plurimas vrbes & regna aliquot Euangelicæ prædicationis efficaciâ Christianæ religioni subiecerit. Et meritò mala punica (id est, Gentes ad Christum conuersæ) columnam ipsam coronare videntur. Quia *corona senum filij filiorum*: & spirituales filij prædicatoris Euangelici, qui eos conuertit, meritò dicuntur esse gaudium atque corona, vt loquitur Paulus.

Digitized by Google

NOTATIO II.

Ad illa verba, Scribam super eum nomen ciuitatis nouæ: *vbi explicatur, cur Ezechiel viderit templum multis passuum milliaribus distare à ciuitate noua.*

IN contextu videtur opus esse, vt templum, de quo est sermo, sit intra ciuitatem. Dicitur enim; *Faciam illum columnam in templo Dei mei; & scribam super eum nomen ciuitatis.* Ex quibus constat columnam, de qua agitur, esse ornamentum templi & ciuitatis. Si verò templum longè distet à ciuitate, videtur fieri non posse, vt columna, quæ in templo est, sit etiam ciuitatis ornamentum. Certè quamuis in materiali Hierosolyma templum, quod ædificauit Salomon, vrbis illius fuerit summum decus & ornamentum; sed in templo mystico & ciuitate mystica, de quibus est sermo, videtur longè aliter res habere. Quia in Ezechielis prophetia, postquàm cap. 40. & sequentibus descriptum est templum cum suis atriis; tandem cap. 45. & 48. ad descriptionem ciuitatis deuenitur. Et ex ea descriptione manifestè constat templum à ciuitate distare 15. calamorum millia, (quod est plusquàm 22. millia passuum Romanorum.) Quia illa portio terræ, quæ separatur & sanctificatur in primitias Domini, habet à Septentrione ad Austrum latitudinem 25. millium calamorum, diuiditurque in tres partes: quarum prima ad Septentrionem habet latitudinem decies mille calamorum, & hæc est pars sacerdotum; secunda similiter decem millium calamorum assignatur Leuitis; & tertia ad Austrum (cui remanent quinque millia calamorum latitudinis) est locus ciuitatis. Templum autem expressè asseritur esse in medio partis sacerdotalis, atque adeò inter ciuitatem & templum interijcitur tota latitudo partis Leuiticæ, (quæ est decem millium calamorum) & dimidium latitudinis partis sacerdotalis, id est, quinque calamorum millia. Et quoniam ex his quinque calamorum millibus detrahenda est dimidia pars latitudinis Sanctuarij, id est, calami 250. hæc eadem calamorum mensura adijcitur distantiæ ex quinque calamorum millibus, quæ ciuitati dicata erant; quia latitudini ciuitatis tribuuntur non ampliùs quatuor millia & quingenti calami, atque ita remanent ex vtrâque parte 250 calami. Ex quo facile est animaduertere, ciuitatem ab ædificio templi distare integra quindecim millia calamorum. Quæ distantia iuxta meam calami hebraici dimensionem, eadem ferè est cum ea, quæ reperitur inter cœnobium S. Laurentij ad Scuriale, & vrbem regiam Madritum, quæ sunt plusquàm viginti duo passuum milliaria.

Templi apud Ezechielem quàm longè à ciuitate distet.

Vtrùm Ezechiel in ea vrbis descriptione, quã tradit, agat de Hierosolyma?

Dicat tamen aliquis, Ezechielem in ea descriptione vrbis, quam vidit à templo adeò distantem, non agere de Hierosolyma. Et facit, quòd nomen illius vrbis est longè aliud, nempe *Dominus ibidem*, vt habetur Ezech. 48 35. Verùm hoc non satisfacit. Nec enim dubium, quin visio Ezechielis non conformetur materiatæ Hierosolymæ, & materiati templi distantiæ, quam vnquam habuerant vel habitura erant. Visio enim illa ad mysticam omnino ciuitatis & templi reædificationem, quæ tempore legis Euangelicæ futura erat, referenda est. atque id nonnihil facessit, cur scilicet in visione mystica adeò distinguuntur ea, quæ in materiatis ædificiis neque fuerant, neque futura erant disiuncta. Et quamuis meritò dicatur ciuitatis nomen futurum deinceps, *Dominus ibidem*; sed ad aliam materiatam ciuitatem ab Hierosolyma diuersam, respectum fuisse à Propheta dici non potest. Quia numquam templum Iudaicum fuit, neque futurum erat ab omni vrbe separatum, quemadmodum ab Ezechiele describitur; neque vnquam in ea distantia à templo ædificanda erat vlla vrbs materiata, qualem propheta videtur describere, cum illis duodecim portis a duodecim tribubus Israël ædificatis. Quare, si ad aliquam vrbem respexit, manifestum est, eam esse Hierosolymam; sicut in templi descriptione respexit ad Salomonicum. Additis tamen & in templo & in vrbe iis, quæ ad perfectam ex omni parte ædificationem & architecturæ complementum conuenire visa sunt; & separatis inter se tẽplo & vrbe, alicuius mysterij causâ.

Ezechielem in sua vrbe ac templi descriptione ad Hierosolymam ac templum respexisse.

His animaduersis, meo iudicio facilè persuadetur animus, nulla ratione opus esse, vt ædificium illud, quod describit Ezechiel cap. 40. & seqq. omnino conformetur cum antiquo Salomonis ædificio. Etenim licèt descriptio ipsa & respectus ad Salomonis ædificium manifestè postulent, vt intelligamus Ezechielis visionem in multis conuenire cum antiquo Salomonis templo, & cum atriis vel antiquis, vel saltem iis, quæ posteà ædificata, & tandem à Tito diruta sunt; nihilominùs tamen cùm manifestè constet Prophetam, licèt Iudaica tangat, Christiana respicere; frustra laborat omnino, qui contendit Ezechielis visionem cum materiato ædificio debere prorsus conformari. Quemadmodum enim in separatione templi à ciuitate id describit Propheta, quod nisi ad spirituale ædificium referatur, fabulosum esset omnino; ita nullum est inconueniens, vt in atriorum perfectione & maiestate, in æquabili totius ædificij architectura, plurima addantur in mystico ædificio, quæ in corporato prorsus deerant. Sicut etiam in vrbis æquabilitate, magnitudine, & portarum numero, & proportione valdè coactum est & minimè necessarium, velle visionem in omnibus, vrbi antiquæ Hierosolymæ conformari.

Num Ezechielis ædificium cum antiquo Salomonis omnino conformetur?

Imò verò non solùm id non est necessarium, sed potiùs fuisset inconueniens. Quemadmodum enim, vt constaret Iudaica tangi, & ad figuras antiquas alludi; necessarium fuit, vt in multis prophetica visio manifestè describeret ea ipsa, quæ Iudæis nota erant; ita etiam maximè oportuit discrepantia adijcere, & cum historia minimè cohærentia: tum vt liquidò constaret prophetiam longè aliò respicere, quàm primo aspectu videbatur; tum vt ipsa rerum differentia aptissimè deseruiret significandæ rerum Christianarum præstantiæ, si cum Iudaicis conferantur. Quare qui anxiè disquirunt rationem aliquam, per quam possint ostendere descriptionem propheticam à veritate Iudaica nulla ratione diserepare, id est, nihil adijci a Propheta, quod in antiquo ædificio defuerit: næ illi, dum se sacræ Scripturæ illustrandæ operam nauare putant, id omittunt, in quo elegantia Christianorum ingenia exerceri multò magis esset optandum, & sacræ Scripturæ intelligentiæ multò etiam vtilius; nempe in ostendendis differentiis inter Iudaicam historiam & visionem propheticam, & in reddenda sapienti differentiarum ratione ex præstantia eorum, quæ Prophetæ respiciebant, id est, rerum Christianarum.

Ezechielis & Salomonis ædificia non omnino inter se congruere, idq; mysterij causâ.

Et certè miror, eos alioqui prudentes & valdè doctos, non animaduertere in nonnullis adeò esse apertam differentiam, & adeò magnam; vt neque obscurari, neque ad concordiam vlla ratione reuocari possit. Huiusmodi est distantia inter vrbem & templum, & commutatio sortium Iudæ & Beniamin. Erat enim Beniamin ad Septentrionem respectu templi, Iudas verò ad Austrum. At in visione Ezechielis cap. 48. Beniamin locus est ad Austrum, Iudæ ad Septentrionem. Addo etiam, ibidem ad Austrum collocari Zabulon, & longè alium esse ordinem sortium, quàm secundum historiam vnquam fuerit. Omitto duo-

Impugnantur qui Ezechielis templum cum templo Salomonis prorsus aquiparare contendunt.

Digitized by Google

duodenarium portarum vrbis, & singularum nomina; & omitto etiam ea, quæ in templi ædificio demonstrare possum multò ampliora describi ab Ezechiele, quàm fuerint à Salomone ædificata. Equidem doceri velim ab iis, qui adeò student concordiæ inter visionem & historiam, quo fundamento nitantur, vt sibi persuadeant eam concordiam esse magni momenti ad S. Scripturæ intelligentiam? Pleraque enim discrimina ex iis, quæ commemoraui, adeò sunt manifesta, vt de iis dubitare non possint. Quippe vel vnicum discrimen satis erat vt Theologi animaduerterent, voluisse Spiritum sanctum; vt ex discrimine propheticæ visionis ad historiam, constaret prophetam dum Iudaica videtur tangere, Christiana respicere; atque in ea differentia consistere prudentissimam propheticæ visionis elegantiam. Quid est ergo, quòd hanc differentiam prætereant, & adeò consectentur concordiam? Dicent fortasse, vbi de discrimine non constat euidenter; ex euidenti conuenientia multorum quæ narrat propheta cum historia, rectè colligi in ceteris quoque similiter esse intelligendum, prophetiam cum historia conformari; atque adeò, cum plurimæ ex mensuris templi, quas notat Ezechiel, sint eædem cum iis, quas legimus lib. 3. Reg. de ceteris quoque similiter esse sentiendum. Verùm hæc coniectura vana est. Constat enim elegantissimum fuisse, vt comparatâ visione propheticâ cum historia, multæ essent conuenientiæ, multæ etiam differentiæ: ergo vbi de conuenientia non constat, non est cur magis suspicemur conuenientiam, quàm differentiam. quemadmodum ergo illi, nescio qua ducti ratione, ad conuenientiam inclinant; sic ego propendeo ad obseruandas differentias inter prophetiam & historiam. Quia in his maximè elucet rerum Christianarum præstantia, & elegantissima sacræ Scripturæ prudentia atque maiestas. Ac licèt in hac obseruatione videar nonnihil à quibusdam doctis & amicis dissentire; censeo tamen, debuisse me in hac re meam explicare sententiam, vt sacræ Scripturæ studiosis proponerem considerandum & expendendum id, quod magni momenti esse iudico ad Prophetarum intelligentiam.

Vrbis Ezechieli visa sanctitas maior quàm Hierosolyma.

His in vniuersum dictis, ad distantiam illam templi à noua ciuitate redeo. Quæ sanè distantia & separatio eò est magis admiranda, quò maior est nouæ ciuitatis sanctitas; quam vel ex nomine, quod ei propheta tribuit, obseruare licet. Sic enim concludit: *Nomen ciuitatis ex illa die, Dominus ibidem.* Adhæc, si noua illa ciuitas est Ecclesia Christiana; & templum Dei, ipsius cultum & venerationem repræsentat; valdè mirum est, quòd templum ab vrbe separetur itinere diei vnius; cùm non possit esse verus Dei cultus extra Christianam Ecclesiam Id quod confirmatur ex Apocalypsi, vbi procul dubio templum Dei est in ipsa noua ciuitate. Quia columna, quæ est in templo, dicitur esse ornamentum ciuitatis; sic enim habet textus cap. 3. 12. *Faciam illum columnam in templo, & scribam super eum nomen ciuitatis noua.*

Respondeo tamen aliquando templum accipi pro ipsis fidelibus; & sic accipit manifestè Paulus 1. Corinth. 3. 17. & cap. 6. 19. & 2. Cor. 6. 16. in eo autem sensu omnino videbatur templum intra ciuitatem collocandum. imò verò eadem est significatio templi & ciuitatis. Sed non accipitur in eo sensu apud Ezechielem. Quamuis enim non sit dissentaneum, vt in figura & repræsentatione foris sit, quod re ipsa intus est (vt si duæ sorores depingantur adstantes diuinæ prouidentiæ, nempe iustitia & misericordia; quæ re vera insunt, non adstant, Deo: sicut è conuerso diuersa Ecclesiæ symbola erant candelabrum, templum & vrbs Hierosolyma, primum inclusum in secundo, & secundum in tertio; neque tamen hæc distinctio, siue inclusio in re significata reperitur) non tamen est verisimile sine mysterio in visione Ezechielis fuisse templum separatum à ciuitate itinere diei vnius, cum materiatum templum esset intra vrbem ipsam. Neque video qua ratione deseruire possit illa separatio alicui mysterio, si eadem sit templi & vrbis significatio in illa visione.

Templũ apud Ezechielem à ciuitate seiunctum; nec sine mysterio.

Dicam ergo, quod mihi in mentem venit consideranti visionem illam Ezechielis. Vniuersa terra sancta in suas tribus distributa Ecclesiam Christianam adumbrat, & omnes illius filios comprehendit. Noua illa vrbs Roma est totius Ecclesiæ caput, fideliumque metropolis, & quam matrem agnoscunt tribus omnes: ac propterea ad tribus omnes spectat portarum illius ædificatio. Templum verò illud, quod visum est à ciuitate separatum, religiosæ vitæ professionem eleganter adumbrat. Primùm enim quamuis meritò fidelibus omnibus templi symbolum conueniat, propter communem veri Dei cultum; meritò tamen speciali ratione religiosæ vitæ & professioni à Spiritu sancto accõmodatur templi figura: eâdem ratione, qua religionis nomen prius generatim Christianæ religioni, atque adeò fidelibus omnibus commune est, & deinde singillatim religiosis Ordinibus accommodatur, qui se totos Dei cultui & venerationi specialiter deuouent. Adhæc, separatio illa templi à ciuitate aptissimè deseruit separationi, quam religiosa vita profitetur, à fidelibus ceteris, & ab ipsa etiam Romana vrbe, cuius verissimum nomen est *Dominus ibidem*, scilicet in suo Vicario, quem vt Christi vices gerentem in terris fideles omnes veneramur. Licèt enim nulli magis se promptos & obedientes Romano Pontifici præstent, quàm Ordines religiosi, ad eam ipsam tamen obedientiæ excellentiam, & diuini cultus præstantiam mirificè conducit separatio illa, quam vita religiosa profitetur. Accedit, quòd separationis nomen pro deuotione & consecratione in Dei cultum & obsequium, phrasis est, sæpè in sacra Scriptura repetita. Neque verò in vniuersum opus est, vt re ipsa separatio fiat longinquitate loci (quamuis nonnulli sint Ordines religiosi, qui aliquam eiusmodi separationis formam sanctissimè obseruant:) sed in religiosæ vitæ professione, & votis monasticis, Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ: & denique in affectibus à sæculari vita separatis, & Deo consecratis consistit religiosa separatio: ad quam significandam aptissima fuit distantia illa, & longinquitas loci, quæ in visione prophetica repræsentata est.

Terra sancta in tribus diuisa apud Ezechielem quid adumbret.

Quæ sit illa Ezechielis ciuitas.

Quid significet templum Ezechieli visum.

Separatio templi à ciuitate apud Ezech. quid significet.

Separationis nomen interdum pro deuotione & cõsecratione diuino cultui in sacris accipi.

Hac ratione vniuersa illa templi architectura, quam adeò distinctè narrat Ezechiel (capite 40. & seqq.) ad vitæ religiosæ laudem spectat: nouæ autem vrbis descriptio ad Romanæ Ecclesiæ principatum. Nostram hanc explicationem valdè confirmat, quòd hæc duo dignissima sint, quæ in sacræ Scripturæ prophetiis non solum non prætermittantur, sed etiam veluti præcipuæ christianissimi partes (cuiusmodi in corpore humano sunt cor & caput) attentiori cura à vatibus sacris considerentur. Certè qui admirandam Ecclesiæ Romanæ magnitudinem à Deo præuisam & præordinatam digna æstimatione perpendunt, & qui non dubitant religiosorum Ordinum pulchritudinem splendidissimam esse Christianæ gloriæ partem, & magnas Christi delicias; facile sibi persuadebunt non esse verisimile, quin duæ illæ tam nobiles Christianæ historiæ partes pluribus in locis a sacris vatibus descriptæ sint. Neque dubito, quin viris doctis & Christianâ pietate imbutis futurus sit gratissimus eorum labor, qui diligenti studio in antiquis prophetiis requirunt graue & solidum de duabus illis rebus testimonium. Nonnullos id vehementer optasse certò scio: quorum votis spero me aliqua ex parte satisfacturum in explicatione Apocalypseos, & eorum locorum, ad quos in sacro hoc libro alluditur, & præcipuè in Cantici Canticorum commentario.

In hoc autem genere existimo non esse contemnendum quod hic obiter perstrinxi ex libro Ezechielis Illam enim templi & vrbis visionem ad Ecclesiam Christianam spectare, cæcus sit qui non videat. Hoc verò stabilito, quis poterit ite inficias, quin vrbs illa, quam describit Ezechiel, designata sit tanquam noua Israëlis metropolis? Et quantumuis fremant siue etiam rumpantur hæretici; si necessariò fatendum est, certam quandam vrbem ab Ezechiele designari, quæ futura erat totius noui populi Israëlis metropolis, id est, Christianæ gentis caput; quam aliam nisi Romam vel ipsi hæretici notare poterunt, ad quam ea gloria possit verisimili aliqua specie pertinere? Si verò templum & ædificium separatum necesse est vt gentem aliquam adumbret,

Digitized by Google

umbret,religionis ergò separatam,& Dei obsequio penitus consecratam;quis erit, qui aliqua aptiori applicatione religiosos Ordines valeat ab eo templo excludere; cuius possessionem illis tribuit ipsa separationis veritas,& visionis cum veritate proportio?

Quòd igitur plusquam viginti milliaria passuum visum sit templum illud ab vrbe separatum, valdè congruit; vt Religiosi cùm alicuius negotij causa vrbẽ adire,ideſt,à religiosis domibus egredi, & cum sæcularibus conuersari coguntur; animaduertant opus esse, quàm breuissimè se expedire, & diligenter ad claustra reuerti;vt eos tenebræ non comprehendant. Sanè vbi domus vrbi propinqua est, facili de causa ire & redire contingit;neque vllum periculum imminere videtur, quòd quis non anxiè curet quàm primùm se expedire, antequam inclinetur dies: vbi autem multa passuum milliaria abest ab vrbe domus, non est prudentis leui ex causa de vrbe adeunda cogitare,neque cùm ire coactus est,plus immorari,quàm erat necesse.

His indicatis,suspicor iam facilè fore sacræ Scripturæ studioso,aptam explicando rationem reddere aliorum discriminum,quæ in illa Ezechielis visione notari possunt;si cum Iudaica historia conferatur.Illud solùm attingam,quod suprà notaui de Beniamini sorte commutata. Quis nesciat tribum Beniamini fuisse minimã? & quis non videat minimæ tribus nomen aptissimum esse ad humiles designandos?Iam verò Austrialem partem,respectu templi,dexteram fuisse cõpertumest;quia templum ad orientem solem respiciebat. Quid ergo aliud erit Beniamino,qui erat ad sinistram,concedi dexteram; nisi illud ipsum, quod disertè Christus asseruit, *Qui se humiliat exaltabitur?* Matth.23.12. Ille enim verè Beniaminus est(quod est dicere *filius dextera*) qui propterea dexteram meretur,quòd in suis oculis minimus est, & meliorem fratri concedebat locum.

Videbor fortasse alicui à proposito diuertisse. Redeo igitur ad conciliandum Apocalypseos locum cum visione Ezechielis; & dico, Ioannem aptissimè considerasse templum intra ipsam ciuitatem nouam,id est, verum Dei cultum in Ecclesia Christiana:& propterea in Apocalypsi columna templi aptissimè concipitur, tanquam decus & ornamentum vrbis. Hoc verò non impedit quin appositè etiam Ezechieli ostensum sit templum quoddam pulcherrimum plusquàm viginti passuum milliaribus ab vrbe disiunctum, vt religiosæ vitæ separationem repræsentaret ab ipsa etiam Romana curia & vrbe: non quòd Pontifici Romano minùs subiecti sint atque deuoti; sed quòd separatio illa religiosæ vitæ sanctitatem aptissimè adumbret, per quam tamen Religiosi Romanæ ipsi Ecclesiæ maiori sunt decori & ornamento,& ipsius obsequio supra ceteros omnes fideles deuoti & consecrati.

Quare in Ezechielis descriptione sors Beniamini commutetur.

Ezechielis visio cum Apocalypseos loco conciliatur.

CAPITIS III. PARS III.

Quæ est epistola ad Laodicenum,& sub eius persona ad Christianos tepidos.

TEXTVS.

*Vers.*14. ET Angelo Laodiciæ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit: Amen,testis fidelis & verus,qui est principium creaturæ Dei.

15. Scio opera tua,quia neque frigidus es,neque calidus. Vtinam frigidus esses aut calidus!

16. Sed quia tepidus es,& nec frigidus,nec calidus;incipiam te euomere ex ore meo.

17. Quia dicis, Quòd diues sum & locupletatus,& nullius egeo:& nescis, quia tu es miser,& miserabilis,& pauper,& cæcus,& nudus.

18. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias; & vestimentis albis induaris,& non appareat confusio nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos,vt videas.

19. Ego,quos amo,arguo & castigo.Æmulare ergo & pœnitentiam age.

20. Ecce sto ad ostium, & pulso:si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam,intrabo ad illum,& cœnabo cum illo,& ipse mecum.

21. Qui vicerit,dabo ei sedere mecum in throno meo:sicut & ego vici,& sedi cum Patre meo in throno eius.

22. Qui habet aurem,audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

COMMENTARIVS.

VERS.14. Amen' *quid significet.*

HÆC DICIT AMEN]Græcè,ὁ ἀμήν,ex quo patet in præsenti *Amen* esse epitheton,quod Christo tribuitur.Neque nouum hanc dictionem substantiui loco poni; vt patet Isaiæ 65. 16. vbi sic legimus, *In quo* (scilicet Christo)*qui benedictus est, benedicetur in Deo Amen.* vbi ex hebræo manifestum est,*Deum Amen*,construendum esse eodem modo, quo construeretur, si legeremus *Deum veritatis*: quia nomen Dei est in regimine;vt necesse sit,*Amen*,nominaliter accipi.Et notat ibi Forerius, eum Isaiæ locum esse insignem ex veteri testamento pro vera Christi Domini diuinitate. Similiter hîc accipiunt Primasius,Andreas,Beda,& multi.Notant enim ad diuinitatis essentiã referendũ esse adiectiuum *Amen*.Mihi aptius videtur,vt referatur ad veritatẽ eorum,quæ affirmat. Explicationis enim gratia statim adijcitur *testis fidelis & verus*, vt notat Ambrosius;testis autẽ is dicitur, qui aliquid testificatur atque confirmat:& veritas doctrinæ Christo, etiam quà homo est,verissimè conuenit.

Sed

Digitized by Google

A Sed cur Christus in hac epistola potiùs, quàm in ceteris adeò asseuerat se esse fidelissimum, id est, verissimum testem? Quidam suspicantur cœpisse Laodicenum de Christi promissionibus dubitare. Sed non video, cur liceat aliud crimen ei affingere, præter tepôrem, de quo Christus eum reprehendit. Et sæpè tepor contingit sine vlla, non dico, dubitatione eorum, quæ fides docet; sed neque minima Diaboli tentatione circa fidem. Aliter ergo Respondeo; aptissimum esse maiori asseuerationi locum in iis, quæ minùs verisimilia per se videntur; cùm tamen sint verissima & animaduersione dignissima. Negari autem non potest, quin ea quæ in hac epistola continentur, primâ facie minùs verisimilia videantur, quam doctrina aliarum epistolarum. Primùm enim in hac dicitur optabilius esse, vt is qui in Dei obsequio tepidus est, esset prorsus frigidus. Deinde asseritur eum esse pauperem, cæcum, nudum & miserabilem. Denique præmium, quod in hac epistola vincenti promittitur, admirabilius existit, quàm quæ in ceteris legimus: cælestem enim regem adeò fauere pauperi & misero homuncioni, vt eius domum ingredi velit, & cum eo cœnare, eumque postea secum deferre in thronum regium, ac illum secum in eo pariter collocare, hæc verò maiorem afferunt admirationem, quàm ea beneficia, quæ in ceteris epistolis promittuntur.

Cur Christus so Laodiceno potissimùm testem fidelem asseueret

PRINCIPIVM CREATVRÆ DEI] Multi in his verbis ad rerum creationem, vel etiam ad Sanctorum prædestinationem respiciunt. Duo tamen hîc sunt obseruanda; alterum, vt hæc Christi periphrasis (sicut & ceteræ) ex visione capitis primi desumatur, & cohæreat cum sensu illorum verborum, *Principium & finis*: alterum, vt possit reddi apta ratio, cur in hac epistola potiùs, quàm in alia B Christus se appellet *principium*; & cur ex illo superiori elogio *principium & finis*, primam solùm partem hîc vsurpauerit. Propter hæc Ruperti explicationem, qui creaturæ nomen ad nouam creaturam refert, aptissimam iudico. Quam etiam sequuntur Ribera, & Pererius. Et primùm multi sunt noui testamenti loci, in quibus nomen creaturæ eo modo accipiatur pro spiritali atq; diuino sanctitatis opere in animabus hominum, virtute Christi facto, 2. Corint. 5. 17. *Si qua ergo in Christo noua creatura*. Galat. 6 15. Ephes. 6. 10. Coloss. 3. 10. Iacobi 1. 18. Deinde genitiuus ille *Dei*, cùm dicitur, *principium creaturæ Dei*, eleganter adiungitur in sacræ Scripturæ phrasi, vt denotet opus excellens, quod ad Dei gloriam singulariter spectat. Aut fortasse idem est *creatura Dei*, quod diuina creatura; propter nouum esse diuinum, quod homini tribuitur. Ad hæc; Christus dicitur, *principium & finis*, (vt explicauimus cap. 1.) quoniam Ecclesiæ Christianæ opus ipse inchoauit, & ipse gloriosè perficiet. Similiter ergo principium & finis creaturæ Dei ideò dicetur, quia ab ipso est nouæ creaturæ principium; & ab ipso est eiusdem creaturæ finis, siue perfectio. Cùm ergo in hac epistola sermo sit cum tepido, qui adeò longè aberat à perfectionis desiderio, eleganter omisit Christus secũdam partem illius elogij, *principium & finis*, quasi dicat, cum Laodiceno, & cum eiusdem generis hominibus, id est, cum tepidis de initio sanctitatis opus esse agere, non de perfectione. Quamuis enim illi longè aliter de seipsis sentiant, & se non solùm incepisse, sed etiam profecisse existimẽt; à Christo C tamen iudicantur nondum solidæ sanctiratis fundamenta iecisse, & ab ipso nouæ creaturæ initio longè abesse. Ex his patet sapientissimè vsurpasse Christum in hac epistola periphrasim illam, *principium creaturæ Dei*. Cùm enim epistolæ scopus sit ignorantiam Laodiceni refellere; & admonere tepidos, initium id nouæ creaturæ, quod videntur habere, vmbram potiùs esse initij, quàm veritatem; nulla potuit cogitari Christi periphrasis argumento huius epistolæ concinnior, quã *principium creaturæ Dei*. Eum enim, à quo omne verum sanctitatis initium, latêre non potest, an tepidus verè inceperit, vel ab ipso etiam initio longè absit.

Cur se Christus principium creaturæ Dei vocet?

Creaturæ nomen sæpe in Scrip. pro spirituali sanctitatis opere in hominũ animis per Deũ effecto sumi.

Quare hîc Christus solum se nominet principiũ, non verò finem.

SCIO OPERA TVA; QVIA NEQVE FRIGIDVS ES, NEQVE CALIDVS, &c.] Ex intelligentia tepôris, de quo Dominus Laodicensem reprehendit, pendet totius epistolæ intelligentia. Sunt autem vndecim, quas inuenio expositiones.

VERS. 15.

Qua ratione Laodiceno reprehendatur.

Prima docet, teporem esse fidẽ sine operibus vel scientiam sine operibus. Sic exponunt D. Ambrosius psal. 118. serm. 2. Saluianus lib. 4. de Prouidentia, Bernardus serm. 3. de ascensione, qui inscribitur *de intellectu & affectu*. Gregorius in Pastorali l. 3. c. 35. fin. D. Thomas de malo q. 3. a. 13. ad 1. Ex interpretibus huius libri Victorinus, Primasius, Ambrosius, Aretas, Beda, Richardus, Glossa, Albertus, Carthusianus, Suarez. Et præter hos tribuitur Ticonio, Haymoni & Ansberto.

Varia Doctorum expositiones.

Secunda expositio ait, diuitem auarum esse eum, qui appellatur tepidus. Sic Ticonius, Primasius, & Serranus; quibus fauet Tertullianus de Pœnitentia cap. 8. vbi ait, in hac epistola reprehendi D Laodicenses fidentes in suis diuitiis. Andreas etiam & Aretas ad temporales diuitias referunt illa verba, *Dicis quòd diues sum*; &c. Atque ita Andreas ait, hunc Episcopum fuisse spinis diuitiarum obsitum. Hanc expositionem sequitur Baronius tom. 1. Annal. vbi notat ex Plinio Laodicenses lanas fuisse olim in summo pretio; & ex illis magnum quæstum fieri solitum.

Tertia expositio est Ambrosij & Ioachimi, de eo, qui reperit in fide. Si tamen hoc non est aliud, quàm aliquantulum remisisse de feruore fidei; conuenit hæc expositio cum quinta.

Quarta Andreæ de eo, qui fidem, quam acceperat, repudiauit.

Quinta existimat hypocritam & simulatorem religionis vel sanctitatis appellari tepidum. Sic Hieronymus Isaiæ 51. fin. & similiter Victorinus, Seraphinus, Zegerus, Pannonius, Serranus & Arias.

Sexta (quæ parum distat à quinta) de iis exponit, qui cùm sint monachi vel Religiosi, longè absunt à vitæ religiosæ amore & studio. Ita Cæsarius homil. 28. Cassianus collatione 4. cap. 19. Haymo, Ansbertus & Ioachimus. Concinit Origenes homil. 1. in psalm. 38. qui tepidos esse ait eos, qui patiuntur se mundanis sordibus pollui, & multiplicata iniquitate refrigescere charitatem.

Septima

Digitized by Google

Septima tepidum appellat eum, qui non consummat, quæ inchoauit; sic Gregorius 3. Pastoralis cap.35.& Thomas Anglicus. Fauet Origenes proximè citatus,& Haymonis expositio de eo,qui torpuit post bonum initium. A

Octaua exponit de eo, qui inter virtutes & vitia fluctuat; ac vitam quidem à crimine custodire vellet, sed ad virtutis laborem non assurgit. Sic Hieronymus suprà; nec non Cassianus collatione 4.cap.12.& 19.& similiter Haymo, Anselmus, atque Lyranus.

Nona tepidum intelligit eum, qui de quibusdam virtutibus, aut bonis operibus superbit: vt v.g. de virginitate. Sic Rupertus; atque hæc etiam est expositio Gregorij 34.Moral. cap.3.

Decima tepidum dicit esse eum, quem neque Dei amor, neque timor deterret à peccando. Sic Bernardus serm.3.de assumptione B.Mariæ, quem sequuntur Ioachimus, Lyranus, & Zegerus. Existimant enim hi auctores frigidum esse eum, qui formidine pœnæ peccare non audet; vel eum, qui de suis peccatis tristatur ac dolet; calidum, qui amore Dei feruet, & in Deo lætatur: tepidum verò, qui neque amat, neque timet Deum. Et fortasse hæc est expositio, quam Andreas tribuit Nazianzeno, sic exponenti; oportere hominem accuratè viuere: atque ad hoc opus esse vel insigniter feruere, vel insigniter frigere. Et facit, quòd antiqui in conuiuiis non solùm frigidam conuiuis apponebant, sed etiam calidam; vt docet Lipsius lib.1.Electorum, cap. 4. tepida verò ad vomitum prouocat.

In conuiuijs olim & frigidam & calidam apponi solitam.

Vndecima denique expositio eum appellari tepidum existimat; qui, cùm sit in peccato, putat se esse iustum. Sic exponit Gregorius 30.Moralium c.2. Ait enim, *Nudus, quia stolam gratiæ perdidit: & illud peius, quòd nec se perdidisse cognoscit.* Sic etiam Albertus, Ribera & Pererius; & pro se citat Ribera Ambrosium atque Hieronymum, §.48. B

Iudicium de his vndecim interpretationibus.

PRIMVM aduerto, licet teporis culpa non sit semper crimen lethale; atque adeò aliquando reperiri possit in homine iusto: in hac tamen epistola haud dubiè tepidum appellari eum, qui per teporé à gratia Dei exciderat. Alioqui enim non ei diceretur, *Tu es miser & miserabilis, pauper, cæcus & nudus.* Et quamuis alicui visi sint Gregorius, Cassianus, Ticonius, Primasius & Ansbertus de veniali culpa interpretari Laodicensis Episcopi teporem; non tamen videtur rectè illorum verba expendenti. Licet enim aliqua eorum verba generalia sint, quæ teporem describant in commun., vt doctrina per analogiam vtrique tepori applicari valeat, id est, non solùm lethali, sed etiam veniali; non tamen propterea excusant Laodicensem à crimine. De Haymone nō adeò assererem; expresse enim interpretatur de eo, qui vitam vult à crimine custodire. Verùm neque hoc satis est, vt Laodicensem excusare intelligendus sit. Contingit enim dedità operâ non velle crimen admittere, & nihilominus excidere à gratia Dei. Et sic intelligendæ sunt octaua, nona, & vndecima interpretationes. Imò verò sic loquitur Christus in huius epistolæ textu. Agit enim cum Laodicensi, qui putabat se esse non solùm iustum, sed etiam diuitem in fide & virtute; & nihilominus pronunciat eum esse pauperem, cæcum & nudum.

Pro tepore hic statum peccati lethalis intelligendum.

C

Secundò aduerto, in analogia teporis significari medium quoddam particeps caloris & frigoris. Aliter censet Pererius noster, ea ductus ratione, quòd tepidum esset imperfectè malum, atque adeò non peius frigido. Quare ille ait, in tepidi metaphora non considerari, quòd sit particeps caloris & frigoris; sed solùm quòd sit contrarium stomacho, concitans ipsum ad nauseam & vomitū. Textus tamen meo iudicio cogit, vt tepidi metaphora ad calorem inchoatum & non consummatum referatur. Huc enim spectant illa verba, *tepidus es, & neque frigidus, neque calidus.* Quibus verbis non solùm significatur teporem esse contrarium stomacho; sed etiam propterea esse contrarium, quòd neque sit frigidus, neque calidus, sed vtriusque extremi particeps: & in hoc consistit illius metaphoræ energia. Adde, quòd cogitatio hæc plerisque interpretationibus aptissima est; neque tantùm prioribus, sed etiam vltimæ, quam sequitur Pererius. Tepor enim in eo consistit, quòd voluntas tepidi amplectatur id, quod per se erat voluntarium & inchoatio ad charitatis feruorem; neque tamen velit ipsum charitatis feruorem amplecti. Sic enim in prima expositione, velle esse fidelem, est velle initium vitæ Christianæ. Sic in sexta velle esse monachum, est velle professionem vitæ religiosæ, id est, initium vitæ perfectæ. Sic in septima velle inchoationem. Sic in nona, velle eas virtutes, in quibus gloriatur tepidus. Sic in octaua & vndecima, velle nō excidere à gratia Dei. Atq; in his omnibus expositionibus caloris initio adiungitur frigoris imperfectio, id est, nolle perfectionē & consummationē. Quare nō erat cur Pererius excusare tā tepidi metaphora significari mediū, quod sit particeps caloris & frigoris. Ad argumentū autē Pererij. Respondeo, tepidum esse imperfectè calidum; sed eo ipso esse peius quàm si non cœpisset calefieri, vt infrà explicabimus. Si verò hæc consideratio est in præsenti necessaria; per illam omnino excluditur expositio decima: quia timoris & amoris coniunctio, laudem potius meretur, quàm reprehensionem: atque ita auctores & probatores expositionis decimæ opus habent, vt tepidus non sit particeps caloris & frigoris, sed vtriusque omnino expers: in quo etiam violentum satis erat, vt frigidum poneretur in laude.

Teporis ratio in quo consistat.

D

Tertiò aduerto, non omnem teporis aptam alioqui metaphoram, huic epistolæ esse conuenientem. Oportet enim, vt hæc epistola conferatur cum ceteris, & reddi possit conueniens ratio; cur in hac epistola aliter se appellet Christus, quàm in aliis, cur aliud præmium proponat, & aliam cōminationem intendat? Quare ipsa periphraseōn Christi diuersitas, ipsa præmiorum atque commina-

Quæ teporis metaphora huic epistolæ cōueniat.

Digitized by Google

A minationum distinctio postulat, vt conscientiarum genera sint diuersa. Hinc est, vt prima expositio non videatur recipienda: quia fides sine operibus, vel scientia sine operibus non minùs conuenit Sardensi, quàm Laodicensi: ergo tepidi nomen non accipitur in præsenti pro quouis fideli, qui opere non præstat ea, ad quæ tenetur, vel ea, quæ nouit se debere operari. Accedit, quòd manifestum est ex huius epistolæ contextu, sermonem esse cum eo, qui se iustum reputabat. Ergo non cohæret, vt tepidi nomen repræsentet quemuis fidelem, qui in peccato sit. Sunt enim ex his multi, qui non dubitant se flagitiis esse coopertos. Hoc argumentum valet etiam contra expositionem quintam; si illa in vniuersum accipienda est de quouis hypocrita. Sunt enim ex his multi, qui norunt se esse fictos & sceleratos. Fortasse tamen Hieronymus non de quouis simulatore accipiendus est; sed de illo solùm, qui se ipsum decipit, & sibi in aliqua sanctitatis specie blanditur. Qua ratione hæc interpretatio concurrit cum vndecima, quam nos existimamus scopum attigisse. *Reiicitur 1. expositio ex suprà allatis.*

Sexta expositio, quæ ad monachos seu Religiosos refertur, qui perfectionis studium abiecerunt, non tam intelligenda est esse huius epistolæ interpretatio, quàm optima accommodatio ex similitudine conscientiæ. Non enim constat Laodicensem fuisse monachum. Ex monachis verò illi propriè dicentur tepidi; qui, cùm perfectionis studium abiecerint, nihilominùs se iustos arbitrantur. Et sic etiam ista expositio ad vndecimam spectat, vt infrà videbimus. *Reijcitur sexta.*

Septima expositio, si agat de iis, quorum reprehensio non est alia, quàm aliquantulum de feruo-
B re charitatis remisisse; satis refellitur ex discrimine huius epistolæ à prima, quæ ad Ephesinum scripta est. Ad hæc; reprehensio Christi ostendit Laodicensis culpam fuisse multò grauiorem. *Reijcitur septima.*

Octaua expositio egregiè depingit tepidum; ita tamen vt sermo sit de eo, qui se iustum existimat, vt infrà cónstabit. Atque ita vndecima expositio non erit alia ab octaua. *Reijcitur octaua.*

Quartò aduerto, vbi teporis metaphora non aptè cohæret, hoc satis esse, vt expositio existimetur non esse germana. Hac de causa, secunda interpretatio meo iudicio coacta est. Cur enim magis diuiti auaro, quàm cuiuis alij scelerato nomen tepidi tribuatur? Quin etiã nulla ratione verisimile est, primitiuæ Ecclesiæ temporibus fuisse Episcopum nummis coaceruandis attentum. Neque Tertullianus huiusmodi aliquid de Episcopo ipso somniauit. Præterea, vbi non solùm verisimile, sed etiam certum esset, Laodicensem Episcopum fuisse diuitem auarum; vt tamen ei tepidi nomẽ aptè conueniret, dicendum esset, eum propterea appellari tepidum; quia sibi persuadebat diuitias à se sine crimine congregari, neque de perfectione Christianæ vitæ admodum curabat. Atque hac ratione hæc expositio in vndecimam incideret. *Reijcitur secunda.*

Quarta etiam expositio violenta est. Quia fidem repudiasse longè aliud est, quàm tepere. Præterquam quòd qui recessit à fide, iam est infidelis: epistolæ autem istæ ad fideles diriguntur, id est, ad septem genera fidelium. *Reijcitur quarta.*

De nona expositione similiter dico, eam non videri ad rem. Cur enim nomen tepôris occultæ
C superbiæ tribuatur; nisi quis dicat se agere de huiusmodi superbo, qui se putet non grauiter Deum offendere in ea iactantia atque superbia; neque maiorem humilitatis siue modestiæ Christianæ perfectionem velit amplecti. Sic enim fieri potest, vt nomen tepidi iuxta vndecimam expositionem optimè conueniat eiusmodi superbo. *Reijcitur nona.*

Cuiusmodi conscientiæ genus sit, quæ de tepore reprehenditur à Christo in hac epistola?

PRIVS mihi explicandum est, quid teporis nomine intelligã. Deinde ad disputationem accedã. Tepidus ergo, meâ sententiâ, in præsenti epistola is dicitur, qui Deum quidem nõ audet lethali crimine offendere sciens & volens; à perfectioris autem vitæ & purioris conscientiæ studio alienus est; quare facilè se propriis concupiscẽtiis permittit, & quæuis peccata deuorat, quæ sibi tãtùm venialia videantur. Ac propterea se reputat iustũ, quòd sciens & volens peccatum mortale non admittat. De hoc genere hominũ in vniuersum affirmari non potest, eos omnes excidisse à gratia Dei. Quamuis enim sæpè contingat, in peccatum mortale incidere eum, qui existimabat se nõ adeò graiter peccare; vt Laodiceno contigerat: fieri tamen potest, vt eiusmodi occasiones vni aut alteri per aliquot dies, aut menses non occurrant. Quoniam verò maximũ est eiusmodi teporis periculũ; &
D valdè opus erat, vt de eo admonerentur tepidi: ideò epistola hæc ad Laodicensem scripta est, qui se reputabat iustum; eò quòd peccati lethalis, quod sciens & volens admisisset, sibi cõscius non esset. Nihilominùs tamen Christus illum asserit esse miserum, pauperem, cæcum ac nudum: neque solùm in peccato lethali iacentem; sed etiam miseriorem, quàm si datâ operâ à Dei gratia excidisset. *Teporis nomine quid propriè intelligẽdum. Qualis sit tepidorum status quãq; periculosus.*

Huius expositionis auctores non eos tantùm esse existimo, quos in vndecima expositione nominaui, id est, Gregorium, Albertum, Riberam & Pererium; sed etiam eos omnes, quos retuli in expositione quinta, sexta, septima, octaua & nona. Eos enim omnes video cum nostra expositione conciliari posse; & cogit (meo iudicio) textus epistolæ, vt existimem eos loqui de tepido, qui se iustum reputet, & tamen in peccato sit.

Atque hæc de auctoritate. Quod ad rationẽ attinet; si tepor animi (vt dicebamus) particeps debet esse imperfecti caloris & frigoris; & animus seu voluntas tunc feruet, cùm valdè amat; tunc friget, cùm amare non vult: quid quæso aptius, quàm vt tepida dicatur voluntas, cùm homo amicitiam Dei videtur aliquo modo expetere, scilicet quia non audet sciens & volẽs eius mãdata violare: hæc tamen amandi voluntas adeò est tepida, vt de cetero gratificari Deo parum aut nihil curet? Certè qui scienter peccatum lethale committit, eo ipso expressè vult à Dei amicitia recedere: atque *Statuitur & probatur vera sententia.*

Digitized by Google

adeò non tepet, sed omnino friget, & manifestè improbus est; qualem describit Christus in epistola ad Sardensem. In qua Episcopus ille nō de alio flagitio vel scelere arguitur, nisi de omissione eorum, ad quæ nouerat se ex officio teneri. Cùm ergo contextus & ratio perspicuè doceant, non esse idem genus conscientiæ Sardensis, & Laodicensis; & vterque à Christo asseratur lethalis criminis culpa inquinatus: eò prorsus deuoluitur discrimen, vt ille per improbitatem sciens & volens peccauerit; iste verò à propria concupiscentia abstractus & illectus per teporem non animaduerterit se Deum offendere, & tamen ab ipsius gratia exciderit. Hinc est, vt cum Sardensi non id agatur, vt agnoscat se esse in peccato; sed potiùs tamquam ad eum, qui sibi suæ improbitatis conscius est, dicatur illi, *Veniam ad te tamquam fur, & nescies qua hora veniam ad te; si tamen pœnitentiam egeris, non delebo nomen tuum de libro vitæ; nec erubescam te confiteri coram Patre meo.* Cum Laodicensi autem id in primis agatur, vt suam miseriam agnoscat, & se esse pauperem, cæcum ac nudum. A

Tepidum ferè sui teporis non ignarū esse.

Vbi aduertendum est, tepidum quidem non ignorare se esse tepidum: nouit enim se nolle datâ operâ peccare mortaliter, & nouit se non esse feruidum in charitate Dei, neque efficaci & prompta voluntate ea amplecti, quæ maioris perfectionis sunt, & maioris obsequij Dei. Non igitur ignorat teporem suum; magnitudinem tamen sui periculi, aut suæ etiam conditionis miseriam non agnoscit. Et propterea in persona Laodicensis tanta asseueratione docetur à Christo, quàm magnum sit eiusmodi teporis non modò periculum, sed etiam miseria atque calamitas.

Duplex nodus contra traditam interpretationem.

Contra hanc tamē explicationem duo obiici posse video. Alterum est, teporem eius, qui de perfectionis studio non admodum curat, sæpè vacare à culpa lethali: quare si in his septem epistolis, quicumq; fidelis habere debet aliquam ad se scriptam; non solùm esset agendum de tepido, qui est in peccato mortali, sed etiam de eo, qui nondum excidit à gratia Dei. Alterum est, non videri ad rē ignorantiam illam tepidi, qui non putabat se peccatum lethale admittere: quia hęc ignorantia non aggrauat peccatum, sed potiùs eleuat: in præsenti autem non agitur de peccato tepidi eleuando. B

Discrimen inter tepidū & frigidū.

Imò verò plurimi Doctores, iique grauissimi, hoc discrimen reperiunt inter tepidum & frigidum, quòd tepidum valdè accusat scientia, frigidum nonnihil excusat ignorantia: & propterea dicunt, tolerabilius esse peccarum frigidorum, iuxta id 2. Petr. 2. 21. *Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum reuerti.* Sic sanè Saluianus lib. 4. de Prouidentia, sic D. Ambrosius, sic D. Thomas, sic ceteri in prima expositione relati. Accedit, quòd sicut lux corporea solet esse principium caloris corporei; sic etiam lux spiritualis, caloris spiritualis principium est: per eam enim accenditur affectus. Atque ita ille propriè est omnino frigidus, qui caret cognitione, per quam inchoatur bonum desiderium: ille autem tepidus, qui calefieri cœperat. Cælestem enim lucem statim consequitur inchoatio boni desiderii. Ea verò est tepidi culpa, quòd nolit vlteriùs progredi ad eius desiderij perfectionem & executionem.

Soluitur primus.

Ad Primum Respondetur, in his septem epistolis agendum fuisse de septem conscientiarum generibus, non tamen de singulis in vnoquoque genere differentiis: quod esset infinitum. Vt ergo omnes tepidi animaduerterēt, quantum sit in spirituali tepore periculum; prudentissimè propositū fuit exemplum eius tepidi, qui ad eam miseriam deuolutus erat, in quam frequentissimè incurrunt tepidi. Cùm enim tepor permittat hominem propriis indulgere concupiscentiis, easque fouere & alere; atque illæ fumum & caliginem excitent, quibus animarum oculi excæcantur; facilè fallitur miser animus, & per illusionem lethalia accipit vulnera, vbi se leuiter solùm tangi existimabat. Neque de eo periculo sermonem instituo, à quo non longè etiam aliquando abest tepidus, scilicet vt à concupiscentiæ pellacia eò adducatur, vt scienter à gratia Dei discedat. Omitto istud nunc: quia hoc est transire ab statu tepidi ad improbitatem manifestam. Sed durante etiam tepore (id est tepida illa voluntate non admittendi peccatum lethale, neque tamen maiorem perfectionem amplectendi) maximum subest periculum sæpè deuorandi per imprudentiam peccati lethalis venenum. Atque hæc est doctrina, quam ex huius epistolæ sapientia, & animarum tractandarum experientia certissimam esse norunt vitæ spiritualis magistri. C

Tepidi periculum.

Soluitur secundus.

Ad Secundum, fateor plurimos Doctores sapientissimè decernere peccata fideliū ceteris paribus esse grauiora, quàm peccata infidelium: quia ignorantium crimina leuiora sunt. Verùm sapiētia hæc & fidei lux, quæ peccata fidelium atque sapientium conuincit esse grauiora, communis est fidelibus siue improbis, siue tepidis. Quare, vbi inter ipsos fideles agitur de discrimine tepidorū ab improbis; non cohæret vt discrimen tepidi ab improbo desumatur ex tepidi fide & scientia, & improbi infidelitate & ignorantia. Doctrina ergo illa D. Ambrosij, Saluiani, & D. Thomæ verissima est; & metaphora etiam tepidi non erat alioqui inepta ad Christianos cum infidelibus comparandos. Nos tamen ex aliorum Doctorum sententia, & ex huius epistolæ contextu contendimus, in præsenti propriè non agi de fidelibus iis; qui, quoniam proiecerunt se ad sceleris audaciam, improborum nomen merentur; sed de iis tantùm, quos tepor imprudentes, & nihil tale cogitantes in peccati lethalis miseriam adduxit. Atque ex iis etiam nō negamus, (si sint cetera paria) grauius esse peccatum eorum, qui doctrinâ fidei & sapiētis disciplinæ institutis plenius erant instructi. Sed quod attinet ad discrimen tepidi ab improbo (siue Laodicensis à Sardensi) sine dubio tepidus non peccabat de industria, sed per imprudentiam & illusionem deceptus. Alioqui nō diceretur ei: *Nescis, quia tu es miser & miserabilis, pauper, cæcus, & nudus.* Et fateor quidem ex hoc capite, id est, ex hac imprudentia & incogitantia nonnihil eleuari peccatum tepidi. Nihilominùs tamen Christus prudentissimè ait, *Vtinam frigidus aut calidus esses!* de quo infrà. D

Ad illam lucis similitudinem, Respondeo, aptè considerari in tepido fideli, eū priùs fuisse illuminatum à Deo. Verùm hæc fidei & bonarum inspirationum illuminatio communis fuerat fideli

tepido

Digitized by Google

A tepido & fideli improbo: illud autem est proprium tepidi, quòd mediocrem (vt ita dixerim) amicitiam cum Deo velit; veram & perfectam non velit. *Quid sit tepidi proprium, prout ab improbo distinguitur.*

Præterea ex nostra expositione, nisi me fallo, facilè intelligitur, eas, quæ videbantur variæ esse expositiones de statu tepidi; nempe quintam, sextam, septimam, octauam & nonam; eôdē omnes spectare, & egregiè conciliari. Primùm enim quinta expositio (quæ videtur loqui de hypocritis & religionis simulatoribus) nobiscum facit; si notes, duplicem esse hypocrisim; alteram eorum, qui sanctitatis simulatione alios fallere volunt, se ipsos tamen non fallunt; norunt enim se esse scelerato. alteram eorum, qui se ipsos primùm fallunt, dum se iustos reputant; deinde tales ceteris videri volunt, quales sibi videntur. Primum ergo genus hypocrisis, quantumuis subtile videatur, crassum est: neque eius contagio valdè peruagatur. Secundū verò est multò subtilius & vsitatius. Quæ enim callidior dæmonis fraus, quàm ipsum decipere deceptorem; & in animum illi inducere, eam non esse fraudem, sed veram iustitiam? Porrò hoc malum adeò commune est, vt vix aliud sit peruagatius inter eos, qui non sunt palàm scelerati, & proiectæ ad scelus audaciæ. Veram enim perfectamq; sanctitatem amplecti paucorum est; specie tamen aliqua iustitiæ decipi, & illico se iustum reputare & reputari velle; næ hoc familiare est, & in ipsis etiam monasterijs valdè timendum. & sanè dubitabit nemo, quin genus hoc ad eum tempus spectet de quo nos hanc epistolam interpretamur. Illud *Superiores alia expositiones aliquæ ex parte cum nostra conciliantur.* *Duplex hypocriseos genus.* *Quæ hypocrisis sit periculosior.*

B cuipiam nouum fortasse videatur, quòd hypocritæ sint, qui se ipsi fallunt. Ego autem contrà sentio, scilicet hanc esse hypocrisim, de qua frequentiùs Christus loquitur in Euangelio. Quo enim latiùs peruagatur hoc malum, eo sæpiùs admonendi erant fideles, vt ab eo sibi cauerent. Constat autem à Christo appellari hypocritas eos, qui se ipsi, falsâ iustitiæ specie, iustos reputant. Expende illa verba Matthæi 7. 5. *Hypocrita, eijce primùm trabem de oculo tuo; & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui.* Ex quibus verbis Hieronymus, Matthęi 6. in princip. colligit eum, qui sibi iustus videtur, cùm non sit, hypocritam esse. Et 2. aduersus Pelagian. cap. 5. ait, *Quamuis aliis vitiis carere possimus; hypocriseos maculam non habere, aut paucorum est, aut nullorum.* Quare, cùm Hieronymus tepidi nomen de hypocrita & simulatore religionis exponit; de eiusmodi hypocrisi omnino intelligendus est, vt patet ex contextu. Quia Laodicensis de eo reprehenditur, quòd cùm esset pauper, cæcus & nudus, &c. nesciret se esse cæcum. Certè non aliter ac ille, cui dicitur, *Eiice primùm trabem de oculo tuo.* Ex quo patet, eiusmodi hypocritam non videre; suam tamen cæcitatem ignorare.

Ex dictis facilè cernitur, sextam etiam & septimam tepidi expositionem, & similiter octauam in nostra includi, & cum ea optimè cohærere. Transeo ad nonam, quæ tepidum explicat esse illum, qui de virtute aliqua aut bonis operibus superbit, & vanè gloriatur; vt (verbi gratia) de virginitate. Nota ergo duplicem esse vanam gloriam; alteram nimirum, qua homo quispiam sibi tribuit perfe- *Duplex inanis gloriæ genus.*

C ctissimam sanctitatem. Alteram, qua specie aliqua iustitiæ deceptus, iustum se ipse reputat, & reputari à ceteris vult: quamuis perfectioris vitæ studium manifestè respuat. Primum ergo genus superbiæ paucorum est; alterum verò frequentissimum, vt dicebamus. Et de eiusmodi vana gloria sine dubio intelligenda est nona explicatio tepidi; vnde hanc etiam explicationē comprehendit nostra.

VTINAM FRIGIDVS ESSES, AVT CALIDVS!] Qui existimant frigidum esse eum, quem excusat ignorātia (vt infidelem;) & tepidum, quem accusat fides atque conscientia; facilè se expediunt à difficultate horum verborum. Aiunt enim peccata fidelium ceteris paribus esse grauiora. Vnde D. Ambrosius ait, *Tolerabilius illi fuerat, fidem non accepisse;* & eisdem verbis vtitur D. Gregorius 3. Pastoralis c. 35. Præterea decima etiam expositio difficultatem declinat, accepto frigidi nomine pro eo, qui de peccatis suis dolet; vel pro eo saltem, qui formidine pœnæ à peccatis deterretur. Et facit, quòd in potionibus & frigida & valdè calida placent, tepida autem displicent. In nostra tamen explicatione, cùm frigidus sit, qui deditā operā peccat, & videt se esse peccatorem; tepidus autem, qui peccati illecebra deceptus, excidit à gratia Dei, non tamen putauit se peccatum lethale committere; maior est difficultas, qua ratione Christus dicat, *Vtinam frigidus aut calidus esses!* Constat enim grauiùs peccare eum, qui sciens & volens peccatum lethale commisit; quàm eum, qui verè venenum peccati lethalis obbibit; sed non putauit se adeò grauiter delinquere. Quid ergo est, *Vtinam frigidus aut calidus esses!* *Frigidū esse aut calidum Laodicenum cur malit Christus, quàm tepidum? Referuntur aliorum explicationes.*

D Thomas Anglicus notat, hæc verba ad exaggerationem pertinere: sed non cohæret, vt quod Christus adeò asseuerat (huc enim spectant illa verba, *Hæc dicit Amen, testis fidelis & verus*) accipiatur, vt hyperbolicè dictum.

Zegerus notat frigidi nomen in præsenti accipi debere pro eo, qui suam agnoscit frigiditatem. Et probatur; quia Laodicensis, qui de tepore reprehenditur, verè exciderat à gratia Dei, atque adeò verè frigebat. Quare illa verba, *Vtinam frigidus esses*, ad cognitionem suæ miseriæ referenda esse videntur. Verùm hæc quoque responsio non satisfacit: quia simul ait Christus, *Vtinam frigidus esses aut calidus!* Sed calidi nomen non referendum est ad agnitionem, sed ad veritatem: ergo similiter etiam nomen frigidi. Neque satis est, quòd Laodicensis verè exciderat à gratia Dei, vt aptè dicatur frigere. Tepere enim & frigere transferuntur ad animum considerato affectu, quem in se ipse experitur. Quare, qui sciens & volens non vult recedere à gratia Dei, non dicitur aptè frigere, sed tepere.

Quidam alius iuxta sextam tepidi explicationem (quæ frigidi nomine intelligit sęcularem; Religiosos autem, qui longè absunt à vitę religiosę studio & amore, appellat tepidos) notabat, non aliter hæc esse accipienda, quàm si de eiusmodi Monachis diceretur: Vtinam aut essent sæculares, aut vitæ religiosæ, quam professi sunt, amatores! Verùm in ea loquendi ratione eò respici videtur, vt illa vitia, quæ in Religioso grauiora sunt, in sæculari essent minùs grauia: quemadmodum etiam eadem

Digitized by Google

peccata in ethnico sunt tolerabiliora, quàm in homine Christiano. At, frigidum esse, est peccare A
scientem atque volentem; quod omninò videtur esse grauius, quàm tepere. Neque solùm hoc verum est, si cum tepidi vita comparentur grauissima frigidorum scelera atque flagitia; sed etiam quamuis in statu frigidi nihil aliud consideretur, quàm id quod per se includitur in ratione frigidi, id est, peccare scienter, & Dei amicitiam contemnere. Nam ceteris paribus omnino grauius est frigere, quàm tepere.

Superbia, præsertim occulta, periculum.

Aliqui ad peccatum superbiæ respiciunt, quod existimant esse grauissimum in iis; qui falsò existimantes se esse iustos, de sua iustitia gloriantur, & ceteros præ se ipsis despiciunt. Et huc spectare videtur, quod in præsenti ait Rupertus de virgine tepida atque superba, *Vtinam potiùs esses corrupta, & humilis*. Huc spectat quod ait Augustinus 14. de Ciuitate c. 2. *Deus permisit à barbaris virgines violari, vt superbiam deponerent*. Et serm. 53. de verbis Domini, *Audeo*, inquit, *dicere, superbis continentibus expedit cadere*. Vide multa similia in Gregorio lib. 32. Moralium c. 12. & lib. 26. c. 12. & 13. in Cassiano de spiritu formicationis, lib. 6. c. 18. & 22, & collatione 12. & c. 4. 6. & 16. in Basilio homil. 22. in Augustino lib. 1. de Ciuit. 28. & tom. 9. in Ioan. epist. tract. 7. in D. Thoma 2. 2. q. 163. art. 4. ad 2. & q. 162. art. 6. ad 3.

Explicatur vera sententia; cur frigidum aut calidum esse præstet, quàm tepidum.

Hæc tamen dupliciter accipi possunt. Primò, propter grauitatem peccati superbiæ: & certum est occultam superbiam eò vsque peruenire posse, vt sit peccatum multò grauius, quàm luxuria manifesta. Non tamen video, quid cogat vt Laodicensem existimemus fuisse adeò superbum. Illa enim B
verba, *Dicis, Quia diues sum & locupletatus, & nullius egeo; & nescis, quia tu es miser & miserabilis*, &c. omnino videntur adiecta ad explicationem teporis. Tepidorum enim est se iustos reputare; & sine magno alio superbiæ peccato; ex eo solùm, quòd non animaduertant se excidisse à gratia Dei, falsâ iustitiæ præsumptione, credunt se diuites, & nesciunt se esse pauperes, cæcos & nudos. Et quamuis eorum superbia non sit semper adeò grauis, vt manifestæ luxuriæ grauitatem excedat: nihilominùs prudentissimè & verissimè dicitur id, quod ausus est Augustinus dicere; videlicet expedire eis ad salutem, vt permittantur cadere in peccatum manifestum: vt sic suam agnoscentes miseriam, supplices à Deo veniam precentur, & per veram pœnitentiam salui fiant. Atque hæc est secunda illorum verborum explicatio, nimirum expedire eis, vt cadant. Non quòd superbia eorum grauior sit, quàm luxuria manifesta; sed quòd tepor atque superbia, quæ illum comitatur, non sinant eos se peccatores reputare: atque ita fit, vt peccatum quod erat ex se leuius, sit multò periculosius. Hæc verò videtur esse legitima explicatio illorum verborum, *Vtinam frigidus, aut calidus esses*. Sic sanè Ribera noster, cui apertè fauent Glossa & Thomas Anglicus. Glossa ait, *Non optat eum frigidum simpliciter: sed talem, de quo maior spes habeatur*. Thomas verò ait, *Sermo est de frigido, non quantũ ad frigiditatem & culpam: sed quantum ad dispositionis maiorem facilitatem*. Expende etiam verba Cassiani collat. 4. c. 19. vbi explicat hunc locum, & ait: *Frequenter vidimus de frigidis atque carnalibus, id est, de sæcularibus ac paganis ad spiritualem peruenire feruorem; de tepidis atque animalibus omnino non vidimus*. Atque ex his intelligitur valdè C
conueniens fuisse, vt Christus Dominus in hac epistola adeò asseueraret, optare se vt Laodicenus potiùs esset frigidus, quàm tepidus; vt teporis statum fideles perhorrescant: & vt Ecclesiastici præsertim & Religiosi animaduertant, se esse in valdè periculoso statu interim, dum non seriò statuunt atque decernunt, non solùm non committere id, quod peccatum esse lethale existimauerint; sed etiam perfectioris vitæ studium omnino amplecti.

Religiosorũ periculum, qui ad perfectionẽ nisi ὸon student.

NEQVE FRIGIDVS, NEQVE CALIDVS] Zegerus notat hoc fuisse prouerbium; sicut aliud, *Neque intus, neque foris*, apud Irenæum lib. 1 cap. 9. Simile est nostrum, *neque caro, neque piscis*. Id quod hispanè venustiùs adhuc sonat: *Ni es carne, ni pescado*.

Euomere ex ore, quo sensu hic sumendum.

INCIPIAM TE EVOMERE EX ORE MEO] In hac allegoria siue metaphora oportet interpretem sobrietatis memorẽ non anxiè disquirere, qua ratione tepidus intelligendus sit fuisse in Christi ore seu ventriculo. Coactum est hoc, & minimè necessarium. Sicut enim apud Liuium respublica dicitur vix potuisse concoquere aliquem senatorem, id est, vix potuisse ferre illum; neque vllus in explicatione quærit ventriculum reipublicæ: sic euomere dicitur Christus eum, quem iam quodammodò ferre nõ potuit, & deinceps detestatur. Quod vero nõ dicatur, Ex stomacho, sed, Ex ore; forsan ad phrasim referendum est. Eôdem enim spectat non posse deuorare, & non posse concoquere. Et fortasse oris nomen ad Christi sententiam respicit: quæ videtur ore proferri, & per eam proiicitur à Christo, quem Christus respuit. Qui plura volet, legat Ansbertum, & Viegam hîc. D

Ratio philosophica, cur tepida aqua stomacho nò retineatur.

Si verò à medicis seu philosophis quæras, cur calida & frigida bene retineantur, tepida autem non? Dicent, ventriculi partes ad moderatum calorem, blandum ac suauem laxari & extendi; atque id primo occursu cum quadam voluptate accidere: sed mox eam verti in tristitiam & anxietatem; ob quam accidit nausea & vomitus. Sic Vallesius de Sacra Philosophia, c. 20. vbi adduxit exẽplum animalium crustâ tectorum: quæ videmus, quæcumque causa doloris accedat, siue mordens, siue pungens, sese contrahere: perfusa tamẽ tepidâ, seu ad solis moderatum calorem distẽdi. Quòd verò laxatus ventriculus statim subuertatur à cibo, explicat ille exemplo manus laxatæ; quæ euertitur ab eodem pondere, quod firmiter constricta facilè sustentaret. Atque hæc quidẽ, quod ad Philosophiam attinet, ita se habent. Singula tamen velle in præsenti metaphora applicare, meo iudicio, non est prudentis interpretis. Cogitare enim frigidum à Christo retineri, non cohæret. Neque aliò spectat hæc metaphora, quàm vt intelligamus, tepidi mores adeò displicere Christo, vt valdè timendum sit, Christi patientiam erga illum commutandam esse in eiusdem detestationem.

Quãdo aliquis à Christo dicatur euomi.

Sed omissâ metaphorâ, & rem ipsam considerando; ait Ribera tunc dici aliquẽ à Christo euomi, cùm à corpore mystico Christi, id est, ab Ecclesia, expellitur: atque id quidem in hac vita contingere per infidelitatem; sed magis propriè id contingere post mortem per extremam damnationem.

Quia

A Quia tunc homo ita redditur detestabilis Christo, vt nunquam amplius reconciliari valeat. De hac igitur eiectione existimat Ribera Christum in præsenti loqui. *Quia sine dubio*, ait, *sermo est de tepido, qui excidit à gratia Dei*; subdit tamen hęc Domini verba posse etiam transferri ad iustum nonnihil tepentem: & eum etiam posse dici euomi, cùm in peccatum lethale incidere permittitur.

Ad hæc assero Primò, opus esse vt ista comminatio ea ratione explicetur, vt non contineat communem solùm seueritatem aduersus peccatores; sed specialem & propriam contra tepidos, & quæ aptissima sit, vt eis singulariter proponatur. Quare non videtur explicanda de condemnatione extrema: quia in æternum perire commune est omnibus peccatoribus, nisi egerint pœnitentiam.

Secundò assero, vomitus metaphorâ repræsentari irreconciliabilem detestationem.

Tertiò assero, tepidum tunc aptissimè dici à Christo euomi, cùm induratur in peccato, & quodammodò proiicitur extra curam diuinæ prouidentiæ. Huius autem comminationis particula, (quę propter venialem etiam teporem meritò timeri debet) est priuari iis auxilijs, quæ non conceduntur omnibus iustis; sed iis solùm, quos Deus maiori fauore prosequitur. Quantum verò periculum inde immineat labendi in peccata lethalia, & tandem in veram obdurationem; id spiritualium virorum considerationi relinquo. *Venialia parui ducere quanti sit periculi.*

Quartò assero, comminationem hanc sic explicatam aptissimam esse respectu teporis: & per illam doceri fideles, teporem esse ipsissimam viam ad obdurationem in peccato. Qua sententia nihil aptius videtur proponi potuisse tepidis; vtpote qui existiment se valdè alienos esse ab obduratione in peccato, & valdè eam detestari. B

INCIPIAM TE EVOMERE] Obiiciat aliquis, verbum græcum μέλλω, non significare inceptionem; sed solùm quod futurum sit. Huic obiectioni Respõdeo, negari non posse, quin eo verbo non semper significetur, quid proximè fieri debeat; ex contextu tamen id sæpe intelligi, & tunc optimè explicari sensum per verbum *Incipio*. Vt Ioan. 4. n. 47. dicitur de filio reguli, *Incipiebat enim mori*, vel agebat animam. Act. 3. 3. *Is cùm vidisset Petrum & Ioannem incipientes introire in templum*. & cap. 27. 30. *Cùm misissent scapham in mare sub obtentu, quasi inciperent à prora anchoras extendere*. Et paulò pòst, *Cùm lux inciperet fieri*. Vbi etiam *incipere* vertit Erasmus. Similiter ergo in præsenti, licèt verbum græcum μέλλω, per se non requireret, vt proximè futurum esse intelligeremus: ex contextu tamen optimè id collegit interpres; quia tepida si bibatur, proximè sequitur vomitus. Et similiter etiam vertit Erasmus. *Quid sit, incipiam te euomere.*

Ad sensum autem præcipuum non parum conferebat, vt intelligeremus non solùm futurum esse, vt tepidus euomatur; sed etiam Christum comminari futurum esse, vt citò euomatur, nisi desinat esse tepidus. Id quod ad incutiendum tepido timorem aptissimum est. Ea enim ratione significatur, sæpe Deum non permittere, vt tepidus diutiùs in eo statu permaneat: quare timeri debere, eũ esse citò proiiciendum, nisi citò incalescat & ferueat. Huc videtur spectare nostri interpretis versio. Ex qua etiam confirmatur, vomitus metaphoram in præsenti non esse referendam ad æternam damnationem; sed ad id, quod eam præcedit, id est, ad derelictionem Dei. C

Nota denique, vomitus quidem metaphoram videri sordidam & fœtidam: sed propterea fuisse selectam, vt denotetur, quàm detestabiles fiant, qui à Christo sunt derelicti atque proiecti. Simile est illud Threnorum 4. 5. *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora*. *Quorsum hic vomitionis metaphora.*

QVIA DICIS, QVOD DIVES SVM, &c.] Si quis Grammaticam primo aspectu consideret; iudicabit fortasse hunc esse sensum; Tu dicis me esse diuitem: ego autem dico te esse pauperem. Imò verò ad sententiam non malè cohærebat. Tepidi enim, vt suum teporem excusent, aiunt Christum esse valdè diuitem, nec opus illi esse vt in eius obsequium fideles admodum se diuexent. Nemo tamen videtur huiusmodi constructionem secutus: sic enim omnes interpretantur, *dicis quia dives sum*, id est, dicis te esse diuitem; à qua interpretatione non videtur recedendum. VERS. 17.

Explicatio tamen Andreæ, Aretæ & aliorum, qui de huius mundi diuitiis exponunt, iam suprà à nobis impugnata est.

His ergo omissis: illud *quia* reddit rationem, cur Laodicensis appellatus sit tepidus, & cur euomendus esse à Christo dictus sit. Constructio autem videtur esse huiusmodi, *Quia dicis, quòd dives sum*; id est, Quamuis enim tu tibi videaris dives, re vera tamen longè abes à veris diuitiis; quin etiam valdè es *miser & miserabilis*, &c. Diuitiarum autem nomen, vel ad gloriationem in Christi diuitiis referendum est; scilicet quia Laodicenus ex eo se diuitem aut locupletè reputaret, quòd Christianus esset, & posset diuitiis Christi frui; vel fortasse ad sapientiæ possessionem, quòd se sapientem crederet, nec aliena indigentem doctrina; vel etiam ad virtutis opes. Est enim proprium tepidorum valdè gloriari, quòd nullius sibi peccati lethalis conscij sint; & præsertim si annos aliquot eam conscientiæ puritatem se obseruasse credant. Accedit, quòd plerumque conferunt se cum iis, quos suspicantur sceleribus esse coopertos; & illorum scelera cum suis bonis operibus comparantes, non dubitant se felices prædicare, & nullius ope indigentes. Verùm in suis virtutis opibus valdè falluntur miseri: & in Christi etiam diuitiis, & in fidei atque sapientiæ Christianæ felicitate contingit eis, sicut illi, de quo loquitur Salomon Eccle. 6. 1. *Est & aliud malum, quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines: vir cui dedit Deus diuitias & substantiam & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desiderat: nec tribuit Deus potestatem, vt comedat ex eo; sed homo extraneus vorabit illud. Hoc vanitas & miseria magna est*. Sicut ergo huiusmodi homo in eo, quòd se beatum ac felicem prædicaret, omnino esset irridendus; quia si anima eius non vtatur bonis suis, initium illud felicitatis, quod habet in arca, potiùs ostendit quanta sit eius miseria: sic tepidus, dum propter lucem cælestem ac bona desideria se felicem iactat, valdè errat. Illa enim dona Dei, si ex eis non come- *Quomodo Laodicenus se diuitem esse iactaret.* *Tepidi qua ratione se ipsi decipiant, & obcæcent.* D

Digitized by Google

dit miser homo, non solùm non faciunt illum beatum; sed eò etiam magis eius miseriam probant, quò ipsa sunt in se ipsis maiora & præstantiora. A

MISER ET MISERABILIS, ET PAVPER, ET CÆCVS, ET NVDVS] Ex his quinque epithetis, duo prima generalia sunt, quibus indicatur tepidum esse ita ærumnosum, vt omnibus cõmiserationem commouere debeat. Reliqua verò tria continent explicationem, siue enumerationem miseriarum tepidi. q. d. Christus, meritò tepidum appellari miserum; eo quòd sit pauper, cæcus, ac nudus. Atque ita his tribus statim respondent tres exhortationes: videlicet paupertati, *suadeo tibi emere à me aurum probatum, vt locuples fias.* Nuditati, *vestimentis albis induaris*, vel *induere, & non appareat confusio nuditatis tuæ.* Et cæcitati, *collyrio inunge oculos tuos, vt videas.* Vt autem elegantia istius distributionis intelligatur, Nota valdè videri inter homines felicem eum, qui triplici bono instructus sit, diuitijs, honore & sapientia. Supposita enim corporis integritate & salute (quæ non tam ad felicitatem pertinet, quàm ad felicitatis vel miseriæ subiectum, vt patet in damnatis) illis tribus videtur contineri humana felicitas. Quare è conuerso omnibus numeris absoluta miseria erit eius; in quo paupertas, ignominia & stultitia coniungantur. Hæc ergo tria significantur illis tribus vocibus *pauper, cæcus, & nudus.* Nuditas enim ad ignominiam pertinet, vt ipse textus exprimit; cæcitas ad stultitiam, vt statim videbimus. Quòd si quis velit vt *miseri* & *miserabilis* nomen ad ægritudinem animi referatur; eius expositionis auctorem habebit Ambrosium.

Antitheta elegantia in Christi verbis.

VERS. 18. SVADEO TIBI EMERE A ME AVRVM IGNITVM PROBATVM, VT LOCVPLES FIAS] Quàm aptè per aurum significetur charitas, diximus cap. 1. atque ea expositio in præsenti aptissima est, licèt nonnulli de auro sapientiæ exponant (vt Gregorius, Primasius, Ambrosius, Andreas.) Quod verò nos legimus *ignitum probatum*, græcè legitur πεπυρωμένον ἐκ πυρός, quod ad verbum redditur *ignitum ex igne.* Qui autem græcè norunt, aiunt ea phrasi nihil aliud significari, nisi aurum igne exploratum & purificatum. Quare in nostra versione participium illud *probatum* explicat, quomodo dicatur ignitum, non quia ardeat, sicut ferrum candens; sed quia igne fuerit purificatum. Hac ratione idem est aurum ignitum probatum, quod aurum purum putum. Vellem tamen doceri locos alios, vbi eiusmodi reperiatur phrasis *ignitum ex igne:* fortasse enim hæc phrasis insolens est, & quæ alibi non facilè reperiatur. Satis enim fuerat dixisse in græco *aurum ignitum*, ad significandum aurum igne examinatum. Quare quod adijcitur *ex igne*, postulare videtur, vt interpretationi etiam adijciatur aliquid. Fortasse ergo illud *ex igne*, quod in græco legitur, referendum est ad verbum, *eme*; vt constructio huiusmodi sit, Accede ad fornacem, in qua ardet aurum; & ex ea ipsa fornace eme aurum purum putum. Vide illud Plinij lib. 33. cap. 3. *Auri experimento ignis est, vt simili colore rubeat, quo ignis; atque ipsum obryzum vocant.* Emere igitur ex igne, erit accedere ad inflammatam Dei charitatem per deuotam meditationem; & oblato pretio postulare, vt illius auri igniti aliqua particula mihi cõcedatur. Neque enim hoc aurum aliter possidetur, nisi homo accedat ad ipsum Dei ignem, & eius flammas sentiat. Emptionis verò metaphora postulat, vt ad huius auri cõparationem omnino velit homo ijs carere, quibus ad maiorem Dei gloriam priuari necesse est. Sed quia vilia valdè sunt, quæ homo relinquit, si comparentur cum diuitijs, quas lucratur; ideò dicitur Isaiæ 55. 1. *Emite absque argento & absque vlla commutatione.* Notandum autem est, quàm aptè dicatur tepido, qui se diuitem putabat, cùm esset pauper; si velit esse diues, opus esse, vt Dei charitate inflammetur, & aurum charitatis cum rerum terrenarum dispendio possideat. Is enim verè diues est, qui propter charitatem Dei relinquit omnia, quæ cum perfectione charitatis pugnant. B

Quid per aurũ ignitũ denotetur.

Græcè ignitũ ex igne: *& quo sensu.*

Aurũ obryzum, *quod sit, ex Plin.*

C

Per aurum ignitum doctrinam Euangelicam figurari.

Fortasse etiam doctrina ipsa Euangelica, & mysteria, quæ nobis in ea proponuntur, appellantur *aurum ignitum* in præsenti. Vide psal. 17. 31. *Eloquia Domini igne examinata.* Psal. 18. 11. *Desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum.* & Prouerb. 30. 5. *Omnis sermo Dei ignitus.* Cùm ergo tepidus ex cognitione doctrinæ Euangelicæ se diuitem reputaret, congruè admonetur, vt si verè diues esse velit, accedat ad eum ignem, vbi eius doctrinæ dignitas & pretium cernitur (id est, ad Christi passionem & charitatem) & inde emat sibi ardentem illam cognitionem, quæ inflammat hominem, & inflammando diuitem facit. Per solam enim cognitionem frigidam vel tepidam nemo euadit diues.

ET VESTIMENTIS ALBIS INDVARIS] Ex græco ad verbum redditur; *& vestimenta alba, vt induaris.* Quare verbum illud *emere*, non solùm refertur ad aurum, sed ad vestimenta etiam alba. Nostra ergo litera, vt eam constructionem admittat, sic videtur ordinanda; Eme à me aurum vt locuples fias; & vestimentis albis emptis, induere illis. Porrò his vestimentis verum bonæ conscientiæ gaudium significari diximus suprà in epistola ad Sardensem. Pendet autem hoc gaudium ex vera sanctitate, quam etiam considerauit Paulus veluti vestem, ad Colos. 3. 12. *Induite vos, sicut electi Dei sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam,* &c. D

Vestimẽta alba *quæ dicantur.*

ET NON APPAREAT CONFVSIO NVDITATIS TVÆ] Sordidis vestibus & ignominiosis indutus videtur esse is, qui sceleribus est coopertus. Tepidus verò, qui neque sceleratus est, neque probus, videtur potiùs esse nudus, quàm sordidè vestitus. Iam, ea nuditas ignominiosa est. Iubet ergo Christus, vt tepidus, si velit non apparere coram Deo nudus, cooperiat se vestibus ijs, quas ille in suis seruis requirit: alioqui enim sicut odio prosequitur Deus eos, qui vestibus sordidis se cooperire non erubescunt; sic etiam auersatur eos, qui nudi sunt.

Quod sit spiritale oculorum collyrium.

ET COLLYRIO INVNGE OCVLOS TVOS, VT VIDEAS] Collyrium est medicamentum oculorum. Cuius virtus in eo sita est, quòd reprimit noxium humorẽ, qui ad oculos fluebat, & impediebat visum. Hoc symbolo aiunt aptè significari attentam rerum diuinarum meditationem, quæ oculos animæ aperit; vt cernant ea, quæ opus sunt; arcetque impedimentum illud, quod ex perturbationibus & affectionibus inordinatis contingere solet, quibus animæ visus offuscatur, & impeditur.

Ita

Digitized by Google

A Ita ferè Primasius, qui affert id psalm. 18. 9. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos:* & similiter Beda, Haymo, Richardus, Glossa, Anselmus, Hugo, Serranus. Paulo aliter Ambrosius & Albertus, qui collyrium ad cordis compunctionem referunt; quæ lachrymas elicit, atque ea ratione oculos deterget. Andreas applicat ad munerum despicientiam; quia dona excæcant. Aretas vtroque modo exponit, Rupertus de humilitate, Lyranus de gratia Spiritus sancti, Hugo & Dionysius de memoria passionis Christi, Serranus de Sacramentis. Mihi valdè arridet, vt collyrium hoc ad mortificationem affectuum referatur. Hæc enim est, quæ noxium humorem reprimit, quo animi oculi excæcabantur. Atque hæc est Haymonis expositio.

Ex dictis colligitur, remedium tepidi consistere in feruenti Dei amore, & affectuum mortificatione, vnà cum perfectæ sanctitatis studio; ex quo verum bonæ conscientiæ gaudium existit.

EGO QVOS AMO, ARGVO ET CASTIGO] Nonnulli suspicantur hæc propterea dici, quòd Laodicenus persecutiones Ecclesiarum videns, dubitare cœpisset de Christi promissis. Non tamen video, vnde id colligant. Multò aptior explicatio desumitur ex contextu. Cùm enim adeò seuerè reprehensus esset à Christo huius Episcopi tepor, conuenientissimè subditur, obiurgationem illam & increpationem, quæ indignationis plena esse videbatur, ortam esse ex magno amore & charitate. Sic exponit Rupertus. Vide 2. Cor. 2. n. 4. *Si enim ego contristo vos*, &c. *non vt contristemini; sed vt sciatis, quam charitatem habeam abundantiùs in vobis.* & ad Galat. 6. 11. post vehementem reprehensionem, subdit magna cum beneuolentiæ ostensione, *Videte qualibus literis scripsi vobis mea manu.* Adde, quòd in exhortatione ad tepidum sic omnino agendum erat. Quemadmodum enim valdè conueniens fuit vehemens obiurgatio, vt suam miseriam agnosceret; sic etiam magna charitatis diuinæ ostensione opus est, vt eius amoris flammâ incendatur. VERS. 19. *Cur Christus suos arguere & castigare dicatur.*

B ÆMVLARE ERGO, ET POENITENTIAM AGE] Æmulari est imitandi studio duci. Et eandem significationem habet verbum græcum ζηλόω. in hac autem significatione ex præcedenti contextu suppletur accusatiuus, hac ratione; *Ego te amo: amulare tu meum amorem.* Sic Rupertus. Si autem zelus (vt sæpe alibi) in præsenti sit impetus mentis ad metum diuinum, & perfectionis amplectendæ vegeta cupido; hic erit sensus, *amulare*, id est, *agnosce tuam miseriam, & agnosce meum amorem: & conceptâ mei amoris flammâ induere zelo vindictæ contra teporem tuum, & age pœnitentiam.* Æmulari *quid hic sit.*

C ECCE STO AD OSTIVM, ET PVLSO] His verbis omnino alluditur ad illud Canticorum 5. 2. *Vox dilecti mei pulsantis; Aperi mihi soror mea, amica mea; quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Atque ita in commentario illius loci videbimus collineasse eos interpretes, qui verba sponsi ex huius epistolæ verbis explicarunt; ac proinde ibi Christum id agere, vt sponsa teporem abijciat; & scissâ humanæ mentis duritiâ, ad eius dilectionis amplexus cordis penetralia aperiat, vt hîc ait Ioachimus. Pergit ergo Christus in sui amoris ostensione, vt inflammet tepidum. VERS. 20.

INTRABO AD ILLVM, ET COENABO CVM ILLO] Hac phrasi eleganter significatur, quantum delectetur Christus solidarum virtutum fructu, quo animæ ipsum inuitant. Vide Canticorum 5. 1. *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorũ suorum.* vbi absque dubio sponsa inuitat sponsum. & cap. 8. 2. *Dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum.* Sed quia summum est beneficium amici valdè potentioris, amicitiæ causâ velle esse hospitem in domo eius, cui fauet, & cum illo cœnare: ideo vt tepidum in sui amorem inflammet, promittit ei Christus; si teporem expellat, & seriò velit solidarum virtutum studium amplecti, futurũ vt Christum domi suæ & ad mensam suam hospitem habeat. Ex quo intelligitur, quamuis Christus verè ingrediatur in domum eorum omnium, qui ad sacram communionem accedunt; singulariter tamen apud eos dici cœnare, qui solidarum virtutum fructu (quæ sunt Christo epulæ suauissimæ) ipsum inuitant. Quare in hac promissione tepido, si seriò decernat teporem à se expellere, & feruorem spiritus amplecti; promittitur gratia ex ipsa sacra synaxi ad virtutum solidarum fructum, quibus eumdem Christum pascere ac recreare possit. Hanc verò aptissimam esse promissionem ad tepidum in amore Christi inflammandum, quis non videat? *Quid sit, Christum cœnare cum aliquo.* *Cœna hæc de Eucharistia epulo explicatur.*

D ET IPSE MECVM] Quidam hæc verba de eâdem illa cœna exponunt, de qua dictum erat, *cœnabo cum illo.* Aptior tamen est Ruperti expositio, qui de alia cœna exponit. Quemadmodum enim verba illa, *cœnabo cum illo*, non solùm significant Christum & ipsius amicum; simul esse cœnaturos, sed etiam Christum futurum esse hospitem amici sui: sic etiam cùm additur, *& ipse mecum*, omnino sermo est de repotiis vt aiunt; id est, de altera cœna in domo Christi, in qua Christus conuiuio excipiet eum, à quo fuerat inuitatus. Et confirmatur Primò, ex libro Canticorum, in quo sponsa inuitat sponsum, vt suprà vidimus; & ab illo etiam inuitatur ipsa. Vide c. 2. 4. *Introduxit me rex in cellam vinariam.* Confirmatur Secundò, quia verisimilius est & sacrâ Scriptura dignius; vt verba, quæ adduntur, addant etiam doctrinam, atque mysterium. *An duplex hic cœna à Christo promittatur, vel vna solùm.*

Sed quæ est hæc cœna, in qua inuitatur anima ad epulas Christi? Rupertus de epulo æternæ beatitudinis exponit. Probabilius tamen est, sermonem esse de cœna in hac vita. Primùm enim sic erit aptior allegoria; quia cœnare cum Christo in patria cælesti, commune est omnibus Beatis: oportet autem vt harum epistolarum promissiones sint speciales in singulis, & cum exhortationibus singulariter cohærentes. Deinde hac etiam ratione significantior erit promissio; si non solùm agat de præmio cælesti, quod ceteris promissionibus annexum est, sed etiam de singulari in hac vita beneficio, cui etiam in cælo respondebit præmium. Accedit, quòd cœna illa, ad quam inuitata est sponsa, Cant. 2. & ad quam in præsenti alluditur; intelligi non potest de æternæ felicitatis epulo, vt suo loco videbimus: sed de epulo sapientiæ in hac vita. Quare similiter intelligendam censeo cœnam, de qua agit Christus, cùm ait, *& ipse mecum.* Epulum autem, quo sapientia diuina mirum in modum inebriat *Qua sit secũda cœna, ad quam Christus animam inuitat.*

Digitized by Google

sanctorum animas in hac vita, est delectatio magna ex maiori rerum cælestium cognitione, non illa quidem aridâ & ieiunâ, sed vbertim, & vires animæ mirificè reficiente. Hæc verò singulariter contingit iis, qui spiritu feruentes solidis virtutibus, & maiori Dei obsequio se totos deuouent. Sicut enim verissimum est illud Ioan.7.17. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrùm ex Deo sit*; sic etiam qui perfectè Deo seruire ardenter desiderat, frequenter in cellam illam vinariam inducitur, de qua est sermo Cant.2. Atque hic etiam est singularis fructus, quem ex sacra communione participant, qui teporem abiiciunt, & feruorem spiritus seriò amplectuntur. A

Cœna hac secunda de Eucharistia explicatur.

VERS.21. QVI VICERIT, DABO EI SEDERE MECVM IN THRONO MEO] Optimè probat Ribera hæc non esse intelligenda de sessione ad iudicandum. Ego addo, quamuis aptè explicentur de possessione regni cælestis, qua Beati fruuntur in patria cælesti; aptiùs tamen intelligi de spirituali quodam throno cælesti, quo in hac vita fruuntur, qui perfectè Deo seruiunt. Sic enim aptior erit promissio pro hac epistola, in qua agitur de expellendo tepore, & perfectioris vitæ studio amplectendo. Et negari non potest, quin in hoc etiam sensu loquatur sacra Scriptura de throno, in quo sedent cum Christo viri sancti. Vide Gregorium 26.Moral.cap.26. *Bene*, inquit, *sancti viri diuinæ Scripturæ testimonio reges appellantur: quia dominantes cunctis motibus carnis, modò luxuriæ appetitum frenant, modò æstum auaritiæ temperant, modò gloriam elationis deprimunt, modò suggestionem liuoris obruunt, modò ignem furoris extinguunt. Reges ergo sunt, quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed dominando & regendo praesse nouerunt.* Hæc Gregorius in id Iob 36.7. *Non aufert à iusto oculos suos, & reges in solio collocat in perpetuum.* Et mea quidem sententia de hoc eodem spirituali throno loquitur Paulus per præteritum, ad Ephes.2.6. *Conuiuificauit nos cum Christo, & conresuscitauit, & consedere fecit in cælestibus.* Sicut enim ibi resurrectio, de qua agit Paulus, mystica est: ita etiam ascensio in cælum mystica esse debet. Et sicut aptè iusti dicuntur in hac vita resurrexisse cum Christo, & in eo sensu agitur de Christi resurrectione, Apocal.1. Sic etiam aptissimè dicuntur viri spirituales ascendisse cum Christo in cælum, & in throno cælesti sedere. Certè hic sensus Apocalypseos sublimitate dignissimus est, & huius epistolæ scopo conuenientissimus. Quod autem in præsenti sequitur, *Sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius*, mirificè cohæret cum sensu prædicto. Alluditur enim ad psalm.109. in quo dicitur, *Sede à dextris meis; donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Et ad eius throni participationem mysticè exaltantur viri perfecti; dum in altissimæ pacis sede collocantur, & ipsis sedentibus, & ea pace fruentibus Deus illis tentationum motus subiicit, quemadmodum Christo sedenti atque regnanti Deus subiicit inimicos. Intelliget hæc alluſio meliùs ex illius psalmi commentario, de quo suo loco. Nunc solùm addo, ex ipso contextu fieri valdè verisimile, sermonem esse in præsenti de mystico throno. Neque enim dicitur, Qui vicerit, sedebit in quodam throno in cælo, sicut & ego, &c. Sed, *qui vicerit, sedebit mecum in throno meo*; quod mysticam & spiritualem intelligentiam omnino inuitat, per quam intelligitur mysticè sedere homo in eodem illo Christi throno. Nihil autem potuit aptius promitti expellenti teporem, & suam infirmitatem agnoscenti, quàm pax illa spiritualis, quam à Christo participant, qui ei perfectè seruire decernunt; & thronus ille, quo fruuntur, & affectuum propriorum dominatio. B

Iusti verè reges dicti.

Viri spirituales quo sensu dicantur cum Christo in cælum ascendisse.



LIBER

Digitized by Google

A

LIBER TERTIVS,
IN QVO EXPLICANTVR OCTO CAPITA APOCALYPSEOS:

Nempe ab initio quarti vsque ad finem vndecimi: id est vsque ad Iudæorum diminutionem.

EXORDIVM.

QVAMVIS tria prima Apocalypseos capita excellentē doctrinam & elegantiam admirabilē contineant: si tamen cum reliqua Apocalypsi comparantur, valdè sunt illi inferiora: quemadmodum prologus in aliqua grauissima scena, si cum reliquo totius operis artificio, & rerum elegātissimarum serie conferatur. Etenim ad prologum spectat, paucis proponere, quod in tota deinceps serie atque decursu agendum est; nec non auditores hortari, vt diligenter attendant; & vtilem inde sibi hauriant doctrinam ac rectè viuendi præcepta. Deinde verò in toto opere omne sui ingenij acumen & artificium auctor confert ad ipsius discursus concinnitatem & elegantiam; prout argumenti exigit magnitudo: quod verborum & sententiarum luminibus ita exornat, vt auditores summa afficiat admiratione pariter ac voluptate. *Quàm sit excellens libri huius tertij doctrina.*

B

C

Magnitudo igitur atque præstantia argumenti Apocalypseos est eiusmodi, vt nulla maior aut sublimior potuerit reperiri: præsertim si octo capita consideremus, quæ hoc tertio libro coërcentur (nimirum à capite quarto ad calcem vsque vndecimi) tanta enim est huius Apocalypseos partis excellentia atque maiestas, vt is sit proprius scopus Pauli, ad Rom. 11. 13. exclamātis; *O altitudo diuitiarū sapientiæ & scientiæ Dei; quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Hæc enim verba agunt certè de magno illo Dei mysterio, quòd suum Iudæorum populum ad paucos admodū coarctauerit ceteris reiectis atque repulsis: & suæ beneficentiæ ac pietatis immensitatem ostenderit erga illos paucos; erga reliquos autem vindicem scelerum animaduersionem, & iustissimæ indignationis seueritatē. Hoc ipsum voluit diuinus Spiritus in his octo Apocalypseos capitibus nobis proponere. Neque enim aliud est eorum argumentum, quàm Christianæ Ecclesiæ primigeniæ excellentia & perfecta fælicitas, quam in hac vita mortali, primitiui Christiani per Christum sunt consecuti. Adhæc extrema Iudæorum, Christum respuentium miseria atque infælicitas; & quonam modo se Deus cum illis gesserit; ac denique quàm præclaram suæ Ecclesiæ

D

Argumentū octo sequentium capitum.

Digitized by Google

Ecclesiæ victoriam ex Synagoga concesserit, decimâ rebelliumIu- A
dæorum parte Euangelij prędicationi subactâ: & ceteris induratis
ac reprobatis; ac proinde seueriſſimè punitis per septem illas pla-
gas, quas veteres Prophetæ prædixerant; nempe Famem, Bellum,
Pestem, Ignorantiam, Concupiscentias, Iras, Obdurationem.

Hoc est octo horũ capitum argumentum. Porrò tanta magnifi-
centia in iis de sapientia hac arcana atque recõdita sermo instituitur; vt quamuis auctores ex grauibus plus viginti sint, qui hanc esse
veluti animã, ac medullam huius Apocalypseos partis confirmẽt;
Septem ſ. sigillorum reſeratio quã difficilis. adhuc tamen in argumenti magnitudine, & mysteriorum atque ę-
nigmatũ profunditate ita sublimia quęque ingenia submergantur; B
vt fateantur ingenuè desiderari adhuc ab Ecclesia explicationem,
quæ septem sigillorum, & libri clausi ænigmati plenè satisfaciat.
Existimo autem hanc esse communem doctissimorum hominum
consensionem, hoc scilicet septem sigillorum libri clausi arcanum
esse pelagus omnium, quotquot Scriptura continet, profundissimum. Hinc exordiũ sumpserunt tot, tam variæ; tamque multiplices explanandi viæ atque rationes, quas multi rei difficultate coacti excogitarunt. Quorum non pauci, ne eandem rerum seriem
& tractationem continuato filo ad finem vsque perducere compellerentur (quippe quod fieri neutiquam posse putarent) pro viri-
li parte contenderunt, septẽ sigillorum mysterio in capitis VIII. C
initio finem facere. Ceterùm dubiũ non est (vt suo loco constabit)
ad finem vsque vndecimi idem omnino septẽ sigillorum filũ duci;
& ante hanc metã velle consistere, perinde esse, quasi in media pelagi profunditate lõgissimè à terra portũ inuenire atq; inuehi velle.

Vt verò nõnihil in hoc prologo distinctiùs adumbrem: aduerto
ex sigillis septem admirandi illius libri, prima quatuor in se cõplecti perfectissimam salutis rationem, quam Christus erga Iudæos,
qui illum receperunt, exhibuit. Quare quatuor equi sunt illi ipsi,
de quibus loquitur Habacuc, cùm ait cap. 3. 8. *Ascendes super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio.* Deinde in tribus postremis sigillis
includi patientiam, comminationem, & horribilem seueritatem, D
quã Deus exercuit aduersus Iudæos, qui ipsum excipere noluerũt.

Dicet tamen aliquis, iuxta hanc distinctionẽ minimè videri necessarium, vt liber hic tertius tantæ longitudinis esset. Nam ad integrum argumentum vnius libri, satis erant 4. sigilla; in quibus deliteſcit perfecta salus eorum, qui in Christum crediderunt: posſetq; alius liber seorsum tractare de modo ac ratione, qua segessit Deus aduersus eos, qui Christum non receperunt: quod non esset aliud, quàm altero libro contineri perfectum earum promissionũ complementum, quibus Deus suo populo fuerat pollicitus, se eis saluatorem

A torem missurum: altero verò, comminationum aduersus rebelles Iudæos intentarum magnitudinem & veritatem.

Ad hoc Respõdeo Primò; quemadmodũ in insigni aliqua scena, cõtinuatur actio, neque actus censetur absolutus, dum actores aliqui in theatri contabulatione (quæ etiã scena appellatur) permanẽt: ità similiter vbi tractatio de septẽ sigillis cœpta fuerit, non potest apta librorũ distinctio designari, donec ad sigilli septimi mysteriũ ac finẽ deueniatur. Quapropter nemo est interpretum, qui non eâdem visione vel tractatu complectatur, quidquid ipse reputat ad septem sigillorum resignationẽ atque mysteria pertinere.

Secundò Respondeo; quamuis verũ sit prima quatuor sigilla di-
B rectè ad eos spectare, qui Christũ amplexi sunt, & tria postrema ad eos, qui eidẽ præfracta mente restiterũt: ceterùm ita sunt inter sese colligata atq; connexa aliorũ perfecta salus, & grauissimũ aliorum supplicium, vt hęc duo misceri inter se atque cõiungi sit necesse. Etenim non solùm eodem tempore, & in eadem regione alij perfectâ donati salute, alij maxima securitate puniti fuerũt: sed ipsamet supplicij vis & acrimonia, quę in duros & obstinatos exercebatur, erat veluti instrumentũ, quo Deus ad perfectã aliorum sanctificationẽ, & incolumitatẽ vsus fuit. Nam fidei perfectio in eo potissimùm sita erat, vt Iudæi in Christum etiã opprobriis & illusionibus affectum crederent: & perfecta primorum Christianorum charitas eò
C tendebat, vt accuratissimè consulerent eorum, qui illos persequebantur, saluti. Ac demũ quòd alij acriter oppugnarẽtur, alij persecutores & oppugnatores essent. hic verò erat præcipuus cardo, in quo perfecta aliorũ salus, aliorũ obfirmata pertinacia vertebatur.

Ex quo elicitur, in ea Christi Domini parabola Matth. 13. 30. *Sinite vtraque crescere vsque ad messem*; non significari solùm, quòd Deus improbos in viuis degere permittat; sed etiam ad maximum sanctitatis incrementum, esse suis fidelibus necessarium, vt Deus malos terribili obduratione plectat: nec enim esset martyrii gloria, nisi in tyranno cæcitas & animi durities inessent. Atque hoc est in Apocalypsi cap. 22 11. *Qui iustus est, iustificetur adhuc; & qui in*
D *sordibus est, sordescat adhuc.* Nam vt iustus magis magisq; perficiatur, oportet improbum in illo persequendo magis magisq; sæuire. Et quemadmodum in sigillis primis felicitatem electorum comitatur crudelitas & perfidia incredulorum: sic etiam in postremis sigillis sanctitas electorum atque sapientia præclarissimũ in modum elucet; vt apparet initio capitis octaui, & in capitibus 10. & 11. Atque hæc ipsa proborum exceptio ab iis plagis, quas Deus in improbos immittit, magno cum decoro miscetur in sigillorũ trium postremorum tractatione; sicuti in c. 7. perspicitur. Manifestum

Tyrannorũ crudelitas quàm sit martyribus vtilis.

autem

Digitized by Google

autem est in toto illo capite agi, quemadmodum Deus impunitos A
prætereat iustos, quando in iniustos animaduertit. Patet ergo ex dictis, quàm conueniens reipsa extiterit, sinere simul vtraque crescere vsque ad messem: non aliter expedire, vt tractatus de aliorum felicitate ab aliorum miseria seorsum ne ponatur; ac proinde consentaneum esse, ne hæc actio vtramque partem complectens in duos diuidatur libros, sed vno eodemque contineatur.

CAPVT IV.

Vers. 1. Post hæc vidi, & ecce ostium apertum in cælo: & vox prima, quã audiui, tamquã tubæ loquentis mecũ, dicẽs; Ascẽde huc, & ostendã tibi, quæ oportet fieri post hęc. B

COMMENTARIVS.

HIc denuo inchoatur Apocalypseos actio. Tria enim capita superiora (vt iam diximus) prologum totius actionis agunt. Illud tamen in ipso limine mirabile Primò occurrit, cur scilicet ad prologum Christus in terra insolitâ specie visendus appareat; nunc verò ad actionis ipsius exordiũ, Ioannes ad cælum euocetur ac tollatur: ibiq; thronum, seniores, & animalia conspiciat? Nonnulli hîc cæli nomine intelligunt æternæ beatitudinis gloriam, & seniores, atque animalia visa esse existimant à Ioanne in ipsa cælorum gloria qua Beati perfruuntur; nec aliter seniores in thronis consessuros. Mihi tamen certum est, non agi hîc de triumphantis Ecclesiæ gloria, sed de militantis. Et sanè præter Apocalypseos argumentum, quod ex se poscit, vt caput quartum à militantis Ecclesiæ splendore ac maiestate ducat exordium; aduersus quam Iudæorum & Gentium bella concitantur (hoc enim est, vt annotauimus, totius Apocalypseos argumẽtum) præter hoc, inquam, ex ipsomet huius capitis & sequentis contextu manifestò constat, in illis de æternæ patriæ felicitate non agi. Etenim tonitruorum, fulgurum, maris vitrei, ac libri signati symbola & significationes cælorum beatitudini minimè congruunt. Quare id certum in primis statuo, huius capitis pictura exprimi noui regni Dei excellentiam, id est, militantis Ecclesiæ, & primitiuæ præsertim dignitatem: quam Ecclesiam C
Spiritus sanctus à Christo Domino die Pentecostes immissus in terris fundauit.

Calum hîc in quo sensu sumatur.

Cur Ioãnes in calum euocetur ac tollatur.

Hoc ita constituto, habet locum dubitatio illa, quam nuper præmisimus; cur videlicet, cùm Christus, qui iam in cælis regnabat, apparuerit in terra prologum agens; Ioannes nunc in cælum actionem spectaturus sit raptus, & militantem ibi Ecclesiam intueatur? Quæ difficultas magis etiam augetur ex eo, quòd postea c. 21. triumphantem Ecclesiam Ioannes in terra contemplatur (esse namque de Ecclesia triumphante sermonem c. 21. & 22. ibi planum fiet.) Quæ igitur erit nouæ huius commutationis, & mirandæ vicissitudinis ratio; vt Christus, qui in cælo glorioßissimè triumphat, & Beati cum ipso felicissimè degentes, aspiciantur in terris; Ecclesia autem viatorum, quæ in terris adhuc militat, videatur in cælo? Præsertim cùm in hac commutatione id ferè in præsenti contingat, quod aliquãdo in splendidioris apparatus tragœdiis fieri solet; vt versatilis scena subitò machinis quibusdam vertatur, & aliam picturæ faciem ostendat. v. g. quæ vmbrosi nemoris speciem referebat priùs, in regiam extemplò domum conuertatur. Quòd si hæc mutatio fit, vt scena conueniens rebus ipsis existat; cælestis regiæ species eligenda potiùs videbatur, Ecclesiæ triumphantis repræsentationi; militanti verò, terrestris campi figura: quàm è conuerso.

Cur militans Ecclesia in cælo appareat.

Vt ergo huic dubitationi faciam satis, Respondeo, vtrumque sapientissimè fuisse excogitatum; vt & militans Ecclesia in cælo, & triumphans in terra figurentur. Atque vt à prima illa figura, quam Ioannes 1. cap. aspexit, auspicemur; præcipuus illius scopus erat, significare egregia & admiranda facinora, quæ Christus in terra operatur è cælo. Quam ad rem congruens fuit, vt in terris appareret; D
ibi enim aptè effingitur esse, vbi operatur. Capitis verò quarti scopus est præclarã illam excellentiam & celsitatem repræsentare, ad quam homines per Christi spiritum euecti fuere. Atqui ad hoc concinnè satis & eleganter Ecclesia militans in cælo depingitur; qua ratione regnum cælorum eadem appellatur. Reuoca in mentem illud Isaiæ 58. 14. *Sustollam te super altitudinem terræ.* Et Nota huiusmodi visionem ingens in se mysterium continere; & in sensu mystico magna cum energia posse dici, homines à Deo per spiritũ Christi in cælũ fuisse sublatos; &, vt per gratiæ vitam homines mysticè cum Christo, (iuxta Paulũ) consurgũt; ita etiã per cæleste spiritum simul cũ Christo ad cælũ conscẽdere.

Et quamuis, si argumentũ attendatur, diuersa materia non sit, quæ in prologo capitis primi agitur, ab ea, quæ in c. 4. Prologum tamẽ ibi egit Christus, at c. 4. Ecclesiæ primigeniæ apparet imago. Vnde, vt idẽ sit argumentũ, rectè & Christus in terra, & primitiua Ecclesia videtur in cælo. Ac demũ Christum in terra apparere mirabilem, Ecclesiam suo auxilio promouendo, idem est atque eã ad cælum vsque diuino spiritu euehere. Et quò se Christus in Ecclesia mirabiliorem præstat, eò magis illam extollit & effert: eamq; ad tantum dignitatis fastigium euehit, vt iure possit regnũ cælorum nuncupari. Denique quia Christus in terram descendit, idcirco homines in cælum conscendunt: neque id ex illo solùm capite intelligendum est, quòd Christus hominum induens naturam, illis ad cælorum regiones ascensum parauit; sed etiam mysticè potest magna cum elegantia accipi; videlicet, quia

Christus in terram descendit, vt homines ascendant in cælum.

Digitized by Google

A quia Christus per rerum admirabilium operationem descendat in terras, & in suis fidelibus præclara & excellentia præstet; propterea eos mysticè ad cælum ascendere: tum propter sublimitatem, ad quã Christiana Ecclesia tollitur; tum etiam propter excellentiam, qua tam excellit populo Israëlitico, quàm ab humili terra sublime distat cælum. Cur verò Beatorum Ecclesia sit in terris conspecta, suo loco explicabitur, nempe in cap. 21.

Nec solùm primitiua Ecclesia apparet in cælo; sed etiam Ioannes illuc vocatur ac fertur, vt eam cominus intueatur atque consideret. Quòd autem cælum Ioanni pateſcat, & eò ipse tollatur; indicat altissimam fuisse ac perfectissimam cognitionem illi de cælestibus hisce mysterijs concessam. Licèt enim antiquis Vatibus cælum aliquando fuerit patefactum, vt è terris aliquas ex rebus cælestibus aspicerent; numquam tamen illuc sublati esse dicuntur. Sed id Ioanni conceditur, cui ceteris clariùs atque sublimiùs rerum cælestium cognitio impertitur: de quo infrà notatione 1. *Cælum Ioãni patescere, quid denotet.*

VERS. I.

ET VOX PRIMA, QVAM AVDIVI, TAMQVAM TVBÆ LOQVENTIS MECVM] Non id tantùm agit Ioannes, vt primam quam audiuit vocem post reseratum cælum, tubæ esse asserat; sed illud etiam, hanc scilicet vocem à se modò auditam esse eamdem cum prima illa capitis 1. 10. *Audiui post me vocem magnam tamquam tubæ.* Ibi autem vidimus, per tubæ vocem non aliud exprimi, quàm bellum à Iudaico populo Christianæ Ecclesiæ illatum; nec significari aliud sonitu illo per Christi os emisso, quàm Christianam Ecclesiam à Christi ipsius spiritu per bellum illud edoceri suæ vocationis excellentiam, & cælestem eam Theologiam, de qua in Apocal. sermo est ab hoc c. 4. ad 11. Appositè ergo in ipso actionis initio auditur vox illa tubæ; atque eadem dicitur Ioannem inuitasse, vt cælum conscenderet, noui cælorum regni excellentiam conspecturus. Quo ostenditur Ioanni fuisse monstratum bellum illud, in quo Christi Ecclesiæ sublimitas vel maximè enituit; atque adeò ipsum Ioannem hac ratione certiorem fuisse factum de futura Ecclesiæ celsitate, deque septem diuinæ prouidentiæ spiritibus, qui in eo bello pro Ecclesia tantopere excelluerunt. *Vers. 1. Qua sit hæc tuba vox Ioanni audita.*

B

DICENS, ASCENDE HVC] Christus tubæ voce præcipit Ioanni, vt eò conscendat: sed cùm Christi locutio adeò efficax sit, satis ea superque fuit; vt nullo alio alarum aut scalarum adminiculo eum in sublime efferret. Quippe cõscendit Ioannes cælum in extasi: hic enim fuit Christi vocis effectus. Cùm igitur hæc tubæ vox Ecclesiæ persecutionẽ repræsentet; admirabilis illa vocis efficacitas, quę Ioannem ad cælestẽ eam contemplationẽ euexit, nos docet hunc Christi esse morẽ, vt sc. laboribus ac persecutionibus suos fideles à terrenis rebus ad suorũ consiliorũ admirabilẽ cognitionẽ efficaciter attollat. *Quomodo Ioannes in cælum euocetur, & ascendat.*

ET OSTENDAM TIBI, QVÆ OPORTET FIERI POST HÆC] Verba hæc videntur primâ specie fauere opinioni Hentenij & Salmeronis; qui sibi persuaserunt Apocalypsin scriptam fuisse ante Hierosolymæ excidium, & nihil in Apocalypsi contineri ex ijs, quæ iam præterierant. Hæc tamen opinio suprà iam à nobis impugnata est notat. 2. prolegom. & ex hoc ipso cap. efficacissimè impugnatur. Etenim etsi Ioanni dicatur initio, fore illi ostendenda, quæ oportebat fieri post hæc; certum tamen est, quæ illi toto hoc capite monstrantur, non esse euenta deinceps in Ecclesiæ progressu successura, sed Ecclesiæ ipsius primordia. Hoc ergo stabilito, explicare oportet, quid sit quod Ioanni in præsenti dicitur; *Ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc.* *Quænam Ioanni promittantur ostendenda.*

C

Erit fortasse, qui declinandæ difficultatis causâ existimet, verba illa, *Quæ oportet fieri post hæc*, non ad veritates Ioanni reuelatas, sed ad ipsam actionem seu repræsentationem esse referenda; quasi ei dicatur, Prologum in terra spectasti; ascende modò in cælum, & reliquam actionis partem intuebere. Verùm hic sensus humilior est, quàm deceat, nec cum Græca phrasi congruens: non enim agi comœdiam, γίνεσθαι dicitur; omnino ergo sermo est de rebus ipsis, quæ Ioanni reuelandæ erant. *Varia hac de re expositiones.*

Dicet alius, ad ea præuidenda, quæ post hanc vitam futura sunt, aptissimum esse, vt in cælũ, animorum consideratione, ad contemplandam Christianæ Ecclesiæ altitudinem ascendamus. Eodem ferè modo, quo de principe, vel de quouis alio loquens dicere posset aliquis ad amicum; Vis ne tibi ostendam, quem noster Antonius habiturus sit exitum? Audi ergo, & expende eius mores & ingenium: præsentia narro; tu hinc futura conijce. Atque hic sensus cohærere videtur cum ijs, quæ supra diximus ad ea verba cap. 1. num 1. *quæ oportet fieri citò.* Hæc tamen explicatio non placet; quia huius reuelationis fuit intentio, reuelari Ioanni eos Ecclesiæ successus, quos ipsa fuerat habitura: atque adeò coactum est, ad alterius vitæ successus referre explicationem. Nec verò opus est, vt hęc verba eodem modo explicentur, quo illa capitis primi, *quæ oportet fieri citò.* tum quia in præsenti deest aduerbiũ illud *citò* (licèt typographorũ errore in codicibus aliquot perperã legatur *citò*, & in alijs *statim*) tum etiã quia c. 1. sermo est de ijs, quæ Christus palàm facit omnibus ferè fidelibus: at in præsenti agitur de ijs, quæ Ioanni singulariter ostendenda erant; neque tamen oportebat ea palàm fieri vniuersæ Ecclesiæ.

D

Diceret fortè alius, de ipsis rebus, quæ in hoc capite recensentur, affirmari verè & eleganter potuisse, *Ascende huc, & ostendam tibi, quæ oportet fieri.* Licèt enim res illæ iam essent præteritæ, nondum tamen earum magnitudo, & præstantia fuerat mundo reserata: & tunc aliquid fieri dicitur, cũ manifestatur. Et quoniam Ioanni reuelatum fuit, Christi tandem Ecclesiam de Iudæis & Gentibus triumphaturã, atque tunc eius gloriã manifestandã esse; ideò aptè dictũ esse ei, *Ascẽde huc, & ostendã tibi, quæ oportet fieri.* Hæc explicatio alicui fortassis arrideat: nec in re ipsa ab eadẽ explicatione recedemus. Sed quod ad phrasim attinet, aptius ac simplicius esse existimo, vt sermo sit non de vniuersis, quæ reuelanda erant Ioanni, sed de totius reuelationis scopo. quasi ei diceretur: *Ascende huc*, & ostẽdetur tibi admiranda victoria quam ex Iudæis & Gentibus Christiana reportabit Ecclesia. Ceterùm, vt id tibi monstretur, oportet paulò altiùs repetere totius visionis seriem, & ab ipso initio exordiri Ecclesiæ celsitatẽ, recensitis iudaismi & gentilismi aduersus illam bellis. Visionis tamen scopus est, vt dixi, tibi ob oculos ponere futuram Ecclesiæ felicitatem: atque id significant verba illa, *post hæc*, græcè μετὰ ταῦτα, id est, *posteà*. *Vera auctoris interpretatio.*

Digitized by Google



Digitized by Google

NOTATIO I.

De visione, quæ ostensa est Iacobo patriarchæ, ad quam in præsenti alludit Ioannes.

GENES. 28. 12. dicitur de Iacobo, *Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum; angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes super eam. cumq; euigilasset Iacob de somno, ait; Non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli.* Eandem visionem describit Iosephus lib. 1. Antiqu. cap. c. 19. & de eadem agitur Sap. 10. 10. vbi dicitur: *Sapientia profugum iræ fratris iustum* (scilicet Iacobum) *deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei.* Ad eandem etiam visionem respexit Dominus Ioan. 1. 51. vbi ait; *Videbitis cælum apertum, & angelos Dei ascendentes, & descendentes supra filium hominis* Nec dubito, quin Apocalypsis etiam in hoc eodem loco cap. 4. n. 1. eôdem respexerit. Etenim portæ cæli, quam vidit Iacobus, respondet in Apocalypsi *ostium apertum in cælo.* Quòd si ibi angeli ascendebant; hìc Ioanni dicitur, vt ascendat ipse. Itaque locus hic Apocalypseos efflagitat, vt Iacobi scalam, eiusque mysterium attentè perpendamus; quod magnum procul dubio est. Nam inter miras sacrarum Literarum visiones & mysteriis arcanis refertas fortè hæc Iacobi visio est, quæ sese primò offert. Quare vt clariùs in ea progrediamur, duas in partes illam secabimus: in quarum altera de ipsa visionis idea; in altera de eiusdem explicatione, & significatione agemus.

SECTIO I. *De idea visionis scalæ.*

Num Deum Iacobus in superiori scalæ parte, an in inferiori viderit?

VIDIT ergo Iacobus Genes. 28. 13. *Dominum innixum scalæ.* Vbi interpretes vulgò existimare videntur, Deum in sublimi scalæ parte esse. Ita expressè Caietanus ibi; & Iosephus etiam l. 1. Antiqu. c. 19. Mihi verisimile valdè est, Deum non in summa, sed in ima scalæ parte esse innixum, quasi scalam teneret atque firmaret, quò angeli ascēdere & descendere possent securiùs. Hoc elicio in primis ex textu. Nam Vulgatus legit, *innixum scalæ*: LXX vertunt, *incumbentem scalæ*: & Hebræa sonant, *iuxta scalam.* Atqui hæc omnia id obscurè innuũt, Deum ad scalam applicitum adhærere: quod propriè sonat, ipsum esse in infima scalæ parte, atque ipsam veluti tenêre, & firmam reddere. Deinde hoc pacto confirmari solet scala, si quis ad imam eius partem firmiter adhæreat. Et verò quamuis possit ex superiore parte ipsam sustinere & solidare; dum tamen textus aliud non explicet, sed Deum nobis proponat scalæ inhærentem, & loquentem cum Iacobo, simplicius est eum ad scalæ extremitatem infimam considerare.

Difficultates contra præditam doctrinã; earumq; solutio.

Obiicies tamen, Ariam Montanum ex hebræo vertisse, *super scalam.* Respondeo, hebræam vocem æquè vtrumque significare, scilicet tam *iuxta*, quàm *supra.* Quin & *supra*, siue *super* interdum sumitur pro *iuxta*, vt Psal. 136. *Super flumina Babylonis.*

Secundò obiicies; Si Deus in ima scalæ sede erat, nihil est cur angeli ascenderint; ideo enim ascendisse videntur, vt Deum intuerentur, siue ad eum Iacobi preces deferrent. Respondetur; Textus ipse exprimit Iacobum, etsi non ascendebat, Deum tamen secũ colloquentẽ aspexisse; non igitur angeli idcirco scandebant, vt Deum viderent, siue Iacobi orationes deferrent.

Tertiò obiicies; vt scala firma & immòta esse credatur, non est necesse Deum illi inhærentem, eamque sustinentem contemplari. Rectè enim excogitari potest ingens ex lapide ædificium pyramidis instar, quod gradibus vndique constet à summa parte ad imam vsque. Atque hæc est Ariæ Montani consideratio. Respondeo, huiusmodi considerationẽ in sacra Scriptura non ita, ac meam, fulciri. Cùm tamen ad significationem mea explicatio valdè sit apta, vt postea subiiciam.

Angelos Iacobo visos per scalã ascendere, sine alis esse considerandos.

Porrò angelos ipsos absque alis fuisse considero; siquidem appositæ fuit scalæ; cui Deus adhærebat, vt angeli ascenderent, atque descenderent. Nec alios esse existimo, qui descendunt, ab ijs qui ascendunt; sed eosdem & ascendere primò, & deinde descendere. Hoc enim ordine id explicat Gen. 28. 12. & Ioan. 1. 51. *Ascendentes & descendentes.*

Alcasar in Apocal.

Angelos non summitatem modò scalæ conscendere, sed cælum etiã ingredi.

Non considerandum modò est, angelos ad scalæ summitatem accedere, sed etiam in cælum ingredi. Sic enim videtur Iacob ipse statuere, dum ait, *Domus Dei & porta cæli.* Id quod Christus clariùs adhuc exprimit Ioan. 1. vbi nulla mentio est scalæ; sed tantùm asseritur cælum fore apertum, & angelos ascensuros illuc, & inde descensuros. Atque eadem phrasis, *ascendere in cælum atque descendere*, idem sonat, quod ascendere ad cælestia mysteria cernenda, & contemplanda; atque descendere ad ea hominibus euulganda. Vide Deuter. 30. 12. *Mandatum hoc non est in cælo situm; vt possis dicere, Quis nostrûm valet ad cælum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus?* &c. & Prouerb. 30. 4. *Non noui scientiam sanctorum; quis enim ascendit in cælum, atque descendit?* & Ioan. 3. 13. *Nemo ascendit in cælũ* (ἀναβέβηκε, in præterito) *nisi qui descendit de cælo*, id est, nemo illuc ascendit, præter me. Item Rom. 10. 6. Paulus alludit ad locum Deuter. 30. & ait, *Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendit in cælum?* Et subdit; *id est, Christum deducere.* q. d. Id, quod optare poteras, quando dicebas, Vtinam quis ascenderet in cælum, atque descenderet? idipsum cumulatissimè tibi Deus concessit, efficiendo vt Christus descenderet de cælo.

Ascendere in cælum atque descendere, quid sit.

Dices; Non conuenit inter se considerare Deum in infima scalæ parte, atque adeò in terris existentem; angelos verò ascendentes in cælum, & diuina in eo mysteria cernentes: tum quia Deus ipse poterat eadẽ mysteria, quam angeli Iacobo multò clariùs & perfectiùs enunciare; quare nihil erat cur ideo angeli eò conscenderent, vt dein redeuntes Iacobo visa narrarent: tum etiam, quia quidquid in cælo cernitur, in Deo ipso cernitur. Si igitur Deus ad scalæ radices erat, non rectè angeli ad cælestia intuenda cogitantur ascendere.

Ad Primum tamen Respondetur, maioris fortè esse gratiæ angelos scandere, vt mox videbimus; & certè nolle Deum per semet ea retegere, quæ per angelos hosce enunciare decreuit.

Ad Secundum Respondetur; Deus ipse, qui infrà, scalam, ne collabatur, fulcit; suprà, etiam mysteria reuelat; iuxta illud Danielis: *Est Deus in cælo reuelans mysteria.* Quare illuc conscendere oportet, ad cælestia arcana spectanda. Necdum exploratum est, vtrùm huiusmodi angeli ascendãt, vt in diuina essentia videant mysteria illa, quæ Deus illis retegit. Verùm vtcumque hoc sit, aptissima consideratio est, cælum esse veluti regiam domum ingenti gaza refertam; & regem in inferiori parte scalæ gradus fulcire, vt angeli in cælum ascendant, & tota ibi regia cum suis opibus & thesauris illis propalam referetur; vt in terram reuersi visa hominibus referre possint.

SECTIO II. *De propria scalæ & angelorum significatione.*

Visionis Iacobo per scalam ostensa finis & significatio.

PRÆCIPVA huius visionis intentio fuit, Iacobo speciẽ quamdam, siue imaginem proponere; quæ illi optimè indicaret, quanta fuerat diuinorum mysteriorum lux atque notitia Catholicæ Ecclesiæ sub felicissima legis gratiæ tempora per Apostolos & eorum imitatores conferenda. Hoc vt rite percipiatur, expendere oportet visionem Iacobo ostensam congruere debere cum iis, quæ illi Deus ad finem visionis promisit; scilicet, *Benedicentur in te & in semine tuo cuncta tribus terra.* Voluit namque Deus Iacobum à fratris ira fugientem consolari, prædicens illum ab ipso Deo fuisse electum, vt per ipsius genus totum terrarum orbem veris Euangelicæ prædicationis diuitiis, & regni cælorum gazâ locupletaret. hoc autem vt efficaciùs præstaretur, cælorum thesauri, & Christi regni arcana erant Apostolis reseranda; vt ipsi hominibus ceteris toto orbe dispersis annuntiarent Quod (vt

Digitized by Google

posteà explicabo) mirè in eo exprimitur, vt noui angeli cælum ipsum ascendant, ibique mysteria altissima scrutentur, quæ posteà mortalibus diuulgent. Hæc consideratio verbis illis Sapientiæ haud parum roboratur cap 10.10. *Hæc* (scilicet sapientia, seu diuina prouidentia) *profugum iræ fratris* (nempe Iacobum) *deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam sanctorum.* Vbi dubitandum non est, quin Iacobo Dei regnum monstrare, & sanctorum scientiam tribuere, siue sanctorum cognitionem tradere, sit ad scalæ visionem referendum, vt omnes fatentur interpretes. Scopus ergo visionis illius erit significare, Apostolos ab humo attollendos, & cælorum conscensione, id est, rerum cælestium cognitione beandos, vt Euangelium ipsi, siue bonum de Christo nuncium hominibus afferrent. Iuxta id, quod Christus ipse dixit Marci 4. 11. & Lucæ 8. 10. *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei.* Atque hac ratione Iacobo sanctorum scientia, id est, populi sancti & electi notitia fuit concessa, quem Deus & in ipso Iacobo figurauit, & fuerat ex eiusdem genere erecturus. Quo illud potissimùm effecit Deus, vt Iacobus suæ prolis excellentiam intueretur, vel in ea potiùs altissimam Christiani populi dignitatem. Porrò is, quem nuper attuli, Sapientiæ locus (ni fallor) exigit, vt angelorum nomen non ad beatos illos cælestis hierarchiæ spiritus, sed ad hosce militantis Ecclesiæ viros apostolicos referamus. Regnum enim Dei, de quo sacra Scriptura, non est aliud, quàm Christianæ Ecclesiæ regnum: iuxta illud Lucæ 17. 21. *Regnum Dei intra vos est.* Et Lucæ 11. 20. & Matth. 12. 28. *Peruenit in vos regnum Dei.* Atqui idem est *regnum Dei*, ac *domus Dei*. Iacobus verò experrectus è somno dixit: *Verè non est hic aliud, nisi domus Dei*, &c.

Quod sit regnū Dei Iacobo ostensum: quæ sanctorū scientia illi data.

Qui sint angeli Iacobo visi per scalā ascēdere.

Præter hæc, custodes angelos ascendere, atque descendere resurrectionis aut ascensionis die; siue etiam in extremo iudicio, vel ad Deo offerendas Sanctorum, qui in terris degunt, orationes, & referenda inde Dei ipsius responsa; hæc (inquam) minimè sunt è re ac mente extremæ illius partis visionis, *Benedicentur in te, & in semine tuo cuncta tribus terræ.*

Considerandum est insuper, vsitatam esse sacræ Scripturæ phrasim, qua sacerdotes, ac Dei ministri angelorum nomine appellantur; vt pluribus ex locis planum fit. Præterquàm quòd in hac visione non obscurè innuitur, sermonem esse de nouo angelorum ordine: siquidem non alati volitant per aëra, sed per scalas gradatim ascendunt; & priùs iidem ascendere, posteà descendere dicuntur. Homines quidem ratiocinationis vsu à natura ipsa constricti, cùm ad rerum cælestium cognitionem ascendunt, appositè considerantur non alis, sed rationis ac discursus scala, quasi quibusdam gradibus innitentes ascendere; dum mentis & ingenij ratiocinatione sese paulatim attollunt. Angeli verò cælestes non item; sed vel minimo momento, quasi vnico, & rapidissimo volatu eò simul vi mentis perspicacissimæ feruntur, quò ingenij aciem destinant. Cumque cælum sit proprium eorum domicilium; vt homines conueniant, non priùs ascendunt, ac descendunt deinde; sed descendunt primò, dein cælum propriam domum repetunt. Homines autem sunt, qui vt regni Dei mysteria prædicent, cælum debent priùs conscendere, atque inde concionator quisque (si sui officij partes cumulatè præstare velit) est ad suggestum descensurus. Scitè enim Diogenes Cynicus, disputanti cuidam de cælestibus dixit; *Quando de cælo venisti?* Sacræ igitur Scripturæ locutio ascendendi cælum, & descendendi, cùm de diuinorum arcanorum cognitione & manifestatione sermo est, nunquā ad cælestes angelos spectat, sed ad terrenos, nempe homines: vt in illis locis supra allatis Deuter. 30. 12. Prouerbior. 30. 4. facile est videre.

Sacerdotes ac Dei ministros sæpè in Scriptura angelos vocari.

Cur angeli Iacobo visi absq; alis sint considerandi.

Concionator optimus cuiusmodi esse debeat.

Quòd si obiicias, de Christo etiam in hoc eodem sensu dici, ipsum ad cælum ascendisse; Respondeo tunc agi de Christo quatenus homine: ille autem fuit primus homo, qui mysticè cælum conscendit; quem deinceps Apostoli, vt mox dicemus, fuere secuti. Phrasis ergo ascendendi tam in Christo, quàm in Apostolis, supponit eos in terris esse.

Illud etiam Tertiò Notari oportet, sacrarum Literarum scalam esse, qua Deus sui Euangelij ministros ad rerum diuinarum notitiam effert. Hæc est nimirum scala, quam Deus ipse suo testimonio firmat ac fulcit, nec non inconcussâ auctoritate. Atque id est, Deum ad scalam adhærere; vt noui angeli scandant securi, à cælo ipso allecti & erecti, vt Deus tanto eos cumulet beneficio, mysteria illis ostendendo, quæ in sacris Literis abstrusa delitescunt. Quæ ascendendi ratio affatim secura est, longeque alia ab ea, quæ humano tantùm nititur ingenio; cui proinde suam Deus auctoritatem non applicat. Quare & lubrica satis via est, & in ea homines frequenter dilapsi corruerent, si nullo alio suffulti adminiculo vellent ad rerum altissimarum cognitionem peruenire. Quin & horum angelorum descensio ad concionandum debet hac eâdem scalâ inniti.

Quid per ipsam Iacobi scalam figuretur.

Addo insuper, Deum ad imam scalam esse; vt significetur Christianam Ecclesiam hic etiam apud se habere Deum, qui sacrarum Literarum scalæ robur ac firmitatem addat. Quia habemus Pontificis summi, & Conciliorum decreta; quibus nos quoque satis superque efficimur certiores de vera Dei Scriptura, deque secura ipsius doctrina. Vide Ezechiel. 48. fine; vbi nomen Romæ est, *Dominus ibidem.*

Cur Deus ad imam scala partem sit.

Notandum Quartò est, certum videri scalæ visionem esse prophetiam rei, quæ non fuerat, nisi in Euangelij prædicatione, complenda. Nam vt de re, quę nondum erat impleta; breui tamen implenda, dixit Christus Ioan. 1. 51. *Amen dico vobis; videbitis cælum apertum, & angelos Dei ascendentes & descendentes.* Expende contextum, qui manifestè postulat, vt hæc verba ad magnam cælestium mysteriorum reuelationem referantur. Præcedit enim ibidem, Christum Nataneli reuelasse, quod humanitus sciri non poterat, nempe Nataneelem fuisse sub ficu, antequam à Philippo vocaretur, ibique a Christo visum esse. Quod Nataneel valdè miratus, Christum Dei esse filium credidit. Tum Christus: Si me (inquit) ex eo æstimas, quòd tibi terrenum quidpiam nunciarim, quod naturali scientia cognosci non poterat; quid erit tibi admirationis & stuporis, cùm seruos meos videas cælum conscendere, atque ibi rerum cælestium altissimâ scientiâ imbui, quas posteà descēdentes hominibus narrēt? Quis non videat, aptissimum esse contextum de reuelatione & communione mysteriorum regni Dei? id est, de prædicatione Euangelica, vt satis indicatur Sapient. 10. 10. Huc spectat Cyrillus lib. 2. in Ioan. c. 21. (cui subscribit Toletus) qui ait, verba illa Christi, *Videbitis cælos apertos, & angelos Dei ascendentes & descendentes*; non ad aliquem diem singularem, sed ad totam Christi dispensationem pertinere; id est, ad legis Euangelicæ tempus. Et Augustinus ac Beda expressè angelorum nomine exponunt prædicatores Euangelicos, tum Ioan. 1. 51. tum etiam in scala Iacobi.

Quid sit angelos ascendere & descendere supra filium hominis.

Quintò aduerto, in mea declaratione, optimum inesse sensum verbis illis Christi, */supra filium hominis*, quod erat alioqui difficile: illud autem mihi idem est, ac in Christo fuisse completum, quod erat in Iacobo adumbratum. Etenim in scala Iacobi rectè perspicitur angelorum tam ascensionem, quàm descensionem fuisse supra ipsum Iacobum; id est, per scalam, quæ super ipsum erigebatur, siue iuxta ipsum. Igitur */supra filium hominis*, significabit Christum esse verum Iacobum; qui mortis somnum cepit, & supra se vidit angelorum ascendentium & descendētium scalam. Christus enim mortuus, siue Christi mors est præcipuum fundamentum; quo nixi huiusmodi angeli ascendunt, & descendunt. Et ex ea terra, in qua Christus requiescit, id est, Ecclesia, consurgunt angeli ascensuri, & eōdem descēdēdo remeant. Sed cùm ascensus, tum descensus supra Christum fiunt. Nam Euangelij & reuelatio, & promulgatio supra Christum solidatur. Non modò quia ipse est potissimum fundamentum, vt homines post ipsius descensionem ascendere possint & descendere; sed etiam quia totius Euangelicæ reuelationis & prædicationis summa, est ipsemet Christus. Vnde Christus Dominus quasi textus est; ceteraque omnia commentariorum instar sunt, quæ super ipsum diuini verbi textum conscribuntur.

Sextò

Digitized by Google

Ostium apertũ in cælo, quid sit.

Sextò nostra expositio roboratur; vbi expendatur attentè, in sacris Literis ostium apertum in cælo ad cœlestium mysteriorum reuelationem proculdubio spectare. Vide Ezechiel.1.n.1. *Aperti sunt cæli, & vidi visiones Dei.* Et Apocal.4.1. *Ecce ostium apertum in cælo.* Idem ergo erit sensus in scala Iacobi. Nec enim dubitari potest, quin portam in cælo apertam viderit; si quidem ait, *Domus Dei & porta cæli.* Id quod Christus magis exposuit, Ioan.1.51. *Videbitis cælum apertum.*

Discrimen inter veteru testamenti Patres, nouique Sanctos.

Septimò ad nostræ sententiæ confirmationem, perpendendum seriò est discrimen, quod inter veteris testamenti Patres, nouique Sanctos reperitur; licèt enim vtrique portam in cælo apertam aspexerint; ceterùm quemadmodum ante Christi aduentum nemo in suprema cœlorum penetrauit: ita etiam ante ipsum nemo dicitur in spiritu conscendisse cælum. Certè Ezechiel non ascendit, sed ad eum potiùs descendit cælestis currus; ait enim c.1.n.15. *Apparuit rota super terram iuxta animalia.* De Iacobo verò satis constat, eum neque per somnium ascendisse; quamuis in visione prophetica angelos ascendentes & descendentes conspexerit. Post Christi in terras descensionem, sicut sanctis post mortem aditus in superas empyrei cœli regiones patescit, vt reipsa conscendant, & intrent in gaudium Domini sui (cùm plenè iam sit Isaiæ votis satisfactum, *vtinam dirumperes cælos & descenderes*;) sic etiam viris Apostolicis ante mortem concessum est, non solùm vt cæli ostium viderent apertum, sed etiam vt per illud spiritualiter ad superiora cæli penetrarent. Nam & Ioanni Apocal. 4. dicitur *Ascende huc*; & Paulus raptus est vsque ad tertium cælum; & vniuersè dixit Christus Ioan.1.51. *Videbitis cælum apertum, & angelos Dei*, &c. Quasi diceret, Nunc re vera implebitur, quod olim fuit figuratum atque promissum; & quos Iacobus in cælum scandere aspexit, illi non ex eius ætatis hominibus, sed ex nostris erant.

Cur veteres prophetæ in terra visiones habuerint: Ioannes verò in cælum tollatur?

Si verò obiicias, Eliam etiam dici ascendisse in cælum, 4.Reg.2.11. Respondeo ibi non esse sermonem de Elia inter mortales manente, neque de cælo superiore, nec de ascensu spirituali; sed de propria per aërem eleuatione, & separatione ab hominum consortio mortalium. Inuestiganda est ergo ratio discriminis, cur Prophetæ ante Christi descensum, licèt viderint cœlum apertum, numquam tamen eò ascendisse & ingressi fuisse per illud ostium dicantur; Apostoli verò & viri Apostolici ascendisse, & in cæli superiora dicantur penetrasse? vnde & meritò dicunt, *Conuersatio nostra in cælis est*, Philip.3.n.20. Respondeo, eo discrimine significari, multò maiorem rerum cælestium cognitionem fuisse hominibus post Christi aduentum, quàm ante illum elargitam.

Elias nemo fuerit in cælum atherenum sublatus?

Pro cuius maiori explicatione, concipiamus mente in editissimo mõtis vertice regiam domum magnificè extructam, omni ingentium diuitiarum & pretiosæ supellectilis genere redundantem; ex vico insuper siue oppidulo ad montis ipsius radices sito nullum eò conscendisse; nec aliquid cognitionis de tanta illa gaza habere quempiam ex eis, præter eam, quæ confusè potest adquiri ex eo solùm, quòd portas aliquando patentes procul aspexerint, aut currum viderint, siue equitem ephippiis aureis insidentem, inde fortè exeuntem. Hæc certè illarum diuitiarum cognitio quàm sit parua & exigua, nemo non viderit; quantò præterea maior ac plenior esset si princeps regiæ illis arcis liberam faceret nonnullis ex illo oppidulo potestatem, vt illuc ascenderent, & magnificentissimam domus structuram, aurum, gemmas, regios thesauros, ac demum prætiosissima quæque attentis, auidisque oculis aspicerent; ac posteà ad suos regressi omnia per ordinem narrarent. Cælestis igitur domus est nouum cælorum regnum, quod magna cum energia appellatur domus Dei. Sic enim eam Iacobus appellat. Iam, quod in amplissima hac regia antiquis licuit Prophetis, id vnum fuit, vt currum aliquem inde prodeuntem, siue regis nuncium fortè prætereuntem viderent, aut saltè quod longissimè dissiti conspicere aliquando potuerunt, cùm valua cælestis patuit. At viris Apostolicis non valuæ solùm patuere, sed aditus fuit liberè permissus; vt omnes supernæ aulæ diuitias singillatim cernerent; & ad terras redeuntes visa hominibus recenserent. Idcirco Salomon Prouerbiorum loco suprà citato, cælestia penitus referre non audet; causatus, sibi non clarè & manifestè esse ostensa, quæ fuerant deinceps Christiano populo magnâ perspicuitate monstranda: *Non noui*, ait, *scientiam sanctorum. Quis enim ascendit in cælum, atque descendit?* Prou.30.4. & ea propter Ioannes dixit c.3.13. *Nemo* (hactenus) *ascendit in cælum.* Agit verò de cælestium mysteriorum reuelatione. Ex quibus omnibus non parum nostra explicatio cõfirmatur.

Ioannem & Paulum abscessa scala cælum conscendisse, quid sit.

Apostolos ergo quasi per scalam ascendisse constat; quia *aperuit illis Deus sensum, vt intelligerent scripturas.* Quod suo etiam modo in Ioanne, & Paulo verum est; licèt peculiaris sit ratio, cur vterque aliqua ratione asseratur non per scalas ascendisse. Ioannes enim & Paulus veluti angeli sine scala, sed rapido ac repentino volatu ad altissimam fidei mysteriorum cognitionem, singulari Dei beneficio conscenderunt. Perspicuum autem est, eos inde descendisse ad cælestem illam doctrinam hominibus promulgandam. Quia Ioannes Apocal.10.8. iubetur accipere librum de manu angeli stantis super mare & super terram. Paulus verò ipsemet ait, se in terra fuisse mox inuentum; nec planè scire, vtrùm corpore, vel extra corpus in cælum scanderit.

Denique in cælum ascendere est eleuari ad mysteriorum Dei cognitionem, Luc.9.10. Et descendere est tamquam scribam doctum in regno cælorum proferre de thesauro suo noua & vetera, Matth.13.52.

TEXTVS.

Vers.2. Et statim fui in spiritu; & ecce sedes posita erat in cælo, & supra sedem sedens.

Digitized by Google



Digitized by Google

A

COMMENTARIVS.

IPSA vocis tubæ efficacitas Ioannem in cælum sustulit, vt diximus v.1. atque id verbis illis innuitur, *& statim fui in spiritu.* Ioannes ergo in cælos euectus asserit, se ibi aspexisse principem in throno sedentē. Hic princeps haud dubiè est cælorū Rex, id est, cæli terræq; conditor; sed cùm Regis cælorū nomine designari possit Deus trinus & vnus; & possit etiā peculiariter designari Pater, aut Christus Dominus; in præsenti Dei Patris personam refert simulacrū illud, quod visum in throno est, vt explicabimus infrà. Priùs enim considerandus est thronus ipse, siue sedes, quæ posita erat in cælo. *Patrem esse æternum. qui Ioanni fuit in throno visus.*

Duo sunt in hoc throno expendenda: primum, illius forma siue species: alterū significatio. Quod ad primum attinet; in hac sede respicitur per allusionem ad sedem illam, quā Deus in Mosis priùs tabernaculo, deinde in Salomonico templo habere existimabatur. Illius autem throni species hæc erat; aurea tabula (quæ Propitiatorium appellatur) pro pedum scabello: duo Cherubini parui pro sella; qui è regione positi extentas alas, & inter se vicissim collatas habebant: vt si duo homines brachia in crucis modum vterque extenderent, quò alius consideret. Itaque Cherubinorum capita erant veluti sellæ brachia: alæ verò extensæ, sedes. Hinc est, sæpe Deum in sacra Scriptura dici sedere super Cherubim; nempe Exod. 25.22. Num. 7.89. 1. Reg. 4.4. 2. Reg. 6.2. & c. 22.11. & 4. Reg. 19.15. & 1. Paral. 13.6. Psal. 17.10. Psal. 79.2. Psal. 98.1. Isai. 37.16. Ezech. 9.3. & c. 19.4. & Daniel. 3.55. *Cuiusmodi fuerit forma throni: in quo Ioannes Deum vidit.*

B

Quæ cùm ita sint, mihi facilè persuadeo, Dei thronum, quem hîc Ioannes conspexit, esse quandam veluti effigiem propitiatorij, & duorum Cherubinorum, qui super ipsum erant. Quod inde mihi sit vetisimile, quia toto hoc cap. 4. fit allusio ad Salomonis templum. Nam viginti quatuor seniores sunt principes sacerdotum; qui etiam viginti quatuor erant. Ex 1. Paral. c. 24. Porrò septem lampades respondent septem lucernis candelabri; mare vitreum, mari æneo; animalia, magnis Cherubinis à Salomone factis: & caput ipsum, Dei laudibus & adoratione terminatur; quod propriè ad templum spectat. De hac tamen vniuersi huius capitis ad Salomonicum templum, allusione pleniùs infrà dicemus. Si igitur in huius capitis visione fiebat comparatio Christianæ Ecclesiæ cum templo Salomonis, in throno etiam Dei, quem vidit Ioannes, fuit etiam comparatio ad thronum, quem habebat Deus in templo. Quarè, cùm ex tot Scripturæ locis constet, thronum Dei in templo constare ex propitiatorio & Cherubinis; congruentissimè huius capitis thronus ad eūdem modum effingitur quo solet eum sacra Scriptura figurare. Huiusmodi enim pictura ingens continet mysterium, & huius capitis fini valdè est apta; de quo infrà. *Thronum fuisse veluti effigiem Propitiatorij.* *Dei thronus sæpè à prophetis visus qua forma fuerit.*

Nec in hoc solùm loco; sed vniuersè in visionibus propheticis, quæ Dei thronum nobis ob oculos ponunt, videtur certum eâdem ratione esse concipiendum: vt Exod. 24.10. Isai. 6.1. Ezech. 1.22.

C &c. Cum hoc tamē discrimine: quòd pro aurea tabula, Exod. 24.10. erat sapphirina, siue hyacinthina. Et Ezech. 1.22. erat crystallina. Et quidem quoad hanc partem, licet nobis per hos Scripturæ locos tabulam illam, siue pedum scabellum in hoc loco sapphirinum, aut crystallinum considerare; siquidem thronum vidit Ioannes in cælo. forma tamen throni non videtur aptè posse mutari ab ea, quam nobis tot Scripturæ loci testantur.

Dicet quispiam, simplicius esse vt thronus in cælo ex nubibus fingatur. Et facit, quod dicitur infrà v.5. *De throno procedebant fulgura, & voces & tonitrua.* Fulgura enim atque tonitrua ex nubibus procedunt. Adhæc, certum est, Christum in die Iudicij appariturum in sede maiestatis ex nubibus. Respondeo tamen me non negare, thronum à Ioanne visum, nubibus etiam circumdari: quemadmodum Dei sedes in Mosis tabernaculo, interdum nubibus obtecta fuit visa, Exod. 40.32. & thronus etiam templi Salomonici, 3. Reg. 8.10. Sed super has nubes considerandum est Propitiatorium & Cherubini: nam id postulat manifesta ad templum allusio, & crebra illa sacræ Scripturæ de Cherubinis in Dei throno repetitio. Accedit, quòd pro sede græcè legitur *thronus*, quæ vox sedem augustam significat, siue solium cum hypopodio seu pedum scabello: quod optimè cohæret cum tabula illa aurea, quæ Propitiatorio respondet, vt suprà diximus.

Hactenus de throni figura; nunc de significatione. Propitiatorium indicat animi demissionē, ac sanctitatem eorum, qui Deo se penitus subiiciunt, eiq̃ue in semetipsis sedem constituunt. Vide id

D Psal. 98.5. *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* Vnde ponere inimicos scabellum pedum Christi, est ipsos efficere sanctos, vt docet Paulus ad Hebr. 10.12.13. & nos explicabimus in commentario psal. 109. Cum quo rectè quadrat nomen Propitiatorij, quod Dei propitiationem sonat. Congruit item templi Propitiatorium fuisse ex auro metallorum pretiosissimo, quod charitatē & puritatem animi notat. Nec abs re est, quòd aliquādo Propitiatorium ex sapphiro apparuerit. Hoc enim ad vitæ cælestis significationem spectat; iuxta id Pauli, *Conuersatio nostra in cælis est.* Philip. 3.20. *Propitiatorium quid significet.* *Quid per Cherubinos Propitiatorij figuretur.*

Iam duo Cherubini significant sapientiam & sanctitatem, id est, mentem cęlesti lumine illustratam, & voluntatem in diuino obsequio accensam ac feruidam. Harum enim potentiarum perfectio sanctas animas & supremos spiritus efficit præclarissimam diuinæ maiestatis sedem. De hac tamen significatione latiùs infrà cap. 11. vbi de duobus testibus. Nunc solùm addo, alas esse symbolum prompti & erecti animi, atque in Dei iussis exequendis paratissimi.

Quibus positis, nota non esse sermonem de antiquo throno, quem Deus in cęlis habebat: sed de throno noui regni cælorum: id est de nouo & excelso admodum Dei throno, quem ipse post Christi redemptionem in Ecclesia habet: iuxta id psal. 92.2. *Parata sedes tua ex tunc; à sæculo tu es.* q.d. Licèt ab æterno tu sis Deus: de nouo tamen paratus est tibi thronus, ex quo Christus pro nobis mortuus est. Hic namque est literalis huius loci sensus: vt in illius Psalmi commentario explicabimus. *De quo Dei throno hic sit sermo.*

Digitized by Google

Quin & de hoc ipso noui regni cælorum throno loquitur Isaias c.6.1.cùm ait, *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum*: vt sequenti notatione planum fiet. In præsenti ergo, cùm de throno Dei agitur, ad locum vtrumque respicitur; id est, ad psal.92.& ad cap Isaiæ 6. Et genuinus sensus est, gloriosissimum esse Deo nouum regnũ, quod habet in Ecclesia Christiana, id est, in cordibus fidelium, vt exponit Ambrosius; ex eo vel maximè; quòd per Spiritum sanctum, qui Ecclesiæ datus est multorũ fidelium corda ei perfectè subiiciuntur per excellentem sanctitatem, & vitã perfectissimam, ac rerũ terrenarum contemptum. In allusione verò ad thronum Dei olim in Salomonico templo cònstitutum indicatur, Deum ipsum, qui suum quondam solium in Salomonis templo erexerat, veriùs nunc & excellentiùs in Ecclesia Christiana sedem ac domicilium magnificentissimum figere. A

Cuiusmodi sit forma sedentis supra thronũ.

ET SVPRA SEDEM SEDENS] Quod ad ideam attinet, in supradicto throno videt Ioannes simulacrum quoddam corporeum sedentis specie. Et de materia quidem huius figuræ dicemus versu sequente. Nunc de ipsius forma; quam humanam fuisse non dubito; tum quia aptissima est ad sedendum in throno, tum etiam quia c.5.1. videt Ioannes librum in dextra sedentis supra thronum.

Quod ad significationem spectat; Ambrosius & Andreas existimant per simulacrũ illud in throno sedens, Christum denotari. Quæ tamen expositio meritò ab aliis reiicitur; quia Christi typum gerit agnus ille qui c.5.accedit, & accipit librum de manu sedentis in throno. Dicendum est ergo illum, qui sedet supra sedẽ, Dei Patris figuram referre. Id quod ex conuenientissima iaspidis, & lardij ad Deum Patrem applicatione egregiè confirmabitur versu sequenti. Et licèt de visione illa Isaiæ 6. aliter nonnulli existimarint; nostra tamen sententia est, Patrem etiam æternum esse illum, quem ibi vidit Isaias sedentem in throno excelso & eleuato; vt notatione 3. constabit. B

NOTATIO II.

De nouo Dei throno, quem vidit Isaias cap.6.

Quis sit Dei thronus ab Isaiã visus.

THRONVM, quem Isaias vidit, multi generatim explicant de throno diuinæ prouidẽtiæ; de eo videlicet, quem habebat Deus, ex quo mundum condidit, eumque gubernat. Ego verò explico de nouo throno, quẽ erat Deus habiturus in Christiana Ecclesia post Christi mortem. Cui explicationi fauet 1 locus Ioan.12.41. Vbi agens Ioannes de hac Isaiæ visione, ait; *Hæc dicit Isaias, quando vidit gloriã eius* (scilicet Christi Domini) *& locutus est de eo.* Quod meo iudicio satis vrget, vt de Christi Iesu gloria, quatenus Deus & homo est, sermonẽ ibi esse cõcedamus. Propria autẽ Christi gloria est thronus, quem in Ecclesia post Christi ipsius mortem habet Deus. Iuxta id psal.92.2. *Parata sedes tua ex tunc.*

Secũdò, pro nostra expositione est, quòd visio throni capitis huius coniungitur cum prophetia de Iudaici populi reprobatione, atque de vtraque re agitur, vt de rebus connexionẽ inter se habentibus. Facile autẽ cuilibet Theologo est videre Iudęorũ repulsam habere connexionẽ in sacris Literis cũ nouo Dei regno, nẽpe Christianæ Ecclesiæ fundatione: non verò cũ antiquo Dei regno. Nec enim Iudæi ex regno Dei antiquo scandalum passi sunt, sed ex eo quòd in Christi cruce Deus suam sedem, solumque constitueret. Hoc ergo nouum regnum fuit, quod Isaias c.6. vidit.

Tertiò, meam interpretationem roborat, quòd similiter in Apocalypsi, noui regni Dei figuram, de qua c.4. subsequitur Iudaici populi reprobatio, à c.5. vsque ad 11. & quemadmodum apud Isaiam, vbi de hac reprobatione, decimæ partis conuersionem legimus (ait enim n. 13. *& adhuc in ea decimatio, & conuertetur*) sic etiam Apocal.11.n.13. *decima pars ciuitatis cecidit.* Quæ ruina seu casus, vt ibi videbimus, nil aliud est, quam Christi fidem amplecti.

Isaiæ trisagion quid significet.

Quartò, illud Isaiæ trisagion, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, omnes ad vnũ Patres exponũt de Sanctissimę Trinitatis prædicatione toto terrarum orbe personaturâ sub legis gratiæ tempora fælicissima: thronus igitur, cui trisagion adiungitur, erit noui cælorum regni thronus.

Quintò, mirificè cohæret temporis circumstantia; videlicet, *in anno quo mortuus est Ozias*; id est, vbi primùm mortuus est Ozias, vt exponit Chrysost. tom.1. in hunc locum Isaiæ & probat Arias Montanus in hũc locum. Atqui valdè fuit ad rem, vt per occasionẽ mortis Oziæ, & noui regni ad filium translati, Deus Prophetæ prænunciaret nouum thronum, quem sibi erat in terra post Christi mortem erecturus; qui licèt supremus omnium, veruśque Rex, reputatus tamen est quasi leprosus, Isai. 53.4. Vbi obiter notat Oziam sonare idem. quod Dei fortitudinem, qui appellatur etiam Azarias, id est, auxilium Domini, siue adiutor Dominus, & vtrumque nomen mirificè congruit Christo: qua ratione appellatur brachium Domini Isai.53.1. C

Ozias quid sonet.

Sextò, facit ipsa throni descriptio; Primò, quòd appelletur thronus excelsus, & eleuatus: thronus enim altissimus ille est, quem Deus in Ecclesia Christiana possidet; quæ proinde regnum cælorum appellatur; & pingitur Apoc.4.2. *Ecce sedes posita erat in cælo.* Quia nimirùm per Christum gloria in excelsis Deo decantatur; id est, in altissimis ac planè diuinis operibus. Quòd autẽ non solum dicatur solium excelsum, sed etiam eleuatũ; fortasse indicat (vt notat Bern.serm.14.ex 16.paruis) ex humili quidem conditione fuisse homines ad summã euectos dignitatem in Christianæ Ecclesiæ institutione, & erectione. Deinde iuuat throni descriptio propter ea, quæ mox adduntur, *& ea qua sub ipso erant replebant templum.* Vbi vox hæbraica sonat *fimbrias*, & de ipsius solij fimbriis accipi posse fatentur Hebræorum aliquot Rabbini apud thesaurum Pagnini: quem sensum videtur secutus Vulgatus. Nam alioqui ad significandas vestium fimbrias, vel ad purpurei paludamẽti splendorem, non erat apta phrasis, *ea qua sub ipso erant.* Cęterùm ad explicandum solij ipsius, siue pretiosissimi tapetis fimbrias vtrumque templi parietẽ pertingere, rectè ea phrasi dicitur; *ea qua sub ipso erant, replebant templum.* Quod idem est, ac dicere, oras siue fimbrias peristromatis Dei pedibus suppositi, vel solium potiùs magnificum ac regale ab vno ad alterũ templi parietẽ sese extendere. Et certè ad summam throni maiestatem & splendorem duo spectant; alterum, vt editus valde sit; alterũ vt magni pauimenti interuallũ occupet. Nec latiùs se potuit extẽdere, quàm vt totum spatium inter vtrumque templi parietem interiectum compleret. Quorum significatio elegantissima est. Etenim nouus Dei thronus non altissimus solùm, sed latissimus etiã est, & totum Christianæ Ecclesiæ spatium occupat pariter, & honore quã maximo decorat; vt infrà à Seraphinis additur, cùm aiunt, *plena est omnis terra gloria eius* Quod tamẽ olim legis antiquæ tẽpore secus erat, *cùm notus in Iudæa Deus*, quasi thronus medium solum templi locũ occuparet; est enim Iudęa in medio terræ. D

Cuiusmodi thronum Deus in Christiana Ecclesia habeat.

Dei throni ab Isaia visi dignitas & amplitudo.

Hæc throni Dei amplitudo quid significet.

Nota insuper, quod hìc asserit Arias, verbo scilicet *templum* vocem hebræam respondere; quæ significat non Sancta sanctorum, sed sancta; quæ erat exterior templi

Vox templum hic quid proprie in hebræo.

Digitized by Google

templi pars. Quod etiã nobis è re est; vetus enim quõ- A dam Dei thronus valdè abditus latebat; at in nouo Dei throno videtur Deus ex suo penetrali prodiisse, & ad nos propiùs accessisse, quò sacerdotalis populus liberè possit ipsius præsentiâ frui. Aduerte tamen verbum hebræum, quod est *hecal*, non semper accipi pro aula exteriori, vt notat Villalpandus tom.2. in Ezech.fol.257. aliquando enim ponitur pro templo in communi.

Apud Isaiam, cælum in templo figuratum.

Et quamuis Isaias thronum non in cælo, sed in templo viderit; templo tamen cælum figurabatur, vt colligitur ex psal.10.4. *Dominus in templo sancto suo; Dominus in cælo sedes eius.* Deinde erigi thronum in templo, indicat, in cælo mystico erigi & attolli *gloriam in altissimis Deo*, siue *in excelsis*.

NOTATIO III.

De sedente in throno, & de Seraphinorum trisagio.

Quis sit ille, quem Isaias in throno sedentẽ vidit. Opinio Toleti & Maldonati.

QVæri solet an species illa Dei sedentis in throno, B quam vidit Isaias, fuerit species Patris, vel Filii, vel Spiritus sancti, vel Dei prout est trinus & vnus. Varias Patrum opiniones referunt Toletus & Maldonatus in cap.12.Ioan.n 41 & vtrique videtur multò probabilius ab Isaia fuisse visam speciem Dei, prout est trinus & vnus; quia Seraphini clamabant, eum, qui sedebat in throno, esse trinum & vnum. Hæc tamẽ ratio non valdè vrget: fingamus enim Isaiæ propositam fuisse speciem Christi Domini regnantis in Ecclesia Christiana, & Seraphinos adstantes atque clamantes, sanctum esse Patrem, qui misit Filium suum; sanctum esse Filium, qui homines redemit; sanctum esse Spiritum sanctum, qui eoldem donis suis cumulauit. Quid hæc visio absoni, aut inepti habebit? Imò verò quid aptius? In Christi enim regno manifestè elucet sanctitas Patris, sanctitas Filii, & sanctitas Spiritus sancti. Præsertim cùm regnante Filio Christo, in eo etiam intelligatur regnare Pater, & Spiritus sanctus. Quamuis enim Pater dicatur omne iudicium tradidisse Filio, *quia homo est*; ex eo tamen non solùm non colligitur Patrem abdicasse à se iudicium, sed potiùs infertur Patrem iudicare ac regnare perfectiore ratione, quàm antea iudicabat, siue regnabat.

Addunt Toletus & Maldonatus aliam pro sua opinione rationem; quia aliter non possent conciliari duo loci in speciem pugnantes; alter Ioan.12.41. vbi ait, Isaiam vidisse gloriã Christi; alter Pauli Actuum 28.25. vbi ait, Spiritum sanctum ibi locutum esse ad Isaiam. Sed hæc quoque ratio facilè eleuatur, ex c.2.& 3. Apocal. vbi manifestum est loqui Christum, qui septem illas epistolas dictabat; & tamen in singulis dicitur; *Qui habet aures, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis*, nimirũ, quia omnes visiones propheticæ tribuuntur Spiritui sancto. atque ita licèt verè dicatur Christus apparuisse Prophetæ; nihilominus verè asseritur, illa, quæ à Christo audiuntur, à Spiritu sancto dici.

Dionysii Areopagitæ sententia.

Quid ergo? dicemúsne ab Isaia visam fuisse speciem non Patris, nec Spiritus sancti; sed Christi Dei & hominis in Ecclesia regnantis? Certè id sonare videntur Ioãnis verba, cap.12.41. & ea est sententia Dionysii Areopag. de Ecclesiastica Hierarchia c.4.parte 3.vbi ait, *Circa Iesum Seraphini firmiter stare describuntur.* Idemque asserunt Hilarius, Tertullianus, Clemens Rom. Cyrillus, & Ambros apud Tolet.annotat.24.in cap 12.Ioan. Quin & Marcellinus Papa in 1.epist. Decretali, quæ habetur tom.1. Concil.fol.435. videtur decernere eum, qui cum tribus pueris in Babylonis fornace apparuit, Daniel.3.92. *Species quarti similis filio Dei*, esse Verbum æternum Dei Filium. Id quod multi Patres ad antiquas Dei visiones extenderunt.

Nõ esse Christũ, qui in Isaiæ throno sedebat.

Nihilominus tamen similis locus cogit me aliter accipere. Is est Apoc.4.2. vbi dicitur; *Ecce sedes posita erat in cælo, & supra sedem sedens.* Nec dubium est, quin sermo sit de eodem throno, & de eodem sedente. & non potest esse Christus ille, qui sedebat in throno: Christũ enim illa visione repræsentabat agnus, de quo dicitur cap.5.7. *Et venit, & accepit de dextera sedentis in throno librum.* Cùm ergo certum sit, eundem esse, qui visus est Isaiæ, & Ioanni sedens in throno; & constet eum, qui visus est à Ioanne in throno, non esse Christum; constabit etiam non fuisse Christum, qui visus est ab Isaia supra solium excelsum & eleuatum.

Contẽdet fortasse aliquis, in Apocalypsi Christũ, quà homo est, figurari in Agno, & ipsummet Christum, quà est Deus, repræsentari in sedente super thronũ. Similiter Isaiæ 6. Dei Sapientiã seu Prouidentiam (quæ tribuitur Filio Dei) apparuisse sedentẽ super thronũ excelsum; atque ita cohærere, quod ait Ioan.c.12.41. Isaiam videlicet vidisse gloriã Christi. Præsertim cùm sedere & gubernare videantur propriè spectare ad prouidentiã. Verùm quamuis hæc distinctio naturæ diuinæ & humanæ in eâdem Christi persona sufficiat, vt verè & subtiliter intelligãt Theologi Christum, quà homo est, adorare etiã seipsum, quà Deus est; negari tamen non potest, quin aptius sit, vt, cùm Agnus proponitur accedens ad sedentẽ in throno, inter Agnum ipsum ac sedentẽ detur distinctio personalis. Quemadmodum in frequentissimo sacrarũ Literarum vsu nõ solet dici Christus orare & adorare Filium Dei, sed Patrem. Atque idem in Ecclesiæ Patribus obseruare licet: præsertim in Magno Gregorio homil 38.in Euangel. Propterea etiam non placet, vt per sedentem in throno intelligamus Deũ trinum & vnum. Quia sequeretur proponi in sacra Scriptura Christum hominem accedentẽ supplicẽ ad Filium Dei, dũ Agnus, qui Christum figurat, supplex ad sedentẽ accedit. Quòd C si sedens est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, ad Filium etiã accedit Agnus. Quod quamuis veritati subtilioris Theologiæ non repugnet; consuetudo tamẽ sacræ Scripturæ huiusmodi locutiones non vsurpat; ne videatur personaliter distinguere Christum hominem à Filio Dei. & aptius certè est, vt propheticæ visiones per vsurpatas à sacra Scriptura locutiones exponantur; in qua nõ legimus Christum ad alium siue accedere supplicem, siue orare; nisi ad Patrem. Itaque quãuis sedere in throno & gubernare sit cõmune toti Trinitati; nihilominùs tamen potest esse sermo de vna persona & non de alia formaliter. Id igitur, quod potuit dici, potuit etiam repræsentari: nempe Patrem sedere in throno, sicut 1.Cor. 15.24. dicitur tradendum esse regnum Deo Patri.

Nec esse Deũ, prout est trinus & vnus, qui ab Isaia fuit visus in throno; sed Deum Patrem.

Ex dictis colligo, eum qui sedere in throno visus est, non esse Deum trinum & vnum, sed solum Deum Patrem. Hæc est sententia Irenæi, Athanasij, & Basilij apud Toletum annot.24.in cap.12.Ioannis; tenet etiam Origenes homil.4.in Isaiam.

Sed dices, Si Isaias non vidit Filium sedentẽ in solio, D sed solum Patrem; quomodo verũ erit quod ait Ioannes cap.12.41 Isaiam scilicet in ea visione gloriam Christi vidisse? Respondeo, gloriam Christi consistere in nouo throno, quem Patri præparauit; vt colligitur ex illo psal. 92.2. *Parata sedes tua ex tunc.* Atque hæc gloria Christi habebit suum finem, id est absolutam perfectionẽ, cùm omnia fuerint Patri perfectè subiecta, iuxta id 1.ad Cor. 15.24. *Deinde finis, cùm tradiderit regnum Deo Patri* Vbi vides, thronum regni tribui Deo Patri; atque id esse maximè gloriosum Christo. Adhæc, Isaias vidit in specie Seraphinorum, Ecclesiæ Apostolos, qui sunt etiam gloria Christi: vt expressit Paulus 2.Corinth.8.23.

Isaiæ Seraphini quid innuãt in trisagio.

Iam verò, quòd Seraphini ante Dei Patris thronum adstantes, clament, *Sanctus, sanctus, sanctus*; non solùm non est dissentaneum, sed maximè etiam consentaneum. Nec enim id est prædicare trinum & vnum eum, qui sedet in throno; sed potiùs ex nouo throno colligere trium personarum distinctionem, & sanctitatem; id est, non solùm esse sanctum eum, qui sedet in throno; sed æqualiter etiam Christum, qui præparauit ei thronum; nec non Spiritum sanctum, cuius effusio facit, vt in Ecclesia Christiana Deus adeò excel-

Quæ mysteria in trisagio includantur.

lenter

Digitized by Google

lenter regnet, vt in ea dicatur habere solium excelsum & eleuatum. Et protinus distinctioni personarum adiungitur vnitas essentiæ; quia trisagio adiungitur nomen Iehoua. Dicitur enim *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum.*

Porrò in prædicto sensu non solùm prædicatur in trisagio Sanctissimæ Triados mysterium; sed humani generis redemptio, & Ecclesiæ sanctificatio. Hæc enim includuntur in sanctitate eorum operum, quæ ad Filium spectant; & in eorum etiam, quæ ad Spiritum sanctum. Quare Trisagion in se continet sanctitatem Christi passionis, & ipsius glorificationis, & demum totum Apostolorum Symbolum; vt explicabitur infrà in commentario.

TEXTVS.

Vers.3. Et qui sedebat, similis erat aspectui lapidis iaspidis, & sardinis, & iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinæ.

COMMENTARIVS.

Iaspidis & sardij colores ad sedentem in throno: colorem smaragdi ad iridē spectare.

PRæmittendum inprimis est duos primos gemmarum colores (id est, iaspidis & sardij,) referendos ad sedentis in throno figuram; & tertium (id est, smaragdi) ad iridem. Licèt enim hoc aliqui in controuersiam adducere conati sint, existimantes aptius esse, vt omnes tres colores tribuantur sedenti in throno; eos tamen planè refellit contextus, vt bene expendit Pererius disp.6. in cap. 4. optarem tamen, vt illam omitteret rationem, qua maximè nititur; scilicet fieri non posse, vt sedentis in throno species similis fuerit iaspidi & smaragdo, quia smaragdi viriditas est multò plenior atque viridior. Optarem, inquam, vt hoc prætermitteret: quia sicut eiusdem figuræ species potuit esse similis iaspidi, & sardio secundùm diuersas partes (alioqui enim repugnabat) sic etiam posset simulacrum illud ex tribus constare gemmis; sed ex duobus solùm constitisse, & textus ipse perspicuè docet, & mysterij explicatione egregiè confirmabitur. B

Duos sedentis in throno colores non promiscuos, sed distinctos esse secūdùm diuersas partes.

Quod ergo ad figuram attinet, valdè coactum est, velle duos illos colores iaspidis & sardij commiscere inter se: rectè autem & appositè fit, si simulacrum illud ex duabus gemmis effingatur, id est à lumbis ad pedes vsque ex iaspide; superior verò corporis pars ex sardio. Neque hoc meo ex cerebro fingo; sed primùm, vi rationis impulsus, vt diuersos colores ad diuersas partes referam, ex simili alia apparitione colligo primum colorem ad inferiorem partem referendum, & secundum ad superiorem. Deinde ex aptissima eius rei conuenientia ad mysterij significationem ita confirmor, vt me singulis gemmis suum locum tribuisse non dubitem.

Ioannem hoc loco ad Ezechielis thronū alluisse.

Notandum ergo Primò est, Ioannem, dum agit de coloribus sedentis super thronum, omnino respexisse ad alteram in throno item sedentis figuram, de qua Ezech.1.27. & c.8.2. quibus in locis describitur species figuræ illius, partim ex igne, & partim ex electro, id est, *ab aspectu lumborum eius & deorsum ignis; & à lumbis eius & sursum, vt visio electri.* Quid igitur congruentius, quàm vt in præsenti, quemadmodum respiciendo ad illam Ezechielis figuram dicitur, *Qui sedebat in throno similis erat aspectui lapidis iaspidis & sardinis*, vel sardij; ita similiter intelligamus concipiendam esse sedentis imaginem ab aspectu lumborum eius & deorsum ex iaspide, & à lumbis eius & sursum ex sardio? C

Eandem hîc iaspidis & sardij significationē esse cum ea, quā in duodecim fundamētis habent.

Secundò, Notandum est in significatione mysterij, cui deseruiunt in præsenti iaspis & sardius, valdè esse conueniens, vt hi duo lapides non habeant hîc significationē diuersam ab ea, quam inter duodecim ciuitatis fundamenta sortiuntur, c.21.n.19. & 20. Et miror sanè nemini interpretum hoc loco venisse in mentem, horum lapidum significationem cum ea esse conformandam, quæ illis cap.21. tribuitur. Vbi per ordinem disponuntur duodecim lapides: quod sine magno mysterio fuisse factum non est verisimile. Vide Perer. disp.3.4. & 5. vbi decem refert iaspidis & sardij coniunctorum expositiones. Sed in ijs omnibus id requiro, vt Apocalypsis in gemmarum mysterio vnius rationis, suique similis esse deprehendatur: id est, vt significatio illarum gemmarum in præsenti conformetur cum earumdem significatione in c.21. Quod ad elegantiam & symbolicam perfectionem conuenientissimum esse, nullus negabit, opinor.

Præterea, cùm imago illa, quæ visa est sedere in throno, omnino sit Patris æterni imago (vt suprà definitum est) ad exactam Apocalypseos elegantiam spectat, vt colores gemmarum illius simulacri symbola sint eorum operum, quæ singillatim attribuuntur Deo Patri: sicut enim res corporeæ per colores videri & dignosci possunt; sic inuisibilis Deus per ea, quæ ab ipso sunt facta, cognoscitur, & per opera, quæ propriè tribuuntur Patri, agnoscitur à nobis Deus Pater, atque distinguitur. D

Quid per iaspidē, quid per sardium figuretur.

Quibus præiactis, aduerto Primò duodecim fundamenta ciuitatis Hierosolymæ, quæ c.21. commemorantur, nō esse aliud, quàm duodecim fidei articulos, vt in illius capitis cōmentario cōstabit. Sunt autem ex iis fundamentis primum iaspis, & sardius quintum. Ex quo necesse est, vt iaspis ad creationis articulum referatur, & sardius ad Christi resurrectionem. Hi namque sunt ex fidei articulis primus, & quintus. Ex commentario autem capitis 21. planum fiet, singulas gemmas elegantissimè cum suis articulis conuenire; & nullam aliam ad rerum creationem ita congruenter aptari, vt iaspidem; neque ad Christi resurrectionem, vt sardium.

Inter opera Deo Patri attributa, creationē & Christi resurrectionem eminere.

Deinde aduerto, certissimum esse ex sacra Scriptura, inter opera quæ Deo Patri per attributionem singillatim assignantur, duo hæc inprimis eminere; rerum scilicet creationem, & gloriosam Christi resurrectionem. In his enim duobus singulariter Dei elucet potentia, quæ est propriū Patris æterni attributum. Et quemadmodum creaturæ per creationem esse cœperunt; ita per Christi resur-

Digitized by Google

A resurrectionem datum est initium nouæ creaturæ. Priùs enim nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Quare meritò Christi resurrectio cõsideratur in sacra Scriptura, quasi noui mundi creatio. Atque vt prima creatio propter potentiam tribuitur Deo Patri; sic etiã Christi resurrectio Patri ipsi eodem modo attribuitur, tamquam opus glorioſissimum, & ipsius potẽtiæ proprium. Quod, quia res erat valdè notanda, ideo sæpissimè in Scriptura repetitur; id nempe fuisse opus Dei Patris. Loci sunt non minùs viginti quatuor, videlicet, Actorum 2.24. & 32. & cap. 3.15. & 26. cap. 4.10. cap. 5.30. cap. 7.37. cap. 10.40. cap. 13.30. & 33. & 34. & 37. cap. 17.31. ad Rom. 4.24. & cap. 8.11. cap. 10.9. & 1. ad Cor. 6.14. & cap. 15.15. 2. ad Corint. 14. ad Galat. 1.1. ad Ephes. 1.20. ad Coloss. 2.12. 1. ad Thessal. 1.10. & 1. Petr. 1.21. Accedit, quòd articulus resurrectionis Christi meritò asseritur esse fundamentum fidei Christianæ. De quo vide Actor. 17. n. 31. & 1. ad Cor. 15.14.

Supereſt ergo reddere rationem, cur superior pars simulacri ex sardio, inferior verò ex iaspide constet? Hoc autem aptissimum fuisse facilè intelligitur. Quia simulacrum illud repræsentat Deum Patrem, qua ratione est obiectum notitiæ, quam de illo habet Ecclesia, per opera quæ illi singillatim tribuuntur. Atqui consentaneum valdè est, vt creationis symbolum tamquam inferius quid supponatur resurrectionis symbolo; vt ea ratione denotetur secundum hoc opus esse excellentius atque glorioſius. Præterquàm quòd sicut natura gratiæ supponitur; sic opus creationis, nouæ creaturæ initio, & quasi nouæ creationi supponendum fuit; atque (vt ita dicam) antiquæ potẽtiæ, id est, antiquis potentiæ operibus, nouæ creationis gloria addita est. Sed his rationibus magna accedit vis ex collatione huius simulacri cum eo, quod vidit Ezechiel c. 1.27. & c. 8.2. & ex ratione etiam, propter quam pars illius figuræ inferior ex igni fuerit, & superior ex electro. De quo dicemus seorsum notat. 4. Aliorum porrò explicationes de iaspide & sardio vide apud Viegam & Pererium.

Cur pars superior simulacri sit ex sardio, inferior ex iaspide.

B

ET IRIS ERAT IN CIRCVITV SEDIS SIMILIS VISIONI SMARAGDINÆ] Nota communem iridẽ variis esse coloribus distinctam: hoc ordine, vt infimum absidis seu curuaturæ locum violaceus color, medium viridis, summum luteus occupet. E contrario tamen in secundo arcu maiore, cùm duo apparent. Deinde plerique interpretum omnes hos in iride colores in præsenti contẽplantur. Quòd autem Ioannes visioni smaragdinæ, id est viridi colori, similem dicit; ideo dictum arbitrantur, quòd iris, quam vidit Ioannes, viriditate magis, quàm ceteris coloribus esset insignis. Hoc tamen mihi coactum videtur; & textus omnino declarat hanc iridem non alium habuisse colorem præter viridem, tantamque illi infuisse viriditatem, vt smaragdo similis appareret.

Qui soleant in iride colores, & quo ordine apparere.

Iris Ioanni visa in circuitu sedis an pluribus coloribus, vel vno solùm constaret.

At enim iris, quæ colorum varietate non distinguitur, iris non est. Respondeo tamen, si quando contingeret vt iris in cælo, qualẽ Ioannes describit, viridis appareret; iridem etiam tunc, non mutato, sed retento nomine iridis, appellaremus. Fortasse etiam absre non est intra viridem colorem C varietatem aliquam designare; ita vt in medio purior sit viriditas, & magis smaragdi æmula: in summa parte dilutior, & in luteum colorem nonnihil vergens; in ima verò obscurior, & propiùs ad cæruleum accedens.

Iam de significatione, infrà c. 21. ostendemus smaragdum Christi passioni respondere. At iridem quis non ex Gen. 9.12. apertè norit symbolum esse pignoris à Deo dati, quo suam hominibus placationem ac fauorem testaretur? Sic enim habetur Gen. 9.12. *Hoc est signum fœderis, quod do inter me & vos in generationes sempiternas: arcum meum ponam in nubibus: cumq; obduxero nubibus cælum, videbo illũ, & recordabor fœderis sempiterni.* Quòd si hæc propria est iridis significatio, quis non viderit Christi Domini passionem, verissimum cæli arcum esse? Quid porrò elegantius, quàm arcum ex smaragdo fuisse formatum, si Christi passioni hæc singulariter gemma respondet? Deinde cùm dicitur arcus hic in Ecclesiæ administratione perpetuò Patris æterni conspectui adesse; significatur non obscurè Deum pignore illo suis oculis obuersante, quasi constrictũ esse, vt & sibi ipse temperet irato, & Ecclesiã omni benignitatis officio prosequatur: præintellectâ videlicet ipsius fide, & obligatione per Christi mortẽ inductâ; nec nõ incredibili voluptate, quã ex obiecti sibi gratissimi aspectu percipit. Atque ita beneficia, quæ in nos confert assidua, & dato pignori, & nostræ expectationi satisfaciũt.

Quid per iridem significetur.

Elicitur ex dictis, quo sensu verissimè dicatur pignus hoc & obiectum ex viridi smaragdo totum esse, sine vlla rubræ vindictæ vel pallidi metus admistione (qui tamen colores viridem in communi iride vtrimque ambiunt, supernè pallidus, infernè ruber) quia Dominicæ passionis arcus suapte D natura totus est viridis, id est, totus spei nostræ obiectum, totus benignitatis, & misericordiæ promissio. Vide id Isaiæ 54.8. *In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te* (videbatur indignationis speciem dare velle) *& in misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit redemptor tuus. Sicut in diebus Noë istud mihi est, cui iuraui, ne inducerem aquas Noë vltrà super terram: sic iuraui, vt non irascar tibi. Montes commouebuntur, & colles contremiscent: misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur, dixit miserator tuus Dominus.*

Cur iris Ioanni visa ex solo viridi colore constaret.

Præter hæc, in cælesti hoc arcu alluditur ad arcum illum Ezechielis 1.28. *Velut aspectum arcus, cùm fuerit in nube in die pluuiæ: hic erat aspectus splendoris per gyrum.* Et vtroque in loco, ni fallit me animus, fit allusio in arcu cælesti ad arcam testamenti. Ridebit fortasse aliquis nostram cogitationem, & existimabit non aliunde dari eiusmodi allusionem, quàm ex latini nominis vicinitate, siue similis vocis sono, arcus & arcæ: quæ tamen paronomasia seu annominatio non est in græco, nec in hebræo. Verùm longè alia mihi mens est: inde enim allusionem elicio, quòd arca pignus erat fœderis à Deo cũ hominibus initi: & Scriptura, quæ erat in arca, continet fœderis sanctiones & pacta. Huic igitur vetusto fœderi respõdit pax noua, nouumque fœdus, quod in Christi assertoris nostri passione ictum est. atque vt significaretur noui fœderis excellentia, id est, quanto fuit & Deo glorioſius, & hominibus vtilius, honorificentiusque: ideo cælestis arcus vt noui & æterni fœderis symbolũ fuit electus:

qui

Cælestis arcus nouí & æterni fœderis symbolū.

qui etiam est fœderis atque pacis arcus. Sic enim in Scriptura appellatur. Et quemadmodum arca dicitur, arca testamenti: ita etiam Christus passionem suam vocat nouum & æternum testamētum. Arcus item nominatur arcus testamenti; & de cælesti arcu exponunt nonnulli id psal. 88. 38. *Et testis in cælo fidelis.* Licèt autem arca, vt quæ ex lignis compacta, æterna esse non poterat; nouum tamen fœdus, vtpote res planè cælestis, æternum est. A

Testamenti arcam nec ab Ezechiele, nec à Ioāne sub Dei throno fuisse visam: & quare.

Ex his infero, licèt in visione cap. 4. Apocal. & capitis 1. Ezechielis fiat allusio ad sedem, quam Deus in templo habebat; nihilominus nec Ezechielem, nec Ioannem vidisse sub Dei throno arcam (vt Pradus depinxit) commutata enim fuit arca in cælestem arcum; vt noui fœderis excellentia indicaretur. Quemadmodum mare æneum in vitreum mare conuersum fuit, vt infrà videbimus. Atque ad noui Testamenti pacem significandam idoneus valdè est cælestis arcus. Quare hæc arcus paciferi visio respondet iis, quæ Isaias ait c. 9. 7. vbi de mystico Dauidis solio, deque pace per Christum allata, *Vocabitur nomen eius Princeps pacis; & pacis non erit finis.*

Iris & tempestatis, & tranquillitatis prænūtia.

Denique etsi Poëtæ veteres (vt Virgilius) irim vt Iunonis administram & illius nuntiam, ac discordiæ symbolum contemplantur: Scriptura tamen sacra maiori iure eandem irim vsurpat, vt pacis symbolum ac fœderis inter Deum hominesque sanciti. Quod mysterio fortasse non vacat; sic enim res habet, vt quod homines paci fore contrarium existimabant, id fuerit veræ pacis, diuturnæ, ac planè diuinæ medium efficacissimum. Et sanè in arcu cælesti satis aptum ad vtramque rem extitit fundamentum. Nam, vt Philosophi asserunt, iris tempestatem interdum, interdum tranquillitatem prænuntiat. Aptius tamen esse ad pacis significationem, non sacrarum modò Literarum, sed humaniorum etiam studiosis notum est. Pro quo iuuat hîc obiter referre, quod in Ducum Brabantiæ Chronico legitur, Alberto & Isabellæ Principibus Louanij ante portam Bruxellensem scriptum in hanc speciem: B

OCTAVIANI AVGVSTI IN VRBEM ADVENTV, CORONA IRIDIS SPECIE, CIRCA SOLEM APPARVIT, NOVÆ POTENTIÆ / NOVÆ PACIS } AVSPICIVM.
HANC VOBIS, O PRINCIPES NOSTRI, SENATVS, POPVLVSQVE LOVANIENSIS IN IPSO INGRESSV DEDICAT, NOVÆ POTENTIÆ / NOVÆ PACIS } AVSPICIVM.

NOTATIO IV.

De electro & igne sedentis super thronum, Ezechielis 1. 27.

Vera Ezechielis loci interpunctio cuiusmodi esse debeat.

VERA textus interpunctio est, quæ sequitur, vt constabit infrà; *Vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis intrinsecus eius per circuitum à lumbis eius & desuper: & à lumbis eius vsque deorsum vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu.*

Inprimis hoc proculdubiò discrimē textus assignat, vt dimidia corporis pars à lumbis ad pedes extrinsecus in illa figura arderet; pars verò superior nō arderet extrinsecus. Ita expresè omnes interpretes in hunc locum, vt Origenes, Hieronymus, Gregorius, Theodoretus, Rupertus, Hugo Cardinalis, Lyranus, Isidorus Clarius, Arias Montanus, & Pradus. Verum est in Vaticanis & Plantinianis Bibliis, typographorū incuria, hæc verba perperam esse interpuncta, ita vt prædicto discrimini ac distinctioni nō seruiant. Ceterùm dubiū non est, quin eo modo sit verborum interductus apponendus, vt externa inflammatio ad inferiorem partem, non ad superiorem pertineat. Ita enim exigit contextus ipse, nec alium siue sensum, siue interpungendi rationem admittit. Quod ex lectione Septuaginta interpretum citra omnem est cōtrouersiam; atque etiam ex eadem Vulgata, cap. 8. 2. vbi sic legimus: *Ab aspectu, lumborum eius, & deorsum ignis: & à lumbis eius & sursum, quasi aspectus splendoris, vt visio electri.*

Vtrùm tota Ezechielis figura fuerit ex electro?

Deinde rectè potest existimari, totam figurā ex electro fuisse: sed illud tātùm est certum, superiorem partem referre electri similitudinem. Et quidem totā fuisse figuram ex electro, opinantur Gregorius, Rupertus, Lyranus, Hugo & Pradus. Ac textus ipse Vulgatæ c. 1. facilè potest ita interpunctis distingui, vt idipsum significet. Posset etiam aliquis dicere, licèt id textus ipse non exprimat; vbi verè de superiore parte corporis cōstet, esse idem de parte inferiore asserendum. Verumtamen manifestè patet non dispexisse Prophetam, vtrùm inferior pars fuerit ex electro. Vidit enim eam ardentē: atque ideo, licèt ex electro esset, affirmare non poterat se vidisse speciem electri in inferiori parte. Consecutio C autem ex parte superioris ad inferiorē, in rebus præsertim per speciē solùm menti obiectis, nullius omnino roboris est. Cùm ibi nō verum sit electrum, sed veri tātùm electri externa facies. Vnde vbi nulla est electri species, electrum est etiam nullum. Præsertim cū Hieronymus, & Theodoretus perspicuè affirment, superiorem partem, non verò inferiorem fuisse ex electro. Et rectus sermonis interductus, siue interpungendi ratio in Vulgata debet esse eiusmodi, vt electri visio ad superiorem tantùm partem referatur; vt tam ex LXX. lectione, quàm ex Vulgata in cap. 8. 2. liquidò constat.

Electrum aliàs hic pro metallo, aliàs verò pro succino sumatur.

Tertiò, electri nomen non hic sumitur pro succino, sed pro æris specie. Hoc docent expresè in hoc loco Origenes, Hieronymus, Gregorius, Theodoretus, & reliqui omnes interpretes tā Græci, quàm Latini, præter Lyranum, sequentes D. Dionysium Areopagitam lib. de cælesti Hierarchia c. 15. Contra hoc tamen duo D possunt opponi. Primū est, ignorari ab Hebræis, quid *Duplex difficultatis nodus.* significet hebræa vox *chasmal*; & ideo ait Lyra, nescire se, cur Hieronymus verterit *electrum*. Respondeo, quia LXX. Hebraicæ linguæ recentioribus Rabbinis peritiores reddiderunt etiam *electrum*. Quos imitati sunt Aquila, Theodotion, & reliqui Græci interpretes. Alterum est; si Vulgatus secutus LXX. posuit electrum, nulla videtur esse ratio, cur electrum pro specie quadā metalli sumatur, cùm prima ac potissima electri significatio sit, vt sumatur pro succino. Quod ex eo probatur; quia græca dictionaria hanc succini significationem, vt verā ac germanam recipiunt, nulla alterius facta mentione. Dictionaria item Latina affirmant metallum illud fuisse appellatum electrum, quia succinum colore ipso referebat. Si ergo analogum per se sumptum ad præcipuam significationem transferendum est, electrum hic non pro ære, sed pro succino sumatur oportet.

Deinde tam Vulgata, quàm hebraicus textus manifestè hic tribuunt electro internam claritatē & splendorem

dorem; id enim est, *Speciem electri velut aspectum ignis intrinsecus eius*: non igitur de ære, sed de succino sermo erit: interna enim metalli claritas, seu splendor dispici non valet, nisi metallum ipsum ignitum sit. Atqui electrum non erat succensum, siquidem extrinsecus (vt vidimus) non ardebat. Ad hæc, de succino ait Plinius l. 37. c. 3. *Fulvo maior auctoritas & summa laus est Falernis à vini colore dictis, molli fulgore perspicuis.* Quare Luciani prouerbium, *electro lucidior*, explicatur à Calepino de re magnopere dilucida; eò quòd succinum mirum in modum pelluceat.

Succinũ quoll nobilius, ex Plinio.

Electro lucidior, Prouerb.

Præterea ad significationis mysterium aptius videtur succinum, quam æs. Totus namque ille currus denotat Deum ad Hierosolymam deuastandam impetu ferri (vt c. 43. initio explicatur) atqui ad iræ significationem neque aurum, neque argentum ita sunt accommodata, ac succinum: quod cùm antea molle sit & facile, eius postea lentitudo ac mollities, vnda pariter atq; aëre gelante, lapidis duritiem induit. Potest etiam succino indicari parum abesse, quin Deus ira & indignatione æstuaret, cùm succinum prope ignem fuerit, imò ignem intra se habuerit; succinum autem materia est inflammatu facilis. Et Plinius singillatim de quadam succini specie colorem auri referente asserit eam celerrimè ardescere.

Nihilominus certò affirmo Prophetam speciem electri vidisse; non succini, sed metalli, vt ex argumentorum solutione manifestiùs constabit. Ad obiectionem ergo respondeo, euidens esse, electrum græcè nõ significare modò succinum, sed etiam æs. Dionysius enim Areopagita, nec non Theodoretus Græci erant; & tamen electrum pro metallo sumpsere. Nec profani desunt auctores: Homerum namque citat Plinius l. 33. c. 4. & Dalecampius ibi Pausaniam affert lib. 5. Dico ergo, non semper esse credendum dictionarijs; quin etiam verisimile esse (si quæ asserunt attentè legantur) aliquot ex ijs auctoribus, qui lexica conscripserunt, electrum metallum cum succino confundere, nec aduertere ea esse inter se diuersa. Ceterùm discrimine deprehenso, qui, obsecro, potest negari electrum græcè significare speciem metalli; cùm Dionysius, cùm Homerus, cùm Plinius id affirment? Imò verò probabile valdè est electrum in primo & germano significato esse speciem æris, quidquid Calepinus dixerit, & coloris imitatione succinum nomine electri fuisse appellatum. Probatur hoc Primò; nam electri significatio pro æris specie antiquissima est, si quidem in Homero reperitur. Et facit quod Plinius ait, reperiri aliquod succinum aureo colore. Secũdò, quia verisimilius est, electri æris vsum antiquiorem esse succino; & rationi magis consentaneum est, succinum colore esse simile metallo, atque ita fuisse ab antiquis animaduersum, quàm è contrario. Tertiò, Dionysius Areopagita, & qui eum Græci ac Latini sunt secuti, cùm apud Ezechielem legerunt electrum, non dubitarunt Prophetã de metalli specie loqui. Hæc ergo sine dubio erat receptior electri significatio, & alterà celebrior. Nisi dicere velimus, id eos ex contextu collegisse, qui nobis etiam apertè fauet. Succinum enim in igne durare non potest: quare, apta ratio non est, cur cogitemus ex succino esse figuram illam, cuius inferior pars erat ignita, & superior intra se ignem habebat. Iuuat hoc aliarum figurarum similitudo. Cherubini enim igneas ex se scintillas emittebant, & ex ære ardenti videbantur conflati. Et Daniel vidit etiam figuram aliam ex ignito metallo. Ioannes item primæ illius figuræ capitis primi pedes ex chalcolibano ardenti conspexit.

Ezechielu electrum fuisse metallum probatur. Ac prima difficultati fit satu.

Electri significatio pro metallo quàm sit antiqua.

Ad Secundum Respondeo: Si figura esset ex ære, non quidem solido, sed cauo, & varia haberet foramina; tunc facilè appareret intus esse ignem. Hæc igitur est vera loci huius excogitatio, vt infrà dicetur.

Soluitur secunda difficultas.

Ad Tertium Respõdeo; Non significatur hac specie, Deum fore iraturum, sed ipsum potiùs iam esse iratum; vt c. 8. euidenter cernitur: vbi electri repetitur similitudo; & dicitur persona illa Prophetam detulisse Hierosolymam, vt stragem aspiceret, quæ in ea fiebat. Vt igitur maxima denotetur ira, minimè est ad rem succinum prope ignem, & adhuc minimè ardens. Præterea succinum, quando molle erat, non minùs erat aptum vt arderet; nec maximo frigore opus est, vt obdurescat; sed ipsum suapte vi protinus induratur, quare aptum non erat ire symbolum. Secus tamen metallum; vt suo loco dicetur.

Soluitur tertia.

Quartò assero, electrum metallum, esse cinnum siue concretionem ex quatuor auri partibus & vna argenti. Hoc dubitabit nemo, qui Plinium atq; alios graues auctores perlegerit. Atque ita non debuit Pradus electrum cum antiquo chalcolibano siue aurichalco promiscuè confundere. Rogabis tamen, cur Spiritus sanctus electrum hic potiùs elegerit, quàm merũ aurum, aut etiam argentum? Respondeo; Propheta cùm intra electrum, ignem viderit ac lucem; eam fortasse vidit prodeuntem foras ex ore, oculis, naribus, aut alijs eius figurę foraminibus. Nam cùm ille asseueret, superiorem illius simulacri partem esse ex electro, & intus se ignem inspexisse; lucem certè per aliquot foramina cernebat: & fortasse figura illa erat laternarum instar, quæ parua habent foramina vndique disposita, vt lucem inclusam emittant. Certè quando interna lux apparebat, apparebat itidem splendor, qui ex ipsius foraminibus reflectebatur; & vnà dignoscebatur metalli color: aut saltẽ ex nimio splendore prodebatur esse electrum. Propter id quod Plinius ait l. 33. c. 4. *Electri natura est, ad lucernarum lumina clarius argento splendescere.* & alibi Plinius idem affirmat, argentum plus auro splendere. Si igitur inter metalla electrum est, quod ad ignis lucem magis effulget; facilè cernitur, oportuisse vt simulacrum potius ex electro, quàm ex alio metallo effingeretur; si lucem intus, laternæ instar, habere debebat: atque id in hac figura intendebatur (quemadmodum infrà videbimus) vt interna lux maximum splendorem in metallo, in quo includebatur, excitaret. Quid si huc etiam aptè applicetur alia satis mira electri proprietas, quam Plinius suprà citatus affert? Eius quidem verba ita habent: *Quod est natiuum* (electrum scilicet) *venena deprehendit. Namq; discurrunt in calicibus arcus cæleſtibus similes cum igneo ſtridore; & gemina ratione prædicunt.* Certè in Ezechielis curru vtrumque reperitur, nempe & arcus cælestis, & igneus stridor, & Serenus etiam pœta cecinit:

Blectri metalli natura qua sit.

Cur hac Ezechielis figura, ex electro potius quàm ex mero auro, aut ex alio metallo visa sit.

Electrum ad lucernarum lumina clarius argento splendescere.

Electri vis ad deprehendenda venena.

Produnt electri variantia pocula virus.

Hæc fortè admiranda electri vis causam præbuit, vt natiuum auro æstimatione anteponeretur. Nam de factitio electro atque arte conflato verisimile id non est: siquidem auro vilius constaret quinta argenti parte ad aurum admixta. Quamobrem quod Hieronymus ait (Ezech. 1.) & Origenes hom. 1. in Ezechielem, electrum scilicet esse pretiosius auro; non dubito, quin de natiuo electro sit intelligendum. Nec mirum est, illud tantæ æstimationis fuisse, cùm existimaretur eam habere proprietatem, quã ex Plinio retuli. Quòd si ad mysterium & veluti animam eius simulacri, expediens erat metallum auro pretiosius seligi, & ad lucem ignis splendidius, ac admirandæ contra venenum efficacitatis, & occultæ cuiusdam sapientiæ bonum à malo distinguentis: si huiusmodi (inquam) metallum ad symbolicam significationem deligi oportebat; nullum omnino potuit electro aptius reperiri.

Natiuum electrum quanti pretij fuerit.

Addò insuper dictis, inferiorem huius simulacri partem, instar fuisse ignis succensi. Nec verò laborandum valdè est, aut nimis anxiè quærendum, an hæc quoque pars ex metallo fuerit. Nam (vt suprà explicuimus) in visione, quæ solùm per speciem apparet, & non per veram rei existentis naturam, nullum aliud est metallum præter externam (vt ita dicam) metalli faciem. Atque ita cùm species ipsa exterior ad ignitæ prunæ similitudinem appareret; discernere Ezechiel non poterat, num esset ex ære, an non. Etenim ignitum æs, & quæuis alia materia, siue lateritia, siue lignea, modò ignita etiam sit, eiusdem omnino coloris ignei apparent. Itaq; cùm Propheta id visu dignoscere non potuerit, nec constet aliunde sibi à Deo fuisse reuelatum, frustra hoc & incassum disquiritur. Esto tamen, si quis vult, sit etiam inferior pars ex ære. Nec enim sensui mystico id dissentaneum est.

Inferior pars simulacri ab Ezechiele visa cuiusmodi fuerit.

Digitized by Google

De mysterio electri & ignis in sedente supra thronum.

CVM principis in throno sedentis figura, à lumbis sursum fuerit ex electro concauo, distincta varijs foraminibus, lucem intus inclusam prodentibus; & à lumbis deorsum ignea exstiterit: incessit animum cupido, huius adeò inusitati symboli significationem cognoscendi. Fateor ergo in primis, non mihi vsquequaq; satisfacere nonnullas, quas legi, declarationes. Non enim in eis inuenio quadrantem omnino proportionē. Dionysius quidem Areopagita, in auro & argento electri, considerat admirabilium perfectionum in natura angelica coniunctionem, quam ipsa auri & argenti coagmentatione indicari autumat. Sed contrà est, quòd persona illa ab Ezechiele visa, omnino Deum repręsentabat. Hieronymus hæc ibi habet; *In medio ignis species electri: quia post tormenta fulgor electri apparet.* Gregorius & Rupertus in auro & argento, quibus constat electrum, Christi diuinam humanamque naturam contemplantur. Theodoretus per ignem suppositum, diuinitatem accipit, quæ humanitatem in electro significatam sustinet.

Quid per electrum figuretur.

Mihi significatio electri atque ignis huius figuræ, debet esse congruens ijs quæ Ezechiel ipse ait cap. 43. 4. scilicet Deum in curru illo capitis 1. ad vastandam Hierosolymam tendere. Quod qui prorsus oblitus, incarnationis mysterium in Hierosolymæ excidio curiosè disquirit; næ ille deuia satis via ad verum sensum progredi conatur.

Quid per ignē inferiori huius figura parti subiectum.

Deinde, ignis inferioris partis huius debet esse appositum quid & conducens ad Hierosolymæ destructionem. De hac enim ibi est sermo: atque ignem in eo, qui iratus describitur, satis constat denotare iram ac potentiam ad suum aduersarium destruendum. Nam ideò dicitur Deus ignis esse consumens. Restat tamen reddere rationem, cur ignis in parte inferiori fuit constitutus; in superiori verò electrum, intusque clarissima lux inclusa?

Quid per lucē in electro clausam.

Ad hoc dico, lucem in electro clausam appositum esse symbolum maximi alicuius mysterij sub aliqua figura abditi; non tamen ita latentis, vt perspicuus inde splendor & pellucidi radij non prodeant. Et verò hoc esse valdè ad rem, consideratis ijs quæ in Hierosolymæ vastitate acciderunt, non negabit, opinor, qui aduerterit, omnia illis in figura contigisse. Facilè deinde cōstat Hierosolymitanum excidium fuisse figuram Iudæorum reprobationis. Instauratio autem templi ac ciuitatis Hierosolymæ (quæ postea euenit, quæq; Prophetæ fuit etiam præmonstrata) fuit symbolum (vt facilè consideranti patebit) nouæ ciuitatis spiritalis, nouique templi, quæ Deus fuerat pro veteri templo & Iudaico populo erecturus. Quare latentem lucem per foramina prodi & apparere, & electrum ipsum magnopere collucere; vtrumq; aptissimè deseruit, vt inde argumenta eliciamus, quę nobis facili negotio persuadeant, Deum præter visibilem illam destructionem, & templi atque vrbis instaurationem, aliud multò nobilius & excellentius inibi occultare voluisse, cuius lux sese nobis per foramina refunderet. Quò spectant illa, *Magna erit gloria domus istius*; & alia sexcenta, quæ Ezechiel c. 40. & seqq. describit. Ex quibus, ingentem ibi latere mysteriorum lucem, cordatus quisque non obscurè conijciet.

A Quin in hoc ipso curru multa singillatim insunt, ex quibus longè altiorem & excellentiorem Dei esse mentem, quàm externa illa species præ se fert, perspicuè deprehenditur. Ex his sunt, quatuor Cherubinorū facies, arcus pacis, crystallinum Propitiatorium, sapphirina sedes, atq; alia id genus. Eapropter, cùm magnus esset horum symbolorum splendor, diuinus spiritus electrū præsertim selegit, in quo eximiam illam lucem reconderet; nobisque tacitè innueret, id ipsum, quod in priscis figuris latebat, earum splēdorem efficere: ob quem pluris fieri debebant, quàm aurum & argentum. Atque hic fulgor non ex luce solùm dimanabat, sed ex ipsius etiam electri proportione: hoc est, ex mira dispositione earum figurarum ac symbolorum. Ex qua etiam proportione nescio quid sanctitatis figuris ipsis oriebatur, qua culpæ veneno infestæ atque infensæ, eum, qui illarum ope vti vellet, securum præstabant; vt veneni deprehensi perniciem vitare, & cælestis arcus, id est, diuini pacti speciem cernere; atque adeò humanæ redemptionis veluti vmbram aspicere valeret. Vt hac ratione (addito etiam ignis stridore, qui Dei indignationem indicat) inter spem ac metum, culpæ veneno deprehensę, exitium eius euaderet.

Mystica electri proprietatum significatio.

B Verum est tamen, antiquas figuras & antiquā legem, ex se non fuisse satis, vt sceleris veneno mederētur; sed tantùm vt peccatum indicarent, & ipsius etiam designarēt remedium. *Per legem enim cognitio peccati*, &c. id tamen per electrum quoque significabatur; dum ipsum peccatum nostris oculis cognoscendum obiecit, & ipsius remedium in arcu cælesti mirificè figurauit.

Cur in Ezechielis figura ignis infrà, electrum suprà appareant?

Sed cur in admiranda illa figura, ignis infrà, electrum suprà erāt? Quia cùm simulacrum illud Deum & ipsius prouidentiam repræsentaret; oportebat vt eodem modo illum referret, quo se ipse cognoscendum tunc præbebat: vt figura illa cum notitia, quam tunc de Deo habebant fideles, se penitus conformaret. Cognitio enim est etiam illius rei imago, quæ per illam cognoscitur. Huiusmodi ergo figurā proponere, cuius superior pars ex electro, inferior ignita sit; ideo fit, quia cognitio, quā de Deo tūnc habebant fideles, bifariam erat; alia inferior & communis, alia superior & sublimior: vna clara atq; patens, altera occulta & quasi in symbolorum laterna delitescens. Communi quidem notione, & omnibus manifesta nouerāt fideles, Deum esse ignem, id est, acerrimum peccatorum vindicem, & hostium exterminatorem. Ceterùm recondita atque sublimis cælestium mysteriorum Theologia non tunc vulgabatur hominibus, sed sub figurarum inuolucris delitescens proponebatur; quæ licèt ex se splendorem emittebant, non tamen lucem abditam retegebant omnino, quæ postea fuit penitus Christiano populo patefacta; postquam *egressus est, vt splendor iustus*, & lux è media laterna prodiens, se hominum oculis liberè intuendam obiecit.

C Præterea aduerte, in superiori corporis parte cor sedē habere, quo animi affectiones denotātur; cerebrum etiam ac sensus, vbi cogitationes & consilia præsertim videntur esse sita. Quondam ergo ignis Dei pedum, id est, ipsius suppliciorum horror, clarè cernebatur: at mira Dei cōsilia, & immensi illius amoris abdita & occulta penetralia, non ita facilè clarissimæ suæ lucis copiam hominibus faciebant, sed eam potiùs sub figurarum occulebant inuolucris. Vnde licèt mirum emitterent splendorem, non tamen adeò se hominibus communicabant, ac postea sub felicissima legis gratiæ tempora.

NOTATIO V.

De iride quam vidit Ezechiel cap. 1. 28.

D VERBA Prophetæ sunt; *Velut aspectus arcus, cùm fuerit in nube in die pluuia, hic erat aspectus splēdoris per gyrū.* Similia habet textus hebraicus. LXX. verò sic; *Et splendor eius in circuitu, velut visio arcus, cùm fuerit in nube in diebus pluuia, sic statio splendoru per gyrum.* Pro *statione*, Aquila & Symmachus legunt, *visio*.

Notæ ad Ideam.

IRIM hanc nonnulli ita ferè concipiunt, vt sit veluti splendor ignis, quo ardebat figura illa à lumbis deorsum. Ita Theodoretus, Gregorius, Rupertus, & Hugo Cardin.

Iris Ezechielis visa quo pacto sit concipiēda.

Digitized by Google

Cardin. Fauet Hieron. imò ipse etiam contextus. Continuata enim serie ait, *Vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu, velut aspectum arcus in die pluuia : hic erat aspectus splendoris per gyrum* Huc spectat, quòd hæc cõsideratio sensui mystico apprimè quadrat, scilicet indignationem Dei, & horrorem diuinorum suppliciorum sæpiùs in indulgentiam & commiserationem solere desinere: &, quæ putatur pœna, frequenter esse misericordiam. Quem sensum sequitur Hieronymus.

Assero ergo Primò, arcum non ita esse concipiendũ, vt superiorem solùm figuræ partem circumeat; sed vt totam figuram quasi hemicyclo seu semicirculo ambiat, superiori parte in gyrum ducto. ita perspicuè Hieronymus. Nam illa verba, *hic erat aspectus splendoris per gyrum*, sic exponit, *per gyrum Dei vel throni, vel omnium, quæ perspecta sunt*. Vide simile quid Apoc. 4. 3. *Iris erat in circuitu sedis*. & similiter Pradus noster in præsenti ait, *Iris in circuitu solij magnifici*.

Num Ezechiel iris ex igne prodiret, ab ipso propheta non explicari.

Secundò assero, Ezechielem non exprimere, an iris ex igne prodiret, sed ipsa figuram circumdari. Quare non est, cur eò rem deducamus, vt irim ex igne oriri, existimare constringamur. Tum quia splendor ignis non solet iridem efficere: tum ne ostium alijs optimis explicandi rationibus præcludamus: ijs præsertim, quæ in mirabili illa electri vi & facultate fundari possunt, quam suprà ex Plinio, lib. 33. cap. 4. retulimus; electrum (scilicet) cùm venenum sentit, duobus id signis indicare, nempe stridore igneo, & arcus cælestis similitudine. Neque enim casu, sed miro consilio, hanc naturæ auctor electro proprietatem indidit: atque idem in eo & stridorem ignis & cælestis arcus similitudinem coniunxit, quæ in hac etiam figura coniuncta visuntur.

Argumenta pro oppositæ opinione diluuntur.

Iam, ad id quod dicitur, ex contextu posse probari, irim ex igne, qui erat à lumbis deorsum, oriri: Respondeo, inter splendorem ignis & inter iridem, affixum esse punctum: & facilè posse subintelligi verbum, *Vidi* ex antecedentibus vt sensus sit, vidi ignẽ splendentem: & vidi aspectum arcus, & in lectione LXX. vbi aiunt, *Splendor eius velut arcus; eius*, referri potest ad principis simulacrum, quod ex electro & igne constabat.

Ad aliud argumentum siue confirmationem ex sensu mystico, cui optimè deseruit iris ex igne orta; Respõdeo satis esse, vt iris ignem comitetur, ad illam significationem adstruendam, & licèt arcus non prodeat ab igne, illum tamen comitatur.

Ex ignis splendore iridem nõ oriri solere.

Iam quòd aliquis iridem conatur ab igne producere, iuxta communem & naturalem philosophiam: quia ex reflexione radiorum in nube opaca, consequẽs erat, vt iris in circuitu solij conflaretur; concionantis est hoc potiùs, quàm solidè philosophantis. Nam ex ignis splẽdore non solet iris formari; nec in qualibet nube opaca, sed in rorida, adiunctis adhuc alijs conditionibus, quæ solent ad hoc designari. Quare aptum non video fundamentum, vt iris ex igne nasci credatur.

De sensu mystico.

CVM iris sit pacis & securitatis symbolum (vt suprà vidimus) cumq; ignis & eius stridor sint iræ & indignationis hieroglyphica, & constet electrum, si veneno

A lædatur, & stridere vt ignem, & arcus cælestis imaginẽ spectandam offerre; elucet profectò in hac figura, aptissima significatio pacis & indignationis: cumq; vtroque electri signo, manifestetur venenum; huius copulationis artificium eò spectat, vt vna ex parte illi, quem præmonet, clementiam & pietatem exhibeat; ex alia verò in reum iram & indignationem. Pari quoque ratione Deus cum indignatione, quam in scelera ostẽdit, Hierosolymam euersurus flammis atque igneo curru stridentibus, pacis quoque symbolum coniungit; illis clementiam & commiserationem sponte offerens, qui hanc admonitionem libenti animo susceperint, simulque declarans, se cogitare cogitationes pacis atq; clementiæ: ac sibi, cùm homines punit, maximè cordi esse, vt scelerati resipiscant, & misericordiam ac veniam hoc pacto assequantur. Sed illud potissimùm innuit Deus, totum eum furorem atque iram, qua ad Hierosolymæ excidium, & posteà ad Iudæorum reprobationem per illud significatam, ferebatur; cum incredibili benignitate & commiseratione esse coniunctam. Nam Hierosolymę suppliciũ ac vastitas illa antiqua, in Iudaici populi cõuersionem & veram vtilitatem cedebat: & postea Iudæorum repulsa in veram mundi pacem ac salutem redundauit, vt docet Paulus Rom. 11. 12.

Iris & pacis & indignationis symbolum.

Quomodo in Hierosolyma excidio clemẽtiam Deus cũ indignatione coniunxerit.

Hanc ego expositionem legitimam reputo. Subijciã tamẽ breuiter aliorum explicationes. Rupertus sic philosophatur: *A lumbis desuper tantùm ignis, à lumbis deorsum ignis & iris*: quia ante incarnationem tantùm erat ignis consumens; post incarnationem verò ignem iustitiæ placida propitiationis aura compensat.

Aliorum interpretationes de iride.

Gregorius homil. 8. arcum asserit fuisse ipsum splendorem ignis à lumbis deorsum: *Quia ignis Spiritus sancti, quasi arcus cælestis apparuit, veniam hominibus proponens per aquam & ignem.*

Theodoretus affirmat arcum fuisse ipsum splendorem ignis, qui erat à lumbis deorsum: & quia ipse ignem illum existimat esse diuinitatis Christi symbolum; ideo splendorem illum siue arcum ait esse beneficia inde emanantia in homines, cælestemque pluuiam indicantia, & secum illam afferentia.

Hieronymus ad ea verba, *Hic erat aspectus splendoris per gyrum*, subdit, *per gyrum Dei vel throni, vel omnium, quæ perspecta sunt*. Hæc ille; quamuis paulò superiùs indicauerit, similitudinem arcus esse splendorem illum, qui ab igne à lumbis deorsum conspiciebatur, ad significandam clementiam post supplicia, vel ex ipsis supplicijs ortam.

Hugo Card. *Super thronum*, inquit, *erat quidam homò de electro: & à lumbis & infrà videbatur ignis : à lumbis autem & suprà videbatur electrum, non circumferens splendorem vel flammam, sed ignis intrinsecus eius.* & subdit, ex inferiori parte ingentem prodire flammam; & ex splendore rutilare aërem & nubem in circuitu cum iridis coloribus.

Lyra, *velut aspectum*, ait, *id est, vt iris, qui est splendidus*. Nec quidquam aliud addit. Interlinealis adiungit, *Post terrorem, misericordia signum.* Pradus deniq; ad naturalem iridis philosophiam refert hunc arcum cælestem, & sensum esse ait, Dei gloriam quæ se ostendit in supplicio, ac citat (nescio vnde) Theodoretum.

TEXTVS.

Vers. 4. Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor: & super thronos, viginti quatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum, coronæ aureæ.

Digitized by Google



Digitized by Google

A

COMMENTARIVS I.

De figura ipsa siue idea.

In viginti quatuor senioribus alludi ad totidem principes sanctuarij.

IN viginti quatuor senioribus manifesta est allusio ad principes viginti quatuor familiarum sacerdotalium, de quibus 1. Paral. 24. vbi appellantur *Principes Dei* & *principes sanctuarij*. Agit etiã de illis Iosephus l. 7. Antiq. c. 11. Quare certum existimo seniorum nomen non exigere, vt omnes illos lõgæua iam ætate ac prolixa canicie consideremus. Sæpe enim contingit, vt familiæ alicuius princeps sit iuuenis; quia ipse primogenitus est, & hereditariũ familiæ totius obtinet ius. Id quod in Ducibus, Marchionibus, alijsq; principibus viris q; primarijs sæpe experimento comperimus. Constat etiam ex Euangelio Lucæ 15. 25. iuuenem appellari seniorẽ, quia ex duobus fratribus ille erat natu maior. Quoniam ergo illam principis familiæ sacerdotalis dignitatem primogenituræ iure adibant; inde factum est, vt principes illi appellarentur seniores, græcè *presbyteri*. Hebræi quidem comparatiuo carent: quare apud illos idem est seniores ac senes: verbum autem hebraicum est זקנים (*zechenim*.) Itaque *seniorum* nomen in hac phrasi dignitatis est, non ætatis senilis, sicut sæpe alibi. Et *presbyteri* apud Lacedæmonios appellabantur supremi magistratus, qui diuinas res procurabant, phrasi fortasse ab Hebræis deriuata. Nec mirum; nam & senatus nomen inter Romanos, quod senectutem sonare videtur, principum populi consessum significat. Ac vt de hispana quoq; phrasi aliquid adijciam, quãuis probabile sit, hispanum nomen *Señor*, deriuari à Gothico *Sior*, quod Dominum significat, vt docet B. Augustinus; verosimilius fortasse est, à seniore deriuatum; & ea ratione appellari à nobis *los señores delaigleſia*, Canonicos ac Dignitates; qua in sacræ Scripturæ phrasi vsurpatur seniorũ nomen: sicut etiam phrasi Hebraico hispana seruos, quamuis sint senes, appellamus *moços* siue pueros. Sedilia, vt patet ex græco & ex contextu, sunt throni, id est, sedes augustæ cum hypopodijs. Nam & in hebraica lingua notum est discrimen inter כסא (id est, thronum) & משיב, quod quamlibet generaliter sedem significat; cùm prior vox dicatur non significare, nisi sedem opertam tapetijs, qualis est regum & iudicum; vt ex plusquam centum viginti veteris Scripturæ locis nõnulli obseruarunt. Verisimile autem est, principes sacerdotum in templo Salomonis, in aula aliqua habuisse sellas augustas (quemadmodum in Ecclesijs cathedralibus hodie habent Canonici & Dignitates.) & forsan eò respicitur ps. 106. 32. (*& in cathedra seniorum laudent eum.*) Verùm in hac Ioannis visione sedes illę 24. seniorum, Dei Patris solium seu thronum ambiebant: hoc enim est, *in circuitu throni*, eius nẽpe throni, in quo sedebat princeps. Neque tamen opus est vt consessus seniorum, circularem in gyrum concipiatur rotũda figura (quemadmodum ab aliquo depictus cernitur) aptius enim videtur, vt sedes 24. quadratum consessum efficiant; senæ videlicet per latera singula, ac si essent collocatæ intra oraculum illud, quod Sanctum sanctorum appellatur. Sicut enim parietes eius ædiculæ & Cherubini, qui in eis erant exsculpti, ambiebant thronum Dei (qui erat super arcã) sic satis est, vt sedilia 24. circumdent eum thronum, qui Ioanni ostensus est, nec circuitus nomen circularem figuram requirit semper. Quòd verò hîc ad Sanctum sanctorum per aliquam imitationem alludatur; manifestũ est, & infra constabit clariùs. Id autem est mirabile, quòd 24. seniorum throni introducti appareant in oraculum illud, in quod olim summus solùm Pontifex, atque id semel tantùm in anno ingrediebatur: & quòd seniores in suis thronis coram Dei throno consideant. Verumtamen Dei thronus sublimior concipiendus est, & digniori cum maiestate visendus, nempe supra Cherubinorum alas, vt suprà explicuimus.

Seniores hic nomen dignitatis, non ætatis.

Hispanum nomẽ Señor vnde deriuatur.

Sedilia 24. qua ratione considerandasint.

B

Num seniorum consessus sit in circuli figurã necessariò concipiendum.

G

CIRCVMAMICTI VESTIMENTIS ALBIS] Sacerdotum hoc erat insigne in templo, vt Canonici in suo consessu siue capitulo superpelliceis induti esse solent. Vide quæ diximus c. 1. agentes de podere byssina.

Sacerdotũ principes in veteri lege fortè coronã gestare soliti, cõiecturã elicitur.

ET IN CAPITIBVS EORVM CORONÆ AVREÆ] Valdè suspicor quatuor & viginti sacerdotum principes (de quibus suprà) in suo cõsessu coronam aliquam in capite gestare solitos. Corona enim non erat solùm insigne regum, sed principum etiam & magistratuum. Sigonius certè de Rep. Athenensium c. 1. & 3. notat Archontes seu magistratus in iudicio coronatos sedisse; pro quo affert Demosthenem. Aurea verò corona concipi potest, vt sacerdotalis quondam mitra, siue vt aurea lamina, qua summus vtebatur sacerdos. Fortasse etiam Ecclesiasticus c. 25. 8. alludit ad seniorum coronas, cùm ait, *Corona senum multa peritia.* Quasi dicat, optimam eorum coronam esse magnam sapiẽtiam. Atque apud nostræ ætatis homines, lautitiæ & elegantiæ ergo, aurea cingula siue zonæ in galeris in vsu sunt: sic etiam aurea lamina videtur olim apud Hebræos maximum religionis fuisse insigne. Nec desunt qui similem coronam gestasse dicant S. Ioannem Euangelistam. Ceterùm quidquid de hoc sit, siue sacerdotum principes auream gestarint coronam, siue non; hos certè seniores vidit Ioannes cum aureis coronis, & in conspectu Altissimi sedentes in thronis.

D

COMMENTARIVS II.

De significatione viginti quatuor seniorum.

De seniorũ significatione plures Doctorum sententiæ.

MVlti putãt numerum 24. seniorum postulare, vt fiat applicatio ad totidem insignes personas, nec plures nec pauciores. Et alij quidem valdè desudant, dum quatuor & viginti scriptores in veteri instrumento præcipuos anxiè disquirunt. Alij hunc numerum quò faciliùs expleant, eum ex 12. Apostolis, & totidem sanctissimis viris veteris testamenti componũt. Alij 12. Patriarchis ac 12. Apo-

Digitized by Google

Apostolis designandis contenti sunt. Ita Andreas & Aretas. Alij cum 12. Apostolis, 12. item Iudices ab Othoniele vsq; ad Samuelem coniungunt. Sic Rupertus. Alij ad 12. Christi Apostolos, totidem alios Apostolos adiungunt, quos ex gentilitate ab Spiritu sancto fore eligendos confingunt. Atque hoc est Ioachimi figmentum. Alij hunc numerum restringunt ad 24. viros insignes sanctimonia ex ijs, qui Christi aduentum antecesserunt. Cui opinioni subscribit Pererius. Alij, licèt eatenus Andreæ & Aretæ sensum amplectantur, quatenus 24. seniorum numerum ad 12. Patriarchas, ac 12. Apostolos referunt; addunt tamen significationem esse de præstantissimis quibusq; Sanctis, ac præcipuè de Prælatis & Doctoribus vtriusque testamenti. Hac explicandi via incedunt Richardus, Haymo, Glossa, Ribera & Viegas. Alij deniq; nihil videntur curare de numero 24. & significationem ad vniuersam Ecclesiam extendunt. Ex his sunt Ticonius, Beda, Primasius, & Arias Montanus in id Zachariæ 4. *Lampas eius super eum*, vbi ait, seniores hoc esse Ecclesiam coronatam, diadematisq; gloriam Christo acceptam referentem. Sed S. Gregorius significationem hanc ad prædicatores Euangelicos contrahere videtur, 1. Reg. 9. A

Auctoris sententia.

Mihi certum est, eam planè esse huius loci significationem genuinam, vt sub horum 24. seniorum persona, Christianorum sacerdotum dignitas figuretur. Ac primò illis egregiè cõuenit Presbyterorum siue seniorũ nomen: quippe quos Ecclesia Christiana Presbyteros vulgatissimo semper nomine vocarit. Licèt autem hoc nomen, vt & nomen sacerdotum, ad Episcopos alicubi referatur, frequentior tamen vsus est, vt Presbyteri nomen omnibus sit sacerdotibus commune. Et certum est Presbyteros succedere 72. discipulis; Episcopos verò Apostolis; de quo latè noster Lorinus Actorũ 1. 20. & c. 4. 5. & c. 20. 17. vbi affert Anacletum epist. 2. Hieronymum ad Marcellam, Bedam Lucę 15. Quos etiam afferunt Salmeron to. 4. p. 3. tract. 13. & Maldonatus Lucæ 10. n. 1. fine. B

Ecclesia sacerdotes in 24. senioribus figurari.

Christianã Ecclesiã dici regnum sacerdotale.

Notandum autem est, vniuersam Ecclesiam Christianam esse regnum sacerdotale, vt explicuimus in ea verba capitis 1. *regnum & sacerdotes*. In hoc tamen sacerdotali regno ij sunt sacerdotes & principes, quos propriè *Presbyteros* vocamus. Quemadmodum multi olim erant sacerdotes ex genere Aaronis; sed inter eos erant 24. qui dicebantur *principes Dei*, & *principes sanctuarij*. Non secùs in Ecclesia Christiana, quæ populus sacerdotalis est, sunt sacerdotes proprij, qui propriè & strictè sacerdotes nominantur: atque ij per illos 24. sacerdotum principes figurabantur, quò videlicet fit allusio, cùm Christianæ Ecclesiæ sacerdotes appellantur Presbyteri. Sic enim innuitur, eorum dignitatem esse tantam, tamque excellentem; vt per illos propriè, qui Principes Dei & principes sanctuarij dicebantur, fuerint meritissimè adumbrati.

Sacerdotum dignitas.

Secundò, de Christianis sacerdotibus verè affirmatur, quod in Ioannis visione exprimitur: eos, scilicet, coram Altissimo in thronis considere. Est enim ijs potestas, sanctissimũ Christi corpus cõsecrandi, & homines à peccatis absoluendi: atque hoc est in cælo thronum habere, scilicet diuinam auctoritatem multò sublimiorem, quàm ipsi Seraphini habent, & Dei maximè propriam. Quare ad eos verissimè verba illa Psalmi applicantur, *Ego dixi, Dij estis, & filij Excelsi omnes*, psal. 81. 6. C

Episcopalis dignitas sacerdotali maior.

Tertiò, quamuis tanta sit sacerdotum dignitas ac maiestas; est tamẽ certum, in Ecclesia celsiorem adhuc esse gradum ac Deo cõiunctiorem; dignitatem videlicet Apostolorum & Episcoporum, qui verè & propriè ab officio tenentur constricti ad Euangelium promulgandum. Hæc igitur Apostolorum Episcoporumque dignitas, 4. animalibus figuratur (vt suo loco videbimus) & 4. isthæc animalia inter Deum & inter seniores sita sunt: ac proinde Deo magis coniuncta, quàm ipsi seniores. Quin & in diuinis laudibus, quæ Deo decantantur, animalia præcedunt, quasi choros ducentia, & seniores subsequuntur: vt infrà exprimitur n. 9. *Cùm darent illa animalia gloriam & honorem & benedictionem sedenti super thronum, procidebant viginti quatuor seniores*, &c. Vnde infero, per 24. seniores minorem dignitatem adumbrari debere, quàm est dignitas Apostolorum atque Episcoporum, nec non Euangelij concionatorum.

Quartò, ad maiorem expressionem datæ sunt 24. senioribus phialæ aureæ, id est, calices magni, in quibus Sanctorum orationes offerrent: quod proprium est sacerdotum legis gratiæ insigne.

Quintò, quod Apocal. 5. 5. dicitur, (*Vnus de senioribus dixit mihi, Ne fleueris.*) singillatim asseritur de S. Luca, qui Spiritus sancti aduentum conscripsit: vt suo loco videbimus. Atqui Lucas sacerdos erat, & vnus ex 72. discipulis; non tamen Apostolus.

Cur seniores sint 24. nec plures, nec pauciores.

Deniq; negari non potest, quin seniorum forma, throni, sacerdotalis vestis, phialæ aureæ, aureæ item coronæ; hæc inquam omnia appositè Christianæ Ecclesiæ sacerdotibus conueniant. Quare illud reliquum est, vt aliquorum scrupulum euellamus, quibus numerus ille 24. negotium facessit. Aduerto ergo in figuris siue symbolis, numerum ex eadẽ figura desumi solere: nec opus esse, vt peculiaris sit proportionis ratio in rei figuratę numero. Sic suprà c. 1. explicuimus illud Tobię 12. 15. vbi angelus dixit, *Ego sum Raphael, vnus ex septem, qui adstamus ante Dominum*: per allusionem videlicet ad septenarium eorum principum numerum, qui in regis Persidis curia atque conspectu erant. Nec huic allusioni obstat, eos qui ante Dominum adstant, esse millia millium. Quod qui nouitatis & insolentiæ damnet; næ ille parum animaduertit communem satis & vulgatam loquẽdi rationem eorum, qui disertè & eleganter loqui solent. Ecquis enim non cõcinnè & argutè illum fuisse locutum putet, qui dixerit Cherubinos esse cælestis musicæ ἐξαυδὲς; & hispanicè, *Que son los seises dela capilla del cielo*? item Magistros Theologiæ ex familia S. Dominici esse illius reip. viginti quatuor viros, hoc est veluti senatores, hispanicè, *los veintiquatros de aquella republica*? & sexcenta alia huiusmodi quotidie terimus; in quibus nullus hactenus vel minimum difficultatis deprehendit: nec quisquam in eis inter rei figurantis & figuratæ numerum, vllam quæsiuit proportionem. Id igitur, quod in communi loquendi modo ab omnibus placidè accipitur, nec reijcitur ab aliquo; cur in picturæ ac significa- D

tionis

Digitized by Google

A tionistratione non admitteretur? Constat ergo, ad sacerdotalem nostrorum presbyterorum dignitatem exprimendam egregium esse symbolum 24. seniorum, licèt nostrorum sacerdotum numerus multis millibus maior existat. Accedit, quòd Episcopi ac prædicatores Euangelici sunt innumeri: & tamen in 4. animalibus exprimuntur. Vanum itaq; est in rebus significaris eum inuestigare numerum, qui ex figura desumitur; cùm satis superq; sit, principes familiarum ab Aarone ducentium originem fuisse quatuor & viginti; vt idem numerus ad Christianos presbyteros denotandos aptissimè vsurpetur.

Ex hisce omnibus deducitur, eos à vera huius loci interpretatione aberrare; qui in explicãdo hoc numero, pro 24. senioribus, totidem veteris Testamẽti Sanctos substituunt: nec plus illos collinea- re, qui necessarium esse putant, vt hi 24. quos intuitus est Ioannes in thronis coram prępotenti Deo considentes, cum Christo iam tunc regnasse credantur. Vtrumq; enim est à Ioannis mente valdè alienum. Nam huius capitis pictura, militantis Ecclesiæ gloriam & splendorẽ exprimit, vt suprà vidimus. Quare minimè est ad rẽ, aut de legis antiquæ Patriarchis, aut de æterna Sanctorũ in cælis felicitate agere: sed de noui cælorum regni celsitudine, deque ingenti Ecclesię ministrorum dignitate. *Aliorum sententia de 24. senioribus refutantur.*

Atque vt nonnihil obiter de superiorum explicationum aliquibus perstringam; illa, quæ 24. ve-
B teris instrumenti scriptores designat, violenta sanè est. Nam illi re vera plures fuerunt: nec peculiaris est Christianæ Ecclesiæ excellentia, veteris Testamẽti scriptorum numerus. Iam, ex antiquis Sãctis 24. deligere, qui inter cæteros emineant; præterquam quòd non valdè facit ad rem, affert secum nescio quid iactantiæ, qua quis plus æquo sibi assumit, dum vult audacter designare, qui fuerint sanctitate excellentiores. Porrò 12. alios Apostolos ex Gentilitate seligendos affirmare, qui Christi Apostolis ex Iudaismo assumptis respondeant; id, meo iudicio, nimiam audaciam ac temeritatem redolet. Quo enim fundamento in re grauissima nouum quid & inauditum confingitur? Quamobrem quidquid pro huius numeri expositione affertur, quod ad 24. personas tantummodò extendatur, constat extortum omnino esse ac violentum. Si verò numerus ad figuram referatur solùm, vt exposui; res est plana & ab omni disceptatione immunis.

Præter hæc, si ad seniorum thronos & ad vestes candidas atque coronas, oculos conuertamus; omnia mirificè congruunt nostris sacerdotibus. Etenim, quas Christus sedes Apostolis Matt. 19. 28. promisit (*sedebitis super sedes duodecim*, &c.) veriſſimũ eæ sortiuntur effectum in amplissima potestate, quæ illis in hac vita fuit concessa. Pro qua explicatione obseruãdum est ex Sigonio, sæculares principes, qui Israëliticum populum iudicabant, duodecim fuisse, singulos ex singulis tribubus; penes quos erat veluti supremi consilij potestas. Quem ad numerum habetur respectus in 12. Apostolo- *Cur 24. seniores sedites apputeant.*
C rum sedibus. At verò in 24. seniorum thronis alluditur (vt iam dixi) ad quatuor & viginti principes familiarum Aaronis; & in vtrisque sedibus seu thronis, summæ potestatis est & spiritualis gubernationis significatio. Nam Apostoli atque eorum successores sunt Ecclesiæ Christianæ duces ac principes: & omnes etiam presbyteri sunt suo modo *principes Dei* & *principes sanctuarij*.

Per vestes albas manifestum est significari egregiam sanctitatem, vt c. 1. n. 13. explicarum est. Atqui sacerdotalis dignitas quantam ex se postulet sanctitatem & castimoniam, nemo nescit. Sed de hoc latè cap. 1. vbi de podere. *Quid per albas seniorum vestes figuretur.*

Coronæ aureæ capitibus impositæ honorem maximum indicant & splẽdorem, qui dignitati sacerdotũ proprius est. Vide psal. 8. 6. *Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eũ super opera manuum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus eius.* Vbi notanda sunt verba illa, *gloria & honore*: quia infrà n. 11. cùm seniores coronas sedenti in throno submittunt, *Dignus es*, aiunt, *Domine accipere gloriam & honorẽ*. Quod verò addunt, *& virtutem*; id respondet illis Psalmi verbis, *Constituisti eum super opera manuum tuarum*. Eccli. etiam 45. 14. de Aaronis corona dicitur, *Corona aurea super mitram eius, expressa signo sanctitatis, & gloria honoris, opus virtutis*. Quamuis ergo non omnes Ecclesię presbyteri sint sacerdotes summi; omnes tamen habent coronas: quia iudicandi potestate funguntur, siue absoluendo siue constringendo. Et iudices, antiquo more, coronatos ad iudicandum sedisse, suprà ex Demosthene retulimus. Quòd si veteri fuit receptum consuetudine, vt iudices ornarentur corona, facilè quisque animad- *Quid per coronas aureas.*
D uertet, Christianos sacerdotes meritò coronis tempora redimitos in hac figura depingi.

Fortè etiam hîc fit alluſio ad auream illam summi sacerdotis laminam, quam olim gestabat in capite. Quo vel maximè innuitur, dignitatem eam ac potestatem ingrediendi Sancta sanctorũ, Christianis omnibus presbyteris per summam excellentiam esse communem: nec non veram significationem, in frontibus Dei nomen gestandi; atq; adeò ipsos diuino cultui potissimùm esse addictos. Coronas autem esse aureas, denotat sacerdotes esse veros principes, dignitate non futili & adumbrata, sed solida & expressa insignitos. Quamobrem coronæ non ex leui sunt papyro constructæ, sed solido ex auro conflatæ. *In aureis coronis alluſio ad auream summi sacerdotu laminã.*

Denique expende; nullam reperiri dignitatem, quæ cum sacerdotali Christianæ Ecclesiæ possit conferri. quin etiam, quod summum est ac præcipuum in Episcoporum & summi Põtificis dignitate, esse sacerdotalem potestatem. Atque ad hanc significationem congruentissimum accidit, vt in Dei conspectu eis tribuerentur sedes ac throni. Præcipuè cùm in hac sacerdotum excellẽtia ac celsitate mirum in modum Dei ipsius gloria ac maiestas emineat. Pro quo expende verba illa Isaiæ 24. 23. *Erubescet Sol & Luna, cùm regnauerit Dominus exercituum super montem Sion, & in Ierusalem in conspectu seniũ suorum fuerit glorificatus*. Vbi idem est *senum* ac *seniorum*. Hebræa enim lingua comparatiuis caret. Solem autem ac Lunam erubescere, est ipsorum gloriam & splendorem, egregio hoc facinore & præcellenti Dei gloria penitus vinci & obscurari, quòd scilicet admirandam hanc splendoris & excellentiæ summam Deus apud homines liberalissimè collocarit.

Digitized by Google

Aureoli ac Lyrani opinio de senioribus & animalibus refutatur.

Exciderat penè Aureoli ac Lyrani expositio, quæ nonnullis valdè speciosa visa est. Hi igitur pro A Dei sede Romanam Ecclesiam intelligunt; pro 24. senioribus, sedium episcopaliū, quæ in Ecclesia sunt, vniuersitatem: pro 4. animalibus 4. patriarchales sedes. Sed quod ad Romanam attinet Ecclesiam, solidiora nos ex Apocalypsi Deo auspice eruemus ad eius auctoritatem confirmandam. Hic autem locus non satis est aptus, opinor, vt Dei thronus pro Romana accipiatur Ecclesia. Etenim in hoc 4. c. Ecclesiæ dignitas ac maiestas repræsentatur, antequàm Euangelium Gentibus enunciaretur: imò etiam ante sæuissimam persecutionem, quam aduersus ipsam Ecclesiam Iudaicus populus concitauit; vt ex continuata totius Apocalypseos serie facile est videre. Quare nō aptus in præsenti locus est Romanæ Ecclesiæ significationi. Præterea quatuor animalium explicationem velle ad quatuor tantùm Patriarcharum sedes coarctare; nimia restrictio est, vt deinceps videbimus. Quòd verò non sit opus, vt Dei thronus præstantiorem Ecclesiæ Christianæ partem significet, quàm est ea, quæ in senioribus & animalibus indicatur; id sequenti notatione demonstrabitur.

NOTATIO VI.

De allusione ad supremam hierarchiam cælestem, quæ constat ex Thronis, Cherubinis & Seraphinis.

Nomina, quibus non ē angelorū chori designantur, non eadem distinctione & ordine in Scriptura vsurpari.

LICET angelorum in hierarchias tres diuisio, & harum in nouem angelorum choros subdiuisio certæ sint: certum tamen etiam est, in S. Literis non eadem distinctione vsurpari ea nomina; quę Theologi, S. Dionysium sequentes, singulis angelorū choris attribuunt. Atque in primis ipsemet Dionysius notat, ea nomina quæ ipse nouem choris assignat, accipi posse vt singulis choris propria, & vt nouem omnibus communia. Deinde, qui S. Scripturæ loci ad distinctionem illam in nouem choros constituendam afferri solēt; ij sunt, c. 6. Isaię, vbi de Seraphinis; & c. 1. Ezechielis, vbi de Cherubinis, & Ephes. 1. 21. vbi nominantur Principatus, Potestates, Virtutes & Dominationes: & Coloss. 1. 16. vbi adijciuntur Throni, & 1. Thessal. 4. 15. & Iudę 9 ponitur nomen Archangeli. In his autem locis, patet ex contextu non tribui singulis choris suum proprium nomen. Nam Ezechielis Cherubinos, ac Isaiæ Seraphinos esse eosdem, existimarunt multi. Verior autem sentētia est, agere Isaiam de viris Apostolicis; Ezechielem autem de Archangelis, vt suis locis dicemus. Præterea Ephes. 1. 21. & Coloss. 1. 16. vtrobique opus est, vt quatuor nomina, quæ coniungit Apostolus, omnes angelorum choros comprehendant. Nam, vt deceat substantias omnes spirituales conditas esse à Christo, ait, *Sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates.* His ergo nominibus comprehendit etiam Apostolus Cherubinos & Seraphinos. Simili etiam ratione, vt ostēdat Christum esse super omnes angelorum choros euectū, ait Ephes. 1. 21. *Super omnem Principatum & Potestatem, & Virtutem & Dominationem* Atqui si quis diceret Petrum fuisse prælatum omnibus diaconibus, nomenque illud *diaconibus* strictè acciperet; non significabit, fuisse prælatum omnibus Episcopis aut sacerdotibus. Demū ex sacra Scriptura probari non potest, Angelorum nomen aliquando esse proprium cuiusdam infimi chori. Quamobrem ex hisce locis non solidè videtur colligi angelorum in nouem choros distinctio.

Patres itē non eadem distinctione nouem choros assignare.

Atq; vt ad Patres gradum faciamus, nonnulli etiam ex ijs solent afferri, quos constat non nouem choros asserere; vt Nazianzenus orat. 34. fine, qui sex solùm nomina cōiungit: Chrysostomus hom. 4. in Genes. circa medium; cuius sententia multò magis ambigua est. Nam tom. 5. hom. 3. de incomprehensibili Dei natura, Cherubinos & Thronos facit eosdem: atq; hoc nititur fundamento, vt affirmet Cherubinos superiores esse Seraphinis; quia Cherubini sunt Dei thronus. Denique tota auctoritas ad angelorum nouem choros asserēdos videtur ad vnum Dionysium Areopagitam deuolui; nec non ad id, quod ipse c. 6. de Cęlesti hierarchia asseuerat; eam scilicet clarissimi sui magistri esse doctrinam. Vbi Paulum nomine magistri tacitè intelligere videtur (licèt Valentia 1. p. disp. 4. quæst 1. puncto 3. hoc de Hierotheo interpretetur.) Quare cùm hæc sit Pauli doctrina; iure illam vt certā sequuntur Gregorius Magnus hom. 34. in Euāgelia, Damascenus 2. de Fide c. 3. Sophronius Hierosolymitanus orat. 6. (in 2. tom. Bibliothecæ) Bernardus serm. 19. in Cantica, & l. 5. de Consideratione ad Eugenium; & Scholastici cum S. Thoma 2. p. q. 108. Idemque sequeretur Augustinus, si Dionysium vidisset. Cōstat tamen ab eo Dionysium non fuisse visum (ideoque dixit nihil esse certum de ordinibus, seu choris angelorum) sicut nec Gregorius Dionysium viderat; sed id aliorum relatione acceperat.

Porrò in nouem angelicorum ordinum distinctione, ea quæ Dionysius non affirmat, non sunt adeò certa ac ea, quæ ipse affirmat. Hoc propterea dixerim, quòd videam nonnulla ab alijs firmo consensu recepta, quasi veram Dionysij doctrinam; quę tamen serio ac diligenter examinata, deprehenduntur non esse Dionysij Huiusmodi fortasse est, Seraphinos Cherubinis, hos Thronis dignitate antecellere. Si enim hoc accuratè inspiciatur, minimè id à Dionysio asseri reperietur. Etenim licèt ille c. 6. de Cælesti hierarchia, hoc ordine eos enumeret, Thronos, Cherubinos, Seraphinos, (vbi ascensu videtur vti.) & postea c. 7. (quasi per descensum) illos contrario ordine recenseat; nunquam tamen ait, Thronos inferiores esse. Quinimò ex ipsius verbis posset aliquis suspicari, eos à Dionysio æquari. Primò, quia c. 6. ait, hierarchiam primam esse vnam & eiusdem generis, & de Ecclesiastica hierarchia cap. 1. paulò post initium, ait, Cherubinos & Seraphinos eiusdem esse potestatis cum Thronis. Deinde à paritate rationis. Nam cùm secundam hierarchiam cap. illo 6. (ascendendo, vt prima specie apparet) hoc ordine numerasset, *Potestates, Dominationes, Virtutes*, postea cap. 8. declarationis ordo, qui fuerat per descensum futurus, non est, *Virtutes, Dominationes, Potestates*, vt titulus præ se fert, sed hic, *Dominationes, Virtutes, & Potestates.* Vnde fuit diuersitas opinionum exorta, quas refert Molina 1 p. quæst. 108 (præter Gregorij & Bernardi opiniones, qui Virtutes ad tertiam hierarchiam remittunt.) Sed vt ad Dionysium regrediamur: si ipse in secunda hierarchia minimè dissentaneum reputauit, Virtutes modò in medio, modò in primo loco constituere: Dionysius ergo ipse nihil certò definit de ordine, quem inter se seruant tres primæ hierarchiæ chori; ac proinde non est videndus Dionysio refragari, qui dicat hunc esse dignitatis ordinem, Seraphinos, Thronos ac Cherubinos: atque adeò Cherubinis Thronos esse digniores.

Seraphinos Cherubinis, hos Thronis dignitate antecellere, ex Dionysii Areopagitæ doctrina non constare.

Tres primæ hierarchiæ choros non eodem semper ordine à Dionysio Areop. numerari.

Præter hæc, quanquam vulgaris opinio est, nomen *Thronus* in nouē chororum distinctione passiuè sumi pro illis, qui Dei thronus ac sedes sunt. Verùm, si rectè consideretur, Scriptura nō videtur illis passiuè, sed actiuè hoc nomē tribuere, ita vt hoc nomine significentur illi, qui tanquā principes in thronis siue solijs cōsident.

Nomen Thronus an actiuè vel passiuè angelis tribuatur.

Non

Non me latet, receptam vulgò opinionem in S. Dionysio fundamentum habere, qui c. 7. de Cælesti hierarchia exponens nomen Throni, ait; ipsius esse munus portare Deum: & Sophronius suprà citatus, eos appellat sedes Dei. quam interpretationem sequitur S. Thomas 1.p q.108.a.5.& alij cum eo non pauci. Hæc tamen etymologia fortè est peculiaris S Dionysij opinio, & non Pauli doctrina. Quin & ipse Dionysius fortasse nō minùs summæ potestatis & principatus significationi fauet. Quia de Eccles. hierarchia cap.1.ait Cherubinos ac Seraphinos eiusdem esse cum Thronis potestatis. Ad hæc, si Græcorum spectetur vsus, constat ex græcæ linguæ Thesauro, Throni nomen dignitatis esse, cui honoratior thronus tribuitur; & constat ex contextu sic accipere Paulū, cùm ait, *Siue Throni, siue Dominationes, siue Potestates, siue Principatus*, Coloss.1.16. Omnia enim hæc sunt nomina, quæ imperium ac dominatum repræsentant. Vnde Cyrillus Hierosolymitanus (vt videbimus paulò infrà) docet difficile esse explicare, qui Thronus differat à Dominatione.

Deum sedere super Cherubim, locutio Scripturæ familiaris.

Adde huc, si nomen Throni pro Dei sede sumatur, in qua Deus ipse sedet; sic in Scripturę phrasi nō distingui Thronos à Cherubinis: locutio enim est tredecies in sacris Literis repetita, Deum sedere super Cherubim. Et licèt hęc phrasis apta sit, vt per eam significetur Deum habere pro solio ac sede duorum Cherubim paruulorum alas, qui supra Propitiatorium erant: illa tamen cælatura fuit Dei ipsius iussu effecta, vt significaretur, Dei thronum in quo ille sedet, esse mysticas Cherubinorum alas. Quapropter certum apparet, congruentius sacræ Scripturæ locutioni esse, Cherubinos appellari Dei sedem siue solium; ac Thronorum choro sellas siue thronos ingentis maiestatis tribuere. Quæ consideratio valdè confirmatur visione ca.4.Apocal. vbi Deus sedet in solio, quod (vt posteà subijciam) ex Cherubinis est; & in solij ipsius circuitu 24. seniores sunt sedentes in thronis. Quamuis autem in Apocalypsi de Ecclesiastica hierarchia sermo sit; fit tamen haud dubiè allusio ad cælestem hierarchiam, & 24 seniores, quibus Apocalypsis thronos ac coronas assignat, appellantur *Principes Dei*, & *principes Sanctuarij*, 1. Paral.24.5.

Distinctionem inter angelorū & hierarchias & choros non adeò clarè in Scriptura contineri.

Iam, quę de nouem angelorum choris, deque cuiusque chori proprietatibus, cognoscuntur; ea quidem nō admodum clarè ac distinctè nobis nota sunt. Quare etsi Caluinus l.1.Instit.c.14.sect.4. impudenter satis ea irridet, quæ à Theologis de angelorum natura disseruntur: prudentiæ tamen ac sapientiæ est in hac materia parsimoniam tenere. Nam & S Augustino visum fuit, in sacris Literis non multam de angelicorum ordinum distinctione & proprietatibus esse lucem: & Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 11. *Dic mihi* (inquit) *audaculę, quid Thronus differat à Dominatione? Quid Potestas, quid Virtus, quid Angelus*, &c. Atque ego sanè nolim audaculus videri. Quin etiam longissimè à me abest ea mens, vt aliquid in hac materia vel in alia quauis nouare aut immutare velim. Perstet sanè quidquid Theologi de hac re prudenter & grauiter statuêre, eodem solidæ veritatis gradu, quem in se quælibet res habet. Mihi interim liceat exponere, quod in Apocalypsi, de Ecclesiastica hierarchia per allusionem ad cælestem affirmari existimo. Non inficior, me in eam partem propendere, vt de cælesti hierarchia ex analogia ad Ecclesiasticam, vtpote notiorem, philosopharer. Sed mitto isthæc: rectè enim hæc duo inter se possunt componi: vt scilicet, & de hierarchia Ecclesiastica cum ordine ad cælestem instituatur sermo; & chororum ordo sit in cęlestibus illis spiritibus diuersus. Itaque licèt nonnihil perstrinxerim, quod tractationi de angelis lucem fortassis aliquam posset afferre; ea tamē lege dictum esto, vt siquid communi Theologorum doctrinæ minùs videatur suffragari, indictum irritumque sit. Is enim mihi est animus, vt Apocalypsin de Ecclesiastica hierarchia directè agentem exponam. Atq; in hac saltem Ecclesiæ hierarchia (esto in cælesti secùs accidat) Throni Cherubinis, Seraphini Thronis superiores sūt, opinor.

In Ecclesiastica saltem hierarchia Thronos Cherubinis esse superiores.

Ordo distinctionis in tribus angelorum hierarchijs.

Atque vt me priùs à disputatione de angelis expediam; trium hierarchiarum distinctio parum difficultatis habet, statuta semel S.Dionysij & S.Thomæ doctrina de vnius hierarchię ad aliam subordinatione.

A Hac enim ratione illa est prima hierarchia, quæ non ab alia, sed proximè à Deo illuminatur: illa secunda, quę illuminata à prima illuminat tertiam: illa tertia, quę aliam non illuminans à secunda illuminatur: licèt intra eandem hierarchiam, vt bene S. Thomas, inferiores angeli à superioribus illuminentur.

Quid de chororum distinctione in singulis hierarchijs dicendum.

Illud aliquanto difficilius, quod attinet ad triū chororum in qualibet hierarchia distinctionem. Qua in re Theologi plus variè ac minùs perspicuè videntur scripsisse. Nec ex ijs, quę S. Dionysius tradit, satis clarè vniuscuiusque chori distinctio ac propria potestas colliguntur. Et sanè hæc attentiùs perpendenti, ea aliquando mihi subijt cogitatio, posse scilicet hanc ternorum ordinum in singulis hierarchijs distinctionem fortasse explicari per trium attributorum distinctionem quæ Theologi tribus diuinis personis accommodant, Potentiam, Sapientiam, Bonitatem. Nam, vt primæ hierarchiæ vtamur exemplo, vidimus iam Dionysium ac Cyrillum Thronis potestatem tribuere seu potentiam: & ex Cherubinorum ac Seraphinorum nominibus manifestum est, alijs sapientiam, bonitatem alijs attribui. Atque iuxta hunc modum, quo ordine Patri potētiam concedimus, sapientiam Filio, Spiritui sancto bonitatem, eodem videbantur esse recensendi Throni, Cherubini, ac Seraphini; vt communi consensu receptum est. Sed in hac attributorum seu proprietatum partitione non idem in angelis fundamentum, quod in diuinis personis reperitur. Sublato autē attributionis fundamento non supereſt apta ratio, cur alijs potentia, bonitas alijs, alijs sapientia tribuatur. Nemo enim dubitat in angelis, qui sanctitate excelluerint, eosdem sapientia etiam præstare. Atque idem videtur de potentia dicendum.

Ex Ecclesiastica hierarchia chorū non posse suo modo in chorū cælestē philosophari.

Propter hæc facilè adducerer, vt in angelis, eorumque choris distinguendis, eodem modo philosopharer, quo in Ecclesiastica hierarchia tres veluti chori tanta distinctione & perspicuitate partiuntur, vt in eo mētis auiditas conquiescat. Huiusmodi diuersitatem ex cap.4.Apocal. elicio: in quo capite, licèt multa alia sint symbola, qualia sunt vox tubæ, iaspis & sardius, iris, septem lampades, fulgura, tonitrua, & mare vitreum: quæ verò propriè & directè fideles ipsos figurant, sunt Dei thronus, seniores, & animalia. Horū enim trium symbolorum significationem conuenit inter omnes, aut ad totam Ecclesiam, aut ad aliquam saltem eius partem spectare. Aliorum verò symbolorum significatio diuersa est. Nam aut Dei potentiam exprimunt, aut misericordiam, aut Christi passionem, aut septem diuinę prouidentiæ spiritus, aut prædicationem, miracula & Ecclesiæ Sacramenta. Quæ omnia, licèt ad Ecclesiæ etiam gloriam decusque pertineant; ipsi tamen fideles non sunt Christi passio aut Sacramenta; sed Dei sedes, seniores & animalia. Atque hic ipse est ordo in textu expressus; priùs Dei solium, deinde seniores in thronis sedentes, postea animalia. Et quamuis iuxta Chrysostomi mētem aliquis fortasse putaret, nobiliores fore, qui per Dei sedem significantur: ceterùm ordo ille (Dei sedis, seniorum & animalium) postulat, vt seniores anteponantur ijs, qui per Dei sedem denotantur; quemadmodum animalia designant eos, qui sunt senioribus superiores. Id quod explicatione fiet manifestum.

Inter angelos excellentiam inferioris chori in superioris excellentia includi.

Nunc ex S. Thoma 1.p.q.108.a.5.ad 6. aduerto, in angelorum choris, excellentiam inferioris in superioris excellentia includi, non verò è contrario: ita vt inferior chorus à superiore non distinguatur propter peculiarem aliquam excellētiam, quæ ipsi inferiori insit, & desit superiori: sed vt in numeris binarius à ternario distinguitur, quia defectu vnitatis ipsum ternarium non adæquat. Quod ergo S. Thomas de angelorum choris asserit, applicatur optimè atq; intelligitur ex graduum siue ordinum distinctione in hierarchia Ecclesiastica. Nam cùm tres sint gradus (scilicet sedes Dei, seniores & animalia) quidquid Dei sedes eis attribuit, qui per eam significantur, senioribus est animalibusque commune. Et quidquid seniorum nomen presbyteris concedit, est etiam commune animalibus: & non contrà. Porrò esse Dei sedem, est esse sanctimonia præditum; & magna Ecclesiæ sanctitas optimè Dei sedis symbolo exprimitur. Aliqui tamen longius adhuc progrediuntur,

Eodem modo in Ecclesiastica hierarchia philosophandū.

Quid per Dei sedē figuretur.

Digitized by Google

tur, & ſeliguntur à Deo ad ſacerdotale munus, atque adeò ad maiorem ſanctitatem: & huiuſmodi ſunt ſeniores ſeu presbyteri. Ex quibus nonnulli ad ſublimiorem adhuc ſanctitatis & dignitatis gradum, & ad Apoſtolicorum hominum atq; Euangelij concionatorum munus euehuntur; quod eſt proprium Epiſcoporũ, qui proinde myſtica animalia ſunt, & in quatuor illis Apocalypſeos figurata. Itaque ſanctitas, quæ neceſſaria eſt, vt quis egregius ſit Chriſtianæ legis cultor, & Deo perfectè placeat, Dei ſolij ſymbolo indicatur: ſymbolo verò ſeniorum, ſacerdotale munus & ſanctitas illi conueniens: Apoſtolica autem dignitas, eiuſq; ſanctitas, Epiſcoporum propria, in animalibus quatuor figuratur. Atque in primo horum graduum ad Cherubinos alluditur; in ſecundo ad Thronos; in tertio ad Seraphinos. Ex quo poſſet aliquis conijcere, ſimiliter in cæleſti hierarchia accidere; vt ij, quibus non incumbit illuminare alios, ſed Dei ſolum cognitione frui, ipſumque cõtemplari, ſint Cherubini: & qui ſelecti ſunt, vt ſint præfecti & quaſi mediam dignitatem teneant, ſint Throni: qui verò ad ſuperiorem gubernãdi rationem & ad alios ardenti charitatis igne inflammandos euecti ſunt, ij Seraphini appellentur: atque ita ad Cherubinos ſpectet contemplatio; poteſtas ad Thronos; & ingens inflammatio ad Seraphinos. Quod eſt diſtribuere illis tria illa attributa (potentiam, ſapientiam & ſanctitatem) quamuis nõ eodem ordine, quo ſingulis diuinis perſonis tribuuntur. Ceterùm hierarchiam cæleſtem doctioribus relinquens, de tribus illis Eccleſiaſticæ gradibus, deq; textus ipſius applicatione deinceps agam.

Quid per ſeniores.

Quid per quatuor animalia.

In Dei ſede perfectã cognitionem & ſanctitatem figurari probatur.

Symbolum Dei ſedis (vt diximus) perfectam cognitionem, perfectamque ſanctitatem innuit, quę primitiuæ Eccleſiæ tempore non ſolùm in Apoſtolis & ſacerdotibus, ſed in priuatis etiam hominibus ferè ſplendebat. Ad quam ſignificationem appoſitũ valdè eſt throni Dei ſymbolum. Quod enim auguſtius diuinæ maieſtati ſolium, quàm perfecta cognitio atque charitas eorum, qui ipſum & attenta cognitione contemplantur, & ardenti proſequuntur amore? Hic certè thronus ita eſt Deo glorioſus, vt exiſtimarit Chryſoſtomus Dei thronum eſſe ſymbolum, quod omnium maximè eximiam cognitionem & ſanctitatem repræſentat. Ideo enim ſibi ſanctus doctor perſuaſit, Thronorum chorum (hos namque ille pro Dei ſede intelligebat) Seraphinis excellentiorem eſſe: cùm Deo nil videatur eſſe propius, quàm Dei ipſius ſedes. Enimuerò à veritate non recedentes, Chryſoſtomi votis faciemus ſatis; ſi aduertamus rationem throni Dei, Cherubinis, Thronis & Seraphinis Eccleſiaſticæ hierarchiæ eſſe communem. Nam inferioris excellentia in ſuperioris excellentia clauditur; vt iam dixi. Seraphinis autem non ideò diuerſum aptatur ſymbolum, quòd illis Dei eſſe thronum non optimè quadret: ſed quia præter id, quòd eſt Dei eſſe ſedem (id eſt, eum perfectè cognoſcere atque amare) maxima etiam vi & contentione, animarum ſaluti & ſanctitati ſtudent. Quam ad rem in eis agnoſcamus oportet ſignificationem, quam Dei ſedes in ſe continet, id eſt, Dei ipſius cognitionem perfectiſſimam & inflammatum amorem. Cùm autem Deum & contemplandi & amandi excellentia ſit, quæ in eis maximè elucet, quæque ipſi propiùs ad infinitam illam maieſtatem accedunt; ideo ſummo artificio fuit excogitatum, vt egregia hæc facultas cognoſcendi & amandi Deum, ſedis ſymbolo notaretur, quod ceteris ſymbolis plus eſt cum Deo copulatum: quod aliqua ratione deſiderio Chryſoſtomi ſatisfacit.

Chryſoſtomi opinio de Thronis.

Sacerdotes ac Epiſcopi quãta cura ſuum munus debeãt præſtare.

Hac inſuper conſideratione obiter ſacerdotes & Epiſcopi admonentur, vt pro aliorum ſalute ita excubias agant, ne interim in propriæ ſalutis cura per incuriam & oſcitantiam conniueant. Hoc enim pacto præcipuũ Deo obſequium impendent. Siquidem licèt ex ſenioribus aut ex animalibus aliquis non ſit, poteſt tamen ſupra Epiſcopos multos ac ſacerdotes gratior diuinæ exiſtere voluntati, ſi veræ ſanctimoniæ ac virtutum omnium perfectioni per Dei ſolium ſignificatę, accuratius quàm illi, ſtrenuam nauarit operam.

Dei ſella ex Cherubinis quomodo concipiatur.

Supereſt breuiter Dei ſellæ rationem expendere, quò faciliùs & clariùs alluſio ad Cherubinorum chorũ percipiatur. Aduerto igitur inprimis manifeſtam eſſe in toto hoc 4. ad templum Salomonis alluſionẽ, vt ſeorſum oſtendemus notat 14. Quare, vt conſequenti ordine procedatur, Dei ſedes concipienda eſt, illius inſtar, quam Deus in Salomonico templo habebat. Atqui ex tredecim Scripturæ locis conſtat, illam, quæ in templo erat ſedem, non eſſe aliam, quàm Cherubinos ipſos, qui ſuprà Propitiatorium ſiti ſemet mutuò aſpiciebant; & alas in eam ferè rationem habebant extenſas, ac ſi duo homines è regione brachia contenderent atq; conjungerent, vt alius deſuper impoſitus conſideret. Itaque Cherubinorum capita erant veluti brachia ſellæ; Cherubinorum verò alæ & brachia pro ſede erant.

An quatuor Apocalypſeos animalia reſpondeant duplici Cherubinorũ pari qui in templo erãt.

Scio non deeſſe, qui in Apocalypſi & Ezechiele, quatuor animalia reſpondere putet duplici Cherubinorum pari, videlicet paruis duobus, quos Moyſes extruxit, & duobus alijs ingentibus à Salomone fabrefactis: ita vt ex vtroque pari quadriga componatur. Hæc tamen excogitatio valdè eſt violenta: nec enim proportione aliqua copulantur inter ſe exigui Cherubini (qui vix cubiti longitudinem habent) & duo alij bene magni, qui decem cubitos longi ſunt. Præterquam quòd vtrorumque ſignificatio nonnihil diuerſa eſt, vt ſuo loco palàm fiet. Quare non eſt cur fruſtra laboremus in eiuſmodi quadriga ex quatuor Cherubinis confingenda. Aliam enim ob cauſam duo Salomonis Cherubini in quatuor commutantur, Dei ſella interim abſque vlla mutatione manente, ex duobus ſcilicet Cherubinis paruulis compacta: eam verò vellè alio modo effingere, fingere potiùs eſt.

Quid per paruos Moſis Cherubinos denotetur.

His poſitis, propria duorum Cherubinorum, quos Moyſes effecit, ſignificatio (atq; eadem eſt aliorum ingentium Salomonis) eſt Dei ſeruorum ſanctitas ac ſapientia, de quo ſanè infra Apoc. 11. vbi de duobus teſtibus. Quòd autem parui Cherubini ex auro ſint, & ex eis Dei ſella componatur, vtrumq; fuit aptiſſimum, vt ſignificaretur, quantæ Deo voluptati ſit ſuorum fidelium obſequium, quo ipſum agnoſcunt ac diligunt. & ſymbolum quidem paruulorum Cherubinorum ad angelos trãſlatum, commune eſt omnibus hierarchijs; propterea quæ diximus de vltimi chori perfectione ceteris choris communi. Atque hæc excellentia eſt, quam angeli omnes maximi faciunt, quæ tamen, ſi in ordine ad primam hierarchiam cõſideretur, Cherubinorum chori propria eſt, iuxta ea quæ ſuperius diximus. In Eccleſiaſtica ergo hierarchia congruens valdè fuit, vt per alluſionem ad primam cæleſtem, Cherubinorum ſiue Dei ſedis ſymbolum tribueretur iis, qui in Dei ipſius cognitionem & amorem ſe totos darent, eique ſedem ſuã in pectore defigerent, ab alio præterea Eccleſiæ gradu immunes.

In Eccleſiaſtica hierarchia, quibus Cherubinorum ſymbolum tribuatur.

Tranſeamus iam ad quatuor & viginti ſenioru̇m thronos. Ac primò inficiari nemo poterit, quin ad exprimẽdam præcellentem dignitatem, quam Chriſtus Dominus Eccleſiæ ſacerdotibus fuit impertitus; necnon ad poteſtatem explicandam homines à peccatis abſoluẽdi, & Chriſti corpus ſanguinemque ſanctiſſimum conſecrandi; mirificum extitit ſymbolum, quo eis throni coram inſibito Deo concedũtur. Vnde patet mox perſpicua alluſio ad illum primæ hierarchiæ chorum, qui Thronorum appellatur; propter excelſam, quam in cælo obtinent, dignitatem. Manifeſta eſt inſuper alluſio ad 24. ſeniores, id eſt, ad primogenitos familiarum ex Aarone deſcendentium, qui principes Dei & principes ſanctuarij dicuntur, 1. Paral. 24. 5. vt in commentario dictum eſt.

Seniorum eorã Deo ſedentium dignitas & excellentia.

Quibus ſuã Dei throni ſymbolũ quadret.

Reliquum eſt vt de ſymbolo quatuor animalium aliquid dicamus. Et primùm ex alluſione ad caput Iſaiæ ſextum conſtat, myſtica illa animalia, quæ Iſaias vidit, ad diſtinctionem paruorum Cherubinorum appellari Seraphinos. In Ioanne etiam clara eſt alluſio tum in alis ſenis, tum in iterata illa acclamatione, *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Quare optimè cohæret, vt apud Ioannem habeatur reſpectus ad primam angelorum hierarchiam, Cherubinis, Thronis & Seraphinis conſtantem. Nam Cherubinis, Dei ſedes; Thronis, ſeniores; Seraphinis, myſtica animalia reſpondent. Vbi animalium ſymbolica ſignificatio (vt in commentario videbimus) ad Apoſtolos & viros Apoſtolicos haud dubiè ſpectat; qui Seraphinos, in cæleſti curia præſtantiſſimos, muneris ſui digni-

Seraphinorum ſymbolũ quibus conueniat.

Digitized by Google

dignitate respiciunt. Atque hos ipsos Apostolicos viros Isaias ipse Seraphinos vocat, ad quos incumbit terram ardenti Dei charitate inflammare.

Cur in Salomonis templo, præter duos parvos Cherubinos, duo alij fuerint ingentes.

Ex his quæ hactenus diximus, facilè cernitur, quantopere expedierit, vt in Salomonis templo præter duos illos exiguos Cherubinos, qui Deo pro sella substabãt, duo alij fuerint prægrandes, qui sua magnitudine & proceritate repræsentarent ingentem Dei cognitionem pariter & amorem in viris Apostolicis existentia atque vigentia. Quòd si eadem esset omnino vtrorumque significatio, sufficeret vt alteri in tẽplo essent: quemadmodum & Mosis candelabrum, propositionis mensa, labrum æneum & altare holocausti, commutata sunt in nouum candelabrum & mensam, in mare æneum & nouum altare. Enimuerò cùm Salomonis templũ fuerit Christianæ Ecclesiæ figura; ad clariorem virorum sanctissimorum distinctionem, qui fuerant in ea extituri, percõmodè accidit, vt permanentibus adhuc exiguis illis Cherubinis, duo insuper aurei & oleagini colossi denuo adderentur. In quibus licèt ad principes ac Seraphinos hierarchiæ cælestis respicitur; propria tamen & germana eorum significatio viros Apostolicos denotat. Quam ad rem diuino planè consilio excogitatum fuit, vt intrinsecus ex oliuo constarent, ad viscera misericordiæ significanda. Notum enim est olea significari misericordiam. Vnde non semel Paulus ad Angelos illos oleagina viscera habentes alludit, vbi de viscera misericordiæ agit, vt Philipp. 2. 1. & Colossi. 3. 12. Atque de hac virorum Apostolicorum misericordia Christus agit Matth. 5. 7. cùm ait, *Beati misericordes.* ac de eisdem est sermo Zachariæ 4. fin. vbi LXX. legunt, *Hi sunt viri misericordiæ.* Nam interna erga hominum scelera commiseratio atq; ingens charitas sanctissimos homines impulit ad maximos in Euangelica prædicatione labores fortiter & alacriter subeundos. Atque adeò in paruulis Cherubinis, ad quos ex ipsa significatione, prædicatio Euangelica non incumbebat, viscera ex oliuo opus non erant: secus verò in magnis, cùm ad eos hoc munus spectat. Ad hosce igitur duos magnos Cherubinos singillatim spectauit visio illa Isaiæ 6. vbi duos Seraphinos solùm vidit Isaias, vt postea planum fiet. Atque binarius hic numerus, præter alia recondita sensa, eandem habet doctrinæ & sanctitatis rationem, quã duo parui Cherubini. In hac autem significatione perspicuum est, vtrumque Seraphinum cuiuscumque Apostoli esse symbolum, cùm in quolibet eorum & sanctitas & doctrina mirum in modum enituerint.

Cur magni Cherubini viscera oleagina habuerint?

Per oleam significari misericordiam.

In Isaia Seraphinis respectũ haberi ad magnos templi Cherubinos.

Quatuor item admiranda animalia, quæ Ioannes conspexit, licèt seorsum singula non ineptè applicentur, rectiùs tamen omnia coniunctim sumpta cuique Apostolorum aptantur. Quòd verò duo, quos vidit Isaias, in quatuor illos à Ioanne cõspectos fuerint commutati; non ideo fuit, quòd duo illi Moysis sese adiunxerint ad grandiores alios à Salomone factos; sed vt Apocalypseos visio non solùm responderet visioni Isaiæ, sed etiam Ezechielis. Etenim licèt Ezechielis animalia viros Apostolicos non directè significabant, sed Archãgelos potiùs & cælestis hierarchiæ principes (vt alio loco explicabitur) ceterùm hierarchia Ecclesiastica cælesti respondet. Et quemadmodum expediens fuit, vt in cælestis hierarchiæ symbolo; præter duos illos paruos Dei sellę Cherubinos, Ezechieli ostẽderentur pro duobus grandioribus, quatuor mirabilia animalia, quæ currum diuinæ prouidentiæ antecedentia, cælestium Dei ministrorum (quorum ministerio in antiqua Hierosolymæ deuastatione vsus est, quam ipsi ad morum populi reformationem dirigebant) Virtutem, Sapientiam, Æquitatem & Beneficentiam indicarent; ita etiam congruentissima extitit ratio, vt in gloriosa Ecclesiæ Christianæ primitiuæ pictura (quæ Ioanni fuit c. 4. Apocal. ob oculos posita) per allusionem ad eadem 4. Ezechielis animalia Ioanni mõstrarentur Ecclesiæ ipsius principes ac velut antesignani sub quatuor admirandis animalibus figurati; in quibus nihilo segniùs eminerent Virtutis, Sapientiæ, Æquitatis ac Beneficẽtiæ symbola; quorum clarissima documenta in re multò difficiliori Christianæ Ecclesiæ principes ederent, nimirum in grauissimo bello, quod cum Synagoga & Gentilismo gerebant, quod exitum felicissimum habuit.

Cur animalia Ioanni visa in conspectu sedis fuerint quatuor.

Quid per 4. animalia symbolum figuretur.

Prẽterea quemadmodum in duobus Cherubinis paruis, itemque in maioribus, binarius numerus, sanctitatis ac doctrinæ societati respondet; & vtraque in eadem persona reperitur: ita etiam mysticorum animaliũ quaternarius apud Ezechielem ad quadrigæ figuram aptatur; & in Apocalypsi visioni Ezechielis respondet: ea tamen ratione, vt quatuor simul animalia cuilibet ex Ecclesiæ principibus, aut etiam ex cælestibus congruant. Quod qui nouum & insolitum reputet, is non se satis in ænigmatum enodatione versatum ostendit; nec planè aduertit, de vno eodemque Propheta dici interdum, *Currus Israël & auriga eius*; interdum de alio.

Quatuor Ezechielis animalium mysteriũm.

Ac licèt non defuerit, qui nouem angelorum ordinum siue chororum nomina, Ecclesiasticis ministerijs distribuerit (vt S. Photo presbyter l. 4. de Statu domus Dei c. 16. & habetur to. 6. Bibliothecæ) illud tamen fortè violentum est. Nam trium hierarchiarum distinctio non rectè Ecclesiasticæ hierarchiæ videtur accommodari. Atque ad primitiuæ Ecclesiæ perfectionem & sanctitatem exprimendam summopere oportuit, ad supremam solùm cælorum hierarchiam per allusionem attendi. Atque hæc eadem Apocalypseos allusio nonnihil fortasse lucis tractationi de cælesti hierarchia attulit. Ostendit enim ex comparatione alterius, de altera (nẽpe de cælesti) philosophari nos posse. Deinde facile est, distinctionem trium cælestium hierarchiarum notare: & affirmare probabiliter, Thronos, qui ex prima hierarchia sunt, auctoritatem & potentiam à Deo proximè acceptam Potestatibus, qui ex secũda sunt hierarchia, communicare: hos Principatibus, qui ex tertia sunt. Et qua ratione de potentia initur ratiocinatio, eadem potest de sapientia, ac de amore seu voluntarum inflammatione iniri. Certè hac inductione probabiliter satis nouem chororum cælestium numerus videtur percipi posse. Et fortè c. 1. Ezechielis, aliqua est horum nouem ordinum effigies, nedum vmbra. Finis enim capitis illius est, Dominum exercituum proponere ob oculos, falcato in curru ad Hierosolymæ exitium properãtem. Ad hoc autem congruens fuit, Deum suorum ordinum ac militum satellitio septum ac stipatum depingere. De quo fortasse nonnihil dicemus in eius capitis commentario.

Ex Apocalypseos doctrina non parum lucis in tractationem de angelis derivari.

Illud mihi per obliuionem penè ablerat; quòd scilicet, vt senioribus & animalibus, maximæ præ rebus ceteris æstimationis est, Dei esse sellam: ita similiter, licèt mystica animalia senioribus superiora sint, si tamen comparentur inter se & seniorum dignitas, & id, quod supra ipsam addit, mysticorum animalium (id est, Episcoporum & Euangelicorum concionatorum) ratio, maior est sacerdotalis dignitatis excellentia, quàm totum id, quod prætera Episcopi etiam summi gradus addit. Idcircò, vt sacerdotalis dignitatis magnitudo cõstaret, iure coram excelso Deo seniores in thronis sedentes apparent. Vt autem innuatur Episcopi munus, etsi maximum & admirabile sit, ceterùm quod supra sacerdotem addit, laboris potiùs quàm honoris esse nomen; animalia, etsi Deo propiora, stantia tamen apponuntur, & plena vndique luminibus, in laboris assidui & prouidæ vigilantiæ significationem.

Episcopale munus quòd plus habet dignitatis, eò plus laboris ac solicitudinis habet.

Cur 4. animalia coram Deo throno non sedeant vt seniores; sed stent.

Nihilominus tamen quatuor animalium symbolum egregium est ad Apostolici muneris præstãtiam & amplitudinem demonstrandã; cui muneri Episcopalis cura operis vicaria succedit: quemadmodum 72. discipulis, presbyteri similiter subeunt. Atque de vtraque tam Episcoporum, quàm sacerdotum successione agunt (præter Maldonatum & Salmeronem & Lorinum, quos suprà citauimus in commentario) Bellarminus lib. 1. de Cleric. c. 14. & 15. Stapletonius in Acta c. 20. v. 28. & Enriquez 3. de Pœnitentia, c. 5. n. 5. litera Z.

TEX-

Digitized by Google

A

TEXTVS.

Vers.5. pars 1. Et de throno procedebant fulgura,& voces,& tonitrua.

COMMENTARIVS I.

De specie ipsa visionis.

De Dei solũ throno, non de seniorũ, fulgura & tonitrua processisse.

QVOD textus ait, de throno fulgura & tonitrua processisse;intelligẽdum est de throno Dei,non de thronis seniorum. In coniunctione autem tonitruorum & vocum congruentius fore existimo,si voces à tonitruis distinguantur;ac voces ad humanas referãtur tonitruis cælestibus admixtas. Etenim licèt in Apocalypsi tonitrua interdum ipsa,sint articulatæ voces;vt videre est c.10.3.vbi legimus,*Locuta sunt tonitrua voces suas*;& c.19.6.vbi auditur vox tonitruorum magnorum dicentium Alleluia: & licèt interdum nomen vocum pro tonitruis accipi posse prima specie videatur, vt c.11. 19.*Facta sunt fulgura & voces*:ceterùm in vocum & tonitruorum coniunctione distinctio vtrorumq; facilè deprehenditur. Quare illud multò & probabilius,& textui explicando aptius iudico;vt scilicet humanas voces cum cælestibus tonitruis consociemus. Atque huic explicationi robur accedet ex loco illo cap.11.19.*Facta sunt fulgura & voces*:vt ibi videbimus.

Tonitrua simul cum humanis vocibus fuisse audita.

B

COMMENTARIVS II.

De significatione symbolica fulgurum, vocum & tonitruorum.

De fulgurũ ac tonitruorum mysterio, aliorum opiniones.

IAM,si interpretationem spectes,communis est,fulgura referenda esse ad miracula: tonitrua verò & voces ad prædicationem; cùm diuinæ prouidentiæ sit glorioſissimum, Euangelij prædicationem cum cælesti vi,& miris inauditisq; prodigijs copulare. Atque hanc prædicandi rationem, vbi promulgatio ipsa efficax satis ac potẽs ingenti miraculorum multitudine roboratur, propriam esse legis gratiæ perhibent. Huiusmodi interpretationem illud non parum fouet, quòd certum omnino sit,tonitrua psal.28. significare vim prædicationis Euangelicæ, qua Deus gentilitati bellum indixit. In ipsis etiam fulguribus lucem inter densa nubila radiare, indicat inter nebulam ipsam, atramque caliginem, qua diuina prouidentia sæpe sua opera inuoluit, miraculis ac prodigijs, quasi mysticis quibusdam fulgetris, effici, vt veritatis interniteat lux; & repugnantium tenebræ clarissimis radijs dissipatæ funditus euanescant.

C

Huic expositioni addunt nonnulli,quemadmodum in mõte Sina(Exod.19.16.) *Cœperunt audiri tonitrua,ac micare fulgura*, & exitus fuit is, *vt timor Dei esset in vobis* (Exodi 20.20.)ita etiam in præsenti tonitrua hęc atque fulgura spectare ad Dei maiestatem ostendendam ac terrorem hominibus injiciendum;præsertimque ad æterni supplicij comminationem. Ita Ambrosius hîc & alij.

Difficultates aduersus prædictam expositionẽ.

Verùm in prædicta explicatione nonnulla mihi occurrunt, quæ difficultatis habẽt haud parum. In primis significatio terroris minimè videtur ad rẽ. Huius enim capitis scopus est Christianæ Ecclesiæ excellentiam nobis proponere; & demonstrare pariter, quantopere illa templo Salomonis præstantia & amplitudine antecedat. Atqui Ecclesiæ Christianæ non ita videtur proprium, inferorum metu deterrere. Nec magni refert, tonitrua ac fulgura in libro Exodi significationem habere terroris. Tormenta enim ænea disploduntur nonnunquam ad hostes prosternendos, aut à muris procul arcendos;interdum verò in festiuę celebritatis ac lętitiæ significationem,vt quotidiano docemur experimento. Est igitur quærenda interpretatio huius cap. fini & scopo cõsentanea. Deinde difficultate non caret, quòd tonitrua isthæc Euangelij promulgationem, eiusque efficacitatem denotent. Nam Euangelici cõcionatores,vt infrà planum fiet,quatuor animalibus figurãtur;tonitrua autem à throno ipso procedere,textus exprimit;cùm tamen thronus eos significet, qui nec cõcionatores sunt,nec sacerdotes;& nihilominus in eorum cordibus Deus requiescit, tanquam in proprio throno. Quare non hîc videtur esse sermo de prędicationis Euangelicæ tonitruis. Isthæc enim tonitrua ad animalia pertinent quatuor: at de illis hîc agitur tonitruis, quæ procedunt de throno Dei. Adde huc, in symbolis concreta ab abstractis non solere distingui. Leo enim (exempli gratia) & fortem & fortitudinem sine discrimine significat. Vnde in hoc capite idoneum non est,vt aliud symbolum(nempe quatuor animalia)Euangelij prædicatoribus; aliud (id est,tonitrua) ipsi prædicationi assignetur. Difficile insuper est, miracula prædicationem comitantia per fulgura denotari. Primò,quia mira à Prophetis seu concionatoribus patrari,non est nouum quid,& legis solùm gratiæ proprium. Nouimus enim multa & admiranda prodigia à Mose,ab Elia,ab Elisęo,atque ab alijs legis antiquę Prophetis fuisse edita. Quamobrem cùm in hoc capite potissimùm agatur de proprijs Christianæ Ecclesiæ excellentijs,quibus illa Iudęorum Synagogæ præstat;non erant ad hoc proferenda miracula. Secundò,quia tonitruorum, fulgurumq; coniunctio, ita est à natura necessaria, vt tonitrus absq; fulgure esse non possit. Constat autem efficacissimã Euangelij prædicationem,absq; miraculorũ gratia sępe contingere. Ideoq; optabile valdè est,vt fulguri ea significatio pręscribatur, quæ cum prædicationis vi & efficacitate ita cõiuncta sit,vt nunquam tonitrus à fulgure disiũgatur.

In symbolu concreta ab abstractis non solere distingui.

D

His argumentis adducor,seu trahor potiùs,vt aliam excogitem explicationẽ,quam nunc lectori expendendam subijciam. Obseruandum ergo est Primò,fulgura & tonitrua nusquam sine nubi-

bus

Digitized by Google

A bus accidere. Quare, cùm ad Salomonis tẽplum manifestè in hoc capite fiat allusio (vt diximus suprà, & infrà ampliùs explicabimus) dicente Ioãne, ex Dei throno fulgura & tonitrua processisse, tacita quædã delitescit hîc cõparatio throni huius cum eo, quem in Salomonis tẽplo habebat Deus. Ea autem est, ibi in templi dedicatione verè ex Dei throno nubes prodijsse, & compleuisse templũ; vt appareret cælorũ Dominum, nubium tempestatumq; potentem in eo templo solium posuisse: in ijs tamen nubibus suam quidem Deum ostendisse gloriam; efficacitatem, non item: at in nouo throno (id est in eo, quem habet in Ecclesia) multò maiorem & glorioſiorem diuinæ virtutis manifestationẽ fuisse ostensam. Nec enim solùm Deus suum thronum in nubibus demonstrat; sed suam efficacitatem in tonitruis ac fulguribus, quæ ex noui throni nubibus continenter prodeunt. Quòd si nubes (vt c. 1. vidimus) eximios sanctitate viros indicant, qui filij Dei appellantur; sancti quidem veteris legis viri glorioſissimæ Deo extitere nubes, non tamen in ijs ingens illa emicuit vis ad animarum conuersionem. At noui throni nubes suis tonitruis atque fulgetris efficaciſſimæ sunt.

Tacitè hîc contineri comparationem throni huius cum eo, quem in Salomonis templo habuit Deus.

Secundò obseruandum est, in Ecclesia primitiua non modò Apostolos, Episcopos, concionatores Euangelij ac sacerdotes; sed generatim totum Ecclesiæ corpus, & singulos etiã Christianos: nec eos solùm, qui cælestium rerum contemplationi ex instituto vacabant, sed etiam qui coniugalẽ vitam traducebant, magna diuinæ virtutis documenta solitos edere; & optimo exemplo, sanctiſſimę

B vitæ cõmunione, ac priuatis de vera animorum salute colloquijs plurimos ad Christianam religionem conuertisse. Quæ sanè ingens virtus, & in aliorum cõuersione efficax gratia (qui verè est sanctificationis spiritus) cum ipsis Ecclesiæ nascentis exordijs habuit cõmunem ortum. Nec in concionatoribus solùm Euangelicis; sed in quibusuis etiam Christianis hominibus, atq; adeò in vniuerso Christiano populo cœpit vigere. Quẽadmodum nũc in florenti aliquo religiosæ familię instituto, vbi omnes generatim virtutis & sanctitatis studio certatim ferueant, non concionatores solùm ad veram pietatem traducũt homines, sed ij etiam qui domesticis ministerijs ex peculiari vitæ ratione addicti sunt, vt ianitor, ædituus atque alij generis eiusdem. Id quod ab eiusmodi interdum viris eo efficaciùs præstatur, quo singularia exempla solent esse potentiora. Vnde rectiſſimè S. Petrus de feminis Christianis ait epistola 1. c. 3. 1. *Si qui non credunt verbo* (scilicet prædicationis Apostolicæ) *per mulierum conuersationem sine verbo lucrifiant*. Conuersationis autem nomine & probum exemplum & sancta colloquia comprehenduntur. Ad hoc ergo repræsentandum aptiſſimè deseruiunt tonitrua & fulgura de Dei throno procedentia. Etenim si sermo solùm esset de concionatoribus ipsis, non dicerentur fulgura & tonitrua de throno procedere. Nam quatuor animalia sunt concionatorum symbolum: thronus autem eos omnes significat, qui excellenti Dei cognitione & amore, suo in corde sedem Deo fabricant, vt superiùs ostensum est. Quapropter vt significetur hoſce omnes in ani-

Quantus in primitiua Ecclesia fidelibus feruor pietatis & aliorum salutis procuranda.

C morum conuersione acriter & strenuè laborare; nihil congruentius, quàm fulgetra atque tonitrua, vt à Dei sede exilientia, depingere. Atque hæc eadem est fulgurum significatio psal. 96. 4. *Illuxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit & commota est terra.*

Quid per fulgura denotetur.

Tertiò, vt ad diuersitatẽ vocum, tonitruorum & fulgurum progrediamur; humana vox cũ cælesti tonitruo sociata, satis indicat præpotentem diuinæ vocis virtutẽ sese humanis vocibus ducẽ & comitẽ præbuisse. Ideò enim in sacris Literis tonitrus appellatur vox Domini. Atqui vox Domini efficax ex se est ad sopitum excitandum, mortuum ad vitam reuocandum, atque animos facili negotio commutandos. Huiusmodi autem efficaciam habent eorum verba, qui thronus Dei sunt, id est, qui in Dei cognitione & amore primas ferunt: quorum sermones sunt quidem humanę voces, sed cum cælestibus tonitruis coniunctæ, admirabilis ad hominum conuersionem efficacitatis.

Cur hîc humana voces cum fulguribus sociata fingãtur.

Tonitrui verò fulguriſq; coniunctio indicat in tonitru cælestem virtutem, in fulgure illustrationem, & cùm ferè oculis priùs fulgur, quàm auribus tonitru accipiatur; ideo in textu seruatur ordo, *fulgura & voces & tonitrua*. Debet igitur optimi exempli lux verborum virtutem & robur antecedere. Et quidem in medijs Gentilium superstitionum tenebris, hæc vitæ sanctiſſimæ fulgura, hæc tonitrua potentium & efficacium verborum, toti orbi ostenderunt veri Dei thronũ in Ecclesia Christiana reperiri. Quin & ipsamet tonitrua atq; fulgura, lætiſſima ex vna parte ac festiuiſſima sunt, ex

Quid denotet tonitrui fulguriſq; coniunctio.

D altera verò Ecclesiæ hostibus horribilia ac formidanda. Illis enim, quasi displosis quibusdam bombardis, Christus Saluator noster bellum cum Gentibus gessit, easque suæ subdidit ditioni.

Quod autem de exemplo & colloquijs fideliũ primitiuæ Ecclesiæ dicitur, idem multo excellentiùs de Euangelij ministris, id est, de Apostolis & concionatoribus posse dici, perspicuum est. Ceterùm duplicem præsertim ob causam asseueratum prudenter est, fulgura & tonitrua de Dei solio procedere. Primò, vt omnes norint, proximum ad pietatem quà verbis, quà exemplo promouere, non ad prædicatores solùm spectare, sed ad omnes generatim fideles, speciatimque fuisse eam primitiuæ Ecclesiæ excellentiam, vt vulgi ad pietatem accensi conuictu atque commercio, multi ad fidem Christi traducerentur. Deinde, vt Episcopi ipsi & concionatores intelligant, suarum concionum vim & efficacitatem, in Dei potiſsimùm notione atque amore niti debere. Tonitrua enim ac fulgura, quibus bellum Gentilibus inferebatur, ex Dei procedebant throno, qui (vt iam diximus) excellentiam diuini amoris & cognitionis significat. Vnde futilis inaniſque ferè est concionatoris labor, qui in vera sapientia & sanctitate non fundatur.

In antiquis quidem tragœdijs tonitruorum ac fulgurum imitatio extitit interdum. Hinc Scaliger in Poëtica l. 1. c. 21. *In theatris*, ait, *erat quædam machina circumductilis valdè excelsa, in qua vtres calculorum pleni cum æneis vasis: vnde fulgura exibant, tonitrua exaudiebantur, fulmina mittebantur; vt in Aiace*. At in Apocalypsi ex ipso Dei throno prodeunt. Posset hoc discrimen eò accommodari, vt ridicula sit planè & nugatoria eorum in concionando vis, qui in actione & pronunciatione mimos potiùs & histriones,

Digitized by Google

quàm veros diuini verbi concionatores agunt. Sinc era namq; & germana fulgurum tonitruorumque vis ea est, quam quis sibi comparauit ex eo, qu òd se Dei thronum in eius cognitione atque ardenti charitate præstiterit. Quo ex throno deinceps absque vlla fictione aut machinatione, prædicta fulgetra atque tonitrua erumpunt. A

Hoc eodem fulgurum tonitruorumque symbolo multò plus delectabitur, qui naturalem tonitruorum ac fulgurum philosophiam apprimè calluerit: de qua optimè Conimbricenses nostri. Sūma autem hęc est. Intra nubis sinum accenditur in exhalatione ignis. Deinde accidit, quod in æneа bombarda seu ferreo sclopo solet contingere. Cùm enim accensa materia summa celeritate dilatetur; necesse est nubem extemplò magna cum vehementia disrumpi, & latentis ignis lucem oculis, auribus discisse nubis strepitum obijci. Quis ergo neget, Spiritum sanctum (qui & mentes illuminat & voluntates inflammat) cælestem esse ignem intra mysticæ nubis præcordia succensum? Huius igitur ignis vis atque impetus quascunque difficultates sibi obluctantes superat, foras prodire gestiens. Atque eius virtutis effectus is est, vt scilicet oculi externam illam internæ sanctitatis manifestationem, aures doctrinæ sonitum & efficacitatem excipiant. In hac certè philosophia facilè apparet, quātopere sint inter se tonitrus & fulgur vnita, nec non clarè perspicitur, fulgur esse sanctitatis exemplum, quod hauriunt oculi; tonitrum autem efficacem atque potentem sermonem, aures penetrantem. Notandumque est, quanto maior est ignis repugnantia, dum è nube erumpit, eo vehementius edi tonitruum, & intermicantius fulgetrum, si ingens fuerit ignis in nube accensus. Ita in primitiua Ecclesia, cùm adeò magnus esset Spiritus sancti ignis, quem Deus in cordibus fidelium accenderat; cumque tanta esset infidelium repugnantia, oppositis molibus & machinis obsistentium; hinc est, eo magis magisque diuini ignis virtutem sese extulisse, quo plures illi obices & grauiora impedimenta obdebantur. Atque hoc pacto, *in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* B

Tonitruorū ac fulgurū philosophia mysterium.

Tonitrui sonitus, ac fulgetri lux vnde incrementa accipiant.

Satis ex dictis percipitur, quàm fuerit fulgurum & tonitruum symbolum egregium ad ostendendam Christianę Ecclesiæ doctrinam & sanctitatem, & miras cælestis virtutis in tanta rerum obstantium pugna effectiones. Et quamuis, si naturæ ordinem spectes, priùs sit illuminari mentem, quàm voluntatem accendi; re tamen ipsa priùs cernitur fulgur, mox tonitrus auditur. Dicam clariùs. Congruens ordo est, vt priùs concionatoris integritas & sanctitudo sese oculis conspicuam præbeat; deinde quo sanctitatis fulgor magis fuerit illustris, eo doctrinæ tonitrus vehementiot efficaciorque euadet. Iam quod de concionatoribus diximus, idem suo modo ad pia ceterorum fidelium colloquia debere extendi, superiùs animaduertimus.

Diximus affatim de fulguribus, deque tonitruis. Restat nonnihil obiter de vocibus perstringere, nimirum explicare paucis, in quo sensu dicantur voces de Dei throno procedere. Nam cùm humanæ sint voces (vt diximus suprà) non aptè dicentur de throno exire, licèt id de tonitruis & fulguribus dici possit. Respondeo tamen, magna cum energia id affirmari. Sancta enim verba & pia loquendi ratio in optimo quoque fideli debet esse eiusmodi, vt perspicuè agnoscatur, verba illa ab ingenti luce cognitionis Dei, & ab ardenti pariter ipsius amore originem ducere. C

Cur humana etiam voces de Dei throno procedant?

TEXTVS.

Vers. 5. pars 2. Et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei.

COMMENTARIVS.

D

Septem lāpades quomodo sint concipienda.

IN septem hisce lampadibus alluditur proculdubio ad lucernas septem candelabri aurei, quod erat in Salomonis templo. In quibus septem lucernis totidem Planetæ figurantur, & hîc quidem candelabri lucernæ rectè concipiuntur, ante Dei thronum existentes. Erant enim pro foribus abditi illius recessus, qui Sancta sanctorum appellatur (in quo credebatur Deus sedere super Cherubim.) eo ferè modo, quo ante Sanctissimæ Eucharistiæ sacrarium accensæ lampades pendere solent. Et in Ioannis visione, cùm nulla esset diuisio inter sanctum & Sancta sanctorum (in quo significabatur *propalatam iam esse Sanctorum viam*) magis propriè dicuntur septem lampades esse ante thronum Dei. Nam cùm inter ipsas & thronum nihil diuisionis intersit; ardentes lampades, Dei thronum illustrant, eiusque gloriam alijs conspiciendam præbent. Cohæret cum hoc, quòd in Isaiæ visione cap. 6. (vt suo loco explicabitur) non videtur thronus in Sancto sanctorum apparuisse Prophetæ, sed in sancto.

Quod ad visionem attinet, aliquis in eam fortè coniecturam deueniret, lampades quas Ioannes se vidisse testatur, cùm essent lampades in cælo, considerandas esse vt cælestes lampades, id est vt stellas & Planetas. Ceterùm propter alluſionem ad septem candelabri lucernas, congruentius videtur, si Salomonici templi lucernis similes concipiantur. Porrò earum significationem expressè ponit textus, dicens; *Qui sunt septem spiritus Dei.* id quod iam satis à nobis explicatum est cap. 1. ad ea verba, *& à septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt.*

Septem lāpadum significatio.

TEX-

Digitized by Google



Digitized by Google

A

TEXTVS.

Vers.6.pars 1. Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo.

COMMENTARIVS I.

De visionis specie.

Mare dupliciter in Sacris accipi.

CIRCA visionis formam statuendum primò est, cuiusmodi mare Ioannes aspexerit: nomẽ enim maris dupliciter in sacris Literis accipitur. Primùm pro vero mari, qualis est Oceanus aut mare mediterraneum, siue etiã mare Tiberiadis, aut aliud eiusmodi. Deinde pro vase illo valde capaci, quod erat in templo, & appellatur mare æneum, de quo 3.Reg.7.23.& 2.Paral.4.8. Pleriq; ergo interpretes existimare videntur veri maris speciem à Ioanne hîc fuisse visam. Cui opinioni fauere

Mare ante Dei sedem visum veri maris referre similitudinem, pleriſq; placet.

videtur, quòd ijsdem verbis legimus infrà c.15.2. *Et vidi tanquam mare vitreum.* vbi figura est maris rubri, qua filij Israëlis transierunt. Ait enim Ioannes de ijs, qui vicerant; *stabant* super mare vitreum habentes cytharas Dei: vbi manifestè alludit ad Israëlitarum transitum per mare rubrum, quando de Pharaone triumpharunt, quem Scriptura maris cetum appellat. Quare mare vitreum, in quo nouos Israëlitas Ioannes se vidisse affirmat, non potest esse aliqua maris ænei similitudo; sed potiùs maris rubri. Quod dubitabit nemo, qui aduertat, ridiculum planè esse numerosam militum phalangem super mare æneum constituere. Ex hoc ergo loco elici videtur, in præsenti etiam vitrei maris nomen eadem ratione sumendum. Nec enim apparet probabile, in ipsa Apocalypsi vitrei maris nomen diuersè accipi, priùs pro maris ænei, deinde pro maris rubri similitudine.

Fuisse tamẽ maris ænei simile, vt verius affirmatur.

Certum tamen mihi est, mare vitreum, quod Ioannes hoc capite conspexit, fuisse maris ænei similitudinem. Ac Primò id sentiunt Ambrosius & alij interpretes; qui aduertunt, mare hîc vitreum cum æneo comparari. Secundò, non parum vrget contextus. Toto namque hoc capite continetur manifesta ad templum Salomonis allusio; scilicet noui throni ad antiquum thronum; 24. seniorum ad totidem principes familiarum sacerdotalium; septem lampadum ad septem candelabri lucernas; quatuor animalium seu Cherubinorum ad templi Cherubinos. Quid ergo cohærentius, quàm vt maris nomen in hac eadem templi allusione, de similitudine maris ænei intelligatur? Vnde facilè mox apparet, quemadmodum illud mare æneum dicebatur, quia ex ære fusili erat; ita hoc ex vitrea materia, vitreum dici.

C

Nihil obstare, quòd in eodem libro anigmatico variè nomẽ maris accipiatur.

Ad id verò, quod ex c.15. obijciebatur de maris vitrei nomine sumpto pro veri maris similitudine; Respondeo, mirum non esse, vt in eodem libro nomen maris variè accipitur, nunc pro mari mediterraneo, nunc pro ingenti illo vase æneo, ita similiter mare vitreum, cùm à templo sumitur cõparatio, pro vasis ænei similitudine accipi; cùm autem desumitur ab Israëlitarum traiectione per mare rubrum, pro specie maris Erythræi vel rubri nomen idem vsurpari. Imò verò non solùm non est dissentaneum, sed valde etiam consentaneum, vt in ænigmatico libro ad eruditorum exercenda ingenia, eiusmodi acceptionis diuersitas reperiatur. At vbi aduertatur, quid c.4. quid 15. agatur, nullius difficultatis erit obseruare, in hoc quarto mare vitreum pro vase; in 15. pro veri maris specie sumendum. Ex dictis infero, nihil esse cur noster Ribera adiectiuum (*vitreum*) de veri vitrei specie refugeret explicare; nec confugeret ad metaphoram seu translationem asserens vitreum pro trãquillo poni. Nam si mare hîc pro vase acccipitur (vt probaui) vitreum ad eius materiam spectare debere, facilè cernitur. Itaque comparatio fit quidem cum mari æneo propter similitudinem figuræ & propter æqualitatem capacitatis, cum eo tamen discrimine, quòd templi vas æneum erat, vas verò hoc visum à Ioanne, vitreum. Præterea, si semel statuamus sermonem esse de vase, liquido statim

Mare hoc ob veri vitri similitudinem vitreũ dici.

constat nequicquam excogitari, eius aquam appellari vitream, siue quòd frigore constricta sit, siue D aliã ob causam: sed quia vas vitreum erat, & quam in se continet aquam, aquæ liquidæ speciem referebat. Nam vt mare templi æneum aqua erat plenum; ita etiam vitreum hoc mare, id est ingens vas, quod vidit Ioannes, aqua plenum esse considerandum est. Quod cõfirmatur ex ipso textu, qui ait, *mare vitreum tanquam crystallum.* Etenim si aqua foret coagulata, non diceretur *mare vitreum tanquam crystallum.* Nam in eo mira elegantia est, vt crystallum ne sit, sed vitrum crystallinum. Atqui vnda glacie concreta, plus in se crystalli, quàm vitri crystallini participat. Quare mare vitreum in præsenti est stagnulum siue ingens crater, aut fons magnus aqua plenus, isque ex nitidissimo vitro pellucido & fragili.

Qua ratione hoc mare considerandum sit.

Iam, si de ingenti vase vitreo sermo est, simili quoad figuram & capacitatem mari æneo templi; occurrit protinus considerandum illud esse duodecim bobus impositum, ad eum modũ quo mare æneum boues duodecim suppositi sustinebãt. Sed non opus est boues ipsos etiam vitreos existimare. Nam vt mare illud diceretur æneum, si ex ære esset vas, licet boues essent argentei; sic etiam vas illud ex vitro, quamuis bobus æneis sustineatur, propriè & verè mare vitreum appellabitur. Vbi autem textus nihil assignat discriminis; congruentius est, hoc mare vitreum simile omnino putare mari æneo; atque adeò boues vtriusque æneos.

Vtrùm sit perfectè hemisphærium.

Cùm autem eiusdem atque illud figuræ sit; vt perfectum hemisphærium considerandum est. Ea enim erat maris ænei figura, vt probat optimè Villalpandus noster, to.3. in Ezech. tum ex sacris Literis

Digitized by Google

A teris, tum ex Iosepho, Theodoreto, Beda, Hugone, Abulensi & Dionysio. Ac licèt Pererius l. 10. in Genes. disp. 4. contendat, non fuisse perfectè hemisphærium: illius tamen argumentis sit cumulatè satis, absque nimio cubiti sacri incremento. Neque enim mare æneum tantam capiebat aquæ vim, quantam Villalpandus opinatur, de quo dicemus seorsum in opusculo de sacris mensuris. Nam nostra etiam intererat in capacitate maris vitrei non admodum aberrare à vero.

Denique aduerto, ad maris ænei similitudinem tribuendum etiam esse huic mari vitreo labium lilij repandi, & trium vnciarum crassitudinem: id est tres partes duodecimas vnius cubiti, nec enim fit alterius mensuræ mentio, vide 3. Reg. 7. 26. Et nota tres duodecimas, efficere quartam cubiti partem, de quo & de mensura cubiti dicemus opusculo illo.

COMMENTARIVS II.

De maris vitrei significatione.

De maris vitrei mysterio diuersa auctorum sententia.

B DIVERSÆ maris vitrei interpretationes videri possunt apud Viegam & Pererium. Ex quibus attentè perlectis constabit, earum nonnullas illo fundamento niti, quòd existiment Ioannem veri maris speciem vidisse. Id enim necessariò præstituunt, qui mare vitreum de vniuersitate hominum interpretantur, vt Ribera: quia *aquæ multæ sunt populi multi*. & similiter Andreas & Pererius, qui exponunt de cælestium ciuium multitudine: nec non ij, qui ad aquas, quæ super cælos sunt, vel ad crystallinam cæli naturam, suam expositionem referunt. Sed has omnes expositiones esse à Ioannis mente alienas est necesse, si Ioannes non agit in præsenti de veri maris similitudine; sed de vitreo vase ingenti, eiusdemque figuræ & capacitatis cum mari æneo. Quòd si præcipuus spectetur finis, cuius gratia fuit mare æneum compactum, vt scilicet sacerdotes lauarentur; facilè sibi quisq; persuadebit, illam fore veram & germanam declarationem, quæ cum illa intentione magis magisque conformetur, & congruentem reddiderit rationem discriminis inter æneam & vitream vtriusque materiam; hoc est, cur mare æneum fuerit in vitreum commutatum.

Ioachimi de sacra Scriptura exponit. Ioan. 15.3.

Ioachimi interpretatio accipientis mare vitreum pro sacra Scriptura, illud pro se potest afferre, quòd scilicet homines à peccatis eluere, Dei verbo tribuatur; iuxta id, *iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis*. Sed nihilominus, meo iudicio, violenta est. At explicatio Ambrosij sumentis mare æneum pro veteri Testamento, & mare vitreum pro nouo, vt aptum habeat locum, existimo non de vtriusque Testamenti libris, sed de vtriusque sanctificatione esse forte intelligendam, qua ratione infrà explicabimus. Restant duæ aliæ opiniones; altera Ticonij, quam multi amplectuntur referentis mare vitreum ad Sacramentum baptismi: altera Dionysij Carthusiani, qui illud ad Pœnitentiæ Sacramentum applicat. Et de singulis breuiter dicendum est.

C

Ticonij expositio declarantis de baptismo.

Ticonij quidè declaratio, licèt multos eosq; graues pro se habeat auctores, non tamen apta est, opinor, vitrei maris figuræ. Mare namque vitreum, vt suprà vidimus, æneo respondet. Vnde vtriusq; debet esse eadem significatio; ita tamen vt differentiæ ratio inter diuersam vtriusq; materiam reddatur. Atqui mare æneum ad baptismi Sacramentum detorquere, violentum planè est. Hoc enim Sacramentum iterari non potest; cùm tamen in æneo mari non semel, sed frequenter lauarentur sacerdotes, vide 2. Paral. 4. 6. *In mari æneo sacerdotes lauabantur.* Imò ex his verbis aliquis fortasse eliciet, significationem non debere extendi ad spiritualem ablutionem omnibus Christianis communem; cùm in æneo mari non promiscuum vulgus, sed sacerdotes soli sese abluerent. Ad hoc tamè apositè respondetur, vniuersum populũ Christianum esse regale sacerdotium (vt dicemus explicuimus) hoc est, fideles omnes spiritualiter esse sacerdotes. Quare ij, qui propriè appellantur presbyteri, non in communibus legis antiquæ sacerdotibus, sed solùm in sacerdotum principibus figurabantur, qui erant quatuor & viginti. Constat autem in mari æneo non principes modò sacerdotum abluì solitos, sed reliquos etiam omnes sacerdotes. Omnino ergo debet referri mare vitreum ad vniuersi regalis sacerdotij, id est Christiani populi, purificationem. Nihilominus ad baptismum non aptatur congruenter applicatio; tum propter ea, quę diximus de frequenti abluendi vsu, qui baptismo non quadrat; tum quia baptismus non ea eluit scelera, quæ quis post Christiana sacra suscepta patrauit. Atqui in mari æneo illæ abluebantur sordes, quas contrahebant ij, qui iam erant sacerdotes. Cùm itaque vniuersus Christianorum cœtus sint mystici sacerdotes; maris tam ænei, quàm vitrei significatio non debet referri ad eatum sordium ablutionem, quibus fideles ante baptismum se inquinarunt; sed ad crebram eorum delictorum purgationem, quæ post baptismum admiserunt.

D

Carthusiani expositio de pœnitentia vt verior seligitur & probatur.

Ticonij expositionis impugnatio probabilè valdè reddit Carthusiani explicationem. Licèt cùpiam minùs fortasse arrideat, quòd ad solum Sacramẽtum Pœnitentię mare vitreum referatur. Etenim si in hoc capite de Christiani populi gloria & excellentijs agitur ex populi Iudaici comparationes; quantò maior excellentia est, Eucharistiæ Sacramento, quàm Pœnitentiæ fruì? Si ergo vitreum mare ad solam Pœnitentiam contrahatur; inter Ecclesiæ prærogatiuas, videtur omitti Eucharistia, cùm tamen tanta habeatur ratio Pœnitentiæ, vt ad eam significandam mare vitreum cum æneo comparetur. Huic tamen obiectioni respondetur, ex eo quòd æneum mare ad confessionem sacramentalem applicetur, non ideo Eucharistiæ mysterium inuolui silentio: quin potiùs hinc vel maximè eius excellentem ponderari, quòd eiusmodi ablutionem conscientiæ & purificationem præ se ferat, qualem mare æneum repræsentat. Omnis enim illa puritas ac munditia ad sacram Eucharistiæ communionem dirigitur. Quemadmodum sacerdotum antiquorum ablutio in æneo mari, ad sacrificium tum dis manibus atque corporibus offerendum spectabat. Aliquis fortasse volet, vt ma-

Digitized by Google

tis vitrei declaratio ad omnia legis gratiæ Sacramenta dilatetur. Ea enim omnia aquam gratiæ viuam in se continent, vt definit Tridentinum sess. 7. can. 6. Gratiæ autem vnda peccatorum maculas absterget. Et quamuis non omnia Sacramenta fuerint directè & per se instituta ad animorum sordes eluendas; communis tamen opinio est Sacramenta omnia posse ex attrito facere contritum. Illud saltē certū, omnia posse à venialibus peccatis abluere. Quòd si Sacramenti Pœnitentiæ excellentia res digna æstimata fuit, quæ inter eximias Ecclesiæ prærogatiuas reconsereretur magnę etiam excellentiæ est, Confirmatione, Extrema sacri olei vnctione, & ceteris Sacramentis frui: atq; adeò plenius videretur esse, si in mari æneo omnia Christianæ Ecclesiæ Sacramenta figurata manerent. A

In mari æneo non rectè omnia Sacramenta figurari.

Nihilominus existimo huiusmodi figurā non rectè ad omnia Sacramenta referri; cùm quia nonnulla (vt de baptismo diximus) repeti non possunt; tum quia Confirmatio, Extrema vnctio, Matrimonium & sacerdotalis Ordo non ex eo ordinantur ad crebram & frequentem conscientiæ ablutionem. Quare illis non quadrat maris ænei figura; quod extructum fuit, vt quilibet in eo sacerdos frequentissimè se posset abluere. Ad id verò, quod additur, omnia legis gratiæ Sacramenta ad Christiani populi excellentiam pertinere, Respondeo, Non hîc Spiritus sancti fuisse mentem, vt cuncta Christiani populi excellentiæ coniungeret; sed quæ aptiores erant ad populi ipsius puritatē ac sanctitatē dignius æstimandam. Ad quod opus non fuit agere singillatim de peccatorum venia & absolutione, quæ per baptismū datur; nec de alijs Sacramentis, quæ non assiduè frequentantur; sed de ijs, quæ Ecclesiā in magna virtutis ac sanctimoniæ obseruantia continent. Sed dicet quispiā, Pœnitentiæ & Eucharistiæ frequentatione vtitur Ecclesia, vt remedio præsentissimo, quo fideles animi puritatem atq; candorem assequantur: ac proinde congruere, vt hoc remedium sit in mari æneo adumbratum. Negari enim non potest, quin mare æneum fuerit institutum ad frequentem sacerdotū ablutionem. Quare cùm omnes fideles sint sacerdotes mystici; & ad eorum frequentem neque perfectam animorum ablutionem ordinata sint Confessionis & Eucharistiæ Sacramenta; appositè satis videtur magnum hoc vtriusque Sacramenti præsidium in mari æneo; & multò magis in bacheo adumbrari. Respondeo tamen ablutionem olim sacrificio annexam fuisse. Atqui Eucharistiæ fuit opus, in ijs etiam, qui sacerdotes non sunt, vt veteri sacrificio respondeat. Quare præcedens illa ablutio, Pœnitentiæ Sacramentum directè respicit; quod sacram eorum unionem fuit præcessura. B

Mare æneū quem ad finem fuerit institutum.

Notandum præterea est, mare æneum fuisse institutum aquæ crateram, non vt biberent sacerdotes, sed vt abluerentur. Quam etiam considerationem diuinus Spiritus expressit, Ezechiel. 36. 25. *Effundam* (aduertens fluentum) *aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Effundere verò eo loci non est in terram emittere, sed ingens illud vas, quod appellatur mare, quod est, eam in Pœnitentiæ Sacramento deponere, vt quilibet possit accedere, & lauari, vt olim in æneo mari fiebat à sacerdotibus.

In duodecim bobus mare æneū sustinentibus qui figurentur.

Porrò in duodecim bobus figurantur illi, qui graue administrationis Sacramentorum pondus sustinent. Sunt enim veluti boues aut vituli communia aliorum beneficia adducti, vt laboribus sic in vituli significatione. Numeri autem duodenarij eadem est ratio, quæ in portarum quatuor trium aut 12. tribuum Ecclesiasticæ & religiosæ multitudinis, cap. 7. & 14. habito videlicet respectu ad Apostolos respectu, qui primi Christianæ Ecclesiæ fuere ministri, & numerosam eorum multitudinem repræsentant; quos tam ipsi, quam ipsorum successores instituerunt. C

Cur templi Salomonici mare æneū, Ioanni verò visum fuerit vitreū.

Ad hæc, mutatio æneæ materiæ in vitream pellucidam, discrimen indicat inter nostra & antiquę legis Sacramenta. Nostra enim transluceant, illa non item. Nostra eiusdem sunt coloris, cuius est gratia quā continent, & ad abstrusa ipsorum mysteria transpectum præbent. Mosi enim auribus absolutoriam meorum peccatorum sententiam excipio; & Sacramentum ipsum extrinsecus exhibet, quæ intrinsecus includit; & penitissima quæque foras dat; ita vt facilè mysterium ingens latere inspiciatur. Accedit, quod in ipsa Christianorum fide certissima, qua distinctè credunt & diserè norunt Ecclesiæ Sacramenta fuisse à Christo Domino instituta, & ipsius infinitis meritis innixa, facilè transluceat, quæ in Sacramentorum vasis copia aquæ viuæ (id est gratiæ) contineatur. Quod ergo certissima ratio ostendit, id quasi per vitrum pellucidum apparet. Antiquorum verò Sacramenta non fuere pellucida, sed potius ænea; ita vt lynceo perspicaciorem eum esse oporteret, qui in contemplanda Sacramentorum significatione non hallucinaretur. Nobis tamen in crystallinum vitrum mutata est ænea materia. Euangelij enim luce nobis nota patuerunt, quæ illis ignota latuerant; & ad gratiæ aquam clarissimè inuitamur. Atque ita qui alueus vel fons æneus fuit, nunc meritò ex crystallino vitro effingitur; eodem sensu, quo scriptum erat Zachariæ 13. 1. *Erit fons patens domui Dauid in ablutionem peccatoris & menstruatæ.* Nulla enim existit iam figuratum obscuritas; sed verborum claritudo, & rei (vt ita loquamur) euidentia. D

Quid per vitrum, ex quo mare constabat.

Pœnitentia per mare vitreū figurata nō ad sacramentalem tātùm, sed ad pœnitentiam in voto etiam extēdēdam est.

Præterea, maris vitrei significatio restringenda non est ad realem solùm (quam vocant) & expressam confessionem sacramentalem. Extendi enim debet ad veram pœnitentiam & peccatorum detestationem, quæ confessionis votum & viuam in Christum fidem claudit in se. Quæ fides licet ex se sit obscura; si tamen cum veteris populi Iudaici fide cōferatur, potest quodāmodo clara dici.

Cur mare nō absolutè crystallinū,

Quorsum tamen (inquies) ex crystallino vitro, non ex vero crystallo conflatum erat mare illud Ioanni visum? Respondeo Primò, quia sic non obscurè confirmatur, per maris nomen hoc in loco non veram maris speciem, sed vas illud ingens designari. Si enim aqua glacie cōcreta obduruisset, non vtique mare vitreum simile crystallo diceretur. Aqua enim congelata, crystalli quam vitri crystallini plus habet. Vas autem ex vitro potius crystallino, quàm ex mero esse crystallo, mysterio nequaquam carebit. Secundò, quia crystallum frigoris rigore constrictum gelascit; non tamen, vt vitrum, igne concoquitur atque concrescit. Vitrum verò est nobile sanè & pulchrum ex vili mate-

A ria inuentum. Plinius certè l. 36. c. 2. aic, ex nitro (quæ est salis species) & arena permixta, transluce-
tes fluxisse riuos; & hanc fuisse vitri originem. Quamuis non sal quilibet, aut quæuis arena sit apta,
vt vitrum ex ipsis conflari queat. Atque hæc olim fuit vitri fingendi ratio. Sed mox, quæ est homi-
num prouida & ingeniosa solertia, nouam adinuenit rationem vitri. Nostra enim ætate salsæ cuius-
dam herbæ cineres cum argilla aut arena permixti conglutinantur, & durescunt. Quæ quidem vitri
conficiendi ratio post S. Ioannis & Plinij tempora nouitio inuento excogitata est. Tertiò, elegantissi-
mum fuit effingere hoc mare ex vitro, per ignem videlicet conflato; vt significaretur, ardentissima
Dei charitate Sacramenta Christianæ Ecclesiæ conflata fuisse, atq; confecta. Quartò, quemadmo-
dũ illud est in vitro mirabile, quòd ex adeò vili, vulgari, & abiecta materia (ex sale scilicet & arena)
tam grata & lauta vasorum supellex confingi possit; sic in Sacramentis ex humili materia vel actio-
ne, & ex hominis mortalis ac fragilis verbis tã pretiosum coalescit vas; quod gratiæ aquam conti-
neat, eamq; manifestet. Et quemadmodum arena videbatur aquam absumptura, cùm infusam im-
bibat naturaliter, atque adeò perdat aquam is, qui illam in arenam infundit: ita nec actionum no-
strarum terrestris arena (siue arenosa terra) vas aptum posset ad sacram gratiæ aquam continen-
dam & hominibus exhibendam, nisi huic salis vel nitri vis admisceretur: salis scilicet sapientiæ, id
B est, verborum Christi sapientia inuentorum: & nisi ipsemet Christus omnia hæc in accensa ignitæ
suæ charitatis fornace ferrumin asset.

sed vitreum simile crystallo.

Vitri natura ac proprietates, earúmque mystica explicatio.

Quintò, quo tempore Apocalypsis scripta est, cœptus est etiam magnes notio vsu vitreæ massæ
admisceri. Ait enim Plinius l. 36. c. 26. *Cœpta addi & magnes lapis.* Quod si propterea fiebat (vt suspi-
cor) quò vitrum perfectius ad lucidius euaderet: dignum planè consideratione est, ingens vas illud
a Ioanne conspectum ex vitro crystallino effectum dici: in quo forte inultur, ex eo pretioso vitro
conflatum, quod magnetem habet admixtum. Cùm autem (vt 2. notat. 8 diximus) magnes binis
illis, quas habet miris proprietatibus, Dei charitatem ac sapientiam denotet; nihil potuit congruen-
tius ad nostrorum Sacramentorum excellentiam indicandam proferri, quam Dei sapientiam æquè
& amorem in eis maximè elucere. Id quod minimè expectandum in eo, quòd vitrum crystallinum sit
& perfectissimum, atque adeò cum magnete admixtione facilè careat. Addit ibi Plinius vitrum absolu-
tum & perfectum aliorum lapidum pelorem tantum habere in illitura, quæ tribola esse possunt di-
uinarum virtutum, quæ in Sacramentis efficiunt.

Magnetem vitro conficiendo admixtum, eiusq; rei symbolum.

Est præterea animaduersione dignum, in capa, vbi maris vitrei mentio fit, non addi *tanquam*
crystallum. Ibi enim mare vitreum ut vasorum aliorum non refertur, sed ad laborum & æruin-
nosum mare solidum & habitabile, vt ea ipsum facies gradi possint. Atque vt aqua solida consi-
derari, non opus fuit picheon pellucidum (qui crystallum addere.

Cur cap. 15. vbi maris etiam vitrei fit mentio, nõ addatur simile crystallo.

C Sed vt ad vitreum vas regrediamur; aliquis fortè referret naturalem vitri fragilitatem ad soler-
tem curam, vigilantiam atque cautionem, quæ nos oporteat ad Sacramentorum susceptionem ac-
cedere; quia *haberemus thesaurum istum in vasis fictilibus*. & facilè nimi vas vitreum frangi potest, id est,
facilè nostra ignauia atque socordia possumus abiq; aqua gratiæ remanere vacuus; si temere & inconsi-
derate accedam. Hoc tamen non satis videtur aptum in præsenti. Nam ad vitri fragilitatem significa-
ndam non est apta trium vnciarum (hoc est vnius palmi) crassitudo. Quinimò admirationis plus,
quàm fragilitatis habet vas vitreum adeò capax et altitudine vnius palmi.

2. Cor. 4. 7.

Ingens porrò capacitas refertur, vt patet, ad gratiæ copiam & affluentiam, quæ nobis est in Sacra-
mento Pœnitentiæ ad nostrarum conscientiarum puritatem. In labio autem lilij repandi videtur
innui voluntas aquam effundendi vt ea lauemur: quia eiusmodi figura in vase denotat facilitatem,
qua aptum aquam communicare eis qui ad ipsum accedant.

Quid per maris vitrei capacitatem adumbretur.

Notandum demum est, æneum mare in locum labri æneí fuisse suffectum, quod fecerat Moyses
ex speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi (vide Exodi 38.). Quod si illa specula fuissent vi-
trea, in Sacramenti Pœnitentiæ figura, quæ mare æneum antecessit, inueniremus vitream nostri ma-
ris materiam adumbratam saltem, si minùs expressam fuisse. Non tamen videntur vitrea specula eo
tempore in vsu fuisse. Nec fortasse æneum labrum ex ipsis speculis, sed ex illorum pretio factum
est. sed vt res se habeat; mirum sanè est, ex speculis siue ex eorum pretio fuisse conditum vas, in quo
abluendi essent sacerdotes. Suspicor ergo, in speculis, propriorum defectuum & culparum cogniti-
D onem repræsentari; quæ cognitio gentem religiosam (id est, excubantem in ostio tabernaculi) im-
pulit ad salubre diuinæ gratiæ remedium procurandum. Legatur Gregorius Magnus homil. 17. in
Euang. vbi de labro æneo loquens, & in eo cognitionem propriam significari contendens, ait, *Vi-*
dentes autem maculas in Pœnitentiæ dolore compungimur; compuncti verò quasi in labro de speculis mulierum la-
uamur, &c. Vide ibi plura: nec non apud Philonem lib. 3. de vita Moysis paulò ante medium. Facit
huc fortasse locus ille Iacobi c. 1. 23. *Consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo*: vbi nonnemo obser-
uat in sacræ Scripturæ vsu legem pro speculo deseruire. Et certè lex eò peruenit, vt homines ad sce-
lerum cognitionem & ad eorum remedium quærendũ impelleret. Non tamen eò processit, vt Sa-
cramenta quasi pellucida essent, & Dei gratia in eis appareret, quæ velut aqua scelerum colluuionẽ
eluit. Hoc ergo, quod lex non est assecuta, Christi Euangelium effecit. Lex itaque peccatorum no-
bis cognitionem dedit, vt remedium inuestigaremus; sed Euangelium veram diuinæ gratiæ notio-
rem nobis attulit, quæ gratia ipsum affatim remedium largitur. Denique lex illud tantùm assequi
potuit, vt speculis vterentur homines, & remedij figuram sub obscuris cerimoniarum inuolucris
occultaret. Euangelium autem, vitreum nobis craterem cæleſti aqua exundantem præbuit, id est
remedium ipsum patens ac manifestum. Atque id existimo Ambrosium significare voluisse, cùm
ait, per mare æneum Testamentum vetus, nouum verò per vitreum figurari.

Mare æneũ ex mulierum specula factum quid figuret.

Digitized by Google



Digitized by Google

A

TEXTVS.

*Vers.*6. *pars* 2. Et in medio sedis, & in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis antè & retro.

7. Et animal primum simile leoni: & secundum animal simile vitulo; & tertium animal habens faciem quasi hominis: & quartum animal simile aquilæ volanti.

8. Et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas; & in circuitu, & intus plenâ sunt oculis.

COMMENTARIVS I.

De ipsa visionis specie.

B

SECTIO I.

De concordia illorum verborum, in medio sedis & in circuitu sedis.

VERBA illa *in medio sedis*, non leguntur à Ticonio, Andrea & Areta, & certè difficultate non carent: tum propter illa quæ sequuntur, *& in circuitu sedis*; tum etiam quia princeps ipse in solio sedebat. Quapropter concipi non posse videtur, quo pacto aliquod ex animalibus (nedum omnia) in medio solio esse possint. Huic tamen difficultati videtur fieri satis asserendo, *in medio sedis*, fortasse idem esse, quod in medio illius cõsessus: hoc est, inter principem & seniores. Vel, si sedis nomen singulariter sit ad principis sedem siue thronum referendum; quidquid est intra hypopodium siue scabellum, principis sellæ suppositum, in medio sedis esse dicetur. Sicut in medio maris iuxta Scripturæ phrasim dicuntur ea esse, quæ intra mare sunt. Itaque hypopodium siue tapes throno subiectus considerari debet ita extensus, vt intra ipsum esse valeant animalia; bina ad dexteram, & ad lę- *In medio sedis & in circuitu sedis quo pacto conciliando.* *Locus difficilis.*

C uam bina. Aut fortè in medio sedis, idem est, quod in medio illo spatio, vbi sedes erat.

In hac excogitandi ratione videtur primo aspectu esse idem, *in medio sedis & in circuitu sedis*. Nam si animalia sint supra ipsum hypopodium, vel in medio spatio, & iuxta throni vtrumque latus; sunt in medio pariter & in circuitu. Quòd si *in medio sedis*, foret, in medio illius coronæ seu consessus; videntur etiam facilè inter principem & seniores concipi posse animalia; ita tamen vt principis thronum circundent: sicut seniores etiam eum circumdant post animalia.

Hæc vtriusque partis conciliatio, licèt facilis prima specie appareat; non tamen est solida. Quippe interpretes ferè omnes supponunt inter duas illas particulas, *in medio & in circuitu* aliquid oppositionis debere intercedere. Atque idcirco prætermiserunt, opinor, Ticonius, Andreas & Aretas priorem partem legentes tantùm, *in circuitu sedis*. Videtur enim repugnare, vt animalia sint simul in medio & in circuitu. & Ambrosius quidem perspicuè ait; *Hoc, secundùm historiam stare non potest: quia quatuor animalia non poterant ambitum sedis & medietatem obtinere*. Ex quo infert omittendum esse sensum historicum, & spiritualem solùm intelligentiam requirendam. Quasi verò negari possit historicus sensus in eo, quod Ioannes se vidisse testatur. Pererius ita exponit, quòd fuerint in medio & in circuitu non eodem tempore, sed per interualla; nunc ambiendo sedem, nunc in medium sedis ambitum procedendo. Ribera opinatur tria animalia fuisse in circuitu throni; quartum verò (id est, aquilam) in medio, intra ambitum sedis, quasi volando ante faciem sedentis in throno; atque ob id Ioannem dicere, quartum animal simile aquilæ volanti. *Varia aliorum explicationes.* *Pererij expositio.* *Ribera expositio.*

D Minùs esset violentum considerare, ex quatuor animalibus duo in medio esse throni, & duo alia ad vtrumque throni latus stare. Id quod templi Cherubinis respondet: ex quibus duo parui, quos Mosis effinxit, erant super Propitiatorium (quod est in medio throni) & alij duo à Salomone fabricati, erant ad vtrumque latus: atque hoc videtur satis, vt dicantur esse in circuitu throni. Etenim Seraphini, quos Isaias conspexit, stabant in circuitu, vt legunt LXX. & nihilominùs videtur esse Patrum sententia, Seraphinos illos, duos fuisse, non plures.

Multò tamen congruentius est, vt de omnibus quatuor animalibus verè asseratur, illa in medio esse throni ac simul in circuitu. Ita enim innuit textus. Præter quam quòd quatuor animalia, quæ Ioannes vidit, duobus illis respondent Cherubinis, quos Salomon fecit, mutato tamen binario in quaternarium propter eam, quam infrà subijciam rationem. Itaque in animalibus non alluditur ad Cherubinos à Mose factos: his enim respondet thronus à Ioanne conspectus. Vide aliam expositionem seu concordiam huius loci apud Pradum Ezechielis 1. sect. 7.

Ceterùm ipsamet allusio quaternarij animalium ad binarium Cherubinorum, quos Salomõ fecit, persuadet mihi aliquam esse oppositionem inter duo illa, quæ de ipsis asserit textus; scilicet illa & in medio sedis & in circuitu apparuisse; & concordiã, ex ijs quæ de illo binario docet Scriptura, petendã esse. Notandum ergo est binarium illum Cherubinorum, quos Salomon fecit, sępiùs fuisse *Auctoris expositio, & vtriusq; loci cõciliatio.*

in

Digitized by Google

in templo repetitum: atque ita fieri potuit, vt alij viserentur in medio Sancti sanctorum (vbi Deus suum habebat thronum) & alij essent per circuitum, nimirum bini in singulis parietibus, quasi prominentes de pariete. Illi verò, qui in parietibus erant, verissimè dicuntur fuisse in circuitu, vt constat ex 3. Reg. 6. n. 5. & n. 29. Videat autem (quæso) lector descriptionem nostri Villalpandi tom. 2. post fol. 88. imag. 9. & aduertat, licèt in vnoquoque pariete palma inter binos Cherubinos sit interiecta; singulorum tamen parietum binarium respondere Cherubinorum binario, qui alas super arcam extendebant, atq; adeò semper in templo Cherubinos esse binos. Et in templi quidem Cherubinis euidens est non esse eosdem qui sunt in medio, & qui sunt in circuitu. Hęc enim inter se opponuntur. & certè qui erant in medio, solidam rotunditatem habebant; qui verò erant in circuitu, non erant omnino rotundi, sed ex parte prominentes de pariete. In hoc ergo capite, in quo euidēs est ad Salomonis templum allusio, id nobis significat Spiritus sanctus; quemadmodum Cherubinorum templi binarius erat in medio & in circuitu, ita etiam quaternarium animalium, quæ Ioannes vidit, apparuisse & in medio & in circuitu: & quemadmodum binarius in templo erat repetitus; ita similiter in visione Ioannis quaternarium esse multiplicandum. Non me latet hanc quaternarij multiplicationem in Apocalypseos animalibus nouam & insolitam nonnullis visum iri. Sed similiter nouum nonnulli reputauerunt binarium Cherubinorum, qui in medio Sancti sanctorum erat, per templi quoque parietes fuisse multiplicatum. At, si semel aduertatur hoc esse certissimum; alterius etiam dubitatio vel omni, vel magna saltem ex parte tollitur. Sacræ namque Literæ eodem loquūtur modo de Cherubinis & de animalibus, à Ioanne visis; ac per allusionem ad templi Cherubinos dicūtur quatuor animalia apparuisse in medio & in circuitu. & sicut in vno Cherubinorum binario id verum tenere non poterat; ita etiam de eodem animalium quaternario nec debet, nec potest aptè intelligi. Nec verò est, quòd formidemus, multiplicatis animalibus, significationem esse mutādam. Etenim Cherubinorum binarij significatio, vna eademque semper manet, quantumuis licèt binarius multiplicetur. Quemadmodum quòd sæpiùs in regijs ædibus varijs in locis regis insignia simul reponantur, non ideo insignium ipsorum mutatur significatio, sed eadem omnino stemmata vel insignia esse dicimus, quæ in valuis & quæ in atrijs per circuitum affixa seu depicta sunt: non quòd idem numero sit scutum; sed quòd similia sint, & eiusdem omnino significationis. Neque video, cur horum quatuor animalium repetitio, quam ipse constituo, maiorem sit difficultatem habitura, quàm ea, quam Villalpandus ponit in imagine eorundem animalium; dum Salomonis templum describit. In cuius descriptione conspiciuntur quatuor illa animalia sexcentis locis; scilicet in templi parietibus, in zophoris (vt aiunt,) in altari holocausti, in altari thymiamatis, in luteribus, in valuis, &c. Quemadmodum igitur quatuor animalium imagines cælatæ in templo sæpe repetuntur; ita necessarium videtur, vt in Apocalypsi viuæ eorum figuræ multiplicentur; vt verba illa, *in medio throni, & in circuitu throni*, verè & propriè affirmentur; & vt respectus sit ad eam figuram, ad quam manifestè alluditur.

Animalia quaternarium sæpiùs in Ioannis visione repetitum apparuisse, verius videri.

In Scriptura quatuor interdū esse idem, quod quaterna.

Confirmatur, quia in Scriptura nihil difficultatis est in eo, quòd *quatuor animalia* sint idem quod *quaterna*. Sicut Prouerb. 9. columnas septem asserunt idem esse quod septenas. Nam hebræa lingua eodem nomine dicit quatuor & quaterna, & constat sacros Scriptores in nouo testamento sæpiùs hebraicis phrasibus vti.

Præterea, quod Ioannes ait n. 8. *In circuitu & intus plena sunt oculis*, fortasse significat, animalia quæ erant in circuitu; & quæ in interiore parte consessus, (hoc est in medio) omnia esse plena oculis.

Qua ratione sit considerandum spatium illud, in quo Ioānis thronus & in eo sedens visus est.

Portrò Cherubini templi Salomonis stantes in circuitu Sanctuarij, quatuor Sanctuarij parietibus adhærebant. At in hac Ioannis visione, cùm templum sit in cælū commutatum, nulli sunt parietes: verùm vt allusio ad Sanctum sanctorum, quoad eius fieri possit, seruetur; contemplor ipse quadratum illud spatium Sancti sanctorum, sellis 24. seniorum, ad 4. partes dispositis figurari. Non quòd sacerdotum principes eiusmodi sint dignitatem consecuti (scio enim illis nec ingredi in Sācta sanctorum licuisse) sed quòd nouis principibus (id est, presbyteris) maximum hoc beneficium tribuit Deus; dum eis sedes intra Sancta sanctorum constituit. Atque huiusmodi sedium ordo ac dispositio (vt locus in quadrum aptè componatur) ita videtur fuisse, vt ex qualibet facie seu latere sint senæ: medium autem locum occupet Dei thronus; qua ratione thronus etiam Dei in medio sancti Sanctorum erat. Nec obstat, ex senioribus aliquos ad tergum sedentis esse; alios verò è regione sedere: ita enim existimantur fuisse Cherubini, qui erant in circuitu in templo Salomonis. Idemque accidit in hominum consessu & corona, qui regem siue summum Pontificem ambiunt.

Cùm igitur seniores in throni circuitu considerentur, quaque ex parte seni: animalia in medio existentia contemplor ipse ad quatuor angulos sellæ disposita; & animalia, quæ erant in circuitu throni, concipio vndique ponè seniorum sellas; ita vt quaternarius vnus animalium sit trans senas sellas. Non quòd phrasis *in circuitu throni*, exigat, vt ponè seniores animalia sint: sed quia proportio & respectus ad Salomonici templi Cherubinos in circuitu throni existentes, id postulat. Nam consideratio est eiusmodi: viginti quatuor nempe senioribus in Sancto sanctorum sedes fuisse propositas in circuitu throni: & statim perspicuum est Cherubinos parietibus adhærentes, trans seniorum sellas remansisse.

In huiusmodi figura siue pictura, licèt non omnes seniores è regione sedentis in throno considerandi sint; omnes tamen ita concipi debent, vt oculos atque ora ad principem habeant conuersa. Quòd verò animalia & in medio, & in circuitu sint ea ratione, qua diximus, magnam in se habet congruentiam ad eum sensum denotandum, qui potissimùm intendebatur ex allusione ad Cherubinos templi in medio & in circuitu stantes.

SECTIO

Digitized by Google

A

SECTIO II.

De quatuor animalium specie, quod ad totius corporis figuram attinet.

VVLGARIS pingendi ratio tribuit horum animalium vni perfectam leonis figurã, alij vituli, alij hominis, & alij aquilæ. Fauetq; prima specie textus asserens, *primum animal simile leoni, secundum simile vitulo*, &c. Contra hanc vulgarem picturam referam Primò, quid nonnulli valdè docti & valde mihi venerandi obijciant: deinde quid ipse dicendũ censeam. Noster ergo Pradus, Ezech. 1. sect. 7. (quem sequitur Villalpandus to. 2. lib. 4. c. 41. nec non Viegas hîc sect. 12. & Pererius disp. 18.) duo potissimùm contra vulgarem obijcit picturam. Primum illud est, Deum non solere per visum proponere id, quod iuxta rerum naturam esse non potest, & quod repugnat esse, vel ostendi citra mẽdacium, vel magicum commentum. Quare cùm leo, vitulus, & aquila naturaliter loqui non possint; & animalia Ioanni ostensa in hac visione audita sint articulatis vocibus Dei laudes ceciniſſe;

B non est verisimile, habuisse veram leonis aut vituli aut aquilæ figuram: sed omnia humana figura (additis tamen leonis iubis, vngulis vituli, & pennis aquilæ) fuisse induta.

Qua forma soleant vulgò depingi Ioannis animalia.

Obiectiones aliorum cõtra vulgarem hanc picturam.

Secundò obijcit Pradus in 6. sect. neminem fuisse ausum negare, hæc Ioannis & Ezechielis animalia esse eadem: cùm ergo constet animalia, quæ vidit Ezechiel, fuisse singula quadriformia, idem etiam de Ioannis animalibus dicendum est. Hoc secundum argumentum roborare conatur Villalpandus c. 41. eorum auctoritate, quos adducit Viegas, & præsertim Hieronymi, Patherij, Ruperti, Richardi & Abulensis; qui manifestè significant, eadẽ esse animalia, quæ vidit Ioannes & Ezechiel. Affert præterea Villalpandus Ambrosium l. 1. de Salomone c. 2. vbi, cùm notasset rotas & animalia ab Ezechiele fuisse visa, subdit eadem in Apocalypsi à Ioanne fuisse conspecta. Quòd verò hæc sit constans DD. sententia, potest inde confirmari: quia licèt Ezechiel suis animalibus expresè multos oculos non tribuat; verùm quia multitudinem oculorum Ioannes tribuit animalibus, non dubitant graues Doctores asserere, ab Ezechiele etiam fuisse visa animalia plena oculis. Id enim ait Dionysius de Cælesti hierarchia c. 6. vbi Cherubinos & Seraphinos dicit plurimis oculis esse insignitos. Et Hieronymus Ezechielis 1. de animalibus Ezechielis verba faciens, ait illa esse oculis plena. Et Sophronius oratione de excellentia angelorum (in to. 2. Bibliothecæ) perspicuè tribuit Cherubinis multos oculos, similiter Missa sancti Basilij, & Cyrillus Hierosolym. catechesi 9. Anastasius

C Sinaita lib. 1. Hexameron, & Iustinus q. 44.

Ezechielis & Ioannis animalia esse eadem, multorum opinionem videri.

Duobus his Pradi argumentis Respondẽdum mihi est inprimis. Nec enim solùm vulgarem impugnant picturam, quam ipse non sequor; sed etiam quæ mihi videtur vera. Ad Primum ergo valdè miror, id Prado dissentaneum videri, vt scilicet in visione, quam Deus ostendit Prophetæ, eiusmodi repræsentetur res, cui tanta in se insit repugnantia, vt leonem loqui, aut vitulum, aut etiam aquilam. Vtrùm enim minùs est repugnãs naturæ, alas boui ac leoni innasci? è mari prodire belluam cum septem leonis capitibus, tigrino corpore, pedibus vrsinis, viuas currus apparere rotas, oculis vndique prẽditas? Nónne expressum in Apocalypsi est, aquilam à Ioanne fuisse visam per medium cæli volantem ac vociferantem, *Va, va, va habitantibus in terra*? Quid igitur nobis opponitur, quasi repugnans omnino, & quod fieri nequaquam possit, vt Prophetæ ostendatur per visum leo loquens? Si contendat, id significationi congruens non esse; modus saltem loquendi, quo Pradus vtitur, nimiam continet exaggerationem. Nec sufficit dicere id non esse conueniens, nisi probetur. Nam, vt infrà constabit liquidò, leo est mirificum fortitudinis symbolum, vitulus beneficentiæ, aquila sapientiæ. Quare vt significaretur, hasce animi dotes ac virtutes præclaras, Apostolis vires ac robur suggessisse ad Christi Euangelium promulgandum; nihil certè inepti aut dissoni fuit, sed consentanei multum atque aptissimi habuit eiusmodi actio seu figura, qua Ioanni fuere ostensi leo, vitulus

D & aquila clamantes, Sanctus, sanctus, sanctus.

Argumẽtis contra communem picturam obiectis occurritur.

Ad Secundum argumentum Respondeo, multifariã dici posse vnum esse idem cum alio. Et quidem in aliquo sensu dici verè potest, Ezechielis & Ioannis animalia esse eadem; nimirum propter horum ad illa allusionem, proportionem atque alias cohærendi rationes. Præsertim in eorum opinione, qui in Ezechiele & Apocalypsi quatuor animalium significationem eãdem esse volunt; licèt animalium figuræ nonnihil diuersæ sint, dici iure possunt eædem esse. Sed quod Pradus videtur contendere, absq; vllo scilicet discrimine, esse idem id quod Ioannes & Ezechiel vidit, id verò mihi minùs probatur, quàm discrimine admisso, illius rationem reddere. Exemplo sit collatio à me posita, c. 1. notat. 17. inter capitis illius figuram, & eam quæ à Daniele describitur c. 10. In qua qui vtriusque conuenientias plurimas sanè & mirabiles intueatur, nec differentiarum meminerit; asseret fortassis idem fuisse omnino à Ioanne quod à Daniele visum: non tamen plenè & integrè figuræ vtriusque elegantiam & artificium perfruetur, qui non earum discrimen attentè notauerit & elegantiam; qua vtraque inter se partim eædem, partim diuersæ comparantur.

Multifariã dici posse vnum idem esse cum alio.

Præterea asserere auctorem reperiri nullum, qui Ezechielis & Ioannis animalia eadem prorsus esse ausit negare; id sanè nimis exaggerare est. Ita etiã Pradus ipse sect. 4. ait, speciem primæ visionis Ezechielis esse penitus eandem cum specie solij, quod erat in oraculo tẽpli: & sect. 6. affirmat Isaiæ Seraphinos esse eiusdem figuræ atq; Ezechielis animalia: & sect. 8. eandem esse Danielis visionem c. 7. & sect. 9. & 10. Mosem etiam aspexisse Dei quadrigã & eandem animalium figuram. Ceterùm

si

Digitized by Google

si res attentiùs inspiciatur, ad eam vnitatis siue identitatis (vt ita dicam) rationẽ, quam Pradus persuadere conatur, proportione aliqua seu conuenientia cõtentus est. Nam ex spharulis quibusdam, quas arca pro pedibus habebat, rotas ipse currui affingit. Et quia Mosi duorum Cherubinorũ paruulorum exemplar fuit ostensum (quos ipse cum magnis Salomonis Cherubinis coniunctos quadrigam conficere autumat) ideo ait quadrigam à Mose fuisse visam. Item quia opinatur, firmamentum Ezechieli visum respondere Propitiatorio, ac mari vitreo, quod Ioannes aspexit; idcirco omnia hæc in vnum coalescere existimat. Constat autem manifestè plures ex ijs conuenientijs ab eo non reputari certas; vt est illud, Salomonem Dei currui fabricasse rotas, eiusdem prorsus figuræ, quas vidit Ezechiel; nec non à Ioanne in hac visione & currum & rotas fuisse visas. A

Auctores pro Pradi opinione adducti explicantur.

Ad hæc, auctores, quos affert Villalpandus, vt eadem prorsus esse probet Ioannis & Ezechielis animalia, non tantum asserunt, quantum ipse contendit. Hieronymus namque id vnum affirmat, in vtraq; visione per quatuor animalia, virtutes quatuor quas cardinales vocant figurari. Quod autẽ ait loquens de Ioãnis animalibus, ea esse in vno quatuor, & in quatuor singula, philosophia est fundata in Ezechielis visione quatuor Euangelijs applicata. Iam, quod de Ezechielis animalibus verba faciens dicit, *Ista sunt iuxta Apocalypsin animalia plena oculis*; non ideo ait illa ab Ezechiele fuisse visa oculis plena, sed à Ioanne: vt patet ex contextu. Atq; eadem ratione explico Dionysium, Sophronium, Basilium ac Cyrillum. Patherius solùm ait Ioannem ab Ezechiele nõ dissentire, scilicet quia verum vero consonat. Rupertus non video quibus verbis significet, animalia Ioannis esse eadem omnino cum Ezechielis animalibus. Richardus & Ambrosius, meo iudicio, explicandi sunt de aliquali vnitate siue identitate, cum qua rectè possunt nonnullæ differentiæ reperiri. Atque vt ego existimo, non modò certum non est interpretem dari nullum, qui differentiam aliquam cogitet; sed potiùs vix inueniri quispiam poterit, qui visionem Ioannis ab Ezechielis visione in aliqua re non discriminet. Quin ipsimet, qui Pradum sectantur, cum dubitatione loquuntur; dicentes, fortasse animalia fuisse visa Ezechieli oculis plena. Ita enim Pererius. B

Opinio Pradi de Ezechielis & Ioannis animaliũ identitate impugnatur.

Sed vt rationibus agamus, licèt eadem esset vtriusq; visionis significatio, & ambę eiusdem essent Prophetæ; non video quantæ difficultatis sit affirmare, ab Spiritu sancto rem aliquam siue figuram ob peculiarem aliquam rationem modò hoc vestitu, modò illo fuisse Prophetæ ostensam. Primò quia idemmet homo nunc his vestibus, nunc illis induitur: & visiones quidem, vt picturæ, maiorem adhuc diuersitatem facilè capiunt. Quod videre est in pluribus varijsque picturis, quibus Villalpandus quatuor animalia multimodis depinxit. Modò enim leonem integrum cum alis apponit, vt in altari holocausti; modò vultum solum leonis cum alis; modò hominis speciem cum leonis iuba; nunc solidum vitulum; nunc solos vituli pedes. Si igitur propter picturæ commoditatem aut venustatem artis licuit Villalpando ipsissimas animalium figuras hisce differentijs variare, aut idem Spiritui sancto propter mysterij diuersitatem non liceat? Non ita Hieronymus & Theodoretus existimarunt, qui (vt infrà constabit) sibi persuadent visionem animalium Ezechielis cap. 10. esse aliquantulum diuersam à visione capitis primi. C

Secũdò, licèt Ezech. animalium significatio aliquam habeat proportionem cum Apocalypseos animalium significatione: si tamen esset adhuc fortasse diuersa; quis non videat, ad hoc maximè oportuisse, vt visiones omnino similes non essent? Non ergo debuit principio statui, à diuino Spiritu non potuisse intendi diuersam significationem in visionibus illis, quę prima facie videntur similes. Imò verò cùm ad significationem ventum erit, constabit fortasse, proprium Isaiæ Seraphinorum & Ioannis animalium mysterium ad Apostolos, eorumque posteros significandos spectare, id est, ad Ecclesiasticæ hierarchiæ principes; per Ezechielis autem animalia, non hierarchiæ Ecclesiasticę, sed cælestis principes indicari. Quare nemo mihi deinceps vt certum præstituat, nullam fore in visionibus differentiam, si Spiritus sanctus diuersa intendebat significare mysteria.

Duæ Scripturæ visiones in nonnullis similes, in alijs diuersas esse sæpe contingit.

Tertiò, negare nemo potest, frequenter contingere, vt duæ sacræ Scripturæ visiones in nonnullis rebus similes, in alijs diuersæ sint. Quare non debet interpres cõuenientijs solùm assumptis decernere, nullum idcirco discrimen futurum. Multò enim securius est, attẽdere diligenter, quid textus dicat; nec Prophetæ eam visionis partem imponere, quam ipse se vidisse non ait. v.g. Ezechiel affirmat se numerosam oculorum multitudinem in rotis aspexisse; eamque in animalibus se vidisse non ait. Ioãnes verò nulla rotarum facta mentione, throni solùm meminit & sedium in throni circuitu positarum: oculos autẽ plurimos in animalibus quatuor se intuitũ fuisse asseuerat. Quomodo ergo collineabit interpres, qui supponat Ezechieli etiam multos oculos in animalibus fuisse visos? aut vnde se vidisse, illo tacẽte, scire possumus? Quæ enim potuit Deũ lex vel ratio cogere, vt multos oculos Ezechieli in animalibus ostẽderet, sicuti erat posteà Ioãni ostensurus? Quãtò, obsecro, maior prudẽtia est, discrimẽ aduertere, quod in textu inuenitur, & eius mysterium seriò inuestigare? Certè ex huiusmodi attẽtione & modestia lux potest haud mediocris ad S. Scripturę intelligentiã sperari. D

His prædictis, illud præcipuè constat, quę Ezechiel affirmat se vidisse, non debere sumi pro regula eorũ quæ vidit Ioannes, sed ea potiùs, quæ ipse Ioannes à se aspecta fuisse ait, habito tamẽ respectu ad ea ad quę alludit, & ad significationẽ quam iuxta Scripturę vsum, ipsius verba habere possũt.

Nomen animalium nõ cogere, vt ea veluti animalia irrationalia considerentur.

Assero ergo Primò nomen quatuor animaliũ minimè cogere (vt nonnulli volunt) vt omnia ea irrationaliũ animalium insignibus induta esse credamus. Licet enim daremus id, animalis nẽpe nomen in latina phrasi, nisi adiectione *rationalis* tẽperetur, aliquod irrationale repræsentare; at in græca (in qua Ioãnes scripsit) & in hebraica (in qua Ezechiel) animal nõ deriuatur ab anima, sed à vita: & græca locutione Deus beatũ animal appellatur. Simili item phrasi de angelis dicitur ps. 67. 11. *Animalia tua habitabũt in ea; parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* Quod ad angelorũ custodiã pertinere existimo.

Vbi

A Vbi igitur aduertamus, animalis nomine viram ſignificari; mox apparet cur Ezechiel animalium nomine vtatur ad Cherubinos ſignificandos. Quod præſtitit ob manifeſtam ad Dei thronum alluſionem; nec non ad Cherubinos, quos Salomon in Sancto ſanctorum (vbi Dei erat thronus) in medio & in circuitu conſtituerat. In qua alluſione vt oſtenderet Ezechiel diſcrimen, quod intererat inter Cherubinos eos, quos ipſe viderat, & illos quos in templo poſuerat Salomon, appoſitè ſatis animalium vſurpauit nomen, quod hebraicè viuentis ſignificationem habet. Quaſi diceret, Salomonis Cherubinos fuiſſe aureos & oleaginos atque adeò vitæ expertes; eos verò, qui à ſe fuerant iuxta Dei thronum viſi, eſſe viuentes. Deinde Ioannes ad hunc ipſum Ezechielis locum reſpiciens, & eâdem conſideratione vtens, eandem ſimiliter loquutionem vſurpauit: ideoque animalia vocauit ea, quæ erant in medio throni & in circuitu, vt iam explicatum eſt.

Cur ſuos Cherubinos Ezechiel animalia vocet?

Secundum, aſſero manifeſtam ad templi Cherubinos alluſionem petere, vt in Ezechielis & Ioannis viſionibus figuram ac ſimilitudinem Cherubinorum templi ipſis animalibus tribuamus, iis exceptis, quæ aliter ſunt ab Ezechielis, vel à Ioanne expreſſa. Etenim appellare animalia illa, quæ throno Dei aſſiſtunt; idem eſt ac dicere, ea eſſe Cherubinos viuos. Quare Ezechielis Cherubinos eorum inſtar eſſe oportet, qui erant in templo; demptis iis, quæ ab Ezechiele ipſo notantur diuerſa ſibi apparuiſſe. Ioannis item animalia eiuſdem debent eſſe figuræ cum iis Cherubinis, qui erant
B in templo; iis exceptis, quæ à Ioanne diſſimilia exprimuntur. Atque hæc ratio nos vrget, ne bouis, aut leonis ſimilitudine (quam textus ſonat) adducamur, vt ſingulis quaternos affingamus pedes; quemadmodum veris bobus aut leonibus ineſſe videmus. Nam eos eſſe Cherubinos viuos, ſuo quaſi iure depoſuit, ne tanta ſit inter animalia & templi Cherubinos diuerſitas. Præſertim cùm conſtet, hominem dici poſſe leoni ſimilem, aut propter vultus ſpeciem, ſi quomodo leonis faciem imitatur, aut quòd piloſum valde pectus habeat, aut quòd animo ſit forti magnoque præditus, ſiue aliam ob cauſam, quamuis totius corporis figura humana ſit. Id quod dilucidè expreſſit Ezechiel, qui etſi quatuor facies eius Cherubinis attribuat, nihilominus ait, *ſimilitudo hominis in eis.* Quapropter S. Dionyſius Cherubinis templi adoleſcentum formam iuuenilem & pubeſcentem dat, c.15. de Cæleſt. Hierarch. Atque ea videtur eſſe conſtans Doctorum ſent. Hebræorumque traditio. Exprimitur certè à Theodoreto & Apollinari Ezech.1.

Ezechielis & Ioannis animalia Cherubinis templi ſimilia eſſe debere, præter illa, quæ ipſi aliter exprimunt.

Ezechielis & Ioannis animalia conſtare humanâ figurâ.

Contra hanc tamen corporis humani figuram militant nonnulla argum. primum, quia Dionyſius ipſe Areop. de Cæleſt. Hierarch. c.14. Seraphinis multos concedit pedes. Idem ergo erit de Cherubinis dicendum. Nam ſi in vtráque Ioannis & Ezechielis viſione ad templi Cherubinos alluditur, eadem eſt apud Iſai. alluſio eademque ratio, cùm ſit eadem Cherubinorum & Seraphinorum figura, vt multis probat Villalpandus noſter to.2.l.4.c.36.& 37. Igitur Cherubinorum figura iuxta Dionyſium quadrupes erat; ad eum ferè modum, quo Ægyptij ſuas depingebant ſphynges. Quas Clemens Alexand. l.5. ſtrom. ſignificat è Salomonis templo fuiſſe deſumptas. Videndus eſt præterea Dionyſius c.2. de Cæleſt. Hierarch. vbi de multis pedibus ſacratiſſimè fictis in cæleſtibus ſpiritibus.
C Secundum, Cherubinorum nomen ſonat idem, quod *curulis*, vel *currum agens*, vt contendit Pradus Ezech.1. ſect.4. fi. & confirmatur ex 1. Paral.28.18. vbi legimus, *vt fieret ſimilitudo quadrigæ Cherubim.* Erant igitur quadrupedes. Eiuſmodi enim ſunt animalia, quæ ad currum iunguntur. Et confirmatur ſecundo, quia nomen *Cherub* accipitur pro boue, Ezech.10.14.

Argumenta contra prædictam animalium figuram.

Tertium argumentum eſt, quod ipſe Ioannis textus humanæ figuræ obſtare videatur. Ait enim, *Tertium animal, habens faciem quaſi hominis.* Quare ſimilitudo hominis non illi in toto corpore, ſed in ſolo vultu videtur tribuenda.

Quartum, ſi animalium, quæ Ioannes vidit, figura cum templi Cherubinis debet congruere; non ſolùm certum non eſt, eos humanâ conſtitiſſe ſpecie, ſed oppoſitum potiùs conſtare videtur. Nam Ioſephus 3. Antiquit. c.6. aſſerit Moſis Cherubinos eſſe animalia nouâ ſpecie; neque vnquam visâ. Ac de Cherubinis Salomonis ait lib.8. cap.2. neminem coniicere poſſe, qua ſpecie fuerint. Non erant igitur alati iuuenes. Hæc enim figura nouum aliquid aut inſolens, præter alas, habebat nihil. Arqui alatam etiam Victoriam & pennatum Cupidinem veteres pingebant.

Nihilominus tamen certum exiſtimo, Cherubinos templi humanâ ſpecie & iuuenili fuiſſe; vt
D latè probant Pradus & Villalpandus. Ex quo ſequitur (vt iam vidimus) eandem humani corporis figuram Iſaiæ Seraphinis & animalibus Ezechielis ac Ioannis eſſe tribuendam. Quare ad Primum argumentum Reſpondeo, ſatis eſſe, angelis humanam figuram dari; vt verè dicantur eis dari multi pedes. Duos enim eſſe multos vel pueri norunt. Spectatâ ergo ſimplici angelorum naturâ, in qua pedum & brachiorum diſtinctio locum non habet, volens Dionyſius rationem reddere, cur angeli in humana ſpecie cum pedum diſtinctione apparuerint, quo rem magis ponderaret; phraſi illa multorum pedum fuit vſus. Aut fortè ad alias angelorum reſpexit viſiones; in quibus angeli ſub curruum equis tractorum ſpecie, aut etiam equitum equis inſidentium fuere conſpecti: tunc verò multis eos pedibus apparere neceſſe eſt. At Cherubinis templi pluſquàm binos pedes attribuere, id ſane nullius probabilitatis eſſe opinor.

Soluuntur argumenta, & humanâ Ezechielis ac Ioannis animalibus fuiſſe ſpecie ſtatuitur.

Ad Secundum Reſpondeo, illam nominis *Cherub* etymologiam veram non eſſe (vt dicemus notat 7.) Ad confirmationem ex 1. Paral.28.18. Reſpondetur duos illos Cherubinos, quos Moſes fecit, appellari Dei quadrigam. Accipitur enim quadrigæ nomen abuſiuè pro ſede & throno Dei: quia in ſimili throno tanquam in curru regio Deus in ſacris fictionibus aſcendere & volare deſcribitur. Hebræum autem nomen non plus ſignificat quádrigam, quàm bigam ſeu quoduis vehiculum. Et quidem aptè poterant duo illi Cherubini, quos fecit Moſes, appellari vehiculum Dei, ſeu biga Dei. Quod verò textus ait, Dauidem ſingillatim Salomoni certum auri pondus tradidiſſe,

Duos Cherubinos à Moſe factos, abuſiuè appellari Dei quadrigam.

Digitized by Google

didisse, vt fieret similitudo quadrigæ Cherubinorum; idem est, atque vt faceret duos illos Cherubinos, multò quidem maiores; sed similes duobus illis, qui biga Cherubinorum siue thronus Dei appellabantur. Non me latet, Pradum & Villalpandum aliter locum illum construere. Dauidem scilicet eam auri vim reliquisse, vt duo fierent Cherubini, qui cum duobus aliis, quos fecerat Moses, coniuncti, quadrigam quatuor Cherubinorum conficerent. Hanc tamen expositionem valde coactam existimo. Violentum namque est concipere quadrigam compositam ex duplici Cherubinorum pari; quorum alterum vix erat vnius cubiti in altitudinem, alterum decem omnino cubitorum. Præterquàm quòd duo parui Cherubini supra arcam erant, & alij duo magni humi stabant. Id quod cum quadrigæ figura nulla ratione cohæret. Ad hæc Dauid duobus tantùm conflandis aurũ dedit, atque adeò non ad quadrigam propriè sumptam. Præterea in Ezechielis visione verum est, à quatuor animalibus currum trahi, sed in templo inanis est rotarum currus consideratio: & duo parui Cherubini currum non trahunt; sed trahuntur potiùs, cùm sint Dei thronus: vt ex multis Scripturæ locis constat. Cherubini autem, quos fecit Salomon, nec destinati erant ad trahendum currum (qui nullus ibi erat) nec ad Dei thronum, (cùm huic rei parui Cherubini deseruire intelligantur) sed ad præclaros & excellentes Dei ministros significandos, qui ante illum assistunt. Et tamen sapientissimò consilio fuere ad paruorum similitudinem conditi, vt in significatione singillatim dicemus.

Ex duplici Cherubinorum pari, Mosis scilicet & Salomonis, quadrigam non posse componi.

Ad confirmationem alteram desumptam ex acceptione nominis *Cherub* pro boue, cùm dicitur Ezechielis 10.14. *facies vna facies Cherub*, Respondetur, ex eo loco ad summum colligi, facies Cherubinorum templi fuisse vitulinas (quæ est Hieronymi sententia eo loci) sed de figura corporis nihil colligitur. An verò nomine faciei intelligatur ibi, quam propriè appellamus faciem, dicetur infrà.

Ad Tertium argumentum Respondeo, Ioannem non ideo dicere, tertium animal habere faciem quasi hominis, quia corporis figura non esset humana; sed quia præter istam figuram (in qua tertium animal cum ceteris simile erat) habebat etiam humanam faciem: atque in hoc tertium differebat à reliquis, de quo infrà. Ioannes itaque non satis habuit si de tertio diceret, illud esse homini simile. Nam vt aliquo modo simile foret, sufficiebat corporis forma: hanc autem omnia quatuor animalia habebant humanam: sed tertium habebat etiam faciem humanæ similem, quod in aliis secùs erat.

Ad Quartum Respondeo, vt verum sit, quod Iosephus ait 3. Antiq. c. 6. (Cherubinos scilicet, esse animalia, nouâ specie neque vnquam visa) satis esse, vt iuuenum alatorum forma illis sit. Hæc enim species nunquam fuit in vero animali visa. Quod verò ait lib. 8. cap. 2. neminem posse coniicere, qua specie fuerint, valde suspicor eum, vtpote rabbinum, consultò & deditâ operâ tenebras suis rebus velle offundere; vt Græci ac Romani (quibus eos scribebat libros) sibi persuaderent, nullam iam Cherubinorum notitiam apud posteros remanere: vt ex communi existimatione credentium eos fuisse admirabiles, & ex eorum figuræ memoria in posteris decursu temporis obliteratâ, opinio de Iudaici templi mysteriis peruagata magis magisque cresceret. Hoc vt credam facilè ex eo adducor, quòd non hic locus sit apud Iosephum eximius, in quo exaggerationes bene magnæ reperiantur. Quin imò ipsosmet, de quibus sermo est, Cherubinos magnos à Salomone factos (quos Scriptura asserit ex oliuo fuisse fabricatos, & aureâ laminâ coopertos, ipse ex solido auro factos esse affirmat. Deinde si fidem Iosepho habemus, quatenus ait, neminem posse diuinare, cuiusmodi essent figuræ Cherubini, hæc verba æque militant aduersus Villalpandi opinionem; nec non eorum, qui Cherubinos quadrupedes fuisse autumant. Demum contra quascumque opinandi rationes facit, & vni fauet ignorantiæ & vera coniectandi desperationi. Quare vnius Iosephi dictum communi omnium sensui & traditioni anteponendum non est. Sed præter hæc, non videtur verisimile, Iosephum & Rabbinos ignorasse id, quod toti Iudæorum populo fuerat notissimum; præsertim in re adeò insigni, & digna quæ apud omnes æternâ retineretur memoriâ, & à maioribus ad posteros emanaret: cùm paucis retro sæculis Cherubini aliquot in templi parietibus integri viserentur, atque adeò in ipso fortasse Sanctuario ad priscorum illorum imitationem elaborati.

Cherubinorum templi forma qualis fuerit, secundùm Iosephum, omnino ignorari.

SECTIO III.

De multitudine oculorum, qui in singulis animalibus conspiciebantur.

NOtauimus iam suprà, Ezechielem non in animalibus, sed in rotis oculorum multitudinem conspexisse: Ioannem verò, non rotas (quas nullas vidit) sed animalia conspexisse plena oculis. Noster ergo Pradus, qui Ioannis & Ezechielis visa omnino similia esse contendit, sibi persuadet, multos illos oculos non fuisse eorum instar, quos Poëtæ suo Argo confingunt: sed vt ij, qui in pauonis cauda visuntur. Et huiusmodi oculos tribuit quatuor sacris animalibus, non in alis solùm, sed etiam toto corpore. Hæc fuerat Lyrani opinio, quam perspicuè sequitur Pradus Ezech. 1. ver. 18. & c. 10. fol. 137. col. 2. huiusq; opinionis laudat auctorem Rabbi Moysem Ægyptium l. 3. directionum. Verùm hæc oculorum ratio, aspectui fortasse iucunda, inepta est vt ipsis quis videre possit. Et fortè in eo nititur hæc opinio, quòd oculi animalium, quæ Ioannes vidit, respondent oculis rotarũ Ezech. Rotarum autem oculi non videntur illis dati, vt per eos aspiciant: nec enim cohæret, vt oculi ad intuendum illis dati, per terram assiduo rotatu ferrentur. Atqui de suis rotis, ait Ezechiel c. 1. 18. *Totum corpus oculis plenũ in circuitu ipsarum.* & c. 10. 12. *Corpus earũ & circuli plena erant oculis in circuitu ipsarũ rotarum.*

Dico

A Dico tamen, hunc oculorum modum, pauonis caudam imitantium nulla ratione, aut Ioannis animalibus aut Ezechielis rotis esse tribuendum. Atq; vt illa reiiceretur opinio, satis erat, inuentam fuisse à quodam Rabino: omnes autem, tam Græcos, quàm Latinos veteres, has visiones, non de oculis caudæ pauonis, sed de veris oculis ad videndum & vigilandum datis interpretatos esse. Quam interpretationem verissimam esse non solùm in animalibus, sed etiam in rotis, suo loco explicabitur. Interim nota Ioannem eâdem phrasi dicere infra, Agnum septem habere oculos. Vbi nemo dubitat, quin de veris oculis ad intuendum idoneis sermo sit: ergo similiter est intelligendum, quod de plurimis animalium oculis legimus.

Animalia oculos fuisse veros, non pictos, probatur.

Ad id verò, quod obiicitur, nempe non congruere, vt oculi veri per terram rotantes ferantur; respondeo, facilè posse considerari oculos in rotis ea ratione dispositos, vt ipsi terram non contingant: aut quòd sint ad circulorum latera deflexi, aut quia quosdam veluti canales habeant circuli, in quibus oculi tuti esse videantur.

Rotarum Ezechielis oculi qua ratione possint concipi, ita vt terrã non contingant.

Quatuor itaque animalia, quæ Ioannes vidit, erant toto corpore *plena oculis ante & retrò*, sic enim ait textus. Ex quo obiter infero, animalia isthæc concipienda esse muda, qualem Poëtæ suum Argum fabulantur. Sed quid illud est, quod subditur mox, *& in circuitu & intus plena sunt oculis*? Aduerto primùm in multis codicibus hunc locum malè fuisse distinctum hoc modo; *habebant alas senas in*

B *circuitu: & intus plena sunt oculis.* Ex editione tamen Vaticana constat (quod erat etiam per se multò aptius) legendum esse, *habebant alas senas*: & deinde distinctione interposita & cõiunctione copulatiua adiecta; *& in circuitu & intus plena sunt oculis.* Cuius lectionis expositionem (quam valde probabilem reputo) posui suprà sect. 1. Nec conducit parum ad illam declarationem eadem oculorum repetitio. Ideo enim repeti videntur, vt aduertatur non tantùm Cherubinos, qui erant in medio, sed eos etiam qui erant in circuitu, oculis esse plenos. Si cui tamen expositio illa non arrideat, poterit ita explicare, vt *in circuitu* sit in externâ alarum facie quæ foras, spectat: & *intus*, in internâ parte quæ respicit intrò, quasi dicat, in vtrâque facie externâ simul & internâ. Nisi fortè dixerit quispiam, Ioanni fuisse reuelatum, animalia præter oculorum multiplicitatem, quibus totum vndique corpus antè & retro erat aspersum, intus etiam oculis esse plena: qui, si intima nudarentur viscera, facilè patescerent. His verò oculis interna omnia perspicere, quæ externis oculis subiici non possunt. sed hoc fortasse plus est, quàm id quod verba ipsa significant.

Animalia Ioannis nuda fuisse visa.

Animalia Ioannis quomodo potuerint esse plena oculis in circuitu & intu.

SECTIO IV.

An singula animalia Ioannis habuerint quatuor facies, sicut animalia Ezechielis?

C Certum id reputant Pradus & Villalpandus: quia existimant Ioannis & Ezechielis animalia esse omnino similia, aut prorsus eadem. Atque idem sequitur Pererius. Sed iam suprà ostendi, minime esse necessarium vt vtraque animalia omnino similia sint: quin potiùs valde oportere, vt sint aliqua ex parte diuersa. Qui autem ideò reputat nullam huius differentiæ rationem congruentem reperiri, quòd ipse eam non assequatur; is sanè plus æquo sibi arrogat. Expendamus ergo Ioannis verba, & examinemus vtrùm illa cogant credere, animalia, quæ ipse vidit, non habuisse similes vultus, sed potiùs valdè dissimiles. *Animal*, ait, *primum simile leoni, & secundum animal simile vitulo, & tertium animal habens faciem quasi hominis, & quartum animal simile aquilæ volanti.* Pradus & Villalpandus contendunt, Ioannem in primo, secundo & quarto animali, non loqui de facie propriè dicta, dum ait, *simile leoni, simile vitulo*: & probant, quia Ioannes manifestè discernit faciem & similitudinem: siquidem ait, *simile leoni, simile vitulo*: & in tertio non ait, *simile homini*, sed *habens faciem quasi hominis.* In quarto verò non ait absolutè *simile aquilæ*; sed *simile aquilæ volanti*, quasi diceret, in alis, non in facie.

Vtrum Ioannis animalia quatuor facies strictè sumptas habuerint.

Nihilominùs certum videtur, Ioannem in primo, secundo & quarto animalibus loqui de facie propriè sumptâ, & tamen in tertio animali, iure optimo, modum loquendi variasse. Etenim, cùm

D omnia quatuor animalia humanam corporis figuram haberent (vt vidimus sectione 2.) cùm de tertio ait, *habens faciem quasi hominis*, idem est ac dicere, non esse vtcumque homini simile. Nam vt aliquo modo esset simile, satis erat corporis forma, (propter quam dictum est ab Ezechiele, *similitudo hominis in eis*) hanc autem corporis formam omnia quatuor habebant humanam: sed tertium habebat insuper faciem, quasi faciem hominis: quod aliis tribus commune non erat. Quare cùm in tertio exprimitur, illi faciem hominis inesse; idipsum nos cogit, vt ceterorum similitudinem, quam eis Ioannes attribuit, ad faciem propriè dictam referamus. Nam si tertium in eo differt à cæteris, quia facie constat humanâ; ad faciem igitur referri debet similitudo leonis in 1. vituli in 2. & aquilæ in 4. Neq; obest epitheton *volantis*: vt enim aquila id adderetur, idonea extitit ratio, de qua suo loco.

De facie strictè sumptâ loqui Ioannem, verior sententia.

At enim, inquies ad prædictum sensum congruentius foret de omnibus eâdem phrasi loqui, & dicere, primum habere faciem leonis, secundum vituli, tertium hominis & quartum aquilæ. Respondetur, vt intelligeretur iustitui sermonem de facie, satis fuit id in tertio exprimere: mox enim oppositio obligat, vt in omnibus sermonem esse de facie intelligatur, & fortè de industriâ Ioannes non dixit, primum animal habens faciem leonis, vel quasi leonis. Tribui enim primo leonis faciem, secundo vituli, & quartò aquilæ, bifariam accipi potest; primùm de perfecta facie leonis, vituli & aquilæ, eâdem omnino figura, quæ in ipsis animalibus cernitur. Deinde non de perfecta leonis, vituli & aquilæ facie; sed de eiusmodi similitudine, quam contemplari solent, qui physiognomiæ

gnomiæ dant operam;& asserunt,hunc vultu referre arietes,illum canes,&c. quia intra humanæ faciei circumscriptionem, arietis aut canis faciem valde imitantur. Atque hac ratione alius dicitur faciem habere leoninam,vitulinam alius, alius aquilinam. Quemadmodum ergo in hominum figurâ, hæc animantium brutorum similitudo minùs est violenta; fortè in Ioannis visione existimandum est, primum animal non perfectâ leonis facie constare; sed facie quidem humanâ, quæ tamen referat leoninam: & sic de secundo & quarto. Hoc verò si admittatur, facili mox negotio cernitur, conuenientiùs dixisse Ioannem, primum simile leoni, quàm si diceret, habens faciem quasi leonis. Illa enim particula, *quasi*, in sacræ Scripturæ phrasi solet sæpe perfectam imitationem significare. Ideoque ad similitudinem aliquam, & non perfectam exprimendam, congruentius fuit dicere, *primum animal simile leoni*; idemque de secundo. In tertio verò cùm asseritur, *habens faciem quasi faciem hominis*, non aliud erit, quàm dicere, faciem omnino humanam, & quæ nulla ratione ad alterius animalis speciem referatur. A

Cur in quarto animali Ioãnes addat epitheton volantis.

In quarto autem animali, quoniam aquilina facies ad nasum aquilinum referri poterat, (in quo est valde parua faciei aquilinæ similitudo; vt intra humani vultus limites maior adhuc similitudo notaretur, quàm in solo aquilino naso, nempe in totius vultus confirmatione,) oportuit illud epitheton addi à Ioanne, & dici, *Quartum animal simile aquilæ volanti.* Aut hoc appositum fortè additur; vt innuatur ex vultus & alarum similitudine quartum animal magis esse aquilæ assimile, quàm primum leoni, & secundum vitulo. Addo etiam, fortè Spiritui sancto illud placuisse epitheton; quia nonnihil habet mysterij ad propriam significationem aquilini symboli in quarto animali figurati. B

Aquilæ similitudinẽ ad alas solùm referre, quàm sit violentum.

Quomodocumque hoc sit, aquilæ similitudinem ad alas solùm referre, violentum plane est. Sic enim nullum esset inter quartum animal & reliqua discrimen; cùm eorum singulis sex fuerint alæ. Et Ioannes quidem quatuor animalia manifestè inter se discriminat: cùmque Ezechiel antè dixisset, quæ ipse vidit animalia, quaternis faciebus constare singula; Ioannes ait, quatuor se animalia vidisse, primum leoni simile, secundum vitulo, tertium faciem hominis habens, & quartum aquilæ simile.

Huic argumento Pererius respondet, ad diuersitatem illam à Ioanne positam superesse, vt primo animali expressior sit leonis similitudo, & secundo expressior similitudo vituli: & in tertio hominis, & aquilæ in quarto: licet in vnoquoque animalium sit leonis, vituli & aquilæ similitudo. Sed primò, quo pacto id sit intelligendum non satis teneo. Nam si quatuor animalia perfectâ hominis facie constabant, loquendo de facie propriè sumpta; & singula habebant alas senas; non video iuxta Pererij expositionem, qua ratione possit dignosci differentia tertij animalis & quarti à reliquis. Deinde Ioannes non ait, animalium, quæ ipse vidit, singula quaternis esse faciebus. neque recte assumitur argumentum in Ioannis visione ex iis, quæ Ezechiel de sua recenset. Nam, vt vidimus supra, immeritò statuitur, vtramque visionem fuisse prorsus similem. Tertio difficile valde est, Ezechielis animalia, iuxta Pradi & Villalpandi expositionem intelligere, vt suo loco planum fiet. Neque negari potest illam opinionem esse nouam. non quòd nouum sit, faciei nomine non semper designari eam, quæ strictè appellatur facies: sed quia contextus cogit, vt Ezechielem de facie strictè sumptâ intelligamus. Atque in eo sensu accepit vulgatus, qui vertit Ezech. 10.21. *Quatuor vultus vni*, siue vnicuique. Esset autem valde violentum nomen vultus pro bouis vngula sumere. In eodem etiam sensu proprio accepit Dionysius Areopagita cap. 15. de cælesti Hierarchia, vbi agens de tribus faciebus leonis, vituli & aquilæ (nec enim de humana facie ibi loquitur) appellat eas bestiarum effigies, & in bouis imagine cornuum expresse meminit. Atqui perspicuum est, Dionysium non cogitare cornua bouis in vngula; & in aquilina effigie notat vim illam singularem speculandi & intendendi directè in solis lucem, nullam in partem inclinando aciem luminum: quod ad oculos aquilæ manifestè spectat, & cap. 2. vbi agit de effigie aquilæ, quam Ezechiel Angelis tribuit, perspicuè asserit, *ad aquilarum recuruis rostris effigiem.* Quamobrem euidens est, Dionysium intellexisse quatuor facies in sensu proprio & stricto. Eodemque modo intellexerunt Græci omnes & Latini. Quòd autem Pradus ait, Græcos de humana forma explicare aliorum animalium insignibus vestitâ, id suam opinionem minimè fulcit, vt deinceps explicabitur. G

Vtrum sua animalia Ioannes inter se omnino similia effingat?

Ceterùm accedamus ad vim verborum Ioannis: & expendamus eorum robur ad probandum, quatuor animalia non esse ita concipienda, vt similia inter se sint. Pradus, vt suam tueatur opinionem asserit, verba illa textus, *in circuitu sedis quatuor animalia*, propriè esse intelligenda de quatuor animalibus. Quòd verò subditur, *& animal primum simile leoni, & secundum simile vitulo, &c.* non de ipsis animalibus, sed de eorum faciebus accipiendum esse; vt sensus sit, *Prima facies similis leoni, secunda similis vitulo*, &c. Sic ille. Verùm hæc explicatio coacta est, vt manifeste apparet in tertio animali. Nam si tertium animal est tertia facies, qualis erit loquendi modus; Tertia facies habens quasi faciem hominis? Deinde, si facies leonis est in pectore; vituli, in pede; hominis, in vultu & facie proprie dictâ: quænam, obsecro, enumerandi ratio est, primò leonem apponere, secundò vitulum, tertiò hominem? Hoc enim est à pectore incipere; inde ad pedes deiici, & inde ad caput conuolare. Quòd si nulla constricti obligatione tenemur, vt visionem Ezechielis credamus esse omnino similem Ioannis visioni, quid opus est adeò constanter atque violenter asserere, Ioannis animalia esse inter se penitus similia? H

Num Ezechiel & Ioannes eodẽ modo de quatuor animalibus loquantur?

Existimant tamen Pradus & Villalpandus se euidenter ostendere, Ioannis contextum non cogere, ne singulis suorum animalium quaternæ tribuantur facies. Qua enim ratione Ioannes ait, *Animal primum simile leoni. & secundum animal simile vitulo: & tertium habens faciem quasi hominis; & quartum simile aquilæ*; eâdem dicit Ezechiel cap. 10.14. *Quatuor facies habebat vnum; facies vna facies Cherub* (id est, vituli) *& facies*

Digitized by Google

A *& facies secunda facies hominis: & in tertio facies leonis; & in quarto facies aquilæ.* In his verbis aiunt perspicuum esse, Ezechielem loqui eodem modo, quo Ioannes de quatuor animalibus. Si ergo necesse est, vt iuxta Ezechielis contextum quatuor facies vnicuique animalium concedamus; sequitur manifestè Ioannis contextui non repugnare, vt suorum etiam animalium singulis, totidem tribuantur facies. Huic argumento respondeo, auiditatem copulandi Ioannis & Ezechielis visiones fuisse in causa, vt sibi hi auctores persuaserint, Ezechielem cap. 10. agere de quatuor animalibus eâdem ratione, qua Ioannes agit cap. 4. Apoc. Qua in re, vt Ioannem cum Ezechiele concilient, opinantur Ezechielem, & vnicuique animalium dare quatuor facies, leonis, vituli, hominis & aquilæ: & asserere insuper, primo animali faciem esse bouis; secundo, vituli; tertio, leonis; quarto, aquilæ. Ego certè, si vtramque hanc loquutionem apud Ezechielem expressam reperirem; crederem, quemadmodum de Trinitatis arcano loquentes, Patri potentiam attribuimus, sapientiam Filio, Spiritui sancto bonitatem; ita similiter ob occultam aliquam rationem tribuisse Ezechielem primo animali faciem vituli, alteri leonis, tertio hominis, quarto aquilæ; atque eo modo componerem, quæ inter se pugnare videntur. Non tamen inde elicerem Ioannem quaternas similiter facies in singulis contemplatum. Nec enim (vt sæpè dixi) quidquam cogit, vt vtramque visionem eâdem omnino similitudinis regulâ metiamur: nec Ioannes tale quidquam de suis animalibus affirmat; nec id in templi

B Cherubinis (vt posteà dicemus) reperitur.

Ezechiel de animalium facibus loquens quo pacto intelligendus.

Sed filum Ezechielis verborum attexamus: examinemusq; vtrùm ille animalium primo faciem vituli, secundo hominis, tertio leonis, quarto aquilæ tribuat? Verba Prophetæ ita habent: *Quatuor facies habebat vnum: facies vna, facies Cherub* (id est, vituli) *facies secunda, facies hominis; & in tertio facies leonis; & in quarto facies aquilæ.* Si textus hic loquatur de animalibus, *quatuor facies habebat vnum*, significat singulis esse quatuor facies. Quare quod mox sequitur de quatuor faciebus, non sic intelligendum est, vt singulis singulæ sint; sed vt omnibus sint omnes facies. Nam si *vnum* est, vnumquodque; *facies vna* erit idem ac dicere, prima facies vniuscuiusque erat facies vituli; & secunda facies vniuscuiusque erat facies hominis. Quare quod subdit, *& in tertio facies leonis*; idem est ac si diceret, tertio loco facies leonis. Ita enim exigit contextus; & ex hebræo ad verbum sic redditur, *Facies prima* (in plurali) *facies vituli; facies secunda, facies hominis; facies tertia, facies leonis; facies quarta facies aquilæ.* Ex quo euidens est, Vulgatum, vbi transtulit, *in tertio facies leonis*, plus cum originali consensurum, si diceret: *facies tertia facies leonis*, & hac ratione nulli præberetur ansa, vt existimaret Ezechielem tertio animali tribuere faciem leonis, & faciem aquilæ quarto. LXX. nullam huic loco lucem afferre possunt: eum enim versiculum prætermiserunt, vt notat Hieronymus, quæ verò in græcis aliquot codicibus leguntur, ex Hebræo sunt ad verbum expressa, nempe, *Quatuor facies habebat vnumquodque animalium; facies prima faciei*

C *Cherub, facies secunda hominis, facies tertia leonis, & facies quarta aquilæ.* Quod autem Hieronymus notat, hoc scilicet, primo aspectu videri discrepare ab eo, quod Ezechiel c. 1. dixerat, non ideo dicit, quòd singulis animalibus in præsenti singulas præscribat facies, sed quòd ordinem inuertat. Ordo enim facierum cap. 1. hic videtur esse, *homo, leo, bos, aquila:* capitis verò decimi series est, *bos, homo, leo, aquila.* Atque hanc solùm ob rem Hieronymus & Theodoretus in eam propendent sententiam; vt capitis decimi visionem aliqua ex parte à visione capitis primis diuersam esse credant. Ex quo vel illud eliciatur velim; si Hieronymus & Theodoretus crederent in cap. 10. singulas tantùm facies animalibus singulis concedi, non dubitaturos, quin visio vtraque esset diuersa. Cùm igitur Ioannes vnicuique animalium vnam tribuat faciem; in cassum laborant, qui ipsius visionem eandem esse cum visione Ezechielis contendunt.

Substantiuo cuiusquè generis adiectiuum interdū neutrum reddi, Græca loquutio.

His omnibus illud addo; quandoquidem Græca loquutio est, & interdum Latinis vsitata, vt substantiuo, cuiuscunque generis sit, adiectiuum neutrum reddatur; non admodum violenter Vulgatam lectionem acciperet, qui quod dicitur Ezechielis 10.14. *Quatuor facies habebat vnum*, ita explicaret; vt non de animalibus, sed de rotis (de quibus in antecedenti contextu sermo erat) intelligeret. De ipsis enim rotis fortasse omnes interpretarentur, si Vulgatus ad verbum ex Hebræo transtulisset, sicut Pagninus & Arias transtulerunt, *Quatuor facies vnicuique.* Nam licèt v. 15. dicatur, *hoc est animal,*

D *quod videram iuxta fluuium Chobar.* Id tamen additur post verba illa, *& eleuata sunt Cherubim*, Vnde nihil in Hebræo supereſt difficultatis, vt de rotis intelligantur quatuor facies, quæ cap. 10. 14. enumerantur; & mox v. 15. agatur de Cherubinis. Quòd si v. 14. sermo est de rotis, earumque singulis quatuor facies appinguntur; rectè possunt ita considerari, vt quatuor facies primæ rotæ, vitulinæ sint omnes; quatuor secundæ, humanæ; quatuor tertiæ, leoninæ; & aquilinæ, quatuor quartæ. Nec enim locus extat, in quo Ezechiel rotarum singulis tribuat quatuor animalium facies. Si tamen alicui inhæreat scrupulus, quì possint singulæ Ezechielis rotæ quatuor habere facies strictè sumptas; satis sit modo dixisse, Pradum in sua descriptione facies propriè dictas tribuere rotis Ezechielis, sed singulis binas tantùm. Rotâ tamen vnâ in aliam insertâ (sic enim Ezechielis rotæ concipiendæ sunt) congruentius est pro duplici facie, quas eis tribuit Pradus, quadruplicem tribuere; vt facilè intelliget, qui concipiat rotam rotæ insertam ad angulos rectos in crucis modum; & animaduertat, quo loco singulæ facies apponi debeant. Cùm autem Ioannis animalia, Ezechielis rotis respondeant in oculorum multitudine (quos Ezechiel in animalibus non vidit) fortasse etiam in eo respondent, quòd vnum habet faciem leonis, non verò vituli, neque hominis, neque aquilæ: alterum habet faciem vituli, non leonis, &c. Sic enim manifestè loquitur de suis animalibus Ioannes: & eodem modo intelligi potest Ezechiel de suis rotis.

Rotarum Ezechielis facies qua ratione sint considerandæ.

Digitized by Google

A

SECTIO V.

De senis alis singulorum animalium, & de manibus eorum.

IOannes v. 8. de suis animalibus ait; *singula eorum habebant alas senas.* Iam autem suprà animaduerti, mendosos esse codices qui legunt, *alas senas in circuitu.* Hunc alarum senarium vidit quoque in suis Seraphinis Isaias cap. 6. 2. ait enim: *sex alæ vni, & sex alæ alteri.* Ex eo igitur, quòd Ioannes suis animalibus sex alas affinxerit; facile considerată allusione ad locum Isaiæ colligitur, situm atque dispositionem sex alarum fore eandem, quam Isaias describit; scilicet vt duabus alis caput obtegant, duabus inferiorem corporis partem, & duas reliquas habeant extentas: ad eum modum, quo aues per aëra volantes pennas expandunt. Ita enim Isaiam esse intelligendum, seorsum demonstrabimus. Ac licet nec Isaiæ Seraphini, nec Ioannis animalia per cælum volitantia discurrere visa sint (præter eum, qui ad Isaiæ labia calculo purganda accessit:) vt vtrique dicantur apparuisse volantes, satis est eos sese expansis alis in æthere sustinere; quemadmodum aues extensis pennis suspensæ frequenter se in medio aëre librant.

B

Num Ioannis animalium alæ sint sex, absque brachiis numerandæ.

Ezechiel in suis animalibus non meminit sex, sed quatuor alarum. Ait enim cap. 1. 6. *Quatuor penna vni,* & num. 11. *Penna eorum extentæ desuper: duæ penna singulorum iungebantur, & tegebant corpora eorum,* & cap. 10. 21. *Quatuor alæ vni.* Vbi tamen LXX. legunt, *Octo alæ vni.* Ex quo mihi subest suspicio, quatuor alas debere accipi pro quadruplici alarum pari. Sed relictâ nunc eâ quæstione (de qua alias;) Pradus, Villalpandus & Pererius, existimantes has Isaiæ, Ezechielis & Ioannis visiones similes prorsus esse debere, affirmant, quas Isaias & Ioannes vocant alas senas, esse quaternas cum binis brachiis. Nec enim verisimile reputant, Ioannem & Isaiam in singulis siue Seraphinis, siue animalibus sex alas præter brachia aspexisse. Et quidem negari non potest, quin Isaias brachia in suis viderit Seraphinis; cùm eis perspicuè manus tribuat. Ait enim versu 6. *Volauit ad me vnus de Seraphim: & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari.* Ioannes etiam in suis animalibus brachia fuit contemplatus; quia singula habebant cytharas & phialas, vt habetur cap. 5. 8. Quamobrem sibi hi auctores persuadent, sex illas alas esse quatuor tantùm, & duo brachia: atque hoc etiam modo templi Cherubinos depingunt.

Opinio Pradi & Villalpandi.

Equidem, si certum esset, Isaiæ, Ezechielis & Ioannis visiones esse similes omnino; non admodum violenter ex brachiis alæ fingerentur. Et aliquis fortasse dicat LXX. in hoc sensu transtulisse (Ezechielis 10. 21.) *octo alæ vni*; quatuor scilicet alæ & totidem brachia. Nam animalia Ezechielis singula habebant quatuor manus, vt infrà notabimus. Sed cùm nulla ratio credere cogat, tres hac visiones fuisse easdem; facilius est & congruentius, quod Isaias & Ioannes aiunt, de singulorum alis senis in sensu proprio intelligere. Confirmatur hoc, quia coactum valde est, singulis animalium Ezechielis binas tantùm manus tribuere, cùm ipse manifestè dicat cap. 1. 8. *Manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus, & facies & pennas per quatuor partes habebant.* Vbi textus singulis clarè designat quatuor manus, quemadmodum & quatuor facies, & totidem alas.

C

Ezechielem & Ioannem de senis animaliũ alis in sẽsu proprio esse intelligendos.

Animaliũ alæ quibus corporis partibus affictæ sint cõsiderãda.

Sed relictis manibus, ad alas reuertamur. Tam in Isaiæ Seraphinis, quàm in animalibus Ioannis, singulis ex superiore humerorum parte, innasci debent quatuor alæ, ex vnoquoque latere duæ. Et ex quatuor hisce alis duæ ad volandum extensæ esse debent, & duæ alæ in crucis modum insertæ atque coniunctæ inter se ad vultus partem aliquam operiendam. Quemadmodum depingi solet Seraphinus, qui sancto Francisco apparuit. Præter has quatuor alas, ex femorum superiore parte, duæ aliæ nascantur oportet, quibus verenda tegantur. Modus autem se obuelandi, quem Pradus depingit, est alis in crucis figuram collatis. Quòd si Ezechielis animalibus, quatuor alarum paria tribuamus; duo habebunt paria in femorum superiorum parte, vnum ad dextrum latus, alterum ad sinistrum. Atque ita pari altero aduersam tegunt partem, auersam altero. At Isaiæ Seraphini & Ioannis animalia in edita femorum parte singulas tantum habent in quolibet latere alas; quibus vt se obnubant, conuenientius apparet, vt se aduersos altera, altera auersos operiant.

D

Non deerit fortasse, qui præter eas, quas enumerauimus alas; pedibus etiam quatuor animalium, atque etiam Seraphinorum Isaiæ, talaria velit affingi. Nam LXX. Ezech. 1. 7. legunt *pedes eorum pennati.* Quam loquendi rationem veteres sequuntur Patres, ex quibus Dionysius de Cælesti Hierarch. c. 15. generatim loquendo ait, *Sanctorum spirituum pennatos Theologia pedes effinxit.* Vnde ad eorum imitationem, quæ ex sacris Literis audierunt Gentes, videntur suum Mercurium atque alias figuras alatis pedibus finxisse. Nam ex sacris Literis *scrutabantur Gentes similitudines simulacrorum suorum,* primo Machab. 3. 48.

Pedes animaliũ fuisse pennatos quo sensu accipiẽdum sit.

Certum tamen esse debet, Isaiæ Seraphinos senas tantùm alas habuisse, quas propheta exprimit; & duabus quidem faciem velasse, duabus pedes, & duabus volasse. Nec minùs certum est, siue quatuor alæ animalibus Ezechielis, siue octo tribuantur, omnes alas huiusmodi debere reduci ad eas, quas habent in humeris, & ad eas, quibus corpus obducunt; de quibus postremis dicitur, *duæ tegebant corpora eorum.* Atque vt corpus aut pedes obtegant, abs re est, talis alas apponere. Quare necessarium videtur, vt verba illa LXX. interpretum, *pedes eorum pennati,* referuntur ad alas, quas illis in superiori femorum parte esse diximus. Non tamen ideo assero pedes pennatos dici, eo quòd pennis sint cooperti (hæc enim durior esset loquutio) sed quia alæ ipsæ nascantur ex pedibus, hoc est, ex summa parte femorum. Pedum enim nomen interdum in sacrâ Scripturâ, non tibiam solùm

Pedũ nomẽ in Scripturâ interdũ ad tibias & femora extendi.

compre-

Digitized by Google

A comprehendit, sed etiam femur, vt 2. Paralip. 3. 13. *Erectis pedibus*, & Eccl. 26.23. *Pedes firmi super plantas.* & Ezech. 1. 7. *Pedes eorum recti.* & c. 16. 25. *Diuisisti pedes tuos.* & eâdem analogiâ sermo est de pedibus mensæ, Exod. 37.17. Si ergo nomen pedum comprehendit femora & tibias, pedes & brachia sunt, quæ corpori adiiciuntur. Et quemadmodum dici poterant pennata brachia ob alas, quæ humeris nascuntur; sic etiam pennati pedes appellantur propter eas, quæ ex superiori parte femorum oriuntur. Certè Dionysius suprà allatus, pennatis pedibus tribuit significationem celeritatis alta conscendentis. At sacræ Literæ alas eas clarè destinant ad obtegendum corpus, id est, inferiores corporis partes. Dici fortè posset, ad celeritatem non conferre solùm extensas pennas, sed etiam illas quibus corpus contegitur; & propterea Dionysium his quoque alis, celeritatis significationem largiri.

SECTIO VI.

De forma pedum in quatuor animalibus à Ioanne visis.

B Qvi propriè dicitur pes, prout à tibia distinguitur, maioris distinctionis gratiâ appellatur in sacris Literis *planta pedis*, Ezechiel igitur de suis animalibus ait c. 1. 7. *Planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli.* Quæ verba licet omiserint LXX. & eorum loco substituerint, *Pedes eorum pennati*; Vulgata tamen lectio est ad verbum ex Hebræo expressa. Quare dubium esse non potest, quia Ezechielis animalia vitulinos pedes habuerint. Cùm verò Pradus contendat, eiusdem esse figuræ Ezechielis & Ioannis animalia, Isaiæ Seraphinos, & Cherubinos templi, omnibus tribuit vituli pedes. Probabilius tamen videtur, solis Ezechielis animalibus fuisse plantas vitulinas. Templi verò Cherubinos, Seraphinos Isaiæ, ac Ioannis animalia tam pedibus, quàm toto corpore humanam speciem retulisse. Nam & Isaiæ & Ezechielis & Ioannis visiones respectum habent omnes ad templi Cherubinos. Sed nec sunt omnino inter se similes, nec templi Cherubinos quoad omnia referunt. Illud commune omnibus est, hominis scilicet figuram alis ornatam proponere. De ceteris, singuli exprimunt, quid singillatim viderint. Porrò expendimus suprà, ex eo quòd Ezechielis animalia quaternas alas habent singula, perperam inferri, Cherubinis templi & Isaiæ Seraphinis totidem etiam alas affingi debere. Idem ergo videtur dicendum de plantis vitulinis. Nam ex peculiari mentione; quam de illis facit Ezechiel in suorum animalium descriptione, potiùs colligitur, non eiusdem fuisse figuræ, templi Cherubinorum plantas. Licèt enim repugnantiam non inuoluat, quòd Ezechiel describat
C etiam ea, quæ templi Cherubinis & suis animalibus communia erant: dum tamen aliunde non constat, idem quod in suis animalibus vidit Ezechiel, ad Cherubinorum templi figuram conformari; verisimilius est, illud ab Ezechiele exprimi, vt peculiare discrimen inter ipsius animalia & Cherubinos templi. Cùm verò neque Ioannes, neque Isaias meminerint pedum vitulinorum, non est vnde suspicari possimus illos ab eis visos fuisse vel in quatuor animalibus, vel in Seraphinis.

Vtrùm Ioannis animalia vitulinos pedes habuerint.

Videor iam speciem siue ideam quatuor Ioannis animalium depinxisse. Restat vt ad mysticam eorum significationem faciamus gradum.

COMMENTARIVS II.

De quatuor animalibus: in quo agitur de illorum significatione.

D

SECTIO I.

De genuina interpretatione quatuor animalium.

Tot sunt ab expositoribus traditæ horum Ioannis animalium applicationes; vt ex iis, quas ipse perlegerim, triginta ferè possim enumerare. Quarum aliquæ ad quaternarium se numerum nimis religiosè constringunt: & prout cuique collibitum est, varios eligunt quaterniones. Alij ad quatuor Euangelistas applicant; alij ad quatuor præcipuos Ecclesiæ Doctores; alij ad quatuor cælestis Hierarchiæ Principes, quasi inter ceteros Angelos cælestis curiæ magnates. Quatuor sedes alij Patriarchales hîc respici volunt; quatuor Monarchias alij; alij quatuor Israëlitici exercitus angulos siue partes: alij quatuor mundi plagas; quatuor anni tempora alij; alij quatuor creaturarum genera. Sunt qui quatuor elementa hîc significari autument: sunt qui quatuor animæ vires, aut quatuor eiusdem præcipuas affectiones, sunt qui quatuor Cardinales virtutes, aut quatuor cognitionum genera respiciant. Alij quatuor singularia beneficia in Ecclesiam Christianam collata; aut quatuor redemptionis nostræ mysteria præcipua. Alij quatuor Sanctorum genera, aut Ecclesiæ ministrorum qua-

De quatuor animalium interpretatione multiplices auctorum sententia.

Digitized by Google

tuor ordines, vt alia interim sexcenta missa faciam. Porrò alij, qui de quaternario numero non laborant, magis adhuc varij & diuersi feruntur. Ex his quidam repræsentari putant victoriam, quam de Nabuchodonosor Deus reportauit: alij triumphum, quem Christus de vniuersis Gentibus. Alij Israëlitici populi dignitatem & beneficia à Deo illi collata, alij eiusdem populi ex Pharaonis imperio liberationem, & simul redemptionem humani generis per Christum. Alij Angelorum perfectiones in his symbolis contemplantur; alij diuinæ prouidentiæ excellentiam ac dignitatem. Atque hisce opinionibus aliæ insuper quàm plurimæ accedunt, quæ ingeniorum varietate, & diuersâ explicandi ratione auctæ, mirum est in quam multiplicia dissidentia sententiarum diuortia diuidantur. Legat qui volent Pradum, Viegam, Pererium & alios, qui singularum opinionum auctores recensent. Mihi satis fuerit capita explicationum percurrisse & indicasse. Ex quibus pleraſque applicationes existimo ab auctoribus non vt germanas ac solidas interpretationes sacri ænigmatis tradi; sed vt res ad varia sensa, concionandi gratiâ, accommodatas. Non inficior earum aliquas, ingenij vim & acrimoniam redolere; alias pietatem; & iis præcipuè deberi venerationem quæ à grauissimis & sapientissimis doctoribus prolatæ sunt. Sed illud nihilominus valde optabile est; vt eiusmodi reperiatur expositio, quæ omnia quadret, & satis difficultati ac studiosorum votis faciat. A

Auctoris sententia, per quatuor animalia Apostolos, eorumq; successores Episcopos adumbrari.

Nostra igitur expositio est, quatuor mystica animalia à Ioanne perspecta esse symbolum Apostolorum, ac eorum qui ipsis succesêre, hoc est, Ecclesiæ Christianæ Episcoporum; ad quos Euangelij prædicatio ex proprio munere incumbit. Et quamuis huius capitis visio in cælo apparuerit: eius tamen significatio, non triumphantem in cælis Ecclesiam, sed militantem in terra figurat; quæ ob excellentiam & celsitatem ad quam fuit à Deo euecta, sublimis apparet in cælo; vt huius capitis initio notauimus. Vnde infero, ad probandum, in quatuor animalibus non repræsentari Euangelistas quatuor, nullum esse argumentum, quòd Ioannes tunc adhuc degebat in terris, necdum in cælis triumphabat. Quin imò Apostolis, qui iam æternâ tunc beatitudine fruebantur, non pro illo beatorum statu, sed pro transacto munere, quod apud homines in terris degentes exercuerant, huiusmodi symbolum congruere; cùm huius quarti capitis mysterium ad militantis Ecclesiæ decus & amplitudinem spectet. Nihilominus quatuor animalium significatio non est ad quatuor Euangelistas coarctanda, sed ad Episcoporum in Ecclesia statum extendenda. Agitur autem directè de primitiuæ Ecclesiæ statu. Depingitur enim in hac Apocalypseos parte ingens dignitas ad quam Deus Christianum populum primæuo illo Ecclesiæ tempore ante Euangelij ad Gentes promulgationem sustulit. B

Quatuor animalium symbolum non esse ad quatuor Euangelistas restringendum.

Discrimen inter Ioannis & Ezechielis animalia, quod attinet ad significationem.

Propositâ nostræ explicationis summâ, superest illius rationem reddere. Primò ergo aduerto, inter Ezechielis & Ioannis animalia hoc interesse discrimen; quòd animalia Ezechielis homines esse non possunt, sed cælestes Angeli in sensu directo: Ioannis verò animalia, Angeli non sunt, sed homines Christi sanguine redempti. Discrimen hoc nullus reuocabit in dubium, qui Ezechielis & Ioannis verba attenderit. Sic enim ait Ezechiel cap. 43. 3. (vbi rursus videt currum & animalia) *vidi* (ait) *visionem secundum speciem, quam videram quando venit vt disperderet ciuitatem: & species secundum aspectum quem videram iuxta fluuium Chobar.* Euidens ergo est illum Dei currum fuisse bellicum; & in eo figurari Deum militari apparatu ad Hierosolymitanæ vrbis excidium proficiscentem. Quis igitur non videat tam animalia, quàm currum esse eos Dei ministros, quos ipse ducebat ad bellum? Necesse autem est, eos esse sanctissimos atque clarissimos Dei satellites & administros; vt manifestè deducitur ex proportione visionis huius ad Isaiæ & Apocalypseos visiones. Quæ cùm ita sint; quibus obsecro præcipuis ac sanctis ministris vsus fuit Deus ad Hierosolymæ vastitatem, nisi cælestibus Angelis? Necessarium igitur est, cælestes Angelos in Ezechielis animalibus repræsentari. Nec minùs certum est, per Ioannis animalia sanctissimos item homines indicari. Nam (cap. 5. 9.) quatuor animalia simul cum senioribus dicunt Agno, *Redemisti nos Domine Deus in sanguine tuo ex omni tribu & populo & natione: & fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram.* C

In Ezechielis animalibus Angelos: in Ioannis, homines sanctissimos figurari.

Per Ioannis animalia vires maioris perfectionis ac dignitatis, quàm per seniores, designari.

Secundò noto, in Ioannis visione citra dubitationem, quatuor animalia esse gentem Deo propinquiorem & maioris dignitatis, quàm seniores: quia quatuor animalia sunt in medio throni, atque adeò viciniora throno Dei, quàm seniores ipsi. In gloriâ etiam Dei reddendâ antecedunt quatuor animalia concinentia, *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est:* post quæ seniores subsequuntur. Vnde textus ait: *Et cùm darent illa animalia gloriam & honorem & benedictionem sedenti super thronum; procidebant viginti quatuor seniores dicentes, Dignus es Domine,* &c. Quare, si per seniores figurantur sacerdotes; nihil conuenientius, quàm vt quatuor animalia Apostolos, & Episcopos repræsentent. Quòd inde roboratur; quia in hac visione post Dominum in throno sedentem, & post Agnum haud dubiè indicatur, quatuor animalium dignitatem esse inter Ecclesiæ ministros supremam. Ac proinde, cùm compertum sit, in Ecclesiastica hierarchia Apostolos principem tenêre locum; non ab iis auferri fas est quatuor animalium symbolum, vt ad Euangelistas accommodetur. Hos enim à Deo fuisse electos sacri Euangelij scriptores non tanti est, vt possit cum Apostolica dignitate conferri: nec Euangelistarum cognomen minùs merentur Apostoli, qui Euangelium toto terrarum orbe promulgarunt; quàm sanctus Lucas & S. Marcus, qui literis & monumentis mandarunt. Præterquàm quòd Episcopali etiam munere Lucas & Marcus fuere perfuncti. Atq; ita etsi Apostolorum collatione, inter seniores illi veniant numerandi, quòd fuerint ex duorum & Septuaginta discipulorum numero, aut ex illo ordine; habent tamen etiam inter quatuor animalia locum; quatenus Episcopalem dignitatem gesserunt, & Apostolorum fuêre successores, & Euangelij concionatores strenui. D

Tertiò

Digitized by Google

A Tertiò noto, veram quatuor animalium significationem non rectè ad quatuor solùm personas contrahi. Nam vt in symbolo viginti quatuor seniorum vidimus, numerus fæpè ad figuram accommodatur. Deinde in hoc quatuor animalium symbolo plana est ad templi Cherubines allusio: in quibus perspicuum est, significationem non ad duas vel quatuor personas debere restringi; sed ad eos omnes, qui Dei thronus sunt; & ad omnes cælestis aulæ principes, qui ante Deum adstant. Pari ergo ratione quatuor animalium figura non ad quatuor tantùm personas est comprimenda, sed, vt in symbolo Cherubinorum, inuestiganda est idonea ratio, cur in duplici Cherubino oportuerit cælestium Angelorum multitudinem denotari; haud secus in quatuor animalium symbolo, appositam reddere rationem oportet, quæ ostendat Apostolos, eorumque successores in hoc quaternario congruentissimè designari. *Animalium significationem non rectè ad quatuor personas coarctari.*

Quartò noto, Angelorum multitudinem propterea aptissimè significari in Cherubinorum binario; quia Angelorum excellentia ad duo capita reuocatur, videlicet ad eximiam sapientiam & mirabilem sanctitatem; quæ duo, Angelos, Dei thronum efficiunt. Quapropter si Apostolorum & Apostolicorum hominum dignitas congruenter ad quatuor reuocaretur perfectiones in quatuor animalibus eleganter adumbratas: conquiesceret sane mens, secura iam de Apostolorum & Episcoporum significatione in animalium symbolo apprime excogitatâ.

B Quintò noto, Apostolos, eorumque successores esse principes Ecclesiæ. Arqui optimi principis dotes & facultates vidimus iam cap. 1. septem omninò esse: illas scilicet, quæ in Diuina prouidentiâ & in Christo, septem Dei spiritus appellantur; nempe Virtus, Beneficentia, Æquitas, Sapientia, Patientia, Comminatio, Seueritas. Quare Apostolici muneris sublimitas exigit ingentem horum spirituum participationem. Ex his tamen septem spiritibus, quatuor primi (vt vidimus capite primo) directe ordinantur ad eorum felicitatem, qui se Euangelij prædicationi subiiciunt. Tres verò reliqui continent admirabilem gubernandi rationem aduersus eos, qui Deo & Euangelio resistunt. Ad executionem ergo suæ patientiæ, comminationis & seueritatis erga improbos, non vtitur fere Deus Apostolicorum virorum ministerio. Vnde fit quatuor primos spiritus, (in quibus potissimùm Dei prouidentia gloriatur,) in hoc capite ad Apostolicos viros significandos, describi debere. Nam cùm visionis huius scopus sit, ingentem Christianæ Ecclesiæ felicitatem designare, id est, eorum, qui Euangelij suaue iugum subiêre; cumque huc spectent omnia huiusce capitis symbola: idcirco ex septem spiritibus illi in primis selecti sunt, qui ad egregiorum Christi cultorum gubernationem attinent; videlicet ingens Virtus, magna Beneficentia, Æquitas summa, & admirabilis Sapientia; de quibus cap. 1. dictum est: ac ad harum quatuor perfectionum significationem, (vt sectione sequenti planum fiet) aptiora & elegantiora symbola, seligi non potuere, quàm
C animalia quatuor, quæ Ioanni ostensa sunt.

Priùs tamen breuiter explicemus oportet, quæ in textu ipsis animalium formis antecedunt. Ex quibus primùm occurrunt verba illa, *In medio throni, & in circuitu throni.* Cumque in Ioannis visione, quatuor animalia non in medio solùm fuerint; sed etiam in circuitu pone seniorum sellas (de quo suprà in commentario 1. sectione 1.) congruentior interpretatio est illa (opinor) quæ duplicem locum Ecclesiæ principibus præscribat; in medio alterum, alterum in circuitu. In medio quidem, vt subditis & inferioribus præstò sint, & suam illis prouidentiam liberaliter impertiant: in circuitu verò, vt rempub. veluti murus fortissimus obuallent; & Ecclesiam ab occursantibus hostium phalangibus tueantur. Eamque ob rem in Sancto sanctorum Cherubini medium locum, & obiacentem in circuitu occupabant: medium scilicet, vt fidelibus cunctis præstò esse viderentur, vtpote in medio existentes, (iuxta id Psal. 67. 11. *Animalia tua habitabunt in ea,*) & in circuitum, propter eandem causam, qua Ecclesia depicta fuit Angelorum exercitu stipata, qui eam ab hostium incursibus defenderent, de quo Apoc. 5. 11. *Cur in Ioannis visione animalia in medio throni & in circuitu throni sint.*

Sequitur in textu; *Quatuor animalia plena oculis antè & retrò.* Vidimus iam in præcedenti commentario sect. 2. multò esse probabilius, oculorum multitudinem non fuisse Ezechieli visam in animalibus, sed in rotis. Cuius rei vt reddam rationem; præmitto Primò, rotas, ab Ezechiele poni animalibus subiectas. Nam c. 10. 2. rotas constituit *subtus Cherubim.* Et quamquam viuæ erant rotæ, nec ab animalibus trahebantur: textus tamen clarè ait, *& rotæ sequebantur animalia,* & quasi ab illis traherentur; non aliter ipsis subsistentibus, subsistebant; & ipsis gradientibus, gradiebantur. Vide cap. 1. 19. 20. 21. & cap. 10. v 16. 17. *In Ezechielis rotas animalibus fuisse suppositas.*

Secundò præmitto, hunc Ezechielis currum fuisse bellicum; sicut & illos, qui Elisæum circumstipabant, 4. Regum 6. 17. Notum autem est, Angelos esse Dei currus; in quibus ipse cum hostibus bellum gerit, Psal. 67. 18. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia latantium; Dominus in eis in Sinai.* Quare Dionysius de Cælesti Hierarchia c. 15. grauiter & copiosè declarat de Angelis quatuor Ezechielis animalia; rotas item & currum Angelos esse ait: totius demum apparatus figurâ Angelorum militiam indicari. Idcirco autem symbolum currus vsurpatur; quia olim Reges ac Principes è curribus dimicabant; vt ex sacris Literis manifestum est. Vide etiam Theodoretum, Ezechielis primo, qui explicat etiam animalia & rotas esse Angelos. Cùm igitur animalia antecedant, & subsequantur rotæ; liquet, per animalia superiores Angelos designari, qui sunt præuij cæterorum duces: per rotas verò, Angelos inferiores; qui superiorum rectionem sequuntur. *Ezechielis currus fuisse bellicum.* *Reges olim ac principes è curribus dimicare solitos.*

Tertiò præmitto, inferiorum ad superiores subiectionem atque (vt ita dicam) subordinationem; figurâ rotæ eleganter exprimi. Et notum etiam inter Theologos est, ex Angelorum choris infimum esse eorum, qui hominum custodiæ destinantur: quorum incumbit curæ, pro commissæ sibi animæ custodia singulos agere excubias. Ad hoc ergo officium indicandum congruentissima fuit *Inferiorum ad superiores subiectionem figurâ rotæ exprimi eleganter,*

oculo-

oculorum, (quos Ezechiel in animalibus non vidit, sed in rotis) multitudo; eâdem significatione, qua Poëtæ quàm plurimos oculos suo Argo tribuerunt; quibus Io, delicias Iouis, custodiret. Cùm igitur hominum animæ, Dei deliciæ sint; quia *deliciæ Dei esse cum filiis hominum:* nihil potuit elegantius effingi, quàm Angelorum custodum symbolo multos oculos apponere: quo significetur, eos animorum salutem vigilanter attendere. Vbi illud obiter velim aduerti; in sacræ Scripturæ symbolis consentaneum valde esse, vt nos ad eam significationem confirmemus, in qua sapientes ethnici eadem vsurpauerunt symbola: siue ipsi eiusmodi significationem à Iudaico populo hauserint (iuxta id 1. Machab. 3. 48. *De quibus scrutabantur Gentes*, &c.) siue quia Spiritus sanctus voluit iis vti symbolis, quæ apud sapientes ethnicos in vsu erant: quo tempore sacri libri scribebantur.

Prou. 8. 31

A

His ita constitutis, cùm Ezechiel (vt iam diximus) de cælesti agat Hierarchia, Ioannes de Ecclesiastica; concinnum fuit, vt in Ezechielis visione, oculorum symbolum ad rotas (quæ infimum denotant chorum) non ad animalia pertineret. Quia custodum officium non Archangelos aut superiores alias hierarchias contingit. At in Ecclesiastica hierarchia, ad ipsosmet Episcopos, qui angelorum superiorum vices gerunt, animarum sibi à Deo creditarum custodia maximè incumbit. Quamobrem congruens valdè fuit, vt in Ecclesiastica hierarchia symbolum superiorum angelorum, id est, quatuor animalium plenum oculis appareret. Quòd si præter externos oculos, interna etiam lumina animalibus tribuamus; id indicabit eos, qui aliorum saluti ex officio incumbunt, non ideo in propriæ salutis curâ conniuêre, sed sua vel minima defecta intento mentis obtutu perscrutari.

Cur in Ezechiele, oculi rotis, non animalibus, affingantur

B

De perfectione symboli rotarum dicere, ad interpretationem Apocalypseos non spectat: dicemus de hac, diuino annuente numine, Ezech. 1. Illud interim obseruo; ex eo quòd Deus ad vrbis Hierosolymæ vastationem, non archangelos solùm, aliosque superiores choros, sed angelorum etiam infimum chorum (hoc est, angelos custodes) ducat; ex eo, inquam, haud obscurè innui, illud Hierosolymæ excidium in animarum bonum ac felicitatem ordinari; vt docet Ecclesiasticus cap. 49. 10. Ezechiel, ait, *vidit conspectum gloriæ, quam ostendit illi Deus in curru Cherubim, nam commemoratus est inimicorum in imbre* (id est, recordatus est vltionem de eis sumere) *benefacere illis, qui ostendunt vias rectas.* Attendat, quæso, lector ad contextum; ex quo constat Deum in curru Ezechieli ostenso, suam ostentasse gloriam: quia recordatus est sæuientes turbines & ingentes aquarum imbres in hostes immittere; vt optime de illis mereretur, qui per resipiscentiam & præteritorum detestationem commissa scelera eluerent, & puriorem viuendi rationem deinceps inirent. Hic omnino videtur esse illius loci contextus; qui cum præcipuo scopo primæ illius Ezechielis visionis mirificè consentit. Itaque *benefacere*, græca phrasi idem est quod, ad benefaciendum. Atque hæc fuit Hierosolymitanæ vastationis intentio; scilicet vt magnò Deus beneficio cumularet eos, qui sua agnoscentes flagitia, voluntariâ pœnitentiâ delerent. Id enim est ostendere vias rectas; reapse ostendere se à via praua discessisse, & iter viâ rectâ suscipere. Vide eandem phrasim, Iob 26. 3. *Prudentiam tuam ostendisti plurimam.* Et Ecclesiastici 9. 1. *Ostendere malitiam doctrina nequam.*

Ierosolymæ excidium in Ezechielis curru adūbratum ad veram animarum salutem ordinari.

C

SECTIO II.

De mira perfectione symboli quatuor animalium ad Apostolorum excellentiam.

In quatuor Ioannis animalibus totidem optimæ gubernationis virtutes præcipuas figurari.

EX antecedenti sectione, & latiùs ex 1. cap. notat. 5. supponimus, miram virorum Apostolicorum perfectionem (quatenus Ecclesiæ principes sunt, & diuinæ Prouidentiæ in animarum salute administri) in quatuor illis virtutibus excellentissimis esse sitam, Magnanimitate, Beneficentiâ, Æquitate, Sapientiâ: atque hunc virtutum quaternarium non ad libitum & gratis confictum, sed seria ratiocinatione necessariò designatum. Supereſt igitur, vt probemus, ad harum quatuor virtutum symbola nihil potuisse magis aut proprium, aut elegans quàm quatuor horum animalium figuras excogitari.

D

De leone.

Leo magnanimitatis symbolum.

AC primò, ad magnanimitatem atque animi fortitudinem exprimendam, ecquod potuit symbolum leone aptius reperiri? Expendantur, quæ de ipsius naturâ & proprietatibus, acerrimi naturalium rerum indagatores perscribunt; & Plinius præsertim libr. 8. cap. 18. notetur̃que imprimis, in omnibus veterum numismatis, & stemmatum insignibus, vbicumque leonem videmus expressum, hunc ei semper sensum attribui. De quo vide Antonium Augustinum dialogo 2. numero 31. & Choul de religione fol. 45. Ea propter Herculem frequenter (interdum etiam Cupidinem) & Magni Alexandri imaginem leonis exuuiis vestiuit antiquitas. Huc confert id Prouerb. 30. 30. *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum.* His adde ex Forerio Isaiæ 5. 29. leonem ab Hebræis vocari לביא (*lebi*) quod nomen deriuatur à לבב (*labab*) quod significat cor, propter ingens cor, robur atque animum, quæ leoni insunt, iuxta id 2. Reg. 17. vbi de viro magnanimo dicitur, *cuius cor est sicut cor leonis.*

De bone.

Digitized by Google

A

De boue.

Bos seu vitulus beneficētiæ symbolum.

DEinde si leo, quòd inter cetera animalia robore ac fortitudine præstet, magnanimitatis symbolum iure gerit; perspicuum fit, animal illud, quod humanæ vitæ fuerit præ ceteris vtilissimũ, fore similiter optimũ Beneficentiæ symbolum; ac proinde illius, qui suas omnes vires in hominum commoda & vtilitates confert. Ad hoc ergo significandum nullum potuit animal magis idoneum inueniri, quàm bos seu vitulus. ex eoque genere congruentissimè electus est potissimùm vitulus; quippe qui in ea est ætate, quæ magno deinceps vsui & emolumento se fore pollicetur. Nemo autem nescit hanc animalium speciem, dum viuit, esse ad arandum & ad onera comportanda vtilissimam. Vide illud Prou. 14. 4. *Vbi non sunt boues, præsepe vacuum est, vbi autem plurima segetes, ibi manifesta est fortitudo bouis.* Ad hæc, lactis & butyri bubuli cui sunt ignotæ deliciæ? Iam post occisionem, quæ carnes bouinis aut vitulinis solidius & communius suppeditant humano corpori alimentum? Quin etiam vel corium est hominum vsibus vtilissimũ. His accedit huiusmodi animal non solùm viuum & occisum, sed tabidum etiam ac putridum summæ esse hominibus vtilitati. Vermes enim, quibus aliorum animalium putrefacta cadauera scatere solent, humano generi nullum afferunt emolumentum: qui verò ex vitulo seu boue putrescente generantur, quibus nos beneficiis cumulent, norunt omnes.

Bos non viuus modò, sed & occisus & corruptus humano generi vtilissimus.

Hinc enim apes, hinc bombyces oriuntur: quorum comparatione reliqui omnes vermes inutiles

B

valent appellari. Hi verò non vtiles vtcumque, sed vtilissimi sunt, & hominum commodis mirum in modum deseruientes. Apibus enim ceræ ac mellis beneficia; bombycibus omnia sericorum genera, quibus totus orbis redundat, secundùm Deum, debemus accepta. Quanta igitur consideratione, atque adeò admiratione dignum est, vtrumque hoc animantium genus ex vitulo corrupto iam & putrefacto procreari? De apibus id expressè docet Virgilius 4. Georgic. fin. & Plinius lib. 11. c. 20. Vnde Græci apes appellant βουγενεῖς; & βουγένεις. De bombycibus autem idem cecinit Hieronymus Vida lib. 2. ad finem his versibus:

Ex bobus putrefactis apes & bombyces procreari.

Sicut apes teneri reparantur cæde iuuenci:
Hîc superaccedit tantùm labor. Ante iuuencum
Bis denosq; dies, bis denasq; ordine noctes
Graminis arcendus pastu, prohibendus ab vndis.
Interea in stabulis tantùm illi pinguia mori
Sufficiunt folia & lactenti cortice ramos.
Viscera vbi cæsi fuerint liquefacta, videbis
Bombycem fractis condensam erumpere costis,
Atque globos toto tinearum efferuere tergo.

C

Vterque poëta ad poëtici carminis concinnitatem, nonnihil fictionis addunt. Illud tamen nos docent, vermes ex iuuenci tabidi carnibus productos, esse aut apes aut bombyces; prout fuerit pastio, qua antea alebatur bos; & iuxta locorum etiam, temporum atque ventorum naturas. Quæ si vera sunt, (vt multi hodie experimento edocti confirmant) quid quæso magis mirum, magisve summæ beneficentiæ depingendæ aptum? Adde huc, non solùm ex hoc animantium genere bombyces & apes progigni; sed etiam nullam aliam eis originem esse videri. Docent enim Augustinus de Genesi ad literam cap. 14. & S. Thomas 1. p. q. 72. absurdum esse dicere, creata fuisse ab initio à Deo animalia, quæ ex mortuis animalibus generantur. Confirmat hoc Pererius lib. 11. in Genesim à simili, quia huiusmodi animalia non sunt ingressa in arcam Noë. Pro quo affert Abulensem: descenditque ad apes singillatim. Si igitur vitulo apes ac bombyces, & vtilissimum vtrorumque fructum debemus, potnitne quidquam vtilius ac beneficentius fingi?

Huius philosophia de boue ad beneficentiam applicatio.

Iam, si ad mysticam philosophiam oculos conuertamus, quàm se hîc latus aperit campus ad perpendendum & assiduâ meditatione ponderandum, quantũ homines cælesti illi vitulo debeamus, qui se pro nobis in cruce obtulit immolandum? In quanto insuper illorum ære sumus, qui Christi amore succensi se consecrarunt, vt in generis humani beneficium, mystici vituli fierent per Christi imitationem? Symbolica autem isthæc bouis seu vituli significatio in antiquis numismatibus vsitata fuisse reperitur. Hæc enim est significatio iuuenci in multis Augusti nummis: & Antonius Augustinus dialogo 2. n. 31. numisma quoddam adducit, vbi leo atque bos coniuncti cernuntur, Magnanimitatis proculdubiò & Beneficentiæ copulatio.

D

De homine.

Homo rationis & æquitatis symbolum.

SEquitur tertium animal, id est, homo; in cuius significatione nihil est, quòd laboremus. Quem enim latet, in facie humanâ rationem & æquitatẽ indicari? Nec aliud præterea esse animal rationis & æquitatis particeps? Quare, cùm in animali aliquo ratio ac iustitia essent significandæ: necessariò debuit illi hominis facies concedi. Ac in veterum quidem numismatis semper Aequitati humana tribuitur figura. Quòd si quisquam obiiciat, Aequitati semper stateram in manu appingi, (vt notat Antonius Augustinus, dialogo 2. num. 8. nonnullis ad eam rem allatis numismatibus antiquis.) Respondeo primo, vbi simul leo, vitulus, aquila, & homo apponuntur; neutiquam opus esse statêra. Nam ex collatione euidens est, humanam faciem rationis & æquitatis esse symbolum, sicut leonem fortitudinis. Secundò dico, non deesse nobis in Apocalypsi stateram, quæ tertium comitetur animal, noscque illud dignoscere doceat. Hoc namque animal tertium, respondet sigillo tertio, eique aperiendo adest; Ioannemque accersit, vt contempletur eam figuram, quæ tunc ob oculos ponitur (capite 6.) vtpote rem ad ipsum animal spectantem; tertio autem sigillo resignato, prodit eques stateram manu tenens, vt insigne illud Beneficentiæ non possit in tertio animali desiderari.

De aquila.

Digitized by Google

De aquila.

Aquila sapientiæ ac prudentiæ symbolum.

QVartum denique animal, aquilæ faciem habet. ac licet aquila soleat alioqui esse imperij & excellentiæ symbolum; propterea quod super aues ceteras sese sublimi volatu attollat, nidumque suum in sublimi ponat: ceterùm huius symboli perfectio exigit, vt quemadmodum in leone Fortitudo, in vitulo Beneficentia, Ratio & æquitas in homine considerata sunt, tanquam præcipua quæ in illis eminent; ita etiam in aquila illud in primis inspiciamus, quod in ea eminet potissimùm. Id autem esse perspicacissimam oculorum aciem, expendit Plinius lib. 10. c. 3. *Clarissima* (ait) *oculorum acies.* Et infrà: *Implumes etiamnum pullos subinde cogunt aduersos intueri solem: & quos conniuentes animaduertunt, præcipitant è nido, velut adulterinos atque degeneres. illos autem, quorum acies firma contrà steterit, educant.* Ad magnam igitur sapientiam & prudentiam admirabilem significandam, quæ, quod aliorum obtutum præterit, facilè cernit, nemo non videat, quàm aptum sit aquilæ symbolum. Hinc vulgatissima illa loquutio ortum habuit: qua, vt aliquem acri ingenio & perspicaci præditum significemus, eum aquilam appellamus. Hispanâ certè phrasi id frequentissimum est. Sed ad id vel maximè congruit aquilæ symbolum, vt cælestis sapientia denotetur. Nam aquilæ visus est acutissimus, & cuncta è sublimi loco despicit, solemque lucis fontem intuetur aduersum. Proprium autem est cælestis sapientiæ, sapientiam terrenam quasi ex alto despicere, & super eam nimis edité volare. Hinc illud 1. Corinth. 3. 19. *Comprehendam sapientes in astutia eorum.* In cuius rei figuram, cùm virga Aaronis versa esset in colubrum, *Vocauit Pharao sapientes & maleficos* (Exodi 7. 10. *& fecerunt etiam ipsi per incantationes Aegyptiacas & arcana quædam similiter: proiecerunt q; singuli virgas suas, & versæ sunt in dracones. Sed deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Quod ergo voluit Deus in admirandâ illâ virgâ figurare; id etiam suo modo figuratur in eo, quod refert Plinius lib. 10. cap. 3. *Aquilarum* (inquit) *pennæ, mistas reliquarum alitum pennas deuorant.* Ad id verò, quod sapientium est proprium; silere scilicet & operari; mirificè aptatur, quod de aquila nigra, (quæ præcipua est inter aquilas) refert ibidem Plinius, *Sola sine clangore, sine murmuratione.*

Perspicax aquilæ visus.

Aliarum auiũ pẽnas ab aquila pennis admistis deuorari.

Prætereà Apocalyps. 8. 13. dubium non est, quin aquila symbolum sit cælestis sapientiæ. Ea enim est, quæ videt famem, bellum, ac pestem, esse minoris momenti supplicia, si cum spiritualibus supplicijs comparentur. In quo sensu accipienda sunt verba illa Christi (Matth. 24. 8.) *hæc autem omnia initia sunt dolorum.* Ideoque, cùm cap. 8. Apocalyps. temporalia supplicia sint expressa, quæ Deus fuerat Iudaico populo minitatus: vt expendatur deinde, quantò sint horribiliora spiritualia supplicia, quæ deinceps erant enumeranda; ait textus, *& vidi, & audiui vocem vnius aquilæ, volantis per medium cælum, dicentis voce magna, væ, væ, væ habitantibus in terra.* Addit verò Ioannes tria illa væ tribus extremis plagis respondere, nimirum *cordis desiderijs, iræ furijs, & obstinationi in peccatis.*

Aptissimum igitur est aquila sapientiæ cælestis symbolum. Altera autem imperij & excellentiæ significatio, cum sapientiæ significatione facilè componitur. Nam vt rectè Horatius lib. 1. epist. 1. ad Mæcenatem:

Ad summum sapiens vno minor est Ioue, diues,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.

De applicatione quatuor animalium ad singulos Apostolos.

Quatuor istiusce animalium symbola singulis Apostolis aptari.

VIdimus hactenus, quàm sint apposita quatuor animalium symbola, leonis videlicet, vituli, hominis & aquilæ, ad quatuor illas virtutes adumbrandas, in quibus summa Principis perfectio sita est. Vnde ad nouorum Principum absolutam perfectionem innuendam, id est, Apostolorum & eorum successorum, quos Deus Ecclesiæ Christianæ præfecerat; congruentius symbolum reperiri nequaquam potuit. Et quamuis per accommodationem non ineptè quatuor hæc animalia Euangelistis dispertiantur; ita vt vni leo, vitulus alteri, alij homo, aquila alij attribuantur: propria tamen eorum significatio est de omnium Apostolorum, necnon singulorum perfectione. Nec est, cur hoc alicui nouitatem & insolentiam redoleat. De Elia enim, deque Elisæo, de vnoquoque seorsum ait Scriptura, *Currus Israël & auriga eius.* Si ergo vni eidemq; Prophetæ apprime conuenit currus & aurigæ symbolum; quid mirum eidem Apostolo quatuor animalium symbola congruere propter quatuor illas (de quibus suprà dictum est) optimæ gubernationis virtutes? Deinde, cur erit mirandum in hac repræsentandi ratione accidere, quod in stemmatum insignibus siue scutis frequentissimè fieri videmus? in vno nempe scuto diuersa apponi animalia, non vt personas diuersas indicent; sed vt varias eiusdem personæ, cuius est illud insigne, perfectiones. Nec primus ego sum, qui quatuor animalium symbola omnia singulis Apostolorum applicem. Ambrosius enim cap. 6. in expositione primi sigilli sic habet, *Quatuor animalia sunt Ecclesiæ Doctores, & eandem significationem habet primum animal, quam & secundum, tertium & quartum.* Ecclesiæ autem Doctorum nomen Apostolis & viris Apostolicis per excellentiam congruere, perspicuum est. Quod autem Ambrosius ait, eandem esse significationem leonis, vituli, aquilæ, & hominis, distinctionem personarum negat, non peculiarium in eisdem personis rationum siue virtutum.

Dionysij Areopagitæ mens de quatuor animalium symbolis.

Nostræ quoque expositioni manifestè fauet Dionysius de Cælesti Hierarchia cap. 15. vbi grauiter & sapienter docet, quatuor Ezechielis animalia, principum Hierarchiæ cælestis esse symbola; & quatuor facies (leonis, viruli, aquilæ & hominis) non deseruire ad personarum distinctionem innuendam, sed ad denotandas cælestium principum perfectiones & excellentias. Hac ergo Dionysij institutione

Digitized by Google

A tutione ita præmissâ (quę certa planè est, & à beato Paulo ipsius institutore accepta) cùm euidens sit, Apocalypsin ad Hierarchiæ cælestis imitationem de Ecclesiastica agere; necessarium est, vt animalium quaternarius cuiuis Apostolorum tribuatur, & singulorum perfectiones prædicto modo designet. Ac licèt Dionysius fœcundissimo illo, quo pollebat ingenio, quatuor facierum singulis, plurium virtutum significationem accommodet: anteponet tamen (quis dubitet?) in animali quolibet eam significationem, quæ magis aptè cum ipsius naturâ cohæret. Nec dubium esse potest, quin in leone, Fortitudinis symbolum emineat; Beneficentiæ, in vitulo; in homine, Æquitatis ac rationis; in aquila, verò Sapientiæ. Quamobrem Dionysius ipse loco superiùs notato, inter alia perspicuè ait, in leone figurari *vim robustam & indomabilem*; in boue, *vim salutarem, quæ spirituales sulcos scindit cælestibus imbribus accipiendis*; in aquila, *vim illam singularem speculandi atque intendendi libere & directe, in nullam partem aciem luminũ flectendo*, & paulo antè dixerat, *humana forma significari rationis vim*. Hæc Dionysius; cuius verbis quid aptius ad nostram confirmandam explicationem optare possem, omninò non video. Præsertim, cùm iuxta eiusdem Dionysij philosophiam seu potiùs Theologiam, Ecclesiastica Hierarchia Cœlesti respondeat; & Episcopi ac sacerdotes sint etiam Angeli. Sic enim ille philosophatur capit. 12. de Cælesti Hierarchia; cui consonant Augustinus tomo 6. libro 12. contra Faustum & Manichæum, capit. 26. & tomo 8. Psalm. 44. in illo versu, *Propterea vnxit te Deus.*

B & Beda in explicatione Geneseos cap. 28. qui in Iacobi scala, Angelos illos ascendentes & descendentes, de Euangelij concionatoribus intelligunt, quod est proprium Apostolorum & eorum successorum munus.

Facit etiam nobiscum Sophronius; qui ait per quatuor animalia denotari noui testamenti Patres. Qui autem sunt noui testamenti Patres, nisi Apostoli & viri Apostolici? Consentit etiam Galfridus (cuius expositionem referunt Viegas & Pererius) qui in animalium quaternario contendit omnes Ecclesiæ Prælatos repræsentari. Atqui præcipuos Ecclesiæ Prælatos esse Apostolos & Episcopos, manifestum est: ceteris autem idem symbolum conuenit per analogiam, quatenus Apostolorum participant principatum. Præterea proximè ad nostram expositionem accedunt, qui virtutes eas, quæ in viris Apostolicis effulgent, hisce quatuor animalibus dispartiunt; licèt distributio, quam afferunt, non sit fortasse ita ad amussim excogitata. In his est Philastrius libr. de hæresibus §. de quatuor animalibus; qui per hominem ait significari cælestem scientiam; per vitulum laborem fortem & pertinacem concertationem; per aquilam volatum sublimem, &c. Similia ferè Sophronius oratione de excellentiã angelorum (tom. 2. Bibliothecæ fol. 1032.) qui quatuor facies exponit de vi raciocinante & irascente, de fortitudine & cælesti celsitudine. Concordant Origenes & Nazianzenus qui ad quatuor animæ vires referunt quatuor animalia; & leoni tribuunt irascibilem, homini rationem. Adstipulatur Andreas in primi sigilli apertione; vbi ait, per leonem significari imperterritam Apostolorum fortitudinem, quamuis in ceteris animalibus ipsius expositio non videatur adeò cohærere.

Sophronij item & aliorum sententia de eorundem animalium symbolo.

C

Fauent etiam nobis Hieronymus & Ambrosius; qui quatuor his animalibus existimant quatuor virtutes cardinales exprimi; leonique fortitudinem adscribunt. In eo enim, quòd quendam virtutum quaternarium per quatuor animalia designari putant, nostræ interpretationi viam aperuerunt. Cumque de principum virtutibus sermo sit, facile est aduertere, explicationem non fuisse referendam ad virtutes eas, quas cardinales vocant, prout vniuersis hominibus probis communes sunt; sed ad eas, quæ sunt principum maximè propriæ. Illi item, qui per hæc quatuor animalia plagas mundi quatuor denotari aiunt, ne in diuersa nimis ac disparata videantur ferri; ita sunt, opinor, explicandi, vt in Ezechiele per quatuor animalia denotentur angeli quatuor, quibus quatuor mundi plagarum cura incumbat; ac proinde in Apocalypsi per quatuor animalia indicentur Apostoli, qui in quatuor orbis partibus, hoc est, in toto terrarum orbe, Christi Euangelium disseminarunt.

Quid Hieronymus & Ambrosius eâdem de re senserint.

Communis quoque multorum Patrum expositio, quæ quatuor animalia Euangelistis quatuor distribuit, congruenti quadam accommodatione nititur; si illud esse certissimum præstituamus, Euangelistas nempe omnes, viros Apostolicos fuisse. Sic enim eorum cuiuis leonis iuxta, vituli, hominis & aquilæ symbola iure debentur; quæ omnibus Apostolis ac viris Apostolicis communia sunt. Ac deinde peculiaris ratio præterea non deest. vt singulis hoc symbolum potius, quàm illud applicetur; siue propter Euangelij sui exordium; siue quia magis ex professo ad aliquod Christi mysterium descendit; siue ob specialem aliquam prærogatiuam ad virtutem aliquam ex illis quatuor spectantem. Hæ tamen accommodationes non à primaria Apocalypseos expetuntur intentione, quæ vnicuique Euangelistæ, seu viro Apostolico omnia illa quatuor animalium symbola tribuit. Et sanè omnibus Apostolis ac viris Apostolicis congruit esse Euangelistas, id est, Euangelij promulgatores; nec minùs Euangelistæ nomen promeretur Paulus, quàm aut Lucas aut Marcus. Speciales autem accommodationes non adeò firmo fundamento solidantur: vt facile commutari non valeant; vt satis apparet in opinionum, quæ circumferuntur, varietate de singulis animalibus non eodem modo inter quatuor Euangelistas distribuendis. Nec enim leo ab omnibus eidem accommodatur. Et idem de ceteris dico. In quo, vt verum fatear non multum momenti est.

D

Atque vt aliis supersedeam opinionibus, quæ cum nostra facile conciliari possent: illud tantum assumo: quod Pradus ex Polychronio refert, videlicet quatuor animalia esse Prouidentiæ symbolum. Verissimè ille quidem. Non quòd animalia eas directè virtutes repræsentent, quas diuina in se

Digitized by Google

Præcipuæ quatuor Prouidẽtiæ partes in quatuor animalibus symbolicè figurari probatur.

continet Prouidentia; sed quòd eorum virtutes designent, qui sunt Ecclesiæ principes, & diuinæ ipsius Prouidentiæ administri. Hæ itaque Dei ministrorum virtutes, vtpote quæ à diuina supremi principis prouidentia deriuantur, iure optimo concipiuntur, veluti quædam ipsius Dei insignia siue stemmata: propterea quòd admirabilis in eis effulgeat imitatio præcipuarum virtutum, in quibus diuinæ Prouidentiæ perfectio sita est. Atque hac ratione, viri Apostolici rectè considerantur vt Cherubini, Dei Prouidentiæ currum trahentes, nomenque Dei ipsius portantes (vt de Paulo dictum est Actuum 9. 15.) & in semetipsis, veluti in expressa imagine, Altissimi Prouidentiæ perfectionẽ toti orbi proponentes: quod est esse regios Dei Prouidentiæ insigniferos. Et verò, si præstantem animi fortitudinem perpendamus, quam Spiritus sanctus viro Apostolico suggerit, vt in vastissimas Ethnicorum prouincias ac regna solus penetret, quò eas suaui iugo Christi subiiciat; manifestè perspicitur pectus illud indomitum, robur illud animi, inuictamque constantiam, nihil terrestre aut humanum, sed merum Christi præsidium opemque redolere. Si autem effusam beneficentiam consideremus, qua quispiam ex viris hisce sanctissimis communi sese hominum vtilitati dicat, & consecrat; nullum vt laborem subterfugiat, nulla vt pericula non subeat, quò se totum in animorum salutem impendat: hunc certè mysticum vituli vigorem, hanc animi humana despicientis fortitudinem, Christo Iesu referri debere acceptam, quis non videat? Porrò si summa ponderetur æquitas, qua Apostolicus vir officia, magistratus & quidquid suæ curæ incumbit, non impotenti animi affectione & impulsu abreptus, sed vna ratione & consilio ductus merentibus, nec optantibus distribuit; huiusmodi æquitatem & incredibilem in summa potestate rerum omnium modum à perenni etiam & inexhausto Christi Redemptoris nostri fonte dimanare satis constat. Si denique seriò examinemus admirabilem ac planè diuinam gubernandi rationem & cæleste consilium, quæ Deus viris Apostolicis communicat, vt quod diuini obsequij est, aggrediantur strenuè, constanter prouehant, & feliciter assequantur; hæc cælestis aquilæ facies, hoc admirabilis sapientiæ decus & ornamentum nonne ab ipso Christo ducunt originem? Hæc igitur clausula esto, Iesu Christi spiritum (qui leo, vitulus, homo & aquila per excellentiam est) præcipuum atque adeo vnicum esse auctorem, qui viros Apostolicos leonino robore, vitulina beneficentia, æquitate humana, aquilina perspicacitate penitus implet.

Ex aliorum Apocalypseos locorũ collatione idẽ assumptum roboratur.

Quamobrem magna nostræ interpretationis confirmatio petitur ex eo, quod c. 6. narratur in quatuor primis resignandis sigillis accidisse (in quibus quatuor præcipui diuini Prouidentiæ spiritus, qui latebant, referantur.) Ad primi enim sigilli resignationem, Ioannem appellat leo, eique dicit, *Veni & vide*: ad secundum vocatur à vitulo; ad tertium ab animali tertio faciem humanam habente, ad quartum denique accersitur ab aquila. In quo liquido apparet, quantâ inter sese proportione quatuor animalia, primorum quatuor sigillorum mysteriis respondeant; & quam recte animi magnitudo, quæ in viris Apostolicis inniteſcit, nos inuitet ad Dei fortitudinem & magnanimitatem contemplandam; & similiter eorum beneficentia ad summam nos diuinæ Prouidentiæ beneficentiam cognoscendam alliciat. idemque de ceteris dictum esto. Quare & leonis significatio respondeat necesse est significationi arcus & sagittarum primi sigilli, quibus innuitur (vt ibi videbimus) ingens illius fortitudo, qui corda hominum transfigit, & fidei Christianæ subiicit. Similiter etiam necessarium est, tertij animalis significationem cum significatione stateræ, quæ in tertio apparet sigillo (id est, rationis & æquitatis) consentire. Atqui idem est de reliquis asserendum.

Concludo igitur, & lectori expendendum relinquo, quàm sit verisimile quatuor animalium significationem non esse aliam, quàm virtutes prædictas in viris Apostolicis prælucentes. In symbolis porrò (vt aliàs diximus) nullum est abstractorum à concretis discrimen. Itaque eo ipso, quòd leo, vitulus, homo & aquila, Apostolorum Fortitudinem, Beneficentiam, Æquitatem & Sapientiam denotent; planum fit, animalia ipsa eorum Apostolorum esse symbola. Quemadmodum duo parui Cherubini, qui ad Dei thronum facti sunt, angelos & homines sanctos adumbrant; quorum in animis Deus sedem habet. Sunt enim sapientiæ & sanctitatis symbola, quæ duo & angelos & hominum sanctissimorum mentes Dei thronum constituunt. Atque hæc collatio à duorum Cherubinorum significatione petita maximopere animalium significationi percipiendæ conducit. In iis enim allusio est proculdubio ad templi Cherubinos & ad Ezechielis animalia.

Ex ipsis autem Ezechielis animalibus validum etiam desumitur argumentum ad probandum quatuor animalia esse symbolum non discriminis, quod inter viros sanctos est, sed quatuor diuersarum virtutum, quæ viris Apostolicis sunt communes. Ezechiel enim in animalium singulis quatuor illas facies leonis, vituli, hominis & aquilæ conspexit. Non igitur propria significatio esse potest de ministrorum Dei discrimine, sed de diuersis virtutibus, quæ in eorum splendent singulis. Cur verò Ioanni singula sint monstrata animalia singulas facies habentia, Ezechieli verò singula cum quaternis faciebus, infrà Deo fauente explicabimus.

Vtrùm sapientia in paruis Cherubinis figurata sit eadem, quæ per aquilã adũbratur?

Sed priùs quàm hac me sectione expedio, velim scrupulum tollere, qui lectorem fortasse pungeret. Diximus in superioribus significationem duorum paruorum Cherubinorum, qui Dei thronum componunt, esse sapientiam & sanctitatem eorũ, in quibus Deus sedem habet; adhæc, per quatuor animalia indicari Fortitudinem, Beneficentiam, Æquitatem & Sapientiam hominum Apostolicorum. Vtrùm eadem est sapientia, quæ in altero Cherubinorum & in quarto animali figuratur, an non? Respondeo, non eandem sapientiam, sed diuersam significari. Etenim sapientia, quæ sanctitatis est comes, intellectus perfectionem in vera Dei cognitione respicit. Sunt enim veluti duæ sorores,

Digitized by Google

A sorores, perfectio mentis, quæ in vera Dei cognitione sita est; & perfectio voluntatis, quæ ad Dei ipsius amorem reducitur. Atqui binæ huiusmodi perfectiones, dubium non est, quin homini cuilibet sancto insint; licèt electus à Deo non sit ad aliorum salutem procurandam, sed solùm ad incumbendum propriæ. Sapientia autem, quæ inter perfectiones principis quâ princeps est, annumeratur, illa profectò est, quam Isaias illis verbis expressit, *Admirabilis consiliarius*, de quo diximus c. 1. notat. 5.

SECTIO III.

In qua nostra de quatuor animalibus explicatio confirmatur à duobus antiquis Romanorum signis, & ab insigni Arij Lacedæmonum regis; cui comparatur insigne Sanctissimi Domini Nostri Pauli Quinti.



Don Iuan de Iauregui inuentor.

Digitized by Google

A VIdimus, quàm apta symbola sint, Fortitudinis, leo; Beneficentiæ, vitulus; Rationis & æquitatis, homo; Sapientiæ & consilij aquila. Hoc ergo ipsum placuit confirmare productis duobus Romanorum signis antiquissimis; in quibus eadem quatuor animalia ad similem significationem vsurpara fuisse apparet bina & bina. Affert duo hæc antiqua signa siue insignia Steh. Pighius in suis Reip. Romanorum annalibus: estque alterum illorum gryphus; quem tametsi non defuerint antiqui Scriptores (quos refert Plinius) tantæ simplicitatis, vt sibi persuaserint, eâ figurâ, qua solet depingi, veri esse animalis genus, aurum eruens & ab Arimaspis seruans; certum tamen est, eam figuram & narrationem excogitatam fuisse (vt & alias pleraſque fabulas) alicuius reconditæ significationis gratiâ. Quid verò aptiùs, quàm vt coniunctio illa leonis & aquilæ inuenta sit ad significandã coniunctionem sapientiæ & fortitudinis? Huic cogitationi congruit, quòd anterior corporis pars sit aquilina, posterior leonina. Neque enim præire debet fortitudo & subsequi sapientia: sed contrà potiùs. Cohærent etiam cum sapientiæ significatione insignes illæ aures, quæ aquilino gryphi capiti affictæ sunt. Tum quia auditus est sensus disciplinæ: tum etiam quia decet sapientem Principem suis consiliariis attentas præbere aures. Fabula autem de auro eruto & custodito facilem habet & conuenientem explicatum; nimirum verissimam felicitatis ac securitatis reip. causam esse coniunctionem sapientiæ & virtutis.

1. *Duo antiquorum insignia ad nostra sententia confirmationẽ.*

Alterum insigne gryphus.

B Transeo ad alterum Romanorum signum, quod eo libro refert idem auctor: ac fuisse ait, humanas facies in corporibus vitulorum; datumque hoc insigne, Romanorum coloniis, eiusmodi boum seu vitulorum vel picto vel ficto iugo; in quo vtrique animali esset facies humana; alteri virilis, alteri fœminea. Aptissimum sanè symbolum ad eam significationem, cui accommodatum fuisse apparet: nempe colonias non aliter bene fundari atque constitui, non aliter crescere & augeri, quàm æquitatis & beneficentiæ coniunctione; hoc est, mutuis ciuium inter se tum iustitiæ, tum charitatis officiis; nulliusque laboris tergiuersatione, quem iuris præscriptio, atque communis reipub. vtilitas exigat. Affictæ quoque sunt caudæ eiusmodi vitulorum in spicas desinentes: vt intelligeretur cuiusmodi sint fines & fructus eius laboris, qui pro reip. bono suscipitur; atque eius industriæ, quæ rationi & æquitati deseruit. Ex his enim magnam reip. felicitatem & quasi vbertatem prouenire, spicarum symbolo denotatur. His addo, ex apta coloniarum symboli significatione colligi posse, Minotauri figuram, (quem Ouidius appellat,

Semibouemq́; virum, semivirumq́; bouem;

& qui inter Romanorum insignia numeratur à Plinio libr. 10. cap. 14.) initio fuisse ad eandem significationem excogitatam; licet posteà anili fabulâ veritas obscurata, aut etiam fædata fuerit. Et vtcumque id sit, saltem in prioribus illis duobus Romanorum signis, habemus coniuncta quatuor

2. *Alterum, facies humana in vituli corpore. Romanorũ olim coloniarum insigne.*

C Apocalypseos animalia, significatione non absimili. Et fortasse a vero non longè aberrauerit, qui suspicatus fuerit Ethnicos aut à Salomonis templo, aut ab Ezechielis prophetiâ desumpsisse huiusmodi symbolorum vsum, quem posteà variè commutarunt. Scimus enim à libris sacris scrutatas fuisse Gentes similitudines simulacrorum suorum; vt habetur 1. Machab. 3. 48.

Quoniam verò inter quatuor animalia, nobilissimam habet aquila non solùm significationem, sed etiam locum (neque enim vacat mysterio quòd facies aquilæ visa sit ab Ezechiele supra ceteras facies) liceat mihi, (interpreti eius, cui inter Euangelistas insigne aquilæ accommodari solet) duo etiã alia prisca signa siue sigilla prædictis addere; in quibus excellentior aquilæ locus ad sapientiæ atque consilij præstantiam, referendus videtur. Horum alterum excepi ex Dactylotheca Abrahami Gorlæi, annulo 112. vbi videre est, in antiquissimo quodam sigillo, figuram aquilæ supra vituli faciem insistentis cum sequenti inscriptione. IOVI OPTIMO MAXIMO, SACRA.

3. *Duplex aliud veterũ insigne pro sapientia per aquilã figuranda.*

Aciam facile est diuinare, quid tribuere Ioui voluerit illius symboli inuentor; videlicet, beneficia illius esse maxima: sed sapientiam omnia moderantem longè maiorem. Propterea enim aquila, quasi longè præstantior, posita est superior vituli facie.

Expressior tamen erat aquilinæ præstantiæ significatio in altero sigillo, cuius meminit Ioseph. 12. Antiq. c. 5. Vbi, cùm mentionem fecisset illius epistolæ, quam Arius Lacedæmonum rex

4. *Arij Lacedæmonum regis insigne: eius ad S.D.N. Pauli V. sit. mata accõmodatio.*

D ad summum Iudaici populi Pontificem Oniam scripsit (eam nempe, quæ habetur 1. Machab. 12.) subdit, ex ipsius epistolæ autographo constare, *eam fuisse obsignatam aquilæ sigillo draconem tenentis vnguibus.* De quo symbolo nihil verisimilius occurrit, quàm eo sigillo voluisse Arium gloriari in vera filiorum lucis, seu filiorum Dei sapientia, quæ de diaboli ac filiorum huius sæculi astutia triumphat. Nã præterquàm quòd hæc est aptissima illius symboli significatio; ex illa eadem epistola constat; quàm glorioſum sibi duceret Arius, agnatum esse populi Hebræorum, vtpote ab Abrahami quoque stirpe generatum. Ex quo coniectare licet, illum insignia sua, ad Iudæorum consuetudinem accommodasse: hoc est ad S. Scripturæ vsum in symbolis aquilæ atque draconis. & forsan hac ipsa de causa, ad Pontificem Iudæorum scribens, non contentus epistolam eo obsignasse sigillo, id ipsum disertis verbis expressit, vt tradit Ioseph.

Sed siue hac, siue alia de causa id fecerit Spartanus rex Arius; per occasionem sigilli illius libet nunc mihi obiter ac reuerenter cum illius sigillo conferre insigne Domini Nostri Pauli Quinti, qui in principis Apostolorum throno sedet, quo tempore hæc à me scribuntur; cui meum ipse opus supplex offerre, iam animo destinaui. Neque vero in hac interpretatione symbolorum, quæ in eius insigni visuntur, longè admodùm à meo instituto digrediar: quia tam aquila, quàm draco, quibus Pontificis nostri constat insigne, inter Apocalypseos symbola semel & iterum locum habent. Atque vt non aliter in Domini Nostri Pauli stemmate siue insigni à me illa accipiantur, quàm in Ioannis Apocalypsi, non leui fortasse ducor coniecturâ. Rationi enim consentaneum videtur, vt

5. *Insigne S. D. N. Pauli Quinti.*

Digitized by Google

Christi Domini vicarius in symbolorum suorum significatione credatur sacræ Scripturæ consuetudini se conformare; & Apocalypseos præsertim, quæ est Romanæ Ecclesiæ adeò glorioſa. A

Primùm ergo in Domini Nostri Pauli insigni facilè agnoscitur imitatio eius sigilli, quo se vsum fuisse testatur apud Iosephum Arius Lacedæmonum rex. Quòd enim aquila suprà depingitur, draco subter; manifesta est triumphi, quem aquila agit de dracone, repræsentatio. Atque eôdem fine dubio spectabat sigillum Arij. Porrò inimicitiæ inter aquilam & draconem ex naturalis historiæ scriptoribus notæ sunt satis. *Acrior est cum dracone aquilarum pugna,* (ait Plinius lib. 10. c. 4.) *multoq; magis anceps, etiamsi in aëre. Oua hic consectatur aquila auiditate maleſica. At illa ob hoc, rapit vbicumque visum. Illa multiplici nexu alas ligat: ita se implicat, vt simul decidat.* Hac igitur de causa ab Ario cælata est aquila draconem discerpens vnguibus. Verùm in ea pugnæ imagine aliquid est, quod videri possit ipsi aquilæ incommodum. Illa enim quasi luctæ repræsentatio & vnguium impressio, quamuis aquilam superiorem atque triumphantem ponat ob oculos; nonnihil tamen illam implicat & quasi conserit cum dracone. Ex quo efficitur, vt videri ipsa possit, vel aliquid subiisse periculi; vel ab impuro draconis sanguine fuisse nonnihil sordidata; vel pestilenti halitu, quem ille efflare intelligitur, nonnihil affecta & offensa. Quare vbi aquila non regis alicuius bellatoris futura erat insigne, sed symbolum egregiæ sapientiæ cælestisque consilij, quo Christi Vicarium maximè decet ornari; vt eiusmodi sapientiæ victoria de inimica draconis astutia non solùm iusta esse adumbretur, sed ipsi etiam aquilæ adeò B glorioſa, vt se illi draco ante congressum videatur omnino subiecisse; & neque illa aut contagione aliquâ contaminata, aut inquinata sordibus, aut periculi timore perculsa fuerit; ad perfectam huius puritatis & immunitatis cum absolutissima victoria coniunctionem significandam, singularis consilij fuit, id interesse inter Arij regis sigillum & Sanctissimi Domini Nostri Pauli insigne; vt in hoc non solùm aquila superior esse cernatur, sed etiam adeò sublimis; vt draco ei neque se vllo pacto implicare possit, neque impedire, vt victoriæ honor sit omnino intaminatus, absque vlla cælestis serenitatis perturbatione: quasi aquilæ istius vmbra satis fuerit ad deterrendum draconem atque triumphandum.

Aquilæ & draconis pugna.

Ad hæc: quamuis draconis symbolum, dæmonis astutiam malitiamque designet primùm; hæc ipsa tamen significatio facilè ad hæreticos extenditur ipsius filios atque ministros; de quibus egregiè triumphat aquila magnarum alarum. Quòd si iam hæreticorum astutia atque nequitia fraudibus instructa eò processerat, vt inflato collo, tumidisque ceruicibus, hoc magis sæculo, quàm vnquam alio, aduersus Petri successores se imprudenter attollere auderet: atque acerbitatis suæ virus apud stultos euomens, eo veneno Apocalypseos figuras inficere expeteret; illisque per eam insaniam ad blasphemias accommodatis siue detortis, Rom. Ecclesiæ confideret se valde nocere posse, sacri libri obscuritate abutendo, ac eius verba in Rom. Pontificum dignitatem contorquendo; dum persuadere conatur septenorum capitum belluam, Gogiquo & Mogogi figuram non aliud esse, quàm gryphos & ænigmata Papatum designantia: si hoc (inquam) sæculo ad eam insaniam hæreticorum effrænatus & præceps furor progressus erat; liceat ei, qui demonstrare contendit nullum esse sacræ Scripturæ librum, qui Ecclesiæ Rom. ac sedi Apostolicæ tantùm faueat, quantùm Apocalypsis; nullum, qui aduersus insanas illas hæreticorum blasphemias acrius bellum gerat; liceat (inquam) ei, lætari & exultare; quòd, cùm diuina Prouidentia videatur hanc Apocalypseos interpretationem Pauli Quinti pontificatui reseruasse; ipsius quoque Pontificis insigne triumphatæ hæreseos significationi apprime quadret. Vidimus enim, quam apte adumbretur eo insigni nobilis aquilæ de hæreticorum astutia triumphus. Cui rei mirificè concinit fæliciſſimum illud augurium de aquila serpentis vltrice atque adeò victrice, quod M. Tullius lib. 1. de Diuinat. in ciuis sui Marij commendationem, his versibus eleganter tradit: C

Hæreticorũ amentia figuris Apocalypticis abutentiũ.

Hîc Iouis altisoni subitò pinnata satelles,
Arboris è trunco serpentis saucia morsu,
Ipsa feris subigit transfigens vnguibus anguem
Semianimum, & varia grauiter ceruice micantem.
Quem se intorquentem lanians, rostroq; cruentans,
Iam satiata animos, iam sæuos vlta dolores,
Abiicit efflantem, & laceratum affligit in vnda,
Seq; obitu à solis, nitidos conuertit ad ortus,
Hanc vbi præpetibus pennis, lapsuq; volantem
Conspexit Marius, diuini numinis augur,
Faustaq; signa suæ laudis, redituq; notauit,
Partibus intonuit cæli Pater ipse sinistris.
Sic aquilæ clarum firmauit Iuppiter omen.

D

Ad hæc; si Apocalypsis de nouo ita exponatur, vt hæreticorum furori frangendo nihil aptius excogitari, aut optari etiam potuisset; cùm hæc sacra reuelatio eleganter comparetur ouo aquilino, cui exsorbendo vehementer inhiabat draco; ac genuina interpretatio sit veluti quædam excluſio & animatio eius vitæ, quæ sub oui putamine latebat abscondita; mirificè conuenit, vt triumphus & exultatio aquilæ, draconisque depressio atque confusio, ambæ res ad eiusmodi interpretationem Apocalypseos, qualem ego afferre opto, pertineant. Quid enim aptius, quàm exultare atque triumphare aquilam, eo quòd excluſo iam & roborato pullo, qui latebat in pulcherrimo ouo (de quo erat illi dimicatio cum dracone) non solùm frustrata sit draconis spes; sed aquilæ etiam potentia nouo cum fœtu, parentis inimicitias acerrimè persequuturo, robustior effecta sit? Hæc & reue-

Digitized by Google

A & reuerentiæ causâ erga Christi Vicarium; & vt meæ quoque spei fauerem, tum cogitare, tum scribere visum est. Atque hoc ipsum cogitabam, cùm figurâ sermonis ad beatum Ioannem conuersa carmine illam affari ausus sum initio huius operis, accommodato illi Sanctissimi Domini Nostri Pauli insigni.

SECTIO IV.

De ratione conuenientiæ & differentiæ inter animalia Ezechielis & Ioannis, in iis præsertim, quæ ad facies spectant.

SEctione 2. prioris commentarij probatum est, Ioannis & Ezechielis animalia aliquot in rebus inter se conuenire, in aliis verò differre. Oportet ergò in præsenti tam conuenientiæ, quàm discriminis rationem reddere. Duo verò sunt potissimùm, in quibus consentiunt. primum, quod vtriusque sit humanum corpus & alatum, ad Cherubinorum templi imitationem. Alterum, quòd Ezechielis animalia habeant facies leonis, facies vituli, facies hominis, & facies aquilæ: atque eædem *Sex discrimina inter Ioannis & Ezechielis animalia.*

B facies in Ioannis animalibus reperiantur. Differentiæ autem sunt non minùs sex. Prima; quatuor facies omnes vidit Ezechiel in animalibus singulis; Ioannes verò in singulis tantum singulas; præterquam quòd Ezechielis ordo enumerandi nonnihil a Ioannis ordine diuersus est. Quin apud eũdem Ezechielem alius est cap. 1. & alius cap. 10. Secunda; Ezechielis animalia, vitulinis plantis; at animalia Ioannis humanis constant pedibus. Tertia; Ioannis animalia, quemadmodum & Isaiæ Seraphini, habent alas, quibus tegant vultus; Ezechielis, non item. Quarta; Quatuor sunt manus singulis Ezechielis animalibus, cùm Ioannes in suorum singulis binas tantùm viderit. Quinta; Illa, id est, Ezechielis animalia scabellum pedum Dei super capita habent; hæc verò Ioannis sunt in ipso Dei throno, & in circuitu throni. Sexta denique; Ioannis animalia oculis sunt vndique obuallata; non tamen visa ab Ezechiele, de quo tamen discrimine supra diximus.

Venio in primis ad conuenientias. Et quidem circa primam, si per quatuor animalia (vt dictum *Conuenientia inter eadem Ioannis & Ezechielis animalia.*

est) significantur quatuor illæ perfectissimæ gubernationis virtutes; videbatur rore congruentius, vt omnibus hisce animalibus humanum corpus inesset. Fortitudo namque in integro leone meliùs, quàm in sola leonis facie videtur exprimi. Atque idem de ceteris dici potest. Et confirmatur, quia in

C symbolis aliis ac hieroglypicis, ad fortitudinis significationẽ non sola leonis facies, sed integra eius effigies vsurpatur. Quin & in sacris literis ad animi indicandam fortitudinem sæpè tota leonis figura ponitur; vt in throno Salomonis, 3. Reg. 10. 19. & ad beneficentiæ symbolum solida bouis imago, vt in bobus 12. sub mari æneo. Item ad vtriusque virtutis hieroglyphica in decem basium ornatu. 3. Regum 7. 29. *leones, & boues,* qui distincti sunt à Cherubinis, vt manifestum est in textu. His adde, quòd leoni non in facie inest fortitudo, sed in corde (quod medium corporis locum occupat) vt notatur, 2. Regum 17. 10. *Cuius cor est quasi cor leonis.*

Respondeo tamen ad obiecta; licet integra leonis aut bouis effigies satis ex se sit apta, vt fortitudinem & beneficentiam denotent: at ratione alluſionis ad Cherubinos templi, congruentissimum *Cur quatuor Prouidentia partes præcipuæ in animalium faciebus solum, non item in toto corpore figurentur.*

fuit, vtriusque Ioannis & Ezechielis animalibus humanam adscribere figuram. Deinde, quatuor facies egregiè conducunt ad significandum id, ad quod possent integræ leonis, vituli, hominis, & aquilæ figuræ deseruire. Neque enim virium corporearum significatio quæritur, aut etiam corporei laboris, sed animi virtutum & spiritualis fortitudinis. Atqui quod latet in pectore, ferè solet foras erumpere, & in vultu apparere, iuxta id Eccli. 13. 31. *Cor hominis immutat faciem illius,* & Prouerb. 17. 24. *in facie prudentis lucet sapientia.* Quare, cùm oris vultus soleat respondere cordi, quod dicitur 1. Paralip. 12. 8. *facies eius quasi facies leonis;* idem est quod 2. Reg. 17. 10. *Cuius cor est, quasi cor leonis.* Quare, qui Physiognomiæ nauant operam, ex vultu atque oculis solent animi propensiones & inclinationes voluntatis coniectare. Quapropter præcipiunt, hominem, qui leonem vultu referat, leoninam quodammodo indolem & propensionem imitari: & qui faciem aquilinæ habent similem, solere esse visus perspicacissimi. Ex quo intelligitur, ad quatuor illarum animi virtutum significationem multò fuisse elegantius facies illas leonis, vituli, hominis, & aquilæ in corporibus humanis, quàm integra leonis, vituli & aquilæ corpora figurare. Præsertim, cùm ipsa humani corporis species sublimitatem ac cælestes cogitationes denotare videatur, iuxta Ouidianum illud, 1. Metamorph.

Os homini sublime dedit, cælumque videre
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Quare, vt excelsa Fortitudo, sublimis beneficentia, admirabilis æquitas, ac diuina sapientia figurentur, appositum valdè est facies leonis, vituli, hominis, & aquilæ humanis in corporibus collocare; iuxta id Ezechielis 1. 5. *Similitudo hominis in eis.*

Quòd autem in quadruplici hac facie species Ioanni & Ezechieli visæ conueniant (hoc enim erat alterum conuenientiæ caput) ideo fuit; quia licèt alteri Cælestis Hierarchia, alteri Ecclesiastica monstratæ sunt; in vtrâque tamen visione animalia indicant principes, & præcipuos diuinæ Prouidentiæ ministros in spirituali rationalis creaturæ administratione. Quare vtriusque ostendendæ fuere quatuor animalium facies, quibus virtutes illæ huic muneri necessariæ denotantur. Et hactenus de conuenientiis. *Cur Ezechielis & Ioannis animalia in quadruplici facie conueniant?*

Quòd autem ad differentias attinet, circa primam notandum est, quamobrem Ezechielis animalia apparuerint numero quatuor. Pradus & Villalpandus sibi persuadent, eius rei rationem esse,

Digitized by Google

quòd templi Cherubini quatuor erant; duo scilicet parui, quos fecerat Moyses; & totidem ingentes, quos Salomon: qui omnes quadrigam iuncti formabant. Hoc tamen iam suprà refutatum est. Nam si Pradus & Villalpandus arcam currui impositam considerant; si duo item Mosis Cherubini supra arcam erant; quàm apta (rogo) atque concinna quadrigæ forma componetur ex duplici ingenti animali currum trahente, & ex duplici alio, quæ currui imposita simul cum ipso curru trahuntur? Ad hæc, duo illi Mosis Cherubinuli, Dei thronum constituunt. Atqui tam Ezechieli quàm Ioanni Dei thronus apparuit præter quatuor animalia. Ergo quatuor animalia minimè respondent duplici Mosis & Salomonis Cherubinorum binario, sed binario solùm Salomonis. A

Magnorum Cherubinorum, quos fecit Salomon, significatio.

Hoc non parum fulcitur si germana significatio attendatur. Duo enim magni Cherubini tam magnitudine sua, quàm oleaginis præcordiis ac visceribus, denotant maximos ac præcipuos Dei ministros, qui in spirituali Ecclesiæ gubernatione illius vices & auctoritatem gerunt. Duorum autem Mosis Cherubinorum diuersa erat significatio, vt aliàs dictum est. Quare, cùm quatuor animalia ipsorummet Dei ministrorum excellentium sint symbolum (qui sunt cælestis vel Ecclesiasticæ hierarchiæ principes) consonum minimè est, vt quatuor animalia paruulis Mosis Cherubinis respondeant, sed grandioribus solùm, quos fecit Salomon.

Salomonis Cherubini cur ad Mosaicorum similitudinem facti?

Verum est, Salomonis Cherubinorum figuram Mosaicis Cherubinis fuisse similem; vt significaretur miram illam sapientiæ & sanctimoniæ conspirationem (quæ angelos, atque hominum mentes efficit Dei thronos) multiplici auctam incremento requiri necessariò in iis, quos Deus Ecclesiæ principes constituit. Hæc tamen Dei ministrorum figura symbolica, quam Salomon extruxit, non quadruplici Cherubino, sed duplici constabat. Itaque perstat adhuc integra difficultas, cur præter duos diuini throni Cherubinos, Ezechieli sint ostensa quatuor animalia pro duobus magnis Salomonis Cherubinis? Si Pererij excogitatio de Ioannis animalibus vera esset (videlicet eorum singulis quaternas inesse facies, sed in alio expressiorem fuisse faciem leonis, in alio vituli, & sic de reliquis:) si Ezechielis item animalia Ioannis animalibus omnino similia essent; dici tunc posset, animalium quaternarium fuisse ad quatuor virtutes figurandas necessarium; ita vt vnicuique referendæ deseruiret facies animalis expressior, quæ ad eam significandam pertineret, licèt in ceterarum esset comitatu. Sic enim vera Fortitudo cum Beneficentia, Æquitate & Sapientia coniuncta est. Verùm illud Pererij inuentum nullo solido fundamento nititur, vt suprà est expensum. Atque in singulis Ezechielis animalibus præcipua facies erat humana; de quo infrà. Cùm ergo in quouis animalium Ezechielis vniuersæ quatuor facies extiterint, eæque in omnibus æquè expressæ; alia est quaternarij ratio inuestiganda. B

Quatuor animalium expositio de quatuor præcipuis curiæ cælestis principibus refellitur.

Alicui fortasse non displicebit expositio de quatuor præcipuis curiæ cælestis magnatibus, Michaele, Gabriele, Raphaële, & Vriele: (de quibus nonnihil diximus cap. 1.) hæc enim expositio manifestam reddit rationem de animalium quaternario. Verùm cùm in duobus Mosis Cherubinis non peratur ratio ab aliquo magnatum binario; sic etiam in animalium Ezechielis quaternario inaniter existimatur, ideo fuisse quatuor animalia, quia principes quatuor sunt. Ostendimus autem suprà in quolibet animalium, omnes vel cælestis vel Ecclesiasticæ hierarchiæ principes denotari; cùm quadruplicis faciei symbola omnibus æqualiter congruant. Quare aliam oportet huius quaternionis rationem disquirere. C

Quatuor Ezechielis animalium significatio.

Quæ ergo videtur idonea huiusmodi est, pro quaternario Ezechielis: cùm Deus ad Ierosolymam delendam tunc pergeret (hic enim est directus illius visionis scopus, vt clarè docemur Ezechiel. cap. 43. 3.) decebat cæli militiam, id est, hierarchiam cælestem, figurari in modum bellici currus. Nam reges olim, præsertim apud Orientales populos, in curribus sublimes dimicare solitos, suprà iam à nobis probatum est. Et quia principum currus quadrigâ vehi solebant; ideò in eâ Ezechielis visione animalia, quæ rotas antecedebant, & curulibus equis respondent, congruenter satis quatuor figurata sunt, totidemque rotæ: non quòd quatuor in quatuor animalibus personæ significentur; sed quia falcati bellicique figura currus, quatuor rotas & animalia quatuor trahentia, iuxta vulgarem ea tempestate consuetudinem deposcebat. Itaque vt apposita esset figura currus, haud necesse erat præcipuos Dei satellites & administros esse multos; vnus enim minister in quatuor animalium symbolo idoneè figuratur; sicut de Elia (& similiter postèa de Elisæo solo) dictum est, *currus Israël & auriga eius*, qua ratione poterat idem angelus repræsentari in rotis omnibus atque integro curru. Sed cùm cælestis militiæ principes reapse complures sint, & inferiores angeli sint etiam innumeri; idcirco dicimus, per animalia quatuor, cælestis hierarchiæ principes; & per quatuor rotas, inferiorum angelorum multitudinem denotari. D

Hæc ratio quaternario Ezechielis satis congruit. Quòd verò in animalium singulis quaternas facies ostenderit Prophetæ Deus (quas tamen templi Cherubini nequaquam habebant) propterea factum est, vt Ezechieli ipsi patefaceret suæ Prouidentiæ perfectionem in antiquo illo Ierosolymæ excidio. In quo si externa solùm facies consideretur, præter Iudæorum scelerum supplicium, nihil aliud videbatur esse. Atque ideo cælestis hierarchiæ principes (quorum ministerio Deus in admirando illo facinore vtebatur, quique Dei mentem ea in expeditione probè norant) prophetæ visi sunt sub animalium figurâ quaternas facies habentium: quibus adumbrarent, se in eo bello, quod Dei iussu gerebant, fortitudinis, beneficentiæ, æquitatis atque sapientiæ exercere perfectionem, & præclara edere documenta. In qua significatione fortasse non habitus fuit solùm respectus ad fructum & emolumentum ex antiquo illo Ierosolymæ vrbis excidio percipiendum; sed multò magis ad vtilitatem eximiam, quam ex Iudaici populi repulsa in eo excidio figurata Deus decerpturus erat; nimirum ex diminutione eorum, diuitias Gentium. Valdè enim verisimile est,

Digitized by Google

A est. Ezechielem (vt & reliquos Prophetas) dum Iudaica tangit, Christiana respicere: præsertim in ea visione, quæ inter cæteras caput effert.

At enim, licèt quaternarij animalium Ezechielis idonea reddita sit ratio, nec non quaternarum in singulis facierum, ex hoc tamen noua oritur difficultas; cur scilicet Ioanni quatuor item animalia apparuerint, nec quaternis faciebus singula constent? Primò enim, si apud Ezechielem quaternarij ratio ex currus consuetudine petitur; Ioanni nullus fuit currus visus, nec curulia erant animalia ipsi ostensa. Quare non quatuor, sed duo potiùs futura videbantur animalia, quæ Cherubinorum Salomonis binario responderent. Deinde, quæ ratio extitit, vt singulis Ezechielis animalibus quaternæ facies tribuerentur; eadem poscebat, vt Ioannis animalia similia essent. Nam si quatuor illæ optimæ gubernationis virtutes sunt in cœlestis curiæ principibus sociali fœdere copulatæ; eædem etiam in Ecclesiæ militantis principibus coniunctæ visuntur. Quare vt omnes in eâdem persona coniunctim significarentur, aptius videbatur esse quaternas facies singulis animalium dari. *Cur Ioannis animalia quatuor itè fuerint, non tamen singula quaternis faciebus prædita?*

Ad vtramque tamen difficultatem respondeo, Ioannis animalia conuenienter fuisse quatuor; vt eorum proportio atque alluſio ad animalia Ezechielis patefieret. Cùm verò Apocalypseos visio non currum bellicum, sed templi potiùs thronum referret; deerat iam ratio, cur animalia inter se essent similia. Nam omnimoda similitudo inter animantia, quæ principis currum vehunt, maximè
B interest ad decorum & proportionem; sed in templo & diuinæ Prouidentiæ insigniferis, aptum habebat locum varietas, si ad mysterij significationem conducebat. Quam ob rem, cùm earum virtutum vnio satis iam fuisset indicata in Ezechielis animalibus quadruplici facie præditis, ad vniuscuiusque virtutis perfectionem significandam, oportuit eas seperatim sumptas apponi. Atque hoc pacto Ioannis & Ezechielis visiones sibi mutuò respondent & ex vtraq; elicitur, quatuor illas virtutes in quolibet Dei ministrorum (siue cælestis sit hierarchiæ, siue Ecclesiasticæ) reperiri coniunctas, simulque infertur, singularum virtutum ex his quatuor perfectionem absolutam esse atque integram. Magnopere autem decuit, vt perfectio hæc (quæ indicatur in eo, quòd singula animalia singulis tantùm faciebus appareant) in Apocalypseos potissimùm animalibus reperiretur. Nam principum cœlestis hierarchiæ virtutes, certum erat, nullius imperfectionis concretione maculari: quare licèt in quatuor facierum copulatione, quæ singulis inest animalibus, cuiusque faciei perfectio non ita extet & emineat, (præsertim si vera facies animalis sit vna, tribus aliis desuper & ex vtroque latere dispositis personata, vt explicabitur infrà) cùm tamen de cælestis curiæ principibus sermo sit, non erat verendum, ne quis virtutes eorum singulas, imperfectas esse existimaret. At in Apocalypsi, cùm de Ecclesiasticæ hierarchiæ principibus sub animalium symbolis agatur, cumque illorum perfectio non esset adeo comperta? conueniens fuit, vt cuiusque perfectio in iis figuraretur animalibus, quorum singula vnicâ facie verè solideque expressa constarent.
C

Præter hæc, in Apocalypsi peculiaris extitit ratio, vt quodlibet animal vnicâ tantum facie pingeretur. Quia capite 6. significandum fuerat, nos virorum Apostolicorum fortitudine inuitari ad contemplandam diuinæ Prouidentiæ fortitudinem in primo sigillo latentem; & eorundem beneficentiâ excitari similiter ad Dei beneficentiam intuendam sub secundo sigillo: æquitate, ad æquitatem in tertio; & sapientiâ, ad sapientiam in quarto. Atqui ad eiusmodi distinctionem minimè idoneũ erat, singulis animalibus quaternas appingi facies. Sic enim quodlibet animal, quatuor omnes repræsentaret virtutes: cum tamen expediret Ioannem à singulis seperatim accersiri. Rationem hanc, si rectè aduertatur, tanti momenti esse censeo; vt ea sufficiat ad probandum, singulis Ioannis animalibus vultus singulos inesse debere; vt Ioannes ipse testatur. *Peculiaris ratio ex Apocalypsi deprompta, cur vnica facies singulis Ioannis animalibus fuerit.*

Iam, quod attinet ad diuersum ordinem ac seriem numerandi quatuor facies in Ezechiele & Apocalypsi; obseruandum est, Hierosolymæ vastationem apud Ezechielem proximè attendi; in qua Deus cælestium spirituum ministerio fuit vsus. In Apocalypsi non item, sed Ecclesiæ respici ædificationem; ad quam Deus Apostolos viroſque Apostolicos adhibuit. Vtrobique ergo facierum ordo ex argumento desumitur. Et quidem facies aquilæ vltimo loco vtrobique ponitur: tam enim in extructione, quam in destructione, postremum in quod oculos mentis tandem intendimus, est mi-
D rum Dei consilium atque sapientia, quæ in aquilæ vultu (vt dictum est) figuratur. Ex tribus aliis faciebus, in Ecclesiæ structura, eminet in primis ac fulget ingens illa animi fortitudo ac robur ad fidem Christi persuadendam, & intellectus hominum illi subiiciendos. Deinde admirabilis beneficentia eorum, qui vt beneficium tantum in homines conferant, quibusque se difficultatibus ac laboribus obiiciunt. Et tandem maxima apparet æquitas in rectissima Ecclesiæ gubernatione. Vnde facierum ordo huic considerationi in Apocalypsi respondens huiusmodi est; facies leonis, facies vituli, facies hominis, & facies aquilæ. Id quod in quatuor primis sigillis cap. 6. ampliùs elucidabitur. In Hierosolymæ autem destructione, vna ex parte se se obiicit primò, æquitas & iusta Dei ratio in vindicta de sceleratis hominibus sumenda; potentia item in executione, & ingens simul charitas in supplicio huiusmodi ad Israelitici populi salutem dirigendo. Atque hæc est capitis primi Ezechielis series. Ex alia verò parte decorum maximè seruatur in eo, quòd prius maxima ponderetur charitas in bello illo, quod totum ad peccatorum resipiscentiam, atque adeò ad summum illorum beneficium dirigebatur: & hæc est facies vituli. Mox ingens supplicij æquitas aduertatur: postremò fortitudo maxima in operis exequutione. Quem ordinem Ezechiel cap. 10. seruat. Nec verò opus est cap. decimi visionem à visione cap. primi esse diuersam, vt distinctus vtriusque sit ordo. Nam si quatuor mihi capita coràm proponantur hunc in modum *Cur ordo quatuor animalia numerandi in Ioanne & Ezechiele diuersus sit? Expenditur animalium ordo, quem Ioannes obseruat.*

Ezechielis animalium ordo, eiusq; ratio traditur.

Digitized by Google

A



rectè possum semel ita enumerare, vt asseram me vidisse hominis faciem; & ad alterum eius latus faciem leonis; ad alterum faciem vituli; desuper autem aquilæ faciem. Eandemque dispositionem capitum possum aliàs diuerso hoc modo recensere; asserens, aspexisse me tria capita in eodem (vt ita dicam) versu; vituli scilicet, hominis & leonis; & supra illa caput aquilæ. Vbi aduerte, hunc legendi modum, priùs vitulum, deinde hominem, & postea leonem; à dextrà scilicet ad læuam, esse proprium Hebræorum.

Pedum discrimen in Ioannis & Ezechielis animalibus.

B

Huic facierum discrimini, pedum discrimen annectamus. Ioannis enim animalia (bonâ cum nostri Pradi venià) vituli plantas non habebant, vt animalia Ezechielis. Et quidem, si ad plantæ vituli significationem respiciamus, consentaneum alicui videretur, vt Ioannis etiam animalia illis constarent. Pedis namque vitulini planta significat, omnes ipsius gressus ad reipublicæ commodũ, hominumque salutem referri. Dico tamen hoc ipsum satis superque indicari facie vituli; eâ (inquam) quæ propriè facies & vultus appellatur. Porrò in Apocalypsi non erat cur vituli significatio duplicaretur. At in animalibus Ezechielis, cùm ageretur directè de excidio Hierosolymæ, cumque idcirco bellicus figuraretur currus; oportuit maximè vt significatio de emolumento & vtilitate in populum ipsum redundatura semel atque iterum poneretur ob oculos; vt sibi certo persuaderent homines, grauissimum illud bellum flammâ ferroque gerendum, in populi ipsius beneficium & incolumitatem cessurum.

SECTIO V.

De senarum alarum significatione: & cur animalia Ezechielis non habeant alas, quibus facies suas tegant?

C

Ioannis animalia quot alis constarent: deq; earum significatione.

QVatuor Ioannis animalia, singula habent alas senas; ita vt omnes alæ sint numero viginti quatuor. Has asserit Victorinus Afer esse 24. veteris instrumenti libros. Ambrosius verò eas applicat ad spiritalem eorundem librorum intelligentiam. Sed contrà est, quòd sex alæ ex Isaiæ Seraphinis desumptæ sunt; & duabus caput operiunt, duabus pedes, duabus reliquis volant. Non autem designari possunt, qui veteris testamenti libri caput, qui verò pedes obtegant, &c. Adde, Isaiæ Seraphinos non fuisse quatuor, sed duos: atque adeò ipsorum alas non fuisse viginti quatuor, sed duodecim tantùm.

Varie Doctorum sententiæ.

Alij exponunt de perfecta virtutum doctrina, quæ in Euangeliis continetur; per quas virtutes sancti viri ad alta conscendunt. Ceterùm hæc explicatio præstituit quatuor animalia esse quatuor Euangelistas. Ioachimus Abbas contendit alas, quibus velatur corpus, esse pœnitentiam ac misericordiam; quibus turpitudini peccatorum occurritur: alas autem quibus tegitur facies esse humilitatem & patientiam; quibus vana vitatur gloria: alas denique quibus volatur esse fidem & spem. Sed hoc concionari fortasse est, non explicare. Nec subsistere potest applicatio, quia Ezechielis animalia sunt Angeli, quibus non desunt alæ ad volandum; cùm tamen nec fidem habeant, nec spem. Pererius sex alas interpretatur de perfecta Angelorum agilitate ad motum localem, deque admirabili celsitate ad diuina contemplanda, nec non obedientiâ promptissima. Sed huiusmodi interpretatio supponit Ioannis animalia de angelis esse exponenda; nec videtur reddere posse rationem discriminis inter Ioannem & Ezechielem, quod attinet ad alas animalium.

D

Aretas sex alas explicat de velocitate ministerij; quia alarum symbolum in sacris Literis sæpe ad velocitatem refertur infatigabilem. Videturque hæc explicatio Apostolis, eorumque imitatoribus congruere; qui per totum terrarum orbem, aquilarum instar, discurrerunt. Facit, quòd geminæ alæ, quæ Apocal. 12. tribuuntur Ecclesiæ, instrumenta haud dubiè sunt ad volandum. Nec desit fortasse, qui putet multitudinem alarum & oculorum, vnâ ex parte indicare celeritatem ingentem ex alia multam attentionem & seriam considerationem; quod vtrumque breui ac veteri parœmia dictatur; *Festina lentè*. Hæc tamen explicatio non videtur apte deseruire posse quaternarum alarum atque senarum discrimini; neque applicari ad eas differentiam, qua aliis vultus tegitur, aliis pedes.

Quid significet alas ingentes duarũ Ezechielis aquilarum, de quibus c. 17. agit.

In duabus quidem aquilis, quas depingit Ezechiel cap. 17. alas ingentes, quarum ibi fit mentio, asserit Hieronymus significare mundanam potentiam, & regum Babylonici atque Ægyptij exercitus. Ex quo videtur similis potentiæ & exercituum significatio, Ezechielis animalium aliis tribui potuisse. Ait enim textus c. 1 24. *Audiebam sonum alarum: quasi sonum aquarum multarum; quasi sonum sublimis Dei, quasi sonus erat multitudinis, vt sonus castrorum.* Vbi comparationem desumi constat ab ingenti exercitu,

Digitized by Google

A exercitu, qui in campum eductus ad modum alarum extenditur, magna virium ac potentiæ ostensione, magnoque militum & armorum strepitu. Fauet Latinæ vocis vsus. Latini enim auctores in exercitu turmas equitum appellare solent alas; quia sese alarum instar extendunt. Ex his colligi videtur, in Ezechielis Cherubinis alas indicare eos esse potentissimos, & magnâ vis ac potestatis excellentiâ exercitibus totius orbis fortissimis antecellere: ideoque ipsorum alas validissimæ instar phalangis horribilem edere strepitum. Quòd si per alas volatum simul ac velocitatem explicari opus est; dici posset eorum animalium alas esse symbolum celeritatis maximæ, qua vrbem quamlibet, licèt munitissimam, Deo iubente, oppugnant, atque expugnant. Si verò huiusmodi interpretationi opponatur, non rectè cohærere, vt quibus alis tegunt corpus, hostes profligent: posset responderi, illa animalia, aut indignationis alas extendere, & alas protectionis contrahere; aut non omnes alas expandere; cùm sibi opus non sit, totam potentiam atque impetum ad eiusmodi machinas adhibere.

Reiiciuntur superiores alarum significationes.

Enimuerò isthæc omnia per accomodationem potiùs, quàm per veram expositionem dicta sunt. Omnino enim, tegere corpus alis, ad virtutum ornatum referendum est. Quemadmodum cum amicti pinguntur Cherubini; amictus significatio ad virtutes & angelorum excellentias applicatur. Ad hæc, alarum interpretatio de potentia & militum acie, non rectè congruit cum senis alis
B Seraphinorum Isaiæ, & animalium Ioannis. Etenim licèt asseri posset, Apostolos etiam, Dei potentiâ armatos, & cælestium exercituum præsidio munitos, cum paratissimis mundi phalangibus ac viribus conflixisse: hæc tamen significatio non cohæret cum binis alis quibus tegunt vultus; & binis, quibus tegunt pedes. Omitto significationes alias, quæ minimè hîc essent ad rem, licet aliis fortasse locis minùs ineptè congruerent. Cuiusmodi est protectio ac patrocinium, quæ expansis alis significari solent, ad gallinæ imitationem; quæ suos pullos pennis explicatis protegit ac tuetur.

Vera alarũ interpretatio ex Dionysio Areopagita desumpta.

Relictis ergo hisce expositionibus illa in primis amplectenda est, quæ alas ad cælestem vitam ac conuersationem refert. Quæ interpretatio est Dionysij Areopagitæ de Cælesti hierarc. c. 15. vbi ait; *Alis significatur & cælestis vita cursus, & quòd ad superiora ferantur, mortalibus atque infimis omnibus excepti, & terreni corporis sarcina liberi.* Licet autem Dionysius hîc de cælesti hierarchiâ agat: in locis tamen, vbi sacræ Literæ de Ecclesiastica hierarchia loquuntur, perspicuum est, alas eâdem ratione explicari debere, eâ ratione, qua spiritualium virorum vita cælestem Angelorum conuersationem imitatur. Iuxta id Pauli Philipp. 3. 20. *Nostra autem conuersatio in cælis est*, quasi dicat, corporis pondus ijs impedimento non esse, quo minùs ipsorum mentes altissimâ diuinarum rerum contemplatione sublatæ per æthera volitent. Huiusmodi autem alæ, leoni, vitulo, homini & aquilæ propterea apponuntur; vt innuatur, virorum Apostolicorum fortitudinem, beneficentiam, æquitatem ac sapientiam esse
C virtutes admirabiles ac planè diuinas.

Cur Ezechielis animalia alis quatuor, Ioannis verò animalia senis constant?

Superest inuestigare, vtrùm in hac declaratione idonea inueniatur ratio, quæ senis Ioannis animalium alis apprime quadret; simulque possit reddere causam discriminis, cur animalia Ezechielis quatuor tantùm alas habeant. Ad hoc Primò est obseruandum, collatis inter se & Isaiæ Seraphinis, & Ezechielis ac Ioannis animalibus; certum planè esse Ezechielis animalia alis destitui ad tegendum vultum, & quaternas tantùm habere; binas, quibus corpus (id est inferiora corporis) aduelent; & binas, quibus volent. At Isaiæ Seraphinis & Ioannis animalibus, præter quatuor hasce alas, duas alias esse, quibus faciem obtegant non quidem omnino (secùs dignoscere non potuisset Ioannes in alio faciem vituli, leonis in alio, &c.) sed quâ ratione suprà declaratum est, & ampliùs constabit infrà notat. 10. vbi de Seraphinis Isaiæ.

Cur Isaiæ Seraphini & Ioannis animalia alis vultũ obtegant: animalia Ezechielis non item?

Obseruandum est secundò, tam Isaiæ Seraphinos, quàm animalia Ioannis ad Ecclesiasticam hierarchiam pertinere, vt suprà probatum est. Tertiò obseruandum, operiri vultum sæpe ad pudoris & confusionis signum referri, iuxta id psalmi 68. 8. *Operuit confusio faciem meam.* Vnde vulgari sermone iactatur, eum posse vultum omnino retegere, qui nihil habeat, cur erubescat. Vita igitur cœlestis licèt angelos ad cælum attollat, & gratiæ splendore ac decôre circumvestiat; nullo tamen eos præteritarum culparum (quæ nullæ fuerunt) rubore suffundit. At viri Apostolici, etsi
D sanctitate sint clari, & Dei amore pariter, cognitioneque præstantes; eò tamen plus pudore ac verecundiâ præoccupantur, quò se ad altiorem sanctitatis & dignitatis gradum euectos vident. Ad hoc igitur vtrorumque discrimen exprimendum eleganter satis & Seraphini Isaiæ, & Ioannis animalia pennis vultus obnubunt; Ezechielis verò animalia eiusmodi alas non habent.

Quid signetur per duas animalium alas quibus volant.

Aliquis fortasse putabit confusionem huiusmodi & erubescentiam aptiùs per inferiores alas, quibus corporis inferiora teguntur, significari. Ea enim videntur præ verecundiâ operiri. Ceterùm ad hunc pudorem innuendum rectiùs faciem velare effinguntur. Animalia namque Ezechielis corporis etiâ inferiores partes tegunt. Is enim sensus est, cùm duabus alis suum corpus tegere dicuntur. Atqui vultum obtegere supponit culpam, inferiora verò corporis velare, non item; sed potiùs, dum tegitur corpus *abundantiorem ei honorem circundamus*, vt ait Paulus 1. Corinth. 12. 28. Ornatus ergo virtutum cælestis vitæ, quæ Angelos mysticè euehit ad cælum, adumbratur rectè alarum symbolo, quæ mystici animalis corpus operiunt, ornantque. Pennæ itaque, quibus ij volant, manifestè significant cælestes spiritus, purosque animos eleuari ad diuinæ cognitionis atque amoris celsitudinem, alæ autem, quibus occulunt corpus, virtutum repræsentant ornatum; quibus eos ipsa vita spiritualis condecorat. Vtrumque hoc Ezechielis & Ioannis animalibus commune est. Illud Ioannis animalibus & Isaiæ Seraphinis proprium, quòd alas habeant, quibus cooperiant vultus in signum verecundiæ atque pudoris de propriis defectibus contracti. Atque hæc senarum alarum coniunctio

iunctio Deo est valde glorioſa. In ea enim ſuæ gratiæ vis & efficacitas facilè agnoſcitur, quæ ex ſceleratis hominibus probos ſanctoſque efficit; humiles tamen, & qui ſuorum flagitiorum magnitudinem ad ſui ipſorum demiſſionem & propriæ vilitatis cognitionem conuertant, id quod Deo gratiſſimum eſt. Huc forte ſpectat Apollinaris & Seueri expoſitio Ezechielis 1. qui vultum alis contegere humilitati adſcribunt. A

Et mirum ſanè eſt, præterita perfectorum virorum flagitia non obſtare, quo minùs eos Deus miris beneficiis proſequatur. Imò potiùs ſi rem attentiùs inſpiciamus, Deus ipſe huiuſmodi homines extollere & euehere tantopere expetit; vt huius diuini beneplaciti non obſcura extent ſigna atque veſtigia in Iſaiæ, Ioannis & Ezechielis viſionibus, ſi eas attentè conferre velimus. Etenim animalia Ezechielis (per quæ cæleſtes angelos denotari ſæpè dictum eſt) ante Deum minùs editum habent locum, quàm Apoſtoli. Siquidem illa ſub firmamento ſunt, id eſt, ſub Diuini throni ſcabello, at Seraphini Iſaiæ ad throni latus adſtabant (*Seraphim ſtabant ſuper illud*, c. 6.) & Ioannis animalia in medio throni eâdem ratione eſſe dicuntur. Nec verò animus eſt, agere in præſenti de gloriæ cœleſtis gradu ac dignitate, quam vtrique obtinent in patriâ (de hoc enim non eſt ſermo in eo cap.) ſed de præſtantiâ illâ & excellentiâ, quam in Eccleſiæ poſſident principatu. Eſt namque angelorum Eccleſiaſticæ hierarchiæ dignitas multò maior. Ipſa tamen dignitatis magnitudo eos hortatur, allicit, ac trahit, vt propriæ humilitatis & anteactæ vitæ conſcij, vultus ſuos coram altiſſimo Deo præ verecundia contegant. B

In Ezechielis animalibus, quid per alarum ſtridorem adumbretur.

Videor mihi iam explicuiſſe germanam alarum ſignificationem, quibus & Iſaiæ Seraphini & Ioannis animalia facies obducunt ſuas. Aliquid tamen ſupereſt dicendum in alis animalium Ezechielis, quod ipſis eſt peculiare. Imprimis vehementi illo ſtrepitu & ſtridore, quem alis edebant, ſignificari videtur vaſtitas illa Hieroſolymæ cœleſti bello eſſe diuinitus illata. Quia ſi alæ indicant (vt explicatum eſt) vitæ cæleſtis in Angelis celſitatem; maximus earundem alarum fragor appoſitum erit ſymbolum, quo denotetur è cœlo contra perfidam Hieroſolymam dimicari. Cui rei illud reſpondet (opinor in Apocalypſi,) quòd ſcilicet, in bello aduerſus Hieroſolymam ſeptem Angeli tubis canunt.

Cur quatuor manus ſingulis Ezechielis animalibus affictæ?

Quòd ſi Ezechielis animalia ſingula, alarum paria quatuor habebant (id eſt par vnum ſupra humeros ſingulos, alterum ſupra ſuperiorem ſingulorum femorum partem) humerorum alas videntur comitari manus, nam quaternæ manus ſingulis animalibus erant; textus autem ait, manus ſubter alas fuiſſe. Rectè verò quatuor tribuuntur manus ad obſtinatorum excidium properantibus, quia appoſitum eſt, ad bellatorum fortiſſimorum ſignificationem; & ad celeritatem incredibilem, quâ fulmina in ſceleratos deſuper contorquebunt. Eandem ſignificationem terribilium bellatorum Gerioni & Briareio brachiorum multitudine armatis, tribuunt literarum humaniorum ſtudioſi. Et quidem, ſi ſuperiorum alarum bina erant paria; recta exigit proportio, vt totidem ſint inferiorum. Earumque effectus, quod ad figuram pertinet, is eſt, vt altero inferiorum alarum binario ſemet aduerſos, altero auerſos operiant. C

Enim verò quia hæc Ioannis de animalibus tractatio alludit manifeſtè ad templi Cherubinos, ad Seraphinos Iſaiæ, & ad Ezechielis animalia, (vt ex antecedentibus perſpicuè patet,) præter ea, quæ hactenus dicta ſunt, viſum eſt nonnullas addere notationes; in quibus ſpeciatim & directè de ipſis templi Cherubinis, ac de Iſaiæ & Ezechielis viſionibus agatur.

NOTATIO VII.

De Cherubinorum nomine, hoc eſt, de eius etymologia & ſignificatione.

De Cherubinorum nomine & etymo, quæſtio.

THeologi, Dionyſij Areopagitæ veſtigia perſequentes, Cherubinorum nomine deſignant quendam ex tribus ſupremæ Hierarchiæ choris angelorum. In ſacris quidem Literis non videtur expreſſus eſſe locus, qui nomen hoc fingillatim illi choro præſcribat. Credibile tamen eſt hanc nominis attributionem in ſacra Scriptura fundari. Forſitan ea ratio, propter quam Moſis & Salomonis Cherubini, nec non animalia Ezechielis hoc nomine compellantur, choro illi magis propriè conuenit, quàm aliis. Hoc ergo eſt, quod ſpeciatim in præſenti quæritur; Cur ſcilicet huiuſmodi nomen Cherubinis Moſis, & Salomonis, & Ezechielis tribuat Scriptura? Atque illud pariter diſcutiamus oportet, vtrùm ſub eâdem ſignificatione id nomen ad eos etiam ſeſe extendat, qui in tabernaculi cortinis & in templi velo erant opere plumario elaborati. Licèt Vulgatus in iis locis (nimirum Exodi 26. 1. & 31.) Cherubinorum nomen non expreſſerit; exprimunt tamen hebraicus textus & LXX. & Auguſtinus etiam quæſt. vlt. in Exodum. Angelos etiam, quos ad paradiſi cuſtodiam collocauit Deus Geneſ. 3, 24. Cherubinos nominat Scriptura. Ezechielis item c. 10. 14. nouâ, vt apparet, & inſolitâ locutione legitur nomen *Cherub*. Nam pro eo quod eſt, *facies prima, facies vituli*, ait textus, *facies prima, facies Cherub*. Regem item Tyri appellat Ezechiel Cherub c. 28. 14. & 16. D

In tabernaculi cortinis, & in templi velo fuiſſe Cherubinos acu pictos.

Sit ergo prima difficultas, an in hiſce omnibus Scripturæ locis eadem ſit, ſaltem per analogiam, ſignificatio nominis *Cherub*, an verò ſint plures ac diuerſæ? Hieronymus epiſt. ad Marcellam, in eam videtur propendere ſententiam, veli & cortinarum Cherubinos figuram Cherubinorum non habuiſſe. Et tractatu de Nominibus hebraicis ait, nomen Cherubim aliquando non ſignificare aliud, quàm vermiculatam picturam; licèt angelorum aut animalium figuras non exprimat, ſed cuiuſque alterius rei, vt floſculorum, vel variæ ac multiplicis cælaturæ. In quo Hieronymus conſentit cum Ioſepho lib. 3. Antiquit. c. 7. vbi de decem cortinis agit. Addit etiam Hieronymus, cùm nomen Cherubim pro qualibet pictura ſumitur, tunc ſcribi ſine *vau*. Sed tanti

Hieronymi & Ioſephi optima de cortinarum & veli Cherubini.

Digitized by Google

tanti Doctoris venia, discrimen hoc non satis apparet solidum. Nam, cùm de templi Cherubinis agitur, nomen *Cherub* plusquam decies, aut etiam duodecies ponitur sine *vau*: vt videre est in locis, quos congerit thesaurus hebraicus. Præterquam quòd nomen aliquod cum *vau* vel sine illo conscribi, nullius momenti discrimen esse videtur.

Qui in velo & cortinis Cherubini erant expressi, eiusdem fuisse figura cũ arca Cherubim.

Quamobrem probabilius esse existimo, opus illud plumarium, quo & cortinæ & velum distinguebantur; species habuisse Cherubinorum, eorum instar, qui super testamenti arcam erant. Nec enim licet in nomine ambiguitatem siue æquiuocationem absque vlla necessitate confingere. Et facilius multò est atque aptius, vt eadem Cherubinorum sit figura, qui in velo & cortinis erant expressi, & qui super arcam conflati: siquidem hebraicus textus & LXX. eodem eos nomine vocant. Neque obstat Vulgata lectio, quæ ibi legit, *opere plumario*: fieri enim potest, vt sit opus plurimarium vel phrygionicum, & tamen pictura, Cherubinorum imitetur effigies existentium in Propitiatorio. Facit, quòd velo & cortinis tabernaculi, solidi postea parietes in Salomonico templo responderunt. In quo constat parietes fuisse Cherubinis conuestitos, ad eorum imitationem scalptos, qui ad arcæ vtrumque latus erant. Firma ergo coniectura est, cortinarum & veli Cherubinos eorum instar fuisse, qui super arcam erant. De ceteris autem ad quæ nomen *Cherub* sese extendit, infrà videbimus, illa omnia eadem interpretationis analogia nomine Cherubinorum appellari.

§. 2. *De opinione Abenhezra.*

Opinio Abenhezræ; nomen Cherub esse generissimum.

SEd dicet aliquis, duo hæc rectè posse inter se componi; vt & arcæ Cherubini angelica sint effigie, & veli atque cortinarum opus figuras contineat, non angelorum aut animalium, sed tantùm florum, cùm tamen vtrique in eodem sensu Cherubini dicantur. Quia Abenhezra (vt tradit Pagninus) affirmat *Cherub* esse nomẽ genericum & vniuersale ad omnem figuram. Quam sententiam sequitur etiam Ribera lib.2.de Templo, c.6. eamque Hieronymi esse contendit. Atque adeò nomen *Cherub*, etiam cùm ponitur pro Cherubinis, qui erant super arcam, nil aliud sonare putat, quàm figuratum siue pictum: & cùm transfertur ad cælestes spiritus, eos etiam metaphoricè dici figuratos, ad eorum significandam sapientiam; eo quòd multarum rerum formis sint per sapientiam insigniti. Ceterùm eiusmodi explicatio durissima est, nec videtur posse cohærere cum sacræ Scripturæ phrasi. Nam in templi parietibus distinguit Scriptura palmas & picturas varias à Cherubinis, ait enim 3.Reg.6.29. *Et fecit in eis Cherubim & palmas & picturas varias.* Palmæ igitur, picturæque variæ manifestè distinguuntur à Cherubinis. Et in distinctione ornatus decem basium distinguit Scriptura leones & boues à Cherubinis, 3.Reg 7.29. *Et inter coronulas & plectras, leones & boues & Cherubim.* Et infra, n. 38. *In angulis Cherubim, & leones, & palmas.*

§. 3. *De opinione Merceri.*

Nominis Cherub etymon, iuxta Mercerum.

MErcerus sentit nomen *Cherub* habere affinitatem cum verbo *racab*, quod est vehi: ac proinde hoc nomine significari rem corpoream siue spiritualem, quæ extensis alis volare videatur & vehi. Verùm per isthæc Merceri verba, aues omnes Cherubinos appellemus licet; quod nulla ratione probabile est. Quare Pradus noster, in alio sensu eandem explicat opinionem: ait enim *Cherub* deriuari à *racab* per transpositionem literarum; & ad ea animalia peculiariter accommodari, quæ currum vehunt; ita vt *Cherub* sit item, quod animal curule. Nititur eo vel maximè, quia Ezech.10.14. *facies Cherub*, est idem quod *facies vituli*. Nam inter quatuor illas facies, sola vitulina curulis animalis propria erat. Vnde Cherubinorum nomen ideo ad eos fuisse delatum, qui in Sanctuario erant; quia considerantur esse veluti animalia, quæ Dei currum siue quadrigam vehunt. Dauid enim dicitur Salomoni certum auri pondus dedisse, *vt fieret similitudo quadrigæ Cherubim*, 1.Paral. 28.18. & Ezechieli dicitur Deus *ostendisse conspectum gloriæ in curru Cherubim*. Eccli 49.10.

Cherub idem sonare, quod animal curule, opinio Pradi.

Refellitur superior explicatio.

Verumtamen interpretatio hæc non videtur magis probanda, quam antecedens. Primò, quia vbi de nominis alicuius etymo sermo est, generatim reiici debent nouæ argutiæ, quæ ex recentibus ortæ principiis toti se antiquitati opponunt. Quòd si literarum transmutationi pateat aditus, & nouis etymologiarum figmentis, facile est mutare (vt ille ait) *quadrata rotundis*. Hanc etymologiarum rationem vni Goropio relinquamus; eique fidem habeat, qui volet. Mihi enim verisimile neutiquam est, veteres, qui ita accuratè de nominis *Cherub* etymologia scripsere, verum etymon omnino præteriolasse; & à Mercero demum per transpositionem literarum fuisse inuentum.

Secundò, nihilo recentior est equorum vsus in curribus, quàm boum? Velle autem equos currum trahentes Cherubinorum nomine appellare, inauditum est paradoxon. Tertiò, quos primos in Scriptura reperimus Cherubinos, ij sunt, quos Deus in paradisi aditu, ad eum custodiendum collocauit. Hos autem curules siue aurigas appellare, ridiculum esset. Quartò, in Sancto Sanctorum primi Cherubini sunt, quos fecit Moses; licèt autem ij possint Dei currus & vehiculum appellari, & abusiuè quadriga; (quia Dei sedem siue thronum repræsentabant:) ibi tamen nullus præterea erat currus, nullum vehiculum; nisi ipsum Cherubinorum par. Nec certum est ab ipsis sustineri Propitiatorium; sed potiùs videntur super Propitiatorium illi stetisse, atq; adeò ipsi pro Dei sella; Propitiatorium pro pedum scabello fuisse. Quapropter dici non possunt Cherubini, quia Dei trahunt currum: sed quia sunt Dei sedes & vehiculum.

Quintò, Cherubini Mosis exigui, & grandes alii Salomonis quam coactè & violenter fingantur eandem componere quadrigam, expendimus suprà. Etenim licèt arca in currum imposita concipiatur (quod paradoxon satis est) at duo Cherubinuli supra arcam stantes, qui possunt currum, in quo arca est, trahere, & non ab eo potiùs trahi? Sextò, licet verum sit, Ezech.10.14. scribi, *Facies prima, facies Cherub*, id est, vituli: hoc tamen non ideo est, quia aut vitulis aut bobus curulibus nomen Cherubinorum quadret: sed quia templi Cherubini facies vitulorum similes habebant; vt inde rectè colligit Hieronymus. Quod autem boues aut vituli alioqui non soleant Cherubini vocari, res est manifesta, cùm textus ipse 1.Reg 7.29. boum figuram à figura Cherubinorum distinguat.

Cherubini templi facies fuisse vitulinas.

§. 4. *De opinione Theodoreti.*

Theodoreti & Philonis sententia de nominis Cherub significatione.

THeodoretus in quæst. in Genes. q.40. asserit nomine Cherub semper significari horribilem potentiam. Cui astipulatur Philo, qui sæpiùs ait, duos Cherubinos non esse aliud, quàm duas Dei potentias, tomo primo, folio 695. Pro qua opinione videri potest Sixtus Senensis lib.5. notat.8. & Pererius to.1.in Genesim lib 6. quæst.5. vbi eandem opinionem nonnullis auctoribus ascribit. Huius opinionis fundamentum si inuestigare & eruere ex etymologia velimus, illud sese offert; vt idẽ ferè sit *Cherub* & *Cherab:* hoc autem postremum significare potest idem, quod duæ istæ dictiones, *Quasi fortes.* Nam *che* idem est quod quasi, & *rab* Hebræis significat fortem. Quo aliorum etymologia forsitan spectat, quibus *Cherub* est idem quod *quasi pugnans*. Sic enim in Bibliis regiis inuenio, & apud Lauretum. Ad potentiæ etiam significationem fortè reuocari valet alia huius nominis interpretatio, quam ponit Hieronymus de Nominibus hebraicis in Genesi & in Numeris. Ait enim *Cherub* idem esse, quod *quasi plures*, siue *quasi multitudinem:* quia *rob* Hebræis est multitudo. Atque ad vis ac roboris significationem inepta superlatio non est, si dicatur vnus instar esse multorum. Iuxta hanc igitur acceptionem *Cherubinorum Deus*, idem fere erit quod *Deus exercituum* Eodem etiam referre possumus aliorum explicationem asserentium *Cherub* idem esse, quod *quasi multiplicans*; quam adducunt etiam Lauretus & Biblia regia. Enim verò hisce omnibus potentiæ & fortitudinis significationibus (licèt verisimilitudine aliqua & auctoritate non careant) deest peculiare quiddam in huius nominis interpretatione necessarium: videlicet vt explicatio eius, cognitionis & sapientię in se significationem includat. Nam si id deficiat, interpretatio nominis *Cherub* recta esse & vera non potest, vt mox patebit. Quod argumentum opiniones etiam Abenhezra, & Merceri pari ratione refellit.

Digitized by Google

Præterea, si auctorum, qui interpretationem de potentia tradunt, verba attentè ponderemus; Hieronymus quidem non eam vt primariam ponit, sed vt secundariam. Philo autem & Theodoretus, licèt per duos Cherubinos, Dei potentiam significari opinentur, sed non idcirco asserunt ipsum nomen *Cherub* sonare potentiam. Ipsi enim clariùs aliis in locis loquuntur, expresséque asserunt, *Cherub* significare plenum scientia.

§. 5. *De communi Patrum explicatione.*

In Cherub etymo scientia plenitudinem includi, communis Patrum sententia est.

VVlgatissima & grauissima pariter nominis *Cherub* declaratio affirmat illud in se includere plenitudinem siue multitudinem scientiæ. Ita dilucidè Philo libr.3.de Vita Mosis, Dionysius Areopagita de Cælesti Hierarch. cap.7. vbi idem non semel repetit, Origenes homil.5. & 11. in Numeros, Athanasius serm.de Deipara, & sermone in ea Christi verba, *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, Hieronymus Ezech.28. & Psalm.17. & Psalm.67.ac de Nominibus hebraicis in Genesi, Exodo, Numeris, & in 1. Reg. Chrysostom. tom.5. & duobus locis, quos citat Sixtus Senensis, Augustinus Psal.17. & Psalm.98. Gregorius Magnus quipque locis, qui notantur in eius indice verbo *Cherub*. Anastasius Sinaita lib.1.Hexameron in 1.tom.Biblioth. Philastrius tom.4. hæresi 102.Sophronius, in encomio Angelorum, tom.2. Bibliothecæ SS.Patrum, Theodoretus in Ezechielem cap.10. 20. in illa verba, *Intellexi quòd Cherubin essent.* Isidorus Hispalensis tribus in locis, qui notantur in eius indice verbo *Cherub*. Atque hos auctores sequuntur Beda. Glossa, aliique ferè innumeri. Fauetque huic expositioni sacra Scriptura Ezech. 28. 17. vbi alloquens regem Tyri, eumque appellans *Cherub*, ait, *perdidisti sapientiam tuam*. Corroborat hanc interpretationem communis Theologorum sententia, quæ Cherubinorum choro excellentiam in sapientia tribuit; innitens potissimùm eorum Cherubinorum nomine, quod ingentem Dei cognitionem & scientiæ plenitudinem sonare, pro comperto habeat.

Probatur communis hac doctrina.

His accedit, in etymologiarum ratione notum esse, quoduis nomen, licèt à sua origine valde sit immutatum, longeque remotum, si tamen in eius etymo omnes conueniant; rem extra dubitationem manere. Vt in nomine *Didacus* siue *Diegus*, quod certum est deriuari à Iacobi nomine, etiamsi multo aliter videatur: nomen etiam Hispalis vulgari sermone vsurpatum, nempe *Seuilla* dubium non est, quin à Latino nomine per corruptam flexionem fuerit deriuatum. Id quod de aliis sexcentis dici posset. Quemadmodum è contrario nihil futilius, quàm ex aliqua soni similitudine argutando, veram inde nominis etymologiam elicere velle. Vt si quis dicat nomen *Dominus* deduci ex duplici dictione, *do minus*.

Cùm ergo Hebræi, Græci, & Latini conueniant hac in re, quòd scilicet nomen *Cherub* significationem scientiæ plenitudinis in se includat: hoc in primis vt firmum omnino & indubitatum tenendum est, tametsi nominis deriuatio difficilis appareat. Ad hæc, si huiusmodi interpretationem vt certam admittimus, liquidò perspicitur, picturas seu varias cælaturas artificij plenas (licèt veras Cherubinorum effigies non exprimant,) appellari posse Cherubinos. vt Hieronymus sentit: quia scilicet scientia atque arte sint visendæ: hoc est, quia multæ scientiæ fuit opus ad huiusmodi politissima opera perficienda, fortè quòd picturæ illæ arcanis mysteriis plenæ erant, sicut mysticæ etiam Ezechielis animalia. Ceterùm de hoc vidimus iam supra, verisimilius videri, picturas quæ appellantur Cherubini, ad expressam fuisse similitudinem Cherubinorum sanctuarij depictas.

Pictura templi artificio plena quomodo Cherubini potuerint iure appelleri.

Quid adhuc in Cherubinorum etymo desideretur.

Cùm igitur vt certum constituamus, cortinarum & veli picturas eiusdem fuisse figuræ cum Cherubinis Sancti Sanctorum, verumque omnino esse, quod pro communi interpretatione affertur: pulsat adhuc animum cupido, vt recepta hæc expositio ita nomini aptetur, vt illius reddere rationem hebraicæ linguæ peritis valeamus: nec non communem explicationem si fieri possit, cum aliqua etymologiarum, quæ Hebræorum doctioribus magis placent, conciliare. Præsertim quia etsi tanta grauissimorum doctorum auctoritate compellimur ad asserendum in nomine *Cherub* includi cognitionis & sapientiæ significationem; nullus tamen auctorum, quos retulimus, explicat vnde hoc nomen deriuetur. Itaque, vt iis habeamus fidem, restat tamen examinare, quę sit nominis *Cherub* origo; curve scientiæ plenitudinem importet. Et fortasse ex accurato huius partis examine plus adhuc lucis communi interpretationi aperietur, simulque constabit, locis omnibus, vbi nomen *Cherub* legimus, etymologiam mirificè quadrare. Nec enim negari potest, quin licèt Cherubini nomen scientiæ plenitudinem denotare asseramus, perstet adhuc nonnulla alicui loco difficultas, in explicando cur ibi vsurpatum fuerit nomen *Cherub*, verbi gratia, in iis angelis, quibus Deus paradisi custodiam commisit: cùm tamen ad paradisi custodiam viribus potiùs ac potentia, quam scientia & cognitione opus fuisse videatur. Quapropter aliqui arbitrati sint Cherubinorum nomen sonare idem, quod Diuinæ potentiæ ministros. Nobis tamen ad alia, Hebræorum interpretationes recurrendum est, vt excutiamus, quænam sit ad scientiæ plenitudinem significandam congruentior.

§.6. *De duabus Hebræorum interpretationibus.*

Duplex nominis Cherub *etymon iuxta Hebræos.*

SVperant adhuc duæ aliæ nominis *Cherub* interpretationes. Prima est, *quasi magister*, & secunda, *quasi puer*, & quidem primò intuitu videtur secunda respuenda, veluti nihil ad scientię significationem referens: prima autem è contrariò maxime amplectenda, cum magistri scientia imbuti; pueri autem eius expertes sint. Præterquam quod prima interpretatio, nempe, *quasi magister*, in Vaticanis & Plantinianis Bibliis est impressa, altera non item. Verùm enimuerò ipsa Cherubinorum figura, me valde vrget, nec dubito, quin nomen fuerit figuræ ipsi congruens, & Mosaicis Cherubinis Sancti Sanctorum, non video quàm aptè figura magistri conueniat, quos tamen aptissimum est nominari quasi pueros, vt mox videbitur. Sed expositionem hanc nonnulli deludunt, quia, licèt templi Cherubinis sit tribuenda iuuenilis facies, non tamen puerilis, cùm textus potiùs Hebraicus ijs vitorum nomen imponat. Nam 3. Reg 7. 36. vbi nos legimus, *quasi in similitudinem hominis stantis*, heb rea sonant, *secundum nuditatem viri*, id est, secundum speciem nudi adolescentis.

Cherub, *quasi magister.*

Cherub, *quasi puer.*

Nomen puer *in sacris etiam pro valido iuuene sumi.*

Huic tamen Respondeo, Primò in hebraica phrasi, quamuis aliquis sit validus iuuenis, pueri adhuc nomine vocari solere, vt videre est Genes. 18. 7. *Tulit vnum vitulum, deditque puero, qui festinauit & coxit illum*, & Ioan. 21. 5. *Pueri habetis pulmentarium?* Secundò respondeo, tam Hebraica Phrasi, quam Latina loquutione, seruis puerorum nomen attribui, vt Act. 4.25. *Per os Dauid pueri sui.* & Ruth 2.9. *Mandaui enim pueris meis.* 4.Reg.4.14. *Ad Giezi puerum suum.* Esther 1. 3. *Cunctis principibus & pueris suis.* Ex quibus locis, alijsque compluribus liquet pueri nomen minutis sæpè concedi, iuxta sacræ Scripturæ phrasim. Quis autem non videat, Cherubinos tanquam Dei ministros fuisse figuratos? Si ergò nomen *Cherub* huiusmodi significationem non respuit (*quasi puer*) & pueri nomen pro ministro sumitur: quid acommodatiùs, quàm vt eo sensu appellati sint Cherubini iuuenes illi alati, qui tanquam Dei ministri figurati sunt in Sanctuario? Quòd verò hebraica phrasi nomen *Cherub* eam possit interpretationem admittere, magno argumento est, à doctoribus Hebræis ita ferè exponi, *Cherub*, quasi puer: vt affirmat R. Dauid à Pagnino relatus. Eius fundamentum est; quia prima syllaba *che* est idem quod *quasi*, & *rub* deriuari potest à nomine *rabia*, quod chaldæum est, & pueri nomini respondet. Citra controuersiam verò est, Hebraicæ linguæ multa nomina chaldæa admisceri.

Puer *pro seruo, familiariu Hebræis & Latinis locutio.*

Cherub, *quasi puer, quomodo etymologia deducatur.*

Illud insuper me valde ad hanc opinionem probandam mouet, quod nullam aliam videam huic nomini designari originem, quæ & doctis probetur, & Cherubinorum figuræ quadret, nec non scientiæ significationi: quę tamen omnia complectitur figura mini-

Digitized by Google

ministrorum Dei, quæ ipsis adscribitur. Non me latet Pagninum in nominum hebraicorum interpretatione contendere, nomen *Cherub* deriuari à *nachar*, quod est *cognouit*, hoc tamen nemini persuadet. Et, mea quidem sententia, figura ministrorum aut famulorum Dei, qui in eius conspectu adstant, non obscurè significat, eos plurima scientia & rerum cognitione esse præditos. Pro cuius declaratione aduerto, Cherubinorum nomen in sacra Scriptura non ita strictè sumi pro choro illo, qui à Seraphinis & Thronis proximè distinguitur: sed generali acceptione pro cœlestibus spiritibus, qui ante Deum assistunt, & ad eius iussa præstò sunt. Id quod cunctis militiæ cœlestis spiritibus commune est: omnes enim coram Deo adstant, omnes faciem eius vident, omnes eius sapientia fruuntur. Quibus in omnibus clara Dei cognitio & excellens sapientia includuntur. Nam si Regina Saba, 3. Reg. 10. 8. ait ad Salomonem, *Beati serui tui hi, qui stant coram te semper & audiunt sapientiam tuam* (in quo innuit necessarium esse eos plurimum Salomonis sapientiæ participare,) quantò præclarior & excellentior cognitio in ijs indicatur, qui Dei æternę Sapientiæ fontis sunt pueri ac ministri, & coram ipso semper adstant?

Parnini opinio de Cherubim etymologia.

Cherubini nomen in Scriptura non ita strictè sumi pro vno ex prima hierarchia choro.

Sed dicet aliquis, rectè per consequutionem elici, ministros, qui Deo assistunt, debere esse sapientes: id tamen nomine ipso nequaquam exprimi. Respondeo, ministrorum nomen non vtcumque esse sumendum, sed vt ipsa Cherubinorum figura indicat; nimirum vt sint Dei ministri, qui semper in eius adstant conspectu: quòd manifestè secum affert claram Dei cognitionem, in qua præstantissima sapientia sita est. Itaque cùm dicitur Cherubinorum nomen sonare, *quasi pueri*, intelligendum est, quasi pueri Dei, id est, quasi ministri, qui ante eius conspectum semper sunt; atque adeò plenam eius notitiam assequuntur; (seu quod idem est) perfectam scientiæ plenitudinem. Confirmatur, quia Angelorum etiam nomen videtur magnam importare sapientiam, iuxta id 2. Reg. 14. 20. *Sicut habet sapientiam Angelus Dei*, nempe, quia *angeli eorum semper vident patris*, vt habetur Matth. 18. 10 Si ergo nomen angeli Dei, secum affert sapientiam, quantò magis nomen Cherub? Angelus enim iuxta suum etymon sonat missum, nempe a Deo: at Cherub sonat eum, qui in Dei conspectu assistit. Vera autem Dei cognitio, perfectaque sapientia multò clarius alicui significatur inesse, cùm dicitur coram Deo semper astare; quàm cùm ab eo dicitur missus.

Pueri seu ministri nomen in Cherubim etymologia quo sensu sumendum.

Deinde aduerto, nomen *Cherub*, si in prædicta acceptione sumatur, non includere solùm sapientiam, sed etiam potentiam (quæ est Philonis & Theodoreti opinio.) Nomen enim famuli & ministri Dei, qui ante Deum ipsum assistit, innuit etiam, eius potentiam esse magnam. Hoc enim munus cum præpotentem efficit. Quare, quod Gen. 3. 25, dicitur, posuisse Deum ad custodiendum paradisum Cherubinos; idem est ac dicere, constituisse ibi ministros ex ijs, qui eius conspectu ac præsentia fruuntur; quibus nec sapientia deesse potest, nec potentia. Vtraque enim facultate, vt Dei ministri maximè pollent.

In nomine Cherub potentiam etiam includi.

Demùm aduerto, in Scripturæ phrasi, dictionem illam *quasi*, sæpe integram significare proportionem. Vt cùm Ioan. 1. dicitur, *Vidimus gloriam eius, quasi vnigeniti à Patre.* eadem ergò phrasi, accipiendum est Cherubinorum nomen. Est enim Cherub quasi puer domini, ac proinde sapientia, potentia, & gloria eorum, est quasi puerorum Domini astantium coram illo. Et hactenus de nomine pueri pro seruo atque ministro.

Vox quasi in sacris aequalitatem interdùm importare.

Ceterum potest etiam accipi pueri nomen pro filio. Sic enim videtur sæpe accipi in sacra Scriptura, vt Isaiæ 8. 18. *Ecce ergo & pueri mei, quos dedit mihi Dominus.* Vbi euidens est ex contextu, puerorum nomen poni pro filiis. Quare cùm Cherubinos interpretemur, quasi pueros, puerorum nomen potest pro filiis vsurpari. Et verò cælestibus spiritibus, licèt natura filij Dei non sint, sacræ tamen Literę, filiorum Dei tribuunt nomē. Quemadmodum igitur Filij Dei nomen in Verbo vnigeno, propriam Dei sapientiam importat; ita etiam suo modo in cælestibus spiritibus magnam Diuinę sapientiæ communionem denotat. Addo insuper verba illa Isaię prędicta, *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi dominus* ad Christum & Apostolos applicari a Paulo ad Heb. 2. 13. ex quo dicitur puerorum nomen capi etiam posse pro discipulis. Sub qua ratione nihil esse potest expressius ad denotandam in Cherubinis Diuinę sapientiæ participationem.

Puer pro filio interdùm in sacris.

Aliquis, vt primę illi interpretationi, (*quasi magistri*) in hac etiam secunda locum daret; eamque ad templi Cherubinos applicare posset; notabat ex duplici illo Cherubinorum pari in sancto Sanctorum existenti, alteri quòd Moses fecit, posse discipulorum nomen tribui; magistri verò nomen alteri, quod fecit Salomon. Notabat etiam in Mosi Cherubinis figurari eos, qui à Deo docentur, eumque agnoscunt & amant: (hi enim sunt thronus Dei) quamuis aliorum magistri non sint. In Cherubinis autem Salomonis, qui giganteo corpore sunt, adumbrari viros Apostolicos, qui sunt Ecclesiæ Christianæ magistri; quorum sapientia est quasi magistrorum Ecclesiæ. Huiusmodi consideratio aliquibus fortè non displicebit. Planius tamen est vtrisque in eodem sensu Cherubinorum nomen tribui. Existimo autem sensum magis proprium esse, vt considerentur veluti Dei serui, in eius præsentia astantes. Cùm hoc tamen rectè consentit diuersos inter ipsos ministros gradus; & per Cherubinorum ingentium par, præstantes Dei seruos ac ministros, id est Apostolos, eorumque successores denotari.

Vtraque pueri & magistri etymologia quomodo templi Cherubinis possit congruenter aptari.

NOTATIO VIII.

De Cherubinorum templi figura.

Mosis Cherubinos & Salomonicos eiusdem fuisse figurę.

CErtum in primis est, tam Mosis Cherubinos, quàm Salomonis, fuisse eiusdem figuræ. Hoc ipse colligo ex 1. Paral. 28. 18. quod iam suprà expolui paulò aliter, quam ab aliquibus explicatur. Ac licèt Scriptura non id perspicuè affirmaret; facilè est videre, quemadmodum Salomon in candelabri figura, Mosis candelabrum fuit imitatus: sic etiam in Cherubinis antiquos illos Mosis æmulatum fuisse. Nec subit aliquem hac de re dubitatio. Verumtamen diuersa videtur fuisse vtrorumque positio. Mosaici enim Cherubini erant aduersi semet a regione aspicientes, vt habetur Exodi 26. 20. c. 37. 9. At Salomonici *stabant erectis pedibus & facies eorum erant versa ad exteriorem domum.* 2. Paralip. 3. 13.

Vtrosque Mosis & Salomonis Cherubinos figurâ humanâ fuisse praditos.

Secundò, vtrisque figura erat humana. Nam in Sculptura quę in laterum basibus erat, Cherubini similes erant eorum figuræ, qui erant in sancto Sanctorum; illos autem ait textus fuisse *in similitudinem hominis stantis.* 1. Reg. 7. 26, hæc enim verba ad Cherubinos referenda sunt. Nec dubitat quispiam templi Cherubinos figura humana fuisse. Ad id verò, quod contrà ex Iosepho afferri posset, iam supra responsum est.

Cherubinos templi Mosis brachia habuisse.

Tertiò, licet Arias Montanus in suo apparatu, Cherubinos Mosis, sine brachiis depingat, contentus alis, quas eis tribuit: communis tamen pictura eis alas & brachia apponit, quemadmodum angeli solent depingi, quod certe ex templi Cherubinorum similitudine ortum duxit. Idque congruentiùs est humanæ figuræ, quam eis concedit sacra Scriptura.

Cherubinos templi & Ezechielis animalia non fuisse omnino similia.

Quartò, etsi Pradus & Villalpandus conantur templi Cherubinos Ezechielis animalibus persimiles considerare, & ea propter Villalpandus libr. 4. cap. 36. (tom. 2.) citat Clementem Alexandr. libr. 5. Stromatum, & S. Thomam 1. 2. q. 102. ar. 4. ad 6. nec non Cyrilli liturgiam, Missam Basilij, nonam Catechesim Cyrilli, & Tertullianum; sed iam suprà sect. 2. commentarij disputauimus de hac re; diximusque varios esse similitudinis & identitatis gradus. Etenim quamuis propter proportiones aliquas & conuenientias iidem esse templi Cherubini & Ezechielis animalia dicantur; nihilominus

Alcasar in Apocal.

Digitized by Google

minus certum est, eos in multis rebus differre, nec bonum esse ad templi Cherubinos, argumentum ex animalibus Ezechielis petitum. & mihi quidem ipsa Ezechielis verba, in quibus hi auctores suam opinionem fulciunt (scilicet, *intellexi, quòd Cherubim essent*, cap. 10. 20.) haud parum probant, animalia illa non fuisse Cherubinis templi omnino similia. Nec, si forent prorsus similia, opus esset adeò minutatim illa describere; ac vt rem notatu dignam ad finem addere, intellexisse se, animalia illa sibi ostensa, Cherubinos esse, hoc est, templi Cherubinis respondere, atque idem, quod eos, significare, videlicet cœlestes angelos siue spiritus ante Dei præsentiam assistentes. Certè manifestæ vtrorumq; differentię dubitationem afferre possent, num iidem essent templi Cherubini cum animalibus Ezechielis? Atque ideò Ezechiel mirum in modum fuit lætatus, quia intellexit eadem esse, etsi externæ facies aliquas differentias præ se ferebant. Vnde conuenientiæ & proportionis cognitio initium attulit differentiarum mysterium cognoscendi. Longè enim progressus est in vera philosophandi ratione circa discrimen ac differentias, qui templi Cherubinorum significationem nouit: & admonetur Ezechielis animalia esse etiam Cherubinos ante Dei thronum astantes, quamuis diuersa corporis specie appareant. Mox enim difficile non erit, de discriminis causa, seu potiùs de mysterio indagando ratiocinari; & inquirere, cur Cherubini in ea visione, noua & insolita forma conspiciantur; videlicet, vultu leonino, vitulino, humano & aquilino: vitulinis item pedibus, & quaternis alis, totidemque brachiis. Quibus præmissis, in Cherubinorum templi figura examinanda, textu nobis pro duce vtendum est, tam Exodi cap. 25. & 37. quàm 3. Reg. cap. 6 & 2. Paralip. 3. nec sumus Ezechielis animalium descriptionem sectaturi. Ille enim adeò dissimili cultu ornatos vidit vt ægrè potuerit intelligere, eos adhuc esse Cherubinos qui sibi apparuerunt; & templi Cherubinis respondere, eandemque cum illis significationem habere, quod attinet ad substantiam.

Singuli templi Cherubinis non quaternæ, sed singulæ tantùm fuisse facies.

Quintò, ex dictis infero, operam ludi ab iis, qui in templi Cherubinis quaternas etiam facies omnibus vestigiis indagant, cùm has illis sacer textus non assignet. Quinimo ex verbis Ezechielis colligitur potiùs non obscurè, singulis templi Cherubinis singulas tantum facies, easque vitulinæ similes fuisse. Ait enim cap. 10. num 14. loquens de quatuor animalium faciebus, *facies vna, facies Cherub.* Quasi diceret, vnam ex quaternis faciebus animalium visam fuisse sibi similem faciebus Cherubinorum templi. Ex quibus verbis coniicio, Cherubinos templi singulas facies, easque vitulinas habuisse. Atque ita, quoniam ex contextu euidens est, Ezechielem in iis verbi agere de vituli facie, quæ suis inerat animalibus; inde sapienter colligit Hieronymus templi Cherubinos vitulina fuisse facie. Quamuis id dupliciter valeat intelligi: primò de facie prorsus vitulina: secundò de facie quidem humana, sed quæ vitulinam referat; vt iam explicauimus in commentario sect. 4. Si ergo statuamus, templi Cherubinorum, facies fuisse vitulinas, verisimile statim fiet, vitulos aureos Ieroboami (de quibus 3 Reg. 12.28.) fuisse eisdem Cherubinis nonnihil similes, vt ad eorum cultum faciliùs Israeliticus populus pelliceretur. Quemadmodum postea in Samariæ monte Garizim aliud fuit templum ad Hierosolymitani similitudinem fabricatum, vt scribit Iosephus lib. 11. Antiq. c. 7. & 8. licèt autem Ieroboami vituli aurei figuram vitulinam imitati omnino non fuerint, sed humanam cum aliqua vitulinæ similitudine, instar Cherubinorum templi; nihilominus per irrisionem atque contemptum sapienter appellantur in sacra Scriptura vituli aurei; ne Cherubinorum nomen tribuatur iis, qui populum à veri Dei cultu auocabant.

Aureos Ieroboami vitulos nonnihil fuisse Cherubinos similes, probabile videri.

Singulis Cherubinorum templi binæ tantùm fuisse alas.

Sextò, templi Cherubinorum singulis binæ tantùm erant alæ. Has enim non amplius ei Scriptura tribuit; deque illis latè satis ac distinctè loquitur. Quòd si plures essent habituri, oportebat id expresè præcipi, & explicari, quo tempore eorum fabricatio præcipiebatur. Iam quicumque ante Pradum, Cherubinorum templi imaginem delinearunt, geminis eos alis expresserunt. Atque inde victoriæ effigies (vt constabit infrà) duxit originem: quam Græci & Romani figura Cherubinorum simili depinxerunt. Denique quòd singulis quaternæ affingantur alæ, nupera inuexit opinio: eiusmodi ratione nitens, quæ in propheticis visionibus omnem differentiarum venustatem & elegantiam tollat. quæ in sacræ Scripturæ interpretatione magni momenti sunt. Et quamuis Pradus & Villalpandus veteres aliquot auctores pro sua opinione adducant; ad hæc tamen satis suo loco responsum est.

Vtrùm templi Cherubini fuerint nudi?

Sed præter argumentum ab auctoritate petitum, contendunt etiam Pradus & Villalpandus pudicitię decorum ac verecundiæ accersere, vt Cherubinorum templi vnicuique quatuor alas tribuant; ne aliter pudenda manerent nudata: quod & templi sanctitate esset indignum, & impudicis cogitationibus obnoxium. Hoc argumentum supponit, Cherubinos nullo alio præter alas amictu ornatos fuisse, quod probant ex Dionysio de cœlesti Hierarchia cap. 15. vbi ait, *Quod autem nudi ac discalceati describuntur*, &c. Et adstipulatur textus Hebraicus 3. Reg. 7. 36. Nam vbi nos legimus, *secundum similitudinem hominis stantis*: ex hebræo ad verbum redditur, *secundum nuditatem viri.* Ad hoc tamen argumentum assero primò, non semper inhonestum esse aut turpe, humanam figuram in tenera præsertim ætate nudam depingi. Etenim denudatæ puerorum aut etiam angelorum effigies non solùm castos oculos non perstringunt, sed potiùs vt animorum puritatis symbola ab eis considerantur. Quæ est sancti Dionysij in eodem loco conceptio atque sensus. Ait enim propterea angelos aliquando nudos ac discalceatos describi, quòd ab omni labe sint puri. Huiusmodi verò significatio prorsus tollitur, si corporis integumentum affectatur. Quare Dionysij locus innuit potiùs, nullis opus esse alis, vt Cherubini tegantur: aliter locum non haberet illa Dionysij ratio à puritatis significatione petita.

Cur Cherubini depingantur ferè nudi?

Secundò, dico in ipsis nudis imaginibus (cùm nudas eas oportuit remanere) prudentiam atque artem docere, vt ita pingantur, ne ad libidinem intuentes inducant; dum accuratè studetur, vt corporis ratio ac figura decorum ac simplicitatem præ se ferat; nec, quod necessarium non est, plùs æquo retegatur. Demùm artificis peritia eò potest progredi, vt in nuda imagine candorem & puritatem repræsentet, & spectantium obtutus ad pudicas cogitationes inuitet.

Cherubinos templi quæ ætate fuisse effictos credibile sit.

Tertiò dico, necessarium non esse, vt Cherubinorum templi effigies grandiorem ætatem videantur referre, quàm iuuenum vigesimum annum agentium. Nam vt imberbes pingantur, conuenientiùs est, vt in tenera adhuc adolescentia figurentur. Viri autem nomen aliquando non ad ætatem virilem refertur, sed ad sextum, & quidem pristinis illis sæculis adolescentes ante vigesimum annum, intra puerilem adhuc puritatem ac sinceritatem degere videbantur.

In sancto saltem Sanctorum nudos potuisse Cherubinos non absonè exprimi.

Quartò assero, saltem in Sancto sanctorum (vbi Cherubini à nemine cernebantur) minime absonè aut absurdè eos nudos effingi. Nam quod occulta corporis obtegantur; interdum pudori, & nostris oculis potiùs, quàm veritati deseruit. Atque eam fortasse ob rem, Christi in crucem suffixi imagines linteo ad renes præcinctæ pinguntur; quamuis Dei Filius, vt nostram velaret turpitudinem, tanto & pudore affici & suffundi rubore non fuerit dedignatus, vt scilicet è cruce nudus omnino penderet. In Cherubinis ergo sancti Sanctorum nullum oculorum offensionis periculum imminebat, cùm solus eò summus sacerdos intraret, idque tanta suffimentorum thymiamatis nebula circunfusus, vt quidquam discernere vix posset.

Quintò assero, mirari me hoc verecundiæ argumento Pradum & Villalpandum vrgeri; qui templi Cherubinos oculis vndique plenos fuisse existiment, oculosque ipsos pauonicæ caudæ ocellis similes arbitrentur. Sic enim necessariò pingendi erant plumis vndique cooperti: atque adeò alis sibi opus non erat ad inferiores corporis partes tegendas. Ego autem qui in Cherubinorum corpore oculos non pono, non teneor vt asseram, ex eo quòd Cherubini in sancto Sanctorum nudi erant, reliquos etiam per templi parietes cælatos debere etiam esse nudos. Neque enim in hoc necessaria est similitudo. Iam quod ex Dionysio in contrarium affertur, nihil probat. Illud quippe solùm ait, Cherubinos interdum nudos ob puritatem, vestitos interdum

ob alias

Digitized by Google

ob alias significationes depingi. Quòd verò adducitur ex 3. Reg 7. 36. vbi hebræa sonant, *secundum nuditatem viri*: non probat (mea sententia) Cherubinos ceteros per templum dispersos generatim omnes fuisse nudos. Textus enim speciatim agit de iis, qui in luterum basibus erant figurati. Quid, si illi ideo singillatim nudi esse dicuntur, quia ceteri erant amicti? Nam si nudi omnes forent, satis esset dicere, eas esse Cherubinorum figuras. Præterea Cherubini lutêrum aliis insuper variis cælaturis erant admisti, vt ipse exprimit textus. Quamobrem facile fuit, eos non nudos omnino, sed aliqua ex parte esse tectos. Neque enim architecto aut statuario difficile est, signum aliquod, quod nudum effingiat; aliisque scalpturis adiungit, illius quam malit partem, flosculo aliquo, aut alia id genus opella conuestire.

Nil cogere, vt templi Cherubini nudi fuisse credantur.

Potrò, si decorum & honestas in picturis propalam extantibus requiruntur, honestiùs est (cùm aliud non exigit veritas) eas prorsùs vestitas depingere. Dixi, si veritas non aliud exigat. Nam Christi cruci affixi, ac S. Sebastiani ad palum alligati sagittisque confossi effigies, atque aliæ huiusmodi, veritas & honestas cogunt, vt qua ratione consueuerunt, exprimantur. At cœlestes spiritus, si, vt Dionysius docet, vtroque modo pingi queunt, quidnam est, quod nos impellat ad credendum in templi parietibus, vbi omnium oculis erant expositi, nudos prorsus expressos fuisse? Mihi quidem, qui Victoriæ effigiem ex Cherubinorum figura desumptam certo sciam, Victoriamque ipsam frequentissimè vestitam depingi videam, hoc ipsum valido argumento est, honestatem illam vestis non fuisse Græcorum aut Romanorum inuentum, sed Salomonici templi imitationem: de quo infra. & hactenus de alis, deque nuditate.

Refelluntur Arias Montani opinio de duplici sexu in templi Cherubinis.

Adhæc, maris & fœminæ distinctionem inter Cherubinos illos templi (in qua Arias Montanus Rabinos fuit secutus, doctè ac grauiter Pradus & Villalpandus impugnant, nos etiam nonnihil diximus c. 5. At (dices) hæc cogitatio, quę ex Cherubinis alterum masculini sexus, alterum fœminei effingit (præter idoneam significationem de intellectus illustrati, cum voluntate, diuino amore succensa connubio) sacrarum Literarum præsidio potest roborari. Nam 3. Reg. 7. 36. vbi nos legimus, *secundùm similitudinem hominis stantis*, ex hebræo ad verbum redditur, *secundùm nuditatem viri & copulationum*: vbi copulationum nomine videtur intelligi posse matrimonium. Cæterùm ad significationis congruentiam alibi iam respondimus. Nunc ad argumentum excopulationum nomine, assero nihil aliud meo iudicio per verbum illud significari, quàm Cherubinos fuisse semper binos per ordinem dispositos. Quòd non modò verum est in iis, qui in lutêrum basibus erant exsculpti (de quibus eo in locò sermo erat) sed vniuersè in cunctis templi Cherubinis. Quos enim fecit Moses, duo erant: totidem, quos Salomon. Item in cortinis & velo omnes erant bini opere plumario elaborati: bini denique in templi parietibus scalpti. Quare rectè se gessit noster Villalpandus, qui in singulis parietibus Sancti sanctorum binos tantum Cherubinos posuit. Quod si in Sanctuarii cortinis similiter Arias præstitisset, rectiùs fecisset opinor.

Vitulinas plantas animalibus soliùm Ezechielis fuisse proprias, non cum templi Cherubinis communes.

De plantis pedum, solùm dico, vitulinas plantas esse peculiares Ezechielis animalibus, & ad templi Cherubinos nullo modo extendi debere. Quod vt suadeatur, alio argumento opus non est, præter ea, quæ diximus in commentario, sect. 2.

An Mosis Cherubini Propitiatorium manibus tenerent: vel in eo potius pedibus niterentur.

Veniamus iam ad aureos Cherubinos, quos fabricauit Moses. Hi Propitiatorium manibus non gestabant, siue tenebant: sed in eo potiùs pedibus nitebantur alter ad latus dextrum, alter ad sinistrum. Quod ex eo certum reputo, quia textus eos expressè super arcam constituit: & in eo sensu ab omnibus fuit hactenus acceptum. Iosephus etiam lib. 3. Antiq. c. 6. perspicuè affirmat eos impositos fuisse super arcæ operculum. Propitiatorium autem erat operculum arcæ, vt doctè probat noster Ribera lib. 2. de Templo c. 4. LXX. enim Propitiatorium appellant *epithema*: & Iosephus bis eodem nomine *epithema* vtitur (quod est tegmen vel operculum arcæ) aitque fuisse mirabile & aureis cardinibus arcæ compaginatum. Atque addit, super ipsum fuisse Cherubinos. Præterea idem docet Philo lib. 3. de Vita Mosis: vbi ait, *Operculum arcæ, quòd vocatur Propitiatorium, basis est duarum imaginum, quæ nominantur Cherubim.* Opinio verò, quæ Propitiatorium altiùs, quàm arcæ tegmen constituit, non bene cohæret cum Cherubinorum situ super arcæ operculum. Id namque est saltem expressum Exodi 25. 10. & 17. Propitiatorium scilicet eiusdem esse mensuræ atque arcam. Quare oporteret Cherubinos omnino infrà Propitiatorium esse: atque adeò ipsum nec fulcire manibus, nec tegere alis possent. Quin & ipsa sacræ Scripturæ verba manifestè indicant idem, quod Iosephus & Philo tradunt. Ait enim textus arcam Propitiatorio obtegi, (*quo operienda est arca.* Exodi 25. 10.) & Cherubinos super arcam esse; alterum in summitate Propitiatori ex vnâ parte, & alterum ex alterâ. Commentum autem Cherubinorum, manibus Propitiatorium sustinentium, nullum habet in sacris Literis fundamentum.

Cherubinos se mutuò respicere, versis vultibus in Propitiatorium, quo pacto conciliandum sit.

Prætereà, quòd textus ait, Cherubinos se mutuò respicere verbis vultibus in propitiatorium; ita est intelligendum, non vt alter alterum respiciat; sed vt alter è regione alterius sint, amboque aspiciant Propitiatorium, id est, oculos habeant deiectos, reuerentiæ ac venerationis ergo, quæ oculos solet ad humum demittere.

Quomodo parui Cherubini Propitiatorium alis tegere potuerint.

Quod verò duo parui Cherubini expansis alis vtrũque Propitiatorii latus operiant; concipiendum est ad eum modum, quo cælum contegit terram: restat enim spatium, interuallumque inter terram & cœlum; ita vt terra conspici possit. Ita Arias pingit, & rectè. Extendebant ergo pennas Cherubini super arcam; eisque collatis aut consertis quasi vmbraculum efficiebant, in quo Deus considere credebatur, & pro pedum scabello habere propitiatorium.

Magni Salomonis Cherubini qua positione in templo fuerint.

Ingentes verò Cherubini; quos Salomon conflauit, quique alarum extremitatibus vtrumque sancti Sanctorum parietem contingebant, in pauimento ipso pedibus nitebantur, opinor, ad arcæ latera collocati: non ita tamen, vt mediam eam subter alas continerent, sed nonnihilo remotiores; quippe & ante arcam astantes, & ad Orientalem plagam obuersi. Itaque si Cherubinis & arcæ, qua positione erant, pergendum siue gradiendum foret, magni Cherubini antecederent, parui super arcam irent. Atque hoc pacto rite considerantur duo magni faciem Domini anteire; & parui, Dei thronus esse, in quo sedens ipse vehatur. Qui autem per templi parietes erant bini eleganti cælatura dispositi, figurabant semper (mea sententia) duos ingentes Cherubinos ante arcam stantes. Qui verò in cortinis ac velo, quæ effecit Moses, erant Cherubini acu picti (si tamen Cherubinorum specie erant) paruos Dei throni Cherubinos absque dubio referebant.

De quibus Cherubinis fit in Scriptura mentio cùm dicitur Deus sedere super Cherubim.

Quotiescunque in sacris Literis legimus, Deum, sedere super Cherubim, omninò habetur respectus ad duos paruos Mosis Cherubinos. Alii enim duo (quos fecit Salomon) non Deo pro throno seruire, sed ipsum præire considerantur. Et quamuis non defuerit, qui dixerit nubes ipsas appellari Cherubinos, cùm dicitur Deus ascendisse super Cherubim & volasse: verius tamen multò est, semper ad Mosis Cherubinos fieri allusionem: ita vt cùm nubes sese Deo pro curru substernere cogitantur, Angeli sint veluti thronus illius vehiculi; quemadmodum in Mosis Cherubinis figuratur. Grandibus autem Cherubinis Salomonis non aptè consideratur Deus sedens: quia parui Cherubini sunt, qui Dei thronum repræsentant: magni verò non alas in sellæ formam componunt; sed extendunt potiùs quasi antè Dei faciem volantes. Et confirmatur, quia duobus magnis Cherubinis respondent Seraphini Isaiæ c. 6. & vt rectè animaduertit Hieronymus, dicendum non est Deum sedere super Cherubim & Seraphim, sed solùm super Cherubim.

Digitized by Google

NOTATIO IX.

De significatione Cherubinorum templi.

QVi de significatione Cherubinorum templi agunt; satis sibi esse ferè putant, si totum eorum mysterium ad vnum Cherubinorum binarium reuocent; existimantes fortasse, significationem, quæ binario Cherubinorum Mosis assignetur, eandem Salomonicis Cherubinis assignandam. Etenim licèt multiplicetur binarius; replicationem illam perinde esse arbitrantur, ac aliquod regiorum stemmatum siue insignium scutum; cui, non ex eo quod pluribus in locis reponatur, aliud denuo mysterium exquiritur, quàm quod semel positum haberet. Hoc vt sit ita intelligendum, argumento esse potest, quòd alij insuper Cherubinorum binarij erant per templi parietes dispersi; in quorum tamen computando numero, & singulis assignanda significatione, nullus nimiùm laborauit: nec fuit hactenus quispiam, qui in omnium binariorum numero philosopharetur.

Virum in Cherubinorum significatione assignanda, binarij an quaternarij ratio habenda sit?

Illi solùm videntur ad quaternarij mysterium inuestigandum teneri; qui Ioannis & Ezechielis visiones idem omnino, & inter se & cum Salomonici templi figura esse contendunt: & trium horum significationem ad quatuor cælestis aulæ principes, siue ad quatuor Euangelistas, aut alium quamuis quaternarium referunt. Quos ego lubenti animo rogarem, Meminerintne in Mosis tabernaculo vnum tantùm Cherubinorum binarium extitisse? Nam si quatuor horum Cherubinorum significatio ad quatuor præcipuos Angelos applicatur; necesse est, duos ex quatuor principibus per duos illos Cherubinos indicari; aliis interim ignominia affectis, quos Moses intactos in suis figuris symbolicis per obliuionem aut contemptum prætermiserit.

Hæc nos saxa & cautes incolumes præteruehimur, qui templi Cherubinorum symbolum non ad quatuor solùm personas contrahimus, nec opus esse arbitramur, vt Isaiæ, Ezechielis & Ioannis visiones sint eædem omnino inter se, aut eorum aliqua ad tabernaculi vel templi figuram penitùs conformetur. Quapropter statutis iis, quæ de templi Cherubinis, deque eorum figura dicta sunt, de ipsorum modò significatione agemus, exordium à Mosis Cherubinis ducentes. Philo ergo Iudæus, variis in locis contendit per duos Cherubinos duplicem Dei potentiam, creatoris scilicet ac gubernatoris adumbrari; vel vt alicubi ait, potentiam benefactiuam & potentiam punitiuam. Alij agnoscunt hic duo testamenta. Nec deest, qui ad duas Christi naturas, humanam & diuinam, aut ad duos singulares insigni sanctitate viros, vel ad duas rationales naturas, angelicam scilicet & humanam, singulas in singulis depictas, seu denique ad duo mundi hemisphæria hoc symbolum referat. Verius tamen multò est ac receptius, duobus Mosis Cherubinis, totam Angelorum militiam nouem choris constantem comprehendi. Vniuersi enim Deo ministrant, & illi pro throno sunt. Ac primò hanc interpretationem ex sancto Dionysio hauserunt Beda, Angelomus & alij. Deinde in dubium vocari non potest, quin Moses in duobus Cherubinis significare voluerit, quod in monte Sina conspexit. Constat autem multa se ibi Angelorum millia vidisse, ex Deuter. 33. 2. & Psal. 67. 18. Duæ ergo illæ figuræ debent Angelorum omnium complecti significationem. Tertiò, collatio horum Cherubinorum cum visionibus Ezechielis & Apocalypseos clarè indicant eorum significationem, nec ad duas singulares personas, nec ad duas peculiares naturas esse coarctandam, singulas in singulis denotatas, sed dilatandam esse ad cælestes ministros generatim, quibus vtebatur Deus in Israelitici populi administratione, & in beneficiis compluribus, quibus eum affecit. Atqui *omnes sunt administratorij spiritus*, Hebr. 1. 14. Quartò, denique illa diuini throni & Cherubinorum pictura congruentissima erat, vt Israeliticus populus animum erigeret, considerans sibi Deum ipsum exercituum, & cælestem hierarchiam præstò esse.

Quæ sit Mosis Cherubinorum significatio. Philonis Iudæi opinio.

Per Mosis Cherubinos vniuersam Angelorum militiam figurari, verior sententia.

Throni & Cherubinorum picturæ quorsum spectarent.

Sed age iam, quid sibi vult binarius ad totam cælestem hierarchiam indicandam? Responderi solet, binarium deseruire ad vnionis significationem. Nam & discipulos fuisse missos à Christo binos; tanquam iugaboum, (vt sanctus Macarius ait,) & vnum tantum binarium huic mysterio satis esse: propterea quòd in Cherub natura angelica; in binario, vnio omnium & consociatio ad res diuini obsequij denotetur. Quæ expositio haud est contemnenda. Ceterùm huius visionis collatio cum quatuor animalibus Apocalypseos exigit, vt aliquid præterea aliud inuestigetur, quod binario aptiùs adhuc congruat: vt in quaternario Apocalypseos ad quatuor excellentias Ecclesiasticæ hierarchiæ angelorum rectè applicato, animaduertimus. Hac coniectura ducor, vt Cherubinorum binario credam significari binarium aliquem perfectionum, quæ in hierarchiæ cælestis angelis reperiuntur. Neque aliæ digniores sunt, aut ad rem aptiores, quam sapientia & sanctitas. siue illustratio intellectus & inflammatio voluntatis. Hisce enim duabus virtutibus coërcetur quicquid Deo in suis ministris gratissimum est, quodque eos efficit Dei thronum, vbi Deus ipse libentissimè requiescit. Quæ declaratio lucem accipit maximam, validumque robur ex capitis vndecimi commentario, in ea verba, *& dabo duobus testibus meis.* Quomodo verò ad ipsos Dei ministros repræsentandos congruenter deseruiat symbolum illud duarum perfectionum in ijs elucentium, id in quatuor animalium symbolo satis expositum esse videtur.

Quomodo in Cherubinorum binario tota angelorum militia possit figurari.

In Cherubinorum binario binarium denotari perfectionis quæ Angelis sunt communes. Sapientiam & sanctitatem in duobus Cherubinis adumbrari.

Atque vt confirmetur, duobus Mosis Cherubinis adumbrari cælestium spirituum sapientiam & sanctitatem, obseruandum est, licèt per ipsos directè cælestis hierarchia denotetur; verùm propter mutuum respectum hierarchiæ cælestis ad Ecclesiasticam valde oportuisse. vt quæ illis tribuitur significatio, sanctis etiam hominibus suo modo quadret. Quo in sensu verum est, per duos illos Cherubinos, duas rationales naturas, angelicam & humanam indicari, (quæ est B. Bernardi declaratio de verbis Isaiæ serm 3) non quidem ita vt vnus hanc, alter illam; sed vtrusquisque vtramque designet; perfectiones repræsentans, quæ vtramque naturam, dignum Deo thronum efficiunt. Manifestum autem est sapientiam & sanctitatem, duas esse res, quæ naturas has ad fastigium illud sublime extollunt.

In duobus templi Cherubinis duas rationales naturas, angelicam & humanam, denotari.

Licet autem cælestis hierarchiæ significatio nouem totos angelorum choros comprehendat: expedit tamen præterea, vt quod de omnibus generaliter dicitur, ad Cherubinorum chorum possit peculiariter attribui. Nam & Theologi quò tutiùs possint de Cherubinorum choro loqui, ea sibi accersunt, quæ Scriptura sub Cherubinorum nomine de angelis affirmat. Scitum est ergò, præcipuam excellentiam, quæ Cherubinis tribuitur, desumi à sapientia, cui sanctitas respondet. Quare consentaneum fuit, vt duo Cherubini sapientiam & sanctitatem significarent, quæ cælestibus spiritibus insit.

Iam, quod de angelica perfectione symbola Scripturæ figurant, opus est per analogiam ad eos homines extendi, quos eadem Scriptura angelos appellat; id est, ad Euangelij ministros, in quibus hæc duo (sanctitatem dico & sapientiam) vel maxime esse oportet. Has ergo, easdem perfectiones in cælestibus angelis denotabant duo Mosis Cherubini.

Quod de angelica perfectione in Scriptura dicatur, idem per analogiam ad insignes sanctitate viros debere extendi.

Id ampliùs percipietur ex Salomonis Cherubinorum consideratione. Quam ad rem præmittendum est, quod facilè mihi docti concedent; Salomonico videlicet templo Christianę Ecclesiæ templum significari; & maiestatem præsertim ac splendorem. quò peruenit post mysticas Dauidis victorias: id est postquam Christi

Salomonis templum fuisse Christianæ Ecclesiæ figuram.

Digitized by Google

Christi virtus & efficacitas Gentes suaui Euangelij iugo subiecit. De quo, diuino aspirante numine, agam latiùs in commentario Psalm. 28. Nunc satis sit hanc templi Salomonici significationem proposuisse, vt vera esse credatur. Quo semel statuto, facile intelligitur, magnos Salomonis Cherubinos (qui proprij sunt magnifici illius templi) eorum esse symbola, qui verè sunt Christianæ Ecclesiæ Cherubini, id est, præstantissimi Euangelicæ prædicationis ministri: qui Christi nomen in vltimas terrarum regiones inuexerunt; & quorum prædicationi admiranda Gentium conuersio, & gloriosa Ecclesiæ victoria secundùm Deum referri debent accepta. Si ergo duo Salomonis Cherubini excellentias ac miras virtutes horum Ecclesiæ ministrorum adumbrant; quid congruentiùs esse potest, quàm vt alter eximiam eorum sapientiam, alter egregiam sanctitatem repræsentent?

Per ingentes Salomonis Cherubinos qui figurentur.

Quòd autem in templo Salomonis, Mosaici Cherubini & Salomonici visantur simul; haud obscurè indicat ad Christianæ Ecclesiæ decus & gloriam, vtrorumque, angelorum ministerium tam cælestis quàm Ecclesiasticæ hierarchiæ confluxisse. Nec propterea nego, ipsis Salomonis Cherubinis significari opem ac præsidium, quòd principes cælestis hierarchiæ in Dauidis victoriis populo Israëlitico præstiterunt. Hæc tamen significatio eam in partem accipienda est, vt quemadmodum aliàs ex Augustini doctrina docuimus) Iudaica tangat; Christiana respiciat: atque ita beneficia perstringantur à Deo in Iudaicum populum collata; vt his quasi gradibus ad Christianæ Ecclesiæ mysteria contemplanda ascendatur.

Cur in Salomonis templo & Mosaici Cherubini & Salomonici pariter visantur.

Cùm ergo statuerimus, per Mosis Cherubinos cælestem denotari hierarchiam; Ecclesiasticam autem, per ingentes à Salomone factos, differentia in staturæ magnitudine, non indicat sapientiam & sanctitatem Apostolorum, tantundem angelorum sapientiæ & sanctitati præstare; sed in eiusmodi Apostolorum virtutibus, vtpote egregiis & excellentibus, opem atque subsidium cælestium principum excelluisse. Etenim in præclaris Ecclesiæ victoriis eminent simul & Apostolorum gloria, & angelorum cælestium protectio atque auxilium: Salomonis autem colossi siue magni Cherubini simul vtrumque significant. Quòd si, vt ingentium Cherubinorum symbolum ad cælestis etiam hierarchiæ principes sese extendit, sic in Salomonis templo, Cherubinorum Mosis significatio hominibus quoque sanctis communicatur; facile est (iuxta ea quæ diximus) discrimen assignare inter Dei thronum, quem Ioannes vidit; & inter animalia quæ tum in throno, tum in circuitu throni conspexit. Videlicet vt thronus Cherubinorum denotet sanctitatem, sapientiamque eorum; qui Deum agnoscunt ac diligunt, licèt aliis cognoscendum non proponant: animalia verò, (atque etiam magni Cherubini) sapientiam ac sanctimoniam illorum, qui non modò sapientes sunt ac sancti: sed etiam sapientiæ cælestis magistri, & de hominum salute ac sanctitate optimè meriti.

Magnitudinis discrimen inter Mosis & Salomonis Cherubinos non arguit sanctitatis differentiam in rebus ipsis significatis.

Rectè autem Cherubini ingentes Deum ipsum antecedere existimantur, (vt superiore notat. dictum est.) Id enim est *praire ante Dominum in spiritu & virtute: & iter facere ei, qui ascendit super occasum*, &, *parare viam Domino*: atque adeò superare difficultates: & hominum corda disponere, vt Dei gratiam excipiant. Id quod viri sanctissimi præstant, proprii sanguinis vitæque dispendio. Nec minùs decorum est, vt duo parui Cherubini, (qui munus in animarum salutem incumbendi non habent,) sint inter se concordes atque sociati. Id namque est alterum è regione alterius esse: oculos tamen solo habeant defixos, vt suam erga Deum obseruantiam ac reuerentiam profiteantur: Cherubini autem magni effingantur versis vultibus ad exteriorem domum, cùm eorum munus sit, proximorum saluti prouidere, eosque ad veram Dei cognitionem adducere. Ponuntur autem Orientali plagæ aduersi, vt spectent eos omnes, qui templum ingrediuntur.

Magni Cherubini Salomonis quo sensu Deū præcedere existimentur.

Quid sit, alterū ex paruis Cherubinis è regione alterius esse.

De oleaginæ materiæ significatione ad viscera misericordiæ aptissimè applicatâ, iam alibi diximus: deque applicatione alarum ad cœlestem conuersationem, siue cælestis vitæ cursum, vt loquitur S. Dionysius. Cur verò in Ezechielis visione additę sint plures facies & alæ & plura brachia, id suo loco expenderur; & similiter de sex alis Seraphinorum Isaiæ.

Nuditas in ijs, qui nudi effícti sunt, candorem & puritatem denotat, vt docet Dionysius: amictus in vestitis glorioſam virtutum vestem. Consentaneumque fuit, vt singulatim notaretur nudos esse illos Cherubinos, qui lutérum bases ornabant, quo designaretur, sacrificiorum, quę Deo offeruntur, munditiam ac puritatem debere esse maximam. Significatur autem in aliis puritas, in aliis virtutum ornatus, non quòd alii sint nudi ac puri, alii glorioso virtutum amictu conspicui, sed vt, quod semel exprimi non potuit, diuersis symbolis explicetur; ideoque multiplicantur symbola, vt aliorum defectus suppleatur aliorum copiâ. Atque illud inprimis expedit, vt posteriores visiones aliquid prioribus addant; semperque Scripturæ sacræ elegantia ac dignitas augeatur; nec non ipsius symbolorum grauitas & energia. Atque idcirco Isaiæ Seraphinis plures apponuntur alæ, licet eandem habeant cum Salomonis Cherubinis significationem.

In Cherubinorū alio nuditas, alio vestitus quid innuat.

Iam verò, quod omnes templi Cherubini vitulinis constant faciebus (vt notat. præcedenti dictum est) indicat, tam cælestis hierarchiæ angelos, quàm Ecclesiasticę, in summum omnes beneficium, summamque vtilitatem Ecclesiæ sese impendere. De cęlestibus enim verissimè dictum est à Paulo ad Hebræos 1.14, *Omnes sunt administratorij spiritus*, &c. & viri etiam Apostolici aptissimè vitulinas facies habere dicuntur, vt vidimus in symbolo vituli. Notandum est præterea, ex eo quod Angelis vituli facies tribuantur, facilè inferri, non ideo in templo collocari, vt eorum innuatur gloria: sed vt auxilium ipsorum & beneficia in militantem Ecclesiam collata denotentur.

Vitulina facies in templi Cherubinu quid significet.

Cererùm quorsum Cherubini super Propitiatorium collocantur? (neque enim probabile existimo illorum inuentum, qui Propitiatorium autumant à Cherubinis sustineri.) Hoc vt explicem, obseruo, certissimum esse, vt optimè expendit Ribera, in Propitiatorio Christum Redemptorem nostrum significari; ex Paulo Rom. 3.25. vnde, quòd Propitiatorium sit basis, qua Cherubini nituntur, (vt loquitur Philo) non dubiè indicat Christum esse basim ac firmamentum, quo angelorum hominumque sapientia ac sanctitas solidantur; quoque nititur Dei thronus, quem habet in Ecclesia Christiana. Scio aliter à Ribera explicari; quatenus scilicet Christum, qua homo est, angelis inferiorem esse significetur. Enimuerò illi, quod inferiori loco est, semper subiectionis ac submissionis rationem adscribere, minimè esse congruens aut consentaneum existimo. Nam in spiritali fabrica & structura, fundamentum est summi honoris ac dignitatis sedes. & qua ratione Christus Ecclesiæ fundamentum vocatur (non quòd natura sit inferior, sed quia totum in eo Ecclesiæ ædificium fulcitur ac nititur) ita etiam Cherubinorum basis ac stabilimentum supponitur, quia in eo illorum gloria innixa recumbit.

Cherubini parui quorsum supra Propitiatorium collocati?

Præterea in Apocalypsi euidens est, quatuor animalia non esse angelos cælestis hierarchiæ, sed homines, quos tamen ponit etiam sacer textus in medio throni, quod fortasse aliquo modo est idem, quod super Propitiatorium: Et Apocal. cap. 12. Luna Ecclesiæ pedibus subiicitur; cum tamen id quod per Lunam significatur, Ecclesiæ ipsi inferius nequaquam sit, vt eo loci patebit. Neque obstat, quod aliis in locis, supponi aliquid pedibus, subiectionem aut etiam conculcationem significet.

Digitized by Google

NOTATIO X.

De idea Seraphinorum, quos refert Isaias cap. 6.

Num Isaias plures, quàm duos Seraphinos, conspexerit

PRima quæstio sit, vtrùm Isaias plures, quàm duos Seraphinos viderit? Arias Montanus, Forerius & Pradus probare contendunt non binarium, sed ingentem Seraphinorum multitudinem fuisse ab Isaia visam. Primò quia Seraphini innumerabiles penè sunt. Secundò, quia Isaias plurali numero vtitur, non duali: Sed de binario planè exponunt Dionysius de Ecclesiastica hierarchia cap. 4. parte tertia, bis faciens mentionem duodecim alarum: & Origenes lib.1.Periarchon cap.3. (vbi etiam citat Hebræum Magistrum, Hieronymus Isaiæ 6. in præfat. & in comment. & aliis in locis, Philastrius hæresi 101. Bernard.tom.1. tract. de verbis Isaiæ, serm.3. Nituntur hi patres manifesta allusione ad duos templi Cherubinos. Præterquàm quod textus ipse ait, *sex ala vni, & sex ala alteri*, quod & sequi videtur Ecclesia, dum canit, *Duo Seraphim clamabant alter ad alterum*, in festo Trinitatis in 8. responsorio.

Duos tantùm ab eo visos cũ communi Patrũ probatur.

Si plures fortè duobus vidit Isaias, eos saltem vidisse binos.

Illud ergo ex hisce argumentis colligo; in primis si complures vidit Seraphinos Isaias, eos certè binos intuitus fuit; vt de Cherubinis ad templi parietes exsculptis dictum est suprà, qui etsi erant permulti, bini tamen per ordinem erant dispositi. Quemadmodum Ioannis animalia quaterna visa sunt ab eo, ita tamen, vt præter quaternionem, qui erat in medio throni, essent, etiam alij quaterniones in circuitu throni, vel saltem alius quaternio. Sic enim accipi debent verba illa, *in medio throni, & in circuitu throni.* Secundò noto, in templo & in visione Apocal. textum apertè asserere, Cherubinorum alios in medio throni, alios in circuitu esse: apud Isaiam verò & Ezechielem id nec de Seraphinis illis, nec de huius animalibus repeti. Ex quo mihi esse certum, vt Ezechiel quatuor solùm animalia conspexit, ita Isaiam vnicum tantùm Seraphinorum vidisse binarium, respondentem duobus magnis Cherubinis, quos fecit Salomon. Ait enim textus, Seraphinos stetisse super solium; nimirum quia adeò erant ingentes, vt super solium ipsum (quamuis valdè eleuatum) alas haberent passas, vt dictum est notat. 8.

Quomodo Isaias Seraphinos supra solium steterunt.

Prado & Villalpando placuit, Isaiæ visionem respondere prorsus solio, quod in templo habebat Deus. Quare asserent fortasse Seraphinos Isaiæ esse quatuor, vt Cherubinis totidem Mosis & Salomonis respõdeant. Verùm, esto; Isaiæ visio secundùm omnes sui partes solio templi respondeat: duo certè Cherubini qui Mosaicis respondent, efficiunt thronum, quem vidisse se testatur Isaias. Hi autem in Scriptura non vocantur Seraphini, sed Cherubini. Alioqui diceretur Deus super Seraphinos sedere; quod Hieronymus errorem appellat. Seraphinorum ergo nomine eos solùm Isaias intelligit, qui Cherubinis ingentibus à Salomone facti respondent: eos autem sacer vates Seraphinos appellat, quia igne succensos, atque adeò ignitos aspexit.

Argumentis pro opposita sententia adducta occurritur.

Ad prioris autem opinionis argumenta facilis est responsio. Pari enim gradu militant aduersus templi Cherubinos, qui angelos repræsentant. Et tamen nec angeli Seraphinis pauciores sunt, nec de duobus loquens Cherubinis vtitur duali numero sacer textus, sed plurali Vide Exodi 25.18. *Facies quoque duos Cherubin*; vbi in hebræo est nomen plurale. Ad primum ergo respondeo, in symbolis non semper numerum veritati respondere. Præsertim cùm peculiaris sit ratio, vt Isaiæ Seraphini, quemadmodum & Mosis Cherubini, & Salomonis quoque ad binarium redacti sint. Ad secundum, dualis in hebræo ferè non vsurpatur nisi ad res natura sua geminas significandas, cuiusmodi sunt oculi & aures.

In symbolis nõ semper numerũ veritati significata respõdere.

Seraphini num intra templum, vel supra, sint ab Isaia visi? Intra templum fuisse statuitur.

Secunda quæstio sit, an in visione Isaiæ, Seraphini supra templum, vel intra illud sint conspecti? Hieronymus ait hebraicam veritatem sonare, Seraphinos stetisse supra templum: & loco præpositionis *supra* poni hîc in hebræo *mimaghal*, quod semper est, *desuper*. Ceterùm vox *super* aut *desuper* non est ita intelligenda, vt sensui non bene congruat. Cumque thronus intra templum conspectus fuerit (ait enim textus, *Ea quæ sub ipso erant, replebant templum*) non rectè Seraphini supra tectũ templi considerantur: debent enim comitari thronum; sicut ij Cherubini, qui erant in templo Salomonis. Atque ita præfinire videntur LXX. qui paraphrasticè exponentes dicunt, Seraphinos esse circa sedentem in throno, id est, ad vtrumq. latus comitantes. Eodem modo sentiũt Patres, vt Dionysius Areopagita de Ecclesiastica hierarch. c.4.part.3.vbi ait, *Ordo Seraphicus iuxta Iesum firmiter stare describitur*, & similiter Chrysost.to.1.in cap. Isaiæ 6.

Quo sensu dicendi sint Isaiæ Seraphini stetisse supra templum.

Sensus ergo originalis, qui sonat Seraphinos stare super templum, ita est accipiẽdus, vt Seraphini ante Deum adstiterint in superiori templi parte. Cùm enim solium adeò esset sublime, vt verbis iis asseueratur, *solium excelsum & eleuatum*, oportebat Seraphinos etiam, qui ipsum comitabantur, editos à terra esse; siue quia gigantum statura erant, siue quia ab humo sublati suis sese alis librabant. Et quamuis hebræa dictio sonet *super* (vt dictum est) non est tamen ita intelligenda, vt sit sensus, *super tectum*; sed in parte superiore templi: vt 3.Reg. 8.23. *Non est sicut Deus in cælo desuper*, id est, in supera cæli parte. Aliter exponit Arias hebræam vocem, nempe vt *desuper*, sit idem, quòd virtute desuper accepta. Hic tamen non solet esse sensus hebraicæ vocis *mimaghal*, vt patet Genes.22.9. *Super struem lignorum*, & 3.Reg. 8.23. *In cælo desuper*, Et Ezechielis 1.26. *Super firmamentum.*

Vtrùm Isaiæ Seraphini, præter brachia, fuerint alas habuerint alas?

Tertia quæstio, Vtrùm sex alæ, quas inesse singulis textus ait, explicandæ sint de quatuor alis & de duobus brachiis, vt volunt Pradus & Villalpandus? Respondeo, singulos præter brachia senis alis constare, vt dixi de animalibus Ioannis. Quæ est aperta S. Dionysij sententia de Ecclesiastica hierarch. cap. 4. p. 3. vbi manifestè meminit pennarum circa facies & circa media, & circa pedes; & explicat Seraphinos in totum pennatos. Dionysium porrò sequuntur veteres omnes: nec oppositum asseret quispiam, qui sibi semel persuadeat, opus non esse, vt eadem sit Isaiæ & Ezechielis visio: de quo suprà latè disputatum est.

Num singulis Seraphinis facies tantùm vna, binis, pedes sint assignandi.

Quarta quæstio, Núnne Seraphinis singulis plus quàm facies vna & duos pedes assignãdi sint? Ad hoc assero Seraphinos in hac parte Cherubinis templi similes esse concipiendos; vt probatum est suprà. Quare singulis vnica tantùm facies tribuenda est, eaq. vitulina. Nec mouere lectorem debet, si quãdo antiquus aliquis scriptor & grauis videatur Isaiæ Seraphinis plures facies adscribere, vt Dionysius de Cælesti hierarchia cap.13. fortè enim per obliuionem & non curantiam de Isaiæ Seraphinis dicuntur, quæ de Ezechielis animalibus dicenda erant. Aut fortè Dionysius non loquitur de pluribus singulorum faciebus, sed de multis, id est, de duabus vtriusque Seraphini faciebus. Nam cùm duos videret Isaias Seraphinos, duas item facies aspexit. Id quod peculiariter potuit obseruare Dionysius; quippe qui nouerat illam duarum facierum distinctionem, nullum personarum denotare discrimen, sed perfectionum, quæ singulis insunt personis. Illud namque Seraphinorum par, summæ perfectionis est symbolum, quæ in vnoquoque ex viris Apostolicis enituit. Atque ita sunt fortassis accipienda, quę de pluribus Seraphinorum pedibus videntur tradere Dionysius ibidem & Chrysostomus lib. de Incomprehensibili Dei natura, tom.5. nisi fortassis duos singulorum pedes appellant multos, significantes non propterea in ipsis cęlestis hierarchiæ Angelis existimandam esse aliquam pedum distinctionem.

Seraphinine suæ ipsorum faciei, an Dei vultum alis obtexerint?

Quinta quæstio est; an Seraphini, Dei faciem & pedes, velauerint? an verò suam ipsorum faciem & pedes? Ratio dubitandi est: quia in Vulgata legimus, *Duabus velabant faciem eius. & duabus velabant pedes eius*, & Hieronymus apertè explicat de facie, pedibusque Dei, (vt patet ex eius commentario) & similiter Bernardus to.1. de verbis Isaiæ serm. 4. Deinde quamuis in lectione LXX. interpretum nullum adiiciatur relatiuum (sic enim legunt. *duabus operiebant faciem, & duabus operiebant pedes*) nihilominus de facie & pedibus Dei

Digitized by Google

Dei exponunt Origenes 1 Periarchon. cap. 3. Philastrius hæresi de sex alis, & Cyrillus Isaiæ 6. Nihilominus certum videtur, Seraphinos suas ipsorum facies, suosque pedes texisse. Ita sentiunt Dionysius Areopagita de Cælesti hierarchia cap. 13. (ait enim alis arcere pedum & vultuum aspectum) & Athanasius sermone in id Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt*, &c. in fine, Chrysost. tom. 1. hom. 8. in cap. 11. Genesis, & de verbis Isaiæ hom. 2. & alicubi Bernardus: atque idem sequuntur recentiores, vt Vatablus, Forerius, Arias & noster Pradus. Ad lectionem ergò Vulgatam Respondetur: Cùm in hebræo & in græco relatiuum reciprocum à non reciproco diuersum non sit; inde est, aliquando in Vulgata lectione relatiuum *eius* poni pro reciproco *suus*. vt Eccles. 1. 8. *Sedens super thronum illius*, id est, super thronum suum, vt euidenter patet ex græco. Atque in hoc loco maior licentia permittitur propter Patrum in explicando diuersitatem; quorum alij hoc modo, alij alio exponunt. Quòd verò Hieronymus in commentario acceperit iuxta eum sensum; non probat illius fuisse mentem, aliter textum explicari non posse. Sin obiicias, opus fuisse ad nostram constructionem dicere *velabant facies eorum & pedes eorum*: Respondeo, de Seraphinis proximè factam fuisse mentionem in singulari. nempe, *sex alæ vni & sex alæ alteri*. Quare illud *eius*, construitur cum *vni & alteri*. Si igitur auctoritatem aspiciamus, vterque sensus videtur æquè probabilis: sed si rationes expendantur, multò verisimiliùs esse apparet, Prophetam loqui de facicbus & pedibus Seraphinorum. Primo; quia in textu multò antè præcesserat Deus. Secundò, nam ad mysticam significationem congruentiùs est, vt suas facies aduelent Seraphini. de quo infrà. Tertiò; hac ratione alæ illæ, quibus suos tegebant pedes Seraphini, eundem habebunt sensum; ac pennæ, quibus Ezechielis animalia sua tegebant corpora, vt supra explicatum est. Quartò, quia consideratio ipsa, qua Seraphini ante Deum concipiuntur astare, & duabus alis Dei ipsius vultum ac totidem, pedes obtegere, huiusmodi (inquã) consideratio violenta est. Nec affirmari ausim, pictorem reperiri aliquem posse, qui visionem hanc ad eum sensum pingere, cum decore valeat. Pictura verò alia, quæ alis duabus vultum Seraphini aliqua ex parte tegat, aliis pedes, & alias ad volandum explicet; facilis valde est: & vulgaris quisque pictor eam exprimit in Seraphino, qui B. Francisco per visum apparuit. Quintò, dum propriam faciem velant; facili negotio intelligitur, eos ob reuerentiam ac venerationem vel ob pudorem, oculos in Deum directè non intendere. Atque ita fortassis intelligendi sunt Origenes, Hieronymus & Cyrillus.

Suos ipsorum facies aduelasse statuitur.

Relatiuum reciprocum à non reciproco in Hebræo, & in Græco nõ distingui.

Rationibus idẽ roboratur.

Animaduerte tamen faciem omnino non esse tegendam; ita vt distinctè cerni non possit; an sit facies vituli, vel leonis, aut hominis vultus, aut aquilæ. Ioannes enim similiter vidit senas in animalibus alas; ac proinde duabus velabant facies suas (cùm enim dicat suis animalibus senas alas inesse; innuit obiter, illas ad eum esse modũ quo expressit Isaias. (Porrò planum est eorum facies non fuisse coopertas omninò: siquidẽ Ioannes quator animaliũ vultus potuit dignoscere. Velare ergò faciẽ, non est eam penitus obducere. Etsi autem Dionysius ait, alis aspectus vultuum arceri: hoc tamen cum modo est accipiendum, tecta aliqua vultus parte, alia retecta. Alioqui non Ioannes distinxisset, cuiusmodi essent animalium vultus singulorum. Ex pictura verò Seraphini à S. Francisco visi, nullo negotio intelligitur, vt alis in crucis modum super faciem consertis, pars in pudoris ac verecundiæ significationem tegatur; cum tamen aliquid vultus absque tegumento permaneat, nec oculi prorsus obnubantur.

Non tamen Seraphinorum faciem omnino tectam esse debere.

ET DVABVS VOLABANT. Forerius interpretatur illos immoto corpore reliquo, alas excutere. Fauet Chrysostomus Isa. 6. vbi complosionem alarũ tribuit Seraphinis. Sed hoc fortasse est ex animalibus Ezechielis desũptum, & in Isaiæ Seraphinis non necessarium.

NOTATIO XI.

De vera significatione Seraphinorum Isaiæ.

De Isaiæ Seraphinorum significatione varia Doctorum opiniones.

ALiqui necesse esse putabunt, vt in Isaiæ Seraphinis sermonem esse de Cælestis Hierarchiæ Seraphinis credamus. Hac nam que expositione videtur niti. quidquid de nouem angelorum choris, præsertim de supremo Seraphinorum, communis Theologia docet: cùm nullus sit præterea locus, vbi Seraphini nominentur. Nõ tamen desunt, qui Seraphinorum nomen latiùs sumentes, ad infimi chori angelos extendant. Nam Dionysius de cælesti hierarchia cap. 13. ait, Seraphinum missum ad Isaiam ex infimo choro fuisse, omnesque angelos quodammodo Seraphinos esse, sed hoc nomen potuisse speciatim dari ei, qui ad Isaiæ labia purganda aduenit. Bern, serm. 3. de verbis Isaiæ multò adhuc latiùs nomen Seraphini sumit. Asserit enim significari per Seraphinos duplicem naturam rationalem, quarum obsequio vtitur Deus, angelicam scilicet & humanam. Pradus & Villalpandus, qui ex Isaiæ & Ezechielis visione vnam conflare nituntur, asserent in Seraphinis præcipuos quatuor principes Deo adstantes denotari. Alias insuper pias explicationes omitto, simulque Origenis impiam asserentis in duobus Seraphinis, Patrem æternum & Spiritum sanctum indicari.

Auctoris sententia, per illos significari viros Apostolicos.

Nobis Rupertus sequendus est, qui apud Isaiam Seraphinorum nomine Apostolos intelligit. Addo tamen, in hunc numerum non solùm Apostolos esse referendos, sed viros etiam Apostolicos, primæuæ illius perfectionis ac sanctimoniæ æmulatores. vt & de Salomonis Cherubinis, & de Ioannis animalibus dictũ est. Hanc verò ipse expositionem in Isaia literalem omnino reputo, cui nõnihil adstipulatur Dionysius de Ecclesiastica hierarchia c. 4 p. 3. vbi ait, Seraphinos esse sacerdotes qui Põtificem circumstant: licèt id ille non per literalem declarationem, sed per applicationem dixisse videatur. Personam namq. sedentem in throno ad Pontificem applicat, aitq. illam duodecim alia Seraphinorum (id est sacerdotũ adstantium) esse circumtectam. Ceterũ his omissis, illa me adducunt, vt per huiusmodi Seraphinos credam Apostolos & viros Apostolicos significari. Primò, quia Isaiæ Seraphinis respondẽt manifestè Ioannis animalia in alarum senario & in trisagio. *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, eadẽ ergo est vtrorumq. significatio, illa nimirũ. quam in Salomonis Cherubinis Sp. sanctus potissimùm respexit.

Quid per Thronum Isaiæ ostensum denotetur.

Secundò, Thronus, qui ostensus est Isaiæ, est ille, quem Deus nouum in Ecclesia Christiana possidet, vt suprà vidimus; non igitur abs re est, vt Ecclesiasticæ hierarchiæ Seraphini nouum thronum circumstent. Ad hæc, quemadmodum Ecclesiæ ministri propterea appellati sunt angeli, quòd in mystico militantis Ecclesiæ cælo Deus nouos erat angelos habiturus (ideo enim Apoc. 2. & 3. Episcopis angelorum nomen datur) ita similiter nonnullis hominibus insigni sanctitate præditis, Seraphinorum nomen debuit eadem ratione deferri. Nec defuit, qui nouem angelicorum ordinum nomina Ecclesiasticis ministris per sua munia dispartierit, vt sanctus Photo presbyter l. 4. de Statu domus Dei cap. 16. (vt habetur to. 9. Bibliothecæ.) Si ergo aliquibus hominibus Seraphinorum nomen impartiendum fuit, quibus potiùs quam Apostolis, virisque Apostolicis conferendũ erat? Illos enim Deus sibi delegit ministros, per quos suæ charitatis ignem in terris accenderet. Et ea propter Sp. sanctum in Apostolos sub ignearum linguarum specie immisit; vti cælesti hoc igne inflammari terram mox possent exurere. Id quod nomen Seraphim præ se fert, Sonat enim *incendentes* vel *ignitos*, vt Hieronymus docet. & quemadmodum in hierarchia cælesti supremum Seraphini tenent locum; ita etiam in Ecclesiastica principes Apostoli sunt, eorumque strenui imitatores, propter eximiam diuini spiritus prærogatiuam illis datam; vt homines charitatis igne inflamment.

Isaiæ trisagiũ quid significet.

Tertiò, valdè fauent nobis trisagium illud, *Sanctus, Sanctus, Sanctus* à Seraphinis repetitum; quod Patres omnes ad vnum de Trinitatis mysterij prædicatione expo-

Digitized by Google

exponunt; quæ in nouo cælorum regno ab omnibus erat audienda. Necesse ergo est, per Seraphinos, huiusce mysterij præcones seu concionatores indicari. Quare, cùm constet in Christiana Ecclesia non à cœlestibus Seraphinis, sed ab Apostolicis viris & Euangelicis concionatoribus huiusmodi mysterium prædicari; certum etiam debet esse, in Seraphinorum figura ostensam Isaiæ fuisse excellentiam Apostolorum.

Cur apud Isaiã triſagium præcedit commotionem ſuperliminarium?

Quartò, nostra interpretatio confirmatur. Nam vt in Apocal. offensionem Iudaici populi, & eiusdem repulsam antecedit Euangelij prædicatio per triſagium significata; ita in cap.6. Isaiæ, triſagium præcedit commotionem ſuperluminarium templi, & magnam illam venturæ ruinæ speciem: & mox ſequitur Iudaici populi reprobatio. Ergo in triſagio illo prædicatio Euangelij indicatur, atque adeò in Seraphinis Apostoli.

Cur Isaia Seraphini vultus alis obnubant: non vero Ezechielis animalia?

Quintò illud etiam nostræ haud parum fauet expoſitioni; quod Isaiæ Seraphini alas habent, quibus contegant faciem, his autem Ezechielis animalia carent. Quo non obscurè adumbratur verecundia ac pudor de propriis flagitiis ſiue peccatis conceptus: id quod ad Eccleſiasticæ hierarchiæ angelos propriè ſpectat; non verò ad angelos cælestis, vt ſuprà expendimus. Quòd ſi velare faciem, accipiatur de facie ita operta, vt principem intueri non poſſint: tunc hoc erit inter Seraphinos Isaiæ & Ezechielis animalia diſcrimen; quòd illi homines ſunt in viuis adhuc degentes, & quæ à corporeis ſunt oculis abſtracta per fidem contemplantur. Quod per adorationem velata facie indicatur egregiè Vbi obſerua veterum conſuetudinem adorandi obiecto capite ac facie: vnde Amictus vſus in ſacris indumentis dimanauit. At Ezechieli animalia retecta facie appoſitiſſimè oſtenſa ſunt; quia cælestis hierarchiæ angeli in ipſis figurari, non per ſpeculum & in ænigmate, ſed reuelata facie Deum contemplantur.

Veterum conſuetudo capite obtecto adorandi.

Cur Isaiæ Seraphinus pruna forcipe: at Cherubinus Ezechielis manu apprehenderet?

Sextò denique, huc conducit diſcrimen aliud, quod inter Isaiæ Seraphinos, & Cherubinos Ezechielis licet deprehendere. Seraphinus enim apud Isaiam, ignitum calculum forcipe ſuſtulit (*in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari*, Isa. 6. 6.) Aſt Ezechielis Cherubinus primam non forcipe, ſed manu apprehendit. c.10. 7. *Extendit Cherub manum ad ignem, & ſumpſit & dedit*, &c. Hoc autem nihil eſt aliud (opinor) quam de Seraphinis, vt hominibus loqui, quibus ad primam capiendam forcipes neceſſariæ ſunt. De Cherubinis verò tanquam de cælestibus Angelis, quibus ad tractandas ignitas prunas, nec forcipes ſunt nec inſtrumenta alia neceſſaria. Idque intelligo, vel ante myſticam primæ ſignificationem, quam Seraphinus forcipibus ſumpſit, de quo dixi ſupra c.2. notat.5.

Noſtrã de Iſaiæ Seraphino expoſitione minime Theologorũ fundamentum labefactari.

Nunc eorum querimoniæ reſpondeamus oportet, qui de noſtra fortaſſis explicatione expoſtulabũt, quòd Theologorum doctrinę fundamentum diruat, quod attinet ad nouem angelorum choros; præſertim ad ſupremum Seraphinorum. Neque enim ſupereſt alius Scripturæ locus, in quo de illis mentio fiat. Aſſero ergo, viſionis Isaiæ ſenſum eſſe, in Eccleſia militante admirabilem cælestis curiæ imitationem mueniri, & in terris etiam habere Deum Seraphinos ad cælestium imitationem, aliquibus tamen in rebus diſsimiles. Certe, ſi ſenſus eſt huiuſmodi (vt ego exiſtimo) facilè videre quiſque poteſt, Theologorum fundamentum ad doctrinam de Seraphinis, integrum adhuc & intactum perſiſtere. Præter hæc, diſtinctio inter nouem angelorum choros ſubtilior fortaſſe Theologia erat, quam vt Iſraelitico populo explicari par eſſet. Quamobrem in veteri inſtrumento nullus forſan eſt locus, qui IX Chororum diſtinctioni directè faueat. Quin & Cherubinorum nomen nunquam ſumitur in ſacris Literis propriè pro illo angelorum choro, cui ſtrictè acceptum Cherubinorum nomen Theologi tribuunt.

Cur in Scriptura minùs ſit perſpicua inter nouem Angelorum choros diſtinctio.

Cherubini nomen nunquam in Sacris ſtrictè capi pro ſecundo primæ hierarchiæ choro.

Addo denique iis, quæ dicta ſunt, maximam Seraphinorum Isaiæ celsitatem, qua ab humo altè ſublati, ex-celsum Dei thronum comitabantur, m r ficum eſſe ſymbolum ad indicandam cæleſtem atq; adeò celsiſsimam vitam, ad quam nouos ſuos Seraphinos Deus extollere dignatus eſt. Atque idem eſt ſenſus aſcenſionis angelorum per Iacobi ſcalam, de quo ſupra notat. 1.

Seraphinorum Iſaiæ celſitas quid ſignet.

NOTA-

Digitized by Google



Digitized by Google

NOTATIO XII.

De figura siue idea animalium Ezechielis.

§. 1. *De opinione Theodoreti & Lyrani.*

VIdimus iam non solùm non esse inconueniens, sed etiam maximè congruere, vt pluribus in rebus animalia Ezechielis à Ioannis animalibus & ab Isaiæ Seraphinis & à Cherubinis templi differant. Nec nobis incumbit conciliare inter se, quæ in hac visione differentia ab aliis apparet, sed potiùs differentiarum idoneam rationem reddere. Ad hoc ergo statuendum in primis est, quæ sit animalium Ezechieli figura, obseruatis iis, quæ in textu legimus; & ea inter ceteras expositiones selecta, quæ probabilior videatur.

Ezechieli non vnum dūtaxat animal quadriforme, sed quatuor fuisse visa.

Ac Primò interpretationem eam prætermitto, quam Lyranus ex aliquibus refert; qui sibi persuadent Ezechieli non quatuor animalia, sed vnum tantùm fuisse visum quadruplici facie constans; & vnicam solùm rotam, non quatuor. Hanc (inquam) opinionem, vt textui manifestè repugnantem, omitto: & gradum facio ad eos, qui quatuor animalia in visione Ezechielis agnoscunt.

Qua ratione sint considerāda quatuor Ezechielis animalium facies.

Præcipua ergo in hoc difficultas est, qui sint intelligendæ hæ quatuor animalium facies. Theodoretus & Lyra existimant, facies huiusmodi sic esse concipiendas, vt earum singulæ singulas ex quatuor mundi plagis respiciant: alia nimirum solis Ortum, alia Occasum, alia Meridiem, alia Septentrionem. Hanc sententiam ait Lyra, apud Latinos esse communem. Cuius fundamenta sunt; primum, quia textus ait, *facies & pennas per quatuor partes habebant*. Item, *manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus*. Atque ita vnicuiq; tribuenda videntur quatuor brachia, quæ ad quatuor sint plagas mundi extenta. Præsertim quia vbi nos legimus; *in quatuor partibus*, hebræa sonant, *in quatuor quadrilateris eorum*.

Opinio Theodoreti & Lyræ.

Fundamenta superiorum opinionis.

Secundum argumentum est; quia alioquin intelligi non posse videtur, quod textus ait, nu. 9. *Non reuertebantur, cùm incederent; sed vnumquodque eorum ante faciem suam gradiebatur*. Quod repetitur vers. 12. Idemque de rotis dicitur v. 17. *Per quatuor partes earum euntes ibāt, & non reuertebantur cùm ambularent*. vbi Græca sonant, *In quatuor partes earum ambulabant*. Hebraica verò, *Ad quatuor quadrilatera sua, in eundo ipsa ibant, non reuertebātur in eūdo*. Qui nodus facilè extricatur opinione Theodoreti. Etenim cum animalia quaternis constent faciebus ad quatuor orbis plagas spectantibus, capite nullam in partem deflexo; Orientem versus, Occidentem, Septentrionem aut Meridiem facili negotio possunt pergere: atque pari etiam ratione rotæ sine vllis circuitionibus, si concipiamus singulas ex duabus componi, vna in alteram inserta & adacta in colurorum normam. His additur quod c. 10. 11. similiter de rotis dicitur; *In quatuor partes gradiebantur, & non reuertebantur ambulantes*.

Impugnatur pluribus prædicta opinio.

Hæc tamen opinio reiicienda est; primò quia iuxta hunc explicandi modum, ita considerantur quatuor hæ facies, vt leoninæ semper ad easdem vrbes spectent, & vitulinę semper ad alias, & sic de reliquis. Non autem rectè excogitatur, eas ita esse alicui parti è regione aduersas, vt eædem ad aliam nusquam flectantur. Nam si eiusmodi facies, diuersas virtutes repræsentant; omnino expedit, vt aduersus eandem vrbem, pro diuersis saltem temporibus modò facies vituli, modò leonis, modò plures, simul obuertantur. Quòd si animalia nunquam sunt vultum conuersura; non poterunt se leones obiicere iis, quibus antea se vitulos ostenderant. Nec video, quo pacto Ezechiel varias animalium facies valuerit dispicere; nisi fortè currus firmus & immobilis hærere, & Ezechiel ad videndos animalium vultus ipsum vndique ambire fingatur.

Num in aquilina Ezechielis facie vox desuper abolēda in textu, an retinenda sit?

Secundò, faciem aquilæ ait textus fuisse *desuper*. Et quamuis non desit, qui vocem illam *desuper* abolendam censeat, quòd in nonnullis manuscriptis, & in hebraicis ferè, græcisque codicibus desideretur. In Vaticanis tamen Bibliis correctis legitur *desuper*. Atque ea est proculdubio vera lectio. Si ergo humana facies versa est ad Orientem; aquilina in Theodoreti opinione desuper esse non potest, sed ad Occidentem conuersa. Quare Theodoreti & Lyræ explicatio cum vera Vulgati lectione stare videtur non posse.

Tertiò, nemo tribuit quatuor facies principi, quem vidit Ezechiel in curru. Si autem animalia gyrare non debent (absque vllo namque gyro possunt progredi versus quamcumque plagam) consideremus primò principem facie aduersa Ierosolymam tendere; deinde regressum Ierosolyma ad orientalem plagam procedere (vt ipsa Prophetę visione notatur: tūc sanè oportebit principem ipsum aut in throno se ad alteram partem conuertere, aut Orienti auersum ferri. Nam nec animalia, nec currus gyrum sunt ductura. Quis ergò non videat in ea excogitatione decorum minimè seruari?

Quartò, textus apertè ait, rotas post animalia incedere, *sequentes ea*, v. 21. Si currus igitur priùs à Septentrione ad Austrum ferebatur, mox è contrario ab Austro ad Septentrionem rediturus; necesse est animalia, rotis consistere iussis, ad aliam partem aduersam transgredi, ne ipsa subsequantur rotas. Non ergò conducet illa ita immobilia defigere; si currus demum constiturus est, & animalium immutanda positio, quando regredi opus erit.

Quintò, si Ezechielis animalia binos tantùm habent pedes, quantumuis rotundos; esto, ad Ortum & Occasum liberè possint & directè facere iter: ad Austrum certè & Septentrionem, nisi gyro circumuecta, obliqua incedant ac deflexa necesse est. Licèt autem, vt hoc vitetur incommodum, quaternos illis pedes Carthusianus affingat; hęc tamen opinio, quæ animalia Ezechielis facit quadrupedia, nulla ratione consentit cum humana forma, quam ijs tribuit Ezechiel.

Sextò, si tanti refert, ne vllo modo animalia Ezechielis gyrent; quid illis fiet, quando expediat illa iter suscipere; non iam ad Ortum & Occasum, non ad Australem plagam aut Arctoam; sed via inter Occasum & Austrum media? Tunc verò non erit necessarium ab iis hemicyclum fieri? Quid ergo incommodi est, integrum confici circulum, ne immotis semper capitibus fixa cogantur stare?

Septimò, nisi in hisce animalibus quidam vultus inter ceteros præcipuos concedatur, ratione cuius fit in iis antè & retrò, dextrorsum & sinistrorsum; verum non erit, quòd textus ait, *facies leonis à dextris ipsorum quatuor, & facies bouis à sinistris ipsorum quatuor*. Neque quod c. 10. 22. dicitur, *Intuitus eorum & impetus eorum ante faciem suam ingredi*. Quòd si faciem peculiarem inter ceteras præcipuam habent; iter ante faciem illam faciendum erit, si recto ordine ac debito procedant. Vnde vt eadem via regrediantur; caput conuertere opus erit. Quod autem Clarius respondet, idem esse quod dicitur, *facies leonis à dextris ipsorum quatuor*, ac si diceretur, ad dexteram Ezechielis; & non ad dexteram animalium; minimè id cum contextu cohæret, dicente, *Facies leonis à dextris ipsorum*. De Pradi verò explicatione dicemus posteà.

Argumentis Theodoreti & Lyrani sit satis.

Nunc ad argumenta pro Theodoreti & Lyrani opinione initio adducta respondeo, Ad primum; vbi nos legimus, *Facies & pennas per quatuor partes habebant*, ex Hebręo ad verbum redditur, *facies eorum & ala eorum in quatuor ipsis*. Quare sensus non est, quatuor facies ad quatuor orbis plagas spectare; sed animalibus quatuor facies inesse; vnamquamque in sua sede, sc. faciem humanam in medio, leoninam ad dextrum latus; ad sinistrum vitulinam; & aquilinam in superiori parte. Iam, quod de brachiis, seu de manibus dicitur, *Manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus*, fateor id ex se posse videri, vt aliquo modo in quadro sint brachia disposita: sic namque ex hebræo vertitur, *in quatuor lateribus*. Ad hoc tamen aptiùs est, quaterna brachia ita assignari singulis, vt in dextro latere bina, & bina in sinistro sint, & alterum sit altero altius. Idque satis erit, vt primæ brachiorum partes, siue humeri, quodammodo sint in quadrum redacti.

Ad

Digitized by Google

Pugnantia apud Ezechielem loci in speciem pugnantia conciliatio.

Ad secundum; argumenti difficultas in eo vertitur, quo scilicet sensu verè dicatur de animalibus & curru, *Non reuertebantur, cùm ambularent*? & qua ratione hæc consentiant cum verbis illis eiusdem capitis n. 14. *Animalia ibant & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis?* Vbi obserua, quod Hieronymus ait; LXX. ne scandalum legenti facerent, omisisse verba illa: *Animalia ibant & reuertebantur*; ne p opheta non sibi videretur constare. Subdit tamen Hieronymus, *Melius est in diuinis libris transferre, quod sonat litera, licèt non intelligas, quàm auferre, quod nescias.* Deinde subdit suam declarationem sanctus doctor: ea autem est, animalia Ezechielis nunquam retrorsum verti, sed semper ad priora festinare nihilominus propterea dici reuerti, quia regrediebantur ad communicandam lucem, quam parumper absconderant. Idque ait significari per fulguris similitudinem. Hæc tamen declaratio (pace tanti doctoris dixerim) non facit omnino satis. Planum namque est, currum priùs à Propheta fuisse visum Ierosolymam versus tendentem. Primò enim eum aspexit iuxta fluuium Chobar, & c 8.4. Spiritus duxit Prophetam Ierosolymam; *Et ecce ibi gloria Domini, iuxta ostium, quod respiciebat Aquilonem*; & c.9.3. *Gloria Domini assumpta est ad limen domus.* & c. 43.2. *ingreditur gloria Domini per viam Orientalem*, prius ad atrium; deinde ad templum quod appellatur domus Dei. Et c.11.22. *Eleuauerunt Cherubini alas suas, & ascendit gloria Domini de medio ciuitatis; stetitque super montem, qui est ad Orientem.* Vnde c. 43.3. regressa est in vrbem. His ex locis euidentissimum est, currum ab ortu ad occasum perrexisse, deinde rediisse ad ortum; posteà ad occasum secundò tetendisse. Atque adeo dubitari non potest; locum esse accipiendum, vt sonat: hoc est, animalia & currum isse ac rediisse. Quamobrem difficultas in eo non est, quod ire ac redire dicantur: sed in explicando, quo sensu asseratur, *non reuertebantur, cùm ambularent.*

Quo sensu animalia Ezechielis dicantur non reuerti, cum ambularent Pradi opinio.

Pradus existimat propterea dici, non reuerti: quia nunquam retrocedebant: itaque currum ire ac redire celeriter, sed non retrocedere. In hac tamen expositione non acquieuit animus. Currus enim, nec aduersus venti perflantis impetum, nec accliui & salebrosa via gradiebatur. Quare non video quorsum expendatur, animalia non retrocedere. Adde huc rotas non trahi funibus ab animalibus; sed illas post ipsa animalia sponte incedere, *quia spiritus vita erat in rotis.* Quorsum igitur dicuntur non retrocedere? nisi fortè asseri dicatur, vt de equis curulibus indomitis dici solet, eos etiam cùm fuerit opus, retrocedere nescire. Sed hoc non erat ad rem.

Vera difficultatis emolatio.

Mihi solutio nodi pendêre videtur ex vocum Hebraicarum consideratione. Nam qui eas attentè perpêderit, animaduertet, cùm animalia dicûtur reuerti, esse in Hebræo verbum שוב (*scub* cũ ש) cuius verbi propria significatio est, *redire*: cùm verò dicitur, *non reuertebatur*, in Hebræo esse verbũ סבב (*sabab* cum ס) quod propriè significat, *circuire.* Sensus ergo legitimus est, animalia velocissimè progredi, aut regredi recta via, neque vllis circuitionibus vti. Cùm enim tam rotæ, quam animalia essent alata, ac se possent ab humo facilè tollere; non opus erat ad progrediendum difficultatesq. vitandas, eos ambitus & anfractus conficere, quibus alij currus vtuntur necessariò, vbi occurrunt viæ impeditæ aut salebrosæ. Hunc ipse sensum iudico germanum; & satis accommodatum, vt significetur, Angelos, Dei iussis obsequentes, recta propere ire, quocumq; diuina Prouidêtia eos destinat, nulla vel modica flexione ad dexterã vel ad sinistrã. Quo aptissimè ponderatur ipsorum agilitas & prompta alacritas ad res diuino obsequio congruentes. Porrò hæc explicatio confirmatur ex illo Exodi 13. 18. *Circumduxit* (populum *Deus*) *per viam deserti.* Vbi hebraicè est, verbum סבב (*sabab.*) Quod & ex aliis etiam sacræ Scripturę locis constat prædictam habere significationem. Atque hæc omnino videtur fuisse mens S. Dionysij de cælesti hierarchia cap. 15. vbi agens de rotis ait, *In tertio a semper absque vlla conuersione*, id est, absque vlla circuitione; per quam ad dexteram siue ad sinistram deflecterent aut declinarent.

Constat igitur ex dictis facilem esse eorum locorum concordiam, qui sibi mutuò repugnantes esse videban-

Alcasar in Apocal.

A tur nimirum, *Non reuertebantur cum ambularent.* Et mox, *ibant & reuertebantur.* Et fortasse LXX. hac de causa omiserunt illa verba, *ibant & reuertebantur*, non quòd illis difficultatem id afferret, sed ne quispiam difficile esse existimaret id, quod in phrasi hebræa non maiorem habet difficultatem, quàm si in Hispana diceretur de aliquo, *que va y viene como vn rayo donde le mandan, sin rodear ni torcer à vn cabo ni à otro.*

Quomodo Ezechielu animalia sin quatuor partes gradi dicantur,

Sed restat adhuc difficultas in eo, quod de rotis asseueratur, *In quatuor partes gradiebantur.* Asserò igitur vtrumque verum esse, rotas scilicet (quippe quæ ex duabus erant singulæ compactę) posse facilè ad Austrum, verbi gratia, & ad Orientem rotare, neque ad hoc opus esse, vt prius conuoluantur aliquantulum: & posse etiam, cùm essent alatæ, recta tendere absque vllis ambagibus; idque significari, cùm dicitur. *Non reuertebantur, cùm ambularent.*

§. 2. *De opinione Vatabli & Hebræorum, circa quatuor animalium facies.*

Vatabli & Hebræorum opinio de quatuor animalium facibus.

B Confutata iam Lyrani opinione de quatuor vultibus ad totidem mundi plagas spectantibus, examinemus oportet, num Hebrę orum opinio sit probanda, qui animalibus singulis quatuor integra capita, caq. in aduersa fronte posita tribuunt. Quemadmodum igitur Draconi septem tribuuntur capita Apoc. 12. & totidem marinæ belluæ c. 13. & quatuor capita tertiæ bestiæ Danielis c 7.6. simili ratione opinantur Hebræi, quatuor facies cuiusque ex animalibus Ezechielis esse quatuor capita integræ, atque omnia isthæc capita ad directum Prophetæ aspectum hoc ordine in eadẽ linea apparuisse,

Aquila, Bos, Homo, Leo.

Huic verò opinioni primo aspectu fauere videntur LXX. Ezech. 1. Ponunt enim faciem hominis & faciem leonis à dextris, faciem autem vituli, & faciem aquilæ à sinistris. Atque ita etiam expressè ponit Chaldaica paraphrasis.

Refellitur præcedens explicatio.

Verùm hæc etiam opinio videtur refellenda. Primò, quia textus non ait, quatuor capita vni, sed *quatuor facies vni.* Atque ad plura capita significanda non solet Scriptura facierum nomine, sed capitum vti. Secundò, C huic opinioni manifestè refragatur lectio Vulgata correcta, quæ sic habet: *Facies autem aquila desuper ipsorum quatuor.* Tertiò, si eadem est visio hęc cum ea, quę capite 10. 14. narratur (vt est maximè optandum) ex illo loco clarè elicitur, non eos rectè opinari, qui hominis & vituli facies inter facies leonis & aquilæ interponunt. Nec enim huiusmodi excogitatio cohæret cum eo, quòd prima facies sit vitulina. Quartò, licet ad significationem imperij aduersus Dei populum sæuientis, bellua multiceps idonea sit: at, vt spiritus cælestes maxima perfectione præditi denotentur, minimè apposita est bellua multorum capitum, neque hæc figura consentit cum figura hominis, quæ animalibus quatuor perspicuè à Propheta assignatur.

§. 3. *De opinione Hieronymi Pradi circa quatuor facies animalium Ezechielis.*

Pradi explicatio.

P Radus, vt vtramque opinionem prædictam subterfugeret, persuasit sibi non agere Ezechielem de quatuor faciebus propriè dictis: sed de iuuenum figuris, D quibus etsi nulla alia erat facies proprie dicta præter humanam: inerant tamen in pectore iubæ leonis, plantæ vituli & pennæ aquilæ; ac propterea dici singulis quatuor esse facies leonis, aquilæ, vituli & hominis. Et hanc quoque opinionem sequuti sunt Villalpandus atque Pererius. Eorum autem fundamenta sunt: primum, quia faciei nomen non opus est de facie proprie dicta intelligi. constat enim ab Scriptura vsurpari pro qualibet similitudine: vt & Sallustius ait l. 2. Hist. *Sardinia in Africo mari, facie vestigij humani in Occidentem, quàm Orientem latior.* In qua acceptione absonum non est animalibus singulis quaternas facies concedi. Secus tamen videtur si facies presè & stricte sumantur. Sic enim aptę non sunt ad angelorum coram Deo adstantium virtutes significandas.

Nomen faciei non semper strictè pro vultu sumi.

Secundum fundamentũ est, quia huiusmodi inuento expedita sese aperit via ad templi Cherubinos; nec non ad Isaiæ, Ezechielis & Ioannis visa conciliandа. Id quòd Pradus & Villalpandus necessarium esse putant.

Digitized by Google

Tertium, hac ratione Ezechielis animalibus figura humana, decor & venustas accedit; & ferarum horribilium aspectus tollitur. Quartum, ait Pradus se in hac explicatione græcorum Patrum vestigiis insistere. Nam græci interpretes Ezechielis animalia constituunt corpore humano, aliorum animalium similitudinibus induto. Quin etiam censet Pradus, animalium figuras à se depictas, esse iuuenes alatos, leoninis thoracibus vestitos, & vitulorum vngulis calceatos, quod tamen ipse explicat cap.10.vers.21. asserens, se non loqui de thorace propriè sumpto, nec de calceis strictè; sed de leonis iubis & vngula bipartita vituli. Atque hęc est eius mens, cùm ait hæc animalia esse iuuenes alatos facie humana & corpore humano; exuuiis tamen & insignibus aliorum animalium vestitos.

Denique adducit pro se Pradus B. Hieronymum: quia in c. 6. quod propheta ait, *à dextris & à sinistris*, asserit sanctus doctor non esse intelligendum propriè de dextra & sinistra parte, sed esse Hebraicam loquutionem pro eo, quod est, hac & illac.

Pradi opinio refutatur.

Verùm hæc interpretatio nihilo est, quàm superiores, probabilior. Etenim licèt nomen *facies* non semper pro facie propriè dicta sumatur, at cùm Ezechiel ait singula ex suis animálibus habere quaternas facies, necessariò debet intelligi de facie propriè dicta, vt à cæteris corporis partibus distinguitur. Quod sanè certum mihi est. Primò, nam textus ait, *quatuor facies vni & quatuor penna vni, & planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli.* In hac ergo loquutione quis non videat, quatuor facies, quatuor pennas, & vituli plantam, vt res inter se distinctas enumerari? Quî ergo fieri potest, vt quatuor pennæ sint alia ex quatuor facibus, alia verò planta pedis vituli? Secundò, euidens est, Vulgatum in sensu proprio sumpsisse quatuor facies; ipse enim c. 10. 21. transtulit, *Quatuor vultus vni.* Nullus autem exemplis probare valebit, vultum aliquando pro alis, pro iuba, pro planta pedis sumi. Quod adhuc confirmatur: quia verba illa Ezech. 1. 10. *Similitudo autem vultus eorum facies hominis*. cogunt vt præcipua facies sit humana. Nomen igitur facies non accipitur ab Ezechiele pro planta pedis. Tertiò, quamuis facies alioquin sumi possit pro quauis similitudine; cum verò additur facies leonis, facies vituli, &c. violentum valde est à leonis iubis, vitulíque plantis verba hæc intelligi. Nec eiusmodi loquutionis apud probatos auctores exemplum aliquod reperietur. Quartò, gratis omnino fingitur, leonis similitudinem animalibus hisce in pectore inesse. Nam textus ait, *à dextris*, quòd si esset in pectore, nequaquam id Ezechiel prætermitteret, vt non prętermisit, plantas esse vitulinas. Quintò, Ex ipso narrationis ordine planè constat faciem vituli ineptè accipi pro vituli planta. Quia cap.10.14 quatuor omnes facies hoc ordine propheta enumerat; *facies prima facies vituli, facies secunda hominis, tertia leonis, quarta aquila.* quanta ergo confusio, quanta perturbatio est, primo loco pedis plantam; secundo vultum; tertio iubas; quarto alas recensere?

Quatuor facies, quatuor pennas & vituli plantam, vt res diuersas ab Ezechiele enumerari.

Vulgatæ correctæ auctoritate confutatur eadem opinio.

Præterea Pradi opinio non explicat, quod textus ait, *facies aquila desuper ipsorum quatuor*, imò vero Pradus, vtpote qui ante Vaticanam editionem correctam scripsit, nititur: dabalendam vocem *desuper*, contendens non esse legenda. Nunc tamen, quando vocem illam post correctionem Vulgatam, non licet prætermittere: non video, quid pro defensione Pradi possit asserri. Dicere enim alas, Cherubini capere editiores esse, deuium planè est, licet Cherubinus volans consideretur. Et quidem quòd in Vulgata correcta legatur *desuper*, valido est argumento veterem intelligentiam fuisse, vt facies aquilæ reliquis sublimior concipiatur.

Quamuis autem contendat Pradus, hebraica phrasi dici, *à dextris, & à sinistris*, pro *hac & illac*, coactum tamen est valde, asserere faciem à sinistris, in pedibus esse, & faciem á dextris, in pectore: nec quisquam hoc pacto loqueretur. Scio afferri testimonia ex Scriptura, in quibus dextrum & sinistrum non strictè accipiantur, & adduci etiam Hieronymum explicantem semet in cap. 10. Ezech. & innuentem, *à dextris & à sinistris* apud Ezechielem non esse aliud, quàm *hac & illac*. Cetcrùm in locis Scripturæ, quæ ad id confirmandum adducuntur, licèt necessarium non sit, vt dextrum & sinistrum nimis strictè sumantur; potuerunt tamen pro exemplo adduci. Verbi gratia, Gen.13. 9. *Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo:* facile apparet, exemplum à dextera & sinistra potuisse desumi. At animalis pectus pedesque nominibus dextri atque sinistri distinguere, violentum omnino est, & pro quo exemplum afferri nullum queat. Quod adhuc amplius vrgeo: Nam si facies leoni & facies vituli, sunt vituli & leonis insignia; cùm textus, leonis faciem à dextris; & vituli, à sinistris collocet, quis non videat planam & expeditam esse viam, vt ita accipiantur ac sonat?

Iam ad Hieronymi auctoritatem, quem pro se refert Pradus, postquam locum attentè perlegi, dubium mihi non est, quin Hieronymus non neget verba illa, vt sonant, esse accipienda. Sed, qua pollet ingenij subtilitate, in acuto verborum Prophetæ examine pedem figit, dum accuratè expendit, in cap.1. fuisse positam à dextris faciem leonis, & faciem vituli à sinistris: posteà verò cap.10. ordinem inuerti: nam à facie vituli initium sumi; deinde addi, *facies secunda hominis, facies tertia leonis, & quarta aquila.* Atque in hoc diuerso narrationis genere subsistit sanctus doctor (vt assolet) cùm nullus in Scriptura apex mysterio vacet. Non tamen ideo negat Hieronymus, leoninam faciem à dextris, & vitulinam à sinistris fuisse Ezechieli visas, sed id potiùs affirmat. Et pro hoc asserendo fuerat cap. 1. philosophatus. Hancque arbitror genuinam Hieronymi esse explicationem. Quamuis non desit qui existimet Hieronymi mentem esse, variatum fuisse à Propheta, eo quòd visio capitis decimi fuerit nonnihil diuersa à visione capitis primi; quemadmodum apertè docet Theodoretus. Et in notis ad Biblia Vaticana LXX. interpretum attingitur, Hieronymi opinionem eandem esse cum opinione Theodoreti: quæ tamen opinio nulla ratione fauet Pradi explicationi.

Hieronymus explicatur.

Demum euersis fundamentis, quibus ea explicatio nititur, facilè corruit quod alioqui nemini probaretur. Ad Primum ergo Respondeo, in textu non legi solùm *quatuor facies*, sed etiam *quatuor vultus*: & Vulgatum interpretem ab ipso contextu fuisse coactum, vt ita hunc locum intelligeret, sicut antiqui intellexerant. Ex quibus Dionysius Areopagita, vt supra vidimus, distinctè meminit cornuum vituli, & oculorum aquilæ ac rostri adunci. Ad id verò, quod Pradus ait, facies aquilæ, leonis & vituli, congruentes non esse ad cælestium spirituum virtutes denotandas: Respondeo, non ita visum Dionysio. Quòd si Pradus leonis iubas, vitulíque plantas ad illam virtutum cælestium significationem aptas esse censet, cur non eorumdem animalium facies iudicabit aptiores?

Pradi fundamenta disrumpuntur.

Dionysium Areopagitam ex nostra esse sententia.

Ad Secundum Respondeo, consilium illud æquiparandi omnino atque prorsus assimilandi Cherubinos templi, & Ioannis atque Ezechielis animalia, non solùm necessarium non esse, sed congruentissimè etiam varia in iis discrimina designari, vt supra latè disputatum est.

Ad Tertium, non licèt picturæ venustatem quærentibus, ab ipsa veritate discedere. Et alia fortassis ratione possunt Ezechielis animalia explicari, quin deformiora & horribiliora appareant, quam ad visionis scopum conducit.

Ob picturæ venustatem non esse à veritate recedendum.

Ad Quartum, illa veterum Græcorum verba nobis lumen præferent ad interpretationem aliam, quæ textui conuenientior sit, & cum ipsa Græcorum phrasi melius cohæreat. Pradus enim, etsi vtitur phrasi illa iuuenum exuuiis leonis, vituli & aquilæ indutorum; verè tamen eos non vestit, sed animal ipsum ex leonino pectore, pedibus vitulinis, humana facie & aquilinis pennis componit. Conformior autem esset explicatio loquutioni Græcorum interpretum, si conciperetur iuuenis verè indutus aliorum animalium exuuiis, de quo infra.

Ad Quintum denique iam suprà satis responsum est.

§. 4. *De interpretatione Græcorum antiquorum, quos laudat Pradus.*

PRadus, (qui Romæ in Bibliotheca Vaticana, Græcorum catenam in Ezechielem vidit) vbi de quatuor faciebus dicturus accedit; refert, vt Græcorum interpretum

Veterum Græcorum interpretatio de Ezechielis animalib. eorum facibus.

Digitized by Google

terpretum sententiam, quatuor Ezechielis animalia concipienda esse ceu quatuor iuuenes pulchros, leonis, vituli & aquilæ exuuiis vestitos. Ego autem postquam hanc Græcorum sententiam attentè perpendi, nec non Ezechielis textum, & opinionum, quas suprà refutauimus, difficultates; persuasi mihi, hæc animalia à Græcis considerari armata: & quidem iure optimo. Ezechiel enim bellicum aspexit currum ad Hierosolymæ excidium properantem. Quę consideratio postulat, ne quatuor Cherubinos nudos existimemus, sed indutos. Atque ex Prophetæ descriptione elicuerunt Græci interpretes amictum fore eiusmodi; vt Cherubinorum capita exuuiis capitum leonis, vituli & aquilæ apparerent ornata.

Præcipuas ac proprias Cherubinorũ Ezechielis facies fuisse humanas. Animalium Ezechielis facies quæ formâ ac dispositione sint concipiẽda.

Hoc vt ampliùs explicem, aduerte, præcipuas ac proprias horum Cherubinorum facies esse humanas: nec enim textus solùm ait, *similitudo hominis in eis*; sed etiam paulò infra; *similitudo autem vultus eorum facies hominis.* Deinde hanc faciem humana noua quadam galea textus induit: in cuius superiore parte exuuiæ aquilini vultus extent: & ad vtrumque faciei humanæ latus, super B aures, duplex sit animaliũ larua: ex dextro scilicet larua leonina, vitulina ex sinistro. Atque id planè textus ait, *Similitudo vultus eorum facies hominis: & facies leonis à dextris, facies autem bouis à sinistris, & facies aquila desuper.*

Ezechielis animalia in specie militum armatorum fuisse visa.

Vbi verò semel aduertatur, huiusmodi figuram esse militum armatorum, magna ex parte eleuatur difficultas. Etenim si de insigni aliquo duce narraretur, eum iniisse prelium armis instructum, & supra caput vultum aquilinum gestasse, proptiamque faciem duplici alia comitatam, leonina à dextris, a sinistris vitulina; nullus (opinor) hoc audiret, quin de leonis, vituli & aquilæ laruis intelligeret. Cùm igitur simili ratione Propheta loquatur; & constet ab eo describi cælestis militiæ duces, qui ad deuastandam Hierosolymam pergebant (vt ipse propheta expressit cap. 43.3.) quo alio poterit modo aptiùs & congruentius explicari? Præsertim cùm à Græcis interpretibus sit obseruatum, sermonem hic esse de humana facie exuuiis leonis, vituli & aquilæ ornata. Certè in hac cogitatione adeò acquiescit animus, vt propter eam sæpius recordet meritò Horatium C

In Arte Poët. cecinisse, *Graiis ingenium*, &c.

Accedit id, quod eorum sententiam valdè confirmat: nam si leoninæ, vitulinę & aquilæ facierum significatio fortitudinem, beneficentiam ac sapientiam denotat: ad huiusmodi significationes, antiquitatis consuetudo nos docet, appositum valde esse, vt homo quispiam exuuiis eorum animalium amiciatur, quæ ad eas figurandas virtutes idonea sint symbola. Quem enim

Similes id genus picturas in veterum numismatis sæpè reperiri.

latet, multa veterum Imperatorum numismata reperiri, in quibus Imperatoris vultus cum vultu leonino in fortitudinis insigne sociatus sit? Et quis non vidit aut audiuit cassides & galeas, quarum conus aquilina facie sit insignitus? Equidem de horum vultuum singulis dubitaret nemo, quin de leonini vultus, aut aquilini vel vitulini exuuiis deberet intelligi. Cui ergo non liqueat, earum coniunctionem mirificum esse symbolum ad fortitudinis, beneficentiæ & sapientiæ significationem, quæ æquitatem humano in vultu adumbratam comitentur?

Si cuipiam difficultas inde oboriatur, quòd difficile D admodum appareat galeam fabricari, aut etiam concipi, in cuius fastigio vultus aquilæ insit, & vno ex latere ad aures operiendas facies leonis, ex altero vituli sit: id certè homines huius artis periti aptissimè fieri posse censent. Nec est, cur in horribili figuræ specie hæreamus. Ita enim expedit ad id, quod præ se ferre debet bellicæ cassidis figura. Idemque intenditur in numismatibus, vbi Imperator aliquis huiusmodi insignibus amicitur. quod pulchritudinem picturæ addit; non tollit: pulchritudo namque ex partium inter se debita proportione coalescit. Atqui ad virium roborisque signa exhibenda, horroremque hostibus iniiciendum, accommodata satis sunt huiusmodi inuenta, quæ ita possunt aptè disponi, ne quid ex figuræ decore ac pulchritudine detrahatur. Imò verò faciei humanæ pulchritudo plusculum eminet inter aquilę, leonis & bouis exuuias. Quòd si proportio ratione præcipuæ significationis respiciatur, nihil potuit elegantius quatuor facierum coniunctione excogitari.

Horribilis figuræ species nihil nostræ picturæ obstare.

Alcasar in Apocal.

Hæc insuper explicatio difficultatibus non paucis, quæ in aliis occurrunt, neruos incidit. Ita enim apponuntur quatuor facies, vt humana sit inter ceteras præcipua atque germana: & ratione illius dicuntur animalia ante faciem suam ambulare, & habere dextrum & sinistrum, ante ac retro. Hac etiam Græcorum explicatione probè percipitur, quid sibi velit, *facies eorum extentæ desuper*; quod alioqui vix posse intelligi videbatur. At, in expositione Græcorum non difficultate modò caret, sed apertè etiam perspicitur, ita debuisse animaduerti. Cùm enim persona aut larua induitur; solet ferè vultum obtegere: cumque tres essent laruæ, existimaret fortasse aliquis, vnam extare, & reliquas manere coopertas. Vt ergo intelligeremus, & præcipuam faciem & reliquas ita esse inter se dispositas, nulla vt obduceretur alterius oppositu aut interiectu; explicari oportuit, facies eorum extentas esse desuper: ita enim ad spiritalem intelligentiam conducebat.

In nostra facierum explicatione facilè aliæ difficultates soluũ.

Eadem Græcorum interpretatione facilis & expedita redditur alterius difficultatis ratio, quam nulla alia ex superioribus explicationibus idoneè reddere potest. Ea autem est huiusmodi. Ezechielis 41. 18. dum describit Propheta parietum sculpturam templi illius admirandi, quod sibi per visum apparuit: asserit, templi instar Salomonici. fuisse in circuitu per omnes parietes intrinsecus & extrinsecus Cherubinos non integra, sed dimidiata cælatura inter palmas scalptos: *duá, que facies habebat Cherub: faciem hominis iuxta palmam ex hac parte, & faciem leonis iuxta palmam ex alia parte.* Hæc enim est vera lectio, non solum apud Vulgatum & Hebræum, sed etiam apud LXX. vt patet ex editione Sixti. textus enim græcus in Regia hoc loco mendosus est. In qualibet ergo alia opinione hæc verba non mediocrem habent difficultatem. Nam recta exigit ratio, vt Cherubini à Propheta visi in parietibus, viuos referant Cherubinos, qui ad Dei thronum adstabant. Atqui viui Cherubini quaternis constabant faciebus. quî ergo in parietibus exsculpti binas tantum habebant? Quod præsertim difficultatem affert in Pradi opinione & Villalpandi, qui leonis faciem in pectore Cherubini statuunt. Quo igitur pacto erit ex vna parte facies hominis, & facies leonis ex alia? Villalpandus tom. 2. fol. 524. & infra respondet, leonis iubas esse etiam in tergo. Vnde singuli Cherubini habent leonis faciem vni palmæ aduersam, & faciem hominis alteri. Sed contrà est, quòd iubæ non sunt magis in dorso, quam in pectore. Atque ijdemmet authores in quatuor animalium descriptione iubas in pectore collocarant. Præterquam quod minimè respondet Villalpandus ad aquilinæ ac vitulinæ facierum occultationem. At in Græcorum explicatione facit planè satis responsio, & ad præcipuum sensum mirificè deseruit. Sed de hoc infra: nunc de ipsa solùm idea sermo sit.

Peculiaris difficultas in sculptura Cherubinorum templi quorum meminit Ezechiel.

Dico ergo in dimidiata (vt ita dicam) sculptura (Hispanis appellatur *media talla*) necessarium esse, vt multæ partes occultentur, nec appareant: quia figuræ non solidę omnino & eminentes sunt. Primò ergo cùm aquilæ facies in editiori parte capitis extaret: difficile neutiquâ fuit; illam in eiusmodi cælatura abditam remanere, eam enim solum vultus partẽ ars eminentem reliquit, quæ satis erat vt inspici posset, superiore capitis parte imperfecta seu abscondita relicta. Secundò, vt leonis facies cerneretur: necesse fuit Cherubinum ex latere siue obliquum figurari. Quare eo ipso, quod humanam faciem & leonis laruam monstraret; necessariò erat vituli species obtegenda. Nec verò absque mysterio Cherubini omnes in circuitu, eadem omnino positione collocantur, retecto dextro latere, sinistro autem & sublimi capitis parte absconditis. id quod in mysterij explicatione constabit. Illud hîc obiter dixerim, decõrum apprime in belli figura seruari ex eo, quod leonis faciem dextro in latere expressam exerent omnes.

Expeditur facilè in nostra interpretatione superior difficultas.

Dixi hactenus id, quod satis esse existimo, vt qualis esse debeat quadruplicis faciei animalium figura, informari animo possit. Cùm igitur statuerimus, singulis animalibus vnam esse faciem inter reliquas præcipuam ac propriam, tribus aliis personatis comitatam; apparet mox ratio, quare etsi templi Cherubini vitulinas haberent facies, Ezechielis tamen animalibus humanas esse facies oportuerit. Nam inter quatuor illos vultus,

Cur Ezechielis Cherubinus facies fuerint humana, templi verò Cherubinis vitulina.

Digitized by Google

facilè cernitur, humanum leonina, vitulina, & aquilina laruis indutum; non vitulinum. aut leoninum humana esse debere. Quin etiam Cherubini templi quodammodo dici possunt super humanam faciem habere vituli vultum quasi laruam. Nam quòd hominis constent figura & vituli facie, videtur indicare homines vitulorum laruis personatos. In Ezechielis visione statuit sapientissimè Deus, vt quatuor facies essent extentæ desuper, quò dispici omnes dignoscique possent. Ideoque humana facies retecta permansit, & faciei non vitulinæ solùm; sed etiam aquilinæ & leoninæ comitatu septa.

Ratio discriminis, cur Ioannis animalibus simplex: at Ezechielis animalibus quadruplex facies fuerit

Ex iis, quæ diximus, elicitur congruens & apta discriminis ratio, cur Ezechielis animalibus quadruplices sint facies; Ioannis autem animalibus simplices? Ea verò est (quod ad figuram attinet) quia cùm animalia Ezechielis essent armata (quippe ad bellum pergentia) facilè fuit, tres eis facies, præter naturalem ac propriam, in galeis idoneè dispositas addere. At animalia Ioannis, cùm armatos Cherubinos non designarent, non potuerunt commodè pluribus ornari faciebus. Quapropter vt quatuor illas virtutes significarent (quæ in quaternis A animalium Ezechielis vultibus figurantur) prudentissimè excogitatum fuit, vt quatuor eæ facies in singula animalia singulæ distribuerentur.

Quid sit apud Ezechielem, Pedes eorum recti.

Contentus explicuisse quod ad quatuor facies pertinet, (erat enim reliquis difficilius) supersedeo libens alarum, brachiorum, vituli plantarum, & humani corporis explicatione: quæ & faciliora sunt & à nobis satis suprà explicata, dum de Ioannis animalibus ageremus. Illud tamen hic postremò addam; quod textus ait, *Pedes eorum recti* (vt aliorum omittam expositiones) percommodè intelligi, si aduertatur, nomen *iasar* quod significat *rectum*, hebraica phrasi extendi ad pulchritudinis & optimæ proportionis significationem. Idcirco autem hoc textus expressit, ne quis existimaret, illis quia pedes vitulini erant, proportionem aut pulchritudinem deesse. Itaque addidit textus, *Pedes eorum recti*, vel, vt legunt LXX. *crura eorum recta*. Quam ad rem non mihi displicet modus, quo noster Pradus Cherubinorum pedes depinxit. Nec nouum est, sacram Scripturam pulchrorum pedum symbolo vti, vt Isaiæ 57. 7. vbi de aliis Dei ministris dicitur, *quàm pulchri pedes*, &c.

NOTATIO XIII.

De significatione animalium Ezechielis.

Breuis eorum, quæ superiùs dicta sunt, recapitulatio.

MVlta ex iis, quæ ad animalium Ezechielis significationem spectant, suprà iam sunt explicata & probata in commentario de animalibus à Ioanne visis. Expedit tamen præcipua puncta hic breuiter colligere. Primò ergo etsi Isaiæ Seraphini & animalia Ioannis ex hierarchia Ecclesiastica sint, Ezechielis tamen animalia certum est ad hierarchiam pertinere cælestem. Sanè in vtrisque ad templi Cherubinos alluditur; sed hoc non cogit, vt propterea animalia vtraque eandem habere significationem credamus. Præsertim cùm certum sit, Cherubinos templi vtrique significationi deseruisse. Nam denotabant maximam Christianæ Ecclesiæ sapientiam ac sanctitatem, præsertim Apostolicorum virorum; idque per comparationem ad cælestem hierarchiam. Vnde ea significatio vtramque partem complectens, locum dedit, vt Isaiæ & Ioannis visiones ad Christianæ Ecclesiæ excellentiam directè referrentur; Ezechielis verò visio ad cælestis hierarchiæ ministerium. Eam verò distinctionem certissimam esse patet; quia tam Seraphini Isaiæ, quàm Ioannis animalia senas habent alas, & doctrinam Euangelicam in trisagio denotatam per orbem terrarum prædicant. & Ioannis insuper animalia clamant & dicunt Agno, *Redemisti nos Deo in sanguine tuo*, &c. At Ezechielis visionem constat ex c. 43. 3. fuisse bellicum currum, quo Deus ad diruendam Ierosolymam tendebat. Ad cuius excidium satellites & administri, qui eum comitabantur, minimè fuerunt homines sancti in terris degentes, sed militiæ cælestis exercitus.

Secundò in hac cælestis militiæ ad bellicum currum redactæ imagine, significatio inferiorum angelorũ pertinet haud dubiè ad rotas, quas animalia ducunt. Superiorum autem angelorum, atq; eius militiæ principum symbolum proculdubio gerunt ipsa animalia currum ducentia. Ceterum nomen principum non hic strictè sumo pro peculiari angelorum choro, quos Theologi principes seu principatus vocãt; sed generatim pro præcipuis diuinæ Prouidentiæ ministris. Cumq; oculi plurimi, angelorum custodum symbolum sint, qui pro animarum salute vigilias agũt; expediens fuit, ne oculorum multitudo animalibus, sed rotis tribueretur.

Tertiò, si aduertatur Ezechielis animalia ad bellum pergere; apparet mox leoninas & aquilinas facies in galeis appositas esse ad bellicum robur, vireſque ostendendas; nec non ad stragem mox in Dei hostibus edendam. Ita enim ad eiusmodi vis ac terroris significationem vti solebant in suis legionibus Romani figuris luporum, Minotaurorum, aprorum & aquilarum, vt notat Plinius lib. 10. cap. 4. & Alexand. ab Alexandro 1. Genialium, c. 22. vbi multa alia eiusmodi congerit. Quamuis autem & Isaiæ Seraphini, & Cherubini templi, qua viros Apostolicos adumbrabant, possent eadem specie B ac figura insigniri ratione spiritalis stragis, quam in Gentibus erant facturi, cum eas suaui Euangelij iugo subiicerent: hæc tamen significatio subtilior erat, quàm vt ab ea tantæ molis & actionis initium duceretur. Nec in Isaiæ visione id erat necessarium. Quare sapienter hęc significationis pars in posteriorem locum reiecta est. Verum in Ezechielis visione viri Apostolici non figurabantur per animalia, sed solùm principes cęlestis militiæ: atque ideo congruens fuit ipsos galeis horrificis insignire, vt in eisdem galeis appareret, ipsos exuuiis aquilarum & leonum esse ornatos, qui duo inter aues & animalia quadrupedia aptiores sunt ad virtutis inuictæ, & fortitudinis significationem. Nec enim alia erat illius expeditionis inscriptio, quàm profectio ad disperdendam Hierosolymam.

Quartò, cùm sit Dei bonitate atque sapientia valdè dignum, quæ seueritatis & rigoris speciem præ se ferunt, ad maximum sui populi beneficium transferre, ita C etiam expediens fuit, vt eundem ad finem vtatur Deus ingenti angelorum sapientia ac bonitate. Et certè dubium non est, quin illa Hierosolymæ vastitas ad Iudaici populi maximam vtilitatem imprimis conduxerit. Etenim in posterum videtur populus ille generatim loquendo ad idololatriæ superstitionem non rediisse: atque in legis obseruantia multo illis fuit diligentior cura, & martyres præterea non pauci in Iudaico populo glorioſissimè excelluerunt, vt alia interim diuini cultus clarissima signa prætermittam. Præterquàm quòd excidium illud figura extitit Iudęorum reprobationis. quæ in vniuersam totius mundi salutẽ redundauit. Hoc ita constituto facilè perspicitur, quantopere decuerit, vt ad leonis laruam larua vituli adiungeretur. Deinde in quatuor facierum coniunctione considerari potuit: aquilæ vultum, qui super tres alios vultus ponebatur, aptum valde esse ad sapientiæ altis- D simæ significationem. Licèt enim prima species sit rostri aduncì, ac proinde belli atque tumultus, sed quod in aquila imprimis eluceſcit, est visus perspicacitas, quæ summæ sapientię est symbolum. Et quemadmodum in aquila, sapientiæ symbolum cum rapacibus vnguibus & adunco rostro copulatur: non aliter in magnis ac reconditis consiliis (vt in celebri illo Salomonis iudicio, de quo 3. Reg. 3. 16. & infrà) sæpè mira consilij sapientia sub rigoris ac seueritatis prætextu solet deliteſcere. Quamobrem iuxta sapientissimi Dei consilium, suæ militiæ principes sub furoris ac minarum integumentis admirabile atque sapientissimum artificium abscondebant, quod re ipsa satis erat diuersum ab eo, quod homines poterant opinari.

Hierosolymæ excidium figura Iudæorum reprobationis.

Quintò, in Ezechielis Cherubinis adumbratur; in illa Ierosolymæ destructione; multò faciliùs cognoſci potuisse, quanto iure, quantaque virtutis; ostensione

Deus

Digitized by Google

Deus de Ierosolyma supplicium sumebat; quam beneficentiam admirandam & mirabile consilium, quo opus illud ad sui populi salutem & incolumitatem dirigebat. Quatuor enim Cherubinorum vultus deseruiunt perfectissimæ Prouidentiæ significationi, & duo quidem primi sunt, quos prius enumerat propheta c. 1. 10. (*facies hominis, & facies leonis.*) Ceterùm in illo admirando facinore id pluris faciebat Deus, quod magis erat absconditum, atque adeò minùs apparebat. Idcirco vt ostenderet, altissimum illius operis consilium esse id, quod maxima erat præ ceteris admiratione dignum; faciem aquilæ super alias animalium facies imposuit. Licèt autem Propheta c. 1. enumerauerat priùs faciem leonis, quam vituli; posteà tamen c. 10. quando ipsemet propheta in diuinæ intentionis cognitione erat prouectior; primo loco vituli faciem constituit, quæ ad sinistram erat: vt prior se considerationi obiiceret. Quippe ordo legendi Hebræorum à legentis dextera ad sinistram progreditur. Perspicuum verò est Cherubini læuam, Prophetæ è regione astantis dexteræ respondere.

Cur facies aquila fuerit supra ceteras posita in Ezechielis animalibus?

Quatuor animalium facies (quod ad significationem attinet) primis quatuor sigillis Apocalypseos respondere.

Quod autem spectat ad Dei sapientiam ac beneficentiam in diuinæ Prouidentiæ operibus occultas; conueniens id est cum eo, quod c. 6. Apocal. textus ipse repræsentat. Vbi in quatuor primis sigillis indicatur perfectio quatuor virtutum, in quibus perfectissima Prouidentia consistit, id est, Fortitudinis, Beneficentiæ, Æquitatis, ac Sapientiæ. Ex quibus quatuor, Beneficentia atque Sapientia magis sunt abditæ & reconditę, vt patet. Nam Fortitudinem quidem arcus & sagittæ manifestant, insignia potentiæ atque virtutis non obscura. Æquitatem statera prodit. At Beneficentiam atque Sapientiam nihil est quod retegat in illa visione. Dei namque Prouidentia hasce duas virtutes multò magis celat, vt suo loco videbimus. Quin ob eam rem, licèt Ezechiel tanquam Dei Propheta fuerit ingressus sanctuarium, & quatuor animalium facies extentas viderit; vidit tamen simul in Cherubinis, qui in templi illius prophetici parietibus intrinsecùs & extrinsecùs erant cęlati (id est, in ea parte quæ omnibus ferè sacerdotibus patens ac manifesta erat) duas facies, nempe hominis & leonis patescere, & duas alias, vituli atque aquilæ, omnino delitescere. Quia summa Dei sapientia, summaque beneficentia in admirandis ipsius Prouidentiæ facinoribus sunt penitus occultæ: donec Deus tandem dignetur aliquem in suum sanctuarium introducere, eique retegere quatuor suas Cherubinorum facies, iuxta id Psal. 72. 16. *Labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei*, &c.

Cur in templi Cherubinis Ezechiel hominis & leonis facies viderit: vituli & aquila non viderit?

Sextò, obserue faciem aquilę, quę vltimo in loco collocatur, esse, quæ ob suum celsitudinem magis hominum mentibus occiditur, & seriùs agnoscitur. Et quidem notandum est, in Salomonis templo Cherubinos figura humana & facie vitulina constare, (vt vidimus suprà:) leones item ac boues esse scalptos, vt manifestè cernitur in lutêrum basibus, nec non in aliis templi partibus. Verùm facies aquilæ nusquam in templo erat cælata. Deus enim suorum consiliorum arcanam sapientiam reseruabat suis deinceps Prophetis explicandam. Inter quos sanè Prophetas Ezechiel valde admodum cęlesti reuelatione honoratus est. Et ille quidem faciem aquilę appellauit aquilinum vultum, in quo oculi insunt perspicacis sapientiæ symbolum. Etenim per alas non indicatur sapientia, sed cælestis vitæ cursus, vt in commentario animalium Ioannis explicatum est.

Ex quatuor Cherubinorum faciebus cur facies aquila nusquam in templo fuerit calata?

Septimò, in Ezechielis visione quatuor illis admirandis animalibus propterea vitulinæ plantæ tribuuntur, vt pro comperto haberet Propheta, omnes eorum animalium gressus atque Dei ministrorum gradus, ad electorum vtilitatem & fidelium emolumentum tendere. Eiusmodi autem plantæ non fuerunt necessariæ in animalibus Apocalypseos: quippe quæ non erant armis munita, neque adeò horridum ac terribilem habebant aspectum. Cùm verò Ezechielis animalia adeò bellicosa & ferocia sese exhiberent, congruentissimum fuit, vt præter peculiarem vituli faciem, ad maius Prophetæ solatium, animalium quoque plantæ vitulinæ essent,

Ezechielis animalibus cur vitulorum planta affictat

Octauò, alæ præter cælestis conuersationis sublimitatem, aptæ erant imprimis ad id, quòd textus exprimit, (vt præcedenti notatione obseruauimus) nimirum vt recta semper incederent & summa velocitate, ita vt nulla difficultas, nullusque obex impedimento esset, quo minùs recta via progrederentur, non deflectendo ad dexteram neque ad sinistram. Atque id est, *in similitudinem fulguris.* Facilè autem intelligitur, hoc symbolo denotari, cælestes spiritus, vt qui ab omni terrenorum affectuum concretione sunt remoti, nulla re quantumuis difficili à recta diuini obsequij atque glorię via deflecti posse. Idemque ipsum imitentur oportet, Ecclesiasticæ hierarchiæ angeli, quos etiam Scriptura ideo alatos effingit, vt nulla inordinata affectione ab obsequij diuini semita reuocentur, sed absque vlla deflectione rectum diuinæ gloriæ iter capessant.

Quem ad finem animalibus Ezechielis addita.

Nonò, vidimus iam cælestes spiritus retectis omnino vultibus apparuisse, ad angelorum hierarchiæ Ecclesiasticæ discrimen, qui duplici ala faciem contegunt. Propterea quòd illi diuinum numen nusquam vllo peccato offenderint: hi verò sceleribus fuerint aliquando cooperti. Quamobrem suorum scelerum pudore præpediti, quantumuis à Deo multis beneficiis ornentur, propriæ tamen miserię ac vilitatis conscientiam semper ob oculos habent.

Cur Ezechielis Cherubini retectas habuerint facies?

Denique quod textus ait, *Pedes eorum recti,*) id est, pulchri, vt suprà explicauimus) indicat, quam pulchri sint eorum gressus, & quantopere placeant Deo: eodem sensu quo laudantur pedes euangelizantium pacem, & gressus sponsæ.

Pedes eorum recti, quo sensu de Ezechielis animalibus dictum.

TEXTVS.

Vers. 8 *Pars* 2. Et requiem non habebant die ac nocte dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est.

COMMENTARIVS.

D IDem est in præsenti requiē non habere, quod non cessare, vt bene multi. Sed non accipiendum est de continuatione (vt vocant) Mathematicâ, ita vt nulla sit vel minima intermissio; sed de morali continuatione; quod idem est ac frequenter & perseueranter notatæ actioni vacare. Atque ita explicat Ambrosius, qui pro exemplo affert, illam Christi sententiam, *Oportet semper orare & non deficere*, Lucæ 18. 1. Eademque phrasi de aliquo literis valdè addicto & studiis immerso; solemus dicere ipsum semper dies nocteque studere. Quod si visionem Ioanni ostensam inspiciamus; manifestum appareret; quatuor illa animalia non continenter & sine intermissione semper dicere, *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Nam seniores erant in thronis sedentes; *& cùm darent illa animalia gloriā & honorem sedenti super thronum, 24. seniores procidebant, & adorabant eundem, qui in throno sedebat.* Non igitur omnimoda continuatione trisagium ab animalibus repetebatur. Nam si ita esset, nequaquam dicerentur seniores procidere; sed semper in genua procumbentes essent, principem in throno sedentem adorantes.

Animalium Ioannis continuatio in trisagio repetendo quomodo intelligenda.

Digitized by Google

Accedit, quòd cap.6.explicatur, in quatuor priorum sigillorum resignatione Ioannem ab animalibus per ordinem fuisse accersitum,atque his verbis compellatum, *Veni & vide.* Non ergo repetitio illa trisagij erat mathematice continua. Iam si ad præcipuum respiciatur sensum, id est, ad Euangelicæ prædicationis continuationem,eam esse mathematicam non oportebat. Neque enim dari potest in Euangelii ministris eiusmodi non intermissa perpetuitas. Nec satis est dicere, considerato totius orbis terræ circuitu, nullam esse horam, neque horæ partem, qua non aut diuini verbi prædicatio disseminetur, aut sacrificium Missæ alicubi non offeratur. Etenim quamuis id verum sit hac nostra tempestate; non ita saltem erat primitiuæ Ecclesiæ tempore, cuius exordia in hoc Apocalypseos capite adumbrantur. Præsertim,quia quod de animalibus dicitur expedit vt verũ sit non in omnibus solum coniunctim sumptis,sed etiam in Apostolorum singulis. Quare rectiùs ac solidius est perpẽdere hic infatigabile studium & indefessam contentionem; qua Apostoli eorumque æmulatores, Euangelium promulgandi & Dei gloriam prouehendi tenebantur,de quibus ideo dicitur requiem *non habebant*, id est,non cessabant.

Infatigabile virorũ Apostolicorum studium in Christiana fidei prædicatione.

A

DIE AC NOCTE] Pererius existimat non esse hæc diuisim accipienda, neque vllam quærendam in præsenti significationem noctis; sed phrasi hebraica poni *die ac nocte* pro omni tempore. Pererij fundamentum est, quod ipse sibi persuadet, sermonem hic institui de gloria ac laudum præconiis, quibus angeli in cælesti beatitudine Deum prosequuntur. Cuius declarationis videtur auctor sanctus Dionysius de celesti hierarchia, vbi agit de trisagio Seraphinorum Isaiæ. Enimuero etsi verum est allud re ibi Isaiam ad gloriam , quam Deo concinunt cælestis hierarchiæ angeli)& propterea potuit Dionysius illis applicare trisagij repetitionem) directè tamen tam Isaias, quam Ioannes agũt de Ecclesiastica hierachia, deque Euangelij prædicatione, vt suo loco disputauimus. Quapropter non dubito,quin Abbas Ioachimus collinearit scopum in noctis atque diei significatione;dum prosperitatem per diem, per noctem aduersitatem intellexit. Aliter enim nihil erat, quòd in trisagio fieret mentio noctis; præcipuè in sacro ænigmate, vbi superuacua esse verba non decet. Si ergò præcipui sensus ratio habeatur;nihil congruentius est vel ad quatuor animalium encomium, vel ad Dei optimi maximi gloriam;quàm tenebricosam persecutionis & aduersitatis noctem minimè obstare; quo minus clamorem illum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus* continenter personent, & Euangelium liberè vbique terrarum prędicent.

Ioannis animalia die ac nocte clamasse, quo sensu sit accipiendum.

B

SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS, DOMINVS DEVS OMNIPOTENS] Aptissimè hæc verba ad prædicationem mysterij Trinitatis referuntur. Atque ita fuerat prænunciatum Isaiæ sexto, in aduentu Christi.mysterium sacrosanctæ Trinitatis diuulgandum esse in mundo, & prædicandum. Vide ibi Leonem de Castro, vbi adducit Basilium,Epiphanium & alios:& concludit,veteres Patres ad vnum Seraphinorum Isaiæ trisagium de Trinitatis prædicatione declarasse. Vbi obiter Nota, quod Isaiæ textus ait, *Clamabant Sanctus, Sanctus, Sanctus*: clamorem autem quis non videat ad prædicationem esse referendum? Vide etiam Pererium disp 28.vbi affert Damascenum,Felicem Papam, & duo Cõcilia Generalia(nempe Chalcedonense & Constantinopolitanum)à quibus trisagion hoc de mysterio Trinitatis intelligitur, Et sanè cùm Ioannis animalia repræsentent Apostolos, viroſque Apostolicos,quibus Christus id muneris commisit, vt altissimum Trinitatis mysterium terrarum orbi prędicarent:dubium esse nequit trisagium hoc admirabile includere in se distinctionis diuinarum personarum, & vnitatis essentiæ prædicationem.

In Ioannis animalium trisagio mysterium Trinitatis adumbrari.

C

Sed obiiciet fortasse aliquis,in textu mox subdi,*& cum darent illa animalia gloriam & honorem sedenti super thronum*, igitur illis verbis,*Sanctus,Sanctus,Sanctus*, continetur elogium sedẽtis in throno: ac proinde referenda non sunt ad mysterium Trinitatis: sed solum ad magnam æterni Patris sanctitatem: cùm ille, qui in throno sedet,non Trinitatem SS. repræsentet,sed solum Patrem,vt probatum est suprà notat. 3. huius capit.Huic argumento respondeo,nihil aliud esse iterare *Sanctus, Sanctus,Sanctus*, quàm prædicare mysterium Trinitatis: sed id ipsum esse æterno Patri gloriam tribuere quam maximam. Sic enim prædicatur, Filium à Patre generari: & ab vtroque procedere Spiritum sanctum, quo nihil excogitari potest æterno Patri glorioſius.

Præter hæc, huius mysterij celsitas adeò est sublimis & excellens, vt creatarum mentium perspicacitatem omnino superet,nec comprehendi se,aut penetrari patiatur. sed coli tantùm & credi. Cũ verò semper mysterium ipsum adeò nobis obscurum adeoque difficile permaneat, mirum non est si nostræ rusticitati illud interdum occurrat,nimirum si Deo collibuisset, vt tantum hoc arcanũ nos omnino lateret,futurũ vt Ecclesia multis tumultibus, bellis & oppugnationibus se subduxisset homines autem ipsos de ea re celauisset Deus, cuius cognitionem in hac vita haberi nõ admodùm referre videretur.Siquidem tot antea sęcula,priusquam Dei filius nostram indueret carnem, prętierunt; in quibus expressa huius mysterij notio non erat fidelibus communiter tradita neque percepta.Quòd si respondeatur, absque mysterij Trinitatis cognitione notitiam de verbi Dei incarnatione haberi non potuisse. Huic posset opponi,absq; mysterij Trinitatis reuelatione nobis reuelari potuisse Deum humanâ naturâ indutum; id quod sufficere videbatur ad dominicæ incarnationis beneficium,eiusque magnitudinem expendendam. Nihilominus tamen respondetur,minimè latuisse Deum, quantum difficultatis Christianæ fidei ex huius mysterij reuelatione oboriretur; & quot essent damnandi, eo quòd tantum mysterium crediturí non essent:quot insuper & quantæ persequutionum procellæ aduersus Ecclesiam essent, præsertim à Iudæis & Arrianis, huius articuli ratione concitandæ. Hac (inquam) omnia satis præuidit Deus, & Isaiæ Prophetæ præmonstrauit c.6.sub ea figura,cùm à Seraphinorum clamore dicentium, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*,templum ipsum contremiscere & desuper ruere visum fuit, *& commota sunt superliminaria à voce clamantium*. Veruntamen hisce

Assiduitas in Trinitatis mysterij prædicatione.

D

nihil

Digitized by Google

A nihil obstantibus, in Dei consilio tanti momenti est ad ipsius gloriam, & ad Christianæ Ecclesiæ felicitatem; & tantam illi attulit salutem mysterij Trinitatis prædicatio, vt sapientissimè fuerit à Deo decretum, vt non diuulgaretur solùm hoc mysterium, sed etiam vt prædicaretur omni creaturæ, & omnes ad distinctam vnius Dei ac trini cognitionem tenerentur.

Quanti sit momenti prædicatio mysterij Trinitatis.

Vt verò meliùs huius prædicationis pondus ac momentum percipiatur; aduertendum est, cetera omnia, quæ de Deo nouimus, vt puta infinitam eius bonitatem, sapientiam ac potestatē, à nobis percipi posse & quodammodo mente comprehendi. Concipimus enim huiusmodi attributa; & ad eorum deinde infinitatem cognoscendam per terminiant liminis negationem accedimus: neque id nobis difficile valde est. Ceterùm illud nostrarum mentium acumen & perspicacitatem omnino præteruolat, tres scilicet personæ inter se distinctæ, atque vnus idemque natura Deus: & quidem adeò vnus, vt nihil tam vnum & simplex possit vsquam reperiri; & nihilominus tres personæ ita distinctæ: vt vna ex iis carnem assumere, ceteris non assumentibus, potuerit. Hoc ergo ipsum, quod creatis mentibus adeò est incomprehensibile, nobis ostendit immensam diuinitatis celsitudinem: ac proinde quanti interfuerit huiusmodi reuelatio, vt & Dei gloria quam maximè celebretur, & à cunctis hominibus summoperè ipse colatur. Eadem etiam huius mysterij difficultas, fidei meritum valdè auget, & maximæ æstimationis efficit humilem reuerentiam ac venerationem, qua adoratur &

B creditur id, quod est omnino incomprehensibile.

Mysterij Trinitatis prædicatione & Dei maiestatem, & in nos pariter ipsius charitatem explicari.

Ad hæc, valde est admiratione dignum, vt id ipsum, quod Dei nobis maiestatem ac celsitatem patefacit, nobis etiam declaret eximam ac singularem charitatem, qua Deus Ecclesiam Christianam prosequitur. Siquidem hæc illum charitas coegit, vt penitissimum & abstrusissimum arcanū, quod Deus proprio in pectore recondiderat, omnibus id Christianis reuelaret hominibus. Si enim magnā suam erga Abrahamum charitatem retexit, cùm dixit, Genes. 18. 17. *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum?* quantò illustriora edidit huius charitatis documenta, quando non potuit (vt ita dicam) non ingens hoc arcanum Ecclesiæ Christianæ euoluere, nec passus fuit illud Christianorum cuilibet ignotum esse? Vide Ioan. 15. 15. *Iam non dicam vos seruos: quia seruus nescit, quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Exposuerat iam illis Christus mysteriū Trinitatis & eodem illo cap. illis dixerat, *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos.* Atque ideo ait, se illis enunciasse quidquid à Patre audiuerat; nimirum quia illis explicuerat maximum Dei arcanum, quodque tantopere aliis arcanis seu mysteriis præstat, vt cùm ad eius communicationem siue reuelationem perueniatur, dicatur meritò, nihil esse quantumuis magnum, quod præ magnitudine lateat eum cui quod summè est ingens enunciatur.

In Ioannis animalium trisagio non mysterium modò Trinitatis, sed totum etiam Apostolorum symbolum includi.

Porrò verba illa, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, non solùm continent sanctissimum Trinitatis mysterium

C sed etiam totum Apostolorum symbolum, quod Christianæ fidei articulorum summa comprehenditur. Quamobrem cùm dicitur, animalia clamare *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, idem fere est ac si diceretur, totam Euangelicam doctrinam ab iis prædicari. Nam quod in Apostolorum symbolo continetur, non est aliud, quam Deum esse trinum & vnum: & ex tribus personis Patri creationem attribui (ideo enim dicimus, *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ*;) Filio redemptionem humani generis *& in Iesum Christum Filium eius vnicum, qui conceptus est*, &c.) sancto verò Spiritui, animarum sanctificationem, & sanctorum beatitudinem) *credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam sanctorum communionem, remissionem peccatorum*, &c.) Cùm ergo sacra animalia ter clament Deum esse sanctum, non solùm aiunt, tres esse personas diuinas, & vnicum verum Deum, sed etiam non obscurè innuunt, sanctitatem suam ostendi à Patre in mundi creatione: à Filio in humani generis redemptione, ab Spiritu sancto in hominum sanctificatione & beatificatione. Quoniam autem in his tribus creationis, redemptionis & sanctificationis operibus apparet Deus omnipotens & vniuersalis omnium Dominus ideo ad trisagium additur ab animalibus, *Dominus Deus omnipotens*. Hanc existimo veram atque germanam Trisagij declarationem. Et certè cùm quatuor Ioannis animalia, nec non Isaiæ Seraphini Apostolos & Euangelij concionatores significent: facile est videre, quàm fit appositum, vt eorum clamor summam prædicationis Euangelicæ complectatur.

Cur trisagio addatur, Dominus Deus omnipotens,

D QVI ERAT, ET QVI EST, ET QVI VENTVRVS EST.] Iam c. 1. 4. tum in commentario, tum etiam in 3. notat. late explicuimus, in huiusmodi verbis exprimi nomen *Iehouah*. Atque vt Isaiæ Seraphini cum trisagio coniunxerunt nomen *Iehouah*, ad essentiæ vnitatem explicandam: sic Ioannis animalia ad maiorem similiter explicationem copulant cum eodem trisagio expressam nominis *Iehouah* declarationem. Qua de re lectorem refero ad ea quæ cap. 1. dicta sunt. Illud autem in hoc loco nouum est ordo scilicet ac series. Nam c. 1. dixerat Ioannes, *ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est*, nunc verò dicit, *Qui erat, & qui est, & qui venturus est*. Nec verisimile est hanc mutationem in re tanti momenti casu & gratis factam esse. Dicam ergo, quid mihi in præsenti occurrat. Nomen *Iehouah* (vt c. 1. notat. 3. notauimus) duo in se mirum in modum includit, videlicet Trinitatis mysterium. & diuinæ Prouidentiæ perfectionem. Quòd verò cap. 1. è re Ioannis erat, fuit perfectionem diuinæ Prouidentiæ attendere, & firmissimam spem, fore vt Christianæ Ecclesiæ ædificium Deus ipse esset protecturus. Ibi enim sermo erat de Apocalypseos argumenti summâ; quæ reducitur ad excellentem perfectionem prouidentiæ, quam Deus in Christianam Ecclesiam ostendit. At in præsenti loco (vbi coniungitur expressio nominis *Iehouah* cum trisagio) fortasse fuit expediens vt in nomine *Iehouah* respiceretur ad mysterium Trinitatis quod in se includit. Dico ergo cap. 1. ordinem illum. *qui est, & qui erat & qui venturus, est*, congruentissimum fuisse, vt indicaretur quemadmodum se Deus cum Christiana Ecclesia gereret, hoc fere sensu, iam re vera *est* redemptor qui olim *erat* promissor & figurator, & tandem *venturus est* vt opus suum cumulatissimè perficiat. In præsenti autem, cum de

Cur in iis verbis, Qui erat, & qui est, &c. immutetur ordo. in 1. cap. insitus.

Digitized by Google

mysterio Trinitatis sermo sit, oportuit exordiri ab illo *erat*; quia ordo illorum trium operum, quæ tribus diuinis personis attribuuntur, hic est; Creatio, Redemptio, & perfecta Sanctificatio. Porrò *qui erat* refertur ad creationem; *qui est*, ad redemptionem; *& qui venturus est*, ad Ecclesiæ sanctificationem & perfectionem A

TEXTVS.

Vers. 9. Et cùm darent illa animalia gloriam & honorem & benedictionem sedenti super thronum viuenti in sæcula sæculorum.

COMMENTARIVS.

Quorsum hic Deo gloria, honor, & benedictio ab animalibus deferatur?

DAre gloriam & honorem & benedictionem, in præsenti refertur ad mysterij Trinitatis prædicationem; & ideò cùm repetitum fuerit ter nomen *Sanctus*, ita nunc tria nomina ponuntur, quæ laudem significant, videlicet gloria, honor & benedictio. Deinde vidimus iam suprà, licèt trisagium sit sanctissimæ Trinitatis prædicatio, nihilominus tamen rectè dici, gloriam, honorem & benedictionem huiusmodi prædicatione sedenti in throno, id est, Patri æterno deferri. Etenim illa est maxima gloria atque honor ex iis, quæ æterno Patri tribui possunt; cùm de illo prædicatur & Filium gignere, & Spiritum sanctum spirare. Præterquàm quòd in trisagio, vt iam perstrinximus, symboli Apostolorum summa continetur; quæ tota est æterno patri, diuinitatis fonti, glorioſissima. B

Scripturam de Dei vita loqui solere, vt de creaturarum vitæ fonte.

VIVENTI IN SÆCVLA SÆCVLORVM] Licèt hæc verba videantur non ampliùs continere, quàm Dei immortalitatem. Ceterùm de Dei vita solet Scriptura loqui, tanquam de fonte & origine vitæ cretaturarum, vt in illis verbis Ioan. 1. *In principio erat Verbum*, quæ suprà explicauimus cap. 1. notat. 3. Et in illis etiam, *in ipso vita erat*, quæ idem significant, atque illa Psal. 35. 10. *Apud te est fons vitæ*. Quod ergo dicitur, *Viuenti in sæcula sæculorum*, non solùm significat, Deum viuere & perpetuò esse victurum; sed etiam vitam & felicitatem Christianæ Ecclesiæ prouecturum; ac proinde bonorum Christianorum felicitatem fore æternam.

TEXTVS.

Vers. 10. Procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabãt viuentem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum.

COMMENTARIVS.

In seniorum adoratione sacrificium Missæ adũbrari.

INter Ecclesiæ Christianæ excellentias, (de quibus in hoc cap. sermo est) haud æquum erat silentio prætermitti admirabile nouæ legis sacrificium, quod sacerdotes quotidie in Missis Deo offerunt. Considerandum autem est, sacrificia semper præcipuam diuini cultus extitisse portionem. atqui planum est, diuinum cultum esse Dei adorationem. Cùm ergo seniores XXIV. sint Ecclesiæ sacerdotes (de quo satis suprà dictum est,) nihil congruentiùs, quàm vt hæc adeò insignis seniorum adoratio, nempe (*Procidebant & adorabant viuentem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum*) diuinum cultum repræsentet, quem Christiani sacerdotes in Missarum celebratione Deo deferunt. Celebrationem autem Missarum in Ecclesiæ nascentis exordiis comitabatur ferè Sacra Christi corporis ab adstantibus susceptio. Quare vbi mentio fit Missarum Ecclesiæ primitiuæ, eo ipso innuitur circumstantium deuotio atque communio. Quemadmodum, cùm sermo nunc est de Missarum frequentia, quæ in aliquo oppido aut loco est, tacite etiam agitur de totius populi ad audienda sacra concursu, deque cura vt frequenter fiant. Obserua insuper, cùm mentio fuerit facta maris vitrei (quod respondet mari æneo? in quo sacerdotes sacrificium oblaturi, lauabantur) rectam ordinis consequentiam exigere, vt mentio similiter fieret sacrificiorum nouæ legis. Cùm verò in hoc capite alterius sacrificij mentio non fiat, nisi illius, quod in hisce verbis figuratur (*procidebant 24. seniores ante sedentem in throno & adorabant*, &c.) non dubito, quin hìc significetur, in Christianâ Ecclesia; omnibus antiquæ legis sacrificiis succesisse incruentum sacrificium, quod nostræ Ecclesiæ presbyter (id est, seniores) offerunt. Quod sacrificium præstantissimam Dei adorationem continet, & ipsi Deo gratiorem reliquis omnibus, quæ ipsi fieri possent. Facit, quòd in canone ipsa Missa appellatur sacrificium laudis. Et collata hac adoratione cum mari vitreo, quod in hoc eodem capite positum est ob oculos, tacitè indicatur mare illud vitreum fuisse institutum vt hoc sacrificium Deo puris manibus offerretur; & vt lauarentur, non seniores solùm, sed totus etiam populus Christianus (qui est regale sacerdotium) vt debita animi puritate & reuerentia diuino huic sacrificio interſint, & illius fiant per sacram communionem participes. C D

Cur quatuor animalium clamor præcedat seniorum adorationem.

Aduerte prærereà; ex huius versiculi contextu & connexione cum præcedenti, planè intelligi, quatuor animalium clamorem præire, & mox subsequi seniorum adorationem. Suppositâ autem vtriusque rei significatione, quàm suprà explicuimus, hac connexione indicatur, ex Euangelij prædicatione quasi ex proprio fonte deriuari, vt antiqua sacrificia cum noua hac & admirabili adoratione sint commutata, ita vt Deus Christiano ritu ac ceremonis colatur, hoc est Missis, in quibus offertur Deo magnum hoc & venerandum sacrificium in illis antiquis figuratum.

Quid ex hac seniorum adoratione ad Missæ sacrificiũ speciatim colligatur.

In hoc insuper nouo sacrificij & adorationis modo denotatur, Christianos sacerdotes in eodem sacrificio mysterium Trinitatis sanctissimæ recognoscere, & directè cum patre æterno loqui. Procidunt enim ante thronum dicentes, *Dignus es, Domine Deus noster*, &c. Atqui, (vt suo loco vidimus,) qui sedet in throno, est Pater æternus. Veruntamen perspicuum est, illos Trinitatis mysterium venerari.

Digitized by Google

A nerari. Procidunt enim & adorant viuentem in sæcula; iuxta trisagij prædicationem expressis tribus laudis nominibus, gloria, honore & virtute; dum dicunt, *Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam & honorem & virtutem.* Hæc ergo omnia mirificè consentiunt cum Missæ celebratione in Catholica Ecclesia. In Missarum namque orationibus, adorationibus, & canone sacerdos ferè cum Patre æterno loquitur. Atque ideo Ecclesiæ orationes his frequenter verbis terminantur. *Per Dominũ nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti.*

TEXTVS.

Vers. 11. Dicentes; Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam & honorem & virtutem: quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant & creata sunt.

COMMENTARIVS.

B NOnnihil ad huius versus declarationem in expositione superioris dictum est. Nonnulla tamen hic sunt adiicienda. Primò manifestum est, verba illa, *accipere virtutem* non esse hic aliud, quàm accipere laudem, propter eam virtutem, quam ipse continet in se; & propter ipsius virtutis ostensionem, quam in suis operibus exhibet. Simili phrasi dicitur Agno, c. 5. 12. *Dignus est Agnus accipere virtutem & diuinitatem*, &c. ea scilicet ratione, qua dicimur tribuere & deferre sanctitatem ei, cui nihil aliud tribuimus, quàm venerationem ob sanctitatem. *Accipere Deum virtutem, quid hic sit.*

Secundò, cùm dicitur, *quia tu creasti omnia*; particula illa (*quia*) reddit rationem, cur æterno Patri Missæ sacrificium offeratur (nam seniorum adoratio indicat sacrificium Missæ; & adoratio exhibetur ei, qui sedet in throno, id est, æterno Patri, vt suprà declaratum est) Ratio autem est, *quia tu creasti omnia*, hoc est, quia Pater æternus est prima Trinitatis persona, (cui tribuitur creatio) atque adeò totius diuinitatis fons.

Tertiò, verba illa, *propter voluntatem tuam erant & creata sunt*, denotant, æterno Patri, vt diuinitatis fonti, non deberi solùm illud esse, quod creaturę per productionem antiquam acceperunt; sed etiam nouum esse gratiæ, quo illis impertitum fuit, cùm factæ sunt nouę creaturæ, iuxta Pauli loquutionem. *Tũ de creatione, quàm de iustificatione his in verbis mentionem contineri.*

C Ac primum omnis creaturæ nomine de hominibus solum esse sermonem, non est in sacra Scriptura nouum. Vide Marci vlt. *prædicate Euangelium omni creaturæ.* Deinde, in vltimis verbis sermonem esse de noua creatione & de nouo esse supranaturali, id contextus ipse palam ostendit. Ait enim, *Propter voluntatem tuam erant & creata sunt.* Q. d. Post antiquum illud esse, iam erant creata, aliud esse nouum eis deditti, quapropter iure dicuntur denuo per omnipotentiam Dei esse creata. Atque ita loquitur Paulus de nouo homine, *qui secundum Deum creatus est*, Ephes. 4. 24. Eodemque modo huius loci contextus intelligitur necesse est. Quia de antiqua ac priore creatione iam fuerat facta expressa mentio, in ijs verbis, *Tu creasti omnia & propter voluntatem tuam erant.* Neque id ampliùs explicatur per subsequentia verba. Adde huc, cùm de sacerdotum adoratione & noui sacrificij oblatione sermo sit omnino expedire: vt non solùm in ea adoratione fiat creationis antiquæ mentio, sed etiam redemptionis & sanctificationis nouæ. In missis enim, licèt ad æternum Patrem tanquam ad creatorem dirigatur sermo: præcipue tamen respicitur ad venerationem, quæ ei debetur propter nouum esse, quo humanum genus per Christi redemptionem & Spiritus sancti sanctificationem euexit.

NOTATIO XIV.

De allusione huius capitis ad templum Salomonis.

Quibus in rebus hoc caput ad Salomonis templum alludat.

ALlusionem cap. huius ad templum Salomonis vt agnoscamus, nos cogunt thronus Dei viginti quatuor sacerdotes principes, septem lampades, mentio maris, Cherubinorum species, & diuinæ maiestatis adoratio à sacerdotibus facta. In quibus facile animaduertitur, habitum fuisse respectum ad antiquum Dei thronum Propitiatorio impositum; ad viginti quatuor familiarum principes ducentium genus ab Aarone; ad septem aurei candelabri lucernas; ad mare æneum; ad templi Cherubinos; & ad antiquum Dei cultum in Salomonis templo frequentatum. Eadem etiam facilitate intelligitur; cælum, in quo Dei thronus erat, respondere ipsi templo. Cælum enim appellatur quoque Dei templum. Ex quibus constat, non esse valde intellectu difficile, huius capitis scopum eò spectare, vt primitiuam Christi Ecclesiam cum templo Salomonis conferat; & paritet obseruet, quantopere nouum hoc Ecclesiæ Christianæ templum antiquo illi antecellat. Et quidem suppositis iis, quæ de harum rerum singulis in commentario notauimus; nullus erit (opinor) qui in dubium reuocet, admirabilem in hoc capite allusionem ad templum Salomonis contineri.

Cælum in hoc capite respondere Salomonis templo.

Enimuerò protinus animum pulsat difficultas, quæ hic sese offert. Etenim si in hoc capite sit comparatio D Christianæ Ecclesiæ cum insignioribus rebus, quæ in templo Salomonico erant, non satis est congruentem reddi rationem eorum, quę textus tangit, nisi eorum etiam ratio reddatur, quæ videntur prætermitti, & explicetur vtrum ea silentio inuoluantur, & quare? Verbi gratia: Diximus in septem lampadibus alludi ad templi candelabrum. Si ergo è regione ipsius candelabri, mensa propositionis erat in templo Salomonis (vt re vera erat) cur nulla illius fuit facta commemoratio? Deinde exprimitur Dei thronus: & tamen arca testamenti supprimitur, quæ in templo illo ceteris omnibus pluris æstimabatur. Præterea, vbi duo illa altaria: nempe alterum holocausti & alterum thymiamatis? Etenim quando mare vitreum expressè fuit loco maris ęnei positum; altaria etiam videbantur non fuisse prætereunda, quę magis erant propria templi. De his ergo disputandum est in presenti notat.

Prima ergo dubitatio sit, An fœderis arcam viderit Ioannes in hac visione, aut aliquid ei respondens? Pradus, Ezechielis 1. cùm sibi persuadeat; Isaiæ, Ezechielis & Ioannis visiones esse omnino similes: & in ijs omnibus Deum ostendisse suum solium, illius instar, quod in templo habebat: non dubitat, quin thronus, quem Ioannes in hoc capite vidit, super arcam fuerit, atque adeò *Num Ioannes in hac visione viderit arcam, vel quidpiam aliud ei respondens?*

Digitized by Google

Arcam Ioannis visam sentit Pradus. Contrarium tamen videri probabitur.

adeò Ioannes arcam in præsenti capite aspexerit. Quod probat Pradus; quia Ezechiel ait se Dei gloriam vidisse. Atqui visitata est S. Scripturæ phrasis, arcam appellare *Dei gloriam*. Verùm, cùm iam suprà ostenderim, visiones illas non fuisse penitus similes; quin imò magnam ipsarum artificij & elegantiæ partem esse sitam in eo, quòd aliqua in eis diuersa reperiantur: nihil nobis probat Pradi fundamentum; nec sufficiens argumentum est, vt ideo asseramus arcam à Ioanne in huius capit. visione fuisse visam. Et nihilo firmiuss probatur eam ab Ezechiele in suo 1 cap. fuisse conspectam ex eo, quod dicat se gloriam Dei vidisse. Etenim licèt certum sit aliquando gloriæ Dei nomen tribui arcæ fœderis, sed ratio, cur ei tribuatur, est thronus, quem Deus super ipsam habebat. Quemadmodum Mantuam Carpetanorum siue Matritum appellare solemus regis Hispaniæ curiam, quod rex atque ipsius consiliarij ibi sedem fixerint. Nec tamen inde sequitur, eos omnes, qui curiam aliquando aspexerunt, in ea vrbe fuisse; Potuit enim contingere ab aliquibus eandem curiam visam fuisse Pinciæ. Si ergo nomen gloriæ Domini, propriè Dei præsentiæ inter Cherubinos existenti tribuitur, id certum est ab Ezechiele fuisse visum. Vtrùm autem arcam fœderis iuxta fluuium Chobar aspexerit, id ex eius narratione minime constat. Nihil autem de ipsius visione præter id, quod ipse exprimit, nobis innotescit.

Gloria Dei nomine aliquando arcam fœderis in Scriptura significari.

Quod ad Ioannis visionem attinet; constat (meo iudicio) ipsum in hac prima Apocalyp. parte non vidisse arcam testamenti. Nam c. 11. n. 19. asserit, vt rem nouam, *Apertum est templum Dei in cœlo; & visa est arca testamenti eius in templo eius.* Vnde non obscurè infertur, in hac de qua modo loquimur visione non illi arcā fuisse ostensam, donec ad eam visionis partem capitis 11. peruenit. Nec mysterio vacabit, tunc illi apparuisse arcam; vt eo loci patebit.

Iridem loco arcæ Ioannis fuisse visam.

Altera dubitatio est, Num Ioannes quādo arcam hîc non vidit, aliquid saltem viderit ipsi arcæ respondens? Ad hoc dico, iridem quam Ioannes in circuitu sedis conspexit, videri arcæ respondere. Nam arcæ mysterium erat Dei fœdus cum populo suo (nempe vt seruaret populus legem, & Deus illi esset propitius & fautor) & ideò appellabatur arca fœderis. Si ergo hoc erat arcæ mysterium: arcus etiam cælestis erat fœderis arcus: legimus enim Genes. 9. 12, *Hoc signum fœderis inter me & vos in generationes sempiternas*. Imò verò fœdus illud cum Iudaico populo, quod arca repræsentabat, erat aliquando rescindendum, abolenda enim erat antiqua lex. Fœdus verò; quod arcus cœlestis repræsentat, est æternum, & in generationes sempiternas. Fuit itaque maxime congruens: vt in hac Christianæ Ecclesiæ cum Salomonico templo comparatione; arca fœderis in fœderis arcum conuerteretur. Tum quia cœlum erat tēplum nouum, & iris est signum fœderis in cælo: tum quia Dei pactio cum Christiano populo æterna est, & *in generationes sempiternas*. Quare per expressam allusionem od cælestem arcum, ait, Isaias c. 54. 10. *Sicut in diebus Noe istud mihi est. Montes commouebuntur. & colles contremiscent: misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur*. Quòd si arca appellabatur gloria Dei, forte etiam Ecclesiasticus idem nomen tribuit arcui cælesti cap. 43. 18. *Gyrauit cœlum in circuitu gloriæ suæ*. Illud certe manifestum est, mysticum arcum (id est Christi redemptoris nostri passionem, vt in commentario explicuimus) multò sublimiùs & excellentiùs, nomen Dei gloriæ mereri, quàm antiquam fœderis arcam: & ad figurandam propitiationem, quam in Christo habemus, aptiorem in hac visione fuisse arcum, quàm arcam. Si autem in Ioannis visione arcus supplet vices arcæ; argumento est Ezechieli cap. 1. non fuisse visam arcam fœderis; quia ipse testatur se vidisse arcum siue iridem.

Cur in hac Ioannis visione arca fœderis sit in arcum cælestē conuersa?

Aptiorem huius visionis arcum fuisse, quàm arcam.

Licèt non arcā, Propitiatorium tamen fuisse hic visum à Ioanne.

Ex eo tamen, quod Ioanni in hoc capite arcam fœderis fuisse conspectam negem, non nego propitiatorium illi fuisse monstratum: quod præcipua erat ac superior arcæ pars. Scio non deesse, qui contendant Propitiatorium non fuisse cum arca coniunctum, sed arcæ aliud fuisse præterea proprium operculum: Propitiatorium autem fuisse nonnihil altiùs arca & separatum ab illa: ac Cherubinorum, quos fecit Moses, manibus sustentatum. Cui cogitationi fauere videtur primâ specie illud Num. 7. 89. *Moses audiebat vocem loquentis ad se de Propitiatorio, quod erat super arcam inter duos Cherubim.* Huius tamen loci constructio germana non est, Propitiatorium esse inter duos Cherubinos, sed Dei vocem exauditam fuisse inter duos Cherubinos, vt explicatur Exodi 25. 22 *Loquar ad te suprà Propitiatorium ac de medio duorum Cherubim*. Propitiatorium enim constat fuisse Cherubinorum basim; ipsosque super illud vtroque ex latere pedibus niti (vt perspicuè docent Iosephus & Philo, quorum verba suprà retulimus.) Et constat etiam Propitiatorium cardinibus aureis fuisse arcę compactum. Itaque certum est, arcæ non aliud fuisse operculum præter ipsum Propitiatorium. Vnde Vulgatus & LXX. nec non Iosephus & Philo disertè appellant illud operculum arcæ. Quòd si aduertatur, Cherubinos necessariò super Propitiatorium esse debere; planum fit non aliud arcæ operculum fuisse. Nam Scriptura expresè affirmat Cherubinos super arcam fuisse. Illi autem aliud experimentum addidere, qui Cherubinos existimarunt non fuisse super Propitiatorium.

Propitiatorium fuisse Cherubinorum basim: nec aliud ab arca distinctū, sed ipsius operculum.

Quod si semel admittatur, nullum aliud arcæ experimentum fuisse præter Propitiatorium: non videtur negari posse, quin Ioannes in hac visione præcipuam arcæ partem aspexerit. Nā etsi non exprimat se auream tabulam vidisse; asserit tamen se vidisse Dei thronum, qui (vt suprà probatum est) pro basi seu fundamento constabat Propitiatorio; in quo Cherubini adstabant qui collatis atque consertis alis quandam sellę siue sedis normam componebant, vbi Deus considere dicebatur; & sub eius pedibus pro scabello siue suppedaneo esse Propitiatorium. Sublata autem arca, non est cur vncinos aureos in aurea tabula consideremus. Nec Ioannes fortasse in aureæ tabulæ figura, sed in sapphirinæ Propitiatorium aspexit. Nam suppedaneum Dei pedibus suppositum (quod describitur Exodi 24. 10. sapphirinum erat. Legimus enim, *Sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini: & quasi cœlum, cum serenum est.* Et similiter Ezech. 1. 26. *Quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni.* Et cap. 10. 1. *Quasi lapis sapphirus species similitudinis solij*. Cùm autem Ioannes Dei solium viderit in cælo: in hoc videtur ipsius visio ad Mosis & Ezechielis visiones conformanda. Quod si admittamus basim throni à Ioanne visi fuisse fuisse sapphirinam, & Christum figurare; cum hoc mirifice cohæret, secundum cælestis ciuitatis fundamentum esse sapphirum, Apocalyp. 21. 19. quo significatur (vt eo loci planum fiet) secundus articulus Symboli Apostolorum; cuius verba sunt *& in Iesum Christum Filium eius vnicum Dominum nostrum*. Verum enimuerò, vtcunque hoc sit, S. Scriptura nos docet, Propitiatorium fuisse Dei pedibus pro hypopodio suppositum: & Ioannes affirmat se vidisse Deum in throno. Thronus autem est regia sella cum scabello hyppopodio siue suppedaneo. Atque ita negandum non est Ioanni in hac visione Propitiatorium visum fuisse.

Vnde colligatur Propitiatorium hic à Ioanne fuisse conspectum.

Qua ratione sit considerandus thronus, quem in templo habebat Deus.

Confirmatur hoc ex certissima Propitiatorij significatione, quod Christum Dominum haud dubiè indicabat; vt docet Paulus Rom. 3. 25. vbi legimus, *Quem proposuit Deus propitiationem*, vbi græcè est, ἱλαστήριον; quo nomine vocant Propitiatorium LXX. & ipsemet Paulus, Heb. 9. 5. Obseruatione autem dignum est, eodem verbo Hebraico (nempe כפר *Kapar*) duo significari, nempe Operire atque Placare: & inde deriuari nomen (כפרת *Kapareth*) quod duplicem quoque habet significationem, scilicet operculi & Propitiatorij, & cum LXX. in vtraque significatione mysterium reperirent, pluſquam semel appellauisse illam tabulam ἱλαστήριον ἐπίθημα, (vt Exod 25. 17. & c. 37. 6.) quod sonat *Propitiatorium operculum*. Huic verò translationi vt lux aliqua accedat, considerandum est, quanam ratione arcę operculum apte deseruiat ad Christi Domini, veri Propitiatorij significationem? Dico ergo, illa arca denotari fœdus, quod Deus cum Israëlitico populo sanciuerat cuius fœderis præcipua pars eò spectabat, fore vt Deus illis Messiam promissum mitteret, simulque verā cum illo Propitiationem. Quemadmodum autem arca sine operculo inutilis esset: ita etiam totum pactum beneficiorum,

Propitiatorium quid significet.

Eodem verbo Hebraico significari operire & placare.

Propitiatorium à LXX. fuisse appellatum pariter Propitiatorium & operculum.

Propitiatorij symbolū quàm aptè Christo congruat.

Digitized by Google

ciorum, quæ erant in legis obseruatores conferenda, sine Christo inane esse: ac vanum. Ecquis enim est, qui non sæpius peccet; ac proinde indigeat, vt Deus ei scelera remittat ac tegat? Cùm igitur in Christo efficacissimum esset remedium ad omnia hominum scelera condonanda, & ad Dei promissa cunctis legis obseruatoribus proposita confirmanda; nihil potuit ad hæc significanda congruentiùs excogitari, quam arcam fœderis aureo operculo contegere; illudque appellare Propitiatorium, vbi obseruandum est, eandem operculi figuram, (quod est veluti complementum areæ,) significare, Christum, qui est verum Dei Propitiatorium, afferre Dei promissionibus robur ac firmitatem. Vide 2. Corinth. 1.20. *Quot quot enim promissiones Dei sunt, in illo Est, & per ipsum Amen Deo:*

Cur arca hic nõ apparuerit, sed arcus?

Hac ex parte nequaquam dissentaneum esse videbatur, vt Ioanni in hac visione Propitiatorium super arcam monstraretur. Verùm quia arca (licèt eius significatio extendi possit ad passionem quàm cùm legis Euangelicæ obseruatoribus facit Deus) propriè tamen & strictè significabat fœdus illud, quod Deus cum obseruatoribus Mosaicæ legis fecerat (quæ lex eo tempore iam erat antiquata) ideo conuenientiùs fuit, vt in hac visione pro arca substitueretur aliud aptiùs symbolum. Adde, quòd arca videbatur etiam significare legis obseruationem & custodiam præceptorum (quia intra illam legis tabulæ inclusæ custodiebantur) & quia neminem ad perfectum adduxit lex; & legis obseruatio (quæ ex se alioqui erat imperfecta) perficiebatur Dei propitiatione, quæ per Christum confertur; ideo appositè Christus per arcæ operculum figuratus est. Quod autem Propitiatorium, & arcæ esset operimentum, & Cherubinorum basis; indicat Christum, (qui est inter vtrunque testamentum) esse, qui veteris Testamenti sanctitati colophonem addidit; & qui basis est & fundamentum nouæ & cælestis sapientiæ & sanctimoniæ noui Testamenti, quæ cælesti hierarchiæ sapientiam & sanctitatem imitantur; & in duobus adumbrantur Cherubinis, vt suprà satis explicatum est. Ceterùm cùm Ioanni in huiusmodi visione non esset demonstranda veteris Testamenti sanctitas, sed noui; ideo conueniens fuit, ne illi arca, sed solùm nouus Dei thronus in Ecclesia supra Christum fundata constitutus monstraretur. Quemadmodùm Mosis Cherubini (qui figura erant spiritalis Dei throni, Propitiatorio tanquam basi innitebantur.

Cur Propitiatorium fuerit Ioanni hic ostensum.

Ex suprà dictis intelligitur, desumptum fuisse ex arca fœderis Domini ad hanc visionem quicquid è re ipsius erat: nempe Propitiatorium, aptissima Christi figura. Quod autem ex arca deerat ad noui fœderis significationem: cælestis arcus symbolo fuisse suppletum. Quo significaretur, nouum fœdus esse æternum: quemadmodum ab Ecclesia appellatur in calicis consecratione.

Cur nulla mensæ propositionis mentio in hac visione?

Secunda dubitatio sit de mensa propositionis: cur scilicet, cùm candelabri facta sit commemoratio, & septem ipsius lampadum: mensa fuerit intacta prætermissa? Aliquis fortasse responderet, mensam fuisse relictam: quia septem lampades candelabri significant spiritualis prouidentiæ Diuinæ perfectionem & dona spiritualia, quæ Deus suis fidelibus largitur: mensa autem indicabat prouidentiam, quam de alendis suorum fidelium corporibus Deus habet. Quod si ita est, vt affirmat Philo, libro Quis diuinarum rerum hæres, & libr. 3. de Vita Mosis, & S. Thomas 1. 2. q. 102. art. 4. ad 6 ac Nicolaus de Lyra 3. Reg. c. 7. si hoc (inquam) ita est omissio mensę propositionis in hoc capite, quo de Christiani populi excellentiis agitur, significare poterit; Ecclesiæ Christianæ (primitiuæ præsertim) excellentiam in beneficiis temporariis non consistere, sed in spiritualibus. Atque vt confirmetur per mensam propositionis significata fuisse temporalia beneficia: aduertitur mensam positam fuisse ad partem aquilonarem, hoc est ad lævam. Nam temporales res ad sinistram spectant: & panes, qui in ea mensa proponebantur, ad temporalis vitæ nutrimentum pertinebant.

Mensa propositionis quid significaret iuxta Philonem.

Ceterùm hæc responsio non videtur satisfacere, quia expositio illa de corporali nutrimento per mensam propositionis denotato, humilior est, quàm vt ad illam præcipuè respectum esse, credi debeat. Et licèt ea inepta non sit ad Iudaici populi considerationem; at non satis esse nobis debet, antiquis figuris eam tribuere significationem, quam eis Iudæi accommodabant? sed eas declaremus oportet, ita vt in eis rectè præstetur quod S. Augustinus de prophetiis ait, eas scilicet Iudaica tangere, sed Christiana respicere. Quare iuxta rationis ac prudentiæ regulam dubium non est, quin mensa illa in Christiano sensu & sublimiori intelligentia, aliam continebat excellentiorem significationem. Quemadmodum candelabrum in sensu proximo repræsentabat in illo templo adorari septem planetarum conditorem atque rectorem; vt exponunt Philo Iudæus, & Clemens Alexandrinus. Sed in sublimiori sensu refertur ad septẽ Dei spiritus in Christiana Ecclesia effulgentes, vt vidimus suprà. Censeo igitur in mensa propositionis significari alimentum, quod Deus populo suo suismet verbis spiritualiter conferebat; iuxta illa Christi verba, *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei*, Matth. 4.4. De qua mensæ significatione memini me alibi latiùs dixisse.

Quid per tẽpli candelabrum mystice figuretur.

Quid per propositionis mensam.

Cur mẽsa propositionis fuerit omissa?

Hoc ergo supposito, admirabili artificio mensa propositionis omissa fuit. Commutata enim est in eum librum, quem in manu habebat is, qui sedebat in throno. Sicut & arca fœderis in arcum cælestem conuersa fuit. Quod verò liber ille ad cælestem prophetarum doctrinam sit referendus, videbimus cap. 5.

Cur item altare holocausti in hac visione desit?

Tertia dubitatio sit de altari holocausti, cur videlicet desit in hac visione. Si in hoc capite alluderetur non ad Salomonis templum, sed ad Sionis tabernaculum, quod in Ecclesia Christiana instauratum fuit; (vt dicemus in commentario Psalmi 28) dici fortasse posset, in Sionis tabernaculo non fuisse altare holocausti. Remansit enim in Gabaone, vt censet Lyra 1. Par. 16. 39. & ibidem etiam fortè remansit propositionis mensa. Eninuero commemoratio maris ænei, viginti quatuor seniorum, qui erant sacerdotum principes, nec non Cherubinorum præter eos, qui Propitiatorio erant impositi: horum (inquam) omnium commemoratio manifestè indicat allusionem omnino fieri ad templum Salomonis. Quamobrem aptior responsio est, in visione quæ hoc c. 4. refertur, conuenienter fuisse relictum altare holocausti; quia vetera sacrificia omnia commutata sunt in sacrificium incruentum; quod sacerdotes in Missarum celebratione offerunt Deo: illudque in seniorum adoratione, vt iam diximus, denoratur. His accedit, quod licèt in visione huius capitis altare holocausti non reperiatur, postea erit ei locus ca. 6. vers. 9. vbi subtus altare clamant animæ interfectorum, nempe subtus altare holocausti, vt ibi videbimus.

Cur altare etiã thymiamatis hic desideretur.

Quarta dubitatio sit, cur in hac visione desideretur altare thymiamatis? Respondo, cùm senioribus in sancto Sanctorum fuerit locus concessus pro altare thymiamatis, datus fuisse singulis phialas aureas thymiamate plenas. Seniores enim describuntur cap. 5. 8. *habentes singuli phialas aureas plenas odoramentorum.* Græcè Θυμιαμάτων. Quin & cap. etiam 8. vers. 3. vidit Ioannes altare thymiamatis.

Ex harum dubitationum solutione siue explicatione: atque ex iis omnibus, quæ in huius capitis commentario hactenus dicta sunt, plane perspicitur, summam visionis capitis quarti eò spectare, vt indicet, pro veteri Salomonis templo Deum in primitiua Ecclesia Christiana aliud sibi templum multò præstantiùs & excellentiùs erexisse: in quo multo perfectius atque sublimiùs reperiebantur ea, quæ quondam Salomonis templum præcipuè illustrabant. Etenim quę in veteri illo templo erant illustriora ac celebriora, ad hæc fermè reduci possunt.

Collatio singularum huius visionis partiũ cum præcipuis tẽpli Salomonici partibus, ad quas alludit.

1. Thronus veri Dei.
2. Arca testamenti.
3. Dignitas principum sacerdotum ab Aarone genus ducentium.
4. Doctrina diuinę legis, quæ ibi prædicabatur.
5. Candelabrum aureum cum septem lucernis.
6. Mensa propositionis.
7. Mare æneum.
8. Cherubini ingentes, quos fecit Salomon.
9. Sacrificia, quæ Deo offerebantur.

Hæc autem omnia in nouo primitiuæ Ecclesiæ Christianæ templo mirum in modum aucta & locupletata inue-

Digitized by Google

inueniuntur. Nam primò nouus Dei thronus magnopere pristino illi antecellit. A

2. Pro fœderis arca apparuit cælestis arcus ex smaragdo.
3. Pro sacerdotum principibus maiores alij principes visuntur, qui thronum habent ante Deum,
4. Pro legis doctrina, tonitrua & fulgura exaudiuntur.
5. Pro septem candelabri aurei lucernis, septē lampades cælestes conspiciuntur.
6. Pro mensa propositionis substituitur mirabilis liber in manu Altissimi
7. Pro mari æneo, vitreum mare oculis subiicitur.
8. Pro Salomonis Cherubinis, quatuor admiranda & valde mystica animalia adstant Deo.
9. Pro antiquis sacrificiis cruentis proponitur nouum sacrificium incruentum, summâ cum Diuinæ maiestatis veneratione.

CAPVT V.

TEXTVS.

Vers. 1. Et vidi in dextera sedentis supra thronum librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem.

COMMENTARIVS.

Cuiusmodi fuerit hic liber Ioanni visus.

Liber hic concipiendus est, vt membrana quædam vtràque ex parte scripta & conuoluta: vt optimè considerat Pradus in id Ezech. 2. 10. *Ecce manus, in qua erat scriptus liber inuolutus: & expandit illum coram me, qui erat scriptus intus & foris.* Vbi *intus* idem est, quod interna membranæ facies, *foris* verò externa. Quare scriptus *intus & foris*, nil aliud est, quàm scriptus vtraque paginâ. Appellatur autem in membrana interior pagina, quæ candidior est: exterior verò, quæ minus candida: nam in pelle externa facies, vt quę non ita est assetuata atque obtecta, solet esse nonnihil sordida. B

Quando potuerit Ioannes aduertere, hunc librum esse intus & foris scriptum.

Præterea licet Ioannes dicat vidisse se librum vtrâque parte exaratum & obsignatum sigillis: non est existimandum, ante resignata sigilla Ioannem aspexisse librum scriptum vtrâq; ex parte esse, sed id postea fuisse visum à Ioanne. Etenim, licet antequam resignetur epistola, appareat interdum illam esse in vtrâque facie scriptam, at in membranâ, quæ debebat esse in vtraque parte scripta, & mox inuoluta, atque septem sigillis obsignata; verisimiliùs est existimare; ad finem membranæ partem aliquam extremam nullis characteribus exaratam perstitisse: vt illa reliqua tota membrana conscripta tegeretur: id quod in testamento clauso, & obsignato solet contingere, in quo nulli possunt dispici characteres, donec aperiatur. Et quidem ad sensum non admodum obstabat, vt priusquam resignarentur sigilla, literæ aliquot possent dignosci, quæ in externa ipsa facie scriptæ essent: ceterùm non est, cur in huiusmodi cogitatione violenta, aut parum verisimili philosophemur. C

Quomodo hæc libri sigilla sint cõsideranda.

Quod ad ipsa attinet sigilla, posset aliquis suspicari, sermonem hic esse de sigillis ad eorum modum, quæ in literis patentibus apparent, vbi opus minimè est sigilla abrumpere, aut resignare, sed potiùs priùs explicantur literæ, mox cernuntur sigilla. Huic suspicioni textus ipse primò aspectu fauet; qui semel & iterum seruat hunc ordinem, *aperire librum & soluere signacula eius*, quasi priùs sit librum aperire, & posterius soluere eius signacula. Adhæc priùs dicitur agnus aperuisse librum *& cùm aperuisset librum*, grates illi summa cum celebritate ob egregium illud facinus actæ sunt, postea verò narratur, quemadmodum sigilla paulatim singula soluta sint, & ad quodlibet ex sigillis resignatum mirabilis quædam actio illi mysterio deseruiens proponebatur, vt videre est cap. 6. & 8. Non autem videtur textus admittere, vt asseramus per anticipationē dicta esse illa, quæ de laudibus Agno pro sigillorum resignatione tributis enarrantur. His argumentis suo loco faciemus satis, nunc illud dixisse sufficiat, sigilla eo modo, haud dubiè, esse concipienda, vt illis liber esset clausus & obsignatus, ita vt legi non posset, priusquam signacula soluerentur. Id clare conspicitur Isaiæ 29. 11. *Erit vobis visio sicut verbi libri signati, quem cùm dederim scienti literas, respondebit, Non possum legere, signatus est enim.*

Huiusce libri mysterium quanti sit momenti.

Transeamus ad libri, quem Ioannes vidit significationem. Et obseruetur in primis hanc esse summi momenti rem in Apocalypseos interpretatione. Nam, vt videbimus, huius libri mysteria ad finem vsque ad capitis 11. protenduntur. Et certè textus ipse significat huius libri resignationem esse maximi ponderis rem, & ab vno Christo præstare potuisse; qui, vt librum aperiret, mortuus fuit; ex illo autem aperto ingentem sibi gloriam comparauit. Vetus interpretatio erat, per hunc librum sacram Scripturam significari; eumque à Christo fuisse apertum, cùm ipse suæ Ecclesiæ suum impertiuit spiritum ad sacrarum Literarum intelligentiam. Hæc explicatio præterquam quod Victorinum, Ticonium, Primasium, Ambrosium, Andream, Bedam, Haymonem, Ansbertum, Anselmum, Rupertum, Richardum, Ioachimum, Hugonem, & vno verbo, omnes antiquos interpretes pro se habet auctores; eam etiam sequuntur veteres Scriptores & Ecclesiæ Patres, vt Origenes homil 12. in Exodum, Eusebius de Demonstrat. lib. 8. c. 2. Hieronymus Isaiæ 22. necnon Ezech. 2. & 44. & Danielis 12. Hilarius in Prologo psalmorum. Gregorius lib. 4. Dialog. c. 42. Vincentius Lirinensis, in suo aureo libello, atque hæc demum expositio ita est communi consensione recepta, vt noster Maldonatus iure dicat Ioannis 6. 27. *Nemo doctus ignorat librum illum septem sigillis signatum prophetias veteris Testamenti significare.* Alia interpretatio erat non admodum diuersa, quæ per hunc librum intelligebat Christum, D

Quid hic liber significet.

Digitized by Google

A Christum, & diuina planè mysteria, quæ in eo sunt recondita (hunc enim respiciunt prophetiæ antiquæ, & tota sacra Scriptura Christum nobis prædicat,) atque hic loquendi modus asserens librum signatum esse Christum, est D. Bernardi, Vincentij Ferrerij, Seraphini de Fermo, & aliorum.

Has tamen expositiones, licèt pias esse concedant, aiunt tamen non esse literales nonnulli, qui ad contextum attendunt. Sibi enim persuadent, librum hunc, quem Ioannes signatum vidit, necessariò esse ipsam Apocalypsin, id est, prophetiam præcipuorum euentuum, quos Christi Ecclesia erat habitura. Atque hæc est sententia Pannonij, Riberæ, Pradi, Viegæ, Pererij, Bullengeri, qui pro se adducunt Andream, Aretam, Aureolum, Nicolaum, & Dionysium Carthusianum.

Vtrùm prædicta libri expositio de sacra Scriptura sit literalis?

Assero tamen Primò, si textus attentè inspiciatur, certum esse, quod liber signatus continebat, esse illud, quod resertis sigillis fuit reuelatum. Hinc tamen infero, librum signatum in se complecti, non totam Apocalypseos prophetiam, sed solùm quod à cap. 6. vsque ad 11. inclusiuè continetur (id est, per sex capita) omnia enim, quæ apertis sigillis reuelata sunt, caput 11. non transgrediuntur. Et ego sanè vsque ad finem vndecimi hoc extendo: certus enim sum, septem tubas ad septimum spectare sigillum, atqui caput 11. septimâ tubâ terminatur.

Quæ Scriptura pars in libri huius symbolo figuretur.

Enimuerò aliqui (ex quibus est Pererius) arbitrantur; quod aperto septimo sigillo reuelatum est, ab initio capitis 8. non vltrà procedere. Vnde non satis intelligo, quo pacto Pererius sibi animum
B inducat, vt existimet librum signatum esse totam Apocalypsin; si totum illud, quod apertis libri sigillis patefactum fuit, in eius opinione vix duo capita complectitur. Non ignoro huic argumento aliquos ita esse satisfacturos, vt asserant septem libri sigillis totidem visiones Apocalypseos respondere; atque hoc pacto eandem esse prophetiam mysteriorum in totidem sigillis latentium cum septem visionibus Apocalypseos. Verùm, meo iudicio, hæc explicandi ratio inanis est, & sine fundamento. Atque illi ipsi, qui eam stabilire nituntur; in capitum sequentium expositione conuincuntur, vt credant nouas esse Prophetias, quæ in septem sigillis minimè continebantur. Et in mea expositione, quam sequor, à capite quarto, vsque ad vndecimum agitur de primitiua Ecclesia à Iudaico populo oppugnata: & ab vndecimo vsque ad decimum nonum agitur de persecutione, quàm Gentilicus populus aduersus Eccesiam concitauit, & de ipsorum Gentilium conuersione. Quare mihi certum est omnino, mysterium in septem sigillis delitescens in cap. 11. finitum fuisse; & nouum deinceps argumentum institui.

Secundo affirmo, ad plenam huius libri signati intelligentiam opus esse cognoscere mysteria, quæ apertis septem sigillis retecta sunt. Nam si liber nihil continet aliud, quam mysteria illa: nemo potest plane percipere, qui liber hic sit; nisi mysteria ipsa nouerit, quæ liber complectitur. Existimo igitur septem sigillorum mysterium illud esse vt in ipsis indicetur, qua ratione Deus se gesserit cum
C Iudaico populo, post Christi Iesu resurrectionem, cum aliis nimirum Saluatorem clementissimum, cum aliis seuerum Iudicem, rectissimum tamen agẽdo. Porrò in quatuor primis sigillis retegi mirum in modum summam Dei Fortitudinem, Beneficentiam, Æquitatem, atque sapientiam in Iudæorum prædestinatorum salute; in tribus verò postremis apparere in reproborum Iudæorum repulsa maximam Dei Patientiam, horribiem Comminationem, ac demum Supplicium seuerissimum. Atque hi sunt septem Dei spiritus, de quibus egimus cap. 1. notat. 5. Spero autem doctis visum iri hanc esse Apocalypseos seriem, & pro mea interpretatione plures ac nobiliores esse auctores, quam pro alia qualibet. Hoc ita constituto, necessariò instituendus mihi est sermo de libro obsignato iuxta meã declarationem de septem sigillorum mysterio.

Quorum mysteriorum cognitione opus sit ad plenam libri signati intelligentiam.

Tertiò ergo assero, librum hunc signatum esse doctrinam reconditam, qua docemur Dei prouidentiam celsissimam, & Christi supremum imperium in salute Iudæorum, qui Christum receperunt & in illorum reprobatione, qui ipsum respuerunt, mirum in modum apparere, extare, & eminere. Huiusmodi autem tractationem sex quidem capitibus, videlicet à sexto vsque ad vndecimum, comprehendit non tamen esse nouam doctrinam; sed eandem, quæ sacris instrumenti veteris vaticiniis fuerat prædicta. Itaq; antiqui Patres, & scriptores verissimè asserunt, signatum librum esse Testamenti veteris prophetias; & hæc est haud dubiè illius significatio. Etenim Deum habere
D in dextera librum prophetiarum; idem est, quod eas reapse perfectissimè complere. Quid enim aliud dextera Dei repræsentat, quàm excellentissimã ipsius operationem? Quando ergo prophetias ipsas admirabili perfectione opere implebat, tunc elegantissimè effingitur dexterâ manu librum prophetiarum habuisse. Sed quoniam Dei operum perfectio, & complementum prophetiarum, licet valde erant sublimia & excellentia, nimis tamen abdita erant & occulta; ideo liber in Dei dextera constitutus figuratur esse signatus: hoc est Prophetiarum complemento, quod illis lucem allaturum esse videbatur prophetias ipsas obscurari potiùs, & obsignari, ac intellectu difficillimas remanere; nisi Christus sigilla ipsa aperiat, id est nisi suum hominibus spiritum largiatur, quo eas valeant intelligere. Nam modus implendi prophetias, vt excellentissimus esset, debuit esse summopere tectus & occultus. Quare fortitudo sub debilitatis specie latuit; sapientia sub stultitiæ prætextu: & sic de ceteris. Vnde ipsum prophetiarum complementum summa dissimulatio fuit: ac proinde, dum prophetiæ sunt impletæ, sigillis quibusdam obsignatæ fuerunt, & humanæ intellectioni difficillimæ redditæ.

Quid demũ sit liber hic signatus.

Quid sit Deum habere in dextera librum signatum.

Cur signatus donec ab Agno reseretur.

Quartò assero, illos etiam antiquos Apocalypseos interpretes rectè coniectare, qui dicunt per librum signatum, non solum vetus Testamentum: sed etiam nouum indicari. Idem enim, quod in veteri Testamento erat prædictum, in nouo fuit expletum. Cùm autem Christus suum tribuit spiritum, vt diuini operis perfectio in prophetiarum complemento agnoscatur: simul etiã lucem tribuit, vt nouum ac vetus Testamentum intelligatur.

Libri huius significationem non ad vetus modò testamẽtum, sed ad nouũ etiam sese extendere.

Digitized by Google

Aduerte autem in regis pictura sedentis in throno, & in libro, quem manu tenet, alludi videri ad id Ecclesiastici 1.7. *Disciplina sapientiæ cui reuelata est, & manifestata? & multiplicationem ingressus illius quis intellexit? Vnus est altissimus Rex potens, sedens super thronum illius, & dominans Deus. Ipse creauit illam in Spiritu sancto, & vidit, & dinumerauit & mensus est.* A

Vtrũ signatus hic liber omnes totius Scripturæ partes complectatur?

Sed obiiciet aliquis, multa esse in veteri Testamento atque nouo, quæ minimè agunt de ratione, qua se Deus erat gesturus, aut qua se gessit cum Iudæis post Messiæ aduentum; ac proinde librum signatum non aptè posse vniuersæ Scripturæ, sed alicui tantùm eius parti applicari. Respondeo, me non applicare signatum librum ad sacram Scripturam secundùm omnem sui partem; sed secundùm eam, quæ Iudæis Christum recipientibus summam promittebat felicitatem; & secundum eam quæ Iudæis Euangelio repugnantibus prophetabat summam miseriam, & posteà de effectu ipso nos reddit certiores. Hoc tamen argumentum nemo putet ad pauca solùm Scripturæ capita sese extendere; est enim ipsi Scripturæ commune & quodammodo generale, ac præsertim Prophetis & nouo Testamento. Quin imò multa capita, quæ ad res alias longè diuersas spectare videntur, ad hunc eundem finem conducere, qui ea attentè perperderit, iudicabit. Sunt etiam multa, quæ magnã inter se similitudinem habent, & quæ de hac materia dicuntur, de alia simili cum proportione dici possunt. Exempli gratia, quod dicitur de Christi Domini vita admirabili, summâ egestate, passione, ac morte, debet esse conformatum ad eam salutem, quam ipse attulit mundo: quæ sanè excellentissima fuit, spiritualis tamen; quemadmodum pax, quam nobis aduexit, euangelica est, non mundana. Hoc autem totum summâ est obscuritate clausum atque signatum, donec Christi spiritus nos doceat maximam diuini operis & Christi principatus perfectionem, & quantopere expedierit, vt humilitatis, inopiæ, atque ignominiæ prætextu admirandum hoc opus fieret, vt Christiani populi felicitas, non puerilis esset, sed virilis atque perfecta. B

Quæ sint præcipuè mysteria in libro signato clausa.

Quintò affirmo, ex communi interpretatione, quam libro signato Patres, scriptores, & antiqui interpretes tribuunt, validum me argumentum elicere, quod meo iudicio persuadeat, mysteria in septem sigillis apertis patefacta, non esse nouos euentus, aut nouas prophetias de rebus Ecclesiæ euenturis; sed ipsummet quod sacri vates de Christo prædixerant; deq. felicitate eorum, qui ipsum reciperent, & eorum miseria, qui illum abiicerent. Ad id enim, quod affirmant, librum scilicet esse sacram Scripturam, perspicua consequutione annectitur, mysteria septem sigillorum esse veterum prophetiarum mysteria, non autem nouorum successuum. Quæ verò textus ait de Ioannis lachrymis, de maximo momento & consideratione in sigillis aperiendis, & de Christi morte, vt ea resignaret; hæc (inquam) omnia non rectè possunt congruere aliis peculiaribus euentis, quæ in Ecclesia erant futura; cuiusmodi sunt Arianorum persecutio, Maurorum oppugnatio, & alia id genus. Harum enim rerum præscientia non magni Ecclesiæ intererat: si quidem reipsa noluit Deus manifestam ipsi Ecclesiæ notitiam huiusmodi rerum impertiri. At verò cognoscere, quanta sit Christiani populi felicitas in ipsis abiectionibus, persecutionibus, atque extrema egestate, & quantopere glorietur Deus se suos famulos per medias hasce ærumnas saluos incolumesque præstare, quanta porrò sit Christi Domini in imbecillitate fortitudo, in insipientia sapientia, atque alia eiusmodi: hæc (inquam) mysteria sunt valde digna, vt Ioannes lachrymas effundat, dum vehementissimè expetit, suum vt spiritum mundo concedat Deus ad mysteria isthæc cognoscenda: digna etiam sunt assiduis ac feruidis Pauli precibus, digna denique, vt vere dici possit Christus morti semet sponte obtulisse, quò huiusmodi sigilla reseraret, & cælestem hanc doctrinam atque sapientiam mundo redderet manifestam. C

D. Bernardi & aliorum de Christo interpretationem ad superiorem facilè reducti.

Sextò, interpretatio D. Bernardi, D. Vincentij Ferrerij, & aliorum asserentium librum signatum esse Christum ipsum, nõ pia solùm est, sed profunda etiam ac Theologica, si rectè intelligatur. Nam libro nomen argumenti tribuitur: sacræ autem Scripturæ argumentum Christus est Præcipue verò sermo est de Christi, eiusque imperij perfectione, vbi agitur de perfectissima salute, quam per Christum adepti sunt ij, qui sese illi subdiderunt, deq. maxima miseria eorum, qui illi repugnarunt. Et quemadmodum Xenophon suum librum, quem de Cyro Rege conscripsit, Cyropædiam nominauit: ita etiam librum hunc signatum possumus inscribere de Christi archia, siue de Christi principatu, atque hoc est agere de Christo. Et hactenus de libri significatione. D

Quid sit libruin esse scriptum intus & foris.

Sequitur altera quæstio; quid nempe significet librum illum esse *scriptum intus & foris*, siue in vtrâque pagina? Pro huius explicatione repeto quod paulò antè perstrinxi, videlicet, quamuis externa membranæ facies appellatur *foris*, propter id, quod suprà diximus, in libro tamen signato non fuisse minùs abditum & occultum, quod foris erat scriptum, quàm quod intus. Huiusmodi namque locutio nil aliud significat, quàm esse in vtrâque pagina scriptum, & in testamento clauso atque signato, quod in vtràque parte seu pagina exaratum est, æqualiter latens ac reconditum permansit, quod in secunda pagina erat conscriptum, & quod in prima. Quare non video quàm aptum habeant locum communes illæ distributiones, quibus aut interior pagina nouo Testamento, & exterior veteri assignatur (vt Beda, atque Ansbertus existimant.) aut è contrario interna pagina veteri applicatur Testamento, quòd eius mysteria sint valde abstrusa (vt Richardus vult.) aut literalis sensus externâ paginâ, spiritualis internâ figurantur (quæ est Ioachimi, Ruperti, & Pannonij consideratio, aut denique; per internam paginam, res significantur occultiores. Hæ omnes expositiones exigunt, vt quod in interiori pagina scriptum erat, magis sit abditum; quàm quod in exteriori: atqui iam vidimus paginam vtramque æquè esse absconditam.

Ego sanè verosimilius iudico, quod Origenes ait Ezech. 2. *Existimo* (inquit) *per ea, quæ erant antè scripta, significari promissa, quæ ad sanctos pertinent, & ad eorum vitam: per posteriora verò, quæ spectant ad illos, qui pereunt,*

Digitized by Google

A *pereunt, & ad rationem punitionis.* Non me latet hanc declarationem à Prado impugnari; quia in Ezechielis libro non plus fuisse scriptum videtur, quàm comminationes & supplicia. Quod enim nos legimus Ezech. fine, *lamentationes & carmen, & væ,* ex hebræo ad verbum redditur, *lamentationes & gemitus & væ*; & carmen pro carmine lugubri non semel aliàs ab Ezechiele vsurpatur. Huic tamen argumento seorsum notat. 1. respondebimus; vbi probabimus in Ezechielis libro vnà cum minis ingentia promissa donorum ac beneficiorum scripta contineri; quare Ezechielis textus declarationi Origenis non contradicit. His suppositis, vtriusque paginæ mentio considerari potest, ita vt duarum rerum alteri deseruiat; prima est, vt significetur multa fuisse in eo libro conscripta, si quidem vna, eademque pagina omnia non potuit capere. Ad eum ferè modum, quo breuis epistola vnicâ pagellâ continetur; longior verò, vt integrè exaretur, alteram poscit paginam, & vtramque implet. Hac ratione dixit Iuuenalis,

De interna & externa libri scriptione, Origenis sententia probatur. Quorsum in signato libro, pagina interioris & exterioris mentio?

Scriptus & in tergo, nondum finitus Orestes;

Secundò, vtriusque paginæ scriptio potest indicare distinctionem aliquam; vt fieri solet in libellis siue aduersariis accepti, & expensi. In quibus siue multa sint scripta, siue pauca; accepta solent in vna pagina scribi, expensa verò in altera. Inspiciamus ergo, vtrum istorum in præsenti sit magis ad rem. Et quidem, vt significetur multa esse in eo libro scripta, non videtur esse sacræ Scripturæ con-

Altera interna & externa pagina explicatio.

B suetudinis hæc locutio, *implere vtramque paginam*; sed potiùs quærere ingens volumen, vt Zachariæ 2. *Volumen volans, longitudo eius viginti cubitorum, & latitudo decem cubitorum.* Præsertim cùm Hebræorum consuetudo fuerit membranam vnam alteri assuere, atque ita posset liber in longitudinem excrescere, & magnam complecti scriptionem; licet vna tantum pagina haberet scripturam. Deinde, si volumen, quod Ioannes vidit, nil aliud continebat, quàm quod apertis septem sigillis reseratum fuit; quod ad figuram, siue ideam attinet, non magno admodum volumine opus fuisse videtur; vt quod liber scriptus continebat, in altera tantùm pagina includeretur. Præterea græca vox, quæ huic loco respondet, est βιβλίον diminutiuum, licet sumi etiam soleat pro eo quod βίβλος. Itaque sufficiens fundamentum minimè reperimus: vt credamus, hac vtriusque pagellæ scriptione significari multa esse in eo libro scripta. Etenim erant volumina parua atque ingentia, vt notum est antiquariis. Vnde quod vtraque ex parte sit liber conscriptus, non arguit scripturæ longitudinem, nec vnius tantùm paginæ scriptio argumentum est breuitatis.

Verùm, vt credamus huiusmodi scribendi rationem fuisse appositam ad distinctionem aliquam *Aliquid mysterij in interna & externa pagina distinctione latere, coniecturis probatur.*

innuendam, non desunt satis probabiles coniecturæ. Prima est, huius libri mysteria sunt septem, ex quibus quatuor (vt posteà videbimus) propitia valde sunt; reliqua verò tria summè horribilia. Quid ergo aptius, quàm considerare in altera pagina quatuor illa prospera ac salutaria esse conscri-

C pta; in altera tria illa horrifica & formidanda? Secunda coniectura est à libellis accepti & expensi petita; in quorum altera pagina debiti summa, in altera redditi apponitur. Quòd si dicas; debita, quæ in eadem pagella scribuntur; iuxta receptam hodie consuetudinem, esse non solùm eiusdem rationis, sed etiam diuersarum valde rerum. Ad hæc duo respondeo, primum in libro compaginato, qui plurimis constat foliis (quales hodie sunt in vsu) rite debita atque credita separatim diuersis in foliis scribi, quò faciliùs dignosci inter se, atq; conferri possint: at in veteri librorum vsu, cùm libri singuli singulis constarent foliis, non videtur aptior reperiri potuisse distinctio, quàm in diuersas eiusdem folij paginas accepta & expensa seorsum referre. Alterum est, quemadmodũ dicitur iuxta receptam apud nostrates consuetudinem, debita & credita diuersarum etiam rationum in eodem folio conscribi: ita etiam cùm diuersæ personæ sint prædestinati ac reprobi; rectè cohæret, vt illorum electio, in aduersa eiusdem folij pagina; horum reprobatio, in auersa notetur.

Tertia coniectura est, similem locutionem in Latina lingua, atque aliis vulgaribus reperimus. Quare non est, cur hanc in Hebraica phrasi reiiciamus. De Latina quidem lingua locuples testis est Plinius, qui libr. 2. cap. 7. ait, *in tota ratione mortalium sola fortuna vtramque paginam facit:* quasi dicat prosperas res atque aduersas esse, effectus fortunæ, & Hispanicè, vt significemus rem aliquam & vtilitatis & incommodi aliquid habere, dicere solemus, *tiene haz, y enues*: eôdem spectat Italicum illud, *il

D *rinuerso della medaglia.*

Denique duarum paginarum distinctio ad sensum ipsum magnam habet energiam; si consideremus vnum, eundemque Christum Dominum, qui erga bonos & iustos adeò se pium & misericordem exhibet, non minùs esse seuerum ac terribilem aduersus improbos, iuxta id psal. 17. n. 26. *Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris.*

SIGNATVM SIGILLIS SEPTEM] Et si aliàs hebraica phrasi sumi solet septenarius indefinitè, numerus certus pro incerto ad multitudinem significandam: hic tamen necessariò (vt multi bene notant) significatio debet esse septenarij propriè sumpti. Posteà enim distinctè agitur de singulis septem sigillorum; & eorum numerus mysteriis libri respondet, quæ ad septem etiam reducuntur. Itaque puncta siue capita huius libri admirabilis septem erant, atque vt indicaretur, eorum nullum absque peculiari Christi spiritus gratia percipi posse; apparuit liber hic septem obsignatus sigillis, quæ nullus alius, præter Agnum, resignare valeret. Aduertatur autem distinctio, quæ inter mysterium ac sigillum esse debet, mysterium namque est, quod inibi est absconditum; sigillum, quod absconsionem ipsam, seu difficultatem arcani mysterij figurat. Quare mysteriorum primum est magna Messiæ virtus ac fortitudo, atque difficultas, quæ in eius cognitione assequenda sita est, prouenit ab extrema imbecillitatis specie & simulatione. Primum ergo sigillum repræsentabit infirmitatis speciem; sub qua latet primum mysterium, hoc est, infinita Christi virtus in Iudæis, qui ipsum amplexi sunt, saluandis. Similiter mysterium secundum est immensa erga eosdem benefi-

Septem sigilla quid significent.

Digitized by Google

centia: sigillum verò, simulatio rigoris ac tyrannidis. Tertium mysterium est summa æquitas, qua ipsos gubernat, sub iniquitatis prætextu, quasi sub sigillo abdita. Quartum, admirabilis sapientia in procuranda suorum felicitate, sigillum, species imperitiæ & stultitiæ: Quintum, incredibilis patientia in rebelles Iudæos; sigillum, iniuriarum dissimulatio, & quasi non curantia. Sextum, seria comminatio, sigillum verò, nullam præ se fert externam minarum faciem, sed potiùs permissionem atque licentiam. Septimum denique mysterium est seuera punitio atque supplicium, quod de Iudaico populo sumit, sigillum autem impunitatis speciem affert, aut in communibus malis, non Messiæ repulsam, sed alias supplicij causas prætendit. Hæc est mea declaratio paucis perstricta, quæ quàm aptè ad contextum accommodetur, videbimus posteà. Seorsum autem agemus notatione secunda, quàm congruenter fuerit ita constitutum, vt diuinorum operum facies externa adeo esset mira atque insolita, vt absque Dei ipsius spiritu minimè cerni agnosciue posset. A

Signa in sigillorum apertione ostensa quid significent.

Quæ verò in septem sigillorum apertione, noua & inusitata signa apparuerunt, eorum prima quatuor ad quatuor equos, nimirum album, rufum, nigrum, & pallidum reducuntur. Quintum ad responsionem, quæ animabus vindictam poscentibus reddita fuit. Sextum ad extremi & vniuersalis iudicij signa. Septimum tandem ad septem plagas tubarum. Quorum significatio est, in iis, quæ primitiuæ Ecclesiæ tempore accidebant, compleri Scripturæ sacræ Prophetias, quæ maximam felicitatem recipientibus Messiam pollicebantur, & mala plurima ipsum reiicientibus, eaque grauissima interminabantur. Messias enim mira edidit suæ potentiæ ac virtutis documenta in hominibus cruci & Euangelio subiiciendis, nec non beneficentiam suam ostendit, dum eisdem hominibus eximiam tribuit charitatem, vt Euangelium ipsum vbique terrarum disseminarent. Suam porrò æquitatem declarauit, cùm opum ac diuitiarum contemptum eis largitus fuit. Sapientiam denique suam patefecit, cùm mortis despicientiam eis impertiuit, atque hac ratione ad summam illos euexit felicitatem. Huic ergò significationi deseruiunt quatuor equi. Tria alia signa, quæ reliqua sunt, facilè apparet ad patientiæ, comminationis, & seueritatis significationem aduersus rebelles spectare. Ceterùm septem isthæc mysteria, etiam postquam impleta sunt, adeò erant clausa & abscondita ob eximiam suam excellentiam, vt sinè Christi spiritu dignosci non possent: nec in iis veteres prophetias impletas esse quisquam cernere potuisset. Hic est potissimus scopus, quo tendit quicquid in septem sigillorum multiplici repræsentatione explicanda dicturus sum. Velim autem, lector diligenter attendat, summo artificio ad septem huiusmodi capita Spiritum sanctum redigisse rationem ac modum, quo Deus cum Iudaico populo se gessit. Ita enim rectè & ordinatè huiusmodi capitum diuisio fuit facta, vt plura, aut pauciora puncta esse non possent. In his enim septem magnopere eluceſcunt septem diuinæ prouidentiæ spiritus, de quibus egimus cap. 1. notat. 5. Nec minùs opto, vt nouerint omnes, huius discursus doctrinam de septem sigillis agentem, maximi esse momenti, maximæque vtilitatis ad Christianam Ecclesiam. Nec deseruire solum, vt intelligatur qua ratione Deus cum Iudaico populo egerit, sed etiam vt præcipua ratio & scopus diuinæ prouidentiæ gubernationis agnoscatur, & quemadmodum tum suos amicos, tum inimicos & aduersarios, præsertim hæreticos ac rebelles tractet. Hinc etiam eliciatur, quibus in rebus Christiani homines, præcipuè religiosi, & ij omnes, qui ad perfectionem aspirant, suam debent felicitatem collocare. Denique ex eadem doctrina deducatur, quænam sit sanctorum noui testamenti perfectissima viuendi ratio, & contrà, quò miseriarum & calamitatum deueniant ij, qui cum Deum cognouerint, illi posteà ignominiosè terga vertunt. B

Sigillorum mysteria quàm fuerint recondita & abstrusa.

Ex mysteriorum in septē sigillis delitescentium consideratione quot & quæ possint vtilitates percipi. C

In aliis quidem declarationibus, præter applicationis violentiam, non exiguæ mihi occurruut in ipsa serie atque discursu difficultates. Neque enim in iis continuatum ordinem & partium coagmentationem reperio; nec video rationem aptam, cur ad septem capita doctrina hæc reuocetur. Pererius, qui communem magis expositionem videtur colligere cap. 6. disput 6. & 22. contendit, in quatuor equis regna totidem indicari; in primo nimirum Christi principatum sub primitiuæ Ecclesiæ tempora: in secundo Imperatorum potestatem, qui Ecclesiam ipsam validissimè oppugnarunt; in tertio Barbarorum gentium, vt Gothorum, Hunnorum, & Wandalorum, vel diaboli imperium in hæreticis: in quarto denique Maurorum regnum, vel diaboli in hypocritis. Quòd verò ad trium subsequentium significationem attinet: in quinto sigillo ait Martyrum gloriam significari: in sexto persecutionem Antichristi, & in septimo, Sanctorum requiem post interitum Antichristi. Sed in hac expositione non inuenio congruentem rei ipsius dispositionem, nec aptam septenarij numeri rationem. D

Aliorum expositiones de septem sigillis improbantur.

Pradus Ezechielis 2. v. 10. fol. 63. l. d. omnia ferè septem sigilla ad maximas Ecclesiæ calamitates reducit. Et in primo ait effulgere, Dei potētiam, in secundo eiusdem indignationem, & districtum gladium, in tertio iustitiam scelerum vindicem: in quarto mortem, quæ pallidos reddit vultu, in quinto vindictam sanguinis, innoxij. in sexto vniuersi consummationem, & in septimo malorum omnium cataclysmum. Sed in hoc etiam septenario ordinem & rationem requiro, (& quod valde erat optandum) cohærentem cum vniuersa Apocalypsi acoluthiam.

Alij quærunt in septem sigillis septenarium aliquem rerum, quibus veletur Dei sapientia vel maiestas. Ex his est Bernardus ser. 1. de die Paschæ, vbi hæc septem ab illo numerantur, *Matris desponsatio, Infirmitas corporis, Circūcisio, Fuga in Aegyptum, Tētatio diaboli, Passio, & Sepultura.* Sed ex septemplici repræsentatione, quæ apertis sigillis facta est; constat præcipuam curam fore collocandam in mysteriorum ibi latentium declaratione. Etenim reserato sigillo illud repræsentatur, quod abditum erat. Non autem assignat Diuus Bernardus mysteria septem, quæ in sigillis resignatis patefacta sunt. Idem obiicio iis, qui septem sigilla ad septem sacræ Scripturæ difficultates referunt: ex quibus est Hugo; à

quo

Digitized by Google

A quo hæc septem recensentur, *Sententiarum profunditas, Sensuum multiplicitas, Figurarum varietas, Rerum incomprehensibilitas, Mysteriorum obscuritas, Tropologiarum suauitas, Infallibilis veritas*. In qua enumeratione videtur agere voluisse de septē velaminibus: atqui opus erat designare, quę sint mysteria septem, quę sub illis integumentis deliteścant; & qua ratione cuique velo suum respondeat mysterium.

Alij demum de septem Christi mysteriis cogitarunt, vt Rupertus; cuius hæc est enumeratio, *Incarnatio, Passio, Resurrectio, Ascensio, Missio Spiritus sancti, Vocatio Gentium, Aduentus ad Iudicium*. Atque ferè eadem fuerat distributio Hilarij, præfatione in psalmos; vbi tamen natiuitatem enumerauit, & vocationem Gentium omisit. Verùm in huiusmodi recensionibus euidens est nullum habitum fuisse respectum ad septem illa signa siue figuras, quæ apertis sigillis apparent, cùm tamen necessarium esset, vt septem libri huius mysteria in aliis signis figurata sint. Alias explicandi rationes satis varias diuersorum auctorum ad capitis sexti & octaui explicationem reiicio.

NOTATIO I.

De alluſione huius libri à Ioanne viſi ad librum Ezechielis ſcriptum intus & foris, & ad librum Iſaiæ ſignatum.

Ezechielis liber, quem reſpicit hic Apocalypſeos liber.

EZechielis 2. 9. fit mentio voluminis, *quod erat ſcriptum intus & foris*, quod cùm comederet propheta; *factum eſt in ore eius tanquam mel dulce*, c. 3. 3 ſed poſteà *abijt amarus in indignatione ſpiritus ſui*, c. 3. 14. Ex hac viſione deſumptum eſt ad librum ſignatum Apoc. 5. quod attinet ad ſcriptionem intus & foris. Quod verò propheta librum comederit, & in ore ſapidum mellis inſtar ſenſerit, amarum tamen in ventre, hoc relictum fuit ad paruum alium libellum apertum tamen; qui Ioanni datus fuit Apocal. 10. 10. Cùm autem liber Ezechieli traditus, ſignatus non fuerit; & quem Ioannes vidit ſcriptum intus & foris, fuerit ſignatus; iuxta hanc partem alluſum fuit, ſi minùs ad Ezechielis librum, ad librum certè illum, de quo Iſaiæ 29. 11. *Erit vobis viſio ſicut verba libri ſignati.*

Iſaiæ liber ſignatus, quo ad hæc ſit alluſio.

Ezechielis libri myſteriū vtrū idem cū huius libri ſignati myſterio ſit.

In Ezechielis ergo verbis diffieilè apparet, verba illa *ſcriptum intus & foris*, intelligi poſſe, qua ratione nos in Ioannis libro expoſuimus, ſcilicet de promiſſis, quæ ad Sanctos pertinent, deque eorum vita in vna pagina, & in altera, de rebellium punitione. Quamuis enim ſic exponat Origenes; refragari tamen videtur textus, qui ait, *Scripta erant in eo lamentationes & carmen & væ*: vbi ex hebræo ad verbum redditur, *Lamētationes & gemitus & væ*. Vnde apparet in eo libro nihil lætum ac proſperum, ſed tragica omnia & luctuoſa fuiſſe conſcripta.

In libro Ezechielis oſtenſo non ſolùm ſupplicia, ſed beneficia etiam contineri.

Certum tamen eſt in libro Ezechieli oſtenſo, non ſolùm improborum ac rebellium ſupplicia fuiſſe exarata; ſed maxima etiam beneficia, quæ Deus fuerat in ſuam Eccleſiam collaturus. Ille enim liber ſcriptus intus & foris, quem vidit Ezechiel, ſymbolum erat totius prophetiæ Ezechielis, vt interpretes omnes fatentur. De prophetia autem Ezechielis dubitari non poteſt, quin vtrāque paginam (vt dicebamus,) contineat. Nam licèt prophetiæ initium ſumitur à viſione currus, qui ad vaſtandam Ieroſolymam tendebat: & licèt pars illa prior de perfidorū excidio atque ſupplicio per multa capita durat: ſæpe tamen populo poſt flagellationem promittit proſperitatem; & reliquias ſeruatum iri, ac Iudęorū gentem per Dei benignitatem mirificè eſſe reſtituendam. Patet hoc cap. 11. & 14. & 16. & 17. & 20. & 28. & 29. & 33. & 34. & 36 & 37. & 38. & 39. Ac denique extrema prophetiæ capita, vbi de ædificio templi, de ciuitate & de noua terræ promiſſæ diuiſione, omnia continent lætiſſimum vaticinium de ſpirituali inſtauratione templi vrbis Hieroſolymæ, & noui Iſraëlis. Atque ita Eccl. 49. 11. hæc apponitur, vt ſumma prophetię Ezechielis. *Vidit conſpectū gloriæ, quam oſtendit illi Deus in curru Cherubin, nam commemoratus eſt inimicorū in imbre, benefacere illis, qui oſtendunt vias rectas.* In quo (vt ſuprà explicauimus) affirmatur prophetiæ, principium eſſe deſumptum à ſupplicio. quod Deus fuerat improbis illaturus: finē verò eſſe maxima beneficia, quibus Deus probos fuerat affecturus, ſimulque ſupplicia illa tanquam ad ſcopum dirigi ad munera ac beneficia, quibus prophetia terminatur. Quare dubium non eſt, quin in Ezechielis libro ſufficiens ſit fundamentum, vt ſcriptio intus & foris referatur ad vtriuſque paginæ diſtinctionem; quarum altera ſuppliciorum, altera beneficiorum ſit.

In libro Ezechielis viſo ſufficiens eſſe fundamentum ad ſuppliciorum & beneficiorum diſtinctionem.

Ad illa verò verba, *Scripta erant in eo lamentationes &* B *carmen & væ*, Origenes contendit *carmen* referri in eo loco debere ad feſtiua carmina & lætarum promiſsionū prophetias. Verumtamen non video, quàm firmum hoc ſit ac ſolidum: nam ex hebræo transfert Arias loco carminis, *gemitus*. Præterquam quòd non duæ ſunt dictiones, ſed tres: non autem videtur conſonum, vt media dictio ſit duabus extremis oppoſita. Vt ergo concedamus tria illa verba, *lamentationes & carmen & væ*, referri ad prophetiam de ſuppliciis, vt Theodoretus & Pradus exiſtimant; Propheta non affirmat, omnia quæ in eo libro continentur eſſe lugubria, & ad ſupplicium ſpectantia; hoc enim non eſt verum, atque adeò à Propheta aſſeuerandum non eſt. Solùm ergo ait, in ſua prophetia complures eſſe lamētationes, lugubreſque minas, quod tamen de altera tantùm pagina intelligendum eſt; altera enim non continet niſi proſperas ac ſecundas pollicitationes. Et hanc ob rem aſſerit ſcriptum eſſe librum intus & foris. Cæterùm cùm in primis capitibus loqueretur de Dei ſeueritate, non opus fuit ibi pluſquàm alteram paginam exprimere.

Quo pacto Ezechielis locus, de lamentationibus & væ, ſit intelligendus.

Aduerte præterea diſcrimen eſſe inter Ezechielis, C Ioanniſque volumina. Nam apud Ezechielem prima pagina continet pœnas; exorditur enim à militari curru ad Hieroſolymæ excidium feſtinante: quod ſuppliciorum argumentum per capita multa continuatur: finis autem eſt ſpiritualis renouatio Hieroſolymæ, & beneficia à Deo in nouum Iſraelem conferenda. At, voluminis à Ioanne viſi prior pagina complectitur prima quatuor myſteria in quatuor equis figurata; quæ indicant Chriſtum fuiſſe admirabilem eorum Saluatorem, qui ipſi ſe ſponte ſubiecerunt: altera autem pagina rationem modumque præſcribit, quo ſe geſſit cum illis, qui ipſum recipere noluerunt; dum in eos vt iudex ſeueriſsimus, æquiſsimus tamē, grauiter animaduertit. Hinc ergo eſt Ezechielem in ſecundo capite non expreſsè meminiſſe, niſi lamentationum atque gemituum.

Inter libros Ezechielis & Ioānis viſos diſcrimen.

Supereſt explicare: quæ fuerit cauſa, cur Ezechielis liber non fuerit ſignatus, ſed apertus? & quare illius in ore dulcedo, in ventre amaritudo apud Apocalypſin reſeruata ſint ad librum alterum capitis decimi, qui ſcriptus non erat vtraque in facie? Ad hæc igitur explicanda, obſeruo, non expedire librum, cuius copia ipſi Prophetæ fit, eſſe ſignatum: librum autem Prophetæ deuorandum offerre, nihil aliud eſt, vt conſtat, quàm eidem librum communicare: ideoque nec liber, quem Ezechiel cap. 2. nec quem Ioannes cap. 10. viderunt, erat obſignatus. Nam Spiritus ſancti mens vtrobique erat, tum Ezechieli, tum Ioanni notitiam vtriuſque libelli tradere. At verò in libro, quem Ioannes cap. 5. vtraque parte conſcriptum aſpexit, non fuit intentio, vt ille rerum in eo libro contentarum notione imbueretur. Nam ſeptem libri huius myſteria non ea noua: aut inaudita erant, ſed nota ſatis & cognita: optabat autem, quæ ipſe de huiuſmodi myſteriis cognōrat, à Deo fieri vniuerſo mundo manifeſta: id quod Diuus Paulus ſummis ab ipſo Deo precibus orat, & obteſtatur; vt ſcilicet hominibus tribuat earum rerum cognitionem, quas ſibi ipſi reuelauerat de maximis bonis, quæ in Chriſto Redemptore habēmus, *illuminatos oculos cordis*

Cur liber Ezechieli oſtenſus non ſit ſignatus, ſed apertus.

Eph. 1. 18.

Digitized by Google

veſtri, vt ſciatis, &c. Propterea igitur cùm hic ſermo non ſit de horum myſteriorum cognitione Ioanni impartienda (quòd ipſe iam illam fuiſſet aſſecutus) ſed de reddenda ratione, cur Ioannes tantopere optaret, vt Deus velamen illud & integumentum Iudæis detraheret; ideò congruentiſſimum fuit, vt liber hic capitis 5. ſignatus fuerit, quamuis ille Ezechielis c. 2. apertus extiterit. Iam, quis ſit libellus ille, qui Ioanni eſt in manus traditus c. 10. & cur illi dulcis in ore, in mente amarus fuerit, ibidem dicemus.

Quàm ſit congruenter Ioannis & Ezechielis libros peculiari diſcrimine eſſe diſtinctos.

Ex his elicitur, conſentaneum fuiſſe, vt aliquid diſcriminis intercederet inter Ezechielis librum intus & foris ſcriptum & librum Ioannis obſignatum. Alter enim indicat prophetiam Ezechielis; alter eam Apocalypſeos partem, quæ de ſeptem ſigillis agit. Vtriuſq. tamen libri argumentum vnum idemq. eſſe poſſumus affirmare: in vtroque enim ſermo eſt de maximis beneficiis, quibus bene meretur Deus de iis omnibus, qui diuinæ ipſius prouidentiæ ſe ſubdunt: & de grauiſſimis calamitatibus, quas in perfidos & obſtinatos immittit. Atque hæc eſt Scripturæ prophetiarum ſumma. Quamobrem egregiè D Hieronymus notauit Ezech. 2. eundem eſſe Ioannis & Ezechielis librum.

Libro Iſaiæ ſignato qua ratione hic Ioannis liber ſignatus per alluſionem reſpondeat.

Faciamus iam gradum ad ſignatum librum de quo Iſaiæ cap. 29. 11. *Erit vobis viſio, ſicut verba libri ſignati.* Neque enim dubito in libro Apocalypſeos ſignato, ad ſignatum Iſaiæ librum alludi. Atque vt appareat, non eſſe ſolùm alluſionem ad Iſaiæ verba, ſed perfectam etiam vnius loci cum altero collationem ac reſpectum: aduertendum eſt, quemadmodum in Apocalypſi agitur, prophetiarum complementum in admirando Dei opere, id eſt, in Chriſtianę Eccleſiæ fundatione & exaltatione, Iudæis fuiſſe librum ſeptem ſigillis obſignatum; ita etiam Iſaiam in eo c. 20. idem argumentum tractare: licèt autem ad huius rei probationem poſſem me facilè referre ad ea, quæ Forerius, & alij expoſitores in illud caput diſputant: verùm quia Apocalypſeos alluſio maximam lucem affert, opinor, illi capiti Iſaiæ (vbi Prophera, vt aduertit Forerius, ingętem affectauit obſcuritatem) dicam breuiter, quod ſit illius Iſaiæ capitis argumentũ. Textus ipſe ſonat, Deum vrbem illam perfidam, quæ figuratè Ariel appellatur, ſeuero ſupplicio affecturum (vbi haud dubiè de Hieroſolyma ſermo eſt) eamque exercitu hoſtili obſeſſurum, ac vaſtaturum: quando verò exiſtimauerint hoſtes illam eſſe euerſam, eos tunc illuſum iri, illorumque conatus irritos fore: gloriam Sionæi montis haudquaquam perituram. Atque hic eſt vbi affirmat Propheta Iudæos impleras iam prophetias viſuros: tunc autem prophetiarum librum illis quaſi ſignatum librum futurum. Hic eſt totius capitis contextus: vbi Spiritus ſanctus, meo iudicio, voluit ſignificare, adfore aliquando tempus, quo Deus Hieroſolymæ ob eius flagitia debitas infligeret pœnas, & excidium inferret per Romanorum exercitum: cùm autem illi crederent eam eſſe deletam, tunc eorum ſpem fore eludendam. Hieroſolymæ namque vrbis vaſtitatem futuram eſſe viam ad veram ſpiritualis Hieroſolymæ, id eſt, Eccleſiæ primitiuæ exaltationem, nec non ad veram montis Sionis inſtaurationem: in qua tamen tum inſtauratione, tum etiam exaltatione oculos ac mentes Scribarum & Phariſæorum maximæque Iudæorum partis obſcura caligine circumfuſas fore, atq. adeò tunc Scripturæ prophetias, poſtquàm cumulatiſsimè à Deo fuiſſent impletæ, obſtinatorum Iudæorum oculis veluti librum fore ſignatum. Hic eſt totius capitis ſcopus, hæc Iſaiæ mens. Ex quo palàm fit, de vno eodemque libro, nec in diuerſo ſenſu Ioannem & Iſaiam loqui, cùm faciunt ſignati libri mentionem.

Argumentum capitis Iſa. 29.

NOTATIO II.

Ad cap. 5. de abſcondita diuinæ prouidentiæ ratione.

DIximus, myſteria in ſeptem huius libri ſigillis recondita, non eſſe alia, quàm ſeptem diuinæ prouidentiæ ſpiritus: qui ſummopere deliteſcunt in ipſius prouidentiæ admirandis operibus; eoq. plus, quo opera ipſa ſunt magis admirabilia. Qua in re non exigua mentem pulſat difficultas; cuius ſolutionem maximo menti ſolatio futuram puto, Difficultas autem ſita eſt in diſcrimine, quod reperimus inter illa opera, quæ Deus, vt auctor naturæ; & inter illa, quæ vt reipublicæ hominũ moderator efficit. In illis enim prioribus tanta, tamq. conſpicua luce, Dei ipſius effulget prouidentia, vt qui eam non cernat, cæcus omnino ſit. In ſecundi autem generis operibus tantopere hæc eadem prouidentia eſt abdita & deliteſcens, vt ad eam intuendam lynceis oculis opus ſit. Quare Regius Pſaltes, Pſal. 103. 2. qui de primis agat operibus, ait, in illis maximè eluceſcere, *amictus lumine ſicut veſtimento*. & Pſ. 17. 2. vbi de ſecundis operibus ſermo eſt, inquit, *Poſuit tenebras latibulum ſuũ*. Et Pſ. 96. 2. vbi de eiſdem agitur, *Nubes & caligo in circuitu eius*.

Duplex diuinæ prouidentiæ ratio, eiuſq. diſcrimen.

Oportet ergo ſingula ſeorſum explicare. Primò in his operibus, quæ efficit Deus vt mundi opifex ac molitor, & naturalis creatarum rerum procreator; ecquis adeò hebes ac rudis ſit, qui cùm oculos in cælum intendat, aut per terrarum orbem & rerum naturas circunferat, non euidentem inde ſummi conditoris eliciat cognitionem? Si ſatis eſt horologium apprime fabrefactum atq. compactum aſpicere, aut elegantem aliquam picturam: vt pro certo comperiamus acuta ingenij ac ſolerti induſtria opus eſſe, vt tanta partium inter ſeſe conuenientia & proportione poſſet res adeò ingenioſa compingi: quis non videat quantò ſublimiùs & excellentiùs emineat infinita Dei ſapientia in rerum creatarum cohærentia, in beneficiis bonitas, potẽtia in operum magnitudine? Quis non infinitam Dei poteſtatem agnoſcat in immenſa cælorum, planetarum ac ſyderum mole & graditate? In ſplendore & efficacitate ſolis incredibili? In varietate, velocitate ac perpetuitate, qua cælorum globi aſſiduo motu circunferuntur? Iam ſi oculos ad hæc infima demittamus; quis non naturæ parentem & effectorem ſumma cum admiratione extollat, ac prædicet, qui ingens hoc ac ſolidum terræ pondus medio in aere librauit, tantamque illi fæcunditatem cum pulchritudine, cum diuitiis inexplebilem indidit varietatem? Quid de maris immenſitate? quid de fluminum perpetuo & infatigabili curſu? quid de lætiſſima plantarum diuerſitate? quid denique de multiplici brutarum animantium natura dixerim? cùm nulla res adeò ſit exigua, nulla adeò abiecta beſtiola, in qua diuinitatis veſtigium haud obſcurum non appareat.

Dei, vt eſt auctor naturæ, prouidentia quàm ſit omnibus perſpicua ac manifeſta.

Mihi quidẽ hæc eſt illa lux, quam Deus in ipſo mundi exordio produxit; eaque luce res omnes creatas condidit, quæ adeò clara atque conſpicua eſt, vt aſſiduo literarum ſtudio opus nõ ſit, ſed vel oculis ſaltem corporis non omnino deſtitui ad ſplendidam hancce lucem perfruendam. Nam & ſi Philoſophi mentis aciẽ magis habent illius ſplendore illuſtratam, propter potiorem creatarũ rerum notitiam, quam longo literarum vſu & exercitatione ſunt aſſequuti; in hoc tamẽ idem ferè ſolet accidere; quod in ſuauiſſima vocum harmonia atq. concentu: qui eos omnes, quotquot eum auribus excipiunt, licèt muſicæ artis periti non ſint, maxima permulcet voluptate. Quin & ipſoſmet philoſophos, in occultis naturalium rerũ arcanis, (quorum aſſequi cognitionem non poſſunt, eò ipſo quòd difficultates ſuperentur) huius ignorationis tenebræ in conditoris lucem & cognitionem (ceu fumus in ignẽ) repentè conuerſę, noua quadam intelligentia illuſtrãt. Cernunt enim perſpicuè quanta ſit illius poteſtas ac ſapiẽtia, qui in re adeò parua tantũ artificij & elegantiæ collocauit, quantum ipſi poſt multorũ annorum ſtudium cognoſcere minimè poſſunt. Itaque tam in facilibus rebus, quàm in difficilibus nullo negotio conditor omnium & architectus cognoſci poteſt. Ex quo apparet, quanta ſit perſpicuitas, qua Deus in rerum naturalium fabrica & ſtructura notus hominibus manifeſtuſque eſt.

Lux, quam initio creauit Deus, quid myſticè.

Altera diuinæ prouidentiæ ratio hominibus occulta & abſcondita.

At verò de diuinæ atque æternę prouidentiæ ratione quid dicam? Si prouidentia conſiſtit in rerũ humanarum cura & reip. hominum gubernatione; curam hanc gubernationemque tantoperè Deus in ſuis operibus abſcondit ac tegit: vt aliqui ex veterum philoſophorum albo, ex iis (inquã) qui magno in pretio fuerunt, prouidentiam aut funditus de medio ſuſtulerint, aut in dubiũ ſaltem reuocauerint: & ex fidelibus iuſtiſque hominibus veri Dei imbutis cognitione nonnullis hæc cogitatio pluri-

Digitized by Google

plurimũ negotij faceſſiuerint, vt ipſimet fatentur non obſcurè in integris, iiſque inſignibus ſacræ Scripturæ capitibus. Et ſanè in hac fidei veritate ſtabiles nos eſſe, firmoſque oportet, ne lapſi miſerè corruamus. Et etenim ſi rerum humanarum prouidentia eſt: cur tantam ſcelerum ac flagitiorum in orbe ſentinam patitur, cùm poſſit ea facilè impedire? Deinde quare tam magnam laborum, calamitatũ, & ærumnatum infinitatem permittit, quibus miſeri Adami filij aſsiduè conflictántur? Ecquis enim prudẽtiſſimus moderator ac princeps exiſteret, qui populos ſibi ſubiectos ab ingruẽti bello, à fame dominante, à graſſante peſte, cùm poſſet, non eriperet? Tertiò, ſi quis reſpõdeat, ſupplicia iſthęc, verbera ac plagas propter peccata hominibus inflĩgi, cur ita inæqualis eſt pœna; vt alij in medio ſuorũ flagitiorum & ſcelerum teterrimorũm curſu exultent, atque triumphent: & proſpero rerum euentu ac ſecundæ fortunę flatu prouehantur? alij, qui maxima prædiri ſanctimonia, & virtutũ præſidio & comitatu ſunt ſepti, inopes, miſeri atque afflicti & aduerſa ſemper fortuna iactati calamitoſam vitam traducunt? Ad hæc; quis non admiretur ita diuerſos & inæquales honorum gradus? Nam ſi optima admiratio poſtulat, vt honores ac dignitates ſingulis, pro cuiuſque meritis, impartiantur: cur tantopere rerũ & æquitatis ordo inuertitur, vt ſæpè indigniſſimos quoſque & infra mortuos amandandos, ad ſublime dignitatis faſtigiũ & imperij culmẽ euectos aſpiciamus; alios verò ſingulari prudentia, virtute & æquitate præditos, qui florentiſſima quæque regna feliciter adminiſtrare ac regere valerent, ſummo cum dedecore ac probro repulſos, priuatam degere vitam fortunæ telis & potentiorum calumniis obnoxiam? Quod ſi magiſtratus ſunt diuinæ prouidentiæ miniſtri; cur ita conſtitutum eſt, vt potit optimè princeps, ſuos miniſtros atque vicarios piratis & graſſatoribus inſolentiores impunè volitare, & eos annis quàm plurimis nimiùm patienter ferat? Quorum omnino ſi remedium efficax in aliã diſtrahitur vitam, in hac ſaltẽ Dei prouidentia valde abdita eſt & occulta; neque eius perfectio humanis oculis cernitur, ſiquidem obliuionis potiùs, perturbationis & iniquitatis ſimulatio, apparet; quàm cura & rerum humanarum prouidentia.

Extenditur, quàm ſit tecõdita Dei prouidentia in rerum humanarum adminiſtratione.

Prætereà ſi oculos conuertamus ad præcipua diuinæ prouidentiæ opera, cuiuſmodi ſunt humani generis redemptio, Chriſtianæ Eccleſiæ fundatio: in his (inquam) vbi Deus excellere & eminere debuiſſe videbatur: adeò ſeſe abdidit & ocultauit, vt dixerit Iſaias cap. 45. 1. *Verè tu es Deus abſconditus.* Nam pro maxima potentia, viſa eſt in Chriſto debilis & imbecilla caro, & externa impotentiæ facies: quaſi ab inimicis fuerit ſuperatus: pro ingentibus beneficiis in ſuos conferendis, viſus eſt eos quaſi oues inter lupos mittere: pro ingenti æquitate, fortunis ſpoliauit eos, qui iuſtè poſſidebant, adegitque vt fame enecti interirent: pro ſummo & admirabili conſilio ad ſuorum felicitatem procurandam, adeò fuit diuerſa atque contraria ſpecies, quam præ ſe tulit; vt ad eorum dedecus atque perniciem, nec non maximam apud omnes ſui ipſorum, ſuique contemptionem tendere videretur, vtque eos omnes pro ſtultis haberet mũdus. Ex quo factum eſt, vt Dei tolerantia in Chriſti atque Eccleſiæ hoſtibus perferendis, nil aliud appareret, quam belli aduerſus Iesum Chriſtum geſti approbatio, aut ſaltem iniuriarum Chriſto; ſuiſque illatarum diſſimulatio, aut obliuio. Ex ſeriis autem comminationibus ſeueriſſimiſque ſuppliciis, quæ diuina prouidentia in Chriſti hoſtes immiſit, grauius & horribilius ſupplicium (vtè ſpiritualis plane res) intellectu difficillimum erat. rrò minæ ac pœnę, quæ ſub oculorum cadebant aſtum, non plus in Chriſti hoſtes, quam in eius famiſ videbantur fulminari: vt in fame, bello, ac peſte itur. Ac demum in generis humani redemptione, Eccleſiæ Chriſtianæ erectione, ſeptem diuinæ proniæ ſpiritus eatenus latuerunt; vt quanto Dei opus eſtantius & excellentius, tanto maiori cura & ſogeretur. Iuxta illud Eccleſiaſtici 11. 14. *Mirabilia iſſimi, & abſconſa & inuiſa opera illius.* Atque hęc ſe lux illa, de qua Eliu apud Iobum, cap. 36. 32. (id eſt, in operibus) *abſcondit lucem: & annũnico ſuo.* Deniq. qui mundum initio cum luce cùm mundum ipſum redempturus aduẽnit,

Idem in humanam redemptionis operibus ponderatur.

mediæ noctis tenebras elegit: iuxta id Sapientiæ 18. 14. *Cùm quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo de calo à regalibus ſedibus in terram proſiliuit.*

Cùm ergo aliorum Dei operum lucem, ſplendorem, aliorum tenebras & caliginem viderimus, ſubit protinus mentem cupiditas cognoſcendi diſcriminis huius admirandæ rationem. Nam cùm vnus ſit idemque Deus & mundi architectus, & humani generis moderator; nõ videtur agendi ratio, qua in gubernatione vtitur, ita diuerſa debere eſſe ab ea, quã in creationis operibus ſeruat. Quandoquidem non minus mũndo eſt neceſſaria prouidentiæ cognitio, quam creationis. Certè in admirandis hominũ redemptionis, & Eccleſiæ fundationis operibus, primo aſpectu videbatur in maiorem Redemptoris gloriam, maiuſque redemptorum ſolatium ceſſurum: ſi Deus maximam ſeptem ſpirituum perfectionem tanta perſpicuitate patefaceret, vt nullus eam non cognoſceret. Etenim ſi nemo poteſt æternam animæ ſalutem adipiſci abſque Chriſti cognitione, ſi eius in terrarum orbem aduentus ad omniũ procurandam ſalutem ſpectauit: minime videtur appoſitum, vt hanc ad rem tacitus, occultus & quaſi perſonatus aduenìat. Præſertim cùm Meſſiæ aduentus non in eo communem prouidẽtiam imitetur; quæ quantumuis licèt abdita ſit, naturalium tamen operum fulgor nobis affert ſuę gubernationis euidentiam. At in redemptione humani generis, ſi Deus ipſam occulat: creatæ res nequaquam eam retegere poſſe videntur, nec nos aut Redemptoris imbuere notitia, aut certos, de eius aduentu reddere.

Quanti Chriſtianorum hominum intereſſet diuinæ prouidentiæ in mundi gubernatione cognitio.

Magna Chriſtianæ philoſophiæ pars ſita eſt in apta huius difficultatis reſponſione: ita vt intellectus ſibi facilè perſuadeat, hanc prouidentiæ rationem eſſe præſtãtiſsimam: & quæ ad Dei glotiam; hominumque ſalutem vel maximè conferat. Quod ergo ad Dei gloriã ſpectat: in eo conſiſtit reſponſio, vt probetur, in optimo gubernandi modo fieri non poſſe, vt opus aliquod ſit ſummopere perfectum, ſi per perfectionem ipſam primo aſpectu oſtendat, atq. indicet. Planum namq. eſt, ad Dei gloriã & honorem permagni intereſſe, vt ipſius gubernatio perfectiſsima ſit. Quod ſi cum maxima perfectione ſtare non poteſt, vt illa aperta ac manifeſta ſit, qui optet Dei prouidentiã non eſſe occultam, optet etiã neceſſe eſt, vt perfecta non ſit; quod Dei gloriæ valde aduerſatur.

Ad prouidentiæ perfectionem requiritur, vti abſcondita ſit.

Quòd igitur ad prouidentiæ perfectionem requiratur, vt ea ſit valde abſcondita, ſuadent in primis, illa Chriſti verba ad Paulum 2. ad Corinth. 12. 9. *Virtus in infirmitate perficitur.* Inde enim colligere ſimiliter poſſumus, beneficentiam in ſpecie rigoris, in prætextu iniquitatis æquitatem, ſapientiam in ſimulatione ſtultitiæ perfici, & pari ratione perfectiſsimam eſſe patientiam, quæ patientia non apparet, ſummã etiam comminationem, ſummamq. ſeueritatem, quæ valde ſunt corporeis oculis abſconditæ. Ac licèt longiore tẽpore atque otio opus erat, & perſpicaciori etiam ingenio ad difficilem hanc tractationem ſeriò euoluendã, eamque accuratè explicandam, nihilominus tamen vt præſtantioribus ingeniis viam præmuniam, & quaſi digito iter oſtendam, obiter in ſingulis ſeptem ſpirituum perſtringam, quemadmodum cùm magis ſunt abſconditi, ſuam tunc perfectionem magis prodant.

Animi virtus ac fortitudo imbecillitati, aut puſillanimitati contrariè opponitur. Atq; vt intelligatur, quàm ſit neceſſarium, vt maxima & perfectiſsima fortitudo infirmitatis ſpeciem habeat: aduerto, grauium iniuriarum diſſimulationem, & in maximis reipublicæ detrimentis conniuentiam, haud dubiè ſpeciem imbecillitatis, infirmitatiſque in principe habere. Præſertim ſi iniuriæ eo vſque procederent, vt in maximum principis ipſius contemptum & ſuorum miniſtrorum contumeliam, damnumque grauiſſimum redundarent. Verùm ſi diſſimulatio principis non ex animi ac virium defectione proueniret, ſed potiùs in ſummæ fortitudinis oſtenſionem cederet, & in ingentem reipublicæ ipſius vtilitatem atque emolumentum: tunc ſanè manifeſtum eſſet in ipſiſsima infirmitatis ſpecie ac ſimulatione fortitudinis ſummam ac perfectionem conſiſtere, quin imo quo maior eſſet principis dignitas ac maieſtas, quoque maior ſui honoris æmulatio, & aduerſus illatas ſibimet iniurias indignatio, eò maiorem eſſe & ſublimiorem fortitudinem,

Summæ prouidentiæ virtutes ſub contrariorum vitiorũ ſpecia diſſimulare quàm ſibi glorioſum.

Digitized by Google

qua stomachum & iracundiam comprimeret. Notum est illud, *Fortior est qui se, quàm qui fortissima vincit Mœnia.* Quo in sensu dixit Moses, Num. 14. 17. *Magnificetur fortitudo Domini.* Nulla enim in re diuinæ virtutis ac fortitudinis vis ita effulget, vt in Dei ipsius iustissima indignatione & iracundia cohibenda; præcipuè vbi tantoperè hominũ flagitiis ac sceleribus irritatur. Id quod Ecclesia prædicat Dominica X. post Pentec. *Deus, qui omnipotentiã tuam parcendo maximè & miserando manifestas.*

Ouidius.

Fortitudinis obiectum quod sit.

Vt autem clariùs enitescat, hoc esse summæ fortitudinis opus, nota virtuti ac fortitudini esse pro obiecto magnitudinem rei ipsius quam molitur; finis verò diuinæ huius dissimulationis, ac veluti non curantiæ, in tot tantisque hominum iniquitatibus semper est, maior & excellentior suæ virtutis in rebus difficillimis ostentatio: quod alioqui non ita felicem exitum sortiretur. Etenim si permittit, magnum aliquem suum famulum ac ministrum v. g. Diuum Athanasium à toto penè terrarum orbe multorum annorum spacio validissimè oppugnari, ex tanta hac indignitate oritur, vt orbis vniuersus vnius hominis Athanasij constantiam ac fortitudinem obstupescat: cùm videat illum cum tot ducibus & imperatoribus potentissimis, cum tot prouinciis ac regnis, cum tot gentibus ac nationibus acerrimum gerere bellum & victotem inde glorioßissimè euadere. Vt iam facilè hinc omnes eliciant, quantus sit, quàm copiosus, quàm iugis ac perennis ille virtutis & fortitudinis fons, ex quo tam admirabile, ac penè incredibile robur & magnitudo animi dimanarunt. Atque id quasi per transennam attigisse sit satis: vt lector tyrannidum & martyriorum permissionem & grauissima alia mala, quæ in orbe perperrãtur percurrat in quibus Martyrum fortitudo ad Christi ipsorum capitis imitationem magnopere enitescit. Quin etiam Christus ipse in suis tormentis ac passione tantam infirmitatem voluit præ se ferre; vt cum æterno parente expostularet, vt tremerer, vt in maximas redigeretur angustias: iuxta illa ipsius verba quæ nuper ad Paulum prolata dicebamus, *Virtus in infirmitate perficitur.* Et idcirco maior fuit in Christo imbecillitas sponte assumpta, quàm in Martyribus, quia multò etiam erat maior fortitudo; & nostrę redemptionis opus, quod fuit aggressus, omnium quæ excogitari potuêre maximum & glorioßissimum; videlicet vt Dæmonem teterrimum humani generis hostem ex mundi possessione exterminaret, vt suum Patrem æternum hominibus liberalissimum & cælestibus diuitiis afluentem redderet, vt hominibus ipsis admirabile patientiæ & tolerantiæ in laboribus, ærumnis, & martyriis exemplum ob oculos proponeret; vt denique fluxarum rerum & caducarum contemptum, ac spiritualium & ęternarum veram æstimationem doceret.

Fortitudo sub imbecillitatis specie quantopere eluceat.

Cur Christus in sua passione tãtum voluit infirmitatem præ se ferre.

Obiectum beneficentiæ quod sit.

Beneficentiæ (vt de ipsa nonnihil dicamus) obiectum est bonum illud, quod hominibus præstatur eique opponitur maleficentia, quæ plurima & grauissima mala in hominum genus inuehat. Perspicuum autem est tot peccatorum permissionem & calamitatum humano generi immissarum primo aspectu hominibus non salutarem, sed noxiam; non commodam, sed exitiaiem videri. Ceterum si omnia accuratè expendamus, & hoc ipsum videamus in maius multò & præstabilius generis humani beneficium redundare; manifestò deducitur summam beneficentiam maleficentiæ specie ac veluti laruâ obtegendam forè. Supereßt vt inspiciamus, an illa omnia mala in hominum bonum multò maius ac nobilius redundent. Quod licèt difficultate non careat: cui tamẽ Deus suæ prouidentiæ perfectionis clariſsimam lucem immittit, maximo est solatio intueri ac cernere; nullum esse damnum ac detrimentum adeò ingens, adeò commune, adeòque longum; ex quo Deus multò maiora & excellentiora bona non educat. Quo tandem facilè sibi persuadent piorum hominum mentes, iure optimo dixisse Augustinum, tom. 3. in Enchiridio c. 27. *Melius iudicauit Deus de malis benefacere, quàm mala nulla esse permittere.* Cuius sentẽtiæ veritas multis in rebus est Christianis hominibus manifesta. vt in laboribus, & calamitatibus, quæ iustis diuino consilio accidunt; in quibus, vt ait idem Augustinus lib. 83. quæst. q. 82. *Nulla causa probabilior occurrit, cur isti homines laborent plerunque in hac vita; nisi quia hoc eis expedit.* Et licèt grauissimi sint labores: si illis quasi gradibus quibusdam ad maximũ & celsissimum æternæ gloriæ præmium conscenditur; oportuit summam beneficentiam amicis ac familiaribus labores immittere graviores. In permissione etiam peccatorum quæ prædestinati committunt, & illi qui ipsos exercent & excoquunt (quales sunt tyranni, atque hostes) facilè etiam est animaduertere ex iis omnibus ingentem Deum vtilitatem & bona incredibilia elicere. Quod autem pauci veram animæ salutem consequantur, comparatione eorum, qui in æternum ruunt interitum: nihil hoc diuinæ beneficentiæ gloriam imminuit. Nam vt periti gemmularij precioßissimum aliquem adamantem aut nobilissimum carbunculum tanti æstimant, vt ad eum elaborandum & expoliendum, non dubitent quàm plurimos alios lapillos minoris æstimationis insumere: ita etiam rationi consentaneum est, vt Deus sanctissimum aliquem virum pluris, quàm multos alios nullius probitatis faciat, & pro gemmæ illius precioßissimę perfectione sexcentorum vilium & improborum iacturam permittat. Ad diuinam beneficentiam maximè spectabat dirigere homines ac deducere ad magnam & perfectam sanctimoniam: quam vt prædestinati consequantur, quæcunque alia mala permittuntur, debent summæ beneficentię tribui: quantumuis videatur totius mundi pax atque tranquillitas perturbari, & nationes bellis exardeant, ac prouinciæ vastentur. Et licet non adhuc difficultate careat plurimorum malorum consideratio, quæ nulli electorum vtilitati & emolumento videntur inseruire: cuiusmodi sunt Sinarum, ac Iaponiorum aniles Idolorum superstitiones, pestes etiam in eas immissæ gentes, quæ in inferorum barathrum miserè deturbantur, certissimè tamen credendum est, istorum malorũ nullum à Deo permitti, ex quo non ingẽtes vtilitates & multò maiora bona decerpat. Quod autẽ id nostri ingenij imbecillitate non assequi possimus, hoc sanè non per infinitam Dei beneficẽtiam, sed per nostri ingenij tenuitatem stat.

Beneficentiam sub maleficentiæ simulatione maximè emicare.

Melius Deo visum de malis benefacere, quàm mala nulla permittere.

Æquitatis munus est, omnes ratione ac iustitia administrare, & nulli iniuriam facere. Quare Dei æquitati videtur esse contratia magna inæqualitas, qua huiusce vitæ bona, fortunæ atque honores dispertiuntur, cùm multa sæpè tribuantur immerentibus, merentibus pauca & exigua. Enimuerò hæc iniquitatis species perfectæ æquitati erat congruẽtissima. Nihil enim æquius, quàm vt de suis bonis vnusquisque prout ipse velit, largiatur. Quod vt meliùs præstetur, operæ pretium est, si quis v. g. mille nummos aureos quatuor hominibus diuidat, ne singulis ducentos & quinquaginta tribuat; ne fortè videatur ad æqualem illam distributionem teneri constrictus, sed potius diuidat oportet *singulis prout vult*, vt ait Paulus 1. Cor. 12. 11. Quòd si ad huiusmodi ęqualitatem exercendã plures alię causæ & aptissimæ congruentiæ ad cõmune bonum, aut varios ac diuersos fines spectantes illum, qui sua largitur: permouerent: tunc verò perspicuum est multò plus rationem & æquitatem eminere, in eo ipso, quod iniquitatis faciem prætendit. Quid, si ipsismet, inter quos fit hæc partitio illa diuidẽdi ratio, aut modus expediret inprimis. Tũc facilè quisque videre potest, quemadmodum in diuersorum stomachis æqualitas non consistit, vt cibus æque in omnes ingeratur, sed potiùs pro cuiusque natiuo calore & ingenita vi singulis distribuatur: sic etiam in huius vitę bonorum partitione perfectam æqualitatem esse sitam in eo, quod sępe iniquitatis habet speciem. Quare, si cibi portio, victusque communis homini alicui iusto parce ac tenuiter concessus fuit, ne satietate nimia ac tædio affectus recalcitraret: & *ne fortè saciatus illiciatur ad negandum*, Prouerb. 30. 81. quid tunc ipsa inæqualitate æquius? simili ratione posset idem argumentum ad multa alia se extendere. Quòd autem de re familiari ac fortunis dixi: idem etiam intelligatur velim de honoribus & probris, de firma & infirma valetudine, de voluptate atque dolore. Propterea nulla maior inęqualitas excogitare videbatur posse, quàm ea, quam in Christo Domino Pater ęternus exercuit; cùm hominum optimo atque sanctissimo acerbissimas inflixit plagas, atq. dolores grauissimos inusit. Sub quo tamen iniquitatis integumento maxima delituit æquitas, qua diuinæ iustitiæ ex toto (quod aiunt) rigore satisfecit.

Æquitatem sub specie iniquitatis plurimũ enitescere.

Sequitur sapientia & admirabile consilium maximorum gubernatorum proprium; cuius extat exemplum in

Salo-

Digitized by Google

Sapientiam sub stultitia simulatione magnopere perfici.

Salomone, 3. Reg. 3. cuius virtutis excellentiam ac perfectionem facili negotio apparet in eo cõsistere, vt eiusmodi eligantur consilia, quæ prima facie videantur stultitiam præ se ferre (ne fortè illi, quibus celari oportet consilium, illud præcaueant:) postea tamen probet exitus, id quod stultum videbatur, summæ prudentiæ fuisse. Notum autem est, quàm meritò dixerit Paulus, 1. Cor. 1. 25. *Quod stultum est Dei*, &c. Itaque quòd Deus ad Christi & Ecclesiæ exaltationem iis rebus fuerit vsus, quæ in Christiani nominis abiectionem & interitum videbantur redundare; id procul dubio altissima Dei prouidentia dignum extitit.

Patientiam obliuionis aut conniventia specie sapienter obtegi.

Patientia non dubium est, quin eò sit maior, quò plus tolerat ac dissimulat. Cùm autem maximi esset momẽti humano generi, vt se Deus cum illo valdè patienter gereret (de quo multi late & optime) excellentissima huius patientię perfectio est; vt patientię speciem non habeat, sed obliuionis potiùs, aut conniuentiæ. Quare quod Deus tantopere hominum peccata se videre dissimulet: vt improbi ac scelerati suspicentur interdum Deum ipsum nihil omnino de ipsorum offensis curare; hoc (inquam) immensam Dei patientiam extollit inprimis atque commendat. Nec ideo iustitiæ partes obliuioni tradit. quinimò quò plus peccatores tolerat & expectat, eò plus iustissimæ iræ & indignationis congerit aduersus ipsos, & in præfinitum vindictę tempus asseruat. Id quod elegantes Valerius Max. expressit lib. 1. cap. 1. *Lento gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, tarditatémque supplicij grauitate compensat.*

Minas ac supplicia sapienter item sapè occultari.

Restant seriæ minæ, & seueriſsima huius vitæ supplicia, quorum vtraq. non admodum essent magna, nisi ita abdita forent, vt ad eorum cognitionem cælesti luce opus esset. Nulla enim maior, nulla grauior in peccatores comminatio, quàm Christi Redemptoris nostri tormenta & passio, iuxta ipsius verba: *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Lucæ 23. 31. Verùm nihil ludęorum oculis magis occultum & absconditum. Deinde nullas Deus acerbiores plagas in hac vita hominibus immittit, quàm cùm eos effrænatis sui cordis desideriis totos tradit, vt suis cupiditatibus obsequantur, & morem gerant; vt illatas sibi iniurias persequãtur; vt in cordis duritie & obstinatione permaneant. Quis tamen plagarum huiusmodi seueritatem absq. Christi Spiritu possit cognoscere? Constat igitur ex dictis summam septem diuinæ prouidentiæ spirituum perfectionem requirere, vt in suis operibus valdè sint reconditi & abstrusi; atque adeò verisimam rationem absconditę prouidentiæ esse summã ipsius perfectionem. Quamobrem nisi Dei gubernatio dissimulatione & obliuionis facie tegeretur; sed eiusmodi esset, vt facilè oculis cerni possent & iustorum hominum beneficia ac præmia, & iniustorum pœnæ ac supplicia; nec tyrannorum indignitates, nec prauorum ministrorum iniurias pateretur: si denique gubernandi ratio Christi Domini esset eiusmodi, qualem sibi Iudæi cõfingunt in Messia, quem adhuc nequicquã expectant; si, inquam, hanc gubernandi rationem iniret Christus; eam imperfectionis arguere multis argumentis possemus: nec illius exitus ac finis in maxima Ecclesiæ sanctitate terminaretur, sed summum in magna puerilium hominum multitudine prosperè & voluptuosè degentium.

Inferiores certè iudices ac moderatores (quorum iu-

A risdictio & prouidentia ad externas tantùm res se extendit, idque parcè atque districtè, nec diutius, quàm pro exigua vitalis lucis vsura) hi quidem, qui nec alia præmia possunt nec supplicia inferre, nisi corporea & temporanea; necessariò debent suæ gubernationis equitatem propalam ostendere. At æternus Deus inuisibilis & immortalis, qui præcipuè magnam animorum sanctitatem debet attendere, eamque præmio afficere sempiterno; à se ipso desciscceret, si suam detegens prouidentiam, ipsius perfectionem impediret. Perspicuum verò est, illam impeditum iri, si eo modo gubernaret, vt homines in rerum terrestrium ac temporalium æstimatione fixi residerent, nec ad insignes virtutes & sanctimoniæ totius culmen aspirarent.

Cur inferiores moderatores expediat sua gubernationis æquitatem patefacere; Deo verò id non sit necesse.

His quæ diximus, satis obiectionibus fecimus, quas initio proposuimus. Quarum extremæ respondeo, ex eo quòd vnus sit rerum omnium procreator, idemq. rector; non probari, eundem illi ordinem esse in vtrisq. operationibus seruandum. Nam & ad ipsius gloriam, & ad suæ reip. commodum ac felicitatem maximè interest, in a-

B liis operibus ipsius tegi prouidentiam. in aliis retegi. Quod verò opponitur, durum scilicet arduumq. videri, vt nobis ita celetur, quod tantopere nostræ salutis refert: ad hoc respondeo, Dei consilium & æternam rationem satis opportunè prouidisse necessitati, quæ ipsius prouidentiam cognoscendi nobis erat. Primò, quia lux ipsa, qua in naturalium rerum efficientia sese nobis creator ostendit, euidenter demonstrat; summum gubernatorem, qui hanc cęlorum terręq. machinam ex nihilo hominum vsui & vtilitati condidit, minimè partis nobilissimæ, id est, hominum gubernationis curam abiecturũ. Deinde vt sopitos excitet Deus, & propriæ salutis negligentes stimulet & inflammet; decernit plerumq. sapientissimè, vt obscura suæ prouidentię nubes tonitruis horribilibus, & intermicantibus fulgetris nos ipsos terreat, atque adeò admoneat, Deum nequaquã desidem, & inertem somno conniuere. Dicam clarius, plurima Dei opera admiranda, & totius naturæ cursum excedentia efficiunt, vt lucis radij ex mediis tenebris & atra caligine erumpant, & omnibus perspicuum sit Deum maximam

C de humano genere curam gerere. Tertiò, quemadmodum naturalia Dei opera, magna satis luce nobis communem indicant & ordinariam prouidentiam, ita etiam supranaturalia opera, diuina quadam luce redẽptionem mundi, & veram Christi Ecclesiã hominibus ostendunt. Itaq. licèt congruens valde fuerit, vt egregium humanæ redemptionis facinus summopere dissimularetur; iuxta id Isaiæ 28. 21 *Vt faciat opus suum, alienum opus eius ab eo, & peregrinum.* Euidentia tamen, quæ ex prophetiarum complemento, & ex miraculis stupendis fuit exorta, perspicuè credibilem hanc supranaturalem prouidentiam, & hominum redemptionem reddidit. Atque id pro huius notationis scopo delibasse sit satis, iuxta quem ratiocinandi modum, in sanctissimæ Christi crucis consideratione, necnon Christianæ Ecclesiæ fundationis, possumus, discursu per septem Dei Spiritus facto, maxima cum voluptate philosophari, & attentè contemplari, quàm fuerit admirabilis diuini consilij ratio, vt horum cælestium Silenorum species esset valde deformis; vt maximus splendor & pulchritudo inibi delitescentia maiorem excitarent in contemplantium fidelium animis admirationem.

Propositarum initio difficultatum solutio.

Quamuis Dei prouidentia in mundi administratione sit sæpè occulta: semper tamen sui vestigia hominibus in rebus ipsis relinquere.

Euidentia credibilitatis ex multis argumẽtis petita conflare supranaturalem Dei prouidentiæ æquitatem.

TEXTVS.

Vers. 2. Et vidi angelum fortem prædicantem voce magna: Quis est dignus aperire librum, & soluere signaculá eius?

COMMENTARIVS.

D IN hac visione expediuit, vt qui clamorem fuerat editurus; forti esset ac robusta statura, quò vox ipsa maiori contentione emitteretur. Ingentis verò vocis mysteriũ est, vt significetur rem esse maximi ponderis, & dignam, quæ ad omniũ aures notitiamque perueniat; videlicet nullam esse puram creaturam, quæ prædictũ librum aperire, & ipsius valeat soluere signacula. Si quis autẽ roget, Vtrùm in hoc clamore ad aliquẽ Scripturę locum respiciatur? Respondeo fortè in eo alludi ad vltima Oseæ verba cap. 14. 10. *Quis sapiens, & intelliget ista? intelliget, & sciet hæc? quia recta via Domini, & iusti ambulabunt in eis: præuaricatores verò corruent in eis.* Hęc enim verba referri videntur ad futuram difficultatẽ in cognoscendo rectam viã esse illam, qua Christi discipuli gradiebantur; ipsosq; esse verè felices (quod est primorum

Vocis magnæ mysterium quod sit.

Ad quẽ Scripturæ locum allusio fiat in hoc fortis angeli clamore.

Digitized by Google

morum quatuor sigillorum mysterium) reprobos autē esse Christi aduersarios (quod est mysterium reliquorum trium sigillorum.) Quod autem Oseas fortis angelus appelletur; cohæret optimè cum ijs, quæ D. Epiphanius in eius vita describit; ipsum scilicet suorū verborum vi ingentem quercum in partes duodecim diuisisse: congruit etiam optimè cum Oseæ prophetię argumento, in quo maxima cum sublimitate agit de Israëlitici populi reprobatione, & felicitate eorum, qui Christum recepturi erant, Vide c. 8. 1. vbi ei præcipitur, vt clangore terrifico diuinam vindictam Israelis populo comminetur. De illorum autem prospera ac felici fortuna, qui Christum fuerunt suscepturi, expressè agit Oseas cap. 2. 11. & 13. & 14. A

Osaam in hoc forti angelo signari, videtur probabile.

Ceterum non magni admodum refert, fortem Angelum hic Ioanni ostensum Oseæ figuram esse. Alij enim Scripturæ sunt loci, qui eandem continent sententiam: Quare si cui credere lubeat allusionem hoc in loco fieri ad ea verba Pauli, 1. Corinth. 2. 11. *Quæ sunt Dei, nemo cognouit, nisi spiritus Dei*: facilè ei optionem dabo.

QVIS EST DIGNVS] De facultate aperiendi librum sermo est. Sed quia hæc facultas prærequirit dignitatem; ideo dicitur, *quis est dignus aperire librum*? Aperiendi enim facultas ei solùm conceditur, qui est dignus.

Aperire & soluere signacula *pro eodem sumi.*

APERIRE LIBRVM ET SOLVERE SIGNACVLA] Id est, aperire soluendo signacula. Nec verò est, cur nouum alicui videtur, non esse res distinctas *aperire & soluere*; quia sæpe particula *&* est exegetica, vt aiunt. Et fortassis habet emphasim hic modus loquendi: auget enim difficultatem rei, quod additur de septem signaculis. Vt si quis dicat, temerarium esse, audere quempiam sine Principis facultate aperire ipsius literas; præsertim si pluribus regiis sigillis obsignatæ sint. B

Quid sit librum aperire, dissensio inter expositores est.

His præiactis, explicandum est, quid sit aperire librum illum; & in quo sensu dicatur fuisse clausus & signatus? Multi videntur statuere, cùm Ioanni facta est hæc reuelatio, neminem illius libri mysteria cognouisse, *neque in cælo, neq; in terra*; hoc est, neminem etiam ex Angelis siue beatis. Atque in hoc nituntur, vt credant huiusmodi librum non esse librum prophetiarum veteris testamenti, nec doctrinæ Euangelicæ arcanorum; sed ipsummet Apocalypseos librum. Quin etiam Ribera noster in eam partem propendet, vt visio isthæc fuerit vaticinium præsignificans librum hunc Apocalypseos complicatū, clausum, & obsignatum fore; ita vt nemo intelligeret; donec Christus in extremis mundi senescentis temporibus librum aperiret, eiusq; sigilla resignaret. Præteteà quòd Christus librū hunc aperiat, multi referunt ad prophetiarū complementum; existimantes illius prophetias, ipso rerum prædictarū euentu, claras & manifestas fore: itaque idem esse impleri prophetias, ac librum aperiri. Verùm huiusmodi opiniones neutiquā consonant cum iis, quę suprà asseruimus: nempe librum signatum, quem Ioannes vidit, non esse aliū, quàm veteris testamenti prophetias de felicitate Iudæorū Christum recipientium, & de eorum infelicitate, qui ipsum respuerent. Atque hæc est, vt vidimus, Patrū & veterum expositorum sententia; quæ sine dubio omnia, quæ textus ait in septem sigillorum apertione accidisse, apprime quadrat. Infrà autem ostendam, nullam præterea declarationem consentire posse cum illis verbis, *Ecce vicit leo, de tribu Iuda, aperire librum & soluere signacula eius.*

Vera librum aperiendi ratio & explicatio. C

Cur liber tunc Ioanni clausus ad huc & obsignatus repræsentaretur.

Illud ergo reliquum fit; vt explicemus, cur repræsentetur librum adhuc esse clausum atque signatum; & Ioannem lachrymas effundere, quod reperiretur nemo, qui librum reseraret, cum exploratum sit, septem sigillorum mysteria in eo sensu, quo nos accipimus, mūltos iam annos Apostolis, & Christianæ Ecclesiæ fuisse reuelata. Hoc, vt explicem, aduerto primò, mysteria ipsa, quæ Deus Apostolis & fidelium multis palàm fecit; infidelibus adhuc occulta & abdita remansisse, & aliquà etiam ex parte nonnullis fidelibus. Quamobrem ipsemet liber, postquam aliis explicatus fuit complicatus tamen aliis atque signatus restitit. Ideoque æquissimè & significantissimè indicatur, librum clausum adhuc & signatum septem sigillis manere, solumque Christum posse ipsum aperire. Exemplum esto id, quod Paulus ait 2. Corinth. 3. 14. *Vsque in hodiernum diem id ipsum velamen in lectione veteris testamēti manet non reuelatum. Quoniam in Christo euacuatur, sed vsque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. Cùm autem conuersus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.*

Aperire librum quo sensu sit hic grammaticè accipiendū. D

Secundo ex contextu ipso videtur constare; aperire librum, idem esse, ac reliquis aperire illum, qui satis nouerant, quid ipse liber contineret. Agnus enim, qui librum aperuisse perhibetur, nemo dubitat, quin ante omnes libri mysteria intellexerit, librum ergo aperire, idem erit, ac exponere reliquis libris ipsius mysteria. Et latine quidem hæc phrasis *librum aperire* facilè in eo sensu sumitur, vt aliis eundem librum explicet. Quapropter nulla ratione admittendum est, Ioanni, animalibus & senioribus libri huius mysteria fuisse incognita, illa enim Christi Spiritu adiuti satis nouerant, iuxta illud Pauli 1. Cor. 2. 10. *Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum.* sed nondum aliqui poterant hunc librum reliquis aperire, & explicare, nisi hanc ad rem Christus eis suum Spiritum suggereret, id nāque est aperire librum, & soluere signacula eius. Porrò Ioannes non ideo illacrymabatur, quòd libri mysteria intelligere optaret cùm sibi iam explicata fuissent, sed quòd videtur librū clausum hactenus infidelibus, ob eorum obstinationem, manere. Quin etiam ni Ioannes mysteria libri calluisset, non ita vehementer fleret eorum, qui illa non nôrant, extremam miseriam, neque enim tanti librum non cognitum æstimaret, nec Iudæorum ignorantium vicem tantopere doleret. At verò quia mysteria eiusmodi animo penitùs imbiberat, ideo & illa tanti ducebat, & Iudæorum sitim atque ariditatem deplorabat.

Cur Ioannes fleuerit, neminem fuisse inuentum, qui librum reserare et.

Tertio valde à vera intelligentia aberrant ij, qui putant prophetiarùm complemento librū hunc aperiri. Etenim licèt verum sit, cùm prophetias esse impletas constat, librum reapse apertum manere illis, qui ipsas impletas iam esse vident. Hic tamen de hac aperiendi ratione minimè agitur, sed quòd euoluatur, cùm inuolutum est. Nunquam autem magis est clausus, magisque signatus, quàm cùm ve-

Digitized by Google

A cùm verè implentur prophetiæ; hoc est, cùm liber est in dextera sedentis in throno (vt suprà explicauimus.) & ipsum aperire, nihil est aliud quàm Dei mysteria reuelare: quod fit per Spiritum Christi: vt docet Paulus, 1. Cor. 2. 10. Fiet hoc exemplis illustrius. In Christi Domini nostri passione magna prophetiarum pars impleta est: ita tamen tectè ac dissimulanter, vt vel ipsi Dæmones etsi nimis anxij atque solliciti, re tamen ipsa id non intellexerint, *si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Nam cùm ipsi Iudæos ardentibus furiis in Christum concitauerint; vt eum in crucem suffigerent, non dubium est, quin ipsos lateret omnino maximum bonum, quod ex Christi cruce in vniuersos homines fuerat deriuandum. Simili etiam ratione in martyrum tormentis, in Ecclesiæ persecutionibus, maxima Ecclesiæ ipsius gloria & exaltatio erat abscondita. Cùm autem hoc opere præstabatur, dæmones, qui sæuienti persecutioni faces subdebant, altissimum Dei consilium non assequebantur. Si ergo dæmones ipsos præteruolabat, quantò magis mundanos homines in rerum terrestrium voluptate & cogitatione defixos? Constat ergo, prophetias, ipso etiam tempore, quo implebantur, maximè esse signatas: & eas tum reserari nihil esse aliud, quàm Christum sui Spiritus copiam hominibus facere, vt eas possint agnoscere, idque in gloriam Christi singularem redundare.

Christiana Ecclesia gloriam in ipsius persecutionibus & martyrum tormentis delitescentē vel dæmones ipsos latuisse.

Quartò optatum finem non assequuntur interpretes, qui affirmant signatum librū non esse veteris testamenti prophetias, sed nouas Apocalypseos, quæ nulli erant notæ, quo tempore Ioanni hęc
B visio ostensa est. Quod quidem si ad septem sigillorum mysteria referendum est, primum sigillum ij omnes de Christi imperio exponunt. atqui nemini dubium est, huiusmodi mysterium Apostolis innotuisse, priusquam Ioanni reuelaretur Apocalypsis. Idemque constat manifestè de nonnullis aliis sigillorum mysteriis iuxta ipsorum expositionem. Et quāuis inter illa res aliquas annumerent, quarum notitiâ Apostolos tunc fuisse imbutos non constet, quod tamen ipsis nondum erat reuelatum, Ecclesiam scire non magni intererat, nec verisimile id est in septem sigillorum libro contineri, neque erat cur Ioannes fieret eâ cupiditate permotus, vt isthæc Ecclesiæ palam fierent.

Qui à signato hoc libro veteris testamenti prophetias excludunt, minimè scopū attingere.

TEXTVS.

Vers. 3. Et nemo poterat neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum, neque respicere illum.

COMMENTARIVS.

INprimis, versu præcedente exploratum manet, quod nunc additur, *nemo poterat aperire*, non significare, nullum ex iis qui in cælo sunt, intelligere mysteria, quæ in libro illo claudebantur, sed nullum posse mysteria illa mundo explicare. Non enim cognosci valere absque Christi Spiritu, quem
C Christus ipse solus largiri potest.

Quid hic sit, nemo poterat aperire.

Deinde, in ea distributione *neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram*, aliquis in difficultatem fortè incurret, existimans illam superuacaneam esse. Quod enim Angeli atq. beati, qui Dei conspectu fruuntur, assequi non possunt. multò minùs superstites adhuc in terra assequentur. Ad hoc tamē dico, verbum illud *in cælo*, non designare solùm cælites ipsos, sed etiam omnes primitiuæ Ecclesiæ Christianos. Etenim iuxta vsitatam in Apocalypsi locutionem, ij quorum conuersatio in cælis est cuiusmodi erant primi illi Christiani) in cælo esse dicuntur. & idcirco videt Ioannes in cælo thronū animalia, & seniores. At Iudæi, qui non recipiebant Christum, dicuntur esse in terra (sicut etiam Gētiles in mari esse dicuntur, de quo alias:) Dæmones autem dicuntur esse sub terra. Quos loquendi modos inficiabitur nemo ænigmaticæ Apocalypseos locutioni esse consentaneos. Vbi autem semel statuatur, hunc esse sensum distributionis illius, *nemo poterat neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram*; facile mox cernitur illam non esse superuacaneam, sed valde congruentem. Idem namque valet, ac si diceretur, vt mundo palam fieret in eo, quod primitiuæ Ecclesiæ tempore accidebat, veteres impleri prophetias: nec satis esse, quod Christiani ex Christi reuelatione nouerant, nec Scripturarum notionem, quam Scribæ & Pharisæi se habere gloriabantur, nec Dæmonum scientiam & subtilitatem. Nam libri illius arcana propria sunt diuinæ sapientiæ: *Et quæ sunt Dei nemo cognouit, nisi Spiritus Dei.* Quare nemo poterat eorum mysteriorum cognitione informari, nisi Christus ipse
D suum illi Spiritum impertiret. His explicata satis manet prima illa versiculi pars, *nemo poterat, neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum.*

Cælum, terra, & subtus terram quo sensu hic accipienda.

Sed quid est quod sequitur, *neque respicere illum*? Certum enim est omnes in eo consessu existentes librū respicere. Nam vt de libro, quem omnes in principis dextera videbant, prædicatur, *quis est dignus aperire librum, & soluere signacula eius*? Ad hoc dico primò, idem in præsenti esse *librum respicere*, & *videre illum*: quia idem est verbum græcè in versu sequenti, cùm dicitur, *neque videre eum*. Secundo, dico, bifariam dici posse aliquem vidisse librum; primò cùm libri molem aspexit: licet ipsum non aperuerit, nec legerit. Secundò quando librum euoluit, atque perlegit: quo in sensu plerumque dicere solemus, non vidi Augustinum, id est, eius libros non aperui, neque legi. In hoc ergo secundo sensu sermonem esse in præsenti patet ex contextu: sed aperire ac legere librū refertur, hic ad libri ipsius mysteria. Vnde qui ea non percipit, magnâ cum energiâ, dicitur non vidisse librum.

Librum respicere, quo sensu dicatur.

Videre librū bifariam accipi posse.

Hinc tamen inferet fortasse aliquis, meam expositionem non sibi constare. Hactenus enim dixeram non esse ita intelligendum, vt nemo libri mysteria nouerit; sed, vt nemo possit illa hominibus explicare. Nunc verò, cum textus addat, *neque respicere illum*, cogor hæc verba de libri mysteriorum intellectione explicare. Non igitur asseritur solùm in contextu, neminem posse librum reliquis aperire; sed etiam, neminem comprehendisse libri mysteria, quando Ioanni facta est reuelatio. Respondeo magnam esse horum verborū vim & elegantiam: quæ vt meliùs percipiatur, obseruandum est

Fulcitur eadem de respiciendo libro explicatio obiectionis solutione.

Digitized by Google

est huiusmodi in eis ordinẽ inesse, *nemo poterat aperire, nec videre librum illum*, quantũuis *videre* sit intelligere; & *aperire* sit aliis exponere, & declarare. Et certè primo aspectu videtur verborum ordo inuersus: quia primum est intelligere librum; & intellectionem sequitur explicatio aliis & declaratio. Ceterum Angeli clamor & præconium non agebat de intellectione libri; sed de apertione siue explicatione, illa enim fuit Angeli vox, *Quis est dignus aperire librum: & soluere signacula eius*? Itaque directè sermo erat de apertione. Vnde quod additur, *neque respicere illum*; intelligendum est de ea visione, quæ libri apertionem subsequi videtur: cumque nemo fuerit dignus aperire librum, nisi solus Agnus, id saltem fore videbatur, vt postquam Agnus librum aperuisset, eiusque sigilla resignasset, possent alij quicumque ad librum accedere, illum legere, & eius arcana perscrutari. Quod vt nemo suspicetur, propterea additur *nec videre eum*. Quod est dicere, non solum neminem esse dignum soluere librum sed etiam postquam librum ipsum Christus aliis aperuit, posse neminem ipsum legere; nisi à Christo ad eius resignationem, lectionem, & intellectionem singulari beneficio introducatur. Reconditus autem sensus est, tanta esse, tamque abstrusa & arcana huius libri mysteria: vt ad eum sapienter legendum & intelligendum, non mihi sufficiat Christum aliis aperire ac resignare, vt mihi quisquam absque singulari ipsius auxilio possit illum exponere. Semper enim liber obsignatus mihi manet, donec Christus suum mihi spiritum suppeditet, & sigilla resignet.

In verbis hysteron proteron videri, idque non sine mysterio.

A

B

TEXTVS.

Vers. 4. Et ego flebam multùm, quoniam nemo dignus inuentus est aperire librum, nec videre eum.

GRæca quidem habent, *Nemo dignus inuentus est aperire, nec legere, nec videre*. Illa tamen verba *nec legere*, procul dubio non sunt ex textu, Nam *legere* includitur in *videre*, vt ex supradictis constat. De Ioannis autem fletu & eius causa satis iam diximus

TEXTVS.

Vers. 5. Et vnus de senioribus dixit mihi, Ne fleueris: Ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & soluere septem signacula eius.

COMMENTARIVS.

Difficultas, cur plorantem Ioannem vnus è senioribus consoletur.

OCcurrit hîc difficultas, cur scilicet Ioannem plorantem vnus de senioribus consoletur? Nam juxta nostram declarationem, Ioanni congruit symbolum quatuor animalium; quæ coniunctiora sunt Deo, quàm ipsi seniores. Inter Apostolos vero nullus plus gratiâ pollebat apud Christum, quàm Ioannes, nullusque cælestium arcanorum plus participauit. Quid ergo sibi vult, vt ploret Ioannes, & de senioribus vnus ipsum his verbis soletur; *Ne fleueris, Ecce vicit leo de tribu Iuda, aperire librum, & soluere septem signacula eius*? Numquid seniorum aliquis erat harum rerum peritior Ioanne? Si igitur seniores erant inferiores illo, quinam inferior superiorem solatur, & docet? Existimabit nonnemo ab hac se difficultate expediri, si asserat viginti quatuor seniores, quos Ioannes aspexit, in æterna beatitudine Dei conspectu tunc frui, atque adeò quemlibet beatorum plus assequi cognitione, quàm quemlibet alium eorum, qui in terris adhuc vitam degunt. Sed iam suprà vidimus, in hac visione seniores non Ioanni fuisse ostensos in cælorum beatitudine, sed in cælestis conuersationis celsitate. Præterquam quòd minimè ignorabat Ioannes, quod sibi senior edixit: optimè enim ille nouerat Christum esse leonem de tribu Iuda, & radicem Dauid, ipsumque vicisse, vt Scripturarum librum aperiret, suumque spiritum hominibus communicaret.

C

Respondebit alter, Ioannem, licèt erat Apostolus, in hac tamen visione non Apostolicæ dignitatis altitudinem, sed ignorationis humanæ fragilitatem referre, ideoque lachrymari & ipsius luctum ab vno seniorum leuari ac minui. Sed contrà est, quia Ioannis fletus fuit viri Apostolici proprius. Nullum enim ita propriè attingebat hominum cæcitatis, & Iudęorum præsertim, deploratio, vt Apostolos, ad quos spectabat assiduis precibus Deum obsecrare, vt cælestis sapientiæ arcana recondita hominibus retegeret.

D

Difficultatis solutio.

His ergo omissis, nota dignum valde esse Apostolicorum hominum statu, ex sacrę Scripturæ verbis sibi consolationem petere. Quamobrem, si in hisce verbis (*vnus de senioribus dixit mihi*. &c.) significaretur in ardenti illo desiderio (quod Ioannis lacrymæ adumbrant) Apostolum mœrorem suum lenire aliquibus Scripturæ verbis per aliquem seniorum scriptis; facile difficultas omnis in maximam videretur elegantiam conuerti. Marcus igitur & Lucas Euangelistæ (qui non ex Apostolorum numero, sed ex discipulorum fuerunt) apposite figurantur in seniorum numero, vt cap. 4. explicauimus. Valde ergo suspicor in his verbis alludi ad id, quod diuus Lucas in Apostolorum Actis conscripsit: Christum scilicet suum impertiri spiritum eorum multis, qui Apostolorum prædicationem audiebant, vt cap. 8. 17. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum* & cap. 10. 44. *Adhuc loquente Petro, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum*. Quæ omnia scribuntur, vt effectus Christi passionis & resurrectionis. Si ergo libri apertio & sigillorum resignatio in eo consistebant, vt Christus suum Spiritum hominibus elargiretur; vere dici potest vnus è senioribus asseruisse, leonem de tribu Iuda, & radicem Dauidis victoriam reportasse; vt librum solueret, & eius signacula detraheret. Quod autem Lucas ad vniuersam Ecclesiam scripsit, eleganter Ioanni fuisse dictum ad ipsius solatium figuratur. Nam ad eius mœrorem abstergendum nihil congruentiùs, quàm vt ipse

In vno è senioribus Ioannem solante adumbrari fortè Lucam Euangelistã.

ver-

Digitized by Google

A verborum meminisset, quæ Lucas diuini Spiritus instinctu literis mandauerat, & cogitaret, Christum, quæ inceperat, ad finem vsque prouecturum. Itaque si ipse Apostolicum munus accuratè sustineret, & hominibus Euangelium enunciaret, manusque imponeret; posse confidere, Christi Spiritum illis esse tribuendum, & aperiendum librum, quem Apostolus per se ipse non poterat reserare.

Addo huc, mihi valde esse verisimile, in his verbis, *vnus de senioribus*, &c. respici ad id, quod Lucas scripsit de conuersione Pauli; in qua exponitur argumentum quoddam admirabile Christi triumphi post eius passionem & resurrectionem: quod erat librum aperire, & suum Spiritum illis dare, qui obstinati videbantur esse, & cor cæcitatis velo obductum habere. Ad quam Pauli conuersionem regrediemur vers. 8. vbi de citharis.

ECCE VICIT LEO APERIRE LIBRVM] Id est, ad aperiendum. Vbi aduertatur primo Christi victoriam in eius passione & resurrectione constitisse. Quare, cùm dicitur Christus ad librum aperiendum victoriam sibi peperisse, idem est, ac dicere, Christum mortuum fuisse, vt hominibus diuinæ sapientiæ arcana patefaceret. Nam Euangelij lucem Spiritus sancti interuentu hominibus impertiri, nihil est aliud, quàm fidem eis viuam, & admirabilem cælestis sapientiæ arcanorum cognitionem tribuere. Quo veluti ad initium atque originem, omnis Ecclesiæ fælicitas referenda est. *Quid sit, vincere leonem, aperire librum.*

B Ideoque Christus vitam pro nobis profudit, vt maximum hoc bonum ab æterno Parente suæ Ecclesiæ consequeretur; & hic est præcipuus suæ passionis fructus. Ex quo intelligitur, *aperire librum, & soluere septem signacula eius*, non in eo potissimùm impleri, quòd prophetiæ aliquæ minoris momenti enuncientur, sed in iis, quas Spiritus sanctus enunciat, dum homines efficit spirituales. Textus enim ait, hunc esse fructum Christi victoriæ, *Vicit leo de tribu Iuda, aperire librum*, &c.

Secundò aduertatur, magnam inesse elegantiam in eo, quòd appelletur leo, & sub Agni figura appareat. Ac si clariùs diceretur, ipsum in passione agnum tenerum & imbellem apparuisse, atque ideò mactatum immolatumque fuisse, sub ea tamen imbecillitate summam abdidisse virtutem, & incredibilem fortitudinem, quia facinus maximum & præstantissimum omnium, quæ cogitare poterat, perfecit: cumque fuisse victus & occisus videbatur, in eodem ipso sacrificio victorem gloriosissimum extitisse, vt leonem fortissimum, in eoque fuisse impletum, quod scriptum est Genes. 49. 9. *Catulus leonis Iuda: ad prædam, fili mi, ascendisti.* Quod idem est, ac dicere, Christum esse verum Messiam, ac proinde validissimum leonem de tribu Iuda: qui passione sua ac morte spoliis opimis & prædæ locupletissimæ vncum impegit; dum homines à misera Dæmonis seruitute asseruit, illisque cælestium donorum copiam & affluentiam acquisiuit. Quæ omnia bona in diuina sapientia includuntur, iuxta illud Sapientiæ 7. 11. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* *Elegans antitheſis in eo, quòd vocetur leo, mox Agnus appareat.*

C RADIX DAVID] Multi hactenus auctores, iique graues existimabant in hac phrasi innui Christum esse radicem, quæ Dauidem produxit. noster tamen Ribera doctissimè explicauit, secundùm Scripturæ phrasim dici Christum Dauidis radicem, eo quòd sit Dauidis filius: nempe filius ille Abrahamo & Dauidi promissus, qui erat expectatio Gentium. Quòd autem Christus dicatur radix, existimo eximiæ cuidam radici assimilari, quæ humi defixa in eius visceribus deliteſcat: posteà tamen maturo tempore germinet, & pro insita virtute ac cælesti vi fructum producat copiosum. Quo significatur Dauidis regnum cùm finitum iam, conuulsum & exterminatum videbatur, eius tamen radicem abditam latuisse, vbi homines neutiquam possent suspicari, & quamuis despectam ab iis & conculcatam, fructum demum iuxta cælestem suam virtutem vberrimum & copiosissimum tulisse, cùm summæ felicitatis, quæ ex diuina sapientia in homines dimanauit, arborem editissimam procreauit. In hoc eodem sensu iteratur cap. 22. 16. *Ego sum radix & genus Dauid.* Vtrobique autem inest alluſio ad Ieſſæ radicis virgam, de qua Isaiæ 11. 1. Et ad illud Isaiæ 53. 1. *Sicut virgultum, & sicut radix de terra ſitiente.* Et quoniam verba senioris citantur in præcedenti versu, fortasse etiam respicitur ad cap. 13. Actuum Apostolorum, n. 22. vbi fit mentio vtriusque Isaiæ loci. *Quo sensu Christus appelletur radix Dauid.*

TEXTVS.

D

Vers. 6. Et vidi, & ecce in medio throni & quatuor animalium, & in medio seniorum Agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram.

Digitized by Google



Digitized by Google

A

COMMENTARIVS.

QVod ad visionem seu textum pertinet: *in medio* phrasis est, significans inter vnum & alterum, quod etiam Hispanicè est vsitatum. Sensus ergo est, Agnum esse inter principis thronum, & inter locum animalium, & viginti quatuor seniorum; id est, propiorem throno, quam ceteros omnes, qui prædicti erant ante Dei thronum adstare. Itaque *in medio throni* non est in ipsosmet principis throno; sed inter ipsum & animalia. Quod ex eo fit planum, quia num. 7. dicitur, *Et venit, & accepit de dextera sedentis in throno librum*. Prius ergo non erat Agnus in ipsa sella, siquidem posteà ad illam accessit. *Quomodo Agnus in medio throni; seniorum & animalium steterit.*

AGNVM STANTEM TANQVAM OCCISVM] In dubium vocari non debet, Ioanni fuisse visam Agni figuram. At *stantem*, non hic significat illum pedibus nitentem consistere. Quamuis enim *stare* latinâ phrasi non dicatur de eo, qui iacet; & multi in oppositione illa philosophentur, quòd vna ex parte dicat textus *Agnum stantem*, ex altera verò *tanquam occisum*: nihilominus extrema ipsa quæ adiiciuntur verba, id est, *tanquam occisum*, clarè ostendunt, opinor, *stantem* hîc idem esse, ac iacentem. Et Hispanicâ quidem phrasi nullius difficultatis erat hoc ita intelligi, si diceretur, *Estaua como muerto*. Nam vox illa *estaua* est generalis significationis: & per mortui comparationem ad habitum iacentis sine motu determinatur. Sed nequis nobis opponat propriam latini verbi significationem; aduerto græcè (vnde hic fuit translatum) ἑστηκὸς, esse participiũ præteriti perfecti; notantque dictionaria græca in verbo ἵστημι præteritum perfectum, significare idem, quod stare vel iacere, idque per omnes modos. Phrasis etiam græca est ἐστηκὸς, pro quietus; in Agni autem mortui figura denotatur ipsum non moueri. *Stare hic Agnus quo sensu dicatur.*

B

HABENTEM CORNVA SEPTEM, ET OCVLOS SEPTEM] Licèt in sacris Literis lucis radij dici soleant cornua: quando verò de Agni cornibus agitur, dubium non est, quin de eiusmodi cornibus sermo fit, qualia in communibus agnis videmus. Illud hic nouum & peculiare; cornua ist hæc non esse duo, sed septem. Et forte consideranda sunt in modum coronæ, quæ caput vndique ambiat, eodemque modo septem oculi totidem cornibus suppositi æquali interuallo sint distributi. Ita enim fortassis non solùm non erit deformis figura, sed pulchra potius & speciosa. *Quæ ratione septem oculi Agni, totidémque cornua sint cõsideranda.*

Sed gradum iam faciamus ad significationis mysterium. Primò Christus sub Agni figura inducitur iuxta id Isaiæ 16. 1. *emitte Agnum Domine dominatorem terræ*. De quo loco dicemus cap. 14. Medius autem inter Deum atque homines constituitur: non solùm vt Christi Redemptoris nostri excellentia denotetur; sed etiam ad sui muneris significationem: est enim *mediator Dei & hominum*, vt optimè Paulus 1. Timot. 2. 5. & alibi sæpè. *Cur Agnus in medio throni & seniorum constituatur.*

C

Deinde septem cornua, septemque oculos textus explicat esse septem spiritus Dei. In cap. verò primo, notat. 5. interpretati iam sumus septem spiritus Dei esse virtutes illas septem, quibus prouidentiæ perfectio comprehenditur. Quod autem dicitur, hosce septem spiritus inesse Agno; idem est ac dicere Christum Dominum, etiam quatenus hominem, totius esse mundi machinæ monarcham, & vniuersalem rectorem: nam *Pater omne iudicium dedit Filio, quia filius hominis est*. Ioan. 5. 27. Christus igitur cùm perfectissimè est princeps (cuius gubernatio exactissimam diuinæ imitationem continet) tum etiam septem illos habet spiritus seu virtutes, ad quas perfectio tota administrationis rectæ redigitur: atque id est *agnus dominator* in Isaiæ loco nuper adducto. *Quid per septem Agni cornua, totidémque oculos figuretur.*

Congruentissimum præterea fuit, has septem virtutes in Agni corona ex cornibus septem compactâ figurari. Corona enim principatum denotat: & cornu in Scripturæ phrasi symbolum est regni. De quo vide Maldonatum in id Lucæ 1. 9. *Erexit cornu salutis nobis*, Itaque Agnus cum septem cornibus, indicat ipsum regnare cum septem virtutibus, per quas septempliciter dominari videtur. Idemque significant septem oculi: quia similiter oculi sunt prouidentiæ symbolum, duplex autem significationis eiusdem symbolum coniungitur, in quo videtur semel atque iterum asseuerari vniuersalis Christi dominatio, maximaque illius perfectio, iuxta illud Genes. 41. 32. *Quod autem vidisti secundò, firmitatis indicium est*. Præterquàm quòd in his omnibus gubernatoris virtutibus præcipua perfectio in eo in primis elucet, vt cognitionis perfectio in oculos figurata societur semper cũ maxima ad exequendum vi & efficacitate, quæ in sacris Literis per cornu symbolum dedotatur. Aut forte eandem redolet elegantiam coniunctio illa virgæ atque oculi apud Ieremiam c. 1. 11. vbi ait, *Virgam vigilantem ego video*. Porrò, quòd dicatur de septem Dei spiritibus, *mittuntur in omnem terram*, nostræ non repugnat expositioni. Quemadmodum enim dicitur suum spiritum Deus immittere cũ ipsius spiritus admiranda in terris operatur; ita similiter iuxta Scripturæ loquutionem dicitur Deus emittere suas septem virtutes, propter eximios & admirabiles harum virtutum effectus, quæ in toto orbe terrarum eniteſcunt, cùm in Christianæ Ecclesiæ sanctitate, tum in Euangelij propagatione. Vide illud psal. 56. 4. *Misit Deus misericordiam & veritatem suam*. *Cur septem prouidentiæ virtutes per Agni cornua & oculos figurentur.*

D

Infertur ex dictis, verissimum esse quod notauit Rupertus in ea verba capitis primi, *& à septem spiritibus* nimirum spiritus septem, septem lampades, septem cornua, atque oculos Agni, septemque sigillorum, mysterium; hæc inquam, omnia vnum idemque significare. *Per septenarios spiritũ, lampadum, cornuum, oculorum & sigillorũ idẽ omnino significari.*

Ad hæc, cum asserendum mox esset, Agnum esse, qui septem libri sigilla aperiat, idoneum valde fuit, vt præmitteretur, Christum Dominum septem Dei spiritibus esse insignitum. Nam si vt horum spirituum cognitione alios imbuat, eos in primis cognoscere opus est: qui in se illos perfectissimè contineat, & eorum nutu suam Ecclesiam gubernet, hic certè erit, qui eos suis seruis exponere valebit, & suæ prouidentiæ rationem abstrusam docere.

Digitized by Google

In hoc Agno tanquam occiso allusionē fieri ad antiquæ legis sacrificia,

Præter illa, quæ hactenus dixi de Agno occiso, post attentam huius figuræ considerationem, adiiciendum censui, quid mihi omnino persuadeam. Illud verò est, in hac Agni specie, quæ Ioanni ostensa est, continuari illam ad templum Salomonis allusionem, quæ totum caput. 4. occupat. Nam vt suprà dicebamus, toto eo capite proponitur comparatio quædam eius templi, quod à Christo in primitiua Ecclesia ædificatum est, cum eo, quod Salomon ædificauit. Et eò spectat mentio diuini throni, viginti quatuor sacerdotum principum, septem lucernarum candelabri, maris vitrei, & Cherubinorum. Sentio igitur in cap. 5. in specie Agni vlteriùs procedere allusionem illam. Cùm enim comparatio illa noui templi cum antiquo postularet, vt ad ea potissimùm descenderetur, quæ in templo Salomonis erant præcipua, & maximè notanda; congruentissimum fuit, vt ex sacrificiis assumeretur id, quod inter ea præcipuum, & quod argumento huius capitis maximè deseruiebat. In Agno ergo Ioanni ostenso procul dubio respectum est ad antiquum iuge sacrificium, Agni videlicet; qui quotidie offerebatur tam matutino tempore quàm vespertino, vt præceptum erat Exodi 19. 22. & Numer. 28. 3. Animaduersâ autem allusione, mox facilè intelligitur eius significatio, nimirum non deesse in Christi templo, (id est Ecclesiâ) mirandum sacrificium, idque iuge, & omnia veteris legis sacrificia obnubilans. In sacrificio enim Missæ, mysticus agnus offertur. Atque huius Agni, siue huius mystici sacrificij frequentiæ tanta est efficacia; vt huic iugi sacrificio debeat Ecclesia Christiana septem sigillorum apertionem, & adytorum sapientiæ cælestis perfectam penetrationem. A B

In Agno occiso adumbrari Missæ sacrificium:

Cohæret autem hîc sensus mirificè & cum contextu, & cum mysterio capitis quarti, & cum rei ipsius veritate. Ac verba quidem ad Agni descriptionem spectantia, Missæ sacrificio repræsentando aptissima sunt. Quoniam textui latino (*Agnum stantem tanquam occisum*) respondet græcus, Ἀρνίον ἑστηκὸς ὡς ἐσφαγισμένον, illa verò dictio ἐσφαγισμένον, participium est passiuum à verbo Σφάττω, vel σφαγίζω, quod est immolare. Hoc enim idem verbum posuerunt LXX. Genesis 22. 10. vbi nos legimus, *vt immolaret filium suum*. vbi sermo est de sacrificio Abrahæ. Idem verbum posuere Leuit. 14. 13. vbi vulgatus, *immolabit Agnum*, Et similiter infrà in eodem cap. n. 50. vbi legimus *vno passere immolato*, & n. 51. *in sanguine passeris immolati*. Atque hîc habent LXX. illud idem participium ἐσφαγισμένον, & in hebræo est verbum שחט (*sahhat*) quod est, *mactare sanguine effuso*: Hoc verò verbum à LXX. interpretibus frequentissimè redditur per verbum σφάττω, certè pluſquàm sexagesies, vt ex græcis concordantiis constat. Apponunt etiam idem verbum græcum Septuag. vbi in hebræo legitur טבח (*tabahh*) quod est, *mactare*, necnon vbi in hebræo ponitur זבח (*zabahh*) quod est sacrificare.

Agnū quasi occisum idē esse, ac quasi immolatum.

Ex his verò palam fit id, quod legimus in Apocalypsi, (nempe à Ioanne in medio throni visum fuisse Agnum *quasi occisum*) pro eodem esse, ac quasi immolatum, quasi mactatum, quasi sacrificatū, sanguine videlicet effuso. Porrò altaris mysterio nihil aptius. Ibi enim passionis Christi offertur victima: diciturque & rectè & rite sanguis ipsius in eo sacrificio in scelerum remissionem effundi. Enimuerò diuini huius sacrificij effectus, mira potentiæ Agni reuelatio est. Nam oblatus ipse & sanguinis largitor liberalis, exurgit per mirabilem efficaciam, & ascendit ad thronum Dei, & aperit librum per gloriosam virtutem suam, quam Ecclesiæ suæ per hoc sacrificium communicat. Atque ita Ecclesia ipsa semel & iterum in hoc ipso sacrificio quotidie repetit, celebrari ac innouari in eo, non solùm passionis Christi memoriam, sed etiam resurrectionis & ascensionis illius. Quæ quidē verba sunt maximè expendenda, vtpote ineffabilis arcana mysterij, quod in hoc loco significatur: dum dicitur Agnum apparuisse tanquam occisum, & deinde surrexisse, & ad Patris æterni solium ascendisse, acceptoque de ipsius dextera libro, aperuisse eum: quod perinde est, ac si diceretur, id quod Christus mortem subiens, resurgens & gloriose ascendens effecit (scilicet reconciliare nos Deo, suamque virtutem & potentiam edere resurgendo, editissimumque cæli locum & Dei thronum ascendendo, indeque suum spiritum emittendo) id ipsum quotidie refici in hoc sacrificio Missæ: ac proinde ab hoc sacrificio in Ecclesiam orthodoxam dimanare communicationem Spiritus sancti, quæ mysteria libri septem sigillis clausi reserat & explicat. C

Vide Matth. 26. 28. *Qui pro vobis effundetur*, vbi Maldonatus noster cum aliis censet non esse sermonem de cruenta effusione, sed de oblatione sacramentali. Et quamuis Franc. Suarez 3. p. to. 3. de Eucharistia disp. 58. sect. 4. existimet à communiori placito ea verba referri ad effusionem cruentam; fatetur tamen, pro explicatione Maldonati aperte esse B. Ambrosium. Et pro eâdem etiam sunt Durandus, & Canus. Et meo quidem iudicio, argumentum, quo nititur Maldonatus, valde vrget. D

TEXTVS.

Vers. 7. Et venit, & accepit de dextera sedentis in throno librum.

COMMENTARIVS.

Agnum, etsi occisi speciem pra se ferebat, librū tamen accipere & aperire valuisse quid denotet.

IN Agni figura occurrit in primis oculis spectantium quædam impotentia, atque (vt ita dicam) ineptitudo ad sumendum librum & aperiendum, præsertim cùm mortui speciem præ se ferret. Ceterùm surrexit extemplò, & librum ipsum cum ingenti totius mundi stupore reserauit. Hoc est, Neutiquam fieri posse videbatur, vt recondita diuinæ prouidentiæ & philosophiæ cælestis arcana mundo

Digitized by Google

A mundo enunciaret atque proponeret homo is, quem Iudæi vt Agnum imbellem immaniter trucidauerant; qui se ab eorum vi tueri, atque defendere non potuisse videbatur. Hic tamen Agnus ab inferis illico excitatus, ceu leo fortissimus, exsurrexit; & hominibus Dei mysteria, & abdita suæ sapientiæ penetralia patefecit.

TEXTVS.

Vers. 8. Et cùm aperuisset librum, quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.

COMMENTARIVS.

SI figuram ipsam Ioanni ob oculos positam respiciamus: offert se primo non leuis dubitatio: cur scilicet dicat textus, *cùm aperuisset librum*; si quidem nondum Agnus libri sigilla soluerat? *Difficultas in Ioannis verbis: cur scilicet antequam sigilla dicantur resignari, liber perhibetur apertus? Beda responsio.*

B de apertione enim sigillorum agitur infrà cap. 6. & 8. Huic dubitationi respondet Beda cap. 6. initio, non vacare mysterio, quòd priùs apertus sit, deinde resignata sigilla: Christus enim, vbi resurrexit, aperuit librum: atque vbi sanctum misit Spiritum, mysteria illius reserauit. Quòd si semel concedatur, librum euolutum priùs, deinde soluta sigilla, dicet aliquis forsan, libri apertionem esse tribuere eam lucem quæ ad credenda mysteria sit satis: sigillorum autem resignationem esse, maiorem adhuc & clariorem menti cognitionem ingerere. Præcedit enim fides intelligentiam secundùm illud Isaiæ 7. *9. Nisi credideritis, non intelligetis*, (iuxta LXX.) Hæc tamen omnia minimè faciunt ad rem: si enim liber sigillis erat consignatus, frustra consideratur priùs fuisse apertum, quàm sigilla.

Alij suspicantur, hanc animalium & seniorum adorationem, & quæ sequuntur ad finem vsque capitis quinti, dicta esse per anticipationem; propriumque eorum esse locum, postquam Agnus septimum soluit sigillum; quod narratur capit. 8. Verùm in hac solutione animus non acquiescit. Primò quia simplicius multo est ac facilius, atque adeò verisimilius, Ioannem Apocalypseos visionem quo ordine vidit, enarrare. Secundo, quia aperto septimo sigillo consequitur mox cæli silentium per dimidiam horam: esset autem magnum temporis interuallum inter actionem gratiarum & adorationem interiectum. *Aliorum explicatio.*

C Tertiò respondent alij: Agnum, vbi primùm sumpsit librum in manus, antequam sigilla resignaret, ac proinde antequam liber esset apertus, ab animalibus, senioribus & Angelis fuisse adoratum. Pro hac responsione facit primò, quòd vbi Vulgatus legit *cùm aperuisset*, Græci omnes codices legunt, *cùm accepisset librum*; & similiter legit Primasius, nec non ex græco Erasmus & Arias. Deinde dici posset, Vulgatum pro illis verbis *cùm accepisset librum*, rectè transferre potuisse, *cùm aperuisset*. Cepit enim librum ad aperiendum, & qui fœdera coniugij inijt, coniugatus dicitur. Eo ferè modo, quo proximè accingendus habetur pro accincto. Accedit, quòd actio solet accipi pro facultate ad agendum, vt multis probat exemplis Christophorus de Castro in historia B. Virginis cap. 5. fol. 159. item fieri dicitur, quod tentatur, siue intenditur, vt probat Ribera Amos 9. §. 5. His addi potest, Agnum, cùm librum accepit, aperire cœpisse, quod verò textus ait, *cùm aperuisset*, esse intelligendum vbi vidit apostolus primum resignari sigillum, antequam figura illa siue actio daretur, quæ primi sigilli apertionem consequuta fuit. *3. Explicatio.*

Aliqui iudicabunt tertiam hanc responsionem pro certa & indubitata esse amplectendam. Fateor tamen mihi adhuc scrupulum residere. Inprimis, quia licet græci libri ferè legant, ὅτε ἔλαβε, id est, *cùm accepisset*; ipse tamen græcum aliquem librum vidi, qui hoc in loco non legit ὅτε ἔλαβε, sed ὅτε ἤνοιξε, id est, *cùm aperuisset*; & mihi quidem non admodum facilè apparet, nostrum Vulgatum, cùm legeret in græco ὅτε ἔλαβε, voluisse transferre, *cùm aperuisset*. Quod si coniecturis standum est, verisimilius mihi est, cùm græca lectio vetus esset, ὅτε ἤνοιξε, mutatum fuisse ἤνοιξε in ἔλαβε, non contrà. Nam si initio scriptum esset *cùm accepisset*, nemo illud videtur commutaturus in *aperuisset*. Vt autem hoc verbum in illud conuerteretur, aliquis potuit fortè in eo niti, quod hoc pacto contextus difficultas tolleretur. In aliis autem Scripturæ locis compluribus experimento didici, cùm vulgatæ lectionis auctoritatem maximè suspiciam, & mihi persuadeam, cùm græcus & hebræus à latino discrepant, æquius multo esse credere hebræum & græcum latini lectione correctum iri, quàm è contrario, tunc (inquam) me docuit experientia de Vulgata lectione dubitationem ex veri ac germani sensus ignorantia fuisse exortam. Cuius rei duplex exemplum, vtrumque insigne in Psalmi 28. explicatione videbimus. *Difficultas in tertia expositione occurrens ex varia textus lectione.*

D Propter hæc existimo veram lectionem græcam non esse ὅτε ἔλαβε, *cùm accepisset*, sed ὅτε ἤνοιξε, id est, *cùm aperuisset*: vt expressit vulgatus. Et quamnis verbo ἤνοιξε, posset tribui ea interpretatio quæ latinæ lectioni tribuitur, crederetur que veram lectionem græcam esse ὅτε ἔλαβε, *cùm accepisset*, maiorem tamen habet elegantiam, opinor, credere Agnum aperuisse priùs librum, & septem illius sigilla resignasse (alioqui enim librum non aperuisset) & tunc quatuor animalia & viginti quatuor seniores illi reuerentiam ac venerationem detulisse, & Angelos septem tribuisse laudes &c. & postea librum rursus obsignatum & clausum apparuisse, Agnumque septem eius sigilla singulatim aperuisse, vt narratur cap. 6. & 8. Satis video hoc primo aspectu, difficile creditu videre librum *Auctoris interpretatio, simúlq. Vulgatæ defensio.*

Digitized by Google

scilicet à Christo fuisse priùs apertum;& tamen postquam grates illi actæ sunt, repertum fuisse rursus signatum. Verum tamen, si ita expediebat ad significationis mysterium, nulla inest figuræ ipsi difficultas: multa enim similia solent in ænigmatibus confingi. A

Quod subsit mysterium in eo, quòd postquam Agnus librũ aperuit, rursum clausus apparuerit.

Quòd si me aliquis roget, quod subesse possit in eo mysterium, vt postquam Christus librum reserauit, illique gratiæ sunt actæ; iterum liber clausus apparuerit? Respondeo, hũc librum (vt diximus in Commentario versus 2.) non solùm à Christo fuisse semel apertum, sed sæpè: quia posteaquàm aliis fuit apertus, reliquis clausus & obsignatus remansit. Ad cuius rei significationem nihil potuit magis appositum afferri, quàm vt Christus librum aperiret priùs; & sui familiares ob hanc rem gratias illi agerent; & tamen liber posteà clausus fuerit visus, quem rursus aperuerit Christus: tuncque singulorum sigillorum resignatio fuerit egregiis & mirabilibus figuris celebrata. Itaque maior adhuc celebritas & iucundior lætitia extiterit, quando Agnus secundò librum aperuit; proptrea quod quo sæpiùs aperiatur liber, eò plus ipsius gloria, atque honor augeatur.

Tam animalia, quàm seniores habuisse citharas.

HABENTES SINGVLI CITHARAS] Vox *singuli*, æquè ad animalia, & ad seniores refertur: de omnibus enim sermo est. Concedant hoc mihi grammatici; etiam si in græco participium illud *habentes*, sit etiam masculinum. Nec est cur nouum & insolitum videatur alicui, vt citharam pulsent, qui aquilæ, aut etiam bouis facies habeant: omnia enim quatuor animalia humana specie constabant, vt suprà iam vidimus. Iam, si actio ipsa attendatur, magis nouum & inusitatum apparet; vt Agnus librum aperiat, & quatuor animalia loquantur & cantent; quæ tamen omnia conuenienter efficta sunt. B

Phiala quid proprie.

Phiala idem est, quod ingens patera. Erat autem vas, quo vinum potabatur; habetque nonnihil insolentiæ, vt ex magnis pateras efficiant prunaria, siue thuribula, quibus odorum suffimenta offerant. Sed quod ad figuram pertinet, ex antiquis numismatibus colligitur thuribulorum formam antiquorum non esse valde diuersam ab iis, quas pateras appellamus. Quin & multa hodie prunaria in paterarum modum videmus, quæ vulgato Hispanorum vocabulo appellantur *copas*: quod nomen est eorum vasorum proprium, quibus vinum propinatur.

Cuiusmodi odoramenta citharæ sint.

ODORAMENTA] Constat ex græco, huiusmodi odores, de quibus hic sermo est, esse illos, qui nominantur thymiamata, id est suffimenta siue odores, qui adolentur & exhalantur. In sacris autem Literis thymiama Deo consecratum est id, quod quatuor illis speciebus aromaticis, stacte, onyche, galbano, & thure constat, de quo Exodi 30.34.

Prætereà ne phialæ ad pulsandas citharas impedimento sint existimo (quod attinet ad figuram) quo tempore animalia & seniores citharam pulsabant, satis fuisse vt phialas ante se repositas haberent.

Animalia & seniores cur gloriam & honorem Agno tribuant.

Oportet nunc explicare adorationis, cithararum & phialarum mysterium. Ad cuius declarationem præmittendum est ex dictis, hanc gloriam atque honorem, quem animalia & seniores in hoc capite quinto deferunt Agno, non ideo tribui, quòd ipse illis librum aperuerit; sed quòd aperuerit aliis, quibus ipsi vt aperiretur, vehementer optabant: hoc est propterea quòd suum spiritum Christus eis impertierit, qui perfidi priùs & obstinati erant: illosque ad se adduxerit, & diuinorum mysteriorum imbuerit cognitione, ac denique ob peccatorum conuersionem, & Ecclesiæ Christianæ incrementum. Hoc suppositio, adoratio Agni referenda est ad Missæ sacrificium, illæ enim gratiæ Christo Redemptori nostro præ ceteris placent in primis, quæ illi in altaris sacrificio referuntur, quid ideo nominatur *Eucharistia*, quia est gratiarum actio, & in ea Christo gratiæ aguntur, quòd nos suo sanguine redemerit, & plurimis aliis beneficiis, quæ ex redemptione dimanant, cumulauerit. Atque hoc est, quod Christus suis discipulis, simulque Ecclesiæ edixit, *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* In capite autem 4. n. 10. vidimus Missæ sacrificium congruenter in seniorum adoratione figurari, in verbis verò, quæ modò proferunt, perspicuè mentio Agni passionis continetur. *Quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo.* Et quamuis cap. 4. cùm de Euangelii prædicatione, eiusque effectu agitur, diuersè prædicatio quatuor animalium, & sacerdotum officium senioribus sunt applicata, nunc tamen, (vbi non de prædicatione agitur, sed de gratiarum actione) oportuit in adorationis & gratiarum mentione primo loco animalia recensèri, vt animaduertatur, illa esse in sacerdotali munere præcipua. C D

Seniorum & animalium adoratio quid innuat.

Cur gratia ab animalibus & senioribus acta priùs referãtur, quàm quæ ab angelis.

Postquàm autem statuitur in animalium & seniorum adoratione repræsentari Missæ sacrificium, aptissima sic ratio redditur, cur in actione gratiarum, quæ referuntur Agno priùs exprimantur illæ, quæ animalia & seniores agunt, deinde, quæ Angeli. Norunt enim Theologi gratias cælesti Agno in Missæ sacrificio actas magis illi gratas acceptasque esse, quàm quæ ab angelis referuntur in cælo. Præcipuè cum peccatorum conuersio, & Christianæ Ecclesiæ incrementum veros potiùs ac proprius Apostolicos, ac Christianos sacerdotes, quàm angelos ipsos contingant. Quare etsi vtrique maxima hoc celebritate peragunt, & gratias propterea agunt Agno quamplurimas; in eo tamen decorum seruatur, quòd priùs illæ apponantur personæ, quas eiusmodi res proxime attingit.

Vt verò existimem, per seniorum, & presbyterorum cultum ac reuerentiam sacrificium Missæ denotari. eo inprimis adducor argumento, quòd illi omnes sacerdotes sint, & appareat illorum esse studium & conatum, vt Christo gratias agant quàm maximas, quia librum aperuit, atqui nullæ possunt aut maiores esse, aut præstantiores quam quæ in Missæ sacrificio peraguntur. Quo accedit, adorationem esse diuinum cultum, illa autem actio est maximè diuini cultus propria inter eas, quas sacerdotes præstant, quæ in Missæ mysterio continetur, cumque diuini cultus ac religionis sit actio, proprium ipsius nomen est *Eucharistia* siue actio gratiarum.

Transea-

Digitized by Google

A Transeamus iam ad citharas quas ei vsui deseruisse præmitto, vt scilicet comitarentur canticum illud quod versu proximè sequenti continetur. *Et cantabant canticum nouum*. Porrò in vocum ac citharārum consociatione contemplantur aliqui perfectam Euangelij prædicationem; quæ potissimū exigit exempli cum doctrina coniunctionem. Ore enim canitur, cithara manibus pulsatur. Apostoli verò, virique apostolici linguam simul ac manus mouentes prodigium illud ac diuinum portentum, quod Poetæ Orpheo & Amphioni arrogant, multò sublimiùs & excellentiùs ediderunt; cùm scilicet feras & imanes animantes, ipsasque syluas, montes ac saxa ad sese vocis suauitate pariter & & efficacitate traxerunt; id est rudes homines, barbaros, cæcos & obstinatos ac scelerum omnium colluuione immersos ad Christianam fidem amplectendam perpulerunt. Quos homines videtur alloqui Ecclesiasticus cap. 39.17. *Obaudite me diuini fructus*, id est Dei filij: *date odorem & frondete in gratiā* hoc est Deum sanctitatis odore, & Christianæ simul eloquentiæ gratiâ prædicate. *Date nomini Dei magnificentiam in canticis labiorum & citharis*, quasi dicat, Labia ac manus consocientur una: & suaui labiorum ac citharārum harmoniâ, Christi nomen per effectus miros & inauditos in sceleratorum conuersione præstitos extolletis. Atque hanc ad rem, ad probandum scilicet Christum, eiusque Apostolos diuinos esse Orpheos & Amphionas, insignis est locus Clementis Alexandrini in exhortatione ad Gentes, quem Viegas hic affert sect. 6. in fine.

Cithara quæ ad vsum animalibus & senioribus attributa. Per voces ac citharas quid denotetur, secundū alios.

B Aliorum expositio est, in multarum vocum musicorum instrumentorum concentu innui eleganter admirabilem Christianorum charitatem & concordiam, & maximam Dei gloriam, quæ splendescit in consentienti Sanctorum vita atque doctrina. Musicam verò esse concordiæ symbolum ex Platone & Cicerone probat Genebrardus, psal. 149 3.

Huiusmodi tamen explicationes, acutæ alioqui & elegantes, in præsenti tamen cum re, de qua agitur non cohærent. Primo nam citharas ducunt & canunt non quatuor solùm animalia, sed etiam seniores, ad quos non spectat propriè ex munere concionari. Iam enim suprà vidimus animalibus directè prædicationis Euangelicæ officium esse iniunctum; senioribus verò celebratio Missarum & Sacramentorum administratio. Et quamuis seniorum dignitas animalibus sit communis, non tamen è conuerso. Deinde in Euangelij prædicatione, de Deo quidem, sed non cum Deo, aut cum Christo sermo est. Ideòque in trisagio, quod prædicationem Euangelij denotat, quatuor animalia dicunt, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est*. In tertia (quod aiunt) persona: at in hoc loco sermo est cum ipso Agno; *Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius; quoniam occisus es*, &c. in secunda persona; in genuaque procumbunt loquentes cum Christo; qui loquendi modus non redolet prædicationem. Tertiò cum citharis copulat textus phialas; quod (vt constabit) cogit, vt de sacrificio sermo hîc instituatur. Quartò reliqua huius capitis pars laudes Agno tributas ob libri ac sigillorum resignationem continuat: atqui manifestum est huiusmodi laudes non esse voces; quas populus exaudiat. Nam laudes, quas Angeli & res creatæ omnes deferunt Agno, non aptè explicantur de concionibus, quas excipit populus. Quare nulla mihi subest dubitatio, quin in hoc loco de prædicatione Euangelij non agatur.

Difficultates in superiori explicatione occurrentes.

C

Ego sanè existimo indicari hic in citharis gaudium ac lætitiam, qua perfusa animalia & seniores gratias agunt Agno: quia suum spiritum multis ex iis, qui duri antea & rebelles fuerant communicauit. Quod si attentè inspiciamus, idem est ac exultare & gratias Deo referre ob sceleratorum hominum conuersionem. Et ita cohæret optimè vt laudibus quas animalia & seniores tribuunt, adiungantur laudes Agno ab Angelis tributæ. Nam si verum est, quod Lucas ait, c. 15. 10. *Gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente*, quanto maius erit gaudium de multorum peccatorum conuersione.

Auctoris mēs de citharārū significatione.

Ad Dei autem laudes figurandas, nemo non viderit, idoneum valde fuisse citharas in animalium & seniorum manibus apponi. Cùm verò sermo sit de gratiarum actione, quæ Agno in altaris sacrificio offeruntur, ad magnam lætitiam indicandam, qua Apostoli & primitiuæ Ecclesiæ presbyteri Deo sacra offerebant in gratiarum actionem pro Diui Pauli & aliorum multorum conuersione,

Per citharas & laudes sacrificiū Missæ adumbrari.

D (qui cùm priùs essent rebelles: & Christiani nominis hostes, & velamen illud super cor habentes, de quo loquitur Paulus: subito eis Christus librum aperuit, velamenque abstulit, suo illis communicato spiritu, atque eis in Euangelij prædicationem assumptis:) non video, quid possit magis ad rem adduci, quam in adoratione & laudis cantico (quæ perelegans est descriptio sacrificij Missæ,) illis omnibus citharas in manus tradi. Hoc igitur præcipuum fundamentum esto, quod citharæ denotent hîc gaudium ac lætitiæ voluptatem. Deinde non repugno, quòd per eas simul societas atque concordia significetur, qua primi fideles inter sese coniuncti & copulati iis, qui recens ex idololatria ad Christiana sacra suscipienda conuertebantur, optimo erant exemplo, & ad omnem pietatem incitamento.

Quid per aureas phialas.

Phialæ aureæ sunt præclarum noui sacerdotij legis gratiæ insigne. Hic namque est ingens & fœcundus calix. Quare idem est induci quatuor animalia & seniores cum phialis in hanc adorationem, quæ fit Agno; atque ipsos depingi calices in manibus habentes, & altaris sacrificium offerentes. Cùm verò peculiariter agatur de sacris, quæ fiunt in gratiarum actionem pro peccatorum conuersione; mirum fuit inuentum ex aureis phialis (quæ propriè sunt calices) thuribula conficere: in illisque Agno offerre thymiama, quod sanctorum orationes repræsentat. In quo illud ni fallor, innuitur, nempe Calicem Missæ sacrificii spiritualiter officium præstare, quod prunarium aliquod: vbi odorati incenderentur pastilli, eorumque fumosus vapor tolleretur in cælum. Etenim in calice exardent prunæ charitatis atque efficaciæ, quæ in Christi passione ma-

Digitized by Google

ximè enituerunt, atque hic est ignis sacrificij. | At sacerdos sacrum faciens cum Christi passionis A
virtute fidelium vota atque preces copulat, vt efficaciter in cælum conscendant, & à Deo optata impetrent. Porrò in sacris, quæ in gratiarum actionem pro conuersione peccatorum fiunt, aptissimum est Deo offerri eam contritionem & orationes eorum, qui ad Dei cognitionem & obsequium nuperrimè sunt traducti. Cuius rei significationi idoneum satis est thymiama, vt sequenti notatione explicabitur. Vt autem huius actionis, siue figuræ finis præcipuus recte percipiatur, notanda sunt verba, quæ profert sacerdos, cùm calicem offert: *Offerimus tibi Domine calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam, vt in conspectu diuinæ maiestatis tuæ pro nostra & totius mundi salute cum odore suauitatis ascendas.*

NOTATIO III.

De sacri thymiamatis compositione.

Thymiama ex quibus aromatibus constaret.

ODores, quibus seniorum phialæ erant refertæ, B constat ex græco fuisse thymiamata. Et certè ad suum thymiama respectus habetur, de quo Exod. 30. 34. vbi præcipitur, vt componatur thymiama ex quatuor speciebus aromaticis, quæ sunt *stacte, onyx, galbanus, & thus.* Et licèt Philo ac D. Isidorus in hac compositione, nescio quam elementorum quatuor misturam contemplentur; quiuis tamen facilè cernet, cùm ex Apocalypsi pateat thymiama symbolum esse orationis sanctorum (sic enim expressè habetur cap. 5. 8. & cap. 8. 3.) genuinam significationem illorum odoramentorum esse orationem ac virtutes, siue animi affectiones, quibus Deus ipsam associatam esse vult. Virtutes verò, quæ debent orationem comitari, notum est esse fidem, pœnitentiam, atque eleemosynam. De fide, quæ comes sit orationis; multi extant in sacra Scriptura loci. De pœnitentia & eleemosyna insignis est locus ille Tobiæ cap. 12. *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna.* Vbi multa præclara Serarius.

Thymiama cuius rei sit symbolum.

Stacte quid sit, deq; eius natura.

Hæc applicatio vt iucundiùs excipiatur, oportet Primò considerare quatuor aromatum species; & quid de singulis, rerum naturalium scriptores affirment. Stacte & myrrha, quàm arbor non incisa sudat, estque amara lachryma. Vide Plinium libro 12. cap. 15. & Dioscoridem.

Et nomen quidem myrrhæ in hebræa lingua deriuatur ab amaritudine; vt plerique notant: & Plinius atque Dioscorides manifestò asserunt, illam esse amaram; nec alij præterea ex tribus reliquis aromatum speciebus aliquam tribuunt amaritudinem. Eruditi quidam recentiores volunt veram esse myrrham, siue illius speciem, quam vulgus Hispanorum *Benjui* vocat.

Onyx quid sit.

Onyx est concha parua odorifera; concha scilicet pisciculi parui: appellatur verò vnguis siue onyx (quod idem est) ob quantitatémne, an ob colorem, non satis noui. Vide Dioscoridem lib. 2. 8. 10. & Plinium lib. 32. cap. 10. & Gorræum ex Paulo & aliis; qui auctores illum onycha ex reliquis optimum esse dicunt, qui mari rubro portabatur. Latini onycha etiam nominant pyxidem odorati vnguenti: hæc tamen significatio nihil ad rem præsentem.

Galbanus quid.

Galbanus est gummi vel lacryma ferulæ odoriferæ D in Syria notæ; de qua latè Plinius & Dioscorides: qui illud peculiare addunt, Galbani odore serpentes fugari.

De thure, eiusq; natura. Nationes omnes diis suis supplicasse.

De thure multa iidem: ex quibus apparet thus fuisse inter reliquos odores olim adoleri solitos maximi habitum. Atque idcirco omnes nationes in thure Diis suis supplicabant. Fortè huiusmodi ritum ac cærimoniam mutuò ex Iudaico populo sumpserunt: Plinius enim aduertit, Homeri tempore hanc consuetudinem nondum in Gentes fuisse inductam. Alicui nouum fortasse videatur, olim thus fuisse tanti habitum, cùm hodie apud nos non ita magni putetur. Ad hæc dico nostrum hoc thus, aut legitimum non esse; aut quod ad nos aduehitur, fugiens vetustate, magnam vis atque pretij partem deperdere, aut in saporibus & odoribus magnam vim esse consuetudinis & assiduitatis: aut cùm alia præstantiora, ac suauiora aromata fuerint inuenta (nempe ea quæ appellantur *Ambar*, *Algalia*, *Almiscle*) thuri olim tanti apud omnes ducto multum æstimationis deperiisse.

Demum thymiama ex tribus gummi speciebus odoriferis & ex concha odorata componebatur: quæ omnia in tenuissimum contundebantur puluerem. Cùm autem Deo offerebatur thymiama, in altari adolebatur igni.

Thymiamatis, eiusq; partium singularum significatio.

Hæc de ipsa thymiamatis, & aromatum natura. Nūc de significatione, mea explicatio est, in thure orationem denotari: quam vt fides, pœnitentia, & eleemosyna comitentur, componi etiam cum thure tres illas species: ex quibus myrrha pœnitentiam, galbanus eleemosynam, onyx fidem designant.

Indignationis & iræ indicium in naribus.

In primis hic orationis modus trium illarum virtutum præsidio & comitatu septæ ad Deum placandum efficacissimus est: ad cuius rei significationem accommodatum valdè est symbolum optimi odoris, qui in cælum fertur. Nam indignationis atque iræ indicium in naribus est, vt docet Arias Montanus in arcano sermone, & probat ex 2. Reg. 22. 9 *Ascendit fumus de naribus eius.* Et Iob 41. 11. *de naribus eius procedit fumus.* Hoc ita constituto, si indignatio & ira in naribus ponitur; quid magis appositum, quàm odores suaues in cælum ascendentes ad significandas eas preces, quæ C ad placandum numen adhibentur? In hac repræsentandi ratione illud attenditur, Deum in altis habitare; ideoque incensi odores eliguntur, qui ceteris altius ascendunt; neque enim alia ratione contingit odores adeò in sublime ascendere. Vnde altaris ignis symbolum est religionis; quæ odores incendit, quibus placatur Deus, eosque in cælum attollit. Vide in Thesauro hebræo, verbo *thamar* (quod est *palma*) cui virga fumi ex aromatibus appelletur etiam palma, & quam accuratè Hebræi laborarent, vt odorum fumus recta conscenderet.

Per odores Deo accensos, & se in sublime efferentes, quid adumbretur.

Thus, orationis symbolum.

Deinde thus præcipuè significat orationem: quia omnes gentes in thure Dijs suis supplicabant, vt docet Plinius. Atque supplicare est, magna cum reuerētia precari & orare. Licet autem Gentiles de oratione cum aliis virtutibus copulanda nihil curarent; verus tamen Deus thus solùm parui ducit: & propterea iubet cum stacte, galbano, & onyche coniungi.

Myrrha, symbolum pœnitentiæ.

Per stactem seu myrrham percommode pœnitentiam denotari (quæ ieiunij est origo) notum satis est, D & à Patribus sæpe explicatum: vt videre est in sylua allegoriarum. Ponitur autem primo in loco mirrha, quo innuitur orationis initium à sui ipsius accusatione & peccatorum detestatione esse sumendum: iuxta illud Ieremiæ cap. 31. 21. *pone tibi amaritudines. Iustus enim in principio accusator est sui*, Prouerb. 18. 17. Quin & verba ista orationis Dominicæ *Sanctificetur nomen tuum* Matt. 6. 9. eandem habent energiam, qua Missæ exordium à confessione ductum. Nam dicere Deo *Sanctificetur nomen tuum*, idem est ac dicere, ne nostra scelera, sed sui nominis gloriam attendat. Alluditur in his verbis ad illud Ezechielis 36. 22. *Non propter vos ego faciam, sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis, & sanctificabo nomen meum magnum; quod pollutum est inter Gentes, vt sciant Gentes, quia ego Dominus.* Vt verò ostendatur hanc scelerum detestationem ex intimis visceribus proficisci debere; eligitur stacte, amara scilicet lachryma, quam arbor sponte sua sudat: qua denotantur lachrymæ, quas peccator ex imo corde non coactè, sed sponte educit.

Onyx, fides symbolum.

Per onychem odoratum, (quę est concha odorifera,)

rite

ritè adumbratur fides, vt Origenes contemplatur. Concha enim est veluti scutum, quo nomine in sacris Literis fides vocatur, *sumentes scutum fidei*, ad Ephes 6. 16. Bonum autem Christi odorem fides emittit, & vbique diffundit. Et fortè conchæ significatio, & viuæ fidei nomen ad firmum & stabile piè viuendi propositum extenditur; quod virtutes omnes complectitur; illarumque præsidio animum protegit, ac tuetur: vt concha appellata onyx piscículum contegit. Aut (quod magis placet) fides ipsa viua suâ peculiari ratione, nos veluti concha aut scutum defendit, ac tegit. Ad hæc notant Dioscorides & Paulus, onychem ex eo sibi suauem illum odorem acquirere, quia piscículus alitur nardo. Quare ex eo, quod Christiani verum animæ alimentum ex Christo sibi desumant, eis optimus fidei odor prouenit.

Onyx vnde sibi odorem acquirat.

Galbanus, misericordia & eleemosyna symbolum.

Vidimus stactem, & onychem aptè ad pœnitentiam & fidem referri. Videamus nunc, an galbanus misericordiam & eleemosynam ritè designet. Aduerte ergo, galbanum esse ferulæ odoratæ succum: porrò ferula ad baculum videtur esse nata; quo baculi nomine omnis beneficentia erga misero, solet indicari. Baculus enim eum sustinet, qui per se non potest consistere: & nisi fulciretur baculo, collaberetur. Quid ergo aliud est, proximis indigentibus misereri: & eos ope atque auxilio iuuare? Quidue significare voluit Tobiæ mater quando illum appellauit *Baculum senectutis nostræ*, nisi solatium, ac adminiculum? Aut quid est, esse baculum, nisi esse pedem claudo? Quod de summa beneficentia ac misericordia dixit Iobus cap. 29. 14. Iam, ad significandum maximum beneficētiæ affectum quid elegantius, quàm succus ferulæ odoratus? Hæc enim affectio est veluti succus, qui ex charitate, ex ipsoque animo exoritur. Commiseratio autem de alieno malo eo optimè indicatur per illā lachrymā, quę dimanat ex qui per charitatem baculus est indigentis. Huc spectant, quæ Dioscorides & Plinius scribunt de galbano, nempe eius nidore fugari serpentes.

In baculo misericordiam figurari.

Obseruatione insuper dignus est ordo, qui in horum aromatum recensione seruatur: hoc enim ordine numerantur: stacte, onyx, galbanus & thus. Perfectus enim ordo ac ratio postulat, vt submissè nos in primis geramus: nostrosque defectus agnoscamus, ac deploremus: deinde per fidem ad Deum firmâ confidentiâ accedamus: mox cum nostris proximis per commiserationem atque clementiam copulemur (quod si desit, minimè nos Deus exaudiet) ac demum à Deo beneficia deposcamus. Hoc enim pacto & Deum nobis facilem ac propitium reddemus, & ab eo petita inpetrabimus. Atque inter hasce quatuor virtutes, lachrymæ symbolum mirificè pœnitentiæ, misericordiæ & orationi quadrat: at fides non est lachryma: sed scutum, fiducia & veluti concha, quæ hominem reddit securum.

Quo ordine quatuor thymiamatu partes enumerentur, eiusq; ordinis mysterium.

Forsan etiam tenuissimus puluis referri potest ad cordis summissi ac pœnitentis contritionem. optima enim contritio, quatuor prædictis affectibus debet constare.

TEXTVS.

Vers. 9. Et cantabant canticum nouum dicentes: Dignus es, Domine, accipere librum, & aperire signacula eius: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu & lingua & populo & natione.

10. Et fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes, & regnauimus super terram.

COMMENTARIVS.

C IAm satis explicatum est hoc cantico denotari gratias, quas in suis sacrificiis Agno agebant Apostoli atque presbyteri primitiuæ Ecclesiæ tempore propter Iudæorum ad Christi fidem conuersionem agnoscentes omnipotentiæ Christi opus esse, auferre velamen à cordibus eorum, & aperire eis librum signatum. Quod cùm ita sit; iure satis magno hoc canticum fuit appellatum nouum, quod idem est atque canticum alterum, quod denuo personabant Agno. Prima enim cantio fuit, gratiarum actio propter humani generis redemptionem; atque hic videtur fuisse hymnus capitis quarti, 11. *Dignus es Domine Deus noster*, &c. Nunc verò noua cantilena est, qua grates Deo referuntur ob maximum Christianæ Ecclesiæ incrementum, & glorioſissimum Christi triumphum in eorum conuersione, qui ipsius antea nomen oppugnabant; vt Paulus & alij.

Cur hoc dicatur canticum nouum.

In hoc igitur cantico explicandum nobis est, quemadmodum illæ gratiæ agantur Christo pro rebellium peccatorum conuersione? In primis quidem verbis nulla iam supereſt difficultas; dicere enim, *Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius, quoniam occisus es*, idem plane est, atque agnoscere, quàm æquum debitumque sit, vt illi concederetur facultas ad subiiciendos rebelles, qui semetipsum pro ipsis in sacrificium obtulit. In contextu tamen sequenti nonnihil difficultatis occurrit. Dicitur enim, *Et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu & lingua & populo & natione*: oportetque explicare, qua ratione dicatur dignum esse, vt Christo tribuatur facultas aperiendi librum, eo quòd populum suum redemerit ex omni natione, quæ sub cælo est, sed explicemus priùs singula verba.

Cur huiusmodi grates Christo agātur ob peccatorum conuersionem.

D

Redemisti] Græcè, ἠγόρασας, ab ἀγοράζω, quod est *emo*, atque ita transfert Vulgatus cap. 14. 4. *Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno.* Quare *redimere* in præsenti non propriè significat aliquem in libertatem asserere, sed soluto pretio sibi emere & comparare.

Redimere hic quid propriè.

Ex omni tribv et lingva et popvlo et natione] Dupliciter hoc exponi poterat, primò, inter omnes gentes ac populos singularem populum, nempe nouum Israelem fuisse à Deo selectum: sicut olim Deus *tulit sibi gentem Israeliticam de medio nationum*, Deut. 4. 34. Atque ad hanc significationem opus nō erat Christianos ex diuersis nationibus esse euocatos & accersitos. Secundo potest explicari Christum emisse sibi Christianum populum ex vniuersis gentibus ad Catholicæ Ecclesiæ vnitatem congregatis. Et alicui fortasse secundus hic sensus magis placeat. Mihi tamen plus arridet primus. Nam qui in hac visione loquuntur, non sunt plures, quàm viginti octo, quia perpauci

Duplex horū verborū expositio.

Digitized by Google

perpauci sunt, vt in ipsis dicantur esse homines ex omni natione quæ sub cælo est. Licet autem pos- A
Prima tamen antefertur & probatur. set responderi, paucos hos sub totius Ecclesiæ Catholicæ persona loqui; in hac tamen Apocalypseos parte nondum ad Gentium conuersionem progressum est, sed ad primitiuæ tantùm Ecclesiæ initium, cùm ferè omnes erant natione Iudæi. Et quamuis verum sit, die Pentecostes *fuisse in Ierusalem habitantes Iudæos viros religiosos ex omni natione quæ sub cælo est*, Act. 2. 5. verùm signati libri difficultas non proueniebat ex lingua, in qua scriptus erat; sed ex eo, quòd septem esset sigillis obsignatus. Quamobrem, vt apta redderetur ratio, cur dignum valde esset ac iure debitum, vt Agno, facultas aperiendi librum tribueretur, non erat ad rem ponderatio inde petita, quòd Catholica Ecclesia ex diuersis nationibus variisque linguis fideles comprehendat. Imò verò, quod attinet ad linguam non id vni Agno, sed Apostolis omnibus fuit reseruatum; nonnulliſque aliis, quibus linguarum
Quorsum hic fidelium redemptionis mentio fiat. cognitio atque peritia fuit diuinitus indita. Quare vt explicetur, cur concessum sit soli Agno, vti aperiat librum: non erat ad rem id expendere, quod fideles sint ex variis gentibus & linguis. At verò, vt probetur, quàm æquum & operæ pretium sit, vt aperiendi librum daretur Agno facultas: illumque cui vellet; euoluendi, & explicandi: apposita est ratio, ipsum pro omnibus suum effudisse sanguinem; sibique hominum iustorum populum selegisse. itaque iustum non esse, ne Christo remaneret facultas suum populum sibi assumendi, quem singillatim suo emeret sanguine (id est non solùm quoad sufficientiam; sed etiam quoad electionem & efficaciam) quòd verò eos in suam B
vindicet potestatem; in eo consistit, vt eis velum tollat, librum aperiat, & suimet notitiam ingerat. Hanc esse existimo veram contextus expositionem, in quo non solùm animalia & seniores loquuntur eorum nomine, qui Christiani iam erant: sed eorum etiam, qui fuerant deinceps Christi fidem susceperuri. Quod enim aiunt, *redemisti nos Deo*, eo spectat, vt indicetur æquum valde esse illis vt Christus librum possit aperire, qui multis eum aperuit, illosque ad se conuertit. Quapropter uon est existimandum, quotquot librum vident apertum, omnes Christianos iam esse, antequàm apertum vidissent. Eos tamen omnes, qui ad Christum erant conuertendi, pro suis iam reputant animalia & seniores, atque ita se cum illis coniungunt, vt omnium nomine dicant, *Redemisti nos Deo in sanguine tuo*. Facilè autem mox cernitur energia illius accusatiui *nos*; & datiui *Deo*, nec illa amplius exponere opus est.

Vers. 10. ET VICISTI NOS DEO NOSTRO REGNVM ET SACERDOTES] Vide quæ diximus circa hæc eadem verba cap. 1. v. 6. Deinde nota, in præsenti opus esse, vt his verbis non contineatur solùm beneficium ingens Christiano populo tributum, sed etiam idonea ratio, cur fuerit dignum, vt facultas aperiendi librum signatum concedatur Agno. Hæc enim verba pendent ex illis, *Dignus es Domine aperire librum, quoniam occisus est*, &c. *& fecisti nos Deo nostro regnum*, &c. Dico ergo huius rationis nexum consistere in hoc, quòd Agnus non solùm suo sanguine coëmit, quos ad Christianorum cœtum selegit; sed suo etiam sanguine eisdem commeruit, vt regnum essent sacerdotale, id est, populus à Deo plurimis ac singularibus beneficiis affectus. Cùm hac verò dignitate non rectè consonabat, ne illis signati libri mysteria patefierent: ac propterea decuit maximè Christo facultatem inesse ad librum aperiendum. C

ET REGNABIMVS SVPER TERRAM] Hinc etiam sumi debet ratio, qua probetur expediens valde fuisse, vt Agno reserandi librum concederetur potestas. Alioquin contextus non constaret. Ratio autem est huiusmodi: Christiano populo fuerat promissum non solùm cælorum regnum, sed etiam facultas regnandi in terra, vt supremi regis, (id est, Christi) ministros decebat. Ad hoc autem oportebat, Christi gubernationis spiritum probè nosse; cuius cognitio in eo consistit, vt signatus liber illis sit apertus, atque adeò opus erat, vt Christus haberet facultatem huiusmodi librum reserandi. Quòd si regnandi verbum non hîc ad gubernationem, sed ad summam in hac vita felicitatem referatur; ad felicitatem magnam Christiano populo promissam perfruendam, necessarium quoque erat signati libri mysteria percipere: aliter enim Martyres in medio suorum tormentorum æstu non se felices reputarent.

TEXTVS. D

Vers. 11. Et vidi, & audiui vocem angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum: & erat numerus eorum millia millium.

12. Dicentium voce magna, Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.

COMMENTARIVS.

Qua sit hæc angelorum multitudo Ioanni visa. VIDI, ET AVDIVI VOCEM ANGELORVM] id est, vidi angelos, & audiui eos dicentes voce magna, *Dignus est Agnus*, &c. Porrò hanc magnam angelorum multitudinem suspicabitur aliquis non esse ex cælesti hierarchia, sed ex Ecclesiastica. Agere enim de Ecclesiasticæ hierarchiæ Angelis magis proprium est Apocalypsi, & quia quatuor animalia quæ in Apocalypsi respondent templi Cherubinis, sunt ex Ecclesiastica hierarchia. Nec deerit, qui existimet, hisce angelis Religiosorum multitudinem, quæ in Christiana Ecclesia futura erat, significari. Sic enim monachos

appellat

Digitized by Google

A appellat angelos terrestres Nazianzenus. Nihilominus dubitari non debet, quin magna hæc angelorum multitudo, de qua sermo hic instituitur, sint ex cælesti hierarchia. Tres enim gradus, qui in Christiana Ecclesia sunt, per thronum, animalia, & seniores figurantur; vt diximus cap. 4. notat. 6. Atque in tribus hisce gradibus includuntur Religiosi: quare maxima Angelorum multitudo thronum, animalia, & seniores circumstantium, ex cælesti hierarchia procul dubio sunt; qui Christianam Ecclesiam circumsistunt. Vide ad Hebræos 12.22. *Accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, & multorum millium Angelorum frequentiam*. Alluditur ad angelorum multitudinem, qui in Sina monte cum Deo apparuerunt: sicuti etiam Psalm. 67.18. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium; Dominus in eis in Sina in sancto.* Vbi ad probandum, Sionis montem (quo in loco erat arca) innumerabili angelorum multitudine esse circumseptum, ait Propheta eodem modo fuisse Deum in monte Sina visum. Ceterùm non omnes ea oculorum mentis acie sunt, qua possint hanc angelorum multitudinem in Ecclesiæ circuitu excubantem cernere. At ij quibus Deus mentis referat lumina, vt Ioanni; næ illi clarè perspiciunt, quod Elisæi famulus 4.Reg. 6. 17. cùm Prophetam incredibili angelorum multitudine circundatum aspexit. Munus autem, quod Angeli cælestis hierarchiæ in Christianæ Ecclesiæ protectione suscipiunt & præstant, eleganter in eo exprimitur, quòd apparuerint in circuitu throni, animalium ac seniorum: vt etiam cap. 7. v. 11. B *Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, & seniorum & animalium.* Quin & ingens numerus confirmat, sermonem hic esse de cælestis hierarchiæ Angelis. Præsertim quia in Græco est, *Myriades myriadum*, quæ vt minimum sunt centies decies centena millia. Quòd si de religiosis hominibus, aut vitæ Euangelicæ studiosis sectatoribus sermo esset; primitiuæ Ecclesiæ tempore non numerus adeò ingens vsurparetur.

Hosce angelos ex cælesti fuisse hierarchia, verius esse.

Aduertendum tamen est, *esse in circuitu* bifariam posse intelligi: primò vt sint instar muri & propugnaculi; ad quam significationem profectò respicitur in capite septimo versu vndecimo, vt ibi videbimus. Illius enim capitis scopus est ostendere, strenuos Christi cultores à qualibet aduersitate protectos, securosque esse. Atque eadem significatio manifesta est 4.Reg.6.17. Altera est expositio, non de muro ac defensione, sed præsentia & prompta facilitate ad seruiendum & comitandum, quemadmodum famuli in Domini conspectu adstant. Quæ significatio in præsenti loco, ni fallor, valde est ad rem, vt cum prima coniungatur. Nam in animalium ac seniorum adoratione, vt iam vidimus, innuitur Missæ sacrificium: & licèt ab omni defensionis ratione sensum abstrahamus, Angelorum proprium est in Missæ sacrificio assistere, & sanctissimum Christi corpus, venerabundos comitari. Pro hoc facit, quòd in hoc capite nullius adhuc hostium incursionis aut calamitatum Christianæ Ecclesiæ impendentium facta est mentio: atque ita non erat tam defensionis repræ- C sentatio necessaria, quàm præsentiæ ac venerationis in Missæ sacrificio, de quo in antecedente contextu sermo erat.

Angelos in circuitu throni & seniorum dupliciter posse considerari.

Dicentivm voce magna] Vox ingens indicat maximam auiditatem ac studium tribuendi laudem & gloriam Agno. Cùm verò illi persoluantur laudes, quòd septem libri sigilla resoluerit; illisque oculos aperuerit, qui Euangelium antea oppugnabant, vt Christi gubernationis perfectionem intelligerent: non dubium est, quin huiusmodi gloria, quam Angeli concinunt Agno, includat in se lætissimum illud gaudium, quod Christus Angelis inesse ait ob peccatorum conuersionem. Quare vocis contentio lætitiæ & gaudij magnitudinem repræsentat in Christi glorificatione ob conuersionem peccatorum, sed de conuersione eorum peculiariter agitur, qui erant infideles, & crucem Christi blasphemabant: Christi tamen beneficio consequuti sunt, vt fidei Christianæ celsitatem agnoscerent.

Vers. 12. *Ingens hæc angelorum vox quid innuat.*

Dignvs est Agnvs qvi occisvs est, accipere virtvtem et divinitatem] Non hoc significat (vt patet) dignum esse Agnum, cui Deus virtutem ac diuinitatem tribuat: sed cuius virtutem, diuinitatem, sapientiam ac fortitudinem cognoscant homines: illique gloriam, honorem, ac laudem propterea deferant. Sic latinè dicitur, Dignus est, vt illi tribuatur seu deferatur sapientiæ gloria; id est, vt sapientissimus esse agnoscatur. Obseruatione insuper est dignum, cùm hæc laus, qua angeli prædicant Agnum (vt ex contextu patet) sit, quia librum signatum aperuerit; magnam esse D proportionem & conuenientiam inter sigillorum numerum, & laudis nomina, quæ illi deferunt angeli. Nam septem etiam sunt laudes huiusmodi pro sigillorum numero; nimirum, *Virtus, Diuinitas, Sapientia, Fortitudo, Honor, Gloria, & Benedictio.* Tribuunt igitur angeli Agno septem omnino laudum genera, pro sigillis totidem ab eo resignatis. Quemadmodum in trisagio ter repetitur *Sanctus*; quia tres sunt diuinæ personæ: nec huius laudum septenarij congruentior reddi potest ratio. quàm quæ ex septem sigillorum resignatione petitur. Hæc enim retegit septem illos Dei spiritus in septem Agni cornibus, totidemque oculis denotatos. Etenim omnis Agni gloria & splendor ei prouenit ex septem illis spiritibus, vt suprà explicatum est. Cùm ergo Agnos suos septem spiritus conspicuos reddat, libri sigilla aperiendo; non potuere Angeli melius ac digniùs clarissimum hoc facinus exprimere ac ponderare, quàm asserendo septem inde laudes præstantissimas in Agnum redundare. Hæc igitur est potissima ratio laudis septemplicis, quam angeli contenta voce concinunt Agno, significantes septemplicis huius laudis cognitionem ex septem sigillorum apertione deriuari. Hæc interpretatio non parum accipiet roboris ex declaratione signorum admirabilium, quæ inter soluenda sigilla visa sunt. Tunc enim planum fiet ex vnoquoque sigillo, quod aperit Agnus, peculiarem illi laudem exoriri, hoc est, cognosci aliquem ex septem spiritibus, quibus maxima imperij Christi perfectio comprehenditur.

Inter sigillorum reseratorum numerum & isthac laudū nomina quāta sit proportio.

Alia nostra interpretationis confirmatio petitur ex cap. 7. num. 12. vbi ipsimet Angeli, *qui stabant*

in

Digitized by Google

Collatio septemplicis huius laudis eum laude item septemplici cap. 7.

in circuitu throni & seniorum quatuor animalium, Deum collaudantes pro admirabili prouidentia; quam in noui Israelis salute ostendit, & in eorum à septem plagarum calamitatibus liberatione, simili modo septemplicem Deo tribuunt laudem: dicentes, *Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus & fortitudo Deo nostro*. Vbi propterea angeli septem isthæc laudum elogia Deo decantant, vt septem prouidentiæ ipsius seu virtutes prædicent. Hos igitur spiritus septem habet Christus; quippe qui verum est Dei brachium, & per eos Ecclesiam suam admirabili prouidentiâ gubernat. Quamobrem Apocalypsis septem hos spiritus Deo tribuit primùm; deìn eosdem tribuit Christo. Atque hæc est ratio, quare laudum series, quas angeli in Apocalpysi & Deo Patri & Christo deferunt, vtraque septemplex sit. Quapropter ipsismet angelis grates sunt nobis agendæ, qui septem suis laudibus nobis attulere lucem, qua in septem sigillis, totidem Dei gubernationis perfectiones esse clausas dispiciamus:

Difficultates contra prædictam septē laudum expositionem.

At enim contra hanc explicationem occurrit huiusmodi argumentum. Nomina hæc septem laudum, quo ordine ab angelis tribuuntur, cum septem Dei spiritibus non bene consentiunt. Nam in primis laus prima, quæ deberet esse *Virtus*; capite septimo, non est, nisi *Benedictio*. Deinde secunda laus (quæ capite quinto, est *Diuinitas*, & capite septimo, *Claritas*) non aptè respondet Beneficentiæ, quæ est secundus spiritus. Tertiò, laus tertia, quæ est *Sapientia*, rectius congruebat quarto spiritui, quàm Æquitati. Quarto, quarta (quæ capite quinto, est *Fortitudo*, & capite septimo, *gratiarum actio*) cum magno Consilio non cohæret. Quintò, quinta, id est, *Honor*, non videtur ad Patientiam potiùs, quàm ad quamlibet aliam ex septem perfectionibus, attinere. Sextò, sexta (nempe *Gloria* in capite quinto, & in septimo, *Virtus*) Domitiationibus non propriè respondet. Septimò, septima denique (quæ in cap. 5. est *Benedictio*, & in 7. *Fortitudo*) non rite componitur cum suppliciorum Seueritate.

Cur in duplici hoc laudum septenario ordo immutatur.

Pro horum argumentorum responsione, aduerto, in his duobus locis, vbi angeli septem laudum nomina coniungunt, etsi sapientia vtrobique tertium occupat locum, & honor quintum, in ceteris tamen ordinem commutari. Ex qua commutatione colligitur cuilibet ex septem hisce attributis, posse ferè omnes septem laudes accommodari: vt patet manifestè in his, Honor, Gloria, Benedictio, Quoduis enim eorum debetur sedenti in throno (nec non Christo Domino:) & propter eorū quodlibet honorem, gloriam, & benedictionem promeretur.

Soluuntur propositæ difficultates, simúlque discriminis causa reddunt.

Ad Primum igitur Respondeo, primo spiritui primam ex septem laudibus, nempe virtutem mirificè aptari: quòd verò cap. 7. cum Benedictione commutetur, hoc non est abs re; nam vt nuper dicebamus, Deus ob suam veritatem meretur Benedictionem.

Pro diuinitate hic diuitias poni in Græco,

Ad Secundum, pro *Diuinitate*, græcè est, πλοῦτος, id est *diuitiæ*. Et diuitias legunt Ticonius ac Primasius. Nec desunt, qui suspicentur, typographorum fortassis errore irrepsisse nomen diuinitatis; quòd non satis literarum compendium intellexerint, id est, diuitias. Verùm tamen non opus est hāc accersere suspicionem: nam pro græco nomine, quod significat diuitias, aptissimè supponitur nomen diuinitas: sermo enim est de ostensione diuitiarum in earum communicatione: id quod diuinitatis est proprium, scilicet se maximè ostendere, & in sui communicatione: mirum in modum elucere. Et hoc diuinitati summè conuenire dicitur, diuitem scilicet esse in misericordia & beneficentia. Huc etiam referendum est claritatis nomen; præclara namque res est summa beneficentia. Græca vox, quæ claritati respondet, est δόξα, id est, gloria; & quid altius, quàm Deo gloriam tribuere propter summam beneficentiam?

Ad Tertium Respondetur; licet sapientiæ nomen admirabilibus consiliis optimè quadret, in ratione tamen & æquitate splendescit etiam sapientia.

Ad Quartum; Fortitudinis nomen non solùm deseruit in sacris literis ad significationem magnanimitatis, sed cuiuscumque etiam magnę eminentię. Et sic quemuis eximium artificem solemus appellare valentem, hoc est, fortem; vulgari verò phrasi, *Valiente oficial*; atque hac ratione admirandis consiliis egregiè conuenit fortitudo.

Actio verò gratiarum accipienda est in his elogiis pro synonymo benedictionis: & patet ita accepisse Vulgatum: quia capite quarto, versu octauo, vbi nos legimus Benedictionem, græcè est *Eucharistia*.

Ad Quintum; optimæ considerationis est, opinor, vt honor cum patientia copuletur, eique respondeat; ornatissima enim res est, & strenui pectoris argumentum, magna prædita esse patientia.

Ad Sextum; Deus in seriis etiam comminationibus se glorioſum fortemque exhibet.

Ad vltimum denique Respondetur; angeli nos docent Deo benedicere ob suorum suppliciorum seueritatem, & in ipsis eius fortitudinem recognoscere, hoc est, Dei magnitudinem atque potentiam. Deus enim rebus in omnibus se magnum ostendit. Ac demum, quod per incuriam & obliuionem videbatur esse factum, vt horum elogiorum significatio extenderetur, nec ita propriè acciperentur: hoc ipsum curâ & elegantiâ plenum est, vt meliùs agnoscamus diuinæ prouidentiæ spirituum eminentiam, & quam aptum sit fundamentum, vt in eorum singulis Dei gloriam & magnitudinem nouerimus, & pro quolibet eorum Deum ipsum excelsum, glorioſum & omni laude dignum prædicemus.

TEXTVS.

Digitized by Google

A

TEXTVS.

Vers. 13. Et omnem creaturam, quæ in cælo est, & super terram, & sub terra, & quæ in mari, & quæ in eo, omnes audiui dicentes; Sedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum.

COMMENTARIVS.

Ob difficultatem eorũ verborum.

CIrca textum notandum est, ex difficultate illorum verborum, *& quæ in eo*, originem traxisse varias lectiones tam græcas, quàm latinas; de quibus vide hîc Riberam) non tamen, facilè credendum est nostræ lectioni inesse mendum: potiùs est valde verisimile hanc esse rectam; cæteras ab ea discrepantes aberrare. Quod verò ad lectionis huius syntaxin spectat; planius esse existimo, vt ablatiuus ille *in eo*, referatur ad mare, sitque repetitio quasi dicat, *qui in mari illas etiam*: quod repetitionis genus indicat longius distare, vt ipsæ etiam creatæ res in mari existentes Deo, & Agno gloriam

B tribuerent. Nam quod affirmationis gratiâ repetitur, minùs videbatur esse verisimile. Atque hæc constructio congruenter cohæret cum iis, quæ infra subiicientur.

Et quæ in eo, varias irrepsisse loci huius lectiones. Probatur ac defenditur Vulgata lectio.

Iam de sensu huius laudis, quam creaturæ omnes dicuntur tribuere Deo & Agno, obserua huiusmodi laudem, sicut & superiores, in eo niti, quòd Agnus signatum librum aperuerit. Ideo enim illum priùs collaudarunt animalia, & seniores; & omnes deinde angeli, qui stabant in circuitu throni: ac demum reliquæ res creatæ.

Omnis creatura nomine, quas alij intelligant.

Ribera & Pererius omnis creaturæ nomine volunt comprehendere etiam irrationales ex Ambrosio & Ruperto. Itaque aiunt cæli creaturas esse solem, lunam & sidera: quia de angelorum voce iam egerat Ioannes. Pro huius explicationis probatione, afferunt, quam frequens sit in sacris Literis prosopopœia, quæ rebus inanimatis vocem tribuit. Verùm hæc explicatio ideo mihi non arridet, quia non reddit aptam rationem, cur hanc peculiariter vocem omnium creaturarum confirmare visa sint quatuor animalia: de quo infrà.

Omnis creatura nomine rationales solùm intelligi creaturas, varior sententia.

Mea igitur sententia est, omnis creaturæ nomen in præsenti de rationalibus esse intelligendum; vt Marci vlt. *Prædicate euangelium omni creaturæ.* Sed hîc nonnihil ampliùs possumus creaturarum nomen extendere, vt sermo sit de vniuersis rationalibus creaturis (etiam dæmonibus) quæ in animalium seniorum, & angelorum laudatione non fuerant expressæ.

Quæ dicantur creaturæ esse in cælo, quæ super terram, quæ sub terra, quæ in mari.

C Illam igitur distributionem, *quæ sunt in cælo, & super terram, & sub terra & quæ in mari*: sic explicabo vt *esse in cælo* referatur ad Christianos homines, *esse super terram*, ad Iudæos, *esse sub terra*, ad dæmones, vel etiam ad homines damnatos, & *esse in mari*, ad Gentiles. Huic interpretationi sensus nimium mystici maculam aliqui inurent. Cererùm si hunc loquendi modum in sacris Literis vsitatum esse, & in Apocalypsi iteratum probaretur, nihil esset, cur eum nouitatis quisquam in hoc loco damnaret. Iam ergo vidimus cap. 4. v. 1. militantem Ecclesiam Ioanni in cælis fuisse monstratam, eo quòd eius cõuersatio in cælis sit. Per terram verò denotari Iudaismum, per mare Gentilitatem, ex multis Apocalypseos locis manifestum est, vt ex illis verbis capitis 10. *posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram.* At infernum plane designat phrasis illa *sub terra*.

Quorsum hic Iudæorũ, Gentium ac dæmoniorũ mentio fiat.

Restat examinate, quorsum hic Iudæorum, Gentium, ac Dæmoniorum mentio fiat? Hi enim propriè non laudant, nec prædicant Christum, nec videtur esse posse vaticinium de Iudæorum ac Gentium conuersione. Nam infernus saltem non est ad Christum conuertendus. Et quod nonnulli existimant, per creaturas quæ sub terra sunt, eas intelligi animas, quæ sunt in purgatorio, angustũ est, meo iudicio. Textus enim generatim loquitur de creaturis omnibus, quæ in cælo, in terra, sub terra & in mari sunt. Nec erat, cur ij, qui hanc Christi laudem per prosopopœiam exponunt, partem illam *sub terra* ad vnius Purgatorij animas restringerent.

Verùm hæc creaturarum omniũ laus aptè ad extremũ iudicij diem refertur.

D Aptior huius laudis interpretatio erat, si ad vniuersalis iudicij diem referretur. Nam Isaias c. 45. 23. ait, *Mihi curuabitur omne genu, & iurauit omnis lingua*, quem locum adducit & exponit Paulus Rom. 14. 11. his verbis; *Omnes stabimus ante tribunal Christi scriptum est enim, Viuo ego, dicit Dominus, quoniã mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* Ex quo patet, quod Christus sit iudex futurus Christianorum, Iudæorum, Gentilium, & eorum qui apud inferos sunt, sufficiens hoc esse fundamentum, vt significetur, Christum ipsum ab iis omnibus, quos est iudicaturus, ab aliis quidem sponte, ab aliis coactè, laude ac benedictione prædicatum iri. Nec dissentiebat hæc explicatio à libri signati apertione, ex eo enim, quod Christus librum aperuerit, patuit Iudæos, Gentiles, & cælorum atque inferorum incolas sub Dei ac Iesu Christi imperio omnes esse, & extremi iudicij die Christi imperium cognituros pariter, ac veneraturos. Consonabat etiam quatuor animalium confirmatio, de qua infrà. Nam vnum ex præcipuis Euangelicæ prædicationis capitibus, quæ à quatuor animalibus confirmantur, est illud, quo Christum vniuersalem esse viuorum ac mortuorum iudicem confitemur.

Superiorem de die iudicij expositionem non admodũ probari.

Hæc tamen expositio non mihi planè satisfacit. Nec enim video, quo pacto in ea reddatur ratio cuiusdam rei, quæ mysterio certè non vacat, nimirum hanc laudem, quæ post librum apertum Agno dicitur ab omnibus creaturis tribui, esse quadruplicem. Aiunt enim Benedictio, & Honor, & Gloria & potestas. Atque vt in septem laudibus, quas angeli Agno detulerunt, septenarij reddidimus rationem, ita similiter exacta sacræ Scripturæ explicatio postulat, vt in hac laude ab om-

Digitized by Google

nibus creaturis Agno tributâ, quaternarij congruens afferatur ratio. Deinde quatuor animalium confirmatio respondet haud dubiè quatuor laudibus: sicuti videbimus cap. 6. quatuor prima sigilla animalibus quatuor respondere. Ex quibus infero quatuor laudes, quas deferunt Agno vniuersæ creaturæ, referri ad quatuor primos Christi spiritus; quorum mysterium in primis sigillis erat reconditum. Quòd si huiusmodi laus, quam Christo concinunt res creatæ omnes, eadem esset, quæ illi est in extremo iudicio deferenda ab omnibus per eum iudicandis; ad laudem illam non minor haberetur ratio de tribus extremis spiritibus, præsertim de seuera punitione, quàm de primis quatuor. Adde huc transgressionem illam seu transitionem à libro aperto ad extremi iudicij diem, nullum in se ordinem, nullam habere seriem. Et certè optabile valdè est, vt interpretatio aliqua reperiatur, quæ isthæc meliùs inter se connectat; nec adeò disiuncta ac separata continuet. A

Quatuor laudes, quas Agno vniuersa tribuunt creatura, ad primorum quatuor sigillorum mysterium referri.

Propter hæc valdè suspicor legitimam quadruplicis huius laudis significationem esse, vt aperto libro, & septem sigillorum mysterio, necnon Dei & Christi spirituum septem patefacto, appareat mox ingens gloria, quam retribuunt creaturæ omnes Agno; hoc est, non solùm Christiani, sed etiam Iudæi atque Gentiles, & ipsemet infernus. Cernitur enim manifestè, Iudæorum & Gentium persequutionem, & inferni ipsius machinationes ac technas in prædestinatorum salutem & vtilitatem cedere; quæ est maxima Dei gloria. Deinde facilè perspicitur, cùm de prædestinatorum salute solùm agatur, congruens fuisse, vt quatuor essent huiusmodi laudes. Nam ex septem spiritibus quatuor sunt, qui directè in salutem electorum sese impendunt, illi autem in cap. 6. figurantur per quatuor equos, qui perfectæ salutis symbolum gerunt. *Benedictio* ergo refertur ad virtutem, quæ in infirmitate perficitur: *Honor* ad beneficentiam, quæ in externâ maleficentiæ specie suum accipit complementem; *Gloria* ad æquitatem, quæ sub iniquitatis delitescit: & *Potestas* ad admirabile Diuinæ sapientiæ consilium, quod stultitiæ simulatione præfinitum ac destinatum finem adipiscitur in suorum exaltatione, & in clarissimo argumento sui imperij ac dominationis; quam in mortem & infernum exercet. B

Quæ sit quatuor harum laudum interpretatio.

Cur post creaturas, quæ in mari esse dicūtur, addatur, & quæ in eo?

Hæc declaratio confirmatur iis, quæ proximo v. sequuntur. In ea etiam afferri potest conueniens ratio, cur cùm dictum iam fuerit, *quæ in mari*, addatur illa repetitio, *& quæ in eo*; id est, ipsas quoque. Nam in ea distributione *Christiani* sunt creaturæ in cælo, *Iudæi* in terra, *dæmones* sub terra, & *Gentiles* in mari. Ex quibus omnibus Gentiles (vt suprà diximus) remotiores videbantur esse à laude Christo tribuenda. Christiani enim ipsum venerantur: Iudæi, etsi illum non agnoscebant, Messiam tamen expectabant, Prophetias habebant, & Christi miracula viderant: dæmones, quantumuis illum detestarentur, agnouerunt tamen, & *dæmones credunt & contremiscunt*. Itaque quod longiùs videbatur distare nempe Gentiles ante conuersionem, in media ipsa persequutione Christi laudi ac gloriæ seruiret. C

TEXTVS.

Vers. 14. Et quatuor animalia dicebant, Amen. Et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, & adorauerunt viuentem in sæcula sæculorum.

COMMENTARIVS.

Amen quid sit.

AMEN] Confirmatio est eorum quæ dicta sunt: vt patet ex illis Pauli verbis, 1. Cor. 14. 16. *Si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ: quomodo dicet Amen super tuam benedictionem*; Est igitur sensus quatuor illas laudes, quas creaturæ omnes Christo tribuunt, Apostolorum & Apostolicorum virorum vitâ atque doctrinâ confirmari. Illi enim sunt, qui & reipsâ, & sapienti Euangelij prædicatione singulariter confirmant illorum quatuor Christi spirituum eminētiam, & creata omnia in electorum salutem cooperari: nimirum infirmitatem, sæuitiam, & iniquitatis atque stultitiæ speciem in gloriam prædestinatorum & Christi Domini laudem cedere. D

Cælestem hanc prædicationem immensæ gratiæ comitantur, quas Deo Christiana Ecclesia in Missæ sacrificio agit pro maximo beneficio, quod in suos fideles confert, dum eorum salutem ac veram felicitatem mediâ infirmitatis, iniquitatis, & stultitiæ specie perficit & absoluit. Porrò suprà iam in hoc cap. & præcedenti expendimus, per seniorum adorationem significari Missæ sacrificium: remq; esse Apocalypsi dignissimam (vt indicetur, quàm gratas acceptasque laudes Christiana Ecclesia Deo pro tot ac tantis beneficiis deferat) Missæ sacrificium in medium proferre. Pro quo facit illud psalm. 115. 3. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? calicem salutaris accipiam.* Qui autem appellatur viuens in sæcula sæculorum, procul dubiò est, qui sedet in throno, vt explicatur expressè cap. 4. 9.

NOTA-

Digitized by Google

NOTATIONES PROOEMIALES IN CAPVT VI.

NOTATIO I.

De necessitate nouæ expositionis in septem sigillorum distinctione.

Quàm sit optabilis idonea septem sigillorũ explicatio.

IOANNIS lachrymæ à dolore profectæ, quòd reperiretur nemo, qui septẽ aperiret sigilla, nec non maxima gloria, quæ ex illorum resignatione ad Agnum redundauit, & septem laudes, quas illi contentâ voce concinuerunt Angeli, quia dignus fuit aperire sigilla: hæc omnia ostendunt glorioſiſsimum Deo fore, & Christianæ Ecclesiæ iucundiſsimum, si qua inueniretur septem sigillorum interpretatio, quæ & doctorum hominum ingenio satisfaceret, & cohæreret optimè cum admirandis figuris ac signis, quæ in eorum resignatione apparuerunt. Et certè abstrusum hoc arcanũ hactenus esse obsignatum videbatur. Licèt enim multa sint hac de re doctè, copiosè & eruditè conscripta; verè tamen & absque alicuius iniuria potest affirmari, nullam adhuc interpretationẽ ex variis ac multiplicibus, quæ mandatæ literis circumferuntur, plenè & cumulatè satisfacere. Quando quidem tot tamque graues extant auctores, qui Apocalypseos expositionem nobis adhuc ignotam, incognitamque esse non dubitent affirmare. Cuius tamen libri difficilior sanè pars ac magis Theologica est ea, quæ septem sigillorum tractationem complectitur.

Quanta sit septem sigillorum difficultas.

Ad sigillorum explicationem cuiusmodi sit eligenda materia.

Ad superandam hanc difficultatem oportet in primis eam nanciſci materiam atque seligere, quæ grauiſsimæ huius prophetiæ digna esse medulla & quasi anima censeatur, & quæ septem omnino capitibus coërceatur, non pluribus neque paucioribus; absconditis illis quidem ac reconditis. Ita vt niſi Christus ipse retegeret, prorsus tecta manerent, quorũ etiam intelligentia Ecclesiæ maximè interſit.

Apta septem sigillorum explicatio quas debeat habere conditiones.

Secundò necessarium est, omnia quæ textus ait, aptè prime quadrare: & reddere rationem aptam de rebus adeò miris & inauditis, ac sunt illæ, quæ inter aperienda singula sigilla viſæ sunt: eiuſmodi sunt equi, qui in quatuor primis sigillis apparuerunt; cùm in tribus postremis nec equus, nec aliud simile cernatur. Item, quòd in quatuor priorum resignatione animalia Ioannem accersant suo ordine singula: non tamen in tribus postremis, id contingat. Ad hæc, in primo & tertio sigillis datur manifesta proportio atque consensio inter animal, quod Ioannem aduocat, & inter viſæ figuræ significationem, at in secundo & quarto nihil eiuſmodi reperitur. Dicam clariùs. Vbi primum sigillum resignatur, leo Ioannem ad se accerſit: est autem leo fortitudinis symbolum: cuius etiam virtutis significatio elucet in ijs, quæ Ioannes in illo aſpicit sigillo; videt enim arcum, sagittas, atque victorem. Similiter in tertio sigillo tertium animal accit Ioannem; quod animal cum hominis præferat faciem, symbolum est rationis & æquitatis. In eo autem, quod Ioanni aperto eodem sigillo cernitur, elucet etiam æquitatis ac rationis symbolum: videt enim stateram seu libram. At verò in secundo & quarto sigillo nihil simile aſpicitur. Nam in secundo Ioannem inuitat ad se vitulus, qui est beneficentiæ symbolum: cùm tamen Ioanni non niſi belli symbolum ostendatur in eo sigillo, *& datus est ei gladius magnus, vt tolleret pacem de terra.* In quarto aquila, ſapientiæ seu felicitatis symbolum, Ioannem accerſit: qui in eo sigillo nil aſpicit aliud, quam mortem & infernum, & maximam stragem. Tot rerum inter se differentium atque pugnantium idoneam ac cohærentem inuenire rationem; quæ & eruditas mentes iucundè paſcat, & certas de collineato veri sensus scopo reddat; id verò spiſſum sanè opus est, & difficultate pleniſſimum. Quæ autem interpretationes hactenus prodierant in lucem, nullam contextui videbantur attuliſſe.

Alexjar in apocal.

Quanta sit in interpretandis sigillis dictorum & expositionũ varietas.

De multiplici expositionum varietate nonnihil diximus cap. 5. ad ea verba, *signatum sigillis septem*. Plura refert Pererius cap. 6. per aliquot disputationes, vbi septem enumerat sigilla interpretandi rationes, Harum prima est Victorini; secunda Andreæ, & Aretæ; tertia Bedæ: quarta Ioachimi; quinta Ambroſij; sexta Ruperti, & septima Aureoli. His tamen septem alias explicationes addere potuiſſet; primam Haymonis: alteram Seraphini de Fermo: tertiam Atiæ Montani: quartã Riberæ, quintam Mezerij: sextam Hortulani in Cantica, & septimam Forerij Iſaiæ 34. 4. vbi hæc habet: *Caput sextum Apocalypseos vaſtationem Iudææ, quæ cœpit fieri à morte Domini, per incrementa narrat; quousque in sexto sigillo, id est, sexta annorum hebdomada, post occiſum Dominum extremam deuaſtationem commemorat* Quibus ex verbis colligo, Forerium eius esse opinionis, vt omnia septem sigilla de Iudææ agant excidio, quam etiam opinionem sequuntur alij. Fauet Victorini, Ticonij, & Primaſij cõsensus existimantium in secundo, tertio, & quarto sigillis agi de bello, fame, & peſte, quę fuerant à Christo prædicta. Itaque quatuordecim non minus opiniones diuersæ sunt, & nonnullas alias facilè possem congerere. Nonnulli enim in sigillorũ aliquot resignatione duas sub diſiunctione expositiones admittunt, vt Pererius, qui in tertio sigillo significari ait regnum Gothorum, Hunnorum, & Wandalorum, vel etiam regnum diaboli in hæreticis; & in quarto sigillo indicari Sarracenorum regnum; vel regnum diaboli in hypocritis. Ex hac tamen varietate ipse infero, Pererium non sibi omnino satisfacere in capitum serie & continuatione, quibus septem sigilla constare debent. Nam si declarationes, quas admittit, continent omnes materiem septem sigillis dignam, non igitur futura erant sigilla septem, sed nouem, vt eorum capitum nullum debitâ sede ac loco excluderetur.

Impugnantur generatim plures ex præcedentibus expositionibus.

Illud tamen plus in Pererio, aliiſque auctoribus miror, eis nempe res esse viſas, & Ioannis lachrymis & libri signati myſteriis dignas, Gothorum, vel Hunnorum, siue etiam Sarracenorum, aut Domitiani Imperia, vel alia id genus. Non enim inficiari potest quiſquã, rem esse in diuina æſtimatione parui admodũ momenti ad Eccleſiæ vtilitatem, imperij Gothorum aut Sarracenorum ante-captam notitiam ac prænotionẽ. Quod perſpicuè patet, quandoquidem nec in Apocalypſi, nec aliâ præterea viâ præcognouit Eccleſia huiuſmodi imperia, antequam inſtruerentur, quam autem posteà eorum acquiſiuit cognitionem ex ſolis euentibus comparauit, quod non reuelationis est, ſed hiſtoriæ. Cùm ergo hoc ita sit, nemo non videret Ioannis lachrymas caſſas fore & ſuperuacuas, si huiuſmodi reuelationis, aut euentuum prædicationis desiderium eas eliceret, aut exprimeret dolor, quòd nullus iſthæc imperiorum sigilla posſet ſoluere. Nec verò is fuit Christi victoriæ

Ab argumenti ignobilitate prædictæ explicationes arguuntur.

Digitized by Google

fructus, vt euenta hæc aut alia huiuscemodi suæ Ecclesiæ Deus prænunciaret futura. Non ergo de hisce rebus agit is, qui Ioanni dixit. *Ecce vicit leo de tribu Iuda aperire librum, & soluere signacula eius.* Hoc argumentum, meo iudicio, adeò vrget, vt non possim non admirari, homines doctos atque prudentes inter mysteria septem sigillorum enumerare varios euentus, quos Christus suæ Ecclesiæ nunquam reuelauit, nec Ecclesia eorum notitiam habuit, donec res ipsa eos manifestauit: neq. posteà aliud de illis nouit, quàm quod historiæ narrant.

Iam, si inter declarationes quatuordecim suprà dictas, aut inter alias eiusdem rationis seriem, aut consequutionem alicuius materiæ perseruemur, quæ digna sit, vt in septem sigillorum libro possit abdita delitescere, & quæ conuincat in septem non ampliùs puncta diuidi, inanis certè labor esset. Quin etiam in punctis ipsis, siue capitibus, quæ illarum expositionum auctores designant, si interpretationem omnia perfectè quadrantem inuestigemus, nihilo fructuosior opera impendetur, nec eorum auctorum aliquis id negotij aggredi videtur audere. Multi enim potiùs aduertunt, non esse quærendam expositionem omnia cõnectentem, nec continuationis seriem seruantem. Ita sanè Pererius, vt alibi latiùs ipsiusmet verbis retulimus: & Salmeron etiam in suis prolegomenis, *Fieri* (inquit) *non potest, vt data quauis enarratione singula aptè quadrent.* Constat itaque interpretes quouis interpretationis modo facilè esse contentos, vt si septem signa in septem sigillorum resignatione apparentia ad septem Christi vitæ mysteria, aut ad pia alia, siue propria potiùs inuenta accommodent. Neque laborant vehementer, ne in applicatione immutetur punctorum ordo. Alij enim in tertio equo intelligunt hæreticos, & in quarto hypocritas, alij contrà in tertio hypocritas, & in quarto hæreticos, Sic Beda, & qui eum sequuntur. Nec desit aliquis, qui equum nigrum ad hæreticos, & quartum referat ad Traianum, egregio sanè saltu. Alij postremos tres equos eodem in sensu commiscent, quæ est opinio Ticonij & Haymonis. Atque in his, aliisque id genus declarationibus frustra desudet quis in idonea ratione quærenda, cur in tribus vltimis sigillis equi non extent? curve in quarto sigillo quatuor animalia Ioannem accersendo defessa sint, nec illum ad tria postrema accierint? cur denique leo & homo Ioannem aduocarint, ad ea intuenda, quæ cum leonis fortitudine, & æquitate hominis congruebant, nec tamen eadem proportio in secundo & quarto sigillis seruata sit?

Superiorum explicationum nullam perfectè quadrare.

His ipse rationibus permotus atque compulsus sum, vt nouam horum septem sigillorum declarationem indagarem. Præterquam quòd (vt vidimus notat. 11. prolegom. ad Apocal. & cap. 1. in expositione vocis tubæ & vocis aquarum multarum, necnon initio cap. 4. in voce tubæ) grauissima nos docet auctoritas à cap. 4. vsque ad 11. agere Apocalypsim, quemadmodum se gesserit Deus cum Iudaico populo, quoad ipsum reprobauit: & à cap. 12. ad 19. sermonem instituit de ratione ac modo, quo Deus cum Gentilium populo egerit, donec eum sub Euangelij ditionem redegit. Quæ diuisio tot, tamque grauium auctorum patrocinio defenditur; vt nulla præterea extet declaratio, quæ tot ac tales habeat, & ita solidis fundamentis roboretur. Quapropter cùm pateat nullam earum interpretationum, quæ de sigillorum distinctione agit, attingere huiusmodi rationem ac normam, quàm Deus aduersus Iudaicum populum seruauit; euidenter apparet contra explicationes istas militare totum illud auctoritatis pondus, totamque fundamentorum firmitatem, quibus diuisio illa, quam nuper tetigi, solidatur, & quibus statutum est in septem sigillis contineri, qualiter se Deus gesserit cum populo Iudaico post generis humani redemptionem.

Nouæ expositionis sigillorum via necessario inuestiganda.

Summatim vltra de sigillo expositionis grauissimorum doctorum auctoritate subiciri.

Infero ex dictis, licèt septem sigillorum distinctio non fuerit omnino explicata ab iis auctoribus, qui meam hanc diuisionem amplectuntur; sed ceteris etiam antiquiorem pariter, & grauiorem. Dein vt à grauissima hac veterum auctoritate, & tanta fundamentorum vi ne discederem, necessario fuerãm distinctionem nouam quæsiturus; si nullam in iis auctoribus reperiebam, quos pro mei argumenti summa adduxi. Itaque nostræ interpretationis summa de septem sigillis & grauissima est, & antiquissima: illius verò distinctionem fateor esse nouam: vt erat necesse ei, qui antiquorum vestigia si minus expressa (quæ neutiquam in distinctione apparebant) impressa tamen in explicationis summâ persequi statuerat. Nam si antiquorum mens tenenda mihi erat, necessariò deserendæ erant illæ septem sigillorum distinctiones, quæ cum explicationis summa ab antiquis tradita non consentiebant; ea verò inquirenda, quæ & cum antiqua illa summa, & cum textu ipso, & cum multorum recentiorum desiderio posset aptè componi.

Auctoris explicatio de septem sigillis.

Quibus positis, mea explicatio est; primorum quatuor sigillorum mysterio contineri admirabilem prouidentiam, quam ostendit Deus in salute Iudæorum, qui in Christum crediderunt. Tribus autem postremis sigillis occultari mysterium æquissimæ Iudæorum reprobationis; & quemadmodum Diuina prouidentia illos expectauerit primùm, & commonuerit, ac demum seueriſsimo supplicio punierit. Iam quod ad huius discursus perfectionem, & ad materiæ grauitatem ac dignitatem attinet, & quod ea septem punctis siue capitibus coërceatur, non pluribus neque paucioribus, quod in eis summa diuinæ gubernationis perfectio contineatur: hæc omnia, aliaque ad id conducentia affatim explicata & probata esse existimo, suprà notat. 5. capitis 1. & notat. 2. cap. 5. Quare id vnum supereſt, vt videamus; vtrùm figuræ ac signa, quæ in septem sigillorum resignatione Ioannis oculis obiecta sunt, cum nobili hoc discursu rectè cohæreant.

NOTATIO II.

Mysterium quatuor equorum capitis 6. non esse aliud, quàm aduenisse Deum ad saluandum suum populum.

Vtrũ quatuor equi primorum quatuor sigillorum eandem ad rem, vel ad contrarias spectent.

MVlti interpretum, sibi persuadent, postremos tres equos primo esse oppositos. Nam eques, qui equo vehitur albo, pro certo videtur Christum Dominum significare; vt omnes explicant sequentes D. Irenæum. Deinde videntur etiam Christi factionem sequi non posse, aut qui terræ pacem conturbat, id est, secundus; aut qui trutinam fraudulentam habet; aut mors & infernus, qui stragem illam edunt, quam recensetextus agens de equo quarto.

Varia hac de re auctorum explicationes.

Hoc fortasſis est, opinor, fundamentum Ticonij, Primasij, Haymonis, Bedæ, Ioachimi, Glossæ, Alberti, Thomæ, Pannonij, Riberæ, Bulengeri, Gagneij, Serrani, atq. Pererij; qui omnes præstituunt tres equos extremos opponi primo: atque eiusdem sententiæ sunt Lyra, Antoninus, Aureolus, Ederus, Lizarazus, & Viegas.

Ambrosius tamen contrarium supponit. Nam loquens distinctè de vnoquoque equite in singulis equis insidente, de omnibus ait, *sessor Dominus.* Aretas etiam agens de illo, qui equo portatur ruso, inquit, *sessor Christus*; constatq. ex eius declaratione nullam eum oppositionem inter quatuor equos reperire. Idem statuit Arias Montanus, qui de primis tribus equis sic ait: *sessor horum trium iustitia fructus.* Victorinus quoq. & Andreas, etsi non ita explicatè loquuntur, fauent etiam non obscurè horum quatuor equorum societati & conspirationi. Seraphinus de Fermo album ac rufum equos conciliat inter se, & in vtroq. dicit, *sessor Christus.* At nigrum & pallidum alterius factionis esse tradit. Idemq. sequi videtur Hortulanus in Cantica. Omitto Bernardi, Ruperti, & aliorum expositionem; qui cùm septem omnia sigilla, ad Christi referant mysteria, necesse habẽt quatuor equos inter se conformes considerare. His tamen prætermissis, Forerius & qui existimant equites, qui secũdo, tertio & quarto equis insident, esse bellum, famem,

Digitized by Google

famem, ac peſtem, quibus Deus Iudæos puniuit: ſibique perſuadent, quatuor omnes equos ad Iudææ vaſtitatem tendere: hi (inquam) auctores, vt perſpicuum eſt, tres primos equos nequaquam opponunt quarto, ſed omnes inter ſe coniunctos, & eiuſdem factionis eſſe credunt. Hæc tamen interpretatio intactam prætermittit admirabilem eorum Iudæorum ſalutem, qui Chriſti fidem ſuſceperunt: & repentè tranſgreditur ad ſuppliciũ eorum, qui ipſum reſpuerunt: nec valet reddere congruentem rationem, cur in quatuor primis ſigillis, non verò in tribus poſtremis equi appareant?

Pererij & Viegæ opinio de quatuor ſigillatum equis.

Pererius & Viegas volunt in ſacra Scriptura equum eſſe imperij ſymbolum. Itaque ſibi perſuadent per hos quatuor equos ſignificari totidem regna: videlicet Chriſti regnum in Eccleſia primitiua, regnum Romanorum Impp. Chriſti fidem inſectantium, regnum Gothorum & Alanorum, & regnum Sarracenorum. Hæc eſt Pererij opinio, cui aſſentitur Viegas, quatenus in quatuor equis totidem regna conſtituit, & Chriſti regnum in primo. Sed in reliquos tres equos inducit diuerſos Romanorum Impp. Chriſti Eccleſiam perſequentes. Fundamẽtum autem, quo aſſerunt equum eſſe ſymbolum imperij, petunt ex cap. 6. Zachariæ. Vbi pro certo habent in quatuor quadrigis imperia totidem potentiſſima denotari: ſcilicet Chaldæorum, Perſarum, Græcorum, ac Romanorum, idq. iuxta Hebræorum, & Hieronymi expoſitionem. Ceterùm quòd quatuor quadrigæ repræſentent quatuor imperia, non caret magnâ difficultate, propter id, quod manifeſtè textus ait, *iſti ſunt quatuor venti cæli*. Et propter alias rationes. Et quamuis hæc opinio videatur eſſe diui Hieronymi: ipſe certè illam affert vt Iudæorum traditionem. *Traditum eſt* (inquit) *mihi ab Hebræis*. Et infrà: *Hæc, vt accepimus à noſtra linguæ ſtudioſis hominibus, tradidimus*. Itaq. Hieronymus nihil aliud videtur agere, quàm illam vt à Iudæis acceptam referre. Et licèt ipſius etiam Hieronymi eſſet opinio, venia tamen tanti tamque grauis Doctoris, & omnium, quotquot eum ſequuntur, ſpero me in illius loci commentario oſtenſurum, ex ipſius contextus vi atque ſerie in quatuor illis quadrigis non innui quatuor imperia populo Dei infeſta; ſed bellum, quod Chriſtiana Eccleſia diuino præſidio munita fælicíſſimè erat aduerſus idololatriam geſtura. Quod autem textus ait *iſti ſunt quatuor venti cæli*, indicat, quemadmodũ quatuor venti iuſſu Dei excitant tempeſtates, quibus obuia quæque diſſipant, & proſternunt; non aliter Deum Euangelij prædicatione vanam idolorum ſuperſtitionem in quatuor mundi partibus euerſurum; & de inimicorum machinis atque oppugnationibus triumphaturum. Præterea venti etiam ſunt apti ad velocitatis ac cæleſtis impetus ſignificationem; ideoque dicuntur eſſe equi quadrigæ Dei. Vide Pſal. 103. ver. 3. & 4. & Pſal. 17. 11. ad quem locum alluditur Habac. 3. in equis Dei.

Vtrum ſuperior expoſitio in Zacharia quadrigũ fundamẽtũ habeat?

Impugnatur præcedens expoſitio.

Itaque Virgæ ac Pererij fundamentum de quatuor imperiis per Zachariæ quadrigas denotatis, certum minimè eſt. Præſertim quia licèt daremus imperij ſymbolum eſſe quadrigam: non inde infertur ſingularem etiam equum eſſe ſymbolum imperij. Nam & in Romanorum numiſmatis notum eſt, per quadrigam ſignificari triumphum; cùm tamen vnus equus triumphum nulla ratione repræſentet, vt humaniorum literarum peritis manifeſtum eſt. Ex his illud elicio, Zachariæ locum non deſeruiſſe aut prodeſſe quidquam ad probandum quatuor hos equos Ioanni viſos totidem imperia ſignificare. Præterquam quòd nullus reperitur ſacræ Scripturæ locus, in quo ſingularis equus aliquod imperium deſignet: cùm tamen in Scriptura frequens ſit equorum mentio.

Quadrigam eſſe triumphi ſymbolum.

Equum eſſe ſymbolum ſalutis ſiue ſalutationis.

Concedamus tamen in aliquo Scripturæ loco per equum probabiliter imperium indicari: hoc ſaltem perſpicuum eſt, in recepta Scripturæ loquutione, & in equorum viſionibus, equum generatim loquendo ſymbolum eſſe ſalutis, ſeu ſaluationis. Hac de re dubitabit nemo, qui ea, quæ ſequuntur, attentiùs perpendet. Primùm, ſæpè ſacra Scriptura iubet in equis hominem non confidere: vnde intelligitur in bellis, ſalutis ſpem in equis collocari ſolere. Pro quo vide Pſal. 31. 17. *Fallax equus ad ſalutem*. Et ſimiliter Pſal. 19. 8. Iſaiæ 31. 1. Oſeæ 1. 7. Amos 2. 15. Deinde illuſtriſſimus eſt Salomonis locus, Prouerb. 21. 31. *Equus paratur ad diem belli, Dominus autem ſalutem tribuit*. Vbi contemplor ſalutem certam futuram, ſi Deus in ſui populi auxilium conſcenderit equum, aut Angelum aliquem ſeu miniſtrum ſuum in equo miſerit. Tertiò Angelus ille, qui in equo viſus eſt, 2. Machab. 3. 25. venit, vt ſaluti ac præſidio eſſet populo Dei; & ſimiliter quinque illi viri, qui in equis apparuerunt, 2. Machab. 10. 29. Quartò in aliis veris viſionibus, & in nonnullis etiam confictis, nemo dubitat eum, qui in equo cernitur, ad protegendum atque ſaluandum venire. Exemplo ſint veriſſimæ Hiſpaniarum hiſtoriæ, in quibus toties D. Iacobus Apoſtolus in Hiſpanorum ſubſidium atque ſalutem fortiſſimus eques radiantibus armis inſtructus atque munitus apparuit. Hiſtoriæ verò confictæ exemplum peti poteſt ex Romanorum veterum annalibus, qui commenti ſunt Caſtorem & Pollucem Romanis in maximas anguſtias redactis viſos in equis fuiſſe, illisque opem atque auxilium tuliſſe. Quintò ad hanc eandẽ ſignificationem parum refert in equo, aut in quadriga apparere. Reges enim ac Principes olim è falcatis curribus depugnabãt. Atq; ita dicitur Deus in Palæſtinã ad auxiliandum ſuis cũ exercitu curuli ingreſſus: vnde Pſal. 67. 18. *Currus Dei decem millibus multiplex*. Et Angeli, qui in quadrigis militaribus apparuerunt, 4. Reg. 6. 17. ad Prophetam Eliſæũ tutandum veniebant, vt cõſtat. Sextò apud Prophetas euidens eſt, quando dicunt Deũ ſuper equum aſcendere, ſenſũ eſſe, illum in ſui populi auxilium ac ſalutẽ properare. Expende verba illa Habac. 3. 8. *Aſcendes ſuper equos tuos, & quadriga tua ſaluatio*. Vbi Gueuaræ interpretatio eſt, Deum non equum conſcendere, niſi ad ſaluandum. Maiorem tamen energiam continet textus ipſe ait enim Dei equos & quadrigas eſſe ipſammet hominũ ſaluationem ſiue ſalutem: ac ſi diceret, Deo nullos alios equos, quos ipſe aſcendat, nullas quadrigas eſſe, niſi huiuſmodi opera ad hominum ſalutem ſpectantia; in quibus ipſe valde gloriatur, & ſe hominibus agnoſcendum exhibet. Et Zachar. 10. 3. vt ſignificetur Deum ſpirituali Iſraeli ſalutem allaturum per ſtrenuũ quemdam ducem è tribu Iuda, *Viſitauit* (inquit) *Dominus exercituum gregem ſuum, & poſuit domum Iuda quaſi equum gloriæ ſuæ in bello*. Ad hæc equorum multitudo, quam aſpexit Zacharias cap. 1. & quadrigæ cap. 6. eiuſdem ſunt ſignificationis: vt in illius viſionis commentario explicabimus. Septimò in Apocalypſi exercitus candidorum equorum capit. 19. ſymbolum eſt non dubium eorum miniſtrorum, quibus vſus fuit Deus ad ſaluandum mundum, & ab idolorum cultu eripiendum. Octauò denique hæc ſignificatio nititur in natiua equi vi atque impetu; quo in pericula quæque animosè fertur. Quapropter appoſitè indicat eum, qui apparet in equo, irruptionem facere velle ad eos, qui periclitantur, à diſcrimine liberandos: id quod præſtare ſolent ij, qui ſtrenuos ſe equites volunt oſtentare. Expende deſcriptionem equi, quæ habetur Iob 39. 23. *Gloria narium eius terror: terram vngula fodit, exultat audacter, in occurſum pergit armatis; contemnit pauorem, nec cedit gladio. Super ipſum ſonabit pharetra, vibrabit haſta, & clypeus. Feruens, & fremens ſorbet terram: nec reputat tuba ſonare clangorem. Vbi audierit buccinam dicit, Vah: procul odoratur bellum, exhortationem & vlulatum exercitus.*

Equitem equo vectum, eſſe ſalutis ſymbolum, hiſtoriis tum veris, tum fictis probatur.

Equum aut quadrigam perinde eſſe ad ſalutationis ſymbolum examinandum.

Apud Zachariam, equos capitis 1. & quadrigas ſexti eſſe eiuſdem ſignificationis.

Pereleg. equi deſcriptio ex Iobo.

Ex quibus tandem omnibus facilè deducitur propriam & germanam ſignificationem ſymbolicam equitis in equo apparentis eſſe, vt veniat ad ſaluandum; id quod ſapienter notauit Origenes homil. 1. in Ioannem, vbi ait vocabulum equi ſolere poni, cùm ea ponuntur, quæ nobis adiumento ſunt. Iam, ſi certum eſt hoc eſſe proprium equi ſymbolum, & quod vniuersè Scriptura complectitur: nemo non viderit optandum maximè eſſe, vt his omnibus quatuor equis hæc eadem ſignificatio apprimè quadret.

Difficultas cõtra equorum quatuor Apocalypſeos explicationem traditam.

Exiſtimabunt tamen aliqui fieri non poſſe, vt hi omnes equi eõdem ſpectent; quin imò eo ipſo, quòd primus ad ſaluandum veniat, neceſſarium eſſe reliquis contrariam eſſe mentem. Etenim præterquàm quòd diuerſi illi colores non ſunt ad rem, vt omnes ad afferendam ſalutem aduenient; ſecundus eques tendere dicitur ad pacem de terra tollendam, & tertius contenta voce perſonat famem, *bilibris tritici denario*: quarti autem intentio eſt, *interficere gladio: fame, & morte, & beſtiis terræ; & nomen illi mors, & infernus ſequebatur eum.*

Varium equorum colorem non obstare, quominus ad eandem significationem pertineant.

Huic obiectioni respondeo, multiplicem equorum colorem non obstare, quominùs omnes sint eiusdem factionis; vt manifestò perspicitur in iis, quos Zacharias vidit cap. 1. 8. *Ecce vir ascendens super equum rufum; & post eum equi rufi, varij, & albi.* Quod verò textus ait de secundo equite, idem Christus Dominus in Euangelio affirmat, *non veni pacem mittere, sed gladium.* Atqui euidens est Apocalypsin ad hæc Christi verba respicere. Nemo autem dubitat, Christum, dum ait, *non veni pacem mittere, sed gladium,* indicare huiusmodi bellum, quod ipse in mundum immissurus aduenit, esse medium ad ipsius mundi salutem. Quare verba illa pro nobis planè sunt. Quòd si admittamus semel discordiam esse medium ad salutem; fit planum, idem de fame atque morte asserendum fore. Qui autem nouum & inusitatum ducet, quòd Deus ad suorum salutem ac vitam morte ipsa vtatur, næ ille haud satis ponderauit Habacuci verba cap. 3. 5, *Ante faciem eius ibit mors,* vbi mors ipsa procul dubio consideratur, quasi satelles quidam, & administer, quem præfert Deus, cùm ad suos protegendos bellum init: de hoc enim agit Propheta vt ipse mox exprimit; *& quadriga tua saluatio.* Quòd si respondeatur, mortem, quæ anteit Deum, non esse vt saluandos occidat, sed vt in sui populi hostibus stragem edat; hoc ipsum pro nobis est; sed cùm Apocalypseos doctrina sit magnopere spiritualis, & veteri homini bellum indicat; in eumque discordiam, famem atque mortem immittat, quò nouum hominem saluum incolumemq. præstet: hinc est illud ipsum in sensu magis adhuc spiritali nostræ expositioni suffragari. Itaque quod obiicitur contra quatuor equorum vnionem & conspirationem, nullius roboris est.

Mors quo sensu ante Dei pedes ire dicatur.

Quatuor sigillorum equos eundem ad finem referendos probatur.

Vt autem quatuor huiusmodi equi sint ad eundem finem referendi; multa possunt, eaque fortissima afferri argumenta. Primum quia generatim loquendo, symbolica equi significatio in sacris Literis est, vt veniat ad saluandum: ex illis autem, quæ longiùs à salute videbantur distare, nempe ex discordia atque morte, quidquid nobis dubitationis poterat exoriri, sacra Scriptura tollit, vt constat ex dictis.

Explicatur idē ex quatuor animalibus ad quatuor equos proportione.

Secundùm, textus ipse inter quatuor animalia & quatuor equos manifestam ponit proportionem. Leo enim Ioannem accit, vt primum equum consideret: vitulus vt secundum: homo, vt tertium: aquila denique, vt quartum. Explicatâ verò iam quatuor animalium significatione (de qua latè diximus cap. 4.) accersiti Ioannem à leone, vt primum inspiciat equum; idem est, ac si nos admoneremur, in primo illo equo Diuinæ virtutis ac fortitudinis subesse significationem. Similiter cùm vitulus Ioannem aduocat, nobis indicare vult, in secundo equo (quem Ioannes iubetur intueri) diuinam significari beneficentiam. In tertio equo pari ratione debet Diuinæ prouidentiæ æquitas elucere: nec minus in quarto admirabile Dei consilium. Atque vt quatuor animalia sunt Dei vicaria in procurandâ animorum salute; ita contextus ipse exigit, vt in quatuor equis agatur de præstantissima salute, quam Christus se ipsum recipientibus attulit: in qua salute quatuor primi Diuinæ prouidentiæ spiritus in primis eminent; ad quorum cognitionem pariter ac venerationem nos inuitat eorundem spirituū participatio; quæ in Apostolis, virisque Apostolicis enituit; & in quadruplici animalium facie (vt suo loco diximus) indicatur.

Tertium pro nostra quatuor equorum explicatione argumentum est, quod sumitur ex attenta eorum consideratione, quæ in Apocalypseos decursu à cap. 4. antecedunt. Capitis enim 4. argumentum haud dubiè est de insigni ac magnifico templo, quod Deus in Ecclesia primitiua erexit; argumentum verò capitis quinti continet, quemadmodum post nouum Dei templum fundatum liber Scripturæ sacræ & prophetiarum Dei adeò clausus & obscurus perfidis Iudæis permansit, vt illum legere, aut etiam aperire nequaquam possent. Complementum enim promissionum à Deo factarum de suo populo saluando, necnon patientiam, comminationes ac supplicia, quibus aduersus synagogam vtebatur, nemo potuit intelligere nisi is, cui Christus librum hunc aperiret. Fit ergo planum ex huius argumenti serie, congruentissimum esse, vt ex septem sigillis prima quatuor spectent ad veram animi salutem, qua Christi fideles potiebantur; tria verò postrema ad miseriam ac reprobationem rebellium.

Septem sigillorum partitio, eorumq; argumento ac prouidentia tam erga fideles Iudæos, quàm erga rebelles.

Quartum ex eorum consequutione, quæ in tribus postremis sigillis consequuntur, nostra declaratio non parum accipit roboris. Illa enim (vt infrà videbimus) continet ordinem, quem Diuina prouidentia, eiusque brachium Christus Redemptor noster in Iudæos Euangelij salutem respuentes seruarunt. Quod enim Deus aduersus illos præstitit ad tria puncta reuocatur: primùm patienter illos expectauit, vt aperto quinto sigillo monstrabitur: deinde horribilibus signis eos admonuit, & interminatus ipsis est, vt sextum sigillum ostendet: denique seueriſſima in eos immisit supplicia, quæ per septem plagas tubarum sigilli septimi denunciantur.

Ex argumenti totius consecutione, nostra de sigillis expositio confirmatur.

Tria hæc puncta, nimirum Patientia, Comminatio, & Seueritas complectuntur excellentissimam agendi cum improbis rationem. At Apocalypsis non hæc vniuersè tractat, sed speciatim, quatenus ad synagogam pertinent, vt clarè perspicitur in bello, quod ostendit textus à Hierosolyma inferri Euangelio: & in eo quod cælum in Hierosolymam suscepit. Cui considerationi mirificè deseruit, quod textus recenset à quinto sigillo ad finem vsque cap. 11. Quæ si ita sunt; vt re verà sunt, facilè est videre, quam fuerit operæ pretium, vt tractationem de modo ac ratione, quam Diuina prouidentia in Iudæos Christum abnegantes seruauit, antecederet enarratio admirabilis prouidentiæ, qua vsus fuit Deus ad eos perfectè saluandos, qui Christi fidem atque doctrinam amplexi sunt: in quo prophetiarum & promissionum Dei fidelitas maximè eminere probata est. Id autem in equorum Dei figura aptissimè exprimitur, vt constat ex Habacuci loco suprà allato. *Ascendes super equos tuos; & quadriga tua saluatio.* Vt autem dubitaret nemo, Propheram agere de salute illa, quam Deus erat Iudæis in Christum credentibus allaturus; verba hæc protinus subiicit Habacucus, *Suscitans suscitabis arcum tuum; iuramenta tribubus, quæ loquutus es.* Manifestum verò est iuramentum hoc esse promissa facta de illis saluandis. Deinde apparet arcum eundē esse, quem Ioannes vidit in manibus eius, qui in equo albo obequitabat.

Rationem, qua se Diuina prouidentia cum improbis gerit, in Apocalypsi ad Iudam speciatim enarratis.

Aliorum expositiones ab inconsequentia & ordinis perturbatione facilè redarguū.

Præter hæc, series ipsa & continuatio huius declarationis argumento est ad eius veritatem stabiliendam satis firmo. Quemadmodum est etiam aliarum explicationum non firma confutatio, varietas ac perturbatio ordinis, quæ in ipsis reperitur. Applicant enim secundum, tertium & quartum sigilla ad persequutiones, quæ in Ecclesiam Romani, Hæretici, & Mauri, aut Pseudochristiani, siue etiam Antichristus excitarunt. Ex quibus nihil esse potest ad rem: nam in quinto, sexto, & septimo sigillis sermo est de persequutione, qua Iudaicus populus Ecclesiam est insectatus; deque glorioſissimo triumpho, quem de ipso reportauit Ecclesia; quod ordine ac ratione antecedit, vt par est, tractationem de Gentilium bello ipsi Ecclesiæ illato.

Cur in primis quatuor sigillis equi apparuerit, in reliquis non item; congruentem in nostra expositione reddi rationem; non verò in aliis.

Confirmatur insuper nostra expositio ex idonea satis ratione, quæ reddi potest in ea, quapropter in quatuor primis sigillis equi apparuerint Ioanni; & nihil simile in tribus reliquis sit visum. Cui dubitationi non video; quid possit appositè in aliorum explicationibus responderi: præsertim cùm plerique existiment in posterioribus sigillis de imperio & persequutione Antichristi sermonem institui. Si ergo ad significandum Romanorum Imperium, siue ad persequutionem ab hæreticis aut Mauris concitatam, accommodatum esse putant symbolum equi, cur in imperij & persequutionis Antichristi significatione equus similiter non apparuit? At verò in nostra explicatione adeò clara ac manifesta redditur ratio, vt obloquentium ora facilè obturet. Dicimus enim in quatuor primis sigillis sermonem esse de eximia atq. præstanti salute ac felicitate, qua veri Christi sectatores potiti sunt: in tribus verò postremis de Patientia, Comminatione & Seueritate, quibus egit Deus cum iis, qui Christi doctrinam atq. vestigia sectari noluerunt. Quibus positis, ideò in primis quatuor sigillis conspiciuntur equi; quia equus (vt toties inculcauimus) est mirificum salutis & saluationis symbolum; eandemque ob rem nihil opus erat equo in tribus reliquis sigillis; quippe quæ non saluationem fidelium, sed patientiam, minas atque supplicia continebant.

Redditur ratio discriminis, cur in quatuor primis sigillis, non verò in reliquis, equi conspiciantur.

Nemo

Digitized by Google

Nemo autem iure contendet, equum esse aptum tolerantiæ, comminationis aut seueritatis symbolum. Adde huc, quemadmodum Deus de salute potius ab se parta, quàm de illata reprobatione gloriatur; ita etiam consentaneum valde fuisse, vt salutis ac saluationis significatio in equo, alacri in primis & erecto animali, celebrior atque glorioſior fieret: reprobatio verò figuram præferret non ita magnificam atque conspicuam; sed quæ effectum ipsum expectandi, minandi & puniendi solùm ostenderet, ad quod equi alacritas & erectio superuacua erant. Ac demum ad eam obiectionem, cur nimirum in quatuor primis sigillis, non verò in tribus sequentibus equi cernantur? directè respondet Habacucus, asserens equitare Deum idem esse, ac venire ad saluandum: *Ascendes super equos tuos, & quadriga tua saluatio.*

Cur quatuor animalia singulatim Ioannem ad singula quatuor sigilla euocasse dicantur; non verò ad reliqua?

Porrò nullius etiam difficultatis est, subiicere rationem in nostra sententia, quare quatuor animalia singulatim Ioannem ad singulos equos inspiciendos accersant: non verò vt in tribus ceteris sigillis Dei Patientiam, Comminationem, aut Iudæorum plagas intueatur. Ratio namque est huiusmodi. In quatuor animalibus (vt iam vidimus) repræsentantur Fortitudo, Beneficentia, Æquitas, ac Sapientia; quæ sunt quatuor Diuinæ prouidentiæ virtutes in salute Iustorum Christum excipientium maximè splendentes. Et Apostolorum fortitudo per leonis faciem indicata Ioannem inuitat, vt Dei fortitudinem attentè perpendat: similiterque de tribus ceteris faciebus dictum esto. Postremò quatuor facies sunt veluti insignia & stemmata priorum quatuor spirituum, siue eorum insigniferi: & idcirco præcedunt, cùm ipsimet quatuor spiritus sese nobis cognoscendos præbent. Eædem tamen facies non præferunt trium posteriorum spirituum insignia, vt iam diximus c. 4. atq, ita minimè conducebāt ad eius rei significationem, quam ipsæ non habent. Exempli gratia, non oportebat eum, qui vitulina facie est, & beneficentiā significat, inuitare Ioannem vt videat comminationem, aut seueritatem, & sic de reliquis. Denique in eo, quòd Ioannem quatuor animalia vocent ad quatuor prima sigilla, decorum apprime seruatur. Sic enim ostendunt gestientem animo lætitiam, quod omnibus innotescat maximum beneficium à Deo collatum in perfectissima eorum salutis ratione. In tolerantia verò, minis ac seueritate aptius fuit, vt sese contraherent, & intra silentij cancellos continerent, quàm lætitiæ ac voluptatis signa ederent. Atque id pro hac dubitatione sit satis modò dixisse, quia de eadē quæstione rursus agendum latiùs nobis est infrà.

Alia erat quæstio de discrimine, quod inter primum tertiumque sigillum vna ex parte, & ex alia inter secundum & quartum versatur. Hac tamen de re infrà opportuniùs dicemus.

NOTATIO III.

De necessitate quatuor equorum ad distinctam saluationis perfectæ significationem.

SVperiore notatione diximus, equum esse symbolum valde aptum ad saluationem significandam. Videamus nunc oportet, quæ fuerit necessitas, vt quatuor equi, nec plures nec pauciores, essent. Existimabit fortasis non nemo, equorum quaternarium eo consilio fuisse selectum, vt hæc visio Habacuci vaticinio responderet, in quò expressa fit quadrigæ mentio. Sed contrà est, quia Ioannes nec quadrigam vidit, nec bigam, sed equos singulares, vt Latini loquuntur, nec verò omnes simul, sed vnum priùs, deinde alium, & sic de reliquis. Præterea in primo equo cernit equitem arcu & sagittis instructum: in secundo cernit alium cum gladio: in tertio cum statera, & in quarto aspicit mortem. Cuius discriminis ratio ex eo prouenit, quod Habacuci tempore erant in vsu falcati currus in bellis, è quibus Reges ac principes viri depugnabāt: quapropter cōsentaneū fuit, vt Propheta ad sui tēporis consuetudinē sese effingeret. At, cùm Apocalypsis conscripta fuit, huiusmodi consuetudo iā extabuerat: ideoq. non erat, cur saluatio in quadriga figuraretur: quantūuis apud Habacucum & Apocalypsin de eadem salute siue saluandi ratione sit sermo. Quamobrem perstat adhuc dubitatio, cur quatuor fuerint singulares equi, quos vidit Ioannes? Etenim si præcipua erat intentio, vt salus siue saluatio adumbraretur, ad id quidem non opus videbatur esse quaternatio.

Cur in hoc sigillo equi quatuor, non plures nec pauciores, appareant?

Prima superioris difficultatis emendatio.

Respondebit aliquis quatuor equorum coniunctionem fuisse idoneam ad Christi victoriam & triumphum denotandum: hoc est, vt indicetur, ipsum non solùm ad saluandum venisse, sed reapse homines admirabili ratione saluasse, & victoriam ac triumphum glorioſissimè obtinuisse. Scitum namque est in veterum numismatis, vbi quatuor equi copulantur, esse significationē triumphi. Contra hoc tamen est, quia triumphus in quatuor equorum curru proprius erat Romanorum: atque ita huiusmodi allusio non apta videtur esse ei, qui in Græcia & Græco sermone scribit. Præsertim quia in sacris nulla est mentio triumphi in quadrigis. Ioannes insuper quadrigam non vidit, sed quatuor singulares equos: in quibus ad triumphi quadrigam proprius esse respectus non potest: cùm tamen in admirandis equorum visionibus, licet equus vnus tantùm appareat, satis sit ad victoriam atque triumphum denuncianda: vt patet, 2. Machab. 3. 25. & ex D. Iacobi Apostoli visionibus, cùm sæpè in Hispanorum auxilium repētè compatuit. Quapropter restat adhuc eadem difficultas, cur scilicet Apocalypseos equi quatuor fuerint?

Improbatur tamen.

Sit ergo prima ratio: ex septem spititibus, quibus Diuinæ prouidentiæ perfectio comprehenditur, quatuor primi (nimirum, Virtus, Beneficentia, Æquitas ac Sapientia) in eorum salutem & veram fælicitatem, qui Iesu Christi doctrinæ audientes fuerunt, se totos impendunt, vt latè explicuimus cap. 1. notat. 5. & c. 5. not. 2. Vnde ad significandos quatuor Dei spiritus in hominum salutem aduentantes, congruens fuit quatuor equorum figura. Hæc ratio ampliùs adhuc roboratur: quia quatuor animalia, quæ in Apostolis eandem horum quatuor spirituum significationem habent (vt vidimus cap. 4. Ioannem hîc per ordinem ad quatuor equorum contemplationem vocant. In quo indicatur planè, Dei Virtutem in primi equi figura imminere: in secundi, Beneficentiam: in tertij, Æquitatem: in quarti, Sapientiam atque Consilium.

Prima vera saluationis ratio.

Hæc ratio idonea satis est ad quatuor equorum numerum, & Apocalypseos artificio valde digna. Sed (vt infra dicetur) in quatuor equorum figura ac symbolo non tantùm spectatur saluationis causa in iis, qui Christo se subdiderunt (id est perfectio priorum quatuor spirituum diuinæ prouidentiæ) sed ipse etiam attenditur saluationis effectus ac media, quibus vsus fuit Christus ad suorum fidelium salutem. Quamobrem si deprehenderemus ipsum saluationis opus in quatuor diuidi puncta: hæc consideratio permagni esset momenti ad absolutam quatuor equorum intelligentiam. Præcipuè cum quatuor huiusmodi spiritus nullam in Deo habeant distinctionem, sed solum penes diuersos effectus distinguantur: & plerumque contingat in vno eodemque opere æqualiter effulgere virtutem & sapientiam, aut beneficentiam & æquitatem; atque ideo quando vnum idemque esset opus, non adeò videretur necessarius quaternarius equorum, illud ergo in hac materia maximè erat optandum, videlicet vt ipsum saluationis opus in quatuor præcipua capita partiretur, quæ inter se valde essent diuersa: in quorum primo Virtus præcipuè splendesceret, in secundo Beneficentia; in tertio Æquitas, & in quarto Consilium atque Sapientia.

In quatuor equorum figura causam saluationis adumbrari.

Secunda igitur ratio huius quaternarij sit: ipsemet perfectæ saluationis effectus, quam in hac vita Ecclesiæ primitiuæ Christiani assequuti sunt, quatuor omnino capita complexus fuit: primum, in Christum viua fide credere; secundum Christum ipsum prædicare; tertium, fortunas remque totam familiarem pro eodem Christo renunciare; quartum denique, pro eodem vitam

Digitized by Google

contemnere. Pro horum declaratione aduerto saluare nihil esse aliud, quàm eripere ex potentioris hostis potestate eum, qui per se ipse illius potentiæ ac tyrannidi se subducere non poterat. Quare si planum fieret, totum humani generis bonum ac felicitatem in eo consistere, vt de quatuor potentissimis hostibus ipsum opprimentibus triumpharet: & probaretur insuper primitiuæ Ecclesię Christianos quatuor illis rebus præclarissimè gestis (quas modo retulimus) triumphum egisse nobilissimum de eisdem quatuor hostibus; tunc verò facilè constaret, in quatuor illis operibus admirandis perfectam constitisse salutem, quam Messias in mundum erat allaturus.

Quatuor inordinatos amores esse hominum mundiq; tyrannos: & quinã ij sint.

Vt ergo hoc ampliùs explicetur, obseruandum est quatuor inordinatos amores esse, qui mundum vexatum, afflictum & oppressum tenent. Hi autem sunt, primus, immoderatus vitæ ac deliciarum amor: secundus, impotens amor diuitiarum, ne quid vitæ commodis, atque delitiis desit: tertius, amor intemperans proprij honoris & æstimationis, præsertim inter notos, familiares & cognatos: quartus, præceps quoddam studium atque propensio ad proprij consilij atque iudicij rationem siue rectam, siue errantem sequendam, nec cuiusuis alterius consilio acquiescendum. Huiusmodi consideratio de quatuor hisce tyrãnis (id est, de proprio amore, de diuitiarum cupiditate, de nominis existimatione, ac proprij iudicij tenacitate) absoluta planè est & perfecta: & quilibet spiritualis vitæ magister facilè cernet, hos quatuor amores inter se esse diuersos; & quicumq; illorum nondum sit deuictus ac profligatus, illum satis esse, vt propterea miser & ærumnosus reputetur is, qui illius adhuc seruituti subiaceat. Quem verò clementissimus Deus tanto tamque ingenti affecit beneficio, vt ex horum quatuor tyrannorum vi atque potestate penitus extraxerit; hic sanè perfectam libertatem & spiritualem salutem adeptus est: iugulauit enim hostes omnes, qui sibi poterant in via virtutis obsistere; & quæcumq. sibi accidant infortunia, quantumuis aduersa & calamitosa, in maius ei commodum & felicitatem cedunt. Quapropter licèt is dæmonis oppugnationibus variè tentetur, aut improborum inuidia atque odio penè obrui videatur, nihil illi aliorum commiseratione opus est.

Cuiusmodi salutem ac saluandi rationem nobis attulerit Christus.

Nam si quatuor hosce tyrannos perfectè subegit, cetera omnia facillimo negotio subiugabit. Ex his intelligitur, excellentissimam saluandi rationem, quam Messias nobis erat allaturus, in eo potissimùm sitam esse; vt homines à quatuor illis tyrannis liberaret, & perfecta de illis parta victoria, felices eos beatosque redderet.

Quomodo Christus his quatuor tyrannis fideles primaeuos eripuerit.

Ex quatuor his tyrannis Christus primitiuæ Ecclesiæ Christianos perfectissimè eripuit: id quod hoc ordine præstitit. Primò à proprij iudicij dominatione subduxit, dum eos fidei subiecit, quæ spiritalis vitæ fundamentum est. Deinde honoris & existimationis inane studium ab eis expulit: cùm eos excitauit & erexit, vt Christi ipsius fidem liberè profiterentur, ac prædicarent. Tertiò per euãgelicam ac voluntariam paupertatem in eis diuitiarum cupiditatem extinxit. Quartò denique à superbo proprij amoris imperio extraxit incolumes, per effrænatarum cupiditatum cohibitionem & vitæ ipsius contemptum. Huius autem ordinis ratio inde adscisciturꝰ quia priùs est in Christum credere, deinde mundum vincere; qui minus, quàm res familiaris amatur. postea rei ipsius familiaris amorem superare, ac postremò vitam pro Christo contemnere.

His quatuor inordinatis amoribus primæ quatuor prouidentiæ diuinæ virtutes directè opponi.

Oportet tamen horum singula enucleatiùs explicare, & ostendere, quantopere in primo Christi Virtus excellat; in altero Beneficentia; Æquitas in tertio; & Sapientia in quarto. Nec mihi mens est contẽdere, quatuor has Christi virtutes nõ in eorum singulis reperiri, sed Virtutem in prima victoria magis eminere: Beneficentiam in secunda, & sic de reliquis: atq. adeò aptam satis extitisse rationem; cur singulæ ex iis victoriis ad singulas Christi virtutes per attributionem meritò applicentur?

In primis; postquam Euangelij lumen toto terrarum orbe sese longè lateque diffudit, & Christianæ Ecclesiæ decus atque maiestas tam multiplici incremento sunt aucta; mirum non est, omnes non ita planè deprehendere, quàm glorioſa ex proprio iudicio reportetur victoria, cùm Christo mundi assertori ac vindici subiicitur. Si verò primitiuæ Ecclesiæ tempora repetamus: A non obscurè perspiciemus, quàm difficilis tunc & operosa res esset, humanam mentem proprij iudicij tenacem in eam trahere sententiam vt mundi totius salutem in Christi cruce positam esse crederent: verumq. Deum, & humani generis Saluatorem esse eum, quem Iudæi in crucem egerant. Næ illa tempestate homines Christi venerationi atque adorationi submittere, & inducere, vt eum proprium esse Deum ac Dominum agnoscerent; nihil aliud erat, quàm eosdem cogere, vt proprium omnino iudicium deponerent; sibique persuaderent, in eo, quod stultitiæ speciem præ se ferebat, mundi remedium vniuersi situm esse. Et certè cùm præuideret Deus, in quod errorum & insaniarum barathrum homines proprio iudicio ducti essent dilapsuri; decreuit veram animi salutem & saluationem in maxima iudicij proprij abnegatione constituere.

Quantâ fuerit Dei virtute opus ad homines primitiua Ecclesia tempore ad Christi fidẽ traducendos.

Christi virtus veteres præsertim fideles per iudicij proprij abnegationem decreuit conuertere.

Nam *quia non cognouit mundus per sapientiam Deum: placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes*, 1. ad Cor. 1. 21. Itaque in viua Crucifixi fide sanctificationem animarum esse voluit. Quod ergo opus adeò B præstans & admirandum posset excogitari, in quo Dei atque Christi virtus ita colluceret; vt in ea vi & efficacitate, qua homines impulsi fidem suam & spem fortissimam in eo, quem cruci suffixum viderant, collocabant? Nonne in peccatorum conuersione, Christi in crucem sublati virtus, & admiranda ipsius sagittarum vis & efficacia enitescit? Consideretur, obsecro, quod in vnius Pauli conuersione accidit, Act. 9. simulq. perpendatur, quot homines Christus ad sui cognitionem fidemque traduxerit: siquidem vnâ Petri concione tria millia dedêre manus Act. 2. 41. Cum hoc facit arcum esse potentiæ symbolum: iuxta illud Psal. 75. 4. *Ibi confregit potentias arcuũ*, &c. Et eapropter Antiquitas Herculi, atque cupidini arcũ tribuebat. Atqui Christus est verus Alexicacos, & qui amoris sagittis hominum corda transfigit: *Sagittæ tuæ acutæ (populi sub te cadent) in corda inimicorum regis.* Ps. 44. 6. videlicet vt eos ex inimicis in amicos, ex hostibus in amatores cõuerteret. Antequam nitri ac sulphurei pulueris inuentum æneorum tormentorum ictus inuictos & ineluctabiles reddidisset; nullum aliud instrumentum bellicum arcu potentius & C efficacius agnoscebatur, qui vt contendatur & remittatur, magna vi opus est, vt in Turcicis arcubus apparet. Vnde constat maximæ potentiæ symbolũ fuisse arcum.

Arcus potentiæ symbolum.

Secundò, quo tempore homines in crucis opprobrio offendebant: & qui se Christianum profitebatur, amicorum ac familiarium, nec non parentum & fratrum contemptioni atque inuidiæ sese exponebat; quid aliud potuit concipi glorioſius & quod clariorem victoriam ex falsa proprij honoris existimatione consequetur, quàm quod primitiuæ Ecclesiæ tempore accidebat? Cùm Christiani minimè contenti in Christum intimo corde credere, suam illico fidem profitebantur, & Christum viriliter & animosè prædicabant: cùm & Christi crux despicatui habebatur, & Euangelij prædicatio tot excitabat turbas ac tumulrus. Atque tota hæc constantia & fortitudo, qua homines tunc suam fidem propalàm enunciabant, & pro virili parte contendebant, vt reliqui eam amplecterentur: hæc, inquam, constantia ac firmitudo, cum ipsa simul Christiana Ecclesia exordium habuisse videtur. Anteà enim neminem D accepimus ita solicitè atque anxiè laborare, vt suam alij fidem complecterentur: Etenim *nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum fuerat glorificatus.* Ceterùm primigenij Christiani ex Iudaico populo, tam strenuè ac fortiter in Euangelij promulgationem incubuêre, vt aggressi ad mundum vniuersum conuertendum, voti compotes euaserint. Quibus, secundùm Deum, beneficium hoc quàm maximum humano generi tributum referri debet acceptum. Illi enim aptissimum fuêre instrumentum, quod vsurpauit Deus, vt mundo veram animorum salutem communicaret, id quod Paulus innuisse videtur, *Corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem*, ad Rom. 10. 10. ad aliorum scilicet salutem procurandam: id namque significat græca vox σωτηρία. In hoc ergo tanto tamque egregio facinore, quid aliud veteres illos Christianos ad fidem suam profitendam, & Christum prædicandum stimulabat, nisi magnum mundi totius beneficium? Imò potiùs quod aliud clarius & illustrius beneficentiæ argumentum homines

Veterum fidelium constantia in Christi fide suscipienda ac profitenda.

Digitized by Google

mines edere potuerunt, quàm cùm se totos humani generis saluti & incolumitati consecrarunt? Cùm verò hæc ingens beneficentia fuerit ab infinita Dei beneficentiâ deriuata; facili negotio cernitur Christi beneficentiam clarissimè elucere in hoc robore atque animo, quem primitiuis Christianis addidit ad inanẽ mundi existimationem proterendam, & Christi ipsius fidem toto terratum orbe promulgandam.

Perfectam de diuitiarum cupiditate victoriam in rerum omnium abdicatione sitã esse. Primitiuorum fidelium voluntaria paupertas & eorum abdicatio.

Tertiò manifestum est voluntariam egestatem, & rerum omnium abdicationem esse perfectam de diuitiarum cupiditate victoriam. Primigeniis verò Christianis Iudaici populi tantum paupertatis amorem Spiritus sanctus impertijt; vt generatim dicat Lucas Actuum 2. num. 44. *Omnes, qui credebant, habebant omnia communia; possessiones autem & substantias vendebant, &c.* & capit. 4. numero 34 *Quotquot possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes offerebant pretia eorum, & ponebant ante pedes Apostolorum.* Itaque vniuersi omnia in commune conferebant; indeque singulis necessaria distribuebantur. Actorum 2. 44. *Diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat.* Atque hoc amandæ paupertatis studium constat cum ipsa Christiana Ecclesia cœpisse; nam ante Christi aduentum, sancti etiam viri rei familiari augendæ curam gerebant. In hac igitur voluntaria inopia, quam Christus Dominus primos Christianos docuit (quibus vehemens illi in omnibus placendi desiderium indidit:) maximopere enituit, quãto Christus odio prosequatur iniurias & iniquitates, & quanto amore æquitatem atque rationem. Licèt enim fortunarum inæqualitas iustitiæ & æquitati non repugnet: diuitiæ tamen secum afferunt speciem nescio quam iniuriarum: propterea quòd difficillimum sit eas absque alterius iniuria congerere ac retinere; & quot in tot ac tantis proximorum angustiis ac necessitatibus tyrannidem ac rapinam tedoleat egentibus; non subuenire. Ac demum primis Christianis auferri rem familiarem, & in commune conferri, fuit profectò non aliud, quam omnia iustitię & æquitatis iura exactè præstare. Primùm, quia illi, qui suas vendebant possessiones, & earum precium Apostolorum pedibus subiiciebant; æs alienum in primis, si quod fortè conflauerant, dissoluebant. Deinde, nam abiectâ semel fortunarum curâ ac solicitudine, cupiditas malorum omnium contra iustitiam commutatiuam illatorum origo radicitus euellitur. Qui enim diuitias sponte à se penitus abigit, pro illis comparandis iniuriam alteri facere quî volet? Tertiò, quia cùm res familiaris indigentibus pro necessitate cuiusque eroganda liberaliter condonatur; trumphat sanè paupertas de quadam inæqualitatis siue iniquitatis specie, quam in mundo frequenter videmus; dum multis ille affluit, cui pauca satis erant, & cui pluribus opus erat, res parua atque angusta sit.

At enim, dices, licèt voluntaria pauperras iniuriarũ & iniquitatum fomitem tollat; tollit tamen simul iustitiæ atque æquitati materiam. Respondeo non ita esse: pauperes enim, cùm in reliquo hominum cœtu degant, necessariò debent emere ac vendere, diuidere ac permutare. Quòd si pauperras ametur, in omnibus ius & æquitatem proximis seruabunt: absque cudiditate enim nec iniuria nec inæqualitas datur.

Mortificationis studium in primitiua Ecclesia Christiana.

Quartò, Clarissimum certè fuit & omnium admiratione dignum carnis macerationis ac propriæ vitæ contemptionis exemplum, quod primitiuæ Ecclesiæ Christiani posteris omnibus reliquerunt: id quod pertinet ad glorioſum triumphum de vitæ & delitiarum amore; qui mundum durâ seruitute premebat. Quæ autem carnis & eius cupiditatum cohibitio fuerit apud primigenios Christianos vsitata, ex Apostolorum Epistolis coniiciamus licèt. Nam Actorum 2. 42. etiam dicitur: *Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum.* Vbi additur, illos perseuerare etiam solitos in oratione, & communione. Atqui neque in oratione perseuerantia esse potest sine diligenti carnis castigatione: nec Apostoli ad Christi corpus sanctissimum quotidie suscipiendum facultatem ijs concederent, qui intemperantes carnis affectus ac motus non ratione atque consilio frænassent. Tandem alacritas & studium, quo se ipsi sponte martyrio offerebant, & lætitia atque gaudium, quo mortem pro Christo fortiter opperebant, satis vtrumque indicat, quantus ille esset vitæ contemptus. In hac tanta, tamque admirabili propriæ vitæ atque eius voluptatum despicientia planè perspicitur, quanti veteres illi Christiani æternam vitam ac martyrij coronam æstimarint. In qua quidem rerum spiritualium atque æternarum æstimatione Christiana sapientia in primis consistit. Etenim qui pretiosum aliquem adamantem aut carbunculum ditissimum, vt par est, agnoscit, atque æstimat: næ ille cetera omnia facile diuendit, vt ipsum emat. Cui verò debita illius cognitio & æstimatio nota non est, nihil mirum si alia, quæ minoris sunt, ad illius emptionem nolit impendere. Quã ob rem Christus Redemptor noster, cùm ait Matth. 13. n. 45. *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inuentâ autem vnâ pretiosâ margaritâ abijt & vendidit omnia quæ habuit & emit eam*; tunc, inquam, sine dubio loquutus fuit de maxima sapientia Christiana, per comparationem ab eo petitam, qui pretiosam margaritam & cognoscere, & magnifacere nouit. Cum verò Christiana sapientia sit diuinæ participatio; certè admirabilis prouidentiæ diuinæ & Iesu Christi sapientia in eo maximè elucet, quòd sapientiam hanc reconditam adeò liberaliter fuerit primoribus Christianis elargitus. Præterquàm quod Deus Christianorum martyrio ac cæde vtebatur tamquam medio ad Christiani populi incrementum ac felicitatem: in quo mirando consilio non minùs eminet summa Altissimi sapientia.

Christianam sapientiam in rerum æternarũ æstimatione in primis elucere.

Vidimus hactenus, quàm fuerit consentaneũ vt præstantissima salus, quam Christus Dominus suis sectatoribus attulit, in quatuor omnino puncta partiretur, & in totidẽ figuraretur equis. Verùm enim verò, vt huius discursus integritas, & apta series comprehẽdatur, oportet rectè intelligere, quæ latè tractauimus c. 1 not. 5. & in c. 4. vbi constituimus principis ac moderatoris prudentissimi virtutes, quæ ad subditorũ felicitatem pertinent, esse non amplius quatuor, nimirũ Virtutem, Beneficentiam, Æquitatem atq. Sapientiam; ac proinde in quatuor hisce facultatibus consistere infinitam diuinæ prouidentiæ perfectionem (nec non ipsius brachij, nẽpe Christi Domini) erga suos seruos ac familiares. Hinc fit, ad probandum, Messiam à Deo tuæ plebi missum fuisse bonis perfectum saluatorem, & omnibus numeris absolutum; ad hoc, inquam, nihil aliud expeti posse congruentius, quàm quod repræsentatur in quatuor egregiis facinoribus quatuor equitum, qui hoc capite inducuntur. Nam in primo facinore apparet eum esse fortissimum saluatorem; in secundo beneficentissimum: in tertiò æquissimum: & in quarto sapientissimum.

Ad probandũ Messia aduentũ esse congruentẽ quatuor figillorum repræsentationem.

Sed redeamus iam ad ea, quæ supra incepta & amputata reliquimus; nimirum ad quatuor Apostolorum & Euangelij concionatorum virtutes, quæ totidem Christi virtutum præconia sunt. Compellauit ergo Ioãnem leo, vt equum album consideraret. Nam vis ipsa ac cælestis virtus, quâ Deus roborabat Apostolos ad hominum animos Christi fide ac relione imbuendos, eademmet erat Christi virtutis promulgatrix. Etenim si Apostolorum vox erat tonitrui instar cælestis, quòd sceleratos homines pauidos ac trementes in genua procumbere cogebat, & Deo gloriam tribuere, iuxta id Ps. 28. 8. *In templo eius omnes dicent gloriam*; hoc ipsum tonitruum maximo clamore prædicabat, à Christi virtute totam illam vim in Apostolos deriuari. Itaque leo voce tonitrui simili Ioannem aduocat ad Christi virtutem contemplandam. Ex his, quæ de leone attigimus, constabit pariter quemadmodum Euangelij concionatorum beneficentia in studio & contentione pro animorum salute procuranda nobis obiiciat contemplandam eximiam illam Christi beneficentiam; ex qua veluti ex fonte ardor ille animi fere in Apostos propagabat. Iustitiæ item perfectio cernitur in Euagelica paupertate, & in æquissima distributione, non fortunarum modò, sed omnium etiam, quæ in eorum potestate erant; idque maximâ cum æquitate, neque vllâ propriæ aut singularis alterius vtilitatis habitâ ratione. Quod profecto Christi horum omnium auctoris æquitatem & iustitiam indicat non obscurè. Apostolorum deniq. cælestis sapiẽtia in carnis maceratione, & in consiliis mirandis in commune Ecclesiæ bonum vergentibus, longè alteque patescit; nosque inuitat ipsius Originem, id est, Christi sapientia ponderandam.

Eadem de quatuor figillis doctrina ad quatuor virorum Apostolicorum virtutes applicatur.

Sed cur,

Digitized by Google

Cur primi ſolius animalis vox dicatur tonitrus ſimilis?

Sed cur, cùm omnia animalia dicant, *Veni & vide*, ſolius primi animalis vox dicitur eſſe tonitrui ſimilis; Respondeo habita fuit ratio atque reſpectus ad cæleſtem virtutem vocis Apoſtolorum, quæ in voce tonitrui repræſentatur. Et quamuis Apoſtolorum zelus, æquitas atque conſilium ſingula ſuo modo prædicent Chriſti virtutes, ſed ſi directè ac formaliter (vt ita dicam) ſit loquẽdum, vox tonitrui cæleſtem indicat vim, quam ſuis verbis tribuit Deus: quæ fuit potiſſima virtus & cæleſtis fortitudo Apoſtolorum; qui erant potentes ſermone. Nam ex eo, quòd ipſi diuino ſpiritui ſe totos tradiderant, accidit vt ipſorum prædicationi tantum virtutis ac roboris conferret Deus, vt leonis rugitus in cæleſte tonitruum abiret.

Cur Ioannes ad quatuor ſigillorum contemplationem ab animalibus euocetur?

Poſtremò quatuor animalia acceſſunt Ioannem, vt videat quod in quatuor primis ſigillis apertis figuratur; quia effectus priorum quatuor ſpirituum in Apoſtolis præcipuè ſplendeſcit, vtpote in diuinæ prouidentiæ vicariis electorum ſaluti deſtinatis. Dein perſpicuum eſt, nos ab effectu ad cauſæ cognitionem naturâ duci. Nihilominus Apoſtoli non ſunt propriè Dei vicarii ad reproborum damnationem: quapropter etſi omnium ſeptem ſpirituum præcones & concionatores erant, non tamen ad tres vltimos ſpiritus eorum munus directè ſpectabat. Nam quod Deus obſtinatos patienter expectet, eiſque horribiles minas re ipſa intendat, & acerbiſſimas plagas infligat, hoc Apoſtolorum interuentu non efficitur: atque ideo quatuor animalia (quibus quatuor Apoſtolorum virtutes denotantur, quatenus vicario Dei munere funguntur) Ioannem vocant, vt quatuor primos diuinæ prouidentiæ ſpiritus contempletur, non tamen illum accerſunt, vt patientiam, minas, ac ſupplicia intueatur. Vide quæ diximus de hoc notatione antecedenti. Quibus illud hîc obiter annecto, primorum quatuor ſigillorum figuram fore obſcuriſſimam, niſi quatuor animalium proportio & congruentia nos quaſi manu duceret, vt in ipſis Dei virtutem, beneficentiam, iuſtitiam, atque ſapientiam recognoſcere poſſemus. In poſteriorum verò trium ſigillorum viſionibus multò clariùs meo iudicio oſtenditur, in quinto Dei patientia, in ſexto comminatio, & in ſeptimo ſupplicia. Quare opus non fuit Ioanni præuio duce ad ea inſpicienda, quæ in eadem actione erant ſibi ob oculos clariſimè obiicienda.

NOTATIO IV.

De quatuor perſonis ſedentibus ſuper equos.

De quatuor equorum ſeſſoribus varia auctorum opiniones.

SEſſorem equi albi omnes ferè conueniunt eſſe Chriſtum. In reliquis tribus magna eſt inter interpretes ſententiarum diſcrepantia. Nonnulli (vt vidimus) in omnibus repetunt *ſeſſor Chriſtus*: alij, *ſeſſor Dominus*: alij, Romanos Imperatores deſignant: alij, alios duces vt Arium, Mahometum, Antichriſtum. Et quidem quod primum cuiq. in mẽtem venit hoc profert. Hiſpalenſis noſter Arias in tribus primis equis ait *ſeſſor iuſtitiæ fructus.*

Vtrum equorũ omnium ſeſſor ſit Chriſtus?

In tanta viarum flexione, & tam multiplici anfractu, alicui videatur fortaſsis, illorum mihi via neceſſariò inſiſtendum, qui aiunt in omnibus *ſeſſor Chriſtus*; ne ab eo cogar diſcedere, quod in præcedentibus notationibus probare contendi; videlicet omnes quatuor equos eſſe ſaluationis ſymbolum; & quaternarium rebus quatuor reſpondere, in quibus continetur vera ſalus, quam Chriſtus ſemetipſum recipientibus attulit. Hinc etenim videtur inferri, Chriſtum eſſe, qui in equis omnibus ſedet. Nam ſi equus eſt ſymbolum ſaluationis, qui illis inſidet, ecquis eſſe poteſt alius, niſi ipſe ſaluator? è contrario tamen eſt, quod textus ipſe perſpicuis verbis aſſerit, mortem in quarto equo vehi. Præterquàm quòd in equorum multitudine ad ſalutem aduentantium violentum eſt fingere, vnam eandemque perſonam in omnibus equis conſidere. Vide Zachar. 1. 8. vbi deſcribitur dux aſcendens ſuper equum rufum, *& poſt eum equi rufi, varij, & albi.* Quo in loco nemini venit in mentem, ſeſſores equorum, qui ducem ſequebantur, eundem eſſe ducem. Vide etiam Apocal. 19. 11. vbi apparet imperator ſedens ſuper equum album, *Et exercitus, qui ſunt in cælo ſequebantur eum in equis albis.* In quibus verbis exercitus manifeſtè diſtinguuntur à duce. Præterea Habac. 3. 5. (quò haud dubiè alluditur in ſeſſore equi pallidi) *ante faciem eius ibit mors.* Hîc quidem licèt Deus in ſuo exercitu aduehat mortem, euidens tamen eſt mortis perſonam ab ipſo Deo diſtingui. cæteroquin non diceretur Dei faciem anteire. Huc etiam ſpectat locus ille Sapientiæ cap. 5. 21. vbi Deus ſe armis videtur inſtruere ad ſuum populum propugnandum atque ſaluandum. *Et acuit duram iram in lanceam.* Et mox ſubditur, *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos.* Qui totus exercitus ad Dei populum ſaluandum pergit, Saluator autem eſt Deus: attamen manifeſtè diſtinguitur exercitus à duce.

An poſſit idẽ ſeſſor in omnibus equis aptè concipi

His ex locis ſibi perſuadebit aliquis, neceſſarium ſaltem eſſe, vt qui in primo equo vehitur quaſi dux ceterorum, ſit Chriſtus: & tres reliqui ſint veluti ipſius miniſtri, quos ipſe in hominum ſalutis opus ſecum adducat. Sic enim Habac. 3. Deus eſt illius expeditionis auctor & dux; quem Propheta alloquens ait, *Aſcendes ſuper equos tuos, & quadriga tua ſaluatio.* Addit tamen nihilominus Deum in ſuo exercitu ducere mortem ac Diabolum) quod diaboli nomen eſt ibi tragicum.) *Ante faciem eius ibit mors, egredietur diabolus ante pedes eius.*

Ipſe tamen, vt meum ſenſum exponam, cenſeo in horum equorum interpretatione de omnibus quatuor equis pari ratione philoſophandum eſſe: & quo argumento ſeſſorem equi pallidi diſtinguimus à Chriſto, idem vrgere, vt equi albi ſeſſorem, necnon aliorum duorum ab ipſo Chriſto diſtinguamus. Atque in primis hac in re me permouet proportio, cuius maxima eſt in enodandis ænigmatis habenda ratio: cogit, inquam, proportio, vt qua ratione, qui ſedet ſuper equum pallidũ à Chriſto diſtinguitur, eâdem etiam equi albi ſeſſor ab eodem Chriſto diſtinguatur. Nam in quarto equo non tribuitur mortis ſaluatio, vt præcipuæ ſalutis cauſæ; ſed vt perſonæ, quam Chriſtus in equum ſuſtulit: id eſt, vt inſtrumento, quod vſurpauit Chriſtus ad ſuorum ſalutem ac felicitatem. Id clariùs percipietur infrà, cùm explicemus de qua morte hîc inſtituatur ſermo: de illorum ſenim morte ſermo eſt opinor, quos voluit Chriſtus ſaluos præſtare. Eadem igitur ratio, quæ extitit, vt in equo pallido conſtitueretur inſtrumentum illud, quo Chriſtus fuit vſus ad quartum ſuorum ſalutis caput reipſa conficiendum: hæc ipſa viget, vt in equo albo collocetur inſtrumentum, quod ipſemet Chriſtus accepit ad primam perfectæ ſalutis partem, qua fideles ſuos verè & efficaciter beauit: id quod in ſecundo & tertio equi pari modo aſſerendum eſt.

Hoc amplius confirmatur: nam perfecta ſalus (vt iam diximus) quatuor omnino partibus conſtat: in quarum ſingulis Chriſtus verus eſt dux & auctor: nec potior eſt ratio, vt in equo fingamus quartæ partis inſtrumentum, quàm primæ. Quã ob cauſam inſtrumentis quatuor totidem dari equos opus fuit. Quòd ſi ipſis inſtrumentis dux eorum ac princeps in equo anteire deberet, oportebat equos eſſe quinque. Cum ergo nõ ſint ampliùs quatuor: certè non alius Chriſto peculiaris equus aſſignatur: nec verò aſſignari opus erat. Nõ enim inducitur hîc equitum turma cum præuio duce: namque ridiculus foret exercitus, qui quatuor ſolum aut quinq. equis conſtaret. Si autem hoc ſigno atque figurâ perfecta denotabatur ſalus, quã Chriſtus ſuis fidelibus adduxit, hanc ad rẽ aptiùs multò fuit in quatuor equos (vt diximus) ſaluationem diſtinguere, & in ſingulis equis ſingulas huiuſce ſaluationis partes cõſtituere, hoc eſſe inſtrumenta partiũ ſingularum. In aliquo tamen ſenſu verũ eſt, quod Ambroſius ait, *in omnibus ſeſſor Chriſtus*, non formaliter, ſed in virtute, ſiue efficienter: quemadmodum dicimus principalem cauſam in inſtrumentis eſſe.

Chriſtum quodammodo poſſe omnium equorum ſeſſorem dici.

His accedit, quòd quamuis ſuper equos ſingulos ſedere fingantur inſtrumenta, quibus Chriſtus ſalutem iis importauit, qui illum receperunt; in ſingulis tamen ſigillis tam equus, quàm eques appoſitè ſignificant effectum vnius è quatuor primis Chriſti ſpiritibus, nimirum Virtutis in ſigillo primo, in ſecundo Beneficentiæ, Æquitatis in tertio, & in quarto Sapientiæ. Quæ

In ſingulis ſigillis tã equũ, quam equitem eiuſdem eſſe ſignificationis.

repræ-

Digitized by Google

repræſentandi ratio glorioſior eſt Chriſto, quàm ſi illi ſeorſum equum aſſingeremus: præſertim vbi facies ipſa ſiue figura exercitum non refert. Quapropter non eſt ad rem exemplum capitis 1. Zachar. & c.19. Apocal. vt inde coniiciamus, hic etiam duci equum eſſe dandum. Nam in his locis figuratur exercitus, non verò hic, niſi perexigua quatuor tantùm equorum manus. Idemque dixerim de loco Habacuci; ſi conſideretur in eo Deus quadrigâ inuectus, & ſuperorum agminibus conſtipatus, morte ac dæmone ante ipſum cædem & ſtragem edentibus. Sed de illo Habacuci cantico, ſeorſum ſuo loco dicemus.

Qui ſint quatuor equorum ſeſſores.

Sequitur nunc, vt attentè inſpiciamus, quæ ſint hæ quatuor perſonæ totidem equis inſidentes. Quam ad rem non exiguam nobis attulit lucem Ioannes, cùm illius nomen qui equo pallido vehebatur, expreſſit dicens, *nomen illi Mors.* Quod autem mox additur, *& infernus ſequebatur eum*; ſuadet omnino, vt mortis nomen pro illa ipſa morte vſurpemus, de qua agitur c.1. 18. illis verbis, *Habeo claues mortis & Inferni.* Et c.20.14. *Infernus & Mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis.* Quare ad id, quod cap 1. dictum eſt, nempe non eſſe cur Dei ſerui mortem & infernum horreant: cum Chriſtus vtriuſque teneat claues, nec patiatur ſuos, vltra id, quod poſſunt tentari; ad hoc, inquam, additur modò, mortem (quam infernus ſubſequitur) in equo apparuiſſe, haud obſcurum ſalutis ſignum. Ac ſi diceretur clariùs, Chriſti famulis non ſolùm non fore mortem damno ac detrimento; ſed inſtrumento potiùs futuram, quod diuina vſurpet prouidentia ad exactiſsimam ſuorum amicorum ſalutem.

Sin aliquis dixerit, poſſe quidem non ineptè conſiderari, eum qui quarto equo portatur, eſſe Chriſtum mortis laruâ perſonarum: præcipui tunc ſenſus diſcrimen non valde eſſet magnum: verùm inſpectis aliis locis, planius multò eſt mortem vtpote Dei adminiſtram in equo vehi: quamuis eam ſit poſteà in igneum ſtagnum immiſſurus. Et verò apud quemcumque auctorem reperiamus, mortem gladio ac fame ingentem feciſſe internecionem: dubitabit nemo, quin ibi de morte per proſopopœiam inducatur ſermo. Is ergo planus eſt huius loci ſenſus.

In quarto ſigillo non agi de Iudæorum rebellium morte; ſed de eorum, qui Chriſtum ſunt ſequuti.

Ex hactenus dictis elicio, non agi hic de Iudæorum morte, qui Chriſtum repulerunt: ſed de eorum, qui ipſius fidem atque doctrinam exceperunt. Atque vt rectè ratiocinari valeamus de primorum trium equorum perſonis: notandum eſt, mortis proſopopœiam ſiue inductionem in eo conſtitui, quòd perſonæ figura detur ei, ac ſi reuera efficiens eſſet: cùm tamen propriè forma ſiue priuatio quædam ſit. Quo etiam pacto Poëtæ perſonam amori tribuunt: atqui manifeſtum eſt non dari alium amorem, quàm qui formaliter in amantibus ineſt: quantumuis fingatur, velut ſi eſſet cauſa efficiens, quæ corda vulneraret. Quod ſi animaduertamus, cum proportio poſtulet eandem philoſophandi rationem in his omnibus quatuor perſonis: conuincitur mens quemadmodum in quarto ſigillo mors eſt illa ipſa, per quam formaliter homines redduntur mortui: ſic equi albi ſeſſorem eſſe ipſam transfixionem cordium: ad hoc enim arcus & ſagittæ finguntur ad corda traiicienda: iuxta illud Pſalm. 44.6. *Sagittæ tuæ acutæ (populi ſub te cadent) in corda inimicorum*, id eſt, eorum, qui priùs erant inimici. Deinde ſeſſor equi rufi, eſt ipſa pacis perturbatio, ſiue audacia, quæ pacem perturbat: ideò enim magnus ei gladius fuiſſe traditus dicitur, *vt tolleret pacem de terra.* Seſſor autem equi nigri, eſt ipſa egeſtas, quam patiuntur pauperes: & eapropter, libra ei in manu apponitur. Fingitur enim tantam eſſe miſeriam, atque indigentiam, vt neceſſitas in drachmas ponderetur: necnon ea cibi portio, quæ cuique tribuenda eſt: ne cui præter id, quod neceſsitas exigit, vel teruncij valor dedatur. Quorum omnium ſingula latiùs in commentario explicabuntur: nunc enim ea ſolùm leuiter tangere eſt animus, quæ ad horum equitum comparationem neceſſaria ſunt.

Quis equi albi ſit ſeſſor.

Quis equi rufi.

Quis equi nigri.

Omnium equorum ſeſſores ſimul etiam enumerantur.

Vt autem ea, quæ dixi, pauciſsimis complectar: ſeſſores quatuor equorum meo iudicio ſunt, *Fides, Audacia, Egeſtas, Mors.* Aduerto tamen, licèt hæc nomina poſſin: proximarum virtutum nominibus ſumi (cuiuſmodi eſſent in Chriſtum credere: ipſum audacter & intrepidè profiteri; diuitias, remque omnem familiarem pro illo aſpernari, ac demum ſponte & libenter, mortem oppetere, in præſenti tamen hæc nomina non accipi debere, niſi ſecundùm communem rationem, quæ à virtutis perfectione abſtrahitur, & calamitatem ſolùm ac miſeriam videtur inuoluere: id quod tantum in Chriſti cultoribus ipſius hoſtes agnoſcunt. Qui, dum Chriſtianos deceptos & prorſus miſerandos reputabãt, hæc ipſa maledicti & contumeliæ loco eis ponebant. In primis enim illis exprobrabant Chriſti fidem, quam illi ſtultitiam ac meras nugas eſſe putabant. Deinde eis crimini dabant, quòd propalam ſuam fidem teſtati, eamque fidenter aliis ſuadere conantes, pacem Reipublicæ conturbabant, & totius orbis aduerſus ſeipſos conflabant inuidiam. Tertiò, quòd fortunis pro Chriſto abiectis, inopes miſerique manebant. Quartò denique quòd extremum malorum omnium mortem miſerandum in modum ſubibant.

Quod attinet ad trium poſteriorum equorum ſeſſores, plures etiam auctores nobiſcum eſſe.

Et ne id intactum atque indictum præteream; notandum hîc arbitror, in trium poſteriorum equorum interpretatione nonnihil ad meum ſenſum accedere, qui ſibi perſuadent, in tribus illis bellum, famem ac peſtem portendi: quam opinionem ſequuntur Victorinus, Ticonius, Primaſius, Andreas. Et hic poſtremus Euſebium pro hac ipſa declaratione affert, quem etiam pro eadem citat Aretas. Ceterùm in quarto equo clarum eſt, opinor, non agi ſolùm de peſte, ſed vniuersè de morte; vt patet ex contextu. In mea aut expoſitione (vt iam dixi) hæ quatuor perſonæ ſunt, *Fides, Audacia, Egeſtas, Mors.*

Cur quatuor huiuſmodi perſonæ ficta equis vecta figurentur?

Haſce quatuor perſonas ſacra fictio tollit in equos, quaſi inſtrumenta Chriſti ad abſolutam ſuorum fidelium ſalutem. Quo ſignificatur, in maximam Chriſti gloriam redundare, quòd ſuis ſeruis triumphos adeò glorioſos in manus dederit; idque rerum illarum interiectu, quæ primâ ſpecie à vera ſalute ac proſperitate longiſſimè videbantur diſtare. Et ſanè perelegans eſt inuentum ac valde pulchrum, vt in equis conſtituantur illa ipſa, quæ Chriſtiani nominis hoſtes aſpernabantur, & irridebant: videlicet, Fidem cæcam, terribilem Audaciam, triſtem Egeſtatem, ac Mortem formidandam: quæ aduentant in auxilium & incolumitatem eorum, quos mundi iudicio miſeros & ærumnoſos efficiunt. Vnde maior exoritur huic figuræ ſiue actioni energia, quàm ſi in omnibus equis ſedere Chriſtum fingeremus; eandemque ob rem, in hanc ipſam actionem non ſunt virtutes inductæ, quatenus virtutes. Neque enim tantam nouitatis & inſolentiæ ſpeciem præ ſe ferret ſaluatio, virtutum illarum interpoſitu, quæ ſalutares valde ſunt atque amabiles; ſecus tamen, aſſumptis cæcâ Fide, Audacia, ſiue diſcordiâ, Egeſtate, atque Morte, quæ ex reliquis mundi ærumnis maximæ ſunt. Enim verò reapſe ita accidit, vt ad ſpiritalem ſalutem, quam Chriſtus in mũdum intulit, oportuerit has miſeriarum facies atque (vt ita dicam) faces ac furias in homines immitti; atque ab ipſis, vt ſuæ ſaluationis inſtrumenta, obuiis vlnis excipi, atque arctiſsimè conſtringi.

Cur virtutes, prout tales ſũt, non fingantur in hiſce equis vehi?

Vtrùm veritas poſſit aptè dici in equo albo equitare?

Aliquis fortè arbitrabitur congruentiùs per equi albi ſeſſorem denotari veritatem. Veritas enim Chriſtianos præſtitit ſaluos & incolumes; iuxta id Ioan. 8. 32. *Cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Facit, quòd Spiritus ſanctus, qui datus eſt fidelibus, appellatur Spiritus veritatis, Ioannis 14.17 & c.15 26. & c.16.13. Quod ſi in hoc congreſſu fortitudinem eminere oporteat: notum eſt in diſceptatione illa, quæ habetur Eſdræ 3.3. & 4. viciſſe illum, qui dixit, *Super omnia vincit veritas.* Vide cap. 4.40. vbi veritati tribuitur fortitudo, regnum & poteſtas. Atque ita videtur cohærere corona, quæ ſeſſori equi albi data fuit, ſed contra hoc eſt, quia veritas nullam habet calamitatis ſpeciem: atqui neceſſarium eſt, vt tam equi albi ſeſſor, quàm duo reliqui ſequentes cum morte aptè conueniant. Deinde Chriſtiani nominis hoſtes nequaquam ſibi perſuadebant, Chriſtianos veritati ſe ſubiicere. Poſtremò, quod Chriſtus ait, *veritas liberabit vos*, non ſolùm ad primi ſigilli myſterium, ſed etiam ad quatuor ſaluationis partes referendum eſt. Namque in omnibus, qui ſaluat eſt veritas, id eſt, Chriſtus ipſe, illiusque doctrina ſuſcepta atque opere præſtita.

NOTA-

Digitized by Google

NOTATIO V.

De non quærendâ diuersâ aliâ instrumenti significatione in his quatuor equis; & de illorum coloribus.

An quilibet ex his qui in equis sedent, Saluator dici queat?

CVm, iuxta ea, quæ diximus, equus sit saluationis symbolum; negari nequit, quin aptè effingi possit Saluator ipse tanquam sessor equi, & ipsius instrumentum tanquam equus, cui insidet, qua phrasi videtur vti Zachar. c. 10. 3. vbi ait, *Posuit Dominus domum Iuda quasi equum gloriæ suæ in bello.* Hîc enim equus est ipse Deus; & equus tribus Iuda. Et iuxta hanc considerationem, plerique interpretes opinantur in quatuor primis sigillis similem fore distinctionem inter equum atque equitem; & equitem esse ducem, equum verò exercitum: siue eos, quorum vtitur ministerio. Et idcirco aiunt nonnulli, equum album esse fidelium cœtum, aut Apostolorum: quorum operâ vsus est Dominus ad mundi totius conuersionem.

Vtrum diuersa significatio debeat sessori & equo assignari?

Verumtamen, vt debita proportio in omnibus quatuor equis seruetur, congruêtius est nullam aliam equo significationem inuestigare diuersam ab equitis, qui illi insidet, significatione. Atque in primis nemini debet id insolitum aut extraneum videri. Nam in visionibus illis, quæ de equitum turmis narrantur 2. Machab. 3. 25. & cap. 10. 29. & in iis etiam, quas de diuo Iacobo Apostolo Hispaniarum annales recensent, ea significatione sumus omnes contenti: vt equitem appareret, denotet ipsum ad saluandum venire: nec aliâ præterea in equo aut exercitus, aut alterius instrumenti significationem indagamus. Deinde hoc sonât Habacuci verba, aduentum scilicet Dei ad saluandum idem esse, atque ipsum in equum conscendere. Quare nihil est, quod diuersa alia equorum significatio queratur. Quemadmodû in angelis, quos Elisæi famulus equis & curribus sublimes & erectos conspexit, 4. Reg. 6. 17. nemo diuersâ tribuit equis aut curribus significationem. Tertiò, licèt in prædicto Zachariæ loco equus sit instrumentum, quod vendicet Deus ad sui populi salutem; in his tamen quatuor Apocalypseos equis non habet locum equi & equitis distinctio, quod attinet ad eam significationem. Nam, vt notatione superiori vidimus, equites ipsi instrumenta sunt per quæ Deus salutem attulit iis, qui Christum receperunt: atque ita non quadrat illa distributio, vt per equitem saluator, per equum ipsius instrumentum denotetur. Quibus adiicio, in eo Zacharię loco, *Posuit Dominus domum Iuda quasi equum gloriæ suæ in bello*, equi nomine fortasse tam equum, quàm equitem esse intelligêdum: sicut sæpè aliàs. Certè plerumq; sic loquimur (præsertim Hispani, apud quos ea loquutio familiaris est) mille equi impetum fecerunt, id est, mille equites.

Num equus hic possit eorû esse symbolum, qui à Christo saluantur?

Quod si dixerit quispiam, equum posse hîc esse symbolum eorum, qui à Christo salutem recipiunt. Respõdeo hoc esse durissimum. Nam si in equo apparere est idem symbolicè, ac venire ad saluandum: fit planum non eam inesse symboli finem, vt equus ipse saluetur; & in hac visione certũ est eos, quibus datur salus, esse in quos quatuor sessores equorum inuehuntur: vt omnes in primo sigillo fatêtur. Illos enim saluat primus eques, quorum corda transfigit. Quod ergo ceteri interpretes in primo sigillo concedunt, id nos ostendimus in reliquis tribus similiter asserendum esse.

Cuiusmodi sint horum quatuor equorum colores.

Sed veniamus iam ad equorum colores. Et in primis obserua, quatuor horum equorum colores videri eosdem esse, quos Solis equis affingunt Poëtæ. Hoc si ita est, asserere possumus, verum Iustitiæ solem esse saluatorẽ mundi: hosq. esse quatuor ipsius equos. Attamen quæ tribuitur significatio quatuor Solis equorũ coloribus, minimè hîc est ad rem: & in his Apocalypseos equis illud in primis expetitur, vt ipsorũ colorum significatio rectè cognoscatur, simulq. Apocalypseos allusio ad colores equorum, Zachariæ c. 1. & c. 6. quæ cogit nos, vt ad hos Zachariæ locos habeamus respectum; atque adeò congruentem conuenientiæ & discrepantiæ rationem reddamus. Nam apud Zachariam non est equus pallidus, nec apud Apocalypsin varius (qui fortassis est, quem appellant Hispani *vermendado, o rucio.*) Item in turma capitis primi Zachar. nullus ponitur equus niger: posteà tamen capit. 6. nigricantium equorum multitudo.

Discrimen inter Ioannu & Zachariæ equorum colores: & discrepantiæ ratio.

Ad horum explicationem præmitto, quamuis saluationis significatio tam Zachariæ equis, quàm Apocalypseos communis sit; at in equitibus hoc interesse discriminis, quòd apud Apocalypsin non sunt veræ personæ; sed fictæ, & per prosopopœiam inductæ: in Zacharia verò tam cap. 1. quàm 6. veræ sunt personæ; nempe serui Dei, quos Deus ipse ad aliorum salutem & conuersionem procurandam assumit. Id quod sub militiæ specie figuratur, sicut & in aliis Scripturæ locis: nam erat spiritale bellum aduersus idololatriam susceptum. Est tamen apud Zachariam eiusmodi differentia. Nam cap. 1. quasi ex insidiis & ex improuiso instituitur certamen; at cap. 6. per modũ aperti Martis eductis in campũ copiis, & magnâ potêtiæ ac virium significatione. Ac propterea cap. 1. equi occultantur inter myrteta (siue in insidiis:) posteà vero cap. 6. falcati apparent currus, armorũ præsidio muniti. Per hoc discrimen innuitur, initio quidem tectè ac dissimulatè Ecclesiam idolorum cultui bellum inferre; & tacitè inducere in animum, vniuersum Christi fidei orbem subigere: deinceps tamen cùm Christiana fides caput sustulit, aperto Marte fuisse initium bellum, & Christianę gentis intentionem atque potentiam cunctis innotuisse nationibus. Scio aliorum declarationem de Zachariæ equis esse diuersam: quam tamen attigi certissimam reputo; & eam nunc adumbrasse sit satis, suo enim loco viuis coloribus exprimemus.

Quæ sit differentia inter sessores equorum, quos vidit Ioannes, & quos Zacharias.

Quid significent apud Zachariam cap. 1. equi occulti inter myrteta, mox c. 6. currus falcati.

His ita præstitutis, consequenter dicendum est, significationem colorum in Zachariæ & Apocalypseos equis hoc habere differentiæ; quòd rècta animi affectio, seu virtus, quam indicat, v. g. color albus, explicari potuit de virtute, quæ in equitibus ab ipso Zacharia visis splendebat; cum equites illi sint veræ personæ virtutum & effectuum capaces; attamẽ in Apocalypseos personis, cùm fictæ sint, non possunt equorum colores denotare affectus seu virtutes, quæ illis insint, sed quas per occasionẽ in aliis efficiunt. Exempli gratiâ. Si per colorem album indicaretur lætitia; in Zacharia quidem posset vera illorum equitum lætitia denotari: in Apocalypsi non item; sed posset in eo colore repræsentari lætitia, quæ in hominibus Christi fidem recipientibus cernitur. Atq. hoc euidens est in colore pallido. Neque enim mors pallida dicitur, quia ipsa pallida est, sed quia reddit homines pallidos. Quod ergo in pallido colore perspicitur, ad reliquos debet extendi, vt pari gressu procedamus.

Traditur eorũ rum differẽtia, eiusq; ratio inter Zachariæ & Ioannis equos.

Ex quo deducitur per equorum colores apud Zachariam exprimi posse affectiones siue virtutes eorum, qui in hominum salute Christi vicarij sunt. Verùm in Apocalypsi non figurant virtutes aut ordinatos animi motus eorum, qui saluant, sed, qui saluantur. Et iuxta hanc rationem patebit latius Apocalypseos significatio, cùm multò plures sint, qui salui fiunt, quàm qui ad alios saluandos, vt Dei ministri, incumbunt.

Porrò aliqua requiritur virtus in ministris ad aliorum salutem deputatis, quæ generatim loquendo, non exigitur ab iis, qui saluandi sunt, cuiusmodi est insignis sapientia. Quamobrem si varius in equis color, esset maximæ sapientiæ symbolum, ille profectò foret color Zachariæ equis appositissimus, non tamen equis Apocalypseos. E contrario etiam effectus, quem mors in bonis præstat, aptus est ad eos omnes, qui saluantur: non tamen ad docendi & concionandi munus denotandum. Hoc enim officium cessat potius morte ipsa, atque ideo color pallidus potuit è re Apocalypseos esse, licèt visionis Zachariæ non fuerit.

Quæ sit significatio colorum in Zacharia equis apparentium.

Sed propiùs accedamus oportet ad genuinam vniuscuiusque coloris significationem; & ab equis Zachariæ ducamus exordium. In c. 1. tres sunt colores, *rufi, varij, & albi.* Diuus Ambrosius colorem album ad virgines applicat: varium ad Doctores: & rufum ad Martyres. Pro quo facit, tria hæc genera esse ex præcipuis Christianæ militiæ equitibus. Multi quidem Ambrosium sequẽtes referunt colorem rufum ad martyrium: sed non video, quàm aptè. Nam color rufus à sanguineo satis distinctus est. Præter hæc, in Apocalypsi datur color rufus ac pal-

Digitized by Google

ac pallidus: quorum postremus martyrio attribuitur: quare rufus diuersam habeat significationem oportet. Ambrosij insuper explicatio non videtur reddere posse rationem, cur niger color in sexto capite, non verò in primo reperiatur.

Quid per albũ equi colorem apud Zachariam.

Mea explicatio est in colore albo symbolicè immaculatam sanctitatem indicari; in rufo zelum ardentem: sapientiam in vario: & in nigro modestiam. De albore vide Alciatum emblemat. 117.

Sinceri est animi & mentis stola candida pura.

Atque hæc eadem significatio vestibus albis & lino candido tribuitur. Ioannes item perspicuè ait byssinum iustificationes esse sanctorum.

Quid per rufum.

Rufum autem equi colorem ardẽti zelo optimè congruere non negabit, qui animaduerterit rufos equos alacriores, erectioresque esse. Quin & color ipse accensus est, & ignis splendorem refert meliùs adhuc, quàm color rubeus: & tamen ad zeli & acrimoniæ significationem ait Alciatus in illo emblem. 117.

At ruber armatos equites exornat amictus.

Et Alexander ab Alexandro l. 1. capit. 20. vbi & Tiraquellus refert ex Xenophonte, Æliano, Plutarcho, & Valerio, Persas & Lacedæmonios in prælium profecturos rubris vestibus indui solitos.

Quid per variũ colorem.

Sequitur color varius, quem in equis Hispanum vulgus nuncupare solet *rucio*, siue *houero*, nec primus ipse huiusmodi colorem ad sapientiæ significationẽ accommodo siquidem Diuus Ambrosius illum explicat de Doctoribus. Et re vera in varia colorum ritè distributorum varietate, non ineptè indicatur æterna Altissimi sapientia, quæ varietatem illam tanta pulchritudine distinxit. Videtur enim quod simplex ex se atq. vnius rationis est, vnico colore conuenienter denotari, quod verò artis est atque consilij plenum, per multiplicem colorum varietatem exprimi. Neq. illud silentio prætermittendũ est, græcam vocem, qua varius equi significatur color, id est, ποικίλος, significare etiam magnam sapientiam. Glossarium enim antiquum sic explicat, ποικίλον, *Dædalum, varium*. Quod in eo nititur, quòd magna sapientia ingenti varietate patiter ac distinctione debeat constare. *Est enim spiritus intelligentia multiplex.* Sapientię 7. 22. deinde c. 6. Zachar. exigit contextus, vt color varius respiciat sapientes: namque ait, *Varij egressi sunt ad terram Austri*, quod idem est, atque in Ægyptum. Notũ est autem in Scriptura agi de Ægyptijs, tanquam de sapientibus, & aduersus huius sæculi sapientiam mittit Deus sapientiam Doctorum Ecclesiæ.

Græca coloris varij voce significare etiam sapientiam.

Quid per nigrũ colorem.

Tandem vt modestia in nigro colore denotetur, suadet in primis complurium nationũ consuetudo: apud quas nigri coloris vestis modestiam redolet: argumento non obscuro significationem huiusmodi in naturali aliqua proportione solidari. Vt autem huiusmodi vsum ex antiquissima institutione originem sumsisse constet: aduerto, veterum Monachorum vestem (vt Benedictinorum & Basilienſium) nigri esse coloris. Quin etiam clerici alium à nigro colorẽ induere vix, ac ne vix quidem, licuit. Præterea Canticorum 5. 11. *Coma eius nigra quasi corvus*, mitificè hæc significatio quadrat. Cuius fũdamentum est modestiæ iure optimo ascribi, nigro colore esse contentum. Quia nigror symbolum est rei cõtemptæ & externâ specie despicabilis: vt probat noster Delrius in Cantica ex Hesychio, Bernardo, Beda, Alcuino, Wileramo, Haymone, & Anselmo. Et verba ipsa spõsæ. Cant. 1. id satis probant. Quid enim aliud significat, cùm ait, *nigra sum sed formosa*? cum enim niger color sit ceteris obscurior; hinc est lucem ad res glorioſas indicandas applicari; obscuritatem verò ad viles atque abiectas: vnde dici solet, Obscurum genus, &c.

Nigror animæ res symbolum.

Cur in Zacharia equus inter myrteta abditus colores tantùm rufi, varij & albi sint?

Hac significatione ita constitutâ, facile est videre, quã fuerit congruens, in illis insidijs capitis 1. Zachar. esse zeli, sanctitatis ac sapientiæ symbolum: nec tamen opus esse modestię ac submissionis significationem. Nam quo tempore bellum tectè & occultè fiebat, liquet non id magnificè ac superbè fieri. At verò c. 6. quando in multiplici militarium curruum apparatu ingens Ecclesiæ potentia, & apertum iam bellum in Euangelij hostes indictum monstrabatur; tunc decorũ maximè fuit, vt supradictis coloribus niger in modestiæ documentum adderetur. Id quod ita accidit omnino. Nam Christiana Ecclesia, etiam postquàm ad potentiæ & magnificentiæ culmen peruenit, Euangelij hostes magna cum modestia deuicit ac subegit.

Cur in c. 6. eiusdem Zachariæ prædictis coloribus niger addatur?

Et quanuis spiritualis illius belli milites non essent alij quidem sapientes, alij modesti, alij æmulatores; sed in eorum singulis hæ omnes virtutes mirum in modum effulgerent: ceterùm quod in vnoquoque equo repræsentari non potuit, in omnes distributum fuit. Quemadmodum in publicis actionibus fieri plerumque solet. Ita enim Christi passionis insignia per Angelos dispertimus; licèt eorum singuli omnia simul venerentur.

Zacharię equorum & quadrigarum visio quò potissimum spectet.

Per colores itaque visionis Zachariæ significantur virtutes militum Ecclesiæ Christianæ, qui contra idolorum superstitionem bellum erant susceperuri. Et nemo inficiari potest, quin vt vestium colores apti sunt ad denotandas virtutes personarum; sic etiam in equitibus possint colores equorum eidem significationi deseruire: præcipuè in his visionibus, vbi equus atque eques, non diuersas personas adumbrant, vt suprà iam vidimus,

Huic de Zachariæ equorum coloribus declarationi non parum accedet roboris, si iuxta illam idonea adhiberi possit declaratio quatuor equorũ coloribus Apocalypseos; necnon idonea ratio discriminis, quod inter vtramque visionem hac in parte versatur. Dico ergo, in Apocalypseos equis colorem album spectare debere ad salutarem intellectus captiuitatem: rufum ad strenuum mentis ardorem atq. audaciam: nigrum ad paupertatis humilitatem: & pallidum ad mortis contẽptionem. Suppositis autem ijs, quæ diximus notat. 3. cum equi sint salutis symbolum, quam Christus in orbem aduexit: facili negotio cernitur quantopere expediret, vt quatuor equorũ colores ad hanc significationem idonei essent.

Quid per colores quatuor Apocalypseos equorum figuretur.

In tribus quidem postremis comperta res est; etenim, vt iam probauimus, manifestum est equum esse allatæ salutis symbolum: & rufum colorem ad zelum ac mentis ardorem aptè referri. Rufus ergo equi color erit symbolum salutaris audaciæ atque ardoris. Constat iterum colorem nigrum, esse modestiæ & humilitatis signum. Quare niger equus salutarem humilitatẽ & submissionem indicabit. Nihilo obscurius est, in colore pallido denotari mortem, quæ pallidos efficit homines. Vnde pallor in equo innuet omnino mortem salutarem, solũ ergo superest explicare, quomodo color equi albus symbolum sit salutaris captiuitatis intellectus: qui albus color ad sanctitatem quidẽ & innocentiã congruenter videtur referri: ad intellectus captiuitatem non item.

Quid per rufum.

Quid per nigrum.

Quid per pallidum.

Ad hæc dico: alborem in equo signum esse manſuetudinis. Nam equi albi præ ceteris sunt phlegmatici: atqui in manſuetudine appositè indicatur, eos sponte se fræno & aliorum imperio submittere. Quod mirificum est, vt intellectus subiectio ad Euangelij dogmata significetur, iuxta illud Iacobi 1. 21. *In manſuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras.* Vide etiam c. 3. 15. vbi de sapientię manſuetudine. Huc spectat, equis albis lenem ac mollem pilum ſerici instar fili inesse, ex Andrada lib. 1. de equis cap 34. Altera etiã significatio puritatis ac sanctimoniæ, quam color albus habent, rite cum salutari subiectione per equi albi colorẽ significata copulatur. Nam subiectione illâ & captiuitate viuæ fidei acquiritur iustificatio; quæ sanctas efficit animas, & ab omni scelerum labe defæcatas. Ex quo fit planum, colorem album in equo expressiùs denotare, quàm sit salutaris illa viuæ fidei manſuetudo, quia facit hominem iustum & sanctum. Atque hæc maior expreſsio in vno ex quatuor coloribus congruens fuit, vt reliquis lucem daret. Quemadmodum in quatuor equitibus expressum fuit, vnum ex eis esse mortem; vt reliqui conciperentur tanquam mortis ipsius socij & comites, qua ratione suprà explicatum est.

Quid per albũ. Equos albos mitiores ac manſuetiores esse ceteris.

Equis albis lenem ac mollem esse pilum.

Vtrumque albi coloris significationem & apud Ioannem rita inter se copulari.

• Atque vt quatuor colorum significationem paucis coërceam, assero colorem album esse proprium equi curis ac manſueti; ideoque esse aptum ad subiectionem indicandam, deinde rufum colorem esse equi actis & ardentis; per illumque audaciam & animi erectionem denotari. nigrum porrò esse colorem reliquis obscuriorem; atque adeò vilitatis ac demissionis significationi congruere pallidum denique colorem ad mortẽ, quæ pallidos reddit homines, figurandam esse idoneum.

Ioannis equorũ colores, eorumq; significationes pauci coërcentur.

Deducitur ex iis, quæ diximus varium colorem in

Alcasar in Apocal.

Digitized by Google

equis Zachariæ fuisse valde conuenientem; non verò in Apocalypsos equis. Nam in Apocalypsi colore equorum aptantur ad salutem, quam Ecclesia absentis temporis generatum suis fidelibus Christus impertiuit. Illa autem insignis sapientia, quæ in vario colore innuitur, non fuit omnibus communiter concessa, sed illis, qui mundi doctores ac magistri erant futuri, de quibus agit Zacharias.

Cur varius color in Zachariæ equis apparuerit, & in Ioannis non item?

Cur in Zacharia equo pallidus color defuerit?

Alia erat dubitatio, quare apud Zachariam defuerit color pallidus? ad quam respondetur, cùm pallidus color equi sit symbolum mortis Christianorum, ideo mortem non directè ad alios docendos spectare, sed illa potius finiri munus incumbendi in proximorum salutem. Quòd si ad hoc rursus opponatur, non minùs mortis exemplo, quàm multis cõcionibus homines permoueri solitos? Respondeo hoc non ex morte, sed ex sanctitate, quę illã comitatur, dimanare. Si verò hoc totũ sit pallidi coloris significatione includitur: mirum nõ est in Apocalypsi explicatiùs, quàm in Zacharia gloriam martyrij, & in Domino morientium feliciatem denotari.

Cur apud Zachariam dux equo rufo, apud Ioannem albo vehatur?

His oportet adiungi discrimen aliud: cur videlicet apud Zachariam dux equo rufo inuehatur, *Ecce vir ascẽdens super equum rufum*, c. 1. 18. Cum tamen in Apocalypsi dux (qui est Christus) albo portetur equo? Hæc dubitatio non proprie pertinet ad quatuor equos capitis 6. Nam in nostra declaratione non est Christus, qui equo albo insidet, sed Fides. Et quemadmodum Christus in virtute (sicut causa principalis in suo instrumento) in equo albo sedet: eâdem ratione sedet etiam in rufo, in nigro & in pallido. Illud saltem pro comperto est, eum, qui cap. 19. 11. super equum album sedebat, referre Christum. Cur ergo in Zacharia dux equo rufo, & in Apocalypsi albo equo aduehitur? Respõdeo, verum quidem est vtrobique sermonem institui de Euangelicæ prædicationis militia: in Zacharia tamen colores repræsentant (vt iam expressimus) cõcionatorum virtutes, atqui in prædicandi munere princeps & coryphæus est zelus, & charitatis ardor. Itaque operæ pretium valde fuit, ducem tollere in equum rufum: cùm hic color sit accensæ audaciæ zelique ardentis signum. Et eadem de causa Isaias Deum induit *quasi pallio zeli*, cap. 59, n. 17. At in Apocalypsi; cum cap. 6. equorum colores non significent concionatorum, siue (vt ita dicam) saluatorum virtutes: sed effectum, quem in illis qui saluantur, præstant: vt eadem retineretur series: in cap. 19. (vbi agitur de Romani imperij conuersione post Christiana sacra Romæ publicè susceptæ) cum proprius fuerit effectus, homines ad fidem conuertere, non oportuit alium in equis colorem apparere præter album; qui mãsuetudinem, & sanctificationem adumbrat, vt suprà explicatum est: & idcirco tam dux, quàm exercitus equis aduehuntur albis. Nam in Apocalypsi colores equorũ referuntur ad eum indicandum effectum. qui in personis saluandis intenditur: effectus autem erat, vt fidem & sanctificationem in mansuetudine susciperen: vt loquitur diuus Iacobus. Quòd verò quatuor fuerint capitis sexti colores, ostendit maiorem fuisse & præstantiorem saluationis effectum in primigeniis Iudaici populi Christianis. Neque enim solum fidem & sanctificationem mente combiberunt, sed etiam magnum illum mundi conuersionis zelum, & diuitiarum, honorum vitæque ipsius despicientiam.

Colores equorũ in Apocalypsi quid potissimũ spectent.

Huc vsque secutus sum eam colorum significationẽ, quæ mihi aptissima visa est. Nunc placet alias declarationes paucis attingere: & rationem, cur eas non sequar, subiicere. Aliquis forte colores equorum explicabit ad externam diuini operis faciem, quæ ab ipso opere valde fuit diuersa; iuxta illud Isaiæ 28. *vt faciat opus suum, alienum opus eius ab eo.* Quare si in equo primo significatur magna Christi virtus & fortitudo: species quidem fuit infirmitatis; quia, *virtus in infirmitate perficitur*, atque ita color albus potest debilitatis speciẽ denotare. Constat enim, equos albos ceteris imbecilliores esse. Pari etiam ratione rufus color potest esse externa audaciæ & contentionis facies in summa beneficentia. Nam equos rufos certũ est esse reliquis ferociores. Niger etiam color potest pro iniquitatis prætextu symbolicè substitui, quia longiùs distat à luce, rationis & æquitatis symbolo. In æquitatis autem dissimulatione, maxima tertij sigilli æquitas occultatur.

Alia huiusmodi colorum expositiones proponuntur, & improbantur.

Alia coloru interpretatio.

Huiusmodi tamen applicatio alioqui in duobus primis coloribus verisimilis, non satisfacit in tertio, & deficit omninò in quarto. Nam ad quartum sigillum spectat magna Dei sapientia atque consilium, cuius integumentum fuit stultitiæ. Nemo autem dixerit pallidũ equi colorem esse stultitiæ symbolum, nisi fortè diceret pro externâ stultitiæ specie fuisse tadem maximam in Christianis factam. Tunc enim non negauerim, in coloribus depingi operis dissimulationem per effectus ipsos, qui in Christianis cernebantur; videlicet quod frænari se, & comprimi sinerent; quòd audacter & fidenter suam fidem in vulgus disseminarent, quod denique humilitatem, abiectionem, egestatem, & propriæ vitæ despicientiam complecterentur: quorum omnium facies stultitiam præ se ferebat Christianorum; iniquitatis verò notam & strictissimi iuris non ipsis, sed ipsorum Deo inurebat.

Reiicitur superior interpretatio.

Alius in eam fortè sententiam pedibus ibit; vt iudicet colores esse ad ipsas hominum affectiones referendos: qua ratione albedo est lætitiæ symbolum, & nigredo tristitiæ. Quæ significatio primi equi colori rectè videtur congruere: quia maxima erat eorum lætitia, qui recens ad Christianam fidem traducebantur. Posset etiam rufus color vsurpari ad illius verecundiæ atque pudoris significationem, quo primi suffundebantur Christiani in suæ fidei professione. Verùm tamen in hac explicatione non possunt omnia cohærere: neque in tertio sigillo consentaneum est aliquod tristitiæ symbolum. Nam licèt egestatis species sit tristis, hocque epitheto eam Virgilius compellet; primorum tamen Christianorum affectio in ipsa egestate magnam potiùs lætitiam præ se ferebat: iuxta illud Senecæ, *Honesta res est paupertas læta.* Ad hæc, non erubuerunt Christiani acceptam Christi fidem foras dare: nec video, quî possit affectus ad rem aptus in pallido colore indicari.

III. Explicatio quatuor colorum.

Refutatur expositio praedicta.

Senec. Lr. epist. 2.

Præterea latis noui colorem album equorum ad felicitatem ac triumphum, necnon ad bonum omen referri solere. Sed quorsum hoc in præsenti, nisi cetera cum eâdem significatione consentiant? Idem dixerim de symbolis aliis ad militiam spectantibus, quale est per colorem album in vexillis pacem denotari: per rubrum ac nigrum minas hostibus intentas: vt de magni illius Tamorlani signis atque tentoriis historicorum annalibus proditum est. Sed non est, cur ratio habeatur cuiusque explicationis, quæ omnia aptè quadrare non possit.

IV. Expositio, quæ item rejicitur.

Tamorlanus quid per varios colores in tentoriis subinde mutatos innueret.

NOTATIO VI.

Cur in primi & tertij sigilli figura magis emineant Fortitudo & Æquitas, quàm Beneficentia in secundo, & Sapientia in quarto.

Quid interfit discriminis inter primum ac tertium sigillum ex vna parte, ex altera secundum & quartum.

SVpra iam explicatum est, quatuor prima sigilla spectare ad primos quatuor diuinæ prouidentiæ spiritus, id est ad Fortitudinem, Beneficentiam, Æquitatem, & Sapientiam. At enim, si textum attentè inspiciamus, magnum reperiemus inter illa discrimen. Nam in primo sigillo, præterquam quod leo Ioannem aduocat, in eâdem etiam figura apparet manifestum fortitudinis symbolum: cuiusmodi sunt arcus, sagittæ, & victoris nomen. Deinde in tertio sigillo & Ioannem accersit homo, qui rationis est atque consilij particeps: & illi figuratur rationis & æquitatis symbolum, nempe libra. Attamen in secundo sigillo, etsi Ioannem compellat vitulus: in eo tamen, quod cernitur, signo nullum extat symbolum Beneficentiæ expressum: sed violentiæ potiùs ac belli. In quarto similiter, esto, Ioannem acciat, aquila, animal visus perspicacitate à natura præditum; in ipsa certè figura nihil est, quod sapientiam atque consilium redoleat ad eorum incolumitatem, qui Christi insequuntur vestigia: sed quod stultitiam potiùs adumbret: & eorum, qui se ad Christum applicuere, interitum. Huius discriminis oportet hîc reddere rationem.

Assero

Digitized by Google

In perfecta hominum salute plus apparuisse hominis ipsius oculu Christi fortitudinem ac sustinentiam, quam beneficentiam ac sapientiam.

Asserо igitur, in hac differentia primitiuæ exprimi, intereas quatuor perfectæ salutis partes, quam Christus Dominus suis sectatoribus asportauit, Fortitudinem & sustinentiam ipsius Christi non adeò abscondi, ac Beneficentiam atque Sapientiam. Ad cuius rei explicationem notandum est, primum sigillum spectare. Fidei vim ac robur in eorum confessione, qui Euangelio annis dabant. Et quamuis absque speciali Christi auxilio & spiritu, in illo opere cognosci non potuerit, diuinæ fortitudinis effectio: hominum tamen oculi significationem hanc credibilis fortitudinis ita perspicuam cernebant, vt eam inficiari nequaquam possent. Etenim cùm viderent ad vnius pulchrorum commonentem (id quia Iesus Christus a Iudæis ipsis cruci suffixus verus esse mundi saluator prædicabatur) extemplò tot hominum millia nouam illam religionem amplecti; nec segniore gradu in aliarum rerum progressione pergi, ab Apostolis item in Christi nomine imperatos tot eiusmodi tam ingentia miracula edi, hæc certè Crucifixi virtutem ita aperte monstrabant. Quin imò illi ipsi, qui eam abnegabant, & maledicti vexabant, eorum, quæ in media hominum lece fiebant, perspicuitate & euidentia conuicti, quid agerent, quidve vltrò opponerent, ignorabant.

Quomodo Christi virtus ac fortitudo facile vel ipsis hostibus innotuerit.

Christi item æquitatem in primis Christianis facilè omnibus fuisse conspicuam.

Nec minùs euidens erat, rationem & æquitatem à primigenijs illis Christianis maximè coli & obseruari, nec ab eis in aliquem vllam iniuriam immitti. Omnibus enim de illorum innocentiâ & vitæ integritate constabat Videbant namque ab iis proprias possessiones & rem omnem familiarem diuendi, vt ad singulorum indigentiam in commune conferrentur. Quapropter dubitari non poterat, quin rationem ac iustitiam cum primis amarent, & quodlibet iniuriæ inferendæ genus detestarentur. Cùm autem compertum esset omnibus, hanc rei familiaris contemptionem Christianis hominibus tanto opere cordi esse, vt suum imitarentur Christum, & ad ipsius doctrinam atq. consilia se totos effingerent ipsumet Christianæ religionis hostes, quantumuis calumniam adhiberent, fatori cogebãtur, Christum fuisse æquitatis ac rationis tenacissimum.

Christi beneficentia quo modo cæcis oculis esset abdita.

Atverò duo hæc, prædicationis videlicet beneficentia, & admirabile consilium perducendi illos per probra, iniurias, ac mortem ad summam atque æternam felicitatem (quæ in secundo & quarto sigillo continentur) hæc, inquam, duo infidelium oculos ac mentes omnino præteruolabant. Nam cum Christi fidem iocularem & nugatoriam reputarent: non illis venire in mentem poterat Euangelij prædicationem esse maximum mundi beneficium, sed ipsius potiùs exitium & vastitatem. Quamobrem summopere expedire putabãt, A vt nouæ religioni per multorum iam animos tacitè serpenti aperto bello, ferro atq. igni obsisteretur: ac proinde existimabant, accensam illam, quã Christiani æstuabant, cupiditatem, ceteros ad suam fidem traducendi, torrem esse ac malleolum ab ipsis inferis cõparatum ad vrbes ac regna exitiabili discordiarum igne incendenda. Quòd si hæc de primis Christianis Iudæi sibi persuadebant; dubium non est, quin idem etiam de Christo assertore nostro, vtide humani generis peste, sentirent.

Consilium etiã Christi suos beneficos latuisse.

Iam, quod attinet ad sublime consilium saluandi homines per tot ærumnas, calamitates & occisiones; hoc mundanorum hominum oculis stultum atque insanum visum iri, quis dubitet? Si verò ad perfectam horum cognitionem, quæ exteriam insaniæ speciem præ se ferebant, Christi luce & ipsius opus erat, Christum ipsum, qui suos in hos labores, in quos inducebat, sapientissimum & admirabili consilio prædituin iudicare qui poterant, nisi insipientem potiùs & ab omni prudentia destitutum? Præsertim cùm vitam Christiani per tot supplicia, per tot inimicas contumelias profunderent; ea de causa, quòd hominem crucifixum, tanquam vnicum & verum Deum colerent.

Hæc ratiocinandi series multò longiùs posset extendi; sed hæc dixisse sit satis, vt planè perspiciatur, in absoluta primorum Christianorum saluatione, si minùs beneficentiam atque consilium (vtpote quæ clausa penitus erant ac recondita) ipsius certè virtutem & æquitatem aliqua ex parte inhotuisse. Hoc igitur discrimine ita constituto, quid potuit concinnius & elegantius exprimi, in quatuor illarum partium pictura, quas perfecta primorum Christianorum saluatio coercuit, quàm in primi & tertij sigilli figura aliquam virtutis & æquitatis præberi speciem, id est, arcum & libram: in aliis verò nullam beneficentiæ & consilij faciem relinqui? Verum quidem est, ad Apocalypseos interpretum admonitionem atque doctrinam, oportuisse valde, vt aliquod remaneret vestigium, quo ducerentur ad beneficentiæ & consilij, in secundo & quarto sigillis, inquisitionem, hoc tamen magnâ arte atque industria fuit dispositum, dum quatuor sigillorum figuræ cum quatuor animalibus consociatæ sunt, atque ita cum videamus Ioannem à vitulo ad secundum sigillum inspiciendum, & ab aquila ad quartum vocari; hoc ipso, & totius discursus serie, quasi Ariadnæ filo ducimur non obscurè ad sigillorum figuras cum animalium significatione copulandas, atque adeò admonemur, in secundo sigillo beneficentiam abscondi, quam denotat vitulus; & in quarto sapientiam per aquilæ symbolum indicatam.

CAPVT VI.

TEXTVS.

Vbi de apertione primi sigilli.

Vers. 1. Et vidi, quòd aperuisset Agnus vnum de septem sigillis: & audiui vnum de quatuor animalibus dicens, tanquam vocem tonitrui, Veni & vide:

2. Et vidi: & ecce equus albus, & qui sedebat super illum, habebat arcum: & data est ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret.

Digitized by Google



Digitized by Google

A

COMMENTARIVS.

CVm superioribus Notationibus explicuerimus, quæ septem sigillis communia sunt, & præsertim quatuor primis: nunc in commentario compendiariâ breuitate vti licebit; & lectorem in rebus non paucis ad ea remittere, quæ in Notationibus præmonstrata sunt.

In primis liquidò constat ex contextu, *Vnum de quatuor animalibus*, idem hîc esse quod primum, id est, leonem: sequitur enim posteà secundum, tertium & quartum. Cur autem leo Ioannem acciuerit ad primi sigilli apertionem, curve tonitrui vox leoni tribuatur; suprà iam declaratum est, necnon quid equus albus significet. Cuius sessorem licet communis interpretatio Christum esse existimet: nobis tamen persuasum est, quatuor hosce equites fictas agere personas per prosopopœiam inductas, vt patet in quarto equite: atque adeò sessorem equi albi esse *Fidem*: quæ tamen cum instrumentum sit Christi in hac factione, recte ipsi Christo tribuitur, quod ipsius instrumentum operatur. Et hæc est nostræ explicationis cóncordia cum communi interpretatione.

Vnum idē, quod primū.

Equi albi sessorem esse fidem.

ET QVI SEDEBAT SVPER ILLVM, HABEBAT ARCVM] Cùm igitur sermo hîc sit de Fide: arcus, quem manibus gestare dicitur, intelligendus est in eo ferè sensu, quo Poëtæ Amori arcum & sagittas affingunt. Quod vna ex parte indicat efficacissimam amoris vim, qua corda percellit; ex altera verò innuit eos, quos amor ferit, læsos manere quodammodo; & ipsius amoris potentiæ ita subiectos, vt propriâ dein ratione & consilio non ducantur. sed eius trahantur vi, qui eos perculit & sibi subiecit. Non aliter arcus hic, quem sacra fictio tribuit fidei Crucifixi, repræsentat vim ingentem, qua homines ad rem alioqui nouam & insolitam ducebat, & quodammodo trahebat; cuiusmodi est, suam omnem felicitatem reponere in eo homine, quem Iudæi in crucem sustulerant. Ex altera verò parte indicatur, hanc fidem ab infidelibus illudi, vt cæcam aliquam opinionem, quæ Christianorum corda occupabat, & ratione atque consilio exclusis penitùs sibi subiiciebat.

B

Vers. 2. Quo sensu equi albi sessor arcum habere dicatur.

ET DATA EST EI CORONA: ET EXIVIT VINCENS, VT VINCERET] Non dubium est, quin agatur hîc de victoriæ corona, vt patet ex contextu. Atq; hæc est vsitatissima phrasis, qua victoria appellari solet corona: & ita sæpè loquuntur Apostoli. ac D. præsertim Ioannes. Quòd verò Christianæ fidei concedatur corona, perspicuè asseritur, 1. Ion. 5. 4. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Sed quid est, *Exiuit vincens, vt vinceret*? Respondeo, in his verbis miram includi energiam, qua exprimitur maxima vis Christianæ fidei in primitiuis Iudaici populi Christianis; quorum submissio ac subiugatio non erat ad modum, quo in amore solet contingere, sed qua ratione in peste vsu venire cernimus. Amor enim contagione non crescit: quare quòd aliquem singularem subiiciat, non ideo subiicit alios. At in fide, cùm subigebatur vnus, inde quasi ex semine principium ad multos alios subigendos capiebatur. Nec diu res ibi consistebat, donec Gentilitas ad fidem traduceretur (sic Thomas, Lyranus, & Interlinealis.) Fides enim quemcumque prosternebat, eodem vtebatur. vt instrumento ad alios similiter deiiciendos: & hac ratione ex ipsis percussis sibi sagittas conflabat. Huc fortè spectat illud Isaiæ 49. 2. *Posuit me quasi sagittam electam.*

Cur Fidei corona detur?

Quid sit, vincens vt vinceret.

C

Verùm, quia aperire libri sigilla, nil aliud fuit, quàm hominibus aperire sensum, vt Scripturas sacras intelligerent; aperuisse Christum hoc primum sigillum, idem est, atque suum impertiisse spiritum multis, vt cognoscerent quæ conscripta erant de Messiæ virtute suum populum à seruitute erepturi, in eo vel maximè verissima reperiri, quòd eos in Euangelicæ fidei ditionem ac potestatem redigeret, & hoc pacto veris sanctitatis ornamentis locupletaret. Quod non erat aliud, quàm eos ex dura peccati ac Dæmonis seruitute liberare. Atque hic ipse spiritus resignabat sigillum eorum locorum, in quibus de Iesu Christi passione agitur: quæ est nostræ fidei basis ac fundamentum, nec non illorum, in quibus de glorioſis Messiæ victoriis sermo est. Sic demum agnoscitur maxima fortitudo, quæ in imbecillitatis specie erat abscondita.

Christum aperuisse hoc primum sigillum, quid sit.

D

TEXTVS.

Vbi de apertione primi sigilli.

Vers. 3. Et cùm aperuisset sigillum secundum, audiui secundum animal dicens, Veni & vide.

4. Et exiuit alius equus rufus: & qui sedebat super illum, datum est ei, vt sumeret pacem de terra; & vt inuicem se interficiant: & datus est ei gladius magnus.

Digitized by Google



Digitized by Google

A

COMMENTARIVS.

EXpressimus iam in Notationibus, cur ad secundum sigillum vitulus vocauerit Ioannem; quid insuper significet equus rufus. Diximus etiam per huius equi sessorem significari audaciam primorum Christianorum in sua fide promulganda: fingitur enim hæc audacia siue ardor, quasi persona quædam, quod fictionis genus de forma ipsa siue instrumento loquitur, quasi de causa efficienti. Quapropter quod dixit Christus Dominus de se ipso, *Non veni pacem mittere, sed gladium*, hoc ipsum tribuitur hîc audaciæ, & contentioni, quam Christus primitiuis Christianis intulit ad suam prædicandam fidem, proximorum salutem procurandam. Id namque medium vsurpauit Christus, vt pacem mundanam de terra tolleret, & veram Dei pacem (qualis est Euangelica) hominibus largiretur. *Sessorem equi secundi esse audaciã.*

B

GLADIVS MAGNVS] est, meo iudicio, ipsa Euangelij prædicatio, vt sæpè aliàs. Et hîc sanè speciali non caret elegantiè: nam prædicatio ipsa consideratur vt bellicum instrumentum ad sectionem & diuisionem aptum; per allusionem ad ea Christi verba nuper allata, *Non veni pacem mittere, sed gladium: veni enim separare hominem*, &c. Matth. 10. 34. Atqui compertum est, grandem hanc diuisionem ab Euangelij prædicatione in mundo fuisse factam. Ideo autem appellatur gladius magnus: quia si discordiæ ac dissidij causas spectemus, non hinc leues exortæ sunt, vt alias interim rationes omittamus, quamobrem gladius Christi sit magnus appellandus: quia nimirum gladius gigantis est, Psal. 44. 4. Vers. 4. *Gladius magnus quid hic significet.*

Verba illa, VT INVICEM SE INTERFICIANT, ad sui veritatem non exigunt, vt Christiani infidelium occisioni inhiarent: vt constat in simili loquutione Matth. 24. 10. Possumus tamen dicere non ineptè, huiusmodi effectum consequutum fuisse, vt infideles Christianos interficere conarentur; hi verò Euangelicæ prædicationis gladio illos mysticè occidere percuperent iuxta modum loquendi, qui habetur infrà c. 19. 21. & Psal. 149. 6. *Quo sensu dicatur*, vt inuicem se interficiãt.

C

Aperuisse Christum sigillum hoc secundum, in eo consistit, quòd suum spiritum fidelibus daret; vt eos Scripturæ locos probè intelligerent, in quibus de pace Euangelica agitur, & de abundantia pacis, quam Messias suo populo aduecturus erat: simulque nossent hanc pacem non oppugnari Euangelicâ prædicatione, quæ totum orbem videbatur conturbare, sed hanc potius veram esse ad veram pacem, qua Christiani fruebantur, viam. *In quo consistat, Christum aperuisse secundum sigillũ.*

TEXTVS.

Vbi de apertione tertij sigilli.

Vers. 5. Et cùm aperuisset sigillum tertium, audiui tertium animal dicens, Veni & vide. Et ecce equus niger; & qui sedebat super illum, habebat stateram in manu sua.

D

6. Et audiui tanquam vocem in medio quatuor animalium dicentium: Bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario, & vinum & oleum ne læseris.

Digitized by Google



Digitized by Google

A

COMMENTARIVS.

DE significatione equi nigri; & quam conueniens fuerit, vt ad eum videndum sit Ioannes à tertio animali vocatus; dictum est satis in superioribus notationibus. De sessore verò equi nigri; reiectis aliis explicationibus, statuimus eum esse fictam personam inductã per prosopopœiam; eodem modo, quo mors in sigillo sequenti fingitur sedens super equum pallidum. Sed postquam personam esse fictam concedamus; statera quam manu tenet, nos videtur cogere, vt asseramus personam hanc esse æquitatem siue iustitiam. Præsertim si repetamus ea, quæ paulo antè dicta à nobis sunt; videlicet certum esse in hac tertij sigilli figura agi de diuina æquitate sub iniquitatis prætextu latente. Quod si ita est, quid verisimilius, cùm aperto sigillo mysterium reseratur, quàm vt hæc persona diuinam æquitatem repræsentet?

Verùm tamen horum quatuor equitum consociatio à nobis exigit, ne equi nigri sessorem credamus esse Dei æquitatem propriè & strictè sumptam; sed ipsius instrumentum, quod ipsa assumpsit ad sui operis perfectionem in salute primoribus Christianis afferenda. Quemadmodum quarti si-
B gilli sessor non est Dei sapientia, sed mors. Porrò aduertimus suprà, quatuor hos equites ex apparẽti ipso corporis trunco spectatos videri debere non hominibus salutares, sed noxios & ad ipsorum miseriam natos; id quod æquitati ac rationi minimè congruit.

Sessorem equi tertij esse paupertatẽ.

His accedit, in contextu dilucidè agi de nimia parsimoniâ, inopiâ, & egestate: vt infrà videbimus. Quamobrẽ mihi facile persuadeo, huiusmodi personam, quæ manu gestat stateram, esse paupertatẽ & indigentiam Christianorum Ecclesiæ primitiuæ. Licet enim hæc illorum indigentia fuerit voluntaria; in aliorum tamen oculis stultitia atque insania videbatur. Nec dissentaneum aliquis, aut minùs consonum iudicet, paupertati in manus stateram dari. Nam quemadmodum in primo sigillo arcus Amoris insigne appositus fuit Fidei: ita etiam congruens ratio satis extitit, vt Paupertati tãquam iustitiæ & æquitatis administræ tribueretur statera. Nam primitiuorum Christianorum paupertas illos eò redegit, vt nulli præter illa, quæ ad victum & vestitum erant necessaria, quidquam amplius concederetur. Nec ditioribus proderat possessiones fuisse ab ipsis hereditario iure acceptas. Ad hãc ergo pressam & strictam agendi rationem insinuandum mirificum fuit inuentum, vt paupertas manu teneret stateram: innuens nulli præter vitæ necessaria vel assem largiendum esse.

Cur paupertati statera in manus datur?

Vbi obseruandum est, stateram, quam nigri equi sessor habet, non esse ad triticum & hordeum ponderanda. Quanuis enim statim dicatur *Bilibris tritici denario. & tres bilibres hordei denario*: ceterùm pro
C voce *bilibris* est græce *chœnix*, atqui chœnix non pondus est, sed mensura, etsi latinæ vocis defectu noster interpres nomen bilibris vsurpauerit: nec immerito, vt infrà explicabimus. Sciendum ergo est, stateram esse ad ponderandam cuiusque necessitatem & hummos, qui in singulos erogandi erãt; ita vt nummi, pro iusto necessitatis pondere distribuerentur.

Quid statera denotat, & quem ad finem tertio sessori data.

Pro huius confirmatione aduerto, in Bibliis correctis (id est in Vaticano codice) non legi, *audiui vocem dicentem*; sed *dicentium*. Vbi clare tribuitur hæc vox quatuor animalibus. Cùm autem per quatuor animalia Apostoli figurentur, sensus est, primitiuæ Ecclesiæ tempore fideles Apostolicâ doctrinâ fuisse instructos ad bibendum *bilibris tritici denario*, &c. In quo haud dubiè sermonem conuertunt ad equitem, qui manu libram tenebat. Mox enim subiiciunt, *ne læseris*. Quamobrem cùm pro voce *bilibris*, sit in græco *Chœnix* (quæ erat frumenti mensura, quam in dies singulos seruis domini admetiebantur) cumque denarius sit pretium, quod operario pro diurno labore quotidie soluebatur, sensus eorum verborum *bilibris tritici denario*, &c. idem est, ac si diceretur eos esse contentos, si quotidianus labor cum victu quotidiano mensuretur, nec alia temporalia prætereà bona expetere. Quin imò nihil aliud ad quotidianum victum videntur optare, quàm exiguam panis mensuram. Etenim si panis totam pecuniam exhaurit, nihil nummorum erit reliquum ad alia coëmenda.

Vocem inter animalia auditã quia ediderit.

Chœnix quid sit.

Bilibris tritici denario *quid significet.*

Addit insuper textus, *Et tres bilibres hordei denario*, in quo supponitur, vt apparet frumentum triplo
D carius, quàm hordeum diuendi tunc solitum. Cùm ergo dicitur *tres bilibres hordei denario*, significatur qui domus familiam (vt coniugem ac liberos) alendam habebant, aut quibus pietas erat & studium proprio labore parta in pauperes erogandi, eos hordeaceo pane esse contentos (id quod in ea tunc regione erat vsitatum (vt labor diurnus cum diurno victu æquaretur. Denique hęc verba reipsâ continent eam Pauli sententiam atque doctrinam, *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.* 1. Tim. 6. 8

Tres bilibres hordei denario, *quid sit.*

Deinde dicere, *bilibris tritici denario*, idem est ac se maximæ annonæ caritati subiicere, & ostendere se esse contentos carissimo frumenti pretio, & quidem cariori, quàm si tunc medimnus denarios septuaginta valeret. Quod mensuræ genus illis respondet, quam Hispanorum vulgus appellat *hanega*. Hoc seorsum probabitur in notatione sequenti. Quibus addendum est, medimnum, qui septuaginta nummis argenteis constaret, cariorem esse pretij in ea prouincia quo tempore scripta fuit Apocalypsis, quàm si hodie in Hispania medimnus siue *hanega* duplo maioris æstimationis esset.

Sequitur in textu, ET VINVM ET OLEVM NE LÆSERIS] Græcè μὴ ἀδικήσῃς, & verbum, ἀδικῶ, significat lædere, siue coarctare. Et igitur sensus, eosdem ipsos, qui alioqui contenti erant, vt in frumenti atque hordei pretio læderentur, & coarctarentur; eosdem orare & obsecrare, nequa fit in oleo ac vino diminutio aut coarctatio, sed plena potiùs & conferta mensura. Enimverò notandum est, in Græco nec *bilibris* nec *tritici* nec *hordei* habere articulum, cùm tamen *vinum & oleum*, singulos articulos habeant. Ex quò infero, sermonem esse de vulgari tritico, atque hordeo, de vino autem & oleo non quidem vulgari, sed singulari aliquo & peculiari. Quare existimo vinum & oleum in sensu spi-
ritali

Vers. 6. *Quid triticũ & hordeũ habeant in Græco articulũ; vinum verò & oleũ non habeãt, quid innuat,*

Digitized by Google

ritali esse capienda: ita vt deprecentur; ne in obscura noctis caligine (hoc est) in huius vitæ laboribus, aduersitatibus & ærumnis, ne illis oleum desit, quo accensam alere lucernam possint; hoc est, ne destituantur luce & verâ cognitione felicitatis, quæ in sancta paupertate includitur; neque absit Spiritus sancti vnctio, quæ mentes permulcet, recreat, ac solatur. Orant deinde, ne illos spiritalis lætitiæ vinum deficiat: hoc enim solatio & quasi adminiculo fulti rerum temporalium defectum pro nihilo ducent. Nam vt suprà attulimus ex Seneca lib. 1. epist. 2. *Honesta res est paupertas læta: si verò læta est paupertas non est.* Videtur etiam prima specie fieri allusio ad id, quod insignis compotor dicere posset, sibi vel exiguum panis frustulum esse satis, dummodo se vino ingurgitet. Cæterùm petitio etiam olei copiosi & abundantis, nec non duorum articulorum expressio nobis lumen præferunt, vt animaduertamus, hîc sermonem non esse de vulgari ac materiali vino.

Vinum & oleum in quo sensu accipienda sint?

In tertij sigilli resignatione quid Christus sibi s. duceat.

Aperto igitur tertio sigillo, Christi spiritus suam impertiit lucem, vt intelligeretur, veram abundantiam ac saturitatem, quam Messiæ tempore futuram Prophetæ prædixerant, non esse accipiendam pro ciborum & corporis delitiarum affluentia, sed de opima illa vberitate & copia; quæ non potest olim cum voluntaria paupertate componi, sed illâ etiam mirum in modum augetur. Nam quod Psal. 71. 16. erat prædictum, *Erit firmamentum in terra in summis montium.* Certè de supersubstantiali panè intelligendum est; atque ita in eodem Psalmo iustitiæ cum abundantia coniungitur vt illum. 7. *Orietur in diebus eius iustitia & abundantia*, & num. 3. *Suscipiant montes pacem populo* (id est prosperitatem) *& colles iustitiam*, & num. 13. *Animas pauperum saluas faciet.* Et num. 4. *Saluos faciet filios pauperum.* Certè nullos magis, quàm eos, qui propter Christum ipsum paupertatem & humilitatem in deliciis habuerint.

NOTATIO VII.

De verâ mensura chœnicis, cuius Ioannes meminit.

Singulares Scripturæ mensuras quando specialim examinare oporteat.

A Liquot sunt loci, in quibus licet singularis mensuræ generis mentio fiat, parui refert singillatim examinare, quænam sit. Exempli gratia Septuaginta Ezechielis 4. vtuntur nomine Chœnicis atque etiam nomine cotylæ (quæ multò minor est mensura) pro bati nomine; sed meo iudicio ex hoc loco Septuaginta interpretum non infertur exiguas has mensuras nuncupari etiam batos in Hebræo. Etenim quibusdam in rebus translationis fides exigit, ne mensura aliqua pro alia supponatur: in aliis verò parui admodùm momenti est, & ideo possunt tunc interpretes vnum mensuræ genus pro alio substituere. Nam si, verbi gratia, velimus dicere aliquem vnica compotatione batum exhausisse: cùm ille sit magnæ mensuræ genus, qui pro bato cotylam ponit, næ ille magnam ebrietatem & crapulam in magnam temperantiam, atque abstinentiam commutabit. Verùm tamen in præcepto de fidelitate in mensuris, non variatur sensus ex eo, quòd ponatur exemplum in bato, chœnice, aut cotyla. Atque ita non rectè deducitur ex hoc Septuaginta virorum loco, chœnicem & cotylam in Hebræo appellari batos. Vbi tamen textus habet *Chœnix tritici denario*, omnino oportet nosse cuiusmodi mensura sit chœnix: alioquin intelligi non poterit, magnane, an parua annonæ caritas sit.

Qua mensura chœnix. Aliorum opinio.

Nonnulli contendunt, sacræ Scripturæ chœnicem (quemadmodum & Fannij) æqualem fuisse quatuor sextariis Romanis. Quod idem est ac dicere illum octoginta vnciarum aquæ esse capacem: & fere totidem frumenti. Nam frumentum optimum eiusdem penè esse ponderis atque aqua. Imò & Villalpandus ait Palæstinæ frumentum nonnihil plus habere ponderis, quàm aquam. Nihilominus certum mihi est, Ioannem non agere hîc de hac chœnicis ratione. Primò, quia constat ex contextu loqui illum de chœnice, qui erat vsitata frumenti portio seruo in diem suppeditari solita. Plinij autem ratio, siue computatio est; in operarum pane, sicut & in pane militari, legem certam esse naturę, vt in quocumque genere pane militari tertia portio ad grani pondus accedat. Quare ex octoginta vnciis frumenti plus centum & sex vnciæ panis conficientur. Quæ quidem cibi quantitas tribus etiam hominibus satis superque in diem est. Quod verò chœnix sit nomen eius mensuræ, quæ in diurnum tribuebatur cibū. probat latè Marsilius lib. de sanitate cap. 18. ex Homero, Herodoto, Hippocrate; Athenæo, & Diogene Laërtio, Plutarchus etiam & Suidas probant ex illo Pythagoræ, *Chœnici ne insideas.*

Vera chœnicis mensuræ ratio.

Alia chœnicis acceptiones.

Deinde; esto, appellaretur etiam chœnix recepta illa mensura; quæ quatuor Romanos sextarios capiebat: ex B hac certè consuetudine non sit planum, loqui Ioannem de eodem chœnicis genere. Constat enim extitisse etiam olim chœnicis mensuram trium omninò sextariorum capientem: cuius meminit libellus, qui Galeno tribuitur, & cum nuncupat chœnicem Italicum. Verùm neque huiusmodi chœnicem existimo fuisse vsitatam diurni cibi mensuram. Capit enim sexaginta tritici vncias, id est, octoginta vncias panis: quæ cibi portio vel duobus edacibus affatim suppetit.

Proculdubio etiam fuit olim chœnix duobus Romanis sexxarijs æqualis; cuius pariter meminit iterum atque iterum libellus ille Galeni: atque hic etiam portionem æquo maiorem profectò conficit; nisi fossoribus designaretur. Etenim ex quadraginta frumenti vncijs pluſquam vncię tres & quinquaginta operarum panis confici solet. Ex huiusmodi autem chœnicibus quadraginta octo capit medimnus, qui, vt superiùs dixi, C idem est cum ea, quam Hispani vocant *Hanega.*

Ad hæc fuit etiam in vsu chœnix sesquisextarium capiens; cuius meminit Cato de re rustica. Iis enim, qui minùs fatigantur, vt villico, epistatæ (id est, rei rusticæ, aut operi faciundo præfecto) opilioni, assignat modios ternos in singulos menses. Quod si rectè supputetur; singuli sextarij & sesqui diebus singulis obtingunt.

Præterea non dubito, quin fuerit etiam chœnix continens tantùm tres cotylas Græcas; quæ capiunt non plus viginti quinque aquæ vncias. Namque has esse Atticas Galeni cotylas pro virili parte contendit Petrus libro de ponderibus & mensuris: & nos etiam in opusculo de mensuris sacris confirmabimus. Ex illo verò Galeni libello perspicuè colligitur; hunc fuisse communem ac receptum in Græcia chœnicem. Hæc enim sunt illius verba; *Chœnix continet cotylas tres: atque his mensuris maior pars, Græcia vtitur.* Videlicet non ita vt foret destinata hæc portio fossoribus, sed domesticis famulis. D

De qua chœnicis ratione agat Apocalypsis.

His ita præstitutis, assero in Apocalypsi de extrema hac chœnicis ratione atque mensurâ sermonem esse. Primum quia agitur de diurno victu, non quidem fossorum aut voracium; sed parcorum sobriorumque hominum. Et quidem ex viginti quinque vnciis frumenti conflantur pluſquam triginta tres panis vnciæ, iuxta Plinij computationem. Diurna autem panis portio, quæ in Hispania famulis singulis dedi solet, duas & triginta vncias non exedit. Deinde id ipsum corroboratur Vulgati interpretis versione, quæ permagnæ apud prudentes debet esse auctoritatis. Nam in primis antiqua est, & ex eo tempore, cùm in Græcia nomen chœnicis vsitatum erat: & pro *chœnice* vertit noster interpres, *bilibris*, quod fuit, propius & aptius vocabulum, quod potuit ad

Digitized by Google

tuit ad significandas viginti quinque vncias tritici vsurpare. Nam bilibris propriè sunt quatuor & viginti vnciæ. Quin & tres Græcæ cotylæ capiunt iustè viginti quinque vncias aquæ: frumenti verò vulgaris viginti quatuor non amplius vncias capient; ex quibus duæ & triginta vnciæ subacti, coctique panis fient. Nam optimum est & minimè vulgare frumentum, quod eiusdem cum aquæ ponderis sit.

Infero ex dictis, Apocalypseos ioquutione ingentem annonæ caritatem indicari, dum ait, *bilibris tritici denarius*. Etenim si chœnicibus singulis viginti quinque vnciæ ex aqua tribuantur, capit medimnus siue Hispana A *Hanega* sex & septuaginta chœnices, & quatuor quintas alterius; Continet enim medimnus duas amphoras, id est, mille nongentas & viginti vncias: quæ si in quinque & viginti partes æquales distribuantur, eandem omnino conficiunt summam, quam nuper iniuimus. Quæ igitur maior caritas sperari, seu timeri potiùs valeret, quàm tritici medimnum in Græcia siue Pathmo plus septuaginta sex denariis æstimari, quo tempore scripta fuit Apocalypsis; Ceterùm ita facto opus erat ad Isaiæ loci allusionem c. 30. 20. *dabit vobis Dominus panem arctũ. & aquam breuẽ*, vbi ex contextu patet non de rigore & angustia; sed de fauore & gratia sermonem esse.

TEXTVS.

Vbi de apertione quarti sigilli.

Vers. 7. Et cùm aperuisset sigillum quartum, audiui vocem quarti animalis dicentis, Veni & vide.

8. Et ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi Mors: & infernus sequebatur eum: & data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & bestiis terræ.

COM-

Digitized by Google

ritali esse capienda: ita vt deprecentur; ne in obscura noctis caligine (hoc est) in huiusce vitæ laboribus, aduersitatibus & ærumnis, ne illis oleum desit, quo accensam alere lucernam possint; hoc est, ne destituantur luce & verâ cognitione felicitatis, quæ in sancta paupertate includitur; neue absit Spiritus sancti vnctio, quæ mentes permulcet, recreat, ac solatur. Orant deinde, ne illos spiritalis lætitiæ vinum deficiat: hoc enim solatio & quasi adminiculo fulti rerum temporalium defectum pro nihilo ducent. Nam vt suprà attulimus ex Seneca lib. 1. epist. 2. *Honesta res est paupertas læta: si verò lætè est paupertas non est.* Videtur etiam prima specie fieri allusio ad id, quod ihsignis compotor dicere posset, sibi vel exiguum panis frustulum esse satis, dummodo se vino ingurgitet. Ceterùm petitio etiam olei copiosi & abundantis, nec non duorum articulorum expressio nobis lumen præferunt, vt animadvertamus, hic sermonem non esse de vulgari ac materiali vino.

Vinum & oleum in quo sensu accipienda sint?

In tertij sigilli resignatione quid Christus in spiritu docuerit.

Aperto igitur tertio sigillo, Christi spiritus suam impertiit lucem, vt intelligeretur, veram abundantiam ac saturitatem, quam Messiæ tempore futuram Prophetæ prædixerant, non esse accipiendam pro ciborum & corporis delitiarum affluentia, sed de opima illa vbertate & copia; quæ non potest vllum cum voluntaria paupertate componi, sed illâ etiam mirum in modum augetur. Nam quod Psal. 71. 16. erat prædictum, *Erit firmamentum in terra in summis montium.* Certè de supersubstantiali pane intelligendum est; atque ita in eodem Psalmo iustitiarum abundantia confirmatur vt num. 7. *Orietur in diebus eius iustitia & abundantia,* & num. 3. *Suscipiant montes pacem populo* (id est prosperitatem) *& colles iustitiam,* & num. 14. *animas pauperum saluas faciet.* Et num 4. *Saluos faciet filios pauperum.* Certè nullos magis, quàm eos, qui propter Christum ipsum paupertatem & humilitatem in deliciis habuerint.

NOTATIO VII.

De vera mensura chœnicis, cuius Ioannes meminit.

Singulares Scripturæ mensuras quando singulatim examinare oporteat.

A Liquot sunt loci, in quibus licet singularis mensuræ generis mentio fiat, parui refert singillatim examinare, quædam sit. Exempli gratia Septuaginta Ezechielis 4. vtuntur homine Chœnicis atque etiam nomine cotylæ (quæ multò minor est mensura) pro bati nomine; sed meo iudicio ex hoc loco Septuaginta interpretum non infertur exiguas has mensuras nuncupari etiam batos in Hebræo. Etenim quibusdam in rebus translationis fides exigit, ne mensura aliqua pro alia supponatur: in aliis verò parui admodùm momenti est, & ideo possunt tunc interpretes vnum mensuræ genus pro alio substituere. Nam si, verbi gratia, velimus dicere aliquem vnica compotatione batum exhausisse: cùm ille sit magnæ mensuræ genus; qui pro bato cotylam ponit, næ ille magnam ebrietatem & crapulam in magnam temperantiam, atque abstinentiam commutabit. Verùm tamen in præcepto de fidelitate in mensuris, non variatur sensus ex eo, quòd ponatur exemplum in bato, chœnice, aut cotyla. Atque ita non rectè deducitur ex hoc Septuaginta virorum loco, chœnicem & cotylam in Hebræo appellari batos. Vbi tamen textus habet *chœnix tritici denario,* omnino oportet nosse cuiusmodi mensura sit chœnix: alioquin intelligi non poterit, magnane, an parua annonæ caritas sit.

Qua mensura chœnix. Aliorum opinio.

Nonnulli contendunt, sacræ Scripturæ chœnicem (quemadmodum & Fannij) æqualem fuisse quatuor sextariis Romanis. Quod idem est ac dicere illum octoginta vnciarum aquæ esse capacem: & fere totidem frumenti. Nam frumentum optimum eiusdem penè esse ponderis atque aqua. Imò & Villalpandus ait Palæstinæ frumentum nonnihil plus habere ponderis, quàm aquam. Nihilominus certum mihi est, Ioannem non agere hîc de hac chœnicis ratione. Primò, quia constat ex contextu loqui illum de chœnice, qui erat vsitata frumenti portio seruo in diem suppeditari solita. Plinij autem ratio, siue computatio est, in operarum pane, sicut & in pane militari, legem certam esse naturæ, vt in quocumque genere pane militari tertia portio ad grani pondus accedat. Quare ex octoginta vnciis frumenti plus centum & sex vnciæ panis conficientur. Quæ quidem cibi quantitas tribus etiam hominibus satis superque in diem est. Quod verò chœnix sit nomen eius mensuræ, quæ in diurnum tribuebatur cibũ. probat latè Marsilius lib. de sanitate cap. 18. ex Homero, Herodoto, Hippocrate, Athenæo, & Diogene Laertio, Plutarchus etiam & Suidas probant ex illo Pythagoræ, *Chœnici ne insideas.*

Vera chœnicis mensuræ ratio.

Alia chœnicis acceptiones.

Deinde, esto, appellaretur etiam chœnix recepta illa mensura; quæ quatuor Romanos sextarios capiebat: ex hac certè consuetudine non sit planum, loqui Ioannem de eodem chœnicis genere. Constat enim extitisse etiam olim chœnicis mensuram trium omnino sextariorum capientem: cuius meminit libellus, qui Galeno tribuitur, & eum nuncupat chœnicem Italicum. Verùm neque huiusmodi chœnicem existimo fuisse vsitatam diurni cibi mensuram. Capit enim sexaginta tritici vncias, id est, octoginta vncias panis: quæ cibi portio vel duobus edacibus affatim suppetit.

Proculdubio etiam fuit olim chœnix duobus Romanis sextarijs æqualis; cuius pariter meminit iterum atque iterum libellus ille Galeni: atque hic etiam portionem æquo maiorem profectò conficit; nisi fossoribus designaretur. Etenim ex quadraginta frumenti vncijs plusquam vncię tres & quinquaginta operarum panis confici solet. Ex huiusmodi autem chœnicibus quadraginta octo capit medimnus, qui, vt superiùs dixi, idem est cum ea, quam Hispani vocant *Hanega.*

Ad hæc fuit etiam in vsu chœnix sesquisextarium capiens; cuius meminit Cato de re rustica. Iis enim, qui minùs fatigantur, vt villico, epistatæ (id est, rei rusticæ, aut operi faciundo præfecto) opilioni, assignat modios ternos in singulos menses. Quod si rectè supputetur, singuli sextarij & sesqui diebus singulis obtingunt.

Præterea non dubito, quin fuerit etiam chœnix continens tantùm tres cotylas Græcas; quæ capiunt non plus viginti quinque aquæ vncias. Namque has esse Aticas Galeni cotylas pro virili parte contendit Petrus libro de ponderibus & mensuris: & nos etiam in opusculo de mensuris sacris confirmabimus. Ex illo verò Galeni libello perspicuè colligitur; hunc fuisse communem ac receptum in Græcia chœnicem. Hæc enim sunt illius verba; *Chœnix continet cotylas tres: atque his mensuris maior pars, Græcia vtitur.* Videlicet non ita vt foret destinata hæc portio fossoribus, sed domesticis famulis.

De qua chœnicis ratione agat Apocalypsis.

His ita præstitutis, assero in Apocalypsi de extrema hac chœnicis ratione atque mensurâ sermonem esse. Primum quia agitur de diurno victu, non quidem fossorum aut voracium; sed parcorum sobriorumque hominum. Et quidem ex viginti quinque vnciis frumenti conflantur plusquam triginta tres panis vnciæ, iuxta Plinij computationem. Diurna autem panis portio, quæ in Hispania famulis singulis dedi solet, duas & triginta vncias non excedit. Deinde id ipsum corroboratur Vulgati interpretis versione, quæ permagnæ apud prudentes debet esse auctoritatis. Nam in primis antiqua est, & ex eo tempore, cùm in Græcia nomen chœnicis vsitatum erat: & pro *chœnice* vertit noster interpres, *bilibris,* quod fuit, propius & aptius vocabulum, quod potuit ad

Digitized by Google

tuit ad significandas viginti quinque vncias tritici vsurpare. Nam bilibris propriè sunt quatuor & viginti vnciæ. Quia & tres Græcæ cotylæ capiunt iustè viginti quinque vncias aquæ: frumenti verò vulgaris viginti quatuor non amplius vncias capient; ex quibus duæ & triginta vnciæ subacti, coctique panis fient. Nam optimum est & minimè vulgare frumentum, quod eiusdem cum aqua ponderis sit.

Infero ex dictis, Apocalypseos ioquutione ingentem annonæ caritatem indicari, dum ait, *bilibris tritici denario.* Etenim si chœnicibus singulis viginti quinque vnciæ ex aqua tribuantur, capit medimnus siue Hispana A *Hanega* sex & septuaginta chœnices, & quatuor quintas alterius; Continet enim medimnus duas amphoras, id est, mille nongentas & viginti vncias: quæ si in quinque & viginti partes æquales distribuantur, eandem omnino conficiunt summam, quam nuper iniuimus. Quæ igitur maior caritas sperari, seu timeri potiùs valeret, quàm tritici medimnum in Græcia siue Pathmo plus septuaginta sex denariis æstimari, quo tempore scripta fuit Apocalypsis; Ceterùm ita facto opus erat ad Isaiæ loci allusionem c. 30. 20. *dabit vobis Dominus panem arctũ. & aquam breuẽ*, vbi ex contextu patet non de rigore & angustia, sed de fauore & gratia sermonem esse.

TEXTVS.

Vbi de apertione quarti sigilli.

Vers. 7. Et cùm aperuisset sigillum quartum, audiui vocem quarti animalis dicentis, Veni & vide.

8. Et ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi Mors: & infernus sequebatur eum: & data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & bestiis terræ.

COM.

Digitized by Google



Digitized by Google

A

COMMENTARIVS.

OStendimus supra in notationibus, decussse maximè Ioannem ab animali quarto ad quarti sigilli resignationem esse vocatum, nec minùs congruisse, vt & equus fuerit pallidus, & eques illi insidens *Mors*. Et nequis in eo coniectando lassaretur, expressit Ioannes, *Nomen illi Mors, & infernus sequebatur eum*. Quasi dicat, ne in huius ænigmatis diuinatione quisquam nimiùm laboret: nouerint omnes hunc pallidi equi sessorem esse Mortem; quæ vt indicio notior fiat, infernum post se adducit. Hæc enim sunt mortis indicia: quos enim ipsa occidit, mox deuorat infernus, & suis intrudit cauernis. Et quemadmodum Scriptura agit de morte, vt de aliqua persona, sic etiam loquitur de inferno; vt vidimus cap. 1. n. 18. & vterque considerantur tanquam Diuinæ prouidentiæ satellites & administri. Fingitur ergo Mors in extima terræ superficie degere, & infernus in imis visceribus, hoc est, in sepulchris & subterraneis specubus commorari, ac in spacioso illo antro in centro terræ latente: vnde & nomen illi est Infernus, quia infernas occupat regiones. Fingitur deinde, quo mors de medio tollit, illico ab inferno corripi, & corpora quidem in sepulchris corrumpi: animas verò aut torqueri ab eo, aut saltem suis cauernis occlusas retineri: iis exceptis, quas

B præpotens Deus ex inferni faucibus eripiat: siquidem potens est non animos solùm, sed etiam corpora liberare.

Quis sit quarti equi sessor.

Mortem hic & infernum vt personas tragicas per prosopopœiã induci.

Quibus suppositis, cùm Christus aduenerit suum populum vt perfectus saluator redempturus: videbatur expedire ad perfectam suorum salutem, vt eos à morte atque inferno præstaret incolumes. Verùm enimuerò quotidiana primitiuorum Christianorum experientia docebat, eos nec à morte nec ab inferno liberari. Quin imò mors in eorum magis, quàm in aliorum strage ac cædibus impune volitabat: atque infernus subinde in eorum, si minus animas, at corpora sæuiebat. Huiusmodi tamen obiectioni facit satis Apocalypsis: asserens, aperto quarto sigillo, nouum quiddam, inusitatum, & inauditum apparuisse, nimirum Mortem, vt Christi ministrum, in equo insidentem ad perfectam Iudæorum salutem aduentare, qui Christum ipsum recipiebant. Quo innuitur, mortis sæuitiam & stragem in Christi seruis editam fuisse viam ad absolutam eorum felicitatem. Et eapropter Christiani primitiui mortem non formidabant sed diligebant potiùs, & auidissimè amplectebantur. Nouerant enim, quàm vera essent, quæ prædixerat Christus, *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit viuet*, & quò maiorem in eis ac sæuiorem occisionem faceret Mors, eo vitam illorum beatiorem fore & glorioſiorem. Huius rei vestigium expressum fuit in eo Salomonis iudicio, de quo 3. Reg. 3. 24. *Afferte mihi gladium, & diuidite infantem viuum in duas partes*, quod fuit

C admirabile consilium, vt suo filio frueretur mater. Et sanè quod Salomon simulauit se tentare, verus Salomon re ipsâ præstitit. Vide Prouerb. 9. 2. vbi sermo est de vera sapientia, & dicitur, *Immolauit victimas suas*, quem locum Tertullianus libro aduersus Gnosticos sic legit, *Sophia iugulauit filios suos*.

Mortem ipsam seruis Christi esse viam ad veram vitam.

ET INFERNVS SEQVEBATVR EVM] Hæc verba superiùs iam explicata sunt. Sed dices, Christianos aliquot inhumatos atque insepultos mansisse, quia eos immanes & efferatæ belluæ deuorarunt: nonnullos etiam ab inferis excitatos fuisse, priusquàm ipsorum cadauera corrumperentur. Respondeo: ex corporum quidem corruptione perpauci liberi euaserunt, qui verò deglutiebantur à bestiis, in ipsarum visceribus sepulti manebant, quæcumque vero corporis corruptio ad eam pertinet personam, quæ infernus dicitur. Ita tamen appellatur, quia communis cadauera putrefaciendi modus est detrudendo illa in inferas terræ cauernas, atque etiam propter infernos sinus & specus, quæ animabus parata habet.

Vers. 8. *Infernus quo sensu hic sumatur, & quomodo in primos Christianos sæuisse dicatur.*

Ideo autem inferni hic mentio fit cum respectu ad corporum fidelium corruptionem, quia Christi sapientia non solùm vtitur Morte ad suorum veram vitam, sed etiam ipsa corruptionem ad vitam eorundem glorioſam. Quamobrem non dicitur modò. *Dominus mortificat, & viuificat*, sed etiam, *deducit ad inferos, & reducit*, 1. Reg. 2. 6. & Pauli certè consideratio est, sepeliri corpus, perinde esse atque

D seminari, vt glorioſum in resurrectione nascatur.

Mortem & infernũ esse Christi instrumenta ad veram suorum vitã.

ET DATA EST ILLI (nempe morti) POTESTAS SVPER QVATVOR PARTES TERRÆ, INTERFICERE GLADIO, FAME, ET MORTE ET BESTIIS TERRÆ] Habet vera lectio, *super quatuor partes terræ*, hoc est, non in Iudæa tantùm, sed etiam in vniuerso terrarum orbe, videlicet in Oriente, Occidente, Septentrione, atque Meridie. Vbique enim terrarum ac gentium morti fuit concessa potestas, vt in primitiuos Christianos crudelitatem ac sæuitiam exerceret. Hanc autem stragem quadrifariam fore textus ait. Et tertius modus est, *Morte*, quod idem esse videtur, ac vitam reapse auferre. Ex quo posset aliquis coniectare primos duos modos, id est, *Gladio & fame*, non esse de absoluta morte, sed de inchoata intelligendos, iuxta sacrarum Literarum locutionem, quæ mortem appellat quidquid carnis afflictionem ac macerationem continet, est enim mortis inchoatio, & ipsius potentiæ effectio.

Quid sit Morti potestatem dari super quatuor partes terræ.

Primitiui autem Christiani quatuor modis moriebantur; primò carnis castigatione, & ipsius affectuum cohibitione, qui est doctrinæ Euangelicæ partus legitimus. Ea verò doctrina solet in Scriptura appellari gladius. Secundò diuinæ gloriæ zelo, & proximorum salutis æmulatione, quæ carni etiam doloti maximo & vexationi est, iuxta illud Psalm. 63. n. 10. *Zelus domus tuæ comedit me*. Vrit enim hæc æmulatio intimas medullas, & quasi ardenti quodam igne absumit: Atque ita dixit Paulus 2. Corinth. c. 11. 29. *Quis scandalizatur, & ego non vror?* & 1. Corinth. 15. 31. postquam dixerat. *periclitamur omni hora*, subdit, *quotidie morior per vestram gloriam*, id est, *propter vestram gloriam*. Hoc autem

Quatuor mortis modi, quibus olim primitiui Christiani moriebãtur.

Digitized by Google

afflictionis & mortificationis genus nuncupatur in Scriptura fames: atque is est germanus eorum verborum sensus Matth. 5. 6. *Beati qui esuriunt: & sitiunt iustitiam:* A

Tertiò, primitiui Christiani re ipsa è morte non euadebant; quin imò hoc ipso, quod Christiani essent, multis inferebatur mors; siue quia assiduâ corporis castigatione ac vexatione se nimium macerabant; siue quia diuina prouidentia strictissimo cum illis iure primâ specie agere videbatur, dum eos damnabat morte ob eiusmodi res, quæ non ita infidelibus capitales apparebant. Insignis autem est hanc ad rem Ananiæ & Sapphiræ coniugum interitus, Act. 5. Et quod Paulus de seipso ait 1. Cor. 5. 5. tradidisse, scilicet quemdam Satanæ in interitum carnis, & 1. Corinth. 11. 30. multos emori, quod indignè ad Eucharistiam accederent.

Quartò Christianorum quàm plurimi martyrium patiebantur. Vide Rom. 8. 39. ex Psalm. 43. 22. *Propter te mortificamur tota die: æstimati sumus velut oues occisionis.* Hos verò ait textus à morte de medio tolli per efferatas belluas; vt leones, tygrides, vrsos, tauros, rhinocerotes, atque alia id genus animantia: quæ omnia nomina ex sacræ Scripturæ phrasi Ecclesiæ persecutoribus ritè congruunt.

Simplicior modus explicadi quatuor mortiū genera, quibus primi Christiani patiebantur.

Simplicius tamen & aptiùs esse censeo, vt illis verbis *gladio, fame, & morte*, designentur bella, fames & pestis, quæ immissa sunt à Deo, non solùm in Iudæos rebelles, (vt videbimus cap. 8.) sed etiam in eos, qui Christum receperant. Constat autem in Scriptura mortis nomine solere designari pestem. Pro quo vide indicem librorum LXX. interpretum Vaticanæ editionis, vel notas ipsas fol. 434. a. & 1063. c. B

Cur Mors equo vehatur, cùm infernus subsequatur pedester?

Illud tamen superest considerandum, cur Mors equo deuehatur, & infernus pone sequatur pedester? Respondeo; infernus quidem subsequebatur, vt receptus seruaretur ordo, qui inter mortem & corporis corruptionem (quæ inferno tribuitur) esse solet. Mors autem equitabat; quia, vt vidimus Notatione secunda, aduenire in equo signum est eiusmodi equitem ad saluandum venire: atque saluare est ex alicuius hostis tyrannide eripere. Qua ex tyrannide Christiani diuinâ ope septi euadunt, & de animæ aduersariis triumphant. Itaque carnis mortificatione, & propriæ vitæ pro Christo amissione veram vitam merentur Christiani & de inordinato sui amore inimicorum omnium teterrimo triumphum agunt, atque hac ratione mors saluos illos præstat. At corporis corruptio licet à Diuina prouidentia ad corpoream sanctorum resurrectionem, & ipsorum corporum gloriam dirigatur; cum tamen is, qui putrefit, vitâ iam sit & pugnandi ac periclitandi statu destitutus: fieri non potest, vt putredo ipsa illum ab animæ aduersariis & spiritualibus periculis eripiat. Quarè mirifica fuit excogitatio, infernum pone mortem, non quidem equestrem, sed pedestrem constitui.

In quarti sigilli apertione quid suos doceat Christus.

Postremò aperto quarto sigillo, spiritus Christi suæ lucis facem fidelibus prætulit, vt cernere possent, quàm fuerit summum ac prædicandum Christi consilium morte seruorum suorum & funestis martyriis vti, vt hac via illos in æternæ salutis portum conueheret & hac pariter ratione multi Scripturarum loci ab illis fuere percepti: in quibus agitur de carnis maceratione, atque afflictione quam docturus erat Messias: deque in Domino morientium felicitate. Nec minùs hoc pacto innotuit, quanta sit, quamque extollenda illa sapientia, quæ homines mortificando viuificat, & perdendo saluat: vt egregiè depingitur apud Iobum cap. 39. & 40. C

TEXTVS.

Vbi de apertione quinti sigilli.

Vers. 9. Et cùm aperuisset sigillum quintum, vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant.

10. Et clamabunt voce magna dicentes, Vsquequequo Domine (Sanctus & verus) non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra?

11. Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ: & dictum est illis, vt requiescerent adhuc tempus modicum; donec compleantur conserui eorum, & fratres eorum, qui interficiendi sunt, sicut & illi. D

COMMENTARIVS.

VAriæ de hac visione explicationes videri possunt apud Pererium. Me inita contextus series ac ratio cogit ad aliam viam sectandam. Illud interim replicare non tædet, modò lectitare ne pigeat: meam videlicet declarationem etsi distinctione nouam, rei ipsius distantiâ à plurimis & grauissimis auctoribus esse receptam. Ij sunt, qui in Apocalypsi ab ipso exordio vsque ad caput 12. de Iudaici populi persecutione agi decernunt.

In tribus sigillis seqq. quid argumenti contineatur.

Quæ datæ sunt actiones inter prima quatuor sigilla resignanda, mirificum continent ænigma de absoluta atque perfecta saluatione, quam Christus Redemptor noster Iudæis se ipsum recipientibus è cælis aduexit. Oportet nunc in tribus actionibus sequentibus trium, quæ restant, sigillorum nobis ob oculos poni præstantissimam agendi rationem, quam diuina prouidentia seruauit aduer-

sus

A sus Iudæos, qui verum Messiam ipsis è cælo demissum respuerunt. Diuinus hic agendi modus tribus omnino sigillis circumscribitur. Quippe in triplici capite consistit; ea sunt *magna patientia*, qua Deus illos expectauit; *seria comminatio*, qua eosdem admonuit; *seuerum supplicium*, quo ipsos affecit.

Quinti sigilli scopum esse Dei patientiam in perfidos.

Itaque visio, quæ ostensa fuit, cùm reseratum est quintum sigillum, debet esse admirabilis quædam effigies, atque pictura patientiæ, qua Deus perfidos & obstinatos Iudæos Messiæ oppugnatores tolerauit. Quid ergo hanc ad rem expressius ac significantius, quam depingere omnes Christi Martyres à Iudæis immaniter contrucidatos, vindictam ab eo poscentes; quibus tamen placidè respondeat Deus; *Expectate modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum?* Huiusmodi vindicationem dicuntur poscere Martyres sub altari positi. Quibus verbis agitur solùm de animabus Martyrum illorum, qui in Iudæorum aduersus Ecclesiam persecutione fuerant necati. Namque altare hoc, de quo hîc sermo est, altare est holocausti in Salomonis templo structum, in eóque animalium victimæ potentissimo Israëlis Deo immolabantur. Eleganti igitur inuento consideratur in eo ipso altari Christianos sub religionis specie mactatos Deo à Iudæis offerri atque sacrari. Etenim, quam à Christianis vltionem expetebant, sacrificium Deo ipsi immolatum reputabant. Cùm verò sacrificium eiusmodi cruentum esset; nihil congruentius, quàm vt Christiani in ipso altaris holocausto occisi perhibeantur. Sed tamen id sacrificium ex parte Iudæorum execrabile Deo ac detestabile erat; propterea quod ipsius Prophetæ crudelissimè trucidabantur, vt Zacharias qui occisus fuit *inter templum & altare*. Et quia Christianorum sanguis in illa ipsa persecutione morientiũ vindictam aduersus Iudaicum populũ clamitabat (vt de Abelis cruore dicitur) ideò aptissimè fingitur, animas Martyrum, qui in ea persecutione fuerant interfecti, sub altari clamare; hoc est, ex ipsismet sacrificiis, quibus Iudæi pergratum Deo fieri putabant, tacitum quidem, sed efficacissimum prodire clamorem: ibique Martyrum animas videri postulare vindictam. Hoc autem non est agere elicito orationis actu, neque extremi iudicij diem precibus velle anteuertere, sed solùm indicare vltionem, quam Martyrum sanguis contra Iudaicum populum petebat. Atque idem est dici animas petere vindictam, ac dici earum sanguinem illam deposcere. Esdræ 4. c. 5. 18. *Sanguis innoxius & iustus clamat ad me, & animæ iustorum clamant perseueranter.*

B *De quibus martyribus hic sermo sit.*

Cur sub altari clamare dicantur?

Qualis sit hic Martyrũ sub altari clamor.

Testimoniũ pro doctrina.

PROPTER TESTIMONIVM, QVOD HABEBANT] Hoc est propter doctrinam, quam defendebant. sæpè enim testimonium pro doctrina ponitur.

Vers. 10.

Quinam hic dicantur habitare in terra?

DE HIS, QVI HABITANT IN TERRA] Quod nihil aliud est, quam vindictam exigere contra Iudaicum populum. Nam vt planum fiet c. 10. 2. circa illa verba, *Habebat pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram*; in ea distinctione *terra* pro Iudaismo sumitur, & *mare* pro Gentilismo.

C

Vers. 11.

ET DATÆ SVNT ILLIS SINGVLÆ STOLÆ ALBÆ] Tantùm abest, vt locus hîc faueat opinioni illi iam damnatæ de differenda sanctis animabus visione Dei vsque ad extremi Iudicij diem, vt apertè potiùs contineat catholicam veritatem. Nam animarum clamor vindictam repræsentat, quam Martyrum sanguis à Iudæis effusus de Iudæis ipsis poscebat. Quod verò subditur, *Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ: & dictum est illis, vt requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conserui eorum*; hoc, inquam, idem est, opinor ac dicere diuinæ prouidentiæ ordinem fuisse eiusmodi, vt Martyrum animæ gloriâ statim conuestirentur: & quam poscebant vindictam, eatenus differetur quoad numerus expleretur electorum, *qui erant interficiendi sicut & illi.* Hoc autem est re ipsa decernere, ne Martyrum procrastinetur gloria, pœnæ tamen ab eorum carnificibus expetendæ in tempus idoneum extrahantur.

Dilatio ista hac quousq. sit intelligenda.

DONEC COMPLEANTVR CONSERVI EORVM, ET FRATRES EORVM, QVI INTERFICIENDI SVNT SICVT ET ILLI] Huiusmodi dilationem reor non esse intelligendam vsque ad vltimum iudicij diem. Hic enim non differendus est solùm, donec Martyrum compleatur numerus: sed etiam quoad numerus electorum omnium sit expletus. Atqui hoc in libro loquitur textus de iis *qui interficiendi sunt sicut & illi*: quorum animæ poscunt vltionem. Adde huc, non esse sermonem de protrahendâ vindictâ ex omnibus peccatoribus sumendâ, sed de procrastinatione solùm, quæ expediebat ad pœnas expetendas ab iis, qui Martyres, quorum sanguis vindictam clamabat, occiderunt. Sermo autem est in prima Ecclesiæ persequutione, atque adeò de primis Martyribus per Iudæos religionis causâ occisis. Sensus ergo est, Deum immensâ suâ patientiâ supplicium differre acerbissimum de Iudaico populo sumendum. Quia ita fieri oportebat, quoad expleretur numerus Martyrum præclarissimorum, quos decreuerat Deus in ea Iudæorum persecutione ad æternam Beatorum palmam extollere. Atque hi sunt, de quibus textus ait *conserui eorum, & fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut & illi*: nempe in ea sæuientium Iudæorum procellâ, de qua est sermo. Et verò in huiusmodi comperendinatu, quem diuinum oraculum designat, edocemus: propterea improborum supplicium plerumque prorogari, ne iactura fiat maximi fructus & emolumenti ab iis ad electorum salutem & gloriam percipiendi. Quod autem singulatim de Iudaici populi pœna dicitur, idem suo modo est ad supplicium totius orbis vniuersale (quod attinet ad doctrinam) extendendum.

D *De quorum vindicta procrastinatione hic sermo sit.*

Cur plerũq. Deus improborum supplicium differat.

Tandem hîc aduerto, in quinto sigillo cælestem Christi spiritus lucem fuisse impartitam: vt agnoscerent, quàm esset sacris Literis consentaneum, differri à Deo Iudaici populi supplicium: & infinitam Dei patientiam eò sublimiorem ac perfectiorem ostendi, quò plus dissimulationis præ se ferre videbatur.

In quinti sigilli resignatione quid nos doceat Christus.

Digitized by Google

A

TEXTVS.

Vbi de apertione sexti sigilli.

Vers. 12. Et vidi, cùm aperuisset sigillum sextum; & ecce terræmotus magnus factus est; & sol factus est niger tanquam saccus cilicinus; & luna tota facta est sicut sanguis.

13. Et stellæ de cælo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos cùm à vento magno mouetur.

16. Et cælum recessit sicut liber inuolutus: & omnis mons & insulæ de locis suis motæ sunt:

15. Et Reges terræ & principes & tribuni & diuites & fortes, & omnis seruus & liber absconderunt se in speluncis & in petris montium.

B

16. Et dicunt montibus & petris: Cadite super nos, & abscondite nos â facie sedentis super thronum, & ab ira Agni.

17. Quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, & quis poterit stare?

COMMENTARIVS.

Quatuor sexti sigilli explicationes.

QVadruplex est visionis huius explicatio. Prima Aretæ de prodigiis in morte Christi visis. Secunda Ambrosij & Ruperti, de porrentis in excidio Hierosolymæ, & supplicio Iudæorum. Tertia Aureoli & Lyrani de persecutione Diocletiani. Quarta Victorini, Ticonij, Primasij, Andreæ, Bedæ, Haymonis, Ioachimi, Pererij, & plurimorum de Antichristi persecutione, & de prodigiis sub diem iudicij euenturis. Primas duas explicationes iudicant aliqui improbabiles. Neque enim fieri posse putant, vt Apocalypsis agat de iis, quæ iam præterierant. Hoc tamen argumentum quid habeat roboris ostendimus iam in prolegom. notat. 3. vbi ei plene satisfecimus. Nihilominus assero, huius libri reuelationem incipere ab Ecclesiæ Christianæ fundatione post aduentum Spiritus sancti, atque hoc ipso excluditur Aretæ expositio opinantis agi hîc directè de prodigiis in Christi morte visis.

Prima Aretæ expositio refellitur.

C

Ambrosij & Ruperti opinioni opponunt nonnulli, in eâ non congruenter posse applicari omnia, quæ textus enumerat, atque illud præsertim, quod ab ipso textu innuitur, omnes scilicet agnouisse prope esse diem vindictæ, quam Agnus de illis sumpturus erat, quam tamen cognitionem non habuisse Iudæos in Hierosolymæ excidio. Sed de hoc argumento dicemus infrà.

Tertia item Lyrani & Aureoli rejicitur.

Lyrani & Aureoli declaratio violenta procul dubio est: atque vt vidimus in huius capitis notationibus, in numero septem mysteriorum libri clausi nullum habet locum aliqua ex Romani Imperij persequutionibus.

Quarta multorum similiter excluditur.

Illa porrò interpretatio, quæ sextum sigillum ad Antichristi tempora refert (esto multorum sit & grauium auctorum) non est amplectenda, opinor. Primò, quia & maior auctoritas & solidiora fundamenta sunt, vt credamus in septem sigillis directè de re alia non agi, quàm de ratione ac modo, quo se Deus cum Iudaico populo gessit; dum alios vt verus assertor saluauit, alios vt seuerus iudex (iustus tamen,) damnauit. Qui verò existimant, fieri omnino non posse, vt in his sigillis de Antichristi persequutione non agatur, existimo eos totius libri acoluthiam & cohærentiam nondum probè tenuisse. Etenim post septem sigillorum mysteria, instituitur sermo de Catholicæ Ecclesiæ ad Gentilitatem migratione, necnon de ipsius ex ipsis Gentibus triumpho, & de mille annorum pace, quam ante persecutionem Antichristi potita est. Foret itaque indigna & intolerabilis ordinis perturbatio, si in septem libri mysteriis locus Antichristi persequutioni daretur. Deinde ex ipsismet auctoribus, qui sigilli sexti mysterium ad Antichristi tempora transferunt, nonnulli, vt Pererius; cùm ad textus applicationem deueniunt; non illum applicant, nisi ad prodigia, quæ sunt iudicij diem anteceſſura: quæ tamen non proprie videntur ad Antichristi persequutionis tempus pertinere; sed post illud consequi. Nec huiusmodi auctores vllam aut reddunt, aut reddere possunt rationem, quorsum extremi iudicij signa in mysteriis septem sigillorum annumeranda sint? Præterquam quòd Ecclesiæ quies & pax post Antichristi mortem (quod ipsi in sigillo septimo constituunt) non est postponenda Iudicij signis, sed potiùs anteponenda.

In 6. hoc sigillo sermonẽ de Antichristo esse non posse.

D

Secunda interpretatio Ambrosii & Ruperti aliqua ex parte probatur.

Cùm nec Victorini, nec Aretæ, nec Aureoli opiniones mihi placere significauerim; existimabit aliquis me ad Ambrosij & Ruperti opinionem adhæsurum, qui hanc visionem de Hierosolymitano excidio interpretantur. Ceterùm quamuis hi auctores propiùs ad veram declarationem accedant, in eo tamen deficiunt, quòd comminationes Hierosolymæ vastitatem antecedentes ad ipsam vastitatem extenderunt, simulque ad Iudaici populi reprobationem. Certum tamen est, & Hierosolymitanum excidium, & Iudæorum repulsam ad septimum spectare sigillum. Cuius mysterium continet seueritatem, quâ Deus in Iudæos obstinatos animaduertit, atq. adeò sextum sigillum

solùm

Digitized by Google

A solùm attingunt horribiles minæ, quibus Deus Iudæos voluit præmonitos ante septem plagarum supplicia. Hoc persuadet distinctio septem spirituum diuinæ prouidentiæ, ad quorum tres postremos suo ordine spectant *Longanima Expectatio, seria Comminatio, seuera Punitio.* Atque vt in prodigiis extremi iudicij (ad quæ textus alludit manifestò) non splendet directè suppliciorum seueritas, sed minarum horribilitas: sic in his Apocalypseos comminationibus non tam ipsissimum supplicium, quàm Dei comminatio spectanda est; qua Iudaici populi conuersioni consuluit, priùs quàm iustissimæ suæ iræ flumen in eos effunderet. Confirmatur hoc à simili; quia eiusdem rationis est descriptio, quæ habetur Ioëlis 2. vbi expressè aduertitur totam illam horrificam descriptionem esse veluti rugitum leonis, antequam ad stragem edendam adoriatur, *Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui.* *Vera sexti sigilli expositio.*

Necesse est tamen singulatim examinare, an nostra expositio omnia, quæ textus recenset, apprime quadrat. Nam si minùs esset apta explicatio; fateor nostram interpretationem esse dignam, quæ penitus explodatur. Attamen spero ex ipsa applicatione perspicuè visum iri, hanc esse verum huius loci sensum. Primum ergo allusio ad extremi iudicij signa, quæ in textu comperta est, nostram interpretationem validè confirmat. Etenim si huius visionis figura continere debet minas formidabiles, quibus Deus Iudaicum præmonuit populum ante suæ indignatio-
B nis effusionem: ad huiusmodi comminationum picturam quid potuit congruentius adduci, quàm expressa quædam imago eorum prodigiorum, quæ sunt sub extremi iudicij tempus euentura? Accedit, quòd Christus Dominus Matth. 24. 29. & Marc. 13. 14. & Luc. 21. 25. manifestè loquitur de minis, quas Deus Iudaico populo ante ipsius euersionem intendit; idque per comparationem ad comminationes eas & extrema signa, quæ diem iudicij sunt præcessura. Quæ animaduersio magna ex parte difficultatem eleuat in eorum Euangelij locorum explanatione. Nam si semel statuamus sermonem ibi esse de duabus rebus, per comparationem vnius ad aliam, minimè difficile est in eodem tractatu coniungi res quæ diuersam alioquin tractationem exigebant. Aliter difficultatem affert non exiguam considerare, quomodo Christus res adeò diuersas atque distantes promiscuè coniungat. *Confirmatur vera sexti sigilli interpretatio de seria rebellio Iudæorum commina-tione.* *Christum Matth. 24. Marci 13. Luc. 21. agere de minis Iudaico populo intentis per comparationes ad extremi iudicij signa.*

Illud insuper nostram stabilit explicationem, vsitatam esse apud Prophetas loquutionem, cùm signa describunt grauissimum aliquod supplicium antecedentia, vti comparatione desumptâ ab extremi Iudicij signis. Licet hoc videre Isaiæ 13. in Prophetia de Babylonis euersione, item in cap. 34. necnon Ezech. 32. vbi sermo est contra Ægyptum; Oseæ etiam 10, 8. & Ioëlis 2. & 3. Itaque ex eo quòd extremi iudicij prodigia referantur, non proprie colligitur directè agi de mundi fine, cùm plerumque (vt diximus de re alia instituatur sermo per comparationem cum
G signis diem Iudicij anteceßuris. Et in Apocalypsi quidem nihil conuenientius, quàm vt ea comparatio intelligatur spectare ad eandem rem, quam Iesus Christus sub illa ipsa comparatione descripsit. *Eandem etiam loquendi ratione prophetis esse familiarem.*

Præter hæc, licèt certum sit sub mundi finem complenda esse illa, ex quibus desumitur ad aliorum suppliciorum signa comparatio: non tamen certum est, qua ratione sint eiusmodi signa re ipsa complenda. Nam quidam auctores arbitrantur propriè & strictè loquendo solem defecturum siue obscurandum, lunam sanguineo colore inficiendam, & stellas siue cometas lapsuros: alij tamen auctores non pauci hæc omnia mysticè esse efficienda putant in ipsa Antichristi persequutione; ex his sunt Victorinus. Ticonius, Primasius, Andreas, & Beda, vt duas alias diuersas explicationes prætermittam, alteram Hieronymi, & Chrysostomi; alteram Dionysij Carthusiani, quas refert Pererius in hoc cap. 6. disput. 29. 30. & 31. Esto tamen certum sit, vt nonnulli contendunt, ante extremum iudicium propriè solem obscurandum, lunam sanguine commaculandam, & cometas desuper casuros. Numquid propterea opus erit Apocalypsin in præsenti directè agere de signis atque prodigiis, quæ extremum appropinquare iudicium enunciabunt? minimè sane. Nam si aliis in libris nulla nos tenet dubitatio, quin sub ea ipsa figura & comparatione agatur directe de maximo aliarum calamitatum impendentium terrore, quantò verisimilius id erit in Apo-
D calypsi asserendum, qui liber ænigmaticus est totus? Atqui frequentissimum est in ænigmatis, cùm res alia videatur depingi, de alia longe diuersa agi. Quòd si in Prouerbiis præcipit Salomon ne ita simpliciter procedamus, vt externo verborum sono contenti simus; sed potiùs inclusum sensum timemur (Prouerb. 1: *Animaduertat parabolam, & interpretationem: verba sapientum, & ænigmata eorum,*) quis non videat quantæ credulitatis, atque adeò simplicitatis sit in Apocalypsi externi verborum facie esse contentum, nec aliud præterea inibi latens ac reconditum perueßigare? Præsertim cùm hicce liber historiam non texat, nec rerum euenta distinctè describere, aut præterita aut futura contendat, sed Ecclesiæ euentuum medullam, & quasi animam respicere, eamque ænigmatice attingere. *Signa diem iudicij antecessura qua ratione sint reapse complenda.*

His præmissis, complectar primùm paucis meam interpretationem, de visione hac, quæ Ioanni aperto sexto sigillo ostensa est. Deinde partes singulas aliquanto fusiùs explicabo. Huius sigilli figura seu visio ad septem omnino puncta redigitur: primum est terræ motus magnus; secundum, solis obscuritas: tertium, lunæ sanguis: quartum, stellarum casus; quintum, complicatio cæli: sextum, montium & insularum commigratio: septimum, generalis horror in terra commorantium, qui dicunt montibus & saxis, *Cadite super nos & abscondite nos ab ira Agni.* Ego igitur sic explico has omnes esse minas horrificas, quæ seueriſſimum Iudæorum supplicium præcesserunt. Atque in primis terræ motum significare magnam rerum commutationem ac perturbationem, quæ Ierosolymis accidit, præsertim cum à Romanis defecerunt, & in ipso conspirarunt. Quæ noua rerum fa- *Nostra de sexto sigillo explicatio paucis comprehensa.*

Digitized by Google

cies Iudaico populo terribile bellum, & miserrimas calamitates minabatur. Deinde solis obscuratio symbolum est signorum ac prodigiorum, quæ visa sunt, Dei indignationem contra Iudæos testantia. Tertiò, lunæ sanguis denotat maximum supplicium, quod eis pro innocentissimo Christi sanguine effuso impendebat. Quarto, stellarum casus indicat symbolicè necem, quam Iacobo Apostolo, Stephano, aliisque viris sanctissimis attulerunt: quod etiam Iudæis minitabatur ruinam. Quintò complicatio cæli symbolum est Christianorum discessionis ab vrbe Ierosolyma, quæ non leuis fuit etiam ciuitati comminatio. Sextò, migratio ac secessio montium & insularum portendit Deum Romanis obices atque impedimenta de medio tollere, & difficultates quaslibet complanare, quò Iudæorum supplicium tandem sortiretur effectum; Postremò, metus atque horror comunis dicentium montibus *Cadite super nos*, &c. figurat, timorem ingentem, qui Iudaicum populum penitus peruaserat, argumento esse euidenti, seuerissimam Dei & Christi Domini indignationem sese in eos iamiam immittere velle. Nunc ad singula referamus pedem.

Terræmotus in sexti sigilli resignatione factus cuiusmodi sit.

TERRÆ MOTVS FACTVS EST MAGNVS] Maldonatus noster ait, Matth. 27. v. 51. per terræ motum solere in sacris Literis significari Dei præsentiam & maiestatem, Psalm. 67. v. 8. & 9. & Psalm. 97. v. 8. & 9. Psalm. 98. v. 1. Psalm. 113. v. 6. & 7. & Ioëlis 2. interdum etiam diuinam iram, vt Ioelis 3. versu 16. Aggæi 1. v. 21. & 23. & Psalmo 45. 7. hæc ille. Certum tamen est terræ motu magnam rerum mutationem portendi; vt notat, & probat Pererius hîc disp. 27. Vide Apoc. 11. 19. *Terræ motus & grando magna.* Videlicet in Iudaici populi reprobatione, & Ecclesiæ ad Gentes transitu. & capite decimo sexto, vers. 18. *Terræ motus factus est magnus, qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt super terram*: nimirum in conuersione Romæ ad Christi fidem. Itaque quælibet extraordinaria rerum vicissitudo & permutatio, siue in bonum fiat, siue in malum, appositè terræ motus symbolo figuratur, Maximas autem rerum ac temporum conuersiones, quæ in Iudæa ante Titi & Vespasiani bellum acciderunt, fusè describit Iosephus lib. 2. de bello Iudaico: quorum principium suam duxit originem à Iudæorum rebellione aduersus Romanos; quæ fuit triste satis præsagium grauissimarum calamitatum illis deinceps euenturarum.

Quid sit solem fieri nigrū tanquā saccum cilicinum.

SOL FACTVS EST NIGER TANQVAM SACCVS CILICINVS] Nihil congruentius, quàm vt solis nomine in Apocalypsi intelligatur claritas Dei; & nomine lunæ, humanitas Christi. Etenim præterquam quòd duo hæc sunt ingentia luminaria symbolica, quæ veram lucem rebus omnibus ratione vtentibus diffundunt: textus ipse nos docet, in Apocalypsi diuinitatem esse solem, & Christi humanitatem esse lunam: *Ciuitas non eget sole neque luna, vt luceant in ea, nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius est Agnus*, cap. 21. 22. Vbi manifeste claritas Dei respondet soli; & lunæ siue magnæ lucernæ Agnus. Atque eodem modo accipiuntur sol & luna cap. 12. 1. vbi describitur *mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius*; de quo ibidem agemus. Statutâ ergo huiusmodi distinctione facilè cernitur; quemadmodum Dei gratiæ & amiciriæ signa ritè significantur solaris claritatis symbolo: (iuxta illud Psalmi 66. 2. *illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri,*) ita similiter ad Dei iram indicandam congruentissimè claritatem solis in obscuritatem & saccum cilicinum conuerti, quod meroris ac luctus est argumentum. Habet autem non parum decori, quòd Deus quo tempore durissima supplicia vult in improbos immitere, quasi lugubri induatur, veste, ad eum modum quo Lusitaniæ quondam reges capitis sententiam laturi saccum induebant. Nec defuit, qui huiusmodi affectionem contempletur in ijs Isaiæ verbis, *Heu consolabor super hostibus meis*, cap. 1. 24. Porrò de prodigiis siue præsensionibus Hierosolymitanum excidium antecedentibus, vide Iosephum lib. 7. de bello cap. 12.

Solè pro Dei fauore & gratia: lunā pro Christi humanitate accipi.

Quo sensu luna facta dicatur vt sanguis.

ET LVNA TOTA FACTA EST SICVT SANGVIS] Notum est, rubrum lunæ colorem, ventos & tempestatem portendere: iuxta peruulgatum illud:

Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba serenat.

Vide Plinium lib. 18. cap. 35. & Virgilium Georgicorum lib. 1.

At si virgineum suffuderit ore ruborem,
Ventus erit.——

Ex quo intelligitur, quantò grauior & horridior comminatio in sanguineo lunæ colore denotetur. Quare cùm luna Christum saluatorem nostrum significet, vt iam vidimus; cumque hîc de comminationibus sermo sit; certè puniceus iste siue sanguineus color indicat Christi Domini passionem. Licet autem ex ipso Christi mortis tempore ille lunæ sanguis horribilem tempestatem Iudaico populo minaretur; iuxta ea, quæ ipse Dominus dixit Luc. 23. 31. *Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet*; Nihilominus hoc in loco speciatim agitur de miris & insolitis signis, deque maxima verisimilitudine, qua notare debuissent Iudæi, quando Hierosolymæ obsidio propè erat, fore vt grauissimas pœnas Christi mortis essent daturi. Ad cuius rei significationem nihil potuit conuenientius fingi, quã in mediis illis prodigiis lunam sanguinolentam videri, suo sanguine Iudæis debitas pœnas comminãtem. Quod etsi minimè credebant ij, qui in sua adhuc obstinatione obcæcati perstabant: credibile tamen est, permultis non semel obuersarum fuisse ante oculos, cælum sibi fortè iratum & indignanti simile apparere, ob Christi mortem, & crudelissimum bellum, quod Christo in ipsius discipulis faciebant.

Vers. 13. *Stellas è cælo cadere super terram quid sit.*

ET STELLÆ CECIDERVNT DE CÆLO SVPER TERRAM] Cùm per solem claritatem Dei, per lunam Christi humanitatem significari dixerimus: rerum exigit consecutio, vt stellarum nomen ad Christi discipulos referatur. Sicut & cap. 12. 1. vbi coniunguntur similiter sol, luna & stellæ. In sensu autem grammatico, si textus nihil ampliùs diceret, quàm *stellæ ceciderunt*; existimari

A stimari posset, *cadere sydera*, idem esse, quod obscurari. Præsertim quia Ioelis 2.10. & cap. 3. 15. & Isaiæ 13. v. 10. & Ezech. 32.7. cùm similes inibi comminationes describantur: non tamen cadere dicuntur stellæ, sed obscurari. Attamen in præsenti textus ait, *Stellæ ceciderunt in terram*, quod non potest accipi pro stellarum occasu, qua ratione dicunt Poetæ astra in Oceanum, siue in mare præcipitare, & Virgilius,

——*Et iam nox humida cælo*
Præcipitat, suadentq; cadentia sidera somnos. Æneid. 2.

At stellarum occasus nullum ex se indicat prodigium, sed perpetuum potiùs & quotidianum naturæ ordinem consequitur. In hoc ergo stellarum casu verè repræsentatur stellarum ruina, ac si verè caderent astra: vt comparatio ipsa manifesto ostendit: *Sicut ficus emittit grossos suos, cùm à vento magno mouetur.* Ad quod non opus est, vt propriè & stricte loquendo stellæ cadere possint è cælo. Satis enim est, id ita concipi posse; atque eius significationem esse maxime aptam, vt hoc decorè in sermone mystico fingi possit.

Sub stellarũ nomine de quibus sit sermo.

Agitur autem hîc absque dubio de multis Christi discipulis, qui à Iudæis vexabantur, opprimebantur, & diris simis suppliciis mactabantur. Et quidem in huiusmodi symbolo (quod solem & lunam Iudæorum populo comminantes, & quasi subito casu obruentes repræsentabat) satis consonè inducuntur stellæ, vt è cælo cadere visæ. Id quod eleganter exprimit, eosdem ipsos, qui ipsi populo à Deo fuerant dati sicut stellæ (iuxta id Danielis 12. v. 3. *Qui ad iustitiam erudiunt multos, tanquam stellæ*, &c.) Dei permissu in terram ipsam decidere. Quò Iudaicus ipse populus intelligeret, horum astrorum casum ac ruinam mœstissimum illis fore impendentium malorum ostentum.

B

ET CÆLVM RECESSIT SICVT LIBER INVOLVTVS] Varias horum verborum explicationes propterea omitto, quia eas refert Pererius disputat. 35. sed allusionem ad Isaiæ verba neutiquam patiar prætermitti. Hic enim locus desumptus est ex Isaiæ 34. v. 4. vbi sic habet: *Complicabuntur sicut liber, cæli.* Quo in loco, atque adeò capite, agit Isaias de supplicio, quod Deus ex Iudaico populo sumpsit per Vespasianum ac Titum. Hæc enim est recepta illius capitis interpretatio, etiam apud iuniores, vt Forerium, Ariam, & alios. Nec obstat Prophetam tribuere Iudæis nomen Idumæorum, vt significet verum Israelem esse Christianum populum, quem maior ipsius frater germanus (id est, Iudaicus populus) persequeretur: sicut olim Edom persequebatur Israelem. Cum hac verò explicatione egregiè consonat, vt inter prodigia inibi ab Isaia relata, quæ mystici Edonis vastationem fuerant prægressura, asserat Propheta, *Complicabuntur sicut liber, cæli*; & Ioannes, vt id ampliùs declaret, dicat, *Cælum recessit sicut liber inuolutus.* Quibus confirmatur vtrobique haberi sermonem de signis, quæ antecesserunt supplicia Iudæorum.

Vers. 14. *In cælo, libri instar inuoluto allusionẽ ad Isaiæ locum contineri.*

Iudæos sub Idumæorum nomine ab Isaia intelligi: & quare.

C

Præterea in sensu grammatico significatur cælum recessisse ab aspectu mortalium; quemadmodum volumen, quod erat priùs expansum, posteà conuoluitur, & complicatur, atque ab oculis abstrahitur. Atque ipsum verbum Hebraicum *Galal*; quod Latinus vertit *complicabuntur*, significat aliquid conuoluendo, siue complicando amouere, & tollere è loco in quo erat. Et hoc sine dubio significauit Ioannes dicens, *Cælum recessit sicut liber inuolutus.* Vnde Psalm. 101. 27. vbi sermo est de cælis, pro eodem verbo hebraico legit Vulgatus, *mutabuntur.* Sed si proprium sensum ænigmaticum inspiciamus; elegantissimè vsus fuit Ioannes verbo *recessit*. Sensus enim huius loci germanus est is, repræsentare scilicet Christianorum egressum Hierosolymæ Diuinæ prouidentiæ ductu fuisse formidabilem Iudaico populo minationem. Namque maxima erat Hierosolymæ propugnatio ac defensio, contra cælestes minas in semet intentas, ingens sanctissimorum Christianorum numerus, qui in ea commorabantur. Quare eduxisse Deum Hierosolymis suos familiares, perinde fuit ac Lotum è Sodoma extrahere. Ad hoc autem significandum percommoda fuit figura, *Cælum recessit, sicut liber inuolutus.* Primò, quia loquutio est Apocalypsi dignissima appellare Ecclesiam primitiuam cælum. Deinde, quia cùm Deus per solem, per lunam Christus, Apostoli, viriq; Apostolici per stellas fuerint significati; ducta eiusdem allegoriæ serie & continuatione, conuenienter satis cælorum nomine vniuersi illi primi Christiani designantur. Et postquam significatum fuit, quàm fuerit ingens comminatio Iudaico populo occisio in Christi discipulis aliquot facta; illud consequens erat, minimèque omittendum, vt prædictæ comminationi alia subiiceretur, quæ illam consecuta fuit, videlicet Christiani populi decessio ac fuga. Atqui compertum est, post persequutionem accidisse fugam. Sic enim contigit in persecutione illa, quæ narratur Actuum octauo, versu primo, *Facta est autem persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis: & omnes dispersi sunt præter Apostolos.* Constat autem, posteà ipsosmet Apostolos fuisse in varias orbis partes dispersos, miseràmque vrbem ab eorum patrocinio desertam ac destitutam remansisse.

Grammaticus cæli conuoluti sensus quis sit.

Quænam ænigmatica sit conuoluti cæli significatio.

D

His addo, in eodem me sensu accipere illa Christi Domini verba, *Virtutes cælorum mouebuntur.* Quia in Scripturæ phrasi virtutes cæli idem sunt, atque exercitus cæli, quo nomine militantis Ecclesiæ exercitus optimè designatur, qui cum erat Hierosolymis, poterat ipsam vrbem à Romani exercitus obsidione, & quorumlibet aliorum hostium incursione defendere. Sed virtutibus cæli inde cedentibus, infelix ciuitas restitit Romani exercitus viribus atque armis obnoxia,

Virtutes cæli idem, quod exercitus cæli in Scriptura locutione.

Huc accedit in eâ comparatione, *Sicut liber inuolutus*, denotari maximam Iudæorum ignorantiam. Nam vt in volumine complicato, quid intus habeat, nescitur, non aliter miseri, & calamitosi Iudæi non agnouerunt, quantum, quamque periculosum suæ vrbi immineret discrimen ex Christiani populi

In comparatione libri inuoluti quid denotetur.

Digitized by Google

populi inde digressu. Nam Christianæ gentis sapientia & spirituales diuitiæ perinde erant Iudæis ac liber inuolutus & complicatus. *Sapientia* autem *abscondita, & thesaurus inuisus: quæ vtilitas in vtroque?* Ecclesiastici 20.32. A

In montium & insularũ motione alludi ad extremi iudicij signa.

ET OMNIS MONS ET INSVLÆ DE LOCIS SVIS MOTÆ SVNT] Aliud est concuti montes: atque insulas tremefieri; aliud è propriis sedibus conuulsa in alias mutari. atque hoc secundum affirmat textus, cùm ait, *De locis suis motæ sunt*, quod est proprium deserere situm & aliò commigrare. Alluditur ad id, quod sub extremi iudicij diem eueniet: siue quòd aliquando etiam in terræ motibus portentosis accidit. De quo vide Plinium libro secundo cap. 83. & 85. & 86. Significatio autem facilis est, opinor; & de rebus, quæ interdum in maximis diuinæ prouidentiæ affectibus solent contingere. Nam vt Dei consilium suauiùs & efficaciùs effectum sortiatur, aliquoties miro quodam modo expediuntur & complanantur illæ difficultates, quæ videbantur insuperabiles; & obices repentè tolluntur è medio, qui nequaquàm tolli posse credebantur. Montes quidem impedimento sunt & obstaculo, quominus plana & expedita via iter fieri possit terra, mari autem obiectæ sæpè insulæ nauigationis cursum retardant, impediunt, & periculosum reddunt. Vt ergo significetur, quemadmodum Deus Vespasiano ac Tito itineris difficultates abstulit, & facilem ac planam viam ad Iudææ expeditionem strauit (Diuino numine omnia ita disponente, vt debitæ à Iudaico populo exigerentur pœnæ) quid potuit aut dici, aut exogitari congruentiùs per allusionem ad horribilia portenta, quàm montes ipsos cedere è propriis sedibus, & locum Romanis ingruentibus vacuum relinquere? insulasque ipsas suo situ auulsas libram & expeditam viam eisdem offerre? B

Quid per montes & insulas loco motas denotetur.

Hæc interpretatio confirmatur simili loco cap. 16. 20. *Omnis insula fugit & montes non sunt inuenti*, vbi agitur de mystica Romæ inuasione. Atque vt in sexto sigillo Spiritus sanctus hanc vsurpauit figuram ad Hierosolymitani excidij referenda prodigia, de quibus inibi habebatur sermo: non secus in plaga 6. cap. 16. eadem fuit vsus figura ad explicanda suæ misericordiæ prodigia in mystica Romæ inuasione, cùm videbantur Christiani perfractis insularum ac montium repagulis celeri cursu, quasi per medium aera volitantes Vrbem aduenisse. Quod vt in Romæ inuasione magnoperè futuri Ecclesiæ successus spem alebat & corroborabat, ita etiam in hoc bello Iudææ prouinciæ impendenti iudicium erat grauissimum supplicij à Deo illis inferendi.

Dicet quispiam, in ea figura de montis migratione atque insularum, non innuitur modò difficultates & impedimenta Romanis auferri, sed etiam difficultatum montes exoriri, atque consurgere Iudæis ad ea præmolienda, quæ ad sui defensionem facillima facta videbantur. Sed hoc fortassis est nimiùm vrgere allegoriam, præsertim cùm cap. 16. 20. mentio solùm fiat de montium & insularum fuga *Omnis insula fugit, & montes non sunt inuenti.* C

Vers. 15. 16. 17. ET REGES TERRÆ, ET PRINCIPES, ET TRIBVNI, ET DIVITES, ET FORTES, ET OMNIS SERVVS ET LIBER ABSCONDERVNT SE IN SPELVNCIS, ET IN PETRIS; ET DICVNT MONTIBVS, CADITE SVPER NOS, ET ABSCONDITE NOS A FACIE SEDENTIS SVPER THRONVM, ET AB IRA AGNI, QVONIAM VENIT DIES MAGNVS IRÆ IPSORVM: ET QVIS POTERIT STARE?.] Primùm noto, ingentem regni alicuius metum atque formidinem, cùm graue illi belluum ac periculum impendet, argumentum esse cælestis supplicij, quo Deus illis animum ac vires ad sui defensionem auferr. Quare ad significandum timorem vehementem, qui Iudæorum animos oppressit, non potuit expressius dici quidquam, quàm id, quod textus hîc ait. Nam inprimis, quàm generalem & communem fuisse metum existimamus, quando summi atque infimi, parui & magni, gubernatores ac subditi, serui & liberi, imbelles ac fortes trepidabant? qui metus adeò erat magnus & acerbus, vt emori omnes optarent, ne deuenirent in eas calamitates, quas sibi impendêre videbant. Quare præ nimio mortis desiderio montibus ipsis & saxis dicunt, *Cadite super nos*, &c. Similes formidinis descriptiones extant apud Isaiam cap. 2. 19. *Introibunt in voragines terræ à facie formidinis Domini.* Et apud Oseam 10. 8. *Dicent montibus, Operite nos.*

Quantus Iudæorum animos timor occupauerit in Romanorũ aduentu.

Quo sensu prænunciarit Christus Iudæos dicturos montibus, Cadite super nos.

Deinde pro hac explicatione facit manifesta huius loci allusio ad illud Lucæ 23. 30. *Tunc incipient dicere montibus, Cadite super nos, & collibus Operite nos.* Vbi ex contextu euidens est agere Christum de Iudæis, deque arctissimis angustiis, in quas redigendi erant, propterea quod Christum ipsum vitæ auctorem in crucem suffixissent. Videndus hac de re noster Maldonatus Matth. 27. n. 32. ad finem, & Forerius Isaiæ 34.4. D

Hoc Iudæorũ desiderium mortis non ex præsentis mali tristitia, sed ex impendentis formidine proficisci.

Tertiò, etsi mortis desiderium non prouenit interdum ex mali impendentis metu, sed ex præsentis mali effugiendi desiderio, vt depingitur cap. 9. 6. *In diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eam; & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis*, sed in præsenti manifestè est sermo de imminentis mali formidine, vt patet ex contextu, *Absconderunt se in speluncis, & in petris.* Atque ita expressit Isaias *à facie formidinis.* Ex quo elicitur, in hoc sexto sigillo nondum esse peruentum ad seueriſſimum Dei supplicium, quod de populo Iudaico sumpsit, sed ad mira prodigia, quibus Deus fuit Iudæis ipsis comminatus, ex quibus prodigiis vnum fuit vehemens, & communis Iudæorum omnium timor.

Liber *hic quo sensu sit accipiendus.*

Præterea metus hîc de quo in his verbis agitur, desperationi admistus est. Quapropter nihil est, cur philosophemur, existimantes, cùm dicitur *Seruus & liber*, fortè verbo illo *liber* assignari posse eos, qui filiali metu timent. Hoc quippe non est ad rem. Quod enim montibus dicunt, *Cadite super nos*; desperationem non obscurè adumbrat, & boni etiam tunc (id est Christiani) Ierosolymis excesserant, vt in præcedenti contextu notauimus. Imò verò liberi atque diuites sunt, qui in huiusmodi angustiis atque ærumnis, siue in earum impendentium formidine plus trepidant, quia plura habent,

Digitized by Google

A bent, quæ amittant. Verùm multò adhuc magis exaggeratur timor, cùm dicuntur milites ac serui omnes magnopere extimescere.

Demum nostra declaratio complectitur vniuersalem Iudaici populi metum in Romanorum belli impendentis expectatione. Contra hanc tamen explicationem duo mihi obiici posse videntur: primum, quod texrus ait, *Reges terræ & principes*: cùm Iudæi, postquàm in Romanos rebellarunt, Reges non habuerint. Secundum, quia textus ipse ait, eos qui dicant montibus, *Cadite super nos*, agnoscere cælestes iras eisdem impendentes, & Agni etiam iram. Constat autem Iudæos obstinatos nunquam cognouisse Christi iram sibi esse formidandam. Ad primum tamen Respondeo, in sermone ænigmatico aptissimè Reges nuncupari summos reipublicæ gubernatores; tametsi propriè reges non sint. Et similis est locus Isaiæ 24. 22. *Visitauit Dominus super Reges terræ, qui sunt super terram.* vbi videndus est Forerius. Ad Secundum Respondeo; quemadmodum Abelis sanguis clamasse dicitur: non quia formaliter, (vt ita dicam) clamaret, sed quia res ipsa clamare videbatur, sic etiam significanter consideratur magnum illum Iudæorum metum confiteri, quantopere Christi iram timerent; non quòd illi expressè crederent, aut faterentur Christi iram sibi esse extimescendam: sed quia res ipsa manifestò indicabat, timorem illum vehementem inde fuisse ortũ, quòd ipsi Christum Dominum in crucem substulissent.

Duplex aduersus nostram explicationem obiectio: & vtriusque solutio.

NOTATIO VIII.

De locis in quibus videntur depingi prodigia diem iudicij portendentia: ad quos alluditur in apertione sigilli sexti.

Scriptura loci, in quibus videtur esse sermo de extremi iudicij signis.

ISaiæ cap. 10. prophetia est de excidio Babylonis; & in ea dicitur n. 9. & 10. *Ecce dies Domini crudelis, & indignationis plenus: quoniam stella, & splendor eorum non expandent lumen suum. Obtenebratus est Sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo.*

Ieremias cap. 15. 9. dum comminatur Hierosolymorum & Iudæorum genti propter Regis Manasse peccata, hæc habet; *Misi super ciuitates repentè terrorem. Infirmata est, quæ peperit septem: defecit anima eius; occidit ei sol, cùm adhuc esset dies: confusa est, & erubuit.*

Ezechielis 32. sermo est contra Pharaonem Ægypti regem, & dicitur num. 7. *Operiam, cùm extinctus fueris, cælum; & nigrescere faciam stellas eius. Solem nube tegam: & luna non dabit lumen suum. Omnia luminaria cœli mœrere faciam super te: & dabo tenebras super terram tuam, dicit Dominus, cùm ceciderint vulnerati tui in medio terræ.*

Ioëlis 2 n. 10. comminatio est contra Hierosolymam à Babyloniis euertendam; & num. 2. hæc sunt: *Venit dies Domini, propè est dies tenebrarum atque caliginis.* & numero decimo, *A facie eius contremuit terra, moti sunt cæli: sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum. Et Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui.* Deinde prædicit maximam filiis Sionis prosperitatem, & singulatim spiritus abundantiam; subditque numero trigesimo, *Et dabo prodigia in cœlo & in terra, sanguinem & ignem & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis; & in monte Sion erit saluatio, & in residuis, quos Dominus vocauerit.*

Item Ioëlis cap. 3. num. 2. *Congregabo omnes gentes in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis ibi super populo meo.* Et infrà num. 14. *Iuxtà est dies Domini in valle concisionis. Sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum. Et scietis, quia ego Dominus habitans in Sion monte sancto meo, & in Ierusalem sancta. Et fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum.*

Amos 9. dum Hierosolymis intenduntur minæ, *Et erit*, inquit, *in die illa: occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis.*

Matth. 24. postquam Christus Hierosolymæ euersionem prænunciârat, subditur num. 3. *Accesserunt ad eum discipuli eius dicentes: Dic nobis quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui?* Christus autem priùs agit de fame, bello, ac peste, quibus Iudæi acerbè puniendi erant à Deo. Et subiicit num. 14. *Prædicabitur Euangelium regni in vniuerso orbe, & tunc veniet consummatio.* Deinde instituit sermonem de grauissima persecutione, qua Iudaicus populus Ecclesiam fuerat persecuturus: & num. 27. hæc addit; *Sicut fulgur exit ab Oriente,* B *& paret vsque in Occidentem: ita erit aduentus filij hominis. Vbicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur. Et tunc parebit signum filij hominis in cælo: & tunc plangent omnes tribus terræ. Et videbunt filium hominis venientem in nubibus, & mittet Angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos à quatuor ventis.* Huius capitis contextus plurimum negotij Doctoribus & interpretibus facessit. Luisius Legionensis notabat Christum duas distinctè res ab Apostolis fuisse rogatum; nimirum quando esset excidenda Hierosolyma: & quæ futura essent signa aduentus Christi ad iudicium: alterum nempe in illis verbis, *Dic nobis quando hæc erunt*, alterum in illis *& quod signum aduentus tui?* Christum porrò prius respondisse ad primum, deinde ad alterum. Hæc tamen distinctio non video, quam possit congruenter ad textum accommodari, in quo magna potiùs videtur esse confusio. C

Matthæi cap. 24. quo pacto sit explicandus. dissensio apud auctores. Luisii Legionens. explicatio.

Aliter Maldonatus noster in hoc cap. num. 5. ex Augustino, epistola 80. & ex Hieronymo & Beda, vt ipse putat. Ait ergò, Christum diuino consilio (cùm Apostoli post Hierosolymæ excidium finem mundi actutum fore putarent) confusè de vtroque respondisse, sicuti Apostoli confusè interrogauerant: prudentis tamen esse lectoris, subtili coniectura distinguere, quæ de mundi fine, & quæ de Hierosolymitana euersione dicantur. Ratio Maldonati est, ne Christiani post Hierosolymæ vastitatem in longum tempus expectationem porrigentes, nimis secun essent. Sed contra est, quia Petrus & Paulus expressis verbis opinionem illam ex fidelium mentibus euellere curarunt: eisque confirmarunt vniuersalis iudicij diem non tam citò futurum. Et in Apocalypsi mille pacis anni pronuntur post Ecclesiæ victoriam ante persequutionem Antichristi. D

Maldonati interpretatio.

Huic capiti 24. Matthæi respondet cap. 13. Marci. eandemque continet difficultatem. Respondet etiam eidem caput 21. Lucæ à v. 7. vsque ad finem. Et sic D. Lucas clariùs videtur describere primo euersionem Hierosolymæ, deinde aduentum Christi ad vniuersale iudicium. Videndus est etiam idem Lucas cap. 22. n. 30. vbi Christus agit de Hierosolymæ, excidio, & alludit ad illud Isaiæ 2. 19. *Introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis Domini, & à gloria maiestatis eius, cùm surexerit percutere terram.* Quibus verbis similia sunt, quæ scribit Oseas capite decimo versu octauo, ad quæ etiam respicitur Apocalypsi 6. 16. & cap. 9. 6.

Similes tractandi loci, similemque difficultatem apud Marcum & Lucam.

Præcipua horum locorum difficultas in eo videtur consistere; cur scilicet extremi iudicij signa atque prodigia

In quo sit præcipua difficultatis ratio.

Digitized by Google

digia cum Hierosolymæ aut aliarum etiam vrbium euersione copulantur? Et mea quidem sententia, huius quæstionis vera solutio ea est, quòd appositè agitur de diuinæ iræ signis & argumentis contra aliquam vrbem, per comparationem ad eam vindictam, quam sub mundi finem Deus est de improbis sumpturus. Quod non est, ex vno sermone ad alium transgredi priore relicto, sed idonea vti comparatione ad ea, quæ Hierosolymis aut Babylone euentura sunt, mirificè exprimenda. Addo etiam in nonnullis superiorum locorum non opus esse singillatim ad extremi iudicij diem, nec ad eius signa descensum facere. Nam in qualibet calamitate grauissima elegans metaphora est, quæ à solis & stellarum obscuratione, & ab aliis id genus rebus petitur. Vbi verò manifestò fit mentio diei iudicij. & signorum terribilium, quæ illum præcessura sunt: acoluthia & rerum consequentia exigit, vt ibi agatur de ira Dei in singulari aliquo supplicio per comparationem illius, quam aduersus sceleratos homines in mundi fine est ostensurus. Quod autem per comparationem dicitur, consequutionem non aliam postulat, quàm vt consentaneum sit ad eam rem, de qua præcipuus est sermo, ponderandam.

Auctoris explicatio ad Matthæi, & aliorum locos.

Ioëlis loci, qui diem iudicij sonant, quomodo intelligendi.

Ioëlis loci directè agunt, opinor, de eodem argumento, quod tractat Apocalypsis in sexto sigillo. Commiscet enim graues comminationes contra rebelles Iudæos cum spiritus copia & affluentia, quam Deus suis fidelibus est effusurus; nec non cum pèrfecta saluatione, quam ipsimet fideles in Sionæi montis incolis significati consequuturi erant per Iudaici populi persequutionem. Itaque vallis illa Iosaphat directè indicat Dei iudicium in Iudaici populi reprobatione, & Gentilis electione. Atque id sonat Iosaphat, *Dominus iudex*. Nec ideo nego expressam ibi fieri allusionem ad diem iudicij; at, qui allusionem siue comparationem affirmat, vtrumque confirmat sensum: cum comparationis proprium sit, duo extrema asseuerare, & vtrumque inter se conferre. Sermonem autem ibi esse directè de Gentium vocatione, planè indicat contextus: expende illa verba: *Fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum.*

Apostolorum interrogatio ad Christum, Quod signum aduentus tui? *quorsum facta.*

In capite illo 24. Matthæi, ea Apostolorum interrogatio, *quod signum aduentus tui?* propriè agit, vt existimo, de signo aliquo certo, quod possent Apostoli habere, vt cognoscerent appropinquare iam tempus, in quo Christus suam gloriam ostensurus erat in mundo; ita vt mundus ipse eum agnosceret, & adoraret. Nam prudenter arbitrabantur Hierosolymæ excisionem fore vnam ex his rebus, quibus Christus se ipsum erat mundo ostensurus. Quare directè respondet Christus, ante euersionem Hierosolymæ, famem, bellum, & pestilentiam futura. Illa autem verba, *Prædicabitur Euangelium in vniuerso orbe, & tunc veniet consummatio*, ipse in eo sensu accipio, vt vniuersalis prædicatio Euangelij ad omnes Gentes (id est, Gentium vocatio) coniuncta fore dicatur cum magna Dei seueritate in Iudaici populi reprobatione, & cum prophetiarum, quæ de illa agunt, complemento. Atque hoc ibi significat Consummatio in eo sensu, in quo Christus directè agit. Admonentur porrò fideles, ne se decipi sinant ab iis, qui dixerint, *Ecce hic est Christus*, aut *illic*. Quod perinde est, ac si eis dicatur, ne cuilibet cogitationi de Ecclesiæ temporali felicitate facilè credant, quam aliqui leuibus indiciis sibi erant persuasuri; temporalem enim & vniuersalem Ecclesiæ prosperitatem suo tempore affulsuram repentè, id est, tempore Constantini; *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem.* Priùs tamen horribiles fore persequutiones; præsertim illam à Iudæis excitandam, de qua propriè erat sermo; cùm persequutores furenter inuasuri erant Christianos. Id enim est, *Vbicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ*, id est, rapaces aues præda ac rapto viuentes. Post hanc autem tribulationem ait Christus subsequuturas esse cæli minas aduersus Iudaicum populum, id est, solis, lunæ, & stellarum obscurationem, stellarum casum, & cæli virtutum commotionem (vt explicuimus in sexto sigillo) ad hæc, Christi crucem in cælo maxima cum gloria susciendam; scilicet, cum ab iis fuerit adorata, qui ab infidelibus acerrimè vexati, constanter tamen in ipsius cultu ac veneratione permansuri erant, & eam Gentibus gloriosè prædicaturi.

Prædicatio Euangelij in toto orbe, & mox futura consummatio à Christo prædicta quo sensu accipienda.

Et tunc plangent omnes tribus terræ: id est, permulti vbique locorum & gentium ad Christi fidem traducentur: quemadmodum prædixerat Zacharias, & nos explicuimus Apocal. capite primo. *Et videbunt filium hominis venientem in nubibus*; hoc est, in nubibus prædicationis aduenier Christus suam gloriam vniuerso orbi ostensurus. *Et mittet Angelos suos cum tuba*, id est, suos concionatores cum tuba prædicationis Euangelicæ. *Et congregabunt electos à quatuor ventis*, scilicet eos prædicatione ad Christi fidem conuertent.

Qua ratione omnes tribus terra dicantur plorature.

Hunc esse arbitror directum contextus ordinem ac seriem, vt facilè agnoscent, qui expenderint Zachariæ locum, de quo Apocal. 1. Hac etiam ratione explico cap. decimum tertium Marci, & cap. vigesimum primum Lucæ. Cui verò à communi horum locorum intelligentia recessisse videbor, aduertat obsecro, me non alias negare expositiones; sed indicare solùm qua ratione existimem contextus difficultatem eleuari, in sensu sapientia Christi dignissimo, & iuxta Zachariæ mentem, quo respicitur. Præsertim cùm in mea hac explicatione includatur allusio, & comparatio ad diem iudicij, & eius signa: atque adeò aliorum explanatio in mea comprehendatur, ablata tamen contextus difficultate, & explicato mysterio allusionis ad diem iudicij. In quo facilè insuper cernitur, de re adeò sublimi, & in promissione de conuersione Gentium oportuisse vt ænigmaticus haberetur sermo propter eandem rationem, ob quam decuit de Romæ conuersione occultè agi.

Nostra hac expositione aliorum explicationes excludi.

Et ne quis existimet me huius expositionis esse primum auctorem, videat, quæso, lector quæ notat Forerius Isaiæ capite quarto, versu quadragesimo primo, vbi ait, omnia illa, quæ in Euangelio multi existimant nonnisi de fine mundi intelligi posse, à prudentibus manifestè percipi priùs de alio iudicio Domini intelligenda esse (nempe in reprobatione Iudæorum) ac deinde tanquam in typo de vltima orbis vastatione. Constat autem alia esse in Euangelio loca, in quibus directè & primariò agitur de iudicio vniuersali; non per allusionem, sed per se primò, vt Matth. 25. fine, & 1. Corinth. 15.

CAPITIS

CAPITIS VII.

PROLOGVS,

SIVE

NOTATIO I.

De scopo visionis, quæ in hoc capite continetur.

Capitis 7. visio vtrum ad sextum sigillum, an ad septimi pertineat.

IN ipso huius cap. aditu atque vestibulo dubium occurrit, vtrùm in eo continuetur figura seu repræsentatio sexti sigilli, quod extremum fuit cap. sexti? nam c. 8. incipit sigilli septimi repræsentatio. Respondeo euidens esse meo iudicio figuram sexti sigilli in 6. cap. fuisse absolutam. Oportuit tamen confecto iam sexti sigilli signo, priusquam ad septimi signa deueniretur. hanc capitis septimi visionem inseri: quæ licet primo aspectu videatur esse digressio; non tamen est. Etenim iuxta diuinæ prouidentiæ ordinem ac rationem, quod in sigilli septimi visione continetur, executioni mandari non poterat, quoad significatum visionis cap. 7. præcessisset.

Num ad sigillum septimum pertineant septē tubarum plagæ, necne?

Quod vt exponam, statuendum inprimis est, licèt Beda, Rupertus, Pererius, aliique Neotetici septem plagas tubarum non existiment ad sigillum septimum pertinere, sed solùm dimidiæ horæ silentium; contrariam tamen sententiam (quam Ribera & communior consensus complectitur) mihi esse certissimam. Nam cùm sigilli quinti mysterium sit Dei patientia, qua Iudæos expectauit antequam seuerissimè in eos animaduerteret; cumque sextum sigillum contineat horribiles comminationes, quæ supplicium ipsum antegressæ sunt: rerum series & consequentia flagitat, vt sigillum septimum contineat seueritatem, qua Iudaicus demum populus fuit punitus. Quæ seueritas non quidem figuratur in cæli taciturnitate, sed in septem plagis: quantumuis ab ipso cæli silentio plagæ duxerint initium, vt suo loco explicabitur. Porrò septem plagæ sunt, Fames, Bellum, Pestilentia, Ignorantia. Concupiscentia, Ira, & Obduratio: vt in earum explicatione planum fiet.

Pars affirmatiua præfertur.

Ostenditur visionem 7. capitis ad septimū spectare sigillū, & quasi præuiam dispositionem præmitti.

His ita præstitutis, cùm Christianus populus sub ipsa Ecclesiæ nascentis exordia esset Iudæorum plebi ita admistus; vt non eorum vicini modò, sed etiam eorundem tectorum cohabitatores essent; diuinæ iræ in Iudæos immissę torrens videbatur Christianos etiam secum vnà tracturus. Nam fames saltem, bellum ac pestilentia eiusmodi plagæ sunt, quæ vbi vrbem, aut regionem inuaserunt, nemo possit (præsertim pauper & afflictus) ab earum vi atque impetu se saluum & incolumem præstare. Quapropter, cùm vna ex parte iustitia exigeret, ne pœnæ improborum ampliùs proferrentur, ex alia verò amicorum saluti cum improbis ipsis permistorum consuli oporteret; altissimo consilio Deus id fieri statuit, quod in euentis similibus recta prudentia dictat præstandum. Hoc autem fuit, vt certum quoddam signum amicis imprimeretur: vt vindex exercitus ita in scelerato & improbos sæuiat, ne quis amicorum, qui illa nota fuerit insignitus, simul etiam cum hostibus occidatur. Idem accidisse videmus Exod. 12. cùm Deus Angelum missurus, vt Ægyptiorum primogenios filios internecione deleret, iussit priùs signum quoddam in Hebræorum domibus imprimi, ne simul cum hostibus trucidarentur. Atque ita dicitur num. 13. *Erit autem vobis sanguis in signum in ædibus, in quibus eritis: & videbo sanguinem, & transibo vos: neque erit in vobis plaga dispergens, quando percussero terram Aegypti.* Simile est, quod figurarum etiam fuit in Ezechielis visione cap. 9. Cum

Allusio in Apocalypsi ad Exodi, & Ezechielis locos.

A enim Deus sex angelos mittere decreuisset, vt maximam in Hierosolyma stragem ederent; præmisit quendam, qui populi peccata deplorantes signaret: deindè num 5. dicit: *Transite per ciuitatem, & interficite vsque ad internecionem. Omnem autem, super quem videritis Tau, ne occidatis.* Ad horum locorum vtrumque respicitur in hoc capite 7. & quemadmodum amicorum designatio vindictam de hostibus sumendam antecedit Exodi 12. & Ezechiel. 9. ita etiam opus fuit, vt septimi sigilli visionem (quæ continet seueriſſimam vindictam de Iudæis Christum respuentibus sumptum) præiret eorum designatio, qui Christum eiusque fidem receperant: ne ros plagæ contingerent. Et hoc est, quod septimi capitis visio comprehendit.

Quid propriè in 7. continuatur figillo.

B Allusio hæc manifesta huius capitis septimi ad duodecimum Exodi, & ad nonum Ezechielis clarè satis ostendit, in septimo sigillo includi debere vindictam, qua Deus in Iudæos improbos animaduertit, atque adeò septem plagas ad septimum pertinere sigillum: cum sine illis nihil in eo sigillo remaneat, quæ acerrimam hanc vindictam à Deo de suis hostibus sumptam nobis ob oculos ponant. Vnde & superuacua fuisset amicorum designatio, antequam septimum sigillum resignaretur.

In aliqua tm septem plagis exprimi, quod in cæteris sit subaudiendū.

Hoc idem non leuiter corroboratur, si aduertamus, in aliqua huiusmodi plagarum exprimi, quod in ceteris haud dubiè est subaudiendum; nimirum plaga illa non alios lædi homines, præter eos, qui Dei viuentis nota signati non sunt. Vide cap. 9. 4. *Præceptum est locustis, ne laderent fœnum terræ, neque omne viride, nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis.*

C Eadem insuper allusio non obscurè ostendit, minimè collineare illos, qui amicorum designationem in hoc capite non eo tendere aduertunt, vt à septem tubarum plagis amici ipsi designati eximantur. Quare non videtur ad rem explanatio Ambrosij, qui cap. hoc 7. explicat de cohuersione Gentium, nec Aureoli & Lyrani interpretatio, qui cap. hoc de Ecclesiæ felicitate sub Constantini tempus intelligunt, neque expositio Andreæ, Bedæ, Dionysij, Riberæ, & Pererij, qui Ecclesiæ felicitatem post Antichristi persecutionem hic prædici volunt. In qua explicatione miror nonnullos referentes septimi sigilli mysterium ad quietem Ecclesiæ post Antichristi necem, non animaduertere, iuxta suam ipsorum declarationem, cap. 7. perperam ante septimum sigillum poni.

Reiiciuntur aliorum explicationes de capitis 7. argumento.

Visionis cap. septimi scopus.

D Alia septimi huius cap. expositio est de prædicatione Euangelij: quam sequuntur Primasius, Haymo, Ansbertus, Anselmus, & Richardus: quæ tamen interpretatio nihilo aptior est, quàm præcedentes. Nam Euangelij prædicatio omnibus sine discrimine proponitur, & amplectentibus Christum, & reiicientibus: atque huius cap. visio nobis ostendit signum, quo Deus Iudæos Christi fidem recipientes à non recipientibus discreuit; ne plagæ in obstinatos inferendæ pios ac fideles contingerent. Quòd verò septem tubarum plagæ sint illæ, quas immisit Deus in Iudæos Christum recipere nolentes; id & consecutio, & apta applicatio planum facient, & grauissima persuadet auctoritas, vt in horum commentariorum prolegomenis ostendimus. Vbi autem statuatur semel, septem plagas esse eas, quas Deus in Iudæos Christi respuen-

Digitized by Google

respuentes effudit; non video qui possit dubitari, cap. 7. scopum eò tendere. vt primitiui Christiani peculiari nota insigniantur, quò plagarum exercitus indemnes eos & intactos prætereat.

Quomodo sit verum, Christianos fuisse signatos, ne illos plagæ contingerent.

Suboritur tamen hîc quæstio alia. Quo scilicet pacto sit verum, Christianos primigenios fuisse signatos, ne illos plagæ constringerent. Etenim illud saltem videtur certum, famem, bellum, ac pestem Christianis A minimè pepercisse. Ad hoc respondet Paulus ad Rom. 8. 1. *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo* IESV, *qui non secundum carnem ambulant.* quasi dicat: Nihil spiritualibus viris nocet. Quare licèt fames, bellum ac pestis eos videantur lædere; re tamen vera nihil eis afferunt detrimenti, vt ipsimet spirituales viri probè norunt; & nonnihil explicabitur in declaratione signi, quo primitiui Christiani sunt inscripti.

NOTATIO II.

De renouato miraculo, quo Deus Israelitas ab Ægyptiis diuisit.

Terram Gessen, vbi Israelis filij habitabant, ab Ægyptiacis plagis fuisse immunem.

COmmendatur in sacris Literis tanquam res mira, B quòd plagæ à Deo in Ægyptios immissæ, terram Gessen, quam filij Israëlis habitabant, minimè attigerint. Legatur Exodi 18. 28. *Faciam mirabilem in die illa terram Gessen, vt non sint ibi muscæ*: similiter cap. 9. 4. *Faciet Dominus mirabile inter possessiones Israël, & possessiones Aegyptiorum: vt nihil omnino pereat ex ijs, quæ pertinent ad filios Israel.* Hoc autem fuit in plaga quinta. Item cap. 9. 26. *Tantùm in terra Gessen, vbi erant filij Israel non cecidit grando.* & cap. 10. 23. in tenebrarum plaga ait textus; *Vbicunque autem erant filij Israel, lux erat.* Id quod Sapiens magis adhuc ponderat, Sapientiæ 18. 1. *Sanctis autem tuis maxima erat lux.* In plaga tamen decima Exodi 11. 7. *Vt sciatis, quanto miraculo diuidat Dominus Aegyptios & Israel.* Idemque in ceteris omnibus plagis accidit. Semper enim, quæ à plagarum ictu fuit eximia, erat terra Gessen, vt habetur Exodi cap. 8. 22.

Quomodo miraculum illud in terra Gessen pro filiorum Israelis incolumitate patratum sit in primitiuorum Christianorum liberatione iterauratum.

Quemadmodum igitur plagæ, quibus Deus Ægyptios perculit, in iis sunt plagæ instauratæ, quas conC iecit Deus in perfidam Hierosolymam (quæ appellatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus, Apocal. 11. n. 8.) Non aliter fuit etiam innouatum grande illud miraculum, videlicet quòd plagæ in impiam Hierosolymam (quæ appellatur spiritualiter Ægyptus) à Deo missæ Christianos in eâdem vrbe commorantes, id est, veros & spirituales Israëlitas omnino non læderent. Atque vt huius rei & discriminis manifestum daretur documentum; statuit diuina prouidentia, vt fideles quotquot per totam Iudæam dispersi & obstinatis Indæis admisti erant, ante Hierosolymæ obsidionem cælesti nutu Hierosolyma, atque adeò ex vniuersa Iudæa egrederentur. Ita asseuerat Eusebius lib 3. Historiæ Ecclesiasticæ. cap. 5. vbi asserit, illos omnes ad vrbem Pellam trans Iordanem commigrasse. Vbi notandum obiter est, famem ac pestem, quibus Deus in rebellem illum Iudæorum populum animaduertit, contracta fuisse & excitata ex bello, quo Titus & Vespasianus vrbem oppresserunt: vt ex Iosepho liquet lib. 7. Antiqu. cap. 17. & ex Eusebio superiùs citato lib. 3. cap. 5. Vt igitur Christiani diuino instinctu præmoniti vrbe & tota prouincia ante obsidionem decesserunt, sicque belli ingruentis discrimina effugerunt; ita etiam ex fame atque peste euaserunt. A ceteris autem plagis, Ignorantia, Concupiscentia, Iris, & Obduratione, dubium non est eos fuisse immunes. Itaque Christiani omnes, qui antea Hierosolymæ erant, ex septem illis plagis à Deo in Iudæos obstinatos immissis exempti fuerunt: ex fame verò, bello, atque peste non formaliter solùm (vt ita loquar) verùm etiam corporaliter euaserunt. Neque enim pestem illam, bellum, aut famem fuere perpessi: nam voluit Dominus manifestè perspici; plagas illas non contra veros Israelitas, sed contra Iudæos perfidos iactari.

Primitiuos Christianos ante Hierosolyma obsidionem vrbe egressos, in oppidum Pellam concessisse.

Quomodo primitiua Ecclesia Christiani è septem tubarum plagis euaserint incolumes?

Vrbis Pellæ etymon & mysterium.

Siue autem Orientalis illa ciuitas, quò perfugerunt Christiani, antea appellata fuerit Pella (plures enim vrbes huius nominis ponit Ptolemæus, & nonnullas in Syria:) siue Christiani ipsi hoc nomen indiderint ciuitati: vtcumque hoc sit, illud saltem mihi venit in mentem, diuinæ prouidentiæ in eiusmodi euentu placuisse; nimirum vt memoriam instauraret admirandæ illius operis, quo terra Gessen à plagis quondam AEgyptiacis fuit libera. Etenim *Pella* deriuatur à verbo *Pala*, quod significat separare, & mirabilem facere. Obseruandumque est, Exodi 8. 22. vbi nos legimus, *Faciam mirabilem terram Gessen*, pro *faciam mirabilem*, hebraicè legi *Hipeliti*: quasi diceret, ego illam faciam Pellam; ego diuidam & mirabilem reddam. Similiter cap. 9. 4. *Faciet Dominus mirabile*, hebraicè legitur *Hipela*, hoc est, *faciet pela*, faciet mirabile, & separabit. Adumbratur ergo non obscurè, hanc Christianorum fugam, & concursum ad vrbem Pellam (quod est, *Mirabilis separatio*) nec non diuinum decretum, ne eos plagæ contingerent, singulari fuisse mysterio ac plane mirabili ab ipso Deo dispositæ: quò respectus habetur ad illud, quod de terra Gessen tempore plagarũ AEgypti fuerat prædictum. Quod si ex Macedonica Pella prodiit Alexander ille Magnus, cuius animus ac mens ad totius orbis imperium aspirauit: ex Pella hac Syriaca non vnus aut alter, sed mille prodiere Alexandri; eo animi robore, ac fortitudine, vt mundum vniuersum præstantissima longè ratione subiugarent.

Præterea hispanica lingua (quæ ex Hebræorum communione hebraica aliquot vocabula accersiuit ac traD hit) nomen *Pella* significationem habet rei mirabilis, & coadunatæ separationis. Primùm enim hodie etiam Lusitani appellant *pellas*, iuuenculas portantium humeris mirabiliter saltantes: quod solemne erat in celeberrima feriarum Christi corporis pompa. Deinde nomen Pella Castellana tum lingua, tum consuetudine, tribuitur illi rei, quæ ex aliis separata vnitur in sese & coagmentatur, quod Latini massam vocant: sic dicunt Hispani, *Pella de yesso, pella de manjar blanco de nieue*, &c. vtraque ergo significatio ex hebræo est deriuata. Et fideles quidem inter se coniunctos, & ab impiorum Iudæorum commercio separatos Deus in Vrbe Pella reddidit plane admirabiles. Quod autem ciuitas illa fuerit Orientalis, peculiari mysterio non vacat: vt potest facile intelligi ex iis, quæ ad secundum versum dicemus circa illa verba, *Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu Solis*, &c. *dicens, Nolite nocere terra & mari, neque arboribus quoadusquè signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* Vbi videtur Angelus ex Orientali parte apparuisse, in qua vrbs Pella sita erat, ad Christi seruos designandos, & ab omni plagarum incursione etipiendos.

Pella quid Lusitana lingua, quid Castellana sonet.

Visibilis hæc & materialis diuisio, qua Deus primæuos illos fideles initio nascentis Ecclesiæ ab infidelibus seiunxit, congruentissima tunc fuit, cùm ob alias rationes, tum præsertim vt spiritualis figuraretur diuisio, quæ pluris ab Spiritu sancto fit, quæque per signum Dei viui, (de quo in hoc cap est sermo) efficitur. Atque hoc Dei viui signum non semper Christi seruos ex corporea fame, bello, ac peste subducit: semper tamen ab iis eosdem liberat, quatenus plagæ sunt: *quia nihil damnationis est in iis, qui sunt in Christo* IESV. Quapropter ex Apostolorum Actibus constat, aliam famem, quam Deus in Iudæam misit, ad fideles etiam se extendisse. Verum Dei viui signum illos inter se vnit & copulat: efficitque mirabiles, & ab infidelibus plagarum ictu percussis omnino separat.

Cur Deus visibilem illã Hebræorum fidelium ab infidelibus separationem ante Hierosolyma obsidionem detrusit.

TEXTVS.

Digitized by Google

A

TEXTVS.

Vers. 1. Post hoc vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos, ne flarent super terram, neque super mare, neque in vllam arborem.

COMMENTARIVS.

Quatuor terræ anguli num de vniuersa terra, an de sola Iudæa sint intelligendi.

QVOD de quatuor angulis terræ dicitur, forsan intelligendum est de quatuor Iudææ angulis: nam de eius euersione agitur. Vide Forerium Isaiæ 24. initio; vbi notat in eo cap. non esse sermonem de clade Gentibus afferenda, sed de vltima Iudææ pernicie, quanuis absolutè appelletur terra. Et in Apocalypsi quidem multò adhuc congruentior extat ratio. Nam terræ nomen (vt aliàs diximus) Iudæos denotat, & nomen maris Gentiles. Deinde, *Super quatuor angulos*, idem est, atque vnum Angelum in Oriente, alium in Occidente, in Septentrione alium, & alium in Meridie. Angulorum autem nomen ad huiusmodi locutionem fortè fundatur in eo, quòd consideretur quadrum aliquod, siue rhombus, cuiusmodi solet effingi ad acus nauticas, qui quatuor angulis constat quatuor ventorum partes prospectantibus. Similis ergo rhombus mente concipi videtur in tota Iudæa. Quam ad rem non opus est, vt terra ipsa in quadri figura protendatur; sed vt in illa possit huiusmodi concipi figura. Aut fortasse in Palæstina venti ex quatuor terræ angulis vehementiùs perflant, ad eosque habetur respectus. Nam vel ad ipsa nomina Orientis, Occidentis, Austri, & Aquilonis non desunt, qui obseruent, in ea regione considerari obliqua.

B

Anguli quomodo considerandi.

Veteribus quatuor tantùm ventos fuisse notos.

TENENTES QVATVOR VENTOS] Scriptura quatuor tantùm ventorum mentionem facit. Venti enim quatuor tantùm apud veteres (ait Plinius lib. 2. cap. 47.) Portò quòd Angeli dicuntur tenere ventos, ad perniciem spectare communiter intelligitur. Nam ex ventorum aspiratione pendêre dicunt terræ, maris atque arborum incolumitatem. De his autem quatuor Angelis textus ait, illis esse datum nocere terræ & mari, quod non aliter solet accipi, nisi cohibendo ventos, vt ne tantillum quidem spirent. Ex quo infertur, nec nauigari posse mari, nec aërem purum ac tenuem reddi, nec terræ fructus tempestiuam consequi maturitatem. Itaque textus significare videtur malaciam adeò ingentem, vt nec arboris folium mutaretur.

Quomodo quatuor angeli tenentes ventos nocere terræ dicantur.

Nihilominus multò conuenientius est, si intelligamus perniciem, quam terræ & mari erant illaturi, qui ventos inclusos tenebant, futuram esse ex vehementi ventorum impetu, & insano murmure: ita vt dimissi venti, atque adeò immissi furenter terram ac mare inuaderent, & sæuissimam excitarent tempestatem. Probatur hoc primò; nam quæ illis fuit ratio præscripta, vt parumper expectarent, donec Dei serui designarentur; hæc, inquam, ratio, ac iussum non eis præfinita sunt, postquàm probis & improbis damnum facere cœperant, sed anteà; vt persuadet ratio & exempla, ad quæ alluditur, (nempe Exodi 12. & Ezech. 9.) Ventorum ergo compressio nondum erat initium damni inferendi.

C

Secundò, quanuis malacia possit damnum aliquod indicare: eiusmodi tamen indicium nimis remissum est ac languidum; & multo est efficacior grauissimi damni repræsentatio in eo, quod venti laxis habenis immittantur; vt horrificas tempestates commoueant, & domos affligant, obruant naues, & arbores prosternant. Vide Danielis 7. 2. *Ecce quatuor venti pugnabant in mari.* Vbi perspicuum est, significationem esse maximæ tempestatis: ad eum modum, quo Virgilius Æneid. 1. eam elegantissimè describit, postquam Æolus furentes immisit ventos.

Tertiò, si in hoc loco speciatim sermo est de Iudæa; illius mare est mare Tiberiadis: in quo excogitari non potest malaciam grauis damni causam esse non posse. Nam remis impulsæ rates facile ad littus poterant appelli. Quartò verbum græcum κρατῶσι. in eo propriam significationis vim sortitur, qui molossum furentem ac rabidum retinet & comprimit; ne dimissus in alios impetum faciat. Quintò, si clades erat afferenda compressione ventorum; non apparet, cur post seruorum Dei designationem, damnum non sit ipsismet Dei seruis & familiaribus cum inimicis commune. Quòd si, vt Dei amicos permulceant, venti liberi spirare permittuntur; non igitur manent retenti atque constricti. Si verò intelligamus damnum ventorum crebrescentium vehementi flatu esse faciendum; tunc certè decorum apprime seruabitur; cùm illis furere ac sæuire non liceat quod serui Dei sint distinctionis notâ signati. Cùm nihil obstabit, quominus procellas excitent; quia illis simul præcipietur, ne signatos attingant.

D

Quatuor angelos veluti ventorum Æolos esse concipiendos.

Quod ergò dicitur, *Vidi quatuor Angelos tenentes quatuor ventos, ne flarent*; in primis indicat, quatuor hos Angelos esse velut quatuor Æolos ventorum dominos, sine quorum iussu venti immitti & concitari non poterant. Quare tenentes græcè est κρατοῦντας, id est, potentes, atque adeò tempestatum potentes, vt loquitur Virgilius.

Deinde hoc ipsum imperium in eo significatur, quòd ventos *Vinclis & carcere frænent*. Nam qui eos pro libito cohibere potest; poterit etiam cùm lubeat, dimittere, & per eos tempestates concitare. Ad hæc; quod textus ait, his scilicet quatuor Angelis datum esse nocere terræ, & mari, indicat his quatuor Æolis ventorum dominis permissam fuisse à Deo potestatem Iudæos acerrimè plectendi, siue mare ac terram conturbandi, id est, excitandi bellum inter Iudæos, & Gentiles) hoc enim futurum erat supplicij de Iudæis sumendi principium) mox tamen admoniti sunt, ne ventos impune volitare permitterent, quoad Dei serui essent signati.

Digitized by Google

Cur quatuor angelis ad hominibus nocendum designentur.

Aliquis opponet, ad Æoli officium quatuor Angelos esse bene multos. Ceterùm congruentius fuit, vt quatuor assignarentur, quàm vnus. Nam cùm venti ex quatuor mundi partibus perflent; consentaneum magis est, quatuor speluncas oppositas in quatuor angulis terræ confingere, quàm ventos omnes in eandem cum Virgilio detrudere. Priùs autem, quàm ad propriam horum Angelorum significationem perueniamus; aduertendum est, cùm repræsentatio hic sit quatuor Æolorum, recte appellatos fuisse Angelos: nam Angeli præsunt rebus corporeis, vt norunt Theologi. Cùm ergo Deus per Angelos infimum hunc orbem moderetur: ad eos præsertim spectat frænare ventos, aut laxare; & eos ad procellas excitandas immittere, vt diuinæ voluntati obtemperent. Quare non fictum omnino est in Angelis Æolorum officium. A

NE FLARENT SVPER TERRAM, NEQVE SVPER MARE, NEQVE IN VLLAM ARBOREM] Æolorum iniussu, id est Angelorum, venti nullo modo flant. Hic tamen potissimùm agitur de flatu vehementissimo & procellas excitante. Illa autem distributio supponit, furiosam tempestatem posse in vrbibus ædes prosternere, & homines afflictu opprimere, vt videtur apud Iobum 1.19. Et in mari quidem naues ac nautas submergit, & in agris arbores diducit, atque diuellit. Quæ omnia detrimenta ad homines ædium, nauium, atque arborum dominos redundant. Hoc tamen interest discrimen, nam ventus, qui aut domum euertit, aut demergit nauem, solet etiam sæpè homines simul correptos in eandem perniciem trahere: si verò conuellatur arbor, domini quidem aut possessioni, aut voluptati nocet, non tamen ideo ipsum ruinâ opprimit. Detinere ergo ventos, *ne flarent super terram, neque super mare, neque in vllam arborem*, est eos coërcere, nequid detrimenti inferant hominibus securiùs in terra degentibus, nec per maris fluctus periculosè nauigantibus, nedum eorum fortunis ac possessionibus. Atque hoc est detinere ventorum furorem, ne vllum, vel minimum, facerent damnum. B

Quid per 4. hoc loco angelos figuretur.

Aliorum opinio de 4. dæmonibus explicantiũ.

Sed veniamus iam ad præcipuam significationem, & videamus, an illi aptè deseruiat huiusmodi consideratio quatuor Æolorum in Angelis. Negabit fortasse aliquis. Nam significatio harum quatuor personarum, quæ ventos compressos tenent, iuxta communem opinionem refertur ad Dæmones, qui in Oriente, Occidente, Septentrione, ac Meridie (hoc est in omnibus mundi plagis) omni ratione hominibus nocere contendunt. Pro hac expositione Martinus Delrius in suis Magicis disputationibus lib. 2. quæst. 11. affert Clementem Romanum lib. 4. recognitionum, Hieronymum lib. 7. in Isaiam, Augustinum lib. 5. contra Iulianum cap. 3. præter Glossam, & plerosque interpretes. Atque ita hos quatuor Angelos putat ipse Delrius esse genios Alastores, hoc est, valde truculentos dæmones. Respondeo tamen huiusmodi declarationem non esse adeò certam & communem, vt nonnulli volunt. Nam præterquam quòd multi interpretes in his quatuor Angelis intelligunt infideles principes ac Tyrannoa, qui Euangelicæ prædicationi obsistebant, & Ecclesiam oppugnabant (ex quorum auctorum albo sunt Ambrosius, Primasius, Beda, Anselmus, Rupertus, Richardus, Ansbertus. Aureolus, Lyranus, Pannonius, Dionysius, & Viegas.) præter hos, inquam, sunt alij, qui probabile satis existimant non agi hic de malis Angelis, sed de bonis. Pro quo vide Riberam atque Pererium. C

Cuiusmodi fuerit tempestas per quatuor ventos in Iudæos excitanda.

Huiusce rei iudicium pendet ex intelligentia tempestatis, quæ per quatuor ventorum pugnam in præsenti adumbratur. In nostra declaratione necessarium est hanc tempestatem esse septem plagarum calamitatem, qua Deus Iudæos percussit obstinatos. Ideò enim Dei serui ante sigilli septimi visionem designantur, ne illos vel leuiter perstringant septem illæ tubarum plagæ. Necesse est ergo easdem illas calamitates, quæ posteà sub septem plagarum figura in Iudæos immissarum significantur, denotari etiam hic symbolo vehementissimæ tempestatis Iudæis ipsis impendentis. Quapropter si aduertamus, quinam fuerint præcipui diuinæ iustitiæ ministri in illo Iudæorum supplicio, (nempe fames, bellum, pestis, concupiscentiæ, iræ, obduratio,) illico perspicietur planè, qui sint in his quatuor Angelis, siue Æolis figurati.

Auctoris explicatio de quatuor angelorum significatione.

Hoc vt explicem affirmo in Iudæorum supplicio non esse consentaneum præcipuam illius exequendi administrationem dæmonibus demandari, sed Angelis. Licet enim diuina prouidentia dæmonum etiam ministerio vtatur, vtitur tamen illis, quasi inferioribus ministris, qui bonis Angelis subordinati sunt. Quòd verò Angeli dæmonibus facultatem dent, vt in homines efferentur, hæc eadem permissio est veluti superioris ad inferiores: atque ita non sunt dæmones præcipui ministri, sed cælestes Angeli. Præsertim cùm multa sæpè sint, quæ per se ipsi præstari velint boni Angeli sine dæmonis ministerio aut interiectu. Nec enim expediens est dæmones inuitos compelli ad ea præstanda, quæ ex mera permissione sibi facta alioqui minimè velint efficere. Atque horribile in hac vita supplicium Iudæorum Iesum Christum repudiantium, generatim loquendo, in infernarum potestatum bonum siue commodum nequaquam redundabat. Eapropter legimus Iudæorum gentis pœnas, quas Nabuchodonosoris interuentu repetijt Deus, cælestis hierarchiæ Angelis à sacra Scriptura tribui Ezechielis 43. 3. Nam currus visionis Ezechielis repræsentat cælestium Angelorum ministerium, vt suprà vidimus: textusque ipse ait, in eo curru Deum ad destruendam Ierosolymam aduenire. D

Occurritur difficultati, quæ contra præditam expositionem obyci potest.

Verumenimuerò non deerit, qui hic in difficultatem incurrat. Quî enim Angeli possunt Dei esse ministri in plagis omnibus suprà dictis? Nam etsi in fame, bello ac pestilentia facile intellectu sit. Angelos per se ipsos esse posse huiusmodi plagarum auctores, in ignorantia tamen, in concupiscentijs, in iris, in obduratione difficile id admodum apparet. Ceterùm, si res attentiùs perpendatur, in quatuor etiam plagis postremis fungitur Deus præcipuè cælestium Angelorum ministerio. Ad hoc autem opus non est, aliquid ab ipsis præstari suo muneri ac dignitati dissentaneum.

Nam

Digitized by Google

A Nam per subtractionem fauoris: quem exhibere solebant. per occasionum subministrationem, & interdum per solam permissionem, factâ dæmonibus potestate, facile est Angelos diuinæ iræ atque iustitiæ indulgere,& supplicij de sceleratis sumendi curam suscipere. Neque facit contra hoc, quod sancti Doctores dicere solent, Deum scilicet dæmonum ministerio vti ad pœnas à peccatoribus exigendas. Hoc enim ita intelligitur, vt eos sicut inferiores ministros & Angelorum potestati subditos vsurpet.

Quare cùm de quatuor illis Angelis, qui tenebant ventos, omnino sit sermo, tanquam de præcipuis ministris, in quorum potestate sint venti; rectiùs in illis intelligimus Angelorum cælestium potestatem. Ex eo autem, quòd in illis sit quatuor Æolorum repræsentatio; non petitur necessariò, vt significatio proprium aliquem Angelorum quaternarium respiciat. Nam numeri in symbolis atque ænigmatis sæpè figuræ ipsi deseruiunt; nec numeri eiusdem proportionem in re ipsa significata exigunt, vt vidimus tàm in viginti quatuor senioribus, quàm in quatuor animalibus capitis quarti. Quaternarius igitur conueniens hîc fuit in ipsa figura ad quatuor ventos aptiùs exprimendos. Cùm enim venti contrarij & oppositi quatuor sint: oportuit eos, in quorum erant potestate, quatuor Æolorum instar figurari, vt iam diximus. Significatio tamen est non ventorum sed mysticæ tempestatis Iudæis imminentis, quæ in septem posteà plagas dispertitur. Quare in ipsius ænigmatis sensu quærendi non sunt quatuor ministri in quatuor mundi partibus collocati: satis est Angelicam potestatem denotari, quæ aduersus Iudæos rebelles diuinæ prouidentiæ nutu erat septem indignationis plagas illatura.

Cur hic angelorum quaternarius inducatur?

B

Huiusmodi considerationi apposita est tempestatis diuisio in septem procellas seu nimbos. In quorum singulis rectè considerantur quatuor venti inter sese validissimo flatu congredientes, Hæc enim est propria coortæ tempestatis facies. Ad hæc cùm tempestas in ventorum conflictantium impetu significetur: hinc est quodlibet eorum suppliciorum posse vocari spiritum. Et certè hac ratione sermo est de ignorantia, quæ nominatur spiritus soporis Isaiæ 29.10.& spiritus mendacij, 3. Reg. 22. 23. quo etiam modo dici potest spiritus concupiscentiæ, spiritus iracundiæ, spiritus contumaciæ.

Ignorantiam appellari in sacris spiritum soporis & spiritum mendacij.

Cùm igitur statuamus, damnum per quatuor Angelos inferendum, esse idem, quod posteà in septem plagis indicatur: apparet mox non rectè existimari eiusmodi damnum ventorum retentione esse faciendum. Nam etsi in huiusmodi compressione nonnihil significari potest Fames, deficientibus ventorum flatibus, qui & tellurem tepefacerent, & fructus maturarent: bellum tamen aut concupiscentiarum atque iratum furor neutiquam potest malaciâ quantumuis maximâ denotari. Bona itaque ænigmatis explicatio euidenter ostendit, damnum illud non ventorum retentione, sed emissione esse faciendum. Et mox cernitur ad famis & aliorum suppliciorum significationem accommodatiùs desumi tempestatem, quàm malaciam. Huc spectat quod Theodoretus in caput 7. Danielis ait, similitudine quatuor ventorum inter se pugnantium adumbratos esse maximos tumultus & perturbationes quæ in exortu cuiusque monarchiæ extiterunt. Hæc ille, sed in præsenti agitur potiùs de tempestate illa, quæ Iudæorum regno finem quodammodo imposuit, hoc est, agitur de ingenti supplicio, quo Deus ipsos seuerissimè vltus est.

Ventorum non retentione, sed immissione damnum fore inferendum confirmatur.

C

Prætereà venti atque tempestates, quatenus instrumenta sunt, quibus diuina prouidentia ad hominum supplicium vtitur: rectè considerantur quasi animo atque consilio prædita. Sunt enim instrumenta, quæ angeli vsurpant sapientissimè. Quare in huiusmodi repræsentatione ventis tribui videtur intelligentia: quandoquidem supponitur illos à perfidis & obduratis pœnas sumpturos: nec tamen aliquid detrimenti signatis in fronte hominibus allaturos: neque id solùm, sed ne læsuros quidem arbores, quæ ad signatos spectant. Quod est, illis intelligentiam præbere, non solùm ad signatos à non signatis distinguendos: sed etiam ad cuiusque arborem dignoscendam Si quidem cùm mari, terræ & arboribus sint detrimentum importaturi, signatorum ne arbores quidem contingent.

TEXTVS.

Vers. 2. Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum
D Dei viui: & clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ & mari,

3. Dicens, Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.

COMMENTARIVS.

De angelo ab ortu solis ascendente varia Doctorum opiniones.

ANGELVM hunc, qui Ioanni visus est ascendere ab ortu solis, Aureolus & Lyranus applicant ad Constantinum: Victorinus & Gagneius ad Eliam, existimantes hîc haberi sermonem de Antichristi tempore. Et hac ipsa Antichristi cogitatione ductus ait Andreas, hunc Angelum non esse intelligendum de Christo Assertore nostro, aut de aliquo alio homine: sed de quodam Angelo, qui tunc fideles notâ peculiari signabit, & ab infidelibus destinguet. Atque idem sequuntur Ribera & Pererius. Multò tamen aliter explicârat Ambrosius, qui ait per hunc Angelum designari Christum Dominum eo tempore, quo in terris ante passionem suam admiranda opera patrauit. Primasius verò, Haymo, Ansbertus, Anselmus, Richardus, & Beda exponunt de Christo post resurrectionem suam mundum illuminante.

Huius quæstionis decisio pendet ex cognitione huius signi, quo Dei serui notantur. Et quanuis peculiariter

Digitized by Google

Quodnam sit Dei viui signum, quo serui Dei signantur?

peculiariter sit sermo de primitiuis Christianis, qui designati sunt, antequàm plagæ in pertinaces Iudæos irruerant; verùm tamen qua ratione Deus primitiuos Christianos hoc signo distinxit, alios deinceps complures designauit. Signum autem non est externum & quod oculis corporeis cerni possit, aut per cælestes ipsos Angelos fieri; sed proximè per Spiritum sanctum, qui per se ipse signo Dei viuentis eos notat, quibus semet liberaliter communicat tantâ diuinæ gratiæ affluentiâ; vt hæc ipsa eos eximat ab ijs plagis, quæ in hac vita ceteros Adami filios vexant. Atque hæc est Pauli doctrina, 2. Cor. 1. 22. *Qui confirmat nos vobiscum in Christo: & qui vnxit nos Deus, qui & signauit nos & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Et ad Ephesios *1. 13. Signati estis Spiritu promissionis sancto.* & cap. 4. 30. *In Spiritu sancto Dei signati estis.* Eodem ferè sensu explicat noster Maldonatus illud Ioannis cap. 6. 27. *Quem Pater signauit Deus*, id est, cui Pater auctoritatem dedit, efficiendo vt homo ille esset Deus, & vngendo illum Spiritu sancto, & inhabitante diuinitate declarando filium esse suum. Sic Maldonatus, & ait hanc esse veterum interpretationem. Quod ergo in ea spectat ad Spiritus sancti abundantiam, hoc est suo modo signum, quo Deus primitiuos Christianos discriminauit. Quare Christianos ipsos alloquutus ait Paulus, *signati estis*, &, *signauit nos Deus*. Cohæret itaque optimè, signatorum nomine eosdem Christianos primitiuos à Ioanne designari. Et ex collatione loci Apocalypseos cum locis Pauli fit planum, Paulum loqui de eiusmodi signo, quo serui Dei securi sunt à plagis in ceteros homines sæuientibus. Huiusmodi loquutionem non facilè infideles intelligent: nec etiam illi fideles, qui in Christum credentes, carnis adhuc appetitionibus habenas laxant. Qui verò non solùm Christum profitentur, sed etiam suis cupiditatibus seueras leges indicunt: his quidem compertum est ipso experimento, quod ait Paulus ad Romanos 8. 1. *Nihil damnationis*, (id est nihil damni) *ijs qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant.* Et sanè hoc est ingens Spiritus sancti miraculum, qui hominem ex carnali in spiritualem conuertit: qua commutatione illi cælestem quandam inscribit notam, vt nihil ei nocumento, vexationi, aut afflictioni sit. Latiorem huius rei explicationem spiritualibus viris relinquo, contentus interim verba Tauleri referre in eo opusculo quod vaticinij titulo designauit, fol. 671. *Signum* (inquit) *Tau in frontibus habent omnes, qui per fidem Christi viuam in quodam melioris vitæ initio atque profectu inuenti fuerint: atque ij erunt immunes ab his plagis, quas Ioannes describit cap. 9. sub obscuris quidem verbis, sed luce clarius à beata Hildegarde detectis.* Hæc ille. Ac licèt ipse beatæ Hildegardis declarationem in eius operibus non reperiam: inter viros tamen spirituales à pueritia educatus certò scio, spirituales homines virtutum laude cumulatos ab illis septem plagis esse liberos: nempe à Fame, Bello, Pestilentia, Ignorantia, Concupiscentijs, Furijs & Obduratione. Nam quod in tribus primis est plagæ, eos nequaquam attingit: nec fame conflictantur, aut persequutione, vel peste. Quin etiam hasce omnes ærumnas, aliasque persimiles patienter tolerant, fortiter superant, deuorant auidissimè. Quamobrem non solùm non anguntur, sed etiam gloriantur in tribulationibus cum Paulo. Ex plagis autem postremis ne vmbra quidem ad eos accedit. Certum verò est, non aliud esse signum quod eos ex his plagis eripiat, nisi spiritus Christi abundantiam.

Quinam hoc Dei signo signentur.

Quomodo iustos nulla ex septem plagis contingat.

Angelum ab ortu solis ascendentem nec de Elia, nec de Constantino commodè posse exponi.

Quis dictum figuretur in hoc angelo.

Ex hactenus dictis colligo, valdè ab scopo aberrare eos, qui Angelum ascendentem ab ortu solis de Elia, aut Constantino explicant: aut etiam de singulari aliquo Angelorum. Quia nemo horum potest Dei seruos prædictâ notâ signare. Reliqua autem omnia signa, hoc si excipias, parui momenti sunt. Hoc vnum etiamsi à reliquis segreges, potens est ad homines ab omnibus plagis liberandis. Ideoque non dubito sermonem hîc esse de spirituali signo, de quo Paulus. Adhuc tamen nondum explicaui, quis sit ille Angelus, qui visus est ascendere ab ortu solis. Dico ergo, inter eas opiniones, quas suprà retuli, illi solùm manere verisimilitudinem, quæ communior est: scilicet opinioni Bedæ, Anselmi, Ansberti, Richardi & aliorum; qui aiunt per illum Angelum designari Christum post suam resurrectionem mundo cæleste lumen impartientem, siue illum illuminantem; illuminationis tamen nomine debet intelligi abundantior Spiritus sancti communicatio. Hæc enim diuini Spiritus lux est, quæ homines à plagis omnibus reddit securos: eademque est gratia, quæ ante Iesu Christi resurrectionem non suppeditabatur hominibus; iuxta illud, *Nondum erat Spiritus datus; quia Iesus nondum erat glorificatus.*

Posse præterea in eo Spiritum sanctum figurari.

Quinimò ipsam Spiritus sancti gratiam.

Deinde assero, eodem sensu manente, & sine vlla Christi gloriæ imminutione, idoneè intelligi Angelum illum ascendentem ab ortu solis esse ipsam Spiritus sancti personam, adeò se ipsam fidelibus communicantem; vt eos signare dicatur, & ab omni plaga liberos incolumesque præstare. Imò verò ipsa Spiritus sancti gratia, quæ formaliter eos signat, percommodè intelligitur in Angelo repræsentari; quemadmodum in quatuor primis sigillis vidimus personarum dari figuras Fidei, Audaciæ, Paupertati & Morti; scilicet per prosopopœiam, quæ formæ tribuere solet efficientis figuram. Qui loquendi modus, vt existimo, congruentior est Apocalypseos loquutioni. Nam nec Christo, nec Spiritui sancto aptè quadrat illa loquendi ratio; *Quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* Ipsi autem Spiritus sancti gratiæ non perperam aptatur, cùm aliquid creatum sit.

Quid sit, angelum ascendere ab ortu solis.

Illa autem verba, ASCENDENTEM AB ORTV SOLIS] videntur significare, huiusmodi Angelum, qui fideles designat, illis veluti nouam esse lucem repentè obortam, & simul cum illis crescentem. Hoc enim significatur in eo, quòd Angelus prodeat ab Oriente, iuxta loquutionem illam Hester 8. 16. *Noua lux oriri visa est.* Et Prouerb. 4. 18. *Iustorum autem semita, quasi lux splendens, procedit & crescit vsque ad perfectam diem.* Vide etiam Malach. 4. 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ; & sanitas in pennis eius.* Denique nasci ab Oriente, siue prodire idem est, ac exoriri tanquam verum solem ad eos illustrandos, qui in tenebris & vmbra mortis sedent.

Vtrùm primitiui omnes Christiani fuerint illa Dei viui nota insigniti?

Obijciet nonnemo, iuxta ea quæ prædiximus, signum de quo hîc sermo inducitur, esse illud, quod homines efficit spirituales ac verè pios. Quod si ita est, verum non erit, primitiuos omnes Christianos

Digitized by Google

A Christianos fuisse nota illa distinctos: certum namque est inter eos degere aliquos minimè in virtute roboratos, sed debiles potiùs & imbecillos. Respondeo tamen, aliud esse agere per distributionem, Logicorum more, de eo quod in omnibus & singulis verum tenet: aliud verò loqui de Reipublicæ alicuius statu, attentis ijs, quæ in eiusmodi Republica communiter & vniuersè fieri ac seruari solent. Exempli gratia; In religiosa aliqua familia, siue religiosi ordinis magno cœtu vix vnquam verum erit, quotquot in eis degunt, spirituales & perfectos esse viros. Nihilominus tamen licèt nonnulli apud eos reperiantur minus perfectè, addo etiam, prauè ac nequiter in diuini obsequij via se gerentes: si tamen communis viuendi ratio perfectionem virtutis & sanctimoniæ affectat; iure quidem optimo asserimus illum religiosorum hominum conuentum pium esse ac sanctum. Itaque cuiusuis cœtus siue Reipublicæ laudes ipsum commune respiciunt; id est, generalem atque communem vniuersitatis illius statum, alioquin nulla mortalium congregatio posset meritò laudari. Quapropter, cùm caput hoc egregium atque mirificum primitiuæ Ecclesiæ elogium contineat; nihil obstat, quod de nonnullis obijcitur. Etenim, si primitiuæ Ecclesiæ status attendatur, & communis illius professio & obseruatio, verissimè de primoribus illis Christianis dici poterat, eos esse copiosa Spiritus sancti gratia signatos; vt Paulus loquitur *Signati vestis*, ad Christianorum communitatem dirigens sermonem. Et quælibet sanè religio, quantumuis in primo institutionis feruore strenua ac diligens, iure optimo se modò fælicem reputaret, si in ea perfectionis studium efflorescceret, quemadmodum apud primitiuos illos Christianos tunc vigebat: quando scilicet *erat credentium cor vnum, & anima vna*, qui proinde primitias Spiritus accepisse dicuntur. Quòd si persequutionum tempore, qui veros se Christianos propalam ostendunt ac profitentur, ij fere summæ in Deum charitatis ac sanctimoniæ esse solent: quid tunc feruidis illis & strenuis athletis accidisse putamus; cùm vna ex parte persecutionis æstus efferuescens tot tamque horribiles excitabat procellas; ex alia verò copiosa & affluentia Spiritus sancti dona cælesti eos gratia delibutos roborabant?

Quo sensu dici possent primitiui omnes Christiani fuisse signati.

B His accedit, hanc ipsam totius communitatis laudem admonitioni & cohortationi esse posse illis, qui à primo spiritus studio & contentione desciscunt, nec ad communem suorum perfectionem aspirant. Hi enim inde sibi possunt elicere, si diuini Spiritus instinctui & occultis motibus acquiescant; se etiam fore signatos, quemadmodum reliquos, & à plagis sibi interim nocentibus euasuros.

HABENTEM SIGNVM DEI VIVI] Dictum est iam superiùs, epithetum Viui, aut Viuentis Deo tribui in Apocalypsi, tanquam vitæ fonti & auctori. Quare, cùm de Spiritus sancti signo agatur: rectè & proprie nuncupatur signum Dei viui. Est enim epithetum Spiritus sancti proprium, esse *viuificantem* (vt habetur in Nicenæ Synodi symbolo) atque adeò illius proprium est eripere à morte & à plagis quæ ad mortem tendunt.

Cur signum Dei viui dicatur.

C

ET CLAMAVIT VOCE MAGNA QVATVOR ANGELIS] In hac ipsa figura opus fuit magna vocis contentione, vt à quatuor Angelis in quatuor angulis Iudææ positis exaudiri posset. Hæc autem ingens vox denotat, idem esse imprimere Deum illam suis seruis notam: ac præcipere plagis omnibus, ne signatos perstringant: idque ita præcipere, vt omnibus plagarum ministris eiusmodi imperium innotescat.

Quid significet magna hac Angeli clamantis vox.

Vers. 3.

NOLITE NOCERE TERRÆ ET MARI NEQVE ARBORIBVS: QVOADVSQVE SIGNEMVS SERVOS DEI NOSTRI] Quod attinet ad repræsentationem, iubentur Angeli expectare: donec serui Dei sint signo distincti. Perspicuum tamen est re ipsa nihil esse expectandum. Nam copiosa Dei gratia, quæ ipsos effecit sanctos, eosdem etiam signauit. Quamobrem, cùm expectare iubentur, reuera admonentur atque iubentur attentè inspicere, & signatos à non signatis discernere: ne signatorum aliquem attingant. Atque vt significetur amicorum signum effusioni iræ antecedere: iræ ipsius ministri inducuntur opperientes, quoad Dei serui designentur: nec interim ventorum impetum solui permittunt, ne quid detrimenti Dei serui capiant. Hoc verò non est aliud, quàm nullum esse periculum, vt plagæ signatis noceant.

Quo sensu quatuor angeli expectare, & à maris ac terræ nocumento parum per abstinere iubeantur.

Quod dicitur plurali numero. *Quoadusque signemus*, non ita est intelligendum, vt diuinæ tres personæ loquantur. Neque enim dicerent, *Seruos Dei nostri*. Nec quia multi erant angeli Dei seruos designaturi. Nam, vt iam vidimus, hoc signum non ab angelis imponitur. Superest ergo, vt sit modus loquendi, in quo plurale pro singulari vsurpetur. Aut forsan significatur, ipsam impendentis calamitatis speciem vnà cum gratia Spiritus sancti deseruire ad designandos Dei seruos, eosque confirmandos, nequid detrimenti capiant. Certè Christus Dominus, propositâ suis seruis specie calamitatum adiecit: *Respicite & leuate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra.*

Quo sensu dixerit angelus signemus in plurali numero.

D

IN FRONTIBVS EORVM] Existimabit aliquis verbis huiusmodi nos cogi, vt signum, quo Angelus seruos Dei signaturus erat, diuersum esse credamus à Spiritus sancti signo. Nam eadem diuini Spiritus gratia non frontes signat, sed corda: iuxta id 2. Cor. 1. 22. *Signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Deinde, hoc in loco, alluditur ad signum Tau, de quo Ezechielis 9. 4. & ad signum, quod in Iudaicarum domorum postibus imprimi iussit Deus Exodi 12. 7. Vtrumque autem signum crucis habebat formam, vt videbimus notatione sequenti. Quare videtur necessariò dicendum, hoc Apocalypseos signum esse crucis, qua se Christiani aduersus ingruentia pericula & calamitates armant: vt late Gretserus noster in suis de cruce libris.

Quomodo Dei serui in frontibus signari dicantur.

Respondeo, receptam Christianorum consuetudinem muniendi se signo crucis sanctissimam esse cærimoniam, vt maximi præsidij, adiumentique ad fugandos Dæmones, & ad impetrandam à Deo opem in grauissimo quouis discrimine. Externa tamen crucis nota non nos à famis, belli, ac pestilentiæ plagis omnino præstat incolumes: nisi cum interiore Spiritus sancti signo consocietur.

Digitized by Google

A cietur.De quo signo loquitur Paulus.Ceterùm fuit nihilominus valde conueniens,vt ad diuini spiritus efficaciam explicandam diceretur, *Quoad vsque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum*. In primis enim maximè oportuit, vt apponeretur signum, vbi valde esset notabile. Quo insinuaretur, quemadmodum nota fronti in scripta occultari non potest: non aliter diuinæ seueritatis, & plagarum cælestium ministris abscondi minimè posse eum, qui diuini Spiritus nota sit insignitus, vt eum intactum prætermittant. Secundò, decuit etiam signum in fronte exarari; vt huius loci proportio & conuenientia cum illo Ezechielis 9.ostenderet, huiusmodi signum sancti Spiritus esse illius signi mysterium, quod in frontibus imprimi fuit iussum apud Ezechielem. *Cur frontis potissimùm signanda mentio fiat?*

Tertiò, copiosa diuini Spiritus gratia est, quæ mysticè crucis signum in seruorum Dei frontibus infigit. Non solùm, quia hoc signum eos efficit tutos ac securos; sed etiam, quia hoc in eis præstat per publicam Christianæ religionis & Iesu Christi imitationis professionem. Quod autem homo aliquis publicè profitetur, hoc quasi in fronte videtur inscriptum præferre. Quod si Spiritus sancti gratia est, quæ Dei seruo animos ac vires addit, vt se Christianum esse & crucis sectatorem & contemptorem carnalium appetitionum glorietur, ad efficacitatis huius significationem eleganter repræsentatur,interius Spiritus sancti signum esse,quod externam crucis notam ad frontem proferat. Et quidem perfectior modus muniendi se signo crucis eiusmodi debet esse, vt viuâ fide ad Christi
B crucis imitationem & religionis Christianæ professionẽ aspiremus. Nam qui hac ratione se stigmate crucis muniunt, næ illi Iesu Christi sanguine se signant, & sibi crucis signum in fronte inurunt. Quo pariter signo spiritus Christi ipsos notat; & hac ratione illi remanent immunes ac liberi à plagis in improbos ac sceleratos immittendis.

Denique in illis verbis, *Quoadusque signemus seruos Dei nostri*, fortassis agitur de hoc signo tanquam de stigmate in fronte serui inusto. Et sanè pereleganter significatur, huiusmodi notas siue stigmata, quæ homines diuino obsequio mancipant, esse veræ libertatis signum, & exemptionem ab omni plagarum impendentium damno. Ideoque tantoperè gloriabatur Paulus stigmata Domini Iesu se in corpore suo portare. *Qua ratione sit hoc Dei signum concipiendum.*

NOTATIO III.

De crucis figura in signo illo, de quo Ezechiel cap. 9. & in sanguinis signo super vtrumque postem, Exodi 12.

Ezechielis Tau de crucis signo intelligendum, ex Catholicorum omnium sensu.

QVOD dicitur Ezechielis 9. 4. *Signa Tau super frontes virorum gementium abominationes terra*: d omnes Catholici de signo crucis interpretantur ex auctoritate Hieronymi,qui ait, *Antiquis Hebræorum literis, quibus vsque hodie Samarita vtuntur, extrema Tau crucis similitudinem habet.* Et in Vaticana editione LXX. refertur Origenes affirmans se ex Hebræo quodam ad Christi fidem traducto didicisse, in antiquis elementis ipsum Tau habuisse Crucis similitudinem. *Hæreticorum pro-uersia crucis signum in Tau irridentium.* Sed irrident nos hæretici: & ostendunt antiquum Hebræorum alphabetum,quod extat hodie & habetur in bibliotheca Vaticana ex antiquis nũmis & lapidibus descriptum; vbi patet non esse maiorem similitudinẽ inter extremam literam eius alphabeti & crucẽ,quàm inter anatem & catum. Respondeo tamen, Hieronymum esse testem omni exceptione maiorem:nec mirum esse, quod in lapidibus & nummis non appareat vsitatissima forma,qua antiqui Hebræi scribebãt Tau. Fieri enim potuit, vt alia esset communis forma; alia in nummis & lapidibus vsurpata;sicut in nostris literis hodie contingit.

C tiùs quàm in vlla alia Hebræi, Græci & Latini consentirent. Forsan etiam Hebræorum perfidia in odiũ crucis ab antiquo alphabeto eius figuram aboleuit; ne in Ezechielis loco, quidquam honoris videretur cruci deferri. Ceterùm quod Hebræi obliuione deleuerunt,aliæ nationes conseruant,quę in litera T. mutuum ab eis crucis signũ acceperant. Additque Marianus Victorinus in indice Hieron. verbo *Tau*, Æthiopas adhuc etiã crucis signum pro Tau litera scribere. *Aethiopes crucem pro Tau scribere.*

Ex hoc Ezechielis loco, & ex vitæ communione, quæ cum aliquibus ex Dei populo sapientissimis intercessit Ægyptijs,ipsimet Ægyptij fortassis acceperunt, vt iuxta antiquam traditionem inter sua hieroglyphica crucis signo vitam venturam significarent. In cuius rei recordationem ipsi etiam Pagani per quoddam illustre miraculum deuenerunt: vt refert Ruffinus lib.2.cap.29.Socrates lib. 5. cap.17. Sozomenus lib.7.cap.15. Suidas verbo σαυρὸς, Vide Cælium Rhodigin.lib.10.cap. 8.& Gretserum libro 1.de Cruce cap.51. Huc etiam spectare posset, quod nonnulli affirmant, nempe apud Romanos in notis militum T. fuisse sospitatis & incolumitatis signum: & sicut, Θ prænotatũ denotabat militem illum obijsse, ita T.significasse superstitem. Vide Isidorum lib. 1. Etymolog.cap. 24.& Stewechium ad cap.19.libr.2. Vegetij. Hoc non videtur verisimile Lipsio de recta pronunciatione cap.14. vbi suspicatur pro T. substituendum esse V. Quòd si mortui græca litera notabãtur,non video, cur viuos latina litera notauerint. *Apud Aegyptios,crucis figura vitam venturam significari solitam.* *Apud Romanos litera. T. vitalis, Θ vero capitalis.*

Probatur tamen Tau habuisse Crucis formam.

Quòd autem vltima Hebræorum litera *Tau* crucis formam antiquitus habuerit; vide Pradum Ezech. 9. ex Tertulliano,Clemẽte Alexandrino,Origene,Hieronymo, Ambrosio, Isidoro, & Seuero. Et Pradus suam ibi affert coniecturam (cui fauent hebraicæ & græcæ linguæ periti) ea autem est; quicunque id attentè obseruarit, cum clarè perspecturum, antiquum Hebræorum alphabetum esse nonnihil simile græco in characterum figura. Atqui græcè notum est, *Tau* formam habere crucis, non quidem commissæ, sed immissæ: sic enim appellari solet, quæ vtramque lineam seu virgam, quibus constat, non omnino consertam & transuersam habet.

Versio Syriaca Crucem pro Tau legens.

Prætereà Ioannes Grial in notis ad D. Isidorum, libro primo Etymolog. cap. 3. refert Syriacos Ezechielis 9. vbi nos legimus *signa Tau*, legere, *signa crucem*. ex Caninio in institutionibus linguæ Syriacæ. Vnde verisimile admodum est,Græcorum & Latinorum T. à veteri Hebræorum & Syrorum scriptura fluxisse;prouidente Deo,vt in huius literæ figura,po-

Obiectio contra nostram versionem de signo Tau.

Sed,vt ad Ezechielis locũ redeamus, obijciet fortasse aliquis, nostrum interpretem gratis transtulisse, *signa Tau*, vt ad crucem respiceret: quia vox hebraica *Tau*, quamuis possit designare vltimã alphabeti literã, frequentius tamen accipitur, vt nomen commune pro quo reddunt *signum*. Et manifestum est, ita in eo loco vsurpare Septuaginta interpretes. Respondetur non modo Hieronymum Ezechielis 9. & epistola 128. & in Isaiam cap.66. & Isidorũ de vocatione Gentiũ cap. 25.& posteriores Patres: sed antiquiores etiam codẽ modo accepisse, vt Tertullianũ lib.3.cõtra Marcionẽ, Cyprianũ ad Demetrianũ, Origenẽ hom.8.in diuer-

Responsio ad obiectionem simulque superiorum confirmatio.

Digitized by Google

fos Euangelij locos: facit etiam Theodotio, qui pro *signo* ibi vertit Tau, & de Aquila idem affirmat Origenes. Præterea inter opera Augustini, auctor libri de altercatione Synagogæ & Ecclesiæ, & inter opera Hieronymi quidam alius, qui habetur tom. 9. fol. 263. omnes isti expressis verbis aiunt, Ezechielem loqui de crucis figura sub nomine Tau. Quod etiam valet ad probandam similitudinem antiquæ litteræ Hebraicæ cum crucis figura. Vt vel hinc constet audaces nimiùm esse eos, qui eiusmodi similitudinem irrident. Vide Gretserum lib. 1. cap. 1. & lib. 4. cap. 8.

Argumentum ex auctoritate Septuaginta petitũ adiuuatur.

Ad auctoritatem LXX. interpretum respondeo, multa mysteria eos de industria celasse; & nomen signi, quo vtuntur, accipi posse pro litera, cuius nomen sonat signũ quæ est *Tau*; vt omnes in Hebraico alphabeto. Maneat ergo literam *Tau* apud Hebræos antiquos, & Græcos & Latinos significare crucem, cuius similitudinem gerit. Qua de re videndus Grial in Isidorum lib. 1. Etymolog. c. 3. vbi in huius confirmationem adducit Petrũ Diaconum & notat, propterea Missæ canonem ab ea litera incipere. Legendus etiam Mecherchius de prolatione Græcorum capite trigesimo primo.

De signo crucis super vtrumque postem, Exod. 12. 7.

TEXTVS ait, *Sument de sanguine Agni, ac ponent super vtrumque postem, & in superliminaribus domorum.* Et num. 23. *Transibit Dominus percutiens Aegyptios, cúmque viderit sanguinem in superliminari, & in vtroque poste, transcendet ostium domus, & non sinet percussorem ingredi domos vestras.* Vbi notandum est, posse non esse portas, sed vtrumque latus dextrum ostij, & liniendo sanguine integrum superliminare, & vtrumq; postem, huiusmodi formatur figura, Π. quæ est furcæ figura; & ea etiam interdum appellatur, opinor, crux à Latinis. Sed quia superius limen solet esse longius, quàm supradicta figura requirit, & vtraque ex parte nonnihil protendi: ideo obliniendo sanguine integrum superliminare, & vtrumque postem, duplex coniungitur Tau hac ratione; τ. Sed ad formandum duplex Tau non erat necesse integrũ superliminare oblinere: satis erat in extremis illius partibus qua ratione in margine figuratur. Ex quo intelligitur quod ait Hieron. Isaiæ 66. cùm agens de signo crucis, ait, *Hoc & postes domorum in Aegypto signabantur: quando pereunte Aegypto solus Israel mansit illæsus.* Quare quod quidam hæreticus ait (apud Gretserum lib. 1. de Cruce c. 4. 4.) Papistas fingere Israëlitas sanguinem Agni in modum crucis foribus illeuisse: si de perfecta Crucis figura loquatur, calũnia est; & ipse mendaciter fingit, quod nemo asserit: si verò de duplici Tau (in quo figura Crucis immissæ cernitur) Hieronymũ habemus auctorem, & forma ipsa postium, & superliminaris id persuadet; sol amq; displicere potest inimicis Crucis Christi: amicis enim notum est in coniunctione postiũ cum superliminari vestigium Crucis elucere. Atque ita ingredientibus per ostium templi, & contemplantibus in ipso ostio Christũ, (qui se appellauit ostium) & in postibus, vt dixi, crucem & salutem per Crucem allatam, occurrit protinus Dauidem simili deuotione dixisse Psal. 117. 20. *Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam. Confitebor tibi, quia factus es mihi in salutem.*



Hæreticorum calumnia.

Ex his ergo elicio, quemadmodum in Exodo & Ezechiele (ad quos locos fit allusio in signo Apocal. c. 7.) signũ Crucis erat illud, quod impressum & in postibus, & in frontibus fuit; sic etiã in Apocal. quod ad figurã attinet, idem etiam fuisse crucis signum; significationem tamen eam, quam superiùs diximus. Demũ signum illud apud Ezechielem dicitur Græcè σημεῖον; & in Apocal. σφραγὶς, quod est sigillum vi aut igne impressum. Quo innuitur, vim siue ignem Spiritus sancti esse, qui hoc Apocal. signum mentibus inurit. Vnde etiam *signati* idem est quod sigillati ἐσφραγισμένοι.

Quid postes proprie.

Sanguis illitus in Hebræorum postibus & superliminari quã in formam fuerit factus.

TEXTVS.

De numero signatorum ex singulis tribubus.

Vers. 4. Et audiui numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israël.

5. Ex tribu Iuda duodecim millia signati; ex tribu Ruben duodecim millia signati; ex tribu Gad duodecim millia signati;

6. Ex tribu Aser duodecim millia signati; ex tribu Nephthali duodecim milia signati; ex tribu Manasse duodecim milia signati;

7. Ex tribu Simeon duodecim millia signati; ex tribu Leui duodecim millia signati; ex tribu Isachar duodecim millia signati;

8. Ex tribu Zabulon duodecim millia signati; ex tribu Ioseph duodecim millia signati; ex tribu Beniamin duodecim millia signati.

COMMENTARIVS.

VIDIMVS iam in huius capitis prologo, hanc visionem ab alijs ad Constantini tempora, ab alijs ad tempora Antichristi, aut sub eius mortem referri: veram tamen explicationem esse, vt in hoc capite ostendatur primitiuos Christianos fuisse exemptos, quos plagarum calamitas in Iudæos immissarum non attingeret. Aureolus ergo hunc signatorum numerum de Iudæis exponit, qui Constantini tempore sunt ad fidem traducti, Lyranus de omnibus, qui generatim sunt eo tempore conuersi tam ex Iudæis, quàm ex Gentibus. Ribera & Pererius de Iudæis post Antichristi persequutionem ad Christi fidem adducendis. Citantque pro se Irenæum, & Andream. In eo tamen differunt, quòd Ribera tribuum nomina & numerum signatorum omnino accipit, vt sonant: Pererius signatorum saltem numerum mysticè accipiendum esse sentit.

De signatorũ gente ac numero varia auctorũ sententia.

Communior ac receptior explicatio pro nobis est. Primasius enim, Ambrosius, Andreas, Beda, Anselmus, Haymo, Richardus, Ansbertus hunc signatorum numerum de electis omnibus tam ex Gentibus, quàm ex Iudæis explicant; atque adeò illum numerum centum quadraginta quatuor millium, & nomina Patriarcharum docent esse mystice accipienda. Huic ergo communi sententiæ nos quoque subscribimus: ita tamen, vt non vniuersè de electis omnibus intelligatur, qui in po-

Communior sententia sequitur, & probatur.

Digitized by Google

in posterioribus sæculis erant futuri; sed de primitiuis Christianis, qui eo tempore viuebant, quo A
septem plagæ in pertinaces Iudæos Christi abnegantes effusæ sunt: Communis hæc expositio, qua ratione à me sumitur, ex Apocalypseos serie atque contextu certa redditur. Etenim si textum sigillum comprehendit in se comminationes, quas Deus Iudaico populo intendit, priusquam suam in eum indignationem effunderet; septimumque sigillum includit illas plagas, quas demum in rebelles ac perfidos Iudæorum intulit (videlicet Famem, Bellum, Pestilentiam, Ignorantiam, Concupiscentiam, Iram, Obdurationem;) si amicorum insuper designatio eo animo fit, ne ad eos aliqua plagarum accedat; si hæc (inquam) ita sunt, vt re vera sunt; nexus ipse & cohærentia postulat, vt designati sint illi tantùm Christiani, qui eo tempore erant superstites. Cui declarationi textus ipse sese mirificè accommodat, vt in applicatione constabit.

Difficultas aduersus dicta. Dicet tamen quispiam; licet in sigillo septimo rebellium Iudæorum plagas contineri asseramus, & capitis septimi signum esse illud, quod Deus Christianis impressit, ne eos læderent plagæ; numerum tamen centum quadraginta quatuor millium non posse ad Christianos omnes applicari. Nam Ioannes in hoc capite mentionem prius facit huius præfiniti numeri, deinde innumerabilis multitudinis ex Gentibus vniuersis collectæ. Contextus autem poscit, vt vtrique designati fuisse credantur. Vnde asseuerandum videtur, primos illos centies quadragies quater mille esse Iudæos, qui Christum receperant; ceteram verò turbam innumeram ex ijs fuisse conflatam, qui ex vniuersis Gentium populis ad Christianæ religionis portum appulerant.

Soluitur difficultatis nodus. Respondeo tamen; huiusmodi distributio, quæ primo aspectu ita apparet verisimilis, nullum videtur habere patronum, qui eam tueatur. Quod argumento est, hanc non fuisse Spiritus sancti mentem: siquidem cùm id literæ cortex sonat, nemo tamen amplectitur. Etenim quanuis Aureolus B
distributionē hanc admittat in illis, qui Constantini tēpore Christiana sacra susceperunt; & eandē recipiat Ribera ad posterioris sæculi electos, cùm Antichristi futura est persequutio; verùm ad Christianos primitiuos, qui viuebant, quo tempore Ierosolyma fuit diruta, & Iudæi puniti sunt; nullus, (inquam) ad illius æui Christianos huiusmodi diuisionem vsurpat. Sed alij dicunt in turba innumerabili beatos omnes denotari, vt Ambrosius. Alij Martyres vniuersos, vt Ioachimus. Alij eos tantum

Eosdem omnino esse qui hic dicuntur 144. millia signati, & quæ postea turba innumerabilis dicitur. Martyres, qui sub Diocletiano passi sunt, vt Lyranus. Nostra autem sententia est (vt infrà dicemus) eosdem omnino esse, qui priùs dicuntur centum quadraginta quatuor millia Israelitæ, & postea turba innumerabilis ex omnibus gentibus coacta. Quod licet primò intuenti paradoxum sonare videatur: spero tamen attentiùs inspicienti verum ac solidum visum iri.

Excutiamus tamen inprimis numerum centum quadraginta quatuor millium Israelitarum. Ac primum Israelis nomen & verorum Israelitarum constat à sacra Scriptura tribui probis Christianis; siue ex Iudæis sint, siue ex Gentibus. Vide ad Romanos 9.6. & ad Galat.6.16. & Osę primo, versu decimo, & cap. 2.24. & 1. Petri 2.10. Si ergo constat, hos esse spirituales Israelitas, & verum Dei Israelem esse, qui verè Dei populus est: nemo non viderit huiusmodi loquutionem Apocalypsi valde congruere, cùm liber sit mysticus & ænigmaticus. Quòd verò ex tribubus singulis duodecim millia numerentur, & integra tribus prætermittatur, quis est adeò in grammatico sensu hærens, qui in hoc non mysticam esse loquutionem suspicetur? Certè Ribera noster ijs etiam ipsis, quibus persuasit C
sermonem esse in hoc capite de Antichristi sæculo, persuadere nequaquam potuit numerum illum grammaticè esse capiendum; videre est apud Pererium disputatione octaua.

Filij Israelis quinam hic vocentur. Numerum 144. millium mystice esse capiendum.

Israelis & singularum tribuum nomina mystice item sumi debere. Quòd si hic numerus mysticè sumendus est; congruentius est mihi, vt Israelis & singularum tribuum nomina mysticè etiam accipiantur. In contextu quoque aptius nihil est, quàm vt dum plagæ contra carnales Israelitas sunt immittendæ, & sermo est de signo, quo signati sunt ij, quos plagæ lædere non permittuntur; tunc, inquam, verus sensu intelligatur esse de Spiritus sancti signo, quo spirituales Israelitæ sunt à carnalibus decernentur. Mihi quidem hoc adeò reputatur certum, vt valde mirer homines doctos persuadere sibi potuisse, grammaticum sensum hic esse sequendum. Qui autem numerum centum quadraginta quatuor millium sic accipit, vt sonat; cur non etiam numerum centum quatuor cubitorum, quem Apocalypsis cap. 21. 10. vrbis Ierosolymæ muro in altitudinem tribuit, grammaticè similiter accipiendum putat? Si ergo ex capite vigesimo primo perspicuè colligimus, numerum centum quadraginta quatuor esse mysticè in Apocalypsi capiendum: idem caput nos docet, duodecim Patriarcharum numerum esse etiam in Apocalypsi mysticum; nec per illum antiquos Patriarchas, sed Apostolos significari. Alioquin non essent nomina duodecim filiorum Israel scripta in duodecim portis. Vide caput 21. 12.

Cur Israelis nomen Christiano populo detur? Deinde vt deobtetur, plagas illas, quibus Israelis populus delendus videbatur, populo Dei non nocere (hic enim est capitis huius septimi scopus) nihil conuenientius est, quàm vt Israelis nomen Christiano populo detur. Atque hunc etiam ad finem ait Paulus ad Romanos 6. 9. *Non quod excideritverbum Dei: non enim omnes, qui ex Israel, sunt Israelitæ*, &c. D

Christum esse verū Israelem qui Deo præualuit. Tertiò, Christus Redemptor noster est verus Israel, præualens Deo; qui in nostræ Redemptionit opere cùm Deo luctatus fuit, & præualuit; quia *exauditus est pro sua reuerentia*. Quare & ipsius filij Matth. 16.
sunt veri Israelitæ, & Apostoli sunt Patriarchæ. Eandemque ob rem nomina duodecim tribuum su- 16.
menda sunt, vt nomina mystica, quæ duodecim Apostolis imponuntur. Consonat cum hoc mirificè ordo ipse, quo duodecim tribus in præsenti numerantur. Nam Iudæ nomen, quod confessionem significat, Diuo Petro optimè quadrat, ratione præstantissimæ illius confessionis; *Tu es Christus* Heb. 5.7.
filius Dei viui. Si autem sub Iudæ nomine innuitur Petrus; dubium non erat, primas ei esse deferendas. Vltimum Beniamini nomen existimabit aliquis pro D. Paulo supponi? ideòque extremo in loco collocari: quia ipse fuit vltimus ad Apostolatum vocatus. Mihi tamen certum est Beniamini

Sub duodecim tribuum nominibus Apostolos esse intelligendos.

nomine

A nomine non designari Paulum. Ipse enim ex primis duodecim non fuit: quippe in locum Iudæ suffectus est Matthias. Quapropter Paulus se abortiuum nuncupat, quasi extra numerum. Nam abortiui dicebantur Senatores, qui extra numerum creabantur. Idcirco opinor, Beniamini nomen (qui minimus erat natu, & patri in delicijs habitus) in diuum Ioannē Euangelistam quadrare; qui ideo fortè, modestiæ ergo, extremum se in locum reseruauit. *Abortiui Senatores qui dicerentur.*

Ex his ergo duobus nominibus conijcio, tum in hoc loco, tum in alijs Apostolos non recensen eodem antiquitatis ordine, quo sunt ad Christi societatem euocati. Et quamuis nouitas ac desuetudo huius ordinis) qui valde diuersus est ab eo, quem duodecim Patriarchæ, habent in reliquis Scripturæ locis, vbi nominantur) persuadeat, non casu ac temere, sed magna ratione, atque consilio ita fuisse eundem ordinem dispositum: mirum tamen non est, ignotam mihi hactenus esse causam; cur Apocalypsis Apostolos sub duodecim Patriarcharum nominibus hoc ordine referat. Illud pro comperto mihi est, nomen *Dan*, (quod iudicium seu damnationem sonat consultò prætermissum. Quia nomen hoc Iudæ proditori apprimè congruebat, cuius reprobatio occultissimi Dei iudicij mirum extitit documentum. Cùm verò in locum Dan, vt duodenarius numerus compleretur, Leui fuerit substitutus, (alioqui inter duodecim Patriarchas non numerari solitus) hinc mihi coniectura fit, nomine Leui diuum Matthiam designari, qui in Apostolatu Iudæ locum occupauit. Nec parum iuuat hanc suspicionem nomen ipsum Leui, quod significat *copulatum*: & Matthias copulatus, siue *annumeratus est cum vndecim Apostolis*. Vide Hieronymum libro primo contra Iouinianum, vbi ait pro tribu Dan, fuisse repositum tribum Leui. Quod & Marianus confirmat not. 54. *Nominis Dan etymō & cur inter ceteras Israëlitribus hic nō numeretur?*

B Manasse nomen, considerata ipsius etymologia, videtur Matthęo conuenire: vertitur enim *oblitio*, vel *oblitus*; atqui hoc in Matthæum rectè cadit; qui pristinum telonii officium nunquam repetiturus deseruit, atque adeo oblitus fuit. Ceterorum nominum etymologiæ faustam omnes significationem adstruunt: nam Ruben est *videns filium*, Gad *felix*, siue *accinctus*, Aser etiam *felicitatem*, sonat, Nephthali *æquiparationem*, Simeon *exauditionem*, Isachar *mercedem* seu *præmium*, Zabulon *habitaculum*, & Ioseph *incrementum*. Nec dubito, qui isthæc nomina in reliquos etiam Apostolos appositè dispartiantur, & illis rectè congruant, inspectis singulorum tam etymologia, quàm historia. Sed *Matthias quid sonet. Iacobi filiorū nomina, eorumq; etymologia.*

——*Non omnia possumus omnes.*

Quòd si hac in re longiùs progredi lector ratiocinando non valeat; illud interim solatio erit, hoc nō magni admodùm esse momenti ad Apocalypseos intelligentiam.

Quartò, per numerum centum quadraginta quatuor millium, ait Augustinus libro tertio de Doctrina Christiana capite trigesimo primo (in regulis Ticonij) denotari vniuersitatem. Hoc egregiè consentit cum eo, quòd huius numeri significatio in præsenti innuit haud dubie vniuersitatem Christianorum primitiuæ Ecclesiæ, Et certè, licet Christianorum multitudo, quo tempore Ierosolyma fuit euersa (fuit autem quadraginta annis post Christianæ Ecclesiæ initium) multò maior sine controuersia extitit: ad significandam tamen maximam multitudinem, non quidem confusam & coaceruatam, sed sapientissimè à Diuina prouidentia electam & ordinatam (atque id magna cum proportione ad Apostolorum gloriam) consentaneus valde fuit hic numerus centum quadraginta *Numerum 144. millium pro vniuersitate sumi.*

C quatuor millium. quod idem est, ac duodecies duodecim millia. Et inprimis in duodenario numero attenditur numerus duodecim Apostolorum, qui veri sunt Israelis Dei Patriarchæ. Porrò duodecim Patriarchis respondent totidem portæ ciuitatis Dei. Et de absolutione duodenarij numeri agunt bene multi, vt Salmeron tomo 1. & Pontanus in Virgilium fol. 9. *Duodenarij numeri consideratio & mysterium.*

Deinde duodenarij per alium duodenarium multiplicatio denotat Apostolorum concordiam, & inter sese conspirationem. Nam quadratus numerus animorum consensum optimè repræsentat; quia ex numero quadrato perfectum sit quadrum, vt arithmeticæ artis peritis vulgare est. Ac propterea ciuitatis murus centum quadraginta quatuor cubitos in altitudinem habere dicitur: vt repræsentetur decus & splendor, qui in Apostolorum consensione enituit, vt suo loco dicemus. Preterea si numerum aliquē in seipsum multiplicare, est quadrum perfectè implere; plenitudo hæc non ineptè significat, Apostolorum vnitate, vt potissimo instrumento, Deum fuisse vsum, vt fidelium multiplicatio esset iuxta supremum Dei consilium integra atque perfecta. *Quadratus numerus quid figuret.*

Ad hæc, significatur etiam fidelium numerum esse quàm maximum ac plenissimum, ex eo quòd numerus centesimus quadragesimus quartus ad centum quadraginta quatuor millia extrahatur; quod idem est, ac vnitatem per millenarium multiplicari; qui numerus est denarij cubicus. Nam denarius est multiplicationis numerus, quo nationes omnes vtuntur. Deinde decies replicatus centenarium efficit; qui rursus per denarium ductus millenarium complet. Atque hic est perfectus cu-

D bus; & integrę ac perfectæ multiplicationis symbolum. In hoc insuper numero splendescit sanctissimæ Trinitatis gloria. Primò, quia in duodenario is fuit scopus, vt ex duodecim portis, tres Orientem prospectarent, tres Occidentem, tres Septentrionem, ac tres Meridiem. Secundò, quia in millenario, vtpote perfecto cubo, reperitur tripla illa proportio; in qua pij doctores Trinitatis sanctissimæ vestigium contemplantur. Vidimus autem capite quarto totam Christianæ Ecclesiæ prædicationem reduci ad Trisagium, in quo diuinarum personarum Trinitatis prædicatur. *Denarius multiplicationis numerus.*

Quòd verò textus omnes Israelis Dei tribus adæquauerit, tribuens singulis Patriarchis duodecim filiorum millia; non ideo significatur, eos, qui singulis Apostolis suam conuersionem secundùm Deum acceptam referant, nec plures esse, nec pauciores, quàm eorum numerum, quos quilibet alius Apostolus in Christo Iesu per Euangelium genuit. Hoc enim nec verisimile est, nec libri huius maiestate dignum, vt ad huiusmodi minutias, quantumuis veræ essent, descenderet, Quinimò credibile non est, ænigma hoc adeò excellens atque sublime numeris vti ad grammaticam so- *Cur Ioannes omnes Israelis filios in filiorum numero adæquauerit.*

Digitized by Google

cam solùm significationem desumis. Hp tunc igitur verum nõ esse sensum affirmo. Faciliùs credam, hoc pacto significari, Apostolorum conuenientiam atque consensum quodammodo efficere, vt omnes in numerosa filiorum prole æquales sint; videlicet quia vnius Apostoli filij cunctos etiam Apostolos parentes iactant. Hoc vt innueretur, idonea fuit excogitatio, quæ singulorum Patriarcharum filios in diuina hac computatione exæquaret; eoque modo filiorum inter sese differentias & contentiones tolleret. A

Cur toties iteret Ioannes duodecim millia signati.

Nec contentus fuit Spiritus sanctus generatim addixisse singulis tribubus duodecim millia: sed speciatim dixit. *Ex tribu Iuda duodecim millia signati; ex tribu Ruben duodecim millia signati,* &c. quo non obscurè, adumbratur, quanti eos faciat Deus; si quidem hac enumeratione oblectatur; vt ipsos decoret, & sibi esse inprimis acceptos ostendat. Vide simile quid Numer. 7. vbi recensentur duodecim Principum oblationes: quæ tametsi valde sunt similes & nonnihil prolixæ, in singulis tamen iteratur, quod in prima fuerat prædictum.

Cur cuilibet tribui siue Apostolo duodenarius millium designetur? Christiani omnes primitiæ sub Israëlitarum nomine notati.

Numerus porrò centum quadraginta quatuor millium signatorum idem est, qui capite 14 inducitur in speciem exercitus, quo Agnus bellum infert Romano Imperio inanis idolorum superstitionis cultori. Cùm autem in hoc bello Apostoli sint duces ac principes, idonea fuit repræsentatio duodecim phalangium ac veluti legionum, quarum quælibet duodecim millibus militum constaret. Quod & gloriæ Apostolorum, & concordiæ egregiè deseruit. B

Facile est cernere ex dictis, hunc signatorum numerum, qui dicuntur centum quadraginta quatuor millia Israëlitarum, congruenter applicari ad numerum fidelium omnium, qui Christianã coercebantur Ecclesia, quando Deus septem illas plagas Iudæis desertoribus inflixit. Iam quòd Israëlitæ nominentur (præterquam quòd locutio est in sacris Literis vsitata, & Christiani populi significationem valde accommodata,) illud habet etiam fundamentum, quòd Christiana Ecclesia in populo Israëlitico initia posuerit. Nam in eos, qui ex eo populo Christum susceperunt, primitiæ spiritus effusæ sunt; illique primi fuere Christiani, & ceteri sunt in eandem oliuam inserti. Vide Isaiæ cap. 44.3. *Effundam benedictionem meam super stirpem tuam.* Vbi optimè Arias Montanus hoc idem tractat. Itaque præter mysticas rationes, in ipsamet historia fundamentum inerat, vt Israëlis nomine Christiani omnes comprehenderentur. Nihil enim mirum est insitæ arbori remanere nomen illius, in qua inseritur. Adde huc, in capite, hoc septimo sermonem esse de Christiano populo, prout erat in ipso Ecclesiæ nascentis exordio, cùm Hierosolyma fuit deuastata. Tunc igitur fidelium ex Iudaico populo electorum numerus multis partibus superabat numerum eorum, qui ex Gentibus fuerant ad fidem euocati. Etenim licèt ab ipso Ecclesiæ principio, Euangelicæ prædicationis ianua Gentibus patuerit: initio tamen id semper fiebat Iudæorum priùs conuersione omni studio procurata. Si verò hic ordo fuit immutatus, & multo plures deinceps ex Gentilico populo fuerunt acciti, id certè accidit, postquàm Apostoli diuinitus admoniti pertinaces dereliquerunt Iudæos, & se totos ad Gentes transtulerunt. Id quod eodem tempore euenit, quo Deus seueritatis suæ in Iudæorum supplicio clarissima edidit documenta. Quam etiam ob causam (præter eas, quas superiùs attigi,) congruenter Israëlitarum nomen Christiano populo inditum fuit. C

Obiectio contra prædictã expositionem Solutio.

Opponet tamen aliquis, si verum est, vt nuper diximus, hos ipsos centum quadraginta quatuor millia, qui hìc designantur, esse eosdem, qui sub eodem numero inducuntur capite decimo quarto, hinc videtur inferri, hos signatos non posse in se generatim includere primitiuos omnes Christianos. Nam de Christianis primitiuis nemo dicet omnes fuisse virgines. De illis verò centum quadraginta quatuor millibus, textus ipse ait cap. 14. 4. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum, quocunque ierit.* Quod videtur esse appositum religiosi status elogium. Ad hoc tamen respondetur, virginum nomen, vt eo loci videbimus, metaphoricè ibi accipiendum esse; sicut secunda ad Corinthios cap. 11. 2. Paulus Christiano populo ait: *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Sequi autem Christum, quocunque ierit, non est aliud, quàm sumpta ipsius cruce illum perfectè sectari, & Euangelica consilia accuratissimè seruare. quæ sanè erat viuendi ratio primitiuorum Christianorum iuxta cuiusque statum. Atque vtinam religiosi nunc viri primitiuæ Ecclesiæ perfectionem studio & contentione æmularemur. Concludo igitur: licet elogia illa ac laudum præconia & designatio Dei viuentis signo facta, ceteraque omnia quæ in laudem signatorum capite hoc septimo enarrantur; licet, inquam, omnia isthæc ad feruidos religiosos ritè possint applicari (propterea quòd primitiuorum Christianorum vitam imitentur,) textus tamen loquitur sine dubio iuxta literalem sensum de singulari beneficio, quo Deus Christianam Ecclesiam sub ipsa initia exornauit. D

Quinam c. 14. à Ioanne appellentur virgines.

Quid sit, virgines sequi Agnum quocunque ierit.

In prædicto 144. millium numero, stricte loquendo, non religiosos solum, sed omnes Christianos intelligi debere.

Atque vt ampliùs confirmetur, textum generatim loqui de Christiano populo, non verò de aliqua illius parte: animaduertendum est, angelum illum ascendentem ab ortu solis, communiter dicere, *Quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* Quo non obscurè indicat, omnes, qui seruorum Dei nomine digni erant, esse signo illo distinguendos. Non igitur coarctari debet id signum ad peculiarem aliquam nationem siue statum, vt clericorum aut religiosorum. Signum insuper hoc illi signo respondet; quod filij Israelis apud Aegyptios degentes in postibus & superliminaribus domorum impressum gerebant; ergo hoc etiam signum existimandum est ad totum primitiuorum Christianorum cœtum sese propagasse (exceptis ijs, qui ob sua flagitia eo tunc signo indigni essent; qui pauci erant opinor.) Quemadmodum illud sanguinis symbolum totum Israeliticum populum designauit. Nam sicut illa nota in postibus & superliminari imposita, eo fine fuit inuenta, ne angeli gladius filios Israelis contingeret; sic etiam hoc Dei viuentis signum imponitur, vt eo signati reddantur securi à septem plagarum inferendarum supplicio. Quòd si hoc signum se solùm

extenderet

A extenderet ad singularem aliquam nationem aut gentem; ratiocinatio hæc atque discursus mancus omnino truncatusq; maneret, viderenturq; aliæ primitiuorũ Christianorũ differentię per obliuionem fuisse prætermissæ. Constat autem in diuinam prouidentiam non posse obliuionem cadere.

Aduertendum etiam est, non deesse, qui dicant signatorum nomen pro prædestinatis accipi debere: quare cùm septimum suppliciorum & extremum sit Obduratio, certum esse, qui ex ea plaga euaserit, eum fore ex prædestinatorum numero. Ceterùm *signare*, non solùm est aliquem eripere ab æterna damnatione; sed etiam à reliquis aliis plagis. Qua ratione spiritales homines diuina prouidentia ab omnibus calamitatibus liberat, vt suprà iam explicatum est. Atque ita prædestinati non sunt signati interim, dum per abundantiam gratię Spiritus sancti non ab omni eripiuntur calamitate. Atqui, vt vidimus, modus loquendi est apud Paulum vsitatus, Spiritum sanctum esse signum, quod spititales viros ab omnibus septem plagis eximit.

Vtrùm hic signatorum nomen sit pro prædestinatis sumendum.

Alij volunt in signatorum numerum referri, perinde esse, atque in cælestem beatitudinem assumi. Ibi enim est, vbi Dei serui ab omni sunt plagarum metu liberi. Id quod potest confirmari ex eo, quod nuper dicebamus; hos scilicet centum quadraginta quatuor millia signatos huius capitis septimi esse eosdem, de quibus cap. 14. vbi num. 1. dicitur. *Ecce Agnus super montem Sion: & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis.* Cui loco

Aliorum opinio de signatorum numero pro ijs, qui in cælum assumuntur.

B respondet ille 4. Esdræ 2. 24. *Vidi in monte Sion turbam magnam, omnes cum coronis, & palmis, & filius Dei inter eos, hi sunt, qui mortalem tunicam deposuerunt.* Confirmatur secundò; quia si verum est, illa hominum cētum quadraginta quatuor millia & turbam innumerabilem, quæ mox sequitur, esse eosdem; multi auctores asserunt, per innumeram illam multitudinem significari beatos. Quam assertionem adiuuat ipse textus, qui ei stolas albas tribuit, symbolum videlicet gratiæ, qua pertruuntur beati, vt vidimus c. 6. 11. *Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ.* Præter hæc, de turba illa innumerabili ait Ioannes num. 17. *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.* quæ verba repetit cap. 12. 4. loquens de Beatorum gloria.

Respondeo tamen, si de beatis esset sermo, non opus fuisset eos designare, ne à plagis læderentur, constat enim euidēter in huiusmodi allegoria eos solùm designari, qui cum aljs puniendis commisti de salute periclitantur. Ad locum 4 Esdræ 2. 42. respondeo librum illum non esse canonicum; atque adeò suspicor illum post Apocalypsin fuisse scriptum; ipsiusque auctorem, cùm ad caput 14. Apocal. vellet alludere, verba illa apposuisse. Verùm in aliis rebus à doctis hominibus ignorantiæ insimulatur. Quapropter mirum non est, ipsum Apocalypseos seriem & contextum non probè tenuisse. Præterquam quòd ad Beatorum gloriam possunt per accommodationem applicari nonnulla ex iis, quæ Apocalypsis de primitiuorum Christianorum sanctitate confirmat. Ad confirmationem alteram suo loco respondebimus in eorum verborum expositione.

Refellitur præcedens opinio.

C Hoc ergo stabilitum maneat, duodecim tribus noui Israëlis, quæ capite hoc septimo numerantur, esse primigenios Christianos; quorum Patriarchæ fuere duodecim Apostoli. Quòd verò Dan in iis desideretur, non ideo ad Dei consilium quidquam deficit; quia in eius locum fuit suffectus Leui. Quod admonitioni esse potest iis, qui sublimiorem occupant locum, vt sibi consulant & constent. Fieri enim posse, vt si quidquam de priori cura remiserint, è propria sede labascant, atque adeò corruant; & Deus ipsorum locum & coronam aliis tradat.

Quare ex filiorum Israëlis albo desideretur Dan.

His addo, non ideo inter signatos nullum ex tribu Dan annumerari, quia existimetur inter illius temporis Christianos existere nullos, quin ex duodecim tribuum ibidem expressarum aliqua fuerint. Sed quia nonnulli, qui tunc reperiebantur indigni nomine filiorum duodecim Patriarcharum, non recensentur in signatis, sed in filijs mysticis Dan, id est in Iudæ próditoris sectatoribus; quod attinet ad sceleratam conscientiam & in Christi disciplina simulationem: ac proinde digni sunt, qui nominis Dan significationem experiantur, hoc est, vt rectum Dei iudicium in eorum damnatione pateścat. Illud etiam suffragatur, tribum scilicet Dan plus ceteris ad Aquilonem vergere, & à Hierosolyma ac templo esse remotiorem. Quorum vtrunque ei accidit, non quòd locum sibi à Deo præfinitum occuparit; sed potiùs quòd suo ducta consilio proprium deseruerit locum; vt patet Iudicum cap. 18. & 19. Præterea Iosue 19. est etiam Dan ceterarum tribuum vltima: nec non in Ezechielis visione idem contingit: quantumuis cap. 28. nouo quodam modo tribus disponantur; septem scilicet ad partem templi Septentrionalem, & sex ad Austrálem. Nihilominus tamen Dan Aquiloni propinquior, & remotior à templo remansit. Nec dubito, quin in ea visione sermo sit de nouo

Tribum Dan plus ceteris vergere ad aquilonem, & longius ab Hierosolyma & templo distare idq; non sine mysterio.

D Israële; & de nouis Patriarchis, in quorum numero non desideratur Dan, qui falsos ac simulatos Christianos repræsentat.

Hæc quidem animaduersio idonea est, vt qui se ex Dei populo ac nouo Israële esse iactant, non ideo securi atque inertes fiant; satis sibi esse putantes, quòd D. Petri, aliorumque Apostolorum sint filij: cùm in nouo etiam Israële non desit tribus Dan & damnationis filij; hoc est, fucati ac fallaces Christiani. qui etsi cum bonis sint permisti, & eorum personâ dissimulati. Deum tamen neutiquam fallit, eos esse intimo cordis affectu seiunctos à templo; & in eo degere statu, qui Aquilonaris plagæ frigore adumbratur. Atque hi quidem minimè sunt ex signatorum numero, & eorum, qui eripiuntur ex plagis, sed potiùs illis subsunt penitus obnoxij.

Neminem, licèt sibi iustus videatur, securum ac negligentem fieri debere.

Nota insuper, licèt signatorum numerus possit aliquo modo extendi ad eos omnes, qui in Dei gratia sunt; magis tamen propriè accipi, vt significet statum spiritualium virorum, *qui spiritu Dei aguntur*, & rebus in omnibus, ad maius ac sublimius perfectionis culmen aspirant. Hi enim sunt, quos septem plagarum nulla vel leuiter offendit. Et iuxta hanc rationem, si præsentem Christianæ Ecclesiæ statum inspiciamus, videntur ex fidelibus non admodùm esse multi signati; siquidem ex ipsismet

Quinā propriè & strictè nomine signatorum sint intelligendi.

Digitized by Google

Triplex Christianorũ hominum gradus.

sissimet in Dei gratia degentibus non pauci rei familiaris, honoris, aliarumque id genus rerum iactura grauiter læduntur: Vnde triplex videtur esse hominum gradus; alius signatorum, qui perfectionis viam sectantur; alius imperfectorum, in Dei tamen gratia degentium; alius eorum, qui lethali scelere tenentur constricti. At verò in primitiuæ Ecclesiæ statu commune erat, omnes ferè accenso sanctitatis studio teneri paucis exceptis, qui ita se gerebant, ceu Iudas inter Apostolos. Id autem persecutionis grauissimæ tempore vsu venire solet; vt Catholici ferè probatæ & spectatæ virtutis sint. Nihilo secius accidere videmus in ijs regionibus, quę primum illud sanctæ institutionis studium constanter retinuerunt, aut fortiter redintegrarunt. In quibus, qui sanctimoniæ ac perfectioni non student, ij (quippe ab aliorum conatu desciscentes) deprauatis sæpè moribus sunt. Atque inter illos, & inter feruidos & spirituales, nihil plerunque interest; quin, aut sanctitatis sint studiosi, atque adeò cælesti Spiritus sancti nota insigniti; aut contrario (quasi ex tribu Dan) improbitate sint imbuti. A

Varij signatorum status.

Verum est tamen, in statu signatorum diuersos gradus reperiri: alij enim gloriantur in tribulationibus, alij non nihil vexantur; non ita tamen, vt illis id mali inferant plagæ, quod sceleratis hominibus inferre solent. Quemadmodum Paulus ait, de coniugatis loquens, (loquebatur autem primitiuæ Ecclesiæ tempore) *Tribulationem carnis habebunt huiusmodi*, 1. Corinth. 7. 28. quantumuis frequentius tunc esset, coniugatos ad sanctitatem & perfectionem anhelare. Et hanc fortè ob causam plagæ, quas euasuri erant designati, pinguntur in hoc capite sub horrendæ tempestatis figura. Quia huiusmodi grauissima procella est, quam non subeunt signati; licèt non omnino sint liberi ab alijs minoris momenti turbinibus. B

NOTATIO IV.

An Scriptura significet, fore Antichristum ex tribu Dan.

Num Antichristus sit ex tribu Dan oriturus? Aliorum opinio affirmatium, sed in Ecclesiæ traditione fundatum.

QVI existimant in hoc cap. 7. sermonem institui de magna infidelium conuersione post Antichristi morte futura, & illos cętum quadraginta quatuor millia fore Iudæos tunc ad Christi fidem traducendos: affirmant pariter, ideo nullum hic ex tribu Dan inter signatos adscribi; quia Iudęi ex hac tribu erunt, qui quasi cognati & familiares ita pertinaciter Antichristo adhærebunt; vt nec ipsius Antichristi mors, nec horribile cæli supplicium futura sint satis, vt eorum aliquis conuertatur ad fidem. Ita Ribera atque Pererius. Antichristum verò futurum ex tribu Dan aiunt Ecclesiæ traditionem videri; quia multi Patres in ea sunt sententia; vt Irenæus, Hippolytus, Cyrillus, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Prosper, Gregorius, Ruffinus, Theodoretus. Citant hos Patres Ribera hic, & Pererius disp. 10. & lib. 14. in Danielem. Accedit quòd ex Apocal. interpretibus Andreas, Haymo, Beda, Richardus, Anselmus, Rupertus, & plures alij dicunt, prætermissam hic esse tribum Dan in odium Antichristi. Atque hanc esse Spiritus sancti mentem in Apocal. dum inter tribus non enumerat tribum Dan, inde probat Pererius; quia alioquin traditio illa Patrũ de Antichristo ex tribu Dan futuro nullum haberet in sacris Litęris fundamentum. Constat enim, duos alios locos, qui ad traditionem eandem confirmandam a nonnullis adducũtur, nihil ad eam rem facere: quia primus locus est Genesis 49. 17. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita*, &c. quod omnino ad Samsonem referendum est, vt docet Hieronymus Alter locus est Ierem. 8. *16. A Dan auditus est fremitus*. Vbi manifestè sermo est de Nabuchodonosor per Aquilonem in Iudæam inuadente. C

Antichristum fore ex tribu Dan, non constare ex Ecclesiæ traditione.

In hac quæstione primùm noto, quam aliqui Ecclesiæ traditionem esse putant, videlicet Antichristum ex tribu Dan futurum, eam mihi nullo modo traditionem Ecclesiæ videri; sed solùm aliquorum Doctorum opinionem. Nam tametsi aliquæ sunt traditiones de rebus verissimis ad Christianam fidem spectantibus, quas non opus est in aliquo Scripturæ loco expressas haberi: hoc tamen caput de quo agimus, non tanti est, vt seorsum reuelatum fuisse credamus, & Ecclesiæ traditione conseruari sine alio Scripturæ fundamento. Patet hoc: quia ipsimet, qui Antichristum ex tribu Dan fore afferunt, (vt ex eorum verbis colligitur,) in eo videntur niti, quòd ita contineri credunt in aliquo ex prædictis Scripturæ locis. Vnde infertur eos non hoc, vt Ecclesiæ traditionem, sed vt propriam ipsorum opinionem nobis proponere: ac proinde opinioni huic non plus inesse firmitatis, quàm quæ illi proueniat ex eo, quòd in aliquo ex tribus prædictis locis id Scripturæ innuat. D

Num Antichristus futurus sit ex tribu Dan, aliquos in dubium vocare.

Secundò noto, Abulensem, & Oleastrum Genes. 49. valde dubitare, an Antichristus sit ex tribu Dan proditurus? quinimò Oleastrum apertè asserere hoc esse fabulosum. Longiùs tamen, quàm par erat, in hac censura progressus fuit. Nam vt opinio aliqua reputetur probabilis; satis est multos sapientes viros probabiliter existimasse, illam in aliqua Scripturæ parte fundari.

In hoc Apocalypseos loco minimè fundari, Antichristum ex Dan oriturum.

Tertio noto, quemadmodum Riberæ ac Pererio affirmare licuit, neutrum ex prædictis locis (nempe Genes. 49. 17. & Ierem. 8. 16.) esse ad rem, vt probetur Antichristum ex tribu Dan nasciturum; sic etiam mihi dicere fas esse, quod certum existimo, in hoc scilicet Apocal. loco opinionem illam non posse solidè stabiliri. Nam, si agenda res est antiquorum Patrum auctoritate asseuerantium Antichristum fore de tribu Dan; nullus ferè eorum hanc opinionem in Apocalypsi fulcit; sed alij in Geneseos, alij in Ieremiæ locis. Ex interpretibus verò Apocalypseos perpauci sunt, qui septimi capitis visionem ad Antichristi tempora censeant reuocandam. Si autem ipsius contextus ratio ac vis attendatur; pro comperto mihi est, Riberæ & Pererij expositionem minimè huius capitis contextui quadrare. Neque enim agit de Antichristi sæculo, sed de prima illa Ecclesiæ ætate. Quod adeò certum est, vt ex ipsismet auctoribus, qui tribus Dan prætermissionem ob Antichristi odium fuisse factam dicunt, multi arbitrentur, hanc visionem non ad Antichristi, sed ad primæuæ Ecclesiæ tempora pertinere. Si tamen hoc est minùs consequenter loqui, conferenda in me culpa non est: & illi ab ea eximi aliqua ex parte possunt, quòd ad aliquorum Patrum opinionem adhæserint. Ceterùm decernere sententiam illam in veteris testamenti locis non posse conniti, ideoque in cap. 7. Apocal. esse fundandam; hoc inquam, nihil aliud est opinor, quàm nimium se credere singulari curiam declarationi, cuius cohærentiæ apta ratio reddi non potest. Præsertim, cum in huiusmodi rebus verum omnino teneat illa D. Dionysij sententia; *Theologica, symbolica, non est argumentatiua*. Nã ad illud cõprobandum, quod ignoratur aliunde, nec contextus ad eius assertionem cogit; minimè conducit liber omnino symbolicus.

Antichristum ex tribu Dan futurũ, fortè in antiqua aliqua allegoria fundari.

Quartò, verisimile mihi fit huiusmodi opinionem, in vetustissima aliqua allegoria fuisse fundatam. Sæpè enim accidit, vt quod initio mysticè aut dictum fuit, aut depictum; posteà accipiatur, ac si propriè ac simpliciter fuisset assertum. Idem iudicat Baronius euenisse in eo, quod vulgò credebatur de quadam virgine per D. Georgium ab immani dracone liberata. Idem etiam

Digitized by Google

etiam videtur nonnullis, quod communi iam consensione receptum est de gigantea D. Christophori statura. Quibus in rebus sapientes viri facilè se in modo loquendi ad communem conceptionem effingunt: in modo tamen sentiendi ad id, quod verius existimant, animum intendunt. Ita similiter suspicari mihi liceat, multos eorum, qui dicunt Antichristum & ipsius sectatores ex tribu Dan orituros, id tantum affirmare velle, Antichristum & suos reprobando; atqui illis posse allegoricè applicari, quod dicitur Genes. 49.17. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita*, &c. & apud Ierem. 8.16. *A Dan auditus est fremitus*. Si verò è contrario opponatur, non esse allegoricum Scripturæ sensum, qui in literali non inhæritur; Respondeo, applicationes etiam & accommodationes dici solere allegorias. Et Ieremiæ saltem loci applicatio in sensu proprio stabiliri potest; si consideretur, Nabuchodonosorem, ipsiusque exercitum fuisse figuram Antichristi & eius sectatorum. Atque ita noster Ribera ait, S. Irenæum allegoricè de Antichristo & socijs eius exposuisse, quod à Ieremia dicitur, *A Dan auditus est fremitus equorum*. Si ergo hoc est loqui allegoricè; quis non videat, allegoriam in merum ac proprium sensum transmutari: si inferatur inde, qui verba illa ad Antichristum applicant, eo ipso sentire, illum verè ac propriè fore ex tribu Dan? Idem dixerim de eo, quod nonnulli addunt, Antichristum videlicet Babylone nasciturum. Hoc enim inde habuit ortum; quòd existiment Antichristum fuisse in Nabuchodonosore adumbratum. Ex quo si infertur illum Babylone exoriturum fuisse, non absimili ratione posse etiam elici, illum Nabuchodonosorem nuncupandum fuisse.

Applicationes etiam & accommodationes appellari interdum allegorias.

Num Antichristus sit Babylone nasciturus?

A

Quintò, quod nonnulli autumant, in generali illa Iudæorum conuersione à diuo Paulo prædicta (Rom. 11.26.) neminem ex tribu Dan Euangelicæ prædicationi obsequuturum; id sanè nihil habere probabilitatis existimo. Nam Paulus generatim loquitur: *Donec plenitudo Gentium intraret, & sic omnis Israël salvus fieret*. Cumque loquatur Apostolus de Iudaici populi conuersione (sic enim Ecclesia semper intellexit) non inuenio, quo pacto solidè affirmari possit, ex integra nihilominus tribu nullum ad Christi fidem traductum iri. Agnouit hanc difficultatem Pererius: sed, vt illi Riberæ responsio non placet; ita nec mihi ipsius solutio arridet. Et verò opinionem hanc, quæ nullum ex tribu Dan esse conuertendum tradit, tum nouam, tum malè fundatam existimo. Quare qui in eo insistunt, vt in cap. 7. Apocal. prætermissionem tribus Dan putent ad illud respicere, quod sub extrema Ecclesiæ tempora est euenturum, vt consequenter procedant, deuorant ea, quæ neutiquam deberent concedere.

An verum sit, nullum ex tribu Dan sub mundi finē ad Christum conuersum iri?

B

Sextò, si mihi indubitatum esset, Antichristum fore ex tribu Dan, & ex ea tribu susceptos illi contumaciter adhæsuros; satis esse putarem; si dicerem in Apocalypsi allusionem fieri ad ea, quæ extremis mundi temporib. euentura sunt, & hanc ad rem ea comparatione vti. In contextu tamen dicere nullo modo possem de Antichristo directè agi. Nam acoluthia & rerum consequentia à me exigit, ne dubitem in hoc capite 7. sermonem esse de Ecclesia primitiua, vt iam explicaui.

TEXTVS.

Vers. 9. Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus & tribubus & populis & linguis; stantes ante thronum, & in conspectu
C Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.
10. Et clamabant voce magna dicentes; salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno.

COMMENTARIVS.

COMMVNIOR interpretatio statuere videtur, hanc magnam turbam, quam dinumerare nemo poterat, esse distinctam ac diuersam à centum quadraginta quatuor millibus signatis. Non tamen desunt, qui non distinguant; sed potiùs perspicuè notent hanc magnam turbam esse eandem cum numero signatorum. Ita expressè Apringius atque Ticonius & Andreas etiam, vt infrà constabit. Per turbam autem magnam Ambrosius intelligit beatos, qui Dei visione fruuntur. Atque eadem videtur esse expositio Ticonij & Bedæ; qui de electis omnibus hanc turbam interpretantur. Aureolus exponit de Gentibus tempore Constantini ad Christum conuersis. Lyranus de Martyribus, qui sub Diocletiano Martyrij palmam reportarunt. Ioachimus de omnium ætatum Martyribus. Ribera & Pererius de ijs, qui ex Gentibus sub extrema tempora sunt ad Christi caulas congregandi: quos aiunt Ioanni visos in æterna iam beatitudine constitutos. Andreas exponit de veris Israëlitis, secundùm spiritum: in quo considerari videtur hæc turba magna non diuersa à centum quadraginta quatuor millibus. Nam huius præfiniti numeri germana expositio est de veris Israëlitis secundùm spiritum, scilicet de primitiuis Christianis.

Vtrùm magna hæc turba sit eadem cum illa centum quadraginta signatorũ millibus.

D

Primò quidem aspectu necessarium apparet, vt hi centum quadraginta quatuor millia Israëlitæ à cetera turba innumerabili distinguantur: vt omnes ferè interpretes distinguunt. Alij enim sunt ex filijs Israël: & alij ex omnibus Gentibus, & tribubus & populis & linguis. Et quanquam Actuum 2. num. 5. dicitur, *Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi viri religiosi ex omni natione, quæ sub cælo est*: huius tamen loci sensus, (vt ex ipso contextu planum fit,) est, Ierosolymis tunc plurimos fuisse Iudæos, qui apud omnes mundi nationes nati erant: non verò ipsi erant ex omnibus tribubus & populis. Quippe euidens est, in orbe tunc permultos fuisse populos ac tribus, quæ ex meris Gentibus constabant. Si igitur centum quadraginta quatuor millia erant omnes ex tribubus Israël, & alia innumerabilis turba ex ceteris omnibus tribubus & populis & linguis: reliquum necessario est, alios & alijs esse distinctos. Secundò, alii sunt centum quadraginta quatuor millia, numerus videlicet certus ac præfinitus: alii turbam ita magnam comprehendunt, vt eam dinumerare nemo possit.

Pars negans fundetur primò.

Secundò.

Tertiò, Ioannes expressè videtur docere, fuisse diuersam visionem. Postquam enim vniuscuiusque tribus duodecim millia singulatim percurrit: mox subdit, *Post hæc vidi turbam magnam*. Quare si post designati numeri visionem reliquos innumerabiles aspexit; fieri non potest, vt vtrique sint prorsus ijdem. Quartò, illi centum quadraginta quatuor millia erant periculo expositi, & ceteris

Tertiò.

Quartò.

Digitized by Google

quàm mox puniendis admisti : ideo enim signo illo notantur, ne plagæ scelératis infligendæ eos perstringant. De turba autem magna id asseri neutiquam potest: vt pote qui amicti erant stolis albis, id est, cælesti beatitudine perfruebantur, vt vidimus cap. 6. 11. *Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ*: palmas insuper victoriæ iam manibus tractabant, *Et palmæ in manibus eorum*; quod proprium est Beatorũ. Adde huc, quod de ipsismet dicitur infrà numero decimo septimo, *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum*. Hoc autem ad beatitudinis statum proprie pertinere, patet infrà, cap. 21. 4. vbi apertè sermo est de patriæ cælestis gloria, & in ea dicitur, *Absterget Deus omnem lachrymam*, &c. A

Affirmatiua tamen pars, vt verior, seligitur & probatur.

Nihilominus mihi persuadeo, non solum in præcipuo sensu (de quo posteà) sed etiam in ipsa, figura, & repræsentatione esse eandem omnino hominũ multitudinem, quæ comprehensa fuit priùs sub numero centum quadraginta quatuor millium Israëlitarum; & mox appellatur turba magna *quam dinumerare nemo potest ex omnibus gentibus*. Quod vt recte percipiatur, notandum est, cùm Ioannes illos nuncupat Israëlitas, non affirmare eos tunc à se ipso fuisse conspectos: sed tantùm audisse se, numerum signatorum esse centum quadraginta quatuor millia: omnesque esse Israëlitas. Hoc itaque Ioanni fuit priùs dictum; & mox illi monstrata est innumerabilis ex cunctis gentibus multitudo. Quod meo iudicio significat, cùm sibi fuisset prędictum signatos omnes esse Israelitas, & duodecies mille è singulis tribubus: posteà quando sibi ostensi sunt, quos priùs audierat signari, vidisse se innumeram turbã *ex omnibus Gentibus & tribubus, & populis & linguis*. Ex quo manifestè colligitur, quòd Ioannes eos omnes vocauerit Israëlitas, & ex singulis tribubus duodecim millia, non esse intelligendum vt verba ipsa sonant: sed vt aliquid mysterij plenum. Habemus simile quid, cap. 5. 5. vbi Ioanni dicitur. *Vicit leo de tribu Iuda*: & mox vbi conuertit oculos, videt Agnum stantem. Quo intellexit, Agnũ illum esse leonem, de quo sibi fuerat prædictum. Non aliter in præsenti, cùm audisset, antea signatorum numerum esse centum quadraginta quatuor millia Israelitas, deinde videret maximam multitudinem ex omnibus gentibus & tribubus & populis: minimè dubitauit Ioannes, illam ipsam turbam innumeram ex omnibus gentibus & tribubus coactam esse eundemmet exercitum centum quadraginta quatuor millium Israelitarum, quos priùs signatos esse audierat. B

Difficultates in opposita sententia distinguendo turbam magnã à 144. millibus.

Hoc si ita intelligatur, plures facilè dissoluuntur difficultates: quæ se se offerunt, si duplicem illam gentium multitudinem distinctam esse asseramus. Et sanè fateor me satisfacere omnino non posse quæstionibus, quæ in ea mihi sententia occurrunt. Nam primò, cur Ioanni non ostenduntur centum quadraginta quatuor millia Israelitæ: sed tantùm ei dicitur, eos esse ex tribuum singulis duodecies mille: cùm tamen innumera illa gentium multitudo illius oculis cernenda proponatur? Quasi vero satis esset, alios fama solùm & auditione accipi: alios verò cerni & de facie agnosci opus sit. Deinde, cur non explicatur, an turba illa magna sint etiam signati, sicut Israelitæ? Nam de Israelitis id explicatè asseritur, & in tribubus singulis iteratur: de reliquis ne semel innuitur. Tertiò, cur de Israelitis nihil aliud dicitur, nisi eos esse signatos: idque vt paginam compleat tredecies repetitur: de ceteris verò dicuntur plurima: vt ipsorum palmæ, stolæ albæ, clamores & beneficia à Deo sibi præstita vsque ad finem capitis? Itane verò; tot ac tanta de alijs dicenda supererant: de alijs tantula, tamque pauca? C

Nostra sententia de utriusque multitudinis identitate probatur ex antecedentis & subsequentis capitum serie & coharentia.

Quarto, inter visionem sexti sigilli, quæ terribiles continet minas, & inter septimi repræsentationem, quæ grauissima supplicia complectitur: nihil aliud potuit interseri, nisi eorum designatio, qui ex plagis euasuri erant incolumes: caput ergo septimum debet id vnum continere. Quorsum igitur, postquàm de numero signatorum actum est, alia innumerabilis turba denuo additur: deque illa ita latè ac fusè disputatur? Certè quemadmodum aptissimus est & clarissimus contextus, si innumera illa multitudo cum signatorum exercitu idem sit, ita si diuersa sit ab illo, contextus series difficillima manet explicatu. Agere enim de Martyribus, aut de Beatorũ fælicitate, minimè facit ad rem antecedentis septimi sigilli repræsentationem. Namque sexti & septimi sigillorũ intercapedò, (præter hoc quod est designare illos, qui à plagis sunt eripiendi, & eorum fæliciratem in huiusmodi deliberatione depingere,) cetera omnia, vt minimè cohærentia prorsus excludit. Quinto denique, si certum est, vt ostendimus, in numero centum quadraginta quatuor millium, tam Israelitarum nomen, quàm nomina Patriarcharum esse mystica: quo pacto ab illis potest esse diuersus cœtus ille innumerabilis? Præsertim cùm euidens sit, innumeram etiam multitudinem spiritualium Israelitarum dici verè posse ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis. D

Quo sensu dixerit Ioãnes: Post hæc vidi turbam magnam, &c.

In nostra vero explicatione, si semel statuamus, eosdem esse Israelitas illos signatos cum infinita hac multitudine: facilè mox cernitur non solùm contextus consequentia, sed etiam admirabilis Spiritus sancti sapientia, & elegantia; quæ primam partem explicat per secundam. Quasi dicat Ioannes, Ipsimet, qui mihi Israelitæ esse dicti sunt, non modo erant ex populo Israelitico, sed etiam ex cunctis nationibus: quare hinc animaduerti atque adeo vidi, Israelitarum nomen, sicut in alijs Scripturæ locis, hic etiam mysticè & spiritualiter esse capiendum; quos verò audierã esse centũ quadraginta quatuor millia (nempe duodecim millia de singulis tribubus) multo erant plures, & numerosiores. Quanuis enim primæuæ Ecclesię Christiani, si cũ infidelium multitudine comparentur, numerum non ita magnum conficiant electorum; hic tamen præfinitus numerus, quantuscunque sit, excedit multis partibus numerum quadraginta quatuor millium. Quo supposito, constat protinus de elegantia atque energia huius diuisionis: quæ auditum applicat ad præscriptum illum signatorum numerum, visum verò ad innumeram ex omnibus gentibus multitudinem. Ac si clariùs diceretur; Oculi quidem aspiciunt, Christianos ex cunctis nationibus, populis & tribubus quàm maximo numero esse coactos; fides autem docet, compleri in illis, quod Deus pollicitus fuit Abrahamo, docet insuper in infinito hoc numero sapien-

A sapientissimã esse dispositionẽ,& proportionẽ congruentissimã ad Diuinæ prouidentiæ consilium. *Ocurritur argumentis pro opposita sententia adductis.*

Ex his iam nullius negotij est argumentis superiùs pro opposita explicatione allatis satisfacere. Atque primi & secundi solutio facilè constat ex dictis. Ad tertium respondetur; cùm dicitur *post hæc vidi turbam magnam*, non significatur id fuisse, postquam signatorum Israelitarum numerum Ioannes vidit. Neque enim prædixerat à se illos fuisse visos; sed eorum tantùm numerum auditũ esse. Quare verba illa, *post hæc*, hoc tantùm significent necesse est; Postquam dictũ mihi fuit Israelitas esse numero centum quadraginta quatuor millia, ostensa est mox innumeralis multitudo. Quod iuxta contextus seriem debet necessariò, significare illam innumerabilium hominũ frequentiam esse, cuius præfinitus numerus fuerat sibi antea dictus. Vbi notandum est obiter. Ioannem non vidisse signum illud in eorũ frontibus imprimi: hoc enim si cerneret, diceret vtique. Id quod peculiare etiam significationis habet mysterium; nimirũ illud Dei viuentis signũ ab Spiritu sancto spiritaliter fidelibus apponi. *Ioannẽ non vidisse corporeis oculis signũ illud in signatorum frontibus impressum: idque cuius mysterij gratiam.*

Ad quartum respondetur: vt significetur spiritualium virorum statum esse cælestis beatitudinis similẽ in animi tranquillitate & conscientiæ nullius sibi scelcris conscię securitate & in exemptione à plagis, quibus peccatores puniuntur; ad hoc, inquam, expedicns valdè fuit de huiusmodi hominibus nonnulla affirmari, quæ ad Beatorum fælicitatem propriè videntur conducere; cùm eisdem tribuatur ab Scriptura & ab ipsa Apocalypsi. Huiusmodi est, illos stolis albis esse indutos, & Deum B ab eorum oculis omnem abstergere lachrymã. Enimuerò, cùm eiusmodi elogia de spiritalibus hominibus in hac vita prædicentur per aliquam vitæ cælestis imitationem; perspicuum est imitationẽ hanc nec perfectæ æqualitatis, nec vniuocam esse debere; sed potius analogicæ participationis. Qua propter in Beatis stolę albæ significant veræ & absolutæ gloriæ vestem: in spiritualibus autem huius vitæ viris denotant veluti quandam illius glorię inchoationem; quod attinet ad animi tranquillitatẽ & securæ mentis lætitiam. Quòd autem absterſæ sint lachrymæ eorum, qui in hac mortali vita degunt, constat non id intelligendum esse de cunctis lachrymarum generibus; sed de eiusmodi lachrymis, quæ improborũ propriæ sunt, & eorum, qui grauiter & iniquo animo patiuntur huiusce vitæ labores; in quibus tamen spiritales viri gloriantur. Atque hæc etiam est Scripturæ phrasis. Nam verba illa *absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum*, sumpta sunt ex illo Isaiæ loco cap.25. 8. *Auferet Deus lachrymam ab omni facie*, vbi literalis sensus est de ingenti spiritualium hominum in hac vita fælicitate. Denique palmæ tribuuntur illis, qui adhuc in militaris Ecclesiæ campo & acie versantur: non ad perfectam & absolutam victoriam significandam, (cùm hæc ad vitæ vsque exitum non consummetur,) sed quia propriè etiam appellari solent victoriæ, quas sancti viri in hac mortali vita consequuntur: qui magnâ pariter energiâ dicuntur victoriam reportasse de quatuor illis hostibus, de quibus diximus cap.6. notat.3. id est de inordinato vitæ amore, de deuitiarum cupiditate, de inani hominum existimatione, & de proprio iudicio. Atque vt notauit Petrus Faber lib.2. Agonisticon. cap.12. C in his palmis alluditur ad Hieronicas: cùm victores illi veterum certaminum, quæ sacra vocabantur, victoriæ palmam ferebant: atqui planum est, illis in hac vita deferri palmam. *Trãquillus spiritualiũ virorũ status cælesti beatitudini quodammodo similis. Stola alba quid in Beatis: quid porrò in spiritalibus vlris significent. Quid palmæ eorum in manibus positæ figurent. Alluſio in his palmis ad Hieronicas veterum certaminum.*

Quod verò Petrus Faber existimat, in hoc Apocalypseos loco agi de palma, quam in cælo Deus tribuit Martyribus; id ex aliorum ille interpretatione desumpsit, quæ meo iudicio in præsenti non cohæret, propter ea, quæ suprà diximus.

Ex omnibvs gentibvs et tribvbvs et popvlis, &c.] Fortè ex huiusmodi verbis existimabit aliquis posse sumi argumentum contra meam explicationem. Ipse enim assero in hoc cap. directè agi de illis solùm, qui Christiani erant, quando Deus septem plagis in Iudaici populi obstinatos animaduertit: cùm autem Ierosolyma à Tito fuerit vastata quadragesimo anno ab Ecclesiæ Christianæ erectione; non videtur superfuisse tempus, vt aliqui iam fuissent conuersi ex omnibus gentibus & tribubus & populis, & linguis. Hoc argumentum roboratur expeditione noui orbis, qui multis posteà sæculis patefactus fuit. Præsertim quia vox illa *tribus* videtur exigere, nequa iam in toto orbe familia reperiretur, ex qua ad fidem nemo fuerit traductus. *Difficultas ex ipso contextu cõtra nostram expositionem.*

Huius difficultatis vim fortasse vt declinarent, aliqui interpretes declarationem magnæ illius tur- *Difficultatis vim quo modo alij declinauerint.*
D bæ extenderunt ad eos omnes, qui æternam beatitudinem adepturi sunt; ita vt vniuersi in ea multitudine comprehendantur. Quare, si innumerabilis hic cœtus ex omnibus Ecclesiæ sæculis congregetur: videtur propriè etiam & strictè loquendo, nullus fore populus, nulla tribus, ex qua nõ aliquis æternam salutem consequatur. Ceterùm contextus ipse non patitur de illis hìc esse sermonem, qui nondum nati erant, quo tempore Deus septem plagis Iudaicum populum puniuit; quemadmodum nec de illis, qui iam è viuis excesserant. Nam manifestò sermo est de Dei seruis, qui signati fuerunt: quia cum improbis tunc plectendis commisti erant.

Ad argumentum verò Respondeo Primò, non opus esse, distributionem illã adeò presse & stric- *Prima difficultatis solutio.*
tè sumi, vt nullus in extremis orbis angulis populus superſit, ex quo non fuerit aliquis ad fidem conuersus. Neque enim necesse est ad has redigi angustias: vt verè intelligatur dixisse Paulus, *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Certè si in vniuersalibus Scripturæ propositionibus, ad earum veritatem, huiusmodi requireretur distributio: verum non esset, quod dicitur Act.2.n.5. *Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi ex omni natione, quæ sub cælo est.* Mitiùs ergo huiusmodi loquutiones interpretandæ sunt iuxta communem loquendi phrasim: in qua cùm hyperbolicæ loquutionis species non sit, aliqua tamen hyperbole vsurpatur. Et quidem populorum multitudini, in quibus Euangelium fuerat disseminatum tribuitur nomen totius orbis terræ, nationum omnium, populorum, ac tribuum. Rom.10. 18. ex Psal. 18.5.

Respondeo Secundo, vt omittam Christianos iam tunc in aliquibus esse populis prouinciarum 2. *Solutio.*
omnium, quæ Romano Imperio subiectæ erant. nec solùm ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus: vt

omittam præterea Apostolorum aliquos suę prædicationis fructum ad Indos & Æthiopas propagasse: vniuersitas illa tribuum, populorum ac linguarum denotat ex Christianæ Ecclesiæ & electorum congregatione nullam gentem, populum nullum, nullam tribum excludi: quicumque enim viua fide in Christum crederet, eum protinus inter veros Israëlitas computari. Atque hanc existimo esse Ioannis mentem in hoc loco iuxta aliorum Scripturę locorum sensum. A

STANTES ANTE THRONVM ET IN CONSPECTV AGNI] ἐνώπιον τοῦ θρόνου, καὶ ἐνώπιον τοῦ Ἀρνίου, hoc est, *coram throno & coram Agno.* Et quanuis vis illius vocis ἐνώπιον non postulet, vt ipsi videant, sed solùm vt videantur: qui tamen oculis constant, & in regis adstant conspectu: ipsius præsentia posse frui, quis dubitet? Vide Hester 1.num.10. vbi de *septem Eunuchis, qui in conspectu Regis ministrabant.* Agitur ergo de spiritalibus Israëlitis, vt de sacerdotali populo, qui fruitur præsentia omnipotentis Dei, habentis suum thronum in Christianæ Ecclesię templo: qui quidem potiuntur Christi conspectu stantis in throno: quippe qui hominum est aduocatus, & ipsorum ac Dei mediator.

Felicitas mystici Israelis, id est Christiani populi, in quo sita sit.

Sic enim suprà explicauimus, quod dicitur cap.5.6. de Agno stante in medio throni. Felicitas hæc mystici Israëlis consistit in viua fide, quæ beatitudinis est initium: vt expressit Christus, *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Consentit id, quod suprà aduertimus, hîc nimirum haberi sermonem de horum hominum fælicitate per comparationem ad fælicitatem Beatorum, qui Dei conspectu fruuntur. Atqui manifestum est, qui perfruuntur Dei & Christi præsentia, ab ipsius prouidentia summopere eos protegi ac foueri. B

Stola quid sit, & in qua acceptione in sacris vsurpetur.

AMICTI STOLIS ALBIS] Tametsi Latini stolæ nomen peculiariter solent vsurpare pro veste, quæ fœminarum propria erat: in sacris tamen non est hic familiaris vsus, sed vniuersè stola nominatur talaris vestis & glorioſa. Vide Lucæ 20.46. *Attendite à scribis, qui volunt ambulare in stolis, & amant salutationes in foro*, Vide etiam stolam Hesther 6.10. & *stolam gloriæ* Ecclesiasticæ 6.30. & cap.5. & *stolam sanctam*, cap.45.12. item *stolam nouam*, Iudith 16.10. & *stolam primam*, Lucæ 15.22. Quod verò de stolis albis dicitur, ad sacerdotales stolas (de quibus mentio sæpè fit in sacra Scriptura) videtur referendum; quæ sunt poderes byssinæ. Agitur enim de mystico Israële, vt de sacerdotali populo, qui ante Deum in eius templo adstat. Atque ad huiusmodi allusionem vestium sacerdotalium lucem affert, quod dicitur infrà numero decimoquarto, & decimoquinto, *Lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni: ideo sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius.* Huic vesti in cælo respondet stola glorię, quę cælitum propria est. Vide Marci 16.5. *Angelum coopertum stola candida.* Quæ stolæ significatio (scilicet vt sumatur pro stola sacerdotali) recepta est etiam apud Latinos. Sic enim stolæ nomen accipit Apuleius lib.vlt. Metamorph.

Stola pro sacerdotali veste.

Stola cuius rei symbolũ.

Aptissima ergo est in præsenti significatio stolę, quam docet Gregorius Magnus Marci vlt. vbi ait, in vestibus albis significari gaudium & solennitatem mentis. Quod idem est ac dicere, spirituales viros lætos semper atque hilares degere: vt qui à mundanorum plagis liberi & securi sunt. In hac insuper lætitia includitur bonæ conscientiæ puritas & candor, in quo vera lætitia innititur: propterea quòd se lauerit sanguine Agni, & candorem illum diuino auxilio retinuerit. Sic enim explicatur paulo infrà, *lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni.* C

Vtrùm hic album pro splendenti, purpureo, an pro candido sumatur?

Opinio Petri Fabri accipientis pro splendenti purpureo.

Non tamen desunt, qui existiment, apponi *album* in hoc loco improprię pro splendenti purpureo: & *dealbare*, pro mundare aut splendidum facere. Ita Petrus Faber in Agonistico, libro 2.cap.12. & 25. Probat Primò ex vetusto Glossario Græcolatino. Secundò, ex sanguinis colore, cùm dicitur, *dealbauerunt eas in sanguine.* Quomodo enim in sanguine, si *dealbare* propriè accipiatur? Tertiò, quia existimat alludi ad Hieronicarum vestes (id est victorum sacri certaminis) quas constat non fuisse albas: aut alludi potius ad triumphantium vestes: quas purpureas fuisse certum est. Nam de purpura ait Plinius lib.9.cap.36. *In triumphali miscetur auro.* Quartò, nam λευκὸν, apud Græcos sæpe idem est, quod limpidum: vt patet ex thesauro Græco. Vnde aqua, fluuius, ver, æstas, sermo, versus, omnia appellantur λευκὰ, id est alba: ad munditiam, claritatem, & splendorem indicanda. Quintò probat quia vestis, qua remissus est Christus ab Herode ad Pilatum vocatur à nostro interprete alba, Lucæ 23.11. Græcè autem appellatur, λαμπρά, id est splendida: Syriacè autem *coccinea.* Sextò denique, quia aliquando purpureus non colorem dicit, sed splendorem: ceteroquin nunquam diceretur purpureus cygnus: ergo similiter accipi potest albus. D

Vera tamen statuitur sententia explicant de albo proprie sumpto.

Hæc tamen minimè obstant, quominus coactum valde esse putem, dici album de veste purpurea. Quare, quod ad repræsentationem attinet, omnio assero sermonem esse de proprio colore albo: imò verò de valde albo, atque adeò candido. Vt autem hoc stabiliatur, nihil aliud opus est, quàm ad argumenta noui huius inuenti respondere. Per se enim notum est, albũ opponi purpureo. Præcipuè cùm in his albis stolis (vt vidimus) sit allusio manifesta ad sacerdotales stolas byssinas. Deinde ad explicandam animæ sanctificationẽ ac puritatẽ conscientiæ euidens est colorem album, vt opponitur purpureo, in sacra Scriptura vsurpari, Isaiæ 1.18. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: etsi fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Hunc ergo vestium alborẽ tribuit Scriptura tanquã causæ sanguini Christi. Vnde 1.Ioannis 1.7. *Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato.* Huc spectat, quòd vestis Christi in transfiguratione facta est alba quasi nix ex Christi luce admirabili: & quã in Christi veste mutationem fecit lux, eadem consideratur fieri ab ipso Christo in mystica ipsius seruorũ veste.

Argumẽtis Petri Fabri fit satis.

Vt ergo ad argumenta Respondeam, ad Primum dico, Glossarium illud non esse D. Ioannis; quare nihil me de illo laborare. Ad Secundùm; fateor naturalem non esse infectum siue tinctu-ram, quòd sanguis dealbet; ideoque apponi vt rem admirabilem, illud quod maculam aspersurum videbatur, eam potiùs eluere, & candorem & splendorem afferre. Et fortassis consideratur hîc sanguis Agni instar saponis efficacissimi, qui maculas omnes ac sordes penitùs abstergeat. Ad Tertium

A tium respondeo; si nusquam in totò terrarum orbe vestis alba fuit victoriæ atq; triumphi insigne, at in Scripturæ vsu ita accipi citra controuersiam est; siquidem Apoc.3.5. dicitur, *Qui vicerit, sic vestietur vestibus.* Ad Quartum Respondeo, nullum adduci exemplum, ex quo appareat λευκην, appellari eam vestem, quæ non sit alba. Ad Quintum, dicerem potiùs in Syriaco poni coccinum pro candido (sicut purpureum in cygno) quàm album in Vulgata pro coccino contra omnem consuetudinem. Præsertim cùm ibi Græcè non sit, λευκος. Ad Sextum; forsan in eo exemplo *purpureum* ponitur pro regio. Aut fortè reperitur color aliquis in quibusdam rebus nimis candidus, cui aliqua insit purpurei species atque reflexio: vt de pretiosissimis margaritis perhibent, videri illis rubram inesse animam. Aut si aliquando purpureum ponitur pro candido; nunquam tamen album pro purpureo sumitur; quando nullum hac de re exemplum ostenditur.

ET PALMÆ IN MANIBVS EORVM] Dixi per palmas significari victoriam; siue alludatur ad sacri agonis victores, siue ad palmas, quæ in templo erant exsculptæ multis in locis cum eâdem victoriæ significatione. Victoria ergo, quam istæ palmæ adumbrant, est illa ipsa, quæ eisdem veris Israëlitis tribuitur cap.15.2. vbi de illis dicitur, *Vicerunt bestiam & imaginem eius & numerum nominis eius.* Atqui vt aliàs admonui, in nostra declaratione non de ijs agitur, qui Deo iam fruuntur in cælo; sed de spiritalibus Israëlitis, qui per Dei gratiam in hac vita victoriam de suis appetitionibus reportarunt. *Quænam sit victoria per has palmas figurata?*

B Sed aliquis mihi obijciet Augustinum serm.11. de sanctis, & Gregorium hom.17. in Ezechielem; qui manifestè exponunt hanc palmam de palma martyrij. Quibus concinit Ecclesia in communi hymno ad matutinarum horarum calcem subiecto; vbi Martyrum cœtus nuncupatur candidatus Martyrum exercitus. Respondeo, non semper in hymnis atque concionibus attendi literalem ac proprium sensum eorum verborum, quæ ex Scriptura accersuntur. Sæpè enim sufficit in aliquo probabili sensu aut bona accommodatione accipi. Nec tamen ipse inficior Martyres ex eorum esse numero, quos Ioannes candidatos cum palmis aspexit: quin imò assero illos à Ioanne cum palmis fuisse visos; etiam antequam pro Christo fortiter occumberent: & omnes etiam primitiuos Christianos possumus quodammodo Martyres appellare. Nam iuxta diuum Cyprianum Martyres dici possunt, quotquot legibus per ethnicos Principes latis pro Christi fide damnabantur; & primitiua tota Ecclesia animo ac desiderio martyrij palmam consequebatur. Tantusque erat eorum numerus, qui martyrium pro Christi fide re ipsa patiebantur; vt meritò dici possit, hanc fuisse in primis Ecclesiæ primitiuæ professionem, vt pro Catholica fide vitam cum sanguine profunderet. Quamobrem antequam emoriantur, non iniurià cum palmis depinguntur. *Obiectio cõtra nostram de albis stolis significationem, eiusq; solutio.*

C ET CLAMABANT VOCE MAGNA DICENTES, SALVS DEO NOSTRO, QVI SEDET SVPER THRONVM ET AGNO] Qui spiritali libertate fruuntur, & se vident ab improborum plagis tutos atque securos, iure optimo clamant; id est, magno affectu, & ingenti grati animi significatione Deo & Christo gratias agunt. *Salus*, Græcè σωτηρία, quæ vox aptissima est ad significandam liberationem ipsam & immunitatem à plagis, quibus rebelles Iudæi plectebantur. Dicere autem, *Salus Deo, & Agno*, est agnoscere singulare fuisse Dei & Christi beneficium in ipsos collatum; quòd eos sponte sua æternæ vitæ notâ signauerant, vt & plagas improborum deuitarent, & fœlicitate illâ, quam habebant, perfruerentur. Vers.10. *Quæ gratiarũ actio sit, salus Deo nostro.*

TEXTVS.

*Vers.*11. Et omnes Angeli stabant in circuitu throni & seniorum & quatuor animalium; & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adorauerunt Deum.

12. Dicentes, Amen. Benedictio & claritas & sapientia & gratiarum actio, honor, virtus, fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum, Amen.

D

COMMENTARIVS.

OMNIA ferè, quæ hic essent dicenda, dicta iam sunt cap.5. vers.11. & 12. Ibi enim depicti etiam sunt Angeli in circuitu throni & seniorum & animalium. Et vtrobique hymnus, quem Angeli concinunt, septem constat laudibus: cum hoc tamen discrimine, quia ibi canticum illud Christo intonuerunt; hic verò æterno Patri, Quo edocemur, in Dei prouidentia, necnon brachij ipsius, id est, Christi Domini, splendescere septem perfectissimæ prouidentiæ spiritus.

Non defuit, qui huius loci laudes non septem, sed octo esse arbitraretur: quòd vocem illam *Amen*, accipere voluerit quasi peculiarem laudem, quæ cum reliquis octonarium numerum conficeret. Contra hoc tamen est, quia textus ipse in ipsa distinctionis ratione nos perspicuè admonet, verbum illud *Amen*, quod est in hymni initio ac fine, sumendum esse non vt peculiarem laudem, quæ Deo deferatur; sed vt maximam eorum omnium, quæ continentur in hymno, asseuerationem. Atque huius loci proportio & conuenientia cum illo capit.5. dilucidè ostendit laudes hic etiam septem fore, sicut in capite quinto. Porrò de vocis, *Amen*, significatione & energia lectorem remitto ad ea, quæ doctè conscribit Caninius de locis Hebraicis, cap.5. Illud addiderim, magnam rei alicuius asseuerationem suum propriè habere locum in ijs, quæ cùm vera maximè sint, veri tamen speciem non habent. Hac enim ratione accidit in eo, quod hymnus hîc continet; videlicet septem Diuinæ prouidentiæ spirituum perfectionem infinitam elucere in eximijs beneficijs, quibus Deus primæ- *Vtrũ laudes hic ab Angelis Deo decantatæ, sint septem, an octo? Septem nõ amplius esse statuitur.*

Digitized by Google

uos illos Christianos afficiebat; cùm eos sui spiritus signo notabat, & hoc modo à plagis rebellium Iudæorum cœtui imminentibus eripiebat. Ratio enim ac modus eos liberandi erat eiusmodi, vt eos ad Crucifixi fidem transmitteret, & falsæ hominum existimationis, fortunarum ac vitæ ipsius contemptionem illis inderet; sicque suæ patientiæ clarissimum præberet exemplum, dum permittebat suos à Iudæis contumacibus vexari atque mactari; & graues etiam proponeret comminationes sceleratis hominibus per ea ipsa, quæ iusti ab illis patiuntur. Vnde clare Angeli perspiciebant, quàm grauia & acerba supplicia in peccatores erant fulminanda. Quare in hac signatorum liberatione ab ijs plagarum ictibus, quibus percutiendi erant scelerati, effulgebat quidquid in septem sigillorum repræsentatione continetur, vt latiùs explicatum est c.5. & 6. A

Cur hic sub laudum finẽ addatur, Amen?

Rogabit aliquis, quid causæ sit, cur in hoc potiùs hymno, quàm in ipso, quem Angeli ipsi concinuerunt Christo, addatur modò *Amen*, tam in principio quàm in fine? Respondeo, vehementi hac asseueratione fortè significari maiorem penetrationem, maioremque admirationem: vt nouerimus ipsosmet Angelos eâdem successione ac progressu rerum, quæ in Christiana Ecclesia accidebant, magis magisq; comperisse admirabiles Christi passionis effectus; & quò plus agnoscebant, & assequebantur, eò plus in profundæ huius sapientiæ cognitione, & Dei consiliorum admiratione profecisse. Angelos enim ipsis Ecclesiæ euentibus in Dei sapientiæ notitione maiores fecisse progressus apertè docet Paulus ad Ephes. 3.10. cum ait, *Vt innotescat principatibus & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* quem locum suprà iam exposuimus. B

TEXTVS.

*Vers.*13. Et respondit vnus de senioribus, & dixit mihi; Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, & vnde venerunt?

14. Et dixi illi, Domine mi tu scis. Et dixit mihi; Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni.

COMMENTARIVS.

Respõdere quid sit in Hebraica phrasi.

QVi cum alio colloqui incipit, Hebraicâ phrasi dicitur illi respondere. Itaque interrogatio appellatur responsio. Atq; interrogatio hæc vnius è senioribus eò solũ tendere videtur, vt hæc repræsentatio sese accõmodet ad eorum, qui aliquid docent, consuetudinẽ: qui, vt attentiùs excipiatur sua doctrina, ab aliqua interrogatione principium ducere solent. Quòd verò vnus de seniorib. Ioannẽ instruat; similem habet difficultatem, nec dissimilem solutionem, atque illud cap. 5. 5. *Vnus de seniorib. dixit mihi, Ne fleueris, Ecce vicit leo de tribu Iuda.* Videantur, quæ ibidem diximus. Quibus addo insuper, in hoc etiam loco, mihi pro certo esse, ideo vnum de senioribus induci, qui Ioannem instituat; quia diuus Lucas (qui seniorum erat vnus, vt suprà notauimus) conscripsit librum de Apostolorum actibus; in quo continetur noui Israelis, id est Christianæ Ecclesiæ fundatio; in eaque historia narrat, ad hunc nouum Israelem cooptari quotquot ex Gentium superstitione ad veram Christi religionem transferebantur, ita vt Gentiles ad Christum versi inter veros etiam Israelitas numerarentur. Narrat insuper Iudæis & Gentibus ab Spiritu sancto gratiam copiosè suppeditari, eiusque auxilio signari, & eximi ab improborum supplicijs; ac valde roborari, vt si opus esset, pro Christo vitam libenter amitterent, & de mundo triumpharent. Itaque verissimè dicitur diuus Lucas in Apostolorum actibus docere, veros esse Israelitas designatos eos omnes, qui ad Christi religionem sese intimo cordis affectu applicabant, siue Iudæi essent siue Gentiles; quàm plurimosq; esse, qui Apostolorum cohortationibus ad veram salutis semitam dirigebantur. C

Vnum hunc è senioribus eundem esse de quo cap. 5.5.

Cur hoc potissimùm in loco vnus è senioribus Ioannem instruat.

Vers.14. HI SVNT, QVI VENERVNT DE TRIBVLATIONE MAGNA] Græcè duplex est articulus tam in *tribulatione*, quàm in *magna*. Fortassis per allusionem ad Ægypti captiuitatẽ ac seruitutem. Ægypti enim nomen sonat angustias: & quæ sequuntur verba compellunt, vt huiusmodi tribulatio sit peccati captiuitas, & exulceratæ conscientiæ infelicitas. Nam hæc est magna illa tribulatio, ex qua euadunt illi, qui ad Christum viua fide perfugiunt: atque in hac seruitute clauditur miserabilis subiectio inordinato vitæ & fortunarum amori, vanæ hominum existimationi, & proprij iudicij cæcitati. Quapropter mox sequitur, lauisse eos stolas suas in sanguine Agni, id est è misera illa seruitute, qua tenebantur oppressi, ad lætissimam bonæ conscientiæ felicitatem transgredi; & à dæmonis captiuitate ad virorum sacerdotalium numerum, qui iustitiæ indumentis ornati Deo in eius templo ministrant. Vide quæ supra diximus de stolis albis in hoc capite n.9. & c.3.5. D

Qui dicantur ex magna venisse tribulatione.

TEXTVS.

*Vers.*15. Ideo sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius: & qui sedet in throno, habitabit super illos.

16. Non esurient, neque sitient ampliùs; nec cadet super illos sol, nec vllus æstus.

17. Quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum: & absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.

COM-

Digitized by Google

A

COMMENTARIVS.

IDEO SVNT ANTE THRONVM DEI] Legantur, quæ suprà diximus nu. 9. circa illa verba *stantes ante thronum*. Et aduerte quod ex contextu colligitur, magnam scilicet sanctitatem, quam Christi sanguis Christiano populo largè effuseque donat: esse causam, cur strenui Christi cultores efficiantur sacerdotalis populus Deo tantopere charus, vt ipsum in suo templo dies noctesque cultu ac veneratione prosequantur in spiritu & veritate: eiusque fruantur præsentia, quod cælestis beatitudinis imaginem adumbrat.

ET QVI SEDET IN THRONO, HABITABIT SVPER ILLOS] Particula *super* potest significare idem quod inter: quod innuit Deum inter Christianos degere, quasi eis vicinum ac proximum, qui pro priam apud eos sedem ac domicilium fixerit. Atque hæc loquutio aliis in locis familiaris est Scripturæ: & congruenter ad sacrosanctam Christi corporis Eucharistiam, necnon ad Dei in suos patrocinium ac protectionem applicatur. Deinde, *super illos*, hic esse potest idem, quod apud illos: in eo sensu, quem expressit Christus Ioannis 14. 3. *Mansionem apud eum faciemus*. Si igitur aduertatur hunc esse germanum sensum, protinus cernitur energia illius vocis *super*, quæ denotat Deum inter eos, siue apud eos degere, eos tuendo ac protegendo. Vide Isaiæ 12. 6. *Quia magnus in medio tui sanctus Israel*. Hebraicè *in interiori tuo*. lege totum caput.

Habitare Deus super suos, quo sensu dicatur.

Ad Eucharistiam aptè referri.

B NON ESVRIENT, NEQVE SITIENT AMPLIVS, NEQVE CADET SVPER ILLOS SOL, NEC VLLVS ÆSTVS] Petrus Faber in Agonistico l. 2. & l. 3. opinatur in his verbis ad Hieronicarum emeritorum præmium respici. Id tamen non ille mihi persuadet. Illud in primis est certum, hæc verba desumpta esse ex Isaiæ c. 49. 10. vbi manifestè est sermo de Gentibus etiam ad Christum conuersis: & verba sunt prorsus eadem: *Non esurient, neque sitient, & non percutiet eos æstus & sol*. Sermo autem est de cupiditatis fame ac siti, & de æstu luxuriæ atque inuidiæ. Vide c. 16. 8. *Quartus Angelus effudit phialam suam; & datum est ei, æstu affligere homines & igne*. Scio æstum ab Andrea referri ad huius vitæ molestias. Aptius tamen de tentationibus explicatur: atque ea est Ambrosii expositio.

Vers. 16.

Allusio ad Isaiæ c. 49. De qua fame ac siti hic sermo sit.

QVONIAM, QVI IN MEDIO THRONI EST, REGET ILLOS: ET DEDVCET EOS AD VITÆ FONTES AQVARVM] Quid significet Agnum esse in medio throni, diximus suprà c. 5. 6. Quod verò additur, *reget eos*, idem est, quod eos pascet, vt patet ex verbo Græco, ποιμανεῖ. Allusio autem perspicua est ad Psal. 22. quo confirmatur non agi hic de cælestis patriæ fælicitate: quia sequitur in eodem Psalm. n. 4. *Nam & si ambulauero in medio vmbræ mortis mortis, nõ timebo mala*. Ad quem etiam Psalmum respexit Isaias loco allato: subdit enim, *Quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarũ potabit eos*. Quod est agere de Dei seruis sub ouium metaphora, quas pastor Christus pabulis vberrimis pascit, & limpidissimis fontibus potat, molliqué aura, & vmbrosis arborum foliis opacat. Porrò in hoc loco pro vitæ fontibus quædam Græca sonant *viuos fontes*. Sed significantius est, *vitæ fontes*: id est fontes vitales aquæ & gratiæ. Sensus autem huius Metaphoræ in pastu & potione est de mirifico Ecclesiæ Sacramentorũ fructu, de sacrarum Scripturarum solatio, & de mysteriorum fidei contemplatione: quæ famem explent, sitimque extinguunt cupiditatem huius vitæ bonis inhiantium: & lenis diuini spiritus aura, atque vmbra Dei protectionis & optimorum exemplorum arcent luxuriæ, inuidiæ, & ceterarum animi appetitionem æstus. Hæc etiam pratorum spiritualium pastio complectitur solidarũ virtutum & viuæ in Christum fidei exercitationem. Vide Psal. 22. *Deduxit me super semitas Iustitiæ*.

Vers. 17.

Regere *hic idem, quod* pascere.

C

ET ABSTERGET DEVS OMNEM LACHRYMAM AB OCVLIS EORVM] Hoc, vt iam admonui, ex Isaiæ cap. 25. 8. desumptum est: & in eodem hic sensu accipitur, atque apud Isaiam: Deum scilicet spiritualibus Ecclesiæ Christianæ hominibus abstergere lachrymas, quas huius vitæ laborum atque ærumnarum sensus expresserat: illisque gratiam donare vt in ipsis calamitatibus glorientur, eos etiam fletus comprimere, & exsiccare, quos deprauatæ conscientiæ stimuli solent adducere, & impetratæ veniæ spe confirmare. Quorum vtrumque maximæ est felicitatis argumentum, & quædam cælestis beatitudinis imago. Ideoque hæc eadem verba applicat Ioannes perfectissimo felicitatis æternæ solatio cap. 21. 4. Verùm, quòd verba isthæc exponantur ibi de cælestis gloriæ lætitia, nihil obest, quominus hic etiam ad spiritualium virorum in hac vita consolationem eleganter applicentur: vt explicauimus suprà in commentario versus noni.

Quo sensu dicatur Deus abstergere lachrymas à suorum oculis.

D

Omnia, quæ hactenus diximus, appositè deseruiunt, vt illis admirabilis declaretur effectio signi viuentis Dei, quo veri Israëlitæ signati plagarũ ictus effugiunt, quibus seueriſsimè plectit Deus spiritalem Aegyptũ, id est, inimicos crucis Christi. Sed tametsi cõtextus singulatim de primitiuis Christianis agit, deque plagis Iudaico populo illatis: hæc tamen doctrina generalis est, potestque congruenter ad statum præcipuè religiosorum applicari. Illi enim appellari possunt vel maximè populus electus (ad sæcularium distinctionem) & Spiritus sancti notâ signatus, illi insuper sunt, qui fruuntur potissimùm sacrosancti Christi corporis præsentia in Eucharistia & singulari Dei ipsius patrocinio: illi: qui dies noctesque in templo ante Deum assistunt illi denique, qui ingentem vitarunt tribulationem, quam è secularibus complures patiuntur miserrimè, iuxta illud Pauli de coniugibus dictum *Tribulationem carnis habebunt huiusmodi*. Quòd si probi etiam homines coniugio addicti tribulationis non erunt expertes, quid mundo generatim futurum putamus?

Prædicta signatorum doctrina ad religiosos applicatur.

Religiosa vita encomium.

Religiosos die ac nocte diuino cultui esse addictos.

Demum obserua verbo illi, *seruiunt*, græcè respondere, λατρεύουσιν, quod significat diuinum cultum, id autem in religiosis hominibus præsertim verum ostenditur, qui diu noctuque se totos diuino cultui dicant & consecrant. Quidquid enim superiorum, atque adeò Dei ipsius obedientiâ præstatur, religionis & diuini cultus proprium efficitur. Præterea *Non esurient, neque sitient*. neque enim aut cupiditas, aut ambitio in Religione regnat, nec concupiscentiæ ardor sentitur; singulari

Religiosa vita quàm longè à cupiditatum siti esse deo beat.

Digitized by Google

Dei & Agni beneficio. Postremò, etsi non habitus (quod aiunt) sed religiosi mores Monachum informant; non tamen dubium est, quin sacrarum Religionum institutio fuit cæleste inuentum; vt in hac vita homines, non adumbratam modò, sed expressam beatitudinis habeant imaginem, & faciliùs ac securiùs Christianæ religionis ac professionis præstantia, dignitateque fruantur. A

NOTATIO V.

In qua proponitur suspicio quædam de numero centum quadraginta quatuor millium (quem ponit Apocalypsis c. 7. & 14.) & de illa iudicium fertur.

Singularis explicatio de numero 144. millium ad paucos.

NONNEMO suspicatus est numero illo (*centum quadraginta quatuor millia*) designari paucas admodũ personas; sed tantæ virtutis singulas, vt quælibet earum pro mille viris debeat computari. Huic verò suspicioni vt aliquam verisimilitudinem conciliaret, præmittebat nonnulla. Et in primis minimè opus esse, vt centum quadraginta quatuor millia signati (de quibus dictum est Ioanni) sint ijdem cum turba magna quam dinumerare nemo poterat Quia potiùs nostra sententia (quæ vtrosque facit eosdem) videtur vix posse notã nouitatis effugere. Si autem supponatur, illos centum quadraginta quatuor millia signatos, esse ex populo Israel secundùm carnem; turbam verò innumerabilem esse ex Gentilitate: cùm vel ex nostra acoluthia constet, non agi in capite septimo de aliis Israelitis, quam de illis, qui fidem Christi receperant, antequam plagarum tubæ aduersus rebelles Iudæos concreparent. Ex hoc ipso colligi videtur numerum illum (*centum quadraginta quatuor millium signatorum*) non debere accipi pro numero adeò, ac sonat, magno. Quia numerus eorum, qui Christo nomen dederant, priusquàm plagæ illæ aduersus rebelles Iudæos immitterentur, non videtur fuisse adeo magnus. B

Imò verò apparet signatorum numerũ fortasse non debere extendi ad eos omnes, qui illo tempore fidem Christi receperant, Quia signum Spiritus sancti (vt constat ex aliis sacræ Scripturæ locis) continet adeò magnam sanctitatis & donorum Spiritus sancti excellentiam: vt ij solùm videantur inter signatos recensendi, qui primitias Spiritus accepere, ad fidem Christi prædicandam & pro pagandam. Hos verò eximios prædicatores, nemo dicet fuisse exercitum adeò numerosum: sed potiùs pusillum gregem. Singuli enim Apostoli videntur pauculos quoldam discipulos prædicationis Euangelicæ socios sibi adiunxisse (quemadmodum de Iacobo Hispaniarum patrono compertum est:) atque illi numero quidem pauci, sed virtute & sanctitate admirandi, à Deo confortati, susceperunt atque patrarunt egregium illud facinus subiiciendi scilicet Euangelio, primùm decimam Iudeorum partem, deinde ex Gentibus vniuersum orbem Romanum, & ceteras quoque nationes. C

Ad hæc: ad numerum centum quadraginta quatuor millium propiùs accedendo, notat prædicta suspicio, paucos illos discipulos, quos sibi socios adiunxerunt Apostoli, aptè appellari posse duodecim duodenarios. Quia quanuis non constet præcisè de singulorum manipulorum numero: neque verisimile sit fuisse in singulis duodenarium: nihilominus, vt significẽtur Apostoli singuli paucos sibi discipulos adsciuisse, quemadmodum Christus paucos sibi assumpsit Apostolos; aptè singulorum cunei siue decuriæ in duodenario figurantur. Sic enim, quemadmodum Christus suos Apostolos appellauit pusillum gregem, cùm essent personæ duodecim: non aliter ex æquali electorum discipulorum numero, qui singulis Apostolis tribuantur, constituuntur duodecim manipuli, siue pusilli greges, ad mundum subiugandum destinati. Atque ea ratione conuenienter satis omnium Apostolorum discipuli reuocantur ad numerũ centum quadraginta quatuor: quia duodecies duodecim constituunt centum quadraginta quatuor. Neque hoc est præstituere singulos manipulos verè fuisse duodenarios: sed solum eis duodenarii nomen, Apostolici collegij instar aptè tribui: eo quòd sint pauci numero, & singuli in fortissimos & fortunatissimos duces electi. D

Mox verò vt innuatur, eos ipsos, qui adeò pauci erant, perfecturos id quod præstari non posse videbatur, nisi ab ingenti exercitu: significantissima videtur esse phrasis, si supra dicti centum quadraginta quatuor viri appellentur centum quadraginta quatuor millia. Quod non est aliud, quàm asserere singulos eorũ esse instar virorum mille, quòd possint singuli pro mille operari. Qua loquẽdi rationi alludi videtur ad id Isaiæ 60. 22. *Minimus erit in mille, & parvulus in gentem fortissimam.* Quæ verba, quanuis fere ad Chiliarchorum munus referri soleant, vt sensus sit singulos fore tribunos, & militibus mille præfuturos: multò tamen significantior erit locus, si de singulorum virtute agat: eamque eiusmodi esse confirmet, vt singuli meritò pro mille reputentur. Cui significationi congruentissimè deseruit illa phrasis, *in mille, in gentem fortissimam.* Nam eâ ipsâ phrasi dicitur Ieremiæ 1. nu. 18. *Ego dedi te in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum aneum,* & cap. 15. num. 20. *Dabo te in murum æreum fortem.* Atque illa ipsa recepta expositio (quæ, cùm dicitur *minimus erit in mille*, intelligit singulos fore Chiliarchos) eodem recidet: si animaduertatur, eum effici Chiliarchum, cui virtus de cœlo tribuitur, vt mille animas Christo lucretur: quod est eas in Christo gignere, ac earum esse patrem, sic enim ex vno, fiunt mille. In spirituali autem filiorum generatione, qui per Dei gratiam vnius integri regni fuit pater in Christo, id est, qui integrum regnum potuit Christo subiicere, non solum bellum gessit, vt singularis miles, sed etiam quasi exercitus maximus atque fortissimus: quandoquidem integro regno potuit inferre bellum, & præclaram de illo victoriam reportare.

Porrò huic cogitationi fauere videntur multi sacræ Scripturæ loci: in quibus expenditur gloriosum esse Deo, per milites paucos de vniuersis triumphare exercitibus. Vide Deut. 32. 30. *Quomodo persequatur vnus mille.* Et 1. Reg. 14. nu. 6. *Non est difficile Deo, saluare in paucis,* 1. Machab. 3. 18. *Non est differentia in conspectu Dei liberare in multis & in paucis.* Huc etiam spectat id Isaiæ 10. 22. *Cõsummatio abbreuiata inundabit iustitiam.* Quemadmodum enim Deus multiplicauerat quondam gentem, & non magnificauerat lætitiam (vt habetur Isaiæ 9. 3.) sic postea reuocato fidelium numero ad paucos, sed strenuos & electos: per eos subiugauit vniuersas nationes. Sicut adumbratum fuerat in historia illa Gedeonis, de qua Iudic. 7. Et sicut elegantissimè significatur in libello paruo, de quo Apocal. 10. Facit, quòd similiter in religiosorum ordinum initiis, ex paucorum, sed electorum, labore multò maior solet percipi fructus, quàm post aliquot sæcula ex numerosæ multitudinis operâ & industriâ. Quare elegantissimè & significantissimè dici valeat, illos primos decem Societatis nostræ Patres, fuisse decies mille viros: atque cùm à B. Ignatio parente nostro missus est ad Indos Xauerius, non vnum hominem, sed numerosum atque robustum exercitum eò fuisse missum. Quod enim Dauidi, dictum est, 2. Reg. 18. 3. *Tu vnus pro decem millibus computaris*: id etiam beato Xauerio verissimè dici potuit. Si verò eiusmodi phrasis plena est elegantiæ & energiæ; quid prohibet, vt ea ratione de Apostolorum discipulis siue commilitonibus loquamur, per quos partum, & auctum est Ecclesiæ Christianæ imperium? vt scilicet eos appellemus centum quadraginta quatuor millia; quamuis re vera vix fuerint centum quadraginta quatuor viri. Alioquì verò quid mirum, eum exercitum, in quo centum quadraginta quatuor millia numerabantur, magnam de mundo victoriam fuisse consequutum? Enim verò victoriam, paucorum militum manu, ac valde paucorum, fuisse obtentam; id valde admirandum est: atque adeò multò magis consenta-

Digitized by Google

sentaneum, si intelligamus in eo gloriari Deum, quòd paucis admodum Apostolorum discipulis, virtute cælesti armatis, mundum subiugauerit; quodque eos meritò appellare possimus centum quadraginta quatuor millia: quàm quòd exercitu adeò numeroso primùm cum Iudæis, deinde cum Gentibus conflixerit. His addi potest, non solùm non videri Deo dignum tam numeroso exercitu moliri mundi conuersionem, verùm Imperatores etiam terrestres qui nomen sibi compararunt (quemadmodum Alexander Magnus, atque Romani & illorum imitatores) non id vnquam contendisse, vt ipsorum exercitus ex ducenties millibus, aut ex centies, & quinquagies millibus constaret; sed ad delectum potiùs attendisse militum: atque ea ratione exercitibus nō valde numerosis de alijs numerosissimis seu potiùs infinitis triumphum egisse: vt notum est ijs, qui ipsorum historias perlustrarunt. Si igitur in hominibus quoque fatendum est, idprudentis & magnanimi consilij fuisse: quantò malori iure censeri debet, diuinam prouidentiam non id elegisse, vt valde numeroso exercitu cum Iudæis & Gentibus dimicaret: sed potiùs paucorum manu, & eorum præsertim, qui singuli pro mille possent computari?

Hæc sunt, quæ pro illa opinione in speciem plausibili militare videntur. Nihilominus tamen quanuis ea expositio, siue suspicio specioſa prima facie videatur: collata tamen cum contextu Apocalypseos, & cum serie siue acoluthia argumenti, meo iudicio non subsistit. Capite enim septimo Apocalypseos non agitur de ijs solum, qui prædicationis Euangelicæ officio functuri erant; sed de vniuerso eorum numero, quos plagæ contra Iudæos rebelles immissæ præterituræ erant, tanquam ipsius Dei seruos, & ipsius nota insignitos. Genuinus enim capitis septimi scopus nihil est aliud, quàm magnum fuisse numerum eorum, quos plagæ iussæ sunt non attingere. Quanuis enim rebelles Iudæi fuerint multò plures, quàm illi, qui nomen Christo dedêre; sed etiam quàm plurimi fuerunt, non solùm ex Gentibus, sed etiam ex Iudaico populo: computatis nō ijs tantum, qui Iudæam incolebant, sed etiam ijs qui in nationes dispersi.

Adhuc tamen aliqua ratione in numero centum quadraginta quatuor millium (qui refertur cap. 7. & cap. 14.) relinquitur locus aliquis eis, qui considerare velint, Deum de vniuersis nationibus, paucorum admodum militum manu glorioſum egisse triumphum. Non quòd numerus ille centum quadraginta quatuor millium solum designet electos Apostolorum discipulos, sed quòd vniuersus Ecclesiæ primitiuæ exercitus propterea reuocetur ad numerum centum quadraginta quatuor millium: quia Apostoli ipsi fuerunt duodecim: & quia illi tot animas Christo subiecerūt, vt verè affirmari possit primitiuos illos Christianos ab Apostolis ad Christū adductos, esse numerum illum centum quadraginta quatuor millium, quos signum Dei viui fecit insignes. Quare, dum illi omnes in duodecim tribus diuiduntur, eo ipsò tanti facinoris gloria, secundum Deum, duodecim Apostolis defertur: atque adeò affirmatur, vnumquemque ex Apostolis factum esse non solum in mille, sed etiam in duodecim millia, & in gentem fortissimam & electam. Atque aptè etiam notari potest, in numero centum quadraginta quatuor millium, ad quem primitiui Christiani reducuntur, id fortasse innui, quod Isaiæ phrasim superat. Isaias enim non plus dixit, quam *Minimus erit in mille*: vnio tamen atque concordia duodecim Apostolorum perfecit, vt vnusquisque eorum non solum pugnaret tanquam vnus ex duodecim, sed etiam tanquam omnes duodecim: ratione scilicet vnionis atque cōcordiæ inter illos omnes. Quare, cum singuli eorum possent seorsim pro mille cōputari: coniuncti & colligati inter se per vnionem, atque concordiam singuli pugnare iam possūnt, vt duodecim millia: atque adeò vniuersi tanquam centum quadraginta quatuor millia. Quia duodecies duodecim constituunt centum quadraginta quatuor.

CAPITIS VIII.

PROLOGVS

SIVE

NOTATIO I.

De connexione silentij cum septem tubis.

An sigilli 7. figura in cæli silentio terminetur: necne?

INitiò octaui huius capitis nodus eiusmodi expediēdus occurrit: Vtrùm sigilli septimi repræsentatio in cæli silentio terminetur: an verò longius progrediatur? Beda enim, Rupertus, Albertus Magnus, Ioachimus, Aureolus, Pannonius, Pererius & alij arbitrantur ea, quæ Ioannes num. 2. addit, *Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei, & datæ sunt illis septem tubæ*: non iam ad septimi sigilli progressionem, sed ad visionis alterius nouæ inceptionem spectare. Quin imò Pererius contendit, hanc esse Victorini, Ticonij, Primasij, Anselmi; & Richardi sententiam; quòd dicant, in tractatu de septem plagis regredi ac retrouerti Apocalypsin, & Christianæ Ecclesiæ seriem rursus ab initio texere. Noster tamen Ribera contendit, septem tubas ad septimi sigilli mysterium directè spectare. Ex quo sequitur visionem septimi sigilli vsque ad capitis vndecimi exitum non finiri. Ibi enim dicitur, *& septimus Angelus tubam cecinit*, &c. Quæstio hæc non parui momenti est ad mysterium sigilli septimi & libri connexionem probè cognoscenda. Quapropter operæ pretium me fore facturum putaui, si eam vice prologi singulatim excuterem.

Pererij & aliorum opinio pro parte affirmatiua.

2. Sententia Ribera negatiua: qua vt verior complectenda.

Pererius pro se adducit, opinionem suam omnium ferè interpretum esse communem, & Riberæ expositionem esse singularem: mihi tamen contrà videtur: atque illud saltem existimo, Riberæ opinionem communiori esse consensu receptam. Nam præterquam quòd expressè eam tenēt Andreas & Aretas: & sequuntur non solum Ribera & Viegas, sed etiam Arias Montanus, Caponlachius, & alij, qui septem tubas in septimo sigillo comprehendi dilucidè affirmant. Præter hoc, inquam, capitum distinctio, nobis ab Ecclesia in ipso textu appositа, ostendit non obscurè meo iudicio communem esse consensionem, visionem nouam nequaquam incipere ab iis verbis, *Et vidi septem Angelos*. Etenim si noua inde exordiri visio crederetur (quæ quatuor omnino capita complectitur) cui planum non fit, dissentaneum valde esse, nouum exordiri caput ab vnica linea, quæ ex septem sigillorum visione supererat? cùm tamen extrema illa linea cum septimo capite coniungi facillimè posset, vt noua visio octaui capitis initium auspicaretur? Ratio hæc conuincit, opinor, vt credamus verisimilius Ecclesiæ visum fuisse, visionem nouem minimè incipere in his verbis, *Et vidi septem Angelos*: sed hoc potius totum ad mysterium sigilli septimi pertinere.

Ribera sententiam, atque adeò nostram ex capitum Apocalypseos distinctione videri Ecclesiæ consensum esse.

Confirmatur insuper: quia non defuit quispiam (vt Pannonius) qui octaui capitis initium ab illis verbis sumere voluerit, *Et vidi septem Angelos*: cuius tamen diuisio recepta nullo modo est. Quod verò attinet ad

Græ co-

Græcorum distinctionem, quam habemus in Andrea, & Areta: eâ quoque fauet Riberæ. Græci enim capitis vigesimi primi principium ducunt ab ea parte, vnde Latini caput octauum ordiuntur. Iam quod allegat Pererius. Ticonium scilicet, Victorinum, Primasium, Anselmum, & Richardum aduertere in septem plagis Apocalypseos seriem retexi, & ab initio Ecclesiæ repeti: Respondeo mirum non esse, vt in libro adeò difficili sit aliqua huiusmodi recapitulationis, siue regressionis suspicio. Præsertim, quia (vt videbimus posteà) verum est, in septimo sigillo nonnihil recapitulationis inesse: propterea quòd ita doctrinæ ordo exigebat. Sed vtcunque id sit, statuendum est, septem tubas ad sigilli septimi mysterium pertinere.

Obiectio contra prædictum ex capitum distinctione argumentum: eiusque solutio.

Huic tamen argumento ex capitum distinctione petito respondebit aliquis, distinctionem huiusmodi non adeo esse antiquam, vt eam sectari cogamur. Verùm enim verò illud saltem prudentissimus quisque haud dubiè iudicabit, distinctionem tot retro sæculis in vniuersa Ecclesia receptissimam pluris esse faciendam, quam Bedæ, Ruperti & paucorum aliorum opinionem. Et sanè in officio, quod de Michaele Archangelo decantat Ecclesia, & antiquum valde est, antiphona ad Canticum, *Benedictus* præfixa satis indicat, communem hac de re totius Ecclesiæ consensionem fuisse, ne cæli silentium à consequentibus diuelleretur; sic enim habet, *Factum est silentium in cælo, cum draco committeret bellum, & Michael pugnauit cum eo, & fecit victoriam.* Licet autem primo aspectu fucum videatur facere coniunctio illa cælestis silentij cum Michaelis & draconis pugna: qui tamen debitam, vt par est, de communi Ecclesiæ consuetudine existimationẽ conceperit, non dubito fore eidem pergratũ cognoscere, quam aptè ad Michaelis etiam cum dracone conflictũ applicetur silentium, si semel cum septem plagis coniungendum asseramus. Alioquin res esset correctione dignissima. Et hactenus de auctoribus, qui Riberæ adstipulantur.

Rationibus eadem nostræ sententia roboratur.

Veniamus iam ad rationes; & priùs quid ipsa, figura exigat; deinde, quid sensus, disquiramus. Ac primùm in capitis septimi prologo validis rationibus probauimus, signum illud centum quadraginta quatuor millibus impressum eò spectasse, ne ipsos plagæ tubarum inferendæ contingerent; eamque ob rem digressiunculam illam ibi fuisse interiectam. Ex hoc igitur ita constituto euidenter elicitur, septem illas plagas cum sigillo septimo componi necessario debere. Namque signum illud siue notam seruorum Dei frontibus inustam (si consequentiæ seruetur vllus ordo) subsequatur oportet seueritas in improbos exercita. Quare necesse est, cæli silentium cum septem plagis quasi peristasim siue circumstantiam copulari.

Idem ex præcedentium sigillorum consecutione valdè firmatur.

Deinde proportio & congruentia, quæ in sigillorum sex antecedentium figuris reperitur, postulat, ne huius septimi sigilli visio in solo silentio consistat. Nam in sigillorum ceterorum quolibet resignando multò plura & admirabiliora patescunt: atqui friuolum planè est; septimi & postremi apertionem in mutum cæli silentium desinere. Accedit, quòd silentium fieri iussum grauioris alterius rei initium afferre solet, ad quam præmitti silentium oportebat, vt constat Actuum 13. 16. vbi Paulus manu silentium indicit, quò suam exordiatur concionem. Et c. 19. 33. *Alexander manu silentio postulato, volebat reddere rationem populo.* Et c. 21. 40. *Paulus iterum magno silentio facto alloquutus est plebem.* Valdè ergo verisimile est, iudictum cælo silẽtium cum septem plagis sequentibus cohærere.

Tertiò ipsamet enumerandi ratio, meo iudicio, compellit, vt silentium hoc intelligatur esse cum plagis congruens. Ait enim Ioannes, *Factum est silentium in cælo & vidi septem Angelos, & data sunt illis septem tuba.* Certè in quocunque historico similem reperiremus loquutionem; dubitaret nemo, silentium hoc consentaneum esse ad ea, quæ consequuntur.

Tandem ex ceterarum opinionum minus cohærenti serie, sententia Riberæ fulcitur. Aliorum expositiones variæ de cæli silentio.

Huiusmodi rationes verisimilem satis reddunt Riberæ opinionem. Ceterùm quæ in ænigmatis sensu innituntur, validiores adhuc sunt. Quæ omnes eò reducuntur, vt si cæli silentium cum septem plagis non copuletur, nulla cælestis huius silentij interpretatio sit super, in qua mens possit omninò acquiescere. Etenim

A expositio Primasij, Ticonij, & Victorini est de quietis æternæ principio in beatorum felicitate. Ambrosius verò explicat de pace Augusti; quam Nero persecutione in Ecclesiam concitatâ abrupit. Gregorius, Haymo & Ansbertus interpretantur de huius vitæ contemplatione non diu perseuerante: Frater Bartholomæus de Martyribus in suo compendio spirituali exponit de quodam diuini amoris actu, qui languescere facit animum, & rerum omnium obliuisci: & citat pro se Richardum. Aureolus & Lyranus referunt hoc silentium ad persequutionis tempus, sub Iuliano Apostata coortæ, cùm publica Christianæ religionis exercitatio in Ecclesia cessauit, Rupertus in ea est sententia, vt asserat, significari hic, nullum fore, qui extremi Iudicij die hiscere audeat. Beda, Anselmus, Richardus, Thomas, Dionysius & Pereius, volunt in hoc silentio prædici futuram Ecclesiæ quietem post Antichristi interitum: quam autumant non amplius quadraginta quinque dies esse duraturam: pro qua declaratione afferunt D. Gregorium Danielis 12. Pannonius de huius etiam quietis tempore post necem Antichristi futuræ intelligit. hoc tamen tempus affirmat esse celebrem illum pacis millenarium. Nec dicere dubitat, idemmet tempus diuersis rationibus posse & breuissimum nuncupari, id est, dimidiq horæ, & longissimum, id est, mille annorum, Sed de mille annis tuo loco dicemus. Nunc, quid in prædictis explanationibus requiram, aduerte.

B

Improbantur superiores de cæli silentio interpretationes.

In primis in eis desidero, vt septem sigillorum mysteria cohærentiam inter sese & consequutionem habeant: ita vt appareat, illa non pro libito & sponte, sed necessario ad septem puncta reuocari, nec plura aut pauciora esse potuisse: eorumque vltimum in sigillo septimo contineri. Hoc porrò mysterium in pluribus Scripturæ locis esse prædictũ: necesse tamen esse à Christi spiritu explicari. Ad hæc, huius mysterij intelligentiam tanti referre, vt in ea lachrymarum Ioannis impendium meritò fieret. Sanè ad hæc omnia obligat capitis quinti contextus, vt ibi expendimus. Quis ergo nesciat, nullam prædictarum expositionum huic obligationi satisfacere?

C

Secundò, requiro in eis, vt septimi sigilli mysterium comprehendat procellam ac tempestatem, quã effugiunt illi, qui Spiritu sancto signati sunt: Hoc enim postulat scopus & argumentum capitis septimi, vt in eius expositione planum fecimus.

Tertiò, requiro, vt symbolica silẽtij expositio aptissima sit & ad receptam sacrarum Literarum consuetudinem accommodata; de quo infra.

Quartò, vt in dimidio horę spatio insit eligantissima aliqua & significantissima allusio ad aliquem Scripturæ locum insignem. Sicut enim in tribus annis & sex mensibus cap. 11. & c. 13. meritò arguetur oscitantiæ interpres, qui non animaduertat allusionem ad locum Dan 12. Sic in dimidiæ horæ spatio omnino inquirendum fuit, an ad aliquem Scripturæ locum respiciatur, & an respectus ille legitimę explicationi lucem afferat.

Quintò denique desidero, vt mysterium sigilli septimi, quemadmodum & sex priorum, sit vnum ex præcipuis punctis, in quibus splendet perfectissima Iesu Christi prouidentia erga Iudaicum populum. Nam, vt in prolegomenis vidimus, grauissima est auctoritas & fundamenta firmissima, vt credatur in Apocalypsi à cap. 4. vsque ad 11. agi de modo ac ratione, qua se cum Iudaico populo gessit Deus. Et à capit. 12. ad 19. quo pacto cum Gentilium populo egit.

D

Hisce omnibus nulla ex illorum explicationibus facit satis, qui silentium à septem plagis disiungunt. Quamobrem, cùm diuisio Ecclesiæ tam Latinæ, quàm Græcæ: cùm Antiphona, qua vtitur Ecclesia: cùm expressa Andreæ, Aretæ, & aliorum declaratio dilucidè faueat ijs, qui hoc cæli silentium non seorsum a plagis tubarum accipiunt, sed potiùs vt rem ipsi septem plagarum mysterio congruentem: prudentiæ est hanc tentare viam: speroque me in ea modum assequuturum, quo his quinque rebus, quæ in superioribus declarationibus desiderari videntur, cumulatè satisfaciam. Illud saltem inficiabitur nemo, me in hac via sectanda minimè difficultatem subterfugere: cùm tantò difficilior sit septem sigillorum expositio, quantò

enuclea-

Digitized by Google

enucleatiùs explanationis series ac filum protenditur. Atque hanc fortassis ob causam nonnullis fuit in optatis, vt septem sigilla à cap. 6. ordirentur, nec vltra primam octaui lineam sese extenderent: quòd difficillimum ducerent declarationem argumenti de septem sigillis ad finem vsque cap. 11. continuari. Hanc tamen difficultatem Deo auspice superatum iri confido.

TEXTVS.

Vers. 1. Et cùm aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cælo, quasi media hora.

COMMENTARIVS.

Silentium hoc cum subsequentibus tubis, eorumque mysterio copulari.

STATVIMVS iam in præcedenti notatione, hæc verba accipienda esse, non vt totum mysterium sigilli septimi repræsentantia; sed vt peristasin siue circumstantiam septem plagarum, quibus Deus Iudaicum populum mulctauit. Nam septimi sigilli mysterium nihil est aliud, quàm maxima seueritas, qua animaduertit Deus in Iudæos Christum repudiantes. Et de ipsis quidem plagis dicemus in proximi versus commentario. Nunc videndum est, quid habeat commune cælestis hæc taciturnitas cum septem plagis? Et omissis aliis declarationibus, quas notatione superiori indicauimus: nunc eas solùm proferemus, quæ silentium cum plagis copulare conantur.

Quomodo silentiũ cum tubarum mysterio cohæreat.

Andreas ergo & Aretas cæli silentium interpretantur de Angelorum siue Beatorum modestia & reuerentia erga diuinam maiestatem. Hanc explicationem illud fouet: quòd quando potens aliquis princeps furoris atque indignationis indicia præ se fert: ad suæ familiæ reuerentiam ac veneratioñ videtur spectare, vt omnes se colligant, contrahant, & præ timore obmutescant. Quin & ipsimet filii charissimi, quos nulla illius indignationis particula contingit, præ parentis tamen obseruantia atque pudore, per aliquod temporis interuallum conuenire ipsum, & alloqui non audent.

Aliorũ hac de re opiniones.

1. Opinio.

Altera eorundem explicatio est de ignorantia Angelorum atque Beatorum circa secundum Domini aduentum: prudentes enim de eo, quod ignorant, conticescunt.

Ribera silentium ad admirationem refert, magnus enim stupor solet frequenter mutos ac taciturnos præ vehementi admiratione reddere. Quod si ad admirationem applicetur plagarum, quas Deus volebat in Iudæos immittere, potest huiusmodi admiratio & stupor in ipsarum plagarum magnitudine fundari, vel in eo potiùs, quòd omnes in Iudaici populi repulsam tandem vergerent.

C Alius fortasse asseret, silentium esse signum laudis, & modestæ cuiusdam approbationis, qua diuinæ iustitiæ integritatem, & æquitatem Beati confiteantur. Quò forsan spectet illud Psal. 64. *Te decet hymnus, Deus, in Sion.* Vbi Hebræa sonant, *Tibi silentium, Deus in Sion.* Si autem referatur silentium ad approbationem sententiæ à Deo ferendæ contra Iudæorum populum, comprobatio quidem illius, & quasi confirmatio per taciturnitatem decoro non caret, nec non admiratio, ac stupor, quòd seipsos gratos & acceptos, alios ingratos ac repulsos videant, cùm posset facile Deus inuerso ordine illos eligere, atque hos reprobare.

Dicat alius, innui in hoc silentio pietatem sanctorum, & commiserationem in alienis miseriis, sicut Iob 2. 13. dicitur de ipsius amicis, *Nemo loquebatur ei verbum*, &c. Potest præterea silentium denotare Sanctorum pudorem ac verecundiam: nam perfectorum virorum est, viso improborum supplicio, propriorum ipsos delictorum reminisci, atque pudere.

Veruntamen in his omnibus considerationibus illud difficultatis reperio, supponitur enim in illis, cæli silentium consectarium esse ad Sanctorum visionem, qua septem plagas, seu tubas aspexerant, quod tamen textus non vt consequens, sed vt antecedens enarrat. Neque enim ordo est, septem Angelis totidem tubas fuisse datas, & illico factum in cælo silentium, sed è contrario, *Factum est silentium in cælo quasi media hora, & vidi septem Angelos, & datæ sunt illis septẽ tubæ.* Ad hæc posset aliquis

D respondere, sigilli septimi apertione innotuisse Sanctis seueritatem, qua Deus Iudaicum populum punire decreuerat, atque adeo ante ipsum silentium præstitui considerationem de septem plagis Sed contra est, quia consentaneum non est rationi existimare, in sigilli septimi repræsentatione immutatum fuisse ordinem: atqui in hac visione repræsentatur silentium plagas antecedens, & plagæ silentium consequentes.

Præter hæc, ni me fallit animus, aptior & receptior silentii significatio est, vt denotet patientiam seu tolerantiam. Vide Isaiæ 42. 14. *Silui patiens fui.* Et cap. 30. 15. *Cultus iustitiæ silentium.* Threnorum 3. 26. *Præstolari cum silentio.* Sophoniæ 1. 7. *Silete à facie Domini.* Iob 2. 26. *Nonne silui.* Psalm. 106, 30. *Lætati sunt quia siluerunt.* Hæc significatio in eo nititur, quòd in acerbissimis doloribus sit insignis patientiæ argumentum, non conqueri, aut etiam hiscere: idemque dico de grauissimis ærumnis. Atque hac ratione illustrissimum nobis præbuit exemplum patientiæ Christus Dominus in sua passione, *Ita vt miraretur præses vehementer.*

Quòd si aliquis opponat, huic significationi in cælo nõ esse locũ, cùm nihil ibi sit, quod sufferatur, Respondeo, cælum hìc sumi pro illo hominum cœtu, quorum conuersatio in cælis est, id est, pro Christianis primitiuis. Etenim à cap. 4. cælum in hoc censu accipitur, vt eo loci vidimus. Ab hoc autem mystico cælo non est abhorrens patientia, sed illi valde propria. Nam etsi, vt homines Spiritus sancti signo inscripti, liberi sint ab iis, quæ propriè sunt plagæ, non tamen idcirco eximuntur à suæ tolerantiæ tentationibus, & ab euentis quamplurimis, in quibus clarissima illius edant exempla.

Quare

Digitized by Google

Quare vnus ex signatis ait Psalm.22.4. *Si ambulauero in medio vmbræ mortis,non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Mortis itaque vmbræ mysticum plerumque cælum obducunt, & huiusmodi hominum patientia in cæli silentio denotatur,ac fortè rei ipsius decorum poscebat,vt quemadmodum primitiua Ecclesia per homines in cælo degentes figurabatur,ita etiam eorundem patientia in eiusmodi re adumbraretur:quæ cum cælesti felicitate minime pugnaret:atque adeo silentium fuit selectum vt aptum patientiæ in mystico cęlo symbolum.

Obiiciet secundo aliquis,vsitatiùs esse in sacris,vt pax atque quies per silentium significetur; eo enim sensu dicitur terra siluisse Isaiæ 14.7.& 1.Machab.1.3.& cap.7.50.& c.9.57.& cap.14.4. & cap. 11.38.& 52.& sæpè alibi.Respondeo in his ipsis locis, aut in eorum pluribus nomine silentii non indicari pacis bonum,sed necessariam potiùs tolerantiam.Cùm enim dicitur siluisse omnis terra in conspectu Alexandri.1.Machab.1.n.3.propria significatio est, omnes se illius potentiæ subiecisse, nec aliquem fuisse ausum ei repugnare.Et sicubi additur lætitia & gaudium,vt Isaiæ cap.14.7.id quidem apponitur ad perfectæ patientiæ siue tolerantiæ significationem:pax enim est lætitia in ipsis laboribus,quæ patientiæ quasi cumulum addit. Quod patientiæ genus est eorum proprium, qui Spiritu sancto sunt pleni; quales erant primæui Christiani. Id quod appositè significari potest per cæli silentium.Nam repræsentatio ipsa non debet triste aliquid præ se ferre,cùm in cælo tristitia sit nulla Quòd si silentium est patientiæ symbolum;erit quidem patientię lætæ,pacificæ,quietæ atque glorioſæ.

Silentij nomine sæpè in sacris patientiam & tolerantiam indicari.

Addo his,in dimidia hora alludi sine dubio ad illud Tobiæ cap,11.14.*Sustinuit quasi dimidiam ferè horam.* Nec enim aut dimidiam aliam horam in toto veteri testamento reperio, aut verisimile est in re adeò insigni Apocalypseos,non contineri allusionem ad insignem aliquem Scripturæ locum. Tota enim Apocalypsis constat allusionibus ad Scripturæ locos illustrissimos.Si ergo ad dimidiam illam horam,qua sustinuit Tobias,alludatur;ipsa loci conuenientia poscit,vt dimidia silentii cælestis hora respondeat dimidiæ horæ tolerantiæ in Tobia; atque adeò silentium in præsenti, sicut in multis aliis Scripturæ locis, sit patientię & tolerantiæ symbolum. Hæc igitur est mea interpretatio.

In dimidia silentij hora alludi ad dimidiam horam Tobiæ

Aduertat tamen lector,licèt cæli silentium denotet primorum Christianorum patientiam, non tamen hoc esse accipiendum de illa patientia,qua septem ipsas plagas tolerauerint.Quod nõ solum. dixerim,quia plagæ ipsæ signaros omnes prætermittebant intactos: sed etiam quia si illa ageretur patientia,qua fideles perpessi sunt eam famis,belli ac pestilentiæ partem,quæ illos attigit;si de hac, inquam,esset sermo,silentium cæli non antecederet plagas,sed subsequeretur. Vidimus autem supra repræsentationem hic esse de plagis,quæ cæleste silentium consequutæ sunt;nòn verò de silentio,quod plagas excipiat.

De qua Christianorum primitiuorum patientia sit. explicandũ dimidiæ horæ silentiũ.

Asserо igitur,in hoc cæli silentio denotari egregiam ac penè incredibilem tolerantiam, quam fideles habuerant in sæuissima persecutione aduersus semetipsos à Iudæis excitata; atqui perspicuum est,huiusmodi tolerantiam fuisse prius,quam Dei supplicium rebellibus inflictum. Quanuis enim figura ipsa dimidiam silentii horam exprimat;significatio tamen eius indicat fidelium patientiam ab ipso persecutionis exordio ad finem vsque.Si autẽ hoc recapitulare est,siue ipsum repetere initium; non perperam dicunt,qui affirmant in septimi sigilli mysterio recapitulationem aliquam, siue regressum fieri.Verùm ita doctrinæ postulabat ordo:videlicet vt post sexti sigilli visionem, quæ depinxerat Dei comminationes in Iudæos Christi atque fidelium vexatores: vbi ad sigilli septimi mysterium,id est,ad Iudæorum plagas peruenitur,notetur in primis temporis ratio, quo Deus plagas immisit:nimirum quando Sanctorum patientia ad ipsum perfectionis cumulum peruenerat.Namque vt dimidiata illa hora,qua dicitur Tobias fellis oculis aspersi acerbitatem pertulisse,fuit totum illud tempus,quod Tobiam ipsum sustinere oportebat;donec suâ illâ tolerantiâ oculorum visum reciperet;ita similiter media cælestis silentii hora repræsentat totum patientiæ tempus,quo primitiui Christiani crudelem Iudaici populi persequutionem constanter ac patienter tolerarunt,quoad persequutione illa consecuti sunt,quod Deus in eis potissimum intendebat,nempe ingentem felicitatem,vt posteà videbimus.Quando autem accessit iam tempus, cùm persequutionis fructus vberes atque copiosi in ipsam Ecclesiam redundauerant;tunc tempus etiam appropinquauit,quo Deus vindictam de persequutoribus sumeret,& eos seueriſſimis plagis plecteret.

Nostra demum interpretatio de cæli silentio per dimidiã horã facto.

Licèt primitiuorum Christianorum persecutio plures annos duraverit, posse adhuc aptè dimidiæ horæ silentio denotari.

Nec obstat persequutionem quadraginta ferè annos durasse; cum Paulus asserat nihilominus, *Momentaneum & leue tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis*,2.Cor.4.17.Quod ergo Paulus nuncupet momentaneum,non mirum est ab Apocalypsi dimidiæ horæ nomine nuncupari.Primò,vt dimidiæ horæ qua Tobias sustinuit,figuram vsurparet:quemadmodum Ecclesiæ Christianæ sacerdotibus tribuit nomen viginti quatuor seniorum, per allusionem ad numerum principum familiarum sacerdotalium,qui ab Aarone ducebant originem:& nostros sacerdotes adumbrarunt,Secundò,quia hora integra rectè significat persecutionis tempus,iuxta id Ioannis capite decimo tertio numero primo,*Sciens Iesus quia venit hora eius.* Quare vt ostendatur,cõtrahere Deum iustis,atque adeo subtrahere grauissimarum afflictionum tempus:& tantundem saltem quietis & voluptatis admiscere,quantum laboris perferunt:ideo sanè quàm congruenter angoris tempus ad dimidiam vix horam reducitur;id enim est, *Quasi media hora.* Atque hoc ipsum mysterium in illo Tobiæ loco obliteſcebat capit. 11. 14. vt cælestis huius patientiæ figura tantundem temporis duraret, *Sustinuit quasi dimidiam ferè horam.* Et vero perspicuè satis apparet, quod Apocalypsis ait, *Quasi media hora*, idem esse atque illud Tobiæ *Quasi dimidiam fere horam.*Illa enim particula *quasi* vtrobique nobis quasi intento digito de monstrat proportionem & conuenientiam,quam inter sese locus vter-

Quid per horam integrã, quid per dimidiã figuretur. Quomodo sibi mutuò Ioannis & Tobiæ loci respõdeant,

que-

Digitized by Google

A quæ habent. Næ alluſio eſt elegantiſſima; nec patitur nos, illâ intacta, longiùs prouehi. Sed antequã illã fuſiùs diſcutio; aduerte, vbi ſemel attentè conſideretur, per cæli ſilentium denotari Sanctorũ patientiam, quæ inimicorum euerſionem antegreditur; mox facilè cerni, non quidem ineptè, ſed ſapienter potiùs ab Eccleſia vſurpari hanc ipſam cæleſtis ſilentii figuram, quaſi maxime congruentem fæliciſſimo fini, quem Michaëlis Archangeli patrocinio habuit præclarum illud Eccleſiæ facinus; cùm dæmonem ex mundi poſſeſſione, quam per idolorum cultum acquiſierat, exterminauit. Quæ ſanè eſt opinor, perelegans vſurpatio illius Antiphonæ, quam ſuprà attulimus: vbi ſic habetur, *Factum eſt ſilentium in cælo, dum draco committeret bellum: & Michael pugnauit cum eo, & fecit victoriam.* Quanuis dici etiam poſſit, Eccleſiam in hac Antiphona ſecutam fuiſſe probabilem aliam huius ſilentii applicationem ad attentionem cæli ac ſuſpenſionem: dum prælii illius exitum opperiretur.

Sensus illius antiphonæ ab Eccleſia vſurpatæ: Factum eſt ſilẽtium in cælo, &c.

NOTATIO II.

De alluſione ad myſterium libri Tobiæ in dimidiæ horæ ſilentio Apocalyp. 8. 1.

Præcipuam Tobiæ libri intelligentiam ad illius hiſtoriæ myſterium eſſe referendam.

TOBIÆ liber primâ quidem ſpecie ex facilioribus Scripturæ ſacræ libris vnus apparet. Qui tamen attentè illum examinauerit, non ita facilem fortaſſe iudicabit. In eo enim deprehendet, licèt veriſſima çquè atque certiſſima ſit hiſtoria; illud in primis ab Spiritu ſancto fuiſſe intentum, quod attinet ad arcanam ac myſticam ſignificationem in ipſamet hiſtoria incluſã. Hæc enim ſi auferatur; quidquid de piſce Tobiam inuadente dicitur; quidquid de ingenti vtilitate ab ipſius piſcis tam iecore quàm felle parta; quidquid de dæmone per fumum fugato; quidquid denique de Tobiæ ſenioris oculis fellis collyrio in priſtinam ſanitatem reſtitutis; informe prorſus totum, & quaſi cadauer ſenſus expers videatur neceſſe eſt. Si in ipſo hiſtoriæ cortice conquieſceret omnino mens, antequã ad myſterij reconditam ſignificationem accederet; poſſemus exiſtimare, myſticam ſignificationem eſſe veluti ipſius hiſtoriæ additamentum: & ab ingenij potiùs ſolertis acumine, quàm à recondito hiſtoriæ ſenſu accerſitam. Veruntamen, ni me fallo, myſterium, quòd ibi intenditur, eſt præcipua ratio, quapropter tota illa Tobiæ hiſtoria texatur. Si autem myſterium huiuſmodi tollamus, nec piſcis fumus aptus erat ad fugandum dæmonem, nec potens fel ad oculorũ vſum Tobiæ reſtituendum. Quamobrem priuſquàm probè teneatur myſterium: tametſi textus ipſius ſenſus hiſtoricus percipiatur, non tamen omnino mentis ſatiatur auiditas. Vt in ingenioſo aliquo ænigmate non conſiſtit, aut conquieſcit, qui præcipuum eius ſenſum nondum fuit aſſequutus: quanuis propoſitum ſibi literæ corticem plane percipiat.

Sacras aliquot hiſtorias, ænigmatum inſtar, reconditum in ſe myſterium habere.

Sunt igitur hiſtoriæ aliquot ex ænigmatum genere. Nec enim ob aliam cauſam præcipuè fiunt, niſi ad abſtruſam & in ea abditam ſignificationem. Tunc autem hiſtoriæ ipſius medulla & quaſi anima eſt ſignificatio illa, quæ potiſſimùm intenditur. Et qui amota huiuſmodi ſignificatione, hiſtoriæ animam & ſcopum ſe attigiſſe putat; næ ille haud abſimilis eſt ei, qui ænigmatis alicuius ſenſum ideò ſe tenere exiſtimat, quòd grammatici ſenſus conſtructionem fuerit aſſequutus. Hæc me (fateor) cupido inceſſerat præcipuum in Tobiæ hiſtoriâ ſenſum percipiendi, cùm non ſine Dei prouidentia, oculos & mentem intendi in dimidiam ſilentij horam, de qua Apoc. in hoc cap. 8. animaduertiq; illam manifeſtè reſpondere dimidiæ horæ, quàm deſignant verba illa Tobiæ, *Suſtinuit quaſi dimidiam ferè horam.* Etenim nullibi præterea fit in ſacris mentio dimidiæ horæ: & in duobus hiſce locis non ſolum dimidiata hora exprimitur, ſed etiam ad maiorem loci vtriuſque cognationem vtrobique ſpatium fuiſſe deſcribitur, *Quaſi hora dimidia.* Ex quo non obſcurè cernitur vtrumque locum eſſe quaſi duo horologia, ita ſibi mutuo æquali proportione reſpondentia; vt cùm alterum dimidiatæ horæ ſignum dederit, alterum protinus eidem ſimili tinnitu aſſonet. Hoc ſi aduertamus, dimidia Tobiæ hora nobis quaſi viam præmunit ad dimidiam Apocalypſeos horam intelligendam: & Apocalypſeos viciſſim contextus plurimum confert ad libri Tobiæ myſterium cognoſcendum. De quo nihil hactenus, quod ſciam, prodijt, quod omnino menti in ſenſu præcipuo ſatisfaciat. Nam licet Serarius noſter cap. 6. quæſt. 1. binas afferat de Tobiæ piſce applicationes: alteram ad Chriſtum Saluatorem noſtrum ex Tertulliano, Auguſtino & Proſpero: alteram ad dæmonẽ ex Beda atque alijs. Enim verò aliud eſt pro concione applicare, aliud verò genuinum myſterium explicare. Ad hoc verò cõſiderandũ eſt, quodcumque narrat Scriptura de Tobiæ piſce, deque ipſius iecinore, & felle: ac ſi elegantiſſimum foret ænigma, cuius enodatio pendeat in primis ex aptiſſima ſingularium partium applicatione ad diguam aliquam Spiritu ſancto cogitationẽ & ipſimet hiſtorię congruentem.

B

Illud verò vel maximè poſtulat perfectam applicationem myſticam, quod per ſe ipſum myſterio plenum eſt, & naturales vires excedit. Quod propterea dixerim, quia Tobiæ ex illius piſcis carnibus cibos condiri atque parari, & ſi peculiari Dei prouidentia id accidit, & argumento eſt ſingularis curæ, quam mitiſſimus Deus de ſpiritali præſertim ſeruorum ſuorum alimento adhibet: hoc tamen non ænigmatis naturam redolet, ſed potiùs & manifeſtam continet doctrinam. Atque ita ad eam fortaſſis hiſtoriæ partem non admodũ neceſſarium erat, ænigmatis ſenſum aptare. At verò ad duos illos ſupranaturales effectus & miracula inſignia prẽter totius naturæ ordinem patrata, tam in dæmone per iecinoris exuſti fumum fugato, quam in oculorum vſu per piſcis fel Tobiæ reddito: ad hæc, inquam, duo nouitas ipſa rei & inſolentia vrget, vt arcanam myſterij ſignificationem inueſtigemus: ſicut in Chriſti miraculis ſacri doctores nos edocent, myſteria admirabilia delituiſſe. Certè libri Tobiæ myſterio planè perfruetur is, qui animaduerterit: licèt Deus ſenis oculos piſcis iecinore reſerare, & dæmonem felle abigere poſſet: ad ſignificationẽ tamen potiſſimam conſentaneum valde fuiſſe, vt combuſtum iecur dæmonem exterminaret, & fel ſanctiſſimi ſenis oculos aperiret.

C

His prætactis, noto primò, piſcem illum qui Tobiam deuoraturus proſiluit, non eſſe qui appellatur Vranoſcopus, ſiue Callionimus (quod idem eſt) ſed piſcem alium prægrandem. Quod ideò prænotatum velim, quia Valles in ſacra philoſophia ca. 42. ſuſpicatur eum piſcem fuiſſe Vranoſcopon: atque eadem eſt opinio Serarij Tobiæ 6. quæſtiunc. 1. qui eo vel maximè nituntur: quòd Vranoſcopi fel perutile ſit ad oculos medendos, vt tradunt Galen. lib. 10. de ſimplic. c. 12. & Plinius lib. 32. cap. 7. qui de illo ſingulatim addit, albuginem oculorum tollere. Ceterum deberent aduertere Valles & Serarius, nullum eſſe auctorem, qui aſſerat Vranoſcopum piſcem eſſe grandem. Videndus eſt Rondeletius de piſcibus libro 10. caput 13. vbi ait, magnitudinem Vranoſcopi eſſe pedalem: deque illo ſcribit, vt de piſce cum primis noto. Ex quo dilucidè conſtat, piſcem illum, qui voluit deuorare Tobiam, fuiſſe ab Vranoſcopo valde diuerſum: de illo enim textus ait, *Ecce piſcis immanis exiuit ad deuorandum eum*, cap. 6. 2. Et infra. *Aſſauit carnes eius, & ſecum tulerunt in via. Cætera autem ſalierunt, quæ ſufficerent eis, quouſque peruenirent in Rages ciuitatem Medorum.* Vnde conijcio Tobiam attuliſſe ſecum iumentum aliquod, quo demortui piſcis carnes comportaret,

D

Cur ſimodò fuerit piſcis, qui Tobiam deuoraturus prodiit.

Piſcis Vranoſcopi fel ad quid vtile.

Vranoſcopus piſcis pedalis.

Tobiæ piſcem fuiſſe prægrandem ex ipſo textu planũ fit.

Digitized by Google

portaret. Erat enim adeò magnus, vt hominẽ deuorare posse videretur. Et fortè marinus erat piscis, qui in Tigrim flumẽ adnatauerat. Præterea si nullũ est aliud fundamentũ, vt credatur Tobiæ piscis fuisse Vranoscopus: nisi quòd illius fel oculis salutare sit: hanc eandẽ curãdi oculos virtutẽ tribuit ibidem Plinius felli Coracini, & illius, quem Scorpium vocant, atque aliorũ. Imò etiam nonnulli auctores affirmãt piscium fel generatim esse medicandis oculis valdè vtile. Et quamuis Vranoscopi fel sit piscium aliorũ felle salubrius: verùm neque hoc est certũ, neq; elegisse Deum ad Tobiæ curationẽ illius piscis fel, cui præ ceteris virtus medica efficacior esset.

Plurium piscium fel medicandis oculis vtile.

Effectus iecoris fumo & piscis felli attributos fuisse miraculosos.

Secundò noto, effectiones, quæ iecoris fumo, & piscis felli attribuuntur: nequaquam naturales fuisse, sed supranaturales, & miraculi omnino plenas. Non me latet, Serarium Tobiæ 8. quæstiunc. 3. in eam partem inclinare, vt existimet illam dæmonis expulsionẽ partim naturalem fuisse, partim supranaturalem. Et cap. 11. quæst. 2. illum cum Vallesio sentire curationem Tobiæ cæcitatis per piscis fel fuisse naturalem. Sed cum bona vtriusque venia, habendum pro certo est, vtramque actionem, id est, tam dæmonis expulsionẽ, quam vitus restitutionem Tobiæ fuisse simpliciter miraculosas & supranaturales. Etenim homini oculis omnino capto vsum oculorum restituisse, idque ita celeriter, vt constat ex cap. 14. 3. huiusmodi, inquam, actionem verisimile nullo modo est citra euidens miraculum fieri potuisse. Nam si naturali virtute id effectum esset; ex eodem illo experimẽto piscis illius species & admirabilis fellis ipsius vis ad oculorum cæcitatem expellendam cognita apud posteros atque perspecta manerent. Nec dubium est, quin compendiariâ hac curationis viâ plurimi morbis similibus mederentur.

Miraculosos fuisse effectus ratione probatur.

Deinde, licèt verum sit, per naturales aliquas medicinas eiusmodi dispositionem posse in hominũ membra induci, vt liberentur, siue omni, siue aliquâ saltem ex parte à furore, quo homines ipsos dæmon corripiebat (ad eum modum, quo Dauidis in musicâ arte peritia Saulem lenire, & mitigare solebat:) & licet ex textu Græco cap. 6. videatur constare, exustionem iecoris piscis fuisse quasi suffimentũ quoddam quo, Tobias & Sara suffumigarentur (sic enim habet textus græcus, *Hæc oportet suffire coram homine vel muliere:*) quamuis hæc, inquam, ita sint, nihilominùs tamen Sara non erat morbo affecta, aut à dæmone obsessa; sed dæmon per se ipse proximè sæuiebat in eos, qui ad eam indignè volebant accedere: quantumuis ipsi à dæmone ante correpti non essent. Et certè credibile non est, Saræ suffimentum ex semet fuisse potens, vt suapte vi dæmonem ab ipsius Sarræ viro procul amandaret. Præsertim, cum ex sacra Scriptura constet, Angelum fuisse, qui dæmonem colligauit. Quam ad rem euidens est, Angelum non fuisse vsum naturali virtute fumi, quem ex se fel piscis vstum emittebat. Quòd si suffitus ille ex se saluoris erat naturâ suâ, & potens hominem nõnihil recreare: at simplicitatis esset nõ exiguæ credere naturalem suffitus ipsius virtutem eò posse attingere, vt tantam, tamq; efficacem actionem præstaret, cuiusmodi erat dæmonẽ expellere. Quam ob rem ad summum fortassis id verum erit, quòd scilicet ex rebus naturalibus eam selegerit Deus, cui aliquod virtutis medicæ principium inerat, non tamẽ perfecta virtus. Sicut ad Tobiæ senioris oculos aperiendos elegit piscis fel, quod iuxta bonã philosophiam est oculis salutare; non tamẽ efficax ex se ad visum cæco restituendum. Iam si rationem indagare velimus, cur ad mirabilis hæc opera Deus eas res pro instrumẽto vsurpauerit, quibus insita erat natiua aliqua virtus licèt imperfecta: illud forte rationis probabili inuẽto reddi potest, vt scilicet naturalis virtutis cognitio nos quasi manu ducat ad mysticam & spiritalem philosophiã, quam Spiritus sanctus nobis voluit in admirãdis hisce effectib. adũbrare.

Cur Deus ad illa Tobiæ miracula eas vsurpauerit res, quibus aliquid naturalis virtutis inerat.

Ex verbis angeli ad Tobiam colligit arcanũ eius historiæ mysterium.

Tertiò noto, nos verbis Angeli edoceri, vt abstrusam & arcanã philosophiam, quam diuinus spiritus in hac Tobiæ & piscis historiã occuluit, indagemus. Primò, quia Angelus eduxit Tobiæ c. 6 5. *Exentera hunc piscem: & cor eius & fel & iecur repone tibi: sunt enim hæc necessaria ad medicamenta vtiliter* Quod ergo illi ait, vt piscem exenteret: in eius enim visceribus vtilissima pharmaca ac medicinas à se inuentũ iri: hoc sanè est Tobiã A ipsum & in eo Ecclesiam vniuersam admonere, ne contenta sit externâ piscis cõtemplatione & corporei cibi, quem Deus suis largè suppeditat: sed seriò ac diligẽter inspiciat latens mihi mysterium: quod sanctus Spiritus celauerat in iis miraculis, quæ ex piscis extis fuerant eruta. Hoc enim est piscem exenterare, & inde ad spiritales ægritudines medicamenta percipere. Secundò id ipsum admonemur; quia cum Angelus vtriq; Tobiæ, quis esset, aperuit, eis dixit, c. 12. 11. *Manifesto vobis veritatem, & non abscondam à vobis occultum sermonem*, id est, doctrinam, quæ erat abscondita tanquam in ænigmate in miraculosis illis effectibus, quos Deus vobiscum operatus est per interiora piscis supradicti. Dixerat etiam paulò antè Angelus, *Sacramentũ regis abscondere bonum est: opera Dei reuelare & confiteri honorificum est.* Quasi diceret, glorioſum esse Deo, referare mysterium, quod in iis miraculis absconderat. Deinde alludens ad fumum iecoris piscis, qui Tobiam iuniorem à morte eripuerat: eis ænigma hoc dissoluit, atque ait, B *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna, magis quàm thesauros auri recõdere, quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam & vitam æternam Qui autem faciunt peccatũ & iniquitatẽ, hostes sunt animæ suæ.* In quibus aliusio fit ad eorũ necem, qui Sara indignè potiri voluerãt: necnon ad remediũ, quo Tobias adolescẽs mortis periculo subductus spõsa perfrui valuit & diuitiis, quæ sibi cum illa obtigerunt: in quo est summæ felicitatis repræsentatio. Postea verò gradum facit Angelus ad alterum de piscis felle miraculũ: in cuius expositione ait, *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.*

Præcipuum huius historiæ Tobiæ mysterium.

Tobiæ piscis quid significet.

Quartò ergo ad mysterium propius accedentes, explicemus oportet, quid hic piscis immanis significet? Ego quidem veram & germanam ipsius significationẽ non esse aliam existimo, quam maximæ belluæ, de qua Apoc 13. & Leuiathan, de quo Iob 40. & 41. Hæ enim duæ magis bestiæ mirificè illi respõdent, quæ piscis immanis appellatur, & Tobiã voluit deuorare: atque adeò harũ trium belluarũ significatio eadem omnino debet esse. Significãt igitur animæ aduersariũ, quem appellamus Mundũ. Neq; id pluribus cõfirmo: quia c. 13. Apoc. C & c. 40. & 41. Iobi latè & fusè videbimus, huiusmodi significationem certam pariter & elegantem esse.

Illud tamen hic addiderim: si verum esset, hunc Tobiæ piscem fuisse, qui appellatur Vranoscopus, id est, *Cæli spectator*, (habet enim oculos in cælum semper intentos, ideoque nũcupatur etiam Callionymus, id est, pulchri nominis) si hoc, inquam, esset verum: non erat abs re ad significationẽ hanc, quam ei pisci assignamus. Nam græcum nomẽ κόσμος, & latinum *Mundus*, pulchritudinem importat. Et sicut re ipsa valde est turpis ille piscis, qui pulcher est nomine: ita etiam hostis animæ, qui dicitur Mundus. Hæc igitur bestia marina (id est) mundus, adoritur fidelem iuuenem, & se eum deuoraturam minatur. Cuius rei præsentissimum est remediũ nõ pati, se ab illa abduci: sed illi strenuè obsistere eamq; manu fortiter cõprehensam trahere: iuxta id quod Angelus Tobiæ præcepit, *Apprehẽde branchiã eius & trahe eum ad te.* Quare mox sequitur, *Quod cum fecisset, attraxit eum in siccũ: & palpitare cœpit ante pedes eius.*

Vranoscopi piscis nomen non esse abs re ad Tobiæ piscis significationẽ.

Mundus per Tobiæ piscem figuratus quo modo superandus.

Quintò noto, interiores piscis partes redigi ab Scriptura ad duas, nempe ad iecur & fel. Qui meminerit, D quod Angelus Tobiæ initio dixit, existimabit fortè piscis illius interiora tribus constare partibus, iecore, felle, & corde: sic enim ait Angelus, *Exentera hunc piscem: & cor eius & fel & iecur repone tibi.* Certum tamẽ est, quæ tria primo aspectu videtur, reapse duo tantùm esse. Quia cor & iecur indistincte accipiũtur pro interioribus partib. vitalibus: id quod manifestũ erit consideranti cõtextum. Nam c. 6 8. ait Angelus Tobiæ: *Cordis particulã si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, siue à viro siue à fœmina, vt vltra non accedant ad eos.* Cum verò ad executionẽ deuenitur, dicitur c. 8. 1 *Recordatus Tobias sermonum Angeli protulit de c. sidili suo partem iecoris, posuitq; eam super carbones viuos.* Ex horum ergo locorũ collatione manifestũ est, in eis indistinctè accipi cor & iecur pro internis partib. vitalibus: & medicamentum, quod Angelus docuit Tobiam, fuisse eiusmodi, vt partem aliquam ex interioribus piscis vitalibus prunis ignitis imponeret: quo

Interiores Tobiæ piscis partes ad duas reducit ab Scriptura, ad iecur & fel.

Apud Tobiam cor & iecur indistincte capi.

exortus

Digitized by Google

exortus inde fumus dæmonem expelleret. Atque hæc de vitalibus partibus: ex quibus procedit sanguis, qui generatur in corde, & in iecore concoquitur. His verò partibus vitalibus opponitur fel, sicut mors vitæ. *Fellis autem medicamentum est* (ait Angelus) *vt cæcis oculis applicetur.* Ita ille cap. 6. 9. *Fel valet ad vngendos oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur.* Atque ita cap. 11. 13. *Sumens Tobias de felle piscis, liniuit oculos patris sui. Et sustinuit quasi dimidiam ferè horam: & cœpit albugo ex oculis eius quasi membrana oui egredi, quam apprehendens Tobias traxit ab oculis eius; statimq; visum recepit.*

Iecinoris & fellis mystica significatio.

Sextò noto, iecur & fel marinæ huius belluæ duo nobis significare, quibus nos mũdus validè oppugnat. Ea autem sunt, vita & mors, hoc est, prosperitas, & aduersitas. Scitum autem est inter spiritalis vitæ magistros, non minus periculosum nobis bellum à prima, quam a secunda inferri. Iam quòd iecur vitæ significandæ, necnon voluptati: fel verò significationi mortis & aduersitatis mirificè deseruiant, id facile est persuadere. Etenim vita, quæ in sanguine consistit, repræ-

Quid per vitam figuretur.

sentat (vt ex se constat) quod placet & voluptatem affert: at fel, quod afflictionem & acerbitatem importat. Et quidem si ad antiquitatem reflectamus oculos, reperiemus duas has vtriusque rei significationes fuisse receptas semper & vsitatas. De iecore enim sapientes

Iecur concupiscentiæ sedes.

loquuntur tanquam de concupiscentiæ sede. Vnde in sabbathi hymno ad matutinas horas per allusionem ad hunc Tobiæ locum, cantat Ecclesia: *lumbos iecurque morbidum adure igni congruo.* Et sic loquuntur etiam Philosophi & Poetæ, vt Plato & Horatius: quorum posterior l. 1. Ode 25. ait.

Cùm tibi flagrans amor & libido
Sæuiet circa iecur vlcerosum.

Et l. 4. Ode 1. ad Venerem.

Si torrere iecur quæris idoneum.

Et lib. 1. Epistola 18.

Non ancilla tuum iecur vlceret vlla, puerue
Intra marmoreum venerandi limen amici.

Per iecur occulta desideria mumbrari.

Præterea Lauretus ex Origene, Hesychio, Gregorio & Ruperto confirmat per iecur significari occulta desideria. Idemque sentit Martinus Delrius Genes. 49. §. 16. vbi ait, iecore aptè denotari amorem & desideria, vtpote eorum sede. Si ergo semel statuamus iecur esse concupiscentiæ sedem; ex in facili negotio iecoris significatio extenditur ad concupiscentiæ obiectum, id est, ad id quod desideramus & concupiscimus. Quare id, quod amamus, amorem nominare solemus: rel autem illud, quod fel & amaritudinem secum affert, hoc est obiectum amaritudinis, cuiusmodi sunt labo-

In ethnicorum auguriis si iecur deesset, pro infelici augurio habitum fuisse.

res. Præterea abs re non est, quod in ethnicorum auguriis deesse iecur in extis, habebatur infelicitatis magnæ augurium. Vide Plinium libr. 11. capit. 37. *M. Marcello circa mortem, cùm periit ab Annibale, defuit in extis iecur. Defuit & Mario, cum immolaret Vtica Item Caio Principi Calendis Ianuariis, quo anno interfectus est. Et Claudio successori eius, quo mense interemptus est veneno.* E contrario autem *Augusto Spoleti sacrificanti primo potentatus sui die sex victimarum iecinora replicata intrinsecus ab ima fibra reperta sunt: responsumque duplicatum intra annum imperium.* Hæc de iecore. Nec dissentit, quod Hebraicè eodē modo significatur iecur & gloria. Fellis autem nomine significari tribulationes & aduersitates docet Hieronymus Ieremiæ 9. 15. & Ieremias ipse cap. 8. & 9. Quibus positis seorsum singula miracula excutiamus oportet.

De primo miraculo, id est, de fumo iecoris.

Dæmonem iis dominari, qui suas cupiditates non frænant.

NORVNT spiritales viri, illis dominari dæmonem, qui voluptatum ac delitiarum cupiditatem non frænant, nec huius vitæ bonorum concupiscentiam coercent. Atque per huiusmodi concupiscentias miserè penitè miseros, nemo nescit. Ideoque vt a dæmonis durissima seruitute eripiamur: & à morte, quam iis importat, qui effrænatè sese cupiditatibus inordinatis tradunt: præsentissimum est remedium, vt concupiscentias ipsas comprimamus: & offeramus Deo, quidquid nobis per huiusmodi mortificationem interdicimus. Ad huius igitur rei significationem quid magis consentaneum esse potest, quam prunis imponere accensis piscis siue iecoris, siue cordis partem? Nonne

Mystica significatio primi miraculi in Tobia patrati de iecoris fumo.

A hæc est quædã holocausti figura? Si igitur cor ac iecur adumbrant voluptatem, concupiscentiam, prosperitatem, vitamque ipsam, quæ in voluptate consistit: quid congruentius, quàm aliquam ex eo partem Deo in holocaustum offerre? Hoc ergo est, quod Tobias adolescens præstitit, cùm Deo sui matrimonij primitias consecrauit concupiscentiam reprimens, atque hoc pacto dæmonis tyrannidem deuitans. Qui mox a morte ereptus potuit bonis sibi à Deo collatis perfrui securus. In quo apparet, qui suis cupiditatibus rationis & continentiæ frænum iniiciunt, non eos omnino priuari huius vitæ bonorum iucunditate: quin imò illos imprimis esse, qui voluptate & gaudio fruuntur: quod & Deo dicarint primitias, & suas appetitiones edomuerint. Qui verò Deo non offerunt holocaustum eius partis, quam ipse sibi postulat deuouerit, hi profecto omnium facere solent iacturam. Quamobrem vel puerum voculis decantatur, veram lætitiam ac voluptatem non ab aliis posse haberi, quam ab iis, qui aut Deo strenuè deseruiunt, aut optimi religiosi sunt.

Fumo ex pisce iecore affluo dæmonem fugari, quid denotet.

B Ad hæc, cùm veram mortificationem debeat orationis studium comitari: illaque sit maximè laude digna oratio, quæ ex ipsa carnis macerazione, & mortificatione oriatur: eumque per orationis frequentiam Dei serui euadant ex periculo, quod sibi dæmon creabat: nihil potuit ad hoc significandum, accommodatius adduci, quam quod textus ait: fumo scilicet ex

Orationem cum mortificatione coniungi debere.

piscis iecore afflato dæmonem penitus exigi: *fumus eius extricat omne genus dæmoniorum.* Vide Apocal. 8. 5. *Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum.* Adde huc, fumum ex piscis iecore (vt græcus textus indicat) thymiamati admistum ascendere. Sic enim ex græco redditur Tobiæ 8. *Et sumpsit cinerem thymiamatum, & superposuit cor piscis & iecur, & fecit fumigare.* Quasi in prunarium cum pastillorum odoribus vtrique coniugi illatum iniecerit Tobias partem iecoris piscis. Odoramenta autem esse orationes sanctorum, explicatū est a Ioanne cap. 5. 8. Atqui ex textu planum est, non immisisse Tobiam iecoris partem in sopitos cineres & extinctos: sed *super carbones viuos.*

Vidimus orationis & mortificationis coniunctionem. Sed dubium non est, quin Spiritus sanctus in hac

C historia vim eleemosynæ voluerit exprimere. Aduerte ergo, per holocaustum (quod Deo dicatur omnino) congruenter etiam indicari oblationem, quæ fit Deo ex iis, quæ in pauperes pro ipso Deo erogantur. Quod enim pauperi largiris, id tibi pro Dei amore subtrahis. Vnde & Angelus cap. 12. nu. 8 alludens ad Dei beneficium in Tobiam collatum, cùm cum iecoris ignibus impositi mysterio liberauit a morte, & ænigmatis interpretationem tradidit: *Bona est*, inquit, *oratio cum ieiunio & eleemosyna.* Et cetera, quæ supra retulimus. Vbi ex ipso contextu perspicuum est, exposuisse Angelum mysterium fumi ex iecore in flammas iniecto emissi, & dæmonem fugantis. Facit, quòd in corde & iecore nutritur, cogiturque sanguis, vt suprà perstrinximus. Sanguis autem rem familiarem, propriarumque fortunarum substantiam significat. Quam qui sibi aufert, & pro Dei amore pauperibus suoministrat: quasi iecoris partem charitatis igne ardentem Deo in holocaustum offert. Quare, quòd Tobias iunior morti fuerit subductus: secundum Deum, senioris Tobiæ

In primo Tobiæ miraculo quomodo eleemosyna commendetur.

D eleemosynis, patientiæ & orationibus referri debet acceptum. In quibus etiam virtutum actionibus iuuenis partem habebat non exiguam. Qui verò opprimũtur a dæmone, ipsi sibi mortis accersere causas; quia effrænatè nimis suis indulsere cupiditatibus, Dei timorem, & pauperũ commiserationem prorsus obliti.

Postremò considerandum est, quod textus ait: *Tunc angelus Raphael apprehendit dæmonium & religauit illud in deserto superioris Aegypti.* Quo innuitur, euadere ex dæmonis seruitute, tantam esse rem; vt nostræ vires, nisi per impetrationis modum, eò pertingere non possint. Atque id est, quod cap. 12. nu. 12. ait, Angelus, *Ego obtuli orationem tuam Domino.* Hæc tamen impetratio adeò est efficax, vt per eam Dei serui, qui corporis afflictionibus & orationi nauant operã, a dæmonis violẽtia maneãt omnino liberi. Quod vt significetur, aptè textus subiungit, dæmonem ab Angelo illaqueatũ in superioris Ægypti deserto, id est longissimè distante,

Per dæmonis alligationem in Ægypti deserto quid indicetur.

Digitized by Google

ac si apertiùs dicatur: Homo tunc adeò remanet liber ac securis à dæmone: vt nisi ad spiritalem remeans Aegyptum, vltrò dæmonem ipsum accersat, nihil ab eo possit accipere detrimenti: id est, nisi Christianæ disciplinæ aut etiam religiosæ curâ abiectâ, ferinos rursus mores & effrænatos induat.

De secundo miraculo, id est de fellis virtute ad aperiendos oculos.

Mystica significatio secundi Tobiæ miraculi de fellis virtute

VIDIMVS, qua ratione fidelis quispiam suas debeat appetitiones comprimere, vt à dæmonis euadat potestate. Ceterùm postquàm singulari Dei beneficio ad ipsius timorem & gratiam est traductus: sequitur, vt quo pacto in laboribus sibi à Deo immissis tractare se debeat, explicetur. Est enim hoc diuinæ prouidentiæ proprium, vt periculum suorum amicorum faciat: quò prouehat eosdem, atque perficiat. Id quod Tobiæ visu venit, cùm eum & excæcauit Deus, & oculis diuinitus restitutis curauit. Et verò in admirabili illa medicandi ratione, qua Deus per piscis fel Tobiam sanauit, non obscurè adumbratur; quemadmodum Dei seruus se gerere debeat in aduersitatibus & ærumnis, quas illi Deus immiserit: & quem fructum ex eis debeat percipere. Quapropter Angelus cap. 12. postquàm primum miraculum exposuit (cum Tobias ipse per iecoris ex pisce fumum fuit ex dæmonis tyrannide ereptus) mox subdit, *Et quia acceptus eras coram Deo: necesse fuit, vt tentatio probaret te: & nunc misit me Dominus, vt curarem te.*

Deum, suos vt probet eu calamitates immittere.

Sed vt ad historiam regrediamur; *Sumens Tobias de felle pisc is, liniuit oculos patris sui: & sustinuit, quasi dimidiam ferè horam.* Per fel amarum conflat calamitates & ærumnas indicari. Quòd verò patienter & toleranter huiusmodi calamitates oporteat sustineri, & fiduciam interim ac spem in Deo figi: id eleganter satis in ipsa historia explicatur. Aduertendum tamen est, Dei prouidentiam sapienter dispositisse, vt piscis fel medicandis oculis esset salutare, vt suprà iam vidimus. Quò ducimur, vt consideremus, Deum eò potissimum tendere, cùm laboribus & ærumnis probat suos: vt ipsimet in eiusdem Dei cognitione atque amore miras hac ratione progressiones faciant. Huc forsan spectant illa Isaiæ verba. *Vexatio dabit intellectum.* Multò tamen est ad rem congruentius illud Iobi cap. 42. 5. *Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te.* Quasi diceret, se in Dei cognitione tantopere profeciisse illâ Dei concione (qua illi exposuit Deus suam mentem atque consilium in afflictionibus, quibus eum tentauerat) vt oculos sibi aperuisse videretur, & visum recepisse: atque adeò Deum de facie quodammodo tunc cognouisse: quasi antea fama solum & auditione, tunc verò oculorum conspectu cognosceret.

Calamitates patienter sustineri debere.

Quid Deus laboribus in nos immissis intendat

Isaiæ 28. 19.

Vt hoc ipsum significetur; quid potuit magis idoneum afferri, quam vt Tobiæ oculi piscis felle illiti referarentur. Iam tolerantia in laboribus (cuius interpositu & interiectu oculis fuit adhibita medicina) mirificè exprimitur verbis illis, *& sustinuit quasi dimidiâ ferè horam.* Verbum autem *sustinuit* denotat non illum expectasse solùm: sed etiam patienter pertulisse. Fel enim aut fortè admotum oculis acerbitatem affert: aut id saltem in figura ipsa repræsentatur: ita vt *sustinere* sit hic pati & expectare: iuxta illud Ecclesiastici 2. 4. *Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe: & in dolore sustine:* Dixerat autem paulò antè, *Suscipe verba intellectus & ne festines in tempore obductionis.* Vbi obductio est medecinæ applicatio. Et paulò infrà: *Sperate in illum: & illuminabuntur corda vestra,* Quod idem est ac dicere, labores à Deo nobis mitti, vt sui serui in eius cognitione atque amore prouehantur. Itaque sunt veluti spiritales prælectiones, *Verba intellectus & illuminationes cordium*: id quod in eo indicatur, quòd fel ad oculorum curationē fuerit præcipuè electum.

Verbū sustinere quid hic proprè.

Deinde obseruatione dignum est, doloribus & acerbitatibus initio quidem perterreri homines: posteà verò cicurari, atque molliri, & qui illis mansuerint, miram doctrinam edoceri, iuxta id Iacobi 1. 21 *In mansuetudine suscipite insitum verbum.* Quod vt significaretur, non fel Tobiæ oculos aperuit, cum primum fuit illis applicitum: sed, *sustinuit quasi dimidiam ferè horam.* tempus autem ad dimidiam solum horam reducitur: vt innuatur perbreue esse ac valde exiguum doloris & acerbitatis interuallum: si comparetur cum cælesti luce atque notitia, quam Deus suis seruis per laborum fel impertitur.

Aduersitatibus homines à Deo mollirī & mansuefieri.

Prætereà, horæ nomen in sacræ Scripturæ phrasi significat cuiusuis rei tempus & spatium. Quare cum dicitur, *Quasi dimidiam ferè horam*: denotatur laborum fructum (quod attinet ad animi referandos obtutus, ac spiritalem lucem & cognitionem tribuendam) multò antè percipi atque gustari, quàm humanitus fieri posse crederetur. Vt si dimidia vix dum prælectione à præceptore decursa, discipuli probè admodum tenerent ea, quæ integrum prælectionis atque horæ tempus ad sui declarationem videbantur exigere. Quod nihil est aliud, quam reapse dicere: ad maximam Dei lucem & cognitionem, laborum viam & aduersitatem esse valde compendiariam.

Quid per dimidiam ferè horā denotetur.

Hinc fit, spiritalibus viris & cælestis doctrinæ magistris moris esse: illos pro amicis & valde charis habere, qui eis fellis amaritudinem admouent, vt animi abiecta lippitudine verum recipiant visum. illi enim vexando & affligendo quasi telas oculis seruorum Dei obductas manu prensantes detrahūt. Atque ita textus ait de iuniore Tobia: *Liniuit oculos patris sui, & cœpit albugo ex oculis eius egredi; quam apprehendens Tobias traxit ab oculis eius: statimque visum recepit.*

Diximus de vtroque miraculo, quæ sunt in toto Tobiæ libro magis insignia & excellentia: omissis interim rebus aliis, quæ facilè possunt applicari. Huiusmodi est Tobiæ iunioris connubium, & opima dos, quæ illi dicta atque confecta est. Quod facili negotio applicari potest ad spiritale connubium cum diuina gratia & cælesti sapientia. Idque rectè etiam cōsentit cum prædicto eorum miraculorum sensu, quæ textus enarrat. Itaque interpretatio illa videtur proprium mysterium attingere, quod voluit Deus in Tobiæ libro includere.

Tobiæ connubium ac dotis allegoria.

Præter hæc, quòd Tobias adolescens fuerit à Deo altus carnibus illius piscis, qui ad eum deuorandum aggressus fuerat; hoc inquam, valde congruit cum illa parabola, qua dicitur Messias suis sectatoribus conuiuium Leuiathani carnibus apparaturum, de quo dicemus circa caput Iobi 40. & 41. vbi explicabimus eam esse parabolam: cuius mysticus sensus facit etiam ad rem in historiæ Tobiæ mysterio.

Tobiam iuuenem fuisse altum immanis piscis carnibus, quod mysticè significet.

Tandem dimidia hora Apocalypseos cum conuenientia & proportione, quam dicit ad dimidiam horam libri Tobiæ, spiritali sacræ huius historiæ intellectioni lucem attulit. Et quemadmodum in Tobiæ libro, iecoris miraculū antecedit miraculo fellis: ita etiam Christiani populi patientiam præcedit in Apocalypsi sanctificatio fidelium & vera mortificatio Christiana: qua ipsi & dæmonis tyrannidem declinarunt, & vera spiritus libertate, verisque animæ diuitiis potiti sunt: de quo agitur in quatuor primis sigillis.

NOTATIO III.

De septem plagarum mysterio.

VT ritè examinare possimus, qui sint septem Angeli, de quibus initio huius octaui capitis agitur: & quid significent septem illæ tubæ, quas in manibus tenent: oportet excutere prius, quæ sint huiusmodi plagæ, quarum singulas singulæ tubæ comitantur.

Septem tubarū sonus qua sint. Oecumenius & Aretas & Ribera.

Aretas & Ribera opinantur, eas esse septem ingentes calamitates, quas Deus sub extremi Iudicij tēpora sceleratis hominibus est illaturus: & penè omnia quæ in ipsis recensendis enumerantur, accipiuntur ab iis auctoribus, vt in sensu ipso grammatico sonant: eademque ratione explicant septem phialarum plagas, quæ capite decimo sexto describuntur.

Aliorū opinio

Pleriq; tamen interpretes, qui pro certo habent explicanda esse in sensu ænigmatico ea, quæ textus de his

plagis

Digitized by Google

plagis affirmat; easque à Deo esse peccatoribus infligendas: nullo modo earum significationem applicant ad res propè diem Iudicii euenturas: sed ad diuersa supplicia, quibus Deus variis temporibus pœnas de mundi flagitiis sumpturus erat. Nec videntur huiusmodi auctores velle constringi, vt omnia isthæc supplicia sint infidelibus irroganda: sed etiam fidelibus quorum peccata Deus quoque grauissimè vlciscitur permissione interdum hæresum, bellorum, aliarumque calamitatum maximarum. Prætermitto Aureoli & Lyrani declarationem: quippe adeò violentam, vt eam referre opus non sit. Ceterum tam in ea, quam in Riberæ, & in communi etiam opinione desideratur id, quod perfectæ Apocalypseos expositioni deesse æquum non est: videlicet, vt hæ septem plagæ consequentiam habeant idoneam cum septem libri signati mysteriis, quorum series & discursus fuerat inceptus: & in plagarum numero, ordine, & singularũ symbolis tum egregia doctrina, tum sapiens dispositio splendescant.

Refelluntur superiores expositiones.

Auctoris sententia de tubarum plagu.

Mihi certè dubium non est, legitimum sensum plagarum, quas comitantur tubæ, esse grauissima supplicia: quibus Deus suam seueritatem ostendit aduersus Iudaicum populum rebellem sub primitiuæ Ecclesiæ tempora: in ipso videlicet primo Christianæ Ecclesiæ sæculo postquam Deus patientissimè illos expectauerat: & valde seriâ comminatione deterrere conatus fuerat. Atque in primis argumentum hoc discursum in prioribus sex sigillis libri signati inceptum continuato filo prosequitur. Deinde si ab hoc argumento discedatur, discedi etiam necesse est à totius libri acoluthia; & a duplici illâ columna, quas Ioannes in hac via miro consilio fixit atque disposuit: ne huius libri interpretes viæ ignoratione decepti penitus aberrarent. De quibus columnis diximus in prolegom. not. 12. vbi etiam indicauimus, si interpretum auctoritatis ratio ducenda sit, declarationem esse nullam, quæ tot ac tales habeat auctores, vt illa quæ affirmat, in Apocalypsi à c. 4. vsque ad 11. tractari: qua ratione se gesserit Christus cum Iudaico populo, donec decima illius parte conuersâ ceteros reprobaret: a cap vero 12 ad 20. contineri modum agendi cum Gentilium populo, quoad Imperium Romanum ad Catholicam religionem penitus transferretur.

Probatur nostra de septem plagis sententia.

Cùm igitur hanc viam, vtpotè rectam, capessamus; necessarium est has septem plagas esse illas, quibus Deus obstinatam Iudæorum gentem puniuit: vt illis perspicue fuerat interminatus, Leuit. 26. 28. *Si ambulaueritis contrà me: & ego incedam aduersum vos in furore contrario, & vltriam vos septem plagis propter peccata vestra.* Septem verò plagæ, quas ipse designo, hæ sunt: *Fames, Bellum; Pestilentia, Ignorantia, Concupiscentia, Ira, Obduratio.* Vt autem de huiusmodi septem plagis sermonem in præsenti haberi credam: adducor in primis, quia certum omnino est septè hisce plagis Deum in Iudæorum populum animaduertisse. Et de tribus quidè primis Fame, Bello, & Peste (præterquam quod res est Iosephi & aliorum annalibus satis cognita) expressi reperiuntur in Scriptura loci: in quibus asseritur Deum his tribus sagittis sui populi gentem percussurum. Vide Leuit. 26. Deut. 28. Ierem. 14. & cap 32. & 34. & 44. Baruch 2. 25. Ezech. 5. & 6. & 7. & 12. & 14.

Quæ sint septè plaga.

De tribus primis plagis Fame, Bello, Peste, & in Scriptura & apud Iosephum constare.

De quarta, id est, ignorantia.

De quarta plaga (id est de Ignorantia & mentis cæcitate) lege Deut 28. 28. *Percutiat te Dominus amentia & cæcitate ac furore mentis: & palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas.* Et ex ipso contextu euidens est, hanc vt quartam plagam addi Fami, Bello & Pestilentiæ: quorum antea facta fuerat mentio.

De tribus postremis, Concupiscentia, Ira, Obduratione vnde constet.

De tribus aliis postremis, (nempè de Concupiscentiis, Iris, & Obduratione,) verum est nõ esse expressam mentionem in Leuitico, nec in Deuteronomio, locis adductis. Nam carnalis Iudæorum populus non ita acutâ mentis acie pollebat, vt reliquarum trium plagarum posset grauitatem cognoscere. Enim verò postquam Spiritus sanctus Deut. 28. quatuor primas plagas disertis verbis expressérat, addit eodem cap. 28. n. 61. *Insuper & vniuersos languores & plagas, quæ non sunt scripta in volumine legis huius, inducet Dominus super te.* Si ergo prædixerat plagas septem omnino fore, & quatuor ex iis explicuerat, addideratque se alias silentio

Alcasar in Apocal.

A prætermittere: manifestum est has, quæ supprimuntur, ad ternarium numerum esse reuocandas. Nec dubium est, quin quæ silentur, grauiores sint. Ita enim nos docuit Christus Dominus Matth. 24. 8. & Marc. 13 8. Nam posteaquàm asseuerauit Iudæorum populum Fame, Bello, ac Peste acerrimè à Deo correptum iri, mox subiungit, *Hæc autem omnia initia sunt dolorum.* Quasi dicat plagas alias longè grauissimas in ipsos sæuissimè grassaturas. Nec aliud significat aquila clamãs, *væ, væ,* Apoc. 8. 13. vbi exprimit textus tria illa væ ad tres postremas plagas, id est, quintam, sextam, & septimam referri. Quod autem admonitio hæc attribuatur aquilæ, perinde est ac tribui magnæ sapientiæ Euangelicæ, quæ nos docet, quantumuis Fames, Bellum, Pestis, & Ignorantia sint grauissima Dei supplicia; multò tamen esse maiora, cum homines suarum cupiditatũ sirenis, & irarum furiis traduntur; quodque ceteris adhuc grauius est, cum obdurantur peccatores, & obstinati in peccato residere permittuntur: quo eis diuinæ misericordiæ ostium præcluditur, & æternæ Dei iræ atque furori subiiciuntur obnoxij.

Tres postremæ ceteris grauiores.

B Secundò, Interpretatio hæc pro se habet satis cohærentem cõtextus applicationem ad has septem pœnas; quas Deus à Iudæis obstinatis repetiit, priusquam Ecclesia a Iudaico populo ad Gentilicum commigraret. Etenim ad Famem, Bellum, ac Pestem cùm mirificæ sint descriptiones ænigmaticæ, quæ in tribus primis plagis continentur; in quarta quidem textum attentè considerãti constabit ad nullam aliam rem posse rectè applicari, nisi ad Iudaici populi ignorãtiam. Cùm verò quinta & sexta plagæ elegantem etiam habeant ænigmatum descriptionem: alia blandientium cupiditatũ, altera irarum æstuantium: quod sextæ additur plagæ in cap. 10. & 11. manifestum est argumentum, sermonem ibi esse de bello, quod gerebat Deus cum Iudaico populo, & præsertim cum pertinace Hierosolyma; vt cum illius populi capite. Fit expressa mentio templi & atrij, cap. 11. 1. Et mox n. 8. mentio est ciuitatis, *quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Aegyptus, in qua Dominus crucifixus est.* Posteà verò n. 13. cadit decima ciusdem ciuitatis pars. Ex quo meâ sententiâ planum fit, sermonem ibi institui de prælio, quod per has ipsas plagas cum perfida Hierosolyma commisit. Denique in septimâ & reliquarum extremâ plagâ, non alia potest explicatio ipsi textui congruere, nisi quòd Deus à Iudæis scripturas & pactiones cum eis initas prorsus auferat: eosque de possessione ac nomine populi Deo chari & electi deturbet.

A coherenti contextus applicatione nostra probatur sententia.

C Tertiò, validæ huius declarationis confirmatio petitur ex eo, quòd in numero atque ordine harum septem plagarum mens conquiescat omnino. Primò enim ex vniuersis corporis ærumnis tres eliguntur grauiores, ad quas reuocantur ceteræ. Ordo autem inter illas dispositus, eiusmodi est, quem exigit recta ratio, vt a minus grauibus ad grauiora procedatur. Nam licèt fames sit magnum Reipublicæ malum; maius tamen est bellum: ideut etiam vtroque acerbior pestis. Constat hoc 2. Reg. 24. n. 12. & 1. Paral. 21. n. 10. *Trium tibi optionem do: aut tribus annis famem: aut tribus mensibus gladium: aut tribus diebus pestilentiam.* Deinde ex spiritalibus certum est, ignorantiam mentis, vt corporis mala omnia grauitate præstat: ita etiam, quod ad malitiam attinet, a voluntatis deprauatione superari. Porrò in malis, quibus potest subiacere voluntas, priùs est homines cupiditatũ sirenis, quam irarum furiis dedi: sicut priùs concupiscere, quam irasci. Ac tandem Theologis notum est, malorum omnium grauissimum esse, cum homines in suis flagitiis obdurescunt, & à Deo propter ipsorum scelera derelinquuntur. Cùm ergo numerus sit septem plagarum: & earum series ac filum recto ordine comprehendat grauiores omnes labores ac mala, quæ in aliquam rempublicam possunt incurrere: cumque septem plagarum ænigmata concinna sint & elegantia, si eodem plagarum ordine singula ad singulas applicentur: insuper in aliquibus exprimatur sermonem esse de Iudaici populi plagis: cum hæc, inquam, omnia, ita sese habeant, ecquid residere potest scrupuli, quin hæ sint plagæ septè, quas Deus minitatus fuerat, se in populum illum, si in sua obstinatione persisterent, immissurum?

Ex recto ordine inter plaga ipsas seruato, idem roboratur argumentum.

Digitized by Google

Confirmatur adhuc ex huius plagarum septenary collatione cum altero capitu 16.

Quartò, non parum eandem de septem plagis interpretationem fulcit alter ille plagarum septenarius, qui cap. 16. describitur: nam (vt ibi manifestum erit) perspicuum est, plagas illas cap 16. esse quibus Deus Romam Ethnicam debellauit. Cùm verò constet euidenter, priùs fuisse Ecclesiæ bellum cùm Hierosolyma, quàm cum Roma Ethnica: si posteriores plagæ in Romam immittuntur, primæ in perfidam Hierosolymã immittantur necesse est. Quod si attentè perpendatur; actutum cernitur, quàm congruenter primæ plagæ in tubis ruinam vrbi minitantibus significẽtur: per allusionem ad tubas illas, quæ in circuitu Iericho personuerunt: posteriores verò plagæ phialis denotentur mysticam iram effundentibus, id est, immensam illius misericordiam: qui Romæ, atque adeò vniuersis Gentilium populis bellũ inferebat, vt eos ad suam fidem traduceret, & vera sanctitate bearet. Proptereáque Angeli, qui manibus tenent phialas, induti sunt lino candido & ad pectus zonis aureis accincti: quæ duo sunt sanctificationis & ardentissimæ charitatis symbola (de quo suprà c. 1.) phialæ etiam sunt sacerdotalis officij symbolum, vt explicuimus cap. 5. Quibus quasi lineamẽtis adumbratur, virtutem & efficacitatem sacrificiorũ Christianæ Ecclesiæ impetrauisse, vt Deus præstantissimã illam belli rationem cum Roma Ethnica iniret, quò eam suæ fidei præceptis & singulari sanctitate imbueret.

Discrimen inter septem has plagas, & alias capitis 16.

Cùm igitur hæc fuerit lineæ vestis, zonarũ aurearũ & phialarum significatio: ideò huiusmodi symbola minimè fuere idonea ad plagas illas quas Deus Hierosolymæ inflixit, quarum exitus fuit, Iudaici populi reprobatio. Deinde cùm vox tubæ fuerit symbolũ belli a Hierosolyma Ecclesiæ illati: maris autem fremitus symbolũ extiterit illius belli, quod Roma Ethnica aduersus eandem Ecclesiam susceperat (id quod latè expendimus c. 1.) miræ elegantiæ fuit & proportionis, vt significaretur contra Iudaici belli tubam tubis item pugnare Deus: & contra frementes irati maris fluctus effusione alterius liquoris maiori vi ac potẽtia cõflãtis.

NOTATIO IV.

De personis septem Angelorum, quibus datæ sunt tubæ.

Quinam sigurentur per septem tubarũ angelos. Quatuor hac de re opiniones.

His septem Angelis putant aliqui representari ministros, quibus Deus ad supplicij seueritatem vtitur. Cùm autem Deus punire possit per cælestes Angelos, per inferorum dæmones, per homines, & per ipsas proximè plagas: ideo quatuor esse possunt opiniones eorum, qui tubarum Angelos de diuinę seueritatis ministris exponunt. Prima opinio est eos esse cælestes angelos, quam tenent Andreas, Aretas, atque Ribera. Secunda, esse dæmones; sicut etiam quidam existimant de quatuor angelis tenentibus quatuor ventos cap. 7. Tertia, esse homines perniciosos: vt hæresiarchas, & principes, eorum fautores. Quæ expositio Aureoli, Lyrani, Antonini, Ederi, & Lizarazi. Quarta denique, esse ipsasmet plagas, quas Deus in Iudæos immittit, vt Famem, Bellum, Pestem, &c. Nam sacra Apocalyps. fictio vtitur sæpè prosopopœiá, vt vidimus c. 4. & Psal. 103. 4. ipsa flamma ignis appellatur Angelus, quia ministrat Deo & Ps. 77. 49. legimus, *immissiones per Angelos malos.* Huic quartæ opinioni subscribit suo modo Arias Montanus in mystica expositione. Ait enim septem Angelos esse vim diuinam in se ipsa, & circa ipsam per ministros suos torquentem hominum malitiam in terrestri essentia. Hæc Arias.

In quo conueniant hæ omnes expositiones.

Hæ omnes expositiones in eo cõsentiunt, quòd septem Angeli tubarum non solùm sint plagarum præcones: sed ministri, per quos Deus homines seueriſſimè puniat. Pro cuius probatione adduci posset primò, quod de quinto Angelo textus asseuerat; illum scilicet aperuisse puteum abyssi, eique nomẽ inditum *Abadon*, id est, vastatorem vel exterminatorem. Deinde, quia de sexto Angelo ait textus, ab eo solutos fuisse quatuor Angelos, vt tertiam hominũ partem trucidarent. Constat autem, si quintus & sextus angeli non sint plagarũ præcones, sed ipsimet per quos Deus homines punit: idem quoque de reliquis esse dicendũ. Tertiò: opinioni primæ, quæ de Angelis cælestibus interpretatur, fauet quod in textu legimus, nempe, *stantes in conspectu Dei*: nec nõ Antiphona officij S. Michaelis ad Vesperas, quæ sic habet: *Dum sacrum mysterium cerneret Ioannes, Archãgelus Michael tuba canit: Ignosce Domine Deus noster.* Vbi obiter notãdum est, verba illa, *Ignosce Domine*, &c. non esse ipsius Angeli. Nec enim decens erat, vt Angelus Deum tub alloqueretur. Sunt ergo verba Ecclesiæ: quæ contemplata Archangelum quasi classicum tuba canentem ad vlciscendos sceleratos, procumbit in genua, & ad Deum conuersa ait: *Ignosce Domine*, &c. Deinde hæc eadem antiphona fauere videtur eorum opinioni, qui volunt hos septem angelos tubarum, esse cælestis curiæ magnates. Nam si septem præcipui sunt in iis principes: dubium non est, quin Michael sit eorũ vnus. Ad hæc, septem Angeli hìc cum articulo ponũtur in Græco. Et hactenus de sentẽtiis opinantium septem Angelos tubarum esse ipsomet diuinæ seueritatis ministros, per quos pœnæ hominibus infliguntur.

Explicatio Antiphonæ ab Ecclesia vsurpata in sancti Michaelis officio.

Duæ aliæ opiniones extendẽtium significationem angelorum ad omnes doctores & concionatores.

Aliæ sunt opiniones, quæ diuersâ longè viâ procedunt. Extendunt enim septem Angelorum interpretationem ad omnes doctores & diuini verbi concionatores. Sic Ticonius, Primasius, Beda, Anselmus, & Albertus: qui aiunt septem Angelos esse omnes illos quibus prædicationis officium commissum est: & in septenario denotari dicunt perfectam Ecclesiæ prædicationem. Alij septenarium ad septem prædicatorũ ordines applicant: iuxta numerum plagarum, quas hominibus enunciant. Ambrosius complecti voluit prædicatores quotquot siue doctores ab initio fuere, & qui ad finem vsque mundi subsequentur ita vt primus Angelus prædicatores eos designet, qui legem præcesserunt: secundus legis doctores: tertius Prophetas: quartus Christum & Apostolos: quintus defensores fidei: sextus martyres: septimus denique prædicatores sub finem mundi futuros. Andreas quoq; innuit septem tubas ad totidem sæcula referendas. Ioachimus solum voluit, complecti Euangelij prædicatores a Christi passione vsque ad finem mundi: ita vt primus Angelus designet Paulũ, & concionatores primitiui illius tẽporis: secundus prædicatores secundi temporis: & sic de reliquis.

Reiciuntur duæ expositiones suprà positæ.

Vidimus duas extremas expositiones: quarũ prima vult ipsum tubæ clangorem esse inferre plagam: altera verò clangorem hunc de officij prædicatoris exercitatione explicat. Pro quo asseritur, in aliquot Scripturæ locis tubam esse prædicationis symbolum. Huic explicationi obiici potest, non semper post prædicationem sequi plagas: cum videamus post septem huiusmodi clangores, mox plagas subnici. Propter hoc fortasse argumentum aliqui prædictorum interpretum suam expositionem coarctant ad eos prædicatores, qui acerba atque aduersa enunciant. Cæterum nec ad huiusmodi prædicatores omnes potest significatio horum Angelorum extendi. Etenim has septem tubarum plagas immisit Deus contra Iudaicum populum tempore primitiuæ Ecclesiæ. Non igitur septem tubæ possunt comprehendere omnes aliorum, siue temporum, siue hominum concionatores. Quod amplius confirmatur. Nam c. 16 videbimus septem alios Angelos, qui phialas effundunt. atqui duo hi septenarij diuersi inter se sunt, & alter alteri respondet. Septem ergo Angeli tubarum complecti non debent eos omnes, qui acerba & amara nunciant.

Harum tubarum symboli difficultas in quo sita sit.

Præterea huius tubarum symboli difficultas in eo sita est: quòd vna ex parte tuba denunciat quidem bellum, non tamen plaga infligit: atque ita tubá clangere, officium est speculatoris. Ezechiel 33. 7. vbi Dominus ait Prophetæ, *Fili hominis speculatorem dedi te, vt eis annuncies, vt je custodiant.* Ex alia verò parte in Apocalypseos figura necessarium est, vt tubæ clangor sit initium belli, & clangorem sequatur plaga: eodem ferè modo, quo c. 16. effusionem phialæ sequitur plaga. Affero igitur, singulos tubarũ clangores, esse præconia quædam, & quasi promulgationes diuinæ vindictæ. Quemadmodum præconium sententiam iam latam prædicat ac pronũciat, vt protinus executioni mandetur. Itaq; non iam est cõminatio, aut admonitio vt sibi à plaga impẽdente caueant: sed quasi indictio & promulgatio ipsius sententiæ. verbi gratiâ: Primus clangor prædicat diuinitus

Tubarum harum clangor quid significet.

Digitized by Google

uinitus esse decretum, vt Ierosolyma fame puniatur: A
secundus sententiam dictam pronunciat, vt puniatur
bello; tertius, vt peste: quartus vt ignorantiâ, & sic de
reliquis.

Distinctio inter Angelos & tubas apponenda.

Cogit autem nos textus, vt distinctionem inter Angelos & tubas indagemus: siquidem Angelis traduntur tubæ: inter tubas item atque clangores debet etiam reperiri discrimen. Primò enim tubæ Angelis dantur: deinde clangunt: posteà sequitur plaga. Mea ergo sententia est, per singulas tubas significari illam Scripturę prophetiam, quæ affirmat perfidam Hierosolymam a Deo fuisse illâ plagâ percutiendam: videlicet primâ tubâ denotare famem, qua affligenda erat ciuitas: secundâ, bellum, &c. Clangor autem repræsentat, cùm tempus appropinquat, tunc antiquam prophetiam denuo resonare quodammodo & vehementer in eorum auribus percrepare, quos Deus eâ auditione dignatur, vt plagam illam atque supplicium in Hierosolymam immissum exaudiant, ac recognoscant.

Quid per has tubas figuretur

Quid per tubarum clangorem

Et quanuis Scripturæ loci, in quibus hæ septem plagæ fuerant prædictæ, multò sint plures, quàm septem: distinctio tamen tubarum, quod attinet ad ipsam figuram, à plagarum distinctione desumitur. Licèt autem vna, eademque plaga à multis Prophetis sit prænunciata: hæc tamen prophetiarum multiplicitas minimè officit, neque attenditur ad septem plagarum repræsentationem pariter ac distinctionem. Itaque Angelus significat Prophetam, cui Deus plagam eiusmodi prædicendam reuelauit: tuba autem prophetiam ipsam à Deo reuelatam: clangor verò est veluti noua antiquæ prophetiæ promulgatio. In quo plenum est energiæ, quòd indicetur veterem prophetiam illius plagæ in Hierosolymam immittendæ denuo personare, cùm ipsius supplicij tempus iam imminet. B

Quinam per tubarum angelos denotentur?

Vt hoc planiùs percipiatur, fingamus septem diuersis Prophetis plagas septem à Deo, singulas singulis, reuelari. Tunc quidem nullius difficultatis erit, per septem angelos significari septem illos prophetas. Quòd ergo aut plagæ omnes singulis Prophetis, aut singulæ omnibus reuelatæ sint: nihil impedit, quominùs aptè consideremus, Ioëli (verbi gratia) reuelatam fuisse Famem, qua Deus Hierosolymâ fuerat puniturus; Ezechieli, Bellum: Pestem, Ieremiæ: Moysi ignorantiam: Concupiscentias Dauidi: Zachariæ Iras, quibus Iudæi Christianos oppugnaturi erant, (iuxta Zachariæ ipsius verba c.12.2. & c.14.14. *Iudas erit in obsidione contra Ierusalem,*) denique Isaiæ Iudaici populi obdurationem. Et quanuis prophetæ septem numero distincti non essent, in quos hæc septem vaticinia seu prophetię partirentur: formalis tamen distinctio hic foret satis, per quam eadem persona diuidi solet in plures. Vt si consideremus, vnam esse personam, quatenus ei fames reuelatur, alteram, quatenus reuelatur ei bellum; & sic de alijs. C

Itaque septem Angelos de septem antiquis Prophetis intelligo, formaliter quidem distinctis propter septem plagarum distinctionem. In eo autem quòd prophetæ ad septenarium numerum reducuntur: allusio fit ad septem Persici regis magnates siue Principes, de quibus Esther 1.10. *Qui in conspectu eius ministrabant.* Quod perinde est, ac si dicantur ij esse quàsi regis cubicularij. Hac igitur ratione rectè considerantur veteres Prophetæ, quatenus plagas illas enunciarunt, quibus Deus in Hierosolymam acriter fuerat animaduersurus; sub hac, inquam, ratione appositè antiqui prophetæ considerantur esse tubarum Angeli. Apostoli autem & prædicatores Euangelici sunt Angeli phialarum, quatenus nouissimæ iræ sunt ministri; id est, quatenus prædicatione suâ fuerunt ministri vltionis mysticæ, quam Deus erat de Gentilitate sumpturus, cùm eam Euangelio subegit. Quapropter hæc interest inter

Cur hi angeli, siue prophetæ per eos figurati ad septenarium reuocentur?

vtrosque distinctio: quòd angeli quidem primi clangunt, & eorum clangorem subsequuntur plagæ; ipsi tamen propriè non sunt plagarum ministri, neque aliter deseruiunt plagis, quàm eas annunciando. At phialarum Angeli verè sunt nouissimæ iræ ministri; quia effundunt phialas in terram, in mare, in flumina, in aerem, in Euphratem, & in Babylonem. Et sanè efficacissima illa aqua, liquor ille admirabilis, quem effundunt, maximam eam habet efficacitatem in terra: in mari, in fontibus & ceteris: de quo latiùs suo loco. D

Differentia inter tubarum angelos & angelos phialarũ.

Superest respondere argumentis, quæ retulimus initio pro eorum opinione, qui septem tubarum Angelos de ipsissimet diuinæ seueritatis ministris intelligendos putant. Quare ad primum assero; non esse quintum Angelum, qui puteum aperuit, sed stellam quæ cælo decidit. Præterquà quòd vt puteum aperuisse diceretur: satis erat ab ipso arcanum illud detegi mysterium: quòd scilicet æquissimo Dei iudicio perfidi Iudæi locustis illis plectantur: neque hoc est esse proprium seueritatis ministrum, sed mysterium delitescens aperire. Ad illud autem de nomine Abbadon, Respondeo illum abyssi Angelum, qui vocatur Abbadon non esse eundem, qui tubâ quinta cecinit; sed alium longè diuersum.

Respondetur argumentis supra in contrarium adductis.

Ad secundum respondeo: vt sextus Angelus dicatur quatuor illos Angelos ad Euphratem fluuium alligatos dissoluisse, satis est suo illo clangore denunciare illos esse soluendos.

Ad tertium: illa Michaëlis Archangeli antiphona ad eorum opinionem accommodatur, qui tubarum angelos ex cælesti hierarchia esse putant. Sed vt mea fert sententia, non opus est, vt credamus in ea antiphona præstitui, atque implicitè affirmari, idem esse concrepare tubis, quod inferre supplicium. Etenim ad ea, quæ sequuntur, verba, *Ignosce Domine*, &c. satis est, tubæ clãgorem referri ad promulgationem, siue enunciationẽ plagarum quàm mox infligendarum. Nam vbi primũ Ecclesia hanc sententiæ pronunciationem aduersus Hierosolymam exaudit: congruenter sequitur, eam statim clamare, *Ignosce Domine*, &c. Etsi autem hæc sententiæ promulgatio fuit per veteres prophetas pronunciata: in eorum tamen prophetia verissimè intelligitur interuenisse ministerium Angelorum, per quos Prophetis facta est reuelatio. Præcipuè verò intelligitur non ineptè in huiusmodi sacris vaticinijs interuenisse ministerium Michaelis: quippe qui synagogæ olim princeps erat; nunc Ecclesiæ. Et certè plus honoris Michaeli defertur, si in omnium Prophetarum clãgore ipse intelligatur clangere, quàm si vna ex septem tubis ei tradatur. Hoc ergo, quod Michael est honorificentius; est etiam congruentius veritati. Tametsi enim non inficior probabilem esse Andreæ, Aretæ atque Riberæ opinionem: ad eamque sese conformare potuisse, qui illam Antiphonam composuit: multò tamen verisimilius est, septem tubas esse prophetias septem plagarum à Deo immissarum. Qui sensus cohæret maximè cum septem sigillorum mysterio. Nam tubæ septem ad septimum spectant sigillum. in omnibus autem septem sigillis, aperire sigillum nihil est aliud, quàm veterum prophetiarum mysterium cognoscendum exhibere, vt supra iam explicatum est.

Postremò ad id, quod additur de Græco articulo septem Angelis præposito, Respondeo: si verum est quod nuper dicebamus, videlicet septem Angelorum nomine antiquos designari Prophetas, qui Iudæorum supplicium diuinitus prædixere: huic ipsi significationi articulus congruenter deseruit: quia personas iam notas indicat, nempe Prophetas. Atqui manifestum est, Prophetis mirificè Angelorum nomen quadrare, sicut prædicatoribus etiam Euangelicis. Nam vtrique sunt Dei ministri atque legati.

TEXTVS.

Vers.2. Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei, & datę sunt illis septẽ tubæ.

Digitized by Google



A

COMMENTARIVS.

MEa expositio est per hosce Angelos septem hîc denotari veteres Prophetas: quos proinde ad numerum septenarium reduci, quia septem illas plagas in Hierosolymam annunciârunt, qua ratione in notatione præcedenti explicatum est. Quemadmodum in quatuor Angelis, qui ventos habebant compressos; quaternarius numerus ad ventorum quatuor repræsentationem congruenter aptatus fuit.

Cum igitur aduertatur de prophetis hîc esse sermonem; facilè inde apparet, illis appositũ valde esse elogium illud, *qui sunt in conspectu Dei*, non solum quia Dei iam conspectu fruebantur, cùm Ioanni reuelatio Apocalypseos facta fuit; sed etiam quia cùm datæ illis sunt septem tubæ, id est, cùm fuit septem plagarum reuelatio facta, eiusdem verba illa recte congruebant: iuxta id, quod eorum vnus dixit, *Viuit Dominus, in cuius conspectu sto*, 4. Reg. 3. 14. id quod non obscurè adumbrat, ipsorum prophetias esse certissimas, vtpote hominum, quibuscum Deus colloquebatur: ex quo ipsi eorum omnium veritatem tanquam ex proprio fonte hauriebant.

Cur de hisce septem angelis dicatur, Qui sunt in cõspectu Dei.

Quàm verò aptè designent tubæ prophetias illas de septem Hierosolymæ calamitatibus, hoc ex superiori notatione satis intelligitur. Et quanuis tubæ fuerint iuxta hanc expositionem, multò ante prophetis traditæ: repræsentatio tamen, quæ illis traditas indicat, cùm Ioanni Apocalypsis innotuit, magnum (vt apparet) decorum habet atque energiam, significatur enim tubas visas esse denuo prophetis dari, eosque contra Hierosolymam clangere; vt quondam sacerdotes contra Iericho clanxerunt.

B

Quando sint septem hisce angelis tuba data.

Deinde, quanuis tubæ propriè loquendo non inferant plagam, sed annuncient: verùm plagæ ipsæ idoneè figurantur, quasi ex ipsa sententiæ pronunciatione incipiant; & quasi præpotens Deus iplarum tubarum clangore initium faciat grauissimi & periculosissimi belli, quod Hierosolymæ inferre statuit. Et quemadmodum bellum, quo Hierosolyma primitiuam Ecclesiam acerrimè oppugnauit, significatum fuit c. 1. per tubæ resonantis clangorem: sic etiam pari elegantiæ proportione, Iudaicæ illi tubæ respondent tubæ septem, quibus in fide Hierosolymæ bellum denunciat; quod ipsemet feriò suscipit ac gerit aduersus peruicaces & obstinatos Iudæos, qui Christum Dominum, eiusque fidem ac religionem sanctissimam præfracta mente respuerunt. De quo latiùs diximus cap. 1.

Has septem tubas respõdere illi tubæ capitis primi.

In his insuper septem tubis fit manifesta allusio ad septem buccinas capitis 7. Iosue; quas constat fuisse easdẽ, quibus iubileum promulgabatur. Atque hæc allusio significanter satis exprimit, supplicia à Deo illata iustorum persecutoribus denunciare iustis ipsis veram redemptionem; iuxta id Lucæ 21. 28. *His autem fieri incipientibus respicite, & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Deus enim ideo duros ac perfidos Iudæos acriter plectebat, vt fideles iustos ac pios ab iniuriis sibi factis eriperet, & à durissima impiorum seruitute, siue obsidione, qua tenebantur constricti, liberos ac securos redderet. Quapropter huiusmodi tubæ dicunt quodammodo iusto illud Iobi cap. 5. 19. *In sex tribulationibus liberabit te Deus, & in septima non tanget te malum.*

C

In hoc tubarum septenario alludi ad septem Iosue buccinas.

Sed vt in allusione ad tubas Iosue persistamus; aduerte, ex his clangoribus postremos esse magis acutos & concitatos; quasi portendant, rectum Dei iudicium in bonorum gratiam atque opem, quàm citissimè ostensum iri. Quo indicatur, in ipsomet furore atque insania malorum bonos persequentium, & in perfidorum obstinatione ac peruicacia (quæ duæ sunt extremæ plagæ) mirum includi solatium piorum hominum, qui ab improbis oppugnantur propter vtilitatem incredibilem, quam inde ad suæ Ecclesiæ progressum deriuat Deus. Hac enim via iusti homines rerum temporalium contemptionem & æstimationem cælestium atque æternarum adipiscuntur; necnon veras solidarum virtutum diuitias, martyrii triumphum, & perfecte demum redemptionis à Christo partæ plenitudinem.

NOTATIO V.

De allusione ad plagas Aegypti.

Septem hæ tubarum plagæ qua ratione Aegyptiacis respondeant.

DVBIVM non est, quin in septem hisce tubarum plagis sit aliqua allusio ad Aegypti plagas (de quibus Exodi 7. 8. 9. 10. & 12. & Philo de vita Mosis lib. 1. & Iosephus lib. 2. Antiq. cap. 13.) Nam in prima huius capitis plaga sunt grando & ignis: quod decerptum est ex septima Aegypti plaga. Tenebræ insuper plagæ quartæ respondent tenebris illis, quæ sunt inter Aegyptias plagas nona. In locustis quoque cap. 19. manifestè respicitur ad eas, quæ sunt plaga 8. ex Aegyptiacis. Et in plaga septima Apocalypseos reperitur etiam horribilis grando, quæ septimæ pariter plagæ Aegypti respondet. Præterquam quod in aquis venenatis plagæ tertiæ forte inuenitur similiter allusio ad animalium pestem, quæ inter Aegypti plagas quintum obtinet locum: siue ad plagam decimam de morte primo genitorum: quam ait Philo lib. 1. de vita Mosis fuisse pestẽ. Itaque ex his tubarum plagis quatuor, aut etiam quinque ad Aegyptias plagas respiciunt. Nec dissimilis est allusio in plagis phialarum cap. 16. Etenim primæ D phialæ plaga, sunt vlcera pessima; quæ conuenit cum sexta Aegypti plaga: & plaga tertiæ phialæ, est fluuiorum ac fontium in sanguinem cõuersio: cui similis est plaga prima Aegypti: porro quinta phiala respicit Aegypti tenebras: sexta (in qua suus ranis locus est) secundam Aegypti: septima denique sæuienti grandine cum septima itidem Aegypti consonat.

In Aegyptiacis plagis delineasse Spiritum sanctum, quod postea per has Apocalypseos plagas fuerat effecturus.

Hanc igitur plagarum vtrarumque conuenientiam vbi aduertamus: apparet protinus, Spiritum sanctum in Aegypti plagis, quasi figuris quibusdam delineasse, quod postea erat effecturus per has ipsas plagas, de quibus Apocalypsis agit. Id quod nos docet Irenæus his verbis lib 4 capite quinquagesimo. *Vniuersa, qua ex Aegypto profectio fiebat populi, typus & imago fuit profectionis Ecclesiæ, qua erat futura ex Gentibus, quam eduxit in suam hæreditatem non Moyses famulus Dei, sed Iesus filius Dei. Si quis autem diligentius intendat ijs, qua à Prophetis dicũtur de fine, & quacumque Ioannes discipulus Domini vidit in Apocalypsi, inueniet easdem pla-*

Irenæi verba, qua lucem huic doctrinæ afferunt.

Digitized by Google

plagas vniuersaliter accipere Gentes, quas tunc particulatim accepit Ægyptus. Hæc Irenæus. Additque se hanc doctrinam permagni facere, vtpote quam magno cum suo solatio ex antiquo Presbytero didicerat. Hæc igitur Irenæi & Presbyteri antiqui (quem ille laudat) verba; si rectè considerentur, magnam afferunt Apocalypsi lucem: in eis enim perstringitur vtrarumq; plagarum argumentum, tubarum nempe & phialarum; quę quinque aut sex capita omnino occupant. Eisdem insuper verbis admonemur, has plagas esse illas, quibus Deus mysticum Israëlem (id est Christianum populum) ex mystica eduxit Ægypto; hoc est, ex ipso Iudaismo & Gentilismo. Ex hisce enim gentibus ac populis suam Dous Ecclesiam potenter extraxit. Deinde cùm tubarum plagæ sint eæ, quibus Deus aduersus perfidam Ierosolymam bellum fecit; plagæ verò phialarum, quibus Romam & Gentilitatẽ vniuersam debellauit: primarum quidem plagarum fructus & emolumentum fuit conuersio Iudæorum, qui fasces Euangelio submiserunt (hæc verò est decima pars, de qua vaticinatus fuit Isaias cap.6.) ffructus verò plagarum posteriorum, fuit Romæ Imperijque Romani ad fidem traductio. Itaque quod adumbratum fuit coniunctim in Ægypti plagis & in populi Israëlitici per medias ipsas plagas exitu & liberatione, id ipsum interposita aliqua diuisione fuit in Christiana Ecclesia expressum. Etenim Israël mysticus ex decima Iudaici populi parte & vniuerso Gentilium populo ad veram religionem conuersis coagmentatur, & idcirco in sublimi illo opere, quo fuit mysticus Israël ex Ægyptiseruitute eductus, fuit necesse plagas imprimis præcedere ad decimam Iudaismi partem educendam ex mystica Ægypto; eam nempe, quæ mystici corporis Ecclesiæ futura erat caput seu pars potissima: & alias subinde plagas immitti oportuit, quibus ex ipso Gentilismo Catholicæ Ecclesiæ reliquum corpus extraheretur.

Vtrarumque Apocalyps. plagarum effectus.

Hanc existimo esse veluti medullam atque animam doctrinæ illius, qua peruetus ille Presbyter Irenæum imbuit. Quamuis ipse fortassis Irenæus, quippe millenarius, de hoc mystici Israëlis egressu ex Ægypto verba faciat, tanquam de re ad mundi exitum spectante. In ea enim persistit opinione, vt ad primam illam resurrectionem; quam millenarij actutum fore commiscebantur, paruum superesse temporis reputaret. Porrò Irenæo concinit Lactantius Firmianus lib.7. diuin. Instit. cap.15. vbi facta plagarum Ægypti mentione & liberationis populi Dei, hæc subijcit, *Facinus illud tam clarum, tamq; mirabile quamuis ad præsens virtutem ei hominibus ostenderet, tamen præsignificatio & figura maioris rei fuit, quam Deus idem in extrema temporum consummatione facturus est, liberabit enim plebem suam de graui seruitute mundi, & vniuersas nationes cælestibus plagis verberabit, vt iustus & cultor Dei populus liberetur. Et sicut tunc signa facta sunt, quibus futura clades Ægypti ostenderetur: ita in vltimo fient prodigia miranda per omnia elementa mundi, quibus imminens exitus vniuersis gentibus intelligatur*. Hactenus Lactantius; quæ licet ipse referat ad ea, quæ sub finem mundi sunt euẽtura; multò tamen melius referuntur sine dubio ad id, quod primis Ecclesiæ sæculis accidit; cùm Deus Ecclesiæ caput ex Iudaico populo eripuit; corpus autem ex Gentium populis: atque vtrumque præstitit earum plagarum interpositu, quas Apocalypsis describit. At millenarij prima illa orientis Ecclesię sæcula finem esse mundi falsò putabant: & bonorum resurrectionem quàm mox somniabant futuram.

Irenaus ex millenariorum numero.

Lactantius item millenarius.

Cùm ergo constet ex dictis, Deum Ægypti plagas eo fine ordinasse, vt suum populum ex eadem Ægypto reuocaret: nemo non viderit, fuisse in illis figuratum, quod erat multis postea sæculis euenturum, quo tempore mysticum Israelem, id est, charissimam sibi Ecclesiam Deus ex Iudaismo & Gentilismo extraheret. Nec dubium cuiquam erit, quin Israelis egressus ex Ægypto, vtriusque populi conuersionẽ ad fidem prænunciaret. Tubarum igitur plagæ haud dubiè sunt illę, quibus Deus Iudæos mulctauit, vt decimam inde partem, quasi totius Ecclesiæ caput futuram sibi auferret: & phialarum plagæ sunt mysticæ illæ, quibus Deus Gentilitati bellum indixit, atque intulit; vt populi inde Christiani corpus educeret. Si autem vtrisque plagis denotarentur supplicia paulò ante Iudicij diem sceleratis infligenda; nulla posset congruens reddi ratio, quamobrem plagæ in duos diuidantur septenarios, & cur phialarum angeli ad aliorum distinctionẽ lineis induantur vestibus, & zonis aureis ad mamillas accingantur. In nostra tamen explicatione aptissima redditur horum omnium ratio.

Differentia inter has tubarũ plagas, & plagas Ægyptiacas.

Verùm enim verò non sufficit considerasse hactenus plagarum Ægypti & Apocalypseos conuenientiam; nisi differentiæ quoque vtrarumque ratio habeatur: multiplex enim est, valdeque notabilis earum inter se differentia atque discrimen. Inprimis Ægypti plagæ sunt decem, at Apocalypseos duplicem septenarium conficiunt. Deinde ex decem Ægyptiacis nonnullæ in Apocalypsi prætermittuntur intactæ: cuiusmodi sunt cyniphes, muscæ & mors primogenitorum. Quare necesse fuit in Apocalypsi vtriusque septenarij numerum ex plagis alijs additis suppleri. Tertiò in ijs Ægypti plagis, quas Apocalypsis vsurpat, magna ex parte tum ordo, tum cuiusque descriptio immutatur. Ægyptiarum ordo plagarũ est huiusmodi; Aquæ fluminis conuersæ in sanguinẽ, Ranæ, Cyniphes, Muscæ, Pestis animalium, Vlcera vesicarum, Grando, Locustæ, Tenebræ, Mors primogenitorum. In Apocalypsi autẽ reperimus grandinem in prima & septima tubarum plaga; & tenebræ antecedunt locustas. Et in phialarũ plagis vlcera & tenebræ anteuertunt ranas. Præterea in plurium descriptionibus mirum est, quanta sit varietas plagarum Apocalypseos atque Exodi; etiam in ipsismet rebus, in quib. conueniunt. Nam primæ tubarum plagæ additur grandini sanguis. In quarta tenebræ sunt multò minores; solum enim aufertur tertia pars lucis. Locustæ diuersæ sunt valde, & miras habẽt figuras. In plagis verò phialarum ranæ non sunt amplius tres; eæque apparent, quòd flumen Euphrates exsiccatus sit: & grando est instar talenti, succeditque diuisioni Babylonis in tres partes.

Prima differentia, Secunda. Tertia. Quarta.

Redditur differentiarum ratio, ac primò de prima, de numeri diuersitate.

Quod ad primum attinet, id est, ad numerum plagarum; Ægyptiacæ fuere decem; non quia totidem erant futuræ illæ, quibus Deus mysticum Israelem ex spirituali Ægypto fuerat educturus: sed propter aliam rationem, quam videbimus cap.11. notat.6. nec non etiam, quia re ipsa voluit Deus ostendere, se vt supremum omnium conditorem crearuras omnes aduersus suos hostes armare. Vt habetur Sapient. cap.5.18. *Armabit creaturam ad vltionem inimicorum, & pugnabit cũ illo orbis terrarum contra insensatos.* Et cap.16.17. *Vindex est enim orbis terrarum*. Cuius rei vt perspicuum exhiberet argumentum Deus; denarius numerus conueniens inprimis extitit, qui multiplicationis est proprius. Atque ad hunc numerum explendum, præter Angelorum ministerium assumpsit Deus quatuor elemẽta; & quæ ex ipsis mixta erant aptiora ad Ægyptios diuexandos. Cumque illa vera fuerit historia, quæ in semetipsa idoneam congruentiæ rationem habebat; non opus fuit penitioris mysterij figuram in ea inclusam, esse adeò perfectam, vt omnẽ prorsus conuenientiam in plagarum numero & ordine comprehenderet. Satis namque est in denarij numero significari plagarum multitudinem; magnam insuper reperiri similitudinem in præcipua Dei intentione & illarum effectu (vt scilicet medijs illis Israel ex Ægypto duceretur) nec non in eatum multis apparere manifestam proportionem atque consensum inter ea, quæ & in Exodo, & in Apocalypsi narrantur. His addo, illam Exodi repræsentationem fuisse coniunctè positam, bellumque aduersus vnum eundemque populum comparari: cùm tamen præcipuum opus, de quo Apocalypsis agit, duas in partes fuerit distribuendum, & duplex bellum, valdeque inter se diuersum, duobus diuersis populis fuerit seorsum inferẽdum. Ex quo dilucidè cernitur, Spiritus sancti mentem non fuisse, vt inter figuram & figuratum perfecta omnino daretur proportio: sed solũ vt historia quodãmodo adumbraret, quod Christiano populo deinceps euẽturum erat. Ad hæc, illud fortasse spectatũ fuit in Apocalypsi, vt aliqua ratione respectus ad Ægypti plagas seruaretur, quod attinet ad denarij numerum. Nam etsi duo sunt in Apocalypsi septenarij, in quolibet tamen eorum allusio reduci videtur ad quinque plagas ex septem, vt in superioribus annotauimus.

Cur Ægypti plaga fuerint decem.

Digitized by Google

uimus. Ceterùm magis præcipua ratio fuit habita, vt tubarum plagæ essent septem & totidem plagæ phialarum; quia vtræque duplicem æquè septenarium conficiunt. Fuitque satis congruens, vt earum repræsentatio ad septenarium reuocaretur.

Secunda differentiæ ratio, nimirum de plagarum aliquot varietate.

Iam ad alterum de plagis, quæ aut adduntur, aut detrahuntur, Respondeo: ad Apocalypseos perfectionem intererat, ne Spiritus sanctus ea solùm repræsentatione minùs absoluta esset contentus, quæ in Exodi historia fuerat proposita. Nam cùm illa vera sit historia; satis fuit in ea aliquo modo figurari, quod posteà Christiano populo deberet accidere. At Apocalypseos repræsentatio, cũ alterius rei historia non sit, sed ænigmatica quædam pictura belli ab Ecclesia aduersus Iudaicum populum & Gentilium gesti, ad eius perfectionem necessarium fuit, vt Diuinus spiritus eam repræsentandi rationem iniret; quæ & perfectissima esset, & cum ipso mysterio penitus conformaretur: atque ideo æquum fuit, vt ex Ægypti plagis omitterentur illæ, quæ minùs erant ad rem: & ceteræ diuersò disponerentur ordine, illisq; annecterentur, quod ad ænigmatis perfectionem conferebat. Itaque Ægypti plagas licèt verum sit fuisse effigiem quandam atque figuram plagarum a Deo in Iudæos & Gentiles inijciendarum: quatenus per ipsas extulit Deus suum populum ab Ægyptiorum seruitute, non tamen illæ harum imaginem præ se tulerunt, quod attinet ad numetum, ordinem, ac perfectam rerum in singulis plagis expressarum figuram: in eo, inquam, bello quod cum Iudæis & Gentibus gerendum erat. Constat autem defuisse hæc omnia in historia plagarum Ægypti: quandoquidem opus fuit, vt in Apocalypsi alius esset ordo, aliæque plagæ omitterentur, & alijs adderentur nonnullæ: atque vt singularum descriptio alternatione, varietate, & peregrinitate mirum in modum ornaretur. Atque ex his patet etiam responsio ad tertium.

A Cetera, quæ ad plagarum singulas spectant, explicabimus, quando ad eorum tractationem accedamus, tuncque aptam reddemus rationem discriminis inter Exodi & Apocalypseos plagas. Interim noto, licet multa sint doctè & eruditè conscripta de mystica plagarum Ægypti significatione ab Origene, Augustino, Isidoro, & nouissimè a nostro Pererio, non tamen omnes applicationes mysticas esse idoneas ad Apocalyps. finem & scopum. Expositio quidem, quam omnes ferè auctores, quos viderim, plagis Ægypti tradunt, est de alicuius peccati malitia ac prauitate: quamuis nonnullam etiam plagam exponant de iusto alicuius flagitij supplicio.

Ceterarum differentiarum ratio suo loco reddenda.

Quem ad finem sint plagæ Aegypti & Apocalypseos referenda.

Ego sanè necessarium existimabam, & alij Apocalypseos loco cohærentius (is autem est in cap. 11. 6. vbi de mystico Mose dicitur, *Potestatem habet percutere terrã omni plaga, quotiescunq; voluerit.*) vt plagæ vniuersæ referantur, nõ solùm ad culpæ malitiam; sed ad effectũ etiam doctrinæ ac prædicationis Euangelicæ in improborũ confutatione atq; obiurgatione. Etenim peccati malitia, non est mystici Mosis miraculum. Atqui Apocalypsis, virgæ & potestati Mosis adscribit effectũ percutiendi terrã omnib. plagis Ægyptiacis quotiescunq; voluerit. Et omnino curandũ est, vt vniuersæ decem plagæ ad hunc finem applicentur: hoc tamẽ missum facio, & ad caput 11 reijcies; vbi id vobis opus erit. Nam in allusione ad tubarũ & phialarum plagas, non necesse est, opinor, plagis Ægyptiacis alium præterea sensum inquirere: sed solùm fuisse illas, quibus medijs Deus charissimũ sibi populũ ex Ægypto deduxit. Reliqua autẽ facilè percipientur ex eo, quod attẽdatur: in quo sensu Apocalyp. singulas plagarũ vsurpet. Demum obseruandum est in cap. 11. 6. Ægypti plagas considerari, vt quædã Mosis miracula: at in plagis tubarum ac phialarũ ad plagas Ægypti respicitur, quatenus per eas Deus Ægyptios seuerè punit: vt inde Israëlem efferret.

B

TEXTVS.

C *Vers.* Et alius Angelus venit, & stetit ante altare, habens thuribulum aureum: & data sunt illi incensa multa, vt daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei.

4. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo.

5. Et accepit Angelus thuribulum, & impleuit illud de igne altaris & misit in terram: & facta sunt tonitrua & voces & fulgura & terræmotus magnus.

6. Et septem Angeli qui habebant septem tubas, præparauerunt se vt tuba canerent.

COMMENTARIVS.

Obseruationes circa literam.

CIRCA voces ipsas siue grammaticam notandum est primò altaris nomine manifestè hìc esse sermonem de altare thymiamatis. Neque obstat appellari græcè θυσιαστήριον, quia Græcis θύω, non solùm significat mactare, sed etiam suffire. Atque ita prunæ, de quibus agitur num. 5, proculdubio sunt ex altari thymiamatis; eæ scilicet prunæ quibus incendebantur odores. Porrò licet hìc ignis ex altari holocausti soleret afferri: hic tamen nulla altaris holocausti fit mentio.

Hoc altare cuiusmodi sit considerandum.

D

Thuribuli nomine quid hic intelligatur.

Secundò notandum est, thuribuli nomen in præsenti, non intelligitur prunarium, in quo adolentur thymiamata. Nam ipse textus ait, odores super altare aureum fuisse vstos: Et quamuis opinentur nonnulli thuribulum cum accensis prunis in altari reponi solitum: certum tamen est, ipsummet altare fuisse prunarium; ac proinde thuribulum hic non est prunarium, sed acerra siue arcula thuris: quam nauiculam hodie appellant, propter figuram nauiculæ ad quam effingitur. Facit illud ad Hebræos 9. 4. vbi nos legimus *thuribulum*, græcè enim habetur θυμιαμαστήριον, quod est acerra siue depositorium & arcula thuris. Atq; ita Syriaca translatio legit, *Domus aromatum*, id est, odorũ theca. Et quanquam Angelus posteà thuribulum igne altaris impleuit: id tamen non fuit ad incendendos odores, sed ad prunas in terram deiiciendas: quod quidem non est expers mysterii, vt deinceps expendetur. Quibus adiungo, pro thuribulo græcè hic esse, λιβανωτὸν: quæ vox propriè significat thus ipsum: sed ex epitheto, quod additur, dum appellatur aureum, constat, contentum pro continente poni per metonymiam, id est, pro vase aureo ad thus accipiendum fabrefacto.

Metonymia in Græca lectione.

Tertiò noto, incensa, quæ ab Angelo fuisse data dicuntur, esse thymiamata; vt patet ex Græco. Cuiusmodi verò fuerit sacrũ thymiama, explicuimus iam cap. 5. notat. 3. Est igitur sensus, Angelo traditam fuisse nauiculam thymiamate plenam, siue ipsi ad altare accedenti impletam fuisse nauiculam.

Incensa hic esse thymiamata.

Quid sit dare de orationibus sanctorum.

Quartò noto, circa illa verba, VT DARET DE ORATIONIBVS SANCTORVM] planum est ibi *dare*, esse idem, quod thymiama in ignem coniicere. Etenim licet ea phrasis, *de orationibus*, difficilis in Græco

in Græco sit,quia est in datiuo absque præpositione;sensus tamen legitimus est, significationē thymiamatis esse orationes sanctorum.Græci autem textus difficultatem optimè eleuat Ribera. A

Quinto circa illa verba,MISIT IN TERRAM] noto constructionem non ita esse, vt miserit in terram thuribulum;sed ignem,siue prunas ex illo.

Sextò denique verba illa, PRÆPARAVERVNT SE, VT TVBA CANERENT.] significare videntur Angelos sustulisse tubas,& ori admouisse;quæ actio propria est sonitum iam iam edituri.

Oblationem thymiamatis esse prius quā plagas.

His breuiter præmissis,vt præcipuum sensum persequamur,obserno quemadmodum cæli silentium plagas anteceſſit,vt supra aduertimus;ita sacrificium thymiamatis,& prunarum in terram effusionem depingi hic tanquam præcedentia plagas ipsas siue Iudaici populi supplicium. Neque enim Angeli tubas personaturi attolūt,quoad thymiamatis sacrificium finiretur,& prunæ demitterentur in terram.Hæc autem omnia consideranda esse arbitror,quasi facta in dimidiæ illius horæ interuallo,in quo silentium plagas anteuertens factum fuit.Quod enim ad repræsentationem attinet,rectè potest mente concipi sacrificium in dimidiæ horæ spatio tacitè peractum,& ignitæ prunæ in terram

Quando Ioannes vidisse tubarū plagas existimandus sit.

exaltari immissæ.Cùm autem textus priùs dicat,vidisse Ioannem septem Angelos tubarum;deinde vidisse thymiamatis sacrificium,vt & locus omnibus supersit,& omnia optimè cohæreant, non existimandus est Ioannes non aspexisse plagas,donec dimidia silentij hora fuerit transacta: sed in ipso dimidiæ horæ interuallo aspexisse priùs tubas Angelis tradi (quod nil aliud fuit,nisi cernere supplicium Iudaico populo impendens,(& mox intra idem temporis spatium aspexisse sacrificium thymiamatis.Confecto verò sacrificio & prunis in terram iniectis, cùm iam dimidiatæ horæ tempus terminaretur,angeli præparauerunt se,vt tuba canerent. B

Hæc incēsio, oblatio & proiectio prunarum in terram quid significent.

Thymiamatis ergo sacrificium & proiectio prunarum in terram significat,meo iudicio, quemadmodum ante Iudæorum supplicium expectauit Deus,vt primitiuæ Ecclesiæ patientia, ad suum perfectionis cumulum perueniret;ita similiter expectasse, vt Ecclesia ardentissimæ suæ charitatis duabus in rebus clarissima ederet documenta:primùm vt pro suis persecutoribus Deum ipsum deprecaretur:deinde vt pro virili parte saluti & incolumitati eorum consuleret. Vtrumque cælestis Magister suos discipulos perdocuit.Matth.5.44.*Diligite inimicos vestros;benefacite ijs,qui oderunt vos : & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.*Quod si Deus commeritum non differret supplicium:non tempus superaret,vt Christi discipuli se afflictos vexatosque cernerent, & suos hostes alacres & erectos:nec in tanta rerum iniquitate suam ipsi æquitatem, & æstuantem diuinæ charitatis ignem ostenderent pro ipsis obnixe Deum orando,& suam ipsorum salutem solerter procurando. Quare, cùm Deus(quod maximi veram æstimet patientiam,)fuerit expectaturus,quoad primitiuæ Ecclesiæ patientia ingenti accessione cumularetur,haud aliter congruentissimum extitit propter eam quam Christianæ charitatis æstimationem habet,vt expectaret etiam illustrissimum hoc ipsius charitatis argumentum,quo ipsa perfectam acciperet plenitudinem.Dominus enim dirigit corda suorum in charitate Dei,& patientia Christi 2.ad Thessalonicenses 3.5. C

Tria à primitiua Christianis edita sanctitatis documenta ante Iudæorum supplicium.

Tres huiusmodi res,nempe patienter sustinere,pro aduersarijs orare,& eorum spiritalibus bonis valde prospicere; certum est eundem inter se ordinem seruare, quo ipsas recensui. Et quidem de patientiæ symbolo satis in superioribus diximus: restat vt orationis ac beneficentiæ symbola videamus.

Cùm igitur Ecclesia primitiua à Iudaico populo oppugnaretur grauiter ac vexaretur:præuidisset-que plagas horribiles,quæ suis persequutoribus imminebant; maximæ ipsius perfectionis intererat,Christianos omnes preces ad Deum cōstanter effundere pro ipsismet,qui eos prosequebantur odio.Pro cuius rei significatione appositissimum est,symbolum,quod apposuit textus, *Alius Angelus venit & stetit ante altare habens thuribulum aureum in manu sua:& data sunt illi thymiamata multa, vt adoleret ea in altari.* Per hunc Angelum mihi persuadeo Christianam charitatem figurari. Neque enim (vt aliàs vidimus)hæc prosopopœiæ ratio Apocalypsi inusitata est:vt quatuor equitibus capitis 6.Figuram autem esse Angeli maximè congruit;cùm Angelorum sit orationes Deo offerre: vt Tobiæ 12. 12.& relatiuum,*Alius*, significare potest idem,ac si diceretur, Alius Angelus à septem primis valde dissimilis. Nam Angelorum tubas tenentium munus est bellum peracre Dei hostibus indicere. Huius autē Angeli erat, pro ipsis hostibus orare,nec non conari magna in eos conferre beneficia. D

Angelus habens thuribulū quid significet.

Sed dices,Quorsum fictam personam inquirimus,siquidem familiare est Angelis iustorum orationes Deo offerre? Respondeo,hunc ipsum Angelum,qui offert thymiamata,prunas pariter in terram proijcere:quod ad Christianam charitatem propriè pertinet,vti statim dicemus.Qui verò affirmant hunc Angelum aut Gabrielem esse aut Raphaelem:non satis meminisse videntur, ipsorum esse opinionem,inter Angelos tubarum,Gabrielem ac Raphaelem esse referendos.

An Angelus offerens thymiama Christum repræsentet.

Iam quod alij autumant,hunc thuribuli Angelum esse Christum,neutiquam mihi fit verisimile. Nam huiusmodi actio est Angeli adstantis ante thronum illum quem caput 4. descripsit: in eo autem æternus Parens considebat,& iuxta stabat Agnus.Itaque thymiama, siue sanctorum orationes & æterno Patri offeruntur,& Christo.Quapropter Angelus,qui offert thymiama,in hac visione distinguatur à Christo necesse est.Atque vt idem sit Angelus,qui totius Christiani populi orationes excipit,& prunas in terram proijcit:nihil occurrit congruentius,quàm asserere per illum Christianam charitatem denotari.Et iuxta hanc considerationem,altare thymiamatis symbolum videtur esse religionis,cultusque diuini:nec aliam habet significationem altare cum igne in veterum lapidibus ac numismatis.Aureum verò thuribulum significare potest charitatis latitudinem, quæ orationes adeò efficaces pro hostibus profusas optime capit. De ipsius verò sacri thymiamatis compositione,diximus satis suprà cap. 5. notat. 3.

Altare thymiamatis qui figuret.

Quid per aureum thuribulū denotetur.

ET

Digitized by Google

ET ACCEPIT ANGELVS THVRIBVLVM, ET IMPLEVIT ILLVD DE IGNE ALTARIS, ET MISIT IN TERRAM.] Scio hoc à plerisque de supplicijs exponi. Verùm ea interpretatio nulla mihi ratione probatur. Primò, quia hæc effusio prunarum in terram antegreditur clangorem tubarum. Constat autem supplicia omnia ad septem tubarum plagas reuocari: atque adeò hæc ignis proiectio & à supplicijs differre, & ante primum supplicium esse debet. Vers. 5. *Quid sit, Angelũ mittere ignem in terram.*

Secundò, accipere de igne altaris & mittere in terram, meo iudicio, manifestam continet allusionem ad ea Christi verba Lucæ 12. 49. *Ignem veni mittere in terram.* Atqui, vt vidimus cap. 1. versu 15. ignis altaris est mirificum symbolum religionis ignis. Præsertim, quia hic ignis mysticum thymiama succendit; quo de igne accedente thymiama contextus agit.

Tertiò, duo præstat Angelus; & offert thymiama, & prunas iacit in terram. Quis ergo non videat, duo isthęc cognationem inter sese & mutuam conspirationem habere oportere? Si autem ex ijs primum est pro inimicis orare; quid oportunius, quàm vt alterum sit, eosdem igne religionis & charitatis incendere conari? Fauet, quod vtrumque Christus coniunxit Matth. 5. 44. vt suprà animaduertimus. Quæ autem præstantior atque illustrior beneficientia excogitari potest, quàm suismet hostibus ignem & flammam, non istam corporum populatricem, sed cælestem illam atque diuinã charitatis meditari? Certè sic loquuntur spiritales viri. Nec mihi dubium supereſt, quin sic etiam loquatur Apocalypsis.

Quartò, cum hac explicatione mirum in modum consonant tronitrua, fulgura ac terræ motus, quæ immissionem illam consequuntur; significantque admirabilem primæuæ Ecclesiæ prædicationem cum sanctimoniæ splendore & verbi efficacitate coniunctam, & magnam vitæ mutationem in eorum animabus, qui cælesti illi prædicationi se subiugabant. Porrò fulgura & tonitrua de sublimi illo prædicationis genere esse explicanda superiùs vidimus capit. 4. versu 5. genuinam autem terræ motus significationem esse maximam aliquam mutationem vidimus capit. 6. versus. 12. *Tonitrua, fulgura ac terræ motus post ignem in terras missũ quid significent.*

Si tamen nobis aliquis opponat, in his prunis in terram immissis manifestum esse respectum ad cap. 10. Ezechielis, vbi sermo est de supplicio; respondeo huiusmodi obiectionem postulare, vt eam allusionem expendamus, & verum prophetę illius sensum: de quo infrà.

Enimuerò circa id, quod vidimus suprà, thymiamate per Angelum oblato denotari sanctorum orationes pro suis persequutoribus effusas; aduerte, thuribulum (respiciendo ad antiquæ legis ritus, ex quibus componitur ænigma) fuisse dignitatis sacerdotalis insigne: quemadmodum apud nostros sacerdotes est calix. Quamobrem cùm Christianæ charitati thuribulum in manu ponitur, eaque inducitur offerens thymiamatis sacrificium; innuitur hac ratione, vniuersum populum Christianum esse mysticos sacerdotes. Ad omnes enim generaliter spectat offerre Deo præstantissimum hoc sacrificium, quo pro persequutoribus obsecratur. *Thuribulum esse dignitatis sacerdotalis insigne.*

Obijciet tamẽ quispiam, videri aptius, vt iustorum orationes, quæ in altari aureo offeruntur, sint in hoc capite petitiones vindictæ. Nã ad plagas, quæ cõsequuntur congruentius videtur, vt inducantur hîc Sancti vindictam exposcentes potiùs, quàm pro suis oppugnatoribus deprecantes. Quandoquidem actionem hanc non venia, sed supplicium subsequitur. Quò accedit iustorum animas c. 6. 9. sub altari voce magna clamare *Vsque Domine non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum?* & cap. 9. 13. auditur vox vna ex quatuor cornibus altaris aurei, *Solue quatuor Angelos*. quibus solutis grauissima irruit vindicta in Ecclesiæ persequutores. *Difficultas contra superiùs dicta.*

Nihilominus certum existimo, thymiamata huius capitis esse orationes fidelium pro ijs, qui illos persequebantur. Agitur enim in præsenti de proprijs sanctorum precibus, qui est elicitus orationis actus; non verò de sanguinis clamore, aut de vocibus, quas violatum altare metaphoricè edit. Atqui scitum est, proprium esse sanctorum spiritum atque affectum, (præsertim legis gratiæ tempore) orare pro suis oppugnatoribus: quantumuis effusus sanctorum ipsorum sanguis metaphorico clamore vltionem postulet. In prædictis autem locis ex cap. 6. & 9. perspicue apparet sermonem esse de metaphorico clamore. *Dissoluitur.*

Quod autem opponitur, non esse ad rem orationes pro persequutoribus oblatas, quando sequitur posteà non erratorum venia, sed supplicium. Respondeo primò, præcipuum diuini Spiritus in hac re scopum fuisse, non vt innotesceret, quid Sancti suis precibus à Deo impetrarint; sed vt nosceretur, distulisse Deum persequutorum supplicium quoad opus fuit, vt Christianæ charitati quasi cumulus accederet: quæ in eo maximè enitescit, quòd pro suis persequutoribus obnixè precatur. *Quorsum spectent priorum Christianorum orationes ante plagarũ immissionem.*

Respondeo Secundò, in eo, quod proferat Deus supplicij tempus, & locum præbeat iustorum precibus pro suorum aduersariorum salute profusis, splendescit in primis Dei ipsius pietas ac misericordia: quæ, vt supplicio modum adhibeat, neue ad vniuersos ita generatim extendatur; suos priùs amicos ac familiares admonet de suppliciis ac plagis, quæ sceleratis hominibus iamiam imminent; vt se medios interponant, & iustitiæ dextram furore armatam, & improbis ferrum ac flammas minitantem suis precibus detineant. Vidi egomet quendam aliquando, qui cùm in seruum grauiter animaduersurus erumperet, familiarem suum tectè ac dissimulatè præmonuerat, vt sibi supplicium inferenti impedimento foret. Hoc igitur ipsum præstat Deus. Nec irritæ fuere suorum hoc tempore preces; contextus enim duo satis magna perstringit, quæ suis orationibus fideles à Deo impetrarunt. Primum fuit conuersio bonæ persequutorum partis priusquam ad plagas itum esset. Quam conuersionem textus innuit ingenti illo terræmotu, *Dei misericordia in supplicio inferẽdo.* *Effectus precum à Christianis primitiùs effusarũ.*

Digitized by Google

qui maximæ vicissitudinis index est. Et sanè valde fuit mira mutatio, quam mundus repentè conspexit, cuiusmodi fuit repentina illa & inopinata Pauli conuersio Stephani orationi secundùm Deum adscribenda. Quapropter quod ad hanc partem attinet, plagarum supplicium extensiuè (vt ita dicam) fuit minus: quandoquidem non eos attigere plagæ, qui iam tunc, cùm ipsæ irruerunt, ad Christianæ religionis asylum confugerant. Alter orationis fidelium effectus fuit, vt pœnarum non paucæ ad tertiam partem coarctarentur: vt indicat textus ipse in plurium ex his plagis descriptione, & nos suis quæque locis explicabimus. Id quod eò etiam tetendit, vt multorum conuersioni tempus & oportunitas ne deessent; siquidem ante plagam extremam plures reapse Christianam fidem amplexi sunt, vt constabit capitul. 11. vers. 13. in his verbis, *Decima pars ciuitatis cecidit*.

ET SEPTEM ANGELI PRÆPARAVERVNT SE, VT TVBA CANERENT] Quasi apertius diceretur, quando Christianorum patientia ad perfectionis veluti culmen peruenerat, per illamque iusti viri ad veram spiritalis doctrinæ cognitionem oculos mentis intenderant: quando Christianorum charitas pro suis hostibus deprecando, eorumque saluti consulendo multiplici incremento fuerat aucta: tunc demum appropinquauit tempus, quo plagæ in perfidos ac sceleratos Iudæos grassari inciperent. Singulis autem plagas præcedunt clangores tubarum, vt suprà explicatum est.

NOTATIO VI.

De allusione ad locum Ezechielis 10. num. 2.

Ezechielis & Ioannis loci inter se conferuntur: & Ioannis ad Ezechielem allusio demonstratur.

VERBA Ezechielis sunt, *Imple manum tuam de prunis ignis, quæ sunt inter Cherubim, & effunde super ciuitatem*. Allusio quidem Apocalypseos ad hunc locū est manifesta. Est certè in hoc ipso Ezechielis loco sermo etiam est de prunis altaris thymiamatis. Accedit, quòd sicut in Apocalypsi illam prunarum dispersionem præcedit designatio seruorum Dei (de qua in superiori cap egimus) sic etiam apud Ezechielem illa prunarum effusio subsequitur seruorum Dei designationem, quæ scripta erat cap. 9. Illud tamen interest

Differentia in vtroque Ioannis & Ezechielis loco.

discriminis: quòd in Ezechiele prunarum in terram immissio fuit facta, postquam cædes in ijs, qui non erant signati, iam desæuierat: at in Apocal. (vbi signū etiam fuit ideo impositum ne plagæ signatos contingerent) priusquàm plagis sæuiendi potestas fiat, prunæ conniciuntur in terram.

Ignita prunæ apud Ezechielem ab angelo in ciuitatem effusa quid significent.

Ezechielis interpretes fere omnes videntur supponere, prunarum in vrbem immissarum significationē esse de Hierosolymæ incendio, quo vrbs exusta fuit. Ceterùm Hieronymus aliam etiam declarationē proponit; ait enim, *Prunarum ignis assumitur, vt puniat, siue mundet Ierusalem*. Et subdit, referri posse hunc ignem ad sanctificationem, vt sæpè alibi adducitq; carbonem, quo purgata sunt Isaiæ labia. Et notat, in Isaiæ visione vnicum fuisse carbonem ad vnius hominis labia purganda; hic verò plures assumi, vt omnis purgetur Ierosolyma. Hæc Hieronymus. Et quamuis verum sit priorem expositionem de horribili supplicio magis à sancto doctore continuari: verùm in ea quam proponit, declaratione optionem nobis dat. Gaudeoque vel maximè mihi per Hieronymum licere; vt credam ignem, de quo hic Ezechiel loquitur, esse quidem ad purgandam & sanctificandam Ierosolymam,

Prunas apud Ezechielem in vrbem, apud Ioannem in terram immissas, eiusdem esse significationis.

non ad exurendam, & deuastandam. Neque enim solùm me non vrget Ezechielis locus, vt rear Apocalypseos prunas spectare ad Iudæorum supplicium: sed ex Apocalypsi potiùs colligo, apud Ezechielem etiam sermonem esse de religionis igne; & de illo, quem Christus in terra accensurum se venisse testatur; vt eam scilicet purgatam & ab omni labe puram redderet. Quidquid autem in commentario allegaui ad locum Apocalypseos confirmandum, idem etiam eadē vi potest afferri ad hunc Ezechielis locum. Præsertim, quòd sint prunæ ex altari thymiamatis, quod profecto symbolum ignem religionis innuit. Adducor etiam similitudine prunæ illius, quæ ex eodem altari fuit desumpta ad Isaiæ labia mundanda. Quæ etsi in pretiosum carbunculum fuit conuersa (vt vidimus capite secundo, notatione secunda) hoc tamen ipsum argumento est, ignem illum non ac cremanda corpora, sed ad significandas atque beandas animas assumi.

Deinde iuuat non parum contextus: quia in ea Ezechielis visione satis iam sæuitum erat in eos omnes, quorum frontes Tau non fuerant signatæ. Si ergo figura ipsa indicat, nullum ex non signatis in vrbe esse superstitem: non igitur sunt ad rem prunæ in vrbem coniectæ ad eam igne absumendam: hoc enim non iam in inimicorum, sed in amicorum perniciem redundaret.

Præterea, si mentis oculos intendamus in proximum Hierosolymæ supplicium, quod paulò antè Ezechieli fuerat diuinitus prænunciatum: illud certè nihil est aliud, nisi Hierosolymæ clades, quam diuina prouidentia per Nabuchodonosorē vrbi intulit. Ideo enim dicitur Ezech. 43. 3. in eo curru, quem vidit Ezechiel, aduentare Deus Babylone ad Hierosolymam diruendam. Constat autem, calamitatem illam eo consilio fuisse à Deo dispositam, vt suum populum paterno castigaret affectu, & mores ipsius vitiosos atque corruptos emendaret: vt habetur Ecclesiastici 49. 11. *Nam commemoratus est inimicorum in imbre, benefacere illis, qui ostenderunt vias rectas*. Si ergo hæc fuit potissima Dei intentio, & re ipsa compos euasit, idque vtilitatis quàm maxime ex illa horribilis seueritatis specie decerpsit, quis non animaduertat, post huiusmodi supplicium aptissimè consequi, vt in cap. 10. agatur quemadmodum post flagitiosorum supplicium immisit Deus in Iudaicum populum veræ religionis ignem: quo ipsos puros sanctosque redderet? Quisve ignoret ignis ex altari, symbolum ad huiusmodi significationem esse mirificum? Non me latet, expositionem hanc quibusdam mysticam nimis visum iri. Huic tamen obiectioni, (quæcumque est satis iam in prolegom. feci not. 23. Vbi multa etiam congessi, vt probarem frequentissimum esse sacrarum Literarum vsum, allegoriam ignis assumere ad animarum purgationem & sanctificationem denotandam. Quod cùm ita sit; cuinam nouum videatur, cùm de altaris igne sermo est, dubitari vix posse, quin de igne sanctificāte habeatur sermo? præsertim cùm ille, qui ignitas prunas iacit in ciuitatem, lineis sit indumentis vestitus: quo symbolo sanctificationem & sanctorum iustificationes indicari vidimus cap. 1. not. 11

Textus consequentia apud Ezechielem.

Supereſt considerare, quo fundamento nitantur ij, qui sibi persuadent, Ezechielem agere non de prunis purgantibus, sed de exurentibus. Inprimis videntur in hanc sententiam induci, quia eodem in Ierosolymæ ciuibus factam consequuta fuit ipsius vrbis exustio; vt habetur Ieremiæ 52. 13. Ex quo apparet in capite nono Ezechielis sermonem esse de strage in hominibus edita: & in capite decimo, de vrbis incendio propriè sumpto. Audunt in capite vndecimo, numero vicesimo tertio, expressè asseri, Deum vrbe egressum in Olieti montem, qui ad Orientem è regione vrbis recessisse. Non igitur vrbis incendium, de quo cap. decimo, intelligendum est de mystica illa & sancti

Oppositæ sententiæ, in Ezechielis explicatione, fundamenta examinantur.

ca.

Digitized by Google

eante flamma, sed de vera & propria ciuitatem comburente: alioquin post mysticum illum ardorem non desereret Deus ciuitatem.

Nihilominus tamen affirmo, argumentis illis pro mystico apud Ezechielem incendio adductis, me omnino conuinci, nec probabilem illis inuenire solutionem: cùm tamen oppositæ partis argumenta eiusmodi explicatione dissoluam, quæ nostram sententiam non parum roboret. Ad primum igitur dico, nullam mihi subesse dubitationem, quin ad materiatam exustionem fiat allusio: cæterùm sub ea allegoria agi de mystico incendio post inflictum Hierosolymæ supplicium subsecuturo. Quæ responsio validè confirmatur, si consideretur hanc explicandi rationem esse multis Scripturæ locis familiarem; illis præsertim, in quibus sub Babylonicæ cladis atque incendij figura directè agitur de conuersione Romæ & Idololatriæ euersione; vt constabit ex commentario capitis 17. & 18. huius libri.

Occurritur oppositæ sententiæ argumento.

Ad Secundum Respondeo, non mihi adeò esse certum, vt alij volunt, in cap. Ezechielis 11. eandem omnino continuatâ serie tractari prophetiam, quæ in cap. 9. ac 10. agebatur. Etenim in capitis 9. visione exponitur, nullum ex Hierosolymæ ciuibus restitisse vinum exceptis ijs, qui Tau signati erant: ac caput 11. exorditur ab improbitate Iezoniæ, & Pheltiæ. Ex quibus non obscurè coniicitur, sermonis capite 9. & 10. habiti non idem filum in cap. 11. produci; sed ab eo nouæ alterius prophetiæ exordiũ cap. Quòd si noua prophetia est; frustra nobis opponitur Dei ex ciuitate egressio ac derelictio; neque enim constat, quod in noua prophetia agitur, esse id, quòd post capitis decimi combustionem erit euenturum.

Demus tamen, vnam eandemque vaticinii seriem ac telam texi; demus Ezechielem vidisse Dei gloriam post vrbis incendium in Oliueti montem se conferre. Vnde, obsecro, colligitur secessum illum in montem esse figuram Dei vrbem derelinquentis, & ad Gentes commigrantis? Video id interpretum nonnullis perplacere. Ipse tamen, vt verum fatear, non satis teneo, quid habeat commune discessus ille in montem ciuitati proximum cum ciuitatis ipsius ac populi derelictione & transitione ad Gentes. Nam si vrbem Deus esset deserturus in monte ita vrbi finitimo sedem minimè figeret: nihilòque mihi probabilius fit, quod hi auctores asserunt, per Oliuarum montem ad Orientem situm Gentilitatem denotari. Deinde transitus ad Gentes multò pòst accidit: atque egressus ille in montem oliuarum videtur necessario explicandus, tanquam aliquid consectarium ad ipsum vrbis incendium à Nabuchodonosore excitatum. Præterea in illo ipso cap. 10. (id est antequàm Dei gloria in Oliueti montem concederet) egreditur de templo ad limẽ domus, num. 4. Quod licèt aliqui explicent, quasi maximæ indignationis signum: ex contextu tamen contrarium planè elicitur. Subditur enim; *Et repleta est domus nube, & atrium repletum est splendore*. Hæc autem manifesta est gratiæ ac fauoris demonstratio: vt patet à simili Exodi 40. 32. & Num. 9. 15. & 3 Reg. 8. 10. Quapropter nulla me tenet dubitatio, quin egressio illa ex sancto Sanctorum ad limen domus eò potissimum tendat, vt se Deus populo reddat conspicuum; & quasi externo illo signo ostendat, se illis suæ gratiæ copiam largiter ac liberaliter facere.

Discessum gloriæ Dei in montem apud Ezechielem non esse de vrbe Ierosolymis tanadelictione explicandum.

Egressus gloriæ Dei ex sancto Sanctorum ad limen domus apud Ezechielem quid significet.

Hoc igitur si ita, vt par esse existimo, constituamus: ille Dei exitus ab vrbe, & itus ad Oliuarum montem è regione ciuitatis Orientem versus, vtrumque sanè meo iudicio maximi est fauoris maximæque gratiæ indicium. Quid enim aliud est, Deum Prophetæ reuelari in conspectu populi paciferas inter oliuas medium constitutum; quàm omnibus enunciare, se in clarissimum misericordiæ signum suam gloriam detecturum, & suis fidelibus se videndum præbiturum? Ad hæc: Oliuarum mons ad Orientem vergens significat, populum illum post pœnas grauissimas per Nabuchodonosorem repetitas, singulari Dei beneficio ad multò feliciorem statum, & ad clariorem Messiæ cognitionem (atque adeò ad magnum solatiũ ex illius aduentu spe ortum) esse deinceps peruenturum. Ad huius enim rei significationem mirificè conducit repræsentatio illa gloriæ Dei in Oliueti monte sitæ: quasi innuatur, vrbem Ierosolymam ad Orientem obuersam & ad noui Iustitiæ solis felicitatem in ea posterioribus sæculis orituram, summa perfusum iri lætitia ac voluptate.

Oliuarum montis ad Orientem vergens quid adumbret.

Huiusmodi cogitationi lucem affert non exiguam Barachus cap. 4. 36. *Circumspice Ierusalem ad Orientem, vide iucunditatem à Deo tibi venientem.* & c. 5. 5. *Exurge Ierusalem, & sta in excelso; & vide collectos filios tuos, ab oriente sole*. Si autem his locis sermo est de mœrore Hierosolymæ leniendo, per spem firmissimam, fore vt ipsius filij à Chaldæorum misera seruitute redirent incolumes; hanc certè ad rem plurimum etiam contulit, vt prænunciaretur Prophetæ, Deum gloriosum admodum in Oliuarum monte visum fore: illac enim exules Ierosolymitani cum maxima Dei gloria ad vrbem instaurandam erant reditari. Id quod Ezechieli ita innotuisse videtur. Nam vbi primum Deum in Oliueti monte conspexit; mox (ait textus cap. 11. 25. renunciauit ijs, qui captiui apud Chaldæos tenebantur, vt eos firma illa spe reficeret, & recrearet; *Et locutus sum ad transmigrationem omnia verba Domini, quæ ostenderat mihi.*

Superiori explicationis lux ex Barucho datur.

Ex his omnibus infero tam apud Ezechielem, quàm apud Ioannem per prunas in terram proiectas mysticum Spiritus sancti ignem atque incendium denotari. Et fortè qui lineis vestitus apparuit (is enim fuit, qui prunas in ciuitatem Hierosolymam intudit) significabat Esdram summum illum sacerdotem; cuius ministerio vsus fuit Deus ad Ierosolymæ instaurationem captiuitate peracta. Atque in his veluti lineamentis atque vmbris splendor & eminentia mysteriorum Ecclesiæ Christianæ extare & apparere debet: quia mos est Prophetarum (vt sæpiùs repeto) Iudaica tangere Christiana respicere.

Reliquum est, vt reddamus rationem discriminis, quod inter Ezechielis & Ioannis visiones interesse cernitur: quia nimirum prunæ apud Ezechielem demittuntur in terram post vrbis supplicium; apud Ioannem verò ipsa prunarum effusio plagas Iudaici populi præuertit. Huius tamen discrepantiæ ratio in nostra expositione redditur aptissima: quæ imprimis nititur in ipso vero historiæ euẽtu. Nam Deus Esdræ, Zorobabeli, & Iesu Pontifici suam opem auxiliumque præstitit: vt veræ religionis ac Dei venerationis ignem in vrbe sopitum excitarent: idque postquàm Ierosolyma suorum flagitiorum pœnas luit. Etenim pœnitentia ac religio ciuitatis illius fuit præcipuus fructus, quem ex ipsius supplicio cepit Deus. At vero primitiuæ Ecclesiæ tempore ingens ille zelus primorum fidelium & efficacitas, qua Christianæ religionis ignem in Iudæorum prædestinatorum animis accendebant, cum ipsa Christiana Ecclesia ortum habuit; & per Iudaici populi persequutionem mirum in modum excreuit; priusquam Deus in persequutores animaduerteret. Imò verò facultatem plagis dare in rebelles Iudæos sæuiendi catenus distulit Deus, quoad opus foret, vt Christianorum charitas in persequutorum salute procuranda, mirificè eluceret; & multiplici cumularetur incremento. Quare si tanta hæc charitatis demonstratio, & pro rebellium incolumitate solicitudo ad plagarum exitum protraheretur, minimè sortiretur effectum: eum sub extremam saltem plagam omnes ferè Iudæi; qui Christum respuerunt, duri & obstinati generaliter permanserint.

Ratio discriminis inter Ioannu & Ezechielu locos de prunis in vrbem siue in terram missis.

Quid insuper secessio gloriæ Dei in Oliuarum montem.

Digitized by Google

TEXTVS.

De prima plaga.

Verſ. 7. Et primus Angelus tuba cecinit, & facta eſt grando & ignis miſta in ſanguine, & miſſum eſt in terram: & tertia pars terræ combuſta eſt, & tertia pars arborum concremata eſt, & omne fœnum viride combuſtum eſt.

COMMENTARIVS.

Clangor & plaga idem ſignificat, quod refert ad ſignificationē.

LICET in figura ipſa tubæ clangor & plaga diſtinguantur: nulla tamen ferè eſt in eorum ſignificatione diſtinctio. Namque tubæ ſonitus denotat bellum, quod facit Deus aduerſus Iudaici populi obſtinatos: & plaga ſupplicium ipſum ſingulatim deſignat. Verum eſt tamen, in tubis (propter reſpectum, quem habent ad ſeptem Iubilei buccinas ſeu tubas, quarum ſonitu Ierichuntini muri corruerunt) etſi bellum aduerſus peccatores indicunt, indici etiam iuſtis redemptionem ac felicitatem; vt explicauimus ſuprà verſu 2.

Vox illa, *miſta*, quæ pluralis numeri eſt, iuxta Latinæ Grammaticæ leges poſtulabat, vt in textu ſequeretur, *miſſa ſunt*, in plurali itidem numero: verùm in noſtra lectione locutio græca permanſit.

In grandine & igne alluſio ad 7. Aegypti plagam.

GRANDO ET IGNIS] Sunt fulmina & lapides: in quo ad ſeptimam Ægypti plagam perſpicua alluſio eſt, Exodi 9. 22. *Grando & ignis miſta pariter ferebantur*. Et Sapien. 16. 16. & cap. 19. 19. ponderatur, grandinem non ab igne liqueſcere. At Apocalypſis igni & grandini addidit ſanguinem propter eā, quam infrà ſubijciemus, rationem. Interim noto ſanguineam pluuiam (quam ſæpius accidiſſe refert Plin. lib. 2. cap. 26.) ſemper fuiſſe ſignum cæleſtis iræ: quantò magis ſi ſanguis, grando, & ignis commiſta pariter decidant.

Aliorum de prima hac plaga expoſitiones facilè eſt videre apud Riberam & Viegam. In noſtra quidem acoluthia ſeptem omnes plagæ portendunt grauiſſima illa ſupplicia, quibus Deus Iudæorum obſtinationem primis Eccleſiæ temporibus mulctauit. Cuius quidem expoſitionis firma ſatis fundamenta ab auctoritate & rationum momentis deſumpta ſuo loco prædicta iam ſunt. Id vnum addiderim; priorem hanc plagam eſſe *famem*, qua Deus afflixit Iudæos: de qua Ioſephus libro ſexto de bello, capite decimo ſexto, ac libro ſeptimo, capite ſeptimo & octauo. Adeam igitur famem deſcribendam reſpexit Apocalypſis ſeptimam Ægypti plagam, adiunxitque ſanguinem igni atque grādini: quaſi diceret famem adeò fuiſſe ingentem, vt in Iudæa ignis, grando, atque ſanguis depluiſſe viderentur.

Hæc plaga quid ſignificet.

Terram pro Iudæa accipi.

Itaque verba illa, *Miſſum eſt in terram*, indicant Iudæam. Et præterquam quòd loquutio eſt in Apocalypſi vſitata, Chriſtianiſmum nomine cæli; terræ, Iudaiſmum; & Gentiliſmum, maris appellari; (de quo dicemus cap. 10. 2.) mos eſt omnibus ferè gentibus, cùm de patria ſua loquuntur, quòd bene aut malè habeat, terram abſolutè nominare; vt animaduertit Forerius Iſaię 24. 1. Quo in capite (vbi res ipſa clamat, & verba ipſa clamat, & verba ipſa ſatis oſtendunt de Iudæa eſſe ſermonem pluſquam decies ſub terræ nomine de Iudæa ſermo eſt. Deinde conſectarium eſt, vt horribilem pluuiam ignis atque grandinis vehemens conſequatur fames. Vide Pſal. 104. 32. *Poſuit pluuias eorum grandinem; ignem comburentem in terra ipſorum: & percuſſit vineas eorum; & ficulneas eorum; & contriuit lignum finium eorum.* & Iſaiæ 28. 17. *Et ſubuertet grando ſpem mendacij.* Vbi aduertere, tenera quæque ac delicata ſiue ex meſſibus ſiue ex arbuſtis grandine decuti, exuri igne, & ſanguine putrefieri. Quare omnia ſimul coacta idem eſt, ac ſi plueret denſiſſima quædam muria.

Quorſum ſanguis in famis deſcriptione.

Dicet tamen aliquis; ſi fames hic erat ſignificanda, nihil ad rem ſanguis: qui terram potiùs fæcundat, iuxta Ouidianum illud epiſt. 1. Heroidum;

Luxuriat Phrygio ſanguine pinguis humus.

Cui conſonat Horatius lib. 2 Ode 1.

Quis non Latino ſanguine pinguior.
Campus?——

Reſpondeo; ad denotandam inſolitam illam famem, qua Deus Hieroſolymam meritiſſimè vexauit, ſignificanter ſatis dicitur pluiſſe ſanguis. Nam plurimus ſanguis horrorem incutit, & crudelitatem præ ſe fert. Atque in acerbiſſimo illo miſeræ Ieroſolymæ conflictu, ſi expendamus ea, quæ Ioſephus prodit, videtur planè fames cum immaniſſima crudelitate fuiſſe ſociata: ſiquidem reperta fuit mater, quæ propriummet filium in fruſta conciſum deuoraret. Ita fit, vt calamitoſiſſimæ hiſtoriæ vel ſimplex lectio legentis animum acerrimo dolore atque adeò horrore percellat. Præter hæc, tametſi ſanguis inſtar fimi terram fertilem reddat ac fœcundam: ſi tamē ſit nimius, & meſſibus teneris atque herbeſcentibus infuſus; non agris fœcunditatem aut vbertatem, ſed perniciem & vaſtitatem importabit. Aut fortè diuinus Spiritus voluit huiuſmodi plaga ſignificare; etſi pluuia illa cæleſtis iræ atque furoris index erat, ſi tamen conflictati Iudæi vellent ad plagæ illius crepitum reſipiſcere; magnæ illorum animis eam felicitati fore. Quemadmodum ſanguis licet pauorem inijciat, terræ fertilitatem poteſt afferre.

Cur ſanguis, grando & ignis coniungatur?

Illud inſuper adijcio, in ſanguine, grandine, atque igne notari fortaſſe cauſas maximę illius famis, quàm cęli bellum ac furor aduexerunt. Quia ſanguis bellum denotat; grando autem & ignis, cęli indignationem. Quòd autem omnia pariter miſta deſuper pluant, fortè indicat, licet in terra fieret bellum, ſupplicium tamen omne è cęlo demittitur.

In

A In hac applicatione primæ plagæ ad famem, quę Iudęos oppressit; forsitan videar alicui, qui alibi nimiùm sim mysticus, hìc sensu penè grammatico esse contentus: existimetque grandinis expositionem de fame, nequaquam consentire cum alijs Apocalypseos locis, in quibus ad animorum prefractam obstinationem refertur: vt in septima plaga cap. 11. 19. & cap. 16. 21. Respondeo, in ęnigmatis licere quidem dictionem aliquam in alio interdum sensu, interdum in alio accipi: nonnunquam pro eo, quod in vulgari acceptione significat; & nonnunquam allegoricè. Enimuerò si singula probabiliter applicantur in ænigmate, & omnia inter sese aptè cohærent; huiusmodi profectò quadratura omnium partium, euidenter ostendit in vera enodatione collineari. Et quidem in dissoluendis ænigmatis qui nouitatis & insolentiæ damnet sensum alicubi nimis allegoricum, alibis nimis grammaticum videri; nę ille in ænigmatum solutione non admodùm versatus est. Quin etiam non in ęnigmatis modò, sed in familiari etiam sermone sæpius contingit, idem verbum in eodem contextu aliter atque aliter vsurpari. Dein, contextus ipse cogit, vt cantorum more à puncto. *Vt*, exordiamur, quò possimus deinceps ad, *La*, conscendere. Dicam clarius; Textus ait postremas tres plagas esse ceterarum grauissimas: igitur gradatim à minoribus ad maiora procedit: prima ergo plaga debet esse minor; atque adeo grandinis pluuia non est in eodem sensu accipienda, ac sumitur in extrema plaga.

Difficultas in nostra explicatione, eiusq; solutio.

Nil obstare quo minus in longo ænigmate, sensus alicuius nimis ænigmaticus, alicubi nimis grammaticus sit.

Textus insuper ipse apertè indicat, vltimæ plagæ grandinem à grandine primæ esse valde diuersam. In prima enim plaga nihil de eius magnitudine dicitur: & ne leuis plaga foret, additur grandini sanguis & ignis. At in plaga septima (quæ habetur cap. 11. fine grandini apponitur epitheton *Magna*. & cap. 16. 2. adiungitur comparatio *sicut talentum*; quod est dicere grandinem siue lapidem, qui
B terram percutit, agrosque deuastat, quantumuis sit magnus, minotis tamen esse momenti: alium porrò lapidem, aliam mysticam grandinem multò horribiliorem superesse. Dico igitur, in arcano sermone interesse multum inter grandinem & grandinem magnam: quandoquidem ex supplicijs septem minimum est *grando*, maximum *grando magna*. Imò etiam in eam suspicionem incidit Rupertus, vt cogitaret in grandine comminationem, in magna grandine supplicium ipsum denotari. Ceterùm me tum argumenti series, tum certa de primis plagis Fame, Bello ac Peste persuasio facilè adducunt; vt per grandinem primæ plagæ famem demonstrari credam. Certum autem est, hunc fuisse effectum septimæ apud Ægyptum plagę.

In textu ipso inuus diuersitatem inter grandinem prime plaga & grandinem septime.

Quomodo sit accipiendum, tertiam terra partem fuisse combustam.

TERTIA PARS TERRÆ COMBVSTA EST, ET TERTIA PARS ARBORVM CONCREMATA EST] Non est hæc vitio ita accipienda, quasi grando, ignis, & sanguis in tertiam duntaxatt Iudææ partem deciderint: sed ita vt quamuis huiusmodi pluuia fuerit toti Iudææ communis; detrimentum tamen inde subsecutum non ad vniuersam regionem, sed ad tertiam saltem ipsius partem redundauerit; in eaque agros & arbores vastauerit. Atque id singulatim exprimitur de triticeis segetibus, quæ in viridi adhuc herba erant: omnes enim funditus interierunt. Namque ita sunt intelligenda verba illa, *Omne fœnum viride combustum est:* cùm pro fœni nomine in Scripturæ consuetudine, non fœnum tantummodò intelligatur; sed omnia etiam fata, quæ viridia adhuc & herbescentia sunt. Vox greca est, χόρτος; quę reperitur apud Matthæum cap. 13. 26. vbi nos legimus; *Cùm autem creuisset herba, & fructum fecisset.* & apud Marcum cap. 4. 20. dum de frumento agitur, *Terra fructificat, primùm*
C *herbam* (Græcè χόρτον) *deinde spicam; deinde plenum frumentum in spica.* Vt autem certò constet, fœnum hic siue herbam comprehendere fata omnia, quamdiu in herba sunt, legatur locus Exodi 9. 24. ad quem hic alluditur; *Cunctamq; herbam agri percussit grando.* Et infrà numero trigesimo primo, *Linum ergo & hordeum sunt læsa, eo quod hordeum esset virens, triticum autem, & far non sunt læsa, quia serotina erant.* Verùm maior adhuc strages in prima hac Apocalypseos plaga notatur: siquidem ex arboribus etiam pars tertia periisse dicitur. Nec tamen in herbæ nomine excipitur hìc, vt illic, triticum aut far.

Fœni nomine, omnia fata esse intelligenda, quæ viridia adhuc sunt.

Huius figuræ significatio est, famem adeò acrem ac vehementem fuisse, vt præcibi inopia maxima hominum pars interierit. Quòd autem herba ac fœnum penitùs exuritur; denotat, illis, qui viui remanserunt, omnem saltem splendorem: vniuersasque delicias fuisse ablatas. Nam deficiente herba, occidit pecus. Si verò carnes desint, desit etiam necesse est suauitatis ac delitiarum causa. In agri autem viriditate innuitur copia & abundantia. Vide Isaiæ 40. 6. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri.* Quòd si fœni significationem ad eorum carnem, qui puniebantur, applicemus: totum absumi fœnum, fortè indicat, quotquot vitam ex tot ac tantis angustijs eripuere, debiles admodum & vix ossibus hęrentes euasisse, id est, nimia fame penè enectos.

Quid sit, omne fœnum exuri.

Iam, quòd non omnes fame fuerint confecti, sed tertia tantùm eorum, pars, indicat vna ex parte pietatem iustorum & charitatem, qui hoc (vt suprà diximus) à Deo precibus impetrarunt. ex alia verò parte contumacibus adhuc & in sua impietate persistentibus seueritatem grauissimam &
D miserrimam infelicitatem portendit: propterea quòd ad sex reliquas plagas primâ acerbiores referuentur. In eos tamen culpa iure conferetur, nisi prima hac plaga compulsi Deo eiusque fidei dederint manus. Quamobrem in hac supplicij moderatione & ad tertiam partem contractione splendet inprimis pietas & misericordia Dei, qui paulatim ac pedetentim in pœna exigenda procedit, vt resipiscentiæ locus & peccatorum detestationi supersit. Perspicuum verò est, tertiam hanc partem non esse mathematicorum more sumendam, sed quoad satis sit, vt significetur, permultos ex illo cruciatu superstites euasisse, quantumuis multi fuerint in eo oppressi, multoque plures esse, quos Deus patienter expectat, quàm quos re ipsa illico punit. Hoc tamen de plagis prioribus est intelligendum. Sunt enim posteà nonnullæ ita generales, vt eas sceleratorum nullus nisi ad Deum se conuertat, omnino effugiat: vt in quinta & septima plaga accidit, de quibus infrà.

Cur in prima plaga nõ omnes, sed tertia tantùm pars fame interierit.

Digitized by Google

TEXTVS.

Vbi de secunda plaga.

Vers. 8. Et secundus Angelus tuba cecinit: & tanquam mons magnus igne ardens missus est in mare, & facta est tertia pars maris sanguis.

9. Et mortua est tertia pars creaturæ eorum, quæ habebant animas in mari, & tertia pars nauium interiit.

COMMENTARIVS.

In secunda plaga, bellum à Romanis in Iudæos gestum indicari.

HÆc est ænigmatica repræsentatio belli, quo Deus Iudæos per Titum & Vespasianum magnopere afflixit, de quo latè Iosephus. Et quanuis bellum antecesserit famem; in his tamen plagis describendis seruandus fuit ordo doctrinę, iuxta quem septem plagę enumerantur, à minùs grauibus ad grauiores per ordinem ascendendo, vt superiùs attigimus.

Qui denotet mons magnus in mare missus.

MONS MAGNVS MISSVS EST IN MARE] Huiusmodi loquutione appositè figurantur maximæ reipublicæ perturbationes, maximique tumultus. sic enim Psalm. 45. 3. *Dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris.* Montis verò exustio, & maris in sanguinem conuersio facta per ignem, B
miram continẽt energiam ad belli incendia exprimenda, quę miserè conturbant: & quo magis æstuat ignis, eò respublica vberiore sanguine inundat. Quòd autem sanguis ad bellum referri soleat, patet Ezechielis 38. 22. *Iudicabo eam peste & sanguine.*

Cur in mare dejectus fingatur mons?

Fingitur etiam ignitus mons in mare dejectus, non solùm quia mare solet significare mundum, vt rectè expendit Gregorius homil. 24. Sed etiam quia adumbratur hic bellum ab imperio Romano idolorum cultore aduersus Iudæos gestum. Gentilitas autem in Apocalypsi per mare significatur, vt diximus in plaga prima, & latiùs explicabimus cap. 10. 2. vbi dicitur, *Posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram.* Si ergo mare in Apocalypsi Gentilitatem denotat; vt significetur Romanum Imperium bello contra Iudæos exæstuans, eleganter inducitur mare igne succensum & infectum sanguine.

Sanguis hic ad quosnam sit referendus

ET FACTA EST TERTIA PARS MARIS SANGVIS] Sanguineus color non opus est ad eorum sanguinem referatur, qui bellum inferebant; aptius ad Iudæorum necem refertur. Sic enim cap. 17. 3. vide Ioannes bestiam coccineam, id est, in Christianos sęuientem. Vide Isaię 63. 1. 2, & 3. *Aspersus est sanguis eorũ super vestimenta mea.* quod de tertia maris parte dicitur indicat magnã partẽ Imperij Romani in eo bello Iudęorum sanguine esse consperſam. Tum quia Vespasianus ac Titus ex magna Romani Imperij parte exercitum conduxere; tum vel maximè quia bellum hoc non fuit solùm Iudęis Ierosolymę degentibus indictum atque illatum; sed etiam illius belli sanguis Iudęos alios in varijs orbis partibus commorantes aspersit. Hìc tamen tertia maris pars designatur; vt innuatur C
cædem non adeò fuisse communem, vt non euaserint multi, qui per diuersas Imperij prouincias erant dissipati. Lectorem præterea remitto ad ea, quæ in prima plaga dixi; rationem reddens, quare multarum ex his plagis supplicium ad tertiam solùm partem coarctetur.

Vers. 9.

Quænam sint creaturæ, habentes animas in mari.

ET MORTVA EST TERTIA PARS CREATVRÆ EORVM, QVÆ HABEBANT ANIMAS IN MARI] Horum verborum grammatica nonnihil difficultatis habebat in Græco; noster tamen interpres genuinum sensum dilucidè expressit. Porrò quod dicitur de creaturis, quæ habebant animas in mari: prima specie videtur in grammatico sensu ad pisces referendum, per allusionem ad illud Exodi 7. 21. *Et pisces qui erant in flumine mortui sunt.* Verumtamen in hac plaga non agitur de fluuiorum aqua, sed de maris; cuius mentio fit nulla in Ægypti plagis. Et huius loci contextus meo iudicio non loquitur de piscibus, sed de nauigantibus. Primò, quia *habere animas in mari*, periphrasis est nauigantium; propter vitæ periculum, quod mare ineuntes subeunt: iuxta illud Sapientiæ 14. 5. *Exiguo ligno credunt homines animas suas.* Deinde propter id, quod de nauibus sequitur: id enim cogit, vt antecedentia de nauigantium animabus accipiantur. Nomẽ autem creaturæ certum est plerumque in Scriptura ad homines speciatim referri. Præter hæc, sermo de nauigantibus in hoc loco multò magis cum præcipuo sensu consonat, quàm si de piscibus agatur. Pisces enim sunt veluti filii aquæ. Quòd si per mare Gentiles denotantur, non cohæret Iudæos in piscibus denotari. Si tamen in nauigantibus intelligantur Iudæi; sensus optimè quadrat. Nauigantes enim sunt terræ filij, qui per mare diuagantur. Vidimus autem iam in prima plaga, per terram significari Iudaismum. Quare nauigantes sunt idoneum Iudæorum symbolum, qui per Imperii prouincias erant dispersi: atqui iudea ex imperii prouinciis erat vna. Cur autem tertia solùm pars in hoc bello periisse dicatur, diximus suprà.

Per nauigantes intelligi Iudæos.

Per naues quid figuretur.

ET TERTIA PARS NAVIVM PERIIT] Vbi per nauigantes denotari Iudæos admittamus; facilè mox cernitur, naues hic esse ipsorum Iudæorum vrbes & oppida. Nec exaggerationis erit dicere, tertiam partem, quæ in Iudæa numerabantur, in bello illo interiisse. Nauim præterea esse aptum ciuitatis symbolum constat ex cap. 27. Ezechielis, & ex Poëtarum allegorijs.

TEX-

Digitized by Google

A

TEXTVS.

Vbi de plaga tertia.

Vers. 10. Et tertius Angelus tuba cecinit: & cecidit de cælo stella magna ardens tanquam facula; & cecidit in tertiam partem fluminum & in fontes aquarum.

11. Et nomen stellæ dicitur Absinthium: & facta est tertia pars aquarum in absinthium: & multi hominum mortui sunt de aquis, quia amaræ factæ sunt.

COMMENTARIVS.

CVM per duas antecedentes plagas fames ac bellum significentur; postulat consequentiæ ordo, vt tertia hæc plaga denotet pestem, qua Deus Iudæos puniuit; vt multò antè Christus eis prædixerat. Constat autem obsidionis tempore post famem, Ierosolymæ funestam pestem fuisse grassatam. De quo legendus est Eusebius lib. 2. historiar. cap. 6. & lib. 3. cap. 5. vbi citat Iosephum. Locus verò in Iosepho est lib. 7. de bello cap. 17. Huic pesti addere possemus illam exitiabilem Alexandriæ sub Valeriano & Gallieno; de qua Eusebius lib. 7. hist. cap. 17. Nicephorus lib. 6. c. 20. & Euagrius lib. 4. cap. 28. cùm verisimile sit, pestem illam à Deo immitti in pertinaces Iudæos, quorum ingens erat in Ægypto numerus. *In tertia plaga pestem indicari.*

B

Videamus nunc, vtrùm tertiæ plagæ descriptio huic significationi congruat? Quemadmodum igitur in prima plaga, grandinis, ignis ac sanguinis pluuia non indicat, tria ista hæc verè depluisse; sed famem fuisse eiusmodi, ac si grando, ignis & sanguis in ipsa sata è cælo decidissent: ita similiter hæc tertia non significat, aquas à Deo propriè fuisse felle ac veneno infectas; sed tantam ingruisse pestem, velutì si aquæ veneno forent penitus imbutæ: ex quo repentinum plurimorum funus subsequi necesse erat. Aquæ enim potus vitari neutiquam potest. Quod si venenum aquis infusum obbibatur, in cor extemplò peruadet. Itaque Galenus 1. Epidem. com. 1. in proœmio, sic ait; *Potest interdum efficere morbum vniuersalem haustus aquæ infectæ. Quod quidem memoriæ proditum est, in castris accidisse.* Quibus præmissis ad textum iam accedamus. *Quomodo intelligantur aquæ in absinthium versa.*

CECIDIT DE CÆLO STELLA MAGNA] Hoc non denotat, opinor, verè ac propriè stellam è cælo dilapsam; sed eius influxum siue influentiam. Alioqui, quomodo in tertiam partem fluminum ac fontium? Sic Hispani dicere interdum solemus, *Parece que se dexa caer el sol*. Quando scilicet nimis est torrens. Et de influxu Veneris dixit Horatius. *Stella magna casus quid indicet.*

C

In me tota ruit Venus, &c.

Potest tamen adhuc in ipsa figura exprimi, stellam quidem è cælo labi & terris appropinquare; quò grauiùs ac vehementiùs in terras ipsas influat. Ad pestem autem exitiosam exprimendam accommodatum satis est verbum græcum, quod hic apponitur πίπτω, cum præpositione ἐπὶ: eodem enim verbo dicunt Græci, pestem irruere & grassari, Cum hoc insuper sensu stellæ epitheta consentiunt. Nam in primis nuncupatur *stella magna*; græcè ἀστὴρ μέγας, & sic appellatur sidus caniculæ ab Homero. Secundò additur, *ardens tanquam facula*. Atqui efficax influxus rectè per stellam valde accensam denotatur, quia astra videntur media luce influere atque adeò vehementiùs influere quæ magis ardere videntur.

Sed quorsum stellæ influxus ad pestis significationem? Respondeo, idoneum valde fuisse ad grauissimam pestem indicandam, quæ in peccatorum supplicium è cælo demittatur. Familiare est medicorum proloquium, ex pestibus alias contagione, alias cæli & astrorum constitutione exoriri. Atque illud saltem certò constat, quæ ex siderum constitutione ducunt originem, horribiliores multò esse: euidensque est, contagium è cæli influentia fuisse ortum. Et quantumuis multæ sint contagionis causæ, cæli tamen influxu cessante, cessare etiam pestilentiam. Licèt autem nonnulli ab huiusmodi influxu pestifero astra vindicare conentur; asserantque, ipsorum influentias benignas ex se ac salutares esse: verùm quocunque eas nomine compellare volent; siue id per se, siue per accidens fiat; certum est, venena non minùs ac flores & rosas è cælo generari. Neque vt cælum defendamus, neganda veritas est: neque ideo est verendum, ne quam cælo indignitatem tribuamus. Hoc namque altissima Dei prouidentia ad miros ac sublimes fines sapienter disposuit, decreuitque, vt cælum noxias huiusmodi impressiones pestilentię effectrices haberet, quemadmodum & hominibus prauam interdum indolem ingenerat. Neque ab hac explicatione abhorret, quòd inopinatos omnes ignotorum morborum in hominibus euentus appellare solent medici siderationes; vt humaniorum literarum studiosi probè norunt ex Catone, Palladio, & Rhodigino. *Stellæ influxus quorsum apponatur ad pestis significationem.* *Contagionem pestiferam ex noxio cæli influxu sæpè trahi.*

D

CECIDIT IN TERTIAM PARTEM FLVMINVM ET IN FONTES AQVARVM] Cur in tertiam solùm partem, diximus iam plagâ prima. Quod verò de tertia parte dicitur, non ita est accipiendum, quasi nosceretur, quænam aquæ essent veneno infectæ, & quæ illius contagione immunes. Hac enim ratione non adeò grauis esset pernicies: sed quia ab effectu, id est, à morte tertiæ eorum partis, qui potabant aquas, cognoscebatur eas esse venenatas; nec omnes prorsus, quæ bibebantur, aquas, sed tertiam earum partem; ita vt nemo sibi tutò cauere posset.

ET NOMEN STELLÆ DICITVR ABSINTHIVM] Græcè ἄψινθος: quæ noua videtur esse vox ad magnam amaritudinem indicandam. Fortè, quia nomen absinthium habet diminutiui formam: atque hìc ipsissimam potiùs amaritudinem significari mens erat. Vtcumque hoc sit, absinthos summam *Quid per stellam absinthium figuretur.*

Digitized by Google

ſummam ſignificat amaritudinem, & planta, quæ appellatur abſinthium, acerbitatis quàm maximæ & amaritudinis eſt: vt notat Dioſcor. l. 3. c. 25. 26. & 27. & Plin. lib. 27. c. 7. ideoque eſt ſymbolum mortis: quæ dicitur amara, & amaritudo ponitur interdum pro morte. Quare quod dicitur, aquas factas fuiſſe amaras, non eſt intelligendum formaliter: ſed cauſaliter (vt ita dicam). Neque per magnum damnum in eo repræſentatur, quòd aliqua aquarum pars ſit amara: eam enim biberet nemo. Quod ergo dicitur tertiam aquarum partem lethali amaritudine eſſe infectam: idem eſt, quod lethali veneno. Quo innuitur eos, quos peſtilentiæ lues corripiebat, exitiali furore percitos miſerandum in modum interire: ac ſi re ipsâ peſtilens venenum obbibiſſent. Vt verò efferata infectorum rabies, & horrendus interitus exprimerentur, nihil effingi potuit ſignificantius, quàm eos venenatas aquas hauſiſſe. Atque id eſt, quod textus indicat, *Multi hominum mortui ſunt de aquis, quia amara facta ſunt*, id eſt, quia aquæ veneno imbutæ effectus ſunt amariſſimi.

Quo ſenſu dicantur aquæ fuiſſe amaræ.

A

TEXTVS.

Vbi de plaga quarta.

Verſ. 12. Et quartus Angelus tuba cecinit, & percuſſa eſt tertia pars ſolis, & tertia pars lunæ, & tertia pars ſtellarum: ita vt obſcuraretur tertia pars eorum; & diei non luceret pars tertia, & noctis ſimiliter.

B

COMMENTARIVS.

In 4. plaga ignorantiam figurari.

PLAGA hæc ignorantiam denotat: qua Deus Eccleſiæ primæuæ tempore Iudæos incredulos meritiſſimè percuſſit. Ipſius autem applicationem eiuſmodi eſſe reor, vt quaſi fixum punctum agere poſſit ad meam demonſtrandam declarationem, & totius acoluthiæ ordinem indicandum. Nam ſi concedatur, huius plagæ ſupplicium eſſe ignorantiam, quam Deus Iudæis pro ſcelerum ſuorum pœna immiſit: in ceteris plagis neceſſe eſt eam admitti declarationem, quæ omnes eſſe plagas confirmet Iudæis pertinacibus inflictas, & ſubſequentes hac ipsâ ignorantiâ grauiores: quemadmodum plaga hæc eſt grauior præcedentibus.

In 4. plaga ad nouam Aegypti fieri alluſionem.

Nota ergo Primò, in hac plaga perſpicuam contineri alluſionem ad plagam Ægypti nonam, de qua Exodi 10. 22. *Factæ ſunt tenebræ horribiles in vniuerſa terra Aegypti tribus diebus. Nemo vidit fratrem ſuum, nec mouit ſe de loco, in quo erat.* Sapientiæ 17. 2. *Vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti. Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec ſiderum limpidiſſimæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam.* Lege integrum caput, & cap. 18. 4. Cùm ergo pateat reſpectum haberi in hoc loco ad Ægypti tenebras, alluſio ipſa non vrget, vt manifeſti inter has & illas tenebras diſcriminis idoneam indagemus rationem, cur ſcilicet Ægypti tenebræ adeò ſint denſæ ac ſpiſſæ, hæ verò Apocalypſeos eatenus tantùm incubuerint, vt tertia ſolum pars lucis defuerit? Atque in primis illud notandũ cenſeo, quod textus ait, *Percuſſa eſt tertia pars ſolis & lunæ & ſtellarum*, non ita eſſe capiendum. vt tertiâ temporis parte, hæc lumina obſcurata penitus remanſerint, ſed toto & diei & noctis ſpatio tertiam ijs partem lucis dumtaxat defuiſſe. Cæteroquin non rectè diceretur percuſſam eſſe tertiam ſolis partem, &c.

C

Quo ſenſu dicatur percuſſa tertia pars ſolis, lunæ & ſtellarum.

Quid in Apocalypſi figuretur per ſolis, lunæ ac ſiderum coniunctionem.

Nota Secundò per ſolis, lunæ, ſiderumque coniunctionem in Apocalypſi haud dubiè ſignificari triplicem ſplendorem, ſcilicet ſacroſanctæ diuinitatis, Chriſti humanitatis, & Apoſtolorum, eorumque ſectatorum. Hoc ſuprâ iam manet explicatum cap. 6. in ſexto ſigillo, & confirmatum ex cap. 12. 1. & cap. 21. 23. Quis ergo non videat, valde eſſe optandum, vt in hoc pariter loco ſimiliter tria hæc nomina ſolis, lunæ ac ſiderum accipiamus.

Differentia inter Aegyptiorum & Iudæorum caliginem, & diſcriminis ratio.

Nota Tertiò Ethnicorum caliginem per tenebras Ægypti figuratam abſque vlla omnino lucis vſura eſſe. Nam generatim loquendo (ſi paucos admodum philoſophos excipias) nec Dei, nec Chriſti, nec Apoſtolorum aut Prophetarum verâ erant imbuti cognitione. Iudęi verò qui obſtitêre Euangelio, nec Chriſto dedêre manus, non eiuſmodi tenebris adoperti fuerunt, ſed illis omnino, quæ in quarta hac plaga mirificè depinguntur. Habebant enim nec exiguam Dei, Meſſiæ, ac Prophetarum ſiue Apoſtolicorum virorum notitiam, imperfectam tamen, quando huius lucis face colluſtrati ſplendidos Euangelij radios & veri iuſtitiæ ſolis non exceperunt. Quamobrem quòd perfectione cognitionis huius fuerint deſtituti, maius profectò fuit ſupplicium à Deo illis illatum, quàm ſi in tenebricoſa penitus Dei ac Meſſiæ ignoratione demerſi iacuiſſent. Atque ideò tantum tamque egregium beneficium, quod apud eos ſolos collocarat Deus, ſuam illis notionem, Chriſti & Prophetarum imprimendo, in grauiorem Iudæorum ipſorum perniciem per occaſionem redundauit, eo quòd lucis complementum eis deeſſet, illa ſcilicet maior claritas, quæ neceſſaria erat ad doctrinam Euangelij, fidemque Chriſti amplexandam.

D

Cuiuſmodi fuerit Iudæorum ignorantia.

Nota Quartò mirum ſane videri, cùm lux à Deo inſita Iudæis eò cognitionis peruenerit, non tamen ad Chriſtianę religionis profeſſionem proceſſiſſe. Nam in primis ſacrę illis Scripturę prę manibus erant, verâ Dei informabantur notitia, nec deerant illis doctores eruditiſſimi, & in Scripturarum lectione diu multumque verſati. Deinde admirabilis planè fuit diuina lux, quę eis ex Chriſti doctrina, miraculis & exemplis fuit oborta. Prętereà non Apoſtolorum modò prędicatione inſtructi ſunt, ſed ipſorum etiam Iudęorum non pauci Chriſtianę religionis homines plurimi duxerunt. Nota ſunt, quę tradunt Ioſephus & Philo, ille de Chriſti, hic de Chriſtianorum in Ægypto degentium ſanctitate. Quis neſcit familiaritatem, quę inter diuum Petrum & Philonem interceſſit? quis honorifi-

Digitized by Google

honorificentiſſimam exiſtimationem, quam Hieroſolymitæ de Iacobo Domini fratre conceperant, quando illi vni in ſancta Sanctorum ingredi fas erat? Nihilominus tamen crucis myſterium eos tantopere, propter ipſorum ſcelera excæcauit; vt maledictum illud, quod in eos Moſes euomuerat, fuerit reipſa expletum; *Percutiat te Dominus amentia & cæcitate ac furore mentis: & palpes in meridie, ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris*, Deuteron. 28. 28. Vbi obſeruandum eſt, non fuiſſe maledictum huiuſmodi, vt eis tenebras Ægyptiacis ſimiles imprecaretur: ſed vt in media illa luce fulgentiſſima, qua Deus illos fuerat colluſtraturus, cùm cæci ipſi non forent (ſi enim eſſent aliquam poſſent excuſationem obtendere, Ioannis 9. 41. *ſi cæci, non haberetis peccatum*,) ita tamen hallucinarentur, vt in meridiana ipſa luce palparent, ſicut palpare ſolet cæcus.

Iudæorum ignorantiam illis à Moſe fuiſſe multò antè prædictam.

Nota quintò ad huiuſmodi ignorationem denotandam idoneum ſatis eſſe ſymbolum, quo repræſentetur ſolem, lunam, & ſidera tertia, ſuæ lucis parte Iudæis deſtitui. Nam etſi magnâ Dei & venturi Meſſiæ cognitione primò informati, admiranda deinde Chriſti opera aſpexerunt, & Apoſtolorum exaudiere doctrinam; atque adeò multò plura ſcire videbantur, quàm ignorare: eorum tamen, quæ neſciebant, ignoratio, tanto illis detrimento fuit, vt plagam hanc non immeritò Spiritus ſanctus fame, bello ac peſte duxerit grauiorem.

Iudaica ignorationis ſymbolum.

Sextò nota, in diei ac noctis diſtinctione ſignificari & de diuinitate notitiam, & de Chriſto, Apoſtolisque cognitionem; vt videbimus cap. 12. 1. Quare tertiam in his omnibus claritatis partem Iudæis deeſſe; idem eſt, atque illis vtriuſque rei lucem pluſquàm mediocrem eſſe, abeſſe autem ſolùm lucis illius perfectionem, qua niſi carerent, Chriſti fidem reapſe exciperent.

Quid per diem ac noctem figuretur.

Septimò, tres illæ claritatis partes in cæleſtis veritatis cognitione videntur ita poſſe partiri; vt prima pars per opera admirabilia adquiratur, ſecunda per doctrinam, tertia per interiorem Spiritus ſancti illuſtrationem. Atque horum trium lucis graduum communicationem poſſumus ad tres diuinas Trinitatis perſonas per attributionem applicare. Potentia enim ad opera Patri tribuitur, doctrina Filio, & interior illuminatio Spiritui ſancto. Quare quod me præclara Dei opera docent, videtur eſſe quidam fulgor ab æterno Patre prodiens: quod excellentiſſima Dei doctrina, quaſi claritas quædam eſt à Filio, vt à Dei Sapientia dimanans: quod denique interior diuinæ gratiæ illuſtratio, lux eſt ab Spiritu ſancto communicata. Vnde idem eſt, deeſſe Iudæis tertiam lucis partem, non verò primam aut ſecundam; atque illos & operum Dei notitiâ, & Chriſti Apoſtolorumque doctrina inſtructos, propter ſua tamen flagitia interiori Spiritus ſancti luce priuari, ac proptereà palpare in meridie, ſicut palpare ſolet cæcus.

Quomodo tres claritatis ſiue cognitionis partes apiè conſiderari poſſint.

Octauò denique in tribus plagis antecedentibus ſupplicium ad tertiam tantùm hominum partem extenſiuè fuit coarctatum. In hac tamen plaga quarta non eiſdem fuit limitibus pœna circunſcripta, vt tertiam hominum obſignatorum partem ſolùm attingeret; quando hæc ignorantia, & diuinæ lucis defectio perfidis omnibus Iudæis communis fuit. In hoc tamen adhibita eſt proportio, vt claritatis huius quaſi intenſio in tres diuideretur partes, & rebelles Iudæi tertiâ ſolùm parte, modo explicato, priuarentur. Quod etſi maxima Dei extitit commiſeratio, eos per opera ac doctrinam ad ſe allicere conantis, propter ipſorum tamen perfidiam in grauiorem eorum damnationem redundauit.

Quartam hanc ignorantiæ plagam ad rebelles omnes Iudæos ſeſe extendere.

TEXTVS.

Qui ſpectat ad tres plagas poſteriores.

Verſ. 13. Et vidi, & audiui vocem vnius aquilæ volantis per medium cæli, dicentis voce magna; væ, væ, væ, habitantibus in terra: de ceteris vocibus trium Angelorum qui erant tuba canituri.

COMMENTARIVS.

His aquilæ vocibus admonemur, quantumuis ſuprà dictæ plagæ ſint magnæ ac graues, multò tamen maiores grauioreſque eſſe, quæ reſtant enumerandæ: quod tamen explicatum iam à nobis eſt in notatione tertia huiuſmet capitis. Aquilâ autem nos hac de re erudit, quo innuitur, hanc eſſe ſapientiæ Euangelicæ doctrinam. Aquila enim, vt capite 4. vidimus, ſapientiæ eſt ſymbolum. Quòd verò aquila volare dicitur *per medium cælum, dicens Væ, væ, væ*, indicat in Chriſtianæ Eccleſiæ cælo (ſic enim frequenter cæli nomen in Apocalypſi vſurpatur) præſtantem eſſe atque excellentem eam doctrinam, quæ ita ſublimè volet, vt detegat quantò ſint formidabiliora ſupplicia, quæ concupiſcentias, iras, & obdurationem includunt, quàm quæ famem, bellum, peſtem, & ignorantiam: de quibus hactenus actum erat. Atque id innuitur tertia illa repetitione, *Væ, væ, væ, habitantibus in terra*, id eſt Iudæis: quippe qui, vt ſæpè monuimus, terræ nomine ſignificantur in Apocalypſi.

Vox aquilæ ter repetentis Væ, quid ſibi velit.

Cur aquila hæc per medium cæli volare dicatur?

Alicui videatur fortaſſis plaga quarta non minùs eſſe grauis, quàm quinta: ſiquidem per quartam Iudæi remanent abſque veræ fidei luce. Atqui infidelitatis cæcitas deteſtabilior eſt, quàm alia peccata, in quæ homo proprijs cupiditatibus traditus dilabitur: quando hæc cum Catholica fide ſtare poſſunt, illud non item. Ceterùm non agimus hic de infidelitatis peccato: hoc enim in tribus poſtremis plagis inuoluitur: ſed tantùm loquimur de ſubtractione cæleſtis illuſtrationis, quæ fidelibus conceditur: quod cùm formaliter peccatum non ſit (eſto, in peccatorum pœnam adeò iuſtè ordinatum) ſed carentia duntaxat illius gratiæ, quam Spiritus ſanctus ſuis confert fidelibus: hinc eſt vt quarta plaga non ſit ita grauis, ac tres vltimæ: quæ multa peccata, eaque grauiſſima ſecum afferunt.

Vtrùm hæc plaga quarta ſit ſubſequente grauior, nec ne?

CAPITIS

CAPITIS IX.
PROLOGVS,
SIVE
NOTATIO I.

De argumento huius capitis.

De locustarum quintæ plagæ expositione varia auctorum sententiæ.

DVAS hoc caput continet plagas, locustas & efferatos equos. Vtrumque symbolum interpretantur plerique de hominibus adeò feris ac detestandis, vt in eos meritò horribilium locustarum & rabidorum equorum nomina quadrent. Ita ante alios Primasius. Et per locustas quidem nonnulli putarunt adumbrari Wandalorum exercitum, qui Romanum vastauit Imperium. Alij, nostri temporis hæreticos, quorum princeps fuit Lutherus. Multi, hæreticos in communi: Ribera, quendam immanissimorum hominum exercitum, qui sub mundi finem magnopere in genus humanum sæuiet, vt ipse suspicatur. Interpretationem de nostri temporis hæreticis, siue applicationem ad illos elegantissimè prosecutus est Cardinalis Bellarminus oratione illa, quam vltimo tomo præposuit: & carmine eandem expressit Clarius Bonarscius in Amphitheatro honoris f. 273. Vterque verò desumpsisse videtur ex Seraphino & alijs. Porrò indomitos equos alij ad Antichristi exercitum referunt: alij ad hostiles alias phalanges, quas Dæmones in generis humani perniciem concitabunt. Omnes tamen ferè autumant de armatorum hominum copijs esse sermonem; Primasij videlicet vestigijs inhærentes, qui ita ait, *Equi homines sunt, sessores spiritus nequam.*

In hæc se viarũ diuortia dederunt interpretes. Ceterùm, vt sect. 11. in Prolegom. vidimus, firmior extat auctoritas, solidiora iacta fundamenta existimantium has septem tubarum plagas ad pertinacium Iudæorum Christum repudiantium supplicium pertinere. Vidimus autẽ cap. 8. quatuor primas plagas non esse aliud, quàm famem, bellum, pestem & ignorantiam in Iudæos rebelles immissa. Quò ita præstituto, facilè est videre, *Va* illud ter ab aquila in capitis octaui cacce repetitum quasi suo iure flagitare, vt subsequentes plagę superioribus supplicij grauitate antecellant. Quapropter si quarta plaga indicat lucis spiritalis defectũ; posteriores tres significẽt necesse est luctuosas miserias, in quas Iudæorum animi post solis, lunę ac siderũ obscurationem incurrerunt. Dubium verò non est, quin misera strages, quam in hominum animis faciunt peccata, verę sint plagę horribiles & præ cæteris execrãdæ. Quòd si de plagis alijs loqueretur Ioan. protectò tria illa aquilæ *Va*, non ita ponderaret; nec post quintæ plagæ finem adeo explicatè assereret, Væ primum præterijsse, ac duo alia supereſſe, nec post sextã similiter adderet, *Va secundum abiit, & ecce Va tertium veniet cito.*

Improbantur præcipitatæ interpretandi rationes.

Quam graue sit supplicium, homines a Deo in cordis desideria tradi.

Ad hæc, nõ minùs spiritalis debet esse Apocalypsis, quàm aut Dauidici Psalmi, aut etiam Pauli Epistolæ. Et tamen supplicium grauissimum, quod Psal. 80. 13. ponderatur, illud est, Israëliticum populum à Deo in cordis desideria fuisse traditũ; *Dimisi eos* (loquitur autem manifestè de Iudaico populo) *secundum desideria cordis eorum.* Et Paulus ad Rom. 1. 24. omissis fame, bello, ac peste, vt minoris momenti plagis, illã ipsam, quã Dauid expenderat, grauiter etiã ipse perpendit, alludens ad eundem Dauidis locũ, *Tradidit eos in desideria cordis eorum.* Vbi contextus indicat non obscurè, Paulum agere potissimùm de Iudæis & Græcis.

Miror præterea externam hanc hostium crudelissimorum faciem non ciusmodi fuisse visam interpretibus, vt de alijs etiam hostibus præter homines posset congruenter explicari. Certè humanioribus studijs eruditi, atque adeò ethnici ipsi in suorum ænigmatum enodatione aliùs videntur extollere volatum. Equis enim ex eis non explicet Furias de acerrimis conscientiæ stimulis, quibus agitantur scelerati? Marcus quidẽ Tullius, vt alijs supersedeam, in oratione pro Roscio Amerino; *Nolite*, inquit *putare, eos, qui aliquid impiè scelerateque commiserint, agitari, & perterreri furiarum tædis ardentibus. Sua quemque fraus et suus terror maxime vexat. Suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit: suæ malæ cogitationes, conscientiaque animi terrent. Hæ sunt impijs assiduæ domesticæque furiæ, quæ dies noctesque parentum pœnas à conscelerati, simo filio repetant.* Hæc Cicero, respiciens ad Euripidis locum in Oreste. Et similiter loquitur Plutarchus, libell. de sera Numinis vindicta. Si ergo Ethnici ipsi, qui aliquid ingenij sunt nacti â natura, nullum alium de furijs sentium putarunt indagandum, nisi vt intimas sceleratorum furias animi ac pectoris edaces denotarent: cur nos in ingeniosissimo sacrarum Literarum ænigmate minus spiritalem, minusque sublimem expositionem locustis & equis furiosis adhibeamus, Præsertim vbi contextus vrget, vt de plagis à Deo in Iudæos pertinaces missis agatur, & vbi expressè Scripturæ loci persuadent, vnam ex grauissimis his Iudæorum plagis fuisse, vt suis effrænatis appetitionibus traderentur.

Cicero quid poëtæ furias figurãri existimet.

Expenditur, quã crudeles sint hostes, concupiscentia.

Omitto, quàm sit absonum in septem plagarum expositione, nullum quæri plagarum septenarium, quæ septem omnes ordinate & vtiliter coerceat. Prætereo violentiam applicationis in quinque mensibus, de quibus postea; & alia dissentanea non pauca, quæ interpretes plures deuorant. Illud saltem expendatur velim; minimè operæ pretium esse, vt Apocalypsis ex plagarum albo peccatoribus inflictarum eam expungat, quæ iure inter grauissimas numeratur, videlicet, quòd suis concupiscentiis miseræ deditione mancipentur. Quam certè plagam tanti videtur fecisse Paulus, vt ceteras præ illa parui pendat, atque adeò intactas prætermittat. Fateor me ratione hac ita compelli, vt si nullam huiusmodi plagæ aptam applicationem reperissem, mei equidem ingenij paruitati potiùs adscriberem, quàm ab Spiritu sancto omissam in Apocalypsi fuisse putarem. Dei tamen præsidio fultus confido, nostram expositionem ita idoneam & cum ipso contextu cohærentem visum iri, vt nullus iure ambigendi relinquatur locus. Constabit enim, ni me fallit animus, non solùm non conticuisse Spiritum sanctum de grauissima hac concupiscentiarum plaga; sed etiam vt altissimæ huic doctrinæ plus ponderis ac distinctionis accederet, summa sapientia distribuisse spiritales sceleratorum hominum plagas in tres omnino calamitates, quibus tria illa aquilæ *Va* responderent, id est, in allectrices concupiscentias, efferatas iras, & in ipso peccato obdurationem.

Referuntur adhuc superiores alia expositiones.

Ex hisce tribus primæ duæ ad caput nonũ spectant, *locustæ horribiles & equi furiosi.* Quod est dicere, caput hoc de nulla alia re agere, quam de duplici improborũ plaga peracerba, Sirenibus ac Furijs. His enim nominibus eas audeo compellare; non solùm quia magna est illis similitudo cum ea significatione, quam Sirenibus & Furijs tribuebant Poëtæ, sed quod sit etiã non parua inter vtrarumque descriptionem conuenientia. Nam Apocalypseos locustis pro vultu humana facies; pro capillis comæ fœmineæ, Sirenũ instar, insunt, rabidi verò equi pro crinibus aut setis habent angues, qua ratione

Quinta & sexta plaga expositio.

Digitized by Google

ratione Poëtæ suas Furias commenti sunt. Nec dissonant ignis, fumus, ac sulphur; quæ ore equi eructant, quibusque perniciem hominibus afferunt; hæc enim non obscurè referunt ardentes Furiarum tædas.

Quo auctoritatis fundamento nostra stabiliatur expositio.

Aliquis à me fortè quæret, num huius meæ expositionis auctorem possim aliquem proferre, qui ante me hac eadem ratione locustas & equos explicuerit? Ad quod inprimis Respondeo pro mea explanatione stare, quotquot septem huiusmodi plagas explicant de illis, quibus Deus Iudaicum populum meritissimè mulctauit. Hos autem auctores nec paucos esse nec parum graues, constat ex notat. illa 12. Prolegom. Nam ex sacris Literis fit planum, grauissimarum Iudaici populi plagarum vnam nec leuiorem fuisse illam, qua ipsos in desideria cordis eorum tradidit Deus. Præterea optarem ego sanè declarationem illam capitis huius, quam S. Hildegardis scripsisse dicitur, videre; quam Thaulerus ait luce clariorem esse, vt retulimus notatione proœmiali; fortasse enim nobis faueret. Sed saltem mecum facit ciuis meus Arias Montanus, qui tametsi loquitur subobscurè, ait tamen, ***Locusta humanæ malitiæ virus & pus, cuius in suos cultores efficientia nil nisi dolores & damnationem proferet.*** Et infra, ***Equestris exercitus, appetentiarum terrenarum multiplex numerus, variumq; genus.*** Verum est tamen, illum si declarationum ordinem commutaret, propiùs ad germanã expositionem accessurum. Nam locustæ, quæ priores sunt, cupiditates; equi verò, furias portendunt: atque adeò pus & virus humanæ malitiæ. Cetertim hoc gratulor ciui meo, quod locustas atque equos de animorum plagis explicandos diuinarit.

In septima plaga proprium esse hæretica perfidia locum.

Eos vero, qui obsequium se Ecclesiæ in eo deferre putant, quod locustas de hæreticis exponant, oratos & obsecratos velim; vt accuratè perpendant, si septẽ hæ plagæ ad Iudæorum supplicium applicentur; in septimi sigilli mysterio integram nobis superesse tractationem, quæ mirificè exprimat, quantopere Deus pertinaces hæreticos execretur, quantis eos plagis percellat, & quanta ipsi animorũ cæcitate & furijs cõflictentur. Quod enim de Iudæis Christianos insectantibus asseueratur, propter similem conatum constat ad ceteros eiusdem colluuionis participes, atque adeo ad hæreticos vel maximè extendi debere. Et sanè in Iudæorum peruersitate (qui primi hæretici & Ecclesiæ desertores fuerunt) ad viuum expressit Deus reliquorum hæreticorum perfidiam, qui in Ecclesiæ viscera fuerant impietatis arma capturi. Atque in modo, quo primos illos punuit, perspicuè nobis ostendit, qua ratione in ceteros contumaces animaduertat. Quare inter meam declarationẽ & expositionem Bellarmini, (qui locustas ad hæreticos refert) illud interest discriminis, quod ille in hac quinta plaga opinatur directè agi de bello ab hæreticis aduersus Ecclesiã concitando: ego vero mihi persuadeo tam in hac, quam in reliquis plagis propriè sermonem institui de bello ab ipso Deo in hæreticos facto, & in quarta singillatim de amenti illorũ cæcitate, de effrænatis appetitionibus in quinta in sexta de indomitis irarum furijs, ac demũ in septima de obstinata obduratione agi. Nec dubito, quin Ecclesiæ sit gloriosius, ne hoc locustarũ bellum directe Ecclesiæ ipsi inferatur. Textus namque ipse perspicuis asserit verbis, bellum id in eos homines geri, qui Dei signum in suis frontibus non habent. Quod non indicat solùm, neminem præterea re ipsa lædi, sed etiam nulli alij bellum indici.

In Iudæorum supplicio ostendisse Deum, quã sit ratione in hæreticos animaduersurus.

Denique (vt id etiam adijciam) nimium honoris Lutheri deferri existimo, si Apocalypsin aliquam de illo duxisse rationem, & speciatim fecisse mentionem credamus. Cùm satis superque sit, Lutheranos & Caluinistas in Iudaici populi peruersitate atque perfidia pariter inuolui, vtpote veros Iudæorum in Ecclesiæ oppugnatione æmulatores, atque adeo eisdem illorum plagis penitus obnoxios.

TEXTVS.

Qui est plagæ quintæ initium.

C *Vers.* 1. Et quintus Angelus tuba cecinit: & vidi stellam de cælo cecidisse in terram: & data est ei clauis putei abyssi.

COMMENTARIVS.

NECESSE hic est, repræsentationem ipsam fuisse eiusmodi, quasi stella hæc in terram ceciderit. Planè enim textus ait, illam Ioanni visam è cælo cadere. Quare licèt cap. 8. n. 10. vbi dicitur, *Cecidit de cælo stella magna*, dubitari possit, num eò solùm cecidisse dicatur, quòd in terram sua efficientia influxerit? hic tamen, vti dixi, opus est, vt figura ipsa verum stellæ lapsum præ se ferat. Porrò stellæ huius casum multi ad Luciferi ruinam, siue Lutheri, aut insignis alterius personæ in supremo dignitatis gradu constitutæ referunt. Miror, ni ad Iudæ pariter lapsum referatur. Quod ad dæmonem attinet, pro se afferunt huius loci similitudinem cum illo Lucæ 10. 18. *Videbam Satanam tanquam fulgur de cælo cadentem*. Verùm eo loci non agit Christus de Satanæ lapsu in culpam & damnationem, sed ostendit, illum quàm mox de mundi imperio & dominatu, quem anteà vsurpauerat, D lapsurum: vt ex ipso contextu non obscurè deducitur. Atque vt Lutherum, & alia siue inuenta, siue etiam figmenta prætermittamus, solidius est, vt in quinta hac plaga per locustas effrænata cordis desideria signentur, quibus Iudæi traditi sunt. Quare hic stellæ lapsus imuat oportet aliquid huic Iudæorum supplicio de cordis desiderijs conducens.

Varia explicationes de stella è cælo cadente.

Illud ergo occurrit primò, fortè per stellæ huius lapsum significari, Deum interdum permittere, vt astrorum impressio & deprauatæ indolis vis stultis atque improbis dominentur, eosque sui cordis cupiditatibus subijciant, ad eum fere modum, quo Horatium loqui videmus lib. 1. Ode 19.

In me tota ruens Venus, Deseruit Cyprum.

Expenditur alia de eadem stella expositio.

Et in Anacreontem, (vt ipse fingit) sese immittit Cupido. Hoc etiam adiuuat coniectura à simili ducta ex plaga tertia, cap. 8. n. 10. vbi stellam similiter è cælo cadentem de cælesti impressione siue influxu explicuimus. Ita sæpe fit, vt quemadmodum sæuiente pestiferâ lue, astrorum vis & efficacitas agnoscitur manifestiùs, sic etiam cùm homines corruptæ naturæ procliuitate se ferri sinunt, astrorum vis & influxus apparet. Non quòd hominum auferant libertatem: sed quia animi robore atque constantia opus est ad comprimendas cupiditates.

Hanc tamen expositionem minimè probo. Quippe Scripturæ loquutioni & ipsi veritati dissentanea

Reijcitur.

Digitized by Google

tanea est. Etènim absque peculiari aliquo cæli influxu, mille errorum modis, aliunde subiasscentibus sumus obnoxij: siquidem satis plerunque est, aliquid mihi interdici; vt fruendi auiditas continuò excitetur. Nam vt rectè ille, A

Ouidius.

Nitimur in vetitum semper, cupimusq; negata.

Iam quod à simili stellæ lapsu capite octauo, numero 10. argumentum ducitur, nihil vrget. Quæ enim dissimilitudinis est ratio, vt grando in septima plaga multò aliter accipiatur, quàm in prima (vt suprà iam attigi) eadem reperitur, vt stellæ casus aliter in tertia, aliter in quinta vsurpetur. Videlicet, quia primæ tres plagæ sunt corporeæ, & tres postremæ spirituales: & tria illa aquilæ *Væ*, nos hortantur, vt tria plagarum subsequentium symbola altiore sensu atque adeò mystico explicemus.

Secunda proponitur interpretatio, atque examinatur.

Reiectâ igitur explicatione de siderum & astrorum influxu; occurrit secundò denotari forsitan eâ stellæ ruinâ contemptionem Iudæorum, qua cælestem illam facem à Dauide Psalm. octogesimo, numero decimo tertio prælatam despexerunt. Ille namque ibi eos admonuit, acerbissimum esse Dei supplicium, tradi homines in cæcas sui cordis cupiditates. Nam quâ ratione Doctores atque Magistri stellarum nomen promerentur (*qui enim ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates*, Dan. 12. 3.) eâdem potest cælestis stella appellari Dauidica illa admonitio Psal. 80. 13. *Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis.* Deinde similem habet sensum casus stellarum cap. 6. 13. vbi dicuntur stellæ de cælo cecidisse. B

Refutatur etiam secunda expositio.

Sed neque hæc interpretatio arridet. Nam *stellam cadere in terram*, phrasis est magnæ energiæ; nec significat solùm non admodum stellam ipsam attendi, sed etiam effectum aliquem ab ipsa in terris præstari: vt colligitur ex huius loci collatione cum stella, quæ dicitur cecidisse de cælo capite octauo, numero decimo; & capite sexto, numero decimo tertio: cùm inter serias comminationes apponitur stellarum casus, indicatur vehemens formido ac pauor, quo orbem debebat ipsarum lapsus percellere. Ibi autem non denotatur nullam Apostolorum rationem fuisse habitam, sed depressos eos, atque necatos fuisse, ac proinde in ipsorum cæde ac martyrio expletum esse illud Danielis 8. 12. *Prosternetur veritas in terra.*

Vera auctoris declaratio de stella è cælo cadente.

Superest tertia ratio, quæ mihi genuina videtur. Existimo ergo in hac stella significari Mosis legem; quę quasi desuper ruens ipsos oppressit, & per occasionem in eis concupiscentiam operata est. Hæc declaratio supponit locustas esse cordis desideria. Et textus quidem proponit stellam quasi rem desiderijs ipsis antecedentem, & quodammodo ipsorum effectricem. Cælestis igitur lux luce solis ac lunæ minor, quæ aliquo modo sit cordis cupiditatum causa, nulla profectò est alia, nisi lex; vt Paulus docuit ad Rom. 7. 7. *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? absit. Sed peccatum non cognoui, nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret, Non concupisces. Occasione autem acceptâ peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat: sed cùm venisset mandatum, peccatum reuixit; & inuentum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccatum occasione acceptâ per mandatum seduxit me, & per illud occidit. Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum; sed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem*, &c. Hoc igitur est stellam cecidisse super terram. Atque, vt sæpiùs adnotauimus, terræ nomen Iudæos designat; de quorum punitione sermo est in his septem plagis. Porrò in eodem etiam sensu Paulus dixit 1. ad Timoth. capite primo versu nono, *Lex iusto non est posita; sed iniustis & non subditis, impijs & peccatoribus*, &c. *Et si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur.* Nec enim Pauli mens est, vt constat, non iustos etiam lege teneri; sed non in eos hanc legis stellam cadere: quare Græce est κεῖται, & verbum κεῖμαι significat proijci & iacere. Itaque Ioannis stella lumen præfert loco Pauli. C

Confirmatur vera interpretatio ex Pauli verbis.

Vers. 1. Quid sit, quòd clauis puteis abyssi data.

ET DATA EST EI CLAVIS PVTEI ABYSSI] Primo aspectu coactum valdè apparet, ipsi stellæ clauem fuisse traditam, cùm manus non habeat. Deinde infrà numero vndecimo, qui appellatur Angelus abyssi, videtur esse idem, qui tubâ quintâ cecinit, atque fuisse ita vocatus, quod eidem dedita sit clauis, vt ipse abyssi puteum aperuerit; ita vt sensus sit, stellâ cadente, datam ei fuisse abyssi clauem. Confirmatur, quia sextus Angelus iubetur soluere eos, qui erant parati ad nocendum, vt dicetur infrà numero 14. ergo similiter quintus aperit ipse puteum, vt exeant fumus & locustæ. Accedit, quòd contextus hanc constructionem non respuit. Nam ille articulus *ei*, facilè referri potest ad Angelum. D

Difficultatis propositio.

In hac dubitatiuncula dicendum arbitror, si præcipuus attendatur sensus, eundem ferè esse: siue Angelus, siue stella, puteum reserare dicatur. In illud tamen magis propendeo, quod stellæ dicat textus traditam fuisse clauem: est enim hæc facilior constructio. Quod autem opponitur, stellæ non esse manus, quibus clauem accipiat. Respondeo ideo in huiusmodi locutione plus esse energiæ. Nam ita indicatur, legem, etsi minimè ex se erat apta ad fumum ex abyssi puteo eliciendum, propter hominum tamen scelera clauem ad puteum reserandum accipere. Atque vt hæc exprimeretur significatio, pereleganter fingi potuit, stellæ clauem concedi. Et capite quinto vidimus aliquid non valde dissimile: cùm Agno (cui digiti non esse videntur, vt resignare librum & aperire valeat) traditus fuit liber reserandus. Nec infirmatur hoc ex eo, quòd posteà numero vndecimo, Angelum abyssi legamus. Licèt enim stella puteum reserauerit: fortè tamen congruens erit ratio (de quo infra) vt locustarum princeps nuncupetur Angelus abyssi. Præterea mirum non est, cui tribuitur lapsus stellæ, quæ abyssi puteum aperuit: eidem imponi nomen ministri putei eiusdem: ob eam, quam infrà subijciemus, rationem.

Quid puteis claues intelligantur.

Vt verò illud etiam attingam: quando agitur hîc de claue ad puteum aperiendum, certò statuitur eum fuisse clauis signatum siue clausum: vt in aliquot puteis solet contingere. Et quanuis multi sibi

Digitized by Google

A sibi persuadent, putei nomine hic infernum denotari; & eam præsertim eius partem, vbi damnati torquentur: sed vt sequenti notatione probabitur, locutio hæc siue acceptio minimè est iuxta Scripturæ sacræ mentem. Quare cùm legimus puteum abyssi, pro certo habeo concipiendum esse altissimum puteum in quo magna sit aquæ profunditas. Nec verò mysterio cassum erit, quod ex puteo profundæ aquæ capaci prodeant fumus & locustæ.

Puteus abyssi quid adumbrat.

Asserto igitur puteum abyssi esse symbolum aptissimum iusti iudicii Dei: iuxta id Psal.35.7. ***Iudicia tua abyssus multa.*** Iam quòd hic puteus aperiatur, & inde erumpant locustæ; non est aliud, quàm instrumentum siue occasionem exhiberi, vt Deus iustissimi sui iudicii perspicuum ostendat argumentum, improbos seuerè puniendo, & cordis desideriis meritissimè tradendo. Id quod dignè Paulus expendit ad Rom.1. vbi nu.24.ait, ***Mercedem, quam oportuit, in se ipsis recipientes.*** Dixerat autem priùs, ***tradidit eos in desideria cordis eorum.*** Atque hoc supplicium ait, esse mercedem, quam oportuit, vt reciperent; quia videlicet recto ac iusto Dei iudicio acciderat. Huc spectat id Prou.22.14. & cap.23.27. ***Fouea profunda est metrix, cui iratus est Dominus, incidet in eam.*** Ceterùm mutata fuit ibi allegoria; quia meretrix ipsa fingitur esse puteus altus, in quem iusto Dei iudicio præceps ruit peccator. At verò Psalmi 35. & Apocalypseos allegoria excogitat ipsa Dei iudicia profundissima, quæ sceleratos homines grauissimo hoc puniat supplicio, quale est eos inordinatis suis appetitionibus tradere; vt exprimit

B Paulus cap. illo primo ad Rom. Desideriorum autem cordis nomine, non intelligendæ modo sunt impudicitiæ, sed etiam diuitiarum cupiditas, ambitio, crapula, ac ceterorum vitiorum colluuio.

NOTATIO II.

An Abyssus ponatur aliquando in sacra Scriptura pro inferno in significatione propria.

Opinio asserentium abyssum in Scriptura proprie sumi: & eorum fundamenta.

ITA certum videtur aliquibus, abyssum in Sacris pro inferno propriè sumi; vt asserant potius nunquam aliter in nouo testamento accipi; quia Lucæ 8.31. Christum rogabant dæmones, ne eos in abyssum ire iuberet. Quod de inferno explicat Toletus cum communi. Et in Apocalypsi reperimus ca.1.&.2. puteum abyssi, & num.11. angelum abyssi, & cap.11.nu.7. & cap.17. num.8. reperimus bestiam ascendentem, vel ascensurã de abysso. Per quam bestiam communis expositio intelligit dæmonem, & cap.20.nu.1.& 3. carcer dæmonis appellatur abyssus. Nec plura sunt de abysso in nouo Instrumento loca; nisi fortè alter Pauli, qui magis adhuc vrget. Nam perspicuè in eo Paulus abyssum esse infernum (prout limbum etiam complectitur) edisserit. Sic enim ille ad Rom.10.7. *Quis descendet in abyssum?* Et subdit, ***Hoc est, Christum à mortuis reuocare.***

Deinde ex veteri instrumento eôdem videtur spectare id Psal.70.20. ***De abyssis terræ iterum reduxisti me.*** Distinguitur enim abyssus terræ à maris abysso: atque ita opus est, vt abyssus terræ sit terræ profundum, qui est inferorum locus.

Præterea abyssus est græca vox: cuius si propria expendatur vis, nulli videtur rei aptiùs, quam inferno congruere. Quia βυθος, significat propriè fundum siue imam partem, & Ionicè profertur, βυσσος, vnde idem est, ἄβυσσος, quod, ἄβυθος, Tametsi autem propositio α, græcè plerunque est priuatiua (ex quo ***abyssus*** propriè est ***fundo carens***. Ea tamen ratione optimè res profundissimæ nominantur. Atqui nihil inferorum loco profundius. Nec absonum est, licèt præpositio α, in hac voce, (vt alias assolet) non vt priuatiua, sed vt simplicis vim intendens accipiatur: hoc enim modo eôdem etiã recidit. Et quamuis græcè soleat hoc nomen sumi vt adiectiuum; in sacræ tamen Scripturæ vsu substantiuè vsurpatur. Ad hæc, nonnulli non deriuant hanc vocem à nomine βυσσος, sed à βύω, quod tegere vel operire, & à particula, α, intendendi vim habente: vt abyssus sit locus valde opertus. Quod si hac ratione profundum maris rectè nuncupatur abyssus; maiori certè iure inferno eadem quadrabit appellatio.

Contraria tamẽ præfertur sententia asserens nunquã abyssũ proprie pro inferno vsurpari.

Hæc tamen nihil obstant, quominus valde suspicer in sacris Literis nunquam abyssum in literali ac proprio sensu pro inferno vsurpari. Pro cuius explicatione primò aduerto, non tam esse respiciendam græcam etymologiam, quàm vsum dictionis hebraicæ, quæ huic respondet nomini. Etenim licet aliqui Scripturæ libri sint græcè conscripti: sed quia scriptores erant

Alcasar. in Apoc.

Hebræi) & vel referebant ea, quæ Christus hebraicè siue syriacè dixerat, vel ad ea respiciebant, quæ in testamento veteri hebraicè erant descripta, ideo in plerisq; noui testamenti vocibus certissima bene explicandi ratio est, expendere propriam hebraicæ vocis significationem, quæ aut latino, aut græco nomini respondet. Præsertim cũ certo cognoscitur hebræa vox græcæ respondens; apparetque non aliam esse potuisse. Sicut

Probatur nostra de abysso sententia ex vocis Hebraicæ vi & significatione.

C in voce ***Abyssus*** contingit; cui semper in hebræo respondet ***Tehom***, extant verò non minùs triginta quàtuor loci. Atque huic voci ***Tehom*** semper in nostra vulgata respondet abyssus: etsi Pagninus, vt voce vtatur latina, supponere soleat ***Voraginem***.

Vocem abyssi Hebraicã semper accipi in sacru pro aquarũ multitudine.

Secundò aduerto, semper ***Tehom*** accipi pro aquarum multitudine, vt manifestum ei erit, qui omnes Scripturæ locos attentè perlegerit, in quibus vox huiusmodi reperitur. Et quidem clariores ex ijs sunt, qui sequuntur, Genes.1.2. ***Tenebræ erant super faciem abyssi:*** vbi de mari est sermo, & cap.7.11. *Omnes fontes abyssi rupti sunt:* in communi illa mundi eluuione, estque de aquis superioribus sermo. Genes.8.2. ***Clausi sunt omnes fontes abyssi*** : cùm scilicet cessauit pluuia. Exodi 15.5. ***Abyssi operuerunt eos*** : id est, mare rubrum Ægyptios. Sic etiam Iudith 9.8. Item Exodi 15.8. ***Congregati sunt abyssi in medio mari:*** Hebraicè, *in corde maris.* Deut.8.7. ***fluuiorum abyssi:*** id est, fontes, vt patet ex contextu: Iob 28.14. ***Abyssus dicit, Non est in me*** & c.38.16. ***In nouissimis abyssi deambulasti:*** & eodem cap. num.30. ***Superficies abyssi constringitur.*** & cap.41.23. ***Æstimabit abyssum.*** Quibus in locis perspicuus est de mari sermo. Similiter Ps.32.7. ***Ponens in thesauris abyssos.*** & Psa.41.8 ***Abyssus abyssum inuocat,*** id est, eluuio eluuionem trahit: de pluuia vehementi. Psal.76.17. ***Turbata sunt abyssi.*** Ps.77.15. ***Velut in abysso multa,*** Psal.103 6. ***Abyssus sicut vestimentum,*** de aqua terram operiente. Psal.105.9. ***Deduxit eos in abyssis.*** Psalm.106.26. ***Descendunt vsque ad abyssos,*** de grauissima tempestate iactatis. Psalm.134.6. ***In omnibus abyssis.*** Psal.148.7. ***Dracones & omnes abyssi,*** id est, cete, & quidquid natatilium in maris fundo viuit. Ad hæc, Prouerb.3.20. ***Eruperunt abyssi.*** & cap.8.24. ***Nondum erant abyssi.*** & num.27. ***Gyro vallabat abyssos.*** Item Ecclesiastici 1.2. ***Profundum abyssi.*** & cap.16.18. & cap. 23.28. & cap.24.8. & cap. 43.25. Adde his Isaiam cap.51 10. ***Aquam abyssi vehementis.*** & cap.63.13. ***Eduxit per abyssos.*** Præterea Ezechielis 26.19. ***Adduxero super abyssum.*** & c.31.4. ***Abyssus exaltauit illum.*** Dan.3.55. ***Qui intueris abyssos.*** Amos 7.4. ***Deuorabit abyssum multam.***

Digitized by Google

Ionæ 2.6. *Abyssus vallauit me.* Habac.3.10. *Dedit abyssus vocem suam.*

Alij insuper extant loci, in quib. metaphoricè vsurpatur abyssus, sed in ijs sine dubio sumitur metaphora ab ipsa maris profunditate. Huiusmodi sunt Psal.35.7. *Iudicia tua abyssus multa.* Ecclesiast.42.18. *Abyssum & cor hominum inuestigauit.* & Ecclesiastici 24.39. *Consilium illius ab abysso magna.*

Idem ex Hebraico thesauro constat.

Tertiò aduerto, apud thesaurū Hebraicum, in voce *Tehom*, cui respondet abyssus, nullam esse significationis alterius, nisi aquarum multarum significationem. *Tehom*, ait, *est locus aquarum multarum, & ipsa aquarū multitudo*: affertque R. Dauidem in lib. Radic. dicentē, *Tehom est aqua multa, seu aquarum multitudo, profunditas et moles.* Si ergo Hebræa dictionaria nullam aliam agnoscunt significationem, non potest abyssus propriè infernum in sacris Literis significare. Quibus adnecto, id etiam Patrum testimonio non obscurè innui. Nam

Patrum testimonio eadem nostra sententia roboratur.

August. lib. 22. contra Faustum cap. 11. 2. ait, *Abyssus est inæstimabilis aquarum profunditas.* & in Psal. 41. 8. affirmat abyssum maximè dici solere in aquis. Quin imò Lexica græca (vt Scapulæ) verbo, *Abyssus*, aiunt abyssum substantiuè positum esse aquarum voraginem. Cùm ergo infernus non sit aquarum vorago; nec erit abyssus propriè loquendo.

Difficultas contra nostrā sententiam ex Scripturæ auctoritate.

Sed opponet nobis aliquis illud Psal. 70. 20. *De abyssis terra iterum reduxisti me.* Item quia Iacobus Patriarcha in filij Ioseph benedictione. Gen. 49. 25. *Omnipotens* (inquit) *benedicet tibi benedictionibus cæli desuper, & benedictionibus abyssi iacentis deorsum.* Similiter Moses Ioseph tribui dicit Deut. 33. 13. *De benedictionibus Domini terra eius, de pomis cæli & rore atq; abysso subiacēte.* Videntur autem in his benedictionibus coniungi cælum desuper & abyssus deorsum, ad cælestis fauoris & terrenæ vbertatis felicitatem denotandam. Respondeo tamē; cùm in ceteris locis *Tehom*, vt vidimus, ad aquarum referatur multitudinē, hæc etiam apparet eodem modo esse capienda. Quapropter asserō, in eo loco

Reducere de abyssis terræ, *Psal. 70. quid sit.*

Psal 70. 20. *reducere de abyssis terra*, idem esse, ac ex profundo aliquo puteo extrahere, quò fuerat demersus. In Ioseph autem benedictionibus abyssi sunt fontes; sicut Deut. 8. 7. Perspicuum namque est, ad irrigandam tellurem esse aptam cælestem pluuiam, nec non terrestres fontes aut significant in ijs locis abyssi puteorum abundantiam, aut aquam proximè scatentem, quod terræ fertilis & opimæ argumentum est.

Explicantur noui Instrumēti loci initio pro opposita sententia allati.

Sed age iam, quid dicendum nobis est ad noui testamēti loca superius allata? Certè si facilem & idoneum eis exitum reperiamus; nemo non viderit haud ita facilè esse credendum, abyssum in veteri instrumento iuxta alium sensum, iuxta alium in nouo esse sumendam: cùm noui instrumenti scriptores & Hebræos fuisse, & veteris Testamenti obseruatores liqueat: cumque in Apocalypsi ad illustriores veteris Testamenti locos alludatur.

Quo sensu dæmones, Luc. 8. Christum rogarent, ne in abyssum immitterentur.

Ad Primum ergo ex Lucæ cap. 8. n. 31. Respondetur: ex contextu constat, Christum ad maris littus tunc fuisse. Et simile vero est, postulasse Dæmones, ne in profundum maris mitterentur. Irridebunt aliqui fortè expositionem, vt nihil ad propositum conducentem; atque adeò Toleto potiùs Cardinali subscribent asserenti, Dæmones à Christo flagitare, ne eos in infernum detruderet: quia id est Dæmonibus ipsis grauissimum, nempe in inferorum carceribus detineri; tum propter loci horrorem ac turpitudinem, tum etiam ne priuarentur opportunitate hominibus nocendi.

Ceterum quem dolorem Dæmonibus infernus carcer propter loci horrorem ac turpitudinem infligit; eo minimè carent, cùm ad tempus, vt homines tentationibus oppugnent, egrediuntur inde: ceteroquin pœna ignis etiam carerent. Quare nihil erat, cur propterea rogarent, ne eò demitterētur. Deinde eodem ferè modo priuantur Dæmones opportunitate lædendi homines siue in infernum, siue in maris profundum dejiciantur, aut etiam in altissimum aliquē puteum. Ideoque neque hac ex parte erat, cur Dæmones in inferorū loca projectionem singillatim deprecarentur. Tertiò mihi valde verisimile est, dæmones non agere de carcere, in quem essent immittendi; sed de re, cui possent nocere. Neque enim supponebant ipsi, cùm primùm ab homine illo exirent, in carcerem quàm mox detrusum iri: sed dandam ijs esse facultatem, vt aliò cōcederent; vbi damni aliquid inferrent, pro eo, quod homini illi inferebant. Hoc autem ex ipso contextu non obscurè colligitur; si quidem eis licentiam permisit Christus, vt in porcorum gregem irruerent; non quidem vt in perpetuum carcerem; sed vt in locum cui vt damnum facerent, venia dabatur. In quos illi protinus immissi, eos in mare præcipites dederunt. Nō ergo orabant Dæmones, ne deturbarentur ad inferos; verū ne in maris abyssum mitterentur, vt damnum ibi, quod possent, molirentur; sed ablegarentur aliò, vt re ipsa in porcos dimissi sunt. Nomine igitur abyssi non hic infernus intelligitur, sed mare, iuxta vsitatissimam Scripturæ phrasim. Nam in inferno, quid poterant detrimenti denuo importare? In mari quidem poterant horribilem excitare procellam: ceterùm ob peculiarem aliquam rationem, quam textus non exprimit, precantur, ne eò mittantur, sed aliò.

Si tamen rationem huiusmodi attentiùs inuestigare velimus; ideo fortasse auersabantur mare, quia etsi illud vehementi tempestate perturbarent, si tamen nullus esset obruendus, neque alicui hominum inuehendum damnum (quod ipsi præoptabant) parum ad se vtilitatis ex tanto rerum motu ac turbine elicerent. Atqui Dæmones tacitè innuunt dandam sibi esse facultatem, vt damnum alicuius momenti alicubi meditentur pro eo, quo miserum illum hominem diuexabant.

Iam, quam illis licentiam permisit Christus in porcos inuadendi, non fuit expers mysterij; quippe quæ arcanū quiddam ac symbolicum gerebat. Quare cùm Dæmones non lareret, eam Christi facultatem seu permissionem fore mysterij plenam; cumque id in ipsius etiam miraculis non leuiter coniectarent; peculiaris fuit illis ratio, vt orarent, ne ad turbandam maris abyssum mitterentur. Nouerant enim scriptum esse, *Iudicia tua abyssus multa.* Psal 35. 7. Ex quo efficitur idem fore, si abyssum concitaturi ablegarentur; ac si damnarentur, vt eorum calliditas ac malitia instrumento esset, quo clariùs & glorioſiùs diuinorum cōsiliorum abyssi profunditas appareret; & illi interim remanerent inglorij atque despecti, Deo in eorum astutia per occasionem collaudato. Cùm igitur Dæmon satis nosset Dei consilia esse celsissima, & humanæ mētis aut etiam angelicæ captum præteruolantia, quis dubitat eum timidum semper ac suspicioſum fuisse; suas omnes machinas ac technas, quibus Dei consiliis conabatur obsistere, irritas fore & inanes: & in clariorem demum Dei gloriam ac decus euasuras? Propterea igitur magnopere tergiuersatur in imminensum diuinorum consiliorum pelagus sese dare; quòd ingentem in eo semper suarum machinationum faciat iacturam. Atque idcirco in eam ipsam, quam tantopere formidat, abyssum præceps detruditur Apocalypseos ca. 20 nu. 1. & 3. Nec enim in maris fundum, sed in profundum puteum dejicitur: vt dicetur suo loco. Quod verò ad sensum attinet, parui refert. Certè admirabilis fuit diuini consilij ratio, qua vsus fuit Deus, ne dæmon publicam Christianæ religionis consuetudinem ac potestatem impediret: cùm sapientissimè disposuit, vt bellum, quod Ecclesiæ intulerat Dæmon, sibi ipsi Impedimento foret, quominus Ecclesiæ ipsius pacem ac firmitudinem disturbaret. Quòd enim aduersus Imperij vim atque potentiam Ecclesia se inuictam præstiterit: hoc ipsum vel maximè conduxit, vt deinceps mille annorum pace frueretur. Et in sublimi hac Dei ratione obligatus vndique & circunuentus perstitit Dæmon, ne pacem huiusmodi posset vlla fraude conuellere.

Mystica ratio, cur dæmones à Christo orarent ne eos in abyssum mitteret.

Explicantur reliqui noui testamenti loci initio huius notationis allati.

Ad Secundum, quod initio huius notationis objiciebatur de abyssi puteo: Respondeo, cùm dicitur puteus, dici etiam siue intelligi aquam: porrò puteum abyssi esse idem, ac puteum valde profundum: eumque esse, qui fingitur in ænigmate, non verò infernum. Si quis autem dixerit in eo puteo infernum denotari: Respondeo Primò, symbolica significatione non rectè probari, infernum in sensu proprio esse appellandum abyssum. Secundò Respondeo: si per locustas Concupiscentiæ inordinatæ indicantur: hæ quidem non ex inferno prodeunt, sed ex iustissimo Dei supplicio: quod

(vtpote

(vtpote arcanum ac profundum) appellatur abyssus; iuxta illud, *Iudicia Dei abyssus multa*. Atque huius putei Angelus adumbrat ministrum, quem accersit Deus ad supplicium hoc executioni mandandum.

Ad tertium de bestia, quæ ascendit ex abysso, Respondeo, de his eisdem locustis ibi sermonem esse, quę in hoc capite describuntur (vt ibi videbimus) atque ita quod in præsenti dicimus de abysso, deseruiet similiter illi alteri loco.

Ad locum ex cap. 20. de carcere abyssi iam diximus suprà.

Ad locum Pauli ad Rom. 10. 7. Respondeo, Paulum cùm ait, *qui descendit in abyssum?* in ipso literæ cortice per abyssum intelligere mare. Quod dilucidè ostenditur; quia Paulus hisce verbis voluit manifestè exprimere locum Deut. 30. 13. vt videre est ex ipso contextu, illis autem Pauli verbis, (*Qui descendit in abyssum?*) respondent hæc in Deuter. *Quis nobis poterit transfretare mare?* Iam, quòd Paulus id ad Christi resurrectionem accommodet; non probat abyssi nomine infernũ esse B intelligendum, sed tantùmmodò transitũ ad vlteriora maris littora potuisse poni, vt Christi resurrectionis figuram. Deinde, tametsi abyssi nomen potuit à Paulo in hac allegoria ad denotandum Infernum vsurpari; hinc tamen non rectè deducitur infernum propriè nominari abyssum, sed solùm inferni figuram siue symbolum esse mare. Nã. vt nuper vidimus, nomini abyssi respondet in Deuteronomio nomen maris. Vnde quemadmodum non bene probatur infernum esse mare, ita nec esse abyssum: sed ad summum, abyssum A siue mare posse esse inferni figuram; de quo nihil laboramus.

Denique Nota, syluam allegoriarum cum ijs, quos citat, pro nobis potiùs stare, quàm contra nos: apponit enim inter allegorias, quòd infernus abyssi nomine indicetur. Innuit ergo non obscurè, significationem hanc non esse propriam, sed solùm allegoricam. An verò huiusmodi allegoria sit apta, necne; id pendet ex vtriusque extremi proportione, quam inter infernum & abyssum congruenter dari posse non inficior, saltem quatenus abyssus profundum significat. Ad hæc, infernus est quasi mare, quo damnati immerguntur: estque profundum Dei iudicium, id est, supplicium meritissimè de damnatis sumptum. *Patres in allegoriarum syluam pro inferni significatione adstruenda citatos non contra nos sed pro nobis potius stare.*

Postremo si abyssi carcer mente concipiatur, putei instar profundissimi, fortè huiusce carceris custodiæ præfectus est, qui Angelus abyssi nuncupatur. Quibus illud adiunge, vsitatos olim in Iudæa carceres siue custodias fuisse subterraneas quasdam scrobes, sirorum instar, extra vrbem positas, quas Hispanum vulgus appellat *Calabozos*, siue *mazmorras*. Has autem fuisse sub terra sitas, non parum probat locus Actuum 12. 10. Ex quo etiam (vt id obiter delibem) satis affertur lucis tenebris exterioribus, Matthæi cap. 25. 30. Quod enim Christus ait, *Inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores*; idem est omnino, ac si diceret, detrudite eum in subterraneum carcerem siue in situm tenebricosum. Quare dicuntur quidem tenebræ, quia locus terra defossus tenebris erat adopertus; exteriores verò, quia extra vrbem positus erat carcer. *Tenebræ exteriores, quarum sæpè in Euangelio fit mẽtio, quid sint.*

TEXTVS.

Vers. 2. Et aperuit puteum abyssi: & ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est sol & aër de fumo putei.

3. Et de fumo putei exierunt locustæ in terram, & data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ.

C

COMMENTARIVS.

QVID sit, puteum aperire, diximus superiori versu: nunc de fumo. Et quidem insolitum imprimis apparet, abyssum qui in se non fumum, sed clarissimam continet vndam, tam densam tamen fumi nubem ex se exhalare. Ceterùm hoc ad significationem est appositum. Nam iustissimum Dei iudicium, (quod in semet obscuritatis nihil, plurimum claritudinis habet,) per legem ipsam, quæ sancta atque integra est, erroris tenebris punit sceleratos. Nam eo ipso, quòd lex peccatori illecebras voluptatum & viuendi impunitam libertatem præcidit, obcæcatur miser, & denso quodam concupiscentiarum fumo circunfusus in legis ipsius præuaricatione suam esse sitam felicitatem suumque gaudium arbitratur. Vt ergo supinæ huius deceptionis grauitas indicetur, & offusa libidinum caligo significantiùs exprimatur; glomerata fumi nubes quasi ex accenso camino erumpens inducitur. Quo tacitè innuitur, illum non absque æstuantium cupiditatum ardore exhalari. Mox verò additur, *Et obscuratus est sol, & aër de fumo putei.* Quod iuxta grammaticum sensum non sonat verum solis ipsius defectum, sed id tantùm, quemadmodum nubila solem sæpè obducunt, & ex nostris oculis auferunt, ita etiam fumo ereptum ab oculis fuisse solem. Quem licet obtegant nubes, non eas D tamen aëri interiecto offundunt tenebras, vt diem in noctem subitò conuertant. At verò fumus ex abyssi puteo non solùm oculis eripuit solem, sed etiam diem, densissimis tenebris toto aëri offusis. Atque ita Virgilius de ingenti constipatarum nubium nimbo dixit, Æneid. 1. *Quo in sensu fumus ex abysso prodire dicatur.* *Quomodo sol & aër fumo abyssi dicantur.*

Eripiunt subitò nubes solemq; diemq;
Teucrorum ex oculis: ponto nox incubat atra.

Verùm arcanus huius loci sensus est, concupiscentiarum tenebras esse obscurissimas, necanimo per eas licere cælesti luce frui, siue ipso etiam naturali rationis lumine. Quòd si magna hæc obscuratio cum quarta plaga conferatur; hæc est inter vtramque ratio discriminis, quòd in plaga quarta agitur solùm de spiritalis lucis defectu; hic verò de concupiscentiarum tenebris.

ET DE FVMO PVTEI EXIERVNT LOCVSTÆ IN TERRAM] Cùm locustæ (vt diximus) cordis desideria, id est, effrænatas cupiditates significent: perinde est affirmare eas è fumo prodijsse; ac dicere huiusmodi desideria ex supradicto errore exoriri, necnon ex inordinatæ affectionis ac deceptionis tenebris. Quod ex eo non parum confirmatur; quia Paulus Ephes. 4. 22. cordis desideria appellat *Desideria erroris*, & 1. Pet. 1. 14. dicuntur *desideria ignorantiæ*. Vide etiam 2. Pet. cap. 2. n. 18. & Sapient. 4. n. 12. *Inconstantia concupiscentia transuertit sensum.* Vers. 3. *Locusta ex fumo putei quo sensu prodire dicantur.*

LOCVSTÆ] Miror sanè tum interpretes, tum etiam eos, qui de allegorijs, atque symbolis scripsere, neutiquam aduertisse, quàm rectè per locustas cordis desideria denotentur: præsertim vbi de locustis hisce incidit, sermo, quas ita speciatim describit Apocalypsis, dum plagam desideriorum cordis viuis coloribus depingit. Etenim quamuis alludat manifestè ad Ægypti locustarum pla- *Per locustas figurari cordis desideria.*

Digitized by Google

gam:ceterùm magna cum elegantia locustis Apocalypseos fuit additum quidquid ad cordis concupiscentias adumbrandas mirificè conducebat. A

Locusta natura & cõsideratio.

Nota ergo Primò,locustam esse animal ventosum.Atque,vt obseruat Pierius,non defuit,qui illud famis esse idoneum hieroglyphicum assereret:sed aptiùs multò deseruit ad significandam appetentiarum esuriem.Hoc enim animal nunquam edendo exsaturatur : atqui vt locustarum plaga in maxima earum multitudine imprimis consistit,idem etiam in plaga desideriorum accidit. Vide 1. ad Timot.6.9.*Qui volunt diuites fieri,incidunt in desideria multa inutilia & nocua.*& 2.ad Timoth.3.6.*Varijs desiderijs ducuntur muliercula.*ad Titum 3.13.*Seruientes varijs desiderijs.*Quàm verò Scriptura desideriorum varietatem dicit,notum est nihil esse aliud,quàm cupiditatum,appetitionum ac solicitudinum infinitatem.Quare ad eam indicandam percommoda est locustarum plaga,quæ innumerabilem continet multitudinem;vt Exodi 10.14.ponderatur.

Venter appetentiæ symbolum.

Deinde sub ventris metaphora dicitur Prou.13.25.*Venter impiorum insaturabilis.*Et certe Ecclesiastæ 12.5.optimam eorum verborum declarationem(*impinguabitur locusta*) illam esse existimo;si aduertamus imprimis,hìc *impinguabitur*,idem esse,ac satiabitur:& satietatem pro fastidio poni, vt sæpe aliàs apud Latinos:itaque locustam hìc sumi pro ventre.Non tamen de mystico ventre tunc est sermo,

Impinguari locustam quid sit apud Ecclesiasten.

sed de proprio ventre,siue stomacho corporeo.Agitur enim de senectute,aut de graui morbo : in quo dicitur venter,qui locustæ instar insaturabilis videbatur fore, tanta satietate esse afficiendus;vt nihil iam cibi aut appetere,aut attrahere possit:nec ad cibi appetentiam excitandam mollia amygdala(quæ auide solent appeti)aut capparis sint satis.Igitur quod dicitur, *Florebat amygdalus, impingabitur locusta,*connectendum est,vt postulat ratio.Videbatur enim locusta in amygdali florem, quippe B tenerum ac sapidum,inuasura.Floris porrò nomen ad viridem & præcocem fructum extendo, Hebraicâ voce non abnuente.Ait ergo textus,affore tempus;in quo licet amygdalus floreat, & amygdalos virides ac præmolles gustuique sapidissimas proferat;locusta tamen debilis ac iacens ad earũ esum nequaquam excitatur;sed præ fastidio ac nausea,quasi satiata iam sit,florem amygdali respuat. Cum hoc verò sensu egregiè consonat,quod sequitur,*Et dissipabitur capparis.*Dissipare enim est proijcere & dispergere:& qui cibi fastidio ac satietate tenetur eidem aut capparim, aut quippiam aliud appetentiæ incitamentum apponere;nil aliud profectò est,quàm proijciendo ac dissipando porrigere.Iam si de rebus auiditatem cibi allicientibus erat futurus sermo;vix aliæ poterant inueniri aptiores,quàm præmolle amygdalum & capparis.

Locustas esse cæcas.

Ex hoc ergo loco infero,locustam esse appositum famis desideriorum symbolum ; si quidẽ ventris etiam siue stomachi symbolum perelegans est: imò verò aptius quadrat mystico improborum ventri,qui insatiabilis planè est.Nam corporeus venter tandem aliquando exsaturatur:at scelerum cupiditas semper dicit *Affer.affer,& nunquam dicit, Sufficit.*Prouerb.30.16.

Quid sit, potestatem dare locustis,sicut habent scorpiones terræ.

Sed præterquàm quòd locustæ,instar desideriorum cordis,sunt insatiabiles; accedit etiam quod Plinius notat lib.11.c.37.nempe eas esse cæcas,atque adeò parum aut nihil videre:licet enim oculos C videantur habere:sunt tamen veluti cornei.

Scorpionum natura & consideratio.

ET DATA EST ILLIS POTESTAS, SICVT HABENT POTESTATEM SCORPIONES TERRÆ] Hoc planè est,eis,venenatos aculeos affingere;Ita vt simul & sint locustæ, & scorpionũ aculeos ac venena habeant.Vbi notandum est,locustarum speciem verè reperiri,quibus cauda scorpionis similis sit.Nam in ipsis etiam naturalibus locustis voluit sapientissimus Deus aliquam nobis proponi similitudinem repræsentationis huius,quæ in Apocalypsi continetur.Arque hæc scorpionis comparatio tantopere placuit Ioanni propter significationis energiam,vt ter eam repetierit:nimirum num.3.& 5.& 10. Oportet igitur expendere ea,quæ Plinius de scorpionibus docet lib. 11. cap.25. ait namque,eorum virus esse lentum,sed graue supplicium:venenum insuper hoc in meridie esse vehementius , *Cùm incanduere solis ardoribus , itemque cum sitiunt inexplebiles potu.* Porrò in fœminis acriorem esse scorpionum veneni vim;& multò adhuc grauiorem in porcis:quippè quos huiusmodi virus interimat.

Veneni vis in quos potissimum fit acrior.

Scorpionibus in cauda dentes esse.

Horum omnium applicatio ad plagam cupiditatum cordis est perfacilis : quem verò plaga hæc perculit,magnopere vexant ac torquent curæ,angores,metus,solicitudines: quæ omnia consequitur acerbissimus conscientiæ exulceratæ stimulus,vt turpissimæ voluptatis exitus ac finis, qui quidem in scorpionis cauda mirè significatur.Notat etiam Plinius lib.11.cap.37. scorpionibus in cauda D dentes esse:quod egregiè consonat cum illo Prouerb. 23. 31. *Ne intuearis vinum,quando flaueſcit, cum splenduerit in vitro color eius:ingreditur blandè,sed in nouissimo mordebit vt coluber,& sicut regulus,venena diffundet* Quòd si vera sunt quæ Gesnerus tradit lib. 4. de scorpione linea 60. hoc certè voluit Diuinus Spiritus in scorpione depingere,*Scorpio* (ait) *blandum ac quasi virgineum dicitur habere vultum,sed in cauda nodosa venenatum aculeum habet.*

Scorpioni blandum vultum & quasi virgineum inesse.

Iam quanta sit,quàm grauis,quamque molesta desideriorum cordis anxietas:& quàm parum ad eam eleuandam conducat,quidquid humanæ felicitatis arrideat:siue loci quantumuis occultissimi, quocumque miser peccator sese abdat:de hoc,inquam,non solùm Scriptura sacra,sed prophani etiã scriptores ac Poëtæ eleganter agunt.Vide Horatium libro 2.Ode 16.

Cordis desideriorum bellum, quàm sit acerbum & atrox.

Non enim gazæ,neque consularis
Submouet lictor miseros tumultus
Mentis,& curas laqueata circum
Tecta volantes.

Et infrà, *Et leues somnos timor & cupido*
Sordidus aufert.

Et

A Et paulò pòst. *Patriæ quis exul*
Se quoque fugit?
Scandit eratas vitiosa naueis
Cura, nec turmas equitum relinquit,
Ocyor ceruis, & agente nimbos
Ocyor Euro.

Multa etiam prudentissimè Seneca, Plinius, & alij. In Poëtarum quoque fabulis complura sunt id ipsum testantia: quibus potissimum indicatur, hoc concupiscentiarum bellum minimè conquiescere ex eo, quòd optata quis assequatur. Etenim anhelans desiderij ardor concupitæ rei obiectu magis magisque æstuat & inflammatur; nec non vehemens fames ac sitis formido pariter & anxietudo, ac turbulentæ conscientiæ aculeus multiplici in dies augentur incremento.

TEXTVS.

Vers. 4. Et præceptum est illis, ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem: nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis.

B

COMMENTARIVS.

HÆc imprimis dicuntur, vt inter has & Ægypti locustas manifesta discriminis ratio designetur. Ægypti enim locustæ herbam, arborum fructus, & omne viride læserunt: vt habetur Exodi cap. 10. 15. Et quamuis Sapientiæ 16. 9. dicatur *illos* (scilicet Ægyptios) *locustarum & muscarum occiderunt morsus*: fortè tamen verbum *occidere* significat, illos cruciatibus fuisse affectos; idque per huiusmodi distributionem; vt caninæ muscæ siue asili ipsos acriter inuadendo, locustæ verò sata atque arborum fructus euertendo afflixerint. Nam locustas in Ægyptos ipsos inuasisse, licèt Sapientiæ locus, Philo & Iosephus planè asserere videantur Lorino: verùm Sapientia quidem aptè hac ratione exponitur. Philo autem & Iosephus nihil tale dixere, sed solùm quod Exodus affirmat. Ceterùm quoquoquo modo id sit, locustis saltem Apocalypseos *præceptum est, ne lederent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, sed solùm homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis.* Agitur autem singillatim de Iudæis obstinatis, in quo hæ omnes plagæ sunt immissæ. Atque in huius versus significatione frustra quæritur allegoria. Simplex enim & apertus sensus est, locustas has esse mysticas; & in eos omnes sine discrimine irruere, qui spirituales viri non sunt. Hos namque esse, qui Dei signum in frontibus habent impressum, explicauimus late cap. 7. Quod verò hîc dicitur de locustis homines adorientibus; asseritur etiam 1. Petri 2. 11. *Carnalia desideria militant aduersus animam*, & Iacobi 4. 1. *Concupiscentiæ militant in membris vestris.* Et eleganter satis innuitur; suismet appetitionibus licentiam & impunitatem permittere, perinde esse ac morderi & corrodi ab ipsis: cùm acerbissima hæc sit plaga, quam peccator miser perpetitur.

Discrimen inter Ægypti & Apocalypseos locustas.

Virum Ægyptiaca locusta Ægyptios ipsos, an ipsorum tantum sata & arbores inuaserint?

C

At verò, quòd huiusmodi plagam effugiunt ij, qui Dei signo & stigmate sunt insigniti; Paulus itē indicat non obscurè ad Galat. 5. 24. *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.* Quare si suas occidant concupiscentias; ab earum plaga penitùs euadunt. Huius autem liberationis ratio in appetentiarum cohibitione, atque adeò mortificatione potissimùm sita est. Quod non nihil adumbrauit Seneca, cùm dixit, *Qui desiderium claudit, me hercule cum Ioue de fœlicitate contēdit.* Ad cuius rei comprobationē cùm multa sunt dicta præclarè, tum illud Chrysostomi lectu valde dignum, qui ait, cùm desiderij vas ipsa aquæ infusione crescat, fieri neutiquam posse, vt tandem impleatur: quare ne in immensum abeat cupiditas, necessarium imprimis esse, aut contrahi ipsum vas, aut os deorsum in terram obuerti.

Quomodo Dei stigmata insti effugiant hanc locustarum plagam.

TEXTVS.

D

Vers. 5. Et datum est illis, ne occiderent eos; sed vt cruciarent mensibus quinque: & cruciatus eorum, vt cruciatus scorpij; cùm percutit hominem.

COMMENTARIVS.

QVINQVE hi menses (quorum mentione videtur Ioannes adeò delectatus, vt propterea eos iterum infrà repetierit) non parum negotii interpretibus facessiuerunt. Alii enim huiusmodi interuallum accipiunt, vt sonat; existimantes sermonem hic esse de peculiari aliqua plaga à Deo in mundum inferenda sub ipsum Antichristi aduentum. Alii autumant hoc mensium numero innui temporis spatium, quo Lutheri hæresis duratura est, & in hac computatione diem pro anno esse sumendum, vt in aliquo alio Scripturæ loco. Alii, quibus interpretationes istæ non arridēt, satis sibi esse putant, si affirment eum mensium numerum esse mysticum; cùm nullam interim mysterii aut rationem, aut applicationem adducant. Alij (ex quibus arias Montanus) ad quinque sensus confugiunt: asseruntque concupiscentias eatenus

De quinque mensium spatio eiusq; mysterio varia Auctorum sententia & explicationes.

Alcas. in Apoc.

Digitized by Google

tenus permanere, quoad quinque permaneant sensus. Hæc tamẽ interpretatio durior est, opinor, quàm vt probari possit. Nam simul & semel (quod aiunt) fruitur quis sensuum quinque vsurâ; & idcirco quinque mensium locutio ibi non habet locum; cùm hi per continuum decursum sibi mutuò alter alteri ad finem vsque succedant. A

Examinantur pariter ac refutantur alia interpretandi rationes.

Existimauit nonnemo, ex eo quòd quinque menses concupiscentijs designarentur, denotari septem reliquos Furijs destinari, id est, maius temporis spatium perdurare irarum furias quàm allectrices cupiditates. Sed neque hoc solidum in se est, nec apte contextui accommodatur. Ad hoc enim non erat hic quinque mensium spatium exprimendum: sed in sequenti plaga explicandũ erat, illam diutiùs, quàm plagam locustarum durare.

Alius demum suspicabitur, significationem hic esse eiusmodi; vt locustarum plaga, si cum plaga furiarum comparetur, sit quasi fœtura illius: porrò tempus quinque mensium esse, quo fœtus in materna aluo gestatus celari potest, ex Lucæ 1.24. *Occultabat se mensibus quinque.* Verùm tamen neque hoc explet animum. Nam si ex cõcupiscentia sunt iræ nascituræ, illaque est duratura, quoad hæ prodeant in lucem; non solùm durare debet concupiscentiarum plaga per quinque menses, quibus fœtura possit occultari; sed per nouem totos, donec effera nascatur proles. Prætereà licèt verum sit, Iudæorum furias aduersus Christi Euangelium sæuientes ex ipsorum cupiditatibus duxisse originem: appetentiarum tamen plaga minime conquieuit, furiarum plagâ subeunte, vt infrà explicabitur. B

Adde huc, in nulla superiorum explicationum reperiri allusionem ad insignem aliquem Scripturæ locum. Quare cùm in dimidia octaui capitis hora & in tribus annis cum dimidio cap. 11. & 12. & 13. constet, perelegantem contineri allusionem ad illustres sacrarum Literarum locos & Apocalypseos mysterio maxime congruentes; nihilo credendum est secius de singulari hoc quinque mensium spatio.

Auctoris sententia de quinque mensium interuallo.

Vt ergo meam ipse proferam explicationem, pro certo habeo in mensibus hisce quinque respexisse Spiritum sanctum ad illud dierum interuallum, quibus vniuersalis eluuionis vnda super terram effusa durauit: ij autem fuere centum quinquaginta dies, Gen. 7.24. & cap. 8.1. Pro huius rei stabilimento, occurrit mihi considerandum primò, in Apocalypseos locutione, iuxta Hebræorum, Chaldæorum, atque Græcorum vsum, singulis mensibus dies omnino triginta nec amplius præscribi; vt probabimus cap. 11. in illis mille ducentis sexaginta diebus. Itaque idem est dicere, quinque menses, ac centum quinquaginta dies. Et quemadmodũ Ioannes, vt allusionem illam ad tres annos & dimidiatum dissimularet, priùs in duos & quadraginta menses, posteà in dies mille ducentos sexaginta mutauit: sic etiam hoc in loco centum quinquaginta dies, quibus durauit diluuium, occultat quodammodo quinque mensium loquutione; quæ tamen eòdem recidit.

Plagam desideriorum cordis, vt eius grauitas pondere tur, rectè cũ communi orbis eluuione comparari.

Secundò expendendum hîc est, vt significanter explicetur, quàm sit grauis locustarum plaga, præclarè eam cum communi mundi eluuione conferri. Nec dissentit Scripturæ consuetudo, quæ acerbissimas calamitates appellare solet diluuium aquarum multarum (vt Psal. 31.6.) Quæ tamen comparatio alijs ærumnis communis, peculiari ratione est plagæ locustarum propria. Nam vt terræ facies totos illos centum quinquaginta dies fuit vndis stagnantibus adoperta: sic etiam de locustis dicitur Exodi 10.15. *Operuerunt vniuersam superficiem terræ*: ac si per allusionem quandam asseratur fuisse locustarum diluuium. C

Quid innuatur in mensium 5. spatio, quo locustarum plaga durasse dicitur.

Tertiò, dum dicitur locustarum plaga centum quinquaginta dies permansisse, subobscurè quidẽ, sed non ineleganter innuitur, nullum aliud ipsius remedium esse super, nisi clementissimus Deus infelicium hominum commiseratione tactus, Noëi mystici, id est, Christi Saluatoris nostri meminerit: & suum spiritum terræ immittat, qui eam ab ingenti ac miserâ locustarum eluuione liberet. Expende verba illa Genes. 8.1. *Recordatus autem Deus Noe, adduxit spiritum suum super terram, & imminutæ sunt aquæ. & cœperunt minui post centum quinquaginta dies.*

Allusionis ad Noei diluuium hic facta quis sit sensus.

Sensus igitur allusionis huius est, Iudaicum populum hac plagâ conflictatum iri; donec dignetur eos Deus suo & spiritu & Euangelio. In quo, ni fallor; includitur vaticinium de ipsorum Iudæorum sub mundi finem conuersione. Præter hæc tamen, ratione singularis cuiusque, qui per viuam fidem & Euangelicum spiritum ad Deum traducitur, dici potest aptè quinque mensium spatium in eo cõpleri. Hoc namque temporis interuallum est mysticum (sicut & dimidiæ horæ in cap. 8.) nec præfinitum dierum numerum denotat: sed totum illud tempus, quo Deus suum spititum in terram dimittere desierit. Quibus illud adiungo; locustarum plagam esse carnalis spiritus effectionem, qui est ventus vrens. Vide Exodi 10.13. *Ventus vrens leuauit locustas, & ascenderunt super vniuersam terram Aegypti.* Vrenti verò spiritui opponitur spiritus consolator per Zephyrum figuratus, *qui arreptam locustam proiecit in mare rubrum.* Exodi 10.19. D

Locustarum plagam suo etiam modo posse ad Christianos suis concupiscentijs deditos, atq; adeò ad imperfectos religiosos applicari.

Et quidem licèt textus loquatur directe de Iudaici populi plaga: ceterùm adhibitâ proportione, possumus similiter loqui de iis omnibus, qui plagam hanc concupiscentiarum patiuntur, quanuis Christiani sint: & suo etiam modo imperfecti religiosi illâ cruciantur. Generalis namque doctrina est, huiusmodi plagæ eam vnam superesse medicinam, vt Deus cælestem suum spiritum miseratus immittat. Quæ significatio si seriò attendatur, constabit mox quàm merito Ioannes, quæ sibi perplacebant, repetierit. Nam bis aut ter quod pulchrum est. Vt in hoc etiam versiculo comparationem scorpionis iterat; de qua satis iam suprà.

Quod vero dicitur, *Datum est illis, ne occiderent eos, sed vt cruciarent*, facile intellectu est. Nam generatim loquendo, desideriorum & solicitudinum plaga, licèt valde torqueat homines, non tamen naturalem aufert vitam: atque hoc ipsum in grauiorem adhuc cruciatum & tormentum acerbius cedere posteà ponderatur.

NO-

Digitized by Google

NOTATIO III.

In qua redditur ratio, cur aquæ obtinuerint terram centum quinquaginta diebus, vt habetur Geneſis 7.24. Ad hæc; quid lateat myſterij in eo, quòd Chriſtus Samaritanæ dixit, Quinque viros habuiſti, *&c. Ioan.4.18.*

NON ſatis eſt, iam expoſuiſſe in tribus menſibus locuſtarum capitis noni Apocalypſeos alludi ad quinque menſes, quibus communis illa totius orbis eluuio terræ faciem obtexit: niſi reddatur etiam conueniens ratio, cur aquæ diluuij centum illis quinquaginta diebus terram vniuerſam inundarint. Nec enim peculiari myſterio vacare putanda eſt illa huius numeri dierum electio. Hanc ad rem nonnihil nobis lucis ab Apocalypſi oboritur, dum centum illos quinquaginta dies, nomine quinque mẽſium compellat. Quod perinde eſt; quaſi dicatur reſpectus fuiſſe habitus ad illud temporis ſpatium, quo tellus fuit vndis cooperta, vt menſium foret non ampliùs quinque. Deinde cùm menſis vnus ſit vna luna: ex eo ſolùm, quòd dierum nomen in quinque lunas commutetur, nos Ioannes quaſi manu ducit, vt illorum centum quinquaginta dierum myſterium in lunarum quinque conſideratione inquiramus.

Vnde conſtet alluſio huius quinque menſium ſpatij ad communia diluuij tempus.

Hoc ita conſtituto, ſuſpicor in vnaquaque luna repræſentari tempus, quo imperium aliquod durat: tum propter nouæ lunæ initium, & noui pariter imperij exordium; tum propter ipſius incrementum, donec ſummam attingit plenitudinem: & denique propter diminutionis principium, quoad tandem omnino deficiat. Et Monarchę quidem ſolis ſymbolum ſibi arrogabant, quo ſuum imperium æternum fore innuerent. Itaque in Auguſti Cæſaris nummiſmatis cernitur ipſe radiis ſolis redimitus: & ſimilia interdum videmus ſtemmata Romani Imperij æternitatem indicantia. Nec abſimili faſtu atque ſuperbia Nabuchodonoſor, cùm ex Daniele accepiſſet de ingenti illa ſtatua ſolum caput aureum ad ſuum imperium ſpectare (Daniel. 2.) vt ſignificaret multò ſe ſtabiliorem & longiorem ſui imperij perpetuitatem ſibi polliceri, totam idcirco ſtatuam ex auro fabricauit, Daniel. 3. Cuius tamen ſuperbiæ ac temeritatis pœnas illico dignas luit, Daniel. 4. vt ſic demum animaduerteret, quam futili atque inani niteretur ſpe, fore vt ſuum imperium in perpetuum duraret. Monarchæ itaque ſibi vanâ expectatione pollicebantur, ſuum imperium ſolis inſtar, fore perpetuum: Scriptura tamẽ eorum imperia cum luna mẽſtrua comparat: quæ cum magis creuit, tunc diminutioni propior eſt.

Vnius lunæ tẽpus ad imperij vnius durationem ſymbolicè referri.

Monarchæ ſiue Imperatores ſolis ſibi ſymbolum arrogaſſe.

Superbia Nabuchodonoſoris auream ſtatuã fabricaris præcipientis vnde occaſionem ſumpſerit.

Exiſtimo ergo, in numero lunarum quinque, quibus aquæ diluuij terram occuparunt, denotari, vniuerſum terrarum orbem inani idololatriæ ſuperſtitione, quaſi quodam diluuio operiendum fore per vniuerſum tempus, quo duraret impotens tyrannis quinque præcipuarum Monarchiarum: quarum prima fuit Aſſyriorum cuius metropolis fuit Niniue (Geneſ. 10. 11. ſecunda Chaldæorum, tertia Medorum atque Perſarum; quarta Græcorum: & quinta Romanorum. Poſtremæ quatuor celebres ſunt apud Danielem, cap. 2. & c. 7. Quòd autem de prima non agat: ideo fit, quia iam illa erat extincta quando ſcripſit Daniel. Notum tamen eſt doctioribus, ante Chaldæorum Monarchiam extitiſſe Monarchiam Aſſyriorum; cuius primus fuit auctor Ninus rex (quem Scriptura appellat Aſſur) & tandem deſiit in Sardanapalum; durauitq; annos circiter mille ducentos. Iam quòd nulla habeatur ratio aliorum imperiorum minoris & nominis & poteſtatis: non caſu & temerè, ſed conſilio atque prudentiâ fuit factum. Tum quia multò erant minora: tum etiam quia eorum tempore, ſaltem quod ad idololatriam attinet, cum aliis in eandem ſuperſtitionem, non ſine aliqua ſubordinatione, confluxerunt. Aſſyriorum autem imperium duxit exordium annis poſt diluuium circiter trecentis. Tunc verò non potuit magna aliqua Monarchia illos anteceſſiſſe: ſiquidem ex communi illo diluuio octo ſolùm perſonæ in toto terrarum orbe reliquæ ſunt. Præſertim, quia Scriptura in ea ſolùm imperia atque Monarchias mentem intendebat, quæ Iſraëlitico populo negotium faceſſierunt. Et quodcunque imperium ante Aſſyrios extitit, Iſraelis populum vexare non potuit. Etenim Abrahami natalitia eodem fere tempore fuerunt, quo Aſſyriorum Monarchia initium cepit. Ad hæc; Monarchiarum huiuſmodi fit mentio, tanquam idololatriam ſectantium: atque falſus idolorum cultus penè cum Aſſyriorum Monarchia ortum habuit (de quo Lorinus in Sapient. cap. 14. 15.) & quæ idola eo tempore colebant Aſſyrij, in orbe etiam ab aliis colebantur. Quin & nouæ quæque Monarchiæ, nouametiam idolorum veneration em introducebant.

Abrahamus quo tempore natus.

Inanium idolorum cultus quando in orbẽ inuectus.

Ex iis etiam, quæ Daniel aſſerit cap. 2. in ſtatuæ per ſomnium viſæ explicatione, conſtat mundum hiſce Monarchiis ſemper in peius ruere. Quandoquidem ex poſtremis quatuor prima comparatur auro, ſecunda argento, tertia æri, & quarta ferro. Potuit fortè in ea ſtatua comprehendi Monarchia Aſſyriorum in Chaldæorũ imperio. Nam Aſſyrij atque Chaldæi ex eâdem penè gente ac natione fuerunt. Quare ſacræ etiam Literæ interdum Aſſyriorum nomẽ Chaldæis attribuunt. Atque vtriuſque imperij diſtinctio idcirco fortaſſe fuit omiſſa, quia propria Aſſyriorum Monarchia iam erat, tunc autem nulla habebatur ratio de præterita Monarchia: & præſens Chaldæorum veluti filia Aſſyriorum Monarchiæ reputabatur. Verùm enimuerò diluuij tempore (quod Aſſyriorum Monarchiam anteceſſit) cum præſignificandæ eſſent Monarchiæ, quæ Dei populum in arca figuratur, afflicturæ erant: congruens admodum fuit, atque adeò opus, haberi rationem Monarchiarum omnino quinque quæ ſubſequuturæ fuerant. Neque enim maior fuit diſtinctio inter Medorum & Chaldæorum Monarchiam, quàm inter Chaldæorum & Aſſyriorum. Atqui Aſſyriorum imperium non parum Iſraëliticum populum vexauit; cum Chaldæorum Monarchia ſub finem regni Amaſiæ cœperit. Quapropter relictis pro quatuor illis Monarchiis, auri & argenti, æris ac ferri metallis, atque ad quatuor Danielis Monarchias applicatis: poſſemus quidem Aſſyriorum Monarchiæ ex metallis electrum natiuum tribuere: quod vel ipſo auro pretioſius eſſe Plin. ait. Et Conſtantinus Magnus in epiſtola ad Catholicos, quæ habetur tomo Conciliorum ait, *Electro nulla prænalet materia elementorum*: & propterea aſſerit ſe Apoſtolorum Petri & Pauli corpora in electro concluſiſſe.

Aſſyriorum imperium quomodo in Danielis ſtatua figuratum.

Chaldæorum Monarchia quo tempore cœperit.

Aſſyriorum Monarchia electrũ applicatur.

Simili ergo ratione, qua inter quatuor Danielis Monarchias antiquiſſima fuiſſe melior ſignificatur: pari etiam proportione exiſtimandum eſt, Aſſyriorum Monarchiam fuiſſe Monarchiâ Chaldæorum potiorem. Quòd ſi verum eſt, Monarchiam Aſſyriorum annos non minus mille ducentos permanſiſſe: hinc intelligi facilè poteſt, æquitatem in ea, clementiam, & rectam rerum publicarum adminiſtrationem præ ceteris deinceps Monarchiis imprimis viguiſſe. Hæc namque ſunt, quæ imperia frænant ac fulciunt: iuxta illud Prou. *Miſericordia & veritas cuſtodiunt regem & roboratur clementia thronus eius.* Alioqui enim *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniuſtias & injurias & contumelias & diuerſos dolos*. Eccl. 10. 8. Iuſtitia autem & clemẽtia ſunt natiuum illud electrum pretioſiſſimum, quod reges à veneno intactos ſeruat, eoſque plus ab aliis ſuſpici & coli efficit, quàm electrum natiuum præ auro & argento æſtimatur: atque adeò plus quàm iris & ſplendor igneus, quæ Plinius electro natiuo attribuit. Quæ omnia ita accipio, Aſſyriorum imperio ſtante atque florente: poſteà enim compertum eſt, in eo inclinante iam & ad occaſum vergente tantopere libidinem, luxum & iniquitatem fuiſſe dominatas: vt Deus Ionam prophetam dimiſerit ad regem Sardanapalum

Coniecturis elicitur, in Aſſyrio. tum imperio iuſtitiam & æquitatem viguiſſe.

Prou. 20. 28.

Quid myſticè deſignent quinque mẽſes, quibus communis terra duranit eluuio.

Præcipuè quinque orbis Monarchia quæ fuerint.

De tempore Aſſyriorum Monarchiæ initij & duratione.

Digitized by Google

palum: cui Niniues ruinam & interitum prænuntiaret. quæ tamen ruina ac vastitas propter regis & totius ciuitatis pœnitentiam per tempus aliquod dilata fuit. Ceterum hic idem nuncius à Deo ciuitati missus indicat, Niniues statum antè valde diuersum fuisse: siquidem tot annorum sæculis floruerat, nec Deus toto illo tempore similes ipsi minas intenderat.

Antiquitatem ab omnibus maximè suspici.

Prætereà cum illa quatuor metallorum comparatione Danielis 2. consonat communis assensio, quæ in omnibus antiquitatem suspicit, & veneratur. De quo quàm plurima extant apud Poëtas & scriptores tam Græcos, quàm Latinos. Neque his refragatur locus ille Eccles. 7. 11. ***Ne dicas, Quid putas causæ est, quòd priora tempora meliora fuere, quàm nunc sunt? stulta enim est huiusmodi interrogatio.*** Etenim in hoc loco contextus agit de eo, qui suæ impatientiæ & iracundiæ excusationem affert, quòd oblatæ sibi ad iracundiam occasionis præ ceteris aliorum grauissimæ sint ac molestissimæ. Stultum namque est id cogitare. Verum rectè cum hac veritate consentit, sæcula Monarchiæ Chaldæorum fuisse aurea, si cum aliis futuris comparentur; & Medorum sæcula fuisse argentea; ærea Græcorum; & ferrea Romanorum. Eàdem ergo proportione dixerim, Assyriorum Monarchiam respectu ceterarum, fuisse veluti natiuum electrum.

Gradatio inter quinque illas veteres Monarchias: & quid imprimis in earum singulis floruisse videatur.

Si ergo id constituamus generatim loquendo, primam scilicet ex iis quinque Monarchiis fuisse præstantiorem secundâ, hanc tertiâ, tertiam quartâ, & quartam quintâ: illud mihi veniebat in mentem, quod huiusmodi gradationi ac proportioni non parum fortassis respondeat: nimirum in prima Monarchiarum huiusmodi effloruisse virtutis imaginem, nempe iustitiam & rectam administrationem: in secunda, sapientiæ pretium & æstimationem: in tertia, delicias & corporis blandimenta: in quarta opes ac diuitias; & in quinta honorem ac nominis existimationem. Hæc vt ita accipiam, apud me statuo in his quinque bonorum generibus includi quidquid homines in hac vita appetere atque indagare possunt. Etenim animæ bona ad virtutem ac sapientiam reducuntur: bona autem corporis ad delitias, diuitias, honores.

In Romanorũ Imperio honorem & ambitionẽ maximè viguisse.

Atque vt ab vltima Monarchia, quæ Romanorum fuit, exordiamur: notum est, & ab Augustino animaduersum, honorem imprimis fuisse illis præ ceteris bonis chatissimũ. Quamobrem proprium nomen bestiæ maris cap. 13. Apocal. (in qua, vt videbimus, Romanum denotatur imperium) non est aliud, quàm *superbia vitæ*: de quo ibi latè. Græcorum Monarchiæ adscripsi maximam diuitiarum æstimationem. Nam in pardi pelle, de quo Scriptura agit (id est Panthera) significantur diuitiæ, vt patebit Apoc. 13. Et Græcorũ quidem imperium depingit Daniel sub Pardi figura cap. 7. Compertum verò est magnum Alexandrum Darij regis atque Indiæ opibus potitum fuisse. Eius insuper successores cupiditatis diuitiarum maximè insimulantur; vt ex sacrarum Literarum historiis planum fit.

Græcorum Imperium floruisse opibus ac diuitiis.

In Medorum atque Persarũ Imperio delitias ac blandimenta corporis fuisse dominata.

In tertia Monarchia Medorum atque Persarum nemo nescit, delitiosam vitam & corporis blandimentis deditam cum primis dominari. Vt facilè expendi potest in magna illa vxorum multitudine, in conuiuiis lautissimis, in pretiosissimis vnguẽtis, & aliis id genus: quæ satis constant ex lib. Esther. Notum est etiam Persarum ac Medorum Monarchiam per vrsum significari Daniel 7. 5. Vrsus autem summi luxus ac blandimenti symbolum est, vt videbimus Apoc. 13.

Chaldæorum Monarchiam sapientia ac literarũ æstimatione eminuisse.

Atque vt ad Chaldæorum Monarchiam gradum faciamus; in nulla alia re illam illustriorem video, quàm in sapientiæ ac literarum æstimatione. Hoc satis cognoscitur, tum ex honore amplissimo Danieli delato, quia somnia fuerat interpretatus: tum ex sapiẽtum, magorum, & ariolorum frequentia; tum etiam in astrorum peritia, & iudicaria astrologia, quam ex Chaldæis in mundum vniuersum deriuatam fuisse atque dispersam compertum est. Videatur apud Danielem cap. 1. 4. quanta cura ac diligentia fuerit Nabuchodonosori seligendi ***pueros eruditos in omni sapientia, cautos scientia, & doctos disciplina: & qui possent stare in palatio regis, vt doceret eos literas, & linguam Chaldæorum.*** Atque vt Daniel & tres ipsius socii fuissent regi imprimis accepti, ait textus num. 17. ***Pueris autem his dedit Deus scientiam, & disciplinam in omni libro & sapientia: Danieli autem intelligentiam omnium visionum & somniorum.*** Et infrà; ***Omne verbum sapientiæ & intellectus, quod scisciatus est ab eis rex, inuenit in eis decuplum super cunctos ariolos, & magos.*** Hinc grauissima fuit in eos inuidiæ coorta tempestas: ex qua tamen, singulari Dei prouidentia, incolumes euaserunt. ***Et promouit eos rex in prouincia Babylonis: & Danielem fecit tertium in regno suo.*** Et alibi dicitur voluisse rex eum ceteris omnibus superiorem præficere. Ac demum in nulla ex reliquis Monarchiis inuenietur, principes tantopere sapientum virorũ honori ac dignitati consuluisse. Atque ita Monarchiæ Assyriorum (quæ prima fuit) obtingit maior iustitiæ & optimæ gubernationis cura: vt ex suprà notatis facilè sibi quiuis persuadebit. Et facit etiam, quòd in magna, quam egerunt, pœnitentia, audita Ionę prædicatione, cernere est in magno pretio apud illos fuisse sanctitatem: quandoquidem persuaderi eis potuit adeò magna de peccatis pœnitentia.

Monarchia Assyriorum fundum æquitatis ac iustitiæ cum primis proprium fuisse.

His præmissis facilè intelligitur, imperium illud, in quo iustitia & æquitas cum primis florebat, maximopere antecellere ei imperio, in quo iustitia non valdè florebat, sed sapientia præ ceteris æstimabatur. Deinde imperium, in quo sapientia eminebat, reliquis tribus valde præstare planum est. Ex illis autem tribus, licèt grauissima sint vitæ mollis ac deliciosæ damna: multò tamen grauiora sunt, quæ ex nimia auaritia sequuntur: sed inter cetera sunt maxima detrimenta, quæ ambitio & nimia honorum affectatio secum affert. Constat igitur ex longa hac ratiocinatione, Gentilitatem semper in deterius ruere, & sublapsam retro ferri per totam illam quinque Monarchiarum successionem.

Gentilitatem semper in deterius fuisse.

Enimverò quanuis prima fuerit melior, quàm secunda: & hæc aurea fuerit cum subsequentibus comparata: ceterùm absolutè loquendo, omnes illæ exitiabilem terrarum orbi perniciem importarunt: quippe inanem Idolorũ cultum profitebantur omnes. Quamobrem iustitia & recta administratio, quam in prima enitere diximus, neutiquam vera erat iustitia & æqua animatæ gubernationis ratio: sed vmbra quædam & fucata iustitiæ imago, propterea quòd probi mores magni aliquando æstimarentur, & æquitatis ac iustitiæ duceretur ratio. Sapientia item, quæ generatim in Chaldæorum Monarchia maximè colebatur, veri Dei cognitionem nequaquam attingebat. Quare in vtraque Monarchia terrima facinora & execranda scelera passim grassabantur. Nihilominùs tamen propter eam, quam reddidimus, rationem, congruenter satis apparet, Monarchiæ primæ iustitiam humanam attribui, humanam sapientiam secundæ: tertiæ vitam mollem & effœminatam: quartæ cupiditatem diuitiarum: & honorum ambitionem quintæ. Sed si quinque omnes Monarchiæ decursu temporis mundum vniuersum erant oppressuræ, si cuiusque tempus & spatium in vnius lunæ interuallo rectè denotatur: quid potuit significantius effingi ad miseram orbis calamitatem indicandam sub quinque Monarchiarum tempore & statu, donec Deus suum mitteret Spiritum: quàm Deum ipsum statuisse, vt aquæ diluuij centenos quinquagenos dies, id est, quinos menses terram vniuersam obtegerent? In quo nimirum tempore ingruens calamitas & vastitatis comminatio eò maior erat, vt constat, quò remedium magis protrahebatur. Atque adeò cuiuslibet mensis damnum præterito grauius erat. Quod innuebat, Gentilitatem quinque Monarchiarum successione ad summam calamitatis miseriam deuenisse.

In quinque communis diluuij mensibus figurari mysticè mundi miseriam sub quinque prædictis monarchiis.

Cum his, quæ diximus hactenus, mirificè cohæret: vt per allusionem ad quinque menses, quibus communis eluuio terram inundauit, dicatur mysticarum locustarum plaga à Deo aduersus Iudæos perfidos immissa, per menses omnino quinque duratura. Etenim si in locustis concupiscentiæ denotantur, affirmare plagam hanc quinq; mensibus permansuram, perinde est quasi dicatur, densissima desideriorum minimè expletorum eluuio, in eos fore immittenda: atque adeò ipsi virtutis, sapientiæ, dilitiarum, opum, & mundani honoris

Illustratur amplius allusio locustarum. Apocalypsios per quinque mẽses durantium ad communis diluuij tempus.

Digitized by Google

honoris desiderijs esse torquendi: quæ sunt Monarchiarum quinque affectiones suprà dictæ. Vbi notandum est, virtute siue iustitiæ desiderio magnopere torqueri peccatores, sicut ignaros etiam desiderio scientiæ. Nam quotiescunque experiuntur sibi ad ea, quæ expetunt, vires deficere: desiderium ipsum carnificis instar est, qui eos diu noctuque excruciat: iuxta illud, *desideria occidunt pigrum*, Prou. 21. 25. & Prou. 13. 12. *Spes, quæ differtur affligit animam*. Et Isaiæ 37. 3. *Venerunt filii vsque ad partum, & virtus non est pariendi*. Quapropter eodem ferè modo virtutis non possessæ desiderium debilem & impotem torquet: atque desiderium seu cupiditas diuitiarum anhelantem ad opes discruciare solet. Et in eodem sensu ait Salomon, *Qui addit scientiam, addit & laborem*, Ecclesiastæ 1. 18. Nam in adquisitione scientiæ frequenter accidit, quod in diuitiarum compendio siue lucro. Qui enim aliquid scientiæ adipiscitur, illico magis magisque scientiæ inhiat: & eo ipso, quod discitur, discendi desiderium augetur. Nec sitis hæc vnquàm expletur, quippe quò plus addiscitur, eò plus propria ignoratio dignoscitur. Quemadmodum nec diuitiarum cupido mitigatur vehemens opum auiditas: quia quò plura adquirit, eò plura sine fine appetit.

Desiderium quantopere mentem excruciet.

Cum hoc quinque mensium mysterio optimè consonat quod Christus Samaritanæ dixit, Ioan. 4. 18. *Quinque viros habuisti: & nunc quem habes, non est tuus vir*. In quo præmittendum est imprimis, non sine arcano ac recondito admodùm mysterio diuinam prouidentiam decreuisse, vt ad denotandam Gentilitatem, quæ Christi fidem erat receptura; eâ tempestate ad puteum fœmina illa accederet, quæ quinque viros habuerat. Eam enim mulierem fuisse Gentilitatis typũ, docent Tertullianus, Ambrosius, & Augustinus apud Lauretum in sylua allegoriarum. Qua de re dubitare vix possit, qui Christi Redemptoris nostri verba illa ad eam prosata attentè perpendat: *Vos adoratis, quod nescitis: nos adoramus, quod scimus: quia salus ex Iudæis est*. Et facit, quòd Samaritani appellantur alienigenæ Lucæ 17. 18. quòd autem in singulari fœmina ingens aliqua respublica figuretur: tam in sacris Literis, quàm in prophanis vsitatissimum est.

Mysticus sensus eorum Christi verborum ad Samaritanam Quinque viros habuisti. *Samaritanã fuisse Gentilitatis typum.*

Præmittendum est Secundò, illa Christi verba, *Quinque viros habuisti*: non ita esse accipienda, quasi quinque habuerit illa viros, præter eum, cui tunc turpiter erat associata: sed de quinque omnino viris, illo etiam, quem tunc habebat, annumerato: hoc enim est aptius ad mysterium: & in simili phrasi sæpè significatio similis intenditur; cùm Christus non dixerit, *Quinque viros habueras*; sed *habuisti*. Sic familiari sermone dicimus, quinque domos pretio conductas incolui: videlicet illam etiam, quam nunc incolo, comprehendendo. Aliud verò est, Quinque domos incolueram.

Christi verba de quinque Samaritana virtis quomodo accipienda sint.

Tertiò, præmitto, quemadmodum Christus appellat illius mulieris virum, quem illa non legitimo matrimonio sibi copularat, (nam ad huiusmodi appellationem satis est illi fuisse per concubinatum addictã) sic de cæteris quatuor, qui præcesserant intelligendum esse. Atque ita explicat noster Maldonatus cum Chrysostomo, eademque est aperta Irenæi sententia, quem citat Barradas. Nec aliquid est, quod aliter explicare cogat. Nec facilè admitti debet, fœminam illam postquam quater fuerat nupta, concubinam posteà fuisse, cùm id textus non exprimat, quanuis huic considerationi non valde nitar.

Quinque Samaritana viros non illi legitimo matrimonio, sed illicito pellicatu copulatos fuisse.

His ita constitutis, sanè quàm congruenter viri illi, quos Samaritana mulier habuerat, typum Gentilitatis gerens, designans imperia seu Monarchias, quibus ipsa Gentilitas miserè fuerat subiecta. Nam vt Episcopus rectè suæ Ecclesiæ sponsus esse dicitur: ita Imperator est veluti vir eius reipublicæ, quæ sibi subiecta est: & qui in vno eodemque imperio succedunt, aptè possunt vnius instar viri considerari. Quare ad quinque Monarchiarum distinctionem nihil accommodatius est, quàm quinque viri quos ea mulier habuisse dicitur.

Per quinque Samaritana viros typice quinque orbis Imperia indicari.

Iam quod subiungitur, vltimum scilicet virum, sicut & priores, non esse legitimum; hoc etiam valde

A conducit ad significandum, Imperium non quidem legitimum fuisse, sed quasi concubinatum. Nam quinque omnes Monarchiæ fuerunt tyrannicæ, & præter iuris atque æquitatis normam: eorum videlicet violentiâ atque tyrannide, qui imperium vi occuparunt: atque eorum debilitate, qui inuiti coactique illis succumbebant: & quos odisse deberent, eorum se amatores profitebantur.

Porrò quatuor hi viri, quos Samaritana habuerat, repræsentant miseram Gentilium seruitutem ac subiectionem quatuor primis imperiis: nimirum Assyriorum Monarchiæ, Chaldæorũ, Persarum ac Medorum, atque Græcorum. Quem autem virum habebat adhuc, ille denotat durissimum famulatum, quo tunc Gentilitas potentiæ Romanorum subiacebat. Atque hæc subiectio supradictis imperiis eleganter fornicationis nomine compellatur: tum propter dicta, tum etiam, quia hoc pacto significatur Gentilitatem ipsam vt ipsis imperiis, ita etiam imperatorum idolis & B commentitiis diis miserandũ in modum subiici. Nam idololatria est spiritalis quædam fornicatio. Et iuxta hunc sensum in Apocalypsi dicitur Roma cum terræ regibus fornicari, quia ad spiritualem fornicationem cum ipsis commiscebatur.

Quid per quatuor præcedẽtes Samaritana viros mysticè figuretur.

Præterea, quod Christus mulieri dicit, vt suum vocet & adducat virum; indicat atque prænunciat, quod posteà euenturum erat; nimirum multorum infidelium conuersionem fore occasionem, vt ipsi tandem Romani Impp. traducerentur ad fidem. Tunc autem infidelitas in finem desiit: & spiritualis ille concubinatus, hoc est, illegitimum imperium in verum matrimonium siue imperium legitimum fuerat conuertendum. Quia tunc Christi virtute factum est, vt Romani Impp. summi Christi Vicarij auctoritate legitimum imperij ius possiderent, & fideles voluntario obsequio sibi subiectos haberent. Quod verò attinet ad historiam; cum Christus mulieri præcipit, vt suum aduocet virum, manifestum est eo animo id præcipere, vt ambos ad suam fidem & ad legitimum matrimonium C accerseret. In ipso item mysterium, Imperatoribus ad Christi fidem conuersis immutatum fuit tyrannicum imperium, & in legitimũ deinceps conuersum. Atque ita Monarchia illa, quatenus tyrannica erat & Deo infensa, cessauit; & in partem veri Christi regni, quod in Scriptura celebratur commutatum fuit. Imò verò Christianus Imp. non tam erat veluti sponsus Reipublicæ, quàm seruus illius. Etenim imperium Christianum non tam dominationem sonat, quàm seruiendi Reip. curam, & illius vtilitati consulendi. Per huiusmodi ergo commutationem, concupiscentiæ (quæ in hostilibus Monarchiis acerrimè infideles fodicabant, quòd illi explere suorum desideriorum famem nequibant,) non eos in posterum cruciant: si tamen se sponte Christo subiiciant, & ex eo cælestem illam vndam hauriant, quæ sitim huiusmodi prorsus extinguit. Namque reperiunt in Christo veram virtutem, sanctimoniam ac iustitiam; solidam sapientiam, cælestes delitias: diuitias æternas & nusquam perituros honores. Atque hæc quidem omnia ita planè & cumulate: D vt nihil deinceps remaneat famis eiusmodi, nihil sitis.

Quod Christus Samaritanæ dixit, suum vt virum vocaret, quid mysticè sit.

Iam quod dixerat Christus, *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*: idem est, atque *in æternum salientis*. Quasi dicat, Fons aquæ semper effluentis, & animi desiderium semper explentis. Desumitur autem comparatio ex discrimine inter sanum ac valentem hominem, qui sitim facilè haustâ aquâ extinguit: & inter ægrotum, qui quantunuis magnam aquæ vim exhauriat, intimus tamen febris ardor in imis hærens medullis humorem penitus absumit. Præsertim cùm exiguæ vix ei guttulæ ad sitim refrigerandam suggerantur. Hic ergo, quem tantoperè febris æstus ac sitis excruciabant, si singulari Dei beneficio repentè conualesceret, & sitim è pectore depulisset; perspicuum est, illum deinceps non ampliùs eo vehementis sitis æstu distorquẽdum. Hoc igitur præstat Christi gratia, vt optimè explicant interpretes, Ioan. 4.

Sensus tum literalis, tum mysticus fontis salientis in vitam æternam.

Atque hac ratione Gentilitas, quæ vtpote debilis & infirma spiritale fornicationi sese miserè subiicie-

bat,

Digitized by Google

bat, falsò putans sitim hoc pacto, si minùs extinguere, at nonnihil releuare se posse; & eapropter se toties spirituali huic concubinatui addixerat; nec tamen sitim sedare vnquam poterat (vt innuitur in assidua illa fatigatione, qua toties ire, redire ad comportandam aquam non cessabat:) Gentilitas, inquam, ad Christi demum fidem conuersa, in ipso reperit verum sponsum, ac veram satietatem, verumque iugis ac perennis aquæ fontem. Quo factum fuit, vt cœnosas ac lutulentas paluſtris aquæ lacunulas contemneret (de quibus Ierem. 2. 18.) nec non aquam humano sanguine cruentatam, quam bibebant infideles. Verum autem, pellucidum ac inexhaustum vitæ fontem obbiberet; qui imo in pectore salienti scatebrâ manat semper, semperque manabit; ita vt nulla deinceps suboriatur sitis.

In infami Samaritana concubinatu quid adumbretur.

Præter hæc, quòd Christus ad prædictam significationem symbolum infamis mulierculæ vsurpârit, quæ & turpem tunc haberet cum viro consuetudinem, & antea cum aliis quatuor habuisset; hoc, inquam, adumbrare videtur miseram & calamitosam vitæ infelicitatem, quam priùs Gentilitas degebat. Etenim ad summi dedecoris, ignominiæ, & squaloris significationem nihil aptius, quàm concubinaria mulierecula. Præsertim, quia cùm in quinque viris habeatur respectus ad quinque Monarchias: fortasse sic innuitur, Samaritanam fuisse veluti coactam cum illo se viro commiscere, qui primum eius amasium occiderat; deinde cum illo, qui secundum occidit: & sic de ceteris. In quo non obscurè depingitur maxima ac miserrima Gentilitatis calamitâs, dum per multiplices diuersarum Monarchiarum vicissitudines captiua trahebatur: & nouis idolorum superstitionibus nouisque ingeniis virorum miserabiliter se subdebat, tot viduitatibus obnoxia, tot matrimoniis, seu potiùs concubinatibus: idque cum prophanis, nothis, homicidis, morboque turpi & contagioso laborantibus & valde crudelibus viris: quorum miseriis (communionis ratione) se quoque subdebat. Cùm tamen silere cogeretur & extremam sitim pati: aquamque sibi & viris suis anxiè quærere & humeris suis asportare, ad refocillandas animas. Quantæ ergo felicitatis fuit ex hoc tandem calamitatis barathro emergere aliquando; & qui ipsam priùs ægroti pugnis & calcibus truculenter impetebant: quique nihilo secius se eidem exhibebant, ac si leones, vrsi, pardi ac horribiles feræ essent (vt habetur Daniel 7.) eosdem robustos iam, mites ac locupletes eidem ipsi famulari; illamque validam ac diuitem veri animarum sponsi, id est, Spiritus sancti castissimis amplexibus frui?

Quemadmodum de infidelium miseria, qui concupiscentiarum siti subiecti sunt, per Samaritanæ & quinque ipsius virorum allegoriam proloquuti sumus: ita etiam facile esset longâ ratiocinatione vti, expendendo miserum eorum fidelium statum, qui nec singulari Dei dono, nec iugi vitæ fonte, quo nos allicit, perfrui volunt. Necnon adhibitâ proportione ratiocinari possemus in imperfectorum hominum ac tepidorum miseriâ: qui quanuis in Dei gratia permaneant, tamen ad temporalia bona, ad res fluxas, ac perituras nimis sitienter anhelant: sed hæc attigisse sit satis.

NOTATIO IV.

De mysterio eorum verborum Luc. 1. 24. Concepit Elisabeth, & occultabat se mensibus quinque.

In Christi miraculis, præter externum opus, mysteria etiam inclusa continueri.

Notandum primò est, verisimile valde esse in hac historia de D. Ioannis Baptistæ conceptione mysticam & arcanam significationem delitescere. Etenim si in Christi miraculis eiusmodi significatio reperitur: Ioannis conceptio vnum certè est ex illustrissimis Christi miraculis & admirandis Dei operibus. Et quidem in reliquis miraculis Christi magna occultari mysteria Augustinus & Gregorius disertis verbis affirmant. Ille enim tractatu 44. in Ioan. *Miracula*, inquit, *quæ fecit Christus, & opera & verba sunt opera, quia facta sunt: verba, quia signa sunt.* Gregorius autem, *Miracula Domini sic accipienda sunt: vt & in veritate credantur facta, & per significationem nobis aliquid innuant. Opera quippe eius & per potentiam aliquid ostendunt, & per mysterium aliquid loquuntur.*

Vt ergo credamus opus hoc Baptistæ conceptionis esse planè mirandum, nec mysterij expers, oportet imprimis considerare singularem diuinæ prouidentiæ curam in eo potissimum, quòd Ioannis parentes *Zacharias* & *Elisabetha*, vocarentur: ipse verò puer *Ioannes*. Quia Ioannes idem sonat, quod *misertus est Dominus*: & Zacharias, *Recordatus est*: & Elisabetha, *Iuravit Dominus*. Porrò compertum est, per iuramentum repræsentari Dei promissionem: & per memoriam, Dei fidelitatem. Deinde dubium non est, Dei misericordiam mundo exhibitam promissioni ipsius Dei atque fidelitati referri acceptam debere. Itaque misericordia est veluti partus iuramenti seu promissionis: procreatus nimirum ex eo, quòd Deus existat fidelissimus, nec præstitam fidem vnquam obliuiscatur. Quamobrem peracutè interpretes aliquot adnotarûnt sanctissimam virginem in suo cantico per allusionem ad Zachariæ, Elisabethæ ac Ioannis (qui eam exceperi processere obuiam) nomina admiranda & eorum etymologiam, illa verba inter cetera protulisse: *Recordatus misericordiæ suæ: sicut locutus est ad patres nostros.*

Ioannis, Zachariæ & Elisabethæ etymologia.

Sanctissimam Virginem in suo Cantico ad Ioannis Zachariæ & Elisabethæ nomina, eorumq; etymologias alludisse.

Quæ profectò allusio elegantissima est, opinor, ex iis, quæ hactenus vsurpatæ sunt: & multum habet decori in Virginis Cantico, præsertim ad primam ipsam cognatarum congressionem. Quin imò allusio hæc tantopere Zachariæ placuisse videtur, vt in Beatissimæ Virginis veneratione, ipse posteà ad antiquam amissæ vocis vsuram restitutis, eam in suum Canticum transtulerit. Dixit enim Dei fidelitatē siue memoriam cum ipsius iureiurando coaluisse, vt misericordia inde exoriretur: *Ad faciendum misericordiam cum patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti: iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum.*

Eidem etiam Zachariam in suo Cantico respexisse.

Si ergo diuinæ prouidentiæ fuit singulari curæ nominum Ioannis, Zachariæ, & Elisabethæ etymon siue notatio: vt sublime illud mysterium à Ioanne posteà annunciandum hoc pacto adumbraretur: cui non verisimile satis fiat, nihilo ignobilius mysterium in illa Elisabethæ per quinque menses occultatione fuisse reconditum? Qui literæ corticem solùm attendunt, satis sibi esse putabunt: si dixerint, diutiùs occultari non potuisse Elisabetham, quàm quinque mensibus. Ceterùm neque hoc valde est certum: neque si sit, à vero abhorret, aliam quidem fuisse Elisabethæ, aliam spiritus sancti in eius operis significatione mentem.

Cur Elisabetha Ioannis filij conceptū menses quinque occultauerit?

Illud mihi mysterium rem attentè consideranti veniebat in mentem: magnam scilicet Dei misericordiam plenè consistere in præstantissima felicitate, quam spiritales Abrahami filij adepturi erant. Quamobrem tam sanctissima Virgo in suo cantico, quàm Zacharias in suo manifestè agunt de excelsa Dei promissione, quàm Abrahamo præstiterat, fore vt ipsius genus ac semen stellarum instar fieret. Genes. 15. 5. *Suspice cælum, & numera stellas, si potes: sic erit semen tuum.* Ingens hæc felicitas non oculis est cumulatè vsurpanda, quoad iusti ad æternam beatitudinem

Magna Dei misericordia, cuius & sanctissima Virgo, & Zacharias in suo Cantico mentem, in quo consisteret.

Digitized by Google

dinem perueniant; & suam felicitatem maximam aspiciant; & quàm meritò sibi cælestium stellarum nomen tributũ fuerit. Hinc 1. Ioan. 3. 2. *Nonaum apparuit, quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit: similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* Quasi dicat: tunc erimus fulgentium instar stellarum. Nam verum iustitiæ solem aduersi intuebimur, & clarissimæ ipsius lucis fulgorem ac similitudinem accipiemus: veluti stellæ, quæ lucem à sole mutuatæ ad ipsius similitudinem collucent.

Ingenti hac Dei misericordiâ erga spiritales Abrahami filios, promissio ipsius Dei constat, & quasi grauidata est. Nam Deus suam dedit fidem: & diuina fidelitas vnà cum promissione copulata non potest non impleri: atque adeò fieri omnino nequit, vt quod Deus familiari suo Abrahamo pollicitus est, non re ipsa præstetur. Accedit, quòd lex erat grauidata Christo, vt ait
1. Cor. 10. 11. Augustinus. Quod autem Paulus ait, nempe *omnia in figura contingebant illis*: nos reddit certos Iudaici populi cærimonias ac successus fuisse veluti grauiditatem mysteriorum, quæ sub ipso literalis historiæ cortice latebant. Cùm verò nondum quinque menses præteriissent, conceptio ipsa siue grauiditas delitescebat adhuc: nec dum agnoscebatur, quoad manifestis indiciis deprehensa fuit.

Quinque menses, quibus suã Elisabetha grauiditatem occuluit, quid mystice figurent.

Dicam clarius. In superiori notatione vidimus per quinque menses cõgruentissimè figurari tempus illud, quo quinque Monarchiæ idolorum cultrices duraue-runt nimirum Assyriorum Monarchia, Chaldæorum, Medorum & Persarum, Græcorum, atque Romanorum. Illa ergo promissio fuit Abrahamo facta sub initium Monarchiæ Assyriorum: quia ipse natus est in principio illius Monarchiæ quæ circiter mille ducentos annos duravit. Si igitur magna illa felicitas, ad quam Abrahami filij per Dei pollicitationem extollebantur, nondum intelligebatur in mundo antequam Christus suum spiritum hominibus elargiretur: si Christi item spiritus sub quintæ Monarchiæ exitum hominibus datus fuit: aptissimè ergo id representatum est in eo, quod textus ait, *Elisabeth occultabat se mensibus quinque.* Vbi nota per præteritum imperfectum indicari, ante quinti mensis finem manifestam fuisse Elisabethæ grauiditatem: id, quod ita prorsus accidit. Nam ante quintæ Monarchiæ terminum patefacta fuit mundo magna illa expectatio ex futura filiorum Abrahami felicitate exoriens. Finitũ tandem est quintæ Monarchiæ tempus, cùm Romanorum imperium traditum Ecclesiæ est. Nam deinceps non iam Bestia, sed Ecclesia Christi regnat. Verùm Christiani populi spes iam intelligebatur, ex quo Christus suum in eos spiritum effudit: id est, prius quàm quintus fœturæ huius mensis, siue quintæ Monarchiæ tempus præteriret. Non tamen dubium est, quin post quinti mensis finem notius adhuc & manifestius fuerit, Elisabetham esse grauidatam: cùm vteri tumor id euidenter proderet. Eâdem igitur ratione, quando ad quintæ Monarchiæ finem peruentum est: nimirum, quando Romanum imperium Christianæ Ecclesiæ sese dedidit: tunc vteri magnitudo, id est, Romanæ Ecclesiæ amplitudo & magnificentia nobis certissimè vulgauit gloriæ magnitudinem ac sublimitatem, ad quam in cælum spiritales Abrahami filij euocantur. Atque hæc gloriæ magnitudo est felicissimus ille partus in lucem demum prodendus, quando impleatur quod Ioannes ait; *cùm apparuerit, similes ei erimus.* Atque ita in Apocal. ex amplitudine & magnificentia, quam in hac vita possidet Romana Ecclesia, consideratur admirabilis gloriæ magnitudo, quam in cælum euecta possidebit. Et hanc ob rem diuus Ioannes Euangelista bis ad pedes Angeli procumbit: priùs in c. 19. 10 postquàm ei ostendit Ecclesiæ victoriam de Romana vrbe: deinde in cap. 22. 8. cùm ei ostensa est cælestis Hierosolyma.

Elisabetha grauiditatem ante quinti mensis finem fuisse cognitam, in ipso textu innuit.

Ex dictis intelligitur cærimoniarum veterum ac rituum grauiditatẽ, siue fœturam cœpisse ad Assyriorum Monarchiæ tempore: spatium autem, quod interfluxit, priusquàm hæc prægnatio agnosceretur, rectè cum illis quinque mensibus comparatur, quibus se Elisabetha occultabat. Restabat ad huius symboli perfectionem & complementum, vt quemadmodum fœturæ tempus in Elisabetha alios insuper quatuor menses durauit: ita etiam quod supererat temporis, postquam Romanum Imperium se Ecclesiæ subdidit, ad illum vsque terminum, quem Ioannes significat, dicens *cùm apparuerit*, &c. (id est ad triumphantis Ecclesiæ sæculum) posset similiter ad quatuor menses reduci. Quòd si mensis vnus denotat vnum imperium: non ineptè affirmare possemus, ex quo Romanum imperium fuit Ecclesiæ potestati subactum, duos iam mysticos menses fuisse transactos: hoc est, duorum imperiorum tempora: nempe Orientalis siue Constantinopolitani, & Occidentalis siue Germanici. Ceterùm nec mihi rerum futurarum prænotio est, nec prudentis esse hominis iudico absque solido fundamento futura diuinare, atque asserere duo alia præterea supereſſe imperia sibi inuicem successura, & ad secundi exitum fore mundum finiendum. Nec verò opus est allegoriam ita ad viuum resecari: sed quoad Scriptura præuiam duxerit facem.

Grauiditas Elisabetha sub quinti mensis finem manifestata quid typicè adumbret.

Alium tamen diuersum modum redigendi Christianæ Ecclesiæ tempus ad quatuor mysticos menses reperire, nõ admodùm esset difficile. Enimuerò nulla cogit necessitas allegoriam hanc ita pertinaci filo persequi, præsertim cùm mihi ea solùm attingere sit animus, quæ ad illustrandam Apocalypsin spectant: & ideo solum explicauerim mysterium quinque mensium, quibus se occultabat Elisabeth: quòd eorum explicatio coniungenda videretur cum mysterio quinque mensium, quibus locustæ dicuntur cruciare homines Dei signum in frontibus non habentes. Etenim licèt quinque locustarum menses, non sint spatium illud quinque Monarchiarum, sed illud conficiant interuallum, quo concupiscentiæ durarunt per allusionem ad quinque menses, quibus aquæ diluuij obtinuerunt terram: sed quinque sunt concupiscentiarum genera, & singulis Monarchiis singula genera iure tribuuntur. Et in quinque illis mensibus, quibus diluuium inundauit terram, ad quinque Monarchiarum tempus respectum est: vt ex præcedenti notatione potest intelligi. Si autem in quinque mensibus, quibus se Elisabetha celabat, Spiritus sanctus respectum habuit ad quinque Monarchiarũ tempus; vnius loci explicatio cum loci alterius sensu non ineptam habebat connexionem.

TEXTVS

Vers. 6. Et in diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eam: & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.

COMMENTARIVS.

Vers. 6. Hæc verba, In diebus illis, ad quod tẽpus sint referenda.

IN DIEBVS ILLIS] Locutio est in Prophetiæ modum vsurpata. Vidimus autem in prolegom. notat. 3. congruenter satis per modum Prophetiæ conscribi; quæ iam tum præterierant. Deinde, verba hæc, *In diebus illis*, referri speciatim possunt ad id, quod proximè antecesserat: scilicet cùm à locustarum aculeis se punctos atque perculsos viderint homines, dolore ac furore perciti vitam suam morte ipsa acerbiorem reputabunt: & mortem tam lento gradu procedere, nec in semetipsos celeriter inuolare conquerentur. Et quanuis generaliter hic sermo fit de toto tempore, quo locustarum

plaga

Digitized by Google

plaga perdurat; re tamen verâ horribilis est cruciatus, quem inordinata desideria, angores, ac metus cordi afferunt: ideoque huiusmodi hominibus plerumque in votis est mors. Vide Plinium lib. 7. cap. 50. *Tot metus, tot cura, toties inuocata mors, vt nullum frequentius sit votum.* Fit autem perspicuum hæc omnia à concupiscentiæ fomite exoriri. Sine qua nullus est metus, nulla cura, nulla solicitudo. Vnde sapienter Bernard. *Tolle propriam voluntatem, & infernus non erit.* Quod non ineptè ad huius vitæ Infernum siue animorum intimos cruciatus potest extendi. Et propterea cap. 7. num. 14. vbi de viris spiritalibus, & suarum cupiditatum victoribus sermo est, dicitur: *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna*: videlicet, quia immunes euaserunt à plaga locustarum & furiosorum equorum, qui ipsas subsequuntur.

Quot mala ex concupiscentia fomite dimanẽt.

TEXTVS.

Vers. 7. Et similitudines locustarum similes equis paratis in prælium: & super capita earum tanquam coronæ similes auro; & facies earum tanquam facies hominum.

8. Et habebant capillos sicut capillos mulierum; & dentes earum sicut dentes leonum erant.

COMMENTARIVS.

Vers. 7. Locust. quo sensu similes equis ad bellum parati dicantur.

SIMILES EQVIS PARATIS IN PRÆLIVM.] Non hic sensus est, locustas habere equorum figuram. Hanc enim si haberent, nihil iis locustarum remaneret, præsertim cùm humano vultu, fœmirum capillis, & caudâ scorpionum constent. Forsan ergo sensus est, audaciam earum & acrimoniam ad inuadendum esse illius instar, quæ equis in prælium paratis inesse solet. Aut fortè (quod magis placet) nomen equorum pro equitibus accipiendum est, sic enim crebrò, cum de bello incidit sermo, vsurpare solemus mille equos pro mille equitibus; id quod Hispano præsertim idiomate vsitatissimum elegantissimumque est. Quòd verò locustæ Ioanni visæ cum equitibus ad bellum paratis comparentur; idem est, ac si considerentur quasi armis quibusdam ad corporis defensionem idoneis instructæ. Quemadmodum Indicum quoddam animal propter corium ad loricæ æreæ similitudinem à natura ipsa compactum vulgari sermone vocatur *Armadillus*: & Rhinoceroti etiam sua est natiua lorica, eaque durissima. Atque hæc coniectura vel ex eo fulcitur, quia vulgares locustæ aliquam habent huiusmodi armaturæ similitudinem.

Equum in prælium paratum perinde videri, atque cataphractum equitem.

Huc etiam spectat, quòd equus in prælium paratus videtur idem esse, ac eques cataphractus, id est, armis vndique munitus & circunseptus. Et Titus quidem Liuius ait idem esse cataphractum ac loricatum. Ioannem verò in eo sensu loqui, argumento est quod mox addit; locustarum scilicet loricas non minùs esse duras & validas, ac si forent ferreæ. Atqui eques propriè est, non equus, qui lorica induitur: licet sua etiam sit equis armatura Caraphractus enim eques non ipse solùm, sed suus etiam equus armis munitus est. Hæc de sensu grammatico. Et verò diuini spiritus mens in hoc loco eò videtur tendere vt nos commone faciat difficultatis maximæ, quam experitur quispiam in triũpho de suis cupiditatibus reportando: nec non maximi impetus & ardoris, quo ipsæ prosternunt plurimos, qui se alioqui fortes & inuictos ostentabant. Proprium autem est equorum cohortis siue turmæ in confertos hostes irruere, ipsosque proterere.

Quid his sub equorũ in prælium paratorum figura adũbretur.

SVPER CAPITA EARVM TANQVAM CORONAE SIMILES AVRO] Hoc est: miseri & infelices homines suis appetitionibus dediti fallò putant, eas quasi reginas esse, quibus se ipsi debant subijcere. Nec enim erubescunt illis manus ignominiosè dare, & sui cordis regnum atque imperium deferre. Cohæret cum hac significatione Pauli phrasis Rom. 5. 21. & cap. 6. 12. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius.* Similiter Prouerb. cap. 31. 4. dicitur ebrietas apud aliquos regnare.

Quorsum locustis corona super capita affingantur.

Facies hominũ quorsum locustis data?

FACIES EARVM TANQVAM FACIES HOMINVM: ET HABEBANT CAPILLOS SICVT CAPILLOS MVLIERVM] Q. d. se blandas ac molles primâ specie exhibent; & ita incautos homines pelliciunt. Vide 2. Petr. 2. 18. *Pelliciunt in desideriis carnis*, & Iacobi 1. 14. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.*

Vers. 8. Cur illis dẽtes leonum afficti?

DENTES EARVM, SICVT DENTES LEONVM] Plinius lib. 8. cap. 16. de leone agens ait, *Ex omni vulnere, siue dente, siue vngue impresso ater profluit sanguis.* Et ipsius præsertim morsus forte venenatus est. & hominum dentibus quoddam inest virus, vt ipse Plinius asserit. Suspicor etiam leones, sicut & canes, habere dentes serratos pectinatim coëuntes: ne contrario cursu atterantur. Hoc demum indicat, concupiscentias, licèt fictæ pacis ac blanditiarum specie decipiant, funestum tamen malum hominibus importare. Vide Ecclesiastici 21. n. 3. *Dentes leonis dentes eius interficientes animas.*

TEX-

Digitized by Google

TEXTVS.

Vers.9. Et habebant loricas, sicut loricas ferreas: & vox alarum earum, sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum.

COMMENTARIVS.

QVOD de loricis ferreis dicitur, ideo fit, vt ponderetur rursus, quod fuerat antea dictum; has scilicet locustas esse similes equis, id est, equitibus cataphractis. Iidem enim appellantur loricati vt ex Liuio nuper diximus. Nunc illud additur, harum locustarum loricas non vtcunque esse ex corio aut ære, sicut reliquæ communiter esse solent: sed ex chalybe. Vide quæ suprà diximus versu septimo.

B VOX ALARVM SICVT VOX CVRRVVM,] Stridor proprie vocatur locustarum strepitus, atque etiam curruum. Quod argumento est, aliquid inter eos similitudinis inesse. Cùm autem de locustis tanquã de militari exercitu fuerit sermo institutus: nihil aptius, quàm cum stridore curruum in bella ruentium, harum locustarum stridorem comparare. Quòd verò locustæ alis edant stridorem, id notum est. Vide hac de re Plinium lib.11. histor. cap.29. Licèt idem etiam addat: *Vox eorum proficisci ab occipitio videtur: eo loco in commissura scapularum habere quasi dentes existimantur, eosque inter se terendo stridorem edere.* Ceterùm quoquo modo id sit, si dentibus hic stridor edatur, fortè quod dicitur *in commissura scapularum*, intelligendum est in alis. Vers.9. *Locusta quo modo stridorem edant.*

Hic autem stridor siue murmur significat desideriorum plagâ non torqueri solùm sceleratos, morderi, atque corrodi: verùm etiam eorum animum ita teneri cõstrictum, vt nihil penè loci supersit ad aures consiliis salutaribus accommodandas. Absorbet enim plaga hæc animorum attentionẽ Id quod pereleganter significatur, dum fingitur, locustas has vocem adeò contentam edere, vt nulli prætereà rei attentionem relinquant. Vide illud Prouerb.30.15. *dicentes Affer, affer,* nimirum maximis clamoribus & ingenti contentione. Et vero stridor hic alis tribuitur: vt idoneè allegoria accommodetur locustis, alarum motu stridorem edentibus. Quo fortasse significatur etiam concupiscentias, si alas recipient: id est, si nimiam licentiam & impunitatem nanciscantur, suo murmure atque stridore, nec non nimia anxietate ingentem animo perturbationem afferre. Cuius demum significatio est, *Per vocem locustarum alis editam quid indicetur.*

C eas animi attentionem prorsus auferre. Atque id ipsum Christus alia allegoria significanter expressit Marc.4.19. *Concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum.*

TEXTVS.

Vers.10. Et habebant caudas similes scorpionum: & aculei erant in caudis earum, & potestas earum nocere hominibus mensibus quinque.

Vide quæ diximus suprà versu 3. & 5.

11. Et habebant super se regem angelum abyssi, cui nomen Hebraicè Aboddon; Græcè autem Apollyon: Latinè habens nomen Exterminans.

COMMENTARIVS.

D LOCVSTÆ, ait Salomon, *regem non habent.* His tamen mysticis locustis regem esse Angelum abyssi, textus affirmat. Porrò suprà iam vidimus notatione secunda, abysso iuxta sacræ Scripturæ phrasim nunquam Infernum significari: & in Apocalypsi per illam denotari profundum iusti Dei iudicij puteum.

His tamen præmissis, non facilè est explicare, quisnam ille sit, qui hîc abyssi Angelus, & mysticarum locustarum Rex nuncupetur? Ac primò certum est, hunc abyssi Angelum neutiquam esse posse eum, qui tubâ quintâ cecinit. Qui enim quintam tubam personuit, typum gerit eorum prophetarũ, quibus Deus hanc impiorum Iudæorum plagam prænunciauit. Quare illi Angelo, qui quintam inflauit tubam, nomen exterminatoris congruere non potest. Præterquam quòd in ipsa figura seu visione, clangor tubæ quintæ apertionem putei antecedit, aperto autem puteo, protinus erupere locustæ. Quibus cùm Rex destinatur: congruentius est, vnde locustæ exierunt, inde etiam earum regẽ prodiisse. Quemadmodum vnde apum examen egreditur, cum illis pariter suus inde rex procedit. Itaque necessariò Angelus abyssi ex eadem abyssо vnà cum locustis exijsse putandus est: ac proinde ab illo esse Angelo diuersus, qui cecinit quintâ tubâ. Quare ille Angelus ideò abyssi appelletur oportet: quia de abyssi puteo simul cum locustis exiuit. *Quisnam sit hic locustarum rex. Eum esse non posse quintæ tubæ angelorum.*

Per hunc ergo abyssi Angelum verisimile est, dæmonem significari: qui medio concupiscentiarum æstu bellum infert hominibus, & concupiscentias ipsas, earumque opem sibi adscisci: sicuti Rex militum contrahit exercitum, vt suis hostibus bellum inferat. Huc spectat, quòd homines, suis effrænatis cupititatibus vt primùm succumbunt, eo ipso dæmoni pariter subiiciuntur: *à quo* *Locustarum regem esse dæmonem.*

Digitized by Google

Cur tam locustæ quàm ipsarum rex ex abysso prodire dicantur.

captiui tenentur ad ipsius voluntatem, vt loquitur Paulus 2.ad Tim.2.26. Et quemadmodum locustæ propterea ex abysso exiisse perhibentur, quia iustè permittit Deus hominem improbum suis concupiscentiis tradi: ita etiam dæmon vocatur abyssi Angelus, & inde prodijsse significatur; vt innuatur iustè à Deo permitti, vt homo suis concupiscentiis subiectus, dæmoni etiam per inordinatas ipsas animi affectiones captiuus tradatur. Iuxta hunc sensum, mentio locustarum regis idcirco fit; vt denotetur, præter naturalem famem, quæ locustas stimulare fingitur, illis insuper esse Regem ac ducem validissimum, qui eas excitet & inflammet; & hac ratione hominum perniciem & vastitatem machinetur: ideo enim ei datur exterminatoris nomen.

Huc accedit in plaga hac præ ceteris oportuisse, vt ipsius dux ac princeps dæmon esse agnoscatur, qui hominum excidio inhiat. Nam famem quidem, bellum ac pestem; item ignorantiam, iras, & obdurationem facilè plagas esse apparet: concupiscentiarum verò lenit vultus ac placidus, & fœmineæ comæ decipiunt cõplures; qui nihil sibi à suismet desiderijs cauendum esse falsò putant. Quam obrem vt cautè & attente nos geramus, admonemur huius exercitus ducem esse humani generis exterminatorem pariter & euersorem. Atque in hoc nomine, ni me fallit animus, alluditur ad eam historiam, quæ refertur Num.11.34. vbi de sepulchris concupiscentiæ (de quibus vide etiam Num. 33.16. Deut.9.22. Psalm.105.14. Sapientiæ 16.2. & cap.19.11.) Nam in ea historia & in inscriptione (*sepulcra concupiscentiæ*) voluit diuinus Spiritus nobis quasi ob oculos proponere miserrimam stragem, quam cordis desideria, seu (quod idem est) concupiscentiæ in hominum animis edant lege 1. ad Timoth.6.9. *Desideria mergunt homines in interitum & perditionem.* Vbi perditioni respondet in Græco ἀπώλεια, quæ vox deriuatur à verbo ἀπόλλυω, quod est perdere; eiusque participium est, ἀπολλύων, id est, perdens vel exterminans: ac proinde Pauli locus prædictæ significationi valde fauet. Vide etiam, 2.Petr.1.4. *Fugientes concupiscentia corruptionem, quæ in mundo est.* Et Eccli.18.30. *Si præsit anima tua concupiscentes facient te gaudium inimicis tuis.*

Nomini Apollyon etymon & mysterium.

Dubitatio circa prædictam expositionem, eiusque responsio.

Ex ijs tamen, quæ diximus, exurgit quæstiuncula: scilicet, quî cohæreat nomen perditionis cum eo, quod supradictum fuerat, nempe præceptum esse locustis, ne occiderent homines? Respondeo primò. Exterminantis nomen dæmoni attribui propter infensissimum ipsius animum, quo nostras concupiscentias excitare & stimulare auet. Secundò, ingens perditio & vastitas, quam mediis concupiscentiis molitur dæmon, refertur ad animum. Præsertim quia, licèt desiderium nobis non auferat vitam: ex eo tamen, quòd suis homo cupiditatibus se ferri sinat, multæ exoriuntur cædes. Notum est illud, *Plures occidit crapula, quàm gladius*: idemque accidit in alijs concupiscentiarum speciebus. Atque omnia isthæc complectitur sepulchrorum concupiscentiæ figura.

Locustarũ regem de inordinato amore proprio posse etiam congruenter explicari.

Huc vsque per abyssi Angelum dæmonem intelleximus. Si quis tamen de amore proprio, id est, de inordinato sui amore explicare malit: non solùm non recuso, sed libentissimè etiam assentior. Quare quòd illi nomen Angeli abyssi adscribatur: ex loquendi modo elicitur, huic hosti teterrimo dæmonis figuram dari. Quod tragicum est, & sæuissimo cuique hosti tribui solitum: vt morti & perditioni, Abacuc 3.5. *Ante faciem eius ibit mors, & egredietur Diabolus ante pedes eius.* Hac verò ratione non ineptè amori proprio inordinato nomen mali Angeli siue dæmonis imponitur. Aut forsan abyssi Angelus est idem, ac minister abyssi: id est tyrannus, cui peccatores iusto Dei iudicio traduntur: dũ permittit Deus, vt ipsius truculenti tyranni misera seruitute premantur. Nec dubium est, quin proprio amori, & nimiæ ipsius licentiæ mirificè quadret nomen regis mysticarum locustarum: nomen etiam *Abaddon*, siue *exterminator*.

Illud insuper adiungo, vtramque hanc Regis locustarum declarationem, alteram de dæmone, alteram de proprio amore minimè inter sese pugnare. Quare potuis simul Spiritus sanctus vtramque intendere. vt de septem capitibus Bestiæ cap.17. ait textus: *septem capita, septem montes sunt, supra quos mulier sedet: & Reges septem sunt.*

Difficultati ex dictis orta fit satis

Opponet tamen nobis aliquis, quinque esse concupiscentiarum genera, quæ miserum peccatorem distorquent: vnumque ex eis esse virtutis, quam videt se consequi non posse, desiderium (vt vidimus notat.3.) Huius autem concupiscentiatum generis nec dæmon, nec inordinatus sui amor duces esse posse videntur. Respondeo, bonum virtutis desiderium esse illud, quod humile est. Deoque subiectum, & fide ac spe diuini fauoris & clementiæ imprimis nixum. Hoc autem desideriorum genus non plaga est, sed plagæ remedium. Cùm verò inter concupiscentias, quæ pertinent ad quintam plagam, annumeratur virtutis desiderium: intelligi debet de fidenti desiderio virtutem ipsam propriisimet viribus assequendi: quod proinde superbum atque inordinatũ est, & à dæmone ac proprio amore ad peccatores cruciandos stimulatur.

Dixi hactenus, quæ satis esse duxi ad locustarum, atque adeo quintæ huius plagæ explicationem. Illud pro colophone addam; quanuis Apocal. hic propriè & directè agat de plagis in Iudaicum populum immissis, verumtamen dubium non est, quin eâdem etiam plaga plectat Deus ex Christianis hominibus eos, qui suas cupiditates non frænant, & comprimunt. Non enim ignorabant Apostoli multos fore Christianos *ambulantes secundum desideria sua.* Vide epistolam Iudæ, n.16. & 2.Petr. 3.3. *Iuxta proprias concupiscentias ambulantes.* Et sanè, quanta sit Christianorum miseria & infelicitas, qui suis voluptatibus famulantur, vel ex eo coniici facilè potest, quod nobis Ioannes in hac plaga proponit. Cùm autem res hæc tanti momenti sit, mirum non est, toties in sacra Scriptura nos admoneri, vt proprias concupiscentias coerceamus. Vide Ecclesiastici 5.n.2. & cap.18.n.30. Roman.13.n.14. Gal. 5.n.16. & 1.Thessal.4.n.5. & 2.Timoth.2.n.22. & ad Tit.2.n.12.

TEX-

Digitized by Google

A

TEXTVS.

Vers. 12. Væ vnum abiit: & ecce veniunt adhuc duo væ post hæc.

Hæc exposita iam sunt, examinataque in fine capitis octaui.

TEXTVS.

Quod est initium plagæ sextæ.

Vers. 13. Et sextus Angelus tuba cecinit. Et audiui vocem vnam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Dei,

14. Dicentem sexto Angelo, qui habebat tubam: Solue quatuor Angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate.

B

COMMENTARIVS.

Sextæ plagæ interpretatio qua sit.

INTERPRETATIONES, quæ de hac sexta plaga literis prodiræ sunt, in huius capitis prologo indicauimus: & manifestum est, earum auctores non sibi plene satisfeciſſe. Nostra explicatio est de iris atque furoribus, quibus puniuit Deus Iudæos Christum respuentes. Et quidem cùm per locustas concupiscentiæ allectrices denotentur; ordo ipse postulat, vt furiosi equi irarum furias significent. Concupiscentias enim iræ, indignationes & odia consequuntur. Quamobrem id vnum superest examinandum; vtrùm nostra explicatio omnia, quæ textus affert, rectè compingat.

Altare vnde vox prodiit, de altari thymiamatis esse intelligendum.

Imprimis altare, quod ante Dei oculos esse dicitur (græcè ἐνώπιον, id est, in conspectu) videtur esse altare Thymiamatis, quod erat ad ianuam Sancti Sanctorum; & quatuor ipsius cornua esse quatuor ipsius altaris anguli. Cuiusmodi verò fuerint illa cornua, non admodùm refert; & videri possùt descriptiones Ariæ & aliorum, illius ergo altaris instar, quod erat prope arcam fœderis, vidit Ioannes altare quoddam iuxta Dei thronum, qui cap. 4. descriptus fuit. Quod verò ait, prodire vocem *ex quatuor cornibus altaris*; significat eam exire per quatuor omnes angulos, id est, ex toto altaris circuitu: quæ vox, vt posteà videbimus, vindictam contra Iudaicum populũ clamitabat. Quid ergo est, huius

Cur sextæ hæc plaga præcæteris à Iudaica vindicta postulatione exordiatur?

C plagæ potiùs, quàm aliarum descriptionem exordiri à vindicta, quàm altare Thymiamatis aduersus Iudæos deposcit; Respondeo, per Thymiamatis altare mirificè adumbrari religionem ac diuinum cultum, vt alibi explicuimus. Et apud humaniorum literarum peritos tritum est, in antiquis numismatis altare cum igne esse religionis symbolum. Deinde facile cernitur, clamorẽ ex altari prodeuntem, esse elegantissimum symbolum, quo significatur Christianam religionem de Iudæis conqueri, & vindictam exposcere; ad eum modum, quo Abelis sanguis clamasse dicitur Genes. 4. n. 10. Cùm ergo dicitur altare ex omnibus quatuor angulis conclamare: idem est: ac si significaretur, catholicam regionem non de Iudæorum paucis, sed generaliter de tota Hierosolymorum vrbe, atque adeò de vniuerso Iudaico populo conqueri, & vindictam aduersus illos flagitare. Hanc autem vindictam postulat sub belli figura, vt infrà explicabitur. Atque hanc exordij rationem apud Poëtas reperimus, qui Troiæ ac Thebarum prælia & expeditiones literarum monumentis consignarunt. Scribũt enim hæc bella duxisse exordium à querimonijs terræ propter hominum flagitia.

Cur hæc querimonia sive vltio de Iudaico populo jumenda ab altari proficiscatur.

Verùm cur in Apocalypsi hæc querimonia ab altari profiscisitur, præsertim initio sextæ plagæ? Respondetur, in ordine diuinæ prouidentiæ, irarum atque indignationum furiæ accidunt in supplicium eorum scelerum, quæ concupiscentiarum causâ commissa sunt. Ad hæc; effrænata concupiscentiarum libido in sacris Literis figuratur veluti spiritalis quædam idololatria. Quare æquum est,

D eos, qui per inordinatum rerum creatarum amorem ipsis potius creaturis, quàm supremo creatori inseruierunt, meritissimas pœnas luere odijs ac furoribus, qui appetitionum perturbationem consequuntur. Quemadmodum ob propriæ idololatriæ flagitia permisit Deus Ierosolymã à Nabuchodonosore deuastari. Aptissime igitur, vt furiarum plagæ initium sumatur, fingitur altare, (id est, religionem) offensum iniuria illa à Iudæorum cupiditatibus & inordinatis desiderijs illatà exposcere, vt in illius idololatriæ vltionem immittantur furiæ; qui in ipsos Iudæos truculenter inuadant. Itaque cùm altare alloquitur Angelum sextæ tubæ; idem est, ac si diceret, suam ipsius iniuriam atque ignominiam eò iam audaciæ ac dementiæ processisse, vt ferri ampliùs non possit; ac proinde petere se atque contendere à sexto Angelo, vt commissum sibi munus exequatur, & aduersus Iudæos proferat sententiam, nimirum vt fontes puniendi tradantur.

Sextam plagam in belli similitudine proponi.

Deinde sexta hæc plaga ob oculos nobis proponitur in similitudinem atrocissimi belli, quod Babylon Hierosolymæ intulit. Altare enim postulat, vt quatuor dimittantur Angeli, qui alligati erant ad Euphratem, (flumen, quod mediam interfluit Babylonem:) quorum liberatione ac dimissione factum est, vt aduersus Iudæos furiosissimus equorum effrænatorum exercitus ducentorum millionum mitteretur. Quo innuitur, pristina illa bella, quæ olim Babylon in Ierosolymam susceperit, fuisse quasi depicta & adumbrata; si cum mystico hoc bello irarum ac furiarum in miseros Iudæos immissarum comparentur.

Quòd si roges, quænam ista sit Babylon, ex qua infinitus hic erumpit exercitus contra perfidam Hierosolymam? Respondeo, cùm ad hanc plagam acceditur, iam nec Hierosolymam extitisse, nec

Digitized by Google

Quænam sit Babylon, ex qua numerosissimus exercitus contra Ierosolymã erumpere fingatur?

fortasse Babylonem. Nam secunda plaga, id est, bellum Vespasiani ac Titi vrbem Hierosolymam penitus excidit: & antiqua Babylon multò antea fuerat euersa; aut certe adeò inermis atque imbellis restiterat, vt ad bellum in Hierosolymam comparandum vires sibi minimè suppeterent. Verùm tamen, vt de Iudæis rebellibus idoneus habeatur sermo; inducuntur Hierosolyma & Babylon, veluti hostiles quædam vrbes, & inter se infensæ, quæ concipiuntur, vt ciuitates duæ siue respublicæ, nullam inter se realem distinctionem habentes, sed solùm formalem. Etenim vt in bello intestino iratũ atque furorum; quibus infælix homo conflictatur, ipsemet, non alius, sibi ipsi bellum infert: ita etiã loquendo de plaga irarum & indignationum, qua Deus perculit Iudæos: in eorum singulis oriebantur iræ ac furores, quibus eos cruciabat Deus. Ceterùm, vt significaretur hæc plaga per modũ crudelissimi belli, significanter satis & iuxta locutionem Apostolis vsitatam, considerantur Iudæi quasi singuli in binos diuisi homines: quorum alter bellum inferat, alter patiatur. Hac igitur ratione in eadem republica concipiuntur duæ: ex quibus Babylon appellatur illa, quæ irarum ac furiarum exercitum in miseros Iudæos immittit: Hierosolyma verò, quæ mortifero illo bello appetitur. Hæc autem apprehenditur esse ciuitas illa, quam ad se conuertere conabatur Deus, quamque ob eius repugnantiam atque perfidiam hostili Babylonis exercitu opprimebat. Aliquis fortè has distinctiones, vt nimiùm metaphysicas reijciet: & clarius atque intellectu facilius esse ducet, si per Babylonẽ dæmonum respublica intelligatur. Huic ergo respondeverim primò, non esse vt nimis subtile repudiandum, quod communi spiritalium virorum vsu & consensione receptum est. Quis ergo ignoret, quid spiritales homines intelligant: quando de vno eodemque homine loquentes, illum in binos partiuntur? quin imo asserunt, intra eiusdem hominis pectus esse bellum inter Hierosolymam & Babylonem susceptum: atque adeò singulis inesse hominibus intra præcordia intima Babylonem perfidam, quæ fidelẽ Hierosolymã bello conetur diruere. Secundò, respondetur in eo bello, quod homo à suis odijs ac furijs perpetitur, dæmones esse suasores atq; impulsores: bellũ tamẽ propriè ab ipso homine sibimet inferri. Quæ consideratio sacræ Scripturæ locutioni congruens valdè est. Sicut enim Iacobus cap. 1. 14. ait, *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.* Sic etiam Ecclesiasticus ait: *Iracundia animositatu illius subuersio eius est.* Est autem valde consentaneum, hoc modo de cupiditatum bello internecino agi: vt existiment homines, sibique persuadeant, licèt dæmon re verâ nobis damnum machinetur: nos tamen ipsos esse, qui bellum nobis inferamus, dæmone instigante. Constat autẽ, hoc fuisse valde appositũ, quo exprimeretur Iudæos in ipso, quo premebantur bello, sui detrimenti esse auctores. Postremò cõtextus ipse efflagitare mihi videtur, vt in hoc loco Babylon & Euphrates indicẽt ipsosmet Iudæos, quatenus ab illis sexta plaga in ipsos immissa proficiscebatur.

Proposita Babylonis ac Ierosolymæ distinctio quàm sit apta ostenditur.

Quatuor angeli in Euphrate alligati qui nam sint.

Tertiò, in Angelorum quaternario, qui alligati erant in Euphrate, certum mihi est significari quatuor illos humani generis hostes, de quibus diximus cap. 6. not. 3. (illi autem sunt, *proprius amor, diuitiarum cupiditas, inanis hominum existimatio, & proprium iudicium.*) Hi enim quatuor sunt famosi hostes, de quibus Apocalypsis agit: illique opponit quatuor illos equos, de quibus c. 6. vt suo loco vidimus. Atque hi quatuor eleganter satis dicuntur ad flumen Euphratem fuisse ante sextam plagam alligati: & ex eorum solutione, sexta plaga in Iudæos redundasse. Hoc vt meliùs percipiatur, notandum primò est, hos quatuor Angelos non posse inter bonos numerari: si quidem in Euphrate constricti fuisse dicuntur. Præsertim, quia, vt vidimus c. 8. 1. instrumenta, quæ Deus ad inimicorum supplicium vsurpat, vocitari solent angeli: tum in sacrarum Literarũ, tũ in Apocalyps. præcipuè locutione. Itaque nihil est inconueniens Angelorum nomine malorũ, quatuor illos humani generis hostes nũcupari.

Quatuor hosce angelos non posse inter bonos numerari.

Cur quatuor angeli in Euphrate alligati fingantur ante plagam sextam soluti?

Notandum est secundò, quemadmodum iuxta Scripturę phrasim, dæmon illaqueatus esse dicitur, quando cohibetur, nequid inferat damni: sic etiam quatuor illos hostes supradictos per eleganter fingi ante plagã sextam fuisse in Euphrate flumine alligatos. Euphrates enim pleno alueo fluens & Babylonem lætificans aptissimè repræsentat voluptates atque delitias ciuitatis Deo inimicæ, & ad animi voluntatem successus. Nam fluentibus ad voluntatem hominum rebus prosperis: fluunt etiã peccatores, atque adeò diffluunt mollitiâ & luxu. Et quidem fluminis fluxu atque decursu appositè rerum ex animi sententia succedentium prospera vicissitudo indicatur. Interim ergo, dum res prosperè fluunt, hic idem fluxus impedit siue dissimulat potiùs irarum atque odiorum bellum: quod ferè exoritur ex eo, quòd proprius amor, cupiditas propriæ existimationis ac iudicii proprii tenacitas lædi se ipsa, atque offendi sentiant. Tunc enim ad sui defensionem ac vindictam bellum facere decernunt & aduersarios opprimere. Si ergo hoc est belli intestini initium; nemo non viderit, excitari illud non posse, donec irarum & discordiarum causæ excitentur; ac proinde quatuor illos hostes interim quasi alligatos & præpeditos detineri. Nam cùm res pro votis prospere cadunt, voluptas ipsa ac delectatio iram quasi sopitam & alligatam tenet.

Quid per Euphratem figuretur.

Per fluminis fluxum & cursum quid adumbretur.

Cur in Euphrate sint quatuor angeli alligati.

Altaris vox quid propriè postulet.

Fingitur autem non ineptè quatuor illos inimicos in fluuio Euphrate esse alligatos, quo innuitur Babylonicis aliquando delitiis animum. Nabuchodonosoris, ipsiusque ducum fuisse distentum omnino & occupatum atque bellorum penitus oblitum. Hoc enim voluptatis oblectamentum est veluti compedes quædam, quibus irretiuntur homines. Irarum verò atque odiorum causę sunt, quę hæc vincula hosque laqueos dissoluunt. Quamobrem illa altaris vox id præcipuè postulat; ne scilicet furorum ac discordiarum occasio proferatur ampliùs: vt belli duces suas illas delitias in furias conuertant: & vinculis illis, quibus constricti tenebantur, absoluti suam ferociam & immanitatem contra infelicem Ierosolymam, id est, contra perfidos Iudęos ostendant.

Irarum ac furorum fons & origo.

Totus hic discursus illud vel maximè præstituit, quod in philosophia notum est: nimirum iras ac furores in amore proprio, in opum cupiditate, in falsa hominum existimatione, & in iudicio proprio imprimis niti. Vnde Diuus Thomas 1. 2. q. 25. art. 1. statuit, concupiscibilem naturâ suâ priorem

esse

A esse irascibili. Et de harum animi facultatum distinctione videndus est Diuus ipse Thomas, 1.p.q.81. art.2.ex Greg.Nysseno & Damascen. Quanuis, vt verum fatear, ad quintæ & sextæ plagarum differentiam, non tam ipse attenderem Aristotelis distinctionem, quàm vsitatã & loquendi & sentiendi rationem; quæ cum cordis desiderijs componit quidquid facili ac placidâ specie sese insinuat; cuiusmodi sunt proprius amor, spes, gaudium, & his similia; licèt posteà acerbum ac mortiferum habeant exitum: cum furijs verò atque discordijs coniungit, quidquid infestum atque horridum aspectum præ se fert; vt odia, desperationes, inuidentiæ, furores, aliæque persimiles.

An quatuor hi angeli congruenter possint de quatuor ventis exponi.

Non deerit fortè, qui opinetur, quatuor Angelos, quorum hic mentio fit, esse quatuor ventos: propterea quòd indignationum atque irarum causæ rite sub tempestatis specie figurentur; quæ cooriatur repentè, & reipublicæ tranquillitatem conturbet. Sic enim sæpè vsurpari videntur à Marco Tullio huiusmodi locutiones, *patriæ procella, turbo ac tempestas pacis*: & alicubi ait: *alios ego ventos, alias procellas animo prospexi*. Et de procellis irarũ, siue de aduersæ fortunæ procella frequenter occurrit sermo. Respondeo tamẽ; allusio ad quatuor ventos proposita nobis fuit, vt vidimus n.cap.7.vbi generatim de septem agitur plagis. At in plaga sexta non potest conuenienter, vt arbitror, ventorum allegoria vsurpari. Nec enim Apocalypsis in vna & eadem spelunca quatuor ventos coniungit: neque apta sa-

B tis est locutio alligandi ventos: deinde ad locustas idoneum est, vt plaga illa à vento aliquo inferatur. Verùm ad furiosorum equorum exercitum minimè est accommodata fictio, quæ indicet huiusmodi equorum exercitum fuisse ab aliquo ventorum flatu in Ierosolymam immissum. Aptius multò est, si fingatur dæmones fuisse vinculis; quibus ad Euphratem alligabantur, expeditos: ita tamen, vt dæmones pro quatuor illis inimicis accipiantur.

Soluitur difficultas, quæ in prædicta posset explicatione suboriri.

Superest scrupulus auferendus, nequis in eo fortasse offendat. Is verò est huiusmodi. Sextus Angelus (vt suprà explicatum est) repræsentat prophetam, qui Dei sententiam profert, per quam Iudæi iubentur furiarum equis exponi, vt per eos puniantur. Atqui non est munus Prophetæ soluere iras ipsas atque furores: aut offerre occasiones, quibus iræ & furores excitentur, quibus plectendi sunt rebelles. Quomodo ergo cohæret, vt ad sextum Angelum dicatur, *Solue quatuor Angelos*, &c? Respondetur, ipsam sententiæ prolationem, quam postulatur sextus Angelus, satis esse, vt eleganter dicatur ei, vt soluat quatuor Angelos: quia qui ex Dei nomine, ipsius sententiam reo pronunciat, eo ipso aliquo modo efficit, vt illa executioni mandetur.

TEXTVS.

C *Vers.*15. Et soluti sunt quatuor Angeli, qui parati erant in horam & diem & mensem & annum, vt occiderent tertiam partem hominum.

COMMENTARIVS.

Cur quatuor angeli dicantur fuisse parati in horam, diem, mensem & annum?

MODVS ille loquendi *in horam & diem & mensem & annum*, indicat, quatuor Angelos supradictos nusquam desistere ab inferendo bello, & adoriendis hominibus, cùm primũ à vinculis liberè dimittantur. Nam vt de illis, tanquam de ducibus, siue militibus loquamur: si ad inuadendũ expectaturi sunt signum aliquod, nec sciunt qua hora dandum sit, oportet totum diem intenti expectent signum. Quòd si diem etiam ignorent, debent mensem integrum prompti atque parati esse. Si lateat dies, nullo anni mense imparatos esse atque incautos decet. Iam si vel annum nesciant, per totius vitæ tempus conuenit esse alacres & erectos, neque vnquam solertiam ac solicitudinẽ abijcere. Hic modus cõtinuæ atque suspensæ explicationis infatigabile studium ac desiderium ostendit: quẽadmodum Plin. ait de Scorpione, *Semper cauda in ictu est, nulloque momento meditari cessat: nequando desit occasioni.* Ea igitur loquendi ratio magna cum energia repræsentat, quàm sint terribiles quatuor illi

D aduersarij, de quibus suprà: siquidem licèt decem aut viginti totos annos constricti sint, & lædendi occasione destituti, nunquam tamen vel vno temporis momento ignaui ac desides conquiescunt; vt oblatam primò occasionem arripiant illico, & innumerabilem exercitũ (cuiusmodi in sequenti versu depingitur) extemplò in campum educant. Atque plagam hanc perspicuum est, non semel Iudaico populo fuisse inflictam: quin imò cuilibet singulatim infligi, quoties suis iris ac furijs plectitur.

15.Vers. Cuiusmodi sit facultas quatuor angelis concessa.

VT OCCIDERENT TERTIAM PARTEM HOMINVM] Hæc est facultas prædictis quatuor Angelis præmissa occidendi discordijs ac furoribus tertiam hominum partem. Et quia non semper inuadẽdi tempus est, nisi quando quatuor illi Angeli à vinculis liberantur (id est, quando tumultus ac furoris causæ sese dant) ideo semper præstò sunt: nec vnquam eos occasio improuidos, & inopinantes occupat.

Quàm nos assiduè proprius amor inordinatus oppugnet.

Circa hæc expendendum est primò, proprium amorem & eius affectus nunquam nõ esse in procinctu; vt cùm primùm sese offerat occasio, irarum atque odiorum phalangibus in nos truculenter inuadant. Secundò, si iras & odia humano iudicio metiamur, videntur inferre bellum: non ei, qui huiusmodi furore corripitur: sed illi, in quem alter æstuat iracundia. Verùm enim verò Spiritus sanctus nos in Apocalypsi docet, huiusmodi furores esse concipiendos, vt validissimum exercitum in eos ipsos, qui excandescunt, irruentem: illi enim sunt, qui miserabili hac plaga laborant. Nec aliud nos docet Iobus cap.5.2.Salomon, Prou.14.30.& cap.19.19. Ecclesiasticus cap.1.28.& cap.30.26. Damni verò, quod irati alijs inferunt, nulla hîc ratio ducitur, tanquam rei exigui valde momenti: & quæ hominibus ipsis, quibus nocetur, vtilissima sæpè sit.

Ira & furore correptos sibi potius, quàm aliis nocere.

Digitized by Google

De quorum ira ac furore hic imprimis agatur.

Tertiò ponderandum est,in huiusmodi plaga diuinum spiritum agere potissimum de iracundijs ac furoribus Iudæorum Christum excipere nolentium.Quo imprimis instruimur,quemadmodum horribile Dei supplicium est,illos in cordis desideria tradere;sic etiam supplicium esse grauissimũ, illos suarũ irarum furijs dedere.Licèt autem vniuersè sit sermo de furijs omnibus in Iudæos Christum respuentes irruentibus;in illas tamen præcipuè intendit oculos in præsenti Spiritus sanctus, quæ Iudæos aduersus Christianum populum & Euangelij prædicationem corripuerunt.Hos enim furores,has iras,hæc odia euomuerunt Iudæi in persecutione,quam in Ecclesiam concitarunt : de qua persecutione agitur c.10.& 11.seq.vt in ijs liquebit. Atque vtrumque caput interijcitur inter sextam & septimam plagas. Nam septima ad calcem cap.11.apponitur.Et quanuis per digressionem dicta videantur quæcunque ab initio cap.10. ad septimam vsque plagam recensentur:si tamen rectè inspiciantur,in ij ipsis,quæ digressionem videntur redolere,prouehitur eadẽ materies furorum atque irarum Iudaici populi:explicaturque,quos effectus in Christianam Ecclesiam habuerit eiusmodi persecutio.

Doctrinam hanc de Iudaica furiarum plaga posse etiã suo modo ad alios extendi.

Quartò &si doctrina hæc de furiarum plaga,ad Iudaicum populum hic applicetur : ceterùm generalis ex se est:atque in huius plagæ acerbitate expendere licet ingentem stragem,quam iræ & furores edunt in eorum animis,quos penitùs occuparunt:nec in animis solùm,sed in ipsa etiam vita, Quia *zelus & iracundia minuit dies*,Eccles.40.26.Et *putredo ossium inuidia*,Prou.14.30.Nec inficiari possumus,quod quotidie ipso experimento deprehendimus;cùm videamus innumerabilem hominum multitudinem suis discordijs atque odijs miserandum in modum interire.Et sanè quod Spiritus sanctus affirmat,tertiam hominum partem per huiusmodi irarum ac furorum occasiones de medio tolli;minimè est hyperbolicum. Atque vt in plagis primis dicebamus, sic etiam nobis in hac tertiæ partis loquutione Spiritus sanctus significat,ipsius clementiâ & misericordiâ fieri:vt eorum numerus,qui euadunt mortem,sit multò maior,quàm numerus eorum,qui à suismet furiis occiduntur. Quòd si aliquis existimet plus inesse mysterii in eo,quod in hac plaga repetitur,per illam scilicet ex toto hominum cœtu tertiam partem occidere:ego certè fateor me penitiora arcana non assequi: & libentissimè ab alio,cui perspicacior sit mentis obtutus,in hac re edocebor.

Quantus hominum numerus discordijs atque odijs interieras.

Quid per tertiam hominum partem occisam doceamur.

In plagarũ serie non temporis, sed grauitatis ordinem seruari.

Quintò in plagarum serie non temporis seruatur ordo,sed grauitatis:vt suprà iam diximus.Nam plagæ huius initium fuit sine dubio ante famem,bellum,ac pestem.Verùmtamen reor etiam attendi maximè horribiliorem huiusce plagæ impetum ac furiam; quæ quidem accidit postquàm viderunt Iudæi,Christianam rem multiplici incremento magis magisque excrescere: nempe proximè ad populi Iudaici obdurationem.

TEXTVS.

*Vers.*16.Et numerus equestris exercitus vicies millies dena millia.Et audiui numerum eorum.

17.Et ita vidi equos in visione.Et qui sedebant super eos habebant loricas igneas,& hyacinthinas,& sulphureas:& capita equorum erant tanquam capita leonum : & de ore eorum procedit ignis & fumus & sulphur.

18. Et ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum,de igne & de fumo & sulphure,quæ procedebant de ore ipsorum.

19. Potestas enim equorum in ore eorum est,& in caudis eorum.Nam caudæ eorum similes serpentibus,habentes capita:& in his nocent.

COMMENTARIVS.

Vers.16. Numerus his ceteris omnibus in tota Scriptura positis maior.

VICIES MILLIES DENA MILLIA] id est,bis millies centena millia, siue ducenti milliones,quo exprimitur non quidem infinitus numerus,sed finitus;maximus tamen.Et verò nullus;quod quidem sciam,numerus in tota sacra pagina est ita magnus.Nam *decies millies centena millia*, apud Danielem c.7.10.conficiunt omnino centies centena millia,siue decẽ milliones.Atq; in sacris Literis neutiquam credere debemus,hunc numerũ ceteris maiorem temerè & casu fuisse appositũ. Etenim licèt finitus numerus pro infinito accipiatur:at in hoc loco exprimi maiorem numerum, quam vsquam aliàs in vniuersa Sctiptura,mysterio minimè vacare reputem. Dico ergo , angelos, quantumuis plurimos,certo ac præfinito numero circumscribi:verùm irarum,tumultuum ac furiarum exercitum,cùm ex inordinatis animi affectionibus oriatur,innumerabilem planè esse. Dicam clariùs;eorum numerus magis ac magis potest sine limite excrescere:ideoque vsurpatus fuit numerus ita ingens,qualem in nullo vnquam exercitu reperire ac dinumerate quisquã possit. Quo illud imprimis adumbratur,ex proprii amoris,& ipsius asseclarum impunitate ac nimia licentia innumeras iras,rixas atque discordias exoriri posse:ac proinde qui inexpiabilẽ hanc tyrannidem & immanitatem non hactenus effugit,eum aduersus semetipsum infinitas furentium inimicorum cohortes infensas atque armatas habere,atque ita quantunuis plurimi præterierint,à quibus non sit offensus;adhuc tamen innumeros remanere,qui in ipsum impetum faciant.Et hæc quidem de equorum numero.

Quorsum hic equitũ numerus ita magnus describatur.

Quàm verò istorum inimicorum singuli horribiles sint: id sic describit Ioannes : *Ita vidi equos in visione:*

Digitized by Google

A *visione*; scilicet eo, qui sequitur, modo: equites nempe cum loricis igneis, hyacinthinis & sulphureis: equos verò leoninis capitibus, ignem, fumum ac sulphur euomentibus, & pro caudis serpentes. Explicemus singula.

Imprimis equestris exercitus fingitur. Quod indicat non solùm magnam potentiam, sed etiam eos ad defendendum & saluandum aduenire. Nam vt vidimus cap. 6. not. 2. hæc est symbolica equi significatio. Si autem attentiùs inspiciamus: hoc interest discrimen inter blandas cupiditatum illecebras, & furiosos irarum æstus; nam cupiditas illud sibi pro obiecto proponit, vt bonum inquirat: ira, vt à malo defendat; atque vt illud propulset, alium, si possit, lædat. At culpabiles iræ proprium amorem, diuitiarum cupiditatem, honorum appetentiam, ac iudicium proprium tueri ac defendere conantur. Quod vt præstent, simulant se, ad eius, qui irascitur, salutem procurandã aduentare. Enim verò Spiritus sanctus nos perspicuè monet, huiusmodi irarum exercitum non tantùm ad nostram salutem ac defensionem non incumbere; verùm etiam in nosmetipsos, quos saluare iratos ac tueri se simulant, ceu inferorum furias ex ipso tartaro erumpentes violenter inuadere. Quamobrem rebelles Iudæi (quibus Deus irarum plagam pro ipsorum obstinatione inflixit,) vtpote effrænata libidine & cupiditate excæcati, existimabant, se Christianis irasci, & acriter succensere, rem esse plurimùm conferentem ad suum honorem, suæque reipublicæ incolumitatem defendendam. Re tamen verà
B in eo ipso, ita miseri & infelices erant, vt in huiusmodi repræsentatione describitur; cùm inducitur innumerabilis hic equorum exercitus in eos furenter irruens.

Quorsum hic exercitus fingatur equestris?

Discrimen inter blandas cupiditates & furiosos irarũ æstus.

Falsus rationis prætextus, quẽ Iudæi suo in Christianos furori prætendebant.

Neque opus est, (quod ad significationem attinet,) equum ab equite distinguere; vt vidimus c. 6. not. 5. Quare congruentior explicatio est, tam equum, quàm equitem esse pariter iræ & indignationis symbolum. Si tamen aliquis sibi gratiùs duxerit, vt equus diuersam habeat ab equite significationem; facilè in hoc ei gratificabimur, si dicamus in equo iram, in equite rationẽ indicari. Etenim in concupiscentiis non admodum de ratione & æquitate laboratur: at in odiis atque indignationibus semper iratus rationis speciem prætendit; asserens se intra æquitatis limites iræ atque odio indulgere ad iniuriam sibi illatam propulsandam. Hoc autem vt aptè significetur, non perperam fingitur, per furiosum equum, iram: per equitem insidentem, significari rationem. Huc adde, in iris atque odiis inordinatos animi impetus esse vehementes, rationem verò debilem & imbecillem: ideoque arma ad aliorum offensionem conducentia (qualia sunt ignis, fumus, sulphur, leonina capita & caudæ serpentinæ) iure optimo textus attribuit equis: equitibus autem dat arma: non quidem ad aliorum offensionem, sed ad sui ipsorum defensionem, vt miras illas loricas, de quibus infrà.

Quid per equũ, quid per equitem figuretur.

Porrò capita equorum leonina iræ superbiam & crudelitatem mirificè exprimunt. Ira enim correptus in offensorem inuolans, ipsum deuorare, atque eius sanguinem exsugere velle videtur; cùm
C tamen sibi potiùs damnum, sibi perniciem & exitium creet. In igne autem, fumo ac sulphure per ordinem eleganter denotatur imprimis iræ ignis, quo iratus excandescit, deinde inordinatæ perturbationis fumus, atque caligo, quæ iram ipsam consequitur; adeòque ingens est, vt recte Satyricus ille dixerit:

Leonina equorum capita quid denotent.

Ira furor breuis est. Horat.

Excæcat enim hominem quasi quodam perturbationis fumo: eumque rationis omnino impotem reddit. Tertiò ponitur sulphur, quæ aptissima est ignis materia ac nutrimentum; significatque post accensum indignationis ignem & manifestam rationis perturbationem, quidquid siue dicatur, siue agatur; perinde esse, ac si igni ligna iniicerentur. Quod si *secundum linguæ fylux exardescit ignis*; quid, si sulphur admisceatur?

His adiungitur, in cauda pro setis singulis esse singulas serpentes. Ac primò descriptio hæc in se claudit eminenter furiarum picturam, quam Poëtæ describunt. Nam pro crinibus eis tribuunt in capite colubros, & manibus tædas ardentes apponunt, quibus inest ignis ac fumus, & inflammabilis materia. Verùm in ordine & coniunctione ignis, fumi ac sulphuris procul dubio datur significantia energia, nec illa caret fictio capitis leonini & colubrorum, cui pro setis caudæ adduntur. Ad hæc, commentum Poëtarum, qui furias non ampliùs tres, easque sub fœminarum specie fingunt, imbel-
D lius multò est ac frigidius, quàm vt cum innumera furentium equorum multitudine comparetur.

Præterea, vt pro setis serpentes fingerentur, aliquod steterit in rerum natura fundamentum. Quòd scilicet setæ in aquam iectæ, ibique asseruatæ facile conuertantur in colubros. Ceterùm, quod magis ad rem facit, illud est, quemadmodum locustis afficta fuit scorpionis cauda: sic etiam furiosis equis, setarum vice, serpentes attribui. In hac quidem figura eo fuit habitus respectus, quòd scilicet reperiantur locustæ scorpionum caudam habentes: & setæ (vt diximus) possint in colubros verti. In vtroque tamen ille potissimùm finis spectatus fuisse videtur: quòd præter damnum, quod iræ & concupiscentiæ inferunt in ipso primo aditu (hoc enim significatur in capite) aliæ quidem leoninis dentibus, aliæ capitibus leoninis, & igne, fumo, ac sulphure, præter hoc, inquam, in ipso exitu (hoc enim est in cauda) animam pestifero veneno inficiunt, atque percellunt. Atque hæc arma non illæ exertabant priùs: sed postea miserabilis homo animaduertit se infectum ac venenatum relinqui, à concupiscentiis quidem per acerbissimos conscientiæ stimulos, per curas atque angores, ab iris verò per odia, furorem, rabiem, ac desperationem, necnon per vehementes læsæ conscientiæ aculeos. Atque huiusmodi conscientiæ stimulos, & immanissimos animæ carnifices appellat Furias Marcus Tullius. At iuxta Apocalypseos locutionem aptior est distinctio, qua iras appellemus Furias, concupiscentias verò Sirenes.

Cur furiosis equis serpentes pro setis dati?

AB HIS TRIBVS PLAGIS OCCISA EST TERTIA PARS HOMINVM] Monstrosi huius exercitus facultas non ampliùs extendebatur, quàm vt tertiam hominum partem interimeret (agitur enim hîc sin-

Digitized by Google

gillatim de Iudæis.) Nunc tamen explicatur tertiæ hominum partis internecionem consequutam fuisse ex ignis, fumi, ac sulphuris vi. Non igitur (dicet aliquis) caudarum colubris ad hoc opus erat; aut saltem nemo ipsorum vulneribus concidit. Respondeo; serpentum morsus non ita celeriter necant, vt ignis, fumus ac sulphur. Atque quod ad significationem spectat, satis est, vt qui ab igne fumo & sulphure intereunt, ipsorum mortem dolor ac rabies ex serpentum morsibus prouenientia comitentur. Iam, licèt mortui non sint plures, quàm tertia Iudæorum pars; percussi tamen sunt Iudæi omnes rebelles, & adhibita proportione reliqui scelerati: ad omnesque generatim se extendit morsuum colubrorum significatio.

Soluitur obiectio contra superius dicta.

Redeamus tamen ad equitum loricas. Adeò mirum est & inauditum loricarum ex igne, hyacintho atque sulphure inuentum, vt aliquis fortè satis esse existimet, eas ex cæruleo panno, aut alio coloris hyacinthini materiâ coagmentatas concipi ignitis flammis interiectis depictas, & in medio sulphuris aliquo frusto distinctas. Sed quod ad grammaticum sensum pertinet, simplicius est de vero igne & vero sulphure interpretari. Noua autem & peregrina inuentio in ænigmate nihil obstat, si debitam habet significationi energiam. Assero igitur, considerandas esse loricas has tanquam ex panno hyacinthino; ita tamen vt in eo accensus sit ignis, & sulphure alitus; ac proinde hyacinthinas loricas ardentibus flammis æstuare. Quòd verò vestis hyacinthina non solùm hyacinthinum colorem significet, sed illam etiam materiam, quæ eo tingi colore solebat; existimo rem esse humaniorũ literarum peritis vulgarem. Quare hyacinthum harum loricarum explico de lanea veste hyacinthino colore tincta.

Lorica equitum quomodo dicãtur esse ignea, hyacinthina & sulphurea.

Sed quid de significatione dicemus; Lorica, proprie est armatura ad sui defensionem, non ad offensionem aliorum, constat autem pannosam loricam armaturam esse prorsus ridiculam. Hoc ergò ipsum intenditur, nimirum ridiculum planè esse, & ioculare, quod pro se irati per æquitatis speciem solent adducere, vt suam apud alios iracundiam purgent. Familiare enim est iratis hominibus, suam excusare indignationem, & se iure iratsci aliis probare velle. Enimuerò quæcunque pro se afferunt, nugatoria sunt; nec loricæ solidæ ac veræ, sed fucatæ & futiles: ac superbia & elatione constantes, iarumque igne succensæ, qui vehementer augescit ipsismet excusationibus seu rationibus, quibus se excusare volunt miseri. Huius autem doctrinæ veritas sapientibus hominibus comperta est. Ad eam verò significandam ecquid potuit elegantius cogitari, quàm lorica ex cæruleo panno consuta, igne inflammata, sulphure ignem ipsum alente? Nam inprimis vestis hyacinthina idonea valde est ad arrogantiæ ac fastus significationem. Viri enim nobiles hyachintinis indui solebant; Ezech. 23.6. & Ecclesiastici 40.4. *Ab eo, qui vtitur hyacintho, vsque ad eum, qui operitur lino crudo.* Et hoc erat antiqua phrasis Hispana, *Vestirse de blao.*

Quid significent ignis hyacinthus & sulphur loricarum.

Vestes hyacinthinæ nobilium propriæ.

Aduerte insuper frequenter iram obtegi & dissimulari sub specie honoris & existimationis, quæ personæ offensæ debeatur: quasi nobili ac honesto viro nõ sit huiusmodi iniuria inferenda. Et quidquid ad hæc adiungitur, nihil est aliud, quàm ira atque iræ nutrimentum; quod est ignis ac sulphur, & hoc pacto fastus ipse & arrogantia exardescit. Nec aliud est loricæ hyacinthum flammis ardere. Siue autem eques sit Ratio, siue ipsa Ira; ad hoc parum refert. Aduersus has igitur adeò debiles ac ridiculas excusationes miseri homines, quos iræ atque furores adoriuntur, non audent arma capere. Nam licet illæ sint ita imbecillæ: aduehuntur tamen veluti in equo furentis impetus acrimonia: quæ velut furiosus equus ore ignem, fumum ac sulphur eructat: sine Christi autem assertoris ope & gratia nequeunt homines ab horrendis hisce monstris se protegere, atque tueri.

Lorica cur ignea & hyacinthina?

TEXTVS.

Vers. 20. Et ceteri homines, qui non sunt occisi in his plagis, neque pœnitentiam egerunt de operibus manum suarum: vt non adorarent dæmonia, & simulacra aurea & argentea & ærea & lapidea & lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare.

21. Et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis suis, neque à veneficiis suis, neque à fornicatione sua, neque à furtis suis.

COMMENTARIVS.

Plurali numerus pro singulari.

QVANQVAM in plurali numero dicitur *in his plagis*; meo tamen iudicio, de sexta solùm plaga hîc sermo est: ita enim contextus ipse sensusque exigunt; & in huiusmet plagæ descriptione Ioannes plurali fuerat vsus n. 10. dicens, *Ab his tribus plagis igne, fumo, & sulphure.*

Hoc ita constituto, furiosi equi, qui Babylone aduentarunt, sunt iræ ac furores, quibus Deus Iudæos miserabiles dignè mulctauit. Illud autem textus ponderat, quantunuis equi furentes tertiam Iudæorum partem de medio sustuliſſent, reliquos tamen obstinatos adhuc & pertinaces in vana sua idolorum superstitione, in homicidiis, in veneficiis, in fornicationibus ac furtis adhuc perstitisse.

Vtrum de propria idololatria, an de mystica hic sermo fit.

Quod dicitur eos in sua idololatria peruicaces permansisse, ansam præbuit nonnullis, vt sibi persuaderent, in hisce plagis non de Iudæis, sed de Idololatris haberi sermonem, quasi verò nouum foret, in sacra Scriptura mysticè idololatriæ nomen poni: & quasi Paulus nõ perspicuis dixisset verbis, auaritiam esse idolorum seruitutem, ad Epes. 5.5. Adde, non semel aliàs in hoc eodem sensu idolatriam

A Idolatriam tribui filiis Israëlis post Iesu Christi aduentum: vt Oseæ 3.1. *Ipsi respiciunt ad Deos alienos.* Cum ergo ex contextu mysteriorũ libri signati constet, septimi sigilli mysterium esse septem plagas à Deo in Iudæos coniectas; constare etiam debet, idololatriam, de qua hîc fit mentio, esse mysticam.

Sensus hic mirificè cum antecedentibus cohæret. Nam huius plagæ initium fuit, conqueri altare de Iudaico populo propter violatam religionem. Cuius querimoniæ sensus est: illos, vt suis indulgerent cupiditatibus, spiritalem idololatriam patrare; ideoque altare ipsum expostulare, atque contendere, vt concupiscentias & deprauatas cupiditates furiæ irarum consequerentur. Quid ergo cohærentius, quã vt post depictam furiarum plagam, & spiritalem idololatriam, tanquam illarum causam præscriptam; subeat admiratio, quòd horribilis hic furiarum cruciatus, & tertiæ hominum partis occisio non fuerint satis, vt reliqui clausos mentis oculos aperirent, & spiritalem idololatriam detestarentur: ex qua tanta, tamque formidabilis plaga ceperat exordium. Memini quendam mihi olim notum, fortunarum priùs & opum amatorem, in eas posteà rei familiaris spinas ac sentes sese induisse, vt eum mox ex intimo cordis affectu dicentem audierim, sibi infensas omnino atque infestas esse diuitias: ideoque honestam se paupertatem maximè optare. Ioannes igitur ad hunc ferè modum admiratur: cùm ita caro Iudæis steterit voluptatis & diuitiarum amor, cùm mortifera toties venena, earum causâ, obbiberint; cùm denique experti fuerint, tertiam suorum partem fuisse propterea necatam: eos tamẽ nihilominus adeò præfractâ mente in spiritali idololatria & fornicatione persistere.

B

Quæ sint dæmonia & simulacra aurea.

DE OPERIBVS MANVVM SVARVM] Videtur hoc ad suarum permutationum atque emptionum compendia referendum. *Dæmonia & simulacra aurea, & argentea & ærea.* Id refero ad pecuniam: habetque per elegantẽ energiam, perinde quasi essent idola, pecunias dæmoniorum & simulachrorum compellari. Sequitur mox: *& lapidea & lignea*, quod de ædibus & possessionibus velim intelligi.

Vers.21. *Veneficium hic in quo sensu sumatur.*

ET NON EGERVNT POENITENTIAM AB HOMICIDIIS SVIS] Quibus Christum & Christianos, quos insectabantur, occiderunt: NEQVE A VENEFICIIS SVIS. Veneficium est crimen veneni. Id quod explicandum reor de felle atq; amaritudine, quam Christianis propinandam offundebant, dum Christi nomen extinguere ac delere parabant. Quòd si veneficii nomen strictè pro dæmonum imploratione sumatur: quòd Iudæi Gentium auxilium aduersus Christianos implorarent, hæc certè erat spiritalis quædam dæmonum appellatio. NEQVE A FORNICATIONE SVA. Fortè exponendum hoc est de mystica fornicatione, quà cum propriis amore ac iudicio adulterabãtur. NEQVE A FVRTIS SVIS. Hæc vox designare potest fænora ac turpia lucra, quæ in Iudæis Euangelio repugnantibus adeò altas, inueteratas atque annosas egere radices. Et sanè hi illos laquei non parum irretiunt, ne Euangelicam excipiant doctrinam: quæ illicita sua compendia, quibus illi tantum impendii faciunt, penitus damnat: eosque ad iniustè parta reddenda obligat,

Fornicatio hic pro mystica & spiritali.

C

CAPVT X.

NOTATIO I.

In cap.10.& 11. de argumento horum capitum.

CVM videatur absoluta iam fuisse plagæ sextæ descriptio; mirum apparet, plagam septimam vsque ad versum 15. capitis 11, distrahi. Nonnulli interpretum, qui in ea sunt sententia, vt plagas has fore illas existimẽt, quas sub mundi finem immissurus est Deus in orbem; opinantur, tunc inter sextam & septimam plagam euenturùm esse, quod in duplici hoc cap. 10. & 11. prædicitur. Hanc mihi opinionem intactam relinquere est animus. Per me sanè perstet in eo firmitatis ac veritatis gradu, quem doctiores æquum fore iudicabunt: neque enim illam vlla ratione infirmare aut eleuare statuo. Enimverò in Prolegom. fundasse me memini, diuersos sensus in Apocalypsin cadere posse; atque etiam in eodem sensu per modum comparationis posse sub eâdem litera sensus diuersos in Apocalypsi coniungi. Quapropter nihil est, quòd vereatur quispiam, nostrâ hac expositione impugnatũ iri quidquam ex ijs, quæ communi sunt conceptione recepta: cuiusmodi sunt, in cap. 11. agi de Enocho & Elia.

Qua in re, auctoritati atque explicationi Ecclesiæ Catholici omnes sponte ac suppliciter fasces submittemus. Liceat mihi interim meæ declarationis filum ducere & continuare: dum Apocalypsin ad eas applico veritates, quæ nec minùs certæ nec leuioris sunt ponderis. In mea igitur explicatione, cùm septem tubarum plagæ sint eæ, quas Deus in primo Ecclesiæ Christianę sæculo aduersus infidos Iudæos ãmmisit: minimè possim, si velim: nec velim fortasse, si possim, eam mihi cõiecturam seu diuinationem accersere, quæ statuit inter sextam & septimam plagam accidisse, quod in duplici hoc cap. traditur. Præterquàm quòd doctrinæ ordo efflagitat, vt iratum plagam, quæ sexta est, septima, quæ est obdurationis, mox consequatur. Aduerto tamen, quanuis plagæ sextæ descriptio videatur esse finita: certum esse tamen, hæc omnia à principio capitis 10 ad septimæ vsq; plagæ descriptionem interiecta ad sextam plagam quodammodo pertinere. Nam quẽadmodum absolutâ plagâ quintâ, dixit Ioannes c. 9 12. *va vnum abijt*: non secus quod cap. 11. 14. ait, *va secundum abijt*: indicat planè, quidquid in 10. & 11. capitibus præcedit, ad plagam sextam spectare, cùm ad eandem spectet *va secundum* aquilæ: alioqui nimis serò ac perperam Ioannes diceret, *va secundum abijt*. Ex quo infero illos interpretes, qui quæ dicuntur cap. 10. & in priori parte vndecimi, non cum sexta plaga connectunt, nequaquam textui satisfacere. Nec suas explere partes, si dicant hæc omnia, quæ intercedunt inter sextam & septimam plagas, esse euentura: cum textus ipse nos cogat, vt isthæc omnia ad sextam plagam spectare credamus.

D

Omnia, quæ ab initio cap. 10. ad septimam vsque plagam interiiciuntur, ad sextam quodammodo plagã pertinere

In nostra quidem explanatione & acoluthia nullius id difficultatis est. Etenim sexta plaga nihil aliud continet, quàm iras, indignationes & odia, quib. Deus grauissimè in Iudæorum populum animaduertit; inter quas iras potissimum Apocalypsis adscribit furorem ac rabiem, qua efferati Iudæi Christianum populum acerrimè oppugnarunt. Quare quidquid ad persecutionis illius considerationẽ pertinet, ad plagam etiam sextam pertineat oportet. Notandum igitur est, persecutionem illam sub triplici ratione siue respectu

Probatur superdicta assertio ex ipsa rerum serie & consequutione.

Digitized by Google

concipi potuisse; nempe respectu Iudæorum ipsorum qui Ecclesiam infectabantur, & respectu fidelium Iudæorum atque etiam Gentilium. Apocalypsis autem considerat persecutionem illam, vt grauissimam ipsis persecutoribus plagam (quod cap.9. descriptum fuit) eamq; fuisse exordium maximæ felicitatis Gentilium (idque cap.10. pereleganter tractatur:) postremò Iudæis fidelibus, qui adeò validè oppugnabantur, nihil detrimenti, sed plurimum potiùs emolumenti ex ipsa persequutione prouenisse; ex eaque excellentissimi triumphi occasionem illos captasse. Atque id agitur in priori capitis vndecimi parte: posteriorem enim occupat plaga septima.

Cur sexta plaga tractatio sit ad c.10. & 11. extensa.

Ex his intelligitur, sextæ quidem plagæ considerationem, quatenus rebellium Iudæorũ supplicium erat, satis iam fuisse descriptam cap.9. Verùm, quia summi erat momenti, percipi atq; cognosci quidquid ex plaga illa ad Gentiles & ad primitiuam Ecclesiam redundauit; ideo sextæ plagę tractationem ab Spiritu sancto ad cap.10 & 11. fuisse extensam. Quia verò in cap.11. durabat adhuc Iudaicæ persecutionis pictura; idcirco postquàm primigeniæ Ecclesiæ triumphus fuit expressus, subiecit Ioannes, *va secundum abijt*, & protinus plagæ septimæ descriptionem subdidit.

A Itaq; iuxta meam expositionem, summa capitis decimi est, horribilẽ illam persecutionis procellam, quã Iudæi aduersus Ecclesiam concitarunt, initium fuisse veræ ac solidæ Gentilium felicitatis: eoque spectasse admirabile diuinæ prouidẽtiæ consilium. Ad hunc ipse scopũ refero, quodcunq; in c. 10. continetur: quod ad quatuor omnino puncta redigitur. Primum est pictura Angeli illius fortis pedem alterum in terra, alterum in mari tenentis: secundum, septem tonitrua: tertium, iusiurandum Angeli: quartum, libellus ab eo traditus Ioanni, in eius ore dulcescens & inamarescens in ventre. Illud autem me in hac declaratione non parum stabilit atque confirmat: quòd videam, quàm sit non æquum modò, sed etiam necessarium, quatuor hæc, quæ textus in hoc c. coniungit, proportionem inter sese & continuitatem habere: quam quidem video ab interpretib. non admodùm attendi. video etiam iuxta sensum hunc, quem quatuor his punctis adscribo, si cum alijs Scripturæ locis conferatur, non solùm connexa inter se illa puncta & copulata esse, verùm etiam adeò mirificè coagmentari atque componi, vt idem ferè ex quatuor omnibus mysterium coalescere videatur. Nisi autem me fallo, cuiusque puncti applicatio ita est idonea, vt aptior non desideretur.

Quæ sit capitis huius decimi summa.

TEXTVS.

Vbi describitur Angelus fortis.

*Vers.*1. Et vidi alium Angelum fortem descendentem de cælo, amictum nube, & iris in capite eius: & facies eius erat vt sol, & pedes eius tanquam columnæ ignis,

2. Et habebat in manu sua libellum apertum: & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram.

COM-

Digitized by Google



Digitized by Google

COMMENTARIVS.

Quid sit fortus Angelus è cælo descendens.

COMMVNIS ferè sententia hactenus erat ante Riberam, in hoc Angelo forti Christum repræsentari. Hæc tamen explicatio Riberæ nostro non arrisit, qui adiecit, non esse impugnatione opus, quòd contextus eam manifestissimè refelleret; quia videlicet inter sextam & septimam tubam, non est ad rem agere de primo Christi aduentu & eius natiuitate: & quia Christus in primo sui aduentu non iurauit consummandum esse Dei mysterium.

Ribera expositio. Communis tamen sententia præfertur.

Sed nihilominus communem sententiam, si rite intelligatur, certissimam reputo; nempe intelligendo sermonem esse de Christo eadem ratione, quâ agitur de Filio hominis capit. 1. hoc est, de Christo in suis fidelibus. Est enim perspicua Angeli huius fortis allusio ad capitis primi figuram, tum in alijs, tum præsertim in vultu solis instar splendenti & in pedibus ignitis. Quod verò hîc dicitur, *Amictum nube*, respondet verbis illis capitis primi, *Ecce venit cum nubibus*; quod nos de Euangelicæ prædicationis nubibus explicuimus. Porro comparatio illa pedum cum columnis desumpta est ex ijs verbis Cantic. 5. 15. *Crura illius columnæ marmoreæ.* In iis autem cælestis sponsi laudibus certum est, considerari Christum non in se solùm, sed in suis quoque membris; vt notarunt Nyssenus, Paulinus, Ambrosius, Philo, Gregorius, Guillermus, & Honorius relati à Delrio in eodem cap. 5. n. 11.

Ribera argumentum dissoluitur.

Iam ad Riberæ rationem respondeo, non eum hic finem intendi, vt de primo Christi aduentu, deque ipsius natali sit sermo; sed illud agi, quod Christus per Apostolicos viros prædicabat, quo tempore Iudæi Christi ipsius nomen, immaniter deletum ire cupiebant; videlicet persequutionem illam fore occasionẽ, vt Ecclesia Iudæis derelictis commigraret ad Gentes, atque is est sensus acerrimæ illius asseuerationis *consummabitur mysterium Dei*, vt infrà videbimus. Quæ prædicatio Christo iure adscribitur, quia eius doctrina Euangelici concionatores nitebantur. De sensu autem iuramenti huius infrà dicemus.

Cur hic Angeli nomen Christo tribuatur?

His ita prælibatis, accedamus iam ad contextum, *Vidi alium Angelum fortem.* Ex epitheto, *fortem*, colligit Ribera huiusmodi Angelum esse eundem, qui cap. 5. 2. prædicabat. *Quis est dignus aperire librũ?* Leuis sanè coniectura: & textus ipse haud obscure innuit, hunc esse longè diuersum. Ait enim. *Vidi alium Angelum amictum nube, & iris in capite eius, facies eius vt sol, pedes tanquam columnæ ignis*: quorum nihil congruit Angelo capitis quinti. Sed dices; quorsum hîc Angeli figura tribuitur Christo? Respondeo, allusionem in hoc loco apparere ad illud Isaiæ 9. 6. *Magni consilii Angelus.* Sic enim legunt Septuaginta, vbi noster; *Admirabilis consiliarius.* Atque illorũ verborum sensum (*Magni consilij Angelus*) expressit D. Cyprianus illis verbis, *Magnæ cogitationis nuncius.* Et verò vox illa, quam Christo Apocalypsis attribuit (nempe, *consummabitur mysterium Dei*) denotat Christũ annunciasse mundo altissimam illam Dei cogitationẽ atque cõsilium, quòd scilicet Iudaici populi diminutio, egestas atque infelicitas fuerit Gentilici felicitas, diuitiæ, atque incrementum. Ad hæc: Christus suo ad Gentiles transitu volebat eisdẽ veram annunciare pacem: vt inferiùs dicetur. Ad hoc autem nihil aptius, quàm Angeli figura.

Vers. 1.

Quare hic Angelus vocetur fortis?

FORTEM] Angelus hic non verbis modò nunciat, Ecclesiam ad Gentiles migraturam: sed etiam re ipsâ, id est corporis cultu atque figurâ, idem adumbrat. Nam hic Angelus, vt iam diximus, est Christus Saluator noster: & ipsemet est qui desertis Iudæis ad Gentiles transiit. Cùm autem consilium hoc rem adeò nobilem, excelsam & difficilem in se contineret (videlicet quòd fidelibus vis, studium, atque contentio superesset, ad Romanum Imperium Christi fidei subiugandum) ad huius animorum fortitudinis & magnanimitatis significationem percommoda fuit fortis Angeli species. Et fortitudo quidem in ordine ad bellum recte concipitur.

Quo sensu Angelus fortis dicatur è cælo descendere.

DESCENDENTEM DE CÆLO] Cælestis primorum Christianorum sanctimonia & fortitudo verè, atque eleganter dicitur de cælo demissa. Quamobrem ad Christi imitationem (qui cælestis homo appellatur) cælestium nomen attribuitur Euangelicis hominibus: & cælestis ipsa Christianorum fortitudo nobis profectò indicat, quanto iure dixerit Paulus, *Secundus homo de cælo cælestis.* 1. Corinth. 15. 37.

AMICTVM NVBE] Si potuit fingere, nec inepte, Horatius lib. 1. Ode 2.

Nube candentes humeros amictus
Augur Apollo;

Quid sit, Angelum nube amictum descendere.

expende, *quantò rectius hic, qui nil molitur ineptè.* id est, Ioannes affinxerit, siue descripserit potiùs Christum esse Angelum Euangelicæ prædicationis nube coopertum & quasi amictum: qui per suos ministros loquitur, & cælestis doctrinæ rorem siue imbrem in homines diffundit. Hunc autem esse sensum nubium, quibus Christus amicitur, explicauimus latè cap. 1. vers. 7. ex loco Zachariæ. Erat verò in hoc loco fictio eiusmodi seu figura satis congruens ad innuendum summum beneficium, quo Deus per Euangelicam prædicationem Gentiles cumulare volebat.

Iris in Angeli fortis capite cuius fuerit figura, cuius significationis.

ET IRIS IN CAPITE EIVS] Considerandà hic videtur exigua quædam iris, quæ Angelo sit pro capitis cidari, siue corona: cuiusmodi esset, si extremæ illius partes in humeros Angeli desinerent, eosque contingere fingerentur. Sed quod præcipui sensus proprium est: cùm iris sit pacis symbolum: vt vidimus cap. 4. pacis quidem insigne gestare in capite, optimè repræsentat illum Angelum ad pacem annunciandum pergere. Quod autem Christus ad Gentiles transierit: id non fuit aliud, quàm pacem ab illo inter vtrumque populum conciliari, & Dei etiam pacem peccatoribus renunciari. Vtramque rationem coniunxit Paulus ad Ephes. 2. 14. *Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, medium parietem soluens, vt duos conderet in semetipso: & veniens euangelizauit pacem vobis, qui longe fuistis, & pa-*

Digitized by Google

A *& pacem ijs, qui propè.* Nescio, quæ aptior huius iridis commentatio afferri possit, quàm Pauli locus.

ET FACIES EIVS ERAT, VT SOL] Quo significatur desiderium, quo flagrabat Euangelij lucem toto orbe diffundendi, & hac ratione promittendi maximam Ecclesiæ fælicitatem & gloriam. Vide dicta capite primo, num. decimosexto, ad ea verba, *Faciessicut sol lucet in virtute sua*, idem enim hîc est sensus. *Quid per faciem solis instar fulgentem.*

ET PEDES EIVS TANQVAM COLVMNÆ IGNIS] Pedum nomine manifestè hic comprehenduntur crura. Et quanuis vulgaris pictura pro tibijs proprias columnas huic Angelo tribuat; meo tamen iudicio non est hic sensus grammaticus; sed ille, qui intenditur Cantic. 5. 15. vbi legimus, *Crura illius columnæ marmoreæ.* In quibus comparatio sumitur à columnis; vt magnitudo, firmitas, decor & pulchritudo denotentur. Præterea illius figura consideranda est, vt magni gigantis; iuxta illud Psalmi 18. 8. *Exultauit vt gigas ad currendam viam.* De gigante verò ingenti & valido aptissimè diceretur, ipsius tibias seu femora esse columnarum instar. Hæc de figura columnarum: nunc de materia. *Quid per pedes igneas rum instar columnarum.*

In quo rectè affirmat Pradus in Ezech. tom. 1. pag. 34. 2. consideranda esse huius Angeli femora ex ære ardenti: sicut in capitis primi figura. Ceteroquin ex igne pedes non aptè effinguntur, proculdubiò enim hic alluditur ad ea verba cap. primi 15. *Pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti.* Allusio verò ad eum locum nos docet, in hoc supplendum esse ex primo capite, quod hic expressum non erat; ac proinde pedes appellari igneos, eo quòd sint ex chalcolibano ardenti siue ignito. Iam significatio eadem in hoc loco est, quæ in cap. 1. vt eo loci exposuimus: denotatur enim huiusmodi symbolo ardentissimus ille ignis, quem Euangelij prædicatio in toto terrarum orbe accendit. *Quomodo sint huius Angeli pedes considerandi.*

B

ET HABEBAT IN MANV SVA LIBELLVM APERTVM] Pro libello Græcè est βιβλαρίδιον, aut βιβλιδάριον, quod idem est: eademque dictio replicatur vers. 8. & 9. & 10. vbi nos legimus *librum*. Aduertendum tamen est primum diminutiuum nominis βίβλος, esse βιβλίον, secundum βιβλάριον, tertium βιβλιδάριον. Itaque in hoc cap. vox Græca, quæ pro libro, siue libello supponitur, postulat vt libellum illum perexiguum fuisse arbitremur. Nec verò tantilla hæc libri quantitas mysterij ac frugis expers erit. Verùm reijciamus hoc ad versum octauum, & nonum, & decimum; vbi de huius libri agemus mysterio. Vers. 2.

ET POSVIT PEDEM SVVM DEXTRVM SVPER MARE, SINISTRVM AVTEM SVPER TERRAM] Iuxta literæ corticem, considerandus est Angelus hic validus à terra ad mare proficisci; ideoque pede altero in terra niti, altero in mari; nempe quia relinquens terram ingreditur mare. Accessus autem siue ingressus in mare fit dextro pede; nec in mari obruitur; quemdum Marc. 6. numer. 48. & 49. legimus Christum discipulis visum *ambulantem super mare*. Quod dico de huius Angeli transitu è terra in mare, suspicor nonnullis nouum & inauditum visum iri. Ceterùm id mihi vt verum persuadeo; quia principalis sensus ita exigit: nimirum, vt significetur persequutio illa, qua tellus Christum oppugnabat, fuisse eiusmodi, vt ipse re ipsa decerneret tellure relictâ ad mare transire. Quòd si hæc sit figura, perspicuum est, per terram Iudaicum populum; per mare significandum esse Gentilicum; atque ita intellexerunt Ambrosius, Rupertus, atque Richardus. Quin imò Viegas, ait, hanc esse communem opinionem. Sed siue communis sit, siue paucorum peculiaris; mihi indubitatum est, hanc esse veram explicationem. Et suspicor hoc explanationis vestigium ex antiqua Apocalypseos explicatione per successionem quandam ad hæc vsque tempora deuenisse. *Quæ ratione sit huius Angeli figura concipienda.* *Probatur superior explicatio de huius Angeli figura.*

C

Opponet tamen aliquis: licèt verum sit, ab Ambrosio, Ruperto, & Richardo sumi terram hic pro Iudaico populo, & mare pro Gentilico: illi tamen non agunt de Christi transitu à Iudæis derelictis ad Gentilium populum: sed dicunt vtrique Iudæorum & Gentilium populo dimissos esse concionatores, quorum symbolum sunt Christi pedes.

Respondeo tamen in Apocalypsi certò significari prædicationem hanc ad vtrumque populum fuisse habitam, qua ratione accidit, & à Deo fuerat id præfinitum. Atqui Diuinæ prouidentiæ ratio, atque consilium fuit, vt priùs quidem suum Euangelium Iudæis promulgaretur: deinde verò propter eorum perfidiam & obstinationem ad Gentes commigraret. Id quod disertis verbis exponit Paulus, Actuum 16. num. 46. *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes.* Illud ergo ipsum, quod Paulus ait, in ijs verbis, *Ecce conuertimur ad Gentes*: illud repræsentat hic Angelus fortis, dum dextrum pedem ponit supra mare. Nec dubito hanc esse Ambrosij interpretationem. Nam ipse vt hanc Apocalypseos figuram explicet, affert eum locum ex actibus Apostolorum.

D

Enimuerò quod meam imprimis roborat expositionem, est ipsemet præcedentium & subsequentium contextus ac series. Etenim sex plagæ antecedunt, quibus Iudæorum populum puniuerat Deus, nempe fames, bellum, pestis, spiritalis lucis defectio, traditio eorum in propria cordis desideria, & permissio grauissimæ persequutionis contra Christi nomen ab ipsis excitatæ. Hæ sunt plagæ sex antecedentes, superest adhuc quæ septima est & vltima, nempe eorum obduratio & derelictio. Si ergo hæc plaga reliqua erat, quis non videat, eam esse germanam huius loci explicationem, vt Angelus dextro pede mare calcans, huiusmodi positione innuat, impendêre iam atque imminere funestum illud ac lugubre Iudæorum populo fatum, quo derelinquantur penitus ipsi, vtpote cælesti beneficio indigni, & Euangelij lux ad Gentes in regione vmbræ mortis habitantes deferatur? qui Gentium populus in Apocalypsi nomine maris certissimè indicatur. Nam cap. 17. num. 15. expressè id docuit Ioannes dicens, plurimas maris aquas esse populos & gentes & linguas. *Confirmatur prædicta expositio ex ipso præcedentium & subsequentium contextu.*

Deinde in hoc eodem cap. 10. sequuntur septem tonitrua, & Angeli iusiurandum, quo asseuerauit post septimæ tubæ sonitum esse Dei mysteriũ consummãdum. Significatio autem septem tonitruo-

Digitized by Google

rum, vt paulò infrà constabit, proculdubio non est alia, quàm expeditio atque opus conuersionis Gentium; nec aliud indicat Angelus, cùm iureiurando confirmat perficiendum esse Dei mysterium. Non enim aliud est mysterium hoc, de quo agitur, quàm Iudæorum repulsa ac derelictio, & ad Gentiles migratio: de quo infrà. Ex hoc igitur filo atque contextu mihi omnino persuadeo, mysticam illam & admirandam actionem dextri pedis supra maris vndas positi propriè denotare Iudaicę persequutionis (de qua habebatur sermo) effectum atque exitum fore, vt eos destitueret Christus, & se ad Gentilitatis mare transferret; eidem Euangelium promulgaturus, & veræ religionis ignem communicaturus: illum, inquam, ignem, quem priùs voluerat in terra, id est, in Iudaico populo accendere. A

In Apocalypsi per mare Gentilitatẽ, per terram Iudaismum figurari.

Vix poterit dubitare, hanc esse genuinam interpretationem, qui animaduerterit, in Apocalypsi per mare Gentilitatem, per terram Iudaismum haud dubiè intelligi. Quare ad maiorem explicationis nostræ confirmationem operæpretium erit seriò perpendere vtrumque hoc symbolum; & quàm sit certum, ea sæpè in Apocalypsi iuxta hunc sensum vsurpari.

Primitiuam Ecclesiam appellasse cælum.

Nota ergo compertum planè esse, in Apocalypsi primitiuam Ecclesiam appellari cælum, quia primæui Christiani cor seu mentem in cælo habebant defixam; & fluxa omnia atque caduca bona pro nihilo reputabant. Quid ergo consequentius, quàm Iudaicum populum nuncupari terram; quia eorum affectio atque animi propensio terrenis rebus atque opibus inhærebat? Ad hæc, hæc eadem fuit terræ significatio cap. 8. 5. Vbi *prunæ missæ sunt in terram*, & n. 7. vbi *grando, & ignis missa sunt in terram.* Et n. 13. vbi habetur, *Va, va, væ habitantibus in terra.* Et cap. 9. 1. cùm dicitur stella cecidisse in terram. B

Sed dicat aliquis; si ideo Iudæis terræ nomen accommodatur, quia corda habent rebus terrenis infixa; eadem etiam ratio comprehendit Gentes infideles: atque ita nihil esse videtur peculiare, cur ad Iudæos potiùs terræ symbolum, & symbolum maris ad Gentiles applicetur. Respondeo, inter eas res, quæ per attributionem diuersis personis dispartiuntur, non opus esse eiusmodi ordinem ac distinctionem reperiri; vt quod alteri tribuitur, denegetur alteri: id quod potissimùm constat in potentia, quæ æterno Patri attribuitur: in Sapientia, quæ Filio, & in bonitate, quæ Spiritui sancto.

Cur Iudaismus terra, Gentilismus mare nuncupetur?

Solùm ergo exigitur congruens aliqua ratio, quapropter hoc vni, illud alteri singulatim accommodetur. Ratio igitur, cur terræ nomen Iudæis præsertim applicetur, cõuenientissima est. Nec enim adeò esset notabile, Gentilium corda ad terrena bona adhærescere. At Iudæos, quibus tanta erat cælestis doctrinæ cognitio, in terrestribus adhuc rebus infixos omnino, demersosque esse, id verò dignum valde erat, quod ponderaretur à sacra Scriptura, & terræ nomen illis propterea deferret.

Prætereà attributio hæc siue accommodatio illud etiam præstituit ac denotat, Iudæos videlicet terræ nomine Iudæam absolutè nuncupare. Vt apparet Isaiæ 24. vbi loquutionem hanc plusquam decies vsurpat Propheta. Verisimile autem est, vt significarent Iudæi suam doctrinam esse solidam, firmam & stabilem, & in sua republica veras ac germanas virtutes efflorescere: ideo hac illos distinctione fuisse vsos, vt Iudæam appellarent terram, mare Gentilium populos: vt obiter etiam innuerent, leuitatem & inconstantiam ac profunditatem in Gentium erroribus, necnon assiduam earum perturbationem pariter & confusionem. His accedit, quòd quemadmodum in mare omnes fluminum vndæ, quæ ex tanta fontium varietate dimanant, demum confluunt: non aliter Gentilitas est congregatio quædam siue coaceruatio innumerabilium populorum inter se dissidentium, & quædam errorum infinitorum permistio. Atque vt aqua est generationis symbolum, ita aquarum multarum congregatio repræsentat maximam generationum multitudinem. Vide illud Num. 23. 7. *Fluet aqua de situla eius, & semen illius erit in aquas multas*, vbi alij legunt, *in Gentes multas.* Porrò, vt significaretur Iudæos in pace & tranquillitate, Gentes in bellis atque tumultibus degere, idonea satis erat illa terræ marisque distinctio: non modò, propter terræ stabilitatem ac firmitudinem, marisque inconstantiam & mobilitatem: verùm etiam quia in mari (præter continuam piraticam, frequentesque rapinas, quæ conuehuntur (viuitur ex rapto, & pergrandes pisces exiguos deuorant pisciculos: ingensque est marinarum belluarum tyrannis atque rapacitas. Ad hæc: in mari pisces obruti atque demersi sunt in aquæ salsæ profunditate. Propter has omnes rationes, certa fuisse videtur Iudaici populi & vsitata locutio, vt Iudæam terræ nomine maris, Gentilitatem vocarent. Diuinus tamen Spiritus, qui eâdem phrasi fuit vsus in terræ applicatione ad perfidos ac rebelles Iudæos, eò potissimùm attendit, vt apud eos inordinatam animi affectionem ac propensionem ad res vergere terrenas denotaret: pari enim ratione primitiuam Ecclesiam appellat cælum. In maris autem attributione Gentibus (præterquam quòd populorum ac nationum multitudo & varietas indicatur.) respexit imprimis, opinor, grauissimam tempestatem, qua Ecclesiæ nauis fuerat deinceps in Gentilium persecutionibus iactanda. C D

Per aquarum multarum congregationem denotari generationum multitudinẽ Iudæos terræ nomine Iudæam: nomine maris, Gentilitatem appellasse.

Maris tempestas cuius præsertim belli sit symbolum.

Pro cuius explicatione aduerte, non quodlibet bellum cum maris tempestate appositè comparari: sed illud speciatim, quod acerrimum est & crudelissimum, quodque vndique imminet, nec vitari videtur posse. Atque ita videmus internecinum Nabuchodonosoris bellum aduersus miseram Ierosolymam tot Gentium ac nationum millibus gestum, ab Isaia, Ieremia & Ezechiele cum maris furentis impetu comparari: vt notauimus cap. 1. 15. Considerant enim Ierosolymam veluti naufragam cymbam, quam horribilis & procellosi maris impetus vndique violenter adoritur atque diuerberat. Eademque similitudine Apocalypsis adumbrauit grauissimam persequutionem, quam Gentilium populus contra Christianam Ecclesiam erat concitaturus, cùm tamen persequutionem Iudæorum, quæ antecesserat, non per maris furorem explicuerit, sed per tubæ sonitum; qui terrestre bellum indicat, cuius non adeò est grauis comminatio.

Nihilominùs tamen ita molestè fert Christus terram (id est, Iudaicum populum) quam ipse per

Euangelij

Digitized by Google

A Euangelij prædicationem volebat Spiritus sancti igne succendere, in seipsum atque in suos fideles pertinacissimo irarum ac furorum æstu exardescere: vt terram ipsam propterea derelinquere statuat, & per Gentilitatis mare firmo gradiens vestigio, illud Christianæ religionis igne inflammare. Tametsi autem opus hoc ita est difficile, vt aptè per ingressum in mare ignitis pedibus & animo illud inflammandi denotetur, Christi tamen pedum ardentium efficacitas adeò est magna, vt dubio procul, Isaiæ vaticinium rei ipsius exitu comprobetur, *Aquæ ardebunt igne*, Isaiæ 64. 2. Quod licèt aliqui rei difficultatem admirantes, ita interpretati fuerint, vt ignis calfaciat aquas, siue aquæ ipsæ ab ignis calore distillent, sicuti in sublimatoriis videmus accidere, multò tamen elegantius & significantius est dicere, Christi pedum ignem adeò esse efficacem, vt quemadmodum naphta seu Babylonicus ignis, (vulgò *fuego de alquitran*) aquas ipsas ardentes & ignitas reddit, ita ipse Christus Spiritus sancti igne multas Gentilitatis aquas fuerit accensurus. Id enim profectò expressit Isaias in verbis illis nuper allatis.

Angelus dum dextrum pedem in mari ponit, quid innuat.

Nam quantumuis aqua igni magis sit contraria, quam terra, Deus tamen, quippe omnium Dominus, vniuersa pro suo nutu flectit ac temperat.

Atque vt denotetur diuersa huius ignis efficientia in Iudæorum & Gentilium populis, mirificè deseruit repræsentatio dextri pedis super mare positi. Etenim dextro pede ingredi, innuit illud prosperè ac feliciter euenturum. Quemadmodum sinistri pedis in terra positio designat iustissimam
B Christi iram, quam aduersus terram conceperat, propterea quòd eidem tantâ obstinatione restiterit. Et sæpè alibi dextri atque sinistri distinctio similem significationem adumbrat.

Præter hæc, cùm Christi vestigium in Gentilitatem factum nihil aliud sit, quàm ipsis Gentibus Euangelij pacem denunciare, egregiè fit, vt mari pacis ac tranquillitatis experti, & procellis atque assiduis fluxibus obnoxio Christus efficacitate mirabili pacem atque quietem annunciet. Iam enim eandem Iudaico populo (licèt minori successu quoad extensionem) renunciarat. Lege Isaiam 57. 19. *Creaui fructum labiorum pacem; pacem ei, qui longè est, & qui propè: impij autem quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. Non est pax impiis, dicit Dominus Deus.* Sed quæ illis pax non est, à Christo efficaciter offertur.

Pedem angeli in mari positum non mergi, quid indicet.

Iam, quòd Angeli pes non maris mergatur vndis, sed super ipsas solidus perstet; indicat, Euangelij prædicationem in æstuantis maris procellis ac persecutionibus non esse obruendam: sed in ijs potiùs firmam, solidamque futuram. Nec alia est significatio vestigiorum Christi stabilium gradientis super aquas Marci 6. 48. & 49.

Tandem cùm dextri pedis constitutio super mare, & sinistri super terram, sit Gentilitatis exemplum Iudæis ipsis ad pudorem & erubescentiam proponere: figuræ huius mysterium idem est, quod Paulus ponderat Rom. 10. 19. ex Deuter. 32. 21. *Ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem*, &c.

C

NOTIO II.

De triplici differentia inter hunc angelum Ioanni visum dextro pede mare calcantem, & illum Danielis 12. 6 super aquas fluminis.

Expenditur allusio huius angeli ad angelum Danielis c. 12. stantem super aquas fluminis.

ALIVS IO huius Angeli fortis ad virum illum Danielis 12. 6 *qui stabat super aquas fluminis*, manifesta est: vterque enim in aqua pedibus nititur; vterque sublatâ in cælum manu iurat; & vtrobique mox sequitur mentio trium annorum cum dimidio. Verumtamen pulsat protinus mentem cupido agnoscendi congruentem triplicis differentiæ rationem. Prima est, quia in Apocal. Angelus stat super mare, in Daniele super flumen. Secunda, apud Apocalyps. Angelus alterum in aqua tenet pedem, alterum in terra: apud Danielem vtrunque in aqua habet; & duæ visuntur personæ; altera ad vnam fluuij ripam, altera ad alteram. Tertia, Angelus Apocal. vnam tantum manum tollit: Danielis autem Angelus vtramque.

Triplex inter vtrumque angelum discrimen.

Angelum illum Dan. 12. esse eundem, quem c. 10. sub Dei persona viderat.

Antequam triplicis huius discriminis reddo rationem; aduerto, Angelum illum Danieli super aquas visum, esse eundem, quem Daniel ipse describit cap. 10. Dei personam gerentem, & significantem quàm se mirabilem Deus erga suum populum exhiberet; vt latè explicaui Apoc. 1. notat. 17. Quare in Apocalypsi etiam manifestus est respectus inter eam figuram, quam Ioannes c. 1. depingit, & quam in hoc ca. 10. Vtraque enim significat Iesum Christum in Sanctis suis esse admirabilem. Vt ergo ad Danielis Angelum reuertamur; obseruandum est, cùm agitur de admirandis operibus, quæ Deus per suos præstat, tunc Deum ipsum rectè dici oppugnatum, quando ipsius oppugnatur populus: itemque Deum vincere, cùm populus ipsius vincit. Quare nulli mirum videri debet, quod de figura super aquas stante dicitur, id de Dei populo esse intelligendum.

Deinde, quòd super aquas figura illa nitatur pedi-

Alcasar. in Apocap.

D bus; indicat graues difficultates, ingentia pericula & admirabilem in illis firmitudinem, atque constantiam. Etenim si humano iudicio rem dispiciamus; qui super aquas graditur, suapte vi immergi & ad imum vergere fundum videtur, vt cœpit experiri Petrus Matth. 14. 30. *Cum cœpisset mergi, clamauit, &c.* ita Gregorius exponit Hom. 24. in Euangelia, *Quia discipuli* (inquit) *adhuc fluctibus mortalis vitæ inerant: ideo in mari laborabant. Quia autem Redemptor noster iam corruptionem carnis excesserat, ideo post resurrectionem suam in litore stabat.* Quæ cùm ita sint, quòd Danielis Angelus in aqua stet; significat rectè arctissimum & miserandum rerum statum, quò Dei populus erat deuenturus, Regum Syriæ & Ægypti bellis validissimè conflictatus (quæ est prophetia cap. 11 Danielis.) Porrò duo illi viri ad vtramque fluminis ripam stantes, *vnus hinc, & alius inde*, considerandi sunt eo animo ad ripas fluminis perstare, vt stanti super aquas obsistant; ne ad alterutram ripam euadat. Quapropter vterque idoneum erant symbolum eorum, qui Dei populum diuexantes in eiusmodi discrimen vocaturi erant, vt populus ipse deijciendus necessariò atque demergendus videretur. Et quidem, quod ad literam ipsam attinet, per vtrumque ripæ vtriusque virum in sensu proximo Reges Syriæ & Ægypti denotantur; qui bellorum tumultu Dei populum vtrinque captum in maxima pericula, calamitates & ærumnas conjecturi erant. Hic enim est proximus literæ sensus in eo cap. 11. Dan.

Cur Danielis Angelus super aquas pedibus nitatur.

Duo viri apud Danielem ad vtramque flumbnis ripam stantes quid significent.

Ad primam ergo quæstionem suprà propositam respondeo, Danielis visionem ad fluuium accommodari; quia Daniel tunc iuxta fluuium Tigrim erat, vt ipse expressit cap. 10. 4. Ioannis autem visionem ad

Cur Ioannis angelus super mare: at angelus Danielis supra flumen stet.

Digitized by Google

mare aptari, quia tunc Ioannes erat in Pathmo inſula mari proximus. Quod diſcrimẽ ipſi ſignificationi fuit perutile. Nam ſi ſitus ſuper aquas denotat magnum ſubmerſionis periculum & vehemẽtem afflictionem; maius erit & grauius maris periculum, quàm fluuij: ac proinde tempeſtas ac periculum, quæ in Apocalypſi adumbrantur, grandiora ſunt, quàm quæ Daniel in ſenſu proximo vaticinatur. Nam Daniel agit de Antiochi tempore; Apocalypſeos autem mare repræſentat Romani imperij perſecutionem; qua Chriſtianam Eccleſiam exſcindere, & Chriſti delere nomen omni opum vi cõtendit. Et quanuis feliciſſimus fuerat ſucceſſus futurus; ideoque Chriſtus dextrum pedem in mare cœpit inferre: ingreſſus tamen ipſe ad maris inſtabilitatem ac tempeſtatẽ fiebat. Quòd ſi opponat aliquis altiorẽ maris profunditatem & editiores ipſius vnda minoris interdum periculi eſſe, quàm fluminum aquas: propterea quòd maris vnda, quia craſſior eſt, aliquantò ſit ſecurior, quàm fluminis: vt in ea ſiue naues, ſiue homines poſſent facilius ſuſtineri: Reſpondeo, id etiam ad myſterium non perperam applicari: nam Eccleſia Chriſtiana in maximis calamitatibus minùs adhuc periculi ſubitura erat, quàm Iudaicus populus in minoribus.

Cur Ioannis angelus alterum pedem ſuper aquas, alterũ ſuper terram, angelus vero Danielis vtrumq; ſuper aquas habeat?

Ad ſecundam quæſtionem reſpondeo, Dan. ca. 11. figurari ſynagogam in ipſa perſecutione; ideoq; perſonam illam depingi vtroq; pede nitentẽ ſuper aquas, & vtrinque circunuentam: at Ioannes in c. 10. nõ depingit Chriſtianam Eccleſiam in mediâ ipſâ Romani Imperij perſecutione, ſed à Iudaico populo ad Gẽtes animos è migrantem: ex quo ſubſequutura erat horribilis aduerſus ipſam Eccleſiã perſequutio. Cùm tamẽ nondum acceſſiſſet perſequutionis ipſi Eccleſiæ imminentis repræſentatio, ſed ſtudij tantum & contentionis per mediam Gentilitatem gradiendi; ideo congruenter expreſſus fuit Angelus ſortis pedem alterum habẽs ſupra mare. Quemadmodum Hiſpanicè dicere de aliquo ſolemus enim habere pedem alterũ in cymba Charontis. *Tiene ya vn pie en la hueſſa.* Item *tiene vn pie en el eſtribo.* Quibus locutionibus ſignificamus, illum in equũ iã iam velle conſcẽdere, aut fatis citò cõceſſurum, & tumulo mandandũ. Non aliter qui modò pedẽ alterum habet in mari, quàm mox vtrumq; habebit ſuper mare perſecutionis Romani Imperij; & oppugnabitur non ſolùm ab Aquilone & Auſtro, ſed etiam ab omnibus quatuor vẽtis, atque adeò ex omni parte; ac ſi horriſonâ procellâ vndique conquaſſetur.

Cur Daniel, angelus vtramque manum iuraturus, angelus Ioannis alteram tantùm attollat?

Ad tertiam quæſtionem ſiue differentiam, reſpondeo, leuare manum eſſe habitum iurantis; conueniensque fuiſſe, vti Angelus in viſione Danielis vtranque manum eleuaret. Nam cùm iuſiurandum eò ſpectet, vt Aquilonaris & Auſtralis Regis perſecutionẽ aſſeuet intra tres annos & dimidiatum abſoluendam eſſe, oportuit manum vtramque extollere; vt alteram Aquilonaris, alteram Auſtralis cunſpiceret: cum vtroque enim habebatur ſermo, cùm Angelus iuramento cõfirmauit, nec Syriam nec Ægyptum potentes fore, ne crudeliſſima perſequutio intra præfinitum trium & dimidii annorum interuallum finiretur. Verumtamen cùm in hoc c. 10. Apocalypſeos iuſiurandum vni Iudaico populo, non verò Gentilico minietur; ideo pereleganter fuit factum, vt Angelus alteram ſolùm manum attolleret.

NOTATIO III.

De alluſione ad ſacrificium Eliæ, de quo 3. Reg. 18. 38. & ad ſacrificium Nehemi, de quo 2. Machab. 1. 20.

IN Angelo qui pedibus igneis per aquas maris ingredi non formidat, ponitur nobis ob oculos ſanctus quidam ignis; qui non ſolùm non extinguitur ab aquis, ſed potiùs eis paſcitur & nutritur. Atque in hoc igne videtur Spiritus ſanctus alludere ad ignem illum Domini, qui orante Elia *cecidit de cælo; & vorauit holocauſtum, & ligna & lapides, puluerem quoq; & aquam, quæ erat in aquæductu lambens.* Elias enim, qui nouerat, ignem Domini aquis ipſis paſci, *fecit aquæductum*; quaſi duas aratiunculas in circuitu altaris; & iuſſit aquam bis & ter fundi ſuper holocauſtum & ſuper ligna adeò copioſè, vt viſæ ſint aquæ decurrentes circum altare, & foſſa aquæductus repleta ſit aquâ. Et tunc orante Elia, cecidit ignis de cælo, & omnia deuorauit. Hoc verò Eliæ facinus imitatus eſt Nehemias; vt ſcribitur, 2. Machab. 1. Cùm enim in puteo ſicco & alto, vbi repoſitus fuerat ignis Domini loco ignis inuenta fuiſſet aqua craſſa, eam ipſam aquam iuſſit Nehemias hauriri; *& ipſa aqua aſpergi ſacrificia & ligna. Vtq; hoc factum eſt, & tempus affuit, quo ſol refulſit, qui prius erat in nubilo; accenſus eſt ignis magnus, & conſumpſit ſacrificium. Et eo facto ex reſidua aqua iuſſit Nehemias lapides maiores perfundi. Quod vt factum eſt, ex eis flãma accenſa eſt: ſed ex lumine, quod fulſit ab altari, cõſũpta eſt.*

Alluſio in hoc angeli pedum igne ad ignem ſacrificij Eliæ.

Item ad ignem Nehemiæ 2. Mac. cap. 1.

Ignem olim Dominus, ſine ſanctũ aquis extingui non potuiſſe.

Conſtat ergo, notum fuiſſe prophetis Dei, eum ignẽ ſanctum, qui appellatur ignis Domini, & qui de cælo deſcẽdit, nõ extingui ab aquis, ſed eis potiùs paſci & augeri. Atque ita dum Iſaias c. 54. 2. ait, *aqua ardebunt igni*; omnino videtur alludere ad ſacrificiũ Eliæ. Elias verò, cùm iubebat adeò magnam aquæ copiam ſuper ſacrificium effundi, reſpexiſſe videtur ad id Cant. 8. n. 6 & 7. *Lampades eius lampades ignis atque flammarum: aqua multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Atque hæc omnia cohærent etiam optimè cum igneis fortis Angeli pedibus, quibus aggreditur mare ipſum inflammare. Ignis enim pedum huius fortiſſimi Angeli (nimirum Chriſti Domini) eſt ille idem ignis, de quo c. 1. 15. qui (vt ibi explicauimus) omnino deſumptus eſt ab altari holocauſti; quod erat ex aurichalco, ſeu chalcolibano; & in eo ignis ſemper ardebat: ille ſcilicet ignis miraculoſus, qui de cælo deſcendit, vt habetur 2. Paral. 7. 1. vbi agitur de igne altaris, qui per longa ſæcula conſeruatus eſt in templo Salomonis. Et ſimiliter fuerat miraculoſus ignis, qui per plures annos continuè nutritus eſt in tabernaculo Moſis, vt habetur Leuitici 9. 24. Atque poſt captiuitatẽ etiam Babylonicã, renouatum eſt ignis de cælo dati miraculum. vt habetur 2. Machab. 1. 20. Nec deſunt, qui exiſtiment, poſt tres illos annos, quibus templum Hieroſolymitanum fuit ab Antiocho profanatum; ſimiliter renouatum fuiſſe per miraculum cæleſtem ignem. de quo videri poteſt Serarius noſter 2. Mach. 2. 10. vbi citat Gorionidem. Sed vtcunque hoc ſit; in Apocalypſi proculdubio ignis pedum Chriſti aſſumptus eſt ab igne miraculoſo, qui in Salomonici templi altari ſemper ardebat. Quo tanquam ſymbolo certum eſt, ſignificatum fuiſſe ſpiritualem verę religionis ignem. De hoc verò veriſſimæ religionis & charitatis igne iure dicitur, eum eſſe ignem cæleſtem, ſiue ignẽ Domini, qui aquis ipſis mirificè paſcitur; vt repræſentatum eſt in Eliæ atque Nehemię ſacrificiis. Ex eis enim locis intelligimus cæleſtem ignem (qui eſt idem cum ſacro templi Dei igne,) vbi adſit zelus Eliæ vel Nehemiæ, non ſolùm non extingui ab aquis, ſed eas etiam lambere, & eis paſci & delectari. Et ea propter pedibus igneis (id eſt, illo ſacro igne ardentibus) depingitur Chriſtus ingrediens vel aggrediens mare; vt deſignetur, eis aquis nutriendum eſſe & augendũ ignẽ pedum Chriſti. Hic eſt enim ignis ille, quem Chriſtus Dominus venit mittere non ſolùm in terram, ſed etiam in mare.

Ignem altaris Domini fuiſſe miraculoſum.

Accedet verò noſtræ conſiderationi magna lux; ſi animaduertamus, quid volucrit ſanctus deſignare in illo miraculo, quod effulſit in ſacrificiis Eliæ atque Nehemiæ; nimirum in igne aquas inflammante, & ardere cogente. Dicet fortaſſe aliquis, non aliud ibi latere myſterium, quàm oſtenſionem omnipotentiæ Dei, cui ad nutum omnes creaturę obediunt; & quiduis, vt eius inſtrumenta, operantur. Et facit, quòd hæc ipſa omnipotentia celebretur Sapientiæ ca. 6. & 19. *In eo quod ignis in aqua valebat ſupra ſuam virtutẽ; & aqua extinguentis naturã obliuiſcebatur; & in aqua, quæ omnia extinguit plus ignis valebat.* Quibus locis reſpicitur ad id Exodi 9. 24. *Grando & ignis miſta pariter ferebantur.* Verum hæc nõ eſt myſtica ſignificatio: & myſticum

Digitized by Google

Quem ſenſum myſticum Spiritus ſanctus intendiſſe videatur in Elia & Nehemia ſacrificiis, quando aquæ igne aſſerunt.

ſticũ aliquid ab Spiritu S. fuiſſe in illo ſacrificiorũ miraculo deſignatum perſuadet, tum accurata illa deſcriptio & repetitio; tum verò alluſio Apocal. ad illa miracula, dum deſcribit Angelum fortem per ipſas maris vndas ingredi volentem, vt eas inflammet. Hæc enim præter generalem illam diuinæ omnipotentiæ oſtenſionem, peculiare aliquod myſterium ſub ea figura latere facilè ſuadent. Pro explicatione verò notandum eſt primò, omnia opera Altiſſimi (vt hic Eccleſiaſtici 35. 15.) eſſe *duo, & duo*, id eſt, *vnum contra vnum*. Conſtat autem, ignis contrarium ſiue oppoſitum eſſe aquam, quia ignem ardentem extinguit aqua. Eccleſiaſtici 3. 33. Quare, cùm ſacri ignis ſignificatio referenda ſit ad ſpiritualem veræ religionis ignem, quo Chriſtus cupit mundum inflammare, facilè ſtatim cernitur, per aquæ elementum huic igni oppoſitum, repræſentari reſiſtentiam ſeu repugnantiam mundi aduerſus eum ignem; conatum nempe obſiſtendi Euangelico igni, ac bella & perſequutiones eo fine excitatas, vt penitùs extingueretur is ignis, quo Euangelici concionatores, veluti miniſtri diuinæ Prouidentiæ, ſiue vt ſpirituales Chriſti pedes, conabantur mũdum inflammare.

Quid per ſanctum Dei ignem; quid per aquam ei contrariam figuretur.

Prædicationis Euangelicæ officium eſſe myſticum quoddam ſacrificium.

Deinde obſeruandum eſt prædicationis Euangelicæ officium, eſſe myſticum quoddam ſacrificium; vt ſignificauit Paulus ad Ro. 15. 16. vbi agens de munere ſibi credito, ait, *Propter gratiam, quæ data eſt mihi, vt ſim miniſter Chriſti Ieſu in Gentibus, ſanctificans Euãgelium Dei, vt fiat oblatio Gentium accepta, & ſanctificata in Spiritu ſancto.* Vbi ex contextu euidenter patet, prædicationem Euangelij conſiderari ab Apoſtolo veluti myſticum quoddam ſacrificium, cuius ſacrificij ſe ipſum contemplatur ſacerdotem. Atque id propriè ſignificat vox illa *miniſter*, vt patet ex Græco, εἰς τὸ εἶναί με λειτουργὸν ἱερουργοῦντα. Hoc ſuppoſito, Paulus ipſe conſiderandus eſt à nobis veluti alter Elias, qui magnum ſacrificium Deo offerre parat: per conuerſionem nempè Gentium. Et quanuis non ignoret, myſtici maris, hoc eſt, mundi aquas & fluctus ſuam omnem vim atque potentiam obijcere & opponere aduerſus ignem cæleſtem, quo opus eſt vt hoſtiæ ardeant, & ſacrificium rite peragatur (ſic enim natura comparatum eſt, vt aqua cum igne bellum gerat, & eum extinguere conetur:) Apoſtolus tamen à Dei ſpiritu edoctus non dubitat, quin cæleſtis ignis eá ipſâ antitheſi & reſiſtentiâ aquarum paſcatur, & quaſi delectatus pugnâ, lambat aquas, & in eis inflammandis & deuorandis delectetur. Atque adeò in diuinæ Prouidentiæ conſilio, ad illud ipſum, quod flagrantiſſimè cupiebat Apoſtolus, nempe vt ſacrificium cæleſti igne arderet; ad hoc ipſum valde conducebat, vt hoſtiæ & altare, & lignorum ſtrues, & omnia priùs aquis perſequutionis & contradictionis non ſolùm aſpergantur, ſed imbuantur & madefiant. Quemadmodum in Eliæ ſacrificio repræſentatum eſt. Quamobrem non ſolùm non perhorreſcit Paulus perſequutionem, ſed potiùs in ea gloriatur; & in aquæ affluentia & redundantia ſuperabundabat illo gaudio & exultatione. Nouit enim Dei eſſe conſilium, vt poſtquam aquæ viſæ ſint ſuper altare decurriſſe, & foſſam aquæ ductus repleſſe; tũc ad myſtici Eliæ preces ignis è cælo cõſumat holocauſtum, & aquas ipſas ardere cogat.

Carnes in Elia ſacrificio oblatæ quid adumbrent.

Iam verò in Eliæ ſacrificio facilè cernitur, carnes illas, quæ Deo offerebantur, ſymbolum geſſiſſe eorum Gentilium, qui à Paulo per eorum conuerſionẽ oblati ſunt Deo. Conſideratis enim ſuprà allatis Pauli verbis, & applicatis ad ſacrificium Eliæ, carnibus oblatis omnino reſpondent Gentes ad fidem Euangelij conuerſæ. Sicut etiam lignis ſuggeſtis, ipſa Pauli prædicatio, ac duodecim lapidibus magnis, quibus Eliæ altare extructum eſt, duodecim ſymboli Apoſtolici veritates. Hæc verò omnia viſa ſunt perſequutionis Gentilicæ aquis perſuſa & madefacta, cùm Chriſtianorum ſanguine madebat terra: & quò maior fuit perfuſio & madefactio, eò perfectior fuit effectus, quẽ myſticus Elias tantopere optabat, nempe vt mirando illo ſacrificio conuincerentur homines, nullum alium eſſe verum Deum, niſi eum, cui à myſtico Elia eiuſmodi ſacrificium oblatum erat. Et propterea ignis quaſi exultans atque triumphans lambebat aquas, vt expreſſit Scriptura, & puluerem & ligna deuorabat, & lapides cum aquis lambere videbatur.

Germanum denique illius antiqui miraculi myſterium, ſeu myſtica ſignificatio ab Spiritu ſancto intenta, fuit, eò magis acceptum fore Deo Apoſtolicæ prædicationis ſacrificium, & eò præſtantiorem fore illius effectum, quo maior eſſet contradictio mundi aduerſus cæleſtem ignem. Et eapropter Chriſtus Dominus in ſuis miniſtris non ſolùm non reformidat ingreſſum in mare, neque eius aquas putat præualituras ad extinguendum pedum ipſius ignem, ſed potius certus eſt atque ſecurus eò fore maiorem myſtici ſacrificij efficaciam, eò maiorem Dei beneplaciti ſignificationem, & eò maiorem ſanctificationis effectum, quem cæleſtis ignis virtus operatur, quò abundantior fuerit madefactio, & aquarum decurrentium repugnantia.

Eôdem ſpectat, quod de Nehemiæ ſacrificio legimus 2. Machab. 1. vbi videre eſt, non concidiſſe animo Nehemiam (cuius nomen conſolationem ſonat) cùm videret in eo loco, in quo ignis cæleſtis quærebatur, loco ignis, rem illi omnino oppoſitam fuiſſe repertam, aquam ſcilicet, craſſam. Hoc enim euentu, minimè commotus, gaudet potiùs ſuum ſacrificium, aquâ illâ craſſâ atque adeò magnâ illâ contrarietate aſpergi & madefieri: ſecurus, cito fore vt nebula ſolis fulgori cedat, id eſt vt obſcuritas & aduerſitas in proſperitatem conuertatur, & incenſo diuinitus igne magna cum Dei gloria abſumatur ſacrificium. Tunc verò fore, vt quidquid ex perſequutione ſiue contradictione illâ craſſâ ſupereſſet, huic vſui deſeruiat; nimirum vt maiores altaris lapides iterum aquâ illâ perfundantur, & madefiant; & ex bello, quod aduerſus Apoſtolici ſymboli veritates geretur, fieri vt diſputationis & contentionis flamma incendatur, (in flammâ enim, quæ tandiu durat, dum igni reſiſtitur; eleganter ſignificatur bellum atque contentio, vt annotauimus in 1d Pſal. 17. 9. *Ignis à facie eius exarſit*) & demum contentionis flammam excipiat fulgentius lumen quod à religionis altari egredietur, & omnem contentionis flammam abſumet; atque ea ratione omnia in maiorem Altiſſimi gloriam redundabunt.

Denique ſi ad ſignificandam cæleſtis ignis, id eſt, veræ religionis à Deo approbatæ vim & efficaciam, (quæ perſequutionibus non minuitur, ſed potiùs alitur, & perſequutores glorioſè triumphat,) ſi ad hanc, inquam, virtutem ſignificandam appoſitiſſimè deſeruierunt hiſtoriæ, quas ſacra Scriptura narrat de igne Eliæ, 3. Re. 18. 38. & de igne Nehemiæ, 2. Machab. 1. 20. quantò maioris momenti & energiæ erit ad eandem ſignificationem id, quod ſibi oſtenſum eſſe narrat Ioannes in hoc capite decimo? nempe Angelum fortem pedibus igniris per ipſum mare ingredi, vt illud accendat? Quod eſt dicere, ignem illum cæleſtem, quem in ſuis pedibus Chriſtus gerit, non ſolùm præualere aduerſus aliquam aquæ copiam, qua aſperſum eſt ſacrificium; ſed etiam aduerſus immenſam aquarũ vim, quam maris nomen repræſentat.

TEXTVS.

Vers. 3. Et clamauit voce magna, quemadmodum cùm leo rugit: & cùm clamaſſet, loquuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas.

4. Et cùm loquuta fuiſſent ſeptem tonitrua voces ſuas, ego ſcripturus eram: & audiui vocem de cælo dicentem mihi; Signa quæ loquuta ſunt ſeptem tonitrua, & noli ea ſcribere.

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

Vers. 3. Magno Angeli clamori septem tonitrua, echo instar, respondere.

ET CLAMAVIT VOCE MAGNA, QVEMADMODVM CVM LEO RVGIT] Huic clamori siue rugitui respondent quodammodo atque assonant septem tonitruorum voces. Quapropter necesse est, huius clamoris sensum optimè cum septem tonitruis connecti. Cùm igitur vox septem tonitruorum sit necessariò referenda ad Christi & Ecclesiæ victorias ex Gentibus partas, hoc est ad ipsarum Gentium conuersionem (vt statim videbimus) eôdem etiam spectare debet leonis rugitus.

Quid septẽ tonitrua denotent. Declaratur septem tonitruorũ significatio difficultatis oppositæ solutione.

Obijciet tamen aliquis, Gentium conuersionem esse Christianæ Ecclesiæ lætissimam ac celeberrimam: cùm tamen leonis rugitus sit valdè terribilis: iuxta id Amos 3. 8. *Leo rugiet, quis non timebit?* Respondeo hunc Christi rugitum, de quo in præsenti, esse quidem formidabilem Dæmonibus: denotat enim certissimam Christi expectationem, fore vt ab eis prædam sit ablaturus. Cui significationi fauent eiusdem Prophetæ Amos verba in eodem cap. num. 4. ait enim, *Numquid rugiet leo, nisi habuerit prædam?* Rugitus enim leonis innuit Christi alacritatem atque lætitiam, qua pro certo habebat, cùm per Gentilitatem ipse succederet, ipsam veræ religionis igne accensum iri. Quòd si opus est, vt rugitus iste Christi furorem, iramque designet: facit similiter ad rem, quòd huiusmodi clamor significet, quantopere Christus Redemptor noster Iudaici populi amentiam ac pertinaciam doleat, ac pariter detestetur. Itaque clamor hic vna ex parte festiuus est, ex altera verò horribilis etiam & Iudaico populo diras & grauissima supplicia interminans. Et quatenus festiuus est, denotat simul iram Christi contra Gentium idololatriam, & ipsius idololatriæ vastandæ contentionem: quæ est mystica ira, quam vocat Apocalypsis *iram nouissimam*, vt suo loco explicabitur.

ET CVM CLAMASSET, LOQVVTA SVNT SEPTEM TONITRVA VOCES SVAS] Hæc septem tonitrua sunt velut echo clamoris Christi. Quod si ita concipiamus: dicere possumus esse echo heptaphonam: qualem refert Plinius lib. 36. cap. 15. vbi vox eum septies reddebatur. Verum est tamen, septem tonitruorum voces nonnihil esse inter se diuersas: id est non omnino similes, vt statim planum fiet.

Obseruandum tamen inprimis est, Ioannem hic cum articulo loqui: quasi diceret septem illa tonitrua locuta fuisse voces suas, supponit igitur esse septem aliqua tonitrua insignia ac notabilia. Quare cùm Apocalypsis ex varijs ad insigniores Scripturæ locos allusionibus vndique elegantissimè compingatur, si deprehenderemus septem tonitruorum mentionem in insigni aliquo veteris instrumenti loco, næ ad eiusmodi locum in hoc capite haberi respectum diceremus. Assero igitur, allusionem hic fieri proculdubiò ad Psalm. 28. vbi septies repetitur vox Domini. Constat autem iuxta Scripturæ phrasim vocem Domini esse idem, quod tonitruum. Quamobrem perinde est dixisse Ioannem ad fortis Angeli clamorem, *Locuta sunt septem tonitrua voces suas*, ac si diceret. hic vt in proprio loco interserendum esse Psal. 28. Atque hac ipsa allusione ad ipsum Psalmum magnopere confirmatur, Angeli ingressum ignito pede in mare, & eiusdem Angeli clamorem, atque iuramentum, omnia hæc spectare debere ad ingentem fructum & emolumentum, quod ex Euangelij prædicatione ad Gentes fuerat percipiendum. Constat enim Psalmi 28. argumentum (& eorum præsertim, quæ Dauid ait in his versibus, in quibus de septem ronitruis sub Dei vocum nomine agere videtur) non esse aliud, quàm Gentilitatis conuersionem. Et quia tum Psalmum illum inter ceteros Dauidicos excellentissimum reputo, tum etiam ex hac allusione lux clarissima toti Apocalypsi oboritur; ideo Psalmum integrum seorsum explicare est animus. Verùm, quia ipsius expositio longiuscula est; omittatur nunc, & cum alijs Psalmis atque insignibus Scripturæ locis, ad quos alludit Apocalypsis, suum in locum reseruetur.

In septem tonitruis allusionem includi ad Psal. 28.

Vers. 4. Quid tunc Ioannes scribere voluerit. Quod sit Psalmi 28. argumentum.

EGO SCRIPTVRVS ERAM] Explicat his verbis Ioannes mirificam voluptatem, quam percepit ex Psalmi 28. intelligentia; quæ voluptas tanta fuit, vt Psalmi illius explanationem literis protinus libenter mandaret, nisi illam prætermittere iuberetur: videlicet ne hac ratione nimiùm perspicuè loqueretur ijs de rebus, quas tunc arcanas & symbolorum inuolucris consignatas esse oportebat. Namque ille Psalmus distinctè agit de futura totius Romani Imperij ad Christi fidem conuersione: & qua ratione congruens maximè fuit Apocalypsin obscurè conscribi: eâdem oportuit, ne sensus Psalmi 28. dilucide tunc literarum monumentis proderetur, de quo diximus in prolegomenis notat. 13. Sed aduertat, obsecro, lector, quanti æstimet Ioannes Psalmum 28. atque ipsius mysterium, nec non congruentem rationem, quapropter tunc decuit eius declarationem silentio inuolui: ac proinde quantum fuerit Dei beneficium, quòd posteà Psalmi illius cognitionem atque intelligentiam Ecclesiæ fuerit impertitus.

Quid innuat locutio illa, signa quæ locuta sunt, &c.

Phrasis illa, *signa* vel obsigna *quæ locuta sunt septem tonitrua*, meo iudicio indicat Psalmum illum fuisse quasi librum signatum: quia ipsius mysterium non planè percipiebatur. Resignauit autem Deus sigillum, vt Ioannes reseratam legeret chartam, id est intelligeret mysterium. Quare, cùm iubetur librum siue chartam obsignare: idem est, ac si ei diceretur, ne mysterium reconditum pateface: sed vt erat occultum, dimittat. Quo quasi nouum obduxit Ioannes velamen: eiusmodi tamen, quod sensum obtegens, retegat pariter, plurima de reconditis inibi mysterijs supereſſe dicenda, non secùs ac de Timantis velo antiquorum annalibus proditum est.

TEXTVS

Digitized by Google

A

TEXTVS.

Vbi de iuramento Angeli

Vers. 5. Et Angelus, quem vidi ſtantem ſuper mare & ſuper terram, leuauit manum ſuam ad cælum.

6. Et iurauit per viuentem in ſæcula ſæculorum, qui creauit cælum & ea quæ in eo ſunt; & terram, & ea quæ in ea ſunt; & mare, & ea quæ in eo ſunt; quia tempus non erit amplius.

7. Sed in diebus vocis ſeptimi Angeli, cùm cœperit tuba canere, conſummabitur myſterium Dei; ſicut euangelizauit per ſeruos ſuos prophetas.

COMMENTARIVS.

LEVARE manum, habitus eſt iurantis, vt bene Pererius tom. 3. in Geneſeos caput 14. num. 21. & Ribera hic. Si autem iurare eſt Deum adducere teſtem: proprius iuramenti locus erit, quando quod iuratur, Dei confirmatur teſtimonio. Ideoque iurare eſt aſſeuerare illud, quod ipſe iuro, diuino teſtimonio roborari; ac proinde rem eſſe Deo teſtificatam. Atque id eſt manum attollere, Deum ſcilicet indice deſignare, affirmareque Deum eſſe, qui quod ipſe aſſero, confirmat. *Leuare manū, iurātis habitus.*

QVI CREAVIT CÆLVM, ET EA QVÆ IN EO SVNT; ET TERRAM, ET EA QVÆ IN EA SVNT; ET MARE, &c.] Mira ſanè iuriſiurandi ratio, per cæli effectorē, & eorum, quę cæli ambitu continentur, per terræ, & quæ ipſa coërcet; per maris, & quę in ſe includit. Et quidem cùm Scriptura neutiquam inaniter verba multiplicet; reddere oportet rationem, quorſum ad Deum denotandum tot verba in B hoc iuramento multiplicauerit? Vers. 6. *Mira iurandi & Deum ſignificandi ratio.*

Nota ergo, frequentem vſum eſſe, vt noua epitheta, quę Deo tribuuntur in aliquo iuramento, aliquod egregiè factum celebrent. Vide Ierem. 16. 15. & c. 23. 7. *Ecce dies veniunt, & non dicetur vltrà; Viuit Dominus, qui eduxit Iſrael de terra Aegypti; ſed, Viuit Dominus, qui eduxit Iſrael de terra Aquilonis, & vniuerſis terris, ad quas eiecit eos.* Secundò nota, digniū eſſe ſapientibus viris, vt peculiare epitheton, quod in iuramēto aliquo attribuunt Deo, congruat illi rei, quam iuramento ipſo aſſeuerare intendunt. Vtrunq; igitur eleganter coniungitur in longa hac periphraſi, quæ in Angeli fortis iuramento affirmatur de Deo. Etenim nouum facinus egregium, quod in hoc verborum anfractu celebratur, illud eſt, Deū ſcilicet, qui Chriſtianæ Eccleſiæ auctor eſt, minimè contentum, quòd Iudæos ad ipſam Eccleſiā acciuerit, ſuam etiam Euangelii lucem Gentibus impertiri velle; tanquam vniuerſalem vtriuſque populi parentem & effectorem. Atque hoc eſt, quod nouus hic verborum circuitus adſcribit Deo: cuius ſignificationis rationem, vt è re Apocalypſeos eſſet, eiuſmodi fuiſſe oportuit, quæ ipſamet Apocalypſeos ſymbola vſurparet; iuxta quorum acceptionem, cæli nomen denotat (vt vidimus aliàs) Chriſtianā Eccleſiam & diuinæ gratię bona, terra verò Iudaicum populū; & mare, populum Gentilium. C Quamobrem iuriſiurandi per longam periodum ducti ſenſus eſt eiuſmodi; vt Angelus obteſtetur Deum, qui nouū Chriſtianæ Eccleſiæ cælum, qui ſynagogæ terram, qui Gentilitatis mare condidit. *Huius iuramēti periphraſin nōabſre, ſed ſubiectæ materiæ eſſe apprime congruentem. Quid per huiuſmodi periphraſin ſignificetur.*

Quòd autem non nudè & abſolutè dicat cælum, terram, & mare; ſed in ſingulis adiungat, *& ea quæ in eo ſunt*; id ſanè non vacat energiâ. Quo ſignificetur nullum eſſe ſiue in myſtico cælo Chriſtianum, ſiue Iudęum in terra myſtica, ſiue in myſtico mari Gentilem: quem non creauerit Deus, & de quo peculiarem non habeat curam: ac proinde Dei ipſius prouidentiam ad ſingulos non populos modò, ſed homines etiam ſeſe extendere; nec aliquem à ſingulari hac prouidentia ſubduci. Deindę ipſi Deo curę eſſe, vt myſticę noui cæli ſtellæ benignos ſuos influxus & impreſſiones, non ad Iudæorum tantùm terram, ſed etiam ad Gentilium mare deriuent. atque vt etiam peculatiter hæc vel illa ſtella in hunc vel illum angulum Gentilitatis, benignitatis ſuæ influxum mittat; & lucem ſuam impertiatur huic vel illi familiæ vel domui. Hoc fuit nouum Dei facinus, in quod intendit oculos nec immeritò fortis hic Angelus, vt in rem ad maximam Dei gloriam, & Eccleſiæ pariter beneficium redundaturam. Verùm non ideo ſolùm, ſed quia ad illud, quod fortis Angelus affirmare volebat, nihil æquè poterat conducere. Etenim (vt mox videbimus) affirmare erat animus, Iudaici populi repulſam & Gentilici electionem, iuxta diuinæ prouidentiæ decretum, iam iam reapſe complenda imminere. Et cum hoc ſenſu mirè conſonat ſupradictus verborum ambitus, qua ratione explicuimus. *Cur in ſingulis addat angelus, ea quæ in eo ſunt?*

Ad hanc periphraſin verba illa adiunguntur, *Iurauit per viuentem in ſæcula ſæculorum*: quæ iuriſiurandi ratio ex Danielis cap. 12. 7. mutuata eſt. (quem ad locum alluditur in hoc angeli iuramento, vt vidi- D mus notat. 2.) Nam ille Angelus, de quo ibi Daniel, iurauit *per viuentem in æternum*. Et tam in Daniele, quam in Apocalypſi magnam habet congruentiam mentio æternitatis Dei, quando ſingulatim agitur de præfinito aliquo temporis ſpatio. Namque æternum decet Deum præſcribere tempora; & quantumuis immutentur ac perturbentur omnia, ipſum tamen (quippe qui in æternum viuit) ſtabilem ſemper firmumque perſiſtere. *Quorſum ſæculi ſæculorū, ſiue æternitatis mentio in hoc iuramēto? Quid ſit, Tempus non amplius fore. Aliorum interpretatio.*

QVIA TEMPVS NON ERIT AMPLIVS] Multi autumant, horum verborum non alium eſſe poſſe ſenſum, niſi vt affirment, extremi iudicij diem temporibus ac ſęculis terminum impoſituram; atque adeò aſſeuerent, quando expletur vaticinium, quod per vtrumque Angeli fortis pedem in terra & in mari ſitum protenditur, tunc demum affore vniuerſalis iudicij diem. Mihi quidem interpretationem huiuſmodi refellere non eſt animus, non mens, non conſilium. Sequatur ſanè per me quicumque

Digitized by Google

cumque volet: vtinam eo argumenti filo, ac serie, quæ totum contextum aptè & consequenter connectat. Illud mei muneris est, vt ostendam; in eo, quem sequor sensum (videlicet de Iudaici populi reprobatione, & electione Gentilici) conuenientem satis fuisse Scripturæ loquutionem, *Quia hoc tempus non erit amplius.*

Auctoris interpretatio de tempore non amplius futuro.

Hoc vt probem, aduertatur oportet; licèt verùm omnino sit, improbis omnibus in huius vitæ decursu spatium supereſſe temporis, quo per auxilium Dei sufficiens possint à suis flagitijs resipiscere, non tamen minùs esse certum, peccatorem, postquàm à Deo fuit propter sua scelera derelictus & obduratus, neutiquam fore amplius conuertendum. Quare ingens difficultas, quæ est in peccatoris obcæcati conuersione, & certa Dei præscientia illum nequaquam conuersum iri; hæc inquam, sufficiunt, vt verissimè dicatur, huiusmodi sceleratis hominibus finitum iam esse tempus, quo Deus ipsorum salutem efficaciter procuraret. Ad hunc ergo infelicissimum statum significandum dicitur verè ac significanter cùm Deus peccatorem aliquem derelinquit, indurat, & obcæcat; huiusmodi peccatori tempus non esse amplius.

Iudaici populi obduratio & derelictio à Christo parabolicè prædicta.

Secundò animaduertendum est, ad eum modum, quo obdurato peccatori tempus non esse amplius dicimus, loqui etiam Scripturã de Iudæorum populo. Vide Lucam 13. 6. *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in ea, & non inuenit. Dixit autẽ ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt, ex quo venio, quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio. Succide ergo illam: vt quid etiam terram occupat? At ille respondens dicit illi, Domine dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora. Et si quidem fecerit fructum, sin autem, in futurum succides eam.* In hac allegoria quis non videat, spatium illius anni fico concedi, eoque peracto tempus illi non esse amplius; id est, ut conferantur peculiaria in eam beneficia, & interim nõ euellatur? Quis etiam nesciat, *succidere* in ea allegoria idem esse, quod abijcere Iudæorum populum, & in eorum locum Gentiles electos sufficere? Videatur Sapientiæ 12. 20. vbi agitur de tempore, quod Deus Aegyptijs concessit; *si enim inimicos seruorum tuorum, & debitos morti cum tanta cruciasti attentione & obstinatione, dans tempus & locum, per quem possent mutari à malitia.* Ergo, quando excæcauit iam illos & indurauit, aptissimè dicetur non dedisse eis amplius tempus.

Difficultatis nodus in nostra expositione soluitur.

Dicet tamen aliquis; si ageretur de obduratione & excæcatione populi Iudaici, non diceret Scriptura, *Tempus non erit amplius.* Certissimum namque est, Iudæos sub mundi finem demum conuertendos; *Quia cæcitas ex parte contigit in Israel; donec plenitudo Gentiũ intraret, & sic omnis Israel saluus fieret*; ad Rom. 11. 26. Respondeo, quemadmodũ absolute ait Scriptura, succidendã esse ficũ, nisi illius anni sibi cõcessi spatio fructum afferret (id est, fructũ pœnitentiæ,) ita etiam absolutè asseri, *Tempus non esse amplius*, illis videlicet, quos Deus se derelictũ minabatur. Ipsorũ verò posteris perspicuũ est ianuam in Scriptura non occludi, sed potiùs in diuinæ prouidentiæ consilio, conuersionem gentium fore instrumentũ, vt posteà Israeliticus tandem populus conuertatur. Hæc autem veritas nihil obstat, quin verissimè dictum sit, Israelem in illis primæuę Ecclesię temporibus à Deo fuisse obduratum & obcęcatũ, postquàm pœnitentiæ tempus illi fuit benignè elargitus. Atque ita affirmat nunc Angelus absoluto tẽpore non esse illi amplius concedendum tempus. His addo, tùm tot sæculis obduratio Iudæorum esset duratura, quanuis sint tandem in mundi fine conuertendi, nihilominus si ad primitiuæ Ecclesiæ tempus respiciatur, rectè dici potuit; *Tempus non erit amplius.* Quemadmodum Ezech. 30. nu. 13. *Dux de terra Aegypti non erit amplius*, scilicet illis temporibus, de quibus in eo cap. sermo est.

Iudæorũ conuersionẽ sub mundi exitũ futuram non obstare huius iuramenti perpetuitati.

Simili etiam phrasi dicitur Daniel. 8. 19. *Quoniam habet tempus finem suum.* Etenim licèt hęc verba à nonnullis referantur ad Antichristi tempus, quod erit propediem Iudicii, in sensu tamen proximo sermo omnino est de tempore Antiochi, vt patet ex contextu; deque ipsius interitu, quo imponeret Deus finem persequutioni ab ipso Antiocho contra Israeliticum populum excitandæ.

Confirmatur insuper nostra explicatio; quia ex contextu patet, in fine eius tẽporis, de quo hîc est sermo, consummandum esse Dei mysterium. Iurat enim Angelus, *quia tempus non erit amplius, sed consummabitur mysterium Dei.* Atqui consummatio mysterii Dei, vt statim videbimus, referenda omnino est ad repulsam Iudaici populi & Gentilici electionem. Igitur illa verba, *Tempus non erit amplius*, referri debent ad pœnitentiæ spatium, quod Deus Iudaico populo ante ficus succisionem concessit.

Hoc angeli fortis iuramentum respõdere iuramento angeli Danielis.

Præter hæc, iuramentum hoc angeli fortis respondet iuramento illi angeli Daniel. 12. 7. vbi dicitur ille Angelus iurasse *per viuentem in æternum, quia in tempus & tempora, & dimidium temporis complebitur dispersio manus populi sancti*, quod est dicere, persequutionis Antiochi spatium per tres annos cũ dimidio duraturum fore, vt dicetur cap. 11. Ex vtriusque ergo iuramenti collatione, cùm in Apocalypsi dicitur, *Tempus non erit amplius*, elicitur huius prasis sensum fore, peracto trium annorum & dimidiati interuallo) quo permissurus est Deus, vt Christianus populus à Iudaico affligatur) mox sonaturam esse septimam tubam, & Israëliticum populum excæcatum ac derelictum à Deo permansurum. Cohæret cum hac explicatione, quod cap. 11. 2. (vbi idem etiam prosequitur argumentum) perspicuè dicitur, persequutionem videlicet, de qua agitur, duos & quadraginta menses, (siue quod idẽ est, mille ducentos sexaginta dies) esse duraturam. Quod ipsum planè est in ipsa illa Danielis locutione significatum, *tempus & tempora & dimidium temporis*. Si ergo mysticum temporis spatiũ per tres annos & dimidiatũ extenditur; nõ video, quo pacto possit hic terminus ad vltimũ iudicij diẽ referri. Licèt enim tẽpus, quo duratura est Antichristi persequutio, suspicentur multi tres annos & dimidiũ fore; tempus autem, quod reliquum erit ad ipsum vsq; iudicii diem, hoc annorum trium & dimidij termino minime coërcebitur. Quare si opus est, vt verba illa *tempus non erit amplius*, significent interuallum illud, quod concedit Deus, esse trium annorum cum dimidio; qui sequitur sensus, non potest de iudicij die intelligi. Communi namque consensione receptum est, post tres annos & dimidium persecutionis Antichristi, aliquid adhuc temporis remãsurum peccatoribus; vt à sceleribus, si velint,

Antichristi persecutionẽ, iuxta aliquorum opinionẽ, tres annos cum dimidio duraturam.

resipiscant,

A resipiscant. Hæc est nec leuis difficultas in eorum explicatione, qui verba hæc, *Tempus non erit amplius*, ad postremi Iudicij diem referenda censent. At in nostra interpretatione omnia apprime consentiunt. Nam spatium persequutionis Iudæorum sunt tres illi anni & dimidiatus, de quibus c. 11. mystice tamen sumpti, vt ibi constabit. Nunc autem iurat Angelus fortis, finito illius temporis spatio, tempus non amplius fore; id est, finiendum esse tunc Iudæis tempus, & Gentibus incepturum. Atque hoc est magnum illud Dei mysterium, quod in ipso contextu sequitur.

SED IN DIEBVS VOCIS SEPTIMI ANGELI, CVM COEPERIT TVBA CANERE, CONSVMMABITVR MYSTERIVM DEI] Multi hęc verba ad diem Iudicii pertinere contendunt. Ceterùm ad declarationem hanc adstruendam, apta applicatio mysteriorum libri signati & sex plagarum, quæ sunt hactenus descriptę, aditum præmuniissent oporteret, & viam strauissent iis, quæ consequuntur: ita vt appareret, congruenter in hoc loco & consectariò ad ea, quæ & antecedunt & subsequuntur, mentionem seu vaticinium de die iudicij interponi. An verò id fuerit hactenus ab aliquo prestitutum, aliorum iudicium esto. Certè in nostra explicatione, nisi me valde fallo, filum huc vsque fuit cõtinuatum, & ęnigmatis applicatio ita producta, vt septimæ tubæ mysterium non aliud esse possit, nisi obduratio Iudæorum, & Gentilium electio. Cùm autem ad finem cap. 11. peruenianus, vbi septimus Angelus tubâ canit, videbimus cum hac eadem significatione appositè congruere, quod Ioannes vidit, quo tempore tuba septima personuit. Interim valida est nostræ explanationis confirmatio, phrasis illa, qua fortis Angelus vtitur, *Consummabitur mysterium Dei.* Præsertim cùm mysterij nomen Græcè habeat articulum: quod argumento est sermonem hîc esse de noto ac celebri mysterio, cui proinde nomen mysterii Dei, iuxta Christi & Apostolorum phrasim, debeatur. Atqui Iudaici populi reprobationi & Gentilici electioni luce clarius est, mirificè nomẽ mysterii Dei quadrare. Vide ad Rom.

B 11. 25. *Nolo vos ignorare mysterium hoc, vt non sitis vobis ipsis sapientes: quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret.* Et ad Ephes. 3. n. 4. *In mysterio Christi, quod nunc reuelatum est: Gentes esse coheredes & concorporales & cõparticipes promissionis eius in Christo.* Et ad Colos. 1. 25. *Mysterium, quod absconditum fuit à sæculis, nunc autẽ manifestatũ est sanctis; quibus voluit Deus notas facere diuitias sacramenti huius in Gẽtibus.*

Ratio ergo ipsa, & verba Pauli nos docent, nomen, *mysterium*, non esse aptum ad Iudicij diem. Nã de die Iudicii non obscurè loquitur Scriptura; neque ad veritatem huiusmodi enunciandam opus erat ęnigmatibus & mysticis significationibus; sed perspicuis potiùs verbis: nec veritas de die Iudicii Iudaico populo erat ignota. At Iudaicum populum fore reprobandum, & Gentilicum illius loco eligendum; id verò figuris pluribus mysticis fuerat præsignificatum; & res erat abdita adhuc & arcana, quam ait Paulus suo tempore fuisse à Deo reuelatam.

Iam ad diem Iudicij designandum non erat ad rem phrasis illa, *In diebus vocis septimi Angeli*. Nam conuocatio ad Iudicium futura est *in momento, & ictu oculi in nouissima tuba*, 1. ad Cor. 15. 15. Indurationi autem & excęcationi Iudaici populi optimè conuenit illa phrasis, *In diebus vocis septimi Angeli.* Nam Iudæorum omnium obduratio non vno eodemque die fuit; sed paulatim hi alio die, illi in alio sunt obdurati. Quare magnam habet energiam modus ille loquendi, *In diebus vocis septimi Angeli.* Atque

C quo gradu ianua populo Iudaico paulatim occludebatur, eodem reserabatur Gentibus. Nam viros Apostolicos à Iudæis vexatos, afflictos, atque repulsos Deus ad Gentium procurandam dimittebat salutem. Quamobrem animi conceptio in hoc loco debet esse eiusmodi, vt septima tuba non semel, sed per dies multos insonuerit; & ex quo percrepare cœpit, cœperit etiam Dei mysterium consummari, id est, reddi manifesta Iudæorum obcæcatio & electio Gentilium; atque adeò Iudaici populi diminutionem fuisse diuitias Gentium, vt Paul. loquitur ad Rom. 11. 12.

SICVT EVANGELIZAVIT PER SERVOS SVOS PROPHETAS] Nec clariùs video, vbi Euangelij nomen ad diei Iudicij propheriam accommodetur. Etenim licèt iustis sit nuntius lætissimus; in sacræ tamen Scripturæ vsu Euangelium videtur esse potissimùm bonus nuncius iis, qui in luto & squalore iacent, nec eiusmodi nuncium bonum sperant. Huiusmodi autem nuncium Gentilibus Deus per suos Prophetas miserat; sed nondum ad illorum aures peruenerat. atque ita obdurationẽ, & excæcatione populi Iudaici factum est, vt mysterium prius à Prophetis tectè & obscurè indicatum tandem aliquando consummaretur, & palàm fieret.

Vers. 7. *Virùm hæc verba,* In diebus vocis septimi angeli, *sint ad extremum iudicij referenda?*

Alia expositio pro parte affirmatiua.

Auctoris sententia exponentis de obduratione Iudæorum & Gentium electione.

Mysterij nomen in sacris ad Iudæorum reprobationẽ & electionem Gentium referri.

Mysterij nomen non ita aptè diei Iudicij quadrare.

Cur dixerit, In diebus vocis septimi angeli.

TEXTVS.

De libro dulci in ore & amaro in ventre.

D *Vers.* 8. Et audiui vocem de cælo iterum loquentem mecum & dicentem; vade & accipe librum apertum de manu angeli stantis super mare & super terram.

9. Et abii ad Angelum dicens ei, vt daret mihi librum: & dixit mihi; Accipe librum & deuora illum: & faciet amaricari ventrem tuum; sed in ore tuo erit dulce tanquam mel.

10. Et accepi librum de manu Angeli, & deuoraui illum: & erat in ore meo tanquam mel dulce: & cùm deuorassem eum, amaricatus est venter meus.

COMMENTARIVS.

LIBER hic, quem Ioannes ab Angelo flagitare iubetur, semper in Græco per tertium diminutiuũ effertur βιβλιδάριον, vt suprà adnotauimus vers. 2. qui est libellus valde exiguus. Et quidẽ

non

Librum hic in Græca per diminutiuũ vocabulũ scribi.

non absque mysterio peculiari vtitur hìc Apocalypsis quater nomine ita diminuto. Cùm autem quæ in hoc capite antecedunt referantur ad Iudęorum reprobationem & electionem Gentilium, contextus ipse nos impellit, vt inuestigemus, vtrum in sacris Literis reperiatur aliquid valde abbreuiatum in populi Iudæorum reprobatione & Gentilium electione. Nam si quid inueniri possit huiusmodi, ad illud profectò in hac parui libelli diminutione alludetur. Occurrit igitur mox locus Isaiæ 10. 22. ad quem fieri allusionem non ambigo, *Consummatio abbreuiata inundabit iustitiam, consummationem enim & abbreuiationem faciet Dominus in medio terræ.* Vbi certum est sensum literalem esse eundem, quem Paulus expressit illis verbis, *Diminutio eorum, diuitiæ Gentium.* Nam quòd iustitia & sanctitas Euangelij per totam Gentilitatem inundauerit; id quidem ortum ex eo fuit, quòd Israeliticus populus abbreuiatus fuerit, & ad numerum exiguum redactus, Deo scilicet Iudęos ceteros reprobante, & paucos illos à Iudęis perfidis vexatos accipiente, veluti instrumenta ad Gentilici populi conuersionem. Ita explicat Paulus ad Rom. 9. 27. Isaias clamat, *Si fuerit numerus filiorum Israel, tanquam arena maris; reliquiæ saluæ fient. Verbum enim consummans & abbreuians in æquitate.* Vbi illud nomen *verbum*, vt patet ex Græco, est in accusatiuo. Atque ita sequitur; *quia verbum breuiatum faciet Dominus super terram.* Et paulò infrà; *Gentes, quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam ex fide: Israel verò sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit.*

Cur Gentiũ vocationem in Dei decreto ex Iudæorum reprobatione pependisse,

Sed obijciet quispiam, distinctas videri res, quòd abbreuiatus sit populus Iudaicus, & quòd liber sit imminutus. Respondeo; cùm dicitur *verbum breuiatum*, videtur esse sermo de albo, siue numero verorum Israelitarum. Quando verò populus ingens ad exiguum coarctatur, immutatur ingens album in paruum libellum. Deinde album accipitur pro illis, quorum nomina in eo continentur; quæ est consummatio abbreuiata iustitiam inundatura iuxta Isaiæ vaticinium.

Cur fortis angelus libellum in manu apertum habuerit.

Itaque cùm Ioanni paruus datur liber in manus, illi ostenditur ingens Israelis populus ad exiguum electorum numerum cõtractus. Porrò paruus hic liber in fortis angeli manu apertus est; quia in ipsomet Dei, siue Christi (qui est brachium Patris) opere expletum fuerat Isaiæ vaticinium; & apertum etiam atque expositum tum Ioanni, tum ipsius similibus. Quapropter in eâdem figura, qua Christus sinistrum in terra pedem, dextrum in mari habebat; vidit Ioannes in Christi manu apertum paruum illum libellum, quem Isaias prædixerat. Cælestis autem vox est Spiritus sancti Ioannem excitantis, vt à Christo librum sibi porrigi exoret, id est, vt sibi arcanum illud omnino patefaciat.

Allusio in hoc angeli libello ad librum Ezechieli traditum, vt eum deuoraret.

In hoc prętereà libello manifestè respectus habetur ad librum illum apertum, qui Ezechieli dèuorandus fuit traditus c. 2. 10. & c. 3. 1. Verùm Ezechielis liber erat vtrâque facie conscriptus, vt explicuimus c. 5. nec paruus videtur fuisse, quia Prophetę viscera impleta sunt volumine illo. Liber autem, de quo in præsenti agitur, tantummodò erat, quoddam nominum album. In quod, qui relati, erant, vt paucos esse notaretur, ideo consentaneum fuit, vt minimi libelli figuram præ se ferret. Neque obstat, quòd alioqui dicantur esse centum quadraginta quatuor millia. Hi enim omnes exiguum conficiebant numerum comparatione totius populi Israelitici. Præsertim, quia initiò summa eorum ad numerum multò minorem fuit contracta: & deinceps paulatim creuit mysticus numerus ad centum quadraginta quatuor millia.

Prętereà ex illo Ezechielis libro desumptum fuit ad Apocalypseos librum c. 5. quod attinet ad vtriusque paginæ aduersæ & auersę scriptionem. Ad hunc autem librum capit. 10. mutuatum fuit, quod agit de libri ipsius apertione, & quemadmodum in ore fuerit dulcis vt mel, & amarus in ventre. Quòd autem Prophetæ apertus liber sit traditus, indicat cõmunicatam illi à Deo libri ipsius intelligentiam. Iam liber Ezechieli oblatus significat procul dubio vaticinium, quod ipse litteris mandauit. At libellus hic, qui Ioanni datus fuisse apertus dicitur, non significat totam Apocalypsin (hic enim non esset paruus libellus) sed exiguum, vt dixi, album continens numerum Israëlitici populi, hoc est, mysterium infiniti quondam populi Israëlitici ad numerũ exiguũ, ceteris repulsis, coarctati.

Sed quid erit tam apud Ezechielem, quàm apud Ioannem apertus liber in ore dulcis, amarus in ventre? Namque Ezechieli etiam suus liber dulcis extitit in ore; *factum est in ore meo sicut mel dulce.* Posteà verò quàm ipsum edit, non dubium est, quin in ventre amaritudinem senserit: subdit enim versu 14. *Et abij amarus in indignatione mea.* Pro huius rei explicatione notandum est, inuitari tam Ezechielem, quàm Ioannem, vt singuli suum deuorent librum; perinde esse ac si ipsa mysterij cognitione inuitarentur. Os enim percipit gustum eorum, quæ eduntur, & intellectus videtur esse quasi animæ os: atqui perspicua notitia & cognitio eius, quod anima meditatur, respondet officio dentium in secando, diuidendo, & comminuendo cibo. Porrò participem fieri cælestis mysterij, res est, qua Deus maximum suis seruis tribuit beneficium, cuiusmodi fuit illud, quo Abrahamum affecit, cùm illi supplicium de Sodoma & Gomorrha sumendum renunciauit. Animam verò tanto munere cumulari à Deo, vt ipsius arcanorum conscia & particeps fiat; animæ certè ipsi res est melle dulcior. Præterquàm quòd vtrumque mysterium, tam quod Deus Ezechieli vulgauit, quàm quod Ioanni, continebat mirum Dei consilium, quod Deus ad suę Ecclesię fecitatem exequi decreuerat: & tum propter maximum illud Dei beneficium sua eis arcana consilia detegentis, tum etiam propter præuisam Ecclesiæ felicitatem à se ipsis valde exoptatam, primus ille gustus in re adeò dulci perceptus summæ illis voluptati fuit. Atque hęc est dulcedo mellis in ore.

Cur tam Ezechieli quàm Ioãni libellus ad deuorandũ oblatus, in ore fuerit dulcis?

Cur insuper vtrique liber in vẽtre fuerit redditus amarus?

Transeamus ad viscerum amaritudinem. Hanc enim mellis dulcedinem indicat textus fuisse cõuersam in magnam amaritudinem. Sicut plerumque accidit, vt mel comestum intus in bilem flauam, eamque acerbissimam conuertatur. Aduerte igitur, quemadmodum os delectationem innuit cognitionis, quòd intellectus sit quasi animæ os, similiter etiam per viscera significari solere affectus posteriores, qui cognitionem consequuntur. Et in sacris præsertim receptum est, vt viscera affectũ commisera-

A commiserationis significent. Vide Luc. 1. 78. & ad Philipp. 2. 1. ad Coloss. 3. 12. & 1. Ioan. 3. 17. Imo verò ait Eustachius, σπλάγχνα, à splene deriuari: & tristitiam quidem sæpè splenis dolor comitatur. Hoc ita constituto, facilè intelligitur ad mellis dulcedinem in Ezechiele & Ioanne consequutam fuisse maximam viscerum amaritudinem. Tametsi enim permagni vterque duxerunt illud Dei promeritum, quo illos suorum arcanorum effecit participes: veruntamen cùm illius beneficij mysterium includeret seueriſſimam pœnam, quam Deus populo Israelitico infligebat; hinc est mellis dulcedinem in viscerum amaritudinem desiisse. Etenim ex diuini consilij cognitione redundauit in gens commiseratio ærumnarum & calamitatum, quę Iudaicum populum manebant. Atque eo maior fuit misericordia, & de Iudæorũ malis dolor, quo vehementior erat horũ vatum sanctissimorum, & Ioannis præsertim charitas. Si enim Prophetæ humano ducerentur affectu; cùm viderent supplicia sibi à Deo reuelàta in rebellium Iudæorum (à quibus diuexabantur) caput recasura, non solùm non miseratione tangerentur, sed in delitijs etiam computarent supplicium illud à Deo de ipsius oppugnatoribus sumendũ. Enim verò Spiritus sanctus non eiusmodi affectiones ingerit sanctis; sed dolorem potiùs & commiserationẽ pro grauissimis suppliciis, quæ vident in suos fore persequutores immittenda. Quamobrem postquàm Ezechiel dixerat, *Et abii amarus in indignatione mea*: mox subiungit, *manus enim Domini erat mecum confortans me*. Quo suæ amaritudinis rationẽ innuit esse spiritualẽ mentis vigorem, quem ei suppeditabat Deus. Eandemque ob rem in Pauli Epistolis extat atque eminet ingens illa commiseratio & amaritudo, qua afficiebatur, propter seueritatem, quam Deus Iudaico populo exhibebat. Nec minor erat, credo, Ioannis amaror, cuius minor non erat charitas.

Per viscera affectum commiserationis in Scriptura significari.

B Meus hic de libello Ioanni deuorato sensus magnopere confirmatur ex totius huius capitis contextu: in quo agitur de Dei mysterio, quod Israeliticum populum imminuerit ad Gentium felicitatem. Confirmatur insuper Isaiæ loco capitis 10. in quo loquitur de abbreuiato libro eundem prorsus finem spectans. Ex quo liquet caput hoc 10. Apocalypseos respondere decimo illi capiti Isaiæ. Sed ex consequenti etiam contextu similiter nostra expositio roboratur. Nam protinus subsequens caput 11. exorditur à virga Ioanni tradita. Pari etiam ratione Isaias statim post mentionem consummationis abbreuiatę subiungit virgæ mentionem: ait enim, *Propter hæc dicit Dominus; Noli timere populus meus habitator Sion, ab Assur: in virga percutiet te, & baculum suum leuabit super te*. Huius autem virgæ, de qua Isaias agit, sensus non est alius, quàm virgę c. 11. Apocalypseos, vt suo loco videbimus.

Nostra de libello Ioanni deuorato expositio ex totius capitis serie & cõnexione fit plana.

Vers. 9.

DEVORA ILLVM] In verbo, *deuorare*, plus alii mysterij inueniunt, quàm ego. Mihi enim idem est deuorare, quod comedere, & glutire. Nam hoc propriè significat verbum Græcum καταφαγεῖν.

TEXTVS.

Vers. 11. Et dixit mihi, Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis.

COMMENTARIVS.

C ALIQVI existimant, hoc perinde esse, ac si Ioanni prænunciaretur, ipsum in Asiam rediturum, & in ea varijs Gentibus prædicaturum. Ceterùm si prophetare sumitur hìc pro prædicare; in eo, quòd Ioannes ab exilio reuocatus apud Asiam prędicauit, non satis fundamenti video, vt dicatur prædicasse *gentibus & populis & linguis & regibus multis*.

Oportere Ioannem iterũ prophetare, quomodo sit accipiendum.

Alij sibi persuadent, colligi ex hoc loco, Ioannem adhuc esse superstitem, & vnà cum Enocho & Elia sub Antichristi tempora ad prędicandum esse venturum. Quæstio hæc valde est agitata. Et pro vtrâque parte multos adducit noster Suarez tom. 2. in 3. partem disputatione 55. sect. 3. & Pererius in Daniel. lib 15 init. Vide etiam Sixtum Senensem lib. 6. not. 346. Ioannem esse venturũ tenet Ambrosius Catharinus; & latissimè id probare contendit Salmeron tom. 11. tractat. 32. Fauent Andreas & Aretas cum nonnullis, quos generatim citant. Salmeronis sententia est Ioannem mortali in corpore hactenus viuere: eius tamen animam Dei visione beari. Nihilominus Ioannem esse mortuum expresè docent Hieronymus, Augustinus & Eusebius ex Polycrate Ioannis discipulo. Et Suarez pro Ioannis morte asserenda affert Nicephorum, Tertulianum, Chrysostomum, Ambrosium, Isidorum, Bedam, Dorotheum, Epiphanium & Concilium Ephesinum.

1. Opinio explicantium de Ioannis ab exilio reuocati prædicatione.

2. Exponens de Ioanne sub mundi finem ad prædicàdũ venturo.

Mihi certum est, in hoc saltem capite Apocalypseos, neutiquam agi de aduentu Ioannis sub Antichristi tempora Gentibus ac regibus prædicaturi. Si enim contextus capitis 10. refertur omnino D ad Iudaici populi diminutionem & Gentilici incrementum, vt suprà probauimus quorsum; hìc sermo de Ioanne ad mundi finem venturo?

Vtraq; expositio praecedens improbatur.

Vera autoris interpretatio de secũda Apocalypseos parte à c. 12. ad Gentium electionẽ spectãs.

Illum igitur sensum legitimum huius loci esse existimo, scilicet Apocalypsin hactenus fuisse de Iudaico populo prophetiam; eam tamen citò finiri iam in eiusdem populi obduratione & reprobatione (quod est in fine capitis 11.) & deinde sequi prophetiam de populo Gentilico; atque adeò de multis populis, gentibus, linguis & regibus. Ad huius declarationis intelligentiam imprimis statuo, Apocalypseos reuelationem ideo Ioanni fuisse factam, vt eam litteris mandaret. Cùm ergo, quę sibi fuerant hactenus reuelata, spectarent omnia ad Iudaicum populum; cumque ad finem iam & calcem huius tractationis (id est, ad reprobationem populi Iudaici) perueniretur; videbatur ad totius item prophetiæ terminum peruenirì. Veruntamen cùm Iudaici populi finis ac reprobatio, iuxta diuinę prouidentię consilium, foret initium summæ felicitatis populo Gentilico oriturę; vt significaretur superesse adhuc reuelationem de Gentilici populi prophetia; idcirco dicitur Ioanni, *Oportet te iterum*

Digitized by Google

Particula iterum quonam hic sit referenda?

iterum prophetare, scilicet, gentibus & populis & linguis & regibus multis. Itaque particula *iterum* nõn hîc designat Ioannem antea in Asia & in vrbe Romana prędicasse. Etenim, licèt hoc etiam vsurpare possemus (& eò fortassis hîc fit alluſio) verùm illud magis præcipuum est, reuelationem nimirum Apocalypseos hactenus de Iudaici populi prophetia agere, & deinceps à cap. 12. de populo Gentilico & eius electione acturam.

Argumento contra nostrã explicationẽ facto occurritur.

Sed opponet nobis aliquis, latinam phrasim *prophetare gentibus & regibus* non videri esse idẽ, quod de illis scribere, sed ipsis coram prędicare. Respondeo phrasim Græcam sonare, *Oportet te iterum prophetare super populos & gentes & reges.* atqui *super* denotat argumentum ipsum, de quo prophetatur, siue scribitur. vt Ezechielis 32. 2. *Fili hominis assume lamentum super Pharaonem regem Aegypti.* Nec alium habet sensum latina constructio per datiuum; quod enim de aliquo prophetatur, ipsi etiam dici videtur. Vide in epist. Iudę n. 14. vbi nostra lectio habet, *Prophetauit autem de his:* & Gręcè in datiuo absque vlla prępositione legitur, προεφήτευσε τούτοις. Hæc itaque constructio sensum minimè immutat.

Confirmatur denique nostra explicatio ex eo quòd Apocalypseos Prophetia à cap. 12 manifestè spectat ad populos multos. ad gentes, ad linguas & reges; vt in eius expositione deinceps constabit.

CAPITIS XI.

PROLOGVS.

IN decimi capitis proœmio explicatum iam manet vndecimi huius capitis argumentum; quod duas præcipuas continet partes. Prima depingit, quemadmodum Iudaici populi persequutione maximos Christiana Ecclesia fecerit in Dei gratia & vera pietate progressus, & glorioſum reportauerit triumphũ. In secunda parte describitur septima plaga. Nam quidquid in cap. 10. & 11. antecedit, ad plagam attinere sextam iam diximus. Nunc noto primam c. 11. partem, quæ plagæ septimæ descriptionem præcedit, ad duo symbola reduci; quorum primum est calamus mensorius, alterum, duo Christi testes, qui post prædicationem & passionem surrexerunt glorioſi.

TEXTVS.

Vers. 1. Et datus est mihi calamus similis virgæ; & dictum est mihi, Surge, & metire templum Dei & altare, & adorantes in eo.

COMMENTARIVS.

Vers. 1. *Calamum hunc esse mẽsoris & cur calamus vocetur? Alluſio in hoc calamo ad calamum Ezechielis.*

DATVS EST MIHI CALAMVS] Manifestum est de calamo mensorio esse sermonem: atque ita pro calamo posuit Vulgatus mensuram arundineam cap. 21. 15. vbi tamen in Græco eadem est dictio. Mensura autem appellatur calamus, quo innuitur dimensionum diuisiones in ea esse signatas, quemadmodum cannæ internodiis discriminantur. Fit porrò in hoc calamo alluſio ad illum Ezechielis 40. n. 3. & 5. quo templum & altare holocausti dimensa sunt. Quare calamus hic eiusdem cum illo longitudinis esse debet, id est; quæ hominis staturam magnam adęquet, nempè Adami vel Noëi, vt in opusculo de mensuris sacris planum fiet. Vbi explicabimus, calamum in sex æquales diuidi partes, quę cubiti vocantur. Verumtamen erat calamus maior, id est, mensuræ antiquę; & calamus minor, id est, posterioris mensuræ; & vterque in sex æquales partes diuidebatur, quas Scriptura appellat cubitos. Et quanuis cubiti dicantur; in eo tamen opusculo probabimus, per cubitinomen in Scriptura non significari quartam humanę staturæ partem, sed sextam: ac proinde calamum sex cubitorum esse staturæ humanæ mensuram.

Duplex calami mensorij acceptio in sacris.

Humana statura mensuram ab alijs maiorẽ, ab alijs minorem considerari.

Ceterùm humanam staturam alij maiorem considerant, alij minorem. Sic enim Græca statura Romanam excedebat magnitudine, Hispanam Romana. Quin & Hebræi duplici humanæ staturę mensurâ vsi sunt: ex quibus quæ mensura prima siue antiqua vocatur, quarta parte & nonnihil ampliùs excedit alteram; ita vt dupla sit in potentia solida. Quod perinde est, quasi dicatur, spæra cubiti antiqui esse dupla ad sphæram vulgaris cubiti. Præterea minorem staturam Hebraicam contendo ipse in eo opusculo Hispanicæ staturæ esse æqualem, quæ binas continet mensuras ex ijs, quas Hispani vocant *varas de medir*, & in sex pedes diuiditur. Scio hoc nonnullis nouum, & paradoxum visum iri: si tamen non firmo probârim fundamẽto, irritum esto. Interim statuamus id, quod probandum suo loco est. ex quo elicio, Ioanni datam fuisse mensuram humanę staturæ antiquę, quæ est Adami vel Noëi in sex æquales partes diuisam: quæ partes iuxta sacræ Scripturæ vsum appellari solent cubiti; licèt iuxta Græcorum & Latinorum consuetudinem dicantur pedes. Hebraica autem statura antiqua (id est Adami) adęquat septem pedes Romanos; qui ex Hispanica mensura plusquamseptem pedes cum dimidio conficiunt.

Quare hic calamus mẽsorius dicatur similis virgæ?

SIMILIS VIRGÆ] Huius arundinis quantitatem, diuisionem & in metiendo vsum explicuit tum nomen calamus, tum alluſio ad calamum Ezechielis. Nunc figuram indicat comparatio virgæ: perinde ac si dicatur calamus quidem esse mensorius, similitudo tamen esse quasi virgę, qua alium percutimus. Hunc existimo esse sensum grammaticum. Primò, nam eadem phrasis, *calamus similis virgæ*, postulat, vt aliquid ibi insit mysterij; & calami mensorij officium sit alterius rei specie dissimulatum. Deinde, quia in sacris Literis frequens est, virgæ appellationem referri ad supplicium; vt Psalm. 88.

Digitized by Google

A 33.*Visitabo in virga iniquitates eorum.*Item Prouerb.10.13.& c.13.24.& c.14.3.& c.22.8.& 15.& c.23.13.& 14.& c.26.3.& c.29.15.& Ecclesiastici 33.25.& Thren.3.1.*Virga indignationis eius.*& Mich.5.1. Et quanuis sæpè etiam accipiatur pro baculo vel sceptro:sed in iis quoque plerumque significatio refertur ad puniendi seu percutiendi officium;vt statim videbimus.

Tertiò considerandum est,hanc capitis vndecimi virgam coniungi cum libello capitis decimi- atqui in eo libello alluditur ad verbum abbreuiatum,de quo Isai.10.23. vbi post illam abbreuiationem,statim sequitur virga supplicij,nempe n.25.*Noli timere populus meus habitator Sion,ab Assur, in virga percutiet te,& baculum suum leuabit super te in via Aegypti;*id est,affliget te mysticus Assur;sicut olim Aegyptus afflixit Israelem.Sed noli timere,quia sicut Israeli quondam conuersa est in gloriam afflictio, quam passus est ab Aegypto;sic tibi multò erit glorioſior persequutio , quàm à mystico Assur perferes.Nec dubium est,quin Isaias Ecclesiam alloquatur primitiuam; ille namque est populus , qui per excellentiam vocatur *populus Dei habitator Sion.*Ex hoc ergo Isaiæ loco mihi animum induco , illã virgæ similitudinem,quæ post abbreuiatum libellum mensorio adscribitur calamo, intelligendam fore de specie virgæ ad percutiendum aptæ.Etenim allusio libelli ad abbreuiationem perspicua est; de in contextus ipse ostendit allusionem prouehi adhuc in virga. Id quod , explicato virgæ huius mysterio,ampliùs confirmabitur. *Cur hæc virga cum capitis 10. libello coniungatur?*

B Datvs est mihi calamvs] Ex Græco videtur fortis Angelus non tradidisse Ioanni virgam:sic enim ad verbum transfertur ex Græco.*Datus est mihi calamus,& Angelus adstitit dicens;Surge & metire.*Qui loquendi modus innuit,calamum non fuisse Ioanni datum ab eo,qui adstabat. Ceterùm hæc lectio Græca non est certa:& memini me aliquando videre Græcum codicem , in quo locus hic lectioni latinæ respondet omnino.Qua propter crediderim,quod in Græcis aliis codicibus legitur , *Angelus adstitit*,glossema fuisse alicuius non satis cõtextum percipientis,Nam qui Ioanni dixit, *Surge & metire*, sine dubio est fortis Angelus capitis decimi:subdit enim;*Et dabo duobus testibus meis.* Ex quo infero, Christum esse,qui hic loquitur.Et de forti quidem Angelo non congruenter diceretur, *& Angelus adstitit*:nam præcesserat iam,Ioannem ad ipsum accessisse propiùs, & ab eo librum postulasse. Præter hæc;vulgatæ lectioni conuenientius est,vt qui Ioanni calamum dedit,quique illi dixit , *Surge & metire templum Dei*,idem sit;& hoc modo præcipuus sensus magis constat,vt infrà patebit. *Mensorium calamum Ioanni ab angelo forti datũ fuisse.*

Svrge et metire templvm Dei et altare] Diximus iam hìc planè alludi ad calamum , quo templum dimensum fuit,Ezech.40.& 41.& 42.& posteà altare,cap. 43. Quamobrem omnes illæ templi atque altaris dimensiones,quas Ezechiel ex professo describit,in Apocalypsi coercentur in præcepto illo siue iussu metiendi templum & altare.Et nec calamus hic Ioanni traditus ; nec ille Ezechielis fuerunt aurei. Posteà tamen cap. 21.15. est aureus calamus ille,quo Dei ciuitas dimetitur.

C Et certè huiusmodi discrimen mysterio non vacat , sicut nec illud , quòd scilicet Ioannes metiatur templum,ciuitatem verò non ipse,sed Angelus. Ezechielis autem 40.3.qui mensus est templum,appellatur *Vir,cuius erat species , quasi species æris ; & calamus mensuræ in manu eius.* Quòd si mysterium calami mensorii deprehendere possimus,in eo congruentiam harum differentiarum reperiemus.

Aliquis forsitan existimabit,mensorium calamum,quo Dei templum metitur, esse charitatem: illa quippe est vera meritorum mensura,cui expositioni fauere videtur locus ille Pauli ad Ephes.3. 18.*In charitate radicati & fundati;vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis,quæ sit Latitudo,longitudo,sublimitas & profundum.*Atque hic videtur esse huius dimensionis scopus , nimirum aptè comprehendere latitudinem,longitudinem,&c.Sed hæc interpretatio non placet,in ea enim non redditur idonea superiorum differentiarum ratio.Præsertim,quia verba illa *similis virgæ*,& allusio ad locum Isaiæ 10. 24.(vbi sermo est de virga,qua percutiendus erat populus Sionis habitator) aliam exigunt intelligentiam. *Quid per mensorium calamum Ioanni traditum figuretur.*

Existimo ergo mensuram illam capitis 11.esse mensuram afflictionum , quas pro Christo serui ipsius perpetiuntur:mansuram verò capitis 21.esse mensuram gloriæ,qua Beati fruuntur in patria. Atque imprimis,cùm agatur hic de tempore,quo primitiua Ecclesia à Iudaico populo acriter oppugnabatur,(vt ex cap.9.& 10.intelligentia constat)vt indicetur quod Isaias ait cap.10.24.videlicet

D in ijs persequutionibus nihil esse fidelibus,quòd timeant;sed potiùs quòd magnopere oblectentur certissima spe futuri successus,qui nõ futurus etat ab simili propero Pharaonis fini antiquum Israelem persequenti:ad hoc(inquam)quid congruentius,quàm Ioanni tradi mensuram laborum; eique præcipi,vt Dei templum metiatur;atque considereret;ad spiritalem illam celsitatem atque fastigium, quò fuerat ædificium extollendum,persequutionem illam fuisse maximè conducentem?Hæc congruentia in eo nititur,quòd virtus non spectata atque probata,puerilis debet reputari ; nec ad virtutis perfectionem conscenditur,nisi per ingentium laborum tolerantiam.Ideo enim Paulus ait ad Roman.5.3.*Gloriamur in tribulationibus,scientes quòd tribulatio patientiam operatur , patientia autem probationem,probatio verò spem.*Quam argumentationem fusè promouet Paulus ipse in capit. 8. illius epistolæ.Legatur numerus 17.*Coheredes Christi;si tamen compatimur,vt & conglorificemur*,& 2.ad Cor.1.7. *Sicut socij passionum estis,sic eritis & consolationis.*& 2.ad Timot.2.12.*Si sustinebimus,& conregnabimus* Et similiter fuerat locutus Dauid Psalm.93.19.*Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* *Auctoris ex positio de calami siue mensuræ arundineæ significatione.* *Per patientiam ac tolerantiam ad præmiũ & coronam perueniri.*

Secundo ad spiritualis magnitudinis significationem(quo per patientiam perueniatur)consentaneum valde fuit,mensuram esse magnæ illius staturæ,de qua diximus suprà quo significatur , veluti pueros ac pygmæos esse,qui aliâ ducuntur viâ.Porro Adami statura denotat mensuram Christi,qui est secundus Adamus.Quod vero statura illa sit dupla in potentia solida respectu vulgaris mensuræ: id indicat,hanc esse staturam primogeniti:Sic enim appellatur Christus.Quod in eo fundatur, quia *Hæc calami mensura cur magna statura aqualis conficiatur.*

Digitized by Google

primogenitum attingebat hæreditas duplo maior, quàm quemlibet ex reliquis fratribus. Et Christus Redemptor noster est primogenitus in multis frattribus, ac multiplici hæreditatis incremento auctus. Cuius labores pro virium ac sanctitatis mensura multò etiam maiores fuerunt & grauiores; & ipsius quidem gloria primogeniti fuit. Præterea Christi mensura est mensura laborum, vt Adami: gloriæ verò mensura, vt filij Dei. A

Cur, qui templum apud Ezechielem metitur, habeat speciē quasi speciem æris.

Tertiò, eidem significationi congruenter deseruit, quod Ezechiel ait cap. 40. 3. de persona illa templum dimensura: videlicet, *Vir cuius species, quasi species æris.* Quo in loco certam reputo Hieronymi & Gregorij sententiam asserentium, per virum illum designari Christum Dominum: non solùm quia ad Christum, vt ad summum architectum, spectat designare dimensiones noui templi Dei; sed etiam quia mensura ad nouam noui huius templi, ipsiusque partium structuram ac magnitudinem desumpta fuit ex Christi passione, & ex doloribus multis atque calamitatibus, quas pro sua Ecclesia constantissimè pertulit. Ideoque in ea visione species illius viri fuit, quasi species æris. Nam ex passionis suæ magnitudine agnouit Christus ingentem Christianæ Ecclesiæ fabricam & structuram: & admirabilis Christi in suis laboribus atque passione tolerantia eleganter satis significatur in ærea specie habentis calamum mensorium. Nam, vt mox videbimus, habere in manu calamum virgæ similem, symbolicè denotat maximæ persecutionis tolerantiam. Et qui se tanto calamitatum oneri humeros habere impares iudicabat, aiebat; *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est*, Iob. 6.12. Ex quo intelligitur speciem æream siue æneam idoneum esse symbolum summæ ad persequutionem sustinendam fortitudinis. B

Primam laborum mensuram esse Christi passionem.

Quartò, cùm mensura, de qua hic sermo est, sit mensura afflictionum, quas Ecclesia fuerat passura; facile cognoscitur primam horum laborum mensuram esse Christi passionem; *Nam quos præsciuit Deus, & prædestinauit conformes fieri imagini Filij sui*, ad Roman. 8. Quapropter appositè est visus Christus ab Ezechiele mensuram manu tenens, id est, re ipsâ mensuram afflictionum Ecclesiæ sustinens. Quòd autem mensura hæc posteà Ioanni in manus detur; indicat, Christi passionem experimento ipso sentiendam Ioanni exhiberi per passionis ipsius imitationem. Hoc enim est habere in manu mensuram, re ipsa eandem passionem sustinere: eandem, inquam, per imitationem. Iam, quòd templum Ioannes mensurâ illâ dimetiatur: est per mensuram, quam manibus tenet, æstimare ac ponderare copiosissimos fructus, quos percipit animus ex multorum laborum pro Christo tolerantia: quę permagni refert ad spiritalem Ecclesiasticæ structuræ magnitudinem; cùm ad hoc magnopere conferant ingentes labores & persecutiones. Et sanè mensuræ symbolum huic significationi est valde accommodatum. Etenim mensorium calamum mihi in manus tradi, perinde est, quasi pars quædam proportionalis mihi detur illius, quod dimetiendum est: vt cùm eam ad rem mensuratam applicem, ex perfecta mensuræ cognitione magnitudinem totius ædificii comprehendam. Quis ergo non videat, passionis Christi imitationem, qua parte Ioannem Iudaica persequutio contigit, eidem Ioanni detexisse, quantopere expediret Ecclesiam primogenitam laboribus, ærumnisque premi; vt in ea cõpleretur hoc pacto, & ad fastigium perduceretur celsissimæ fabricæ à Deo erigendæ magnitudo? C

Cur hic templum & altare non angelus, sed Ioannes dimetiatur: at posteà c. 11. angelus metiatur.

Quintò hæc practica cognitio, quæ per mensuram in manu habitam, & ad ædificium applicatam denotatur: angelis inesse non potest in afflictionum atque ærumnarum tolerantia, cùm eos nulla aduersa atque infesta contingant: & propterea mensorius calamus virgæ similis, quo templum metiendum erat, non deditus fuit angelo cælestis hierachiæ, sed Christi discipulo in terra adhuc commoranti, è contratio verò aurea mensura (quæ mensura est gloriæ: per eamque ciuitatis Dei magnitudo dimensa fuit, c. 21.) non tunc fuit Ioanni in manus tradita, sed Angelo ex cælesti hierarchia: vel si ex Ecclesiastica, vt ibi videbimus: illi saltem Angelo, qui raptus fuerat in tertium cælum: imo verò ei, qui iam fruebatur Dei visione. Soli enim beati, qui Dei fruuntur conspectu, dignè possunt æstimare atque perpendere immensam illam gloriæ magnitudinem, quàm Christiana Ecclesia in cælo possidebit: id quod ipsi deprehendunt experimento illius gloriæ partis, qua potiuntur. Hoc autem, quod ipsi experiuntur, significatur aptè ab illis haberi in manibus: eosque per gloriam illam, qua fruuntur, metiri atque cognoscere, quanta erit felicitas tantæ, tamque innumerabilis Christianorũ multitudinis: quæ in cælestem regionem congregabitur, & meritorum varietate, & proportionis pulchritudine insignis atque conspicua. D

Cur calamus Ioanni datus, nõ sit aureus, sed virgæ similis.

Ex dictis manet explicatum, cur calamus cap. 11. non sit aureus, sed solùm virgæ similitudinem referat: calamus verò cap. 21. aureus omnino sit? Hæc enim distinctione eleganter adumbratur, alterum ex iis calamis esse mensuram afflictionum & calamitatum, quas sancti viri pro Christo patienter tolerant: alterum verò esse mensuram gloriæ, qua Beati in cęlesti patria perfruuntur.

Difficultas aduersus dicta.

Opponet tamen aliquis, mensuram spiritalis magnitudinis non tam ad laborũ, quàm ad charitatis, qua perferuntur, magnitudinẽ esse reducendam. Fieri enim potest, vt labores alicuius minores sint, quàm alterius: cùm tamen maius meritum ex ardentiori charitate proficiscens illi respondeat.

Difficultatis enodatio.

Ad hoc tamen dico, licèt doctrina huiuscemodi sit certa, hic tamen non esse ad rem de hac doctrina agi. Nec enim sermo erat hîc, nisi de maximo & copiosissimo fructu, quem persequutionum magnitudo, quas Iudæi in Ecclesiam excitârant, ipsi Ecclesiæ pepererat. Et generatim loquendo dubium non est, quin laborum mensura in viris iustis dirigat eos ac prouehat ad ingentem ipsorum vtilitatem. Et verò, vt Dauid ait Psalm. 93. 19. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam:* eodem, inquam, sensu potest id ipsum Ecclesia de suis aduersitatibus, deque affluenti earum fructu atque progressu affirmare. Atque ad hunc sensum referendum est virgæ illius symbolum, qua magnitudo atque proportio noui templi à Christo extructi dimetitur.

Mi-

Digitized by Google

A METIRE TEMPLVM DEI ET ALTARE] Considerandũ est, iuxta hanc visionem, templum quoddam & altare holocausti similia prorsus templo atque altari, quæ describuntur ab Ezechiele à c. 40. vsque ad 47. Nam in calamo atque mensura reperitur manifesta alluſio, vt suprà notauimus. Licet autem Villalpandus contendat, nec templo Salamonis, nec altari holocausti à Salomone extructis vel minimùm deesse ex iis, quæ latè describit Ezechiel. Hanc tamen opinionem mihi non probat Villalpandus. Et quidem meo iudicio faciliùs & congruentiùs creditur, nec Salomonis templum, nec Zorobabelis, nec Herodis ad eam vnquam magnitudinem ac perfectionem peruenisse, quam Ezechiel depingit. Id quod ita fieri maximè oportuit; vt animaduerteretur, magnitudinem illam & splendorem templi, quæ Ezechieli per visum ostensa sunt, non quidem corporeum esse, sed spiritualem: ad cuius perfectam repræsentationem nusquam aut Salomonis, aut homines alterius fabrica peruenerit. Et fortè etiam altare holocausti Prophetæ fuit visum excelsius, quàm fuit alterum à Salomone fabricatum. In eo ergo, quod nobis conatur persuadere Villalpandus; omnes, inquam, illas dimensiones altari antiquo inesse (præterquàm quòd Scriptura id non exprimit in libris Reg. vel Paralip.) nequidquam ac sine vllo fundamento desudat Villalpandus. Nec enim probari potest, vniuersas eas dimensiones in veteri altari fuisse. Manifestum verò est, significanter satis Deum Prophetæ ostendere potuisse altare aliud ac templum Salomonicis perfectiora: de quo nonnihil suprà

B attigimus c. 3. not. 2.

Templum & altare qua ratione sint consideranda.

Templum Ezechieli visum multo laxius & magnificentius Salomonico esse.

At enim (dixerit quispiam) in not. illa 2. dictum est, Ezechielis templum esse peculiare symbolum cuiusdam partis ex catholica Ecclesia, nimirum Religionum: hic autem sensus in præsenti minimè quadrat; nam templũ, quod Ioannes metiri iubetur, sine dubio est tota Ecclesia primitiua. Illa enim patiebatur Iudaicam illam persequutionem, de qua agitur c. 9. & 10. & 11. Respondeo, regularium ordinum institutionem esse perfectam imitationem primitiuæ Ecclesiæ. Ex quo intelligitur, qua ratione templum illud Ezechieli visum ab vrbe seiunctum, est religiosæ vitæ symbolum; eâdem ratione templum illud fuisse optimam totius primæuæ Ecclesiæ figuram. Nam temporalium rerum, contemptionem profiteri: ab inanibus sæculi rebus esse penitus abstractos, & perfectissimo Dei, obsequio addictos; in paupertate voluntaria & rerum abdicatione vitam traducere: Christi sectari consilia, & immaculatos se custodire ab hoc sæculo; hæc, inquam, omnia omnino sapiunt generalem primigeniæ Ecclesiæ professionem. Quanuis enim multi tunc fuerint Christiani per matrimonium coniugii; illi tamen ipsi, qui habebãt vxores, tanquam non habentes erant: tum propter carnalium voluptatũ despicientiam, tum propter carnis ipsius macerationem, & præparationem animi ad martyrium, cùm opus esset, pro Christo fortiter subeundum.

Templum, quod Ioannes mensurare iubetur, quid significet.

C Altare autem holocausti, quod Ezechiel depingit (est autem ipsummet, quod Ioannes dimetiri iubetur) meâ sententiâ symbolum est deuotionis maximæ, qua primi illi fideles sese in martyrium sponte offerebant. Quod nihil impedit, quominus referatur etiam ad deuotionem religiosæ vitæ ac prompti animi expeditionem ad res perfectissimo Dei obsequio conducentes (quod secundum est martyrij genus.) Explicatio hæc consonat cum eo, quod cap. 6. 9 dicitur, animas scilicet interfectorum propter testimonium (siue martyrium) subtus altare clamasse. Tametsi hoc inter est discriminis: nam in c. 6. agitur de holocausti altari; quatenus repræsentat oblationẽ, quam Iudæi in Christianorum sanguine effundendo, se Deo præstare falsò putabant. In hoc tamen loco, vbi sermo est de altari holocausti, quod erat in primitiuæ Ecclesiæ templo, directè respicitur ad ipsam Christianorum deuotionem, qua se Christo per martyrium offerebant. Quòd autem Ioannes noui huius altaris magnitudinem dimitiri iubetur; perinde est, quasi nobis dicatur Ioannes ipse experimento solatii permagni, quo Deus ipsum cumulabat per occasionem martyrij eidem in Iudaica illa persecutione præparati, metiri magnitudinem altaris holocausti primitiuæ Ecclesiæ, hoc est, comprehendere hac ratione, quanti ipsius Ecclesiæ interfuerit persecutionis magnitudo; vt mysticum illud altare (id est, ingens ea deuotio ad martyrium) esset numeris omnibus absolutum, ac proinde Deo gratissimum & Christianæ Ecclesiæ glorioſissimum.

Altare holocausti, quod Ezechiel vidit, quid significet.

Cur Ioannes altare metiri iubeatur.

Non explico de altari Eucharistiæ. Altare enim, quod fusiùs describit Ezechiel cap. 43. est altare holocausti: Eucharistię autem sacrificium non est cruentum. Si quis verò de Eucharistiæ sacramento velit exponere; dicat, ex vehementi illa æstuantis animi affectione, qua tunc altissimum Missæ sacrificium Deo offerebatur, facile agnosci, aduersariorum persequutiones nihil obstare, sed plurimũ

D potiùs per occasionem conferre; vt cæleste illud sacrificium supplice cultu ac digna veneratione perageretur.

Qua ratione altare Ezechielis possit de Eucharistia exponi.

ET ADORANTES IN EO] Iubetur Ioannes, non templum modò & altare holocausti dimetiri: sed staturam quoque Deum in eo templo adorantium. Reuocandum hic est in memoriam, quod suprà dicebamus, calamum scilicet Ioanni datum magnitudinis esse staturam Adami adæquantis; cuius significatio respiciat spiritalem Christi mensuram. Dum ergo Ioanni dicitur, vt adorantes in templo conmetiatur: admonemur in eo persequutiones non ad Ecclesiæ solum corpus, sed ad singula etiam membra esse perutiles, quippe qui mediocri antea virtute præditi, per ipsas persequutiones ex parua statura ad magnam illam Christi virtuti conformem deuenerint. Vide ad Ephes. 4. 13. *In mensuram ætatis plenitudinis Christi.* & n. 16. *in mensuram vniuscuiusque membri.* Legendus etiam est Augustinus lib. 20. de ciuit. c. 8. vbi agens de excellenti Christianorum virtute, qui ad extrema mundi tempora sub Antichristo sunt in fide permansuri. *In eorum sane* (ait) *qui tunc futuri sunt, sanctorum atque fidelium comparatione quid sumus?* quasi dicat, pumiliones videbimur, cum gigantibus comparati. Hac ergo persequutionum ratione vtitur Deus ad magnam fidelium staturam spiritalem.

Digitized by Google

NOTATIO I.

De lucta Iacobi cum Angelo; de qua Gen.32.24.Sap.10.12.& Oseæ 12.3.

MYSTERIVM illud siue rationem, cur templum, altare, & in eo adorantes mensurentur staturæ magnæ calamo (qui virga simul percussoria sit;) eam esse diximus, vt scilicet denotaretur, calamitates & persecutiones Ecclesiæ Christi esse potissimum instrumentum, quo Deus ad ipsius Ecclesiæ gloriam & splẽdorem vtitur. Ad eandemque rem conducit plurimùm duorum Christi testium visio siue figura: qui quòd abiecti priùs, prostrati & interfecti fuerant; propterea illustres mox, glorioſi atque sublimes ad vitam sunt reuocati, & ad cœlum in nube euecti; vt in hoc eodem capite videbimus infrà. Per occasionem ergo mysterij huius libuit hac notatione luctam Iacobi cum Angelo contemplari: quam nemo Theologus est, qui mysterij plenam esse non videat; non omnes tamen animaduerterunt luctæ huius mysterium esse idem, quod in hoc cap.11. Apocalypseos tractatur: nimirum de Ecclesiæ persecutione à Iudaico populo excitata, quæ ad Ecclesiæ ipsius incrementum, gloriam, & splendorem mirificè deseruijt. Cuius rei attenta consideratio ad huius capitis vndecimi mysterium non parum iuuabit.

Quis ille fuerit, qui cum Iacobo luctatus fuit.

Ac primò in ipsa historia præmitto, quod Genesos interpretes rectè probant; illum videlicet, qui cum Iacobo luctabatur, fuisse ipsius Angelum, qui Dei gerebat personam. Quanuis Origenes aliter existimauerit; eumque alicubi Hieronymus sequi videatur. Si ergo textus ipse attentè perpendatur; videtur solus remansisse Iacobus, vt ad Deum preces effunderet, & ab eo opem atque auxilium deprecaretur. Quia fratris sui Esau, cui fuerat obuiam processurus, metu ac formidine percellebatur. Dum hæc cura Iacobum tenet anxium; ei Angelus apparuit, qui ipsum complexus fuit medium, quasi ad terram deiecturus. Cùm autem Iacobus firmus resisteret: vt illum Angelus ad maius ruendi discrimen reuocaret, claudum reddidit. *Nam tetigit neruum femoris eius:* quod idem fuit atque illum implicito & intricato pede impellere ac supplantare conari; illum, inquam, cui nomen erat supplantator: idem enim sonat *Iacob*. Nihilominus tamen firmiter sese tenuit Iacobus: ideoq; Israelis nomen illi fuit impositum, quod idem est ac *prænalens Deo*. Cuius rei arcano planè & admirabili euentu ei præsignificauit Deus, se fratri superiorem euasurum. Nec enim aliud fuit Iacobo benedicere, quam eidem robur ac fortitudinem aduersus fratrem suggerere. Quanuis fortasse non prænunciatum fuerit solum Iacobo, se fratre fortiorem ac potentiorem fore; sed etiam pluribus alijs beneficijs à Deo esse cumulandum. Sequitur enim posteà in textu, *Et benedixit ei in eodem loco*. Iosephus autem lib.1. Antiquitatum ca.19. asserit. Iacobum precatum fuisse ab Angelo, vt ex eo fatum suum cognoscere liceret; votique ac deprecationis compotem euasisse. Non tamen ita est intelligendum, quasi Iacobus simpliciter scire optaret, quid sibi foret deinceps euenturum; sed vt ei Angelus felicia præcaretur, quippe cognouit Angeli precationem Deo ratam & acceptã fore, sicuti fuit precatio illa ab Isaaco facta, de qua Gen.27.

Israelis nomen Iacobo inditum quid significet: & quid eo nomine illi Deus præsignificauerit.

Quid Iacobus ab angelo fuerit precatus.

Quomodo sit intelligendum, quod de Iacobi lucta dicitur, Videſ, quòd eum superare non posset. *quod attinet ad litera expositionem.*

Deinde in contextu verborum illorum, *videns quòd eum superare non posset, tetigit neruum femoris eius*: Notandum est illud maximè inibi significari: nimirum quòd Angelus non viderit solùm, Iacobum à se deijci non potuisse; sed etiam necdum prosternendum fore, quanuis illum debilitare femoris siue claudicatione tentaret. Hoc mihi persuadeo imprimis; nam textus non ait, *Videns quòd eum superare non potuisset*: sed, *videns quòd non posset*: qua phrasi solemus etiam de futuro loqui: apte enim diceretur, *Videns quòd etiamsi neruum femoris eius tangeret, nihilominus non eum posset deijcere*: id est, nequaquam satis fore, si ipsum claudicantẽ redderet, ad eum prosternendum. Secundò, huiusmodi constructio est cõgruentissima ad illud innuẽdũ, quod hac in re certum debet esse: videlicet Angelo non eam fuisse mentem, vt reapse Iacobus corrueret: sed tantum vt illum tentaret, & in id periculi reuocaret: ita tamen, vt se posset continere Iacobus, & re ipsâ glorioſus prædicaretur; quòd firmus cum Angelo congredi potuisset. Etenim tentatio illa siue lucta fuit quasi imago, atque pictura, quæ nobis ostenderet, quid accidat hominibus: quando illos Deus tentari & agitari permittit, quàm mox præsentem illis opem laturus. Semper enim conflictus eiusmodi ita accidit, ita diuino consilio tentationis & aduersitatis impetus temperatur; vt iactatus homo & vexatus ne corruat, sed firmus stabiliſq; persistat: iuxta illud Pauli, *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.* 1.Cor.10.13.

Cur Angelus Iacobi femur tetigerit?

Vt ergo id significetur; facilè cernitur, quantò aptius dicatur Iacobus ab Angelo supplantatus, quòd videret Angelus tunc etiam illum firmiter staturum: quàm si asseratur ideo Angelum supplantatione vsum, quia aliter Iacobum deijci non posse videbat. Si autem simplicius videatur alicui grammatica constructio fieri; si nihil aliud exprimat, quàm aduertisse Angelum, à se non potuisse Iacobum prosterni: illud saltem (si rem ipsam inspiciamus) certum est, cùm Angelus Iacobum supplantare decreuit, propterea id præstitisse, quòd videret ne hac quidem ratione Iacobum fore deturbandum.

Quo sensu dicatur Angelus dicatur Iacobum superare non potuisse.

Sed vtrouis modo grammaticam connectamus: explicatione indiget, quòd Angelus Iacobum superare non potuisse dicatur. Abulensis de simulata impotentia explicat. Caietanus de naturali virium assumpti corporis mensura. Alij malunt, conatum atque impetum quem adhibuit Angelus, fuisse eiusmodi: qui Iacobum vexare, & huc illuc trahere, non prosternere posset: quia conatum suum cum Iacobi viribus temperauit. Quod ad historiam spectant parum hoc difficultatis continet: quòd verò Scriptura phrasi illa vtatur, *Videns quòd eum superare non posset*: id sanè meo iudicio emphasim habet: præsertim si consideremus Angelum Dei vices ac personam gerere: ac Dei vires immensas & infinitas, hominis autem graciles omnino esse ac debiles.

Quid sit huius luctæ mysterium.

Huiusce rei mysterium illud haud dubiè est. Deum, cùm aliquem ex suis familiarib. tentat, cui præstò ipse esse velit, in hac aduersitatis palæstra non omni virium conatu & contentione luctari: sed vires potiùs attemperare aduersitatis pro iusti ipsius luctantis vi ac fortitudine. Tunc autem si iustus vir afflictus se fortem & constantem præstet: dicetur verè Deus illum quodãmodo deijcere non potuisse. Et hac ratione iustus ipse glorioſus euadet: quòd simul cũ Deo congressus fuerit, & ab ipso deijci non potuerit. Vt autem denotetur ingens voluptas, qua Deus perfundatur, quòd iustus vir collato pede sese firmiter cũ illo teneat: ideò textus exprimit, vidisse Deum à se prosterni Iacobũ nõ posse. Quibus in verbis dictio illa, *Vidit*, eadem est, quàm legimus cap. 1. Genes. *Vidit Deus cuncta, qua fecerat, & erant valde bona*. Quasi dicatur Deus ipse sibi in suis operibus maximè placuisse. Non aliter in Iacobi lucta accidit: dum Deus ipse suas attemperare vires voluit: ideoque gauisus valdè est, vt hac ratione Iacobum secum colluctantem deijcere non posse dicatur. Etenim quanuis vna ex parte inimici & aduersarii speciẽ Deus ipse præ se ferret, dum illi obsistebat. Ex alia tamẽ parte se valde familiarem ac propitium duabus præsertim in rebus exhibebat. Alterâ in temperandis viribus, quib. ipsum oppugnabat: alterâ in tribuenda eidem Iacobo fortitudine, qua rectus & integer in lucta perstaret, & idcircò non eum potuit luctando superare. Nec enim Deus colluctando, quàm fauendo, potentior est præsertim si suas vires moderetur, & augeat robur, quo luctatorem ipsum protegat ac tueatur. Id ergo est omnino, quod in Iacobi lucta euẽnit. Expende verba illa Oseæ 12.3. *In fortitudine sua directus est cum angelo: & inualuit ad Angelum et confortatus est.*

Quid angelus intenderit, dum fuit luctatus cum Iacobo.

Dicebamus igitur suprà, admirabilis huius luctæ mysterium esse illud, quod Christiano populo in Iudæorum persecutione contigit. Ad cuius rei clariorem explicationem aduerto primò, Iacobum sibi ab Esau fratre cauisse, & tamen cum Deo se reperisse luctantẽ. Quod nobis indicat, in ea aduersitate, quæ Iacobum

tunc

Iacobum, dum fratrem fugit, cum Deo luctari, quid mysterij adumbret.

tunc premebat, metum illum ac solicitudinem considerandam fore, quasi exercitationem quandam ac probationem, quam Deus illi ad suam ipsius vtilitatem & spiritale incrementum suppeditabat: atque adeò ex eo, quod iustus vir in laboribus atque erumnis sibi à Deo obiectis se rectè & integrè gerat, hinc validum, robustum, & ab omni rerum aduersarum incursione inuictum prodire.

Per Iacobum & Esau figurari Christianũ & Iudaicum populos.

In sensu proximo per Iacobum & Esau populos Israeliticum & Idumeum significari.

Secundò notandum est, in hac historia per duas Iacobi & Esau personas denotari vtrumque populum; Christianum scilicet & Iudaicum; vt docet Aug. l 16. de ciuit. c. 35. Considerandaque sunt verba illa, quæ Deus Rebeccæ dixit Gen. 25. 23. *Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi*: & repetuntur à Paulo ad Rom. 9. 10. Quæ verba in primo literali sensu indicant duos populos Israëlis & Edom; qui sibi mutuò infesti atque infensi fuerunt. Cùm autem ex his alter electus fuerit, alter reprobatus (vt habetur Malach. 1. 2.) hinc fit per Israëliticum populum Christianam figurari gentem, quæ est verus populus Israëlis: per Esau verò Iudaicũ populum, natu quidem maiorem, reprobum tamen ac repulsum. Quòd autem inter horum populorum vtrũque fuerat bellum acerrimum suscitandum rectè in duobus fratribus figuratum fuit, antequàm ederentur in lucẽ, *Collidebantur enim in vtero paruuli*, Gen. 25. 22. Et alterius quidem feritas, alterius mã suetudo eidem significationi seruierunt: id quod fuit cognitum ab ipsis vtriusque natalibus. Nam Esau *rufus erat & in morem pelli hispidus*. Genes. 25. 25. *Et adultus factus est gnarus venandi*. per venationem autem persecutio denotatur, vt videbimus in Canticorum libri commentario. At Iacobus lenis erat & simplex, vt habetur Gen. 25. 27. & c. 27. 11.

Ad mysterij significationem quàm recte acciderit vt Iacobus & Esau essent gemelli.

Tertiò notandum est, ad vtriusque populi significationem singulari mysterio fuisse factum, vt hi duo fratres essent gemini, atque ex vno Isaaci concubitu nascerentur, vt attigit Paulus ad Rom. 9. 10. Nam ex eo, quòd Deus se cum natura humana coniunxerit, & suam fidem synagogæ olim datam liberatus adueniret; ex illa, inquam, vnicâ Dei coniunctione cum Abrahæ semine vetus synagoga geminos concepit filios; alterum Euangelio rebellem ac repugnantẽ, alterum morigerum & obsequentem. Hi enim sunt duo populi, Iudaicus alter, alter Christianus. Ex quibus humano quidem iudicio, maior & hæreditatis nomine locupletior videbatur esse Iudaicus. Nam Christianus populus in suis cunabulis (si cum Iudæorũ populo Euangelium Christi persequente comparetur,) multò erat inferior & numero & ijs omnibus, quæ ad speciem & splendorem mundus æstimat. Ceterum, *Non multi sapientes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi & ignobilia elegit Deus*: vt benè Paulus, 1. Cor. 1. 26. Et sanè, si aliqua Respublica in duas diuidatur partes; ad quarum alteram nobiles, potentes, Pontifices, ac moderatores sese aggregent; ad alteram verò pauci, ijque priuati, & nullius penè auctoritatis: si hæ duæ factiones sint in duobus fratribus figurandæ; plurimorum profectò atque potentium factio in natu maiore; altera paucorum & impotentium in minore significabitur. Hinc ergo est appositè in Esau Iudaicum populum Euangelio rebellem indicari: & in Iacobo populum Christianum diuinis præceptis obedientem. Verùm enim verò, vt prænotaretur maiorem es ijs fratribus â minori deiectum iri ac superatum: prodijt ex vtero minor maiorem supplantans; hoc est, plantam fratris manu tenens: & idcirco appellatus est Iacobus, id est, supplantator Gen. 25. 25.

Cur minor frater Christianum populum: maior Iudaicũ figuret.

Hęc erat reliqua Christiani populi spes, fore vt pauci & impotentes multos atque potentes essent victuri: id quod mediâ ipsâ persecutione fuerat euenturum. Nec aliud in hac duorum fratrum lucta adumbratur. Etenim si nihil aliud in ea repræsentaretur, nisi Iacobum cum Deo colluctari: id quidẽ posset facilè exponi de precum atque orationum lucta: iuxta vulgarem locutionem, *precibus contendere*. Attamen in oratione non Deus hominem, sed homo aggreditur Deum. Textus enim innuit, Angelum irruisse in Iacobum, *Et luctabatur cum eo*. Imò & Sapientiæ 10. 12. dicitur, *Certamen forte dedit illi*. Nam præter vim ac robur, quod per speciẽ illum deijciendi adhibebat Angelus; ipsum

A debilem & claudum effecit: quo in maximũ corruendi discrimen eum adduxit. Hoc autem denotauit, Deum ad maximam Christianæ Ecclesiæ gloriam atque decorem, eidem obtulisse acrem illam Iudaicæ persecutionis luctam: in qua verè dicitur Deus tentasse fideles. Sicut tentasse dicitur Abrahamũ Gen. 22. 1. Similisque locutio reperitur Ps. 25. 2. & Sapient. 3. 5.

Christi Ecclesiã per labores ipsos & persecutiones de Synagoga victoriam reportasse.

Atque vt mystici Iacobi victoria glorioſior ac celebrior foret: diuina prouidentia statuit, vt suum fratrem supplantaret ac vinceret per medios ipsos labores atque pericula; ex quibus nihil aliud sperari videbatur posse, nisi Iacobi ipsius, id est, Christiani populi euersio ac dissipatio. Ecquis enim putaret, Apostolorum atque fidelium probra, verbera ac cædes immanissimas aliò demum euasura? Hæc igitur grauissima discrimina atque angustiæ, ad quas fuit Christianus populus redactus, eleganter adumbrantur in Iacobi claudicatione ab Angelo illata. Id enim est, quod textus ait, *Tetigit nerum femoris eius, & statim emarcuit*. Quod perB inde fuit atque Ecclesiam in extremum penè discrimẽ reuocare; ita vt ipsa in terram haud dubiè deijcienda videretur. Nam læsio adeò grauiter coxendicis siue femoris neruo, quis non crederet Iacobum quàm mox ruiturum? Quis insuper non diceret, Christiani populi expectationem atque conatum, vt Iudaicum supplantaret ac deuinceret, in suummet tandem caput recidisse? atque adeò claudicatione illa per Angelum illata Christianum ipsum populum, qui supplantatorem se fore sperabat, supplãtandũ potius esse ac superandũ?

Enimverò infinita Dei sapientia impetum, quo Iacobus impellebatur, adhibito modo sustinnit ac temperauit, ea ipsa in re, ex qua Christiano populo tantum periculi creari, & interitus afferri videbatur: simulque Iacobi ipsius partes suscepit atque prouexit, vt victor tandem euaderet. Quo factum fuit, vt tantò illustrior ac glorioſior appareret victoria, quantò difficilior & periculoſior fuerat ipse congressus. Atque id ipsum innuit Paulus cum ait; *Virtus in infirmitate perficitur*, C 2. Cor. 12. 9. & mox, *Cùm infirmor, tunc potens sum*. Et ad Hebr. 11. 34. *Conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello*. Vbi Vatablus sic vertit, *Validi facti sunt ex imbecillitate*. Et Hugo Cardinalis ex Chrysostomo, *Imbecillitate facti sunt fortes*.

Iam, quòd Ecclesiæ persecutiones, (& prima illa potissimũ) figurentur sub specie luctæ, in qua Deus cum Iacobo implicitis lacertis congreditur: hoc, inquam, percommodum est ad Catholicam Ecclesiam hac ratione informandam, vt in tribulationibus glorietur. Porrò præsentissimum discrimẽ, quod subijt Iacobus, cùm Angelus *tetigit nerũ femoris eius*, est etiam maximè ad rem: vt instruatur pariter Ecclesia, tantò esse præstantius Dei beneficium, quo ipsa afficitur: quantò grauior est, qua affligitur, tribulatio. In primo quidem maximum fuit (quis dubitet?) Dei beneficium in Iacobum collatum, dum dignatus fuit cum ipso lucta contendere. Si rex aliquis consertis lacertis cum suo seruo colluctari non dedignaretur: næ seruus ille apud Regẽ D magna se gratia atque fauore acceptũ reputaret. Præsertim si luctæ finis non is esset, vt eum Rex in terram prosterneret: sed vt extolleret potius, & honorib. atq; promeritis cumularet. Non aliter Deus se gerit: quippe qui suos familiares non ideo tentat, vt deijciat, sed vt glorioſos atque sublimes ex victoria ipsa reddat. Nam vt rectè Iacobus alter c. 1. 13. *Ipse autem neminem tentat*: id est, ad ruinam. Quid ergo hac vna re iustis viris præstabilius, quid excellentius aut glorioſius? Deinde, quod subditur de ingenti discrimine, quo Iacobus per claudicationem fuit adductus: inde etiam Dei beneficentia maximè commendatur, qui gloriam illam victoriæ voluit Ecclesiæ in extrema (quod aiunt) tegula versanti deferre.

Apostoli certè, virique Apostolici cùm cælestem hanc philosophiam didicissent, in persecutionibus magnopere gloriabantur. Eandemque ob rem nos ipsorũ filij ita suppliciter ac deuotè eorum carceres, vincula, tormẽta ac cædes extollimus, suspicimus, veneramur. Quam Christiani populi reuerentiam ac veneratione erga Apostolorũ & Christi Martyrum ærumnas atque pericula egregiè repræsentat ipsamet Geneseos historia, illis potissimum verbis: *Quam ob causam*

Digitized by Google

Cur filij Israelis neruum femoris in antecessum non comederint?

non comedunt neruum filij Israel, qui emarcuit in femore Iacob, vsque in præsentem diem: eo quòd (Angelus) tetigerit neruum femoris eius, & obstupuerit, Genes. 32. 32. Vbi illud obseruandum occurrit: filios Israelis ideo ab illius nerui esu sine dubio abstinuisse, vt hac cærimonia luctam Iacobi venerarentur, & magnum illud periculũ, quod in illa adierat: atque huiusmodi abstinentia eò videbatur tendere, vt neruum illum Deo offerrent & consecrarent in beneficii Iacobo per claudicationem collati recordationem. Sic enim legimus, Dauidem, vt Deo aquam libaret, quæ tanto suorum militum periculo constiterat, eius potu sibi interdixisse; *Et libauit eam Domino*. Glorioſum ergo valde fuit Iacobo illud periculum, in quod fuit ab Angelo vocatus. Nec minùs fuit glorioſa claudicatio: quàm ex ea lucta contraxit: non in diem modò, vt Caietanus opinatur: ſed in totius etiam vitæ tempus. Sic enim plagarum cicatrices, quas ſtrenui milites in periculoſiſſimo bello acceperunt, ſummæ ſibi ſunt gloriæ & ornamento, eaſq; propterea frequenter iactare ſolent.

Iacobi lucta noctu cœpta & ſub aurorã lucem conſecta, quia myſticè adumbrat.

Per noctem labores: per lucem, requiem denotati.

Cum ſupradicta explicatione cohæret circunſtantia temporis. Lucta enim noctu fuit cœpta, & ad tempus matutinum exacta; *vſque manè*. Peracta autem lucta, *ortus eſt ſtatim ſol*. Hæc, inquam, circunſtantia eidẽ ſignificationi congruenter deſeruit. Nam per noctem ſignificati aduerſam fortunam; per lucem, ſolatium at tranquillitatẽ poſteà conſequutam quis neſciat? Hinc illud Eſther c. 8. 16. *Noua lux oriri viſa eſt, gaudium atq; tripudium*. Itaque Iacobus fuit ab Angelo claudus effectus antequàm lucesceret, obſcuro adhuc & tenebricoſo cælo; ſic enim ſæpe contingit, vt paulò ante diluculum aër valde obtenebreſcat. Quòd ſi per noctem tempus aduerſitatis denotatur: næ obſcura valde erat nox, cùm Iacobus claudicationem ſenſit, ſeque in id periculi adductum animaduertit. Hanc tamen caliginem citò fuit conſequuta lux. Quapropter & in Apocal. cap. 21. ſanctiratis ac veritatis oppreſſiorſi (quæ duo in duplici teſte figurantur) quàm citiſſimè ſuccedit ſublimis eorundem teſtium reſurgentium, & in cœlum conſcendentium gloria.

Quid per Iacobi luctam figuretur.

Præter hæc, ipſamet Dei atque Iacobi lucta, quatenus eſt ex parte Dei, denotat tentationem, qua Deus ſuam probauit atq; perfecit Eccleſiam: quatenus verò ex parte Iacobi eſt, Eccleſiæ ipſius preces, & orationes. Facit huc, quod dicitur Oſeæ 12. num. 3. *Fleuit, & rogauit eum*. Quamobrem cùm Angelus ait Iacobo: *Dimitte me: iam enim aſcendit aurora*, hoc inibi myſterium delitescere videtur: quòd Deus ſigno illo lucentis iam diei dicat Eccleſiæ, nihil eſſe cur eum tantopere vrgeat aduerſitatis finem deprecans; iam enim diei lucem & conſolationis claritatem appropinquare. Quod verò reſpondet Iacobus, *Nõ dimittam te, niſi benedixeris mihi*, repræſentat fidelium mentem non eam ſolam fuiſſe, vt perſecutionis tempus finiretur: ſed potiſſimùm vt ipſi in vitæ puritate & ſanctimonia prouectiores inde & robuſtiores euaderent. Hæc autem progreſſio atque robur, quod Eccleſiæ ex ipſa perſecutione accreuit, rite in nomine *Iſrael* adumbratur, quod idem eſt ac *praualens Deo*: referendumque eſt ad maximam felicitatem, quam Chriſtiana Eccleſia per ipſas tribulationis anguſtias comparauit: nimirum, quia *tribulatio oper. tã eſt patientiam: patientia autem probationem: probatio verò ſpem*, vt loquitur Paulus Rom. 5. 4.

Iſraelis nomen Iacobo impoſitum ab angelo quid myſticè indicet.

Magna autem fælicitas, ad quam amicorum Dei animæ perueniunt, (dum in tentatione quaſi cum Deo luctantes, non ſunt in terram deiecta, ſed firmæ & erectæ conſtiterunt, & ab eo miram benedictionem impetrarunt;) ſapientiſſimè adumbratur in nomine Iſraëlis, quod Iacobo datum eſt. Id enim denotat ex ea lucta Dei amicos manere rebus omnibus ſuperiores, & quodammodo per Dei gratiam, Deum ipſum triumphantes, quo nihil honorificentius dici potuit.

Denique in admirabili hoc diuinæ prouidentiæ conſilio, quod Eccleſiam abiectione extulit, & infimitate firmauit: ſe Deus exhibet planè admirabilem conſiliarium: vt expendimus cap. 6. Apocal. in quarti ſigilli commentario. Quarè in Sapientiæ libro attribuitur diuinæ Sapientiæ quòd Iacobo certamen forte dederit, *vt vinceret*. Eſt autem illud animaduerſione valde dignum, quòd Iacobus ſub ipſius luctæ atque hiſtoriæ finem ab Angelo ſuum nomen ſciſcitatus fuerit. Cuius reſponſio ea fuit, *Cur quaris nomen meum?* Vbi ſupplenda videntur ex Iudic. 13. 18. illa verba, *quod eſt mirabile*. Is enim eſt illius interrogationis ſenſus. Notandum verò eſt, non ideo Iacobum ex Angelo nomen percontari, vt ſciret; quicum fuiſſet cõgreſſus: probè enim Iacobus nouerat ſe cum Deo luctari; ideoque non hic fuerat ſuæ interrogationis finis. Sed propterea id rogauit, vt ſciret, quod eſſet illius luctæ myſterium. Cùm enim Iacobus familiariter cum Deo agere cõſueuiſſet, & rerum diuinarum cognitione eſſet apprime imbutus; verisimile eſt ſatis, cognouiſſe illum nomina Angelis imponi ſolita in ſacris viſionibus maximè illi myſterio reſpondere, cui potiſſimum deſeruiunt: nec non Dei attributo, ſiue ſpiritui, qui in eiuſmodi opere imprimis elucet; vt in Michaëlis, Gabrielis, ac Raphaëlis nominibus apparet. Cùm ergo reſpondet Angelus, *Cur quaris nomen meum, quod eſt mirabile?* Non quidem ſuum ſuppreſſit nomen; ſed eleganter potiùs expreſſit. Nam per interrogationem, magna aliquando myſteria enunciantur, vt patet Prouerb. 30. 4. vbi de ſacro S. Trinitatis myſterio per interrogationem ſic loquitur Sapiens, *Quis continuit ſpiritum in manibus ſuis? Quis colligauit aquas quaſi in veſtimento? Quis ſuſcitauit omnes terminos terræ? Quod eſt nomen eius, & quod nomen filii eius, ſi noſti?* Similiter ergo in præſenti per interrogationem ſuam explicuit nomen Angelus, ſeque admirabilẽ appellauit, atque hoc ſuum eſſe nomẽ edixit: & ea ratione innuit, in illa lucta admirabile Dei conſilium figurari. Exiſtimo autem ad hunc locum per alluſionem reſpici Iſaiæ 9. 6. vbi de Chriſto dicitur, *& vocabitur nomen eius Admirabilis, Conſiliarius*, quæ verba expoſuimus ſuprà capite primo, notatione quinta.

Quorſum Iacobus ab angelo nomẽ ipſius requiſierit.

Angelus de proprio nomine rogatus à Iacobo dum per interrogationem reſpondet, quid indicare velit.

TEXTVS.

Vers. 2. Atrium autem, quod eſt foris templum, eijce foras, & ne metiaris illud; quoniam datum eſt Gentibus, & ciuitatem ſanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus.

COMMENTARIVS.

Templi nomẽ à Ioanne accipi, prout atriũ Sacerdotum & atriũ Iſraelis complectebatur.

TEMPLI nomen, ſi ſtrictè ſumatur, id ſolùm complectitur, quod Ezechiel vocat ædificium ſeparatum; id eſt, tum ſancta ſanctorum, tum ſancta, & quæ eis adhærebant. At Ioannes templi nomen ſolet accipere, ita vt complectatur atrium Sacerdotum & atrium Iſraelis cum ſuis porticib. Hæc enim omnia comprehenduntur intra murum quingentorum cubitorum in quadrum: quantunuis Iſraelis atrium vocetur exterius ratione atrii Sacerdotum. Quòd verò Ioannes ſic loqui ſoleat, obſeruare licet in Euangelio cap. 2. 14: *Inuenit in templo vendentes*, & nu. 15. *Et omnes eiecit de templo*, & cap. 5. 14. *Inuenit eum Ieſus in templo*. & cap. 7. 14. *Aſcendit Ieſus in templum*. & n. 28. item c. 8. 2. & 20. & ſimiliter loquitur Lucas præſertim in Apoſtolorum Actibus. Hinc eſt, licèt atrium Iſraelis reſpectu Sacerdotalis atrii appelletur exterius; reſpectu tamen muri prædicti non fuiſſe foris templum. Quapro-

pter

A pter certum existimo in præsenti non esse sermonem de Israëlis atrio; sed de atrio Gentilium; si sensum grammaticum attendamus.

De quo atrio Ioannes loquatur.

Licet autem hoc nomen atrij Gentium nec in Scriptura, nec in Iosepho reperiatur, quantum memoriâ consequi possum: certum tamen est, præter atrium Israelis, fuisse extra murum & ab eo seiunctam ingẽtem porticum, quæ omni ex parte templum circuibat: atque hoc est, quod communiter dici solet atrium Gentium. Et quidem videtur Ezechiel illud designare, atque appellare *suburbana templi*: tametsi non ita certum est vt opinantur nonnulli, huiusmodi porticum fuisse à Salomone per quatuor omnes partes ædificatam. Neque faciunt ad rem verba, quæ pro huius rei probatione adducũtur ex 3. Reg. 7. 12. vbi legimus, *Atrium maius rotundum* (id est in circuitu) *trium ordinum*. hæc, inquam, verba nihil probant. In illis enim non est sermo de atrio templi, sed de atrio domus, quàm Salomon filiæ Pharaonis ædificauit, vt ex contextu ipso liquet.

Cuiusmodi fuerit atrium Gẽtium.

Ceterùm, siue porticus & atrium, quæ erant foris templum extra murum prædictum, absoluta sint à Salomone, siue posterioribus sæculis (id quod ex presse docet Iosephus l. 6. de bello c. 6.) Illud saltem ex eodem Iosephi loco planum fit, extra murum templum circundantem (qui quingentis cubitis in quadrum patebat) fuisse separatam à muro insignem quandam porticum, quæ templum vndique circundabat, & lata erat triginta cubitos. In hanc insuper porticum ingredi Gentibus licuisse,

Quodnam propriè fuerit atrium Gentium, & cur ita dictum.

B non tamen in Israelis atrium: quia columnæ æquis interuallis dispositæ præmonebant literis Græcis & Latinis, alienigenas in locum sanctum ingredi non posse. Idemque colligitur ex postremis verbis cap. 42. Ezechielis, vbi mentio fit muri diuidentis *inter sanctuarium & vulgi locum*. De hoc ergo atrio Gentium sermo est in præsenti. Illud enim propriè erat *foris templum*. Cùm autem Ioanni imperatur, vt non metiatur hoc atrium, quod extra templum erat; alluditur ad Ezechielis visionem: in qua, licet quidquid appellatur sanctuarium adeò distinctè dimetiatur, nec non muros ipsum obiens: nullum tamen est verbum de mensuris porticuum, quæ erant extra templum. Quia licet cap. 45. 2. præcipitur, vt suburbana templi intelligantur esse quinquaginta cubitorum in latitudinem per gyrũ: verùm hoc non est mensurare porticus. Atque hac allusione Ezechielis confirmatur, atrium hoc (quod Ioannes ne metiatur, iubetur) esse atrium Gentium. Etenim atrium sacerdotale, & atrium Israelis dimensa procul dubio sunt in Ezechielis visione, vt ex eius descriptione patet: & similiter sunt à Ioanne dimensa, comprehenduntuŕque templi nomine, in illis verbis, *Metire templum Dei*, vt diximus versu præcedenti.

Ezechielem minimè atrij Gentiũ in sua templi descriptione meminisse.

Vers. 2.

EIICE FORAS] ἔκβαλε ἔξω. Hæc locutio primo aspectu videtur impropria: nam quod foris est, non potest eijci foras. Sic tamen loqui solemus: vt si quis dicat. Hoc extrà educamus: id est, extra rationem siue computationem: videlicet, ne numeretur, nec ad calculos reuocetur. Similiter ergo in mensuris *eijce foras*, idem est, atque ne cures eiusmodi atrium metiri. Fortassis etiam habet emphasim, *eijce foras*, id est, contemne, & pro nihilo ducito: quia ἐκβάλλειν, solet esse idem, quod repudiare: atque id appositissimum est ad præcipuum sensum, vt dicemus infrà.

Quid sibi velit locutio hæc, Atrium eiice foras, iuxta sensũ grammaticum.

C

Familiaris noster Ezechielis interpres censet propterea in ea visione non mensurari atrium Gentium: quia Gentium multitudo ad fidem Christi cogenda (quæ per atrii symbolum significatur) futura erat innumerabilis, iuxta id Oseæ 1. 10. *Et erit numerus filiorum Israel quasi arena maris, quæ sine mensura est, & non numerabitur*. Facit pro hac explicatione locus Zacharię 2. 1. & 4. Mihi tamen multò aliter videtur. Nam Spiritus sancti mentem non dubito fuisse in templi mensuris quas Ezechiel refert, & in iis, quas in hoc capite Apocalypsis attingit. Atque hic quidem quod atrium non mensuretur, ea redditur ratio, *Quoniam datum est Gentibus*, videlicet, vt illud conculcent, vt patet ex sequentibus. *Et ciuitatem sanctam calcabunt*, quæ verba ad oppressionem manifestè spectant, vt patet Lucæ 21. 24. & 1. Machab. 14. 31.

Cur Ioannes ab atrij Gẽtium dimẽsione prohibeatur?

Opinio prælis. Authoris sententia.

Ratio etiam cogit, vt ab amici explicatione discedam. Nam si ideo atrium non mensuraretur, vt referretur id ad maximam eorum multitudinem, qui in atrio foris posito significantur, dimensio templi & atriorum, quæ muri coërcebantur ambitu, referenda esset ad exiguum numerum eorum, qui in templo & in Israelis atrio denotantur. Constat autem hanc non esse in præsenti dimensionũ significationem, nec in Ezechielis loco, sed potiùs spiritalem adumbrari magnitudinem, quò fuerat Ecclesia per ipsas persequutiones artollenda, nec non certissimam huius magnitudinis expectationem & securitatem ab omni sanctitatis diminutione, cùm, ingruenti persecutione, multiplici foret

Quòd speret templi dimensio tam apud Ezechielem quàm apud Ioannem.

D incremento augenda. Probatur hæc nostra explicatio à simili, quia Matth. 10. 30. & Lucæ 12. 7. ait Christus, *Capilli capitis vestri omnes numerati sunt, nolite timere*. Vbi nemo est, qui non videat, eam phrasim explicari Lucæ 21. 18. dum Christus ait, *Capillus de capite vestro non peribit*. Si ergo numeratos habere capillos, perinde est, quasi certò sciat & asseueret, nullum ex iis fore periturum: simili etiam ratione dimensum habere ædificium, certam in se claudit spem ac securitatem, fore vt nec pilus desit ex iis omnibus, quæ Ioannes metiri iussus sit. Eodem enim spectat hæc ædificii dimensio, & illa capillorum enumeratio.

Ad Zachariæ locum respondeo, verum quidem esse, ad magnitudinem referendum fore, quòd vrbs non mensuretur: hanc tamen significationem in amplissima vrbe (cuiusmodi ibi in textu proponitur) esse ad rem; in atrio verò non item.

QVONIAM DATVM EST GENTIBVS] Id est, quia in hostium potestatem venturum est. Quando ergo iubetur templum metiri, eique dicitur, *Ne metiaris atrium, quod foris est; quoniam datum est Gentibus* perspicuum est, Ioannem præstari securum, ea omnia, quæ mensurare iubetur, in hostium manus non esse peruentura; aut saltem hostibus non fore potestatem ad ea diruenda aut diminuenda. Locutio quidem perinde est, quasi ageretur de aliquo Gentium exercitu in Hierosolymam inuasuro

Quid in verbis innuatur. Quoniam datum est Gentibus.

Digitized by Google

uasuro & eam occupatur: exceptâ tamen templi arce (hoc est, quidquid muro quingentorum cubitorum cingitur, diuiditurque eodem muro inter sanctuarium & vulgi locum interiecto) quam capturi non erant, nec quidpiam eorum, quæ includebantur intus; id est, nec altare holocausti, nec candelabrum, nec dum ipsas personas, quæ intra ea septa continerentur. Præterea vtrumque atrium tam sacerdotum, quàm Israelis immune erat permansurum. Cetera verò omnia, quæ extra murum prædictum sita erant, ab hostibus fuerant occupanda; atque adeò omnes porticus, quæ extra prædictum murum cingebant templum. Hoc autem interdum solet accidere, vt hostes vi capiant vrbem aliquam, nec tamen arcem naturâ loci munitam expugnare possint. Is igitur est sensus, quod attinet ad externam locutionis figuram. A

Quid hic per atrium significetur. Ambrosii expositio.

Enimuerò sub hoc cortice latet sensus, quem Spiritus sanctus præcipuè intendit. Et quidem de Iudæorum persecutione sermonem esse agnouit Ambrosius. Ait enim per atrium hîc designari Iudaicum populum; quia foris erat per incredulitatem, licèt propè videretur esse: porrò atrium hoc datum esse Gentibus, quia Iudæi propter incredulitatem paganis Gentibus erant coniuncti. *Aut ideo* (ait) *dicuntur Gentibus traditi. quia traditi sunt Romanis, vt ab eis delerentur.* Hæc Ambrosius.

Ex cuius verbis id assumo, quod meæ fauet explicationi, nempe contextum huius capitis ad Iudaicæ persequutionis tempus, & ad Iudæorum cæcitatem referendum esse. Hoc tamen admisso, B quam Ambrosius sequitur atrij applicationem, non ei satis apta videtur. Nam atrium applicatur cõgruentius ad id, quod spectat ad templum, quàm ad id, quod templo contrarium est: Iudæi autem Ecclesiam persequentes non ad Ecclesiam pertinebant, sed ipsi potiùs erant infesti.

Vera sententia de atrii Gentiũ significatione.

Atrium igitur templi (quod & ad templum ipsum pertinebat, & Iudæis pariter ac Gentibus erat commune) significat percommodè bona externa fidelium; illa, inquam, quæ fidelibus & infidelibus solent esse communia: cuiusmodi sunt res familiaris, fortunæ; possessiones, & cetera temporalia commoda; quæ non minùs Deus infidelibus ac Gentibus, quàm fidelibus & feruidis Christianis elargitur. Verbi gratia: aurum atque argentum, quæ Christiani possident; redditus item ac prouentus Ecclesiastici, quanuis qua parte sunt Ecclesiæ bona, sint Ecclesiastica, & iuxta rationem sui gradus consecrata Deo. Verumtamen in hisce rebus minime consistit aut nititur præcipua aut Christianæ Ecclesiæ, aut diuini cultus, aut fidelium fælicitatis ratio. Et propterea hæc recte comparantur cum atrio Gentium, quod templum quidem foris cingebat, Israelitis tamen erat commune cum Gentibus. Commune namque est, vt diximus, fidelibus & infidelibus diuitias ac fluxa vitæ huius bona possidere. Itaque licet de fidelium possessionibus instituatur sermo: iure vocantur atrij Gentium nomine, id est, rei ad Ecclesiam quidem pertinentis; ita tamen, vt Gentibus etiam vulgaris sit.

Quid habeat mysterii quod Ioanni dimẽsio tẽpli imperetur: at atrii Gentiũ dimensio interdicatur.

Deinde quod Ioanni præcipiatur, vt mensuret quidquid coërcet templi murus, non verò atrium C Gentium positum extra muri ambitum: hoc inquam, perinde est, quasi illi significetur, murum inter sanctuarium & locum vulgi interpositum in hostium potestatem neutiquam fore venturum: nec imminuturam persequutionem aliquid tantæ magnitudinis, in qua sacrum illud ædificium Ioanni visendum obuersabatur: nec verò quidpiam ex iis, quæ intus continebantur: quinimò eodemmet persecutionis tempore magnificum Dei templum ad maximam illam amplitudinem, idque mediâ ipsâ persequutione, fore prouehendum: quantunuis Gentiles conculcaturi essent & incensuri totũ atrium exterius, vniuersamque Ierosolymam violaturi. Quo innuitur Gentiles in bona omnia temporalia fidelium inuasuros, ipsisque fidelibus eas calamitates atque ærumnas inflicturos, vt illis nec Reipublicæ facies vlla, nec ciuium commoda, nec domus, aut possessiones superessent. Hunc arbitror esse sensum legitimum, in eademque acceptione dixit Paulus loquens de tempore illo, quo Ecclesia ad. ò vehementer conflictabatur, *Non habemus hîc ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus*, ad Hebr. 13. 14.

Gentiũ nomine Iudæos hic esse intelligendos.

Præterea tametsi modus loquendi de atrio, quod foris erat *(quoniam datum est Gentibus)* applicari ex se potest æqualiter ad cuiuscunque persequutionis à Gentibus exercitatæ tempus: verum contextus postulat, vt Gentium nomine hîc intelligamus Iudæos Christi inimicos, & Ecclesiam Christianam persequentes. Agitur enim de prima Ecclesiæ persequutione: quo tempore significanter satis Gentium nomine Iudæi oppugnantes Ecclesiam nuncupantur. Nam si fideles, qui Ecclesiæ obedire renuunt, ait Christus, à nobis vt Ethnicos & publicanos esse ducendos: quantò magis illi, qui *dicunt se esse Iudæos, & non sunt, sed Synagoga Satanæ*; vt habetur cap. 2. 9. qui persequuntur Ecclesiam: & persecutionem eiusmodi fulciunt in spiritali quadam idololatriâ: propter quam Iudæi cap. 9. 20. dicuntur adorare *dæmonia & simulacra aurea & argentea & ærea & lapidea & lignea*, ex quo fit perspicuum, aptissime Gentium nomen illis tribui in hoc Apocalypseos ænigmate. Præsertim cùm in sexta plaga furiarum exercitus, quo Iudæi Ecclesiam afflixerunt, figuratus sit veluti tartareus quidam exercitus ab inferis eductus, qui Babylone prodiens in Hierosolymam irruit. Adde huc, de Iudaici populi persequutione sermonem instituisse per allusionem ad persecutionem Antiochi, vt statim videbimus: ideoque congruens fuisse, vt Iudæi Gentium nomine vocentur. D

Quid sit mysticè, atrium foras eiicere.

Vbi hanc externi atrij significationem perspexerimus, (nempe de bonis externis, quæ persecutorum violentiæ subiecta erant) mox apparet energia illius phrasis, *Eijce foras, & ne metiaris illud.* Hac enim locutione significatur, ne animus torqueatur horum externorum bonorum amissione, optimum esse remedium omnia imprimis renunciare, atque à se eiicere ante persequutionis tempus, totamque curam ac solicitudinem impendere in veri templi dimensione ac magnitudine: quippe hoc est, quod solùm integrum & illæsum, annuente Deo, est conseruandum: neque Ecclesiæ hostes poterunt id comminuere aut labefactare. Cetera abiicere & dare pessum congruentius est, vt quæ conseruari minime possint, id est, rem familiarem, honores, magistratus, salutem, vitam, ac demum

quidquid

A quidquid profanæ violentiæ subiacet. Itaque verba illa, *Eÿce foras*, magnã habent emphasim, vt nuper dicebamus, ad significandam rerum omnium, quas inimicorum impetus potest infringere, abdicationem; qua iusti viri maximopere lætantur. & cum Paulo dicunt, *Licet is qui foris est, noster homo corrumpantur; tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem*, 2. Corinth. 4. 16. Quapropter si applicitâ considerationis mensurâ, reperiunt mystici huius templi interiora cælestibus diuitijs & diuinâ virtutum supellectile esse locupleta; libenter sanè atque iucundè despiciunt externorum bonorum iacturam.

MENSIBVS QVADRAGINTA DVOBVS] Hi duo & quadraginta menses à multis creduntur esse tres illi anni & dimidiatus; quibus ferè dicitur Antichristi persequutio duratura. Atque adeò non dubitant proprium ac literarium vndecimi huius capitis sensum esse de tempore persequutionis Antichristi. Hoc ampliùs confirmatur ex eo, quod communi omnium consensu receptum est; duos scilicet testes, de quibus infrà agitur (qui dicuntur prædicaturi, & pro veritate vitam profusuri, & post tres dies atque dimidium ad vitam reuocandi) esse Enochum & Eliam. Hanc ergo declarationem minimè aut impugnare, aut eleuare contendo: eam sanè veritatis habeat firmitatem, quam volunt ij, qui illas sequuntur. Mihi tamen adhuc licet dicere, si hanc de Antichristi persecutione explicationem vt præcipuam in hoc capite vndecimo assumam, me omnino nescire Apocalypseos filum ducere, & consequentem texere seriem. Quanti verò momenti sit acoluthia & cohærens contextus in sacræ Scripturæ explanatione, diximus in Proleg not. 8.

Menses quadraginta duo quomodo sint accipiendi.

Multorum sententia, exponentiũ in sensu proprio de Antichristi persecutionis duratione.

Deinde, si quem permoueat ingens auctoritas eorum, qui pro certo habent, potissimum huius capitis 11. sensum esse de Antichristi persecutione; vidimus iam in Prolegom. notat. 11. nullam esse
B Apocalypseos declarationem, quæ tanto aut grauiorum numero, aut rationum pondere solidetur; vt illa, quæ tanquam rem certam statuit, à c. 4. vsque ad finem vndecimi agi de modo ac ratione, qua Deus se gessit cum Iudaico populo sub primitiuæ Ecclesiæ tempora, vsque ad ipsius populi Iudaici reprobationem. Cum hac autem expositione rectè consentit. Antichristi persecutionem hic quidem attendi ac respici per comparationem, vt latè explicuimus notat. 20. prolegom. Denique quam hactenus sumus sequuti explicationem ab ipso Apocalypseos exordio, eiusdem decursus & quasi torrens non rapit, vt cœpta & huc vsque prouecta eodem consequentiæ ordine prouehamus: atque adeò duos & quadraginta menses, quorum hic Ioannes meminit, applicemus ad tempus illud, quod persecutio Iudæorum in primitiuam Ecclesiam coorta durauit.

Nihil nos commune huic expositioni detractum ire.

Totius Apocalypseos acoluthiam petere, vt hoc tempus ad primitiuæ Ecclesiæ persecutionẽ à Iudæis excitatam referatur.

His præstitutis, notandum est primò, nisi Apocalypseos liber ænigmaticus esset, perperam omnino & ineptè quadraginta duos menses ad tempus persecutionis Iudæorũ applicari. Constat enim persecutionem illam per annos quadraginta durasse. Et quanuis nos plus enumeremus temporis quàm ad Apostolorum totò orbe dispersionem, & ad Gentes veræ fidei præceptis informandas migrationem; nemo tamen ignorat Iudaicæ persecutionis impetum multò plures annos durasse, quàm
C tempus illud, quod duobus & quadraginta mensibus comprehenditur. Veruntamen quemadmodum dimidia hora capitis octaui, & quinque menses capitis noni, non sunt in sensu proprio desumpta, sed mysticè: ita etiam conuenienter ad Apocalypseos contextum accipiendi sunt hi quadraginta duo menses in sensu mystico, non proprio. Etenim accipere hos numeros dierum, mensium aut annorum, vt sonant; id quidem nequaquam stylo ænigmatico quadrat.

Duos & quadraginta menses in sensu mystico, non proprie, esse expiendos.

Secundò, vt in dimidio horæ spatio capitis octaui allusio facta fuit ad dimidiam illam horam ex Tobiæ libro. Atque vt quinque menses locustarum capitis 9. accepti sunt ab illis quinque mensibus, quibus terra communis eluuionis vndis cooperta fuit: non secus quadraginta duo menses, quorum hic mentio fit, sumendi sunt ex aliqua alia historia siue Prophetia, ad quam hic locus alludat. Quòd si ita certum est, vt communi consensu iactatur, Antichristi persecutionem duos & quadraginta menses duraturam (qui tres annos & dimidiatum conficiunt:) hac ratione potuit in hoc loco respici ad ipsius Antichristi persecutionem; videlicet per allusionem, vt in quinque mensibus capitis, 9. ad antiquum diuinum alluditur. Atque huiusmodi allusiones manifestum est comprehendi etiam in Spiritus sancti intentione, atque adeò sub literali sensu. Nam in allusione comparatio inest: atqui comparatio affirmat etiam historiam, cùm qua comparat veritatem illam, de qua potissimùm agit.

In nostra etiam explicatione posse per comparationem tempus Antichristi per secutionis affirmari.

Tertiò, spatium hoc duorum & quadraginta mensium procul dubio desumptum fuit ab Apoca-
D lypsi ex Danielis prophetia cap. 7. 15. & cap. 12. 7. vt explicabimus notatione sequenti. Enimuerò Danielis locos licet multi ad Antichristi persecutionem referant: mihi tamen dubium non est, quin in sensu saltem proximo sermo sit in c. 11. de tempore, quo duratur à erat Antiochi Epiphanis persecutio: quæ non per tres solùm annos, vt aliqui sibi persuadent, sed per tres annos & dimidiatum sæuijt, vt in not. 3. explicabo. Locum autem Danielis 2. agere existimo de tempore, quo duratura erat Neronis persecutio: aut etiam de vniuersis persecutionibus, quibus Romanum Imperium vexauit Ecclesiam.

In his duobus & quadraginta mensibus alludi ad Danielis prophetiam.

Existimo ergo in hoc Apocalypseos loco comparari rebellium Iudæorum persecutionem aduersus Ecclesiam cum persecutione illa, quam Rex quondam Antiochus, eiusque ministri contra Dei populum concitarunt. Illud enim bellum inter cetera veteris testamenti verè & propriè fuit cõtra veram religionem gestum: atque ideo Apocalypsis illius belli figuram vsurpat: primò in Iudaici populi persecutione; deinde in persecutione populi Gentilici cap. 12. & 13. & posteà etiam in Antichristi persecutione c. 20. Et in duabus primis Iudaici populi atque Gentilici persecutionibus per allusionem ad persecutionem Antiochi, affirmatur in Apocalypsi maximã Ecclesiæ angustiam tribus annis cum dimidio duraturam: quod mysticè esse accipiendum, explicabimus not. 3.

Hoc in loco comparari Iudæorum persecutionẽ in Christi Ecclesiã cũ Antiochi Epiphanis persecutione.

Interim aduerto, Riberam & alios in ea esse sententia, vt mille ducentis sexaginta diebus, de quibus

Digitized by Google

De numero 1260. dierũ opinio Riberæ & aliorũ.

quibus fit mentio in Apocalypsi, deesse putent octodecim dies, vt integrum spatium trium annorum & dimidij compleatur. Eorum fundamentum est, quia quo tempore Ioannes Apocalypsin scripsit, iam computabatur annus iuxta Iulij Cæsaris rationem, quæ singulis annis trecentos sexaginta quinque dies & horas sex adscripsit. Ex quo inferunt, non esse idem tempus apud Ioannem quadraginta duos menses, (qui tres annos & dimidium constituunt) & mille ducentos sexaginta dies, quos posteà Ioannes addit: sed cùm ponit tres annos cum dimidio, addi octodecim dies ad mille ducentos sexaginta, quos exprimit not. 13. Hæc illi. A

Num hic dierum numerus tres annos cum dimidio rite conficiat?

Ceterùm imprimis non certum est in Græcia, vbi Ioannes scripsit, iam tunc Iulij Cæsaris computationem esse vsitatam: atque compertum est, iuxta Græcorum, Hebræorum, & Chaldæorum rationem, singulis mensibus triginta solùm dies attribui, de quo notatione 2. dicetur: addebant tamen post aliquot annos vnum embolismi mensem. Deinde quanuis in Græcia computatio Iulij Cæsaris iam fuisset recepta, Ioannes minimè tenebatur, vt se ad computationem à Græcis vsitatam accommodaret. Nam ad allusionem ex Danielis locis petitam, & ad sacræ Scripturæ consuetudinem congruentius erat, vt Ioannes Hebræorum more in connumerando vteretur: qui procul dubio vnicuique mensi triginta omnino dies, anno verò trecentos sexaginta semper tribuerunt: vt sequente notatione constabit. Consentaneum autem erat, vt Ioannes, qui erat Hebræus, de anno & eius diebus more Hebræorum loqueretur.

Probatur trium annorũ & dimidij spatium iustè à Ioãne significari per numerum 1260. dierum.

Præter hæc ex ipso contextu euidenter, ni fallor, elicitur, Ioannem pro eodem sumere tres annos cum dimidio, & quadraginta duos menses & mille ducentos sexaginta dies. Nec aliud denotàt phrasis illa, quam Ioannes ex Daniele fuit mutuatus, *Tempus & tempora & dimidium temporis*: quasi dicat annum & duos annos & dimidium alterius. Quibus locutionibus fuit vsus Ioannes per dissimulationem, iuxta ænigmatum consuetudinem. Menses quidẽ duos & quadraginta hic ponit n. 2. & mille ducentos sexaginta dies exprimit n. seq. & cap. 12. 7. locutionem verò illam, *Tempus & tempora, & dimidium temporis*, vsurpat cap. 12. 14. quibus tamen omnibus loquutionibus eadem in est, vt dixi, significatio. B

NOTATIO II.

Seu potiùs disputatio; an grauissima illa religionis prohibitio Hierosolymis indicta ab Antiocho Epiphane durauerit tres annos & sex menses?

Danielis prophetia de religionis vsu Ierosolymis post Antiochi persecutionem instaurando.

NOTANDVM primò est, Danielem, cùm cap. 11. cœpisset agere de angustiis, in quas Hierosolyma fuerat ab Antiocho redigenda, mox cap. 12. 7. affirmare, miram religionis instaurationem differendam esse *in tempus & tempora & dimidium temporis*. Et infrà num. 11. *A tempore cùm ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti & nonaginta*. Et numero duodecimo, *Beatus, qui expectat & peruenit vsque ad dies mille trecentos triginta quinque.* C

Quid sibi velit Tempus & tempora & dimidium temporis, apud Danielem & Ioannem.

Notandum est Secundò, primum illud spatium, *Tempus & tempora & dimidium temporis*, idem omnino esse, atque tres annos cum dimidio; vt omnes conueniunt. Eandemque phrasim vsurpat Apocalypsis cap. 12. 14. Certum autem est, in Apocalypsi idem esse spatium duorum & quadraginta mensium cap. 11. 2. & cap. 13. 5.

In Apocalypsi tres ... non amplius dies mensibus singulis dari. Hanc etiam fuisse apud veteres numerandi consuetudinem.

Tertiò notandum est, in Apocalypsi tres annos & dimidium reduci ad dierum numerum, nec plures poni dies, quàm mille ducentos sexaginta. Ex quo dilucidè cernitur, singulis mensibus triginta omnino dies solùm dari. Atque hæc fuit apud nationes complures prisca numerandi consuetudo: vt videre est apud Iosephum Scaligerum lib. 1. de mensibus fol. 6. vbi ait; *In anno Ægyptiaco & Græco, omnes menses aqualiter sunt triaconthimeri.* Et infrà: *Atticorum menses & Persarum omnes triaconthimeri.* Et infrà. *Omnes menses anni prisci Hebraici fuerunt merè tricenarij & omnes plens.* Item cap. de anno, fol. 8. *Conuenit* (inquit) *vt menses omnes tricenis diebus explicarentur: annumq; dierum trecentorum sexaginta constituerent. Hac diu seruata est anni forma.* Quare difficultate non caret, Danielem videri cap. 12. 12. reducere tres annos & dimidiatum ad mille ducentos nonaginta dies. Cuius difficultatis solutio ea est, opinor: quòd Ioannes tantùm sumit tres annos atque dimidium iuxta communem acceptionem: Daniel verò mensem addit embolimum siue intercalarem; qui, cùm opus erat, solebat adiungi, de quo etiam latè Iosephus Schaliger de emendatione temporum l. 1. c. de mensibus. D

Cur Daniel tres annos & dimidiatum ad mille ducentos nonaginta dies reducat?

Quartò; licèt Porphyrius olim, & nostra ætate Iosephus Scaliger vòluerint, tres annos & dimidium Danielis intelligi debere de eo tempore, quo Antiochi persecutio exarsit: huic tamen explanationi sese Hieronymus manifestè opponit Danielis 12. clarè ostendens Hierosolymæ templum fuisse violatum die vigesimâ quintâ mensis Casleu: & tribus pòst annis eadem die (nimirum vigesima quinta mensis eiusdem) fuisse expiatum. Probatur hoc ex 1. Machab. 4. 52 & 2. Machab. 10. 5. Vtrobique enim expenditur, vt res animaduersione digna, expiationem templi eodem fuisse die, quo prius fuerat violatio. Idemque affirmat Iosephus libro duodecimo Antiquitatum capite decimo, (alias vndecimo.) Hoc Hieronymi argumentum tanti apud communem doctorum consensum momenti visum est: vt eo conuicti Doctores bene multi, non dubitauerint Danielem ex Antiochi prophetia (de qua agere cœperat capite vndecimo,) ad prophetiam Antichristi fuisse transgressum. Nam tres anni cum dimidio reperiri non possunt in Antiochi historia: atque adeò pro certo habetur, complendos esse in Antichristi persecutione. Vide Bellarmin. libro 3. de sum. Pont. cap. 8. Vbi ostendit priscos Patres non dubitasse, quin illa Danielis verba sint ad Antichristum referenda. Idemque sequuntur Pererius Daniel. 12. & Serarius in Machabæorum harmonia fol. 590. & 653. & 667. in cuius rei confirmationem addit D. Hieronymus verba illa, *Multi de his, qui dormiunt in terra puluere, euigilabunt: alij in vitam æternam, & alij in opprobrium vt videant semper*: nõ pertineri ad Antiochi, sed ad extremi iudicij tempus.

Vtrùm tres anni & dimidiatus Danielis sint intelligendi de durationc persecutionis Antiochi?

Quo argumẽto conuicti asserãt multi, Danielem ab Antiochi persecutione ad persecutionẽ Antichristi subitò transgredi.

Notandum quintò est, Diuum Hieronymum & reliquos Patres non tam agere, ne in Antiochi persecutione locum habeant tres anni & dimidiatus Danielis; quam vt aduertatur, Danielem in iis capitibus non loqui solum de Antiochi persecutione contra Iudaicum populum commouenda; verùm etiam de illis calamitatibus, quas Christiana Ecclesia, præsertim sub Antichristo, perpessura erat. Ad hoc autem non est impedimento, quidquid Daniel prædicit, priùs

Quæ fuerit Hieronymi, aliorũq; Patrũ mens in superiore assertione.

Digitized by Google

Prius de Antiochi persecutione, vt de figura, posse explicari. Notum enim est doctis illud Augustini documentum toties nobis repetitum, *Prophetas praterita, seu Iudaica tangere futura, siue Christiana respicere*. Qua de re præclara extant exempla: quale est illud Psalmi 28. in quo cùm Dauidis victoriæ attingantur, potissimùm respicitur ad victorias ac triumphos, quos Ecclesia de Gentibus fuerat reportatura. Isaias porrò, & Ieremias Babylonis excidium describunt: in eoque præcipuè attendunt Idololatriæ siue Romæ Ethnicæ euersionem. Possem exempla huiusmodi sexcenta commemorare. Nec solum reor, in iis locis Spiritum sanctum mysticè attendisse Christianæ Ecclesiæ mysteria, sed etiam in literali sensu intendisse, per comparationem tamen, ad Iudaici populi successus.

Sextò, quanquam Iosephus affirmat, templi violationem tres tantùm annos duraſſe; in duobus tamen locis asserit, Hierosolymæ idololatriam sub Antiochi tempore tres annos cum dimidio perstitisse. Idem perspicuè ait in prologo ad lib. de bello Iudaico: *Antiochus deuicta penitus Ierosolyma, cùm triennium, sexq; menses eam tenuissent, ab Assamonai filiis expulsus est*. Et libro 1. cap. 1. *Quotidiana religionis assiduitatem per annos tres, sexq; menses inhibuit*. His locis respondet noster Serarius fol. 653. sex illos menses vel per imprudentiam à Iosepho additos esse; vel à lectore fortè quopiam, qui prophetiam Danielis cap. 12. existimabat cum Porphyrio penitùs adscribendam esse Antiocho. Non miror hæc dicere Serarium, cùm præstituat tres annos cum dimidio ad Antiochi historias non posse verè referri. Ceterùm mihi non est dubium, quin secus existimarit Iosephus. Nam expressè ait libro 12. cap. 10. profanationem templi, eiusque instaurationem, siue expiationem à Daniele ante quadringentos annos fuisse prædictam. Ex quo mihi persuadeo, tres illos annos ac dimidiatum, (de quibus Daniel cap. 12.) à Iosepho fuisse relatos ad Antiochi persecutionem. Daniel enim non meminit trium tantummodò annorum, sed trium cum dimidio atque ibi agit de religionis violatione, deque expiatione templi.

Secundum Iosephi sententiam Ierosolyma idololatriam sub Antiocho tres annos cum dimidio duraſſe.

Septimò, postquàm attentè consideraui hos Iosephi locos, & ipsum perspicuè dicere, historiam ipsam fuisse multò antè à Daniele prænunciatam: in eam incidi suspicionem, aliquâ fortassis ratione conciliari posse tres annos violationis templi cum annis illis tribus atque dimidio, de quibus Daniel & Iosephus loquuntur. Et quanuis Hieronymo non in mentem venerit, congruenter posse componi tres annos, de quibus agunt Machabæorum libri, cum tribus annis & dimidiato Danielis: si tamen concordia reperiretur vlla, quæ aptè ac dignè vtraque loca conciliaret; non dubito, quin Hieronymi intentioni conciliatio hæc contraria non esset. Ipse enim potiùs Hieronymus Daniel. 12. planè asserit, rectè tres annos cum dimidio ad Antiochi historiam potuisse referri, si templi profanatio tres etiam annos cum dimidio duraſſet: constare tamen non duraſſe, nisi tres tantum annos.

Scriptura & Iosephi conciliatio circa persecutionis Antiochi durationē

Octauò, nihil est, cur desperemus reperiri posse concordiam inter varios Scripturæ locos, qui oppositi inter se esse videntur in annorum computatione. Nam multa eiusmodi reperire est in sacris Literis, si Regum libri cum Paralipomen. 15. conferantur. In quibus dum auidè ac solerter indagatur conciliatio, inuenitur tandem magno cum animorum solatio. His addo, in tribus annis strictè sumptis, quos liber primus & secundus Machabæorum designant, necessario quærendam esse concordiam cum alio loco eiusdem primi Machabæorum libri. Namque vt tres sint tantùm anni, statuere opus est templi profanationem fuisse die vigesima quinta mensis Casleu: & tamen lib. 1. Machab. 1. 57. significari videtur violatio templi fuisse quinta decima die eiusdem mensis; sic enim legimus: *Die quinta decima mensis Casleu ædificauit Rex Antiochus abominandum idolum desolationis super altare Dei*: Cuius loci cum aliis eiusdem libri, & libri secundi conciliatio ea videtur

Oportere cōcordiam quærere in multis Scriptura locis, qui annorum computationem variare videntur.

Conciliatio locorum primi Machab. cum aliis libri; eiusdem & secundi.

A esse; Antiochi decretum fuisse indictum die decima quinta; executionem verò cum publica pompa ac celebritate fuisse quinta ac vigesima die. Sicut ergo reperitur concordia illius paruæ discrepantiæ apparentis; sic etiam existimo, concordiam esse quærendam trium illorum annorum cum tribus annis & dimidio. Siquidem Iosephus, qui refert, & affirmat tres annos præcisè sumptos: asserit etiam in ea Antiochi historia completum fuisse Danielis vaticinium de templi violatione, & diuini cultus prohibitione tribus annis Ierosolymæ duratura, & manifestè Iosephus idem confirmat duobus in locis, persecutionem illam tribus annis cum dimidio duraſſe.

Quatenùs sit inter Danielem & Machabæorum librum primum conciliatio de persecutionis duratione sub Antiocho.

Nonò, his omnibus attentè perspectis, reperio tres annos restrictè acceptos & tres annos cum dimidio aptissimè in Antiochi historia conciliari posse; atque hanc concordiam non parum firmamenti accipere ex eadem historia in 1. lib. Machab. cap. 1. Quam igitur conciliationem inuenio, huiusmodi est: Antiochum B nempe vrbem & Sionis aream occupasse, & diuinum cultum inhibuisse sex mensibus, antequam templum violaret: itaque profanationem vrbis per tres annos & dimidium duraſſe: peculiarem verò templi profanationem tribus tantum annis.

Concordiam hanc fulcio imprimis in loco illo capitis 1. ex priori Machabæorum libro Vbi postquàm fuerat prædictum, ingressum anteà iam fuisse semel Antiochum in vrbem, eamque cepisse, & templum pretiosis omnibus vasis exspoliasse: Iudæos tamen in sua religione ac cærimoniis reliquisse. Mox vbi sacer textus ad secundam ipsius Antiochi irruptionem in vrbem accedit: hæc habet à num. 32. *Irruit super ciuitatem repentè, & percussit eam plagâ magnâ, & perdidit populum multum, & succendit ciuitatem igni. Et ædificauerunt ciuitatem Dauid, (id est, arcem Sionis) muro magno & firmo, & turribus firmis, & facta est illis in arcem & factum est hoc ad insidias sanctificationi, & in diabolum malum in Israel: & effuderunt sanguinem innocentem per circuitum sanctificationis: & contaminauerunt sanctificationem: & fugerunt habitatores Ierusalem: & sanctificatio eius desolata est, sicut solitudo. Et scripsit Rex Antiochus, vt esset omnis populus vnus: & relinqueret vnusquisque legem suam, & multi ex Israel consenserunt seruituti eius, & sacrificauerunt idolis: & coinquinauerunt Sabbatum. Et misit rex libros per manus nunciorum in Ierusalem, vt prohiberent holocausta & sacrificia, & celebrari Sabbatum & dies solemnes: & iussit coinquinari sancta & sanctum populum Israel: & iussit ædificari aras & templa & idola, & immolari carnes suillas, & coinquinari animas eorum in omnibus immundis, & abominationibus: ita vt obliuiscerentur legem. Et quicunque non facerent secundùm verbum Regis Antiochi, morerentur. Et præposuit Principes populo, qui hæc fieri cogerent.*

Confirmatur prædicta cōcordia ex primi Machabæorum libri loco.

Hæc omnia paucis interpositis, textus ait, priusquam perueniat ad Iouis Olympij simulacrum, quod in templo super veri Dei aram fuit impositum. D Quis ergo non videat, iuxta contextum ipsum valde esse verosimile, vt ea omnia, quæ diximus, antecesserint ipsius templi profanationem? Nam quod attinet ad alia templa constructa, & ad cædem, quæ in templi circuitu fiebat Iudæorum ad Dei templum accedere audentium: hoc quidem supponit, nondum Dei templum in templum Iouis fuisse commutatum. Quòd si omnia suprà dicta præcesserunt violationem templi: quid mirum post veri Dei cultum in ciuitatem prohibitum, sex menses præteriisse, antequàm Iouis simulacrum in Dei templo collocaretur? Præsertim si priùs Sionis arcem munierunt, & nouis cinxerunt propugnaculis: vt violentiùs atque securiùs Iudæos cogerent, atque adeò constringerēt, vt in abominanda Iouis simulacri collocatione ne hiscerent quidem.

Conciliationem vtriusque loci supra traditam ex Iosepho non obscurè colligi.

Hæc conciliatio, si attentè res inspiciatur, expressa est in Iosepho. Nam quando agit de religionis profanatione, quæ per tres tantùm annos durauit, distinctè loquitur de templo: *Templum*, ait, *ab Antiocho profanatum siue destructum, sic tribus annis permansit*. Hæc Iosephus lib. 12. Antiq. cap. 10. (vel 11.) Cum autem

Digitized by Google

tem tres annos ad tres & dimidium extendit manifestè agit de ciuitate: hæc enim sunt eius verba in prologo librorum de bello, *Antiochus deuicta penitùs Ierosolyma, cùm triennium, sex& menses eam tenuisset*, &c. Et cap. 1. cùm dixisset, Antiochum spoliasse templum (quod duobus saltem annis antea acciderat, vt constat 1. Mach. 1.) subiungit, *Quotidiana religionis assiduitatem per annos tres, sex& menses inhibuit.* Hæc ille. Atqui perspicuum est, res esse diuersas inhibere religionis assiduitatem, & violare templum ipsum; in eiusque altari statuam Iouis collocare, atque Iudæos ad eam adorandam compellere.

Item ex Daniele.

Eidem insuper concordiæ valde fauet, opinor, cap. 12. Danielis. Etenim licèt sit certum, Prophetam respicere potissimum ad persecutiones, quibus Christiana Ecclesia fuerat oppugnanda (videlicet primùm à Iudæis, deinde à Gentibus, tandem ab Antichristo: (nihilo tamen minus videtur certum ex toto cap. 11. contextu, & ex ipsius cohærentia cum cap. 12. (quod incipit per illa verba *In tempore illo.*) Prophetam agere de Ecclesiæ persecutionibus sub figura persecutionis Antiochi: quæ inter Iudaici populi calamitates, melius Ecclesiæ persecutionis figurauit Nec enim Iudaicus populus vllam aliam habuit persecutionem, quæ religionis causâ fieret. In aliis bellis dimicabatur de imperio: in illo tamen Antiochi non de imperio solùm, sed etiam de Iudaica religione abolenda agebatur. Eos autem, qui priùs Danielem agere de Antiocho putant, deinde ad Antichristum transilire: imprimis oro, vt animaduertant, interdum ex ignoratione consequentiæ totius contextus transitiones has Prophetis attribui: porrò necessarium non esse ex vna re ad aliam repentè transgredi, si de vtrâque simul agi poterat, alteram cum altera comparando. Hac enim ratione rectè ab ipso exordio intelligitur, caput vndecimum & duodecimum agere de Ecclesiæ persecutionibus. Alioquin ipsi etiam, qui saltum ibi necessariò esse asserendum suspicantur: nondum designare congruenter valent, quo ex loco hic saltus sit repetendus.

Danielē agere de Ecclesia persecutionibus sub figura persecutionis Antiochi.

Deinde, si certum est, in Antiochi historia figuratas fuisse à Deo siue adumbratas Ecclesiæ persecutiones (vt omnes fatemur) si item ad Ecclesiæ persecutionum figuram atque imaginem congruentissimum erat spatium trium annorum cum dimidio (vt constat ex Apocalypsi cap. 11. & cap. 12. & cap. 13.) viderit cordatus quisque quàm sit verisimile, à diuina prouidentia sapienter fuisse permissum, vt illa Antiochi persecutio tres annos & dimidiatum persisteret: vt & à Iosepho affirmatur, & significatur a Daniele.

Præterea, si tres anni cum dimidio, de quibus agit Daniel cap. 12. non ad historiam persecutionis Antiochi, sed ad Antichristi solùm persecutionem referantur: hinc sequitur abominationem illam Daniel. 12. singulatim de Antichristi persecutione asseuerari. Quod si ita esset, coactum planè foret, locutionem illam ad Iudaici populi persecutionem aduersus fideles concitandam applicare. Si verò Daniel immediatè ac proximè loquebatur de Antiochi persecutione; aptissima erit applicatio ad persecutionē Iudaici populi. Nihil enim aptius, quàm quod de figura dicitur, ad figuratum referri. Constat autem Christum Dominum illam abominationem desolationis applicasse ad tempus persecutionis Iudæorum. Cui etiam applicatione manifestè fauet Danielis textus cap. 9. in fine. Iam si proportio attendatur: cùm Iudæorum persecutio fuerit sub specie diuini cultus tuendi, ac venerationis vni Deo debitæ; eleganter fingitur, in veri Deo templo, atque adeò in ipso altari simulacrum, siue idolum, vt quondam ab Antiocho, fuisse à Iudæis constitutum. Etenim cum Christianos cogebant, vt sub Dei venerationis prætextu Christum abnegarent: perinde erat, atque illos compellere, vt in Dei veri arâ dæmonem venerarentur.

Ex Danielis consequutione & intelligentia roboratur adhuc nostra conciliandi ratio.

Huc etiam spectare Christi Domini verba de abominatione desolationis.

Adhæc: si Daniel in cap. 12. immediatè de Antichristo, non verò de Antiochi persecutione loqueretur: Christus quidem, cùm Danielis locum retulit, neutiquam diceret, *Cùm videritis abominationem desolationis stãtem in loco sancto, qui legit intelligat.* Hic namque loquendi modus animam allicit, & quodammodo trahit ad mysticam aliquam illius loci intelligentiam. Atqui in persecutione Antiochi rite fuit adumbrata persecutio, quam posteà Iudaicus populus in Christum, suosq; commouit. At in Antichristi persecutione non figurabitur.

Quòd si Daniel c. 12. immediatè de persecutione Antiochi agit; hunc sensum potuit Apocalypsis vsurpare, atque transferre ad persecutionem illam, qua Iudæi Christianum posteà nomen oppugnarunt: nec non ad persecutionem populi Gentilici, & ad ipsam Antichristi: vt re ipsa præstatur. Nam ad persecutionem à Iudæis excitatam vtitur. Apocalypsis eâ figurâ cap. 11. & ad Gentilium persecutionem cap. 12. & 13. & tandem ad persecutionem Antichristi cap. 20. vbi de Gogo & Magogo. Si verò Daniel non de Antiochi persecutione agebat; non ita elucet, quam aptè vtatur Apocalypsis verbis Danielis ad eas persecutiones significandas, quæ Antichristi persecutionem præcessuræ erant. Nam licèt congruenter vsurpetur figura ad agendum de re figurata: at Antichristus non debet esse figura persecutionum, quæ illum antecesserunt. Et quanuis verum sit, posse de aliis persecutionibus agi per comparationem ad persecutionem Antichristi: id tamen aliquanto violentius est.

Quo sensu à Daniele dicantur multi de iis qui dormiebãt euigilaturi.

Ad huius notationis complementum supereſt rationem reddere de nonnullis rebus, quæ non satis hactenus explicatæ sunt. Imprimis verba illa Danielis 12. 2 *Multi de iis, qui dormiunt in terra puluere, euigilabunt*, idoneè explicantur in Antiochi persecutione: vt dicemus ad illud Apocal. 13. 3. *Plaga mortis eius curata est*: vbi significatur, in ijs persecutionibus, quæ posteà concitabantur in Ecclesiam, Neronem ab inferis reuocari. Et quanquam D. Hieronymus in Porphyrium scribens Danielis verba vsurpat in alio sensu: cetera nisi Prophyrius mysticum illius prophetiæ sensum negaret, non inficiaretur sanctus Doctor, verba illa in Antiochi persecutione appositum posse sensum habere.

Dies quinque & quadraginta à Daniele additi quem ad sensum sint referendi.

Secundò, dies illi quadraginta quinque, quos posteà Daniel addit c. 12. 13 cum ait, *Beatus qui expectat & peruenit vsque ad dies mille trecentos triginta quinque*: referuntur, ni fallor, ad Sionææ arcis instaurationē: quæ ad maius templi præsidium ac propugnationem fuit facta, vt primùm fuit templum expiatū. Id quod videre est 1. Machab. 4. 60. & apud Iosephū l. 12. c. 10. (alias 11.) Quod autem dicitur fælicem esse illum, qui alium sesquimensem expectaret: idem planè est, ac si magna alia fælicitas intra sesquimensem futura promitteretur. Et certè fælix fausumque erat, Sionis arcem præsidijs, propugnaculis, atque aliis munimentis esse vndique cinctā contra ingruentium hostium incursiones. At enim ad tantam arcis munitionem, exiguum satis (inquies) temporis spatium erat mensis & dimidatus. Respondeo: illa arcis instauratio non de nouo tunc facta fuit. Triennio enim antea eam extruxerat Antiochus: ad eamque totius populi ardore & contentione reconcinnandam, sesquimensis spatium non admodùm erat exiguum. Scio hos quinque & quadraginta dies à Hieronymo atque aliis in Antichristi prophetia applicari ad dies totidem, quos aiunt Christianæ Ecclesiæ post persecutionem pacatos omnino atque tranquillos fore. Sed quidquid de hoc sit: nunc ipse de Antiochi persecutione ago, quæ meo iudicio negari non potest.

Sesquimensem à Daniele additum in Sionææ arcis instauratione fuisse impensum.

Bis mille trecentos dies à Daniele assignatos bello Antiochi, rectè cũ prædicta expositione & cum trium annorũ ac dimidij spatio consentire.

Tertiò, quòd Daniel alibi bellum Antiochi Ierosolymæ inferendum per sex annos & ampliùs extendat (nimirum c. 8. 14. *duo millia trecenti dies*) non obstat tribus annis & dimidio, quibus diuini cultus prohibitio durauit. Bellum enim illud multò antè cœpit: atque ipsemet textus 1. Machab. 1. exprimit, biennio ante tres annos & dimidium, vrbem fuisse ab Antiocho occupatam, & pretiosa omnia vasa templi fuisse direpta. Et ante primam illam irruptionem bellum iam ardere cœperat, & Iudaici populi animos timor peruadere: atque ita optimè cohæret, totum belli ab Antiocho gesti tempus plus sex annos fuisse.

Quartò, reliquum est examinare ratione discriminis

Digitized by Google

Cur ad trium annorum & dimidiati spatiũ Daniel dies mille ducentos nonaginta, Ioannes mille ducentos sexaginta designet?

minis inter dies Danielis & Apocalypseos. Namque si Apocalypsis in tribus annis cum dimidio ad tres itẽ annos & dimidium Danielis allusit: quĩnam fieri potest, vt dierum numerus apud Danielem sit mille ducentorum nonaginta: apud Ioannem verò non amplius mille ducentis sexaginta. Huic dubitationi respondeo, si Daniel proximè loquebatur, (vt iam diximus) de tribus annis & dimidio, quos illa diuini cultus interdictio erat duratura sub Antiocho: tempus, oportuisse quidem ad prophetiæ perfectionem & integritatem, vt non numeraret solùm dierum numerum, qui tres annos & dimidiatum conficiunt; verùm etiam dies illos, qui in ea computandi ratione addendi erant ad mensem intercalarem, qui tum fortè incidebat. Ad Ioannes in Apocalypsi cùm non ageret de restricto dierum numero, sed de mystico; nullam debuit mensis embolimi siue intercalaris habuisse rationem; sed illius tantùm numeri dierum, qui ad triennij & dimidiati mensis explendum interuallum satis est. Nam mille ducenti nonaginta dies, Danielis, symbolum quidem fuerunt ac figura spatii, quo Iudaici populi atque Gentilici persecutiones permansuræ erant: deseruierunt tamen huic symbolo, non propter exactum & strictum dierum numerum, quem tunc habituri erant illi tres anni cum dimidio; sed quia tres anni & dimidius erãt. Atque ita cùm ad tres annos & dimidiatum sufficiant mille ducenti sexaginta dies tribuendo singulis mensibus triginta (solũ dies, neque aliquid ratione emboliſmi addendo) ideo Ioannes mille ducentos sexaginta dies tantummodò vsurpauit. Hæc tamen exigua triginta dierum differentia conueniens admodum extitit; videlicet vt per eam animaduertemus, apud Danielem in prophetia de Antiochi persecutione numerum dierum strictè accipi, atque ita vt sonat, intelligi debere: at in Apocalypsi tam in Iudæorum, quàm in Gentilium persecutionibus (ad vtranque enim Apocalypsis applicat tres annos & dimidium) dierum numerum, non quidem vt sonat, sed in mystico sensu esse capiendum.

NOTATIO III.

In qua referuntur variæ explicationes illius locutionis Danielis, Tempus & tempora & dimidium temporis.

Quid significet apud Danielem, tempus & tempora & dimidium temporis.

HAc locutione bis vtitur Daniel: primò cap. 7. 15. secundò cap. 12. 7. vtrobique autem Hieronymi, Theodoreti, & aliorum complurium sententia est, Danielem agere de Antichristi tempore. Subscribunt Pererius vtrobique, Serarius in Machabæos fol. 653. & Bellarminus libr. 3. de Pontifice cap. 8. Eiusdem fuere sententiæ Primasius, Beda, Anselmus, Haymo, Aretas, Richardus & Rupertus in Apocalypsin. Nec solùm opinionem hanc prædicti auctores sequuntur, sed eam reputant certam. Hieronymus enim Danielis 12. ait *Perspicuum est tres istos & semis annos de Antichristi dici temporibus, qui tribus & semi anno, hoc est diebus mille ducentis nonaginta sanctos persequuturus est.* Serarius item ait id à Bellarmino demonstrari.

I. explicatio Hieronymi, Theodoreti & aliorum explicantium de Antichristi tempore.

Eandẽ opinionẽ amplexi sũt Hippolytus Martyr, & Irenæus l. 5 c. 30. Cyrillus catechesi 25. & Aug. l. 20. de Ciuitate c. 25. vbi hæc habet; *Qui vel dormitãs legerit, Tẽpus & tẽpora & dimidium temporis, non finitur dubitare Antichristum fauiturum tres annos & dimidium.*

Rationes pro eadem sententia à Bellarmino allatæ.

Bellarmini rationes sunt; prima, quia Ioannes in Apocalypsi & Daniel id manifestè asserunt. Quod autem alter mille ducentos sexaginta dies, alter mille ducentos nonaginta assignet; ideo est, quia Antichristus vno mense superstes erit post Enochi & Eliæ interitum. Secundò probat, quia in sacris Litteris traditur Antichristi tempus fore breuissimum: alioqui enim multos fore perituros, qui non peribunt. Tertiò, quia decet, vt Antichristus, diutiùs non permittatur, prædicare, quàm Christus. Quartò, quia euidẽs est in Daniele tempus poni pro anno, & tempora, (quod est duale) pro duobus annis. Sicut ipsemet ait, septem tempora præteritura, quæ Nabuchodonosor sceptro priuatus erat exacturus. Quintò numerorum varietas non sinit, vt tempus certum pro incerto vsurpetur. Nam mille ducenti sexaginta non numerum plenum conficiunt, sicut mille: vt centus numerus possit pro incerto substitui. Quemadmodum putauit Henricus Bullingerus hæreticus sermone 46. in Apocalypsin.

Sextò denique, quia in sacris Litteris nusquam dies pro anno, aut mensis pro anno item positus reperitur; vt opinantur Magdeburgenses, centuriâ 1. lib. 2. cap. 4. siue Illyricus.

Præter hæc Chytræus hæreticus Apocal. 11. & similiter Illyricus in centuriis asserunt, duos illos & quadraginta menses esse menses Angelicos: quod irridet Bellarminus.

Secunda explicãdi ratio.

Secunda tamen opinio est, *tempus & tempora & dimidium temporis*, non esse accipienda in vtroque Danielis loco de eãdem persecutione in sensu proximo: sed in primo quidem loco de ea persecutione, quam Romani Imp. in Ecclesiam suscitarunt; in secundò verò de illa, qua Rex Antiochus Synagogam afflixit. Atque hæc secunda sententia est, quam nos sequimur. Et quanquam alicui fortasse ea videbitur noua & antiquitati contraria: ex ijs tamen, quæ diximus in cõmentario versus secundi, constare potest ab hac opinione non id negari, quod potissimùm contendebãt Patres, & antiqui Danielis interpretes: contextum verò Danielis & Apocalypseos adeò huic nostræ fauere explicationi, vt vix dubitationi relinquatur locus; id quod ampliùs confirmabimus (Deo bene iuuante) libro nono, cùm peruentum erit ad ea, quæ ex Daniele tangit Apocalypsis. In præsenti enim tantùm volui vt lector nosset, quid in nostro Apocalypseos filio deducendo, ex Danielis prophetia supponamus circa hanc quæstionem; nec non vt nosset me non ignorasse, quid Hieronymus, Theodoretus, Augustinus, Irenæus, Hippolytus martyr & Cyrillus dixerint. Nihilominus tamen saluâ tantorum Patrum auctoritate censere hanc secundam opinionem non solùm esse probabilem, sed etiam multò probabiliorem; nec omnino aduersari ijs, quæ potissimùm contendebant antiqui auctores, qui priorem opinionem amplexati sunt.

NOTATIO IV.

De mysterio trium annorum cum dimidio.

In allegorijs siue ænigmatis qua ratione soleat designatus aliquis numerus accipi.

IN allegoriis & ænigmatis solet accipi figuræ numerus absque alio peculiari mysterio, quod in se numerus contineat; nisi solùm vt rei significatæ accommodetur numerus per ipsius figuræ allusionem. Exempli gratia; si quis diceret, cherubinos esse cælestes musicæ sex siue senos, Hispanicè, *los seises de la capilla del cielo*, non opus est id propter senarii numeri mysterium dici: sed quòd in præcipuis Ecclesijs pueri in choro modulantes sex esse soleant. Ita vidimus cap. 4. Apocal. Christianos Sacerdotes appellari viginti quatuor seniores siue presbyteros. Non quòd ipsi essent quatuor & viginti, nec quòd hic numerus singulare aliquod mysterium contineat (hoc enim saltem necessarium non est) sed quia sacerdotes populi Israëlitici principes (qui Christianorum sacerdotum typus ac figura fuerunt) quatuor & viginti numero cõficiebant: vt constat 1. Paral. 24. Simili item ratione spatium illud, quo plaga desideriorum cordis permanet in cap. 9. fuit per quinque menses indicatum: non quòd numerus quinque mensium

Alcasar in Apoc.

Digitized by Google

Ecclesiæ persecutionum tempus rectè indicari potuisse per trium annorum & dimidij tempus, Antiochi persecutio duravit.

mysterii peculiaris sit in se ipso (quod forsitan non habet) sed quia desumpta fuit allegoria siue comparatio à centum quinquaginta diebus, quibus terra diluuij vndis operta fuit: donec suum Deus spiritum mitteret, qui aquas exsiccaret.

Ex dictis infero, licèt trium annorum & dimidiati spatium nullum aliud haberet mysterium, quàm Antiochi persecutionem tantundem temporis durasse; hoc satis superque esse, vt spatium persecutionum Ecclesiæ (quæ propriè sunt persecutiones contra veram religionem) congruenter per tres annos cum dimidio significetur: vt hoc pacto innuatur, quemadmodum tribus illis annis & dimidio persecutionis Antiochi transactis, cessauit persecutio, & diuini cultus frequentia fuit Hierosolymæ magno cum omnium plausu atque gaudio instaurata; sic etiam persecutionis procellam citò transituram; & magnâ deinceps tranquillitatem, pacem atque lætitiam Ecclesiæ oriturarn.

In pluribus Scripturæ historijs spatium aduersitatis ad tres annos & dimidium à Deo, nec sine mysterio, coarctari. Exemplis id demonstratur.

Vt autem credamus, aliud præterea mysterium in hoc temporis spatio latere; animaduertendum est, non in Antiochi solùm persecutione, sed in nõnullis alijs euentibus apparere, quemadmodum Diuina prouidentia eos omnes ad trium annorum & dimidij spatium coarctare voluerit. Nam imprimis Elias (qui interpretatur *Deus Dominus*) per tres annos atque dimidium clausit cælum, ne plueret super terram; vt habetur in Epistola Iacobi cap. 5. 17. ex 3. Regum 17. Secundò, quod tempus Iudith pœnitentiam egit, & suum corpus ieiunijs atque alijs afflictionibus macerauit, fuit similiter tres anni & menses sex; vt habetur Iudith. 8. 4. Tertio, Christi prædicatio (ac perinde bellum etiam, quod contra ipsius Christi personam Iudæi gesserunt) tribus annis cum dimidio durauit. Quare nonnemo sibi persuasit, tam Danielem, quàm Ioannem in trium annorũ atque dimidij spatio iuxta literalẽ sensum loqui de tempore, quo durauit Christi Saluatoris nostri prædicatio. Ita Michaël Aitsingerus in suo Pentaplo fol. 109. in cuius expositione, duo illi testes, de quibus Apocalypsis agit, sunt Christus Dominus & D. Ioannes Baptista. Quartò, Neronis persecutio (quam primò Roma Ethnica in Christi Ecclesiam excitauit,) hoc idem omnino spatium temporis durasse videtur; cœpit enim Nero Christianos persequi anno sui imperij vndecimo, vt communis fert opinio: imperauit autem quatuor decim tantum annos. Vnde infert Viegas Apocalyps. 6. comment. 3. sect. 1. in fine, persecutionem illam tribus tantùm annis durasse: sed meliùs colligeret, tres annos & dimidiatum eam persecutionis pestem sæuijsse. Vides ergo quatuor insignes historias, in quibus afflictionis interuallum ad tres annos & dimidiatum non ampliùs extenditur: idque præter ipsam Antiochi historiam, & præter spatium quoque illud, quod Antichristi persecutio creditur permansura. Ex quibus fit satis verisimile, peculiaris congruẽtiæ extitisse rationẽ, quapropter diuinæ prouidentia placuerit, aduersitatis tempus trium annorum atque dimidii terminis circunscribere.

Neronis persecutio quamdiu duraverit.

Quid lateat mysterij in prædicto triennij & dimidij anni spatio, quo res aduersæ sæpè duraverint.

Huiusce autem rei mysterium illud est, opinor, spatium nempe trium annorum cum dimidio appositum esse, vt eo significetur, Ecclesiæ persecutiones nequaquam totum illud tempus perdurare, quod demoni coilibitum fuerit; sed quod Deus admirabili prouidentiâ præstituerit: adhæc, cùm Deus ipse expedire cernit, tunc ventis & mari præcipere, vt conquiescant, & tempestati, vt in tranquillitatem abeat. Atque vt denotetur, pacis atque quietis tempus non minus aut contractius esse in Ecclesia, quàm tempus belli & perturbationis; ad hoc, inquam, deseruit optimè repræsentatio illa, quæ post tres annos & dimidiatũ tempestatem sedatam fuisse proponit. Namque vt tẽpus ex diebus ac noctibus coalescit: ita sanctorum vita, & totius Ecclesiæ decursus quasi tela ex prospero pariter atque aduerso tempore contexitur: & diuinæ incumbit prouidentiæ æquato examine lances sustinere; vt magis congruens esse & opportunum præuidet Legitur Chrysost. hom. 8 in Matthẽũ; vbi inter alia; *Enim vero*, inquit, *misericors Deus mœstis rebus quædam etiam iucunda permiscuit: quod certè in Sanctis omnibus fecit, quos neque tribulationes, neque iucunditates sinit habere continuas; sed tum ex aduersis, tum ex prosperis Iustorum vitam quasi admirabili varietate contexuit.*

Sanctorum vita, (atq, adeò totius Ecclesiæ) cursum ex prospero pariter & aduersis contexi.

Hæc itidem ratio extitit; quapropter Tobiæ aduersitas in dimidiatæ horæ spatio fuerit figurata; quando sustinuit dimidiam ferè horam fellis sibi in oculos iniecti acerbitatem. Quo ex loco desumptum est dimidiæ horæ silentium Apocalypsis 8. 1. Etenim integra hora denotat tempus integrum; hora autem dimidiata dimidiũ tẽporis. Simile ergo mysteriũ reperitur in tribus annis & dimidio. Pro cuius rei intelligentia nota primò, in Scriptura septem annos conficere vnã hebdomadam, vt patet Daniel 9. 24. Vnde tres anni & dimidius dimidiatam tantùm hebdomadam continent.

Cur Tobiæ aduersitas in cæcitatis curatione per semihoræ spatium duraſſe dicatur?

Obserua Secundò, hebdomadam siue dierum considereturn siue annorum, esse temporis circulum; quod perinde est, ac dicere, septem dies esse omnes dies; septem etiam annos esse omnes annos. Quare cùm dicitur aliquis septem totos hebdomadæ dies operam nauare litteris, idem est, ac si semper studere dicatur. Eademque phrasi iuxta sacræ Scripturæ vsum, si sol septem annos illuminare homines dicatur, non aliud est, quàm si dicatur semper illuminare.

Hebdomadam siue dierum siue annorum esse vniuersi temporis Symbolum, & quæ sit Symboli huius ratio.

Tertiò obserua; si de aliquo dicere velimus, eum, licèt noctes dieſque in litteras se prorsus abdere videatur; eum tamen citò lassari, & in medio ipso decursu studium intermittere: ad hoc, inquam, iuxta ea, quæ diximus, idoneus est loquendi mòdus, si dicamus, illum ex tota hebdomada tres dies & dimidium vacare litteris, id est, non admodùm studij persequẽdi esse tenacem; sed tantum temporis quieti atque otio, quantum litterarum studio ac labori tradere. Atqui non opus est, vt constat, hoc valde strictè & mathematicâ diuisione accipi, sed iuxta vulgarem & vsitatam loquendi rationem.

Quàm aptum sit triennij & semũnis spatiũ ad Ecclesiæ persecutionum breuitatem denotandam.

Ex dictis infertur, vt significetur persecutiones Ecclesiæ non multum temporis duraturas fore, nec pacis atque quietis spatium fore breuius, quàm laboris & afflictionis; ad hoc, inquam, plurimùm conferre figuram trium annorum cum dimidio, quibus duret persecutio: quasi tres alij anni & dimidiatus supersint paci & tranquillitati. Quo admonemur, diuinæ prouidentiæ esse curæ, labores & calamitates temperare, prout Ecclesiæ suæ aptius & congruentius fore iudicat: ideoque persecutionis vim atque impetum ab ipso sæpius præcidi & comprimi, quando illa magis ac magis sæuire videbitur.

Paraphrastica expositio initij ca. 2. Habacuci.

Huc spectat illud Habacuci 3. 1. *Domine audiui auditionem tuam, & timui; Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud: in medio annorum notum facies: cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Quasi dicat: Horrore concutior, cùm persecutionem considero, quam tuus populus sustinet aut sustinebit. Tu verò, Domine, quippe qui misericors es ac pius, tuam defendes Ecclesiam, eamque ab hostium oppugnationibus ac periculis saluam & incolumem educes. Hactenus te difficilem & iratum exhibuisti: tuæ iam misericordiæ deinceps memento. Nec enim tota vitæ huius hebdomada in calamitatibus & ærumnis transigenda est: si satis dimidium huc vsque in laboribus fuisse peractum. Quare ad dimidium tempus, hoc est, in tempore & opportunè tuam misericordiam ostendes, tuosque fideles ex maximis persecutionis, angustiis libros extrahes.

Quàm congruenter diuina prouidentia persecutionem Antiochi, & nonnullas alias in Ecclesiam concitatas ad trium annorũ & Semis spatium contraxerit.

Hic sensus est valdè idoneus ad explicationem ænigmatis Apocalypseos: ex illoque satis percipitur, quæ fuerit congruentia, vt diuina prouidentia Antiochi persecutionem, nec non Scribarum & Pharisæorum, quam in Christum Dominum suscitarunt, quamque Nero in Christi Ecclesiam incepit, eas omnes ad tres annos atque dimidium contraxerit. Quòd si ita certum est, vt nonnullis placet, Antichristi persecutionem idem omnino temporis spatium fore duraturam; non nimis pugno hoc in Apocalypsi ita supponi, ad illudque per allusionem respici. Non tamen hîc esse potest præcipuus Apocalypseos sensus, quando loquitur de tribus annis & dimidio persecutioni. Nam imprimis capite vndecimo, hi tres anni cum dimidio præcedunt mulieris fugam in desertum, id est, Ecclesiæ migrationem ad Gentes: tres item anni & dimidiatus cap. 13. & cap. 13. antecedunt mille pacis annos Ecclesiæ: post quos soluitur iterum dæmon, & bellum aduersus Ecclesiam gerit. Et

meo

meo quidem iudicio cuidens est, in capite vndecimo, sermonē esse de Iudaici populi persecutione in Christianos concitatâ: in cap. verò 13. de persecutionibus Rom. Imperii, quibus Ecclesiā conflictauit. Quamobrem necesse est, spatium trium annorum & dimidij esse mysticum; id quod ita exigebat ænigmatis ratio.

ADDITIO

Ad Notationem quartam de mysterio annorum trium cum dimidio: in qua natione ad hebdomadas Danielis, respicitur, & ad aliud æquale prorsus temporis spatium, quod ex sacra Scriptura colligitur.

HVius additionis argumentum ex ijs est, quæ sunt valde recondita, & quæ seorsum considerari postulant; & propterea eam separaui à notatione precedenti. Dico ergo persuasum mihi esse, mysteriū triū annorū & semis, connexionem habere cum mysterio hebdomadarum sexaginta nouem & semis, quas legimus Danielis cap. 6. vbi manifestè Spiritus sanctus septuaginta nobis hebdomadas proposuit. Sic enim ait Angelus ver. 24. ***Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt.*** sermo autem est de hebdomadibus annorum: & abbreuiatio (de qua agitur) non est alia, quàm ablatio trium annorum & semis: quia hebdomades sexaginta nouem & semis, illo præcisè trium annorū & semis spatio à 70. hebdomadibus superantur. Magnumque procul dubio latet mysterium in spatio illo trium annorum & semis, quo à dimidio hebdomadæ septuagesimæ superest vsque ad eius finem.

Qua ratione hebdomades Danielis fines computandi.

Ad huius verò mysterij intelligentiam, supponendum Primo est ex disputatione nostri Deckerij, quo sensu dixerit Danieli Angelus, caput illarum hebdomadarum arcessendum esse ***ab exitu sermonis, vt iterum reædificetur Ierusalem.*** Nec enim est sensus, computationis initium esse faciendum ab eo tempore, quo edictum de reædificanda Hierosolyma prodijsset: sed verba illa Ab exitu, in eo sensu accipi debent, in quo Latini de rei exitu loqui solent, hoc est, de illius consummatione seu fine. Ad hunc enim sensum conspirat vox Hebraica, Græca & Latina; atque eâ ratione & non aliâ, inuenitur iusta præscriptarum hebdomadarum supputatio. Itaque dicere, Ab exitu sermonis, vt iterum reædificetur Ierusalem, perinde fuit atque præcipere, vt computationis initium duceretur ab eo die, in quo Ierosolymæ reædificatio ad exitum perducta, id est, consummata atque perfecta fuisset. Annus autem & mensis, in quo absoluta est reædificatio insignitus est celebri illo sacrificio in actionem gratiarum à Nehemia oblato; de quo 2. Esdræ 12. vers. 27. & 42. & apud Iosephum libro 9. Antiquitat. c. 5. sub finem; vbi notat dedicationem illam incidisse in Nouembrem. & in annum 28. ab initio regni Xerxis Noster autem Deckerius contendit, & valdè verisimile facit, in illo ipso sacrificio à Nehemia oblato post absolutum vrbis ædificium, contigisse miraculum illud, quod narratur 2. Machab. 1. 20. nempe ignis deuorantis aquam illam crassam, qua sacrificium iussu Nehemiæ aspersum fuerat. de quo miraculo diximus cap. 10. notat. 3.

Reædificatio templi à Nehemia facta & celebri sacrificio consecrata quo anno ab mundi fuerit.

Ab illo Nehemiæ sacrificio in templi reædificatione vsq; ad diē Pētecostes hebdomadum Danielis spatium iustè fluxisse.

Secundò suppono, ab illo Nehemiæ sacrificio, vsque ad diem, quo ignis Spiritus sancti de cælo super Apostolos descendit, iustam inueniri supputationem hebdomadum sexaginta nouem & semis à Daniele præscriptarum; quæ faciunt annos 486½. Quanuis enim hæc iustæ supputationis ratio, valde obscura atque difficilis fuerit, priusquàm à nostro Deckerio lucem acciperet: post eam tamen lucem, manifestè cernitur nihil iam in ea computatione desiderari; aut superesse, vt in secundo tomo explicabo, ad 9. Danielis caput: vbi etiam ostendam, liquidò constare, totidem præcisè annos (hoc est, 486½.) præterijsse ab igni miraculoso, qui diuinitus datus est Moysi in dedicatione tabernaculi, (de quo Leuitici 9. 24) vsq; ad ignem item miraculosum, qui datus est Salomoni in dedicatione sui templi, de quo 2. Paralyp. 7. 1.

A miraculoso igne in Mosaici tabernaculi dedicatione vsque ad ignem item miraculosum in Salomonici tēpli primaria dedicatione quot anni fluxerint intercepti.

His ergo suppositis, qui attentè considerauerit adhibitam fuisse à Dei prouidentia curam, vt ab igni miraculoso, qui tabernaculo Mosaico auctoritatem ingentem attulit, vsque ad ignem item miraculosum, quo simili maiestate consecratum est Salomonis templum, præcisè elaberentur annorum hebdomades sexaginta nouem & semis: qui considerauerit item, quemadmodum par omnino similium hebdomadum numerus reuelaretur posteà Danieli, & supputationis initium duceretur ad igni miraculoso dedicationis factæ per Nehemiam; hebdomadas autem 69½. terminaret Diuinus ignis in Ecclesiæ Christianæ dedicatione super Apostolos descendens: qui hæc (inquam) attentè considerauerit; non poterit dubitare, quin magnum sit numeri illius hebdomadum 69½. mysterium. Si enim (vt sapienter expendit Augustinus libr. quæstionum in Genesim cap. 152. ***numeri in sacris litteris sacratissimi sunt & mysteria recondita indicant***; quid erit censendum de numero hebdomadum 69½. qui ita præcisè reuelatus est Danieli, & qui duabus in rebus adeò admirandis sibi ad amussim respondet, & vtraque vice ab igne cælesti exorditur, & à dedicatione cælitus approbata; & in ignem quoque cælestem & in dedicationē cælitus approbatā desinit.

Numeri in sacris litteris mysteriis pleni.

Per ignem tum in Mosaico tabernaculo, tum in templo sub Salomone & sub Nehemia miraculosè accensum quid figuretur.

Inuestiganti ergo mihi, huius numeri mysterium, occurit primò per illum ignem cælestem & miraculosum (quo Deus sancire voluit dedicationem tabernaculi Mosis primùm, deinde templi Salomonis, posteà Nehemiæ,) absque dubio designatum fuisse à longè id ipsum, quod tandem expressiùs repræsentauit Diuinus ille ignis, quo Ecclesiæ Christianæ dedicationem sanciuit idem Deus in die Pentecostes. Dubitari autem non potest, quin germana huius ignis significatio, siue mysterium fuerit ipse Spiritus sanctus, quem Deus eodem tempore adeò copiosè effudit super Apostolos atque discipulos, vt omnes dicantur fuisse tunc ***repleti Spiritu sancto*** (Actuum 2. 4.) promptumque est expendere, quàm aptè ignis cælestis Spiritui sancto significando deseruiat. Quemadmodum enim duæ magnę virtutes ignis sunt illuminare, calefacere: sic vniuersa Spiritus sancti efficacia ad magnam mentis illustrationem, & magnam quoque voluntatis inflammationem reuocatur. Atq; hoc indicasse satis sit, quod latiùs multi prosequuntur, vt videre est in Laureti tylua verbo Ignis: vbi huius significationis symbolicæ auctores laudat Hesychium, Augustinum, Hieronymum, Gregorium, Bedam, Rupertum; quibus multos alios adiungere posset. Et huc spectant ea omnia symbola, quæ congeremus infrà in hoc eodē capite notatione septimâ. Animaduertendum tamen est in præsenti, illum ignē qui de cælo datus est Mosi, Salomoni, atque Nehemiæ, non solùm eis fuisse datum ad illius diei sacrificium, sed etiam vt in altari holocausti (quod religionis erat symbolum) magnâ curâ custoditus perpetuò asseruaretur. Ex eoque igne videtur ortum, vt Deus tanquam ciuis diceretur habere suum focum in Ierusalem. Id enim est, quod legimus Isaiæ 31. 9. ***Dominus, cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Ierusalem.*** Quòd si hoc inhabitationem Dei in illa vrbe repræsentat: constat veram & propriam Dei inhabitationē in mystica Ierosolyma consistere in Spiritu sancto. Et propterea cùm Christus Spiritum suum Ecclesiæ ac sanctis animabus promitteret Ioann. 14. 23. aitse cùm Patre suo venturum, vt commoretur in ea domo, & inhabitet eam. ***Mansionem*** (ait) ***apud eum faciemus.*** Ac statim, vt idem clarius efferret, subdit; ***Paracletus autem Spiritus sanctus; ille vos docebit omnia***, (scilicet vestras mentes illuminans. Nec dubium quin magnam mentis illuminationem subsequatur quoque magna animi inflammatio siue accensio.

Spiritus sancti virtutem & efficaciam ad duo potissimùm capita reuocati.

Quid sit Dominū ignē esse in Sion, & caminum in in Ierusalem.

Secūdò occurrit mihi, in illa distinctione ignis cęlestis in tabernaculo Mosaico, & ignis quoq; cælestis in tēplo Salomonico, designari initia & incremēta inhabitationis Dei in Ecclesia, & similiter etiā in vnius electi anima: vtrumq; per ignem Spiritus sancti. Templū enim Salomonis ad Mosis tabernaculum rectè cōparatur; sicut domus æterna ad tectū subitarium. Et quanuis Deus spiritum suum initio alicui animæ impertierit; nondum tamen in ea, tanquam in domo permansurâ & sancto sæculari (vt loquitur Paulus) inhabitare videtur; quousque ei eiusdem Spiritus sancti plenitudinem elargiatur; hoc est, donorum ipsius affluentiam. Quòd verò figuratum est in distinctione duplicis illius dedicationis (quarum

Quid figuretur per ignem cælestē tum in Mosis tabernaculo, tum in Salomonis tēplo accensum.

Digitized by Google

prima fuit tabernaculi, altera templi.) hoc ipsum exprimitur in discrimine dedicationis Nehemiæ ab Ecclesiæ Christianæ dedicatione. Templum enim Esdræ atque Nehemiæ vix erat instar tabernaculi: si comparetur cum augustissimo Ecclesiæ Christianæ templo. quod in die Pentecostes dedicatum est in monte Sion.

Qui in diuino obsequio proiectiores sunt, eos maioribus a Deo aduersitatibus probari.

Tertiò occurrit, quanuis omnibus, qui seruire Deo incipiunt, dicatur ab Ecclesiast. c. 2. 1. ***Accedens ad seruitutem Dei præpara animam tuam ad tentationem***; eos tamen, qui maiores in Dei obsequio fecerunt progressus, maioribus solere à Deo aduersitatibus probari & perfici; quemadmodum significatur ab Angelo, qui ad Tobiam ait ca. 12. 13. ***quia acceptus eras coram Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te.*** Iuxta hoc igitur, si in dedicatione templi Salomonis dedicatum fuit id, quòd posteà in Ecclesiæ Christianæ dedicatione impletum est; ac proinde cælestis ignis in templi Salomonis dedicatione designabat magnam Spiritus sancti effusionem; valde cohæret, vt simul etiam significatum sit, eam Spiritus sancti plenitudinem datam fuisse à Deo; vt per illam constantissimè obsisti posset magnæ tentationi ac probationi, qua Deus suam Ecclesiam excoquere atque perficere decreuerat. Atque ita miraculosus sacrificij Eliæ ignis (qui eidem significationi deseruiebat) perhibetur aquas lambere, vt explicauimus c. 10. notat. 3. & eidem mysterio respondere videntur igneæ linguę in die Pentecostes. Nec enim solùm eo symbolo denotatum est, per Apostolorũ prædicationem terram esse diuino igne inflammandam; sed etiam Spiritus sancti ignem ad aquas lambendas, esse efficacissimum; hoc est ad inueniendam in laboribus per aquas significatis, delectationẽ & suauitatem.

Hic præiactis si numerus annorũ 486½. (aut quod idem est) hebdomadum 69½. esset aptus atque conueniens ad significandam persecutionem, quam passura erat Ecclesia, post acceptam Spiritus sancti plenitudinem; atque hæc significatio ostendi posset cum alijs sacræ Scripturæ locis cohæreret; in ea fortasse acquiesceret intellectus & sibi satisfactum esse putaret.

Nota ergo Primò, in annis 486½. deesse tres annos & semis ad numerum annorum 490. Quarè si ostendatur numerus annorũ 490. in sacræ Scripturæ phrasi esse numerus plenus atque perfectus, & includens significationẽ cõsummati Iubilei & integræ restitutionis ac resurrectionis: eo supposito facilè innotescet, in tribus illis annis & semis, qui desunt numero annorum 486½. ad 490. iuxta notationem præcedentem repræsentari tempus tribulationis & afflictionis ante perfectum triumphum atque victoriam. & hæc ipsa consideratio valde confirmabit ea, quæ suprà dicta sunt de mysterio trium annorum & dimidij.

Nota Secundo valde esse rationi consentaneũ, vt in annorum numero in S. Scripturæ phrasi à legitima Hebræorum cõsuetudine desumatur significatio. Constat autem in lege Mosis, transactis 49. annis eum, qui proximè sequebatur esse annum Iubilei (vide Leuit. 25. 10) & consequenter transactis 490. annis continuò sequi Iubilæum decimum. Quare si iubilæus est repræsentatio restitutionis, resurrectionis, Iubili atque triumphi; facilè erit animaduertere, decimo Iubileo repræsentari plenissimam & perfectissimam fælicitatẽ atque victoriam. Denarius enim inter numeros est, qui magnam perfectionem consequitur, vt expendit Lauretus & alij multi. Quòd verò Spiritus sanctus in hebdomadis Danielis ad mysterium iubilei respexerit, id ex ipso textu capitis noni colligere licet, vt suo loco planum fiet.

Iubilei ergo festum incepit ab ipsa dedicatione Tabernaculi & populi sanctificatione. Atque is annus fuit veluti primi Iubilei mystici annus. Ac deinde significatio hebdomadum sexaginta nouem & semis nõ est alia, quàm post magnam gratiæ cælestis confirmationem, post magnum incrementum spiritualium virium, post magnam participationem Spiritus sancti, ac eius spiritualis lætitiæ, quam Deum suis amicis communicat (& quæ primum adumbrata est in Salomonici templi dedicatione, ac posteà in dedicatione Ecclesiæ Christianæ expressa fuit in die Pentecostes) statim subsequi iuxta ordinem diuinæ prouidentiæ maximam angustiam atque conflictum, seu probationem validam & maximam tentationem, quæ ad mysterium trium annorum & semis reuocatur; vt in præcedenti notatione explicatum est. Et propterea sapientissimo & arcano Dei consilio decretum est, vt dedicatio templi Salomonici, & similiter Ecclesiæ Christianæ cõsecratio non contingeret elapsis iã 490. annis, hoc est decimi Iubilei anno, sed precisè post annos 486.½. atque adeò cùm omnino tres anni cum dimidio supererant, quibus ea inest significatio, suprà explicauimus.

In confirmationem verò præcedentis philosophiæ mysticæ notandum est, numerum 490. fuisse apud Hebræos celebrem, reputatumq; fuisse plenum atque perfectũ, (quemadmodum apud Latinos 600. & apud Græcos Chiliada seu millenarium) & sanè *septuagies septies* (quod legimus Genes. 4. 24. & Matth. 18. 22.) non est aliud, quã 490. vicibus. Quanuis enim multi non aliter explicent illam phrasim, quàm si legeremus septuagies & septies, hoc est vicibus 77. ea tamen nõ videtur explicatio legitima, quia *septuagies septies* postulat, vt ipsum septuagies septies capiatur, quemadmodum *ter quater*, idem est, quod duodecies: aliud enim est ter quater, & aliud ter & quater, quia ter & quater est idẽ quod septies: si verò coniunctim dicas, ter quater, idẽ prorsus dixisti, quod duodecim vicibus. Similiter ergo septuagies septies idẽ erit, quod vicibus 490. Atque huic sensui manifestè fauent tum Græca lectio, tum etiam rei ipsius conuenientia.

Septuagies septies quid sit in sacris.

NOTATIO V.

In qua explicatur difficilis locus ex 1. ad Corinthios 3. n. 12. 13. 14. & 15.

IN eo discrimine inter templum & atrium, quod foris erat, & in ea dimensionis diuersitate, qua alterum mensuratur, tanquam in persecutionis tẽpore permansurũ, alterum verò minimè mẽsuratur, vtpote quod tempore calamitatis periturum erat, in hac, inquam, differentiâ eam sequuti sumus declarationem, quæ per templũ intelligit spirituale Ecclesiæ ædificiũ, & per atriũ (quod extra templum erat) significat quidquid est temporale, fluxum ac periturum. Huiusmodi significatio non parũ inde confirmatur, quod Paulus eandem rem tractet sub alia allegoria; quæ etsi nõnihil est diuersa, cum hac tamẽ consonat in metaphora desumpta ab ædificio; cuius ex partibus aliæ aduersitatis tempore firmæ persistunt; aliæ intereunt. Et quia Pauli locus insignis est, & dignus qui cũ loco Apocalypseos conferatur, operæ pretiũ duxi illius declarationem hic annectere. Pauli ergo verba sic habent.

Vers. 12. ***Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam.***

13. ***Vniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit: quia in igne reuelabitur; & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit.***

14. ***Si cuius opus manserit, quod superædificauit, mercedem accipiet.***

15. ***Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen, quasi per ignem.***

COMMENTARIVS.

Hic locus perdifficilis diuo Augustino visus est; vt fatetur ipse in libro de fide & operibus c. 15. & 16. & q. 1. ad Dulcitium. Atque ex magna difficultate variè obortæ sunt expositiones: vt videre est apud interpretes; & apud Bellarminum to. 1. controuer. 6. quæ est de Purgatorio, ca. 4. loco 2.

Pauli locus de spiritalis ædificij extruendi ratione expenditur & explicatur. De quo spirituali ædificio Paulus loquatur.

Ego quidẽ, quid de huius loci interpretatione sentiã, aliquod punctis exponã. Primò ex præcedẽti cõtextu liquet, non agere hic Paulum de eo, quod quiuis in suæ animæ ædificio fabricat; sed de eo, quod Ecclesiæ Prælati ac superiores in ipsius Ecclesiæ ædificio architectantur. Quod ipse primus animaduerto.

Secundo

Digitized by Google

Secundò, Paulus, vt opinor, non hîc directè loquitur de ijs, qui diruunt ac demoliuntur; sed de illis, qui ædificant aut superædificant. Quare non facit ad rem interpretatio, quæ nomine ligni, fœni, aut stipulæ intelligit Prælatorum & moderatorum peccata. Hæc enim peccata in Christo (qui fundamentum est) non nituntur, nec verò ad Ecclesiæ augmentum, vt ipsius pars spectant.

Qui nam iuxta Pauli mentem ædificare hic dicantur.

Tertiò, qui ædificant, sunt superiores ac Prælati; qui suâ industriâ & labore incrementum Ecclesiæ promouent. Ceterùm duo sunt incrementi genera: alterum coram Deo pretiosissimum, quod est in sanctitate sapientia: alterum minoris momenti, nempe in opibus, potentiâ, & alijs id genus commodis. Quod autem Paulus ait, idem religiosarum familiarum auctores senserunt; vt D. Dominicus, D. Franciscus, & alij. Nam si ad varia Prælatorum genera, qui ipsis vicario munere successerunt, oculos conuertamus; apparebit multos ex ijs intendisse animum ad spirituale suæ Religionis incrementum: alios verò ad domorum & rerum temporalis accessionem: vtrosque sanè laudabiliter, & pro religionis ipsius emolumẽto, magno tamen cum discrimine: atque ita magno, vt primâ cõparentur cum ijs, qui opificiũ auro, argento & pretiosis lapidibus prouehunt: alij vero cũ illis, qui structurâ ligno, fœno, aut stipulâ altius attollere cõtendũt.

Quinam aurum, argentum & gemmas, qui vero ligna, fœnum & stipulam ædificare dicantur.

Quartò, tam spirituales diuitiæ, quàm temporalia commoda cum ædificio rectè comparantur. Nam ædificium præsidio & defensioni habitantibus est: & *sicut protegit sapientia, sic protegit pecunia*, vt habetur Ecclesiastis 7. 13.

Quintò, vt præcipiatur magnum discrimen inter spirituale & temporale augmentum, vsus fuit Paulus duplici extremo; scilicet eorũ qui pretiosissimè ædificant; & eorum, qui tenuiter nimis & exiliter: quorum alij auro & gemmis, alij fœno & paleis ac lignis ædificant. Reliquit autem Paulus consultò mediam ædificandi rationem videlicet opere lapideo aut latericio; vt hoc pacto maior esset differentiæ energia: vtque denotaretur, temporalem omnem accessionem aduersitatis igni esse obnoxiam.

Sextò, tribus illis pretiosæ materiæ partibus; id est auro, argento, & gemmis, opposuit Paulus partes totidem vilis admodùm materiæ, & igni maximè obsequentis; vt ligni, fœni, & stipulæ. Et extribus quidem primis aurum denotat, opinor, magnum charitatis pretium; argentum sapientiæ euangelicæ æstimationem; & gemmæ siue lapides pretiosi, vt iaspis, sapphirus & aliæ, constantiam, patientiam, & Ecclesiasticæ doctrinæ seueritatem. In vili autem materiâ, fortè lignum refertur ad domos ac materiata, & ad prædia arboribus consita, cuiusmodi sunt vineta, & oliueta: fœnum verò applicari potest ad sata & agros compascuos: stipula autem ad quanuis aliam rem domus, siue Ecclesiæ commodis vtilem, licèt pretiosa ex materia sit. Supellectilia enim iure in stipulis siue ruderibus denotantur. Nã comparatione spiritualium diuitiarum, temporalia omnia perinde sunt, quasi fœnum, paleæ, & res quælibet abiectissimæ. Atque vt nostrâ ætate superiores aliqui deprehenduntur, qui se totos in suarum domorum tẽporale augmentũ & vtilitatem impendunt: ita verisimile etiam est, primæuæ Ecclesiæ tẽpestate fuisse Episcopos aliquot, qui ad tẽporarios suarum Ecclesiarum prouentus potissimùm excubarent, qua ratione tunc id præstare poterant. Ad temporale porrò augmentum spectat potentiorum hominum fauor & gratia, atque alia huiusmodi.

Quid per auru, argentum & gemmas Paulus intelligat.

Quid item per lignum, fœnum, stipulam.

Septimò, peculiares Ecclesiæ in priori illo æuo (quemadmodũ de Iaponicis nũc accepimus) plurimis erant persecutionibus expositæ. Atq; hac consideratione vtitur Paulus; vt Catholici Episcopi & Prælati animaduerterent discrimẽ maximum inter eos, quorum tota mens in spirituale suarum Ecclesiarũ incrementum incumbit; & eos, qui temporalium rerũ accessione contenti sunt: ideoque ait, *Vniuscuiusque opus quale sit, manifestum erit: dies enim Domini declarabit; & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit.* Non me latet hæc verba à pluribus interpretũ ad diem siue Iudicij, siue mortis referri. Mihi tamẽ Augustin. & Magni Gregorij expositio perplacet; qui de die persecutionis & calamitatis interpretantur. Etenim cõtextus clarè innuit, omnes Ecclesiastici ædificii partes ignis probationem subituras; atque alias quidem suæ virtutis significationem exhibituras fore: alias verò igne absumendas. Hæc autem comparatio ab igne petita minimè est ad rem, vt directè de die Iudicij sit sermo: cùm tamen eadem ignis metaphora sit in sacris Litteris vsitatissima ad tribulationis & aduersitatis probationem. Vt Prouerb. 17. 3. *Sicut ignis probatur argentum, & aurum in camine: ita corda probat Dominus.* Ecclesiastici 2. 5. *In igne probatur aurum & argentum: homines verò receptiles in camino humiliationis.* Psalm. 16. 3 *Igne me examinasti* Psal. 17. 31. *Eloquia Domini igne examinata.* Videatur etiam Psal. 11. 7. Pl. 65. 10. & Ecclesiastici 31. 31. Diuus ergo Paulus manifestè cãdem vtitur cõparatione. Et profectò Iudicij dies licèt patefacturus sit, quodnam verum sit aurum, quod falsum & adulterinum: id tamen per ignis probationẽ non fiet, sed per illustrationem: vt Sol luce sua retegit, quid sit album, quid nigrum.

Ignis metaphora pro tribulatione in Scriptura est frequentem.

Obijciet tamen aliquis; aduersitatis dies non solet in Scriptura appellari dies Domini: præsertim, quia nomen *dies* habet hîc præfixum articulum. vnde videtur de die Iudicij esse intelligẽdus. Huic obiectioni vt satisfaciam, non illud afferam, in Græco hic non apponi genitiuum *Domini*: nec enim crediderim illum in nostra Vulgata superuacuum esse. Dico ergo Paulum, quanuis directè in hoc loco agat de persecutionis die; de illo tamen agere per comparationem ad diem iudicij. Hunc enim diem vocat Scriptura diem reuelationis, quo alluditur in his verbis, *Dies Domini declarabit: quia in igne reuelabitur.* Est igitur sensus, quãquam Iudicij extremi dies non adeò citò est appropinquaturus, citò tamen Corinthiacæ Ecclesiæ aduenturum reuelationis diem in quo persecutionis ignis, spiritualis auri constantiam, nec non argenti atque gemmarũ detegat, & è contrario leuitatem & inconstantiam fœni, ligni ac palearum. Obserua tamen, hanc comparationem inter persecutionis diem & diẽ extremi iudicij magnæ esse energiæ: tum quia orbis etiam igne tãdem sub extremum diem exurendus est: tum etiam, quia calamitatis dies, vt nuper diximus, reuelationis dies est. Atque hanc fortassis ob rem hic dies par articulum profertur ad distinctionem noctis & obscuritatis; in qua quid sit pretiosum, quid solidum, minimè potest discerni. Deinde non est in sacra Scriptura nouum, dici nomine diem angustiæ & calamitatis appellari. In alijs enim locis non paucis eadem vsurpatur locutio. Præterea si Iudicij dies appellatur Dies domini; quòd in eo suam prouidentiã propalam ostensurus sit: in Ecclesiæ item persecutionibus eã magnopere reddit manifestam. Ac proinde simili ratione dies reprobationis Iudaici populi & electionis Gẽtilici in Scriptura *Dies Domini* nũcupatur.

Quo sensu dicatur a Paulo dies Domini declaraturus vniuscuiusque opus.

Dies nomine aliquando in Scriptura diem tribulationis & aduersitatis indicat.

Octauò, in igne persecutionis Ecclesiæ re ipsâ cõprobatur, Prælatum qui aurum & argentum ac pretiosos lapillos ædificauit, nihil inde detrimenti, sed plurimum potiùs præmii capere: eum verò, qui lignũ, fœnum & stipulas fabricauit, ingenti affici damno. Nam Ecclesiæ incrementum est veluti res propria Prælati, qui ipsius incrementi extitit causa. Quòd si eiusmodi accessio fit, quam tribulationis ignis absumere aut labefactare nullo modo possit; sed suæ potiùs firmitudinis ac roboris clarissimum edat documentum: certè qui accessionem hanc, quà consilio, quà prædicatione, quà exemplo adiuuit atque promouit, summo ille solatio ac lætitiâ perfundetur. quod meritissimum est præmium sui laboris fœliciter impensi. At enim si augmentum erat temporaneum, illudque persecutio consumit, necesse est Prælatum, quia augmentum huiusmodi, vt proprium diligebat, magnopere angi & torqueri; non secus ac si rẽ suam familiarẽ conflagrare cerneret. Id ergo est, quod textus ait, *Si cuius opus arserit, detrimẽtũ patietur.*

Quid dies Domini, quid ignis probatio significent apud Paulum.

Quo sensu iuxta Paulum ille, cuius opus arserit, saluus dicatur, futurus, sic tamẽ quasi per ignem.

Num predicta Pauli verba de purgatorij igne sint explicanda?

Nonò, sequitur in textu, *Ipse autem saluus erit; sic tamen quasi per ignem:* In quibus verbis non arridet eorum explicatio, qui ea ad ignem Purgatorij applicant. Supponunt enim Paulo sermonem esse de die Iudicij: nunc autem illum adiungere, iudicij diem patefacturum, quemadmodum qui venialia commisit, non à Purgatorio intactus euaserit. Hæc contextus series durior mihi visa est. Primò, quia ex die Iudicij ad Purgatorij pœnam retrogrado cursu reflectitur: ad eam, inquam, pœnam, quam multò ante

Alterum expositio de ignis probatione, referentium ad diem iudicij.

Digitized by Google

die Iudicij subierant ij, qui lignum, fœnum, & paleas ædificarunt: cùm tamen in textu modus loquendi nõ sit tanquam de re iam tranfacta, sed potiùs tunc opere præstãda: *Ipse autem* (ait) *saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Deinde, quia immutatur sensus illius vocis, *ignis*, quod etsi inusitatum non est, sed vsurpatum aliquando; vt scilicet idem ipsum verbum in eodem contextu priùs iuxta vnum sensum, postea iuxta aliũ sumatur: hæc tamen varia eiusdem vocis acceptio absque peculiari aliqua allusione, comparatione, aut elegantia, sapientibus non probatur. In hac verò cõtextus ratione nullam aut allusionem, aut concinnitatem video in eo, quòd nomen ignis primùm pro iudicij die, deinde pro purgatorio vsurpetur.

Paulum hoc in loco proprie de persecutionis igne agere.

Decimò, Paulus, vt dixit, directè in hoc loco agit de persecutionis & aduersitatis igne. quo illud in primis significat, Episcopos ac Prælatos, qui cùm de spirituali Ecclesiæ prouentu curare maximè deberent, de temporali tantummodò curarunt; à Deo in hoc potissimùm eruditi, & ingenti beneficio cumulari; vt suismet oculis aspiciant exardescere ac deperire totum illum suæ Ecclesiæ progressum, in quo ipsi suam curam, cogitationem ac studium defixa habebant. Hac enim via per laborem pariter ac dolorem pœnas errati luent, & admissam negligentiã expiabunt: atq; hac tandem ratione ad veram peruenient beatitudinẽ; ac præmium recipient propter obsequium, quod Ecclesiæ præstare curauerant. Hunc esse arbitror germanum loci huius contextum: in quo negari nõ potest, ratiocinationẽ hanc esse Pauli sapientiã ac sanctitate valde dignã, & cũ superioribus apprimè cohærentẽ.

Prædicta ædificij & ædificatoris allegoria qua ratione sit accipienda.

Vndecimò, non ita accipienda est allegoria, quasi architectus ipse sit intra ædificium à se fabricatum. Hoc enim coactum est: nec figura eiusmodi aut allegoria significauit, Prælatos ipsos igne examinandos; sed Ecclesiæ progressionem ab ipsis factam per ignem fore probadam. Itaque minimè idonea est ea consideratio, quæ opificem ipsum intra domum occlusum apprehendit, atque inde exustâ domo ipsum semiustulatum effugere. Quòd si allegoria in eo nitebatur, quòd architectus intra ædificium esset ille etiam, qui aurum & argentum fabricauerat, non posset non semiustus similiter euadere. Etenim qui inclusus esset in aureâ, siue agenteâ domo, quàm ignis peruaderet; næ ille ab igne intactus & illæsus non abiret. Non ergo hæc est illo verborum energia. *Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Sed iuxta dicta sensus est, exustionem Ecclesiastici incrementi, quod plurimi imperfectus Episcopus ducebat, eidem purgatorij vice futuram.

Quomodo Purgatorij ignis possit etiam in hoc sensu locum habere.

Duodecimò tandem; in hoc sensu mirificè Purgatorii ignis locum habet. Nam licèt propriè & directè non sit sermo de igne, qui post hanc vitam iustorum animos alicuius adhuc pœnæ aut venialis reos purgat; sed de persecutionis igne, qui Episcopos imbecillis adhuc virtutis magnopere cruciat nihilominus in eo. quod dicitur, per huiusmodi ignem illos purgatos iam ac defæcatos ad beatitudinem cœlestem peruenire; ab igne Purgatorij desumitur comparatio: quam solus negare potest hæreticus, qui Purgatorij veritatem eiurârit. Namque Catholicis hominibus, qui fidei veritatem profitentur (cùm per occasionem dicuntur huius vitæ labores nonnullis instar esse Purgatorii) nihil dubij resident, quin in allusione hac seu comparatione obiter Purgatorii veritas affirmetur. Vident enim in veritatis huius firmitate niti assecurationem illam, quæ huius vitæ labores & calamitates aliquibus pro Purgatorio esse confirmat. Ad eamque significationem mirum in modum cõducit tenor verborum Pauli. Ait enim, *Ipse autem saluus erit; sic tamen, quasi per ignem.* Vbi particula, *quasi*, iuxta receptum vsum potest comparationis vim habere. Atque huiusmodi declaratione conciliantur variæ Patrum interpretationes; quorum alij hæc verba referunt à Purgatorii ignem apud Bellarminum initio citatum; alij verò ad huius vitæ labores. Si autem præstituamus; contextum agere de tribulationis igne per collationem cum igne Purgatorii: apparet mox facilè Paulum complecti vtrumque sensum; alterum quidem directè, alterum indirectè per modum comparationis.

Simili etiam ratione conciliantur variæ expositiones eorum verborum, *Dies Domini declarabit.* Quanuis enim directè agant de persecutionis die: in ipsa tamen locutione alluditur ad diem Iudicii; obiterque affirmatur, quod tangitur in allusione. Quemadmodũ Apocalypsis cap. 13. etsi propriè sermo est de Romani imperij persecutione: de illa tamen agitur facta allusione ad persecutionem Antichristi. Quare verè potest asseri, de Antichristo pariter ibi esse sermonem: ità tamen, vt contextus non de Antichristo, sed de Romanorum persecutione sit.

TEXTVS.

Vers. 3. Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.

COMMENTARIVS.

De duorum testium interpretatione, quæ uor auctorum sententia,

IN huius versiculi explicatione, & eorum omnium, quæ de duobus testibus vsque ad versum 13. dicuntur; quatuor sunt viæ. Prima interpretatur de duobus viris tempore Antichristi prædicaturis. Secunda de Antichristi quidem tempore; non tamen de duobus viris. Tertia de viris duobus; sed non de tempore Antichristi. Quarta denique nec de duobus viris, nec de Antichristi tempore exponit. Rursus harum viarum singulæ in varia quasi semitarum diuortia partiuntur. Nam qui de viris duobus sub Antichristo prædicaturis censent explicandum esse contextum: alij quidem designant

1. Opinio explicantium de Enocho & Elia sub Antichristi tempus ad prædicandum venturis.

Enochum & Eliam: ex quibus sunt Aretas, Ambrosius, Haymo, Richardus, Ansbertus, Strabus, Hugo Cardinalis, Thomas, Dionysius, Clarius, Vatablus, Ribera, Viegas. Quorum explicationem certissimam esse existimant Suarez 3. p. tom. 2. disputat. 55. sect. 2. Pamelius in Tertullianum Mendoza in quodlibet. Pererius in Danielem & Maluenda lib. 9. de Antichrist. Alij verò censent, hic significari Mosem & Eliam: quam sententiam sequuntur explicantes Christi transfigurationem Diuus Ambrosius in cap. 9. Lucæ, D. Hilarius in cap. 17. Matth. Abbas Ioachimus, Catharinus, Arboreus, Gagneius, & Maldonatus Matth. 17. 3. In quam etiam inclinat Ianssenius in concordia Euang. cap. 67. Atque hæ sunt in prima via præcipuæ semitæ. Nam Victorini sententia & aliorum, qui denotari hîc putant Ieremiam aut Elisæum, communi consensione vt improbabilis ab omnibus exploditur.

2. Opinio referentiũ etiã ad Antichristi tempus, sed non de duobus singulatim viris.

Secunda via (id est explicatio de Antichristi tempore, sed non de duobus viris) placuit Ticonio, Primasio, & Bedę. Ticonius enim hom. 8. in fine impugnat eorum expositionem, qui per duos testes intelligunt duos viros; additque ex ipso contextu omnem explicationis huius suspicionem excludi. Primasius, quanuis hunc locum referat ad Antichristi tempus, & mentionem faciat Eliæ tunc prædicaturi: nihilominus recusat in duobus testibus intelligere duos viros; explanatque de duplici genere testium, qui ab Elia confirmati Christum eo tempore profitebuntur. Beda etiam licet quorundam

A rundam referat expositionem de Enocho & Elia; tamen eam non sequitur; & Ticonium, vt assolet, sectatur. His adiungo Abbatem Ioachimum. tametsi enim statuit sub Antichristi tempus venturos esse Enochum, Mosem, & Eliam; subdit tamen iuxta proximum & legitimum sensum, duos illos testes quos recenset Apocalypsis, esse duo prædicatorum genera; nempe Sacerdotes & monachos. Abbatem sequitur Hortulanus in Cant. vbi ait, *Duo illi testes Enoch & Elias gerunt personam prædicatorum illius temporis sub Antichristo.* Cui sententiæ nonnihil etiam fauet Pannonius.

Tertia via erat explicatio de duobus viris, sed non de tempore Antichristi: quæ in varios item tramites diuiditur. Quidam enim primitiuæ Ecclesiæ tempus respiciunt, & duos illos testes suspicantur esse Christum Dominum & Ioannem Baptistam. ita Vbertinus de Casalis & Michaël Eitsingerus in suo Pentaplo. Alij inducunt duos illos Sacerdotes Iesum & Ananum, quos occiderunt Idumæi. ita Caponsachius. Nonnulli exponunt de Syluerio Papa, & Mena Patriarcha pugnantibus contra Eutychianos. Sic Aureolus, Antoninus, Lyranus, & Ederus, & Lizarazus. Non defuerunt etiam, qui existimarent, in his duobus testibus respici ad Beatos Dominicum atque Franciscum; quod arrisit quoque Vbertino, & quibusdam alijs. *3. interpretantium de duobus quidē viris, sed non de tempore Antichristi.*

Quartâ viâ insistunt, qui censent hoc in loco non institui sermonem de Antichristi tempore, neque de duobus singularibus viris; sed de fictis personis per prosopopœiam. Viæ huius prima semita est existimantium, non agi hìc de peculiari aliquo tempore, sed de cunctis Christianæ fidei sæculis. Quam sententiam sequitur Pannonius; dum ait, duos illos testes esse omnium temporum veritatis assertores duobus testamentis subnixos. Huc spectat Arias Montanus, qui asserit, testes illos duos esse legem & prophetiam: legem scilicet in Mose denotatam, prophetiam in Elia. Altera denique semita, qua nobis gradiendum est, in primitiuo Ecclesiæ tempore persistit, atque duorum testium figuram spiritualiter esse explicandam contendit. *Quarta eorum, qui nec de Antichristi tempore, nec de duobus singulariter viris explicant.*

Authoris sententia.

Hæc sententia authores habet, meo iudicio, eos omnes, qui arbitrantur in Apocalyps. à cap. 4. vsque ad finem 11. sermonem esse de modo, quo se gessit Deus cum Iudaico populo sub primitiuæ Ecclesiæ tempora: & à cap. 12. vsque ad 20. quemadmodum Deus cum populo Gentilico egerit: vtrobique etiam agi de persecutione ab infidelibus in Ecclesiam susc itata; deque ipsius Ecclesiæ triumpho ex vtraque persecutione. Quæ sententia, vt vidimus notat. 12. Proleg. si auctoritatem quæras, pro se habet auctores quàm plurimos: eosque grauiores, quàm ceteræ opiniones. Si autem fundamenti firmitudinem desideres, illa mihi præ reliquis firmissima est. Quamobrem pro certo habeo, quidquid in hoc capite de duobus testibus disputatur, in eo produci adhuc & continuari cœptam priùs tractationem de fructu copiosissimo, quem Ecclesia ex Iudaici populi persecutione decerpsit. Quarè mihi persuadeo, hosce duos testes esse *magnam sapientiam & magnam sanctitatem* ministrorum Euangelij siue prædicatorum, qui primæuæ Eccl. siæ tempestate Iudaico populo Christianam fidem promulgarunt. Quam interpretationem si quis fortè nimis spiritualem reputabit: eum rogatum velim, vt attentè legat atque consideret, quod D. Hieronymus ait epist. 148. *De Enoch & Elia, quos venturos Apocalypsis refert, & esse morituros, non est istius temporis disputatio: cùm omnis ille liber aut spiritualiter intelligendus sit, vt nos existimamus; aut fabulis acquiescendum.* Hæc Hieronymus. *Quæ habeat auctoritatis fundamenta prædicta sententia.* *Explicatur prædicta auctoris sententia.* *Quid senserit Hieronymus de duobus Apocalypseos testibus.*

Eos autem, qui hos duos testes duas esse personas omnino expetunt atque contendunt, interrogare est animus, vtrùm nouerint Apocalypsim esse librum planè ænigmaticum? Si norunt: quæ iam prudentia est, dissentaneum & absonum reputare, vt in quodam ænigmate magna Christi ministrorum sanctitas ac sapientia, tanquam duo ipsius Christi testes inducantur? Nam si in quinta plaga desideria cordis pereleganter sunt in portentosis locustis figurata: si in plaga item sexta per furentes equos significatæ sunt irarum atque odiorum furiæ: cur sapientia & sanctitas, quæ in Euangelicis ministris enituere, per duos Christi testes non possit apposite figurari? Dicent fortasse, quod textus ait de duobus testibus, non posse rectè ad Euangelij ministrorum sanctitatem & sapientiam applicari: eo præsertim tempore, quo à Iudæis acriter oppugnabantur. Ad hæc tamen respondeo, si applicationem non aptè & congruenter quadrauerim, me iam totâ hac expositione, vt futili & inani, sponte supersedere. *1. Obiectio contra superiorem expositionem soluitur.*

Qua in re iudicium anteuerti non debet: sed seriò examinari, vtrùm figura eorum, quæ dicuntur, cum meo sensu apprime cohæreat. Si enim rectè consonet, & contextus suapte vi consentiat: hoc ipsum satis superque erit, ne de coniectato ænigmatis sensu vlla supersit dubitatio.

D Alia obiectio esse potest eiusmodi. Hæc nostra declaratio videtur fundamentum demoliri eius rei, quam Ecclesia certissimam reputat: nimirum Enochum & Eliam Antichristi tempore ad prædicandum fore venturos. Respondeo tamen, nullo modo huic traditioni fidem in hac explicatione derogari, vt videbimus notat. 3. quin potius congruentissimum esse illius traditionis auctoritati, ne in hoc Apocalypseos loco niti omnino existimetur: idque duas potissimùm ob res. Primò, quia certum minimè est, quidquid Apocalypseos textus de duobus testibus affirmat, complendum esse, vt sonat, in Enochi & Eliæ personis: quod manifestò patet, siquidem tot interpretes aliter exponũt. Secundò, nam opinio illa de Mose sub mundi finem vice Enochi venturo (quæ certè opinio meo iudicio probabilis non est) inde habuit ortum, quòd certum existimaretur, duos hosce testes Apocalypseos esse illos, qui Antichristi tempore sunt ad prædicandum venturi. Etenim si hoc ità constituitur; quemadmodum textus Eliam significat verbis illis, *hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum*; ita etiam Mosen designat, cùm ait, *Et potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinem, & percutiendi terram omni plaga.* Mihi quidem non apertiùs loqueretur Ioannes, si proprijs nominibus Mosem & Eliam compellaret. Quapropter cùm ipsos pene nominet, siquidé periphrasticũs ipsos describit (quod perinde est, quasi illos nominaret:) nihilominus tamen asserо, Mosen & *2. Obiectio.* *In nostra expositione minimè infirmari communem de Enocho & Elia traditionem, sed confirmari potius.*

Digitized by Google

Eliam non hìc, vt veras apponi personas, sed vt fictas per prosopopœiam, & in ipsum ænigma inductas; vt altera ex ijs cælestem doctrinam, altera zelum ac sanctitatem Apostolicam repræsentent. Itaque Mosis & Elię personæ in hoc capite mysticè sunt accipiendæ; quod est dicere, mysticum Mosem esse cælestem sapientiam atque doctrinam in viris Apostolicis ad Iudæorum semet persequentium salutem excubantibus effulgentem; & mysticum Eliam esse Euangelicum zelum ac sanctimoniam, quæ in eisdem viris eminebat. A

Roboratur nostra de duobus testibus expositio ex præcedentium capitum serie & contextu.

Huiusmodi explicatio, si rem ipsam consideres, satis idoneè cohæret cum præcedentium capitum contextu, & præcipuè cum septem plagarum seu tubarum tractatione. Nam primæ sex plagæ, vt iam alìàs vidimus, sunt Fames, Bellum, Pestilentia, Ignorantia, Concupiscentiæ & Iræ; quibus Deus acerbissimè puniuit Iudæos, qui Christum Dominum excipere noluerunt; septima autem plaga (vt ad huius capitis calcem constabit) est Obduratio ac Reprobatio eorundem Iudæorum rebellium. Inter plagam igitur sextam & septimam quis non aduertat nihil aliud posse congruenter interijci, nisi descriptionem persecutionis sæuissimæ, quam Iudæi irarum plagæ traditi & furiarum œstro perciti aduersus Christianos excitarunt; nec non qualiter se in ea persecutione tractarint viri Apostolici pro virili parte Iudæorum conuersionem procurantes? In hoc ergo tractatu quid aptius, quidue aut elegantius aut cohærentius, quàm *doctrinam* ac *sanctitatem* prędicatorum Euangelij describere, inimicorum impetum egregiè sustinentes, atque mirâ de illis ratione triumphantes?

Superiores sententiæ improbantur.

Duæ igitur primę viæ cohærentiam contextus deserunt, & violenter nimis ad Antichristi persecutionem importuna hyperbasi transiliunt. Nec minùs in tertia via, qui à primitiuæ Ecclesiæ tempore digrediuntur. Qui verò suspicantur, duos illos testes esse Christum Dominum & Ioannem Baptistam; non animaduertunt Christi & Ioannis prædicationem perperam collocari post plagas eas, quæ c. 8. & 9. continentur; & post ea, quæ c. 4. 5. & 6. scripta sunt. Præterquàm quòd duo testes, de quibus textus agit, manifestè appellantur Christi testes: Christus enim est, qui de illis ait, *& dabo duobus testibus meis.* In his enim verbis absque dubio ille ipse loquitur, qui Ioanni dederat in manus libellum: estque Angelus fortis capitis 10. qui, vt vidimus, Christum agit. Si duo ergo testes sunt Christi testes, perspicuum est, Christum ipsum ex ijs alterum esse non posse. Deinde hi duo testes infrà appellantur serui Christi, dicitur enim, *Vbi eorum Dominus crucifixus est.* Qui ergo eorũ alter esse potest Christus? Præterea quæcunque binæ aliæ designentur personæ, minimè discursus plenitudini fit satis. Nam Apostoli fuêre duodecim, & tam illi, quàm septuaginta duo discipuli fuerunt Christi testes, & conuersionis efficientia, quæ in decima Hierosolymæ parte conspecta est (qui fuit finis glorioſus & admirabilis fructus testimonij, quod de Christo duo hi testes præbuerunt) non debet integrè attribui vlli personarum pari, sed ijs omnibus, qui Christo in spirituali illa expeditione fideliter seruierunt. Quare eiusmodi declaratio de duobus Christi testibus videtur necessariò eligenda, quæ sit honorifica & glorioſa ijs omnibus, quos Deus ad decimæ Hierosolymæ partis conuersionem, vt instrumentum, assumpsit, de qua decima parte dicetur infrà versu 13. B

Satis apparet ex dictis, tres priores exponendi vias à vera explicatione declinare, moxque facilè cernitur, in quarta via explicationem illam Pannonij & Ariæ Montani nequaquam satisfacere. Etenim si tota hæc ratiocinationis series, & quidquid de duplici teste agitur, tendit omnino ad decimę partis Hierosolymę conuersionem, quam Isaias cap. 6 prædixerat, & quæ Ecclesiæ transitum ad Gentilitatem anteceſſit, si hoc, inquam ita est; manifestò apparet, minimè esse ad rem de omnium temporum prædicatoribus tractationem. Nec verò lex & Prophetæ fuerunt, qui reapse suâ patientiâ & laborum tolerantiâ decimam Iudæorum partem in Christi fidei ditionem ac potestatem redegerunt. Quapropter nulla alia supereſt semita sequenda, nisi illa D. Hieronymi, quam multi auctores, ijque grauissimi sectantur; vt vidimus in Prolegom. notat. 12. C

Quàm aptè nomen duorum Christi testium conueniat sapientiæ & sanctitati.

Reliquum est ostendere, quàm rectè & appositè, quidquid textus ait de duobus testibus, ad nostram declarationem applicetur. Atque imprimis Christi testium nomen inficiabitur nemo doctrinæ cælesti & sanctitati ministrorum Euangelij apprime congruere. Nam testimonium, quod Apostoli, virique Apostolici Christo dederunt, fuit quidem doctrinæ cælestis & admirabilis sanctitatis testimonium. Vnde nihil aptius aut significantius, quàm cælestem ipsam eorum doctrinam & admirabilem sanctimoniam, tanquam nobilissimum par Christi testium, per prosopopœiam inducere.

In hoc testiũ nomine alludi ad duos templi Cherubinos ingentes.

Porrò in hoc testium nomine alluditur, ni me fallo, ad mysterium duorum Cherubinorum, qui vtroque ex latere, ad arcam testamenti erant: & singulatim ad duos ingentes Cherubinos siue colossos, quos Salomon effinxit; quorum interiora ex oliuo erant, vt patet 3. Reg. 6. 23. *Et fecit in oraculo duos Cherubim de lignis oliuarum decem cubitorum altitudinis.* Vnde & in hoc cap. 11. sequitur infrà n. 4. *Hi sunt duæ oliuæ.* Ad hos, inquam, alluditur. nam in arca posita fuit testificatio Dei, vt habetur Exodi 25. 16. Quare duo Cherubini significant duos Christi testes, nempe virorum apostolicorum doctrinam & sanctitatem. Vbi nota pro testificatione poni in Hebræo *Ghaduth*: & testes vocantur *Ghedim*, vt videre est Deuter. 7. 6. vbi legimus, *in ore duorum vel trium testium.* De his autem Dei testibus, in quibus ille gloriatur, vide Isaiæ 43. 10. & 12. & c. 44. 8. & 9. Aduerte insuper in v. 1. & 2. huius cap. 11. sermonem fuisse de Dei templo, non quidem materiario, sed viuo & spirituali: atque ita consectarium est, vt in hoc v. 3. agatur de viuis duobus templi Dei viui Cherubinis, deque maxima gloria & splendore, quo Deum excellenti suo testimonio prædicarunt. D

In duobus testibus allusione contineri ad Mosem & Eliam.

Præter hæc, in nomine duorum Christi testium allusio est ad Mosem & Eliam, vt ex contextu patet: nam Eliam denotant verba illa, *Hi habent potestatem claudendi cælum ne pluat diebus prophetiæ ipsorum*, at Mosem indicant verba sequentia, *Et potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinem, & percutere*

Digitized by Google

A *tere terram omni plagâ.* Et quidem tam Mosi, quàm Eliæ quadrat mirificè nomen duorum Christi testium. Fuerunt enim testes admirandæ transfigurationis, in qua Christus suam gloriam patefecit. Cùm autem Ioannes in Christi transfiguratione interfuerit: planum fit, ipsum qui nunc Christum nube amictum, eiusque faciem vt solem videbat, & audiebat sibi dicentem, *dabo duobus testibus meis*; facilè intellecturum fore, duorum testium appellatione designari duos illos, quos Christus in sua transfiguratione testes adhibuerat: præsertim cùm mox audierit ipse Ioannes. *Hi habent potestatem claudendi cælum* (quod fuit Eliæ miraculum: *& potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinem*; quod Moses patrauit. Enimuerò Moses & Elias in hoc sacro ænigmate (vt suprà dicebamus) non veræ sunt personæ, sed fictæ. Nam contextus agit de tempore persecutionis, qua Iudæi Euangelium oppugnarunt sub primitiuę Ecclesiæ tempestatem. Tunc autem Moses & Elias nequaquam conciona-turi aduenetunt. Quamobrem ille est verus germanusque sensus, vt sermo sit de mysticis Mose & Elia; qui in Apostolorum & aliorum Christi discipulorum prædicatione eminebant in turbulenta illa persecutione.

Cur Mosi & Eliæ nomen duorum testium quadret?

Quomodo Moses & Elias in hoc ænigmate sacro inducantur.

Nota ergo, gloriam, quæ ex Euangelica prædicatione & peccatorum conuersione redundat in Christum, esse mysticam quandam ipsius Christi transfigurationem, & illustrissimam ipsius gloriæ probationem: in qua Christus duos testes producit, *vt in ore duorum testium stet omne verbum.* Hi autem duo testes locupletissimi, sunt doctrina cælestis & admirabile exemplum ipsius ministrorum. Notum enim est euangelicam atque apostolicam prædicationem ad doctrinam & exemplum reduci, hoc est, ad præstantissimam sapientiam, & integerrimam vitæ sanctimoniam. Deinde qui doctrinâ & sanctitatem efficit testes; illis personâ addat per prosopopœiam necesse est, atque huiusmodi per-

B sonis oportet nomina imponi. Nemo autem inficiabitur ad doctrinæ cælestis nomen atque personam idoneum valde esse Mosem; quemadmodum Eliam ad vitæ sanctitatem & zelum Euangelicum. Facit huc, quòd Moses figurat legem, quæ erat doctrina cælestis, & vitæ Euangelicæ exemplum in nullo alio Prophetarum ita extat atque eminet, vt in Elia, cuius vita non tam ex veteri testamento Prophetam, quàm ex nouo virum planè apostolicum redolet. quippe non virginalis solùm pudicitiæ, sed vitæ etiam religiosæ fuit; & parens atque auctor cælestis illius vitæ. Atque ita in Mose; doctrinæ cælestis; in Elia, vitæ Apostolicæ exemplum enitescit, & in vtriusque coniunctione mirè exprimitur perfecta Christianæ fidei prædicatio; quæ ex vita atque doctrina, ex zelo & sapientia, ex magna intellectus illustratione & voluntatis studio, contentione atque ardore componitur. Quorum vtrumque apprime in vtroque Propheta repræsentatur, in Mose quidem cælestis sapientia per lucis radios ex ipsius vultu emicantes; in Elia, vitæ puritas & feruens animi ardor per igneum currũ.

Mystica Christi transfiguratio.

In Mose figurari legem: in Elia sanctitatem.

Et certè, ni me animus fallit, præcipua ratio, quapropter Christus Dominus in sua transfiguratione gloriam ac maiestatem suam inter Mosem & Eliam interiectus patefecit: ea fuit vel maximè quia hi sunt duo ipsius testes, qua ratione iam explicuimus. Cùm verò prædicationis Euangelicæ finis sit Christi claritatem demonstrare, non illa quidem dignè, vt par est, retegitur, nisi adsit doctrina cælestis, quam alter, & vitæ sanctitas, quam alter designat.

Cur Christus in sua Transfiguratione inter Mosem & Eliam medius interiectus apparuerit?

Obseruandum hic obiter est, quanuis Tiræus de Transfiguratione c. 3. §. 36. sibi persuadeat, in Christi transfiguratione Mosem cum proprio corpore adfuisse, & pro se afferat Damascenum, probabilius tamen censeri Mosem non in corpore proprio adfuisse, sed in aëreo, vel ex simili materia

C angelorum operâ compacto, vt docet D. Thomas 3. part. q. 45. a. 3. & Abulen. Matt. 17. q. 5. & 55. Fundamentum autem est, quia Moses vitâ iam erat defunctus, nec expediebat ipsum à mortuis ante Christum excitari. Venit ergo Mosis anima, non in proprio corpore, sed in alio subtili. Elias autem aduenit (quippe qui superstes adhuc est) proprio corpore atque anima constans. Quo nobis innuitur, ex legis doctrina non opus esse ad Euangelium accersiri antiquum cærimoniarum corpus; sed earum tantùm animam, cærimoniis aliis magis spiritalibus conuestitam. Verùm de ijs omnibus, quæ ad vitæ sanctitatem per se conducunt, non anima solùm, sed verum etiam corpus requiritur: nec tantùm intima animæ affectio, sed etiam externi corporis demonstratio; atque adeò totus Elias viuus ac superstes, corpore & animo constans.

Vtrùm in Christi transfiguratione Moses in proprio corpore, an in assumpto apparuerit?

Notauimus adhuc in duobus testibus allusiones duas, alteram ad Cherubinos, quos fabricauit Salomon; alteram ad transfigurationis mysterium. His addo tertiam, nempe ad Enochi & Eliæ sub Antichristo prædicationem. Nam cùm certum sit Enochum & Eliam viuos adhuc superesse, & Antichristi tempore ad prædicandum venturos: verisimile mihi fit, in hoc ænigmate per comparationem alludi ad ea, quæ extremis illis temporibus sunt euentura. Ad cuius explicationem imprimis aduerto, in aliquo ænigmate rectè supponi posse historiam aliquam, siue prophetiam; ad eamque alludi propter aliam rationem; & diuersas simul allusiones vsurpari, ex quibus illud assumatur, quod

D ad ænigmatis significationem magis conducit. Secundò aduerto, Ioanni familiare esse, per comparationem respicere ad Antichristi tempus, quando de Ecclesię calamitatibus & persecutionibus agit. Patet hoc 1. Ioan. 2. 18 *Filioli nouissima hora est: & sicut audistis, quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt*, si ergo hic est Ioanni mos; valde est verisimile, agere illum in Apocalypsi de Iudaici populi persecutione in Ecclesiam suscitatâ, per comparationem ad eam, quam Antichristus excitabit. Atque adeò in supradictis duobus testibus fiet allusio ad duos illos, qui re ipsâ sunt venturi ad prædicandum sub extremæ illius persecutionis tempus. Ceterùm, ne quispiam deciperetur, dum crederet in hoc de duobus testibus tractatu nihil aliud inesse mysterij, quàm res sub Antichristo euenturas prædicere: idcirco congruentissimum fuit, hoc in loco Mosem pro Enocho substitui. Id quod aptius multò erat ad ea, quæ in hoc ænigmate erant significanda; vt suprà expendimus.

In duobus testibus alludi etiam ad Enochum & Eliam sub Antichristo venturos.

Familiare esse Ioanni, in aliqua Ecclesia persecutione per comparationem respicere ad Antichristi tempus.

Cum huiusmodi animaduersione de respectu ad persecutiones Antichristi tempore euenturas

rite

Hieronymum pro nobis facere in hac explicandi ratione.

ritè consentit, quod suprà retulimus ex Hier. Epist. 148. *De Enoch & Elia, quos venturos Apocalypsis refert, & esse morituros: non est istius temporis disputatio, cum omnis ille liber aut spiritualiter intelligendus sit, vt nos existimamus, aut fabulis acquiescendum.* Quibus in verbis sanctus Doctor vna ex parte expressè asserit, in Apocalypsi referri Enochum & Eliam venturos & morituros: ex alia verò affirmat, Apocalypsin, vt sonat, accipi nequaquam debere. Vtrumque autē cohæret optimè, si statuamus in Apocalypsi referri eiusmodi prophetiam, ad quam liber ipse per allusionem respicit; aliud tamen longe diuersum reapse significari. Fortè etiam nos admonere voluit Hieronymus, licet Apocalypsis in hac allusione præstituat, Enochum & Eliam sub Antichristi tempus certò esse venturos, & ab eodem tyranno occidendos: non tamen esse certum quidquid Apocalypsis de duobus testibus asseuerat, in Enocho & Elia, ita vt sonat, esse complendum. Facile enim potuit Apocalypsis ad certam de Enochi & Eliæ aduentu veritatem respicere; & addere præterea quidquid consentaneum erat ad propositi ænigmatis significationem, quantunuis non ea omnia in Enocho & Elia forent Antichristi tempore euentura.

Nihil in nostra explicatione derogari Ecclesiæ traditioni.

Nec verò quispiam existimet, me propterea aliquid derogare ex ijs, quæ Ecclesia communi consensu & antiquâ traditione accepit. Quod enim à doctissimis viris pro traditione accipitur, illud est, Enochum scilicet & Eliam Antichristi tempore ad prædicandum venturos, & in ea persecutione morituros. At, quidquid Apocalypsis de duplici teste affirmat, ad Enochum & Eliam fore applicandum; & in eis, vt verba sonant, esse complendum; hæc verò, vt iam vidimus, peculiaris quorundam opinio est, non communis Ecclesiæ consensio; vt ex interpretationum, quas suprà retulimus, diuersitate constat.

Ex his, quæ hactenus diximus, complanata manet, opinor, præcipua difficultas, quæ occurrit in ijs rebus omnibus, quas textus de duobus testibus confirmat. Transeamus ergo ad breuiores notatiunculas circa contextum.

Vers. 3. Quid sit, Dabo testibus, & prophetabunt.

ET DABO DVOBVS TESTIBVS MEIS, ET PROPHETABVNT] Id est, dabo vt prophetent, seu, quod idem est, vt prædicent: aut fortè per specialem energiam ait, *dabo illis*: nec tamen declarat, quid sit eis daturus. Quod perinde est ac si dicat, se daturum illis, quęcunque ad prædicationis munus strenuè obeundum necessaria sunt, id est, spiritum, contentionem animi, mentis ardorem: necnon os & sapientiam, quibus obsisti non possit. Expende illa Christi verba, *Nolite ergo cogitare, quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora*, Matth. 10. 19. vbi aduerte, verbo illi, *dabitur*, respondere hîc, *dabo duobus testibus meis*. Et in ijs, quæ daturus est illis includitur vis ac potestas edendi miracula: de qua versu sexto.

Dierū 1260. numerus quomodo accipiendus.

DIEBVS MILLE DVCENTIS SEXAGINTA] Quod idem est, ac tres anni cum dimidio: estque mystičè accipiendum, vt latè explicuimus versu 2. & 3. Id vnum addo, ideo tres annos cum dimidio in numerum dierum reduci; vt explicetur non eos solùm festis illius temporis diebus, sed omnibus etiam & singulis concionaturos. Quo denotatur perseuerantia ingens atque constantia infatigabilis, quibus doctrina apostolica & euangelica sanctitas conuersioni Iudæorum fortiter consuluerunt: quandiu ab ipsismet Iudæis acerrimè oppugnabantur.

Cur duo testes saccis amicti inducantur.

AMICTI SACCIS] Id est, pœnitentiam & peccatorum detestationem prædicantes, & homines ad eam cohortantes.

NOTATIO VI.

In qua declaratur, quod sit solidum fundamentum illius traditionis, quæ docet Henochum & Eliam Antichristi tempore ad prædicandum venturos.

ALiquis fortasse verebitur; ne, si in eo, quod Apocalypsis cap. 11. refert de duobus Christi testibus, mea admittatur expositio; præcipuum illâ diruatur fundamentum, quo Ecclesia nixa habet pro certo, semperque habuit, Henochum & Eliam viuos adhuc superstitesque esse; sub Antichristo ad concionandum venturos; & ab eodem pro Christi fide occidendos fore. Hæc obiectio, quæ aduersus meam declarationem potest opponi, eò est validior, quò probabilius fuerit reliqua Scripturæ loca, quæ ad fidem Henochi & Eliæ aduentui faciendam adduci solent, posse iuxta alium sensum explanari.

Quanuis enim in sacra Scripturâ vna explicatio aliam non excludat: negaritamen non potest, quin argumentum ab vna expositione desumptum non sit admodum firmum; cùm ostenditur, locum illum in alio literali sensu appositè explicari valere. Sic enim fit, vt ab Scripturæ verbis non cogi videamur ad communem excipiendam explicationem.

Quod sit in Scriptura fundamentum ad Elia & Henochi aduentum sub Antichristo affirmandi.

Vt ergo dispiciamus, vtrùm in Apocalypseos loco niti opus sit, vt Henochi & Eliæ aduentum pro certo fore habeamus; oportet cætera Scripturæ loca obiter percurrere, in quibus hæc traditio niti posse videbatur, & quid habeant vis ac roboris examinare.

Ad Eliæ aduentum asserendum, omisso Apocalypseos loco, tres nobis restare loci videntur ij sunt 4. Reg. 2. 11. Ecclesiastici 42. 10. & Malachiæ 4. 5. Discurramus ergo per singulos, & inquiramus, num aliter valeant apte explicari?

Examinatur primus locus ex 4. Regum.

Primus est, 4 Regum 2. 11. vbi solùm dicitur Elias ascendisse in cælum in curru igneo. Id tamen non videtur conuincere: nam similiter dicitur de Enocho Genes. 5 24 *Ambulauit Henoch cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* Qui autē aiunt hanc esse Ecclesiæ traditionem, non minùs de Henocho, quàm de Elia loquuntur: cum tamen Ambrosius, Hilarius, Catharinus, Arboreus, & noster Maldonatus affirment, non Henochum sed Mosem cum Elia venturum. Locus ergo ille 4. Regum 2. 11. non planè conuincit.

Expenditur secundus locus ex Ecclesiastico.

Alter locus est, Ecclesiastici 48. 9. & 10. *Qui receptus est in turbine ignis, in curru equorum igneorum. Qui scriptus est in iudicijs temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium: & restituere tribus Iacob.* Prima huius loci pars eadē est cum ijs verbis ex 4. Regū 2. 11. de quibus iam diximus. In secunda verò parte, explosâ Iansenij opinione, quam meritò reprehendit Pererius in Danielem) nempe Ecclesiasticum non loqui ex propria sententia, sed secundùm receptam suo tempore opinionem, qua credebatur Elias in sua persona ante Messiam vēturus:) hac, inquam, audaci opinione omissâ, fortasse dici posset, Ecclesiasticum quidem loqui secundùm rei ipsius veritatem, loqui tamē de spiritali aduentu Eliæ. Neque obstat, quòd in contextu ad ipsā Eliæ personā dirigatur sermo. Nam loquendo cum persona eiusdē, & respiciendo spiritalē eius aduentū in alterius persona (nempe Ioannis Baptistæ,) Eliæ ipsi potuit elegātissimè dici, Tu scriptus es à Malachia mittēdus esse à Deo præcursor Messiæ.

Pro

Quomodo prædictus locus Ecclesiastici possit de spiritali Elia aduentu intelligi.

Pro cuius intelligentia animaduertendum est, Ecclesiasticum ibi congerere laudes veri Eliæ; sed ad ipsius quoque Eliæ laudem spectare; quòd Ioannes Baptista in illius spiritu & virtute venerit. Quid enim magnificentius, quàm Eliæ nomen ita esse illustre atque glorioſum; vt eius imitatio ac nomen potuerint Ioannem Baptistam supremum Christi prodromum honorare? Certè cum huiusmodi sensu mirificè cohærent, quæ in eodem Ecclesiastici loco sequuntur: ea sunt; ***Beati, qui te viderunt, & in amicitia tua decorati sunt. Nam nos vita viuimus tantùm post mortem autem non erit tale nomen nostrum.*** Quod est dicere; Ceteri mortales postquàm è viuis excedimus, obliuioni tradimur: tu autem postquàm à nobis raptus es, viuis adhuc inter nos per glorioſum nomen, viuesque in sæcula: siquidem in tuum honorem & gloriam Ioannes Baptista appellabitur Elias, eo quòd tui futurus sit imitator: si ergo postquam à nobis discessisti, tui memoria & nomen adeò viget, adeoque vigebit; quid existimare debemus de illorum fælicitate, qui tui ipsius præsentiâ & consuetudine perfrui meruerunt?

Reprehenditur Iansenius, & ab eius calumnia vindicatur Vulgatus.

Hunc contextum non est assecutus Iansenius: & quia voluit aliter interpretari de vita per Messiam asserenda, ideo dicere est ausus, nostrum interpretem non intellexisse Græcæ lectionis mysterium; & propterea multis additis verbis longè aliter vertisse. Enimuerò si serius rem expendisset, cerneret vtique; quia noster interpres collineauit, ideò vt Græcæ lectionis mysterium clariùs exprimeret, eundem addidisse quædam in Latina versione. Græca enim ad verbum sonant, ***Etenim nos vita viuemus***, id est, non ampliùs viuemus, quàm dum vita hæc mortalis durabit: id est, non ampliùs durat nomen nostrum; tuum autem æternum superstes erit. Hic erat sensus mysterij plenus. Ex quo intelligitur nihil addidisse Latinum interpretem, quod non contineatur in vero Græcæ lectionis sensu. Quòd si Iansenius obseruasset; nó adeò liberè vulgatam lectionem corriperet, neque ausus fuisset auctorem etiam libri quodammodo reprehendere. Ab ea tamen calumnia asseruit Ecclesiasticum Vulgatus: ex eius enim translatione constat, Ecclesiasticum aptissimè posse intelligi de alterius aduentu, qui nominis veri Eliæ gloriam amplificet atque extendat. Quòd si hæc expositio probabilis est, ex ea potiùs infertur, Ecclesiasticum in modo loquendi, videri primo aspectu loqui de Elia, quasi de homine iam mortuo. Nam illa antithesis. ***Post mortem non erit tale nomen nostrum***, primi specie sic videtur explicanda; ***nomen nostrum, non erit tale post mortem, quale post mortem est tuum.*** Non tamen id voluit Ecclesiasticus asserere; sed tantùm Eliam postquàm à mortalium consortio discessit, adhuc inter mortales ipsos per nominis claritudinem viuere.

Tertius ex Malachia locus expenditur.

Tertius locus est ex Malachia ca. 4. 5. Quem locum quanuis Maldonatus atque Toletus Lucæ 1. 17. & Pererius in Daniel. contendant explicandum omnino esse de proprio veri Eliæ, non de spiritali aduentu; Hieronymus tamen ibi explicat de vniuerso Prophetarum choro siue de Prophetia; & Iansenius in eum locum Ecclesiast. 48. vult Malachiam non agere de personali Eliæ aduentu, sed de spiritali in Ioannis Baptistæ persona. Et meâ quidem sententiâ certum est, Malachiæ locum de spiritali Eliæ aduentu in persona Ioannis fuisse à Christo Domino explicatum. Lege Matth. 11. 14 ***Ipse est Elias, qui venturus est.*** & Matt 17. 10. ***Interrogauerunt eum discipuli Quid ergo scriba dicũt, quòd Eliam oportet primùm venire? At ille respondens ait, Elias quidem venturus est, & restituet omnia. Dico autem vobis, quod Elias iam venit, & non cognouerunt eum.*** Vbi nota, verba illa ***Elias quidem venturus est***, ita posse explicari, quasi dicat certum ex Scriptura esse, Eliam fore venturum: nempe ante primum Domini aduentum, nimirum spiritaliter. Adde huc, quòd Gabriel Angelus Lucæ 1. 17. citat Malachiæ locum, & exponit de Ioanne. Atque ita non alio sensu negato, existimo Malachiæ locum de Eliæ aduentu spiritali debere intelligi.

Malachia locus de Elia quo pacto sit intelligendus.

Explicatio de spirituali Elia aduentu ante primũ aduentum Christi, quam sit & verita, & Scripturæ congruens.

Pro cuius rei confirmatione nota, explicationem de spiritali Eliæ aduentu ante primum aduentum Domini, non solùm esse certam propter rei ipsius veritatẽ, & propter Christi atque angeli applicationem: sed etiam adeò aptam & elegantem, vt sermonem abstrahendo ab ipsius aduentu personali, illa per se sit Scripturæ sacræ congruentissima. Primùm enim negari non potest, verissimè & elegantissimè dici aduenisse Eliam, quando Ioannes Baptista aduenit in spiritu & virtute Eliæ. Sic enim locutus est Christus, vt suprà vidimus: & similiter loquitur Angelus Danielis c. 12. 2. cùm ait ***Multi de ijs, qui dormiunt in terra puluere, euigilabunt*** hac item ratione loquitur Ioannes in Apocalypsi cap. 13. Cùm dicit primum bestiæ caput, (id est Neronem) postquàm occisum est, surrexisse: nimirum quia surrexit alius Ecclesiæ persecutor in spiritu & crudelitate Neronis. Constat ergo eam & Scripturæ esse phrasim, & elegantiæ plenam. Neque obstat Malachiæ contextus, quin intelligi possit, ad literam agi de primo Domini aduentu: Nam quanuis sic loquatur, ***Antequàm veniat dies Domini magnus & horribilis***; ex Græco tamen redditur, magnus & illustris. Et primus Domini aduentus meritò dicitur horribilis: est enim valde admirandus ac summopere venerandus modus, quo Christus suum populum redempturus aduenit.

Explicatur Malachiæ locus de spiritali Eliæ aduentu in beato Ioanne Baptista.

Præterquàm quòd primus aduentus non iniuriâ dici potest Iudaico populo horribilis: eo enim cæcutierũt illi, & obdurauerunt. Ioannis autem prædicatione effectum est, vt aliqua Iudæorum pars ad Christum conuerteretur; atque adeò ne omnes exæcarentur penitùs, & fierent anathema; id est, separati & execrandi. Constat ergo Malachiæ contextum appositè de spiritali Eliæ aduentu intelligi. Ad hæc, non solùm in Ioannis Baptistæ personâ spiritaliter aduenit Elias; sed etiam in multis alijs & venit, & veniet; vt in B. Dominico & Francisco: ac proinde ante secundum etiam Christi aduentum præcedit spiritaliter aduentus Eliæ. Nec verò huic de aduentu spiritali explicationi repugnant verba illa, quæ sequuntur; nimirum, ***Et cõuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.*** Nam Gabriel Angelus hæc itidem verba ad Ioannem applicauit Lucæ 1. 17. Quia videlicet suâ admirabili prædicatione effecit, vt multi patres cum filijs, & filij multi cum patribus in vera religione conciliarentur, qua etiam ratione restituit tribus Iacob. Nam per incredulitatem perirent omnes Israelitæ, nisi Christo prædicato, seruaretur in eis verus Dei populus; qui insertus deinde Gentibus augeretur, & gloriam duodecim tribuum spiritualiter retineret, vt ex c. 7. Apocalypseos intelligitur.

De Henochi aduentu sub Antichristi tempora primus locus examinatur.

Verùm age iam, ad Henochi aduentum transeamus. Primus locus est Genes. 5 24 ***Ambulauitque cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.*** Ex hoc autem loco non videtur efficaciter probari, Henochum, vt contra Antichristũm prædicet, venturum cum Elia, & vnà cum ipso fore occidendum. Constat enim, stante adhuc hoc ipso loco, aliquos ex grauissimis auctoribus, & inter eos Hilarium atque Ambrosium sibi persuadere, non Henochum cum Elia, sed Mosem ad prædicandum venturum. Quam sententiam nostrâ ætate sequuntur, Catharinus; Arboreus, Gagneius, Arias Montanus, Maldonatus & alij.

Secundus locus de Henochi aduentu ex Ecclesiastico.

Sequitur alter locus Ecclesiastici 44. 15 ***Henoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, vt det Gentibus pœnitentiam.*** Verùm tamen textus Græcus non cogit, vt explicemus de Henochi aduentu; vt notauit Iansenius. Græca enim ad verbum sonant: ***Henoch placuit Domino, & translatus est documentum pœnitentiæ ætatibus seu generationibus.*** Absque eo autem, quòd Henochi aduentus affirmetur, prædicta verba videntur aliter posse aptè explicari: nimirum, ideo Deum abstulisse Henochum, vt miræ illius rei recordatio in posterorum sæculis & ætatibus admoneret peccatores à Deo assumi sanctos viros, & ex scelleratorum conuictu secerni; quia non meretur mundus illos apud se habere, quorum mores adeò sunt diuersi atque contrarij deprauatis mundanorum hominum moribus: sicque sanctæ Henochi vitæ memoria semper peccatores ad pœnitentiam excitet. Huic intelligentiæ fauere videtur locus alter Ecclesiastici c. 49. 16. ***Nemo natus est in terra, qualis Henoch; nam & ipse receptus est à terra.*** Atque in eodem sensu explicari potest, Eliam à Deo fuisse sublatum igneo curru. Et iuxta hanc expositionem, illa versionis Latinæ verba, ***vt det Gentibus pœnitentiam***, aptè possunt ita intelligi, vt semper pœnitẽtiæ documentum

Digitized by Google

Tertius de Henochi aduentu locus ex epistola Pauli ad Hebræos.

documentum existat; quantumuis alias non esset Antichristi tempore venturus.

Tertius locus est ad Hebræos 11. ***Henoch translatus est, ne videret mortem: & non inueniebatur, quia transtulit illum Deus.*** Quibus ex verbis non colligi videtur posse, ipsum cum Elia sub Antichristi tempus venturum.

Si Apocalypseos locum excipiamus, nullus est in tota sacra pagina locus, præter eos, quos retulimus, in quibus Ecclesiæ traditio de secundo Henochi & Eliæ aduentu, deque eorum martyrio innitatur. Quòd si hisce omnibus locis diuersus potest sensus idoneè adhiberi, vt iam vidimus: ne traditio Ecclesiæ collabatur, necessariò fatendum videtur, germanum ac literalem sensum huius loci Apocalypseos de duobus Christi testibus non esse alium, nisi Henochi & Eliæ aduentum, prædicationem, martyrium, & glorioſam resurrectionem.

An sit Ecclesiæ traditio, Henochum & Eliam esse sub Antichristo venturos ad prædicandum. Futurum Henochi & Eliæ aduentum non ab omnibus æque certum reputari.

Quòd autem sit Ecclesiæ traditio, Henochum & Eliam aduersus Antichristum esse prædicaturos, & ab eodem occidendos; id à grauibus Theologis asseritur, & à nonnullis iudicatur esse de fide. Ad cuius veritatis confirmationem afferunt multa Maluenda l. 9. de Antichristo. Suarez 3. p. to. 2 disp. 55. Pererius in Daniel. Viegas, & Ribera Apoc. 11. Mendoza in quodlibet. Pamelius in Tertullianum.

Ad hæc autem asſero primò, licèt affirment aliqui de fide esse Henochum & Eliam ad prædicandum contra Antichristum venturos; alijs tamen non ita certum videri. Imprimis enim de Henocho id negant Hilarius, Ambrosius, & nonnulli Theologi ex iunioribus doctissimis, quos suprà retulimus. Deinde eam traditionem non videntur recipere, qui Henochum & Eliam immortalitate donant; vt Procopius in Genesin. vel qui dubitant, an sint immortales, vt Gregorius Nazianzenus; quem refert Pamelius, Eugubinus etiam illis immortalitatem tribuit (quem refert Suarez 3. p. tom. 2. disput. 55. & fauere ait Epiphanium & Hieronymum. Præterea non defuere, qui in dubium reuocarint, num reuerà sint Henochus & Elias venturi: & speciatim, qui dicunt Mahometum fuisse Antichristum. De quo videri possunt, quæ scripserat Hentenius; & quæ contra eum scripsit Pererius in tractatu de Antichristo. Ad hæc, Suarez non ait esse de fide: sed disiunctiuè, aut esse de fide, aut proximum fidei. Pererius verò solùm ait, eam esse communem sententiam, & ab antiquis temporibus in populo Christiano receptam, & Iansenius Ecclesiastici 48. planè asserit, non esse de fide.

Henochum non fuisse mortuum, de fide constare, idemque de Elia asserendum.

Secundò illud saltem de fide est, Henochum non mortuum esse. Id enim expressit Paulus ad Hebræos 11. 5. Et de Elia similiter colligitur manifestè ex 4. Regum 2. 11. Nam si ex translatione colligit Paulus, Henochum non vidisse mortem: ergo similiter est certum, & Eliam. Et quanuis Philo Iudæus dixisset mortuum fuisse Henochum; nihil hoc Christiani curaremus. Suarez hunc errorem tribuit Philoni in libro de Abrahamo, seu de vita sapientis. Meo tamen iudicio ex Philonis verbis non id rectè colligitur, quia loquitur allegoricè: atque ita ex eodem loco Viegas infert, affirmasse Philonem, Henochum non fuisse mortuum. Qui hac in re addubitare videtur, est Chrysostomus tomo 1. ait enim; ***Si quis curiosiùs rogare velit, quò translatus sit Henoch, & num vsque ad præsens vixerit discat non conuenire humanis mentibus curiosiùs ea, quæ à Deo fiunt, explorare.*** Hæc ille; quæ fortè per non curantiam protulit. Si enim aduerteret, quod Paulus affirmat, Henochum non vidisse mortem; neutiquam diceret, id explorare, curiosum valde esse.

Quid senserit Chrysostomus de Henochi morte.

Duo fundamento nitatur Ecclesia traditio de futuro Henochi & Elia aduentu.

Tertiò, vt Ecclesia futurum Henochi & Eliæ aduentum reputet certum, qua ratione reputat; sufficiens est fundamentum, constare de fide ipsos nondum esse mortuos, sed superstites adhuc remanere, nec non tot esse Doctores, qui vel propter prædicta Scripturæ loca, vel fortè ex Apostolorum traditione aut aliâ etiam antiquiori iam inde à Prophetis deductâ, affirmant vt rem omnino certam, Henochum & Eliam ideo non obijsse, quia Antichristi tempore sunt ad prædicandum venturi, & tunc martyrij palmam adepturi. Hoc, inquam, fundamentum sufficit. Constat enim, à Deo per tot annorum millia Henochum & Eliam fuisse asseruatos, & ipsorum mortem tandiu protractam, non quidem frustra, sed singulari planè consilio ad egregium aliquod & insigne facinus. Quæ autem sibi finem diuina prouidentia in hoc proposuerit, satis ex veteri traditione nobis innotescit; atque etiam ex communi Doctorum declaratione in locis suprà dictis. Huic autem traditioni siue communi persuasioni non officit, superiora illa loca in alio fortassis sensu idoneè intelligi posse. Nam eundem Scripturæ locum duplici literali sensu constare, præsertim si connexionem inter se habeant, dissentaneum non est. Si hæc veritas atque eius certitudo in eo niteretur, quòd loci illi nullam aliam præterea declarationem admitterent, nisi de personali Henochi & Eliæ aduentu; tunc quidem aliam concedere expositionem, perinde esset, atque illorum aduentum negare: sed ad eas angustias minimè redigimur in hac traditione; nec Ecclesia eam videtur in hoc certitudinis gradu amplecti.

Non minùs certò de Henochi aduentu, quam de Elia constare.

Quartò, quanuis sit verum, si aliquorum Doctorum sententia attendatur, Henochi aduentum non tantâ auctoritatis firmitudine niti, vt aduentum Eliæ; siquidem multi affirmant Eliæ aduentum, qui aduentum Henochi inficiantur. Si tamen res ipsa ex sacræ Scripturæ auctoritate consideretur; non minùs est certus Henochi aduentus, quàm Eliæ. Nam præcipuum fundamentum, quo hæc communis Doctorum persuasio firmatur, illud est; quòd ex Scriptura constet, vtrumque Prophetam esse adhuc superstitem: & de Henocho id Paulum exprimere. Quòd si Ecclesiastici locus inspiciatur; non minorem videtur habere vim textus, qui de Henocho loquitur, quàm qui de Elia.

Ex Apocalypseos loco præcisè sumpto non certò probari Henochi & Elia aduentum.

Quintò, quanquam Doctores aliqui opinati sunt, locum Apocalypseos esse præcipuum fundamentum, vt Ecclesia pro certo habeat, Henochum & Eliam esse venturos ad prædicandum tempore Antichristi; mihi tamen certum est, decipi eos, qui eam sibi mentem inducunt. Primò, quia vt sæpè alias ex Dionysio Areopagitâ retulimus, ***Theologia symbolica non est argumentatiua.*** Secundò, quia multi sunt Doctores, qui hunc esse Apocalypseos sensum negant; vt vidimus in commentario. Tertiò, nam Apocalypseos acoluthia, quæ solidis fundamentis & grauissima auctoritate solidatur, sensum alium manifestè postulat. Quarto, nam si Apocalypseos textus consideretur; perspicuum est in eo non coniungi Eliam cum Henocho, sed cum Mose. Quamobrem id potiùs nonnullis præbuit ansam erroris, quòd sibi persuaderent Apocalypsin in sensu literali loqui de Eliæ & ipsius socij prædicatione sub Antichristi tempus. Nam cùm hoc ita statuerent; scripserunt, non quidem Henochum, sed Mosem tunc fore Eliæ comitem, id quod nimis exaggerando asseuerarunt; cùm res sit, meo quidem iudicio, improbabilis. Constat enim ex Scriptura Mosem esse mortuum; eiusque animam, ex quo fuit per Christum Dominum à limbo educta, perfrui cælesti beatitudine. Est autem minimè probabile, aliquem ex Beatis excitandum fore, & rursus vitam mortalem traducturum, ac posteà moriturum. Itaque tantùm abest, vt caput vndecimum Apocalypseos potissimum sit fundamentum ad Eliæ & eius socij sub Antichristo prædicationem & martyrium asserenda; vt potiùs verum sit, opinionem illam, quæ putat Apocalypsin agere de Henochi & Eliæ aduentu, pugnare omnino cum vero aduentu Eliæ & socij ipsius. Nam ex hac opinione sequitur, non Henochum Eliæ comitem futurum, sed Mosem: quod est falsum omnino & improbabile. Inde enim infertur, Henochum quasi irrito conatu & Dei consilio frustra custodiri: cùm constet ex sacris Litteris, ipsum planè esse, non Mosem, quem asseruat Deus, vt extremis temporibus moriatur.

NOTATIO

NOTATIO VII.

In qua aduertitur, multa esse symbolorum paria; in quibus significari voluit Spiritus sanctus coniunctionem sapientiæ, & sanctitatis, quæ sunt duo testes capitis 11. Apocalypseos.

TAM Angelos, quàm homines (quorum vtriq; sunt rationales creaturæ) condidit Deus, vt eum suis actionibus honorarent: cetera autem omnia ad hominũ obsequium produxit. Ex quo apparet, quanti Deus æstimet actionum rationalium perfectionem, earũ, inquam, quæ angelis & hominibus sunt communes. Atque ex his actibus rationalibus, quibus Angeli & homines Deum colunt ac suspiciunt; alij perficiunt intellectum, dum eum verâ sapientiâ illustrant; alij voluntatem, dum illam ad diuinum nutum ac voluntatẽ conformant; in quo vera sanctitas consistit. Hinc elicitur tum Angelicam, tum humanam perfectionem; atque adeò decus & gloriam, quâ rationales creaturæ Deo possunt suis actionibus deferre; ea, inquam, omnia reuocari ad coniunctionem verę sapientię mentem illuminantis, veræque sanctitatis mundantis affectum. Quòd si hoc perfectionum par in semet complectitur gloriam omnem atq; honorem, quem rationales creaturæ Deo possunt tribuere; quid obsecro congruentius, quàm vt duplicis huius perfectionis frequentissima sit in sacris symbolis mentio? Adhæc, vt significetur quàm sit Deo honorifica & gloriosa hæc sanctitatis atque sapientiæ in rationalibus creaturis copulatio; quid aptius, quàm diuinum Spiritum voluisse, multa huiusmodi symbolorum paria, hanc ipsam perfectionum societatem indicantia multiplicare?

Proponuntur varia sapientiæ & sanctitatis symbola.

Ex his ergo symbolis placuit in hac notatione viginti non minùs paria colligerè; atque ex ijs ordiri, quæ naturalia sunt, quæque potissimùm constituunt in mystica significatione, quam Deus naturalibus rerum aliquarum proprietatibus indidit.

I. Symbolum.

Inter hæc primum sibi vendicat locum societas splendoris & efficacitatis, quam Deus in sole constituit, eámque imprimis celebrat Psalmus 109. vers. 3. sub nomine virtutis & splendoris.

II. Secundò, in igne etiam lux atque calor eandem sortiuntur significationem.

III. Tertiò, in meteoris eidem deseruiunt mysterio tonitrua & fulgura; vt vidimus Apocal. 4. in commentario versus 5.

IV. Quartò, in corporibus mysticis sunt eidem significationi aptissimæ, miræ duæ proprietates magnetis; vt vidimus Apocal. 2. not. 5.

V. Quintò, ex agricultura rectè ad eandem significationem vsurpatur consociatio & quasi connubium palmæ atque vitis, vt videbimus Cant. 7. versu 7.

VI. Sextò, ex regijs hortis desumptum est ad hoc idem denotandum par illud symbolorum, *Hortus conclusus, fons signatus*, vt patebit Cant 4. 12.

VII. Septimo, ex humanis moribus symbolicè accipitur conuiuium vini ad sapientiam denotandam, & nuptiales amplexus ad sanctitatis perfectionem: vt planum fiet Cant. 1. 1. vbi vbera sponsi vino præferuntur.

VIII. Octauò, inter naturalia symbola annumerari potest auri & argenti cognatio; quæ duo sunt metalla pretiosa; eaque sæpè Deus coniuncta procreat: vt constat in electro natiuo, de quo mira prodit Plinius. Atque hæc auri & argenti coniunctio mirificè deseruit ad gloriosam sanctitatis & sapientiæ copulationem in coronis ex auro & argento, de quibus Zachariæ 6. 11.

Aliud symbolorum est genus, quod in sacris historijs fundatur: aut in rebus, quas Spiritus sanctus ad huius perfectionum paris significationem fabricari iussit. Et historiæ quidem, in quibus duæ copulantur personæ; vt altera cælestem repræsentet doctrinam, altera euangelicam sanctitatem, sunt quæ sequuntur.

IX. Prima, Pontifex Iesus sapiens, & dux Zorobabel fortis: de quibus agitur Zachar. 4. & Ecclesiastici 49. 13. & 14.

X. Secunda, Moses & Elias in Christi transfiguratione; quò alluditur in duobus Christi testibus, Apocalyps. 11.

A Tertia: sorores duæ Martha & Maria; altera, quæ Christi verba exaudit, altera, quæ in ipsius Christi obsequium sese impendit. Et fortasse aliquis has duas sorores componat cum duabus illis Liâ & Rachele, quas Iacobus duxit vxores. *XI.*

Quarta: duo Angeli, qui Christi resurrectionis fuere testes, Lucæ 24. 4. Et qui in Christi Ascensione apparuerunt, Actuum 1. 10. *XII.*

Quinta: ad eiusdem rei significationem misit Dominus discipulos binos ante faciem suam. *XIII.*

Sexta: eidem mysterio seruiunt duo illi viri, qui vuarum racemum comportarunt, de quo Nu. 13. 24. *XIV.*

Septima: (vt historijs visiones propheticas adiungamus) huc spectat biga equitum Isaiæ 21. 9. *XV.*

Octaua eôdem etiam pertinent duæ oliuæ, Zachariæ 4. 3. *XVI.*

Res verò artificiales ad hanc eandem significationem, Dei quondam iussu fabricatæ, quæ quidem modò in mentem veniant, sunt huiusmodi.

B Prima: duæ columnæ Booz & Iachim, quæ erant in templi porticu: de quibus diximus Apocalyps. 3. not. 1. *XVII.*

Secunda: mensa propositionis & candelabrum, quæ erant in templi parte, quæ appellabatur sancta, iuxta portam sanctuarij: alterum quidem ad dexteram, altera ad sinistram. Hanc verò esse germanam duplicis illius symboli significationem, vidimus c. 4. not. 14. *XVIII.*

Tertia: duo Cherubini, qui erant in sancta sanctorum, (quibus opponuntur duæ mulieres, quæ leuauerunt amphoram impietatis Zachariæ 5. 9) Porrò de duorum Cherubinorum significatione diximus latè Apocal. 4 notat. 9 In templi etiam parietibus Cherubini cælati erant bini eadem significatione. *XIX.*

Quarta: cognatio illa, siue societas doctrinæ & veritatis, quas Deus in Pontificis Rationali imprimi iussit, Exod. 28. 30. Nam per doctrinam significari sapientiam compertum est. Deinde doctrinæ & veritatis distinctio, & Rationale duplex effectum (instar corporalium bursæ) vt in altera parte apponeretur doctrina, in altera veritas: hæc, inquam, distinctio, meo iudicio, postulat, vt veritas in Rationali ponatur, sicut sæpè aliàs in Scriptura pro sanctitate; cui aptissimè tribuitur veritatis nomen. Adde ex Hebræo ad verbum reddi, pro *Vrim & Thumim, Illuminationes, & perfectiones.* Non disputo in præsenti id, quod ab alijs latè disputatur, & quod ipsi mysterio præstituitur; ex qua scilicet materia, & qua forma fuerint in Rationali Vrim & Thumim; pro quibus noster vertit doctrinâ & veritatem. Scio ea de re varias esse admodum Doctorum sententias, quas refert noster Delrius lib. 4. de Magia. Ceteris tamen omissis breuiter dico, nihil in ea re verisimilius esse, quàm quod Philo manifestè docet l. 3. de vita Mosis: vbi Rationale appellat basim; & ait, in ipsa textura Rationalis scripta fuisse illa verba *Vrim & Thumim.* Et similiter loquitur lib. 2. de Monarchia. *De doctrina & veritatem Pontificis olim Rationali impressis.* *Vrim & Thumim.*

D Philonis traditionẽ amplectuntur Hugo de S. Victore in Exod. Raduiphus lib. 6. in Leuiticũ, Rabanus l. vlt. in Exod. & noster Ribera lib. de Vestibus sacerdotalibus ca. 12. & fauet Augustinus in Exod. qu. 127. Vbi ait intelligi posse demonstrationem & veritatem literis fuisse imposita super logion, id est, super rationale.

Præmitto insuper, Pontificem ad consulendum Deum sibimet induere solitum rationale, quod erat proprium Pontificatus insigne (quemadmodum nunc summi Pontificis thiara, & Archiepiscoporum pallium propria sunt.) Verisimilius autẽ est, tam Deum consulendi rationem, quàm Dei ipsius responsum, vtrumq; viuâ voce fieri solere. Nec his obstat aliquando diuinum oraculum insolito lapidum rationalis splendore associari, de quo Iosephus li. 3. Antiquit. c. 9. *Summus olim veteru legu Pontifex qua ratione Deum consuleret.*

His ita præpositis, & somniis aliquorum omissis, solùm superest explicare, cur voluerit Deus, præcipuum

Digitized by Google

Cur voluerit Deus in Pontificis rationali (quod erat præcipuum ipsius insigne) inscribi duo illa verba, Vrim & Thumim.

puum supremi Pontificis in lege veteri insigne, fuisse Pectorale; & in interiori eius parte duo illa verba esse contexta *Vrim & Thumim*, quæ sapientiam & sanctitatem repræsentant? Ad quod respondeo, quemadmodum inter sacra Christianæ Ecclesiæ ornamenta Pallium significat Archiepiscopalis potestatis plenitudinem; ita similiter in pectorali pontificis Hebræorum decreuisse Deum, vt pretiosum illud stemma denotaret maximam dignitatis illius auctoritatem & potestatem; necnon peculiarem Dei ipsius præsentiam atque præsidium, quo munierentur legitimi Pontifices; ne errare possent in eo, quod tam circa doctrinam, quàm circa mores decernerent. Et quanuis, vt Hebraicus populus suum Pontificem suspiceret, decreuit Deus, singularem illam cælitus præsentiam ac protectionem in Pontificis consultis sæpè propalam reddi manifestam (Dei ipsius voce auditâ, & pretiosorum lapillorum insolito splendore micante) alia tamen erat Deo sublimior mens, alius excellentior scopus in singulari illo præsidio, quo veterem Pontificem protegebat: vt his veluti lineamentis atque vmbris figuraret ingentem Romani Pontificis dignitatem, qui supremus est Catholicæ Ecclesiæ Præsul. Vt autem significaretur, in Romani Pontificis pectore Deum recondere infallibilem auctoritatem ad vniuersalis Ecclesiæ administrationem, tam circa fidei doctrinam, quàm circa mores, & Ecclesiæ ipsius sanctitatem (cuiusmodi sunt Religiosorum ordinum institutio & approbatio, ac præ-

Supremum veteru legis Pontificem fuisse veluti vmbram summi Pontificis, qui Christi vicarius & Romana Ecclesia caput est.

A ceptorum in ipsa Ecclesia sanctio) ad huius, inquam, mysterij significationem nihil potuit conuenientius excogitari, quàm recondita textura doctrinæ & veritatis in antiqui Pontificis pectorali.

Verum est tamen, repræsentationem hanc maximam dignitatis in Romano Pontifice non esse proximam & immediatam: hæc enim in eo præsertim solidatur, quòd Pontifices Romani sunt ipsius Christi Vicarij: ac proinde certam habent Dei ipsius præsentiam & assistentiam ad doctrinæ & sanctitatis in Catholica Ecclesia administrationem. At in Christi pectore veluti proprio in fonte est vera sanctitas, veraque doctrina. Atque in hoc perfectionum pari, vt in basi ac fundamento, nititur vniuersa gloria & splendor duodecim lapidum pretiosorum: hoc est, nouarum tribuum Israëlis, de quibus Apocal. 7. Nam si in duodecim rationalis lapidibus exsculpta erant insignia duodecim tribuum, (vt habetur Sap. 18. 24.) nouæ etiam duodecim tribus Israelis, & ipsarum Patriarchæ duodecim in maximam Christi gloriam atque honorem redundant; & hisce duodecim tribubus in-

B serta est postea Gentium plenitudo. Atque hæc nunc obiter attigisse sit satis. Illud tandem aduerto; in huiusmodi symbolo admoneri Pontificem, quantopere debeat Christum, cuius est Vicarius, imitari; ac proinde suum pectus magnâ sapientiâ, nec minori sanctitate adornare.

TEXTVS.

Vers. 4. Hi sunt duæ oliuæ & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes.

COMMENTARIVS.

Grammatica loci huius constructio quo modo cohæreat.

QVOD attinet ad grammaticam constructionem, videtur non fuisse dicendum, *stantes*, sed *stantia*; vt adiectiuum ad nomen, *candelabra*, referatur. Ad hoc respondet Pererius to. 3. in Genes. ca. 21. hanc incuriam irrepsisse ex eo quòd nomen *candelabra* Græcè sit fœminei generis. Ego quidem dicerem, *stantes* referri debere ad pronomen, *hi*, cum eoque concordare: ita vt constructio sit, *Hi stantes coram Domino sunt veluti duæ oliuæ, & duo candelabra.*

Vers. 4. Allusio in his verbis ad Zachariæ locum.

HI SVNT DVÆ OLIVÆ] Manifesta hîc fit allusio ad id Zachariæ 4. n. 3. *Et duæ oliuæ super illud* (candelabrum) *vna à dextris, & vna à sinistris eius.* Vbi notandum est duas illas oliuas, quas vidit Zacharias, à Ribera explicari de Enocho & Elia. Sed non video, quomodo hæc expositio cohæreat cum illius visionis scopo; de quo dicemus suo loco. D. Hieronymus refert Ecclesiasticam harum oliuarum explicationem esse, vt significent Mosem & Eliam. Quæ expositio desumpta est omnino ex hoc Apocalypseos loco. Nam Ioannes procul dubio se refert ad Zachariæ locum, cùm ait, *Hi sunt duæ oliuæ*, & mox addit: *Hi habent potestatem claudendi cælum*: quod Eliam innuit non obscurè. Deinde subiungit, *Et potestatem super aquas, conuertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga*: in quo Moses denotatur. Hæc ergo explicatio, quam Hieronymus refert, & Ecclesiasticam appellat, grauissima est: sed intelligi debet de mysticis Mose & Elia: de quibus loquitur Apocalypsis, vt superiùs adnotauimus. Et verò Zachariæ loco hac ratione explicato, rectè visionis illius contextus cohæret, vt suo loco planum faciam. Arias Montanus explicat duas illas oliuas de duplici Christi dignitate, scilicet sacerdotali & regia. Ceterùm hæc explanatio cum Apocalypseos loco non potest conuenire: & cùm verba Apocalypseos ad verba Zachariæ respiciant: quæ expositio argumento Apocalypseos, & ipsius contextui non quadrat, minimè esse potest vera Zachariæ loci intelligentia.

Duæ oliuæ à Zacharia visæ quid significent.

D. Hieronymi explicatio de Mose & Elia.

Duas oliuas in sensu proximo ad Zorobabelē ducem & Iesum Sacerdotem esse referendas.

Præter hæc, proximus Zachariæ sensus ille esse videtur, quem tradunt Lyranus & Stunica, censentes loqui Prophetam ad literam de Zorobabele & Iesu magno Sacerdote. Sensus autem ipsius contextus is est: cùm Angelus Prophetæ annunciare vellet per ducem Zorobabelem & per Iesum Pontificem superandas esse difficultates omnes in templi ædificio occurrantes, & ipsam fabricam fore ad fastigium perducendam, & cultum ibi diuinum celebrandum: vt hanc ei veritatem certò enunciaret, illo ostendit aureum templi candelabrum accensum. Quod non aliud fuit, quàm ei confirmare, candelabrum sine dubio fore accendendū: id quod fuerat euenturum ipso dedicationis die post absolutum iam templi ædificium. Præterquàm quòd candelabrum ipsum accensum est idoneum satis symbolum gloriæ & splendoris tam templi ipsius, quàm Catholicæ Ecclesiæ. Hęc est illius capitis proxima intentio apud Zachariam: & in eodem sensu, vt dux Zorobabel & Pontifex Iesus meritò afficerentur honore, ostendit etiam Prophetę Angelus duas oliuas seu duos oliuarum ramos, in quo eidem significauit: si accensi candelabri fulgor symbolum erat splendoris illius templi ad diuinum cultum ędificati, oleum quidem illius lucis referri acceptum Zorobabeli & Sacerdoti Iesu, & quemadmodum candelabri lux referenda est oliuę, quę oleum subministrauit, ita populum

Digitized by Google

A pulum ipſum debere agnoſcere plurima officia, quibus ſuo duci atque Pontifici tenebatur aſtrictus: ſiquidem illorum fortitudine & ſolertiâ templum inſtauratum & diuinum cultum reſtitutum adepturi fuerant. Vide Eccleſiaſtici 49. 13. *Quomodo amplificemus Zorobabel? Nam & ipſe quaſi ſignum in dextera manu. Sic & Ieſum filium Ioſedec? qui in diebus ſuis edificauerunt domum, & exaltauerunt templum ſanctum Domino, paratum in gloriam ſempiternam.* Propterea ergo Angelus Zorobabeli & Ieſu pro inſignibus & ſtemmatis duas oliuas præſcripſit, per alluſionem videlicet ad duos Cherubinos, quos Moſes de lignis oliuarum fabricauit, necnon ad ſignificationem illorum Cherubinorum ex oliuo, de qua diximus cap. 4. Quòd ſi duo Cherubini, quos effecit Salomon, figurabant (vt diximus) magnam doctrinam & inſignem virtutem: in Zorobabele quidem virtus eminebat, in Ieſu Pontifice doctrina. Atque vnà oliuæ ſymbolum magna in ſe includebat elogia, vt facile cerni poteſt expenſis ijs Scripturæ locis, in quibus oliuæ fit mentio. Vide illud Pſalmi 51. 10. *Sicut oliua fructifera in domo Domini.* Eccleſiaſtici 24. 19. *Quaſi oliua ſpecioſa in campis.* Ierem. 11. 16. *Oliuam vberem, pulchram &c.* Oſeæ 14. 7. *Erit quaſi oliua gloria eius.* Ad Rom. 11. 17. *De pinguedine oliuæ.* Oliua item fortaſſe eſt illa Pſalmi 1. *Cuius folium non defluet.* Vide etiam Ieremiam cap. 17. 8. Et Ariam Montanum de arcano ſermone.

In duabus Zachariæ oliuis additos magnos templi Cherubinos haberi reſpectum.

Ex his omnibus ſatis explicatur noſter locus, in quo manifeſtè alluditur ad locum Zachariæ. Quare vox, *oliuæ*, articulum habet præfixum in Græco, quaſi deſignans duas illas Zachariæ oliuas, atque innuens, ſi zelus ac virtus Zorobabelis, ſi ſapientia, & conſilium Pontificis Ieſu vtrique ipſorum

B nomen atque elogium oliuarum indidit, maiori quidem iure hoc laudis præconium, huncque titulum excellenti ſapientiæ & egregiæ ſanctitati prædicatorum Euangelij tribui debere, quibus prædicatoribus candelabrum Eccleſiæ ſuam lucem, fulgorem, ſplendorem & gloriam refert accepta. Adde huc, quòd ſignificatio hæc doctrinæ & ſanctitatis, quæ in Euangelij miniſtris enitescunt, eſt præcipuus ſenſus duarum oliuarum, & eorum omnium, quæ de Ieſu Pontifice & de duce Zorobabele apud Zachariam cap. 4. prædicantur, vt ſuo loco opportunè conſtabit. Quamobrem Apocalypſis ad Zachariæ locum ſeſe refert in eo ſenſu, quem Spiritus ſanctus in ea Zachariæ viſione potiſſimùm reſpiciebat. Facilè autem eſt cernere, myſticos Moſem & Eliam à myſticis Ieſu & Zorobabele neutiquam eſſe diſtinctos.

Confirmatur noſtra expoſitio de duplici Apocalypſeos oliua per alluſionem ad oliuas Zachariæ.

Quòd ſi attendamus propriam & peculiarem oliuæ ſignificationem ſymbolicam (quæ non alia eſt, quàm miſericordia) hæc eadem ſignificatio mirifice ad hunc locum aptatur, quemadmodum in duobus Cherubinis, quos Salomon ex lignis oliuarum fabrefecit. Nam vtrobique finis præcipuus eſt per proſopopœiam doctrinæ & ſanctitati ſpeciem perſonarum affingere, atque adeò pereleganter inducere duas has perſonas, quaſi ingenti hominum commiſeratione tactas ſeſe in eorum ſalutem totas impendere. Atqui perſpicuum eſt, hoc opus prædicationis Euangelicæ cum excellenti doctrina & admirabili ſanctitate coniunctæ eſſe perfectiſſimum Miſericordiæ opus: in eoque impleri, quod dicitur Eccleſiaſtici 44. 10. *Illi viri miſericordiæ ſunt, quorum pietates non defuerunt.*

Oliua miſericordiæ ſymbolum.

C Et duo candelabra in conspectv Domini terræ] Hiſce in verbis dilucidè fit alluſio ad caput Zachariæ 4. ita tamen, vt conuenientiæ admiſceatur differentia: ſicut in multis alijs Apocalypſeos alluſionibus. Conuenientia quidem manifeſta eſt, tum in duabus oliuis, tum in ijs verbis, *In conſpectu Domini terræ*; quæ ſumpta ſunt ex calce capitis 4. Zachariæ; vbi legimus, *Iſti ſunt duo filij olei, qui aſſiſtunt Dominatori vniuerſæ terræ.* Et verò in Zachariæ contextu, hæc verba explicant duplicis oliuæ ſymbolum, & meâ quidem ſententiâ, cùm dicitur, *Iſti ſunt duo filij olei, qui aſſiſtunt Dominatori vniuerſæ terræ*, perinde eſt ac ſi diceretur, *Iſti ſunt duæ illæ oliuæ*, id eſt, duo illi magni Cherubini ex oliuarum lignis fabricati, qui adſtant ad vtrumque arcæ latus, ſupra quam verus ac præpotens Deus ſuam fixit ſedem & thronum. Cùm autem in præcipuo ſenſu, quem Spiritus ſanctus intendebat, ſermo ſit de miniſtrorum Euangelij doctrina & ſanctitate, (quas duo Salomonis Cherubini figurabant) dum aſſeritur illos aſſiſtere *Dominatori vniuerſæ terræ*, nobis ſignificatur, illas eſſe vniuerſales adminiſtras, atque adeò curatrices non tantùm incolumitatis & ſalutis vnius aut alterius prouinciæ, ſed totius etiam terrarum orbis. Quod idem eſt ac dicere, in Euangelica prædicatione imprimis eminere vniuerſalem Dei prouidentiam de ſpiritali Gentium omnium ac nationum bono: ſiquidem propterea virorum Apoſtolicorum doctrinam & ſanctitatem, vt apta huic muneri inſtrumenta, deſumit. Atque hoc ſit ſatis ad indicandam concinnitatem & congruentiam, quæ inter Apocalypſeos & Zachariæ locos reperitur.

In duplici item candelabro ad Zachariæ locum alludi.

Quid ſit hic aſſiſtere dominatori vniuerſæ terræ.

D At verò eorum differentia eiuſmodi eſt. Zacharias vnum tantummodò candelabrum inſpexit, & ad vtrumque ipſius latus oliuas duas: Ioanni autem dicitur de duobus Chriſti teſtibus, *hi ſunt duæ oliuæ & duo candelabra.* quo illi affirmatur, illos teſtes non ſolùm eſſe oliuas, quæ oleum largè ſuppeditent ad candelabri fulgorem alendum; ſed etiam eſſe mira candelabra, quæ ante Deum in vniuerſis terræ prouincijs ardent & collucent. Et quanuis verum ſit candelabrum ſymbolum in capite 1. Apocalypſeos Eccleſijs adſcriptum fuiſſe: hoc non impedit, quo minùs idem candelabri ante Deum ardentis elogium doctrinæ & ſanctitati virorum Apoſtolicorum tribuatur, dum in ijs attenditur, doctrinæ eorum ac ſanctitatis luce Deum magnopere decorari, & ſeptem ipſius ſpiritus cum primis enitescere. Neque hæc candelabra obſcurat perſecutionis nox; quin imò in ea ipſorum ſplendor ac gloria magis, magiſque proditur. Quam ratiocinationem amplificare perfacile eſt, percurſis ijs Scripturæ locis, in quibus de candelabrorum materiâ ac formâ tractatur; & ijs etiam in quibus iuſti candelabro comparantur, vt Ioannes Baptiſta atque alij. Et memini me alibi adnotaſſe in ſymbolica ſignificatione abſtractum à concreto non diſtingui. Nam Leo, verbi gratiâ, tam fortitudinis, quàm viri fortis promiſcuè ſymbolum extat.

Differentia inter Zachariæ & Ioannis locos.

Digitized by Google

Distinctionem inter doctrinam & sanctitatem adumbrari in templi mensa & candelabro.

Obseruari etiam debet, distinctionem inter doctrinam & sanctitatem in templo Salomonis adumbrari inter candelabrum & mensam. Ibi enim candelabrum figurabat vitæ integræ & incorruptæ lucem: mensa autem diuinæ doctrinæ symbolum erat. Hoc tamen impedimento non est, quin dicatur etiam magna cum energia excellentem doctrinam euangelicam esse admirabilis instar candelabri. A

TEXTVS.

Vers. 5. Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum: & si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi.

COMMENTARIVS.

Vers. 5.

SI QVIS VOLVERIT EOS NOCERE] Vsitata phrasis latina erat, *eis nocere*: sed in nostro textu Græca constructio remansit. Verbum græcum est, ἀδικῆσαι, quod propriè significat, *ladere*, aut *iniuriam facere*; idemque verbum est, vbi nos legimus; *Si quis voluerit eos ladere.*

Allusio ad ignem quem ter Elias e cælo descendere iussit.

IGNIS EXIET DE ORE EORVM, ET DEVORABIT INIMICOS EORVM] Alluditur ad historiam, quæ 4. Regum 1. 10. & sequentibus narratur: vbi Elias ait; *Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, & deuoret te.* Videatur etiam Ecclesiastici 48. 3. *Deiecit de cælo ignem ter.* Quia verò vt primùm Elias imprecabatur ignem cælitus immissum, protinus decidebat ignis: videbatur quodammodo ignis ille ex Eliæ ore erumpere. Enimuerò agendo de mystico Mose, & de mystico Elia, sacra fictio non inducit eos solùm ignem è cælo demissum imprecantes, atque ignem mox deijci: sed etiam ipsosmet ex suo ore cælestem ignem euomentes. Noui, hoc à multis de proprio & corporeo igne explicari, qui Mosis & Eliæ hostes penitus absumat, & corporis vitâ priuet. Ceterùm meminisse oportebat illius euentus, quem Lucas narrat, cap. 9. 55. *Cum Samaritani non reciperent Iesum, Iacobus & Ioannes dixerunt, Domine vis dicimus, vt ignis descendat de cælo, & consumat illos? Et conuersus Iesus increpauit illos dicens, Nescitis cuius spiritus estis.* Mystici ergo Moses & Elias non eo sunt præditi spiritu, vt materiali igni vitam hominibus auferant, sed potiùs, vt peccatores diuini spiritus igne inflamment. Atque huiusmodi vindictam Euangelici viri de inimicis expetunt; eamque re ipsâ de multis sumunt, & de illis præsertim, à quibus validiùs oppugnantur, & vehementiùs affliguntur: nimirum pro ipsis ad Deum preces effundere, & tantâ ad eos efficacitate concionari, vt illos demum subijciant cælesti Spiritus sancti flammæ. Iam, quod textus ait, *sic oportet eum occidi*, non denotat solùm à mysticis Mose & Elia peccatores reapse fore mysticè interficiendos; verùm etiam ad Dei gloriam & totius mundi salutem summopere conducere huiusce vindictæ rationem. Et in eo sensu sacra interdum Scriptura vsurpat verbum, *oportet*; vt Sapient. 12. 19. *Oportet iustum esse & humanum.* B

Ignis è duorum testium ore prodiens de quo igne sit explicandus.

Ad concionatoriæ efficaciam exprimendam significanter dici, eum ex ore ignem euomere.

Prætereà in ea phrasi, *Ignis exiet de ore eorum*, aduerte, vsitatam esse hanc loquendi rationem, eamque ad euangelicum aliquem concionatorem vsurpari solere, asserendo eum ignem ore euomere. Hic tamen ignis est sanctus & purus, qui figurabatur in illo igne, de quo dicitur Leuitici 9. 24. *Ignis à Domino deuorauit holocaustum.* Ad hæc; ignis, quo Elias absumpsit eos, qui ad illum comprehendendum aduenerant, erat ignis cælestis, quo Spiritus sancti ignis denotatur. Atque de hoc ipso igne sermo est Apocalypseos 17. 16. vbi in Romæ conuersione, dicitur, *Ipsam igne cremabunt.* Et Apocalyps. 20. 9. de simili conuersione sic habetur, *Descendit ignis à Deo de cælo, & deuorauit eos.* Quin imò non alius est ignis Christi pedum Apoc. 1. & 10. Videantur quæ diximus in Prolegom. notat 23. Et illud interim, quod ibi diximus, hîc etiam adnotetur; nimirum, quanuis maximum inferatur beneficium peccatori, qui hoc igne succenditur; hoc tamen beneficium esse pariter magnam vindictam: quippe peccatum ipsum Deo & virtuti infestum omnino destruitur. Quod verò textus ait, *sic oportet eum occidi*; denotat mortem hoc igne illatam, esse remedium efficacissimum ad vitam veram & permansuram obtinendam. Quemadmodum de aue phœnice iactatur; eam igne consumi, atque inde superstitem & vegetam reuiuiscere. C

TEXTVS.

Vers. 6. Hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum: & potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga, quotiescunque voluerint. D

COMMENTARIVS.

In hîs duorum testium miraculis manifestè ad Mosis & Eliæ miracula respici.

HVIVS versiculi verba, vt suprà iam vidimus, Eliam & Mosem designant. Quanuis textus ipse non perspicuè affirmet, duos hosce testes esse Eliam & Mosem; sed ab illis ea miracula posse præstari, quæ à Mose & Elia fuisse præstita sacræ Literæ testantur. Verùm tamen idem penè est, ac si mystici Moses & Elias (de quibus hîc agitur) designarentur. Prætereà textus ipse iuxta sensum grammaticum posset diuisiuè sumi, ita vt, quod dicitur, *Hi habent potestatem claudendi cælum, & percutiendi terram omni plagâ*; ita intelligatur, vt vnicuique eorum sua tribuatur pars: hoc est, mystico quidem Eliæ potestas claudendi cælum, & Mosi mystico potestas orbem percutiendi Ægyptiacis plagis. Attamen phrasis hæc, qua vtitur Apocalypsis, aliquid ampliùs significat, vtrique scilicet potestatem inesse & cælum

Digitized by Google

A cælum claudendi, & terram Ægypti plagis mulctandi. Quapropter ad præcipuum sensum congruentius est, vt hoc secundo modo accipiatur; intelligaturque hac ratione efficacitatem illam, quæ sub Mosis nomine tribuitur doctrinæ, non in sola doctrina reperiri, nisi cum vitæ sanctitate sit coniuncta: nec etiam solum zelum, aut solam vitæ sanctimoniam esse, quæ cælum claudere possit & recludere, vt deinceps constabit. Etenim nec zelus satis est, nisi cum sapientia copuletur (sancta enim rusticitas fetè non prodest ceteris, vt ait Hieronymus,) nec sola doctrina res miras & excellentes præstat. At egregia sanctitas & doctrina præstans vtraque inter se copulatæ & coniunctæ maximam habent vim ad ea efficienda miracula, quæ in textu referuntur.

Quomodo sit explicanda potestas duobus testibus data claudendi cælum.

Quod ad enumerationis ordinem spectat, primo quidem aspectu videbatur Moses prius designandus, deinde Elias. Moses enim prior fuit. Præterquam quòd doctrina sanctitatem vitæ præcedit. Nam prius illustratur intellectus, quàm inflammetur voluntas. Nihilominùs tamen sapientissimè prius apponit textus Eliam, deinde Mosem: namque agitur de mysticis Mose & Elia, deque Euangelica prædicatione, quæ ex vtroque componitur. In prædicatione autem certum est, exemplum antecedere doctrinæ: vt multi notant circa ea verba, *Cœpit Iesus facere & docere*. Actuum 1. 12. siue vt quidam scitè proferebat, facêre & dócere.

Cur prius Elias videatur designari, deinde Moses?

POTESTATEM CLAVDENDI CÆLVM] Elogium planè Euangelicæ prædicationis (quæ ex admirabili vitæ exemplo, & ex præstanti doctrina coalescit) illud est, quòd in eius sit potestate cælum claudere,

B vt de Elia legitur. Id quod aptissimum est, vt significetur, quanta mundo vniuerso calamitas impenderet, si Dei serui se subtraherent, & ab Euangelio exemplo & doctrina prædicando penitus abstinerent. Hoc etenim perinde esset, quasi cælum claudere, & cælestem rorem, veramque pluuiam, quæ tellurem fœcundat, omnino deficere, lege Deute. 32. 2. *Concrescat, vt pluuia doctrina mea, fluat, vt ros, eloquium meum: quasi imber super herbam, & quasi stilla super gramina.* Multa possem ad eandem mysticam pluuiæ significationem afferre; ceteris tamen omissis, verba Hispalensis nostri Archiepiscopi Dini Isidori referre sit satis in lib. de Mundo cap. 33. *Pluuiæ* (inquit) *nubium, eloquia sunt Apostolorum, qui quasi guttatim, abundantissimè tamen, doctrinæ fœcunditatem infundunt.* Similia apud eundem verba leguntur cap. 4. in lib. 1 Regum.

Qua ratione duo testes cælum dicuntur claudere.

Euangelica doctrina quasi cælestis ros.

Ex dictis elicitur, verba illa, *Ne pluat diebus prophetiæ ipsorum*, non fore intelligenda in sensu (quod aiunt) composito, sed in sensu diuiso; nam si cælestis pluuia est ipsamet prædicatio, fieri neutiquam potest, vt vnà personet prædicatio ipsa, nec tamen mystica sit pluuia. Sed quia ipsorum prophetiæ tempore (hoc est, quando concionantur) possent ab ipsa prædicatione sibi temperare in hac prouincia, & in aliam Euangelij signa ac prædicationem inuehere; idcirco dicitur in ipsorum esse manu, quo tempore concionantur, non concionari; quod plane est ac terram aridam & sitientem derelinquere.

Quo pacto sint illa intelligenda Ne pluat diebus prophetiæ ipsorum.

C ET POTESTATEM HABENT SVPER AQVAS CONVERTENDI EAS IN SANGVINEM, ET PERCVTERE TERRAM OMNI PLAGA] De omnibus Ægypti plagis sermonem esse mihi facilè persuadeo, quæ omnes vt pariter comprehenderentur, designatam existimo prius à textu fuisse primam, quę fuit aquam in sanguinem conuertere (de qua Exodi 7. 20.) deinde ceteras omnes fuisse comprehensas verbis illis, *Et percutere terram omni plaga*; id est illis omnibus plagis, quæ conuersionem aquarum in sanguinem sunt consequutæ. Qui putant hæc omnia, ita vt sonant, accipienda esse & intelligenda, aduertere deberent vtique, sensum huiusmodi non esse ænigmaticum, nec cum ipso contextu cohærentem, præsertim quia è diuinæ prouidentiæ ratione minimè est, peculiari alicui sancto tantam patrandi miraculi copiam facere; vt pro libito, toties quoties (vt aiunt) omnia illa Mosis miracula sine discrimine edat. Ceterùm si animaduertamus de Mose & Elia mysticis esse sermonem (id est de apostolica prædicatione, quæ ex vtroque coagmentatur) facilè mox perspicitur, quemadmodum miraculum illud claudendi cælum mysticè intelligitur; ita similiter plagis Ægyptiacis mysticum hic fore sensum tribuendum; de quo legantur, quæ scripsimus suprà cap. 8. not. 4. ad finem, quibus nunc addemus notationem aliam, quæ octaua huius capitis erit.

De omnibus Ægypti plagis hic esse sermonem.

Quo sensu sint hæ plagæ accipiendæ.

Priùs tamen notandum est, in hac plagarum potestate alludi ad Mosis virgam, & ad verba illa Psalmi 109. 2. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* Quo ex loco constat Euangelicæ prædicationi mysticam Mosis virgam à sacra Scriptura dari, necnon potestatem mysticè per illam omnes Ægypti

D plagas instaurandi, vt in illius Psalmi explicatione planum fiet.

NOTATIO VIII.

De mystica plagarum Ægypti significatione.

Cur Apocalypsis alluſionem ad Ægypti plagas vſurpet.

DVas inprimis ob res vsurpat Apocalypsis allusionem ad Ægyptiacas plagas. Primò ad agendum de bello, quod diuina prouidentia cum Iudæis & Gentibus gessit, per similitudinem belli illius, quod Ægyptijs intulit, vt Israeliticum populum ex eorum educeret potestate: de quo agitur cap. 8. & cap. 16. vt diximus cap. 8. notatione quarta. Deinde vt explicet ingẽtem potestatem mysticam, quam duo Christi testes habent (hoc est Euangelica prædicatio, quæ ex admirabili exemplo, & doctrina excellenti compingitur) ad mira & inaudita facinora patranda. Eapropter cap. 11. Apocalypseos apponitur allusio ad Mosis virgã, & ad maxima miracula, quæ Moses per illam edidit. In hoc enim sensu dicuntur duo Christi testes esse potentes ad aquas in sanguinem conuertendas, & ad terram plagis omnibus (scilicet Ægyptiacis) percutiendam.

Alcaſar in Apoc.

Deinde ad Euangelicam prædicationem non propriè spectat peccatorum supplicium, proprias immittendo plagas. Atque ideo, quod textus ait, *Hi habent potestatem conuertendi aquas in sanguinem, & percutiendi terram omni plaga*, mysticè debet intelligi necessariò: id est, aut de plagis mysticis, aut de figurata veras plagas immittendi ratione. In aliqua ergo plagarũ huiusmodi (vt in conuersione aquæ in sanguinem) habita

Quod peccatorum supplicium propriè ad prædicationem Euangelicam spectet.

Digitized by Google

mystici sensus ratione, videbimus plagam illam verè immitti ab ipsa Euangelij prædicatione. In alijs verò, vt magna cum emphasi & elegantia dicantur duo Christi testes terram omni plaga percutere, satis erit, si ostendamus Apostolicam prædicationem esse valdè efficacem ad enuncijndas & retegẽdas hominibus eas plagas, quas patiebantur quidẽ, nec tamen agnoscebant: nimirum, quia ipsis hominibus proponit ob oculos, & aspicienda offert; quæ ijdemmet, cùm perpeterentur, non aduertebant; scilicet eos per infidelitatem plagis huiusmodi subijci; Christique crucem esse, quæ illos ab ijs plagis possit eripere. Atque hic idoneum habet locum loquutio illa, quæ alias ad res à multis vsurpatur, videlicet sæpè in sacris Literis tunc aliquid fieri dici, cùm manifestatur. Et tunc præsertim hæc phrasis continet proprietatem, quando rei illius declaratio maximam secum affert admirationem. Tunc enim rectè tribuitur effectus ei, qui illum reddit manifestum, siquidem antea ignota res erat, & eius manifestatio maximi fuit momenti opus, quod inter ingentia miracula referatur. Ad hæc, eleganter dicitur Euangelicus prædicator peccatores verberare atque percutere, cùm eis sua scelera in oculorum cõspectu subijcit, & quasi in propatulo ostendit, atque in ea acerrimè inuehitur. Hoc ergo est, quod textus ait, *Percutere terram omni plaga*. Hoc ita constituto; plagæ, quas Deus in Ægyptum immisit, sunt omnino decem (de quibus latè agitur in Exod. cap. 7. vsq; ad 12.) quæ hoc ordine numerantur. Prima est, *Aqua conuersio in sanguinem*. Secunda, *rana*. Tertia, *cinyphes*. Quarta, *musca canina*. Quinta *pestis animalium*. Sexta, *vlcera vesicarum*. Septima, *grando*. Octaua, *locusta*. Nona, *tenebræ*. Decima, *mors primogenitorum*.

Duo sensu dicantur duo testes terram omni plaga mystic̃ percutere.

Euangelicus concionator quando dicatur peccatores diuerberare.

Decem Ægypti plagæ per ordinem enumeratæ.

De mystica harum omnium plagarum significatione multa video ab interpretibus sparsim dici, & ferè omnia à nostro Peterio cõgeri suo in Exodũ cõmẽtario.

Quanam mystica plagarum Ægypti significatio debeat indagari.

Cæterùm meâ sententiâ minimè facit satis explicatio illa, quæ plagarum singulas seorsum sumit; eaſque ad idoneam aliquam cogitationem ita applicat, vt nullam omnino ducat rationem explicationis huiusmodi, quæ vniuersam decem plagarum ratiocinationem per ordinem ad decem mysticas plagas aptè applicet, in quibus idem cernatur ordo. Etenim si *omnia in figura contingebant illis*, iuxta Pauli pronunciatum: quis dubitet, in ea decem plagarum historia fuisse Spiritus sancti mentem, vt alius mysticarum plagarũ denarius figuraretur: & illi pariter ordini plagarum decem à Deo in Ægyptum illatarum peculiare mysterium inesse? Nequaquam ergo fuit satis, si plagę singulæ concionatoriè ad aliquid morale accommodentur, nisi omnis illarum series, numerus & ordo ad rem Spiritus sancti mente dignam applicetur. Ac demum eiusmodi esse applicationem oportet; vt si verissima illa decem plagarum narratio historica per merã fabellam fictionem & ænigma excogitata; appareret sanè illam sapienter satis fuisse confictam ad mysterium illud præsignificandum, quod diuinus Spiritus in plagarum numero atque ordine occultauerit.

Hoc explicationis genus vix aliquis (quod quidem viderim (in decem Ægypti plagis fuit ausus meditari. Constat tamen id diuo Augustino maximè fuisse in optatis. Scripsit enim tom. 9. tractatum de decem plagarum conuenientia cum decem præceptis Decalogi. Vbi præcepta decem considerat sanctissimus Doctor, veluti decem medicamenta plagarum totidem, quæ in decem Ægypti plagis figurentur. Quòd si Augustini applicatio aliquanto est violentior: ex eo ipso infertur, quàm apud se firmiter D. ipse Augustinus statuerit, in decem Ægypti plagarum significatione ordinem quæri oportere: quandoquidem ad ipsius inquisitionem aspirauit; quantumuis, quæ sibi occurrit, nonnihil coacta videretur. Quemadmodum quia certò existimabat, quidquid in opus sex dierum partitur Genes. 1. à Deo fuisse vno eodemque momento conditum, non dubitauit violenter explicare, qua ratione in illo sex dierum opificio distingueretur mane & vespere. Minus enim inconueniens fore reputauit, violentam adhibere declarationem, quàm concedere in creatione paulatim Deum, & quasi pedetentim processisse. Sed de ea nos quæstione alibi fortassis agemus. In applicatione verò decem plagarum iuuabit procul dubio D. Augustini desiderium; & plagarum eiusmodi mysterium prouehet, qui applicationem non quidem coacta ac violenta, sed apta & congruenti ostenderit, decem Ægypti plagas consequenti ordine respondere decem plagis, quas Euangelica prædicatio in infidelibus & peccatoribus detegit. Quibus ex plagis diuinus Spiritus verum liberat Israelem, hoc est, bonos & strenuos Christi cultores.

Mystica D. Augustini explicatio de decem Ægypti plagis.

Imprimis ergo quod ad numerum denarium attinet; vt significetur infidelium & peccatorum plagas esse complures, facilè perspicitur, quàm fuerint congruenter ad denarium numerum redactæ; qui numerus multiplicationis est proprius. Quamobrem licèt difficile non admodum esset, plagas scelleratorum hominum ad numerum aut maiorem aut minorem reuocare: eleganter tamen & significanter denario sunt numero comprehensæ. Huiusmodi autem reductio & ad prædictum numerum reuocatio quàm fuerit idonea & consentanea, ex ipsa enumeratione constabit.

Denarius plagarum numerus appositus ad plagarum in peccatores immissarum multiplicitatem.

Ijs igitur prætermissis, quæ à nonnullis Doctoribus de decem plagarum mysterio disputantur, nostra declaratio hisce decẽ plagis mysticis coërcetur. Prima est, *Infidelium & improborum hominum discordia*. Secunda, *rixa & tumultus* qui ex ijsa discordia dimanant. Tertia, *cura & solicitudines*, quæ mundanos homines discruciãt. Quarta *ira atq; odia*, quibus æstuãt. Quinta, *expetita voluptas & oblectamentum* in rebus ipsis, quas possident, minimè inuentis; atque adeò rerum possessarum inutilitas. Sexta, *conscientia stimuli ac morsus*. Septima *obstinatio in suis sceleribus*. Octaua, *concupiscentia tyranni*. Nona *miseranda cæcitas*, in qua iacent. Decima, *suarum animarum damnatio*.

Auctoris sententia de mystica Ægypti plagarum significatione.

Has miserias quicunque attentè perpenderit; animaduertet, improbos homines & infideles illis miserè conflictari: nec tamen spiritales viros earum contagione maculari. Illi enim sunt verus Israël Dei, de quo Paulus agit. Et quamuis mundanorum hominum plagæ possint ad numerum laxiorem reduci, hæ tamen decem sunt inter se distinctæ, & ceteras omnes comprehendunt, à quibus Deus verum liberat Israëlem, & spiritalem Ægyptum percellit.

Explicatior superiùs traditus mysticarum plagarum ordo.

Vt ad earũ ordinem veniamus; aduerte inter mundi plagas iure optimo à discordia initium sumi. Nam in magno aliquo hominum cœtu, quod imprimis expetitur, concordia est: quippe reipub. speciem ac formam ea vna inducit. Deinde animorum discordiam subsequuntur *contentiones & rixæ & animositates*, vt loquitur Paulus. Tertiò, ambitionem sequuntur curæ & anxietates. Quartò, vbi res non succedit; ecce tibi indignationes, iræ, atque odia ingruunt. Quintò, si prosperè accidant res, quando scilicet aliquis voti sui compos euadit (vt si rei familiaris copiam adipiscatur) quietem & tranquillitatem quam exquirebat, nõ reperit; quod est nucem sine nucleo inuenire. Sextò, ex eo quòd iniustè & inordinatè, quod optabat, improbus conquisierit, (siue illud assequatur, siue non,) sequuntur inde acerrimi conscientiæ morsus & stimuli. Septimò, quantumuis scelerum conscientia exagitetur impius; eam miseriam alia maior adhuc subsequitur, nempe cordis obstinatio & pertinacia; qua obduratur, vt in sua infelicitate ac miseria persistat. Octauò, huic cordis duritiæ succedit vehemens concupiscentię tyrannis; qua peccatores miseri suis desiderijs, vt carnificibus durissimis, traduntur. Nonò, huiusmodi concupiscentiæ tyrannidẽ excipit miserabilis cæcitas, quæ iure optimo cum subterraneis scrobibus & obscurissimis custodijs cõparatur; in quibus captiui Christiani apud Mauros arctissimè detinẽtur. Decimò, has demum miseriarum & infelicitatũ facies claudit finis planè miserabilis; cùm scilicet improbus lethali scelere constrictus decedit, ipsiusque anima in barathrum æternis ignibus crucianda detruditur.

Huic tamen ordini aliquis se ita opponet: si ordo septem plagarum, quibus Deus affecit Iudæos, est ille, quem cap. 8. proposuimus (nimirum Fames, Bellum, Pestilentia, Ignorantia, Concupiscentiæ, Iræ, & Obduratio.) aut Apocalypseos ordo confusus est atque permixtus; aut ordo mysticarum decem plagarum, quas modò recensuimus, legitimus non est, quia illarum septem plagarum ordo minimè consonat cum ordine decem plagarum Exodi, vt ex se patet

Obiectio contra prædictum plagarum ordinem.

Digitized by Google

patet manifestè. Etenim præterquam quòd in Apocalypsi præcedunt Fames, Bellum, & Pestilentia, quæ hic omittuntur, in Apocalypsi quidem cõcupiscentias antecedit ignorantia, & iras atque odia, concupiscentiæ, iræque ipsæ, obdurationem. In eo autem decem plagarum ordine, quem modò præscripsimus, iræ præcedunt cordis duritiem; hæc concupiscentiæ tyrannidem, quæ tenebras ignorantiæ anteuerit.

Enodatio superioris difficultatis.

Ad hæc respondeo nonnullis propositionibus. Prima est: congruentissimum fuit plagas à Deo inflictas Iudæis ad septenarium numerum reuocari, vt suo loco vidimus. In illis autem plagis non facienda erat solùm mentio spiritalium plagarum, quibus Deus infidèles omnes & sceleratos punit; sed etiam earum, quæ propriæ erant atque corporeæ, cuiusmodi sunt Fames, Bellum, & Pestilentia. Vt enim Deus sui altissimi consilij rationem ostenderet, vtque Iudaici populi perfidia magis magisque appareret; voluit supplicia illa quæ in Iudaicum populum immisit, non solùm spiritalia esse, sed etiam corporea, vt Fames, Bellum, & Pestem.

Qualis ignorãtia, quæ inter septem Iudæorum plagas quartum locum occupauit.

Secunda ignorantia, quæ inter septem Iudaici populj plagas quarto loco constituitur, non est spiritalis ignoratio, in qua generatim sunt infideles omnes immersi: sed peculiaris alia miseria, per quam tertia cælestis lucis parte priuati sunt, vt suo loco explicatum est.

In tribus postremis plagis has omnes decem quodammodo includi.

Tertia, in tribus postremis plagis ex septem illis Iudeorum proprijs claudunturquodammodo omnes decem plagæ, quas nuper exposuimus. Nam ad plagam desideriorum cordis reducuntur discordia, contentiones, curæ, fluxarum huius vitæ rerum vanitas concupiscentiæ tyrannis & miserabilis cordis cæcitas. Quapropter ad has omnes infelicitates sub vno eodemque symbolo pariter figurandas excogitatæ sunt monstrosæ illæ locustæ. c. 9. Apoc. In eaque pictura cernimus cæcitatis fumum ex imo puteo ascendentem, & vultuum placidorum fraudulentiam, nec non dentes, quibus rodunt, ac mordent, & acutos caudarum stimulos. In plaga item irarum Apocalypseos includuntur similiter conscientiæ morsus & ignorantiæ fumus: vt vidimus in descriptione equorũ, siue furiarum capitis noni.

Cur in septem Iudæorum plagu concupiscentiarum præcedat subtractionem tertiæ partis lucis.

Quarta: vt ostendatur, ignorantiam antecedere concupiscentijs atque iris, ex hisque ignorãtiam ipsam multiplici incremento augeri, sapienter in Apocalypsi obscuritas tertiæ partis lucis plagas concupiscentiarum & irarum antegreditur: & in Exodo easdem iras & concupiscentias tenebræ mox palpabiles consequuntur.

Cur stem in eisdẽ Iudæorum plagis concupiscẽtia antecedans iras.

Quinta: vt denotetur, concupiscentias præcedere iris, & obdurationi; nec non in obstinato peccatore tyrannidem concupiscentiæ obstinatione ipsa vehementer excrescere: ad hoc, inquam, significandum cõgruenter in Apocalypsi concupiscentiæ antecedunt iras atque odia, (præsertim, quia ibi potissimùm attendebatur Iudæorum Ecclesiam persequentium furor, qui ex effrænatis eorum concupiscentijs duxit originem.) At in Exodo post irarum & indignationũ plagam depingitur cordis obduratio, quam sequitur crudelior concupiscentiarum cordis tyrannis. Et hãc etiam sæuiorem tyrannidem subsequitur confirmatio in ipsa obdurationc, de qua Apocalypsis: in eaque obdurationis perpetuitate includitur animæ damnatio.

Sexta: ex ijs, quæ diximus hactenus, elicitur, idoneè satis septem Apocalypseos plagas ordine ibidem expresso enumeratas fuisse: nihilominus decem mysticas Exodi plagas eo ordine, quem nuper tradidimus, rectè considerari. Quare, quicunque ordinem attentè inspexit, animaduertet esse vtrumque legitimum & Spiritus sancti sapientia dignum.

Reliquum est, vt breuiter attingamus singularum ex decem Ægypti plagis applicationem ad mysticam eam plagam, quam suo ordine respiciunt.

Redditur apta singularum mysticarum ratio, & cum proprijs Aegypti plagis per ordinem conferuntur.

Primò igitur ad infidelium discordiam innuendam nihil aptius, quàm aquarum potabilium conuersio in sanguinem: vt fusiùs explicabitur cap. 16. in plaga tertia (vbi notabimus, Euangelica prædicatione discordiam in terram orbem fuisse inuectam; vt Christus antea prædixerat.) Hic satis sit aduertere, sanguinẽ

A esse belli symbolum, vt vidimus cap. 8. in plaga secunda: & bellum quidem Israelitico populo à Gentibus illatum ritè in mari sanguineo denotatur. Ad domesticum verò & intestinum bellum figurandum aptissimæ sunt aquæ potabiles in sanguinem conuersæ. Sic enim significatur, discordiam in intima reip. viscera ac venas serpere.

Contentionibus & rixis, ranas.

Secundò: ad contentionum, rixarum & animositatum significationem quis non videat appositum esse symbolum ranas & importunum earum clamorem? Dicemus de hoc symbolo latiùs c. 16. in sexta plaga.

Curis, culices.

Tertiò: curarum numerosa multiplicitas, quæ licet rerum minimarum sint, animum tamen excruciant, & sanguinem exugunt, nec eas valet homo à se excutere: ad huiusmodi, inquam, significationem eleganter applicatur culicum plaga; qui pungunt & angunt aculeis, & rauco murmure torquent.

Iris & indignationibus œstros siue asilos.

Quartò: iræ & indignationes per œstros siue asilos optimè figurantur, quorum effectus atque ictus furiosi sunt: vnde & œstro perciti videntur ij, quos

B pungunt.

Rerum temporalium vanitati, pecorum intemperiem.

Quintò: vanitas rerum ac bonorum huius vitæ, in quibus optata tranquilitas minimè reperitur, in pecorum internecione figuratur egregiè. Nam qui re familiari abundat, eius tamen ope ac subsidio impendentes calamitates subterfugere neutiquam potest, nec ad veram animi voluptatem peruenire: næ illi res familiares atque fortunæ perinde sunt, quasi mortuæ essent; cùm nulli sibi vsui esse possint aut vtilitati, sed impedimento potiùs, damno & detrimento.

Conscientiæ morsibus vlcera vesicarum.

Sextò; conscientiæ morsus & interior animæ confusio ac perturbatio non ineptè denotantur in vesicarum vlceribus; quæ dolorem secum, pudorem & horrorem afferunt. De qua plaga dicemus iterum c. 16. in plaga prima. Hic solùm addo, Prospero & Ruperto hanc plagam vlcerum vesicarum esse adulterorum pœnam.

Obdurationi grãdinem.

Septimò: per grandinem obduratio conuenienter significatur: vt videbimus in fine huius cap. 11. in pla-

C ga septima cap. 16.

Concupiscentijs locustas

Octauò: per locustas vidimus iam capite 9. mirificè concupiscentiæ tyrannidem figurari.

Animorum cæcitatem tenebras.

Nonò: ad maximam animorum cæcitatem indicandam, qua infideles & peccatores hallucinantur, quid clarius ipsimet Ægypti tenebris? Quare Augustinus de concupiscentiæ tenebris exponit.

Aeterna damnationi mortem primogenitorum.

Postremò: ad animarum damnationem optimum etiam est symbolum mors primogenitorum (atq; hoc fortasis indicat primogenita mors.) Namque vt primogenitus est in paterna domo princeps, sic animus in vnoquoque homine.

Cur, cùm malefici Aegypti primam & secundam plagas fuerint imitati, tertiam & sequentes imitari non potuerint.

Cùm hucusque explicauerim decem Ægypti plagarum mysterium in meę applicationis confirmationem: illud appẽdicis loco iuuat annectere, quod mihi haud exiguæ voluptati fuit nimirum, quid habeat mysterij quod dicitur Exodi 8. 18. in cyniphum siue culicum plaga; *Fecerunt & similiter malefici incantationibus suis, vt educerent cyniphes, & non potuerunt. Et dixerunt ma-*

D *fici ad Pharaonem, Digitus Dei est hic.* Vbi notandum est, in prima plaga conuertendi aquam in sanguinem dici Exodi c. septimo numero vigesimo secundo, *Fecerunt & similiter malefici Aegyptiorum in incantationibus suis.* Id quod in secunda item plaga ranarum dicitur quoque Exodi capite octauo numero septimo. *Fecerunt autem & malefici per incantationes suas similiter, eduxerunt & ranas.* In tertia tamen plaga, & in ceteris deinceps, Ægyptiaci malefici cælestem plagam æmulari non potuerunt. Deinde notandum est, ex eo quod textus ait in prima plaga, apparere, quemadmodum malefici cælestem plagam in terra Gessem imitari contenderint. Patet hoc; nam si extra terram Gessen tota aqua potabilis fuerat in sanguinem conuersa; necesse ergo erat ad Mosaici illius miraculi imitationem pergere ad terram Gessen; vbi vera & germana aqua remanebat ab eiusmodi metamorphosi immunis.

Quibus præmissis, huiusmodi mysterium, quòd scilicet Dæmon suis technis aliquo modo potuerit primam & secundam plagam imitari in terra Gessen, tertiam & reliquas non item: huius, inquam, rei mysterium, meo iudicio, illud est; quia in terra

Digitized by Google

Gessen, id est, in spiritualibus viris eò dæmonis astutia & malitia peruenit, vt primam & secundã plagas ex plagis decem mysticis æmuletur: ceteras autem plagas imitari nequaquam potest. Ita enim plerunq; videmus accidere, vt inter viros pios contentiones aliquot atque discordiæ exoriantur; quas dæmon excitare & accendere conatur sub zeli aut diuini obsequij prætextu. Enimuerò tota hæc dæmonis machinatio & fraus, præterquam quòd vera omnino plaga nõ est, sed ipsius speciem præfert; secundam plagam nõ prætergreditur. Etenim licèt cum vero Dei obsequio stare possit sententiarum diuersitas, & nonnullæ minoris momenti dissensiones, dum quisque in ea perstat sententia, quam rectam & rationi consentaneam esse iudicat: verùm tamen inter pios & spiritales viros nõ res eò deducitur; vt curas secum, anxietates, odia, cæcitatem & obstinationem trahat. Huiusmodi enim infelicitates, & veras animi miserias recti homines atque integri-ne in specie quidem patiuntur.

Scrupulo: ad animorum medicinã à Deo sapè immitti.

Si autem scrupuli aliquam præ se ferunt conscientiæ morsuum speciem: id sanè longè est diuersum ab B acerrimis animi stimulis ac vehementi mentis perturbatione; qua scelerati exagitantur. Nec tamen hoc inter plagas, sed inter animæ potiùs medicamẽta à Deo sapienter probis hominibus adhibita referendum est; A siquidem *Bonarum mentium est* (vt ait Gregorius) *ibi culpam timere, vbi culpa non est.*

Hactenus de mystica plagarum Ægypti significatione. In ipsa verò historia propterea tantam Deus plagarum diuersitatem immisit; vt ostenderet, res creatas omnes aduersus Dei hostes arma capere, & bellum apertum indicere; vt habetur Sapient. cap. 5. n. 18. & 21. & cap. 16. n. 17. vbi literalis est sermo de Ægypti plagis. Atque ita Nilus (quẽ Ægyptij vt Deũ venerabantur) sanguineo infectus colore cernitur. Deinde in ranis & culicibus declaratur, non Deo opus esse crocodilis, aut immanibus alijs piscibus ad bellum suis hostibus inferendum: sed satis sibi superque esse ranarum & culicum exercitum.

Quid Deus tantâ plagarum multitudine in Aegyptios effusa significare voluerit.

Non secus ex terrestribus animalibus seligit Deus, ex noxijs quidem non iam leones aut tigrides, sed œstros aut asilos. Ex vtilibus autem (qualia sunt pecora) ea desumitur plaga, qua animalia ipsa intercidant. at ex humanis corporibus exoritur plaga vlcerum acerbissimorum, quæ dolorem pariter & pudorem secum afferant.

Tandem aëris & ignis plagæ sunt fulmina, grando, locustæ, & tenebræ horribiles. Nam locustas adduxit ventus vrens. Ac postremò plaga decima angelorum ministerio fuit inuecta.

TEXTVS.

Vers. 7. Et cùm finierint testimonium suum, bestia, quæ ascendit de abysso, faciet aduersus eos bellum, & vincet illos, & occidet eos

COMMENTARIVS.

Quid ijs innuatur verbis, Cùm finierint testimoniũ suũ.

NON permisit Deus Iudæorum nequitiam aduersus duos Christi testes prætualere: quandiu testes ipsi integrè & cumulatè nondum perhibuerant testimonium, cuius gratia missi fuerant. Ita enim decebat Dei prouidentiæ ostensionem. Atque id significatur verbis ijs, *Cùm finierint testimonium suum.* Verbum Græcum est τελέω, quod propriè significat perficere & ad finem vsque perducere. In rebus item sacris significat celebrare & peragere: vt ex Herodiano atque Dionysio Areopagita notant dictionaria. Forsan ergo in præsenti agitur de Euangelij prædicatione, vt de sacrificio quodam: quemadmodum Paulus loquitur ad Romanos 15. 16. *Vt sim minister sanctificans Euangelium Dei.* εἰς τὸ εἶναί με λειτουργὸν ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον, hoc est, *Sacra functione circa Euangelium fungens.*

Bestia, quæ hic dicitur de abysso ascẽdere, quanam sit.

BESTIA QVÆ ASCENDIT DE ABYSSO] Hoc nomine nonnulli putant designari maris bestiam, de quo agitur cap. 13. in qua opinantur alij Antichristum, alij Romanum Imperium figurari. Quamobrem ad eam, quam persequimur aeoluthiam, incessit difficultas, quorsum bestiæ maris hic mentio fiat: siquidem in hoc capite iuxta nostram explicationem de Romani Imperij persecutione non agitur, sed de illa, quam Iudæi in Ecclesiam concitarunt. Vt huic difficultati faciamus satis, existimabit quispiam, aptè hic dici posse, Iudæos in ea persecutione aduersus Christi Euangelium coortâ, vi atque potentia Romanorum vsos fuisse; atque adeò ex eo tempore Romanum Imperium in Pilato, Herode, Festo atque alijs sese Euangelio opposuisse. Ipse tamen non in eas redigor angustias, vt hanc loquendi rationem accersere opus sit: quippe qui pro certo habeam, hanc bestiam, quę in textu dicitur bellum aduersus duos Christi testes gessisse, non esse maris bestiam, de qua agitur cap. 13. sed esse locustas capitis noni.

1. Opinio explicantium de maris bestia, de qua cap. 13.

Auctoris expositio de locustis, de quibus suprà.

Ac primùm nullius difficultatis est, de locustis in singulari numero esse sermonem. Quin imò hæc est familiaris ratio loquendi de locustis, vt patet Exod. 10. 4. *Ego inducam cras locustam.* Et similiter num. 11. & 19. & 3. Regum 8. 37. & 2. Paralip. 6. 28. & cap. 7. 13. item Psal. 104 34. Prouerb. 30. 37. Ecclesiastæ 12. 5. Ioel 1. 4. & cap. 2. 25.

Singularis pro plurali frequens in sacris.

Deinde certum est locustę congruere nomen bestiæ. Lege Sapient. 16. 1. *Per multitudinem bestiarum exterminati sunt.* Et paulò infrà; *illos enim locustarum & muscarum occiderunt morsus.* Ad hæc, Græca vox, quæ respondet bestiæ, est θηρίον, & Ælianus araneum etiam appellat θηρίον. Dioscorides autem, Hippocrates & Galenus lumbricos etiam. Et apud medicos peculiariter dicitur, θηρίον, quod ictu, morsuve venenum relinquit. Constat autem locustis Apocalypseos caudas scorpionum inesse.

Nomen Bestiæ locustis in Scriptura familiare.

Abyssi nomẽ hoc pro alto puteo sumi.

Tertiò, textus ipse expresè ait, *Bestia quæ ascendit de abysso.* Et quanuis alibi abyssi nomen pro mari etiam sumatur interdum: Apocalypsis tamen apertè distinguit abyssum à mari; abyssum enim vocat puteum, vt patet c. 9. n. 1. 2. & 3. Itaque apud Apocalypsin figura abyssi est instar putei profundi. Constat autem ex abyssi puteo locustas ascendisse. Nam aperto puteo, *Ascendit fumus: & de fumo exierunt, locustæ in terram.*

Quartò, nomen bestiæ Græcè fixum habet articulum: quod argumento est de bestia illa præcessisse sermonem. Nam in cap. 13. quando maris bestia primò nominatur, nullus ei præponitur articulus: nec bestiæ etiam terræ, quando primò in eodem capite decimo tertio exprimitur.

Ex his ergo mihi certum est, textum hic agere de locustis capitis noni. Opponet tamen nobis aliquis;

Digitized by Google

A aliquis, de locustis illis dicitur cap. 9. 4. *Praeceptum est illis, ne laederent fanum terrae, &c. nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis*: ac proinde non videtur hoc in loco sermo esse de illa Bestia, cùm perspicuè dicatur de bestia abyssi, *Faciet aduersus eos* (id est duos Christi testes) *bellum, & vincet illos & occidet eos*. Respondetur, locustæ capitis noni (vt suo loco vidimus) significant Iudaici populi concupiscentias, quæ quidem ex Iudæis eos solùm lędebant, qui Dei signo in suis frontibus nō erant notati: jn eos enim verè immittebant. Licèt autem dicatur abyssi bestia bellum gessisse aduersus Christi testes, eosque superasse & obtruncasse: id tamen non egit bellua immediatè in eos irruendo, sed mediatè, nimirum Iudæos contra ipsos Christi testes incitando. Et quidem damnum inferunt ferę illæ locustę illis, in quos per se ipsas irruunt, id est, in eos, quos tradidit Deus in desideria cordis eorum. At familiares Christi seruos, quos persequuntur concupiscentiæ in Christi hostibus dominantes, licèt bello oppugnent, vincant & occidant, non tamen verè ac propriè lędunt. Illud enim verum est damnum & detrimentum deplorandum, quòd in hominum animis & cordibus concupiscentiæ ipsæ regnant ac dominantur. Quod damnum, vt constat, minimè inferunt Christi seruis, quando in eos suscitant bella.

Obiectio aduersus praedictam expositionem.

Respondetur obiectioni.

Prætereà eadem phrasis, *Faciet aduersus eos bellum*, eleganter huic ipsi sensui aptatur. Reges enim sunt, qui bellum gerunt, non quidem per se ipsos, sed per suos milites; dum eis sua iussa & imperia exequenda indicunt. Eâdem ergo ratione, qua iudæis concupiscentiæ imperitabant, dicuntur aptè intulisse bellum Christi testibus, videlicet subditam sibi gentem in eos commouendo. Simili B locutione significanter diceretur impura libido gessisse bellum in Ioannem Baptistam, scilicet Herodiadem & Herodem concitando aduersus illum. Manifestum autem est, fluxarum rerum & caducarum concupiscentias, quæ in iudæorum cordibus regnabant, fuisse potissimas duces, quæ Iudæos ad Christi seruos persequendos excitarunt, immiserunt, compulerunt. Videatur Iacobi 4. 1. *Vnde bella in vobis? nonne hinc, ex concupiscentijs vestris, qua militant in membris vestris.*

Quàm rectè dicantur locustæ facere contra Dei testes bellum

ET VINCET ILLOS ET OCCIDET EOS] Quando tyrannis & immanitas ministris Euangelij potentior est ac robustior, vt eos in exilium atque adeò infra mortuos amandet; tunc magna cum elegantia dicuntur Veritas & Sanctitas vinci atque occidi. Et hac ratione loquitur Daniel cap. 8. 12. *Prosternetur Veritas in terra*. Et Isaias cap. 59. 14. *Corruit in platea Veritas*.

TEXTVS.

Vers. 8. Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus est.

COMMENTARIVS.

C

SVNT qui ex his verbis inferant, Antichristum Hierosolymis regnaturum fore, atque ibi interfecturum duos Christi testes Henochum & Eliam: de qua explicatione vide Bellarminum to. 1. l. 3. de Rom. Pont. c. 13. & Maluendam de Antichristo l. 9. Alii sunt, qui sibi persuadent, hic non esse sermonem de Hierosolyma in literali sensu, sed generatim de vrbe Euangelio inimica: hoc est de ea quam Augustinus appellat Babylonem, vel etiam de Roma Ethnica. Ad cuius probationem asserunt, vbi Christus ab hominibus offenditur, illum ibidem crucifigi: iuxta illud ad Hebræos 10. 29. *Deteriora meretur supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit*. Item ad Galat. 3. 1. *In vobis crucifixus, &c.* Atque hanc secundam expositionem sequuntur Paula & Eustochium tom. 1. Diui Hieronymi epist. 17. cap. 4.

Num hic Sodoma & Ægypti nomine significetur Hierosolyma?

Vera sententia affirmans.

Nihilominus certum existimo agi in hoc loco de Hierosolyma; atque adeò hunc versiculum cogere, vt septem omnes tubarum plagæ sint illæ, quibus Deus mulctauit Iudęos Christumque ipsiusque doctrinam reijcientes, vt latè expendimus in prolegomenis notat. 12. Quin imò acoluthia etiam & recta præcedentium capitum applicatio dilucidè ostendunt, sermonem hic esse de Ierosolymorum vrbe; id, quod clare item probat illa Ioannis periphrasis. *Ciuitas magna, qua vocatur spiritualiter Sodoma & Aegyptus*. Nam imprimis appellatio hæc ciuitatis magnæ congruit Hierosolymæ propter il- D lud, quod Iosephus scribit lib. 7. de bello cap. 17. nimirum paschali quodam tempore numeratas fuisse Hierosolymæ personas paschalem agnum edentes ad tricies centenea millia & millia itidem quater centum. Deinde certum est, Hierosolymam esse vrbem illam, quæ in sacris Literis spiritualis Sodoma nuncupatur. Lege Ieremiam 24. 14. vbi loquens Deus de Ierosolyma, ait; *Facti sunt mihi omnes, vt Sodoma*. Deut. 32. 32. *De vinea Sodomorum vinea eorum*. Isai. 1. num. 10. *Audite verbum Domini principes Sodomorum*. Isai 3. 9. *Peccatum suum quasi Sodoma praedicauerunt*. Legatur etiam Ezechiel 16. vbi Sodoma appellatur Hierosolymæ soror: perinde ac si vtraque dicantur valde inter se esse similes. & ibi num. 49. *Haec fuit* (dicitur) *iniquitas Sodomae sororis tuae, superbia, saturitas panis & abundantia, & otium; & manum egeno & pauperi non porrigebant*. Propter similia ergo scelera atque flagitia vocatur Ierosolyma spiritualiter Sodoma. Quod autem subditur illam pariter appellari spiritalem Ægyptum, ideo procul dubio dicitur, quia Ægypti plagæ iuxta mysticum sensum, in hoc capite ad Hierosolymam applicantur. Illud etiam non parum fauet, quod Ezech. 23. tribuitur Hierosolymæ nomen *Ooliba*, & sæpius dicitur atque iteratur ea fornicata fuisse in Ægypto, indeque fornicandi consuetudinem suxisse, nec dum obliuioni mandasse. Ex quo infertur, Hierosolymæ rebelli nomen spiritualis Ægypti propter spiritualem idololatriam quadrare.

Nomen ciuitatis magnæ quadrare Hierosolymæ.

Eidem etiam nomen Sodomæ in sacris dari.

Ægypti item nomen eidem conuenire.

Ioannes ergo voluit haud dubie Ierosolymam hac periphrasi designare, & argumenti Apocalypse os

Digitized by Google

Cur Ioannes hic Hierosolymam non proprio nomine compellauerit.

pseos lucem atque notionem exhibere. Noluit tamen proprio Ierosolymæ nomine vti: vt significaret hoc pacto perfidam illam vrbem indignam prorsus esse, cui nomen Pacificæ tribueretur: cuius ratione etiam cap. 2. 9. designans Iudæos ait Dominus *Qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt.* Atque ad illud, de quo sermo erat in contextu, oportuit maximè Hierosolymam non suo nomine compellari, sed mystica spiritualis Sodomæ & Ægypti appellatione, vt infrà explicabimus. Ceterùm nequis remaneret dubitationis scrupulus, agi ibi de infida Ierosolyma; quemadmodum cap. 17. 18. designata Roma dicitur; *Ciuitas magna, quæ habet regnum super reges terræ.* Et de illa pro certo indicio traditur ædificatam esse illam supra septem montes: ita similiter ad notandam Ierosolymam, certum etiam apponitur signum; *In qua Dominus crucifixus est.*

Quomodo dicatur verè In qua Dominus crucifixus est, Cum Christus extra portas passus sit,

Quòd si aliquis in eo substiterit, quòd Christus non fuit Ierosolymæ, sed extra illam cruci suffixus, quia *extra portam passus est*: ad id dubioli respondeo, hoc esse satis, vt verè dicatur Christus Hierosolymæ in crucem actus: vt patet ex iis Lucæ 13. n. 33. *Non capit Prophetam perire extra Ierusalem*, vbi Christus de sua morte habebat sermonem.

De sententia alia, quæ contendit, hic agi ad litteram de Antichristo Hierosolymæ regnaturo, & Henochum atque Eliam ibidem occisuro, dixi iam suprà, me illam nec impugnare nec sequi: quin imò, si adeò certa est, vt nonnullis collibuit, satis esse ad eam prophetiam hic fieri allusionem: contextum tamen non obscurè agere de persecutione sub primitiuæ Ecclesiæ tempus à Iudaico populo aduersus Christi fideles concitata.

Ait ergo textus, *Corpora eorum iacebunt.* Cùm enim martyrum corpora in media plateat iacent insepulta, dicitur significanter satis, *Hic iacent veritas & sanctitas*; vt suprà ostendimus.

IN PLATEIS CIVITATIS] Plenius est id, quàm quod quidam libri Græci habent, nempe in singulari numero, *in platea.* Nec enim de vno aut altero martyre est sermo; sed de iustitia, & sanctitate in cunctis Christi Martyribus, qui in ea Iudaici populi persecutione mortem fortiter oppetierunt. Atqui simile est vero, non omnes fuisse in eâdem vrbis platea contrucidatos. Præsertim quia non tam agitur de vrbe ipsa Hierosoyma, quàm de ciuitate, id est, de republica illa Iudæorum, cuius metropolis erat Hierosolyma. Qua ratione illius vrbis plateæ planè erant publici omnes conuentus atque hominum cœtus. Quo innuitur, in media luce & Iudaici populi conspectu atque consensu martyres Christi, Iudæorum manibus iugulatos iacere: quasi perduellionis rei, aut infames latrotrones essent. Eò enim Iudaici populi iniquitas processit, vt doctrinam viuam, viuumque exemplũ, quæ sese illis opponerent, minimè superesse paterentur.

Platea ciuitatis quo sensu hic capiẽda.

Sodoma & Ægypti etymologia.

QVÆ VOCATVR SPIRITVALITER SODOMA ET ÆGYPTVS] Sodoma Philoni sonat *cæcitatem*; Ægyptus *angustias.* Quare in vtroque nomine rite exprimitur furentium Iudæorum cæcitas ac rabies, qua Christianos persequebantur atque vexabant. Aut fortasse, (si non tam nominis etymologiam, quàm rem ipsam attendamus,) nomen Sodomæ denotat, eos permittente Deo in desideria cordis fuisse traditos: Ægypti verò nomen indicat, nouum Israëlem à Iudæis ipsis, sicuti olim veterem ab Ægyptiis, acerrimè oppugnari.

VBI ET EORVM DOMINVS CRVCIFIXVS EST] His verbis innuitur, Iudæos, quod aduersus Christum ipsum prius machinati fuerant, in discipulos quoque machinari: iuxta illa eiusdem Christi verba, *Si me persecuti sunt, & vos persequentur.*

NOTATIO IX.

Cur Hierosolymæ rebelli nomen Sodomæ & Ægypti tribuatur.

CVR Ægypti nomen ad Hierosolymam rebellem; hoc est, Iudæam applicetur, dicemus exactè Apocal. 14 notat. 6. Quare illud hic tantùm exponere est animus, cur scilicet synagoga nomine Sodomæ nuncupetur? Quam ad rem oportet attentè perlegere, quod de mari mortuo proditur Genes. 19. 25. & pariter animaduertere totum eam regionem, antequam Dominus subuerteret Sodomam & Gomorrham, irrigari solitam *sicut paradisum Domini, & sicut Aegyptum venientibus in Segor.* Quæ tota regio igne exusta in mare mortuum euasit. Pro quo videri debent ea quæ scribunt Strabo lib. 16. n. 7. vbi de Iudæa, Andreas Masius Iosuæ 3. fol. 66. Ioseph. l. 5. de Bello cap. 5. Plinius l. 5. historiæ c. 15. & 16. & l. 7. c. 15. Tacitus l. 5. historiæ, siue vt alii computant, l. 25. Abrahamus Ortelius latè in sua Geographia in tabula de peregrinatione Abrahæ, vbi citat Patres.

Sodomam & Gomorrham post caiestem ignem in mare mortuum euasisse.

Iudæi quales quondã fuerint; quales modo, postquam diuinitus supplicio affecti sunt.

Sodomitica terra qualis olim fuerit.

Sodoma poma post inflictum, exitium supplicii cuiusmodi sint.

Significatio ergo in eo potissimùm consistit, quòd Iudæorum natio ac populus priùs quidem fuerit veluti Dei paradisus, at post supplicium illis diuinitus inflictum, sit tanquam mare mortuum, in quo nihil viuens procreatur. Quamuis enim illis adhuc cæremoniæ aliquot & externa quædam fructuum & probæ vitæ facies remaneat: hæc tamen omnia ficta & commentitia sunt. Expende Iosephi verba, vbi de Sodomitica terra, *Olim fortunata, nunc omnis exusta.* Quod verò attinet ad inanem diuini culus speciem in Iudæis adhuc residentem, apposita etiam sunt ipsius Iosephi verba, *Videre,* (inquit) *licet renascentes in fructibus cineres, qui colore sunt edulibus similes, carpentiũ vero manibus in fumum dissoluuntur & cinerem.* Atque hæc sunt, quæ vulgò Sodomæ poma nuncupantur. Idem refert Tacitus hisce verbis, *Halitu lacus inficitur terra vicina, & superfusus spiritus corrumpitur, eoq; fœtus segetum & autumni putrescunt, solo, caloq; iuxtà graui. Nam cuncta sponte edita aut manu sata, siue herbã tenus aut flore siue solitam in speciem adolere, atra & inania velut in cinerem euanescunt.* Idem recensent Tertullianus, Augustinus, & Solinus relati ab Ortelio in tabula de peregrinatione Abrahæ.

Bitumen maris mortui, eiusque natura.

Deinde Iudæorum conuictus & commercium exitiale ferè est omnibus, nisi diu multumque in vera religione probatis atque perfectis. Id quod figuratur rectè in eo, quod Strabo affirmat de maris mortui bitumine, *Aeri argento ac nitidis & tersis omnibus rubiginem inducit, dempto solo auro. Et cùm vasa aruginem contrahunt, iam accolæ intelligunt, bituminis eruptionem appetere.*

Verus, (si quis est) fructus quem Iudæorum gens hac tempestate producit, non est alius, quàm spinæ atque sentes. Lege Sophoniæ 2. 9, *Moab vt Sodoma erit, & Gomorrha promptuarium spinarum, & fodina salis, & vastitas aterna.* Et quidem miseria atque infelicitas, qua Iudæorum animi & conscientiæ occupantur, ita

cias, qua Iudæorum animi & conscientiæ occupantur, ita vt nullus in eis diuinæ sit gratiæ particeps, meritò significatur in maris mortui epitheto, quod est *falsissimum & amarissimum*, nec non in eius liquore adeo graui & vehementi, vt nihil viuens patiatur in eo demergi, vt adnotarunt Ioseph. lib. 5. de Bello cap. 5. Tacitus & Strabo.

Sodomitica religionis ac telluris color & species qualis.

Inanis item & ficta religionis species in Iudæis rectè figuratur in eo, quod tradidit Iosephus; *Mirabilis est coloris mutatio, qua ter in singulos dies variata superficiem vertit, & solis radiis variata resplendet, quem esse splendorem falsum nemo dubitat.* Ad hæc, quàm obfirmati & peruicaces in sua obstinatione sint, fortè indicatur in iis, quæ Plin. l. 7. c. 15. de maris mortui bitumine scripta reliquit, *Sequax & lenta bituminis eius natura.*

Hæc de Iudæis, postquàm veritate interioris luminis ac religionis carentes in mortuis ceremonijs perseuerant. Atque horum aliqua possunt suo modo applicari ad quamuis religiosam familiam, quæ à primitiuo suæ institutionis spiritu omnino descisceret, & in solis externis ritibus ac cæremoniis absque vlla spiritualis vitæ fruge persisteret. Hæc namque est hypocrisis, quam Christus Pharisæis exprobrat.

TEXTVS.

Vers. 9. Et videbunt de tribubus & populis & linguis & gentibus corpora eorum per tres dies & dimidium: & corpora eorum non sinent poni in monumentis.

10. Et inhabitantes terrã gaudebunt super illos, & iucundabuntur, & munera mittent in inuicem. Quoniam hi duo Prophetæ cruciarunt eos, qui habitant super terram.

B

COMMENTARIVS.

Iudæorũ cæcitas & amentia.

HORVM versuum finis est depingere, quò dementiæ & immanitatis peruenerit illa Iudęorum in Ecclesiam persecutio. Eò enim rem fuisse deductam significatur, vt veritas, ac virtus, magno cum suorum hostium gaudio atque tripudio superatæ iacuerint. Nam non prædicatores solùm Euãgelici aut omnino expulsi, aut etiam trucidati sunt: sed etiam Iudæi Christianæ religionis hostes insolenter triumpharunt, & sanctissimorum Christi martyrum opprobria ac cædes pro maxima lętitia & celebritate reputabant. Hæc tamen omnia mitissimus Deus ad eorundem persecutorum conuersionem, & animi salutem dirigebat. Quippe tanta est ipsius bonitas, vt, dummodo sui hostes à flagitijs & sceleribus resipiscant, non dubitet suosmet familiares & amicos mactandos & trucidandos permittere: ita vt videantur etiam sepulturæ honore carere (hoc est inglorij, atque indecores post ipsam internecionem manere:) vt vel sic Iudæi obstinati cernentes veritatem adhuc valere & vincere. illi tandem manus darent.

Martyrum mors quasi sacrificium pro ipsis persecutoribus oblatum.

Quamobrẽ ad eorum conuersionẽ, qui se Catholicę religioni subiecerunt, & eam amplexi sunt, fuit sanctissimorum virorum mors acceptum Deo sacrificium; quo iustissima ipsius ira conquieuit: ipsorumque sanguis sata Ecclesiæ fœcundauit, vt vberes, atque copiosos fructus redderent. Et sanè illorum etiam respectu, qui rebelles adhuc perstiterunt, prædicatio ministrorum Euangelij & proprij ipsorum sanguinis effusio Dei consilium & admirabilem agendi rationem æquissimam esse testata sunt: & magis magisque innotuit, quàm meritò Deus ipse postea indignationis repressum flumen eruperit, aduersus eos, qui pòst tot tamque grauia veritatis testimonia, rebelles adhuc, perfidi & obstinati perstabant.

C

Quia verò summopere expediebat, magnas illas Ecclesiæ angustias ne multum temporis durare permitteret Deus, vt denotaretur cura, quam ipsius habet prouidentia coarctandi afflictionis & calamitatis tempus, ne diutiùs, quàm par est, persistat: eapropter in hac sacra fictione tempus, quo Martyrum copora insepulta fuerant remansura, & aduersariorum opprobrijs atque illusionibus obnoxia, ad tres dies cum dimidio omnino contrahitur, de quo spatio dicemus notatione 10.

Vers. 9. Num hic de Gentibus, an de Iudæis sermo sit.

VIDEBVNT DE TRIBVBVS ET POPVLIS ET LINGVIS ET GENTIBVS] Aliquis fortasse ex his verbis ansam arripiet; vt probet, non agi in hoc loco de Iudaici populi persecutione, siquidem exprimuntur hic populi, linguæ & gentes. Verùm tamen adeo sunt firma fundamenta, vt credatur agere contextus de prima illa Iudæorum persecutione, vt neque hoc argumento, neque alijs granioribus possint conuelli. Deinde, vt repræsentetur, persecutionem eiusmodi fuisse totius Iudaici populi consensu & approbatione; expediens valde fuit mentionem fieri de populis, linguis & gentibus. Ierosolymam enim confluebant Iudæi ex omnibus orbis prouincijs & ex omnibus linguis ac nationibus, vt habetur Actuum 2. 9. *Parthi, & Medi, Elamitæ*, &c. Quòd si Gentium nomen Iudæis ipsis tacitè obijcit Ethnicorum infidelitatem; non id nouum in Apocalypsi est, videatur cap. 9. num. 20. Tertiò, si quis adhuc perstiterit, linguas & gentes, quæ hic nominantur, non esse referendas solùm ad Iudæos, sed ad Gentiles etiam: non valde contenderim. Etenim verum etiam est, Gentibus fuisse manifestam persecutionem illam Iudęorum excitatam in Christi sectatores, nec non eorum cædes, opprobria & irrisiones. Atque hoc est, quod textus ait; *Videbunt de tribubus & populis & linguis & gentibus.* Et hæc quidem omnia spectant ad ponderandam illius persecutionis frequentiam ac celebritatem, & triumphi etiam; quem Iudæi se ex Christiano nomine reportasse putabant. vt postea tanto fuisset maior excellentiorque Christianæ Ecclesiæ gloria in triumpho de Iudæis acto; quantò ipsius Ecclesiæ afflictio fuerat manifestior, & Iudaici populi triumphus (inanis tamen ac futilis) aspectantium oculis & opinioni celebrior.

D

Vers. 10.

QVONIAM HI DVO PROPHETÆ CRVCIAVERVNT EOS, QVI HABITANT SVPER TERRAM] Suprà iam explicuimus, qui sint hi duo prophetæ, siue Christi prædicatores ac testes, in capite item decimo

Quo sensu dicantur duo testes cruciare eos qui habitant super terram.

decimo fusè probauimus terræ nomen in hac prima Apocalypseos parte designare Iudæam. Quare *qui habitant super terram*, sunt nimirum Iudæi. Cruciatum autem, quo textus ait fuisse affectos Iudææ habitatores à duobus prophetis, perspicuum est, fore intelligendum de dolore ac rabie, qua Iudæi efferabantur; quod publicè prædicaretur, eum, quem ipsi in crucem sustulerant, esse promissum Messiam, atque adeò verum Dei Filium. Præsertim, quia cum ipsa prædicatione coniungebantur mysticæ plagæ, quibus duo Prophætæ Iudaicum populum percutiebant; vt suprà explicatum est. A

NOTATIO X.

De mysterio trium dierum cum dimidio.

Trium dierum & dimidiati mysterium in duorum Christi testium resurrectione.

IN secunda huius capitis notat. vidimus, hebdomadam, siue annorum sit (vt apud Danielem) siue dierum, quocunque modo sumatur, esse tẽporis circulum. Cæterùm hebdomada annorum longior est periodus; dierum vero hebdomada periodus breuior. Quamobrem vt denotetur, Ecclesiæ persecutionem, quantumuis longa videatur, re tamen vera non plus, quàm dimidium temporis durare (si rectè expendatur res) & opportuno tempore, quando nulla ferè erat spes reliqua, successuram afflictioni & aduersitati trãquillitatem ac pacem: vt hoc, inquam, denotetur, percommoda locutione fuit expressum, persecutionem Ecclesiæ non ampliùs, quàm tres annos & dimidiatũ ex integra annorum hebdomada duraturã. Ad eundẽ ergo modum, quando agitur de arctissimo sæuioris persecutionis tempore, quando non tam bellum, sed summa veræ doctrinæ ac sanctitatis abiectio, despicietia atque ludibrium videbatur: tunc sanè, vt ostẽdatur, hanc grauissimam angustiam & contemptionẽ non multum temporis à Deo permitti; ideo periodus breuior, siue spatium assumitur, nimirum dierum hebdomada: affirmaturq; illud à Daniele capite octauo numero duodecimo prædictum, *Prosternetur veritas in terra* non fore per longum temporis interuallũ duraturum: sed tantummodo per tres dies & dimidium: quod est, per dimidium hebdomadæ breuioris. Quasi apertiùs asseratur, non permittere Deum diutiùs gratissimum illum conflictum durare: atque adeo breui dierum periodo cognoscendum esse, tempus illud acerrimæ persecutionis & afflictionis acerbissimæ non amplius fuisse, quàm dimidium illius breuis interualli: quod subinde consequatur magna exaltatio atque gloria. Quapropter, quando persecutionis procella vehementiùs sæuiebat, & quando Iudæorum opinione de religione Christiana, deque fidelium sanctitate & veritate actum erat: tunc propius erat & magis magisq́ue appropinquabat, non solùm tantę calamitatis remedium, sed summa etiam felicitas & Christiani nominis exaltatio. Nam *nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro.* Et quamuis diuina prouidentia permisit, Ecclesiam primitiuam in summas redigi angustias: non tamen eius curam abiecit, sed potiùs exiguo temporis interuallo eam ad illustriorem gloriam euexit. Ideoque textus ait, post tres dies cum dimidio, (hoc est, breui temporis spatio) opportunè satis duos Christi testes fuisse à morte ad vitam reuocatos, magno cum hostium stupore atque formidine; & in cælum gloriosè ascendisse. Facile autem est animaduertere allusionem, quæ continetur hic ad Christi redẽptoris nostri resurrectionem & ascensionem: ac proinde ad summæ exaltationis significationem potè maximam abiectionem & despicientiam nullum aliud symbolum elegantius ac significantius excogitari potuisse. B C D

Ad quem Scripturæ locum in hoc trium dierũ & dimidiati spatio alludatur.

Aliquis scire fortassis optabit, quem ad locũ Scripturæ respectus habeatur in hoc trium dierum & dimidij spatio. Vix enim (vt aliàs vidimus) in tota Apocal. res aliqua paulò insignior reperiatur, quæ illustrem Scripturæ locum non referat. Quamobrem non est verisimile, exiguum hoc temporis interuallũ alicui alteri Scripturæ loco non respondere. Atque eadem spatii differentia, quæ interfuit inter Christi mortem & gloriosam ipsius resurrectionem allicit nos & stimulat, vt accuratè disquiramus, quonam Scripturæ locorum in hoc tridui & dimidiati diei interuallo alludatur. Ab eiusmodi se cura atque labore eximunt ij, qui arbitrantur Apocalypsin hac in parte non aenigmata agere; sed perspicuam prophetiam, quæ intelligenda sit omnino ac sonat; & re ipsa in Plenocho & Elia sub mundi finem comprobanda. Enim verò, quid de eiusmodi declaratione sentiam, & quantopere teneamur ad contextum huiusmodi pro ænigmatico reputandum (nec non ruinã decimæ partis Ierosolymæ, & quæ ipsam tum præcedunt, tũ subsequuntur;) hæc, inquam, iam à me satis sunt in superioribus explicata.

Respondetur proposita quæstioni.

Respondeo ergo ad eam interrogationem, qua rogatur de peculiari loco, ad quem fiat allusio in trium dierum & dimidiati spatio. Existimo, in hoc loco respici ad eadem Danielis testimonia, ad quæ respectus habetur in tribus annis cũ dimidio. Nam imprimis in arcano sermone certum est, diem pro anno accipi frequenter solere: vt rectè multi colligunt ex Ezechielis cap. 4. 6. *Diem pro anno dedi tibi.*

Siue tribus annis & semis, siue tribus diebus & semis persecutio durare dicatur, perinde esse quoad sensum mysticum.

Secundò, siue Iudaici populi persecutio tribus annis cum dimidio, siue tribus diebus cum dimidio duraſſe dicatur, nequaquam variatur sensus. Neutrum enim ex his interuallis vsurpandum est ita vt sonat, sed in sensu mystico. Qua de re vt erudiremur, congruenter fuit ipsa phrasis immutata; & modò tres anni cum dimidio, modò tres dies & dimidiatus expressi sunt. Quod sit autem dimidiæ hebdomadæ mysterium, suprà notat. 2. explanatum à nobis est.

Ad duorum testium resurrectionem congruentiam trium dierum & dimidij spatium, quàm trium annorum vsurpari.

Tertiò, licèt sensus non varietur, siue tres dies & dimidiatus, siue tres anni cum dimidio designẽtur, ad sacræ tamen fictionis congruentiam prudenter satis apposita fuit trium annorum & dimidii phrasis in belli ac persecutionis figura: in eius verò temporis repræsentatione, quo Martyrũ cadauera ingloria, insepulta & ludibrio habita iacuerunt, eleganter vsurpata fuit trium dierum & dimidij expressio. Etenim violenter nimis fingeretur, Iudæorum irrisionem atque ludibrium de interfectorum corporibus tres omnino annos atque dimidium duraſſe. Præsertim, quia, vt superiùs diximus, trium annorum & dimidij interuallum applicatum fuit aduersus persecutionis illius tempus: tres verò dies cum dimidio ad grauissimæ & calamitosissimæ angustiæ spatium, quod extremam persecutionis tempestatem complexum fuit. Quapropter oportuit vel maximè trium annorum & dimidii phrasim ad totum persecutionis tempus, phrasim verò dierum trium & dimidiati ad summam & extremã angustiam accommodari.

In duorum testiũ prædicatione & occisione ad Christi prædicationem & passionem alludi.

Quartò, in hoc etiam facta est allusio ad Christi prædicationis & passionis tempus. Nam Christi Domini prædicatio per tres annos & dimidium durauit. Atque ita conueniens fuit, duorum testium prædicationem, & Iudæorum bellum in eos suscitatum ad tres annos atque dimidium in hac sacra & arcana fictione reuocari. Et quamuis tempus illud, quod à Christi passionis exordio ad resurrectionem vsque interfuit, nõ fuerit trium omnino dierum & dimidiati (nisi passionis initium à feriæ quartæ vespertino tempore ob peculiarem aliquam cõsiderationem capere velimus: cuiusmodi esset propter impiam Iudæ pactionem de Christo hostibus tradendo, aut aliquid simile:) nihilominùs à Christi morte vsque ad ipsius resurrectionẽ tres verè numerantur dies. Et ad significandam temporis illius breuitatem, quod interceſsit inter grauissimam & extremam Ecclesiæ calamitatem in duorum testium internecione figuratã, & inter Ecclesiæ ipsius exaltationem, quæ in eorundem testium resurrectione & ascensione adumbratur, aptè satis assumitur triũ dierum & dimidii tempus. Quo innuitur, ipsorum abiectionis & Ecclesiæ afflictionis spatium vixdum fuisse longius, quàm quod inter Christi mortem & gloriosam ipsius resurrectionẽ fuit interiectum. Quia *nubecula est quæ citò transit*, (vt magnus aiebat Athanasius.) Atque hæc locutionis ratio, vt iã diximus, congruentissimè ad tres dies atque dimidium reuocatur.

Denique

Digitized by Google

Denique, quemadmodum dimidiata hora capitis 8. & quinque menses capitis noni non sunt propria & stricta temporum interualla; sed metaphorica & mystica: ita similiter tres anni cum dimidio, & dies etiam tres cum dimidio sunt pari ratione mysticè vsurpandi, vt hoc pacto significetur Deum in medio ipso tẽpore, id est, tempore opportuniore, quando id minùs fieri posse hominibus videbatur, Ecclesiæ afflictionis tempus contrahere & coarctare, ipsíque Ecclesiæ gloriam ac decus immortale impertiri.

A Ex dictis facilè apparet, quod dicitur de occisorum cadaueribus per tres dies ac dimidium inhumatis, & omni prorsus honore carentibus, non necessariò debere re ipsa comprobari in aliquot ex iis martyribus, qui in ea persecutione mortem pro Christo subierunt. Illud enim solùm hæc allegoria indicat, vt non semel aduertimus; tempus scilicet, quo virtus defecta iam ac penè conuulsa cum Christi hostium triumpho atque tripudio, cumque maxima Christianæ fidei contemptione videbatur.

Quomodo intelligendum quod dicitur de duorum testium occisorũ cadaueribus inhumatu, &c.

TEXTVS.

*Vers.*11. Et post tres dies & dimidium spiritus vitæ à Deo intrauit in eos, & steterunt super pedes suos: & timor magnus cecidit super eos, qui viderunt eos.

*Vers.*12. Et audierunt vocem magnam de cælo dicentem eis: Ascendite huc, & ascenderunt in cælum in nube: & viderunt eos inimici eorum.

B

COMMENTARIVS.

PLVRA ex ijs, quæ super his versiculis erant adnotanda, in superiori notatione prædicta iam sunt & explicata. Nonnihil tamen supereſt annectendum: videlicet in Hierosolymæ persecutione aduersus Christi Ecclesiam coortâ, post ingentem illam afflictionem & ærumnam, successisse maximam prosperitatem & Christianæ Ecclesiæ ingens in ipsa vrbe Ieroſolyma incrementum. Etenim post D. Stephani martyrium, ait sacer textus Actuum 8. *Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Ieroſolymis; & omnes dispersi sunt per regiones Iudææ & Samariæ, præter Apostolos.* Et posteà magis adhuc creuit persecutionis æstus; vt apparet cap. 10. in Iacobi Maioris martyrio & Petri comprehensione. Et denique omnes fere Apostoli Ieroſolyma cesserunt, & in varias concessere prouincias ad Euangelij doctrinam disseminandam. Itaque principio quidem magna fuit facta fidelium turbatio ac cædes: videbatúrque Christi nomen ab Ieroſolymorum finibus procul exulare. Et tunc sanè suum congruenter habuit locum, quod Apocalypsis exprimit de duobus Christi testibus sanctitate & doctrina iacentibus in Hierosolymæ plateis: & quod subiungit de Christi inimicorum gaudio atque triumpho, quòd illos ex toto terrarum orbe sibi viderentur expuliſſe. Ceterùm tantæ, tamque vehementi anguſtiæ succeſſit posteà (ante Ieroſolymæ vastitatem) tanta Iudæorum cõuersio per Iacobi Minoris Hierosolymorum Episcopi prædicationem: vt, quemadmodum Eusebius scribit lib. 2. hist. Eccles. c. 22. *Plerique etiam ex Principibus viris fidem Christi amplexati sint.* Quin imò, vt idem ait, *Nonnulli ex Scribis & Phariſæis & reliquis Iudæis tumultuari cœperunt, quòd vniuersus fere populus Iesum existimat verum esse Christum.* Atque hæc fuit causa, propter quàm Iacobus frater Domini fuit martyrio coronatus. Certum igitur est post Christiani nominis oppreſſionem illam maximam subsecutum mox fuisse maximum Christi fidei incrementum & veræ religionis in eâdem Ieroſolyma exaltationem. Hæc ergo est historia, quam duorum Christi testium resurrectio admiranda & eorundem in cælos ascensio repræsentant. Atque ad hanc etiam Christianæ fidei in Ieroſolyma exaltationem, non parũ fortassis adiuuit conuersio multorum ex Iudaico populo, qui Alexandriæ ad veram Christi religionem traducti magna cum vitæ sanctitate degebant: de quo Euseb. lib. 2. hist. cap. 16.

Quando existimandi sint duo testes in Ieroſolyma plateis occisi iacuisse.

Quando duo illi testes surrexisse dicantur.

Ingens fructus in Iudaorum conuersione ex Iacobi Minoris prædicatione perceptus.

C

Præterea, vt significaretur, Christianam doctrinam & sanctitatem, quæ Ieroſolymis collapsæ penitus atque consumptæ videbantur, caput rursus attollere, & ingenti cum gloria ac sublimitate eminere visas; congruenter satis inducuntur duorum Christi testium corpora demortua iam & opprobrijs ac ludibriis exagitata per nouam rursus vitam erecta, ac suscitata. Deinde ad maximam Christianæ fidei exaltationem per Iacobi Minoris prędicationem, quid significantius, quàm in cælũ ascensio in nube? Lege, quæ diximus cap. 1. v. 7. circa illa verba, *Ecce venit cum nubibus.* Adhæc elegantissimè additur in textu: *Et ascenderunt in cælum in nube, & viderunt eos inimici eorum.* Quibus verbis apertè significatur Christianam fidem Ieroſolymis caput erexisse; & ad eam principes viros media prædicatione se traduxisse; quos propterea, vt sanctos, maximi ab ipsis Iudæis fuisse habitos. Quin imo ijdem Iudæi Christiani nominis hostes, quantumuis inuiti ac renuentes, propriismet oculis aspiciebant ingentem & admirandum honorem atque æstimationem, quam Iacobo fratri Domini omnes deferebant; & facultatem illi vni concessam, (præterea nemini) ingrediendi in sancta sanctorum. Et forsan illis ipsis verbis, quæ nuper ex ipso textu retulimus, denotatur, nonnullos ex iis, qui priùs hostili & infenso animo erant, videntes glorioſum Christianæ fidei incrementum, eidem se tandem subieciſſe. Nam simili phrasi dicit Paulus (vt cap. 1. notauimus) *Aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Iesum.*

D

Quomodo duo testes rediuiui ad cælum conscendisse dicantur.

Quo sensu Iudei testes in cælum abeuntes aspexerint.

Per nubem quidem significari Euangelii prædicationem, genuina est meo iudicio, in Apocalypsi explicatio: vt ex aliis eiusdem Apocalypseos locis constat. Huic tamen explicationi aliam adiicio: quæ est eiusmodi. Potest per nubem significari Dei gloria, iuxta illud Exodi 16. 10. *Gloria Domini apparuit in nube.* Cùm autem duo Christi testes dicuntur; spectantibus ipsorum hostibus, in nube ascendisse in cælum: fortassis indicatur, Iudæis vna ex parte triumphum & exaltationem Christianæ fidei innotuisse; (si quidem ita eam manifestè aspexerunt, vt inficiari non possent:) ex alia

Nubes Euangelicæ prædicationis symbolum.

Digitized by Google

verò parte, hanc Euangelij gloriam illis quasi nubem fuisse obductam, ne eam omnino intelligerent. Effectus quidem ipsius euidentia illis quantunuis renuentibus affatim declarauit Christianæ doctrinæ & sanctitatis triumphum; ignorantiæ tamen nubes illis impedimento erat, ne Christi testium aspectu & pulchritudine fruerentur. Ceterùm hæc eadem ipsorum ignorantiæ nubes est peculiaris triumphi testium gloria: quippe non adeò illi esset gloriosus, si ipsius hostes eum possent absque nube intueri: hoc est, agnoscere integrè, & contemplari, antequàm se se illi subderent. A

TEXTVS.

Vers. 13. Et in illa hora factus est terræmotus magnus, & decima pars ciuitatis cecidit: & occisa sunt in terræ motu nomina hominum septem millia: & reliqui in timorem missi sunt, & dederunt gloriam Deo cæli.

COMMENTARIVS.

Quid hic per terræ motum figuretur.

SVPRA c. 6. 12. diximus terræ motum in Apocal. esse magnæ rerum mutationis symbolum. Ad illã ergo mutationem ingentẽ significandam, quæ Ierosolymæ accidit, quando post vniuersale illud odium in Christi fidem conceptum, subsecuta fuit conuersio bonæ Ierosolymorũ partis, & publica Christianæ religionis confessio: ad hanc inquam, mutationem denotandã quid congruentius, quàm terræmotus in ipso textu descriptus? Quod verò dicitur, *In illa hora*; horæ nomen est ad sacram ænigmatis fictionem accommodatum; in quo dicuntur duo Christi testes à mortuis surrexisse. Fingitur enim terræmotus magnus fuisse factus, quo tempore illi sunt ad vitam reuocati, & in cælum euecti. Si tamen alicui magis placeat terræ motum ad Dei timorem referri (quia in terræmotu tremit quidem tellus, & tremor aptè ad timorem refertur) hoc etiam non est abs re; vt significetur Christianâ doctrinâ & sanctitate reuiuiscentibus, mirum fuisse effectum diuinæ gratiæ ostensum in sancto Dei timore, qui corda occupauit plurimorum ex ijs, quos antea duros ac rebelles Euangelica prædicatio inuenerat. Atque sanctus hic timor significanter appellatur terræmotus magnus ob ingentem morum conuersionem, quam in terra, id est in Iudæis, effecit.

Ruina decimæ partis Hierosolymæ, quo in sensu accipienda.

ET DECIMA PARS CIVITATIS CECIDIT] Miror sanè doctos esse viros, qui sibi persuadent Spiritus sancti mentem hoc in loco non esse aliam, quàm quod verba ipsa textus sonant; nimirum decimam partem ædificiorum Hierosolymæ ruituram, quod ad Antichristi tempus referunt, post Henochi & Eliæ martyrium. Si hoc ita esset certum, vt nonnulli credunt; satis esse in sensu ipso ænigmatico supponi, quod tunc euenturum est, & ad illud per allusionem respici. Enim verò Spiritus sancti sensum in difficilis huius ænigmatis decursu non materialiter (vt ita dicam,) sed spiritaliter accipiendum esse, & ad primitiuæ Ecclesiæ tempora referendum, negare non poterit, qui sex tubarum hactenus præmissarum mysterium probè tenuerit; nec nõ septimæ, quæ mox sequitur. Et meo quidem iudicio in hac decimæ partis Hierosolymæ ruina, manifestè continetur allusio ad murorũ Hierichuntinorum casum, circùm concrepantibus septem tubis (de quo Iosue 6. 10. Nam in hoc Apocalypseos loco septem tubæ non contra Hiericho, sed aduersus Hierosolymam inflantur. Huius tamen clangoris effectus non fuit totius Hierosolymæ, sed decimæ tantùm partis ruina, ante septimæ tubæ sonum. C

Per hominũ casum siue ruinam, eorundem conuersionẽ mysticè in Sacris sæpe denotari.

Et mihi sanè indubitatum est, in decimæ partis ruina conuersionem decimæ Iudæorum partis figurari. Atque imprimis hæc partis decimæ Iudæorum conuersio fuerat multò antè per Isaiam prænunciata cap. 6. 13. verbis illis; *Et adhuc in ea decimatio, & conuertetur.* In quibus illud certè asseritur, licèt Iudaicus populus fuerat propter sua scelera obdurandus à Deo, & execrandus; eam tamen infelicitatem non adeò generalem fore, quin ceterorum excæcationem præcederet decimæ partis illuminatio. Quem sensum illius esse loci proprium & germanum, explicabimns notatione 11. sequenti.

Cadere pro subijci Christo, sæpe in Sacris.

Deinde nulli mirum videri debet, verbum, *cadere*, in ænigmate ad conuersionem referri. Eam enim esse genuinam significationem in arcano sacræ Scripturæ sermone, compertum est. & videre licet in sylua Allegoriarum ex Basil. in Psalm. 44. 10. Tertull. libro aduersus Iudæos, Hieronym. Isaiæ. 13. 17. & 26. & Amos 7. August. in Psal. 44. 10. Greg. 1. Reg. 14. & lib. 2. Moral. c. 38. Quia omnes Patres notant. *Cadere*, esse subijci Christo eos, qui ad veram religionem ac fidem commigrant. Vnde & ruinam Damasci explicant de Gentium conuersione, notantque, tunc dici habitatores terræ non cadere, quando improbi non resipiscunt, sed in suis sceleribus erecti & obstinati perstant. Lege Isaiam 13. vbi cadere dicuntur in ore gladij, qui Dei verbo conuicti, & gladio oris subiecti pristinos deserunt errores; similiter Leuit. 26. & 2. Paralip. 7. & Ierem. 18. mysticè dicuntur inimici cadere coram fidelibus, cùm se illis subijciunt, vel cùm Dæmones superantur; vti explicant Origen. hom. 19. in Matth. & Hesychius Leuit. 26. Iam, quod Christus dicitur *Positus in ruinam multorum* Lucæ 2. Origenes & Hieronymus mysticè impleri dicunt, cùm cadit vetus homo. & resurgit nouus. Ad hæc, mænium Hierichuntinorum casum (quo fit in hoc loco allusio) de Dæmonis machinationibus deuictis exponunt Origen. Hieronymus & Augustinus Epistola 119. Et cadentem Babylonem de conuersione peccatorum explicat Origenes ipse homil. 1. in Ierem. Atque is est genuinus in Apocalypsi sensus, cùm dicitur; *Cecidit, cecidit Babylon.* Vt suo loco videbimus. Huc spectat illud Psal. 44. 10. *Populi sub te cadent*, & Apocal. 19. 16. *Ciuitates Gentium ceciderunt.* Denique quod ruina D

decimæ

A limæ partis Hierosolymæ sit mysticè accipienda, valde confirmatur ex eo, quòd conflagratia Babylonis, de qua cap.17.&18. est omnino etiam mysticè sumenda: vt ibidem planum fiet. Et quemadmodum triumphus, quem Ecclesia de populo Gentilico reportauit, est mystica Romæ conflagratio: non aliter, quem egit de Iudaico populo triumphum, fuit mystica decimæ partis Ierosolymæ ruina.

Tertiò, contextus in plagis tubarum haud dubiè continet seueritatem, qua Deus in Iudaicum populum animaduertit sub primæuæ Ecclesiæ tempus, vt probatum satis est supra: quo tempore euersa fuit Hierosolyma; ita vt nec lapis lapidi impositus supereſſet. Quapropter si de materiali (vt ita dicam) ruina sermo esset, neutiquam diceretur, *Decima pars ciuitatis concidit*; cùm ex ipso pateat contextu, sermonem institui de Hierosolyma, vt liquet in versu octauo. Notanda est ergo summa Spiritus sancti elegantia, qui ingentem illam Hierosolymæ ruinam (quæ tanta fuit, tamque calamitosa, vt Christo illam præcedenti lachrymas elicuerit) non tanti æstimet, quanti mysticam decimæ partis ruinam: in qua verus consistit triumphus, quem egit Ecclesia primitiua de rebelli & obstinata Ierosolyma: quæ, quantumuis perfida & obdurata, decumas tamen Deo, Sanctisque gratissimas dedit. *Hierosolyma conuersionem sub supplicii & vindictæ specie figurari.*

Quartò eadem met decimę partis Hierosolymæ cõuersio pereleganter figuratur sub typo supplicij atque vindictæ, quam sumpsit cælum de Hierosolyma; vt late explicuimus in Prolegomenis, not.
B 23. & Isaiæ cap.6.13. vbi de conuersione decimæ Iudæorum partis agens, eam nuncupat decimationem. Fortè alludit ad eam decimationem, quæ militibus supplicij ergo solet indici; cùm scilicet ad vniuersum plectendum exercitum, decimus quisque ex numeratis militibus capite damnatur. Sed quemadmodum in vltione propria seueriſſimè cum decima eorum parte agebatur, cum reliquis piè & clementer: ita è contrario ingens Dei misericordia potissimùm splendescit in decima parte, quæ cadere dicitur: magna autem seueritas in nouem reliquis partibus, quæ non cadunt. Atque hæc grauis seueritas mox in plaga septima exprimitur.

ET OCCISA SVNT IN TERRÆMOTV NOMINA HOMINVM SEPTEM MILLIVM] Hisce in verbis non dubito allusionem fieri ad 3.Reg.19.18. *Derelinquam mihi in Israel septem millia virorũ, quorum non sunt curuata genua ante Baal.* Quæ verba fecit Deus ad Eliam, asserentem se solum esse derelictum. Atque id Paulus ponderat ad Rom.11.4. *Elias interpellat Deum aduersus Israel, Domine Prophetas tuos occiderunt, & relictus sum ego solus,* &c. *sed quid dicit illi diuinum responsum? Reliqui mihi septem millia,* &c. Cum ergo in præsenti septem millia dicuntur occisa; occisionem eiusmodi de conuersione planè intelligo: vt non semel aliàs in Apocalypsi (id quod satis disputatum est supra, & confirmatum in procœmio not. 23.) si ergo id statuamus, decimæ nimirum partis ruinam esse eorum traductionem ad Christi fidem: contextus ipse compellit, vt ad eandem met conuersionem referatur mystica septem millium mors: vt &
C illud cap.20.21. *Ceteri occisi sunt gladio sedentis super equum,* id est, *gladio Spiritus, quod est verbum Dei.* Et quidem suppositâ hic allusione ad septem illa millia, *qui non curuauerunt genua ante Baal,* necesse est, verbum *occidere* accipi de mystica vltione atque cæde: nam propria vindicta & supplicium minime sunt apta ad eos, qui idolis cultum non exhibuerunt; sed ad eos, qui idola venerati sunt. *In hominũ septem millium occisione alludi ad 3.Reg. Septem millium occisionem de conuersione, explicatum iri.*

At enim (inquies) si occisionis nomine agitur de illis, qui se ad Christi fidem traduxerunt, numerus quidem septem millium exiguus valde est ad significandum numerosam eorum multitudinem, qui Hierosolymæ Christo dedere nomen. Etenim si verum est decimam eorum partem, qui tunc Hierosolymæ degebant, se Euangelio subiecisse: ciuium certè numerus plus decies centena millia comprehendebat: imò & plus vicies, vt obseruant Iosephus & Eusebius. Præsertim, quia nomine Ierosolymæ non ciuitatis modò ciues intelliguntur, sed etiam totius Iudææ. Respondeo tamen numeros hos in ænigmatica locutione, non esse accipiendos ita vt sonant; atque adeò, cùm dicitur occisa sunt septem millia, non significari totidem fuisse homines nec plures, nec pauciores ad Christiana sacra traductos; sed cædem illam spiritalem in maxima hominum multitudine fuisse factam, qui ex spiritali idololatria euaserunt, quique fuerant præsignificati in septem his millibus, *qui non curuauerint genua ante Baal.* Nec aliud est, quod Paulus innuit in verbis illis, quæ ex epistola ad Romanos paulo ante retulimus. *Obiectio contra prædicta dissoluitur.*

D Reliquum est expendere, cur non dicat textus, *Occisa sunt septem millia hominum,* sed *nomina hominum septem millium?* Sixtus Senensis libro 2. verbo *mortis liber,* exponit de reprobis, & hoc ex hoc loco probat, dari librum mortis, in quo reproborum nomina scribantur. Pro qua expositione conatur adducere Hieronymum & Augustinum. Verùm explicatio hæc nullum habet firmum fundamentum; vt ex supra dictis apparet. Alius fortasse somniaret, hac phrasi denotari extinctas fuisse septies mille familias siue progenies hominum, quibus diuersa solent nomina & appellationes inesse. Sed hoc vanum est. Alius philosophabitur huius loquutionis esse sensum, non ipsos perire homines, sed eorum nomina. Quia in alios homines mutantur: ad eum ferè modum, quo Paulus ait, *Viuo ego, iam non ego.* Et eapropter sacro baptismate tinctis nouum imponitur nomen. Germana tamen expositio est, illos propriis nominibus appellari à Deo, cognosci, seligi, atque amari, qui peccatis morientes Christo resurgunt ac viuunt. Et de phrasi quidem ipsa diximus cap.3.4. ad ea verba, *Habes pauca nomina in Sardis.* Adhæc; electi ac prædestinati sunt quidem magnæ apud Deum æstimationis, & magna nomina pro magnis nominis hominibus dixit Plin. & ὀνόματα καλὰ pro honestis hominibus Dion. Halicarnassæus; sicut è contrario dixit Latinus Poëta, *Cur dicat Ioannes, Nomina hominum non hominum nes?*

Auulsumque humeris caput, & sine nomine corpus. 2. Æneid.

ET RELIQVI IN TIMOREM MISSI SVNT, ET DEDERVNT GLORIAM DEO CÆLI] Huius locutionis figura desumitur ex eo, quod ferè videmus accidere, quando repentino aliquo terræmotu ædificium concidit: cuius ruina obteruntur alij, alij formidine & horrore paueſcunt. Quòd si illi in *Qui nam dicuntur in timorem versi, & Deo dedisse gloriam?*

Digitized by Google

mystico terræmotu dicuntur occisi atque oppressi, qui Christianæ fidei sacra susceperunt, sequitur eos, qui nec nomine occisorum comprehenduntur, fidem amplexos non fuisse. Vnde difficultas exoritur, quinam dicantur timuisse, & gloriam Deo dedisse. Respondeo, sensus non est, illos Deo dixisse laudem, propterea quòd eos à morte eripuerit; hoc enim non est ad rem: sed Iudæos, qui in sua obstinatione perstiterunt, Dei tamen gloriæ inseruisse, quatenus confessi sunt, Deum iure optimo Christi nominis hostibus succensere, & seueriſſimè in eos animaduertere. Ad cuius sensus explicationem, aduerte primò vsitatam esse Scripturæ phrasim, qua asseritur homo impius ac sceleratus, quando acriter punitur, Deo gloriam dare, dum confitetur se iuste pro suis sceleribus plecti. Patet hoc Iosue 7.19. vbi ait Iosue ad Acham, *Da gloriam Domino Deo Israel, & confitere, atque indica mihi, quid feceris.*

Quo sensu Iudæi incredduli Deo gloriam dedisse perhibeantur.

Aduerte 2. vulgatam fuisse apud Iudæos opinionem (apud eos præsertim, qui prudentiâ inter eos pollebant) horribilem illam seueritatẽ, cuius documentum edidit Deus in Hierosolymam, cùm eam Titus deuastauit, propterea fuisse: quia Iacobum Minorem ipsius vrbis Episcopum indignâ morte Iudæi peremerant. Docet hoc expresse Iosephus lib. 20. Antiquit. cap. 8. & ex illo refert Eusebius lib. 2. histor. c. 22. ex quo euidenter infertur, illos sibimetipsis reos ac nocentes videri, quòd Christũ suffixissent cruci: siquidem fatebantur, aut verebantur saltem, impium illud facinus in Iacobi internecione patratum, fuisse tot ærumnarum & calamitatum causam. Si enim in eorundem opinione adeò inexpiabile fuerat scelus, occidere Iacobum asserentem, verum esse Messiam Christum, qui ab ipsis fuerat Iudæis interfectus: multo, etiam atrociùs erat flagitium ex ipsorum confessione, aut certè timore ipsum occidisse Christum. Hæc igitur Iudæorum (siue confessionem velis, siue timorẽ) in media illa eorundem obstinatione, quâ Christum reiecerunt, quàm fuerit Deo gloriosa, quamque Dei ipsius seueritatem in Iudaicum populum iustam & satis meritam esse comprobarit, perspicuum est. Si quidem iidem Christi hostes Iudæi fateri cogebantur, aut saltem extimescere, calamitosissimũ illud excidium, & extremas angustias, quas patiebantur, meritissimum fuisse supplicium sibi cælitus immissum, ob impiam necem, quam Iacobo fuerant machinati, propterea quòd Christum crucifixum verum esse Messiam asseueraret.

NOTATIO XI.

De genuino sensu decimationis, cuius meminit Isaias cap. 6. & ad quam alluditur Apoc. 11. 13.

Decimatio ab Isaia prædicta quo sensu explicanda sit.

VIDEBITVR alicui fortasse nostra explicatio de conuersione decimæ partis Iudæorum infirmo aut debili fundamento niti. Aliter enim explanant non solùm Forerius, Perusinus & alij ex iunioribus; sed etiam Patres, quia Cyrillus Alexandrinus sic interpretatur: *Oppugnantibus regionem Iudaicam Vespasiano & Tito, ad tantam virorum paucitatem gens eorum recidit: vt à vero deflexurus non sit, qui vix totius populi decimam partem in ea superfuisse dixerit.* Quam eandem explicationem sequuntur Hieronymus, Procopius, Carthusianus, Leo Castrensis, Forerius & Perusinus. Quin imò Forerius non modò hanc expositionem amplectitur, sed etiam nostram impugnat. Ait enim; *Aliqui accipiunt in bonam partem pro electis, quibus nequaquam assentior: quòd quæ sequuntur, non conueniant.* Hoc ideo dicit, quia vbi nos legimus, *Erit in ostensionem*: ipse transfert, *Erit in combustionem.* Et vbi nos, *Sicut quercus quæ expandit ramos*; legit ipse, *Sicut quereus quibus in defluxu foliorum stipes est.* Quod est dicere; veluti quercus, cuius foliis decidentibus, truncus solus nudus remanet.

1. Opinio explicantium de propria hominum interuentione.

Omitto Lyram atque Vatablum cum Hebræis aliter interpretari, nimirum de numero denario Regum à Ioatham filio Oziæ vsque ad Sedechiam: cuius tempore affirmant impletam fuisse prophetiam de Iudæorum captiuitate per Nabuchodonosorem. Hanc explicationem longè aberrare ab scopo facile erat ostendere. Sed omittendam potiùs censebam, non minùs, quàm illam de soluendis Ecclesiis decimis, cuius Lyranus & Carthusianus meminere.

2. Sententia (quæ & præfertur) exponẽs de conuersione ad Christi fidẽ.

Redeo igitur ad id, quod doctis atque catholicis certum est, nempe Isaiam in eo capite de excæcatione & obduratione Iudæorum in primo Christianæ Ecclesiæ sæculo agere. Hoc ita statuto, nemini mirum videri debet, si decimatio referatur ad eos, qui ex Iudæorum populo Christianã fidem amplexi sunt. Nam ea est Magni Basilij explicatio: cuius hæc sunt verba, *Licèt omnis Israel non sit consequutus quod quærebat: at certè secundum electionem consequutus est per eos, de quibus ait dominus Elia, 3. Reg 14. Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal. Atque hi sunt de quibus dictum est hoc; Adhuc in ea erit decimatio.* Sic Basilius, cuius vestigiis insistunt Arias Montanus, Osorius, Hector, & Aluarez.

Et sanè si Vulgatam sequamur lectionem, (quam nemo prudens lectioni Forerij non anteponat) vix inficiari, aut terginersari possimus, quin de electis sit contextus intelligendus. Nam ramos expandere non dicitur arbor, cùm vritur atque deiicitur: sed cùm post putationem renouatur, & feliciter ramos expandit. Quapropter Isaiæ mens illa est, quam sapienter Arias Montanus declarat: videlicet illum agere de arbore, cui per putationem rami inutiles præcisi sunt, & vix ei decima ramorum restitit pars: illud tamen, quod ei remansit, pullulauit mox, & noua germina feliciſſimè protulit. Quare concludit Isaias, non aliter Ecclesiæ fore euenturum, opitulante Deo maximæ sanctitati paucorum, qui ex eo populo, veluti reliquiæ & spiritalis regenerationis semina, residui fuerant. Atque id est *Semen sanctum erit, quod steterit in ea.* Quam interpretationem confirmat Arias ex cap. 11. epist. ad Rom. vbi Paulus ait num. 17. *Quòd si aliqui ex ramis fracti sunt*, &c. Quibus in verbis alluditur ad finem capitis 6. Isaiæ. Suam etiam sententiam confirmat Arias ex Chaldaica paraphrasi, in qua idem continetur sensus.

Ex Apocalypseos c. 11. confirmatur illa Isaiæ interpretatio.

Nisi autem me valde fallo, optima est explicationis eiusdem cõfirmatio, quæ petitur ex manifesta allusione Apocal. ca. 11 13. ad eundem Isaiæ locum. Cùm enim Ioannes ait, *Decima pars ciuitatis cecidit*, respicit profectò locum Isaiæ. Ceterùm eleganter satis Isaiæ inuertit ordinem & quod ille per arboris decimam partem permanentem exposuit, Ioannes per decimæ partis vrbis ruinam extulit. Etenim in Apocalypseos contextu instituebatur sermo de Hierosolyma, sub specie belli grauissimi, quod Deus in ciuitatem quandam suscipiebat. Vnde pars ea ciuitatis, quæ se Euangelio subdidit dicitur elegãter, ad cælestium tubarum clangorem cecidisse. Idemque innuitur in ea arboris allegoria per decimam ramorum partem, qui ad spiritalem instaurationem remanserunt.

Alia

Digitized by Google

Alia Lyrani expositio refertur ac reiicitur.

Alia Lyrani expositio est, alludi hîc ad eam historiam Genes. 18. vbi dicitur Deus concessisse Abrahamo, Sodomam non fore euertendam, si decem in ea iusti inuenirentur. Enimuerò hoc omnino est abs re. Certum enim est ex Iudaico populo multa hominum millia ad Christum fuisse translata: nec tamen ideo maiorem Iudaici populi partem non puniuit Deus ac reprobauit. Manet ergo, legitimam Isaiæ expositionem esse illam, quam docet Basilius, & paraphrasis Chaldaica, quamque manifesta Apocalypseos & Pauli A alluſio adumbrat, & sequuntur Arias Montanus, Hieronymus, Osorius, Hector Pintus & Aluarez. Nec verò opus esse reor, obiectioni Forerij respondere. Ille enim haud dubiè contextum non probè tenuit, nec Isaiæ comparationem ab arbore desumptam, cuius rami inutiles & superuacui amputantur, quò deinceps efficaciùs pullulet & noua germina erumpant. Quæ omnia simul cum Hebraicarum vocum, quibus Isaias vtitur, significatione doctissimè Arias Montanus declarauit.

NOTATIO XII.

In id Zachariæ 12. 2. Ecce ego ponam Ierusalem superliminare crapulæ omnibus populis in circuitu: sed & Iuda erit in obsidione contra Ierusalem.

QVod sermo inciderit de decimæ partis Iudæorum conuersione (de qua Apocalyp. 11. 13. & Isaiæ 6. 13.) non abs re fore putaui, si hunc Zachariæ locum insignè sanè & difficilem explicarem. Ad quem profecto alluditur in Apocalypsi, vt cap. 14. videbimus: atque ex iis, quæ in hoc capite 11. de partis decimæ Hierosolymæ conuersione tractantur, exoritur lux ad Zachariæ loci illustrationem.

Superliminare crapulę, quid sit apud Isaiam.

Ecce ego ponam Ierusalem superliminare crapulæ. Verbo illi *superliminare* respondet hic in hebræo סף, (*Saph*) & Arias Montanus atque Pagninus, vt compertum statuunt, hoc in loco non significari superius ostij limen, sed vas, siue scyphum, aut cratera. Nituntur fortassis in eo, quòd *superliminare crapulæ* non videatur inter se aptè cohærere: secus erit, *vas ebrietatis*, aut, *vas veneni soporiferi*. Et negari profectò nõ potest, quin Hebraica dictio significet etiam idem, quod vas, in quod liquor aliquis infunditur, quia Ieremiæ c. 52. 19. eidẽ hebraicæ dictioni respondet in nostra Vulgata *hydria* nomen.

1. Expositio Aria, Pagnini & Hebræorum.

Rabbini frequenter, vbi Hieronymus vocem סף *saph*, explicat, seu vertit limen vel superliminare: intelligunt ipsi de vasis templi. Vnde cum Hieronymus transfert, *Custodes vestibuli*, vel *ianitores*, ipsi exponunt de vasorum custodibus, vt Ieremiæ 35. 4. & 4. Reg. 12. 19. & cap 22. 4. & cap. 23. 4. & cap. 25. 18. & 1. Paralip. 9 19. & Esther 2. 21. Sed pro Hieronymo sunt LXX. interpretes. Expendat ergo æquus iudex, quibusnam interpretibus sit potiùs habenda fides; LXX. ne viris & Hieronymo; an Rabbinis? præsertim, quia in his locis hebraicè ponitur *saph*, in singulari numero, atqui *Custodes vasis*, pro custodibus vasorũ, violenta planè est phrasis: custodes autem liminis, aut superliminares non item.

2. Expositio Hieronymi; quæ, vt verior, eligitur.

Deinde aliis in locis, vbi Hieronymus & Septuaginta de limine siue superliminari exponunt; eodem etiam modo interpretantur Rabbini; vt 3. Reg. 14. 17. Iudic. 19. 25. & 2. Par. 34. 9. Isaiæ 6. 4. Ezech. 23. 4. & c. 40. 6. & c. 41. 16. & c. 43. 8. Sophoniæ 2. 14. & Amos 9. 1.

Hieronymi lectioni & expositioni consonare versionem 70.

Tertiò in loco etiam Zachariæ 12. 2 Septuaginta de D superliminari explicant. Legunt enim, *Ecce ego pono Ierusalem vt superliminare, quæ mouentur omnibus populis in circuitu*. Existimare ergo, tum Septuaginta interpretes, tum Hieronymum aberrasse, quòd non ita idoneè dici videatur *superliminare crapulæ*: id planè est LXX. & Hieronymum ignorantiæ insimulare. Nullo autem modo fit verisimile, illos adeò esse hebetes, vt in re ita manifesta, ac Pagnino, Ariæ, & Rabbinis videtur, errauerint. Vide quid simile in hac eâdem voce Exod. 12. 22.

Prior expositio impugnatur.

Quartò in Pagnini, Ariæ, & Rabbinorum translatione, non leuis remanet in contextu difficultas. Dicere enim, *Ego ponam Ierusalem scyphum veneni*, siue, *vas plenum amaritudine*, vel *calicem stuporis operientis eos*, aut, *calicem soporiferum omnibus populis in circuitu*; horum, inquam, nihil est, quod significet Hierosolymam labore atque ærumnâ affligendam; sed potiùs ipsam finitimis omnibus populis calamitati, & oppressioni futuram. At verò contextus exigit, ne hisce in verbis agatur de aliorum populorum calamitate, sed de ipsius Hierosolymæ labore atque angustia. Quod efficaciter satis probatur, tum ex antecedentibus verbis, *Onus Domini super Israel*; quæ manifestam præ se ferunt prophetiam Israëlitico populo minitantem: tum etiam ex B subsequentibus, *Sed & Iuda erit in obsidione contra Ierusalem*? Et certè qui ait, tribum Iuda Hierosolymitanos etiam obsessuram; manifestè innuit, in præcedentibus verbis fuisse sermonẽ de acerbissimis angustiis, in quas fuerat Hierosolyma redigenda. Si ergo Hieronymi & Septuaginta interpretum translatio vsui esse possit ad ingentem afflictionem exprimendam, qua opprimenda erat Hierosolyma: næ tunc dilucidè constabit, Rabbinos, Pagninum, & Ariam lõgiùs ab scopo aberrasse.

Quid sit superiorum liminũ commotio in hac Zachariæ locutione.

Quintò, superiorum ostij liminum commotio videtur præsentem totius domus ruinam innuere. Quare cum Deus dicit (iuxta LXX.) *Ponam Ierusalem vt superliminaria, quæ mouentur*; perinde est quasi dicat, se illam eò periculi atque discriminis deducturũ, quò redacta est domus; cuius superiora portarum limina horribili stridore tremefacta concutiuntur, hoc est, persecutionem grauem & acerbam, vt totum Ecclesiæ ædificium desuper ruiturum videretur. Cùm autem ædificium aliquod concutitur & labascit: quicunque in cõspectu C sunt prætereuntes vocibus & clamoribus, vt sibi caueant, hortantur. Hoc ergo est, quod ait Propheta: omnes scilicet populos circunspecturos Hierosolymam, vt domum labantem iam ac pænè ruentem: videlicet propter persecutionis magnitudinem: & se mutuò hortaturos, vt sibi à Christianorum ruina præcauerent.

Superliminare crapulæ quomodo sit accipiendum.

Nec aliud nostra lectio debet significare, cùm ait, *superliminare crapulæ*. Pro cuius intelligentia aduertendum est, ebriis hominibus, & præ vini ingurgitatione capitis vertigine laborãtibus, omnia videri circumagi & tremefieri. Sensus igitur est, Hierosolymam in eiusmodi discrimen traham, vt in finitimorum circum oppidorum cõspectu reapse illi accidat, quod falsa existimatione decepti videri sibi ebrij frequenter videntur, domos scilicet & ædificia omnia commoueri. Itaque superiora huiusce ædificij limina revera concutientur, & tota structuræ moles ruinam minitabitur, præ vehementi persecutionis vi atque impetu: quemadmodum D videntur ebrio domus, quantumuis firmæ, emoueri. Quare se mutuo hortabuntur vicini, vt suæ saluti & incolumitati consulant.

Comparatio hic ab ebrio petita quonam pacto intelligenda sit.

In hac expositione, *superliminare crapulæ*, comparatio est petita ex limine, quod ebrius aspicit. Sensus tamen non is est, quòd scilicet limen fictè & simulatè videatur collapsurũ: sed quòd re vera labet ac titubet, & in grauissimum reuocetur discrimen, vt Septuaginta explicuerunt. Quoniam verò domum nutare, & minari ruinam, ex persecutione oritur, quæ in Ecclesiam à Iudæis excitata est, ideo aptissimè subiicitur, *Sed & Iuda erit in obsidione contra Ierusalem.*

Sextò, *cõmoueri superliminaria*. Hebraica phrasis est, qua indicatur ædificij alicuius impendêre ruinam: vt videre est Isaiæ cap. 6 4 & Amos cap. 9. 1. Quibus ex locis confirmatur nostra hæc de Zachariæ loco explicatio, quòd scilicet in motu superliminaris non sermo sit de finitimorum oppidorum calamitate, sed de Hierosolymæ ipsius angustia atque discrimine.

Septimò, ad rei cuiuspiam magnitudinem exaggerandam, significanter satis solemus dicere, eam quasi solam mentis conceptionem, aut considerationem videri: id quod Hispano nostro idiomate elegantius

Digitized by Google

sonat, *Parece cosa de imaginacion* Vt Psalm. 125.1. *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati*. Hebraicè *vt somniantes*, id est, res ita admirabilis ac noua visa est, vt somniata potiùs quàm oculis vsurpata videretur. Igitur ad magnam commotionem postium significandum, congruenter dicitur, *vt superliminare crapula*: id est, sicut in crapula moueri videntur superliminaria; sic reuera commouebitur Ecclesiæ ædificium spectantibus vicinis populis, & se ad cauendum sibi mutuò cohortantibus.

Traditur alia expositio superliminaris crapulæ.

Octauò, *Superliminare crapulæ omnibus populis in circuitu*, forsitan denotat omnes finitimos populo Christianæ Ecclesiæ limina respecturos tanquam crapulam, ebrietatem & insaniam, & Christianis hominibus insultaturos, quemadmodum pueri ebrium hominem vrgere & insectari solent: quem labantem iam, & vacillantem, vt citiùs corruat, impellunt atque supplantant. Lege illud Psalmi 106.27. *Moti sunt, sicut ebrius*, id est, huc illuc nutant ac titubant cerebro & pedibus tentati. Item Iob 12.25, *Errare eos faciet quasi ebrios.* B

Hebræa vox Saph *quid proprie.*

Nonò, Arias Montanus arbitratur, Hebræum vocabulum סף (*saph*) ex primæua significatione denotare quodcunque vas, & inde transferri ad limen. Mihi verisimilius multò est primaria & germana significatione per hanc vocem indicari limen; atque hinc aliquando translatiuè significari non quodcunque vas, sed aliquod vas, in quo similitudo aliqua liminis appareat: vt paruus lebes, qui superiori parte habet ansam limini ianuæ non absimilem. Atque ita forsan in nostra etiam vulgata, Exodi cap. 12.22. limen accipitur pro simili vasculo. Hoc inde mihi probabile fit, quòd à vase ad limen, nullum similitudinis transitum reperiri posse videam. A limine verò ad aliud peculiare vas, aptè potuit transferri nomen. Limen autem prius est & notius, quam peculiaris illa vasis forma. Ad hæc, in sacris Literis iuxta Hieronymum, Septuaginta & Græcos interpretes (vt Aquilam, Symmachum, & alios,) ferè hoc nomine significatur limen: ea igitur erit primæua ac vera significatio. C

Quo sensu dicatur Iudæa pugnatura aduersus Ierusalem.

Sequitur in textu, *Sed & Iuda erit in obsidione contra Ierusalem*: hic quamuis hebraicus cõtextus alio modo transferri videatur posse: & LXX. interpretum versio non adeò perspicua sit: ex contextu tamen & ex collatione huius loci cum altero illo capitis 14.14. *Sed & Iudas pugnabit aduersus Ierusalem*, non dubitauit Hieronymus, in sensu grãmatico significari, Iudæos ipsos aduersus Hierosolymã fore pugnaturos. Cùm autem Zacharias Hierosolymæ nomine citra dubitationem de Christiana Ecclesia primogenita loquatur: ideò Cyrillus (quem Arias & Ribera sequuntur) censet, prophetam in præcipuo sensu agere de persecutione, quam Iudæi aduersus Ecclesiam primogenitam excitarunt, vt sensus sit, non solum fore Ecclesiam a Gentibus oppugnandam, sed etiam a Iudæis ipsis, qui in Messiæ expectatione erant. Hæc illi.

Quid hic Iuda nomine innuatur.

Mihi tamen, cum bona eorum venia, persuasum est, sub Iudæ nomine non designari in præsenti Iudæos pertinaces, qui in sua perfidia & obstinatione restiterunt: sed eos potiùs, qui initio quidem (vt Paulus Euangelio repugnabant, posteà tamen sunt ad fidem conuersi. Atque hanc esse existimo decimam Iudaici populi partem, quæ Euangelio nomen dedit: de qua Apoc. 11.13. & Isaiæ 6.13. Hoc mihi probatur ex iis, quæ mox nu. 4. sequuntur: *Super domum Iudæ aperiam oculos meos: & ponam duces Iuda sicut caminum ignis in lignis: & sicut faciem ignis in fœno: & deuorabunt ad dexteram & ad sinistram omnes populos in circuitu. Et saluabit Dominus tabernacula Iuda, sicut in principio, vt non magnificè glorietur domus Dauid, & gloria habitantium Ierusalem contra Iudam.* Ex his verbis infero, eam fuisse loquendi rationem; quasi initio ad Gentes, quæ bello Hierosolymam infestabant, ingens Iudæorum manus sese hostili animo adiunxerit, vt illis associati prælium etiam ipsi cum Hierosolyma committant: huic autem Iudæorum phalangi Deus posteà oculos aperuerit, & corda immutarit: ita vt conuersis signis arma in Gentiles ipsos sumserint, qui Hierosolymam euersuri eruperãt, magnamq; in ipsis ediderint stragẽ. D

Hoc ita posito nomen Iuda non hic designat tribum Iudæ: sed promiscuè & indistinctè sumitur eodẽ modo, quo nomen Israëlis. Nam post captiuitatem Babylonicam, duo hæc nomina Israel & Iuda pro eodem accipiebantur; & populus quidem Iudaicus ceteras comprehendebat tribus. Atque ita statuunt Cyrillus, Arias, & Ribera. Quod enim de Iudaica persecutione exponunt, non referunt ad persecutionem eam, quam vna conciuit tribus, sed ad eam, quam carnalis Israelis populus commouit.

Post Babylonicam captiuitatem duo hæc nomina Israel & Iuda, pro eodem sumi solita.

Ego vero conseo nomen Iuda taliter quidem sumi, vt tribus omnes comprehendat: ita tamen, vt sermo sit de illis tribubus, quas Apocalypsis cap. 7. insinuat. Etenim ingens ille numerus centum quadraginta quatuor millium ferè totus constat ex iis Iudæis, qui initio persequebantur Ecclesiam, posteà verò non modò sunt ad fidem conuersi, verùm etiam ex semetipsis exercitum illum conflarunt, quo Deus bellum Gentibus indixit, & falsum idolorum cultum sustulit. Suppono igitur ex capitis septimi commentario; ferè omnes illos centum quadraginta quatuor millia fuisse ex populo Israeletico. Atqui manifestum est, principio penè omnes illius populi Christianæ Ecclesiæ tunc primùm nascenti bellum intulisse. Posteà tamẽ illos cælesti lumine illustrauit Deus, & bellum ita fuit commutatum, vt mystico ac spirituali igni, quem Christus in terris accensurus aduenit, Gentilitatem inflammarint: atque hoc significaretur in Zachariæ textu satis eleganter, vt vidimus.

Nota ergo, negari non posse, quin Zacharias de illis sermonem instituat, qui instrumento, atque adeò adiumento fuerunt ad insignem victoriam, quam Ecclesia de Gentibus reportauit. Hos autem manifestum est non ex eorum Iudæorum numero fuisse, qui rebelles & obstinati perstiterunt, sed ex illis, qui ad fidem Catholicã cõmigrarunt. Distinctio autem est eiusmodi, vt per nomen *Ierusalem & domus Dauid*, denotentur primi illi, qui Euangelio non repugnarunt: at per nomen *Iudæ*, (de quo dicitur, *pugnabit aduersus Ierusalem*) significantur, qui principio quidem Euangelio reclamarunt, & bellum in Ecclesiam susceperunt: posteà tamen suaui Euangelij iugo supposuere ceruices, & ex illis confectæ sunt mysticæ illæ tribus duodecim, de quibus agitur Apocal. 7.

In nomine Iudæ, apud Zachariam non eos comprehẽdi Iudæos, qui obstinati perstiterunt.

Quod autem in nomine Iuda non includantur ij, qui in sua obstinatione permanserunt, singularem habet elegantiam. Nec enim vnquam futuri erant veri Iudæi, sed potiùs synagoga Satanæ, vt loquitur Apoc. 2.9. Quare hi in Gentilium numerum ab Scriptura referuntur. Quamobrem Iudæorum nomen ad eos eleganter accommodatur, qui erant à Deo prædestinati, vt per eos Gentes Euangelij fidem reciperent: & quamuis eorum perpauci fidem principio amplexi fuerint, nec illam vnquàm oppugnarint: maior tamen eorum pars fuit certè, qui traducti ad fidem sunt, postquàm illam infestarant. Qua in re expletum fuit diuinæ prouidentiæ cõsilium, vt idonei posteà Euangelij ministri forent, qui illud antea persequebantur; cuiusmodi tum Paulus, tum alij fuere permulti. In his autem verum esse comprobatur, Deum saluasse tabernacula Iuda, sicut in principio, nec non ex decimæ Iudæorum partis conuersione, & admirabile ipsorum efficientia in Catholica religione propugnanda illud imprimis redundasse; ne primogenita Ecclesia (quæ per domũ Dauid, & mysticam Sionem, siue Hierosolymam figuratur) sese gloriabunda iactet, quasi ipsa per se sola absque Iudaici populi subsidio victoriam ex Gentibus obtinuerit. Nec enim ita accidit, sed Iudaico populo suppetias ferente, id est, illis posteà auxiliantibus, qui primò nascentem Ecclesiam afflixerant: quorum mentes illuminauit Deus, & ex oppugnatoribus propugnatores reddidit.

Vltimò, cum hac Zachariæ expositione consonant optimè verba ipsius textus præcedentia: scilicet, *Dicit Dominus extendens cælum, & fundans terram, & fingens spiritum hominis in eo.* In quorũ verborũ expositione me refero ad ea, quę de illis dixi Apocalyps. c. 1. 4. & in illius loci cõmentario, *ab eo qui est, & qui venturus est.* Illud hic demũ addo, cælum Christianæ esse Ecclesię symbolum: terram autem Iudaici populi, vt sæpe diximus.

TEXTVS.

Digitized by Google

TEXTVS.

*Vers.*14. Væ secundum abijt,& ecce væ tertium veniet citò.

COMMENTARIVS.

DE his verbis diximus cap.8. fine & cap.10. in principio; vbi animaduertimus, hisce ex verbis colligi totum cap.10. & partem eam vndecimi,quæ septimam præcedit plagam, considerandа esse veluti ad plagæ sextæ tempus spectantia. Alioqui nimis serò diceret hic Ioannes, *Væ secundum abijt,& ecce væ tertium veniet citò.*

NOTATIO XIII.

De summa & scopo eorum, quæ sequuntur vsque ad finem capitis: hoc est, eorum, quæ ad septimæ tubæ plagam spectant.

Difficultas in subsequentium cum antecedentib. connexione.

ACOLVTHIA eorum, quæ sequuntur à septimæ tubæ clangore ad finem vsque capitis 11. non leuem continet difficultatem. Quæ enim hic coniunguntur, minimè inter sese videntur consentire. Nam imprimis ex illis tribus *Væ*, quæ aquila cap.8.13. significauit, postremum & seuerissimum ad septimam pertinet tubam. Cùm tamen vice fletus ac lamenti, post septimæ tubæ clangorem, voces laudis atque lætitiæ personent,quòd Deus iam & Christus regnēt. Secundò huic exultationi adiungitur ira Gētium & ira Dei. Tertiò, videtur hic esse sermo de extremo vniuersalis iudicij die, nempe de mortuorum resurrectione, de sanctorum præmio,& improborum supplicio.Id enim sonant verba illa, *Tempus mortuorum iudicari, & reddere mercedem seruis tuis pusillis & magnis, & exterminandi eos, qui corruperunt terram*. Quartò, quod ad finem additur videtur necessariò referendum ad Euangelicæ prædicationis tempus. Nam arca Dei & manna atque virga Aaronis non sunt idoneum æternæ beatitudinis symbolum: at fulgura & voces aptissima sunt symbola ad prædicationem Euangelij, vt vidimus cap. 4.5. atque violentum planè est huiusmodi symbolum ad æternas damnatorum pœnas applicare. Nihilo est aptior ad infernum indicandum terræ motus & ingens grando: vt facilè cernet, qui attentè perspexerit horum symbolorum elegantiam.

Difficultatis tēpestas in hoc loco ad quas expositionū Syrtes inter-pretes non paucas impegerit.

Denique in huiusmodi rerum consequentia tantam interpretes difficultatem inuenerunt, vt iudicauerint, quidquid in versu 19. dicitur (scilicet, *Apertum est templum Dei in cælo*, &c.) non ad septimam pertinere tubam, sed ad nouam aliam visionèm, quæ in cap.12. continuetur. Itaque arbitrantur ex hoc versu exordiendum fore caput sequens. Ita ex Græcis Andreas;& ex Latinis Ioachimus, Rupertus, Hugo Cardinalis, Anselmus,Albertus,Pannonius,& alij. Omitto Aretā, qui licèt seorsum nouum caput conficiat ex versu 19. asserit tamen, hoc esse tertium *væ*. In quo existimat hunc versum ad septimam tubam pertinēre.Et quidem hac in re collineauit Aretas. Etenim præterquam quòd communis distinctio,quam admittit Ecclesia, nos docet, grandine magnâ plagam tubæ septimæ compleri, & nouum argumentum ordiri à magno illo signo, id est,à muliere amicta sole: præter hanc, inquam,communis distinctionis auctoritatem, qui mysterium plagæ septimæ probè tenuerit,nec non magnæ grandinis symbolum;dubitare non poterit,quin magna hæc grādo septimam plagam perficiat. Nam absque huiusmodi grandine nihil aliud fuerat prædictum, quod dignè plagæ septimæ grauitatem ponderaret. Adhæc, proportio & conuenientia septimæ huius plagæ cum plaga item septima capitis 16. & cum septima etiam Ægypti plaga (de qua Exod 9.22.)probat efficaciter magnum profectò latēre mysterium in eo, quòd in hisce tribus locis grando magna semper in loco septimo reponatur.

Variæ explicationes de septima tuba mysterio.

1. Opinio exponentium de victoria ex Antichr. parta

2. De tēpore libertatis Ecclesiæ sub Iustiniano Imperatore.

3. De extremi iudicij die.

His ita præmissis de tubæ huius septimæ mysterio variæ iactantur sententiæ. Atque vt à Dei & Christi regno, quod cæli gaudio celebratur, ducamus exordium, aliis placet, hoc esse referendum ad tempus victoriæ ex Antichristo partæ. Ita Seraphinus secutus fortasse Ioachimum, qui exponit de tempore magnæ B cuiusdam libertatis; quæ pertinet, vt ille ait, ad Spiritum sanctum. Alij referunt ad tempus libertatis Ecclesiæ sub Iustiniano Imp. Sic Aureolus, Antoninus, Lyranus, Ederus, & Lizarazus. Alij ad ipsum vniuersalis Iudicij diem, vt Andreas, Aretas, Beda, Primasius, Albertus,Ribera,& Viegas.

Primas duas declarationes satis constat cum septem plagarum argumento non consentire:id quod sufficit, vt eas prætermittamus. Tertiam verò dicit aliquis nō male cohærere, vt post sex plagas, quibus Deus in hac vita perfidos percussit Iudæos,septima addatur de vindicta,quam de illis Deus in die iudicij sumet. Præterea huic ipsi de iudicii die explicationi fauere videntur duo imprimis argumenta.Primum est,quia textus planè meminit vniuersalis mortuorum resurrectionis, necnon Iudicij & præmij Sanctis tribuendi,atque supplicij pariter improborum.Hęc enim omnia apertè sonant verba illa, *Tempus mortuorum iudicari, & reddere mercedem seruis tuis pusillis & magnis, & exterminandi eos,qui corruperunt terram*. Secundum est;quod textus C ait de Dei atque Christi regno, aptè satis verum redditur in extremi iudicij die; vt probant illa Pauli verba 1.Corinth.15.24. *Deinde finis, cùm tradiderit regnum Deo & Patri.*

Reiciuntur duæ priores interpretationes.

Argumēta pro 3. expositione.

Nihilominus expositio hæc mihi non probatur.Primò, quia in ea præstituitur, sermonē hic esse per anticipationem de die Iudicij: & postea ad Antichristi bellum fieri regressum (imò ad incarnationis mysterium, vt docent Ambrosius & alij.) Atqui huiusmodi anticipationes, & ordinis perturbationes, nisi necessitas cogat,admittendæ non sunt: aut ni fortè prudentia atque elegantia videantur exigere ob singularem aliquam rationem anticipationes huiusmodi & perturbationes. Quæ omnia hic omnino deficiunt. Nam,vt infrà videbimus, absque aliqua ordinis perturbatione declaratur contextus: & ostenditur, symbola in hoc loco vsurpata, esse maximè idonea ad significationem eorum, quæ in iis adumbrantur. Nec aliqua vigebat ratio, vt ex Iudaici populi persecutione in Ecclesiam commota repentè ad diem Iudicij fieret transgressio. D

Refutatur 3. expositio. 1. Ratio cōtra 3a expositionem.

Deinde, quia Concupiscentias & Furias) quæ in quinta,& sexta plaga continentur)recto ordine consequebatur plaga obdurationis ac pertinaciæ, qua Deus in hac vita populū Iudaicum perculit. Ad quam significationem elegans symbolum, & in sacra Scriptura vsitatum, est grando magna, quæ hoc caput absoluit. Nec alia est grandinis significatio in plaga septima capitis 16. vbi tamen agitur de quorundam ex Gentibus obduratione. Ex hac autem animaduersione colligitur planè distinctio septimæ huius plagæ capitis 11.& magnæ grandinis c.16. Aliter enim vtraque plaga confunditur. Nec potest discriminis inter vtramque congruens reddi ratio,cur ex quatuordecim Apocalypseos plagis septima & quartadecima inter se confundantur, & vtriusque significatio sit de æternis inferorum pœnis.

Secunda ratio. Traditur vera septimæ plagæ interpretatio, de Iudaeorū obdurations.

Tertiò, si symbola vocum, fulgurum, terræmotus & magnæ grandinis ad pœnas inferorum aptentur; certè Apocalypsi subtrahitur symbolicæ significationis excellentia. Etenim, si rectè huiusmodi symbola inspiciantur; certum est illa ad alias significationes

Probatur nostra expositio, & pariter tertia superiùs posita impugnatur.

Digitized by Google

elegantiùs transferri: vt in tribus primis vidimus cap. 4.& 6. atque in vltimo videbimus in hoc cap.11. Quin imò ita est generatim receptum, vt propria tonitruorum & fulgurum significatio spectet coniunctionem cælestis fortitudinis & admirabilis exempli in Euangelij promulgatione. Terræmotus autem significatio est mutatio rerum: grandinis verò (vt posteà planum fiet) obduratio peccatorum. Quare violentum profectò est, vsitatas in sacris Literis horum symbolorum significationes, easque perelegantes prætermittere; vt ad diem Iudicij, & ad æterna improborum supplicia importunâ transitione deueniatur. Præter hæc, multos interpretum impulit hæc ratio (etiam ex ijs, qui in tuba septima de die Iudicij sermonem esse putabant) vt nihilominus in fulguribus ac vocibus ad Euangelij prædicationem regrederentur.

Quartò, in cap.12. dubium non est, agi de Ecclesiæ transitu ad Gentilitatem Iudaico populo derelicto. Ex quo fit manifestum, quod antecedit (nempe septimam plagam) non fore vniuersalis Iudicij diem, sed Iudaici populi obdurationem. Hæc enim duo sunt maximè inter se connexa, videlicet Iudæorum obduratio & Ecclesiæ migratio ad Gentes, vt paulò infrà apparebit.

Quintò, illud præ ceteris nostram sententiam suadet, quia quidquid textus in plaga septima exprimit, congruentissimè ad Iudaici populi obstinationem applicatur. Quamobrem, cùm adeò certum sit, tubarum plagas esse septem illas, quibus Deus in Iudæos animaduertit, & ex plaga vltima fieri transitum ad Ecclesiæ transmigrationem ex Iudæis ad Gentes: vocari in dubium non potest; quin, si quod in hac plaga septima textus affirmat, idoneè ad populi Iudaici obdurationem applicetur, id debeat esse verus germanusque sensus. Quòd vero in Apocalypsi vsque ad 11.capitis finem de Ecclesiæ bello in Iudæos suscepto instituatur sermo, & à c.12.de eiusdem Ecclesiæ bello aduersus Gentes: hoc inquam, satis stabilitum est suprà, tum in proœmio notat.12. tum etiam in capitum præcedentium commentario.

Reliquum modo fit, ostendere congruentem hanc contextus applicationem ad obdurationem Iudaici populi, id quod in sequenti commentario patebit.

TEXTVS.

*Vers.*15. Et septimus Angelus tuba cecinit: & factæ sunt voces magnæ in cælo dicentes; Factum est regnum huius mundi, domini nostri & Christi eius, & regnabit in sæcula sæculorum, Amen.

COMMENTARIVS.

Quorsum hic cum Iudæorum obduratione, subiecto regni mundi Christo & regnū ipsius Christi perpetuum cōponatur?

Iudæorum obstinatio & Gētium electio in diuina prouidentia consilio fuere coniuncta.

Hic sese imprimis menti offert dubitatio, quid scilicet habeat commune cum Iudaici populi obstinatione, subiectio regni mundi Christo, & Christi ipsius regnum perpetuò duraturum? Responsio autem est huiusmodi: quemadmodum in diuino decreto connexionem habet vocatio Gentium cum Iudæorum reprobatione (vt enim Deus Gentibus Euangelii lumen impartiret, Iudæorum permisit cæcitatem, vt docet Paulus ad Roman.11.) haud aliter Ecclesiæ patuit obduratio ac reprobatio Iudaici populi eodem tēpore, quo sanctis innotuit Euangelicæ prædicationis ad Gentes initium, & porta ad ipsius Euangelii penetralia vniuersis mundi nationibus reserata. Hæc enim duo in diuinæ prouidentiæ consilio coniuncta inter sese & copulata erant. Idcirco dilucidè constat, ad tractatum de Iudaicæ gentis reprobatione pertinere Gentilici vocationem; atque hanc eandem vocationem Gentium, quam prænunciat Deus, esse extremæ in Iudaico populo calamitatis (id est, obdurationis ac reprobationis) exordium. Propterea quòd, vt iam diximus, Gentium vocatio, & obcæcatio Iudæorum connexæ sint; & ad plenum Gentilicæ vocationis effectum, in diuini consilii ratione, Iudæorum repulsa pro medio instrumēto accipi deberet. Quare, cùm dicitur Deus portam Gentibus patefacere; perinde est quasi dicatur, eam velle Iudaico populo claudere. Circa hæc autem notanda sunt Hieronymi verba in id Matthæi 15.24. *Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.* Vbi sic habet, *Non quod & ad Gentes non missus sit, sed quòd primùm missus sit ad Israel, vt illis non recipientibus Euangelium, iusta fieret ad Gentes transmigratio.*

Regnare Deum & Christū eius in mundo, sæpè in sacris Literis ad Gētium conuersionē referri.

Iam, quòd regnare Dominum, & Christum eius in mundo, soleat in sacris Litteris ad Gentium conuersionem referri, liquet ex Psalmo 96. *Dominus regnauit, exultet terra, lætentur insulæ multæ: nubes & caligo in circuitu eius, iustitia & iudicium correctio sedis eius,* &c. Argumentum enim huius Psalmi non est aliud, quàm vocatio Gentium; vt in eius commentario videbimus. Idemque dixerim de Psalm.98. *Dominus regnauit, irascantur populi.* item Psalmo 92. *Dominus regnauit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem.* Quem ad locum clarè alluditur infrà, cùm dicitur, *Accepisti virtutem tuam magnam, & regnasti:* de quo ibi. Huius locutionis fundamentum illud est. Cùm enim Deus antea vni populo Israelitico notus esset, præterea nemini; non vtique in mundo videbatur regnare; nec spirituale eius regnum, vniuersalem monarchiam, sed peculiarem referebat principatum. Atqui regnare Deum, idem est, ac propalam ostendi Dominum vniuersalem, & cunctis mundi nationibus dominantem; quas omnes infinito suo amplexu coërcet septemplex diuinæ prouidentiæ spiritus.

Voces magnæ è cælo exaudita quid indicent.

Cùm ergo primis fidelibus fuit diuinitus prænunciatum, Dei regnum vniuersis nationib. communicari; & diuinum decretum iam impleri, Ecclesiam propagandi suam ad extremos vsque mundi limites, & Gentes omnes gratiâ Euangelicâ alliciendi & inuitandi: tantâ hac Ecclesiæ sublimitate & gloriâ à se ipsis expectatâ, & fælicissimis tantæ operis exordiis summopere fideles fuere lætati. Atque ingentes voces illę & clamores qui in cælo personant, indicant glorioſissima laudum præconia, quæ Deo Christiani primitiui dederunt. Cæli enim nomen Christianæ Ecclesiæ in Apocalypsi tribui, vidimus cap.4. Perspicuum autem est, per mundi regnum denotari regnum vniuersale: sicut & dicere duraturum fore in sæcula sæculorum, indicat ipsius perpetuitatem. Quasi dicatur Christiana Ecclesia esse catholica & permanens, hoc est, vniuersas nationes complectens, & in æternum permansura.

TEXTVS.

Digitized by Google

A

TEXTVS.

*Vers.*16.Et viginti quatuor Seniores,qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis,ceciderunt in facies suas,& adorauerunt Deum,dicentes:

17.Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens,qui es,& qui eras,& qui venturus es:quia accepisti virtutem tuam magnam,& regnasti.

COMMENTARIVS.

VIDE suprà cap.4.v.10. vbi ostendimus,per seniorum siue presbyterorum adorationem significari Christianæ Ecclesiæ sacrificia,quas Missas dicimus;hæc enim est excellentissima ratio, ingentia Dei opera celebrandi. Verbum autem *Gratias agimus*, vt ex græco pater,idem significat, quod,*Eucharistiæ sacrificium offerimus*;scilicet pro vocatione Gentium, vt diximus v. præcedente. Id enim ipsum hic denotat phrasis illa,quæ affirmat regnare Deum. Atque id ipsum magnopere congruit cum plaga septima,vt superiori versu explicatum est. De illa verò loquutione, *Qui es. & qui venturus es*,dictum à nobis est latè cap.1.notat.3. *Per Seniorũ adorationẽ, quid significetur.*

B

QVIA ACCEPISTI VIRTVTEM TVAM MAGNAM ET REGNASTI] His verbis habetur respectus ad Psalmum 92.vbi dicitur.*Dominus regnauit,decorem indutus est,indutus est Dominus fortitudinẽ.* Idem enim est virtus,ac fortitudo.*Et accipere virtutem*,no aliud est,quàm *indui virtute.* Quippe ideo accipitur vestis, vt induatur. Simili phrasi dixit Ephesijs Paulus cap.6.13.*Accipite armaturam Dei.* Item Ioan.13.12.*Accepit vestimenta sua.* Vers. 17. *Allusio ad Psal.92.*

TEXTVS.

*Vers.*18. Et iratæ sunt Gentes:& aduenit ira tua, & tempus mortuorum iudicari, & reddere mercedem seruis tuis Prophetis,& Sanctis, & timentibus nomen tuum,pusillis & magnis,& exterminandi eos,qui corruperunt terram.

COMMENTARIVS.

ET IRATÆ SVNT GENTES ET ADVENIT IRA TVA] His in verbis præterita pro futuris accipiuntur.Et præterquã quòd phrasis hæc Prophetis est familiaris;eam in hoc loco oportuit vsurpari propter allusionem ad Psalmum 2.in quo hæc eadem prophetia per præteritum enunciatur.Dicitur enim.*Quare fremuerunt*(siue iratæ sunt)*Gentes*? Et infrà. *Tanquam vas figuli confringet eos*, vbi sermo est de Deo.Itaque vtrumque eorum,quæ in hoc versu dicuntur,nempe.*Iratæ sunt Gentes,& aduenit ira tua*, desumptum est ex Psalmo 2. Et sanè postquàm Deus primitiuæ Ecclesiæ fidelibus suum de vocatione Gentium decretum,& admirandi huius operis exordium prænunciauit; postquàm fideles ipsi eidem debitas grates egerant ob insigne illud beneficium in suam Ecclesiam collatum,cùm ei Gentes omnes subijcere decreuit: addunt deinceps,sibi ignotum non esse Euangelicæ prædicationi Gentes initio pertinaciter restituras; sicut scriptum est in Psalmo 2. huic tamen Gentium iræ nouissimam Dei iram(qua ipse imprimis gloriatur)successuram,quæ mysticam de ipsis vindictam sumat:atque hac ratione Gentilium persequutionem in ipsorum Gentilium conuersionem redundaturam,vt in secundo Psalmo fuerat à Dauide prædictum,*Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ.* *Præterita pro futuris.* *In Gentium iram allusio ad Psal.2.*

C

ET TEMPVS MORTVORVM IVDICARI, ET REDDERE MERCEDEM SERVIS TVIS, ETC.] Primasius,Beda,Andreas,Aretas & alij,vt credant,7.tubæ plagam esse illam, quam extremi iudicij die sunt improbi perpessuri;eo solùm nituntur fundamento,quòd in hoc versu expressa sit mentio de mortuorum tempore:quod non aliud esse videtur,quàm generalis resurrectio. Deinde sequitur, *iudicari*: posteà sententiæ ipsius executio, id est, *Reddere mercedem seruis tuis, & exterminare eos,qui corruperunt terram.*Huic tamen argumento,vt faciam satis,assero in ænigmate nouum non esse,vt aliud sonet,aliud significet.Fateor ergo in huiusmodi verbis allusionem ad diem Iudicii eleganter fieri;præcipua tamen significatio de die illo esse non potest propter rationes eas,quas notatione 13.attigimus. *Quod appelletur hic tempus mortuorum iudicari*

D

1. *Opinio exponens extremi iudicij diem.*

Adhæc,non hic est solùm Scripturæ locus, in quo sub propriæ resurrectionis specie legitimus sit resurrectionis mysticæ sensus.Expende illud Pauli ad Ephes.5.14.*Surge,qui dormis, & exurge à mortuis,& illuminabit te Christus.*Quæ cùm ita sint,non inficior,*aduenisse tempus mortuorum*,idem esse, quod *aduenisse tempus resurrectionis mortuorum.*Ceterùm locutionem hanc aptissimam esse affirmo, vt ænigmaticè indicetur Gentilium sanctificatio,& cælestis Spiritus eisdem liberaliter largiendus. Quòd si antecedentia verba de vocatione Gentium agunt,vt ex superioribus cõstat,quid,obsecro, cõgruentius,quàm si asseratur,appropinquare iam tempus,cùm Deus mortuis fuerat vitam daturus?Rursus si hoc ita est,ipsa ad Iudicii diem allusio inuitat,atque alludit, vt mortuorum resurrectioni mentio Iudicii subiiciatur.Et verò non parum habuit congruentiæ cum plagæ septimæ argumento adiectio illa admirabilis Dei Iudicii post mysticam Gentium resurrectionem:quod Dei iudicium splendescit imprimis in ipsarũ Gentium vocatione,& sãctificatione;adiectâ pariter Iudaici populi repulsâ.Ideoque post *tempus mortuorũ* additum fuit,*Iudicari*.Aut fortasse verbũ hoc refertur ad iudiciũ illud cõtra idolo- *Impugnatur præcedens interpretatio.* *Traditur vera expositio de mystica resurrectione,per allusionem ad extremi Iudicij diem*

Digitized by Google

Idololatriam, de quo Christus Ioan.12.31. *Nunc iudicium est mundi*, & Isai. 42.4. *Donec ponat in terra iudicium.* Perstante adhuc allusione eâdem ad vltimi iudicij diem, additur mox; *Et reddere mercedem seruis tuis Prophetis.* Nam simul cum incredibili gaudio ex Gentium conuersione parto Deus in hac vita suis Prophetis (id est, Euangelij prædicationis ministris) copiosam retulit mercedem, & summi solatii triumphum. Quemadmodum innuit Paulus, quando eos, quos ipse ad Christi fidem euocarat, suum gaudium & coronam appellat. A

Verbum iudicari, ad quid referendum sit.

ET SANCTIS ET TIMENTIBVS NOMEN TVVM PVSILLIS ET MAGNIS) Prosequitur adhuc allusio ad Iudicij diem; dum dicitur merces hæc eximia non solùm Prophetas, id est, Euangelij prædicatores attingere, sed etiam Sanctos omnes; & eos, qui Dei nomen colunt ac reuerentur; & postremò eos omnes qui in sanctitate siue maximè excellunt, siue mediocriter prouecti sunt. Hæc est locutionis huius figura: qua significatur, gaudium ingens de Gentium conuersione non solùm ad eximios sanctitate viros, & ad strenuos Euangelii operarios, sed vniuersè ad fideles omnes & Dei amicos spectare. Etenim omnium Ecclesiæ filiorum studium & cupiditas (in illis præsertim primis Ecclesiæ ipsius temporibus,) eò ardens ferebatur, vt summi, prepotentisque Dei gloria magis magisque in dies excresceret. Pro quo ardenti desiderio, magna illos contingit pars spiritualis huius voluptatis, quæ ex Gentilitatis conuersione percipitur. Hac ferme ratione inter Religiosos viros dici solet, licet fructus, qui ex animorum conuersione capitur, videatur magis propriè ad concionatores & confessarios pertinere; huius tamen fructus partem sibi vendicare fratres eos qui temporalibus domus ministeriis sunt addicti, vt coquum, ianitorem, & reliquos: si quidem vniuersum vnum idemque religionis corpus conficiunt. Atque hæc consociatio & vitæ communio causa est, vt summos & infimos hoc gaudium & solatium ex maximo Religionis fructu proueniens attingat. Et ad expendendam magnitudinem gaudii, quod ex Gentilitatis conuersione per cepit vniuersa Ecclesia (quæ & magnos, & paruos amplectitur) nihil aptius. B

ET EXTERMINANDI EOS, QVI CORRVPERVNT TERRAM] Hæc verba congruenter referri existimo ad idolorum euersionē. Nam siue contextum, siue phrasim attendas, hic sensus egregiè concinit.

TEXTVS.

*Vers.*19. Et apertum est templum Dei in cælo, & visa est arca testamenti eius in templo eius: & facta sunt fulgura & voces & terræmotus & grando magna. C

COMMENTARIVS.

Quid significet arca testamenti in cælo visa.

NECESSE est, (vt suprà aduertimus) hunc versiculum applicare ad Iudæorum rebellium obdurationem. Vt ergo significetur Iudaico populo propter ipsorum scelera detraxisse Deum arcam testamenti: eleganter inducitur in hoc loco ipsa testamenti arca, quæ in Iudaici populi templo esse priùs solebat, in cælum iam translata. Ad eundem ferè modum fingit Ouidius in primo Metamorph. virtutes terrarum regionibus derelictis, in cælum conscendisse:

Vltima cælestum terras Astræa reliquit, &c.

Quòd autem arca Dei in cælum commigrarit, elegantem continet cum summa energia significationem. Denotat enim, quod Dei arca figurabat, id nequaquam iam apud Iudaicum populum (qui, vt suprà vidimus, terra est,) reperiri: sed in cælo mystico, quod est Christiana Ecclesia, vt cap. 4. explicuimus. Quamobrem cùm Ioanni templum cæleste patefieret, id est, Christianæ Ecclesiæ templum cumque Deus noui huius templi mysteria illi reseraret: vidit arcam, quę in Iudaico quondam templo sedem ac domicilium fixerat, dereliquisse terram, & cælum conscendisse; atque adeò Iudeos à Deo fuisse penitus desertos, abiectos, induratos, repulsos. Omitto occuratiorem arcæ explicationem ad notat. 14. Non tamē mihi temperare hic possum, quin verba Magni Leonis subiiciam; ea sunt sermone 8. de passione Domini post medium; *Traxisti* (ait) *Domine omnia ad te; cùm in execratione Iudaici sceleris, scisso templi velo, sancto Sanctorum ab indignis Pontificibus receßerunt; vt figura in veritatem, prophetia in manifestationem, vt lex in Euangelium verteretur.* D

Quid sibi velint hic fulgura & voces,

ET FACTA SVNT FVLGVRA ET VOCES ET TERRÆ MOTVS GRANDO ET MAGNA] Nullū aliud symbolum potuit, opinor, elegantius, aut significantius vsurpari ad horribilē Iudæorum obdurationis plagam exprimendam, quàm id, quod hic proponit Apocalypsis. Quippe nulla alia res clariùs ostendit improborum obdurationem, quàm vt eò peruicaciæ & obstinationis deueniant; vt quantunuis admirabili vitæ cęlestis exemplo & excellenti doctrinâ doceantur: hoc tamen propter eorum peruersitatem ad nihil aliud, quàm ad grauiorem ipsorum cordis duritiem conferat. Vt igitur figuretur Apostolica prædicatio sanctissimis exemplis & miraculis planè diuinis comitata, vidimus iam cap. 4. mirificum esse symbolum tonitrua ac fulgura. Ad terribilem verò obdurationem nihil potuit adduci congruentius, quàm grando magna, vt notat. 15. probabimus.

Cur alibi fulgura, voces & tonitrua: hic verò solùm fulgura & voces coniungantur.

Præter hæc, si in hoc loco per voces non significantur tonitrua, sed concionatorū voces & clamores: cùm alibi *Fulgura & voces & tonitrua*: hic, *Fulgura & voces* tantum modò apponantur, indicabit profecto, vim illam cælestem atque diuinā, quā Deus cum prædicatoris luce ad peccatorū conuersionē coniungit, quæque in tonitru figuratur, & sceleratos prosternit, deiicit, & ad Deum trementes ac stupefactos conuertit, hanc, inquā, mertissimo Dei supplicio, in prædicatione, quę ad Iudęos fiebat, fuisse desideratā. Cùm ipsis prędicari perinde esset, atque illos per occasionē reddere obstinatiores.

Sym-

Digitized by Google

A Symbolum autem terræmotus, qui inter voces & grandinem interponitur, denotat, sicut & alias, ingentem nouitatem & mutationem, voces scilicet prædicatorum cum admirabili sanctimonia & clarissimis miraculis coniunctas, quæ sceleratorum mollire duritiem, atque adeò frangere ferrea corda deberent; nullius iam vsus, aut emolumenti in Iudæorum animis esse, nisi vt eos magis magisque obdurent. Quid, quæso, posset excogitari elegantiæ plenius ad exprimendum infelicem ac miserabilem statum, quò Iudaicus populus, extrema hac plaga ceterarum grauissima, peruenit.

Terræmotus hic quid denotet.

NOTATIO XIV.

De germana significatione arcæ Dei, & eorum, quæ ad arcam spectant.

QVæ ab alijs significationes tradi solent, videri possunt apud Allegoriarum syluam, & apud Riberam libro secundo de Templo cap. 3. Mihi fuerit satis in præsenti significationem eam, quæ mihi maximè probatur, & quæ optimè mysterio plagæ septimæ deseruit, paucis proponere.

Quid intra testamenti arcã: quid iuxta, fuerit.

Imprimis intra arcam solùm erant tabulæ legis: quamuis ad arcam etiam pertinerent, Primò Propitiatorium: secundò Cherubini à Mose fabricati, & supra ipsum propitiatorium constituti: tertiò virga Aaronis & vrna Manna: quæ simul erant cum arca, non tamen intra illam: vt optimè probat Ribera libro secundo de templo cap. 2. Quartò Scriptura sacra, quæ ad latus arcæ erat: vt colligitur ex eo, quod præcepit Moses Deuteron. 31. 26. Nec magni refert meo iudicio discernere, num Scriptura intra arcam, an iuxta illam fuerit.

Quomodo testamenti arca in cælo fuerit Ioanni visa.

Deinde, quamuis Apocalypseos textus asserens patuisse cæli templum, non exprimat aliud inibi singillatim fuisse visum præter arcam testamenti: verum tamẽ procul dubio cum arca Apocalypsis coniungit quidquid ad arcam ipsam pertinet, quanuis intus non fuerit. Nam de illis omnibus eadem est ratio, quod attinet ad arcæ translationem in cæli templum, id est, ad Ecclesiam Christianam. Atque ita Paulus etiam ad Hebræos 9. coniungit cum arca vrnam auream, in qua erat Manna, & Aaronis virgam.

Quid arca significet.

Tertiò, existimo aptissimam, & valde propriam significationem arcæ, in qua legis tabulæ erant inclusæ, esse diuinæ legis obseruationem. Cùm autem dicitur arca ad cælum translata, innuitur non obscurè veram diuinæ legis obseruantiam non amplius apud Iudaicũ populum fore. Quantumuis enim aliquot legis præcepta ac cæremonias materialiter (vt dicitur) custodirent: præcipua tamen mandata transgrediebantur: propterea{que} Deum sibi habebant infensum: quin & cærimoniarum legis obseruatio iam contra legem ipsam militabat; præsertim post annos quadraginta, qui designati sunt bene longo interuallo, vt synagoga cum honore sepeliretur. Itaque legis quidẽ obseruantia apud Iudaicum populum iam non erat: erat tamen verè ac perfectè apud Christianæ Ecclesiæ templum. Exempli gratiâ: Iudæorum circumcisio legis est non iam obseruatio, sed transgressio: vera tamen circumcisio, quam à nobis exigit Deus, nempe spiritalis, in Christiano populo imprimis viget: id quod de reliquis cæremonijs est dicendum.

B Quartò propitiatio siue Propitiatorium est peccatorum remissio, & diuinæ prouidentiæ singulare patrocinium: hac verò propitiatione certum est Iudæos prorsus carere, Christianos in Christo & per Christum cumulatissimè frui: atque ita interpretatur Paulus ad Rom. 3.

Quid per arcã Propitiatorium figuretur.

Quintò, Cherubini, vt vidimus capite quarto notat. nona, denotant veram sapientiam ac sanctitatem: ex his enim componitur, & quasi coagmẽtatur Dei thronus, in quo ipse requiescit. Significat autem Apocalypsis, iam apud Iudæos, nec veram sapientiam, nec veram sanctitatem remanere: ac proinde nec Dei thronum apud illos, sed apud Christianam Ecclesiam reperiri.

Quid per Cherubinos arcæ impositos.

Sextò, veram legis obseruationem comitantur duo, quæ in virga Aaronis & in Manna vrna conuenienter figurantur, nimirum manifesta diuinæ potentiæ contra Iudaici populi hostes ostentatio, nec non admirabilis beneficentia ac prouidentia suauissima ad ipsius populi patrocinium. Quod enim virga ad inimicos debellandos pertineat, facilè intelligitur ex eo, quòd Mosaicæ virgæ miracula ferè omnia in Ægyptiorum supplicia redundarint. Vnde est illud Psalmi 109.2. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.* Vrna verò Manna perspicuũ C est prouidentiæ suauissimæ symbolum, & fauorum ac gratiarum, quibus Deus suos filios affatim cumulat. Horum igitur duorum vtrumque à Iudaico populo abest longissimè: & in populo Christiano affluenter inuenitur. Mysticam autem virgam ad hostes debellandos ac subigendos, locus ille Psalmi, quem paulò ante retulimus, describit elegantissimè, *Virgam virtutis tuæ*, &c. vt in eius Psalmi commentario explanabimus. Mystica etiam vrna Manna (qua maxima Dei beneficia, ac cælestes deliciæ, quib. suos familiares Deus ipse permulcet) appositè ad Christianæ Ecclesiæ Sacramenta accommodatur: præsertim tamen ad sacram Eucharistiam, & ad incredibilem voluptatem, quam ex pijs libris, ex sacris cohortationibus, ex diuinis consolationibus per cælestium rerum commentationem & contemplationem, Christianæ Ecclesiæ filij percipiunt.

Quid per Aaronu virgam & Manna.

Septimò denique, Scriptura sacra non iam in populo Iudaici manet potestate: si quidem verâ ipsius caret intellectione: manet autem ac perstat in Christiano D populo: cui Deus, inter cetera beneficia præstantissima, hoc tribuit singulare.

NOTATIO XV.

In qua colliguntur exempla grandinis magnæ.

APVD Latinos aliud est lapidibus pluere, aliud grandine quantumuis magna. Legimus quidem apud Plinium lib. 2. cap. 58. veros aliquando lapides cecidisse (de quo etiam Alexander ab Alexand. libro quinto capite vigesimo quinto,) vnde olim apud veteres nouemdiale institutum erat sacrificium peragendũ quocunque tempore lapides pluerent. Et sanè res fuit non semel oculis vsurpata. Quin imò nostra ætate in Arequipa Perüani regni vrbe lapidibus depluisse multorum testimonio & literis accepimus. De grandine autem valde magna, quod quidem ipse viderim, non meminit Plinius.

Nouendiale apud etlnicos sacrificiũ quod dicretur.

In sacris tamen Literis fit mentio grandinis horribilis Exodi 9. 24. quæ *tanta fuit magnitudinis, quanta antè nunquam apparuit in vniuersa terra Ægypti: ex quo gens illa condita est. Et percussit cuncta, quæ fuerant in agris, ab homine vsque ad iumentum*: deciditque fulminibus ac tonitruis glomerata; *& grando & ignis mista pariter ferebantur.* De hac eâdem grandine Ægypti dicitur Sap. 5. 23. *A petrosa ira plena mittuntur grandines.*

Qualis fuerit grando in Ægyptios è cælo demissa.

Secundo Præterea Iosue 10. 11. misit Deus contra Amorrhæos lapides magnos de cælo. *Et mortui sunt multò plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percusserant filij Israel*: quantumuis facta fuerat ingens à militibus occisio. De grandine item hac dicitur Ecclesiastici 46. 6. *In saxis grandinis virtutis valde fortis* oppugnatos à Deo fuisse hostes. Vide etiam Ezech ca. 38. 22. grandinem lapidum immensorum contra Cog.

Lapides è cælo in Amorrhæos missi.

Tertiò

Digitized by Google

Varia grandinis tũ magnitudo, tum grãdioru è cælo demissa exempla referuntur. Grando nacta instar cũ ea inscriptione, Iesus Nazarenus.

Tertiò, grandinem quidem iuglandium siue nucum magnitudine sæpius fuisse visam, affirmatur. Illud autem valdè est mirabile, quod narrat Lud. Clauitellius fol.82. nempe cecidisse anno 1234. in agro Brixiensi & Cremonensi grandinem crassitudinis nucum; in qua impressum erat, *Iesus Nazarenus*. Quod verò ad magnitudinem nucum attinet, eiusdem quantitatis & maioris etiam depluit grando Hispali die 11. Octobris anno 1603. quam me videre memini.

G.ando oui gallinacei magnitudinem habens.

Quartò, grando oui gallinacei magnitudinem adæquans à multis visa fuit. Nec plures sunt anni, cùm Cazorlæ in oppido ad Bæticę confinia sito conspecta fuit. Et anno 1514. die 5. Augusti, Cremonæ & in eius agro eiusdem magnitudinis grandinem pluisse, auctor est idem Clauitellius fol.260.

Item humani capitis adæquans magnitudinem.

Quintò, non desunt, qui affirment cecidisse grandinem aliquando magnitudine instar humani capitis. Ita referunt ex Isidoro Conimbricenses in suis Meteoris cap. de grandine. Idemque asseuerat Olaus Magnus de regionibus Septentrionalibus libr.1. cap.22. fine id quod ab eo videtur recenseri, tanquam res in ijs regionibus vulgaris & oculorum consuetudine peruia.

Mira grandinis magnitudo.

Nec minor erat, opinor, grando, quam refert Clauitellius fol.306. vbi ait, anno 1537. mense Augusto in agro Bononiensi vehementem cecidisse grandinem sanguine mistam, ex qua grana aliquot fuerunt ponderata librarum viginti octo, quæ triginta sex vnicas supra centum conficiunt, si libris singulis duodenæ vnciæ tribuantur.

Eiusmodi fermè est illud, quod refert Tripartita lib. 7.cap.22. nempe Constantinopoli grandinem saxorum magnitudine vehementer effusam, Calendas Iunias, anno 369.

Anno etiam 406. pridie Calendas Octobris, cùm clarissimum illud Ecclesiæ lumen D. Ioannes Chrysostomus fuit in exilium actus, terribilis etiam grando in Constantinopolim depluit: quod recenset Tripartita lib.10.cap.20. & Nicephorus lib.13. cap.36. eandẽ refert historiam, ex cuius tamen narratione constat, grandinem illam non adeo fuisse magnam, vt eam, quã Clauitellius Bononiæ pluisse affirmat. Verba Nicephori sunt, *Pluribus in locis grando saxis manuarijs maior, & circiter octonarum librarum pondus trahens, deferri visa est.* Octo quidem libræ nonaginta sex vncias non amplius continent, si cuilibet libræ duodecim vnciæ reddantur.

Grandinem ingentem Constãtinopoli depluisse, cùm B. Chrysostomus fuit in exilium actus.

Iacobus Mayerus in Flandriæ annalibus an. 1435. ait, *Nonis Augusti grandinis, qua cecidit, magnitudo omnem memoriam superauit.*

Sextò, multò adhuc maior est grando, quam depingit Apocal. cap.16. fine, *Grando magna sicut talentum.* Nam talentum in Scriptura mille quingentas vncias ponderat. Atque eiusdem etiam magnitudinis esse existimo, quam ipsa Apocal. cap. 11. fin. appellat grandinem magnam.

Septimò, aliquod tamen glacialis gelu fragmentum multò grandius perhibent aliquando cecidisse de cælo. Nam in horrenda illa grandine, quæ in Gallia sub Eugenij secundi Pontificis summi tempus decidit (quæ plures oppressit homines, vt refert Illescas in sua Pontificia historia to.1.fol.180.2.) frustum gelu durissimi cecidit, quod refert Illescas ex communi scriptorum sententia habuisse quindecim pedum longitudinem, sex latitudinem, & duorum crassitudinem. Noster tamen Pererius in Exodum cap.9.§.24. illi tribuit longitudinem pedum non amplius duodecim; pro quo citat Palmerium Florentinum in suo Chronico.

NOTATIO XVI.

De significatione grandinis magnæ.

Quid per grãdinem in Sacris denotetur.

PER grandinem in arcano sacrarum Literarum sermone diuinam puuitionem & damnatorum pœnam denotari refert Lauretus in sylua ex Hieronymo, Eucherio & Georgio Veneto. Ex eisdemque asserit, per grandinem significari cordis duritiem; aut prauorum hominum vitam, quæ & per torporem frigescit, & per duritiæ malitiam percutit. Hæc ille. Vide etiam Isidorum libro de Mundo cap.35. cuius ea sunt, *Figuraliter grando, perfidia duritia est, torpore malitia frigida.*

Exponitur grãdinis natura.

Enimuerò, vt huius elegantia symboli plenius intelligatur, consideranda est grandinis natura ex Arist. 1. Meteor.cap.12. & ex eius interpretibus. Grando igitur est pluuia, quæ in ipso casu gelascit & obdurescit: in cuius congelatione semper aliqua accidit antiperistasis. Dupliciter enim congelatur, videlicet aut ardenti æstu, aut vehementi frigore. Quando æstus arbore conglaciat, tunc quidem perspicuum est, nisi per antiperistasin, nequaquam gelatum iri; frigore nimirum aquæ magno aëris circumeuntis calori, resistente, ac sese contrahente; donec tandem aqua abeat in lapidẽ. Quando autem frigescente aëre atque gelante, decidit grando: tunc aiunt Philosophi, ingentem illam duritiem ac rigorem ex eo prouenire, quòd in ipsa aqua aliquis inerat calor, qui eam extenuando efficit demum, vt aëris circundantis frigus illam celeriùs ac validius constringeret.

Grandinis symbolum ad seuerissimum obdurationis supplicium applicatur.

Quibus præstitutis facilè apparet, magnam grandinem esse symbolum aptissimum ad seuerissimi supplicij significationem, illius nempe supplicij, quod de misero peccatore in vltima obdurationè sumitur. Cordis ergo duritia siue obduratio vsque ad mortem, propriè & eleganter per magnam grandinem denotatur. Primò, propter insolitam rei nouitatem; dum aqua, quæ ex se ita est mollis ac liquida, tantopere obdurescit. Deinde, quia si maximus diuinæ vindictæ rigor in eo consistit, quòd peccatorem ad finalem vsque impœnitentiam obduret: ad huius quidem furoris diuini imaginem exprimendam nihil perfectò elegantius, quam aquam in ipso casu obdurescere. Expende illud 2.Reg. 14.14. *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur in terram, qua non reuertuntur.* Hebraicè, *Moriendo morimur, velut aqua effusa in terram, qua non colligentur.* Vbi mors cum ipso pluuiæ guttatim decidentis casu comparari videtur: cuius pluuiæ guttæ non amplius sursum coituræ ascendunt. Si ergo pluuiæ lapsus est symbolum mortis: quid aliud, obsecro, erit, ad mortem vsq; lapidis instar obdurescere; nisi eatenus indurari peccatorem, donec tandem in lethali crimine decedat? Iam, quæ maior concinnitas, vt significetur duritiæ culpa semper in peccatore residere, quàm illa, de qua dicebamus, antiperistasis? Aqua, dum cælo resistit; & frigori calore, calori frigore opponitur, lapidis instar obduratur. Quid hoc, nisi vt animaduertat homo, in semet inesse culpam, quòd ipsius cor cælitus obduretur: eò enim eius repugnantiam, peruicaciam & obstinationẽ cedere par erat. Nam qui nec beneficiorum calori, nec comminationum rigori cessit; dignus profectò est, vt in eundem fauor ac rigor conspirent, & obduratum deijciant, prosternant, & in damnationem æternam proprio dent pondere præcipitem.

Quænam in Apocalypsi grando magna vere nuncupetur.

Præter hæc, quantunuis crassa sit grando materialis, licèt granum quodlibet multas ponderet libras; non ideo in Apocalypsi grando magna nuncupabitur: secus tamen obstinati cordis durities, quæ illud in inferos deturbat. Etenim in eorum duritie & obstinatione, qui ad mortem vsque in capitali scelere obdurati persistunt, cælestis indignatio atq; ira cum primis patescit. Et sanè, si attendatur magna strages, quam formidanda hæc obdurationis grando erit: perspicuum est, humani cordis duritiem non esse flagellum eiusmodi, quod tecta aut agros diuerberet, sed peccatoris ipsius animum ac mẽtem: hac enim illos desuper cælum percutit. Atque ita improbi & scelerati homines sunt, qui tam horrenda grandine percelluntur. Quid ergo hac grandine conguentius ad extremam vindictam figurandam? Legatur Isaiæ 28.2. *Ecce validus & fortis Dominus sicut impetus grandinis.* Et cap.30.30. *Allidet Dominus in turbine & in lapide grandinis.*

Quid innuat Apocalypsis grando magna, sicut talentum.

Iam verò, quòd Apocalyps. cap.16. in plaga septima de mira hac grandine dicat, *Grando magna sicut talentum*; hoc imprimis habet elegantiæ; quia talentum est omnium ponderum maximum, pondus tamẽ æquum ac

Digitized by Google

ac iustum: quin imò Græca vox propriè significat iustum pondus. Talentum autem sacræ Scripturæ appendit mille quingentas vncias vt videbimus cap.18. Quod mirificè deseruit, vt significetur supplicium hoc grauissimum æquè ac iustissimum esse.

Obseruandum est etiam in fine cap. 11. Apocalypseos propriè sermonem esse de obstinatione & obduratione finali Iudæorum: quæ iure optimo appellatur grando magna. Ceterùm potest etiam aliorum peccatorum pertinàcia & durities (vt Pharaonis) cum formidabili grandine comparari: tum propter rigentem duritiam, tum etiam propter repugnantiam & peruicacem obstinationem, qua cælestibus monitis & cohortationibus resistunt. Atque ideo cap. 16. fine vbi dicitur *Grando magna sicut talentum*, agitur planè de Gẽtilium aliquot pertinacia & obduratione; qui post promulgatum Euangelium, sibique propalam enunciatũ, infideles adhuc & cæci præfractâ mente restiterunt. Etenim licèt quàm plurimi Christianam fuerint religionem amplexi: alij tamen nec pauci in suæ superstitionis caligine permanserunt. Nam Christus *positus est in ruinam & resurrectionem multorum*, Lucę 2.34. Apud Isaiam etiam non semel legimus grandinem horribilem, qua Deus aliquos percussit, cum maximâ in alios beneficentiâ coniunctam. Sic enim ille cap. 28.10. *Ecce ego ponam in fundamentis Sion lapidem pretiosum; & ponam in pondere iudicium, & iustitiam in mensura: & subuertet grando spem mendacij*. Et cap. 32.18. *Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. Grando autem in descensione saltus, & humilitate humiliabitur ciuitas*. Simili ergo ratione Apocalypsis 16. fine. vbi de irruptione in vrbem Romam, deque multorum conuersione sermo est, demum additur, *Et grando magna sicut talentum descendit de cælo in homines*. Namq; ex Romæ conuersione grauior adhuc & durior obstinatio per occasionem redundauit ad eos, qui in sua cæcitate & idololatria pertinaciter remanserunt; & sæpè diuinæ prouidentiæ cõsilium eò demum deuoluitur, vt probi iustiores fiant, improbi ob suam pertinaciam dteriores; iuxta illud, *Qui iustus est iustificetur adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc*, Apocal. 22.11. Notandum insuper est, peccatores dum in viuis degunt, obduratione suâ in interitum ruere voluntarium: non tamen propriè obdurationem dici, nisi eam, quæ ad mortem vsque persistit: quæ quidem, multò antea obdurationis curriculum init; & ex eo tempore infælix peccator incipit suæ duritiæ pondere ferri.

Grandinẽ horribilem, qua Deus aliquos percutit, coniungi aliquãdo cũ magna Dei ipsius in alios beneficentia, & huius discriminis mysterium.

Hactenus de grandine magna. Verùm Apocalyps. 8. 7. in symbolis, quæ de causis famis afferuntur, dicitur; *Facta est grando & ignis*, &c. Nec tamen vocatur grando magna. Non enim ibi agitur de cordis duritie, sed de septem plagarum minima, nempe fame: quæ inter cælestia flagella computatur etiam, paruum tamen præ cæteris, ex quibus maximum est grando magna: tantum in arcano sermone grando à magna grandine distat. Atque ipse etiam textus nos huius discriminis admonet: siquidem tres plagas postremas asserit esse horribiles illas, quæ tribus *Væ* respondent. Rupertus affirmat grandinem magnam esse punitionem ipsam, & communem grandinem esse comminationem. Verùm tamen congruentius est, grandinem in prima plaga referri ad famem, vt eo loci exposuimus: magnã verò grandinem in plaga septima ab obdurationem spectare. Vtrobique autem respectus est ad septimam Ægypti plagam: cum eo tamen discrimine, quòd prima Apocalypseos plaga respexit quidem Exodi historiam, in qua grando cibaria Ægyptis sustulit. At plaga septima spectauit eiusdem plagæ Ægyptiacæ mysterium, quod peccatoris obdurationẽ, vt suprà diximus, figurabat. Atque hæc de cap. 11. & de prima Apocalypseos parte, quæ ad Iudęorum diminutionem pertinet.

Digitized by Google

LIBER QVARTVS QVI CONTINET EXPLICATIONEM VIII. CAPITVM, à XII. usque ad XIX.

In quibus agitur de bello Ecclesiæ cum Gentilismo, & de victoria quam de illo obtinuit.

EXORDIVM HVIVS LIBRI.

IN lautissimo epulo, quod Apocalypsis fidelibus apparatissimè apponit, varia sunt fercula; prima scilicet, media, atque vltima. Prima fercula, seu mensę proponuntur fidelib. in tribus primis capitibus, quæ prologum agunt. Extrema continentur in vltimis tribus capitibus, quæ veluti totius sacræ actionis coronis prophetiam posteriorum temporum summatim complectuntur: & postremò agunt de cælestis Hierosolymæ triumpho. Media tamen fercula siue mensæ miri huius conuiuij (quod magis ex professo tractatur, quodque præcipuè ob oculos fidelium proponitur) comprehẽdunt ea capita, quæ à quarto vsque ad vigesimum interiacent. Quæ quidem admirabili quodam vaticinio continent modum, quo Christiana Ecclesia de Iudæis, ac Gentibus fuerat triumphatura. Cùm autem triumphum ex Iudęis diuerso modo, atque ex Gentibus actura esset Ecclesia; congruentissimum extitit, vt hęc sexdecim capita, (quę prȩcipuum huius actionis scopum continent) duas in partes diuiderentur: & prima octo agerent de Ecclesia primigenia vsque ad *Iudæorum diminutionem*: & octo sequentia impenderentur in *Diuitias Gentium*, Romanę Ecclesię felicitatem describentes. Hę igitur Gentium diuitię, & Romanę Ecclesię felicitas sunt quarti huius libri argumentum. Et quamuis argumentum libri tertij profundius sit propter septem sigillorum mysterium; quarti tamen libri argumentum proculdubio est iucundius, quia Christianę Ecclesię gloriosius. Atque ad illustriorem glorię huius considerationem priùs ob oculos ponitur coniuratio malitiæ Dæmonum cum totius Imperij Romani potentia, nec non cum sapientiæ carnalis calliditate atque versutia. Coniuratio (inquam) horum trium eo consilio inita, vt fidei Christianæ internecino bello obsisteretur. Deinde figuratur, quemadmodum huic bello Euangelij prædicatorum exercitus se opposuerit retorquendo bellum aduersus dęmonis, mundi, atque carnis phalanges. Describunturque plagę phialarum, quibus Ecclesię ministri pugnarunt: & postremò irruptio in Romam ethnicã facta, & egregium illud ac memorabile facinus, quo tandem, quę erat idololatrię caput ac princeps, in Christianę Religionis

Quod sit quarti huius libri argumentum.

Digitized by Google

A gionis Metropolim fuit mutata. Ex quo totius Imperii ad Christi fidem conuersio, & diuturna populi Christiani pax & prosperitas emananit.

Babylonē in Apocalypsi pro Roma ethnica sumi.

In hoc argumento illud vt certum præstituitur, scilicet Apocalypseos Babylonem esse Romam ethnicam; illam (inquam) antiquam Romam, quæ Christi quondam Ecclesiam persequebatur, & Christiano nomini internecinum bellum inferebat. Quæ (vt cap. 17. videbimus) est Hieronymi sententia quatuor in locis; Tertulliani in duobus, nec non Pauli Orosij; cui ex recentioribus subscribunt Hesselius, Gagneius: & ex nostris Salmeron, Bellarm. atque Suarez. Ceterùm *habemus firmiorem propheticum sermonem*, id est, ipsius Angeli ad Ioannem explicationem manifestā, cap. 17. 18. *Mulier* (ait) *quam vidisti, est ciuitas magna, quæ habet regnum super Reges terræ.* Et n. 9. *Septem capita Bestiæ, septem montes sunt, super quos mulier sedet.*

B Concinit etiàm, quod B. Petrus Epist. 1. cap. 5. 13. Babylonis nomine Romam designat; vt exponunt Papias Hierapolites Episcopus, & ex eo Eusebius lib. 2. historiæ cap. 15. & Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis, nec non Beda ibi, atque Hesselius. Adstipulatur Augustinus de Ciuitate lib. 18. cap. 22. vbi Romam appellat filiam Babylonis ex locutione scilicet sacræ Scripturæ. Quapropter nemo potest mihi explicationis nouitatem & insolentiam opponere; nec erit (opinor) qui nobis obiiciat horum capitum cum antecedentibus ineptam in mea explicatione, atque adeò nullam connexionem. Quia si priorum capitum argumentum est illud, quod in nostra explicatione continetur, euidens est, nullum aliud horum capitum sequentium argumentum esse posse, nisi hoc, quod à nobis subiicitur. Ipsa enim argumenti acoluthia seu consequentia postulat,

C vt Iudaici populi diminutionem diuitiæ Gentium & Romanæ Ecclesiæ felicitas subsequantur.

Duplex aduersariorū genus sequenti expositioni restiturum.

Nihilominus tamen huic libri quarti argumento duo aduersariorum genera repugnatura fore video: aliud quidem Catholicorum; qui sibi persuaserant, maris Bestiam c. 13. esse Antichristum, & phialarum plagas ad nouissima mundi tempora sub Antichristi aduentum pertinere: deinde quantumuis Apocalyp. Babylon. Romam denotet, verùm non agi de veteri Roma ethnica, sed de Roma ipsa prope mundi finem. Quod ergo ad hosce attinet auctores, tota difficultas eò tandē deuoluitur, vtrúmne mea contextus applicatio sit apta & cohærens, an non? Cùm enim de ipsius historiæ veritate, ad quem ipse applico Apocalypsin, inter nō conueniat;

D si ad hanc historiā vniuersus contextus in mea interpretatione congruenter, exactè & consequenter aptetur, sicut ad optimā ænigmatis enodationem opus est; si hoc inquam fiat, proculdubio primum aduersariorum genus hac in parte gaudebit se vinci, & idoneæ interpretiationi facilè acquiescet. Aliud tamen genus aduersariorum erit, quibus mea explicatio, si congruentissima foret, eo ipso esset molestissima; ij sunt hæretici Ecclesiæ Romanæ hostes. Qui hactenus quidem nihil sibi videbuntur in mea explicatione deprehendere, in quo offendant. Nam in Iudaici populi reprobatione, (de qua à c. 4. vsque ad finem 11. tractatur,) & in Diuinę prouidentiæ ratione, qua se Deus aduersus Iudæos æquum ac iustum re ipsâ comprobauit, in hoc (inquam) hæretici ferè non à nobis dissentiunt: in ijs verò, quæ à capitis duodecimi exordio inchoātur, mea illis interpretatio eò grauior sit ac molestior necesse est, quò iustior fuerit ac cohærentior.

Digitized by Google

Tametsi enim nobiscum conueniant in Iudaici populi reprobatione & A
Christianę Ecclesię ad Gentes transitione; nihil est tamen, quod ipsi magis horreant & execrentur, quàm pręcipuum mei argumenti scopum; videlicet in admiranda hac Ecclesię ad Gentiles migratione Romanam Ecclesiam, vt vniuersalis Ecclesię caput, à Deo seligi ac destinari: ipsamq; esse primigenium illum Ecclesię primęuę filium, qui Gentes omnes fuerat in virga ferrea recturus. Adhæc, eandem esse Agni sponsam; cuius nuptię, post victoriam atque triumphum de Roma ethnica, celebratę fuerunt. Ac denique eum fuisse principalem Apocalypseos scopum, vt Romanę Ecclesię amplitudinem miris pręconiis extolleret.

Enimverò quantunuis ipsi inuidiâ disrumpantur; spero tamen, se nullis machinis congruentem meæ applicationis cohærę tiam ad eum, quem B
designo, sensum fore labefactaturos. Qua in re illud mihi in votis maximè est, videlicet, vt sapientes videant, si ingeniosissimus quispiam (esto Apocalypsis conscripta non fuisset) vellet mentis perspicacitatem, & acrimoniam eò conferre, vt elegantissimum conderet ænigma ad celebrandam hanc Ecclesiæ dignitatem, quam ipsius filii veneramur, & ad eius discursus filum deducendum, quem ego in eiusdem Romanæ Ecclesiæ venerationem sequor; ad hæc (inquam) nihil aptius, nihil potius, nihil grauius & sapientius potuisse excogitari, quàm quod in Apocalypsi à c. 12. vsque ad 20. depictum nobis proponitur. Hoc me (fateor) incessit desiderium; cuius si diuino auxilio compos euaserim, tunc demum constabit Doctoribus, quanti ad Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, & Hęreticorum ignominiam sit faciendum, quòd Deus hac tempestate verum Apocalypseos sensum patefecerit. Hanc ad rem nonnihil me dixisse memini C
in secunda notatione proœmiali: verùm cùm maximoperè cupiam ad eam deuenire, & manus cum hostibus conserere; idcirco longior hîc esse nolo. Illud tamen addo, hanc ipsam disceptationem, de qua cum Hæreticis tantopere digladiamur Romanæ Ecclesiæ filii, me cogere, vt in horum capitum explicatione pro virili parte contendam, ne quid afferam, quod firmum & solidum non sit.

CAPVT



Digitized by Google

CAPVT XII.

TEXTVS.

Vers. 1. Et signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.

COMMENTARIVS.

Quid hic nomine signi magni denotetur.

DVM signi nomen mulieri atque draconi tribuitur; putare posset aliquis, alludi in hac locutione ad eas imagines, quarum singulas Astrologi ex quodam stellarum numero in cælo fingunt. Nã illæ appellari solent signa, & sic dicuntur esse duodecim signa Zodiaci. Præsertim cùm inter cælestia signa virgo, & Draco annumerentur. Verùm alia est Scripturæ phrasis: iuxta quam in præsenti, signũ proculdubio capitur pro re valde mirabili; nec tamen opus est, signi nomen strictè pro miraculo in fidei confirmationem facto, vsurpari. Nam ea ratione signi nomẽ Draconi nequaquam conueniret; cùm tamen paulo infrà legamus, *Et visum est aliud signum in cælo, Draco magnus*, &c. Signum ergo hìc nihil aliud, quàm rem admirabilem sonat. Deinde perspicuum est, *Signum magnum*, non idem esse, atque fœminam corpore ingenti: sed rem maghâ admiratione dignam, sicuti diximus. Et quanuis videatur alicui signum huiusmodi referendum esse ad rem illam nouam atque insolitam: cuiusmodi est, mulierem grauidam supra lunam esse, sole amictam, & stellarum coronâ redimitam: cetertùm ad significationem potiùs referenda est hæc signi magni appellatio: quòd scilicet hæc mulier, vt posteà videbimus, Ecclesiam primogenitam repræsentet, ad Gentes, prædicandi Euangelii causâ, proficiscentem. Quarè quòd Ecclesia ad Gentilitatem commigret, hoc est ingens illud mysterium, hæc res valde miranda, quæ magni signi nomine indicatur. Vide Actuum 10. 25. *Et obstupuerunt ex circumcisione fideles: quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est.* Quod ampliùs confirmatur: quia iterũ tantum modò in tota Apocalypsi nomen signi magni repetitur: nempe ca p. 15. 1. vbi legimus, *Vidi aliud signum in cælo magnum atque mirabile, Angelos septem habentes septem plagas nouissimas.* Vbi sermo etiam est de eodem prædicationis ad Gentes, & conuersionis mysterio: deque mysticis plagis, quibus Deus Romam ethnicam acriter oppugnauit, donec eam ad Christi fidem traduceret, vt propriâ in sede dicemus.

Cur Ecclesia in cælo apparuisse dicatur?

APPARVIT IN CÆLO] Si ad figuram ipsam, siue ideam spectemus: opinabitur fortasse aliquis, necesse esse vt ascensus fiat in supremum locum: vbi sol, luna, atque sydera existunt: vt mulier stellis sit coronata, sole amicta, & lunam pedibus premat. Veruntamen æquè facile est solem, lunam & sydera ad locum aëreum è cælo demitti: atque fœminam in ipsum solis & stellarum locum ascendere. Et quidem figuræ ipsi, in qua pingitur mulier in desertum volans, aptius est, vt in aëre consideretur: cui solet cæli nomen, tum apud sacros Scriptores, tum etiam apud prophanos attribui. Præter quàm quòd si mulierem ad cælum euehamus, vt sol, luna, atque sydera suis quæque locis persistant, mulieris ipsius figuram nimiæ proceritatis esse, necesse est.

In hac muliere Ecclesiam figurari.

Vt autem ad significationem deueniamus: si hæc mulier Christianam Ecclesiam primogenitam representat, vt mox videbimus: sæpe iam diximus, eam aptissimè à terra eleuatam, & in nubibus siue in cælo positam depingi: ad indicandam cælestem ipsius conuersationem. Propterea enim illam Paulus appellat cælestem Ierusalem ad Hebræos 12. 22. Vbi quidens est Paulum agere de Ecclesia in terris militante, de qua tamen ait, *Accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, & Ierusalem cælestem.* Verùm non opus est, vnum idemque esse mysterium, quòd tam mulier, quàm draco in cælo apparuerint, alia est enim draconis ratio, de quo infrà.

MVLIER] Mazerus in huius capitis explicatione opinatur, duas fœminas Ioanni visas: in cælo alteram sole amictam, alteram in terra grauidam, & doloribus partus prænunciis pressam. Manifestè tamen loquitur Ioannes de vna solùm muliere: id quod ceteri omnes interpretes ita statuunt. Præterea, quanuis non desit, qui applicet ad Virginem Dei param ea, quæ de hac muliere hìc recensentur: constat tamen, de Ecclesia sub typo mulieris sermonem institui. Illud inter interpretes in controuersiam vertitur, de quo scilicet Ecclesiæ tempore sermo sit. Alii enim volunt agi de antiqua Ecclesia, hoc est de synagoga, quæ erat Christo grauidata: ita Aretas, Rupertus, & Barradas tomo 1. libr. 10. cap. 12. Alii sentiunt sermonem esse de Ecclesia in nouissimis temporibus sub Antichristi persecutione. Ita Ribera ex Andrea, & Methodio. Certum tamen est mihi, hìc agi de Ecclesia primogenita, quæ post Iudaici populi obdurationem ad Gentes Euangelium prædicatura migrauit. Atque imprimis sic exigit capitum antecedentium contextus. Nam caput vndecimum finem fecit in populi Iudaici obdurationc ac reprobatione. Quare consectarium est, vt de Ecclesiæ ad Gentes transitu protinus agatur. Et sane Ribera §. 2. fatetur pleroſque hanc mulierem parturientem interpretari de Christiana Ecclesia in primo statu. Deinde hæc eadem explicatio mirificè cum subsequentibus cohæret. Nam capit. 13. tractatur (vt ibi videbimus) de ea persequutione, quam Romanum Imperium aduersus Christi Ecclesiam suscitauit; cui bello antecedit ipse Ecclesiæ transitus ad Gentilitatem, cùm vniuersum mundum Euangelii luce illustrare contendit. Tertiò, vt denotetur hęc Ecclesiæ voluntas, & efficax studium orbem totum illuminandi, nihil aptiùs, quàm quod textus ip se refert: nimirũ fœminã hanc apparuisse solis radiis vestitam, stellis coronatã, & lunæ innitentẽ.

Quare Ecclesia radiis solis amicta, stellis coronata, & lunam plãtis premens appareat?

Nam

A Nam vt in rebus corporeis vniuersalis mundi lux sunt sol, luna, & stellæ: ita ad spiritalem totius orbis illustrationem nihil potuit significantius effingi, quàm mystici solis, lunæ mysticæ, & mysticorũ syderum consociatio: quibus Ecclesia ad nationes omnes illustrandas amicta atque ornata est. Si enim, *qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Vt habetur Danielis 12.3. Quam aptam ad rem potuit congruentiùs vsurpari solis, lunæ, & stellarum symbolum, quàm ad denotandã virilem animi contentionem, qua Ecclesia vniuersis mundi nationibus Euangelii lumen inuehere decreuit? Quartò, in versus secundi commentario constabit, necessarium esse, vt in hoc loco de primitiua Ecclesia sermo sit.

Iam, vt de sacræ fictionis huius elegantia nonnihil dicam; næ illa omnibus Poëtarum fabulis præstat. Illi enim commenti sunt, fœminam, (quam dixere Latonam) filium Ioui pariturã à serpente Pythone acriter vrgeri & insectari; & ab eo fugientem in Delon insulam appulisse: atque inibi Apollinem, & Dianam vno eodemque partu fuisse enixam. In Apocalypsi autem mulier paritura filium, *Qui recturus est omnes Gentes in virga ferrea*, Apolline ipso amicitur, lunâ pedibus suppositâ nititur, & stellis caput ornatur. Romani etiam per adulationem finxerunt, Augustum Cæsarem esse solem, & vxorem ipsius lunam, vt videre est in Augusti numismatis apud Goltzium, cap. 9.9. & cap. 32.2. vbi tribuitur Augusto radiata corona. (Sic enim pingebatur sol) & eius vxor insculpitur
B imagine lunæ coronata; vt depingi solebat Diana. At in Apocalypsi mulier Ioanni ostensa non fingitur esse sol, sed solis esse radiis amicta; nec luna confingitur, sed in luna pedibus esse nixa. Adhæc; Augusti vxor in illis numismatis genitrix orbis inscribitur. In præsenti verò mulier priùs suum primogenitum parit, qui Gentes omnes erat recturus; & postea multos alios filios edit in lucem; vt colligitur ex n. 17. vbi draco dicitur abijsse; *facere prælium cum reliquis de semine mulieris.*

Romanos Augusto Cæsari solẽ lunam ipsius vxori per adulationem attribuisse.

Præter hæc; in solis, lunæ & stellarum coniunctione (vt ad eam regrediar) video vulgares picturas frequenter aberrare. Nam pictores lunam fœminæ pedibus suppositam solent vtroque acumine sursum conuerso depingere; Mathematicæ autem artis peritis euidens est, si sol & luna coniuncti vterque sint, & luna ab inferiori loco ex vno latere respiciatur; vtramque lunæ cuspidem, siue acumen deorsum conuersa videri, ita vt mulier sit, non supra lunæ concauum, sed supra conuexam illius partem. Id quod ita fieri oportebat, vt mulierem suprà stantem collustraret.

Luna pedibus mulieris supposita qua ratione pingi debeat.

Id distinctione autem solis, lunæ, & stellarum huiusce figuræ, quanuis soli & stellis ferè tribuant interpretes nobilissimam significationem. lunæ verò non item, sed eam considerant, vt rem ab ipsa muliere despectam, conculcatam, aut saltem illi longè inferiorem. Nituntur imprimis in eo quòd mulier lunam sub pedibus habeat: atqui phrasis hæc, *Sub pedibus* denotare solet illud, quod sub pedibus est, tanquam abiectum contemni atque calcari: vt 2.Reg.22.39. *Cadent sub pedibus meis.* 3.Reg.5.3.
C *Sub vestigio pedum eius.* Iudith. 14.5. *Conteret eos sub pedibus vestris.* Psalm. 8.7. *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Psal. 17.39. *Subtus pedes meos.* Psal. 46.4. *Gentes sub pedibus nostris.* Thren. 3.34. *Vt contererent sub pedibus.* Malach. 4.3. *Calcabitis impios, cùm fuerint cinis sub planta pedum vestrorum* Roman. 16.n.20. *Deus conteret Satanã sub pedibus vestris.* 1.Corinth. 15.25. *Inimicos sub pedibus*, & 27. *Omnia subiecit sub pedibus eius.* Similiter ad Ephes. 1.22. & ad Hebræos 2.8. & Iacobi 2.3. Facit etiam illud Psalm. 109.2. *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Et alia huiusmodi.

Luna hic pedibus subiecta num pro re vili & despecta sit sumẽda? Proponitur sententia affirmans, & Scripturæ locutione probatur.

Propter hæc fortasse D. Gregorius, & post eum plerique interpretes existimant, hoc in loco per lunæ symbolum bona commutabilia denotari, quæ ab Ecclesia despiciuntur & conculcantur. Quò applicant illud Ecclesiastici 27.12. *Stultus sicut luna mutatur.* Qui verò opinantur, lunam hic esse Ecclesiæ symbolum, sicut in alijs locis, (vt tradunt Tertullianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, atque Bernardus ex Cantic. 6.9. *Pulchra vt luna*, apud Lauretum in Sylua allegoriarum verbo Luna) simul affirmant, mulierem supra lunam stantem esse Virginem cælorum Reginam; propterea quòd ceteris omnibus fidelibus magnopere præstet.

Lunam hic à multis pro bonis temporalibus ac mutabilibus vsurpari.

Ceterum neutra harum expositionum mihi probatur. Primò, quia licèt luna per se sumpta possit aliquando ad mutationis, siue imperfectæ rei significatum, (saltem per modum comparationis,) vsurpari; in solis verò, lunæ, & syderum coniunctione necessarium est, quemadmodum sol lunam excedit, ita etiam lunam stellis antecedere. Nam quoties in Scripturã fit mentio solis, lunæ, & stellarũ, (sæpissimè autem fit) semper hic ipse ordo seruatur: ita vt priùs nominetur sol, deinde luna, posteà stellæ. In præsenti autẽ idem seruatur ordo. Etenim quanuis stellæ mulieri pro ferro siue diademate, sol, pro amictu, luna pro suppedaneo, siue basi sit: verùm dignitatis ordine seruato, priùs dicitur *sole amicta*: mox additur, *Et luna sub pedibus eius*: ac postremò subiungitur, *Et in capite eius corona stellarum duodecim.* Quis ergo in huiusmodi ordine dubitet, quin sol & luna sint duo magna luminaria mystica: & stellas in mystica significatione esse lunæ ipsi inferiores: quemadmodum in luce, quam noctu impertit, cunctis syderibus longè antecedit? vnde est illud Horat. l.1. Ode 12. *Micat inter omnes Iulium sydus, velut inter ignes Luna minores.* Et in Epodon Ode 15. *Nox erat, & cælo fulgebat luna sereno inter minora sydera.*

Ab alijs pro Ecclesia; & mulierem pro B. Virgine.

D Secundò, quòd mulier hæc apparuerit sole vestita, lunâ innitens, & stellis coronata, proculdubio symbolicè indicat (vt suprà dicebamus) ex Iudaici populi reprobatione redundasse, vt Ecclesia commigraret ad Euangelij lumẽ cunctis mundi nationibus impertiendum. Quæ connexio haud obscure innuitur in ea coniunctione, *Et*. Ex qua hoc caput duodecimum oritur. Ad illuminationis ergo significationem, nemo non viderit ineptum esse, vt stellæ præferantur lunæ.

Improbatur vtraque sententia.

Tertiò, in alia ænigmatica pariter solis, lunæ, & syderum coniunctione, habemus Scripturæ ipsius interpretationẽ, per solem ac lunam duo maiora ac præstantiora lumina denotari: & per vndecim stellas, solis illius ac lunæ filios. Genes. 37.9 ait Ioseph, *Vidi per somnium quasi solem & lunam, & stellas vndecim adorare me.* Et infrà ipsius parens Iacobus ait, *Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te?* Fa-

Digitized by Google

cilè ergo quisquè cernet, optandum maxime esse, vt in præsenti stellæ similiter duodecim sint quasi solis ac lunæ filii. A

In Apocalypsi, solem esse symbolū diuinitatis: lunam humanitatis Christi. Auctoris interpretatio, per lunam figurari Christi humanitatem.

Quartò, in Apocalypsi euidens est in solis ac lunæ coniunctione, per solem diuinitatis claritatem, & Christi humanitatis claritatem per lunam indicari. Legimus enim c.21.23. *Ciuitas non eget sole, neque luna, vt luceant in ea: nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius est Agnus.* Quod perinde est, ac dicere, cæleſtem Hieroſolymam minimè ſole aut luna corporeis indigere; cùm Dei diuinitatem pro ſole, pro luna humanitatem Chriſti habeat. Hoc ita conſtituto, quis non videat, idcirco in hoc capite 12. priùs mulierem ſole circumamictam apponi, deinde lunâ veluti baſi fultam; vt ſignificetur ſolem ipſum, ac lunam, qui triumphantem Eccleſiam colluſtrant, eoſdē, licet non eodem modo, ſuæ etiam lucis vſuram militanti Eccleſiæ communicare: Cum huiuſmodi ſenſu egregiè conſentit, quòd poſt ſolem ac lunam, illico ſtellæ Eccleſiam coronantes, id eſt, Apoſtoli adiungantur. Nam Dei claritas, Chriſti quatenus hominis, & ipſius Apoſtolorum: hæc ſunt clariſſima militantis Eccleſiæ luminaria: quorum fulgore & claritate Eccleſia primogenita omnes mundi Gentes per Euangelii prædicationem & fidei cognitionem luſtrauit.

Respondetur locis suprà adductis: vbi ſub *vel* ſubter *abiectionem videtur importare.*

Hæc explicatio ita facere videtur ſatis, vt neminem de ea fore dubitaturum putarem. Si tamen apta & congruens reperiretur ſolutio illius difficultatis, quę in ea protinus occurrit: nimirum, quòd luna ſubter mulieris pedes viſa ſit. Ad hoc ergo primò aſſero: in iis locis allatis, vt probetur hæc D phraſis, *ſub pedibus*, abiectionem & contemptionem denotare, nihil probari ampliùs, quàm ſæpe Scripturam eâ phraſi vti ad eius rei, quę vincitur, ſiue deſpicitur, ſignificationem. Enim verò certum omnino eſt, alii in locis locutionem hanc non in eo ſenſu vſurpari, vt Pſalm.17.10. & 2. Regum 22. 10. *Caligo ſub pedibus eius.* Et Exodi 24.10. *Sub pedibus eius quaſi opus lapidis ſapphirini, & quaſi cælum, cùm ſerenum eſt.* Numer. 16.32. *Dirupta eſt terra ſub pedibus eorum.* 1. Machab. 6.46. *Iuit ſub pedes elephantis, & ſuppoſuit ſe ei, & occidit eum,* Vide etiam 2. Regum 2.23. vbi nos legimus, *Mortuus eſt in eodem loco*, Græcè habetur, ὑποκάτω αὐτοῦ, id eſt *ſub ſe.* Atque hoc eodem aduerbio ὑποκάτω, vtitur Ioannes in hoc loco.

Secundò aſſero, iis locis, in quibus eſſe *ſub pedibus*, vinci aut contēni ſignificat, idcirco hanc attribui ſignificationē, quia phraſis illa in huiuſmodi materia vſurpatur, quæ aliam non admittat expoſitionē: & quia cōiungitur cum hiſce verbis, *Cadere, conterere, conculcare, ſubiicere.* Cum verbis enim huiuſmodi (præſertim vbi de hoſtibus ſermo eſt) manifeſtum eſt, quod pedibus ſubijcitur, ideo ſupponi, vt proculcetur & ſubigatur. Vbi autem nec de hoſtibus agitur, nec verbum aliquod exprimitur, quod contemptionem denotet; ſuprà iam vidimus locos aliquot, in quibus, *ſub pedibus*, nihil aliud C ſit, quàm locum ſingulatim aſſignare, abſque aliqua deſpicientiæ aut abiectionis notâ. Confirmatur hoc, quia in ceteris etiam locis, quantunuis non diceretur, *ſub pedibus veſtris*, ſed *ſub vobis*, eodem planè modo acciperetur locutio. Idem enim eſt ſenſus, *Deus conteret inimicos ſub pedibus veſtris*, Atque hic, *Conteret eos ſub vobis.* Et interdum quidem dicitur *ſub pedibus*, interdum verò *ſub manibus*, vel *ſub manu*, vt Geneſ. 16.9. *Humiliare ſub manu illius*, & Pſ. 105.42. *Humiliati ſunt ſub manibus eorū*, & ſimiliter 1. Pet. 5. n. 6.

Præpoſitio ſub *quid propriè ſignificet.*

Tertio aſſero, vocem *ſub*, non aliud ſignificare, quàm rem ipſam, de qua ſermo eſt, eſſe *ſubter*: ex contextu autem; & ex myſterij intelligentia pendere, vtrùm hic exiſtendi modus ſit per modum fulcientis aut ſuſtinentis, an potiùs vt ſubiecti, afflicti, & cōculcati proprius. Nam *boues ſub mari æneo, & ſub baſibus*, perſpicuum eſt ibi eſſe ſtabiliendo, & ſuſtentando, 2. Paralip. 4.15. & Ieremiæ cap. 52.20. Item *læua eius ſub capite meo*, Cantic. 8.3 & ſimiliter, *Puluilli ſub omni cubito, & ceruicalia ſub omni capite*, Ezechiel. 13.18. Et ſexcenta huiuſmodi. Luna igitur ſub pedibus rectè poteſt in ea acceptione ſumi, vt ſuſtineat ac foueat. Præſertim in ſolis, lunæ, ac ſyderum conſpiratione; vbi & ſol atque ſtellæ fauent & luna quanuis ſoli dignitate inferior, ſtellis tamen ſuperior eſt. Atque ipſis prior à Ioanne exprimitur. Adde huc, ſuperiorem locum non eſſe in hoc ænigmate nobiliorem. Si quidem ſeruato naturę ordine, & ipſius myſterii congruentiâ, textus ſtellas conſtituit pro capitis diademate, & ſolem pro totius corporis veſtitu. Nihil ergo mirum, ſi luna, licèt rem multo nobiliorem ſtellis adumbret, in inferiori tamen loco collocetur. D

Quartò, ex quinque, aut ſex locis ſuprà adductis dilucidè cernitur, phraſim illam, *ſub pedibus*, interdum in Scriptura abſque vlla abiectionis ſignificatione accipi. Quando enim dicitur, *Caligo ſub pedibus eius*: ſi dicentis animus eſſet, admirabilem maieſtatem obſcurâ in nube latentem indicare; nemo certè aut picturam, aut locutionem damnaret. Atqui manifeſtum eſt, Deum ſuæ maieſtati ſuperiorem non eſſe, nec eam contemnere. Quòd ſi in ſapphiro celſiſſimus diuinitatis thronus figuratur, nihil in eo eſt, quod Deo inferius ſit: & tamen textus ait; *Sub pedibus eius quaſi opus lapidis ſapphirini; quaſi cælum, cùm ſerenum eſt.*

Cur luna Christi humanitatem significans ſub mulieris, ſiue Eccleſiæ pedibus ponatur

Quintò, conueniens valdè fuit, lunam ſubter mulieris pedes conſtitui; vt ſignificetur, Chriſtum Dominum eſſe baſim ac fundamentū, quo tota nititur Eccleſia. Quanuis enim ſi Chriſti humanitatis hìc in propria hominis figura pingeretur, diſſonum eſſet ac minimè decorū, ipſum Eccleſiæ pedibus ſupponi: at enim in lunæ ſymbolo nihil habet diſſentaneum, ſed conſentaneum potiùs, quòd ſubter mulieris pedes collocetur. Hoc ideo dixerim, quia in communi concipiendi ratione perſona aliqua ſiue humana figura ſub alteriùs pedibus poſita, ſubmiſſionem atque abiectionem indicat: & hac ratione eſſe *ſub pedibus*, inferioris eſt. Veruntamen globus aliquis cong ruenter ſatis poteſt figuræ humanæ pedibus ſubſtitui, quaſi illam fulciendo. Ad eum ferè modum, quo in celciſſima templi maximi Hiſpalenſis turri Fidei ſimulacrū ingenti globo veluti baſi ac fulcro impoſitum cernitur. Si autem globus ille aureus foret, & ſolem repræſentaret, diceret nemo ineptè Chriſtianę Fidei imaginem ſoli imponi, vt denotaretur Chriſtianam fidem in Chriſto Domino prorſus inniti. Planum

ergo

Digitized by Google

A ergo fit,si mulier pedibus lunâ nitatur, lunam ipsam esse fœmineæ figuræ basim,& in ea fœminam sustineri. Verùm maioris dissimulationis ergo, (vt ænigmaticum decet stilum)non dicitur luna sustinere mulierem,sed esse sub pedibus eius.

Inferior locus in symbolis plerumque magnæ dignitatis.

Sextò:in symbolis plerumque inferior locus est maximæ dignitatis. Nec enim dignius est quidquam,aut honoratius,quàm primum fundamenti lapidem esse in spiritali ædificio, & Ecclesiæ columnæ basim atque adminiculum,quo Christiana respublica firmetur. Quamobrem Paulus Christum appellat Ecclesiæ fundamentum;atque ea de causa,& in eâdem significatione ponitur sub mulieris pedibus luna. In quo etiam fuit habitus respectus ad inferiorem locum,quem luna inter reliqua sydera occupat. Ceterùm eo ipso concipitur recte,vt stellarum omnium fundamentum. Accedit huc,quòd terram quantunuis subter pedes locatam veteres Ethnici Deam esse finxerunt, & viuentium omnium parentem,quæ nos sustineat,atque alat. Et iuxta eandem proportionem tribuunt lunæ Philosophi terræ cælestis cognomen,(sic enim fuit locutus Pythagoras:)eamque considerant veluti stellarum matrem;tametsi stellis omnibus inferior est,atque ita in Iosephi somnio manifestè luna stellarum mater esse concipitur.

Ecclesiam parturientẽ Christo subnixam perinde esse, quasi vera Lucina ope & auxilio adiutam.

Septimo,cùm hæc mulier,quam textus describit,parturiens sit,denotetque Ecclesiam primigeniam per fidei lucem Gentibus effusam complures filios Deo procreaturam:ad hunc scopum appositè omnino mulier appingitur Christo innitens:ideoque maximè oportuit fœminam eam parturientem exprimi,quasi lunæ mysticæ ope & auxilio adiutam. Nam & Gentes ad lunæ fœcunditatem respicientes,eam in partubus implorabant,& quasi obstetricem credentes, illam Iunonem Lucinã compellabant. Fælix igitur primæuæ Ecclesiæ partus,(vt constat,) Christi Assertoris nostri ope & adiumento fouebatur:ideoque vt partus hic faustus & auspicatus esset,eleganter inducta fuit mystica Lucina opem ferens suo contactu atque virtute parturienti fœminæ(vt tellus quondam Antæo præstitisse fingitur) eamque supra se sustinens,ne deficiat. Ac denique mulier hæc nequaquam posset eum filium primogenitum gignere, *Qui recturus erat omnes gentes in virga ferreâ*; nisi Christi Redemptoris nostri præsidio stabiliretur. Quia in ipso,& per ipsum,& cum ipso poterit Ecclesia primogenita fidelium ex Gentilitate multitudinem.

Minimè indecorũ esse vt Christus imo in loco quasi sustinens & fulciens Ecclesiam effingatur.

Octauo,Propitiatorum,Christi erat figura,& tamen basis erat Cherubinorum, qui Christianæ Ecclesiæ sapientiam & sanctitatem indicant. Quare Christum induci veluti basim, qua Ecclesiæ figura fulciatur,id verò est instrumenti veteris symbolis ac figuris consonum. Et tantum abest „ vt Christi maiestate indignum fit, illum,vt fundamentum proponi,quo mulier Ecclesiam repræsentans firmetur;vt nullo alio nomine meliùs Regia dignitas innuatur. Qua propter Græci Regem appellant,βασιλεὺς, quod sonat basim populi; idemque est , illum nominari populi stabilimentum : quod epitheton sapienti Regi tribuitur,Sapient.cap.6.26. Et Iosepho principi in Ægypto sapientissimo, Ecclesiastic. 49. 17. vbi Græcè legimus, στήριγμα, quod est id,cui res aliqua innititur tanquam basi.

Vltimò tandem noto,congregationem hanc solis,lunæ & stellarum duodecim, esse admirabilẽ astrorum coniunctionem,& quasi confluxum;quo indicatur Ecclesiæ primogenitus partus felicissimus futurus. Nam si in partu aliquo verum est , ipsius felicitatem ex auspicatorum syderum consociatione pendêre;in nullo alio id potest rectiùs affirmari,quàm in hoc,de quo textus agit: id est , in fundatione Romanæ Ecclesiæ,quæ est filius primogenitus ab hac muliere in lucẽ editus. Hoc enim fuit actum mysticis astris confluentibus,& auspicatissimè conspirantibus per singulare beneficium atque opem,quam suâ claritate Deus,Christus,& duodecim Apostoli præstiterunt:quorum doctrinâ fuit Romana Ecclesia fundata.

NOTATIO I.

De præstantia symbolorum solis,lunæ,& stellarum ad significationem diuinitatis,& humanitatis Christi,& Apostolorum.

Endymionis tum historia, tum fabula.

IN solis & stellarum significatione existimo, interpretationem meam nemini nouam & in solitam visum iri. At,quod ad lunæ attinet significationem, suspicor,illud Endymionis prouerbium mihi fore applicandum. Historia quidem sic breuiter habet. Cum Endymion admirabilem ac multiplicẽ lunæ speciem, siue phænomena sæpe tacitus contemplaretur,vt causas ac rationes indagaret,post earum excogitationem atque inuentionem, dilaudatur ab aliis, ab aliis vituperatur. Laudant quidem Marcus Tullius, Plinius,& Mythologiciomnes , qui in eius commendationem explicant fabellam illam, qua fingitur à luna fuisse adamatus atque sopitus , vt ipsum in Cariæ monte dormientem è cælo illa descendens oscularetur. Ceterùm vulgus eum vituperat,& Endymionis somnium vertit in prouerbium aduersus eos , qui sopore pressi negligenter conuiuent, vbi solicitè foret vigilandum. Mihi certè in lunæ Apocalypseos contemplatione contigit, valde admirari secundum cæli luminare mulieris pedibus suppositum ; & coactus sum nouam inuestigare intelligentiam. Quæsiui sedulò , ac demum inueni, dum lunam de Christi humanitate interpretor. Meâ tamen explicatione multos offensum iri , vel nouitate ipsa permotos, coniecto: atque adeò pro ludibrio illam habituros; asseruturosque me vel in eo somniare, vbi maximè vigilandum erat. Spes tamen iniecta mihi est , sapientibus viris in huiusmodi interpretatione pergratum me fore facturum. Vtinam & eiusdem mysticæ lunæ gratiam etiam ac fauorem promerear;eiusq; beneficio immergar spiritali illo somno , à quo sponsus suam prohibet sponsam excitari: ac destinato demum tempore (in morte scilicet) feliciùs in Christo dormiam : & ab eo me tunc fuisse dilectũ experiar, cui in hac lunæ contemplatione deseruire contendo.

Vt ergo in mea expositione pergam, visum mihi est, quò plus ei lucis afferrem, in hac notatione cum lunæ symbolo,symbola etiam solis & stellarum cõiungere, & de symbolorum huiusmodi præstantia nonnihil addere

Digitized by Google

addere. Quod enim ea in præsenti Spiritus sanctus coniunxerit res est magnæ elegantiæ, & animi attentione digna. Quòd si aliquis dicat, violentum videri, quòd sol, luna & stellæ suam omnes simul lucem effunderent, nec sol suis radiis lunam & stellas obscuraret. Ad hoc respondeo, in ænigmatis haudquaquam esse exigendum, ne quid admirabile & inusitatũ fiat: illud tantummodò quærendum, ne quid in significatione atque eius applicatione perperam accommodetur. Egregiè autem conuenit hæc stellarũ & lunæ claritas coram sole Mysticus enim sol efficit, vt tam luna, quàm stellæ cum ipso Christianam collustrent Ecclesiam.

Expenditur, quàm aptè congruat luna symbolum ad Christi humanitatem significandam.

His præmissis, accedamus ad horum symbolorum præstantiam seorsum considerandam. Solis symbolũ, si seorsum accipiatur, aptissimè conuenit Christo: vt ex pluribus Scripturæ locis colligunt multi. Enimverò ad denotandam sub distinctione tam diuinitatis lucem, quàm humanitatis, non alia potuere symbola magis idonea proponi, quàm duo hæc magna luminaria: sol videlicet, ac luna Ad hoc autem, quanuis diuinitas in Patre, Filio, ac Spiritu sancto sit prorsus eadem: at expressioris distinctionis gratiâ loquemur Scripturæ more de Patris diuinitate, deque humanitate Christi. Ad Patris ergo Æterni claritatem significandam, quid obsecro congruentius, quam solis nomen? nonne sol est fons lucis, & reliquorũ luminum parens? Quid ergo aptius ad eius designandam claritatem, qui totius est diuinitatis fons, & quem Scriptura *patrem luminum* appellet?

Difficultas circa præditam applicationem proponitur, ac soluitur.

Deinde ad lucis distinctionẽ, quam Christi humanitas habet, facile est videre, quam rectè & cõgruenter lunæ nomen applicetur. Etenim inter luces omnes, quæ deriuantur à sole, lunæ certè lux extat atque eminet: siquidem est alterius instar solis. Vt ergo adumbretur præstantia ac dignitas, qua Christi lux Sanctis omnibus antecellit, aptissimum est symbolum lunæ. Ad hæc, si sol ac luna site cõsiderantur veluti stellarum omnium parentes, vt colligitur ex Genes. 37. n. 9. quis nesciat, à Deo Patre, & à Christo Domino, vt à parentibus luminum, eam omnem dimanare lucem, quæ in omnibus mysticis syderibus effulget?

Christi diuinitas, luminare maius, quod diei Beatitudinis præest: humanitas verò luminare minus, quod præest huius sæculi nocti.

Ceterùm incutiet fortassis alicui difficultatem, quod in Genesi de sole ac luna dicitur, vt ad Æternum Patrem, & ad Christum accommodetur. Dicitur enim c. 1 16. *Luminare maius, vt præesset diei: & luminare minus, vt præesset nocti.* Videtur autem tempus legis gratiæ, esse dies, iuxta illud Pauli Rom. 13. 12. *Nox præcessit, dies autem appropinquauit? abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis: sicut in die honestè ambulemus.* Huic ergo diei Christus Iesus præest: ideoque lunæ symbolum, quæ noctem illuminat, non ei videtur aptè congruere. Respondetur tamen: quanuis legis gratiæ tempus, si cum ea comparetur ignorantiâ, qua mundus quondam erat immersus, rectè ad diem referatur: verum si cum æternæ beatitudinis statu componatur: lux ea, qua fideles in hac vita fruuntur: eleganter per lucem lunæ, ac syderum denotatur. Qua ratione fuit locutus D. Petrus in sua secunda Epistol. cap. 1. 19. *Habemus firmiorem propheticum sermonem: cui bene facitis attendentes, quasi lucerna lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat.* Quod cùm ita sit, diuinitatis quidem luce in se ipsâ soli perfruuntur Beati: atque ideo lux ea est luminare maius quod diei Beatitudinis præest. Interim verò, qui eâ fruimur luce, quæ in hac vita fidelibus impertitur, non sole in se ipso fruimur: sed luminari secundo, nempe Christo, & ipsius atque Apostolorum doctrinâ. Quamobrem Psal. 8. vbi distinctè de illa luce habetur sermo, quam in hac vita possident fideles, nulla fit solis mentio: sed lunæ solùm, & stellarum: *Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum, lunam & stellas, quæ tu fundasti.* Appositæ ergo diuinitatis claritas appellatur *luminare maius, quod præest diei.* (Cùm in Beatitudinis cælestis die Sancti propriè & proximè Dei claritate in se ipsâ perfruantur) Christi verò assertoris nostri claritas dicitur, *Luminare minus, quod præest nocti.* Nam in huius vitæ nocte, quacunque fideles potiantur claritate, non ea immediatè ex illa æterni diei claritudine: sed ex Christi, & eius Apostolorum doctrinâ deriuatur.

Verum quidem est tamen, huiusce vitæ noctem esse fidelibus clarissimam. Nam luna, cuius luce collustrantur, est solis instar clara ac fulgens: vt fuerat ab Isaia prædictum, c. 30. 26. *Erit lux lunæ, sicut lux solis.* Veruntamen si hæc lux cum æterni illius diei luce comparetur: potest lux noctis meritò nuncupari: quippe mysticus sol septies est, atque adeò millies luna fulgentior: vt idem vates mox subiecit, *Et lux solis septempliciter.* Si igitur lux vitæ huius est propriè lumen Christi, & cælestis Patriæ lux est ipsa claritas diuina: adhæc, si lux ea, qua fruuntur in hac vita fideles ab Scriptura cum noctis luce comparatur. Christus ergo est mystica luna, & Pater æternus est sol.

Obiectio contra superius dicta.

At enim, ex hac ipsa explicatione noua suboritur difficultas. Etenim si diuinitatis lucem, qua potiuntur Beati, sol figurat igitur Ecclesia primigenia (quæ erat Ecclesia militans) nequaquam depingenda erat solis amictu vestita, sed solum lunæ, & stellarum ornatu decorata. Respondeo: vt exactè luna applicaretur ad Christum, & solis lux ad diuinitatem, cõgruenter fuit expensum, quam rectè diuinitati conueniret luminare maius, quod præesset diei: & Christo Domino luminare minus, quod præesset nocti. Quia in hac vita nondum fruitur Ecclesia diuinitatis luce in seipsa. Nihilominus idonea extitit ratio, quam ob rem militans Ecclesia amiceretur sole: quòd magna sit illustratio, quam à diuinitate accipit. Etenim lunæ quidem lux aptissimè (vt vidimus) ad Christi Assertoris nostri doctrinam, qua fruitur Ecclesia, accommodatur: (iuxta illa Christi ipsius verba Ioan. 7. 16. *Mea doctrina, non est mea.* Ingentem enim lucem, quam habet luna, à sole est omnino mutuata) Ceterùm præter hanc doctrinã, & Apostolorum atque Euangelij ministrorum prædicationem, (qui stellarum instar sunt) fruitur insuper Ecclesia Spiritus sancti illustratione secundùm Christi ipsius dictum: *Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.* Atque interior hæc Spiritus sancti per ipsius dona illuminatio, est aliqua diuinæ claritatis effusio. Tametsi autem in cælesti patria erit longè maior atque præstantior claritas, & excellentiori longè modo participata: (siquidem solis ipsius lux proprio in fonte hauritur) in hac tamen vita per Spiritus sancti charismata singularia, potitur Ecclesia Dei claritate: eamque ob rem vestita sole conspicitur, quia induta est virtute & claritate ex alto. Itaque quanuis diuinitas magis quidem propriè solis munere in cælo fungatur: nihilominus idonea satis fuit ratio, vt Ecclesia primogenita congruenter solis induta radiis cerneretur. Sicut è contrario licèt Christus magis directè officium lunæ præstet, fideles in hac vita degentes sua doctrina illuminans: quia tamen in patria præter diuinitatis claritudinem, qua potiuntur Beati, Christi humanitatis conspectu clarissimo magna fit ad eorum fælicitatem accessio: idcirco dicitur etiam Apocalypsis 21. nu. 23. claritas Dei, & Agni esse cælestis Hierosolymæ sol ac luna: qui Agnus inibi lucernæ nomine compellatur, quia luna nocti, est instar lucernæ: die verò, quanuis lucernæ munere non fungatur, homines tamen sua pulchritudine magnopere exhilarat. *Et parte diei solis lucem adiuuat*, vt optimè Plinius l. 2. c. 9.

Respõsio.

Ioan. 14. 26.

Lunam nouam in consummatione, quid sit apud Ecclesiasticum.

Præterea in luna hac corporea, quam intuemur, illud est notatione dignum, quod Ecclesiasticus his verbis ponderat, cap. 43. n. 7. *Minuitur in consummatione: & crescit mirabiliter in consummatione.* Vbi locutio illa, *In consummatione*, perinde est, quasi vsque ad summum: quod idem est, ac dicere: lunam quidem eò vsque diminui, quoad omnino consumpta esse videatur: mox verò post hanc diminutionem consequi continuum incrementum, donec solem ipsum quodammodo adæquet. Vnde Plinius libr. 2. cap. 9. *Immensa orbe plenoque repentè nulla.* Hæc ergo lunæ proprietas aptissima est ad summam Christi Domini submissionem exprimendam: necnon exaltationem summam, quæ fuit humiliationem consecuta. Priùs enim *exinaniuit semetipsum.* &, *Non erat ei species, neque decor.* Hanc tamen extremam demissionem subiit præstantissima exaltatio: donec eò vsque luna cetera cæli astra superaret, vt meritò *Regina cæli* à Ieremia nominetur

c. 7. 18.

Digitized by Google

c. 7. 18. & 44. 17. concinitque Horatius in sæculari carmine: vbi lunam syderum Reginam appellat.

Si verò iis quæ diximus, à nimium theoricis opponatur: lunam solis claritate ac radiis non penetrari, quòd diaphana non sit: atque adeo videri potiùs partem cæli infimam, & minus in se continentem perfectionis: præsertim cùm plurimæ sint stellæ ipsâ maiores, & astrorum multitudo penè innumerabilis sit. Vt omittam quæstionem illam Astrologis discutiendam: vtrùm dentur aliquæ stellæ lunâ maiores. Esto hoc verum sit, & luna ipsa sit opaca, atque stellarum aliquæ non item: hoc tamen ad illud conducet, quod Psalm. 8. dicitur. *Minuisti eum paulo minùs ab Angelis*. Christus enim quatenus homo, est Angelis inferior naturâ; si tamen splendor ac gloria attendantur, quis neget lunam esse stellarum Reginam, ac proinde, quæ inter eas fulgeat, vt Regina inter minora sydera, vt ait Horatius? Quapropter Christi gloria, sapientia, & splendor sunt absque controuersa multò præstantiora iis omnibus, quæ in Angelis, & Sanctis vniuersis reperiuntur. Atque hoc diuinæ prouidentiæ consilium, vt astrum naturâ inferius, sit gloriâ tantò excellentius atque sublimius: hoc inquam ad lunæ symboli perfectionem congruentissimum extitit.

Luna influxus in inferiora corpora.

Verùm enimverò si lunæ influxum, & quasi illapsum inspiciamus: hac quidem in parte ceteris signis cælestibus longè antecedit. Et quanuis sole fit inferior, illum tamen in rerum sublunarium procreatione & conseruatione comitatur: ita vt nihil producere videatur sol per se solus, nisi cum luna sociatus. Facit, quod supra vidimus, videlicet lunam à Romanis genitricem orbis appellari solitam; cui epitheto Catullus concinit, dum lunam alloquens ait.

Tu rustica agricolæ tecta
Bonis frugibus exples.

De lunæ autem in terras influxu ac potestate in hæc inferiora latè Plinius lib. 2. cap. 41. & cap. 49. Et in Scriptura Deut. 33. 14. in Ioseph benedictione, omnia pona & fructus terræ dicuntur esse fructus solis & lunæ. Sic enim textus habet: *De pomis fructuum solis & lunæ.* Quanuis autem hanc efficacem generandi virtutem luna ex sole (sicut & lucem) participet: veruntamen magna solis vis atque calor cum lunæ humiditate ac mollitudine mirum in modum conspirant ad naturalium rerum generationem, quæ in calore atque humiditate congruenti potissimùm consistit. Simili etiam ratione spiritalis nouæ cuiusque creaturæ regeneratio, & totum diuinæ Gratiæ incrementũ, quò perueniunt, non solùm ex Dei pendet virtute, sed etiam ex Christi Redemptoris nostri meritis, benignitate & gratiâ. Mysticus enim sol supranaturalem suam vim & efficacitatem nulli creaturarum elargitur, nisi lunæ mysticæ influxus, atque benignitas pariter confluant. Ac denique vehemens lunæ illapsus appositè significatur in eo, quod Plinius asserit, nimirum lunæ sydus esse rerum spiritum. Simili enim phrasi aptissimè dicitur Christus esse *Spiritus oris nostri* ex Ieremiæ Threnis, cap. 4. n. 20.

Spiritalis luna, id est, Christi influxus in suos fideles.

In luna summam Christi humilitatem & exaltationẽ figurari.

Ad hæc, quemadmodum ad Christi Domini passionem & exaltationem nobis in memoriam reuocanda, semper cælum nobis ob oculos subiicit assiduam tum coniunctionis lunæ, tum oppositionis vicissitudinem, (in qua veluti in expressa effigie figuratur summa exaltatio summam diminutionem subsequens) ita etiam vt euidentior esset in luna significatio Christi humanitatis, sola ipsa luna inter cetera cæli astra præ se fert veluti expressam faciei humanæ effigiem: quæ nos quodammodò commonefacit, perfectissimæ Christi humanitatis symbolum se esse pulcherrimum, nec non bonorum omnium, quæ ex illa in nos deriuantur.

Vt verò nostram hanc lunæ significationem nemo nouitatis aut paruæ auctoritatis insimulet, meo quidẽ iudicio Scripturæ liber tum primus, tum postremus, id est, Genesis & Apocalypsis summam ei antiquitatem, & auctoritatem afferunt. Ex Genesi enim nobis liquet, in solis, lunæ, ac syderum cõiunctione, lunam secundum dignitatis locum obtinere, cui stellæ vndecim suam substantiam referant acceptam. Nemo autem dubitat, duodecim Apocalypseos stellas esse Apostolorum symbolum, eosque filios ac discipulos solis diuinitatis atque humanitatis Christi. In Apocalypsi idem expresè asseueratur, solem Ecclesiæ esse Dei claritatem: & ingentem lucernam, (id est lunam) esse Christum Dominum, vt supra expendimus, ex cap. 21. 23. Et ne patronus aliquis ex sanctis doctoribus huic nostræ expositioni desit: D. Augustin. in id Psalm. 73. 16. *Tuus est dies, & tua est nox*, expresè applicat lunam carni Christi, hoc est ipsius humanitati illuminanti huius vitæ noctem. Et Gregorius hom. 2. in Euangelia in principio, dum lunam ait in sacra Scriptura poni pro defectu carnis, de humanitate Christi interpretatur: subdit enim, diuinitatem defectum nostræ carnis susceptisse.

Ex Patribus quinam luna symbolum ad Christi humanitatẽ applicẽt.

Itaque nostræ explicationi neque antiquitas deest, neque auctoritas. Quòd si res ipsa attentè perpendatur: dubium non est, quin luna sit præstantissimum Christi humanitatis symbolum. Quamobrem fateor, maximæ mihi voluptati fore, si Turcæ lunæ insigne non suis vexillis arrogassent, vt Christianæ Religionis cultores huiusmodi signum in ea, quam tradit Apocalypsis significatione, vsurpare possemus. Ceterùm præstantius est insigne, quod nobis Apocalypsis in huius capitis exordio proponit ob oculos: nempe fœmina sole vestita, lunæ innitens, & stellis coronata. In hac enim pictura habemus pariter symbolum diuinitatis, & Christi humanitatis, atque excellentiæ Apostolorum: necnon singularis beneficij, quod Deus in mundum contulit: dum decreuit primitiuam Ecclesiam diuinitatis claritudine circunfusam, Christi præsidio suffultam, & Apostolorum doctrinâ imbutam, omnibus mundi nationibus lumen Euangelij inferre. Atque ad egregium Christianæ Ecclesiæ vexillum non video, quod aliud stemma, siue insigne præstãtius aut elegantius potuerit excogitari.

Duodecim stellæ Apostolorũ symbolum.

Reliquum est, vt nonnihil de duodecim stellarum symbolo dicamus. Atque imprimis in duodenario hoc numero habitus fuit proculdubio respectus ad duodecim Apostolos, qui doctrinam Euangelicam duodecim Apostolici symboli veritatibus complexi sunt. Quapropter quanuis Paulus & Barnabas non minus Apostolorum nomine, & stellarũ symbolo digni sint, quàm reliqui duodecim: veruntamen cùm in stellis ijs fœmineæ coronæ habita fuerit ratio veritatum duodecim in Apostolico symbolo contentarum, quæ Ecclesiæ ipsius gloriam & ornamentum componunt; ideo iure optimò respectum fuit ad numerũ Apostolorum, qui Apostolicum symbolum ordinarunt. Ceteroquin si Apostolis stellarum symbolum attribuitur, quòd mundum collustrârint, (iuxta id Danielis 12. 3. *Qui ad iustitiam erudiunt multos, tanquam stellæ in perpetuas æternitates.*) huiusmodi certè symbolum non minus propriè Paulo ac Barnabæ debetur, qui singulatim ab Spiritu sancto fuerunt Apostoli Gentilitatis electi. Singularis verò Pauli commemoratio, ob excellentem illius doctrinam, atque ob Gentilitatis conuersionem (de qua libro quarto Apocalypseos agitur) minimè Ioannem præterit, vt infra ostendetur. Quinimò nullius Apostolorum toties Apocalypsis meminit, vt Pauli De quo capit. 16. 2. & cap. 17. 1. & cap. 21. 9. Ac fortassis etiam in duabus mulieris alis respectus fuit habitus ad Paulum & Barnabam, vt suo loco expendemus.

Cur stellæ, quæ Apostolorum sunt symbolũ, supra mulieris caput appeanantur?

Præter hæc, quòd stellæ duodecim mulieri pro diademate sint impositæ, non arguit stellas ipsas aliquid nobilius lunâ præseferre. Constat enim solem esse excellentioris rei symbolum, quam stellas: quantunuis sol fœminæ pro indumento sit, stellæ pro corona: non ergo superior locus stellis tribuitur, quòd nobilioris rei symbolum existunt, sed solum vt denotetur, Apostolos esse Ecclesiæ gloriam & ornamentum. Atque manifestum est, illis hoc elogium congruere: siquidem Paulus eos vocat Christi gloriam.

Difficultatis nodus soluitur.

Obiiciet tamen aliquis: si hoc in loco figuratur Ecclesia primogenita post obdurationem Iudæorum, & post decimæ Hierosolymorum partis conuersionem: tunc quidẽ non fuerat depingenda cum stellarũ duodecim diademate. Eo enim tempore Iacobus maior, & ex ceteris Apostolis nõnulli vitã iam cum sanguine pro Christo

Digitized by Google

Christo profuderant: quare tunc non duodecim extabant. Ad hoc Respondeo; quòd Ecclesia Apostolorum duodecim claritate, & splendore redimiretur, neutiquam pendebat ex eo, quòd ipsi viui adhuc & superstites essent: nam post eorum etiam omnium mortem, semper hæc erit Ecclesiæ corona, decus & ornamentū. Simili etiam ratione quanuis hic primogenita singulatim Ecclesia consideretur in egregia illa expeditione fundationis Romanæ Ecclesiæ; & quanuis ad hanc ipsam expeditionem non fuerint reapse profecti, nisi duo vel tres Apostoli; nihilominus congruentissimè est excogitatum, vt Ecclesia primogenita ad Romanæ fundationem stellis duodecim coronata progredi dicatur. Quam enim doctrinam prædicabat Ecclesia, & in qua gloriabatur, ea profectò non alia erat, quàm quæ in Apostolico symbolo continetur; in quo Apostolorum duodecim ipsum concinnantium gloria splendescit. Atque hac doctrinâ fundata fuit, & erecta Romana Ecclesia.

Aaronis corona gemmis fulgens.

Illud insuper obseruatione dignum est, in corona scilicet stellarum videri ad Aaronis coronam alludi, quæ fortassis erat pretiosis vndique lapillis ornata; vt canere videtur Ecclesia hebdomada tertia post Pascha feria 2. in secundæ lectionis responsorio: ***In diademate capitis Aaron lapides pretiosi fulgebant***. Capite autem 1. vidimus, gemmis fulgentissimis nomen stellarum congruere.

Denique in hac mystici solis, lunæ, & stellarum A consp iratione sunt iure ponderanda Ecclesiastici verba cap. 43. vbi describit *speciem cæli in visione gloriæ*. Deinde pereleganter descensu facto, ad solis, lunæ & stellarum descriptionem seorsum deuenit. Totus autem ille discursus ad primæ huius notationis scopum est valde appositus.

Luna vtrum hic accrescens vel decrescens consideranda.

At enim (dicet quispiam) in hac capitis duodecimi figura, cùm solis, & lunæ, & stellarum coniunctio proponatur, necesse est, lunam considerari non quidem in sua accessione & augmento; sed in recessu potiùs ac diminutione; aptius vero multò esset ad Christi Domini significationem, si luna in suo incremento figuraretur. Nam si de Simone Oniæ filio ait Ecclesiasticus c. 50. 6. ***Quasi luna plena in diebus suis lucet***, quātò magis debebat Christus lunæ plenæ symbolo denotari? Respondetur, comparationē illam esse desumptam ex pulchritudine, quam luna mortalium oculis ostendit. Veruntamen si in se ipsa consideretur, semper est æqualiter pulchra. Non aliter Christus sub primitiuæ Ecclesiæ tempora, quando ipsius pulchritudo magis mundo obtegebatur, ipsemet erat omnino, qui nunc B est, & quanuis figura coniunctionis solis cum luna coëgerit, vt luna ipsa in sua diminutione pingeretur; scopus tamen præcipuus fuit, vt luna ipsa vsurparetur secundùm omnem, quam continet, perfectionem: &, vt decremento ipsius proposito, promitteretur deinceps incrementum, ac propterea vtrumque extremum desumeretur ad miram huius symboli perfectionem.

NOTATIO II.

De secundaria significatione lunæ, quæ mulierem sustinebat. Hoc est de eodem symbolo, respectu Beatæ Virginis.

Sensuum multiplicitatem in Scriptura interdum ex ipsius fœcunditate, interdum ex rei difficultate exoriri.

MVLTIPLICATIO sensuum in eodem Scripturæ loco interdum non ex ipsa sacrarum Literarum fœcunditate nascitur: sed ex diuersitate ingeniorum, & loci, qui explicatur, difficultate: quòd nullus ex ijs sensibus, qui adducuntur plene & cumulatè satisfaciat. Quemadmodum multiplicantur nonnunquam alicuius argumenti solutiones; quia nulla mentem omnino explet. Nec enim semper varij proponuntur alicuius loci sensus, vt omnes simul quispiam amplectatur: sed vt ex ijs seligat illum, qui magis arriserit. Interdum tamen ex ipsa Scripturæ fœcunditate, & ex rerum ipsarum cōnexione oritur sensuum multiplicitas. Tunc autem non ideo proferuntur, vt ex eorum, qui proponuntur varietate lector aliquem secernat: sed potiùs hoc pacto ostenditur, eos omnes sensus atque expositiones inxta Spiritus sancti mentem ab Scriptura pariter coërceri. Id quod si in aliis Scripturis libris verum est, in Apocalypsi ob peculiarem rationem ita esse credendum, vidimus notat. 29. procœmiali.

Lunæ symbolū in hoc loco ad Beatam etiam Virginem secundario tamē applicari.

Hac igitur ratione contendo, lunæ symbolum, quæ mulierem Ioanni visam fulciebat, præter præcipuam significationem de Christi humanitate, quam proposuimus, iuxta Spiritus sancti intentionem ad sanctissimam etiam Virginem congruenter applicari. Nam imprimis cùm Apocalypsis in primigeniæ Ecclesiæ gloria de illa eiusdem pulchritudine singulatim egerit, quam ex duodecim Apostolorum corona accipit ipsa: cumque ter deinceps Paulum designet, nempe in capitibus 16. & 17. ac 21. quicumque miram Virginis sacratissimæ excellentiam perpenderit, & ipsius precum efficacitatem; facilè cernet, in huiusmodi figura & admirabili spectaculo, quo Christianæ Ecclesiæ splendor designatur, nequaquam Spiritum sanctum prætermisisse admirabilem Virginis ac Matris Excellentiam, & quantum in ea patrocinij ac defensionis Christiana experiatur Ecclesia. Præcipuè cùm Apocalypseos scriptor sit Ioannes: qui tantopere fuit Deiparæ obsequij studiosus, & illi in filium traditus fuit a Christo in eo ipso, quod in cruce condidit, testamento. Si ergo consentaneum erat, ne in Apocalypsi omitteretur integerrimæ Virginis excellentiam: nullum profectò symbolum potuit ad hanc signif cationem illustrius, quàm luna, vsurpari: vt postea planum fiet: nec locus valuit aptior inueniri, quam cum de Ecclesiæ primogeniæ partu, deque casta Lucina eius auxiliatrice agebatur.

Dissentaneum minimè esse, sed valde consentaneum, vt eodem loco ac verbo de filio ac matre agatur.

Deinde minimè debet reputari dissentaneum, sed valdè potiùs consentaneum, vt in eodem loco, eisdemque verbis Scriptura Christum Dominum & sanctissimam eius Parentem significet. Hoc enim mirum conducit ad denotandum arctissimum necessitudinis vinculum & maximam similitudinem, quæ inter filium C ac matrem reperitur: ostenditurque nihil inter eos quasi diuisum aut seiunctum inueniri: quinimo vbi de filio tractatur, de matre etiam inibi tractari; cùm adeò inter se mirabiliter consentiant, & in eodem throno sedes habeant. Quare maiori quidem iure Virgilianum illud huc applicare possemus:

Casta fauē Lucina: tuus iam regnat Apollo. Eclog. 4.

Et sanè, quid id attentè perpendat, facili negotio aduertat, nihil aliud cælorum Reginæ nobilius aut honorificentius esse posse, quàm cum filio ita esse coniunctam; vt vbi de filij excellentia sermo sit, ibi etiam de excellentia matris non taceatur. Præcipuè verò vbi de admirandis filij operibus & beneficiis in Ecclesiam collatis agitur: cùm ipsius mater sit potissimum instrumentum, quo medio isthæc beneficia in Ecclesiam deriuantur. Hæc ipsa ratio, & quasi subordinatio idoneè efficit, vt verba eadem Christum, vt præcipuam D causam commendent, & sanctissimam Virginem vt hominum mediatricem, & præcipuum in eorum salute instrumentum. Si enim alicuius ministri, siue māgnatis fauor & gratia apud terrenum aliquem Regem tanta esse potest: vt cùm primùm dicatur Rex beneficium quoduis tribuisse, eo ipso innuatur, atque adeò intelligatur, illud familiarissimo Regis amico, siue famulo referri acceptum debere, quòd absque ipsius interuentu nihil omnino largiatur Rex iam quanto maiori iure poterit hæc loquendi atque sentiendi ratio ad singularissima illa promerita transferri, quibus Christus suam cumulat Ecclesiam: cum omnia ex Mariæ Virginis ope ac patrocinio prorsus pendeant.

Quæ de Christo vt de præcipua nostrorum bonorū causâ, dicuntur: de Virgine etiam, vt de hominum mediatrice, aptè enunciari.

Multa ex iis, quæ Ecclesia de B. Virgine decantat, ad Christum primario secundario ad Virginem referri.

Atque huiusmodi quidem consideratio nuper aut excogitata, aut inuenta non est: sed antiquissima sane, & a Patribus, atque communi Ecclesiæ consensu recepta. Pleraque enim amplissimæ laudis præconia, quæ in Virginem ex Scripturæ verbis deprompta cōgerunt, nituntur omnia in eiusmodi locutionibus, quarū primarius ac præcipuus sensus respicit Christū. Hinc est, vt in beatissimæ Virginis celebritatibus Ecclesia diuino spiritu afflata bonam cap. octaui Prouerbiorum

partem

partem decãtet; vbi in literali sensu sermo est de æterna Dei Sapientia, nempe Christo: sub cuius nomine dicitur, *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequã quidquam faceret à principio, ab æterno ordinata sum*, &c. Similiter in ipsius Virginis festis canitur ab Ecclesia totũ ferè cap. 24. Eccli. in quo pariter est de Christo, Dei Sapiẽtia, sermo. In his ergo, atq. similibus locis nonnulli satis esse putant, si Ecclesia aliquo modo ad Virginem applicare perhibeatur, quod tamen minimè dicatur de illa, si verus Scripturę sensus attendatur. Quemadmodũ eidem etiam applicantur verba illa: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*. Mihi tamẽ valde sit verisimile, tam in Scripturę fœcunditatem, quàm in maximã vnionem, quę inter Christum & Mariam intercedit, omnino cadere; vt illa ipsamet verba, quę in præcipuo sẽsu Christum respiciunt, in sensu secundario, ex intentione etiam Spiritus sancti, ad Virginem referantur: ac proinde non solùm ab Ecclesia per accõmodationem, ad ipsam Virginem applicari; verùm etiam per credibilem satis & valde piam existimationem, quòd diuinus Spiritus in iis locis non Christum modò, sed Virginem etiam propter mutuam vtriusq. coniunctionem attenderit. Atque hoc certè Virgini sanctissimæ gloriosius & honorificentius est, quã si aliis totidem siue locis, siue verbis de illa seorsum à filio ageretur: dignius enim est, & excellentius Reginę, vt sella ipsi in eodem Regis throno sub eodem peristromate, & sub cãdem cortina collocetur, quàm si in alio throno atq. sede quantumuis excelsa reponatur. Si ergo hoc Virgini præstantius est; verisimile non fit, eò alicuius ingenium quamuis acutissimum posse deuenire, vt plus Virgini deferat ratiocinando honoris, quàm re ipsâ voluit Spiritus sanctus ei tribuere.

Prædictam explicandi rationem in multis Scripturæ locis B. Virgini esse gloriosissimam.

Difficultas contradicta.

Itaque hæc mihi ratio facilè persuadet, siquidem magnus hic honor potuit Virgini præstari, vt de illa in secundario sensu sit sermo in iis locis, vbi primarius de Christo sensus est. Hanc explicandi rationem non profutili & nupera inuentione a me excogitata, esse reputãdum velim, sed pro vera ac solida Spiritus sancti mente; qui Virginem, vt charissimam sibi sponsam, vnicè diligit. Et quidem ex eisdem lectionibus, quas Ecclesia in B. Virginis officio vsurpat, hanc ipse philosophiam didici. Nam ad meram accommodationem præter Spiritus sancti mentem nimium videbatur satis, non vnum aut alterum verbum, sed integra Scripturæ capita eidem applicari. Qua in re haud simile quidem accidit, quod in Canticorũ libri applicatione. In huiusmodi enim libro perspicuum est, singularem esse Virginis prærogatiuam, vt illi per excellentiã aptetur, quidquid generatim prædicatur de ingẽti amore, quo Christus suã sponsam prosequitur, deq. admirabili ipsius sponsæ pulchritudine ac perfectione. At continua illi capita applicari, in quibus de solo Christo (id est æterna Dei Sapientia) sermo instituatur: id verò longè mihi sit diuersum, atque adeò persuadet in ipsismet capitibus Spiritus sancti intentionem planè fuisse, vt excellentissima integerrimæ Virginis perfectio atq. sanctitas in sensu secundario significetur.

Sed opponet nobis aliquis, vt in lunæ symbolo fœminam sustentãtis locus Virgini superfit, videri congruentius, vt in ea solis, lunæ, atq. syderum coniunctione, per solem Christus; per lunam B. Virgo; per sydera Apostoli denoteturi. Hæc enim explicatio videtur illi persimilis, quã Iacobus admirabili Iosephi somnio adhibuit, cùm dixit: *Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te?* Accedit, quòd solis symbolum aptissimè conuenit Christo: vbi autem admittatur, in sole Christum figurari, & in stellis Apostolos; consectarium videtur, in luna Virginẽ adumbrari. Præterquam quòd nemo nescit, verba illa Cant. 6. 9. *Pulchra vt luna*, Virgini per excellentiam cõgruere. Quapropter eadẽ in ejus Litaniis Ecclesia decantat, & fere Ecclesiastici scriptores inter cetera Virginis elogia, hoc vt præcipuũ adscribunt. Et singulatim Cardinalis Petrus Damianus in sermone de Virginis Assumptione, vbi hæc habet: *Quantumlibet aliæ stellæ reluceant: luna tamen & magnitudine præeminet, & splendore. Sic vtrũque naturã Virgo singularis exuperat, & immensitate gratiæ, & fulgore virtutum*. In sermone item de Natiuitate B. Mariæ affert illud, *Pulchra vt luna*, & subdit: *Quemadmodũ nullum est astrum excepto sole, adeo pulchrum vt luna: sic summã gloriam esse post Deum videre Virginem, adhærere ei, & tutissimo protectionis munimine commorari*. Et Rupert. l. 6. *Alcasar in Apocal.*

Luna symbolum ad Virginem a Patribus applicari.

A in Cant. *Sicut luna* (ait) *lucet, & illuminat luce non sua, sed ex sole accepta: sic tu, ô Beatissima Virgo, hoc ipsum quod tam lucida es, non ex te habes: sed ex diuina gratia*. Innocentius etiam serm. 2. de Assumpt. Virginis philosophatur in lunæ pulchritudine, & rotunditate; & ad Virginis fœcunditatem applicat, ex qua plenè formosa existit.

Propositæ supra difficultatis sit satis.

Nihilominus quãuis verum sit, solis symbolũ Christo Domino mirificè aptari, & lunæ symbolum Virgini Matri: in Apocalypsi tamen certũ meo iudicio est, ex c. 21. 23. repræsentari in solis ac lunæ affluitate diuinitatis claritatem, nec non humanitatis Christi Domini. Quapropter nullus reliquus est locus, vt Virgini in primario sẽsu lunæ symbolum apud Apocalypsin aptetur; sed solum in sensu secũdario. Ceterum idipsum, vt nuper dicebamus, Deiparę ipsi illustrius & gloriosius est. Quare illud superest, vt ad natiuas lunæ facultates considerandas regrediamur: & ad id, quod textus asserit de parturiente muliere lunæ veluti fulcro & adminiculo sustentata, vt ea omnia ad Virginem applicemus.

B Quam ad rem illud præmitto, quod ex dictis in commentario constat, duas nimirum difficultates esse iam ibidem superatas, quę aduersus hanc expositionẽ obiici videbantur posse. Alteram, quòd luna varietatem ac mutabilitatem indicet; alteram, quòd infrà mulieris pedes posita videatur ipsi fœminæ inferior, & ab ea despecta & conculcata. Hęc (inquam) longe aliter hìc se habere, iam in commentario demonstrauimus. Luna enim non ideò subter mulierem locatur, quasi ab ea sit superata, deuicta, aut contempta: sed ponitur vt basis seu fundamentum, quo fœmina ipsa fulcitur. Nec verò hìc lunæ vicissitudines, sed ipsius claritas, pulchritudo, & secundus inter omnia cæli lumina locus attenduntur. Quòd si hoc elogium Christi humanitatis est proprium; hanc ipsam magnitudinem & excellentiã Virgo Parens participat, propter ipsius arctissimam cum Christo cognationem. Quamobrem id vnum reliquum est, vt scilicet lunæ philosophiam ad sanctissimæ Virginis præstãtiam, & ipsius erga Ecclesiam patrocinium applicemus.

Ecclesiasticus locus, Minuitur in consummatione, &c. de B. Virgine explicatur.

Primum ergo in supradicto lunæ encomio Ecclesiastici 43. 7. 8. *Minuitur in consummatione, & crescit mirabiliter* C *in consummatione*, designatur eleganter illud, quod in B. Virgine insigne atq. præclarum est, coniunctio videlicet humilitatis, maximæ ac demissionis, cum admirabili excellentia & exaltatione. Nam quæ sibi ancilla, atq. adeo nihil in suis oculis apparet, reapse est cæli Regina gloriosissima. Quare & diminutio & increm̃entum, vtrumq. mirandum in modum excellit. Quemadmodum luna in sua cum sole coniunctione, eò vsque diminuitur, donec suam penitus lucem occultet, & nullã omnino habere videatur, (id quod oritur ex eo quòd luna cum sole coniungatur, & ipsi subiiciatur planè.) Non aliter Virgo ex eo quòd cum Deo intimè vniretur, & illi sese perfectissimè subiiceret; *omnem sua lucis hausium eò regerit, vnde accipit*, vt Plinius inquit. Atque in coniunctione hac cum sole, consistit potissimùm perfecta ipsius Virginis humilitas. Verùm hæc eadem luna, quæ adeò minuitur, atque contrahitur, tantopere etiam ab ipso illustratur sole; vt in oppositione, si illam vna ex parte, solem ex altera prospectes, secundum penè solem, & quasi alterum de numine numen gloriosissimè resplendens, & longo interuallo cetera astra antecellens iure appelles. Quid igitur potest adduci congruentius ad summæ humilitatis, D summæque exaltationis symbolum? Huc spectat, quòd Luna à Plinio vocatur *humilis, & excelsa, quia alias admota cælo, alias contigua montibus*.

Virginis tum humilitatem, tum exaltationem in duplici nomine Maria etymo indicari. Maria sonat, stilla siue gutta maris.

Hìc obiter addo, hanc ipsam humilitatis, & celsitudinis cognationem in Mariæ nomine non obscurè adumbrari. Hoc enim nomine (quod iuxta suam originem sonat Mariam) duplici etymo notatur. Alterum est, *stilla maris*, siue *gutta maris*. (non quidem stella, vt vulgò iactari solet, sed stilla, siue gutta) quia מר *Mar* significat, idẽ quod gutta, & ים *iam* denotat mare. Vnde *Mariam* est idem, quod *gutta maris*. Hoc autem ad demissionis & humilitatis significationem esse aptissimum, nemo non viderit. Hac enim ratione indicatur res valde exigua, cuiusmodi est existimatio, quam de se verè humilis habet; sicut gutta aliqua, si cum tota maris immensitate conferatur, ferè nihil est. Et videtur quidem Hebraicâ locutione appellari gutta maris, quod valde est exiguũ. Vide Eccli. 18. 8. *Numerum dierum hominis, quasi gutta*

Digitized by Google

aqua maris, deputati sunt; & sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die eius. Quasi dicat vitam hominis respectu æternitatis esse planè nihilum. Simili ergo ratione, qui se ipse valde contrahit atque demittit; aptissimè dicitur in suis oculis esse maris gutta. Cum autem nemo vnquam adeò humilis, vt B. Virgo, extiterit; ideo nulli *Mariæ* nomen æquè conuenit, atque illi. id quod intelligendum est; si opinionem, quam ipse de se concipit, consideremus.

Maria, *idem quod*, excelsa.

At verò in Dei oculis plusquam lynceis Virgo est altissima planè ac gloriosissima; id quod in nomine etiam *Mariam*, apprimè innuitur: vt doctè explicat Caninius de locis noui testamenti, c. 13. vbi asserit, omnes Hebraicè doctos esse fassuros, literam מ, in hoc nomine semanticam: thema autem esse רם, *ram*, quod est excellere, & eminere. In quo themate quiescit medio *Iod*, quæ in deriuato mouetur. Sicut à מם deriuatur, מים, atque ita ex *ram*, deducitur *riam*, deinde cum, מ; quod additur, sonat *Mariam*. Et Hebraicè quidem sonat *Miriam*; vt apparet in nomine Mariæ sororis Mosis Exod. 15. n. 20. Sed nomina, quæ Hebraicè initio habent *Iod*, ea Syriacè cum *a*, pro nunciantur; vt doctè idem Caninius cap. 6. Quare pro *Migdal, Miriam, Ribboni*, profertur, *Magdal, Mariam, Rabboni*. Maria ergo sonat exiguam, & sonat excelsam. Et fortè, quæ priùs fuit hoc nomine nuncupata, ideo dicta est Maria, quia procera statura erat. Hæc tamen etymologia nequaquam excludit alteram. Vt enim Hebraicè dicatur gutta maris, rectè dicitur *Mariam*. Nomen ergo Mariæ & guttam maris significat; & eam fœminam, quæ valde sit excelsa. Quid ergo elegantius, quàm sub eodem Mariæ nomine aptissimum humilitatis & excellentiæ symbolum delitescere? Et quidem hæ sunt genuinæ huius nominis etymologiæ. Quamuis posset etiam ratiocinari quispiam in ea, quod stilla maris sit appositum nomen ad denotandum vnionem; qui ex gutta cælestis roris in mari conglaciantis conflatur. Et vnio etiam, siue margarita est aptum Virginis nomen. Sed ad ipsum iam lunæ symbolum regrediamur.

Etymon nominis Maria, *quatenus guttam sonat, ad margaritarum procreationem posse aptè applicari.*

Secundò ergo inter B. Virginis singulares prærogatiuas admirabilis est virginitatis, & fœcunditatis consociatio. Ad cuius significationem nullum aptius luna symbolum reperiri potest. Vtraque enim virginitatis & fœcunditatis significatio ab humaniorum literarum studiosis eidem lunæ attribuitur. Patet hoc, quia in numismatis Corneliæ Augustæ (vt refert Pierius lib. 44.) cum lunæ imagine, in aliis hæc inscriptio apponitur, *Fœcunditas*: in aliis hæc, *Pudicitia*. In castitatis verò significatione illud præstituitur, quòd in Poëtarum fabulis inculcatur; nempe Dianam præ virginitatis amore commercia fugisse hominum; & propterea virginum comitatu septam syluas venando fatigasse. Quare Virgilius, cæteique Poëtæ illam appellant castam. Facit illud Plinij, *Luna super omnia pura, lucéque plena.* Significatio autem fœcunditatis similiter est congruentissima: sol enim ac luna sunt, qui omnia generant ac procreant: vt notatione præcedente vidimus. Verùm ad virginitatis quidem significationem nihil opus est fabulas accersere: apud Bernardum enim de Passione Domini cap. 31. legimus: *Quis sanctorum chorus melius luna comparatur, quàm virgines?* Videlicet propter ipsius candorem, & pulchritudinem: subditque: *Honorabuntur præ cæteris: sicut lunam videmus, præ cæteris syderibus præeminere.* Iam qui attentè lunam inspexerit, haud dubitabit, rectè ab illo fuisse prolatum, qui dixit, lunam margaritarum ideam videri. Constat autem margaritas esse aptissimum virginitatis symbolum, (de quo infrà cap. 21.) Luna igitur mirificè innuit virginitatem pariter ac fœcunditatem, & perinde Beatissimam Virginem Matrem.

Admirabilis in B. Virgine virginitatis & fœcunditatis consociatio, in luna symbolo adumbratur.

Lunam à veteribus ethnicis castam vocari.

Lunam simul cum sole fœcunditatis esse originem.

Tertiò, miræ & eximiæ Virginis excellentia atque dignitas ò tandem reducuntur, quòd mater sit Dei, atque etiam sit gratiæ & misericordiæ mater. Ad vtramque verò rem egregiè conducit lunæ symbolum subter mulieris pedes positæ: vt Ioanni hoc capite fuit visa. Nam imprimis dignitati Matris Dei proprium epitheton est, *Regina cæli*, quod nomen tribuit lunæ Ieremias cap. 7. 18. Deinde, quod mulieris pedibus sit subdita,

Præcipuam Virginis excellentiam, quod sit mater Dei, in luna item symbolo figurari.

A vidimus iam in commentario non denotare, eam aut victam esse aut despectam, sed vt Ecclesiæ basim ac fundamentum, ita supponi. Quare si Apostoli bases terræ nuncupantur Iob 38. (vt exponunt Hieronymus, & Gregorius) quantò congruentius Dei Mater, cælique Regina dicetur Ecclesiæ basis? Præterea Ioannes vidit mulierem luna fulciri, & sole ac syderibus ornari. Quod nobis innuit: lunam, dum mulierem veluti basis sustentat, esse etiam fulcrum ac basim, quo non stellæ ipsæ solùm, sed sol quòque mulierem circumvestiens quodammodo nitebatur. Hoc verò eleganter exprimitur in eo, quòd Virgo sit Dei Mater. Filius enim quodammodo in matre, sicut in basi columna, fulcitur. Ideoque & Apostoli, & vniuersa Ecclesia sustentantur in Virgine: quòd ipsa sit verè Dei Mater. Si autem lunæ symbolum Virgini congruit propter coniunctionem maximam & necessitudinem, quæ illi intercedit cum Christo (qui primaria est lunæ significatio) ex hac ipsa cum Christo coniunctione atque vnione deriuatur in Virginem, quòd ipsa fit suo modo Ecclesiæ fundamentum: atque adeò lunam esse fœminæ illius basim, nobis indicat, cælorum Reginam Dei esse ipsius parentem.

Apostoli, bases terræ.

B. Virgo Ecclesiæ basis.

Præter hæc, quantopere Dei Mater reliquis Sanctis antecedat, repræsentatur id optimè in præstantia atque excellentia, qua luna stellas excedit. Epitheton autem Matris gratiæ ac misericordiæ luna etiam in eo potissimùm indicat; quòd ipsius influxus, lenitas atque humor tanta sint, quodque res omnes sublunares vsque adeò ex hoc lunæ influxu pendeant, vt in præcedenti notatione explicauimus. Huc spectat illud Plinij l. 2. c. 51. *Luna fœmineum sydus & molle.* quod ad ipsius lenitatem ac mollitudinem explicandam est aptum. Et Plinius ipse l. 2. c. 8. *Luna color blandus.* & l. 2. c. 9. *Omnem admirationem vincit luna sydus terræ familiarissimum.* Hoc ipsum innititur in eo, quòd mulier lunâ innitès apparuerit: quod significat, Virginem sanctissimam sua pietate & precum efficacitate esse Ecclesiæ firmamentum & adminiculum. Imò verò non precibus solùm, verùm etiam cœlestis planè vitæ exemplo, & sapientiæ sibi reuelatæ magnitudine adeò primigenitæ illuxit Ecclesiæ, vt meritò eam sustinuisse dicatur. Hanc ob rem, cùm Christus in cælum conscendit, tandiu reliquit in terris Virginem cælorum Reginam; vt suo præsidio, patrocinio & cælestis præsentiæ solatio, nec non admirandæ sanctitatis atque sapientiæ splendore esset veluti perfugium tutissimum, atque asylum eorum omnium, qui Christi religionem suscipiebant. Iam verò ad Virginis sapientiæ elogium facit Plinianum illud lib. 2. c. 9. de luna dictum. *Omnium quæ in cælo perniosci potuerunt magistra.* Veruntamen patrocinium hoc & quasi receptaculum non fuit Ecclesiæ sublatum post Virginem in cælum assumptã. Nam gratissima illius recordatio & indulgentissimæ Parentis officium, quod ipsa in cælo præstat pro Ecclesia, & maxima Virginis ipsius apud Filium potestas; hæc, inquam, omnia prouehunt, & augent singulare solatium ac fauorem, qui ex hoc Virginis fundamento in Ecclesiam accersitur.

B. Virginis excellentiam inter omnes sanctos per lunam etiam indicari.

Cur Christus post suã Ascensionem tandiu in terris Virginem matrem reliquerit.

Et quidem tam ad egregias quasque Ecclesiæ expeditiones, (quarum maxima fuit Gentilitatis conuersio) quam ad prædicationis Euangelicæ efficacitatem ac fructum, auxilium Virginis Ecclesiam de prospero euentu reddit securam. Cùm verò hoc in loco prædicatio Euangelij an Gentes, & Ecclesiarum omnium singularium, ac præcipuè Romanæ, fundatio in Matris Sionis figura denotentur; (hæc enim est mulier grauida, & iam partui proxima) vt & partus hic foret auspicatissimus, & in rebus ceteris euentus felix ac fortunatus, egregiè figuratur Virgo Beatissima sub ipsius partus tempus opem ferens, tanquam ea, quæ est verissima spiritalium partuum Lucina: cuius astri illapsu Benignissimo & præsentissimâ ope fidens Ecclesia primogenita sperabat se innumerabilem illam prolem fore parituram: de qua dixerat Isaias 66. 8. *Quis audiuit vnquam tale, & quis vidit huic simile? nunquid parturiet terra in die vna, aut parietur gens simul? quia parturiuit, & peperit Sion filios suos.*

Auxilium B. Virginis quàm ad Ecclesiæ propagationem interfuit.

Concludo igitur, tam Christo, quàm Beatissimæ ipsius Parenti esse mirificum lunæ symbolum, & Apocalypseos perfectione dignissimum.

NOTA-

Digitized by Google

NOTATIO III.

De symbolica significatione eclipsium, siue defectuum solis ac lunæ.

Solis eclipsis vnde proueniat.

CVm viderimus per solem in Apocalypsi splendorem diuinitatis Patris Æterni; per lunam, humanitatis Christi splendorem; & secundariò splendorem Virginis Deiparæ significari: oportet examinare, vtrùm, quod tam in sole, quàm in luna adeò est insigne (nempe miræ ipsorum eclipses) ad eandem etiam conferat significationem? Pro quo aduertendum est, solis defectum non in eo consistere, quod sol ipse aliquid de sua luce aut claritate in seipso deperdat; sed quia luna terræ auersa, sese inter terram ipsam & solem interponit: ita vt nec lunæ claritate, nec solis radiis tellus fruatur. Lunæ autem eclipsis ex eo fit, quòd tellus inter solem ac lunam sese interserat: hinc enim efficitur, vt luna ipsa tunc maneat obscurata, nec solis in se radios excipiat. Vtriusque autem defectus significatio meo quidem iudicio non est alia, quàm de Christi Domini Passione, & de Iudæorum excæcatione: Nam primò, quòd Christus in cruce ad Patrem conuersus dixerit ex Psal. 21. *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* hæc, inquam, derelictio in lunæ eclipsi perquam venustè exprimitur. Namque vt luna in suo defectu à sole destituitur, quia tellus se mediam interiecit: non aliter ex eo quòd Christus scelera filiorum Adam (qui per terram denotantur) luenda susceperit, redundauit; vt Christus ipse (qui est mystica luna) ab AEterni Patris claritate atque auxilio derelictus videretur. Id quod suo etiam modo extenditur ad acerrimum dolorem, quo sanctissima Virgo in filij sui passione ac morte cruciabatur.

Vnde item eclipsis lunæ.

Solis ac lunæ eclipsis, symbolum Christi passionis & Iudæorum excæcationis.

Quod superior Christi animæ portio in ipsa passione immensâ Dei gloriâ fruebatur, per solis defectum significari.

Cetertùm, quamuis inferior Christi animæ portio tot fuerit cruciatibus atque ignominiis affecta, vt meritò Christus Dominus à Patre se derelictum lamentaretur; superior tamen animæ portio plenissimè immensâ Dei claritate perfundebatur; atque id, quod non integrè in lunæ denotatur eclipsi, mirificè in solis defectu adumbratur. Nam tametsi solis nuncupatur eclipsis, quia terræ obscuratur sol, eamque tenebris circunfusam reliquit; ipsi tamen soli nulla in se ipso detrahitur claritas: solem enim, vtpote Dei claritatis imaginem, nulla potest suę lucis pars deficere. Et quamuis tunc luna inter terram ac solem interiecta videatur penitus obscura & tenebricosa persistere; superioris tamen sui partis claritatem minimè amittit.

In luna etiam defectu circa Christi passionē philosophari pariter posse.

Hæc omnia eleganter figurant, quod in Christi Redemptoris nostri Passione accidit. Tunc enim Christus ipse (qui mystica est luna) se inter Deum atque homines medium, siue mediatorem potiùs interposuit. Et quanquam ex hoc Christi interpositu atque interiectu, vitam pro hominibus profundendo, suam ipse superioris partis claritatem non amisit, verùm in ipsius mũdi oculis mystica hæc luna penitus obscurata restitit. non quòd illam claritas destituerit; sed quoniam inferior animi pars, quæ hominibus erat obiecta, fœdata prorsus ac tenebricosa apparuit. & superioris partis claritas ad diuinæ illius lucis radios sese tunc subtraxit funditus, vt mediatorii officium ipse cumulatissimè præstaret. Cùm autem Iudaica terra in Christi passione obæcata offenderit: hinc fuit passionem illam ac mortem, è qua mundi totius remedium dependebat, Iudæis ipsis perinde fuisse, quasi solis defectum ipsosque in perpetua caligine perstitisse, nec aspexisse diuinæ prouidentiæ claritatem, quæ mistici solis vicem gerit. Itaque admirandum illud opus Christi inter Deũ atque homines interiecti, vt Deum ipsum hominibus redderet propitium: Iudæos per occasionem ita offendit, & insolita luce præstrinxit; vt illa etiam Dei claritatis cognitione, qua fuerant priùs imbuti, deinceps destituti remanserint.

Solis defectus in Christi passione, vt symbolica ipsius significatio.

Ex dictis colligo, ideo solem in Christi passione per miraculum defeciſſe; non solùm vt cœlum ipsum in Christi morte mœstitię ac luctus ederet signa: sed etiam vt in eo miraculo, veluti in symbolica quadam effigie atque imagine figuraretur, quod re ipsa in Christi Domini Passione spiritaliter accidebat. Quòd autem defectus ille mirus, insolitus & præter naturam omnino extiterit (erat enim in ipso lunæ obiectu atque oppositu è regione solis:) hoc ipsum mirificè deseruiit ad significandum admirabile illud Christi Passionis miraculũ, & Iudæorum excæcationis. Quamobrem non sine diuino instinctu, quanuis non satis, quod dixit, perciperet,) videtur Dionysius Areopagita stupendum solis defectum miratus, dixisse, aut naturæ auctorem emori, aut naturæ ipsius machinam dissolui.

In hac Ioannis visione aliquã esse solu eclipseos speciem; & qua sit eius significatio.

Præter hæc, quanuis in hac mulieris figura Ioannem lunæ claritas non latuerit, quia ipsam ex superiori parte, aut saltem ex latere conspiciebat: ceterum si Ioannis visionẽ attente perpendamus, aliqua ibi inest solis defectus, respectu terræ, repræsentatio. Sol enim erat supra lunam, & luna ipsa inter solem ac terram media. Quare in hac figura non denotatur lunam inferiore sui parte esse conspicuam & collucentem: sed tantùm superiore parte, qua mulierem ipsam collustrabat. Hoc autem veluti quibusdam inuolucris adumbrat, Christianam Ecclesiam primogenitam à Christo in cælum euectam, & in eodem fultam, frui quidem perfecta solis, lunæ, & stellarum claritate; atque hoc eodem fulgore conspicuam ad Gentes illuminandas proficisci: hanc tamen ipsam profectionem ita fieri, vt Iudaicus populus in tenebricosa nocte immersus remaneret. Nam vt vidimus cap. 10 terræ symbolum sæpè in Scriptura, & præsertim in Apocalypsi, Iudaicum populum repræsentat. Cùm autem in hac visione eclipsis figuretur respectu terræ, quæ lunæ subiacebat: significatio est, Iudaici populi terram, (ex qua Ecclesia primogenita in cælum scandere visa est) eam, inquam, quæ subtus manebat, obscuram & caliginosam in miraculoso illo solis defectu persistere: & Ecclesiam tanta claritate ornatam ad cetera colluſtrandas nationes, quæ tunc lunæ non subiacebant, commigrare. Etenim si tellus lunæ subiecta denotabat Iudaicum populum: Gentilicus quidem vtpote adeò diuersus congruenter figuratur in remotissimis prouinciis, quò eclipsis nõ attingebat. Quapropter mulier lunæ imposita, ac sole vestita, dum in cælum extollitur, indicat, se Iudaico populo obscura caligine circunfuso, suæ claritatis radios in reliquas orbis nationes dispergere.

NOTATIO IV.

De mirabili efficacia lunæ in æstuum maris accessu & recessu.

Expenditur lunæ efficientia in maris fluxu ac refluxu, & symbolica illius repræsentatio.

SI in lunæ syderum Reginæ creatione singularis arcanæ prouidentiæ scopus non fuit alius, quam vt in huius nobilissimi astri natura & facultatibus mysticam quandam Christi humanitatis imaginem, & elegantissimum virtutis eius symbolum hominibus contemplandum proponeret: hęc ipsa ratio nos inuitat, vt expendamus, an cæteræ quoque lunæ proprietates eidem significationi aptissimè famulentur. Inter eas verò valde notanda, seu potiùs admiranda est ea dominatio, quam in mare, & præsertim in Oceanum, luna habere, & exercere deprehenditur: constat enim maris æstuum accessum atque recessum lunæ motu gubernari: bis enim inter duos exortus lunæ affluunt, bisq. remeant: atque adeò Oceani affluentia & accessus sex horas & paulò ampliùs continuatur, & tantundem temporis recessus: & statim rursus senas horas & tantillo plùs crescere visuntur aquæ, & æquale illico succedere decrementum. Quod verò singulis senis tam accessus, quam

Maris fluxus ac refluxus vnde proueniat; & quo tempore ac modo contingat.

Alcasar in Apocal.

Digitized by Google

recessus horis nonnihil ampliùs addatur; id ex eo prouenit, quod inter duos lunæ exortus nonnihil ampliùs intercedit, quàm inter duos exortus solis; id nempe quod opus est: vt ab vna coniunctione lunæ ad aliam sol in diurnis anfractibus, vno exortu atque circuitu lunam superet: exordiente scilicet lunâ quotidie nonnihil tardius. Quod etiam vsui est, vt ipsis oculis hauriamus maris æstuum accessum atque recessum lunæ motu gubernari, (vt suprà dicebamus,) & ab ipsa luna prouenire. De quo videri potuerunt Aristotele 2. Meteororum & problemate 23. Ptolomæus lib. 2. quadrip. cap. 12. Plinius lib. 2. cap. 97.

Peculiaris in maris fluxum ac refluxu obseruatio.

Et quidem Philosophicam adeò mirabilis effectus reddere rationem, quæ possit intellectui satisfacere, id Philosophorum est. Neque parum erit, si ita se ab ea difficultate expediant, vt res satis exposita, & intellecta maneat. Quare illis eâ curâ relictâ, ac variis eorum opinionibus supersedendum ratus, (vtpote qui non rationem exquiram, sed quis sit effectus considerem, vt notare in eo valeam, quàm aptè deseruiat significationi symbolicæ) in ipso effectu aliquid mihi cernere videor, quod nescio an ab alii obseruatum sit. Nimirum, quo tempore mare à nobis recedit, eodem recedere similiter ab Antipodis: & hoc ipso tempore affluere, & accedere ad eos, qui & à nobis, & à nostris Antipodis æqualiter distant ad eos nempe, qui sunt nobis collaterales, vt ita dicam. Hoc vt ampliùs explicem, postulo à lectore; vt eum globum, qui ex maris & ex terræ ambitu constituitur, in quatuor æquales partes diuisum contempletur; ad eum prorsus modum, quo sphæram coluri diuidunt, se mutuò secantes ad angulos rectos sphærales in polis mundi. atque adeò partientes sphæram in quatuor partes æquales, quarum quælibet pertingit ab vno polo in alium. Hoc facto, id est, diuiso globo maris & terræ in illas quatuor partes æquales, simul etiam diuiditur Oceanus per illos coluros. Hac igitur partitione considerata, assero, lunam quo tempore facit Oceanum affluere in vna ex illis quatuor partibus designatis (verbi gratia in ea, quæ ad nos spectat) eo ipso tempore efficere, vt in quarta parte, quæ proxima est, & quasi collateralis, decrescat idem Oceanus: in sequenti verò parte (quæ ad Antipodas nostros pertinet) affluentiam & accessum maris contingere illis eodem ipso tempore, quo nobis: & denique in vltima quarta parte, quæ inter nos & Antipodas interiacet, tunc quoque, sicut in altera collaterali, Oceanum decrescere, & remeare.

Demonstratur prædicta maris accessus & recessus obseruatio.

Non eo inficias, valde mirabile esse, quòd eodem tempore quadripartito discrimine Oceanum luna distinguat: vt variato per gyrum effectu suæ virtutis efficaciam euidentius ostentet. Si quis tamen, propter rei admirationem, assensum cohibet; accedat propiùs, & manifestè cernet rem esse exploratam atque compertam. Siue enim luna, cùm est supra nos, tunc faciat illam quartam partem maris, quæ ad nos pertinet, affluere, siue tunc faciat eam refluere, & remeare; quidquid horum eligatur, non poterit negari, quin luna respectu sequentis (versus Occidentem solem) quadrantis, futura sit post sex horas in eadem positione, in qua modò est respectu huius Oceani partis, quam noster quadrans complectitur. Et similiter negari non potest, quin post duodecim horas futura sit in eadem positione respectu nostrorum Antipodum; & post horas duodeviginti in eadem respectu quadrantis extremi. His verò ita præstitutis liquidò constat, eum ipsum effectum, qui à lunæ præsentia dimanare nunc cernitur in Oceanum in hoc nostro quadrante, visendum esse post sex horas in quadrante sequenti: ex quo consectarium est, vt in eo quadrante proximo, nunc proculdubio contrarius effectus contingat. Necesse enim est, vt pars Oceani, quæ modò affluit, eadem post sex horas recedat: & similiter quæ modò recedit, tunc affluat. Hac verò continuata ratione euidenter probatur, id ipsum, quod nos modò cernimus in Oceano, similiter tunc ab Antipodis cerni. Id quod aliter etiam demonstratur ex eo quòd dubitari non possit, quin post duodecim horas renouandus sit in hoc nostro quadrante idem effectus, qui nunc in eo cernitur à lunæ influxu prouenire. Atqui negari non potest, quin eo ipso tempore, (id est, post duodecim horas) futura sit luna re-

A spectu nostri in eâdem positione, qua modò est respectu nostrorum Antipodum. Ergo necesse est, vt idem modò efficiat in eorum quadrante, quod nunc facit in nostro.

Improbantur, qui maris accessum & recessum referūt in humiditatē, quæ à luna in partem aëris & aquæ ipsi lunæ subiacentem deriuetur.

His ita explicatis obiter animaduerto, decipi proculdubio eos, qui maris vel accessum, vel recessum prouenire suspicantur ab humiditate, quæ à lunæ præsentia in partem aeris & aquę ipsi lunę subiacentem deriuetur. Constat inquam eos toto cælo aberrare; cùm enim accessus maris eodem omnino tempore nobis & Antipodis contingat: & eo ipso tempore contingat recessus ijs, qui & nobis & ipsis sunt collarerales: fingi non potest, lunam vno eodemque tempore in hoc nostro quadrante, & in opposito humiditatem producere, siccitatem autem in iis duobus quadrantibus, qui sunt medij inter nos & Antipodas. Quare fieri etiam non potest, vt vera sit eorum sententia, qui affluentiam maris existimant ex eo prouenire, quod luna per sui pręsentiam globum maris & terræ in aduersam partem impellat: hæc enim opinio indiget, vt quo tempore ad
B nos accedit mare, eodem ab Antipodis recedat. Atqui non potest globus terræ & maris in vtramque partem simul impelli. Demonstratumque est eodem omnino tempore nobis & Antipodis accessum maris contingere: & tunc in vtroque quadrante collaterali, maris recessum euenire.

A lunæ efficētia binas veluti cruces in Oceani aquis imprimi sub singulis polis singulas.

Sed relictâ philosophis, (vt suprà dicebam) philosophicâ indagatione, si supponatur id, quod supra demonstratum est, (scilicet in quatuor Oceani partibus iam assignatis & per coluros diuisis, eodem tempore, quo ad nos accedit Oceanus, accedere, etiam ad eos, qui nobis sunt Antipodes, & tunc recedere ab eis, qui nobis sunt collaterales) hoc inquam supposito, necessariò fatendum est in ipsis Oceani aquis tempora luna duas designari cruces, alteram sub hoc polo, alteram sub illo. Namibidem etiam ex coluris se inuicem secantibus, crucem vtrâque ex parte concipimus. Sed hoc interest, quòd crucis a coluris formatæ non sunt veræ, sed imaginariæ: quas verò facit in Oceano luna, veræ sunt, & reapse in aquis formatæ. Si enim hæc
C pars Oceani reuera affluit, atque redundat, pars verò illa, quę huic proxima est, eodem tempore, minuitur, atque recedit: fieri non potest, quin aliqua linea veluti limes accessum à recessu dirimat, & vtrumque effectum distinguat. Imò verò hoc distinctionis signum non solùm est necesse, vt in maris superficie existat: sed etiam vt veluti gladius interiora aquarum vsque ad abyssi profundum penetret: æstusque turgidos atque tumentes ab aquis subsedentibus & recedentibus penitùs diuidat. Hæ verò cruces, (siue linearum, siue gladiorum) nunquam quietæ consistunt: sed ad lunæ motum eâdem celeritate se conuertunt, ac torquent. Quemadmodum etiam coluri nunquam gyrum agere cessant. Secant enim Zodiacum transeuntes alter per principia Arietis & Libræ, alter per principia Cancri & Capricorni. Atque ita sicut Zodiacus semper circumagitur; sic etiam necesse est, vt coluri semper in gyrum conuertantur. Illi verò coluri (vt sic eos appellem (quos reipsa in Oceano designat luna, non ad Zodaici motum, sed ad lunæ ipsius motum se conformant, vt ex prædictis facilè intelligitur. Atque
D hactenus quidem lunæ dominationem in mare consideraumus, superest ad applicationem animum aduertere.

Applicatio.

Mystica prædicta philosophia considerata.

Admirandâ lunæ in Oceanum dominatione superius explicatâ, voluit nobis diuina prouidentia quasi penicillo depingere dominationem illam, quàm Christo Domino in Gentilismum concesit Pater Æternus, quamque Psalm. 2. promiserat ei per illa verba, *Postula à me & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam.* Oceanus enim Gentilitatem omnino adumbrat, vt explicatum est Ioanni ab Angelo sic interpretante, *Aquæ multæ sunt populi multi, & Gentes, & lingua.* Ad maximam verò potestatem denotandam nihil aptius effici potuit, quam vnam Oceani partem augere, & alteram minuere; & hoc variato effectu, maris æstus distinguere. Certè quod in Psalm. 74. numero octauo legimus, *Hunc humiliat & hunc exaltat*, ad supremę dominationis, seu

Effectum maritimi tum accessus, tum recessus esse symbolum summæ potestatis.

potesta-

Digitized by Google

potestatis experimentum manifestè refertur. Ad expressionem verò potestatis imaginem spectat tum quadripartita illa mirandi effectus distinctio, tum etiam eiusdem effectus circumlatio: per quam ea pars exaltatur, quæ fuerat humiliata atque depressa; & illa etiam deprimitur, quæ fuerat subleuata & tumefacta.

Christi crucis potestas in Gentium conuersione.

Quoniam verò suprema potestas, dominatioque in mysticum mare, (id est, in Gentes) data est Christo propter crucis acerbissimum cruciatum; inde est, in ipso Christi imperio & potestate in omnes Gentes mirificè elucere ipsius crucis Christi gloriam. Ad hoc autem denotandum, quid congruentius optari potuit, quàm vt in ipso experimento dominationis, quod luna habet in Oceanum, semper figura crucis Christi vtrinque manifesta existat, & gloriosè in orbem circumferatur?

Plenilunij accessus & recessus interlunij quid mystice adumbrent.

Quod verò interlunij & plenilunij diebus multò sit maior & expressior maris æstuum accessus atque recessus (quod vulgus aquas viuas appellat) atque adeò tunc non solùm in Oceano, sed etiam in Mediterraneo mari euidentissimè appareat: id etiam significationi symbolicæ mirificè congruit. Lunæ enim coniunctio, (per quam nostris obtutibus obscuratur) mortem Christi Domini adumbrat; quemadmodum & resurrectionem oppositio; in qua luna omnino suam lucem & gloriam integrè ostentat. Elegantissimum verò est, vt vtriusque mysterij maiestati mare mysticum, (hoc est Gentilitas) singulariter se subiectum esse re ipsâ fateatur; & propterea in vtriusque mysterij repræsentatione altiùs se maris æstus deprimant, & attollant.

De lunaticis, deq; mystico eorum symbolo consideratio.

Quoniam verò in maiorem tam plenilunij, quàm interlunij efficacitatem incidimus; appendicis loco visum est hîc nonnihil annectere de lunaticis, qui eisdem diebus vehementiùs furunt: nam & hoc quoque nostro instituto deseruiet. Animaduertendum tamen est, acriorem illum furorem non effici directè à luna, cùm in sanorum capitibus nihil huiusmodi efficiat; sed indirectè propter capitum eorum insanitatem. In hoc autem peregrino effectu designari videtur id, quod certissimum est, nempe eos qui in sua impietate obduruerunt, (qui sunt verè insipientes & fatui) in mystico interlunio, & plenilunio furere. Quia nihil est in Christiana Religione, in quo illi vehementiùs furant atque bacchentur, quam Christi veri Dei mors, & eiusdem mortui resurrectio. Hoc verò est, quod Paulus prædicat, scilicet Euangelium, (quod ad Christi mortem & Resurrectionem reuocatur,) esse Gentibus stultitiam, siue insaniam. Vnde ad eorum mysteriorum prædicationem furebant miseri, & aduersus Euangelij prædicatores, nec nòn aduersus fideles omnes tragœdias furiosi excitabant. Sicut enim Gentes Christo subiectæ in humilitate mortis Christi, & in gloria Resurrectionis eius, maiorem in modum se illi subiiciunt, vtrumque mysterium maximè venerantes; sic etiam iis, qui adhuc insaniunt, maxima hæc nostræ salutis mysteria, maiori sunt furoris occasio.

NOTATIO V.

In qua explicatur, ex quibus Scripturæ locis sit desumptum hoc lunæ symbolum, quod Christo tribuitur.

Ex quibus Scripturæ locis desumatur lunæ symbolum ad Christi humanitatem.

SI ferè omnia Apocalypseos symbola ex insignibus veteris instrumenti locis accersuntur, (vt doctis fatendum erit) dubium mihi non fit, quin nobile hoc lunæ symbolum Christo applicatum ex aliquot Scripturæ locis sit petitum. Quærenti igitur locos huiusmodi, illud imprimis occurrit, hanc scilicet forsitan fuisse mysticam significationem à diuino spiritu intentam. Genes. 1. 16. cùm dicitur: *Luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti.* Ex quo sumptum est illud Psal. 135. 9. *Solem in potestatem diei, lunam & stellas in potestatem noctis.* Vbi ibidem fortè mysterium delitescit. Et de loco Geneseos dicemus in notatione ad Psalmum 28.

Primus est ex Genes. 1. & Psal. 135.

Secundus ex Iobi 25.

Deinde Iobi 25. 5. dum dicitur: *Ecce luna non splendet, & cæli non sunt mundi in conspectu eius*; forsan sermo est de luna mystica, id est, de Christi Domini humanitate: & de mysticis cælis, id est, de Ecclesia primogenita. Nam omnis creata lux, quamuis Christi etiam humanitas comprehendatur; si tamen cum diuinitatis luce comparetur, verè dicitur in conspectu eius non splendescere. Si verò in hoc loco de luna corporea sermo esset, parum admodum in ea locutione significaretur: quandoquidem nec sol vnus, nec mille soles possunt cum diuinitatis luce conferri. Quid, si peculiari etiam mysterio de luna dicatur, *Non splendet*, non tamen, *Non est munda*: cùm Dei adhuc conspectu humanitas Christi sit ab omni scelerum contagione immunis? Id quod in cælo mystico secus accidit. Nam Christo IESV, & ipsius Matre exceptis, *omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.*

Tertius ex Psal. 8.

Ad hoc Psalm. 8. (vt in eius commentario videbimus) literalis sensus non est de materiali luna, aut stellis: cùm dicitur n. 4. *Lunam & stellas, quæ tu fundasti*, sed de Christo, & ipsius Apostolis, ac viris Apostolicis.

Quartus ex Psal. 71.

Fortasse etiam Psalm. 71. 5. dum videtur de Salomone dici, *Permanebit cum sole, & ante lunam*: de mysticis sole, ac luna sermo est. Agitur enim ad litteram de Christo Domino, qui cum sole, id est, vnà cum diuinitate, quasi luna cum sole; sed ante lunam, id est, multò clarior, quàm luna, splendet. Nam lunæ huius claritas claritatem solis æmulatur, vt habetur Isaiæ 30. 26.

Quintus ex Psal. 88.

Præterea Psal. 88. 38. dum Deus de Dauide agens, iurasse dicitur, *Thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum*; valde suspicor, de Christo verò Dauide, qui verus est Deus, & verus homo, sermonem instituit: qui propterea lucet simul sicut sol, & sicut luna perfecta in æternum. Vt sol quidem, quia Deus est; vt luna, quia verus Messias.

Sextus ex Cant. 6.

Item Cant. 6. 9. de Ecclesia prædicatur, *Pulchra vt luna*. Vbi forsan etiam est sermo de Ecclesiæ pulchritudine ad lunæ, id est Christi Domini imitationem.

Septimus ex Isaia 60.

Similiter Apocal. 21. n. 23. manifestè respicitur ad illud Isaiæ 60. 20. *Non occidet vltrà sol tuus; & luna tua non minuetur.* Quibus in verbis liquet, sermonem haberi de sole mystico & mystica luna. Alioquin non diceretur sol iusti, nec iusti luna, nec hic sol & luna vnquam aut occidere aut minui perhiberentur. Ioannes ergo in Apocalypsi disertè explicat, solem illum, de quo Isaias agit, esse diuinitatis claritatem: & cælestis Ierosolymæ lunam esse Christum, de quo in cælesti patria dum sermo est, verè dicitur luna nunquam diminuenda, iuxta illud Psalm. 88. 38. *Sicut luna perfecta in æternum.*

Octauus ex Habac. 3.

Denique Habacuc 3. n. 11. in iis verbis, *sol & luna steterunt in habitaculo suo*, lunæ nomine, in literali sensu sermo est de Christi Domini humanitate; sicut de diuinitate in nomine solis, vt explicabimus in illius Cantici commentario.

Digitized by Google

A

TEXTVS.

Vers. 2. Et in vtero habens clamabat parturiens; & cruciabatur, vt pariat.

COMMENTARIVS.

MVlier, quæ in desertum aufugit, sine dubio est Ecclesia primogenita, quæ post Iudaici populi obdurationem sese ad Gentiles recepit. Porrò primigeniæ huius Ecclesię nomen apud Scripturam est Sion, siue mater Sion. Ibi enim eam Christus fundauit, diuino Spiritu in discipulos eôdem coactos demisso. Quibus ita constitutis, facilè intelligitur contineri in hoc loco manifestã allusionem ad Isaiæ 66. 7. *Antequam parturiret, peperit, antequam veniret partus eius, peperit filiũ masculum.* Et infrà: *Quis audiuit vnquam tale? & quis vidit huic simile? nunquid parturiet terra in die vna? aut parietur gens simul, quia parturiuit, & peperit Sion filios suos*; Vbi aduertendum est, verbis illis, *Antequam parturiret*, non denotari, partum absque doloribus fuisse in lucem editum: sed tam dolores, quàm partum ipsum pariter conflixisse. Quod indicat miram celeritatem, qua Ecclesia primæua ingentem fidelium numerum Christo effudit; vt mox verbis illis explicatur, *Quis audiuit vnquam tale, quia parturiuit, & peperit Sion filios suos?* Quasi diceret dolores partus præcursores, ac partus ipse simul aduentarunt. Non tamen absque doloribus, & cruciamentis partus accidit; cum mox Propheta subiiciat, *Parturiuit, & peperit.* Verbum autem *Parturio*, dolores parturientis haud dubiè designat.

Allusio in parturiente fœmina ad Isaiæ locum. Quid sit apud Isaiam: Antequam parturiret, peperit.

B

Sermo igitur est de mystica illa fœmina, quæ in Scriptura appellatur Sion. Et ea ipsa est spiritalis Ierosolyma, de qua Isaiæ 2. 3. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem.* Vtraque enim allegoria & fœminæ, & ciuitatis ad Christianæ Ecclesiæ significationem egregiè deseruit. Et ambæ etiam allegoriæ disertè copulantur Apocalypsis 19 & 21. vbi de Eccl[illegible]a, vt de sponsa, vtque de vrbe sermo est. In hymno item, qui in Ecclesiæ dedicatione concinitur, iunguntur quoque hæ allegoriæ Quòd prudenter satis fit; vt ea ratione admoneamur, non esse nobis in grammatico sensu consistendum; sed ad mysterij arcana penetrãdum. Hæc est igitur illa Sion, de qua frequẽtissimè apud Psalmos & Prophetas mentio est. Psalmorum quidem loci sunt quadraginta; Isaiæ verò quinquaginta. In Psalmi autem duodetrigesimi commentario planum fiet, quàm meritò Sionis nomen fuerit primogenitæ Ecclesiæ inditum, per allusionem ad tabernaculum illud à Dauide in Sionis monte Deo erectum. Eademque allusio expressa est ad Hebræos 12. 32. Vbi dicitur. *Accessistis ad Sion montem, et ciuitatem Dei viuentis ad Ierusalem cælestem.* Vbi quanuis Apostolus eam cælestem appellet Hierosolymam simili ratione, qua hîc dicitur in cælo apparuisse, manifestum autem est, non de triumphante Ecclesia, sed de militante esse sermonem: ad quam accesserant fideles, quibus Apostolus scribit. Similiter de eâdem Ecclesia militante loquitur non obscurè Paulus ipse ad Galatas 4. numero vigesimo sexto. *Illa autem, quæ sursum est Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra.* Et subdit, hanc esse, quæ multos filios parturiebat. Lege etiam ad Romanos. 9. 33. & 1. Petri 2. 6.

Mysticam hanc fœminam esse eãdem, quæ in Scriptura appellatur Sion.

Eandem etiam ab Apostolo appellari Ierusalem cælestem.

C

Ex hac insuper Apocalypseos allusione ad id Isaiæ 66. 7. validè confirmatur, quod suprà in primi versus commentario statuimus, videlicet non esse hîc sermonem de Ecclesia secundùm eum statum, quem sub Antichristi aduentum est habitura; sed iuxta eum, quem primitiua Ecclesia habuit: quia de illa manifestè loquitur Isaiæ locus. Summa enim illius Isaiæ capitis est fastidium Dei, siue satietas de Iudaico cultu sine timore Dei; atque adeò synagogæ reprobatio, & Gentium electio per mirabilem Sionis partum. In fine autem capitis rursus agitur de vocatione Gentium, & de nouæ Hierosolymę felicitate.

De quo Ecclesiæ statu sit sermo sub hac fœmina parturientis allegoria.

Iam quòd in vtero habere visa sit, non referendum est solùm ad vnius filij, aut alterius; sed ad complurium grauiditatem, vt ex allusione ad locum Isaiæ constat. Quamobrem quanuis hoc in loco priùs mentio fiat filij primogeniti: paulo tamen pòst subditur, Ecclesiam multos peperisse filios; aduersus quos prælium commissurus abiit draco, vt habetur infrà in hoc capite numero 17. Vnde grauiditas hæc quàm plurimos pollicebatur filios; & verè ita contigit. Nam Euangelij per totum orbem promulgatio, (quæ figuratur per mundi illustrationem, solis, lunæ, & stellarum claritate) perinde fuit, quasi spiritalis quædam innumerabilium filiorum grauiditas, siue fœtura. atque ita cernitur, conuenienter mundi illuminationem cum mulieris parturientis figura in præsenti copulari.

Fœmina huius fatiram non de vno solùm filio, sed de pluribus esse accipiendam.

D

CLAMABAT PARTVRIENS; ET CRVCIABATVR VT PARIAT] In filiis primis, quos primæua Ecclesia peperit Christo, videtur vel maximè expletum fuisse, quod Isaiæ verba insinuant, nempe filios eos penè absque partus cruciatu fuisse susceptos, *Antequam parturiret, peperit.* Nam vt primùm Spiritus sanctus in Apostolos descendit, prodiit mox Petrus ingenti animo feruore concionabundus. *Et appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.* Actuum 2. numero quadragesimo primo. Et similiter contigit illis diebus in primis Apostolorum concionibus. Nihilominus tamen in feruida Euangelij prædicatorum oratione & incredibili contentione, qua animorum saluti inhiabant, eleganter verbi *Parturire*, vis atque energia exprimitur. Nec in alio sensu illud Paulus vsurpat ad Galat. 4. 19, *Filioli mei quos iterum parturio.* Et certè, si in primorum illorum conuersione non ita dispiciuntur Apostolorum labores ac defatigationes, in Gentilium saltem conuersione, & in ærumnis atque calamitatibus, quas Apostoli subierunt in Christi fide per totum terrarum orbem propagandâ; in hoc (inquam) satis patuit, quàm propriè ac significanter allegoria ex partus doloribus petita, vsurpetur.

Fœminam hanc mysticam parturire, quid significet.

Digitized by Google

A petur. Hæc enim spiritalis fœtura illis maximo cruciatu, maximisque angoribus constabat: nec tamen ideò à susceptо prædicandi consilio deterrebantur. Et verò energiam hanc & concinnam metaphoram ex partus cruciamentis atque clamoribus petitam, apprimè exposuit Christus Dominus agens de Apostolorum tristitia Ioan. 16.21. *Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cùm autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ, &c. & vos igitur nunc quidem tristitiam habetis*, &c. Si ergo tunc aptus fuit comparationi locus; nihilo fuit ineptior, quando tristitia illa atque pressura ad spiritualium filiorum partum spectabat. Id quod figuratur in eo, quod textus refert de muliere clamante, *& cruciabatur vt pariat*.

Clamores insuper eiusmodi idoneè referuntur non ad clamores solùm orationis, sed etiam ad clamores prædicationis; ac demum Euangelicis concionatoribus tribuit Scriptura nomen matrum, quæ ex diuino spiritu concipiunt, & spiritales Deo filios procreant. *Semen autem est verbum Dei*, hoc est, cælestis doctrina. Quia verò noui filij Christum Dominum in animi virtutibus, ac veluti lineamentis ad viuum exprimunt: eapropter rite etiam dicuntur Euangelij prædicatores esse Christi matres; dum filios hosce spiritaliter pariunt. Atque ita in eisdem expletur, quod Christus Iesus Matth. 12.50. expressit: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est*. Qui enim per vitæ imitationem fit Christi frater, per prædicationem mater efficitur, vt optimè philosophatur Gregorius. Postremò ad primigeniam Ecclesiam, quæ ad Gentes illuminandas, & Romam potissimùm properabat, possumus haud perperam Micheæ verba applicare, cap. 4. 10. *Dole, & satage filia Sion quasi parturiens*, &c. *& venies vsque ad Babylonem, ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus Deus de manu inimicorum tuorum.*

Clamores fœminæ parturientis quid innuant.

B

Denique ex versiculi huius verbis edocemur; illis, qui ad animorum conuersionem se totos traducunt, compertum debere esse, hoc sibi munus excellentissimum non gratis, sed ingentibus partus clamoribus atq. doloribus constaturum ad primæuæ Ecclesiæ imitationem; quæ huiusmodi doloribus filios Deo protulit. In his autem cruciatibus figurantur pariter curæ, anxietates, corporis atque animi afflictiones pro animorum salute procuranda: dolor item de hominum sceleribus in Deum patratis, ac zelus, qui cor exedit atque consumit. Iuxta illud Psal. 68.10. *Zelus domus tuæ comedit me.* & tandem laborum atque ærumnarum inuicta tolerantia, pro obsequio in proximos strenuè impendendo. Quinimò si opus sit, debent in tanti operis progressione vitam prodigere, vt Rachel ex Beniamini partu interiit.

Qua contentione & studio se debeãt gerere, qui animorum saluti incumbunt.

TEXTVS.

Vers.3. Et visum est aliud signum in cælo: & ecce draco magnus rufus habens
C capita septem, & cornua decem & in capitibus eius diademata septem.
4. Et cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cæli; & misit eas in terram; & draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura: vt cùm peperisset filium eius deuoraret.

COMMENTARIVS.

SIgnum in præsenti nihil est aliud, quàm res mira (vt versu primo explicui.) Mirum autem hoc signum nonnulli exponunt de draconis præsertim magnitudine, deque septem ipsius capitibus, cornibus decem, ac de ipsius alis ac velocitate. Nam immanissimus draco pro re prorsus admiranda reputatur. Ideo Plinius vt stupendum miraculum refert, lib.8. cap.14. enormem quendam serpentem centum viginti pedibus longum, qui oppidi instar tormentis atque ballistis, fuit oppugnatus ac deiectus. Refert etiam eodem capite, serpentes in India in tantam adolescere magnitudinem, vt solidos hauriant ceruos, tauroque. Porrò de anserinis pedibus, & alis draconum, mira etiam sunt quæ referuntur à Gesnero, & Bustamantio, nec non à Leslæo in sua Scotia, libro decimo fol. 541. Iouius item lib. 18. ait Georgiani regni incolas assueuerare in suis vallibus alatos gigni dracones. Et Lucanus de draconibus loquens, ait, eos ducere in altum aëra cum pennis. Hos autem alatos dracones asserunt Eucherius & Isidorus in Scriptura Syrenes appellari. Et Isaiæ 14.29. vbi nos legimus, *Semen eius absorbens volucrem.* Septuaginta legunt, *Serpentes pennati.* Arias vertit: *Fructus eius serpens ignitus volans* Alij verò: *Cerastes volans.* Verum est tamen aliquot interpretes secus explicare, scilicet Basiliscum sua vi attrahere ad se, atque deiicere aues volantes.

Hoc draconis signum cuiusmodi fuisse fingatur.

Aliorum explicatio de ingenti draconum magnitudine.

Serpentes aliquos magnitudinis pragrandis.

D

His accedit, quod admirationi planè est, nimirum multitudo capitum, & cornuum. Licèt enim non desit quispiam, qui referat, vidisse se serpentem septicipitem, quem perhibent apud Bauariæ Ducem balsamo conditum vetustati asseruari. Et Gesnerus etiam referat, similem alium ad Regem Galliarum fuisse delatum: ipse tamen Gesnerus subdit, pro certo tunc percrebuisse, huiusmodi serpentam non à natura procreatum, sed ab arte fuisse confictum, ad lucra viso huiusmodi comparanda. Idemque potest de illo apud Bauariæ Ducem seruato coniectari. Sat noui, nonnullos, ne veluti omnino incredibile monstrum hoc existimetur, adducere verba illa Psal. 73.14. *Tu confregisti capita draconis.* Per quæ verba (vt notat Iansenius) Pharao cum dracone multorum capitum comparatur. Ibi tamen nec de septem draconis alicuius capitibus mentio fit, nec Hebraicè habetur in plurali numero, *capita*, sed *Leuiathan*, in singulari. Et fortè cum Leuiathan plurali numero careat, vt exprimerentur Leuiathanes, periphrasticè dictum fuit, capita Leuiathan. Nam Leuiathan est immanis cetus, vt patet ex eius descriptione Iob 40. Nemo autem cetis plura capita tribuit.

Digitized by Google

Auctoris expositio de signi magni appellatione ad draconem describendũ.

Verùm enim verò, siue intra naturę vires serpens dari possit septiceps, siue non: in ænigmate sal- A
tem nihil est; cur illud vereamur fingere, quod in rerum natura fieri non potest; nec enim opus est figuram huiusmodi ex rebus naturalibus esse desumptam, cùm satis sit aptè fuisse confictam ad alicuius mysterij significationem. Quare non propterea signum, id est, res mira nuncupatur, quòd serpens hic per aëra volans sit valde ingens, & multis capitibus admirandus, sed quia denotat quidpiã, quod re verâ est admirabile: ita vt meritò fingi potuerit hæc bellua multiceps esse in cælo. Id ergo est, quod explicatione indiget, cur scilicet in cælo apparuerit hic draco, qui quidem refert Satanam, vt expressit Ioannes numero 9. dicens, *Vocatur Diabolus & Satanas.*

Cur draco in cælo apparuerit?

Cur draco in cælo apparere dicatur?

HVic dubitationi respondebit aliquis, ideo draconem in cælo visum; vt innuatur ipsum pro Deo cultum ac veneratum esse. Hoc autem mirandum prorsus est, eò scilicet mundi cæcitatẽ & amentiam deuenisse, vt dæmoni diuinitatem detulerit, eumque pro Deo suspexerit. Qua ratione non malè conueniebat signi nomen. Ceterũ si, quòd draco in cælo sit visus, ad idololatriam referatur; oportebit cùm infrà n. 9. dicitur, *Proiectus est de cælo*, hunc draconis casum ad idololatriæ euersionem referri, quod dici nulla ratione potest. Etenim quamuis prima specie appareat, verbis illis, *Proiectus est draco*, alludi ad Christi dictum Ioan. 12. 31. *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* (Quæ verba Maldonatus, & Toletus explicant de iure, quod dæmon per Christi mortem amisit: Salmeron verò cum multis Patribus quos adducit, de ipsa idololatriæ destructione,) si tamen Apocalypseos contextus seriò examinetur, minimè videtur cohærere, vt in capit. 12. dum dicitur proiectus fuisse draco, agatur aut de iure dæmoni in mundi dominatione ablato; quia non est de Christi Passione sermo; aut de idolorum culturæ extinctione. Nam verba illa præcedunt persecutionem à Romano Imperio excitatam aduersus Ecclesiam. Quare de idololatriæ excidio vera comprobari non possunt; cùm constet ante persecutiones à Romano Imperio contra Euangelij prædicatores commotas, idololatriam ex eodem Imperio Romano non fuisse expulsam. Quamobrem, si vox *Proiici*, non indicat idololatriæ exterminationem: nec in cælo id accidisse; signum erit draconem siue Satanam pro vero numine fuisse cultum. Siquidem post ea, quæ textus refert, quando ait, *Proiectus est draco*, fuit etiam ab idolorum cultoribus pro Deo habitus. Nam deinceps c. 13. dicitur, Romanum imperium idolorum cultui deditum Christianam Ecclesiam insectari.

1. Explicatio de adoratione dæmoni ab ethnicis delatâ, qua tamen exploditur.

2. Explicatio de dæmonis potentia.

Dicet alius, quòd draco in cælo, id est in aere fuerit visus, referendum esse ad magnam ipsius potentiam, qua maximum possit detrimentum ac perniciem hominibus importare: est enim alatus hostis, qui velocitate ingenti potest absque vllo impedimento per aera volitare. Atque id fortassis innuit Paulus ad Ephes. 2. 2. vbi dæmonem appellat principem potestatis aëris huius, & cap. 6. num. 12. de dæmonibus agens. *Aduersus spiritualia nequitiæ in cælestibus.* Quo in loco nomen nequitiæ ad astutiam, C
calliditatem atque versutiam refertur. At verò *in cælestibus*, idem est, quod per aera cum ingenti potentia. Vnde maxima vis, quæ draconi inest ad damnum inferendum, eleganter figuratur in eo, quod in cælo apponatur: hoc est, per aëra pennis voliter. Quæ videtur esse egregia pictura: vt exprimatur, quanta sit dæmonum humani generis hostium horribilitas. Qua de re legendus est insignis Chrysostomi locus, tomo 5. tract. de sacerdotio in fine.

Reiicitur prædicta expositio.

Verùm isthæc expositio minimè præsenti instituto congruit. Nam si ideò in cælo apparuisset draco, vt huiusmodi symbolo terribilis ipsius potentia notaretur, ipsius ex cælo deturbatio deberet esse signum deperditæ iam potentiæ, quam si nondum amiserat per Christi Passionem, siquidem post eam alatus in Apocalypsi depingitur) verè dici non potest dæmon ante idololatriam ex Romano Imperio depulsam, suam amisisse potentiam propter mulieris partum, aut propter egregium aliud Ecclesiæ facinus, quod in Michaelis & angelorum cum dracone conflictu figuratum sit. De quo infrà versu 7.

3. Expositio de dracone persequente Ecclesiam, quæ in cælo esse ob vitæ sanctitatem dicitur.

Alia expositio est, quam sequitur noster Ribera; ideo videlicet draconem in cælo esse visum, quia bellum infert militanti Ecclesiæ, quæ in cælo descripta erat; & præcipuè propter bellum, quod gerit cum iis, qui inter fideles stellarum instar sunt. Adiuuat expositionem hanc, quod narrat Zacharias cap. 3. 1. *Satan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei.* Sicut igitur ad bellum denotandum, quod dæmon D
aduersus Iesum sacerdotem mouebat, ad ipsius dexteram fuit conspectus; sic congruens videtur fuisse, vt dæmon sub draconis specie pingatur in cælo: quo denotetur bellum à dæmone contra mulierem in cælo positam susceptum. Aut fortasse in hac draconis pictura alluditur ad illud Iob 1. 6. & cap. 2. 1. vbi Iobum accusaturus adfuit Satan inter filios Dei. *Cùm venissent filij Dei & starent coram Domino.* Quod perinde esse videtur, quasi in cælo Angelis admistus apparuerit veluti Iobi accusator. Ad quod manifesta allusio continetur Apocalyps. 12. 10. dicitur enim: *Quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri.*

Impugnatur 3. expositio.

Sed neque in hac expositione animus acquiescit. Nam si bellum iis illatum, qui in cælo degunt, (quia illorum conuersatio in cælis est) sufficit, vt draco etiam, qui eos bello infestat, in cælo depingatur, hoc quidem bellum cum mulieris partu non est finitum, perspicuum namque est, bellum longiùs processisse, vt in capitibus sequentibus recensetur. & singulatim bellum exarsit crudelissimum sub persecutionis tempora. Cùm autem textus indicet, ante hoc bellum fuisse draconem in terram deturbatum, neque locum eius in cælo ampliùs inuentum, ratio ergo, cur in cælo affingatur draco, non est propter bellum ab eo illatum iis, quos Apocalypsis in cælo depingit. Nec verò ea potest reddi ratio, quod scilicet delatoris partes aduersus fideles ageret nam antequam draco hoc accusatoris officio defungatur, textus exprimit, illum è cælo fuisse expulsum. Quare quod in cælo

appo-

Digitized by Google

A apponatur; non innuit, illum accusatoris partes agere. Quomodo autem sit intelligendum, quod dicitur, proiectum fuisse de cælo eum, qui Dei seruos accusabat; infrà suo loco dicemus.

Respondebit fortasse alius, dæmonem quidem in cælo conspici, non vt ibi esse significetur; sed vt ostendatur in ea vehementi auiditate, qua dæmon mulieris filios, ac præsertim primogenitum, deuorare studebat, pristinum illud bellum fuisse redintegratum, quod in cælo quondam exarsit; quando Satanas aduersus Deum rebellauit; quod bellum Theologi aliquot existimant ex dæmonis superbia, & aduersus Christum indignatione directè fuisse coortum. Iuxta quam explicationem sensus erit eiusmodi; vt dæmon in Christum quondam conspirauit, ita etiam coniurauit posteà aduersus Romanam Ecclesiam, quò illam in suis primordiis, si posset, degluberet; propterea quòd extimesceret, à Romana Ecclesia se mundi imperio ac dominatione priuandum. Quando verò dicitur dæmon è cælo corruisse, nec locus eius in cælo amplius fuisse inuentus; in hoc etiam allusio eadem ad bellum antiquum continuatur. Quapropter non opus est præstituere, dæmonem in cælo extitisse; neque enim aliud est sensus, nisi tantùm, accidisse dæmoni, quod olim in cælo degenti accidit; cùm & superatus fuit, & inde expulsus.

4. Expositio de ingenti dæmonis auiditate mulieris filios deuorandi.

Verùm enimverò, quanuis in hoc Apocalypseos bello ad pristinum illud alludatur, cùm Satanas & eius socij de cælo sunt deturbati; hæc tamen allusio non impedit, quominus hæc dæmonis in cælo pictura sub partus fœminæ tempus, & dæmonis ipsius posteà ruina, non possint maiorem aliquã exprimere energiam; id quod in præsenti inuestigamus. Nam simplex ad illud vetus bellum respectus non satis esse videtur, vt propterea absque alio mysterio draco aspiciatur in cælo. Etenim primum illud bellum fuit etiam instauratum in acerrimis congressibus, quibus dæmon deinceps Ecclesiam opprimere tentauit: nec tamen ideo huiusmodi bella dæmon in cælo gessisse fingitur: sed vel in terris, vel in maris littore, vt in capitis huius fine habetur.

Nonnihil adhuc aliud prater quarta expositionis sensum desiderari.

Reiectis igitur quatuor expositionibus, superest eam proponere, quæ mihi videtur probabilior. Quod ergo draco apparuerit in cælo, existimo non solùm denotare, ipsum inferre bellum Ecclesiæ primogenitæ, (quam Apocalypsis magna cum energia depingit in cælo:) verùm etiam in hoc bello magnam draconi inesse fiduciam, fore vt Ecclesiam ipsam superaret. Etenim dum hæc dæmoni iecta erat spes: quantunuis ingentes alas haberet mulier: poterat adhuc dæmon sperare, se superiorem atque victorem euasurum: atque adeo Ecclesiam in acerrimo hoc conflictu deiectum iri. Ad huiusmodi significationem bellè habet, quemadmodum mulier in cælo, (id est, è terra sublimis) existebat, ita etiam draconem in cælo videri; hoc est, eum magna expectatione de victoria à se reportanda. Quòd verò iactantia & gloriatio meritò fingatur alas tribuere, & ad cælum vsque eos extollere, qui Rempublicam se oppressurõs esse confidunt: patet ex illo Isaiæ 14. numero decimo tertio, *in cælum conscendam*, &c. vbi loquitur Nabuchodonosor. Et Danielis 8. 10. de Antiocho dicitur, *Magnificatum est vsque ad fortitudinem cæli.* Et de eodem 2. Machab. 9. n. 10. *Sydera cæli contingere se arbitrabatur.* Et 1. Machab. 1. n. 4. de Alexandro Magno, *Exaltatum & eleuatum est cor eius.*

Auctoris interpretatio de magna dæmonis fiducia, fore vt Ecclesiã superaret.

Deinde quanuis dæmonem obcæcaret ipsius superbia & arrogantia ac diuinæ prouidentiæ consiliorum ignoratio: eò tamen res esse deducta videbatur, ita omnia prouecta atque dispositа, vt dæmonis astutia atque calliditas, priusquam reapse ita fieri cerneret, minimè suspicari potuerit Christianam Ecclesiam superiorem euasuram in difficillimo & grauissimo opere, quod exequi tentabat, Christi nomen toto terrarum orbe amplificandi; Ecclesias in cunctis Romani Imperij prouinciis erigendi: & inanem idolorum superstitionem penitus ablegandi. Nam imprimis, cùm primitiua Ecclesia omnes contendisset neruos in Iudaici populi conuersionem: illud profecerat ad summum, vt decimam tantùm partem ad Christiana sacra traduceret; reliquis nouem partibus ita in sua perfidia obstinatis, vt quodammodo dæmon gloriari posse videretur, se in eo bello compendium potiùs, quàm dispendium fecisse; siquidem ex decem fidelis populi partibus, nouem ipse fuerat lucratus: atque adeò effecerat, vt omnes sese acerrimos Christiani nominis hostes profiterentur.

Ratiocinatio, vnde dæmon potuerit fiduciam superanda Ecclesia concipere.

Si ergo primogenita Ecclesia adeò profecerat parum cum iis, qui Abrahami se filios iactabant, & ab eo fidem quasi hæreditario iure acceperant: qui sacrarum Literarum monumenta apud se retinebant: qui vera Dei notione & admirabilium ipsius operum erant imbuti: qui Christi Iesu doctrinam auribus, oculis miracula vsurpauerant; qui Apostolorum prædicationem summæ sapientiæ & sanctitatis eximiæ præsidio comitatam exceperant, si in horum, inquam, conuersione ita parcè & strictè se gesserat Ecclesia, quinam eam sibi mentem dæmon induceret, Ecclesiæ feliciùs ac fortunatiùs cum Romano Imperio euenturum, cùm ethnicorum animi tantopere Euangelio aduersarentur, cùm adeò pauci atque contempti essent prædicatores, cumque plures ex iis de medio tollerentur? Hinc ergo ingentes alæ antiquo serpenti natæ fuerant, videlicet quòd Iudaicum populum esset deuoraturus, qui tunc Ecclesiam vehementer insectabatur. Nam vt est in prouerbio, *Serpens non fit draco, nisi serpentem deuoret.*

Præterea Ecclesiæ excursio ad Euangelium Gentibus promulgandum, per occasionem ex Iudaici populi persecutione traxit initium. Cùm ergo cerneret dæmon sibi vires roburque suppetere ad grauiores adhuc & sæuiores procellas in Gentilitatis mari excitandas, existimabat planè, illud Ecclesiæ studium & contentionem vniuersum orbem Euangelio subigendi futilem prorsus & inanem fore. Præsertim, cùm sibi esset perfacilè (vt putabat) fidelibus nuper ad Christum conuersis omnes inferorum machinas opponere, & sic ab instituto cursu deterrere. Quo pacto prædicationem Euãgelij sperabat facilè aut opprimi, aut reprimi saltem posse.

Ex dictis non obscurè apparet, dæmonis expectationem atque fiduciam eam esse, vt Ecclesiam primo-

Cur draconis visum appelletur à Ioanne signũ magnum?

primogenitam deuinceret atque prosterneret; & Euangelij prædicatorum conatus in Gentium cõuersione irritos faceret. Atque ex his etiam perspicitur, quàm meritò appelletur signum, id est, res mira, quod scilicet tantum licentiæ Deus dæmoni permiserit, vt eos caperet animos, atque in eam deueniret expectationem, ac proinde Deus ipse statueret, Euangelij promulgationem in toto terrarum orbe tantæ infirmitatis specie, à fidelibus iniri; dum ex parte dæmonis, si res foret humano iudicio dimetienda, tantum roboris & contentionis, tantumque machinationis & fraudis admouebatur, vt in draconis figurâ in cælo visa conspicitur; qui proinde mulieris prolem quàm mox deuoraturus auidissimè expectabat.

Quo sensu dicatur draco è cælo deiici.

Veruntamen, postquàm aspexit dæmon primæuam Ecclesiam suam filium primogenitum periisse, id est, nouam aliam Ecclesiam Romæ erexisse; & fideles recens Christianis sacris initiatos, quos ipse se glutire posse existimabat, diuinitus cælesti robore armari, & ab eius vnguibus eripi: tũc re ipsâ euidenter agnouit, suam ipsius spem atque fiduciam incassum cecidisse. Quapropter dum sua expectatione deiicitur, eleganter de cælo irruere figuratur. Et quanuis non ideò à bello Ecclesiæ inferendo destiterit; non tamen id è cælo agebat, non futili illa spe Ecclesiam superandi subnixus. Ex iis enim, quæ in Romanæ Ecclesiæ exordio atque progressu cernebat, eliciebat facilè, Ecclesiam demum superaturam, atque idololatriam ex Imperij totius finibus iri depulsum. Itaque acerrimum hoc prælium ex parte dæmonis in rabiem iam ac desperationem desinebat, cum aliqua spe hos aut illos deuorandi, non tamen sperabat se Romanam Ecclesiam deuoraturum, nec eius conatus delusurum.

Cur draco appelletur rufus.

ET ECCE DRACO MAGNVS RVFVS] His verbis adumbratur horribilis dæmonis vis atque calliditas ad perniciem hominibus afferendam. Et in serpentis quidem figura alluditur ad eam speciem serpentis, quam olim dæmon Euam decepturus induit. Quod egregiè indicat hostiles inimicitias, quas cum humano genere exercet. quapropter nominatur in Apocalypsi serpens antiquus. Græcum nomen, quod voci, *Rufus*, respondet est, πυῤῥὸς; scitum autem est, serpentem interdum rufo colore inueniri, quæ Græcè appellatur πυῤῥίας. Quod serpentum genus ceteris exitialius & callidius reputatur. Et forsan in præsenti, *Rufus*, est idem quod ignitus; facta nimirum allusione ad ignitos serpentes, de quibus Numerorum 21. 6. Et enormes quidem dracones aliquando visi eâ maximè ratione horrorem incutiebant, quòd ignem tanquam vomitu longe lateque diffundere conspecti sint. Lesłæus in sua Scotia anno 1558. refert apud Marchiam & Laudouiam, populum excubare esse coactum circa fruges, vt ignem, quem ex draconis cuiusdam vomitione concipiebant, extingueret.

An draconis symbolum in præsenti solùm denotet dæmoniorum principem; an etiam vniuersum dæmonum agmen.

1. Sententia explicans de dæmonum principe draconem.

DE Principe dæmoniorum multi videntur exponere; quibus prima specie fauet contextus. Primò, quia dicitur eius cauda tertiam stellarum cæli partem traxisse: atqui ipsum dæmoniorum agmen non secum attraxit tertiam Angelorum partem, sed vnus Lucifer. Secundò, quia manifestè draco ipse à suis Angelis distinguitur, infrà num. 9. *Proiectus est draco ille magnus, &c. Et Angeli eius cum illo missi sunt.* Hoc itidem videtur non obscurè adumbrari commento illo Pherecydis Syri (quem referunt Viues in libr. 14. de ciuitate cap. 11. & Pererius in Danielem circa finem) ait enim dæmones à Ioue fuisse è cælo deturbatos, quorum princeps dictus sit Ophionæius, id est, serpentinus.

2. tamen sententia vt probabilior, seligitur explicans de vniuerso dæmonũ cœtu.

Nihilominus multò verisimilius existimo, apud Apocalypsin symbolo draconis vniuersam dæmonum Rempublicam denotari. Ac primùm, ita solet passim de dæmone institui sermo in singulari numero, cùm tamen dæmonis nomine vniuersi dæmones intelligantur, qui ad vniuersalis Ecclesiæ persecutionem vnâ, velut agmine facto, conspirant. Deinde Apocalypsis cap. 12. & 13. haud dubiè proponit coniurationem quandam, siue fœdus initum inter draconem, Bestiam maris, & Bestiam terræ (in quibus monstris tribus fit allusio ad Satan, Leuiathan, & Behemoth: de quibus in Iobi libro) Hac igitur monstrorum trium coniuratione suppositâ, congruens & recta proportio exigit, vt de cunctis tribus eodem modo agatur. Quamobrem cùm marinæ bestiæ nomine non designetur vnus tantùm Romanus Imperator, sed totum Imperium Idolorum superstitioni addictum, quod se Christi Ecclesiæ opponebat: cùm etiam terrestris Belluæ appellatione non vnus aut alter Imperij minister significetur, sed æqualiter tota ministrorum persecutionis colluuio, vt suo loco constabit: consectarium est, per draconem, non aliquem ex dæmonibus singularem, sed vniuersum dæmonum exercitum denotari.

Respondetur primæ sententiæ fundamento.

Tertiò, ipsamet draconis figura, quam textus exprimit, efflagitat, ne vnius dæmonis, sed omnium symbolum præ se ferat. Nam decem cornua indicant principum multitudinem; videlicet, *Principes & potestates tenebrarum harum*, vt loquitur Paulus. Quemadmodum in decem marinæ Belluæ cornibus multitudo senatorum figuratur, vt inferiùs dicetur.

Quartò, hæc eadem sententia omnibus facilè arridebit, si argumentorum, quæ è contrario proposita nobis sunt, idonea solutio inueniatur. Nec enim erat, cur in Apocalypsi de aliquo dæmone singulatim tractaretur.

Ad argumenta igitur in contrarium adducta facilis responsio est, si Apocalypseos ænigma probè teneatur. Etenim vt deinceps videbimus, quamuis in tertiæ stellarum partis lapsu fiat allusio ad damnum, quod Lucifer in cælo patrauit, quando inde decidit; verùm primarius ænigmatis huius sensus est valde diuersus. Pari etiam ratione, qui draconis Angeli nominantur, non dæmones sunt: sed homines peruersi ac deprauati satellites, & administri ipsius dæmonis; ad eum modum, quo prædi-

Digitized by Google

A prædicatores Euangelici Christi Angeli nuncupantur. Quare nihil est, quod nos obliget, vt draconis symbolum ad dæmonum Principem singulariter referamus.

HABENS CAPITA SEPTEM, ET CORNVA DECEM] Ribera §.11. ait, *Hoc nemo nemo negare potest ad Antichristi tempora pertinere*; affertque caput 7. Danielis, & communem Ecclesiasticorum scriptorum opinionem inibi à Hieronymo relatam: qui ex capite illo colligunt, cùm Antichristus aduenerit, mundum vniuersum inter decem Reges diuisum iam tunc fore: ex quibus tres, (nempe Ægypti, Africę, & Æthiopiæ Reges) ab Antichristo superatum iri; reliquos verò septem sese illi subdituros, & cum eo pariter conspiraturos. Deinde asserunt, hanc eandem prophetiam in septem capitibus, & decem cornibus denotari: nam per cornua decem totidem innui Reges; & per septem capita, Reges illos septem, qui Antichristo sunt fasces submissuri. Ribera autem affirmat, quanuis draco dæmonē, maris Bestia Antichristum designet; in decem tamen cornibus & capitibus septem idem omnino vtrobique repræsentari; nempe illos Reges, qui ad Diabolum & ad Antichristum pertinent, & de vtriusque veluti corpore sunt: qui per eos vterque aduersus Ecclesiam pugnabit. Hæc Ribera à §.11. vsque ad 16. & pro se adducit Irenæum, Hippolytum, Lactantium, Hieronymum, Theodoretum, & Prosperum. Et fatetur quidem, Augustinum de veritate eius prophetię addubitare: sed ipse ait, de ea dubitari non posse.

Vtrùm draconis capita septem & cornua decē ad Antichristi tempora referantur? Proponitur sententia affirmans.

B Ceterùm, vt meum hac de re sensum exponam; imprimis nihil est, cur hic traditione Ecclesiasticâ, & communi Doctorum declaratione nobis terrores ac minæ intendantur. Nam & ex Apocalypseos interpretibus complures capita septem, & cornua decem ad diuersa significata applicat, non verò ad decem Reges sub Antichristi aduentum futuros, vel ad septem cum illo coniuraturos. Et ex auctoribus, quos pro se affert Ribera, non omnes de Apocypseos dracone, & Bestia loquuntur, sed solùm de capite 7. Danielis, apud quem, neque in dracone vno, neque in Bestia capita septem reperiuntur.

Deinde opinio asserens mundum sub Antichristi tempus in decem Reges diuisum iri, & horum tres ab Antichristo delendos, septem reliquos subigendos fore: hæc inquam, opinio non adeò certa est vt Ribera contendit. Nam quamuis Hieronymus eam Ecclesiasticis Scriptoribus adscribat, non tamen vult, eam ab omnibus certam reputari, sed solùm eam fuisse communem ac vulgarem omnium opinionem: simili ferè loquendi ratione, atque illâ, *Totus mundus post eum abit.* Vbi *totus* per Hyperbolen dicitur. Cùm autem ad ferendum iudicium de aliqua opinione acceditur, nullus est Doctor augustino grauior, qui l. 20. de ciuitate c. 23. ait *Vereri me sanè fateor, ne in decem Regibus, quos tanquam decem homines videtur inuenturus Antichristus, forte fallamur: atque ita ille nobis inopinatus aduenias.* Quare ipse in Bestia c. 13. nullo modo vult Antichristum intelligi. Augustinum ipsius discipuli alijque non pauci sequuntur.

Opinionem de toto orbe in decem Reges sub Antichristo diuidendo, non adeò esse certam, vt alij putant. Augustini mens de decē Regibus sub Antichristo futuris.

C Tertiò, in illa communi opinione, quæ Hieronymi tempore percrebuerat, de decem Regibus ab Antichristo in orbe reperiendis, non sermo erat generatim de decem Regibus: sed de decem Romanis ducibus, qui fuerant Imperium diuisuri inter sese, ac decem in Regna dispersuri. Quemadmodum Alexandri Imperium in quatuor fuit Regna partitum. De aliis verò Regibus agere; abs re erat. Non enim aliud erat illius opinionis fundamentum, nisi tantùm congruentem aliquam inquirere expositionem decem cornibus quartæ Bestiæ Danielis 7. per quam euidens est Imperium denotari Romanum. Qui autem Romani duces non sunt, illius bestiæ cornua esse nō possunt. Quapropter si Romanum Imperium fuit iam finitum, effectus planè ipse ostendit, eam opinionem falsâ aliquâ coniecturâ, aut cogitatione fuisse subnixam. Quòd autem Imperium sit extinctum, prorsus videtur certum. Qui enim in eo deinceps successerunt, ex diuersis Gentibus ac nationibus sunt. Quòd si Daniel in eodem capite diuersam Bestiam atque Imperium diuersum Medorum & Persarum efficit à Chaldæorum Bestia & Imperio, quantumuis Persæ ac Medi in Babylonis Regno successerint: euidens ergo est, interiisse iam Romanum Imperium, licèt ipsius prouinciæ ab aliis nunc Regibus & Imperatoribus occupentur. Non igitur fieri potest, Romanum Imperium à Daniele in quarta Bestia expressum in decem fore Regna partiendum, quæ sint veluti decem Bestiæ cornua, & reliqua, quæ illius sententiæ auctores opinantur. Ac demum euētus ipse declarauit, Augustini timorem non

Infirmatur prædicta de decem regibus opinio.

D futilem aut vanum fuisse.

Huic obiectioni Ribera §.14. his verbis respondet. *Quod antiqui Scriptores dicunt de regno Romanorum; nos de vniuerso orbe intelligere possemus; qui regnum Romanorum iam nullum est. Sed coniectura multū ducor, Romam ad pristinam gloriam redituram esse ante tempus Antichristi, & eius Imperium tunc in decem Reges esse diuidendum.* Qua de re latè Ribera ipse c.14. à n.50. Hæc Riberæ verba duas cōtinent partes. Prima est, Danielem non iam de Romanorum Imperio, sed de vniuerso orbe agere. Id quod per se facilè corruit. Euidens namque est, Danielem ibi de Romanorum Imperio vaticinari. Altera pars est: Romam Imperij rursus & idololatriæ caput, sicuti olim futuram; tuncque Danielis vaticinium fore complendum. Quæ coniectura prorsus inanis est. Nam esto, Roma iterum ad Imperij & idololatriæ culmen eueheretur: non propterea Imperium iam extinctum resurgeret; sed aliud valde diuersum oriretur. Quemadmodum, si nunc Imperium aliquod fundaretur in Græcia; diceret nemo, eam esse tertiam Danielis Belluam. Simili ergo ratione nec nouum illud Romæ Imperium, quòd nunc aut postea denuo erigeretur Romæ, foret in quarta Danielis Bestia præsignificatum.

Responsio pro oppositā sententia refellitur.

Denique in hac opinione de decem Regibus ab Antichristo in orbe reperiendis idem ferè contingit, quod in nuncio aliquo siue rumore, qui nullo alio auctore aut capite spargeretur in vulgus, nisi solùm, quòd Toletanus Præses, aut Princeps alius vir clarissimus illud diceretur affirmasse. Si enim postea constaret, id à Toletano Præside nusquam fuisse assertum: prudentes viri proculdubio figmen-

Digitized by Google

figmentum illud, ac meras esse nugas reputarent. Idem accidit in hac opinione, quam licet olim multi asseuerarint; nonnulli tamen verebantur, ne quid in ea falsitatis sub veri specie lateret. Vt autem crederetur, nullum aliud fundamentum erat: nisi quia à Daniele id fuisse prædictum putabatur. Posteà verò longo sæculorum decursu euidenter deprehensum est, id nequaquam à Daniele fuisse affirmatum. Ille enim in quartæ Bestiæ vaticinio agit tantummodò de Romano illo Imperio, quod Christianam Ecclesiam conflictauit: hoc autem iam prorsus interijt. Quis ergo non videat, huiusmodi opinioni nullam iam verisimilitudinem superesse? Et hactenus de incertitudine opinionis. A

Illam de decem regibus expositionem in Apocalypsi saltem nullũ posse habere locum ex cohærẽti ipsius serie demonstratur.

Quartò. Nihilominus tamen quantumuis certum foret hosce decem Reges in Romano Imperio sub Antichristi tempora futuros, & ex iis tres fore ab Antichristo occidendos, ac reliquos subiugandos: quantunuis etiam id fuisset à Daniele prædictum; in duabus adhuc Apocalypseos figuris, (nempe in draconis capitis 12. & in Bestiæ capitis 13.) nullo modo posset vaticinium illud huic Prophetiæ significandæ deseruire. Primò, quia bellum in c. 12. & 13. Apocalypseos depictum, vt euidenter ex ipso contextu deducitur antecedit mille pacis annos, de quibus c. 20. At Antichristi bellum constat post mille illos annos fore. Deinde, quia vt significetur decem Reges priùs regnaturos, & ex illis tres ab Antichristo euersum iri, reliquos subiectum: ad hoc inquam nullus mediocriter eruditus satis sibi esse putaret, si id in septem capitibus, & decem cornibus exprimeret. Certè si ipse huius essem ænigmatis inuentor & auctor, pudore omnino suffunderer, quod ita insciè & imperitè vaticinium illud adumbráre voluissem: cur ergo illud diuino Spiritui tribuam, quod mihi ipse attribui planè dedignet? Tertiò, quia coactum valde est, & prorsus extra rem, si existimemus, Reges illos dæmoni & Antichristo in auxilium adiungendos, ipsius dæmonis atque Antichristi capita futuros. Si è contrario affirmaretur, dæmonem scilicet & Antichristum esse illorum regum capita ac principes, id sanè proportionis alicuius speciem præ se ferret. Tunc autem draconis & marinæ Bestiæ figuræ non erant pingendæ duæ, sed monstrum vnicum binis capitibus & septenis siue cornibus, siue manibus præditum. At verò duo exprimi monstra, & eorum singula septem constare capibus, vt dæmon & Antichristus denotentur, qui eisdem omnino ministris vtantur: id profecto mea sententiâ ita est absurdum, quàm quòd maximè. Postremò, Antichristus in ea etiam opinione septẽ tantùm Regum industriam & auxilium sibi acciturus est, tres enim reliquos (aiunt) de medio est sublaturus. Quorsum igitur cum decem cornibus appingitur? Apud Danielem quidem vetus illa opinio aliqua consequentiæ & ordinis specie non carebat; ibi enim exiguum quoddam cornu excrescit, & tria alia ex magnis euellit, & reliqua septem in suam redigit potestatem. Verùm in duplici Apocalypseos monstro si dæmonis & Antichristi sint symbola, quo pacto possint Riberæ & Viegæ opinioni aptari illa duo monstra, fateor me omnino non assequi. B

Auctoris interpretatio de septem draconis capitibus ad septem capitalia vitia relatis.

Quintò, vt ad meam tandem expositionem accedam; septem draconis capita interpretor de septem nefariis spiritibus, quos dæmoni sancti patres adscribunt, nimirum de spiritu superbiæ auaritiæ, luxuriæ, iræ, gulæ, inuidiæ, atque acediæ. Vt autem significetur fraudulentus hic hostis, nos interdum superbiâ, alias luxuriâ, alias irâ, (& sic de ceteris) oppugnare; nescio quid possit aptius figurari, quàm draco septem diuersis vultibus constans. Et posset etiam aliquis existimare, ex hisce capitibus siue vultibus, alium esse leonis, alium tigridis, alium vrsi, alium viperæ, alium lupi, alium serpentis, atque alium asini. Licèt enim huiusmodi diuersitatem textus non exprimat, eâ tamen denotari posset, dæmonem in suis incursibus & oppugnationibus, nunc superbi leonis vultum nobis ostendere, nunc serpentis inuidæ, nunc viperæ iratæ, nunc etiam asini ignaui; vt huiusmodi technis & astibus nos in scelera ac flagitia pelliciat, siue vt impios aduersus fideles impellat. Ceterùm siue huiusmodi facies sub hac diuersitate, siue vt serpentis capita considerentur; significatio quidem ex septem capitalibus vitiis debet sumi. Nam & semper communis Ecclesiæ consensus hæc vitia capitalia appellauit. Quòd verò peccata omnia ad capitalia septem reducantur, nititur præsertim in septem illis dæmoniorum spiritibus, de quibus Matth. 12. 45. & Lucæ 11. 26. Estque manifesta doctrina Gregorij lib. 31. Moralium cap. 31. & Cassiani libr. de institutis cap. 1. & Collatione 5. cap. 2. quanuis ibi octo vitia capitalia enumeret,) & D. Thomæ 1. 2. quæst. 84. art. 4. & Theologorum in 2. dist. 42. Cur verò ad septem illa vitia reuocentur omnia, disputat bene Valentia to. 2. disp. 6. q. 14. puncto 2. C D

Si ergo hæc sunt septem corporis peccati capita, quis non videat; hæc eadem fore capita, ad quæ totum dæmonis bellum & singularia tentationum prælia redigantur? Præter hæc, in septem marinæ Bestiæ capitibus significatur capitum illius Bestiæ successio, siue Imperatores Idololatræ, siue persecutiones ipsæ per capita designentur.) Dicitur enim capit. 17. 10. *Quinque ceciderunt vnus est, & alius nondum venit.* Iam si draconis septem capita velimus aliqua etiam successionis significatione constare, quilibet facilè cernet, dæmonem non omnia simul vitiorum ora vultusque prætendere, sed modò hunc, deinde illum, posteà alium. Itaque quamuis dæmon omnia in se superbiæ, luxuriæ, & ceterorum capita simul contineat, at in ipsa tentatione non omnia simul propalam obiicit, sed caput capiti, vultus vultui succedit, & priùs (verbi gratia) gulæ spiritum immittit, mox luxuriæ, hinc superbiæ, deinde inuidiæ, &c.

Quid per decem draconis cornua figuretur.

Sextò, per decem draconis cornua denotatur dæmonum tum multitudo, tum etiam singulorum vis ac potentia. In hoc eodem sensu dixit Paulus ad Ephes. 6. 12. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus Principes & potestates.* Pro quo aduertendum est, Principes in Scripturæ phrasi aptissimè per cornua designari; quia sicut cornuta animalia præcipuum robur habent in cornibus, & illæ sunt partes excelsiores atque eminentiores; sic gloria roburque Reipublicæ in Principibus

A pibus maximè est. Legendus est Maldonatus in id Lucæ 1.69. *Erexit cornu salutis nobis.* Quod autem ad numerum denarium pertinet; constat satis eum esse multiplicationis numerum. Omnes enim nationes inter numerandum, vbi ad denarium accessere, non longiùs progrediuntur; sed regrediuntur potiùs, & vnitatem, binarium, & ternarium, ceteroſque cum denario coniungunt. Sic vbi ex denario procedere opus est, dicimus vndecim, duodecim, tredecim: item viginti vnum, vnum & triginta, & sic de reliquis. Quare videtur nullus numerus per se sumptus esse denario maior; ideòque est vniuersitatis & multitudinis symbolum. Et profectò, qui quartam Danielis Bestiam capitis 7. attentè consideret; non obscure coniiciat, illam Bestiam à Propheta, vt à reliquis distinctam notari, atque discerni. habet enim cornua decem, quo innuitur Romanum Imperium non propriè esse Regnum, sed Polyarchiam. atque vt denotetur, Romanos senatores esse Principes, concinnè & elegãter cornua decem Bestiæ addita sunt. Nam ad magnam senatorum multitudinem indicandam, nullus potuit numerus congruentior exprimi.

Denarius multiplicationis numerus, atque adeò multitudinis & vniuersitatis symbolum.

Obiicies tamen, figura decem cornibus constans aptior videtur ad Romanam innuendam Rempublicam, quando propriè Polyarchia erat; priusquàm Cæsares illam ad Monarchiæ normam redigerent: postea enim nihilo erat secius Monarchia, quàm reliquæ omnes hoc nomine nuncupatæ. Quòd si quartæ Bestiæ discrimen à ceteris in hoc singulariter designetur; hæc certè differen-

B tia non perstabat, quando Romanum Imperium Ecclesiam oppugnauit. Et quidquid de Romano Imperio sit; dæmonis saltem Regnum propriè Monarchiæ rationem habet. omnes enim ei obediunt, qui secum reliquos in eandem perniciem traxit. Quapropter si decem cornua Polyarchiæ symbolum præ se ferunt; draconi cornua decem non inesse debebant. Respondeo tamen. Tam in Romano Imperio, quàm in dæmonis Regno, si rem seriò discutere velimus; & Monarchiam & Polyarchiam coniunctim reperiemus. Nam simul cum Romano Imperatore Senatus etiam Rempuplicam gubernabat & grauissima erat senatorum auctoritas; atque adeò Imperij vis ac robur non in Imperatore solùm, sed etiam magna ex parte in senatorum numero, virtute atque consilio fulciebatur. Erat enim Senatus grauissima Principum concio, quæ semper, Imperatore etiam morente, permanebat. De quò latè Polybius. Similiter etiam dæmonis Regni vis non in eo solùm consistit, quòd Lucifer sit versutissimus pariter ac potentissimus. verùm multò etiam magis, quod inferorum Respublica sit Polyarchia, (siue Aristocratia) atque ex Principibus & Potestatibus coagmentetur. Quamobrem sicuti ad maximum Romani Imperii robur explicandum appositа fuit species marinæ Bestiæ decem cornua habentis; non minus congruenter cornua totidem draconi dæmonem referenti affixa sunt, vt denotetur, ipsius ministros esse Principes ac Potestates. (Sic enim loquitur Paulus) nec non multitudine pene innumerabiles: ac proinde bellum, quod aduersus Christianam

C Ecclesiam exarsit, acerrimum pariter & periculosissimum extitisse.

Difficultas contra prædictam expositionem.

Responsio.

ET IN CAPITIBVS EIVS SEPTEM DIADEMATA] Obseruatione dignum est discrimen, quod textus inter draconis coronas & coronas marinæ belluæ designat: ait enim, draconis capita esse coronis redimita, atque adeò septem illi esse diademata. At marinæ Bestiæ non capita, sed cornua esse coronis ornata; ac proinde decem coronas illi esse, cùm totidem cornua sint. Oportet ergo huiusce discriminis congruentem reddere rationem. Illa autem sese mihi offert in præsenti. Inter dæmonum Rempublicam, & inter Rempublicam hominum hæc differentia versatur: quòd dæmones quidem omnes in vnum conspirent, nec peculiarem victoriam huic, aut illi dæmoni expetunt, id vnum contendunt atque laborant, vt septem spiritus superbiæ, auaritiæ, luxuriæ, &c. victoriam ex hominibus adipiscantur. Quapropter licèt Principes ac potestates, qui in decem cornibus significantur, sint plurimi: quas tamen illi victorias atque coronas permagni æstimant, & auidissimè expetunt, eæ sunt non amplius septem, quæ nimirum ad septem capita; siue ad capitalia vitia pertinent. At verò Romani Imperij senatores, vtpote terreni Adami filij, nec inter se rectè consentientes, singuli de peculiari sua potentia atque corona, deque singulari excellentia, qua ceteris præstarent, gloriabantur. Cùm autem denarius numerus senatorum multitudinem repræsentet: coronarum, quibus se ipsi iactabant, numerus multitudini eorum æquè respondet. Aut sicut stellæ duodecim sunt

D mulieris corona, quia duodecim Apostoli Ecclesiæ sunt decori & ornamento: sic Imperij Romani splendor & gloria proueniebat ex senatorum multitudine, qui in denario numero figurantur. Imperatoris autem præcipua dignitas ac maiestas ea erat, quòd in illa dominarentur Republica atque Senatu, qui senatoribus veluti Regibus quibusdam constabat. Dæmonibus autem nulla alia excellentior gloria, nulla obtabilior corona est, quàm vt immundi septem spiritus miseros mortales deuincant, atque triumphent. Quamobrem dæmones bellum Ecclesiæ inferebant septem illis capitibus coronatis: dũ eorum interuentu se regnaturos sperabant. Romanum verò Imperium non tam in distinctione Imperatorum per septem capita signatorum gloriabatur, quàm in ipsius Imperij potentia, & in senatorum multitudine qui vnà cum suis Imperatoribus idolorum superstitioni penitus erant addicti: atque hac senatorum multitudine & auctoritate freti tam Imperium, quàm Imperatores Ecclesiam peracri bello premebant.

Cur draconis capita fuerint coronis redimita; at marinæ Bestiæ non capita sed cornua coronentur.

His adiungo, quod ritè expendit Methodius, & ex eo refert Andreas capit. 33. videlicet per septem draconis coronas, quas Ioannes aspexit, significari totidem coronas à Deo iustis hominibus proponi in bello eis per dæmonem illato: propter clarissimum triumphum quem ex vitiis septem capitalibus agunt: non tamen eis pro corona pollicetur, dæmones ab iis ad Christi Euangelium traducendos. Contrà verò in victoria, quam ex Romano Imperio Euangelij prædicatores comparatũ, hon illis pro corona proponitur triumphus de capitalibus vitiis agendus: nec enim satis est mundum vniuersum ad fidem conuertere, vt idcirco de septem vitiis triumphetur, sed huiusmodi triũ-

Digitized by Google

phus de capitalibus vitiis perinde est, quasi de dæmonibus ipsis triumphare. Itaque illud peculiare A
extitit in victoria de populo Romano comparata, quòd Ecclesia sub Christi fidem redegerit Romanos ipsos senatores qui erant cornua Bestiæ coronatæ, atque adeò eorundem senatorum coronas ad Christi pedes abiecerit.

Vers. 4. *Quid sit, draconis caudâ trahi tertiã stellarum partẽ.* 1. *Expositio Victorini.*

ET CAVDA EIVS TRAHEBAT TERTIAM PARTEM STELLARVM CÆLI, ET MISIT EAS IN TERRAM] Hoc multi referunt cum Victorino ad Angelorum lapsum, quos eorum Princeps ideo caudâ traxisse dicatur, quod secum eos, siue post se traxerit. Sic enim exponit eam phrasim Origenes tractatu 30. in Matthæum. Et quanuis scopus sit agere de damno ac detrimento, quod dæmon hominibus importat: potest tamen id vsurpari ad probandum, quanta sit dæmonis ipsius potestas, & ad eam ponderandam ex damno, quod cælo inuexerat. Verùm in nostra explicandi ratione obstat expositioni huiusmodi, quòd nos per draconem in hoc capite non dæmoniorum Principem, sed vniuersum eorum exercitum intelligimus.

2. *Expositio B. Gregorij.*

Alij per draconis caudam suspicantur Antichristum figurari, quæ est magni Gregorij interpretatio; & eam mordicus tenet noster Ribera, pro certo habens hoc in capite de Antichristi tempore sermonem institui. Et secundùm hanc explicationem, tertia stellarum pars, quam draco caudâ è cælo traxit, & in terram deiicit, adumbrat eos fideles, quos Antichristus ad suam sententiam pertrahit. Ceterùm huic expositioni, vt sæpè aliàs diximus, ordo ipse, seu series Apocalypseos reclamat. Nam c. 13. B
habetur sermo de Romani Imperij persecutionibus in Ecclesiam concitatis, & multò post de Ecclesiæ ipsius victoria atque pace, quæ per mille annos durat. Itaque Antichristi persecutioni nullus est locus in tota Apocalypsi reliquus, donec dæmon post mille annorum pacem dissoluatur. Quòd si Ribera putaret Apocalypsin continuatâ prophetiæ serie, & rerum ordine seruato congruentissimè declarari posse, neutiquam hoc caput de Antichristi persecutione exponeret.

3. *Expositio Thomæ Angelici.*

Dicent alij, si nostra huius capitis expositio admittatur, cùm stellæ videantur esse ij, qui ceteros fidelium suo lumine collustrant, per tertiam earum partem à dracone deturbatam significari infelicitatem multorum; qui cùm cæli stellæ seligantur, ipsi tamen dæmoni cedunt, & ab eo se prosterni & conculcari permittunt. Sic videtur exponere Thomas hîc; & adducit Gregorium Huc spectat, quod cap 3. vidimus, nempe Sardensem, & Laodicenum Episcopos fuisse quidem stellas; quia in Episcopali dignitate constituti erant: nihilominus vtrumque lethali scelere esse immersum, atque adeò à dæmone deiectum & conculcatum. Præterea hic locus videtur manifestè respicere illum Danielis 8. 10. vbi Antiochus Epiphanes dicitur *Deiecisse de fortitudine, & de stellis & conculcasse eas*, vbi Hieronymus & Theodoretus existimant denotari, Iudæorum plurimos; qui nobilitate & doctrinâ ac pietate erant illustres, minarum & tormentorum terrore de obseruatione Mosaicæ legis fuisse ab Antiocho deiectos, & ad idololatriam pertractos. Si autem in allusione ad eum locum in hoc C
perstandum nobis sit, cum hîc de dæmonis persecutione sit sermo in Christi fideles primitiuæ Ecclesiæ tempore suscitatâ, eos deiecisse & conculcasse diceretur, quos minis atq; cruciatibus de Christiana fide, ac de illius professione depulsos ad idololatriam compulerit. Id quod ad dæmonis potentiam, & astutiam ponderandam aptum satis est.

Auctoris mens & expositio.

Hæ omnes expositiones quasi certum præstituunt, *trahere, & in terram mittere*, perinde esse, quasi in culpam & grauia peccata deijcere. Verùm cum bonâ grauium interpretum ita credentium veniâ, multò mihi sit verisimilius, sermonem in hoc loco esse, non de damno, quod inuexit dæmon in eorum animas, qui cælestium stellarum munere fungebantur: sed de corporum comprehensione, oppressione atque cæde. Et imprimis ad indicandam dæmonis fiduciam, fore vt Ecclesiam posset re ipsâ auertere à susceptо, propositoque consilio idololatriam ex orbe depellendi, & nationes omnes fidei radiis illuminandi; ad huius inquam fiduciæ significationem appositè satis expenditur dæmonis ipsius iactantia, quòd comprehendi, atque occidi fecerit bonam eorum partem, qui Euangelij verbum disseminabant. Quo innuitur, reliquam illi esse spem, futurum vt ceteros omnes pari ratione deiiceret atque prosterneret, quo facto Ecclesię conatum & contentionem fore penitus eludendam. Atque hæc dæmonis arrogantia, & gloriatio, quod cæli lumina & stellas magna ex parte deturbasset, non parum reliquam dæmonis ipsius confidentiam adiuuabat. Cui enim duci non vi- D
res animosque adderet tertiæ ex hostium ducibus partis occisio.

Corroboratur nostra sententia ex allusione ad Danielis locum.

Deinde, si in hoc loco fit allusio (vt re vera fit) ad illa Danielis verba c. 8. 10. *Deiecit de fortitudine & de stellis, & conculcauit eos*: Pererius inibi fatetur huiusmodi verba congruentissimè explicari de viris sanctitate insignibus: quos Antiochus non quidem spiritaliter, sed corporaliter deiecit, & conculcauit, acerbissimis eos cruciatibus trucidando; sicut de venerabili sene Eleazaro, septemque pueris, & eorum matre narrat posterioris Machabæorum libri historia. Et meâ quidem sententiâ explicatio hæc longè est aptissima ad Danielis contextum, sequitur enim n. 12. *Et prosternetur veritas in terra; & faciet & prosperabitur*. Quæ verba ad tyrannorum victoriam in Martyrum internecione spectant omnino. Atque in hoc eodem sensu, & per loci eiusdem allusionem dicitur in Apocalypsi cap. 11. 8. *Corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis*. Nihil ergo in præsenti cohærentius, quam vt Apocalypsis ad illud respiciat, quod c. 11. descripserat; & propterea dicat, gloriari dæmonem de tertiæ stellarum partis deiectione, atque id ipsum in ceteras machinari.

Tertiò, cùm probatum iam sit, sermonem hîc institui de primæuæ Ecclesiæ tempore; non video, quàm sit solidum asserere, tertiam eorum partem qui sub idem tempus veluti Ecclesiæ sydera effulgebant, à dæmone per spiritalem ruinam deturbatam. Accedit huc, quod ad huius libri scopum, (qui de primogenitæ Ecclesię victoriis agit) minimè erat ad rem loqui de eorum lapsu fidelium quos dæmon in scelera dabat præcipites; & eorum potissimùm, qui erant Ecclesiæ ipsius stellæ.

Quartò,

Digitized by Google

A Quartò, ad noſtram expoſitionem textus ipſe congruenter ſatis aptatur; nec enim dicit, cæli ſtellas à dracone deuorari, ſed eius caudâ deiici. Atqui, vt iam vidimus, in ſeptem illis capitibus denotatur multiplex vitiorum capitalium tentatio; quibus anguſto animo ſuccumbere, non eſt aliud, quàm dæmonis pabulum fieri, & eius dentibus dilaniari. Quamobrem ad illud ſignificandum diſcrimen, quod draco in aliis animorum ſtragem, in aliis corporum dumtaxat facit, appoſitè dicitur alios impreſſis dentibus diſcerpere, atque glutire; alios, quos deuorare non poteſt, percutere & opprimere: id quod ſerpentes non aliter, quàm caudæ verberibus patrare poſſunt. Quod autem textus ait, *Trahebat*; non denotat, dæmonem eos poſt ſe, aut ſecum trahere: ſed caudæ ictibus & voluminibus deuoluere. Hoc enim ſignificare poteſt verbum Græcum, σύρειν, atque idem contextus ipſe depoſcit. Nam ſignificatio eas poſt ſe trahendi non rectè conſonat cum eo, quod ſequitur, *Et miſit eas in terram.* At verò ſtellas ipſas deuoluere, & in terram proſternere: hoc optimè cohæret.

Cur Draco alios dentibus diſcerpere & vorare; alios percutere & opprimere dicatur: & qua ſit huius diſcriminis ratio?

Prætereà manifeſtum eſt, cùm c. 13. 7. de maris Beſtia dicitur, *Datum eſt illi bellum facere cum ſanctis, & vincere eos*: non eſſe de ſpiritali victoria ſermonem. Si ergo verba iſthæc de victoria corporum intelliguntur: quid, obſecro, congruentius ad externam illam victoriam denotandam, vbi de ſerpente agitur, quàm ſi dicatur ſerpens ipſe ſuâ caudâ magnam ſtellarum partem è cælo in ſolum decutere?

B Sed dicet aliquis, Auguſtinum in ea verba Matth. 5. *vt conculcetur ab hominibus*, hæc habere: *Calcari non poteſt niſi inferior, ſed inferior non eſt, qui quamuis corpore multa in terra ſuſtineat, corde tamen fixus in cælo eſt.* Quibus ex verbis colligitur, nec phraſim illam, *Miſit eos in terram*, nec Danielis verba cap. 8. 10, *Conculcabit eas*, ab Auguſtino de corporali deiectione exponi potuiſſe. Præſertim, quia *deiicere in terram*, videtur idem eſſe, atque eos à cæleſti conuerſatione ad terrenos affectus deturbare. Reſpondetur, vbi de ſpiritali ruina ſermo eſt, myſticum hunc ſenſum eſſe congruentiſſimum, verùm nec Auguſtinum, nec alium negare poſſe, quin eiſdem verbis de corporali deiectu poſſit agi?

Obiectio contra prædictã expoſitionem ex Auguſtini auctoritate diſſoluitur.

Quintò, forſan per draconis caudam ſignificari poſſunt illi homines, qui dæmonis obſequuntur voluntati. Nam caudam pro ducis alicuius exercitu ſumi, phraſis eſt ſacræ Scripturæ, vt videre licet apud Iſaiam c. 7. 4. Qua ratione, eos dicetur dæmon traxiſſe caudà, quos per deprauatos homines afflixit, atque proſtrauit.

Quid per draconis caudã ſignificetur.

Sextò denique, quamuis mea mihi placeat declaratio in hiſce verbis, vbi draco dicitur caudâ deieciſſe tertiam ſtellarum partem, & eas in terram miſiſſe: non tamen idcirco ea mihi mens eſt, vt graues alias expoſitiones ſugillem. Nam Scripturæ ſacræ fœcunditas plures complectitur. Ceterùm liceat mihi eas declarationes omittere, quas ipſe cum ſerie ac filo à me ducto, connectere atq; contexere neſcio, & eam interim vſurpare, quæ magis è mea re videtur eſſe.

C ET DRACO STETIT ANTE MVLIEREM, QVÆ ERAT PARITVRA, VT CVM PEPERISSET, FILIVM EIVS DEVORARET] In huiuſmodi figura innuitur, draconem de matris deuoratione diffidentem, filium ſaltem naſciturum deuorare ſe poſſe confidere. Ex quo intelligitur ad ſpiritalis mortis ſignificationem idoneum imprimis eſſe ſymbolum, à dracone deuorari: eius autem caudâ verberari, atque ad terram affligi, non ſpiritalis necis, ſed afflictionum & cædis corporalis eſſe ſymbolum, vt verſu præcedenti dicebamus. Quamuis enim draco mulierem quippe adultam iam & proceram, deuorare non poſſet, vtique ſuæ acerbitatis & indignationis virus in eam euomere, caudâ percutiendo, & acriter diſcruciando. Sic enim deiiciebat aliquas ex ſtellis, quibus mulier coronata erat. Nam ſi rem ipſam inſpiciamus; maxima quidem & robuſtiſſima primogenitæ Eccleſiæ virtus dæmonem reddebat ſecurum, fore vt ab eo neutiquam poſſet deuorari, non tamen ideo deſperaret dæmon, quin ſui furoris atque odij documentum in ea edere non poſſet perſequendo ſcilicet, & atrociſſime mactando illos, qui ſtellarum in cælo fungebantur munere.

Horum ergo verborum ſignificatio ea eſt, quamuis dæmoni conſtabat primogenitæ Eccleſiæ ſanctitatem ſuperari à ſe & conſterni non poſſe, confidebat tamen fore vt filios, quos mulier in lucem ederet, & quas nouas fundaret Eccleſias, in primo ipſo flore & imbelli teneritudine correptas per ſeptem capitalium vitiorum facies, poſſet tandem deuorare, id eſt, eas ab inſtituto ſanctitatis curſu, atque adeò à Chriſtiana Religione reuocare valeret, & ſecum pariter in eandem conſpirationem deuoluere. Hunc eſſe exiſtimo germanum loci huius ſenſum. Porrò tametſi textus ait, D *Filium eius*, in ſingulari numero, ſuſpicor tamen non referendum eſſe ſolùm ad filium primogenitum, quem mox dicitur fœmina peperiſſe, ſed generatim ad quemuis ipſius filium. Nã mulier, vt ſuprà vidimus, non vnum modò filium, ſed plures geſtabat in vtero: vt ex illo Iſaiæ loco cap. 66. 8. (de quo ſuprà) & ex hoc ipſo capite 12. conſtat.

Quæ in ſenſum dicatur draco expectare, vt naſciturum mulieris filiũ voraret.

Notandum inſuper eſt, hanc draconis confidentiam de puero recens nato deuorando eſſe conſentaneam ijs quæ interdum accidiſſe nouimus. Plinius enim libro 8. capit. 14, ait Claudio principe occiſam fuiſſe in Vaticano ſerpentem quandam ex illis, quæ appellantur Boæ; & in eius aluo inuentum fuiſſe ſolidum infantem. Vnde & poëtæ etiam fingunt (niſi vera eſt fortaſſis hiſtoria) ſerpentes duos infantem Herculem in cunis agentem adortos, vt deuorarent. Facit etiam, quòd Pharaonem Iſraëlitici populi infantes conficere conantem Scriptura appellat draconem, Pſalm. 73. 14. *Tu confregiſti capita draconis* Herodi etiam, qui Chriſtum puerum glutire contendit, & ſuam rabiem efferatam in regionis Bethlemiticæ paruulos effudit, draconis ſymbolum egregiè quadrat. Et quod mirum eſt, ipſum Herodis nomen Syriacè ſonat idem, quod *draco ignitus*; vt Arias Montanus in ſuo apparatu tradit. Nec defuit, qui diceret in hoc dracone Ioanni viſo, qui puerum naſciturum deuorare cupiebat, Herodem figurari; atque hanc eſſe propriam huius Apocalypſeos partis expoſitionem. Ita ſanè Barradas lib. 10. c. 12. Hæc tamen declaratio minime conſonat cum Apocalypſeos acoluthia ac ſerie.

Serpentes quadã dicti Boæ.

Pharao ab Scriptura appellatus draco.

Herodis nomen quid ſonet.

Digitized by Google

Quare multò rectiùs asseretur, in Herode figuratum fuisse, quod posteà dæmon tentauit: vt scilicet primogenitę Ecclesię filios deuoraret. A

His addo, draconem hunc siue serpentem, de qua in præsenti est sermo, videri Hydram, quæ multis etiam capitibus fingebatur. Huc spectat, quòd hæc serpens Ioanni conspecta flumen aquæ ex ore euomuit. Hydram autem esse inuidiæ symbolum videre poterit lector apud Pierium lib 16. In eo autem, quod fingitur de pueris, quos serpentes siue Hydræ deuorare optarunt; apparet inuidia, qua stimulatæ occidere volebant eos, qui ad magnam orbis expectationem ac felicitatem nascituri erant. Quod autem draco mulieris filium deglutire voluerit, indicat, filium ipsum mulieris primogenitum ad mundi Imperium capessendum, & ad depellendam idololatriæ impietatem in lucē prodire. Quò rectè applicari potest Herculis fabula, qui ortus dicitur ad detertima monstra, quæ orbem vniuersum opprimebant, funditus ableganda.

Serpens hydra inuidiæ symbolum.

TEXTVS.

Vers. 5. Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea: & raptus est filius eius ad Deum, & ad thronum eius. B

COMMENTARIVS.

Quid per filium masculum figuretur.

PEt filium hunc masculum existimo designari illustrem aliquem populum, quem primogenita Ecclesia Deo peperit. Nam primùm cum Aretæ veniâ, Apocalypseos acoluthia siue contextus non fert, vt de Christi Domini natali hîc sermo sit. Quamobrem quod dicitur, *Qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea*; non ita est accipiendum, qua supremus sit Monarcha, qua ratione proprium est Christi Assertoris nostri regere gentes in virga ferrea, sed potestate ab ipso Christo deriuata. Nā Christus, qui ab æterno Patre ferream virgam accepit, eandem etiam aliquibus communicat; vt habetur suprà c. 2. 27. Et quanuis verum sit, virgam hanc non solùm populo sancto impertiri, sed nonnullis etiā personis singularibus; nullus tamen est peculiaris homo, qui inter Ecclesiæ filios ita emineat, vt de eo possit in Apocalypsi per excellentiam dici, esse primogenitum Ecclesiæ filium; qui prædictus fuerat omnes gentes in virga ferrea recturus,

Secundò. illa loquendi ratio, *Qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea*, supponit in Scriptura præsignificatum iam esse hunc filium, de quo in præsenti agitur, totius mundi moderatorem ac Principem futurum. Hoc autem in toto veteri testamento de nullo singulari primogenitæ Ecclesiæ filio prædictum fuisse comperiemus; secus tamen de populo aliquo sancto, de quo dicitur Danielis 7. 17. *Regnum autem & potestas & magnitudo Regni, quæ est subter omne cælum, detur populo sanctorum altissimi.* Quare illud nunc Ioannes ait, matrem Sionem peperisse filium primogenitum, in quo explenda erat Danielis Prophetia, & cuius interuentu Christus fuerat mundum recturus iuxta illud Ps. 2. 9. *Reges eos in virga ferrea.* C

Idem etiam amplius ex Isaiæ verbis solidatur.

Tertiò, quòd masculi filij nomen referatur ad populum aliquem, probatur efficaciter ex Isaiæ verbis c. 66. 7. Nec enim dubitari potest, quin isthæc Apocalypseos verba, *Peperit filium masculum*, sint sumpta ex illis, quæ ibi profert Isaias de matre Sione loquens, *Peperit masculum.* Vbi euidens est, Isaiam non de singulari persona, sed de numeroso aliquo populo loqui. mox enim post verba illa, *Sion peperit masculum*; subdit, *Quis audiuit vnquam tale, & quis vidit huic simile? nunquid parturiet terra in die vna, aut parietur gens simul? quia parturiuit, & peperit Sion filios suos?* vbi perspicuè exigit contextus, vt ille ipse, qui filius masculus appellatur, illico nominetur gens & filij multi; alioqui contextus neutiquam inter se cohæret. Necesse ergo est, vt masculus ille filius non sit singularis persona, sed clarissimus aliquis populus.

Quartò, cùm mater ipsa non sit peculiaris aliqua mulier, sed Ecclesia primogenita; nihil mirum, si filius primogenitus sit alia illustrissima Ecclesia. Sic enim sæpe loquimur: vt cùm dicimus Coloniam aliquam fuisse Romæ filiam, aut Religiosorum aliquem conuentum esse alterius filium, siue ab altero per filiationem ortum. Et in sacris Literis deprehendimus Israëlitico populo in suis primordiis nomen filij parui attribui; vt patet Oseæ 11. 1. *Puer Israel & dilexi eum.* &, *Et ex Aegypto vocaui filium meum.* Iere. 31. 20. *Filius honorabilis mihi Ephraim, puer delicatus.* Luc. 1. 54. *Suscepit Israel puerum suum.* Ex quibus facile elicitur, sicut nomen parui pueri, & Dei filij potest integro populo applicari, ita similiter posse filium Ecclesiæ primogenitum vocari: atque adeò aptissimè fingi illum. Deo parente, ab Ecclesia primęua vt à matre in lucem suscipi. D

Qui populus siue gens in masculo puero adumbretur.

Vidimus iam, primogenitum huius mulieris filiū non de peculiari aliqua persona, sed de Ecclesia aliqua, siue populo esse explicandum. At enim quinam populus hic, siue Ecclesia in puero figurata? Ribera opinatur Apocalypsin ex hoc loco agere de euentis sub Antichristi tempora futuris: nimirū de Ecclesiæ renouatione extremis illis temporibus, & de insigni sanctimonia, qua Deus suos fideles ornabit ac muniet. Mihi tamen, vt verum fatear coactum planè videtur in huius figurę interpretatione primogenitam Ecclesiam prætermittere: & ad Antichristi tempora mentem adiicere, Præsertim, cùm omnia, quæ textus asseuerat, congruenter ad primogenitam Ecclesiam aptentur? cumque tot difficultatum salebræ in Riberæ expositione intercurrant.

Opinio Riberæ ex de re improbatur.

Nam in primis in ea explicatione constituendum est, huiusmodi figuram ex proprio loco in alium per anticipationē trāsferri, vt fatetur Ribera §. 1. & 25. Deinde Apocalypsis (iuxta interpretationem

Digitized by Google

A nem eandem) omittit prorsus exitum earum persecutionum horribilium, quas Romanum Imperium idololatriæ additum aduersus Ecclesiam commouit; & ad Antichristi persecutionem repentè transgreditur: quasi verò ad septem Asiæ Ecclesias (quibus liber hic mittebatur) magis spectaret de Antichristo vaticinium, quàm finis persecutionis illius, quam à Romano Imperio videbat excitari. Præterea, quasi victoria de Romano Imperio obtinenda, & idololatriæ ex eiusdem Imperij finibus depulsio, res forent parui admodum momenti, non secus sibi persuadent, qui hæc omnia ad Antichristum referunt, duo illa in Apocalypsi inuolui silentio: cùm tamen eâ tempestate tantopere Ecclesiam solicitudine, & anxietate suspensam tenerent. Præterquam quòd si res ipsa (Romæ inquam conuersio, & idololatriæ expulsio) attentè consideretur; adeò est excellens ac præstans, adeoq. difficilis, vt nihil vnquam secũdùm humani generis redemptionem maius aut mirabilius post hominum memoriam patrârit Deus. Ad hæc, si in hac figura intendatur animus ad eas persecutiones, quas tunc Ecclesia sustinebat, & ad glorioſum earum exitum; totus planè nobilissimæ huius actionis decursus, nullâ anticipatione interposita, continuato filo & aptè inter sese cohærenti ad finem vsque contexitur. Si autem hæ Apocalypseos figuræ in primario sensu ad Antichristi tempora referantur; perturbetur omnino ordo, & plurimæ anticipationes ac transgressiones adsciscãtur, necesse est. Atq. vt exemplo aliquo confusio hæc, & violentia expositionis patescant; nescio certe quid clarius & manifestius possit exprimi, quam consecutionis ordo, quo narrat Apocalypsis, draconem, maris bestiã, & bestiam terræ acerrimum inferre bellum Ecclesiæ. Ex quibus conflictionibus Christum demum euadere victorem, & maris ac terræ bestias in stagnum ignis ardentis immitti; draconem autem in quadam abysso primùm alligari; deinde post mille annos solui: & eum rursus contra Ecclesiam bello infestissimo exardescere. Quid ergo magis aut violentum, aut confusum fingi aut excogitari potest: quàm draconis, marinæ belluæ, atque terrestris prælia post mille illos pacis annos reiicere. Præterea, primum draconis bellum, quis non videat, inde ducere exordium, quòd infantem à muliere edendum deuorare voluerit? Nonne coactum omnino est, & planè tumultuarium, si bellum hoc draconis post mille ipsius ligationis annos protrahatur? An verò in textu ipso non euidens est, post primum illud bellum fuisse draconem per mille annos constrictum? Impossibile igitur est, bellum illud ab ipso dracone post mille annos susceptum, esse omnino idem, quod Apocalypsis cap. 12. recenset.

Sermonem hic esse non de Antichristi, sed de primitiua Ecclesia tẽpore.

Superior assertio ex Apocalypseos filo ac serie probatur.

B

Ex his meo iudicio manifestè infertur, mulierem hanc, quæ filium parit, esse Ecclesiam primogenitam, vt suprà explicauimus: ac proinde infantem recens natum aliquam esse Ecclesiam, quam Christo primogenita Ecclesia peperit. Quod cùm ita sit; existimabit fortasse quispiam, cùm mater sit primæua Ecclesia ex Iudæis Christum eo tempore suscipientibus coacta, filium ipsius esse fideles omnes, quotquot ex Gentilico populo per primogenitæ Ecclesiæ prædicationem ad Christum

C aggregatæ fuere. Huic enim populo videtur mundi Regnum fuisse promissum. Nam Synagogâ repulsâ, & compluribus primogenitæ Ecclesiæ filiis pro Christi fide interfectis, remansit quasi princeps ac Regina Ecclesia illa, quæ ex Gentibus fuit euocata, quæ nimirum diuino deinceps lumine annuente toti terrarum orbi dominata est. Hæc declaratio, si filij primogeniti à matre Sione suscepti symbolum ita explicet, vt non ad singularem aliquam Ecclesiam applicet, sed ad vniuersalem, quæ Ecclesias omnes in Gentilitate erectas comprehendat, in hac inquam acceptione repugnat ipsi contextui. Agitur enim distinctè in hoc capite de primogenito vno filio ad aliorum natu minorum differentiam, & perspicuè num. 17. dicitur mulier præter filium primogenium alios Christo filios procreasse. Necessarium ergo est, primùm huiusmodi filium esse intelligendum, non de vniuersis siue fidelibus singularibus, siue populis, quos primitiua Ecclesia ex Gentilitate conuertit, sed de peculiari aliqua Ecclesia in Romani Imperij prouinciis fundata. quæ sit à ceteris distincta, sed earum tamen Princeps & caput, quemadmodum filius primogenitus inter fratres reliquos obtinet principatum.

Vera sententia infantem masculum esse peculiarẽ aliquam Ecclesiam, non vniuersalem fidelium omniũ cœtum.

Hæc ratio in eo imprimis nititur, quòd Apocalypsis non asserit solùm, quemadmodum Isaias, filium masculum à matre Sione fuisse genitum, sed distinctè loquitur de hoc filio, vt de primogenito, ad quem dominatio atque imperium spectabant. Additque post hunc filium alios insuper à primogenita Ecclesia fuisse susceptos. Quapropter apud Isaiam nomine filij masculi rectè posset intelligi Catholica Ecclesia ex Gentibus congregata, quæ fideles omnes ex Gentilitate ad Christi fidem euocatos comprehendat. In Apocalypsi autem necesse est, filij masculi significationem ad singularem Ecclesiam coarctari. Et quamuis meritò etiam dici possit, sceptrum ferreum Ecclesiæ Catholicæ fuisse traditum, hoc tamen in vniuersali Ecclesia ratione sui capitis verum esse comprobatur. Nec aliud indicare voluit Apocalypsis, nimirum inter Christianos populos esse vnum ceterorum primogenitum, quem propriè attingat in omnes nationes mundi dominatio; quæ in ferreo sceptro figuratur. Quemadmodum verò Catholica Ecclesia in suo capite, nempe in Romana regnat, sic etiam Romana Ecclesia in suo capite, id est, in Romano Pontifice.

D

Cùm ergo Apocalypsis inter Ecclesias omnes, quæ per mundi prouincias sunt institutæ, singularem vnam, vt primam ac ceterarum principem designet, eamque asserat esse filium masculum, qui recturus erat Gentes in virga ferrea. Quis erit, non dico ex Catholicis, sed vel ex ipsis hæreticis, qui verisimilitudine aliquâ audeat Ecclesiam aliam à Romana destinare, quæ verè dici possit filius primigenius & præcipuus Ecclesiæ primogenitæ, & cui singulariter ferreum Christi potestatis sceptrum conueniat? Si quis fortè in tota Scriptura reperiretur locus, qui explicatè assereret (ita vt vel hæretici inficiari non possent) inter peculiares Ecclesias esse vnam ceterarum reginam & caput, nũmne aliquis fuisset ausus hanc primatus prærogatiuam Ecclesiæ alteri, præter Romanam deferre?

Filij demum masculi nomine Romanam Ecclesiam adumbrari.

Digitized by Google

Nullus, opinor adeò insaniret, vt aliam à Romana, caput ceterarum assignaret. Tametsi enim eò aliquorum impudentia peruasit, vt se ex Romani Pontificis obedientia exemptos dicerent; & præfracto ore blaterarent, Romanam Ecclesiam non esse caput reliquarum, sed aliquas præterea æqualis esse dignitatis. Nihilominus inauditum est, fuisse quempiam, qui tam Romanam Ecclesiam, quàm reliquas omnes opinaretur esse subiectas peculiari alteri Ecclesiæ ex iis, quas primogenita Ecclesia fundauit. Si ergo nullius petulantia eò erupit, vt aliam Ecclesiam à Romana constituere auderet Principem ceterarum omnium cui per antonamasiam & per primigenij iura ferreum sceptrum supremæ dignitatis congruat: consequenter debemus fateri, cùm Apocalypsis singularem Ecclesiam vt natu maiorem inter reliquas designet, hanc neutiquam esse à Romana Ecclesia diuersam. Quòd verò inter primogenitæ Ecclesiæ filios designet Apocalypsis vnum primigenium & ceterorum caput, existimo suprà me efficaciter probasse. His accedit, quòd Apocalypsis in hac excellentia, quam Romanæ Ecclesiæ præ ceteris omnibus defert, alludit ad eam prærogatiuam; quam illi etiam Canticorum liber attribuit. & singillatim c. 6. 8. Cui loco lucem affert Apocalypsis allusio, & alterum ab altero corroborantur; vt in eius loci expositione videbimus. A

Romana Ecclesia excellentia & primatus inter Ecclesias ceteras.

Proponitur duplex difficultas in prædicta expositione.

Enimvero, vt huius expositionis veritas magis eluceſcat, oportet duabus satisfacere obiectionibus, quæ possent nostræ declarationi opponi. Altera est eiusmodi. In c. 19. iuxta nostram acoluthiam agitur de Romana Ecclesia, & Agni sponsa appellatur; nec non celebrantur nuptiæ. Non igitur cohæret, vt Ecclesia eadem nunc filius masculus, nunc Agni sponsa appelletur. Altera obiectio est, Textus ipse exprimit, post filij masculi ortum, in desertum effugisse ipsius matrem; vt habetur n. 6. & n. 13. desertum autem propriè Gentilitatem denotat. Quare in Gentilitatem fugere, perinde est, ac cõmigrare ad Gentes; si ergo hæc fuga post filium masculum iam natum accidit: masculus igitur filius non potest Ecclesiam Romanam indicare; nam Ecclesiæ huius natalis non contigit ante primogenitæ Ecclesiæ fugam ad Gentes, sed potiùs admirandus extitit fugæ illius fructus. B

Prima difficultas soluitur.

Ad primam difficultatem Respondeo, vnius populi figuram vtroque modo proponi aptè potuisse, nimirum & sub specie viri, & sub sponsæ etiam forma. Nec ratio vlla vrgebat ne qua in figurâ varietas inesset: quinimo diuersitas ipsa deseruiit, vt figura altera alterius defectum suppleret: Et quidem congruenter satis duabus hisce figuris fuit suus cuique locus distributus; nam in ca. 12. ad denotandam partus ipsius felicitatem & robur ac fortitudinem sanè quàm masculinam, quæ Romanæ Ecclesiæ in ipso sui exortu fuit indita: appositè masculi figura illi aptatur. Posteà verò c. 19. vbi pacis tempus depingitur, quando per Romanę Ecclesię prędicationem & auctoritatem Prouinciæ omnes Euangelij iugum erant subituræ, (quod miram præ se fert fæcunditatem) tunc inquam sponsæ figura & species valde fuit opportuna: & ipsa desponsationis ac nuptiarum celebritas congruentissima extitit, ad publicam Christianæ Religionis professionem notandam, vt suo loco dicemus.

Soluitur secunda.

Ad secundam difficultatem. Quanuis primogenita Ecclesia à Deo edocta eò potissimum intenrem adiecerit, vt idololatriæ impietatem penitùs ex mundo depelleret, & Euangelij luce Gentes illustraret: & quanuis eam ad rem decreuerit Romanam Ecclesiam erigere, quæ Christiani imperij caput esset: ceterùm ad hunc ipsum finem, diuinæ prouidentiæ consilium ita statuit, vt Romana Ecclesia in Iudæis ipsis Romæ degentibus exordium sumeret; & idcirco Petrus ac Paulus se Romam contulerunt, qui prædicationis efficacitate ex eis priùs Iudęis, qui Romæ erant, bonam ad Christum partem traduxerunt; in quibus Romana Ecclesia fuit inchoata. Hoc planum fit ex Apostolorum actibus, & ex historia Ecclesiastica. Et verò ita fieri decebat diuinæ prouidentiæ suauitatem pariter ac fidelitatem. Ex hinc Romę eodem modo se res habuit, ac prius Ierosolymę, nam prę obstinatis ac rebellibus pauci fuêre Iudæi, qui se ad Christum adiunxerunt. Deinde multi paucos aliter cœperunt insectari. Cùm autem hæc persecutio coorta fuisset Romæ, quæ Gentilici populi caput erat, fideles à Iudæis perfidis diuexati, cùm viderent operam cum eis ludi, vtpote cum obduratis omnino & obcæcatis, ad Gentes prædicationis suæ vim transtulerunt. Atque hîc propriè locum habet mulieris fuga ad Gentilitatis desertum. Hac igitur ratione intelligitur primogenita Ecclesia filium peperisse masculum (hoc est Romanam fundasse Ecclesiam) antequam ad desertum Gentilitatis euolaret. Nam Romana Ecclesia fuit primò instituta in iis, qui ex Iudæorum Romæ existentium cœtu, Christi fidem amplexi sunt. C

Quo sensu filius masculus dicatur omnes gentes in virga ferrea recturus.

QVI RECTVRVS ERAT OMNES GENTES IN VIRGA FERREA] De ferreæ virgæ symbolo diximus latè suprà cap. 2. 26. Illud hîc solùm addo, sermonem esse in hoc loco de ea singulatim Ecclesia, cui statutum iam erat, vt summa traderetur potestas ad nationes omnes Christo conuertendas, & ad eas edomandas Christi virga: quæ quamuis rigoris speciem præferat, sub ea summus includitur fauor, & ingens efficacitas ad animorum conuersionem, vt suo loco explicatum est. Iam mundi conuersionem per Ecclesiam Romanam, & eiusdem auctoritate per ipsius legatos esse factam, ex historiis Ecclesiasticis liquidò constat. Atque id significatur in virga ferrea, de qua hîc sermo est; & in huius pariter virgæ excellentia ac summa persecutione continetur vniuersalis auctoritas, qua Ecclesias omnes tanquam caput flectit ac moderatur. Et de veritate quidem supremæ potestatis, quam habet Romana Ecclesia, ab aliis est egregiè contra hæreticos disputatum. Quare hac de re ad eos auctores refero lectorem. Mei enim muneris solùm est ostendere, quàm sit aptum virgæ ferreæ symbolum ad supremæ potestatis significationem: nec non demonstrare in hoc Apocalypseos loco de Romana Ecclesia sermonem instituì, quorum vtrumque, ni fallit animus, satis iam manet explicatum. D

ET RAPTVS EST FILIVS EIVS AD DEVM, ET AD THRONVM EIVS] Omitto aliorum expositiones à nostra serie alienas, vt de Christi ascensione in cælum, aut de gloria Sanctorum post martyrium

Digitized by Google

A rium (quæ est Ambrosij, & Riberæ) & alias similes. Et quidem cùm hic filius, quem peperit fœmina, Romanam Ecclesiam in suis primordiis adumbret; quod nunc subiicit textus, nempe, *Raptus est filius eius*, &c. manifestam continet allusionem ad id, quod dicitur de Ioas 4. Reg. 11. 2. quem ipsius amita, *vxor Pontificis Ioiada furata est de medio filiorum Regis, qui interficiebatur, & nutricem eius, & abscondit eum a facie Athaliæ, &c. erátque cum ea sex annis clam in domo Domini*, nempe in cubiculo lectulorũ; vt habetur 2. Paral. 22. 11. quod erat fortassis penetrale aliquod in superiore templi parte. Quemadmodum igitur Deus in sua domo protexit Ioas, quia regnum erat moderaturus; ita etiam Deus ipse, qui Romanam elegerat Ecclesiam, vt in suo eam throno collocaret, tutatus illam fuit à dæmone, qui recens ortam deuorare cupiebat; vt hoc pacto portæ inferi non prævalerent aduersus eam. Atque etiam dum Romanus Pontifex Christi vicarius cõstituitur; masculus ille filius in thronum euehitur. Nam ratione Romani Pontificis verè dicitur Ecclesia Romana Dei thronum in terris habere. Qua etiam ratione idoneè intelligitur, puerum ad Dei thronum fuisse raptum, non vt defenderetur solùm, sed etiam vt in throno ipso locaretur. Fateor tamen simplicius esse, vt pueri raptus ad Deum & eius thronum, non referatur ad ipsius sessionem in throno, sed ad defensionem, & à furore draconis glutire cupientis liberationem. Nam vt infans ex draconis ira atque furore eripiatur, non potuit tutior locus, atq. adeò aptior cogitari, vt elegantissimè canitur Psal. 90. *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur*, ab ipso Psalmi exordio vsq. ad exitum. Et eiusmodi interpretationi rectiùs congruit allusio ad historiam Ioas. In qua historia obseruãdum est, per nomen *Ioas* significari ignem Dei: lucerna autem Dei solet in sacris Literis regiam potestatem indicare. Quapropter illud in hac allusione videtur adumbrari, videlicet ne tempestatis impetus (quæ ad extinguendam Dei lucernam in Romana Ecclesia accensam excitabatur) Dei ignem, atque adeò Ecclesiam ipsam in suo exordio extingueret, idcirco diuinæ prouidentiæ patrocinio eam fuisse protectam, & custoditam: dum Deus ipse illam in suum intulit tabernaculum, & quasi manu oppositâ *lumen defendit ab aura*.

Qua ratione dicatur filius masculus ad Deum eiúsq. thronum raptus.

Ioas quid sonet.

B

Secundùm ea, quæ diximus, puerum rapi, & in Dei tabernaculum introduci, non aliud erit, quàm per singularissimam Dei potentiam à dæmonis eripi rabie. Verumtamen bifariam fideles à Deo ex tentationibus liberantur. Primò, cùm Deus ipse dæmonis oppugnationes temperat, nec patitur eos tentari supra id, quod possunt. & quamuis huiusce modi ad pueri recens nati speciem sit idonea, & in hac prouidentia dæmon potuerit animaduertere, suam omnem confidentiam, & puerum vorandi studium irrita atque inania euasisse, nihilominus alius est liberandi modus multò Romanæ Ecclesiæ glorioſior in suis præsertim initiis, & huic textui congruentior, nec non Dei intentioni, qui dæmonem ipsum & tartareas potestates hoc pacto sapientiùs elusit. Huiusmodi autem eripiendi modus est, fidelibus ipsis ac iustis hominibus affluentem diuini Spiritus copiam, id est,

Explicatur adhuc magis modus, quo infans dicitur ad Deum delatus & ad eius thronum.

C magnam sanctitatem atque sapientiam elargiri; ita vt quantumuis sæuissima coorìatur tempestas, non tantùm cælestem eorum ignem non extinguat, sed etiam magis magisque suis flatibus augeat. Quæ Spiritus abundantia fuit à Deo affluenter satis Romanæ Ecclesiæ in suo exordio collata. Ad hæc, figura illa inducendi puerum in ipsum Dei thronum, veluti in sancta sanctorum, est etiam huic significationi aptissima. Hoc enim significat apud Paulum, propalatam esse sanctorum viam; videlicet ianuam sancti sanctorum esse patefactam, vt eò fideles confugerent, & maximam illam sanctitatem ac sapientiam participarent, quæ illis Christus propriâ morte acquisiuit: quæ nimirum duo per duos Cherubinos significari, vidimus iam capite quarto. Quamuis autem singularis Dei defensio ac patrocinium, quo tentationes attemperat, ac modificatur, sit maximum beneficium, quo fideles securi reddantur; negari tamen non potest, quin secunda protectionis ratio sit multò excellentius beneficium, & gratia multò sublimior. Atque hic est modus longè nobilissimus iustos præstandi securos. & ea ratione inter maxima quæque pericula, minas atque tormenta, qui intra Dei tabernaculum est receptus, & largam diuini Spiritus copiam imbibit, qua in Christo fit radicatus ac fundatus; næ ille meritissimè dicitur ita esse protectus ac securus, vt summâ fruatur pace ac tranquillitate, nec eò possint dæmonis machinæ peruadere.

Deinde, sensus hic est multò congruentior huius capitis scopo; in quo quasi ob oculos propo-

Superioris explicationis confirmatio.

D nitur quàm irritus atque elusus dæmon euaserit, quamque è sua futili spe fuerit in terram deiectus: propterea quòd experimento didicerit, tantam à Deo opem & auxilium Romanis nuper conuersis impertiri, vt nulla sibi eos deuorandi reliqua fuerit spes. Nam diuini Spiritus copia eos tutos atque securos nihilo secius reddebat, quàm si in ipsa sancta sanctorum fuissent illati. Quòd euidenti erat argumento, Deum omnino decreuisse per Romanam Ecclesiam firmiter stabilitam ex toto terrarum orbe funditus idololatriam amandare.

Fauet insuper huic explicationi allegoria filij masculi, & virilis roboris eidem inditi; quippe qui nascebatur ad dæmonis potentiam opprimendam. Namque vt Hercules ab ipsis incunabilis ostendisse fingitur, nulla deinceps monstra aduersus illum fore superiora, quando vel infans in cunis degens, serpentes ipsum adortas oppresserat: ita in Christiani populi recens erecti robore inuicto, ac virtute planè masculâ maximè enituit, quantam postea stragem fuerat in inferorum draconе ac serpentibus facturus. Vt autem denotaretur spiritalis tranquillitas atque pax Romanorum nuper ad fidem conuersorum in mediis ipsis procellis, quas in eos dæmon excitabat, nihil significantius, quàm asserere, filium paruulum in Dei tabernaculo siue throno esse abditum. Quin ipsum diuini throni nomen innuit Euangelicam sapientiam & sanctitatem, qui sunt duo mystici throni Cherubini, vt diximus c. 4.

Digitized by Google

TEXTVS.

Vers. 6. Et mulier fugit in solitudinem: vbi habebat locum paratum à Deo, vt ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta.

COMMENTARIVS.

Cur filius paruus in Dei thronũ assumptus; mater verò in solitudinẽ fugisse dicatur.

QVod ad ipsam figuræ speciem attinet, eiusmodi esse videtur, vt infans à muliere editus sit in sancto sanctorum occultatus; & mater ipsa fuerit derelicta, vt eam persequeretur draco; tum verò ipsa in solitudinem effugerit. Itaque pueri perfugium & asylum fuit sancta sanctorum; matris verò non aliud fuit, quàm vt fugâ saluti consuleret, seque in eremum reciperet; atque in speluncam abderet, sibi à Deo præparatam: quare Paulo primo eremicolæ parauit. Ex hac figura inferet quispiam, puerum paruulum, vtpote tenerum ac delicatum, à Deo fuisse ex tentatione ereptum: atque adeò dæmoni non fuisse potestatem permissam, vt eum oppugnaret: matrem verò, vt quæ adultâ iam ac robustâ virtute erat, serpentis furori fuisse expositam, diuino tamen præsidio securam, nequid à serpente caperet detrimenti. Ceterùm tametsi verum est, primogenitæ Ecclesiæ virtutem fuisse præstantiorem, quàm filiorum, quos ipsa Christo procreabat: nihilominus sanctitas fidelium, quos masculus hic puer designat, adeò fuit vegeta ac fortis, vt protinus potuerit validissimè serpentis persecutioni obsistere. Atque ex Ecclesiasticis historiis liquet, ex fidelibus recenter ad Christum traductis, complures egregia constantiæ ac fortitudinis documenta dedisse. Suprà autem vidimus, hoc optimè cohærere cum illis textus ipsius verbis, *Raptus est* (puer) *ad Deum, & ad thronum eius.* Quamobrem, cùm dicitur nunc mulier in solitudinem fugisse: verba hæc non ita sunt explicanda, vt sit sensus, mulierem fuisse expositam ei persecutioni, è qua ereptus fuit puer: ac propterea illam in solitudinem effugisse.

Redditur ratio discriminis.

Discrimen igitur in hoc minimè situm est; sed in eo vel maximè, quòd in pueri specie de Christianis ad fidem nuper traductis sermo est: at in matris figura de Apostolicis prædicatoribus agitur. Illud autem in nuperis fidelibus erat imprimis mirandum, eos scilicet inter sæuas persecutionis procellas tanta pace & tranquillitate frui, id quod eleganter repræsentatur in eo, quod puer sit raptus ad Deum & ad thronum eius. etenim eius fortitudo atque tranquillitas in terrestribus bonis contẽnendis ita fuit, firmiter Deo adhærendo. Verùm Euangelicos prædicatores non attingebat solùm pax atque constantia in mediis persecutionum turbinibus: sed etiam vt tempori morem gererent, & suum accuratè munus Euangelium prædicandi explerent, atque adeò Christi obtemperarent præcepto, Matt. c. 10. 23. *Cùm persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam,* videlicet ad Euangelium fructuosè disseminandum, ne in obduratorum cultura, temporis iactura nequidquam fiat.

Hunc ad finem expediens fuit, vt mulier in solitudinẽ fugiens fingeretur. Qua in re illud supponitur, post primogenitum fœminæ filium exortum, id est post nouam Romæ Ecclesiã in Iudæis Euãgelium suscipientibus fundatam, draconem obstinatorum Iudæorum interuentu horribilem suscitasse persecutionem aduersus Christi fidei prædicatores, hos propterea ex hac persecutione iuxta Christi consilium fugientes, vel Iudæorum potiùs perfidorum duritiæ supersedentes in desertum (vt textus ait) confugisse.

Desertum esse symbolũ Gentilitatis.

In qua locutione primò notandum est, per desertum proculdubio figurari Gentilitatem. Hanc enim esse Scripturæ phrasim disertè docent Clemens Alexandrinus, Origenes, Ambrosius, Basilius, Hieronymus, Gregorius, Hilarius. Hesychius, & alij multi apud Lauretum in Sylua allegoriarũ verbo, *Desertum.* Atque ex pluribus Scripturæ locis manifestum planè est. vt Isaiæ 35. 1 *Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo.* Item c. 41. 19. *Ponam in deserto abietem.* Eademque phrasi sæpè vtitur in Psalmis Dauid, & ceteri Prophetæ, vt Ieremias, Ezechiel, & Amos.

Quid sit mulierem in desertum fugere.

Secundò nota, Christi præceptum (vt suprà vidimus) fuisse eiusmodi, *Cùm persequentur vos in ciuitate ista fugite in aliam,* Sed cùm Roma adeò esset ingens & laxa, satis fuit loci, vt præcepti eiusdem fine impleret Ecclesia primogenita intra Romæ adhuc spatia se cõtinens: nimirũ si Iudæis derelictis suę prædicationis vim ad Gentiles traducerent. Atq. ad huius transitionis nouitatem denotandam, opportunum satis fuit, vt figuraretur primogenita Ecclesia, non quidem ad aliam ciuitatem, sed ad desertum migrasse. Nam ad Gentes prædicare iuxta sacrarum Litterarum locutionem; perinde est, quasi desertum petere prædicandi gratiâ. Veruntamen, vt Iudaici populi obstinationem, subterfugeret, operæ pretium duxit in desertum Euangelij lumen inuehere.

Post Stephani martyriũ vtrùm discipuli toto terrarum orbe, an solùm per Iudæam & Samariam sint dispersi?

Tertiò nota, hoc ipsum, quod Romæ egerunt Apostoli, dum Iudæorum obstinatione derelictâ ad Gentes prædicaturi se conuerterunt, hoc inquam ipsum in reliquis ciuitatibus eos præstitisse. Sic enim *amissio Iudæorum fuit reconciliatio mundi* vt habetur ad Rom. 11. 15. Lege Actuum 13. 46. *Tunc constanter Paulus & Barnabas dixerunt, Vobis oportebat primùm loqui verbũ Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vitæ, ecce conuertimur ad Gentes. Sic enim præcipit nobis Dominus.* Præter hæc, cũ Iudęi Stephanũ martyrio coronarunt, mox subiicit textus Act. 8. 1. *Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Iudææ, & Samariæ præter Apostolos.* Circa quem locum Baronius tomo primo, anno Christi 35. fol. 244. contendit, discipulos tunc non solùm per Iudææ & Samariæ regiones, sed etiam per vniuersum orbem fuisse dispersos, atque ea ratione Christianis in diuersas, ac longè positas regiones proficiscentibus, & Euangelium prædicantibus Ecclesiam Dei feliciter fuisse propagatam. Nam qui tunc Hierosolymis excesserunt, fuêre numero ampliùs quinde-

cim-

Digitized by Google

A cim millia. Ipse tamen verius existimo, quod à Luca significari videtur, dispersionem scilicet tunc per Iudææ & Samariæ solùm regiones fuisse factam. Egressio autem ex Palæstina non tunc accidit, opinor, nisi paucorum admodum (si qui fortè fuerunt.) Si enim generalis fuisset per totum orbem dissipatio, non diceret Lucas, *Omnes dispersi sunt per regiones Iudeæ & Samariæ*, sed, *Quidam per regiones Samariæ, alij vero per remotas alias regiones.* Quod autem Baronius adducit, vt probet dispersionem toto terrarum orbe fuisse factam: euincit quidem fideles per totum orbem fuisse dispersos; non tamen id tunc accidisse probat. Quamobrem multò verosimilius est, per orbem fuisse fideles dispertitos, quando posteà vehementiùs adhuc persecutionis tempestas ingruit, & Apostoli ex Iudæa cedentes per Gentilitatem diuisi sunt; id quod nouennio posteà accidit, nempe anno Domini 44. vt videre est apud eundem Baronium, vbi accedit ad annum 44. folio 305. quo in loco ostendit, Apostolorum dimissionem euenisse anno Claudij 2. quo tempore occisus fuit Iacobus maior, & Petrus eidem supplicio destinatus, sed diuina ereptus virtute, persequente eos Agrippâ.

At mulieris fuga, de qua hîc Apocalypsis loquitur, ne tunc quidem accidit, sed post Ecclesiam Romæ iam fundatam ex Iudæis, qui Christi fidem complexi sunt. Textus enim agit de mulieris fuga post editum in lucem eum filium, *Qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea.* *Quãdo mulieris in desertum fuga acciderit.*

Hæc de nobilis huius fugæ sensu. Sed vt ad figuram ipsam, vel ideam regrediamur, dubitabit fortasse quispiam, vtrùm consideranda sit fugiens fœmina lunam secum semper sub pedibus ducere, qua innitatur. Qui enim ait, fœminam lunæ esse impositam, deinde se in fugam dare, non ideo asserit, lunam simul cum ipsa euolasse: quinimò ideo videntur alæ fuisse mulieri datæ, quòd non iam luna innitens veheretur. Præterea, si per lunam (saltem in secundario sensu, vt suprà diximus) Sanctissima Virgo indicatur, certum non est, eam etiam Iudæâ excessisse, quando Apostoli inde egressi sunt. Licet enim Concilium Ephesinum dicat, Mariam Deiparam degisse Ephesi cum Ioanne Euangelista, Epiphanius tamen id inficiatur, de quo consulendus est Baronius tomo 1. anno 44. fol. 310. & 311. *Verùm mulier cum luna pedibus supposita fugisse consideranda sit?*

Nihilominus si figuræ huius sensum penitissimum, ac mysterium præcipuum perscrutemur, haud dubiè asseuerandum est, ita esse fugæ huius ideam concipiendam, quasi mulier in desertum aufugiens semper lunæ ipsi incumbens feratur. Facilè enim intelligitur luna parili motu cum ipso fœminæ volatu illius supposita pedibus, eamque sustinens ferri. Quod autem de sanctissima Virgine dicitur, quòd tunc Iudæam non dereliquerit, nihil ad rem, nam vt Ecclesia ad nobilissimam illam expeditionem Christi & ipsius Matris auxilio nitens proficiscatur, nõ opus est illos ex Iudæa exiisse, præsertim cùm hîc non sit directè sermo de egressu ex Iudæa, sed de admirabili illa transitione, quã intra Romam primogenita Ecclesia à Synagoga ad Gentilitatem, siue ad desertum fecit. *Pars affirmans statuitur.*

B

C VBI HABEBAT LOCVM PARATVM A DEO, VT IBI PASCANT EAM DIEBVS MILLE DVCENTIS SEXAGINTA] Mulier ergo in desertum sese proripit: vbi speluncam reperit, in quam se abdat; nec defuit inibi, qui ei cibum afferet (vt coruus olim Paulo Eremicolæ:) & eo modo tres annos cum dimidio transegit. Quod autem ad sensum attinet: toto tempore, quo ab Gentes fiebat prædicatio, antequam bona eorum pars Christi fidem susciperet, primogenita Ecclesia in deserto degit. Desertum enim est (vt iam diximus) Gentilitas: vbi incommoda valde est viuendi ratio; quod significatur per habitationem in deserto: vbi leones, tigrides, viperæ, aliàque animantia noxia & efferata esse solent, cùm tamen locus ipse alioquin sit omni humano solatio destitutus. Enimverò in media ipsa solitudine, & rerum omnium defectu inuenit primogenita Ecclesia tutissimum & placidissimum in Deo refugium. Sic crebrò Deus in Psalmis & in aliis Scripturæ locis nuncupatur. Iam quod mulieri in deserto victus suppeditetur: innuit consolationem, quam Deus Euangelij concionatoribus largiebatur, quòd Dei ipsius voluntati in eo opere obsequerentur: iuxta illud Ioannis 4.34. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me.* Atque hoc solatium comitabatur fructus quàm mox demetendi expectatio, nec non primitiæ ipsæ quæ iam apparebant, *Quandiu mulier siue Ecclesia in deserto degerit.* *Quid figuretur per 1260. dies, quibus mulier in deserto erat pascenda.*

Sed addit textus: *Vt ibi pascant eam. ibi* autem idem est. atque, In deserto. Porrò ea incommodæ vitę ratio, labor ille, afflictio, atque ferarum ibi degentium formido, quæ deserti nomine figurantur, erant duratura, vt textus ait, *Mille ducentis sexaginta diebus.* Quo dierum numero vidimus iam cap. 11. tres annos & dimidiatum denotari iuxta Hebræorum & Græcorum enumerationem. Vidimus etiam ibidem, spatium hoc trium annorum & dimidij esse mysticum; per illudque significari, in media septem annorum hebdomada, hoc est breui temporis interuallo aduersitatem atque ærumnam finiri. Quare loci huius significatio est, intra paucos annos solitudinem ipsam in paradisum, & Gentilitatis desertum in Christianam Ecclesiam conuertendum fore; & tunc quidem Euangelij ministros, qui in solitudinem fugerant, in maximâ repentè frequentiâ & celebritate multorum sibi amicissimorum futuros.

D

TEXTVS.

Vers. 7. Et factum est prælium magnum in cælo: Michael, & Angeli eius prœliabantur cum dracone; & draco pugnabat, & Angeli eius.

8. Et non valuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in cælo.

COMMENTARIVS.

IN hac pugna Michaëlis cum dracone, quatuor quæstiones per ordinem occurrunt. Prima, ad quem Scripturę locum in præsenti alludatur, Secunda, de qua pugna loquatur ille locus, quem respicit

Digitized by Google

reſpicit Apocalypſis. Tertia, de qua etiam pugna Apocalypſis ipſa agat in præſenti. Quarta de perſonis ſub nomine Michaëlis, & eius Angelorum deſignatis. A

QVÆSTIO I.

Ad quem Scripturæ locum hîc alludatur.

Ad quemnã Scripturæ locũ fiat alluſio in hac pugna Michaëlis cum dracone.

I. opinio B. Proſperi.

PRoſper in dimidio temporis cap. 4. exiſtimat, viſionem hanc, in qua draco eſt ſuperatus, eandem eſſe cum illa Danielis 10.13. *Princeps Regni perſarum reſtitit mihi & ecce Michaël vnus de Principibus primis venit in adiutorium meum.* Et in fine capitis ait Gabriel, *Reuertar vt prælier aduerſus Principem Perſarum.*&c. *& nemo eſt adiutor meus, niſi Michaël Princeps veſter.* Hactenus Daniel. Si autem bellum, de quo ibi loquitur, idem eſt cum illo, de quo in hoc loco Ioannes agit, vt ſibi beatus Proſper perſuaſit; ſequitur inde, apud Danielem, dæmonem eſſe Regni Perſarum Principem. prælium enim Michaëlis, quod hîc deſcribitur, fit aduerſus draconem. Quamobrem hæc Proſperi ſententia Caſſiani & Ruperti opinioni conſentanea eſt; qui exiſtimant Regni Perſarum Principem eſſe dæmonem. B

Enimuerò meo iudicio probabile non eſt, in hoc Apocalypſeos prælio haberi reſpectum ad illam Danielis pugnam. Primò, qui communior ac receptior Theologorum ſententia eſt, Perſarum Regni Principem, de quo Daniel, non eſſe dęmonem, ſed bonum Angelum. Sic ſanè ſentiunt Theodoretus, Gregorius, Lyranus, Carthuſianus, Pererius; & ferè omnes Scholaſtici, atque imprimis D. Thom. 1.p.q.11.3.a.7. Atque ad eam alluſionem oportebat Perſarum Regni Principem, & draconem eſſe eundem. Secundò, eſto Princeps Regni Perſarum referat dæmonem: nemo ſaltem dicet eum eſſe, aut dæmoniorum Principem, aut totum dæmoniorum exercitum; quia textus illum diſtinguit à Regni Græcorum Principe. Non ergo cohæret, vt hæc Apocalypſeos pugna ſit illa eadem Danielis; cùm in Apocalypſi draco, aut dæmonum ſit Princeps, aut vniuerſa dæmonum phalanx, vt explicauimus ſuprà.

Auctoris ſententia & propoſita quæſtionis ſolutio.

Cùm ergo ſtatuerimus non hîc contineri alluſionem ad eum Danielis locum; ſupereſt in præſenti alludi ad caput eiuſdem Danielis 12.1. vbi dicitur. *In tempore autem illo conſurget Michael Princeps magnus, qui ſtat pro filiis populi tui.* Et ſtatim ex alluſione ipſa intelligitur verbum illud, *conſurget*, eſſe idem quod *exurget in prælium.* Quaſi dicat, bellum concitabit aduerſus Aquilonis Regem, (de quo in præcedenti capite fuerat ſermo,) Deinde neceſſarium eſt. Aquilonis Regem, de quo Daniel ad finem cap 11. loquitur, & hunc Apocalypſeos draconem eſſe eundem; vel ſaltem vnà conſpirare, ita vt Michael eo ipſo, quòd bellum aduerſus Aquilonis Regem ſuſcipiat, bellum etiam cum dracone gerat. C

QVÆSTIO II.

Quis ſit ſenſus illius prophetiæ Danielis cap.12.1. vbi dicitur: In tempore illo conſurget Michaël Princeps magnus.

De quo tempore agat Daniel cap. 12. initio, Variæ hac de re opiniones.

HVius quęſtionis enodatio pendet ex intelligentia illius temporis, de quo ad finem cap.11. Danielis inſtituebatur ſermo. Nam eôdem temporis referuntur verba illa, *In tempore illo conſurget Michael princeps magnus.* Qua de re variæ extiterunt auctorum ſententiæ. Prima fuit Porphirij: qui contendebat, ibi non eſſe ſermonem de aliquo Chriſtianæ Eccleſiæ bello, ſed de illo, quod Antiochus Epiphanes Iudaico populo intulit. Altera opinio fuit exiſtimantium nullo modo agi in ca.11. aut in eius ſaltem fine de Antiocho, ſed ſolum de Antichriſto. Tertia affirmat, Danielem (ſicut moris eſt Prophetarum) Iudaica tangere, & Chriſtiana reſpicere, & propterea quanuis præcipuè reſpiciat bellum ab Antichriſto, ſiue ab Antichriſtis in Chriſtianam Eccleſiam commouendum; ad hoc tamen ipſum vti comparatione belli illius, quo Antiochus Iudæorum populum acriter vrſit: dum pro virili parte Iudæorum Religionem eâ tempeſtate vigentem extinguere fuit conatus. D

Auctoris mens.

Tertia hæc ſententia mihi ſemper certiſſima viſa eſt, vt in illius Prophetiæ expoſitione oſtendam libro huius operis nono. Et quanuis exiſtimet nonnemo interpretationem hanc Hieronymo eſſe contrariam, propterea quod S. Doctor Porphyrij explicationem vehementer impugnet. Ceterùm, quod Hieronymus, & reliqui ex antiquis Doctoribus refellunt, illud eſt, quod præcipuè Porphyrius laborabat, videlicet apud Danielem nullo modo eſſe ſermonem de perſecutionibus, quas Chriſti Eccleſia erat ſubitura. Quem errorem dum veteres Doctores refutant, mirum non eſt, eos aliquando diſputationis feruore eò prouehi, vt nihil videantur loci relinquere, quo Porphyrij ſenſus ſit ſaltem, ſi non præcipuus, at quaſi fundamentum, quo principalis ſenſus innitatur. Et fortè prudentiæ fuit, ne viderentur cum Porphyrio conſentire, eò inclinare, vt nihil aſſertionis cum illo habere vellent commune: non ſolùm quia Porphyrius præcipuum negabat ſenſum, verùm etiam quia in eo ipſo, quod poſſet veluti fundamentum potiſſimæ intentionis ac ſenſus eſſe, multa errorũ figmenta permiſcebat. Quapropter ſapienter ipſius Porphyrij nugæ ac deliramenta ſunt exploſa, & de infeſto Eccleſiæ hoſte triumphatum. Veruntamen reiecto Porphyrij errore, & ſedato illius contentionis ęſtu: ſi B. Auguſtinum iudicem accerſere velimus, dubium non eſt, quin Spiritus ſanctus

ſuæ

A suæ mentis non reputet indignum, vt Daniel in toto cap. 11. agat de Antichristo, siue de Antichristis Ecclesiæ hostibus per comparationem ad Antiochum; vt hoc pacto Iudaica tangens, Christiana respiciat. Atque vt suo loco videbimus, contextus ipse vrget, ne dubitemus figuram vniuersi illius capitis, & proximum sensum (quamuis minus præcipuum) esse Regem Antiochum; & de illo haberi sermonem ad eum ferè modum, quo Psalm. 28. inducuntur Dauidis bella; vt hac ratione per comparationem agatur de bello, quod Christus per Christianam Ecclesiam cum Gentibus fuerat gesturus.

His præmissis in sensu proximo Michaël procul dubio est Mathathias, strenuus ille dux, qui Antiochi tempore, diuino zelo accensus erexit vexillum aduersus nefandas Antiochi machinationes; & veram Religionem omni virium contentione defendit atq. protexit. Nomen autem *Muhael*, ad amussim congruit Mathathiæ, quod enim illi animos fecit, vt se Antiocho opponeret, fuit potissimùm Dei zelus & maximum discrimen, quod inter Deum verum, & inter ficta Antiochi idola (quæ ipse veneranda curabat) intererat. Quamobrem ad nomen atque insigne Mathathiæ nihil aptius, quàm Michaelis cognomentum. quod sonat, *Quis sicut Deus?* quod vero textus ait, *In tempore illo*, accipiẽdum est de tempore illo angustiæ & oppressionis; vt Hebraicus exprimit textus, vbi nos legimus, *Veniet tempus, quale non fuit.* Deinde vt significaretur, sæuam illam tempestatem non fore potentem, vt

Michaëlem esse Mathathiæ figuram apud Danielem.

B veros Israëlitas submergeret, ait textus, *In tempore illo saluabitur* (Hebraicè euadet) *populus tuus omnis, qui inuentus fuerit scriptus in libro.* Mox verò innuitur, illius afflictionis tempus vlui fore, vt Deus nouos excitaret Phinees, nouosq. Elias, nec non vt noui Achabes, ac Iezabeles nouæ retegerentur. Quem ad finem subiungit textus: *Et multi de iis, qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt, alij in vitam æternam, & alij in opprobrium.* Phrasis enim Scripturæ est, & elegantiæ plena, asserere antiquos tyrannos ad lucem reuocari, nec non Mosen & Eliam, aliosque persimiles, quando viri excitantur eiusmodi, qui eorum gesta ac robur imitentur. De qua phrasi diximus cap. 11, vbi de duobus testibus. Atque hæc de proximo illius prophetiæ sensu sint obiter dicta, ceteris ad proprium locum reiectis.

Quo sensu à Daniele dicantur euigilaturi multi ex iis, qui in terra puluere dormiunt.

Iam, quod ad præcipuum attinet sensum, Christianæ Ecclesiæ prophetiam in Antiochi persecutione adumbratâ respexit potissimùm Daniel. Et quamuis Hieronymus, aliique Doctores videantur in illius Prophetiæ declaratione nihil aliud cogitare, præter Antichristi tempora: si tamen Antiochi historia seriò inspiciatur, nihil est, cur vaticinium illud ad Antichristi tempora coarctemus. Nam in ea Antiochi persecutione, quæ directè contra veram Religionem exarsit, certè fuit ad viuũ expressa non solùm persecutio illa, quam postremus ac verus Antichristus in Ecclesiam suscitabit, sed omnes etiam aliorum Antichristorum persecutiones, & Romani præsertim imperij. Illæ enim omnes eò spectarunt, vt veram ac sinceram Religionem ex toto orbe penitus exterminarent, & inanem

In Antiocho Epiphanis persecutione adumbrari persecutiones in Christi Ecclesia concitatas.

C idolorum superstitionem vero Dei cultui anteferrent.

Hoc mihi adeò fit planum, vt alia non indigeat probatione, Ceterùm ipse Apocalypseos contextus validissimæ instar confirmationis est. agit enim haud dubiè de initio persecutionis, qua Romanum Imperium Christianam infestauit Ecclesiam. Quam ad rem assumit allusionem ad Danielis prophetiam, in qua, vt dicebamus, sensus proximus est, de persecutionis tempore sub Antiocho. Sequenti tamen quæstione res fiet illustrior.

QVÆSTIO III.

De qua pugna loquatur in præsenti Apocalypsis.

NOnnullis placet, Apocalypsin hìc respicere ad bellum illud antiquum, quod in cælo inter bonos Angelos, ac malos fuit peractum; in quo communiter pro certo reputatur obstinatorum ducem fuisse Principem dæmoniorum, & ducem bonorum Michaëlem. Quem sensum hìc agnoscunt Aretas, & alij. Contextus autem manifestè ostendit, licèt ad pristinum illud bellum

De qua pugna sermonem hic instituat Apocalypsis.

D in hoc loco alludatur, non tamen de illo directè agi. Atque ea allusio non hìc reperitur solùm, sed apud Danielem etiam in sensu proximo. Ratio enim cur Mathathiæ nomen Michaëlis imponatur, fuit propter Michaëlis Archangeli imitationem. Nam vt Michaël (cùm Angeli superbi se Deo opposuerunt, & in suum conditorem conspirarunt) illis inuicto animo obstitit, eosque de cælo detrusit: ita similiter Mathathias diuinæ gloriæ zelo æstuans Antiochi & ipsorum ministrorum furori se opposuit.

1. expositio putantium de antiquo angelorum & dæmonum prælio agi.

Ribera §. 26. sentit, hoc Michaëlis prælium cum dracone citra dubitationem ad Antichristi tempora pertinere. Probat hoc ille D. Gregorij, & Aretæ auctoritate: atque etiam ex allusione ad illum Danielis locum cap. 12. 1. *In illo tempore consurget Michael Princeps magnus.* Quem locum Hieronymus & antiqui interpretes censent de Antichristi tempore esse intelligendum. Vrget etiam Ribera ex ipso contextu, qui à n. 12. huius capitis dicitur, *Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet.* Quibus ex verbis videtur necessariò colligi, prophetiam hanc ad nouissimæ Ecclesiæ tempora spectare. alioqui non diceretur dæmon, sciens sibi modicum superesse temporis, in mundi perniciem festinaturus.

2. expositio Ribera referentis ad Antichristi prælium.

Nihilominus in mea explicationis serie bellum hoc non potest Antichristi tempora respicere. Nam post hoc bellum diabolus per mille annos alligatur. Dein bellum contra Ecclesiam per Antichristum commouet. Non igitur de Antichristi bello in hoc loco disputatur. Respondet huic argumento Ribera, bellum hoc per anticipationem hoc in loco describi. Ceterùm anticipationes huiusmodi

Refellitur secunda expositio.

Digitized by Google

iusmodi violentæ minimè faciunt difficultati satis; præsertim quando tota series absque vlla prolepsi, siue anticipatione potest congruentiùs intelligi. Qua de re consulenda sunt, quæ diximus in notationibus proœmialibus. Et meo quidem iudicio violentia anticipationis hac in parte est maxima. Nam cap. 12. manifestè incipit draconis bellum; in cuius belli decursu draco ipse ad finem capitis in maris littore depingitur. Deinde cap. 13. prosequitur bellum ipsum terra marique gestum: ac demum bestia maris & bestia terræ, (quæ cum dracone coniurauerant) mittuntur in stagnum ignis; & draco siue diabolus per mille annos constrictus soluitur posteà, & iterum Ecclesiæ bellum indicit. Quid ergo violentius, quàm asserere bellum hoc capitis 12. esse illud, quod post mille annos fuit gestum? A

Respondetur 2. opinionis fundamento. Ad B. Gregorij auctoritatem Respondeo ex eodem Gregorio in proœmio libri Regum, vbi ait: *Venerabiles Patres si seriatim cuncta exponerent, quæ ex parte tetigerunt, eam seriem locutionis, quam tenere visi sunt, obseruare nequaquam potuissent.* Hæc ille. Et regula iuris est. *Quid quisque iuris in alium statuit, vt ipse eodem iure vtatur.* Adde, quòd Patres, qui de idololatriæ expulsione interpretantur illud Ioannis 12. 31, *Nunc Princeps huius mundi eiicietur foras.* omnino videntur nostræ explicationi fauere. Nam vt vidit ibi noster Maldonatus, proiectum esse draconem in terram, idem est, quod eiectum esse foras. Quare si locus ille de prima idololatriæ expulsione tractat; necesse etiam est, sermonem esse in præsenti de bello gesto à Michaële ad idololatriam ex Romano orbe depellendam. Patres verò, qui B locum illum Ioann. 12. 31. de idololatriæ eiectione exponunt sunt Cyrillus, Gregorius Nazianzenus, Basilius, Augustinus, & Gregorius ipse Magnus, quos refert & sequitur Alphonsus Salmeron tom. 8. tract. 56. & Toletus Ioann. 12.

Ad argumentum ex Danielis c. 12. 1. ex Hieronymi auctoritate petitum respondeo idem ipsum, quod quæstione præcedente dixi; nempe Danielem in sensu proximo de bellis Antiochi vaticinari, quapropter in iis verbis sub Michaelis nomine Mathathiam intelligit. Quid ergo prohibet, Apocalypsin in præsenti ad proximum verborum illorum sensum alludere? Quidve obstat, vt in Antiochi bello Mathathias Dei zelo succensus acriter Antiocho obstitit, ita etiam in dæmonis persecutione aduersus Ecclesiam (quando illa idolorum cultum pellere ex orbe curabat) exurgere similiter admirabilem alium Mathathiam? Si autem primo illi Mathathiæ Daniel Michaelis nomen indidit: hoc ipsum nomen & allusio ad antiquum cæli bellum congruunt potiori iure nouo Mathathiæ, de quo in Apocalypsi sermo est. Quem sensum, existet, opinor, nemo, qui aut parum aptum, aut malè cohærentem dicere possit.

Iam verò, si (vt mihi persuasum est) Daniel eo loci in præcipuo sensu non agit solùm de Antichristi tempore, sed æqualiter de persecutionibus in Ecclesiam excitandis ad veram Christi Religionem extinguendam, si hic inquam est Danielis Prophetiæ scopus, inter huiusmodi persecutiones primum illæ locum obtinent, quas Romanum Imperium idololatriæ addictum à Nerone ad Iulianum vsque commouit. Quare Apocalypsis de hisce persecutionibus loquens potuit alludere non modò ad proximum Danielis sensum de bellis Antiochi, sed etiam ad sensum præcipuum de G iis persecutionibus, quibus Gentes Ecclesiam oppugnaturi erant.

Licet autem daremus, Danielem nullo modo de Antichristi bellis loqui, nec de Romani Imperij persecutionibus, sed solùm de persecutione illius, qui per antonomasiam vocatur Antichristus, congruenter adhuc potuit in Apocalypsi tractari de Romæ ethnicæ persecutione per allusionem ad persecutionem Antichristi. Nam & Ioanni mos est loqui de iis, qui Christum persequuntur sub allusione & nomine extremi Antichristi, vt cùm ait, *Audistis, quia Antichristus venit: & nunc Antichristi multi facti sunt*, 1. Ioan. 2. 18.

Quo sensu dicatur dæmon, sciens quia modicũ tẽpus habet. Ad confirmationem ex contextu desumptam Respondeo, cùm quis dicit, parum tibi temporis residuum esse, non esse necessarium, vt diem iudicij iam imminere credat, satis namq. est si suspicetur, parum temporis sibi restare ad rem aliquam patrandam. quam aut præ manibus habeat, aut absoluere desideret. Quare vbi dæmon erectam iam vidit Romanam Ecclesiam, & Euangelij semen toto terrarum orbe cum maximo prouentu dispergi, credens paucis pòst sæculis idololatriã ex toto fore Romano Imperio exturbandam, potuit verè dicere, parum sibi supereſſe temporis, quippe Euange- D licæ prædicationis efficientiam esse maximam, ac proinde paruum satis tempus sibi iam reliquũ esse illius Imperij, quo mundum tot retro sæculis per idololatriam occuparat, parum etiam ad suum Imperium tuendum ab eorum incursionibus, qui illud in Christi ditionem ac potestatem redigere tentabant. Notũ autem est, *Modicum & multum*, dici relatiuè. Nam ad res aliquas applicatur iure modicũ, quod ad alias verè est maximum. Considerata ergo glorioſi & admirandi facinoris magnitudine, (cuiusmodi erat idololatriam ex orbe penitus ablegare) meritò quidem paruum tempus appellatur duorum aut trium sæculorum spatium, præsertim quia in aliquot orbis partibus Euangelij prædicatorum intentio effectum multò antè fuit sortita. Quare respectu aliquarum Gentium multò minus fuit interuallum. Quamobrem ex eo, quòd citò dæmon expelli incipiendus erat, dixit Christus Ioannis 12. 31. *Nunc Princeps huius mundi eiicietur foras.* Quòd si locutionem ipsam inspiciamus, non minus spatij opus est, vt dicatur *Nunc*, quàm vt asseratur parum supereſſe temporis, & vocem quidem *Nunc* referunt Patres ad actualem idololatriæ expulsionem, vt suprà vidimus.

Auctoris demum sententia de hoc Apocalypseos prælio. Ex hactenus dictis infero, quod textus ait, *factum est prælium magnum in cælo*, referendum esse ad bellum, quo dæmon fuit depulsus ex imperio, quod in orbe per idololatriam obtinebat. Atq. hic sensus mirificè consonat cum præcedenti fuga mulieris in desertum. Nam fuga illa nihil aliud fuit, quàm Iudaicũ populum derelinquere, & ad Gentilium conuersionem commigrare. Qua in re includitur bellum illud acerrimum, quod geri opus fuit, ad dæmonem ex suo Imperio deturbandum.

QVÆ-

Digitized by Google

A

QVÆSTIO IV.

In qua explicatur, quasnam personas textus assignet sub nomine Michaelis, & illius Angelorum.

QVamuis ex superiore quæstione iam constet, hoc Apocalypseos bellum esse illud, quod idololatriæ impietatem ex orbe exegit; non tamen adhuc declarauimus, quis ille sit, qui Michael hîc nuncupatur? qui ipsius Angeli? Quare locus hactenus supersse videtur, vt hæc nomina ita accipiantur, ac sonant. Nam sicut pugna inter Angelos fuit exorta de filiorum Israëlis in Babylone adhuc manentium liberatione, vt habetur Danielis 10. & in ea fit peculiaris mentio Michaelis: haud secus compertum est, Michaelem & Angelos beatos interfuisse etiam in bello, quod Ecclesia idololatriæ inferebat, atq. Ecclesiæ ipsi opem tulisse: & eorum auxilio glorioſissimam fuisse victoriam reportatam. Hunc sensum imprimis illud iuuat, quòd cùm textus ipse de Michaele & eius Angelis explicatè loquatur, minùs videatur decorum, nec satis grati animi præ se ferens, si nomen Michaelis ipsius & Angelorum pro ænigmate vsurpetur, & ad diuersum alium sensum detorqueatur. Secundò diaboli

B nomen in præsenti accipitur propriè: similiter ergo erit nomen Michaelis accipiendum, siquidem prælium committitur inter Michaëlem & dæmonem. Tertiò, nomen Michaëlis in sensu proprio sumitur apud Danielem c.10. vbi sermo est de bello, erit igitur hîc eodem modo vsurpandum, vbi de bello etiam sermo est.

Quinam sub Michaelis eiusque angelorum nomine figurẽtur?

I. sententia hæc nomina ita accipiens, vt sonant.

Censeo tamen nihilominus Apocalypseos scopũ fuisse eiusmodi, vt Michaëlis persona hîc attribueretur Christo Domino, & Michaëlis Angelorum personæ ipsi exercitui ministrorũ Euangelij & prædicatorũ, quibus Deus hoc bellũ idololatriæ faciebat. Ac primò nihil est, cur nouum & insolitũ videatur alicui, si in ænigmate persona aliqua supponatur pro alia (vt vidimus in Mose, & Elia capite 11.) id enim non solùm non est inconueniens, sed potiùs si aptè fiat, elegantissimum est. Deinde quanuis Michael & Angeli homines defendant, ac protegant in iis omnibus, quæ ad summi Dei obsequium spectant; & idcirco bona illos gloriæ pars in his victoriis attingat: verùm quando sermo incurrit de bello, quo dæmon fuit ex mundo eiectus; quis non videat, meliùs & congruentiùs egregium hoc facinus Christo vt Imperatori, & Prædicatoribus Euangelicis vt militibus adscribi? Tertiò, si Apocalypseos tam finis, quàm stylus attendatur; certum est in ea sæpè Angelorum nomine Christum & viros Apostolicos designari. Nam Christus est Angelus ille fortis capitis decimi, & Dei Prophetæ sunt Angeli tubarum, Euangelici item concionatores phialarum Angeli. Quartò ipse-

C met exponit contextus, eos ipsos, qui pugnarunt atque vicerunt, esse Euangelij prædicatores in Christi Sanguinis virtute ac robore, ait enim; *Proiectus est accusator fratrum nostrorum: & ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, & propter verbum testimonij ipsorum, & non dilexerunt animas suas vsque ad mortẽ.* Hi ergo Angeli victores sunt prædicatores Euangelici, qui in ipso marte pro Christi Religione mortem constanter oppetierunt: atque adeò Michael erit in hoc loco Christus Dominus. Quintò, bellum hoc non situm erat in mentium & animorum diuersitate, sed in concionibus efficacitatis maximæ, & in testimonio proprij sanguinis, quo veram Religionem Martyres moriendo confirmarunt. Quapropter licet Angelorum auxilium magni fuerit ad victoriam momenti; si tamen idoneè sit loquendum, Angeli non auxilium hominibus præstitere in eo bello depugnando; sed ipsis Christi militibus arma suggerendo, eosque ad prælium excitando.

II. sententia Auctoris Michaelem explicantis de Christo Domino, & eius angelos de Euangelicis concionatoribus.

Sextò, tam figura, quàm nomen Michaelis Christo Redemptori nostro aptissimè quadrant. Ipse enim est vnus de Principibus primis, vtpote vna ex tribus sanctissimæ Trinitatis personis. Quòd si de Christo, quatenus est homo, loquamur; Michaelis nomen illi congruit appositè propter ardentem diuinę glorię zelum: iuxta illa ipsius Domini verba, *Ego non quæro gloriam meam.* Æterni namque Patris gloria Christum impulit, vt arma caperet, & dæmonem ipsum prosterneret, eademque ratione hoc nomen Michaeli Archangelo fuit impositum. Sicut enim Gabrieli suum datum est nomen

D propter ingentem Dei fortitudinem, quæ in eis elucet operibus, quorum anunciatio Gabrieli demandatur; sicut etiam nomen Raphaelis, (quod Dei medicinam sonat) illi fuit concessum, qui Tobiã curauit propter ipsius operis efficientiam; ita strenuo Imperatori Angelorum, qui cum dæmonum Principe conflixerunt, eumque è cælo dedêre præcipitem, iure optimo nomen Michaelis inditur: ob accensum illum Dei gloriæ zelum: sonat enim Michael, *Quis sicut Deus?* Hæc autem inscriptio siue titulus mirificus planè est ad hieroglyphicum de diuinæ gloriæ zelo; quo instructi sunt ij, qui zelo huiusmodi instimulati sese Dei gloriæ hostibus constanter opposuerunt. Notandum verò hic est, Michaelis nomen fuisse quondam in Dei populo valde vsitatum. plures enim ex Israelitis in Scriptura legimus Michaelis nomine appellatos. Necaliud erat, opinor, nominis huius mysterium, nisi vt diuinæ gloriæ zelum significaret. Quamobrem Michaeli Archangelo fuit propterea, vtpote in huiusmodi zelo excellenti, hoc nomen impositum. Si ergo hęc est illius nominis ratio; nemo non viderit Christum Dominum esse verum Michaelem. Et forsan Michaelis nomẽ ideò hìc articulum habet præfixum: vt innuatur de illustrissimo illo Michaele in hoc loco verba fieri: de illo inquam, qui fuit in Archangelo figuratus.

Michaelis tũ figuram, tũ nomẽ Christi symbolicè quadrare.

Michaelis nomen olim apud Hebræos vsitatum, eoque multos ex illis fuisse vocatos.

Septimò si in hisce verbis *Factum est prælium in cælo:* & infrà, *Proiectus est draco ille magnus,* in eadem significatione alludatur ad id, quod Christus dixit Ioannis 12. 31: *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Si in his etiam Christi verbis ad literam agitur de idololatrię euersione, vt multi Patres exponunt, certè cùm Christus dixit. *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* loquebatur de efficacia, quam ex suo

Fulcitur superior explanatio de Michaelis & eius Angelorũ significatione.

Digitized by Google

ipsius sanguine Euangelici prædicatores hausturi erant, ad dæmonem ex suo throno & possessione repellendum. Igitur quando ait, *Nunc princeps eius mundi*, &c. absque dubio idem significat, ac si expressè diceret; à me & à meis ministris, hoc est, ab Apostolis atque discipulis eiicietur foras. In quo alludit profectò ad pristinum illud bellum, quo per Michaëlem, & ipsius comites præceps fuit actus è cælo: atque in huiusmodi allusione sibi Christus Michaëlis figuram, & suis Prædicatoribus figuram Angelorum comitum Michaëlis, assumit. Idem igitur sensus erit in hoc Apocalypseos loco. Et hîc quidem amplius habet decori translata ad Christi milites Angelorum figura, quippe proponitur bellum ipsum in cælo; vt denotetur, quanto dæmon imperio mundum teneret occupatum; sine potiùs quia hoc Apocalypseos ænigma militantem Ecclesiam, cuius conuersatio in cælis erat, frequenter in cælo considerat. Ad hæc; Angelorum nomen proprium est ministrorum Euangelij: qui sunt Angeli à Christo missi ad ipsius nomen hominibus diuulgandum. Vnde ille, *Sicut misit me* (inquit) *Pater, & ego mitto vos.* & hac ratione egregiè stat, Christum esse mysticum Michaëlem, & ipsius Angelos esse Christi Prædicatores. A

Diruuntur prima sententiæ fundamenta.

Ad primam igitur difficultatem ex iis, quæ initio sunt propositæ. Respondetur; Michaëli, & ipsius Angelis satis Scriptura attribuit, quòd ipsorum tam nomina, quàm figuræ Christo & eius Prædicatoribus desetuiant. Atque ad grati animi significationem, quam Christi discipuli Angelis ob auxilium præstitum debent exhibere, non solùm huiusmodi consideratio non impedit, sed iuuat potiùs maximè. Nam Angelorum nomen nos admonet societatis ac fœderis inter Euangelij Prædicatores, & cælestes Angelos initi: ex quo consectarium est, cælestes Angelos iis opem ferre, qui per Dei gratiam sunt ipsorum socij. Ad secundam Respondetur: in huius belli pictura dæmon non appellatur diabolus & Satan, sed Draco; nec minùs est allegoricum nomen *Draco*, quàm *Michaël & Angeli eius* Vt igitur posteà exponitur, dracone dæmonem figurari, ita intelligendus est Michaël esse Christus, alioqui nomen alterum propriè, alterũ figuratè sumeretur. Præterea, cùm dicitur, *Draco & Angeli eius*; Angelorum nomen non pro dæmonibus ponitur, sed pro hominibus, per quos dæmon pugnauit. Nam in draconis figura dæmones vniuersi denotantur. vt suprà explicuimus. Quare eâdem proportione Michaëlis Angeli sunt Euangelij concionatores. Et verò magis propriè Prædicatores Euangelij vocantur Christi Angeli, quàm cælestes spiritus dicuntur Angeli Michaëlis etenim nomẽ Angeli ministerium præ se fert: atqui cælestes Angeli non propriè sunt Michaëlis Archangeli ministri. Quapropter exacta sacrarum Literarum sinceritas forte, si de Angelis cælestis Hierarchiæ sermo esset, non eos Michaëlis Angelos nuncuparet. Ad tertiam denique difficultatem dico, si Danielis 10. nomen Michaëlis accipitur propriè, saltem Danielis 12. accipi figuratè. Vidimus autem iam suprà q. 1. hîc non ad caput Danielis 10. sed ad caput 12. fuisse respectum. B

MICHAEL ET ANGELI EIVS PRÆLIABANTVR CVM DRACONE: ET DRACO PVGNABAT ET ANGELI EIVS] In horum verborum ordine apparet magna Scripturæ exactio. Nam si directè loqueretur de antiquo bello, quod inter bonos Angelos & malos exarsit, quando improbi de cælo sunt deiecti: ordo ipse deberet eiusmodi esse: *Draco & Angeli eius præliabantur, & Michael & Angeli eius pugnabant.* Draco enim fuit, qui tunc bellum inchoauit, & perturbauit pacem. Ceterùm loquendo de nouo bello, quod Christus & ipsius prædicatores dæmoni, eiusque Angelis indixerunt: legitimus quidem ordo popoſcit, vt à Michaële sumeretur initium. Nam dæmon fortis instar armati (vt Christus ait) non aliter mundo dominabatur, ac si omnia in pace & tranquillitate possideret: propterea quòd homines sese illi voluntario obsequio subiugauerant. Christus autem hoc bellum fuit exorsus. Sic ille: *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Quod deinceps bellum ipsius Christi auxilio fulti Euangelij prædicatores prouexerunt. At dæmon ideo acri bello aduersus illos excanduit, quia ipsi illum bello item è solio deturbare intendebant. Ex quo colligitur, bellum hoc ex parte Michaëlis & ipsius Angelorum esse referendum ad Euangelij prędicationem. Quod verò sequitur, *& draco pugnabat, & Angeli eius*; esse referendum ad persecutionem, quam dæmon contra Euangelij promulgatores eo fine commouit: vt suas ipsius partes defenderet: nec ab imperio, quod tot retrò sæculis per idololatriam in orbe tenuerat, per ipsos pelleretur. C

Quorsum dicatur, Michaël & angeli eius præliabantur: & mox, & draco pugnabat & angeli eius? Vers. 8.

ET NON VALVERVNT, NEQVE LOCVS INVENTVS EST EORVM AMPLIVS IN CÆLO] Sensus est, dæmonis & ipsius ministrorum repugnantiam non fuisse satis, ne tandẽ victi remanerent. Quod verò attinet ad phrasim fortè philosophabitur aliquis, hîc non dici solùm, eos è cælo corruisse: sed etiã eorum locum non amplius apparuisse, vel ipsius memoriam deinceps non fuisse super. Nec deerit fortassis, qui huiusmodi considerationem eò referat, vt idololatria non expulsa modò ex orbe per Euangelij lucem, verùm etiam obliuione penitus sepulta dicatur. Simplicius tamen est phrasim illã, *Locus eorum non est inuentus*, perinde esse, quasi asseratur, eos in posterum non illum occupasse locum, quem antea possidebant. Simili locutione dicitur Ps. 36. 10. *Queres locum eius, & non inuenies.* Et Daniel. 2. 35. *Nullusque locus inuentus est eis.* D

Quo sensu dicatur draconis & ipsius angelorum loci non amplius fuisse inuentus in cælo.

Draco & eius angeli qua ratione in cælo steterint dicantur.

Verum enim verò oportet nonnihil ampliùs exponere, qua ratione dæmon & eius Angeli in cælo steterint. Quo explicato planum dein fiet, quod nunc additur de ipsorum lapsu deque loci spatio vacuo derelicto. Ad huius ergo explicationem nota 1. Cùm hîc ad antiquum bellum inter vtrosque Angelos coortum fiat allusio: hanc fuisse satis, vt draco & ipsius ministri eleganter in cælo stetisse fingantur. Nam quemadmodũ in veteri bello mali Angeli de cælo fuêre depulsi, sic posteà mũdi possessione priuati sunt. Secundò nota, draconis in cælo apparentis visione (vt versu tertio vidimus) significari, non solùm fuisse illum huius sæculi veluti Deum, sed etiam spe victoriæ erectũ fuisse. Quare è cælo deiici, perinde fuit, atque causâ cadere, & conceptam animo fiduciam deponere. Atque eodem etiam sensu dęmonis ipsius ministri vt Simon Magus, & Apollonius Tyanæus videntes

Digitized by Google

A tes Euangelij vexillum erigi iam,& Christi fideles cælesti virtute munitos in mediis tormentis perstare integros atque inuictos,desperarunt prorsus se aduersus illos victores posse euadere;idemque dixerim de præsidum ac iudicum turba, nec non de ipsius persecutionis satellitibus & administris, qui omnes se tandem superari ægerrimè ferebant.

Opponet aliquis, si victoria, de qua hîc agitur, in eo potissimùm stetit, vt idololatria ex orbe exterminaretur; hæc victoria non adeò citò fuit reportata, vt textus videtur innuere. Nam draconis lapsus ponitur ante Romani Imperij persecutiones, de quibus cap. 13. sermo est. constat autem, quando persecutiones vigebant, idololatriam adhuc durare. Quomodo ergo draco & Angeli eius describuntur cecidisse, antequam ad ipsas deueniatur persecutiones? Præsertim quia præter ipsius draconis ruinam priori loco descriptam, significatur draco ipse post suum casum extitisse super arenam maris; & per maris ac terræ Bestias pristinum redintegrare bellum. Respondeo, persecutionibus c. 13. antecedere primam persecutionem sub Nerone, vt ex c. ipso 13. colligitur. Tota enim illa c. 13. persecutio in eo fundatur, quòd primum marinæ Bestiæ caput resurrexerit, hoc est Neronis persecutio reuixerit ab Imperatoribus eius successoribus instaurata. Hoc supposito, quod de draconis casu & ipsius Angelorum figuratur in Neronis persecutione verum tenet. Nec obstat multos post annos idololatriam in orbe extitisse. nam dæmon & eius ministri experimento satis compererant, horribilem à seipsis persecutionem excitatam neutiquam obstitisse, quo minùs Euangelij prædicatio

B akiores in orbe radices ageret. Quamobrem ex ipsius belli instauratione, & incremento (vt ipsimet perspicuè cernebant) minimè subsequuturus erat effectus, quem ipsi tantopere contendebant, de Euangelij prædicatione extinguenda: solùm inde constabat furor ac rabies, qua dæmon, & ipsius satellites in Christi Ecclesiam excandescebant. Atque id propriè est, bellum Ecclesiæ moueri ab ipsis deiectis iam ac deturbatis, non secus ac si quis, postquam prostratus iam esset, rabie adhuc efferatus hostem morsibus appetere, & quauis ratione lædere tentaret.

Difficultas contra dicta.

Soluitur.

Præter hæc, huiusmodi prophetia non simul & eodem tempore fuit in vniuersis orbis partibus completa; sed veluti si tyrannus aliquis regnum quodpiam occupasset, deinde maximus exercitus ad tyrannum expellendum procederet, eumque paulatim ex antiqua possessione deiiceret: dum oppida aliquot, atque vrbes singulis diebus recuperarentur. Non aliter Apostolicorum virorum exercitus succesſiuè dæmonem depellebat ex hominum animis, quos per idololatriæ tyrannidem occuparat. Vt igitur ratione cuiusque oppidi, siue castelli, postquam ex potestate tyranni esset ereptum, posset dici, *Nunc facta est salus, & potestas, & regnum veri Domini*, ita etiam quo gradu Gentiles ad Christi fidem traducebantur, eodem in nuper conuersis ruina draconis comprobabatur, & similiter intelligenda sunt respectiuè illa verba, *Neque locus inuentus est eorum amplius in cælo*. Nam draconis lapsus, &

Prophetia hæc de dæmonum expulsione de cælo quomodo considerandæ sit fuisse impleta.

de veteri possessione expulsio sunt accipienda respectu cuiusque Gentilis, quando ad Christi fidem

C commigrat, quantumuis respectu ceterorum, qui in sua adhuc impietate persistunt, nondum repulsam tulerit dæmon. Nihilominus dum Tyrannus amissa oppida non recuperat, & dum contrarius exercitus illum adhuc cedere, & pedem referre cogit, iure optimo dicitur tyrannus deiici, nec ad Imperij, quod possidebat, tranquillam potestatem redire. Ita igitur draco & eius ministri post primam illam persecutionem dicuntur verè cecidisse, nec ad quietam mundi Imperij possessionem per communem orbis idololatriam rediisse. Ex eo autem, quòd draco cerneret, se quotidie ab Ecclesia nouis prælijs superari in rabiem agebatur, *Scient quia modicum tempus habet*. Videbat enim Christi exercitum per Gentilitatem ipsam se immisisse, & in animorum expeditione quotidie superiorem euadere, atque adeò ex militū virtute ac robore facilè perspici, eos breui temporis interuallo (breui, inquam, si expeditionis ipsius magnitudo ac difficultas ponderentur) vniuersum orbem sub Christi potestatem esse redigendum.

Prætereà, vt draconis & ipsius Angelorum ruina magis adhuc re ipsa comprobetur, illud plurimum confert, quòd scilicet Euangelicæ prædicationis lux vniuerso orbi diffusa adeò fuerit conspicua, vt nulla humanæ eloquentiæ nubecula, nec astus diabolici aut mundanæ potestatis tenebræ fuerint satis ad clarissimum eius lucis splendorem obscurandum. Sed potiùs manifestè constaret, idolorum cultum à suis sectatoribus non ideo retineri, quòd cordati viri veram illam esse

D religionem crederent, sed quia humana solùm ac politicà ratione ducti nolebant potentes ac superbi Euangelicæ doctrinæ humilitati ac demissioni se subiicere, & à vitiis atque peccatis ad sanctitatem vitæ animum traducere. Atque vniuersalis hæc lux de idololatriæ falsitate fuit certè dæmoni & ipsius ministris maximæ instar ruinæ, ob quam dicitur verè, *Locus eorum non est inuentus amplius in cælo:*

Prædicationis Euangelicæ lux in primo etiam suo exortu quanta fuerit.

At enim ante ipsius Euangelij prædicationem (inquies) satis fuerat lucis aliquibus saltem Philosophis exortum de idololatriæ nugis atq. figmentis. Ita sanè, verùm ista hæc lucis fulgetra in aliquorum animis intermicantia, in ipsis fuerant extincta. Ceterùm ea lux & euidentia, quæ ex Euangelij promulgatione orbi innituit, vniuersalis ferè extitit, & in hac perspicua veræ lucis cognitione præclarè completur dæmonis lapsus, & eorum omnium, qui ex inani idolorum cultu rem suam & auctoritatem augebant, vt idolorum sacerdotes, & alij eiusmodi.

Digitized by Google

NOTATIO VI.

De secundaria significatione Michaelis & Angelorum eius per allusionem ad Mathathiam & ipsius liberos atque eorum exercitus.

Secunda Michaelis & ipsius angelorum significatio ad Petrum Apostolum relata.

SIcut notatione 3. capitis huius vidimus lunæ symbolum præcipuè ad Christum pertinens, in sensu tamen secundario ad sanctissimam Virginem se extendere; sic etiam in præsenti explicandum mihi est, allusionem ad illud Danielis 12. 1. *In tempore illo consurget Michael princeps magnus*; in sensu secundario ad Petrum Apostolorum principem propagari: ac proinde valde esse verisimile, huiusmodi sensum iuxta Spiritus sancti mentem comprehendi in hoc Apocalypseos bello, quòd Michael & eius Angeli aduersus draconem & Angelos eius gesserunt.

Hoc mihi persuadeo imprimis, quia Apocalypsis præter honorificam mentionem totius Apostolorū collegij speciatim meminit Pauli, vt vidimus c. 16. 2. & c. 17. 1. & c. 19. 9. Si ergo de Paulo vt præclarissimo Gentilitatis Apostolo oportuit singulatim meminisse in hac Apocalypseos parte, vbi agitur de diuitiis Gentium, & de prædicatione ad Gentes facta; verosimile valde est, singularem etiam Petri mentionem fieri in Apocalypsi, præsertim vbi agebatur de Romanæ Ecclesiæ fundatione, quæ ab Apostolo Petro fuit potissimū instituta, non solùm quia Petrus fuit primus Romæ Episcopus, sed quia Apostolorum primus ac princeps, qui Romam aduenit, & in ea multos ad Christum adduxit; ac demum quia Petri aduentus Romam fuit quindecim annis ante aduentum Pauli, vt videre est apud Baronium. Et fructus quidem ex Petri prædicatione perceptus nihilo fuit minor, quàm Romanæ Ecclesiæ fundatio. Deinde egregia virtus, qua se Petrus Simoni Mago Romæ opposuit, est quidem in Ecclesiasticis historiis omni prædicatione dignissima. Et certè in deiectione Simonis Magi è cælo mirificè fuit expressus hic dæmonis & ipsius Angelorum lapsus, quem refert Apocalypsis.

Quemadmodum igitur ob maximam Christi cum Sanctissima Virgine coniunctionem, idem lunæ symbolum potuit vtrumque capere, vt vidimus suprà in hoc eodem capite notatione tertia; ita etiam propter vnionem maximam, quæ inter Christi Pontificiam dignitatem & dignitatem Petri interest, suus etiam Petro relinquitur locus in hac eadem Michaelis cum dracone pugnantis figurâ. Etenim si Mathathiæ nomen Michaelis fuit impositum, propter ardentem Dei zelum, quo Michaelis instar vexillum sustulit contra tyrannicam Antiochi superbiam, & Dei gloriam ac veram Religionem acerrimè propugnauit; hoc certè idem facinus præclarissimum mirificè fuit instauratum in zelo illo atq. animi ardore, quo B. Petrus in Imperij metropoli, atq. adeo in totius orbis theatro constanter & animosè obstitit dæmonis superbiæ; qui Simonem Magum veluti instrumentum assumpserat ad suum nomen gloriosè amplificandum, atq. vt persuaderet se habere propriam sedem, seu locum in cælo, atq. adeò diuinum cultum ei esse debitum, eosque omnes, qui ipsum non colerent, ignominiæ & euersioni esse subiiciendos.

Deinde, quod Petrus fuit exorsus, cùm Simoni ardenter se opposuit; illumque ex æthere præcipitauit; id ipsum postea prouexit, dum per se & per suos comites in idololatriā vehementi prædicatione inuectus est. Quod perinde fuit, quasi aperto marte cum ipso dæmone pugnare, eumque sacerdotibus idolorum cultoribus, qui dæmonis ipsius factionem tenaciter sectabantur. ea autem subiectio ac reuerentia, quam ceteri Euangelij Prædicatores vni Petro, vt reliquorum capiti & Christi vicario exhibebant; ea (inquam) magna cum energiâ denotatur in illo loquendi modo, quo Petrus & reliqui viri Apostolici innuuntur his verbis: *Michael & Angeli eius*. Nam vt reliqui Hierarchiæ cælestis Angeli Michaelem vt ducem obseruabant in illo bello aduersus dæmonem gesto; ita Euangelij Prædicatores omnes, qui Hierarchiæ Ecclesiasticæ Angelos agunt, Petrum Christi Vicarium tanquam ducem & imperatorem suspiciebant. Quare, qui Christi sunt Angeli, iidem etiam Angeli Petri dicuntur. Præterquam quòd Petrus Roma in omnes prouincias Prædicatores, & Episcopos dimittebat; qui propterea iure optimo Petri Angeli possunt nuncupari, qui sub ipsius Petri signis aduersus tartareas potestates militabant. Huius autem belli effectus is fuit potissimus, vt scilicet dæmonem è cælo, quò se per superbiam atque iactantiam extulerat, deiicerent: & tam Gentium idolis, quàm ipsorum sacerdotibus falsam diuinitatis personam detraherent. Quòd si deiicere de cælo draconem & Angelos eius, fuit idololatriæ fictam & mentitam existimationem auferre, & euidenter ostendere vera esse figmenta, atque nugas: quid quæso ad eam rem vtilius & efficacius, quam Simonis Magi deiectio, quæ per Simonem Petrum fuit executioni mandata?

Denique cùm Petrus extiterit Romanæ Ecclesiæ fundator & princeps (quo instrumento Deus fuit vsus ad idololatriam ex orbe ablegandam) quæcumque hanc ob rem totus mundus Romanę debet Ecclesiæ, ea omnia Petro secundùm Deum referre etiam debet accepta. Quare cùm Petri ipsius dignitas in suis successoribus continuatâ serie perstitat: omnes Catholicæ Ecclesiæ filij, etiamnum diuini verbi gladio bellum Hæreticis & idololatris inferentes, omnes inquam se Romanis Pontificibus Christi Vicariis milites esse gloriantur. Quapropter quòd valdè sint Papistæ (id quod nobis Religiosis hominibus Hæretici exprobrant) hoc ipsum & ipsis, & nobis summo decori ac gloriæ est. Hoc enim perinde est, atque mystici Michaelis esse Angelos: & bellum draconi, eiusque Angelis acriter facere; illud videlicet continuando, quod Romæ Dux noster & Princeps iniit.

NOTATIO VII.

In qua expenditur, an mentio prælij Michaelis & Angelorum eius faueat eorum sententiæ, qui existimant dæmones è cælo ruisse, quia Christum tanquam caput recognoscere detrectarunt, eiusque diuinitatem ambierunt.

CElebris est nostra ætate disputatio: an dæmones propterea ruerint, quòd Christum sibi per fidem propositum, vt eum venerarentur, & tanquam caput ac Principem adorarent, non solum adorare noluerint, sed sibi etiam eam diuinitatem affectarint? Huius quæstionis decisio me non attingit: refero me hac in re ad Theologos Scholasticos. Illud interim animaduerto, opinionem hanc nonnullis ex doctis recentioribus valde placuisse, vt Catharino, Viguerio, Naclanto, & nostro Suarez 3. p. to. 2. disp. 31. sect. 4. §. Ex his ergo, ad finem. Quod autem ad me spectat, illud est: num quod in hoc loco recensetur de prælio Michaelis, & Angelorum eius cum dracone, & ipsius Angelis, faueat aliquo modo huic opinioni, quę in hoc doctissimorum hominum sæculo, eorum non paucos pro se habet?

In Apocalypseos & Danielis prælio per allusionem respici ad antiquum illud angelorum ac dæmonum prælium.

Hanc ad rem Primò aduertendum est, quanuis Apocalypseos locus, & alter ille Danielis, quem respicit Apocalypsis, non agant directè de primo illo bello inter Angelos cælestis Hierarchiæ & dæmones inito, in vtroque tamen ex his locis bellum illud præstitui, & per allusionem respici; siquidem per comparationem ad illud, Michaelis nomen Christo Domino, & suo etiam modo Mathathiæ tribuitur.

Secundò; comparatio illa, quæ fit cum pristino Angelorum bello, erit quidem tantò aptior, quantò maior extiterit proportio inter bellum Angelorum, & bellum quod

quod Christus Gentilitati indixit, atque etiam inter bellum, quod Mathathias in Antiochum & eius ministros suscepit.

In bello ergo, quod per Euangelij concionatores Christus contra idololatriam gessit, certum est non in eo solum idolorum oppugnationem esse sitam, vt ipsorum falsitas probaretur; verùm etiam vt Iesu Christi veri Dei atque hominis fides idolorum superstitioni penitus opponeretur. Itaque illud proponebatur Gentilibus; Christum scilicet vt verum mundi Saluatorem, verumque Deum coli & adorari debere: ficta verò idolorum simulacra vtpote Deo vero contraria illudi debere atque contemni. Atque hæc eadem fides, quanuis non ita explicita, includebatur in ijs, quæ Mosaica lex fidelibus proponebat ante Christi Redemptoris nostri aduentum. Quare Mathathias, dum in suæ legis defensionem, Antiochi furori atque amentię obsistebat, non solùm se idololatriæ infensum profitebatur, verùm etiam in Messiæ à Iudæis expectati venerationem erigebat vexillum, & in eo suam omnem firmabat spem; ac proinde profitebatur, idola quippe Christi Domini fidei & spei contraria despicienda, & penitus expellenda forè.

Collatio per similitudinem vtriusque belli pradicti cum priſtino angelorum & dæmonum bello.

Quibus ita præmissis, qui veram sibi esse persuaserit illam Suarez & aliorum huius temporis Theologorum sententiam, maiorem inueniet proportionem, atque elegantiam in verbis illis. *Michael & Angeli eius praliabantur cum dracone*. Erit enim sensus tunc *instauratum fuisse bellum illud priſtinum, quò Michael* vexillum sustulit aduersus eos, qui Christum verum Dei filium, & humani generis Redemptorem confiteri & adorare nolebant: sed potiùs contendebant Christi diuinitatem dæmoniorum Principi esse deferendam. Hac certè ratione plenior multò est comparationis elegantia; in qua comparatione mox patescit idololatriæ originem fuisse ductam ab inuidia, quam dæmon de Iesu Christo concepit, cùm æterno de diuini Verbi Incarnatione decreto noluit se subiicere; sed optauit, quando sibi non erat permissa vnionis hypostaticæ dignitas, quæ naturæ humanæ concessa fuit, vt ipse saltem pro Deo fuisset cultus in Christi Domini æmulationem, & eorumdem hominum, quos Dei Filius saluandos suscepit, damnationem.

Hanc etiam ob causam dæmon agnoscens solem, lunam & sydera à Deo fuisse condita, vt Christi & ipsius Ecclesiæ symbola essent; concupiuit ipse in eisdem symbolis se ab omnibus adorari. Et quia luna potissimùm est inter symbola humanitatis Christi illustrissimum; curauit imprimis lunæ veneratione plus errorum & superstitionum à mortalibus excogitari, eamque à Christi hostibus in suis signis atque vexillis aduersus Christum & eius Ecclesiam affigi.

E contrario verò Michael & ipsius commilitones, quos dæmon in fraudem pellicere non valuit; & eorum superbiæ obstiterunt, qui Deo bellum inferre tentabant: & Christo se sponte subiecerunt: quod idem fuit, quasi in suis vexillis Christi insigne apponere, & in eo adorando ac suspiciendo gloriari. Id quod Euangelici Prædicatores deinceps imitati sunt in bello, quod contra idololatriam gerebant. Quare ipsorum gloriatio erat, quod Paulus ait, *Nos autem prædicamus Iesum Christum, & hunc crucifixum*, 1. Corint. 1. 23.

His addo, quòd vt in Apocalypsi bellum draconis aduersus Mulierē ex eo ducit exordium: quod ipsa filio, quem vtero gestat, sit grauida, cuique virga ferrea erat promissa: ita etiam plenior foret allusio belli huius ad illud priſtinum in cælo gestum, si illud etiam Angelorum bellum exordium cepisset ex inimicitiis draconis contra illum, qui fuerat in mundi felicitatem oriturus: cui ferrea virga in Psalmo secundo fuerat promissa.

TEXTVS.

Vers. 9. Et proiectus est draco ille magnus, qui vocatur diabolus & Satanas, qui seducit vniuersum orbem; & proiectus est in terram, & Angeli eius cùm illo missi sunt.

COMMENTARIVS.

QVid sit draconem proiectum esse de cælo explicuimus versu 8. summa verò hæc est. Euangelij prædicatio, etiam antequam idololatriam ex orbe depelleret, ipsam simul cum dæmone in terram deiecit; quia mundo euidenter ostendit, falsa idolorum simulacra & ipsorum ministros, (qui pro diuinis rebus ac cælestibus colebantur) nihil veræ diuinitatis habere: atque hac ratione à priſtina diuini nominis existimatione prorsus collapsi sunt. Qui verò idolis adhuc cultum deferebant, illi non tam priori ignoratione, quàm malitiâ & prauitate ducti in eam se impietatem detrudebant. Qua in re completa fuit primò dæmonis, & ipsius ministrorum ruina, quanuis veriùs ac perfectiùs reapse fuerit comprobata in iis, qui eiuratâ idolorum impietate Christianâ Religionem profitebantur. Sic enim meliùs proiicitur foras dæmon: & ita locutus est Christus Ioannis 12. 31. dicens: *Nunc Princeps huius mundi eiicietur foras*. Vbi noster Maldonatus ait, proiectum esse draconem in terram, idem esse, quod eiectum esse foras. Quinimò Prosper in dimidio temporis cap. 2. afferens hunc locum Ioannis 12. 31. legit, *Nunc Princeps huius mundi missus est deorsum*. Ceterùm; meo iudicio, quod hìc Apocalypsis innuit, cùm ait, proiectum fuisse draconem, in Euangelij prædicatione re ipsa verum esse compertum fuit in ijs etiam: qui fidem non receperunt.

Quo ſenſu draco dicatur in terrā deiectus.

DRACO ILLE MAGNVS] Quasi dicat, dracones corporeos, qui sub oculorum aspectum cadere possunt, quantumuis licèt sint prægrandes, exiguos tamen esse id est parum importare detrimenti, si cum cæde & vastatione ab hoc dracone illata comparetur.

Draconis magni appellatione quid innuatur.

SERPENS ANTIQVVS] Alluditur ad draconis, siue serpentis figuram, quam dæmon Euam decepturus induit, vt habetur Genes. 3. 1. Non quia dæmon delegit serpentem, vt sentit Diodorus, sed quia non ei permisit Deus vt aliud ex animalibus assumeret, & sapienter docet noster Delrius, secutus in eo Bar-cepham lib. de paradiso cap. 27. Ideo autem alterius animalis vsum dæmoni non permisit Deus, vt in ea figura, qua dæmon Euam decepit, veluti in aptissimo symbolo agnosceremus dæmonis versutiam ac fraudes, & quàm sit capitalis humani generis hostis. Latitant enim serpentes in frondibus, aut etiam sub arena in viis, vt incautos mordeant, & effuso veneno inficiant. Serpentis autem astutiam prædictus Geneseos locus exprimit dicens; *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ*. Et nomen ipsum Hebraicū *Nohhos*, quod respondet serpenti, deriuatur à radice, *Nohhas*, quod

In antiquo ſerpente alluſio ad eū, qui Euam decepit.

Hebraicum ſerpētis nomē vnde deriuatur, quid ſignificet.

Digitized by Google

quod est malis artibus curiosè obseruare, & explorare, vt noceat. Propterea igitur Deus dæmoni potestatem non fecit, vt sub alia figura Euam tentaret. Veruntamen tum dæmonis ipsius audacia & impudentia, tum hominum ignoratio & stoliditas eò processerunt, vt sub eadem serpentis specie dæmon adorari se ab hominibus effecerit; vt ex Augustino, & aliis rectè expendit Pererius in Danielem extremo folio. A

Diaboli nomen quid sonet.

QVI VOCATVR DIABOLVS] Hoc nomine vtitur Scriptura in veteri instrumento, 3. Reg. 21, 13. Ps. 108. 6. Sapientiæ 2. 24. Ecclesiastici 21. 30. Habacuc 3. 5. Est autem Græcum nomen sonans idem, quod *Calumniator*. Et quidem apud Iobum cap. 19. 10. & 11. & cap. 2. 4. 5. expressè reperimus, dæmonem esse bonorum calumniatorem; & eo fine facultatem ad tentandos homines petere; vt constet ipsorum sanctitatem non esse solidum; quippe quæ oppugnata succumbat. Sed quorsum hoc, vbi de dæmonis agitur deiectione? Núnne dæmon calumniatoris officio fuit motus? Minimè sanè. Namque vti ad Dei gloriam & sanctissimi Iobi coronam expediens fuit, dæmoni licentiam permitti, vt calumniatoris & tentatoris munere aduersus Iobum fungeretur: ita etiam insigni sanctitate viris vtile valde est, illos à dæmone iisdem artibus ac technis oppugnari. Nihilominus tamen quando de ipsius agitur lapsu, opportunè sui muneris mentio fit: vt iusti viri gaudeant ipsorum aduersarium & calumniatorem dari pessum: & quamuis calumniatoris adhuc partes agat, non tamen eâ alacritate & confidentia se gerere, quam præ se ferre quondam solebat: sed potiùs furore ac rabie correptum, quòd iusti de ipso clarissima reportent trophæa, eumque ex mundi imperio deiiciant: siquidem Euangelij prædicatio propalam terrarum orbi ostendit idololatriæ falsitatem & mendacium. B

Quorsũ hîc diaboli, siue calũniatoris appellatio?

Satana etymon.

ET SATANAS] Nomen hoc dæmoni adscribitur in veteri testamento 1. Par. 21. 1. & in libro Iobi decies; ac ter apud Zachariam idem significat, quod *Aduersarius*. Huius verò loci allusio singillatim respicit Iobi librum: nam in Apocalypsi c. 12. & c. 13. tres præcipui duces belli in Ecclesiam susceptí, ij sunt; draco, Bestia maris, & Bestia terræ; qui tres respondent tribus illis hostibus, quos Deus se vincere gloriatur apud Iobum, nempe, Satan, Leuiathan, & Behemoth. Respectus autem ad Iobi librum est quidem in nomine *Satan* manifestus, nec enim dicitur solùm esse nomen eius *Satan*; sed additur etiam, *Accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei.* quod manifestè ex Iobi libro desumptum est.

Allusio ad Iobi librum.

Quid sit hîc, proijci in terram.

ET PROIECTVS EST IN TERRAM] Diuinus spiritus non fuit contentus dixisse, *Proiectus est*: sed addidit, *in terram* quod indicio est peculiari mysterio non carere phrasim illam; *Proiici in terram*. In hoc igitur fortassis alluditur ad maledictionem illam, quam olim Deus in serpentem pronunciauit, Genes. 3. 14. *Super pectus tuum gradieris.* quod est, *Repere*. Hæc autem maledictio denotat, vt serpentes semper terrâ serpunt, ita dæmonem cum sua omni calliditate & astutia nusquam è terra fore erigendum, id est, in suâ semper miseriâ & vilitate remansurum. Huiusmodi maledictum solet cadere in sagaces nimis atque versutos huius mundi filios; qui cum astutissimi sint, semper tamen ad res terrenas adhærescunt, & pectus ad terrestres affectiones deprimunt: neque vnquam animum ad cælestia, siue superna erigunt. Deinde in iis verbis non significatur modò dæmonis culpæ abiectio & indignitas atque ipsius pertinacia, verùm etiam innuitur, ipsum è cælo decidisse, hoc est ex illa hominum existimatione: qua dæmoni & falsis simulacris, sicuti diuinis rebus, cultum & honorem deferebant. Hæc autem allusio, vt constat, supponit antiquam illam dæmonum ruinam è cælo in infima terrarum loca. C

Quo sensu diaboli angeli cum illo dicantur in terrã missi.

ET ANGELI EIVS CVM ILLO MISSI SVNT] Sensus est (vt suprà iam diximus) simul cum idololatriæ casu, cecidisse etiam Pontificum & Sacerdotum de idolis existimationem & honorem, atque adeò patuisse, id quod antea munus & dignitas sacra ac planè diuina videbatur, reapse sordidum esse, squalidum & terrenis prorsus affectibus atque vilissimis fultum.

NOTATIO VIII.

Qua explicantur illa Christi verba Ioannis 12. 31. Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras.

Duplex sensus illorum Christi verborum: Princeps huius mundi eijcietur foras.

VIdimus in superioribus iuxta Prosperi, Maldonati, & aliorum sententiam in his Apocalypseos verbis, *Proiectus est draco, &c.* contineri respectum ad illa Christi verba Ioan. 12. 31. *Nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Quæ verba bifariam explicari solent. Primò de iure, id est, quod Christus suâ morte dæmonem vicerit: ita vt, nisi per homines steterit, nil prorsus in eos habeat potestatis. quod perinde fuit, atque illum priuare iure, quod sibi inerat regnandi in hominibus per peccatum à primi omnium Parentis lapsu. Tunc enim traditus fuit mundus dæmoni sicut tortori à Iudice iusto Deo. Nisi verò Christus mundum Deo Patri reconciliaret, nemo posset à peccati & dæmonis seruitute liberari. Secunda expositio est de facto; id est, non solùm de iure, quod dæmon per Christi mortem amisit: sed etiam de facto, quia re ipsâ possessionem amisit, quando expulsâ idololatriâ mundus fuit ab errore liberatus, & innumeri homines se ad Iesum Christum perfectissimè aggregarunt. D

Auctoris explanatio ad ea Christi verba.

Primam expositionem sequitur Maldonatus; & eandem etiam videtur magis probare Toletus. Secundam amplectitur Salmeron; eamque multi Patres videntur excipere, vt Cyrillus libro decimo in Ioannem capite quadragesimo, & Nazianzenus oratione de calamitatibus animæ suæ. quorum vterque dæmonis mancipium siue dominium ad idololatriam referunt. Quò spectat Augustini & Gregorij interpretatio, qui verba illa *Eijcietur foras*, ita exponunt; *Foras, scilicet de cordibus hominum*. Similia fere Basilius. Præterea verba illa, *Traham ad me ipsum*. & illa *Eijcietur foras*: & totus item contextus aptiùs de facto ipso, quam de solo iure explanantur. Et Apocalypseos locus de solo iure agere non potest. Nec enim hîc agitur de Passionis Christi tempore, sed de Euangelij prædicatione ad Gentes, postquàm mulier in solitudinem fugit.

Inter

Inter duas hasce expositiones si proprius Apocalypseos sensus inspiciatur, mediâ viâ videtur incedendum: ita vt nec de solo iure sit sermo, nec opus sit ad horum verborum veritatem operiri plenam totius idololatriæ euersionem, sed solùm effectum, qui ex Euangelij prædicatione fuit subsecutus: cùm idololatriæ existimatio, gloria & splendor omnino fuêre detracta. Hoc enim fuit Draconem in cælo stantem ad terram prosternere, vt suprà explicatum est. Quod si Apocalypseos locus ad Christi verba respicit: nihil congruentius, quàm vt Christi verbis eam intelligentiam tribuamus, quę cum Apocalypseos contextu magis consonat. Et quamuis Christi fuerit mens A significare, idololatriam ex toto orbe reipsa fore exterminandam: ad huiusmodi significationem satis est, in hisce verbis attingi, idololatriam citò ex falsi honoris culmine Ruituram. Hunc enim lapsum consecuta fuit idololatrię euersio, & ex antecedentibus sæpè subsequentia significantur.

Verùm quidem est, non esse prorsus necessarium, vt *Proijci in terram*, sit idem omnino cum eo, quod Christus dixit, nempe eiiciendum esse foras. Dici enim potest, aduerbium illud *Foras*, non significare extra cælum, sed extra iniquam possessionem, quam dæmon mundani imperij sibi immeritò arrogarat.

TEXTVS.

Vers. 10. Et audiui vocem magnam in cælo dicentem, Nunc est salus & virtus, B & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius, quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.

COMMENTARIVS.

ARetas, Haymo & Ansbertus existimant, hanc esse vocem angelorum cælestis Hierarchiæ, qui iustos homines aiunt suos esse fratres; sed iam sæpiùs vidimus, cæli nomine in Apocalypsi militantem Ecclesiam adumbrari. Quare hæc vox *magna* significat communem ac celeberrimam fidelium lætitiam, & intimum deuoti animi sensum, quo Deo immortales egere gratias, quando Draconem & eius Angelos è cælo deiectos aspexerunt: eâ nimirum ratione, qua superiùs explicatum est. Verùm verba singula expendamus. *Salus* hîc est, mundi salus. Græcè σωτηρία, *saluatio*. *Virtus* verò est Christi Passionis virtus & efficientia. *Regnum* autem *& potestas Christi*, est nationũ omnium subiugatio: quæ omnia sunt dæmonis regno oppositа. Quamobrem cùm mysticum cælum cerneret, idololatriam ex suo iam honore & existimatione deturbari, & mundum à dæmonis tyrannide liberari cœpisse; præ nimia lætitia voces in cælum tollebant clamantes, *Nunc facta est salus, & virtus, &c.* Quasi dicerent; iam patefieri incipit vniuersalis hominum redemptionis efficacitas; & in hoc exordio atque capite cernimus quasi præsentem glorioſissimæ nostræ expeditionis exitum; iam enim dæmon loco motus & ex sua gloria deiectus est: & quod felicibus auspiciis Romæ fuit hactenus cœptum, Deus ipse, qui dedit initia, maximo cum incremento proueheт. Iam, quod attinet ad phrasim ipsam, *Nunc facta est salus, &c.* vide similem locutionem suprà c. 11 15.

Vox magna, quam Ioannes è cælo exaudiit, à quo fuerit prolata.

Quid hic nomine salutis & virtutis significetur.

QVIA PROIECTVS EST ACCVSATOR FRATRVM NOSTRORVM] Accusator, (vt aliàs diximus) idem est in præsenti, quod calumniator, siue diabolus. Græcum nomen est, κατήγορος, quo designatur is, qui aduersus alios obloquitur. Et de calumniis in præsenti esse sermonem ex superiore versu liquet, vbi etiam diximus de perspicua eius loci allusione ad Iobi librum, deque dæmonis officio calumniandi, quod quamuis post suum lapsum non amiserit, nihilominus congruenter inducitur fidelium lætitia de calumniatoris casu propter Christi Regni initium in Gentes inuectum. Itaque non est in præsenti sermo de accusatione, qua dæmon peccatores defert. Quod primò constat ex allusione ad Iobi librum, illa enim dæmonis accusatio non fuit de Iobi peccatis, quæ ipse patrasset, sed calumniatus fuit, Iobum, si Deus tentari permitteret, in culpam fore lapsurum. Deinde ex hoc Apocalypseos contextu idem roboratur, quia per allusionem ad Iobi librum, cùm dæmon à Deo licentiam impetrauit, vt Iobum ipsum oppugnaret, dicitur in præsenti, ex hac dæmonis calumnia aduersus Euangelij prædicatores, nihilo glorioſior euasisse dæmon, quàm ex illa Iobi calumnia. Nec enim solùm prædicatorum virtus probata & spectata enituit, verùm etiam dæmon ipse inglorius remansit, & inde idololatriæ ruina duxit exordium. Non ergo sermo est dæmonis accusatione aduersus infideles & Idolorum cultores, sed de calumnia in Euangelicos concionatores, quòd scilicet, si in media Roma Gentilium telis & oppugnationibus forent expositi, erecto animo Christi fidem prædicare minime auderent. Et quemadmodum Deus illos ad Gentilitatem, & Romam potissimùm misit: vt firma & stabilis eorum virtus longè lateque pateſceret; ita etiam hoc ipsum experimentum quod à Deo vt familiarissimo proficiscebatur à dæmone quidem oriebatur, vt ab aduersario & calumniatore vt in Iobi libro apparet. Cuius rei consideratio valde conueniens fuit ad dæmonis ipsius irrisionem, vt dum de concionatoribus Euangelicis triumphare se putat, victus ipse superatusque decedat: & tantam præteritæ gloriæ atque existimationis iacturam faciat, vt verè dicatur ex æthere cecidisse, tam ipse, quam ipsius ministri, vt suprà explicuimus. Constat autem hunc esse proprium sensum ex iis, quæ sequuntur, *Et ipsi vicerunt eum.* vbi apparet dæmonem fuisse deiectum, ab iis, quos ipse criminabatur, sicuti in Iobi historia accidit, ad quam in præsenti alluditur.

Dæmon quo sensu dicatur fratrum accusator.

QVI ACCVSABAT ILLOS ANTE CONSPECTVM DEI NOSTRI DIE AC NOCTE] Allusio ad Iobi

Digitized by Google

Alluſio in hac dæmonis accuſatione ad Iobi librum.

hiſtoriam manifeſta eſt; in qua etiam eſt ſatis fundamenti ad extrema huius verſiculi verba, *Die, ac nocte.* Dicitur enim Iobi 1.8. *Cùm veniſſent filij Dei, vt aſſiſterent coram Domino, affuit etiam inter eos Satan, &c, & ait, Nunquid Iob fruſtra timet Deum? &c. Extende manum tuum, & tange cuncta, quæ poſsidet, niſi in faciem benedixerit tibi.* Id quod accidit in die Iobi, hoc eſt in ſuæ proſperitatis tempore. Deinde cap. 2. cùm veniſſet Satan & in Dei adſtaret conſpectu; laudante Deo Iobum, quòd adhuc priſtinam ſuam innocentiam in aduerſa fortuna (quod eſt noctis Iobi tempus) retineret, reſpondens Satan, *Pellem* (inquit) *pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima ſua; alioquin mitte manum tuam, & tange os eius & carnem, & tunc videbis, quòd in faciem benedicat tibi.* Itaque in die criminatio dæmonis erat, Iobum aduentante nocte aduerſitatis Deo valedicturum; nocte verò criminabatur, noctis vmbris duplicantibus & tentationis vi ingruente, tunc ſaltem à Deo defecturum. Similiter ergo Euangelij Prædicatoribus vſu venit; nam ante perſecutionem calumniabatur dæmon, eos vrgente aduerſitatis impetu in Chriſti obſequio ac fide retroceſſuros, ſeque in latebras abdituros: ſub ipſa autem perſecutione, eò tendebat calumnia, vt diceret, fidei prædicatores fore vt animum deſponderent, vbi tenebricosà perſecutionis nocte ſe vndique obſeſſos cernerent, & Romani Imperij auctoritate & magnitudine acriter appetitos. Hunc eſſe exiſtimo loci huius contextum. Quòd ſi impensè conſideremus, quod generatim loquendo accidit fidelibus; quando illos dæmon diu noctuque tentat & calumniatur; poteſt id aptè ad duo tentandi genera referri; alterum per res aduerſas, alterum per ſecundas; quarum extrema oppugnatio non minùs periculoſa eſt, quàm prima; complures enim, quos non deiecit aduerſitas, proſperitas proſtrauit. Vt autem dæmon criminatur alios, quò ſibi per Deum liceat illos mediis aduerſitatibus tentare: ita etiam aliis molitur calumniam, vt eos per res ſecundas oppugnet. Quorum vtrumque Euangelici prædicatores re ipsâ periclitati ſunt, *Per infamiam & bonam famam*, vt Paulus loquitur 2. Corinth. 6.8. Iam veluti dij honoribus affecti, (vt Actuum 14.12.) iam ceu dæmones eiecti & profligati.

Quo ſenſu dæmon homines die ac nocte accuſare dicatur.

Duplex tentationis genus, per aduerſitates & proſperitates;

Cæleſtis igitur vox, quam Ioannes audiuit, vox eſt exultantis Eccleſiæ de futura contra diabolum victoria, quæ in glorioſiſſima illa Euangelicæ prædicationis & conuerſionis mundi expeditione fuerat à Chriſti fidelibus comparanda; cuius felix iam initium cernebatur. Cùm dæmon deinceps in deterius ruat, ac proinde ipſius imaginationes non poſſint Eccleſiæ felicitati obſiſtere; ſed potiùs in nobiliorem Dei gloriam ſint tandem ceſſuræ, & in idololatriæ ruinam.

Cur non dixerit Ioānes accuſator noſter, ſed fratrū noſtrorum?

Aduerte autem hic non dici, *Accuſator noſter*, ſed *accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos*, quæ verba videntur reſpicere Iobi & antiquorum Sanctorum accuſationem: de quibus vt de fratribus congruenter ſermo eſſe poteſt. Nihilominus præſtabilius eſt, vt Chriſtiani adhuc viui & ſuperſtites intelligantur de illis loqui, qui pro Chriſti fide & Euangelij prædicatione fortiter occubuerant. Huic enim explicationi fauent manifeſtè verba ſubſequentis verſus. Quamuis poſſet etiam affirmari, vniuerſum Chriſtianæ Eccleſiæ corpus agere ſingulatim de Euangelij concionatorum conſtantia, qui pro Chriſti gloria & mundi ſalute extremam mortis aleam fortiter & animosè ſubierant, & auſi fuerant in orbis theatro palàm prædicare Ieſum Chriſtum eſſe vnicum Deum verum.

TEXTVS.

Verſ. 11. Et ipſi vicerunt eum propter ſanguinem Agni, & propter verbum teſtimonij ſui: & non dilexerunt animas ſuas vſque ad mortem.

COMMENTARIVS.

Quid ſit, non diligere animā ſuam vſque ad mortem.

DÆmonis criminationes in Chriſti miniſtros, & facultas ei permiſſa eos inſectandi, illum tandem habuere finem, vt in ipſis Chriſti ſeruis magis magiſque emineret eiuſdem Chriſti ſanguinis virtus, Diuini verbi efficacitas, & ingens virorum Apoſtolicorum charitas. Hæc eſt explicationis ſumma. In textu verò notandum eſt, cùm dicitur, *Propter verbum teſtimonij ſui*, ex Græco ad verbum reddi, *Teſtimonij ipſorum*, hoc eſt teſtimonij, quod Sancti inter promulgandum Euangelium de Chriſto dabant. Illa autem phraſis, *Non dilexerunt animas ſuas vſque ad mortem*, perinde eſt, ac ſi dicerent, tantum abeſt, vt non dilexerint, vt emori etiam non formidauerint. Facit huc illud Pauli Act. 20. 24. *Nec facio animam meam pretioſiorem, quàm me, dummodo conſummem curſum meum.* Hoc eſt, Non tanti eſt mihi vita mea, quanti vt curſum meum conſummem.

TEXTVS.

Verſ. 12. Propterea lætamini cæli, & qui habitatis in eis. Væ terræ, & mari, quia deſcendit diabolus ad vos habens iram magnam, ſciens quòd modicum tempus habet.

COMMENTARIVS.

Quid innuatur diſtinctione cæli & eorū, qui in eo habitant.

SI cæli in Apocalypſi Chriſtianam Eccleſiam ſignificant, vt aliàs diximus, quænam eſt diſtinctio hæc inter cælos & eos, qui in cælis habitabant? Reſpondeo, cælorum nomine denotari vniuerſam Eccleſiam, nomine autem eorum, qui in cælis habitare dicūtur, intelligi Chriſtianos ſingulos, qui

Digitized by Google

A qui in Ecclesiæ gremio degunt; quod est dicere: lætentur atque exultent tam communis Ecclesia, quàm singuli fideles. Ita cap. 13.12.legimus, *terram & habitantes in ea*. Aut fortasse cælorum nomen primogeniam designat Ecclesiam,id est,illos ex circũcisione fideles,qui Christum receperunt;iuxta Pauli locutionem, qui Hierosolymitanam Ecclesiam appellat cælestem Ierusalem. Qua ratione Gentiles ij, qui in eandem Ecclesiam sunt inserti, dici possunt in cælis habitare.Simili enim distinctione possemus dicere:Lætetur Hispalis,& quotquot in ea degunt; id est,quanuis Hispali nati non sint. Prior tamen expositio mihi magis arridet.

VÆ TERRÆ, ET MARI] In c.13.innuitur, mare ac terram concitare horribilem persecutionem aduersus Christianam Ecclesiã.Per respectum igitur ad eam persecutionem ait nunc textus, *Væ terræ, & mari*. Tametsi autem hæc procella est in Ecclesiam sæuitura, nihilominus non tantùm non dicitur; *Væ Ecclesiæ*, verùm etiam asseritur, *Lætamini cæli*; Ecclesia videlicet cæli nomine nuncupatâ. quod perinde est,ac si dicatur persecutio illa non in Ecclesiæ ruinam,sed in admirabilem eius potiùs gloriam, splendorem atque victoriam redundatura, nec persecutio illa Ecclesiæ calamitosa; sed felix futura;iuxta illud Iacobi c.1.2. *Omne gaudium existimate fratres cum in varias tentationes ceciderit is*. Quamobrem *Væ* illud non fidelibus persecutionis tempestate iactactis, sed persecutoribus ipsis; videlicet mari & terræ, per modum comminationis intenditur. Non enim sunt Christiani, quatunuis oppugnati, miseriæ & calamitati obnoxij, sed potiùs ipsorum oppugnatores, quorum ministerio vtitur dæmon. Atque hic sensus est Apocalypseos sapientia dignissimus.

Nomine terræ & maris quid hic significetur.

Deinde in maris & terræ distinctione(si in persecutione Iudaici populi persisteremus)adhuc non dubitarem, per terram Iudæos, Gentiles per mare designari, vt vidimus capite decimo, & eadem allegoria seruata dici posset, in persecutione à Gentibus excitata non solùm fuisse infelices ac miseros Gentiles qui in Christianos excandescebant;sed Iudæos etiam,qui eandem Gentilium persecutionem vrgebant pro virili parte,& ipsorum Gentilium factioni in hac re vehementer studebant;vt ex Ecclesiasticis historiis constat. Certum namque est,tam Romæ, quàm vbicunque reperiebantur Iudæi,eos fuisse potissimos fidelium calumniatores.

Nihilominus tamen existimo, nomen terræ & maris congruentiùs sumi in hoc capite, sicuti in capite decimo tertio. Nam draco vt ad calcem huius cap.asseueratur, maris littus selegit, vt locum aptum, ex quo tam mare quàm terram misceret,& in bellum aduersus Christianam Ecclesiam concitaret. Quapropter terræ nomen Iudæos hîc singulatim non denotat, sed vniuersè eos omnes, qui terrenis affectibus inhærescunt: sicut & nomen maris mundum, eiusque potentiam designat. Quòd autem in secunda hac Apocalypseos parte nomen terræ comprehendat omnes terrestrium affectionum sectatores: eo fine fuisse excogitatum videtur, vt terræ nomen ad Gentiles sese extenderet eadem proportione, quo ad Iudæos priùs fuerat terræ ipsius symbolum accommodatum: videlicet propter terrenos affectus. Hanc explicationem fulciunt Græca quædam, quæ vbi nos legimus, *Væ terræ,& mari*,legunt,*Væ habitantibus in terra,& habitantibus in mari*. Quæ expositio Iudæos terræ nomine non excludit, continentur enim in communi ratione eorum,qui terrenis affectibus volutantur. Quare in hac secunda explicatione includitur etiam prima.

C

Cur hic Væ non de Ecclesiæ afflictæ, sed de ipsam affligentibus prædicetur.

Itaque quo tempore infideles fuerant insectaturi Christianos homines,& in eis stragem edituri: eodem cælestis vox non ait,*Væ fidelibus*,sed *Lætamini cæli*,& *Væ infidelibus*. Nam in ipsa persecutionis rabie,cædes & vera strages in improbis potiùs persecutoribus, quam in probis ac sanctis hominibus à dæmone fit.Etenim non æquum est, cælesti voce pronunciari *Væ* in eos,qui ingenti meritorum thesauro locupletantur, sed in eos, qui *thesaurizant sibi iram in diem indignationis ac vindictæ*: hi autem sunt, qui in huiusmodi mari vitam transigunt,ipsius turbulentis vndis ac fluctibus conquassati,& qui terrestrium bonorum cupiditate illecti, terræ incolæ verè & sunt & nuncupantur, atque vt mundanis iussis obtemperent, persecutorum partes velis remisque prouehunt.

Vtrùm hoc Væ extendatur etiam ad Christianos debilis & infirmæ virtutis?

Aliquis forsan opinabitur,hoc Apocalypseos,*Væ*, propagari etiam ad Christianos fractæ ac debilitatæ virtutis,qui terræ etiam ac maris incolæ dici possunt,quòd Christianæ professionis, ipsiusque morum celsitatem non auidè arripiunt. Ceterùm quamuis Apocalypseos doctrina ad horum etiam calamitatem dilatetur,verò similius tamen est, directè hîc esse sermonem non de ipsis, sed de infidelibus obstinatis Ecclesiam insectantibus. Nam scopus est, agere de Christianæ Ecclesiæ felicitate in medio ingruentium persecutionum impetu. Et quidem si primigeniæ Ecclesiæ status consideretur, in quo valde pauci Christianorum vitiis & improbitati se dabant; iure optimo potuit de Christiani populi felicitate institui sermo;eâdem omnino ratione, ac si omnes vere sanctitati studerent. Sic enim loqui solemus,vbi de communitatis laudibus sermo est.

D

QVIA DESCENDIT DIABOLVS AD VOS HABENS IRAM MAGNAM] Ex his verbis colligitur respici in hoc loco ad ea,quæ in fine capitis dicuntur:scilicet, Draconem, vt bellum Ecclesiæ inferret, in maris littore constitisse, inter mare ipsum, ac terram, & quanuis ingens dæmonis ira ac furor in Ecclesiam potissimùm ferebatur, ad eius tamen executionem acciturum fore in suum auxilium maris Bestiam, & Bestiam terræ,atque maris & terræ incolas, nec non iis omnibus mirè abusurum. Quare dæmonis irâ ac furore fuerant ipsi corripiendi, & grauissimis sceleribus miserandum in modum implicandi.

Quo sensu dicatur dæmon, sciens quia modicũ tempus habet.

SCIENS, QVIA MODICVM TEMPVS HABET] Hinc aliqui inferunt, contextum propriè ac directè de Antichristo agere. Huiusmodi tamen declarationem superiùs iam subuertimus fortioribus argumentis,& serie atque acoluthiâ non vnius aut alterius verbi sed totius libri. Iam, quod auctores nonnulli in hisce verbis vrgent,vt contextus tempora Antichristi respiciat ad id quidẽ in promptu est solutio. Cùm enim dicitur parum nobis superesse temporis, non agi solet abstractè de

de tempore, quòd ad extremi vſque iudicij diem reliquum eſt; ſed de tempore, quod nobis reſtat ad illud peragendum, de quo incipit ſermo. Veluti ſi quis vindemiam acceleraret exiſtimans modicum ſibi temporis eſſe ſuper; intelligendum eſt de tempore ad vindemiam apto; priuſquàm vuæ ſolis ardore paſſæ exareſcant. Nemo autem inficiari poteſt, hunc eſſe peruagatum loquendi modum. Cùm ergo noſtræ expoſitionis continuatio ſpectet ad tempus, quo per Euangelij prædicationem ad Gentes, idololatria priſtino loco, gloriâ, ac dignitate ceciderat: nullius difficultatis eſt, verba illa. *Sciens quia modicum tempus habet*; aptiſſimè ad exiguum referri tempus, quod dæmoni reſiduum erat, vt in mundo per idolorum culturam imperitaret; antequam Chriſtiana Religio caput attolleret. atqui perſpicuum eſt, ſi rei moles ac magnitudo pondetetur, modicum ſatis tempus reputari vnum aut alterũ ſæculum. Quanuis enim de Antichriſti tempore ſermo eſſet; neſcit omnino dæmon tempus ab Antichriſto ad extremi iudicij diem interiiciendum minus ducentis annis fore.

Vnde dæmon coniectare potuerit, parum ſibi ſupereſſe temporis.

Quòd ſi roges, vnde coniectarit dæmon, ab initio Euangelicæ in orbe prædicationis parum intereſſe temporis ad idololatriæ vſque ruinam & expulſionem? Reſpondeo, Id dæmonis malitiam, ac verſutiam minimè latuiſſe; cùm videret in ipſis prædicationis & conuerſionis primordiis ingentem Chriſtianæ Religionis & ipſius prædicatorum efficaciam, & Prophetarum inſuper hac de re vaticinia perpenderet: quodque veriſimile erat, effuſo Chriſti Sanguine fore præſtandum.

TEXTVS.

Verſ. 13. Et poſtquàm vidit draco quòd proiectus eſſet in terram, perſecutus eſt mulierem, quæ peperit maſculum.

COMMENTARIVS.

Vtrũ draconis perſecutio fugã mulieris anteuerterit, an à contrario?

QVod draco mulierem ſit perſecutus, apponitur hic quaſi quid conſectarium, poſtquam draco ſe è cælo in terram deiectum aſpexit. At enim (inquies) mulier in deſertum fugit ratione perſecutionis in ſe concitatæ; perſecutio ergo, mulieris fugam anteuertit. Ceterùm mulier quidem fugit in ſolitudinem propter Iudæorum rebellium perſecutionem, qua Euangelij prædicatores exagitabant. poſtquam verò Euangelium Gentibus enunciari cœpit, & dæmon propter amiſſum idololatriæ ſplẽdorem de cælo fuit deiectus: tunc dæmon ipſe vehementiore furore correptus perſecutionem non Iudæorum modò, ſed Gentium pariter in Eccleſiam commouit.

Quid innuatur, dum dicitur draco perſecutus mulierem, quæ peperit maſculum.

Quia verò Romæ prima perſecutio præcipuè fuit coorta contra nouæ Romanæ Eccleſiæ parentem, hoc eſt contra Apoſtolos & Euangelicos prędicatores, qui Romanam Eccleſiam à fundamentis erexerant: ideo draco dicitur perſecutus fuiſſe mulierem, quæ peperit maſculum. Quibus verbis deſignari arbitror, primam ſub Nerone perſecutionem: quæ exarſit primò aduerſus Euangelij prædicatores, & ſingulatim aduerſum eorum caput Petrum. In eo autem, quòd draco fuerit inſectatus fœminam, quæ maſculum filium in lucem edidit: innuitur dæmonem Romanæ Eccleſiæ fundatione imprimis ſtimulari ad eam perſecutionem excitandam. Nec enim dubitabat, quin maſculus ille filius ad idololatriam penitus exterminandam fuiſſet natus.

TEXTVS.

Verſ. 14. Et datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum, in locum ſuum: vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis à facie ſerpentis.

COMMENTARIVS.

Nũ alæ ſint datæ mulieri, antequã ſe fugæ mãdare cœpiſſet, an poſt fugæ initiũ?

HIc illud Primò dubium occurrit: vtrum huiuſmodi alæ fuerint mulieri datæ, antequam ſe fugæ mandaret: an potiùs poſtquam cæpit fugere, quando draco illam ſuſcitauit perſecutionem: de qua ſuperiore verſu diximus, quòd ſe è cælo deiectum videret? Ratio dubitandi eſt, quia ſuprà num. 6. dictum fuerat, mulierem fugiſſe in ſolitudinem: cùm tamen ibi nulla ſit alarum mentio: nunc autem numero decimoquarto factâ mentione perſecutionis, poſteaquàm in terram fuit draco proſtratus, additur duas mulieri alas fuiſſe datas, vt in deſertum volaret. Quare non videntur illi fuiſſe tributæ, quoad dæmon eam in deſertum fuit inſecutus. Arbitror tamen, aptius & congruentius intelligi, à principio, aut ſaltem ſtatim ac peperit maſculum, alas ei fuiſſe additas, vt ſe reciperet in illud perfugium quod Deus illi in deſerto præparauerat. Mulier enim, cùm peperit, fingitur in cælo fuiſſe, & mox poſt partum fugiſſe, atque vt per aëra impunè volitaret, alis ſibi opus erat. Quapropter, quòd poſteà alarum mentio intercurrat, non ideo fit, quia ante ipſam perſecutionem alæ ei conceſſæ non fuerint; ſed vt intelligatur, quanuis draco mulierem in deſertum ſequeretur, illam tamen ſubſequi, ita vt eius iter impedire nullo modo poſſet. Tametſi enim draconi alæ inerant, eæ tamen, vtpote draconi, non illum ſublimè efferre poterant. At fœminæ fuerant ſuppeditatæ aquilinæ alæ, atque adeò multò altiùs ac velociùs dracone volitare poterat. Vide de velocitate aquilæ Deuteronomij 28.49. Habacuc 1.8.& 2.Reg.1.23. Item de illius ſublimitate lege Prouerb. 30.19.& Ierem.49.22.

Deinde in alis mulieri ſubminiſtratis videtur contineri alluſio ad illud Iſaiæ 40.31. *Qui ſperãt in Domino, mutabunt fortitudinem; aſſument pennas vt aquilæ: current, & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.*

Quæ

Digitized by Google

A Quæ tamen Isaiæ verba non adigunt nos, vt in alarum distinctione philosophemur; nam ad denotandam ingentem velocitatem ac suauitatem in assiduo atque indefesso per aëra volatu, sanè quàm idonea est alarum aquilæ allegoria: ad quod tamen non est necesse notare, quot sint alæ, & quales. Quare Isaiæ locus non ait, *Assument duas pennas*, sed, *Assument pennas, vt aquila.* Similiter etiam Ezech. 17.3. & num.7. legimus, *Aquila grandis magnarum alarum*, vbi interpretum nemo in applicatione de alarum distinctione philosophatur. Verùm in hoc Apocalypseos loco contextus ipse nos cogit, vt in applicatione duplicis alæ distinctionem inuestigemus. Ait enim, *Datæ sunt mulieri alæ duæ.* Nisi enim in binarij numero peculiare mysterium deliteſceret, nequaquam diceretur, *Alæ duæ.* Sicuti nec apud Ezechielem id exprimitur, vbi de aquilæ magnæ alis.

In mulieris alis subesse allusionem ad Isaiæ locũ cap. 40.

Duarũ alarũ mentionẽ hoc in loco non absque mysterio fieri.

Prætereà aduertendum est, in Græco insignem quandam aquilam designari, duplici enim articulo inscribuntur hæc verba, præfixo tam in voce *Aquilæ*, quàm in *Magnæ*. Quamobrem cùm in Apocalypsi Aquila sit sapientiæ symbolum, vt vidimus cap. 4.7. & c. 8.13. Cumque duplex hîc (vt dixi) articulus præponatur; non videtur dubitandum, quin in præsenti, aquila cælestem sapientiam denotet. Per duas verò alas nihil aptius occurrit, quàm vt duo testamenta, sacræ Scripturæ partes, indicari dicamus. Nam sapientiæ cælestis alæ sunt Ecclesiæ summo solatio. Atque hæc est Ticonij, & aliorum explicatio. Si tamen aliquis optet huic expositioni aliam addi, quæ de duobus sapientiæ actibus agat, hæc insuper potest adhiberi explanatio, videlicet vt duarum alarum altera significet rerum

Quod sit duarũ mulieris alarũ mysterium.

B temporalium despicientiam, altera spiritualium æstimationem. Duabus his sapientiæ partibus congruenter applicatur duarum alarum distinctio; & vtriusque coniunctioni nihilo aptatur minùs aquilæ grandis allegoria. his enim pennis spiritales viri ex rerum terrestrium contagione abstracti tolluntur in sublime, & in vno Deo verum exquirunt solatium. Rem autem quamlibet tanti ducere, quanti est, id verò proprius est sapientiæ effectus. Sapientis namque est de rebus ipsis, perinde ac sunt, iudicium facere. Quare applicatio fit aptè ad duplicem actionem, quæ propriæ sunt sapientiæ partes, & quasi alæ.

Aliquis congruens esse putabit, vt hæc duę alæ sint sanctitatis atque sapientiæ symbola; vt hoc quoque par pluribus illis annumeretur, quæ retulimus cap. 11. Si tamen aquila est sapientiæ symbolum, vt satis suprà probatum est: non rectè consonat, vt ex duabus aquilæ pennis vna sapientiam, sanctitatem altera figuret. Nihilo est aptius, per duas alas denotari amorem tam Dei, quàm proximi, vel desiderium gloriæ Dei, & vitæ immaculatæ studium (quæ est explicatio Riberæ.) Neque enim huiusmodi actiones sunt propriæ sapientiæ, sed sanctitatis. Omitto expositiones alias minùs probabiles, cuiusmodi est, per duas alas innui fauorem Romani Imperij, cuius insigne fuit aquila, aut etiam fauorem Imperij Orientalis, & Occidentalis. Quæ interpretationes cum Apocalypseos serie nulla ratione consentiunt.

Alia de duplici mulieris ala expositiones referuntur, ac refelluntur.

C Dicet tamen aliquis, illud saltem non ineptè affirmari posse: duas nimirum aquilæ alas esse impugnationem falsitatis & veritatis probationem, atque ad prædicationem Gentibus factam conducere imprimis considerationem vtriusque rei, quas Deus Euangelicis prædicatoribus impertiuit. Aut si profectio in desertum fuit Iudaici populi derelictio, & ad Gentes commigratio: fortassis duarum alarum altera Iudæorum reprobationis cognitionem, altera electionis Gentilium indicat. Adhæc dico, ex contextu ipso planum fieri, alas aquilæ fuisse mulieri datas, non vt in solitudinem fugeret, sed vt peruenire posset ad refugij locum, quem Deus illi in deserto præparauerat. Hoc enim manifestè innuunt verba illa, *Datæ sunt mulieri alæ duæ, vt volaret in locum suum, vbi alitur à facie serpentis.* In superioribus autem explicuimus, Deum ipsum esse locum, siue domum refugij, quò sese mulier in solitudine abdidit. Constat verò ad eiusmodi perfugium in deserto inueniendum minimè esse aptam aliorum arcanorum notitiam, nec in argumentis refutandis vim, esse verò valde ad rem contemptionem terrenarum rerum, & cælestium æstimationem.

VBI ALITVR A FACIE SERPENTIS] Ribera §. 39. ait hîc esse Hyperbaton, nam verba illa, *A facie serpentis*, non connectuntur (inquit) cum verbo *alitur*, sed cùm, *vt volaret*: ita vt constructio sit, *Datas esse mulieri alas, vt volaret à facie serpentis in desertum, in locum suum, vbi alitur per tempus, & tempora*, &c. Hæc ille. Meo tamen iudicio nullum hîc subest Hyperbaton. Ali enim à facie serpentis Græca phrasi idem est, quod ali procul à serpentis conspectu. Quare aptissimus sensus est, quamuis acerrima sit serpentis persecutio, non tamen eò peruenire posse, vt impedimento sit, quominus in abdito tranquillæ animæ penetrali fruantur sancti viri maximo solatio ex eo, quod Dei voluntatem perfectè exequi conentur. Hic enim est sanctarum animarum cibus, vt superiùs Christi Domini tum verbis, tum etiam exemplo probauimus. Et in hac etiam significatione includitur patientia & spes & solatium ortum ex contumeliis pro Christo toleratis.

Quid sit, ali mulierẽ à facie serpentis.

D

PER TEMPVS, ET TEMPORA, ET DIMIDIVM TEMPORIS] Id est, per tres annos & dimidiatum, vt cap. 11. discussimus, vbi etiam latè de mystici huius temporis significatione. Prætereà ali *per tres annos & dimidium à facie serpentis*, accipiendum est de tempore, quod mulier in deserto transegit in spelunca, siue refugio diuinæ prouidentiæ, septa vndique tygribus, leonibus, ac basiliscis ante Gentilitatis conuersionem. Tunc enim solitudo fuit in paradisum commutata, vt diximus versu 6.

NOTA-

Digitized by Google

NOTATIO IX.

De secundaria significatione duarum alarum, quæ datæ sunt mulieri, vt in desertum volaret.

Secundaria duarum feminæ alarum significatio de Paulo & Barnaba Gentium Apostolis.

SEmel iam & iterum in hoc capite (nempe in lunæ, & in Michaelis symbolo) vidimus primariæ significationi adiungi interdum secundariam; quam etiam Spiritus sanctus intendit. In symbolo ergo duplicis alæ mulieri subministratę, præter primariam significationem, illud occurrit: nimirum, in his etiam alis Ecclesię concessis significari fortassis Apostolos Paulum, & Barnabam; ita vt ipsi sint duarum instar alarum, quibus ornata fuerit Ecclesia primogenita; vt sese audacter in Gentilitatis desertum inferret.

Hanc ad rem considero imprimis, vt per Gentilium desertum fieri possit iter, rectè concipi alas vt necessarias; sine quibus illac tendi non possit. Vide Ioannis 7. 35. vbi postquàm Christus dixit, *Ego vado, quò vos non poteſtis venire: dixerunt Iudæi ad semetipsos, Quò hic iturus est? numquid in dispersionem Gentium iturus est, & docturus Gentes?*

Paulus & Barnabas Gentium Apostoli ab Spiritu sancto destinati.

Secundò considero, quod Spiritus sanctus ait, Act. 13. 2. *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Et infrà n. 46. *Contradicentibus, & blasphemantibus Iudæis; tunc constanter Paulus & Barnabas dixerunt; Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniã repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vita, ecce conuertimur ad Gentes, sic enim præcepit nobis Dominus. Audientes autem Gentes gauisa sunt, &c.*

Tertiò receptissimum est Exodi 19. per alas aquilæ intelligi Mosem & Aaronem, vel etiam prædicatores; sic exponunt Origenes, Ambrosius, Hilarius, Basilius, Augustinus, & Hesychius. Victorinus autem & Ticonius duas has alas interpretantur de Elia, & ipsius comite sub Antichristo. Si igitur Dei ministri; & præsertim concionatores sunt aquilæ alæ: quid mirum per alas mulieri attributas, vt in solitudinem volaret, Apostolos Gentilitatis denotari: qui aquilarum instar Ecclesiam velocissimè per Gentilitatis solitudinem aduexerunt?

Quartò, quamuis Apostoli omnes Iudæis & Gentibus prædicarent: certum tamen est Paulum & Barnabam magis propriè esse Gentilitatis Apostolos, vt ex suprà dictis liquidò constat. Quod roboratur ampliùs: quia licèt nullam Barnabæ epistolam habeamus: Paulus tamen de se & Barnaba pariter loquitur. Lege ad Romanos 11. 13. *Ego sum Gentium Apostolus: ministerium meum honorificabo.* Et cap. 15. 16. *Data est mihi gratia, vt sim minister Christi Iesu, sanctificans Euangelium Dei, vt fiat oblatio Gentium accepta.* Et ad Galatas 2. 2. *Ascendi cum Barnaba: & contuli cum Apostolis Euangelium, quod prædico in Gentibus.* Et n. 7. *Cùm vidissem, quòd creditum est mihi Euangelium præputij, sicut Petro circumcisionis, (qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis operatus est mihi inter gentes,) & cùm cognouissem gratiam, quæ data est mihi: dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis, vt nos in Gentes, ipsi autem in circumcisionem.* Et 1. ad Timoth. 2. 7. *Positus sum ego prædicator & Apostolus & Doctor Gentium* (siue *Magister Gentium*, vt habetur 2. ad Timoth. 1. 11. Ex his ergo locis planum fit, Paulo & Barnabæ peculiarem ab Spiritu sancto gratiam & audaciam fuisse collatam, vt Euangelij lumen in Gentes inueherent, & ceteris Apostolis viam ad Gentium prædicationem reserarent. Vide illud Act. 9. 15. *Vas electionis est mihi iste: vt portet nomen meum coram Gentibus.* Aduerte autem alarum esse proprium, auem euehere & asportare: & vas quidem electionis Hebraicâ phrasi ponitur pro egregio instrumento, (cuiusmodi est ala) ad portandum nomen. Sic enim alæ atque tuba tribuuntur Famæ.

Quintò; cùm sermo sit de primogenita Ecclesia; quę vocatur Sion; oportebat honorificam fieri mentionem de reliquis præcipuis ipsius partibus, ac potissimũ de illis, quibus Euangelij prædicatio & erectio Ecclesiarum, quæ sunt matris Sionis filiæ, referri debent accepta. Quamobrem cum Christus & ipsius Mater sanctissima in luna: in duodecim stellis totidem Apostoli figurati sunt; decebat, ne duo Spiritus sancti Apostoli Paulus & Barnabas silentio prætermitterentur. Non autem reperiri potuit aptior & congruentior locus ad eorum mẽtionem, quàm hic, vbi de prædicatione ad Gentes sermo instituitur. Hoc verò non est Paulum & Barnabam ceteris Apostolis inferiores effingere; quòd duodecim per stellas totidem, & hi duo per mulieris alas denotentur: quinimò ita assignatur peculiaris gratia, quã diuinus spiritus Paulo & Barnabæ fuit elargitus, vt Euangelium per Gentilium regiones celeriter vectarent: & reliquis Apostolis veluti alas suggererent ad gloriosam illam expeditionem cetera, dubium non est, quin si duodecim Apostoli stellarum cognomento merentur honorari, quòd mundum sua luce compleuerint, non minus hoc nomine sint Paulus & Barnabas digni. Enimuerò, dum aliis stellarum, aliis alarum symbolum distribuitur; adumbratur non obscurè hinc duodecim Apostolorum gloria, quòd Apostolicum Symbolum condiderint, & sint duodecim mystici Patriarchæ spiritalis Iacobi filij: inde peculiaris Spiritus sancti prærogatiua, quam duobus Apostolis concessit, Nec tamen ideo negatur, duodecim Gentilitatis etiam Apostolos fuisse, sed per attributionem congruenter hoc elogium illis applicatur, qui diuinitus fuere ad id muneris peculiariter destinati.

Cur hoc potissimùm loco Pauli & Barnabæ mentio fiat?

Sextò, quòd Ioannes in Apocalypsi alarum symbolo Paulum & Barnabam signatos viderit, gratum illi valdè videtur fuisse, eo quòd Ecclesias in Asia per Ioannem fundatas, Paulus in Asia itidem, & Ephesi præsertim prædicans, inchoauerit. Etenim dum vtrumq. Apostolum in mulieris alis figuraret; perinde fuit, ac si diceret, illis veluti auctoribus honorem attribui debere ex Ecclesiarum fundatione, quas ceteri in Gentilitate erexerunt; quasi illi priùs felicibus & auspicatissimis primordiis initium dederint; & robur animosque ceteris ad gloriosam hanc expeditionem addiderint.

Cur mulieri aquilina ala, non columbina assingatur?

Septimò, mulieri congruenter satis aquilinæ alæ, non columbinæ tribuuntur, quò innuitur, illam non tam fuisse fugam, quàm sub fugæ specie animosam impressionem, volatum sublimem, & admirabile quoddam aucupium. Columba quidem timida est: aquila tamen audax: *& ad præceptum Domini eleuabitur aquila.* Iob 39. 30. Et infrà n. 33. *Vbi cadauer fuerit, statim adest.* Maldonatus Matt. 24. 28. asserit, hoc esse Hebræorum prouerbium. Præterea Iobi 9. 26. de aquila dicitur: *Volat ad escam.* Quare egressio illa Pauli & Barnabæ fuit veluti incursus ad prædam. Quod pariter exemplo est Euangelij ministris & concionatoribus. Et in hoc exemplo veluti in quadam pictura cernimus aquilam grandem, quæ *prouocat ad volandum pullos suos.* Deut. 32. 11. & eos docet in sublime volatum extollere, prædam indagare, & solem aduersis oculis intueri. Portat etiam pullos super alas. Exod. 19. 4. illos videlicet, vel potiùs Ecclesiarum pondus in se sustinens, ac demum in aquilæ pennarum allegoria longior fieri potest ratiocinatio.

Verùm vt ingenuè fatear, quid sentiam, tota hæc explicatio alarum mulieris ad Paulum & Barnabam concionatoria mihi potiùs, quàm propria & literalis apparet, Contextus enim non alas mulieri tribuit, vt se per desertum inferat, sed vt in eodem deserto ad perfugij locum se recipiat. Nec verò timendum est, si minùs hoc symbolum attigerit Paulum, ipsum absque peculiari sui mentione in Apocalypsi prætermissum iri. Nam in aliis locis honorificentissimè sub aliis symbolis significatur, vt posteà perspicuè constabit, capite decimo sexto, in plaga prima & similiter c. 17. & c. 21.

TEXTVS.

Digitized by Google

A

TEXTVS.

Vers. 15. Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine.

16. Et adiuuit terra mulierem; & aperuit terra os suum, & absorbuit flumen quod misit draco de ore suo.

COMMENTARIVS.

QVod ad ideam attinet, non opus est eam ab aliqua re naturali desumi, id est, esse in rerum natura draconem, qui aquam ore emittat. Ingentes aliquos pisces tradunt magnam aquæ copiam fistula quadam euomere, & ex eis, quidam appellatur, φυσίτηρ, id est, flator, eo quòd nimbosam quandam aquarum eluuionem efflando emittat. Vt plerumque etiam alueos nauigantium deprimat. *Ingentes pisces aqua copiam efflantes.*

B Bellua est miræ magnitudinis, quam Itali appellant *Capitolium*, de qua Rondeletius l.18.c.14. Deinde Crocodilus dicitur etiam aquam in ipsam viam eiicere, vt homo collabatur. Est enim humani corporis auidissimus, de quo Marsilius de aqua benedicta folio 93.

Ribera contemplatur, hunc fluuium, quem draco ore euomebat, considerandum esse instar fluctus accedentis & recedentis: sic enim deseruiet ipsius draconis auiditati deuorandi fœminam, sed suprà iam vidimus, dæmonem de mulieris deuoratione desperare, id tantùm conari, vt eam insectaretur, vexaret, ac discruciaret. Quamobrem aptius & simplicius est, si asseramus draconis fuisse mentem, vt fluminis torrens mulierem corriperet, ac demergeret; vel saltem ex spelunca extraheret: id enim videtur iis verbis innui, *Vt eam faceret trahi à flumine.* Nam cùm intra specum dæmon eam videatur infestare non posse, aptissimè effingitur, effuso aquæ flumine, illam ex specu velle extrahere.

Vt verò ad significationem deueniamus; in Scriptura quidem compertum est, persecutionem ingentem significari per inundantem fluuium. Lege Isaiæ 8.7. Ieremiæ 46.8. Psal.92.3. Ps.123.4. *Forsitan aqua absorbuissent nos.* Et Cant.8.7. *Nec flumina obruent illam.* Quæ locutio siue phrasis apud prophanos etiam Poëtas communis est. Ex quibus Homerus fingit bellum, quod fluuius Xanthus Achilli inferre tentauit. *Ingentem persecutionē in Scriptura per fluuium inundantem designari.*

C Obiiciet tamen quispiam, quamuis per fluuium mulieri impendentem aptè figuretur persecutio; cùm verò fluuius hic ex draconis ore eruperit, necessarium est, ne de qualibet persecutione explicetur; sed de illa, quæ idoneè consideretur ex ore procedere, eiusmodi esset Philosophorum doctrina, & Oratorum eloquentia. Nam simili ratione gladius ex ore procedens cap. 1.16. & ignis ex ore duorum testium capite 11.5. Ranæ item ex ore draconis & Bestiarum cap.16.13. Hæc, inquam, omnia ad doctrinam referuntur. Similiter ergo in fluuio ex ore draconis procedente philosophandum erit. Deinde, flumen est appositum symbolum sapientiæ & eloquentiæ. Quare fluuius ex ore draconis humanam eruditionem atque eloquentiam, quam draco opposuit Euangelio, congruenter denotabit. Tertiò, si seriò inspiciamus, quòd in hoc dæmonis bello per Gentes Ecclesiæ illato accidit, comperiemus sanè, prius hoc bellum per verba, deinde per opera ipsa atque cruciatus fuisse gestum. Initio enim priusquam ad tormenta ac cædes ventum esset, dæmonis calliditas nitebatur humanæ sapientiæ atque eloquentiæ viribus doctrinam Euangelicam superare, & tanquam stultam ac ludicram irridere. Id enim est, quod Paulus ait, nimirum Euangelium ab se prædicatum esse Gentibus stultitiam. Porrò certum est, interdum per Oratores ac Philosophos, interdum per ludibria & illusiones, nonnunquam etiam per mellitam ac suauem loquendi copiam Ecclesiæ dæmonem peracre intulisse bellum. Quamobrem, cùm Apostoli non fuerint concionati D *in sublimitate sermonis*, nec fucatis verborum pigmentis ac lenociniis, cumque ipsorum doctrina, si externa consideretur species, non admodum esset splendida & popularis, mirum non est, dæmonem principio contendisse, vt profanæ eloquentiæ torrens Euangelicam prædicationem exsorberet, & opprimeret rapidissimi instar fluminis, quod solitas ripas prætergressum obuia quæque secum trahit. Itaque hæc videtur extitisse prima persecutio à Gentibus in Euangelium concitata, & propterea textus videtur asserere, vbi primum dæmon fuit in terram deiectus, & fœminam aquilinis alis in locum perfugij concessisse aspexit, priusquam Romani Imperij potentia, per maris Bestiam denotata Euangelio sese opponeret, draconem ex ore euomuisse aquæ fluuium, quo fœminam adoriretur, vt hoc pacto mundanæ eloquentiæ flumen fœminam deuolueret, atque corriperet, quemadmodum lignum aliquod, siue arbor solet ab effuso torrente deferri. Ea enim videtur esse vis græcæ vocis ποταμοφόρητον. *Vtrùm hic draconis fluuius humanā significet eloquentiā? Proponitur sententia affirmans.*

Nihilominus hæc explicatio nullâ mihi ratione probatur. Primò, quia bellum, quod per mundanam eloquentiam consideratur aduersus Euangelij doctrinam esse gestum, quamuis reapse dæmonis instrumentum extiterit, quo ipse Gentilium non paucos falsa verborum titillatione pelliceret, non tamen tanti fuit, vt inter persecutiones in viros Apostolicos coortas debeat recenseri. Ipsi enim Christi sectatores non eiusmodi erant, qui humanæ sapientiæ affluentiam Euangelio, eiusque doctrinæ contrariam magni admodum ducerent. Quare dæmon ipse non adeò despiciebat, vt existimaret humanam eloquentiam & eruditionem fuisse satis, vt per eam veluti effuso flumine, *Refutatur superior sententia.*

Digitized by Google

Ecclesiam primogenitam siue Apostolicos viros pertraheret. Secundò ad sapientiam huiusmodi humanam figurandam minimè est ad rem fluuius ex draconis ore exiliens. Tametsi enim humana eloquentia rite comparatur fluuio, eiusmodi tamen fluuius est, qui ex sapientium & eloquentium hominum ore, non ex ore dæmonis procedit. Tertiò, hæc declaratio non bene consonat cum subsequentibus: dicitur enim, *Terra aperuit os suum, & absorbuit flumen, quod misit draco de ore suo.* Nam licèt aliqui contemplentur hic floridam illam eloquentiam, quæ quondam in toto orbe vigebat (vt Demosthenis, Ciceronis, & aliorum) quasi à terra dehiscente fuisse exhaustam atque absorptam: non tamen rectè consideratur, eloquentiam illam, ne Euangelio euaderet superior: Diuino consilio fuisse à terra deuoratam. quasi verò Euangelij prædicatio non aliter posset humanam eloquentiam excellere. Vanum hoc est, & pusilli animi, ac nimium humanam eloquentiam timentis. Nec video, quænam apta interpretatio possit assignari illis verbis, quibus textus ait, flumen à terra fuisse absorptum; si per flumen humana eloquentia atque sapientia figurentur. Præsertim cùm addatur huiusmodi deuorationem fluminis mulieri adiumento fuisse. Quartò, postquam textus asseruit, dæmonem apud se decreuisse mulierem insectari; non rectè consentit huiusmodi oppositionem humanæ eloquentiæ primo loco designari, quasi magnam persecutionem, & quasi flumen ex ore dæmonis emissum. Næ exaggerationem hanc sapientia Apocalypseos indignam plane reputarem. A

Quid significet fluuius ex draconis ore procedens.

Mea igitur sententia est, per flumen hoc ex ore draconis procedens significari Neronis persecutionem in Christianam Ecclesiam, & præsertim Euangelicos concionatores commotam. Cui significationi mirificum est symbolum fluminis ex draconis ore emissi. Atque in primis mito artificio Apocalypsis hac distinctione persecutionem Neronis quæ fuit prima) ab aliorum Imperatorum persecutionibus discriminauit, vt scilicet persecutionem Neronis proximè dæmoni tribuat, aliorum verò persecutiones ipsis attribuat Imperatoribus. Cuius discriminis ratio est; quia Nero fuit veneficiis & incantationibus addictissimus, atque vt Plinius lib. 30. cap. 2. *Veneficiorum omnium, quotquot vnquam extitere, maximus, qui dæmones de qualibet suspicione consulebat.* Et propterea Simon Magus tanta apud illum gratia pollebat. Satis ergo credibile fit, persecutionem à Nerone excitatam, ab ipsius dæmonis responso duxisse originem. Quare edicta ac leges omnino impiæ, quas Nero in Euangelium promulgauit, eleganter repræsentantur quasi ex draconis ipsius ore processerint: atque adeò rapidissimum illum persecutionis fluuium Ecclesiæ imminentem multò aliter extirisse, ac persecutiones reliquas, quas stimulabat, & vrgebat dæmon, qua ratione homines solet ad peccatum inducere: sed potiùs expresso dæmonis oraculo hanc Neronis pugnam in Christianos sæuisse. Quamobrem oppugnationes reliquæ, & machinæ in Ecclesiam intentæ Bestiæ maris capitibus; hæc verò Neronis, draconi ipsi proximè tribuuntur. B

Nero veneficiis addictissimus.

Cur Neronis persecuti ipse aliter per hūc draconis fluuiū figuratur.

Respondetur argumentis pro prima expositione adductis.

Hæc interpretatio non parum accipit roboris ex propria significatione Bestiæ maris cap. 13. Ibi enim, (vt videbimus) supponitur, primam Neronis persecutionem iam præcessisse: descriptio enim persecutionum cap. 13. initium sumit à re illa mirabili, quòd primum Bestiæ caput reuiuisceret; quod perinde est, ac dicere, Neronis persecutionem tunc instaurari: id est, Imperatores deinceps succedentes, quasi ab inferis reuocasse, & excitasse Neronianam rabiem contra Christi nomen. C

Constat ergo ex his ad argumenta pro priori expositione allata. Ad Primum enim, quemadmodum gladius ex ore Christi procedens refertur ad doctrinam, sic etiam flumen ex draconis ore erumpens refertur ad edicta & persecutionem, quæ dæmon Neroni non inspirauit solùm, sed etiam expressit. Ad Secundum. Fluuius non minùs aptè deseruit ad significationem persecutionis, quàm eloquentiæ, vt suprà ex multis Scripturæ locis ostendimus, præsertim cum ipsa contextus series non obscurè de persecutione agat. Ad Tertium. Oppositio ac repugnantia, qua Gentes per humanam sapientiam ac eloquentiam Euangelio obstiterunt, minoris fuit momenti res, quàm vt inter grauiores Ecclesiæ persecutiones locum habeat.

Vers.16. Quid hic nomine terræ innuatur.

VT EAM FACERET TRAHI A FLVMINE] Hoc est vt ipsam perturbaret, & à parta tranquillitate ac pace deiceret, vt ex superiùs dictis liquet. Id enim denotat draconis conatus, quo eam è refugij loco extrahere laborabat. D

Quomodo terra mulierem adiuuerit.

ET ADIVVIT TERRA MVLIEREM] Sæpè iam diximus in terra affectiones terrenas figurari. Et quidem qui Neronem occiderunt, id nec propter diuinum obsequium, nec propter veræ religionis defensionem præstiterunt, sed solùm propter suas terrenas cupiditates. Aut si terræ nomen (vt sæpe in Scriptura) referatur singulatim ad eam ciuitatem, de qua agitur: Romani Gentiles, qui de medio Neronem sustulerunt, terrestribus affectionibus & cupiditatibus tenebantur; qui tamen in Neronis cæde nonnihil Ecclesiæ adiumento fuerunt. Occiso enim Nerone, & ipsius edictis abrogatis, persequutio illa eius iussu cœpta finem fecit. Id quod significanter figuratur, dum dicitur terra fluuium ex dracone procedentem absorbuisse. In quo fortasse alluso fit ad id, quod in locis aliquot cernitur, vbi fluuius interdum in terra ipsa per spatium aliquod, siue etiam leucas ita demergitur, vt prorsus non appareat. Quod in Anate vlterioris Hispaniæ fluuio experimento deprehendimus.

TEXTVS.

Digitized by Google

A

TEXTVS.

Vers.17. Et iratus est draco in mulierem; & abiit facere prælium cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Iesu Christi.

COMMENTARIVS.

NEronis persecutio simul cum ipsius morte finem fecit, non tamen dæmonis ira contra primogenitam Ecclesiam, eiusque filios. Quapropter desperans dæmon se posse primogenita Ecclesia, aut filio primogenito superiorem euadere; statuit generale bellum suscipere, hoc est, non solùm aduersus vnam Romæ Ecclesiam (quæ est primogenitus matris Sionis filius) verùm etiam aduersus peculiares omnes Ecclesias, qui sunt Sionis etiam filij natu minores, ac demum aduersus eos omnes, qui spiritali generatione à matre Sione, id est, ab Ecclesia primogenita genus ducunt. *Qui sint reliqui de mulieris semine, quibus draco bellum intulerit.*

B

Et quidem primorum Christianorum vita atque institutio tunc erat huiusmodi, vt Ioannes de illis generatim dicat, *Qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Iesu Christi.* Semper tamen maximi alicuius cœtus, siue numerosæ hominum multitudinis laudes patiuntur aliquam exceptionem propter singularis cuiuspiam defectum. Sub nomine autem mandatorum Dei continentur, quæ ad fidem, spem, ceteraque virtutes spectant. At *habere testimonium Iesu Christi*, videtur hîc quidem esse, quasi Christi chirographo testatum habere, illa esse vera Dei mandata; quæ qui custodierit. æternam fælicitatem consequatur. (Vide 1. Ioannis 5.10.) Aut quod magis ipse probo, *Testimonium Iesu Christi*, in hoc loco est, manifesta Christi approbatio in maximis beneficiis, quibus eos afficiebat; dum vires illis suggerebat ac robur, & miranda per eos opera patrabat. *Quid sit, habere testimonium Iesu Christi.*

Porrò in hoc versu notandum est valde, sermonem non obscurè esse de aliis primogenitæ Ecclesiæ filiis ad distinctionem filij primogeniti, *qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea.* Ex quo patet, primogenitum filium non esse vniuersalem Ecclesiam, sed peculiarem quandam, quæ inter reliquas obtineat principatum. Et quamuis de dracone dicatur, *Abiit facere prælium cum reliquis de semine mulieris*, non perhibetur ideo ipse à bello contra filium primogenitum inferendo abstinuisse, sed decreuisse simul generali bello vndique concitato non primogenitum modò filium, sed omnes pariter mundi Ecclesias, & vniuersos homines Christianæ fidei professores adoriri. In quo etiam *Sermonē hic esse de aliis primæua Ecclesiæ filijs ad distinctionē primogeniti.*

C

innui tacitè videtur, persecutionem per flumen à dracone emissum indicatam, non ita fortassis communem & generalem extitisse. Id quod colligitur ex iis, quæ Baronius recenset anno Christi 60. agens de Neronis persecutione, & referens, quæ de illa tradunt Tacitus, Tertullianus, & alij. Non enim significant, eam persecutionem fuisse in toto Imperio vniuersalem, sed peculiarem Romæ, nec non sub eo prætextu cœptam, quòd Christiani falsò insimularentur ignem ad Romam comburendam admouisse, vt hoc pacto Nero ipse à suspicione excitati incendij se purgaret. Quamuis non propterea negandum sit, eam ipsam persecutionem posteà ad alias prouincias fuisse extensam. *Neroniana persecutionis initium non toto Imperio commune, sed Romæ peculiare fuisse: & quò prætextu cœperit.*

ABIIT FACERE PRÆLIVM] Huiusmodi prælium, siue generalem persecutionem, quæ hisce verbis denotatur, perspicuum est illam esse, quæ describitur capite decimo tertio à dæmone fuisse commota per maris Bestiam, & Bestiam terræ. Ideo enim mox additur, dæmonem inter mare & terram, nempe in maris littore ad hoc bellum capessendum constitisse.

TEXTVS.

D

Vers.18. Et stetit super arenam maris.

COMMENTARIVS.

RIbera §.43. & Viegas sectione 22. fine, aiunt, frustra laborare interpretes in exponendo, cur draco super maris arenam stetisse dicatur; cùm non sit legendum *Stetit*, sed *Steti*, in prima persona. Probant, quia Græcè legitur ἐστάθην. Et apud Aretam atque Andream legitur *Steti*, & in Complutensi etiam editione. Citant etiam pro se Rupertum & Erasmum; aiuntque hæc verba pertinere ad caput 13. vt videre est in Andrea, Areta, Ruperto, & Richardo. Probant præterea ex contextu; quia Ioannes statim subdit, se vidisse Bestiam de mari ascendentem, atque ita optimè cohæret, Ioannem ad hanc visionem supra maris arenam constitisse. *Vtrùm hic* Stetit, *an* Steti *legendum sit.*

Existimo autem, omnino legendum esse *Stetit*, in tertia persona, atque adeò de dracone hîc esse sermonem: Sic enim legitur in Bibliis omnibus correctis, & in vltima editione Vaticana, nec Biblia reperientur alia typis excusa, in quibus legatur *Steti*, vnis Complutensibus exceptis. Et in iis ipsis post vocem *Steti*, sequitur paruum τ. vbi coniectari potest per typographi inconsiderationem huiusmodi errorem irrepsisse. Ex interpretibus autem, vnum Rupertum constat legisse, *Steti*, in prima persona; qui verbum hoc de Ioanne interpretatur. Ex Andreæ verò, & Aretæ commentariis nihil potest certò inferri, quia nihil peculiare notant super ea verba. Quamobrem licèt in eorum textu impresso legatur, *Steti*, fortassis est aut error interpretis, aut mendum præli. Ceteri *Vaticana editionis lectionem præfertur.*

Digitized by Google

expositores legunt omnes, *Stetit*, & ad draconem referunt. Illud verò argumentum, quòd aliqui ex hoc versu caput 13. auspicentur, nihil probat. Communis namque diuisio hunc versum capiti 12. adscribit. Atqui in diuisione communi locum non habet *Steti*, in prima persona. Quin imò licèt caput 13. his verbis incipiat; non tamen perperam legetur, *Stetit*, in tertia persona; vt patet ex Richardo, & clarius infrà constabit. A

Quod attinet ad Erasmum, miror illum à Ribera, & Viega pro sua opinione adduci, cùm ipse non legat *Steti*, sed *Stetit* in tertia persona. Esto tamen legeret in prima; non tanti est, quem tutò sequi possis, omissa communi & recepta lectione. Iam quod affertur ex Græco, facili negotio diluitur; qui enim ex Græco transferunt, (vt Erasmus, Vatablus, Arias, & Biblia Regia) legunt omnes in tertia persona; indicium sanè non obscurum, fortè in græcis libris correctioribus non legi, ἐστάθην, sed ἐστάθη, quod est, *Stetit*, vel *collocatus fuit*. Aut forsan ἐστάθην potest tertiæ personæ deseruire addito in fine dictionis ν, eò quòd sequatur vocalis, qua ratione sæpe ponitur λέγουσιν, pro λέγουσι. Et quamuis grammatici asserant non addi, ν, in fine dictionis nisi post ἰῶτα, vel ἔψιλον, in verbo tamen substantiuo saltem dicitur ἦν, ἦς, ἦν, ita vt habeat ν, in tertia persona. Forsan ergo similiter id potest extendi ad verbum στάω, vel ἵστημι, quod significat *stare*, & est quasi substantiuum.

Denique communi lectioni insistendum est; & ab illa nemo. opinor, recederet; nisi interpretationis difficultate abreptus. Sed fortassis ea difficultate superata, mysterium ipsum in his verbis inclusum planè ostendit, veram lectionem esse, *stetit*, in tertia persona. Atque vt ab ipsa ænigmatis figura incipiamus; quis non videat in his duobus capitibus 12. & 13. repræsentari coniurationem quandam monstrorum trium in Ecclesiam conspirantium; nempe draconis è cælo dilapsi, Bestiæ maris, & Bestiæ terræ? In hac ergo figura liquidò constat, maris Bestiam esse quasi præcipuum maris ducem & imperatorem, & Bestiam terræ esse etiam terrestrium copiarum ducem: draconem porrò esse communem tam terrestris exercitus, quàm naualis imperatorem. Quare proprius illius locus est inter mare ac terram, & in ipso maris littore. Hoc ergo indicat textus, cùm ait, *Et draco stetit super arenam maris*. Ad hæc, quemadmodum maris Bestiam textus depingit in mari, & terræ Bestiam in terra, ita etiam amphibium animal recte in maris littore constituitur. Serpentes autem videntur ferè omnes ex amphibiorum esse genere, de quo Virgilius in Georgicis. B

Quid duplici hoc cap. 12. & 13. continentur.

Cur draco in maris littore stetisse dicatur, quod attinet ad figuram.

Sed accedamus iam ad mysterium. In cuius inuestigatione notandum primò est, generalem Ecclesiastici exercitus Imperatorem (nempe Christum) ab Apocalypsi collocari in maris littore. Nam vt vidimus capite decimo, figura illa Angeli fortis pede altero mare, altero terram prementis Christum Dominum repræsentat. Si ergo Christus ideo pedem alterum in mari tenens depingitur, quia Euangelij ad Gentes prædicatio eò ingreditur; si dæmonis item intentio eò fertur, vt prædicationi Euangelicæ mare ineunti obsistat; quæ posset statio illi congruentior designari, quàm maris littus; vt Christi studio & contentioni repugnare tentaret? C

Item quod attinet ad mysterium, seu significationem.

Secundò notandum est, draconis situm consultò in sacra fictione fuisse eiusmodi destinatum, vt draco ipse inde vtramque maris & terræ Bestiam prensare, & solicitare posset: quò prælium aduersus Christianam Ecclesiam initum acriter & ardenter vrgerent. Quamobrem, cùm draco è cælo in terram fuisse lapsus dicatur, congruenter satis in eo situ depingitur, vt suo inde sibilo atque halitu pestilenti vtramque simul Bestiam ad prælium accenderet & inflammaret.

Tertiò notandum est, Neronis persecutionem mirificè (vt diximus) fuisse figuratam veluti bellum, quod dæmon per se ipse immediate gerebat. Quo significatur Neronem expressa ipsius dæmonis cohortatione atque responso (quod vtpote insignis veneficus in omnibus consulebat) animum ad bellum illud appulisse. Quæ verò persecutiones ab aliis Imperatoribus ethnicis post Neronem excitatæ sunt, hæ describuntur capite decimo tertio veluti prælia, quæ Imperium ipsum, eiusque ministri aduersus Ecclesiam committebant: non verò dæmon per se ipse proxime, sed illorum interuentu ac ministerio. Quippe in hisce præliis dæmonis iussu expresso non capiebatur exordium, quamuis reuera ipse etiam fuerit in illis præcipuus hortator & auctor. Ad hoc ergo significandum congruenter fingitur draco in maris littore delitescere. Nam & colubri in arena latêre solent, & ipsa maris arena aptum est symbolum innumerabilis multitudinis hominum, in quibus Euangelij semen nullum fert fructum. Certum autem est, eos omnes, qui obsistebant Euangelio, esse infinitum stultorum numerum, in quibus Euangelij semen sterile reddebatur. Atque vt denotetur, infideles vtpote mundanos & obduratos, ac nullius stabilitatis aut firmitudinis, nequaquam permittere, vt Euangelij sementis in eorum animis radices ageret: ad hoc, inquam, aptissima est arena. Primò, propter infinitum numerum, huic enim significationi sæpe maris arena accommodatur in Scriptura, & expresse iam habemus Apocal. 20. 7. vbi dicitur, *Quorum numerus est sicut arena maris*. Secundò propter duritiem. Tertiò, propter vnionis defectum. Sunt enim impij, vt arenæ maris, inter se minime cohærentes, siue vt arena sine calce (quod aiunt.) Quartò, propter sterilitatem, nec enim potest arena ferre fructum, nec semen sibi commissum reddere. Quintò, arenæ duritiei additur emphaticῶς genitiuus ille *Maris*. Nam præterquam quòd arena ex se sterilis ac dura est, assidua ipsa marinæ vndæ eluuio illam magis adhuc fructus expertem reddit. Id quod omnino accidit impijs hominibus, quibus præter natiuam regentis cordis duritiem adiungitur noxia illa affectio ac lues, quam ex mundi commercio & contagione trahunt, nec non ex salsa aqua, quâ frequenter alluuntur, hoc est ex eo quòd deprauatis mundi legibus ac moribus subiaceant. Hi ergo sunt, in quibus serpens antiquus se abscondit. Nam in persecutione ac repugnantia, qua impij Euangelium infestabant, haud dubiè præcipuus dux atque suasor erat dæmon delitescens, D

Discrimen inter Neronianam persecutionem & reliquas subsequẽtes.

Quid denotetur per arenã, in qua draco constitit.

Digitized by Google

A delitescens, veluti in arena, in infinita impiorum multitudine, quæ se se Euangelio opponebat. Facit pro hac explicatione, quod Origenes, Augustinus, & Hesychius notant, nempe arenæ symbolo impios denotari steriles atque terrenos. Atque in maris arena plus adhuc energiæ habet hæc significatio, vt ex dictis liquet. Quare communis expositio est de impiorum multitudine.

Quartò notandum est, illam ipsam stationem, quam sibi elegit draco, esse aptam, vt denotet ipsius finem & scopum ad bellum inferendum tendere, vt patet ex phrasi latina, *Descendere in arenam.*

Vltimò nota, quamuis proxima maris Bestiæ significatio sit imperij potentia atque superbia, & significatio proxima Bestiæ terræ sit industria sapientiæ carnis, quæ magnum illud persecutionis incendium excitabat; in his tamen duabus Bestiis denotatur etiam, in altera quidem hostis animæ, quem mundum appellamus, in altera, caro, quæ alius est hostis. Et inter hosce duos est dæmon interiectus, qui se se Euangelio ac veræ pietati opponens, contendit vtriusque aduersarij vires atque exercitus aduersus Christum, eiusque Ecclesiam conflare. Quamobrem draco in maris littore, quasi medius interpositus fingitur, vt vtramque Bestiam ad huiusmodi bellum pelliciat. Prætereà B cum mundi atque carnis bellum terra, marique geratur, hoc est, extrà & intrà; quid congruentius, quàm draconem, ipsum huiusce belli & nefandæ amicitiæ conciliatorem in medio consistere? Hoc enim bellum in eo potissimùm situm est, vt mundi potentia extrà, & intùs sapientia carnis aduersus Christianam fidem machinas omnes admoueant. Quare dæmon conspirationis huius auctor, rectè inter vtramque medius collocatur, vt ambas ad bellum excitet atque accendat.

Bestia maris, & bestia terræ significatio.

Cur draco inter maris ac terræ bestias interiectus fingatur.

I



Digitized by Google

CAPVT XIII.

Disputatio de huius capitis argumento.

TOtum hoc caput ad duas reducitur Bestias; maris alteram, alteram terræ. Quapropter præcipua eius difficultas in eo sita est, vt quæ sint huiusmodi Bestiæ diligenter inquiramus, atque explicemus. Distinctionis autem gratia de singulis seorsum agemus.

De Bestia maris.

BEstiam maris alij inferorum dæmonem esse autumant. Alij impium quendam hominem omni scelere & improbitate insignem. Alij peculiare quoddam imperium. Alij denique vniuersam improborum hominum multitudinem.

§. 1. An sit Dæmon?

B IN applicatione ad dæmonem occurrit protinus in ipso textu repugnantia; videlicet, quia draco marinæ Bestiæ dedit suam virtutem & potestatem amplissimam. Quamobrem, cum draco manifestè dicatur esse dæmon, si maris Bestia dæmonem similiter agit, sequitur inde dæmonem dæmoni suam tradidisse potestatem. Hoc argumento constricti nonnulli (vt refert Aretas) in eam abiêre sententiam: vt dicerent, hanc Bestiam esse dæmoniorum secundum: hoc est, non Satanam, qui princeps dæmoniorum est, sed dæmonem alterum inferiorem Satanæ, & ceteris dæmonibus superiorem. Ridebunt (opinor) Theologi: sed magis miror fuisse, qui existimarent hanc maris Belluam esse ipsum dæmoniorum Principem. Quam expositionem confusè tradiderunt Haymo, Albertus, & alij, & distinctè amplectitur noster Pineda, Iob cap. 40. v. 10. §. 1. & prius etiam indicauerat, eam sibi non displicere Iob 18. v. 15. §. 6. Libenter hoc omitterem, ne viderer in magno & pulcherrimo opere næuum carpere, nisi censerem venerationem debitam textui asserenti draconem dedisse potestatem suam magnam Bestiæ maris, nos cogere, vt dicamus applicationem illam Bestiæ marinæ ad dæmonem, non posse esse explicationem textus, & quanto maior est auctoritas eius, qui eam sequitur applicationem, tanto maior erat periculum existimandi eam esse solidam explicationem. Existimabit fortè aliquis eam applicationem in eo niti, quòd Bestia marina Apocalypseos respondet Leuiathan Iobi, quem multi, nique graues auctores de dæmone interpretantur. *Marinam Bestiam de dæmone recte explicari non posse.*

Cetèrum ad huiusmodi suspicionem respondeo, allusionem quidem marinæ belluæ ad Leuiathan C esse certam, vt infra ostendam, in Leuiathan verò explicatione minimè contentos nos esse debere, si illum de dæmone exponamus. Nam ex Apocalypseos allusione perspicuè colligitur, qua ratione dicitur draco suam marinæ Bestiæ dedisse potestatem, eâdem etiam, potestatem hanc concessisse Leuiathan. Et quamuis primo aspectu videamur in distinctione Leuiathan à dæmone communi declarationi repugnare, suo tamen loco videbimus, permagni esse æstimandam lucem eam, quæ ex Apocalypsi in Leuiathan Iobi refunditur, nec non auctores omnes, qui Leuiathan ad dæmonem applicant, eo vel maximè fundamento, & quidem satis vero, fuisse subnixos, quòd scilicet descriptio Leuiathan allegorica est (licet aliquis hoc non existimauerit valde solidum) & in eo bello, quod Deus gerit aduersus Behemoth & Leuiathan, cum dæmone pariter pugnat. Nihilominus tamen, neque Leuiathan, neque Behemoth sunt ipsi dæmones, sed cum dæmone fœderati, ad eum modum, quo in Apocalypsi Bestiæ maris & terræ cum dæmone conspirant, à quo tamen distinctæ sunt. Et Apocalypsis quidem nobis quasi viam reserauit, vt dignoscere possemus, quinam sint Behemoth & Leuiathan, de quibus libro 6. late dicemus.

§. 2. An Bestia maris sit Antichristus?

D SEquitur ea opinio, quæ maris Bestiam de quodam homine omnium flagitiorum turpitudine infami interpretatur. Quem alij Lutherum esse putant, vt Lindanus libro tertio dubitantis.) Alij Genfericum. Alij Mahometum, (vt Antoninus, Ioannes Annius, Hentenius, Genebrardus, Euthymius, Cedrenus, & Zonaras.) Alij Siroem, siue Sirum Cosdroæ Persarum Regis filium (sic Lyranus, Ederus, Lizarazus, & Sotus 4. distinct. 49. qu. 1. a. 2.) Alij denique complures opinantur, per Bestiam marinam Apocalypseos propriè & directè Antichristum figurari; cuius persecutio erit omnium, quotquot Christiana Ecclesia habuerit, maxima. Atque hanc expositionem nonnulli adeò certam esse putant, vt de illa dubitari omnino non possit. Sic censet Maluenda lib. quarto de Antichristo capite decimo octauo, & Ribera hic cum aliquot aliis. Rigidæ huius censuræ fundamentum est, quia plurimi sunt Patres, qui hanc maris Belluam ad Antichristum referunt, vt Irenæus, Tertullianus, Hippolytus, Ephrem, Prudentius, Gregorius, & Prosper. expositores verò (vt aiunt) ferè omnes, vt Ambrosius, Haymo, Methodius, Andreas. Aretas, Rupertus, Albertus, Thomas, Pannonius, Gagneius, Seraphinus. *Vtrùm maris Bestia sit Antichristus?* *Proponitur sententia affirmans.*

Verùm enim verò, vt expositio aliqua pro certa & indubitata reputetur, non satis est, multos illi subscribere: si tamen sunt adhuc graues auctores, qui oppositam sententiam amplectantur. Et quidem si recenseamus auctores, & vtrorumque auctoritatem æquâ lance expendamus; profectò nec numero sunt, nec grauitate inferiores, qui illi de Antichristo expositioni sese opponunt, quos ipse paulò post referam, vt hi cum illis possint conferri. Nec verò lectorem efflagito, vt mihi in hac parte fidat, sed auctores ipsos peruideat; ita enim ipse præstiti. Cùm autem omnes, quos pro se affert *Expenditur eorum auctoritas; quid pro hac sententia referuntur. Ac primò de expositoribus agitur.*

Digitized by Google

Maluenda, singulatim consuluissem, reperi eorum aliquos Diui Augustini vestigiis insistere, & opinionem sectari qui maris Bestiam explicat de impiorum multitudine; ex quorum albo sunt Primasius, Beda, Richardus, & Albertus, quos Maluenda pro sua de Antichristo expositione adducit. Alij adò confusè & promiscuè loquuntur, vt vtram sectentur viam, discernere omnino nescias. Ex his sunt Haymo, Albertus, atque alij; qui referunt explicationem de Antichristo & de Dæmone, nec non eam, quæ maris Bestiam de imperiorum multitudine exponit; & cùm vtramque pariter complecti velle videantur, nullam firmiter tenent. A

Deinde Patribus.

Venio ad Patres, qui pro illa opinione citantur à Maluenda. Atque imprimis eorum aliquos certum planè est fuisse millenarios; & quamuis id ad res alias illis auctoritatem non deroget, in hac certè non illis admodum fidere debemus. Nam huius explicationis difficultas in eo vel maximè sita est, quòd ex eius assertione sequatur, mille pacis annos Ecclesiæ subsequi post Antichristi bellum, id quod Millenarij nequaquam dissonum aut dissentaneum reputabant. Quæ ergo prudentia est, in re adeò difficili eorum opinione niti ac fidere, qui difficultatem ipsam non cernunt, quia sibi verum esse persuadent, quod Ecclesia erroris damnauit. In hac igitur quæstione, Vtrùm Bestia maris Antichristus sit, nulla habenda est ratio, (opinor) Ironæi, Tertulliani, Lactantij, Apollinaris, Iustini, Papiæ, nec alterius cuiusque ex millenariis. Hi enim dum eum errorem sectantur, non admodùm laborant de difficultate magna, quæ mox in ipso contextu sese obiicit, videlicet exitum belli ab vtráque: maris & terræ Bestia gesti aduersus Ecclesiam, esse victoriam ipsius Ecclesiæ, & mille pacis annos.

Millenariorum auctoritatem hac in parte fidem non facere.

B

Rerũ transgressionem & ordinis perturbationem in explicatione Apocalypseos non recte admitti.

Respondebit tamen Ribera, difficultatem hanc prorsus desinere: si præstituamus, in Apocalypsi nullum ordinem, aut Prophetiæ seriem obseruari: hanc enim esse Prophetarum consuetudinem. Verùm id, quod videtur Riberæ deuorandum, nec deuorabant Millenarij in Apocalypsi: nec deuorabit, qui viam aliquam inuenerit ad totam Apocalypseos acoluthiam aptissimè absque vlla anticipatione vel saltu, vel ordinis peruersione declarandam. Nec enim ant Ribera, aut quilibet alius ire inficias potest; quin si id fortè reperiatur, ordinis peruersio fuerat idcirco conficta, quia vera intelligentia nondum inuenta erat. Quamobrem, quia diuino numine fretus spero, me totam Apocalypsin seruato historiæ ac mysteriorum ordine expositurum, existimo planè ordinis peruersionem, quam alij deuorare non dubitant, violentam prorsus atque coactam esse. Et certè cum vel Millenarij ipsi hanc rerum permistionem & confusionem minimè admitterent eorum abuti auctoritate ad ea amplectenda, quæ ipsi respuebant, id profectò non aliud est, quàm difficilis ac salebrosæ viæ illos assumere duces, qui ad difficultatem agnoscendam omnino cæcutiunt.

In hac præsertim Apocalypseos parte quàm deceat quælibet ordinis confusio & inconsequentia.

C

Et quamuis in aliis Apocalypseos nodis non admodùm contextum vrgeret, atque peruerteret, qui saltus eiusmodi & transgressiones admitteret, in hac saltem te huiusmodi perturbatio ordinis expressam, & coactam satis violentiam præ se fert, Textus namque ipse clarè indicat, horum capitum bellum eo demum exitu finiri, vt duæ Bestiæ in stagnum ignis præcipites detrudantur, & draco præcipuus belli auctor in quodam puteo per mille annos constringatur: vnde soluatur posteà, & bellum in Ecclesiam redintegret. Quam rerum ordinem ac seriem qui neget, næ ille meridianam neget lucem.

At enim (inquies) quantumuis licèt eum ordinem admittamus, potest adhuc consequenter asseuerari, maris Bestiam esse Antichristum, vt tuentur Pannonius, Seraphinus de Fermo, & Bulingerus (forsan ex Ioachimo, Vbertino, & Hortulano) qui mille pacis annos mysticè exponunt & applicant ad pacem, qua Ecclesia post Antichristi interitum fruetur. Quin imò affirmare non dubitant, bellum Gogi & Magogi non esse illud, quod antonomasticè bellum Antichristi vocatur, sed aliud, post Antichristi ipsius mortem, & post mille illos pacis annos futurum. Ceterùm vt meum hac de re sensum exponam, hæc mihi non expositio, sed somnium potiùs ac merum figmentum visum est. Ex quorum auctorum insolita explicandi ratione illud saltem elicio, videlicet quantopere illos vrserit, atque impulerit ipsemet rerum ordo, quem Apocalypsis in horum capitum bello recensendo, & in mille pacis annis, atque in Gogi & Magogi bello obseruet, siquidem vt illud tueri possent at defendere, quod affirmauerant de Antichristo per maris Bestiam figurato, quodammodo in Millenariorum errorem prolapsi sunt, dum mille annorum pacem post Antichristum, & ante Gogi & Magogi persecutionem inseruerunt, pacemque ipsam mille annorum ad violentissimam allegoriam reuocarunt. D

Mille pacis annos, de quibus Apocalypsis, Antichristi bello debere præcedere.

Mihi quidem dubio & incerta confingere fas non est. Video autem im communi ac recepta Theologorum doctrina, mille pacis annos, de quibus Apocalypsis, in Antichristi persequutione terminati, vt docent Augustinus libro vigesimo de Trinitat. capite septimo, Gregorius libro 9. Moralium capite primo, & lib. 35. cap. 10. Primasius, & Beda in Apocalypsin, & grauissimi quique interpretes. Quamuis improbabile non existimem, Gogi & Magogi bellum, ac pacis perturbationem exordiri à bello hæreticorum huius temporis, vt Antichristi præcursorum: atque adeò totum hoc veluti proœmium quoddam & inchoationem ad Antichristi bellum pertinere. Verùm vtcumque hoc sit, mille certè pacis annis aut potitur, aut potita iam est Ecclesia post Romanum Imperium Religioni subiectum, & ante ipsius Antichristi aduentum. Quæ veritas difficillimam reddit marinæ Bestiæ explicationem de Antichristo, atque difficultatem hanc dignoscere Millenarij non poterant. Nam præter ipsorum errorem, qui mille annorum pacem (vt sonant) constituebant, & primam iustorum resurrectionem post Antichristi aduentum, & ante diem iudicij collocabant, præter hunc inquam errorem, nondum ipsemet Ecclesiasticæ Ecclesiæ successus illos ab ea deceptione depulerat; cùm tamen ex Ecclesiæ historia ac rerum successione constet euiden-

Digitized by Google

A euidenter, post Rom. Imperij subiectionem & euersionem idololatriæ, Christianam Ecclesiã mille pacis annis potitam esse ante iustorum resurrectionem, & aduentum Antichristi. Itaque ipsa temporum series & ordo sæculorum euidenter ostendit, Antichristi persecutionem (quæ nondum aduenit) cum antiquis Romani Imperij ethnici persecutionibus neutiquam fore continuandam vt falsò Millenarij putabant. Si igitur hæc Millenariorum opinio rectè consideretur; facile mox constat, ab ea minimè dissentire illam expositionem, quæ per maris Bestiam Romanum Imperium ethnicum significaret; Extremum enim & immanissimum illius persecutionis, credebant ipsi persecutionem Antichristi fore. Quare sepositio eorum errore, Millenarij, quos Maluenda & Ribera suæ fauere opinioni arbitrantur, dum maris Bestiam ad Antichristum referunt, re verâ si eorum non verba solùm, sed intentionem etiam discutiamus, ad eam potiùs inclinant sententiam, quæ maris Bestiam de Romano imperio Idololatra interpretantur. Quapropter Victorinus (qui ex Millenariorum numero est) expressè per Bestiam de mari ascendentem Romanum imperium & populum commistum intelligit. Itaque Millenarij (quorum testimonium est irritum ac nullum ad marinam belluam de Antichristo declarandam, quippe contextus difficultatem non explorarunt) ipsimet non de alio loquuntur Antichristo, vt ex eorum intentione patet, quam de antiquo Romano Imperio Idolorum culturæ dedito. Id quod si Maluendæ ac Riberæ satis est, næ in eandem omnes sententiam pedibus imus; nec opus erit ad nostram stabiliendam sententiam à Millenariorum errore auxilium implorare.

Millenariorum de maris Bestia mentem, si rectè inspiciatur, ad interpretationem Rom. Imperij satis inclinare.

B

Dices, alij Patres (vt Gregorius) quos Millenariorum error nec leuiter aspersit, nihilominus affirmant, maris Bestiam esse Antichristum: cuius persecutio re ipsâ mille pacis annos consequitur. Respondeo primò, ex antiquis Patribus à Millenariorum errore in tactis, qui marinam Bestiam de Antichristo exponant, esse perpaucos: & multo esse plures, qui in aliam descędunt sententiam, nec minùs graues, vt infrà videbimus. Secundò: suprà iam Gregorij verba retulimus; ex quibus liquet per Gregorium, & eius exemplum licere iis, qui *seriatim* aliquem Scripturæ librum exponunt, discedere ab aliquorum Patrũ explicatione, qui non seriatim exposuerunt. Tertiò: illud mihi imprimis probatum est, per maris bestiam non directè & propriè illum denotari Antichristum, cuius persecutio post mille pacis annos est futura. Ad Patres, verò, qui maris Belluam Antichristo applicant, sufficit de illo hic agi indirectè: id est de Romano Imperio per comparationem ad Antichristum. Quæ locutio Scripturæ familiaris est, & præcipuè Ioanni, quando de Ecclesiæ persecutoribus loquitur; quibus in hoc sensu nomen ac figuram Antichristi tribui, res est, quæ Apocalypseos contextum ac seriem minimè interturbat. Atque hac ratione potest verè affirmari, sermonem esse indirecte de Antichristo; obiterque ipsius Antichristi asseritur persecutio, quando sumitur ab illa cõparatio: id quod nequaquam inficiabor. Et sanè explicatione hac contenti esse deberent, qui sibi persuadent. complures esse Patres, qui de Antichristo hanc maris Bestiam declarant. Etenim quantunuis essent plurimi: posset eorum expositio hoc pacto congruenter accipi, & pariter reliquus erit explanandi locus, vt directè de iis rebus in hoc loco sermo sit, quas præcedentium & subsequentium series & cohærentia suo iure deposcunt.

Quid respondendum sit ad Patrum auctoritatẽ, qui marinã belluam de Antichristo exponunt.

C

De huius autem libri interpretibus ita censeo, mirandum minimè esse in libro adeo obscuro atque difficili, in quo historiæ consecutio adeò erat inuoluta, dum expositores ipsi asserebant, contentos se esse, (vt Richardus ait) aliqua solùm circa superficiem carpere; cùm viderent aliquos esse Patres, qui Belluam marinam Antichristi figuram esse putarunt, eorundem institisse vestigiis, nulla interim de huius explicationis exordio (quod à Millenariis deriuatur) inquisitione factâ. Veruntamen nec expositio hæc ita est communis ac peruagata, vt opinatur Maluenda. Nam ex interpretibus habemus etiam pro nostra sententia non paucos, vt statim planum fiet.

Quid de expositoribus idem sentientibus dicendum.

De ceteris expositionibus marinam Bestiam ad peculiarem aliquam personam detorquentibus siue illum esse verum Antichristum, siue Mahometum velint, siue quemlibet alium Antichristi præcursorem, vt Lutherum, siue Ecclesiæ hostem, vt Cosdroæ filium) de huiusmodi inquam, expositionibus refellendis nihil laboro. Constat enim eas non explicationes esse, sed applicationes, quibus Apocalypseos filum duci continuatà serie non possit, nec dignæ sunt huius libri magnitudine & grauitate, nec demum absque magna violentia applicantur. quamuis nihil aliud nisi ipsa marinæ Bestiæ figura attendatur.

D

Atque vt cunctis expositionibus, quæ maris Bestiam ad singularem referunt personam, nonnihil opponam, aliis prætermissis, illud interim nunc animaduertere sit satis, septem capita, quæ textus Bestiæ maris attribuit, fieri non posse vt singulari alicui personæ, nec sub eodem tempore aptentur. Nam ex capite 17. planum fit, septem isthæc capita non esse reapse comprobanda, siue asserenda sub eodem tempore, sed per successionem atque decursum, ita vt de illis verè possit assuerari. *Quinque ceciderunt, vnus est, & alius nondum venit.* Quod perinde est, ac si dicatur, post capita quinque præcisa ac demortua, sextum esse superstes, necdum septimi tempus aduenisse. His verbis (ni fallor) euincitur falsitatis, quæcunque expositio contendat septem capita de eodem tempore explanare: artipit enim viam contrariam ijs quæ textus exprimit. Præterquam quòd vt vtcunque septem hæc capita accipiantur, euidens ex contextu est, in illis reges septem diuersos, aut Principes denotari. Atqui singulari alicui personæ septem capita affingere, quòd septem ei Reges præstent obsequium, id verò non aliud est, quàm ex pedibus capita conflare.

Impugnãtur opiniones marinam bestiam exponentes de singulari aliqua persona.

§. De

§. 3. De Hæreticorum insania in Bestiæ marinæ expositione.

A

Hæreticorũ somnium de marina bestia expositione.

SEquuntur eorum opiniones, qui marinam Belluam de aliquo Imperio singulari exponunt. Et nequa mihi opinio quantumuis iocularis & nugatoria prætermittatur: primo loco Hæreticorum nostri temporis insaniam ac delirium referam, vt famâ & auditione accepi, nihil enim habeo præter auditum.) Fingunt igitur, & obloquuntur, hanc maris Bestiam esse figuram Ecclesiastici Imperij Romanorum Pontificum, siue eorum successionis. Mira hæc impudentia ac deliratio indigna profectò erat, cui responsio præberetur: nec sedes Apostolica nostrâ indiget in meris hisce nugis dissensione. Sed respondendum est stultis iuxta stultitiam suam; ne sibi sapientes esse videantur. Prætermitto præcipuam huius erroris confutationem, quæ petenda est ex euidenti demonstratione, qua perspicuum fit Romani Pontificis auctoritatem à Christo Domino fundatam, stabilitam, atque erectam esse: nec non Catholicæ Ecclesiæ vnionem ac vinculum, & pariter columnam ac firmamentum veritatis. Ex quo infertur, eos qui asserunt Apocal. descripsisse Pontifices Romanos in Bestia maris, non aliud agere quàm vt Apocalypsis deseruiat blasphemiis contra Christum & Ecclesiam. Hoc tamen, vt dixi silentio inuoluo: quia huius in libri expositione non me attingit hæresum impugnatio, sed ænigmatum Apocalypseos enodatio. Quamobrem satis mihi erit si ipsismet hæreticis euidenter ostendero, impossibile omnino esse hanc maris Bestiam esse B symbolum ac figuram supremæ Pontificis summi dignitatis, quæ ipsos tantopere torquet & cruciat; ac proinde hanc ipsorum applicationem esse execrandam blasphemiam, & omnium risu ac sibilis explodendam.

Confutatur hæreticorum error, ex ipsa contextus serie & consequentia.

Quam ad rem illud solùm noto, siue potiùs obiter refrico, quod superiùs iam planum feci, nimirum capitis vndecimi finem claudere in se absolutam tractationem de Iudæorum repulsa atque reprobatione. Deinde in capite duodecimo denotari Ecclesiæ transitum ad Gentiles, & peculiares Ecclesias, quæ in tota Gentilitate sunt institutæ: nec non Dæmonis persecutionem aduersus illas excitatam. Præterea euidens est, hoc ipsum argumentum in capite decimo tertio continuatâ serie prouehi. Nam draco & Bestia maris ac Bestia terræ, inito inter se fœdere, aduersus Ecclesiam ad Gentes commigrantem coniurant. Certè, qui in meridiana Luce cæcutire, & mente obstinatâ, ac præfracto ore blaterare nolit: perspicuè videat ac fateatur necesse est, hanc rerum seriem ac decursum adeò manifestè in textu exprimi: vt qui nostram superiorem capitum explanationem perlegerit, ante capitis huius 13. commentarium, vel ex ipsa textus lectione reddatur certus de belli eiusdem consecutione in duodecimo & decimo tertio capitibus. Quapropter, qui per maris Bestiam Romanos Pontifices asserunt figurari, nihil aliud contendunt quam vt bellum à Dæmone excitatum in Ecclesiam, postquam migrauit ad Gentes, per Romanos ipsos Pon- C tifices gesserit ipsemet Dæmon. Ecquis ergo hæreticorum adeò vecors ac demens reperiatur, qui non videat suos conatus irritos planè esse ac nugatorios: si probare contendat Romanos Pontifices Petro per ordinem succedentes esse præcipuum instrumentum belli illius, quo dæmon Christi Ecclesiam demoliri tentauit? Quòd si Hæretici non audeant antiquos Pontifices Romanos Christi esse hostes affirmare; ex antiquis sanè Pontificibus necesse est marinæ Bestiæ significationem auspicari; si tamen, (vt ipsi comminiscuntur) huius Bestiæ figura Romanos Pontifices adumbrat. Euidens nãque est hic sermonem institui de bello, quod Bellua hæc Ecclesiæ intulit, simul atq. ad Gentilitatem sese ipsa Ecclesia transtulit.

Hæreticorũ in suo errore confusio, ex consequentia & ordinis perturbatio.

Reuincitur hæreticorum insania ex Danielis bestia collatione cum marina hac Apocalypseos bellua.

Ad hæc nemo non viderit, omnino esse improbabile, quòd Apocalypsis prætermittat grauissimum bellum, quo Romani Imperatores Idolorum cultores Christianam Ecclesiam diuexarunt, vbi primum Euangelium Gentibus promulgari cœpit: & repentè transiliat ad bellum illud, quod Hæretici somniant Romanæ Ecclesiæ à summis Pontificibus inferri. Quamuis enim verum foret id, quod est impudentissimum mendacium, nempe Romanos Pontifices esse Christi hostes: nihilominus nulla ratione cohærebat, vt in præsenti de illis ageretur in Bestia maris. Hoc enim planè esset, prorsus omittere clarissimam illam & glorioſissimam victoriam, quam Ecclesia ex Romani Imperij persecutione comparauit, (quod certe post humani generis redemptionem, præstantissimum extitit facinus D omnium, quotquot mundus aspexit) & quæ proximè subsequebatur Ecclesiæ transitum ad Gentes & pro Hæreticorum libito Prophetiæ seriem ordinemque peruertere, atque ad importunissimam narrationem siue fictionem potiùs ridiculè transilire.

Iam verò quis vnquam Danielis textum attentè perlegit, quin pro comperto habeat, Bestiam illam decem insignitam cornibus esse Romanum Imperium idolis addictum, & antiqui illius senatus potentiam? Si hæc ergo est Bestiæ decem cornuum apud Danielem significatio; & in hoc Apocalypseos loco manifestus ad illam respectus habetur cuius stultitiæ est, odio ac furori in sedem Apostolicam tantopere indulgere, vt Bestia decem cornuum in Apocalypsi non pro imperio & senatu Christi nomen acerbissimè insectante, sed pro Petri successoribus vlurpetur.

Denique, quantumuis ex ipsa Apocalypseos cohærentia, & ex allusione ad quartam Danielis Bestiam, non ita constaret euidenter falsitas & insania huius applicationis ad Romanos Pontifices: quis adhuc non videat, ipsam marinæ Bestiæ descriptionem omnino huiusmodi applicationi repugnare. Quò enim, obsecro, accommodandum est opus illud mirum & insolitum, cùm primum caput antea extinctum reuiuiscit? Quò vrsini pedes, qui manifestum sunt luxuriæ symbolum? Verùm quid opus est diutiùs in his deliriis refutandis immorari? quasi verò prudentiæ sit, vocibus & clamoribus cum eo contendere, qui in meridiana luce cymmerias se tenebras contrectare asseueret.

Digitized by Google

A

§. 4. De Applicatione marinæ Bestiæ ad Imperium Turcarum.

Excluditur opinio expositium maris Bestiam de Turcarũ imperio.

Discutiamus oportet, (obiter tamen) explanationem aliam, quæ placuit Caponsachio in huius capitis interpretatione, Louisino in libro de Aquila Esdræ, fol. 21. & Luisio Legionensi in libro de nominibus Christi. Hi enim opinati sunt in marina hac Bellua Turcicum Imperium figurari. Eôdem ferè recidit eorum expositio, qui hanc maris Bestiam esse existimant Mahometismum, siue Mahometicorum colluuionem ac fæcem: quod placuit Ioanni Annio, atque Hentenio. Cæterùm præterquam quòd huiusmodi applicatio multis in rebus violentiam præ se fert, profecto tam Apocalypseos series, quam allusio ad quartam Danielis Bestiam decem cornibus præditam dilucidè ostendunt, huiusmodi expositionem veram esse non posse. De quo plura non dicam, quia ex iis quæ infrà subiicientur, idem amplius constabit.

§. 5. Bestiam maris non esse aliud, quàm Romanum Imperium, quod olim Ecclesiam insectabatur.

Statuitur vera marina Bestia interpretatio de Romano Imperio ethnico antiquo Christianam Ecclesiam persequente.

Reliquum est, vt expendamus, quid censendum sit de eorum sententia, qui affirmant per marinam Bestiam, Romanum, significari Imperium idolorum superstitioni deditum; quod Chri-
B stianam Ecclesiam acriter vexauit, vt primùm illa Iudæis derelictis ad Gentiles gradum fecit. Imprimis ergo ita statuo, pro hac explicatione auctores sanè quàm multos, eosque grauissimos numerari. Nam vt ex iis ipsis ducamus exordium, qui maris Bestiam ad Antichristum videntur detorquere, eorum non pauci procul dubio Antichristi nomine compellant vltimum ex Romanis Imperatorem, qui iuxta eorum opinionem multò crudeliùs cæteris fuerat in Ecclesiam sæuiturus. Et quanuis hi auctores in eo errauerint, quòd existimarint, illum, quem Ecclesia per antonomasiam appellat Antichristum, extremum fore omnium antiqui illius imperij Romani Imperatorum nihilominùs (vt suprà iam vidimus) si diligenter attendatur Millenariorum mens, certum est, per ipsos Antichristum à veteri Imperio Romano minimè distingui; nisi tantùm penes illud, quod Romanũ Imperium vetus sub extremâ persecutione Ecclesiæ inferendâ considerabant. Hoc videre est expressum in Victorino, qui Millenarius erat. Nec alia fuit reliquorum mens, qui huic subscripserunt errori. Eos autem fuisse ex antiquioribus Patribus non paucos, superiùs ostendimus. Qui quidem licet decepti fuerint, dum mille pacis annos in Regno Christi crasse nimis ac supinè acceperunt; verùm in pace illa mille annorum constituenda, quasi fructu atque effectu consecuto ex victoria, quam Ecclesia de Bestia maris & eius fœderatis reportauit; in hoc sanè minimè errarunt, sed optimam Apocalypseos consecutionem assecuti sunt. Quemadmodum etiam Danielis ordinem tenuê-
C re, quatenus persecutionem illam à Bestia decem cornuum excitatam, non dubitarunt esse Romani Imperij & senatorum persecutionem.

Prædicta explicatio auctoritatis momentis fulcitur.

Quinam ex Patribus nostrã tuẽatur sententiam.

Deinde auctores omnes, qui meretricem illam (Apocalypseos 17.) Babylonis nomine distinctã existimant esse antiquam Romam ethnicam, quæ Christianam insectabatur Ecclesiam; consequenter adstruunt marinam Bestiam huius capitis 13. esse Romanum imperium idololatram. Certum namque est, maris Bestiam, de qua in hoc capite, & Bestiam illam, cui Babylon insidet, capite 17. vnam eandemque esse; vt diserte docet Hieronymus, & suo loco demonstrabimus. Vbi autem semel statuamus in meretrice illa Romam ethnicam figurari; illico compertum fit, eam Bestiam esse Romanum Imperium dijs commentitijs obsequens, quod à Roma ethnica administrabatur. Auctores verò, qui Babylonem Apocalypseos esse credunt Romam antiquam idolorum cultricem, plurimi sũt atque grauissimi, vt vidimus notatione 11. procemiali, vbi plures quam viginti enumerauimus, eorum etiam locis indicatis. Ij autem sunt, Papias, Tertullianus, Eusebius, Hieronymus, Apringius, Cassiodorus, Paulus Orosius, Hentenius, Annius, Salmerõ, Ederus, Bulengerus, Forerius, Gagneius, Hesselius, Bellarminus, Pererius, Suarez, Marquez, Pradus, & Mendoça. Et meo quidem iudicio præuium horum auctorum ducem meritò designare possumus Angelum illum, qui Ioanni nonnulla ex Apocalypsi explicauit. Perspicuè enim asseruit, septem eius Bestiæ capita esse septem Romæ montes;
D & per meretricem denotari vrbem magnam *quæ habebat regnum super reges terræ.*

Prætereà si phialarum plagæ significant bellum, quod Christiana Ecclesia intulit idololatriæ, donec eam euerteret (vt Irenæus cum maxima voluptate perdidicit ex antiquo Presbytero, qui fortè erat Polycarpus Ioannis auditor) certè si hoc admittatur, eâdem etiam consequentiâ admittatur necesse est, meretricem capitis 17. esse Romam ethnicam, & Bestiam capitis 13. esse Romanum Imperium ethnicum, quod Christi Ecclesiæ insultabat. Atque vtrumq; admittit beatus Apringius in suis commentariis cap. 13. & 17.

Aliorũ auctorũ sensus pro nostra explanatione declaratur.

Porrò auctores ij, qui marinam Bestiam de impiorum omnium multitudine siue de Gentilismo declarant; intelligendi profectò sunt non de vniuersis impijs, qui ab ipso mundi primordio extitere; non de cunctis Gentilibus, qui aut post hominum memoriam fuerant, aut tunc fortè siue in Iaponia, siue in America, siue alicubi Gentium extra Imperij fines degebant, sed de illis ipsis impiis, de illis ethnicis, qui per Imperij persecutiones Bellum contra Ecclesiam gerebant. Sic enim plerumque scriptores antiqui nomina mundi atque orbis, & quæuis alia vniuersitatem significantia ad Romanum orbem, seu Imperium accommodare solent. Et verò in contextu euidens est, non institui sermonem de impijs omnibus, aut de cunctis Gentilibus generatim sumptis, qui vbique terrarum dispersi erant; sed de illis solùm, qui in illa Ecclesiæ persecutione vnum veluti corpus atque exercitum inter se conflabant. Hi autem non alij erant, nisi qui ea tempestate impietati ac furori Romæ ethnicæ erant subiecti, (quæ Roma meretrix est in Bestia considens), & pro capitibus

siue

Digitized by Google

siue moderatoribus habebant Rom. Imperatores in Bestiæ capitibus figuratos. Hinc est, Bellarminum sapienter pro eodem reputare Rom. Imperium, vel cœtum impiorum; ait enim libro 3. de Pontifice Romano cap. 15. Bestiam hanc de mari ascendentem esse Romanum Imperium, aut cœtum impiorum. Id quod clarè etiam cernitur in Victorini interpretatione, & in Apringio. Si autem admittamus, impiorum cœtum (de quo multi marinam Bestiam explicant) Imperium esse Romanum; à nobis etiam stabunt Ticonius, & Augustinus lib. 20. de Ciuitate cap. 9. & 14. quod sequuntur Primasius, Beda, Richardus, Hugo, Ansbertus, & alij multi, qui de infidelium populo, siue de cœtu impiorum hanc maris Belluam intelligunt. Atque idem dico de illis, qui eandem Bestiam ad Gentilismum referunt: ex quibus sunt Ioannes Annius, & Hentenius. Atque huc vsque de nostræ expositionis auctoribus; qui omnes vnum in numerum congesti, & plures sunt & grauiores auctoribus omnium aliarum expositionum. A

Rationibus nostra expositio roboratur.

Sed præter tantam testium nubem, sunt etiam valida satis argumenta, quæ nostram statuunt roborantque sententiam: eaque, vt summatim complectar, hæc sunt. Primum; quia, vt suprà iam diximus, negari non potest, quin in hac Bestia decem cornuum alludatur ad quartam illam Danielis Bestiam capitis 7. quam esse Romani Imperij figuram ac symbolum, liquidò constat. Secundum: antecedentium capitum contextus hanc de Romano Imperio explicationem non insinuat solùm, sed affatim quoque vrget. Romanum namque Imperium idolorum cultui studens horribile in Euangelij prædicationem concitauit bellum: atque hoc fuit, quod aduersus Ecclesiam exarsit: simulatque illa ad Gentilitatem confugit. Nec verò credibile est, in nobilissima de Ecclesiæ progressu prophetia rem adeò sublimem & glorioſam prætermissum iri. Tertium: subsequentium huius libri partium connexus suo quasi iure deposcit eandem marinæ Belluæ explicationem. Nam victoriam Ecclesiæ de Romano Imperio partam consecuta est idololatriæ exterminatio, & pax per mille annos durans: de qua posteà. Quartum; ad Romanum Imperium idolorum cultorem aptissimè applicatur, quidquid de marina Bestia textus recenset: nec in quauis alia expositione quidpiam reperitur, quod hac in re animũ omnino expleat. Quintum deniq., in hac interpretatione (id quod mihi validissimi instar argumenti est) totum Apocalypseos filum facilè duco, & antecedentia cum subsequentibus attexo. Hoc autem tum in omni declaratione optandum maximè est, tum etiam in ænigmatum enodatione euidenter demonstrat, veram ac germanam expositionem fuisse deprehensam. Atque hæc de argumento primæ partis huius capitis. nempe de maris Bestia. Regrediatur nunc disputatio ad secundam capitis partem de Bestia terræ. B

§. 6. *Bestia de terra ascendens quid significet.*

Bestia de terra ascendentis interpretatio quæ sit.

AVgustinus lib. 20. de ciuitate cap. 14. ait, forsan per hanc Bestiam designari Antichristum. Eandem expositionem amplectitur Prosper in dimidio temporis cap. 11. vbi tamen parum fibi videtur constare. Nam cap. 10. ad Antichristum applicauerat Bestiam maris. atqui euidens ex cõtextu est, maris Bestiam & Bestiam terræ diuersas esse debere. Quare, qui per maris Bestiam Antichristum intelligunt, sibi ipsis repugnant, si ad eundem velint terrestrem Bestiam referre. Enimuerò huiusmodi repugnantiâ omissâ, terrestris Bestiæ applicatio ad Antichristum (cuius etiam meminit Andreas) Antichristum ipsum marinæ Bestiæ ministrum constituat, oportet. Hoc verò non aliud esset, quàm asserere, siue supponere, in marina Bestia dæmonem repræsentari, quod satis superque impugnatum est. Nam Antichristus minimè contendet, cuiquam alij præter dæmonem & seipsum, adorationis honorem cultumque deferri: cùm tamen affirmet textus, Bestiam terræ effecturam, vt mundani omnes marinam Bestiam adorent. C

Referuntur aliorum sententiæ.

1. Sententia explicans de Antichristo.

2. exponens de Mahometo.

Hentenius in iudico de Apocalypsi, (quod veluti prologum agit ad Aretæ commentarios) refert Annij Viterbiensis quæstiones in Apocalysin Sixto IV. Pontifici summo & Christianis Regibus dicatas, quibus contendit, per hanc terræ Bestiam signari Mahometum, huncque esse magnum illum Antichristum, qui prædictus erat bellum Ecclesiæ illaturus. Quam Annij opinionem non refert solùm Hentenius, sed probare etiam videtur, quanuis concludat demum, se nihil afferendo dicere, sed vt doctioribus occasio perscrutandi detur. Contra hanc Annij excogitationem aliqui graues Theologi conscripserunt: vt Suarez, Pererius, & Maluenda. Quapropter ad eorum scripta lectorem refero: in quibus demonstrant, fieri nullo modo posse, vt Mahometus sit celebris ille Antichristus toties in sacris Literis prænunciatus. Verùm quod attinet ad huius Bestiæ de terra ascendentis interpretationem: illam de Mahometo explicari planè repugnat veræ declarationi, quam de marina Belua tradidimus. Etenim textus hanc terræ Bestiam perspicuè designat, vt Bestiæ marinæ ministram. atqui Mahometus nullo pacto Romani Imperij ethnici minister extitit. D

Tertia est aliorum hæreticorum figmentum.

Multò adhuc vesanior est ea huius Bestiæ applicatio, quam ab huius temporis hæreticis per summam impudentiam assignari audio. asserunt enim in ea Romanos Pontifices, aut eorum ministros adumbrari, qui ex duplici cornu, quod textus huic Bestiæ attribuit, ansam accipiunt ad Episcoporum mitras caninis dentibus dilacerandas. Refert hoc Durantius de rebus Ecclesiæ. Veruntamen aduersus hanc impudentiam & insaniam sint satis, quę diximus contra eosdem hęreticos in superioris Bestię explanatione.

4. Sententia explicans de Antichristi ministris.

Diuus Gregorius libro 33. Moralium, capite 36. existimans in maris Bestia Antichristum describi; credit insuper, ipsius Antichristi administros & concionatores per Bestiam terræ denotari: eademque expositio arrisisse videtur Richardo, Bedæ, & Ansberto. Aliorum suspicio est, non plures Antichristi ministros, sed certum quendam ipsius sodalem & asseclam valdè insignem per terrenam hanc Belluam innui. Sic Irenæus, Andreas, Ambrosius, Ribera, & Viegas. Vtraque explicatio b

in eo

Digitized by Google

A in eo nititur, quòd maris Bestia Antichristum designet; hinc enim obligat textus, vt terrestrem Bestiam ministram esse marinæ fateamur. Quapropter, corruente fundamento, corruat necesse est terrestris Bestiæ expositio; quæ illo veluti adminiculo fulciebatur. Et sanè, si maris Bestiam esse Antichristi figuram opinaret; in terrenæ Bestiæ explicatione Gregorium potiùs, quàm Irenæum sectarer. Etenim Antichristi fore concionatores veris Christi prædicatoribus omnino oppositos, res est multò in se certior, quàm quod Irenæus & eius sectatores sibi persuadent, de vnius ex Antichristi ministris præstantia & excellentia inter ceteros omnes; ita vt id sufficiat, vt Scriptura hunc Pseudoprophetam reliquorum Antichristi asseclarum principem singulatim exprimat, & in hac terræ Bestia figuret; nullâ interim ceterorum facta mentione. Incertum est hoc valde, neque vnquam communi Ecclesiæ consensione receptum. Et ænigmata quidem meliùs multò impenduntur in solidarum rerum atque certarum significationem, quàm in earum, quæ ex alia parte minimè innotescunt, nisi ex ea solùm suspicione & coniecturà, quòd illud in ænigmate adumbretur.

Superiorum explicationũ nullam cùm tradita marina bestia expositione posse congruere.

His tamen omissis, quæcumque est auctoritatis ac rationis firmitas, vt Apocalypsis Romanum figuret Imperium falsæ Deorum superstitioni deditum: eadem nihilo incertius reperitur, vt terrestri Belluæ non tribuatur interpretatio, quæ cum vera Bestiæ marinæ explanatione non cohæreat. Prima igitur specie apparet, per Bestiam terræ significari ministrorum multitudiuem, qui Romani
B Imperij persecutionem promouerunt. Etenim in textu ipso perspicuum est, Bestiam terræ esse marinæ Bestiæ subiectam, & omnem illius conatum ad huius venerationem & cultum ab omnibus exhibendum transferri. Deinde quemadmodum arcanum marinæ Bestiæ mysterium non vnam aut alteram personam singularem repræsentat, sed ingentem hominum multitudinem, hoc est, Romanum Imperium ethnicum, quod sua potentia, atque superbia Christianam Ecclesiam de medio tollere tentabat: ita similiter terrestris Bestiæ interpretatio eiusmodi esse videtur, vt vniuersam ministrorum persecutionis multitudinem complectatur. Præter hæc, auctores illi, qui per maris Bestiam Antichristum designari putabant, aut omnes, aut saltem plures eam sibi mentem induxerant, vt crederent in Bestia terrestri figuratos esse Antichristi ministros. Sic enim Aretas, Haymo, Rupertus, Pannonius, & plerique alij censuerunt. Si ergo hoc erat ad interpretationem de Antichristo in marina Bestia consectarium: vbi per eandem maris Belluam significari Romanum Imperium dicamus, videtur illud pariter asseuerandum, in terræ scilicet Bestia depingi ardorem atque ferociam, quæ in eius persecutionis ministris æstuabat. Hac enim ratione vtriusque Bestiæ nomen æqualiter accipitur, quatenus tam vna Bestia, quàm altera non pro singulari persona, sed pro numerosa multitudine vsurpantur (sicuti apud Danielem cap. 7. quatuor Bestiarum figuræ sumuntur) & terrestris Bestia Bestiæ marinæ subiecta atque obsequens exprimitur, vt textus ipse manifestè ostendit.

Vtrùm per terræ bestiam signentur Romani Imperij ministri persecutionẽ ipsam promouentes.

Pars negatiua statuitur, ac probatur.

C Hoc fortassis modo, quem tradidimus posset aliquis in eiusmodi explicatione ratiocinari. Mihi tamen nequaquam placet, quòd terrestris Belluę significatio ad persecutionis ministros (vt Prę sides, delatores, & alios eiusmodi) coarctetur. Primò, quia symboli terræ significatio multò latiùs patet. Extenditur enim ad eos omnes, qui terrenis cupiditatibus & affectionibus subiecti sunt; quem in numerum adscribuntur Romani Imperatores idolis seruientes, ceteriqúe Gentiles, quamuis persecutionis ministri non sint. Secundo, nam in verbis illis cap. 12. n. 12. *Va terræ, & mari*, haud dubiè alluditur ad perniciem, quam dæmon mari & terræ per duas hasce Belluas fuerat illaturus, atqui huiusmodi allusio, meo iudicio, exigit, vt quando de maris & terræ Bestiis incidit sermo, vtrumque nomen tam terræ, quàm maris non minùs largè ac generatim accipiatur, quàm in cap. 12. sumitur, cùm dicitur, *Va terræ, & mari*. Tertiò, quemadmodum maris Bestia sub sua figura coërcet Gentes omnes, quas in se Romanum claudit Imperium, & in hac significatione symbolum maris Gentium multitudini attribuitur (quia aquæ multæ populi multi) nec plus hæc marina Bestia contrahitur, quàm ad Romani orbis Gentes: pari etiam ratione expediens est, vt Bestia de terra ascendens complectatur terras omnes, quæ Romanorum ditioni parebant. Quartò, cum Spiritus sancti mente (quæ, vt infrà videbimus, in hac draconis, & duplicis Bestiæ pugna illum repræsentat conflictum, quo Dæmon, Mundus, & Caro, virtutem acriter oppugnant) non rectè consentit coarctatio hæc Belluæ terrestris
D ad persecutionis ministros. Nec enim minùs latè patet carnis, quàm Mundi oppugnatio. Is enim animarum hostis, qui appellatur Caro, in omnibus mundanis reperitur bellum erga animas gerens, atque ita æque latè patêre debet mystica significatio Bestiæ terrestris, ac Bestiæ marinæ.

Auctoris sententia de terrestris bestiæ significatione.

Superest ergo, vt nostram de terræ Bestia explicationem subiiciamus, quæ quamuis initio fortassis nouitatem, & insolentiam præ se ferre videatur aliquibus: spero tamen, si attentè dispiciatur, Theologis non ineptam visum iri. Quanquam ergo in prima Apocalypseos parte nomen terræ ad Iudaismum, & maris nomen ad Gentilismum contracta sint, in hoc tamen quarto Apocalypseos libro, vbi nulla iam mentio Iudæorum, vtrumque symbolum ad Gentiles aptatur; & maris ac terræ distinctio non iam personarum aut Gentium diuersitatem importat, sed formalem solùm distinctionem, vt loquuntur logici, id est, sicut maris nomen ad omnes Gentes dilatatur: sic etiam nomen terræ in sua significatione ad eosdem Gentium terminos se se extendit. Cum eo tamen discrimine, quòd in mari adumbrantur tumidi communis opinionis & legum mundanarum fluctus; nomen verò terræ ad effectus terrestres refertur. Hæ autem gubernandi rationes, aut per mundi leges, aut per cupiditates terrenas, diuersæ in se sunt; quarum tamen vtraque in mundanis atque improbis hominibus reperitur.

Explicatur amplius prædicta interpretatione.

Et quamuis ambiguitatem & æquiuocationem præ se videatur ferre, quòd in prima Apocal. parte terræ nomen pro Iudęis accipiatur, nunc verò pro Gentibus, quatenus terrenis affectibus subditi sunt, si tamen rem seriò examinare velimus, non quidem diuersam significationem, sed ap-

plicationem solùm distinctam comperiemus. Nam eâdem ratione, qua Iudæi, cùm de illis sermo erat, terræ nomine signabantur (videlicet propter terrenas affectiones, quibus erant demersi) eadem, inquam, Gentibus nunc idem terræ nomen adscribitur, quando de Gentilitatis bello sermo est. Nec verò inusitatum est, vt vnum idemque symbolum modò hos, modò illos significet; si tamen eadem semper spectetur ratio. Sic enim quando de Nerone agitur, illi nomen leonis attribuitur ob suam immanitatem ac sæuitiam; eademque ratione potest nomen idem ad crudelissimum alium Imperatorem transferri, (vt ad Diocletianum) quando Nerone omisso, de illo sermo est. A

Iam in persecutionibus, quas Romanum Imperium in Ecclesiam commouit; præter Dæmonis instimulantis atque vrgentis malitiam, duo imprimis illum impietatis ignem accendebant. Alterum, Romani Imperij amplitudo atque maiestas, quæ Euangelij humilitati funditus contraria Gentilium oculis proponebatur: atque hæc est maris Bestia, cuius vana existimatio atque conceptio illis agebat præstitias, & stimulos admouebat, vt crudelissimo bello eos exterminaret omnes, qui hominis crucifixi cultum & adorationem inducere conabantur. Id quod proprie Euangelicæ submissioni & humilitati è regione repugnabat. Alterum, terrenus effrænatarum cupiditatum affectus, qui in ipsis Gentibus integer ac viuidus extabat. Hic autem astutissimus pariter & efficacissimus est, vt temporalia bona, & quidquid mundus proponit, suspiciantur maximè, atque colantur; & è contrario velis remisque fugiatur quidquid mundanæ felicitati obsistit. Atque hæc est Bestia terræ, quæ affectionem Euangelio prorsus oppositam repræsentat; cui proinde affectioni nomen sapientiæ carnis in sacris Literis imponitur. Itaque hi duo acerrimi hostes secum afferunt, alter obiectum, id est, Romani Imperij ethnici auctoritatem ac maiestatem Euangelio contrariam, alter affectum, id est, carnis sapientiam eidem infestam Euangelio. B

Ex dictis facile est intellectu, quamuis Bestia terræ in eisdem personis existeret quas maris Bestia figurat, hoc est, in vniuersis ethnicis, quos Romani Imperij nomen includebat: verissime tamen induci Bestiam terræ, veluti insignem quendam marinæ Bestiæ ministrum, cuius proprium sit marinæ Bestiæ cultum & adorationem omni studio & contentione tueri atque promouere. Etenim maxima vis deprauatæ consuetudinis, & sapientiæ carnis totum suum robur ac vires eò conferebat, vt ethnicos homines miseros & obcæcatos Romani Imperij superbiæ, atque arrogantiæ prorsus submitteret: & pro Romano ipso Imperio, eiusque superbia contra doctrinam Euangelicam animis armisque muniret.

Quòd si rem penitiùs inspiciamus, quanquam Bestia terræ easdem omnino personas occupabat, quas Bestia maris indicat: in marinæ tamen Bestiæ nomine denotatur, totum Romanum Imperium coniunctim sumptum (nam contrarium Euangelio obiectum erat totius Imperij ethnici auctoritas, quam Dæmon singulis ethnicis hominibus proponebat.) Nomine autem terrenæ Bestiæ repræsentatur, quòd separatim in quolibet Gentilium aduersus Euangelium pugnabat: nempe terrena affectio deprauata, quæ singulos deiiciebat, vt marinam Bestiam reuerentia ac veneratione prosequerentur, & sub ipsa contra Christi Ecclesiam militarent. Et hactenus de argumento huius capitis, vt maiorem confirmationem commentario relinquamus. C

§. 7. *In hoc eodem argumento, quod ad doctrinam attinet, reuocari debere hypothesim ad thesim.*

DIximus de proprio huius capitis argumento, ceterùm iuxta Rhetoricorum præceptionem, qui hypothesim ad thesim reuocari oportere tradunt (id est, argumentum peculiare ad communiorem rationem) operæ precium me fore facturum putaui, si illud hîc obseruarem, quod animaduersione dignum maximè duco, videlicet, quamuis horum duorum capitum contextus singulatim contineat bellum, quod Dæmon, Rom. Imperium ethnicum, & persecutionis ministri aduersus Ecclesiam gesserunt, nihilominus in hac ipsa descriptione pactionis inter draconem & vtramq. Bestiam initæ diuinum Spiritum occultasse generalem doctrinam, quæ non obscurè indicat pugnam acerrimam trium animæ hostium, Dæmonis, Mundi, & Carnis contra Euangelij doctrinam ac veram Christiani nominis pietatem. Namque vt in mutua fœdera coniurarunt draco, id est, Dæmon & Romanum Imperium, atque singulorum Gentilium affectus, quo internecino bello Christianum nomen extinguere ac delere tentarent; non aliter vt spiritale bellum tum aduersus quemlibet piorum hominum cœtum, tum etiam aduersus singularem quemque hominem gerant, iunguntur semper & copulantur Dæmon, Mundus, & Caro, qui in Diuinam gloriam & animorum incolumitatem infenso atque hostili animo sunt. Atque hæc quidem generalis doctrina in horum capitum argumento includitur. Etenim qua draco Euangelicæ prædicationis cursum impedire, & interturbare studebat, eadem pariter contentione cuiuisque hominum saluti tendit insidias. Quare, quod singulari cuique homini damni & detrimenti conatur inferre hostis animæ, quem Mundum vocamus, idem omnino Romanum Imperium Christianæ Ecclesiæ moliebatur in ea persecutione, quam olim suscitauit, & quod singuli ethnici in ea persecutione præstabant, à zelo, æstu, & carnis sapientia proficiscebatur. Itaque in triplici hoc Ecclesiæ hoste triplicis animi hostis non adumbratam modò, sed expressam etiam habemus effigiem. D

Bellum à tribus hostibus Draconе, Bestia maris & Bestia terra in Ecclesiam susceptum quo modo aptè ad bellum trium animæ hostiũ Mundi, Dæmonis & Carnis applicetur.

Alluſio in triplici hoc Apocalypseos hoſte ad Satanam, Leuiathan, & Behemoth, de quibus Iobus.

Quòd autem hæc fuerit Spiritus sancti intentio, satis constabit, si obseruetur draconis, & duplicis Bestiæ allusio ad Satanam, Leuiathan, & Behemoth, de quibus in libro Iobi mentio est, & pariter etiam attingatur sensus genuinus eorum verborum, quæ Deus in descriptione Behemoth & Leuiathan ad Iobum fecit. Certe in draconis descriptione perspicua est allusio ad Satanam libri Iobi, vt vidimus in eorum verborum expositione, *Hic est Diabolus & Satanas accusator fratrum nostrorum*

qui

Digitized by Google

A *qui accusabat illos die ac nocte.* Ad hæc, si consideremus, apud Iobum gloriari Deum de internecione Behemoth & Leuiathan: eamque ob rem illos ex professo describi; atque alterum esse ingentem maris Belluam, alterum terræ: ex his non erit difficile coniectare, sicut in Apocalypsi coniurant draco, maris Bestia, & Bestia terræ; ita etiam apud Iobum Behemoth & Leuiathan cum Satana conspirare, ac vicissim respondere duabus Apocal. Bestiis cum dracone, qui è cælo cecidit, fœderatis: ac proinde, quemadmodum in Apocalypsi non draco solùm, sed vtraque etiam maris & terræ Bestia aduersus Christum arma capiunt; ita similiter in Iobi libro non Satanam modò, sed Behemoth etiam, & Leuiathan Iobo aduersari. Quamobrem gloriatur Deus, quòd cum ipsis bellauerit, eosque deuicerit, vt Iobum familiarem suum ex imminenti discrimine liberaret. Cuius admirabilis planè allegoriæ mysterium eò spectat, vt vehemens illa procella, quam Deus contra Iobum excitari permittit, exitum fuerit sortita adeò glorioſum Iobo; vt ipse non ex Dæmone solùm criminante, verùm etiam ex Mundo per Leuiathan, & ex Carne per Behemoth figuratis clarissimum ageret triumphum.

Et quamuis descriptiones duplicis Apocalypseos Bestiæ sint valde diuersæ ab iis, quibus Behemoth & Leuiathan expinguntur; in hoc tamen discrimine mirus lepor atque elegantia delitescunt, vt libro sexto explicabimus. Et quidem si rem ad thesim reuocemus; communis est & vniuersalis

B doctrina, quæ vtrobique continetur de pugna acerrima, qua tres animæ hostes inter se fœderati homines oppugnant. Deinde quanquam Apocalypsis singulatim agit de Romano Imperio fictis diis seruienti, quando vrsinos ei pedes, tigrinum corpus, os leoninum effingit; nihilominus pictura eadem suo modo aptatur bellissimè ad eum Mundum, qui nunc etiam apud Christianos, vt infestus animæ hostis virtutem persequitur. Item, quod Apocalypsis enumerat de præstigiis ac lenociniis sapientiæ Carnis, quæ in ethnicis Ecclesiam vexantibus residebant, aptissimè etiam potest generatim loquendo accommodari ad fucata Carnis pigmenta, & eius ad vitia procliuitatem.

Non inficior, apud Apocalypsin non repræsentari detrimentum, quod reapse dæmon Ecclesiæ intulit, sed quod inferre tentauit, dum aduersus illam Romanum concitauit Imperium, & persecutionis ministros admotis furiarum aculeis stimulauit. Quare non progreditur narratio ad suggestiones turpes, quibus dæmon proximè Iustorum animos oppugnat, nec in carnis bello ad eas deuenitur conflictiones, quibus fideles homines tentabantur, sed solùm ad ipsam efficientiam quam sapientia carnis præstabat, concitando persecutionis ministros aduersus fidelium cœtum. Id tamen ita fieri oportebat; vt re ipsa constaret, coniurationis inter draconem & vtramque Bestiam initæ exitum in hominum mundanorum ac potentium, inque Ecclesiæ hostium perniciem redundasse. Quapropter Bestia vtraque tandem in stagnum ignitum fuit detrusa; & Ecclesia non

C indemnis solum, sed victrix etiam glorioſissime ex tot persecutionis angustiis emersit. Id quod satis superque extitit ad Apocalypseos scopum, nec minùs satis esse debet, vt ab effectu, quem dæmonis suggestiones & ad vitia proeliuitas in terrenis hominibus præstiterunt, eliciamus demum, qui eiusdem atque illi, naturæ sumus participes, expositos nos planè esse atque obnoxios. (si naturæ imbecillitatem respiciamus) non tantùm externis mundi bellis, sed internis etiam dæmonis & carnis conflictionibus. Quare quòd eorum hostium victores euadamus, id sanè singulari Dei prouidentiæ ac patrocinio adscribendum fore, vt apud Iobi librum innuitur in peculieri beneficio, quo Deus ipsum affecit, dum saluum & incolumem præstitit à semetipso, (hoc est à sua carne per Behemoth figuratâ) & à Mundi superbia, quam exprimit Leuiathan, nec non à multiplici Satanæ incursione.

Quorsum tandem totum hoc draconis & duplicis bestiæ bellum spectet.

TEXTVS.

Vers. 1. Et vidi de mari Bestiam ascendentem, habentem capita septem, & cornua decem, & super cornua eius decem diademata, & super capita eius nomina blasphemiæ.

D

COMMENTARIVS.

Maris & terræ bestias cum dracone aduersus Ecclesiam iuisse fœderatas.

COnnexio huius versus cum præcedentis cap. vltimo ostendit satis, Bestiam maris & Bestiam terræ cum dracone fœderatas Ecclesiæ bellū machinari. Cùm enim superiori versu sit dictum, draconem ad maris littus constitisse, sequitur mox, Bestiam vnam è mari, alteram è terra conscendere, marinæ autem Bestiæ tradit draco virtutem suam & potestatem magnam, & qui marinam Bestiam adorant, venerantur pariter draconem qui dedit Bestiæ potestatem. Terrena autem Bestia loquitur sicut draco, & homines ad marinæ Bestiæ cultum & adorationem inducit. Constat ergo draconem & Bestias duas pariter conspirare, vt bellum cum filiis mulieris faciant, de quo c. 12. 17. siue vt bellum inferant sanctis, vt c. 13. 7. Mea autem declaratio summatim ea est, dæmonis malitia & astus in Romano Imperio auctoritatem mundi & carnis sapientiam comparauit, vt cum Christiana dimicaret Ecclesia, vbi primùm Euangelium Gentibus promulgari cœptum est.

Marina bestia ascēsum è mari perinde considerari quasi draconis effectum: idēq. de terra bestia dicendū.

ET VIDI DE MARI BESTIAM ASCENDENTEM] Hoc ita est considerandum, quasi effectus sit ex dæmone ad maris littus existente consecutus. Idemque dixerim de eo, quod textus inferiùs subiicit, nimirum alteram etiam Bestiam ascendisse de terra. Hac enim ratione dæmon homines oppugnat, dum eis proponit ob oculos fluxa ac peritura bona, & quidquid in mundo magni æstimatur, quod perinde est, veluti si ex mundi huius mari Bestia illa virtuti contraria exurgat ad homines in fraudem pelliciendos. Tentat etiam dæmon, dum hominum voluntatem atque effectum excitat,

Digitized by Google

citat, & inflammat, & carnis sapientiam pariter instimulat; hoc autem non aliud est, quàm si è terra consurgat Bestia altera, quæ marinæ Bestiæ imprimis ministret. A

Nomini *Bestiam* respondet Græcè θηρίον, quod propriè significat belluam aut feram; atque idem in hoc loco significat nomen Bestiæ, & in hac etiam significatione apud Latinitatis auctores poni solet. Ideo autem Romano Imperio idololatræ, & postea sapientiæ carnis nomen ac figura Bestiæ, siue Belluæ efferatæ tribuitur: quia in morem feræ Christianam Ecclesiam diuexarunt.

Quid sit. Bestiam à mari ascendere.

ASCENDENTEM] Ribera existimat, *Ascendere* in hoc loco idem esse, atque ad littus emergere. Sed contrà est, quia eadem phrasi illico dicitur Bestia altera ascendisse de terra. Quod si Bestia vtraque ad littus conueniunt, non ambæ dicentur ascendere, neque enim littus & mari & terra sublimius reputatur. Aptius fortassis est si in hac locutione figuretur, mare horribilem produxisse feram & terra alteram eiusdem rationis; ita vt marina Bestia ex ipsis maris vndis oriri sit visa: nec solùm caput, sed totum corpus attollere: eademque ratione Bestia terrestris consideretur edita. In Græco, pro *Ascendere*, est verbum, ἀναβαίνειν, qua etiam phrasi in Scriptura dicitur ascendere virgultum, & spinæ nasci.

Notandum insuper est, apud Danielem cap. 7. 3. quatuor Bestias, (quibus Monarchiæ quatuor indicantur) dici omnes ascendere. Vbi Pererius noster asserit, ea locutione denotari Monarchiarum principium, vtpote quę ex humilibus ac paruis initiis duxêre primordia. Nam id quod ascendit, priùs B in humili erat loco, vnde paulatim ad sublimiorem euehitur locum. Constat autem cuiusuis Monarchiæ principia parua & obscura fuisse; hinc decursu temporis ad potentiæ fastigium euasisse. Hæc est Pererij mens. Non tamen id est ad rem. quæ in Apocalypseos significationem intenditur. Nam Romani Imperij potentia in ipso persecutionis exordio maxima erat. Accedit, quòd eâdem loquendi formulâ, dicuntur ascendisse altera Bestia de mari, altera de terra; atqui secundę Bestiæ non congruit eiusmodi explicatio, quæ illam ex paruis initiis denotet fuisse ortam. Commodiùs hic esset, per hanc loquendi rationem significari, coortam fuisse persecutionem, quam aduersus Ecclesiam vtraque Bestia draconis instinctu & afflatu excitauit,

§. 1. *Cur altera Bestia de mari, altera de terra ascendisse dicantur.*

Quid sit alteram è mari bestiam, alteram è terra consurgere.

MAre quidem, (vt iam innuimus) denotat mundum, terra verò carnem. Ex mundi ergo mari, atque ex communis ethnicorum erroris fluctibus in Ecclesiam consurrexit Romani Imperij auctoritas ac superbia, ex carnis autem affectionibus inordinatis altera emersit Bestia, id est, sapientia carnis, quæ marinam Bestiam Gentibus adorandam proposuit. & vehementer contendit.

Per mare significari mundum.

Vt ergo ad horum symbolorum singula seorsum descendamus, Mundum significari, notarunt Clemens Alexandrinus, Origenes, Arnobius, Hieronymus, Cyrillus, Augustinus, atque Gregorius. C Addam nostri Pererij verba Dan. 7. *Mare* (ait) *significat Mundum, vel conditionem rerum humanarum; est enim ea amaritudinis & acerbitatis plena, inconstans, instabilis, periculisq; referta, & habet plurimos pisces atque diuersos, & minores sunt præda maiorum.* Deinde ad inconstantię & mutabilitatis significationem, præter ventorum perturbationes & maritimas tempestates, spectant etiam maris frequentes accessus atque recessus. Præterea, vt sæpè aliàs obseruauimus, per mare in Apocalysi figuratur gentilitas; quia *Aquæ multæ sunt populi multi.* Et ex gentilitate ipsa contendit dæmon, Romani Imperij superbiam atque potentiam in Christianæ Religionis perniciem consurgere: & eapropter Daniel cap. 7. n. 3. confirmat, quatuor Bestias cum fideli populo pugnantes è mari fuisse exortas.

Per terram adumbrari terrenos affectus.

Quod verò terra affectus terrenos significet, plures etiam ex Ecclesiæ Patribus obseruarunt, vt Origenes, Basilius, Hilarius, Ambrosius, Augustinus. Idcirco Iacobus in sua epistola cap. 3. 15. sapientiam carnis appellat terrenam, quia astus atque præstigiæ sapientiæ carnis ex terrenarum affectionum impotenti vehementia proficiscuntur.

In quo consistat pugna trium animæ hostium, id est, mundi, dæmonis, atque carnis.

Iam si trium animæ hostium, Dæmonis; Mundi, atque Carnis pugnam examinare velimus, in eo imprimis consistit, quòd dæmon illud vel maximè laborat, vt Mundus rebus virtuti contrariis menti propositis ad terrenum & inordinatum affectum homines alliciat: hæc autem terrestris affectio (quam dicimus carnem) expetat, & diligenter inquirat, quod Mundus proponit. Si ergo Caro D sepræsentat affectum, quid aptius, quam illum per terram figurari: quæ ex se arida est, & semper appetit eo satiari succo, quem ex mari sugere conatur? Ardens quidem terræ mysticæ sitis in eo cũ primis figuratur, quòd semper bibit, & haurit insaturabilis, nec tantâ fluuiorum infinitate natiuam extinguit sitim. Quia maxima illius siccitas indiget eâ aquarum immensa vi. Videtur autem ex eo ipso sitis terræ crescere, quòd aqua maris semper salsissima sit. Si autem in terræ siti congruenter terrenus affectus indicatur, rectè huius desiderij obiectum adumbrabitur in mundi mari, cuius succum semper appetit terra. Homini ergo, qui terra est, intra domesticos parietes suus inimicus, id est, terrena affectio, innascitur. Et mundi Bestia, quæ ex parte obiecti consideratur, sapienter fingitur exorta è mari, quod terram obit, atque alluit, & cuius succo ipsa appetit satiari. Et quemadmodum in qualibet regione terræ fructus ij solent nuncupari, qui non aliunde deuehuntur, sed in ipsa regione procreantur; ita etiam carnis sapientia, eiusq; lenocinia dici possunt natiui cuiusque terræ fructus. Illud verò, quod Mundus Gentilibus proponebat ob oculos, nempe Romani Imperij auctoritas ac superbia, ex mundano cooriebatur mari per speciem horribilis ac formidandæ Belluæ Religioni Catholicæ interminantis; eiusmodi tamen, quæ, vt homines in suum obsequium incautos traheret, terrenæ Bestię fraudibus atque fallaciis indigeret.

Ad hæc, si mare mundum vt obiectum repræsentat, si terra, humani cordis affectus, naturaliq; erat, terram ipsam vndique maris vndis ambiti, ac veluti demergi, & hac ratione tellus ipsa neutiquam

Digitized by Google

A tiquam posset fructus proferre. Verùm admirabilis Dei prouidentia figuratur in illis Geneseos verbis cap. 1. 9. *Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum vnum, & appareat arida.* Quod perinde fuit, ac suâ omnipotentiâ præcipere, vt aliqua terræ pars maris & fluctuum subiectionem & imperium ex se exciteret; atque ita cælo exposita pateret, rorem inde cælestem expectando, ac sitiendo. Quare mox sequitur, *Germinet terra herbam virentem.* Sed hoc obiter delibasse sit satis:

Aliorum explicationibus supersedeo: quod eas non probe teneam, & multa eo nitantur fundamento, vt in marina Bestia Antichristum denotari putent. Ribera insuper ait, quod ad sensum attinet, idem esse *ascendere de terra*, atque *ascendere de mari*. quia Daniel cap. 7. 17. quod priùs dixerat, quatuor se Bestias de mari ascendentes aspexisse; statim explicat de quatuor regnis, quæ de terra ascendent. Ad hoc tamen dico, in ænigmatis declaratione, posse quidem Mundum nuncupari terram: quia idem est mundus, & orbis terrarum: non tamen vacare mysterio, quòd in eodem ænigmate Bestia altera de mari, altera de terra ascendisse dicantur. Atque hoc est mysterium quod nos explicari conati sumus. *Quid per septem marina Bestia capita figuretur.*

HABENTEM CAPITA SEPTEM] In cap. 17. planum fiet, hanc maris Bestiam cap. 13. & Bestiam cap. 17. descriptam, super quam sedit Babylon, non esse diuersas, sed eandem. Quamobrem, quam Angelus declarationem tradit de septem capitibus & decem cornibus Bestiæ capitis
B 17. eadem deseruit septem item capitibus, & cornibus decem marinæ huius Bestiæ capitis 13. Quod adeò certum est, vt illi ipsimet, qui has Bestias diuersas esse putarunt, (vt Ribera, & alij non pauci) nihilominus statuant, septem capitum, & cornuum decem significationem eandem in vtrâque Bestia esse debere. Expositio ergo septem horum Bestiæ capitum ab Angelo reddita cap. 17. 9. est eiusmodi. *Septem capita septem montes sunt, super quos mulier sedet, & Reges septem sunt: quinque ceciderunt, vnus est, & alius nondum venit.*

In quibus Angeli verbis notandum est, septem Bestiæ capitibus duplicem ab Angelo significationem assignari, vt vel hinc constet multiplicem eiusdem loci intelligentiam ab Spiritu sancto sæpe intendi. Quamuis verum etiam sit duas has significationes ab Angelo explicatas, non esse admodùm inter se diuersas. Septem enim montes (vt infrà videbimus) Romam: & septem Reges totidem Romæ Imperatores designant Christianæ Ecclesiæ oppugnatores. Quare cùm septem Bestiæ capita dicuntur esse montes totidem; innuitur pariter, Romam esse caput Romani Imperij ethnici Ecclesiam persequentis. Cùm verò dicitur septem capitum significatio ad septem Reges referri: indicatur, Romanos Imperatores esse illius Imperij caput: quorum vtrumque eôdem recidit. *Duplex septē bestiæ capitū significatio ab angelo tradita.*

Prima ergo significatio est de septem Romæ montibus; hoc est; de Roma ipsa, quæ propter septem montes appellabatur septimontium. vt norunt in humanioribus literis mediocriter versati. Hi
C autem septem montes sunt huiusmodi: Palatinus, Quirinalis, Auentinus, Cælius, Viminalis, Æsquilinus, Ianicularis. Vnde liquet, per maris Bestiam apertè Imperium designari Romanum, cuius caput erat Roma idololatrix. In septem enim montibus Roma figuratur, eo quòd super illos fundata sit. In hac autem significatione manifestum est, capitum numerum cum montium numero exæquari; atque adeò vt dicatur Roma esse Imperij caput, congruenter in Bestia pro vno capite, septem reponi. Roma enim, cùm ob montes septem, tum ob ingentem suam molem ac magnitudinem, quasi septem vrbium pariter coniunctarum speciem præ se ferebat. 1. *Septem capitum significatio.*

Dices tamen: Roma ethnica est meretrix illa capitis 17. quam Ioannes coccineæ Bestiæ insidentem fuit contemplatus; non autem rectè inter se videtur cohærere, vt & Bestia septiceps, & meretrix illi insidens, vnum idemque sint. Respondeo, Bene vtrumque componi, & inter se consentire: quinimò concinum imprimis esse atque elegans, vt duo diuersa symbola in eâdem vsurpentur significatione. Sic Genes. 41. 26. *Septem boues pulchræ, & septem spica plena septem vbertatis anni sunt, eandemq; vim somnij comprehendunt.* Et infrà n. 32. *Quod autem vidisti secundò ad eandem rem pertinent somnium, firmitatis indicium est: eo quòd fiat sermo Dei, & velocius impleatur.* Facit, quod Apocal. 5. 6. legimus septem cornua & septem oculos Agni, quorum vtrique symbolorum eandem textus ipse significationem adscribit, & communiter ferè interpretes. Non ergo dissentaneum est, duo symbola pariter coniun-
D cta eidem significationi deseruire: modò vtrumque rectè ad eundem significatum aptetur. Id quod in duplici symbolo capitis 17. minimè desideratur. Ecquis enim neget, ad Reipublicæ moderatorē significandum idonea hæc esse symbola: Reipublicæ caput, nauis gubernatorem, sessorem equi curcus aurigam, &c.

Altera significatio septem Bestiæ capitum ab Angelo expressa est, de septem Regibus, hoc est de multis Imperatoribus) nempe de illis, qui Christianam Ecclesiam exagitarunt. Maris enim Belua non adumbrat Romanum Imperium, prout à Christiano & ethnico abstractum: sed quatenus idolorum superstitioni velificabatur quondam, & Dei Ecclesiam vehementer premebat. Atque ita in huius Bestiæ capitibus ij solùm Imperatores notantur, qui persecutionem aduersus Ecclesiam suscitarunt. Huic declarationi fauet Prosper in dimidio temporis cap. 8. vbi agens de septem Bestiæ capitibus; *In quantum datur* (inquit) *existimatio, priores Reges memorat Ioannes, qui truculentiores fuerunt in Religionem Christi.* Confirmatur, quia Ioannes super septem Bestiæ capita inspexit nomina blasphemiæ; igitur qui non truculentos se in Christum exhibuerunt, nec Christiani nominis hostes fuêre, non sunt inter Bestiæ capita recensendi. Hinc obiter reiicitur Victorini explicatio, qui, quod Angelus ait, *Quinque ceciderunt*, explicat de quinque Imperatoribus, qui inter Neronem & Domitianum numerantur. (Hi verò sunt Galba, Otho, Vitellius, Vespasianus, & Titus. Quòd hi imperatores quinque sint, & dicat Angelus, *Quinque ceciderunt*: deinde subiiciat, *Vnus est* (quo tempore Domitianus regnabat) ansam præbuit, vt quinque illi esse crederentur, qui post Neronem proximè successerunt, 2. *Significatio.*

Digitized by Google

& vnus, qui viueret, Domitianus. Hæc tamen applicatio non cohæret. Nullus enim ex illis quinque aut Ecclesiam conflictauit, aut Christianum sanguinem effudit. A

Quæ rerum vicissitudine sint intelligenda septẽ Bestiæ capita sibi succedere.

Septẽ igitur Bestiæ capita non opus est sibi ipsis continuâ vicissitudine succedere; vt Neroni Galba, Galbæ Otho successit. Quinimò necessarium videtur, vt inter vnum atque aliud interiectum sit spatium aliquod temporis; atque adeò Bestiæ capita per diuersas persecutiones distinguantur. Quare dum eadem continuatur persecutio (quanuis ab vno Imperatore cœptam alius promoueat: vt in tertia persecutione accidit sub Traiano & Adriano: & in quarta sub Antonino & Lucio Commodo, atque in quinta sub Seuero & Aurelio,) nihilominus verè affirmatur Bestia non diuersum exhibere vultum, sed eandem hostilem faciem præ se ferre. Continuatio enim efficit, vt & eadem persecutio, & Bestiæ facies eadem dicatur. Sicuti in eiusdem fluminis vndis quantumuis assiduo fluxu decurrentibus accidit. Quamobrem numerica Imperatorum distinctio non videtur in Bestię capita distinctionem inducere: quando propter persecutionis eiusdem progressionem, eadem ostenditur Bestiæ facies aduersus Ecclesiam. Quod ex eo ampliùs roboratur, quia quando duos simul Imperatores extare contigit, & vtrumque persecutionem pariter in Ecclesiam vrgere (vt sub Diocletiano & Maximiano accidit) vterque sanè pro eodem Bestiæ capite debet reputari.

Ex personali Imperatorũ inter se distinctione nõ inferri distinctionem inter Bestiæ capita.

Personalis igitur distinctio non capitum distinctionem arguit, quando persecutio eadem absque vlla distinctione continuatur. Atqui manifestum est, non esse diuersam persecutionem, quando illa ipsa, quæ priùs inceperat, absque vlla intermissione prouehitur; vt conueniunt omnes, qui Ecclesiæ persecutiones enumerant. Cum igitur persecutiones interrumpendæ forent, hac ipsa interruptione significatur, quod Angelus ter in cap. 17. repetit, dum ait de Bestia, *fuit & non est; erat & non est,* quod idem est, ac si diceret, *Modo est, & modo non est.* Etenim Diuina prouidentia suauiter disposuit, vt noctem dies exciperet, & persecutionis ærumnam pax atque tranquillitas: & hac rerum vicissitudine pugnaret Ecclesia, & non succumberet, nec oppugnata expugnaretur. Et infestissima illa Bellua vbi Imperator naturâ crudelis non erat, quasi abscondi & delitescere videbatur. vbi autem Imperator quispiam veluti caput leoninum eminebat, prodibat extemplò ex suis latibulis, & è mari emergens ascendebat, vt bellum aduersus Christianos redintegraret. B

Difficultas non exigua in septenario capitum numero.

Iam verò, si ad septenarium capitum numerum reuocemus sermonem, haud exigua sese offert difficultas. Nam imprimis si capitum numerus ad numerum persecutionum reducatur, quas Romanum Imperium ethnicum ante Iuliani persecutionem in Ecclesiam concitauit, eæ sunt non minùs decem, vt constat ex iis, quæ Augustinus refert libro 18. de ciuitate cap. 52. vbi persecutionum ordo & numerus est eiusmodi. Prima Neronis. Secunda Domitiani. Tertia Traiani & Adriani. Quarta Antonini & Lucij Commodi. Quinta Seueri & Aurelij. Sexta Maximini. Septima Decij. Octaua Valeriani. Nona Aureliani. Decima Diocletiani & Maximiani.

Ecclesiæ persecutiones quos & quæ fuerint, secũdum Augustinum.

G

Secundò ex ipso textu liquidò videtur inferri, septem capitum significationem ad septenarium numerum non esse strictè redigendam. Cùm enim cap. 17. dixisset Angelus, *Quinque ceciderunt, vnus est, alius nondum venit,* ne Ioannes ad septenarium numerum se nimis religiosè astringeret, subdidit: *Et Bestia quæ erat, & non est, & ipsa octaua est.* Id quod in Græco clariùs adhuc exprimitur; nam vox illa *Octaua* ponitur in masculino genere, *Et ipse octauus est.* Vbi de octauo capite sermo est, eodem modo, quo priùs dixerat Angelus, *Quinque ceciderunt vnus est, &c.* Quòd autem octaua Bestia dicatur ratione capitis octaui, & octauæ persecutionis; id est exiguæ difficultatis, præsertim cùm in ænigmatis facile fiat transitus ab Imperio ad caput, qui est Imperator: vt Dan. 2. 39. *Tu es caput aureum, & post te consurget aliud regnum argenteum, & aliud æreum, & aliud ferreum.* Quo in loco si exactè nimis ac formaliter esset loquendum: diceret Daniel, *Tuum imperium, est caput aureum.* Sed parum refert.

3. ratio difficultatis.

Tertiò, superuacaneum omnino videtur Spiritum sanctum in hac Prophetia Ecclesiæ prænunciare voluisse omnes prorsus persecutiones, quibus illam Romanum Imperium fuerat oppressurum. Nec enim aut exacta huius rei cognitio Ecclesiæ fuerat magnam vtilitatem allatura. (Sicut nec annorum numerum præscire; iuxta illud Actuum 17. *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate:*) aut reapse ante persecutionum exitum præcognouit Ecclesia quot fuerant omnino futuræ, imò verò post earum finem vix liquidò potest statui, quot fuerint. Nam Augustinus vt vidimus, decem enumerat, & Iuliani persecutionem addit vt vndecimam. Seuerus Sulpicius nouem, & cum Iuliani persecutione decem recenset. Genebrardus persecutionem Iuliani in ordine quartam decimam nominat, quanuis hunc in numerum adscribat persecutionem Scribarum, & Pharisæorum, atque etiam Saporis Persarum Regis. Viegas capit. 6. Apocal. duodecim narrat, complectens Neronis & Iuliani persecutiones. Et ex Baronij historia deduci potest, earum numerum non esse certum ac præfinitum; quin etiam multo adhuc plures posse enumerari, nempe sub Alexandro, sub Claudio Martiano, sub Gallo & Volusiano. Adde huc, si intermissio distinctam persecutionem efficiat, sub eodem Imperatore (vt sub Aurelio) duas recenseri posse persecutiones. Ac demum, velle hoc nimis exiliter ad calculos reuocare, & persecutionum numerum præcisè ad septenarium redigere, rem esse parui momenti & grauitatis, atque adeò Spiritus sancti mente indignam videri. Nam nec ante ipsum euentum hæc fuêre præcognita, hæc verò præsagiri oportebat, quot futuræ essent persecutiones, (quemadmodum nec singulis hominibus oportet annorum numerum innotescere, quot victuri sunt.) Et post ipsarum persecutionum exitum exæquare earum numerum cum numero capitum, quem textus exprimit; nihil aliud vtilitatis & emolumenti importat, præter argutam nimis curiositatem.

Sententiarũ varietas in recensendo Ecclesiæ persecutionum numero.

D

Quarto, coactum valde est ac violentum, minimeque probabile, Iulianum Apostatam ex marinæ Bestiæ capitibus excludere; cùm sermo sit de idololatris Imperatoribus, qui Ecclesiam conflictarunt.

Digitized by Google

A runt. Quòd si per septenarium numerum septem tantùm persecutores primi designentur; necessariò prætermittendus erit Iulianus. Tum quia absque illo septem affatim numerantur: tum etiam vt hac ratione Iulianus octonarium numerum expleat, iuxta illa verba capitis 17. 11. *Et ipsa octaua est, & de septem est.*

In capitum septenario haberi respectum ad exactum Ecclesiæ persecutionum numerum, exceptis tamen Neronis & Iuliani persecutionibus.

Nihilominus mihi valde verisimile est, in septem marinæ Bestiæ capitibus Spiritum sanctum respexisse ad exactam præcipuarum persecutionum numerum, quæ inter Neronis, & Iuliani persecutiones intercesserunt (ipsis tamen Nerone & Iuliano ex hoc numero exclusis:) ex quarum persecutionibus altera fuit prima, altera postrema. Enumero igitur medias tantùm persecutiones duabus extremis omissis. Id alicui fortassis paradoxon videatur: sed explicatione probabile fortè fiet. Primò ergo ea potuit ratio existere, cur Neronianæ persecutionis mentio inter septem Bestiæ capita non fieret: quia ipsius mentio singulatim facta iam præcesserat capite 12. vt ibi vidimus. vbi persecutio illa draconi ipsi fuit adscripta, cuius iussu atque oraculo Nero ipse, vtpote insignis veneficus, creditur persecutionem illam excitasse. Quamobrem Bestia maris repræsentare debet persecutiones eas, quas Romanum Imperium post Neronianam commouit; & in quarum singulis Neronis persecutionem instaurauit.

Cur Neroniana persecutionis mētio in capitū septenario nulla sit.

Deinde, ne Iuliani persecutio inter septem capita directè annumeretur, ratio etiam satis con-

B gruens reperitur. Illa enim persecutio Iuliani perinde extitit, quasi semiustus torris; qui cinere sopitus ac pene extinctus reuiuiscere & rursus fumigare cœpit post persecutionum incendium in Imperio prorsus restinctum. Dicam clariùs. Constantini quidem tempore Christiana Ecclesia clarissimā iam victoriam ex idolorum cultu adepta fuerat per publicam Christianæ Religionis professionem, & templorum magnificentissimorum erectionem. Quare Imperij persecutiones iam tunc videntur, non interruptæ solùm, sed etiam finitæ penitus fuisse. Quòd si postea Iulianus aliam denuo persecutionem instaurauit; satis fundamenti est in Ecclesiastica historia; vt hæc Iuliani persecutio non referatur in earum numerum, quas passa est Ecclesia ante Religionis Christianæ publicam professionem. Quamobrem, qui persecutionum à Romano Imperio ethnico illatarum numerum ineunt, communiter Iuliani persecutionem prætermittunt: vt videre est apud Augustinum, quando eas ad denarium redigit numerum; & apud Seuerum Sulpicium, cùm illas nouenario numero coërcet; & sic de reliquis, qui seorsum, veluti rem alterius generis, referunt Iuliani persecutionem. Ideoque Angelus cap. 17. priùs enumerauit persecutiones septem, easque ad septem Bestiæ capita reuocauit: & mox subdidit, aliam prætereà futuram, quæ in reliquarum numerum non fuerat adscripta; vtpote res alterius rationis, & eapropter seorsum reponenda, quasi reliquarum septem additamentum: verùm ex earum etiam genere, & veluti titio, qui ex priorum persecutionum incendio reliquus fuerat.

Cur item nec Iuliani persecutio inter septem capita annumeretur.

Quomodo persecutiones inter Neronē & Iulianum interiecta ad septenarium numerum reuocantur.

C Supereſt nunc ostendere, quæ potuerit congruens ratio reperiri, quamobrem persecutiones inter duas Neronis & Iuliani extremas interiectæ, ad numerum septenarium reducantur: quando ex Augustino nuper vidimus, post Neronem & ante Iulianum nouem extitisse persecutiones. Ad hoc Respondeo. Ex nouem illis persecutionibus, quas Augustinus post Neronianam recenset, & nos ex eodem suprà retulimus, duas omnino detrahit Seuerus Sulpicius. Licet enim ille nouem referat (vt aduertit Genebrardus) nempe octo post Neronianam: nihilominus vt hunc nouenarium numerum constituat, Traiani persecutionem in duas dissecat; alteram ab ipso Traiano, alteram ab Adriano inductam, D. autem Augustinus & Genebrardus ex vtraque vnam constituunt, à Traiano cœptam, prouectam ab Adriano. Itaque Sulpicius duas efficit ex vna: tollit tamen duas alias, nempe Maximini & Aureliani quas contemnit. Et apud Genebrardum quidem legi potest fundamentum, quo nixus Sulpicius illas persecutiones ex ceterarum aluo sustulerit. Ratio autem eius fuit, quia Maximiniana nec generalis in toto Imperio extitit, nec aduersus Christianos omnes; sed solùm contra prædicatores excitata. Atque Aureliani persecutio reapse executioni mandata non fuit, vt obseruat Genebrard. & ex Eusebio, aliisque compluribus probat. Constat ergo satis esse fundamenti atque rationis, vt ex 10. persecutionibus ab August. recensitis, duæ supprimantur. Quare Neronianâ etiam suppressâ. iuxta ea, quæ superiùs annotauimus, septem omnino residuæ sunt cōmunes & generales

D Ecclesiæ persecutiones ante Iulianum, quæ hoc ordine numerantur. Prima Domitiani. Secunda Traiani. Tertia Antonini. Quarta Seueri. Quinta Decij. Sexta Valeriani. Septima Diocletiani. Atque his septem respondent totidem Bestiæ capita, relictâ Iuliani persecutione: de qua intelligantur verba illa cap. 17. *Et ipsa octaua est.* Ita vt quasi res à superioribus diuersa consideretur, & eo minus afferens timoris, quò altiores iam radices egerat Christiana religio.

Argumentis pro superiore sententia adductis fit satis.

Hæc mihi interpretatio probabilior visa est, ideoque argumentis in contrarium adductis facere oportet satis. Ad Primum ergo Respondeo, non dedecere aptum fundamentum, (vt vidimus) ad persecutiones omnes arctiori numero complectendas: quantumuis Augustinus ad denarium reducat. Ad secundum, Angelus quidem non eo fuit consilio, vt Ioannem admoneret, præcipuas persecutiones plus septem fore, sed septem præcipuis aliam deinceps successuram, nempe Iuliani. Ad Tertium, quia non permagni Ecclesiæ intererat ante ipsum rerum euentum vulgò numerum persecutionum Romani Imperij prænosci, sed potiùs id ignorari oportebat, idcirco quamuis diuinus Spiritus in hoc ænigmate eas adumbrauerit, ita tamen inuolucris & integumentis obtexit, vt ante ipsum euentum fideles Apocalypseos verbis securi ac negligentes reddi non possent, siue de certo persecutionum numero, siue de illarum enumerandi ratione. Quod autem non expedierit, Ecclesiam ante prænouisse exactum persecutionum numerum, non ideo probatur, ab Spiritu sancto huiusmodi numerum præmonstratum non fuisse, ad hoc enim satis rationis erat, si Ioannes id my-

Digitized by Google

sterij probè intelligeret, nec non alij, quibus Apocalypseos intelligentia procul dubio impertita fuit. Atque ad Ecclesiæ solatium non parui admodum interest, post prophetiæ complementum, eiusdem prophetiæ figuram, & ipsius partium numerum in eadem figura adumbratum Ecclesiæ ipsi innotescere. Hoc enim non parum conducit, opinor, vt Spiritus sanctus in septem Bestiæ capitum visione credatur respexisse ad præcipuarum persecutionum numerum: quamuis cum hoc etiam sensu rectè alter consentire possit, de quo infrà. Iam, quod additur, persecutiones videlicet ad maiorem posse numerum reduci; ad id respondeo, per breuem intermissionem non tanti esse, vt propterea diuersa sit persecutio reputanda; quia parum pro nihilo reputatur. Et persecutiones quidem ab Augustino relictas perspicuum est minoris esse momenti, atque adeò iure prætermitti debere. Magnas verò & generales persecutiones post Neronianam & ante Iulianæam, fuisse omnino septem, nec plures nec pauciores, ex superioribus satis constat. Ad quartum Respondeo. De Iuliani persecutione, quamuis ex illarum septem numero sepositâ ob suprà dictam rationem, peculiarem tamen fieri mentionem, quod satis est.

§. 2. *Alia expositio septem marinæ Bestiæ capitum.*

2. expositio de septem marinæ Bestiæ capitibus.

VIdimus hactenus, qua ratione septem Bestiæ capita possint ita accipi, vt capitum numerus septenario persecutionum numero respondeat. Verùm illud etiam mihi satis vero fit simile, nimirum septem capitum significationem non opus esse ad septenariũ persecutionũ numerum presse sumptum reduci, sed solùm ad multitudinem Imperatorum ethnicorum, qui Christianam Ecclesiam vexarunt. Etenim receptissima est in sacris Literis phrasis, certum numerum pro incerto poni: id quod præcipuè locum habet in quibusdam numeris, qui completi appellantur; cuiusmodi sunt septenarius, denarius & millenarius. Quòd verò septenarius atque denarius numeri reputentur completi, auctor est Ambros. lib. de Noë & Arca, cap. 12. pro quo plures extant Scripturæ loci, in quibus dilucidè apparet, septenarium indefinite sumi. vt Psal. 118. *16.4. Septies in die laudem dixi tibi.* Gen. 4. 24. *Septuplum vltio dabitur de Cain.* Prouerb. 24. 16. *Septies enim cadit iustus.* Matth. c. 12. 45. *Assumit septem alios spiritus nequiores se.* Si ergo recepto Scripturæ more septenarius apponi solet ad plura nullo certo numero præfinita significanda; congruenter in hoc ænigmate septem exprimi capita potuerunt, vt plures siue Imperatores, siue persecutiones nullo certo numero signarentur. Atqui constat in ænigmate figuram atque picturam septenarij fuisse, quod non nego; assero tamen septenarij huius significationem non esse necessariò ad certum aliquem Imperatorum septenarium reuocandam.

In aliquot numeris certum aliquãdo pro incerto poni.

Septenariũ ad indefinitum rerum sibi succedẽtium numerum denotandum congruenter vsurpari.

Deinde, quamuis septenarius & denarius, si indefinite sumantur (hoc est, posito certo numero pro incerto) videantur præ se ferre eandem significationem, nihilominus aptior videtur septenarius ad eas denotandas res, quæ temporis decursu sibi succedunt. Hi enim numeri propterea indefinite vsurpantur, quia completi sunt, vt suprà dicebamus. Licet autem denarius sit completus in numerandi ratione, nusquam tamen denarium aliquem rerum succedentium reperimus, qui communi consensione sit pro perfecto & absoluto numero receptus. Secus tamen est de septenario, nam & septem continet dies hebdomada, & totidem etiam annorum hebdomada est, & hebdomadæ Pentecostes septem pariter sunt. Quamobrem idonea extitit ratio, cur in ænigmate denarius cornuum Bestiæ denotaret multitudinem principum polyarchiæ, qui sunt omnes simul, & septenarius numerus designaret in septem Bestiæ capitibus multitudinem Imperatorum, qui non simul, sed temporis decursu successerunt. Quare in ipsis capitibus textus successionem euidenter exprimit, dicitur enim cap. 7. 10. dum de illis sermo est, *Quinque ceciderunt, vnus est, & alius nondum venit.* Quid expressius ad successionem denotandam?

In capitum Bestiæ septenario indefinitè sumpto quid innuatur.

Tertiò, in septem capitum numero, si certus pro incerto reponatur, significari potest, quamuis voluerit Deus persecutionum numerum Ecclesiæ ignotum esse, non tamen temere & casu id fore euenturum, sed in numero certo atque perfecto, id est, per summam Dei sapientiam ac dispositionem ordinato ad ipsius Ecclesiæ emolumentum. Vide quid simile in numero centum quadraginta quatuor millium cap. 7. & cap. 14.

Ex angeli verbis cap. 17. colligi, septenarium hic indefinitè sumendum.

Quartò, quæ poterat subesse dubitatio, vtrùm scilicet septenarius strictè pro septem Imperatoribus, an latè pro eorum multitudine sumeretur, hanc inquam sustulit Angelus cap. 17. 11. verbis illis, *Et Bestia quæ erat, & non est, & ipsa octaua est.* Siue vt in Græco legitur, *Et ipse octauus est.* vbi cùm dixisset anteà, *Quinque ceciderunt, vnus est, & alius nondum venit.* videbatur quidem sensus esse eiusmodi, vt septem omnino essent. ceterùm, vt alium longe diuersum esse sensum appareret, subiungit Angelus, inter septem illos reges numerari etiam octauum, & nihilominus fuisse satis septem tantùm capita Bestiæ apponi, quia octauus rex ex septem illis vnus erat. Difficilè valde explicatu atque adeò intellectu id videatur alicui, nisi aduerterit septenarium hic numerum laxè & indefinitè pro numero incerto vsurpari. Si autem obseruetur capita septem nihil aliud denotare, quàm plurima capita, omnino tollitur (ni fallor) difficultas. Etenim si in aliquo ænigmate per septem vnius Bestiæ capita vellem complurium Imperatorum successionem figurare (hoc est in numero definito indefinitum) roganti, cur plura Bestiæ capita non affingerem, cùm Otho octauus fuerit Imperator? facilè vtique responderem, quod Angelus Ioanni edixerit, nimirum octauum hunc Imperatorem esse vnum ex septem capitibus, quæ Bestiæ assignaui. Quòd si rursus vrgeret, quinam fieri posset, vt octauus esset vnus ex septem? riderem sanè interrogantis imperitiam, & secundò iterarem, vbi septenarius indefinite accipiatur, in eo quidem octo, nouem, duodecim, aut multò etiam plures comprehendi. Quare mirum non esse, si octauus in septenario illo includatur.

Quamobrem, quod Angelus Ioanni exposuit, illud est, videlicet, persecutiones plures septem futu-

Digitized by Google

futuras, quantumuis figura ipsa septem capita præferret: quot verò strictè futuræ essent, id fortè Angelus non declarauit, vt ostenderet, nolle Deum id Christianæ Ecclesiæ reuelare, & eam ob rem Belluam septicipitem fuisse visam. Additumque est ab Angelo in illo capitum septenario octauum contineri, vt hac ratione patesceret, illum septenarium numerum indefinitè pro incerto fore accipiendum, ac proinde non opus esse, vt sensus ad octo persecutionum numerum contraheretur. Nam si id significare voluisset, facilè profectò foret, octo Bestiæ capita appingere.

Cur Angelus Ioanni certum persecutionum numerum non declarauerit.

Vt autem exemplo aliquo planum fiat, septenario numero indefinitè sumpto, verè dici potuisse, octauum esse ex illis septem vnum; lege Dan. 7. 8. vbi ex medio spatio decem cornuum surgit cornu vndecimum. Cùm verò per cornua decem denotentur Romani omnes senatores (vt infrà videbimus) dubium non est, quin, qui contra illos caput extulit, eorum vnus fuerit. Nam Iulius Cæsar, qui Monarchiæ initium dedit, ex eodem senatorum numero erat. Cornu igitur vndecimum est vnum ex decem. Id certè negari non potest, loquendo de ænigmatis significatione; quamuis in figura ipsa siue pictura congruenter expressum fuerit vndecimum cornu exiguum, quo Iulius Cæsar signaretur quasi à ceteris diuersus, quamuis ex numero illorum, & innueretur pariter, ipsius felicitatem ex paruis initiis originem duxisse, & sub ipsa exordia aliorum Imperatorum felicitati inferiorem extitisse.

Videamus nunc, cur Ecclesiæ fuerit prænunciatum, persecutiones amplius septem fore, non autem earum numerus illi clarè fuerit expressus? Etenim si congruens fuit Ecclesiæ prædici, plus septem persecutiones futuras, nihilo videbatur minùs fore consentaneum, si exactus illi numerus exponeretur. Respondeo tamen, oportuisse quidem præscire Ecclesiam plures sibi persecutiones à Romano Imperio imminere; vt illa sese ad tot hostiles incursus compararet, ac præmuniret: congruum tamen fuisse, ne præfinitum earum numerum cognosceret, hoc enim sibi maiori emolumento erat futurum. Quemadmodum dici solet, & merito, iustis hominibus expedire, ne extremum suæ vitæ diem præcognoscant, vt hac ratione cautiores ac solertiores se exhibeant.

Cur Ecclesia prænuntiari Deus voluerit persecutiones fore amplius septem: nec tamen præfinitū omniū numerū referauerit?

Nihilominus opponet nobis quispiam, hanc interpretandi rationem in septenario numero minimè respondere declarationi, quam in superioribus tradidimus de stellis duodecim, ex quibus mulieris corona constabat: de duobus testibus capitis 11. de septem cornibus, totidemque oculis Agni: de septem draconis capitibus; & de septem pariter capitibus Bestiæ per respectum ad septem Romæ montes. Etenim, si hi omnes numeri præcisè vsurpantur, vt sonant; ita etiam accipiendus erit septenarius numerus in septem Bestiæ capitibus respectu septem persecutionum. Respondeo, aliquos numeros, vt binarium & duodenarium, non esse ex iis, qui solent indefinitè sumi, sicut denarius & septenarius, qui tamen duo, nempe septenarius & denarius (vt omnes facile concedent) tam in ænigmate, quàm extra ænigma accipi possunt haud ineptè indefinitè pro incerto & indeterminato numero; & forte binarius numerus & duodenarius ad hanc significandi rationem perperam assumerentur. Neque vrget, quod ex præcisa septenarij acceptione in Agni cornibus, & in draconis capitibus adducitur. Licet enim huiusmodi numeri possint indefinite accipi; id tamen non obstat, quo minùs proprie etiam & præfinitè valeant vsurpari, sicut è contrario, quod sumantur interdum definitè, non ideo sunt semper necessariò ad eam significationis proprietatem coarctandi; præsertim quando ipsemet, qui ænigma proponit, nos edocet, septenarium numerum non esse proprie & exactè sumendum, vt Angelus Ioannem erudiit dicens, *Et ipsa octaua est.* In septem Agni cornibus iusta fuit computatio: respondent enim septem libri sigillis. In draconis item capitibus congruit pariter enumerandi ratio cum septem vitiis, quæ capitalia vocant. Ceterùm, quamuis diuisio alia magis adhuc metaphysica in plura membra fieret; & capitalia ipsa vitia constaret ad octo posse reduci, vt Cassianus alicubi existimat, adhuc ea omnia vitia optimè in septem draconis capitibus denotarentur. Nam & D. Thomas non reputat inconueniens vitium aliquod reperiri, quod directè non sit vllum ex septem illis capitalibus, quæ vulgò numerari solent, vt videre est 1. 2. q. 84. a. 4. ad 3. Licet autem Valentia rectè vitiorum septem capitalium numerum ad peccatorum omnium multitudinem per accommodationem distribuat, alius tamen fortassis existimaret, diuisionem huiusmodi non admodum esse formalem, sed solùm accommodatam ad septem spiritus nequissimos, (quorum mentio est apud Matth. c. 12. 45. & apud Lucam c. 11. 26.) atq. ad 7. capita draconis. Sin autem diuisio hęc in septem vitia capitalia sit perfecta & exacta, multò autem commodiùs accidit. Cùm verò septem draconi capita afficta sint, & totidem montes numerentur, in quibus Roma est fundata, facile apparet congruens ratio, cur Bestiæ capita non amplius septem esse deberent. Nam ad quemlibet Imperatorum Ecclesiam persequentium numerum indicandum aptus erat imprimis septenarius. De numero verò, denario in cornibus dicemus infrà.

Obiectio cõtra prædictã declarationem.

Solutio.

Obiicies ex Ribera, neminem interpretum, præter Victorinum, singula Bestiæ capita de singulis Principibus intellexisse. Nam ceteri omnes expositores in horum septem capitum singulis plures agnoscunt Principes. Sicut Danielis 8. 20. *Aries rex Medorum est atque Persarum.* Quod de cunctis Medorum atque Persarum regibus exponit Hieronymus. Et tantum abest, vt de Imperatoribus singulis singula sint capita explicanda, vt Viegas c. 7. existimet, communem esse Richardi opinionem, quæ septem capita interpretatur de vniuersis regibus impiis, quæ in septem mundi ætatibus, & antea extiterunt, & deinceps existent, quarum ætatum prima fuit vsque ad Noëum; secunda vsque ad Abrahamum; tertia vsque ad Mosem; quarta vsque ad Dauidem; quinta vsque ad Christum; sexta vsque ad Antichristum: septima vsque ad Iudicium.

Altera obiectio.

Ad hæc tamen dico, minime violentum esse, singulare nomen accipi aliquando pro plurali. Si tamen euidens sit marinam Bestiam pro Rom. Imperio inanium deorum superstitioni dedito vsurpari; euidens pariter erit, non esse Bestiæ capita, quæ Viegas, atque Ribera opinantur. Etenim necesse

Soluitur.

Digitized by Google

ceſſe eſt ſeptem illa capita eſſe Reges, & capita Rom. Imperij ethnici Catholicam vexantis Eccleſiã. Siue aut ſeptenarius capitum ad 7. referatur perſecutiones (pro eodem capite computatis iis, qui vnam perſecutionem commouerunt, & ſic de reliquis) ſiue ad ingentem Imperatorum numerum Eccleſiæ hoſtium; contextus ſaltem omnino reſpuit, hoc in loco eſſe ſermonem, aut de regibus ſub Antichriſto futuris, aut de primis mundi ætatibus: ſed duntaxat de illis, qui ex parte Imperij Rom. perſecutiones in Chriſti Eccleſiam ſuſcitarunt. Quòd autem ſermo eſſe non poſſit de regibus Antichriſto obſecuturis, meo quidem iudicio, conuincunt illa angeli verba *Quinque ceciderunt, vnus eſt, & alius nondum venit.* vbi dilucidè oſtenditur, ſeptem illa capita non ſimul, ſed per ſucceſſionem exiſtere; ita tamen, vt omnia illa ſint imperij ethnici capita. A

§. 3. *An in ſeptem marinæ Beſtiæ capitibus alludatur ad Beſtias quatuor, de quibus agit Daniel capite ſeptimo.*

Marina huius beſtiæ collatio cum quarta Danielis beſtia, quam reſpicit.

MArina Apocalypſeos Beſtia euidenter reſpicit quartam Beſtiam Danielis in decem cornibus, quibus vtraque coronatur. Perſpicuum item eſt, quartam illam Danielis Beſtiam eſſe Romani Imperij idololatræ figuram: quia danieli dictum eſt cap. 7. 17. *Hæ quatuor Beſtiæ magnæ: quatuor regna ſunt, quæ conſurgunt de terra,* quæ etiam quatuor regna, ſiue Imperia dubium non eſt in ſtatua illa Danielis 2. 31. fuiſſe præfigurata. Porrò ipſiuſmet Danielis expoſitio eſt, quatuor eorum regnorum primum eſſe Chaldæorum; alterum Perſarum ac Medorum; Græcorum tertium, & quartum Romanorum. Enimuerò (id quod mirum apparet) cùm Apocalypſeos marina Beſtia quartæ Danielis beſtiæ reſpondeat; ſeptem illius capita non videntur eidem quartæ beſtiæ, ſed vniuerſis quatuor reſpondere. Nam quartæ Beſtiæ Daniel non plura capita attribuit; quare vnico ſolùm conſtitiſſe videtur. Ex quo efficitur apud Danielem ſeptem capita inter quatuor omnes beſtias eſſe diſpertita. Vidit enim Daniel leænam, vrſum, & pardum quatuor capitibus inſignitum, atque aliam beſtiam cum cornibus omnino decem. Itaque marina Ioannis beſtia, ex quatuor illis Danieli viſis coaleſcere, & coagmentari videtur: ſiquidem pariter & vrſus eſt, & pardus, & leo; habetque decem cornua, vt ex illius deſcriptione in ipſo textu expreſſa colligitur. B

In marina beſtia non poſſe ſignificari quatuor mundi Monarchias.

Nihilominus impoſſibile eſt, arbitror, in Apocalypſi per hanc marinam Belluam quatuor omnes Monarchias figurari. Primæ enim tres finitæ iam erant, cùm Eccleſia ad Gentes gradum fecit. Bellum autem marinæ Beſtiæ aduerſus Eccleſiam fuit ſuſceptum poſt Eccleſiæ ipſius ad Gentes migrationem; vt ex ſuperiorum contextu manifeſtè deducitur. Præterquam quòd textus ipſe exprimit Babylonem (id eſt, Romam idolorum cultricem) ſuper Beſtiam conſidere; & per ſeptem Beſtię capita, totidem Romæ montes adumbrari. Eſt item haud obſcurum diſcrimen inter ſeptem illa capita, quæ Daniel in quatuor beſtiis: & inter hæc ſeptem quæ Ioannes in eadem maris Bellua, aſpexerunt. Capita enim Ioanni viſa pardi erant omnia, vt infrà videbimus; ex illis vero ſeptem Danielis, quatuor pardi erant: vnum vrſi; leænæ aliud: & alterius figura non exprimitur. C

Marinam Apocalypſ. beſtiam ex quatuor Danielis beſtiis quodammodo conflari.

Mihi tamen nihilominus certum eſt, eam fuiſſe diuini Spiritus intentionem, vt hanc maris Beſtiam ex quatuor illis Danielis conflaret. Non quidem vt hæc Beſtia omnes quatuor Monarchias ſignificaret; ſed vt edoceremur, quidquid furioſi, crudelis atque immanis in quatuor Belluis Daniel diſperſum conſpexerit, totum hoc in vno Romano Imperio ethnico coactum atque compactum reperiri. Quare in ea deprehendi multitudinem cornuum & capitum, & pardinæ pellis varietatem oculorum multitudine diſtinctam, (quod eſt auaritiæ ſymbolum, item vrſi deformitatem, (quod eſt ſymbolum luxuriæ,) atque feritatem leonis, quæ ſuperbiam & arrogantiam innuit. Quòd ſi Danieli in quarta beſtia non ea omnia ſunt figurata, quæ Ioannes in Beſtia maris contemplatus fuit, ideo accidit, quia Danieli non ita expreſsè atque diſtinctè præmonſtrata fuit horribilitas & immanitas perſecutionum à Romano imperio in Eccleſiam excitandarum. Ioanni verò id fuit explicatè & luculenter præſignificatum. Quod autem maris Beſtia conflata ſit ex iis omnibus, quæ terribilitatis ſpeciem in quatuor Danielis beſtiis præ ſe ferebant, ideo fortaſſis fuit ita monſtratum, quia ſecunda Monarchia primam, tertia ſecundam, quarta tertiam deuorauit. Vnde Monarchia quarta (præſertim quando Chriſti Eccleſiam diuexauit) in ſe iam includebat quodammodo tres priores, & vitiorum ſaltem omnium ſentinæ, ac ſcelerum colluuiones, quæ in ceteris ſparſim reſidebant, in vnam Romani Imperij Monarchiam confluxerant. Deinde percommodè etiam accidit, vt marinæ Belluæ ſeptem tribuerentur capita, quæ in Beſtiis quatuor Danielis erant diſperſa, vt Beſtiæ capita capitibus draconis reſponderent. in eiſque ſignificaretur perſecutionum multitudo: quemadmodum ſeptem draconis capita ad multiplices illius ſuggeſtiones ac tentationes referuntur. Ad illud autem, quod nuper diximus (videlicet in Romani Imperij Monarchia quodammodo tres priores includi) adiungi poteſt quod Oroſius lib. 2. cap. 1. & lib. 7. cap. 2. ait, vbi quatuor illas recenſet Monarchias (quamuis ipſe, vt Africanus, Medorum Monarchiam omittat, & eius loco regnum Carthaginenſe ſubſtituat, quod ſeptingentos annos duraſſe affirmat.) & hoc modo eas diſtribuit, vt Rom. Imperium ſit Occidentale, Babylonicum, Orientale, Macedonicum Septentrionale, Carthaginenſe Meridionale, ſubditque Romanum ab Occidente conſurgens hæreditate Orientis fuiſſe nutritum, & Macedonicum atque Carthaginenſe partes tutoris, & curatoris tenuiſſe. D

Decem cornua quomodo in ſeptem beſtiæ capitibus conſideranda ſint.

ET CORNVA DECEM] Decem cornuum diſtributio eo, quo depingi ſolet modo, aliis capitibus cum vno cornu, aliis cum duplici affictis, congruentè non poteſt (meo iudicio) habere applicationẽ in ænigmatis ipſius ſignificato. Quamobrem, cum bona Pictorum venia, magis conſentaneum putarem, ſi omnia 10. cornua in præcipuo capite ponerentur. Nam vt videbimus c. 16. 13. in marinæ Beſtię deſcriptione, vnum erat magis principale caput, & cetera minùs præcipua. Capitis autẽ principis ſigni-

Digitized by Google

A significatio ea est, quam Angelus c.17.10. attingit, cùm ait, *Vnus est*; vbi supponit singulis suam vicem, tempusque per successionem appropinquare; atque illi, quod re ipsa imperium tenet, 10. cornua tribuendo, innuit, omnia cornua in eo simul esse capite, quod tunc regnat. Quamobrem ipsamet cornua, quæ primo capiti, cùm regnabant, inerant, secundum etiam caput cùm regnat, comitantur; & tertium pariter comitabuntur, cùm regnet. Si cui tamen magis adhuc vulgaris pictura arrideat: illud saltem præstituat necesse est rationem se reddere non posse in ænigmatis interpretatione; cur vni capiti duo cornua, alij vnum obtigerit? nisi solùm quia picturæ ipsius facilitas at commoditas id exigebat: quantumuis, quod ad significationem attinet, decem cornua in singulis capitibus reperiantur coniuncta. quando cuiusque tempus per vices aduenerit.

Sed vt de significatione ipsa dicamus, prætermissa illa opinione, quæ decem cornua ad Reges decem sub Antichristo in Romano Imperio futuros applicat: aut ad eorum multitudinem regum, quos Antichristus ipse in terrarum orbe reperiet, (quod minùs displicet Augustino 20. de ciuitate cap. 23.) illud mihi certum est, decem isthæc cornua esse symbolum multitudinis senatorum Romanorum. Sicut enim vnum cornu in Scriptura designat principem vnum: ita cornua plurima polyarchiam innuunt, seu plurimorum principum gubernationem. Et idcirco dixit Daniel quartam Bestiam esse dissimilem ceterarum: aliæ enim erant absolutè loquendo Monarchiæ. Romanum verò Imperium pro- *Denarius multiplicationis numerus.*
B priè Polyarchiæ rationem induebat. Vt autem hoc significaretur: aptissimum fuit decem cornuum symbolum: quippe denarius est multiplicationis numerus, & eam ob rem maiores omnes numeri in denario tandem clauduntur. Nam vbi ad denarium deuenitur, protinus ad numerorum initium siue vnitatem regressio fit: & dicimus, *Vndecim Duodecim*, &c. quasi diceremus decem & vnum, aut decem & duo. Cùm autem senatorum numerus certus ac præfinitus non esset, & exprimendus foret numerus aliquis, qui multitudis esset symbolum: nullus potuit congruentiùs assumi, quàm denarius. Lege Zachar. 8. 13. *In diebus illis apprehendent decem homines ex omnibus linguis Gentium fimbriam viri Iudæi, dicentes, Ibimus vobiscum*, &c. Vbi forte decem *Decem*, idem est, ac *plurimi*. Si enim non intelligas decem ex qualibet lingua, sed decem ex omnibus collectiuè: non possunt esse decem ex omnibus linguis, cùm linguæ omnes plus septuaginta sint. Prærereà ipsemet Apocalypseos contextus cap. 17. 12. explicat. per decem cornua figurari Polyarchiam, quæ est multitudo principum eodem tempore vigentium: atqui eiusmodi erant Romani senatores. Etenim licèt non propriè fuerint reges: eorum tamen potentia & amplitudo regum instar erat, Quare Cyneas dixit, Romanum Senatum sibi fuisse visum consessum regũ, vt narrant Plutarch. in Pyrrho, Florus l. 1. Liuius l. 11. Lipsius l. 4. de magnitudine Rom. cap. 2. Cohærent cum hoc ipsius textus verba, *Decem cornua decem reges sunt, qui potestatem tanquam reges vna hora accipient*: vel acceperunt. Quid enim est obsecro, *Vna hora*, nisi vno eod- mque tẽ-
C pore principatum tenere? Quod autem reges appellentur & declaretur pariter, eos non propriè reges esse, sed regum habere potentiam & amplitudinem, quis non in hoc senatorum Romanorum descriptionem cognoscat?

Dicet tamen aliquis, quando Romanum Imperium in Ecclesiam sæuiit, Polyarchia ipsa Romano- *Soluitur difficultas in prædicta explicatione occurrens.*
rum iam fuerat ad Monarchiam redacta, atque adeò pro illo ipso tempore non rectè decem cornua Bestiæ tribuuntur. Ceterùm, quamuis verum sit, per dignitatem imperatoriam multum auctoritatis senatoribus fuisse imminutum, adhuc tamen maxima illis auctoritas & amplitudo restiterat; vt cap. 12. obseruauimus ex Polybio & leges singillatim senatus ipse probabat, & confirmabat; aliter enim nullam legum vim obtinebant. Quare cùm hæc maris Bestia Romanum repræsenter Imperium Romanæ Ecclesiæ per edicta ac leges iniquas bellum inferens, non fuit satis septem figurari capita, quæ Imperatorum symbolum gerunt, nisi decem quoque cornuum figuraretur auctoritas, quæ Romanum Senatum denotarent. Etenim in iis legibus & persecutionibus, quæ aduersus Christianam Ecclesiam dimanabant, Romanum Imperium non meram agebat Monarchiam: sed Monarchiæ iuxtà ac Polyarchiæ permistionem. Quapropter consentaneum fuit, decem cornua marinæ Bestiæ affingi, quibus Romani Senatus auctoritas in Ecclesiæ oppugnatione & idolorum propugnatione adumbraretur. Qui ergo semel sibi in mentem induxerit, decem cornua apud Danielem,
D significare Romani senatus auctoritatem, nescio, quo pacto possit in dubium vocare, in eàdem significatione hoc symbolum ab Apocalysi vsurpari, cùm ex illo Danielis symbolo sit desumptum. Præsertim cùm constet, ita exigi necessariò ad consequentem Apocalypseos seriem & acoluthiam, nec non ad declarationem ab Angelo traditam de decem cornibus cap. 17. n. 9. 10, 11. & 12. Cumque certum etiam sit ad Polyarchiæ significationem nihil posse cõcinnius afferri, quàm hæc decem cornua. Nec tamen inde sequitur, per denarium numerum semper ingentem multitudinem denotari. Nam in aliis rebus denarius est numerus exiguus, vt cùm exprimuntur decem dies cap. 2. 10. In aliis verò est ingens numerus, vt in decem vnius Bestiæ cornibus.

Sed obiiciet aliquis, symbolum decem cornuum si idoneum erat ad Romanum Senatum figu- *Obiectio contra nostram interpretationem.*
randum ante Iulij Cæsaris tyrannidem & Monarchiæ institutionem; ex hoc ipso colligitur, non esse huiusmodi symbolum ad rem, vt per illud Senatus idem denotetur, quo tempore persecutiones sunt aduersum Ecclesiam excitatæ. Etenim hæ persecutiones accidêre multis annis post Monarchiam institutam: huiusmodi autem Monarchiæ exordio dum vaticinatur Daniel, affirmat, in medio decem cornuum loco, cornu aliud vndecimum sese extulisse, quod inter cetera superius euasit. *Et tria de cornibus prioribus euulsa sunt à facie eius.* Quod in sensu proximo significat inter Romanos senatores vnum sustulisse cristas, sese que in eius Reipublicæ Monarchiam intrusisse, & bonam eiusdem Reipublicæ senatorum partem fuisse demolitum; quia suos hostes, & competitores disturbauit. Id quod significatur in trium cornuum euulsione, quæ ferè tertiam denarij numeri partem

consi-

Digitized by Google

In quarta Danielis bestia, quid significet, tria capitis cornua ab alio eminentiori deiici.

conficiunt. Ex hoc igitur inferri videtur, cùm in Apocalypsi Rom. indicatur Imperium, quo tempore iam erat Monarchia. Bestiam hanc non fore cum decem cornibus depingendam, sed solùm cum septem. Quandoquidem Monarchia ipsa extitit causa, cur tria ex decem cornibus amitterentur. Respõdeo tamen, apud Danielem fuisse figuratum, quod Iulij Cæsaris tempestate fuerat euenturum: atque adeò oportuisse, vt illorũ trium cornuũ euulsio repræsentaretur: non tamen ideo fuisse necessarium, vt in posterũ septem duntaxat cornua Bestiæ affingerentur. Etenim numerus senatorũ, quos Iulius Cæsar euertit, aliis posteà senatoribus fuit instauratus. Imò verò senatus à Iulio Cæsare ad nongentos auctus describitur. Et quidem licèt id non præstitissel; Senatorum tamen numerus semper extitit ingens. Decem autem cornua (vt iam vidimus) id vnum denotant, maximam senatorum principalium multitudinem. Quapropter quamuis deinceps pauciores essent numero, quàm antea (nec enim fuerunt, nisi multò plures) symbolum adhuc eorum proprium erant cornua decem. Et quemadmodum in decem draconis cornibus multi innuuntur dæmones, qui sunt *Principes & potestates tenebrarũ harum*: haud aliter decem Bestiæ cornua denotant Romani senatus principatum & potestatẽ. A

Et svper cornva eivs decem diademata] Vide suprà cap. 12. 3. vbi adnotauimus discrimen inter draconem & maris Bestiam; quòd in dracone septem sint, iuxta capitum numerum diademata. Nam draconis capita sunt coronis insignita. In Bestia verò maris sunt diademata decem quia eius cornua sunt decem, quibus impositæ sunt coronæ. Ibi autem discriminis huius idoneam rationem reddidimus. B

Quanam sint blasphemiæ nomina bestiæ capitibus impressa.

Et svper capita eivs nomina blasphemiæ] Hæc blasphemiæ nomina in capitum frontibus impressa considero. Hoc enim satis est ad textus ipsius veritatem, præsertim si Græca loquutio attendatur, ἐπὶ τὰς κεφαλὰς. Si quis autem roget, quænam isthæc nomina fuerint? Respondeo, Nullum mihi aptius nomen occurrere, quàm *Antichristus*, quasi se Christi profiteantur hostes, eiusque nomen sanctissimum maledictis incessant. Notandum porrò est in cap. 17. 3. visam Ioanni fuisse eandem Bestiam nominibus blasphemiæ plenam; quod fortè non arguit solùm in capitibus, sed in toto etiam corpore fuisse hæc nomina dispersa. Nam quamuis propter nomina illa, quæ describta in frontibus habebat, dici posset plena nominibus blasphemiæ, (sicut aliquem diceremus annulis plenum, si in digitis singulis singulos gestaret) nihil tamen prohibet, quin cùm initio Ioannes non viderit Bestiam coccineam (id est sanguine tinctam) posteà tamen viderit: eâdem etiam ratione principio quidem inspexerit, Imperatores solùm esse Antichristos, id est, qui bello Christum lacessere tentabant: deinceps verò conspexerit totam pariter Bestiam eodem Christi nominis odio imbutam esse atque refertam. Nam

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Præsertim cùm dæmon ipsos idolorum cultores stimularet, & accenderet; quo Romanorum Imperatorum edicta & senatus consulta aduersus Christi sectatores impigrè ac diligenter exequerentur. Atque hæc de blasphemiæ nominibus super Bestiæ capita impositis, si capita ad Imperatores referantur. Si verò referantur ad septem montes; illi quidem blasphemiæ etiam nominibus erant pleni, propter frequentissima idolorum templa, quæ passim per totos vrbis vicos structa visebantur. Suspicor tamen, simplicius esse, si, (dum de blasphemiæ nominibus agitur, quæ in Bestiæ capitibus erant descripta) capitum nomen pro Imperatoribus supponatur. Ex quo demum intelligitur, non propriè huius Bestiæ capita reputari, nisi eos solùm Imperatores, qui Christianam Ecclesiam afflixerunt. C

TEXTVS.

Vers. 2. Et Bestia, quam vidi, similis erat pardo, & pedes eius sicut pedes vrsi, & os eius sicut os leonis; & dedit illi draco virtutem suam & potestatem magnam.

COMMENTARIVS.

DIximus superiore versu, quamuis maris Bestia quatuor illas Danielis (nempe quatuor Monarchias) non directè repræsentet, sed solùm quartam; nihilominus diuinum Spiritum in ea quodammodo voluisse coniungere, quidquid in illis quatuor sæuum, immane, atque terribile eminebat; atque adeò vndique accersiuisse, quod ad distinctiorem significationem congruentius esse poterat: vt simul cum decem cornibus & septẽ capitibus iungantur in illa leonis superbia, quam tribuit Daniel primę Bestiæ, vrsi luxuria, quam tribuit secundæ; & maculosa pardi figura, quam tribuit tertiæ. Sic enim expediens erat ad describendum cruentum bellum, quod Imperium Rom. idolis seruiens Ecclesię Christianæ fecit; quod bellum multò distinctiùs reuelatum est Ioanni, quàm Danieli. Quãobrem nihil mirandum nobis est, cur Bestia adeò noua & inaudita ascendat de mari, quæ nihil habeat cum marinis piscibus commune. Hæc enim pictura non est, vt illa Leuiathan apud Iobum, in qua diuinus Spiritus similitudinem ceti, (quæ propria est maris Bestia) vsurpauit, vt animę hostem, quem mundum appellamus, depingeret. At in Apocalypsi ad distinctiorem significationem eiusdem inimici, præsertim in bello per Rom. Imperium contra Ecclesiam gesto, non satis esse duxit Spiritus sanctus similitudinem cuiuslibet Bestiæ ex iis, quæ naturali generatione propagantur: & propterea in hac sacra visione aliam multo monstrosiorem & horribiliorem expressit. Qua in re elucet imprimis sacrarum Literarum sapientia: quæ per comparationes ex rebus naturalibus petitas fuit exorsa: posteà tamen, vt figura ipsa siue pictura expressior fieret, naturalibus comparationibus alias ex rebus fictis accersitas sapienter & eleganter adiunxit. D

Cur huius bestiæ figura noua & insolita appareat, nec veri alicuius animantis similitudinẽ præ se ferat.

SIMI-

Digitized by Google

A SIMILIS ERAT PARDO] Notandum hic est de pardo diuersa & inter se discrepantia à Plinio atque Solino tradi. Plinius enim l. 8. c. 18. sentire videtur, pardos esse pantherarum mares. Solinus autem c. 21. vtrumque animal specie diuersum affirmat. ait enim, *In his syluestribus & pardi sunt, secundum à pantheris genus, satis noti, nec latiùs exequendi, quorum adulterinis coitibus degenerantur partus leænarum, & leones quidem procreantur, sed ignobiles.* Plinius quoque hæc scribit, *Quidam à pardis pantheras candore solo discernunt, nec adhuc aliam differentiam inueni.* Nec verò aut Plinius aut Solinus exponunt, num pardi illi, de quibus loquuntur, varij sint & maculosi. Tigribus quidem & pantheris picturæ varietatem tribuunt: vnde Plinius, *Panthera* (inquit) *& tigris maculatum varietate propè solùm bestiarum spectantur. Pantheris in candido breues maculatum oculi. Sunt qui tradant in armo ijs similem lunæ maculam crescentem in orbes, & cauantem pari modo cornua.* Asseritque multas in Syria pantheras esse. Solinus agens priùs de tigribus hæc habet, *Hoc bestiarum genus insignes maculis nota & pernicitas memorabile reddiderunt. Fuluo nitent: hoc fuluum nigrantibus segmentis interundatum varietate apprimè decet.* Deinde magnam ipsius velocitatem commendat. Posteà ad pantheras transiens, hæc subdit, *Numerosæ, sunt in Hyrcania, minutis orbiculis superpictæ; ita vt oculatis ex fuluo circulis, vel cærulea, vel alba distinguatur tergi supellex.* Ad hæc, pantheris non video à Plinio aut Solino velocitatem tribui, quinimò negare videntur: notant enim eam caput abscondere, ne reliqua animalia fugiant, quando ad eam odore allecta accedunt. Quod si caput occultat, ne illa sibi per fugam consulant; indicio est, pantheram non pernicitate præstare. Ex dictis minimè constat, pardum illum, de quo Plinius & Solinus agunt, esse pelle maculosa, nec inter se conueniunt de animalis specie. *Pardi animantis natura, & eius cõsideratio. Vtrùm pardus sit species diuersa à panthera.*

B

Veruntamen in sacris Litteris pardus haud dubiè maculosus est; & eos comprehendit, quos Plinius & Solinus nominant tigres & pantheras. Probatur primò, quia Ieremiæ 13. 23. dicitur, *Si mutare potest pardus varietates suas.* Et Habacuc, 1. 8. *Leuiores pardis equi eius.* Vnde Hieronymus Danielis 7. ait, *Pardus est maculosus & velocissimus, præcepsque fertur ad sanguinem.* Secundò probatur, nam Plinius affirmat, pantheram esse animal in Syria frequens, Quare cùm in sacris Litteris sub hoc pantheræ nomine non exprimatur, certè pardus pantheram etiam significat, aut sub se comprehendit. *Tertiò*, quia Tigris animal in nostra Vulgata nusquam reperitur, nisi apud Iobum cap. 4. 11. *Tigris periit* vbi Hebraicè legitur לישׁ, *lis* quod propriè leonem significat, vt patet Isaiæ 30. 6. *Leo ex eis.* & clariùs Prouerb. 30. 30. *Leo fortissimus bestiarum.* Itaque videtur tigris in Vulgata esse leo, & pardus esse tigris, aut panthera. Nec mirum, quia in prophanis etiam auctoribus solent Pardi & Pantheræ nomina confundi, vt constat ex Aristotele, Plinio, Dioscoride, & Gaza. Vnde Aconitum solet appellari, παρδαλιαγχὲς; eò quòd pantheras enecet; vt scribit Plinius, & Dioscorides, & παρδάλις, εως est etiam masculini generis, mares igitur vocantur etiam Pantheræ. Quare si pardus item est ac panthera, eius nomen crudelitatem sonat, quia παρδάλις, idem significat, quod *omnino fera*, vel *valde æua.* Est item astutus, pernix, & oculis tota pelle distinctus: & per fraudem intercipit ea animalia, quæ illius caput aut vultum non intuentur, in fraudem verò inducit odore, vt Plinius ait. Alij fortasse dicent, pellis varietate & pulcritudine. De significatione autem dicemus posteà. *Pardi nomina in sacris Litteris tigres etiam & pantheras comprehendi. In vulgata tigride ac leone eadem voce originali vsurpari interdum. Panthera nominis etymõ.*

C

ET PEDES EIVS SICVT PEDES VRSI] Quod dé pedibus dicitur, fortè extendendum est ad crura atque fœmora, hæc enim omnia pedum nomine solent comprehendi. Iam de vrsorum natura Plinius lib. 8. cap. 36. scribit. *Vrsorum coitus non vulgari quadrupedum more, sed ambobus cubantibus complexisq;*, Et memini me apud aliquem auctorem legere, marem ac fœminam complures dies simul amplexatos permanere; quod summæ est luxuriæ symbolum. Addit Plinius, *Molli fronde consternunt lectum, oculi eorum hebetantur crebro.* Et alibi dicit, *Vrsi sine calceatu longo itinere fatiscunt.* Itaque animal est maximè luxuriosum ac molle: est etiam fœdissimus pariter atque turpissimus quæ omnia manifestam luxuriam præ se ferunt. Accedit, quòd vrsus expetit fauos: & quamuis Plinius autumet, non eos affectare mellis causa: sed vt illum apes suis aculeis pungant, atque ea ratione grauedinem oculorum releuet, siue vt apes ipsas deuoret, quod alibi idem Plinius ait. Communis tamen opinio fert, vrsum mellis esse auidissimum, ideoque fauos auferre. Et quidem ad symbolicam significationem recepta hæc opinio satis fundamenti præbet. *Vrsorum natura consideratio. Vrsus, animal valde libidinosum.*

ET OS EIVS SICVT OS LEONIS] Si Græca vox, στόμα, sumi posset pro tota facie, vt interdum *Os* apud Latinos (veluti cùm dicitur. *Os leonis hic quomodo accipiendum.*

Os homini sublime dedit, cælumq; videre
Iussit)

D

dici potest huic Bestiæ facies esse leonina, tigrinum pectus, & pedes atque femora vrsina. Verùm Græcanicæ literaturæ periti affirmant, nusquam στόμα, pro tota facie accipi; sed pro eo spatio, quod deductis labris continetur, siue pro toto illo interiori spatio vsque ad imas fauces; in quo sunt dentes, palatum, lingua, gurgulio, & tonsillę duæ. Quare in externa huius Bellluæ figura, nihil video leonis proprium; nam in oris hiatu parum esse potest discriminis inter leonem, tigridem, atque pantheram. Hęc perpendenti illud mihi occurit, quod in textu dicitur; *Os eius sicut os leonis*, ad rugitum & vocis sonum fortassis referẽdum esse. Phrasis enim Scripturæ est, os pro loquela, siue pro vocis prolatione vsurpare, vt Matthæi 16. 18. *In ore duorum, vel trium testium*, &c. Lucæ 19. 22. *De ore tuo te iudico* Prima Petri 2. 22. & sæpe alibi. Iuxta hunc ergo accipiendi modum sensus erit, quamuis species ipsa vultus & totius corporis pardum referat, rugitum tamen esse leonis: atque vt leoninus sit rugitus, consequenter requiritur, vt rictus & interius illud spatium vsque ad imas fauces ori leonino sit assimile. Et quidem manifestum est leonis rugitu maximam figurari superbiam, & horrorem pariter atque terrorem incuti ceteris animalibus. *Leonis os ad eius rugitum esse referendum.*

Verùm enimuerò deueniamus iam ad chimericæ huius Bestiæ ex pardo, leone, atque vrso com-

Digitized by Google

Significatio partium, ex quibus marina bestia cõpingitur.

pactæ significationem. Qui in hac Bellua Antichristum intelligunt; affirmant, illum pardo comparari propter nationum, quæ ipsum sequentur, varietatem; & quia breui orbem sibi terrarũ subijciet. Vrso insuper comparari propter astutiã, quia, vt ait Plin. *Nulli animaliũ in maleficio astutia maior*: ac demũ per leonem figurari propter crudelitates & cędes. Ceterùm præterquam quòd antecedentium & subsequentium contextus minimè sustinet huius Bestiæ de Antichristo expositionem, vt suprà probauimus: applicatio illa, meo quidem iudicio, non satis est apta. Etenim si vrsi significatio ad callidam refertur astutiam, quorsum astutia in pedibus? Si leo ad sæuitiam refertur, cur solùm in ore?

In nostra tamen interpretatione applicatio (vt ex superioribus constat) est ad Romanum Imperium ethnicum Christianam Ecclesiam oppugnans, nec non ad animæ aduersarium, quem mũdum vocant, hypothesi ad thesim reuocata. Pro hac ergo explicatione imprimis sunt expendenda Ioannis verba epistola prima capite secundo numero decimo sexto, *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo, quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ: quæ non est ex Patre, sed ex mundo.* Si ergo quidquid in mundo est, ad luxuriam, auaritiam, ac superbiam reducitur, quid elegantius ad Mundi significationem, quàm in vna, eademque Bestia cõiunctionem vrsi, pardi, atque leonis confingere? Quæ enim est Bestia inter efferatas, quæ ita propriè luxuriæ symbolum præ se ferat, quàm vrsus? Hæc ergo est concupiscentia carnis. Ad oculorum verò cõcupiscentiam quid potuit excogitari pulchrius, quàm Bestia ocellis vndique picturata? Quippe ad illud significandum, quod cupidorum oculos ad se se trahit, nihil aptius, quàm huiusmodi feræ pellis quę propter oculorum multitudinem quasi auarorum oculos in se trantulisse videatur. Et auarus ipse oculos quidem atque cor in suis pecunijs habet reposita. In Scriptura item per oculos cupiditas & auaritia denotatur. His adnectitur superbię ac ferocitatis symbolum in leonis rugitu.

Vrsus luxuriæ symbolum. Pardus cupiditatis & auaritiæ symbolum.

Leo superbiæ symbolum.

Atque hæc vrsi, pardi, ac leonis accommodatio ad tria illa concupiscentiam carnis, concupiscẽtiam oculorum ac superbiam vitæ non à me primum inuenta est: eam enim Hugo Cardinalis attigit, & multa illi possunt adiungi, consideratis ijs, quę in illum Ioannis locum disputant interpretes, & præsertim Augustinus libr. 10. Confess. cap. 28. Et D. Thomas 1. 2. q. 77. art. 5. Verùm ingenuè fateor, aliquam mihi subesse formidinem, ne communis distinctio, qua verba illa Ioannis, *Concupiscẽtia carnis, concupiscentia oculorum*, &c. solent exponi, fundamento parum solido roboretur. Nam Ezechielis 23. 16. manifestè videtur oculorum concupiscentia ad libidinem referri. Quare non ita apparet necessarium, vt concupiscentia carnis ab oculorum concupiscentia distinguatur. Siquidem nõ minùs luxuria, quàm auaritia per oculos sese in animum insinuat, & vtraque est carnis voluptati satis procliuis. Nihilominus tamen communem explicandi rationem veneratus, meam applicationem ad eam pariter conformaui. Ad hæc, quòd luxuria in pedibus, auaritia in corpore, in ore superbia, (id est in capite) collocentur, fortassis indicat, in infimis hominibus qui quasi mundi pedes sunt, luxuriam ferè potissimum dominari; in medijs, auaritiam, & in capitibus, superbiam. Et corpus quidem pantheræ, vrsini pedes, atque os leoninum fortè adumbrant, mundi corpus diuitijs comparandis inhiare; vt extare sic, & eminere possit, atque se in turpem & libidinosam viuendi cõsuetudinem ingurgitare. In medio autem auaritia constituitur; quia superbiæ & libidini opus est ipsius ope & adminiculo: & inter illas duas nempe auaritiam atque libidinem caput exerit superbia, vtpote erecta atque arrogans in ipso capite, siue etiam in ore; iuxta id Prouerb. 14. 3. *In ore stulti virga superbiæ.* At luxuria atque libido, vt fœda ac turpis, ad pedes ipsos abijcitur.

Cur in huius bestiæ pedibus luxuria, in corpore auaritia, in ore superbia symbolum collocetur?

Vrsi, pardi ac leonis symbola in hac Bestia esse petẽda ex trium primarũ Danielis bestiarũ significatione.

Deinde cùm in hac vrsi, pardi atque leonis coagmentatione habitus fuerit respectus ad tres primas Danielis Bestias; nihil viri simile, quàm ist hæc symbola in Bestia hac, quæ Romanum repræsentat Imperium, esse accipienda iuxta eam significationem, in qua symbola eadem tribus illis prioribus Danielis Bestijs tribuuntur. Quod perinde est, ac dicere, Romano Imperio Ecclesiam infestanti leonis symbolum nihilo secius congruere, quàm Monarchiæ Chaldæorum, cùm illi fuit à Daniele adscriptum. Symbolum item vrsi, eidem Romanorum Imperio non minùs, quàm Medorum atque Persarum Monarchiæ aptari. Pardi denique symbolum eque illi atque Monarchiæ Græcorum quadrare. Et sanè Chaldæis leænæ fuit symbolum attributum, propter superbiam & arrogantiam. Lege Danielis 5 20. vbi de Nabuchodonosor, *Eleuatum est cor eius, & spiritus illius obfirmatus est ad superbiam.* Et infrà. *Tu quoque aduersus dominatorem cæli eleuatus es.* Et Iudith. 1. 7. *Eleuatum est cor eius.* Item cap. 3. 11. expenditur ferocitas Assyriorum seu Chaldæorum. Et cap. 3. 13. Nabuchodonosor præcepit, vt ipse solus diceretur Deus. Deinde Persis ac Medis vrsi symbolum fuit applicatum propter effrænatam & intemperantem luxuriam, vxorum multitudinem, & deliciarum atque conuiuiorum affluentiam. Vide Esther cap. 1. & cap. 2 Græcis autem (quanuis cupiditatis etiam atque auaritiæ insimulentur, vt patet ex Machabæorum libris) pardi tamen siue pantheræ symbolum verisimilius est fuisse traditum propter incredibilem velocitatem, qua sui Imperij magnitudinem adquiesierunt, & propter ingentem gloriam, quam sibi ex tot nationum subiugatione comparatunt. Hæc enim insignis gloria idoneè figuratur in pantheræ ac tigridis pelle, *Quæ facit eas Bestias memorabiles*; vt loquitur Solinus. Et quemadmodum inter ceteras aues pauo, propter suam versicoloris & ocellatæ caudæ varietatem, inanem mundi gloriam mirè exprimit; ita inter feras nulla potuit tigride aut panthera congruentior ad eandem significationem designari. Atque vt in pauone copulãtur simul gloriæ symbolum & symbolum vilitatis atque abiectionis, hoc in pedibus, illud in pennis (ideo enim dicitur, vbi suos despicit pedes, speciosum plumarum orbem dejicere:) non aliter in hac sacra fictione pardi seu pantheræ similitudini, quibus magna denotatur pulchritudo, vrsinorum pedum deformitas adijcitur. Fortassis etiam Ioannes ideo in sua Canonica concupiscentiam carnis, & (quod idem est) concupiscentiam oculorum cum vitæ superbia coniuxit.

Chaldæis cur leæna symbolum attributum? Persis ac Medis cur vrsi symbolum cõcessum? Græcis cur pardi seu pantheræ symbolum applicatum?

Mirificè

Digitized by Google

A Mirificè ergo in Bestia, cuius pellis pardum seu pantheram; pedes vrsum, & rugitus leonem refert Romanum adumbratut Imperium; quod suæ gloriæ magnitudine, delitiarum ac libidinum affluentiâ, & edictorum in Christi Ecclesiam promulgatorum terrore Euangelium conuellere, & exterminare conabatur. Cùm enim Euangelio ipsi è regione opponeretur Romani Imperij splendor, gloria atque maiestas, & inanium sectarum ac superstitionum varietas, quas Romanum ipsum Imperium complectebatur, varietas etiam nationum, quas subiugauerat. Hæc inquam omnia fidem idololatriæ facere videbantur. Deinde cùm delitijs & carnis lenocinijs homines ad nimiam viuendi licentiam allicerentur (esto, hæc vt infima, atque abiecta in pedibus reponantur, non parum hac ratione molliebantur pariter ac flectebantur, vt religionis à Romano Imperio cultæ iugum subirent: & Christi se doctrinę omnino contrariæ opponerent. His demum omnibus adiungebatur seueritas ac terror legum & edictorũ, quæ, leonini instar rugitus horrorẽ incutiebant hominibus; nequis Christi fidem amplecti & profiteri auderet. Iuxta illud Amos 3. nu. 8. *Leo rugiet, quis non timebit?* Hic ergo est genuinus sensus, in quo facilè mox apparet, quàm sapienter pardi similitudo fuerit in pelle constituta; vrsi in pedibus: & leonis in ore; id est, in rugitu superbo atque minaci. vt hoc pacto figuraretur terror, quo leges & edicta immania aduersus Christianum nomen immissa hominum animos percellebant. Atque hoc est arcanum mysterium, cur marina Bestia ex pardo, leone, & vrso compacta fingatur: hoc est ex animalibus, quæ suapte naturâ sunt terrestria; vt ea ratione significaretur, bellum, quod mundus inferebat Ecclesię, coalescere ex ijs Bestijs, quas terra nostræ deprauatæ affectionis gignit.

Cur in hac bestia ex pardo, vrso & leone compactâ Romanum adumbretur Imperium?

B ET DEDIT ILLI DRACO VIRTVTEM SVAM ET POTESTATEM MAGNAM] Qui de Antichristo explicant, virtutem hanc à dæmone traditam interpretantur de arcanorum reuelatione, deque præstigijs ac malis artibus ad miracula falsa & inania edenda, & mundum hac ratione decipiendum. In nostra tamen expositione, quæ hanc maris Bestiam ad Rom. Imperium ethnicum refert: hæc virtutis ac potestatis magnæ traditio explicari potest de maxima cura & solicitudine, quam intendit dæmon in Rom. Imperium idolis deditum exornandum, & in eius existimationem ac veneratione amplificandam; vt horribilis illius belluæ reuerentia ab omnibus exhibita & terror in hominum animos iniectus crudele bellum inferrent Ecclesię. Quamobrem hæc virtus Bestiæ à dæmone collata non consistebat in rerum arcanarum præsagitione; sed in eo, quòd in hominum mentibus Romani Imperij auctoritatem, amplitudinem & maiestatem maximè corroboraret; vt hac ratione idolorũ cultus magis magisque æstimaretur. Pro hac explicatione stat, quòd sæpè virtus in Scriptura pro maiestate accipitur; & potestati; respondet in Græco, ἐξουσία, quod sonat auctoritatem. In Græco item additur, *Et thronum suum*, quasi dæmon non præstiterit solùm vt Imperium pro maximo ac potentissimo coleretur, sed pro diuino etiam: ita vt quem Ethnici diuinitatis thronum dæmoni tribuebant, eundem Romano Imperio deferrent. Facit, quod ex antiquis inscriptionibus constat, Romã à Gentibus pro dea habitam. Lege Goltzij thesaurum, vbi videre est varia numismata cum hisce in-

Quo sensu dicatur draco suam virtutẽ & potestatem marina dedisse bestia.

Roma olim à Gentibus diuini honores tributi.

C scriptionibus ΡΩΜΗ ΘΕΑ *Romæ & Augusti templum. Romæ & Augustorum templum. Deæ Romæ.* Huc etiam accersę illam vestutatis inscriptionem. *Sacerdos ad templum Romæ & Augusti.*

Ingentem dæmonis virtutem ac potestatem Bestiæ communicatam refert nonnemo ad externã speciem falsi illius miraculi; quod posteà subijcitur de vnius capitis resurrectione. Verùm infrà videbimus, recidiui huius capitis excitationem, in textu non referri vt miraculum à maris Bestia effectum. Quare non est rem, quod dicitur propterea draconem Bestiæ suam virtutem & potestatem dedisse. Quinimò non video, quomodo magna sit potestas, quæ ad falsum miraculum confingendum tribuatur. Magna enim potestas & magna præstigiatoris fallacia res sunt valdè inter se diuersæ. Itaque potestatis nomen non est referendum ad facultatem edendi falsa miracula, sed ad auctoritatem ingentem ac maiestatem ab ipso dæmone adiutam: in quo etiam includitur magna ad decipiendum efficacitas, quæ est maxima Satanæ virtus, quatenus Satanas est.

Vtrùm potestas à dracone tradita bestiæ possit referri ad facultatem falsa pariendi miracula?

Prædictæ explicationi aliam adiungo, quæ mihi adhuc magis probatur: ea tamen est, pro virtute ac dæmonis potestate hìc intelligi licentiam ac facultatem, quam dæmoni permittit Deus, vt iustos persequatur, sicut & Iobum persecutus fuit. Omnino enim hisce in verbis alluditur ad id, quod Deus Satanæ dixit Iobi 2. 6. *Ecce in manu tua est.* vbi ei datur potestas, non solùm ad fortunas iusto viro auferendas, sed etiam ad eum grauiter torquendum. Atque hæc est magna illa facultas, & ἐξουσία, D prout distinguitur ab ea, quæ prius illi fuerat concessa auferendi ab eo omnia externa bona, *Vniuersa, quæ habet, in manu tua sunt.* At verò magna facultas omnia pariter includit. Hanc igitur maximam potestatem, quam dæmoni fecit Deus, insectandi Christianos homines statuit dæmon ipse exequi per Imperium Romanum. Hoc enim pacto existimabat, Christianæ Ecclesiæ persecutionem fore sæuissimam. Pro expositionis huius confirmatione vide infrà num. 12

Traditur alia expositio potestatis bestiæ à dracone commissa: qua & probatur.

TEXTVS.

Vers. 3. Et vidi vnum de capitibus suis quasi occisum in mortem; & plaga mortis eius curata est; & admirata est vniuersa terra post Bestiam.

COMMENTARIVS.

QVIA in textu non obsolutè dicitur, *Occisum*, est, *Quasi occisum*, ideo multis visum est, caput illud non apparuisse Ioanni omnino mortuum, sed lethali plagâ vulneratum. Et facit, quod infrà num. 12. dicitur, *Cuius curata est plaga mortis*, & paulo pòst, *Habet plagam gladii & vixit*. Verosimilius ta-

Vtrùm hìc ex quasi occisum pro verè occiso sumatur?

Digitized by Google

men mihi est, in ea visione caput illud Ioanni planè mortuum fuisse visum; ideoque dici in textu illud tanquam mortuum, aut quasi mortuum fuisse inductum, quia reuera occisum erat. Sic enim c. 5.6. dicitur, *Vidi Agnum tanquam occisum.* vbi particula *Tanquam* significationē non imminuit, sed apponitur vt vel sic appareat illius positionem fuisse, vt Agni occisi, in quo vera Christi mors figurabatur. Et quidem ad significationem multò congruentius est, vt occisum caput reuiuiscat. A

Caput vnum bestiæ quasi occisum, quid significet.

Sed age iam, quænam est huiusmodi significatio? Qui ad Antichristum confugiunt, alii ex illis volunt, hoc primum Bestiæ caput pro ipso Antichristo substitui. Existimant enim, illum mortuum se simulaturum, & triduo transacto denuo appariturum, vt verè à mortuis excitatus credatur. Alij caput hoc interpretantur de vno ex septem Regibus, qui se Antichristo subijcient. Opinantur enim hunc Regem lethali priùs vulnere in prælio percussum, mox ab Antichristo fore sanandum. Sic noster Viegas, qui priorem explicationem impugnat. Sed vtraque meo iudicio omnino est extra rem. Nam in hoc capite, (vt sæpè aliàs diximus, & initio huius capitis latè disputauimus) directè instituitur sermo de Romani Imperij persecutione aduersus Ecclesiam. Præterquàm quòd superiores duæ declarationes contextum ad res omnino incertas & parum verisimiles applicant.

In nostræ autem expositionis filo illud inuenio Apocalypseos elegantiâ imprimis dignum, videlicet in ea persecutione, quam Domitianus suscitauit, visum fuisse reuixisse Neronem, qui primus fuerat persecutor. Cui explicationi contextus omnino videtur applicandus. Ac primò, rectè congruit Neroni locutio illa, *Vnum de capitibus Bestiæ*, id est, primum: sic enim sæpè ponitur in Apocalypsi *vnum* pro *primo*. Deinde, quanuis verum sit, bellū, de quo in hoc capite agitur, esse illud, quod Romanum Imperium à tempore Domitiani Ecclesiæ indixit, (de Neronis enim persecutione suprà actum iam erat cap. 12. vbi ea draconi sapientissimè fuit attributa,) cùm tamen Bestia Imperium idolorum cultorem representet; necessarium est primum eius caput ad Neronem referri. Quoniam verò primum caput priùs apparet demortuum, deinde resurgit, hoc ipso eleganter figuratur. Neronis persecutionem fuisse quidem transactam, in Domitiano tamen mox redintegrati. Atque ita primum caput, cùm mortuum visitur, designat Neronem fuisse occisum, & eius persecutionem cessasse. Cùm autem resurgit, innuit eundem Neronem in Domitiano reuiuiscentem, & Neronis persecutionem in detestabili successore instauratam. Itaque primo in capite repræsentatur tum Nero mortuus, tum Nero ipse in Domitiano suscitatus: atque hac ratione denotatur pariter idem Domitianus, cuius persecutio est prima earum, quę in hoc capite sub ænigmatum inuolucris adumbrantur, vt suprà collegimus. B

Quo sensu dicatur caput Bestiæ occisū mox reuixisse.

Superiorē de Nerone & Domitiano expositionem ex antiquorū vestigijs elici.

Tertiò, huius explicationis vestigia nonnulla reperio; ex quibus non obscurè coniectare licet hunc locum ita fuisse quondam à Ioannis discipulis intellectum. Id autem elicio ex eorum deceptione, qui sibi persuaserunt, Antichristum eandem fore Neronis personam; atque adeò affirmabant, Neronem rursus in nouissimis temporibus fore appariturum. Ita opinati sunt antiquorum multi, vt refert Hieronymus Dan. 11 ex quibus fuit vnus Victorinus, vt patet ex ipsius commentario ad ea verba cap. 17. *Et ipsa octaua est.* Vbi ait, octauum hoc caput esse Antichristum, quem fore Neronem ipsum ab inferis tunc excitandum. Et Prosper in dimidio temporis cap. 8. sic habet. *Octauum Regem, quem dicit Antichristum, quidam Neronem intelligi volunt, vt ipse sit Bestia, qua fuit, & non est, & iterum venturus est. Sed siue ipsius formam & speciem corporis sumat, & in ea appareat, (sicut Angelus in libro Tobiæ dicitur similitudinem Azariæ suscepisse.) siue in alterius specie appareat Antichristus, ipsius tamen Neronis luxuriam, sæuitiāq; morum habiturum Daniel Propheta testatur.* Hactenus Prosper; in quo Victorini, & aliorum error accidisse credo, quod in multis aliis rebus vsu venire solet, nempe ex metaphorâ aliquâ siue allegoriâ, quæ initio fuit recte percepta, prouenire posteà, vt nonnulli sibi in animum inducant, illam fore accipiendam, vt sonat. Id quòd in sancti Georgii pictura (vt Baronius notat) conspicuum sit. Nec enim sapientes satis sibi quisquam persuadeat, ne eiusmodi pictura significari virginem aliquam ex draconis faucibus per Georgium liberatā. Et forsitan simile etiam est, quod de procera nimis, & plusquàm gigantea D. Christophori statura, quæ solet fere depingi, in multorum animos irrepsit. Vt igitur ineptum planè est, quæ vera sunt ac solida, ad meras velle metaphoras reducere: ita etiam nimiæ simplicitatis est, metaphoras ipsas, ita vt sonant, absque vlla penitiori intelligentia assumere; præsertim in rebus iis, vbi ingentia miracula absque vlla vel Dei gloria, vel Ecclesiæ vtilitate, gratis & nequidquam, confinguntur. Ecquid enim ex Nerone aut in viuis asseruato, aut post duo vel tria annorum millia excitato, vtilitatis & emolumenti diuina prouidentia percipiet? Si fortè expedit, crudelissimum hominem, & Christiani nominis ac sanguinis maximè sitientem aliquando existere, nō tanta nobis inesse debet simplicitas, vt cùm primùm Neronem audiamus nuncupari, protinus eandem antiqui Neronis personam ab inferis reuocandam fore credamus. C D

Cur in Domitiani persecutione dicatur Neronis persecutio reuixisse.

Quartò, prudenter valde excogitatum fuit in Domitiani persecutione (idemque de ceteris dicemus infrà) reuicturam esse persecutionem Neronis, atque eiusdem Neronis personam & immanem crudelitatem mysticè suscitatum iri. Nam & Neronis persecutio prima extitit, eaque sæuissima, vt ex Ecclesiasticis historiis constat; & post Neronis mortem videbatur Catholica Ecclesia ab Imperii Romani impugnationibus libera omnino euasisse. Præsertim cùm Imperatores ij, qui Neronem subsecuti fuere (videlicet Galba, Otho,, Vitellius, Vespasianus, & Titus) Christianos fuerint obliti. His ergo animaduersis cernitur, quàm sapienter & eleganter fingatur in Domitiano reuixisse Nero, & antiquam persecutionem renouasse. Sane hæc loquendi ratio cum alijs Scripturæ locis & sapientium locutione valde consonat. Ezech. 34.23. *Suscitabo super eas pastorem vnum, qui pascat eas, seruum meum Dauid* Danielis 12.2. *Multi de his, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt: alij in vitam æternā, & alij, in opprobriū.* Malachiæ 4.5. *Ecce ego mittam vobis Eliam.* Quod de Ioanne Baptista Domini præcursore

Digitized by Google

A sore explicat Angelus Lucæ 1. 17. *Ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ.* Quin & Virgilius Æneid. 6.

Non Simois tibi nec Xanthus, nec Dorica castra
Defuerint. Alius Latio iam partus Achilles,
Natus & ipse Deâ.

Omitto alia sexcenta, & iam iterum supra de hac phrasi diximus.

Quintò, quanuis pari etiam ratione, qua in Domitiano dicitur reuixisse Nero, idem posset de ceteris persecutionibus post Domitianum subsecutis affirmari; satis tamen fuit semel fuisse expressum in prima, vt de reliquis idem pariter intelligeretur. Nec ænigmatis nitori atque elegantiæ sæpiùs idem iterari congruebat.

Sextò denique, prudenter contextus hanc primi capitis reuiuiscentiam non refert, quasi marinę bestiæ miraculum. Tametsi enim dicitur post primum caput ad vitam reuocatum, *Admirata est vniuersa terra post Bestiam*: inde tamen non infertur, hanc admirationem fuisse exortam ex eo, quòd marina bestia miraculum aliquod ediderit. Constabit hoc infrà ex illorum verborum explicatione. Nec duo tantùm obiter attingo. Primum: si Ioannes affirmare vellet, primum caput singulari marinæ Bestiæ miraculo excitatum fuisse, facilè id explicatè asserere potuisset. alterum; quod ad sensum attinet, non rectè cohæret, si hæc primi capitis resurrectio tanquam Bestiæ miraculum referatur. Et *Vtrùm primi marinæ bestiæ capitis reuiuiscentia tãquã ipsius bestiæ miraculum referatur?*

B enim licèt maris Bestia persecutionem instaurauit, hæc tamen instauratio nihil est aliud, quàm Christiani nominis hostem sese iterum re ipsâ profiteri, id quod Bestiæ nõ nouum, insolitum aut miraculosum est, sed vulgare potiùs, vsitatum & familiare, quia *contra bonum, malum, & contra vitam, mors.*

Quomodo vniuersa terra dicatur post bestiam admirata.

ET ADMIRATA EST VNIVERSA TERRA POST BESTIAM] Modus ipse loquendi perinde est, quasi Gentes ingens aliquod miraculum obstupuerint. Sensus tamen non is est: sed, renouatâ in Christianos persecutione, Gentes se Bestiæ subiecisse, eamque maximi æstimasse, coluisse, & obseruasse: & hac ingenti æstimatione & veneratione ad ipsius cultum, voluntatem ac nutum allectas & attractas fuisse. Quod idem est, ac si asseratur, singulos homines multitudinis errori subscripsisse, cùm vidrẽt Romanum Imperium Christianæ Religioni crudelissimâ persecutione obsistere. Hunc existimo germanum esse huius loci sensum. Notum verò est, verbum *Admirari*, solere accipi pro eodẽ, quod est permagni facere & æstimare, vt cùm Horatius ait.

Nil admirari, propè res est, vna, Numici,
Solaq;, quæ possit facere & seruare beatum.

Addo etiam, terræ nomen posse hic referri ad eos, qui terrenis affectibus inhęrescunt, vt sæpè alibi.

TEXTVS.

C *Vers.* 4. Et adorauerunt draconem, qui dedit potestatem Bestiæ: & adorauerunt Bestiam; dicentes: Quis similis Bestiæ, & quis poterit pugnare cum ea?

COMMENTARIVS.

SEQVI Bestiam, est adorare draconem, nimirum per idololatriam, quam Bestia suadebat; & eam ob rem draco tantum auctoritatis ac potestatis Bestiæ concessit, vt homines induceret, ac subigeret ad ipsius draconis adorationem.

De qua bestia adoratione hic sermo sit.

ET ADORAVERVNT BESTIAM] Quanuis hominum lippitudo ac cæcitas eò peruenerit, vt Romano ipsi Imperio diuinos honores tribuerint: hic tamen ea de re sermo non est; sed de obseruantia, veneratione & submissione, quam Bestiæ exhibuerunt sibi persuadentes, Bestiæ obsistere in ijs præsertim, quæ ad religionem spectabant, absque temeritatis & insaniæ nota, posse neminem. Itaque verbum *Adorare*, quando ad draconem refertur, propriam idololatriæ actionem præfert; quando autem refertur ad Bestiam, denotat stultam illam reuerentiam & cæcam subiectionem, quæ alius quidam adorationis modus est. Si tamen persistat aliquis, respectu etiam draconis hoc eodem modo verbum esse accipiendum, de voluntate in dæmonis obsequium ac nutum pronâ, non admodùm repugno. Atque hoc pacto verbum *Adorare* secundùm sensum eundem vsurpabitur, siue ad Bestiam

D referatur, siue ad draconem.

TEXTVS.

Vers. 5. Et datum est ei os loquens magna & blasphemias: & data est ei potestas facere menses quadraginta duos.

COMMENTARIVS.

NOVVM & inusitatum apparet, quòd Bestia pardo similis, & os leonis habens loquatur, & mirum etiam est, permittere Deum nefandas illas blaphemias, quibus imperium Romanum veram Christi Religionem irridebat. Ita tamen facto opus erat ad altissimum diuinæ prouidentiæ consilium. Porrò *Loqui magna*,, in præsenti idem videtur esse, quod loqui superba. Græcanicæ enim literaturæ peritissimus quidam me docet, vsitatam esse apud Græcos phrasim, *Loqui magna*, id est, blaphemias proferre: atque adeò ad phrasem eam exponendam addidisse Ioãnem, *Et blasphemias.* Ad cuius locutionis probationem afferunt Tragicum quendam Græcum ita dicentem, *Nil magnum dixeris*, hoc est, ne blasphemias iactes.

Loqui magna, quid hic sit.

Digitized by Google

Quid ité sit, Facere.

FACERE] In quibusdam Græcis codicibus additur πόλεμον, id est, facere bellum. Maior tamen subest energia in verbo *Facere* absolutè posito; quod perinde est, quasi stragem in Christianis hominibus maximam edere. Et constat sæpè in Scriptura hoc verbum absolutè accipi. Obiter aduerte, in hoc versu simul coniungi *Loqui*, & *Facere*: eâ omnino phrasi, qua Hispanè dici solet, *Dezir y hazer*, quæ est locutio familiaris virorum robore atque animis præditorum. A

MENSES QVADRAGINTA DVOS] In capite. 11. exposuimus, hos duos & quadraginta menses (siue quod idem est, tres annos & dimidium) esse mysticum temporis spatium, quo Ecclesiæ persecutio durat; vbi de magna huius mystici spatij energia, deque allusionibus, quæ in eo perstringuntur.

TEXTVS.

Vers. 6. Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos, qui in cælo habitant.

COMMENTARIVS.

Qua ratione Bestia in Dei tabernaculum maledicta congessisse dicatur.

IMPERIVM ethnicum atque impium irrisioni ac ludibrio habebat vnicum verumque Deum; & Dei nomen (nempe Iesum, siue Saluatorem) illudebat, nec non promissiones in hoc ipso nomine inclusas; quæ eædem sunt, quæ in nomine *Iehoua*. (de hoc autem diximus latè cap. 1.) Congerebat pariter maledicta in Dei ipsius tabernaculum, id est in cultum & venerationem qua tunc Christiana Ecclesia summum ac præpotentem Deum prosequebatur: quando videbatur nondum magnum illud possidere templum, quod posteà fuit erectum Salomonico templo respondens; sed mysticum duntaxat habere tabernaculum minoris amplitudinis ac maiestatis, commodum tamen ad viam, quam per eremum suscipiebant. Ceterùm quemadmodum diuinæ virtutis præsentia ac demonstratio nihilo fuit minor aut inferior in Mosis tabernaculo, sed maior potiùs & illustrior, quàm quo tempore Deus in templo Salomonis degit; ita similiter in illa Religionis forma & externo cultu, qui in Gentilium oculis abiectus & despicatissimus videbatur, mirum in modum enitebat summi Dei virtus & præsentia. Vide infrà c. 15. 5. vbi rursus de mystico tabernaculo. B

ET EOS, QVI IN CÆLO HABITANT] Hoc est, ludificabatur Romanum Imperium primitiuos Christianos; atque adeò eosdem ipsos, qui verè & significanter in cælo degere dicebantur: quia eorum conuersatio in cælis erat. Quare Christianam ludere Ecclesiam, perinde erat, quasi ipsosmet cæli habitatores ludere.

TEXTVS.

Vers. 7. Et datum est illi bellum facere cum sanctis, & vincere eos; & data est illi potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem.

COMMENTARIVS.

De quo Bestiæ bello atque victoria hic sermo sit.

QVAMVIS in Romani Imperij persecutione nonnulli ex fidelibus desponderint animum: verùm hîc neutiquam sermo est (opinor) de huiusmodi victoria, quam Ethnici de Christianis reportauerint; nec enim id est ad rem in hac argumenti Apocalypseos parte, præsertim cùm victi ipsi appellentur Sancti, & de Sanctis in genere sermo sit. Non ergo agitur hîc de eo, quòd animi vincantur; sed quòd corpora occidantur & contrucidentur; ad eum modum, quo Daniel ait, *Prosternetur veritas in terra*: atque vt draco dicitur tertiam stellarum partem in terram deiecisse: at verò bellum & strages, quæ hîc recensetur, erat generalior adhuc & vniuersalior. Nam marinæ Bestiæ, *data est potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem.* C

TEXTVS.

Vers. 8. Et adorauerunt eam omnes, qui inhabitant terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni, qui occisus est ab origine mundi.

COMMENTARIVS.

Quorum nomina dicãtur non esse scripta in libro vitæ Agni? Difficultas in prædicta expositione.

ADORANDI verbum, qua ratione sit accipiendum, diximus suprà versu. 4. Et sæpè iam explicuimus, eos dici inhabitare terram, qui in terrenas affectiones se totos demergunt. Quanuis possit etiam ita intelligi, vt hac phrasi agatur in præsenti generatim de omnibus, qui Romanum orbem habitabant, restrictâ tamen generali hac acceptione per additamentum illud quod mox subiungitur, ad significandos eos omnes & solos, qui sese Romani Imperii Bestiæ submittebant, *Quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni.* D

Enimverò, in generali hac propositione occurrit protinus difficultas. Etenim Iudæi, qui Romanum incolebant orbem, & terrenis etiam affectibus obsecundabant, Romano se Imperio non subiiciebant in ipso idolorum cultu; nec tamen eorum nomina inscripta erant in libro vitę Agni. Deinde, quanuis verisimile valdè sit, ex primæuis Christianis paucos admodùm æternis inferorum suppliciis addici; nihilominus non omnes prorsus saluabantur. Nonnulli igitur ex iis non erant prædestinati, atque adeò eorum nomina non erant scripta in libro vitę Agni; nec tamen subiiciebant

Digitized by Google

A bant se Bestiæ, vt idola colerent; ergo non adorauerunt eam *Omnes, qui habitant terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni.*

Respondeo tamen, quod ad Christianos attinet, dicere non ineptè possemus, eos, qui ob sua lethalia scelera damnantur, deleri de libro vitæ Agni; iuxta vsitatam Apocalypseos locutionem cap. 3. 5. quòd si delentur, eorum ergo nomina prius inibi erant descripta. Nam, vt in eodem loco dicebamus, in eo libro non scribuntur solùm, qui saluandi sunt; sed omnes, quos diuina prouidentia ad christianismum efficaciter vocat. Qui autem ex eo catalogo expunguntur, non ob peccatum quodlibet delentur; sed quando diuino atque occulto Dei iudicio permittente obdurantur, vt deinceps ad gratiæ statum non redeant. Quare quod ad reprobos ex Christianis spectat, recte ac verè dicitur, eorum nomina fuisse priùs in librum vitæ Agni relata. Nihilominus tamen responsionem aliam oportet magis aptam indagare. Nam Iudæi saltem, qui in Christum non crediderant, non erant in libro vitæ Agni descripti, imò etiam Christianorum aliqui forsan obliterati iam erant iusto summi Dei iudicio, quantumuis in idololatriam non fuissent prolapsi. Itaque difficultate adhuc non caret generalis illa locutio, qua omnes ij, qui in vitæ librum transcripti non erant, bestiam adorasse dicebantur.

Prima difficultatis propositæ solutio.

2. Solutio.

Vt ergo verè affirmetur, omnes in eo libro non scriptos Bestiæ cultum exhibere, non opus est, eos omnes expressè & (vt ita dicam) formaliter idololatriæ esse addictos, satis est eos mystice idolorum cultui studere, id est, mundo ac mundanis rebus inhiare; & fluxa atque caduca bona pluris æstimare, quàm oporteret; atque adeò supremum rerum omnium Creatorem pro rebus creatis in-

B fimis & abiectissimis derelinquere. Notum enim est huiusmodi omnes in Scriptura appellari idololatras, atque ita Isaiæ 2. 8. vbi expressè agitur de nouissimis temporibus, (id est de temporibus legis gratiæ) perhibetur Iudæorum terra repleta esse idolis, & propter idololatriam ij fuisse reprobati; id quod de improbis Christianis intelligi etiam potest. Adorare ergo Bestiam, idem fere est, quod mundum diligere, quæ est phrasis Ioanni familiaris. Adorandi tamen verbum addit admirationem & reuerentiam, & mundi generalem acceptionem Romano Imperio accommodat textus: quod est agere de mundo, qui tunc Euangelium oppugnabat.

AB ORIGINE MVNDI] Hæc verba, si grammatica solùm attendatur, trifariam possunt connecti. Primò sic. Ab origine mundi adorauerunt Bestiam illi, qui non sunt scripti in libro vitæ Agni. quam tamen constructionem amplectitur nemo. Certè à nobis recipi nequaquam potest, bestiam hanc de Romano Imperio explicantibus, quod ab ipsa mundi constitutione, cùm non extaret, coli nullo modo potuit. Secunda construendi ratio intelligit, Agnum ipsum ab origine mundi occisum dici. Habet enim hæc locutio suum verum sensum, eamque sequuntur Irenæus, Anselmus, Hugo, Thomas, Ansbertus, Gagneius, Viegas hic sectione 4. Fauent etiam Ambrosius & Beda. Tertia constructio est, Bestiam adorari ab iis, quorum nomina ab origine mundi non sunt scripta in libro vitæ Agni occisi. Sic. Ticonius, Andreas, Aretas, Ioachimus, Zegerus, & Ribera, nec non Ambrosius &

C Beda. Hanc ipse constructionem magis probo, quanuis enim in aliquo sensu verum sit, Christum à mundi origine fuisse occisum, hic tamen sensus, meo iudicio, in præsenti non erat ad rem, si per se sumatur. Cohæret autem optimè, si ponderetur ex diuina prædestinatione secundum Christi sanguinis virtutem constitutâ proficisci, ne aliquis mundum diligat, nec iniquis eius legibus subscribat. In Christo enim prædestinati sunt ij, qui non diligunt mundum, & eiusmodi erant, qui se ipsos à Romano Imperio seduci non patiebantur. In hac item constructione includitur aliquo modo Agnum occisum esse ab origine mundi, quia in Christo occiso prædestinati sunt omnes electi, atque ita Ambrosius, & Beda vtramque constructionem coniungunt. Nota præterea elegantem antithesim inter librum vitæ & Agnum occisum, illa enim vita, ad quam euocantur electi, fructus est Christi passionis ac mortis.

Ab origine mundi, quo sensu intelligendum sit.

TEXTVS.

Vers. 9. Si quis habet aurem audiendi, audiat.

COMMENTARIVS.

HÆc verba, quæ intentam animi mentem exigunt, referri possunt ad id, quod proximè antecesserat de prædestinatione, sed aptiùs (ni fallor) ad subsequentia referuntur, licèt enim vtrumque

D sit attentione & auditione dignissimum, peculiaris tamen elegantiæ est, audientiam poscere ad sortium commutationem.

TEXTVS.

Vers. 10. Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem vadet: qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Hîc est patientia, & fides sanctorum.

COMMENTARIVS.

DVPLICEM hæc verba sensum admittunt. Primus est, qui sanctos viros detrudebant in carceres, torquebant, occidebant, eos etiam comprehendendos, & æternis inferorum suppliciis ac morte nusquam intermoriturâ diseruciandos. Ex quo intelligitur, qui in hac mortali vita pro Christi fide ac Religione probra & tormenta patiuntur, eos in Beatorũ felicitate sempiternis fore præmiis afficiendos;

Duplex horum verborum sensus.

Digitized by Google

afficiendos: qua certa expectatione sancti in patientia ac fide quam profitentur, inter omnes tormentorum procellas firmi stabilesque persistunt. Alter sensus est de spe Christiano populo iniectâ, fore vt Ethnicos in mysticam captiuitatem redigerent (*captiuantes*, videlicet, *eorum intellectus in obsequium fidei*) eos inquam Ethnicos, qui Christianos ipsos comprehendebant, ac trucidabant, & gloriosam hanc de Gentibus victoriam per ipsam persecutionem ac martyrium, quæ patiebantur fideles, obtinendam fore: atque hac certa fiducia Christianos ipsos in suæ fidei professione roborari. Secundum hunc sensum aptiorem iudico, & congruentiorem mysticis Apocal. locutionibus: & fortè significatur pariter, quando Gentiles videbantur Christi ministros superare & necare (iuxta ea, quæ suprà dicta sunt de potestate Bestiæ commissâ sanctos viros superandi) tunc Gentiles ipsos verè fuisse deuictos. Vocem autem illam, *Oportet*, vidimus iam aliquando eò referri, vt denotet, mysticam hanc mortem esse maximum ipsius, qui occiditur, beneficium. Vide caput 11. 5. *Sic oportet eum occidi.* Verùm non significatur solùm, hoc illi conducere; sed etiam re ipsâ occisum iri. Sæpè enim verbum hoc ad prophetiæ certitudinem adhibetur; vt illud Pauli 1. Corinth. 11. n. 19. *Oportet hæreses esse.*

Posterior tamen sensus anteponendus.

In Græco denique habetur perelegans in hoc versu Paronomasia. nam duobus illis verbis, *Duxerit*, & *Vadet*, respondent hæc duo συνάγῃ, ὑπάγῃ.

PARS II. CAPITIS XIII.

In qua agitur de Bestia terræ.

TEXTVS.

Vers. 11. Et vidi aliam Bestiam ascendentem de terra; & habebat cornua duo similia Agni, & loquebatur sicut draco.

COMMENTARIVS.

De Bestia terræ quid singulatim textus exprimat.

QVID sit ascendere de terra, diximus suprà versu 1. De figura autem huius bestiæ, nil aliud exprimere videtur textus, nisi solùm duo cornua illi inesse cornibus Agni similia. Verùm bestia hæc terrestris Pseudoprophetæ nomine ter nuncupatur; nempe capite 16. 13. ca. 19. 20. & capit. 20. 10. Quare aliquis sibi forte persuadebit Pseudoprophetæ nomen & officium deposcere, vt huic bestiæ humana tribuatur figura; vtpote quæ aptior est ad loquendum, & ad interpretis vices pro marina bestia gerendas. Neque obstat bestiæ nomen; nam duo parua cornua, quæ illi in textu affinguntur, satis fundamenti præbent, vt bestiæ nomen illi deferatur. Etenim Satyrus ille, siue Faunus, quem Hieronymus in vita Pauli Eremicolæ magno Antonio obuiam occurrisse describit, humanâ quidem constabat figurâ, sed fronte cornutâ & caprinis pedibus. Narrat autem Hieronymus, portentosum hoc animal de Christo Domino verba fecisse; & Antonium mox exclamasse, & grates Deo egisse, quòd vel ipsæ bestiæ Christum prædicarent. Addit etiam huiusmodi bestiam viuam perductam fuisse Alexandriam; hinc ipsius cadauer posteà Antiochiam allatum.

Vtrùm terrestris bestia sit humanâ specie concipienda?

Pars negatiua statuitur.

Verùm probabile nihilominus non apparet, terrestrem hanc belluam, de qua Apocalypsis, humanâ specie esse figurandam. Nam Pseudoprophetæ nomen id vnum denotat, ipsius prophetias esse commentitias; in quo alluditur (vt infrà perspicuum fiet) ad dæmonis prophetias, quæ Genes. 3. 4. referuntur. *Ne quaquam moriemini. Aperientur oculi vestri. Eritis sicut dij.* Itaque eodem sensu Bestia terræ vocatur Pseudopropheta, quo dæmonem ratione illorum verborum vocare ita possemus. Constat autem dæmonem non humanâ specie Euæ apparuisse, sed in serpentis figura. Quamobrem nec ex nomine Pseudoprophetæ, neque ex iis, quæ textus terrestrem Bestiam fuisse locutam recenset, colligi potest eam Ioanni humanâ figurâ fuisse visam. Præsertim cùm liqueat, marinam Bestiam (cuius species adeo ab humanâ erat diuersa) loqui etiam magna & blasphemias. Vbi manifestè apparet, Apocalypsin verba humana in præsenti dare iis bestiis, quibus humanæ figuræ nihil erat, sicut etiam suprà humanam locutionem tribuit aquilæ.

Num bestia terræ prater ea, quæ textus exprimit, fuerit in ceteris marinæ bestiæ persimilis?

Alius fortasse opinabitur, hanc terræ Bestiam, exceptâ capitum & cornuum multitudine, cetera concipiendam esse marinæ Bestiæ similem, nimirum vrsinis pedibus, pardino corpore & binis corniculis Agni similibus. Nam Ioannes marinam Bestiam cumulatè describit, dicens, *Similis erat pardo, & pedes eius sicut pedes vrsi*; deinde addit, *Et vidi aliam Bestiam ascendentem de terra.* Quòd si dissimilis esset formæ, necessario videbatur exprimenda, sicut marinæ Bestiæ forma expressa fuit. Cùm igitur ibi Ioannes subticeat, & tantùm explicet, contemplatum se fuisse aliam Bestiam è terra surgentem, videtur quidem vox *aliam*, idem hîc esse, quod alia numero distincta, sed eiusdem figuræ. Nam & exceptio, (vt aiunt) firmat regulam, & textus ipse manifestum assignat discrimen, dum ait, primæ Bestiæ cornua decem, secundæ duo tantùm inesse: item, primam in modum leonis: secundam in serpentis modum loqui. In reliquis igitur considerari debent, vt inter se similes. Adhæc, quod magis videbatur mirum & insolitum, maris scilicet Bestiam pardo & vrso esse similem, id textus ipse exprimit, atque ideo in terrestri Bellua dixisse fuit satis, *Et vidi aliam Bestiam ascendentem de terra*, id est, aliam etiam pardo atque vrso similem.

Respondetur negatiuè.

E contrario tamen est: quia si terrestris Bestia sit marinæ Bestiæ assimilis considerandа in eo, vbi textus discrimen non explicat, inde pariter sequeretur terrenæ Bestiæ septem item capita forte attribuenda,

Digitized by Google

A tribuenda, quod improbabile est. Respondebis, capita & decem cornua Bestiæ marinæ à textu exprimi, priusquam dicatur similis esse pardo & vrso: quare in pardi & vrsi similitudine vtraque Bestia se mutuò referat, necesse est. Nam septem capita & cornua decem non respiciunt similitudinẽ, siue imitationem belluarum notarum, sed singularis alterius portentosæ, ideoque non opus est in hoc terrenam Bestiam marinæ assimilari. Consultò enim priùs dictum fuit, quod ad capita & cornua spectabat; mox additum est, *Similis erat pardo, & pedes eius sicut pedes vrsi.* vt Bestiæ ambæ in hoc esse similes, in reliquis dissimiles crederentur. His addent, vbi discrimen inter marinę Bestiæ & terrestris cornua assignetur; hinc elici, septem marinæ Bestiæ capita non esse ad terrenam Bestiam extendenda; cùm cornua sint quid capitibus ipsis annexum, & in cornibus mirum non sit differentiam inter marem, ac fœminam in maris & terræ Bestiis reperiri. Nam in ipsis etiam animalibus naturali ordine propagatis eiusmodi diuersitatẽ interdum reperimus; vt maribus cornua sint, fœminis aut nulla, aut diuersa.

Fit satis argumentis, quibus vtrãque bestiam esse omnino similem probabatur.

Hæc habui, quæ pro similitudine harum Bestiarum afferrem. Mihi tamen magis placet, nequid de ipsa visionis specie affirmetur, quod ex ipso textu non manifeste colligatur. Quæ autem ad Bestiæ vtriusque similitudinem astruendam adduximus argumenta, lubricæ potiùs coniecturæ sunt. Quapropter ad primum respondeo; Ioannem non ideo terrenæ Bestiæ figuram suppressisse, quia alteri similis erat; sed quia ad mysterij significationem parui intererat. Quod autem exceptio firmet regu-
B lam, nihil probat; nec enim vlla est regula, quæ illas esse similes affirmet. Etenim quanuis per maris Bestiam, mundus; caro, per Bestiam terræ figurentur; hoc tamen non cogit, vt hæ bestiæ licèt inter se coniuratæ, eiusdem esse figuræ considerentur. Et quidem si ad harum Bestiarum mysterium respiciamus; caro non mundanum amat obiectum, vt ipsa in se habeat, quod diligit in mundo; sed potiùs frui mundo concupiscit, vt famem expleat earum rerum, quæ affluunt in mundo. Et ipsummet officium, quod textus terræ Bestiæ attribuit, videlicet vt Bestiæ marinæ cultum & adorationem magnopere promoueat; hoc ipsum indicat Bestiam terrenam marinæ prorsus concedere. Ex quo videtur nihil opus esse, vt hæ duæ Bestiæ sint inter se omnino similes. Præterquam quòd, si figurâ simili pingerentur, huius similitudinis significatio in eo consisteret, vt quod in marina Bestia quasi in obiecto est, id ipsum in Bestia terræ esse, tanquam in effectu. Ad hanc verò significationem non admodum congruens est vtriusque Bestiæ similis omnino pictura: licet aliquam iis fore similitudinem, si minùs in multiplici colorum varietate, at in corporis figura, (meo iudicio) negari non debeat, quippe maxima familiaritas, quam inter vtramque Bestiam intercedere textus innuit, videtur exigere, vt aliquam inter se habeant similitudinem. Quamobrem vtramque considero quadrupedem, vtramque eiusdem ferè magnitudinis, nec dissimilis valde figuræ. Et hactenus de terrestris Bestiæ figura, quam Ioannes vidit. Nunc ad ea, quæ textus exprimit, progrediamur.

Quid per terra Bestiam figuretur.

Principio quidem Ioannes huic monstro nomen terrestris Bestiæ attribuit; in disputatione au-
C tem huic capiti præfixâ explicauimus, hanc terræ Bestiam esse hominum procliuitatem ad ea velis remisque sectanda, quæ mundus amat, & maximi ducit; atque adeò hunc esse animæ aduersarium, qui vulgò appellatur caro. Posteà item explicuimus, cur ex duabus hisce Bestiis altera visa sit de mari, altera de terra ascendere.

Quid significent duo Bestiæ cornua Agni similia.

Subdit deinde Ioannes; ET HABEBAT CORNVA DVO SIMILIA AGNI] Vox *Agni*, nullum hîc articulum habet præpositum. Nam quanuis in ipso mysterio contineatur alluſio ad Agni cornua, de quibus suprà cap. 5. (vt mox constabit:) verùm qui visionem narrat, visa tantùm refert: vidit autem hanc terræ bestiam constare duplici cornu cornibus Agni non absimili. Qua in re (vt opinor) voluit diuinus Spiritus figurare, ex septem Agni cornibus capitis 5. duo duntaxat aliquo modo ad terræ bestiam per speciem, siue similitudinem quandam spectare. Dicam clariùs. Per septem mystici Agni cornua denotantur septem Dei Spiritus, id est, Virtus, Beneficentia, Æquitas, Sapientia, Patientia, Comminatio, & Seueritas, de quibus latè egimus c. 1. & cap. 5. Sapientia ergo carnis in ea persecutione non magnam admodùm virtutem ostentabat (quæ enim virtus aut fortitudo est, inferre bellum iis, qui sponte gladio iugulum supponebant?) nec Beneficentiam; cùm crudelitatem potius exhiberet; nec Æquitatem, quia iniquitas maxima in innocentium internecione emicabat; nec Sapientiam, cùm ipsimet tyranni nescirent omnino quid agerent, quò se verterent, vt Christianum nomen penitus extinguerent: nec Patientiam, quia impatienter nimis se gerebant, quòd auderet quispiam
D Christianam Religionem profiteri. Itaque ex septem spiritibus, in quibus gubernationis perfectio sita est; quinque illi primi manifestè carnis sapientiæ deficiebant: duo tamen reliqui erant, nempe comminatio & seueritas. Nam minæ Christianis intentæ valdè erant horribiles, & seueritas in tormentorum executione immanitatem quàm maximam præferebat. Et quidem tam in comminationibus, quàm in tormentorum seueritate affectabat carnis sapientia prætextum innocentiæ & sanctitatis, atque adeò duplex cornu veluti mitis Agni iactabat, quibus tamen Christi Euangelium affligere, deturbare, atque prosternere vehementer optabat Dum igitur conatur suis minis atque tormentis æquitatis ac sanctimoniæ velum obducere, in eo non obscurè innuitur imitatio quædam (falsa tamen) duorum ex septem cornibus, quibus verus Agnus Christus Iesus insignitur.

Quid innuatur, dum duæ Bestiæ cornua dicuntur esse Agni similia.

Quòd autem terrenæ Bestiæ duo Agni cornua affingantur, fortè in hoc tacita subest irrisio comminationis ac seueritatis, quibus sapientia carnis Euangelium exterminare tentabat. Etenim dum duo solùm cornua extabant, (hoc est, absque commercio & societate aliorum quinque, nempe virtutis, sapientiæ, & ceterorum) nihil erat cur fideles terrenam Bestiam perhorrescerent, sed potiùs eam despicerent, quasi ipsius cornua imbellis agnelli essent.

Hæc expositio de duobus Agni cornibus supponit id, quod diximus in superioribus agentes de septem spiritibus, & de septem cornibus Agni. Spero autem, si lector tractationis illius memoriam refri-

Digitized by Google

refricare volet, hanc de duobus Bestiæ cornibus explicationem illi aptam, & cum Apocalypseos serie, & cum septem cornuum Agni significatione congruentem visum iri. A

Cur duo illi hæc cornua terrestri potiùs bestiæ, quàm marinæ apponantur.

Rogabit tamen quispiam, cur duo isthæc cornua (id est comminatio, & seueritas) terrenæ Bestiæ potiùs, quàm marinæ adscribantur? Nam si per maris Bestiam Romanum indicatur Imperium idolorum superstitione irretitum; hoc ipsum Imperium erat, quod Christianam Ecclesiam minis atque cruciatibus vexabat. Respondeo tamen, non duo esse bella, sed vnicum, quod à mundo & carne contra Ecclesiam fiebat. Nec enim hîc directè sermo est de pugna, aut certamine singulari, quo fidelium singulos propria ipsorum caro lacessit; sed de bello ab infidelibus gesto, quos mundi auctoritas & carnis sapientia ad malum procliuis incitabant. Quòd verò minis atque tormentis sanctitatis & innocentiæ species prætendatur; id quidem non tam ex mundi superbia, quàm ex carnis sapientia, eiusque præstigiis proueniebat. Denique obseruandum est, cornua Agni capitis 5. esse symbola rerum Romanæ Ecclesiæ gratissimarum; quia Agnus est summum ipsius Ecclesiæ bonum: at in hac Bestia Ecclesiæ contrariâ symbola esse debent rerum eidem Ecclesiæ infestarum, quantumuis publicæ vtilitatis prætextu obtegerentur.

NOTATIO I.

In qua nonnullæ aliæ explicationes duorum cornuum expenduntur.

Alia de duobus cornibus expositiones obiter referuntur, ac refelluntur.

1. Expositio de simulata mansuetudine & innocentia, quæ in signo aliquo Antichristi ministro fingi futura.

QVI opinantur in hac terræ Bestia insignem aliquem Antichristi ministrum adumbrari (vt Ribera, & Viegas putant) duo cornua Agni similia interpretantur de mansuetudine & innocentia, quas hic Antichristi Propheta simulabit. Ceterum exploratum iam suprà est, per hanc Bestiam nullo modo Antichristi ministrum posse figurari. Huc addo, quòd licèt innocentia & mansuetudo repræsentetur in Agno, non tamen in Agni cornibus, sed in tota corporis figura. Quapropter aptius est, per duo illa cornua denotari duos gubernationis spiritus, in quibus sanctitas & innocentia simulantur, ideoque in duobus Agni cornibus signari per allusionem ad septem veri Agni cornua.

2. Expositio de duplici animæ facultate, irascibili & concupiscibili.

Dicet alius; si hæc Bestia carnem animi hostem significat, duo ipsius cornua aptè possunt denotare duplicem eiusdem carnis facultatem, irascibilem & concupiscibilem; quas duas veluti partes deprauatæ propensionis vis complectitur. Licèt enim externa ipsius species comitatem & facilitatem prætendat; sunt tamen cornua, quæ vim afferre conantur. Verum hoc concionatorium potius est, quam germana expositio; & in hac interpretatione omittitur allusio illa ad duo ex septem cornibus Agni in qua plurimum lepôris & concinnitatis situm est.

3. Expositio de præcipuis ducibus, quorum ope sapientia carnis vtatur.

Alij magis forsitan arridebit, quemadmodũ per draconis & marinæ Bestiæ cornua figurantur Principes & potestates; non aliter denotari in terræ Bestiæ cornibus præcipuos duces & antesignanos; quorum ope & adminiculo sapientia carnis sese Christianæ Ecclesiæ in suis primordiis opposuit; contendens vehemẽter idololatriam promouere per veræ sapientiæ speciem. Hi sunt enim ipsius cornua, hoc est eminentiores sapientiæ carnis ministri, & eius virtutem siue robur præferentes. Ex historijs autem Ecclesiasticis apparet, qui veris dæmonis præstigijs, & falsâ magnæ sapientiæ simulatione plurimum negotij Apostolis facessiuerunt; eos fuisse duos insignes magos ceteris omnibus nobiliores, Simonem Magum, & Apollonium Tyanæum. Hi enim duo Apostolis per falsa miracula & inanem diuinæ sapientiæ ostentationẽ pertinacissimè repugnarũt. De Simone Mago nemo est, qui nesciat; nec minùs fuit acre Apollonij bellum in Ecclesiam, præsertim Ephesi. Ephesios namque magiæ fuisse addictissimos testatur Hieronymus; & hoc pacto incredibilem apud illius vrbis accolas existimationem aucupatus est Apollonius, qui Ephesi permansit vsque ad Domitiani interitum. Consulatur Baronius tomo 1. pag. 423. & 682. Huc spectat, in Prouerbium abijsse iam Ephesias literas, quo denotantur filicis grana, id est, insignia veneficia. Et Baronius pag. 497. obseruat, ideo Paulum tandiu apud Ephesios fuisse commoratum. Et pagin. 510. tradit, sanctum Paulum & Apollonium pariter Ephesi extitisse, & dæmonem artibus Apollonij fuisse conatum Christianæ fidei aduersari; sicut olim Iannes & Mambre Mosi restiterunt; & vt Magi Ægyptiaci Mosis sapientiæ ac virtuti se opposuerunt. Cum enim eadem ferè, quæ à Deo per Paulum signa fierent, ab Apollonio viderentur factitari; veritas in magnum discrimen reuocabatur; ita vt Christianæ fidei hostes qualemcumque aucupantes occasionẽ, eiusdem esse generis, quæ à Paulo, & quæ ab Apollonio agerentur, stultè iactarent; & plus fortasse tribuerent Apollonio sua gloriosiùs ostentanti, quàm Paulo modestissimè se gerenti. Quamobrem Apollonio statuas Ephesij erexere, & obtulere sacrificia. atque ita oportuit Ioannem magnâ virtute in Apollonium obniti: vt olim Petrus aduersus Simonem Magum depugnauit. Item pag. 747. affirmat Baronius ipse, Ioannem propterea rediisse Ephesum; & in omnium conspectu mortuum ad vitam reuocasse. Sileo multa alia, quæ hanc ad rem ex Eusebio & Baronio adduci possent. B

Simon Magus & Apollonius Tyanæus præcipui Euangelij hostes.

Applicatur 1. cornuum duorum expositio ad Simonem Magum & Apollonium.

His præmissis dici posset, ideo bina huius Bestiæ cornua fingi cornibus Agni similia; vt denotetur exigua illius vis & parua existimatio, quæ Apostoli sapientiam & miracula Simonis Magi atque Apollonij excipiebant. Vera enim miracula & diuinitus patrata cum falsis & commentitijs conferri non erubescunt; & facile Apostolis fuit euidenter ostendere, Simonis & Apollonij miraculorum falsitatem, meraſque præstigias. Id quod ita præstiterunt Apostoli, cum per suorum miraculorum veritatem, tum per suæ doctrinę virtutem. *Et multi ex eis, qui fuerat curiosa sectati,* (Act. 19. 19. vbi sermo est de Epheso) *contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus: & computatis pretiis illorum inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium.* Pulchrum sanè extitit, nec minùs vitu dignum, Apollonij discipulos à Paulo conuictos, tot librorum congeriem tanto pretio æstimatam flammis dedidisse; & maior adhuc & præstabilior efficientia fuit consecuta ex Ioannis apud Ephesum miraculis & prædicatione. C

Predicta expositio, vt secundaria, probabiliter admittitur.

Hanc de Simone Mago & Tyanæo Apollonio expositionem, si quis vt secundariam volet admittere, non admodum recusabo, qui verò primariam affirmet; næ ille plus æquo veneficis & præstigiatoribus detulerit. Præsertim cum terrestris hæc Bellua, vt suprà vidimus, non ad persecutionis ministros coarctetur; sed potius ad Romanos Impp. & ad idololatras omnes dilatetur. Non autẽ hic directè agitur de oppugnatione quæ per falsa miracula; sed quæ per furorem persecutionis, Ecclesiæ facta fuit: vt series atque contextus attentè consideranti facilè ostendent. Quare quæ videntur miracula, (cuiusmodi est ignem è cælo deducere) ea alterius rationis sunt, non ex veneficorum præstigijs petita. D

Iam, quod initio huius expositionis perstrictum fuit de Bestiæ terrenæ cornibus, quę personas aliquas humanâ sapientiâ maximè insignes repræsentent; ad hoc inquam Respondetur, allusionem ad Agni cornua capitis 5. postulare, vt horum cornuum duorum declaratio ad septem illorum cornuum interpretationem conformetur. Vidimus autem in eo cap. 5. licèt aliqui septem illa cornua de septem præcipuis Angelis intellexerint; certum tamen esse, septem optimæ gubernationis spiritus in ijs denotari. Quòd si contendat aliquis nomen cornu in vna eademque significatione semper accipi debere, hic profectò ad eam se regulam constringit, quæ non semper obseruatur; vt in nomine

terræ

Digitized by Google

A terræ apud Apocalypsin aduertimus; quæ priùs pro synagogâ fuit vsurpata, deinde ad Gentes terrenorum affectuum sectatrices sese extendit. Præterquàm quòd in ipsa visionis specie, siue figurâ valde sunt diuersa marinæ Bestiæ cornua (quæ ingentia sunt) à cornibus terrenæ Bestiæ, quæ sunt instar cornuum Agni. Sed ad ipsum iam commentarium redeamus.

TEXTVS.

Et loquebatur sicut draco.

COMMENTARIVS.

MARINÆ Bestiæ vox leonis rugitui comparatur: vox autem terrenæ Bestiæ sibilo serpentis. Quo denotantur carnis fraudes atque præstigiæ. Est enim serpens callidior cunctis animantibus, vt habetur Gen. 3. & placidi sibili species cum serpentinâ calliditate copulatur. Quare *loquebatur sicut draco*, idem est ac dicere, eius loquelam esse dulcem, & sese facile insinuantem; ita vt illam auribus excipere perinde sit, quasi colubri sibilos exaudiri. Porrò verbis illis denotatur pariter, sapientiæ carnis sermonem à dæmone inspirari, & illi esse persimilem. Quamobrem spiritales viri sæpè ac verè iactare solent, carnis loquelam esse quidem loquelam ipsius dæmonis. Quibus autem rationibus sapientia carnis idolorum propugnabat cultum, & veram Religionem oppugnabat; eædem quidem à dæmone erant immissæ atque haustæ. *Quid sit, terræ Bestiam loqui, vt draconem.*

B Prætereà in hac ipsa comparatione alluditur ad astutiam serpentis, quæ Euam in paradiso decepit Genes. 3. Quo loco videre est, serpentis verba eò spectare, vt Euæ detrahat timorem veræ comminationis, & prosperitatis falsæ spem ingerat. Priùs enim dixerat serpens, *Nequaquam moriemini.* quò metum auferret. Mox subijcit, *Aperientur oculi vestri; & eritis sicut dij, scientes bonum & malum*, quò inanem figtarum promissionum expectationem illi iniecit. Similiter ergo sapientia carnis Euangelio Christi infesta vi deprauatæ propensionis hominibus suadebat, minas eas, quas Euangelij concionatores iactabant aduersus Religionis Christianæ contemptores, esse prorsus nugatorias; ac proinde, si Euangelicæ fidei obsisterent, eiusque prædicatores infra mortuos amandarent, eos magnâ pace & tranquilitate fruituros. Vide suprà cap. 11. 10. vbi de cruciatibus ac tormentis, quibus prædicatores Euangelij incolas terræ torquebant; quæ vt à se depellerent homines ipsi terreni illis bellum inferebant. Constat ergo sapientiæ carnis sermonem rectè & eleganter dici similem sermoni draconis. Quapropter vt dæmon falsum egit vatem in iis, quæ Euæ primæ parenti præsagiuit; ita sapientia carnis vestigia dæmonis insistens, falsas prophetias profert: atque ideo in Apocalypsi terrenæ Bestiæ tribuitur nomen Pseudoprophetæ; idque bis & ter repetitur, vt res, cuius cognitio magni momenti sit. *In hoc terræ Bestiæ sermone alludi ad astutiam serpentis Euam decipientis.*

Præter hæc, cùm dicitur, *Loquebatur sicut draco*: vox *draco* non habet articulum in Græco; nec tamen dubitare quisquam potest, quin Bestiæ sermo comparetur cum sermone draconis c. 12. de quo etiam C paulò antè facta fuerat mentio, nempe n. 4. Quamobrem non quotiescumque deest in Græco articulus, deest propterea certa aliqua ac præfinita allusio. Quod etiam obseruare licet, cum dicitur; *Habebat duo cornua similia Agni*; vbi articulus similiter desideratur in nomine *Agni*. Et tamen ad Agnum c. 5. alluditur, vt suprà adnotauimus. Et qua ratione deest articulus Agno; eâdem deest etiam draconi, Videlicet, quia illud tantùm refert Ioannes, quod vidit: atque ideo tantummodò asserit, terrenæ Bestiæ sermonem referre sibilum colubri, siue serpentis. Qua in re illud (vt supra diximus) continetur mysterium, nimirum allusio ad draconem, siue serpentem Geneseos, & ad caput 12. Apocalypseos. Ex quo facilè colligitur, draconem & duas Bestias pariter coniurare; siquidem draco suam potestatem marinæ Bestiæ, & terrenæ suum sermonem communicat. *Articulum Græco nomini præpositum non semper peculiare habere mysterium: nec è contrario semper abesse mysterium, cum ille abest.*

NOTATIO II.

De quibusdam locis, in quibus Apostoli loquuntur de sapientia carnis.

AD pleniorem explicationem eorum quæ Apocalypsis de Bestia terræ asseuerat, operæ pretium erit obseruare ea, quæ Apostoli docent de sapientia carnis. Etenim, si per terrestrem Bestiam carnis sapientia figuratur; quod Apostoli de hac sapientia affirment, deseruiet maximè ad interpretationem eorum, quæ Apocalypsis de Bestia terræ testatur.

De terrena & carnali sapientia, deque cœlesti & spiritali locus ex B. Iacobi canonica.

Sanctus igitur Iacobus in sua Canonica cap. 3. 15. ait. *Non est ipsa sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Quæ autem desursum est sapientia, primùm quidem pudica est; deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens; plena misericordia, & fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione.* Hæc Iacobus In quibus vox *Terrena* denotat illam in terrenis affectibus fundari, vt sæpè explicuimus. Deinde *Animalis* dicitur ab anima animali, id est à parte animalis hominis, quæ nititur in spiritalibus portionis superioris rationibus, sed inferioribus ac politicis. *Diabolica* verò dicitur, quia ex ipso diabolo perdiscitur, vt ab huius detestabilis doctrinæ magistro; atque id denotatur verD bis illis, *Loquebatur sicut draco*. Itaque ad id, quod textus ait, *Ascendebat de terra*. Respondet vox *Terrena*. & nomini Bestiæ respondet *Animalis*: ac denique verbis illis, *Loquebatur sicut draco*, respondet *Diabolica*. Deinde ex epithetis, quæ Iacobus veræ sapientiæ adiungit, per contrarium sensum eliciemus (siquidem illam Iacobus sapientiæ terrenæ opponit) terrenam quidem esse impudicam, litigiosam, immodestam; siue superbam, impersuasibilem, seu bonis non consentientem, vacuam misericordiâ & fructibus bonis, iudicantem, & simulantem.

Secundò notanda sunt Pauli verba ad Romanos 8. 5 *Qui secundùm carnem sunt*, (vel ambulant,) *quæ carnis sunt sapiunt: & sapientia carnis mors est, & inimica est Deo; legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt* Et 1. Corinth. 3. 19. *Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum*. Et 2. Corinth. 1. 12. *Non in Sapientia carnali conuersati sumus, sed in gratia Dei, in simplicitate & sinceritate.* *Carnalis sapientia descriptio, ex Paulo.*

TEXTVS

Digitized by Google

A

TEXTVS.

Vers. 12. Et potestatem prioris Bestiæ omnem faciebat in conspectu eius; & fecit terram & habitantes in ea adorare Bestiam primam, cuius curata est plaga mortis.

COMMENTARIVS.

LEGENDA sunt suprà dicta, n. 2. vbi draco dicitur dedisse Bestiæ maris (quæ hic dicitur prior Bestia) virtutem suam & potestatem magnam, & potestati quidem respondet ibi in Græco, ἐξουσία, id est, licentia; illam autem licentiam siue facultatem exhibendi immanitatem suam aduersus Dei familiares (de quo in libro Iobi) dæmon plurimi faciebat. Quòd verò potestati adiungatur Virtus, phrasis est Græca; vt constat ex Plutarcho & Herodiano, qui similiter copularunt δύναμιν, & ἐξουσίαν. Illam ergo facultatem magnam sibi tributam decreuit dæmon per maris Bestiam, id est per Romanum Imperium exercere. Nam in ea facultate dæmoni permissâ includebatur potestas delegandi. Quare ipse sibi marinam delegauit Bestiam. Atque id est, quod dicitur versu 2. Nunc verò additur, quòd maris Bestia videatur eandem facultatem terrestri Bestiæ, tanquam suo ministro, subdelegasse. Quam enim facultatem dæmon marinæ Bestiæ communicarat, Bestia terrena exercebat, & quidem ita reapse accidebat. Nam Romanum Imperium per carnis sapientiam, & per terrenas singulorum Ethnicorum affectiones persecutionem contra Ecclesiam opere præstabat. Addit porrò textus, facultatem hanc à terrena Bellua in marinæ Bestiæ conspectu exerceri. Nam singulares homines, vt Mundo, (hoc est Romano Imperio idololatræ) pergratum facerent, aduersarios se & inimicos Christiani profitebantur nominis; ipsosque Christianos in Romani Imperij oculis distorquebant, cædebant, contrucidabant.

B

Qua ratione Bestia terra effecerit, vt terra primam bestiam adorauerit.

ET FECIT TERRAM, ET HABITANTES IN EA ADORARE BESTIAM PRIMAM, CVIVS CVRATA EST PLAGA MORTIS] Vidimus iam superiùs, in resurrectione primi capitis Bestiæ, (cuius plaga mortis curata esse dicitur,) significari Neronis persecutionem à Domitiano rursus excitatam. Huius igitur loci contextus est huiusmodi, sapientia carnis, vt primùm per Domitiani edicta recruduit persecutio, effecit, vt terreni homines marinam Bestiam cultu ac veneratione prosequerentur, id est vt eius complecterentur leges, vt tempori morem gererent, ac se Christianæ fidei hostes exhiberent. Dictum iam aliàs est in hoc eodem capite de adorandi verbo, & qua ratione accipiatur terræ nomen. Quod subditur, *terram & habitantes in ea*, alterum est alterius explicatio, vt suprà cap. 12. 12. vbi dicitur: *Cæli, & qui habitatis in eis.*

TEXTVS.

C

Vers. 13. Et fecit signa magna, vt etiam ignem faceret de cælo descendere in terram in conspectu hominum.

COMMENTARIVS.

Vtrùm in commentitiis hisce signis sermo sit de Antichristi ministris? Statuitur de Antichristo aut eius ministris directè non hic esse sermonem, ad illos tamen per allusionem respici.

EX his signis fucatis & commentitiis colligunt nonnulli sermonem hîc esse de ministro illo Antichristi, vel de ipsius concionatoribus. Certum namque est, Antichristum, ad homines in fraudem illiciendos, falsa miracula editurum: sic enim prædixit Dominus, vt habetur Matth. 24. 24. *Surgent enim Pseudochristi & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia: ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* Et Marci 13. 22. *Et dabunt signa & portenta ad seducendos (si potest fieri) etiam electos.* Accedit, quòd apertè loquitur Paulus 2. ad Thess. 2. 9. *de signis & prodigiis mendacibus* Antichristi. Ceterùm quia ex superiori disputatione constat, in præsenti de vltimi Antichristi temporibus sermonem non esse; sed de persecutione, quam Romanum Imperium in Christi Ecclesiam concitauit, ideo quòd de magnis terrenæ Bestiæ signis dicitur, non potest ad Antichristi vel ipsius ministrorum signa directè referri. Dixi directe, quia allusionem & comparationem ad Antichristi signa atque portenta non solùm non inficior, sed certissimam etiam esse in præsenti censeo. Cum hac ergo allusione affirmat hic Apocalypsis, in Romani Imperij persecutione, falsa quidem, sed ingentia miracula per carnis sapientiam patrari, aduersus vera miracula atque prodigia, quibus promulgata Christi fides à viris Apostolicis comprobatur. Et quanuis suspicetur fortasse aliquis, hoc esse referendum ad Simonis Magi & Apollonij miracula commentitia, verùm nec prodigia hæc, quæ referuntur in textu, (vt ignem de cælo descendere, & marinæ Bestiæ imaginem loqui) de Simone Mago aut de Apollonio leguntur, nec consentaneum est Apocalypsin ad Simonis & Apollonij præstigias sui stili seriem & grauitatem demittere.

D

Quænam sint hæc signa à Bestia terra patrata?

Porrò elegantissimum est, magnorum prodigiorum nomen attribui duabus rebus ita insignibus, quibus sapientia carnis in ijs persecutionibus Christianam conflictauit Ecclesiam. Altera ex his rebus fuit, Gentibus eum animum fuisse inductum, vt bella ac pestes, ceteraque Imperij calamitates diuinitus fuisse immissas putarent in supplicium earum iniuriarũ, quæ diis nouâ illâ Christianorum Religione fiebant. Hæc autem opinio Gentilium animos mirum in modum peruasit; quam suis scriptis conuellerunt Prudentius contra Symmachum, Ambrosius, Augustinus, Orosius, Theodoretus contra Græcorum affectiones, alijque permulti. Et nostrâ etiam tempestate hæc falsa existimatio non parum Catholicæ Religioni apud Iaponios obstitit; vt ex illorum regnorum historiis,

Digitized by Google

A storiis, & nostrorum hominum apud eos degentium literis videre est. Hæc itaque est vna ex præcipuis carnalis sapientiæ fraudibus. Altera, eisdem etiam ethnicis persuasum esse, ipsorum idololatriam rem esse planè cælestem atque diuinam; ac proinde Christianam Religionem illi oppositam ex toto orbe exterminari debere. Facilè autem apparet, quantopere hæ duæ deceptiones sint inter se connexæ & colligatæ; ad easque reduci, quidquid carnalis sapientia aduersus veritatem Euangelicam excogitare valebat. His ergo duobus mendaciis atque præstigiis tribuit Apocalypsis duorum ingentium portentorum figuram; quorum alterum sit, ignem è cælo demitti; alterum, imaginem marinæ Bestiæ loqui. Quamobrem inspiciamus oportet, quàm apte quælibet ex his figuris ad fraudem illam, quæ ei respondet, denotandam accommodetur.

VT ETIAM IGNEM FACERET DE CÆLO DESCENDERE IN TERRAM IN CONSPECTV HOMINVM] Quanuis interdum ignem descendere de cælo, sit gratiæ atque fauoris signum; vt 2. Paralip. 7. 1. *Cumq; compleßet Salomon fundens preces, ignis descendit de cælo, & deuorauit holocausta & victimas.* Et 2. Machab. 2. 10. *Descendit ignis de cælo, & consumpsit holocaustum.* Hic tamen congruentiùs videtur, vt respectus habeatur ad illud Eliæ miraculum 4. Reg. 1. 10. *Descendit itaque ignis de cælo, & deuorauit eum, & quinquaginta, qui erant cum eo.* Vbi ignis ille acerrimi vindicis egit vices. Per allusionem ergo ad hoc miraculum; (vt indicetur per carnalis sapientiæ præstigias fieri, quòd Deus mundum propter idololatriæ contemptionem punire videretur, quemadmodum Elias contra eorum cultores ignem ex æthere de-

B misit:) aptissimè textus inducit terrenam Bestiam efficientem, vt in hominum conspectu ignis è cælo in terram descenderet; ita vt propter carnis sapientiæ seductionem id verè fieri homines putarent. Si tamen aliquis in eam propendeat sententiam, vt hunc ignem de cælo dilapsum de Religionis igne interpretetur; illud saltem obseruare debet, hic nullum verbum de sacrificiis fieri. Quod si adhuc ignis hic è cælo descendens ad Religionis ignem applicaretur; sensus esse posset, sapientiam carnis Gentilibus persuadere zelum Imperij Romani in Christiana Religione vexanda esse planè diuinum, & veluti è cælo dilapsum; quòd eos ad persecutionem illam nihil aliud stimularet, quàm zelus honoris & cultus diis impendendi. Atque hæc de primo miraculo. Superest, vt de altero mox subsequenti agamus.

Allusio ad ignem ab Elia è cælo delatum.

Ignem à Bestia de cælo per speciem demissum posse etiam ad falso religionis cultus suo modo explicari.

TEXTVS.

Vers. 14. Et seduxit habitantes in terra propter signa, quæ data sunt illi facere in conspectu Bestiæ; dicens habitantibus in terra, vt faciant imaginem Bestiæ, quæ habet plagam gladij, & vixit.

15. Et datum est illi, vt daret spiritum imagini Bestiæ, & vt loquatur imago Bestiæ;

C & faciat, vt quicunque non adorauerint imaginem Bestiæ, occidantur.

COMMENTARIVS.

HI duo versus ad secundum miraculum pertinent; dicitur enim Bestia terræ seduxisse habitantes in terra, dicens eis, *vt faciant imaginem Bestiæ.* Id autem referri non potest ad præcedens miraculum, sed ad subsequens; cuius narratio inchoatur ab eo, quod ante miraculum præcessit, nempe terræ incolis persuadere, vt marinæ Bestiæ imaginem effingerent. Mox sequitur miraculum ipsum, quo imagini eidem fuit datus sermo. Deinde adiungitur eorum occisio, qui imaginis adorationem respuerunt. In tota hac narratione id vnum prodigiosum apparet, quòd scilicet marinæ Bestiæ imagini vitalis spiritus & sermo fuerit datus, in quo cùm vnum solùm videatur contineri miraculum, textus tamen de illo in plurali numero loquitur, ait enim, *Seduxit habitantes in terra propter signa.* Vnde infero, imaginem quam terrena Bestia fieri iussit, non vnam tantùm fuisse, sed plures, quippe vnusquisque suam peculiarem effingebat. Quare quot erant imagines, tot edebantur miracula, nam cuilibet imagini & spiritum & loquendi potestatem terrestris Bestia dabat. Aliquis forte assereret, de hoc miraculo in plurali numero esse sermonem, quòd diuersa sint, imagini vitam dare, & loquendi præterea facultatem. Mihi tamen magis placet pluribus simul imaginibus animam simul ac vitam

D à terrestri Bestia fuisse tributam, cùm mysterio ipsi mox subiiciendo id congruentius sit.

Ait igitur textus hoc miraculo per Bestiam terrestrem edito terræ incolas fuisse deceptos: additurque miraculum hoc in conspectu Bestiæ maris fieri. Præterea idem prodigium supponit, reuixisse iam Neronis persecutionem, ita enim terræ incolis præcipiebatur, vt effingerent *imaginem Bestiæ, quæ habet*, (id est habebat) *plagam gladij, & vixit.* Hoc autem est, primum caput antea mortuum surrexisse, vt dictum in superioribus est.

Secundum terrestrem Bestiæ signum sive miraculum.

In huius visionis figura significari diximus Gentiles carnali sapientia in eam opinionem adductos, vt quam profitebantur idolorum culturam, rem esse diuinam, & miraculis maximis à Deo comprobatam putarent. Vt autem ænigmatis huius elegantia perspiciatur, notandum priùs est, in eo, quòd Bestia terræ imagini marinæ Bestiæ vitam & sermonem suppeditauerit, fieri omnino allusionem ad falsum & adumbratum miraculorum ac responsorum fucum, quo idololatriam ipsam dæmon in Ethnicorum animis figurauerat, & expresserat. Persuadebant enim sibi Ethnici, per cæleste miraculum statuas ipsas rogatas sermonem accipere, & reddere; quantunuis oraculum ipsum non ab Apollinis statua, sed à fœmina Pythia furore correptâ ederetur.

Quid per visionis huius figuram significetur.

Ad huius igitur deceptionis & fraudis imitationem fingitur, postquàm Domitianus Neronianam persecutionem ab inferis excitauit, carnalis sapientia reperisse quasi præstigias quasdam &

Digitized by Google

De qua marinæ Bestiæ imagine hic sermo sit.

incantamenta, quibus Gentilibus fucum faceret; ac persuaderet, illius persecutionis edicta esse cælestia quædam oracula. Quanuis enim non permisit Deus, vt per statuas ipsas æreas, lapideas ac ligneas sermonem redderet dæmon in legum atque edictorum aduersus Christianos dimanantium comprobationem; quinimò diuino consilio & prouidentia fuerit factum, vt quo tempore Euangelium promulgari cœptum est, Apollinei oraculi ludibria euanescerent, & statuæ quondam eloqui solitæ deinceps obmutescerent: ceterùm carnalis sapientia modum ac rationem excogitauit, qua oraculorum defectum suppleret; atque adeò singulis incolarum orbis intra suas mentes idolum fabricari iubebat, quod maiestatem Romani Imperij Christianam Religionem damnantis ad viuum exprimeret. Huic autem simulacro, quod quisque in sua cogitatione fingebat, carnalis sapientia spiritum, vitam, animumque dabat. Perficiebat enim vt Ethnici & sibi persuaderent, & propalam enunciarent, edicta illa in idololatriæ venerationem promulgata sanctissima esse, & maximè diuinis legibus consentanea, ac proinde nihilo secius inanem deorum superstitionem fore, vt veram ac germanam amplectendam, quàm si eo ipso quòd à Romano exciperetur Imperio, diuinitus confirmata videretur. Vt ergo hęc magna deceptio significaretur, (qua sibi persuadebant Ethnici cęleste responsum esse id, quod vnicuique peruersitas affectionis deprauatæ dictabat) quid potuit significantius per irrisionem effingi, quàm idolis per Ethnicos in cuiusque animo fabricatis à sapientia carnis vitam & spiritum dari, vt & idololatriam confirmaret, & vanæ eorum opiniones pro cælestibus oraculis haberentur? & statim ageretur de eis interficiendis, qui marinæ Bestiæ imagini cultum non deferrent, fasceſque submitterent: hoc est, falsam Romani Imperij de idolorum cultu existimationem non tanquam veram amplecterentur?

Imagini Bestiæ marinæ quo sensu anima indita esse dicatur.

Quid sit, signa fieri à terrena bestia in marina bestiæ conspectu.

Additur in ipso textu, hoc miraculum prædictas statuas animandi patrari à terrena Bestia in Bestiæ marinæ conspectu: quod concinnam in se continet elegantiam. Hæc enim omnis seductio in Romani Imperij ethnici obsequium & submissionē cedebat. Constat autem quod hominibus placendi causâ fit, hoc aptissimè dici in hominum fieri conspectu: præsertim cùm in huius prodigi figurâ non solùm significata fuerit interior hominum persuasio, sed multò magis externa idololatriæ professio: in qua Gentiles, vt Romano obsequerentur Imperio, ita se gerebant secundùm externam speciem, ac si re verâ diuino oraculo instruerentur, veram esse omnino & inconcussam veritatem, quam sibi ipsi practicè persuadere volebant, vt Romano Imperio morem gererent.

Alia secundi huius signi explicationes referuntur, nec probantur.

Omitto alias interpretationes secundi huius miraculi terrenæ Bestiæ, quia cum ea argumenti serie, quam ipse persequor, minimè consonant. Huiusmodi est Augustini expositio libro 20. de ciuitate cap. 9. qui per imaginem Bestiæ intelligit simulationem in eis videlicet hominibus, qui fidem profiteri videntur, infideliter tamen viuunt. Nam ad eandem pertinent Bestiam non solùm aperti hostes nominis Christiani, sed etiam zizania. Sic Augustinus, sed non video, quomodo hæc explicatio cohærere possit cum textu.

Iam, qui marinam Bestiam pro Antichristo accipiunt, hæc miracula vsurpant, vt sonant, nullo interim alio mysterio conquisito. Quod tamen cum ænigmatis stilo minimè congruit. Qui autem terrenam Bestiam de Mahometo exponunt (vt Ioannes Annius, quem refert Hentenius) asserunt, tunc marinæ Bestiæ imagini dedisse spiritum, quando suam promulgauit legem. Quod quidem quàm rectè & apte asseueretur, aliorum iudicium esto.

TEXTVS.

Vers. 16. Et faciet omnes pusillos & magnos, & diuites & pauperes, & liberos & seruos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis.

17. Et nequis possit emere, aut vendere; nisi qui habet characterem, aut nomen Bestiæ, aut numerum nominis eius.

COMMENTARIVS.

Vtrùm character, nomen & numerus nominis bestiæ tria sint inter se distincta?

ANTEQVAM ad duplicis huius versiculi mysterium accedo, in sensu ipso grammatico occurrit difficultas priùs discutienda. Vtrùm scilicet character, nomen, & numerus nominis tria sint inter se distincta, an solùm duo? Hæc dubitatio, siue potiùs eius solutio) pendet ex ea, an character sit à numero, & nomine distinctus? Interpretes huius loci ferè statuunt, & quasi certum præmittunt, characterem esse quid à numero, & nomine diuersum, & à Bestia signari alios numero, alios nomine, alios charactere. Quapropter Ribera affirmat characterem haud dubiè esse à numero & nomine distinguendum, cùm textus illa distinguat dicens, *Characterem, aut nomen Bestiæ, aut numerum nominis eius.* Hac autem distinctione suppositâ, offert se illico difficilis nodus de huiusmodi charactere, quisnam ille sit? Alij enim autumant esse Antichristi effigiem: alij esse draconis insigne: alij esse notam, qua Christus inscribitur, quæ huiusmodi esse dicitur, ☧. & Ansbertus quidem asserere videtur, sibi à Deo fuisse reuelatum, de huiusmodi nota sermonem hîc esse.

Propositæ quæstionis enodatio.

Mihi videtur omnino certa sententia Hippolyti Martyris in oratione de consummatione sæculi: qui existimat de nullo alio charactere in præsenti agi, nisi de nomine, vel numero nominis Bestiæ. Ac primò, quod textus ait, Bestiam terræ facturam, *Nequis possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen Bestiæ, aut numerum nominis eius.* Hoc inquam non probat, characterem à reliquis duobus fore diuersum. Etenim rectè ita fieri potest constructio, vt emere, aut vendere nemo possit, cui impressa non sit Bestiæ nota, siue signum: idque siue nomen ipsum Bestiæ sit, siue nominis numerus, quod perinde est, quasi dicatur, ne emere aut vendere possit, nisi qui habeat characterem, hoc est aut nomen

Digitized by Google

A nomen Bestiæ, aut numerum nominis eius. Sicut 1. Cor. 14. 7. dicitur. *Quæ sine anima sunt vocem dantia, siue tibia, siue cithara.* vbi, *Sine anima vocem dantia*, non est diuersum quidpiam à tibia & cithara; sed communis quædam ratio tibiæ & citharæ. Ita similiter numerus & nomen impressa in ipsa carne conueniunt in eo, quòd sint character siue nota insusta. Lege etiam 1. Corinth. 14. 6. *Linguis loquens &c. aut in reuelatione, aut in Prophetia, aut in doctrina.* Ecce *loquens linguis*, est quid commune ad ea, quæ subiunguntur.

Probatur rationibus charactere non distingui hic à numero & nomine.

His præmissis; quæ me vrgent rationes, vt characterem in præsenti à numero, & nomine non discriminari existimem, eæ sunt. Prima, si character nomini ac numero communis est, nec alius præterea character reperitur; verè dicetur terrestris Bestia omnibus Bestiæ marinæ characterem inurere. Sin diuersus esset, non diceretur verè omnes charactere designare: sed alios quidem charactere, alios nomine, & alios numero. Vide ergo, quid asserat textus, *Et faciet omnes pusillos & magnos &c. habere characterem in dextra manu sua, aut in frontibus suis.* Si ergo characterem à numero, & nomine distinguit; numerus quidem & nomen prorsus superuacua sunt; quando omnes vno charactere notantur, nisi forte tria omnia signa omnibus pariter imprimerentur. Tunc autem quorsum diceretur sub distinctione, *Characterem, aut nomen Bestiæ, aut numerum nominis eius*?

Secunda. In cap. 20. n. 4. dicuntur omnes, *qui non acceperunt characterem Bestiæ in fronte, aut in manu*, regnare cum Christo; igitur non accepisse characterem, idem est, ac non accepisse nomen, nec numerum. Alioqui non regnarent cum Christo omnes, qui characterem non acceperunt.

B

Tertia. Nam alioqui sæpè foret diminuta locutionis forma, cùm agitur de illorum supplicio, qui characterem acceperunt; nec tamen agitur de ijs, qui accepere nomen, vel numerum, cùm de omnibus foret agendum. Vide infrà cap. 14. 9. *Et acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, & hic bibet de vino iræ Dei.* & cap. 14. n. 11. *Nec habent requiem, &c. & si quis acceperit characterem nominis eius.*

Quarta, χάραγμα, quæ Græca est vox, & hìc respondet nomini *character*, idem est, quod nota impressa; siue ergo imprimatur in cute nomen, siue numerus; vtrumque proprie est character. Quòd autem sit sermo de nomine, & de numero in cute impresso videbimus infrà, & Vegetij locus ad nomen adiumento erit.

Quinta. Si semel præstituamus, non de alio charactere hîc esse sermonem, nisi de nomine aut de numero; facilè hinc intelligitur, cur numerus appelletur numerus nominis, & cur character item vocetur character nominis cap. 14. 11. id est, nomen ipsum vel expressè inscriptum, vel ad numerum reuocatum, vt inferiùs dicemus. Ceteroquin difficile profectò est, quid sit character nominis à nomine ipso distinctus? Quod enim ait noster Ribera, esse notam aliquam ipsius nominis, qua nec literæ expressæ sint, nec numerus, sed mera nota; id sanè difficultati non facit satis; quippe nota illa, nomen etiam est. Ac demum in nostra sententia cessat omnino quæstio de peculiari modo ac ratione characteris, à nomine & numero distincti. In qua quæstione nihil solidum poterat adduci.

Quomodò faciat terra Bestia omnes habere characterem in fronte aut in manu.

C Cùm ergo dicitur: *Faciet omnes habere characterem in fronte, aut in manu*: sermo est de marinæ Bestiæ nomine, vel de nominis numero, vt statim explicabo. Fit autem allusio ad antiquæ militiæ morem, in qua qui nomen suum dabant, stigma Principis in manu accipiebant: de quo vide Vegetium libr. 1. cap. 8. & lib. 2. cap. 5. vbi ait, *Punctures in cute punctis scribuntur milites.* Quæ inscriptio fuisse videtur eiusmodi, quæ nomen siue ducis, siue Regis, sub quo militabant, contineret. Accipere autem characterem in fronte, vel in manu dextra videtur maioris æstimationis ergò fieri, siue maioris submissionis militis illius, qui eo signo notatur, & quasi seruum eo stigmate se profitetur. Porro de illo antiquæ militiæ vsu legatur Lipsius libr. 1. de militia dialogo 9. vbi multa adducit ex codice Iustiniani, ex Augustino, Chrysostomo, & Prudentio.

Antiqua consuetudo milites in cute scribendi punctura.

Si verò quæras, quonam instrumento character hic imprimeretur? ferrone an gladio? Respondeo, vtrumque fortassis in vsu fuisse. Nam punctura in cute (quod Vegetius ait) proculdubio fiebant acuminatâ cultelli cuspide, sicut & hodie Afræ, siue Maurorum fœminæ brachia huiusmodi stigmatibus solent depingere. Sed Machabæorum 3. (vt habetur in editione Sixti, fol. 1403. D.) Philopator iussit Iudæos designari per ignem insigni Liberi hederæ folio.

Quid sit numerus nominis.

Priùs autem quàm de ipso agamus mysterio, opus est locutionem illam, *numerum nominis*, explicare. Ad cuius explicationem præmittendum est, apud Græcos, (sicut etiam apud Hebræos) literarum characteres pro numerorum etiam notis vsurpari, ita vt quælibet litera suum habeat peculiarem

Numeri apud Græcos quibus designentur characteribus.

D numeri valorem. Nec enim numeri diuersas habent notas ab Alphabeti literis. Itaque, α valet vnum: β, valet duo γ, tria, & sic deinceps. Quapropter quoduis nomen potest post ad præfinitum aliquem numerum reduci, id est, ad eam summam, quæ ex nominis illius literis ad numerandi rationem reuocatis subducitur. Exempli gratia nomen Iesus continet 888. nomen verò Mariæ continet 152. vt ex hac summa videre est.

ι	10.	μ	40.
η	8.	α	1.
σ	200.	ρ	100.
ο	70.	ι	10.
υ	400.	α	1.
ς	200.		152.
	888.		

Ex quibus liquet, characterem in præsenti idem esse, quod nomen, vel numerum nominis: numerum verò esse idem, quod numerum nominis, atque adeò characterem siue sit nominis, siue numeri, rectè nominis characterem appellari. Præterea ex duobus signis, nempe nomine & numero, liquidò cernitur,

Digitized by Google

dò cernitur, signum expressum esse nomen, & occultum esse numerum: re tamen ipsâ vtrumque signum in idem recidere. A

Quid sit, prohiberi ab emptione & venditione quotquot Bestiæ charactere signati non sint.

In ipsa autem idea (antequàm ad mysterium deueniamus) cùm prohibetur ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui Bestiæ habeat characterem; idem est, ac reliquos omnes quasi ex signatorum commercio & communione seiungere, eisque aquâ & igni interdicere. Etenim intestinum odium & inimicitiæ, quæ in aliquem populum exercentur, indicari solent, quando populares illi à contubernio atque commercio penitùs arcentur; præcipuè quando huiusmodi detestatio & execratio ex eo prouenit, quòd gens illa siue populus ratione deprauatæ religionis pro abominabili reputatur; & quia timetur, ne eorum conuictu & contagione sani homines inficiantur. Non absimile est illud Ioannis cap. 4. 9. *non coutuntur Iudæi Samaritanis.* Denique cùm commercium interdicitur, hoc ipso indicatur, eorum hominum communionem & societatem esse Reipublicæ exitiabilem.

Quo sensu faciat Bestia terræ, vt omnes marinæ Bestiæ characterem habeant.

His ita præstitutis, ad ipsam mysterij explicationem progrediamur. Quod de Bestia terræ dicitur; *Faciet omnes pusillos & magnos, diuites & pauperes, liberos & seruos habere characterem*, denotat, sapientiam carnis, vt persecutionem in Christianos excitatam magis magisque accenderet, Ethnicis generatim præstigias agere, sub gloriæ & honoris specie; vt omnes futili inanis existimationis splendore perstricti coniurarent pariter, & contra Euangelij doctrinam exercitum conflarent: per speciem dedecoris & ignominiæ, quam in cultu & adoratione à Christianis crucifixo homini exhibitâ subesse putabant. Cùm autem persecutio isthæc sub militiæ figura describitur per allusionem ad pristinam militum consuetudinem stigmate ducis inustorum; idem est atque asserere, hanc persecutionem in Christianum nomen exortam esse generalis instar belli, cui Gentiles omnes nullo habito discrimine nomen dabant; vel ea opinione permoti, quòd suum honorem & existimationem tuerentur aduersus eos, qui prædicabant, idolorum cultores flagitiis atque sceleribus esse demersos, & inani superstitione obcæcatos. Dicuntur autem omnes liberi & serui, magni & pusilli accepisse characterem; ac si clariùs diceretur: in aliis bellis siue expeditionibus multi plures afferunt excusationis ansas, & moras nectunt, quominùs arma capiant, & ad bellum proficiscantur: in hoc tamen nullus est, qui expeditionem recuset, omnes communi consensione, tam pueri, quàm prouectà ætate viri in arma feruntur. B

Quæ sit ratio discriminis cur alij characterem in fronte, alij in manu accipiant?

Et omnes quidem marinæ Bestiæ charactere, siue nomine notantur, sed non omnes eodem modo, alij enim characterem in fronte, alij in manu dextra accipiunt: in aliis character expressum nomen, in aliis nominis numerum præfert. Explicandum igitur est imprimis, quid sit accipere characterem in fronte, quid in manu? Explicauit autem optime Augustinus l. 20. de ciuitate cap. 9. his verbis. *In fronte per professionem, in manu per operationem.* Similiter Prosper in dimidio temporis cap. 5. *Inscriptio in fronte* (ait) *est gloriatio in malis operibus, & inscriptio in manu, est imitatio.* Qui ergo publice se Christianorum persecutores profitebantur, atque iactabant, his character erat inustus in fronte, quippe de sua impietate propalam gloriabantur. In manu autem signantur ij, qui si minùs Christianorum persecutionem profitebantur, in suis tamen præcipuis operibus hanc veluti inscriptionem habebant præfixam, ita vt si eos, eorumque opera astentè inspiceres, facilè illius persecutionis ministros & belli illius milites recognosceres. C

Quodnam sit nomen Bestiæ vel expressum literis, vel numeris impressiũ.

Age verò, quod nomen existimauit in Gentilium frontibus fuisse, in aliis per literas proprias expressum, impressum in aliis per nominis numerum? Respondeo, hoc nomen fore eiusmodi, quod designet Romanum Imperium idolis deditum, & Christianæ Ecclesiæ persecutorem. Hoc enim significat Bestia maris. Et quanuis Romano Imperio ethnico Ecclesiam infestanti varia possent ac multiplicia nomina imponi: inter omnia tamen illud seligi debet, quod aptius sit ad denotandam persecutionem in Ecclesiam ab eo excitatam, & eiusdem persecutionis fundamentum. Ad harum rerum vtramque operæ pretium erat, eiusmodi nomen desumi, quod magna cum energia superbiam Romani Imperij signaret. Ad hoc imprimis obserue sub hoc superbiæ & superborum nomine in Prophetis institui sermonem de hostibus & aduersariis populi Dei ac veræ Religionis. Lege Isaiæ 13. 11. *Quiescere faciam superbiam infidelium.* Ezech. 7. 24. *Quiescere faciam superbiam potentium* Ezech. 32. 12. *Vastabunt superbiam Aegypti.* Zachariæ 9. 6. *Disperdam superbiam Philisthinorum.* Et cap. 10. 11. *Humiliabitur superbia Assur.* Et persecutores ipsi appellantur filij superbiæ Iob 41. 25. & 1. Machab. 2. 47. Iam, quod dicitur Ecclesiastici 10. numero decimo quinto, *Initium omnis peccati est superbia*, verum præcipuè tenet in Ecclesiæ persecutione. Quin & vox *initium*, desumi potest pro præcipuo fundamento, quo innititur: sicut & alibi. D

Superborum nomine sæpè in sacris hostes populi Dei ac veræ religionis designari.

Secundò obserue, Monarchiarum singulis attribui quandam veluti notam ac signum eius rei, quę in ea potissimùm eminebat, vt vidimus c. 9. notat. 3. atque ex ea distributione Romanos vel maximè attingit superbia, vt ibi confirmauimus auctoritate Augustini.

Tertiò obserue, si rite expendatur causa, vnde Romanum Imperium initium sibi belli desumpsit, non aliud fuisse, nisi superbiam inueniemus. Etenim persecutio illa directe opponebatur Christi præsertim in crucem suffixi humilitati ac submissioni, quæ Romanos imprimis offendebat, quasi res ipsorum iudicio valde ignominiosa. Deinde cùm Romani ita essent arrogantes ac superbi, cumque Euangelij doctrina eos vt omnino deceptos & sceleribus coopertos damnaret, necesse erat, qui in sua adhuc superbia & obstinatione persistebant, eos immani furore percitos rapi aduersus illos, à quibus ipsi vt vani atque decepti insimulabantur.

Partes, ex quibus marina Bestia compingitur ad superbiam omnes reuocari.

Quartò obserue, in ipsa marinæ Bestiæ figura extare imprimis, & eminere pardi similitudinem, os leonis, & capitum atque cornuum multiplicitatem, quæ omnia non obscure superbiam & arrogantiam prædicant. Pellis namque pardi macularum varietate ac notis adspersa manifestè indicat

mundanæ

Digitized by Google

A mundanæ gloriæ fastum ac pompam: cùm pardinæ pellis ocellatæ varietas & pulchritudo eandem habeat inter feras significationem, quam inter aues oculi in cauda pauonis depicti adumbrant. Atqui neminem latet, pauonem inter aues esse fastus ac superbiæ symbolum. In leonis autem ore (id est in rugitu) superbiam pariter figurari, clarius est, quàm vt in dubium vocetur. Iam verò in capitum multitudine, in blasphemiæ nominibus, & in cornuum multiplicitate, quis non videat perspicuam iactantiæ atque superbiæ ostensionem?

Quintò; cum tres aduersarij, qui ad bellum Euangelio inferendum conuenerunt, sint draco, & Bestia maris, & Bestia terræ; mirificè cohæret, vt draconi malitia dæmonis, marinæ Bestiæ superbia Imperij, & carnalis sapientia terrenæ Bestiæ attribuantur. Ex his ergo omnibus facilè intelligitur, nomen, quo Scriptura Romanum Imperium ethnicum appellare debebat, eiusmodi fore, vt maximoperè ipsius Imperij superbiam exprimeret, præsertim cùm sermo sit de nomine, quod Gentiles in ea persecutione frontibus siue dextris inustum gerebant, quodque significare debebat singularem notam aut signum; ex quo constaret, eos esse Romani Imperij ethnici milites in ea persecutione. Nullum autem aliud erat signum, nisi superbia.

Marina Bestia recti superbiam attribui.

Quæ cùm ita sint; mea sententia est, cùm in Apocalypsi agitur de marinæ Bestiæ nomine, diuinum spiritum significare voluisse nomen hoc, SVPERBIA VITÆ. Nam imprimis nullum aliud nomen poterit congruentius eligi, quod significanter indicaret, quidquid in Romano Imperio Christianæ Religioni potissimum se opponebat. Deinde, cùm Apocalypseos scriptor sit Ioannes, qui in prima B sua Canonica c. 2. 16. ait, *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*, si ad Romanum Imperium ethnicum Ecclesiam persequens singillatim denotandum apposita fuit superbia; congruentissimum erat, eandem illam phrasim à Ioanne in sua Canonica vsurpatam assumi, nempe *superbia vitæ*, quæ phrasis maximè conducebat ad illud, quod intendebatur, significandum. Tertiò denique validissima huius expositionis confirmatio est, quod nomen Græcum illi locutioni respondens, nempe ἡ ἀλαζονία β. οὐ; adæquat omnino numerum 666. dicitur enim versu sequente, *numerus eius 666.* sed de hoc latiùs infrà.

Quod tandem sit Bestiæ marinæ nomen literis vel numeris notatum.

Reliquum est vt explicemus, quid sit, alios accipere (vel in fronte, vel in manu) nomen Bestiæ, alios verò nominis numerum? Ad quod Respondeo. In nomine expresso expressam denotari superbiam, & manifestam persecutionem (siue in ea gloriando, siue eam saltem opere exequendo: quod est *in fronte*, vel *in manu*.) Numerus autem nominis erit suppressa & implicita superbia, quæ non ita apertè superbiæ & persecutionis speciem præ se fert: verùm eôdem tandem deuoluitur. Qui enim numerandi rationem nouit: id est, qui veram rerum singularum æstimationem ex ipsismet rebus dimetitur: facilè cognoscit, quæ non aperta apparet superbia & aperta persecutio, illam reapse eiusdem esse rationis cum persecutione manifesta, & eodem prorsus spectare. Verbi gratiâ. Nonnulli extitere fortassis, qui dicerent, se de Christianis nihil minùs æquum ac rectum opinari: ceterùm nequa in Religione nouitas & insolentia serperet, maximè oportere, vt in illos seuerè consuleretur. Deinde alij C persequebantur Christianos, specie quidem non tam superbiæ, quàm temporalis alicuius commodi, qui tamen re verâ occultâ ferebantur superbiâ. Præterea, alij eo ipso, quòd se idolorum cultui addictos ostentarent, aut Imperatorum decretis impiis audientes essent in falsis deorum sacrificijs frequentandis: persecutionem ipsam promouebant: quanuis per se ipsi Christianos non infestarent. Etenim dum Ethnicorum causæ fauebant, clarè indicabant Christianæ Religionis contemptum: atque adeò vel expresso superbiæ nomine, vel eius valore (quod perinde valet) notati & insigniti agnoscebantur. Omnes enim supradicti Ecclesiæ persecutionem, quæ in Romani Imperij superbia nitebatur, pessimo saltem exemplo prouehebant. Ac demum si Bestiæ nomen manifestam superbiam & persecutionem pariter manifestam importabat: aptissimè per nominis numerum implicita persecutio designatur. Nam nomen proprijs distinctum characteribus videtur suam significationem exprimere, ac pronuntiare: numerus autem nominis, non tam exponit, quàm perinde valet.

Quo sensu alij nomen Bestiæ, alij nominis numerum accipiant.

ET NEQVIS POSSIT EMERE, AVT VENDERE] Bellicum solet esse stratagema, vt peculiari aliquo signo milites omnes vnius factionis distinguantur; quò reliqui eo signo carentes pro hostibus reputentur. Sic ergo sapientia carnis, ne in ea persecutione Christiani possent delitescere, decreuit, vt Gentiles omnes re ipsâ se Romani Imperij ethnici sectatores profiterentur, gentilia sacra & ceremonias frequentando, nefandosque ritus in connubijs, iuramentis, alijsque sexcentis rebus obseruando. In quibus apparebat, num Gentiles essent, an non. Ex hoc autem consectarium erat, Christi fideles, qui hosce ritus impios auersabantur: occultari non posse. Ex eo autem quòd in has angustias Christiani se redigi cernerent, cogebantur latebras peruestigare, quò se abderent: ne Ethnicorum impietatem communicarent. Hoc igitur vt significetur, concinnè satis & significanter dicitur illis, qui marinæ Bestiæ nomine aut numero nollent insigniri, commercio penitùs interdici. Adhæc deprauata consuetudo & effrænati ingenij procliuitas efficiunt, ne inter homines transigi videatur posse, nisi quis mundanarum legum iugum subire, & quasi inusto ferro ac stigmate se notari patiatur.

Quo sensu dicantur, qui Bestiam adorare nolunt, humano interdici commercio.

Scio sanctissimum Ephræm in tractatu de consummatione sæculi, hæc omnia ad Antichristi tempus referre; & quæ dicuntur de charactere, nomine & numero, ita vt sonant, accipere. Prosperum item in dimidio temporis de Hæreticis explicare. Sed nobis nostra explicatio fuit exponenda. Legat qui volet Viegam hîc sectione 7. vbi de Primasij & Ansberti explicatione.

TEXTVS.

Vers. 18. Hîc sapientia est: qui habet intellectum, computet numerum Bestiæ; numerus enim hominis est; & numerus eius sexcenti sexaginta sex.

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

Quid illis innuatur verbis. Hîc sapientia est.

VERBA illa, *Hîc sapientia est*, denotant, ingenij acrimoniâ & perspicacitate opus esse ad ea, quæ subsequuntur, rectè percipienda; vtpote quæ mysterium ac difficultatem in se contineant. Iam, si locutionem spectes, non absimile est Virgilianum illud Æneidos *6. Hoc opus, hic labor est.* In Græco autem *sapientia*, præfixum habet articulum; quod emphasim innuit.

Quæ sit apud Græcos numeros & signandi, & computandi ratio.

Porrò Bestiæ numerus debet esse, qui ex valore literarum vnius nominis conficitur; cum Græcè in qua lingua Ioannes Apocalypsin scripsit) Alphabeti literæ, sicuti iam diximus, sint etiam numerorum notæ; & quælibet litera diuersum contineat valorem; vt constat ex subiecta tabula, quæ in omnibus Græcæ linguæ dictionariis apponi solet.

α	1.	κ	20.	σ	200.	,α	1000.
β	2.	λ	30.	τ	300.	,β	2000.
γ	3.	μ	40.	υ	400.	,γ	3000.
δ	4.	ν	50.	φ	500.	,δ	4000.
ε	5.	ξ	60.	χ	600.		
ϛ	6.	ο	70.	ψ	700.	&c.	
ζ	7.	π	80.	ω	800.		
η	8.	ϟ	90.	ϡ	900.		
θ	9.	ρ	100.				
ι	10.						

Quid hic dicatur, numerus hominis, Bedæ expositio improbatur.

NVMERVS ENIM HOMINIS EST] Beda existimat hisce verbis innui, Antichristum fore verum hominem; & constructionem esse huiusmodi, *Numerus hominis est*, id est, numerus iste, de quo loquor, erit numerus nominis cuiusdam hominis, nempè Antichristi. Hæc constructio illud præstituit, directè hic esse sermonem de Antichristo; quod tamen suprà impugnatum satis est. Accedit, quòd genitiuus ille *hominis*, in Græco non habet articulum; haberet autem si de certo aliquo homine ageretur. Deinde, constructio illa non aptum videtur reddere sensum; si enim ideo dictum fuit, *numerus hominis*, vt Antichristus verus homo futurus affirmaretur; connexio literæ hæc erit. *Qui habet sapientiam, computet numerum nominis Bestiæ, quia Antichristus erit homo, atque adeò numerus eius erit numerus hominis.* Quæ ratio minimè videtur apta. Nam quòd Antichristus sit homo futurus, nil deseruit ad hoc, vt computetur, vel non computetur numerus eius.

Richardi interpretatio, quæ & probatur.

Congruentior est ea constructio, quam Richardus & alij sequuntur; videlicet numerum hominis appellari eum numerum, qui ab homine obseruari possit: quasi dicatur eiusmodi esse enumerandi ratio & computatio, quam humani ingenij vis assequi & inire possit. Quâ ratione nec phrasis est insolens, nec inepta ratio: imò verò aptissima est connexio. *Qui habet sapientiam, computet numerum Bestiæ; humani enim ingenij viribus hæc fieri valet computatio.* Scilicet obseruando singularum literarum valorem, & eas in summam redigendo; & hoc pacto numerus, qui ex omnibus nominis literis conficitur, est *666.* Cùm autem dicitur *numerus eius*, pro nomen illud *eius*, non ad hominem, sed ad Bestiam referendum est.

Quomodo contextus series iuxta hanc expositionem aptè connectatur.

Constructio ergo est huiusmodi: *Hîc sapientia est*, hic sita est concinnitas imprimis & elegantia; atque adeò ingenij perspicacitate opus est. *Qui habet intellectum computet numerum Bestiæ:* cui suppetunt ingenij vires, is valorem literarum, quas continet Bestiæ nomen, accurate obseruet; eiusque summam ac rationem subducat: id quod non difficilè præstabit. *Numerus enim hominis est*, id est, quia eiusmodi est supputatio, quam possit humano more conficere. Numerus autem omnino est *666.* Eôdem recidit, quod alij ita explicant. Hominis est numerare, quare qui habet intellectum computet, &c. Vel vt ait Aretas, *Numerus hominis est*, id est, nomen, de quo habetur sermo, non est insuetum & insolens, sed hominibus notum ac familiare. Aut fortasse se ipsum designauit Ioannes per nomen *hominis*, quasi dicat, hæc computatio mea est, siue computatio est valoris earum literarum, quas in prima mea Epistola scripsi cap. *2.16.* Atque hæc de sensu grammatico.

Hisce verbis de nomine Antichristi non posse esse sermonem.

Vt vero ad rem ipsam accedamus, valde ab scopo aberrant, meo iudicio, qui putant Spiritum sanctum in his verbis de numero nominis Antichristi agere. Primò, quia vt demonstratum suprà est, hæc Bestia nequaquam est Antichristus; siquidem post Bestiæ ipsius præcipitationem in inferos, mille pacis anni succedunt ante aduentum Antichristi. Atque vt Hieronymus in ea Christi verba Matth. 24. (*Qui legit, intelligat*) sapienter ait, *Quando ad intelligentiam prouocamur, mysticum monstratur esse quod scriptum est.* Similiter ergo in præsenti verba illa, *Hîc sapientia est*, non patiuntur vt præcipuus sensus Antichristi nomen respiciat.

Secundò, Antichristi nomen nobis reuelari, næ res esset superuacuæ curiositatis plena, atque adeò indigna Spiritus sancti grauitate. Etenim nisi reliqua signa Dei famulos edoceant, qui se Christũ esse iactat, & prædicat, eum esse verum, & vltimum Antichristum, certè exigui aut nullius vsus erit, numerum *666.* eius nomini rectè quadrare, quippe numerus hic ad plurima alia nomina potest præcisè conformari, sicuti ad Mahometum, ad Lutherum, aliaque penè innumera. Facile autem est nomen aut contrahere, aut distrahere, quò iusta illi computatio conueniat. Quamobrem sicuti verisimile nobis non fit propter Genebrardi, aut etiam Lindani ratiocinationem, verum Antichristum fuisse aut Mahometum, aut Lutherum, ita similiter nihil est, cur speremus ex literarum valore Antichristum nobis cognitum iri. Quinimo obseruare literarum valorem in nomine illius, qui Christo se opponat, procliue est, vt ad multiplices ac vanas cuiusque mentis conceptiones distrahatur,

dum

A dum quilibet suum pro libito Antichristum confingit. Si autem certum foret, de vero Antichristi nomine hic esse sermonem; facile ipsi Antichristo esset proprio dissimulato nomine aliud ementiri, ne agnosci posset ex nomine.

Tertiò, illud saltem probabile esse, inficiari mihi nemo potest, marinam Bestiam cap. 13. non esse Antichristum. Non igitur constat, Antichristi nominis numerum fore 666. ac proinde non voluit Spiritus sanctus, vt Ecclesiæ numerus Antichristi nominis innotesceret. Quid igitur proderat, nomen ita reuelasse, vt nullius omnino vtilitatis esset?

Præterhæc ænigmata, quę eruditis ingenijs negotium facessunt, non eo fine sunt condita, vt per ipsa constaret de ijs, quæ priùs erant ignota, sed vt ænigmatis inuolucris deliteſcant, quæ nota priùs erat, illis ipsis, quibus ænigma proponitur enodandum. Hæc mihi veritas adeò perspicua est, vt non satis admirer eos, qui opinantur hunc numerum 666. fuisse appositũ ad eius nominis significationẽ quodammodo latebat Ecclesiam. Aptiùs certè Aretas (si tamen satis tenuit, quod dixit) dum explicat, quid sibi velint ea verba, *numerus hominis est*. Ait enim illis denotari, non esse in præsenti sermonem de nomine ignoto & insueto, sed potiùs de nomine valde noto. *Ænigmata ad res alioqui notas non ad ignotas significandas componi.*

Ad hæc, valde verisimile existimo, Ioannem priùs suam primam Epistolam Canonicam scripsisse, deinde in hoc nomine Bestiæ numero respexisse ad superbiam vitæ, quam de Romano Imperio agens, mundo attribuerat. Cæterùm vtcumque hoc sit, negari saltem non potest fidelibus fuisse notissimam eorum superbiam, qui persequebantur Ecclesiam: & superbiæ nomen, iuxta Scripturæ
B locutionem, aptissimè omnibus Ecclesiæ persecutoribus tribui; vt vidimus supra: Romanis autem Ethnicis multò congruentiùs, quàm cæteris.

Hoc ergo nomen *superbiæ vitæ*, est, ἡ ἀλαζονεία βίου. Cuius literarum valor si attentè perpendatur, numerum 666. adæquet. Sed obiiciet nobis aliquis, si rectè computatio fiat, huius nominis numerum non esse 666. sed 665. vt videre est in hac summa. *Quod nomen eo numero 666. adumbretur.*

η	8.
α	1.
λ	30.
α	1.
ζ	7.
ο	70.
ν	50.
ε	5.
ι	10.
α	1.
β	2.
ι	10.
C ο	70.
υ	400.
	665.

Respondetur, postremum α, huius nominis ἀλαζονεία, iuxta antiquum scribendi & pronunciandi morem duplicandum est, atque ita scribendum ἀλαζονείαα, atque ita non deerit vnitas, quæ videbatur deesse. Et ne cui hoc à me fictum videatur; Mekerkius in libello quem scripsit de prolatione Græcorum c. 57. ait vocales indifferentes, vbi naturâ longę sunt, ab antiquis Græcis in prolatione & inscriptione duplicari. Pro cuius confirmatione obserua ex Antonio Augustino in dialogis de numismatis, atque ex alijs, Latinos etiam olim scripsisse *feelix* per duplex *E*. quòd vocalis illa esset longa. Vide etiam Lipsium de recta Latinæ linguæ pronunciatione: vbi ait, Non solùm in enunciando, sed etiam in scribendo antiquis cura fuit, vt aliter pingerent vocales longas, aliter contractas. Nam has solitarias pingebant ad exemplum hodiernum, illas geminabant. Atque id probat ex Victorino Afro & ex Quintiliano. Victorinus ait, *Nœuius & Liuius, cùm longa syllaba scribenda esset, duas vocales ponebant*. Quintilianus verò: *Vsque ad Atticum, & vltrà porrectas syllabas geminis vocalibus scripsere*. Idem docet de Græcorum scriptione & prolatione germana Ioannes Scapula in sui dictionarii calce; vbi de
D vetere Græcanicæ linguæ pronunciatione in litera α. & pro se adducit Fabium, & Priscianum. *Soluitur difficultas in nostra expositione occurrens. Vocales naturâ longas olim apud veteres duplicari consueuisse.*

Supereſt probare, vltimum α, nominis ἀλαζονεία, esse naturâ longum; qua de re dubitabit nemo, qui fuerit mediocriter in quantitatis regulis versatus. Generalis enim regula est in Græca lingua, quando penultima acuto notatur accentu, vltimam esse longam. Consule Clenardum in fine suæ grammaticæ, vbi de accentibus: & Gretserum de accentu pag. 25. *Apud Græcos, quando penultima acuto notatur accentu, vltimam esse longam.*

Quanuis autem secundum, α, sit longum in nomine ἀλαζονεία, non tamen est longum naturâ, sed solùm positione, quia sequitur duplex consona, nempe ζ, atqui ipsimet auctores, qui affirmant vocalem longam quondam duplicari solitam, exprimunt, id esse intelligendum de vocali, quæ suapte naturâ est longa; non de illa, quæ positione duarum vel vnius duplicis longa est. Scribebant enim antiqui, & proferebant *Feelix* non *Feliix*.

Cùm mihi eam mentem induxerim, vt Bestiæ marinæ nomen esse *vitæ superbiam*, existimarem; in eam incidi pariter coniecturam, vt opinarer, Ioannem in hoc loco alludere ad ea verba, quæ ipse in sua prima Canonica conscribit, cùm ait; *superbia vitæ*. Cùm autem ad Græcum fontem recurrerem; & valorem literarum, quæ in eo nomine ἡ ἀλαζονεία, continentur, ad summam redigerem; vbi omnino 666. esse reperi, firmior in mea sententia perstiti. *Allusio in hoc nominis numero ad superbiã vitæ, de qua Ioannes in sua prima canonica.*

Verùm enim verò postquam vnitatem, quæ huic numero deesse videbatur, inuenimus, alia occurrit

Occurritur difficultati, quæ ex Græci articuli notione exoriri potest.

currit haud leuis difficultas. Etenim in Græcis noui testamenti codicibus, *superbia vitæ*, duplici inscribitur articulo, ἡ ἀλαζονία τοῦ βίου. Si autem articuli τοῦ, valorem pariter computemus, ille solùm conficit 770. A

τ	300.
ο	70.
υ	400.
	770.

Et quidem, cùm primum articulum nominis ἀλαζονεία, numeremus, nempe τ, secundus item articulus subsequentis nominis pariter videtur numerandus; sin minus, vterque simul expungendus, cum nulla potior appareat ratio, cur prior articulus exprimendus, alter supprimendus sit.

Respondeo tamen, vt numerum hunc *666.* inuenire possem, diuino consilio factum fuisse arbitror, vt primùm ita scriptum reperirem ἡ ἀλαζονία βίου, vnico articulo. Posteà autem quanuis duplicem articulum in plerisque codicibus viderim, nihilominus valde suspicor, germanam lectionem vnico tantum articulo esse exaratam. Primò, quia si quis consulat interius aurium iudicium; inueniet exactiorem locutionem esse cum vno duntaxat articulo, *Illa superbia vitæ*, vt locus intelligatur de omni superbia; nec tamen omnium hominum vita condemnetur. Solet enim articulus, qui adiungitur, efficere, vt nomen illud in tota suæ significationis latitudine sumatur, & nihil præterea sit reliquum. Verbi gratiâ: cùm Hispanè dicimus, *Los ombres*, *Los Reyes*, de omnibus loqui videmur. Deinde licèt in vulgari & vsitato sermone non ineptè dicatur, ἡ ἀλαζονεία τοῦ βίου, verùm si pro vno eodemque nomine vnius personæ proprio vsurpetur; quasi in vnicum nomen coaluerit: vt cùm dicimus, *Paterfamilias*. atqui nomen vnicum vnicus decet articulus. Quare in Epistola Canonica potuit duplici articulo constare, quãuis in Apocalypsi primi tantùm articuli ratio habeatur. Et saltem vtrouis modo scribi poterat, *Illa superbia illius vitæ*, & *Illa superbia vitæ*, Hispanicè *La soberuia de la vida*, &, *La soberuia de vida*. Cùm autem non possit vtrouis modo numeri *666.* summam adæquatè conficere; satis est si alterutro modo conficiat. Et quanuis Ioannes in sua Canonica vtrumque expressisset articulum; posset adhuc in Apocalypsi ad alteram scribendi rationem respicere, præsertim si aut ea videbatur exactior, aut numerus *666.* magis hìc congruebat, quàm alius, propter peculiare aliquod mysterium, de quo infrà. B

Quo igitur tempore Ioannes Apocalypsin exarauit, receptâ consuetudine significatio numerorum obseruari solebat, atque ita doctores sacri eam frequenter versare solent, vt Augustinus & alij, in ænigmatis autem, sapientis est ad sui temporis consuetudinem se conformare. Et quanuis prima specie videatur hic numerus *666.* fuisse in ænigmate expressus eo solùm fine, vt doctiorum ingenia difficultate excuteret, & exacueret: ceterùm ad ipsum literarum valorem absque peculiari alio mysterio descendere; id verò sacrâ Scripturâ dignum minimè est. Quapropter mysterium ipsum oportet indagare diligenter. Et quidem quòd superbia bifariam scribatur, nempe per proprios characteres, & per numeros, vidimus iam suprà singularis mysterij plenum esse, nimirum vt denotetur, in alijs expressam atque patentem esse superbiam, in alijs opertam atque implicitam, cùm tamen perinde sit. Atque hoc certè mysterio (non inficior) in superbiæ nomine contentus, nil vlteriùs perueſtigarem. Fortè tamen peculiaris alia subest vis atque concinnitas in eo, quòd superbiæ numerus ad *666.* reuocetur.

Quid mysterij latêre possit in nomine superbiæ vitæ, per numerum 666. figuratæ. C

Huiusmodi esset mysterium, si numerus hic *666.* congruentior extitisset quolibet alio ad superbiã significandam: ita vt singulari Dei prouidentiâ videatur factum, vt Græcum superbiæ nomen ad eum numerum reduceretur. Certè pium est credere non absque diuino consilio nomen *Iesus* cum numero 888. exæquari, præsertim si per vnam ex Sybillis ita erat prænunciatum, vt habetur l. 1, oraculorũ Sibyllinorum in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 8. folio 10. Fortè etiam non accidit casu, vt Græca vox respondens concupiscentiæ, (quando dixit Ioannes, *Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum*) esset ἐπιθυμία, conficiens præcisè numerum 555. hac ratione.

Nomen Iesus Græcè quem numerũ conficiat.

ε	5.
π	80.
ι	10.
δ	9.
υ	400.
μ	40.
ι	10.
α	1.
	555.

D

Hoc ita constituto, non deerit forsan, qui mysterij aliquid inesse putet in eo, quòd *concupiscentia* tres nobis quinarios, *superbia* tres senarios, & *Iesus* tres octonarios repræsentet. Ipse quidem trepidas potiùs suspiciones, quàm firmas possum rationes adducere. Dicam tamen, quid mihi coniecturæ in mentem veniat. Triplicatio eiusdem numeri per vnitates, denarios, & centenarios, videtur esse vniuersalis comprehensio & affirmatio in infimis, medijs, & summis, aut semel, bis ac ter, ad firmiorem asseuerationem. Adhæc, Octonarium perhibent Doctores, esse æternæ felicitatis symbolum, perfectum item concentum, consonantiam ac reditum in Deum in æternitate succedente volubilitati septenariæ. Huiusmodi autem felicitatem omnibus absolutam numeris habemus in Christo Iesu, qui vera est animorum salus atque felicitas. Per quinarium denotari dicuntur quinque corporei sensus, & nostra quidem desideria, studia & concupiscentiæ tum carnis, tum oculorum id vnum laborant,

Octonarius numerus æternæ felicitatis symbolum.

Digitized by Google

A borant, ac desudant, vt corporeos sensus demulceant, & pascant. Semper tamen inexplebilis desiderij sitis viget, ac perstat; nec in paruis vnquam, in medijs, aut in magnis plenè satiatur. (Hispanè diceres, *Siempre se quedan en cinco de corto.*) Senarius habet, nescio quam perfectionis vmbram. Dicitur enim numerus esse perfectus; id quod ita (falsò tamen) putat mundi superbia atque iactantia; sibi nempe nihil abesse, nunquam tamen attingit requiem & plenitudinem per septenarium numerum figuratam; nec illum prehendit felicitatis cumulum, quem sibi superbia confingit; idque neque in paruis, neque in medijs, neque in magnis. Itaque naturalem quietem ac felicitatem nunquam superbia adipiscitur, quantumuis per nimium mundi fastum sese extollat, & sublimi feriet, sydera vertice. At in Christo non naturalis modò Beatitudo, sed supernaturalis etiam atque diuina perfectè & cumulatè reperitur omnibus suis numeris absoluta.

Ex ijs, quæ diximus, elici potest ratio, cur Apocalypsis potissimũ attenderit nomẽ illud ἀλαζονείας βίᾳ, vnico inscriptum articulo; videlicet vt omnino adæquaret mysticum illum numerum *666.* Quare quod alicui videri posset in supputandi ratione impedimento, quod scilicet in eo nomine postremum α, duplicaretur, nec articuli τοῦ ferè apud Græcos codices in prima Ioannis Canonica expressi, vlla duceretur ratio; hoc ipsum computationem vero similiorem reddit. Quippe vbi congruens difficultatis enodatio reperitur; quantò minùs quadrare antea videbatur, tantò magis difficili congruit ænigmati.

B

NOTATIO III.

In qua explicatur, quænam inter aliorum opiniones & de nomine Bestiæ, & de nominis numero videatur.

Referuntur varia aliorum expositiones de numero nominis Bestiæ, ac reijciuntur. Insanus hac de re hæreticorum error confutatur.

GEnebrardus in sua Chronologia in Vitaliano refert, Hæreticos, abuti mysterio numeri *666.* vt tumum Pontificatum maledictis proscindant, & præfracto ore affirmẽt exordium habuisse anno Christi 666. ita enim in Apocalypsi prænunciari. Hanc imperitiam, atque adeò insaniam refellere nihil moror; ne vel ipsis Hæreticis risum moueam, quòd in re adeò nugatoria confutandâ operam & tempus absumam: dicent enim maledicta solere conijci, etiamsi non credantur. Constat autem huiusmodi numerum in Apocalypsi neutiquam referri ad tempus, quo Bestia illa fuerat exsurrectura; nec ad annos, quibus persecutio Bestiæ duratura erat; sed ad nomen, quod Apocalypsis Bestiæ illius nomen esse considerat, & in frontibus C impressum aut etiam in manu dextra eorum, qui Bestiam ipsam cultu & veneratione prosequuntur. Numerus autem annorum quorsum ab aliquo in fronte exaratus gestetur?

Vt ergo ad ea nomina deueniamus, quæ numero *666.* respondent: quæcumque extitit vnquam vel leuis suspicio, vel inanis coniectura de aliquo, qui futurus Antichristus credebatur: illico non deerant, qui illius nomen ita aptarent, atque effingerent, vt numerum illum exæquaret. Quamobrem, qui arbitrati sunt Genericum esse Antichristum, mox inuenerunt huius nominis literas valere *666.* Eandem etiam ob causam, qui Mahometum pro Antichristo ducebant, eius nomen ita accommodarunt, vt eidem numero iustè congrueret, nimirum scribentes, *Mahometis*. Sic Euthymius, Cedrenus, Zonaras, Annius, Hentenius, nec non, (vt perhibent) Parisienses multi. Certè Genebrardus, libro 3. Historiæ fol 491. & 755. in ea est persuasione.

1. Opinio applicantium nominis numerũ ad Mahometum.

2 Opinio exponentium maris Bestiam de Turcico Imperio.

Pari etiam ratione tenentur ad inuestigandam congruentem proportionem inter Otomanæ familiæ no D men, & numerum *666.* qui putant in maris Bestiâ Turcicum Imperium designari. In quam opinionem defluxerunt nostri Salmeron, Lud. Legionensis, & Ferdinandus del Castillo Dominicanus, atque alij. Sic etiam Lindanus lib. 3. dubitantium, conatur ostendere Lutheri nomini certâ quadam ratione pronunciato quadrare numerum *666.*

Error hæreticorum de nomine Latinus ex plicantium exploditur.

Hæretici item, ne minùs videantur subtiles, garriunt in hoc nomine λατεῖνος (quod est ab Irenæo assignatum) inueniri prædictum adæquatè numerum; atque hoc esse commune Pontificum Romanorum nomen, qui sunt Ecclesiæ Latinæ Papæ. Sic Dauid Chytræus, & Theodorus Bibliander; quorum vesaniam impugnat Bellarminus in Appendice ad suũ de Rom. Pontifice tractatum. Ad me quidem in ijs commentarijs nulla spectat impugnatio, quàm perspicua ipsa euidentia; qua constat, nec hæreticorum insanias, nec Catholicorum aliquot opiniones de singulari aliquo Antichristo designando posse Apocalypseos contextui accommodari in ijs, quæ de Bestia maris edisserit; id quod (ni fallor) suprà est à me valdè satis comprobatum.

Irenæi mens explicatur.

Ad Irenæi verò auctoritatem; qui nomen λατεῖνος designat, vera responsio est, Sanctum Doctorem existimasse maris Bestiam fore aliquem Romanum Imperatorem; & propterea nomen λατεῖνος illi aptasse. Iam verò in superioribus animaduertimus, eam opinionem falsò Millenariorum animis insedisse fore vt extremus Romani Imperij ethnici Imperator esset insignis ille Antichristus, qui in Apocalypsi per maris Bestiam fuerit adumbratus. In qua opinione nonnihil inest veri, & rectæ Apocalypseos intelligentiæ: nempe in marina Bestia repræsentari Romanum Imperium antiquum idolorum cultui deditum, & in Catholicam sæuiens Ecclesiam. Atque in huiusmodi quidem consideratione non omnino erat abs re nomen λατεῖνος. Verùm minimè facit satis; nec enim est arcano mysterio plenum, & dignum, quò Apocalypsis respiciat, & in Ecclesiæ hostium frontibus aut dextera impressum esse siue literis, siue numeris effingat. Præterquam quòd, vulgaris scribendi ratio non est *Lateines* sed *Latinus*, quæ literatura numerum *666.* non omnino adæquet.

3. Opinio interpretantium maris bestiam de Antichristo.

Ex ceteris auctoribus, qui ad Bestiæ nomen, & ad numerum *666.* singillatim descendunt; ferè omnes nomen aliquod inquirunt, quod & ad Antichristum quouis modo pertineat, & prædictum numerum *666.* æquet. Cum autem certum Antichristi nomen ignoretur; alij hoc, alij illud pro libito confingunt. Vide Viegam hic, qui plusquam quindecim nomina à diuersis excogitata refert: ac demum concludit, nihil posse certi de Antichristi nomine definiri, quoad Antichristus ipse aduenerit; sic ille. Ego verò qui ex Apocalypseos serie pro comperto habeam, per maris Bestiam minimè denotari directè famosum illum Antichristum, qui hactenus nondum venit; sed Romanum Imperium antiquum, quod Christi oppugnauit Ecclesiam consequenter omnia nomina conficta, tanquam celebris illius Antichristi, qui nondum venit, aliena omnino censeo ab Apocalypseos intentione. Nihilominus tamen inter alia nomina, quæ à prædictis auctoribus afferuntur, video nonnulla, quæ si considerentur, non vt postremi Antichristi propria, sed vt Romani Imperij ethnici communia, non erunt valdè abs re. Huiusmodi est nomen ἀντεμος, id est, *Contrarius*, quod assignatur à Ticonio, & Primasio. Nam Romanum Imperium ethnicum in persecutionibus, quas excitabat, se Christianæ Ecclesiæ contrarium & infensum profitebatur.

Areta expositio de nomine victor explicatur.

Sed omissis alijs, inter nomina reliqua à Viega relata, illud mihi magis arridet, quod apponit Aretas, dummodo non ad postremum Antichristum, sed ad Romanum

Digitized by Google

Rom. Imperiũ Eccleſiæ perſecutorem referatur, illud autẽ eſt, ὁ νικητὴς, id eſt, *Victor*. Pro quo obſeruandum imprimis eſt, Romanum Imperium quondam gloriari ſolitum, tanquam omnium mundi Gentium atque nationum victorem. Hinc eſt illud non arrogãtiæ minùs quàm maieſtatis plenum elogium:

Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Virgilius Æneid. 6. *Quo ſenſu, nomẽ Victoriæ Romano Imperio ethnico Eccleſiam perſequenti congruat.*

Et quidem in hoc cap. num. 7. de illo aſſeritur; *Datum eſt illi bellum facere cum ſanctis, & vincere eos*. Itaque perſecutioni ipſi videtur hîc tribui Victoriæ nomen, propter cædem & ſtragem, quæ in Chriſtianis fiebat: & conſequenter, qui ſe Chriſtiani nominis perſecutores iactabant, rectè conſiderantur victoris nomen in frõte ſiue in manu dextra impreſſum habere. Præcipuè cùm ſingulares homines carnali ſapientia ducti in ea perſecutione ſeſe totos effingerent ad communem mundi normam ac ſenſum; vt ad eam partem inclinarent, in quam inclinaret victoria, atque adeò factionis victæ ſe inimicos profiterentur. Cum hac quidem conſideratione rectè congruit, quod textus ait de numero *666.* vt colligere eſt ex ſubiecta computandi ratione.

ο	70.
υ	50.
ι	10.
χ	20.
η	8.
τ	300.
η	8.
ς	200.
	666.

Quòd autem ſiue in fronte, ſiue in dextra alij nomen, alij numerum habeant exaratum; poteſt ad idẽ ferè myſterium referri, quod in commentario expoſuimus, agentes de nomine *Superbiæ vitæ*. Iam, quod ait textus, *Quia numerus hominis eſt*, in victoris nomine poſſet ita explicari; vt ſit nomen ex iis, quibus homines vti ſolent. Atqui perſpicuum eſt, nonnullos proprio nomine *Nicetas* fuiſſe appellatos, ſicut & Latinè Victores.

Poſſet inſuper quiſpiam contemplari, victoris nomen, quod perſecutoribus datur, ideo ad numerum *666.* reduci; vt innuatur, quantumuis Ethnici de perfecta gloriarentur victoria, (quia ſenarius vtpote perfectus numerus perfectionem ſignificat) huiuſmodi tamen victoriam eſſe contractam ad ſenarium numerum, qui nunquam ſeptenarium pertingit; quia *relinquitur ſabbatiſmus populo Dei.* & ſex diebus operis ac laboris ſuccedit feſtus dies, gloria ac ſplendor Chriſtianæ Eccleſiæ. ſicuti in glorioſa Chriſti transfiguratione poſt ſex dies factâ, adumbratum fuit.

Ceterùm adhuc exiſtimo, huiuſmodi expoſitionẽ Apocalypſ. grauitate non ita dignam eſſe; ſicuti eam, quam in commentario explicui, illa enim multò eſt hac illuſtrior & congruentior ſacræ Scripturæ locutioni attribuentis perſecutionem vni ſuperbiæ, & perſecutores ommes appellantis ſuperbos, ſiue ſuperbiæ filios, quod etiã in Romanis idololatris multò veriùs comprobatur. Accedit, quòd licet Græcum nomen, θὴρ, quod Belluam, ſeu Beſtium ſignificat, ſit maſculini generis; in Apocalypſi tamen cum agitur de Beſtia maris, & Beſtia terræ, non vſurpatur nomen θὴρ, ſed θηρίον, quod neutrum eſt. nomen autem ὁ νικητὴς, & appellatiui formam habet, & eſt maſculini generis; atqui appellatiuum maſculinum cum neutro ſubſtantiuo non rectè conſentit. Quæ tamen obiectio in nomine *ſuperbiæ vitæ* locum non habet, cùm nomen hoc non appellatiuum ſit, ſed abſtractum, atque adeò ſignificanter ſatis Imperio Romano imponatur. Et enim abſtracta nomina vſurpare proprium eorum eſt, qui magna cum energia loquuntur, vt videre eſt in SS. Doctoribus Ambroſio ac Leone Papa, nec non in aliis, quibus eadem ſtili grauitas, & loquendi energia familiaris eſt.

CAPVT XIV.

Prologus de connexione partium huius capitis.

Qua ratione c. 14. ſeries cum præcedẽtibus connectatur.

CAPITIS huius partes primo aſpectu diſſolutæ inter ſeſe ac diſſentaneæ apparent. Ordĩtur enim à deſcriptione numeroſiſſimi illius exercitus centum quadraginta quatuor millium, qui Agnum ſequuntur. Deinde tranſit ad tres Angelorum voces; quorum vnus de iudicio, alter de Babylone, tertius de inferorum pœnis agit. finitur tandem meſſe atque vindemiâ. Hæc tamen omnia in noſtra expoſitione mirificè & inter ſeſe, & cum antecedentibus cohærent. Cùm enim cap. *13.* expreſſa fuerit innumerabilis Gentium multitudo, quæ in Romani Imperii bello contra Chriſti Eccleſiam geſto factionem draconis, & Beſtiarum maris ac terræ ſectabantur: nihil conſequentius, quàm deſcribere exercitum, quem Chriſtus Dominus prædictis hoſtium phalangibus oppoſuit. deinde cohortationem ſubijcere, qua ſuos ipſe Chriſtus in prælium accendit. poſteà glorioſiſſimã victoriam, quam Chriſti exercitus fuit adeptus. Hęc ergo tria ſunt, quæ in hoc capite per ordinem deſcribuntur. Nam centum quadraginta quatuor millia, quos textus ait fuiſſe in Sionis monte cum Agno; conſtat eſſe exercitum, quem coëgit Chriſtus, vt ſpiritale bellum Romano Imperio indiceret atque inferret, illudque ſubiugaret. Ternæ autem Angelorum voces nihil aliud ſunt, quàm hortatio Chriſti, qua ipſe per ſuos miniſtros concitauit in prælium milites. Poſtremò meſſis ac vindemia ſunt allegorica quædam & ænigmatica pictura præſtantiſſimæ victoriæ, quam Chriſti exercitus comparauit. Nec nouum in Scriptura eſt his allegorijs vti ad ingentis victoriæ ſignificationem, necnon ſtragis in hoſtibus editæ. Nihilo inuſitatius eſt animarum conuerſionem, ac ſubiectionem Imperio Chriſti, ſanguinis item effuſionem figurari veluti victoriam ab hoſtibus reportatam, & cædem in eiſdem factam: vt infrà in explicatione perſpicuum fiet.

TEXTVS

Digitized by Google

A

TEXTVS.

Vers. 1. Et vidi, & ecce Agnus stabat supra montem Sion; & cum eo centũ quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis.

COMMENTARIVS.

Hos centum quadraginta quatuor millia esse eosdẽ de quibus c. 7

HI centum quadraginta quatuor millia sunt haud dubiè ijdem ipsi, qui capite septimo continẽtur; vt docet Hieronymus l. 1. contra Iouinianum; & manifestum est. Nam vtrobique idem est numerus sequentium Agnum, scilicet centum quadraginta quatuor millia. Similiter enim dicitur c. 7. 17. *Agnus reget illos, & deducet eos.* Quamobrem sicut c. 7. per ingentem hunc hominum numerum significari diximus primitiuę Ecclesiæ Christianos (qui maiori ex parte Israelitæ fuerunt:) ita etiam in hoc loco eadem est tantæ huius multitudinis significatio. Etenim vt prælium cum Romano Imperio Christus committeret, illudque sub iugi Euangelij ditionem redigeret; Christianos primitiuos elegit in milites, qui maxima ex parte erant Israelitæ, qui Christi fidem, & Spiritum receperant. Quòd autem hæc visio Agni, & numerosi exercitus in Sione monte fuerit conspecta, alluditur in eo ad Isaiæ verba c. 2. 3. *Quia de Sion exiuit lex, & verbum Domini de Ierusalem.* Scio Arnobium, Hieronymum, Augustinum, Gregorium, atque Rupertum (apud Lauretum, in sylua allegor. verbo *Sion*) obseruare, per Sionem in Scriptura militantem Ecclesiam significari solere. primum tamen & præcipuum significatum esse arbitror, vt primæuam denotet Ecclesiam; quæ magnam partem ex Hebræorũ populo constabat. Hinc autem Sionis nomen extenditur ad totam Ecclesiam militantem; quia ceteri inserti sunt, vt ait Paulus, in eadem oliuam; & propter totius sanctimoniæ celsitatem, qua Deus primigeniam Ecclesiam insigniuit. Sionis etiam nomen ad virtutum culmen denotandum refertur; quæ est Hieronymi explicatio. Cernit ergo Ioannes Agni exercitum in virtutum culmine, & in ea spiritus perfectione quæ in Sioneo monte fuit affatim Ecclesiæ communicata. Ibi enim Apostoli atque discipuli induti sunt virtute ex alto: ibi diuinum Spiritum intimis præcordijs acceperunt; ibi imbuti sunt cælesti robore atque virtute ad Christi nomen vniuersis nationibus enunciandum, & ad vitam, si opus esset, in hac expeditione promptè & alacriter profundendam.

B

Per hos centũ quadraginta quatuor millia denotari primitiuam Ecclesiã fideles.

Obijcit tamen nobis Aretas (quem Ribera & Viegas sequuntur) Ioannem in præsenti sine articulo loqui de exercitu centum quadraginta quatuor millium: quòd si de eodem illo num. cap. 7. verba faceret, eum articulo fore vsurum, vt hoc pacto ad eosdem illos, quos superiùs cõmemorauerat, se referret. Ceterùm euidens est, argumentum hoc nullius esse roboris, constat enim Ioannem hic de eodem Agno loqui, de quo suprà c. 5. & c. 7. & tamen hic sine articulo ait, *Ecce Agnus stabat.* Si ergo fatendum nobis necessariò est, de eodem Agno esse sermonem, quanuis articulo careat, defectus igitur articuli neutiquam probat, hanc centum quadraginta quatuor millium multitudinem esse diuersam ab illa. Quod autem in hoc loco dilucidè perspicitur, in Græcanica lingua nouum non est, vt ipsi etiam peritiores grammatistæ notant, vt videre est apud Clenardum in notis ad articulos. Vbi docet, in Græca lingua sæpè abundare, sæpè etiam deesse articulos; modò ornatus gratiâ, modò quia phrasis Græca patitur articulos addi, vel tolli. His adiungitur, qui ænigmata conscribit, non opus esse, vt exprimat inter scribendum quidquid illi sensui lucem afferre potest, satis esse, si ænigma ipsum describat. Quinimò in visione aliqua, siue ænigmate lepôris potiùs & concinnitatis plenum est, vt desit articulus, quò non ita facilè agnoscatur, huius capitis Agnum, & centum quadraginta quatuor millia illum comitantes esse eosdem, de quibus cap. 7. Atque ita ad ænigmatis intelligentiã id remittatur. Quòd ergo desint articuli in hoc loco tam Agno, quam centum quadraginta quatuor millibus (quantunuis iidem sint) ideo fit, quia licèt ex ænigmatis sensu constat, eos esse eosdem, ex ipsa tamen visione imaginariâ nonnihil dubitationis suboriebatur, videlicet, quia Agnus nunc in Sione monte conspicitur, cùm in cælo priùs in medio throni visus esset, & ingens illa multitudo aliâ nunc notâ sunt insigniti, diuersâ ab illa, quæ cap. 7. recensetur. Qui autem condit ænigmata, non tenetur ad omnem funditus scrupulum tollendum, qui potest offerri. Itaque potuit, ac debuit Ioannes articulos prætermittere. Vide quid simile in c. 17. vbi eandem ob causam deest Bestiæ articulus.

C

Obiectio ex Areta contra nostram expositionem diluitur.

D

Nomine igitur *Sionis* in præsenti designatur Ecclesia primogenia ex Iudaico populo conflata: quæ in Sione monte diuini Spiritus robore, ac cælesti virtute fuit imbuta. Atque eodem modo vsurpat nomen Sionis Isaias cap. 66. 8. *Et peperit Sion filios suos.* Et quidem quod ibi sub eiusmodi allegoria Isaias adumbrat, hoc ipsum hîc significatur: dum ostenditur, Christum cum validâ primorum Christianorum manu ex Israëlitico populo coactâ bellum aduersus Imperium Romanum gessisse. Simili item ratione accipit Paulus nomen *Sionis* ad Galat. 4. 26. & ad Hebr. 12. 22. Nec aliter vsurpauerat Dauid Ps. 28. & sæpè alibi.

Sionis nomine primogenitam figurari Ecclesiam.

Sed cur in hoc monte Christus sub specie Agni apparet? Videlicet, quia cùm Christus se veluti Agnum mansuetissimum in sacrificium obtulit, & pro mundi salute mortem obiuit: suis reliquit exemplum, necnon Spiritum cælestem, atque virtutem contulit, vt ipsius & vestigia sectantes, & crucem capessentes imitarentur. Agnum in morte pro mundi salute & incolumitate, si opus esset, subeundâ. atque huiusmodi est bellum, quo Christus Romanum Imperiũ erat oppugnaturus, & sibi subiecturus. Quamobrem energiâ plenũ est, quòd validissimi huius exercitus dux sub Agni imagine atque figura conspicuus appareat, vt hac ratione constet, quo suis prædixerat, *Ite, ecce ego mitto vos*

Cur in Sionis monte Christus sub Agni specie appareat?

sicut

Digitized by Google

sicut agnos inter lupos. Lucæ 10. nu.3. eundem vt ducem strenuũ in Agni tamen specie ipsis antecedere- A

Quid sit dicendum de præfinito hoc numero centum quadraginta quatuor millium.

Iam, quod ad numerum centum quadraginta quatuor millium spectat; recolat lector quæ diximus c. 7. Quamobrem illud modò reliquum est, vt duo soluamus argumenta; quibus probari solet, hanc hominum multitudinem non esse eandem, quæ c. 7. describitur. Primum est, quia filii Israelis c. 7. in fronte erant signo crucis muniti: virgines autẽ in hoc loco gerunt in frontibus nomẽ Agni, & nomen Patris eius. Alterum, verisimile non est, illos centum quadraginta quatuor millia Israelitas fuisse omnes virginali pudicitiæ flore fragrantes: atqui de hac capitis huius multitudine in vniuersum textus affirmat, *Virgines enim sunt, & sequuntur Agnum quocumquerierit.*

Expeditur difficultatis nodus in nostra explicatione.

Ad primum respondetur, mirum non esse, vt ijdem ipsi in vno Apocalypseos loco signo crucis in frontibus impresso depingatur; in alio verò cum nomine Agni & Patris eius: sunt enim veluti duo ænigmata, nec opus ea inter se omnino consentire. Præterquam quod si oporteret sermonẽ de ijdem esse, & visionem pariter esse eandem; optimè cohæret crucis signũ cum Agni & ipsius Patris nominibus. Nam quemadmodum vnũ idemque sigillum capit simul vtrumque nomẽ, atque etiam crucis signum; ita similiter tam nomina, quàm crux possunt pariter in militum Agni frontibus inusta considerari. Imò potiùs si diuersi forẽt qui cruce sunt insigniti ab ijs, qui Agni & Patris eius nominibus sunt notati; difficile esset idoneã reddere rationem, cur illi c. 7. vno signo distinguantur, hi verò alio. Cùm autem ijdem sint vtrique, cessat quæstio, & facilè apparet, nomina Christi & æterni Patris in militum frontibus impressa haberi, consectarium esse ad crucis signum in eorundem frontibus exaratum. Qui enim gloriantur, se Christi & ipsius Patris esse seruos, hi quidem verè dicuntur & significanter id in frontibus inscriptum habere. Hos autem perspicuum est esse eosdem, qui Pauli instar, in cruce Domini nostri Iesu Christi gloriantur. Quòd si signum Tau c. 7. commutatur hìc in nomen Agni & ipsius Parentis, forsan ideo fit, quia c. 7. agebatur de illorum frontibus signandis, vt hac notâ distincti plagas subterfugerent, nunc verò sermo est de ea professione, qua Christi serui se Christo ipsi, eiusque Parenti subditos esse fatentur. Item signum hoc respondet iis, quæ c. 13. dicta sunt de marinæ Bestiæ sectatoribus, qui gerunt scriptum ipsius nomen siue in fronte, siue in manu, idque vel numero, vel literis. Similiter ergo, qui sequuntur Agnum, dicuntur in præsenti impressum gestare in fronte nomen Agni & Patris eius. Ad secundam difficultatem respondebitur in commentario versus quarti. B

Aliorum explicationes de numero 144. millium reijciuntur.

Ribera & Viegas cum alijs contendunt, in hac visione sermonem institui de sanctis, qui Antichristi tempore sunt insigni virtute & sanctitate extituri. Contendit autem Ribera, centum quadraginta quatuor millia esse axactum & præcisum numerum eorum, qui virginali pudicitia prædíti Antichristo sunt restituri, quod tamen Viegæ non placet. Præterea Aretas credit, hos centum quadraginta quatuor millia, de quibus in præsenti agitur, esse omnes ex populo Gentilico. Viegas complecti vult sanctos ex populo vtroque Iudæorum & Gentilium: & in hac visione existimat, eos cum ea gloria induci, qua sũt in cęlesti regione perfruituri. Quia *videbitur Deus deorum in Siõ*, Ps. 83. 8. Quinetiam Gregorius l. 5. commentariorum in libros Regum c. 3. ait, Sion esse altissimum supernę felicitatis. Hæc illi. Meo tamen iudicio nihil horum cum Apocalypseos serie consonat, nec illud Ps. 18. *Videbitur Deus deorum in Sion*, necesse est ad beatam visionem referri, sed ad maximam Dei cognitionem, quam sancti viri in hac vita assequuntur. C

NOTATIO I.

In qua explicatur allusio ad id Isaiæ 16. 1. Emitte Agnum Domine dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion.

Allusio ad Isaiæ locum in Agno supra montem Sion vijs. Explicatur Isaiæ locus cap. 16. Difficultates circa hunc Isaiæ locum.

CVM Ioannes cap. 14. 1. dicat *Ecce Agnus stabat supra montem Sion*: facilè quispiam cernet, hæc verba illis Isaiæ verbis respondere; atque adeò in Apocalypsi denotari, Ioannem completum iam vidisse, quod Isaias tantopere expetebat, cùm dixit: *Emitte Agnum Domine dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion.* D

Contra hanc tamen allusionem obijci potest primò in Hebræos non esse sermonem cum Deo, sed cum Moabitis; Hebræa enim sonant. *Emittite Agnum*, vel *Arietem*, (vt vertit Forerius), & Septuaginta multò liter vertunt, nempe: *Mittam quasi reptilia super terram.* Quæ verba Basilius, & Cyrillus coniungunt cum superioris capitis fine; & deinde caput 16. sic incipiunt. *Numquid petra deserta est mons filiæ Sion?* Secundò potest opponi totus Isaiæ contextus capitis 15. & 16. qui pertinet ad onus Moab: in medio autem hoc contextu minimè videtur ad rem, vt abrumpantur comminationes aduersum Moab precatione illa, *Emitte Agnum Domine dominatorem terræ.* Quamobrem Forerius opinatur, legitimum lectionis originalis sensum esse ironiam quandam, qua Moabitis per irrisionem dicitur, vt aduersus Ierosolymam immittant belli arietes; quasi apertiùs asserat Propheta, eos, si contra Ierosolymam processerint, cum probro ac dedecore redituros. Hispani dicerent, *Que vendran por lana, i bolueran tres quilados.* Huc accedit, quòd verba paulo infrà posita manifestam continent ironiam. *Ini consilium, coge concilium.*

Forerij expositio in hæc Isaiæ verba.

Alii existimant, verbis illis, *Mittite Agnum, &c* agi de vectigalibus, quæ Moabitæ tanquam subditicij Ierosolymis persoluturi erant. Et interpretes quidem qui legunt, *Emitte Agnum Domine dominatorem terræ.* & explicant tanquam ingens desiderium de Messiæ aduentu, non satis exponunt, quomodo hæc verba cum præcedentibus & subsequentibus aptè connectantur. Quod enim notant, morem scilicet Prophetarum esse, filum repentè abrumpere, & ad Christi mysteria transilire; id neutiquam accipiendum est de transitione, aut saltu dissono atque hiulco. nullâ autem ratione videtur consonum, vt in mediâ ipsa aduersus Moabitas comminatione horribili, eo solùm, quod Messias vtpote Dauidis filius ex Ruth Moabitide fuerat propagandus, absque vlla præterea connexione inseratur versus vnus, quo à Deo aduentus Messię oretur. Deinde, omisso illo saltu, contextus illico ad minas contra Moab regreditur; ita vt medius ille versus interiectus nihil omnino conducat ad ipsarum minarum consequentiam. Nec eleuatur difficultas ex eo, quod nonnulli excogitarunt videlicet, vt primum hunc *Aliorum explicatio.*

cap. 16.

Digitized by Google

hunc cap. 16. versiculum hinc inde parenthesi includerent: sic enim in Plantinianis Biblijs legitur. Verùm eiusmodi parenthesis, nec in correctioribus Biblijs, nec in editione Vaticana reperitur: Imò credibile non est, caput ipsum à parenthesi exordiri. Nec demum in sermone prudenti admitti debet parenthesis, quæ sit omnino extra rem.

Oportet in hac difficultate idoneam inuenire rationem, qua primus hic versus capitis 16. iuxta vulgatam lectionem, & in eo sensu, qui votum ac deprecationem pro Messia contineat, congruenter cum antecedentibus & consequentibus consentiat. Etenim vt legatur atque explicetur sicuti Vulgatus legit, & intellexit; præter Ecclesiæ auctoritatem, qua vulgata versio roboratur, non parui momenti est manifesta Apocalypseos allusio ad eundem Isaiæ locum; apparet enim in Apocalypsi denotari antiquum illud Ecclesiæ desiderium, quod Isaias capite 16. 1. repræsentat, à Deo iam fuisse expletum; & idcirco Christum sub Agni specie Ioanni in Sione monte visum; quia Isaias dixerat: ***Emitte Agnum Domine dominatorem terræ ad montem filiæ Sion.***

Vulgata & lectio & scriptio defenditur.

In hac ergo difficultate obseruandum est, eam inde potissimùm fuisse ortam, quòd interpretes communiter statuant in contextu capitis 15. & 16. simplicem esse sermonem de propria aliqua vindicta, quam Deus fuerat de Moabitis sumpturus paulò pòst, quàm ab Isaiâ fuerat prædicta. Nam si hæc explicatio de ea vindicta ita, vt sonat, accipiatur, reperiri non potest, quo pacto versus ille primus cap. 16. in ea tractatione inseratur è re ipsius contextus & consecutionis. Cessat autem hæc difficultas, si illud hic statuamus, quod sine dubio D. Hieronymus constituit, vt ex eius commentario planum fit; nimirum Moabitarum nomen in hisce capitibus esse mysticè accipiendum; & Moabitarum euersionem, quam prædicit Isaias, esse mysticam vindictam, sicuti de Babylonis excidio in Apocalypsi docuimus: & de Idumææ etiam euersione Isaias ipse c. 34 Non tamen ideo tollitur, ne Propheta attingat etiam propriam veterum Moabitarum ruinam; cùm potiùs familiare sit sacris vatibus (vt toties ex Augustino inculcauimus) præsentia tangere, futura respicere. Quamobrem nihil congruentius prophetico stilo, quam per comparationem propriæ ruinæ Moabitarum, siue propriæ vindictæ, quam Deus de illis cepit, agere ad literam de mystica eorum ruina, qui spiritualiter dicuntur Moabitæ; & de vindicta etiam mystica à Deo de illis per Euangelij prædicatores sumendâ. Iam verò quàm sint huiusmodi locutiones mysticæ Prophetis vsitatæ, notissimum erit ijs, qui in eorum intellectione profecerint.

Vera Isaiæ verborum expositio.

Hic ergo sensus, qui iuxta receptam Prophetarum locutionem valde est Isaiæ congruens, magnopere confirmatur hoc ipso versu capitis 16 quod enim extra rem prorsus esset, respectu propriæ vindictæ Moabitarum (præsertim si sermo sit de vindicta, qua Deus illos ante Verbi incarnationem foret vlturus) hoc ipsum appositissimum est ad vindictam mysticam, quam sumpturus erat Deus de illis, qui spiritaliter Moabitæ nuncupantur: ad quos dimissi fuerunt Euangelij prædicatores, ***Sicut agni inter lupos***. Qui tamen pro duce Christum ferebant, qui mundum veluti Agnus mysticus expugnauit: ideoque Isaias illum iure optimo appellat, ***Agnum dominatorem terræ*** Cum autem Isaias de illis, quos Agnus subiecturus erat, sub Moabitarum nomine, & per comparationem ad Moabitarum ruinam loquatur; cumque meminisset ex Ruth quę Moabitis genere Messiam oriturum, qui mysticos Moabitas subiugaturus fuerat; alludens etiam ad fœcunditatem terræ Moab in agnis procreandis; protereà ait, ***Emitte Agnum Domine dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion***. Quibus verbis exprimit sacer Vates ingens illud desiderium, quo Prophetæ olim æstuabant, vt mysticus Agnus, veruſque secundùm genus Moabita, id est Christus Dominus, in mundum aduenire; suumque agnorum exercitū conflaret in mystico Sionis monte, vt mysticam pariter vindictam sumerer de illis, qui spiritaliter Moabitæ nominantur.

Explicatur adhuc magis & confirmatur prædicta interpretatio.

Si versum hunc iuxta eiusmodi sensum accipiamus, quid, quæso, aptius & cohærentius dici potuit ad ea omnia, quæ cap. 15. antecedunt, & cap 16. subsequuntur? quidve optari potuit congruentius, vt manifestè constaret Apocalypseos allusionem ad ea Isaiæ verba esse mirificam, & genuino illius loci sensui congruentem Hoc ergo ipsum, quod opus erat, vt allusio Apocalypseos ad hunc locum, sicut & cetera omnes, quibus tota Apocalypsis scatet, niteretur in germano illius loci sensu, quem respicit; hoc inquam ipsum nobis persuadet Apocalypseos auctoritas; alioquin eius allusio ad eum Isaiæ locū indigna esset Apocalypseos sapientiâ & elegantiâ. Itaque Apocalypsis ipsa nos edocet, Isaiæ contextum in duplici illo capite directè respicere ad mysticam illam vindictam, quæ à Deo sumenda erat sub felicissima legis gratiæ tempora de illis, qui spiritaliter essent Moabitæ: sicuti cap. 11. docet etiam non obscurè Apocalypsis, quidquid Isaias, aliique Prophetæ de onere Ægypti prædicunt, id secundùm Spiritus sancti intentionem directè asseri de supplicio in Iudæos exercēdo; quia Iudæa est, quę ***vocatur spiritaliter Ægyptus; in qua Dominus crucifixus est.***

Eadem Isaiæ verborum explanatio ex hoc Apocalypseos loco roboratur.

Præter hæc, si attentè examinentur verba aliqua ex ijs, quæ in Isaiæ contextu subsequuntur; apparet facilè, Prophetam de illis loqui, qui spiritaliter dicuntur Moabitæ. Etenim ad denotandum eam victoriam, quā de illis Christiana Religio comparauit, quando ipsamet interitura videbatur, apposita valde sunt verba illa: ***Pone quasi noctem vmbram tuam in meridie*** Vt autē significetur, quod fuerat in media Christianorum persecutione futurum, quando Christianorum multi in Gentilium domos sese abdebant, quid conuenientius, quàm verba illa: ***Abscondę fugientes, & vagos ne prodas, habitabunt apud te profugi mei. Moab esto latibulum eorū à facie vastatoris.*** Iam ad præcipuum illius persecutionis finem, nempe ad mystici Dauidis victoriam per Gentilitatis conuersionem mirificè deseruient ea; ***Et præparabitur in misericordia solium, & sedebit super illud in veritate in tabernaculo Dauid, iudicans, & quærens iudicium & velociter reddens, quod iustum est.*** Si ergo omnia ista hæc ad legis gratiæ tempora referenda sunt; cur non etiā omnia à principio c. 15. vbi de onere Moab? Quod si semel obtineamus, nulla superest difficultas in eorum verborum contextu; ***Emitte Agnum Domine dominatorem terræ***. Nec solùm a principio c. 15. proprius illius loci sensus est, quem mysticum appellant, verùm etiam in capitibus præcedentibus, vt aliquando diuino aspirante Numine ostendam.

Idem ex ipsius Isaiæ contextu & serie confirmatur.

Si sensus hic, quem proposui, in cap. 15. & 16. admittatur, apparet mox versum primum capitis 16 non parum elegantiæ, & concinnitatis in se continere. Etenim figura ipsa & species locutionis contra Moab præfert ingentem quandam vindictam de Moabitis à Deo sumendam. Verùm sub hac vindictæ simulatione latet summæ misericordiæ & beneficientiæ effectus, scilicet conuersio atque martyrium eorum, qui dicebantur Moabitæ. Hæc enim & in Apocalypsi compellatur ira nouissima, & in plerisque Prophetarum locis iuxta sensum legitimum respicitur. Ad figuram ergo locutionis, quæ est de Moabitarum excidio, rectè dicitur dux à Deo mittendus aduersus Moabitas, ex ipsismet Moabitis originem esse ducturus, atq; adeò in Moab inuasurus, quasi in regionem sibi satis notam atque perspectam: quod magni solet esse momenti ad felicem ipsius victoriæ exitum. Si autem attendamus permagnam commiserationem, quæ sub iræ atque vindictæ personâ delituit, conuenienter satis fit mentio cognationis, quæ duci ipsi cum illis intercedit. Atque ad hoc significandum ait Propheta, verum Messiam Agni nomine iure nuncupatum non posse non pietate atque clementiâ maxima aduersus eos vti, quos textus Moabitas vocat. Namque vt ex Ruth quæ Moabitis genere deriuatur, ita etiam propinquos atque cognatos habet eos omnes, quibus Scriptura Moabitarum nomen attribuit quare ipsius victoria, vtpote victoria propinqui ac necessarij, in generale hominum beneficium cedet.

Ex hucusque dictis sequitur; primum versiculum cap 16. qui ante veram ipsius textus intellectionem, difficultatis non parum afferebat, superato iam difficultatis nodo plurimum lucis duobus illis Isaiæ capitibus impertiri, dum tam versus ille, quàm caput vtrumque in sensu mystico accipiuntur, ita enim

Digitized by Google

opus est, vt primus ille versus capitis 16. cum antecedentibus & subsequentibus rite cohæreat. Verùm enim verò licèt, edixerimus hactenus sermonem hoc loco non esse tantummodò de carnalibus Moabitis, sed de ijs omnibus, qui sub eorum figura comprehẽdebantur; & quanuis necessariò videatur hæc significatio ad Gentiles omnes extenda; non tamen adhuc exposuimus, sub qua ratione Gentilibus nomen Moabitarum tribuatur; cuius rei explicatio non parum conferet ad pleniorem horum Isaiæ capitum intelligentiam. Id tamen commodiùs explicabimus in Appendice ad notationem sextam, vbi de mysticis Idumæis, & de mystica Ægypto.

Respondetur difficultatibus initio positis. Ac primò quod attinet ad Hebraicam lectionem.

Nunc respondeamus oportet ad duplex illud difficultatis caput, quod initio opposuimus Apocalypseos allusioni ad prædicta Isaiæ verba in eo sensu, quem Vulgatus expressit. Ad primum ergo Respondeo, fortè contextus difficultate coactos Hebræos vnius literæ adiectione mutasse Hebraicum verbum, quod sonabat *Mitte* in *Mittite*. Nam Hieronymus obseruat, Hebræa, ad verbum sonare, *Mitte Agnum dominatorem terræ*, vel *dominatori terræ*. Septuaginta hîc versio nihil lucis afferre posse videtur, manifestè enim secundam personam in primam commutarunt; transferentes, *Mittam*. Si tamen vera lectio Septuaginta foret ea, quæ in Bibliis Complutensibus reperitur, *Mittam Agnum dominatorem super terram:* idem meminerit sensus. Verùm quidquid de hoc sit; lectio Basilij & Cyrilli Hebræo non respondet. Fuit porrò singulari Dei consilio factum, vt eam Hieronymus corrigeret, & Ecclesia correctionem Hieronymi probaret, atq; amplecteretur. Iam quod Forerius transtulit *Arietem* loco *Agni*, id ex loci difficultate ortum est: constat tamen Hebraicam vocem significare Agnum. Sic enim vertunt Pagninus, & Arias. eademque versio ex Apocalypseos allusione pariter, vt vidimus, roboratur. Cùm autem legamus Agnum, inconueniens non est, si credamus, Hebraicam vocem, quæ in plurali sonat, *Mittite*, incorruptam esse. nam si sensus attendatur, in idem recidit, siue sermone ad Moabitas conuerso dicatur illis, *Mittite nobis Agnum, quid dominaturus est vniuersæ terræ.* Siue ad Deum sic sermo dirigatur, *Mitte Agnum Domine, qui dominetur vniuersæ terræ.* Vtrâuis enim ratione idem significatur; nimirum ardens desiderium aduentus Messiæ, qui ex Moabitico genere ducturus erat originem, & lenitate ac mansuetudine Gentes fuerat omnes subiugaturus. Itaque verba illa, *De petra deserti*, innuunt Christum, quatenus ex Ruth deriuatum, Moabitam; vt præclare docet Hieronymus. Non tamen propterea opus est eidem Ruth nomen petræ hîc indi, vt contendunt aliqui, verisimiliùs est, petræ nomen esse, quod vrbi Arabiæ Petræ Metropoli tribuitur. nam ea appellatur Petra Ptolomæo & Straboni: id quod significat Hebraica vox *Salagh*, id est, rupes, aut saxum, sicuti quoddam Africæ oppidum nostris dicitur *El Peñon*, quia in viuo saxo erectum est; & vrbs illa Arabiæ Petræ videtur fuisse Moabitarum regni Metropolis.

Hebraica lectio cum Vulgata componitur.

Secunda difficultatis pars soluta.

Secundus difficultatis nodus ita soluitur: in tractatu quidem de onere Moab, si de proprijs pœnis à Moabitico populo repetitis intelligatur, verba illa minimè esse videntur ad rem. *Emitte Agnum Domine dominatorem terræ.* Si tamen onus Moab de mystica vindicta interpretur, nihil potest aptius afferri, vt constat ex iis, quæ superiùs annotauimus. Ironiam autem, quam hic Forerius subesse putat, respuit omnino tam Vulgata lectio, quam Apocalypseos allusio; quos duces potiùs, quàm Forerium sectari debemus. Nihilo est conguentior sensus de vectigali soluendo; hic enim pariter & Vulgatæ lectioni, & Apocalypseos allusioni refragatur. Quare huiusmodi sensibus relictis, eum vnum, quem proposui, voluit haud dubiè Vulgatus exprimere eumque Apocalypseos allusio collineauit: qui nec præpostero saltu nec repentinâ transitione, nec parenthesi importunâ indiget: sed continuum ducit filium, eleganti rerum atque ordinis consecutione: vt ex supra dictis satis apparet.

TEXTVS.

Vers. 2. Et audiui vocem de cælo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni, & vocem, quam audiui sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis.

3. Et cantabant quasi canticum nouum ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores; & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra.

COMMENTARIVS.

Ioannes quomodo vocem è cælo exaudierit.

IMprimis violentum valde existimare, eundem aquarum multarum sonitum esse similem tonitruo magno & citharatum cõcentui: atque magna hęc violentia nec à textu exigitur nec ad mysterium necessaria est. Quapropter satis est, si dicamus, Ioannem auribus simul excepisse tres eos sonitus, quos refert, non quidem confusos, & in vnum promiscuè coalescentes, sed distinctos, sicuti qui tres pariter voces audiuit. Imò verò non diuersi solùm erant soni, sed primi duo in cælo resonabant: tertius non item, vt statim explicabimus. Et quanuis Vulgata ait, *Et vocem, quam audiui sicut citharœdorum, &c.* non tamen opus est, vt hoc de tonitrui voce intelligatur, præsertim cùm ex Greco sic reddatur ad verbum, *Et audiui vocem citharœdorum.*

Vers. 2. *An vox cithariedorum à Ioanne sit audita è cælo.*

ET AVDIVI VOCEM DE CÆLO] Hoc proximè refertur ad vocem aquarum multarum; deinde liquet etiam, vocem tonitrui pariter de cælo exaudiri. Quare ad vtramque vocem referenda est vox illa *De cælo.* An verò vox quoque citharœdorum de cælo audita sit, id oportet diligenter expendere. Discet quispiam, necessariũ esse, vt tertia hæc vox in cælo pariter sonuisse dicenda sit; tum quia nulla est potior ratio, cur vox de cælo ad duas primas, non verò ad tertiam itidem referatur: tum etiam quia de citharœdis mox subiungitur, *Et cantabant quasi canticum nouum ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores.* Constat autem Dei thronum, & animalia, & seniores visos à Ioanne in cælo; vt patet c. 1. n. 2. 5. & 6. igitur citharœdi etiam erant in cælo; alioquin non dicerentur cantare ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores.

Quinam sint huiusmodi citharœdi citharas pulsantes?

Vt huic difficultati satisfiat; intelligamus imprimis oportet, qui sint illi, de quibus versu 3. dicitur, *Et cantabant quasi canticum nouum.* Qua in re primò sic statuo, hos non esse animalia & seniores; quanuis enim his quoque datæ sint citharę, vt habetur c. 5. 8. verùm cùm textus hîc dicat citharœdos

ante

Digitized by Google

A ante quatuor animalia & seniores cantare, euidenter hos ab illis distinguit. Secundò, hi citharœdi non sunt angeli ex cælesti Hierarchia; hoc enim cum ipso sensu non bene consentit. Quapropter pro certo habeo citharœdos hosce esse exercitum centum quadraginta quatuor millium, qui erat in mõte Sionis. Etenim quanuis aliquis considerare posset, harmoniã priùs in cælo resonare, qua veluti ad canticum pariter inuitarentur centũ quadraginta quatuor millia: & quanuis huic intelligentiæ videatur fauere, quod sequitur; *Et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia* (vbi *dicere* perinde esse videtur, quasi *imitari*: nam verbum Græcum μαθεῖν, est discere:) nihilominus si rectè id expendamus, nulli alij reliqui fiunt, qui possint citharœdorum vice fungi, præter illa centum quadraginta quatuor millia. Quare nihil est, cur alios esse fingamus.

Statuitur citharœdos hos non esse alios, nisi illa 144. millia.

Veruntamen vt vox illa, *Audiui vocem de cælo*, ad citharœdorũ concentũ referatur; instabit aliquis, fortè verba ipsa ita esse connectenda, vt Ioannes de cælo audierit vocem citharœdorum in Sione monte cantillantium. Ascenderat enim Ioannes in spiritu in cælum, vt habetur c. 4. 1. Dicat alius, quod Ioannes asserit versu 1. huius capitis, nempe Agnum & centum quadraginta quatuor millia esse in Sionis monte; non ita intelligendum fore, vt in monte ipso pedibus niterentur; sed vt nubes aliqua supra terram esse solet. Quare cælesti Agno in medio throni, qui erat super nubes, permanẽte, potuit conspici quasi supra ipsum Sionis montem existens. in quo sensu verè dici posset vox cẽtum quadraginta quatuor millium Agnum constipantium de cælo resonare. Hæ tamen duæ expositiones illius vocis *De cælo*, coactæ sunt, opinor. quapropter illud simplicius & germanius est, Agnum in hac visione apparuisse in montis Sionis culmine, & in eodem ipso monte (qui hic videtur fingi ingens atque extensus) extitisse etiam omnes illos centies quadragies quater mille. Adhæc, è cælo personuisse vocem aquarum multarum ac vocem tonitrui: ex monte verò Sionis sonuisse vocem persimilem citharœdorum citharizantium in citharis suis: hoc est musicum concentum atque harmoniam humanarum vocum cum citharis concinentium valde similem.

Vtrum Agnus & 144. millia in Sion mõte pedibus niteretur: an verò in aëre eleuati considerandi sint.

Argumenta autem superiùs adducta ad probandũ huiusmodi harmoniam è cælo fuisse axauditã, non multum roboris habent. Quare ad primum assero, vt vox illa *De cælo*, non extendatur ad musicã, ideo phrasim fuisse in textu immutatam. Etenim cùm de primis duabus vocibus dictum esset, *Audiui vocem de cælo tanquam vocem aquarum multarum & tanquam vocem tonitrui magni*; non eadem loquendi ratio longiùs progressa est, *& tanquam vocem citharœdorum*. sed rursus ita cœpit, *Et audiui vocem citharœdorum*. vt ex Græco paulò suprà retulimus. Vnde verò hæc vox sit exaudita, in consequentibus explicatur. Nam textus eam manifestè tribuit centum quadraginta quatuor millibus; quos dixerat versu primo, in monte, Sione consistere. Quapropter contextus haud obscurè indicat, è cælo voces horribiles tonare, id est, vocem aquarum multarum (videlicet vocem maris, vt diximus c. 1.) & vocem tonitrui magni: at ex monte Sione suauissimam harmoniam concrepare: quæ horribiles illas voces comitabatur.

Argumentis à contrario adductis occurritur.

Ad 2. nubes illæ, in quibus thronus, seniores, & animalia apparuerunt, non ita excelsæ considerandę sunt; vt musicæ concentus, quẽ edebant centum quadraginta quatuor millia in Sione monte concinentes, non eò conscendat. Quòd si sacra fictio inducit ipsos voce ac citharis personantes in conspectu throni, & suauissimâ modulatione permulcentes eum, qui in throno sedet, nec non animalia & seniores; aptissimè dicitur centum quadraginta quatuor millia in monte commorantes citharas inibi pulsare, atque canere *Ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores*. hoc est coram illis, siue illis audientibus atque fruentibus. Vide infrà n. 5. vbi de his etiã dicitur, *Sine macula sunt ante thronum Dei*. Atque hactenus de visionis huius ideâ.

Venio iam ad mysterium. Cæli nomen in hoc loco non videtur ad militantis Ecclesiæ significationem referendum. Hic enim per montem Sionem, & per centum quadraginta quatuor millia militans figuratur Ecclesia. Quamobrem licèt alijs in locis cælum sit militantis Ecclesiæ symbolũ; hic tamen propria ac germana illius significatio est suprema diuinæ prouidentiæ gubernatio. Et quidem communis locutio est, quæ cælo attribuat, quæ operatur Deus. Sonus autem tonitrui è cælo edi solet, at verò multarum aquarũ sonitus, si furentis pelagi fremitũ repræsentat, vt vidimus c. 1. nouũ quidem & inusitatum apparet, quod cælo pariter tribuatur. Hæc tamen noultas & insolentia energiam maximam in se continet. Nam maris sonitus denotat persecutionem Romani Imperij cõmotam aduersus Ecclesiam, vt vidimus c. 1. atq; vt innuatur diuinam prouidentiam eâdem persecutione vti, vt per illam doceret Ecclesiam, atque instrueret, & Euangelicæ prædicationi efficacitatem adhiberet, ad hoc inquam congruentissimum fuit, vt vox aquarum multarum (qui est sæuientis pelagi sonus ac fragor) è cælo descendere significaretur. In cuius explicatione amplius immorari non opus est, cùm c. 1. id latiùs explicatum sit. vbi vidimus propter similem aut eandem rationem Christo Domino vocem aquarum multarum adscribi. Ex quo facilè cernitur, quàm fuerit consentaneum frementis sonitum maris cum voce tonitrui magni coniungi. Nam tonitrui sonitus (vt vidimus cùm sæpè aliàs, tum præsertim c. 4.) aptissimè significat vim cælestem atque robur, quod Deus prædicationi Euangelicæ conferebat. Illud autem imprimis erat mirandum, videlicet quò vehementior ingruebat Romani populi persecutio, eò validiores vires ac firmius robur à Deo impendi in prædicationem eorum, qui ipsius prædicationis causâ distorquebantur pariter, ac trucidabantur.

Quid cæli nomine in hoc loco denotetur.

Cur vox aquarũ multarum sit Ioanni è cælo exaudita?

Cur vox aquarum multarum cũ voce tonitrui coniungatur?

Quid per tonitrui vocẽ significetur.

Deo igitur persecutioni cælestem tribuente vocem, & Euangelii prædicationem cum suæ vocis virtute copulante; resonabat simul Christiani exercitus vox (hoc est ipsa Christianorum hominum prædicatio) quæ mirificè comparatur musicę suauissimarum vocum cum citharis dulcissimis consonantium. Quo denotatur, Christianos primitiuos non vocibus solùm, sed etiam manibus, id est tũ verbo, tum opere concionari. Tot autem, tamque suauium vocum hormonia cũ citharis copulatarum

Quid per vocũ & cithararum concentus.

Cur dicantur cantare ante thronum Dei?

rum Deo erat gratissima: ideoque dicuntur cantare ante sedem Dei. Erat item erga homines efficacissima: nam multarum vocum, & musicorum instrumentorum harmonia atque concentus repræsentat maximam quandam efficientiam in hominum cordibus permouendis. Quamobrem quod Poëtæ de suis Orpheo & Amphione comminiscuntur, multo præstantiùs & excellentiùs in Euãgelij concionatoribus verũ comprobatur, qui in media persecutionis sæuissimæ procellâ ad sese feras indomitas & saxa rigentia trahebant; & illas cicurabant, hæc molliebant: atque mirâ illius harmoniæ vi & efficacitate subijciebant. Multi latè scribunt de hoc musicæ symbolo ex humanis vocibus ac citharis compactæ; qua significetur sapientiæ & sanctitatis, seu quod idem est, verborum atque operum cõiunctio, potentia ac robur. Vide Viegam hîc, qui adducit insignem Clementis Alexandrini locum. Lege etiam illud Ecclesiastici 39. 20. *In canticis labiorum & citharis.*

Cur humanæ voces cum cithararũ cãtu consocientur?

Præter hæc, huiusmodi symbolum non solùm Euangelicæ prædicationi deseruit (quæ vitæ immaculatæ exemplo sociari debet): sed etiam quanuis ab aliorum conuersione abstrahamus sermonem, & Dei solùm laudem hymnis ac pijs vocibus conceptam consideremus; hæc inquam laus, haudquaquam est illi grata, nisi cum cithara, id est, cum manuum operibus societur. Itaque inter ipsam persecutionis sæuitiam, ille imprimis concentus musicus Deo perquàm est gratissimus, quem fideles in canticis labiorum & citharis edunt. Atque hoc erat canere ac pulsare ante sedem Dei; dum Deus ipse dulcissimâ mulcetur harmoniâ, quæ reddatur in Christianorum neruis per crudelissimos cruciatus distentis atque distortis; chordarum instar, quæ in citharis contentæ dulciter personant. Nec solùm in Dei gloriam atque honorem hoc cedebat; verùm etiam in maximum Apostolorum & Sacerdotum Christianorum decus atque lætitiam; quòd scilicet ipsorum filij suaui illo concentu Deum prædicarent. Propterea enim textus non ait modò, *Ante sedem Dei*: verùm adiungit pariter, *Ante quatuor animalia, & seniores.* Quod est ante prædicatores & Sacerdotes, vt diximus c. 4. Expende illa Pauli verba ad Phil. 4. 1. *Gaudium meum, & corona mea.* Sic enim suos Apostolus filios compellat, qui Deum verbo & opere glorificabant.

In numero 144. millium non Apostolos ac discipulos, sed eorum tãtùm filios includi.

Ex hactenus dictis colligitur, in numero centum quadraginta quatuor milliũ non includi Christi Apostolos atque discipulos; sed ipsorum filios, & eorum filiorum discipulos. Etenim vt denotaretur, quàm extiterit glorioſa Christi Apostolis atque discipulis constantia primorum Christianorũ, quos ipsi ad fidem traduxerunt; & fortitudo eorũ, qua prouehebant gloriam Dei in Romani Imperij conuersione, congruenter satis accidit, vt ipsi Apostoli atque discipuli in textu distinguerentur ab ijs, quos ipsi Euangelio subegerunt. Et quidem maior Apostolorum præstãtia & excellentia in eo decore indicatur; quòd ipsi in cælo depingantur Dei thronum constipantes; eorumque discipuli in monte Sione collocentur. Quanuis enim vtrumque symbolum idoneè repræsentet Christianæ sanctitatis celsitudinem, atque adeò Agnus, id est Christus, cũ animalibus & senioribus in cælo, in monte Sione cum centum quadraginta quatuor millibus apponatur; ceterùm, quòd in hac visione alij in monte, alij considerentur in cælo, potuit quidem aptè confingi ad denotandam sublimiorem eorum excellentiam, qui editiores ac celsiores erant. Et quanuis vere etiam dicantur non Apostoli tantùm sed pij omnes fideles in cælo degere; quia ipsorum conuersatio in cælis est: nihil tamen prohibet quominus cæli symbolum accipiatur interdum pro nobilissima illa ac perfectissima ratione viuendi in cælo, quæ propria erat Apostolorum & discipulorum Christi; nec non aliorum similiter, qui ipsis fuere persimiles.

Vers. 3. *Quæ sit hæc noua cantio à 144. millibus vsurpata.*

ET CANTABANT QVASI CANTICVM NOVVM] Si de doctrinæ solùm præstantia ac perfectione haberetur hîc sermo; nouum canticũ nusquam antea exauditum, non esset aliud quàm explicita Apostolici symboli doctrina. Veruntamen hæc noua cantio potest etiã ab ijs vsurpari, qui ex numero centũ quadraginta quatuor millium non sunt, quòd deprauatis moribus sint, quanuis Christianam profiteantur fidem. Quare illud mihi magis arridet, nouum hoc canticum referri ad horificã prædicatorum gloriationem in ipsismet persecutionum & cruciatuum procellis; quod veteris Testamenti tempore fuerat inauditum, ac proinde legis gratiæ proprium. Licèt autem citharœdi ab Apostolis & Christi discipulis, vtpote eorum filij distinguantur, nihilominus hæc noua cantandi ratio non ab ipsis filijs duxit exordium. Non item appellatur canticum nouum, quia ipsi primò cecinerunt illud, sed quia in mundo fuerat inauditum, antequam Deus suum Christianæ Ecclesiæ Spiritum impertiret. Atque ideo fortassis non dicitur, *Cantabant canticum nouum*: sed, *quasi canticum nouum.* Adhuc enim perstabat in hominum opinione illa nouitatis & insolentiæ admiratio, quòd in afflictionibus atque ærumnis mortales exultarent, & iactabundi gloriarentur.

Per illos 144 millia denotari fideles tã ex Iudæis, quã ex Gentibus euocatos.

ET NEMO POTERAT DICERE CANTICVM ILLVD, NISI ILLA CENTVM QVADRAGINTA QVATVOR MILLIA] Verbo, *Dicere*, respondet in Græco μαθεῖν. Quod proprie est, *Dicere*. Hîc tamen vtrũque in idem recidunt; qui enim nouum canticum ediscunt, iidem illud decantant, ac prædicant. Ex verbo autem Græco deducitur, quanuis Cantico, epitheton *Nouum* adiungatur, nihilominus illud iã antea ab Apostolis & discipulis fuisse decantatum. Ex ipsis enim didicere centum quadraginta quatuor millia. Atque ita imitantur hoc pariter legitimi eorum successores & studiosi sectatores: nec nõ qui in eandem adsciscuntur societatem. Ex his etiam verbis infertur manifestè, quantunuis primæui Christiani, quibus cum Deus bellum Gentilitati intulit, maxima ex parte fuerint à Iudæorum populo acciti, in exercitu tamen centum quadraginta quatuor millium comprehendi necessariò fideles omnes perfectos, quotquot eâ tempestate reperiebantur. Illud enim canticum non concinebant modò fideles ex populo Iudæorũ euocati, sed fideles etiam perfecti ex populo Gentilico, qui in eam oliuam inserebantur. Tametsi autem initio complures eorum, aut ferè omnes erant ex Hebræorum populo, illud tamen permagni faciendũ est, eos videlicet spiritales Israëlitas fuisse, & ex nouis, Dei

populi

Digitized by Google

A populi tribubus sub nouis Patriarchis, id est sub Apostolis; quæ dignitas illis impertiebatur, qui ex Gentilium populo ad Christianam Religionem commigrabant.

QVI EMPTI SVNT DE TERRA] *Emere* hîc non est solùm proprium sanguinem in pretium effudisse: hoc enim modo pro vniuersis hominibus Christus Iesus mortem subijt. Emptionis ergo perfectio in eo consistit, quòd quis eam rem, quam emit, vel redimit, extrahit ab eius potestate, qui possidebat, & in suam vendicat ditionem. Primitiuos autem Christianos & homines verè spiritales dicitur Christus verè ac propriè eripuisse de terra, id est, de terrenarum rerũ cupiditate, de mũdi subiectione, deque prophanis ipsius legibus; eosque transtulisse in libertatem, & in Regnũ filij dilectionis suæ: atq; hoc est, eos, qui captiui tenebantur, à Christo fuisse in veram libertatem assertos. *Quo sensu dicantur empti de terra.*

TEXTVS.

Vers. 4. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. hi sequuntur Agnum quocumque ierit, hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno.

5. Et in ore eorum non est inuentum mendacium, sine macula enim sunt ante thronum Dei.

B

COMMENTARIVS.

QVOD de horum centum quadraginta quatuor milliũ virginitate asseueratur, plerique accipiũt vt sonat. Cùm autem virginitati adiungatur hic aliarum virtutum maximarum præsidium & comitatus; opinatur Ribera de ijsdem tantùm virginibus esse sermonem, qui virtutes omnes cum virginitate copulant, vel significari, in virginum multitudine omnia merita, etiam martyrij, inueniri. Addit Viegas virginitatem ipsam esse quoddam martyrii genus; simpliciùs tamen esse, si explicetur, non de imitatione Christi, neque de omnium virtutum genere, sed de ea voluptate & gaudio, quo virgines Deum afficiunt, sicuti musicæ artis periti suo mirifico concentu principem aliquem demulcent; qui illos propterea secum affert, quocumque pergat. Atque hoc ait Viegas, esse, *His sequuntur Agnum quocunque ierit.* Et quidem ita Ribera, quam Viegas sibi persuadent de illis duntaxat virginibus esse in præsenti sermonem qui Antichristi tempore adhærebunt Agno. Verùm non deerit, qui hæc in vniuersum de Religiosorum hominum familijs Ecclesiam Christianam decorantibus prædicta velint. Nam in Religiosis Ordinibus sacri homines profitentur castitatem Angelicâ puritate custoditam, & cum diuinorum præceptorum atque consiliorum obseruatione copulatam: quod est, *sequi Agnum, quocumque ierit.* *Virũm virginum nomen hic in sensu proprio, an in allegorico sit vsurpandũ? Proponitur prima expositio in sensu proprio accipiens.*

C Huiusmodi expositiones, virginitatis nomen vsurpant in ea propria acceptione, quã præ se fert. Enimuerò (ni me animus fallit) non solùm Apocalypseos series & consequentia, sed etiam hic ipse met textus præsens diuersam interpretationem deposcit. Primò enim Apocalypseos argumentum postulat, vt in his centũ quadraginta quatuor millibus illi adumbrentur milites, qui Christo Redẽptori nostro in spiritali ac mystica imperij Romani expeditione strenuã nauarunt operã. Ex quibus licèt plerique fuerint propriè virgines, non tamen omnes; sed nonnulli etiam coniugati, aut vidui in iis reperiebantur. Quòd verò sancti illi viri, qui aut matrimonio erant addicti, aut etiam post cõiugis mortem ab eo liberati excludantur ab eorum consortio, qui canticum nouum pariter concinebant; id sanè nec cum vera cantici ipsius declaratione, nec cum argumenti acoluthia & cohærentia cõsentit. Deinde vt virginitatis nomen hic mysticè desumatur, non modò ænigmatis stilus permittit, sed etiam contextus. Nam vbi nos legimus, *Virgines enim sunt*: habetur Græcè παρθένοι, quod nomen fœmineum est, & puellas intactas significat. Manifestum verò est, sensum huius loci minimè esse, hos omnes citharœdos esse puellas illibatas. Quamobrem ipse cõtextus inuitat, vt virginum nomen allegoricè accipiatur, sicuti ab Apostolo accipitur 2. Corint. 11. 2. *Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Vnde Origenes, Hieronymus, Augustinus, Hesychius, atque Fulgentius (apud Lauretum verbo Virgo) colligunt, in sacris Literis non solùm Ecclesiam appellari virginem; sed *Vera auctoris sententia exponẽs in sensu allegorico.*

D omnes etiam animas puras, quæ minimè patiuntur violari se à concupiscentijs & prauis affectibus, sed integras se Christo reseruant. Itaque vitæ atque doctrinæ integritas & perfectio pro mystica virginitate reputatur. His addo, in hoc loco alludi (vt opinor) ad illud Cantic. 1. 3. *Adolescentulæ dilexerunt te: curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Vbi virginitati adiungitur sequi Christum, quocumque ierit; sicuti & in præsenti. Iam, quod de virginitate dico, idem etiam dictum esto de illis verbis, *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati.* nam similiter hoc est allegoricum.

Existimo ergo virgines in hoc loco appellari eos omnes, qui rerum creatarum inordinatâ affectione se non contaminant. Nec de illicito solùm affectu loquor, sed de licito etiam atque permisso; qui tamen aliquo modo animum à diuino commercio remoretur. Sicut Paulus loquitur de matrimonio 1. Corinth. 7. 33. & 34. Etenim ab eo effectu, qui ex matrimonio sequi solet, dum animam à Dei familiaritate quodãmodo retardat, aut diuidit; ab hoc inquam spiritales viri, quantunuis vidui aut cõiugati sint, reperiuntur immunes. Huius autem versus cum præcedenti connexio ea est. Vt decantari possit noua cantio, de qua suprà, nempe noua & efficacissima prædicandi ratio, atque etiam in tribulationibus gloriatio, oportet quemuis spiritalem esse virum, & sequi Agnũ quocumque ierit: quod perinde est quasi animo forti magnoque esse ad Christi ampectenda consilia, ad eius crucem tollendam, & ad martyrij, si opus sit, palmam reportandam. Id quod saltem in voto præstabant omnes primitiuæ *Quinam hic appellantur virgines?*

Digitized by Google

mitiuæ Ecclesiæ sancti. Quòd si propter susceptum firmiter castimoniæ consilium atque decretum virgo quæuis verè potest dicere, *Virum non cognosco*: verè etiam dici possunt Christum ad Caluariæ montem sequi, qui tenaci mente apud se statuerunt pro ipso Christo vitam, si oporteat, amittere; & qui ipsum in rerum temporalium despicientia, & diuinæ gloriæ desiderio subsequuntur. A

Vers.4. *Cur hi dicãtur primitiæ Deo & Agno?*

HI EMPTI SVNT EX HOMINIBVS PRIMITIVÆ DEO ET AGNO] Facilè intelligitur, quàm verè primæui dicantur Christiani primitiæ esse illorum quos Christus suo sanguine redemit. Et fortassis alluditur ad illud Ierem. 2. 3. *Sanctus Israel Domino primitiæ frugum eius: omnes, qui deuorant eum, delinquẽt.* Quæ verba ad spiritalem Israëlem translata, significationis & energiæ habẽt plurimum. Constat autem hæc centum quadraginta quatuor millia esse spiritalem Israelem, sicut c.7. vidimus. Iam verò si primitiua Ecclesia est primitiæ Christi, sequitur, vberem & copiosam messem esse vniuersalem Ecclesiam ex Gentilitate euocatam. Licèt autem hæc messis multò fuerit maior & affluentior; primitiæ tamẽ Deo extitere gratiores, vtpote ex lectissimis hominibus coactæ. Illi enim Spiritus sancti primitias acceperunt, testante Paulo ad Rom. 8. 23. *Primitias spiritus habentes.* & 2. Thessal. 2.12. *Elegerit vos Deus primitias.* Ac demum propter huiusmodi primitias fortunat Deus atque fœcundat Ecclesiam vniuersam; iuxta id Prouerb. 3. 9. *Honora Dominum de tua substantia, & de primitijs omnium frugum tuarũ da ei. & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Quapropter primitias huiusmodi consequitur ad calcem huius capitis, spiritalis messis atque vindemia, de quibus suo loco dicemus. B

Vers.5. *Quo sẽsu dicatur in eorũ ore non fuisse inuentum mendacium.*

ET IN ORE EORVM NON EST INVENTVM MENDACIVM] Græcè δόλος. vnde allusio videtur fieri ad ea Christi verba de Nathanaele loquentis Ioan. 1.47. *Ecce verus Israelita, in quo dolus non est.* Videlicet quia mundi sermo atque loquela mendacijs & fraudibus scatet; at spiritalium hominum sermones veritatem ac simplicitatem præ se ferunt; nec aliud verbis, aliud factis ostendunt; sed vitam ad Christianismi professionem conformant.

SINE MACVLA ENIM SVNT ANTE THRONVM DEI] Redditur hîc ratio, cur Christiani primitiui mẽdacium quod libet ac deceptionem detestarentur, nimirum, quia vt homines diuino auxilio protecti & in Dei ipsius conspectu degentes vitam ab omni scelerum contagione illęsam agere studebãt. *Sine macula.* Græcè ἄμωμοι, id est, *inculpati.* Recte tamen vertit noster interpres, quasi innuat, eos, qui in magni alicuius Principis conspectu semper agunt, accuratissime studere, vt vestimenta sua ab omni labe ac maculâ sint detersa, ne Regem, cui famulantur, vel leuiter offendant. Vide c.7.14. vbi de his ipsis dicitur, *Lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei.*

TEXTVS.

Vers.6. Et vidi alterum Angelum volantem per medium cæli, habentem Euãgelium æternum, vt euangelizaret sedentibus super terram, & super omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum. C

7. Dicens magna voce; Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius, & adorate eum, qui fecit cælum & terram, mare & fontes aquarum.

8. Et alius Angelus secutus est dicens; Cecidit cecidit Babylon illa magna, quæ à vino iræ fornicationis suæ potauit omnes Gentes.

9. Et tertius Angelus secutus est illos dicens voce magna: Si quis adorauerit Bestiam, & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua aut in manu sua.

10. Et hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero in calice iræ ipsius, & cruciabitur igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & ante conspectum agni.

COMMENTARIVS.

D

Quinam in tribus hisce angelis figurentur? Aliorum expositio de Antichristi tempore, explodiꝰ tur.

HOSCE omnes versiculos coniunxi, quia in illis referuntur trium Angelorum voces. In quarum explicatione neutiquam satis est, vnamquamque seorsum conuenienter applicari, nisi ostendatur pariter congruentia huius ternarij Angelorum, & cohærentia trium vocum inter se, atque adeò earum omnium argumentum. Viegas parte 2. sectione primâ addubitat, num hi tres Angeli denotent tres prædicatorum differentias, quos Deus sub Antichristi tempora sit missurus, vt Ticonius, Beda, Rupertus, Anselmus, & Ansbertus exponere videntur? an verò sit solùm visio imaginaria, vt Ioannes tres illa sententias litteris mandaret? Mihi quidem interpretatio, quæ hos tres Angelos de Antichristi tempora reijcit, reijcienda necessariò est. nam meæ acoluthiæ filum me cogit, ne in hoc loco extra Romani Imperij primitiuam Ecclesiam persequentis limites pedem efferam. Præterquàm quòd indignum est Apocalypseos grauitate, hunc Angelorum ternariũ ad res omnino incertas applicare, huiusmodi est triplex ille prædicatorum ordo, quos à Deo fore sub Antichristi tempus mittendos nonnulli opinantur. Nec verò simile rationi apparet, prædicatorum discrimen inde esse capiendum, quòd alij prædicent ea, quæ in prima horum trium Angelorum voce continentur, alij Babylonis ruinam, & alij inferorum pœnas. Cur non potiùs omnes vniuersam Christianam doctrinam personabunt? Iam affirmare huic trium Angelorum visioni illud mysterij

Digitized by Google

A sterij solum inesse, vt tres illæ sententiæ conscribantur; hoc inquam mentem minimè explet: nisi exponatur trium sententiarum connexio, & congruens pariter ratio reddatur, cur sint in hunc locum insertæ.

Mysterium trium vocum à tribus angelis lpsoletarum quodnam sit?

Omissis ergo aliorum declarationibus; illam ego veram atque germanam iudico, quæ has tres voces explicet de cohortatione, quæ ex parte Agni fuit suis militibus facta; vt in eo bello, quod Agnus ipse aduersus Romanum Imperium persecutionis tempore gerebat, strenuè & fortiter dimicârent. Cùm autem hostilis factionis duces tres fuerint, nempe draco, bestia maris, & bestia terræ, ideo tribus hisce ducibus tres item voces Angelicæ per ordinem opponuntur. Prima nimirum draconi, secunda marinæ bestiæ, tertia bestiæ terrestri. Et quidem vbi ad singularum vocum expositionem deueniamus, facilè perspicietur, huiusmodi distributionem non gratis confictam, sed ab Spiritu sancto fuisse intentam.

Auctoris sententia de trium angelorum significatione.

Postquàm trium vocum series & cohærentia obseruata fuerit, facilè concedet quispiam tres illos Angelos, quibus voces eiusmodi tribuuntur, esse tres ex sacris Scriptoribus, eos scilicet, ex quibus eę sententiæ videntur esse depromptæ. Illud autem hic Apocalypseos elegantiam imprimis commendat, videlicet, quòd hi tres Scriptores sint illi ipsimet, qui præcipui extitere duces in eo Ecclesiæ bello aduersus Romam ethnicam suscepto, itaque figuratur in hoc loco exhortationem militibus Christi fieri ab illis ipsis, quos Christus illius belli duces delegit. Ij vero sunt Petrus, Paulus, & Ioannes,
B qui inter ceteros Apostolos sunt destinati, vt Romæ Euangelium prædicarent, & tanquam expeditionis huius duces præstantissimi, in eâdem vrbe martyrio coronarentur. Et quidem licèt tres Apostoli viderentur prædicto ordine numerandi, nempe Petrus, Paulus, & Ioannes: ceterùm ordo sententiarum (quarum prima continebat hortationem aduersus dæmonẽ, secunda aduersus Imperium Romanum, tertia aduersus carnis sapientiam (postulat, vt in trium Angelorum ordine primus foret Ioannes, secundus Paulus, tertius Petrus. Prima enim ex tribus sententijs desumpta est ex Ioannis Euangelio, secunda ex Paulo, tertia ex Petro. Qua in re forsitan Ioannes comitatis ergò, honoris ac decoris ordinem seruauit. Sæpè enim vsu venit, vt posterior locus præstantior & honoratior sit. Quare cùm Petrus extremo in loco numerandus esset, vtpote Dux & Princeps ceterorum; sibi Ioannes primum, atque adeò nouissimum reseruauit; & Paulo secundum reliquit.

Alter Angelus *quo sensu sit accipiendus.*

Verùm ad singulos iam versus descendamus. In v. 6. ait textus, *Vidi alterum Angelum*, vbi pro voce, *Alterum*, optatem ego legi *Alium*, vt Græca sonant. & vox *Alium*, non referenda hic est ad aliquem, qui præcesserit; sed respectu aliorum, qui subsequuntur. phrasis enim est frequenter vsurpata, vt Alius non minùs dicatur de primo, quàm de secundo & tertio; vt 1. Corint. 11. 21. *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* Videre licet locutiones similes 1. Corint. 12. 8. 9. & c. 15. 40. 41. & ad Ephes. 4. 11. Vt ergo Ioannes asserat, tres Angelos sibi visos; quorum alius prædicabat horam iudicij aduentasse, alius Babylonis ruinam, & alius æternas inferorum pœnas; optimè potuit de primo dicere; *Vidi alium Angelum.* Et ex contextu manifestum est, eum esse sensum. Nam numero 9. additur, *Et tertius Angelus secutus est illos.* Ad hæc; nullus alius in hoc loco Angelus præcesserat, ratione cuius appellandus esset alius, ille de quo hic sermo est, viciniores enim, qui antecesserant Angeli, sunt Angeli Michaelis, de quibus c. 12. 7. atqui illi longiùs distabant, quàm vt respectu illorum hic posset vocitari.

C

Vers. 6. *In angelo per medium cæli volante Ioannem ipsum Euangelistam figurari.*

VOLANTEM PER MEDIVM CÆLI] Hic Angelus, vt infrà videbimus, ipsummet Ioannem Euangelistam repræsentat, qui dicitur significanter satis per medium cæli volare, propter excellentem cognitionem, qua res supranaturales percalluit. Quòd autem Ioannes hoc de se elogium literis tradat, id ipsius Ioannis modestiæ minime refragatur, iussus namque fuit, quod cerneret, literis mandare. Ipse verò vidit, primum trium Angelorum per medium cæli volantem. & quanuis Ioannes non dubitauerit, se in illo Angelo figurari, ipsius tamen partes erant, simplici narratione atque apertâ conscribere, quæ videbat. Nec dubium quin ille nequaquam superbijt, sed potiùs demisse admodùm de se existimauit, eo ipso quòd se à Deo exaltatum vidit. Forte etiam, *Volare per medium cæli*, eò spectat, vt ab omnibus videri & exaudiri possit, quo innuitur, licèt vox huic Angelo attributa mysterio plena sit, ab eo tamen adeò clarè atque perspicue fuisse proditam, vt ab omnibus fidelibus generatim excepta & intellecta fuerit. Quid, si *Volare per medium cæli*, denotet Euangelij, siue boni nuncij lætitiam & gaudium? Etenim ad significandam ingentem lætitiæ voluptatem, non perperam induci potest sublimis
D volatus, quo euehatur nuncius in cælũ, & per aëra volitet atq; discurrat. Nec dissonat quod sequitur.

Quid sit hic Euangelium æternum.

HABENTEM EVANGELIVM ÆTERNVM] Id est, sese per aëra volitans extulit magnâ cum hilaritate & exultatione: quia lætissimum nuncium hominibus afferebat. Illud tamen insolitum hic primâ specie apparet, Euangelij nomen atque adeò æterni Euangelij tribui ijs, quæ mox consequuntur, nimirum *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius.* Citò tamen constabit huiusmodi verba rectè intellecta felicissimum in se nuncium & æternum etiam continere. Notandum tamen hic obiter est, tametsi apud Scholasticos Theologos æternitas proprie loquendo nec principium habet, nec finem, in sacris tamen Literis non semper iuxta hanc strictam acceptionem sumi: sed interdum accipi æternitatem secundùm præteritam durationem: vt ad Rom. 16. 25. vbi de mysterio temporibus æternis tacito, interdum verò secundùm futuram & posteriorem, qua ratione hominis animam dicimus æternam, id est, in æternum duraturam. Et certè in hoc eodem sensu æternum Euangelium hic vocatur nuncius ille, qui maximam importat felicitatem æternùm permansuram. Porrò contextus ipse exprimit huius nuncij felicitatem esse vniuersalem, ait enim, *Vt euangelizaret sedentibus super terram, & super omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum.* Sed videamus iam, ecquis sit nuncius huiusmodi, vt posteà discernere possimus, quàm meritò appellatus fuerit Euangelium æternum, & ad vniuersas spectans nationes.

Digitized by Google

Vers. 7.

DICENS VOCE MAGNA] Græca sonant, *Dicentem*. Verùm perinde est, *Dicens*. & cohæret cum illo verbo, *vt euangelizaret*. vox autem *Magna* denotat publicam lætitiam & celebritatem; sic enim felix aliquis nuncius, qui vniuersis renunciatur, promulgari solet. A

Cuiusmodi sit hic numerus ab angelo allatus. Prima expositio proponitur.

TIMETE DOMINVM, ET DATE ILLI HONOREM: QVIA VENIT HORA IVDICII EIVS] Existimabunt aliqui huius boni nuncij felicitatem in eo potissimùm consistere, quod Ecclesiasticus ait c. 34. 16. *Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pauebit.* Quòd si hæc est cohortatio militibus Christi facta, vt Romani Imperij persecutionem parui pendant; non esse absre videbitur, si excitentur atque erigantur firmâ spe; quòd scilicet nulla aduersitas, aut ingruens persecutio possit illum concutere, qui in Dei timore firmus stabilisque permanserit; atque adeò Deum esse duntaxat extimescendum, eiusque iudicia veneranda: non inania hominum consilia, & sæuissima tyrannorum edicta promulgata. Quam ad rem adduci possunt multi Scripturæ loci, vt est ille Matth. 10. 28. & Luc. 12. 5. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus. Ostendam autem vobis quem timeatis.* 2. Paral. 20. 15. *Nolite timere, nec paueatis hanc multitudinem: non est enim vestra pugna, sed Dei.* Ps. 26. 1. *Dominus illuminatio mea, & salus mea; quem timebo?* Eccl. 12. 13. *Deum time, & mandata eius obserua, hæc est enim omnis homo, & cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium.* & Eccl. 2. 21. *Qui timent Dominum, custodient mandata illius, & patientiam habebunt vsque ad inspectionem illius.* Prætereà cùm in hac voce Angelica mentio fiat iudicij; suspicabitur aliquis hunc Angelum esse B. Petrum, qui de iudicij die disertè agit epistola 2. cap. 2. 9. & cap. 3. 10.

Refellitur prædicta expositio.

Hi omnes loci agunt de Dei timore & de iudicio. Sed vox Angeli aliam adhuc multò diuersam (ni fallor) continet energiam, & locum alium valde dissimilé respicit. Imprimis quia, quod hic Angelus contentâ voce prædicat, exprimitur in hoc loco, vt nouus ac felicissimus nuncius, qui cunctis nationibus renunciatur. Præceptũ autem timoris Dei, non est nouus & felix nuncius, sed antiquum præceptũ. Quarè in nullo eorum locorũ, quos nuper retulimus, præceptũ de Deo timendo, vt nuncius nouus ac felix traditur. Deinde non videtur esse ad rẽ in hoc loco tractatio de vniuersalis iudicij die. Nec enim aut hæc veritas in sacris Literis solet vt felix nuncius proponi; nec vniuersè cunctis hominibus, sed solùm bonis est felix; cùm tamen hic textus dicat, *Vt euangelizaret sedentibus super terram, & super omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum.* Tertiò: Apocalypseos series & consequentia nondum in hoc loco ad extremi iudicij diem peruenit, superant enim mille pacis anni, & Gogi & Magogi bella. Quamobrem non video, quàm apte dicatur hic vniuersalis iudicij hora aduentasse. B

Vera auctoris interpretatio?

Existimo ergo in hac Angeli voce respici locum illum Ioannis 12. 31. *Nunc iudicium est mundi: nunc Princeps huius mundi eijcietur foras.* Quibus in verbis norunt omnes de vniuersali iudicij die non esse sermonem, & quanuis nonnulli ad Christi passionem applicent, quippe dæmoni per illam fuit ius ablatum, quo mundũ tenebat oppressum: receptior tamen & congruentior explicatio est, quæ non de iure solùm, sed etiã de facto ipso exponit: quòd scilicet dæmon citò deturbandus foret ab iniqua possessione, qua mundũ per idololatriã tyrannicè occupauerat. Nam idololatriæ expulsio ex orbe terrarum fuit vnus ex præcipuis Christi passionis effectibus. Et hac ratione intelligunt multi Patres illa ipsa Christi verba: vt vidimus c. 12. not. 7. Cùm ergo dicitur aduenisse iam iudicij hora: de hoc ipso iudicio accipiendum est. Atque huic explicationi egregiè concinit ipsa Apocalypseos series. Nam in hisce capitibus sermo est de tempore illo, quo vehementer Romani imperij persecutiones aduersus Romanã Ecclesiam extiterunt: quas persecutiones vti instrumentum, diuina vsurpauit prouidentia ad idololatriam ex orbe ablegandam. Deinde ad Christi milites in spiritalem illam pugnam stimulandos, nihil potuit congruentius proponi, quàm certa expectatio de felicissimo illius prælij exitu: videlicet de dæmonis imperio, quod ipse per falsam idolorum superstitionem in mundo comparauerat, penitus euertendo. Iam, quam aliam ad rem potuit meliùs & aptiùs vsurpari nomen æterni Euangelij, id est rei nouæ felicissimæ & in æternum duraturæ? Ecquid enim magis nouum & insolitum, quo tempore mundus vniuersus per idolorum impietatem nefandæ dæmonis seruituti subiacebat, quàm eiusmodi nuncius, qui libertatis veræ tempus aduenisse iam hominibus pronunciaret? C

Cur nuncius de idololatriæ expulsione appelletur Euangelium æternum?

Prætereà rectè ac verè affirmatur huius libertatis felicitatem ad terram vniuersam spectasse, ac proinde verum in ea comprobatur, quod textus asserit, *Sedentibus super terram, & super omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum.* Adhæc, cui alij nuncio felici conuenientiùs addi potuit illud epitheton, siue appositum, quod in præsenti Euangelio additur, cùm dicitur, *Euangelium æternum?* Etenim ante Christi Saluatoris nostri passionem, quanuis sæpè Israeliticus populus idololatriæ iugum à se excusserit, in eandem tamen captiuitatem identidem relabebatur. Posteà verò quàm per Romani Imperij persecutionem Christus falsum idolorum cultum triumphauit, regio illa, seu prouincia, vnde semel hoc idololatriæ monstrum fuit prorsus exterminatum, immunis deinceps ac libera ab hoc exitio in æternum perstitit. Id quod hactenus experimento edocti sumus, nec apud Christianos modò, sed apud Iudæos etiam, Turcas & Mauros aspeximus. Licèt autem eam sibi mentem nonnulli inducant, fore vt Antichristi tempore orbis sit rursus antiquæ idololatriæ eluuione obruendus, & propterea dicere possint, vt idololatriæ expulsio appelletur æterna, satis esse, si per mille ampliùs annos sit duratura, nihilominus multò mihi verisimilius fit idolorum culturam semel per Christi Euangelium expulsam, nusquam fore à mundo rursus amplectendã. Tanta enim est lux atque euidentia, qua fides Christiana & glorioſissimæ Martyrum palmæ terrarum orbem repleuerunt, vt nullũ dæmoni vestigium reliquum sit, quà posset idolorum impietatem rursus in orbem inuehere. Quod autem de Antichristi tempore asseueratur, ad hoc respondeo, credibile mihi non esse Antichristi bellũ Christianæ Ecclesiæ inferendum, eo fine esse, vt Catholicos ad idolorum culturam pertrahat. Etenim si huiusmodi bellum adeò fictis & simulatis miraculis est faciendũ, vt ab ipsis non decipi, ac seduci sit admirabile constantiæ & fortitudinis in sanctis viris indicium, quomodo cohæret cum hoc miraculorum D

Idololatriam nunquam posthac in mundum deinceps fore inuehendam, necdum ipso Antichristi tempore.

Digitized by Google

A lorum bello finis atque intentio idololatriam in mundum inferendi? Quis enim adeò cæcus sit, qui non videat miracula in idololatriæ confirmationem edita prorsus esse futilia & nugatoria? Quidue mirum, sanctissimos viros in ijs miraculis non succumbere, quæ merum præ se ferunt fucum atque præstigias? Quod verò sibi alij persuadent, ante Antichristi saltem persecutionem. Romam iterum idololatriæ caput ac ducem futuram, & propter hoc scelus tunc fore euertendam: id suprà iam ostendimus esse omnino improbabile.

Ceterùm ad primi Angeli verba regrediamur, *Timete Dominum, & date illi honorem*. Imperatiuus hic, pro futuro (opinor) intuendus est; ita vt sint verba non tam præcipientis, quàm gratulantis & exultantis. Simili enim phrasi alicui gratulari solemus; & in prophetijs nihil frequentius, quàm imperatiuum loco futuri vsurpari. Hunc sensum (meo iudicio) requirit Euangelij æterni nomen; quia aliud est præcipere, aliud euangelizare. Vniuersas ergo Gentes, quæ priùs idolorum vanitati erant subiectæ, alloquitur Angelus, & ait: *Timete Dominum, & adorate eum.* quod perinde est, quasi dicere; Iam deinceps non vana idola, sed verum adorabitis Deum. iam enim venit hora illius iudicij à Christo prædicti per verba illa: *Nunc iudicium est mundi, nunc Princeps huius mundi eijcietur foras*. Quis obsecro, non videat, hunc esse sensum aptissimum & mirificè concinentem cum verbis præcedentibus; in quibus dictus est hic Angelus afferre Euangelium æternum, *vt euangelizaret sedentibus super terram, & super omnem Gentem? &c.* Si quis autem in hisce verbis optet distinguere terram ab omni Gente, ita vt

B per terram Iudæa, siue Iudæi designentur; non admodum repugnabo: quia illi etiam huius fælicitatis partem assecuti fuerunt, licèt alioqui grauissimis sceleribus cooperti.

Imperatiuus pro futuro.

Obseruandum insuper est horum verborum artificium. Cùm enim scopus eorum sit, Christi milites cohortari ad constantiam in mystico illo bello firmiter retinendam: non tamen hic Angelus ad eos conuertit sermonem, sed ad vniuersas Gentes; qui modus Christi milites accendendi aptissimus est. Videtur enim Angelus in eorum conspectu dicere, nihil opus esse strenuos milites cohortari, qui ita fortiter & animosè mortem pro Christo subeunt; sed gratulari potiùs orbi vniuerso ingentem illam felicitatem, quæ ad omnes Gentes redundat, ex inuictissima Christi Martyrum constantia. Quo persuadendi genere quid quæso efficacius excogitari potuit?

Cur hic angelus non ad primæuos Christianos, sed ad Gentes ipsas verba faciat?

QVIA VENIT HORA IVDICII EIVS] Illius videlicet, quod Ioan. 12. 31. à Christo dicitur iudicium mundi; quia per illud mundus à dæmonis seruitute est ereptus. Quòd verò hora illius iudicij aduenisse dicatur; ad horam, id est ad tempus belli illius decretorij referendum est Græca vox, quæ hic respondet iudicio, est κρίσις; quæ (vt norunt Græci, & Plutarchi atque aliorum vsu comprobatur) elegantissimè ponitur ad decretorium, siue iudiciarium belli prælium significandum. Congruenter igitur atrocissimæ persecutionis tempus, quam Romanum Imperium in Christi Ecclesiam concitabat, concipitur quasi hora decretorij prælij, per quod mundus fuerat à dæmonis cultu liberandus. Huic κρίσεως significationi affinis est medicorum vsus; qui in morbis κρίσιν appellant, quasi decretoriam morbi pugnam, ex qua sequitur aut morbi ipsius depulsio, aut repentina in melius, aut in deterius commutatio. Similiter conflictio illa est veluti quoddam iudicium, quo Imperij possessor aut in eo corroborandus, aut ab eo exturbandus est. Et verò Romani Imperij persecutio mundum grauiter ægrotantem in extremum penè conflictus discrimen adduxit, & veluti quædam κρίσις extitit vehementis illius morbi, quo afflictabatur, dum vna ex parte dæmon in veteri sua possessione persistere, ex alia Christus illum inde eijcere conatur, quod & re ipsa præstitit, & conflictione illa ægrotus antea mundus morbo depulso ad integram fuit sanitatem restitutus. Nomen autem iudicij, vt benè adnotauit Toletus Ioannis 12. 31. connotat iustitiam. Nec enim vere nuncupatur iudicium, quod non est iustum. In eo certè, quod Dei iudicium vocatur, perspicuum est, neutiquam defore iustitiam. Quamobrem cùm dicitur appropinquasse hora iudicij Dei, (videlicet quando instabat tempus dæmonem ex iniusta mundi possessione deturbandi) innuitur pariter, hanc dæmonis possessionem tyrannicam extitisse, & eâ fuisse dæmonem ipsum depulsum non reapse solùm, sed iure etiam propter Christi Redemptoris nostri merita, & fortitudinem Martyrum præstantissimorum, qui vt inuicti milites Christi in ea expeditione vitam cum sanguine profundere non dubitarunt. Denique vt distincte de admirabili illa κρίσι loquamur, tam respectu passionis Christi, quàm in ordine ad Romani Imperij persecutionem, dicere iure possemus, diem criticum à Christi passione primordium cepisse, & horam ipsam κρίσεως incidisse, vt hic Angelus ait, in Romanæ persecutionis tempus, quanuis Martyrum passionis efficacitas Christi Iesu passioni referri debeat accepta.

Quenam hic ab angelo dicatur hora iudicij.

C

D

His ita præmissis, si tres Angelorum voces, qui Christi exercitum in prælium acuunt, per ordinem sunt obijciendæ, prima draconi, secunda Bestiæ maris, & tertia Bestiæ terræ, aptissimè vox prima fuit accepta ex ijs, quæ posteà conscripsit in suo Euangelio Ioan. c. 12. 31. *Nunc iudicium est mundi, nunc Princeps huius mundi eijcietur foras*. Etenim vt ostenderetur frustrandas fore dæmonis spes, quas conceperat de suo imperio in toto terrarum orbe per idolorum impietatem roborando, nihil potuit hanc ad rem magis idoneum afferri, quo continuatur illud, quod in draconis lapsu cœptum erat c. 12. 9. & mundo vniuerso felicissimus exponitur nuncius, nempe de felicitate in æternum duratura, quæ felicitas non eos solùm attingit, qui iam Christiana sacra susceperant, & pietati ac sanctimoniæ studebant, sed omnes etiam totius orbis nationes. Omnibus enim promittitur per illam Ecclesiæ persecutionem liberatio ab impijs idolorum ritibus, quibus dæmon in mundo colebatur.

Primi Angeli vox vnde sit desumpta.

ET ADORATE EVM, QVI FECIT CÆLVM ET TERRAM MARE ET FONTES AQVARVM] Ad designandum mundi opificem ac molitorem Deum, satis erat dicere, *Qui fecit cælum & terrã* quare quod additur, *Mare, & fontes aquarum*, haud quaquam mysterii expers est. Præsertim cùm hæc phrasis fortè nullibi præterea in tota Scriptura reperiatur. Quanuis enim Act. 14. 15. ex Ps. 145. 6. dicatur Deus esse, qui

Cur hic dicatur Deus fecisse mare & fontes aquarum.

Digitized by Google

qui fecit cælum & terram, & mare, & quæ in eis sunt. hic tamen adduntur fontes aquarum. Et quidem quando in sacris Literis singularis aliqua Dei periphrasis describitur; verba certè eiusmodi ponuntur, quæ consentanea sunt ad ponderandum egregium aliquod Dei facinus, quod eidem in subsequenti contextu attribuitur. licet hoc obseruare in verbis illis Zachariæ 12. 1. *Dicit Dominus extendens cælum, & fundans terram, & fingens spiritum hominis in eo.* Quem locum alibi expendimus, ostendentes congruentiam locutionis illius ad eius capitis propheriam. Nec aliter in præsenti philosophandum est. Huius ergo periphrasis scopus, quam primus hic Angelus de Deo tradit, non denotat solùm Deum esse vniuersalem rerum omnium creatarum effectorem; verùm etiam obiter proponit prouidentiam, quam Deus in cœlo, in terra, in mari, & in fontibus ostendit; vt hoc pacto denotetur singularis prouidentia, quæ suæ consulebat Ecclesiæ in media illa rerum perturbatione & calamitate; in qua minimè erat timendum, ne Christi Ecclesia deficeret. Nam quemadmodum tellus, licet primo aspectu videatur à mari penitùs absorbenda, cùm nullum præterea habeat adminiculum, quo sustineatur; nihilominus tamen firma consistit; ita Ecclesia in medijs persecutionum vndis integra & inconcussa fuerat permansura. Et sicuti maris amaritudo non obstat, quominus ex eo dulces ac pellucidi fontes identidem exoriantur, qui terram irrigent, ac fœcundent; non aliter ex illo persecutionum mari educturus erat Deus crystallinos fontes ac fluuios sapientiæ, solatij ac felicitatis quæ in Christi Ecclesiam redundarent. Atque satis sit hic obiter delibasse; de hoc enim latiùs agemus l. 6. circa caput Iobi 38. A

Allusio in Babylonis ruina ad Isaiæ & Ieremiæ loca.

Sequitur versus octauus, in quo secundi Angeli vox proponitur, *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ à vino iræ fornicationis suæ potauit omnes gentes.* His in verbis manifesta continetur allusio ad verba Isaiæ c. 21. 9 & Ieremi c. 51. 8 Primus sic habet, *Cecidit, cecidit Babylon, & omnia sculptilia deorum eius contrita sunt in terram.* Secundus verò sic: *Subitò cecidit Babylon, & contrita est.* Et quanuis Propheta vterque in sensu proximo videatur agere de antiqua Babylone, quæ sub Nabuchodonosore Hierosolymam bello afflixit: mihi tamen certum etiam est, vt Ps. 28. per comparationem ex Dauidis victorijs petitam, agitur ad literam de triumpho, quem Christus de Gentilitate egit: sic etiam Isaiam ac Ieremiam in literali sensu prophetico per comparationem antiquæ Babylonis, loqui de Roma ethnica, quæ Christi Ecclesiam fuerat oppugnatura. Huius autem nouæ Babylonis ruina (quæ tantopere est in sacris Literis celebrata) non est alia, nisi Romæ conuersio, vt diximus notatione 22. proœmiali, & ex professo dicemus c. 17. & 18. B

Quis in hoc secundo angelo figuretur.

Hoc supposito, dicet quispiam, hunc Angelum secundum. qui protulit ea verba, *Cecidit, cecidit Babylon illa magna.* non esse alium, quàm Isaiam aut Ieremiam. Ipse tamen mihi persuadeo, in hoc secundo Angelo non aliquem ex veteri testamento Prophetam, sed vnum ex noui scriptoribus denotari. Primo, quia cùm tres hic Angeli inducantur, cumque Ioannes ex illis sit primus, optandum maximè est, vt in duobus reliquis Paulus ac Petrus insinuentur, vt hic Angelorum ternarius significet ternarium Apostolorum, qui Romæ prædicarunt. Secundò, quia quanuis Isaias & Ieremias loquantur de mystica Romæ ethnicæ ruina, dum aiunt perspicuis verbis, *Cecidit Babylon*: re tamen ipsa idem Petrus significat, cùm Romam appellet Babylonem 1. Petri 5. 13. Etenim, dum illam Babylonē nominat, tacitè fideles admonet, Isaiæ & Ieremiæ vaticinia, quæ de Babylonis loquuntur excidio, de Roma esse intelligenda: & de eadem Romani Imperij ruina agit Paulus 2. ad Thessal. 2. vt videbimus notat. 2. Tertiò, quanuis Isaias & Ieremias eisdem distinctè verbis dicant, *Cecidit, cecidit Babylon*, in hoc tamen loco expedit potiùs, vt secundi angeli figura alicui scriptori sacro tribuatur, qui non ita loquatur expressè. Nec enim mysterio vacat, quòd textus de trium horum Angelorum vocibus loquens, primo & tertio Angelo magnam vocem tribuat, de secundo autem nihil eiusmodi proferat. Ex quo infero, in hoc loco habitum fuisse respectū ad aliquē, qui cùm eandē sententiam scripserit, non eam tamen clarè ac distinctè, sed tectè & obscurè tradit, ita enim fieri expediebat, vt notat. 2. videbimus. C

Licet autem Isaias ac Ieremias in designanda Roma satis etiam obscurè, & sub allegoriæ inuolucro loquantur, ceterùm ea saltem verba, *Cecidit, cecidit Babylon*, expressè proferuntur: ad distinctionem verò secundæ vocis, quæ non magna fuerit & contenta, sed parua ac demissa, multò aptius est, vt respiciatur, qui eandem sententiam alijs verbis pronunciet. Præcipuè cùm significatio eò potissimùm spectet, vt fidelibus consolationem & animos adderet, quod Ioannes clarè conscripsit, *Nunc iudicium est mundi, nunc Princeps huius mundi ejicietur foras.* Id quod contentâ voce prædicabatur. Deinde eosdem etiam excitabat, quod occultâ traditione inter fideles ipsos dimanabat. Romam scilicet, quę idololatriæ erat metropolis, in Christianæ Ecclesiæ caput ac metropolim fore conuertendā. Atque hanc arcanam doctrinam & traditionem ab Apostolis hausit Ecclesia. Quare congruentissimum est, in hoc secundo Angelo aliquem ex Apostolis ipsis designari. Quartò, Verba illa, *Cecidit Babylon.* non vnus profert sacer Vates, sed duo, nec videtur potior ratio vnius, quàm alterius. Cùm verò in Apocalypsi hæc verba non tribuantur duobus Angelis, sed vni tantum, aptius est, vt ad nouum aliquem Angelum referātur, qui eandē sententiam alijs verbis dixisse reperiatur. Atque hæc de Angelo ipso. D

Per septem capita Bestia capitis 13. & per fœminam bestia insidētem c. 17. idē omnino, id est Romam ethnicam figurari.

Verùm vt ad eiusdem Angeli verba redeamus: sicuti vox primi Angeli è regione respicit draconem, id est dæmonem, ita etiam hæc secunda directè opponenda est Bestiæ marinæ, hoc est Romano Imperio ethnico, quod in eâdem maris Bestia figuratur. Et primâ quidem specie apparet, non hic sermonem haberi contra ipsam Bestiam, sed contra eam vrbem, quam Apocalypsis Babylonem appellat: atque adeò distinctionem fore assignandam inter Bestiam, & ciuitatem: siquidem c. 17. depingitur Babylon ipsi Bestiæ insidens. Respondeo tamen, id ipsum significari per fœminam Bestiæ insidentem, quod per septem Bestiæ capita, & decem cornua, vt diximus c. 13. & iterum c. 17. repetemus. Quamobrem qui aduersus mulierem verba facit, obloquitur pariter contra Bestiæ caput, atqui quod

in caput

Digitized by Google

A in caput ipsius Bestiæ iactabatur,in totam etiam iactari Bestiam perspicuum est.Etenim dum Bestiæ caput penitus abscinditur, de tota ipsa Bestia triumphatur. Atque ita fuerat euenturum, vt Ecclesia de Roma triumphans, toti Romano Imperio dominaretur. Hoc autem appositè figuratur, dum inducitur Ecclesia de Roma triumphatura.Id ergo propriè ac directè exprimitur hisce verbis; *Cecidit, cecidit Babylon illa magna.*

QVÆ A VINO IRÆ FORNICATIONIS SVÆ POTAVIT OMNES GENTES] Vsitata est in Sacris locutio, propinare calicem,pro eo quod est,affligere,ac diuexare, cuius phrasis significatio infra n.10. appareret,cùm dicitur;*Hic bibet de vino iræ Dei*,& ca.18.6.*In poculo,quo miscuit vobis,miscete illi duplum.* Quibus locis alij sunt non absimiles.Porrò hæc phrasis in præsenti refertur proculdubio ad generalem persecutionem, qua in suis omnibus prouincijs Roma Christianos premebat:propterea enim dicitur iræ suæ vino omnes Gentes potasse. Illud autem insolitum & peregrinum occurrit, quòd ira illa appelletur ira fornicationis.Veruntamen re attentiùs inspectâ cernitur,magnam hic energiam & elegantiam inesse. Desumitur enim allegoria à mulieribus meretricibus ac fornicarijs, quæ sunt valde iracundæ,maximè quando zelotypia feruntur.Quamobrem cùm idolorum cultus in Scriptura appelletur fornicatio; vt exprimatur ingens ira atque furor, quo Roma ethnica Christianos infestabat, congruenter ira fornicationis vocatur:id est ira,qua Roma veluti fornicaria excanduit aduersus eos, qui homines separare tentabant ab eiusdem Romæ concubinatu:hoc est ab ipsius nefanda societate;quæ spiritalem fornicationem, id est impium idolorum cultum anhelabat. Itaque ira fornicationis nihil aliud est, quàm ira ex spiritalis fornicationis zelo exardescens. Atque hac ira Christianum nomen Roma fuit infectata in vniuersis sui Imperij prouincijs.Fortasse tamen alius est sensus calicis illius,quem habet in manu sua Babylon,Apocal.17.4.de quo ibi.Facilè tandem cernitur,cùm secundæ huius vocis scopus foret significare triumphum ab Ecclesia de Romano Imperio consequendum,expediens valde fuisse,vt fieret singulatim mentio de persecutionis calice, quem Roma Imperij caput ac princeps Christianæ propinabat Ecclesiæ.Atque ita Paulus etiam 2. Thessa. 2.7. vbi agit de Christiani populi expectatione in triumpho de Romano Imperio reportando, ibidem pariter agit de persecutione, quam Dei Ecclesia ab Imperio patiebatur. Quapropter mihi persuadeo hunc secundum Angelum esse Pauli figuram,propter verba illa,quæ ipse ad Thessal.scribit. Vt autem meliùs hæc allusio perspiciatur;visum est,verba ipsius Pauli,in notatione seq.expendere.

Vers. 8.

Quenam ira fornicationis hic dicatur?

B

Hunc secundum angelum esse B. Pauli figuram.

NOTATIO II.

In qua explicatur locus Pauli 2. ad Thessalonicenses 2. ad quem in præsenti alluditur, dum de ruina Babylonis agitur.

TEXTVS PAVLI.

3. *Nequis vos seducat vllo modo; quoniam nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis.*

4. *Qui aduersatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus.*

5. *Non retinetis, quòd cùm adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis.*

6. *Et nunc quid detineat scitis, vt reueletur in suo tempore.*

7. *Nam mysterium iam operatur iniquitatis: tantùm vt qui tenet nunc,teneat,donec de medio fiat.*

Summa eorum, quæ Paulus his verbis docet.

PAVLVS Thessalonicenses admonet, ne existiment extremi iudicij diem, quàm mox adfore; priùs enim futuram magnam à Catholica fide defectionem; nec non impium illum Antichristum, cuius typum duntaxat gerebat Romanum Imperium ethnicum; quin & de eodem Imperio Romano Ecclesiam fore triumphaturam. Quapropter dum Imperium Romæ ethnicum permanebat,diem iudicij nondum imminere: postea tamen quàm Ecclesia triumphum de Romano ageret Imperio; suo quidem tempore retegendam fore Antichristi persecutionem,quem Ecclesia etiam fuerat triumphatura.

Commentarius verborum Pauli.

NISI VENERIT DISCESSIO PRIMVM) Id est,non veniet dies Domini; antequàm aduenerit apostasia, & Antichristus. Nota concisum loquendi modum.

Discessionis nomine quid significet Paulus.

DISCESSIO)Græcè apostasia.Et videtur omnino esse sermo de magna quadam apostasia in nouissimis temporibus futura: de qua etiam plerique intelligunt illud Pauli 1.ad Timoth.4.1. *Spiritus autem manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum* vbi pro *Discedent* Græcè habetur ἀποστήσονται à verbo ἀφίστημι,à quo deriuatur apostasia. Idemque verbum est apud Lucam cap.8.14 *Qui ad tempus credunt,& in tempore tentationis recedunt.* Ait ergo Paulus: *Ne putetis posteremi iudicij diem iam iam imminere: adhuc enim singulari Dei beneficio longiùs ab ea apostasia distamus, quam ante diem iudicij euenturam præscimus.* Verum est, quamlibet hæresim esse apostasiam: verùm Apostolus cum articulo loquitur de magna illa apostasia sub Antichristi tempus futurâ; aut fortè loquitur de tempore etiam præcursorum Antichristi. Nam de hæresibus exponunt Theodoretus, Sedulius, & alij: & eandem expositionem sequitur Stapletonius orat. academica 28.

Discessionis suæ apostasia prima exposito.

Discessionem siue apostasiam pro defectione à Christi fide accipiunt Augustinus,Cyrillus Hierosolymitanus,Strabus,Thomas,Liranus,Titelmanus,Gagneius, Sonnius,Bellarminus,& Suarez;quos refert,Maluenda de Antichristo fol.236.& quanuis discessionis nomine videantur intelligere ipsum Antichristum Chrysostomus,Augustinus,Theodoretus: Theophylactus, Oecumenius,Beda,& alij,quos ipsemet citat Maluenda, fol 235. fortasse tamen sunt explicandi non de formali ipsius Antichristi apostasia; sed de ea, quam ipse inuehet.

2.expositio apostasia.

Aliorum expositio est de discessione, siue defectione Prouinciarum ab Imperio Romano, quam sequuntur Tertullianus, Hieronymus, Ambrosiaster, Primasius, Sedulius, Engelberus, Caietanus, Titelmanus, & Dreiedo. Ceterùm hæc interpretatio supponit, Prouinciarum defectionem à Romano Imperio, esse proximum Antichristi iam aduentantis signum; quòd à Millenarijs deriuatum est; & nos infrà probauimus;id nulla ratione à sacra Scriptura doceri. Huc spectat discessio decem Regum à Romano Imperio, de qua nonnulli hunc locum interpretantur. Alij verò de discessione Romæ à Christi fide, existimantes ante aduentum Antichristi Romam rursus idololatriæ caput, & Metropolim futuram; quod nos latè impugnauimus.

Quid sit apud Paulum homo peccati.

ET REVELATVS FVERIT HOMO PECCATI) Hæretici exponunt de Romanorum Pontificu

Digitized by Google

tificum successione. Sed Paulus manifestè agit de singulari quodam homine, non solùm quia singulari numero vtitur, atque etiam articulo, (qua ratione de peccatoribus generatim loqui non solemus) sed etiam quia Paulus paulò infrà se magis explicat, ostendens agere se de infestissimo Christi aduersario, qui à Iudaico populo vt Messias excipiendus est, vt obseruarunt Irenæus, Hieronymus, Cyrillus vterque, Augustinus, Chrysostomus, Ambrosius, Gregorius, Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius; quos adducit Maluenda fol. 311. col 2. Præterquàm quòd euidens est summos Pontifices Christi Vicarios contra ipsum Christum non insurgere, nec pro dijs velle honorari; atqui de Antichristo Paulus ait, eum in Dei templo sessurum, & ostensurum, quod sit Deus, & eleuatus contra Deum.

Conuellitur haereticorum error.

Quid Paulus innuat, se Thessalonicensibus dixisse.

NON RETINETIS, QVOD CVM ESSEM APVD VOS, HAEC DICEBAM VOBIS?) Augustinus lib. 20. de Ciuitate cap. 19. ignorare se fatetur, quid Paulus Thessalonicensibus dixerit; atque loci huius difficultatem eò reuocat, quòd omnino nesciat, quæ Paulus eos antè admouerit. Sed saluâ tanti Doctoris reuerentiâ ex contextu videtur manifestum, quòd Apostolus eis prædixerat, idem esse, quod in hoc loco paulò antè ad eos scripsit: nimirum antequàm dies Domini adueniat, futuram ingentem illam apostasiam, & Antichristi aduentum: alioquin non diceret Apostolus, vt reuocarent in memoriam, se illis hæc ipsa coram dixisse.

Quid esset id, quod Antichristi aduentum remoraretur.

ET NVNC QVID DETINEAT SCITIS) Id est, quid Antichristi aduentum remoretur; vt exponunt Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus, Caietanus, & Titelmanus apud Maluendam fol. 64. col. 2. Quod autem Antichristi aduentum eo tempore detinebat, & Thessalonicenses ex Pauli prædicatione cognouerant, illud erat; quòd scilicet Rom. Imperium nondum Ecclesiæ esset subactum; cùm tamen ante aduentum Antichristi foret ipsi Ecclesiæ subijciendum, vt infrà constabit clarius.

VT REVELETVR IN SVO TEMPORE) Quod Antichristi aduentum retardat, non efficit vt ipse serius adueniat, quàm foret venturus; sed potiùs vt tempore à Deo præfinito adueniat.

Quid sit apud Paulum Mysterium iniquitatis.

NAM MYSTERIVM IAM OPERATVR INIQVITATIS) Mysterium iniquitatis perinde est, ac figura atque pictura, quæ iniquitatem & impietatem Antichristi repræsentet; præuia quædam repræsentatio illius belli, quod Antichristus est Christo facturus. Vno verbo dicam. Typus Antichristi. Atque ita mysterium iniquitatis de Antichristi typo exponunt. Tertullianus, Chrysostomus, & plerique alij. Sermo verò est de Romano Imperio idolorum cultui dedito, vt infrà videbimus. Enimuerò nexus & consequentia huiusce loci difficilis apparet. Etenim vt probetur Antichristi tempus non imminere, sed longè distare, minimè conueniens videtur ea ratio, quòd scilicet extet, iam atque emineat, qui ipsius Antichristi typus est. Obserua vim eorum verborum, *Nam*, &, *iam*, quæ postulant, vt typum ipsum iam aduenisse, conferat ad probandam Antichristi aduentus dilationem. Ad hoc Respondeo, Romanum Imperium eo ipso quod mundi conuersione obsistebat, & Antichristi officium gerebat, protrahebat magni illius Antichristi aduentum, qui futurus non est, quod Ecclesia triumphum de idololatria egerit, (nam apostasia post mundi conuersionem erat euentura.) Quare citiùs Antichristus aduenisset, si totus orbis properè & absque vlla contradictione ad Christi fidem conuolaret, & electorum numerus expleretur. Quod ergo Ecclesia sub ipsa initia, Antichristi typum ostenderit, hoc ipsum Antichristi aduentum detinebat. Optimè igitur probat Paulus dilationem aduentus Antichristi ex eo, quòd in Antichristi typum Ecclesiæ inciderit. Agere enim Antichristi typum, id ipsum cogit, vt veri Antichristi aduentus differatur. Ad hæc, forsitan particula *Nam*, non exigit vt subsequens propositio sit antecedentis probatio; sed solũ vt asseratur illud solùm distrahi, atque proferri; nempe proprij Antichristi aduentũ; non verò aliorũ, qui eius vices generent, quandoquidem extabat iam, qui ipsius munere fungeretur.

Quomodo cohaereat, aduentum Antichristi retardari ex eo, quod mysterium iniquitatis operatur.

Locus difficilis.

Verbum *operatur*, potest actiuè & passiuè sumi; nam

A verbum Græcum est commune; & in eo loco ad Galatas 5.6. *Fides, quæ per charitatem operatur*, accipiunt passiuè (*operatur*, id est *actuatur*) Turrianus, Bellarminus, & Stapletonius oratione accademica 28. Si autem verbum, *operatur*, hîc actiuè vsurpetur; bifariam potest hic locus construi, vt notat D. Thomas, nam mysterium iniquitatis potest in nominandi casu intelligi; ita vt hic credatur sensus, *Iam typus Antichristi suâ exercet vim.* Potest etiam accusatiuus esse in hoc sensu. *Iam est, qui opere compleat mysterium iniquitatis, & typum Antichristi exerceat.* Tunc autem opus erit, verbo *Operatur* quærere suppositum: & vtrumque in eundem ferè sensum recidit. Quid verò sit ad constructionem aptius infra constabit.

Verbum operatur hic & actiuè, & passiuè posse sumi.

TANTVM, VT QVI TENET NVNC, TENEAT) Græcè solum habetur, *Tantum qui tenet nunc*, μόνον ὁ κατέχων ἄρτι Et quidem Græcè illud videbatur congruentius, vt κατέχων esset suppositum verbi ἐστὶν γέγραπται, nullo interposito commate; ita vt hic sensus reddatur: *Qui nunc tenet, seu possidet, nihil*

B *aliud agit, quàm vt sit Antichristi typus.* Id est, non est verus Antichristus, sed ipsius typus; & eius iniquitatem typicè repræsentans. Hæc literæ ordinatio omnem huic loco tollebat difficultatem, & sensui valde erat apta. Et quanuis in Græco cum distinctione aliqua legamus, *Iam operatur mysterium iniquitatis, tantum qui tenet nunc.* Sensus idem erit hac ratione, *Est iam qui Antichristi munus peragat, tantùm, qui tenet nunc.* id est, nec aliud est præterea, qui nunc tenet, seu possidet. quasi dicat: Non est verus Antichristus, sed typus ipsius: tantùm hoc facit, vel tantum operatur mysterium iniquitatis, nec verum agit Antichristum. Iuxta hunc sensum videtur repetendum. *Operatur mysterium iniquitatis*: ita ut illud *Tantùm*. perinde sit, ac *Tantum operatur mysterium iniquitatis*. Nec Paulo inusitatum est præsse & concisè loqui; ita vt si aliquid necessario supplendum, vt suprà: *Nisi venerit discessio primùm.* id est, non veniet dies Domini, nisi venerit discessio primùm. Singillatim verò concinnitatis habet plurimum concisa hæc loquendi ratio, vbi obscuritas

C affectatur. Quòd si Paulus de Nerone, aut de Romano Imperio instituebat sermonem; perspicuum est illum obscurè loqui voluisse.

Quid sit apud Paulum, Tantùm vt qui tenet nunc, teneat.

Sed videamus oportet, vtrùm Latina lectio, quæ habet, *Tantum vt qui tenet nunc, teneat*, eundem admittat sensum? Ad hoc affero, in omni sensu aliquid necessariò fore supplendum; & nihil aptius, quam vt ex præcedenti contextu suppleatur, hac ratione. Non deest, qui Antichristi officio fungatur, sed nihil aliud præterea est; tantùm hoc est; illud enim solum agit, vt Antichristi officium gerat, id quod reapse videmus accidere, vt qui nunc tenet, teneat siue possideat, donec de medio tollatur.

Latina lectio sensum exprimit.

Existimabit aliquis, cùm dicitur, *Tantum vt qui tenet nunc, teneat*, idem esse, ac si diceretur; id solùm expectandum esse, id vnum superest, vt qui tenet nunc, teneat. Verùm eiusmodi constructionem Græca lectio respuit. Præterquàm quòd sensus hic minimè est solidus; nec enim verum est, Antichristum fore venturum, simulac sublatus demedio esset ille, qui tenebat, seu possidebat.

D QVI TENET) Græcè, ὁ κατέχων, Est autem in hoc loco idem verbum Græcum, quod paulò ante significat detinere in ijs verbis. *Et nũc quid detineat scitis.* Hic verò possidere, seu tenere, redditur. Quare arbitrabitur aliquis, hîc etiam verbum hoc significare debere idẽ, quod *Detineo*, quia simplicius est, cùm verbum idem in eodẽ contextu repetitur, in eodẽ pariter accipi sensu. Sed cõtrà est; quia omnes interpretes tã Græci, quàm Latini exposuerunt in præsenti, *Tenere* pro *Possidere*. Et Vulgatus de industria nõ hic apposuit, *Tantũ qui detinet*, sed *Tantum qui tenet*, vt locus cõmuni interpretationi supereſſet Iam ad id, quod dicitur, simplicius esse, vt hic & paulò suprà eodem modo verbum idem accipiatur. Respondeo, elegantius esse vt ipsummet verbum aliter vsurpetur; præsertim vbi obscuritas aliqua vel elegantia consultò accersitur. Legendus est hac de re Guevara in Habac. c. 1. v. 16. §. 167. verbo *Sagena*. Vbi inter alia affert acutum illud de Nerone atq; Æneæ sub ambiguitate pentametrum.

Quo sensus distantur hic, qui tenet.

Sustulit

Digitized by Google

Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

Verbum, qui tenet, *adquē hic referatur.*

Porrò, *qui tenet*, referunt ad Neronem Victorinus, & alij. Verba item illa, *Iam mysterium operatur iniquitatis*, de Nerone intelligunt Tertulianus, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, Theophylactus, Strabus, Lyranus, & Gagneius; vt videre est apud Maluendam fol. 65. Sed Baronius contendit, hanc epistolam non sub Nerone, sed sub Claudio fuisse conscriptam; qua de re cōsulendus est idem Maluenda fol. 67. & 68. Non est ergo certum, Paulum ad Neronē solùm respexisse, neque is est sensus plenior, vt inferiùs patebit.

Ribera, illud *qui tenet*, exponit de omnibus sextæ ætatis regibus. Maluenda tamen eam expositionem non valde probat, & certè ea est durissima. Sotus in 4. dist. 49. sic explicat Tantùm vt qui tenet nunc regnum temporale, id est Roma, teneat spirituale: donec in fine mūdi ab ea tollatur, & tunc veniet Antichristus; quam tamen expositionem Maluenda impugnat, fol 67.

Receptissima expositio est, per Imperium Romanum, dum stat, Antichristi aduentum detineri; idque significari per illa verba, *Tantùm qui tenet nunc, teneat*. ita Tertullianus, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Theophylactus, Oecumenius, Anselmus, Haimo, Strabus, Thomas, Liranus, Caietanus, Bellarminus, Suarez, & Pamelius, quos refert Maluenda, fol 66. col. 1.

Vt ergo, quid ipse sentiam, nonnullis assertionibus exponam; imprimis communis expositio mihi perplacet, vt iis verbis, *Qui tenet nunc*, Romanū designetur Imperium Neque obstat, Paulum masculino genere vti, quia de Imperatoribus in communi sic loqui poterat; sicuti nos etiam diceremus, Papa est Christi Vicarius, id est, Papæ omnes. Sic ergo de Romanis Imperatoribus rectè dici potest, *qui tenet*.

Quo sensu sermo sit hic de Romano Imperio.

Deinde in sacris Literis sermo non est de Romano Imperio absolutè siue materialiter: sed formaliter, quatenus est Ecclesiæ hostis: hac enim ratione appellatur Bestia. Cùm autem de eodem Imperio ad Christi fidem conuerso sermo est: tunc dicitur Regnum Bestiæ auferri, & populo sancto tradi. ita Danielis 7. 27. & Apocalyp. 17. & 18. Quare verba illa, *Tantùm qui tenet nunc*, cùm de Romano agant Imperio, non debent ad Christianos Imperatores extendi: sed ita vt de Imperio loquantur solùm, quatenus ethnico & Euangelij aduersario. Sin verò obiicias, tunc nondum Neronis persecutionem incepisse; vt probat Baronius, & Maluenda fatetur: Respondeo, Claudium eo iam tempore cœpisse Christianos insectari, Iudæis in exilium amandatis: vt videre est apud eundem Maluendam l. 8. ca. 1. & quanuis nulla peculiaris persecutio tunc fuisset inchoata: certum adhuc est, Christianos sibi à Romano

A Imperio, vt ab infestissimo hoste cauere, & fortè Paulus erat iam in carcerem detrusus.

Tertiò, *Donec de medio fiat*. Non accipiendum est materialiter, sed formaliter: id est, donec Romanum conuertatur Imperium: quod perinde est, ac dicere, Imperium Romanū Antichristi vice & officio fungi, donec de illo triumpharet Ecclesia iuxta Danielis Prophetiam capite 7. cui consonat Apocalypsis.

Cur Paulus obscurè fuit locutus de victoria ex Romano Imperio per Ecclesias reportanda.

Quartò: quandoquidem Paulus significare voluit Christi Ecclesiam de Romano Imperio triumphum acturam, congruentissimum fuit, vt non palàm & apertè, sed rectè & obscurè loqueretur. Chrysostomus & Theophylactus asserunt, non metus causâ, sed vt nos erudiat, ne superuacuas suscipiamus inimicitias, si nihil vrgeat. Hieronymus, *Ne causam persecutionis in Ecclesiam arriperent Romani, si diceret delendum esse Imperium Romanum*. Idemque accideret; si manifestè affirmaret Apostolus, Christianam Ecclesiam de Romano Imperio triumphaturam. His addo, eandem ob rem Romam a Petro appellatā fuisse Babylonem, dissimulationis ergò: & similiter à Ioanne in Apocalypsis.

B Quinto: non ait Paulus, cùm Romanum Imperium fuerit extinctum, mox Antichristum & diem iudicij venturum. Id vnum asserit, Romanum Imperium Antichristi partes agere, dum idolorum culturæ adstrictum Christianam persequebatur Ecclesiam: id quod ab eo fore præstandum, donec Christi fidem ac Religionem susciperet. Quinimò eo ipso quòd affirmat, Ecclesiam de Romano Imperio triumphaturam (vt innuit verbis illis, *Donec de medio fiat*) significat pariter, Ecclesiam ipsam posteà multos annos pace perfruituram, antequam Antichristus adueniret: tum quia hoc spectat ad persecutionis finem & Ecclesiæ triumphum, vt prædixerat Daniel cap. 7. 27. *Dabitur regnum populo sanctorum*, vtque te ipsâ adimpletum est. Tum etiam quia verba illa, *Et tunc reuelabitur ille iniquus*; non referuntur ad illud, *Donec de medio fiat*: sed ad id, *suo tempore*.

Quòd si obiicias, cùm dicitur *Reuelabitur suo tempore & tunc reuelabitur*, non propterea aliquid de tempore affirmari. Respondeo, hic quidem non eum fuisse C Apostoli scopum, vt tempus ipsum præfiniret: sed solum vt ostenderet Antichristi aduentum suo tempore fore, postquàm Ecclesia triumphum de Romano Imperio reportasset. Quantum verò temporis sit hic Ecclesiæ triumphus duraturus: id nec à Paulo declaratur, nec à Ioanne in Apocalypsi. Licèt enim Ioannes expresserit, mille pacis ac regni ab Ecclesia possessi annos futuros: loquitur tamen figuratè, & millenarium pro longissimo annorum numero, nobis tamen incerto atque indefinito, vsurpat.

NOTATIO III.

In qua explicantur verba quæ superioribus annectit Paulus 2. Thessal. 2. 8.

QVEM DOMINVS IESVS INTERFICIET SPIRITV ORIS SVI, ET DESTRVET ILLVSTRATIONE ADVENTVS SVI EVM] Græcè ἀναλώσει τῷ πνεύματι τοῦ στόματος αὐτοῦ, καὶ καταργήσει τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ.

Conciliantur Pauli & Apocalypseos loca, quæ videntur inter se oppona.

Vocem illam *Quem*, euidens est ad Antichristum referri. Vnde qui arbitrantur in Apocalypsi expresè asseri Antichristum & eius præcursorē viuos ac superstites in inferorum barathrum detrudendos (vt Ribera Apocal. 19.) laborant valde cum ea repugnantiæ & oppositionis specie, quam inter hunc Pauli locum, & Apocal. 19. 20. offendunt. Paulus enim ait, Antichristum à Christo fore occidendum: & in Apocalypsi videtur asseri, Antichristum viuentem ac videntem ad inferos deturbandum.

Quo sensu Paulus de Antichristo dixerit, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui.

Vt ergo hanc difficultatem expediam; imprimis sic statuo, in Apocalypsi sermonem non esse de Antichristo, vt eo loco latè ostendam. Deinde, etiamsi Apocalypsis de Antichristo perspicuè ibi ageret: per locum adhuc Pauli liceret Antichristum ipsum in inferorum regiones viuentem præcipitari. Etenim pro verbo illo

Alcasa. in Apocal.

D *interficiet*, Græcè habetur ἀναλώσει, quod propriè est *consumet*. Atque ita vertitur Lucæ 9. 54. *Vt ignis descendat de cælo, & consumat illos*, & ad Galat. 5. 15. *Si inuicem mordetis, & comeditis; videte ne ab inuicem consumamini*. In nouo quidem Testamento non est verbum ἀναλίσκω, nisi in tribus hisce locis. Nam quod dicitur *Deus noster ignis consumens*, κατανα λίσκων, ad Hebræos 12. 29. Atque vt in Græco Thesauro obseruatur verbum ἀναλίσκω, significat *consumere, extinguere perdere*. Itaque vox illa *interficiet*, si vim huius loci in originali examinemus, non hic significat *Occidere*, siue *interficere*, vitâ prorsus ablatâ: sed *destruere*, siue *euertere*. Et dux quispam, quem hostis superauit, profligauit, & omni honore spoliatum ingenti affecit plagâ & ignominiâ, næ ille dicetur verè destructus, euersus, & quasi ad nihilum redactus. Atque id propriè significat, ἀναλίσκειν. Quamobrem idem est *interficiet*, quod mox sequitur, *Destruet eum*. quod in Græco est, κατα γήσῃ, & καταργέω est ἄεργον reddo, & inefficacē atque inutilem, quod verbum Paulo familiare est: & interdum vertitur, *euacuare*, vt ad Romanos 3. 3. *Numquid*

Digitized by Google

quid incredulitas illorum fidem Dei euacuabit? & 1. Corinth.13.10. *Euacuabitur, quod ex parte est*, & cap.15.24. *Cùm euacuauerit omnem principatum & potestatem.* Interdum verò, *Destruere.* Quod enim viribus ac vigore spoliatur, euersum ac destructũ remanere videtur

De qua Antichristi nece loquatur Paulus.

Ex dictis infero, Paulum (meâ sententiâ) non agere de propria atque (vt ita dicam) personali Antichristi nece; sed tantum contendere Christi Assertoris nostri doctrinam ac fidem Antichristo ipsi multò superiorem extituram: atque adeò mundum vniuersum perspecturum, quidquid sibi Antichristus falsis miraculis probauerat, dæmonis esse præstigias ac deceptiones. Nec verò ideo inficior, Antichristum a Christo fore occidendum: illud assero, Pauli locum de hac propria occisione non agere; sed solùm velle, Christũ Dominum sui oris spiritu, & excellentissimâ suæ præsentiæ manifestatione fraudem ac tyrannidem Antichristi euersurum. Hoc mihi textus ipse sonat cum sua origine collatus. Nihilominus tamen placet verba ipsa singillatim nonnihil ampliùs exponere.

Quis hoc dicatur spiritus oris Christi

SPIRITV ORIS SVI] Perinde esse existimo, B ac si Apostolus diceret; Christum Dominum, vt Antichristum deiiciat atque prosternat, sui ipsius ministris diuini spiritus copiam effusurum; vt cælesti vi, sanctitate maxima, versisque miraculis Euangelicam prædicationem confirmantes, Antichristum conterant & diuinæ lucis vsuram toto orbi impertiantur. Hanc autem siue phrasim, siue significationem minimè damnabit, opinor, qui animaduerterit, quid Christus Iesus significare voluerit, quando in Apostolos præsentes *insufflauit*: vt habemus in Euangelica historia Ioan 20. 22. Item quid illud Genes.2. *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Vide etiam Ezech. 37.9. *Insuffla super interfectos.*

Quæsam hic illustratio aduentus Christi dicatur?

ILLVSTRATIONE ADVENTVS] Græcè τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας quod propriè sonat, *Superna apparitione præsentiæ suæ.* Nec desit fortassis, qui his verbis adductus eam sibi mentem inducat, vt existimet Christum visibili specie in media luce apparituru, vt & Antichristũ prosternat, & ipsius fallacias mundo irritas & inanes ostendat. Verum (ni me fallit animus) hoc nec Christi Domini auctoritati consentaneum est, nec ipsius prouidentiæ rationi valde consonum. Non enim opus est Christum rursus in orbe se videndum & aspectandum proponere, cùm illam Antichristi perniciem possit aliter facilè resecare immissâ sui Spiritus diuini copiâ & cœlestium donorum atque gratiarum fluentis. Quid ergo erit, *Superna apparitio præsentiæ suæ?* In sui spiritus communione ac largitione Christus Iesus suam præsentiam reddet conspicuam; sicuti dicitur, *Digitus Dei est hic*: quando ipsius omnipotentia maximè ostenditur. Et quemadmodũ Christus Dominus, Matth.28.20. dixit: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Si ergo dicitur suâ gratiâ atque fauore præsens adesse, qui non solùm cernit, quæcumque accidunt, sed etiam ita fauet & auxiliatur, vt suæ præsentiæ clarissima documenta edat; quis non videat, quam meritò dicatur Christus suomet spiritu Antichristum euersurus: quando suis seruis eundem Spiritum suppeditet, quo suam præsentiam illis reddat manifestam, & se ad Ecclesiæ suæ in extremo penè discrimine laborantis auxilium aduentare declaret? Facit, quòd sæpè in Scriptura per Dei ad-

Reiicitur 1. expositio de visibili Christi aduentu ad Antichristum interficiendum.

Vera sententia & Paulini loci explicatio.

A uentũ significatur admirabilis ipsius fauor atque subsidium, sumptâ metaphorâ a præstantissimo aliquo duce, qui valida manu appropinquat ad alicuius vrbis hostium obsidione pressæ liberationem.

Verum hic Christi aduentus, de quo Paulus, possit ad vltimũ iudicij diem referri?

Iam, si quis existimet verba illa, *Illustratione aduentus sui:* referri ad vltimum iudicij diem; quasi dicatur Antichristi persecutio ad extremum vsque diem iudicij duratura; & tunc à Christo, cùm mundum iudicaturus aduenias, Antichristus ipse pariter opprimẽdus; facile est ostendere huius explicationis falsitatem: tum quia contra communem doctorum opinionem militat, quam ipsi ex Daniele etiam colligunt, scilicet post Antichristi excidium tempus aliquod ante postremã iudicij diem præteriturum. Et hoc per se erat verisimile considerata diuinæ prouidentiæ consuetudine: tum etiam, quia contextus ipse agit de maxima quadam diuini Spiritus effusione, id quod vltimo die iudicij futurum non est.

In Pauli verbis allusio ad Isaiæ cap.11. licet non eadem respiciat sensum.

Quod verò Paulus ait de Christo Domino, qui Antichristum *interficiet spiritu oris sui*; videtur plerisque desumptum ex Isaiæ cap.11. 4. *Spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Et saltem Vulgatus interpres apud Paulum legisse videtur, *Interficiet*, per allusionem ad Isaiæ locum.

Circa hoc, primò assero, in Isaia sermonem non esse de Antichristo: quia nec contextus id patitur, nec nomen impij habet articulum. Sed sermo est manifestè de peccatorum conuersione ad Christi fidem, Hoc enim clarissimum facinus solet ab Scriptura depingi sub specie siue figura maximæ cuiusdam victoriæ; in qua Christus peccatores interficiat: & *litera quidem eos occidit, spiritus autem viuificat.* Vide Cyrillum, & Procopium, qui hunc locum de dæmonibus à Christo vincendis exponunt.

Deinde Isaiæ locus iuxta Græcum sic ad verbum sonat: *In spiritu per labia interficiet impium.* Quare in Græco locus alter cum altero non consentit: præterquàm in nomine *spiritu*. Nam Paulus iuxta Græcum sic habet, *Quem Dominus consumet spiritu oris sui.* C Isaias verò sic, *In spiritu per labia interficiet impium.* ἐν πνεύματι διὰ χειλέων ἀνελεῖ ἀσεβῆ. Adde, quòd Isaiæ c.11.4. paulò antè, vbi nostra Vulgata legit, *Virga oris sui*: in Græco est, *Sermone oris sui.*

Quomodo dicti loci allusio ad Isaiam sit intelligenda.

Nihilominus existimo, Paulum ad Isaiæ locum alluisse. Quanuis enim Isaias non agat de Antichristo: tamen vt Paulus assereret Antichristum à Christo fore superandum, quatenus Christus ipse sui spiritus copiam & affluentiam suis seruis erat elargiturus, opportunè hoc ita explicuit, asserens id futurum esse ad eum ferè modum, quo Christus idololatriam deuicit: videlicet suomet ipsius spiritu impietatem destruendo. (Id quod significat Isaias, asserens Christum suo spiritu peccatores occisurum.) Quod vt Paulus indicaret, ad Isaiæ locum per allusionem respexit. Verùm pro *Interficiet*, substituit, *Consumet.* Illi enim, qui peccato moritur, & sese ad Christum conuertit, rectius quadrat interfici gladio spiritus: *Quod est verbum Dei.* Anti- D christo verò ac dæmoni, qui conuertendi non sunt, melius congruit consumi ac destrui: propterea quòd consumantur ac destruantur illo ipso spiritu, quem Deus Euangelij prædicatoribus elargitur: nec non mystica morte, quam Deus illis infert, qui dæmonis & Antichristi famuli atque asseclæ erant.

TEXTVS.

*Vers.*9. Et tertius Angelus secutus est eos, dicens voce magna, Si quis adorauerit Bestiam & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua.

10. Et hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero in calice iræ ipsius, & cruciabitur igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & ante conspectum Agni.

COM-

Digitized by Google

A

COMMENTARIVS.

IN horum trium Angelorum partitione diximus, tertii Angeli vocem è regione fore opponendam terrestri Bestiæ, hoc est sapientiæ carnis: id quod difficultatem nunc videtur inuoluere. Cùm enim dicitur, *Si quis adorauerit Bestiam, & imaginem eius*, haud dubiè nomen Bestiæ marinam Bestiam significat; de cuius imagine & charactere superiore capite actum est. Ex quo primâ specie videtur inferri, tertium Angelum directè loqui non contra terrestrem Bestiam, sed contra marinam. Verùm enimuerò, quòd marina Bestiæ & eius imago adorentur; quodque eius milites in fronte aut in manu characterem siue notam impressam habeant; hoc inquam est proprium terrestris Bestiæ officium, vt ex ipso superioris capitis textu liquet. Quare hæc Angeli tertii vox directè aduersus eos intonat, qui terrestri Bestiæ obsequuntur. Ad hæc; si per terræ Bestiam sapientia carnis figuratur, (vt vidimus c. 13.) marimæ Bestiæ & ipsius imaginis venerationem & ipsius characteris impressionem in suorum militum fronte seu manu non præstat carnalis sapientia effectiuè, sed formaliter; vt Scholastici loquuntur. Etenim hæ sunt formales carnalis sapientiæ actiones; vel potiùs hæc est allegoria, siue ænigma efficientiæ quam terrenus affectus in terrestribus hominibus operatur: est item quædam

B veluti descriptio exprimens, quid agat, qui suis cupiditatibus miserè succumbit. Quamobrem vox ea, quæ marinam Bestiam, eiusque imaginem adorantibus, & characterem in manu aut fronte accipientibus comminatur; ipsamet propriè intenditur in terræ Bestiam, id est in carnalem sapientiam. In hoc enim carnis sapientia potissimùm consistit; nec alia præterea est sapientia carnis, nisi id ipsũ quod præ se fert hæc allegoria, siue ænigma de adoratione marinæ Bestiæ & ipsius imaginis. Existimo autem hoc satis à me explicatum in capitis 13. commentario. Vnde planum fit, hanc tertiam vocem directè aduersus terrestrem Bestiam emitti.

Quomodò hac tertij angeli vox contra terræ Bestiam iactetur.

Enimuerò Bestia terræ considerari potest in Ethnicis hominibus Christianos persequentibus, eorumque mortem anhelantibus: quo in sensu actum iam de illa est ca. 13. Potest insuper concipi in aliquo, qui cùm Christianus esset, tormentorum vi ac terrore siue terrenâ alia affectione cõpulsus à Christiana Religione defecit. Existimo ergo iuxta hanc secundam acceptionem agi in hoc loco de illorum impietate, qui se totos terrestri Bestiæ subiiciunt: & ab ea decepti marinam Bestiam, eiusque imaginem cultu ac veneratione prosequuntur. Licèt enim huiusmodi doctrina generalis sit, ex ipsa tamen dicendi ratione apparet, applicari hìc non ad Gentilium infirmitatẽ: sed ad hominem quempiam, qui Christianæ priùs Religionis cultor in fraudem fuit à Bestia terræ illectus. Hoc ex eo infero, quia modus loquendi is est: *Si quis adorauerit Bestiam & imaginem eius.* Atqui phrasis illa, *Si quis*, in

C præsenti indicat de eo sermonẽ institui, quod posset alicui contingere: non tamen valde vsitatum in ea Gente, ad quam hîc sermo dirigitur. Et verò ita prorsus primitiuæ Ecclesiæ Christianis accidebat. Perpauci enim eorum reperiebantur, qui carnali sapientiâ decepti Christianam fidem abiurarent. Id quod innuitur eâ locutione, *Si quis adorauerit Bestiam & imaginem eius.* Si enim ad Gentiles verba fierent, nequaquam diceret Angelus *Si quis*: sed, *omnes qui* adoratis Bestiam. Præterea quanuis c. 13. habitus fuerit sermo de effectu, quem generatim Bestia terræ in vniuersis Gentilibus præstabat: & nunc Angelus sermonem conuertat ad eum Christianum, qui se à terrestri Bestia circunueniri patiatur: ipsa tamen terræ Bestia vtrobique eadem est, vt constat, eademque ratio Gentiles siue Christianos decipiendi.

Terra Bestiã (quod ad mysticũ attinet sensũ) bifariam considerari posse.

Iam verò, quod in hoc loco singillatim de Christiano homine sit sermo, qui ab hoc monstro se decipi patiatur, id inquam textui congruens valde extitit. Etenim finis trium harum vocum, quas Ioannes ab Angelis totidem probatas auribus excepit; is est, vt Christi milites inducerẽtur pariter, atque inflammarentur ad mysticum illud Ecclesiæ contra Romanum Imperium certamen fortiter capessendum. Cùm autem in duabus vocibus præcedentibus figura fuerit certa fiducia, quam Ecclesia de victoria ex dæmone ac mundo comparandâ conceperat; grauitas autem tormentorũ & humana debilitas efficiebant, vt timor ac formido Christianorum animos incesserit: fore vt nonnihil ex

D iis persecutioni succumberent, & Christianam Religionẽ desererent. Hic verò metus conueniens satis est, vt cum timore & tremore singuli suam salutem operentur. Vt ergo & hoc discrimen proponeretur ob oculos, & præsentissimum illi remedium adhiberetur; opportunè admodùm ait tertius Angelus, *Si quis adorauerit Bestiam & imaginẽ eius, &c. Et hic bibet de vino iræ Dei, & cruciabitur igne & sulphure.* In his verbis indicatur imprimis possibile esse, vt quis ex pristino sanctitatis gradu ruat: vt vel sic *qui stat videat, ne cadat.* Deinde ad homines ab eo scelere deterrendos, depingitur, quanta sit rei indignitas & ignominia, vt Christi miles illaqueari se patiatur à Bestia terræ: & ante maris Bestiam, eiusq; imaginem in genua procumbat; seque illius nota & stigmate siue in fronte siue in manu permittat inuri. Tertiò, ad hoc etiam magis agnoscendum conducit, quod de æternis inferorum suppliciis, quibus Deus improbos plectit, deinceps additur. Ac demum hæc ipsa pœnarũ inferni consideratio aptissima est, vt excitentur Christiani: & ad cruciatus atque tormenta fortiter subeunda stimulẽtur: quandoquidem perspicue cernitur, quàm sit stultum atque insanum, metu breuissimi cruciatus sese æternis inferorum tormentis addicere.

Huiusmodi mina, quas tertius intẽdit angelus, contra quos potissimùm iactentur.

Porrò, quid sit Bestiam & imaginem eius adorare, quid, accipere eius characterem in fronte aut in manu, de hoc iam satis c. 13. disputatum est. Quare longiùs in textus explicatione progredior. *Et hic bibet de vino iræ Dei.* Hoc propriè est, vino Babylonis iræ opponere vinum iræ Dei, quæ multo magis horribilis ac formidabilis est. Iam, quod ad calicis, siue potionis vini allegoriam attinet: phrasis est, vt suprà dicebamus, in sacris Literis valde familiaris. Sequitur, *Quod mistum est mero.* In qua locutione

Vinum iræ Dei opponi vino iræ Babylonis.

Digitized by Google

Miscere *in Scriptura interdū pro eodem sumi, quod* infundere.

manifestè apparet, certum omnino esse, quod à nonnullis obseruatum est; videlicet, *Miscere*, plerumque non esse idem, quod vinum aquâ temperare; sed idem, quod vinum, quanuis sit merum, in poculum infundere, vt Ps.74.9. *Calix in manu Domini vini meri plenus misto*, siue, *mistione*. Quamobrem quod nunc dicitur, calicem quem damnati potant, mistum esse mero; denotat esse pœnarum ac tormentorum calicem absque vlla solatii aut quietis intermistione: secus tamen esse Sanctorum dolores atq; tormenta quibus in hac vita conflictantur; propterea quòd admirabili sint lætitiâ & cōsolatione temperata; tum propter maximam voluptatem, quam ex pœnis ipsis pro Christi amore perpessis hauriunt; tum etiam propter pœnarum breuitatem & præmii atque gloriæ speratæ æternitatem. A

Vers. 10. *Quid per ignem & sulphur in Apocalypsi.*

ET CRVCIABITVR IGNE ET SVLPHVRE] In Apocalypsi per ignem & sulphur inferni denotantur cruciatus. Infrà cap.19.20. *Vini missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure*. Sed quorsum sulphuris mentio in igne gehennæ? Respondebit fortè quispiam, hoc ad illius ignis perennitatem significandam spectare; quasi concipiatur sulphure nunquam defecturo, eum ignem ali. Ego tamen non video in sulphuris natura aliquid, quod ad eius ignis æternitatem indicandam conferat. Quamobrem licèt certum sit, infernum ignem nūquam fore intermoriturum; hocautem neutiquam in sulphure significatur, nec in eo significari id opus erat. Nam gehennæ æternitas satis iis verbis denotatur; *Quod mistum est mero*; quod est, absque vlla consolationis permistione, atque adeò sine spe de illo igne atque tormento vnquam absumendo. Præsertim cùm sequenti versiculo addatur, *Et fumus eius ascendet in sæcula sæculorum.* B

Quorsum hic sulphuris mentio fiat. Sulphuris natura. Apud ethnicos olim sulphur in sacris adhibitum ad expiandas suffitu domos.

Quid ergo in præsenti denotat sulphur? Suspicor, propriam ipsius significationē eam esse, nimirū animas inferorum igne torqueri; quia scelera atque flagitia siue peccatores ipsi sunt veluti sulphur, hoc est propria atque apta materia & nutrimentum; quod ignis ille celeriter corripit, & inflammat: quia vt ait Plin.l.35.cap.15. agens de sulphure: *Non alia res facilius accenditur*. Præter hæc. *Ex ardescentis sulphuris repercussu pallor dirus veluti defunctorum hominibus offunditur*: vt ibidem notat Plinius. Hic autem dirus pallor apprime exprimit damnatorū hominum desperationem: & grauissimus ac teterrimus odor pœnam ac fœtorē flagitiorū, quæ sui odoris putore damnatos ipsos torquet acerrimè. Notum insuper est, & Plinio ibidem obseruatum, necnon Alexandro ab Alexandro l.5.c.17. ex Ouidio, inter Gentiles sulphuri in rebus ad religionem spectantibus fuisse locum ad expiandas suffitu domos. Et fortè per allusionem ad pristinum hunc morem repræsentat Scriptura, mundum, (qui Dei est domus) videri quodammodo igne tartareo expiari. Nam diuinæ iustitiæ improborū pœnas iustissimas exigenti satisfacit inferorum ignis, dum suam seueritatem in damnatis exercet. Atque eadem mystica philosophia potest pariter extendi ad odorem sulphereum, quem fulminibus inesse notat ibidem Plinius. Fulmina enim sunt diuinæ indignationis symbolum, & supplicii seueritate videntur mundum expiare. Postremò in sulphuris atque ignis coniunctione alluditur ad Sodomæ & Gomorrhæ supplicium: in quo *pluit Dominus sulphur & ignem*, Gen.19.24. Et supplicium illud ait Scriptura fuisse exemplum inferni supplicii. Consule epistolam Iudæ nu. 7. C

Ex Dei & Angelorum conspectu damnatorū pœnas apud inferos magis augeri.

IN CONSPECTV ANGELORVM SANCTORVM ET ANTE CONSPECTVM AGNI] Inter ceteras res, quæ damnatorum pœnas atque cruciatus adaugent, vna est certa cognitio, qua sciunt suos cruciatus atque tormenta à Christo, eiusque Angelis peruideri, nec tamen ad commiserationem ideo flecti: sed potiùs voluptate affici, quòd Dei hostes vehementer puniantur. Cùm autem singillatim in contextu sit sermo de supplicio, quod sumet Deus de Christiano homine, qui à Bestia terræ in fraudem se induci fuit passus, vt Christianam Religionem desereret: his ipsis peculiaris erit tormenti atque cruciatus ratio & grauitas, quòd semper æternis ignibus exurantur in eius cōspectu, in quem se proditores & perfidos exhibuerunt: necnon in custodum Angelorū conspectu, quos ipsi neglexerunt: dum Christianam fidem abnegantes, pluris Satanam, eiusque ministros æstimarunt. atque cōceptus ex hac perfidia ac proditioni pudor & verecundia nusquam intercidet: quia nunquam eam sibi solatii particulam adsciscent, quæ & Agni & ipsius Angelorum absentia ad eos deriuari posset. Angelorum autem nomen potest extendi ad viros sanctissimos, qui fuerant ministri & cooperatores conuersionis eorum, qui postea à vera Religione turpiter defecerunt.

Damnatorū apud inferos pœna obiter pōderantur.

Ex qua Scripturæ parte hæc tertij angeli vox sit desūpta.

Reliquum est, vt inquiramus ex qua Scripturæ parte hæc tertii Angeli vox fuerit desumpta? Inde enim pendet cognoscere, quis sit tertius hic Angelus. Nec verò in eo sita est difficultas, vt aliquem Scripturæ locum inuestigemus, in quo de hoc ipso argumento tractetur. Nec enim difficile est complura eiusmodi loca in Euangeliis, in Pauli Epistolis, & in aliis Scripturæ locis reperiri. Difficultas ergo in eo consistit, vt ex omnibus eiusmodi locis seligatur vnus, qui in hac ipsa sententia maximè omnium insignis: vel saltem sit congruentior, quò in hac tertii Angeli voce allusio facta esse potuerit. Existimo ergo Spiritus sancti mentem hoc in loco fuisse intentam ad secundam Petri epistolā, præsertim in caput secundum, Primò, quia cùm antecedentes Angeli sint Ioannes & Paulus: nullus alius posset esse aptior Petro, vt agmen hoc clauderet, & tertius illis duobus adiungeretur. Secundò, caput illud secundum Epistolæ Petri secundæ est illustrissimum ad explicandam summam miseriā atque supplicium eorum, qui terrenis affectionibus & cupiditatibus allecti Christianam Religionē derelinquunt. In cuius rei confirmationem valde est obseruatione dignum, quòd cùm B. Iudas in sua canonica vellet idem argumentum tractare; ferè omnia, quæ hac de re disputat, ex Canonica Petri epistola depromserit, vt sequenti notatione videbimus. Et quamuis duo Apostoli Petrus ac Iudas in prædictis locis agant singillatim de iis, qui à Christiana Religione desciscentes in hæresim miserè prolabuntur: apostasia tamen est inter hæreses maxima. Quapropter quod de æternis Hæreticorum pœnis iactatur, non minùs de Apostatis, quàm de sectariis accipi debet. Et aliorum quidē apostasia, atque hæresis aliorum, iuxta Petri & Iudæ doctrinam, suam ducunt originem ex eo, quòd homines D

Petrum Apostolum in tertio Angelo figurari.

Digitized by Google

A mines suis se æffrænatis cupiditatibus ac libidinibus totos dedant. Atque id ipsum significat Bestia terræ, siue carnalis sapientia.

Obseruandum præterea est, licèt directè in hoc loco sit sermo. (& similiter in Petri, atque Iudæ Epistolis) de illis, qui, vt suas sectentur concupiscentias. Christianam fidem eiurant: cæterùm adhibita proportione posse eandem doctrinam congruenter applicari ad eos Christianos, qui in suis sceleribus immersi, suas cupiditates sequuntur, quantunuis fidem non deserant. Non tamen postulabat contextus, vt hic de illis ageretur: præsertim primitiuæ Ecclesiæ tempore, quando Christiana fides tantopere oppugnabatur; & qui se sponte suis vitiis tradebant, adeò parum distabant à Christiana Religione deserendâ. Quare maiori ex parte fideles tunc erant à vitiorum fæce & contagione seiuncti, & virtutis ac sanctimoniæ imprimis studiosi. Quemadmodum hodie videmus accidere in iis Catholicis, qui in prouincia aliqua hæreseos lue infectâ sese audacter Christianæ Religionis assertores & Summo Pontifici obsequentissimos profitentur.

Doctrinam in Petri & Thadæi epistolis contẽtam suo etiã modo ad omnes Christianos depraua ta vita posse applicari.

NOTATIO IV.

B *In qua conferuntur Epistola II. Petri & Epistola Judæ, vt manifestè cernatur, B. Iudam quàm plurima ex B. Petri Epistola desumpsisse: & alteram esse optimum alterius commentarium.*

Collatio inter Petri & Iudæ Thadæi epistolas.

CVm eam mihi mentem induxerim, vt vocem hanc tertij Angeli ex secunda Petri Epistola fuisse depromptam existimem: propterea diligenter attendi prædictæ Petri epistolæ seriem ac decursum. Et quidem (ni fallor) ad eius intelligentiam faciliùs assequendam haud parum conducit Iudæ Thadæi Epistola, quippe ex vtriusque collatione perspicuè elicitur, Iudam ex Petri Epistola fuisse mutuatum non solum rerum ac rationum, quas affert, ordinem & cohærentiam, verùm etiam ex ipsismet verbis non pauca. Quapropter in alterius verbis clariùs apparet, quod in altero obscurius latebat. Quod vt manifestè perspiceretur: operæ pretium me fore facturum putaui, si vtriusque Epistolæ verba inter sese conferrem: vt lector inde magnam vtriusque similitudinem obseruare facilè posslit.

Ex Epist. B. Petri.

Caput 1. num. 2. *Gratia vobis, & pax adimpleatur.* C

Cap. 2. 1. *In vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis.*

Et eum, qui emit eos, Dominum negant.

Num. 2. *Et multi sequentur eorum luxurias per quos via veritatis blasphematur.*

Num. 4. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus* (Græcè catenis) *inferni detractos* (id est præcipitatos) *in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reseruari.*

Num. 6. *Et ciuitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens, euersione damnauit; exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens.*

Num. 10. *Magis autem eos, qui post carnem inconcupiscentia immunditia ambulant, dominationemq; contemnunt.*

Δόξας *non metuunt blasphemantes.*

Num. 11. *Angeli fortitudine & virtute cùm sint maiores, non perrant* (Græcè φέρουσι) *aduersum se execrabile* D *iudicium.*

Num. 12. *Hi verò, &c. in his quæ ignorant blasphemantes in corruptione sua peribunt.*

Num. 13. *Conuinationes & macula deliciis affluentes in conuiuiis suis luxuriantes.*

Num. 14. *Cor exercitatum auaritia habentes.* Et n. 3. *In auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur.*

Num. 15. *Secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amauit.*

Num. 17. *Hi sunt fontes sine aqua, & nebula turbinibus exagitata.*

Quibus caligo tenebrarum reseruatur.

Num. 18. *Superba enim vanitatis loquentes pelliciunt in desideriis carnis luxuria eos.*

Cap. 3. n. 1. *Charissimi.*

Num. 2. *Memores sitis eorum, quæ prædixi verborum, &c. & Apostolorum vestrorum, præceptorum Domini, & Saluatoris.*

Num. 3. *Hoc primùm scientes, quod venient in nouissimis diebus in deceptione illusores iuxta proprias concupiscentias ambulantes.*

Alcæus in Apoc.

Ex Epist. B. Ivdæ.

Num. 2. *Misericordia vobis, & pax, & charitas adimpleatur.*

Num. 3. *Subintroierunt quidam homines impij, qui olim præscripti sunt in hoc iudicium.*

Num. 4. *Solum Dominatorem, & Dominum Iesum Christum negantes, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam.*

Num. 6. *Angelos verò, qui nõ seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reseruauit.*

Num. 7. *Sicut Sodoma & Gomorrha, & finitima ciuitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.*

Num. 8. *Similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt.*

Δόξας *autem blasphemant.*

Num. 9. *Cùm Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ; sed dixit: Imperet tibi Dominus.*

Num. 10. *Hi autem quæcumque quidem ignorant, blasphemant: quæcumque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.*

Num. 12. *Hi sunt in epulis suis macula conuiuantes sine timore, semetipsos pascentes.*

Num. 16. *Mirantes personas, quæstus causa.*

Num. 11. *Errore Balaam mercede effusi sunt.*

Num. 12. *Nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur.*

Num. 13. *Quibus procella tenebrarum seruata est in æternum.*

Num. 16. *Secundùm desideria sua ambulantes, & os eorum loquitur superba.*

Num. 17. *Vos autem charissimi.*

Memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi.

Num. 18. *Qui dicebant vobis, quoniam in nouissimo tẽpore venient illusores secundùm desideria sua ambulantes in impietatibus.*

Digitized by Google

Ex huiusmodi collatione magna, opinor, lux oboritur secũdo capiti Epistolæ Petri secundæ; & satis etiam perspectum manet, quod sufficit; vt cognoscatur allegoriam illius vocis, quam ex tertio Angelo refert Ioannes, esse idem, quod in eo secundo posterioris Epistolæ Petri capite latiùs describitur: nimirum de sempiternis eorum suppliciis, qui suis concupiscentiis ac libidinibus indulgẽtes in Christianâ fide miserum fecere naufragium. Et quidem difficiles aliquot B. Petri locos necesse est intelligi, quemadmodum B. Iudas eos quasi paraphrasticè exponit. Vt quod dicitur apud Petrum c. 2.11. *Angeli non portant aduersum se execrabile iudicium*, necessarium est id de bonis Angelis intelligi. Nam Iudas ad Michaelẽ singillatim descendit: veluti innuens, quod Petrus generatim dixit, de Michaele speciatim dixisse, de quo per traditionem ex antiqua aliqua reuelatione deriuatam aut per veterem aliquem librum canonicum id proditum erat, videlicet in disceptatione illa, qua cum dæmone altercatus fuit, non ausum fuisse illi iudicium inferre blasphemiæ. Itaque quamuis latis auribus: *Portare iudicium execrabile*, nõ idem sonet, quod *Inferre iudicium blasphemiæ*, seu maledictum iacere in alium: nihilominus Iudæ contextus, & Græca lectio, quæ vtrobique eodẽ vtitur verbo, (nempe φέρω, cuius Aoristus est ἤνεγκα, cogunt, vt asseramus in Vulgata idem hìc esse, *Portare*, quod inferre. Nec valde mirum est, vtrumque verbum *Fero*, & *Porto* in hoc loco cõfundi. Quod autẽ Petrus ait, Angelos nõ portare (siue inferre) aduersum se execrabile iudiciũ, siue execrationem: verbũ *Aduersum se*, significat idẽ, quod erga alios angelos: nempe erga dæmones, qui sunt eiusdẽ naturę.

Portare iudicium execrabile, *quid sit apud B. Petrũ.*

Quod verò in hisce epistolis de nouissimis temporib. asseueratur, ad primitiuæ etiam Ecclesiæ tempora referendum est: ita vt nouissima tempora, iuxta sacræ Scripturæ phrasim, de tẽpore legis gratiæ intelligãtur. Quod patet, quia saltẽ B. Iudas, (qui post Petrũ scripsit) affirmat, fuisse iam expletam veterem illam prophetiã, de qua Christi Apostoli ceteros fideles admonuerant. Reliqua omnia, quæ ad harum Epistolarũ elucidationẽ spectãt, interpretibus Canonicarũ Epistolarũ remitto.

Nonnulla in Petri epistola difficilia loca ex B. Iudæ epistolæ, eiusq; contextu explicari debere.

TEXTVS.

*Vers.*11. Et fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum: nec habent requiem die ac nocte, qui adorauerunt Bestiam & imaginem eius, & si quis acceperit characterem nominis eius.

COMMENTARIVS.

Difficultas vbinã apud Petri epistolam reperiatur mentio de eo tormẽtorum fumo de quo hic sermo est.

CONTINVATVR in hoc versu vox Angeli tertij. Quamobrem, cùm iuxta nostram expositionem, vox hæc sit mutuata ex c. 2. Epistolæ D. Petri secundæ; oportet ostendere, vbi Petrus in eo capite agat de fumo tormentorum; quibus ij crucientur, qui se à Bestia terræ decipi sinunt, vt fidem deserant; de eiusmodi inquam fumo, qui in æternum sit duraturus: & vbi etiam Petrus dicat, eos non habere requiem die ac nocte. Erunt fortasse, qui credant in toto illo capite nihil posse reperiri, quod huic versiculo respondeat; ac proinde in eam deueniant suspicionẽ, vt per illum tertium Angelum opinentur Isaiam adumbrari. Nam ille est, qui c. 34.10. agens de Bosra Idumææ metropoli, ait, *In sempiternum ascendet fumus eius.* Veruntamẽ quanuis in hoc Apocalypseos loco contineatur pariter allusio ad illa Isaiæ verba, (de qua notatione quintâ:) hoc tamen ideo fit, quia Petrus in eo capite ad Isaiæ locum alludit. Etenim quòd tertius ille Angelus Ioanni visus non Isaiam, sed Petrum repræsentet; inde mihi persuadeo, quia primus Angelus fuit absque dubio Ioannes; quem vt tanquam socij comitentur in ea cohortatione ad fideles habitâ, sunt profectò aptiores multò Paulus ac Petrus, quàm aut Isaias, aut quilibet alius ex sacris veteris Instrumenti vatibus; præsertim cùm ex tota tertij Angeli voce (excepto æterno illo fumo in sæcula sæculorum ascendente) nihil omnino in eo Isaiæ capite reperiatur & forsan in alio satis diuerso sensu. At in secundo capite Epistolæ Petri secundæ habemus omnem vocis huius tertiæ medullam, & integram hac de re eamque mirificam tractationem. Et quanuis verum sit, Petrum non expressè vti metaphorâ æterni fumi; asserit tamen, quod satis est, vt in Apocalypseos ænigmate & allegoria per fumi æterni translationẽ denotetur, quod Petrus significanter satis perstrinxit. Quemadmodum nec apud Petrum inuenitur adoratio Bestiæ & eius imaginis, nec notæ ac characteris impressio; bene tamen huius allegoriæ sufficiens fundamentum, cuiusmodi est homines suis inordinatis appetitionibus morem gerere, & à vitæ superbia atque inani mundi existimatione se ferri permittere, vt cap. 13. affatim explicuimus. Et de his quidem dilucidè agit Petrus in eo capite.

Expositæ difficultas expenditur.

Sed quæ sunt apud Petrum verba, quibus in Apocalypsi fumus æternus respondeat? Imprimis B. Petrus in eó capite n. 9. mentionem facit Sodomæ & Gomorrhæ; asseritque in earum cruciatibus atque tormentis exemplum nobis proponi eius supplicij, quo meritissimè mulctantur impii suarum concupiscentiarum sectatores. Id quod Thadæus clariùs adhuc expressit; ait enim, *Facta sunt exemplum ignis æterni pœnam sustinentes*. Deinde quando Isaias de Bosra agens asserit, *In sempiternum ascendet fumus eius*: significare voluit idem Bosra esse euenturum, quod in Sodoma & Gomorrha fuit ante figuratum: quæ quidem exustę fuerunt, & supplicii illius atque ignis effectus perpetuò durat. Quippe halitus pestilens, quem semper mare mortuum exhalat, nec patitur volucrem aliquam suprà impune volitare; hic inquam halitus pestifer & semper ascendens, est veluti fumus illius incendii, quo Sodoma & Gomorrha coflagrarunt; & eiusmodi fumus, qui nusquam consumatur. Si ergo admittamus hanc esse verborum Isaiæ vim: facilè est videre, quàm aptè & congruenter dixerit Petrus, in inferorum suppliciis, quibus suarum concupiscentiarum sectatores excruciantur verum comprobari: quod in Sodomæ & Gomorrhæ pœnâ figuratur. Quid verò per fumum huiusmodi à gehenna semper ascendentem insinuetur; commodiùs notatione quinta disputabimus.

Quid hoc in loco sit, non habere requiẽ die ac nocte.

NEC HABENT REQVIEM DIE AC NOCTE] Existimo id referendum minimè esse ad inferorum supplicia: cùm ibi nullus sit dies. Neq; satis huic difficultati fit, si dicas, *Die ac nocte*, phrasim esse vsitatam, quæ assiduos cruciatus absque vlla quietis intermissione significet. Non enim verisimile est eam phrasim ab Apocalypsi absque peculiari mysterio vsurpatam. Nam in ænigmatis ab acerrimi ingenii viro compositis, si optima sint, nihil debet redundans, nihil superuacuum reperiri: quantò magis in hoc

Digitized by Google

A in hoc ænigmate ceterorum ingeniosissimo ac plane diuino. Cùm ergo antecedentia, verba ad tartareos cruciatus referantur; optimè adhuc cohæret, vt addatur nunc, impios ac sceleratos homines non in alia solùm vita æternis pœnis torquendos, sed in hac etiam: nec tantùm nocte, id est aduersitatis tempore, sed die etiam, id est tempore prosperitatis semper fore inquietos & impacatos: nec verò vmquã pace fruituros: *Quia non est pax impijs, dicit Dominus.* Atq; hoc etiam nos docet Petrus in eo c.n.17. *Hi* (inquit) *sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ.* Quod est dicere, qui suis cupiditatib. laxant habenas (dum eâ ipsâ viâ falsò putant, se desiderii sitim expleturos) æquissimo Dei iudicio, atque adeò supplicio fit, vt suas omnes spes irritas esse & inanes experiantur: nec solida potiantur vnquam requie & tranquillitate. Hoc namque est, *Fontes sine aqua, & nubes turbinib. exagitatæ.* fons enim aquæ copiam, & affluentiam pollicetur. hi tamẽ fontes sunt mendaces ac fraudulenti, & nubes etiã commentitiæ. Cùm enim videbatur pluuiæ copia in terram effluxura; reflat repente siccus ac frigidus Boreas: qui nubes ipsas huc illuc dissipat, & miserorũ hominum speculam irritam prorsus reddit. Id quod expressit B. Iudas num. 12. *Nubes sine aqua, quæ à ventis circunferuntur.* Qua in re verum deprehẽditur, quod Salomon ait Prou. 25. 14. *Ventus & nubes & pluuia non sequentes, vir glorioſus, & promissa non implens.* Hoc enim prouerbium sapienter de illis intelligitur, qui vanâ mundi gloriola decepti falsam sibi promittunt felicitatem: quam tamen promissionem nunquam ad ipsum exitum perducunt.

NOTATIO V.

De duplici sensu fumi ascendentis in sæcula, & de Isaiæ loco cap. 34. 10. cum locis Apocalypseos collato.

De fumo ascẽdente in sæcula sæculorum, disputatio.

DVo sunt in Apocalypsi loci, in quibus de fumo in B sæcula ascendente tractatur. Alter in hoc c. 14. n. 11. vbi agitur de gehennæ igni, quo damnati exuruntur, de cuius ignis fumo dicitur, *Fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum.* prædictum autem fuerat, eos igne & sulphure esse torquendos. Alter habetur Apoc. 19 3. ibi enim sermo instituitur de Babylone: & postquam dictum fuerat, eam igne fore comburendã: subiungitur, *Et fumus eius ascendit in sæcula sæculorum.* Vtroque in loco videtur alludi manifestè ad Isaiæ verba cap. 34. 10. in quibus agit Propheta de incendio Bosræ, quæ erat Idumææ metropolis: & ad eius incẽdium exaggerandum affirmat, torrentes in picem, terram in sulphur conuertendam fore: vt vrbs ipsa magis magisque exardesceret. Dein hæc subdit: *Nocte & die non extinguetur, in sempiternum ascendet fumus eius.*

Allusio ad Isaiæ locum de fumo æternum duraturo.

In trium horum locorum conciliatione duplex oboritur difficultas. Prima de germano Isaiæ loci sensu, quem respicit Apocalypsis. Nec enim fumi sempitetni, C de quo Apocalypsis, sensus debet esse diuersus ab eo sensu, quem apud Isaiam habet. Altera difficultas est, vtrùm in Apocalypsi sit sensus idem fumi sempiterni in c. 14. & in c. 19. Nam in nostra acoluthia cap. 14. sermo est de æterno gehennæ supplicio, quod illis paratum est, qui Bestiam adorauerint, & eius acceperint characterem. Capite verò 19. agitur de mystica vindicta, quã Deus erat de Roma sumpturus, eam videlicet Christianæ Religioni subiiciens, & Religionis eiusdem ignem in ea æternùm accendens. Hæc autem sensuum diuersitas, præter difficultatem, quam in ipsa Apocalypsi habet, reddit etiam valde perplexum Isaiæ locum. Quam enim lucem ei alter locus afferebat, videtur alter subtrahere, si diuersum exigat sensum.

Expenditur Isaiæ locus de fumo incendij Bosræ in sempiternum ascẽdente.

Circa primam difficultatem præmittam imprimis expositiones duorum Isaiæ interpretum, qui nostra ætate permagni (& quidem satis meritò) æstimantur: Forerij & Ariæ Montani. Quorum prior in eo Isaiæ cap. 34. existimat Idumææ nomine ibi designari Iudæam, & nomine Bosræ Hierosolymam: locum autem ipsum interpretatur de illius prouinciæ euersione propter Iudæorum scelera; quod verò de incendio & sempiterno fumo asseueratur; quasi hyperbolicè dictum accipit. Contra hanc declarationem validissimum argumentum ex eo petitur, quod Apocalypsis cùm bis ad Isaiæ locum alludat, in neutra parte meminit Iudææ aut Hierosolymæ, nec reperitur interpres, qui in his locis eum sensum subesse suspicetur. Iam, velle in Apocalypsi per hyperbolem exponere incendium, ac fumũ sempiternum; id sanè commẽtitium esset. Nam in enodandis ænigmatis non rectè applicet, qui eorum verba ad sensum hyperbolicum reuocet; cùm nihil in eis deprehendatur, quod si percipiatur probè, non sensui congruenter aptetur. Et saltem c. 14. dubium non est,

1. expositio Forerij, Idumæam explicãtis de Iudæa, & Bosra de Hierosolyma: Argumentum cõtra Forerij expositionem.

de sempiterno igne sermonem haberi: vbi ignem fore in æterna sæcula duraturum, quis audeat ex Catholicis inficiari? Quapropter necessarium est, huic fumo aliquẽ adhiberi sensum de re quapiam, quæ verè ac propriè in perpetuũ dicatur duratura. Et quidẽ interpres, qui locum Isaiæ, ad quẽ bis alludit Apocal. sic exponit, vt interpretatio cõuenire non possit cum loco Apocal. non video qua ratione doctis satisfacere possit.

2. expositio Ariæ Montani, accipientis Bosra pro Roma.

Arias Montanus autem in eodem Isaiæ loco affirmat, sub nomine Bosra (quod à munitionis significatione deducitur) agi ad literam de Roma, quæ arx erat Gentium munitissima. Porrò incendium interpretatur de igne Euangelico: cuius virtus est eiusmodi, vt nihil omnino ab incendio excipiat eorum, quæ priùs maxima videbantur. Fumum autem exponit de incertis fabulis obscuris ac molestis, (id quod ex antiqua illa superstitione post idololatriæ expulsionẽ tantummodo remansit.) His addit, expediens fuisse, vt eiusmodi fabulæ monumenti causâ superessent. Hæc ille.

Quid in Ariæ explicatione probetur.

Ex hac interpretatione illud maximè probo, quòd pro Idumæa Romanum Imperium explicat; & pro Bosra Romam ipsiusmet Imperij metropolim; quod mea sententia est ex Apocalypsi certissimum. Nã quod Isaias asserit de incendio & fumo Bosra, Apocalypsis cap. 19. ad Babylonis incendium ac fumum applicat. Per Babylonem autem significari Romam, manifestũ est. Et quanuis c. 14. directè sit sermo de igne ac fumo Christianorum, qui in Romani Imperij persecutione decepti carnali sapientia à Christi Religione desciscerent: verùm id in hoc significatur, quod Christiani fuerint, nihil eis profuturum, vt illud effugiant supplicium, quod Christi Ecclesiæ persecutoribus carnali sapientia seductis fuerat præparatum. Itaque supponitur illum ignem ac fumum esse destinatum ethnicis hominibus, qui Christianam Ecclesiam infectabantur: ac proinde veros Idumæos (de quibus Isaias ca. 34. loquitur) fuisse idolorum cultores, qui Ecclesiam infestarunt: hoc est Imperium fuisse Romanum ãtquè adeò in Bosra designari Romam ipsius Imperij metropolim. Hoc autem non obstat, quominus Propheta de ipsis etiam Idumæis, & de vrbe, quæ propriè appellatur Bosra, aliquo modo loquatur. Etenim rectè stat Prophetam, sicuti in alijs locis, hic etiam Iudaica tangere, Christiana respicere: & per comparationem diuini supplicij de antiqui Israelis hostibus sumendi, agere de vltione, quæ exercenda erat in ethnicos veri Israelis, id est, Christianæ Ecclesiæ oppugnatores.

Quid in prædicta Ariæ interpretatione displiceat.

Quod verò spectat ad fumum; Ariæ Montani expositionem nullo modo recipiendam censeo. Primò, quia *Fumum ascendere in sæcula*, applicat Apocalypsis ad fumum, qui ex tartareo inferorũ igne attollitur: vbi stultum esset de fabulis interpretari. Secundò, quanuis Isaias non ageret de alio incendio, quàm de mystica

Digitized by Google

Romæ conflagratione per Christianę Religionis ignẽ, in eo etiam sensu iuxta Ariæ Montani declarationem, opus est, ne vllus supersit ignis, sed solùm fumus: atqui Isaiæ textus contrarium omnino asserit: cùm dicat, *Nocte & die non extinguetur*. Id quod verum planè est: ignis enim veræ Religionis semper erat Romæ duraturus, tanquam in Christianæ Religionis arce atque capite. Quod ita esse supponitur in eo, quod de fumo additur, qui semper durat, dum viget ignis. Et quanuis Isaias alludat proculdubio ad pœnas, quas Deus de Sodoma & Gomorrha exegit, vbi verè non perseuerat ignis; verùm idcirco dicitur quodammodo perseuerare; quoniam perseuerat fumus ille, qui semper ex mari mortuo exhalatur, & aliquo modo imitatur fornacis fumum. Hoc tamen interest discrimen inter incendium, de quo agit Isaias, & Sodomæ conflagrationem. Nam Sodomæ conflagratio non perpetuò durat: & alterum incendium durat semper: atq; ita quo igne Sodoma deflagrauit, ille extitit figura sempiterni ignis; vt expressè Iudas Thadæus testatur in sua Epistola n.7. his verbis, *Sodoma & Gomorrha facta sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes*. Vnde Isaias etiam perspicuè edisserit, eum ignem, de quo ipse loquitur, fore sempiternum; & nec prosperitatis, nec aduersitatis tempore extinctum iri: ideoque fumum durare per sæcula, quia ignis etiam in sæcula perdurat.

Reiectis Forerij & Ariæ Montani explicationibus; necessarium est, aliam inuestigare, in qua intellectus acquiescat. Et quoniam ea ex Apocalypsi petenda est, oportet, antequàm genuinam Isaiæ declarationẽ proponamus, ad alteram difficultatem ex duabus initio propositis respondere. Videlicet, vtrum in Apocalypsi sit sensus idem fumi ascendentis in sæcula c.14. & 19. Qua de re sic statuo. Mihi pro certo est in c.14.11. sermonem esse de inferorum igne, vt vidimus in commentario. Nec minùs certum esse existimo in c.19.3. agi de Christianæ Religionis igne, qui Romæ semper exardescit: vt eo loci constabit. Quod autem Apocalypsis ijsdem ferè verbis vtatur, prius ad agendum de propria vindicta, qua Deus sceleratos homines vlciscitur; & posteà eadem verba vsurpet, ac transferat ad mysticam vindictam, quam Deus de Roma sumpsit; id inquam non solum dissentaneum non est, sed valde etiam consentaneum: vt significetur vindictam mysticam, & Deo esse gloriosissimam, & diuinę iustitiæ perfectissimam satisfactionem. Quamobrem peccatorum conuersioni tribuitur nouissimæ iræ nomen, id est, nouæ alterius & multò nobilioris vindictæ. Sicut ergo idem iræ nomen vindictæ propriæ ac mysticæ communicatur: sic elegantissimum est, vt phrasis eadem ignis æterni ac fumi ascendentis in sæcula, qua damnatorum pœnæ fuerant significatæ; posteà desumatur ad significandum nouum supplicij genus, quod Deus sumpsit de illis, quos veræ Religionis igne à se ipso inflãmatos in æternum voluit eo incendio conflagrare.

Quòd si phrasis ignis & ardoris sempiterni potuit eleganter ad duplicem hunc sensum ita inter se diuersos accommodari; quid mirum, si fumus de igne ascendens in sæcula, diuerso etiam modo accipiatur? Nonne consectarium est, vt sempiternum ardorem fumus pariter sempiternus comitari concipiatur? Si ergo duplex illa ignis ratio admittitur: necessariũ est, duplicẽ quoq; fumi intelligentiam concedi. Ad hæc: Si qua extitit in dupl.ci ignis ratione concinnitas & elegantia; maior adhuc effulget in eo, vt vtrobique sempiternum ignem fumus etiam sempiternus subsequatur. Etenim licèt verum sit, ignes ipsos inter se esse diuersos: fumi tamen magnam inter se habent cognationem. Nam si attentè inspiciamus, quid sit fumus ex inferno igne ascendens in sæcula; nihil aliud (arbitror) per fumi allegoriam adumbrari, quàm splendorẽ & gloriam, quæ in Deum redundat ex eo, quòd damnati æternis barathri ignib. discrucientur. Si autem ex hoc magna Deo gloria prouenit, atque hæc gloria potuit congruenter per fumũ denotari: profectò cùm Scriptura allegoriam incendij sempiterni ad veræ Religionis ignem, quo Roma semper exardet, transferat; in hac ipsa allegoria sempiternus fumus locũ habebat iuxta eandem diuinæ gloriæ significationem. Nec enim est minor Dei gloria, sed longè maior, & similiter sempiterna, quæ redundat ex mystici incendij igne, qui Romam accendit, quàm, quæ ex æterno damnatorum supplicio. Atque ita tametsi fumus ascendens in sæcula duplicem habet sensum; alterum de iustæ seueritatis gloria, de qua cap.14. agitur, alterum de gloria iræ nouissimæ, de qua c.19. Sed vtrique loco commune est, per fumum in sæcula ascendentem significari sempiternam gloriam Deo redundantem ex eo, quòd se ignem consumentem ostẽdat. Nam in vtraque ira, (in antiqua videlicet & in nouissima) verè Deus ignis æterni officium præstat: & siue damnatos in gehenna æternum puniat, siue prædestinatos suæ charitatis igne mysticè exurat, vtráque ratione suam gloriam promouet.

Aliquis fortasse dicet, fumum ascendentem ex perpetuo Catholicæ Religionis igne Romam inflammãte, esse fumum diuinarum laudum & orationum ac precum, quibus Deus ab Ecclesia Catholica colitur, semperque coletur: per fumum item ex inferis ascendentem figurari damnatorum hominum blasphemias ac desperationes. Mihi tamen magis placet, per fumum ex vtroque igne elicitum denotari Dei gloriam, quæ in eum redundat ex eo, quòd ignis sempiterni vices gerat. Hac enim ratione idonea reperitur conciliatio inter eos locos, qui oppositi & inter se pugnantes videbantur. Atque huic significationi valde fauet ipsius fumi natura, quippe ignis lignum aliquod corripiens, dum illud absumit, fumum excitat: & ille quidem fumus in aëra sublatus quasi prædicat ignis victoriam & stragem, quam in suo aduersario edit. Itaque fumus videtur suapte natura ignis gloriam atque victoriam figurare. Nec potest æternus esse fumus, quin ignis etiam æternus sit. Sed cùm Deus sit æternus ignis, nec ipsius victoria finiatur vnquam (siue sermo sit de illa, quæm in damnatorum punitione, siue de ea, quam in mystico Romanæ vrbis incendio consequitur) elegantissime fingitur ex vtroque igne, tam vero inferni, quàm mystico Romæ, fumus ascendere sempiternus.

Huic explicationi adstipulatur, quod alibi in sacris reperimus fumum Deo gloriosum: vt Isaiæ 6.4. *Et domus repleta est fumo*, & Apoc.c.8.4. *Ascendit fumus incensorum*, & c.15.8. *Impletum est templum fumo*. Ac demum, ad fumum, qui in cælum feratur, aptius est gloriam assumi Deo prouenientem ex damnatorum supplicio, quàm ipsorum damnatorum blasphemias ac maledicta. Deinde non inficior in igne ex mystico Romæ incendio in cælum ascendente comprehendi etiam orationes ac laudes, verum congruentiùs refertur fumus ad vindictæ gloriam: siue ea sit propria vindicta, vt in inferno: siue mystica, vt in Romæ incendio sempiterno.

Iam vt ad Isaiæ locum regrediamur: posset primò dici, sacrum vatem c.34. non agere de propria vindicta, quam Deus fuerat sumpturus de Romanis, qui Euangelium recipere noluissent: sed de mystica duntaxat vindicta, quam sumpturus erat de Roma cùm illam veræ Religionis igne inflammauit. Quo supposito, dicendum esset, in c.14. Apocalypseos vocem tertij Angeli non respicere ad isaiæ locum, sed ad secundum caput Epistolæ Petri secundæ: vbi sermo est de æterno igne, quo Deus est animaduersurus in eos, qui vt suis concupiscentijs indulgeant, sese impietati turpiter dedunt: sicuti in Sodomæ & Gomorrhæ supplicio fuit adumbratum. Itaque ex duobus Apocalypseos locis, in quibus legitur fumus ascendens in sæcula, primus sit desumptus ex Petri Epistola, alter ex c.34. Isaiæ.

Secundò dici potest, Isaiæ locum vtramque rem cõplecti: nempe vindictam mysticam de ijs sumendam, qui primò bellum Ecclesiæ inferebant, deinde Religionis veræ igne æternum duraturo flagrarunt: & vindictam etiam propriam in eos exercendam, qui mystico Euangelij igni non cederent, & propterea forent æterno igne cruciandi. Et quidem Apocalypsis (vt ego existimo) nos docet; vtrumque ab Isaia fuisse adũbratum in eo Idumæorum incendio. Nam vtroque in loco perspicuum videtur, Apocalypsin ad Isaiæ locum alludere atque adeò cap.14. vti significatione æterni in inferorum ignis: cap. autem 19. ignis mystici significatione. Cùm autem ad vtrumque denotandum Isaiæ verba

Quo sensu sumatur fumus sempiternus Apocal.14.

Quo item sensu fumus idem sumatur, c.19.

Vterque fumi sensus suprà traditus comprobatur.

Quid per fumi allegoriam adumbretur.

Quomodo duo sensus ignis in sæcula ascendentis in vnum coalescere possint.

Proponitur alius duplicis fumi explicatio.

Quomodo fumi symbolum possit de Dei gloria apte exponi.

Alia Isaiæ loci interpretatio exponitur.

Tertia item Isaiæ explicatio proponitur.

Digitized by Google

verba accersat; nos pariter instruit, Prophetam complexum fuisse vtrumque sensum. Nec negari potest, quin ambos simul recipiat phrasis illa: videlicet, quod Deus fuerat suos inimicos æterno igne exusturus, & triumphaturus fumo sempiterno, qui ex eorum incendio erat in cælum ascensurus.

Hinc tamẽ minimè infertur, vtrumque pariter sensum in quolibet ex his Apocal locis comprehendi. Nã c.saltem 14. euidens est, contextum nequaquam permittere vt de alio igne agatur, præterquam de igne tartareo. Et meo quidem iudicio violentum etiam est in c.19. sensum de inferorum igne pariter coerceri. Nã respectu plagarum nouissimarum minimè facit ad rẽ. Nihilominus si quis contendat cum eo sensu, quẽ ipse plagis nouissimis & euersioni Babylonis assigno, posse non ineptè componi declarationem eiusmodi: quæ hanc Apocalypseos Prophetiam exponat pariter de A proptia vindicta, quã Deus per sempiternũ inferorum ignem de rebellibus & obstinatis erat sumpturus: hic inquam, vt vtrumque simul sensum complectatur, poterit pro se adducere: mirum nõ esse, si Apocalypsis in c.19. & in duobus præcedentibus duos illos sensus cõprehendat: si quidem eos comprehendit Isaias cap.34. Veruntamẽ mihi satis est illam explanandi viam, eumque sensum sectari, qui magis proprius magis que solidus apparet. Cùm autem in c.14. alter solũ ex duplici illo sensu locum habeat: ita etiam existimo in c.19. alterũ etiam duntaxat comprehendi: atque adeo Apocalypsin sapienter vtrumque sensũ, quos Isaias coniunxit diuisisse: & alterum in c.14. alterum in c.19. expressisse. An verò in aliis Isaiæ & Ieremiæ vaticiniis, vbi de Babylonis excidio sermo est, sit vterque sensus admittẽdus, quem admodum Isaiæ 34. commodius ea de re alio loco, vbi se aptior dabit occasio, disseremus.

NOTATIO VI.

Vbi, cur in Isaia, & in alijs Scripturæ locis Idumæa designet Romanum Imperium, quod Christianæ Ecclesiæ se opposuit? Et cur etiam mysticæ Ægypti nomen Iudæis tribuatur rebellibus, qui Ecclesiam sunt persecuti?

In Idumæa Romanũ Imperium ethnicũ figurari.

PEr Idumæam Isaiæ 34. Romanum designari Imperium idolis seruiens, quod Christianam Ecclesiam oppugnauit: & per Bosra Idumææ metropolim adumbrari Romam ethnicam illius imperii caput, notatione superiori ostendimus. Pro quo non militat solum auctoritas doctissimorum interpretum, qui ita exponunt: sed etiam Ecclesiæ Patrum: qui notant Idumæam significare Gentilitatem Christianæ fidei subiugandã. Ita Basilius Ps 59. Arnobius, & Hilarius Ps 107. & Augustinus de Essentia diuina, & Ps 59. & 62. Nec Patres modò, sed etiam Apocalypseos consequentia id confirmat: in qua certum est, quod asserit Isaias in fumo in sæcula ascendente in conflagratione Bosra, à Ioanne intelligi de fumo ascendente ex mysticæ Babylonis siue Romæ incendio. Quamobrem tota ea auctoritas, qua probatur in Apocalypsi Babylonem pro Roma vsurpari: militat etiam, vt credamus, Idumæam in Isaia pro Romano Imperio ethnico accipi. Eademque explicatio extendenda est ad plures alios Scripturæ locos, inter quos illustrissimus est ille Ioelis 3.19. *Ægyptus in desolationem erit, & Idumæa in desertum perditionis.*

Ioelis locus exponitur.

Circa quem locum obseruandum est, argumentum illius capitis (vt ex Apocalypseos allusione constat, & videbimus lib 10.) non esse aliud, quam duplicem victoriam ab Ecclesia Christiana de Iudæis, deque Gentibus reportandam. Clarissima autem victoria, quam Ecclesia de Gentibus fuit consecuta, nihil est aliud, quam Romani Imperii ad Christi fidẽ subiectio. Paucis ergo complectitur sacer Vates pœnas, quas Deo daturi erant Iudæi ac Romani Ecclesiam persequentes, & Iudæis quidem nomen Ægypti, Romanis Idumææ nomen imponit, aitque, *Ægyptus in desolationem erit, & Idumæa in desertum perditionis.* Quòd verò Ægyptus mystica sit Iudæa & Ierosolyma: expressum in Apocalypsi habetur ca.11.8. vbi ciuitas, in qua Christus fuit in crucẽ suffixus, appellatur spiritaliter Ægyptus. Si autem Idumæa Romanum figurat Imperium idolorum cultui mancipatum: (vt constat ex Isaiæ 34.) congruentissima explicatio est, vt per Ægypti, & Idumææ vastationem innuatur supplicium à Deo inflictum Iudæis ac Gentibus doctrinæ Euangelicæ obsistentibus: excæcando videlicet ac repellendo obstinatos: prædestinatos verò diuini verbi gladio iugulando, eosque euangelicæ fidei subijciendo & vtramque ob rem significanter dicuntur Ægyptus & Idumæa, quatenus tales sunt (id est quatenus Euangelij hostes) euersæ atque destructæ fuisse.

Apud Ioelem, in Ægypto Iudæos, Romanos in Idumæis adumbrari.

Cur Idumæa nomẽ Romano Imperio ethnico, Iudaico verò populo nomẽ Ægypti imponatur.

Hoc ita constituto; explicemus oportet fundamentum, quod extitit, vt Idumææ nomen Romano Imperio ethnico, & nomen Ægypti Iudaico populo aptaretur. Ad huius rei explicationem obserua: in hac phrasi innui, quemadmodum fuit instaurata vetus illa repu- B gnantia & oppugnatio, qua Ægyptus & Idumæa sese Israelitico populo opposuerunt: & pariter instaurata fuit victoria diuinitus eidem Israeli populo concessa, & vindicta de Ægyptiis atque Idumæis sumpta. Sicque nominum partitio percommodè accidit: quippe *Omnia in figura contingebant illis.* Deus ergo Mosem demisit, vt suum populum ex Pharaonis eriperet seruitute: eumque conduceret ad Amorrhæorum & Pherezæorum expeditionem. Qua in re illud fuit figuratum, ex eo, quòd Deus Christum Dominum Israelis Saluatorẽ miserit, subsecuturam fuisse imprimis eductionem ipsius Israelis ex misera seruitute, & assertionem eorum in Euangelicam libertatem. Notum autem est, libertatis Euangelicæ nomine comprehendi liberationem a Mosaicæ legis iugo: non solum quatenus cæremonialis erat, sed etiam quatenus lex. Qua ratione Paulus ait, illam esse occasionem peccati: quia concupiscentiam excitat, dum gratiam non confert ad ea explenda, quæ iubet. Atque hic est primus effectus ex C virga virtutis Christi consecutus. Alter est, vt qui per Redemptoris virtutem ex Legis captiuitate in Euangelii libertatem asserebantur, minime essent contenti liberatione illa: sed strenuè etiam & constanter mysticam Amorrhæorum & Pherezæorum expeditionem aggrederentur; id est Gentilitatis ac totius mundi conuersionem ad veram Christi Religionem.

Quomodo Ægypti Iudæos, Idumæi Romanos adũbrarint.

Harum igitur duarum expeditionum primæ obstitit synagoga: & secundæ Romanum Imperium ethnicum. Prima ex his oppositionibus figurata fuit in ea, qua Ægyptus populo Israelitico obstitit, voleus nimirum disiicere libertatem, quò Deus suum populum euocabat: qua de re latè agitur in Exod. Secunda verò oppositio adumbrata fuit in ea, qua Edon cõtra Israelis populum se opposuit, ne recta ad Amorrhæorum, & Pherezæorum eypeditionem pergeret. Lege Num.20. 14 & infra: *Misit Moyses nuncios ad Regem Edon: Obsecramus vt nobis transire liceat per terram tuam.* (Illac videlicet recta dirigebatur via.) *Cui respondit Edon: Non transibis per me, alioquin armatus occurram tibi. Statimq; egressus est obuius cum infinita multitudine, & manu forti.* Hæc inquam historia figura fuit belli, quod Romanum Imperium Euangelicis intulit concionatoribus (qui erant veri Israelis filij, & pergebant ad Euangelium Gentibus prædicandum, & eas fidei Christi subijciendas) & recta quidem ad hanc profectionem via, ea videbatur esse: vt Romanum Imperium illis liberam cõcionandi potestatem faceret: quod perinde erat quasi transitum liberum relinquere ad subiugandas animas, quæ à Deo erant prædestinatæ: vt sub fidei Euangelicæ iugum irent. Verùm Romanum Imperium secus id egit; nam maximâ potentiâ sese illis opposuit, *Cum infinita multitudine, & manu forti.* Quamobrẽ necesse fuit.

Digitized by Google

fuit, mysticum Israëlem dispendio desertum circuire, hoc est maximas exantlare molestias atque ærumnas in deserti laboribus & difficultatibus figuratas: vt hac ratione ad Amorrhæorum expeditionem, hoc est, ad multarum ex Gentibus animarum conuersionem, antequam Romanum subiugaret Imperium, perueniret.

Vides ergo, si rectè figura ipsa expendatur; nomen mysticæ Ægypti mirificè carnali Israeli quadrare, nec minus Edonis mystici nomen Romano imperio idolorum cultori. Atque vt in ipsa figura Deus seuerissimè animaduertit in vniuersum Ægyptiorum exercitum, cũ eos in mare demersit; & postea etiam fuit vltus Idumæos, cùm eos Dauidis imperio funditus subiecit; vt habetur 2 Reg.14. Ita etiam in re ipsa figurata carnalem Israëlem mare rubrum obruit Quamuis enim mystico Israeli non subiecti remanserint, quia ad fidem conuersi non sunt; in sua tamen obstinatione submersi fuerunt Mysticum autem Edonem subiecit Deus veri Dauidis, id est, Christi iugo. *Et facta est vniuersa Idumæa seruiens Dauid.* Atque in eodem sensu ait mysticus Dauid Ps.59.10. & Ps.107.10. *In Idumæam extẽdam calceamentum meum.* Glorians videlicet, quòd Romanum Imperium sit calcaturus, id est, suæ ditioni subiugaturus. Vide etiam Isaiæ 34.5. *Super Idumæam descendet,* &

Ægyptios fuisse in mari demersos: Idumæos verò Dauidis subactos, quid mystic è significet.

A Ierem.49.17. *Erit Idumæa deserta:* Ezech.25.13. & 35. *Extendam manum meum super Idumæam, &c* &.c.36.5. Item Amos 9.12. *Vt possideant reliquias Idumæa.* Abdiæ nu. 8. *Perdam sapientes de Idumæa.*

Ex his omnibus intelligitur, in Apocalypsi nomen Ægypti Hierosolymæ ac Iudææ non gratis, sed congruenti applicatione imponi; idemq; dixerim de incendio Bosra ad mysticum Romæ incendiũ applicato. Vnde plurimum lucis oboritur multis prophetiis; ex quib. aliæ primo aspectu loqui videntur aduersus propriam Ægyptum & aliæ aduersus propriam Edonem; Ceterùm licèt isthæc applicatio congruentissima sit; non tamen obligat, quo minus in aliqua parte possit Ægypti nomen ethnicis Philosophis propter inanem sapientiæ iactantiam attribui: & aliqua etiam ex parte Esau, vtpote Iacobo natu maior, Synagogã repræsentat; vt in Iacobi lucta cum Angelo explicatum est, de qua diximus c.11.notat 1 Ibi tamen figura non petitur ex toto Edonis populo, sed ex persona Esau. Cùm verò respicitur ad Edonis pugnam, qua Israeli obstitit, ne ad terræ Promissionis expeditionem progrederetur; tunc non agitur de persona Esau, sed de vniuersa Idumæa, & eius Principib.; quæ est Romani Imperij ethnici figura. Vt ex supra adnotatis manifestè constat.

B

Appendix ad notationem sextam de vera Moabitarum & Ammonitarum significatione.

De Moabitis & Ammonitis disputatio.

CVM in præcedẽti notat. explicata sit propria Ægypti & Idumææ significatio; oportet, vt hic addamus, qui sint spiritaliter Moabitæ & Ammonitæ. Nam sicut Idumæa sese opposuit intentioni filiorũ Israelis, qui ad Amorrhæorum & Pherezæorum expugnationem properabant: ita similiter eisdem conatibus Moabitæ & Ammonitæ obstiterunt. Constat hoc Iudicum 11. Ex quo capite similiter patet, eundem fuisse Ammonitis & Moabitis Regem: electus quippe est Iephte in principem, vt pugnaret pro Israël aduersus filios Ammon. *Et misit nuncios* (Iephte) *ad regem filiorum Ammõ, qui ex persona sua dicerent: Quid mihi & tibi est, quia venisti contra me, vt vastares terram meam? Quibus ille respondit: Quia tulit Israel terram meam, quando ascendit de Ægypto, &c. Per quos rursum mandauit Iephte, & imperauit eis, vt dicerent regi Ammon: Hæc dicit Iephte, non tulit Israel terram Moab, nec terram filiorum Ammon: sed quando de Ægypto conscenderunt, ambulauit per solitudinem vsque ad mare rubrum, & venit in Cades. Misitq; nuncios ad regem Edom, dicens Dimitte me vt trancam per terram tuam. Qui noluit acquiescere precibus eius. Misit quoque ad regem Moab, qui & ipse transitum præbere contempsit. Mansit itaque in Cades, & circuiuit ex latere terram Edom, & terram Moab, &c. nec voluit intrare terminos Moab.* Vt ergo ex his liquet, reges Idumæorum, Moabitarum & Ammonitarũ erant, a quibus filij Israelis liberam per suas regiones transeundi potestatem deprecabantur: vt in Amorrhæorum & Pherezæorum expeditionem recta possent contendere. Quamobrẽ cùm exposuerimus iam, quæ sit mystica Ægyptus Edom: superest explicare, qui sint mystici Moabitæ, & Ammonitæ, qui eundem habebant regem, & similiter Israeli transitu per eorum ditionem interdixerunt.

C

Balac Moabitarum & Ammonitarũ rex.

Cùm igitur idem fuerit Moabitarum & Ammonitarum rex; sequitur, quo tempore filij Israelis hanc ad eum legationem miserunt, Balac Ammonitarum & Moabitarum regnum tenuisse. de quo latè agitur Numer.22. & 23. & 24. Quamuis enim Moabitarum & Madianitarum solùm mentio fiat, sed sub Moabitis intelliguntur etia Ammonitæ, vt colligitur ex superiore loco Iud.11. Nam idemmet erat Ammonitarũ & Moabitarum rex: ac proinde cõmuni consensione obuiam Israelitico populo prodierunt.

Moab & Ammon filij Loth.

Ad mysticam autem expositionem, quam respicit Apocalypsis, obseruandum est, Moab & Ammon (ex quib. Ammonitæ & Moabitæ ducunt originem) fuisse ambos Lothi filios ex duabus ipsius filiabus susceptos, Moab ex maiore, & ex minore Ammon, vt habetur Genes 19. 37. Hi ergo duo fratres ex inordinata concupiscentia procreati, videntur mihi repræsentare duos inordinatos affectus, qui generantur à carne: alterum concupiscibilis facultatis, alterum irascibilis. Quare illi spiritaliter Moabitæ nuncupantur, qui suis concupiscentiis se totos dedunt: illi Ammonitæ, qui iræ atq; furoris æstu aduersum Dei filios rapiuntur. Manifestum autem est, eosdem esse, qui & suis concupiscentijs morem gerunt, & earum causa filios Dei persequuntur: ideoque interdum Moabitarũ nomine vterque comprehenditur affectus. Verùm formalis eorum distinctio in duobus illis fratribus non ineptè figuratur. Nec opus est, inter mysticos Moabitas atque Ammonitas realem interesse distinctionem: imò vero iidem Gentiles in Idumæis, in Moabitis, & in Ammonitis adumbrati sunt. Nam Idumæa in S. Literis (vt iam diximus) significat Rom. Imperium idolorum superstitionis studiosum: quod cum ingenti potentia Christianæ Ecclesiæ primitiuæ se opposuit. Atque sicuti in Apocal. fuit satis formalis distinctio, vt terrestris Bestia à Bestia marina distingueretur, & in Bestia maris Rom. figuraretur Imperium, in Bestia verò terræ carnalis adumbraretur sapientia, (quæ in singulis ethnicis bellum faciebat aduersus Ecclesiam:) sic sub eiusdem veritatis figura, in antiqua historia inclusa, per Idumæam repræsentatur idem, quod Bestia maris: & per Moabitarum atque Ammonitarum regnum, idẽ, quod Bestia terræ. Vbi tamen maioris distinctionis gratia, in nomine Moab adumbratur concupiscibilis facultatis affectio inordinata, & Ammonis nomine, affectio irascibilis: ad eum ferè modum, quo in Apocal. cùm de bello a Iudæis in Ecclesiã gesto agitur, distinguuntur locustæ ab equis furiosis, id est, concupiscentiæ ab iris, vt vidimus cap.9. Similiter ergo in bello per Rom. Imperium Ecclesiæ primitiuæ inferendo, totius Imperij potentia in Idumæis Israel resistentibus figurata fuit. Illi enim Dei populo processerunt obuiam, *Cum infinita multitudine, & manu forti.* Carnalis autem concupiscentiæ affectus, quo Ethnici stimulati Euangelium acriter oppugnarunt, in Ammonitis atque Moabitis eleganter adumbratur. At rex Balac (quod destructorem sonat, & vtriusq; populi rex erat) innuit amoris proprij effrænatam potentiam, cui etiam Apoc.9. 11. Exterminantis nomen datum est.

D

Quinam per Ammonitas & Moabitas mystici figurẽtur.

Imperij Romani potẽtia quomodo in Idumæis designetur.

Præterea, vt in Apocalypsi priùs imperii idololatræ superbia in maris Bestia depingitur; deinde sapientia carnis, in Bestia terræ: sic etiam in Numerorum libro (vbi describitur historia de bellis & oppugnationibus, quib. Israelis filios vexarunt nationes illæ, quæ regionibus

Digitized by Google

nibus per ipsos Israelitas debellandis priores existebãt) primò recensetur Idumæorum oppositio *in manu forti*. Dein huic oppositioni additur repugnantia regis Balac, qui Moabitis pariter & Ammonitis imperabat. Atque vt in Apocalypsi marinæ Bestiæ adscribitur potentia, & Bestiæ terrestri astutia & calliditas, non aliter in Num. lib. ingens potentia attribuitur regi Edom, *Qui egressus est obuiam, cum infinita multitudine, & manu forti*. Regi autem Balac Moabitis & Ammonitis dominanti non tam potentia tribuitur, quàm astutia. Vnde perhibetur promissis atque blanditijs Prophetã Balaamum pellicere tentasse, vt in Israeliticum populum maledicta & execrationes euomeret. Balaamus ergo videtur rationem figurare, (quæ est veluti Dei Propheta Gentilib. adhuc reliquus.) Quare dum Baalamus Deum obseruauit, & suum præstitit officium: adduci non potuit, vt Israelis populum diris & imprecationibus deuoueret, sed potius ei fausta atque felicia fuit precatus. Licèt postea in eam sententiam peruerse inciderit, vt regi Balac consilium daret perniciosum, quo populum ipse Israeliticum in scelus atque flagitium impelleret. Ita accidit in Ecclesiæ persecutione, multi enim ex ipsis ethnicis erant, quibus recta ratio semper dictabat, periniquum esse Christianos homines insectari, quamuis ipsimet postea morem tempori gererent, & re ipsa persecutionis fautores se profiterentur.

Balãe regis & Balaamis Prophetæ historia mysticè applicata.

Madianitæ etiam, (qui regi quoque Balac subiacebant) fortassis significant simulata per speciem rationis argumenta, quibus inordinatæ affectiones vtebantur ad Ecclesiam persequendam. Nec enim sua etiam rationis (falsæ tamen ac fictæ) species desit concupiscentiis, iris atque furoribus hostium Ecclesiæ, qua illi excitati persecutionem alant ac prouehant. Et aliquãdo etiam harum rationum fictio eò peruenit, vt nonnulli ex fidelib. in fraudem inducerentur, & in eadem scelerum communione cum Madianitis coëuntes, eorum idola venerarentur. Huc spectat etymon nominis *Madian*, quod sonat *Litem*. Fuit autem Madian filius spurius Abrahami, qui idem est, ac *à Deo edoctus*. Et hæc attigisse, siue indicasse sit satis: infiniti namque operis esset, omnia persequi. Ceterùm ea, quæ diximus vsui esse possunt, vt intelligamus, cùm Prophetæ agunt de vindicta à Deo sumenda de Moabitis, in sensu prophetico esse sermonem de vindicta mystica, quam sumpturus erat Deus de illis, qui suis priùs concupiscẽtijs obsequentes ab Euangelica Doctrina longissimè abhorrere videbantur. Quando verò Prophetæ loquuntur de victoria ex Ammonitis per Ecclesiam reportanda: similiter sensum esse propheticum de illa victoria, quam adeptura erat Ecclesia de ira atque furore Gentilium illam persequentium. Atque hunc modum exponendi eiusmodi Prophetas ab Apocalypsi discimus, dum in principio cap 14. alludit ad Prophetiam Isaiæ de onere Moab, (c.15.& 16.) eamque applicat ad mysticam vltionem, quã Agnus sumpturus ex erat ijs, qui suis antea concupiscentijs indulgentes se opponebant Euangelio. Et similes prophetias aduersus Moabitas legimus Numerorum 21.29. & c.24.17. Psal.59.10. & Psal.107.10 Isaiæ 25,10. Ieremiæ 48.2. Ezechielis 25.8. Amos 2.1. Sophoniæ 2.8. Nec alia ratione explicandæ sunt prophetiæ contra Ammonitas, Psal.82.8 Ieremiæ 49.1. Ezechielis 21.20.& cap.25.2. Amos 1.13. Sophoniæ 2.8. In his enim propheticus pariter sensus innuit victoriam præclarissimam, quam Dens suæ Ecclesiæ fuerat concessurus de Gentilibus, qui eam acerrimè oppugnabant, multis eorum ad Christianam religionem adiunctis. Atque hoc etiam mysterium fuerat adumbratum in victorijs, quas populus Israëliticus ex Ammonitis adeptus est, de quib. Iudicum 11.32. & 1 Reg. 11.11.& 2.Reg.8.12.& omnium maximè 2.Reg.10. Legatur etiam caput 12.26. Idem quoque mysterium figurabatur in ijs victorijs, quas olim Deus Israeli contra Moabitas dedit. *Factus est enim Moab seruiens Dauidi sub tributo*, vt habetur 2.Reg.8.2.

Quid per Madianitas significetur.

Vox Madian quid sonet. Propheta, cùm de vindicta ex Moabitis sumẽda sermonem instituunt, quonam potissimũ prophetiæ finem dirigant: quò vero respiciant, quando de victoria ex Ammonitis reportanda agunt.

Iam, si Moabitæ & Ammonitæ considerentur secũdum eorum significata, id est concupiscentias atque iras, quæ aduersus Christi Euangelium militant, latẽs hinc mysterium eruitur, ratioque cognoscitur, cur præceperit Deus Israelitis, vt contra Madianitas & ceteros eiusdem factionis internecinum bellum gerant, nec Ammonitæ & Moabitæ vnquam in Ecclesiam ingrediantur. Vide Numer.25.17. *Hostes vos sentiant Madianitæ*. Et de non admittendis vllo vnquam tempore in Ecclesiam Moabitis & Ammonitis, lege Deut.23.3. & 2.Esdræ 13.1. Ratio verò est, quia Moab, vti iam diximus, significat inordinatas concupiscentias, quam explicationẽ desumpsimus ex Origene hom.5. in Genesim, Ambrosio in Psal 59. & Gregorio 1.Regum cap. 14. qui notant, per Moab significari concupiscentiam, quæ a patre diabolo est, & carnales etiam sensus, qui nunquam sunt Dei Ecclesiam ingressuri. Nec diuersa est explicatio Origenis Exodi cap.6. Basilij atque Hilarij Psalm.49.& Hieronymi Psalm.82. Etenim licèt ij dicant. Moabitas esse symbolum Gentilium, intelligendi tamen sunt de Ethnicis, quatenus proprijs cupiditatibus irretiti Euangelici prædicationi pertinaciter resistunt.

Cur Deus suo populo præceperit, vt & Madianitæ se hostes exhiberent. & Ammonitæ ac Moabitæ ingressu Ecclesiæ interdicerẽt mystice.

TEXTVS.

12. Hîc patientia Sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, & fidem Iesu.

COMMENTARIVS.

D ERIT fortassè, qui credat, in his verbis continuari adhuc vocem tertii Angeli, aut saltem aduerbium illud, *Hic* ad tertii Angeli vocem duntaxat referendum esse. Mihi conueniens videtur, ne verba isthæc ad tertii Angeli sermonem pertineant: sed considerentur quasi à Ioanne adnotata, dum de tribus omnibus trium Angelorum vocib. superiùs relatis loquitur. In quibus lectorem instruit, trium harum vocum veritati inniti patientiam & spem, quæ sanctis viris inerant persecutionis tempore, cùm tormenta quælibet atque cedes constanter tolerabant, ne Christi fidem ac religionem violarent.

Verba hæc non ad tertium angelum referenda, sed à Ioanne sub propria persona dicta.

TEXTVS.

*Vers.*13. Et audiui vocem de cælo dicentem mihi: Scribe; Beati mortui, qui in Domino moriuntur: Amodò iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos.

COMMENTARIVS.

DE omnibus, qui ex hac vita in Dei gratia decedunt, exponunt hanc vocem Bernardus, Beda, Richardus, Andreas, Primasius, Haimo, Ioachimus, Ansbertus, Pannonius, & alii. Alii verò de solis

Quinam hic dicãtur mortui.

Digitized by Google

Duplex aliorum sententia proponitur.

solis Martyribus, siue quia mori in Domino existimant perinde esse, ac mori propter Dominum (aliquando enim *in*, est idem quod *propter*, vt Genes. 18.28. & cap. 29.18.) siue quia generalis sententia de felicitate eorum, qui mortem obeunt in Dei gratia, hic sanctis Martyrib. applicatur; cùm sermo sit de persecutionis tempore, & cohortatio fiat ad patientiam, vt videre est in ipso contextu. A

Auctoris sententia.

Ipse tamen mihi persuadeo, *Mori* in hoc versu non esse re ipsa ex hac vita decedere, sed constanti atque erecto animo esse ad vitã pro Christo cum sanguine profundendam; & internecioni quasi victimam esse iam deuotum ac destinatum pro Dei gloria & Christianæ fidei professione; atque adeò existimo, illos in hoc loco mortuos nominari, qui fortiter mori decreuerunt, priusquàm sceleris quidquam in Diuinam maiestatem admittant, ac demum labores omnes & calamitates maturè prospiciant, Virgiliani instar Æneæ dicentes lib. 6.

Omnia præcepi, atque animo mecum antè peregi.

Mors pro vera sui mortificatione interdũ in Scripturis sumpta.

Imprimis ergo nouum minimè est in Sacris verbum indicatiui præsens significare firmum aliquod consilium atque decretum, vt patet Lucæ 1.34. *Virum non cognosco.* Secundo, quod attinet ad verbum ipsum *Morior*, vtitur eâdem phrasi Paulus 1. ad Corint. 15.31. *Quotidie morior per vestram gloriam*, id est, quotidie pro meorum proximorũ salute me morti offero, & eam quasi deuoro. Et propter propriarum cupiditatum cohibitionem, ait ad Colos. 2.20. *Mortui estis cum Christo.* Et cap. 3.3. *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* B

Lectio Græca quomodo hic ordinetur.

Tertiò: vox illa *amodò* in Græco coniungitur cum verbo *moriuntur*. *Beati qui moriuntur amodò*. Vt patet non solùm ex Aretæ commentario, sed ex ipsa etiam Græcarum dictionum connexione. Sequitur enim mox ναὶ. Nec verò bona est incipiendi rati ἀπάρτι ναὶ, sed desinere in ἀπάρτι, deinde incipere à particula ναὶ: eâdem ferè ratione, qua Latini solent incipere à dictione affirmatiua *Ne* idem valente, quod Græca ναὶ. Nec propterea à Latinè mutatur sensus, quòd legatur, *Beati mortui, qui in Domino moriuntur: amodò iam dicit spiritus.* Etenim quanuis, quod ad grammaticã attinet constructionem, Græcè connectenda sit vox ἀπάρτι, id est, *amodò* cum præcedentibus; in sensu tamen cum vtràque parte cohæret. Illud enim hic significatur, eos videlicet, qui protinus firmiter apud se statuunt vitam ipsam Christo libenter immolare, ac morti se ipsos, cùm opus fuerit, destinare; ex eo puncto temporis ingenti pace perfrui, & à laboribus & ærumnis requiescere. Atque ad hoc denotandum ait Vulgatus, *amodò iam requiescunt*, id est, antequam re ipsâ moriantur, statim ac se morti pro Christo deuouent, ex eo tempore iam laboribus depositis requiescunt, quasi reapse occubuissent.

Rationum momentis prædicta expositio roboratur.

Quartò fauent huic explicationi duæ illæ particulæ *amodò iam*, quam coniunxit Vulgatus. Si enim sermo esset de illis, qui verè decedunt in Dei gratia, non diceret *amodò*, (quod idem est, atque *ex nunc*) sed *ex tunc*, cùm primùm obierint. Vtriusque autem particulæ copulatio, *amodò iam*, habet non parum energiæ; qua significatur tanquam quid nouum ac mirum, eos adhuc in mortali carne degentes, nihilominus iam à laboribus conquiescere. C

Quinto, ad eorum felicitatem declarandam, qui pro Christi fide re ipsa martyrio coronantur, frigidiusculum erat non aliud dicere, quàm eos, simulatque occisi fuerint, à doloribus atque tormentis immunes fore: quinimo nihil isthac affirmatione opus erat adiecta particula ναὶ, & Spiritus sancti testimonio; quippe hæc affirmationes & testimonii ratio præstituit sermonem esse de re insolita planè & admirabili, cuiusmodi est, etiam in hac vita fragili & caduca, *Amodò iam* magna perfrui pace & tranquillitate, qui serio se morti pro Christo deouet.

Sextò, verba hæc, *amodò iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis*, eleganti quadam antitheſi respondent iis, quæ supra versu 11. dicta fuerant de suarum concupiscentiarum sectatoribus, *Non habent requiem die ac nocte.* Quæ verba, vt in earum commentario vidimus, spectant ad molestias atque angores, quos in hac vita perpetiuntur ij, qui suis se cupiditatibus totos addicunt. Similiter ergo nunc de fidis Christi seruis asseritur, illos amodò iam à laboribus suis requiescere, id est, pacatos atque tranquillos omnino vitam agere; vbi strenuè Christi crucem, labores ac mortem amplecti apud se statuerint.

Septimò, nostræ etiam explicationi adstipulatur Ambrosius, qui verbum illud *Moriuntur* exponit de illis, qui Christi mortificationem complectuntur, & mundo moriuntur antequã è viuis excedant. D

Octauo, consequens etiam contextus pro nobis est. Nam verba illa, *Opera eorum sequuntur illos*, si genuina Scripturæ phrasis attendatur, postulant, de illis hic esse sermonem, qui nondum vitam cum morte commutarunt.

Quanta perfruantur pace, qui pro Christo, cũ opus fuerit, succumbere firmiter apud se statuunt.

Nono, non debet nimis mysticum videri, vt in Apocalypsi mori dicantur, qui Christi mortificationem suscipiunt. Hæc enim loquendi ratio tam Apostolis, quàm spiritualibus viris vsitata est. Ac denique ad exprimendam eam felicitatem, qua Sancti in cælesti Beatitudine circunfluũt, multæ sunt præterea in sacra Scriptura locutiones, quæ illam elegantiùs ac significantiùs ostendant. Enim vero quanti sit momenti, pro Christo se morti, cùm oporteat, destinare, præsertim ingruentium persecutionum tempore; id inquam meo iudicio elegantissime in hac cælesti voce Ioanni exaudita declaratur. Iam si contextum inspicias, mirificè cohæret: cùm enim per tres Angelorum voces Apocalypsis fideles omnes sit cohortata ad patientiam atque constantiam persecutionis tempore retinendam: non video, quid magis appositum pro illius hortationis clausula subiungi potuerit, quàm illis confirmare, ac polliceri, fore vt, cùm primum pro Christo labores, cruciatus ac necem æquanimiter tolerare decreuerint, illico admirabili tranquillitate potiantur, & labores ipsos experiantur leues ac faciles, nec in ipso tormentorum conflictu deficiant. Hunc esse opinor sententiæ huius contextum, vt eam considerãti manifestum erit: & præsertim considerãti illa verba,

Præcedẽtiũ verborum sensus, magis adhuc explicatur.

Opera

Digitized by Google

A *Opera illorum sequuntur illos.* Porrò in hac explicatione facile est intellectu, cur dicatur *Mori in Domino.* Nam firmum illud moriendi consilium atque decretū Christo debet inniti, sicut *patientia in Christo*, c.1.9. Nisi forte locutio isthæc designet, mortificationem hanc esse legis gratiæ propriam. Nam sicut *in Moyse*, idem est, quod *in lege Moysis*, 1.Corint.10.2. ita *in Christo*, idem est, atque *in lege Christi*, ad Galat.5.6. vbi dicitur, *In Christo Iesu neque circuncisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura.* *Quid sit* Mori in Domino.

Cohæret autem optimè, quòd hæc sententia dicatur vox esse de cælo; nam, vt sæpe diximus, cælum in Apocalypsi cælestem Ecclesiæ Christianæ conuersationem repræsentat. Atque hæc doctrina de felicitate quæ in mortificatione & morti deuotione delitescit, næ legis gratiæ propria valde est, antea enim rarum admodum erat altissimæ huius doctrinæ experimentum. Quamobrem verba item illa Habacuci cap.3.16. *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat. vt requiescam in die tribulationis* (quæ, vt in illius commentario ostendam, eandem continent de mortificatione, deque eius tranquillitate doctrinam) in Christiani populi primæui persona dicuntur. Iam quod Spiritus sancti auctoritas hic interponatur (id enim sonant verba illa, *Dicit Spiritus*) denotat, hanc esse spiritalem omnino doctrinam ab Spiritu Sancto viris spiritualibus traditam, idque postquam Christus fuit pro nobis in crucem actus, prius enim, *nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* *Cur hæc vox Ioanni audita dicatur esse* de cælo.

B AMODO IAM DICIT SPIRITVS, VT REQVIESCANT A LABORIBVS SVIS] Hæc doctrina carnalibus hominibus difficilis admodum apparebit; nimirum, vbi quispiam Christi crucem fuerit amplexus, & fortiter mori pro Christo statuerit, in ipsismet laboribus, siue etiam ab ipsis, requiem se ac pacem inuenturum. Sed nihil est magis inter spiritales viros familiaris aut sæpius iteratum: quibus vtpote expertis habenda fides, præsertim cùm Ioannes dicat, voce sibi cælitus audita confirmatum fuisse, eiusmodi doctrinam esse Spiritus sancti propriam. Et multa alia similia testimonia reperiuntur in nouo testamento; vt illud Pauli ad Colos.3.3. *Mortui enim estis, & vita vestra*, &c. *Doctrina de vera requie quam iusti per sui mortificationem assequūtur, spiritualiū virorū propria, non carnalium. Quo sensu* dicitur, Opera illorum sequūtur illos.

OPERA ENIM ILLORVM SEQVVNTVR ILLOS] Communis expositio est, iustos in cælesti patria præmium bonorum operum inuenire. Verùm considerata Scripturæ phrasi, multò simplicius & aptius est, vt de ipsis explicemus operibus. Neque enim ait textus, *Fructus operum sequitur eos*, sed *Opera illorum sequuntur illos.* Cùm autem agatur hic de illis, qui se morti fortiter addicunt, ac deuouent: sensus horum verborum est, qui pro Christo mori decreuerunt, & mortem ipsam quasi deuorarūt, eos posteà in opere ipso non viribus defici; sed stabiles potiùs, & in opere efficaces, constantes, patientes, & fideles Christi amatores inueniri. Quid enim aliud significatur operum nomine? Et verò verba illa *Sequuntur illos*, cùm de operibus sermo est, denotant proculdubio, quod posteà res ipsa ostendit. Cōsule Prou.12.20. *Qui pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudium*, & cap.18.3 *Sequitur eum* (impium) *ignominia & opprobrium.* Et c.29.1. *Qui corripientem contemnit*, &c. *& eum sanitas non sequitur.* Et num.23. *Superbum*
C *sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria.* Ieremiæ 48.2. *Sequeturque te gladius.* 1.ad Timoth.5.24. *Quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium, quosdam autem & subsequuntur.* vbi sensus est de nonnullis, quos Episcopus non potuit non ad sacros ordines recipere; quia ipsorū peccata non erant manifesta, posteà tamen ipsorum opera indicarunt, eos fuisse indignos. Subdit verò ibi Apostolus, *Similiter autem & facta bona.* Sensus igitur in præsenti est, qui mortem pro Christi fide subire non formidabant, sed potiùs ad eam oppetendam prompti ac parati erant, eos deinceps in patientia atque constantia firmos stabilesque persistere.

Sed opponet aliquis: non bene probari, eos qui pro Christo serio mori decreuerunt, in ipsis laboribus pace frui; quia posteà inueniuntur, in operibus stabiles. Respondeo primo, optimè cohærere contextum. Nec enim pace fruerentur, si laboribus & persecutionibus succumberent. Secundo, particulę *Enim* respondet in Græco ὅτι. Itaque hic vox *Enim* causalis non est, sed affirmatiua & contiuuatiua, vt sæpè alibi. Quare de iis, qui se morti viriliter offerunt, duo affirmantur: alterum eos illico (ex eo videlicet suscepti consilii tempore) requiem potiri: alterùm, illos posteà in ipsis operibus stabiles ac firmos reperiri. *Difficultas contra p dicta soluitur.*

TEXTVS.

D

*Vers.*14. Et vidi, & ecce nubem candidam: & super nubem sedentem similem filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu falcē acutam.
15. Et alius Angelus exiuit de templo clamans voce magna ad sedentem super nubem, Mitte falcē tuam, & mete, quia venit hora, vt metatur: quoniam aruit messis terræ.
16. Et misit, qui sedebat super nubem, falcem suam in terram, & demessa est terra.

COMMENTARIVS.

EX allegoria exercitus atque militiæ transitio fit ad messis allegoriam. Verùm sensus ipse haud dubiè continuatur: vt cernitur apud Ioelem c.3. vnde hæc allegoriæ commutatio desumitur. Agebatur enim de bello, vt patet n.9. *Sanctificate bellū, suscitate robustos, accedant, ascendant omnes viri bellatores. Concidite aratra vestra in gladios, & ligones vestros in lanceas. Infirmus dicat, Quia fortis ego sum, erumpite*, &c. Et paulo infrà sequitur, *Mittite falces, quoniam maturauit messes.* Hæc igitur messis, de qua loquitur ibi Ioel, in præsenti describitur à Ioanne. Ribera ait, hanc visionē esse difficillimā; sed demū per messem statuit *Transitio à militia allegoria ad allegoriam messis, ex Ioele petita.*

Digitized by Google

Quid sit apud Ioël. Mittere falces, quia appropinquauit messis.

statuit debere intelligi consummationem sæculi: iuxta illud Matth. 13. 30. *Sinite vtraque crescere vsque ad messem.* Cum Ribera consentit Maldonatus Matth. 19. 28. vbi hunc Apocalypseos locum affert, & sic habet, *De extremo iudicio loquitur, vt falx in manu sedentis declarat.* Atqué ea est Gregorii Magni expositib l. 33. Moralium c. 14. vbi diuini iudicii potestatem per falcem intelligit. *In falce enim quidquid incidit, intus cadit.* Eandem de extremi iudicii die interpretationem amplectitur Primasius, Beda, Haymo, Ansbertus, Pannonius, Viegas & alii. Et videtur quidem ex eo valde confirmari, quod in eo Ioelis loco (ad quem hic allusio fit) præcedit, *Consurgant, & ascendant Gentes in vallem Iosaphat, quia ibi sedebo, vt iudicē omnes Gentes in circuitu,* & mox immediatè sequitur, *Mittite falces, quoniam maturauit messis.*

1. *Expositio accipiens de extremi iudicii tempore.*

Nihilominus mihi certum est, per messem in hoc loco denotari ingentem fructum, quem suis concionib. collegerunt Apostolici viri, quos Deus ad prædicandum Gentib. misit; hoc est, vberrimā animarum segetem & copiosissimam Gentilium conuersionem. Atque imprimis inficiari nemo potest, quin vsitata sit Scripturæ loquutio, messem appellari Gentilium conuersionem. Patet hoc Matth. 9. 37. & Lucæ 10. 2. *Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.* Et Ioan. 4. 35. *Videte regiones, quia albæ sunt iam ad messem.* Et certè nihil apud Ecclesiæ Patres frequentius, quam animarum connersionem nomine messis, aut segetis significare.

Auctoris explicatio de messe animarum, quæ per Euangelii prædicationem in Ecclesia horrea conuehuntur.

Secundò, Apocalypseos series & consecutio hunc sensum omnino postulat; qui prætermitti non potest, nisi ab iis, qui de Apocalypseos filo & cohærentia nihil curant. Etenim præterquam quòd nullus hic locus est extremo iudicio: (cùm posteà mille pacis anni subsequantur) in hoc ipso capite euidens est, nondum ad diei iudicii tractationē peruenisi: quando quidem sub Agni specie Christus apparet, & Agnus ipse est huius belli, huiusque exercitus dux; nec non eius milites prælium ineunt, non secus atque agni inter lupos. Ad hoc ergo bellum spectat messis, vt manifestè colligitur ex Ioëlis 3. ibi enim messis allegoria cum belli tractatione connectitur. Et quanuis sibi aliqui persuadeant, legitimum sensum capitis 3. Ioëlis esse de propria vindicta, deque vniuersalis Iudicii die: me certè Apocalypsis docet, Ioëlem ibi agere de mystico Euangelii prædicatorum bello: atque adeò messem esse illius prędicationis fructum. Et de die quidem Iudicij ego prorsus explicare nescirem illa Ioëlis verba n. 10. *Infirmus dicat, quia fortis ego sum.* Vnde Paulus: *Virtus in infirmitate perficitur*, & *Omnia posſum in eo qui me confortat.* & alibi. *Cum infirmor, tunc potens sum.* Quæ verba aptissimè applicantur ad robur ac vires, quas Deus viris Apostolicis suggerit; quando infirmiores ipsi ac debiliores ad Euangelii messem videntur. Nec huic sensui obstat mentio vallis Iosaphat, vt constabit libro 10. in illius capitis expositione.

Prædicta interpretatio in Apoc. confectione soluitur.

Ex ipsa visione Ioanni hic ostensa id amplius confirmatur

Tertiò, ad significandam mysticam conuersionis messem in Gentilium quam plurimis, cohærent optimè, quæ in hac visione Ioanni sunt ostensa. Nam per nubem candidam mirificè exprimitur ministerium Euangelii prædicatorum, vt vidimus c. 1. & in ea nube eleganter effingitur Christus aduenire cum verbi sui falce ad metendum. Ipse enim propriè conuersionis effectum præstat. Nam licèt possit etiam iisdem operariis, veluti ministris, attribui; vt constat Matth. 9. 37. Luc. 10. 2. & Ioëlis 3. 13. In Apocalypsi tamen iure optimo Spiritus sanctus conuersionem animarum Christo, vt præcipuo auctori, voluit adscribi. Qua propter c. 19. 21. cernimus, licèt Christus magnam equitum multitudinem secum ducat, vniuersas tamen cædes fieri ab ipso Christo; quia *omnes occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius.* Porrò nubis symbolum optimè etiam indicat incredibilem velocitatem, qua viri Apostolici diuino spiritu afflati totum terrarum orbem percurrerunt, nulla difficultate victi, nullo labore fatigati. Vnde illud Isaiæ 60. 8. *Qui sunt isti, qui vt nubes volant?* Deinde humana figura aptissima est ad Christum clementem atque benignum denotandum; & ea propter de prima illa figura cap. 1. 13. dicit Ioannes, vidisse se similem filio hominis, & sicut c. 1. in prima illa visione sermo est de Christo in sua Ecclesia; sic etiam in præsenti, persona filii hominis repræsentat Christum in viris Apostolicis, siue per illos, metentem mysticam messem. Adhæc: corona aurea, quam cælestis messor gestat in capite, egregie conuenit cum Gentium vocationis mysterio: quia per Gentium conuersionem dicitur Christus in mundo regnare. Atque hic est ipsissimus sensus eorum Psalmorum, in quibus dicitur *Dominus regnauit.* (Ii autem sunt Ps. 92. Ps. 96. & Ps. 98.) Expende verba illa, *Dominus regnauit: exultet terra, lætentur insulæ multæ: nubes & caligo in circuitu eius.* Ecce nubem, de qua in præsenti Ioannes. Mox sequitur, *Iustitia & iudicium correctio sedis eius.*

Quid significetur eo Psalmorum exordio. Dominus regnauit. Vers. 15.

ET IN MANV SVA FALCEM ACVTAM] Quod in belli allegoria est gladius, hoc in messoris figura est falx acuta; quare sine dubio sermo est de gladio Spiritus, *Quod est verbum Dei.* Vide c. 19. 21. vbi tota occisio fit ipsius ducis gladio.

ET ALIVS ANGELVS EXIVIT DE TEMPLO] Quod ad grammaticam spectat, relatiuum *alius* non significat sub Angeli specie apparuisse illum, qui super nubem candidam fuit visus, satis namque est, duos proximè subsequentes esse Angelos, sicut diximus suprà num. 6. Si tamen aliquis velit, per complexum illud, *Alius Angelus*, denotari in præsenti, messorem etiam Angelum esse, non admodum repugno. Nam & Christo & Apostolis nomen etiam Angelorum in sacris litteris datur, nec tamen ideo opus est, messorem apparuisse alatum.

In hoc Angelo, qui è templo exiuit, quæ figuretur.

Quod verò ad rem ipsam attinet, hic Angelus è templo exire visus denotat (opinor) Prophetam Ioelem, verba enim quæ profert, ea sunt: *Mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora, vt metatur, quoniam maturauit messis terræ.* Hæc autem verba mutuata sunt ex c. Ioelis 3. n. 13. vbi ait. *Mittite falces, quoniam maturauit messis.* Ideo autem Apocalypsis singulari numero. Ioel verò plurali vtitur, quia Ioel alloquitur Euangelicos prædicatores, quos destinauit Deus ad Euangelium Gentibus promulgandum, at Apocalypsis dirigit sermonem ad Christum. Sensus tamen idem est, quia Christus erat præcipuus, qui in suis operariis fruges demetebat. Quamobrem ipsis, vt instrumentis, Christo, vt principali

causæ,

Digitized by Google

A causæ,messis adscribitur. Ioëlem verò de messe Euangelica sermonem instituere lib.10.manifestum erit in eius capitis commentario.

Verùm age iam, quid sibi vult, Ioelem dicere Christo, vt mittat falcem, quoniam triticum ad maturitatem peruenerat? Respondeo,Ioel, vt Propheta,Dei beneplacitum enunciat; Christus autem quatenus homo in suis actionibus semper in Dei beneplacitum mentis oculos intendit: & idcirco dicitur Christus, vt impleretur Scriptura, protulisse, *Sitio.* & similiter in multis aliis. Præterquam quòd messor in hac visione repræsentat,quod Christus per suos ministros,id est prædicatores Euangelicos fuit operatus;ad eosque sermonem conuertit Ioel cùm ait, *Mittite falces,* &c. *Quid sibi velit hic angelus clamans,* Mittite falcem tuam,*&c.*

Sed quid significat illa Angeli egressio è templo? Illud quidem vaticinium capitis 3. Ioelis est arcanum nimis ac reconditum: in eoque ostenditur, Prophetam, quando vaticinium hoc enunciaturus prodiit,quasi ex ipso Dei penetrali fuisse egressum;hoc est,quòd Deus illum in abditum Sanctuarij recessum intulerit,& mira Christianæ Ecclesiæ arcana docuerit,ideo Prophetam potuisse admirabilem illam prophetiam pronunciare. Quod autem Ioel dicatur in illis verbis *Clamasse voce magna,* ad vehementem affectum referendum est; sicuti quiin rebus magni momenti præ ingenti animi sensu exclamare solent. Fortè etiam clamor hic Euangelii concionatores ad clamandum inuitat. Sic enim suum explent officium,& apta fiunt mystici messoris instrumenta. *Angelum egredi è templo,quid innuat.*

B QVONIAM ARVIT MESSIS TERRÆ] Verba Ioelis sunt, *Quoniam maturauit messis.* Ad quæ etiam verba respexisse videtur Christus Ioan.4.35. *Videte regiones,quoniam albæ sunt iam ad messem:* Quibus verbis non significatur, messem ipsam, quod in se est, maturam iam & falci aptam esse, sed adesse iam tempus opportunum,quo Deus ipsi maturitatem addere decreuerat. Quapropter maturitas non est referenda ad bonam dispositionem, quæ Gentibus ipsis inesset; sed ad magnam efficacitatem, quam Deus prædicationi conferebat: quòd accessisset tempus à Deo constitutum,in quo & concionatoribus ad prædicandum, & ad excipiendum auditoribus opem auxiliumque efficax præbere decreuerat. Scio aliter exponere Andream &alios:qui putant,propterea dici, *Quoniam aruit messis terræ;* vt significaretur electorum numerus esse completus. Verùm hic sensus aptari non potest Ioannis verbis in Euangelio cap.4.35. cùm Christus ait, *Videte regiones, quoniam albæ sunt iam ad messem.* Idemque est: *Quoniam aruit messis terræ.* *Allusio ad Ioelis verba*

ET DEMESSA EST TERRA] Non agitur hic de generali totius Imperii Romani conuersione; sed de messe,sine conuersione,quæ vindemiam antecessit;hoc est,ingentem Martyrum numerum, qui in maximum Christi nominis decus,splendorem,& gloriam redundauit. Nec alia fuit mystica hæc messis, quàm vocatio atque conuersio numerosæ Gentilium multitudinis, quæ per viros Apostolicos toto orbe dispersos ad Christi Religionem ex omnibus Imperii prouinciis aggregata fuit. Terræ igitur nomine designatur humanum genus. Non quòd cuncti homines fuerint ad fidem traducti; C sed quia ex humani generis terra maximum hunc fructum percepit Deus. Vers.16. *Quo sensu hic dicatur demessa esse terra.*

TEXTVS.

*vers.*17. Et alius Angelus exiuit de templo, quod est in cælo, habens & ipse falcem acutam.

18. Et alius Angelus exiuit de altari,qui habebat potestatem super ignem; & clamauit voce magna ad eum,qui habebat falcem acutam, dicens; Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ, quoniam maturæ sunt vuæ eius.

COMMENTARIVS.

AD messem, de qua in superioribus versibus sermo fit, additur in his noua quædam ac mira vindemia,in qua falcis nomen,si literam spectes,ad cultelli curui figuram referendum est: cuiusmodi sunt cultelli,quibus multis in locis vites vindemiari solent. In præcipuo autem sensu quæ- D stio illa sese hic primum offert, vtrùm hæc vindemia sit propria vindicta, quam Deus de mortalibus sumat: vel magnum potiùs beneficium,quod in eos conferat? De propria vindicta esse sermonem, opinantur multi: vt Andreas, Ambrosius, & Ribera: qui eiusmodi vindemiam de reproborum damnatione interpretantur. Cui explicationi fauere videtur contextus, qui agit de ira Dei. Nam qui vindemiauit, *misit botros in lacum iræ Dei magnum.* quem lacum aiunt esse infernum. Deinde in aliis etiam Scripturæ locis,vindemiæ non manifestè in malam partem accipitur. Sic Psalm.79.13. *Vt quid destruxisti maceriam eius, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam.* Threnorum 1.nu.12. inducitur Hierosolyma sic lamentans; *Vindemiauit me,vt locutus est Dominus in die iræ furoris sui.* Et nu.22. subdit, *Vindemia eos, sicut vindemiasti me.* Et cap.2. num.20. *Vide Domine,& considera, quem vindemiaueris.* Isaiæ 16.n.9. *Super vindemiam tuam, & super messem tuam vox calcantium irruit.* vbi sermo est de vindicta de Idumæis sumenda. Et cap.32.nu.10. *Conturbamini confidentes,consummata est enim vindemia,&c. plangite,*&c. *Vtrùm in hac vindemia sit sensus de propria vindicta, an de mystica.* *Proponitur prima sententia explicans de propria vindicta.*

Hæc tamen nihil obstant, quominùs pro certo rear, per hanc vindemiam in præsenti figurari summum beneficium in eos collatum,qui vindemiari dicuntur.Et imprimis argumenta omnia quę superiùs attulimus, vt messem præcedentem vindemiæ probaremus esse felicissimam ijs, qui promisse computantur; illa inquam omnia militant pro nostra hac vindemiæ explicatione, vt interim Apocalypseos acoluthiam atque contextum (ex quo validum semper argumentum desumo) *Auctoris mens exponentis de mystica vindicta.*

Digitized by Google

prætermittam. Secundò, ipſamet meſſis atque vindemiæ copulatio felicitatem adumbrat non obſcurè. Hic enim cernimus, vindemiam denotari quaſi rem, quæ proximè meſſem fuit ſubſecuta. Atque apud Leuiticum c.26.5. ſcriptum legimus, *Si in præceptis meis ambulaueritis, &c. apprehendet meſſium tritura vindemiam*; item Deut.7.13. Amos 9.13. *Comprehendet arator meſſorem, & calcator vuæ mittentem ſemen.* ſimiliter etiam Ioelis 13.3. de quo loco dicemus infrà. A

Tertiò, nemini nouum & inauditum videri debet, quòd Eccleſia appelletur vinea atque meſſis. Id enim & in multis Scripturæ locis manifeſtum eſt, & ab ipſamet Eccleſia decantatur in quadam Sabbati ſancti oratione, quæ ſic ſe habet, *Tribue quæſumus Domine populis tuis; qui & vinearum apud te nomine cenſentur, & ſegetum, &c.* Si ergo Chriſti Eccleſiæ ſunt vinea; certè vindemia felicitatis maximæ ſymbolum eſſe debet.

Argumenta propriori expoſitione adducta enodantur. Primum ſoluitur.

Vt autem illis obuiam occurramus, quæ nobis in contrarium opponuntur; ad primum Reſpondeo, in Apocalypſi (vt ſæpe diximus) vindictæ, atque iræ ſpeciem attribui animarum conuerſioni, aliisque per magnis beneficiis, quibus Deus homines ſolet afficere. Quamobrem nomen iræ, aut lacus iræ non ſolùm non eſt impedimento, ſed elegantiæ potiùs plurimum confert; quòd ſummum beneficium ſub vindictæ ſimulatione figuretur. Aduerte autem pro nomine *Lacus* Græcè apponi λαγὸν, quo nomine propriè ſignificatur torcular. Sic enim redditur infrà cap.19.15. Quòd autem torcular appelletur lacus; nouum non eſt, & Hiſpanis hominibus imprimis eſt familiare. Nos enim torcular linguâ vernaculâ nominare ſolemus *El lagar*. Deinde cum ſermo hic ſit de ira Dei in vindemia; manifeſtè reſpicitur ad illud Iſaiæ 63.3. *Torcular calcaui ſolus: calcaui eos in furore meo, & calcaui eos in ira mea, conſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui.* Quibus in verbis de Chriſti paſſione ſermonem inſtitui, compertum eſt, cùm Chriſtus Dominus, quàm potuit maximam iræ ſignificationem aduerſus peccatum exhibuit. Et quamuis in ordine ad ipſos peccatores ira fuerit in ſummam miſericordiam conuerſa: hæc tamen ipſa miſericordia in ſacris Literis ſub ſpecie vindictæ ſignificatur. Itaque nos docet Iſaias, Chriſtum ſe ex ſuis hoſtibus vindicaſſe, & illuſtrem de illis reportaſſe victoriam. Quòd verò Chriſtus ſuomet ſanguine fuerit reſperſus, id magna cum energia figuratur, quaſi ipſe effuſo ſuorum hoſtium cruore redundaret. Etenim in ſuæ paſſionis vindemiâ occidit myſticè Chriſtus ſuos hoſtes, atque contriuit. Quare in hoc Apocalypſeos loco per alluſionem ad illa Iſaiæ verba, inducitur ſermo de maximo quodam beneficio, quod Deus in ſuos contulit ſeruos, vt infrà explicabimus. B

Secundum ſoluitur.

Ad ſecundum argumentum dicendum eſt, in iis quidem locis agi de ſeueritate ac ſupplicio: ſi tamen hic erat agendum de ingenti beneficio, quod ſupplicii ſpeciem habebat, eo ipſo aptiſſimam eſſe vindemiæ atque iræ allegoriam. In hoc enim ſita eſt potiſſimùm huius phraſis de nouiſſima ira agentis concinnitas & elegantia; vt tranſlationes illæ, quibus horribile ſolet denotari ſupplicium, traducantur ad nouam iræ rationem, ſiue ad iræ perſonam ac laruam, qua diuina miſericordia veluti perſonata procedit. Ad hæc, ſi in aliquibus locis vindemiatio applicatur ad ſupplicii ſignificationē, in aliis etiam transfertur ad ſignificationem magni triumphi, vt Iſaiæ 25. 6. & vtraque ſignificatio hic pereleganter coniungitur, felicitate cum rigoris & ſeueritatis aſpectu coniuncta. C

Quodnam fuerit beneficium per vindemia allegoriam figuratum.

Ad pleniorem autem huius elegantiæ expreſſionem, tranſeamus oportet ad quæſtionem ſecundam: Ecquod ſcilicet beneficium ſit illud, quod hic per vindemiæ allegoriam innuitur? Dicet fortaſſe aliquis, non eſſe opus, vt meſſis atque vindemiæ ſignificationes diuerſæ ſint: duplici enim allegoria potuit res eadem indicari, & apud Ioëlem 3.13. (quo in hac Apocalypſeos meſſe, & vindemiæ reſpici diximus) meſſis ac vindemia non videntur inter ſe diſtingui. Nam in eodem verſu dicitur: *Mittite falces, quia maturauit meſſis, venite, & deſcendite, quia plenum eſt torcular, exuberant torcularia.* Vbi appareret, meſſis atque vindemiæ coniunctionem perinde eſſe, quaſi duæ metaphoræ conglobentur, quæ exprimant ingentem cædem à victore exercitu in victis edendam. Si autem ſermo eſt de Euangelicę prædicationis bello; per meſſem quidem ac vindemiam denotabitur ipſius prædicationis fructus. Vnde in ſapientia Euangelica complebitur, quod Eccleſiaſticus ait cap. 33.nu.17. *Quaſi qui vindemiat repleui torcular.* Adde huc, quòd inter eos, qui meſſem ac vindemiam huius capitis ad propriam referunt vindictam, reperiuntur aliqui, qui inconueniens non eſſe putant, vt res eadem duplici allegoria pariter explicetur. Sic ſanè Viegas, licèt ſtatim ſubdat, fortaſſis ſenes comparari meſſi: adoleſcentes verò, vindemiæ: & propterea à mortem duplici armari falce, quia altera adoleſcentes vindemiat, altera demetit ſenes. Hæc ille. D

Propoſita dubitationi ſatisfit.

Verùm enimuerò, vt quid ſentiam exponam: exiſtimo quemadmodum per meſſem conuerſio multorum infidelium denotatur, ita ſimiliter per vindemiam adumbrari eorundem martyrium, qui Chriſti amplectebantur fidem. Primò enim inficiabitur nemo, quin cùm hæ duæ figuræ ſint inter ſe diuerſæ, & meſſis tanquam vindemiam ſubſequens inducatur, congruentiſſimum ſit, vt vindemia diſtincta ſit à meſſe. Deinde in Gentilium conuerſione, quo tempore Rom. Imperium Eccleſiam euertere curabat, notum eſt, poſt conuerſionem, mox ſubſequi fidei confeſſionem, mox pro confeſſione ipſius fidei, effuſionem plerumque ſanguinis, ac mortis perpeſſionem. Cùm ergo tantopere ad Chriſti gloriam redundaret, vt quamplurimi ex iis, qui paulo antè in miſera idolorum ſuperſtitione volutabantur, vix dum ad Chriſti ipſius fidem traducti adeò inſigne acceptæ nuperrimè fidei teſtimonium redderent, & fortiter atque alacriter pro Chriſto inter crudeliſſima tormenta interirent: facilè cernitur, rem hanc eſſe digniſſimam, quæ in Apocalypſi æternis celebraretur præconiis, atque in hoc præſertim loco, vbi agitur de admirabili fructu, quem viri Apoſtolici toto terrarum orbe diſiecti ex Chriſtianæ fidei prædicatione ceperunt. Id quod dignè Paulus expendit ad Philipp.1.29. *Quia vobis donatum eſt, non ſolùm vt in eum credatis, ſed vt etiam pro illo patiamini.*

Per vindemiā ſignari Martyrum cædem.

Rationibus ſolidatur prædicta interpretatio.

Tertiò,

Digitized by Google

A Tertiò, voluptas maxima, quam Diuina prouidentia accipiebat in tanto cruore pro Christi gloria effusio, optimè significatur in admirabili hac vindemia; in qua dicitur tanta fuisse vuæ copia in lacum siue torcular iniecta, vt sanguis, (qui rubro respondet vino) vsque ad equorum frænos per stadia mille sexcenta redundet. Ad quorum verborum explanationem vbi peruentum erit, artificiosæ huius allegoriæ venustas & elegantia magis perspicietur.

Quartò, hic ipse sensus est vindemiæ, quæ cũ messe coniungitur Ioëlis 3.13. & Amos 9.13. Quare vtrobique mox subditur: *Stillabunt montes dulcedinem*, &c. Quibus verbis innuitur mira consolatio spiritalis, qua Deus suos fideles recenter conuersos in medio persecutionis cursu perfundebat. Sic enim expediens erat, vt possent firmiter & animosè pro Christo tolerare tormenta. *Ex Ioelis loco, ad quem hic respicitur, eadem probatur expositio.*

Quintò, quamuis falci, de qua agitur in messe, & falci similiter vindemiæ tribuatur epitheton *acutæ*: ceterùm in messe hoc epitheton non fuit secundò iteratum: at in vindemia quater repetitum est, nimirum n.17. *Habens & ipse falcem acutam.* n.18. *Ad eum qui habebat falcem acutam.* & infrà: *Mitte falcem tuam acutam.* & num.19. *Misit falcem suam acutam.* Atque hæc affectata repetitio meo iudicio congruentissima extitit ad exprimendam Diuini verbi vim in Christianorum recens conuersorum animis roborandis, vt pro Christi gloria hilariter ac iucundè in mortem ruerent. Eodem enim sensu ait Paulus ad Hebræos 4.12. *Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoq; ac medullarum; & discretor cogitationũ & intentionũ cordis.* *In vindemia epitheto Acutæ quater additur falci: semel verò in messe.*

B Sextò, D. Hieronymus Isaiæ 24.13. in ea verba, *Cùm fuerit finita vindemia*; nomine vindemiæ intelligit oppressionem iustorum in Antichristi persecutione.

Septimò, Nihil propius ad significandam sanguinis effusionem in Sanctorum martyrio, quàm expressio musti in vindemia, tum quia mustum ipsum in Scriptura sanguis vuæ nominatur (forsan quia in Palæstina vinum ferè erat rubrum) tum etiam, quia passio Christi per allegoriam vindemiæ figurata est apud Isaiam cap.63.3. vt suprà vidimus. Quapropter per allusionem ad illum Isaiæ locum cohæret optimè, vt Martyrum passio in hoc Apocalypseos loco tanquam vindemia quædam significetur, per quam Christus victor, & suæ passionis victoriam gloriosè prouehens, se admirabiliter de illis vindicauit, qui antea idolis seruierant, eos videlicet in tormentorum atque cædis torcular immittendo, eisque suggerendo robur, vt sanguinem ac vitam pro ipso constantissimè profunderent. *Expressionem musti in vindemia ad Martyrum sanguinem figurandum esse apposità.*

In sanctorum etiam martyrio ostendit Christus Dominus suam iustissimam iram, quam contra idololatriam conceperat. Si quidem, vt eam opprimeret, suorum amicorum sanguinem effudit. Quod enim Ioannes ait epistola 1.cap.5.4. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra*; in fide martyrio confirmatâ verum esse imprimis comprobatur. Quamobrem Martyrum sanguis considerari etiam potest tanquam sanguis inimicorum; atque adeò Martyres ipsi figurantur veluti triumphatores; qui licèt se sanguine aspergant, hæ autem maculæ indicant & suæ victoriæ signa, & Dei indignationem aduersus idololatriam: ad eum ferè modum, quo Isaias loquitur de Christi passionis vindemia cap. 63. Quòd si Christi Redemptoris nostri passio est magnum illud diuinæ iræ torcular; in eo ipso copiosa Martyrum vindemia calcata fuit. Ipsorum enim sanguis pariter cum Christi sanguine mistus confluxit; vt ex eo efficacitatem acciperent, & cumulatum ei redderent effectum in ea victoria, de qua agit Isaias. *Quomodo in Martyrũ cade Iuam Deus iram ostendat.*

C Sequitur ordine tertia quæstio. Quinam scilicet sint duo Angeli vindemiæ, tam qui falcem manu tenebat, vuam vindemiaturus, quàm qui illum ad vindemiam cohortatus est? Primasius, Beda, Haymo, Ansbertus, Pannonius, & Viegas, credunt, vuæ vindemiatorem esse Christum. Hoc tamen Riberæ non placet; sed asserit illum esse Hierarchiæ cælestis Angelum. Ceterùm cùm tres hic Angeli per ordinem enumerentur, vnus qui ait, *Mitte falcem tuam, & mete.* Alter vuam demessurus. Tertius, qui secundum admonet, vt eam præcidat: cumque horum trium Angelorum Primus sit Ioel Propheta, vt suo loco vidimus; valde verisimile est secundum & tertium Angelos esse pariter prophetarum totidem veteris instrumenti figuram. Etenim cùm vterque cum Ioele copulentur, & tres omnes appellentur Angeli; congruens exigit coniectura, vt Angelorum nomen illis eodem modo quadret, & tres ipsi aptè coniungantur; atque adeò, vt illi omnes ex veteri testamento sint. Prophetis autem tribui in Apocalypsi Angelorum nomen, vidimus suprà in Angelis tubarum. Præterea tertius Angelus, qui ad vindemiatorem clamauit, *dicens Mitte falcem tuam acutam, & vindemia,* D meo iudicio Eliam Prophetam adumbrat. Quæ enim textus de illo prodit indicia, hæc sunt: *Qui habebat potestatem super ignem.* Quibus verbis Elias videtur omnino designari. Ille enim fuit, qui cum Prophetis Baal pactus est, 3.Reg.18.num.24. *Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus.* Et num.38. *fecit, vt descenderet ignis Domini, & voraret holocaustum.* Ipse itidem est, quo præcipiente ignis de cælo demissus vnum & alterum Quinquagenarium cum suis militibus absumpsit, 4.Reg.1.10.12. Quamobrem, cùm de quodam Propheta hìc instituatur sermo, *Qui habebat potestatem super ignem*; non alius esse potest, præter Eliam. *Quinã sint duo angeli vindemiæ? In tertio angelo, qui ad vindemiatorem clamauit, figurari Eliam.*

Huc accedit, quod de eodem Angelo hîc dicitur, *Exiuit de altari.* In quo continetur etiam allusio non obscura ad id, quod de Elia affirmatur 3.Reg.18.30. *Curauit altare Domini, quod destructum fuerat:* & insigne obtulit sacrificium. Quare hunc eundem Angelum audiuit Ioannes ab altari loquentem cap.16.nu.7. Vbi ex contextu etiam non parum roboratur per hunc altaris Angelum denotari Eliam. Nam Eliæ socius in Apocalypsi (sicut & in Christi transfiguratione) est Moses, vt vidimus cap.11. Angelus verò ille, qui ab altari loquebatur, adiungitur tanquam socius Angelo aquarum cap.16.5.& 7. Et qui animum parumper aduertat, non dubitabit, quin Angelus aquarum Mosem designet. Quippe cùm Apocalypsis Angelorum nomen Prophetis tribuat; nulli alij præter Mosem, quadrat nomẽ Angeli aquarum. Quia ipsum nomen *Moses* sonat idem, quod *Attractus*, subaudi *de aquis.* *Per Angelum aquarum figurari Mosem qui hic vindemiatoris personam agit.*

Digitized by Google

Per Angelum aquarum figurari Mosem, qui hic vindemiatoris personam gati.

aquis. Lege Exodi 2.10. *Vocauitq; nomen eius Moyses, dicens, quia de aqua tuli eum.* Et Apocalyp. 11. de Mose dicitur, *& potestatem habet super aquas.* Ex his ergo valde verò simile est, illum Angelum, *qui habebat potestatem super ignem*, esse Eliam. Quo constituto, non videtur dubitandum, quin Moses sit ille. qui in præsenti vindemiatorem agit. Nam qui habebat falcem ad vindemiandum, *& qui habebat potestatem super ignem*, in hac vindemiæ visione socii sunt. Quapropter vbi in altero Eliam agnoscamus, mox alter intelligitur esse Moses. Hi enim duo, sicut in transfiguratione Christi, sic etiam in Apocalypsi sociantur cap. 11. & in hoc cap. 14. & cap. 16. 5. & 7. Itaque tres Angeli, quorum hìc meminit Ioannes, sunt Ioël, Moses, Elias. Ioel quidem ad messorem clamat, Moses verò & Elias sunt ij quorum in hac mystica vindemia mentio fit.

Mosem & Eliam in duobus angelis figuratos hic esse sapientiæ & & sanctitatis symbola.

Porrò, quemadmodum cap. 11. Moses & Elias personæ sunt, quarum altera cælestem sapientiam, altera eximiam sanctitatẽ, siue ardentem zelum in Christi setuis effulgentes repræsentant; sic etiam in præsenti opus est, vt Moses & Elias eandem significationem retineant. Quare ad eorum quæ nuper de illorum significatione diximus, comprobationem, reliquum est, vt exponamus, cur mystica vindemia cælesti seruorum Christi sapientiæ attribuatur; & cur zelus hìc introducatur ad sapientiam clamans, vt mittat falcem, atque vindemiet.

Cur mystica vindemia attribuatur cælesti sapientiæ seruorũ Christi.

Circa primum aduerte, non esse hunc locum primum, in quo cædes cælesti adscribatur sapientiæ. Nam vt cap. 6. vidimus. quarto sigillo designato, retegendus erat admirabilis sapientiæ atque consilii spiritus, & tamen figura per speciem apparuit mortis atque inferni stragem edentis in Christi Iesu familiaribus. Vbi adduximus illa Isaiæ verba; *Admirabilis consiliarius.* In quibus ad Salomonicum alluditur iudicium, quod primo aspectu crudelitatis ac feritatis speciem præ se ferebat. Adduximus item illud Prouerb. 9. 2. *Sapientia immolauit victimas suas.* quod ad suorum filiorum mactationem à Tertulliano refertur. Itaque iure satis magno tribuitur spiritui sapientiæ & admirabili Dei consilio vindemia effecta in torculari, quod loco vini expressit immensam sanguinis Martyrum copiam.

Soluitur difficultas in hac explicatione occurrens.

At enim, inquies, quanuis Martyrum sanguinis effusio eleganter admirabili consiliario tribuatur, quòd eius fuerit consilium, stultitiæ simulatione propriam sapientiam obtegere; Moses tamen minimè denotat Dei ipsius, aut Christi sapientiam, sed ipsius seruorum. Etenim Moses & Elias considerantur tanquam serui Christi; & Christus ipse eorum vocatur Dominus Apocalyp. 11. 8. Respondeo, per Mosem quidem & Eliam non directè repræsentari Dei aut Christi sapientiam, sed seruorum ipsius; sapientiam tamen Sanctorum esse à diuina deriuatam. Quapropter sicut consilium de sanguine Martyrum effundendo Diuinam prouidentiam & Christi consilium, vt præcipuam causã, propriâ attingit; sic etiam suo modo attingit sanctorum sapientiam, ipsiusmet consilii executio; quatenus illa consilio atque sapientiæ ipsius Dei & Christi subordinatur. Deus enim suis sanctis vtitur vt liberis instrumentis in eo, quod præstant, obsequio suum pro illo sanguinem effundendi. Et quemadmodum diuini consilii & sapientiæ proprium est, Sanctos suos per iniurias, tormenta & cædes ad æternæ gloriæ celsitatem conducere; ita similiter proprium est sapientiæ, quam Deus ipsè suis seruis impertiuit, se ipsos tormentis ac morti pro Deo offerre, & animam suam, siue vitam odisse, vt eam reddant meliorem. Quod qui attente consideret; facilè cernat, rem esse Spiritu sancto dignissimam, vt vera illa æstimatio atque consilium eorum, qui omnia pro Christo aspernabantur, cælesti tribueretur sapientiæ, quã Deus sanctis ipsis elargiebatur. Quapropter magna cũ energia inducitur Moses, id est sanctorum sapientia hanc vindemiam faciens. Qui verò clamat ad Mosem, eumque hortatur, vt suum præstet officium, est eius comes Elias, id est, diuinæ gloriæ zelus, qui sanctos impellit viros adsanguinis pro Christo effusionem.

Sed quorsum in messe Ioël ipsiusmet Ioelis Prophetæ personam agit, cùm in vindemia Moses & Elias non proprias sed fictas personas repræsentent? Deinde, quorsum in messe: qui falcem mittit, est Christus Dominus: at in vindemia, qui infert falcem, non Christus est, sed mysticus Moses, id est cælestis sapientia seruorum Christi?

Cur in mystica messe Christus sit, qui falcem mittit: at in vindemia non Christus, sed mysticus Moses.

Respondeo, Christum esse, qui in suis operatur, & quem Prophetæ respiciunt tam in iis, quæ scripserunt, quàm quæ in se ipsis atque in suis operibus figurarunt. Est autem messor similis filio hominis (id est Christus in suis ministris) quia animarum conuersioni, quæ ministrorum Euangelii ministerio fit, Christus efficacitatem addit. Et quanuis vindemia Mosi atque Eliæ mysticis attribuatur, hoc ipso innuitur esse proprium Christi facinus. Nam mystici Moses & Elias Christum in Apocalypsi suum Dominum recognoscunt: & eius virtute suffulti admiranda opera præstant. Ac demum ad Christi, eiusque Ecclesiæ mysteria illustranda deseruiunt, Ioel quidem suis scriptis, Moses verò & Elias suis operibus ac figuris. Quamobrem vt significetur, Christum fuisse potissimum scopum eorum omnium, quæ & Prophetæ prædixerunt, & Deus figurauit in illis, congruenter factum est, vt alii ad sacram hanc Apocalypseos actionem sua scripta conferrent, alii ea mysteria, quæ in se ipsis, in que suis operibus adumbrarunt. Itaque non solùm inconueniens non est, sed valde potiùs conueniens; vt hinc Ioelis scriptura, inde Mosis & Eliæ opera huc confluant. Præterea, quòd vindemia Martyrum sanctitati atque zelo tribuatur, non verò tribuatur conuersio iis ipsis, qui cõuertuntur ad fidem, id ex Theologiæ visceribus petitum est. Nam martyrium quidem supponit Martyres ipsos esse insignes sanctitate viros: atque ideo potuit martyrium ipsorum sapientiæ & sanctitati aliquo modo tribui: at conuersio nulla potuit ratione illi adscribi, qui ad Catholicam fidem traducitur. Nec enim illum sanctum esse antea indicat, sed peccatorem potiùs, ac proinde omnino indignum, cui tribuatur, quod mera est Dei gratia.

Cur in hac visione Ioel suammet ipsius personam agat: at Moses & Elias non suas propriè sed fictas.

Quibus prẽmissis, textum ipsum percurramus. *Alius Angelus exiuit de templo, quod est in cælo.* Hic Angelus in nostra expositione est mysticus Moses; qui cùm cœlestem seruorum Christi sapientiam

repræ-

Digitized by Google

repræsentet,ideo acutam falcem manu gestat,quæ idem est,atque gladius, siue cultellus acutus ad vindemiandum.Constat autem gladium spiritus esse verbum Dei.Cælestis verò sapientia est, quæ Diuini verbi auxilium sibi adsciscit ad iugulum gladio supponendum,atque hoc est vuam præcidere,vt eam tyranni conculcent.Verùm sæpius reperitur,huiusmodi cultellum,quem Angelus manu tenebat,esse acutum,vt indicetur vis maxima,qua vnum ab alio diuidit & separat, iuxta illa Christi verba Matth.10.34.*Non veni pacem mittere,sed gladium.Veni enim separare homines*,&c.Iam si Mosis historiæ memoriam refricare velimus;nonnihil in ea deprehendemus,quò in hac falce seu gladio acuto alludatur.Vide Exod.32.26.*Si quis est Domini iungatur mihi*,&c.*Ponat vir gladium super femur suum*.Sed cur ipse Angelus dicitur *egressus de templo,quod est in cælo*.Nimirum quemadmodum Ioel dictus fuit exisse de templo,quòd Deus illum ad suum penetrale admisisse,& sua illi arcana euulgasse videbatur,non aliter cælestis sapientia per Mosem figurata significanter dicitur è templo prodire, id est ex recondito diuinæ disciplinæ penu,quando in ipsam prodit actionem,& falcem manu tenens egreditur ad amputandos botros,& iugulum tyranni ferro subdendum. Aduerte insuper locutionis discrimen. Nam Ioelem textus ait exisse de templo,de mystico verò Mose dicit, *Exiuit de templo quod est in cælo*. Videlicet cùm templum Christianæ Ecclesiæ conuersationem in cælis denotet; recondita quidem doctrina admirabilis huius & cælestis conuersationis propriè spectans ad tempus legis gratiæ, Christianum hominem diuini verbi gladio munit ad vuam resecandam,& martyrium alacriter subeundum:id quod proprium est spiritus & gratiæ,quam lex Euangelica suis assectis & obseruatoribus communicat.Et propterea Ioel non dicitur exisse de templo,quod est in cælo : sed de templo, quò tunc Prophetæ ingrediebantur,quæ erat Christi mysteriorum cognitio. Si verò ad Mosaicam historiam oculos conuertamus,quando mysticus Moses,(cùm gladium arripuit , & stragem illam edidit)dicitur prodisse è templo,quod est in cælo;fortassis alluditur ad Mosis descensum è mõte,vbi aspexerat cæleste templum; ad cuius normam effinxit posteà tabernaculum,vt sibi à Deo fuerat imperatum,*Secundum exemplar quod* illi *in monte demonstratum est*.

Quid significet falx, quam manu portat angelus egrediens è templo, quod est in cælo.

Cur hic angelus dicatur egressus è templo, quod est in cælo: alter vero, qui Ioelem figurat, tantum dicatur exisse de templo.

Quid hic per templũ.

Scio alios per hunc Angelum intelligere Christum ipsum.Verùm si Christus erat,cur in messe similis erat filio hominis? nunc verò in vindemia Angeli nomen habet?Dices,Christo tribui etiam in Apocalypsi nomen Angeli,vt vidimus capite 10.Hoc tamen propositum nodum non soluit,cur scilicet & in messe similis filio hominis,& in vindemia Angelus sit?Et certè discrimen inter messorem,& tres Angelos subsequentes hic assignatum indicat non obscurè,hos tres Angelos esse seruos ac ministros illius,qui falcem manu demessurus ferebat.

ET ALIVS ANGELVS EXIVIT DE ALTARI, QVI HABEBAT POTESTATEM SVPER IGNEM] Pannonius hæc verba de ipsa Eliæ persona interpretatur:& ad Antichristi tempus confugit. Ribera exponit de quodam Angelo cælestis Hierarchiæ,quem tanquam legatum mittunt Martyres à Deo postulantes,vt improbos in inferos detrudat.Me tamen Apocalypseos acoluthia docet, hunc Angelũ esse mysticum Eliam,vt supra iam dixi.Quod autem textus ait,illum de altari exisse;de altaris curatione expono.Nam Elias,vt habetur 3.Reg.18.30.*Curauit altare Domini,quod destructum fuerat*. Et quidem ad Diuinæ gloriæ zelum significandum,nihil aptius,quàm Eliam depingere; qui ab altaris curatione prodeat,& sapientiam Sanctorum cohortetur,vt vineæ terrenæ botros vindemiet. Si Eliæ historiam in mente reuocare libeat,eò videtur alludi,nimirum,quòd Elias curato Dei altari,& Israelitis de veri Dei adoratione conuictis(argumento ignis de cælo in sacrificium illapsi)tunc populum est horratus,vt egregiam illam occisionem,& Deo gloriosam facerent in torrente Cison Cùm verò vsurpetur hic vindemiæ allegoria ad denotandam interfectionem;extra rem non est,vt qui ex altari prodit,& super ignem habet potestatem,ad vindemiam alios hortetur:ita enim historia ipse se habuit.Verùm in præsenti ad vindictam mysticam à Deo sumptam de peccatis per Sanctorum occisionem accommodatur pereleganter illa historia.Etenim Spiritus sancti ignis è cælo dilapsus cælestẽ sapientiam conuicit,& adegit ad mysticam vindemiam patrandam,& sanguinem pro veri Dei obsequio fundendum.Faciunt nobiscum Ambrosius,Haymo & Ansbertus,qui per ignem in hoc loco intelligunt Spiritum sanctum & charitatem.Ribera quidem interpretatur de igne,quo deflagraturus est mundus,vel etiam de igne inferorum.Sed violenter id meo iudicio. altaris enim atque ignis coniunctio exigit,vt de igne altaris sit sermo:aut saltem de igne cælesti, qui holocaustum absumpsit.Cõtextus vero postulat,vt hæc omnia aptè connectantur cũ mystica martyrii Sanctorũ vindemia.

Vers. 18. *Angelus, qui exiuit de altari, quisnã sit?*

Ad historiã Eliæ hic per allusionem respicit.

MITTE FALCEM TVAM ACVTAM , ET VINDEMIA BOTROS VINEÆ TERRÆ : QVONIAM MATVRÆ SVNT VVÆ EIVS] Sizelus sapientiam admonens,vt suam falcem in vindemiam mysticam immittat, non esset ipsemet Diuinæ gloriæ zelus, qui in Martyrum singulis exardebat ; suspicari posset quispiam,singulari elogio appellari botros vineæ illos,qui ad subeundum martyrium prompti sunt atque dispositi,& hic pariter asseri,eos ad vindemiam maturos iam & tempestiuos esse. Sed cùm ipsimet Martyres sint,qui loquuntur,& se mutuo ad martyrium cohortantur, oportet hæc verba ita exponere,ne sancti viri semetipsos videantur commendare.Quare verba illa, *Maturæ sunt vuæ eius*, eò sunt referenda:vt significetur adesse iam occasionem effundendi pro Christo sanguinem: eo ferè sensu,quo suprà dictum. *Quoniam aruit messis terræ*. Atque vt se ipsos excitent,atque accendant:ne pedem referant,sed se potiùs ipsos obiiciant tyrannis:rectè possunt illi ipsi,qui à Deo ad illustrissimũ hoc facinus mouentur,perpendere,se singulari Dei beneficio firmos fortesque in fide persistere, & vitam pro Christo amittendi cupidos:id quod pariter includitur in eo,quod mysticus ait Elias, *Quoniam maturæ sunt vuæ eius*. Præterea maturitas hæc est opportuna occasio,in qua teneantur fideles ad suam fidem publicè profitendam. Tunc enim congruenter dicitur tempestiua maturitas ad vindemiandum sese dare.

Vua vineæ terræ quo sensu dicantur esse maturæ.

Digitized by Google

NOTATIO VII.

De comparatione huius vindemiæ Apocalypseos cum iis, quæ de eadem vindemia habentur apud Ioëlem cap.3.13.

Alluſio myſticæ huius vindemiæ ad Ioelu vindemiam explicatur.

EADEM ratione, qua in Apocalypſi Angelus meſſori dixit, ***Mitte falcem tuam, & mete***: alius item Angelus fuit ad vindemiatorem locutus, ***Mitte falcem tuam acutam, & vindemia***. Ioël verò non eodem loquitur modo de meſſe atque vindemia: de meſſe enim ait, ***Mittite falces, quoniam maturauit meſſis***: deinde ad vindemiam tranſiens, ***Venite***, inquit, ***& deſcendite: quia plenum eſt torcular, exuberant torcularia***. Quibus in verbis manifeſtum eſt, non eſſe ſermonem ad eos, qui vuam præcidunt, & in torcular iniiciunt; ſed ſupponitur potiùs vuam iam eſſe reſectam, & in torcular immiſſam, atque etiam muſtum iam effluere; ſiquidem ait, ***Venite & deſcendite quia plenum eſt torcular, exuberant torcularia***. Huius ergo diſcriminis in præſenti reddenda ratio eſt, quandoquidem Ioel Propheta in eo capite 3. de eadem agit meſſe atque vindemia, de qua Apocalypſeos cap. 14. Hoc enim præmittimus ex ſuprà dictis, quod amplius roborabitur libro 10. in explicatione illius capitis Ioëlis.

Ioel in ſua capitis 3. vindemia ad quos ſermonem conuertat.

Aduertò igitur imprimis, Ioëlem hic ſermonẽ conuertere ad Euangelicos ſolùm prædicatores, qui Chriſti fidem diſſeminaturi toto terrarum orbe diſperſi ſunt. Hi enim ſunt ſtrenui ac validi milites victoris illius exercitus, quem Ioël ibi deſcribit: quibus edicit, ***Mittite falces, venite, & deſcendite, quia plenum eſt torcular***. Vindemia autem, de qua ſacer Vates agit, non eſt martyrium eorundem, ad quos dirigit ſermonem, nec enim ipſos inuitaret, vt accederent, & proprij ſanguinis torrentem intuerẽtur. Nihilo plus agit in eo, quod de vindemia aſſerit, de myſtica aliqua cæde & internecione, quam Euangelij concionatores ſint facturi. Nec enim eis dicit, vt veniant, & vuam præcidant, aut conculcent, quinimo præſtituit, botros iam eſſe amputatos, & in lacum, ſiue torcular immiſſos: atque adeo muſtum ipſum copioſè exuberare. In quo etiam videtur ſupponere, vuam attritam iam eſſe & calcatam; ſiquidem ait, ***Exuberant torcularia***. Vnde apparet, non eos, a Ioële inuitari ad vindemiam ipſam faciendam, nec ad calcandam vuam, ſed ad id ſolùm, vt muſti copiam & affluentiam inſpiciant; aut fortè etiam vt ex muſti torrente bibant.

Ioel in ſua illa vindemia allegoria, qua de re ſermonem inſtituat.

Ex his ergo mihi perſuadeo, Ioëlem Prophetam in ea vindemiæ allegoria ſermonem inſtituere de eorundem Gentilium martyrio, qui nuper ad fidem traducti, eam illico publicè profitebantur, & mortem pro ipſa conſtanter oppetebant. Itaque Euangelicos prædicatores alloquens, ipſoſque hortans, atque excitans ad ſui muneris partes cumulatiſſimè præſtandas: eos admonet, vt ſtrenuè in myſtico meſſorum munere ſe gerant: neque enim illis vtpote meſſoribus vini copiam & affluentiam defore, qua ſe magnopere reficiant atque ſolentur. Cùm enim ipſi ſe totos in meſſem impendant: tunc Deum pariter vindemiæ curam ſuſcipere, atque eoſdem ipſos, qui proximè meſſis fuerant, extemplò in vineam maturam ac tempeſtiuam commutari; ſiquidem Deus eos in torcular iniicit, & muſtum mox abundanter effluit. Hoc ad meſſores dicitur, vt ipſi redintegrato ſtudio & contentione excitentur. Et certè nullum maius ſolatium poſſet Euangelij prædicatoribus afferri: nullum aliud his meſſoribus vinum, quod tantopere ipſorum corda lætificet, quàm copioſa ſeges & fructus ipſorum prædicationis: cùm videant ex tenellis plantis ac vineis ita recentibus, Deum tantam maturi muſti copiam elicere, vt ipſoſmet meſſores ad potum inuitet.

Cur Ioel non dixerit, Mittite falces. & vindemiate: ſicut Ioannes in Apoc. dixit.

Enimverò, cùm hoc Ioël ad Euangelij concionatores proloquatur: vbi ſatis fuerit perſpecta horum verborũ ſignificatio, dilucidè apparet, cur non aptè dicere potuerit, ***Mittite falces & vindemiate***. Nec enim ad ipſos ſpectat prædicatores martyrij vindemiam in recẽs ad fidem conuerſis præſtare: quia ipſorum non eſt eos martyrio coronare, nec animum ac vires addere ad amputandos botros, & in torcular inferendos. Hoc nempe munus diuinum Spiritum propriè attingit: & hic vigor atque animus reducitur ad cæleſtis ſapientiæ & zeli ardentis participationem. Quamobrem, dum Ioël ad Euangelij prædicatores verba faciebat, & agebat cum illis de recentium Chriſtianorum vindemia; non poterat congruenter dicere, ***Mittite falces, & vindemiate***. At verò in Apocalypſi, cùm Moſis nomen ipſimet cæleſti ſapientiæ, quam Deus recẽs conuerſis conferebat, propriè tribuatur; cumque Eliæ figura accenſo Diuinæ gloriæ zelo imponatur, quo ipſi magnoperè æſtuabant; magnæ fuit congruentiæ atque elegantiæ, vt myſticus Elias myſticum itidem Moſem ſic affaretur, ***Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ***. Etenim vuæ amputatio, & in torcular immiſſio, vt ibi conteratur, res eſt quæ directè cæleſtem attingit ſapientiã, quam Deus ſuis Martyribus copioſè elargitur, vt in ſuperioribus explicatum eſt.

TEXTVS.

*Verſ.*19. Et miſit Angelus falcem ſuam acutam in terram; & vindemiauit vineam terræ, & miſit in lacum iræ Dei magnum.

COMMENTARIVS.

Angelum vindemiatorem ſymbolum eſſe Moſis.

ANGELVS iſte, vt ſuprà iam diximus, eſt myſticus Moſes, id eſt, cæleſtis fidelium ſapientia: & Moſes hic myſticus Diuini verbi falce in terram, (id eſt in terrena corpora) immiſſa vineam terræ, ſiue ipſa fidelium corpora vindemiauit, illa propter Dei gloriam tormẽtis ac morti obiiciens; atque hac ratione botros vineæ terræ ***Miſit in lacum iræ Dei magnum***, id eſt, fidelium corpora myſticè obiecit vindictæ iræ nouiſſimæ Dei, vt in ipſis ſuam expleret indignationem aduerſus hominum ſcelera conceptam, vtque ſuorum Martyrum cruore ſatiatus iuſtiſſimam remitteret iram qua in genus humanum erat accenſus. Vocatur autem lacus magnus, ſiue magnum torcular, quia maximus fuit Martyrum numerus, maximaque Chriſtiani ſanguinis copia, quæ effuſa fuit. Aut forte reſpicitur ad illud Iſaiæ 63.3. ***Torcular calcaui ſolus; calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea, & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea***. vbi de Chriſti paſſione eſſe ſermonem, ſuperiùs admonuimus. Qui autem pro Chriſti fide emittunt ſanguinem, ſe ipſius Chriſti paſſionis comites & aſſeclas profitentur, ac proinde in idem ſeſe proiiciunt torcular, in quo Chriſtus Dominus preſſus eſt, vt

Quis ſit lacus iræ Dei magnus.

cum

Digitized by Google

A cum illo pariter premantur: & eidem Diuinæ vindictæ, qua se Christus subiecit, semet vnà cum Christo subiiciunt: vt cùm socij fuerint passionum & contumeliarum, sint etiam posteà consolationis ac lætitiæ. Iam lacus ille, in quo Christus pressus est, meritissimè torcular magnum nuncupatur, & torcular iræ Dei, illius videlicet iræ, de qua Isaias loco proxime allato fuerat locutus, capite scilicet 63.3.

TEXTVS.

*Vers.*20. Et calcatus est lacus extra ciuitatem: & exiuit sanguis de lacu vsque ad frænos equorum per stadia mille sexcenta.

COMMENTARIVS.

Quid sit, lacum extra ciuitatem calcari.

LACVM extra ciuitatem calcatum interpretatur Ribera de gehenna, quæ & extra cælestẽ patriam, & extra Ecclesiam est. Sed cùm in nostra expositione de passione Martyrum sermo sit, ideo lacum extra ciuitatem calcatum exponimus Pauli verbis ad Hebræos 13.11.& 12. *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra, propter quod & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra improperium eius portantes. Non enim habemus hic ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus.* Ex his constat, improperium eorum, qui pro Christo patiebãtur, & tanquam sacrilegi hominum consortio indigni credebantur, aptissimè significari phrasi illa, *Extra ciuitatem*, vel *Extra portam*. Et fortassis ideo extra vrbem quondam morti damnati supplicio mulctari solebant, & nunc etiam in plerisque locis: ne præsentiâ suâ ciuitatem contaminarent.) Si ciuitatis nomen in hoc loco Ecclesiam denotaret dicerem, quia persecutionis ministri infideles erant, propterea lacum siue torcular extra ciuitatẽ effingi.

ET EXIVIT SANGVIS DE LACV VSQVE AD FRÆNOS EQVORVM] Victorinus, Ticonius, Primasius, Beda, Ansbertus, Haymo, & Ribera §.91. per frænos equorum intelligunt populorum rectores. Alia expositio est de dæmonibus, quam ponunt Glossa, Beda & Anselmus. Ribera existimat hic sanctos induci in equis aduectos hilares ac lætos propter supplicium, quo improbi apud inferos cruciantur.

Quo sensu dicatur sanguis vsq; ad frænos equorum exire.

Hoc tamen in mea explicatione interpretor de maxima Christiani sanguinis vi atque copia, quæ primitiuæ Ecclesiæ tempore profundebatur. Vt autem significetur, quantum Christiani sanguinis tunc fuerit effusum: congruens satis est fictio, quæ representet torrentem sanguinis ita exundantem, vt equos frænorum tenus attingat. Deinde in sacra hac fictione indicatur, equos ipsos facilè C sanguine exsaturari posse. Ipse enimmet sanguis ad eorum ora pertingebat. Porro equorum nomen præpositum hic habet articulum in Græco; qui articulus denotare solet, sermonem ibi haberi de re aut insigni, aut iam antea tractatâ. Famosi autem Apocalypseos equi, de quibus antea mentio præcesserat, sunt quatuor illi equi capitis 6. nimirum Diuinæ prouidentiæ equi; de quibus agit Habacucus cap.3.8. *Ascendes super equos tuos, & quadriga tua saluatio.* Iam potare sanguinem, victoribus valde est glorioſum. Vide L. Florum in bello Cymbrico. *Tanto ardore* (inquit) *pugnatum est, eaque cædes hostium fuit, vt victor Romanus de cruento flumine non plus aquæ biberit, quàm sanguinis.* Vide etiam Psal. 109.7. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* vbi de torrente sanguinis esse sermonem, & contextus persuadet, & in eius Psalmi commentario videbimus. Præterea in Christi Martyrum internecione Diuina prouidentia est quæ glorioſam consequitur victoriam. Ceterùm vt figura ipsa & minùs violenta, & magis elegans esset, non dicitur dux ipse victor potare sanguinem; sed ipsius equi. Quòd si per Dei equos & quadrigas (vt Habacucus ait) denotatur saluatio: quid potuit elegantius fingi, quàm eum, qui homines saluaturus aduenie bat, suam saluandi sitim cumulatissime eorum sanguine explere?

De quibus equis hic sermo sit.

Victorem ex hostium cæsorum sanguine quodammodo, potare, gloriosæ victoriæ signum.

Quatuor diuinæ quadrigæ seu prouidentiæ equi.

Ad hæc, in illa quatuor equorum distinctione ac numero adumbrantur (vt vidimus cap.6.) quatuor præcipuæ virtutes Diuinæ prouidentiæ; nimirum Virtus, Beneficentia, Æquitas, atque Sapien- D tia: sub contrariorum effectuum prætextu dissimulatæ. Quamobrem, cùm dicuntur in Martyrum Christi nece quatuor equi sanguine expleri; perinde est quasi dicatur, in admirando illo opere Deus suo satis desiderio facere hominum saluti prospiciendi per quatuor illarum virtutum absolutissimam perfectionem; quæ consistit in earum dissimulatione. Si autem per quatuor equorum colores (vt in illius capitis 6. commentario explanatum est) significantur, per album quidem mansuetudo: per rufum, zelus: per nigrum modestia: & per pallidum, mortificatio: facile est videre, quatuor hasce virtutes glorioſissimè in egregio illo facinore triumphasse.

Quomodo quatuor diuina prouidentiæ partes in suorũ Martyrum occisione dissimulatæ fuerint.

Denique fictio ipsa repræsentat, Deum Martyres saluaturum in triumphalem currum quatuor illorum equorum conscendisse rectè ac dissimulanter, vt depingitur cap.5. & 6. Apocalypseos: & victoria ipsa atque occisio adeò magna fuisse depingitur, vt ipsimet equi sanguine se omnino satiauerint. Etenim præstantissima Dei Virtus, quanuis sub infirmitatis specie (siquidem suos familiares grauissimis tormentis mactari patiebatur) eo tamen cruore expiauit sitim, qua æstuabat clarissimum illud facinus edendi, & victoriam glorioſissimam reportandi. Magna etiam Dei Beneficentia, quanuis sub seueritatis integumento, effuso illo sanguine se summopere largam ac beneficam præstitit. Diuina item Æquitas, quanuis iniquitatis prætextu obuelata, sibi etiam planè satisfecit. Eademque ratione altissimum Dei consilium stultitiæ velo obtectum sibi cumulatissimè satisfecit, quòd egregium & admirabile suæ excellentiæ documentum dedisset.

PER

Digitized by Google

De stadijs mille sexcẽtis, quibus sanguis è lacu inundauit, variæ auctorum expositiones.

PER STADIA MILLE SEXCENTA. Horum verborum applicationum frustra nonnulli apud in feros reperiri posse contendunt. Et quidem miror victorinum, Ticonium, Bedam, Haymonem, Ansbertum, atque alios in laborem hunc, inanem operam impendere. Quinimò Ribera vult ex hoc loco deducere, stadia illa mille sexcenta esse præcisè quantitatem, qua inferorum concauitas constat? concluditque stadia illa non esse figuratè, sed propriè & strictè capienda. Quod ipsius sectatori Viegæ placere nequaquam potuit; & quidẽ satis meritò. Quam enim, obsecro, vtilitatem aut emolumentum Deus perciperet ex eiusmodi reuelatione; qua præcisa inferorum quantitas ita prænunciaretur, vt vno excepto Ribera, nullus præterea sibi persuaderet, hanc esse in iis verbis Spiritus sancti mentem? Si de aliqua veritate sermo esset, quæ in alio Scripturæ loco reuelata foret, tunc quidem nihil obstaret, eam hic valde obtegi atque celari, & ea ratione doctorum hominum ingenia eiusmodi ænigmatis inuolucro instimulari ad eruendam eam veritatem sub hoc integumento delitescentem. Veruntamen quod aliâ viâ penitus ignorantur, frustra id in ænigmate quæritur, vt sæpius dixi. A

Qui numerum mille sexcentorum stadiorum accipiunt pro ingenti aliquo numero, ita vt sit, numerus certus pro incerto, næ illi sibi nequaquam satisfaciunt. Licet enim aliquot numeri sint pleni, in quibus certus pro incerto soleat supponi (cuiusmodi sunt Septenarius. Denarius, & Millenarius:) hic tamen numerus mille & sexcentorum, neque vnquam indefinite fuit vsurpatus, nec certè in aliquo peractis ingenii viro pro numero indefinito, sed magno, in suum ænigma adsciscetur. B

Auctoris sententia de stadijs 1600

Existimo ergo in eiusmodi numero habitum fuisse respectum ad totam illam longitudinem quã communiter habere dicebatur Promissionis terra à filiis Israelis occupata. Quippe iuxta communẽ ac receptam computationem, illi assignabantur 160. milliaria; quæ mille sexcenta stadia omnino conficiunt, vt videbimus notat 8. Nec alia est mille sexcentorum stadiorum dimensio, quò Apocalypsis respicere potuerit. Et verò allusio ad promissionis terram, quam Israelitæ occuparunt, aptissima est; siue terra illa accipiatur ad symbolum vniuersitatis fidelium (quia *Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius*, Psal. 75. 1.) siue accipiatur vt symbolum primigeniæ Ecclesiæ, quæ ex iudaismo ad Christum conuersa est. Etenim si Palæstina vniuersam Ecclesiam repræsentet; huius loci significatio erit, totam Christianam Ecclesiam innumerabilium Martyrum pro Christo morientium sanguine immaduisse. Si verò terra duodecim Tribuum solùm figurat primæuæ Ecclesiæ fideles, qui per totum orbem dispersi sunt ad Euangelium promulgandum: dum tota hæc tellus inducitur Martyrum ex Gentilitate conuersorum cruore redundans, significabitur, copia & vbertate sanguinis, quem recens conuersi pro Christo profundebant, primogenitam Ecclesiam abunde irrigari, atque adeò decorari; & Euangelicos ipsos prædicatores eadem mirum in modum oblectari. Cùm enim cernerent, suosmet discipulos & auditores vitam pro Catholica religione libenter offerre, & sanguinem alacriter profundere: hoc ipsum per inde erat suis Doctoribus atque magistris, quasi vini suauissimi fluuius, qui ipsorum animos lætificabat, simulque explebat ardentem illam sitim, quæ ipsis inerat Christianam fidem toto terrarum orbe promulgandi. Ac demum effusum illum pro Christo sanguinem considerare poterant, tanquam suæ prædicationis fructum. Quare quò maior atque vberior Martyrum sanguinis torrens figuratur, eò magis Euangelii prædicatorũ gloria extat atque eminet, iuxta illud Psal. 109. 7. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Cùm autem dictum antea fuisset, botros extra ciuitatem fuisse calcatos, hoc est extra Ecclesiam: congruenter significatur, quamuis extrà prematur vua, vinum tamen per totam promissionis terram effluere, eamque pariter lætificare. Et quamuis perinde esset dicere, 160. milliaria, atque 1600. stadia, nomen tamen stadii appositum fuit ad sacrum Martyrum agonem innuendum. C

Quid per 1600. stadia mystice figuretur.

NOTATIO VIII.

De longitudine illius terræ, quam filij Israëlis possederunt.

IN commentario mille sexcentorum stadiorum duo cum primis diximus: Alterum, Palæstinæ regionem, quam 12. Israëlis tribus obtinuerunt, patère in longitudinem millia passuum sexaginta supra centum: Alterum, centies sexagies mille passus conficere omnino stadia 1600. Duo isthæc, claritatis gratia, seorsum discutere, & examinare oportet.

Quota sit Palæstinæ longitudo.

Vt ergo de prima parte priùs dicamus. Quamuis Plinius lib. 5 c. 13. assignet Palæstinæ (siue Iudææ) 189. millia passuum à Septẽtrione ad Meridiem. (hæc enim est terræ illius longitudo:) verùm quos Plinius terminos illi prouinciæ præscribit diuersi, sunt ab iis, quos communis ac recepta sententia præfinire solet. Quare vel incerta traditione Plinius fuit nixus vel passuum mensura, quam ipse designat, minor est, quam quæ apud Palæstinos in vsu erat. Nam D Hieronymus epistola 129. confirmat, vniuersæ illius regionis longitudinem vix constare 160. passuum millibus. Quæ Hieronymus numerandi ratio haud dubiè certa est: nam ad id, de quo S. Doctor ibi agit, debebat prouinciæ illius longitudinem diligenter examinasse. Et quidem D. id facilè Hieronymus nosse poterat, quippe qui præter insignem sacrarum Literarum cognitionem, multos in ea regione annos posuerat: eamque exactè & considerate peragrauerat. Quamobrem Hieronymi computationem, quod ad terræ sanctæ longitudinem spectat, vt certam amplectuntur Arias Mõtanus in Caleb, & Pererius in Exodum cap. 3. §. 44 Atque hæc ipsa longitudo egregiè confirmabitur ex hoc Apocalypseos loco, vt infra videbimus. Porrò longitudo, quam Hieron. considerat, eadem est, quam sæpè Scriptura designat, *à Dan vsque Berſabee*. Neque obstat, quòd longitudo terræ Israelitis promissæ, & a Dauide posteà suo imperio subiugatæ, fuerit multo maior, nimirum à flumine Ægypti vsque ad Euphratem. Hæc enim terrarum distantia, non erat quam duodecim tribus fuerant occupaturi, sed quam suo imperio subiecturi.

Circa secundam difficultatem, siue quæstionem initio positam, (videlicet 160. millia passuum idem esse, atque stadia mille sexcenta) obseruandum est, iuxta Romanorum numerandi rationem stadiis octo cõfici

vnum

Digitized by Google

Vnum milliare quot stadia cõsłet, iuxta Romanorum numerandi rationem. Romanus passus quot pedibus: stadium verò quot passibus constet.

vnum milliare. Nam Romani singulis passibus quinque omnino Romanos pedes assignant, & stadiis singulis passus 125. qui Romanos pedes conficiunt 625. Ceterum in Græcorum dimensione 10. stadia milliare vnum, siue mille passus iustè cõstituunt. Quippe iuxta Græcorum computationem passus vnus 6. continet pedes (quæ mensura humanam staturam prorsus adæquat; & stadium vnum 100. passibus, siue staturis humanis constat, id est, pedibus sexcentis; ac proinde 160 milliaria præcisè sunt stadia mille sexcenta. Quòd autem Romani ad vnius stadij dimensionem 25. pedes adiiciant; id propterea fit, quia ex communionibus Græcis pedibus, 24. pedes exæquabant longitudinem 25. pedum Romanorũ. Quamobrem, vt in stadij mensura Romani cum Græcis conuenirent; stadio tribuebant Romanos pedes 625. siue (quod idem est) 125. passus Romanos.

Græcorũ computandi ratio in milliaribus, stadiis & passibus.

Cur Romani vnius stadij dimensione pedes 25. adiiciant.

Hæc differentia atque concordia inter Græcos & Romanos nota est omnibus, qui de interuallorũ mensuris scribunt. Sed cum variæ atque diuersæ fuerint pedum mensuræ inter Græcos (vt constat ex Gellio lib. 1. cap. 1.) consequenter pro certo habendum est, diuersas quoque fuisse stadiorum mensuras, præscriptis semper stadio centum passibus Græcis, siue pedibus Græcis sexcentis.

Illud nunc videre superest; vnde ipse colligã, passus 160. millia, quibus Palæstinæ longitudo protendebatur, & mille sexcenta stadia, quæ Ioannes in Apocalypsi refert, vtramque mensuram fore reducendam ad Græcorum computationem, non ad Romanorum.

Stadia & milliaria quibus Palæstina protenditur, ad Græcorũ computationem, nõ ad Romanorũ, esse reuocanda.

Ad hanc dubitationem Respondeo; Cùm Ioannes & Græcè & in Græcia conscripserit, consentaneum valde esse, vt stadium vnum pro centum passibus accipiat. Et quanuis Hieronymus scripserit Latinè; cùm tamen scripserit in Palestina, maximè est rationi consentaneum, illum loqui de passibus, qua ratione apud Palæstinos accipiebantur. Est autem valde verisimile Palæstinæ dimensionem non eam fuisse, quæ passui quinque pedes, sed quæ sex præberet. Primò, quia senorum pedum mensuram (quæ humanam æquat staturam) constat fuisse mensuram Palæstinæ, vt à nobis disputatur in tractatu de sacris mensuris. Nec aliqua est mentio cuiusquam mensuræ vulgaris quinque pedibus constantis, quæ Hebræis foret in vsu.

Secundò, quia sacri scriptores vsurpãt nomen Orgia, (qui est passus) in iis libris, quos Græcè habemus, vt Matth. 5. 41. & Act. 27. 28. vbi liquet, passum quinque pedibus constare non posse; cum hæc mensura Græca non sit. Est igitur vero imprimis simile, hebraicum passum senis constare pedibus, sicut & græcum.

Tertiò, cùm Græci adeò Hebræis essent finitimi, tantumque Romani distarẽt, multò certe probabilius est, Hebræos in senorum passuum mensura cum Græcis potiùs consensisse, quam in quinorum pedum dimensione cum Romanis. Quòd si, (vt verisimilius est) Græci illam passus rationem ab Hebræis acceperunt; in hoc ipso euidenter inuoluitur, Hebræorum passum sex pedum fuisse. Fit autem passus mentio in veteri instrumento 2. Reg. 6. 13. & Num. cap. 354. Quamuis in hoc posteriori loco Hebraicum nomẽ sit Amah, quod sonat cubitum. Sed cubiti nomen aliquando in sacris vsurpari pro iusta humanæ staturæ mensura; videat qui volet, in nostro de sacris mensuris tractatu.

His demum addo, quòd stadia mille sexcenta Apocalypseos cum cẽtum sexaginta Palæstinæ miliaribus, iuxta Græcorum rationem omnino conueniant; hoc ipso persuaderi, tam miliaria, quam stadia ad Græcorum computationem fore reuocanda. Etenim quòd Ioannis in suis stadiis longitudinem Palæstinæ regionis respiciat; id sanè ita fit verisimile, vt nullâ ratione de eo videatur dubitandum. Vbi autem idonea reperiẽtur cõcordia ob numerandi rationem Græcis vsitatam (id quod optandam maximè erat) quis non videat, eiusmodi concordia satis validè confirmari, veritatis scopum fuisse collineatum, atque adeo centum sexaginta millia passuum, accipienda esse de passibus senorum pedum, & stadia mille sexcenta, de centũ passuum stadiis, iuxta Græcorum computationem?

Verùm operæ pretium est duabus satisfacere obiectionibus, quæ contra prædictam conciliationem occurrunt. Prima est, quia ex cap 48. Ezechielis videtur colligi, longitudinem terræ Promissionis fuisse calamorum non amplius centum quadraginta quinque millium. Si autem calami vnius longitudo eadem est cum longitudine passus senorum pedum: hæc quidem dimensio non euadit in stadia 1600 sed in 1450. Secunda obiectio est; 1600. stadia complent ex Romanis mill. aribus ducenta præcisè: ex ducentis verò ad centum sexaginta superant quadraginta milliaria. Si ergo terræ sanctæ longitudo ducẽtes constaret milliaribus; Hieronymus Latinè non scriberet, vix eam 160. milliarium esse.

Duplex difficultas in prædicta computatione proponitur.

Ad primam difficultatem respondeo, non esse ita perspicuum longitudinem illam calamorum centum quadraginta quinque millium præcisè ab Ezechiele tribui Palæstinæ terræ. Verum, licet id certum foret: saltem non constat à Propheta hic considerari eandem omnino longitudinem, quam reapse materialis Palæstina habebat. Nam Ezechiel loquitur propheticè & aliqua immutat ratione mysterij; vt apparet in eo ordine, quo tribus ad Iordanis ripam disponit. Qui quidem ordo valde est diuersus ab eo quem ipsæ Tribus inter se vnquam seruarunt. Deinde probabile satis est, Ezechielem de maioribus calamis loqui, & Hieronymum in ea Epistola 129. de minoribus, qui sunt iidem cum passibus sex pedum humanæ staturæ minoris; atque hac ratione calami illi centies quadragies quinquies mille Ezechielis, longius conficient spatium, quam centum sexaginta millia passuum Hieronymi. Nam calamus maior minorem superat quartâ saltem parte: ita vt 128. millia calamorum ex maioribus exæquẽt 160. millia ex minoribus. Quapropter Ezechiel fortè tum ratione mysterij: tum etiam vt singulis tribubus decem calamorum millia à Septentrione ad Meridiem daret, (præter quinque & viginti millia, quæ primitiis designat ad sacerdotes, Leuitas, atque ciuitatem) addit longitudini calamorum 120. millium, quam occupãt 12. tribus, calamos item 25. millia: quod cum illo vaticinio recta consentit, in quo vicies quinquies mille calami sacerdotali terræ Leuiticæ, atque ciuitati tribuuntur; nihil interim subtrahendo ex decem calamorum millibus, quæ singulis 12. tribuum designantur. Quod si ita est; centum illa ac sexaginta milliaria vulgarium passuum, (id est calamorum minorum) conficiebant ex maioribus calamis centum viginti octo millia: ex quibus in 12. tribus partitus fuit Ezechiel calamos 120. millia fueruntque super 8. millia: quibus si 17. millia calamorum addantur ad complementum prædictorum 25. millium: tota demum longitudo, quam Ezechiel considerauit, ad calamorum 145. millium numerum accessit. Atque ita extitit, quidquid opus erat nouam portionem, quæ in eo vaticinio designatur sacerdotibus & templo, nec non Leuitis & ciuitati: quæ portio nec in 12. tribuum mensura comprehendatur, nec cum illa permisceatur. Qua ratione locus Ezechiel non solùm nostræ concordiæ non refragatur, sed aliquo etiam modo suffragatur.

Prima difficultas enodatur

Calamus maior & calamus minor (quod ad mensuram attinet) quota essent longitudinis.

Ad secundam difficultatem: Si D. Hieronymus loquitur de Palæstinæ miliaribus, vt ipsum loqui verisimile est, absonum non erat, centum sexaginta miliaribus Palæstinis ducenta Romana comprehendi. Deinde respondeo, minores calamos Hebraicos omnino esse æquales 2. vlnis, siue virgis Hispanicis (quibus statura Hispanica constat:) vt videre est in nostro tractatu de sacris mensuris. Atque iuxta hanc mensuram calami 160. millia siue passus (idem enim sunt) non adæquant longitudinem 200. milliarium Romanorum: sed 75. & paulo amplius. Nec mirum est, vt Hieron in Palæstina tunc degens mensurâ Palæstinâ vteretur vocasse 160. millia passuum longitudinẽ illam quæ iuxta Romanorum dimensionem appellanda erat 177. milliarium. Et paulò plus continent milliaria 189. quæ Plinius refert: si funiculum nonnihil extẽdamus, vt complectatur etiam paludem, quam ipse Palæstinæ terminum, & Arabiæ confinem designat.

Expeditur secunda difficultas.

Tertiò respondeo, Non defore fortassis, qui coniiciat apud Palæstinos in milliarium mensuris passum

vnum

Digitized by Google

vnum esse eiusdē longitudinis cum calamo maiori. Ex quibus 160. millia exæquant 2000. calamorum ex palsibus minoribus constantium: qui conficiebant 1600 stadia ex minori dimensione: atque adeo Ioannem fortè in Apocal. de hac ipsa mensura loqui, dum mille sexcentorum stadiorum meminit.

CAPVT XV.

TEXTVS.

*Vers.*1. Et vidi aliud signum in cælo magnum, & mirabile: Angelos septem habentes septem plagas nouissimas, quoniam in illis consummata est ira Dei.

COMMENTARIVS.

Ioanni prius visum mare vitreum, posteà septem angelos phialarum.

QVAMVIS textus mentionem priùs faciat septem plagarum, quàm maris vitrei: certum tamen est, priùs visum Ioanni mare vitreum; & postea Angelos illos, qui phialas septem effuderunt. Quippe post recitatum canticum eorum, qui super mare vitreum stabant, subdit numero 5. *Et post hæc vidi, & ecce apertum est templum, & exierunt septem Angeli habentes septem plagas.* Cùm ergo visionis ordo eiusmodi fuerit, vt prius vitreum mare apparuerit, & in eo victores cecinerint, deinde Angeli septem prodire visi sint cum septem phialis, quas ex leonis manu acceperant; cùm hic inquam sit visionis ordo, cur Ioannes à postrema parte orditur, *Vidi signum magnum & mirabile, Angelos septem, habentes septem plagas?* Respondeo, hanc enumerandi rationem fuisse maximè congruentem; vt denotaretur maris atque victorum visionem ad septem plagarum visionem pertinere. Qua propter Ioannes priùs summatim asserit, se admirabilem spectasse septem plagarum visionem. Deinde per ordinem recensēt, vidisse se coactum mare; canticum audisse, posteà egressos è templo septem Angelos cum phialis totidem, quorum primus phialam effudit in terrā, secundus in mare, &c. In ipso ergo narrationis ordine tacitè innuitur, mare illud vitreum, siue coactum, citharas & canticum, omnia isthæc ad septem plagarum visionem spectare. Itaque primus cap. huius versus est propositionis instar, quam oratores solent præmittere, & veluti summa cap. 15. & 16. mox verò secundus versus orditur narrationem.

Cur Ioannes visionis narrationē à postrema orditur parte.

Quæ sit connexio maris vitrei cum septem plagis.

Apparet autem difficile explicatu, quid habeat commune mare vitreum cum septem plagis, vt vitrei maris visio cum septem plagarum visione congruenter aptetur? Huic tamen difficultati ita respondeo. In mari quidem vitreo (vt videbimus infrà) manifesta continetur allusio ad mare rubrū, quod filii Israelis traiecerunt, & in Exodi quidem historia, plagæ illæ, quibus Deus Israëlitas ex Ægypto eduxit, antecedunt Israëlitarum ingressum in mare rubrum. Septem autem plagæ, de quibus in præsenti agitur, non præcedunt mystici Israëlis ingressum per vitreum mare, sed subsequuntur potiùs. Quare dum Ioannes ait, se spectasse septem plagarum visionem, & Israelitas ipsos apparuisse iam super mare vitreum, perinde est, ac si dicat 7. visionis huius plagas nō esse illas, quas Deus mysticæ Ægypto inflixit; sed alias diuersas, quas post mystici Israelis egressionem ex Ægypto immisit Deus contra nouos hostes, qui ex altera maris parte aduersus Israelem arma ceperunt. Cuius visionis arcanum mysterium eiusmodi est. Spiritualis Ægyptus in sacris Literis est Synagoga Iudæorū qui Euangelio restiterūt. Quamobrem Apocalypseos plagæ, quæ directe Ægyptiacis plagis respondent, sunt septem illæ plagæ tubarum, quæ cap. 8. & 9. & 11. describuntur: illæ enim sunt, per quas Deus mysticum Israelem ex spirituali Aegypto, (id est ex Iudaismo) eduxit, vt in earum explicatione vidimus, vbi tamen Israel ex Aegypto egressus fuit, mox sese per Gentilitatem intulit; vt pollicebatur visio capitis 10. in qua Angelus fortis pede altero terram, altero mare premebat.

Ratio & connexio subsequentium explicatur.

Cùm igitur Israel mysticus in Gentilitatem fuerit ingressus, & de ipsis Gentilibus triumphum agere cœperit; atque illum ex eis fructum percipere, qui cap. 14. in messe atque vindemia fuit figuratus; elegantissime nunc mysticus ipse Israel repræsentatur, non iam pedem alterum in terra, alterum habens in mari; sed Israëlitæ omnes vtroque pede super mare, & citharas pulsantes, atque admiranda Dei opera cantu & celebritate prosequentes. Cùm verò huic noui Israelis triumpho, & mysticæ messis atque vindemiæ facinori Romanum Imperium ethnicum summâ opum vi repugnaret; rectè fingitur sicut Deus contra spiritualem Aegyptum (id est contra synagogam) septem immisit plagas, vt suum inde populum in Euangelii libertatem assereret, ita etiam septem alias plagas immisisse in Gentilitatem, & præcipuè in Romanum Imperium idolorum cultorem, & in Romam ethnicam ipsius Imperii Metropolim. His nouis plagis Deus pro suo populo acerrimè dimicauit, illique victoriam ex Gentibus comparauit, dum eas in Euangelij ditionem redegit. Quod non aliud fuit, quàm ex Gentilitate educere Catholicæ Ecclesiæ corpus, quemadmodum Israelem ex Aegypto, hoc est primigeniam Ecclesiam ex synagoga eduxerat. Itaque in his septem plagis nouissimis alluditur ad veteres illas Aegyptiacas. Nam vt sapienter Irenæus lib. 4. cap. 50. *Vniuersa, quæ ex Aegypto profectio fiebat populi, typus & imago fuit profectionis Ecclesiæ ex Gentibus, quam eduxit in suam hæreditatem non Moyses famulus Dei, sed Iesus filius Dei. Si quis enim diligentiùs intendat ijs, quæ à Prophetis dicuntur de fine (id est de tempore legis gratiæ.) & quæcumque Ioannes vidit in Apocalypsi: inueniet easdem plagas vniuersaliter accipere Gentes, quas olim particulatim accipit Aegyptus.* Hactenus Irenæus. Quæ verba superiùs me iam adduxisse memini, atque expendisse, cap. 8. vbi similem etiam Lactantii locum retuli. Verum duplicis belli distinctionem

Digitized by Google

A ctionem,(nempe primi contra Iudæos ad Israelem ab Ægypto liberandum secundi postea aduersus Gentiles)fortasse significat Iudas Thadæus in Epistola n.5.verbis illis:*Iesus populum de Aegypto saluans, secundo eos,qui non crediderunt,perdidit*,vbi in vltimis verbis videtur habuisse respectum ad bellum illud quod per Iosue fecit Deus cum Amorrhæis & Iebusæis,in quo illi euersi sunt, atque hoc pacto figurata fuit mystica Gentilitatis euersio.

Septem plagas,de quibus nunc Ioannes meminit, mystice fore accipiendas.

Ex dictis intelligitur,in nostra declaratione septem eas plagas, de quibus Ioannes meminit initio.c.15.& quas posteà singulatim describit cap. 16. mystice fore accipiendas.Nec enim eæ sunt plagæ,quæ vindictam propriam,sed quæ mysticam contineant:quarum effectus tandē est Romæ atque Imperij conuersio ad Christi fidem.Atque hoc est esse plagas nouissimas,id est, nouam plagarum rationem,nouumque iræ modum valde diuersum ab ijs plagis,quibus Deus quondam suos puniuit hostes:nec non ab iis,quas in Iudaicum populum rebellem immisit(quę fuerunt septem tubarum plagæ.) Etenim tam plagæ veteres,quam illæ, quas Deus inflixit Iudæis Christum respuentibus, propria vindictam prætulerunt;at nouissimæ plagæ mysticam vindictam important. Nimirum plagarum speciem habent,re tamen ipsa sunt amplissima beneficia.Atque hanc esse genuinā Scripturæ phrasim,late explicauimus in prolegom.notat.22.Et quidem,si supponamus septem has plagas esse descriptionem ænigmaticam eius belli, quod Deus intulit Imperio Rom. per Euangelii prædicationem,vt illud Christianæ fidei subiiceret.Hoc inquam supposito,statim apparet connexio capitis

B 15.& 16.cum cap.14.præced. Cùm enim depicta fuerit priùs messis atque vindemia,hoc est fructus ex Euangelii prædicatione ad Gentes subsecutus: congruenter satis subscribitur lætitia Euangelii prædicatorum,qui Gentilitatis mare ingressi fuerant, atque etiam plagæ, quibus media ipsorum prædicatione Deus Gentiles plectebat.Hoc igitur est horum duorum capitum argumentum.

Aliorum expositiones de hisce 7. plagis nouissimis obiter recensentur.

Sat video,argumenta ab aliis Apocalypseos interpretibus in septem horum capitum plagis excogitata,valde esse diuersa ab eo, quod ipse sequor. Alii enim septem has plagas applicant ad septē genera prædicatorum ab Ecclesiæ nascentis primordiis ad finem vsque mundi futurorum, atque huiusmodi prædicatorum minas asserunt esse has plagas. Hanc interpretationem amplectuntur Primasius,Ioachimus,Ansbertus,Richardus,Haymo,& Pannonius.Alii malunt, per septem has plagas significari supplicia,quibus Deus excruciaturus est impios prope aduentum Antichristi, aut prope vniuersalis iudicii diem,& ferè omnes septem plagas ita accipiunt,vt sonant.Aliis placet has plagas accommodare ad ea supplicia,quæ immittit aduersus peccata septem capitalia. Alii sentiunt septenarium numerum in præsenti indefinitè accipi debere,ita vt certus numerus pro incerto sumatur,atque adeò septem phialæ pro phialis multis.Ita Viegas.Ribera tamen sibi persuadet, hos septē phialarum Angelos esse eosdem, qui & cap. 1. appellantur septem Spiritus & cap. 8. tubas habere

C dicuntur.

Reijciuntur prædicta explicationes

Ab hisce interpretationibus vt discedam,cogit me primò Apocalypseos acoluthia. Nam harum plagarum postrema est Babylonis diuisio;quæ ipsius excidium antecedit. Babylonis autem destructionem ad Romæ conuersionem esse referendam,apud me est indubitatum.Iam ipsam Babylonis euersionem subsequuntur mille pacis anni.Quare pro certo habendum est, has plagas ante mille annorū pacis inditium euenturas. Quòd si præcedentia respicere velimus,ex superiorum capitum explicatione constat,in calce capitis 14.peruentum fuisse ad fructum prædicationis Euangelicæ,quę fiebat ad Gentes.Quamobrem necesse est,septem has plagas esse illas quibus Deus in mystico illo prædicationis Euangelicæ bello pro Ecclesia contra Gentilitatem dimicabat.

Ha septem phialarum plagæ qua proportione respondeant septē tubarum plagis. Nostrum phialarum argumentū probatur ab ipsius doctrinæ certitudine.

Secundò,me reuocat ab earum interpretationum vestigiis proportio & consonantia, quæ inter septem has phialarum plagas,& inter septem tubarum plagas reperitur.Cùm enim viderimus, tubarum plagas esse illas,quas inflixit Deus Iudaico populo,consectarium est,si recta rerum proportio seruetur,septem has plagas posteriores aduersus populum Gentilicum fuisse à Deo immissas. Cur verò eiusmodi plagæ postremæ fingantur,tanquam ex phialis effusæ,inferius explicabitur.

Tertiò;in nlea explicatione nihil incertum supponitur. Qui autem has plagas vt sonant, accipiunt,easque ad extremas mundi angustias prope vniuersalis iudicii diem referendas putant : næ

D illi multa satis incerta deuorant:cùm tamen,quæ alioqui sunt ignota & incerta, minimè faciant ad rem in Apocalypseos ænigmatis enodandis:vt sæpe alias expendimus.Ad hæc,nimiæ in explicando simplicitatis est,velle in ænigmate septem has plagas accipere,vt sonant. Etenim si phialæ non ita sunt accipiendæ,vt sonant:igitur neque vlcera pessima:nec mare sanguineum:nec sanguinea flumina; nec æstus,&c.Huc adde,quintam plagam,vbi tenebrarum mentio est,à nemine explicari ita vt sonat.Quænam ergo maior est ratio plagæ illius,quàm ceterarum.

Item ab ipsius interpretationis dignitate.

Quartò; interpretatio,quæ has septem plagas ad mysticas plagas applicat, nobilissima est & dignissima Apocalypseos maiestate,& quod caput est,in ceteris aliis expositionibus applicatio est violenta,in sensu autem,quem nos sequemur,omnia aptè atque concinnè quadrant. Item aliæ explanationes nullam habent rationem ordinis & consequentiæ in septem plagis, nec numeri earum: at nostra interpretatio omnia apposità continuat atque connectit.

Ordo & series septem plagarum nouissimarū iuxta nostri argumenti rationem.

His ita præstitutis,priusquam ad contextum accedamus,oportet seriem & consecutionem ipsarum plagarum,quibus Deus bellum Gentilitati intulit,cōsiderare.Proposito enim prius belli ipsius ordine,& plagarum serie ac numero seorsim consideratis;textus posteà applicatio ad earum singulas legentem maiori afficiet voluptate.

Digitized by Google

Series & ordo plagarum septem, quæ in totidem phialis significantur.

I. Pudor Gentilium, dum de peccatis arguuntur.
II. Persecutionis crudelitas in Euangelij prædicatores.
III. In Gentiles etiam ad fidem conuersos mira sæuitia.
IV. Ex Christianorum sapientia grauissima offensio.
V. Summa in ipsâ persecutione excæcatio.
VI. Post inuasionem Romæ, maior persecutio.
VII. Manifesta vrbis Romanæ diuisio.

Explicatio & ordinis ratio.

Plagarum omnium per ordinem explicatio Ac primò de prima.

PRIMO: Euangelica prædicatio vt ostenderet, quantopere mundus redemptione Christi indigeret; imprimis mundum ipsum sceleris atque peccati arguebat, hoc est, contendebat acriter, omnes esse absque vlla exceptione peccatores, vt latè probat Paulus ad Romanos 1. & cap. 3. 23. summatim complexus fuit his verbis. *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.* Atque hac prædicatione Gentiles ipsi pudore ac dolore vehementer pulsabantur.

De 2. plaga.

Secundò; cùm Euangelii ministri ab incepta prædicatione minimè desisterent, quinimò perseuerarent confirmantes, non esse veram salutem nisi ijs solùm, qui in Christum crederent: hoc ipsum per occasionem excitauit crudelissimam Neronis persecutionem; quia ipse & ipsius ministri acriter in Christianam Ecclesiam sæuierunt. Id quod ita Christus prædixerat, vt habetur Matth. 24. 9. *Tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus Gentibus propter nomen meum.*

De tertia.

Tertiò, quanuis initio non credebatur persecutio illa aduersus Christi prædicatores commota ipsos etiam Gentiles esse comprehensura, (quorum multi affines erant ac necessarij eorundem persecutorum, atque adeò ijdem cum illis) quia non existimabant Gentiles posse inter eos ipsos reperiri aliquos, qui Christianorum doctrinam sectarentur: effectus tamen ipse ostendit, permultos ex illis tunc vel maximè ad Christianorum Religionem adhæresce re, quando magis vigebat persecutio. Quare bellum, quod initio aduersus exteros geri putabant, domesticum posteà & intestinum fuit; ac propterea persecutores non parum afflixit. Nec tamen ideo persecutionis vis atque impetus remittebatur: sed potiùs ignis ille, furoris & immanitatis vento glisscente, vehementiùs exardebat; ita vt pater in filium, filius in parentem, mater in filiam, frater in fratrem irarum stimulis adacti excandescerent. Prænunciauerat id antea Christus Dominus Lucæ 12. 51. *Putatis, quia pacem veni dare in terram? non, dico vobis, sed separationem, erunt enim ex hoc quinque in domo vna diuisi; tres in duos, & duo in tres diuidentur; pater in filium, & filius in patrem suum, mater in filiam & filia in matrem, socrus in nurum suam, &c.*

De quarta.

Quartò, admirabilis sapientia cum incredibili charitatis ardore copulata, (quam aduersarii ipsi non in viris solùm Apostolicis, sed in ipsis recentibus Christianis aspectabant) hæc, inquam, quæ ipsos mollire, & Christo subijcere deberet; occasio erat, vt Ethnici ceu stulti atque insani, aduersus Christum Dominum probra ac maledicta congererent; & ea omnia magicis artibus atque cantionibus attribuerent. De hac sapientia & fortitudine, quam Christus suis famulis erat largiturus, vide Lucam cap 21. 15. *Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri.* Et actuum cap. 6. 10. *Non poterant resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur.* Quinimò, *Diffecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum*: vt habetur Actuum 7. 54.

Vrit enim fulgore suo, qui prægrauat artes
Infra se positas --------

De quinta.

vt cecinit Horatius lib. 2. Epist. 1.

Quinto, cùm Christianorum numerus persecutione ipsâ crescceret; nihilominus idololatræ furialibus odijs accensi, Christi nomen magis magisque persequebantur: in quo cernebatur ipsorum cæcitas & amentia. Primo in furore atque odio, quod aduersus propinquos innocentes concipiebant: iuxta illud 1. Ioan. 2. 11. *Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat: & nescit quo eat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.* Secundò, quia cùm viderent Christianorum augeri multitudinem, medià ipsâ persecutione: stultum planè erat, illos adhuc eâ ratione extinguere velle, & propterea vehementiùs insectari. Tertiò, quia postquàm Christianorum insignem sapientiam & admirabile vitæ exemplum agnouerant, eos tamen propterea acriùs oppugnabant, cum eos potiùs idcirco diligere, & æstimare permagni deberent. Vide 1. Ioan. 3. 12. *Quoniam opera eius maligna erant, fratris autē eius iusta.* Et 2. Corint. 4. 4. *Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium.*

De sexta.

Sextò, glisscente adhuc persecutione, prædicatio pariter vires & incrementum magnum accepit. Accidit itaque, quod nemini veniret in mentem. Multæ enim ex nobilissimis Romanorum familiis, vt ex senatorijs & equestribus, Christiana sacra susceperunt. In quo apparuit Christianam fidem ad Romam ipsam subiiciendam fuisse adortam; atque adeo Apostolicos viros diuino aspirante Numine, præter ethnicorum opinionem, in Romanæ ipsius vrbis arcem inuasisse. Quare cùm Gentiles idololatriæ ruinam extimescerent: maiori adhuc furore persecutio toto Romano orbe multiplici incremento aucta est: quod potissimùm accidisse videtur sub Diocletiano & Maximiano. Atque in ea Romæ inuasione, hoc est, in repentina & inopinata senatoriarum familiarum conuersione, videtur fuisse innouata illa Cyri & Darii in Babylonem irruptio: de qua Isaiæ cap. 44. 17. Et

eq

A eò videtur alluſiſſe Petrus Epiſtola 1. cap. 5. 13. dum Romam appellat Babylonem. Quo innuit Chriſtiani populi expectationem, Romam occupandi, ſicuti fuerat figuratum in illa Babylonis inuaſione per Cyrum & Darium factâ.

Septimò; S. Siluestri tempore efficaciras prædicationis eò peruenit, vt perſecutio vlteriùs progredi non poſſet, Chriſtianorum enim numerus Romæ ferè numerum Gentilium adæquauit; ac penè fuit nihilo inferior eorum numerus, qui per eam lucis particulam, quæ ſibi ex Euangelij prædicatione oborta eſt, idolorum ſuperſtitionem vt impiam ſpreuerunt; nec tamen ad veram Chriſti cognitionem acceſſere. Quamobrem, cùm Roma in tres factiones ferè æquales, hoc eſt, in Chriſtianos, Paganos & neutrales diuiſa foret, Conſtantinus Imperator, cogente etiam gubernationis politicæ ratione, ſed potiſſimùm Diuino fultus auxilio, libertatem & impunitatem Religionis Catholicæ permiſit, atque adeò liberam Chriſtianis fecit poteſtatem publicè Catholicam religionem profitendi. Qua in re enituit imprimis obſtinata eorum peruicacia, qui in ſua adhuc impietate ac ſuperſtitione permanſerunt. Deinde, qui neutrales erant, ſi minus Euangelij gratiâ fruebantur, eo tamen ipſo, quòd ſe quaſi medios gererent, Eccleſiæ partes adiuuabãt; iuxta illa Chriſti verba Marci 9. 39. *Qui non eſt aduerſum vos, pro vobis eſt*: Præſertim cùm Euangelii prædicatione effectum fuerit, vt ipſi idololatriam contemnerent. Veluti cùm ſol mane exoritur, ſi quis eius lucí locus reſiſtit, ſiue alicuius montis obiectu, ſiue obice alio impediente; nihilominus per ſuorum ſaltem radiorum reflexionem ſol aliquam ſuæ lucis partem illi impertit; qua ſi minùs perfectè, aliquo ſaltem modo eum illuſtret. *De ſeptima.*

B

Ratio ſeptenarij in phialarum plagis.

ROMÆ oppugnationem, (priùs quam ipſa ad Chriſti fidem penitus conuerteretur) qui attentè conſideret; facilè cernat ad ſeptem prædicta puncta congruenter reuocari. Nihilominus fatendum nobis eſt, niſi peculiaris aliqua myſterii ratio in ſeptenario numero haberetur, neceſſarium hic minimè fuiſſe ad ſeptenarium reduci plagas, quas Deus in Romam immiſit, quo illam hac ratione ſuo Euangelio ſubigeret. Hæ enim ipſæ ſeptem plagæ poſſent haud dubiè ad numerum ſiue maiorem extendi, ſiue minorem coarctari. Et in ſeptima præſertim perſpicitur peculiari quidem conſilio contendi, vt omnes ad ſeptenarium rediganrur. Secus enim plaga illa in duas non perperam poſſet diuidi: hoc eſt, in Romæ inuaſionem, & in perſecutionem poſteà ſubſecutam. Quanuis ranarum egreſſio ex Euphrate flumine iam arefacto inuitaret, vt ibi pariter in eadem plaga coniungerentur fluminis exſiccatio, & ranarum eruptio: quæ importuno clamore Eccleſiam infeſtarent. Verùm tam in hoc ipſo, quàm in plagis prioribus peculari ſtudio ac diligentia effectum eſt, vt ſeptenarius numerus conficeretur. In quo præter proportionem, & veluti harmoniam inter ſeptem phialas & totidem tubas (quod in ipſa figura non parum elegantiæ continet) illud inſuper ſingulare hic reperio, nimirum in his ſeptem phialarum plagis peculiarem ſubeſſe reſpectum ad ſeptem Diuinæ prouidentiæ Spiritus. *Septenarij numeri in his plagis ſeruati ratio redditur.*

C

Etenim in prima plaga apparet quidem Diuinæ prouidentiæ virtus ac fortitudo viros Apoſtolicos roborantis in eorum fortitudine, qui mundi Reges ac Principes audebãt peccatores & flagitiis coopertos appellare. Lege caput primum Epiſt. ad Romanos. *In ſingulis plagis ſingulos diuinæ prouidentiæ ſpiritus eniteſcere, per ordinem probatur.*

In plaga ſecunda ille ipſemet ſanguis, illud ipſum perſecutionis bellum in ſe includit admirabile Diuinæ Beneficentiæ artificium, vt vidimus in ſecundo ſigillo capitis 6. vbi beneficentia deſcribitur ſub ſpecie diſcordiæ cum gladio magno tollentis pacem de terra. Verùm ſicuti in ſigillo ſecundo gladius erat Beneficentiæ ſymbolum in iis ipſis, qui tormenta necemque ferebant, ita hic effuſus ſanguis eſt Beneficentiæ ſymbolum ipſismet, qui illum profundebant. Hoc namque ipſum Deus efficaciter ad eorum conuerſionem dirigebat.

In tertia plaga attenditur ſine dubio Diuina Æquitas; ſicuti illi conſtabit, qui textum attentè legerit. Angelus enim aquarum & Angelus altaris (quos eſſe myſticos Moſem & Eliam ſuprà vidimus) vterque clamant: *Iuſtus es Domine, vera & iuſta iudicia tua.*

In quarta facile eſt cernere, quantopere Dei ſapientia emineat: dum Martyribus dat *os & ſapientiam, cui non poſſint reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij.*

D

In quinta, immenſa Dei patientia maximè eniteſcit in probris, maledictis & ingenti cæcitate Ethnicorum & quidem maximæ excæcationis conſideratio eſt aptiſſima ad miræ patientiæ deſcriptionem illius, qui cæcitatem illam attendit; iuxta illud, *Dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt*, Lucæ 23, 34.

In ſexta, textus ipſe nos docet, ſicuti Diuina pietas Romanos repentè & inopinanter inuaſit, & quaſi ex inſidiis cepit, vt eos ſingulari illo Chriſtianæ Religionis beneficio cumularet: ita è contrario, qui non aduigilarint, eos incautos & imparatos à Deo fore opprimendos: & propterea inſerta ſunt verba illa n. 15. *Ecce venio ſicut fur, beatus qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius.*

Septima denique plaga (præterquàm quòd propriæ vindictæ magnitudinem ex magnitudine iræ myſticæ coniicere poſſumus) expreſsè agit de horribili ſeueritate, qua Deus grandinem depluit magnam ſicut talentum in eos, qui in ſua pertinacia perſtiterunt.

Conſtat ergo in his ſeptem phialarum plagis habitum fuiſſe reſpectum ad ſeptem illos Diuinæ Prouidentiæ Spiritus. Quod nobis innuit, inter tubarum plagas & plagas phialarum hoc intereſſe diſcriminis, quòd primæ ex Dei ſeueritate propriè coortæ ſunt, hoc eſt, ex ſeptimo Diuinæ prouidentiæ

dentiæ spiritu: posteriores verò non ex vno solùm prouidentiæ Spiritu, sed ex omnibus pariter profectæ sunt. Omnes enim illi in plagis omnibus septem mirum in modum elucent. Quamobrem etsi tubarum Angeli non iidem sunt, qui phialarum: aliquâ tamen ratione verum est, per septem phialarum Angelos repræsentari totidem Diuinæ prouidentiæ Spiritus, de quibus capite 1. agitur. A

De ipsis Angelis effundentibus phialas.

Quinâ sint septem harum plagarum angeli.

SEPTEM tubarum Angelos suo loco diximus esse sacros Vates, qui septem illas plagas contra Hierosolymam, & contra Iudaicum populum portenderunt. Qui Angeli in Apocalypsi decorè inducuntur, quasi sententiam illam proferentes, quam ipsi prænunciârant. Atque in earum plagarum Angelis ille significatur Prophetæ, qui in singularis illius plagæ vaticinio magis enituit. Sicuti Isaias in septima, & sic de ceteris.

Simili ergo modo in plagis phialarum philosophandum est. Quare earum Angeli sunt Apostolici viri, qui sua prædicatione & sacrificiis pariter atque precibus fuere præcipui ministri, quos adsciuit Deus in oppugnationem, qua Romam per hasce plagas vrsit. Et in qualibet harum septem plagarum Apostolicus ille vir inducitur, qui in plagæ illius ministeriò plus excelluisse videtur. Ex quo infero, per primum Angelum significari Paulum Apostolum, qui præcipuus est, in cunctis hominibus peccati arguendis; vt hoc pacto ostendat, quantopere omnes diuinæ gratiæ ope indigeant. B

Secundus Angelus est Petrus (opinor) ipse enim Neronem imprimis sua prædicatione irritauit. Et bene habet in duabus primis plagis Angelos esse duos egregios comites, Paulum & Petrum.

Tertius Angelus forte est B. Clemens Papa, qui egregius fuisse dicitur in Gentilium plurimis ad fidem adducendis, & ad martyrium animandis.

Quartus est alius Pontifex, cuius ope vehementer Christianæ gentis sapientia effulserit, vt verbi gratia, tempore B. Agnetis, aut S. Laurentij.

Quintus erit ille, qui suâ prædicatione excitauit rabidam persecutionem posteà subsecutam; in qua eminebant imprimis hinc summa Gentilium excæcatio, inde constantissima Dei & Christianorum patientia.

Sextus ille erit Pontifex, qui in multorum Senatorum conuersione magis claruit. Vide an sit Fabianus.

Septimus denique videtur fuisse S. Siluester; nam eius tempore accidit magna illa Romæ diuisio, & ipse fuit potissimus, cuius ministerio Christus ad eandem diuisionem fuit vsus.

Textus explicatio.

C

Cur hic signum magnũ & admirabile dicatur.

HIS ita prælibatis, ad ipsa iam verba contextus accedamus. *Et vidi aliud signum de cælo magnum, & mirabile.* Vide suprà cap. 12. 1. vbi mulier illa amicta sole appellatur *signum magnum*. Et quidem ratio eadem, ob quam hæc appellatio illi mulieri indita fuit, nunc etiam militat, vt *signum magnum & mirabile*, dicantur septem plagæ, de quibus hic mentio fit. Vtrobique enim attenditur magna illa admiratio, quæ fidelibus fuit, quòd Euangelij gratia ad Gentes etiam dimanaret. Quod verò in præsenti additur, *Et mirabile*: verum tenere videtur in re prorsus admirabili, quòd per hasce plagas, Roma ad Christi fidem esset conuertenda. Prætereà tam in cap. illo 12. quàm in hoc loco cæli nomen ad cælestem Christianæ Ecclesiæ conuersationem referendum est: vt aliàs diximus.

Angelos, pro plagarũ numero, congruenter fuisse septẽ.

ANGELOS SEPTEM HABENTES PLAGAS SEPTEM] Phialas has in Gentiles reapse effuderunt omnes illi viri Apostolici, qui in clarissima illa expeditione obsequium Deo præstitere. Verùm enimuerò, cùm plagæ ad septenarium redigantur: opere pretium fuit septem viros Apostolicos designari in hac sacra fictione, quorum singulis singulæ phialæ traderentur effundendæ. Simile quid vidimus in angelis tubarum cap. 8. quos Prophetas fuisse ibidem docuimus. Nemo autem mirari debet, Angelorum nomen in Apocalypsi priùs ad Prophetas, deinde ad viros Apostolicos applicari: vtriusque enim hoc nomen tribuitur meritissimè & non minùs aptè, quàm angelis hierarchiæ cælestis.

Septenarius Angelorum numerus apposito exemplo explicatur. D

Iam verò Angelorum numerum ad hanc visionem fore desumendum iuxta numerum plagarum, facilè intelligitur, si consideremus, quod pereleganter pictores solent effingere. Vt enim depingant venerationem ac reuerentiam, qua cælestis hierarchiæ angeli passionem Christi Domini prosequuntur, exprimunt passionis eiusdem insignia inter eos per ordinem dispertita; qui summo cum decoro ac reuerentia manibus ea gestent, atque adorent. Et quanuis angeli qui hoc muneris atque officij præstant, sint multitudine innumerabiles, in ipsa tamen pictura ille angelorum numerus ad eam repræsentationem eligitur, qui ipsi passionis insignium numero consentaneus sit, vt vnus teneat manibus crucem, alter lanceam, clauos alius, alius coronam, & sic de reliquis: Similiter ego in præsenti, cùm septem plagæ sint iræ nouissimæ, ad huiusmodi picturam destinati sunt septem Ecclesiasticæ hierarchiæ angeli, in quorum numero forte etiam alluditur ad septem regis Persidis cubicularios, vt diximus cap. 1. congruenter enim effingitur, hos septem Angelos esse mysticæ Dei iræ ministros.

Cur & hæ plagæ dicantur nouissimæ, & in illis ira Dei cõsummata.

PLAGAS NOVISSIMAS, QVONIAM IN ILLIS CONSVMMATA EST IRA DEI] Ribera exponit de plagis vltimis, quas Deus prope diem iudicij in sceleratos homines immittet. Sed in eius expositione non video quo pacto plagæ phialarum sint in eo sensu nouissimæ. Nam harum plagarũ vltima antecedit Romæ conflagrationem. Ille autem existimat, Romam esse ante persecutionem Antichristi

Digitized by Google

A christi igne materiali comburendam. Dicere verò, post euersam Romam in annis subsequentibus nullo Deum insigni supplicio peccatores puniturum, non video quomodo constet in ipsius Riberæ explanatione: Deinde, contextus ipse cogit, vt superius dicebamus, ne propterea istæ plagæ dicantur nouissimæ, quia sub diem iudicij effundendæ sunt; nam post septimam plagam ponit Apocalypsis mille pacis annos, qui Romæ conflagrationem consequuntur. Atque hoc pariter argumento impugnatur eorum explicatio, qui septem has plagas interpretantur de plagis vniuersis, quibus Deus plectit peccatores; siue quas prædicatores Euangelici à principio Ecclesiæ ad finẽ vsque mundi effundendas esse pronunciant.

In nostra autem expositione his septem plagis tribuitur epitheton nouissimarum; vt significetur, hoc esse valde nouum plagarum genus. Quas enim plagas olim Deus aduersus peccatores immittebat, & quas mysticæ Ægypto, id est Iudæis perfidis, inflixit; illæ quidem propriam redolebant vindictam, quibus impij peccatores miserè perierunt. At in hac noua vindictæ ratione, quam Deus in Gentiles exercuit, non eò deducta res est, vt peccatores ipsi interirent; sed potiùs vt conuerterentur ad fidem &, Euangelii gratia fruerentur, idololatriâ & peccatis funditus exterminatis.

Quapropter huiusmodi plagæ non appellantur nouissimæ, quòd aliæ insuper non maneant sceleratos, sed quia est nouus vindictæ modus, ratioque dignissima, quæ inter admirabiles Dei inuentiones numeretur. Dicuntur item plagæ nouissimæ; quia respectu eorum, qui his plagis flagellãtur,
B & Dei hostes priùs erant, in eiusdẽ plagis Dei indignatio terminatur, nec vlteriùs in eisdem puniendis procedit. In antiqua enim vindicta atque supplicio, quod Deus de suis quondam hostibus sumebat, plagæ quidẽ in eos immissæ non erant extremæ ac nouissimæ; nec enim destruebatur peccatũ, sed semper extabat, ac proinde ira Dei aduersus peccatores semper etiam permanebat. Quare post huius vitæ supplicia, æternæ etiam plagæ ipsos manebant. At verò plagæ illæ, quæ re ipsa peccatum extinguunt, & peccatores ad Deum ipsum conuertunt, congruenter nuncupantur nouissimæ. Cùm enim in illis finiatur omnino ac dissoluatur ea ratio, quapropter Deus oderat peccatorem (nempe peccatum) verissimè dicitur, Deo per has plagas ira & indignatio finiri. Atque hoc est, quod textus ait, *Quoniam in illis consummata est ira Dei*, vbi obiter aduerte pro *consummata*, græcè haberi ἐτελέσθη, id est, expleta est. Et verò ita prorsus accidit. Nam plagis in Iudæos perfidos illatis nunquam Dei ira fuit expleta, quare æternùm illos tartareis suppliciis afficiet: quia nunquam plene Diuinæ fit satis iustitiæ. Veruntamen in plagis hisce nouissimis (in quibus Christi passio potissimùm operatur) cumulatissimè satisfit Dei iræ in iis, qui per illas plagas plectebantur. Quamobrem nullæ aliæ plagæ sunt super, quibus animaduertenda sint peccata in Deum patrata ab iis Gentilibus, in quos hæ plagæ nouissimæ immittuntur.

Quid sit ira Dei in his plagis consummata.

Obseruandum tamen est, plagæ nouissimæ nomen non cuiuis ex his plagis seorsum, sed vniuer-
C sis septem coniunctim quadrare. Secunda enim plaga, vt constat, non est per se nouissima, siue extrema, nec quidem aut ipsa, aut plaga quinta propitiæ essent ac secundæ, si separatim sumerentur, sed quatenus cum ceteris coniunguntur: vt reapse deseruiant Gentilium conuersioni. Deinde, quamuis plaga septima (si attendatur duntaxat, quod capite decimo sexto describitur) totius Romæ euersionem non attingat: accedit tamen ad publicam religionis Christianæ professionem in totius orbis theatro, atque metropoli: quæ fuit ingens Ecclesiæ victoria. Quare Romæ posteà ac totius Imperii conuersio non fuit noua egregii facinoris forma, sed magna illius victoriæ extensio. Itaque in eo, quod capite decimo sexto in plaga septima recensetur, aliquo modo includitur rei totius conclusio & consummatio. Dici etiam potest, quidquid capite decimo septimo & decimo octauo & decimo nono traditur, ad plagam septimam pertinere: quemadmodum totum caput decimũ & maior vndecimi pars ad sextam tubarum plagam spectat: vt suo loco demonstratum est. Et certè difficultas ea, quòd Babylonis conflagratio, noua adhuc plaga post septimam videretur; hæc inquam difficultas similiter in aliorum interpretationibus occurrit: nec satis video, quid ei ceteri respondeant.

Plaga nouissima nomen non singulis seorsum plagis, sed omnibus coniunctim sumptis conuenire.

Præter hæc consummationis nomen potest ad perfectionem referri, vt sæpe alibi in sacris Literis. Elegantissimè autem hæc ira mystica dicetur ira perfecta: quia eiusmodi est, de qua Deus maximè gloriatur, quamque pluris æstimat, & in qua valdè conquiescit. Est enim hæc ira, quæ iræ antiquę
D vt succederet, Christi assertoris nostri meritis effectum est. Quàm verò Apocalypseos excellentia sit dignum, vt hæc ira Dei in eo celebretur: facile spiritales viri intelligent. Atque de hac ira latè diximus in notat. 22. procœmialium.

Consummationis nomẽ in hisce plagis posse etiã ad perfectionem referri.

Illud hîc nullo modo interim prætermittendum esse censeo: nouies scilicet in Apocalypsi Diuinæ iræ mentionem fieri; in quarum tribus prioribus vtitur Apocalypsis Græco nomine ὀργὴ. Atque in his tribus locis sermo est de propria vindicta. Loci autem ii sunt, primus in c. 6. n. 16. & 17. *Ab ira Agni, quia magnus est dies iræ ipsorum*, vbi loquuntur impii. Aliter cap. 11. 18. *Aduenit ira tua*: in damnatione, & obduratione Iudæorum (loquuntur autem seniores,) Tertius cap. 14. n. 9. *Qui adorauerit Bestiam, bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero in calice iræ ipsius.* Quibus in verbis tertius loquitur Angelus, qui, vt suo loco vidimus, Petrũ Apostolũ figurat. At in sex locis seq. Græcè pro ira & indignatione legimus θύμον: & in iis omnibus ira semper accipitur mystice, & ad peccati euersionẽ atque conuersionẽ peccatoris pertinet. Atq; in vno ex his locis vox è cælo missa exauditur, nempe c. 16. 1. *Effũdite septẽ phialas iræ Dei in terrã.* In ceteris verò quinq; locis Ioannes ex propria persona loquitur. Ii autẽ sũt c. 14. 19. *Misit in lacũ iræ Dei magnũ.* c. 15. 1. *In illis cõsummata est ira Dei.* c. 15. 7. *Phialas plenas iracundiæ Dei.* c. 16. 19. *Venit in memoriã ante Deũ dare Babyloni calicẽ vini indignationis iræ eius*, & c. 19. 15. *Ipse calcat torcular vini iræ furoris Dei omnipotentis.* In his inquã locis Græce legitur θυμὸς. Et quamuis Stoici asserant θύμον significare

Quoties in Apocalypsi diuinæ iræ mentio fiat, & qua distinctione ac mysterio.

Digitized by Google

ficare iram nascentem, siue incipientem; quam Latini vocant excandescentiam (& videtur quidem hæc significatio esse ad rem; nam ira mystica principium ducit ab ira, quæ in misericordiam commutatur:) nihilominus in Apocalypsi sapienter dicitur hæc ira Dei, quæ appellatur θύμος, esse consummata siue perfecta atque expleta ira Dei, vt suprà expendimus. Et cælestis vox, quæ iræ nomen mysticæ iræ attribuit, tantopere Ioanni placuit, vt quoties de ira ipse loquitur, semper cælestis illius vocis phrasim vsurpet, semperque eodem nomine θύμος vtatur. Aliquando tamen vtramque coniungit vocem, vt θύμος ὀργῆς, significet indignationem mysticam, in qua est iræ atque vindictæ propriæ species, vel θυμὸς ὀργῆς, id est, excandescentia iræ, siue principium iræ. De vsu verò Stoicorum, quem suprà commemoraui, consulatur Lipsius in commentario Senecæ fol. 4. notatione 30. & fol. 6. notatione 55. Nota tandem, vocem θύμον significare etiam animam atque mentē, & animi etiam præstantiam & præsentiam, quod potest nonnihil etiam in præsenti iuuare. A

TEXTVS.

Vers. 2. Et vidi tanquam mare vitreum mistum igne: & eos qui vicerunt Bestiam, & imaginem eius, & numerum nominis eius, stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei. B

COMMENTARIVS.

IAM suprà notauimus, quamuis priùs fiat mentio septem plagarum, quàm maris vitrei, mentionem tamen, quæ priùs de plagis fit, esse veluti propositionem & summam eorum, quæ in duobus his capitibus dicenda sint, atque adeo narrationem à versu secundo incipere.

Maris vitrei nomen hic pro veri maris similitudine, at cap. 4. pro vase aneo vsurpari. Et qua sit huius discriminis ratio.

MARE VITREVM] Suprà capite quarto, numero sexto fit etiam mentio vitrei maris; ibi tamē maris vitrei nomine intelligendum est vas vitreum capacissimum figura & quantitate simile illi, quod mare æneum in Scriptura appellatur. Hic verò mare vitreum nō vas aliquod, sed ipsemet maris rubri vndæ coagulatæ. Ratio discriminis huius est, quia visio capitis quarti allusionem habet ad Salomonicum templum, atqui maris nomen in templo supponitur, pro ingente admodum vase iuxta scripturæ locutionem. At in hoc loco non fit ad templum allusio, sed ad mare rubrum, & ad stupendum illud miraculum, quando Israëlitæ læti atque hilares illud sicco vestigio traiecerunt. Quamobrem necesse est, maris figuram hic considerari similem mari rubro, ita tamen vt aquæ ardentes appareant, & in vitream soliditatem coagulatæ, vt textus ipse requirit. Nam Ioannes suprà hoc mare conspexit adstantes Bestiæ victores; qui minimùm sunt centum quadraginta quatuor millia. In vitreo autem vase quantumuis capacissimo, ne centum quidem homines adstantes concipi possent. C

Probatur hic pro mari propriè sumpto fore accipiendū.

Deinde si maris vitrei nomine hoc loco vas vitreum denotaretur: mente comprehendendum esset quasi vas fragile: hoc autem minimè esset aptum aut satis firmum, quo plurimi homines pedibus innitentes starent. Si tamen maris nomen hîc in ea significatione accipiatur, quâ apud Latinos solet accipi mare vitreum: perinde erit atque mare congelatum. In mari verò congelato sisti, ac deambulari sine trepidatione potest; quinimò suprà congelatum etiam flumen ponderosa plaustra solent transire.

Soluitur obiectio, qua contra pradicta potest opponi

Dices, si mare est congelatum; vbi consideretur *mistum igne* (sic enim textus ait) consectarium est illud ocyssimè liquefieri. Respondeo, in eadem figura supponi, illud igne non dissolui, aut molliri. Quamobrem considerandum est, idem in hoc coacto mari accidisse, quod Sapientiæ 16. 22. ponderatur, vbi agitur de Aegypti plagis. *Nix autem & glacies sustinebant vim ignis, & non tabescebant: creatura enim tibi factori deseruiens exardescit in tormentū aduersus iniustos, & lenior fit ad benefaciendū pro his, qui in te confidunt.*

Quid praterea mysterii sub marmaris vitrei nomine hic delitescat.

Verùm enimuerò, diuersum in præsenti Apocalypseos loco mysterium latet. Pro cuius intelligentia animaduertat lector oportet, hoc mare coagulatum (suprà quod videt Ioannes stantes Bestiæ victores) respondere loco illi capitis 10. vbi vidimus Angelum fortem ignitos habentem pedes, atque altero (nempe dextro) suprà mare nitentem. Ibi autem diximus; Gentilitatem per mare figurari. fortis autem Angeli comminationem esse eiusmodi, fore vt Iudæorum terra derelicta per Gentilitatis mare graderetur, illudque Euangelii igne succenderet. Quod ergo fortis Angelus Christum repræsentans ibi promittit, hoc ipsum expletum iam cernitur c. 15. in Bestiæ victoribus, id est Christ famulis ac seruis. Illos enim videt Ioannes terram Iudaismi reliquisse, & Gentilitatis mare ingressos. Tametsi autem mare ipsos videbatur absorpturum, & ipsorum extincturum ignem, quo illi mare ipsum accendere nitebantur: Diuina tamen virtus illis mare solidum reddidit, ita vt intrepidi ac securi de ambularent in eo, nec liquefactis vndis obruerentur, & ipsemet Euangelii ignis maris vndas non calefecit modò, verùm etiam inflammauit, iuxta illud Isaiæ vaticinium 64. 2. *aqua arderent igni.* Videt itaque Ioannes, *& mare vitreum*, (id est coactum & solidum,) *& mistum igne* nempe accensis flammis exæstuans. D

Allusio ad Psalm. 65.

Huiusmodi significationi, (quæ propria & germana est) potest etiam alia adnecti per allusionem ad illud Psal. 65. 12. *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Atque illud saltem pro comperto est, in hoc Apocalypseos loco fieri allusionem ad clarissimum illud miraculū, quo Deus filios Israelis per medium mare rubrū transmisit. Simulque hîc innuitur, multò adhuc maius atque præ-

Digitized by Google

A præstantius miraculum accidisse mysticis Israelitis, quando per Gentilitatis mare perrexerunt. Nam ad carnalis Israelis transitum diffugêre maris fluctus, & gradienti populo liberam & expeditam viam, atque adaò siccam præbuerunt. At in mystici Israelis traiectu non diuisæ sunt vndæ, sed potiùs, cùm iter facienti vellent obsistere, & iter fluctuum obiectu intercludere; Deus ipsas solidas stabilesque reddidit, vt nouus Israël per summas maris vndas absque submersionis formidine gradderetur. Religionis autem ignis ipsas accendit aquas, visumque est *signum magnum & admirabile*, nempe maris aquas esse solidas, & ardentes igne.

Cur ad prisci olim Israelis transitum mare suas vndas diffiderit: nouus verò Israel mysticus super vndas gradiatur.

Præterea, quòd spiritales Israëlitæ fluctibus non submergantur, attribui potest mundanarum rerum contemptioni. Et quidem congruenter aptatur; nam carnales Israëlitæ, vtpote diuitijs, opibus, ac bonis temporalibus onusti, (id est eorum amore & cupiditate) aquarum summitate vrgere vestigia, non potuerunt; ideòque opus fuit diffindi vndas, vt ipsi possent incolumes in vlteriora littora euadere. At spirituales Israëlitæ, qui ex Ægypto exeunt, per summum mare iter faciunt, & mare ipsum sese eorum pedibus solidum exhibet. Quamobrem Petrus, qui dixerat, *Ecce nos reliquimus omnia*, potuit Christi gratia fultus ad ipsum supra mare pergere, vt habetur Matth. 14. 28.

Cur spirituales Israelitæ vndis non submergantur.

ET EOS, QVI VICERVNT BESTIAM, ET IMAGINEM EIVS, ET NVMERVM NOMINIS EIVS] Victores hos existimo proculdubio esse illos centum quadraginta quatuor millia, quorum mentio c. 7. & c. 14. Quapropter, vti victores habebant manibus palmas, vt dicitur c. 7. 9. quas

B verò citharas textus hic illis tribuit, tribuerat pariter cap. 14. 2. Necalij esse possunt, qui in hoc loco vocantur victores, contextus enim exigit, vt hi ipsi sint, qui in mari Gentilitatis veræ Religionis ignem accenderunt; quod facinus est proprium mystici Israëlis ex spiritali Ægypto egressi. Atque virilem hunc animum, quo mystici Israëlitæ Gentilitatis mare transire, & igne Religionis accendere tentarunt, consecuta fuit admirabilis septem plagarum operatio; quò tota hæc visio demum tendit. Vincere autem *Bestiam, & imaginem eius, & numerum nominis eius*; non solùm est, Bestiam & eius imaginem non adorare, vti suprà dictum est (possent enim id assequi fugiendo, & sese in latebras conijciendo:) sed bellum etiam eidem Bestiæ per Euangelij prædicationem indicere acerrimum, & pro Christo moriendo, de illa glorioßissimè triumphare. Atque ita Ecclesia de Martyribus canit, *Victorum genus optimum*. Porrò, quid sit Bestia, quid eius imago, quid nominis eius numerus; c. 13. explicatum est.

Qui sint victores bestiæ & imaginis eius.

Quid sit, Vincere Bestiam & imaginem eius, & numerum nominis eius.

Occurrit hîc dubitatiuncula; cur scilicet in præsenti mentio fiat Bestiæ, imaginis eius, & numeri, alterius verò characteris (id est expressi nominis) nulla fiat mentio? Putabit quispiam, id per obliuionem nostro interpreti excidisse; nam in plerisque græcis codicibus additur etiam hîc characteris nomen. Assero tamen id ipsius contextus proprium non esse; sed videri additum ab aliquo, qui crederet vocem illam desiderari. Hoc mihi (præter vulgatæ lectionis auctoritatem) persuadet, quòd

C character à nominis numero non distinguatur; quia est quiddam nomini & numero commune, vt vidimus in comment. c. 13. n. 17. atque ita non erat apta locutio, *Characterem & numerum*, sed *Nomen & numerum*. Quare videtur omnino Ioannes hic omisisse nominis mentionem: id tamen nō incuriâ aut obliuione, sed consultò ac de industria factum est. Non quidem quia huiusmodi victores de expresso Bestiæ nomine non triumpharunt; sed quia satis erat dicere, quod plus est, vt reliqua minora subintellecta manerent. Quare cùm ageretur de iis, qui pro Christi gloria ceruices gladio alacriter supponebant: non opus erat explicare, eos Bestiæ nomine expressè notari se passos non fuisse: id enim manifestum satis erat. Illud explicari oportebat, eos perfectè de Bestia, deque ipsius imagine triumphum egisse: quando quidem sese in mortem sponte offerebant, ne signum nominis numeri exciperent: hoc est, non solùm ne se Christi aduersarios profiterentur, sed etiam ne tacitè siue indirectè in tyrannorum sententiam pedibus viderentur ire.

Cur nulla hic Bestiæ characteris mentio.

STANTES SVPER MARE] Opinabitur aliquis, *Super* in hoc loco esse idem, quod *iuxta*, id est iuxta maris littus, sicut Psal. 136. 1. *Super flumina Babylonis*. Verùm allusio ad Israëlis transitum per mare rubrum, & loci huius proportio & conuenientia cum iis, quæ dicta sunt cap. 10. 2. (vbi Angelus fortis dicitur habuisse pedem dextrum super mare:) ac demum intentio atque mysterium huius visionis postulant, ne victores in littore, sed in ipso mari pedibus insistentes inducantur.

Quo sensu dicantur stantes supra mare.

HABENTES CITHARAS DEI] In his citharis alluditur ad id, quod dicitur Exodi 15. 20. *Sumpsit Maria tympanum in manu sua, egressæq; sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris.* Quapropter

D mox seq. versu sequitur canticum Mosis, in quo manifestè respicitur ad canticum illud, quod legimus Exodi 15. *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est.* Hic verò, ad maiorem celebritatis ac lætitiæ significationem, omnes mystici Israëlitæ citharas manibus ferunt: quorum pulsus & cantus indicat gaudium atque gloriam, quam re ac verbis Deo deferunt. Cithara enim aptissimè deseruit ad significandam exempli prædicationem, quæ doctrinæ adiungitur: vt suprà vidimus. Vocat autem Ioannes has Dei citharas, quia hoc citharārum genere Deus imprimis oblectatur. Et fortè alluditur ad musica templi instrumenta. Addo etiam citharas istas inter Dei dona meritò computari, quia *omne donum perfectum de sursum est*. Deinde, recepta Scripturæ phrasi, quidquid est excellens & magnificum solet frequenter significari genitiuo illo *Dei*: quod perinde est, atque adiectiuum *Diuinus*. Et quidem, non sine energia, citharæ diuinæ appellantur admirabiles primorum Christianorum virtutes: quarum actionibus, concentu atque harmonia difficultas omnis in maximam iucunditatem & Dei gloriam conuertebatur.

In citharis allusio ad Exodi c. 15. vbi de Maria Mosis sorore.

Cur appellentur citharæ Dei.

Digitized by Google

A

TEXTVS.

*Vers.*3. Et cantãtes canticum Moysi serui Dei,& canticum Agni,dicentes,Magna & mirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens, iustæ & veræ sunt viæ tuæ Rex sæculorum

4. Quis non timebit te Domine,& magnificabit nomen tuum ? quia solus pius es, quoniam omnes Gentes venient,& adorabunt in conspectu tuo , quoniam iudicia tua manifesta sunt.

COMMENTARIVS.

Ad quod Mosis canticũ hic fiat alluſio.

DVo Mosis cantica in sacris Literis celebrantur:alterum Exodi 15.*Cantemus Domino,gloriosè enim magnificatus est*, &c. Alterum Deutero. 32. *Audite cæli,quæ loquar*,&c. Indubitatum tamen est,hic non de secundo cantico agi,sed de primo. Hoc enim est, quod in Israelis transitu per mare rubrum decantatum fuit,quò manifestè in hoc loco respicitur.Quæ autem hic Mosaici cantici summa attingitur,primum canticum perspicue attendit,non secundum. Sed quid erit,*Canticum Moysi, & canticum Agni?* Dicat aliquis Mosis canticum priùs à victoribus , deinde canticum Agni fuisse decantatum; atque hoc ipsum Agni canticum esse,quod mox illis verbis exprimitur , *Magna & mirabilia sunt opera tua Domine*,&c.Ceterùm Apocalypseos artificium & elegantia minimè patiuntur,aliquid huic sacræ fictioni inseri,quod non sit ex aliquo Scripturæ loco repetitum.Qua propter non rectè existimatur, quod textus canticum refert à victoribus celebratum,nouam aliquam Agni cantilenam esse, quæ in alio Scripturæ loco neutiquam reperiatur.Si ergo rem seriò expendamus, non dubito quin Ioannes quasi summatim fuerit complexus ijs verbis præcipuum Mosaici cantici caput. Quare idem omninò debet esse & Mosis canticum,& Agni:videlicet accepto Mosis cantico iuxta sensum non literalem,sed mysticum;accepto etiam Mosis nomine mysticè pro Christo.In quo denotatur, sicuti Moses fuit præcipuus dux,qui Israeliticum populum per mare rubrum traduxit, ita etiam mysticũ Mosem,nempe Christum Dominum fuisse ductorem præstantissimum,qui spiritalem Israelem super mare vitreum igne mistum transuexit:Cùm autem qui hoc mare superarunt,in eius traiectu patientiam Christi sint æmulati,dum pro Dei gloria & pro mundi salute ad Christi imitationem sese morti obiecerunt;ideo dicitur mysticus hic Moses Israelis mystici dux glorioſissimam hanc victoriam,veluti agnus & agnorũ dux,comparasse.Atque adeò mysticus Mosaici cantici sensus esse propriè canticum illius,qui egregium hoc facinus,vt agnus aggressus fuit,atque confecit.Et propterea congruenter satis appellatur canticum Agni illud,quod nouus Israel cum Christo pariter suo duce concinuit.Nam & de eo cantico,*Cantemus Domino gloriosè*,&c.ait sacer textus Exodi 15.1.illud à Mose, & ab Israelis filijs fuisse decantatum. Itaque cohæret optimè illius cantici summam & mysticum eius sensum à nouis Israelitis hic simul concini.

B

Quid sibi velit, Canticũ Mosi, & canticũ Agni.

Verba, quæ victores hic concinunt, complecti debere sensu mystico summam Mosaici cantici.

Verba ergo,quæ victores ceciniſse dicuntur,complecti debent in sensu mystico Mosaici cantici summam.Quare verba illa,*Magna & mirabilia sunt opera tua,Domine Deus omnipotens*, referenda sunt ad prodigium illud admirandum de Israelitici populi transitu per mare rubrum , deque Ægyptiorum submersione in eodem mari.Quod autem sequitur,*Iusta & veræ sunt viæ tuæ Rex seculorum*, reuocandũ est ad æquissimum Dei iudicium,quod in admirabili illo opere splendescit , nempe in liberatione iustorum,& iniustorum euersione. Iam verba illa,*Quis non timebit te,& magnificabit nomen tuum*? respiciunt illud,quod in Mosis cantico recensetur de metu ac trepidatione , quæ exaudito illo Dei prodigio Philisthæos. Idumæos, Moabitas, & Cananæos peruasit. Deinde mysticus formidinis huius sensus innuit sanctum Dei timorem,qui fuerat Gentibus ac nationibus inijciendus, audita Martyrũ victoria & glorioſissimo Ecclesiæ persecutionum fine.Atque id est quod textus ait , *Quoniam omnes Gentes venient,& adorabunt in conspectu tuo,quoniam iudicia tua manifesta sunt.*

C

Num hic Rex seculorum, an Gentium *sit legendũ?*

Circa verbum illud,*Rex seculorum*;illud obiter adnotandum est,vulgatæ editionis auctoritate persuaderi,hanc esse germanam lectionem.Nec obstat,quod adducit Ribera ex variis lectionibus Græcis & ex coniectura,vt per errorem scribi potuerit *seculorum* pro *sanctorum*. Cùm igitur hæc sit vera lectio & omnino recipienda:suspicor commutationem vocis *Seculorum* in *sanctorum*,siue *Gentium*,inde fuisse exortam;quòd crederetur nulla esse peculiaris ratio,cur hic Deus vocaretur *Rex seculorum*. Quòd verò voluerint aliqui hic legere,*Rex Gentium*,inde dimanauit;quòd Ieremias cap.10. 7.habet, *Quis non timebit te ô Rex Gentium?* Enim vero si attentiùs id libeat perscrutari, nihil aptiùs in hoc loco, quàm si legatur *Rex seculorum*. Etenim cùm in hoc victorum cantu ad antiquissimum illud Mosis canticum alludatur,mirificè consentit,Deum appellari sæculorum Regem;vt denotetur, ipsummet Dominum,qui quondam antiquum Israelem per medium mare rubrum traduxit , nunc etiam traducere nouum Israelem per summas maris vndas,& in nouissimis sæculis,operari,quod in antiquis figurauerat.

Cur Deus hic Rex seculorum *appellatur.*

D

Vers. 4. QVIA SOLVS PIVS ES] Horum verborum cum antecedentibus constructio huiusmodi est: *Quis non magnificabit nomen tuum,confitendo te solum esse pium*? Ribera Pium in præsenti accipit,pro mundo siue puro;quia Græcè legitur ὅσιος, id est sanctus,iustus,nullo scelere contaminatus.Mihi videtur noster interpres Græcæ dictionis significationem ex se communem ad omnem sanctitatem , de pietate erga filios singulatim exposuisse. In ipso enim Israelitici populi transitu per mare rubrum,

se

A se Deus admodum pium erga suos filios ostendit: & multò magis in mystici Israëlis traiectu per summos Gentilitatis maris fluctus. Vt autem ponderetur, quàm se pium Deus suis filijs præstet: eleganter dicitur ipse solus esse pius, id est, nulla dari patris aut matris pietas, quæ cum Diuina pietate possit vlla ex parte conferri. *Cur hic Deus dicatur pius.*

QVONIAM OMNES GENTES VENIVNT] Credit Ribera particulam *Quoniam*, poni pro *Quòd*: & loci huius ordinationem esse huiusmodi, *Quis non magnificabit nomen tuum, dicens te solum esse pium, & omnes Gentes esse ad te adorandum venturas, & manifesta esse iudicia tua?* Congruentius tamen esse existimo, vt victores rationem reddant, siue potiùs explicent, cur dixerint, *Quis non timebit te*, &c. nempe quoniam non dubitant, omnes Gentes, considerata miraculi magnitudine, (videlicet de eorum transitu per summitatem maris, deque ipsorum persecutorum submersione) venturas fore ad veri Dei templum, vt eum adorent propter tanti miraculi euidentiam, & diuini iudicij ostensionem. Iuxta quem sensum, quòd in fine dicitur, *Quoniam iudicia tua manifesta sunt*, perinde est, ac redditio rationis de Gentium omnium aduentu. Illa autem phrasis, *Venient, & adorabunt in conspectu tuo*: idem sonat, quod, *Venient vt te in templo tuo adorent.* *Vox Quoniam, quid hic peculiare habeat.*

NOTATIO I.

De sensu mystico cantici Mosis, quod habetur Exod 15.

TEXTVS.

1. *CAntemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem dejecit in mare.*

2. *Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem: iste Deus meus, & glorificabo eum: Deus patris mei, & exaltabo eum.*

3. *Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomẽ eius.*

4. *Currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare, electi principes eius submersi sunt in mari rubro.*

5. *Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis.*

6. *Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine: dextera tua, Domine, percussit inimicum.*

7. *Et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos: misisti iram tuam, qua deuorauit eos, sicut stipulam.*

8. *Et in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ: stetit unda fluens, congregatæ sunt abyssi in medio mari.*

9. *Dixit inimicus: Persequar, & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea: euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.*

10. *Flabit spiritus tuus, & operuit eos mare: submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.*

11. *Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis faciens mirabilia?*

12. *Extendisti manum tuam, & deuorauit eos terra.*

13. *Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti, & portasti eum in fortitudine tua, ad habitaculum sanctum tuum.*

14. *Ascenderunt populi, & irati sunt: dolores obtinuerunt habitatores Philisthiim.*

15. *Tunc conturbati sunt principes Edõ, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan.*

16. *Irruat super eos formido, & pauor in magnitudine brachij tui: fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus, Domine, donec pertranseat populus tuus iste, quem possedisti.*

17. *Introduces eos, & plantabis in monte hereditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo; quod operatus es Domine: sanctuarium tuum Domine, quod firmauerunt manus tuæ.*

18. *Dominus regnabit in æternum, & vltrà.*

19. *Ingressus est enim eques Pharaõ cum curribus & equitib. eius in mare: & reduxit super eos Dominus aquas maris, filij autem Israël ambulauerunt per siccum in medio eius.*

I. Dubitatio: An sensus mysticus sit literalis.

SVPRA iam vidimus per occasionem nouæ Israelis per summas vitrei maris vndas gradientis, Apocalypsin affirmare, quemadmodum victores Mosis canticum cecinerunt. Ex hoc igitur capite ea imprimis suboritur dubitatio: Vtrum sensus mysticus, quem illi cantico tribuit Apocalypsis, sit in eo literalis? Quamuis enim in ænigmate possit aptè respici ad mysticum historiæ alicuius sensum, licèt sensus is nulla ratione *Vtrum mystica Mosaici cantici interpretatio pro literali debeat reputari.*

B fuerit intentus per ipsamet antiquæ historiæ verba? qui tamen in Apocalypseos intelligentia profecerit, non dubitabit, Apocalypseos esse morem, in iis prophetarum locis, quos citet, eorundem locorũ sensum literalem indicare. Cum enim c. 10. per allusionem ad Psal. 28 Ioannes ait se septem tonitruorum vocem audisse: eo ipso significat, verum illius Psalmi sensum literalem in capitis 10 Apocal. pseos scopum inseri. Nec enim solum continet speciosam aliquam allusionem siue comparationem, sed veram eiusdem Psalmi in sensu proprio relationem. Quem morem semper Apocalypsis obseruat: atque id ad miram ipsius Apocalypseos sapientiam, & ad ceterorum librorum explicationem est valde notandũ. Et in capite quidem octauo vidimus, hunc morem non solum in allusione ad Prophetarũ libros, sed etiam ad Tobiæ librum obseruari.

Ex hac ergo consuetudine oritur in præsenti dubitatio de sensu mystico, quem Apocalysis in præsenti, cantico Mosis attribuit, num scilicet in eo literalis sit, C atque adeò per ipsa illius cantici verba ab Spiritu sancto intentus? Namque vt Apocalypsis cap 10. se refert ad Psalmum 28. ita hic se itidem refert ad canticum Mosis: ac proinde sicuti respectus ille ad Psalmum 28. nobis lumen prætulit, vt literalem Psalmi illius sensum attingeremus: ita etiam videtur ex hoc respectu ad Mosis canticum nobis lux oritura, ad sensum illius cantici literalem. *Pars affirmans statuitur, vt verisimilis.*

Nouum id fortasse, atq; insolitum multis videatur: qui perlecto cantico, & interpretum expositionibus peruolutatis, constare dicent, nullum alium huius cantici literalem esse sensum, præter illum, quem & ipsa verba sonant, & Israëliticus populus in eo decantando intellexit. Veruntamen tam Apocalypseos consuetudo, quàm lux, quæ ex ea mihi ad plurium locorũ Scripturę intelligentiam affulsit, me certè haud parùm vrgent. Nec verò est, cur alicui mirum videatur, Mosem inter præstantissimos Prophetas iure enumerandum, in suo cantico vti excellentiâ illa, quam docti viri sacris Vatibus frequenter attribuunt; quòd nimirum præsentia tangant, & futura respiciant: vt in Dauidicis Psalmis, & in Isaiæ vaticinio de onere Idumęorum & Babylonis excidio apparet. Atque id ipsum doctiorum plurimi sentiunt de Prophetis ferè omnibus. D Hoc autem non impedit, quominùs in eisdem locis plerumque in sensu proximo agatur de eo, quod litera ipsa sonat. Etenim si inter Prophetiæ alicuius sensus aliquis est de Christianę Ecclesiæ euentu per hanc siue illam antiquam historiam figurato; perspicuum est secundum hanc comparationem in sensu per verba intento vtrumque comprehendi: nimirum & antiquam historiam; & Christianæ Ecclesiæ mysterium in illa præsignificatum. Quòd autem hæc sit Prophetarum mens & consuetudo, non solùm pia est opinio, sed quæ validissimis argumẽtis comprobetur, & magnam afferat lucem ad Prophetarum intelligentiam, sine qua sæpè nullus est Scripturæ contextus Prophetiarum *Prophetię familiare esse, sub Iudaicarum historiarũ cortice Christiand Ecclesiæ historias respicere.*

maior

Cantici Mosaici textum non valde vrgere, vt mysticus ipsius, sensus pro literali habeatur.

maiestate dignus. Et parum satis in sacrarum Literarum studio prouectus est, cui hæc non persuadet ipsamet Prophetarum lectio. Verùm vt ad Mosis canticum deueniam; fatcor, nos ab ipso contextu non cogi, vt præter proximum sensum per ipsa etiam verba ex historiæ illius comparatione, de Ecclesiæ mysteriis sermonem esse dicamus. At, si minus cantici contextus obligat; verisimile saltem id est ex sensu, quem illi tribuit Apocalypsis, ex Apocalypseos ipsius in alijs locis consuetudine, & ex Mosaici cantici excellentia.

Sed quoniam non omnes id sibi persuadebunt; & alioqui nulla ratione negari debet, quin Apocalypsis eum ferè semper morem obseruet: dici poterit, licèt hic sit receptus ab Apocalypsi mos; in hoc tamen loco peculiarem esse rationem, vt dicatur fieri allusio ad sensum illius cantici non literalem sed mysticum. Quippe vnum, idemque canticum nuncupatur Mosis & Agni; & quia ex ipso contextu mox apparet, quod victores concinant, non esse ex ipsis Mosaici cantici verbis depromptum; sed alia afferri verba, quibus mysticus antiqui cantici sensus comprehenditur. Atque ita nomen Mosis hic mysticè accipitur, sicuti nomen Agni: & in vtroque designatur Christus.

II. *Dubitatio de partibus mystici sensus, quem Apocalypsis prædicto Mosis cantico tribuit.*

Quis nam sit mysticè Pharaonis exercitus in mare demersus.

QVis sit mysticus Israel, qui per mare diuinitus transiuit? quod mare ipsum mysticum? satis iam explicuimus. Sed quisnam erit Pharaonis exercitus, qui in mare demersus fuit? Hoc non video satis ab interpretibus explicatum. Mihi tamen vt certissimum in Apocalypseos contextu supponitur, qui mari obruti fuerunt, Iudæos esse Ecclesiam persequentes. Et quidem non opus erat, id ab Apocalypsi in hoc loco exponi. Iam enim capite 11. dixerat, Hierosolymam rebellem vocari in Apocalypsi spiritualiter Ægyptum. Si ergo mare in præsenti denotat Gentilium multitudinem (quia aquæ multæ populi multi:) Si mysticus item Israel per Gentilitatis mare sese inferens non fuit demersus, sed illud potiùs sibi subiecit, & veræ Religionis igne accendit; quid aliud erit, Ægyptios Israelis persecutores in mare fuisse submersos, nisi Hierosolymam Christianos persequentem iusto Dei iudicio deuoratam & absorptam fuisse ab ipsis Gentilibus, de quibus Christiani triumphabant? Quis verò nesciat in primitiuæ Ecclesiæ historia, quam sub Prophetiæ specie Apocalypsis depictura erat, consideratione esse dignissimum horribile illud supplicium, quod Deus de Iudaico populo, & præsertim de vrbe Hierosolyma sumpsit per Gentiles ipsos; & singillatim per Romanum Imperium, de quo iam Christianus populus per Martyrum victorias triumphare cœperat? Deinde ipsamet persecutio aduersus Christi Ecclesiam per obstinatam Hierosolymam concitata mysticam Ægyptum induxit in mare exercitus Romani. Etenim æquissimo Dei iudicio factum est, vt Hierosolymæ oppugnatio ac persecutio metu Romanorum Ecclesiæ illata, ipsosmet Iudæos in medias vndas, id est, in Romanorum potentiam intruderet: vt miserè interirent, sicuti Pharaonis exercitus antiquum Israelem vrgens interiit. Cùm autem huiusmodi ruina adeò fuerit magna, vt eam Christus Redemptor noster acerbè antea deplorauerit; res profectò erat valde digna, quam Apocalypsis in egregio aliquo symbolo attingeret. Nec potuit congruentior locus dari, quàm

Explicatur summatim mysticus Mosaici cantici sensus.

A hic; in quo depingitur mystici Israelis traiectus per medium Gentilitatis mare, & Mosis citatur canticum, in quo pariter celebratur tum Israelis felicitas in ipsa maris traiectione, tum infelicitas Ægypti, quæ ob inimiam suam audaciam eodem fuit mari demersa.

In eadem etiam figura clauditur, quod post Hierosolymæ vastitatem subsecutum fuit, videlicet Iudaici populi dispersio per varias Romani Imperij prouincias, qui veluti captiui nec caput amplius extollere, nec in pristinam libertatem asseri potuere. Quis enim non videat, hoc pariter includi in ea repræsentatione, qua Romanum Imperium inducitur maris instar mysticam Ægyptum suis vndis obruentis? Atque hæc quidem interpretatio non est ex meo cerebro conficta, sed ex ipsis Apocalypseos verbis desumpta, dum asseritur mysticam Ægyptum esse Hierosolymam rebellem, & spiritali Israeli cum mystica Ægypto accidisse, quod in Mosis cantico celebratur.

Difficultas in nostra explicatione occurrens soluitur.

Dices tamen aliquis, Ecclesiæ victoriam de Iudaico
B populo partam a ca. 8 advsque vndecimum fuisse iam in Apocalypsi significatam; quare retrogradum esse cursum, si nunc Hierosolymæ ruinâ iteretur. Respondeo, huiusmodi regressum, dum obiter & quasi per transennam fit, esse necessarium, quando mystici Israelis transitus per Gentilitatis mare consideratur. Hic enim transitus connexus erat cum Ægypti submersione in eodem mari. Qui verò exercitus Israelem mysticum ex Ægypto egredientem insectabatur, perspicuum est, eum non esse Gentilicum, sed Iudaicum. Gentiles enim Christianum populum nõ diuexarent, quòd Iudæorum lege derelictâ Euangelicam fuissent amplexi, sed quòd ipsosmet Gentiles vellent Christi fidei subigere.

Quis mysticè per Pharaonem figuretur.

Cùm hactenus viderimus Pharaonis exercitũ esse Iudaicum populum noui Israelis persecutorem: videamus oportet, quis sit mysticus Pharao tanti exercitus ductor? Ad hoc dici posset, per Pharaonem significari Iudaici populi Principes ac moderatores, præsertim summum sacerdotum Principem: aut fortè etiam Herodem. Magis tamen placet, vt Pharao designet dæmonem, quem veluti ducem & caput sequebantur
C Iudæi Christianam Ecclesiam persequentes. In quo declarationem amplector Tertulliani, Origenis, Arnobij, Hieronymi, Cyrilli, Nysseni, Bernardi, & Ruperti: apud Lauretum in sylua verbo Dæmon quiaotant, in sacris Literis dæmonem Pharaonis nomine figurari, sed hos Patres explico non de dæmone in quouis actu: sed de illo singulatim, prout erat mysticæ Ægypti princeps, id est, Iudæorum Ecclesiam persequentium. Manifestum verò est, in ea Iudaici populi submersione obrutum pariter fuisse atque euictum ipsius Regem ac Ducem, quatenus persecutionis illius caput erat.

Præterea, quod in Mosis cantico dicitur de Idumæorum & Moabitarum perturbatione, facili negotio applicatur ad Gentium terrorem ob clarissimas victorias, quas suis Martyrib. Deus conferebat. Iam autem vidimus c. 14. notat. 6. qui sint spiritaliter Idumæi
D & Moabitæ, & quàm aptè hæc nomina conducant ad id, quod Apocal. repræsentat, agens de Romano Imperio & de Gentilibus, qui suis concupiscentiis manus dabant. Eôdem spectat, quod in ipso cantico subditur de Chananæis & Philisthæis, qui fuerunt Gentiles ab Israele mystico superati, quantumuis priùs hostili & infenso animo in eum conspirarint, & atrocissimum ei bellum intulerint.

TEXTVS.

Vers. 5. Et post hæc vidi, & ecce apertũ est templum tabernaculi testimonij in cælo.
6. Et exierunt septem Angeli habentes septem plagas, de templo, vestiti lino mundo & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis.
7. Et vnum de quatuor animalib. dedit septem Angelis septem phialas aureas plenas iracundiæ Dei viuentis in sæcula sæculorum.

COM-

Digitized by Google

A

COMMENTARIVS.

TEMPLVM TABERNACVLI TESTIMONII] Ioanni fuit visa in cælo forma & species illius, quod Scriptura tabernaculum testimonii appellat; quod erat tentorium Deo structum à Mose; in eoque atrium erat patens & apertum, atque opertum etiam & tectum tabernaculũ. Hoc igitur tabernaculum opertum appellatur hic Templum tabernaculi; imò etiam videtur templi nomen in hoc loco ad sanctum sanctorum coarctari. Nec est, cur Riberæ videatur nouum, quod sancto sanctorum tabernaculi, nomen templi in Scriptura tribuatur. Nam Dauidis tempore nondum erat fabricatum Salomonis templum, sed adhuc in veteri tentorio Deus habitabat; cùm tamen Regius ipse Vates dicat Ps.27.2. *Exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro ad te; dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.* Vbi pro *templo* Aquila & Symmachus legunt, χρηματιστήριον, id est, *oraculũ*. Theodotio verò *Debir*. quæ vox Hebraica significare solet sanctum sanctorum. Certum igitur est per *Templum* interdum in Scriptura significari sancta sanctorum. Quare *Templũ tabernaculi testimonii*, perinde erit, atque sancta sanctorum tabernaculi testimonii. Ad hæc in Sionis monte nullũ aliud extitit templum, nisi testimonii tabernaculũ; quod in sacris Literis pro aptissimo Ecclesiæ primogenitæ symbolo celebratur: vt videbimus in expositione Ps.28. cuius inscriptio est, *In consummatione tabernaculi*. Cùm ergo hæc visio, siue figura non repræsentet Salomonis templũ, cui ingentes erant valuæ, sed sancta sanctorum tabernaculi, vbi pro valuis prætentum erat velum: sequitur hinc, quod Ioannes ait, *Ecce apertum est templum*, in eo denotari, non reseratas fuisse valuas, sed velum sublatum. & ex interiori tabernaculi recessu septem Angelos prodiisse septem plagas in phialis totidẽ afferentes. Qui autẽ Angelis phialas in manus tradidit, ait Ioannes fuisse primum ex quatuor animalibus, cui leoninus vultus inerat.

Quodnam appelletur Templum tabernaculi testimonii.

Per templũ interdum in Scriptura oraculũ, siue sãctum sanctorum aut tabernaculi, aut templi significari.

B

Ribera & Viegas multum reperere difficultatis in his verbis, *Templum tabernaculi testimonii*, quibus proinde peregrinas adhibuere expositiones. Verùm meo iudicio certum ac planum, quod suprà dixi. Iam in ea locutione adeò in sacris Literis receptâ *Tabernaculum testimonii*, testimonium non Dei legem significat. Nam in Hebræo semper est, *Tabernaculum mophed*, Quando autem lex appellatur testimonium, semper in Hebræo ponitur *Geduth*, quæ vox valde est diuersa. Itaque *Tabernaculum testimonij*, Hebraica phrasis est significans tabernaculum illud, in quod ad statuta sacra & solemnitates populus cogebatur; vel, quod Dei præsentiâ & veluti testimonio confirmatum & stabilitum erat.

Vidit ergo Ioannes in cælo quoddã testimonii tabernaculũ ei simile, quod fecerat Moses: in quo velum sancti sanctorũ erat sublatum, & exintimo penetrali prodibant septẽ Angeli totidem phialas habentes. hæ autem phialæ erant plenæ admirabili illo liquore, qui effusus septem illaturus erat plagas, de quibus cap. 16. Porrò huiusmodi plagæ, vt supra iam vidimus, non antecedunt egressum Israelis ex Aegypto: sed consequuntur potius noui Israelis transitum supra maris vndas. Harum autem septem plagarum significatio (sicuti in versus primi commentario dictum est) ad septem plagas mysticas est referenda, quibuscum Deus in Romanum Imperium, & in Romam præsertim Imperij ethnici caput, bellum gessit. Septem Angeli sunt viri septem Apostolici ad sacram hanc actionem delecti numero phialarum respondentes. Et quanuis figura septenarium assignet pro numero plagarum: non tamen septem fuere duntaxat: sed amplius septuaginta millia, qui in id munus effundendi phialarum suam operam contulerunt: sicut in simili figura diximus de Angelis Christi passionis insignia venerantibus.

Taberniaculũ testimonii; *quid sit.*

C

Eleganter quoque finguntur septem illi Angeli ex oraculo prodire visi; vt innuatur, hos Angelos priusquam ad phialarum munus præstandum à summo Deo mitterentur, ab eo fuisse introductos in sui sanctuarii penetrale, & arcana sua consilia iis fuisse communicata. Quod si hos septem phialarum Angelos cum Angelis tubarum conferre velimus, tubarum quidem Angeli dicuntur stetisse in conspectu Dei: Angeli verò phialarum ex sancto sanctorum egressi dicuntur. Quo in discrimine adumbratur; quantunuis primi Angeli (id est antiqui prophetæ) Dei fuerint serui, eorum tamen familiaritatem non eò peruenisse, quò posteriorum Angelorum familiaritas accessit. Hi enim nõ solũ Deo dicuntur adstare tanquam ministri, sed etiam in sanctum sanctorum ingredi, quod est, quasi Dei cubicularios esse, atque illi imprimis gratiosos, Priùs enim nondum erat reuelata sanctorũ via, vt Paulus ait: donec per Christi mortem sancta sanctorum reserata sunt, & homines eò penetrarunt, fruituri arcanâ ac reconditâ Dei consiliorum communione. Vbi obiter aduertendum est, adstare coram Domino dici in Scriptura omnes, qui in atrium Domini ingrediuntur. Licet autem veteres Prophetæ sublimiori sensu dicantur adstare coram Domino: nunquam tamen dicuntur ingressi in oraculum templi, quod est in cælo. Et quanuis aliqui significentur aliquando in sancta sanctorum ingressi: hoc tamen in aliis mysteriis magis profundis accidit. Etenim ad minas peccatoribus intendendas non necesse fuit significari, eos in sancta sanctorum fuisse introductos.

Quare septem phialarum angeli ex sancto sanctorum prodire fingantur.

D

Quinam in sacris Literis dicantur adstare coram Domino.

At enim, quid sibi vult, quòd textus ait, nimirum hos septem Angelos non fuisse egressos ex Salomonis templo, quod Paulus nominat Sanctum seculare: sed ex templo, siue oraculo tabernaculi testimonii? Respondeo, in distinctione antiqui tabernaculi à Salomonis templo eleganter adumbrari Christianæ Ecclesiæ statum, in quo erat ante victoriam de Romano Imperio partam, ab eo distinctum, qui sibi post ipsam victoriam fuit. Priùs enim Christiana Religio per desertum minori apparatu quasi exul incedebat, & veluti in tempore belli sub tabernaculo ac tentorio degebat. Vnde est illud Actuum 7.44. *Tabernaculum testimonii fuit cum patribus nostris in deserto*. Et 2.Reg.7.6. *Neque enim habitaui in domo ex die illa, qua eduxi filios Israel de Aegypto*. Postea tamen veluti pacis & secundæ fortunæ tempore

Cur hi septem angeli nõ ex templi Salomonici; sed ex Mosaici tabernaculi oraculo prodire dicantur.

Digitized by Google

tempore multò maiori magnificentia & apparatu firmum fixit in templo domicilium. Et quidem vtrumque tam tabernaculum, quàm templum verè considerantur, vt Dei habitationes;ex quibus gubernauit,atque gubernat suam Ecclesiam,& mundum etiam vniuersum. Veruntamen bellum aduersus Romanum Imperium ethnicum verissime dicitur Deus,non ex mystico Salomonis templo,sed ex tabernaculo mystico administrare. Sed quanuis antiquum tabernaculum templo fuerit inferius magnifico ornatu atque amplitudine:nihilo tamen inferius fuit diuinæ virtutis atque præsentiæ clarissimis argumentis;sed potiùs in hoc illi maximè præstitit. A

Cur tabernaculum sit in cælo conspectum.

Quòd huiusmodi tabernaculum fuerit in cælo conspectum;nobis innuit, non hic esse sermonẽ de visibili illo tabernaculo per Mosem fabricato;sed de spiritali, quod Deus in primitiua Ecclesia habebat,cuius conuersatio in cælis erat. Veritas autem figuræ ipsi non secus,quàm terræ cælum antecellit.

Difficultas soluitur.

Dices;cùm in capite 11.institutus fuit sermo de persecutione per Iudæos excitatâ (quæ Gentilium persecutione prior extitit) iussus est Ioannes templum dimetiri ; vbi videtur de Salomonico templo sermo esse. Nam in ijs verbis, *Metire templum*, alluditur ad postrema Ezechielis capita,in quibus Salomonis templum,aut aliud præstantius & magnificentius mensuratur. Respondeo tamen, ipsummet Ecclesiæ primitiuæ templum cum antiquo tabernaculo comparari, propter externam inopiæ & egestatis speciem,quæ magna fuit respectu externæ amplitudinis ac maiestatis, quò postea extollendum erat;atque hoc ipsum primitiuæ Ecclesiæ templum ob insignia & præstantia clarissimarum virtutum documenta comparari non modò cum Salomonis,sed etiam cum Ezechielis templo,quod multò est nobilius & excellentius. Vtramque autem allusionem ænigma Apocalypseos complexum fuit ; nec tamen altera alteram excludit,quia diuersâ ratione considerantur. B

Vers.6. *Phialas siue plagas angelis fuisse datas, antequàm ex tabernaculo exirent.*

ET EXIERVNT SEPTEM ANGELI HABENTES SEPTEM PLAGAS] Existimabit aliquis, licèt dicantur exiisse de templo septem Angeli habentes septem plagas;ita tamen hunc locum fore connectendũ, vt dicantur prodiisse de templo Angeli,quibus posteà datæ fuerint septem plagæ ; nondum tamen phialas in manibus habuerint, quando è templo egressi sunt;posteà enim dicitur, *Et vnũ de quatuor animalibus dedit eis septem phialas.* Re tamen melius examinata videtur certum,leonem intra ipsum oraculum siue Sanctum sanctorum septem Angelis phialas tradidisse: ita enim sensui congruentius est,& loco ipsi:vbi quatuor animalia esse considerantur. Atque hoc innuitur verbis illis, *Exierunt de templo habentes septem plagas*:quod perinde est,ac si dicantur ipsi iam eas manibus afferre. Quis autem phialas Angelis in manus dederit,sequenti versu explicatur,cùm subditur, *Et vnum de quatuor animalibus dedit septem Angelis septem phialas.*

Quid in hoc angelorum cultu & vestitu innuatur.

VESTITI LINO MVNDO ET CANDIDO, ET PRÆCINCTI CIRCA PECTORA ZONIS AVREIS] Circa duplicis symboli significationem consulantur,quæ diximus c.1.versu 13.ad ea verba, *Vestitum podere, & præcinctum ad mamillas zona aurea.* Nam licet ibi videatur de Christo institui sermo, hic de ipsius ministris:idem tamen est sensus: quia capite primo sermo est de Christo in suis fidelibus. Et duplex hoc symbolum præcipuè spectat ad Euangelii ministros. Atque hic Angelorum cultus & vestitus non obscure indicat,has septem phialarum plagas à plagis tubarum longè esse diuersas. Nec tubarũ Angeli nec lino erant amicti,nec pectora zonis aureis accincti:siquidem Ioannes huiusmodi ornatum tanquam Angelis phialarum proprium designat. Huius autem discriminis ratio,aut mysterium illud est. Linea vestis(quam vulgò Albam,aut superpelliceum vocant) in Apocalypsi symbolice repræsentat maximam Apostolicorum virorum perfectionem in diuino cultu: & zona aurea indicat præstantissimam eorum charitatem. Quid ergo elegantius,quàm eos, qui phialarum plagas effundunt perfectissima religione & charitate exornari?qua in re illud adumbratur;in ijs plagis, quibus Deus Gentiles & Romanum ipsum Imperium deuicit,mirum in modum enitescere excellentiam sanctimoniæ & charitatis,quibus viri Apostolici erant insigniti; dum Romani Imperij potentiam sub Christi iugum efficaciter miserunt;atque id ob Dei cultum & proximorum charitatem. Itaque proprius Euangelii ministrorum habitus puritatem vitæ & charitatis ardorem præse fert : & qui hoc indumento ornati sunt,his ait textus vnum,id est,primum ex quatuor animalibus (nempe leonem)septem phialas tradidisse. C

Cur leo dicatur phialas angelis dedisse.

Si autem leo(vt c.4.vidimus)magnanimitatem & fortitudinem animi in viris Apostolicis significat;si phialæ sunt arma,quibus bellum Romano Imperio infertur,quisnam alius viros Apostolicos ad glorioſissimam illam expeditionem armauit atque muniuit,nisi ingens virtus & animi magnitudo à Christo in eos deriuata ? Deinde, quòd leo phialas Angelis tradat; innuit, hoc opus phialas effundendi esse eiusmodi,in quo summopere Dei virtus & fortitudo emineat,cuius signifer est leo, id est virorum Apostolicorum fortitudo atque constantia. D

Vers.7. *Phiala quæ sint, & vnde dicta.*

PHIALAS AVREAS] Isidorus libr.20.Etymolog.c.20.ait.phialas dici,eo quòd ex vitro fiant. vitrũ enim Græcè dicitur, ὕαλος. Sed hæc etymologia non placet:tum quia non scribitur *Phyala*,sed *Phiala*: tum etiam quia ex hoc loco & multis aliis constat,phialas esse vasa aurea aut argentea (nam phialas etiam ex argento habemus,Numerorum 7.quarum singulæ ponderant siclos septuaginta) & Latinitatis etiam magistri id obseruant;adduntque fuisse ingentes pateras, quibus vinum potabatur. Thesaurus Græcæ linguæ notat dici. φιάλη, quasi πιάλη.

In descriptione phialæ videtur non sibi satis constare Viegas sect. 2. Primùm enim ait, esse vas potorium ore lato:& posteà dicit,esse vas inferiore parte latum,& superiore sui parte in angustum os desinere,& contendit,ex phialis non posse nisi guttatim aquam vel vinum effluere, propter oris angustias. Hoc sibi ita confinxit,vt viam sterneret ad ea Ezechielis verba cap.20. 46. *Stilla ad Africum*, vbi Hieronymus: *Non dictum est Effunde,sed stilla.* Et similis locus est Ezech,21.2.& Danielis 9.11. Mihi certum

Digitized by Google

A certum est phialas esse vasa oris latissimi; atque ita Angeli cap.16. non stillant, sed eas effundunt. Erant igitur ingentes pateræ. Vide Amos 6.6.*Bibentes vinum in phialis.* Et Zachariæ 9.15. *Bibentes inebriabuntur quasi à vino, & replebuntur vt phialæ.* Erant autem pretiosa vasa, Iudicum 5.25. *Aquam petenti lac dedit, & in phiala Principum butyrum.*

In hoc autem loco sine dubitatione alluditur ad aureas templi phialas; vt constat ex sacerdotali Angelorum veste, & ex iis etiam locis sacrarum Literarum, in quibus mentio sit aurearum phialarum templi. Lege Exodi 25.29. *Parabis & acetabula, & phialas.* Et repetitur Exod.37.nu.16. Lege item 3.Regum 7.50.& 2.Paralip.4.8.Ea verò fuisse altaris vasa.constat Zachariæ 14.n.20.*Quasi phialæ coram altari.* *Phialas fuisse altaris vasa.*

Si ergo sunt phialæ altaris vasa; earum vsus est ad offerenda libamina, vt exprimitur Exod.37.16.& cap.25.29. & præcipue destinatæ videbantur ad vinum Domino libandum. Vinum enim quotidie libabatur Domino, Exod.29.40.& Numer.28.7. Et libatio vini haud dubie erat effusio; iuxta illud 2.Regum 23.16. *Sed* (Dauid) *libauit eam Domino*, id est effudit. Et Exod.29.40. (vbi dicitur, *Vino ad libandum eiusdem mensuræ in Agno vno.*) ait Abulensis, quæst.21. Totum istud fundi debebat immolando agnum vnum. Facit illud Æneidos 5. *Phialarum vsus in sacris.*

Hic duo rite mero libans carchesia Baccho
Fundit humi; duo lacte nouo, duo sanguine sacro.

B Porrò carchesium est ingens phiala: sic dictum à magnitudine & figura illius, quod in summitate mali nautici fabricari solet. Turnebus etiam lib.11. Aduersariorum c.7.citat illud Horatij,

De paulo paululum hoc tibi dabo haud libenter.

Et ait, de poculo pleno, quod erat potatura, paulum Veneri libat, hoc est in honorem Veneris effundit.

Ex dictis elicitur; cùm aureæ phialæ sint sacrificii vasa, cumque Angeli sint sacerdotum instar, lineis strictis vestiti, & zonis aureis præcincti: & cùm idem sit *libare vinum*, & *Effundere*; constat inquã ex his, effusionem phialarum in præsenti esse quandam libationem, siue sacrificium. Obiicies, phialæ hic non sunt vino plenæ, aut re aliâ ad sacrificium pertinente, sed potiùs iracundiã Dei, atque adeò non videtur esse sermo de sacrificio. Respondeo, ad ænigmatis explicationem spectare, quomodo possit diuinæ iræ effusio ad sacrificium pertinere. Interim duo asseuero: alterum est, sacrificii mẽtionem in vindicta, (vel potiùs vindictæ in sacrificio) fieri etiam Isaiæ 34.numero 6. *Victima Domini in Bosra, & interfectio magna in terra Edom.* & Ezech.39.17. *Concurrite vndiq; ad vindictam meam, quã ego immolo vobis.* Alterum est iram Dei, de qua hoc in ænigmate est sermo, liquorem esse aliquem, quo phialæ plenæ finguntur, & effusionem eius liquoris (qui appellatur ira Dei) esse mirabilem quandam libationem, ex qua effectus admirandi exoriantur. Aqua illa (quam vulgò fortem argentarii vocant) dicitur metalla liquefacere, & quodammodo conficere. Verùm multo adhuc efficacior & vehementior est eiusmodi liquor, qui ira Dei nuncupatur: quandoquidem ex eius effusione effectus adeò admirabiles subsequuntur. Quòd si has effectiones præstaret re vera effusio, siue libatio vini alicuius noui & admirandi: id forte videretur in hoc ænigmate significari. Nam aureæ templi phialæ in eum fuerant vsum destinatæ, vt vinum in iis libaretur. *Phialarum effusionem quasi quandam sacrificium considerari.*

C

His ita præmissis, viri Apostolici per septem Angelos figurati inducuntur in textu phialas manibus tenentes, quasi potestatem habeant, ac voluntatem offerendi Deo admirabile quoddam sacrificium: quod in eo consistit, vt effunderent insolitum illum liquorem, qui Dei viuentis ira nominatur. In quo includitur significatio quædam vini per effusionem in sacrificiis oblati. Qua in re innuitur viros Apostolicos suæ fortitudinis, necnon diuinæ prouidentiæ egregia documenta in Euangelii prædicatione dedisse, quod facinus clarissimum perinde fuit, quasi admirabile sacrificium, in quo infinita Christi sanguinis virtus & efficacitas in mundum fuit effusa. Itaque liquor hic, quem textus vocat Dei iram, est Iesu Christi sanguis, eiusque virtus efficacissima: quæ virtus dum hominib. communicatur, veluti sacrificium admirabile offertur. Vtrâque in re fortè lector nouitatem & insolentiam reperiat: sed si vtrobique congruens reddatur ratio, facilè mox erit ænigmatis elegantiam & concinnitudinem, nec non mysterii in eo inclusi sublimitatem deprehendere. *Quid sit, angelos in manib. phialas tenere.* *Qui nam sit hic liquor, qui vocatur irâ Dei.*

Circa primum ergo notandum est, cùm in hisce plagis de ira Dei mystica sermo sit, quæ & peccatum destruit, & peccatori summum beneficium tribuit: manifestum esse, diuinæ iræ nomen Iesu Christi sanguini præ ceteris aliis rebus imprimis congruere. Nec dubium, quin de hac eadem ira agatur Apocal.14.19. vbi de lacu iræ Dei magno. & Isaiæ 63.3. *Torcular calcaui solus; calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea, & omnia indumenta mea inquinaui.* Siquis tamen in eam potiùs sentẽtiam propendeat, vt liquor hic ita efficax ad mysticam de peccatoribus vindictam sumendam, sit verbum Dei: quod etiam dicitur facere vindictam in nationibus. Hæc explicatio non multum ab ea differt, quam primò proposuimus. Etenim diuini verbi efficacitas ex Christi sanguine deriuatur. Quare perinde est dicere, Christi sanguinem per Dei verbum operari, atque Dei verbum per sanguinem Christi Domini. *Probabile etiàm, in hoc liquore figurari verbũ Dei.* *Explicatur, quomodo in hac phialarum effusione concipiatur veluti quoddam Christi sanguinis in Gentes effusi sacrificiũ.*

D

Circa secundum obserua, communicare mundo virtutem Christi sanguinis, esse veluti perficere Christi passionis sacrificium: & adimplere id, quod deerat, iuxta Paulum ad Roman.15.15. *Propter gratiam, quæ data est mihi à Deo, vt sim minister Christi Iesu in Gentibus, sanctificans Euangelium Dei.* Græcè, εἰς τὸ εἶναί με λειτουργὸν Ἰησοῦ εἰς τὰ ἔθνη ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ. Vbi Euangelii prædicatio depingitur veluti quoddam sacrificium, in quo Gentilib. impertitur atque effunditur Iesu Christi sanguinis virtus: quo mirificè aptatur allusio ad vini sacrificium, siue libamentum. Vini autem symbolum ad Christi Domini passionem eleganter accommodari, nemo nescit: atque ita in calice conse-

Digitized by Google

crato sacrificium passionis Dominicæ instauratur. In locis item supradictis, nempe Apocal. 14. 19. & Isaiæ 63. 3. allegoria desumitur à vindemia. Ad hæc, allegoria calicis vini meri solet in sacris Literis ad vindictam magnam vsurpari, vt Psal. 10. 6. Ezech. 23. 31. Apocal. 16. 19. Quare optimè cohæret, vt cùm passionis efficacitas sub diuinæ iracundiæ allegoria in his plagis describitur, tribuantur septé Angelis phialæ totidem, siue calices pleni mirabili quodam vino: cuius libatio & effusio sit summæ iracundiæ (mysticæ tamen, & Deo dignissimæ) significatio. A

Cùm verò hæc vindicta non sit propria seueritatis, sed maximæ virtutis ac beneficentiæ erga Christianam Religionem: ideo ipsamet plagarum figura speciem sacrificii præ se fert. Nam effusio phialarum est libatio, ac proinde sacrificium. Alioqui in vindicta propria sacrificio locus non erat, quippe quod ad placandum numen adhiberi soleat. Quamobrem non rectè consentit sacrificii repræsentatio cum ira atque vltione, nisi mysticâ & spiritali, per quam verissimè diuinum numen placatur, & saltem iræ mysticæ potiùs, quàm propriæ vindictæ conuenit sacrificii figura. Vnde duobus in locis, vbi Scriptura meminit maximę victimę, loquens de ingenti occisione: vtrobique contextus ipse exigit (ni fallor) vt de mystica vltione, deque Christianæ Religionis incremento accipiatur. Primus ex his locis est, Isaiæ 34. 6. *Victima Domini in Bosra, & interfectio magna in terra Edom*, id est in Romano Imperio. Quem locum suprà ostendimus, ad mysticam eandem pertinere vindictam, de qua in præsenti sermo est. Alter locus est Ezech. 39. nu. 17. *Concurrite ad victimam meam, quam ego immolo vobis.* B Quem locum in cap. 19. & 20. Apocalypseos ostendam ad Gentium conuersionem & progressionē Religionis esse referēdum. Nec scio sacrificii allegoriam vnquam in Scriptura iuxta præcipuum sensum de propria vindicta loqui. Et quanuis in his duobus Isaiæ & Ezechielis locis nonnulli interpretum decipi potuerint, ratione magnæ occisionis, quæ in ipsis figuratur: vt eos accipiant de propria seueritate atque vltione, vti sonant: æquum saltem esset, ne phialarum effusio (quæ est vini libatio, ac proinde cruenta occisorum animalium imagine non fallit) ad propriam iram applicaretur: siquidem constat plerumque in sacris Literis nomen iræ, indignationis atque vindictæ in se includere summum conuersionis mundi beneficium, vt ex Patrum consensu, & innumeris Scripturæ locis ostensum est notatione 22. proœmiali.

Distinctio maximè obseruanda inter tubarum plagas & phialarum.

Notanda insuper est distinctio, quam textus assignat inter tubarum plagas, & phialarum. Nam in plagis tubarum ferè omnibus, (quæ ad seueritatis spiritum pertinent) apponitur quasi contractio quædam & circunscriptio, nimirum ad tertiam partem, at in phialis nullus huiusmodi limes designatur. Nam in supplicio diuina prouidentia quasi sibi temperat, & magnâ vtitur cautione, vt ipsius supplicij in aliquibus exerciti murmur & strepitus ceteros frænet, & à flagitiis deterreat: & in plerisque plagis plures sunt, qui supplicio subtrahuntur, quàm qui subiiciuntur, quippe non vult Deus, *Mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat.* At in phialis, cùm Deus, quod ex se est, optet mysticam irā, id est summam beneficentiam ad peccatores omnes pertingere, ideo nullam adhibet plagis limitationem, sed plenam potiùs iubet effusionem. Licèt autem tegatur ac dissimuletur sensus vulgari illa locutione effundendi iram: qui tamen id seriò expenderit, facilè animaduertet, magnam hanc effusionem esse copiosam beneficentiam, quia summum bonum est summè diffusiuum sui. Deus itaque stillat iram, & misericordiam effundit, iracundiam prædicat, & largitur clementiam. Quare & ad seueritatis plagas symbolum tubarum, & effusionis symbolum ad plagas mysticas peropportuna fuerunt. In illis enim vult Deus ipso plagarum stridore ac murmure peccatores, vt sibi consulant, præmonere, in his remoto strepitu tecte ac dissimulatè procedit, ne quis felices plagarum mysticarum exitus euadat. C

Deus in supplicio parcus: in misericordia liberalis.

Cur hæc ira mystica dicatur iracundia Dei viuentis in sæcula sæculorum.

Verùm age iam, cur prædicta ira mystica nominatur, *Iracundia Dei viuentis in sæcula sæculorum.* Nec enim satis est, si dicamus, Deum verissimè in sæcula viuere: cùm ratio postulet, non solùm vt verè, sed etiam vt apte & ad rem, de qua agitur, appositè dicatur: quapropter opus est, Deum in sęculorum sæcula viuere, connecti hîc cum ira mystica. Et primo quidem aspectu non satis ad rem id afferri videtur. Nam mystica ira quoddam potiùs irę principium videtur habere, quod breui in amicitiam desinat: atque adeò sub irę ratione non diu permaneat. Nihilominus eiusmodi epitheto eleganter innuitur Dei vindicta à Romano populo expetita in sęculum duratura. Mystica enim vindicta sumitur verę Religionis igne in æternum Romę duraturo. Eodem sensu dicitur infrà c. 19. 3. *Et fumus eius ascendit in sæcula sæculorum.* Similiter Isaię 34. 10. de terra Edom, id est, Romano Imperio, *In sempiternum ascendet fumus eius.* D

Ad hæc, cùm idololatrię excidium sub vindictę specie figuretur, cum glorioſissima ea vindicta, quam Deus post longam tot sęculorum patientiam de idololatria sumpsit, egregie consentit, quod nunc subditur, Deum scilicet in sęculorum sæcula viuere. Quo demum significatur, diuturnam patientiam in admirabilem illam vindictam vergere, ex qua æterna Dei gloria redundaret.

NOTA-

Digitized by Google

NOTATIO II.

De legitimo sensu illorum Jeremiæ verborum, c.50.25. Aperuit Dominus thesaurum suum; & protulit vasa iræ.

Quo sensu dicatur Deus apud Ieremiã aperuisse suum thesaurum, & vasa iræ protulisse.

IN phialarum effusione respicit Apocalypsis, opinor, ad prædictum Ieremiæ locum. Et quanuis multi certum esse credant, Ieremiam de propria vindicta agere, iuxta eam expositionem, quam noster Christophorus de Castro sequitur: me tamen Apocalypseos allusio docet, sermonem esse apud Ieremiam de vindicta mystica. In quo vindicandi genere dicitur pereleganter Deus suos reserare thesauros, & nouam hanc vasorum iræ rationem inde promere: quæ Apocalypseos phialas, siue earum Angelos referunt. Concinit thesauri nomen, quod peculiariter locum habet in iis, quæ sunt maximi pretii, & propterea asseruantur recondita: licèt in generali etiam significatione quandoque ponatur. Contextus autem Ieremiæ, Babylonis continet euersionem; quæ ad Romæ conuersionem in germano sensu per Spiritum sanctum intento referenda est: vt infra c. 17. videbimus. Atque hic sensus non destruit, sed adstruit potiùs alium quem ceteri ferè interpretes illi Ieremiæ loco præscribunt. Vterque enim sensus est copulandus: alius quidem vt præcipuus, alius per comparationem priori deseruiens. Et verò concinnè satis & eleganter Prophetæ de mystica Dei vindicta ab ipsomet Deo de mysticis Babylonis sumenda loquuntur per comparationem ad vindictam, siue supplicium proprium, quod erat in Chaldæorum Babylonem immittendum.

NOTATIO III.

De secundaria phialarum expositione ad Missæ sacrificium spectante.

Secundaria phialarum expositio de Missæ sacrificio.

QVAM in commentario tradidi phialarum & effusionis earum explanationem nempe de Euangelicæ prædicationis officio, veràm ac primariam iudico; quia, vt posteà videbimus, in singularum phialarum effusione respicitur ad insignis cuiusdam viri Apostolici prædicationem. Verum (vt in aliis pariter Apocalypseos locis ostensum est) id minimè officit, quominus eodem symbolo alia secundaria significatio ab spiritu etiam diuino intenta contineatur. Imprimis ergo concionatores Euangelici, quos Deus in Gentilitatem misit, sacerdotali item munere fungebantur. Cui significationi fauet similiter stricta linea, qua antiquæ legis sacerdotes, (nostrorum pictura atque imago) induebantur. Quamobrem suprà c. 4. viginti quatuor seniores, siue presbyteri (iidem enim sunt) lineis vestibus amicti inducuntur.

Cùm ergo sacerdotib. phialæ traduntur in manus; perinde videtur esse, atque eis calices dari; quibus adumbratur consecrandi potestas, & Deo altissimum illud sacrificium offerendi, de qua significatione nonnihil à nobis dictum c. 5. in phialis, quæ sacerdotibus tribuuntur. Illæ igitur phialæ, quæ ad Dei numen placandum adhibentur, & quibus idcirco offertur thymiama; sunt etiam efficacissimæ ad mysticam de peccatoribus vindictam sumendam. Etenim ex Missarum sacrificiis, quæ Deo sacerdotes offerebant, in ipsorum conciones vis & efficacitas perueniebat. Et certè, qui accuratè perpendat, quantam Deus Euangelicæ prædicationi virtutem, roburque contulerit, postquam Missæ sacrificium institutum, & frequentari cœptum est: næ ille, si sapiat, haud dubitet prædicationis efficacitatem ad Missarum vim magna ex parte referendã. Si autem mystica vindicta in ipso prædicationis effectu consistit, & prædicatio ex Missæ sacrificio suũ accipit robur: cur non ẽt dicamus, per phialas sacerdotale munus designari; cuius ope ac virtute tot ipsi mira & inaudita prodigia, tot facinora præclarissima patrant?

Huc ipse respiciens consultò asserui, per liquorem illum è phialis effusum Christi Assertoris nostri sanguinem figurari: vt hac loquendi ratio aptè posset extendi, non ad prædicationem modò, verum etiam ad sacrosanctum Missæ sacrificium: quo Christiana potissimum Ecclesia peracre bellum intulit Gentilitati, & de illa triumphauit glorioſissimè. Etenim ipsemet Christi sanguis sanctissimus, qui in Missa quotidiè consecratur & offertur, ingentia & admiranda opera in Euangelii prædicatione efficit: & hominum animos sibi suauiter iuxta atque efficaciter subijcit. Constat igitur ex iis, quæ diximus, duos hosce sensus inter sese mirificè consentire.

TEXTVS.

Vers. 8. Et impletum est templum fumo à maiestate Dei, & de virtute eius; & nemo poterat introire in templum, donec consummarentur septem plagæ.

COMMENTARIVS.

Templi nomen hic & ad sancta, & ad atrium extendi.

CVM superiùs dictum fuit, *Templum tabernaculi testimonii*: tunc templi nomine sanctum sanctorum designabatur. Nunc verò, quando absolutè de templo sermo est, potest congruenter nomen & ad sancta, & ad atrium simul extendi. In hoc namque fumo continetur allusio ad historiam illam Numer. 9. 15. & Exod. 40. 32. quando erectum est tabernaculum, vbi hæc scribuntur, *Postquam omnia perfecta sunt, operuit nubes tabernaculum testimonij, & gloria Domini impleuit illud; nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, & maiestate Dei coruscante: quia cuncta nubes operuerat.* Similiter, quando Arca Dei fuit Salomonis templo collocata, 3. Regum 8. n. 10. & 2. Paralip. 5. 14. *Cùm exissent sacerdotes de sanctuario, nebula* (Hebraicè *Nubet*) *impleuit domum Domini: & non poterant sacerdotes stare, & ministrare propter nebulam: impleuerat enim gloria Domini domum Domini.* Huc spectat illud Numer. 16. 42. vbi cùm Moses & Aaron fugissent ad tabernaculum; *Operuit* illũd *nubes, & apparuit gloria Domini.* Et Ezechiel. 10. 3. *Nubes repleuit atrium: & repleta est domus nube.*

Hisce ex locis nequaquam elicio, eundem esse fumum, de quo loquitur Ioannes, atque nubem

Digitized by Google

siue nebulam, de qua in iis agitur: fumum enim esse aliquid valdè diuersum à nube infra ostendam. Sed id vnum infero, sicut nube quondam non modò sancta sanctorum, sed totum etiam tabernaculum & templum repleta sunt; sic pariter in præsenti à Ioanne significari, tabernaculum totum fuisse expletum fumo; ad eum modum, quo Isaias c. 6. ait. *Et domus repleta est fumo.* A

Cur fumus dicatur prodire A maiestate Dei & de virtute eius?

Addit textus, fumum eiusmodi procedere *A maiestate Dei, & de virtute eius.* Et mirum sanè est, fumum ex maiestate prodire; præsertim cùm maiestati Græcè respondeat δόξα, quæ vox in nouo instrumento respondere solet claritati. Quid ergo magis mirum, quam ex Dei claritate fumum exoriri? Aliquis fortassis asseret, hanc Dei claritatem esse igneam; quippe & Deum ignem esse, qui & accendere, & illustrare homines appetit, cùm autem Gentiles collustrare & inflammare tentaret; ipsi cõtrà pro sua animorum duritia & prauitate initio indignabundi resisterent; idcirco repræsentari in hac visione, quod in igne frequenter accidere comperimus; qui primùm ex eisdem lignis, quæ mox est concrematurus, fumum solet elicere. Facit illud Psalm. 17. 9. *Ascendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit.* Vbi fumus præcedit flammas & ignitas prunas; & qui primò ignis fumum excitat flammas post & prunas ardentes efficit. Hæc tamen consideratio non facere videtur difficultati satis; nec enim ait textus, fumo Gentilitatem impleri, quam Deus potissimùm accendere statuerat, sed templum ipsum fuisse fumo oppletum. Quòd si templum Christianam adumbrat Ecclesiam; illa profectò Spiritus sancti igne accensa iam erat & inflammata. Quomodo ergo nunc fumo dicitur tota redundare? fumus enim ignem & prunas videtur suaptè naturâ præcedere. B

Proponitur prima fumi huius explicatio.

Refellitur prædicta explicatio.

2. expositio.

Dicet alius, fumus concipiendus est, quasi ex Arca testamenti prodiens; nam pro maiestate, vti dixi, Græce est δόξα, id est *Gloria*, atqui ipsa arca solet in sacris Literis appellari *gloria Dei*: vt obseruauit Forerius Isaiæ 4. 5. Sed neque hoc placet; primò, quia non aptè videtur Dei arca significari verbis illis, *A maiestate Dei, & de virtute eius.* Nam arcæ in sacris nunquam Dei virtutis nomen imponitur. Deinde, quia in huiusmodi visione Deus ipse gloriosus visebatur in eo figuratus, qui sedebat in throno; vt vidimus ca. 4. Quare cùm ex eius claritate & virtute fumus procedere dicitur; verbis ipsis innuitur non obscurè fumum ex claritate & virtute sedentis in throno egredi: id quod vt nouum & inusitatum textus ipse repræsentat.

In fumo sæpe Dei ira figurari.

Si ex Ecclesiæ Patribus aliquid indagare velimus, quod huic fumo lucem afferat; Hieronymus & Cyrillus Isaiæ 6. 4. asserunt, fumum illum ab Isaia expressum vniuersæ vrbi incendium minitari. Et facit id Psalm. 17. 9. *Ascendit fumus in ira eius.* Si autem dicas, non totam vrbem fuisse visam fumo impletam: Responderi posset, in fumo iram Dei denotari; atque vt vehemens significaretur ira, congruenter figuratur totum fumo plenum: cùm ex ira sedentis in templo fuerit eruptura vindicta atque exustio totam vrbem inflammatura. Quem sensum vt cum mystica plagarum irâ apte conciliare possemus; diceret aliquis fumum, quo Christianæ Religionis templum redundabat, esse typum atq; imaginem iræ & indignationis, qua Deus idololatriam prosequebatur: atque vt fumum mox subsequitur flamma, sic ex eo fumo properè flammam prodituram, quæ Romanum Imperium mysticè deuoraret. Adde huc, quòd *fumare* in sacris Literis sæpe idem est, quod *irasci*. Psalm. 79. nu. 5. *Quousque irasceris?* Hebr. *Vsquequo fumabit?* & Psalm. 73. 1. *Iratus est furor tuus.* Hebr. *Fumabit furor tuus.* Quin etiam Hispanâ locutione dicere pereleganter solemus de eo, qui in iram accenditur, *Subese le el humo alas narizes*, iuxta vsitatam Scripturæ phrasim, quæ iræ indicationem in naribus ponit. Quare ad diuini numinis iram denotandam peropportuna alicui videbitur totius templi fumo repleti figura. C

Improbatur 2. expositio.

Ceterùm, nec in hac explicatione animus planè conquiescit. licèt enim narium fumus ad iræ significationem rectè vsurpetur, vt ex superiùs allatis apparet: valde tamen violenter concipitur fumus ex Dei naribus afflatus templum implere. Nec verò textus ait, fumum ex Dei naribus aut ex Arca: sed à claritate Dei, eiusque virtute prodire. Hoc igitur est cumprimis attendendum, fieri scilicet potuisse, vt fumus ex Dei claritate prodiens impleret templum, nec euanesceret, donec omnes septem plagæ essent effusæ.

Auctoris interpretatio de fumo ex maiestate Dei prodeunte.

Pro huius rei explicatione obseruo primò, proprium esse densi fumi ab oculis claritatem auferre: atque hoc ipsum in eo loco veluti mirum ponderatur, ex Dei scilicet claritate fumum prosilire, qui claritatem ipsam oculis eripiat. Secundo, plurimus fumus domum aliquam denigrat, & horrenti fuligine decolorat. Velle enim in domum fumo plenam ingredi perinde videtur esse, ac velle suffocari atque perire. Tertiò, densa fumi vis ex domo quapiam erumpens indicat maximum imminere periculum de domus illius incendio & conflagratione. Nam fumus vndanti glomere efflatus innuit, domum flammis absumi. Ex quo infero, tam in præsenti loco, quàm Isa. 6. 4. per fumum, quo templum replebatur, non directe figurari periculum de Gentilitatis ruina impendens: sed discrimen incendii eidem templo, quod occupat fumus, imminentis. D

Soluitur difficultas in nostra explicatione

Opponet tamen nobis aliquis, nihil horum videri ad rem in plagis his, quæ in Gentiles, & præsertim in Babylonem, id est Romam ethnicam, effundebantur. Verùm in textu non dicitur fumus imminere Babyloni, aduersus quam effundebantur phialæ: id vnum affirmatur, ex quo Angeli cum phialis Babylonem oppugnaturi processerunt, visam Dei domum fumo omnino repleri, quoad omnes phialæ sunt effusæ. Nec aliqua apparet repugnantia, vt per phialas significetur effectus in ipsis Gentibus præstandus: per fumum innuatur illud, quod interim Dei templo, id est Christianæ Ecclesiæ, tenebras offundere, & minas intendere videbatur. Et quidem si mysterium ipsum attentè dispiciamus, ita re ipsâ accidit. Etenim ex quo viri Apostolici Euangelium Gentilibus promulgarunt, Dei templum, id est Ecclesia fumo fuit impleta: donec effectus ex septimæ phialæ effusione subsecutus fuit. Nam dum Apostoli, eorumque sectatores bellum Gentilitati per septem phialarum effusionem intulerunt: si oculos in Christianæ Ecclesiæ periculum velimus intendere, videbimus planè,

Digitized by Google

A planè, in ea verissimè comprobari, quod in domus fumo impletæ symbolo denotatur. Pro solis enim claritate, pro gloria atque splendore, nihil aliud in Christi Ecclesia cernebatur, quàm obscuritas, & præstantissimum incendii ac vastationis discrimen. Nec aliter Ecclesia fumosa ac denigrata videbatur, quàm domus aliqua solet fumo ac fuligine infuscari. Eiusmodi autem fumus ita erat spissus ac densus, vt qui hoc in templum vellet ingredi (id est ad Christianæ Ecclesiæ Religionem commigrare) perinde videretur, ac sese in medium fumum immittere cum incendii atque exitii periculo. Fumi denique nebula valde est oculis molesta; atque ita videbatur miserandum satis populi Christiani spectaculum, nil aliud præ se ferentis, nisi pericula, lacrymas & ærumnas.

Quomodo experimèto ipso potuerit, templũ (id est Ecclesiam) sub Apostolorũ prædicatiõnis tempus, fumo fuisse oppletum.

Verùm enim verò, totus hic fumus procedebat (ait textus) *A claritate Dei, & virtute eius*, quippe Dei gloria erat, quæ ipsam decolorabat Ecclesiam atque infuscabat; eamque in maximum videbatur discrimen reuocare. Hoc in eo cumprimis verum apparet, quòd primitiui Christiani diuinã duntaxat gloriam pro virili parte spectabant: Iudæis videlicet longè absimiles, quibus Christus Ioan. 5. nu. 44. edixerat, *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis: & gloriam quæ à solo Deo est non quæritis?* Imò verò nihil aliud Christi fideles, præter maiorem Dei gloriam, inquirebant. Hęc igitur Dei vnius gloria, ad quam ipsi semper anhelabant, tunc Christi Ecclesiam fumo replebat; fumusque iste non fuit minùs Deo glorioſus, quam nubes ac nebula, quæ Mosaicum olim tabernaculum & Salomonicum templum, in vtriusque consecratione complere visæ sunt. Et quemadmodum intelligo hunc Apocalypseos fumum; ita etiam explico illum, de quo Isaias 6. 4. Et mirificè consentit hæc explicatio cum templi periculo, quod figuratur pariter in eo, quod asserit Isaias; domum scilicet desuper ruere videri: id enim est, *Commota sunt superliminaria*, vt in eius capitis expositione dicemus libr. 9. Si autem & fumus ex Dei claritate, & ex Dei virtute commotio superliminarium oriebatur; profectò quod fumi speciem præferebat, id Christianæ Ecclesiæ erat glorioſissimum; quod imbecillitatis faciem atque periculum, id firmissimum pariter ac tutissimum. Atque hoc est, quod textus significat, nimirum densum illum fumum, quo domus redundabat, & maximam periculi significationem ex Dei claritate & virtute procedere. *Nam virtus in infirmitate perficitur*: & gloria in ignobilitate & abiectione. Quamobrem in ea ignominia ac dedecore, quo tunc Christiana afficiebatur Ecclesia, ipsius gloria sita erat, multò meliùs, quàm in quauis alia maiestate & amplitudine. Similiter in grauissimis periculis, quibus pro Dei gloria conflictabatur, ipsiusmet Ecclesiæ virtus & fortitudo enitebat.

Explicatur tandem, quo sensu dicatur fumus à claritate Dei, & eius virtute prodire.

B

Quid sit Isaiæ 6. domum impleri fumo, & commoueri superliminaria.

Et nemo poterat introire in templvm, donec consvmmarentvr septem plagæ] Satis patet, hoc ad fumum esse referendum. Sicut enim nubes, aut nebula impedimento erat, quominùs Moses posset tectum fœderis intrare, Exod. 40. 32. aut sacerdotes possent in templo existere, ac ministrare, 3. Reg 8. 10. Haud aliter fumus dicitur hic templi ingressum prohibere. Quinimo plus homines arcentur à domo siue templo fumo oppleto, quàm aut nebula aut nube referto, fumus enim, præterquàm quod lucis splendorem oculis eripit, oculos ipsos lacrymis infestat, fatigat, atque conturbat. Nihilominus quod textus ait, *Nemo poterat introire*, non ita accipiendum est, quasi aliquis ingressum seriò cogitans, non posset per medium ipsum fumum, quantumuis difficulter, prætentâ saltem manu parietes contrectans, eò sic demum ingredi: sed ita accipi debet, quasi nulla fuerit super claritas, cuius ope illuc aditus patêre posset. Quapropter hoc in loco non is intenditur sensus, vt perſistente septem phialarum bello nullus omnino ex Gentilib. persuadere posset in templum, id est in Christianam Ecclesiam, eius fidem suscepturus. Sed id vnum innuitur; Ecclesiæ ipsius splendorem & claritatem non apparere, nec eius pulchritudinem carnalibus oculis retegi, sed potiùs ipsius Ecclesiæ ingressum perinde videri, quasi quis sese in fumum, in laborem, in periculum coniiceret. Eiusmodi tamen fumum & caliginem non fore perpetuò duraturam: nam à septimæ plagæ effusione, fumum in claritatem, deformitatem in pulchritudinem, periculum & lachrymas in solatium ac securitatem conuersum iri: vt reapse accidit, & constabit infrà, cùm ad plagam septimam peruentum erit: de quo cap. 16. fine, & cap. 17. & 18.

Quo sensu dicatur nemo posse in templum introire.

C

Præter hæc, sicuti in veterum figurarum gratiam ac venerationem, arcana diuinorum mysteriorum, quasi inuolucris quibusdam obtegebantur, nubesque ipsa veteres, arcebat sacerdotes, nec ad interiora spiritalis templi penetralia intrare sinebat: ita etiam fumus hic, qui Christi Ecclesiam à Gentilibus tunc oppugnatam obtexit, quanuis re verâ esset fumus ex Dei gloria procedens, vt fumus tamen aspectum prohibebat, nec patiebatur, vt ad templi interiora, & ad arcanum diuini consilii mysterium accessus fieret. Nam fumus ipse impedimento erat, ne cerni, aut intelligi posset effectus ex eodem fumo subsecuturus. Quare fidelis tum populus in medio illo fumo poterat cum Davide proferre, Psalm. 72. 16. *Existimabam, vt cognoscerem hoc; labor est ante me* (fumus quippe mihi eliciebat lachrymas) *donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in nouissima eorum.*

D

Digitized by Google

NOTATIO IV.

De discrimine claritatis magnæ à nebula & fumo.

Opinio eorum, qui nubem, nebulã ac fumũ in sacris pro eodem accipiunt.

SVNT qui, cùm in aliquot Scripturæ locis dicitur templum nebulâ seu nube, in aliis fumo repleri, cùm fumus ipse dicatur à claritate oriri, sibi persuadeant, tam in hoc Apocalypseos loco, quam Isaiæ 6. quod ad visionem attinet, fumum eundem esse cum nube, siue nebula aut caligine, de quibus sermo est Exod. 40 31. Num. 9. 15. & 3. Reg 8. 10 & 2 Paral. 5. 14 & Ezech. 10. 3. Addunt præterea, nullum alium fumum, aut nubem siue caliginem apparuisse, nisi nimiam & inaccessibilem claritatem; quæ idcirco appellatur caligo, nubes, nebula, fumus, & tenebræ: nam nimia hac luce syderantur oculi mortalium. In huius rei probationem adducitur illud 1. Tim. 6. 16. *Lucem habitat inaccessibilem, quam nullus hominum videre potest.* Ita noster Prado Ezech 10. 4. Fauet Caietanus, qui illud Actuum 1. n. 9. *Nubes suscepit eum ab oculis eorum*, exponit de claritate nimia, quæ cœpit à Christo Domino dimanare Vnde & aliqui dicunt, illam veluti nubem in longum ductam, quæ lacteam in cœlo viam efficit, nihil esse aliud, quàm plurimum stellarum inibi conglobatarum fulgorem.

2. opinio distinguentium quidem nebulam siue nubem à luce: non tamẽ nebulã à fumo.

Aliis placet, nebulam siue nubem in prædictis locis esse diuersam à luce, atque adeò veram extitisse nebulam, siue nubem eam, quæ templum impleuit Exod. 40. 32. & 3. Regum 8. 10. Inter nubem tamen & fumum nihil ponunt discriminis existimantes, qui appellatur fumus Apocalyps. 15. 8 & Isaiæ 6. 4. eundem fuisse cum nube siue nebula, & hunc ipsum alibi vocari caliginẽ. Sic Forerius in eo Isaiæ loco; qui fumum illum, quem refert Isaias, non accipit de vera fumi natura vel imagine, sed de nebula. Et probari videtur posse hæc opinio ex Isaiæ 4 5. *Creabit Dominus super omnem locum montis Sion nubem per diem, & fumum & splendorẽ ignis per noctem*, vbi eandem nebulam videtur appellare Propheta fumum noctis; quòd vna ex parte sit obscura, & lucida ex altera.

Impugnantur duæ superiores sententiæ.

Ceterùm, vt meam hac de re sententiam exponam; imprimis procliue est velle ea confundere, quæ si distinguantur, non facilè apta distinctionis ratio reperitur. Quare cùm in quibusdam Scripturæ locis inducatur Deus *Amictus lumine sicut vestimento*, vt Psal 103 2. in aliis verò à Dei præsentia fumus dicatur procedere; & in aliis, nebula: compendiaria subterfugiendi difficultatem via fuit visa, confundere lucem & tenebras, nubem & fumum; atque adeò eam abijcere curam, quę reddat rationem, cur Deus alibi tenebris, alibi luce, alibi nebula, & fumo alibi se operiat?

In Scriptura fumum à nebula seu nube distingui.

Secundo; Scriptura sacra manifestè videtur distinguere fumum a nebula siue nube; dum alibi ait, templum impletum fuisse fumo, alibi impletum nebulâ. Quod validè fulcitur; quia Exod. 19. 16. & 18. vtrumque exprimitur, nempe & nubes de cælo descendens, & fumus ascendens de monte. Dicitur enim: *Cœpit nubes densissima operire montem: totus autem mons Sinai fumabat: eo quòd descendisset Dominus in igne super eum, & ascenderet fumus ex eo, quasi de fornace.* Item Exod. 40. 32. perspicuè habetur sermo de nube lucida & splendida, cui nulla ratione quadrat nomen fumi. Præterea Hieronymus & Cyrillus fumi nomen manifestè accipiunt, prout distinguitur à nube, siue nebulâ vel nimiâ luce, Isai c 6. Etenim si fumus ibi pro nimia claritate, vel etiam pro nebula sumeretur: ineptè exponerent fumum de vrbis incendio. Iam columna nubis (de qua Exod 13. & 14. & 40 Nu. 9. & 10. & Deut. 1.) minimè erat lux inaccessibilis: sed propria nubes, quæ de die filios Israelis à solis æstu protegebat, & de nocte quadam ignis specie eos illuminabat: vt habetur Num. 9. 16. Quare simili ratione dicendum est de nube, quæ impleuit tabernaculum Exod. 40 32. & Salomonis tẽplum, 3. Reg. 8. 10. Eam videlicet veram fuisse nubem. Etenim tam tabernaculum, quàm templum impleta sunt nube: vt Israelitis notum fieret, in ipso tabernaculo & templo habitare summum illum & præpotentem Deum, qui in columna nubis apparuit, & cum Mose fuit collocutus. Lege Exod 16. 10. *Gloria Domini apparuit in nube*, & cap. 33. 9. *Descendebat columna nubis, loquebaturq; cum Moyse.* Ex quibus facilè cernitur: nubem siue nebulam distinguendam esse à fumo: quia columna nubis non potest fumi-columna congruenter vocari.

Distinctionem ab Scriptura traditam obseruari imprimis oportere.

Tertiò, recta ratio dictat, obseruandam religiosè distinctionem, quam Scriptura indicat: dum alibi ad Dei præsentiam excitatur nubes: vt Exod 40. 32. alibi fumus: vt Isaiæ 6. 4. & Apocalypsis 15. 8. alibi tam fumus, quàm nubes: vt Exod. 19. 16. & 18. & Isaiæ 4. 5 *Nubes per diem, fumus per noctem.* Deinde fumus & densa nebula, siue obscura nubes, non malè nominantur caligo & tenebræ. Sed: quibusdam in locis inducitur Deus amictus lumine seu nube lucida: vt Psalm. 103 2. In alijs verò dicitur posuisse *tenebras latibulum suum*, vt Psalm. 17. 10. & Psal. 96. 2. *Nubes & caligo incircuitu eius.* Quamobrem, cùm huiusmodi distinctionem innuat Scriptura, quærenda est in ipsa significatione congruens distinctionis ratio: nam ipsamet significationis proportio, Deo auspice, facilè ostendet, distinctionem illam à textu indicatam minimè neglectum iri. Et meo quidem iudicio, planum fecimus in commentario superioris versus octaui, minimè fuisse ad rem, si templũ ibi claritate seu nube plenum induceretur. Nec enim aut claritas, aut nubes congruenter significare possent quod fumo significatum est.

Redditur distinctionis ratio, quod ad significationem spectat.

Quid in nube lucida: quid in obscura figuretur.

Quid significet, Deum luminis circumuestitum: quid item tenebras obducta.

Vt igitur à clarioribus procedamus, nihil familiarius est, quam diei & noctis positionem esse aptissimam ad prosperitatis & aduersitatis vicissitudinem adumbrandam. In hac ergo distinctione proximum est, vt per nubem lucidam significetur fauor atque prosperitas: per obscuram & tenebricosam aduersitas & labor. Atque de his dilucidè loquitur Ezechiel 34. 12. dum meminit diei, nubis & caliginis. Quod quidem qui ad nimiam claritatem referat: confundat necesse est lucem cum tenebris, cum nocte diem. Potrò Deum lumine circũuestiri: manifestè significat maximam sui ostensionem. Similiter tenebris eum obduci, denotat ingentem dissimulationem. Quapropter Psalm. 103. 2. (vbi agitur de creationis operibus, in quibus se Deus perspicuum & manifestum maximè ostendit) dicitur *Amictus lumine sicut vestimento.* In Psalmis verò 17. & 96. (vbi de prouidentiæ operibus sermo est, in quibus seipsum, suamque gubernationem Deus obtegit) asseritur *Posuit tenebras latibulum suum.* &, *Nubes & caligo in circuitu eius.* Atque de hoc discrimine inter creationis & prouidentiæ opera latè diximus cap. 5.

Diuina prouidentia opera quomodo per densas tenebras & per nubem lucidam denotentur.

Et quemadmodum densæ tenebræ, aut nubes valde obscura symbolicè repræsentant illa opera, in quibus sese Deus occultat: ita è contrario, vbi suæ præsentiæ & fauoris aliquod præbet iudicium, non tamen omnino se exhibet manifestum, ibi proprius videtur esse locus nubis lucidæ & pellucentis: vt & splendor fauorem detegat, & obtegat nubes Dei maiestatem. Et eam fortassis ob rem Deus suum populum in gloriosa nubis columna ducebat, & ex ea alloquebatur Mosem: atque in eadem nube habebant Israelitæ lucem ad noctis tenebras illuminandas, & ad terrorẽ hostibus incutiendum. Quæ omnia mirificam continent proportionẽ: præsertim si illius populi status expendatur, in quo figuræ erant veluti nubes, quæ mysteriorum inibi delitescentium lucem temperabant pariter & obducebant, omnia enim erant antiquis nebulosa: & si quid interdum splendoris eos irradiabat, id erat exiguum quid & peregrinum: maximè si cum luce Euangelica comparetur. Quamobrem nubes etiam, quæ impleuit tabernaculum, Exod. 40. num. 32. vt ex ipso textu liquet. pulchra erat & splendens. Similiter nubes, quæ Salomonis templum repleuit 3. Regum 8. nu. 10. Nec tamen

ideo

Digitized by Google

ideo est necessarium, vt in ascensione & in vltimi iudicij die, eadem sit nubibus significatio. Ex eo enim quòd earum ministerio vsa sit diuina prouidentia ad sui ostensionem hominibus exhibendã; & quòd nubes ipsæ sint præcipuum inter res naturales instrumẽtum, in quo diuina prouidentia in rebus naturalibus elucescit: hinc inquam apparet congruentia, quæ inesse potuit, vt nubes pariter eligerentur tanquam gloriosus ac triumphalis Christi currus: vt diximus late ca. 1. vbi de nubium symbolo. Atque eandem ob rem delectæ pariter sunt nubes ad nubium mysticarũ (id est Euangelij prædicatorum) significationem.

Fumus, cuius sit symbolum.

Per fumum vidimus iam in commentario significari maximũ incendii & vastationis discrimen. Verùm nonnunquam veræ comminationis significationem exprimit: sicuti Exodi 9. quando Deus legem suo populo indicturus descendit: & nonnunquam adumbrat significationem ingruentis periculi, ad eum modum, quo ira mystica maximæ vindictæ figuram præ se fert. Ideirco in primitiuæ Ecclesiæ templo peropportunus fumo locus extitit: dum plagæ aduersus Gentilitatem immittebantur.

Conflictio nubis & fumi in mõte Sinai quid mysticè adumbret.

Si autem quærat aliquis, quid lateat mysterij in ea nubium è cælo & ex more fumi coniunctione, quando Deus in monte Sinai legem suo populo promulgauit: vt habetur Exod. 19. Respondeo, Si nubes ipsæ (sic enim fuisse videntur) obscuræ erant: per ipsas comminatio figuratur: sin gloriosæ etiam nubes ac lucidæ ibi apparuerunt: forte in nubium, & fumi societate significabatur, in lege fauorem promissionum cum minarum terrore pariter sociari. Quapropter ibi nec sola nubes, nec fumus solus erant ad rem, sed vtrumque pariter: nempe & nubes è cælo, & fumus è solo: sicuti in ipso textu non obscurè significari videtur. Si autem ibi & lucidæ nubes de cælo descenderunt, & fumus obscurus ascendit de terra: in vtriusque coniunctione fortè denotatur, fauorem quidem cælestem ex ipsomet cælo suam ducere originem: Dei verò iram ex nostra obstinatione. Quod tamen de ira propria, siue de propria vindicta, intelligendum est. Iram enim mysticam constat non ex terra, sed ex Deo ipso, eiusque gloria proficisci. Atque vt Apocalypseos fumus, qui templum repleuit, indicat primitiuæ Ecclesiæ calamitatem & periculum: sapientissimè figuratum est, illum non ex terra, sed à Dei maiestate siue gloria & de virtute eius deriuari. Etenim quanuis externa ipsa facies præ se ferret Dei iram, qua ipse fideles conficere & absumere videretur velle: ceterùm hac ipsa via & diuinæ gloriæ, & Ecclesiæ ipsius amplitudini gloriosiùs & excellentiùs consulebatur. Quare considerare non ineptè possumus, duplicem esse fumum: alterum quidem grauem & molestum, qui ex materiæ alicuius ad ignem applicatæ repugnantiâ exoritur: alterum glorioſum atque pergratum, quo Dei gloria suæ virtutis & efficacitatis clarissima prodat indicia. Et hic fumus non minùs est Deo iucundus, quàm redolens thymiamatis fumus, quo ipsius Dei ira placatur.

Alia expositio fumi, qui in hoc c. 15. Apoc. templum implauit.

Posset etiam affirmari, quemadmodum fumus in Sina mõte visus procedebat ex eo, quòd Deus in ignis specie ad ipsum montẽ descendisset: ita etiam fumum, quo templum in Apocalypsi completur, inde prouenire, quòd Deus ad Sionem montem in igne (scilicet Spiritus sancti) descenderit. Enim verò ignis ille montis Sina vindictam propriam: at hic Sionæi montis, mysticam præferebat. Quare in hoc secundo igne verum omnino redditur, ipsum *à claritate Dei, & de virtute eius procedere*. Id tamen non obstat, quo minùs verum etiam sit, quod nuper dicebamus, de diuini spiritus igne in terram ascendente. Hic enim S Spiritus ignis meritò nominatur *Claritas Dei, & virtus eius*. Et quia Apostoli, viique Apostolici hoc igne fuere contacti (sicuti montes fulminibus) & quia ipsi sunt induti virtute ex alto: ideo tantus fuit in Sione monte fumus coortus. Nam Spiritus sancti ignis eos adegit, vt solam Dei gloriam quærerent: ex quo graues Ecclesiæ angustiæ atque pericula profecta sunt. Sed tota hæc fumi vis atque copia in maximam Dei gloriam redundabat.

Respondetur fundamento secundæ opinionis suprà posita.

Supereſt vt ad Isaiæ locum superiùs pro Forerij sententia allatum respondeamus. Isaiæ verba sunt cap 4. nu. 5. *Creabit Dominus super omnem locum montis Sion nubem per diem, & fumũ & splendorem ignis per noctem.* Verùm si hæc verba serio expendere velimus: in ipsis nubes à fumo planè distinguitur: quandoquidẽ Isaias distinctione vtens ait, *Nubem per diem & fumum per noctem*, & meâ quidem sententia nubes diei accipienda est pro nube grata atque iucunda: fumus verò noctis pro molesto & acerbo. Cùm autem dies prosperitatẽ, aduersitatem nox repræsentet: duo isthæc ex æquo respondent admirabili illi vicissitudini, qua diuina prouidentia suæ Ecclesiæ sapientissimè consulit: interdum per manifesta fauoris signa, tãquam per nubes lucidas: interdum per angustias atque pericula, tanquam per fumum acerbissimum: vtrumque tamen pro summo Dei beneficio iure æstimandum. Id quod textus ipse innuit: cùm ait tam nubem, quàm fumum à Deo creari *super montem Sion*, hoc est in ipsius Ecclesiæ gratiam ac beneficium, ad Ecclesiæ ipsius solatium atque vtilitatem: vt eam propitiis nubibus mulceat ac foueat, & laborum fumo purget & excoquat. Ideo enim cum fumo coniungitur splendor ignis: qui vna ex parte significat periculum, ex alia effectum ipsum purgandi, ac perficiendi fideles, nec non Spiritus sancti igne accendendi.

Digitized by Google



Digitized by Google

A

CAPVT XVI.

TEXTVS.

*Vers.*1. Et audiui vocem magnam de templo dicentem septem Angelis: Ite, & effundite septem phialas iræ Dei in terram.

COMMENTARIVS.

IN primo huius capitis limine admonendus est mihi lector; duas res (quæ ad eius intelligentiam maximi momenti sunt) nihil opus esse à me in hoc loco disputari, cùm de vtrâque iam in superioribus egerim. Altera est, quod sit harum septem plagarum argumentum? Quis earum discursus, ac series? Qui etiam sint harum plagarum Angeli, siue ministri? de hoc enim diximus cap. præced. versu 1. Altera est, harum plagarum cum Ægyptiacis comparatio; quod fuerit Ægypti plagarum mysterium? Cur ibi decem, hic non amplius septem? atque ex his ipsis nouæ nonnullæ, nec inter Ægyptiacas numeratæ? qua de re latè diximus c. 8.

B

His ergo præstitutis: *Vox magna de templo*, quæ ad septem Angelos facta est, non solùm denotat præceptum Dei Opt. Max. in Christianæ Ecclesiæ templo, & in eius throno sedentis; verùm etiam Apostolorum decretum in eorum concilio sancitum de Euangelio Gentibus promulgando, deque mystica Romani Imperii expeditione aggrediendâ. Vt autem significetur & maximum rei momentum, & maximum lumen quod viris Apostolicis de cælo ad eam cogitationem affulsit; appellatur vox magna, quæ septem Angelis (id est Euangelicæ prædicationis ministris) indixit, vti phialas in terram diffunderent. Iam, quid denotent ipsæ phialæ, & cur vocentur phialæ iræ Dei, consule quæ superiori capite diximus.

Quid denotet vox magna de templo Ioanni audita

Verùm, quid sibi vult phrasis illa *in terram*? Etenim si hisce plagis prælium erat cum Gentilitate committendum; perperam dici videtur *in terram*, sed *in mare*: quippe quod in Apocalypsi Gentilitatis symbolum sæpe gerit. Deinde, huic præcepto non respondet, quod mox subijcit textus. Quanuis enim iussi sint Angeli phialas in terram effundere, & primus reapse fuderit in terrâ: secundus tamen suam phialâ in mare effudit; tertius in flumina ac fontes; quartus in solem: quintus in sedem Bestiæ: sextus in Euphratem: & septimus in ipsum aërem. Nunquid ergo Angeli aut plus, aut aliter quam

Quid sit phialas effundi in terram.

C

iussi fuerant, fecerunt? minimè sanè, sed in præcepto illo, *Ite & effundite in terram*: terræ nomen pro orbe vniuerso accipitur, vt sæpè alibi, id est pro vniuersis nationibus, & *in terram* hoc est in terrenos homines, hæ omnes plagæ effunduntur: etiam si videantur primâ specie aliò spectare. Quemadmodũ lapis in aëra coniectus, in terram demum recidit. Fortè etiam, cùm septem Angeli in templo cælesti esse figurentur, innuitur, eos ex æthere phialas deorsum, id est, terrã versus effundere: quanuis non phialæ omnes liquorem rectâ in terram immittant. Quòd si ad significationem ipsam mentis oculos conuertamus; meritò phialæ omnes in terram iubentur effundi: inde enim subsecutura erat terrenarum affectionum medicina, & mystica de terrenis hominibus vltio tantopere ab Apocalypsi celebrata. Porrò licet in prima Apocalypseos parte, distinctio maris ac terræ maximè fuerit expediens ad Iudæos à Gentilibus discriminandos: verùm in secunda hac parte, vbi iam de Gentibus ex professo habetur sermo, terræ nomen apte pro Romano Imperio & Gentilitate ponitur. Vsus enim fert, vt nomen terræ ad eam applicetur terram, de qua tunc agitur.

Terra nomẽ hic quid significet.

TEXTVS.

De prima phiala.

D

*Vers.*2. Et abiit primus, & effudit phialã suam in terram: & factum est vulnus sæuum, & pessimum in homines, qui habebant characterem Bestiæ: & in eos qui adorauerunt imaginem eius.

COMMENTARIVS.

EX septem plagarum serie, quam cap. 15. descripsimus, primam hanc phialam attingit confusio & dolor, quem Euangelii prædicatio Gentibus importauit: dum eos sceleris atque flagitii insimulabat. Ad huius phialæ effusionem seligitur Paulus Apostolus: idque duplici de causa. Prima est, quia in his phialis sermo est de prædicatione ad Gentes: atqui Paulus est prædicationis huius dux ac veluti signifer, ideo enim antonomasticè Gentium Apostolus nuncupatur. Quare nullus potuit reperiri aptior, qui primam hanc phialam effunderet. Deinde quia vt mundus peccati argueretur, & præsertim Romanum Imperium, (de quo sermo est,) nihil in toto sacrarum Literarum decursu inuenitur adeò insigne, vt caput primum Pauli Epistolæ ad Romanos à num. 18. *Reuelatur enim ira Dei de cæto super omnem impietatem & iniustitiam, &c.* vbi mira efficacitate eorum reuincit insipientiam, idololatriam, & nefanda

Prima phiala seu plagæ significatio qua sit.

Quis hanc phialam effuderit.

Digitized by Google

& nefanda ac deteſtanda flagitia; ac demum illos æterno ſupplicio dignos oſtendit. Notum autem A
eſt quod attinet ad mundum de ſcelere arguendum, vt Dei gratiæ neceſſitas magis eluceſcat; in hoc inquam Paulum eſſe magnum imprimis & excellentem Theologum, qui ceteris acriùs ac vehementiùs vires ac neruos omnes contendit in illud, quod ad Romanos 3. 23. fuit paucis complexus. *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.*

Confirmatur Paulum eſſe, qui primam hanc phialam effudit.

Præterea, vt ampliùs confirmetur, Paulum eſſe primæ phialæ Angelum; notandum eſt, Angelum hunc primæ phialæ eundem eſſe, qui poſtea cap. 17. 1. Ioanni indicat magnæ illius meretricis damnationem; ait enim textus. *Venit vnus* (id eſt primus) *de ſeptem Angelis, qui habebant ſeptem phialas: & locutus eſt mecum dicens, Veni, oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ.* In quo habetur reſpectus ad id, quod Paulus ſcribit 2. Theſſ. 2. n. 7. vbi de Romano loquens Imperio ethnico ait: *donec de medio fiat*, ſeque refert in horum verborum declaratione ad ea, quæ ipſiſmet coram fuerat locutus. *Non retinetis, quòd cùm eſſem apud vos, hæc dicebam vobis?* Porrò de Romani Imperii conuerſione non eò ſolùm loco Paulus agit; ſed etiam vbicumque ei incidit ſermo de diuitiis Gentium, deque Dei myſterio in Gentilici populi electione. Hic inſuper Angelus primæ phialæ ait poſteà cap. 21. 19. *Veni oſtendam tibi ſponſam vxorem Agni*, ſcilicet cæleſtem Hieroſolymam, & Eccleſiæ triumphantis gloriam. In hoc autem id attenditur haud dubiè, quòd in toto nouo inſtrumento nullus ſit locus ſiue tractatus ita perſpicuus & copioſus de Sanctorum in cælo beatitudine poſt generalem reſurrectionem; atque ille, qui B
à Paulo deſcribitur 1. ad Cor. 15. & 2. ad Cor. 5. vt alia interim eiuſdem Apoſtoli loca prætermittam. Quibus animaduerſis expendi debet, quàm honorificè Apocalypſis meminerit Pauli, quamque fuerit conſentaneum in hac Apocalypſeos parte, vbi de Gentibus agitur, ter fieri alluſionem ad ea, quæ hoc electionis vas conſcripſit, & prædicauit tribus de rebus, quæ in ipſius doctrina cumprimis extant, atque eminent. Prima eſt, quantoperè mundus Dei gratia indiguerit. Altera ſpectat ad diuitias Gentium, & earum conuerſionem. Tertia ad cæleſtes Chriſti diuitias, quæ in ingenti Eccleſiæ triumphantis gloria eluceſcunt.

Qui ſint ii homines, in quos hæc phiala fuit effuſa. Quodnam hic appelletur vulnus ſæuum ac peſſimum.

Sed veniamus iam ad ea, quæ textus tradit de primæ phialæ effectu. *Factum eſt vulnus ſæuum & peſſimum in homines*, (id eſt in hominibus) *qui habebant characterem Beſtiæ; & in eos, qui adorauerunt imaginem eius.* Qui ſint iſti homines, explicuimus cap. 13. Illi autem denotantur, qui propalàm & publica idolorum cultus profeſſione impiam Romani Imperii ſuperſtitionem aſſectabantur. Atque ea phaſis. *Vulnus ſæuum & peſſimum*, ita explicanda videtur; vt *vulnus ſæuum*, perinde ſit, quaſi valde crucians; *peſſimum* verò idem quod fœdum, & pudore ipſos homines afficiens; πονηρὸν enim ſignificat idem quod miſerum. Quod autem ſordidum ac fœdum, idem etiam miſerum eſt. Et ſic ſermo eſt de vlcere peſſimo Iobi. 2. 7. In præſenti tamen manifeſtè alluditur ad plagam Ægypti ſextam, Exod. 9. *Factàque ſunt vlcera veſicarum turgentium*: hoc eſt, vulnera ac plagæ in partibus verecundis, & natura ipſa ab hominum conſpectu ſemotis. Idem ipſum Ioannes voluit in hoc loco indicare. Sed graues ſcriptores in rebus C
eiuſmodi non apertiùs loqui ſolent; quàm, vt percipiantur, ſatis eſt. Et quidem ex alluſione ad Ægypti plagam coniectari facile hic poterat, de quibus vlceribus loqueretur textus.

Quid myſticè ſignificet, vlcera veſicarum de quibus in 6. Ægypti plaga) exorta fuiſſe ex cinere de camino in calum aſperſo.

Obſeruandum etiam eſt, illa veſicarum vlcera, de quibus Exodus agit, exorta fuiſſe *ex cinere de camino in calum aſperſo.* Quo ſignificatur, ex reliquiis illius ignis in terra ardentis in publicam lucem proditis, & ex manifeſta prædicatione, quæ miſerabiles ignis concupiſcentiæ effectus euulgauit; hinc inquam duxiſſe originem acerba illa vulnera atque horrida; quæ ſymbolice repræſentant dolorem, confuſionem atque pudorem, quo afficiebantur Gentiles in Euangelii prædicatione. Similem quoque ſignificationem reperire eſt in illis vlceribus, de quibus 1. Reg. 5. 6. *Agrauata eſt manus Domini ſuper Azotios, & percuſſit eos in ſecretiori parte natium*, & infra: *Computreſcebant prominentes extales eorum.* Quò etiam reſpicitur Pſalm. 77. 66. *Percuſſit inimicos ſuos in poſteriora; opprobrium ſempiternũ dedit illis.* Denique vt turpes ac libidinoſos ſæpè Deus punit verecundis ac moleſtis vlceribus; ita etiã Euangelii prædicatio ſpiritaliter Gentiles percutiebat confuſione atque dolore, qui ipſos acriter diſcruciabat, dum ſe propalàm tanquam peccatores & ſceleratos traduci, atque adeò inexcuſabiles reputari videbant. Quòd hæc plaga dicitur in terram effuſa, fortè denotat dolorem & confuſionem in ſæuis ac peſſimis vlceribus figuratam inde proficiſci, quòd Euangelii prædicatio & celeſtis illa diuini verbi ſementis in terrenas affectiones vitiis & cupiditatibus adſtrictas deciderit.

Ex obiectionis oppoſita ſolutione, prædicta cõfirmantur.

Quam expoſitionem vlcerum tradidimus, inficiari nemo poterit, aptam atque idoneam eſſe. Conſtat enim nihil potuiſſe aptius afferri ad verecundiam & confuſionem exprimendam, quæ in Gentiles incubuit, cùm de grauiſſimis ſceleribus fuerint conuicti. Nec ſum ipſe primus, qui eam expoſitionem inueni. Nihilominus tamẽ opponet aliquis, huiuſmodi interpretationem cum ipſius contextus ſerie & conſecutione non rectè conſentire. Iam enim in fine capit. 14. longiùs progreſſum fuerat ad prædicationis Euangelicæ fructum in multorum Gentilium conuerſione atque martyrio. Quomodo ergo nunc regreſſus fit ad pudorem atque dolorem, quo ſunt initio affecti Gentiles ex Euangelii prædicatione? Similis obiectio fieri poteſt contra ſequentis plagæ expoſitionem, In ea enim reditur quoque ad Neronis perſecutionem; quæ retro iam in cap. 12. manebat. Ad hoc igitur reſpondeo primò; non ſemper ſaltum arguit, aut ordinis perturbationem regreſſus ad ea, quæ ſuperiùs iam fuerant tractata ſæpè enim id requirit ipſius ordinis congruentia. Et verò, quid id attentè conſideret, facilè cernat, cùm ipſius diſcurſus ſeries exigat hic plagarum omnium in Gentiles immiſſarum mentionem coniunctim factam; neceſſarium eſſe, vt non tam de temporis, quàm de rationis ordine curetur: atque adeò fiat regreſſio ad id, quod ſuprà fuerat tractarum; vt ſeptem plagarum viſio foret integra, & ipſius diſcurſus perfectus redderetur. Secundò reſpondeo: quanuis verum ſit Gentilium dolorem & confuſionem & eorum perſecutionem

Digitized by Google

A cutionem in Euangelii prædicatores excitatam, (quæ sunt duæ primæ plagæ) initio ab Euangelii prædicatione duxisse originem; posteà tamen eundem præstitit effectum progressus in Euangelii prædicatione factus, & ipsamet concionatorum perseuerantia. Quare non omnino temporis ordo perturbatur; præsertim cùm ratio ipsa vrgeret, vt doctrinæ ordo præferretur.

TEXTVS.

De secunda Phiala.

Vers. 3. Et secundus Angelus effudit phialam suam in mare: & factus est sanguis tanquam mortui; & omnis anima viuens mortua est in mari.

COMMENTARIVS.

SI textus non ampliùs diceret, quàm *factus est sanguis*; nihil difficultatis erat in grammatico sensu. Manifestè enim iis verbis significaretur, mare ipsum sanguineo colore fuisse infectum. Quod verò additur, *tanquam mortui*, nonnihil difficultas habet. Nam quod quidam exponunt de atro sanguine, vel congelato; minimè placet, potest enim accidere vt sanguis ex mortuo animali fluens sit rubeus & nitidi coloris; sicuti in hœdi sanguine apparet. Nec verò aut diuersi coloris est, aut minùs congelatur sanguis ex scissa viui hominis vena exiliens, quàm cruor ex cadauere manans. Si verò ad maximam sanguinis vim & copiam referatur comparatio illa *tanquam mortui*: quia ex boue aliquo siue equo, cùm occiditur, plurimum effluit sanguinis; hoc quoque neutiquam videtur facere ad rem. Etenim: vt significetur, totum mare fuisse sanguineo colore tinctum, satis parum sanguinis est, quod ex occiso tauro, aut etiam ex mille tauris dimanat. Quid ergo significabunt verba illa, *tanquam mortui*? nec enim absque peculiari mysterio adiici credibile est. Existimabit quispiam, sanguinis hìc nomen non pro germano sanguinis colore, sed pro quouis atro liquore vsurpari; & fortè genitiuum illum *tanquam mortui*, ad mare mortuum referri: sic enim appellatur Asphaltites lacus Iosue 3.16. & eodem modo vocatur à Pausania lib.5. vt refert Lipsius in notis ad Tacitum lib.5. n.17. eius autem maris aquæ dicuntur esse bituminosæ, atque de eo bitumine loquens Tacitus; *Ater*, inquit, *naturâ suâ liquor*. Et concinit Iosephus lib.5. de bello cap.5. Facit etiam, quòd mare mortuum fuit ignis è cælo depluentis effectus. Similiter Apocalypsis cap.8. n.8. mons igneus in mare decidit, *& factus est sanguis*. Vnde suspicari quis posset, sanguinem ibi esse tetrum liquorem: cuiusmodi est in mari mortuo. Demum accedit, quia mox in textu sequitur, *Et omnis anima viuens mortua est in mari*.

Quid significet. sanguis tanquam mortui.

1. expositio.

C Verùm nihil horum est ad rem: non solùm, quòd violentum sit, aquas mortui maris appellari sanguinem; sed quia genitiuus ille *mortui* ad mare referri non potest. Nam vox Græca maris fœminea est: at genitiuus *mortui*, neuter, siue masculinus. Præterquàm quòd necesse est ex contextu nomen sanguinis in sensu grammatico accipi de proprio sanguinis colore; quippe in tertia plaga per respectum ad id, quod in secunda præcesserat, dicitur: *sanguinem sanctorum effuderunt*, deinde subditur: *Et sanguinem eis dedisti bibere*.

Refellitur praedicta explicatio.

Meo igitur iudicio, genitiuus ille *tanquam mortui*, denotat maris aquas fuisse sanguine infectas, quèadmodum in alicuius animalis immolatione aqua ipsa cadaueris cruore tingi solebat. Pro cuius explicatione obserua primò, *mortui* nomen ad hostias, seu victimas occisas applicari solere, sicuti de Christo Domino dicitur Apocalyps.1.18. *Fui mortuus*, Græcè, ἐγενόμην νεκρὸς, vbi manifestè νεκρὸς dicitur de occiso. Et facit, quòd νεκρὸς, de occisi cadauere solet sæpè dici ab Homero & Thucydide, vt videre est in Græcis dictionariis. Secundò obserua, allusioni ad Iudaicos ritus & veteres ceremonias aptissimum esse in Apocalypsi locum. Et verò res est non semel in sacris iterata: videlicet ex animalibus Deo immolatis fundendum esse sanguinem per altaris circuitum. Qua de re legatur Exod.29. 20. Leuitici 1,5. & 11. & cap.7.2. & cap 8.19. & cap.17.6. & 13. Deut.12.n.27. & Ezech.43.n.18. Constat autem iuxta altaris templi crepidinẽ extitisse quandam fossam, qua sanguis decurreret. Vide Ezech. D 43,13. Nec ferebat consuetudo, vt animalia omnia quæ immolabantur, in ipsa altaris crepidine mactarentur: vt ab ipso animali sanguis immediatè in fossam deflueret: sed feriebatur animal nonnihil ab altari remotum: eiusque sanguis vase aliquo siue lebete exceptus per altaris gyrum effundebatur, sicuti Villalpandus depingit in altaris æneo descriptione.

Auctoris interpretatio.

Animalia Deo immolatorũ sanguinem per altaris circuitũ effundi ex Dei præcepto solere.

Tertio obserua, non videri verisimile, hostiæ sanguinem in lebetem omnino vacuum infundi: sed in eum, cui aliqua saltem aquæ copia inesset: ita vt animalis sanguis cum aqua permistus (sic enim apud nos fieri solet cùm vena alicui, siue in ipsa manu, siue in pede scinditur) per altaris ambitum faciliùs effundi ac defluere posset: alioquin sæpè sanguis congelaretur, nec aptè decurrere valeret. Cùm autem tot animalia in eo altari tunc immolari solerent, ne ipsa altaris crepido, & omnia altaris ipsius vasa valde essent cruenta, immunda & sordida: nihil potius aut congruentius occurrit, quàm vt sanguis ipse semper cum aqua misceretur. Atque hoc ipsum, quod ad munditiam & facilem sanguinis fluxum ac legis ipsius obseruationem de sanguine per altaris gyrum fundendo maximè erat consentaneum, hoc inquam mysterio ipsi congruentissimum erat: nec enim absque arcano & singulari mysterio ex Christi latere *exiuit sanguis & aqua*, vt habetur Ioan.19.34. Si hoc igitur maximum in se continebat mysterium: quid, obsecro, conuenientius, quàm vt idem etiam mysterium fuerit in antiquis sacrificiis adumbratũ: in ea videlicet consuetudine aquam semper cum sanguine miscendi.

Hostia sanguinem in lebetem infusum cum aqua misceri solere, verisimile coniectura deducitur.

His

Digitized by Google

Quomodo consideretur in hoc Apocalypseos loco aqua maris in sanguinem conuersa.

His ita præmissis: si Hebraici populi consuetudine receptum erat, vt occisi animalis sanguis aquam, cui admiscebatur, tingeret; deinde si illud pariter hic intendebatur, vt significaretur mare totum sanguineo colore fuisse suffusum; quid potuit aptius dici, quàm maris aquam in sanguinem fuisse conuersam; non secus atque in lebete, in quem animalis immolati sanguis immittebatur, aqua ipsa sanguineo tingebatur colore? Hoc ergo est, quod sonant verba illa, *Effudit phialam suam in mare, & factus est sanguis tanquam mortui*. Atque hactenus de grammatico sensu. Vt autem gradum iam ad mysterium in his verbis inclusum faciamus; ad secundam hanc plagam spectat (vt supra vidimus) crudelissima Romani Imperij persecutio aduersus Euangelii concionatores suscitata. Cùm verò per mare Gentilitas figuretur; ad cruentæ persecutionis symbolum nihil potuit aptius effingi, quam mare vniuersum sanguineo colore fuisse tinctum. A

Secunda huius plagæ mysterium & significatio.

In huiusmodi figura aliquis satis mysterii latuisse putabit, si dicatur maxima fuisse Martyrum sanguinis copia in omnibus Imperii prouinciis effusa: siue potiùs illud fuisse vniuersale quoddam Romani Imperii bellum contra Euangelii prædicatores vbique gestum. Sed huic significationi illud imprimis addendum est, confusionem quidem atque pudorem, quo Euangelica prædicatio Gentiles ipsos præpediebat, fuisse in singulorũ animis peculiarem, & imis pectoribus abditum; ideoque primam phialam in terram fuisse effusam: at verò persecutionem ipsam omni virium contentione, & totius Romani Imperii auctoritate & potentiâ fuisse instauratam: & idcirco phialam secundam in mare fuisse exoneratam. Simili ratione, qua Imperium ipsum in maris Bestia figuratum fuit, sapientia autem carnis in Bestia terræ, cap. 13. B

Explicatur amplius prædicta plagæ 2. significatio.

Dices; si harum plagarum finis is fuit, vt per illas bellum in Gentilitatem fieret: eiusmodi debebat esse figura, vt plagæ omnes in Gentiles ipsos viderentur immissæ, at in hac secunda plaga secus accidit; neque enim bellum & persecutio in Gentiles, sed in Christianos ipsos consurgebat. Quomodo ergo hæc inter plagas Gentilitati immissas numeratur? Responderet quispiam, satis fuisse, vt iuxta diuinæ prouidentiæ consilium, persecutio dirigeretur ad mysticam de Romano Imperio vindictam sumendam, & ad idololatriæ euersionem, atque fidei Christianæ incrementum: necem autem Euangelicis prædicatoribus illatam gloriosè triumphasse de vniuerso mundo; ac demum Romanum Imperium subiugasse. Hæc tamen responsio non illis fortasse satisfaciet, qui non modò optant, mysterium nomini plagarum in Gentiles immissarum respondere; sed etiam in ipsa figuræ atque visionis externa facie ita induci has plagas tanquam aduersus Gentiles illatas. Quamobrem non satis est dicere, sanguinem illum in cælum clamores edere, & vltionem aduersus ipsos carnifices flagitare: hoc enim non significatur satis aptè in ea figurâ maris in sanguinem conuersi. Idcirco congruentiùs fortasse dicetur, sanguineam maris infectionem repræsentari hîc quasi rem mari ipsi contrariam; quippe piscium interitus in maris ipsius detrimentum cedit. Subditur autem in textu, *Et omnis anima viuens mortua est in mari*. Quare figura ipsa est quasi plaga, per quam mare ipsum vehementer infestatur. Etenim Martyrum sanguis admirabili quadam ratione acriter Imperium Romanum ethnicum oppugnabat. Quòd si lubeat seriò attendere comparationem eam, qua Ioannes vtitur de sacrificii sanguine aquam lebetis tingente; in ea comparatione clarè perspicitur, aquam ab infuso sanguine superari, & ipsius colore inficì; atque adeò illi quodammodo subiugari: ita vt quò sanguis flueret, eò etiam fluere deberet aqua: ac proinde sanguine per gyrum altaris effuso, ipsa pariter aqua funderetur. Si autem de bello mystico in sanctificationem gesto sermo est: si mari item ipsi perinde accidisse indicatur, quasi lebetis, aquæ, cui animalis oblati sanguis admiscebatur: in hoc ipso eiusdem maris sanctificatio innuitur. Nam verissimè dicitur, sanguine cum aqua permisto, aqua ipsa sanctificari. Ille namque sanguis, cùm effundebatur, offerebatur Deo: id quod expressè habetur Leuit. 1. n. 5. *Offerent filij Aaron sanguinẽ fundentes per altaris circuitum*. Huius verò sanctitatis particeps fiebat aqua, cui miscebatur sanguis: nam pariter in Dei honorem cum ipso sanguine fundebatur. Quare, si mysticum bellum mari illatum ad ipsius sanctificationem ordinabatur: rectè consonat, vt Martyrum sanguis misceatur cum Gentilitatis mari: nam sanguis aquæ admistus eandem sanctificat. C

Quo sensu dicatur omnis anima viuens fuisse mortua in mari.

Mysterium sanguinis & aquæ ex Christi latere fluentis.

Iam si mysterium velimus contẽplari sanguinis & aquæ ex aperto Christi latere fluentis: ibi certè totius mundi sanctificatio fuit typicè figurata. Mundus namque per aquas designatur; quia *aquæ multæ populi multi*, & ex Christi latere prodiit vniuersalis Ecclesia per Christi ipsius sanguinẽ detersa, ac defæcata (alius autem sensus eorum verborum 1. Ioann. 5. n. 6. *Non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine.*) Et quanuis tota huius sanctificationis aquarum efficacitas ex Christo, quasi proprio ex fonte, deriuetur: nihilominus verum etiam est, quod Christus sua passione incepit, ab eodem deinceps per Martyrum passionem fuisse prouectum. Quare suo etiam modo Martyrum sanguis aquas, hoc est Gentilitatis mare, sanctificauit. Quamobrem licèt ex effuso Martyrum cruore opinarentur Gentiles, Martyres ipsos deuictos prostratosque esse; Scriptura tamen id proponit, quasi signum omnino certum victoriæ atque triumphi de Gentilitate ipsa reportandi. In cuius rei figura illustrissimum est, quod refertur 4. Regum. 3. 22. *Viderunt Moabitæ aquas rubras quasi sanguinem; dixerunt́q;, Sanguis gladij est; pugnauerunt Reges contra se & cæsi sunt mutuo. Nunc perge ad prædam Moab, porrò consurgens Israel percussit Moab.* Itaque exitus ipse ostendit, Moabitas fuisse deceptos; & rubeum illum aquarum colorem esse quasi ostentum præsagiens futuram Moabitarum cædem ab Israelitis faciendam. Similiter ergo contigit in profuso Martyrum cruore, quo Gentilitatis mare tingi visum est. Tametsi enim Gentiles credentes mysticum Israelem victum esse ac profligatum, sese ad prædam mutuò incitabant: re tamen ipsâ sanguis ille portendebat Gentilitatis excidium ac ruinam. Atque ita inter plagas mysticas aduersus Gentilitatem immissas aptissimè annumeratur visio maris aquæ Christi Martyrum sanguine vndique tinctæ. D

Supereſt,

Digitized by Google

A Supereſt,vt nonnihil dicamus de verbis illis,*Et omnis anima viuens mortua eſt in mari.* Atque imprimis non id eſt ita accipiendum, quaſi fuerit hæc ſanguinei coloris cauſa, ita vt ſuffuſus ſanguinis color inde prouenerit, quòd occiſa fuerint omnia viuentia, quæ erant in mari. Nec enim ſenſus ſic eſt intelligendus,ſed potiùs è contrario,vt piſcium marinorum interitus duxerit originem ex eo, quòd mare ipſum ſanguine fuerit imbutum. His autem verbis denotatur, quod ex ipſa perſecutionis ſæuitie & immanitate fuit conſecutum; videlicet Chriſtianos omnes, quotquot in Romano Imperio inuenti ſunt,morti addictos deſtinatoſque manere. Elegantiſſimè enim ij ſolùm dicuntur habere animas, qui eas non in caſſum acceperunt; vnde fideles duntaxat inter viuentes animas computantur. Et quanuis non omnes fideles in ea perſecutionis procella reapſe fuerint trucidati;leges tamen impiæ & edicta execranda omnes pariter Chriſtianos ſine diſcrimine damnabant. Quapropter nõ ij ſolùm,qui reapſe à tyrannis capite plectebantur; ſed reliqui etiam omnes, qui in Catholica fide ſtabiles perſiſtebant, inter mortuos poterant quodammodo numerari. Nam cùm eos leges morti deſtinarẽt;neceſſe erat, aut vitam amittere,aut profugos ſemper in latebras ſeſe abdere: ideoque eis Paulus edicit, *Mortui enim eſtis,& vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo,* ad Coloſſenſes c.3. *Quid ſit, omnem animam viuẽtem in mari mortuam fuiſſe.*

Quòd ſi ſanguineus color in aquis eleganter accipitur quaſi ipſius maris plaga; ad eandem etiam plagam pertinet piſcium interitus,quo Chriſtus myſticè vlciſcitur Gentilitatis mare : ſcilicet quia ex hac morte erat oritura vera mundi vita,atq; ſalus. Etenim ſicut in tritici grani allegoria veriſſimè B dictum eſt;*Si granum frumenti mortuum fuerit,multum fructum affert.* Ita etiam in ſacris Literis reperimus aquam ſanguine miſtam è templo effluentem,quæ viuis piſcibus vitam videbatur ablatura, eam ipſam alere innumerabilem viuentium piſcium multitudinem, vbi nullus antea alebatur. Lege Ezechiel.47.vbi deſcribitur fluuius egrediens è templo (in quo alluditur ad torrentem è templo exeuntem cum ſacrificiorum cruore permiſtum)& ſanctificans mare mortuum, illudque ſanans, ac vim immenſam viuorum piſcium in eo generans. *Tam ſanguineum colorem, quàm piſcium interitum, concipiendũ eſſe, quaſi maris ipſius plagam.*

TEXTVS.

De tertia phiala.

*Vers.*4. Et tertius Angelus effudit phialam ſuam ſuper flumina,&ſuper fontes aquarum, & factus eſt ſanguis.

5. Et audiui Angelum aquarum dicentem, Iuſtus es Domine, & qui es, & qui eras ſanctus, qui hæc iudicaſti.

6. Quia ſanguinem ſanctorum & Prophetarum effuderunt, & ſanguinem eis dediC ſti bibere:digni enim ſunt.

7. Et audiui alterum ab altari dicentem, Etiam Domine Deus omnipotens, vera & iuſta iudicia tua.

COMMENTARIVS.

AD tertiam hanc plagam (vt vidimus c.15.) pertinet tractatio de illa perſecutionis in Chriſtianos commotæ parte, quæ Gentiles ipſos contigit. Atque ad huius plagæ ſignificationem ſapientiſſimè inducuntur fontes ac flumina, ſanguineo pariter colore infecta. Alluſio eſt ad plagam Ægypti primam, de qua Exod.7. num.20. & de eius ſignificatione nonnihil diximus c.11. notat.7. vbi tamen acuratiorem ea de re tractationem ad hunc locum reiecimus. *Tertia plaga ſcopus ac ſignificatio.*

Obſeruandum eſt igitur in ſecundæ phialæ plaga non actum fuiſſe de ſanguine maris vndas tingente,quaſi ſanguis ille profluxerit ex prælio aliquo cum ipſis Gentilibus commiſſo ; ſed quaſi ex eo prælio,quod ipſi cum Euangelij prædicatoribus inierunt.Quamobrem,licèt in diuinæ prouidentiæ conſilio ſanguis ille fuerit myſtica aduerſus Gentilitatem plaga, non tamen videbantur directè ſaltem Gentiles ſibimetipſis inferre bellum, quod aduerſus Chriſti prædicatores promulgabant. D Quinimò ipſum Gentilitatis mare videbatur ſuorum aduerſariorum ſanguine maculari , atque adeò Gentiles ipſi hoſtium effundere ſanguinem, nec tamen ad eos perſecutionis procella peruadere. In hac verò tertia plaga peruenitur ad id, quod ex ipſo perſecutionis conflictu redundauit; videlicet quòd illius tempeſtatis calix ipſiſmet etiam Gentilibus Chriſtianos acerbè inſectantibus fuerit propinatus. Cùm enim Ethnicorum quamplurimi ad Chriſtianam Religionem paſſim traducerentur, perſecutionis etiam vis ad ipſorum perſecutorum cognatos & affines ſeſe extendit, factum igitur eſt, vt qui ſe ab amara illa perſecutionis & ſanguinis potione immunes eſſe putabant, poſteà illam pariter hauſerint : atque adeò quod initio bellũ aduerſus ſolos exteros fieri credebatur, poſteà in ciuile,domeſticum,& valde inteſtinum euaſerit,vtpote inter patres ac filios, inter fratres & conſanguineos geſtum.Quod ipſis quoque victoribus ſolet eſſe miſerrimum. Vnde effectum eſt, vt qui antea exiſtimabant, ſe calicem perſecutionis minimè libaturos, ſed propinaturos potiùs inimicis, poſteà euadere non potuerint, quin illum ebiberent. *Explicatur adhuc tertia huius plagæ myſterium.*

Ad inteſtini huius belli repræſentationem eleganter fontes ac flumina ſanguine dicuntur fuiſſe tincta. Illud enim hìc ſignificatur, perſecutionis ſcilicet calicem ab ipſis etiam perſecutoribus fuiſſe potatum. Quam ad rem appoſitè finguntur flumina ac fontes ſanguine tingi. Hac enim ratio- *Cur fontes ac flumina ſanguine perhibeantur tincta.*

Digitized by Google

ne nemo videtur sanguineam posse potionem vitare. Et manifestum est, hoc in loco per sanguinis potum non victoriæ triumphum, sed plagam denotari. Si autem in ipsa sanguinis effusione crudelitas belli maximè sita est, vt innuatur, huius etiam calamitatis Ethnicos esse participes, mirificè inducuntur flumina & fontes infecti cruore. Nec enim maris aqua, sed fluminum potiùs & fontium ebibitur. Vnde domesticum bellum & pestis intestina rectè in fluminibus ac fontibus sanguine tinctis figuratur. Nam qui potatur liquor, ad ipsa penetrat intestina. Quapropter in hac plaga significanter depingitur pacis domesticæ perturbatio, & bellum intestinum, quo ipsimet Gentiles acriter perculsi sunt, per easdem leges immanissimas, quæ contra Christi seruos promulgatæ, & executioni mandatæ sunt. Si ergo maris plaga in eo imprimis consistebat, vt mare ipsum sanguine vndique tingeretur, plaga hæc tertia ex secunda oritur, & eandem auget; cùm flumina ac fontes ex mari profecta, eodem se demum exonerent. Quare tertiâ hac plagâ, quæ ex secunda ducebat originem, rubeus sanguinis color in ipso mari augescebat. A

Quid sit, Angelum aquarũ & Angelum altaris Deo laudem tribuisse. Quinàm per duplicem hunc angelum adumbrentur?

Sequitur in textu, tam Angelum aquarum, quàm Angelum altaris Deo gloriam ac laudem deferre propter æquissimum ipsius iudicium, quod in eo vel maximè splendescit, vt Gentiles, qui Christianorum sanguinem sitiebant atque exugebant, eandem quoque tempestatis vim sustineant; & eandem participent immanitatem. In his duobus Angelis crediderim Mosem & Eliam adumbrari; de quibus cap. 11. actum est sub duorum testium figura, cap. 14. in vindemia. Quod quanuis explicatum ibi à nobis sit, quòd tamen hic asserit textus, expositionem nostram haud parum confirmat. Nam imprimis *Moyses* idem significat, quod *attractus* (sub audi) *de aquis*. Lege Exodi cap. 2. 10. *Vocauit nomen eius Moyses dicens, quia de aqua tuli eum.* Deinde, [in superioribus iam vidimus in Apocalypsi per altaris Angelum denotari Eliam. Est enim idem cum illo, qui dicitur habere *potestatem super ignem*, vt expendimus cap. 14. Porrò ipsa Angeli aquarum cum altaris Angelo coniunctio satis etiam roboris huic interpretationi addit: cùm liqueat, in Apocalypsi (sicuti in Transfigurationis etiam mysterio) Mosem & Eliam consociari. B

Cur in duabus plagis præcedentibus non dicantur Deo laudes attributæ, secus tamen in hac tertia?

Enim verò quemadmodum cap. 11. & cap. 14. Mosis & Eliæ personæ accipiuntur mysticè: sic etiam in præsenti debent accipi pro seruorum Christi sapientia & sanctitudine. Nihil verò cohærentius, quàm vt in tertia hac plagâ sapientia & sanctitas fidelium gaudio ac voluptate perfundantur ob admirandum illud flagellum, quo Deus Gentiles ipsos plectebat. Nec mysterii expers est, quòd in prima & secunda plagis nemo introducatur, qui Deum propter ipsarum effusionem collaudet, at in hac tertia Moses & Elias mystici ad hoc munus præstandum inducantur. Cuius discriminis ratio ea est, quia in plagis his mysticis primarius spectabatur finis Ethnicorum hominum conuersio, vt ex supradictis videre est. Et in duabus quidem primis nondum deducta res erat ad fructum ex illis Gentilibus metendum, qui se & Christi iugo subiicerent, & morti pro ipso subeundæ constanter exponerent. At verò in tertia hac plaga primitiæ tanti huius fructus viros Apostolicos in Mose atque Elia figuratos magnopere oblectant & exhilarant? & tam ipsorum sapientia, quàm diuini obsequij zelus in Gentilium conuersione atque martyrio mirum in modum exultant atque triumphant. C

Verùm cùm fructus is, quem Deus ex huiusmodi plagis decerpebat, sub vindictæ specie nobis hic ob oculos proponatur; congruenter excogitatũ est, vt grates per mysticos Mosem & Eliam Deo actæ referantur sub ea formula ac norma: *Iustus es Domine, qui hæc iudicasti*, &c.

Dei nominis explicatio cur, & qua ratione hic adiũgatur?

Cùm his autem verbis coniungit mysticus Moses Dei nominis explicationem. Non tamen ait (vt in aliis Apocalypseos partibus fieri assolet) *Qui es, & qui eras, & qui venturus es.* Sed solùm: *Qui es, & qui eras.* Nã in hac plaga, & in admirabili hac vlciscendi ratione, satis iam perspicuè Dei aduentus enituerat. Quamobrem in ea laude, quam ei ob plagæ huius immissionem decantant, non addunt, *Qui venturus es*, vt innuant, illum iam aduenisse, atque admirabilem iustitiæ suæ mysticæ, (id est perfectæ misericordiæ) significationem dedisse, dum suum Gentibus spiritum largè ac liberaliter impertiuit. Itaque solùm exprimitur, *Qui es, & qui eras*, quasi significent hoc pacto, antiqua illa veterum figurarum inuolucra & integumenta detecta iam esse & euoluta, ac proinde Deum reapse sese exhibuisse eum, qui iuxta antiquas figuras & promissiones erat futurus. Consule caput 1. vbi latè de nominis Iehoua mysterio. D

Duæ aliæ de 3. plaga expositiones traduntur.

Proposuimus nostram de tertia plaga expositionem, quæ eò reuocatur, vt persecutio à Romano Imperio excitata in bellum domesticum & intestinum desierit, quia per eam sæuitum est in ipsorum persecutorum fratres, cognatos, affines, familiares. Atque in huiusmodi interpretatione attendimus præsertim genuinum sensum, quò spectauit in prima Ægypti plaga conuersio aquarum in sanguinem, iuxta ea, quæ cap. 11. adnotauimus. Lubet tamen huic explicationi duas alias adiungere, quæ primâ specie alicui magis fortasse placebunt. Dicet ergo aliquis, per sanguinolenta flumina denotari ingentem stragem, secundum id Numer. 23. 24. *Donec deuoret prædam, & occisorum sanguinem bibat.* Atque hic est germanus sensus eorum verborum Psalmi 109. fine: *De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.* Nec dissonat, quod superiùs ex Floro retulimus lib. 3. cap. de bello Cymbrico, nempe. *Tanto ardore pugnatum est, eaq; cædes hostium fuit, vt victor Romanus de cruento flumine non plus aquæ biberet, quàm sanguinis barbarorum.* Atque idem Florus libro 2. cap. de bello Punico ait, *Documenta cladis cruentus aliquando Aufidus.* Ex his ergo videtur similiter in præsenti, per cruenta flumina denotari posse maximam hostium stragem saltem mysticam; atque eâ ratione victoriam Christi in Gentium conuersione celebrari. Hanc tamen explicationem respuit contextus, qui vindictam hîc constituit non in eo, quòd victores sanguinem potent; sed in eo, quòd Ethnici cogantur sanguinem bibere per alusionem ad Ægyptios, qui in prima plaga sanguinem bibere coacti sunt.

1. expositio expenditur.

Prædicta expositio nõ probatur.

Dicet

Digitized by Google

A Dicet alius, in tertia plaga mirificè congruere explicationem B. Isidori in quæstionibus in Exodum capite decimo, vbi ait: *Aquæ in sanguinem versæ significant populos conuersos ad sanguinis Christi fidem.* Sic ille. Cui potest illud adnecti, Martyrum scilicet testimonio cruentatum fuisse mare, vt habetur in plaga secunda. Deinde, cùm fontes ac flumina ex mari oriantur, & eôdem refluant, (*Quia ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant*) vt significetur testimonium Martyrum fuisse rationem potissimam, cur multi eandem ipsam doctrinam, quæ cruore Martyrum inficiebatur, imbiberent, simulque ad illos aggregati sanguineum maris colorem augerẽt, aptissimum videtur fuisse, vt fontes ac flumina sanguine intincta dicantur. Adhęc certum est fontes ac flumina peregregiũ esse doctrinę symbolũ, vt patet Eccl. 24. à n. 35. vsq; ad 41. Quòd si doctrina Euangelica horrorem Gentibus incutiebat; manifestum est, postquam effuso Martyrum cruore fuit infecta, tunc præsertim plus eis horroris injciendum. Quo sic præfixo, ad vindictæ mysticæ significationem nihil videtur aptius potuisse fingi, quàm vt Gentiles ipsi cruentatam hanc doctrinã haurire & potare cogantur. Id quod textus ipse non videtur obscure adumbrare. *Sanguinem sanctorum tuorum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere.* Quamobrem potio ipsa atque haustus videtur perinde esse, quasi ipsos ad Christũ conuerti, & sic Christi sanguinem & doctrinam Martyrum cruore tinctam ab ipsis potari: & quia hoc euẽnit in toto Romano Imperio, ideo vbique fontes & flumina dicuntur esse in sanguinem conuersa. 2. *expositio examinatur.*

Reijcitur etiam superior expositio.

B Nihilominus hæc quoque expositio mihi non probatur. Primò, quia in ipso textu indicatur, omnes persecutores sanguinem bibere, cùm tamen non omnes ad Christi fidẽ se aggregarint. Etenim si flumina & fontes erant cruore intincti; nullus videtur Gentilium potuisse non sanguinem bibere: hoc autem in eo rectè expenditur, ad verũ esse comprobatur, quòd in ciuili bello ac domestico ipsimet, qui inimicorum sanguinem effundunt, pœnas pariter luunt, dum eandem calamitatem simul cum victis participant. Secundò, hic Apocalypseos discursus ad Gentium conuersionem non accedit. Si autem sanguis haustus denotaret conuersionem ad Christum, & hoc in loco figuraretur, omnes sanguinem potare; eo ipso significaretur vniuersalis Gentium omnium conuersio. Tertiò, si ea explicatio teneret; minimè cohæreret ratio, quam exprimit textus, videlicet: *Sanguinem sanctorum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere, digni enim sunt.* Nec enim ipsamet Martyrum sanguinis effusio carnifices ipsos præstitit dignos, qui ad Christum se conuerterent, eiusque doctrinam exciperent. Quòd si aliquis dicat; si Christi fides accipiatur veluti vindicta quædam, quam de illis sumit Deus, quos suæ ditioni subijcit, ideo dignos dici, quia sua crudelitate meruerant, vt in eos Deus seueram exerceret vltionem, atque adeò aliqua ratione appellari vindictã seueriſſimã, quã sumit Deus de illis, quos suæ fidei & martyrio subiicit. Hæc inquam responsio minime satisfacit. Nec enim absolutè verùm est, Ecclesiæ persecutores fuisse dignos mysticâ illâ vindictâ, quam Deus de illis sumpsit.

Nostra expositionis, (quæ superiùs est tradita) congruẽtia præ ceteris demonstratur.

C In nostra verò expositione, cùm sanguinis potio referatur ad calamitatem, quam Ethnici in suorum fratrum & cognatorum martyrio patiebantur, meritò dicuntur ipsimet esse digni, qui horribilem illam calamitatem subeant; vtpote qui præcipui fuerunt auctores, vt Euangelij prædicatorum sanguis effunderetur: ac proinde æquum erat, vt huiusmodi delictum seueriſſimo luerent supplicio. Quin & diuina iustitia ex eorum immanitate meritum eliciebat supplicium. Etenim ex eâdem persecutione in Christi famulos coorta, ortum duxit, vt persecutionis impetus in omnes fieret, qui Christiana sacra suscipiebant. Cùm autem eorum fratres, affines ac familiares Christianæ Religionis suaue iugum sponte subirent, hinc erat reliquum, bellum ipsum domesticum & intestinũ fieri, atque adeò contra ipsius persecutionis auctores sui furoris tela quodammodò conuerti. Præterea in nostra expositione includitur aliquo modo D. Isidori expositio, nõ quòd sanguinis potus directè ad Gentium referatur conuersionem, sed quia in se includit & quasi præstituit persecutorum affines ac necessarios & Christianæ Religioni & martyrio manus dare.

Et quia in hac vindicta eminent pariter tam æquissimum Dei iudicium, quam ipsius Spiritus homines sanctificans; idcirco mysticus Moses, (id est Christi seruorum sapientia) ait, *Iustus es Domine, qui es & qui eras sanctus, qui hæc iudicasti.* Sequitur; *Quia sanguinem sanctorum, & Prophetarum effuderunt.* Vbi Euangelij concionatores nomine Sanctorum & Prophetarum compellantur.

ET AVDIVI ALTERVM AB ALTARI DICENTEM: ETIAM DOMINE DEVS OMNIPOTENS, VERA ET IVSTA IVDICIA TVA] Cùm hic Angelus mysticum repræsentet Eliam, id est zelum seruorum

D Christi (vt iam explicatum est) percommodè accidit, vt post iustissimum diuinæ prouidentiæ decretum in ipsius belli ad eosdem persecutores extensione satis Sanctorum sapientiæ cognitũ Elias mysticus Mosis socius & comes, id est Sanctorum zelus, se lætitiæ voluptate perfundat ex eo, quòd illud Dei iudicium in maximam Christi gloriam cederet. Quid enim aliud magis posset optare, Sanctorum zelus ac sanctitas? Phrasis autem illa, *Vera & iusta iudicia tua*, idem significat, atque *verè iusta.*

NOTATIO I.

De alia expositione duorum Angelorum, de quibus in tertia hac plaga fit mentio.

Examinatur quædam alia interpretatio de altaris & aquarũ angelis.

PRVDENTIA Theologi cupiunt vel maximè sacræ Scripturæ interpretationem deseruire ad communia doctrinæ Theologiæ dogmata comprobanda. Ex illis igitur fortasse erit aliquis, qui molestè ferat, aut etiam conqueratur, Angeli aquarum mentionem in nostra explicatione non assumi ad receptam illam Theologorum sententiam roborandam; quòd scilicet cuilibet corporearum creaturarum speciei suus sit Angelus præpositus, qui earum omnium curam suscipiat, quæ est D. Thomæ doctrina 1. part. q. 613. p. 2. *Alcasar. in Apocal.*

Digitized by Google

& pro eius confirmatione Vazquez 1.p. to.2. disp.245. adducit non modò Origenem, Augustinũ, Andream, & Aretam: sed etiam Platonem. Huic querelæ addi potest, mentionem illius Angeli, cuius curæ commissi sunt fontes ac flumina, rite connecti cum tertiæ huius plagæ figura: in ea enim aquæ sanguineo inficiuntur colore. Quare videtur aquarum patronus earum causam acturus, Deoque supplicaturus, ne aquarum speciem omnino interire permitteret. Vnde vt hominum crimina dignè ponderentur: videtur congruenter effingi, eò scelerum ac flagitiorum deuenisse homines, vt ipsimet Angeli de corporearum creaturarum interitu gauderent, atque adeò id non solùm non ægrè ferrent, verum etiam Deo grates agerent. Deinde, cum Angeli aquarum benedictione consonat etiam altaris Angelus, qui potest non ineptè significare sacerdotum munus. Sensus autem erit: Hominum tyrannidem eò deuenisse, vt cælestes Angeli, quorum erat consulere specierum conseruationi: & Dei sacerdotes, ad quos incumbebat, Deum pro ipsarum creaturarũ conseruatione solicitare: vtrique inquam in eo conspirent, vt nullus se diuino supplicio interponat: sed potiùs Deum omnes in aquarum corruptione & interitu collaudẽt.

Hæc tamen explicatio non arridet. Primò, quia constat, aquarum Angelum & Angelum altaris esse Mosem & Eliam, vt suprà satis expensum est. Secundò, quia si in contextu sermo esse non potest de propria A aquarum conuersione in sanguinem: quidquid creditur profari Angelus, cui aquarum species commissa est, minimè facit ad rem. Tertiò, doctrina illa de singulis Angelis vnicuique creaturarum speciei singulatim consulentibus quanuis vera mihi semper visa sit, non tamen inter eas veritates numeratur, quas Apocalypseos auctoritate comprobandas esse putem. Etenim libri huius dignitas ac maiestas non solùm postulant, vt quidquid in eo continetur, verum sit; sed etiam vt doctrinam præferat Catholicâ fide suffultam, & de qua dubitari non liceat. Nec enim sacra ænigmata rectè ad eas res transferuntur, quas fidelis quispiam possit in dubium reuocare. Quare doctrinam illam, ad quam ipse Apocalypseos ænigmata applico, non satis esse reor, si vera sit ac certa; sed illud etiam contendo, nihil in mea expositione contineri, quod minùs sit certum, quàm recepta ab Ecclesia vniuersali doctrina.

Si autem contendat aliquis huius esse generis doctrinam illam, quæ singulis corporearum creaturarũ speciebus singulos Angelos præficit: illud saltem non B video, quorsum id afferatur ad ea, de quibus in hoc loco Apocalypsis agit. Quòd si satis est, ad ipsam veritatem hoc loco allusionem contineri, & obiter doctrinam illam per comparationem affirmari: id à me non impugnatur. Notum porrò est, aliquo etiam modo veritatem aliquam asseuerari, cùm per modum comparationis ad eandem fit allusio.

TEXTVS.

De IV. & V. phialis.

vers. 8. Et quartus Angelus effudit phialam suam in solem: & datum est illi æstu affligere homines, & igni.

9. Et æstuauerunt homines æstu magno, & blasphemauerunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas, neque egerunt pœnitentiam, vt darent gloriam Deo. C

10. Et quintus Angelus effudit phialam suam super sedem Bestiæ, & factum est regnum eius tenebrosum, & commanducauerunt linguas suas præ dolore.

11. Et blasphemauerũt Deum cæli præ doloribus & vulneribus suis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus suis.

COMMENTARIVS.

Difficultates, quæ in quarta & quinta plagarum interpretatione occurrũt.

QVARTAM & quintam plagas ideò copulaui: vt ex vtriusque inter sese collatione meliùs explicarentur, altera enim ad æstuantem solem, altera ad tenebricosam caliginem reuocantur. Si ergo hæ duæ plagæ sunt oppositæ inter se, *opposita iuxta se posita clariùs eluceſcunt*. Sin autem contrariæ non sint, id quoque explicandum est; cur videlicet sol vehemens obscuris tenebris non opponatur? Et quidem, quanuis quod ad repræsentationem attinet, cessare videatur difficultas, si asseramus non vtrumque pariter figurari; nempe & ardentem solem, & densas tenebras; sed mutuam vtriusque vicissitudinem, quemadmodum diei succedit nox: verùm si oculos in significationem ipsam intendamus, non parua adhuc supereſt difficultas, quo pacto fieri possit, vt iam sol ardens, quàm spissa caligo inter plagas mysticas computentur? Etenim si sol sapientiæ lucem præsefert, tenebris ipsis videtur ignoratio figuranda. Sin de propriis suppliciis sermo sit; sapientiæ lux non supplicii loco, sed summi beneficii, habenda est. Si verò de plagis mysticis sermo instituatur; ignorantia quidem non apparet qui possit ad vindictam mysticam reuocari; ita vt & peccatum destruat, & peccatorem ipsum magno cumulet beneficio. D

Quid in his duabus plagis contineatur.

Pro difficultatis huius enodatione animaduertendum primò est, in tertia plaga deuolutam fuisse tractationem ad id, quod ex multorum Gentilium ad Christi fidem conuersione redundauit; videlicet, vt persecutio ipsa in bellum euaderet ciuile, & Gentilibus ipsis calamitosum. Cùm ergo progressus nunc fiat in eodem bello, quod Euangelii prædicatores in Gentiles ipsos gesserunt; nunc demum additur in his duabus plagis, eiusmodi bello plurimum accessionis fuisse factum, tam nimiâ solis vehementiâ (quæ est plaga quarta,) quam phialæ effusione super Bestiæ sedem, ex quo densissimæ tenebræ obortæ sunt, atque id ad quintam pertinet plagam. In vtroque autem satis expenditur Ethnicorum hominum afflictio & anxietas, nec non eorundem contumeliæ in Deum ipsum iactæ, pro scelerum suorum detestatione, & pro gloria atque laude, quam Deo deferre deberent.

Secundò

Digitized by Google

A Secundò animaduertendum est, quis sit in his plagis præcipuus virorum Apostolicorum scopus, & quis effectus inde subsecutus. Constat enim Dei ministros directè neutiquam contendisse, vt aut homines vehementi solis ardore æstuarent, aut tenebræ Romanum Imperium occuparent. Verùm ex eo, quòd ipsi suum officium egregiè præstarent, Gentilium culpâ prouenit, vt solis æstus eos torreret, & tenebræ densissimæ vndique constringerent, atque in rabiem ac furorem verterent. *Quis sit hisce in plagis virorũ Apostolicorum scopus: quis finis subsecutus.*

Tertiò notandum est, quartam plagam aptissimè reuocari ad eum effectum, qui consecutus fuit ex clarissima luce, quam Euangelij prædicatio de veri Dei cognitione vbique diffundebat: quintam verò plagam redigi etiam congruenter ad illud, quod redundauit ex ea gloria atque laude, quam viri Apostolici Deo per admirabile vitæ exemplum tribuebant. Duplex enim est Dei glorificatio; altera per concionandi sapientiam, altera per viræ integerrimæ sanctitatem, Ceterùm ex duplici hac Dei glorificatione ii effectus ob Gentilium culpam prouenerunt: ex prima, vt homines solis luce omnino æstuarent; ex secunda, vt exempli lux in maximas verteretur tenebras. Nunc enim instituitur sermo de effectu illo: qui accidit iis, qui in sua obstinatione persistebant: non iis qui se ad Christi Religionem aggregabant. Licèt enim Dei cognitionis lux & optimi exempli splendor per occasionem Gentiles ipsos in Dei blasphemias & obstinatam mentis duritiem inducerent: hoc tamen interest discriminis, quòd lux ex diuina cognitione proueniens eos quantumuis inuitos atque coactos illustrabat pariter & exurebat: ita vt reapse fierent lucis eius participes ad grauiorem B ipsorum damnationem. At exempli lux eis prorsus in tenebras conuertebatur: quippe nequaquam ipsius fiebant participes. Dicam clariùs: lux ea, quam de veri Dei cognitione prædicatio Euangelica hac illac spargebat, tanta erat, tamque conspicua, vt quanuis Gentiles ipsos illius valde pœniteret, vtpote cupiditatibus ipsorum omnino contrariæ; nihilominus tamen revera sol ille eos illuminaret, atque adeò incenderet, vt infrà explicabimus. At verò Dei gloria, quæ in admirabili vitæ exemplo elucebat, cùm non in intellectus luce, sed in sanctitatis splendore consistat, aptè dicitur nulla ratione eos illuminare, qui non solùm non accendebantur ad splendoris eius imitationem, sed deteriores etiam fiebant. *Plaga quarta quòd potissimum spectet.*

Quartò: hanc eandem discriminis rationem reperimus in aliis Scripturæ locis; vbi intellectus lucem dicuntur peccatores excipere ad maiorem ipsorum damnationem: videlicet cùm Deum agnoscunt, & non sicut Deum glorificant. Nihilominùs quia piorum hominum vestigia nolunt insistere, dicuntur in tenebris ambulare. Qua phrasi vtitur Ioannes Epistola 1.c.1.6. & de eo, qui odit fratrem suum ait cap.2.11. *In tenebris est, & in tenebris ambulat: & nescit quò eat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.* *Peccatoribus lucem intellectus indatam interdum per occasionem in grauiorem ipsorum damnationem conuertit.*

Quintò: in vtraque hac plaga consentaneum fuit eorum exaggerari peruicaciam, qui ad suorum scelerum detestationem adduci non poterant. Etenim ex duabus hisce partibus egregia coalescit C concio: in quam confluunt magnæ doctrinæ sapientia, & eximia integræ & incorruptæ vitæ sanctimonia: quarum partium quælibet à peccatoribus postulat, & quasi suo iure exigit conuersionem. Quare eorum repugnantia à nimia cordis duritia & obstinatione proficiscitur. Prætereà in vtraque plaga ponderatur acerbitas ac dolor, quem improbis afferunt. Nam in quarta dicitur; *Datum est illi æstu affligere homines & igni.* In quinta verò: *Commanducauerunt linguas suas præ dolore.* Nam & ex veritatis cognitione, & ex optimo vitæ exemplo diminabat vehemens anxietudo in eum, qui durus adhuc pertinaxque resistit. In his autem duabus plagis expenditur, Gentiles eos, qui in impia idolorum superstitione permanebant, blasphemias in Deum euomere. Qua ratione vtitur etiam Petrus Epistola 1.c.44. *In quo admirantur non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confusionem, blasphemantes.*

Sextò: tametsi doctrinæ, sapientiæ & sanctæ vitæ exemplum quodammodo sint septem hisce plagis communia (nam phialæ effusio in ipso prædicationis officio consistit, & perfecta prædicatio ex vita atque doctrina coagmẽtatur: (cùm tamen hæ omnes plagæ ex ipsis effectibus distinguantur, rectè in prima obseruatur dolor ac pudor, quibus Gentiles fuêre perculsi, quando de suis sceleribus sunt insimulati; in secunda locum habuit persecutio contra prædicatores ipsos suscitata: in tertia ciuilis belli furor in quarta afflictio atque angustia ex veri Dei cognitione per occasionem proueniens: in quinta, ipsorum Ethnicorum mutatio in deterius, ex conspecto Dei ministrorum exemplo trahens originem: in sexta, acerrima Gentilium vis & impressio adhibita, quæ ex Romæ inuasione processit: in septima denique durissima eorum obstinatio, qui in suis superstitionibus fixere D pedem, & obdurati manserunt, postquam publica Christianæ Religionis professio Romam inuecta & excepta est. In hac igitur septem plagarum diuisione iuxta effectuum diuersitatem considerata, suus etiam extitit in quarta plaga locus perspicuæ luci Euangelicæ doctrinæ quatenus mundo euidenter ostendit, anilem & nugatoriam plane esse deorum multiplicitatem: atque adeò vnum ac solum Deum vero cultu & Religione prosequendum. Nec defuit in quinta plaga locus ad ponderandam eorum duritiem, qui in tanta doctrinæ & sanctitatis luce, quæ ex viris Apostolicis emicabat, deteriores tamen effecti in densa suorum errorum caligine perstiterunt. *Septem harum plagarum effectus per ordinem numerãtur.*

Septimò: in hisce omnibus plagis ratio nouissimæ plagæ, siue iræ nouissimæ in eo imprimis sita est, vt non sit propria vindicta; sed noua quædam vlciscendi ratio, eò potissimùm tendens, vt peccatum conuellatur omnino, ac de medio tollatur; ipse verò peccator & veniam impetret, & maximâ Dei gratiâ fruatur. Quare licet in septem plagarum distinctione exprimatur Gentilium repugnantia, qua diuinæ gratiæ obsistere nitebantur: hæc tam oppositio vna ex parte conducit, vt immensa Dei bonitas atque clementia eluceat, dum mysticam nihilominus vindictam de Gentibus sumendam, & Gentilium ipsorum conuersionem prouehit: ex alia verò parte hæc eadem contradictio deseruit, vt reconditum diuinæ prouidentiæ consilium suos demum effectus atque exitus sortiatur. *Ratio nouissimæ iræ in his omnibus plagis quomodo eluceat.*

Digitized by Google

Etenim Gentilium pudor ac dolor de conſciis ſcelerum animis, & perſecutio ipſa contra Euangelij miniſtros commota, non exiguo fuerunt argumento, vt de Euangelii victoria euidentiùs conſtaret; atque adeò Chriſtiana fides euerſo idolorum cultu firmior ac robuſtior perſiſteret. Id quod ad grauiorem ipſius fidei auctoritatem fuit maximè conſentaneum; vt dilucide cerneretur, illam non pro alicuius principis libito, aut facili hominum ſtudio ac voluptate, ſed per ſingularem Dei virtutem & credibilitatis euidentiam euaſiſſe ſuorum aduerſariorum victricem, & totius terrarum orbis dominam. Quamobrem non primæ ſolùm perſecutiones, ſed etiam ipſa rebellium & obſtinatorum peruicacia (poſt Conſtantini conuerſionem) non parum adiumenti contulit ad maiorem ipſius fidei Catholicæ firmitudinẽ, & glorioſiorem de idolorum ſuperſtitione victoriam. Quinimò in iis ipſis, qui in ſuo errore pertinaces deceſſerunt, dedit obiter Deus maxima ſuæ ſeueritatis documenta; in reliquis verò clementiæ & pietatis ſigna clariſſima. Atque hoc eſt nouum plagarum genus; cuius ſumma eſt, effundere magis ac magis miſericordiam: ita tamen vt ſuis etiam ſeueritati ſit locus. A

Sol diuinitatis ſymbolum.

His ita præiactis ad textum ipſum accedamus, *Quartus Angelus effudit phialam ſuam in ſolem.* Sol ſæpe in Apocalypſi ad Dei diuinitatem refertur; vnde ſi phialæ effuſio denotat prædicationis officium, vt ſignificetur effectus ex hac ipſa Dei diuinitatis prædicatione conſecutus, cõgruenter fingitur quarta phiala in ſolem effuſa; quod eſt, prædicationem verſari circa Dei diuinitatem & prouidentiam.

Vers. 9. Quid hic ſit, æſtu affligere homines.

ET DATVM EST ILLI ÆSTV AFFLIGERE HOMINES ET IGNI; ET ÆSTVAVERVNT ÆSTV MAGNO] Vt ſignificetur quanta claritate & perſpicuitate prædicatio Euangelii oſtenderit idololatriæ falſitatem ac nugas, nec non verum veri Dei cultum eſſe eum, quem Chriſtiana Religio prædicabat; nihilominus tamen ex hac ingenti luce incredibilem hauſiſſe dolorem eos ipſos, qui in ſua impietate atque flagitiis (quibus ipſe idolorum cultus indulgebat) immobiles perſtare volebant; vt hoc inquam ſignificetur, eleganter inducitur maxima ſolis claritas hominibus moleſtiſſima: quaſi proprius illius effuſionis, ſiue prædicationis potiùs, effectus. Quid enim aliud eſt, *æſtu affligere homines & igni*: niſi quod ſolet frequenter in media accidere æſtate, quando nimia ſolis claritas & ardoris vehementia mortales calefacit, ac torret? Scio quoſdam hic per Solem intelligere Antichriſtum: alios vero de ſummo Pontifice interpretari. Pro mea tamen expoſitione ſtant & plagarum ſeries & applicationis congruentia. B

Vers. 10. Quanam appelletur hic ſedes Beſtiæ? & quid ſit in eam effundere phialam?

QVINTVS ANGELVS EFFVDIT PHIALAM SVAM SVPER SEDEM BESTIÆ] Hoc perinde eſſe exiſtimo, quaſi Romæ, & in ipſo foro atque iudicum ſubſelliis prædicare admirabilem Chriſti virtutem: & ſanctitatis exemplo illam euidenter oſtendere: ſicut in teneris virginibus accidit, quæ vt pudicitiam retinerent, & ſe Chriſto fideles integraſq; præſtarent, glorioſe ac fortiter occubuerunt. Porrò Beſtiã de qua hic mentio fit, eſſe Romanum Imperium ethnicum, vidimus cap. 13. Ex quo facile cernitur, quàm aptè ſedes Beſtiæ nominetur Romana ciuitas, atque ipſa iudicum ſubſellia. Nam in ipſis tribunalibus Chriſtiani de grauiſſimis delictis accuſabantur; & ibidem Deus eorum innocentiam ac viræ integritatem demonſtrabat, quantumuis perſecutorum ſæuitia & inuidia illis tenebras offundere laborarent. C

Tenebræ ex quinta phiala effuſione prouenientes quid ſignificent.

ET FACTVM EST REGNVM EIVS TENEBROSVM] Poſſet hoc eò referri, vt prædicationis lux retexerit Gentilicæ ſuperſtitionis tenebras. Sic Ægypti tenebræ opponuntur claritati, qua Iſraelitæ fruebantur, Exod. 10.22. *Factæ ſunt tenebræ horribiles in vniuerſa terra Aegypti: vbicumque autem habitabant filij Iſrael, lux erat.* Ego tamen cenſeo non hic directè agi de eorum ignoratione, qui deorum falſitatem non agnoſcebant; ſed de cæcitate illorum, qui poſtquam ſolis lucem aſpexerant, (vt dictum eſt in plaga quarta) hoc eſt, poſtquàm de vero Deo totius mundi machinæ opifice conuicti erant; fiebant adhuc deteriores, dum eos odio proſequebantur, quos propter doctrinæ & ſanctitatis ſplendorem diligere maximè deberent. Hanc mihi interpretationem perſuadet imprimis ipſe plagarum ordo & conſequutio. Quippe ad ingẽtem ſolis claritatem homines exurentis, adduntur hic denſiſſimæ tenebræ; quos de tenebris practicis, deque odio atque inuidia in ſanctos viros conflata exponendas reor. Secundò conſtat, hanc eſſe loquendi rationem Ioanni familiarem; vt ſuprà adnotauimus. Tertiò, ex iudicum ac tribunalium improbitate prouenie bat, vt Chriſtianorũ innocentiæ & ſanctitatis luminibus obſtruere infideles conarentur; vtque de grauibus accuſarentur criminibus, quòd id ita eſſe ab omnibus crederetur. Atque hoc etiam comprehenditur tenebrarum nomine. D

Quo ſenſu dicantur Gentiles præ dolore linguas ſuas commanducare.

ET COMMANDVCAVERVNT LINGVAS SVAS PRÆ DOLORE] Non ita accipiendum eſt, quaſi dolore pungerentur Gentiles, quòd ſe tenebris immerſos cernerent. Nam & ipſi *diuexerunt tenebras; potiùs quàm lucem.* Et alioqui tenebræ non adeò acrem dolorem afferre ſolent. Non igitur ſermo eſt de dolore ex tenebris prouenient; ſed de dolore tenebras ipſas comitante. Et quanuis poſſet aliquis dicere, in his linguarum morſibus ſiue manducatione denotari efferatam rabiem; qua interdum exciti Gentiles crudelia perſecutionis edicta reprimebant, cùm quid agerent, penitus ignorarent; & Chriſtianos ipſos gliſcente perſecutionis æſtu magis magiſque excreſcere cernerent. Aptius tamen eſt, vt per hunc linguarum morſum, & compreſſionem ſignificetur, quantunuis Ethnici admirabilem Chriſtianorum ſanctitatem quaſi manibus contractarẽt: eos tamen linguas comprimere, ne Chriſti diuinitatem in ſuis ſeruis conſpicuam faterentur, ob vehementem rabiem, qua ipſi correpti efferatique erant: quæque illos mutos reddebat & elingues.

TEXTVS

Digitized by Google



Digitized by Google

A

TEXTVS.

De sexta Phiala.

*Vers.*12. Et sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratem;& siccauit aquas eius,vt præpararetur via Regibus ab ortu solis.

COMMENTARIVS.

Quid per sextã plagã significetur;

SEXTÆ plagæ argumentum (sicuti cap.15.1.diximus) complectitur grauissimam persecutionem, quæ aduersus Ecclesiam fuit instaurata; eo quòd plurimi ex senatorum familiis & ex nobilitate Romana ad veram Christi Religionem migrassent.Porrò in ipsa plagæ descriptione exordium ducitur,vt opus erat,à prædicta conuersione; diciturque spiritaliter Romæ fuisse innouatum admirabile illud facinus, quod Babylone accidit, quando Cyri industriâ exsiccatus fuit Euphrates; vt Orientis Regibus ad occupandam Babylonem expeditus pateret transitus. Vt autem rectiùs percipiatur huius loci allusio,oportet imprimis historiam ipsam,ad quam in hoc loco respicitur,ob oculos proponere; quæ sic se habet. B

NOTATIO II.

De historia siccati olim Euphratis,vt per eius alueum Cyro & Dario pateret aditus ad occupandam Babylonem.

Historia exsiccati olim per Cyrũ & Darium Euphratis, vt per eius alueum irruerent in Babylonem.

PERERIVS in Danielem l.6. siue in c.5. in ea verba, *Eadem nocte interfectus est Balthasar*, ait D. Thom. opusc.de Regimine Principum l.3.c.7. significare, miraculosè fuisse factum vt per Dei potentiam Euphrates siccaretur, atque ea ratione Cyrus facilè Babylonẽ posset inuadere.Et subdit Pererius industria Cyri, non diuino miraculo id esse patratum; pro quo testes citat Herodotum,& Xenophontem.

D. tamen Thomas, si eius verba rite expendantur, minimè id tribuit miraculo. Sic enim ille loco suprà citato, *Aperuit Dominus ante Cyri faciem ianuas,vt prædixerat Isaias cap.*45.1. *Atque id impletum fuit,vt historiæ tradunt, quando subitò desiccato alueo Euphratis, qui per Babyloniam transibat, ciuitatem intrauit,atq; destruxit*. Hactenus D.Thomas. Ac primò ex iis verbis,*vt historiæ tradunt*, satis constat, non esse ipsius mentem, vt asserat, id diuino miraculo esse patratum; quandoquidem nulla est historia, quæ id referat: quinimò Herodotus expressè tradit, quod Cyrus præstitit, id antea a quadam Babylonis Regina fuisse factum. Deinde ex ipsã recensendi ratione non obscurè significat S Thomas hoc facinus Cyri industriæ adscribendum fore. Ait enim de illo: *Desiccato alueo Euphratis ciuitatem intrauit*. Iam, quod asserit,tunc Isaiæ vaticinium fuisse impletum; nempe *Aperuit Dominus ante faciem Cyri ianuas*, non indicat, id fuisse miraculosè gestum; nam per naturales etiam causas solet etiam Deus arcana sua consilia ad destinatum finem prouehere. Et meritò diuinæ tribuitur prouidentiæ, quod ipsa per hominum industriam fieri disponit, & ad exitum perducit. Atque hæc præsertim loquendi ratio vsurpari solet in regnorum mutatione; in qua singularis Dei prouidentia dispicitur: cùm opus non sit ad miraculum ideirco confugere.

Historiam quidem referunt Xenophon lib.7.Cyropædiæ, & Herodotus l.1. suæ historiæ §.34. & 35. Vide Orosium lib.2.c.6. In hac historia illud imprimis considerandum occurrit, videlicet quàm securè atque incautè se gerebant Babylonii; nec opinantes fore vt Cyri exercitus per Euphratem fluuium sese Babylonẽ inferret. Audi Herodotum, *Babylonij*(inquit)*obsidionem nihili faciebant*. Et infrà: *Si Babylonij factum Cyri priùs aut audissent, aut sensissent; haud dubiè eos pessimo exitio affecissent. Nam obseratis omnibus, quæ ad flumen ferunt portulis,conscensisq; septis ipsi pro ripis stantes illos progressos veluti in cauea excepissent. Nunc ex inopinato eis Persa adstiterunt, & quòd dies festus eis esset, exercendis choreis atque oblectionibus operam dabant: donec planè reciuerunt, vrbem esse captam*. Xenophon verò ait, *Hostes in muro deridebant obsidionem, vt qui res necessarias haberent plusquam viginti annorum*. Præsertim cùm cernerent Cyrum præ formidine suum exercitum ab vrbe extra telorum iactum arcuisse.Addit infrà Xenophon, *Cyrus exercitum distribuit in partes duodecim,quo singulæ partes essent custoditura singulos menses. Quibus auditis Babylonij multo etiam magis hac aeridebant, animo voluentes si Phryges, & Lycij, & Arabes, & Cappadoces se custodierint, quos omnes existimabant mitiori in se esse animo,quàm in Persas. Ac iam fossa effecta erant. At Cyrus,quoniam audisset eiusmodi festum esse Babylone,in quo Babylonij omnes vniuersam noctem bibunt,& lasciuis carminibus saltationibusq; indulgent, cùm primùm hac nocte tenebræ factæ sunt, acceptis multis hominibus aperuit fossas,quod vbi factum est, aqua in fossas nocte cõcessit, alueus autem fluminis redditus est hominibus permeabilis. Tunc Cyrus conuocatis ducib. ait, Flumen nobis in vrbem viam concedit, audenter ingrediamur, quia multi dormiunt, multi ebrii sunt,omnes imparati*. Et infrà: *Regiæ porta non clausa quidem sunt, vt in festo ebrietatis & intemperantiæ:ita enim vniuersa videtur vrbs esse hac nocte*. Hactenus Xenophon. *Xenophontis verba de eãdem re.*

Præter hæc flumen Euphrates adeò erat ingens, vt sacris Literis flumen magnum appelletur.Genes.15.18. & Deuter.11.24.& Apoc 16.12. *In flumen illud magnum Euphratem*. Vide Pererium in Dan.f.384.B.

Adde huc,quod Xenophon vbi suprà ait: *Huius fluminis latitudo est plusquam ad duo stadia, & profunditas tanta, vt nec duo quidem viri alter super alterum stantes super aquam emineant*. Quin etiam hoc flumen vtpote magnum appellatur in Scriptura Mare. Agens de Babylonis ruina ait Ieremias cap.51 36. *Desertum faciam mare eius, & siccabo venam eius, & erit Babylon in tumulos*. Et Isaias c.21.nu.2. de eodem Babylonis excidio verba faciens hæc habet, *Onus diserti maris, Ascende Ælam,obside Mede,Babylon posita est mihi in miraculum, pone mensam, contemplare in specula comedentes & bibentes, surgite Principes, arripite clypeum*. Lege Gueuaram in Habacuc c.22.nu.135.136.137.& 138.vbi adducit Herodotum, & Xenophontem, & subdit, *Quod autem auerso Euphrate capienda esset Babylon, prædixerat Isaias cap.44.27. in hac verba. Qui dico profundo, Desolare, & flumina tua arefaciam. Et Ieremias ca* 50.38. *Siccitas super aquas eius erit,& arescent. Et c.*51.31 *Capta est ciuitas, & vada præoccupata sunt, & paludes succensa sunt igne. Quod vero inter conuiuandum capienda esset Babylon,monuerat Isaias cap.*21.5. *& Ieremias* 51.39.*& Daniel apertè pronunciat c.*5.30. *Eadem nocte*, (*sed non anni eiusdem*) *Babylonem in hostium potestatem venisse, qua Balthasar*

Herodoti loci de Euphrate exsiccato.

Digitized by Google

thasar Rex productis vasis templi grande conuiuium fecerat. Quippe eadem nocte quotannis conuiuari consueuerant, peruigilium agentes cuipiam deorum, quale Liuius l. 23. Campanos celebrasse commemorat, cùm Gracchus eos inuasit simul omnibus portis. Lege etiam Genebrardum in chronico anno mundi 3638. fol 240.

Portò in Babylonis inuasione Græci nullam Darij mentionem, sed Cyri solum faciunt. Iosephus tamen vtriusque meminit lib. 10. Antiquitatum c. 12. & Hieronymus, quem citat, & sequitur Pererius vbi suprà fol. 203. Vnde eundem, & Gueuaram in Habacuc. Cyrum autem & Darium ex Oriente venisse Babylonem, norunt omnes, qui vel mediocriter sunt in Geographia versati.

Notandum insuper est, Euphratem fluuium per A mediam Babylonem influere, eamque duas in partes secare, vt perspicuè tradit Strabo. Tametsi autem Cyri exercitus Babylonem vndique obsidebat, ita tamen excelsi & eminentes erant muri, tanta eorum firmitas, vt vrbem vi capere & expugnare, impossibile esset. Erat enim Babylone innumerabilis propugnatorum multitudo, muri autem ipsi quinquaginta in latitudinem cubitos, ducentos in altitudinem patebant. Atque ita nullo modo poterat vi capi ciuitas. At Cyrus exsiccato alueo fluminis eam inuasit, qua Babylonij se magis tutos ac securos putabant. Licèt enim muri ita fuerint editi ac lati: multo adhuc videbatur difficilior fluminis traiectus siue ingressio, quam murorum ascensus, aut alicuius ex vrbis portis occupatio.

Euphratem mediante Babylonem intersluere.

Prosequitur versus XII. Commentarius.

B Cvm igitur Babylonicæ inuasionis atque excidij historia sic se habeat, miror posse aliquem verba Apocalypseos suprà allata legere (vbi de sexto Angelo dicitur; *Effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratẽ, & siccauit aquas eius, vt præpararetur via Regibus ab ortu solis*) quin protinus aduertat, ad illam ipsam historiam alludi, & quandam admirabilis illius facinoris renouationem affirmari. Quã obrem mirandum est, Apocalypseos interpretes huius historiæ in hoc loco non meminisse, cùm manifestè textus asseueret, eiusmodi fuisse sextæ phialæ effectum, vt antiquum illud & egregium facinus instauraretur exinanito flumine Euphrate, vt per eius alueum exsiccatum aditus Orientis Regibus in Babylonem pateret.

Mysticã exsiccati Euphratis renouationem in sexta plaga affirmari

Maioris tamen momenti est intelligere, de cuiusmodi renouatione in hoc loco sermo sit. Nonnulli enim opinatur agi hîc de euentis sub Antichristi tempus futuris, ac proinde illud hîc affirmari, tunc religionem Catholicam tantopere in Orientis prouincijs florentem & vbique propagatam fore, vt inde sint Reges venturi, qui cum Antichristo bellum gerant, qui vt securè possint traijcere flumen, eis Euphratem miraculosè arefaciendum fore, & sic demum Antichristum ab Orientalium Regum exercitibus conficiendum. Hæc est opinio Genebrardi Ps. 67. 35. & nostri Viegæ hic sectione 3. quanuis sectione 2. dixerit, suam esse sententiam agi in præsenti de Regibus Orientalibus Euphratem traiecturis, vt bellum Ecclesiæ inferant.

Vequanam siccati Euphratis renouatione hic sermo sit

Et quanquam hæ duæ Viegæ opiniones sunt meo iudicio ab Apocalypsi valde alienæ, quia eo solùm nituntur, vt ænigmatis verba, sicuti sonant, accepta, ad rem applicent prorsus incertam, quam C tamen sequitur sect. 3. minùs est violenta; quippe alluſio ad antiquam illam Babylonis historiam manifestè indicat, sermonem hîc institui de irruptione in ipsam Babylonem. Euidens autem est, in Apocalypsi Babylonem esse Ecclesiæ infensam. Quapropter toto errat cælo, qui hunc Orientalium Regum ingressum per flumen Euphratem eò tendere putat, vt bellum in Ecclesiam fiat. Cæterùm vtcumque hoc sit, meâ quidem sententiâ est improbabile, hanc sextam plagam esse accipiendam, vt sonat de vero & proprio transitu Regum Orientalium per siccatum Euphratis alueum. Primò, quia familiaris est Prophetarum locutio, affirmare, antiqua illa gesta & admiranda facinora fore renouãda. atque hoc verborum inuolucro mysticam & spiritalem instaurationem, seu renouationem significare; nec tamen vllo modo de materiali renouatione tractare. Multa nobis suppetent de hac locutione exempla in Ps. 67. & c. 3. Habacuc. Quis ergo non videat, hunc eundem esse loquendi modum apud Apocalypsin, librum præsertim ænigmaticum? Secundò, tam antecedentia, quàm subsequẽtia clarè ostendunt, huius loci verba nullo modo, vt sonant, esse intelligenda. Nam effusio phialæ, quæ proximè antecedit, nequaquam debet accipi materialiter, nec tres ranæ, quæ posteà subsequuntur. Euidens ergo est, mysticè etiam & non materialiter esse accipiendam Euphratis fluuij arefactionem, nec non illac Regum ingressionem. Iam penè omnia, quæ in cæteris narrantur plagis, non ita esse accipienda, vt sonant, certum est. Tertiò, Apocalypseos coherentia atque series exigit manifestè, vt sexta hæc plaga ad persecutionis per Imperium Romanum excitatæ tempora referatur. Quare extra D chorum saltat, qui explicationem detorquet ad ea, quæ eodem tempore neutiquã acciderunt. Quartò, non solùm qui de Romani Imperij persecutione sermonem hic esse credunt, sed etiam qui hasce plagas de Antichristi tempore exponunt, ferè omnes hanc mysticam plagam accipiunt, quasi rem in sensu mystico intelligendam, asseruntque Euphratis exsiccationem esse symbolum terrenæ felicitatis mundanos homines in ipso decursu deficientis. Quamobrem nimis se ad literam ipsam constringit, qui hanc plagam materialiter vt sonat, esse interpretandam censet.

Opinio explicantiũ de Antichristo exploditur.

Sextam plagam ad Ecclesiæ persecutionem à Romano Imperio ethnico olim excitatam esse referendam.

Vbi autem statuamus, hoc explicandum esse mysticè, & sermonem hîc esse de eo tempore, quo Romanum Imperium oppugnabat Ecclesiam, hinc planum fit, mysticam Babylonem, quam Orientis Reges per siccum Euphratem illati adorti sunt, esse Romam idolorum cultricem. Quod magnopere confirmatur tum congruenti applicatione eorum, quæ textus repræsentat ad id, quod in mystica inuasione Romæ accidit, tum etiam eorum enarratione, quæ posteà referentur, nimirum Babylonem in Apocalypsi esse antiquam Romam ethnicam, quæ Christianam infestabat Ecclesiam.

Mysticam Babylonem esse Romam.

Sed age iam; quid per flumen Euphratem repentè exsiccatum figuratur? Respondeo, Euphratem esse symbolum aptissimum ad significandum torrentem rapidissimum superbiæ, delitiarum atque opum, & fortè etiam humanæ sapientiæ & eloquentiæ, quibus Romani circunfluebant. Namque vt Babylonios olim Euphratis latitudo ac profunditas de vrbis inuasione reddebat omnino securos, ita etiam

Quid per Euphratem flumẽ figuretur.

Digitized by Google

etiam copiosa hæc rerum mundanarum affluentia adeò negligentes ac securos tenebat Romanos de mystica Romæ expeditione, vt stultum planè ac prorsus insanum reputarent, si quis Christianam Religionem ad Romæ intimos recessus penetraturam, & senatorum ipsas domos occupaturã existimaret. Interea tamen diuinæ prouidentiæ cõsilium & solers Euangelij prædicatorum industria cælesti numine & auxilio roborata totam hanc difficultatum molem superarũt. Et quasi derepente fluuius Euphrates siccaretur, non aliter Deus ex prædestinatorum animis seiunxit obicem illum fastus, superbiæ, delitiarum ac doctrinæ Gentilicæ, quibus antea miserè inhiabant, & medio hoc facinore admirando potuit Christi fides in nobilissimas quasque Romę familias irrumpere, easque feliciter occupare. A

Regum Orientalium symbolum quibus positissimùm accipiatur.

Regum autem Orientalium nomen (quo, si figuram spectes, Cyrus ac Darius designantur) mirificè viris Apostolicis generatim, & Romanis singillatim Pontificibus accidit, ijs videlicet, qui Romam mysticè inuaserunt. Etenim cùm in Cyro ac Dario Orientis Regibus adumbrentur, illis egregiè quadrat Regum Orientalium nomen. Præsertim cùm Christiana Religio Romam ex Orientis partibus, id est Ierosolymâ, aduenerit. Iam, si excellentissimus aliquis binarius exquiratur, qui Cyro ac Dario respondeat, nihil aptius quàm Petrus & Paulus. Quanuis enim illi iam ad cęlestem patriam per martyrium euolarint, quando ob mysticam Romæ inuasionem persecutio sub Diocletiano crudelissimè sæuijt: illi tamen significanter satis dicuntur esse duo Orientis Reges, quibus potissimùm admirabilis hæc Romæ expeditio secundùm Deum refertur accepta. Quamobrem Laurentius Iustinianus in festo Sanctorum Petri & Pauli, duos hosce Apostolos præclarissimos eleganter fingit esse Orientis Reges, qui Babylonem, id est Romam, sese intulerunt, eamque Christianæ Religioni subiugarunt. Licet autẽ videatur cuipiam hæc diui Laurentij Iustiniani non tam expositio esse, quàm accommodatio, meo tamẽ iudicio rectè collineauit sanctus Patriarcha. Nã interpretatio hæc cum verissima Apocalypseos acoluthia mirificè consentit. Demum Adamus in prologo in Isaiam refert, esse D. Hieronymi sententiam, in Medis ac Persis Apostolos & eorum successores denotari, qui Babylonem, id est confusum mundum, euerterunt. Hæc ille de mundo in communi, quæ tamen multò aptiùs Romæ ethnicæ applicantur B

Quinã sit spiritalis renouatio Euphratis ab Orientis Regibus exsiccati?

Spiritalis ergo renouatio antiqui facinoris, quo Cyrus & Darius Orientales Reges Babylonem inuaserunt, non fuit alia, quàm mystica Apostolicorum virorum in Romam ethnicam inuasio. id est in eius præcipuas domos, cuiusmodi erant Senatoriæ, Consulares, & Imperatoriæ, & quidquid Romæ florens atque opulentũ erat. Etenim repentè & præter opinionem alius vxorem propriam esse Christianam deprehendit, alius filiam, fratres alius, alius cognatos & affines, ac demum omnes pariter animaduerterunt, Christianam fidem sese in mediam Romam & in ipsas eorum domos insinuasse, atque adeò vix aliquam esse super, quò non cælestis ille penetrasset ignis, quem Christus in terra accensurus aduenit. Adeò autem in hac parte securi atque imparati erant tyranni & ceteri Gentiles, tam longè ab huius euentus suspicione, vt eorum fiducia atque securitas iure optimo figuretur in ea, quam Babylonijs quondam inesse diximus. Quippe secundus rerum cursus atque prosperitas, & illa Imperij magnitudo, qua tunc ethnici Romani fruebantur, nec non exundans superbiæ, delitiarum & Gentilicæ eloquentiæ torrens eos ipsos ita securos ac negligentes reddiderant de Religionis Catholicæ in Romam irruptione, vt nihil sibi minus extimescerent. In cuius autem mẽtem veniret, fieri posse, vt in domos adeò superbas humilitas Euangelij & Christi crucifixi adoratio penetrare posset, atque ea doctrina, quæ quidquid mundus amplectitur & colit, pro nihilo ducit? Itaque minimè timebant persecutores fidem Euangelii suas domos penetraturam. Verùm enimuerò exitus ipse probauit, diuinam prouidentiam ipsã hominum securitate & non-curantia fuisse vsam, vt exemplo & præter omnium expectationem Christiana fides in eorum domos penetraret. C

Quod Deus instrumentũ ad mysticã Romæ inuasionem vsurparit.

Iam quantâ hic euentus admiratione & stupore Romanorum animos perculerit, conijci potest ex nouitate ipsa & insolentia, quæ Christianos ipsos solet in magnam admirationem adducere, quando subitò & inopinatò ad Deum conuertitur aliquis, qui in mundo antea, rebusque mundanis fuerat penitùs immersus. Cuiusmodi erant Saulus, Matthæus & Magdalena. In quorum & similium conuersione discimus ex Apocalypsi, renouari quodammodo Babylonis inuasionem. Quod autem Deus instrumentum vsurpauit ad mysticam Romæ inuasionem seu conuersionem, præter diuinæ gratiæ efficacitatem, illud fuit, nempe peracre studium atque contentio prædicatorum Euangelij & communio atque conuictus cum variis gentibus ac nationibus, etiam cum iis, qui curiositatis causâ eos in carceribus inuisebant. Nam ministrorum Christi inexplebilis eos omnes conuertendi cupiditas, inanis mundi gloriæ prædicatio, admirabile vitæ & sanctitatis exemplum, in cruciatibus atque tormentis fortitudo atque constantia, hæc inquam omnia Gentiles ipsos alliciebant ac trahebant, vt eiuratâ idolorum impietate sese ad Christiana sacra transferrent. Ac postremò in mystica hac Romæ inuasione quis non videat, quàm aptè & congruenter excogitetur fidelis exercitus duces & imperatores præcipuos fuisse Petrum & Paulum, quibus Regum Orientalium nomen meritissimè tribuitur? D

Christiana Religio quomodo se in Romanam arcem insinuauerit.

Atque vt illud hîc demum adnectam, Cyrus Babylonem non apertâ vi atque armis occupauit, sed occultè, & qua ipsi sibi Babylonii minùs præcauerant. Similiter igitur Christiana Religio non violentâ armorũ impressione Romã irrupit, sed priùs eò sese insinuauerant, quàm Romani persentire potuissent, quà sibi aditũ posset Christiana Religio patefacere. Nec enim Catholica fides vim ac potentiã manifestã potentiæ Romanorũ opposuit, nec Romanorũ maiestati auctoritatem obiecit mundanam: sed quod maiori impedimento videbatur esse, nempe terrenarũ rerũ affluentiam atque

delitias,

Digitized by Google

A delitias, quibus Romani abundabant, & effrenatã eorũ cupiditatem, qua se prospero temporaliũ rerũ decursu ac rapidissimo torrente duci ac trahi sinebant; hoc inquã immensa Dei virtus & mystici Darij industria, hoc militũ strenuorum robur ac fortitudo, hoc firma in Deũ fiducia, hoc humilitas, hoc patientia, hoc deniq; Spiritus sancti ignis (per ignem illũ figuratus, quo Cyrus post fluminis aliò auersi diuerticula, aluei & riparũ arundineta ac fruticeta combussit) omnino complanauit & sustulit. Quod verò Euphrates symbolum sit voluptatum fluxus; auctores habeo Ticonium homilia 10. & Rupertum Apoc. 9. Ac de fluuio quidem in communi idem docet Augustinus, sermone 210. vbi ait, *Fluuius significat praterfluentem & fugitiuam & in abyssum descendentem voluptatem, vel luxuriã huius saculi.* Hæc Augustinus, qui si de fluuio in communi ita sentit, quantò magis de Babylonis flumine? Similis explicatio Euphratis tradita à nobis est, suprà c. 9. 15.

TEXTVS.

Vers. 13. Et vidi de ore draconis, & de ore Bestiæ, & de ore Pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum.

14. Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa, & procedunt ad Reges totius
B terræ, congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei.

COMMENTARIVS.

IN his tribus ranis alluditur ad Ægyptiacam ranarum plagam, quæ habetur Exod. 8. 6. Ceterùm ranæ Ægypti fuerunt innumerabiles; ranæ verò huius sextæ plagæ fuere non ampliùs tres. Illas ait sacer textus ascendisse de aqua; has Ioannes ait exijsse *de ore draconis, & de ore Bestiæ, & de ore Pseudoprophetæ*, non tamen asserit, vidisse se tres illas ranas, ex draconis, & vtriusque Bestiæ oribus prodire; sed illud tantùm, quas vidit ranas, earum singulas ex singulis horum trium monstrorum oribus fuisse eiectas. Videtur autem Ioannes in hac visione tres illas ranas aspexisse in illo fluminis arefacti alueo. Qui enim ait, Euphratem sibi visum desiccatum; & mox addit, tres ranas à se fuisse conspectas; omnino significat, illud sibi ob oculos positum, quod certi plerumque solet, quãdo torrens aliquis siccatur. Tunc enim in nonnullis lacusculis & exiguis paludibus, quæ reliquę fiunt, solent mox ranæ apparere. Et verò Spiritus sanctus, qui in his plagis ad Ægyptiacas voluit respicere, hunc in locum ranas appositè inseruit: quippe exsiccato fluuio, ranæ mox opportuno loco accidunt. Quod autem Ioannes exprimit, illud est; quas ipse vidit ranas, fuisse tres; easque ex draconis & duarum Bestiarum
C oribus singulatim fuisse egressas.

Allusio in tribus ranis ad Ægyptiarum ranarũ plagam.

DE ORE PSEVDOPROPHETÆ;] Satis patet terræ Bestiam hìc Pseudoprophetam appellari, idemque nomen illi adscribitur cap. 19. 20. & c. 20. 10. Huius verò rationem discriminis reddidimus c. 13. 11. circa illa verba, *Loquebatur sicut draco.* Præterquàm quòd falsa miracula, quæ ca. 13. de illa referuntur, conducunt pariter, vt illi Pseudoprophetæ nomen iure tribuatur.

SVNT ENIM SPIRITVS DÆMONIORVM] Quomodo sit accipiendum in præsenti dæmoniorum nomen, infrà explicabo. Nunc aduerto particulam *Enim*, deseruire ad reddendam superiorum rationem. Sensus ergo est, tres illos dæmoniorum spiritus meritò sub ranarum specie fuisse visos, quæ ex draconis & duarum Bestiarum oribus processerunt: esse enim diabolicos spiritus, & rerum admirabilium effectores. Vers. 14.

ET PROCEDVNT AD REGES TOTIVS TERRÆ] Quasi dicat, illud esse trium ranarum consilium, vt confletur exercitus, bellumque fiat aduersus summum ac præpotentem Deum, quem ad finem Principes, & Reges terræ à ranis ipsis solicitari, vt inter sese coniurent, & vires suas roburque congregent contra Christianum nomen, & Christi ipsius Euangelium. Quod quasi deridens Ioannes & stultam earum mentem deludens, asserit, nullum alium fore tantæ expeditionis, tantæque coniurationis exitum, quàm vt congregentur Reges ad prælium in die magno omnipotentis Dei.
D Quibus in verbis videtur alludi ad illud Ps. 2. 2. *Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominũ & aduersus Christum eius. Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit illos.* nimirum quia conspiratio illa nihil aliud proficiet, quàm vt omnipotens Deus, eos simul collectos corripiat, & suæ potentiæ documentũ clarissimũ in eorũ excidio edat: idque præstet eãdem ipsã viã atque consilio quà ipsi Christum oppugnare & superare tentabant. Quod facinus egregium diuinæ prouidentiæ imprimis commendari videtur, quandoquidem dies, quo illud patratur appellatur, dies magnus omnipotentis Dei.

Quo sensu dicãtur tres rana procedere ad Reges totius terra.

Verùm faciamus iam gradum ad explicationem mysterij in tribus prædictis ranis adumbrati. Exsiccato Euphrate, mox in lacunulis in alueo extantibus tres illæ apparuerunt ranæ, quas refert textus. Quid obsecro aptius & congruentius vt significetur, vbi aspexere Gentiles fidem in eorum sese domos insinuasse, ingentes mox clamores & vociferationes aduersus Christianam Religionem edidisse? Aruit flumen, & mundani fastus atque pomparum contemptio locum præbuit, vt Christiana fides aliquorum animos occuparet. Atque hæc ipsa Gentilicæ vanitatis despicientia extitit ratio, vt ranæ erumperent, & aduersus Christi fidem clamitarent.

Quid per tres ranas ex draconis & duarum Bestiarũ ore egressas figuretur.

Obserua igitur primò, ranarum clamorem raucum importunumque esse, id quod Græca vox haud obscurè indicat, βάτραχος enim dicitur ab aspero clamore. Secundò obserua, per tres ranas significari mũdi, dæmonis atque carnis sermonem, siue locutionem. Hæc enim triplex sermocinandi ratio

Græca rana vox vnde dicta.

Digitized by Google

ratio bellum Euangelio indixit. De quo bello virtuti illato à triplici ſermone ſiue locutione, nempe carnis, mũdi atque diaboli, agit grauiſſimè Ioannes Auila in ſuo libro ſpirituali: & Bernardinus Roſignolius l. 3. de diſciplina perfectionis c. 15. ex Bernardo ſimiliter agit de tribus ſpiritibus, diabolico carnali & mundano. Si autem quod textus de ranis affirmat, attente conſideremus; hæc eis figura ad amuſſim quadrat. Aſſerit imprimis haſce ranas eſſe ſpiritus immundos, atqui nomen ſpiritus halitum ſiue reſpirationem denotat: in quo pariter vox ſiue clamor rectè figuratur. Præſertim cùm textus ipſe exprimat, tres ranas erupiſſe; primam ex draconis, alteram ex marinæ Beſtiæ, tertiam ex terrenæ ore. Si ergo draco & Beſtiæ duæ adumbrant tres animæ aduerſarios; quid elegantius ad horum trium hoſtium loquelam ſignificandam, quàm dicere, illos eſſe tres ſpiritus ex ore draconis & duplicis Beſtiæ egreſſos? Si cap. Apocalypſeos primo, cùm dicitur, *De ore eius gladius acutus exibat*, eâ phraſi ſermo Chriſti deſignatur; rana igitur de ore draconis prodiens, draconis ipſius ſermonem aptè indicabit. Adde huc, ranam eſſe animal vocaliſſimum; vſque adeò vt nihil videatur eſſe aliud rana, quàm clamor ille aſper & importunus; cui proinde Latonicum illud iure applices, *Vox eſt, præterea nihil.*

Quare huiuſmodi ranæ appellentur ſpiritus immundi.

Hominis animam nuncupari halitũ ſiue ſpiraculum Dei.

Obſerua tertiò, ex Geneſ. 2. 7. rationalem hominis animam, halitum Dei ſiue ſpiraculum nuncupari, *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Cùm autem hanc homini reſpirationem à Deo immitti, perinde ſit, quaſi illum ad ſuam imaginem & ſimilitudinem effingere (Geneſ. 1. 26.) hinc ortum fuiſſe videtur, vt quando res aliqua grandiorem aliam ſimilitudine refert, dicatur eſſe quaſi halitus ſiue ſpiritus quidam illius. Sic enim dicimus felem eſſe leonis aut tigridis quaſi ſternutamentum; quæ locutio plus adhuc lepõris Hiſpano idiomate continet, *El gato es como vn huelgo y eſtornudo del Leon.*

Dæmonis, mũdi atque carnis loquelam in tribus ranis adumbrari.

His ergo ita conſtitutis; vt eorum ſermo & locutio, qui clamoribus ac vociferationibus aduerſus Euangelium obſtrepebant, dicatur eſſe imago quędam loquelæ dęmonis, mũdi atque carnis, ac proinde ipſemet dęmonis, mundi & carnis ſpiritus: ad hoc inquam denotandum congruentiſſimè dicitur clamor ille eſſe ſpiritus immundus, atque is ſpiritus, qui ex ore draconis, & ex ore marinæ Beſtiæ, & ex ore Beſtiæ terreſtris exiuit: hoc eſt, in eo clamore ad viuum exprimi dæmonis ſpiritum, mundi atque carnis. Et quidem ad pingendam in exiguâ re effigiem quandam eorum, quæ dæmon ſuggerit, proponit mundus, caro complectitur (quę omnia ad luxuriam, auaritiam & ſuperbiam reuocantur) apprime ranarum inducitur figura, quam mox exſiccati fluuij tractatio menti obtulit. Si enim Beſtiæ c. 13. appoſitè afficti ſunt vrſini pedes, pectus tigrinum, & leoninus rugitus ad luxuriæ, auaritiæ ac ſuperbiæ ſignificationem: nihilo eſt ineptior ad idem ſignificandum ranæ figura. Etenim in ipſo cœno, in quo & naſcitur, & ſemper volutatur, mirificè luxuria ac turpis libido denotatur. In maculis, quibus veluti ocellis quibuſdam vndique diſtinguitur, oculorum concupiſcentia innuitur. In peruicaci importuni clamoris elatione, ſuperbia adumbratur, cui etiam ſignificationi deſeruit ranæ tumor, atque huc etiam ſi libeat, poſſis non perperam Æſopi fabellam de rana cum bouis ingenti mole ſeſe per tumorem comparante adducere.

Quomodo ranæ tres poſſint ad tres animæ hoſtes accõmodari.

Hiſce omnibus ſatis exprimitur dæmonis, mundi atque carnis loquelam Euangelio reclamantem, eſſe ex ſeſe immundam, cupidam ac ſuperbam. Namque vt ſanctorum virorum ſermo optimũ Chriſti odorem præ ſe fert, ita è contrario ſcèleratorum atque improborum locutio obſcænitatem, auaritiam & ſuperbiam oſtentant, atque adeò dæmonis, mundi & carnis ſpiritum. Quòd ſi aptior videatur alicui expoſitio illa, quam c. 13. 2. coniunctionis vrſinorum pedum, tigrini corporis, rugitus leonini tradidimus, illi etiam ſignificationi accommodari facilè poteſt ranarum immunditia, & earum oculi, ac ſuperbus clamor. Poſſet etiam non ineptè dici, ſpiritum draconis, & marinæ Beſtiæ, atque Beſtiæ terræ vnum eundemque eſſe. Verùm perinde eſt, ſi dicamus eſſe quaſi tres ſpiritus, propter triplicem, quam habent, originem. Fuit autem maximè ad rem ternarius numerus; vt ſignificetur, ranas ex monſtrorum trium ore prodijſſe. Et fortaſsè his tribus ranis accõmodari poteſt triplex ranarum genus, quod reperitur. Nam præter communes, rubetæ etiam & calamitæ ſunt ranæ, vt tradit Plinius, l. 8. c. 31. & l. 32. c. 10. Rubetæ verò ſunt terreſtres & virulentę, calamitę autem degunt inter arundines & fruticeta: quod ad deſignandum ſpiritum dæmonis, & ſpiritum carnis fortaſſe valet.

Obiectio ſoluitur. Cur Ranæ dicantur ſpiritus dæmoniorum.

Obijciet fortè aliquis, in textu manifeſtè denotatur, tres illas eſſe totidem dæmonia. Priùs enim dicuntur eſſe tres ſpiritus immundi, deinde expreſſiùs adhuc ſubiungitur, *Sunt enim ſpiritus dæmoniorũ.* Reſpondeo, mirum non eſſe, vt ænigma diſſimulet, quod ſignificare contendit. Et ſanè, ſi rem ſeriò examinemus, non ait textus, tres ranas eſſe dæmonia, ſed eſſe dæmoniorum ſpiritus. Nec elegantia vacat, quòd ſermo de dæmonibus eſſe videatur, vt & horror incutiatur hominibus & indicetur pariter, ſpiritus illos eſſe teterrimos humani generis hoſtes. At ſi rectè id conſtruamus, ſpiritus dicitur eſſe eius, à quo ſpiratur. Quare ſpiritus dæmoniorum perinde erunt, quaſi ſpiritus ab ipſis dæmonibus inſpirati. Cùm autẽ textus expreſſerit, ranas tres ex draconis, & duplicis Beſtiæ oribus erupiſſe, neceſſe eſt, tam draconem ipſum, quàm Beſtias hîc appellari dæmonia. Quinimò licèt dęmoniorum nomen ranis imponatur, quoquo modo ſe res habeat, accipiendũ eſt dæmoniorum nomen, qua ratione nomẽ Satanæ vſurpatur, quod in Scriptura hominibus etiam tribuitur. Propterea igitur mirũ non eſt, infenſiſſimos hoſtes dæmoniorum nomine compellari, ſiue diaboli ſint, ſiue homines, ſiue Beſtiæ. Atque ita tres animæ hoſtes videntur hîc dæmones nominari. Facit Habacuc 3. 5. *Egredietur diabolus ante pedes eius.* Vbi nomen diaboli tragicum eſt, vt videbimus l. 10.

Nomine dæmoniorum qui ſignificentur.

De quibus ranarum ſignis ſiue prodigijs hîc ſermo ſit.

Subdit textus, FACIENTES SIGNA] Quod de dæmonis, mũdi atque carnis ſermone dicitur, quòd ſcilicet miracula & portentoſa ſigna edat, referendũ videtur ad miracula illa, quæ c. 13. Beſtiæ maris

& Be-

Digitized by Google

A & Bestiæ terræ attributa sunt. Nec enim mirum est aut nouum, si trium horum hostium loquela in hominibus decipiendis,& inescandis eos ipsos referant,quos in suis actionibus imitantur.Id quod cùm hac etiam tempestate videamus accidere, quantò magis putandum est, eo tempore accidisse, præsertim inter ethnicos homines in idololatrię tenebris immersos?Quis dubitet,ranarum clamorem tunc effecisse,vti homines Bestiam maris cultu & adoratione prosequerentur,& se illius seruos esse iactarent,atque adeò falsam mundi,eiusque inanis gloriæ imaginem hominibus non secus proponi,ac si solida esset & expressa,ipsisque loquentem videri,& facile vt verum persuadentem, quod vera ex se vanitas ac mendacium est?Lege quæ diximus c.13.de miraculis Bestiarum.

ET PROCEDVNT AD REGES TOTIVS TERRÆ CONGREGARE ILLOS IN PRÆLIVM] Imperatores quidem erant totius terræ Reges. Cùm autem præcipui Principes & Imperatores vnà coniurarent, conspirabant pariter cum illis,quotquot eorum erant ditioni subiecti. Tres autem ranæ, id est, dæmonis, mundi atque carnis sermocinatio, præcipui fuere ministri, qui tam Imperatores, quàm eorum assecias atque fautores aduersus Euangelium cogerent: vt Christi nomen ex orbe, si possent, exterminarent. Atque id est, quod Psal. 2. dicitur, *Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati sunt inania, aduersus Dominum,& aduersus Christum eius?* Hæc autem coniuratio ex ranarum clamore, vt constat,oriebatur. Quamobrem apprime fingitur,tres illas ranas concursare per orbem,& importuno clamore ac vociferatione concitare Principes,populos commouere; vt contra Christi Euangelium arma capiant. *Quorsum rana ad Reges totius terræ dicantur procedere?*

B AD DIEM MAGNVM OMNIPOTENTIS DEI] Magnus hic dies denotat maximam & euidentem diuinæ omnipotentiæ significationem,dum Christianę Ecclesiæ hostes suismet ipsorum armis deuincit ac iugulat. Manifestum autem est,Reges terræ non eo fine à ranis congregari,vt Deus in eorum confusione suam ostenderet potentiam. Verùm vt significetur Deus suos ipsos hostes assumere ad ea exequenda,quæ admirabilis ipsius prouidentia disposuit & ordinauit; ad hoc inquam significandum, dicuntur ranæ coniungere Reges, vt prælium committerent magno die omnipotentis Dei. Quo denotatur, quanuis ranarum intentio fuerit diuini consilii rationi contraria, re tamen ipsa diuinæ prouidentiæ dispositioni deseruire,& Gentiles ipsos,quanuis exitus eos manentis ignaros pariter conglobari, vt in illis simul collectis Deus suæ ederet omnipotentiæ documenta Consonat illud Isaiæ 8.9. *Congregamini populi & vincimini.* *Quinàm dicatur dies magnus omnipotentis Dei?*

Qui autem vocatur dies magnus, non est existimandus esse vnicus solùm dies, sed quoties Deus Regum ac Principum coniurationem aduersus Euangelium pactam in maiorem atque illustriorem sui nominis gloriam conuertit. Quotiescumque enim id accidit, magnus Dei dies renouatur. Et quanuis totius discursus filum poscat, vt singillatim hic sermo sit de die in quo Ecclesia ex Romani imperii persecutione victrix euasit,rectè tamen potest eadem consideratio ad alios id genus dies extendi. Et concionatores quidem possunt non ineptè vsurpare huius plagæ figuram(in qua repentina Euphratis fluminis exsiccatio, & Regum Orientalium irruptio in Babylonem proponitur) vt in C hac veluti effigie atque pictura nobis in mentem crebrò reuocent obliuionem maximam, maximumque periculum, in quo semper improborum Respublica (quæ est spiritalis Babylon) versatur, ac neminem esse, qui Dei possit iræ obsistere (quæ per Orientales Reges figuratur) quominus sicco pede,vt aiunt,sese intro inferat,& suos hostes acerbissimè vlciscatur. Ac demum huiusmodi discursus potest congruenter applicari ad regnum aliquod, ad ciuitatem, ad singularem personam, pro vt res aptiùs se dabit. Potest etiam Dei dies nuncupari repentinum peccatoris supplicium,quando ille imprudentior & imparatior erat, & nihil minus curabat, quàm vt sui conatus, quibus se veritati ac virtuti opponebat,irriti forent & inanes. Nihilominus tamen propria & germana huius loci expositio respicit diem victoriæ ab Ecclesia ex Romani Imperii idololatria partæ,vt iam explicaui. *Diem magnum non pro vnico solùm die sumendum esse.*

NOTATIO III.

De alijs explicationibus trium ranarum præter eam,quam in commentario proposuimus.

Referuntur alia de tribus ranis explicationes, præter eam,qua suprà tradita est.

VIEGAS sectione 2.existimat,tres ranas huius capitis esse tres dæmones ab Antichristo sub visibili legatorum specie mittendos. Exire autem de ore dæmonis,Bestiæ maris,& Pseudoprophetæ, perinde esse dicit, atque mitti illos ex diaboli, Antichristi, & præcursoris eius imperio. Hæc tamen interpretatio imprimis rem omnino incertam inducit. Deinde minimè est apta. Vt enim significetur, illos dæmonis & Antichristi imperio mitti, violentum est prorsus asserere, illos esse ranas ex dæmonis ore prodeuntes Et quanuis Pierius l.19.dicat,ranas etiam hoc loco esse dæmonum simulacra; nullam tamen reddit huius rei rationem, quæ satisfaciat. *1.expositio de tribus dæmonibus ab Antichristo mittendis.*

2.expositio de hæresibus.

Aliorum explicatio est,in tribus hisce ranis hæreses denotari. Huc spectat, quod refert idem Pierius ex Eucherio, nimirum ranas esse Hæreticorum symbola. Cur verò in tribus ranis sint figurati, Staphilus libro de Lutheranorum concordia voluit explicare has ranas peculiariter Lutheranis applicando. Ait ergo, has D tres ranas siue bufones esse tres sectas, quæ à Luthero deriuantur;ex quibus prima est Anabaptistarum,quorum pater est Rothmanus. Atque hi sunt rigidi Lutherani. Secunda est Sacramentariorum, quorum auctor Carolstadius; ex quo Zuuinglius, & Caluinus. Tertia est Protestantium,quorum dux Melanchthon. Atque eandem hanc applicationem refert Prateolus. Verùm enimuerò nihil opus est fingere, Apocalypsin Lutheri, aut sectarum trium ex illo dimanantium meminisse. Et quidem nec in hac applicatione redditur ratio eorum,quæ textus recenset; neque in ea constare sibi potest Apocalypseos acoluthia. Quanuis alioquin non negem,ranarum symbolum aptè hæreticis impingi; si attendamus quod Pierius refert, nempe ranam apud Ægyptios symbolum esse inuerecundiæ, curiositatis,imperfectionis, & rusticitatis. Tradit etiam luce iuxta apposita ranas illico contitescere. Quod referri congruenter potest ad veritatis lucem, quæ hæreticos mutos & elingues reddat. Ceterũ quanuis hac ratione

Digitized by Google

Pierius dicat, ranam esse silentij symbolum; ego potius dicerem, illas esse symbolum stultæ & importunæ garrulitatis, id quod opportunius erat atque aptius, vt Hæretici ranarum nomine vocarentur.

3. expositio de Antichristi præconibus.

Beatus Prosper in dimidio temporis c. 11. tres ranas interpretatur de Antichristi præconibus, & subdit, *Quod in Daniele dictum est, Examina ex eo surgent: hic apertè dictum est, exire velut præcones eius tres spiritus immundos, tanquam in tres partes orbis, Asiæ, Europæ, & Africæ: qui persuadeant Antichristum esse Christum.* Hactenus Prosper. Sed neque Apocalypseos consequentia hanc explicationem admittit, nec sunt tantùm tres illæ orbis partes, quia America est quarta, & fortasse superest alia Australis nondum satis cognita.

4. expositio de Gentilismo, Iudaismo, & Hæreticismo.

Hisce explicationibus aliam adiungam, quæ non mihi displiceret omnino, si tamen cum Apocalypseos serie connecti posset. Ea verò est, per tres illas ranas denotari Gentilismum, Hæreticismum, & Iudaismum. Hæc enim sunt tria monstra, quæ aduersus Christianã Ecclesiam importunè clamitant, dum conantur Reges potentissimos ac Principes aduersus illam instigare. Et ritè accidit, vt Gentilismus sit ea rana, quæ ex ore marinæ Bestiæ prodijt. Iudaismus sit ea, quam Bestia terræ produxit. Hæreticismus denique, quam draco euomuit In flumine verò Euphrate figurari posset humanæ eloquentiæ atque sapientiæ flumẽ, quod Euangelio videbatur opponi. Quod tamen impedimentum Deus de medio sustulit, partim quia infideles obmutescere fecit admirabili sapientia, quam Deus suis Martyribus elargiebatur, (sic enim Christus, *Ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri:*) partim etiam, quia ex Constantini tempore, tota illa vetus eloquentia ita euanuit, vt videatur flumen illud magnum antiquæ eloquentiæ Gentilicæ prorsus exaruisse. Et pro illa eloquentia, quæ Euangelio peracre bellum illaturа videbatur, tres solùm emersere ranæ, quas draco ac duplex Bestia produxerunt, quæ quidem importuno clamore ac vociferatione se Euangelio opposuerunt, ita tamen, vt ranæ stultæ, garrulæ & importunæ sint.

TEXTVS.

*Vers.*15. Ecce venio sicut fur: Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua; ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius. B

COMMENTARIVS.

Furis aduenientis comparatio in sacris Literis frequens vbi de Domini aduentu ad iudicium agitur, De quo Dei aduentu hic sermo sit.

ERIT fortasse, qui hæc verba velit in eam partem accipere, vt probet in sexta huius capitis plaga non agi de mystica Romæ inuasione, sed de singulari aliquo supplicio hostibus Ecclesiæ inflicto. Quippe in aduentu ad iudicium, hac item furis comparatione solet vti Scriptura: vt videre est Matt. 24.43. Luc. 12. 39. & 1. ad Thess. 5. 2. & 2. Pet. 3. 10. & Apo. 3, 3. Ad mysticam verò Romę subiugationẽ (quæ fuit bonæ ipsius partis conuersio ad fidẽ) non aptè videtur desumi illa furis comparatio. In ea enim significatur, miserum atque infelicem esse illum, quem Dominus imparatum, nec vigilantem inuenerit. Atqui in mystica illa Romæ inuasione non infelices, sed felicissimi potiùs fuere, qui repentè & inopinantes diuinâ misericordiâ præoccupati Christianam Religionem amplexi sunt.

Nihilominus sextæ plagæ explicatio suprà posita firmioribus nititur fundamentis, quàm vt hoc argumento conuelli possit. Ad illud ergo respondeo, quãuis in sexta plaga directe de mystica Romę eruptione tractatur; nihil tamen prohibet, quominùs in eo tractatu obiter admoneantur homines, C quemadmodum Deus sese Romam sicut fur inopinatò immisit (hoc est, quando infideles magis erant incauti, & ab ea inuasione securi) ita etiam fideles à Deo ipso derepente occupari, quando ei fuerit visum. Atque id significat vox illa, *sicut fur*, dum scilicet stultos deprehendit incautos, & nihil tale opinantes. Adiuuat explicationem hanc, quòd versus hic quintus decimus videtur veluti per parentheſim interpositus. Nam versus 16. (nempe *& congregabit illos*, &c.) proximè connectitur cum versu 14. vt facilè animaduertet, qui contextum intentè perlegerit. Itaque in media ipsa sextæ plagæ tractatione, diuina vox quasi per parẽthesim interponitur; quæ fideles omnes admoneat, sicuti inopinatè irruptio in Romam fuit facta, ita etiam repentè & præter opinionem eos fore à se inuisendos, & imparatum quemuis intercipiendum. Hanc autem vocem hîc inseruisse congruentissimum fuit. Nam cap. 16. eò fuit imprimis spectatum, vt septem plagæ totidem Dei spiritibus per ordinem responderent; sicuti c. 15. 1. notauimus. Ad sextam verò plagam suo ordine attinebat seria comminatio, quæ inter septem Dei spiritus erat sextus, vt explicatum est c. 1. vbi de septem Dei spiritibus longior instituta est tractatio. Quamobrem, vt mysticæ in Romam irruptionis tractatum cum spiritu seriæ comminationis componere possemus, interiectus fuit versus 15. quo edocemur pariter, & admonemur, quid ex mystica Romę inuasione in nostram vtilitatem trahere debeamus; nimirum, Dei etiam aduentum ad fideles inuisendos repentinum pariter fore. Hunc enim Deus morem in suorum iudiciorum executione solet obseruare; & ipsam etiam Romæ inuasionem fuerat mox subsecu- D tura suorum fidelium visitatio, vt statim explicabimus.

In hac 6. plaga non esse sermonem de supplicio aliquo propriè sumpto.

Atque ex hoc versu, vbi furis interseritur comparatio, minimè potest colligi, sextam plagam esse proprium aliquod supplicium, quod Deus foret de infidelibus sumpturus. Quanuis enim affirmet textus, Deum furis instar aduenturum; & quanuis hæc furis comparatio (si nihil adijceretur aliud) congruenter posset adhiberi ad diem iudicij, vel ad repentinam infidelium subuersionem; ex ijs tamen verbis, quæ mox adiunguntur, nempe *Beatus qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius*, apparet manifestè, non hic sermonem haberi de infidelibus; sed de fidelibus, qui negligenter se gererent. Nec enim Scriptura diceret, infideli vestimenta esse, quibus suæ animæ nuditatem obtegat.

Quo sensu hic accipiendum, quod hic de vestimentorũ custodia scribitur.

Explicatione ergo indigent hæc verba, *Beatus qui custodit vestimenta sua, &c.* Dicet aliquis, licèt Dei aduentus ad homines visitandos cum furis comparetur aduẽtu, quòd præter expectationem adsit; aduentum tamen Dei homines inuisentis esse veluti iudicis; ac Domini aduentum, qui tamen nulli vestẽ videatur detracturus aduenire. Verùm in iudicis officio includitur etiam, vt negligenti vestem auferri

Digitized by Google

A auferri præcipiat; eâdem ratione, qua dicitur Matth. 25. 28. *Tollite ab eo talentum.* & Luc. 19. 24. *Auferte ab illo mnam.* sed cùm in hac comparatione præstituatur, posse interdum accidere, vt vestem quis habeat, qua suam nuditatem, suosque defectus cooperiat, vt tamen negligens ac desidiosus vocetur, ex hoc ipso intelligitur, qui hic negligentiæ insimulantur, posse etiam in Dei gratia permanentes negligenter se gerere. Gratia enim est ea vestis, qua animæ nunditas & turpitudo velatur, iuxta illud Ps. 33. 1. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.*

Notandum ergo est, in hoc versu 15. verba non fieri de infidelibus, ad quos Deus erat ingressurus per mysticam Romæ inuasionem. Dei enim aduentus instar furis, in hoc loco referendus non est ad spiritalem Romæ inuasionem, sed ad persecutionem, quæ posteà accidit. De hac enim per tres ranas excitata proximè præcesserat mentio. Hanc autem persecutionem perspicuum est aduersus fideles fuisse coortam. In ea igitur aptissimè Deus intelligitur aduenire ad visitandos Christianos, quos illa petebat persecutio. Quòd autem illa esset repente concitanda, idcirco fidelibus (ne interim obstupescerent, sed vigiles intentiq; essent) edicitur: *Ecce venio sicut fur, beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinẽ eius.* Quod perinde est, atque illos admonere, ne se socordiæ ac negligentiæ dedant, existimãtes satis sibi esse, si Christi fidem & præteritorum scelerum

B impunitatem adepti essent: subitò enim suauissimam persecutionis procellam coorituram, in qua Deum occulto iudicio permissurum, vt inertium fidelium nonnulli Dei gratiam, atque adeò fidem desererent, ac proinde gratiæ vestibus spoliarentur, & eorum turpitudo, ignominia ac nuditas omnibus in propatulo esset.

De quibus in hoc versu 15. sit sermo?

Hanc existimo legitimam expositionem. Ex qua constat, cùm persecutio fuerit exorta per occasionem irruptionis mysticæ in Babylonem, hanc ipsam persecutionem fuisse plagam mysticam, maximumque beneficium, quo Deus eos affecit, qui in mystica Babylone degebant. Et quidem verba illa, *Ecce venio sicut fer*, reuocanda sunt (vt ex dictis elicitur) ad tempus persecutionis, quæ consecuta est multorum ciuium Romanorum conuersionem. At ea verba, *Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua*, &c. apposititissimè sunt ad furis comparationem adiuncta. Ex commination verò quæ socordibus & inertibus intenditur, facilè intelligitur præmium, quod tacitè dicuntur adepturi, qui solertes egerint excubias. Illa enim Dei probatio non eò tantùm spectabat, vt diligenti ac vigilanti suum relinqueret vestitum, sed vt maxima insuper adderet beneficia. Satis tamen fuit expressisse commination aduersus negligentes, quæ cum illa furis comparatione congruebat.

Ad quod tempus sint reuocanda verba illa, Ecce venio sicut fur.

TEXTVS.

C *Vers.* 16. Et congregabit illos in locum, qui vocatur Hebraicè Armagedon.

COMMENTARIVS.

SVPRA iam diximus, præcedentem versum: *Ecce venio sicut fur*, &c. fuisse per modum parenthesis insertum, atque in his verbis, *Et congregabit illos*, regressum fieri ad id, de quo ante sermo erat, & belli allegoriam longiùs produci.

ET CONGREGABIT] Græcè est in præterito, *Congregauit.* verùm hæc est communis prophetiæ ratio, in qua de futura re per modum præteriti agitur, vt sæpe alibi. Quare vt facilius percipi posset, translatum fuit in futurum. Sed oportet animaduertere, quod sit verbi huius suppositum. Ego quidem arbitror, in constructione Græca vicem suppositi gerere tres illos spiritus, qui sub ranarum figura visi sunt. Nam spiritus Græce neutrius est generis, atqui neutro plurali singulare verbum phrasi Græcâ adiungi solet. Cùm autem dictum antea, sit, tres illos spiritus procedere ad Reges totius terræ, & illos in prælium congregare: sequitur modò, eos demum ab illis tribus spiritibus in campum Armagedon fuisse coactos. Verùm in nostra lectione Latina suppositum verbi *congregauit*, videtur esse omnipotens Deus. & quidem satis sapienter vt hoc pacto intelligamus, trium spirituum hostile studium & contentionem esse quasi diuinæ prouidentiæ instrumentum, cuius ministerio Deus ipse sua cõsilia ad destimatum exitum perducat: videlicet, vt aduersariorum exercitum in cam-

D pum Armagedon, hoc est in insidias deducat, ibique eos comprehendat. Armagedon enim (vt sequenti notatione constabit) nõ est peculiare alicuius loci nomẽ, sed ad ministerij huius significationem Hebraice confictum, proprie autem significat locum tendendis insidijs aptum. Quare id in hoc loco innuitur, quando ethnici magis alacres & erecti in bellum aduersus Ecclesiam ferebantur, tunc potissimùm à Deo deduci, atque in eas insidias, quas ipsis parauerat, pertrahi. Nam ea ipsa persecutio erat instrumentum, quo diuina prouidentia vtebatur ad Romam Catholicæ Ecclesiæ subijciendam, & Euangelij veritatem corroborandam, dum constaret Romam Imperij furorem non tantùm non potuisse aduersus illam cristas tollere, sed potiùs medio ipso furore idololatriam profligatam, ac dissipatam fuisse.

Præteritum pro futuro Prophetys familiare.

Ribera existimans, sermonem hîc esse de prælio cum Antichristo committendo, opinatur, proprium illius campi nomen, vbi ab vtroque exercitu confligendum est, esse Armagedon. Sed nescio quantæ sit prudentiæ, velle id in ænigmate accipere vti sonat. Viegas ait, locum esse incognitum, & propter mysterium sic appellari: quia eo in loco post victoriam de Antichristo partam, tectum Ecclesiæ in pristinam gloriam consurget. Nam Armagedon significat *Consurrectionem tecti*, vel *consurrectionem in priora*, siue *montem è latrunculis*, (quia eò Antichristus cum suis conuenit) vel *montem Euangelij*, vel *montem pomorum*. Hæc ille. Sed, explicata genuina huius vocis etymologia, constabit, multò aptius esse mysterium quod suprà indicauimus.

Quid sit cogregari in campum Armagedon.

Digitized by Google

NOTATIO IV.

De etymologia vocis Armagedon.

Nominis Armageddon etymologia multiplex apud Hieronymum.

HIERONYMVS de nominibus Hebraicis sic ait: *Armagedon consurrectio tecti, seu correctio in priora: sed melius mons è latrunculis, vel mons globosus.* Hæc S. Doctor. Vbi vides priores illas expositiones, quas sequitur Viegas; non adeò placere Hieronymo. Quare eas vt minus probabiles omitto. Præterquàm quod si fingendum erat Hebraicum nomen, quod Ecclesiæ fundationem, siue erectionem denotaret; non satis id exprimebatur, si duntaxat diceretur, *Consurrectio tecti*, vel *consurrectio prima.*

Examinantur duæ postremæ etymologiæ, quæ magis probantur Hieronymo.

Transeo igitur ad posteriores illas Hieronymi etymologias: eæ sunt, *mons è latrunculis*, vel *mons globosus.* Ac primò ad huiusmodi significationes apponendus erat nomini *Armagedon* spiritus densus, & ita notari deberet *Harmagedon.* nam Hebræum nomẽ significans montẽ est הר *Har*. Deinde vt Hebraicè dicatur *mons è latrunculis*; si voces ad perpendiculũ exigendæ essent, inscribi deberet *Harmigedudim*. quippe Hebraica inscribendi ratio ita habet הרמגדודים, & discrimẽ illud, quod inter has duas voces, *Armagedon*, & *Harmigedudim* reperitur, satis est, ne expositio illa omnino placeat. Quanuis enim locorũ nomina sæpè sint valde corrupta; in ænigmate tamen si Hebraicum nomen sit fingendum, non debet confingi adeò diuersum ab eo, quod Hebraica lingua sonat.

Eandem ob causam non magis satisfacit illa altera explicatio *mons globosus.* Nam, vt alia prætermittã, eandem habet originẽ, quam *mons è latrunculis*: & eandem fere significationẽ. Nam *Gedud* nõ videtur referri posse ad globosam montis figuram, sed ad militum globum; nec enim aliæ in Hebraicis dictionariis significationes huic voci *Gedud* assignantur, præter istas, *Exercitus, Turba, Globus militum, Latro, Latrunculus.*

Aliorum interpretatio huius nominis.

Alij significationẽ *Gedud* non attendunt, sed solùm significationem *Mageddo*, quod est proprium vnius ciuitatis nomen in tribu Manasse; in cuius campo occisus fuit Iosias 4.Reg.23.29. Quæ vrbs appellatur *Mageddon*, Zach 12.11. Et quia *Mageddo*, vel *Mageddon* denotat *annunciationem*, vel *pomum*, siue *fructum electum*: inde suspicantur *Harmageddon* esse idem, quod *montem Euangelij*, vel *montem pomorũ*, siue *fructuum*. Enimuerò allusio ad vrbem, in cuius campo fuit interfectus Iosias, nequaquam videtur ad rem. Neque ille in monte fuit oppressus, sed in campi planicie. atqui *Armagedon* non sonat campum, sed montem; ad cuius tamen significationem deficit aspiratio.

Alia insuper traditur nec probatur, interpretatio.

His ipse permotus rationibus aliam significationem relinquo, quæ meâ sententiâ, & aptior erat, & maioris auctoritatis, videlicet vt *Armagedon* idẽ sit, quod *mons successionis*. licèt enim videam, hanc significationem Hebraico nomini *Armagedon* à nemine designari: ceterùm Zachariæ 12.11. vbi nos legimus, *Sicut planctus Adrademmon in campo Mageddon.* Septuaginta legunt: *Sicut campus malogranati, quod in campo succiditur*, vbi Septuaginta pro *Mageddon* interpretantur succisionẽ. Quòd si de Ecclesiarum succisione ageretur; optimè habebat, quia malogranatum ibi ponitur pro loco malogranatis consito; vt obseruat Hieronymus & malogranatæ sunt Ecclesiarum symbola. Et verò si ctium ranarum intentionem inspiciamus: id vnum agebant, vti Christum (qui est mysticus Iosias) abolerent, & eius malogranata siue Ecclesias succiderent.

Veruntamen non placet, per primam nominis *Armagedon* syllabam significari montem, nec consentaneum est nomen Armagedon in hoc ænigmate referri ad ranarum intentionem, sed ad illius prælij exitum, quem imprimis Deus omnipotens intendebat.

Septima præponitur eiusce nominis expositio.

Helias Hutterus in suo dictionario Hebraico fol. 151.ait, *Armagedon* idem esse, quod *montem copia* idemque significari per Hebraicam vocem *Haharmona* quæ ponitur Amos 4.num.3. vbi nos legimus *Armon*, alij *Armeniam*, alij *Malogranata*: Septuaginta *montem Remman.* Vatablus, *Palatium ipsum.* Alij *Arcem vrbis munitissimam*. Sed somnium est, velle nominis huius mysterium rimari ex illo altero quod Amos 4. num.3. legimus.

Octava Armagedon etymologia statuitur, & cæteris præfertur.

Ribera noster in præsenti, quanuis suspicetur locum illum, in quo superandus est Antichristus, appellandum fore *Armagedon*. (cui sententiæ subscribere nullo modo possum:) quod verò ait de vera nominis *Armagedon* etymologia, mihi videtur scopũ attigisse. Nam præterquam quòd Riberæ significatio aptissima est mysterio, quod in commentario exposuimus, Hebraicas literas scienti facilè persuadebitur, eam esse germanam nominis huius etymologiam. Ait ergo Ribera, *Armagedon* idem significare, quod *dolosam, exercitus congregationem*, id est insidias, siue insidiarum locum. Vt autem constet, huiusmodi interpretationem cum Hebraicæ linguæ proprietate quadrare notandum primò est, calliditatem, siue astutiam Hebraicè appellari ערמה *Gharmah*. Si verò hæc vox Hebræa scribenda sit literis Græcis simpliciter scribendum est ἀρμα: atque adeò Latinis literis *Arma*. Quia in Hebraicis vocibus cùm Græcè aut Latinè scribuntur, sæpissimè omittitur litera ע *Hain.* vt patet in his vocibus, *Abdias, Adon*, &c. litera autem ה *he* quæ est in fine dictionis, necessariò fuit omittenda Græcè scribenti.

Confirmatur præcedens mutatio siue etymologia.

Secundò notandum est, exercitum, siue congregationem exercitus Hebraicè appellari גדוד quod Latinis literis sic redditur *Gedud*, siue *Gedod*. Quare *Armagedod* sine vlla corruptione, aut varietate perindè sonat, atque *Astutia exercitus*, siue *Dolosa congregatio exercitus*: quas appellare solemus insidias, Hispanò *Celada, o Emboscada.*

Tertiò notandum est, quanuis Græcè hìc legatur ἀρμαγεδὼν, & Latine *Armagedon*: hoc tamen discrimen mutationis *D.* in *N.* aut nullius esse momenti, aut fortè elegantiæ nonnihil habere. Nam imprimis coniectari posset, forsitan naturalem irrepsisse scriptorum obliuionem, siue incuriam: tunc autem eiusmodi non curantia leuis sanè esset, & mutatio adeò foret exigua, vt vix auribus discrimen perciperetur. In voce autem peregrina, quid mirum si à sua primaria prolatione tantillum discrepet? Deinde forsan lingua ipsa Hebraica vtranque fert terminationem. Nam in voce *Magedo* simile quid reperimus. In alijs enim locis inscribitur *Mageddo*, & Zach.12.n.11. legimus *Mageddon.* Ad hęc, terminatio illa in *on* fortasse ad diminutiui formam est referenda Quippe Hebraica & Græca diminutiua desinunt in *On*. Et quanuis non videatur esse posse Græcum diminutiuum, quod non finiatur in *ον*, sed in *ιον*. (nisi fortè in alijs codicibus scribatur per ο μικρὸν:) satis tamen est, si Hebraicum sit diminutiuum & sæpè venustè nomina diminutiua finguntur. Quamobrẽ, si *Armagedud* denotat insidias, siue dolosam militum occultationem: vt insidiolæ, siue tendiculæ notarentur, non ineptè dictum fuit *Armagedon*. Quòd si illud significare voluit sacer textus, Deum scilicet suis hostibus insidias tetẽdisse: venustè per diminutionem dicuntur insidiolæ, quibus eos comprehẽdat: quod ad irrisionem de inimicis exprimendam idoneum est.

Coniectura ibi eiusdẽ nominis explicatio probatur.

Vtcumque hoc sit, nullam video ex reliquis huius nominis interpretationibus, quæ propiùs ad Hebraici nominis veritatem accedat. Atque inter varias expositiones, siue etymologias manifestum est, eam esse seligendam, quæ ænigmatis mysterio congruentior existat. Valde autem cohæret cum mysterio, de quo agitur, vt nomen loci, quod effingitur, sonet dolosam congregationem exercitus. Vbi autem statuamus, *Arma* Hebræis esse *calliditatem*, siue *astutiam*: cætera nullius difficultatis sunt. Nã radix vocis *Gedod* vel *Gedon* teste Mercero significat, *irrumpere*, quod mirificè consonat. Nam insidiæ perinde sunt, atque *Astutia irrumpens.*

Et fortè

Digitized by Google

Et fortè Ioannes ei vòci tribuit terminationem in *ων*, vt participij Græci illi normam apponeret: quòd sonaret idem, atque *Calliditas irrumpens*. Quid si septuaginta interpretes eandem significationem sunt secuti Zach. 12.11. Vbi pro *Mageddon*, quod est in Hebræo: transtulerunt, *Succisum*. Nam succidere, seu irrumpere, & euertere, insidiarum proprium est: & in nomine *Mageddon*, videntur sumpsisse loco præpositionis: vt idem sit *Mageddon*, quod à succisione, siue irruptione, Fortè etiam locus, vbi interfectus fuit Iosias, appellatus fuit *Mageddon*, non solùm quia prope vrbem Mageddo situs erat: sed etiam quia ibi succisus est, siue occisus; A quasi illi fuerit nomen ab ipsa internecione inditum. In Apocalypsi autem commutatum est nomen *Mageddon* in *Armageddon*; vt expressius designaretur astutia insidiarum, quibus idololatræ succidendi erant.

Possunt etiam ad nostram interpretationem nonnullæ ex supradictis reuocari. Etenim, si cùm dicitur *mons globosus*, habetur respectus ad militum globum, vti iam vidimus: *mons globosus* dici poterit mons ille, vbi milites absconditi, & in vnum quasi globum coacti sunt. Eodem spectabit *mons è latrunculis*, id est mons eorum, qui latrunculorum more insidijs latent *Nonnulla ex prioribus etymologijs cum hac nostra conciliantur.*

TEXTVS.

De septima phiala.

*Vers.*17. Et septimus Angelus effudit phialam suam in aërem: & exiuit vox magna de
B templo à throno dicens, Factum est.

COMMENTARIVS.

VIDIMVS iam c.15.1. huius plagæ septimæ mysterium, esse vindictam mysticam, quam Deus de Roma desumpsit per publicum Christianæ Religionis exercitium & professionem, quæ in ea fidelibus permissa fuit: ex quo subsecuta fuit posteà totius Romæ conuersio. Diuersa satis est Viegæ & aliorum declaratio, qui hanc plagam referri volunt ad extremi iudicij imminentis signa. Quare existimant, effusâ in aërem plaga septima admirandas in eo rerum imagines & impressiones vilum iri; sicut ante Hierosolymitanum excidium contigit. Vocem autem illam, *factum est*, de impendente mundi fine exponunt. At ciuitatem magnam tres in partes diuisam de Hierosolyma accipiunt; quam opinantur prope ipsius mundi interitum magnificam fore & opulentam vrbem, vt Aretas. Hæc omnia, præterquàm quòd pluribus incertis & minoris momenti rebus scatent, cum ipso contextu minimè consentiunt. Magna namque vrbs hoc in loco sit illa necesse est; quam Apocalypsis Babylonem nominat; vt liquet cap.17.18. Et post hanc plagam sequuntur mille pacis anni. Allero igitur, septimam hanc phialam in aërem effundi, quia plaga septima figuratur sub vehementis tempestatis specie, atqui tempestas in ipso aëre excitatur. Allusio verò fit ad septimam Ægypti plagam, de qua
C Exod.9.22. *Septima plaga, eiusq; significatio. Aliorum interpretatio de extremis vniuersalis iudicij signis explodatur.*

ET EXIVIT VOX MAGNA DE TEMPLO] Græcè est *de templo cæli*. Additur autem mox, eam vocem procedere è throno, ac dicere, *Factum est*. Cæli templo significatur illud, quod Deus in Christiana Ecclesia possidet. Hoc enim est cæleste Apocalypseos templum, vti sæpe diximus. In hoc templo suum Deus thronum fixit, ex eoque dicitur satis verè, potenti sui Imperii voce bellum cum Ecclesiæ hostibus gerere, quemadmodum veteres olim Prophetæ dicebant, *Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam*. Porrò phrasis illa, *Factum est*, non semper denotat, nihil iam faciendum remanere. Nam & Ioannis 19.n.30. in cruce protulit Christus, *Consummatum est*, cùm tamen vltimum nondum spiritum exhalasset. Et Apoc.21.6. *Factum est*. Ex quibus constat, quando ad finem ipsum peruenitur, nec quidquam aliud supereſt præter vltimum rei exitum & colophonem, tunc eiusmodi phrasi locum esse. Quapropter, etsi postrema superabat plaga; quia tamen per illam septem omnibus plagis imponebatur finis, ideo dicitur, *Factum est*, quod perinde est, ac si dicatur, Nihil iam restat expectandum: imponamus finem. Hæc ergo vox denotat perspicuam significationem, quam suæ opis atque auxilii dedit Ecclesiæ suæ Deus, qui propriam in ea sedem collocauit: quo significauit; appropinquare iam tempus, vt Ecclesia propalam aduersus idolorum cultores caput attolleret: vti ministri Euangelici ad prædicationem sese hoc pacto magis magisque stimularent. Dici etiam potest per
D hanc vocem è throno procedentem figurari notitiam, quam B. Syluester Pontifex Summus toti Ecclesiæ tradidit de Constantini Imperatoris decreto; quo se Christianum publicè professus est, & templa in Iesu Christi honorem erigi imperauit. *Græcè hic de templo cæli legi: & quid hac locutione denotetur. Quid hic significet phrasis illa.* Factū est.

TEXTVS.

*Vers.*18. Et facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræmotus factus est magnus; qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt super terram, talis terræmotus, sic magnus.

COMMENTARIVS.

MANIFESTAM illam cælestis subsidii significationem subsecutum fuit Euangelij prædicatorum officium egregiè præstitum in Gentilium per veram Euangelii lucem illustratione. Id enim adumbrant fulgura, voces, & tonitrua; vt fusè expendimus ca.4.5. De terræmotus verò significatione lege, quæ diximus c.6.12. & c.8.5. & c.11.13. & 19. vbi obseruauimus, apud Apocalypsin semper designari per terræmotum, insignem aliquam terræ mutationem ex Dei cognitione prouenientem: quasi apparente Dei maiestate tellus ipsa contremiscat. Illud in hoc loco ponderatur, hunc terræ- *Quid per fulgura, voces & tonitrua hic adūbretur. Quid per terræmotū.*

Digitized by Google

terræmotum fuisse maximum omnium, quotquot in toto vsquam orbe visi sunt. Quod mirificè cõ- A
ducit ad significandam admirabilem illam mutationem, quam mundus vniuersus obstupuit; dum crux, summæ antea abiectionis & ignominiæ signum, supra ipsas Imperatorum coronas, & fulgentissimas auro gemmisq; thiaras fuit imposita, & dij Romanis in pretio ac veneratione habiti in maximum abiere ludibrium: ac deorum delubra Romę magnificentissimè structa in Christi Saluatoris nostri templa fuere conuersa, & superba illa ciuitas Euangelicæ doctrinæ humilitatẽ amplexa fuit.

Connexio huius plagæ septimæ cũ præcedenti.

Per insidias ergo illas, de quibus in plaga sexta mentio fit, tãtum accepit incrementi Christiana res; vt Euangelica prædicatio feliciter extare & eminere potuerit victoriam persequendo. Quamobrem vltima ex septem plagis, quibus Deus de Gentilitate triumphauit, fuit admirabilis diuini verbi ac prædicationis vis, qua Imperatorum repugnantia & contradictio fuit superata. Illico enim apparuit præsentissimum diuinę prouidentię auxilium, quo id roboris ac fortitudinis diuino verbo fuit additum, vt intra paucos dies tota penè mundi facies immutata sit. Quòd autem hæc ingens mutatio adumbretur sub specie terræmotus, qui tonitrua & fulgura subsequitur, id sanè admirabilem in se cõtinet elegantiam, qua fingitur, ad ingentes Dei irati clamores, & ad scintillantes præ indignatione ipsius oculos terram pauore concussam contremiscere. Vnde & Ps. 17.8. dicitur, *Commota est & contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis.* Atque hic tantus terræmotus mox tonitruis & fulgetris intermicantibus attribuitur, *Ascendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo. Et intonuit de cælo Dominus, & Altissimus dedit vocem suã, &c.* B

TEXTVS.

Vers. 19. Et facta est ciuitas magna in tres partes; & ciuitates Gentium ceciderunt: & Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ eius.

COMMENTARIVS.

Vtrùm nehic Babylon an Ierosolyma nomine ciuitatis magnæ indicetur?

NONNVLLI cum Areta sibi persuadent, non esse vnã eandemq; vrbem; sed duas diuersas, quæ in versiculo assignãtur, cùm dicitur, *Ciuitas magna facta est in tres partes, &, Babylon magna venit in memoriam ante Deũ.* Hanc iuuat coniecturam interpositio eorum verborũ, *Et ciuitates Gentiũ ceciderunt*; quæ inter vtramque partem sunt interiecta. Quare quod posteà de Babylone subiungitur, non videtur connecti cum eo, quod de ciuitate magna antecesserat. Hinc fit, per ciuitatem magnam ab eis in præsenti designari Ierosolymam; quam dicunt sub mundi finem futuram esse maximam. Sed

Statuitur de vna Babylone esse sermonem.

contrà est, quia ciuitatis magnæ nomen perspicuè ipsi Babyloni tribuitur c. 17.18. & tam hic, quã ibi C
ciuitas magna præfixum habet articulum; ideoque necesse est, illam denotari, quæ magnæ ciuitatis nomine famosa erat. Deinde, si articulus illam debet designare vrbem, de qua in contextu sermo erat; cùm antecesserit exsiccatio fluuij Euphratis, vt illac Orientis Reges in vrbem irrumperent; (in quo nõ obscurè innuitur Babylonis inuasio,) non potest esse alia vrbs, quæ magna ciuitas hic nuncupetur. Iam, quòd diuisioni ciuitatis magnæ annectitur ciuitatum aliarum ruina id non officit, quominùs sermo regrediatur statim ad eandem ciuitatem magnam. eius enim diuisio & aliarum vrbium casus expendunt terræmotus magnitudinem. Fit verò ad ciuitatem ipsam magnam regressus, vt denotetur, Dei iram & indignationem aduersus illam præsertim efferuescere. Nec singularis est hæc opinio; quinimò communis interpretum ferè omnium sententia. Quod enim textus ait, *Facta est ciuitas magna in tres partes*, de impiorum multitudine communiter exponi, testis est Viegas sectione 2. & 3. Atqui eadem interpretatio Babyloni tribuitur.

Quem sensum contineant superioris versiculi verba.

Sensus ergo est, tantum tamque ingentem fuisse terræmotum, vt ciuitas Babylon in tres diuersas vrbes fuerit diuisa; eodemque tempore aliæ Gentium ciuitates corruerint, in Babylonis item diuisione apparuisse, eum illius iniquitatem & meritam pœnam non fuisse oblitum. Hoc autem de Babylone potiùs, quàm de cæteris vrbibus, exprimitur. non quòd ipsæ etiam eiusdem calicis haustum non participauerint, sed quia singulariter gloriatur Deus de supplicio illi vrbi infligendo, quam textus Babylonem vocat. D

Diuisionis in tres partes figura quomodo sit concipienda.

Quod ad diuisionis attinet figuram, ita est consideranda, vt non solùm ingentes scrobes & hiatus habeat interiectos, sed ita etiam, vt tres partes, in quas ciuitas ipsa partitur, seiunctæ inter se sint atque distantes. Nonnulla enim aliquando acciderunt huic terræ tremori non absimilia. Lege Plinium l. 2. cap. 83.

Vtrùm sub hac locutionis figura sensus alius abstrusior sit indagandus?

Sub hac locutionis figura Viegas & alii opinantur, sensum alium reconditum indagari non opus esse, sed re vera ingentem quandam vrbem (siue illa Ierosolyma erit, siue Roma) sub mundi finem horribili tempestate ac terræmotu in tres esse partes omnino diuidendam, hoc est, tam ipso vrbis mœnia, quàm ædificia. Verùm enimuerò, qui in Apocalypsi hoc sensu contentus sit, nec abstrusiorem alium eruere conetur, næ ille septem etiam phialarum Angelos materialiter, vt sonat, septem phialas effundere, facilè credat, idemque de multis aliis possit asseuerare.

Proponũtur duæ sententiæ extremè inter se oppositæ.

Alij contraria omnino via insistentes, nomen ciuitatis magnæ, & nomen etiam Babylonis nimiùm mysticè pro multitudine impiorũ accipiunt. Quæ explicandi ratio multos pro se eosque graues continet auctores: qui diuisionem in tres partes referre videntur ad inferorum supplicium, & tres ipsas partes Richardus de Paganismo, Iudaismo, & falso Christianismo interpretatur. Alii ad Gentilismũ, Iudaismum, & Hæreticismũ applicabunt. Alii ad superbos, auaros, & luxuriosos, atque

adeò

Digitized by Google

A adeò de suppliciorum diuisione tractari hoc in loco: & ad eam fortasse mundi diuisionem respici, quam Ioannes innuit, dum ait, *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Alius dicet, hanc Babylonis diuisionem in tres partes futuram significare regnum dæmonis mundi, atque carnis (qui mortalis huius vitæ tempore inter se sunt associati) vt primùm dānationis tempus aduenerit, discindendũ, ac disiungendum in æternum fore; quippe mundani amici, ac familiares tunc demum crudelissimi hostes erunt, vt dæmon eos omnes acerrimè discruciabit; atque ita draco & duæ Bestiæ (qui omnes antea pariter conspirauerant) in omnem sæculorũ æternitatem seiuncti ac separati manebunt. & hæc quidem diuisio singulares omnes siue homines, siue dæmones pertinget, ita vt nullus sit super vnitus aut cũ dæmone, cui antè parebat, aut cũ suo amico, aut etiam cum ipsa carne.

Nihilominus si interpretũ auctoritatẽ dispiciamus, grauiores multò sunt, qui Babylonis nomine Romã in Apocalypsi intelligunt, vt vidimus not. 11. proœmiali, & c. 13. initio. Nec vnus aut alter sunt; sed vigesimũ omnino numerum complent. Iam si attendámus contextũ & cohærentem expositionis seriem; meo quidem iudicio euidens est, hanc esse genuinam expositionem. Namq; huius vrbis conflagrationi succedunt in Apocalypsi mille pacis anni. Ipsum verò incendiũ mysticũ esse necesse est, vtpote rem post tonitrua & fulgura consecutã, quibus in Apocalypsi haud dubiè Euãgelicæ prædicationis efficacitas figuratur. Deinde in hoc eodẽ versu, quẽ modò exponimus, manifestè supponitur, ciuitatem magnam & Babylonem esse singularem aliquam vrbem, distinguitur enim hic ab aliis compluribus, quæ ciuitates Gentium nominantur. Si autem de impiorum omnium multitudine sub ciuitatis magnæ, aut etiam Babylonis nomine sermo esset, ab aliis Gentium vrbibus discerni neutiquam posset. eâ enim ratione Babylon vniuersas impiorum ciuitates complectitur. Denique ex congruenti totius contextus applicatione ad nostrę acoluthiæ sensum, hanc esse veram interpretationem, satis elicitur.

Media inter vtramque suprà positã sententia legitur.

Quamobrem pro comperto habeo, ciuitatem hanc magnam tres in partes diuisam esse Romam ethnicam, quæ bellum peracre aduersus Christianã Ecclesiam faciebat. Ipsius porrò diuisionis sensus hic est. Simul atq; Euangeliũ publicè prædicari Romæ cœptũ est, & Christianæ Religionis professio Constantini Imperatoris edicto fuit recepta; subitò ciuitas ipsa in tres diuisa partes omnino distinctas atque diuersas apparuit; nimirum in eos Christianos, qui propalam Christi fidem professi sunt, & in eos idolorum cultores, qui publicè in sua cæcitate perstiterũt; nec non in eos, qui cognita idolorum falsitate & eorũ adoratione reiecta, nõ tamen se Christianæ humilitati subdere voluerunt, sed in superbo antiquæ philosophiæ fastu perseuerarunt. De tertia hac diuisionis parte nihil dubitabit, qui temporis illius annales perlegerit, quique cõsiderauerit, quantò faciliùs extitit idololatriã, vt inanem ac fictam repellere, quàm Crucis Christi ignominiam amplecti. Quapropter multi primo illo diuinæ lucis radio illustrati inibi hæserunt; nec processere longiùs ad clariorem Euangelii lucem; sicuti Turcis & Mauris accidere videmus. Hoc igitur ita constituto, vt significaretur manifesta per publicã professionem diuisio inter Christianos, Gentiles, atque neutrales, quid aptius potuit excogitari, quàm quod textus ait, *Facta est ciuitas magna in tres partes?* Hæc igitur diuisio certè antecessit mysticam totius Romæ combustionem, de qua infrà. Quare plaga septima, quæ Ecclesiæ victoriam de Roma partam comprehendit, exorditur ab hac diuisione. Deinde ad ipsam totius Romę conuersionem transit, in eius conflagratione adumbratam, vt vidimus c. 17. & 18. Quorum capitum vtrumque mea sententiâ pertinet ad septimam plagam, quemadmodum sexta ex tubarum plagis (de qua Apocalypseos 9.) per totum caput decimum & bonam vndecimi partem protenditur, vt suo loco demonstratum est.

Auctoris sẽtentia de Romæ quondam ethnicæ diuisione in tres partes.

ET CIVITATES GENTIVM CECIDERVNT] Hoc item in contextu ipso manifestè pertinet ad terræmotus magnitudinem. Sed sicut ciuitas magnâ (nempe Babylon) initio non tota concidit, sed tres in partes fuit diffissa, sic non opus est intelligere, ceteras omnes Gentium vrbes repentè funditus corruisse. Nam vt verè dicatur ciuitas aliqua cecidisse in terræmotu, satis est, totam eam contremuisse & bonam illius partem corruisse. Quæ considerandi ratio ipsi mysterio congruentior est. Quanuis enim Viegas hæc, vti sonant, velit accipere de proprio terræmotu sub mundi finem euenturo, per quẽ ciuitates toto orbe dispersæ sint ruituræ, vt ipse suspicatur, hæ tamen suspiciones sunt valde incertæ, & Apocalypsis proculdubio intelligenda est de rebus multo certioribus, maioris momenti, & inter se aptiùs cohærentibus. De ruina ergo mystica loquitur hic Apocalypsis, sicut c. 11. 13. cùm ait, *Decima pars ciuitatis cecidit.* Cum hoc tamen discrimine, quòd ibi de perfida Ierosolyma verba facit, hic verò de Gentilium ciuitatibus. Ibi enim sermo erat de Iudaicæ Synagogæ oppugnatione aduersus Ecclesiam, hic de Gentilitatis bello aduersus eandem Ecclesiam gesto. Quamobrem minimè consonum est, vt per ciuitatis magnæ nomen hoc in loco Ierosolymam intelligamus, sed Romam Gentilissimi metropolim. Nam de Gentibus institui sermonem, ipse etiam contextus facilè ostendit, ait enim, *Et ciuitates Gentium ceciderunt*, Hoc est, reliquæ etiam Gentium ciuitates. Tametsi autem ciuitatum nomen cum articulo assignetur, non tamen necesse est, generatim de omnibus sine aliqua exceptione intelligi: satis enim est id de insignioribus Romani orbis ciuitatibus verum comprobari. Et fortè singularis est sermo de illis vrbibus, quæ propter idololatriæ superstitionem inibi vigentem & plurimam ethnicorum eò confluentium frequentiam nobiliores erant. Cuiusmodi fuere Ephesus propter Dianæ tẽplũ: Delos propter Apollinis oraculũ, atq; aliæ id genus. Quæ omnes, quatenus idolorum cultrices, magna ex parte ceciderunt, quo tempore per totum Imperium Christianis permissa fuit Catholicæ religionis professio, & templorum instauratio atque frequentia. De cuiusmodi verò ruina agatur in hoc loco, explicauimus c. 11. Et faci-

Quo sensu accipiendũ sit. ciuitates Gentium cecidisse.

De ruina ciuitatum mystica, non de propria sermonem esse.

Digitized by Google

le etiam intelligitur; si consideremus, ruente Mahometi secta in Africa & Asia, signifi canter dici tunc posse, Mecam cecidisse. A

Quid denotetur, dum dicitur Babylon in memoriam ante Deum venisse.

ET BABYLON MAGNA VENIT IN MEMORIAM ANTE DEVM, DARE ILLI CALICEM VINI INDIGNATIONIS IRÆ EIVS] Eandem necessario esse debere, quæ & ciuitas magna, & Babylon nominatur, suprà animaduertimus Hæc ergo verba accipienda sunt tanquam adiecta ad explicandum, cur ciuitas magna fuerit diuisa: & cur Gentium ciuitates conciderint. Vtriusque autem effectus ea redditur ratio, quòd scilicet *Babylon magna venit in memoriam ante Deum*. In quo illud præstituitur, Babylonem videlicet, de qua hic agitur, esse ceterarum vrbium ethnicarum caput ac principem. Quapropter & ipsius vrbis magnæ diuisio, & ruina ceterarum considerantur tanquam pœna ipsi Babyloni inflicta; ad eius enim supplicium spectat casus illarum vrbium, quibus ipsa dominabatur. Ac de Babylone quidem dicitur c. 17. 18 ea esse *ciuitas magna quæ habet Regnum super Reges terræ*. Porrò phrasis, seu loquendi modus, quo Ioannes vtitur in præsenti, idem est, ac si de propria vindicta loqueretur. Locutio enim est in Sactis recepta, pœnam ac supplicium appellari calicem vini, Psal. 10. 6. *Spiritus procellarum pars calicis eorum*. Psal. 74. 9. *Calix in manu Domini vini meri plenus misto. Fæx eius non est exinanita. bibent omnes peccatores terræ*. Isaiæ 51. 17. *De manu Domini calicem iræ eius*. & infrà: *Ad fundum calicis soporis.* & n. 22. *Fundum calicis indignationis meæ*. Ieremiæ 25. 15 *Sume calicem vini furoris*, Ezech 23. 31. *Calicem sororis tuæ bibes*. Habac. 2. 16. *Circundabit te calix dexteræ Domini, & vomitus ignominiæ super gloriam tuam*. vbi Gueuara suspicatur allusionem contineri ad ebrium aliquem; quem alij vino ingurgitant, vt illudant atque exprobrent. seu potiùs quãdo alicui venenatus calix porrigitur, & bibere cogitur. Vtcumque hoc sit, hæc allegoria calicis Babyloni impacti peculiarem continet elegantiam propter respectum ad cruciatuum & tormentorum calicem, quem ipsa Christi martyribus propinabat. de quo dicemus c. 17. 4 ad illa verba; *Habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione*. Aptissimè enim dicitur, in crudelissimæ huius tyrannidis vindictam, Deus illi suæ iræ calicem propinare; sicuti suprà nu. 5. dicitur, *Iustus es Domine, qui hæc iudicasti; Sanguinem Sanctorum tuorum fuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere.* B

Pœnam siue supplicium appellari calicem vini, locutio in sacris vsitata.

Confirmatur sermonẽ hic esse de mystica vindicta.

Verùm in præsenti agitur dubio procul de mystica vindicta Magna enim Dei clementia & misericordia, quam ipse erga Romam & vniuersam Gentilitatem exhibuit, sub specie vindictæ inducitur. De cuius locutionis elegantia deque familiari illius vsu in sacris latè diximus notatione procemialium 23. Accedit, quòd verba illa *Babylon magna venit in memoriam ante Deum*, appositè ad vindictam mysticam vsurpantur. Etenim phrasis ea, qua Deus alicuius memoriam dicitur refricare, nobiliùs & excellentiùs refertur ad suæ misericordiæ recordationem, qua illum multis cumulet beneficiis. Indignationis item nomini respondet hîc in Græco, τῆ θύμε, quo nomine Apocalypsis iram mysticam à propria vindicta distinguit, vt suprà c. 15. perstrinximus. Neque obstat, quòd nomen etiam ὀργῆς, subiiciatur. Nam secundus hic genitiuus à primo pendet: & vtroque significatur mysticam iram esse miram quandam propriæ vindictæ similitudinem. Dicet etiam fortasse aliquis, vtrumque genitiuum hic coniungi, τῆ θύμε τῆς ὀργῆς, vt hoc pacto innuatur, supplicium à Deo Gentilitati inflictum, vtriusque iræ (nempe propriæ, atque mysticæ) partem sibi adscisicere, quippe aliis fuit mystica (quam nomen θύμε solet in Apocalypsi significare,) aliis propriam vindictam, quæ appellatur ὀργή, illis videlicet, qui in sua impietate obstinati perstiterunt: quique proinde horrenda grandine percussi dicuntur. Ceterùm cùm secundus genitiuus à primo pendeat, argumento est, vtrumque ad eandem significationem esse referendum. Quamobrem, illorum etiam respectu, qui ad Christiana sacra traducti sunt, verum tenet, Deum Babyloni calicem vini indignationis suæ, porrexisse, & multò pleniùs in mystica totius Romæ deflagratione. C

TEXTVS.

Vers. 20. Et omnis insula fugit, & montes non sunt inuenti.

COMMENTARIVS.

Quid significetur in insularũ ac montium fuga.

HÆc etiam ingentis terræmotus ponderatio est: qui adeò fuit immanis, vt vrbes, montes atque insulas complanauerit. Notandum verò est c. 6. 14. dictum fuisse, *Omnis mons & insula de locis suis mota sunt*. hic tamen non dicitur solùm montes atque insulas commotas & auulsas fuisse: sed euanuisse etiam omnino. Significatione est: nihil fore in posterum obicis aut impedimenti, quod Euangelicæ prædicationis decursum detineret aut retardaret. Ad huius rei symbolum eleganter excogitatum est præ nimio ac vehementi terræmotu montes atque insulas ex oculorum conspectu prorsus effugisse. Innitur autem hic, montes esse præcipuas itinerum, quæ terra fiunt difficultates: insulas verò ac lytres esse impedimenta & pericula potissima, quæ nauigantibus occurrunt. Qua in re situs imprimis reuocandus in memoriam nobis est illius insulæ, in qua tunc Ioannes degebat: quæ multis vndique exiguis insulis ambiebatur, quarum interiectus maximo nauigiis impedimento, atque adeò periculo esse posset. Vt ergo denotaretur, deinceps nihil fore impedimenti aut difficultatis Euangelicæ prædicationi, mirificè figuratur mare ipsum omni insularum, rupium ac montium obstaculo liberum & expeditum, vt Petri nauis, nempe Ecclesia, per Gentilitatis mare liberè posset excurrere. Tellus porrò ipsa absque mõtibus plana & æquabilis consideratur, vt Euangelij prædicatores nullis montium molibus obiectis facilius ac celeriùs ad doctrinæ Euangelicæ promulgationem ferantur. Hoc ipsum verbis aliis depingit Isaias c. 40. 4. *Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & erunt prauа in directa, & aspera in vias planas*. Fortè etiam hæc insularum fuga, siue ex oculis abstractio significat, persecutiones Ecclesiæ tandem aliquando sublatum iri. quippe insulæ mari vndique circundatæ, & assiduis eius fluctibus verberatæ denotare videntur Ecclesiarum statum: quo tempore persecutionis impetu exagitantur. D

TEXTVS

Digitized by Google

A

TEXTVS.

Vers. 21. Et grando magna sicut talentum descendit de cælo in homines: & blasphemauerunt Deum homines propter plagam grandinis; quoniam magna facta est vehementer.

COMMENTARIVS.

Quid sit grando magna sicut talentum.

IN c. 11. 19. mentio etiam fit magnæ grandinis. Ibi tamen simul apposita sunt *Fulgura, voces, & terræmotus, & grando magna.* Hìc tempestas principium capit à fulguribus, tonitruis, & terræmotu: effectus verò insigniores sunt Babylonis diuisio; ciuitatũ aliarum ruina, & insularũ ac montium ex oculis fuga. & postremò subditur, *Grando magna sicut talentum descendit in homines.* Iam de huius grandinis magnitudine dicitur, *Sicut talentum.* Græcè ὡς ταλαντιαῖα, vbi Viegas notat ex Erasmo, ταλαντιαῖον, non semper esse id, quod iustũ talenti pondus adæquat, sed iuxta phrasim Græcam, pro re graui accipi solere. Nec defuit, qui existimaret, talenti nomen hic esse vsurpandũ pro quodã numi genere, quod vnciam vnam, aut eâ minus ponderet: credunt enim aliqui grandinem hanc Ioanni fuisse visam iuxta illius numi pondus & magnitudinem, aut fortè etiam ad illius omnino pecuniæ signatæ normã.

B Sic enim audiui quendam explicantem. Atque vt in hac grandine magnum illud denegetur pondus, quod talentum solet appellari, afferri potest, non rectè excogitari huiusmodi grandinem tanti ponderis & magnitudinis. Nec enim si ita esset, quispiam hominum, in quosca grando decideret, viuus ac superstes maneret. Cùm tamen textus asserat assiduo grandinis ictu percussos in Dei blasphemias erumpere. Verùm si attentiùs rem inspiciamus, textus ipse postulat, ne exiguæ magnitudinis aut põderis grandine contenti simus. Ait enim, *Blasphemauerunt Deum homines propter plagam grandinis, quoniã magna facta est vehementer.* Si autem hæc grando vnciam plus minus ponderet, non vtique Ioannes diceret, *Quoniam magna facta est vehementer*: siquidem visa est interdum decidere grando gallinaceum ouum magnitudine exæquans, atque etiam superans, qua de re lege, quæ attulimus c. 11. not. 13.

Examinatur, in quam acceptione talẽtum hic sumendũ sit.

Perperam ergo existimant, qui talenti pondus hoc in loco aut exiguum esse volunt, aut saltem iustam Attici talenti magnitudinem & pondus non æquare. Textus enim cogit, vt pondus eiusmodi sit admodùm ingens, & significationis elegantia exigit, vt iustam omnino talenti ponderis mensuram æquiparet. Præsertim quia alluſio fit ad plumbi talentum Zach. 5. 6. in quo nemo non videat, de exacto talenti pondere esse sermonem. Cuiusmodi verò pondus id sit, consulat lector nostrum de ponderibus & mensuris tractatũ, qui his Apocalypseos commentariis appendetur. Nunc breuiter

C dico, talentum Atticum fuisse Atticarum minarum 60 id est, ex Romanis libris 62. ½. quæ conficiũt omnino vncias 750. & paulo minùs, quàm duas *arrobas* ponderabiles continent ex ijs, quæ apud Hispanos in vsu sunt. Talentum verò Hebraicum antiquum est prorsus duplum respectu Attici talenti. De quo etiam antiquo talento Hebraico loqui interdum solent Græci atque Latini, & de eo quoque videtur hic Ioannes loqui.

Græca vox talenti quid propriè significet.

Vox ipsa Græca talenti sonat idem, quod iustum pondus. Nam vt Græca testantur dictionaria, τάλαντον est statera, libra, trutina, vel lanx. Vnde id pariter, quod lanci imponitur ponderandũ, & singulatim certum illud pondus magnum (de quo supra) hoc nomine compellatur. Ad id verò, quod superius huic magno ponderi opposuimus, Respondeo, non opus esse, vt naturaliter loquendo immane illud grandinis pondus homines non opprimat, bene tamen id ita potuisse fingi ad ipsius ænigmatis mysterium.

Quod sit mysterium grandinis magna instar talenti de cælo dilapsa.

Hoc autem quale sit; ferè expositum iam est c. 111. not. 14. vbi aduertimus, elegantissimè id fingi ad grauissimæ obstinationis symbolũ. Quamobrem, cùm pro septimæ plagæ effectu depicta fit mystica vindicta, quam Deus in Romam animaduertit, tres illam partes diuidendo, prosternendo Gẽtilium ciuitates, & montes atque insulas complanando sapienter additum est, sicuti aduersus Iudæos horribilem Deus grandinem depluit ad septimæ tubæ sonitum c. 11. ita etiam in Gentiles, qui post gloriosam Ecclesiæ victoriam ad Christi fidem conuerti noluerunt, ingentem quoque grandinem

D deiecisse. Etenim fidei non se submittere ante tot miraculorum & admirabilis doctrinæ euidentiam, non adeò grauis erat culpa: at post tantam lucis perspicuitatem cæcos adhuc & tenebris demersos voluisse iacère, atque in Christum adhuc blasphemare, id sanè durissimam præ se ferebat obstinationem.

Quid interfit (quod ad affectum) inter tubarũ plagas & plagas phialarum.

Licèt autem tubæ ca. 8. propriam personent vindictam, & phialæ mysticam iram effundant, ex illo tamen supplicio Iudæis inflicto elicuit Deus aliquorum conuersionem, & ex mystica hac ira in Gentilicum populum immissâ redundauit etiam terribilis aliquorũ ex Gentilibus obstinatio. Illud tamen discrimen inter vtrumque intererat, quòd ex Iudæis, qui ad fidẽ commigrarunt, fuêre perpauci, nec ampliùs quàm decima pars ex Gentilibus verò, qui Ecclesiam suis machinis oppugnabant, generalis extitit conuersio, & pertinacia in idolorum cultu paucis obtigit, comparatione eorũ qui Christiana sacra amplexi sunt. Ceterùm ex vtriusque plagis ille fuit effectus subsecutus, nempe copiosa prædestinatorũ salus, & horribilis obstinatorum damnatio. Quare & ad septimæ tubæ clangorem ingens Iudæos grando percussit, & ex septimæ phialæ tempestate fuit deriuata horribilis grando in Gentiles, qui Christum adhuc blasphemijs & contumelijs petebant.

Præterea in hoc vtriusque plagæ septimæ discrimine illud est obseruatione dignũ, quòd scilicet in hoc

Digitized by Google

Discrimen inter terramotum tubæ septimæ & terramotum septimæ phialæ.

in hoc locó magnus fuit terræmotus, qualis nunquam fuerat. at in septima cap. 11. plaga terræmotus tantùm (absque vllo additamento) ponitur. Deinde hîc humanas voces cæléstia comitantur tonitrua; ibi tonitrua non sunt exaudita, sed fulgura solùm; & voces humanæ sine tonitruis exceptę sunt. Vtriusque autem differentiæ rationem in cap. 11. calce reddidimus, eaque ex dictis facilè potest intelligi. Nam si tonittuum denotat diuinam virtutem, quam Deus Euangelicæ prædicationi conferebat, si terræmotus ingens ingentem pariter peccatorũ conuersionem: in his duabus rebus septima hæc phialarum plaga à plaga tubarum septima distinguitur. Ibi enim effectus fuit eiusmodi, qui propriam vindictam & acerrimam Iudæorum obstinationem præ se ferret, & in magno metu maxima quoque fuit adiuncta pertinacia: hic verò pręcipua efficientia fuit vindicta mystica, quam sumpsit Deus de ijs, qui Euangelij vexillum secuti sunt per mysticorum tonitruorum efficacitatem, perque maximum insolitæ mutationis terræ motum. Quare id priùs apponitur, deinde additur, quid plaga septima efficerit in rebellibus & obstinatis. Huc enim spectat ingentis grandinis symbolum. Et quod additur, ob hanc plagam blasphemasse homines in Deum. nihil aliud est, quam ex obduratione, qua Deus rebelles puniebat, inde ortas fuisse blasphemias in Christum adeò furiosas. A

Quomodo eadem tempestatis allegoria cõuersionem aliorum, aliorũ obstinationẽ pariter complecti possit.

Alicui fortè nouum & inusitatum videatur, quòd vna & eadem tempestatis allegoria in hac plaga septima complectatur pariter conuersionem aliorum, & aliorum obstinationem. Nam tonitrua & terræmotus magnus conducunt ad conuersionis effectum indicandum; grando autem magna ad obstinationem eorum, qui conuersi non sunt. Verùm enimverò si rem discutiamus, non solùm dissentaneum non est, vt eadem tempestatis figura vtrique effectui deseruiat, sed etiam in eo decorum apprime seruatur. Etenim, cùm ille intenderetur finis, vt vtrumque pariter sub suppliciorum figura notaretur, mirificè accidit, vt in sæuissimæ cuiusdam tempestatis effectibus idonea inuenirentur symbola, & ad aliorum conuersionis, & ad pertinaciæ aliorum significationem. Vnde nec ad prædestinatorum conuersionem potuit optari symbolum terręmotu magno voces tonitruorum consecuto præstantius, neque ad reproborum obdurationem significantius magnâ grandine, vt vidimus c. 11. notatione 15. B

Quomodo rebellium Gentilium obstinatio in his phialarũ plagis diuinæ etiã prouidentiæ consilio deseruierit.

Porrò, licèt in plagis c. 16. non alius finis fuerit spectatus, quàm vt diuinæ prouidentiæ consilium in Ecclesiæ victoria de Romano Imperio parta ob oculos poneretur; verùm rebellium obstinatio diuinæ etiam intentioni in ea victoria deseruiit, vt suprà dicebamus, quantò enim maior fuit Gentilium aliquot peruicacia, tantò fuit diuinæ virtutis illustrior demonstratio in clarissima illa victoria, quam Ecclesia de Roma, deque eius Imperio fuit adepta.

Grandine magna instar talenti quid figuretur.

GRANDO MAGNA SICVT TALENTVM] Nonnulli cum Richardo referunt magnæ grandinis symbolum ad gehennæ obdurationem; quod est supplicium grauissimum pariter & iustissimum. Multò tamen aptius est (opinor) vt de obduratione accipiamus, qua nonnulli ex Gentilibus in hac vita plectebantur. Hæc namque grando est, quæ ad perfectam contulit Christianæ Ecclesiæ victoriam; quantunuis multi fuerint per occasionẽ obdurati. Et quidem qui apud inferos æterna obduratione puniendi sunt, ex hac ipsa vita initium suæ obdurationis & infelicitatis ordiuntur. Considerata autem grauitate supplicij, quo Deus in hac vita in multos seuerè animaduertit, eleganter dicitur, quodlibet huius grandinis granum vno prorsus talento ponderari: quod perinde est, quasi dicatur grauissimum esse supplicium ac iustissimum. Id enim sonat talentum, maximum quoddam pondus iustum tamen: nempè vnciarum omnino 1500. Aut si ad atticum respiciatur talentum, vnciarum 750. Quanuis autem videatur grando vnius talenti in homines decidens, eos oppressura: eleganter tamen fingitur, vitam eis adhuc ad blasphemandum superesse. Quippe obdurati ad damnatorum imitationem superstites manere videntur, vt in eis diuinæ seueritatis ac punitionis vis ostendatur. C

In hoc autem talenti pondere facile cernitur alludi ad plumbi talentum, de quo Zachariæ 5. 7. Et mihi nunc allusionem indicasse, satis sit, nam Zachariæ locus ex professo nobis erit explicandus libro 10.

NOTATIO V.

De maximæ gloriæ & splendoris luce, quæ Romæ ex Apocalypseos interpretatione oboriatur.

NON pertinet ad hanc notationem ea disputatio, quo scilicet pacto explicari debeat; quod Apocalypsis de Babylone tradit. Sed iis suppositis, quæ hac de re in commentario tractantur, oportet ad præclarissimum honorẽ, qui in Romã ex Apocalypsi dimanat ab hoc c. 16. vsque ad 20. mentem atq; animum adiicere.

Primò ergo, quemadmodum tubæ septem ca. 8. aduersus Hierosolymam perfidam concrepant, illam inquam Hierosolymam, quæ Iudaici populi principatum tenebat: ita etiam phialæ omnes c. 16. in Romam effundũtur ethnicã totius Gentilitatis caput ac principem. Verùm illius belli contra Iudæos gesti fuit exitus Iudaici populi repulsa & obduratio. Quanuis enim in sexta plaga figuretur, ante illius populi indurationem adsciuisse sibi Deum, & cooptasse decimam eorum partem: nihilominus plaga septima ad reliquorum spectat repulsam, & ad formidabilem seueritatem à Deo aduersus illos exhibitam. At in phialarum bello contra Romam suscepto, quanuis plagarum species appareat, & Romani ethnici acriter obstiterint, atque ex septima etiam phiala redundauerit grauissima Gentilium aliquot pertinacia & obduratio: cæterùm Deus admirabili prouidentiâ ita hæc omnia disponebat, sicuti opus erat: vt phialarum Angeli (id est prædicatores Euangelici) optatum finem attingerent, nempe perfectam de Roma victoriam, & mysticam ipsius deflagrationem per veræ Religionis ignem. Quippe ex ipsius conuersione dependebat generalis ethnicorum, & præsertim Romani Imperij, conuersio. D

Declaratur quem exitum habuerint tubarum plagæ, quem item exitum plagæ phialarum.

Hoc ita constituto, quid potuit Romæ honorificentius excogitari, quàm quod in Apocalypsi figuratur? conuersionem videlicet Gentilitatis, (quod facimus

Quàm funesta Roma gloriosa phialarũ plagæ.

Digitized by Google

facinus post humani generis redemptionem, glorioſiſſimum extitit omnium, quæ diuina prouidentia patrauit) ex ipſius Romæ conuerſione adeò pendere; vt myſtici belli ab Euangelio aduerſus mundum geſti caput ac robur in vnam Romam conuertatur; atque adeò tota aduerſariorum repugnantia eò demum reducatur, vt Roma bellum inferret Eccleſiæ; & è contrario totum Eccleſiæ ipſius ſtudium & contentio ad vnius Romæ expugnationem admoueatur.

Obiectio opponitur, & ſoluitur.

Sed opponet aliquis, id quidem per nimiam exaggerationem videri dictum. Nam Apoſtoli toto terrarum orbe diſperſi ſunt: nec Romæ alij ex profeſſo prædicarunt, præter Petrum & Paulum, atque ij non ſemper: quia multas alias orbis prouincias prædicationis lumine illuſtrarunt. Reſpondeo, in quibus prouinciis ceteri Apoſtoli Euangelij ſemen ſparſerunt, eas quidem Romano Imperio fuiſſe ſubiectas: nec in illis Apoſtolicæ prædicationis fructum conſeruari potuiſſe, niſi Roma Euãgelio manus daret. Quamobrem poſt Romæ conuerſionem multò ſunt vberiores fructus ſine controuerſia decerpti. Præterquàm quòd tam intra Imperij limites, quàm extra, pondus auctoritatis tantum vna Roma idololatriæ conferebat: vt vbicumque promulgaretur Euangelium, vehementer Romæ auctoritas obſiſteret. Vnde illa erat imprimis maximi momenti expeditio, quæ Romæ expugnationem ſeriò & cõſtanter attriperet: & ante eiuſmodi victoriam parum certè emolumẽti ex Euangelij prædicatione percipiebatur. Apparet hoc vel maximè in Hiſpania, quam B. Iacobus Apoſtolus totam peragrauit, & Euangelij verbum in ea diſſeminauit: & tamen perpauci fuere, qui ex Hiſpanis tunc ad Chriſti fidem ſe receperũt. At Româ Chriſtianæ Religioni ſubiugatâ, facilè etiam tota ferè Hiſpania Chriſti iugum ſubiit, & vnius diei fructus fuit plurimarum vrbium conuerſio; cùm antea fructus ex immenſis Iacobi laboribus decerptus vix ad paucos ſeſe homines extenderit: atque idem penè in ceteris Imperij prouinciis accidit.

Quantopere totius Gentilitatis conuerſio ex vnius Romæ conuerſione penderet.

Apoſtolorum prædicationem vbique gentiũ, ante Romæ conuerſionẽ, quaſi diſpoſitionem præuiam ad generalem conuerſionẽ Romæ conuersæ futuram.

Ex quo facilè intelligitur, Apoſtolorum prædicationem vbique Gentium habitam, quanuis ſingularibus aliquot hominibus maximo fuerit emolumẽto, generatim tamen ad regnorum & prouinciarum ſalutem perinde fuiſſe, atque aliquam Euangelij notionem hominibus impertiri; qua præpararentur eorum animi, vt poſt Romæ conuerſionem facilior multò totius mundi fieret conuerſio. Totius enim Gentilitatis bonum & incolumitatem ex vnius Romæ conuerſione Deus deriuari ac dimanare ſtatuerat. Præterea dum Roma nõdum ad Chriſti fidem fuerat traducta, quidquid fructus & vtilitatis ex aliorum conuerſione percipiebatur, eò videbatur dirigi, vt Romæ ipſi inferretur bellum. Nam Romæ ipſius conuerſio dependebat ex acerba perſecutione, quam ipſa priùs in Eccleſiam fuerat concitatura. Qui verò in aliis prouinciis ad Chriſti fidem ſe aggregabant, eamque conſtanter profitebantur: ipſimet per occaſionem acerrimam Romanorum perſecutionem commouebant. Atque ex ipſis fidelibus, qui ex variis prouinciis Chriſti fidem ſuſcipiebant, non pauci eorum Romam conueniebant, eâ præſertim ratione adducti, quòd Romæ Chriſti vicarius reſideret. Atque hæc omnia Deus eò dirigebat, vt iis ferè omnibus, qui Chriſto nomen dabant, vteretur ad inferendum Romæ bellum. Vniuerſalis enim Gentium omnium conuerſio ex conuerſione vrbis Romanæ pendebat.

Expẽditur latè quanta Romana vrbi lux, ſplendor & gloria ex Apocalypſi redundet.

Secundò, dum Romæ in hoc ipſius bello contra Eccleſiam geſto nomen Babylonis inditur, hoc ei accidit glorioſiſſimè. Tametſi enim hic loquendi modus indicat, Romam tunc myſticæ Hieroſolymæ, id eſt Chriſtianæ Eccleſiæ bellũ indicere, ſicut antiqua Babylon Hieroſolymæ antiquæ bellum intulit: hoc tamen nomen ab Apocalypſi Romæ ethnicæ impoſitum, & manifeſta alluſio ad eas prophetias, in quibus de Babylonis excidio tractatur: hoc inquam manifeſtè oſtendit, præcipuum illorum vaticiniorum ſenſum ab Spiritu ſancto intentum ſpectare ad myſticam vindictam à Deo de Roma ethnica ſumendam per veræ Religionis ignem à Chriſto in terram delatum. Quòd autem de hoc ſenſu ſermo ſit per comparationem ad antiquam Babylonem: id quidem eſt iuxta ſacrorum Vatum conſuetudinem, qui Iudaica tangentes, Chriſtiana reſpiciunt. Verùm ſi hæc eſt præcipua prophetiarum mens, quæ contra Babylonem antiquam efferri videntur: præter alia peculiaria loca Prophetarum, ſex ſunt imprimis ſolida capita, quæ hanc vnam in rem prorſus impenduntur. Ea autem ſunt ex Iſaia c.13.c.14.c.21.& c.47. ex Ieremia verò c.50.& 51. Quorum integra expoſitio pertinet ad librum noſtri operis nonum: vbi de maiorum Prophetarum vaticiniis, quæ lucem ab Apocalypſi accipiunt. Illud interim notã: ſi ex Apocalypſi conſtet, eum eſſe illorum capitum ſenſum (de quo ſuo loco agetur) omnino neſcio, quid glorioſius aut illuſtrius ad Romæ commendationem potuerit excogitari, quàm vt illius conuerſio, & ad Chriſtianam Religionem aggregatio tot integris capitibus tanto cum ſplendore & magnificentia ſit per Iſaiam ac Ieremiam prædicta, vt alia prætermittam, in quibus figuratè contra Idumæam, eiuſque metropolim ſermo dirigitur.

Quàm frequens ſit apud Prophetas mentio Romæ ſub nomine Babylonis.

Si ergo, quam Spiritus ſanctus in iis locis reſpexit Babylonem, ea eſt Roma: quid obſecro potius ac maius potuit induci, quàm ſub antiquæ Babylonis ſpecie per tota ſex capita directè agere de myſtico ſupplicio, quod Deus fuerat Romæ inflicturus? Nam imprimis in hoc facilè apparet, quanti diuinus Spiritus vnius Romæ fecerit conuerſionem. Deinde, in eo quòd Romæ nomen Babylonis tribuatur, mirum in modum expenditur Romæ ipſius magnitudo & excellentia: ita vt nihil ſit de illius amplitudine magnificentiùs diſputatum in aliis doctorum hominum atque eruditorum libris: quorum inſcriptio eſt, *Admiranda*: ſiue, *De magnitudine Romana*. Quod enim in huiuſmodi tractationibus ponderatur, minimè pertingit ad grauitatem atque præſtantiam eorum, quæ ad Romæ commendationem ex ſacrarum Literarum monumentis elicimus: nimirum tantam vnius Romæ magnitudinem extitiſſe, vt omnem antiquæ Babylonis amplitudinem Spiritus ſanctus vſurpauerit pro figura ac ſymbolo ſplendoris, magnificentiæ ac maieſtatis, quò Roma ethnica fuerat peruentura. Porrò Babylonis antiquæ magnitudo fuit prorſus ſtupenda. Fuit enim ciuitas perfectè in quadrum diſpoſita; cuius ſingula latera quindecim miſſiaribus in longitudinem excurrebant; muri autem in latitudinem cubitos quinquaginta; in altitudinem bis centum patebant. In ſingulis vero quadri lateribus quinque & viginti portæ erant. Iam operoſa ædificiorum moles & admiranda ſtructura magnificentiæ murorum egregiè reſpondebant. Sic enim ſcribunt Strabo lib.1. Herodotus lib.1. Oroſius lib.1.c.6. Quare, dum diuinus Spiritus Babylonem vt Romæ figuram aſſumpſit, quaſi adumbrauit, totam illam Babylonis magnitudinem & amplitudinem, & in Regna alia quàmplurima dominatum conſentaneæ fuiſſe, vt antiquæ Romæ magnitudinem figurarent. Nonne igitur eiuſmodi comparatio à Babylone ad Romam deſumpta in maiorem Romæ ipſius auctoritatem & ſplendorem ſine controuerſia cedit, quàm quidquid laudis & commendationis ab humaniorum literarum ſtudioſis Romæ defertur?

Nullam Roma laudem glorioſiorem poſſe accidere, quàm quæ ei ex Apocalypſi proueniat.

Tertiò, vt expendatur, quanti Romæ conuerſionem Diuinus ſpiritus æſtimauerit: quæ potuit ponderatio videri maior quàm vt Prophetarum nobiliſſimorum ſex omnino capita, & præcipuus pariter totius Apocalypſeos finis huc ſpectent? Aduerte igitur, poſt Iuſti Lipſij tractatum, quem de Romana magnitudine conſcripſit, alium Stapletonij prodiiſſe ſub hoc titulo, *Verè admiranda, ſiue de magnitudine Romanæ Eccleſiæ.* Et quanuis quidquid in eo libro tractat ſit iuxta auctoris ſapientiam ac pietatem: verùm ad admirandam Romanæ Eccleſiæ magnitudinẽ dignè ponderandam, quanto nobilius & excellentius eſt, quòd Spiritus ſanctus rem prorſus dignam & omnino congruentem duxerit; vt extremus hic totius Scripturæ liber ceterorum apex, pro fine præcipuo ſibi propoſuerit egregiam laudem atque gloriam, quæ ex vnius Romæ conuerſione ad Chriſtum Ieſum, & ex illius erectione in Eccleſiæ Catholicæ metropolin fuerat redundatura?

Quartò

Digitized by Google

Quartò, si ex Apocalypsi lux ea oboritur, quæ magnam Cantici Canticorum partem ostendat in nouæ Romæ (quæ Christi est sponsa) magnificentiam & amplitudinem impendi: quidnam Romæ Catholicæ illustrius & glorioſius esse potuit? De hoc verò latius agemus in commentario Cantici Canticorum, quod lib.8. explicabitur. Quod autem de Canticorum libro asſero; similiter velim intelligi de Psal.44.quem lib.7. interpretabimur.

Romam Psal. 136. intelligi sub nomine filiæ Babylonis.

Quintò, glorioſissima etiam Romæ est lux illa, quam Apocalypsis ad aliorum expositionem refundit; cuiusmodi est, per illud *Psal.* 136. 8. ***Filia Babylonis***, Romam intelligi (sicuti Isaiæ 47. 1.) Cùm enim in eo Psalmo fuerit eleganter depicta vetus illa Israelitarum seruitus apud Babylonem, necnon grauissimus fidelium dolor, quòd se in antiqua Babylone captiuos retineri cernerent: mox sub finem Psalmi suum solantur laborem certissimo illo vaticinio, fore vt priscæ illi Babyloni succeſſura esset filia (nempe Roma ethnica) de qua admirabilem Deus vindictam fuerat sumpturus. Huiusmodi autem vindictam eam fore, ***Beatus qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram.*** Quem ad locum alluditur Isaiæ 13 16. vbi loquens Propheta de hac mystica Romæ vindicta, ait: *Infantes eorum allidentur, &c.* Quòd verò in sacris Literis nomen filiæ Babylonis tribuatur Romæ: auctorem habeo Augustinum de Ciuitate Dei lib. 18. c.22. Et huc etiam spectat, quòd ipsemet Augustinus notat ibidem, Romam scilicet fuisse conditam velut alteram Babylonem & eodem l.c.27. loquens de Roma appellat eam Occidentalem Babylonem, ex Augustino autem idem ipsum sui discipuli hauserunt, dum Romam cum Babylone comparant. Sic enim Paulus Orosius lib.4. ferè per totum.

Sextò, Apocalypsis præfert etiam lucem Baruco, cap.4. 35. vbi ait, *Ignis superueniet ei ab æterno in longitumis diebus: & habitabitur à Dæmoniis in multitudine temporis*. Quibus in verbis sermo ad literam continetur de Româ antiquâ ethnicâ, sicut Apocalypsis 18. Quòd autem hoc vaticinium tam crebrò in sacris Literis repetatur: id etiam Romæ ipsi glorioſissimum est.

Septimò, vbi ad singularia, de quibus Apocalypsis agit, sermo deriuetur: complura cernuntur Romæ imprimis honorifica atque glorioſa. Huc spectat, quòd Babylonis inuasio per Cyrum & Darium facta fuerit diuinæ prouidentiæ consilio, eum ad finem destinata, vt figura esset mysticæ in Romam irruptionis per Apostolos Petrum & Paulum factæ; atque vt hic sit verus Isaiæ sensus in iis, quæ de Babylonis inuasione per Cyrum vaticinatur, vt non obscurè innuitur Apoc. 16. in plaga sexta. Quid igitur maius & illustrius, quàm præclarum illud & antiquissimum facinus non aliud fuisse, quam mysticæ in Romam incursionis figuram? Præterea forsan ex Apocalypsi colligitur, in aliis etiam sacræ Scripturæ locis (de quibus nihil tale suspicabantur interpretes) Romam designari, vt Isaiæ 16. 5. vbi dicitur, *Incurvabit habitantes in excelso*, vel, vt alij vertunt, *Habitatores excelsi*, Hebraicè, *Habitantes Marom*: quod idem est, ac *Habitatores Romæ*. Illa enim syllaba prior dictionis *Marom* idem sonat, ac Hispanica lingua, particula *De*: quæ est index genitiui: atque ita habitantes Marom non sunt alij, quàm incolæ vrbis Romæ.

His ergo prænotatis lectorem obsecro, vt accuratè perpendat, quantum splendoris & gloriæ in Romam ex Apocalypsi redundaret, si ex optima ipsius libri intelligentia fulgentissima oboriretur lux, quæ ostenderet, præcipuum sacri huius libri scopum fuisse: vt admirabilia laudum præconia celebraret, quæ Romæ conuersio Christo Redemptori nostro acquireret: & simul indicaret id esse facinus, quod tot retrò sæculis Prophetæ descripserant in præclarissimis & quàmplurimis vaticiniis: idque per integra capita, vt supra expendimus. Ad hanc quidem notationem non spectat huius Apocalypseos scopi probatio: ea enim & ex commentariis est petenda, & à me in decem totis libris confirmanda. Quare in hac notatione id vnum ago, vt ostendam quam foret Apocalypsis Romæ glorioſa, si mea interpretatio certa esset. Expendat igitur lector, quis potuerit excogitari aut effingi liberadeò alicui vrbi glorioſus, qui vel centesimam partem illi tribueret eius gloriæ, quam iuxta nostros commentarios Apocalypsis Romæ impartitur: atque hoc non solùm ad expendendam Christianam nouæ Romæ magnitudinem (qui est scopus Stapletonij: sed etiam ad veteris Romæ maiestatem, qui est Iusti Lipsij scopus.

Licèt Babylonis euersio in antiquis Prophetis propria vindicta speciem præferat, eam tamen de mystica vindicta esse intelligendam.

Enimverò quanuis præcipuus huius notationis finis non dirigatur ad probandum, Apocalypsin sub antiquæ Babylonis nomine de Roma ethnica, & de mystico illius supplicio agere: illud tamen hic animaduertere visum est, videlicet, quanuis locutionis figura euersionem Babylonis præ se ferat, latens tamen sub hac locutione mysterium esse de mystica hac vindicta à Deo aduersus Romam exercenda. Idemque dixerim de Isaiæ ac Ieremiæ capitibus: in quibus (vt superiùs diximus) de Babylone loquuntur. Quorum verba quanuis significent, Babylonem à Cyro & Dario, cùm eam inuaderent, exscindendam & exurendam fore: constat tamen illam ab ipsis non fuisse euersam, nec illius mœnia diruta: sed potiùs in ea fuisse Imperij solium collocatum: atque adeo Babylonem Persici ac Medici Imperij metropolim & caput deinde extitisse. Quare difficultas hæc inter melioris notæ interpretes acerrimè ventilatur; quo scilicet pacto, prophetiæ illæ de Babylonis excidio, & quo tempore sint impletæ. Quam quæstionem latè disputat Antonius Gneuara in Hab.cap.2.à §.41. vsque ad 55. vbi refert opinionem Leonis Castrensis; qui asserit in huiusmodi difficultate confugiendum esse ad spiritalem sensum, & ad orbis conflagrationem; & ita quoque intelligendum esse Ioannem in Apocalypsi. Et posteà §.58. simile quid adducit ex Luisio Legionensi. Et in Apocalypsi quidem opinati sunt nonnulli, quod de Babylonis excidio affirmatur, referendum esse ad vltimum supplicium, quod in extremi iudicij die repetet Deus ab impiorum omnium multitudine; cui Babylonis nomen mysticè conuenit. Verùm ex Apocalypseos acoluthia certò (ni fallor) deducitur, hunc minimè esse Apocalypseos sensum. Nam Babylonis exustionem consequuntur mille pacis anni. Et Gueuaræ quidem non arridet euasio Leonis Castrensis; atque adeò minùs iudicat dissentaneum, si asseratur ad literam esse sermonem de antiqua Babylone, hyperbolicè tamen. Ceterùm quam ob causam Prophetæ fuerint hyperbolicè de Babylonis ruina locuti; hoc ipse non explicat. Meo tamen iudicio vera huiusmodi solutio in eo vel maximè sita est; quòd scilicet præcipua Isaiæ ac Ieremiæ mens in locis suprà dictis non fuerit agere de antiquæ Babylonis excidio; sed sub ea comparatione vaticinari vindictam mysticam à Deo de Roma ethnica sumendam. Quod vbi supponatur, nulla remanet difficultas in multis eorum, quæ à Prophetis videntur hyperbolicè dicta, si ad Babylonem applicentur. Ita enim oportebat, vt exacta esset mysticæ vindictæ in Romam exercendæ descriptio. Quamobrem, si quod Leo Castrensis applicat ad mundi finem, ad mysticam Romæ vindictam & ad idololatriæ euersionem applicaret; citra dubitationem hoc pacto collineasset.

Granis difficultas de Babylonis vastitate à prophetis prædicta, quo scilicet modo sit accipienda. Aliorum expositiones obiter referuntur.

Huius quæstionis solutionem ex Apocalypsi facilè colligi.

Tota demum hæc Romæ maiestas & splendor in eo includebatur, quòd in Apocalypsi Babylon designaret Romam (sicut etiam 1. Petr. 5. 13.) & Babylonis excidium, quod describit, denotaret mysticam Romæ deflagrationem. Id quod quanuis auctores plurimi, iique graues confirmauerint (nempe viginti illi, quos cap. 13. 1. retulimus) nihilominus tamen ingens Apocalypseos difficultas ratio erat, ne hactenus hæc Romæ, gloria, quam illi Apocalypsis tribuit, innotesceret: & nullus ferè esset interpretum, qui hoc Babylonis incendium ad Romæ conuersionem & idololatriæ expulsionem applicaret. Verùntamen si difficultas hæc diuino aspirante numine esset superata (vt mihi in meis commentariis præstare videor) & perspicuè constaret, germanum Apocalypseos sensum esse eum, quem ipse statuere contendo;

Digitized by Google

contendo; tunc quidem proinde planum fieret, nullam aliam illustriorem ac sublimiorem laudem & commẽdationem posse de ciuitate aliqua prædicari, quàm quæ de Roma in Apocalypsi, & per Apocalypsim etiam in Canticis, in Isaiæ ac Ieremiæ vaticiniis celebratur. Atque hoc etiam posset similiter ad Danielis vaticinium extendi; & ad alia Scripturæ loca non pauca: nisi timerem, ne longiùs, quàm par est, huius notationis series excurreret.

Quanti Romana ciuitas debeat Apocalypsin facere.

Vt ergo huic ratiocinationi finem imponam, quanuis Romana ciuitas vniuersam Scripturam perinde æstimare debeat, quasi diuinæ sapientiæ thesaurum ipsi liberaliter impertitum: Apocalypsin tamen non solùm reputare debet tanquam partem ipsius Scripturæ excellentissimam, atque adeò locupletissimam thesauri portionem, quam diuina sapientia fuit Ecclesiæ elargita: verùm etiam vt librum singulariter conscriptum atque editum ad Romæ ipsius decus & ornamentum: & qui ad Romæ tam antiquam amplitudinem, quàm nouam multò admirabiliorem, tantum lucis afferat, vt illius comparatione, quidquid posteà de Romæ, A deque Romanæ Ecclesiæ magnitudine literarum monumentis proditum est, multò sit minoris ponderis ac momenti: non solùm propter Apocalypseos auctoritatem prorsus diuinam: sed propter earum rerum maiestatem, quas Apocalypsis sub ænigmatum inuolucris & integumentis occultabat. Denique vt Romanæ Ecclesiæ corroboretur auctoritas ac maiestas, & probetur ipsius Episcopum esse verissimum Christi Vicarium; ad hoc inquam mirifica sunt symbola atque elegantissima, quibus id in Apocalypsi celebratur: vt vidimus in filio masculo cap. 12. & cernetur etiam initio ca. 18. vbi Petrus singulariter designatur in illo Angelo descendente de cælo, & habente potestatem magnam: cuius luce & splendore tellus est illuminata. Postremò, nuptiæ etiam cap. 19. adumbrant haud dubiè spirituales Christi nuptias cum Romana Ecclesia tanquam cum ea, quæ inter ceteras Ecclesias est Regina & Imperatrix. Atque ex eo capite lux refunditur ad Salomonis Cantica: quo in libro eadem veritas elegãtissimè etiam canitur. Idemque dixerim de Psal. 44. cui magnam pariter lucem attulit Apocalypsis. B

PROLOGVS AD CAPVT XVII. ET XVIII.

Tria ante sequẽtis capitis explanationem disputanda.

IN horum capitum vtroque proponitur ob oculos pœna, quam Deus Babyloni infligere decreuerat; nec non planctus in eius exequiis edẽdus. Ceterùm in primo ipso limine atque vestibulo tria sunt nobis per ordinem disputanda. Primum est, quænam hîc ciuitas sub Babylonis nomine intelligatur? Alterum, de quo supplicii genere loquatur Apocalypsis? Tertium, quinam sint hi Angeli, qui Ioanni renunciant supplicium à Deo de Babylone sumendum? Alterius enim ex iis mentio fit initio cap. 17. & dicitur esse vnus ex septem phialarum Angelis: atque hic est, qui refert omnia, quæ c. 17. narrantur. Alter inducitur in c. 18. exordio; qui narrat etiam cecidisse Babylonem.

DISPVTATIO I.

De significatione Babilonis in his capitibus memoratæ.

Babylonis nomine quid significetur in Apoc.

1. opinio explicans de impiorum omnium cœtu.

PLVRES ex Apocalypseos interpretibus opinantur, Babylonem in hoc loco non esse peculiarem aliquã vrbem, sed impiorum omnium multitudinem. Sic Ticonius, Ambrosius, Primasius, Beda, Haimo, Aretas, Rupertus, Thomas, Gagneius, & Christophorus Castrius Ieremiæ 51. §. 27. Eandem explicationem amplectuntur Augustinus in Psal. 26. & Prosper in dimidio temporis ca. 7. vbi sic habet: *Hæc est Babylon illa magna per mundum; eius verò filia, quæcumque facta eius & superbiam imitantur: nec eam in vno loco existimes ciuitatem, quæ toto est sparsa in orbe.* Et tandem Maluenda lib. 4. de Antichristo, cap. 7. statuit, hanc expositionem de impiorum cœtu non esse repudiandam.

2. opinio, qua exponit de cœtu Christianorum, qui reprobãtur.

Huic vicina est altera expositio: quæ non de aliqua ciuitate propriè dictâ accipit Babylonis nomen: neque de omnium impiorum multitudine: sed peculiariter de eorum cœtu, qui ex Christianis reprobantur: aut saltem eorum, qui ex orbe Romano ad Christi fidem conuersi, Dei tamen præcepta contemnunt. Atque hæc videtur esse Ioachimi explicatio, nec non Seraphini, & Vbertini de Casalis, & Dantis etiam Italici Poëtæ.

Exploditur vtraque explicandi ratio suprà tradita.

Sed aduersus duas has exponendi vias militat validissimè Apocalypseos acoluthia & consequentia. In qua euidens est, deflagrationi Babylonis succedere mille pacis annos: his bella Gogi & Magogi, quæ sunt Antichristi & eius præcursorum. Quis ergo nõ videat, nec impiorum omnium multitudinem, nec improborum singulatim Christianorum cœtum ante mille illos Ecclesiasticæ pacis annos finiri? Hoc argumentum ita mihi semper firmum & efficax visum est: vt harum duarum expositionum auctores, si consequenter loquantur, teneantur ad asserendum, nullum in Apocalypsi ordinem, & rerum consecutionem seruari. Si tamen nostra expositio aptè & congruenter applicauerit quidquid Apocalypseos textus continet, idque continuato semper ordinis filo atque serie: ex hoc ipso euidenter constabit, acoluthiam non esse confictam, sed planè ab ipsa Apocalypsi exposci: alioqui non posset idonèe & consequenter exponi. D

Statuitur Apocalypsin sub Babylonis nomine agere de peculiari aliqua ciuitate.

Exclusis ergo eorum expositionibus, qui Babylonem nullo certo in loco circumscribunt: reliquum est, Apocalypsin agere de singulari aliqua ciuitate. Hæc autem minimè esse potest antiqua illa Babylon Chaldææ metropolis. Nam imprimis Apocalypsis ipsa declarat, Babylonis nomen huic vrbi, de qua agitur, inditum, mysticè esse sumendum: quemadmodum Ægypti & Sodomæ nomen cap. 11 Hierosolymæ impositum est. Secundò constat Babylonem fuisse in magna planicie ædificatam: vt in eius descriptione videre est. at Apocalypseos Babylon supra septẽ montes sita esse perhibetur. Præterquam quòd contextus ipse postulat: vti Babylon, de qua sermo habetur, acerrimo bello Christianam oppugnet Ecclesiam: atque in hoc ceteris terrarum orbis ciuitatibus antecellat. Hoc autem de Babylone hactenus verè affirmari non potest: nec aliquem reperio auctorem, qui credat, Apocalypseos prophetiam in posterum esse implendam in ea ipsa vrbe; cui proprium fuit Babylonis nomen.

Digitized by Google

Alia expositio Foreri proponitur, nec probatur.

Illud certè apud Forerium Isa. 23. 12. inuenio Ioannem videlicet in his capitibus loqui de Antichristianorum vrbe (quo nomine videtur significare eos, qui Antichristum sequentur) & hanc eandem Antichristianorum ciuitatem significari nomine Tyri, Isaiæ. 23. 12 & Ezech. 27. Regnum autem Antichristi Babylone esse inchoandum, & illam fore ipsius Metropolim, videtur esse multorum opinio; vt constat ex illis, quæ adducit Maluenda lib. 5. de Antichristo c. 3. Nihilominus meo iudicio, nullâ ratione probabile est, in Apocalypsi sub nomine Babylonis haberi sermonem de ciuitate ipsa, cui proprium nomen est Babylon. Neque vlla ratione cohæret cum libri huius ordine & consequentia, vt Babylonis excidium quod in eo describitur, referatur ad vindictam de illis sumendam, qui famosum Antichristum sub extrema mundi tempora venturum sequentur.

Num sub hoc nomine intelligatur Constantinopolis.

Superest ergo, vt Babylon in Apocalypsi designet Constantinopolin vel Romam, & quidem Constantinopolin in Apocalypsi indicari, suspicatus est Aretas; & eandem suspicionem fouerunt Caponsachius in præsenti, & Leonisinus in libro de Aquila Esdræ. Hi auctores in eo nituntur, quòd ciuitas illa *sedet super aquas multas* atque est Turcici Imperij metropolis, cuius Imperator est inter omnes Christianæ Ecclesiæ hostes potentissimus. Quare potuit in eam deueniri suspicionem, fore vt ciuitas illa sit demum cælesti igne conflagratura. Veruntamen suspicionis huius fundamenta debilia admodum sunt; & vana omnino est expectatio, quæ post Constantinopolis euersionē, quam huiusmodi auctores somniāt, credat mille pacis annos, quos refert Apocalypsis, esse incepturos. Etenim, si per mille annorum pacem (vt suo loco patebit) figuratur tranquilla pax, quam Ecclesia post deuictam idololatriam, & ex Romano imperio depulsam, potita est; dissentaneum videtur omnino, mille horum annorum exordium capiendū fore ex eo, quod neque hactenus accidit, neque euenturum esse scimus. Argumentum verò, quod Constantinopolis sit ea, quæ propriè sedet super aquas multas, tantum abest vt aliquid probet, vt ostendat potius vanè id & falsò de Constantinopoli exponi. Nam textus ipse declarat, *Sedere super aquas multas*, allegoricè esse accipiendum; nam *aqua multa sunt populi multi*. Quamobrem minimè iuxta Apocalypseos institutum inquiritur ciuitas aliqua, quæ ad maris littus sita sit. Quòd si ad locutionis figuram oculos conuertamus; profectò hæc descriptio ad Babylonem antiquam accōmodatur, quæ propter Euphratis fluminis, (quò alluditur) magnitudinem rectè dicitur sedere super aquas multas.

Respondetur per negationem.

Reiicitur fundamentum superiorū de Constantinopoli sententia.

Concluditur demum in Apocalypsi sub Babylonis nomine de Roma, ethnica antiqua esse sermonem.

Reliquis ergo expositionibus reiectis, illa debet esse certa, quæ docet in Apocalypsi Romam sub Babylonis nomine significari: quod etiam nomen ei tribuit B. Petrus epist. 1. cap. 5. 13. Notandum tamen est, trifariam posse nos de Roma loqui. Primò de Roma prout nunc est. Secundò, prout sub Antichristi aduentum fore creditur ab iis, qui illam existimant tunc ad antiquum idolorum cultum, & Christiani nominis persecutionē atque odium redituram: Tertiò, de Roma, prout erat sub antiquis Imperatoribus ethnicis, cùm Christi persequebatur Ecclesiam. Ex his ergo tribus acceptionibus Hæretici nostri temporis primam auidissimè arripuerunt; vt hac ratione in Ecclesiam Romanam debaccharentur & Pontificis summi potestatem roderent. Contra horum dementiam disputauimus cap. 15. nec mera hæc insania tanti debet esse, vt eam rursus refellere opus sit. Quare satis mihi nunc erit, si lectorem referam ad ea, quæ doctè & grauiter scribit Cardinalis Bellarminus in appendice ad libros de summo Pontifice.

Sub quo statu considerāda sit Roma, prout in Apocalypsi per Babylonem figuratur

De secunda harum trium acceptionem, quæ opinatur Romam iterum à Christi fide defecturam, & Christianæ Ecclesiæ bellum inflicturam; quid censeam, dixi iam notatione 11. proœmialium: vbi ostendi, licèt non adeò rigidâ debeat notari censurâ, vt nonnemo infensius perstrinxit, eam tamen vt improbabilem fore reputandam; & quam meo iudicio consecutio & acolythia Apocalypseos omnino reiiciat.

Auctorum, qua pro nostra sententia militat.

Verissima ergo interpretatio est, per Babylonis nomen in Apocalypsi designari antiquam Romam ethnicam, quæ Christi Ecclesiam exagitabat. Quæ expositio pro se habet imprimis numerum bene magnum auctorum grauissimorum, quos in notat. 11. proœmiali, & cap. 13. numerauimus. Quibus nunc addo Strabum atque Burgensem: qui Babylonis conflagrationem interpretantur de mystica & spiritali destructione Regni Romanorum, videlicet per ethnicorum conuersionem ad Christi fidem. Et denique B. Apringius in præsenti expressè ait, Babylonem huius capitis esse ciuitatem antiquam Romanā: & eadem expositio habetur in rubricis manu scriptis antiqui codicis in Bibliotheca S. Laurētij. Quare pro nostra expositione sunt plusquam viginti auctores: & inter eos plerique primæ notæ, vt Tertullianus, Hieronymus, Apringius, Paulus Orosius, & alij.

Ex B. Petri Apostoli epistola idem assumptum comprobatur.

Secundò: Cùm B. Petrus Babylonis nomine Romam appellet (vt Papias & Eusebius ab Hesselio relati, & communis expositorum sententia testatur:) euidens omnino est, Petrum de Roma ethnica antiqua locutū. Et eâdem ratione Apocalypsin loqui putandum est. Hieronymum item, & reliquos suprà citatos sic loqui est prorsus manifestum: vt optimè expendit Bellarminus in illa supra dicta appendice.

Item ex totius Apocalypseos filo & contextu.

Tertiò: Apocalypseos series & filum compellit, vt hanc expositionem amplectamur: eamque (ni fallor) reddit certam. Et quidem argumenti magnitudo ac summum rei momentum minimè patiuntur, vt Apocalypsis intactum prætermittat exitum horribilis illius belli, in quo Roma ethnica cum Ecclesia Christiana acriter dimicabat; & repentè transiliret ad finem illius verbis Antichristianorum, siue Cōstantinopoleos; vel ad id, quod quælibet ceterarum expositionē opinatur.

Hæreticorum error confutatur.

Quartò; si Hæretici putant, Romam à vera Religione defecisse; in hoc manifestè se opponunt Ecclesiæ Patribus, qui clamant Romanam Ecclesiam nunquam fore à vera Religione defecturam. Cyprianus l. 1. Epist. 3. ait, *Ad Romanam Ecclesiam perfidia habere non potest accessum.* Et Hieronymus l. 3. contra Rufinum, *Romana fides Petri auctoritate munita non potest mutari.* Et quanuis noua Riberæ & Viegæ opinio respondere possit, minimè implicare Ecclesiam rursus Romanam valde premi, & conflictari; sicuti Diocletiani & Iuliani tempore: ceterùm vt affirmetur Romanam Ecclesiam sub Antichristi tempus Romæ oppressum iri, deberet solidum aliquid afferri fundamētum. Quod tantum abest, vt adduci possit, vt Gregorius Magnus l. 2. Dial. c. 15. affirmet; S. Benedicto fuisse diuinitus præsignificatum, Romam nunquam ab infidelibus euersum iri.

Denique ex tota Apocalypseos applicatione ad hanc sententiam apta & cohærēti, valida satis comprobatio elicietur, vt Babylonis nomine intelligenda sit Roma ethnica antiqua. Quamobrē nihil opus est alia coacernare argumenta; sed id vnum intendere, vtrùm scilicet huius sensus applicatio congruens atque idonea sit.

DISPVTATIO II.

De quo supplicij genere sit accipienda Babylonis euersio, quam proponit Apocalypsis.

Quo sensu sit accipiendum supplicium Babylonis mystici. de quo latè in hac Apocalypseos capitibus.

ILLVD argumentum primâ specie firmissimum videtur, ne in Apocalypsi Babylonem pro veteri Roma ethnica vsurpemus; quòd scilicet vt meritum persecutionis à Babylone in Ecclesiam excitatæ supplicium mox proponatur ipsius Babylonis damnatio, & cælestis ignis, quo prorsus absumitur. Atque hoc celebre supplicium expenditur & celebratur à c. 16. vsque ad 19. Cùm igitur constet, Deum hoc supplicij genere

in

Digitized by Google

in antiquam Romam ethnicam non animaduertisse, sed potius illam suæ fidei subiecisse; in cuius verò cultu tot sæculorum ætates effloruit: videtur hinc reliquum fieri, per Babylonē non significari Romam ethnicam. Atque hoc fuit (credo) præcipuum argumentū eorum, qui in varias ac diuersas abiere sententias. Omnes enim illi quasi certum statuunt, Babylonicæ combustionis pœnam esse accipiendam, vt sonat. Quare aliis placet; hoc supplicium impiis omnibus impendere; alij malunt improbis Romani Imperij Christianis minitari; alij ciuitati Romanæ propter flagitia eorum, qui nunc in ea habitant; alij Constantinopoli; alij denique comminiscuntur, Romam extremis temporibus ad idolorum cultum redituram, & tunc demum cælesti igne conflagraturam. In hac extrema sententia dissonum valde existimo supplicium antiquæ idololatriæ fore Romæ luendum post vltimam à Christiana fide defectionem. Quanuis enim verum foret, Romam sub Antichristi aduentum fidem Christi atque cultum deserturam; multò saltem credibilius, atque adeò verius est, Romā ad Christi Religionem traducta, & veteribus Romanis sub prima illa tempora in omni virtutis ac sanctimoniæ genere florentibus, iustam Dei iram & indignationem aduersus Romanos conceptam in maximam benevolētiam abiisse. Nec ferri potest, post duo annorum millia, Romam illam postremam pœnas dare eorum scelerum, quæ altera illa Roma antiqua perpetrauit.

Perstringuntur obiter aliorum expositiones.

Impugnatur opinio de Roma sub mundi finē ad idololatriam regressurā.

Deinde, si tota difficultatis ratio ad illud deuoluatur, quòd Romæ non id acciderit, quod textus ipse præ se fert; videlicet vrbem eam, quæ Babylon nominatur, A visibili & corporeo igne deflagrasse: illud hinc erat eliciendum, exustionem scilicet atque supplicij seueritatem mysticè fore accipienda, non vt sonant. Hæc enim explicandi ratio in sacrarum Literarum, verbis (quibus ignis combustio & vltio seuerissima notatur) familiaris est Scripturæ phrasis, & omnium ferè interpretum Hebræorum, Græcorum, & Latinorum auctoritate firmata: vt vidimus not. 12. proœmiali: vbi etiam obseruauimus, hunc loquendi modum non modò esse in sacris receptissimum, verùm etiam apprimè elegantem, & Apocalypseos consuetudine, ac legis gratiæ spiritu valde dignum. Quin etiam ex ibidem dictis constat, ipsum Apocalypseos contextum necessariò postulare, vt magna illa vindicta non iuxta verborum sonitum accipiatur. Si enim ita vsurparetur, multis in rebus manifesta inuolueretur implicatio: sicuti in eius vrbis deuoratione & incendio, & in eius igne atque fumo in sæcula sæculorum perdurante.

Elicitur demū hoc Babylonis (id est Romæ) supplicium mysticè fore accipiendum.

Accedit, quòd hæc vindicta & Babylonis deflagratio subsequitur septem phialas: ipsa autem Apocalypseos verba exprimunt, phialarum plagas ad nouissimum, id est valde nouum, plagarum genus spectare. B Quare nimium satis literæ ipsius sonum aucupatur, qui in hac Babylonis vltione materialem ignem indagat, atque fumum in æternum permanentē. Quinimò plurimas Deo agere gratias debemus, quòd per Apocalypseos aculuthiam nobis lucem immiserit, vt testamenti veteris vaticinia, quæ cum hac Apocalypseos descriptione de Babylonis vindicta consentiunt, mysticè intelligamus: sicuti necessariò est etiam Apocalypseos prophetia intelligenda.

DISPVTATIO III.

Qui sint duo Angeli, qui Ioanni annunciant vindictam de Babylone sumendam.

Quæstio de duobus Angelis Ioanni excidiū Babylonis enūciantibus.

OBSERVATIONE dignum est, in Apocalypsi, non vnum esse Angelum, sed duos diuersos, qui Ioanni renunciant supplicium, quo Deus in Babylonē animaduersurus erat. Etenim toto c. 17. qui Ioannem alloquitur, & certiorem facit de Babylonis damnatione, *est vnus de septem Angelis phialarum*. Posteà verò ca. 18. exorditur verbis illis, *Et post hæc vidi alium Angelum descendentem de cælo, &c. Et exclamauit in fortitudine dicens, Cecidit, cecidit Babylon.* In hoc Angelorum binario aliquis fortasse contemplabitur vaticinium illud, *Cecidit, cecidit Babylon* à duobus Prophetis esse conscriptum, nempe ab Isaia ca. 21. 9. & à Ierem. cap. 51. 8. Verùm huiusmodi responsio difficultatem non soluit: primò, quia Angelus cap. 17. Apocalypseos *est vnus de septem Angelis phialarum*. Illi autem omnes sunt ex noui testamenti ministris, vt suo loco ostendimus: quarè non rectè congruit, vt per hosce duos Isaias & Ieremias denotentur. Deinde, quia Angeli descriptio loquentis in cap. 18. Apocalypseos nonnulla continet, quæ nec Isaiæ, nec Ieremiæ conueniunt: ac præsertim verba illa, *Habentem potestatem magnam.*

Vtrùm in illis duo prophetæ figurentur.

Alluſio in hoc angelorum pari ad Isaiæ c. 21.

Notandum etiam est, hoc Angelorum per Ioanni referentium supplicium Babylonis, respondere (vt ante me obseruauit Arias Montanus) cap. 21. Isaiæ, vbi duo item pronunciant verba illa, *Cecidit, cecidit Babylon.* Narrat enim Isais visum fuisse speculatori currum, quem asinus & camelus iuncti trahebant. Et quidem tam asini, quàm cameli ascensores (id est, qui super ea animalia sedebant) vterque dixerunt, *Cecidit, cecidit Babylon.* Ex quo intelligitur, duos hosce Angelos, qui eam vindictam de Babylone sumendam in Apocalypsi renunciant, non respondere binario Isaiæ & Ieremiæ, sed binario illi, quem Isaias refert.

Asseritur, tam in eo Isaiæ loco, quàm in duobus hu. Apocalypseos angelis, Petrū & Paulum Apostolos figurari.

Certum ergo mihi est, per duos illos asini & cameli sessores, quorum Isaias meminit, Petrum & Paulum denotari: ac proinde eosdem esse, qui in Apocalypsi inducūtur Babylonis ruinam annunciantes. Ad huius explicationem animaduerto 1. in Apocalypsi, cùm dicitur, *Vnus de septem Angelus phialarum*, idem valere, quod *Primus illorum*: sicuti *vnum de quatuor animalibus*, idem est atque *Primum*, nempe leo. Vidimus au-

Alcaſ. in Apoc.

tem cap. 15. & cap 16. qui primam effudit phialam esse Paulum; qui vt Gentilitatis Apostolus mystici illius belli in Gentiles susceptī dux est. Primæ autem phialæ mysterium non fuit aliud, quam Romanos de suis sceleribus arguere: & eos per huiusmodi prædicationem verecundiā atque pudore afficere. Qua in re illud imprimis respectum fuit, quod Paulus de hoc argumento ad Romanos 1. eloquentissimè tractat. Si ergo, qui Babylonis ruinam recensent, sunt duo, & eorum alter Paulus: alterum esse Petrum, nemo inficiabitur. Præsertim cum dicatur esse Angelus magnæ potestatis: quod profectò respondet admirabili potestati, quam Christus Petro per cælestes claues tradidit. Clauis enim est potestatis, imò verò supremæ potestatis symbolum: vti expendimus cap. 1. ad illa verba, *Habeo claues mortis & inferni.*

Rationum fundamenta prædictæ sententiæ fulcitur.

Secundo; eo ipso, quod Deus Petrum & Paulum selegerit Romanæ Ecclesiæ fundatores, etiamsi aliunde non constaret, reuelatum ipsis fuisse illius Ecclesiæ successum: satis quidē esset, duos hos Apostolos fuisse à Deo ad Ecclesiæ ipsius fundationem destinatos, vt pro comperto haberemus, Deum illis præsignificasse Romanæ Ecclesiæ amplitudinem toti deinceps Romæ dominaturam, atque illi ingum Christianæ fidei impositurum. Si enim peculiarium Religionum fundatoribus (vt Dominico, Francisco, atque aliis) piè admodum, nec minus verè credimus, reuelasse Deum insigniores sacræ illius familiæ successus, quam Dei ipsius ope & auxilio instituebant: quantò verisimilius est Romanæ Ecclesiæ fundatoribus fuisse prænunciatum, quod tanto fuerat ornamento & splendori Ecclesiæ ipsi futurum. Deinde, cùm his duobus Apostolis potius, quàm aliis Euangelij ministris reuelari expedierit Romæ totius conuersionem: facilè cernitur, vt duo inducerentur, qui huiusmodi nuncium Ioanni deferrent, nullos seligi potuisse Petro & Paulo aptiores. Namque ipsi, præ ceteris omnibus, clatiorem hac de re habebant cognitionem. Nec verò dissonat, quòd Petrus & Paulus figurentur è cælo missi, vt hoc Ioanni renunciarent. Nam in ipsa saltem cælesti beatitudine nemo Theologorū dubitat, quin vnicuique in Verbo

Digitized by Google

innoteſcant euentus earum rerum, quæ ad eos maximè pertinent. Ad quos ergo ex Euangelij miniſtris meliùs & congruentius, quàm ad Petrum & Paulum pertinebat Romanæ Eccleſiæ euẽtuum cognitio? Valde igitur decorum fuit, vt per illos res hæc fiat Ioanni & vniuerſali Eccleſiæ manifeſta.

Tertiò: ſi conſuetudinem Ioanni in Apocalypſi frequenter obſeruatam conſideremus: conſentaneum valde eſt, viſionem hanc Petri & Pauli felicem Eccleſiæ nuncium referentium niti imprimis in eo, quòd Petri & Pauli Epiſtolæ eundem ſignificent nuncium. Et quidem ita res ſe habet. Nam inter ſacros noui inſtrumenti ſcriptores, qui Apocalypſin anteceſſerunt ſolùm videtur hic nuncius fuiſſe in Petri & Pauli epiſtolis ſignificatus. Petrus enim, dum in ſua prima Canonica c. 5. 13 Romam ethnicam appellat Babylonem, innuit proculdubio, ſe in eàdem Gentili Roma expletum iri Iſaiæ ac Ieremiæ vaticinia, quæ continent Dei ſupplicium Babyloni immittendum. Quòd ſi huiuſmodi doctrina in Babilonis nomine Romæ indito continebatur; quis dubitet, id myſterij Ioannem latere nequaquam potuiſſe? Quapropter magno cum decoro figuratur feliciſſimus hic nuncius, *Cecidit, cecidit Babylon*, à Petro fuiſſe Ioanni relatus, tanquam in ipſa Roma omnino complendus: Atque hæc breuiter de B. Petro.

Probatur id ſingulatim de B. Petro.

Idem etiam affirmatur in B. Paulo.

De Paulo autem nihilo ignotius eſt. Nam primò in eius epiſtolis diſtinctè fuerat prædictum; *Cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo Gentium intraret.* Si ergo Gentium plenitudo intrare debebat; neceſſe erat, Romam Gentium omnium caput (ex cuius conuerſione Gentium conuerſio pendebat) Chriſti Religionem palam ſuſcipere, ac profiteri. Quamobrem certum, meo iudicio, eſt, quod Paulus de Gentium felicitate prædicat, in eo ſupponi Romanæ vrbis conuerſionem; alioqui Gentium felicitas non ita eſſet integra atque perfecta, vt Paulus ſignificat.

Deinde, vt vidimus c. 14. not. 2. in illis Pauli verbis 2. ad Theſſ. 2. *Tantùm qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat*; ſupponitur, Paulum clàm cum Theſſalonicenſibus egiſſe de certiſſima ſpe, quæ ſibi inerat, fore vt Roma, eiuſque Principes Euangelij iugo ceruices ſubmiſſuri eſſent. Et quidem licèt non omnibus Paulus arcanum hoc myſterium perſpicuè detexerit: at Chriſti Apoſtolos & præſertim Domini dilectum minimè de hac re celaſſe credendus eſt. Atque hoc ipſum exiſtimo eſſe præcipuum eorum verborum myſterium, quæ Paulus tradit 2. Cor. 12. 4. nimirum audiſſe ſe *arcana verba, quæ non licet homini loqui.* vbi verbum illud *non licet*, neutiquam referendũ eſt ad myſteriorum excellentiam; ecqua enim præſtantiora ſunt ac ſublimiora myſteria, quàm ſanctiſſimæ Trinitatis, incarnationis Dominicæ, & Euchariſtiæ? atqui hæc non licuit ſolùm, ſed maximè etiam oportuit Chriſtianis omnibus reuelari. Quamobrem, quod Paulus ait, *non licet*, ego quidem accipio de expreſſa ac manifeſta prædicatione, quæ Chriſtianam Eccleſiam prædicaret de Roma triumphum acturam; nec non ſenatores omnes ad Chriſti fidem traducturam. Hæc enim palàm prædicare non licebat: nam ita recta ratio atque prudentia dictabat, vt explicuimus in proœmio notatione 13. Veruntamen illa ipſa, quæ palam & publicè pronunciari non expediebat, certè minimè dubitaret Apoſtolus Ioanni integrè renunciare. Illa igitur ſunt, quæ in hoc ea: ænigmaticè, vt par erat, reuelantur; tanquam myſterium damnationis Babylonicæ, quod Ioanni à primo phialarum Angelo, hoc eſt, à D. Paulo nunciatum eſt.

NOTATIO I.

De alluſione duorum Angelorum, qui Ioanni ruinam Babylonis annunciant, ad duos illos, quorum meminit Iſaias capite 21. 7.

Per aſcenſores aſini & cameli apud Iſaiã ſignificari B. Petrum & Paulum Apoſtolos.

VERBA Iſaiæ ſunt: *Et vidit currum duorum equitum, aſcenſorem aſini, & aſcenſorem cameli: & cõtemplatus eſt diligenter multo intuitu.* Mea igitur ſententia eſt, in his verbis per aſini aſcenſorem figurari D. Petrum, & per aſcenſorem cameli D. Paulum. Et quanuis de illo c. Iſaiæ ſim ex profeſſo acturus l. 9. huius operis: operæ pretium tamen fore duxi, ſi paucis hic exponerem fundamenta, quæ habeam, vt in hoc Iſaiæ loco, Petrum per aſini aſcenſorem, & Paulum per aſcenſorem cameli ſignificari credam. Primum ergo iam ſatis explicatum eſt, duos illos Babylonis ruinam Ioanni renunciantes reſpõdere huic Iſaiæ binario. Quare quidquid hactenus diximus pro aſſerenda Petri & Pauli ſignificatione in duobus illis, qui hunc nuncium felicissimum Ioanni detulerunt: conducit etiam, vt Iſaias in duobus illis equitibus Petrum & Paulum depingere credatur.

Currus ille bijugus Iſaiæ viſus c. 21. quomodo ſit conſpiciendus.

Deinde: currum illum, quem ſpeculator apud Iſaiam proſpexit, perinde accipiendum eſſe reor, quaſi in eo veheretur fama victoriæ, ſiue vindictæ, quam Deus in Babylonem exercuerat. Quippe, dum inducitur illius admirandi facinoris fama curru aduecta: eleganter ſignificatur, eiuſmodi nuncium prædicari, qui admirabilem Eccleſiæ victoriam atq; triumphum contineret.

Cur aſinus & camelus eum currum trahant: mirificã habet energiam. Nam vtrumque hoc animal huic vni rei videtur natum, vt humano generi humiliter ac patiẽter deſeruiat. Quamobrem vt ſignificetur victoriam illam admirabilem, cuius fama in eo curru ferebatur, inſigni patientiâ atque humilitate Chriſti Martyrum fuiſſe reportatam: congruenter & ſignificanter ſatis inducitur ſacra fictio, quæ illius currus bijugos aſinum & camelum proponit: quorum animalium vtraque ſpecies in Orientis prouinciis valde eſt vulgaris; Et quamuis ad glorioſum Chriſti Hieroſolymam ſubintrantis triumphum non camelus, ſed aſinus expediens fuerit: ceterùm ratio, quapropter fuerit aſellus ad id ſelectus, inde fuit maximè deſumpta, vt Chriſti triumphum per patientiam & humilitatem agi denotaretur. Supereſt ergo explicare, cur in illa Iſaiæ viſione aſinus & camelus currum iunctim trahere dicantur?

Cur Chriſtus in Hieroſolyma ingreſſu aſinum & pullum detulerit?

Ad hanc ergo dubitationem Reſpondeo, Chriſtum quidem in Hieroſolymæ ingreſſu detuliſſe etiam aſinum & pullum: forſan ad duorum populorum Iudaici & Gentilici ſignificationem. Et quidem in vera ipſa hiſtoria, qualis ea Chriſti fuit, nimiùm affectata res eſſet, ſi aſinus & camelus coniungerentur: in viſione autem ſacra nihil diſſentaneum fuit, eiuſmodi nouitate vti: quin potiùs quod inuſitatius, illud aptius ferè eſt, ſi tamen maiorem habeat energiam ad eam, quæ intenditur, ſignificationem. Præterquàm quòd fortè in eo Chriſti in Hieroſolymam ingreſſu potiſſimùm ſignificabatur patientia atque humilitas, quibus Chriſtus Dominus tanquam populi Iudaici miniſter de ciuitate illa rebelli triumphauit. At in victoria, quam de Roma adepta eſt Eccleſia, non temerè accidit: vt duo præcipui illius nobiliſſimi facinoris duces, qui Eccleſiæ Romanæ felicitatem nunciarunt, eſſent duo Apoſtoli celeberrimi: quorum alter Iudæorum erat Apoſtolus, alter Gentium. Nam licèt Romæ perpauci erant Iudæi, comparatione Gentilium: diuinæ tamen prouidentiæ conſilio (vt vidimus c. 12.) ita fuit diſpoſitum, vt priùs Romana fundaretur Eccleſia in aliquot Iudæis Romæ commorantibus, & per occaſionem obdurationis reliquorum ad Gentes ſe conuerteret prædicatio. Ad huius ergo conſilij executionẽ congruentiſſimè accidit, vt Petrus Romam priùs adiret, qui erat circumciſionis Apoſtolus: deinde Paulus, qui Gentilium: & vterque magnâ animi conſenſione veluti cæleſtes Cyrus & Darius nouam inuaderent Babylonem, & de illa glorioſiſſimè triumpharet.

Cur Petrus & Paulus aſino & camelo vecti figurentur.

Supereſt

Digitized by Google

Cameli natura & consideratio, ex Plinio.

Superest explicare, qua ratione distinctio cameli & asini apta censeatur, vt Petrus in asino, Paulus in camelo sedisse describatur? Etenim si hoc symbolo significandum erat, alterum esse Iudæorum Apostolum, alterum Gentium: difficile apparet, quo pacto hæc distinctio possit in duobus prædictis animalibus congruenter figurari. Pro huius ergo expositione obseruandum est ex Plinio discrimen inter asinum, & camelum. De camelo quidem agens l. 8. c. 18. ait. *Camelos inter armenta pascit Oriens: omnes autem iumentorum in his terris dorso funguntur: velocitas inter equos* (seu Niſæorum equorum, vt ait Arist. l. 9. historiæ animalium c. vlt.) *sit iis quatriduo tolerant: implenturq; cùm bibendi occasio est, & in præteritum, & in futurum: obturbatâ proculcatione prius aquâ: aliter potu non gaudent.* Sunt præterea duo camelorum genera: aliis enim bina sunt in dorso tubera: aliis singula in dorso, & in pectore etiam singula, quibus incumbant. Ac demum tubera, quæ ipsos videbantur ineptos redditura ad onera comportanda, illa ipsa eis adiumento sunt, vt onus humiliter & patienter portent.

Asini item natura, ex eodem.

De asinis verò Plinius eodem l. 8. c. 43. hæc habet *Parcus charitas summa, sed aquarum tædium maius: per ignes ad fœtus tendunt: eadem, si riuus minimus interfit, horrent ita, vt pedes omnino caueant tingere: nec nisi assuetos potas fontes: atque ita vt sicco tramite ad potum eant, nec pontes transeunt, si per eorum raritatem transluceant fluuij. Mirumq; dictu, sitiunt: & si immutentur aquæ, vt bibant cogenda sunt.* Hactenus Plinius. Ex quibus animaduertere est, asinum in aqua potanda esse nimium notis fontibus addictum, nimiumque cautum, ne pedes aqua tingat: è contrario camelum, quæcumque se dederit vnda, in eam auidè ferri, atque ea se prorius ingurgitare: quin etiam turbidâ aquâ potius, quàm limpidâ delectari: tantumque abesse, vt pedes intingere horreat: vt ante potum pedes in aquam immittat, eamque proculcet ac turbet, antequàm bibat.

In asini sessore adumbrari D. Petrum.

Quid posset significantiùs adduci ad significandam in asini natura nimiam illam Petri cautionem in aliis hominibus conueniendis præter Iudæos, ne se inficeret. Perpende illud Actor. 10. 14. *Absit Domine, quia nunquam manducaui omne commune & immundum.* Quapropter opus fuit, vt vox de cælo missa illum semel iterumq; hortaretur. *Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris.* Iam per aquas multas & varias, nemo nescit in sacris Literis adumbrari multos ac varios populos, à quibus abstinere velle videbatur Petrus, & à pedibus inficiendis cauere: donec horror ille fuit sibi diuinitus sublatus. Quin & in ea ipsa cautione atque horrore innuitur, Petrum directè vocatum, vt Apostolus esset circuncisionis. Vide illud ad Gal. 2. 8. *Qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes,* & n. 7. *Mihi enim creditum est Euangelium præputij sicut & Petro circumcisionis.* Ad hæc: cùm aquæ multæ sint populi multi; camelus, cuius symbolum Paulo obtigit, nõ solum quamlibet aquam non horret, nec a tingendis pedibus cauet, sed potiùs magnam inde percipit voluptatem. Quare & pedem in aquam inijcere, eamque turbare delectatur: & nullo proprij fontis aut alieni facto discrimine, quancumque sors vndam obtulerit, ad eam se celeriter proripit, & inde sitim copiosissimè explet. Prætereà celeritas ac festinatio, quâ Paulus tot terrarum regiones ac prouincias percurrit, mirificè adũbratur in ea, quam diximus, cameli velocitate. Forte etiam cameli tubera, seu gibbi, indicant Paulum minimè videri aptum ad prædicationis Euangelicæ officium, onusque vectandum propter repugnantiam quà priùs Euangelio obsistebat; quæ tamen contradictionis tubera conuertit præpotens Deus in sedem aptam atque idoneam, vbi pondus impositum, atque adeò grauissimam laborum ac persecutionum sarcinam pro Christi Euangelio mansuetè & patienter ferret.

Petrus directè circumcisionis, siue Iudæorum Apostolus vocatus: & Paulus Gentium. In camelo sessore figurari B. Paulum.

Ex dictis ergo patet, vt currus ille traheretur, in quo fama vehebatur illius victoriæ, quam Deus Ecclesiæ ex mystica Babylone peperit, congruentissimè asinum & camelum assignari, quorum Petrus & Paulus sessores essent. Porrò iam vidimus c. 6. in eiusmodi visionibus non esse constituendum discrimen inter equitem & equum, & similiter nec inter camelum & eius sessorem. Nisi fortè quispiam dicat, duos hosce Apostolos, dum sibi ipsis superiores facti laboribus & oneri se sponte subiiciunt, factos fuisse idoneos Euangelij ministros, & idcirco in ea visione depingi super asinum & camelum sedentes. Præstat tamen dicere, asini sessorem & asinum, cui insidet, simul accipi debere, contemptâ distinctione: sicuti cap. 6. de sessore equi & de equo diximus. Et quemadmodum ibi equo aliquem aduehi, signum erat ac symbolum, eum ad saluandum aduenire: sic apud Isaiam, dum vterque Apostolus aduehuntur alter asino, & alter camelo, trahentes mysticum illum famæ victoriæ currum, admirabilis quidam triumphus figuratur.

Inter duo hæc animalia & eorum sessores (quod ad symbolicam significationem spectat) nullã esse distinctionem.

Præter hæc, quanuis asinus vulgò non soleat magni æstimari, aliquãdo tamen asinus quidam centies mille denariis (qui decem ferè nummũm aureorum millia conficiunt) emptus fuit, *Omnium animalium pretio victo*; vt Plinius asserit, illo eodem c. 43. & saltem mysticus hic asinus, quem cum camelo iũctum refert Isaias, certè præferri debet cæteris omnibus animalibus, quorum ministerio Deus vsus fuit. Quapropter Isaias ipse in ea visione primum asino locum, secundum camelo tribuit. Neque obstat, quòd in Apocalypsi Angelus capitis 17. B. Paulum repræsentet, & Angelus cap. 18. B. Petrum. Etenim in Apocalypsi perinde est referendi, & enumerandi ratio, quasi Paulus per modum vaticinij & prædictionis loquatur; Petrus verò quasi de re iam opere completa; loquitur enim in præterito, *Cecidit, cecidit Babylon.* Quod quantùs ad prophetiæ ipsius firmitatem & certitudinem maximè conducat: nihilominus decorum etiam poscebat, vt fieret inde initium, vbi ex dicendi modo videtur Prophetiæ species ac figura præferri eius rei, quæ nondum fuerat impleta. Præsertim quia, cùm præcipuus clarissimi huius facinoris finis fuerit Gentilitatis cõuersio, appositè factum est, vt ordiretur sermonem, qui proprius fuit, per excellentiam, totius Gentilitatis Apostolus. Vt autem de præstantiore B. Petri dignitate manifestò constaret: postea vbi ad eius descriptionem peruenitur: de illo affirmatur, quod de Paulo neutiquam diceretur: videlicet, *Vidi alium Angelum descendentem de cælo habentem potestatem magnam, &c.*

Digitized by Google



Digitized by Google

A

CAPVT XVII.

TEXTVS.

*Vers.*1. Et venit vnus de septem Angelis, qui habebant septem phialas, & locutus est mecum dicens: Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas.

COMMENTARIVS.

Ostenditur huius capitis series atque connexio cum antecedẽti.

CONNEXIO cap.17. cum 16. aptissima est in nostra declaratione. Diuisionem enim Romæ in publicos Christianos, in Paganos, & in neutrales consecuta fuit paulò post totius Romæ conuersio; atque ita Babylonis diuisioni succedit in Apocalypsi conflagratio vrbis, eo nempe igne, quẽ Christus venit mittere in terram. In aliorum verò expositionibus non video, quomodo hoc caput aptè cum antecedente consentiat. Atq; illud non satis miror, esse aliquos, qui sibi persuadeant, prophetiam non vlteriùs progredi, sed regredi potiùs. Septem enim plagas cap. 16. opinantur effundi aduersus eos, qui Antichristi factionem sectaturi sunt. Romæ autem euersionem credunt post Antichristi aduentum futuram. Nam si antea foret, non per decem reges, sed per septem fieret, qui cum Antichristo coniungendi sunt. Hoc argumentum nullam mihi affert difficultatem. Nam decem cornua & regum denarium accipio ipse pro vniuerso senatorum Romanorum numero, sicuti Daniel accipit cap.7. de qua denarii acceptione dictum satis est suprà cap.12.& 13. Et verò præter continuatam totius Apocalypseos seriem, à qua discedere fas non est, illud mihi maximè probat tractationem extremi cap.16. cum hoc sequenti capite continuari; quia euidens de vna eademque Babylone sermonem esse in sexta & septima plaga cap.16.& in meretrice capitis 17. Quare id in se apte consequens est, vt Babylonis diuisionem exustio subsequatur. E contrario autem non video, qua ratione fingi possit post Babylonis incendium, successisse diuisionem ipsiusmet vrbis, quæ iam fuerat penitus exusta. Quam difficultatem & ordinis perturbationem qui deuorant, in eas se tricas induunt, supponentes sermonem esse de supplicio Romæ sub Antichristi aduentum infligendo; quod nulla ratione præstituere deberent.

B

Aliorum hic egressiones & transitiones atq; ordinis inconsequentia reprobantur.

C

Vnus de septem Angelis quis hic sit.

VNVS DE SEPTEM ANGELIS, QVI HABEBANT SEPTEM PHIALAS] Vidimus iam in superioribus, *Vnus*, hîc idem esse, atque *Primus*. Deinde in hoc Angelo, qui toto cap.17. verba facit, B. Paulum figurari. In nostra autem expositione idonea satis redditur ratio, cur qui primam phialam effudit, is nunc meretricis damnationem Ioanni annunciet, quod in aliorum explicationibus nescio quàm apte expediatur.

Nomen meretricis magnæ Romæ imponi.

DAMNATIONEM MERETRICIS MAGNÆ] Id est iustum supplicium de illa sumendum. Est autem sermo de vindicta mystica, vt suprà iam disputatum est. Et meretricis magnæ nomen tribuitur magnæ ciuitati idololatræ; nam ciuitates idolorum cultrices solent in Sacris meretrices nuncupari; sicut idololatriæ etiam nomen fornicationis tribuitur Isaiæ 23.15. Ieremiæ 2.20.& ca.3.1. Ezechielis 16.15. Nahum.3.4. Micheæ 1.7.

Quid sit, sedere super aquas multas.

QVÆ SEDET SVPER AQVAS MVLTAS.] Quod ad grammaticum sensum attinet, respectus habetur ad Babylonem vtraq; ex parte Euphratis fluminis situm: & in eodem sensu accipitur præpositio, *Super* in Psal.136.1. *Super flumina Babylonis*, &c. In mystico autem sensu *aqua multæ*, (vt toties inculcauimus) populos multos significant. Sedere verò super aquas multas, non aliud est, quàm multis Gentibus ac populis dominari: sicut ingens aliqua ciuitas super flumen siue ad flumen ædificata eiusdem fluminis est domina. Sic etiam vrbes maritimæ, vt Tyrus, Vlissipo, & aliæ rectè considerantur, quasi dominæ illius maris, quod longè lateque despectant.

D

TEXTVS.

*Vers.*2. Cum qua fornicati sunt reges terræ; & inebriati sunt, qui habitant terram, de vino prostitutionis eius.

COMMENTARIVS.

Idololatria in sacris Literis spiritualis fornicatio appellata.

CVM idololatria in sacris Literis fornicatio; idololatrix ciuitas, meretrix nominetur; manifestum est, qui se in idolorum cultu ad Romæ consuetudinem conformaret, perinde esse, quasi ad spiritalem fornicationem cum ea coiret. Quamobrem terræ Principes ac Reges, quos Romæ exemplum in eâdem idololatria illectos & implicatos tenebat, iure optimo dicuntur magnæ meretricis amasii & riuales esse. Reges autem terræ vocantur Romani senatores, qui mundum suo imperio gubernabant: & illi etiam Reges ac Principes, qui cum Romano Imperio fœdus inierant.

Num idem sit poculum seu vinum quod vinũ prostitutio-

ET INEBRIETATE SVNT, QVI HABITANT TERRAM DE VINO PROSTITVTIONIS EIVS] Hic imprimis illa occurrit dubitatio, numne sit idem poculum seu vinum, quod appellatur vinum prostitutionis: & quod, vinum iræ fornicationis? Vide caput 14.8. vbi dicitur *Babylon illa magna, quæ à vino iræ fornicationis suæ potauit omnes Gentes.* & cap.18.13. *De vino iræ fornicationis eius biberunt omnes Gentes*, Primo ergo

Digitized by Google



Digitized by Google

A

CAPVT XVII.

TEXTVS.

*Vers.*1. Et venit vnus de septem Angelis, qui habebant septem phialas, & locutus est mecum dicens: Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas.

COMMENTARIVS.

CONNEXIO cap.17. cum 16. aptissima est in nostra declaratione. Diuisionem enim Romæ in publicos Christianos, in Paganos, & in neutrales secuta fuit paulò post totius Romæ conuersio; atque ita Babylonis diuisioni succedit in Apocalypsi conflagratio vrbis, eo nempe igne, quê Christus venit mittere in terram. In aliorum verò expositionibus non video, quomodo hoc caput aptè cum antecedente consentiat. Atq; illud non satis miror, esse aliquos, qui sibi persuadeant, prophetiam non vlteriùs prògredi, sed regredi potiùs. Septem enim plagas cap. 16. opinantur effundi aduersus eos, qui Antichristi factionem sectaturi sunt. Romæ autem euersionem credunt post Antichristi aduentum futuram. Nam si antea foret, non per decem reges, sed per septem fieret, qui cum Antichristo coniungendi sunt. Hoc argumentum nullam mihi affert difficultatem. Nam decem cornua & regum denarium accipio ipse pro vniuerso senatorum Romanorum numero, sicuti Daniel accipit cap.7. de qua denarii acceptione dictum satis est suprà cap.12.& 13. Et verò præter continuatam totius Apocalypseos seriem, à qua discedere fas non est, illud mihi maximè probat tractationem extremi cap.16. cum hoc sequenti capite continuari; quia euidens de vna eademque Babylone sermonem esse in sexta & septima plaga cap.16.& in meretrice capitis 17. Quare id in se apte consequens est, vt Babylonis diuisionem exustio subsequatur. E contrario autem non video, qua ratione fingi possit post Babylonis incendium, successisse diuisionem ipsiusmet vrbis, quæ iam fuerat penitus exusta. Quam difficultatem & ordinis perturbationem qui deuorant, in eas se tricas induunt, supponentes sermonem esse de supplicio Romæ sub Antichristi aduentum infligendo; quod nulla ratione præstituere deberent.

Ostenditur huius capitis series atque connexio cum antecedenti.

Aliorum hic egressiones & transitiones atq; ordinis inconsequentia reprobantur.

B

VNVS DE SEPTEM ANGELIS, QVI HABEBANT SEPTEM PHIALAS] Vidimus iam in superioribus, *Vnus*, hîc idem esse, atque *Primus*. Deinde in hoc Angelo, qui toto cap.17. verba facit, B. Paulum figurari. In nostra autem expositione idonea satis redditur ratio, cur qui primam phialam effudit, is nunc meretricis damnationem Ioanni annunciet, quod in aliorum explicationibus nescio quàm apte expediatur.

Vnus de septem Angelis quis hic sit.

C

DAMNATIONEM MERETRICIS MAGNÆ] Id est iustum supplicium de illa sumendum. Est autem sermo de vindicta mystica, vt suprà iam disputatum est. Et meretricis magnæ nomen tribuitur magnæ ciuitati idololatræ; nam ciuitates idolorum cultrices solent in Sacris meretrices nuncupari; sicut idololatriæ etiam nomen fornicationis tribuitur Isaiæ 23.15. Ieremiæ 2.20.& ca.3.1. Ezechielis 16.15. Nahum.3.4. Micheæ 1.7.

Nomen meretricis magnæ Romæ imponi.

QVÆ SEDET SVPER AQVAS MVLTAS.] Quod ad grammaticum sensum attinet, respectus habetur ad Babylonem vtraq; ex parte Euphratis fluminis situm: & in eodem sensu accipitur præpositio, *Super* in Psal.136.1. *Super flumina Babylonis*, &c. In mystico autem sensu *aqua multæ*, (vt toties inculcauimus) populos multos significant. Sedere verò super aquas multas, non aliud est, quàm multis Gentibus ac populis dominari: sicut ingens aliqua ciuitas super flumen siue ad flumen ædificata eiusdem fluminis est domina. Sic etiam vrbes maritimæ, vt Tyrus, Vlissipo, & aliæ rectè considerantur, quasi dominæ illius maris, quod longè lateque despectant.

Quid sit sedere super aquas multas.

D

TEXTVS.

*Vers.*2. Cum qua fornicati sunt reges terræ; & inebriati sunt, qui habitant terram, de vino prostitutionis eius.

COMMENTARIVS.

CVM idololatria in sacris Literis fornicatio; idololatrix ciuitas, meretrix nominetur; manifestum est, qui se in idolorum cultu ad Romæ consuetudinem conformaret, perinde esse, quasi ad spiritalem fornicationem cum ea coiret. Quamobrem terræ Principes ac Reges, quos Romæ exemplum in eâdem idololatria illectos & implicatos tenebat, iure optimo dicuntur magnæ meretricis amasii & riuales esse. Reges autem terræ vocantur Romani senatores, qui mundum suo imperio gubernabant: & illi etiam Reges ac Principes, qui cum Romano Imperio fœdus inierant.

Idololatria in sacris Literis spiritalis fornicatio appellata.

ET IN EBRIETATE SVNT, QVI HABITANT TERRAM DE VINO PROSTITVTIONIS EIVS] Hic imprimis illa occurrit dubitatio, numne sit idem poculum seu vinum, quod appellatur vinum prostitutionis: & quod, vinum iræ fornicationis? Vide caput 14.8. vbi dicitur *Babylon illa magna, quæ à vino iræ fornicationis suæ potauit omnes Gentes.* & cap.18.13. *De vino iræ fornicationis eius biberunt omnes Gentes*, Primo ergo

Num idem sit poculum seu vinum quod vinū prostitutio-

Digitized by Google

nis, & vini ira fornicationis vocatur.

aspectu videntur hi esse diuersi calices, seu pocula: & priùs quidem Babylon Gentibus propinare mysticæ fornicationis calicem, deinde illum recusantibus poculum iræ fornicationis vi impingere, hoc est persecutionis calicem. In quo fornicaria meretrix suum ingentem furorem ostendit aduersus eos, qui ipsam damnant, & aduersantur. Atque hoc poculorum discrimen in eo videtur posse fundari, quòd *inebriari vino prostitutionis*, perinde sit, quasi allegoricè & decorè significare spiritalem luxuriam nimis vehementem. In calice enim luxuriæ potiùs respicitur ad turpem delectationem, quàm ad iram vel furorem. Quare, qui mœchabantur cum Babylone, hi videntur cũ illa turpiter delectari. At qui cum illa mœchari recusabant, ij calicem iræ eius bibere cogebantur: eâ phrasi, qua sæpè in Scriptura tribulatio appellatur calix; vt vidimus suprà cap.14.10. vbi dicitur; *Si quis adorauerit Bestiam, hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero in calice iræ ipsius.*

1. Expositio proponitur vtrumque calicem distinguens.

2. Expositio vtrumque pro eodem accipiens, vt probabilior statuitur.

Iuxta hoc discrimen dicendum erat, non quidem improbos Christianos, sed probos potiùs potari vino iræ fornicationis Babylonicæ. Nihilominus congruentius fortassis est, id ita accipere: quasi Roma eos, qui cùm illa ad spiritalem fornicationem copulabantur, suæ iræ vino ebrios reddat; id est, illos in iram atque furorem agat aduersus Christi nomen. Sic enim verè dicitur, *de Vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes*. Nam fornicariæ meretricis iram aduersus Christianum nomen conceptam gentes omnes ac nationes imbiberunt. Siquidem in omnibus terrarum orbis prouinciis Christiani miserandum in modum excruciabantur. Sicut ergo in 2. Psalmo dicitur: *Quare fremuerunt Gentes*. Sic etiam in Apocalypsi dicuntur Gentes omnes inebriatæ epoto calice iræ meretricis; hoc est, dum Romæ idololatricis iram imitantur. Atque hac ratione non duo sunt pocula, prostitutionis alterum, alterum iracundiæ; sed indignatio ac furor consequitur idololatriæ calicis potum. Tametsi autem diuerso in sensu dicuntur, qui Bestiam adorant, calicem iræ Dei potare, hoc tamen inconueniens non est. Qui enim propter turpem societatem cum fornicaria initam bibit prostitutionis calicem, & iram pariter ac furorem aduersus Christianos hausit, aptè dicitur eo supplicio esse afficiendus, vt illi diuinæ iræ calix, id est cruciatus acerbissimus impingatur. Et quanuis locutio potandi iræ calicem immutetur (cùm priùs ira ponatur actiuè, passiue postea) cùm tamen phrasis vtraque sit elegans, minimè id dissonum est.

Duplex dicta subijcitur prædicti calicis explanatio.

Dicet hic quispiam fortasse, vinum non esse fornicationis allegoriam: sed considerari meretricem, quasi ad potandum etiam suos riuales inuitet. vel eos, quibuscum se turpiter miscet, priùs ad potionem illiciat. Et in hac concipiendi ratione calix significare poterit terrenorum bonorum possessionem, iuxta illud Prouerb.cap.23.num.31. *Ne intuearis vinum quando flaueſcit, &c.* Qua ratione possent per vinum figurari illecebræ atque blanditiæ, quibus hæc meretrix miseros homines ad spiritalem fornicationem pelliciebat: nimirum spe lucri, honoris & voluptatis. Sic enim crapula luxuriam fere comitatur. Magis tamen placet, vt mystica ipsa fornicatio per calicem prostitutionis designetur, & calix ipse vocetur calix iræ. Siquidem idolorum cultores in Christianos acerrimè inuehebantur; eorumque furor ac rabies in ipsa nitebatur idololatria.

Sed dicat fortasse aliquis, calicem illum posse concipi, veluti præmium, quod Roma dabat ijs, qui cum illa mœchabantur. Qua ratione per calicem potest intelligi mors. quam promerentur ij, qui se sceleribus contaminant, atque ita calix in præsenti, sicut in alijs, significabit amaritudinem & mœrorem, quem incurrit, qui ex eo calice bibere dicitur. Præstat tamen sensus, quem suprà exposui.

TEXTVS.

Vers.3. Et abstulit me in spiritu in desertum: & vidi mulierem sedentem super Bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, & cornua decem.

COMMENTARIVS.

Quid sit hic, Ioannē in desertum deferri.

QVòd Ioannes spiritu in desertum deferatur, eique ostendatur meretrix, nonnulli interpretantur ciuitatis ipsius ruinam & interitum. quippe illam Ioanni in deserto indicari, quasi innuit, vrbem in desertum fore conuertendam. Ego tamen contrarium omninò existimo, videlicet ciuitatem illi in deserto demonstrari, quia in Gentilitatis deserto sita erat, quod tamen desertum per mysticam vrbis conflagrationem in paradisum fuerat conuertendum. Et negari quidem non potest, quin receptissima Scripturæ allegoria sit deserti nomine Gentilitatem adumbrari, vt aliàs à nobis probatum est. Cùm ergo instituatur sermo de illa ciuitate quæ totius erat Gentilitatis caput, nihil opus est, aliam præterea significationem indagare, quando Ioannes spiritu in desertum tollitur, vt meretricem inibi in Bestia insidentem contempletur. Atque huiusmodi locutio miram insuper continet energiam, qua denotatur, innumerabilem illam Ethnicorum multitudinem Romæ degentē, admirabilem totius vrbis structuram & ædificiorum pulchritudinem, Reip. administrandæ leges, & institutа, hæc inquam omnia spiritali viro & in rerum cælestium contemplationem intento perinde esse, quasi vastam quandam solitudinem ac desertum; quò non hominibus, sed brutis animantibus pateret aditus: vbi nulla legum & administrationis ratio, sed spinæ potiùs ac sentes scelerum & flagitiorum innascerentur. Quam ad rem non ineptè afferri potest Diogenianum illud, qui in ingenti frequentissimæ vrbis foro accensam præferens facem, meridiano tempore hominem aliquem in celebri hominum cœtu se indagare dictabat, nec inuenire tamen.

SVPER

Digitized by Google

A SVPER BESTIAM COCCINEAM] Potest hìc in dubium reuocari; num hæc Bestia, super quam sedebat mulier, sit eadem, quæ c. 13. appellatur Bestia maris. Namque vna ex parte videtur eadem esse, si & blasphemiæ nomina, & cornua decem, & septem capita attendamus: ex alia verò apparet diuersa, si inspiciamus colorem. *Vtrùm hic bestia coccinea sit eadem cum bestia maris de qua c. 13.*

Qui existimant, per maris Bestiam in c. 13. Antichristum; per meretricem verò Romam figurari, (vt Ribera & Viegas opinantur,) consequenter asserunt, Bestiam hanc, cui meretrix insidet, esse ab ea diuersam, quæ Bestia maris vocatur. Eorum opinioni fauet, quia si vna eademque Bestia esset, hic Ioannes eam cum præposito articulo designare debebat; quem tamen cùm non apponat, argumento est de alia in hoc loco sermonem instituì. Deinde coccineus color nequaquam cum eo consentit, quod cap. 13. de marina Bestia proditur, vbi dicitur esse similis pardo (qui, vt ibidem aduertimus, panthera est, siue tigris) ac proinde diuersi admodùm coloris. *1. Sententia negans.*

Verùm enimuerò pro comperto habeo, huiusmodi Belluam, in qua mulier residet, eandem esse cum maris Bestia, quæ c. 13. descripta est. Vtrobique enim significatur Rom. Imperium idololatriæ deditum, siue Romanus orbis idololatra: quem Roma ethnica lege & imperio administrabat. Quòd si ideò credebatur, duas hasce Bestias esse diuersas, quia diuersos ad fines spectabant; in eo quidem fuberat huiusmodi opinionis deceptio. Neque enim Roma ethnica depingi potuit alii Bestiæ imposita; sed eidem, quæ c. 13. fuerat marinæ Bestiæ nomine compellata. Etenim vniuersas illas persecutionis machinas, quas Rom. Imperium ethnicum Ecclesiæ admouebat, Roma potissimùm excogitabat, & comparabat, atque ita tanquam reliquarum prouinciarum domina & moderatrix in ea Bestia sedens depingitur. Quare 7. capita, cornua 10. & blasphemiæ nomina indicant proculdubio eandem capitis 13. Bestiam. Vnde iidem auctores, qui in hoc c 17 per coccineam Bestiam intelligunt Dæmonem, vt quæ dicunt, aliqua ratione continuent, gradum faciunt mox ex dæmone ad mundi regnum; in quo Romam quasi obequitantem considerant, & inibi 7. capita, ac 10. cornua exquirunt. Si ergo maris Bestia ca. 13. Rom. orbem denotabat cultorem idolorum & Ecclesiæ oppugnatorem; tam illa Bestia, quàm hæc, eadem est, nec plures. Ad hæc: si duæ Bestiæ forent, cùm Ioannes vtramq; descripsisset, neutiquam diceret, c. 19. 19. *Et vidi Bestiam, & apprehensa est Bestia.* vbi vtroq; in loco articulum præponit, ac supponit pariter, vnam tantùm esse Bestiam 7. capitibus & cornibus 10 constantẽ. *2. tamen sententia, vt verior, seligitur, & probatur vtramque bestiam vnam eandemq; esse.*

B

Præterea Ioannes, vt suam expleret omnino narrationem, debebat recensere exitum eorum omnium hostium, quorum mentionem facit. sic enim refert draconis finem, Bestiæ maris, & Bestiæ terræ (quam posteà pseudoprophetam vocat,) nec tamen alterius hostis, siue Bestiæ interitum aut finem refert. Non igitur alia supereſt Bestia, præter eas duas, quarum superiùs meminerat. Dicet aliquis, non opus esse vt sit alia ab illis duabus distincta. Nam coccinea Bestia est draco capitis 12. ille enim rufus erat (quod perinde ferè est, atque coccineus) & capita habebat septem, decemque cornua. Hoc tamen difficultatem non soluit; nam Ioannes draconem à Bestia distinguit, & illum appellat draconem, hanc verò θηρίον, id est feram seu belluam. Si autem draconem nominaret Ioannes θηρίον, id est, feram, aut bestiam, non recte cum articulo diceret, *Apprehensa est Bestia*, cùm duas diuersas pinxisset.

C

Vt ergo ad argumenta contrariæ sententiæ respondeamus. Ad primum, de articulo huic Bestiæ non præfixo, Respondeo, Agnum ca. 15. & c. 14. euidenter vnum eundemque esse, cùm tamen Ioannes c. 14. non illi articulum apponat. Accedit, quòd si hoc argumentum ex articulo petitum aliquid roboris haberet; probaret etiam, hanc Bestiam coccineam esse à dracone diuersam. Et qui contendẽt hanc belluam esse distinctam à Bestia maris (de qua c. 13.) volunt etiam hanc Bestiam coccineam esse eandem cum dracone. Præter hæc, Ioannes cap. 13. Bestiam maris, & Bestiam terræ expresserat, cùm autem duas descripserit, recta grammaticæ ratio non postulabat, vt ad primam designandam articulo vteretur. Quòd si ex ceteris verbis coniiciendum erat, de qua Bestia loqueretur Ioannes; satis id indicauit, affirmans huic Bestiæ 7. esse capita, cornua 10. & nomina blasphemiæ. Atque vt id etiam obiter attingam, ad ænigmatis scriptorem non attinet explicare, quidquid ad ipsius ænigmatis intelligentiam conducit. Quæ autem remanere posset dubitatio, vtrùm Bestia coccinea esset eadem, quæ Bestia maris capitis 13. hanc inquam dubitationem, quam expressus articulus aliqua ex parte tollere posset, consultò sacer scriptor intactam reliquit, quia sic expediebat ad ænigmatis obscuritatem. *Contraria sententia fundamẽta soluuntur.*

D

Ad secundum argumentum, quod in coloris diuersitate nititur, Respondetur, fieri quidem posse, vt panthera siue tigris hominem aliquem discerpens eius sanguine ita vndique respergatur, vt sanguineo colore appareat infectus. Vnde eadem fera, quæ persecutionis initio nondum videbatur rubra, posteà Ioanni coccinea visa est. Sed obiiciet Ribera colorem coccineum non aptè ad crudelitatem, sed ad delitias & fastum regis referri. Nihilominus tamen Viegas sect. 2. communẽ amplectitur opinionem, quæ coccineum hunc colore ad Martyrum sanguinẽ referendum censet. Et fortè ad denotandam Martyrum innocentiam & gloriam, ipsorum sanguini tribuitur coloris coccinei nomen, quod est symbolum rei illustris ac regalis, atque hic ferè est sanguinis Agni color. Et quamuis vestiri coccino ad delicias fastumque pertineat; hic tamen vestimenti color in Bestia non est deliciarum argumentum, sed cædis & internecionis, quam in Christi agnis fecerat. *Coccineum colorem ad Martyres aptè referri.*

Quod attinet ad blasphemiæ nomina, ad capita septem, & cornua decem, vidimus iam eorum explicationem cap. 13.

TEXTVS.

Digitized by Google

A

TEXTVS.

*Vers.*4. Et mulier erat circundata purpura, & coccino, & inaurato auro, & lapide pretioso, & margaritis; habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius.

COMMENTARIVS.

Mundana Romæ gloria & splendor, eo olim fruebatur, depingitur.

DESCRIBITVR hic mundana gloria & splendor, quo Roma ethnica fruebatur. Et locutio transfertur ad meretricum consuetudinem, quæ suis omnibus auri, argenti ac vestium ornamentis se induere & comere solent. Si legeretur, *Inaurata auro: inaurata* idem esset, atque auro vestita. Vulgata tamen lectio legit, *inaurato auro*, quod ad externam faciem referendum est, quasi vestita fuerit non auro solido, quod est charitatis & verarum diuitiarum symbolum: sed externa auri specie.

Quid significet poculū in meretricis magna manu positū

HABENS POCVLVM AVREVM IN MANV SVA] Lege, quæ diximus de hoc calice suprà versu secundo. Quibus addo, calicem manu teneri, interdum esse, vt illum qui tenet, bibat: sicuti Ezech. 23. 31. *Dabo calicem eius in manu tua.* vbi manifestè sermo est de amaritudinis calice, ad cuius potum cogenda erat Ierosolyma. Interdum verò calix in manu positus denotat, illum alteri propinari. Sic Ieremiæ 51.7. *Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram; de vino eius biberunt Gentes, & ideo commotæ sunt.* Quorum verborum legitimus sensus is videtur: quasi Babylonici Imperii splendor, decus, & gloria sint quasi calix absynthio plenus. Nam illius Imperii vi atque armis Deus infligebat supplicium iis omnibus, quos plectere volebat. Perinde ferè esset, si diceretur Chaldæorum exercitus esse Dei flagellum, quo ipse puniebat nationes. Licet autem flagellum esset inauratum, non ideo tamen plaga minùs erat luculenta. Similiter per Romanorum arma in plures Deus prouincias animaduertit, quas ipsi Romani exciderunt. B

Inaurati calicis color quid adumbret.

Hæc ergo allusio videtur in hoc loco contineri, cum eo tamen discrimine, quòd Roma non hic inducitur vt flagellum in Dei manu, sed vt meretrix ac vt venefica, quæ in aurato calice idololatriam atque iram aduersus Christianum nomen omnibus hauriendam propinabat. Porrò inaurati calicis colore potest denotari, aut Romani Impeii dignitas & splendor, aut fortè prætextus ipse siue externa facies, qua idolatriæ cultus obducebatur, nimirum sub religionis ac diuini cultus specie. Ponitur verò apud Ieremiam calix in manu Domini, vt supplicium illud à Babylone aliis Gentibus illatum credatur Dei ipsius esse flagellum. In Apocalypsi autem (vbi sermo est de peruerso animo Gentes decipiendi, & aduersus Christi nomen irritandi) congruenter calix depingitur in ipsius Babylonis manu. C

Quæ sit abominatio & immunditia, quibus plenus erat calix.

Iam, quòd dicitur, *Plenum abominatione & immunditia*, videtur in eo significari hæc meretrix famosa, vt insignis præstigiatrix conflare immundum puluerem, *& non innoxia verba*, cuiusmodi essent bufonis cineres, aut contusa hominum in crucem actorum ossa, quæ immunditiæ nomine significare videntur, cantiones item & execranda verba, quæ abominationis nomine includantur. Qua ratione idoneè significantur tum opera, tum verba, quibus Roma idololatrix persecutionem aduersus Christianum nomen excitatam pro virili parte accendere, & inflammare curabat. Denique aduerte eiusmodi calicem Babylonis inauratum, & lethali veneno plenum à nonnullis ad eos Gentiles atque hæreticos accommodari, qui verborum lenociniis & speciosæ orationis pigmentis mendacium pro veritate rudibus & imperitis populis diuendunt. Qua de re consule Marianum Victorium in scholio epistolæ Hieronymi 139.

TEXTVS.

*Vers.*5. Et in fronte eius nomen scriptum: Mysterium. Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ. D

COMMENTARIVS.

Nomen in meretricis fronte scriptum, quid sit.

QVod spectat ad literam, noster Martinus de Roa lib.4. Singularium cap.10. sic explicat, *In fronte*, id est in lupanaris titulo, & in fronte cellæ, & similiter illud Senecæ controuersia prima, *Nomen tuum pependit in fronte, pretia stupri accepisti.* Quamuis Durantius lib.1. Variarum cap.2. scribat, non solùm titulum pro foribus olim lupanaris, sed in ipsa etiam meretricis fronte inscriptum. Affert etiam Roanus pro cellarum titulis asserendis Tertullianum, Iuuenalem, Senecam, & Martialem. Et constat olim sic fuisse solitos inscribi. Atque ad præcipuum quidem sensum satis fortasse erat, titulum iuxta pristinum illum morem, quem Roanus affert, considerari. Nihilominus tamen significantius est, si hanc inscriptionem in ipsa meretricis fronte notatam concipiamus. Nec noua est in Apocalypsi hæc signi aut inscriptionis ratio humana in fronte impressa. Vide caput 7.3.& cap.14.1.& cap.13.16. & cap.22.4. Sed fortè opus non est, vt concipiamus nomen in ipsa frontis carne inscriptum; sed ad eum modum, quo Aaron nomen Dei in fronte gestabat.

At

Digitized by Google

A At verò si significationem attendamus; publica hic professio & manifesta illius iactatio non obscurè figuratur, id enim est, quasi in fronte idololatriam, atque aduersus Christianos iram expressis notis distinctis gestare. Quamobrem in hoc titulo innuitur, in publica illa ac patenti professione, quam Roma de idolorum cultu & de Religionis Christianæ persecutione præferebat, extare & eminere mysterium illud, quod in ipso Babylonis nomine, eidem ab Scriptura impositò delitescit. Vbi obseruandum primò est, verbum illud, *Mysterium* (cum bona Pannonij venia) accipiendum non esse quasi ipsius tituli partem, sed quasi rem ab ipso Ioanne additam, vt ipsius tituli mysterium seriò expendamus. Atque ita vox *Mysterium* legenda est in parenthesi, vel quasi per parenthesin adiècta. 2. obseruandum est, peculiarem hic respectum haberi ad antiquam illam & infamem priscæ Babylonis consuetudinem; vbi publico edicto sancitum erat, nequa mulier in matrimonium collocaretur, quin priùs meritoria fuisset. Atque illa ipsa prostitutio & turpiter merendi ratio, quasi res quædam sacra & propriæ virginitatis Veneri immolatę sacrificium putabatur. Qua de re adi nostrum Christophorum Castrium in illud Baruc. 6. 42. *Mulieres circundatæ funibus in viis sedent, succendentes ossa oliuarum.*

Quid per nomen in fronte scriptum denotetur.

Infamis cõsuetudo seu lex Babyloniis antiqua de virginib. ante matrimoniũ prostituendis.

Tertiò obserua, supra hoc veluti fundamentum niti significationem publicæ professionis, qua Roma omnia idololatriæ genera, (quæ veluti spiritalis quædam fornicatio est) libentissimè amplectebatur. Vt enim Leo magnus ait in festo Apostolorum Petri & Pauli; *Cùm penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium seruiebat erroribus; & magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem.* Quinimò veluti parens ac nutrix, quancumque idolorum superstitionem hausisset, accuratè fouebat; & omnibus ferè idolorum monstris vna Roma templa atque delubra instaurabat. Atque id est, *Mater fornicationum, & abominationum terræ.* Ad eum ferè modum, quo in lupanari pater vulgari nomine appellari consueuit is, qui infames meretriculas eò confluentes excipit, & varias in cellulas distribuit.

B

Cur Roma ethnica vocetur mater fornicationum & abominationũ terræ?

Postremò, in Babylonis nomine, quòd Romæ imponitur, alluditur etiam ad ingentem ipsius magnitudinem; & pariter innuitur, fuisse illam vrbem antiquam, quæ infestissimum bellum inferebat Ierosolymæ, & ijs omnibus, qui idolorum culturam detestabantur. De quo lege historiam Danielis 3. Nomen ergo Babylonis indicat, vt Babylon extirit quondam opulenta illa ciuitas, quæ Ierosolymam vastauit; ita etiam Romam esse, quæ suis edictis bellum crudelissimum aduersus spiritalem Hierosolymam, id est, Christi Ecclesiam indicebat. Et fortè epitheton *Magna*, denotat, Romam non sibi satis esse putare, si Ecclesiam destrueret, vt Babylon destruxit Hierosolymam; nisi etiam ad magnæ Babylonis nomen implendum aspiraret; ita vt persecutio & oppugnatio Christiani nominis ad extremum vsque illius excidium minimè consisteret.

C

TEXTVS.

Vers. 6. Et vidi mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum Iesu. Et miratus sum, cùm vidissem illam, admiratione magna.

COMMENTARIVS.

QVIS non videat, quàm oppositè & significanter describatur his verbis, quod Romæ accidit earũ persecutionum tempore, quas ethnici Imperatores in Christi Ecclesiam commouerunt? quando nimirum Roma Martyrum inuictissimorum sanguini adeò sitienter inhiabat, vt inaudita tormentorum monstra contra illos excogitaret. *Et miratus sum admiratione magna.* Non eodem modo miratur Ioannes, atque illi, de quibus dicitur versu 8. *Et mirabuntur inhabitantes terram.* Ioannis quidem admiratio inde orta est, quòd eò vsque hominum insania ac dementia processerit, vt in veram Christi Religionem ita furenter inuadant. At terrenorum hominum longè alia admiratio est, quòd scilicet Romanum Imperium ab Ecclesiæ oppugnatione desistat. Deinde Ioannes non propterea miratur, quòd magni admodùm Romam ethnicam faceret; sed quia insanientem illius stultitiam, tamquam rem nouam & insolitam admirabatur. Terrigenæ verò admirantur prorsus Romani Imperii Ethnici superbiam & magnitudinem, & quòd in tanta rerum affluentia Christianam Religionem non possit superare.

Cur meretrix dicatur sanguine Martyrũ ebria.

D

TEXTVS.

Vers. 7. Et dixit mihi angelus, Quare miraris? Ego dicam tibi sacramentum mulieris, & Bestiæ, quæ portat eam, quæ habet capita septem, & cornua decem.

COM-

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

In hoc Angelo figurari B. Paulum.

HIc Angelus, qui Ioanni mysterium eiusmodi enunciat (vt vidimus in huius capitis prologo) repræsentat B. Paulum, cui Deus plenè reuelârat admirabile suæ prouidentiæ consilium, vt permitteret Romanum Imperium magis magisque Martyrum sanguine inebriari, vt fortissimo hoc vino Roma ethnica madens capitis vertigine tentaretur, & sic demum idololatriæ ruina subsequeretur. Sic enim tellus pretiosissimo hoc liquore irrigata totius mundi conuersionem, quasi fructum vberrimum, fuerat productura; nec non effectura illam Babylonis mysticæ mutationem in nouam Hierosolymam: hoc est, vt Roma, quæ caput erat idololatriæ, postea esset arx atque metropolis Ecclesiæ Christi.

TEXTVS.

Vers. 8. Bestia, quam vidisti, fuit, & non est; ascensura est de abysso, & in interitum ibit: & mirabuntur inhabitantes terram (quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ à constitutione mundi) videntes Bestiam, quæ erat, & non est.

COMMENTARIVS.

Quid per huiusmodi bestiam adumbretur.

VIEGAS sect. 2. ait, communem esse opinionem, quæ per huiusmodi Bestiam intelligit dæmonem, & dici meritò, *Fuit & non est*, quia per Christum electus est diabolus, iuxta illud, *Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras.* Ac propterea addi, *Ascensura est de abysso*: quia Antichristi tempore rursus in mundo regnabit. Ribera tamen credit, Antichristum esse Bestiam de mari ascensuram cap. 13. & tunc dæmonem, qui nunc est ligatus in abysso, esse soluendum. Sed suprà ostensum iam à nobis est, in hac Bestia imperium adumbrari Romanum, quatenus Christianam Ecclesiam infestabat. Sensus ergo est de persecutionibus, quas ab Imperio Romano ethnico Christiana perpetiebatur Ecclesia, quasque Dei prouidentia diutiùs durare non sinebat. Quamobrem, vt significet angelus, persecutiones fore intermittendas, affirmat, horribilem illam Bestiam iam non esse, quasi Bellua illa ex mari sublata, rursus in ipso mari mergeretur. Nam vt diximus c. 13. nu. 1. ad illa verba, *Vidi Bestiam de mari ascendentem*: persecutionis tempore ingruente videbatur Bestia è mari emergere; eodem cessante, in eodem mari mergi. Quippe in Gentilium animis residebat adhuc odium pertinax, vt postea pullulans persecutio recrudesceret. Quia verò abyssi nomen designat profunditatem, & speciatim diuini consilii fundum (iuxta illud, *Iudicia Dei abyssus multa,*) ideo in iis verbis, *Et ascensura est de abysso*, significatur, post sopitam priùs persecutionem, cùm fideles nihil de illius instauratione cogitarent, Deum fore permissurum, vt rursus exardesceret: non tamen in Christi fideles superiorem euasuram, sed Bestiam potiùs in interitum ituram.

Hæc Angeli expositio quorsum spectet.

Quæ igitur de Bestia dicuntur, vna ex parte cohortationi sunt fidelibus, vt vigiles atque attenti sint, nec se reputent securos, quòd persecutionis furor nonnihil sopitus appareat: ex alia verò sunt solatio, quia fideles ipsi sic admonentur persecutionem non diu duraturam; nec enim Deum permissurum, vt illius bellum aduersus Christi fideles per longum tempus sæuiat. Id quod significatur verbis illis *Fuit & non est.* Atque ex analogia eorum, quæ in præsenti de Rom. Imperio ethnico, & de Christianæ Ecclesiæ persecutione dicuntur, facilè est hanc doctrinam extendere, & generatim ad inanem mundi gloriam applicare; quæ videlicet modò est, modò non est: *Præterit enim figura huius mundi*, 1. Corin. 7. 31. Mundus enim eiusque splendor atque felicitas ita properè & festinanter decurrunt; vt cùm adhuc extare putes, iam præterierint. Verùm quidem est imperium rursus reuicturum, & quasi iterum de abysso ascensurum; nihilominùs celeriter etiam rursus euanescet. Vnde apparet terrenorum hominum deceptio & infelicitas, qui hanc Bestiam plurimi æstimant; cùm tamen iam sit, iam non sit, & celeriter in fumum sit abitura.

Hebraicum Gracia nomen quid sonet.

Circa illa verba, *Et mirabuntur*, lege quæ diximus suprà vers. 6. quanuis Ribera ea referat ad Antichristi miracula. Præterea in ea phrasi, *Fuit & non est*, videtur allusio fieri ad Hebraicum Græciæ nomen, quod est *Iauan*, & sonat, *Est, & non est.* De quo vide Hieronymum Ezech. 27. Et fortè in eo nomine Hebraicorum sapientes significare voluerunt Græcorum omnium inconstantiam non ingeniorum modò, sed fastus etiam atque potentiæ. Quapropter Angelus, qui Paulum refert, fortassis indicat; mundo Ecclesiæ Christianæ oppugnatori iure posse applicari nomen *Iauan*.

TEXTVS.

Vers. 9. Et hic est sensus, qui habet sapientiam. Septem capita septem montes sunt, super quos mulier sedet, & reges septem sunt.

10. Quinque ceciderunt; vnus est, & alius nondum venit; & cùm venerit, oportet illum breue tempus manere.

COM-

Digitized by Google

A

COMMENTARIVS.

VOx illa *hic*, aduerbium est, vt patet ex Græco, & designare potiùs videtur præcedentia ænigmatis verba quàm subsequentia. In ænigmate enim mysterium clauditur, nõ in declaratione. Et vtcumque hoc sit; cùm Angelus ait, *Hic est sensus, qui habet sapientiam*: perinde est, ac si dicat, superius ænigma Bestiæ sapientissimè esse conditum, ad significationem ab Spiritu sancto intentam.

SEPTEM CAPITA SEPTEM MONTES SVNT, ET SEPTEM REGES, QVINQVE CECIDERVNT, &c.] De horum verborum significatione latè disputauimus cap. 13. vbi explicuimus de septem montibus, super quos sita est Roma, & de ijs ethnicis Imperatoribus, qui Ecclesiam afflixere. Itaque non omnes Romani Imperatores ethnici considerantur tanquã Bestiæ huius capita: sic enim necesse esset Bestiam à Nerone vsque ad Diocletianum per seuerasse, nec toto hoc tempore vnquam euanuisse. Quod tamen non ita affirmatur in textu; quinimò dicitur aliquantum temporis apparuisse, & rursus per aliud temporis interuallum disparuisse, atque in mare, vnde emerserat, fuisse immersam. Ex quo elicitur, non omnes Imperatores ethnicos considerari tanquam Bestiæ huius capita, sed eos duntaxat, qui peculiare Ecclesiæ bellum indixerunt, qui quidem apte reducuntur ad septem, vt cap. 13. explicatum est.

De horum verborum explicatione, suprà ibi dictum, c. 13

B

TEXTVS.

Vers. 11. Et Bestia quæ erat, & non est, & ipsa octaua est, & de septem est, & in interitum vadit.

COMMENTARIVS.

RIBERA & Viegas ita literam ordinant, vt dæmon, (qui est Bestia) de septem sit; quia in omnibus tyrannis ipse est, qui diuexat Ecclesiam, & nihilominus octaua est, quippe quæ ab illis distinguatur. Alij sic; dæmon de septem est, quia similiter peccat: & octauus est, quia omnium excedit malitiam. Alij ad Antichristum transferunt verba illa, *Et ipsa octaua est.* vt Prosper in dimidio temporis cap. 8. & Haymo. Sed omnia isthæc quàm sint coacta, facilè quiuis expendet. Si verò explicatio ad Iulianum referatur, omnia optimè cohærent, vt vidimus cap. 13. quò latiorem loci huius explicationem remitto.

Quo sensu dicatur Bestia & octaua esse, & esse de septem.

C

Quod ad literam ipsam spectat, aduerte, in Græco cùm Bestiæ nomen sit neutrum, quando tamẽ peruenitur ad hæc verba *Et ipsa octaua est*, vsurpari in Græco masculinum genus, ita, *& ipse octauus est.* quod videtur omnino debere connecti cum nomine Regis: quandoquidẽ antecesserat, *septem capita septem Reges sunt, quinque ceciderunt, &c.* Nec tamen idcirco significatur Bestiam esse octauum regem: sed quæ Bestia in septem Regibus consumpta videbatur esse, eam rursus visum iri Rege alio, siue Principe exsurgente, qui se eiusdem Bestiæ caput esse ostenderet. Constructio ergo est huiusmodi, *Et Bestia, quæ erat, & non est*, iterum apparebit, eiusque caput erit rex alius siue tyrannus octauus. Et quamuis locutio ipsius contextus non sit adeò formalis, facilè tamen suadetur, hanc veram esse huius loci constructionem. Aliæ enim in Sacris locutiones deprehenduntur nihilo hac clariores, & (vt ita dicam) formaliores, quæ tamen rectè intelliguntur, vt est illud Isaiæ cap. 1. 18. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Satis namque apparet, non hic peccatum ipsum album fore, sed eum, qui peccati macula infectus erat. Demum obseruandum est, in nostra Vulgata; *Octaua* connecti cum *Bestia.* Vnde Bestiæ ipsi, id est Romano Imperio ethnico Christianam Ecclesiam persequenti, nomen primæ Bestiæ imponitur propter primum caput: secundæ, propter secundum: ac tandem octauæ, propter octauum. De horum autem verborum difficultate, deq; genuino eorum sensu diximus satis suprà capite 13.

D

TEXTVS.

De decem cornibus.

Vers. 12. Et decem cornua quæ vidisti decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam reges vna hora accipient post Bestiam.

13. Hi vnum consilium habent, & virtutem, & potestatem suam Bestiæ tradent.

14. Hi cum Agno pugnabunt, & Agnus vincet illos; quoniam Dominus dominorum est, & rex regum; & qui cum illo sunt, vocati, electi, & fideles.

15. Et dixit mihi: aquæ quas vidisti, vbi meretrix sedet, populi sunt, & gentes, & linguæ.

16. Et decem cornua, quæ vidisti in Bestia; hi odient fornicariam, & desolatam facient illam, & nudam; & carnes eius manducabunt, & ipsam igne concremabunt.

17. Deus enim dedit in corda eorum vt faciant, quod placitum est illi, vt dent regnum suum Bestiæ, donec consummentur verba Dei.

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

ILLVD imprimis in his versibus discutiendum occurrit; quæ nimirum sint hæc decem Bestiæ cornua, & vtrùm Dei sint amici, an inimici? Etenim vna ex parte inducuntur ab Angelo tanquam inimici Agni; expresseque asserit, *Hi cum Agno pugnabunt.* Ex alia verò parte eos depingit, quasi ingenti impulsos desiderio Deo placendi: *Deus enim* (inquit) *dedit in corda eorum vt faciant, quod placitum est illi.* Ad quorum verborum veritatem non satis videtur esse, si Deus depravata hominum intentione ad suum ipsius consilium exequendum vtatur. Etenim peccatum aliquod permittere, & hominum etiam obstinatorum duritiem quasi instrumentum assumere ad egregium aliquod opus; id quidem longe videtur esse diuersum ab eo, quod est, Deum alicui in mentem iniicere, vt quod Diuinę ipsius maiestati gratius est, opere compleat. Et quidem licèt interpretes hanc deuorent difficultatem, optabile tamen esse constat, vt verba illa, *Deus dedit in corda eorum*, ne violenter accipiantur. Nam fortasse inde pendet ænigmatis intelligentia, & illius elegantiæ assecutio.

Quinàm per decem bestiæ cornua figurentur.

Nota ergo primò, Per decem cornua denotari senatores & optimates illius Polyarchiæ, id est Rõmani Imperii, quod in ipsa Bestia figuratur. Nam licèt Imperatores Romæ gubernationem ad Monarchiam reuocauerint, nihilominus tanta erat Senatus auctoritas, vt multum semper restiterit ex ea gubernandi ratione, quam Aristocratiam vocant. Quare non omnino Monarchiæ normam Romana respublica obtinebat, sed quasi Monarchiæ & Polyarchiæ permistionem. Et in Bestiæ quidem capitibus Imperatores adumbrantur, at in decem cornibus senatores & optimates illius Reip. florentissimæ, vt in cap. 13. aduertimus: denario videlicet pro magna multitudine vsurpato, vt in cap. 7. Danielis similiter fuerat expressum.

Romanos senatores hic Reges vocari: & cur.

Secundò aduerte, in amplissimis illis senatoribus verum maximè comprobari, quòd textus ait, nimirum eos, cùm proprium non habeant regnum, reges adhuc esse. Tanta enim illis auctoritas, tanta diuitiarum copia & affluentia inerat, ac si re ipsa reges forent. Ad distinctionem verò septem capitum de decem cornibus dicitur, *Potestatem vna hora accipient.* Nam septem capita non simul Imperium tenebant, sed vno Imperatore mortuo deligebatur alius. At verò senatorum & Principum illius Reipublicæ auctoritatem ac dignitatem possidebant pariter primarię illæ in Romano populo familiæ. Atque hoc significat *vna hora*, id est eodem tempore. Hora enim sæpe denotat tempus, estque phrasis Græca familiaris, & apud sacras etiam Literas omnibus nota. Vno itaque tempore regnare, est regnare eodem tempore. Et quod ad rem ipsam attinet, interpretes omnes conueniunt, inter Bestiæ capita atque cornua hoc interesse discriminis, quòd capita succedant, cornua eodem pariter tempore dominantur.

Quid sit, potestatem vna hora accipere.

Sequitur, *post Bestiam*, in Græco parua cum distinctione bifariam legitur, μετὰ τὸ θηρίον, & μετὰ τοῦ θηρίου, *post Bestiam*, vel *cum Bestia*. Quorum vtrumque cohæret optimè, si in Bestiæ potestate consideremus imperatoriam dignitatem, quæ caput erat, & maximam simul Senatus auctoritatem secundùm Imperatorum, cum quo sua etiam pariter dignitate fruebantur.

Babylonis & fornicariæ nomen qua ratione Romæ conueniat.

Aduerte tertiò Babylonis & fornicariæ nomen Romæ non conuenire, nisi quatenus idola colebat, & Ecclesiam oppugnabat. Vnde Babylonis deuastatio & horribile meretricis supplicium formaliter sunt accipienda de Romæ quatenus idololatricis ruina: nec alia præterea vastitas aut ruina opus est, quàm vt Romana ciuitas religioni Catholicæ manus daret. Ceterùm hæc ipsa subiectio atque conuersio eleganter in Scriptura figuratur, veluti ingens quædam vindicta diuinitùs sumpta, quæ succendit atque excidit ciuitatem illam, quæ mundi priùs erat princeps ac moderatrix; vt latiùs deinceps ostendemus.

Vnde potissimum penderet Romana vrbis ad fidem conuersio.

His igitur præmissis: vt Roma ad Christi fidem conuerteretur, non id potissimùm opus erat, vt Imperator ipse Christianæ Religionis institutа amplecteretur. Nec enim aut ipse suam publicè fidem profiteri facilè posset, toto adhuc senatu in vanæ superstitionis tenebris iacente, aut magni admodùm referret, si ea tempestate se Christianum propalam ostenderet. Ac demum vnus homo facilè è viuis excedit, illud verò præualere, & permanere solet, quod nobilior Reipublicæ pars communiter amplectitur. Quamobrem licèt vterque Philippus Christiana sacra susceperint, non tamen multùm profecerunt. Et Constantini quidem tempore effectus ipse ostendit, magnam senatorum partem, & fortasse maiorem ad Catholicam fidem priùs se recepisse. Et forsan politicis etiam rationibus consideratis expediens Constantino erat Christianorum se fautorem profiteri. Plurimum igitur huiusce rei momentum in illo situm erat, vt Romani senatores, eorumque familiæ, si non omnes initio, paulatim tamen omnes ad Christi fidem commigrarent. Præsertim, cùm quilibet ex potentissimorum senatorum numero magnâ domus familiâ & frequentissimis seruitiis abundaret: quos omnes, vbi domini fidem susciperent, necesse erat pariter eidem fidei se subdere, atque adeò Catholica Religione superante, ruinam maximam idololatriæ impendere.

Hæc ergo tanti momenti res minimè potuit executioni mandari sine magno discrimine ac periculo eorum senatorum, qui Christi fidem excipiebant, præcipuè cùm conuersio eo præsertim tempore vigeret, quo persecutionis furor æstuabat. Tunc enim efferuescebat pariter Martyrum sanguis, eorumque virtus præstantissima durissimos hominum animos mollichat. Quapropter senatores nuper ad fidem conuersi extremum penè vitæ ac fortunarum discrimen pro Christi fide subibant. Verùm hoc ipsum eorum periculum Christianam roborabat Religionem. Sic enim manifestè constabat, eam senatoribus, eorumque familiis maximè probari. Vt autem id posset efficaciùs præstari, necessarium omnino erat, vt diuina virtus eos stabiliret, atque firmaret, quò

Diuinæ virtutis efficientia in senatorum

Digitized by Google

A & se Christianos publicè faterentur; & suam dignitatem, honorem, fortunas, ac vitam rigidissimo ipsius tyranni imperio libenter exponerent. Quod vbi magna senatorum pars strenuè gessit, Christianam ipsam Religionem glorioſissimè triumphare necesse erat. Quare, vt Ioannes redderetur certus de totius Senatus conuersione, deque valido senatorum robore ad suæ dignitatis ac vitæ iacturam pro Christo faciendam, ideo ei Angelus edicit, *Hi vnum consilium habent.* Quasi dicat, omnes pariter conspirabunt, vt Christianæ fidei vnitatem sequantur ac teneant. *Et virtutem, & potestatem suam Bestiæ tradent.* Id est suarum opum, facultatum, dignitatis ac vitæ potestatem facile tyranno permittent, vt hoc obsequium Christo suo Domino ac Redemptori præstent.

veterum animus, & ad Christiana sacra traducendis, & in pietate roborandis.

Hi cvm Agno pvgnabvnt] Hoc est, illi quidem priùs Agno infensi atque infesti peracre bellum ipsius famulis indicent. Agnus tamen de illis glorioſissime triumphabit. *Agnus vincet illos,* & suaui Catholicæ Religionis iugo subijciet, (de hac enim imprimis victoria Agnus ipse glóriatur.) Nam si illi potentes erant: multò adhuc potentior est Christus, cui dum fasces submittent, vere Reges erunt ac domini. *Quoniam dominus dominorum est, & Rex regum.* Qui verò eius partes sequuntur, illosmet Deus seligit, & fideles reddit: *Et qui cum illo sunt, vocati, electi, & fideles.*

Vers. 14. *Quid sit, cornua siue senatores cum Agno pugnare.*

Et dixit mihi, Aquæ, quas vidisti, vbi meretrix sedet, populi sunt, et gentes, et linguæ] Ac si clariùs diceret, noui quidem totius mundi frequentiam in vnius Romæ obsequium, vanitatem, & Idolorum superstitionem pedibus ire: nihilominus tamen.

Vers. 15.

B Decem cornva, qvæ vidisti in bestia, hi odient fornicariam] Id est odio prosequentur, atque adeò execrabuntur idololatriam, eamque de medio tollendam omnino curabunt. Eàdem phrasi ait Regius Psaltes Psal 118. 113. *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.* Quod paulò infrà exponens, *Omnem* (inquit) *viam iniquitatis odio habui.*

Vers 16. *Quo sensu dicantur decem cornua odio habitura fornicariã. Quomodo item illam desolatura & spoliatura dicãtur. Quid sit carnes fornicariæ manducare.*

Et desolatam facient illam, et nvdam] Quippe illis, eorumque familiis Christiana dogmata complexis, quidquid accessionis & incrementi Catholica Religio acceperit, in magnam idololatriæ iacturam atque perniciem cedet: quoad sola atque inops derelinquatur. Nam & homines illius cultores & diuitiæ atque opes ad Religionem Christianam congregabuntur.

Et carnes eivs mandvcabvnt] Locutio hæc internecinum odium indicat, id quod ipsa ænigmatis elegantia poscebat. Etenim morsibus fornicariam meretricem dilacerare, perinde est, quasi potiores ipsius partes morsibus ab ea diuellere, dum ad Christi fidem traducuntur ij, qui antea infidelitatis membra & partes nobiliſsimæ erant, quibus ad Christianam fidem adductis, ipsius res mitum in modum locupletabitur. Postremò: *Ipsam igni concremabunt*; Eò enim fortiſsimorum senatorum virtus ac robur euadet, vt Romam idolorum cultricem, quatenus eiusmodi est, funditus deuastent, hoc est idololatriam ita euertant, vt nihil ex ea reliquum fiat præter cinerem, id est totius mundi pœnitentiam atque erubescentiam, quòd antea idololatriæ fuerit addictus.

C

His ita explicatis, mox apparet, quàm verè ac propriè, verba illa adiiciantur, *Deus enim dedit in corda eorum, vt faciant, quod placitum est illi.* Nam diuina gratia ac virtus, quæ senatorum Romanorum corda occupauit, egregium illud atque admirabile facinus edidit, dum illis vires, animosque suggessit, vt pro ipsius obsequio atque gloria se ipsos, suaque omnia sponte in tyrannorum manus ac potestatem traderent. Donec Deus hoc pacto Romam illam ethnicam prorsus de medio tolleret, sicuti iam antea prædixerat. Id enim significatur verbis illis, *Vt dent Regnum suum Bestiæ, donec consummentur verba Dei.*

Hæc nostra de decem cornibus interpretatio necesse est illis omnibus noua atque insolita videatur, qui firmiter ad eam animi conceptionem adhæserant; vt crederent, quidquid textus de decem Regibus asseuerat, reapse, vt sonat, sub Antichristi tempora euenturum. Tunc enim arbitrantur Romam re verâ per decem Reges corporeo igne prorsus arsuram: de quo dubitat Augustinus, vt alibi ostendimus. Me quidem Apocalypseos acoluthia docet, in hoc loco esse sermonem de antiqua illa Roma ethnica, quæ Christi Ecclesiam insectabatur. Et quidem vaticinium illud de Babylonis vastitate & exustione nihilo potest aptiùs aut congruentiùs exponi, quàm re ipsâ accidit; nimirum de incendio per ignem illum excitato, quem Christus venit mittere in terram. Quàm verò sit huiusmodi vindicta Apocalypseos stylo & grauitate digna, diximus latè in prologo notatione 22. vbi ostendimus familiare valde esse Scripturæ, sub vindictæ allegoria de peccatorum conuersione loqui. Atque vt in scelerati hominis conuersione ait Paulus, veterem hominem emori, & nouum alium ac nouam creaturam condi, sic etiam in Romæ conuersione ad fidem verissimè & elegantissimè dicitur Roma vetus interiisse, & quædam alia Roma à Deo fuisse fundata, quæ & Agni est sponsa, & Ecclesiarum omnium Regina. Et quanuis verum esset, vrbem Romam prope Antichristi aduentum materiali igne fore comburendam, tunc quidem non illa conflagraret, quæ olim Christi Ecclesiam persecuta est. Illa enim Ecclesiæ oppugnatrix, quo tempore Ioannes Apocalypsin scripsit, prorsus iam interiit, absonum omnino est, cùm Ioannes eodem scribat tempore, quo Roma ethnica validissimè Christi Ecclesiam oppugnabat, illum silentio inuoluisse admirabilem tot persecutionum grauissimarum exitum, & feciſse gradum per duriſsimum hyperbatum ad eum exitum, qui sub extrema mundi tempora maneret Romam propter alia flagitia, quæ ipsa ciuitas ad Christi iam fidem conuersa fingitur tunc commissura.

Refertur atque refutatur alia de decem cornibus explicatio, quæ ad Antichristi tempora transgreditur.

D

Obseruatione insuper digna est admirabilis diuinæ prouidentiæ ratio, quæ ita rerum seriem ordinemque disponit, vt plerumque delictorum supplicia quodammodo necesse sit in peccatorum conuersionem immutari, atque desinere, quibus proinde plurima tribuat beneficia. Etenim si hoc Apocalypseos vaticinium impensè discutiamus, grauissimum Romæ ethnicæ scelus fuit immanis illa crudelitas, qua innumerabilium Martyrum cruorem effundebat. Cùm ergo Romæ ipsius pecca-

Diuina prouidentia ac misericordia ratio.

Digitized by Google

in mystico Romæ ethnicæ supplicio, siue conuersione.

peccatum debitam mox è cælo vindictam postularet, ex alia verò parte effusus Martyrum sanguis vberrimos Martyrij fructus in Ecclesiæ gloriam atque triumphum suo quasi iure deposceret, æquissima exigebat ratio, vt primùm omnium martyrio tot Dei amicorum ac familiarum suus debitus redderetur fructus. Sub hæc, nulla alia vindictæ ratio de Roma ethnicâ sumenda videbatur esse super, quàm vt ad Christi fidem traduceretur. Hoc igitur pacto idolorum superstitio atque Gentilium sæuitia mirandum in modum fuere supplicio affectæ; dum illi ipsi, qui antea idololatriæ & crudelitatis erant studiosissimi, ante sacras Martyrum reliquias venerabundi prociderunt; & ijdem de semetipsis sumpsere vindictam per superiorum scelerum detestationem, corporis macerationem, & rigidæ Euangelij perfectioni subiectionem.

Honorificè in Apocal. mentionem fieri senatorum, qui ad Christi olim fidem fuere conuersi.

Præter hæc: in hac ipsa Apocalypseos narratione de decem cornibus, deque inflicto supplicio meretrici, fit honorifica satis mentio Romanorum senatorum, qui Christianæ fidei iugum subierunt. Quorum conuersionem atque martyrium Deus assumpsit ad præstantissimum illud facinus, hoc est ad mysticam Romæ conflagrationem, atque adeò totius Romani Imperii procurandam. Quapropter vbi Romæ glorioſissima est Apocalypseos prophetia, nec familiis eorum senatorum, qui Christianam religionem amplexi, pro illa fortiter occubuerunt, quidquam illustrius aut magnificentius potuit accidere, quàm vt in sacro hoc & arcano libro notarentur, tanquam clarissimi illius facinoris duces, ex quo pendebat vniuersi orbis Romani conuersio.

Babylonis antiquæ vastitas, de qua Prophetæ fuere locuti, quo pacto sit accipienda.

Iam si animaduertamus, in hac Romæ conflagratione alludi ad vindictam, quam Deus sumpsit de Babylone antiqua, cuius nomen ethnicæ Romæ accommodatur; quamuis Prophetæ ex ipso vaticinandi modo viderentur incendium ac vastitatem Babyloni minitari; effectus tamen ipse ostendit, supplicium à Deo inflictum Chaldæis, (quibuscum illæ prophetiæ insensu proximo loquebantur) non eum fuisse, vt ciuitas illa corporeo igne, absumpta & in cineres foret redacta, sed vt Chaldæorũ Babylone regnantium Monarchia finiretur, & in eadem vrbe Persarum atque Medorum Monarchia succederet. In qua rerum vicissitudine Babylon antiqua, quatenus Chaldæorum erat metropolis, non secùs interiit, ac si flammis fuisset exusta. Etenim quòd integra vrbs in Persarum ac Medorum potestatem peruenerit, perinde fuit, quasi in eodem situ noua alia conderetur Babylon, in qua seruirent ij, qui priùs imperabant.

Quòd si quispiam dixerit, si non eo ipso tempore, at postea Babylonem tandem aliquando fuisse prorsus euersam. Id saltem non est, quod à Prophetis prædicitur. Illi enim agebant de eorum supplicio, qui Hierosolymam inuaserant ac diripuerant: postquam verò Babylonis dominatus ad alias gentes concessit, quamuis verum fuerit, illam multis posteà sæculis incendio conflagrasse, hoc certè minimè fuisset præstitum ad eos vlciscendos, qui Hierosolymam deuastarunt. Vides ergo proximum earum prophetiarum sensum, non fuisse de materiali (vt ita dicam) euersione, sed de formali, videlicet quatenus erat Chaldæorum metropolis. Ad rem. Cùm in Apocal. Spiritus sanctus manifestè Romæ ethnicæ applicet, quod aduersus antiquam Babylonem prædictum videbatur, Babylonicæ illius vastitatis exitus admonitioni atque adeò argumento nobis esse potest, hoc Romæ excidium, de quo agit Apocalypsis, non proprium ac materiale fore, sed formale ac mysticum, sicuti explicatum suprà est. Atque hic erat præcipuus sensus prophetiarum Isaiæ & Ieremiæ: quæ primo aspectu de Babylone loquuntur. sed per eius comparationem de Babylonis filia, id est Roma ethnica.

Vtrùm hic in aquis multis, super quas mulier sedet, sermo sit de aquis fluminis, an de aquis maris.

Circa illa verba, *Aquæ quas vidisti populi sunt, & gentes & linguæ*; Nota illud Num. 24. 7. *Fluet aqua de situla eius, & semen illius erit in aquas multas*. Siue vt alii legunt, *in gentes multas*. Et consule pariter, quæ diximus c. 1. 15. ad ea verba, *Vox illius tanquam vox aquarum multarum*. Ambrosius respicit hic ad aquas fluminis. Ait enim populos multos in mortem properare cum sonitu, & alios aliis succedere. Facit, quòd antiqua Babylon super fluminis aquas sedebat. Ceterùm ad populorum, gentium, ac linguarũ significationem aptissimè à mari sumitur comparatio. Eò enim omnia confluunt flumina: vnde & mare ipsum est ingens illa aquarum congregatio, quæ diuersas habent origines. Ita etiam in Romano Imperio, siue in vniuerso mundo continetur quædam innumerabilium populorum congregatio; quorum singulis diuersæ sunt origines. Et forte in aquarum allegoria ad generationem tacite respicitur.

TEXTVS.

vers. 18. Et mulier quam vidisti, est ciuitas magna, quæ habet regnum super Reges terræ.

COMMENTARIVS.

Hic versus non parum facessit negotii illis, qui aliam ab antiqua Roma expositionem sequuntur; at in nostra explicatione nihil clarius. Quare magna hinc petitur nostræ explicationis confirmatio.

NOTA.

Digitized by Google

NOTATIO II.

In qua obiter referuntur aliorum expositiones de decem cornibus.

Varia aliorum interpretationes referuntur de decem Bestiæ cornibus.

PRIMÒ; Ribera, Viegas, Aretas, & Beda verba illa, *Potestatem vna hora accipient*, explicant, id est exiguo tempore regnabunt.

Secundo: Pro decem cornibus ait Viegas communi declaratione intelligi omnia regna regibus impiis subiecta. Sed Anselmus, Ansbertus, Haymo, Richardus, Ribera, & ipse Viegas interpretantur de decem regibus, quos Antichristus inueniet. Et Ribera §. 4 notat, eos principiò Romano Imperio fore subiectos.

Tertiò: *Hi odient fornicariam.* Communis declaratio (ait Viegas) est, fouendo & adiuuando impiorum multitudinem aduersus Christum, eam facient obnoxiam cruciatibus sempiternis. Ribera & Viegas asserunt, ab iis decem regibus euersum iri Ierosolymam, vt orbem inter se partiantur; idque antequam ab Antichristo superentur: futurum enim, vt Antichristus tres ex illis occidat.

Quartò: *Post Bestiam, & cum Bestia*, ait Ribera idem esse hac ratione, *Post Bestiam*, vt eam sequantur: *cum Bestia*, vt ei pareant. Portò, *tanquam reges*, inquit Ribera, quia quamuis Reges sint futuri; paruo tamen tempore durabunt.

Quintò: *Carnes eius manducabunt.* Hyperbolicè id dictum vult Ribera, ad vehemens odium significandum, ex vsitata Scripturæ locutione Iob 19. 22. & 31. 31. & Psal. 26. 2.

Proponitur de meretricis supplicio alia expositio, præter superius traditam, quæ tamen non admodum probatur.

Sextò: in meretricis supplicio dicet aliquis, præter Romæ conuersionem, considerari etiam posse infinitam penè hominum multitudinem, qui in Romana Republica desiderati sunt satis meritò ob fidelium Martyrum supplicia: & ipsos quidem annales esse plenos Romani Imperii bellis & cladibus, quæ acciderunt eorum Imperatorum tempore, qui ante Constantinum post conscriptam Apocalypsin Romanũ gubernarunt Imperium. Victoriæ autem, tanto Romanorum sanguine effuso, sunt interdum ab ipsis Romanis partæ; vt multo luctu atque lacrymis constarent victoribus. Ciuile quidem bellum inter Septimum Seuerum & Nigrum gestum potest iure optimo inter totius orbis bella sanguinolenta, & post hominum memoriam crudelissima numerari. Iam ipsius Imperatoris asseclæ & milites illius custodiæ destinati ipsum facili negotio trucidabant: Imperiumque pro libito diuendebant. Imperatores verò ex senatoribus quamplurimos leuissima de causa necabant. Quin inter prosperos felicium rerum successus, nonnunquam horribiles adeò tempestates intercidebant, vt saepius Roma ad summum in-

A felicitatis discrimen peruenerit. Verùm enimuerò quãuis minimè dubitem, quin hi rerum euentus calamitosi pro effuso tot Martyrum cruore Romanis frequenter acciderint, hæc tamen omnia ad præcipuum Apocalypseos finem quasi leuioris momenti reputanda sunt. Nec enim de minori calamitate ac miseria Romanæ vrbis hic agitur, quàm vt antiqua illa ciuitas ethnica in puluerem redigatur.

Beda & aliorũ expositio de ciuitate magna, qua habet regnum super reges terra.

Ciuitas magna, qua habet regnũ super omnes reges terræ. Qui cum Beda magnam hanc ciuitatem de impiorum multitudine interpretantur, contemplari solent, quod frequenter accidere videmus, vt improborum hominum cœtus ac respublicæ dominatum in peculiares Reges, & in ipsos etiam Monarchas habeant Nã eo ipso, quòd mundanorum hominum frequentia vitium aliquod quantumuis infimum & abiectissimum amplectatur, videtur illud quasi communi lege ac plebiscito sanciri, cui vel Principes ipsi improbi quasi mundi subdititii se supponunt. Nec enim eis vires
B sunt ac lacerti, vt pedem aliquando figant, nec se vulgaris erroris impetu ferri patiantur. Hinc proficiscebatur, vt veteres illi Imperatores simul cum ipso populo in Christi Euangelium conspirarent; *conuenerunt in vnum* sub eodem dæmonis vexillo, id est, sub eodem Babylonici impetus errore.

Alia decẽ cornuum expositio ad ea verba, regnum nõdum acceperunt?

Non deerit fortè, qui per decem Bestiæ cornua, quæ meretricem odio sunt prosecuta, intelligat ducum Romanorum ambitionem: qui quamuis magna essent potestate, sed *regnum nondum acceperunt*: quia nondum fuerat illorum expleta cupiditas, qua Imperium affectabant. Cum autem iidem ipsi fuerint præcipui persecutionis ministri, per eosdem voluit Deus se ab infami meretrice vlcisci. Consilium autem diuinum fuit eiusmodi, vt permitteret in Imperii ducibus cupiditatem & ambitionem dominari. Deinde ambitiosis hominibus familiare est, vt ad idem omnes supremæ dignitatis fastigium adspirent. Qua in re quilibet sui cõpos desiderii conatur euadere, & ad optatum finem
C assequendum, omnes pariter summa opum vi obsequium mundi Bestiæ præstare non dubitant. Nemo enim magis est mundo eiusque legibus addictus, qũã honoris ac dignitatis ambiẽs. Huius igitur æmulationis & ambitionis permissu vlciscuntur Deũ ambitiosi ab infamis meretricis flagitiis. Namque omnes sibimetipsis sæuissima inferũt bella, atqui bellaciuilia, quid aliud sunt, quã ipsius Reip. vastitas ac ruina? Hoc ergo est Ecclesiam a meretrice ipsius hoste vindicari.

CAPVT XVIII.

Prologus de totius capitis partitione, & cohærentia.

Capitis huius 18. argumentum atque partitio, & partium inter se cohærentia.

D IN prologo capitis 17. vidimus, quemadmodum Angelus magnæ potestatis, (qui describitur initio capitis 18.) significet B. Petrum. Imprimis ergo refert textus, quòd hic magnæ potestatis Angelus dixit. Deinde narrat Ioannes se aliam è cælo vocem exaudisse, quousque verò hæc de cælo vox progrediatur, id attentè consideremus oportet. Multi interpretum statuere videntur, huiusmodi vocem vltra versum octauum non procedere; vbi dicitur, *Quia fortis est Deus, qui iudicabit illum.* At fletus & lamentationes Regum, negotiatorum atque nautarum (quæ mox subsequuntur) non ita accipiunt, quasi à cælesti illa voce sint recensita: sed quasi aliquid ad vocem ipsam consecutum. Dein post huiusmodi eiulatus sequitur Ioannis gratulatio ad Apostolos ac Prophetas versu 20. Postea quidem Angelus ingentem lapidem molarem in mare proijcit versu 21. Demum, quod extremò subiungitur de voce molæ & luce lucernæ, non satis distinguunt interpretes, an referatur tanquam dictum ab eo Angelo, qui lapidem misit in mare, vel tanquam ab ipso Ioanne additum.

Mihi tamen compertum est, in toto hoc capite 18. duo tantum contineri. Primum, quod Angelus potestatis magnæ dixit: alterum, quod vox de cælo exaudita protulit. Itaque quidquid Ioannes

Digitized by Google

à versu 4. ad finem vsque capitis refert; totum hoc à cælesti illa voce audiuit: Quamobrem, quod Ioannes refert de fletu & lamentatione Regum, negotiatorum ac nautarum, ad cælestem pertinet vocem. Quod verò addit, *Sustulit vnus Angelus fortis lapidem molarem, &c.* Ioannes non refert tanquam rem à se visam; sed veluti ex cælesti voce exauditam. Huic demum voci attribuitur, quidquid sequitur ad huius capitis decimi octaui calcem. A

Propositi argumenti redditur ratio, & confirmatio subiungitur.

Vt hanc totius capitis partitionem probem, adducor imprimis, quia cùm dixisset Ioannes, vocem sibi cælitus auditam; cumque referre cœpisset vocis illius dicta; nulla persuadet ratio, vt credamus non eandem adhuc pergere vocem, quando additur, *Et flebunt, & plangent se*, neque posteà, cùm ait, *Et sustulit vnus Angelus fortis lapidem.* Nisi enim vox eadem longiùs procederet; adiungeret Ioannes, sicuti assolet, *Post hæc audiui*, aut, *post hæc vidi.* Quod cùm minime proferat vsque ad capitis 19. initium, congruentius est, vt eò vsque prosequatur, quod ex cælesti voce audiuit. Vide suprà caput 14. num. 13. vbi ait, *Audiui vocem de cælo.* & post vocem subdidit, *Et vidi, & ecce nubem candidam.* Deinde si semel constituamus, totum hoc ex cælesti voce Ioannem auditione excepisse, multò aptiùs capitis huius partes inter se connectuntur. Negari autem non potest, quin ænigmatis interpretis liceat, quidquid in ea affirmatur, accipere (decorè tamen) qua ratione opportunius visum erit, vt omnia rectè & aptissimè inter se cohæreant.

Cùm ergo hoc caput duntaxat contineat, quod & Angelus magnæ potestatis, & cælestis vox protulerint, cumque per potestatis magnæ Angelum B. Petrus adumbretur: facilè constat, voce illa cælesti prædicationem Christianæ Ecclesiæ denotari, cælum enim sæpè in Apocalypsi Christianam Ecclesiam repræsentat, vt cap. 4. adnotauimus. Mirificè autem quadrat, vt in ea tractatione spiritalis vindictæ, qua Deus Babylonem mysticam (id est Romam) fuerat vlturus, quasi fundamentum præponatur, quid de illa Ecclesiæ expectatione atque fiduciâ Paulus & Petrus affirmarint: deinde explicetur, quod Euangelica prædicatio adiunxit iis, quæ Paulus & Petrus expressèrant. Perspicuum autem est ab Ecclesiæ prædicatione nihil nouæ doctrinæ additum iri, sed ex ijs ipsis, quæ Romanæ Ecclesiæ fundatores asseuerarunt, peculiari diuini Spiritus instinctu illatum iri, quod implicitè in ipsa Petri & Pauli institutione includebatur. Atque ita magno cum decoro præcedit nuncius de futura Romæ conuersione à Petro & Paulo affirmata: & mox exponitur, quod Christiana prædicat Ecclesia, quasi eundem celebrans nuncium felicissimum, & magis exprimens, quod eidem cecinerant Apostoli. In hac enim publica lætitia Petrus & Paulus videntur præcinere: & Christianæ Ecclesiæ chorus mirifico concentu protinus illis respondere. Et in eo quidem, quod cælestis testatur vox, nobis proponitur ob oculos, quid Ecclesia colligat ex Petri & Pauli dictis: præsertim ex eo, quod affirmat Petrus, Romam scilicet esse Babylonem, cuius ruinam vaticinia sacra prædicunt. Vnde potuit Ecclesia inferre ac pronunciare, quod in cælesti voce Ioanni auditâ figuratur: nimirum fideles hac ipsa expectatione nixos ex Roma ethnica egredi debere, per manifestam Christianæ fidei professionem, eosque alacri & erecto animo esse oportere, vt supplicium de Roma ethnica mysticum sumerent, & illi par pari referrent. Adhæc, illos firmiter in ea promissione inhæsuros fore, vt impleretur tandem, quod Isaias cap. 47. & Ieremias c. 25. & 51. sub Babylonis specie, & Ezechiel c. 27. sub Tyri specie describunt. Atque ad hanc rerum summam redigitur, quodcumque c. 18. tractatur, vt planius ex ipso commentario fiet. B C

Quàm sit B. Petro glorioſum capitis huius argumentum.

Quòd si hæc capitis summa est, facilè cerni potest, quàm sit B. Petro glorioſum, non modò quod in tribus primis huius capitis versibus, sed etiam quod in toto capitis decursu comprehenditur. Quia quanuis à versu 4. incipiat cælestis vox, quæ prædicationem Ecclesiæ designat, hæc tamen vniuersa Ecclesiæ prædicatio inducitur tanquam illata ab Ecclesia ex Petri sermone atque doctrina. Quamobrem sicut totum caput 17. honorificentissimum est Paulo (qui est primæ phialæ Angelus) sic etiam caput 18. in maximum B. Petri decus & honorem cedit, quantunuis non illi directè tribuantur plures, quàm tres huius capitis versus. Quod enim Petrus asserit, assumitur veluti fundamentum, quo nitatur cælestis vox, quę reliquam capitis partem occupet. Nec solùm id locum habet in cælesti voce, quæ in hoc capite exauditur: verùm etiam in aliis vocibus, quæ capite 19. referuntur. Namque, vt ibi patebit, illa etiam prædicatio nititur in eo, quod Angelus magnæ potestatis initio huius capitis protulit. D

TEXTVS.

Digitized by Google



Digitized by Google

A

TEXTVS.

Vers. 1. Et post hæc vidi alium angelum descendentem de cælo, habentem potestatem magnam, & terra illuminata est à gloria eius.

COMMENTARIVS.

In hoc Angelo figurari B. Petrum.

HVNC Angelum esse Petrum Apostolum, satis iam ex superioribus constat, atque ad eius excellentiam & primatum dignè expendendum, omnino nescio, quæ verba possent magis apposita proferri, quàm vt angelus magnæ potestatis & auctoritatis vocaretur, hoc enim significatur Græco nomine ἐξουσία, quo Ioannes hic vsus est. Præsertim quia ex Petri & Pauli binario Petrus est, cui hæc illustris appellatio tribuitur. Vbi manifestò liquet, non esse sermonem de communi potestate Apostolis tradita: sed de singulari illa & excellentissima Pontificatus summi auctoritate Petro collata. Et quidem in hac magnæ potestatis mentione manifestè alluditur ad id, quod Christus dixerat Petro Matth. 16. 19. *Tibi dabo claues regni cælorum*, & notandum valde est, si hic versus D. Petro applicetur, in sublimi hoc elogio inuenire intellectum, in quo omnino acquiescat; alioqui aptam illius rationem reddi non posse. Iam, quòd dicitur de cælo hic angelus descendere, perinde est, quasi de Petro, quatenus summo Pontifice & Christi vicario, instituatur sermo. Hæc enim dignitas est prorsus cælestis atque diuina. Quod autem subditur, terram ab illius gloria esse illuminatam, miram etiam continet energiam. Indicat enim eam lucem, quæ habetur in terris de vera cæli doctrina dignoscenda, Petri & eius successorũ auctoritati atque gloriæ esse annexam. Si verò referatur lumen ad terræ gloriam & honorem: vniuersa quidem tellus summoperè decoratur ex eo, quòd apud se Christi contineat Vicarium cælesti potestate præditum, & veritatis diuinæ assistentia fultum.

B

Quàm aptè Petro conueniat, illuminatã esse terram à gloria eius.

His addo; id, quod de B. Petro in præsenti dicitur, nempe terram illuminatam esse à gloria eius, aptissimè referri ad luculentam illam confessionem, *Tu es Christus filius Dei viui.* Hæc enim est illustrissima Petri gloria, iuxta illud, *Beatus es Simon Barjona*. Hæc autem Petri confessio illuminauit terram, & facem prætulit ceterorum fidelium fidei circa Christi diuinitatem. Quòd si adeò certum est, Petrum in præsenti designari per prima huius capitis verba: non video, quid aptius, grauius & elegantius pro foribus augustissimi templi, quod in honorem Petri Romæ erectum est, scribi posset; quàm huiusmodi titulus ex hoc capite desumptus, nempe, ANGELO DESCENDENTI DE CÆLO, HABENTI POTESTATEM MAGNAM, ET TERRA ILLVMINATA EST A GLORIA EIVS.

Complemẽtum huius propheriæ quã fuerit Petro gloriosum.

C

Iam verò huius prophetiæ complementum in mystica Babylonis ruina Petro ipsi glorioſissimum extitit, non solùm quia ab ipso fuit enunciata: sed multò etiam magis, quia Petri ipsius prædicationem atque martyrium assumpsit Deus tanquam instrumentum ad clarissimum illud facinus patrandum. Præterquam quòd, cùm Romæ fuerit Petrus Episcopus, nihil potuit eidem Petro glorioſius accidere, quàm ipsius Ecclesiam ab ipso fundatam aduersus Romanorum idololatriam præualere, & ipsam idolorum superstitionem Roma penitus exterminari. Ab hac verò gloria Petri illuminata est vniuersa terra. Etenim ex eo, quòd idololatria rueret Romæ, totius orbis illuminatio pendebat. Vt autem repræsentaretur felix nuncius illius rei; quæ terram vniuersam fuerat illustratura: appositum valde est, vt Angelus nuncium afferens ingenti claritate indutus appareat. Sicut etiam fortitudo, qua clamat Angelus, significare videtur, in idololatriæ ruina omnipotentiam Dei, & ipsius ministrorum virtutem mirum in modum eluceſcere.

TEXTVS.

Vers. 2. Et exclamauit in fortitudine dicens: Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ, & odibilis.

D

COMMENTARIVS.

Qua ratione Petro cõueniat huius angeli symbolum, Quid sit, Cecidit Babylon, &c.

QVANTVM congruentiæ & veritatis contineatur in eo, quòd hæc vox tribuatur Petro, satis iam ex supradictis manifestum est. Ipse enim in sua prima canonica cap. 5. 13. Romam nuncupat Babylonem; quod perinde est, atque affirmare, in vrbe Roma fuisse complendum, quod Isaias cap. 21. 9. prædixit; vbi eisdem verbis est vsus; *Cecidit, cecidit Babylon*, & quod vaticinatus est similiter Ieremias cap. 51. 8. vbi ait, *Subitò cecidit Babylon, & contrita est*. Vtriusque enim prophetiæ germanus erat sensus, Romam ethnicam quatenus talem fore ruituram, id est, ad Christi religionem cõuertendam, & fictorum deorum cultum lapsurum. Atque ad eiusmodi sensum adstruendũ haud parum confert, quod mox Isaias subiungit post verba prædicta; nempe, *Et omnia sculptilia deorũ eius contrita sunt in terram.*

Obiectio cõtra traditã expositionem

Huic tamen explicationi opponet aliquis, eam cum verbis proxime subsequentibus non recte consentire. Subdit enim Angelus potestatis magnæ, Babylonem factam esse dæmoniorum habitationem, & custodiam omnis spiritus immundi, & custodiam omnis volucris immundæ, & odibilis. Quæ verba tantum abest, vt aptè ad Romæ conuersionem referantur, vt contrarium potiùs sensum videantur præ se ferre. Nam ex alicuius vrbis conuersione minimè sequitur, illam deinceps

à dæmo-

Digitized by Google

A à dæmonibus incoli. Sed potiùs quæ antea dæmonum erat habitatio, fit postea Dei & ipsius Angelorum ac ministrorum domicilium. Ea propter nonnulli sibi persuadent, horum verborum sensum spectare ad propriam atque (vt ita dicam) materialem Romanæ vrbis vastationem. Ex qua contendunt futurum, vt dæmonum ac laruarum & coruorum & immundarum auium habitatio in posterum sit; quemamodum antiqua Babylon, postquam excisa fuit, in dæmonum & teterrimorum animalium domicilium fuit conuersa.

Responsio ad obiectionem propositam.

Huic tamen obiectioni respondeo, verba illa neutiquam referri posse ad materialem vrbis euersionem. Etenim iuxta veram ac propriam sacrarum Literarum & spiritualium virorum locutionem, dubium non est, Romam inter suos illos triumphos celeberrimos & innumerabilem diuersarum nationum frequentiam, dum adhuc in idololatriæ tenebris mersa iacebat, sine controuersia extitisse multò magis propriam dæmoniorum & immundarum volucrum habitationem, quàm post suum excidium atque ruinam foret. Si enim igne absumpta in campum conuertenda est iuxta Virgilianum illud,

Et campos vbi Troia fuit.)

Verba illa ab angelo prolata de Babylonis euersione & dæmonum inibi habitatione in sensu mystico esse accipienda.

Quis non videat, campum non esse aptiorem dæmonum habitationem, quàm vrbes idolorũ atque ipsorum dæmonum cultrices? In huiusmodi ergo locutione sermo est de vindicta mystica, quam de occidentali Babylone breui erat sumpturus Deus; & quod dicitur facta fuisse, hoc est breui facienda
B habitatio dæmoniorum, & custodia omnia volucris immundæ, &c. exponendum est eodem modò, quo illud Pauli 1. Corint. 1. 20. *Stultam fecit Deus sapientiam huius mundi*. vbi *facere* non est aliud, quàm re ipsa ostendere, & manifestare, siue efficere vt constet. Romam ergo veterem factam fuisse habitationem dæmoniorum, non est aliud, quàm per conuersionem vrbis & orbis Romani manifestũ fuisse hominibus; Romam ethnicam, quæ adeò gloriosa apparebat, & quæ immortalium deorum domicilium putabatur, non fuisse aliud, quàm dæmoniorum habitationem, & spirituum immundorum latibula; ac proinde in ea non homines rationales habitasse secundùm rationem viuentes, sed mysticas feras & mysticos bubones & inferorum volucres. Quod verò de antiqua Roma ethnica dico, de eius reliquiis, quæ per aliquot annos remansere, similiter intelligo: hoc est de iis, qui in Idolorum cultura post vrbis conuersionem remanserunt. Quia illi etiam similiter, aut maiori etiam iure à fidelibus respiciebantur, quasi vrbis alicuius antiquæ ruinæ à dæmonibus & immundis auibus inhabitatæ. Desumitur autem allegoria à domo aliqua ab hominibus derelictà, eo quòd ab horrendis lemuribus, laruis & terrificationibus eam incoli & infestari compererint: & quã nulli de cetero homines habitare audent, sed solùm vespertiliones & aues immundæ: ex quo necesse est, vt breui
C penitus corruat, nec vlla deinceps remaneat illius iterum erigendæ spes. Iam verò facile intelligitur, quàm fuerit apta hæc allegoria ad significandum horrorem de antiqua idololatria; quem concepere Romani, postquàm Christianæ fidei radio sunt illuminati: nec non ad assurgendum breui futurum, vt ex quoque reliquiæ, quæ post vrbis conuersionem superfuere ex antiqua Romanorum idololatriâ, prorsus interirent. Huic autem nostræ explicationi fauent Primasius, Ambrosius, Aretas, Aretas, Haymo, Ansbertus, & Viegas; qui verba illa, *Facta est habitatio dæmoniorum* explicant de antiqua idololatria, hoc est, de veteris idololatriæ existimatione apud ipsos Romanos, postquàm à Deo illuminati sunt; ac de sempiterna eiusdem idololatriæ ruinâ.

Duplicem Isaiæ locum (ad quos in his Angeli verbis sit allusio) esse similiter in sensu mystico intelligendos.

Hic est citra dubitationem verus huius loci sensus. Eodemque modo explicanda sunt Isaiæ verba cap. 13. 20. qui cùm prædixisset, Babylonem (hoc nomine veterem Romam indicat) fore solo adæquandam; subiungit, *Non fundabitur vsque ad generationem & generationem, nec ponet ibi tentoria Arabs neque pastores, &c. Sed requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & sirenes in delubris voluptatis.* Vbi pro *Pilosis* Septuaginta legunt *Dæmonia*; & pro *Draconibus, sonitum*; pro *Struthionibus, Sirenes*; pro *Vlulis, Onocentauros*: pro *Sirenibus, Erinaceos* vel *Ericeos*, Atque aliæ translationum varietates referuntur in notationibus Bibliorũ Sixti V. ex Basilio, Eusebio, & Hieronymo. Similis habetur locus Isaiæ 34. 11. vbi agitur de euersione terræ Edom, & ciuitatis Bosra; & subditur, *Et possidebunt illam onocrotalus & ericius, ibis & coruus habitabunt in ea.* & infrà: *Erit cubile draconum, & pascua struthionum, & occurrent dæmonia onocentauris, & pilosus clamabit*
D *alter ad alterum: ibi cubauit lamia, &c.*

Vtroque in loco præcipuus diuini Spiritus sensus est, de idololatriæ ruina in antiqua Roma ethnica; de illa enim sermo instituitur non solùm sub specie Babylonis, sed etiam sub specie Bosra, quæ Idumæorum erat Metropolis, vt alibi dixi, Verùm enim verò, cùm vox hæc Angeli habentis magnam potestatem assumatur ex prima Petri 5. 13. vbi Romam nominat Babylonem: ideo in hoc Apocalypseos loco non directe alludirur ad Isaiæ cap. 34. sed ad cap. 13. vbi de Babylone sermo est. Verissimè autem dicitur Petrus, quando Romam hoc nomine compellauit, significasse, in ea fore complendum, quod Isaias cap. 13. de Babylone prædixerat.

TEXTVS.

Vers. 3. Quia de vino iræ fornicationis eius biberunt omnes Gentes: & Reges terræ cum illa fornicati sunt, & mercatores terræ de virtute deliciarum eius diuites facti sunt.

COM-

Digitized by Google

A

COMMENTARIVS.

Triplex subditur ratio de Babylonis excidio.

TRIPLEX hic de Babylonis vastitate redditur ratio. Cùm autem loquatur adhuc magnæ potestatis Angelus, nempe B. Petrus; cumque habeatur respectus ad plurima ac penitissima sensa, quæ ipsemet petrus vnico verbo clausit, dum Romam Babylonis nomine vsurpauit: ostendamus oportet, triplicem hanc causam, siue rationem per Prophetas de Babylone loquentes, fuisse præsignificatam; quia Petrus non videtur aliter hoc dixisse, quàm appellationem Babylonis tribuendo Romæ, & ea ratione significando de Roma accipi debere ea, quæ Prophetæ de Babylone prædixerant.

Prima ratio.

Prima ergo ratio est, *Quia de vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes.* Consule à nobis dicta suprà, cap. 17. 4. Atque illud obiter aduerte, quòd ipsa loquendi ratio apud Prophetas sonat, videlicet Gentes non solùm illicl, & inebriari vino illo, quod eis Babylon propinabat; verùm etiam amaritudinis & afflictionis calice ab eadem potari. Quanuis enim Ieremias cap. 51. 7. solùm dicat, *Calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram: de vino eius biberunt omnes gentes, & ideo commotæ sunt.* (Quod posset ad ebrietatem tantùm & errorem à Deo permissum applicari,) in aliis tamen locis expresse dicitur Babylon vniuersam terram acriter diuexare. Ita Isaias capite decimo quarto numero sexto, *Cadentem populos in indignatione plaga insanabili, subijcientem in furore Gentes, persequentem crudeliter.* Et Ieremiæ quinquagesimo numero vigesimo tertio, vocatur Babylon *Malleus vniuersæ terræ.* Hoc verò referri potest ad Romanorum ethnicorum arma; quibus prouincias omnes in suam redigebant potestatem, & grauissimis tributis ac vectigalibus premebãt: sicut olim etiam fecere Chaldæi. Nec solùm opprimebantur gentes illæ atque nationes, in quas belli impetus ferebatur, sed ipsæmet etiam gentes, quarum ministerio ad bella vtebantur Romani, Babylonis calicem suo modo hauriebant. Belli cus namque ille furor quanuis primo aspectu videatur non esse pro afflictione reputandus, comparatione eorum, qui furore illo abrepti bellum inferunt; sed respectu illorum, qui Babylonis hostes erant, ac proinde bello lacessebantur: nihilominus bellum ipsum ex se molestissimum est iis etiam, à quibus infertur. Et quanuis bellicus furor illis grauis ac molestus non esset: maximæ tamen crudelitatis genus est, omnes Imperij prouincias bellici tumultus igne accendere; atque id videtur esse calicem iræ omnibus propinare, id est bellico inflammare furore. Et quidem præter quotidiana bella, quibus Romani terrarum orbem vrgebant, in persecutione aduersus Christi Ecclesiam per totum Imperium commota includebatur etiam quodãmodo bellum ipsum, quo Roma omnes infestabat nationes: ad quod bellum vehementi quodam impetu ac furore incitabantur Idololatræ omnes; nec aliud erat potare fornicariæ Babylonis iram, vt cap. 17. explicuimus. Cuius furoris Isaiam meminisse credo capite quadragesimo septimo versu nono, vbi Babylonem alloquitur hisce verbis, *Propter multitudinem maleficiorum tuorum, & propter duritiam incantatorum tuorum vehementem, &c.*

B

Quid significet, de vino iræ fornicationis Babylonicæ omnes gentes bibisse.

C

Secunda ratio vastitatis Babylonis

Altera vastitatis Babylonicæ ratio verbis illis exprimitur: *Et Reges terræ cum illa fornicati sunt.* Et quidem sub hac allegoria non inuenio id à sacris Vatibus de Babylone dictum: eam tamen rationem non obscurè Isaias perstringit; loquitur enim de Babylone, tanquam de ciuitate idolorum cultrice, & quæ propter suarum superstitionum impietatem esset deuastanda. Hoc significant verba illa capitis 21. 9. *Et omnia sculptilia deorum eius contrita sunt in terram.* Notum verò est, vt suprà etiam adnotasse me memini,, ciuitatibus idolorum cultricibus appellationem meretricum in sacris Literis tribui. In hac igitur allegoria merito dicuntur Reges terræ, qui ciuitatis Imperio dominantes idololatriam sequuntur, cum illa pariter ad spiritualem fornicationem commiscerì. Constat autem Babylonem, quatenus Romam figurabat, dici *dominam regnorum*. Sic enim Isaias loquitur cap. 47. 5, & cap. 13. 19. vbi hæc habet; *Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta superbia Chaldæorum*. Est porrò obseruatione digna indignitas ipsa, quam præfert hæc metaphora de Regibus terræ turpi concubinatu addictis infami meretrici, quæ se infimis quibusque hominibus solet prostituere. In hac enim loquendi ratione innitur eorum vilitas & abiectio, qui cùm summi alioquin ac præpotentes sint, in seligenda tamen Dei religione & cultu, nihil adhuc speciosius aut sublimius meditentur, quàm quod vulgus rude & imperitum: id quod attribuitur efficacissimo lenocinio atque pellaciæ meretricis, cui nomen Babylon.

D

Tertia damnationis Babylonicæ ratio.

Quæ appellatur hic lenitus delivirum Babylonis.

Tertia damnationis Babylonicæ ratio est, *Et mercatores terræ de virtute deliciarum eius diuites facti sunt.* In qua locutione, (quod ad phrasim attinet,) nonnulli volunt significari potentissimas Romanorũ delicias. Congruentius tamen existimo, vt virtutis nomen (sicut sæpè alibi apud Græcos) pro mercium pretio & æstimatione, sumatur. Atque hæc locutio non Græca solùm; sed Hispana etiam est, nos enim eadem omnino voce, & egregiam hominis virtutem, & mercium pretium ac valorem significamus. Nam vtrumque Hispanis denotat hoc nomen, *El valor*. Tertia hæc causa, seu ratio indicat, adeò fuisse ingentes meretricis huius, de qua sermo est, delicias; vt mercatores terræ de pretio deliciarum eius diuites facti sint. Atque imprimis id potest reuocari ad nimium Romæ ethnicæ luxum ac pompam: quæ quia tanta, tamque nimia erat, vtpote grauissimum scelus, dignam de cælo vltionem flagitabat. Ceterùm si seriò expendatur, quales fuerint Romæ deliciæ, prout idolorum cultui studebat, & quinam huiusmodi mercatores, de quibus Apocalypsis; non ineptè dixerimus, agi in hoc loco de fastu atque superbia earum rerum, quæ ad ipsam idololatriam fouendam, ac propagandam imprimis conducebant: cuiusmodi erant superba ac magnifica templa: simulacra aurea & argentea admirabili sculpturæ varietate & ornatu distincta: gemmæ & pretiosissimi lapilli,

quibus

Digitized by Google

quibus Veneris, Cupidinis, aliorumque monstrorum imagines celebrantur, pellucentes margaritæ famosis idolorum delubris atque aris consecratæ: celeberrima gladiatorum spectacula, & quod horribilius ac detestabilius est, sub ipsa persecutionum tempora, innumerabiles puerorum Christianorum & puellarum nobilium cædes, victimæ, & sacrificia: quæ pro infamis meretricis libito passim fiebant. Fauet huic sensui, quod infrà numero 23. dicitur, *Mercatores tui erant principes terræ.* Nam principes ipsi pro maximo lucro reputabant, si Romani Imperij idololatriæ velificarentur: hac enim ratione suam auctoritatem conseruare, & promouere cupiebant.

Quinam hic mercatores nuncupentur?

Adhæc mercatorum etiam nomine digni erant, qui ob sua peculiaria studia Christianos in ius vocabant: eorumque martyria solicitè procurabant. Etenim si meretricis libitum, ac voluptas significant, quod Roma prout idolorum cultrix summopere studebat; quid aliud tyrannis iucundius & optatius, quàm nobilium Christianorum sanguinem exugere, aut Christianam aliquam virginem ad suam ipsorum libidinem allicere, trahere, compellere? aut quæ aptior & oportunior occasio, vt auari sese opibus ingurgitarent, vt libidinosi suam insaturabilem cupidinem explerent? Qui sanctorum Martyrum historias attentè pervolutarit, facilè animaduertet, quàm rectè mercatorum nomen ad eos accommodetur, qui Iudæ instar, innocentium sanguinem propter diuitiarum aut libidinum compendia facienda, vænum facillimo negotio dabant. Scimus autem Iudam appellari aptè mercatorem pessimum. Quòd si roges, vbinam Prophetæ sint locuti de mercatoribus, qui de precio deliciarum Babylonis diuites fiebant? Respondeo, huc spectare id Isaiæ 47. 15. *Negotiatores tui ab adolescentia tua vnusquisque in via sua errauerunt.* Quod est per totum terrarum orbem discurrere, vt diuitias siue delicias vndique coacetuent. Facit illud eiusdem capitis numero 1. *Mollia & tenera.* Item num. 8. *Et delicata.*

Argumentum contra nostram expositionem diluitur.

Vidimus hactenus causas tres, propter quas destruenda erat Babylon. Verùm ex his rationibus aliquis argumentū depromet, vt Babylonis euersionē non ad conuersionē ipsius Romę, sed ad veram ac propriam vrbis vastitatē referendam esse probet. Nec enim dici potest, grauissima Romæ flagitia causam ipsius conuersionis extitisse. Ad hoc respondeo primò, magnitudinem ac multitudinem scelerum esse rationem optimam, vti Deus illam acerbissimo premat bello, ac proinde supplicio opprimat meritissimo. Cùm autem in conuersione peccatū perfectè destruatur, dicitur significanter satis eorundem peccatorum grauitas Deum permouisse, vt illa de medio penitus tolleret. Fuit verò summæ misericordiæ, Romanos, quatenus idololatriæ addictos, & non quatenus hominis, vera ac propria damnatione euertere. Sed in hac etiam destructione, si perquiratur causa, cur illorū peccata Deus destruere decreuerit: ea verissima ratio reddi potest, nempe quia ipsa peccata erant grauissima & in magnam orbis perniciem. 2. Respondeo, Non esse in Scriptura nouum, vt inducatur Deus ideo magnâ misericordiâ erga homines vtens, quia grauissima erant eorū scelera. Lege Osee 2. 13. *Accendebat incensum, & ornabatur inaure sua, & monili suo, & ibat post amatores suos, & mei obliuiscebatur, dicit Dominus. Propter hoc, ecce ego iactabo eam, & inducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius: & canet ibi iuxta dies ascensionis suæ de terra Aegypti, & auferam nomina Baalim de ore eius, & non recordabitur vltrà nominis eorum.*

Alluſio hoc in cap. ad cap. 14 Iſaiæ & quid inibi ſentiat Forerius.

Forerius Isaiæ 14. fine, affirmat, in toto hoc cap. 18. Apocalypseos respici ad cap. 14. Isaiæ. In quo quidem vera asserit: sed latiùs hac in re procedere debuisset, & animaduertere, in eo capite Isaiæ contineri sermonem de mystica vindicta, quam Deus erat de Roma sumpturus. Nec solùm in Isaiæ c. 14. sed etiam in c. 13. & c. 21. & 47. & Ierem. 50. & 51. ad quæ omnia capita respectus habetur in hoc cap. Apocal. 18. Nec verò ad hæc tantùm capita alluditur, in quibus sub Babylonis specie de Roma sermo habetur: verùm etiam ad caput Isaiæ 23. & ad Ezech. cap. 27. vbi de mystico item supplicio Romæ infligendo agitur, non sub Babylonis nomine, sed sub Tyri, vt suo loco planum fiet. Aliquo tamen modo à nobis stat ipse Forerius. Nam Isaiæ 23. 12. sic ait. *Non prætereundum putaui, quòd videatur Ioannes in Apocalypsi Antichristianorum ciuitatem per Tyrum intelligere, etiamsi eam non nominat, cùm ait Va, Va, ciuitas illa magna.* Hæc Forerius. Veruntamen Ioannis mens in hoc capite non ea est, vt directè de Antichristi tempore sermonem instituat: sed de tempore persecutionis ad Romanis ethnicis in Ecclesiam excitatæ: deque victoria mystica, quam Ecclesia de ipsa Roma obtinuit. Atque de hac mystica Romæ euersione loqui Prophetas de Babylonis & Tyri ruina agentes, nobis Apocalypsis edisserit.

TEXTVS.

Vers. 4. Et audiui aliam vocem de cælo, dicentem, Exite de illa populus meus, vt ne participes fitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis.

5. Quoniam peruenerunt peccata eius vsque ad cælum, & recordatus est Dominus iniquitatum eius.

COMMENTARIVS.

DIXIT in huius capitis prologo, vocem hanc è cælo exauditam Christianæ Ecclesiæ prædicationem esse in eo fundatam, quod ipsi Ecclesiæ fuit reuelatum ab Angelo magnæ potestatis, qui B. Petrum repræsentat. Ecclesia igitur per Petrum edocta, & prophetiarum notione, quam ab ipso Petro acceperat, erecta & excitata, intelligens ex iis, quidquid de Babylone à Prophetis fuerat prædictum, in Roma esse complendum, clamat, *Exite de illa populus meus*, &c. Quæ verba desumpta sunt ex quatuor aut quinque sacrarum Literarū locis: quorum verba ipsa subiiciam: quia sunt valdè consideranda. Isaias cap. 48. 2. ait, *Egredimini de Babylone, fugite a Chaldæis, in voce exultationis annunciate, auditum*

Digitized by Google

Ad quæ Scripturæ loca fiat alluſio in iis verbis, Exite de illa populus meus, *&c.*

auditum facite hoc, &c. Redemit Dominus populum ſuum, & Ieremias cap. 50.8. *Recedite de medio Babylonis, & de terra Chaldæorum egredimini, & eſtote quaſi hœdi ante gregem.* Et cap. 51.6. *Fugite de medio Babylonis, & ſaluet vnuſquiſque animam ſuam, nolite tacere ſuper iniquitatem eius; quoniam tempus vltionis eſt à Domino: vicißitudinem ipſe retribuit ei.* Et n. 45. *Egredimini de medio eius populus meus, vt ſaluet vnuſquiſque animam ſuam ab ira furoris Domini; & ne fortè molleſcat cor veſtrum, &c.* Et Zachariæ ca. 2.7. *O Sion fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis, &c. Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.*

Quis ſit cæleſtis illius admonitionis ſenſus.

Riberа exiſtimat, cùm Roma ſub Antichriſti aduentum erit euertenda, Deum ſuos electos admoniturum, vt inde exeant. Sed longè à vera explicatione aberrat; quæ vt ex ſuprà dictis conſtat, valdè diuerſa eſt; nempe Eccleſiam à D. Petro edoctam didiciſſe nomen Babylonis in Prophetis accipiendum eſſe de Roma ethnica; atque inde intuliſſe, exitum de medio Babylonis, quam verba Prophetarum ſonant, myſticum habere ſenſum. Quòd ergo Deus ſuis familiaribus edicat, *Exite de illa populus meus*, in eo ſe accomodat ad eam allegoriam, quam in Romæ ethnicæ euerſione per cæleſtem vindictam grauiſſimam figurata vſurpauit. Quamobrem ſicut Deus ſuos interdum amicos admonuit, vt ex hac vel illa vrbe egrediantur, quando illam ſtatuit euertere (vt in Sodomæ exuſtione, & in Hieroſolymæ vaſtitate per Titum illata accidit.) Sic etiam Romam, quatenus idololatricem, deuaſtaturus, ſuos præmonet fideles, vt ex Ethnicorum commercio & ſocietate euadant, non quidem corporea ſibi fuga conſulendo (hæc enim eſt prima locutionis ipſius ſpecies & quaſi cortex) ſed ſe ipſos manifeſtè prodendo, & Chriſti Religionem propalam profitendo. Hoc enim perinde eſt, quaſi Gentilium partibus derelictis, ad contrariam factionem tranſmigrare. Illos igitur Deus admonet, ne ſe amplius occultent; eſſe enim valde periculoſum, ſuam adhuc celare fidem, quando Dei inſtinctus & maior ipſius gloria publicam exigunt profeſſionem. Nam & interdùm tenemur ad noſtram fidem manifeſtè prædicandam; *Et corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeßio fit ad ſalutem.* Deinde qui ad fidem publicè profitendam conſtrictus, tergiuerſatur tamen, nec id efficere audet: næ ille haud longe abeſt, quin etiam illam intimo cordis affectu abneget. Ad hæc omnia extenduntur verba illa, *Vt ne participes ſitis delictorum eius.* Iam elegantiſſimum eſſe hunc ſenſum, & ſacra Scriptura digniſſimum, quis non videat? præſertim cum multa apud Prophetas reperiantur verba, quę ſatis innuant, eorum dirigi ſermonem ad illos, qui ſuam publicè confitentes fidem, martyrio ſuum caput obiiciebant. Quid enim eſt aliud, *Ne molleſcat cor veſtrum*, quàm eos ad ſanguinis effuſionem accendere? Quid illud Zachariæ, *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei*; niſi Martyres ipſos hortari, vt ſperent, Deum in medio tyrannorum impetu ipſis Martyribus, vtpote ſibi chariſſimis, fore conſulturum? Simile eſt de illis, *Nolite tacere*, &c. Expende iterum locos ſuprà allatos.

Quid ſit, de plagis Romæ nõ accipere. Duplex horum verborum ſenſus: & prior præfertur.

ET DE PLAGIS EIVS NON ACCIPIATIS] Duplex ſeſe offert horum verborum conſtructio. Prima eſt quaſi dicat, *Exite de illa*, ne ipſius delictorum ſitis participes, atque adeo ſuppliciorum pariter, quæ illi infligentur; & iuxta hunc ſenſum perinde eſſet legere abſque negatione, ſic, *Et de plagis eius accipiatis.* Altera conſtructio eſt eiuſmodi: *Exite de illa*, ne fortè vobis contingat participes ipſius delictorum fieri, non verò plagarum. Plagæ enim à Deo in myſticam Babylonem immiſſæ miſericordiam præ ſe maximam ferebant, earumque exitus ſecum attulit Gentilitatis conuerſionem. Fieri verò poteſt, atque adeò formidabile valde eſt, vt qui ſuam fidem publicè indicare recuſat, à Deo plagis vindictam propriam ſecum ferentibus plectatur. Ex duplici hac conſtructione prior communiter, & iure quidem optimo eligitur. Textus enim ſignificat, imminere iam tempus, quo Deus in Babylonem ſeuerè animaduertat, & eos, qui inde egredi noluerint, eodem pariter inuoluat ſupplicio.

Expeditur difficultas in noſtra expoſitione occurrens.

Verùm ex ipſo contextu non parua oritur difficultas contra noſtram de plagis myſticis interpretationem. Etenim ſi plagæ à Deo in Romam ethnicam illatæ eiuſmodi fuerint, quæ illam ad Chriſti religionem traducerent: hoc certè ſupplicij genus minimè eſt ad rem, vt intèndatur iis, qui Babylone cedere recuſent; id eſt, qui acceptam fidei religionem manifeſta profeſſione oſtendere non auſint. Reſpondeo tamen, comminationem non ita eſſe; Cauete, ne vobis accidat perinde, ac Babyloni, quæ cæleſti igne inflammanda eſt: ſed iuxta hunc ſenſum; Cauete, ne eius plagas participetis. Et quidem negari non poteſt, quin in iis plagis, quibus Deus Babylonem, id eſt Romam ethnicam puniuit, ſi iuxta noſtram accipiantur explicationem, plurimum ſupplicij & propriæ vindictæ includatur, id quod poteſt eſſe idonea propriæ comminationis materia. Quamuis enim hæ omnes plagæ in myſticam Romæ deflagrationem euaſerint; in iis tamen plagis, quę huiuſmodi conflagrationem antecеſſerunt, nonnihil in ſingulis proprię reperitur plagę, quo Deus meritas ab ethnicis obſtinatis pœnas repetebat. Sicuti videre eſt in plagæ primæ confuſione atque pudore, quo illos Euangelii prædicatio afficiebat. Item in magno ſecundæ furore & indignatione aduerſus Euangelicos concionatores concepta. In tertiæ iracundia contra ſuos ipſorum ethnicorum familiares atque cognatos. In quartæ dolore & cruciatu ex accepta veri Dei luce & cognitione. In quintæ cæcitate ab inordinatis animi cupiditatibus profecta. In ſextę redintegrato adhuc furore, quo triplex ille dæmonis, mundi, atque carnis ſermo perſecutionem inſtauraruntur. In ſeptimæ denique formidabili obſtinatione atque duritia, quæ Gentilium complures ad extremum vitæ ſpiritum corripuit.

His ergo plagis afflicta eſt Babylon. Nam exuſtio ipſa, cùm ſupponat Babylonem ad Chriſti religionem & cultum iam traductam, non ipſam viuentem adhuc, ſed peccato mortuam, & in Dei gratia rediuiuam inflammat. Itaque in ea exuſtione nihil eſt, quod proprie comminetur iis, qui non ſe publicè Chriſtianos profiteantur. At in præcedentibus plagis multa ſatis ſunt, quæ poſſint proprij ſupplicii loco impendère iis, qui relicta Babylone non ſibi maturè fuga conſuluerint.

Quòd ſi iterum obiicias, eas omnes plagas à prædicatione Euangelica fuiſſe inflictas: Id ipſum optimè deſeruit ad minas intentandas in eos, qui fidem Chriſti non propalarent eo tempore, quo debebant:

Digitized by Google

A debebant, quia Euangelica prædicatio, quæ aliis magnæ gloriæ futura est, fieri potest, vt in eorum probrum & ignominiam cedat. Et quemadmodum idololatris obduratis maximo pudori erit, fidem Christi prævalentem videre, sic etiam suo modo pudore suffundentur maximo ij, qui se Christianos esse profiteri erubuerant.

QVONIAM PERVENERVNT PECCATA EIVS VSQVE AD CÆLVM] Variant Græci codices. Quidam (vt Erasmus) legunt ἠκολούθησαν, id est, consecuta sunt: eadem fortasse phrasi, qua dictum est cap. 14. 13. *Opera illorum sequuntur illos.* de illis operibus, quæ in externas actiones prodeunt. Alij verò codices habent, ἠκολλήθησαν, id est, adhæserunt, concreuerunt, conglobata sunt. Sic legunt Biblia Regia, & meo iudicio hæc lectio videtur præferenda; eamque Vulgatus sequi videtur, quia *peruenire ad cælum*, perinde esse apparet, quasi coaceruari, & in cumulum siue aceruum adeò ingentem excrescere, vt cælum ipsum contingant. Quin, & in hac phrasi suspicor fieri allusionem ad turrim Babel, quam qui erexere, dixerunt, *Faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum.* Genesis cap. 11. 4. Et propterea, quia turris adeò sese in sublime attollebat, descendit Deus ipsos architectos & ædificatores confusurus. Non secus in præsenti significatur, statuisse Deum Romanis mysticam injicere confusionem, quòd ita essent superbi, & suorum flagitiorum turrim adeo altè erigerent. Quapropter Ecclesia suos fideles erigit atque confirmat, eosque reddit certos, fore vt grauissimam illam de Romæ ethnicæ vastitate expeditionem ad felicissimum exitum perducant. In
B Roma enim ethnica implendum fore, quod in Babelis turri præfiguratum fuerat: nimirum, Deum superbæ turris ipsius celsitudine permotum desuper aduenisse, vt eius opifices & molitores confunderet. Nec aliud significat, quod posteà sequitur; *Et recordatus est Dominus iniquitatum eius.* videlicet vt de illa sumat supplicium, mysticum tamen. Hoc enim fidelibus vel maximè in votis erat. Quare huius vindictæ mysticæ expectationem illis apponit Ecclesia, vt Babylone egrediantur, id est manifestam Christianæ fidei professionem audacter exhibeant; etiamsi opus sit vitæ periculum subire. Sic enim opus esse, vt consilium Dei de mystica Babylonis vindicta ad effectum perducatur.

Vers. 5. Quo sensu dicantur Babylonis peccata vsque ad cælum peruenisse.

TEXTVS.

Vers. 6. Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis; & duplicate duplicia secundum opera eius: in poculo, quo miscuit, miscete illi duplum.

COMMENTARIVS.

C REDDITE ILLI, SICVT ET IPSA REDDIDIT VOBIS] Hæc verba ex Ieremiæ vaticinio mutuata sunt, qui cap. 50. 15. ait, *Sicut fecit, facite ei.* Et num. 29. *Reddite ei secundum opus suum.* Et cap. 51. 49. *Et quomodo fecit Babylon, vt caderent occisi in Israel; sic de Babylone cadent occisi in vniuersa terra.* Ribera & Viegas, cum eò suæ explicationis mentem adijciant, vt de materiali Romæ euersione per infidelium exercitum præstanda, sermonem esse existiment; non parum difficultatis reperiunt in eo, quòd sanctis viris edicatur vt se de suis persecutoribus vlciscantur; cùm tamen non ipsimet supplicium sumpturi sint. Atque ita notant, Deum suis Sanctis per modum attributionis adscribere, quod ipse præstare constituit: & propterea tribui Sanctis vindictam in peccatores exercitam, quia Deo vindicante gaudent ipsi, & eius iudicium approbant. Hæc tamen explicandi ratio non arridet, nec satis esse puto, si ideo Sanctis vltio tribuatur, quòd ipsi illam suis precibus à Deo impetrent: multò enim plus energiæ præ se ferunt verba illa, *Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis.* Præterquam quòd minimè verum esse existimo, Deum Sanctorum orationibus permotum Romam fore aliquando vastaturum.

Ex variis Ieremiæ locis hæc verba esse desumpta.

Huius ergo loci atque verborum explicatio, ni fallor, eiusmodi est. Cùm Dei verbum & efficax Euangelii virtus in mundi totius conuersione longè lateque excresceret, Christi fideles spiritaliter erant re ipsa expleturi, quod tyranni barbare & immaniter exequebantur. Tyranni enim vitam Christianis auferebant, & miseras in eis edebant strages, quo tempore prævalebat persecutio; posteà autem Euangelii prædicatione superante, mysticam fideles vindictam de infidelibus
D sumpsere, iuxta illud Psal. 149. 6. *Gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, &c. Gloria hæc est omnibus Sanctis eius.* Quòd si infideles Ierosolymam antea facibus inflammabant, fideles posteà meretricem morsibus discerpserunt, & igne combusserunt; vt vidimus superiore capite. Atque hoc demum est, quod dicitur Psal. 136. fine, *Filia Babylonis misera, beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis: Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.* Quo de loco consule, quæ diximus cap. 16. notat. vltima.

Quis sit reddentis huius siue retributionis sensus.

Atque hoc ipso versu sexto confirmatur, exhortationem illam ad fideles habitam, vt Babylone discedant, mysticè accipiendam esse. Etenim ex ipsa fidelium egressione & fuga transitio fit ad vindictam de illa sumendam. Quòd licet in sensu materiali cohærere non posse videatur, in spiritali tamen sensu rectè consentit. Mysticus enim egressus fuit, Christianos suam fidem profiteri; & huiusmodi professio maximè ad Romæ conuersionem, atque adeo ad supplicium Babyloni infligendum conducebat. Quamobrem quod in hoc versu dicitur, *Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis: duplicate*, &c. non solùm cohortationem continet, sed etiam vaticinium: more scilicet prophetico, & Hebraica phrasi, quæ sæpè imperatiuis vtitur pro futuris.

ET DVPLICATE DVPLICIA SECVNDVM OPERA EIVS] Iuxta meam explicationem perinde id est, ac si diceretur, Si magnus fuit zelus & æmulatio, qua Babylon siue Roma idololatrix falso ido-

Quid sit, duplicare

Digitized by Google

duplicia secundum opera eius:

lorum cultui verificata est, & bellum peracre Euangelicis prædicatoribus indixit; duplo sit vehementior zelus, studium atq; contentio, quæ fideles ad idololatriæ expulsionem & spiritalem ethnicorum internecionem accendat. Porrò quamuis non parum exaggeretur, quòd duplo maior dicatur spiritalis æmulatio; significatio tamen dupli non opus est, vt omnino strictè sumatur. Primò, quia recepta est Scripturæ phrasis, dupli acceptionem vsurpare pro eo, quod magno excessu superat: vt notat Ioannes Fernandus, verbo *Duplex*, ex Ambrosio, Hesychio, & Theophylacto. Atque in eandem phrasim cadit, vt quod decies est tantum, appelletur duplum. Secundò, quia si res exactè ponderetur, Mathematica dupli proportio non in omnibus locum habet, metaphoricè enim, & non propriè dicitur aliqua animalis species esse duplo perfectior alia. Si autem singularis aliqua & exacta quæratur dupli ratio, illa sese mihi offert, quia Gentiles contenti erant, si fideles externo saltem cultu venerarentur idola, at fideles suum non præstant officium, si tantùm conentur, vt infideles Christianam religionem externa specie amplectantur; sed vt interno pariter atque externo cultu Christianam prosequantur fidem, id quod est duplicis instar vestis. Huiusmodi ergo expeditionem aggredi atque perficere, perinde est, quasi reddere Babyloni duplum, & *duplicare duplicia secundùm opera eius*. In his insuper verbis videtur contineri allusio ad illud Isaiæ 61.7. *Pro confusione vestra duplici, in terra sua duplicia possidebunt, latitia sempiterna erit eis.* Lege item Ieremiæ 16. 18. de duplici contritione, Et Zachariæ 9.12 *Duplicia reddam.*

A

Quem habere possit sensum hæc duplicatio.

B

In poculo, quo miscuit, miscete illi duplum] Necessarium non est; vt hæc verba diuersum habeant à superioribus sensum, sed satis est, quod dictum priùs fuerat, *Duplicate duplicia*, applicari hic ad calicis siue poculi allegoriam. Quòd si iræ calix, quem Babylon Gentilibus propinabat, indicat, illam eis indignationis ac furoris igniculos admouere, eosque inebriare aduersus Christi sectatores, *miscere illi duplum*, non aliud erit, quàm Euangelij prædicatione Romam impellere, vt indignatio contra idololatriam & eius euertendæ zelus, sint duplo maiora, quàm furor ac rabies, quibus anteà Gentiles in Ecclesiam inflammabant. Atque id est, *In poculo, quo miscuit, miscete illi duplum*. Si enim inauratus calix, quo indignationem alijs Gentibus propinabat, erat externa quædam religionis species, idem quodammodo videtur esse calix, dum religionis causa indignatio contra idololatriam propinatur.

Quid sit miscere duplum.

TEXTVS.

Vers.7. Quantùm glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum: quia in corde suo dicit: Sedeo regina, & vidua non sum, & luctum non videbo.

C

8. Ideo in vna die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames: & igne comburetur, quia fortis est Deus, qui iudicabit illam.

COMMENTARIVS.

Quis sit horum verborum sensus.

Quod Ecclesia fidelibus asserit, clarè videtur ostendere, non agi de propria & corporea Romæ vastatione per Gentiles Reges inferenda. Nec enim opus erat, Christianos homines cohortari, vt ipsi acerrimè vindicarent, quod vindicaturi non erant. Quare in mea expositione pergo de idololatriæ euersione per Gentium conuersionem facta. Perspicuum igitur est, in hoc egregio facinore, Deum sui Euangelij ministris & concionatoribus fuisse vsum quasi quibusdam militibus, quorum ministerio admirabilem illam conficeret expeditionem. Quod autem nunc eis dicitur, *Quantum glorificauit se*, &c. perinde est, quasi dicatur, ne fideles sint contenti, si infideles idololatriam derelinquant, sed etiam persuasionis vi & efficacitate eos ad suorum scelerum pœnitentiam & voluntariam castigationem inducant. Et quia verba isthæc non exhortationem solùm continent; sed prophetiam, per illam Deus consolatur Ioannem, & illi pro certo confirmat. Romam tandem aliquando traducendam ad Christi fidem, & mutata religionis vice, nimium etiam fastum, superbiam atque delicias in humilitatem ac pœnitentiam conuertendã. Et quidem in vocibus *Tantum, Quantum*, hæc videtur peculiaris concinnitas inesse, scilicet quantum Gentiles pompæ & deliciarũ addebant supra id, quod licebat, tantum posteà Christianam fidem secutos ex eo etiam quod liceret detracturos, tum ad pœnitentiam, tum ad Christi patientiam & humilitatem imitandam. His addi potest, qui adhuc in sua superstitione remanerent, tantum eos deinceps confusionis atque doloris hausturos, quantum hauserant priùs voluptatis atque triumphi, quando Christianos persequebantur.

D

Relatiua illa tantũ, quantum, quo sensu hic verum teneant.

Quia in corde suo dicit: Sedeo regina, et vidua non sum] Vox *Quia*, non connectitur (opinor) cum antecedentibus, quod ad constructionem attinet, sed cum voce *Ideo*, quæ mox sequitur. Quibus in verbis manifesta est ad Isaiam allusio de Babylone cap. 47.8. *Quæ dicis in corde tuo, Ego sum*, &c. *Non sedebo vidua, & ignorabo sterilitatem. Venient tibi duo hæc subitò in die vna, sterilitas & viduitas.* Quibus verbis significatur Romæ ethnicæ vanitas, superbia & confidentia, quæ sibi viduitatem nequaquam accidere posse putabat, id est, se Imperatore ethnico spoliari; qui illius Reipublicæ veluti vir erat & coniux. Putabat enim se nunquam sterilem fore, & filiis orbam, id est, absque numerosa ethnicorum ciuium multitudine, qui ipsius idololatriam promouerent. Quod autem additur, *Ideo in vna die*, &c. denotat, Deum illi supplicium infligere (per conuersionem scilicet ad Euã-

Expenditur Isaiæ locus quo in his Apocalypseos verbis habetur respectus.

gelium

Digitized by Google

A gelium, vt sæpe dixi) vt vel hinc manifestè perspiciat, quàm fuerit futilis & inanis sua illa pristina confidentia. Et verò, qui supplicij verba paulò accuratiùs intendat, facilè deprehendat, spiritalem debere esse eorum intellectionem. Etenim dum textus plagas omnes recenset meretrici pariter eventuras, ait, *Mors & luctus & fames.* quasi quispiam è patibulo suspenderetur, & post obtortam gulam damnaretur ad triremes. Nam si iuxta materialem sensum forent hæc verba intelligenda; quæ obsecro fames illa esset, quæ aliquem premeret eo ipso die, quo flammis exurendus esset? Accedit, quòd Isaias & Ieremias affirmant, ignem illum veluti Sodomæ fore, ex quo nullus omnino sit euasurus. Si verò spiritalem inquiramus intellectionem, mirè sibi series & sensus constant. *Mors & luctus & fames, & igne comburetur.* hoc est, vt idololatriæ & peccato moriatur: deinde pristina deploret peccata: posteà esuriat, & sitiat iustitiam: postremò diuini amoris igne inflammescat. Quia verò tanta hæc tamque admirabilis rerum mutatio proprium erat diuinæ dexteræ ac roboris opus, propterea sequitur, *Quia fortis est, qui iudicabit illam.* quasi dicat, Deum esse potentissimum. vt tantam rerum conuersionem possit repentè præstare, & efficere, vt supplicium prædictum illo ipso ordine mirabili executioni mandetur

Ex ipso ordine plagarum, quas Apocalypsis recenset, colligi non obscurè eas esse mysticè accipiendas.

TEXTVS.

B *Vers.*9. Et flebunt, & plangent se super illam reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, & in deliciis vixerunt, cùm viderit fumum incendij eius.

10. Longè stantes propter timorem tormentorum eius: dicentes, Væ, væ, ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis: quoniã vna hora venit iudicium tuum.

11. Et negotiatores terræ flebunt, & lugebunt super illam, quoniam merces eorum nemo emet ampliùs.

12. Merces auri & argenti, & lapidis pretiosi, & margaritæ, & byssi, & purpuræ, & serici, & cocci, & omne lignum thyinum, & omnia vasa eboris, & omnia vasa de lapide pretioso, & æramento, & ferro & marmore.

13. Et cinnamomum, & odoramentorum, & vnguenti, & thuris, & vini, & olei, & similæ, & tritici, & iumentorũ, & ouium, & equorum, & rhedarum, & mancipiorum, & animarum hominum.

14. Et poma desiderij animæ tuæ discesserunt à te, & omnia pinguia, & præclara perierunt à te, & amplius illa iam non inuenient.

C 15. Mercatores horum, qui diuites facti sunt, & ab ea longè stabunt propter timorem tormentorum eius flentes, ac lugentes.

16. Et dicentes: Væ, væ ciuitas illa magna, quæ amicta erat byssо & purpura, & cocco, & deaurata erat auro, & lapide pretioso, & margaritis.

17. Quoniam vna hora destitutæ sunt tantæ diuitiæ, & omnis gubernator, & omnis, qui in lacum nauigat, & nautæ, & qui in mari operantur, longè steterũt.

18. Et clamauerunt videntes locum incendij eius, dicentes: Quæ similis ciuitati huic magnæ?

19. Et miserunt puluerem super capita sua, & clamauerunt flentes, & lugentes, dicentes: Væ, Væ ciuitas illa magna, in qua diuites facti sunt omnes, qui habebant naues in mari de pretiis eius, quoniam vna hora desolata est.

COMMENTARIVS.

D PRIMÒ, certum mihi est (vt in huius capitis prologo dixi) pergere adhuc cælestem vocem. Nam Ioannes spectatorem & auditorem hic agit, & manifestò progreditur in eo, quod audisse se ex cælesti voce referebat; quandoquidem nullo dato transgressionis ad aliam rem indicio, continuat eandem narrandi seriem, *Et flebunt, & plangent se,* &c. Vidimus autem suprà per cælestem hanc vocem repræsentari prædicationem Ecclesiæ, postquàm edocta est à Petro, Romam ethnicam in sacris Literis esse Babylonem. Verùm ex hoc ipso cooritur difficultas. Quippe hic de Babylone luctus & eiulatus vsurpatur ex ijs, quæ Ezechiel de Tyri excidio describit cap.27. à n.29. vsque ad 36. vbi ingentem nautarum inducit numerum: qui cinere conspersi, decaluati, & ciliciis accincti proferunt carmen lugubre: formidinem etiam depingit ac tremorem eorum Regum, qui vicinas incolebant insulas, nec non negotiatorum voces & querimonias. Si ergo hæc Ecclesiæ vox in eo fundatur, quòd Petrus eam admonuit de Roma ethnica per Babylonem in sacris figurata: quid habet commune Babylon cum Tyro? aut vbinam Petrus docuit, Romam ethnicam esse vrbem Tyrum: cuius vastitatem Isaias cap.23. & Ezechiel cap.26. & 27. describunt?

Cælestem adhuc vocẽ à Ioanne auditam hisce in versiculis continuari.

Difficultas in nostra expositione

Respondeo, qui semel accuratè obseruauerit, quod Scriptura aduersus Babylonem pronunciat, non sistere in ea vrbe quæ Chaldææ erat metropolis; sed sub eius comparatione agere de superba illa ciuitate, quæ idololatriæ princeps & acerrima propugnatrix erat futura, & eandem ob rem Christum, eiusque fidem oppugnatura; qui hoc (inquam) diligenter animaduerterit; facilè concedet, Tyri vastationem esse figuram mysticæ alterius vastitatis, in quàm potissimùm mentis oculos

Soluitur difficultatis nodus.

Digitized by Google

Ezechiel intendat. Quod vbi consideretur, facili negotio cernitur, lamentationes illas nullam aliam ad rem aptiùs transferri, quàm ad illud ipsum, quod per Babylonis ruinam figurabatur. Atque hoc ipsum nos Apocalypsis docet, videlicet, Petrum, cùm Romam ethnicam Babylonis nomine compellauit, lucem attulisse non iis solùm Prophetarum capitibus, quæ Babylonicæ vastitatis meminerunt, sed illis etiam, in quibus de eiusmodi vastitatibus sermo est. Nam in iis omnibus Spiritus sanctus præcipuè respiciebat mysticum supplicium de Roma sumendum. Quamobrem significanter satis Ecclesia ad Babylonis applicat ruinam, quod de Tyri excidio scriptum reperitur. Quasi hoc pacto Ecclesia nobis innuat, mysticam Babylonem eandem cum mystica Tyro esse, quemadmodum mystica Sodoma est etiam eadem cum Ægypto mystica, vt affirmat Apocalypsis capite vndecimo numero octauo. vnde mystica etiam ciuitas Bosra Moabitarum metropolis erat pariter eadem cum mystica Babylone, atque adeò, quòd Isaias affirmat de Bosra cap. 34. 10. idem ipsum applicat quoque Apocalypsis ad Babylonem c. 19. 3

Quæ de Tyri excidio à Prophetis enuntiantur, esse etiã de mystica Romæ ruina intelligenda.

Nec primus ipse ita sentio. Alii enim id priùs adnotauerunt interpretes, inter quos Forerius Isaiæ cap. 23. 12. docet, Tyrum, cuius euersionem Isaias describit, iuxta Apocalypseos explicationem esse Antichristianorum ciuitatem. Hæc ille. Rectiùs tamen dixisset, si Tyrum esse Romam ethnicam diceret. Nam & de Romanis Gentilibus dixit Ioannes, sua iam ætate Antichristos esse plures. Præterea, Arias Montanus Isaiæ cap. 34. 10. apertè nobiscum sentit, fatetur enim in eo Isaiæ capite, per Idumæam Romanum Imperium, per Bosra Romam significari: & incendium illud, quod vaticinatur Isaias esse ignem Euangelii. Et quamuis grauissimorum interpretum antiquorum auctoritatem pro mea sententia possem afferre, illud tamen hic mihi ostendisse sit satis, meæ interpretationi non antiquos solùm expositores, sed ex recentioribus eos, qui literalis sensus explicationi valde studere censentur, adstipulari.

Beda sent. probatur, qui hasce omnes lamentationes mysticè esse intelligendas docet.

Secundò certum etiam reputo, quod Beda & ferè omnes interpretes ex hoc ipso contextu probare nituntur: nimirum huiusmodi lamentationes mysticè esse intelligendas, nec fieri posse, vt in ijs de propria & materiali Romæ vastatione sit sermo. Illud tamen à Beda & eius sectatoribus differo, nam illi pro Babylone non Romam aut peculiarem aliquam vrbem, sed vniuersam reproborum multitudinem intelligunt. Ego tamen Babylonis nomine antiquam Romam ethnicam in Apocalypsi designari arbitror: eiusque ruinam interpretor in sensu formali de Roma quatenus ethnicâ: ad eum modum, quo Paulus de peccatoris conuersione verba faciens, ait, veterem hominem destrui atque emori. Porrò quanuis Ribera & Viegas contendant soluere argumenta, quibus Beda materialem huius vastationis sensum refutat: illud saltem præstare non possunt, vt Apocalypseos acoluthiæ faciant satis. Nam post Romæ conflagrationem sequuntur mille Ecclesiasticæ pacis anni. Et nonnulla quidem Bedæ argumenta, licèt non peruincant Babylonis nomen ad reproborum vniuersitatem esse propagandum, illud saltem obtinent, hanc lamentationem visionem non posse, ita vt sonat, accipi. Constat hoc manifestè ex eo, quod affirmat textus ipse, fumum scilicet ex Babyloniço incendio sublatum à terræ Regibus peruideri. Quod si quispiam cum Ribera credat, in textu sermonem esse de ipsismet Regibus, qui Romam sunt euersuri, profectò, quod mox additur, *Longè stantes propter timorem tormentorum eius*, verisimile neutiquam est de illis accipi, vt sonat. Etenim credibile non est, illos tantopere formidare eius incendij quod ipsimet excitauerunt, propinquitatem, vt procul inde abscedant. Deinde cap. 19. 3. additur *Fumus eius ascendet in sæcula sæculorum.* At corporeus fumus in sæculorum sæcula permanere quî potest? Præterea Ribera & Viegas inter se non consentiunt. Ille enim ait, eosdemmet Reges, à quibus est Roma comburenda, in eius incendio præ animi sensu & commiseratione lacrymas profusuros, sicut olim fecit Titus in Hierosolymæ ruina. Quinimò sibi persuadet, non alios esse posse Reges, qui vrbis excidium lamententur. Nullus enim alius insuper præter decem illos Reges, in toto orbe futurus. Viegas verò affirmat, alios præterea multos in orbe fore, nec decem illos ploraturos, qui Romam vastaturi sunt, sed alios, qui similem sibi timeant, destructionem; ac demum illos ipsos, qui lacrymis & lamentis indulgebunt, prædam ac pabulum hisce decem Regibus futuros, ita vt nulli alij, præter decem ipsos Reges, in toto orbe sint super. Enim verò vt aliàs iam vidimus, de hisce decem Regibus dubitat Augustinus. Et certè multò aptiùs atque feliciùs Apocalypsis exponitur de mystica antiquæ vrbis ruina, ipsius senatoribus ad veram Christi Religionem commigrantibus. Ac proinde, qui Babylonis ruinam & exustionem deflent nullo modo credendi sunt esse ijdem, qui faces ac malleolos ad vrbis incendium comparabunt.

Confirmatur præcedens expositio de mystico harum lamentationum sensu: & opposita pariter opinio confutatur.

Quopacto sint, accipienda regũ, mercatorũ & nautarũ lamentationes.

Tertio, huiusmodi lamentationes Regum, mercatorum atque nautarum, qui dicuntur Babylonem deploraturi, nullo modo accipiendæ sunt, vt sonant, sed vt perelegans quædam fictio, quæ valde ornet clarissimum hoc de mystica Babylonis ruina vaticinium. Sunt enim hæ næniæ ex Ezechielis cap. 27. desumptę. Ad proximum autem illius Prophetiæ sensum (quæ Tyri euersionem continet) nemo affirmabit, opinor, necessarias esse illas omnes cæremonias, cuiusmodi sunt conspergi cinere, decaluari, & ciliciis accingi ad Tyri miseriam lamentandam. Lachrymæ etiam, planctus & querimoniæ eodem pacto sunt intelligenda. Quare in ea visione Ezechielis, potissimum figenda est mentis acies in præcipua significatione, quæ eiusmodi est, Tyrum nempe omnino fore euertendam, tantamque eius calamitatem & miseriam fore, vt satis esset materiæ ad eius infelicitatem deplorandam, qua ratione describit Propheta. Si ergo ad sensum proximum non opus est næniasita accipi, vt verba ipsa præseferunt; quantò minùs ad præcipuum sensum? imò verò quanuis in hoc Apocalypseos loco Spiritus sanctus ageret de corporea & materiali Romæ vastione; huiusmodi lamentationes non aliter erant explicandæ, atque næniæ illæ Ezechielis, quoad proximum attinet sensum:

hoc

A hoc est, in Tyri ruinam. Cùm autem compertum sit, Babylonis ruinam, quæ hic defletur, esse mysticè vsurpandam; manifestum item est, ænigmaticum pariter esse debere sensum næniarum, quibus hæc exornatur Prophetia.

His ita præmissis, aduerte, tria hominum genera dolere maximè ac lamentari propter Babylonis ruinam, illi autem sunt, Reges terræ βασιλῆς, & mercatores ἔμποροι, & turba nautarum ὁ πᾶς ἐπὶ τοῦ πλοίου, atque hi omnes longè stant propter timorem tormentorum eius. Cùm ergo huiusmodi næniæ, vt iam diximus, ænigmaticæ sint: Reges, mercatores & nautæ, qui miseram Babylonis vicem ac ruinam dolent, & lacrymis atque lamentis prosequuntur, ij sunt qui propter Romæ conuersionem magnoperè doluerunt. Namque vt cæci ac dementes, illam ipsam conuersionem ad fidem & humilitatem Euangelij, pro vrbis ipsius casu & vastitate reputabant. Nota est hanc in rem Symmachi Epistola, qua dolet ac lamentatur, & B. Ambrosij ad eandem responsio. Atque ad Regum, mercatorum & nautarum distinctionem illud imprimis obseruare iuuabit; vnumquemque suo proprio affectu ac sensu duci in earum rerum, quas amat. aut odit, æstimatione. Quapropter superbis publica humilitatis professio: auaris contemptio diuitiarum, libidinosis vitæ puritas & integritas acerbissima erat. Iam, cùm *omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis sit, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*: ad tria hæc capita reuocatur odium ac detestatio, quæ in Gentilium animis

B aduersus Christianam Religionem adhuc residebat,

Superbia igitur in superbis terræ regibus: auaritia in mercatoribus lucro inhiantibus: luxuria in vilibus atque abiectis hominibus (cuiusmodi turba nautica esse solet) apprimè figurantur Nam terreni reges sunt summi; mercatores medij; nautæ verò infimi. Vt autem significetur, quamuis idolorum cultus fuerit Roma depulsus, non omnes mox ad Christiana sacra transisse: sed aliquos adhuc Romæ conuersionem doluisse, idque tum superbos, tum auaros, tum etiam libidinosos: ad hoc inquam congruenter inducitur Romæ incendium, quasi maximo dolore afficiens huius sæculi filios; ac proinde ostenditur ex omni hominum genere, nempe ex summis, mediis & infimis non defuisse, qui intimo tacti dolore Romam lamentis & eiulatibus prosequerentur. Depingitur autem in regibus superbia, auaritia in negotiatoribus, in infima plebe turpitudo: vt innuatur præcipuum cuiusque hominum generis impedimentum, quominùs Christi fidem amplectantur. Etenim nobiles viros ac primarios impedire ac retardare solet superbia; ex media plebe susceptos, cupiditas & auaritia; infimos & abiectos homines, effrænata libido atque luxuria: factâ videlicet vitij cuiusque accommodatione ad illud hominum genus, in quo frequenter imperitare solet, iuxta marinæ Bestiæ picturam, de qua suprà cap. 13. & in Ethnicis quidem Regibus superbia notatur

C verbis illis, *In deliciis vixerunt.* Namque Græca vox στρηνιάσαντες non significat modò delicias; sed etiam pompam, superbiam ac ferocitatem. Græci enim verbi vis ac proprietas significat, superbire, ac ferocire. Quemadmodum ferox aliquis & indomitus equus excussis frænis tumultuatur, atque superbit, & suopte fertur ingenio. In mercatoribus verò auaritiam textus exprimit, ait enim eos lachrymis & ploratibus se dedisse: *quoniam merces eorũ nemo emet amplius.* Quòd si in sordibus & squalore rectè figuratur obscænæ libidinis fœditas ac turpitudo: nullum hominum genus magis sordidum & squalidum, quàm nauticum vulgus. Quinimò ὄχλος, videtur significare infimam remigum turbam: cùm olim nulla ferè nauis absque remis fuerit. Et quidem congruens satis fuit, maritimis hominibus sub hac pictura suum locum tribui propter peculiarem allusionem ad illum Ezechielis locum, in quo depingens næniias & lamentationes ob Tyri ruinam, tria hæc hominum genera inducit, videlicet Reges, mercatores & nautas.

In regibus, mercatoribus & nautis Romam lamentantibus quinã figurentur.

Superbia, auaritia, ac luxuria quomodo tribus hominum generibus superadditis per ordinem applicentur.

Quomodo in Regibus denotetur superbia.

Quomodo in mercatoribus auaritia.

Quomodo in nautis luxuria.

LONGE STANTES PROPTER TIMOREM TORMENTORVM EIVS.] Hoc affirmatur primò de Regibus n. 10. Deinde de mercatoribus n. 15. *Longe stabunt propter timorem tormentorum eius flentes, ac lugentes.* Posteà de nautis n. 17. *Longe fleterunt.* Nec triplex hæc in triplici hominum ratione repetitio mysterio vacare putanda est. Illud mihi in præsenti occurrit, ob Christianæ religionis ac vitæ rigidæ formidinem & horrorem procul ab Ecclesiæ communione & ab ipsa animi salute recedebant, qui fluxarum rerum amore irretiti, & pomparum, cupiditatum ac libidinum studio illaqueati fidem ample-

D cti non audebant. Item vox *Tormentorum*, mirificè exprimit, quàm acerbum mundanis hominibus, quamque graue ac minimè ferendum videatur condonare iniurias, inimicum diligere, rem familiarem contemnere, pellicem arcere, ac voluntariâ, animi detestatione & castigatione corporis anteactæ vitæ scelera delere. Quod autem verentur ad ignem, quo Roma exardebat, accedere: perinde est, quasi ab Spiritus sancti igne fugere, qui Romam puram ac defæcatam reliquit, veteri illa ethnica prorsus sepulta. Quamobrem qui formidabant, ne in semetipsis vetus homo interiret, næ illi ignẽ eiusmodi horrebant, & procul aspectabant, nec non Romæ deflebant, conuersionem, quòd cum veteri Roma ipsorum pariter fastus, cupiditas & luxuriarum occasio interirent.

Vers. 10.

Quo sensu dicantur tria illa hominum genera longè à Roma incendio fiare

Secundùm ea quæ diximus reciprocum illud *se*, quod in latina lectione videtur redundare, dum dicitur *Plangent se*, non quidem superuacuum est, sed valde expediens ad ipsam significationis vim. Verum sane est significationem verbi Græci κόπτω, videri idem esse, ac *vexabuntur, fatigabuntur*, aut *pectus manu percutient*. Ex quo prima facie apparet, in Vulgata reciprocum *se* redundare. Fortè tamen id à Vulgato expressum fuit, vt significaretur, qui in iis Romæ næniis præficarum vices agunt, eos se ipsos potiùs lamentari. Nec enim tam alienam miseriam, quàm propriarum rerum iacturam deplorabant: quamuis eiusmodi dolorem specioso commiserationis velo obducerent. Concinit quod infrà dicemus ad ea verba, *Poma desiderij tui discesserunt à se.*

ET NEGOTIATORES TERRÆ] Rectè in mercatorum fletu inseritur nimius deliciarum, pompæ & expensarum excessus, qui Romæ erat, antequàm Christi iugo flecteret ceruicem. Hac enim

Vers. 11

Digitized by Google

In negotiatorũ fletu congruẽter inferi nimium delitiarum & ſũptuum exceſſum.

ratione adumbratur tum nimius rerum luxus & affluentia, quæ antea in Roma veteri redundabat, tum etiam mediocritas & parſimonia, quæ in poſterum futura credebatur. Et verò illa verba, *Merces eorum nemo emet amplius*, non aſſeruntur à cæleſti voce, ſed referuntur quaſi à mercatoribus prolata, qui ideo ſe dedunt lamentis, quia arbitrantur neminem fore deinceps, qui eorũ merces velit comparare. Qua in re imprimis formido ipſa detrimentum exaggerat. Deinde etiam non deſuit mercatoribus ratio, quapropter, Roma ad Chriſti Euangelium migrante, ſe perditum iri putarent. Nam, variante religione, neceſſe erat, multa etiam, quæ vix aliis vſibus, præterquam idololatriæ ſeruiebant, à veteri æſtimatione cadere, atque contemni. Quam rerum viciſſitudinem atque fortunam ea omnia ſubitura erant, quæ in idolorum templa, in nefandos ritus, in Gentilicam ſuperſtitionem impendebantur: quæ omnia Chriſtiani homines neceſſariò deteſtaturi erant. Lege Tertullianum de idololatria, vbi etiam Chriſtianis aurum, gemmas & margaritas, quibus aliquod Gentilicæ ſuperſtitionis & cultus appareat veſtigium, interdicit. Quod autem de gemmis dicitur, ad tapetes etiam & pretioſa periſtromata, item ad aurea & argentea vaſa poteſt extendi. Iam in tabulis ac ſignis opere picturato, ſiue cælato fabrefactis, quid aliud, niſi commentitij dij deæque viſebantur?

Cur mercatores hic flere dicantur.

Præterea cum primorum Chriſtianorum ſtrenuo feruore non ſtabat, vti Chriſtianos alios pro mancipiis haberent (id quod hac tempeſtate nec Romæ, nec in Gallia fas eſt,) quid igitur mirum, ſi inſtitor aliquis conflictetur, & animo frangatur, cui tria aut quatuor mancipiorum millia erant? Vt autem faciamus gradum ad byſſum, purpuram, odoramenta, equos, rhedas, armenta, vinarias cellas, olearias, frumentarias, atque alia huiuſmodi, mercatorum timor & formido, quòd hæc omnia citò iacturæ naufragium factura erant, argumento eſt modeſtiæ & parſimoniæ primorum Chriſtianorum, quorum tempore ex mundi contemptu, quem initio ſecum attulit Chriſtiana Religio maximum, non ſolùm ſublatum eſt, quidquid ſuperſtitioni erat admiſtum, verùm etiam ob ardentiſſimum perfectionis & ſanctimoniæ deſiderium à ſe prorſus repulerunt, quod faſtum, iactantiam aut ſæcularem apparatum redolebat. Vbi autem nullus eſt ſuperuacuus ſumptus, ſed omnia ad mediocritatis normam exiguntur: ibi certè parũ compendij facient mercatores, quia *natura paucis contenta*. Et Chriſtianæ vitæ ſanctæ ac perfectæ ratio, (ad quam ſe primitiui illi Chriſtiani pro virili parte conformabant) longiſſimè ab hiſce pompis, & magnifico luxu abhorret. Id quod in ſacris Baptiſmi cæremoniis videre eſt, in quibus dæmonis pompæ toties renunciantur.

Chriſtiana vita, primis præſertim temporibus, ſanctitas ac perfectio.

Quæ cùm ita ſint, cùm mercatores cernerent rerum omnium temporalium contemptionem, quæ in primigeniis Chriſtianis enitebat, cùm audirent illam rerum perfectã deſpicientiam à Chriſtiana Religione depoſci mirum non eſt ſemetipſos, vbi Romam ad Chriſti fidem conuerti viderunt, pro perditis & omnino derelictis reputare. Si ipſi conſpicerent in aureis illis Chriſtianæ Religionis ſæculis profanum luxum & immoderantiam ſiue intemperantiam, quæ poſteà irrepſerunt in vrbes aliquot ex iis, quæ Chriſtianam fidem retinent, & in ea gloriantur. non erat vtique, quòd adeò ſibi plangendum eſſe putarent. Verùm à voce cæleſti non aſſeritur illud, *Nemo emet amplius*, ſed aſſeritur quid à mercatoribus lucri auſdis, & rem exaggerantibus cenſendum eſſet, conſpecta aureorum illorum ſæculorum modeſtia, & audita Euangelicæ perfectionis doctrina. Chriſtianos autem poſteà adeò degeneraturos ab iis moribus, quos fidei Chriſtianæ profeſſio poſtulat, id uerò non erat ſuſpicabile, ab iis præſertim, qui tótius mercaturæ ruinam in Romæ conuerſione plangebant. Nam dubium non eſt, quin in primo illo conuerſæ Romæ ſæculo verè aureo multùm interciderit hominum negotiantium commercium, in quo eleganter nituntur lamentationes & næniæ, quas cæleſtis vox deſcribit ſub mercatorum perſona, qui Babylonis ſiue myſticæ Tyri excidium fuerant deploraturi.

Vers. 14. *Quæ appellentur poma deſiderij animæ.*

ET POMA DESIDERII ANIMÆ TVÆ DISCESSERVNT A TE, ET OMNIA PINGVIA ET PRÆCLARA PERIERVNT A TE, ET AMPLIVS ILLA NON INVENIENT] Pro voce *Poma*, in Græco habetur, ἡ ὀπώρα, ſingulari numero, quæ vt ait Aretas ſignificat in communi conſuetudine opportunitatem & occaſionem. Quod tamen Aretæ dictum interpretatur Ribera de vulgari conſuetudine, non de peritorum auctorum vſu. Verùm Græcarum literarum docti aiunt, apud probatos auctores, ὀπώραν ſignificare ſolere id, quod Aretas affirmat, nempe occaſionem & oportunitatem, quanuis interdũ etiam autumnum, & autumnales fructus ſignificet. Et forſitan opportunitatis acceptio per metaphoram deſumitur, quæ in primaria autumni ſignificatione nitatur. Nam ſicut, poſtquàm præteriit autumnus, nulla reliqua eſt fructuum colligendorum ſpes, ſic etiam vbi elapſa eſt occaſio, ſe homo deceptum atque fruſtratum animaduertit, iuxta illud, *Fronte capillatâ, poſthæc occaſio calua.* Forſan etiam hæc eadem fundatur metaphora in tempeſtiuis & decoctis autumni fructibus, cuiuſmodi ſunt vuæ, ficus, pyra, nuces, & aliæ id genus. Nam & maturior ætas, quæ inuentam ſeu pubertatem excipit à Pindaro appellatur, ὀπώρα, Athenæus item lib. 12. ait, ὀπώραν eſſe, τὸ τῆς ὥρας ὡς ὄνθος πρόσωπον, id eſt omnino idẽ quod temporis faciem, ſeu vultũ, quæ tamẽ eſt veluti occaſionis periphraſis. Euſtathius nomen, ὀπώρα deriuat ἐκ τοῦ ὀπός, atqui ὀπὸς, idem eſt, quod ſuccus ſiue ſubſtantia. Atque etiam etymologia congruit ſignificandæ opportunitati aptæ ad ſuccum ſiue vtilitatem comparandam.

Nihilominus Ribera (fortè vt Vulgati partes tueatur) contendit, ſignificationem pomi in præſenti eſſe magis ad rem. Ego tamen è contrario arbitror, non eſſe nimis difficile Vulgatam lectionem ita interpretari, vt eôdem recidat ſenſus. Et mihi quidem omnino videtur hic opportunius, ad occaſionem percipiendi fructus reſpicere, alioquin explicatio de pomis non ſatis apparet idonea.

Connexio huius verſus cum præcedenti.

Pro huius explicatione obſeruandum eſt, nonnihil difficultatis ineſſe in huius verſus connexione cum præcedenti. Nam licet in huiuſmodi lamentationibus cæleſtis vox referat, quæ dicturi erant Reges, mercatores & nautæ videntes Babylonis incendium, quæ tamen Reges erant prolaturi ab

iis

Digitized by Google

A ſis verbis exordiuntur; *Væ, væ ciuitas illa magna*, vt videre eſt numero 10. Similiter tam mercatorum quàm nautarum querimoniæ ab iiſdem verbis initium faciunt, vt patet de mercatoribus num. 16. dicentibus *Væ, væ ciuitas illa magna*. De nautis verò numer. 19. Conſiderato ergo contextu, falsò exiſtimari videtur in hoc verſu, *poma deſiderij animæ tuæ diſceſſerunt à te*, mercatores loquentes induci. Etenim licèt verum ſit, in verſibus antecedentibus de illis fuiſſe ſermonem, nondum tamen ad eorum verba peruentum eſt. Et decori ratio exigit, vt ipſorum lamentatio ducat exordium ab illis ipſis verbis, *Væ, væ ciuitas illa magna*. Et certe, quando ipſi loquantur, textus diſtinguit atque exprimit, cùm ait, *longè ſtabunt lugentes, & dicentes væ, væ, &c.* In verſibus igitur ſuperioribus cæleſtis vox de mercatoribus loquebatur; verùm nondum ipſorum verba referebat. Quare congruentiùs multò eſt, vt ea verba, *Poma deſiderij animæ tuæ diſceſſerunt à te*, non accipiantur tanquam mercatorum verba ad Babylonem prolata, ſed vt verba cæleſtis vocis per apoſtrophen ad mercatorum ſingulos facta. *Verba illa, Poma deſiderij, &c. perinde eſſe conſideranda, quaſi à cæleſti voce ad mercatorum ſingulos dicta.*

Hæc explicandi ratio vel ex eo probatur, quia hic inducitur ciuitas in eorum conſpectu exardeſcens. Atqui in tantæ calamitatis figuram non rectè cadit, vt de illo, quem flammis exuri deploramus, dicamus pariter non eum ampliùs eſurum poma, quorũ antea nimis appetens erat. Huiuſmodi profectò cogitatio harum lamentationum decoro erat valde indigna. Adde huc, quòd in verbis proximè antecedentibus expreſſa fuerat negotiatorum locupletiſſimorum deploratio. *Quoniam merces eorum nemo emet amplius.* Et qui gemmas & margaritas vendunt, valde ſunt diuerſi ab ijs, qui vendũt poma. Quinimò quantumuis aurea poma eſſent, ſi tamen eorum lamentationem expendamus, non ideo videtur fuiſſe, quia ipſorum poma vni Babyloni finita iam ſunt, ſed quia illa diuidendi occaſio amiſſa eſt, atque adeò ſuperantibus pomis emptores erant defuturi.

Optabit iam fortaſſis lector, vt locus hic poſſit commodè exponi, non de pomis, quæ Babylon edebat, ſed de fructibus, quos negotiatores Babylone extrahebant, ſi enim ipſorum lamentationis ratio erat, *Quoniã merces eorum nemo emet amplius*, conſectariũ erat, vt deflerent illius fructus iacturã & amiſsã opportunitatem ſiue occaſionem, qua poſſent in opulenta illa vrbe diteſcere. Cùm ergo dicitur. *Et poma deſiderij animæ tuæ diſceſſerunt à te*, non loquuntur, opinor, mercatores cum Babylone, (necdum enim ad expreſſa eorum verba peruentum eſt,) ſed vox ipſa cæleſtis per apoſtrophen ad mercatorũ ſingulos conuertit ſermonem. Quæ loquendi ratio elegantiæ plena eſt. Cùm enim dictum antea fuiſſet, negotiatores lachrymis & lamentis Babylonem perſecutos, *Quoniam merces eorum nemo emet amplius*, vt hoc *amplius* explicetur, vtque perſpiciatur, eos non tam Babylonis calamitate, quàm ſuâ ipſorum iacturâ & diſpendio percelli, aptiſſimè ad eorum ſingulos ſe vox cæleſtis conuertit, aſſerens, *Poma deſiderij animæ tuæ diſceſſerunt à te*, id eſt, fructus ille, quem tuorum concupiſcentia oculorũ præoptabat, exaruit prorſus, & occaſio è manibus elapſa eſt. *Et omnia pinguia, & præclara petierunt à te*: iam tua illa opima lucra, & ditiſſima compendia fecere naufragium: nec reliquum deinceps erit quidquam, vnde expetitum illum ſuccum, quo impinguari, & locupletari te poſſe putabas, poſthac valeas exugere. *Et ampliùs illa non inuenient*, (mercatores ſcilicet) Babylone non inuenient. Ad ſenſũ huiuſmodi adſtruendum illud obſeruo, vel mihi potiùs aſſumo, videlicet in Græca locutione occaſionem ipſam appellari pomum, vt ſuprà iam diximus. Deinde voci *deſiderium* in Græco reſponder ea ipſa vox, quæ reddi ſolet *concupiſcentia*, cùm de concupiſcentia oculorum, ſiue de diuitiarum cupiditate ſermo eſt. Ipſis igitur mercatoribus edicitur, ſuæ iam concupiſcentiæ occaſionem & opportunitatem omnino periiſſe, nec eam deinceps ſe fore inuenturos. Pro qua explicatione nota inſignẽ lucri opportunitatem Italica phraſi aptè appellari, *Vn bel bocon grosso*; hoc eſt præclaram & pinguem buccam, ſiue pinguem ac nitidam. Sic autem coniungi ſolent a Græcis illa duo epitheta, λιπαρὸν καὶ λαμπρὸν, quæ Horatius latinè cõiungit, cũ ſe appellauit *Epicuri de grege porcum pinguem, & nitidum*. Ea ergo phraſi, illis qui pingueſcere optabant, aptiſſime dicitur per irriſionem, deinceps pinguia & nitida ab eis non eſſe inuenienda: quod eſt dicere, illos ſui cauſa flere, ipſiſque defuturum id, quod adhuc plurimi æſtimabant. Romę autem ex conuerſione ad Chriſti fidem, nihil accidiſſe dignum commiſeratione, ſed potiùs admiratione & inuidiâ. *Vtrùm illa, Poma deſiderij animæ, poſſint commodè explicari de fructibus, quos mercatores Babylon. extrahebant?* *Quidnam cæleſtis hæc vox mercatoribus obiiciat, quod ad ipſorum ſtudia attinet.*

B

C

Mercatores horvm] Ex dictis infertur nõ eſſe ſermonem de iis, qui vendunt poma, margaritas & gemmas. Hæc enim eſſet inepta coniunctio, ſed de iis, qui huiuſmodi lucris inhiabãt, qui nimirum animum omnino intenderent ad gemmarum, margaritarum, purpuræ & ſerici venditionẽ propter ingentem vtilitatem, quæ inde ad eos redundabat. Pro mercatoribus Græcè eſt, ἔμποροι, qui ſunt negotiatores, & ij præſertim, qui mare traijciunt, vt merces exportent, vel permutent. Hi ergo mercatores (de quibus textus loquitur) cõſiderantur eſſe, qui margaritas, pretioſos lapillos, ceteraſque merces aduehebant, & aurea poma atque opportunam occaſionem, ad ſe locupletandos exquirebant. Atque hæc de mercatoribus ſit ſatis dixiſſe. Minutiora circa merces ſingulas conſultò prætermitto, quia facile eſt inuenire apud alios, qui de his eruditè tractant. Et quanuis ſuſpicer non defuturos, qui in ſingularum mercium appellationibus myſticum ſenſum latêre exiſtiment: mihi ſufficit, mercatorum nomen, & nomina etiam mercium ſingularum, quæ hic exprimuntur, perinde vt ſonant, accipere. Quanuis enim ſuprà nomen mercatorum paulò aliter fuerit vſurpatum, hanc tamen varietatem ænigmatis elegãtia capit. Nec verò plurimum diuerſitatis eſt, quia ſemper in mercatoris nomine ad cupiditatem diuitiarum attenditur. Vers. 15. *De quibus mercatoribus hic ſermo ſit.*

D

Qvoniam vna hora destitvtæ svnt tantæ divitiæ] Græcè, ἠρημώθη ὁ πλοῦτος, eodẽ verbo, quo infrà num. 19. de ciuitate dicitur, *deſolata eſt*. Quare nonnulli volunt, *deſtitui* perinde hic eſſe, quaſi in nihilum redigi ſiue deſtrui, vt Primaſius, & Arethas exponunt. Magis tamen placet noſtri Riberæ expoſitio, qui deſtitutas diuitias exponit, *poſſeſſoribus orbatas*. Porrò quanquã Græcè idem verbũ hic exprimitur, quo dicta priùs fuerat ciuitas deſolata: at in ciuitate aliqua facilè intelligitur, illam Vers. 17. *Quo ſenſu dicatur* deſtitutæ diuitiæ.

Digitized by Google

illam destitui ac derelinqui, esse idem atque destrui. Verùm desertas facere diuitias, non videtur idē esse, atque illas euertere, sed deserere, contemnere, ac derelinquere. Consultò ergo mercatores inducuntur lamentantes, quòd merces pretiosæ atque diuitiæ Babylone quondam plurimi habitæ (id est in Roma ethnica) posteà tamen per subitam Religionis mutationem desertæ ac derelictæ remanserint. Vnde vrbē desolari idem est, atque illam extrere. In diuitiis autem, desertas eas facere, nō est comburere aut euertere; sed despicere, & pro nihilo ducere. Cuius discriminis ratio ea est, quòd qui eas antea, dum in idolorum superstitione iacebant, æstimabant plurimi, posteà ad fidem conuersi parui duxerunt, ac penitus deseruerunt, & propterea plangunt se auari mercatores, quòd deinceps non sint inuenturi, qui eorum pretiosas merces emant. Atque hæc de prædictis fletibus & lamentationibus dixisse satis sit. Quæ enim de nautis adduntur, ex superiùs annotatis facilem habent applicationem. A

TEXTVS.

*Vers.*20. Exulta super eam cælum, & sancti Apostoli, & Prophetæ, quoniam iudicauit Dominus iudicium vestrum de illa.

COMMENTARIVS. B

Confirmatur ex hoc versu, ermonem hic esse de mystica Vrbis cæde.

CÆLESTIS vox, quæ in Romæ conuersione nobis hactenus proposuit ante oculos fletus ac lamenta eorū, qui ex Romæ idololatria rem suam & auctoritatem promouebant, eadem ipsa mox appositissimè gratulatur de victoria fidelibus omnibus, præsertim Apostolis & Euangelij prædicatoribus (hi enim sunt qui in præsenti appellantur Prophetę.) Et sanè si de propria vindicta à Deo in ciuitatem aliquam, siue in mundum exercenda instituereturr sermo, minimè consentaneum erat, vt Apostolis & Apostolicis viris lætitia & exultatio induceretur. Tametsi enim iusti viri voluptatem capere rectè possent ex supplicio, quo Deus suos hostes vlciscitur: verum locutio illa, *Exulta cælū*, &c. dum de Apostolis & viris sanctimonia insignibus agitur, multò meliùs & significantiùs impenditur in peccatorū conuersionem, iuxta illud Christi Domini Lucæ 15.7. *Gaudiū erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente.* Quòd si de vnius peccatoris conuersione & pœnitentia tantopere cælum exultat, quantò magis exultare credendum est, super conuersione illius vrbis, ex qua totius orbis conuersio pendebat?

QVIA IVDICAVIT DOMINVS IVDICIVM VESTRVM DE ILLA] Id est, quia vos ipsos de illa vltus est. In quo innuitur, Romam Ethnicam, cui nomen Babylonis tribuitur,) bellum gessisse aduersus cælum, ac præcipuè aduersus Apostolos & Euangelij ministros. Romæ autem conuersio erat præcipua vindicta, quæ fidelium mentem ac desiderium magis expleret. Hanc esse contextus seriem reor. Quare Prophetarum nomine non hìc accipio antiquos Prophetas, nec enim Roma illos infectata est. Sed hoc nomen congruenter Euangelij ministris & concionatoribus adscribitur, præsertim in Apocalypsi, vbi dicitur *Testimonium Iesu est spiritus Prophetiæ.* Si autem contendat aliquis, verbis illis, *Iudicauit Dominus iudicium vestrum de illa*, significari, sumpsisse Deum mysticam de Babylone vindictā, quam Petrus & Paulus ac veteres etiam Prophetæ prædixerant, non admodum recusabo. C

TEXTVS.

*Vers.*21. Et sustulit vnus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, & misit in mare dicens: Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, & vltrà iam non inuenietur.

COMMENTARIVS. D

Hæc item verba per sit consecrarium sint, quæ à cælesti voce prolata.

EX iis, quæ capitis huius prologo diximus, constat, hæc non ita à Ioanne recensèri, quasi à se visa sed quasi per cælestem vocem prolata. Cùm autem vox illa è cælo exaudita significet (vti iam diximus) Christianæ Ecclesiæ prædicationem, quæ in B. Petri institutione nitens ad Romæ conuersionem applicabat, quod de illa in sacris Literis sub euersionis allegoria scriptum erat, aptissimè nunc post gratulationem Apostolis & Euangelicis ministris factam, subiungitur, mysticam hanc vltionem fore æternam, propterea quòd Romana ciuitas nunquam esset ad idololatriæ vomitum reuersura. Ad cuius rei significationem pereleganter dicitur fortis Angelus ingentem lapidem molarem arripuisse, eumque in mare proiecisse, vbi lapis fuit submersus, nec aliquod illius superfuit vestigium, nec minima formido aut suspicio, fore vt ampliùs inde emergat: deinde verò addidisse, *Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, & vltrà iam non inuenietur.*

Vnde hic Apocalypseos locus petitus. Innuit Angelum fortis formam gessisse.

Hæc autem sacra fictio haud dubiè desumpta est ex Ieremiæ cap. 51.63. vbi loquens de Babylonis subuersione hæc habet: *Cumq; compleueris legere librum istum, ligabis ad eum lapidem, & proijcies illum in medium Euphratem, & dices, Sic submergetur Babylon, & non consurget à facie afflictionis, quam ego adduco super eam, & non dissoluetur.* Hunc ad locū respexit Ioannes. Verùm ad expressiorem significationem addidit lapidi adiunctū, molaris magni, & fluuio Euphrati, nomen maris, sicut alibi etiā in Scriptura. Constat ergo, qui hìc fortis Angelus nūcupatur, esse Ieremiā, id quod in sequenti versu magis confirmabitur. Epitheton autem *Fortis*, (præterquā quòd optimè quadrat Ieremiæ, de quo c. 1.18. dicitur, *Ego dedi te in ciuitatem munitā, & in columnā ferream, & in murū æreum*, &c. *Et bellabunt aduersum te & non præualebunt*, idoneum

Digitized by Google

A idoneum etiam satis fuit ad rei ipsius significationem. Denotatur enim in hoc loco, egregium valdè diuinæ virtutis facinus effulsisse in mystica vindicta, quam de Roma Deus erat sumpturus, & in perpetua idololatriæ expulsione. Quòd autem proiectio magni lapidis in mare sit aptissima figura ad mysticam hanc vindictam adumbrandam, quæ idololatriam prorsus exterminauit, facile ostenditur ex illis Michææ verbis cap. 7. 19. *Proiiciet in profundum maris omnia peccata vestra.*

Iuxta Scripturæ phrasin, elegãter dici nostra peccata in profundum maris à Deo proiici.

TEXTVS.

Vers. 22. Et vox citharœdorum, & musicorum, & tibiâ canentium & tubâ non audietur in te amplius, & omnis artifex omnis artis non inuenietur in te amplius, & vox molæ non audietur in te amplius.

23. Et lux lucernæ non lucebit in te amplius, & vox sponsi, & sponsæ non audietur adhuc in te, quia mercatores tui erant principes terræ, quia in veneficiis tuis errauerunt omnes Gentes.

B

COMMENTARIVS.

EX ipso contextu liquet, duos hosce versus cum sequente referri veluti verba prolata ab Angelo ipso forti, qui lapidem molarem in mare deiecit. Quo stabilitur amplius, per Angelum fortem figurari Ieremiam, vt suprà dicebamus. Quidquid enim in his versibus recensetur de musico concentu, de artificum strepitu, de pistrini stridore, de nuptiarum tumultu nunquam in Babylone deinceps exaudiendis, deque lucernæ luce in ea non amplius accendendâ, omnia isthæc desumpta sunt ex Ieremiæ c. 25. 10. vbi hæc habet inter alia: *Perdamq; ex eis vocem gaudij, & vocem lætitiæ, vocem sponsi, & vocem sponsæ, vocem molæ, & lumen lucernæ. Et erit vniuersa terra hæc in solitudinem, & in stuporem.*

Hunc etiam locum ex Ieremia prophetia esse desumptum.

At enim (inquies) non videntur ad rem hæc Ieremiæ verba, vt ad mysticum Romæ excidium applicentur. Nam Ieremias in eo capite verba facit de Ierosolyma & de Iudæa. Respondeo. Cùm Ieremiæ testimonium sit allatum ad molaris lapidis comparationem, congruenter ipsemet Angelus, quæ dixit, *Hoc impetu mittetur Babylon*, inducitur de eâdem etiam mysticâ Babylone confirmans, quod olim de Iudæa & Ierosolyma ipse enunciauerat. Etenim si ibi continetur descriptio Ierosolymitani & Iudaici excidij per Nabuchodonosorem faciendi; si familiaris item est Ieremiæ locutio, vt eiusmodi descriptione ingentem ruinam significet, aptissimè intelligitur Ieremias, quod de Iudæa prædixit, de mystica etiam Babylone pronunciare cuius ruinam ipse describit. Illud igitur in hoc Apocalypseos loco innuitur, ad mysticam Babylonis vastationem significanter satis & eleganter transferri, quod Ieremias de Ierosolymæ excidio affirmauerat.

Diluitur obiectio contra nostram expositionẽ

C

Reliquum est, vt consideremus, cur Ieremias coniungat in hoc loco vocem gaudij, vocem sponsi & sponsæ, vocem molæ & lumen lucernæ? Cur insuper in præsenti vox cælestis ex Ieremiæ persona subiungat, *Omnis artifex omnis artis non inuenietur in te amplius?* Respondetur, Romæ conuersionem à Ieremia depingi, veluti Babylonis (quæ est Roma ethnica) vastationem. atqui ad vrbis alicuius ruinam & euersionem exprimendam vti solet solet Ieremias hac loquendi ratione, vt videre est in loco superiùs adducto ex illius c. 25. 10. Quòd si liber Regum quartus fuit à Ieremia conscriptus, in eo quidem cap. 24. 14. & 16. dicitur Nabuchodonosor transtulisse *in Babylonem omnem artificem, & inclusorem.* Atque ita in Ierosolymæ excidio, ad quod alluditur, habemus ex Ieremia, nullum in ea artificis murmur, nullum musicæ concentum, nullam nuptiarum vocem, nullum lucernæ lumen, nullum molæ strepitum remansisse.

Cur Ieremias prædicto in loco vocem gaudij, vocem sponsi & sponsæ, vocem molæ & lumen lucernæ coniunxerit

Facili autem negotio quiuis animaduertet, hæc omnia conducere ad significandam ingentem alicuius loci vastitatem & solitudinem; vbi plurima quondam frequentia & concursus fiebat. In

D quacumque enim vrbe frequens est hominum cœtus, videre est fastis diebus artificum & operarum strepitu omnia personare, nefastis verò musica, harmonia atque lætitiæ, singulis item noctibus lucernæ accenduntur: quæ indicio sunt homines inibi habitare. Nocte etiam fieri solebant nuptiæ; vt ex aliquot Scripturæ locis colligitur. Itaque quicumque locus hominum celebritate colitur, nunquam in eo deest aliquid, quod strepitum edat, & oculis atque auribus commorantium ibi hominũ frequentiam repræsentet. Quamobrem, vt denotaretur, ex tanto illo Romæ ethnicæ concursu, celebritate & frequentia, nullum ferè rerum ethnicarum vestigium deinceps reliquum fore, concinnè introducitur Ieremias asseuerans, nullum ex tot rebus & officinis murmur auribus excipiendum esse: Et forsan hæc locutio prouerbij speciem habebat ex ipso Ieremiæ loco.

Verumtamen in eo, quod quater in textu reputatur, *non audietur in te, non lucebit in te*, &c admonemur, opinor, magnam illam mysticæ Babylonis euersionem à Ieremia prædictam, non in sensu (quod aiunt) materiali, sed in formali esse accipiendam. Etenim si de propria & materiali excisione sermo esset, cùm dictum iam fuisset, Babylonem non secus ac Sodomam, flammis exustum iri, nihil opus erat posteà repetere, *Lux lucernæ non lucebit in te, vox molæ non audietur in te*, &c. Cæterùm cùm post Romę conuersionẽ musici adhuc concentus, nuptiæ, lux & hominũ frequentia non essent defutura ideo Romæ ethnicæ quater iteratur, *non in te, non in te.* Quod est dicere, Romanis quidem non defore harmoniam, lætitiam & voluptatem, Romæ verò ethnicæ defore omnino, tunc enim non is ethnicam & idololatricem, sed Christianam & Catholicam fore. Non igitur eis deerit honesta liberalium artium & mechanicarum exercitatio, id tamen non Romæ ethnicæ accidet, sed Catholicæ, quasi ex illa

Quid lateat mysterij in eo quate, iteratâ negatione, Non audietur in te, Non lucebit in te, &c.

Digitized by Google

illa ad hanc sint artifices & inclusores translati, sicut olim ex Ierosolyma translati sunt Babylonem. Rursus non aberit naturalis philosophiæ lucerna; non tamen in Roma veteri, sed nouâ. Demum nuptiæ & connubia aderunt, quibus Romanorum series propagetur; non tamen id vetus Roma, sed noua experietur, quam Deus loco veteris ædificabit, atque ita dinceps ea omnia abhorrebunt à ritibus & cæremonijs ethnicis. & iis erunt signis insignita, quæ satis denotent, obiisse iam veterem hominem, viuere autem nouam creaturam.

Vers. 23. Triplex Babylonici excidii ratio in sacro textu traditur. Prima ratio.

QVIA MERCATORES TVI ERANT PRINCIPES TERRÆ] Triplicem sacer textus rationem reddit vastitatis Romæ ethnicæ; Prima est, *Quia mercatores tui erant principes terræ.* quasi dicat; Quia decreuit præpotens Deus immanem illam exterminare tyrannidem, qua mercatores per idololatriæ cultum compendia facientes, erant ipsimet principes ac magistratus: qui idcirco Christianos persequebantur, vt hac ratione rem suam & auctoritatem augerent, & suis morem gererent cupiditatibus. Vide suprà dicta n. 3. ad ea verba, *Mercatores terræ de virtute deliciarum eius diuites facti sunt.*

Secunda.

Altera causa, quam textus designat, est; *Quia in veneficiis tuis errauerunt omnes Gentes*, id est, quia Roma suis præstigiis ac veneficiis totum orbem in idololatriæ amentiam pellexerat; quare totius mundi remedium ex Romæ ethnicæ ruina pendebat. His duabus causis adiungitur in versu sequenti tertia.

TEXTVS.

Vers. 24. Et in ea sanguis Prophetarum & sanctorum inuentus est, & omnium, qui interfecti sunt in terra.

COMMENTARIVS.

Tertia.

QVEMADMODVM in superioribus versibus loquebatur Ieremias: ita etiam huius versus verba eidem adscribuntur, per allusionem ad id, quod Ieremias de Ierosolyma scribit cap. 2. 34. *In alis tuis inuentus est sanguis animarũ pauperum & innocentum.* Quo innuitur, quod Ieremias de Ierosolymorũ vrbe descripsit, plenius in Roma ethnica fuisse completum, atque adeò, vt Ieremias illam Ierosolymitani excidij causam affert, ita etiam eandem de mystica Romæ ethnicæ ruinâ causam adducere videri. Etenim, cùm Ieremias præsignificauerit mysticum Romæ veteris interitum, (illius inquam, quæ Christianos affligebat, & contrucidabat) eo ipso supponebat, Romam ipsam esse, quæ Christianorum sanguinem profundebat. In ipsa verò locutionis figura videtur inuolui allusio ad homicidam aliquem, qui indiciis euidentibus de cæde conuincitur; propterea quòd eius gladius sanguine imbutus repertus sit. Sensus ergo est; Romam ethnicam fuisse manifestè conuictam de nece, quam Prophetis, virisque sanctissimis intulit. Prophetarum autem nomine Euangelicos prædicatores intelligo, vt suprà notaui. Si verò quisquam contendat, de ipsis antiquis Prophetis Ierosolymæ occisis verba fieri, forsan dici potest propter delicti similitudinem scelus illud Romæ fuisse deprehensum.

Cur Martyrum omnium in terra occisorum sanguis vni Romæ ethnicæ adscribatur

Additur mox, non solùm Romam in diuino iudicio fuisse conuictam tanquam præcipuam Martyrum in ea occisorum actricem; sed Martyrum etiam omnium, quotquot per totum terrarũ orbem necabantur: quia vniuersæ huiusmodi cædes Romæ ipsius imperio, auctoritate, exemplo, aut saltem libi to fiebant. Quamobrem verè satis dicitur Roma esse infecta cruore Martyrũ omnium, qui pro Christo occubuerant. Nam illi ipsi, quos perfida Ierosolyma de medio sustulit, vt Iacobus & alii, omnes Romanorum auctoritate perempti sunt, iuxta illud Ioan. 18 31. *Nobis non licet interficere quenquã.* Tantus igitur, tamque copiosus Martyrum cruor, quo Roma ethnica redundabat, grauissimam pariter ac nobilissimã poscebat vltionem, in qua Martyres ipsi cernerent fructum vberrimum, quem effusus illorum sanguis, & orbem vniuersum irrigans produxerat.

Hac denique expositione fit satis argumento Bedæ, qui ex versiculi huius verbis probare contendebat, per Babylonem in Apocalypsi non Romam, sed impiorum omnium Rempublicam adumbrari, cui etiam argumento ante nos optimè Ribera responderat.

CAPVT XIX.

Prologus de huius capitis argumento.

Argumentũ capitis vndeviges imi.

CAPITA 17. & 18. cum decimi sexti parte, continent Prophetiã de Romæ ad Christi fidem conuersione sub vltionis de Babylone sumendę figura. Constat autem Romæ cõuersioni successisse copiosam mox in omnibus prouinciis messem, donec totum demũ Imperium ad Christianæ Religionis portũ se reciperet. Hic igitur Christianæ Religionis processus, qui Romæ conuersionem subsecutus erat, est ipsissimũ capitis huius argumentũ. Quare sicut Romæ conuersio depicta fuit sub magnæ vindictæ specie: sic etiã conuersio ipsius Imperij per allegoriã non absimilẽ describitur. Verùm exordiũ sumitur ex quadruplici Alleluia: quibus significatur lætitia atque voluptas, quã vniuersa Ecclesia ex Gentium subiugatione, id est ad Christi fidem conuersione, percepit. Deinde sequitur gaudium & exultatio

Digitized by Google

A exultatio de nuptiis Agni, (quæ symbolicè repræsentant cumulatam lætitiæ celebritatem ob publicã Christianæ Religionis professionem in Roma, quæ præcipua est Christi sponsa) & singulatim de nuptiarum cœna agitur. His adnectitur Ioannis affectus, qui adorandi studio sese ad Angeli pedes prouoluit. Posteà proponitur cælestis prædicatorum Euangelij exercitus, qui ad percutiendas mystico gladio Gentes post Babylonis exustionem erat proditurus. Porrò cæli aues ad magnificas epulas inuitantur: qua allegoria innuitur gaudium ac voluptas, quam Angeli ex innumerabilium Gentium conuersione & salute accepturi erant. Denique subiicitur magnæ huius conuersionis figura, quæ est victoria insignis à cælesti exercitu reportata, necnon cædes in aduersariorum exercitu facta. Hęc est totius capitis summa. Et sanè defessus iam referendo, atque impugnando eorum opiniones; qui, quidquid vindictam sonat, pro vindicta propria accipiunt, & ferè omnia ad famosi Antichristi tempora reuocari volunt; satis mihi esse arbitror ea retulisse, quæ in superioribus capitibus adduxi, vt probarem vindictam huiusmodi à Christo desumptam in sensu mystico esse intelligendam, & pro Gentium conuersione vsurpandam: idque esse sacrarum Literarum stilo familiare, & sacri huius ænigmatis excellentiâ satis dignum. Quapropter nihil est, cur nouas nunc congeram rationes; sed satis superque erit, si totius acoluthiæ filum, & apta partium singularum applicatio expendantur: & insignes ad multa sacræ Scripturæ capita allusiones, quibus Spiritus sanctus hoc, præ ceteris
B omnibus Apocalypseos capitibus, ornauit.

TEXTVS.

Quæ est prima capitis huius pars, de quadruplici Alleluia quod Ioannes audiuit.

Vers. 1. Post hæc audiui quasi vocem turbarum multarum in cælo dicentium: Alleluia: salus, & gloria, & virtus Deo nostro est.

2. Quia vera & iusta iudicia sunt eius, qui iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua: & vindicauit sanguinem seruorum suorum de manibus eius.

3. Et iterum dixerunt, Alleluia, & fumus eius ascendit in sæcula sæculorum.

C 4. Et ceciderunt seniores viginti quatuor, & quatuor animalia, & adorauerunt Deum sedentem super thronum dicentes: Amen, Alleluia.

5. Et vox de throno exiuit dicens: Laudem dicite Deo nostro omnes serui eius, & qui timetis eum, pusilli & magni.

6. Et audiui quasi vocem turbæ magnæ, & sicut vocem aquarum multarum, & sicut vocem tonitruorum magnorum dicentium, Alleluia; quoniam regnauit Dominus Deus noster omnipotens.

NOTATIO I.

De legitima lectione.

Variæ lectiones circa sex versiculos, præcedentes.

PRIMO Ambrosius, Beda, & Haymo n. 1. pro *turbarum*, corruptè legunt *tubarum*. & n. 6. *tuba*, pro *turba*. De legitima lectione iam constat ex Græcis codicibus, ex Louanienſium notatione, & nouissimè ex editione Vaticana, quanuis Græcè vtrobique legatur *turba* in singulari numero, quod tamen non immutat sensum.

Secundò, non deest, qui contendat, numero 1. non D esse legendum *salus*, sed *laus*, fortè, quia nomen salus non ita aptè illius explicationi quadrat. Ita Ribera, qui addit insuper non esse inscribendum verbum *est*, vbi legimus, *Deo nostro est*. Sed eius loco subaudiendũ verbum *sit*, ita vt in optatiuo dicatur, *Laus, & gloria, & virtus sit Deo*, id est, laudetur Deus ab omnibus, ille potens sit, & omnes ei pareant. Nihilominus, si mihi daretur optio, eligerem planè correctæ Vulgatæ lectionem, *Salus, & gloria, & virtus Deo nostro est* quantò magis cùm optio non detur, sed ad eam sequendam teneamur. Et quidem ex commentario & notationibus clarè elicitur veram lectionem esse eam quã editio Vaticana cõfirmat. Legitimus namque sensus est eiusmodi, *Salus, & gloria, & virtus Deo nostro est*, id est, Dei est salus, gloria, & virtus. Atque hic quidem debet esse sensus, quanuis legatur *sit*. Nec enim ita est sensus intelligendus, vt Deo gloriam, & virtutem optemus: sed potius vt illi salutem, gloriam & virtutem tribuenda esse agnoscamus. Porrò quamquam nonnulli Græci codices legunt ἡ σωτηρία, καὶ ἡ δόξα, καὶ ἡ τιμὴ, καὶ ἡ δύναμις· id est salus, & gloria, & honor, & virtus: alij tamen Græci item codices latino exemplo respondent. Et hanc esse veram lectionem constabit ex allusione, de quà infra dicemus notatione secunda.

COMMENTARIVS.

Quorsum hic quadruplex apponatur Alleluia.

IN quadruplici Alleluia notandum primò est, vocem hanc non significare solùm id, quod est *laudare Deum*, sed etiam, eum laudare extollendo cum lætitia vocem, vt in rebus lætis fieri solet: atque ità continet acclamationem cum exhortatione, vt bene hìc Ribera & Viegas adnotarunt.

Deinde duo prima Alleluia dicuntur in textu fuisse, *Vox turbarum multarũ in cælo dicentium, Alleluia.* Ex quo dubitatiuncula suboritur, vtrùm scilicet hæc vox sit accipienda tanquam ab eisdem prolata, qui

Digitized by Google

Vox turbarum multarum à quonam consideretur esse prolata?

qui in cap. 18. loquebantur. Etenim vt ibi vidimus, vox illa de cælo (cuius Ioannes meminit ca. 18. 4. cum ait, *Et audiui aliam vocem de cælo dicentem: Exite de illa populus meus,*) perducitur ad finem vsque c. 18. & repræsentat Ecclesiæ vocem. Nam Christianæ Ecclesiæ in terris militanti nomen cæli in Apocalypsi tribui, vidimus alias. Vnde & hæc vox, cuius nunc meminit Ioannes, ipsius item Ecclesiæ vox videtur esse propria, quandoquidem similiter est vox de cælo. Si ergo ipsamet Ecclesia pergit adhuc loquens; quorsum ait Ioannes, *Post hæc audiui, quasi vocem in cælo dicentem Alleluia?* Respondeo, vtramq; quidem vocem eiusdem esse Ecclesiæ; verùm vt significaretur fidelium numerum post conflagrationem Babylonis mirum in modum excreuisse, ideo cælestem vocem, quam Ioannes audiuit proferentem Alleluia, fuisse *quasi vocem turbarum multarum*, quasi clariùs diceret, priorem quidem vocem capitis 18. non fuisse vocem adeò magnarum turbarum. Atque vt hanc exprimeret distinctionem, addit modò, *Post hæc audiui quasi vocem turbarum multarum in cælo.* A

In quadruplicis Alleluia distinctione quid sit obseruandum.

Præterea in distinctione quatuor Alleluia obseruandum est, duo prima cælesti turbæ magnæ attribui; tertium senioribus & animalibus, quartum eidem turbæ magnæ: sed adiungitur illi sonus aquarum multarum & tonitruorum magnorum; & cuilibet Alleluia nonnihil ampliùs adnectitur. Nam primo subditur, *Salus, & gloria, & virtus Deo nostro est, quia vera & iusta iudicia eius, qui iudicauit de meretrice magna.* Post secundum subijcitur: *Et fumus ascendit in sæcula sæculorũ.* Tertium comitatur, *Amen.* Quartum verò, *Quoniam regnauit Deus noster,* Quibus in omnibus mirum subesse artificium, quale excellentissimi ænigmatis esse oportet, inferiùs constabit. B

Prima expositio quatuor Alleluia proponitur. Prædicta explicandi ratio non probatur.

Iam, vt ad quatuor Alleluia distinctionem deueniamus; existimabit quispiam in eis quasi præcipuum scopum intendi quatuor principalia diuinæ prouidentiæ attributa; nempe Virtutem Beneficentiam, Æquitatem, Sapientiam. Potest enim non ineptè considerari, quatuor hæc attributa in mystica Romæ conflagratione cumprimis excelluisse; atque adeò congruens valdè esse, vti Deus commendetur propter quadruplicis huius attributi gloriam & excellentiam, quæ in eo opere eluceſcit. Verùm vt quid sentiam, exponam, planè non video, qui possit eiusmodi consideratio applicari ad id, quod textus refert. Ait enim, duas primas voces esse cælestis multitudinis; tertiam seniorum & animalium; & quartam ipsiusmet rursus turbę magnę, necnon aquarum multarum & tonitruorum. Adhæc; quod singulis Alleluia subiungitur, non rectè consonat cum quatuor attributorum significatione. Nam, vt alia omittam, quòd seniores & animalia clamant, non tam videtur præseferre nouam laudem, quàm superiorum confirmationem. Nec enim aliud dicunt, nisi *Amen, Alleluia.* Quod verò post Alleluia primum subditur, non solùm virtutem respicit, sed beneficentiam quoque. Si quidem dicitur, *Salus, & gloria, & virtus.*

Quærendum ergo est aliquid absolutius & perfectius. Et meâ quidem sententiâ, quod statim subiiciam, plenè & cumulatè satisfacit; quanuis ad pleniorem ipsius probationem forsitan opus sit, ut lector assensum atque sententiam cohibeat, donec secundam notationem infrà substituendam perlegerit. Ibi enim exprimitur alluſio perelegans, quam hic Apocalypseos textus in quadruplici Alleluia absque dubitatione respexit: atque ex illa alluſione pendet perfecta textus intelligentia. Priùs tamen ipsum rei argumentum & series mihi simpliciter proponenda sunt, & ex reipsa ratio quadruplicis Alleluia petenda. Quod & ad percipiendum Psalmorum, ad quos alluditur, mysterium haud parum iuuerit. C

Vera sententia de quadruplicis Alleluia explanatione, relata ad quadruplicem laudem Deo ab Ecclesia tributam.

Hoc ergo quadruplex Alleluia denotat perfectissimam laudem, quam Christiana Ecclesia Deo decantauit ob victoriam, quam illi ex Roma comparauit. Hęc autem perfecta laus quatuor complectitur partes quadruplici Alleluia respondentes. Prima pars fuit, fide ipsa firmiter cognoscere illius admirandi facinoris magnitudinem, & quantum Beatissimæ Trinitati honoris & gloriæ propterea tribuendum esset. Secunda fuit, Deo ipsi non solum fide, sed Christianæ etiam vitæ integritate laudem deferre, quæ laudandi ratio diuturna est. Nam tolius fidei laudatio non ita in longum tempus perduraret, nisi illam perfectæ vitæ sanctimonia sociaret. Constat enim Christianos eos, qui Deum vitæ sanctitate non commendauerint, illum non in æternum laudaturos, sed blasphematuros potiùs. Constat insuper, iuxta familiarem Scripturę locutionem, Deum sanctâ Christianorum vitâ imprimis commendari. Vnde dicitur Psal. 110. 10. *Initium sapientiæ timor Domini, intellectus bonus omnibus facientibus eum, laudatio eius manet in sæculum sæculi.* Vbi *laudatio eius* vocatur ea laus, quam Dei timor illi attribuit, id est laus, quam pietas illi defert, vt in eius Psalmi commentario perspicietur. D

Hic duplici laudi accedit tertia, quam Deo tribuunt ipsius ministri (nempe Sacerdotes & Euangelici concionatores) in suorum munerum functione, id est in Missæ sacrificio, in concionibus, in diuinis officiis decantandis. Et laus hæc tertia, est laus publica, & totius Ecclesię nomine oblata, nec solùm ipsis Dei laudatoribus fructuosa, sed ad aliorum etiam conuersionem efficacissima. Hæc triplex laudis ratio in eo consistit, vt quilibet Deum collaudet, tum fidei cognitione, tum ea vitæ integritate & innocentia, quæ ad ipsius salutem consequendam sit satis: tum etiam vt Ecclesiæ ministri pro virili parte in mundi conuersionem incumbant, & suo quisque in munere diuinam prouehat gloriam. Sed præter tria hæc laudum genera Spiritus sanctus Christianos homines ad nouæ laudis fastigium euocat, nimirum vt singulares omnes tam summi, quàm infimi, licet peculiari ministrorũ officio non fungantur, ad maiorem Dei gloriam animum & mentem omni studio & contentione adijciant, idque tum optimo vitæ exemplo, tum etiam ceteris omnibus, quibus ad quarumlibet animarum conuersionem & salutem allaborare possint. Licebit hoc intelligere, si consideremus alicuius familiæ valde religiosæ insignem zelum atque feruorem, vbi & ianitor & coquus & quiuis alius pro cuiusque facultate precibus, piis colloquiis & admirabili vitæ exemplo valent commune bonum, id est maiorem Dei gloriam in animarum conuersione & perfectione promouere.

Hoc

Digitized by Google

A Hoc igitur, quod singulari Dei beneficio in religiosis aliquot familiis hodie fulget, enituit maximè in primæuis illis nascentis Ecclesiæ fidelibus, quando vel infimæ mulieres Christianæ & piis verbis & vitæ sanctimoniâ efficaces erant ad suos ipsarum coniuges Christianæ fidei subiiciendos: vt ait B. Petrus in illa notanda sententia; *Siqui non credunt verbo, per mulierum conuersationem sine verbo lucrifiunt.* Similiter etiam in prioribus illis sæculis post publicam Christianæ Religionis in Christiana vrbe exercitationem, hanc fere Deus vim ac robur Christianis hominibus suppeditabat, vt Canticorum cap. 4. depingitur. Atque Christiani populi vnitas & concordia in ea quarta laudis ratione, ex terrarum orbe idololatriam reapse dispulit, & Romanum Imperium in Christianæ fidei ditionem redegit. Quin etiam nostra hac tẽpestate si summus præpotensque Deus perfectionis & sanctitatis studium in Christiano populo excitaret, & Ecclesiam ad primæuum illum feruorem reuocaret, & ad acerrimam illam in aliorum salute procuranda contentionem, næ admirabilis inde fructus & emolumentum in Maurorum, & Hæreticorum animis sequeretur. Itaque illud imprimis foret ad infidelium conuersionem efficacissimum, & ad eos inflammandos cælesti Spiritus diuini igne, si fideles omnes pariter conspirarent ad Dei gloriam omni virium contentione procurandam, ita vt ipsorum voces atque opera simul consentirent, & in idem studium accuratissime incumberent.

Primitiuorum Christianorum feruor & ardens ad perfectionẽ contentio.

1. Pet. 3. 1.

B Contextum iam ipsum ad hanc nostram ratiocinationem aptemus, oportet. Primum Alleluia indicat laudem, quam Deo fideles deferebant eo ipso, quòd admirandi illius operis à Deo in Romæ victoria gesti amplitudinem & excellentiam recognoscerent. In huiusmodi explicatione facilè cerni potest quàm congruenter cohæreat, vt prima laus contineat cognitionẽ pariter ac confessionem illius ingentis beneficij in Ecclesiam collati. Etenim fidei lumen, & quod per illud adipiscimur, est præcipuum ceterorum fundamentum. Deinde in iis verbis, *Salus & gloria, & virtus Deo*, tria perstringuntur adnotatu dignissima, & Beatissimæ Trinitati glorioſissima. Primum est, persecutionum magnitudinem, quas Roma ethnica excitauit, non fuisse potentem, vt Christianum nomen extingueret, quinimò Ecclesiam integram ex eis & illæsam euasuram. Atque hoc est propriè, *salus*: quæ sonat eruptionem à periculis: idemque innuit vox Græca, σωτηρία. quæ deriuatur à verbo, σάω, id est, saluo, & incolumem reddo: In quo laudatur maximè Dei potentia, quæ tot tantisque periculis Ecclesiam eripuerit. Secundum, quod in iis verbis attingitur, illud est, peccata scilicet eorundem fidelium, quæ Deus per eiusmodi persecutiones plectebat, non fuisse satis, vt præcipuum Dei finem & scopum impedirent, & consilium de glorioſissima illa victoria Christianæ Ecclesiæ conferenda. Id quod propriè ad Dei gloriam spectat; iuxta illud Pauli. *Omnes peccauerunt, & egent gloriâ Dei.* Et certè admirabile omnino est, Deum ipsorum fidelium peccatis veluti instrumento vti ad suã ipsius gloriam & Christianæ Ecclesiæ victoriam propagandas. Dum enim permittebãt ad plectenda Christianorum scelera (seu magna, seu parua) magnas aduersus gentem Christianam excitari persecutiones, iis ipsis per persecutionibus tanquam instrumento vtebatur, vt Romam ethnicam Ecclesiæ Christianæ subiiceret. In quo maximè splendet ipsius Dei gloria & Christi redemptionis efficacia, dum scilicet ex nostris flagitiis & suam ipsius gloriam, & nostram vtilitatem promouet. Tertium denique ponderandum est, quod spectat ad diuini Spiritus sanctificantis virtutem & efficaciam, quæ in eo Ecclesiæ triumpho de Roma parto enituit. Nec enim eiusmodi fuit victoria, quæ hominum armis, industria & contentione obtineretur, sed spiritus, sed spiritus cœlestis virtute & admirabili efficientia, quæ Romanorum corda potuit immutare, & suaui Euangelii iugo submittere. Et secundùm hunc sensum solet non semel in sacris Literis nomen *virtus* vsurpari, vt posteà expendemus.

Applicatio prædicta interpretationis ad contextum.

Quid primum Alleluia in se includat; & quomodo ad textum ipsum aptetur.

Dei potentia in hominibus à periculis eruendis.

Quanta fuerit Dei in Ecclesiam misericordia, quam nulla hominum peccata impedierint.

Diuini spiritus efficacitas in Roma ad fidem traducenda.

Ex his ergo tribus perfectionibus, potentia eripiendi Ecclesiam ab omni ingruenti periculo congruenter Patri tribuitur. Gloria redemptionis, Filio, & virtus sanctificandi, Spiritui sancto. Namque vt in Apostolorum Symbolo nostra fides reducitur primò ad creandi omnipotentiam, quæ Patri attribuitur, ad redemptionis opus, quod Filio, & ad fidelium sanctificationẽ, quæ Spiritui sancto: (ita vt in toto Symbolo illustrissima quædam sanctissimæ Trinitatis confessio contineatur:) sic etiam admirabili quodam artificio tota laus, quam Christiana Ecclesia Deo detulit propter victoriam de Roma partam, reuocatur ad clarissimam quandam ipsius Trinitatis laudationem, quæ illis includitur verbis, *Salus, & gloria, & virtus Deo.* Si autem quispiam exoptet, vt prima vox creandi potentiam aliquo modo repræsentet, facilè cum eo consentiemus, si dicamus, maximam potentiam ad homines D è periculis eripiendos, quæ nomine salutis exprimitur, mirum in modum excelluisse in noua illa vindictæ de Roma sumptæ ratione: atque adeò vt Roma ipsa integra & superstes per nouæ Romæ creationem euaderet, iuxta illud de noua creatura, quod Paulo ita familiare est.

Quomodo tria illa, Salus & gloria & virtus, tribus diuinis personis per attributionem accommodentur.

QVIA VERA ET IVSTA IVDICIA SVNT EIVS] In his verbis (vt ex ipso contextu videre est) redditur ratio de ea laude, quæ superiùs perstricta fuerat tribus illis nominibus, *Salus, & gloria, & virtus Deo nostro*, quod perinde est, quasi dicatur, in Dei æquissimo iudicio, quo Romam Ecclesiæ subiecit, eminuisse imprimis infinitam ipsius Dei potentiam ad suos è quolibet periculo liberandos: & illustrissimam pariter gloriam, quæ ex nostrorum flagitiorum tenebris conspicuam elicit lucem, necnon diuinam virtutem ad hominum mentes sanctificandas, quæ Romanorum superbiam fregit. Dum autem dicuntur tria hæc in diuini iudicij iustitia, quæ Romam superauit, excellere: manifestè cõstat de Romæ conuersione ita verba fieri, quasi de ingenti quadam vindicta: satis tamen eleganter, vt sæpè explicuimus. Ac propterea Romæ idololatriæ & crudelitatis culpa ponderatur: quin etiam propterea admirabili quodam modo *iudicauit*, id est damnauit Deus & destruxit meretricẽ magnam: nempe veterem Romam quatenus ethnicam. [*Et vindicauit sanguinem seruorum suorum de manibus eius.* Sumitur hìc allegoria ab insigni quadam impudica & crudeli meretrice. Atque in iis verbis, *Quæ corrupit terram in prostitutione sua*, innuitur, illam falsò & cõmentitio idolorum cultu terram contaminasse:

Vers. 2. *Quorsum hic dicantur vera & iusta Dei iudicia.*

Digitized by Google

quippe omnes cum illa ad ſpiritalem fornicationem turpiter miſcebantur. Indicatur autem in huiuſmodi locutione tantæ contagionis toto orbe ſerpentis culpam in vnam Romam meritò conferendam, ad eum fere modum, quo infamis aliqua meretrix vrbem aliquam diceretur morbo Gallico & exitiabili lue infeciſſe. A

Secundum Alleluia, & laus, quam in ſe continet, explicantur.

Sed iam ad ſecundum Alleluia gradum faciamus. *Et iterum dixerunt Alleluia, & fumus eius aſcendit in ſæcula ſæculorum.* Secundam laudem, quam ex Romæ victoria Deo tribuit Eccleſia, diximus ſuprà fuiſſe integram & ſanctam Chriſtianorum hominum vitam. Hæc enim Deo laudem defert, non minùs quàm beneficii confeſſio & prædicatio. Id quod clarius eſt, quàm vt ſacrarum Literarum exemplis ſtabilire opus ſit. Eſt igitur elegantiſſimum, quod huic ſecundo Alleluia adiungitur, nempe, *Et fumus eius aſcendit in ſæcula ſæculorum.* Quibus verbis indicatur, ex hoc ſecundo Alleluia redundare fumi ex Babylonico incendio erumpentis perpetuitatem. Et quanuis ſi externam attendamus faciē, mirum valde ac peregrinum videatur, quòd ex ea laude, quæ Deo ob vindictam de Babylone ſumptam tributur, proueniat illius fumi æternitas, ænigmate tamen ritè explicato, mirificè omnia conſentiunt.

Babylonis fumus aſcendens in ſæcula ſæculorum quid ſignificè adumbret.

Etenim Babylonis fumus denotat eam gloriam, quæ ad Deum redundat ex Chriſtianæ Religionis igne in Roma accenſo, vt latè ſuprà oſtendimus cap. 14. notat. 5. Et verò integra ac ſancta Romanorum vita poſt Chriſtianam Religionem ſuſceptam, efficit, vt illius ignis gloria perpetuò duret. Nam ſi aſſeueratur his verbis, veræ Religionis ignem nunquam Romæ extinctum iri, id quidem ex eo maximè pendet, vt Romæ ſemper degant homines vitæ puritate & ſanctimonia præditi. Hoc autem inſigne beneficium pollicetur Deus, dum confirmat, fumum eius in ſæculorum ſæcula aſcenſurum: alioqui vera Religio neutiquam Romæ duraret, ſi vitæ ſanctitas inibi omnino deficeret. B

Tertij Alleluia, & laudis quam in ſe includit, expoſitio.

Sequitur tertium Alleluia, & laudem ſanè tertiam illam eſſe diximus, quæ immortali Deo fuit Miſſis, concionibus & diuinis officiis decantata. Si ergo ſeniores deſignant Chriſtianæ Eccleſiæ ſacerdotes, quos eadem ſemper Eccleſia Presbyteros appellauit, ſi per quatuor item animalia, Epiſcopi & Euangelii prædicatores figurantur: appoſitè ſatis dicitur tertium hoc Alleluia à quatuor animalibus & viginti quatuor ſenioribus eſſe prolatum. Quòd autem procidentes, & Deum adorantes hoc Alleluia conclamaſſe dicuntur; facit hoc ad maximam diuinæ maieſtatis reuerentiam, qua pii ac deuoti ſacerdotes ſacrum faciunt, & diuinum officium perſoluunt. Indicatur ſimiliter quantâ ipſiuſmet Dei veneratione miniſtri Euangelici ſuas exequantur partes, & diuini verbi ſemen ſpargant. Quod item eſt myſtici ſacrificii genus, vt Paulus innuit ad Roman. 15. 16. Porrò vox *Amen*, quæ cum tertio coniungitur Alleluia, ſignificat proprium eſſe ſacerdotum & miniſtrorum Euangelii ceteros omnes in fide & vitæ ſanctitate roborare, quod perinde eſt, quaſi Eccleſiæ laudes Deo oblatas confirmare. Quis autem non videat, quo tempore illuſtriſſima illa de Romano populo victoria fuit parta, copiolam ſacrificiorum multitudinem pro gratiarum actione à noſtris ſacerdotibus fuiſſe Deo oblatam; nec minorem concionum numerum ab Euangelicis concionatoribus habitum; vt fideles cohortarentur ad debitas pro tanto beneficio grates diuinæ clementiæ agendas. C

Quartum Alleluia, & quarta pariter laus Deo inde redundans.

Supereſt, vt de quarto Alleluia nonnihil etiam dicamus. Quare cùm in quarta laude potiſſimùm ſplendeat ingens efficacitas, quam Deus ſummis & infimis, viris ac fœminis, ſæcularibus & Religioſis hominibus conferebat; ideo ante quartum Alleluia auditur de throno vox, quæ efficacem diuini Spiritus inſtinctum & aflatum adumbrat, nec non ſpiritum illum vegetum ac robuſtum, quem Deus Eccleſiæ largitus eſt ad maiorem ipſius Dei gloriam in proximorum conuerſione ac perfectione ſtrenuè procurandam. Hoc namque ſtudium, hæc contentio atque conatus cæleſtem in ceterorum animis ignem accendendi, nondum ante diuini Spiritus aduentum, fuerant mundo conceſſa. *Nondum enim fuerat Spiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus.* At poſtquam Chriſtus ad æterni Patris dexteram in cæleſti ſolio conſedit, hunc inde efficaciſſimum ignem nō in Apoſtolos ſolùm, ſed etiam in populum fidelium copioſè dimiſit. Hæc igitur animi alacritas atque contentio, quā ſuis fidelibus ſuppeditabat Deus ad ipſius gloriam, & laudem rebus in omnibus prouehēdam, ſignificanter ſatis adumbratur in iis verbis; *Vox de throno exiuit dicens, Laudem dicite Deo noſtro omnes ſerui eius, & qui timetis eum puſilli & magni*, quaſi diceret, non ea mihi ſolùm eſt voluntas, vt ſacerdotes & concionatores Chriſti gloriam extollant, & in proximorum ſalutem incumbentes ſacrum pro eis, frequenter faciant, verùm etiam Chriſtianos omnes ſiue humiles, ſiue ſublimes ſuo modo ſacerdotes & prædicatores myſticè tamen, fieri volo, id verò magna cum efficacia. Si autem aliquo in ſæculo cæleſtis hic feruor de maiori Dei gloria, & proximorum ſalute cōquirenda in Chriſtianorum animis æſtauit, certè id imprimis accidiſſe credendum eſt ſub Romæ conuerſionem, vt inde ad totius Gentilitatis conuerſionem ſeſe extenderet. Cùm enim tanta diuerſarum Gentium & nationum multitudo ad fidem conuertenda eſſet, cumque ſacerdotum hoc munere fungentium numerus neutiquam eſſet ſatis, credibile valde eſt, Deum ceterorum omnium Chriſtianorum miniſterio ad tantum hoc opus fuiſſe vſum Sicuti in Salomonici templi dedicatione ingens victimarum multitudo, quæ Deo erant immolandæ, Salomonem impulit, vt atrii exterioris pauimento pro altari vteretur, vt videre eſt 3. Reg. 8. 64. *In die illa ſanctificauit Rex medium atrij.* D

Quid per vocem turbæ magnæ, per vocem aquarum multarum & per vocem tonitruorū magnorum figuretur.

Sanctificati ergo fideles tam puſilli, quàm magni per diuini Spiritus ignē, perque efficaciſſimam Dei vocationem, incubuerunt omnes pariter in maiorem Dei gloriam & totius Romani Imperij conuerſionem. Id enim innuūt verba ſequētia: *Et audiui quaſi vocem turbæ magnæ, & ſicut vocem aquarum multarum, & ſicut vocem tonitruorum magnorum dicētium Alleluia*, vbi nomē turbæ magnæ denotat ingentem multitudinem. Verùm, ne intelligeretur, qui in mundi conuerſione laborabant, eos eſſe vnius ſolùm populi (quia cap. 7. 9. nomen turbæ magnæ ad Iudaicum populum ſingillatim refertur) ideo adiungitur, *Et ſicut vocem aquarū multarum.* Conſtat autem aquas multas eſſe populos multos & gentes & lin-

Digitized by Google

A & linguas. Quare generatim loquendo, qui ex Gentilitate Christianam fidem receperant, omnes pariter maiori Dei gloriæ allaborabant; dum per se singuli ad proximorum salutem & conuersionẽ suum studium & contentionem adhibebant. Quia verò huiusmodi vis erat efficacium instar concionum, quibus Deus hominum corda solet pulsare; & diuini etiam verbi efficacitas in Apocalypsi cõparatur tonitruis, (quæ sunt cæli voces:) idcirco cum voce aquarum multarum componitur tonitruorum magnorum vox dicentium *Alleluia* id est, Dei laudem prædicantium, siue ad Dei laudem inuitantium. Nam *Alleluia* sonat *laudate Deum*. Quæ autem huiusce laudis redditur ratio, ea est: *Quoniam regnauit Dominus omnipotens.* Quod non aliud est, quàm si diceretur, Deum se Regẽ declarasse eo ipso, quòd vana idolorũ superstitio ex Romana vrbe fuit expulsa, & Gentes ac nationes Deo ipsi subiectæ fuerint. Ex eo verò, quòd Deus in terrarũ orbe per suam fidem, ac Religionẽ imperiter, summopere ipsius serui lætantur, & ad eius gloriam omni virium contentione procurandam sese excitant.

Refellitur aliorũ sententia referentium quadruplex hoc Alleluia ad Sanctorũ in cælo lætitiam de supplicio à Deo improbis inflicto.

Hic est meæ expositionis contextus. Porrò allusiones de industria ad sequentes notationes reieci, quò facilius totius contextus filum percipi possit. Et quanuis tota hæc celebritas & Alleluia à multis eò referantur, quòd Sancti in cælesti beatitudine exultent seueritate, qua Deus siue in hac vita, siue etiam apud inferos in peccatores animaduertit: ceterum præterquam quòd Apocalypsis acoluthia necessariò eum sensum respuit, ipsamet Alleluia repetitio compellit, ne qua resideat dubitatio, quin de re magnopere festiua sit sermo. Constat enim ex receptissimo Ecclesiæ vsu, hanc vocem Alleluia in latissimis maximè celebritatibus locum habere. Quis verò nesciat, verum sanctorum hominum & virorum Apostolicorum gaudium potissimùm prouenire ex felicissimis Ecclesiæ successibus & B maxima Dei gloria inde redundante? Inter hæc igitur auspicatissima euenta nullum certè felicius, quàm Romæ conuersio. Quamobrem licèt ex impiorum damnatione grates Deo agi debeant; non tamen huc ita propriè impenduntur Alleluia, & maximæ gaudii significationes. Confirmatur, quia Isidorus l.6. Etymologiarum cap.19. aduertit, ex huius capitis Alleluia deriuatam fuisse in Ecclesiam consuetudinem, vt Alleluia in lætitiis totius anni celebritatibus vsurparet. Quòd si quispiam dixerit, hunc Ecclesiæ morem potuisse etiam dimanare ab iis Psalmis, quibus pro titulo præfixum est Alleluia, qui omnes magnoperè sunt hilares ac iucundi, & præsertim extremi, hoc ipso suadetur, eundem ad finem in Apocalypsi, atque in Psalmis Alleluia fuisse vsurpata. Hæc enim Apocalypseos Alleluia respectum habent ad illa Psalmorum, & inde non parum confirmationis accipiunt, vt seq. notatione explicabimus.

NOTATIO II.

De allusione quadruplicis huius Alleluia ad viginti Psalmos.

In quatuor hisce Alleluia respectum haberi ad eos Psalmos, quib. pro titulo præfixum est Alleluia.

SVPRA c.10.3. vidimus, per septẽ illa tonitrua Ioanni C exaudita significari septem Domini voces, quarum Ps.28. mentio fit: nec aliud fuisse tonitruorũ a Ioanne auditorum mysterium, nisi vt admoneremur Ps.28. in eum Apocalypseos locum inseri debere. Similiter ergo in præsenti quadruplex Alleluia, quæ Ioannes se audisse cõmemorat, respiciunt haud dubiè eos Psalmos, quibus Alleluia pro titulo est. Vnde illud hic mysterium subest, Psalmos illos hoc titulo insignitos in præsenti Apocalypseos loco reponendos.

Pro huius rei confirmatione, illud in memoriam reuoco, quod alias dixisse me memini, videlicet nullum ferè in Apocalypsi verbum reperiri, quod alicui insigni sacrarum Literarum loco nõ respondeat. Etenim sacra hæc actio ænigmatica, (vt in optimis quibusque ænigmatis fieri solet) tota ex allusionibus ad insignes sacrorum librorum, veterum præsertim, locos coagmentatur. Nulla autem reperiuntur Alleluia in toto sacrarum Literarum decursu, præterquam in Psalmis, & Tobiæ 13.22. vbi dicitur, *Per vicos Ierusalem Alleluia cantabitur.* Quod de illorum etiam Psalmorum cantu intelligendum est.

Syllabus eorum Psalmorum, qui pro titulo habẽt Alleluia.

Quod cùm ita sit, ea protinus subit mentem dubitatio, ad quos scilicet ex iis Psalmis, quibus Alleluia pro titulo est, respiciat Ioannes in quadruplici huius capitis Alleluia. Psalmi enim hac inscriptione notati viginti omnino sunt, quare nec vicenarius numerus vllam habet peculiarem cum quaternario proportionem: nec congruens apparet ratio, cur aliquot ex iis Psalmis omissis, alios accersamus. Nihilominus existimo, quatuor huius capitis Alleluia referri ad omnes illos viginti Psalmos, qui sunt.

Ps.104. *Confitemini Domino, & inuocate nomen eius.*
Ps.105. *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saculum misericordia eius. Dicant qui redempti sunt.*
Ps.106. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in saculum misericordia eius. Quis loquetur.*
Ps.110. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo.*
Ps.111. *Beatus vir, qui timet Dominum.*
Ps.112 *Laudate pueri Dominum.*
Ps.113. *In exitu Israel de Ægypto.*
Ps.114. *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus.*
Ps.115. *Credidi, propter quod locutus sum.*
Ps.116. *Laudate Dominum omnes Gentes.*
Ps.117. *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saculum misericordia eius, dicat nunc Israel.*
Ps.118 *Beati immaculati in via.*
Ps.134. *Laudate nomen Domini, laudate serui Dominũ.*
Ps.135 *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in aternum misericordia eius Confitemini Deo deorum.*
Ps.145 *Lauda anima mea Dominum.*
Ps.146. *Laudate Dominũ, quoniam bonus est Psalmus.*
Ps.147. *Lauda Ierusalem Dominum.*
Ps.148 *Laudate Dominum de cælis.*
Ps.149. *Cantate Domino canticum nouum, laus eius in Ecclesia sanctorum.*
Ps.150. *Laudate Dominum in sanctis eius.*

Quemodo quatuor prædicta Alleluia Psalmis hisce viginti per ordinẽ respondeant.

Hos omnes Psalmos Ioannes hac allusione perstrin- D git & affirmat pariter, omnes hunc in locum aptari debere, vt mox videbimus. Quod verò opponitur numerum scilicet quatuor Alleluia cum vicenario Psalmorum non rectè congruere. Respondeo, in quadruplici Apocalypseos Alleluia cõtineri respectum ad quatuor item series Alleluia, quæ in Psalmorum titulis reperiuntur. Quanuis enim Psalmi eiusmodi vigesimũ numerum expleant; in quatuor tamen ordines, & veluti classes, distribuuntur; quarũ quælibet aliquẽ Psalmorũ numerum cõplectitur, qui inter se coniuncti & ab alterius ordinis Psalmus seiuncti sunt. Primũ enim tres primi Psalmi ex supradictis (nẽpe Ps.104. & 105. & 106) vnam Psalmorum lineã conficiunt. Deinde, post aliorum interiectũ, quibus hæc inscriptio Alleluia, nõ est, sequitur secundus Psalmorũ hoc titulo inscriptorum ordo: qui continet Psalmos à centesimo decimo, vsque ad centesimum decimum octauum. Tertia horũ Psalmorũ classis duos omnino coercet; scilicet 135. & 136. Quarta denique postremos sex comprehendit.

Psalmos viginti supra positos in quatuor omnino lineas siue series partiri: & quas sint.

Porrò quòd Alleluia vnum adsciscat coniunctionẽ

Digitized by Google

plurium Alleluia, quæ & inter ſe compoſita, & ſepoſita à reliquis ſunt; id quidem conſonum eſt cum aliis id genus loquendi rationibus. Sic enim Hiſpanè appellare ſolemus, *Vn repique de campana*, non ſingulatem vnum concitati cymbali pulſum, ſed plures eoſq; crebèrrimos. Itaque dicere ſolemus bis aut ter ſolum pulſata fuiſſe cymbala; quamuis ſingulis vicibus multiplex fuerit cymbalorum ſonus auditus. Præterquam quòd minimè credendum eſt, viginti illos Pſalmos hac inſcriptione ſignatos caſu & temerè in quatuor claſſes ſiue ordines fuiſſe partitos. Vt autem ſignificetur, quotquot in vna eademque ſerie copulantur; eos omnes maiori inter ſe affinitate coniungi; congruentiſſimum extitit, vt Apocalypſis quadruplici Alleluia aſſignato eos pariter deſignaret atque diuideret, qua ratione in Pſalmorum libro diuiſi ſunt.

Primum Alleluia ex quatuor Apocalyp cos quoſnam prædictorum Pſalmorũ reſpiciat? quos item ſecundum, & ſic de ceteris. Vnde petenda ſit prædictæ partitionis probatio.

Primum igitur Apocalypſeos Alleluia aſſignat tres Pſalmos: ſecundum, nouem: tertium, duos; & quartũ, ſex. Nec myſterio fortaſſe caret, quòd ſecundus ordo ſit proportione triplus ad primum; quartus item ſit triplus ad tertium.

Præcipua confirmatio alluſionis huius atque reſpectus inter quadruplex Apocalypſeos Alleluia, & viginti illos Pſalmos ſupradictos, inde petenda eſt, quòd ſingulis Alleluia ex quatuor, aliquid mox ſingulatim adiungitur; in quo tangitur peculiaris ratio diuinæ laudis, quæ ad illud Alleluia pertinet. Atque hoc peculiare, quod vnicuique Alleluia ſubditur, mirificè reſpondet argumento atq; verbis illius Pſalmorum ordinis, ad quem eiuſmodi Alleluia reſpicit. Quamobrẽ non modo verum eſt, viginti eos Pſalmos ad caput Apocalypſeos vndevigeſimum appoſitè & congruenter acciri, (eo quòd eorum omnium argumentum ſit valde ad rem, conſideratâ iſtius capitis materiâ:) verũ etiam obſeruatione dignum eſt, quàm rectè prima horum Pſalmorum ſeries primo Alleluia Apocalypſeos; ſecunda, ſecundo; tertia, tertiò; & quarta, quarto reſpondeat.

Quomodo primum Alleluia prima linea ſiue ordini Pſalmorũ reſpõdeat.

Hæc omnia nonnihil ampliùs explicemus oportet. Cum primo Alleluia cõiungit Apocalypſis hæc verba: *Salus & gloria & virtus Deo noſtro eſt, quia vera & iuſta iudicia ſunt eius*, &c. Tres portò ſunt Pſalmi, quos primũ hoc Alleluia adſpicit: nempe Pſ.104. & 105. & 106. Quid ergo optari potuit exactius, quam vt ex tribus illis verbis, quæ Apocalypſis cum primo Alleluia connectit (id eſt *Salus, & gloria, & virtus*) Salus quidẽ deſigneret argumentum Pſa.104. Gloria verò, argumentum Pſal.105. Virtus autem, argumentum Pſal.106. ita vt hi tres Pſalmi in eo conſentiant, quòd Deo gratias agant; *Quia vera & iuſta iudicia ſunt eius.*

Videatur alicui fortaſſis hæc mea pollicitatio inanis, nec aliquo fundamento niti. Verum ſi cuiuſque ex his Pſalmis argumentum attentè conſideret; & diligenter examinet eorum verborum, *Salus, & gloria, & virtus*, ſignificationem in ſacris Literis vſitatam (vt in commentario explicuimus,) minimè dubitet, quin mutua hæc inter ſeſe reſpiciendi ratio mirificè conſentiat.

Argumentum & ſumma Pſalm.104.

Etenim Pſ.104. argumentum eiuſmodi eſt. Deus, vt fidem ſuam populo Iſraelitico datam liberaret, illum ſeruauit immunem à periculis, & perduxit incolumẽ: donec in terræ Chanaam poſſeſſionem veſtigium faceret. Et hanc ob rem illos priùs in Ægyptũ adduxit, indeque eduxit admirandis prodigiis atque portentis: duxit inſuper vaſtâ ſolitudine, ſemperque ſeruauit: ac demum *non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis Reges*, quoad in ditionem Chanaam eos inferret. In hoc igitur egregio facinore ſuam Deus potentiam liquidò oſtendit, dum ſuum populum ex tot periculis eripuit. Si ergo in eo opere Deus ſe ſui populi aſſertorem & ſaluatorem exhibuit, vt eis imperium traderet terrarum, quas idololatræ poſſidebant: quæ potuit figura congruentior excogitari, vt meliùs admirabilem Dei potentiam exprimeret, qua ſuam Eccleſiam erat præſtiturus incolumem ab omnibus periculis & perſecutionibus, & in Romanæ vrbis atque Imperij poſſeſſionem inducturus? Hic ergo eſt illius Pſalmi ſcopus, vt ex Apocalypſi diſcimus. Nam familiare eſt Prophetis, vt ſæpiſſime inculcauimus, Iudaica tãgere, & Chriſtiana reſpicere. Quapropter ad eam figurandã victoriam, quam prapotens Deus Chriſtianæ Eccleſiæ conceſſit, nihil aptius, quam verba illius Pſalmi, præſertim extrema; quæ ſic habent, *Eduxit populum ſuum in exultatione, & electos ſuos in lætitia; & dedit illis regiones Gentium, & labores populorum poſſederunt*. Eſt autem obſeruandum in Dauidici tabernaculi dedicatione, quando arca in Sionis arcem inuecta, in eo collocata eſt, 1. Paralip ca.16. decantari quindecim primos huius Pſalmi verſus: ceteros prætermitti (eſt enim Pſalmus bene longus.) Hoc autem ſignificauit, beneficia à Deo quõdam in ſuum populum collata veluti inchoationem fuiſſe eorum, quibus Chriſtianam poſtea Eccleſiam cumulaturus erat, quemadmodum in primo aliquo exemplari perexiguo incipitur aliquomodo, & inchoatur ſtructura, quæ in eo ſolùm adumbratur.

Pſa.105. ſcopus & argumentũ.

Tranſeamus ad argumentum Pſalm.105. In eo celebratur, non obſtantibus Iſraelitici populi ſceleribus, clariſſimam Deus ſuæ gloriæ ſignificationem dediſſe in ſuis promiſſis perficiendis. Quamuis enim ſæpè illius numen plurimis flagitiis Iſraelitæ læſerint, tam in egreſſu ex Ægypto & in deſerto Sinai, quam poſt ingreſſum in terram promiſſam: Deus tamen ſuæ gloriæ memor etſi illos ſupplicio afficiebat, non deſeruit omninò; quin eos potius ex Philiſthæorum oppreſſione eripuit, *& congregauit eos de nationibus*: & clariſſimam donauit victoriam de ſuis oppreſſoribus partam. Hic eſto totius Pſalmi ſenſus: & ſcopus certè erat, vt ſignificaretur, quo pacto ſe Deus cum Chriſtiana Eccleſia geſturus eſſet. Quare Pſalmus ipſe claudꝛitur verbis illis, *Fiat, fiat*, quæ prophetica planè ſunt, & reſpiciunt non tam præterita, quam futura in præteritis figurata. Perſecutiones autẽ Chriſtianæ Eccleſiæ propter fidelium peccata acciditſſe, negari non poteſt: præſertim in ſæuiſſima illa Diocletiani perſecutione, quæ fuit decima, & vltimum medium ad eam victoriam glorioſiſſimam, quam Eccleſia de Roma comparauit. Illam enim perſecutionem propter grauiſſima Chriſtianorũ peccata euenſſe, docet Euſebius lib.8. cap 1 In hoc tamen Deus ſuam gloriam manifeſtè oſtendit, & quam in Chriſto redemptionẽ habemus copioſam: quòd fidelium peccata quaſi media inſtrumenta vſurpauit Deus, vt propoſitum de Eccleſiæ victoria conſilium proueheret. Quòd autem hic Pſalmus peridoneus ſit ad celebrandam gloriam Dei ſuum eripientis populum propter peccata afflictum & oppreſſum: liquidò id conſtat ex eo, quod legitur Iudith 13.21. vbi ad hunc Pſalmum non obſcurè reſpicitur.

Argumentum Pſalm.106.

Sequitur Pſalmus 106. planè illuſtriſſimus: ad cuius argumentum propriè ſpectat, Dei virtutem celebrare in Gentibus Eccleſiæ ſubijciendis, & in victoria de dæmone, mundo, & carne triplici animi hoſte comparatâ: id quod per admirabilem Spiritus ſancti virtutem effectum eſt. Cõcludo igitur, in Apocalypſi trium horum Pſalmorum argumenta, quæ primo Alleluia reſpondent, miro artificio fuiſſe totidem verbis comprehenſa. Nam *Salus* deſignat Pſ.104. *Gloria* Pſ.105. *Virtus* Pſ.106. & tres omnes Pſalmi continent elegantiſſimam quandam ſanctiſſimæ Trinitatis laudem ob ſingulare victoriam, quã ſuæ Eccleſiæ de Roma conceſſurus erat Deus. Quod vero mox in ipſo textu ſubiungitur, *Quia vera & iuſta iudicia eius*, manifeſtè ex eiſdem Pſalmis deſumitur. Nam Pſal 104. dicitur, *Ipſe Dominus Deus noſter in vniuerſa terra iudicia eius*. Quo prædicitur, in toto terrarũ orbe viſum iri omnino completum quod in vindicta de Chananæis ſumpta, & in illius terræ poſſeſſione Iſraelitico populo traditâ, figuratum eſt.

Secundus Pſalmorum ordo, & quo modo ſecundo Apocalypſeos Alleluia reſpõdeat. Quid, ummaliter contineatur in nouem Pſalmis, nempe à Pſ.110. vſq; ad 118. inclusiuè.

Hactenus de primo Pſalmorum ordine, quorũ inſcripto continet Alleluia Secundus ordo nouem complectitur Pſalmos. Ac primò certum eſt, ſi rem ſeriò expendamus, eos omnes congruentiſſimè impendi in gratias Deo agendas ob Eccleſiæ victoriam de Romano Imperio eam perſequente, deque Gentilitatis conuerſione partam. Nam in eorum Pſalmorũ primo (qui eſt Pſ.110.) dicitur *Virtutem operum ſuorum annunciabit populo ſuo; vt det illis hæreditatem Gentium*. In ſecundo, nempe 111. habetur. *Potens in terra erit ſemen eius, generatio rectorum benedicetur. Peccator videbit, & irascetur; dentibus ſuis fremet, & tabeſcet, deſiderium peccatorũ peribit*. In tertio, qui eſt 112. *A ſolis ortu, vſque ad occaſum lau-*

Digitized by Google

laudabile nomen Domini. In quarto, id eſt 113. celebratur egreſſio noui Iſraelis ex myſtica Ægypto; necnon admiranda planè opera, quibus Deus Iſraelitas ipſos in terræ Chanaam poſſeſſionem introduxit. In Pſal. 114. (qui eſt ordine quintus) Chriſtianus populus dū perpeſſas à ſe perſecutiones recolit, ait; *Circundederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me: mi|ericors Dominus, & iuſtus: eripuit animam meam,* &c. Sextus (ſcilicet Pſa. 115.) perelegantèr celebrat glorioſiſſimam Martyrum victoriam. Septimus, id eſt 116. hæc habet, *Laudate Dominum omnes Gentes, laudate eum omnes populi.* Quæ Paulus in Epiſtola ad Romanos de Gentiū vocatione interpretatur. In octauo (ſiue 117.) inducitur Chriſtianus populus ita loquens. *Omnes Gentes circundederunt me, & in nomine Domini, quia vltus ſum in eos: dextera Domini fecit virtutem,* &c. Denique Pſalm. 118. (qui eſt ordine nonus & vltimus) attentè qui legat, facilè videat in eo Chriſtianum populum induci Deo agentem gratias, quod ei præſentiſſimam opem tulerit, & victoriam de ſuperbis principibus illum perſequentibus tribuerit. Colligere hoc licet ex plurimis eiuſdem Pſalmi ſententiis: ex quibus paucas has nota, nu. 21. *Increpaſti ſuperbos,* & nu. 23. *Sederunt principes, & aduerſum me loquebantur* n. 46. *Loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu Regum, & non confundebar.* n. 51 *Superbi iniquè agebant vſquequaque.* n. 69. *Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum.* nu. 78. *Confundantur ſuperbi, quia iniuſtè iniquitatem fecerunt in me.* n. 150. *Appropinquauerunt perſequentes me iniquitati.* nu. 157. *Multi, qui perſequuntur me, & tribulant me.* nu. 161. *Principes perſecuti ſunt me gratis.* Aduerte hic, quoties ſuperborum Principum perſequētium meminerit: & in memoriam pariter reuoca, ſuperborum nomen propriè Romanis ethnicis tribui, vt vidimus c. 13. fine.

Deinde hoc Alleluia (vt vidimus in commentario) laudationem continet eam, quæ ad Deum redundauit ex integerrima Chriſtianorum vita & ſanctitate. Atq; in hoc toto Pſalmorum nouenario manifeſtum eſt, vt diligenter intuenti conſtabit, ſermonem eſſe de laude, quam Deo tribuit vera Chriſtianorum hominum ſanctitas. Nam in primo inſtituitur ſermo de Dei timore; ſimulque dicitur, *Laudatio eius manet in ſæculum ſæculi,* laudatio nempe Dei, quam ei ſanctus timor defert. In ſecundo agitur de miſericordia & iuſtitia erga proximum. *Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.* In tertio depinguntur grates Deo agendæ. In quarto ſpes; atq; fiducia erga Deum. In quinto, affectus animi & propēſio ad orationem. In ſexto animi itē alacritas & ſtudium ad martyrium. In ſeptimo vehemens deſiderium diuinæ gloriæ, & hominum ſalutis procurādæ. In octauo Eccleſiæ gloriatio in Chriſto. In nono denique pura & immaculata vita, & ad diuinam voluntatem conformatio.

Quis ſit potiſſimus Pſalmorum nouem præcedentium ſcopus,

Cur ad ſecundā Dei laudē nouē numero Pſalmi deſumantur?

Tertiò, quemadmodum Pſalmorum ternarius, fuit maximè congruens in prima laudatione (quæ eſt fidei propria) propter Trinitatis ſanctiſſimæ confeſſionem, ad quod myſterium ſumma noſtræ fidei reuocatur, vt ſuprà expendimus; ita etiam ad ſecundam laudē, quam vitæ ſanctitas tribuit, appoſitus eſt Pſalmorum nouenarius. Hic enim numerus eſt ternarii plenitudo; nam tria ter replicata nouenarium conficiunt. Vnde quadrata radix eſt ternarius: quadratus verò numerus nouenarius. Notum autem eſt Mathematicis, quadratū numerum eſſe ſuæ radicis plenitudinem. Non aliter vitæ ſanctimonia in ſe continet fidei plenitudinem. Et niſi opera ſint plena (vt loquitur Apocalypſis) fidei laus quadrata atque perfecta eſſe nō poteſt. quia *non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.* Quartò in illis verbis, quæ in hoc ſecundo Alleluia adduntur, nempe, *Et ſumus eius aſcendit in ſæcula ſæculorum.* Si is ſenſus continetur, vt hæc eadem ſecunda laus ſit, quæ in æternum durat (prout in commentario vidimus,) hoc etiam in hiſce Pſalmis exprimitur. Nam in eorum primo perſpicuè dicitur de illa laude, quam Deo ſanctus timor attribuit, *manet in ſæculum ſæculi.* Cùm autem inſcriptio Pſalmi ſit Alleluia, id eſt laudatio Dei, manifeſtum eſt verbum illud, *laudatio eius,* debere intelligi de laudatione Dei, quæ in ipſius timore conſiſtat.

Tertium Alleluia duos ſolùm Pſalmos complecti-

Alcaſar in Apocalyp.

A tur: ij ſunt Pſa. 134. & Pſa. 135. In his illud imprimis euidens eſt, eos eſſe aptiſſimos ad Deum collaudandū ob egregium triumphum, quem Eccleſia de Romano Imperio reportauit. Nam in vtroque Pſalmo eiſdem penè verbis canitur, Deum eſſe laudandum *qui percuſſit gentes multas, & occidit Reges fortes: & dedit terram eorum hæreditatem Iſraeli ſeruo ſuo.* Secundò explicat Apocalypſis viginti quatuor ſeniores, & quatuor animalia hoc tertium Alleluia Deo decantare, quod etiam in his duobus Pſalmis perſpicuum eſt. In primo enim dicitur initio, *Laudate nomen Domini, laudate ſerui Dominum: qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri,* quod ad ſacerdotes profectò referendum eſt. Tertiò horum Pſalmorum binarius eſt appoſitiſſimus ad duo miniſtrorum genera, quos Apocalypſis deſignat, ſeniores nēpe, & animalia, aut fortaſſe ad indicandas duas perfectæ prædicationis partes, doctrinam & exemplū. Quarto, vox *Amen* tertio Alleluia addita, fortè eò reſpicit, vt quod dicitur in Pſal. 134. idem quoque in ſequenti Pſalmo repeti ſignificetur, idem videtur eſſe B *Amen*, quaſi confirmatio, aut fortaſſe in voce *Amen*, attenditur illa verſiculi intercalaris repetitio: *quoniam in æternum miſericordia eius,* quod in ſingulis verſibus Pſ. 135 repetitur, ſunt autem verſus ſex & viginti.

Tertium Apocalypſeos Alleluia quot, & quos Pſalmos reſpicat. Argumentum Pſalm. 134. & Pſalm. 135.

Ex eo verò, quòd duo prima Alleluia ſint Chriſtianis hominibus communia: tertium Dei miniſtris, id eſt ſacerdotibus & Euangelii concionatoribus proprium; ex eo inquam illud etiam myſterium retegitur, cur ſcilicet inter ſecundam Pſalmorum huiuſmodi claſſem & inter tertiam, Pſalmi quindecim ſint interiecti. Nam poſtremus ſecundæ claſſis Pſalmus fuit 118. primus verò Pſalmus tertij Alleluia eſt Pſal. 134. illi ergo quindecim Pſalmi interpoſiti hanc ſinguli inſcriptionē habēt, *Canticum graduum,* in ipſo verò n. 15. videtur alludi ad totidem templi gradus, quibus ad ſublimem ipſius tēpli partem aſcenſum patuiſſe, ex Ioſepho notat atque deſcribis noſter Villalpandus tom. 2. lib 3. c. 34. Iam illorum quindecim Pſalmorum argumentum non eſt aliud, quàm ingentia beneficia, quibus Deus ſuos cumC mulat ſeruos, vt impenſiùs eos legenti planum fiet. Ad ſignificandum ergo diſcrimen, quod in Chriſtiana Eccleſia inter ſacerdotes & Euangelii miniſtros, atque inter laicos reperitur, ſingulari Spiritus diuini artificio, poſt duplicem laudem, quam communis Chriſtianorū cœtus Deo adſcribit, mox ſubiungitur canticum graduum, id eſt quindecim prædicti Pſalmi, quibus ſingularia indicantur beneficia, quæ in viros iuſtos ac ſanctos diuina prouidentia confert, & per eos gradus aſcenditur in Dei domo ad altiſſimum felicitatis gradum, cum alluſione ad gradus quindecim, quibus ad celſiorem templi partem ſcandebatur. Poſt canticum verò graduum adhibetur ſacerdotum laus & Euangelij miniſtrorum Deo decātata per ſacrificia ipſa atque conciones. Quo innuitur Sacerdotalis muneris & prædicationis Euangelicæ ſublimitas atque perfectio, ad cuius ſignificationem denotādam quindecim illi gradus apponūtur: qua ratione deſignatur, magnos hoſce Eccleſiæ miniſtros eſſe in excelſo valde dignitatis gradu, quod diuinitatis ſpeciem præ ſe fert.

Cur inter ſecundam prædictorū Pſalmorū claſſem & inter tertiam quindecim omnino Pſalmi interſcianturſ.

D Huius myſterii occaſione deſideret fortaſſe quiſpiā, vt explicemus etiam, cur inter primam & ſecundam laudem tres Pſalmi intercedant? In primo enim Alleluia tres includuntur Pſalmi, nempe 104. & 105. & 106. Primus autem ſecundi Alleluia Pſalmus eſt 110 Itaque tres Pſalmi interijciuntur, videlicet 107. & 108 & 109. Reſpondeo tamen, ad ſecundum Alleluia à primo diſtinguendum decuiſſe; vt aliquis Pſalmorum numerus interponeretur: cum autem tres fuerint primæ claſſis Pſalmi, hic idem Pſalmorum numerus fuiſſe ad eiuſmodi diſtinctionem aptus viſus eſt. Sic enim aptè ſignificatur, ſecundum Alleluia ſeſe attollere valde ſupra primum: & fortè in tribus illis Pſalmis inter primum & ſecundum Alleluia interiectis denotatur: poſt adeptam fidei cognitionem ad primum Alleluia ſpectantem, vt ſecunda laus perfectæ vitæ Deo tribuatur, tria imprimis opus eſſe in tribus illius diſtinctionis Pſalmis denotata. Primum eſt firma deliberatio. Secundum, ad Deum deprecatio, vt nos à dæmonis inſidiis eripiat. Tertium ac præcipuum, vt Deus ſuum

Cur inter primam ac ſecundam laudē tres Pſalmi intercedant.

Digitized by Google

Spiritum homini liberaliter impertiatur, ſine quo nec A
conſiliũ,nec deliberatio,nec dæmonis cohibitio quid-
quam proſunt. Hæc ergo tria videntur per ordinem in
tribus illis Pſalmis tangi. Nam primus,id eſt Pſalmus
107. orditur ab illis verbis: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Secundus Pſalmus,qui eſt 108.con-
tinet feruidam Dauidis deprecationem,qua à Deo ob-
nixè contendit,vt ſe ab aduerſario eripiat. Tertiùs,qui
eſt 109. nobis proponit ob oculos, quemadmodum
Chriſtum in cælo patronum habeamus, vnde ſuum
Spiritum, id eſt virgam virtutis ſuæ admirabilem, in
terras demittat. Qua de re in eius Pſalmi commenta-
rio latiùs dicam.

Quis ſit ſcopus Pſalmorũ 107. & 108. & 109.

Quartum Alleluia ad quos Pſalmos alludat.

Quartum & vltimũ Alleluia extremos ſex Pſalmos
reſpicit, quibus omnibus Alleluia præfixum pro titulo
eſt. Et quatuor quidem poſtremi non ſolum hanc ha-
bent inſcriptionem, ſed in eandem etiam vocem deſi-
punt Primò hi omnes Pſalmi,dubitabit nemo,qui at-
tentè perlegerit, quin valde ſint apti ad Eccleſiæ vic-
toriam de Roma commendandam, & ad laudes pro illa B
Deo decantandas. Primus enim ex his Pſalmis,nempe
145. de Deo aſſerit: *Qui fecit cælum & terram, mare, & omnia, qua in eis ſunt*, (de qua phraſi diximus Apocal.
14.7.) *fecit iudicium iniuriam patientibus, & illuminauit cæcos Et regnabit in generationem, & generationem.*
Secundus Pſalmus,nempe 146. *Ædificans Ieruſalem* (id
Eccleſiam ſuam) *Dominus,diſperſiones Iſrael congregabit: qui ſanat contritos corde*, &c: Tertius Pſalmus, qui eſt
147. agit de perſecutionum præteritarum fructu, qui
glorioſiſſimus eſt Chriſtianæ Eccleſiæ futuræ, de quo
ad noſtrum eiuſdem Pſalmi commentarium me refe-
ro. Pſalmus quartus huius ordinis, qui eſt 148. in eodẽ
perſiſtit & progreditur argumento: nec non concinit,
Deus *exaltauit cornu populi ſui.* Sequens Pſalmus,id eſt
149.celebrat myſticam vindictam, quam Sancti de gẽ-
tibus ac nationibus ſumpturi erant: *Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.* Extremus
denique Pſalmus agit de iucundiſſima celebritate atq;
lætitia ob incredibilem virtutem, quam Deus in ſuis
Sanctis oſtenderat, & in eorum victoria de ſuis hoſti-
bus comparauerat. C

Pſalmos, qui ab hoc quarto Alleluia reſpiciuntur, peridoneos eſſe ad Eccleſiæ victoriã de Roma celebrandam, & ad laudes propterea Deo concinendas.

In ſex Pſalmis quarti huius Alleluia elegãter deſcribi Chriſtianorum primitiuorum ſpiritum.

Deinde in hoc Pſalmorum ſenario loculenter de-
ſcribitur primitiuæ gentis Chriſtianæ ſpiritus, de quo
ſuprà diximus. Nam in primo eorum Pſalmo ſplendet
maximè fiducia,& ſpes firma in Deum ad tantam, tã-
que operoſam expeditionem: *Spes eius in Domino Deo ipſius.* In ſecundo patientia & manſuetudo eminet,quæ
ad poſſidendam terram valdè neceſſaria eſt. *Suſcipiens manſuetos Dominus.* In tertio piorum verborum vis &
efficacitas:qua laicus interdum,& illiteratus duriſſima
hominum corda mollire,& in lachrymas liquare ſolet.
Emittet verbum ſuum,& liquefaciet ea In quarto cæ-
leſtis vita, conſtantia admirabilis, maximumq́ vitæ
diſcrimen inter Chriſtianos primitiuos & inter Gen-
tiles In quinto muſicus perſonat concentus vnionis &
concordiæ, qua omnes pariter copulantur, quæ quidẽ
mundum vniuerſum potis eſt ad ſui admirationem,&
ad diuinæ gratiæ commendationem conuertere. Atq;
hæc eſt illa concordiæ harmonia *in Eccleſia ſanctorum.*
Tandem in vltimo Pſalmo celebratur magna & con-
tinua lætitiæ voluptas, qua fruuntur ij, qui perfectâ
charitate cum Deo ſunt coniuncti,& perpetuò in eius
laudibus verſantur; atque hac ratione explent illud
eiuſdem Pſalmi: *Omnis ſpiritus* (id eſt omnis ſpiratio)
laudet Dominum.

Myſterium ſenarij horum Pſalmorum numeri.

Prætereà ſenarius horum Pſalmorum numerus per-
fectam laudationem adumbrat. Senarius enim perfe-
ctus eſt numerus; quippe qui conſtet, vt aſſerunt Ma-
thematici, ex omnibus ſuis partibus aliquoties ſimul
ſumptis. Quod item in quatuor vltimis Pſalmis Alle-
luia tum titulo, tum fine duplicentur; id ad maiorem
exultationẽ ſignificandam ſpectat. Etenim exultatio,
quæ ab ſpe & manſuetudine ducit exordium, mirum
in modum excreſcit vi & efficacitate,quam Deus San-
ctorum verbis confert,necnon admirabili conſtantiâ,
vnione & concordia tum inter ſeipſos,tũ etiam(quod
caput eſt) erga Deum. Atque hæc omnia poſtremis
quatuor Pſalmis pro argumento ſunt.Accedet his om-
nibus lux maior ex iis, quæ diuino aſpirante numine
dicemus lib.7. in Pſalmorum commentario, quos re-
ſpicit Apocalypſis. Sed interim non debui prætermit-
tere, quod ſatis viſum eſt, vt elegantiſſima hæc qua-
druplicis Alleluia alluſio percipi poſſet.

Ceterum aliquid pro colophone addamus oppor-
tet de nouenario numero Pſalmorum, qui interiecti
ſunt inter Pſalmos tertii & quarti Alleluia. Nec enim
myſterio carere putandum eſt, quòd nouem Pſalmo-
rum interiectu diuidantur.Ac primò nolim ex ijs,quæ
de numero Pſalmorum quindecim inter ſecundum &
tertium Alleluia intercedentium diximus, quempiam
ſuſpiciari, per nouem etiam Pſalmos inter tertium &
quartum Alleluia interpoſitos denotari pariter ma-
gnum aliquẽ exceſſum,quo tertium Alleluia à quarto
ſuperatur, quaſi ſupra illos quindecim gradus fiat per
nouem alios aſcenſus ad excellentiam quartæ laudis.
Huiuſmodi namque ſuſpicio & ipſa inanis eſſet, &
nullo ſolido fundamento niteretur. Nec enim aut da-
tur aliqua Dei laudatio illuſtrior ac præſtantior ipſo
Miſſæ ſacrificio, & perfecta Euangelij prædicatione;
aut in templo alij inſuper ſcalarum gradus erant, qui-
bus conſcenderetur, præter illos quindecim, ad quos
in quindecim Pſalmos Cantici graduum habetur re-
ſpectus. Illud igitur vnum in nouem Pſalmis inter ter-
tium & quartum Alleluia poſitis denotatur; videlicet
nouenarius orationum atque expectationũ ipſo perſe-
cutionum tempore,quas paſſa eſt Eccleſia ante triũ-
phum in quarto Alleluia figuratum.Etenim licèt qua-
tuor omnes laudationes poſſint ac debeant ad Eccle-
ſiæ triumphum referri; nihilominus in tribus primis
Alleluia altiùs videtur res ipſa longo repeti principio.
Vnde ſpes ipſa & fiducia indicatur, quã Eccleſia certò
conceperat, fore vt de Roma ethnica, deque Imperio
ipſo triumpharet. Cùm aute ad quartũ Alleluia perue-
nitur; tunc iam proponitur ante oculos lætitia & vo-
luptas Eccleſiæ de victoria, quã re ipſa conſequebatur
per fidelium vnionẽ & Romæ veteris deflagrationem;
in qua cum primis enituit fidelium omnium ſtudium
diuinam gloriam magno animi ardore prouehẽtium.
Et quia Eccleſiæ triumphum anteceſſit orationum no-
uenarius,nec nõ expectationum ſub ipſa perſecutionis
tempora; idcirco ante quartum Alleluia,hiſce nouem
Pſalmis adũbratur Catholicæ Eccleſiæ afflictio, ipſius
orationes, fiducia atq; ſecuritas in diuina prouidentia
nitens:id quod vltimo ſignatur in Pſal.144. Ante hunc
verò octo præcedentes inſumuntur omnes in deſcri-
bendam Eccleſiæ anxietatem, atque eiuſdem preces &
certam expectationẽ. Et fortaſſis octonarius Pſalmo-
rum reſpondet numero magnarum perſecutionũ,quas
Romanũ Imperium in Eccleſiam concitauit. Concla-
do igitur,quartam hanc laudem quantunuis perfectiſ-
ſimam, non tamen eſſe tertiâ ſuperiorem, ſed potiùs
ipſius effectum; atque adeò hos nouem Pſalmos, qui
inter vtramq; laudationẽ intermittuntur, non eſſe pe-
culiares aliquos gradus,quibus quarta laus tertiam ex-
cedat: ſed deſcriptionẽ quandam orationum earum &
expectationum, quas concipiebat Eccleſia ante ipſum
triumphum in quarti Alleluia Pſalmis celebratum. D
Præterea antiqua conſuetudine receptus eſt in Eccle-
ſia nouenarius dierum numerus in orationibus ac
precibus ad Deum certo tempore effundendis, & in
ſacrificiis pariter offerendis, qui mos huic explicationi
nonnihil adſtipulatur.

Quod habeat myſterium nouenarius Pſalmorum, qui inter tertium & quartum Alleluia ſunt interpoſiti.

Quarti Alleluia finis & ſcopus.

Quem finem ſpectent nouem Pſalmi inter tertiũ & quartum Alleluia inſerti.

Diximus de alluſione quadruplicis Alleluia. Obſe-
cro autem à prudente lectore, vt duo expendat. Alte-
rum eſt,quanti debeat Apocalypſis æſtimari ob lucem
cõſpicuam, quam ſacrarum Literarum cognitioni af-
fert. Ecce enim ex quatuor his Allelluia Apocalypſeos
mira nobis lux oboritur ad Pſal.20 intelligentiam,nec
ſolùm ad ſingulorum argumentum, ſed ad eum etiam
ordinẽ & artificium, quo inter ſeſe ſunt diſpoſiti, nec-
non ad myſterium in qualibet horum Pſalmorũ claſſe
deliteſcens. Atque vt prudens quiſque minimè dubi-
tabit, quin nihil horum myſterio vacet, ſiquidem
nullus eſt in Scriptura apex illius expers:ita etiam Deo
grates agi debent,quòd in Apocalypſi ſublimem hanc
philoſophandi rationem nos doceat. Id quod eò plu-
ris faciendum eſt,quò minus harum rerum apud Pſal-
morum interpretes reperitur. Illi enim ſolum viden-

Quanti ſit eſtimanda lux, quæ ex Apocalypſi ad ſacrarum Literarũ cognitionem & intelligentiam refunditur.

cus

Digitized by Google

tur attendere singulorum Psalmorum explicationem: atque ad eam ipsam rem fortè Apocalypsis aliquibus Psalmis clarius præfert lumen, quàm interpretum quispiam. Verùm, quod attinet ad miram horum Psalmorum inter se dispositionem, de hoc inquam commentandi genere parum aut ferè nihil in expositoribus, quos viderim, reperitur.

Alterum, quod à lectore rogo, illud est; videlicet A vt attentè expendat, si hæc fortè allusio ad viginti Psalmos supradictos euidens est, (vt mihi apparet: ni tamen proprius amor præstigias agit:) ex ea ipsa euidenter etiam constare, Babylonis incendium fore rem lætissimam ac festiuissimam: nec aliam ab ea, quæ in his viginti Psalmis decâtatur. Et proculdubio continet Gentilitatis conuersionẽ, vt ex ipsorum contextu cernere facile est, & in aliquo eorum ex Pauli auctoritate.

Ex toto hoc discursu cõfirmari Babylonem mysticã, siue Romæ incendium esse mysticũ, atque adeo latissimũ.

NOTATIO III.

In qua respondetur obiectioni contra ea, quæ superiore notatione sunt stabilita.

Proponitur difficultas ex prædictorũ viginti Psalmorum dispositione ac titulis, iuxta Hebraum; quæ contra superiorem disputationem militat.

Alleluia, quæ in aliquot Psalmorum titulis apponantur, in Hebræo varia ac diuersa dispositione inscribi.

Quæcvmqve hactenus diximus, subnixa sunt atq; suffulta in illorum viginti Psalmorum dispositione ac titulis, iuxta Vulgatam nostram editionem. Cetetum qui Hebraicis codicibus nimium sunt addicti, opinentur fortassis in inscriptionibus ac dispositione horum viginti Psalmorum nonnulla reperiri discrimina ac differentias inter Vulgatam & veram lectionem Hebraicam; quæ differentiæ quamuis parui in se momenti videantur, cum illis tamen non posse cohærere B supradictam allusionem quadruplicis Alleluia ad totos illos 20. Psalmos. Nam imprimis allusio primi Alleluia Apocalypseos in eo nititur, quòd tria prima Apocalypseos Alleluia inscriptiones sint trium Psalmorum, quorum exordium est, *Confitemini Domino*, nimirum Psal 104 & 105. & 106. Atqui in Hebræo secus accidit: nam primum Alleluia non est horum trium Psalmorum primi titulus, sed Psalmi antecedentis finis: sequens autem Psalmus, inter tria *Confitemini* primus, non incipit ab Alleluia: sed in illud definit. Secundus verò Psalmus ex his tribus Alleluia habet, tam pro titulo, quam pro totius Psalmi exitu. Tertius autem ex his quibus initium *Confitemini*, nec initio, nec fine cõtinet Alleluia.

Deinde, in secunda serie Psalmorum, quibus inscribitur Alleluia, tres tantùm reperiuntur, qui continuato ordine exordiantur ab Alleluia: ij autem sunt. *Confitebor tibi Domine*, &, *Beatus vir qui timet Dominum*, & *Laudate pueri Dominum*. Postquos alius sequitur Psalmus: qui nec ab Alleluia incipitur, nec in Alleluia terminatur: hic est, *In exitu Israel de Aegypto*. Nam Alleluia illud, quod nos in huius Psalmi fronte præponimus, in Hebræo pertinet ad antecedentis Psalmi finem. Quippe *Laudate pueri Dominum*, Alleluia habet tam pro initio, quam pro exitu. Porrò Psalmus ille, *In exitu Israel*, ab Hebræis in duos secatur; quorum posterior ab illis verbis inchoatur, *Non nobis Domine, non nobis*: cùm nullum Alleluia inter duos hos Psalmos Hebraicos reperiatur insertum. Quare quod Alleluia in Hebræo est ad finem Psalmi, *Non nobis Domine non nobis*: neutiquam potest ad secundum Alleluia ordinem pertinere: est enim medius interiectus Psalmus vnus siue Alleluia. Nec verò iungi potest cum sequentibus Alleluia: est enim alter etiam Psalmus sine Alleluia interpositus, nempe, *Dilexi, quoniam exaudiet*, &c. qui in Hebræo Psalmum vnum cum sequenti componit. Nam *Dilexi*, & *Credidi* (qui duo sunt apud nos Psalmi) apud Hebræos in vnicum coalescunt. Item tres hi Psalmi, *Credidi*, *Laudate Dominum omnes Gentes*, &, *Confitemini Domino*, non habent pro inscriptione Alleluia, sed ad finem singulorum adiicitur Vnde Psalmus 118. *Beati immaculati*, citra omne Alleluia remanet; & qui in nostra Vulgata sunt nouem Psalmi, in Hebræo sunt vndecim: eorumque aliqui absque vllo Alleluia. Quapropter in Hebræo corruit fundamentum illud, quo nixi, Psalmos omnes, quibus Alleluia pro inscriptione est, ad quatuor classes, siue ordines reuocauimus. Deficit etiam apta ratio; vt contemplemur, Psalmos secundi ordinis efficere quadratũ numerum ternarij, qui in primo Alleluia comprehenditur.

Præterea vt ad seniorum & quatuor animalium Alleluia deueniamus: satis etiam discriminis in Hebraico textu inuenitur. Nam ex duobus illis Psalmis alter, id est, *Laudate nomen Domini*, duplex sortitur Alleluia; alterum initio; alterum fine. Secundus verò nempe, *Confitemini*, nullum habet Alleluia. Deinde Psalmi, qui in quarto Alleluia coërcentur, apud Hebræos sunt non amplius quinque. Nam *Lauda Ierusalem Dominum*, cum præcedente continuatur: & singuli horum quinque Psalmorũ duplici Alleluia tum in principio, tum in fine notantur.

Ex hactenus dictis apparet, nostram hanc allusionem quatuor Alleluia ad viginti illos Psalmos, pro nihilo ductum iri a Caietano, Aria Montano, atque aliis, qui tese prorsus adstringunt ad eam diuisionem & titulorum rationem, quæ apud Hebraicos codices in singulis Psalmorum cernitur. Ipse tamen mirum in modum gaudeo oblatam mihi occasionem, vt meum hac de re sensum exponã. Miror tanè homines doctos ac prudentes pluris facere eam diuisionem, quam hodie amplectuntur Hebræi, & vocis Alleluia dispositionem; quam & eum locum atque ordinem, quo illud a Vulgato collocatur: & eam diuisionem, quam Christiana sectatur Ecclesia. Etenim si diuisionis huius apud Hebræos receptæ auctoritas in eo fundatur, quòd verisimile non sit, mutationem aliquam in codices ipsos originales irrepsisse: quis adeò sit cæcus, qui neiciat, vt statuatur, quæ sit vera Hebraicæ originis lectio atque diuisio, plus fidei Hebraicis libris antiquissimis habendum, quam iis, quos hodie nobis Hebræi neoterici ostentant? Porrò quis non videat, perspicuum omnino esse, tam Septuaginta viros, quam Vulgatum aptasse suam diuisionem, & in Alleluia disponendo ordinem, iuxta Hebraicos codices antiquissimos, quos præ oculis & præ manibus habebant? Euidens ergo est, perantiquos extitisse codices Hebraicos, qui in Psalmorum dispositione eandem diuisionem seruabant, quam nunc in Vulgata retinemus: & vocem Alleluia in eisdem custodiebat locis, in quibus eam Vulgatus apposuit: qui hac in re ad Septuaginta interpretum ordinem se totum conformauit. Nec potest adeò esse euidens, quam hodie diuisionẽ Hebræi ostendunt, esse eiusdem antiquitatis cum illa, quam Vulgatus & Septuaginta secuti sunt. Et quidem præter existimationem maximam, qua Vulgatam editionem amplectitur, & veneratur Ecclesia: & præter certam fiduciam qua piè credere debemus, diuinam prouidentiam singulari auxilio fauturam illi lectioni, quam Ecclesia demum amplexura erat: præter hoc inquam, multò maior fides habenda est illis codicibus, quos antiquissimos esse constat, quàm iis, de quorum antiquitate non ita liquet. Cùm igitur planum sit, lectionẽ eorum codicum, quos Septuaginta & Vulgatus sunt secuti, eandem omnino fuisse, quam ipsimet transtulerũt. Nec constet de antiquitate huius lectionis quam hodierni Hebræorum codices nobis proponunt: imprudens valde est, qui sibi persuadeat, incorruptam esse hodiernam Hebræorum codicum lectionem, quæ non reperiebatur in iis codicibus, quos Septuaginta & Vulgatus amplexi sunt.

Quid sentiendum, dicendũq; sit de Psalmorũ varia dispositione, quæ in nostra Vulgata lectione, atque in Hebraica originali reperitur.

Respondetur superiori difficultati: & pariter impugnatur Hebræorum in Psalmũ dispositio, quatenus nostræ Vulgatæ refragatur.

Præter hæc: Ioannes in quatuor Alleluia Apocalypseos alludit haud dubiè ad eos Psalmos, quorum inscriptio est *Alleluia*. Quòd si huiusmodi allusio cum Psalmorum diuisione & titulis hodie apud Hebraicos codices inuentis non consentiat: illud hinc elicitur, dum Apocalypsis diuisionem ac titulos à Septuaginta positos tuetur, à Ioanne in hac parte diuisionem & titulos nostræ Vulgatæ probari: & è contrario reprobari diuersam aliam diuisionem & inscriptionũ ordinem, quem hodie in Hebraicis codicibus reperimus. Quare in hac Apocalypseos diuisione ad Psalmorũ Alleluia,

Ex quadruplici Apocalypseos Alleluia desumitur nostra sententia comprobata.

Digitized by Google

continetur profectò insignis quædam confirmatio diuisionis Psalmorum, quam retinet Vulgata: & pariter deducitur inde inscriptionum apud Vulgatam inuentarum comprobatio. Ex quo etiam perspicuum fit, discrimen illud, quod nunc in Hebræis codicibus cernitur, esse inuentum omnino recens, & præter Spiritus sancti intentionem. Si autem semel pro certo statuamus, vnum eundemque esse totum illum Psalmum, qui incipit *In exitu Israël de Aegypto*, & fictam planè esse ipsius in duos diuisionem, è contrario etiam, *Dilexi*, &, *Credidi*, duos esse integros Psalmos, prorsusque diuersos: & similiter, *Laudate Dominum, quoniam bonus*. Atque *Lauda Ierusalem Dominum*, distinctos pariter esse. Si hoc inquam ita esse certò statuamus: non minùs certò constabit, Psalmum, *Confitebor tibi Domine*; quem Hebræi codices neoterici partiebãtur in duos, vnicum tantum esse; alioqui vnus deesset Psalmus ad centum quinquaginta; quo de numero semper inter antiquos consensit.

Nec mirum est, recentes Hebræos aberrasse, dum Alleluia à Septuaginta & Vulgata pro Psalmorum aliquot titulis reputata, crediderunt non esse eorundem Psalmorum titulos, sed præcedentium fines. Procliue enim fuit, eos in eiusmodi errorem prolabi. Si ergo facile fuit, eos hac in re decipi vtrisnam credere potiùs debemus, Hebræisne codicibus recentioribus? an codicibus ipsorum antiquissimis, Septuaginta viris, Vulgato, Eusebio, Theodoreto, atque Hieronymo in sua ex Hebræo interpretatione? Nam & hos Patres Vulgatæ editioni in hac parte fauere, adnotarunt ante nos viri doctissimi, vt videre est in notationibus ad Biblia Sixti V. in Psal. 104. lit. A. Præsertim, cùm præter hæc omnia manifestam Apocalypseos approbationem habeamus: si tamen euidens est (vt ego reor) allusio ad quadruplex illorum viginti Psalmorum Alleluia. Si ergo id, quod hactenus intendimus, obtineamus: nempe Alleluia, quæ ab Hebræis existimantur pertinere ad præcedentes Psalmos tanquam illorum clausulam, potiùs esse initia subsequentium; atque diuisionem, quam Septuaginta ac Vulgatus secuti sunt, esse certam atque legitimam; omnia hoc pacto mirè consentiunt, prout opus est ad illius allusionis fundamentum.

Denique ad confirmandam Psalmorum diuisionem, quam noster Vulgatus retinet, & congruentem tituli Alleluia dispositionem, plurimi debent, opinor, docti viri approbationẽ Apocalypseos æstimare; quæ intelligenti allusionem perspicua erit. Sicut etiam ex allusioni primi Alleluia ad tres illos Psalmos egregiè confirmatur; veram primi versus capitis 19. lectionem esse eam, quam nobis Vulgata correcta proponit, nempe *Salus, & gloria & virtus*. Nec pro salute supponendam esse *laudem*; aut addendum *honorem*; sicuti aliquot Græci codices addunt.

NOTATIO IV.

De alio sensu, qui fumo ascendenti in sæcula posset assignari.

Proponitur altera expositio fumi in sæcula ascendentis.

IN commentario exposui eum sensum, quem verum ac germanum esse existimo illorum verborum, *Et fumus eius ascendet in sæcula sæculorum*. In quo tamen ibi me retuli ad ea, quæ dixi c. 14. not. 5. Nihilominus visum est, alteram hic adiungere expositionem, quæ alicui fortassis non displicebit. Cùm ergo dicitur, *Et fumus eius ascendet in sæcula sæculorum*; illa coniunctio *Et*, dici potest continuare idem, quod ante Alleluia dictum fuerat: sicuti cùm Ecclesia canit, *Surrexit Dominus verè Alleluia, & apparuit Simoni Alleluia*. Sic ergo in præsenti Deus se à meretrice vindicauit; & ecce fumum ascendentem ex accenso igne. Qua ratione illi ipsimet, qui clamãt *Alleluia*, asserunt etiam, fumum ex eo igne ascendere in sæcula. Adhæc; Græcum verbum pro *ascendere* est, ἀναβαίνει præsentis temporis: quamtunuis quod antecedit, quodque subsequitur, præteriti sit.

Iam, quod dicitur, *Fumus in sæcula ascendit*, forsan significat, huiusmodi incendium per sæcula multa duraturum: quasi in ipsa loquendi ratione innuatur, tot ac tanta forè exurenda, vt quanuis iam prolata sententia executioni mandetur fumusque sursum incipiat ascendere ignis tamen ac fumus sint multa in sæcula duraturi. Et quidem ita re ipsâ accidisse videtur. Tametsi enim idololatria repentè corruit, & Roma ethnica se superatam animaduertit, cœpitque inflammari cælesti fidei igne quo purgata dæmum, & instaurata fuit: si tamen exustio ipsius fuit conuersio ad fidem: dubium non est, quin multas sæculorum ætates incendium illud durauerit, & reliquiarum ex Gentilismo remanentium absumptio. Hoc ergo est, fumum semper ascendere ad summi Dei gloriam, & ad ipsius seruorum meritum: vt semper se totos in eam rem diligenter impendãt, vt Gentilitatis reliquias extinguant. In hac declaratione illud inuoluitur, nimirum *in sæcula sæculorum*, non opus esse vti semper æternitatem importet, sed multorum sæculorum durationem.

Obiectio aduersus prædictã soluitur.

Obiicies tamen, in prædicto sensu fortè per incendij durationem non significari vindictæ magnitudinem, sed lentitudinem potiùs ignis: cùm autem hæc sit horribilis vindictæ pictura, aptius videri, si proponeretur ob oculos ignis è cælo descendens, qui Romam momento absumeret; quàm si dicatur incendium tot sæcula permansurum. Ad hoc tamen respondetur primò: cùm Deus glorioſiorem vindictæ rationem in Roma conuertenda elegerit, quàm in ea ad inferos detrudenda: cumque in ipso conuersionis opere se Deus ad liberi arbitrij naturam sapienter accommodet: cùm item in tanta hominum multitudine perspicuum sit, aliquos in suo errore obfirmatos & pertinaces fore: idcirco consectarium erat, salutare illud incendium plurima sæcula permanere. Quamobrem dum incendium ac fumus multis sæculis durare dicuntur, implicitè etiam affirmatur, incẽdium huiusmodi suaue fore & salutare: ita tamen vt Gentilitatis reliquias consumeret, nec in posterum ab Ethnicis posset ille ignis extingui. Dum igitur asseritur, *Fumus eius ascendit in sæcula*, ponderatur suauitas pariter & efficacitas illius ignis, quo Deus Romam comburere decreuit. Quia verò Deus de hoc vindictæ genere gloriatur, idque glorioſum maximè reputat: idcirco dum Deum sui serui collaudant, expendunt pariter quasi rem ipsius Dei magnitudine digniſſimam, quòd Romam lento igne paulatim exusserit.

2. eiusdem obiectionis solutio.

Respondetur secundò eidem difficultati, in lento etiam igne grauiorem sæpè, & seueriorem vindictam repræsentari. Qui enim infenso nimis & irato animo in aliquem est, interdum illum festinâ cæde tollere non contentus, ad maiorem & acerbiorem miseri hominis cruciatum, illum paulatim lento igne torrere statuit: atque hac ratione sæuissima immanitatis & carnificinæ documenta plerumque sunt. Cùm ergo infinita Dei bonitas ipsammet vindictæ executionem in suauitatis significationem conuertat: cumque summis beneficiis suos hostes vlcisci nouerit, & suam iustissimam indignationem emisso diuino Spiritus igne expleret: vtitur quidem admirabili ignis huius excellentia, qui lentus & suauis cùm sit, maximam tamen continet efficientiam, vt hoc pacto ostendat, ad rationem vindictæ, qua ipse in Romam animaduertit, nihil omnino deficere ex iis, quæ acerrimus quisque vindex excogitare posset. Illam enim paulatim incendit, atque vrit: ita tamẽ, vt ignis ille nullius vi ac potentia possit extingui. Quo etiam modo ethnicorum tormẽtum protrahitur, qui se paulatim vident absumi: & nec eorũ cruciatus ac dedecus omnino finitur: nec obices & impedimenta possunt prætendere, quo minùs flamma illa ipsorum ossa conficiat atque consumat. Vnde manſuetudo atque suauitas Dei illos ad veram sui cognitionem euocantis, eosque demum cõuersuri, lentè interim cruciabat: atque hoc ipsum in grauiorẽ simul redundabat damnationem eorum, qui tandum duri & obstinati

Digitized by Google

obstinati persistebant. Vt manifestè pateat, omni via ac ratione, siue vindictam, siue suauitatem spectes, lentam Romæ exustionem & fumi in sæcula plurima durationem, fuisse clarioris & illustrioris facinoris argumentum, quam si eam repente tellure absorberi iuberet.

Fumi symbolum ad diuinã indignationem posse aptari.

Dici etiam potest, fumum quidem esse symbolum diuinæ indignationis, & significationis pariter, quam Deus suo præsentiæ præbet in peccatorum supplicio; non tamen esse signum valde perspicuum, sed subobscurum potius. Fumus namq; id ipsum obtegit, quod repræsentat. Si ergo lentus ignis, quo Deus veterem Romam combussit, est Christianæ Religionis ignis; quid aliud erit ex eo igne fumum ascendere, quam inde consurgere maximum diuinæ indignationis in Romam ethnicam conceptę argumentum? Et verò huiusmodi significatio ingentem iram atque vindictam præ se fert. Sed cum significatio occulta sit; (quia eandem iram ac vindictam, quam denotat, obtegit,) ideo cælesti luce opus est, vt aduertatur, atque adeò expendatur, maximum fuisse Romæ supplicium, quod re verâ in summum eius beneficium cesserit.

Si tamen adhuc necesse sit, vt phrasis illa, in sæcula sæculorum, non solum multorum sęculorum durationem, sed etiam æternitatẽ significet: in hoc etiam sensu dici posset, Christianæ Religionis ignẽ esse illum, quo Deus veterem Romam mulctauit; ac proinde dum fides Romæ persteterit, verè etiam dici idololatriæ supplicium durare. Quod autem dicitur, *fumus in sæcula sæculorum*, duraturus; perinde erit, ac si dicatur veræ Religionis ignis Romæ nunquam extinguendus: id quod obiter conducet ad diginius perpendendum clarissimum beneficium a Deo in Romam collatum; dum illi in Christiana fide firmitudinem & perpetuitatem promisit.

Quomodo in præsenti expositione dicatur verè fumus in sæcula duraturus.

Si autem opponat quispiam, Antichristi persecutionem effecturam, vt defectio à Catholica fide generalis sit, & in toto orbe publica Christianæ Religionis profectio intercidat: Respondetur, fidem tunc apud multos conseruatum iri. Præterquam quòd, si publicam Christianæ Religionis frequẽtiam & consuetudinem attendamus, meritò dicitur in sæculorum sæcula permansurum, quod à Romæ conuersione ad Antichristi vsque tempora durabit. Quòd si fumus indicat, veteris Romæ reliquias lentè consumi: id etiam verè affirmatur, semper scilicet Catholicæ fidei igne exuri nõnulla vestigia, quæ Gentilitatis antiquæ inter ipsos etiam Christianos reliqua fiunt.

Sequitur in ipso textu, *Et ceciderunt seniores, & quatuor animalia.* Manifestum est, Christianos sacerdotes & viros Apostolicos Deo cultum, religionem, laudes & gratias detulisse ob admirabilem Romæ conuersionem: quippe vrbs illa futura erat Catholicorum sacerdotum curia, & arx munitissima, quò ipsi directionem & auxilium postulaturi confluerent.

Quid sit, cadere seniores & 4. animalia.

Dicentes *Amen Alleluia. Amen* idem hic est, ac fiat, videtur autem esse responsio ad ea, quæ cælum, id est tota Ecclesia prædicabat: & singulatim ad vltima illa verba, *Fumus eius ascendit in sæcula.* Huic igitur verbo *Ascendit* respondent sacerdotes & Apostolici viri, *Amen*, id est fiat: quod est votis fouere communem expectationem: & se pariter excitare, vt pro virili parte ad idololatriæ reliquias obliterandas incumbant. Deinde sacrificia etiam sacerdotum & reliqua Apostolicorum virorum pia opera quasi simul pronunciant, *Amen.* Hoc namque pacto firmum Deus ratumque fecit, quod Ecclesia sibi de Romæ conuersione pollicebatur. Porrò optimorum sacerdotum & Euangelij ministrorum *Alleluia*, cum *Amen* sociatur: non solùm ob ipsorum maius desiderium, verùm etiam ob clariorem diuinorum mysteriorum cognitionem. Quamobrem hoc *Amen*, non solum est, *fiat*, sed confirmat etiam, quod Ecclesia vniuersè dicebat; ne quis dubitaret ea de re, quam Dei ministri asserebant ac prædicabant: dum Deo immortales gratias pro tanto beneficio agebant.

NOTATIO V.

De duplici alia allusione inclusis in voce de throno exeunte, & in voce quartum Alleluia personante.

Allusio ad Psal. 113.

VOx de throno prodiens dixit: *Laudem dicite Deo nostro omnes serui eius, & qui timetis eum pusilli & magni.* Id autem mutuatum videtur ex Psalmo 113. 13. vbi sic habetur: *Benedixit omnibus, qui timent Dominum, pusillis cum maioribus;* & infra, *Ii omnes benedicant Dominum.* Aut fortè allusio est ad Psalmum 144. (qui Psalmus proximè antecedit quartum ordinem, siue classem eorum qui pro titulo habent Alleluia, (vltima eius verba sunt: *Benedicat omnis caro nomini sancto eius in sæculum, & in sæculum sæculi.* Aut fortassis ideo in quarto Alleluia repetitur vox conuiuij Deum collaudans & vox alia vicissim respõdens: quia Psalmi quarti ordinis ab Alleluia exordiuntur, & in Alleluia desinũt. In quo significari possit Dei seruos ab ipso Deo allici & inuitari, vt eidem laudem decantent: ad quod ipsi respondeant, Alleluia. Quæ cõsideratio si cui arrideat, dicere is poterit: quod in Apocalypsi dicitur, *Laudem dicite Deo nostro omnes serui eius, & qui timetis eum pusilli & magni*, alludere ad illud Psal 148 (qui est vnus ex quarta Psalmorum classe) *Iuuenes & virgines, senes cum iunioribus*, &c. Et quidem manifestum est, Romanæ vrbis conuersione quasi paruis & magnis, (id est virtute imbecillis atque robustis) fuisse præconium indictũ, vt possent omnes semet Christianos publicè profiteri, & Deum omni vocis contentione decantare.

Allusio ad Psalm. 148.

Deinde, quòd vox illa, quæ quartũ Alleluia personat, comparetur voci turbæ magnæ, aquarum multarum & tonitruorũ magnorum: in eo alluditur ad illud Ezech. 1.24. *Audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarũ multarum, quasi sonum sublimis Dei: cùm ambularent, quasi sonus erat multitudinis, vt sonus castrorum.* De quo loco dicemus in capitis illius Ezechielis commentario.

In voce similis turbæ magnæ, aquarum multarum & tonitruorũ magnorum habeti respectum ad Ezech. c.1.

NOTATIO VI.

De allusione ad 7. Psalmos illis verbis; Quoniam regnauit Dominus Deus noster.

Quo sensu Apocalypsis asserat, Dominum Deum regnasse.

HÆc verba, *Quoniam regnauit Dominus Deus noster*, Ribera explicat de victoria, quam Ecclesia ex Antichristo reportabit: quia illo occiso regnum Diaboli magna ex parte confringetur. Me tamen non solùm conuincit totius contextus acoluthia, vt sermonẽ esse credã de Ecclesiæ triumpho ex Roma ethnica adepto: sed etiam id mihi persuadet attenta consideratio aliorum Scripturæ locorum, ad quos respectũ habet Apocalypsis: cùm ait, Deum iam regnare. Expende illud Danielis 7.27. *Regnum autem & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, detur populo sanctorum Altissimi.* Quæ verba in eorum commentario planum fiet, agere de ea virtute atque potentia, quam Deus suæ Ecclesiæ collaturus erat, cùm ei Romam & Romanum Imperium subiiceret. Nec dubitare debet quispiam, quin quod in Apocalypsi dicitur de Deo iam regnante, denotet, veram Religionem regnare: quod idem est, atque regnare Ecclesiam.

Hic ipse est eorum Psalmorũ sensus, qui incipiunt, *Dominus regnauit.* Ij autem sunt Psalmus 92 & Psalm. 96. & Psalm. 98. vt videre erit in eorum explicatione. Nec aliud est argumentũ quatuor eorum Psalmorum, qui medij sunt inter tres illos interiecti: nempe Psalm. 93. & 94. & 95. & 97. Quod ex eorum contextu attentè expen-

Allusio in Dei regno ad Psalmos omnino septem.

Digitized by Google

expendenti constabit. In quorum vno (is est Psalm. 95. n. 10) expressè dicitur. *Dicite in Gentibus, quia Dominus regnauit.* Itaque hos septem Psalmos adspicit Apocalypsis; dum ait: *Quoniam regnauit Dominus Deus noster omnipotens.* Connexio enim septem eorum Psalmorum efficit, vt dum Apocalypsis eorum tres ad se accersit, ceteros pariter admissos trahat. Atque, vt significetur, vnum esse atque idem septem omnium argumentum: ideo tres ex his Psalmis ita incipiunt: *Dominus regnauit.* Quæ verba aliquãdo in alius Psalmi decursu repetuntur. Nec casu accidisse putandum est, vt Psalmi regnum Ecclesiæ decantantes septem omnino sint. Hic namque numerus plenus est: & denotat accedere iam sabbatum, aut Dei populi sabbathismum: hoc est Christianæ Ecclesiæ requiem & fælicitatem.

Admirabilis sanè res est, & digna, quæ ab Ecclesiæ filiis plurimi æstimetur: videlicet Romæ conuersionem in Apocalypsi tantâ grauitate & magnitudine celebrari: vt præter aliquot Isaiæ & Ieremiæ capita de Babylonico excidio agentia (quæ Apocalypsis ad Romæ conuersionem applicat, ac de illa interpretatur) præter hoc, inquam, in quadruplex Alleluia inserat Apocalypsis ipsa viginti integros Psalmos: nosque planè edoceat, in illis celebrari victoriam, quam Ecclesia Catholica de Roma, deque eius Imperio consecuta est. Quin etiam his viginti Psalmis nunc septem alios adiungat, & posteà similiter accersat Psalm. 44. & totum insuper (quantus quantus est) Canticorum librum. Id quod ex sequenti versu singillatim constabit. His addo, mihi esse valdè verisimile, in verbis illis, *Quoniam regnauit Dominus Deus omnipotes*, non solum respici ad septem, quos indicaui Psalmos: sed etiam ad alios nonnullos, in quibus regnum Dei celebratur. Inter quos est insignis Psalm. 144. cuius argumentum est de perfectione regni Dei & Christi eius, ac de septẽ spiritibus diuinæ prouidentiæ, de quibus in Apocalypsi copiosè agitur.

TEXTVS.

Vers. 7. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei; quia venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit se.

8. Et datum est illi vt cooperiat se byssino splendenti, & candido; byssinum enim iustificationes sunt Sanctorum.

COMMENTARIVS.

De quibus Agni nuptiis hic instituatur sermo.

GREGORIVS & Beda arbitrantur agi in hoc loco de nuptiis; quæ non in terra, sed in cælo post resurrectionis tempus concelebrandæ sunt: ac propterea non prandii, sed cœnæ fieri mentionem; quia sermo est de beatitudinis conuiuio in fine diei, id est in vitæ exitu peragendo. Similiter interpretantur Salmeron tom. 7. tract. 37. Maldonatus Matth. 22. 2. Barradas tom. 3. concordiæ lib. 8. cap. 9. nec non Ribera & Viegas. Confirmant ex nomine vxoris; quia Ecclesia (inquiunt) dum in terris degit, vocatur sponsa: cùm autem in cælum conscendet, vxor appellabitur.

1 opinio interpretans de nuptiis in cælo celebrandis.

Nihilominus tamen D. Hieronymus, & Iansenus Matth. 22. non dubitant eo loci sermonem instituì de mysticis Ecclesiæ cum Christo nuptiis in hac vita celebratis. Et verò, quod ad Matthæi locũ spectat, eadem est multorũ sententia: & inter eos Salmeronis. Quod ipse certum reputo. Nec enim dubito, quin Apocalypsis ad eam Christi parabolam alludat. Et prophetiæ huius acoluthia & consequentia cogit, vt pro certo habeamus, non agi hîc de nuptiis in patria cælesti peragendis: sed in præsenti hac vita cum Ecclesia celebrãdis. Etenim post has ipsas nuptias subsequitur pax per mille annos durans. Deinde bellum Gogi & Magogi. Quæ omnia extremum iudicii diem antecedunt. Præter hæc, contextus c. 17. & c. 18. item Alleluia c. 19. omnia personant clarissimã victoriã, quam Catholica Ecclesia de Roma ethnica & eius Imperio adepta est. Atq; hæc verba, *Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni*, ad quartum Alleluia spectant, & cum illo componuntur. Ex quo infero, non apte has nuptias exponi de diuini Verbi vnione cum humana natura per incarnationem factâ. Quippe lætissima hæc Alleluia post exustionem Babylonis, hoc est post Romæ conuersionem, decantantur; vt ex superiùs disputatis satis apparet. Atqui tunc dicitur, *Gaudeamus, & exultemus: quia venerunt nuptiæ Agni.* Porrò ex contextu ipso compertum est, (meo Iudicio) nuptias succedere Romæ ethnicæ incendio. Huc spectat, quòd parabola illa de nuptiis Filii Dei, quæ habetur Matth. 22. iuxta multorum sententiam, referenda est ad Gentium vocationem. Ita sentit Salmeron tomo 7. tractat. 37. §. 3. vbi ait, eam parabolam loqui de tempore prædicatorum ad vocandas Gentes destinatorum.

2. sententia & vera, de mysticis nuptiis Agni cum Ecclesia in hac vita celebratis.

Quæ sit sponsa, quã sibi Agnus per has nuptias ducat.

Oportet tamen distinctiùs explicare, quæ sit hæc vxor, de cuius nuptiis sermo instituitur: hoc enim est magni momenti. Nec video ab Apocalypseos interpretibus id adeò expressè atque dinstincti tractari. Satis enim sibi esse putant, si veluti certum statuant, hanc sponsam, siue coniugem Agni esse Ecclesiam: iuxta illud Pauli ad Ephes. 5. 32. *Ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Nec eò disputationem protrahunt, vt explicent, vtrùm quam Apocalypsis Agni vxorem appellat, sit Ecclesia vniuersalis, an singillatim Romana Ecclesia, quatenus à ceteris distincta, sicut caput à reliquo corpore? Est autem hæc quæstio non parui momenti. Nam si fortè constaret, hoc vxoris Agni nomine Rom. Ecclesiam in Apocalypsi designari: id sanè Romanæ ipsi Ecclesiæ honorificum valde atque gloriosum foret: siquidẽ omnia Apocalypseos Alleluia eò demum tendunt, vt indicetur tẽpus iam Christi nuptiarum cum Romana Ecclesia aduenisse. Si autem certum non esset, Apocalypsin in præsenti singillatim de Ecclesia Romana loqui: næ illa nostris adulationibus minimè indiget. Expẽdamus igitur rationum momenta, quæ vtrinque conflugunt: vt clariùs perspiciatur, vtra sint efficaciora.

Vtrùm hæc sponsa sit Romana Ecclesia.

1. sententia negans

Vt ergo credamus hoc in loco de Romanæ Ecclesiæ nuptiis non institui tractationem: illud imprimis suadet. Quia quæ hic vxor Agni nuncupatur, eadem absque dubio est, de qua dicitur c. 21. 9. *Veni, & ostendam tibi sponsam vxorem Agni.* Nec enim in dubitationem reuocari potest, quin de eadem vxore vtrobique sit sermo: maxime cùm vxoris nomen vtroque in loco habeat articulum: Eò autem loci manifestè agitur de electorũ omnium Ecclesia in cælis triumphante: frustra igitur vxoris Agni nomen

A nomen ad Romanã coarctatur Ecclesiam. Secundò, si nomen vxoris Agni ad Romanam contraheretur Ecclesiam, id planè esset, ceteras orbis Ecclesias ex Agni nuptiis, earumque honore excludere: quod Catholicæ doctrinæ aduersatur. Tertiò, si Christus Romanam duxit Ecclesiam; id certè non fuit post Ethnicorum Imperatorum persecutiones, sed antea, nam illius matrimonij vinculum extitit fides, atqui perspicuum est, cum Christo iam viua fide & ardenti charitate coniunctos copulatosque qui pro ipsius nomine & confessione horribilia tormentorum monstra superarunt. Si ergo in huius prophetiæ decursu peruentum iam erat ad eam victoriam, quam Christiana Ecclesia de Imperatorum persecutionibus & de ipsa Roma ethnica sibi compararat, ex hoc ipso deducitur, nuptias, de quibus nunc agitur, non esse sacrum Christi matrimonium cum Romana Ecclesia.

Statuitur vera sententia affirmàs sponsam hanc esse Romanam Ecclesiam & latè probatur.

Hæc tamen non obstant: quo minùs compertum mihi sit, quæ hic Agni vxor nominatur, aliam à Romana Ecclesia esse nõ posse. Pro cuius explicatione primò aduerto, in his Agni nuptiis, & in vxoris nomine, quod ipsius sponsę inditur, manifestam includi allusionem ad librum Esther, in quo post Vasthi reginam repulsam ac repudiatam, post puellarum plurium pulcherrimarũ electionem, quarum vna in Regis vxorem fuerat eligenda, post annum integrum peractum, in quo vnguentis myrrhinis, aliisque pigmentis sese eiusmodi puellæ inungebant, cùm omnes per ordinem inducerentur ad Regem, ei tandem præ reliquis placuit Esther, quam Rex accepit vxorem, vt habetur cap. 10. 6. *Et iussit conuiuium præparari permagnificum cunctis principibus & seruis suis pro coniunctione & nuptiis Esther.* In hac

B historia norunt omnes, non fuisse solam Esther, quæ Regis fruebatur amplexibus, sed reliquas etiã puellas, quæ cum illa asseruabantur. Nihilominus vni Esther vxoris nomen attribuitur, & Regis nuptiæ magnificentissimo conuiuio cum illa celebrantur: quia ipsa fuit cæteris omnibus prælata, & in Regale solium euecta. Id quod ita prædictum erat cap. 1. 19. *Nequaquam vltrà Vasthi ingrediatur ad Regem, sed regnum illius altera, quæ melior est illâ, accipiat.* Et c. 2. 4. *Quæcumque inter omnes oculis Regis placuerit, ipsa regnet pro Vasthi.* Si ergo ad hanc veluti vmbram & figuram attendamus, congruentius multò est, vt ingens hæc cœna & lautissimum epulum, cuius in hoc loco mentio fit, ne celebretur pro mystica Christi coniunctione cum omnibus Ecclesiis (quæ sunt puellæ illæ, quæ Regis amplexibus fruebãtur) sed pro celeberrimis nuptiis illius Ecclesiæ, quæ inter reliquas fuit tanquam Regina & caput electa. Iam si de singularis Ecclesiæ alicuius nuptiis agatur, neminem latet, de nulla alia, quam de Romana Ecclesia institui posse sermonem. Quod ex ipso contextu roboratur, quia in capitibus. 17. & 18. præcedit Romæ veteris interitus, atque vt sepulto veteri Adamo resurgit *nouus, qui secundùm Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis*, ad Ephes. 4. 24. ita similiter post mortem, humationem, ac nænias veteris Romæ, consectarium est, Romæ nouæ gloriam & iustitiam ac sanctitatem succedere, quæ omnia denotantur in byssino splendenti ac candido. Deinde textus ipse non obscurè

C significat, post has Agni nuptias consequi Gentilitatis conuersionem, quæ figuratur in magna Gentium cæde per Christi gladium facta. hæc enim est vindicta mystica in nationibus, quæ Ps. 149. 7. celebratur. Quis verò Christianus nesciat, Gentilitatis conuersionem fuisse effectum gloriæ atque decôris, quod Romana Eccesia in sua conuersione acquisiuit? Ex eo enim, quòd Ecclesia Christiana ethnicam Romam triumphauerit, & in noua Roma veræ fidei & sanctitatis splendor per publicam Religionis Christianæ professionem effulserit: hinc inquam, tanquam ex fonte atque origine deriuata fuit totius Imperij conuersio, quæ adumbratur in maxima illa internecione post Agni nuptias cum sua sponsa peractas consecuta.

Deinde ex virga ferrea suprà, c. 12. vni filio masculo traditâ.

Secundò: Hæ nuptiæ non sunt tantummodò celebratæ, quia tempus illud aduenerat, quo mystica Esther potita est mysticis supremi Regis amplexibus, sed quia dies accesserat, quo fuit ipsa Regina pronunciata, & ceteris omnibus præposita, vt ex libri Esther contextu manifestè colligitur. Ex quo apparet energia illius locutionis, *Vxor Agni*, quæ non indicat concubinam, aut Principem vtcumque sed supremæ Christi potestatis participem. Id enim propriè est vxor regis. Et quidem de ipso Agno dictum iam fuerat cap. 17. 14. *Quoniam Dominus dominorum est, & Rex regum.* Deinde vidimus suprà c. 12. virgam ferream (quæ est summæ Christi potestatis symbolum) non omnibus matris Sionis filiis fuisse traditam, sed ei solùm, qui in primigenium electus est. Constat enim ex illo c. 12. matrem Sionem non solùm fuisse enixam filium primogenitum, sed alios etiam complures, qui ipsius fratres

D vocantur: cùm tamen vni duntaxat virga ferrea commissa sit. In illo ergo c. 12. continetur Ecclesiarum allegoria sub specie filiorum matris Sion, atque ibi quidem congruentissima extitit filiorum masculorum figura, vt eo loci vidimus. Verùm quod ibi discrimen repræsentatur inter fratrem natu maiorem & reliquos minores, id ipsum adumbratur hic in sponsarum allegoria, in qua sit earũ vna Regina, sicuti in Esther præsignificatum fuit. Atque id innuitur in nomine vxoris Agni, vel Regis, quod est dignitatis nomen, vt Iurisperiti loquuntur. Quare vxori in iure ciuili solet epitheton Dominæ adiungi, ad coniugium atque consortium testandum.

Tertiò, ex allusione ad Psal. 44.

Tertiò, in his Agni nuptiis clarè respicitur ad Psalmum 44. vbi sermo est de mystici Salomonis connubio cum Regina. Et quanuis interpretes in eo loco statuere videantur, pro Regina Christianam Ecclesiam accipiendam: ceterùm, si per Christianæ Ecclesiæ nomen intelligant Ecclesiam vniuersalem, prout fideles omnes complectitur, meo iudicio, Psalmus euidenter eiusmodi acceptionem respuit. Quippe in eo distinguitur Regina à suis proximis, siue cognatis (quæ Regis etiam spõsæ sunt.) Quare necesse est Reginæ nomen presstiùs ibi & strictiùs sumi. Quando enim dicitur, *Assistent Regi virgines post eam, proximæ eius*, &c. Illæ quidem virgines proximæ, siue cognatæ ipsius Reginæ omnino figurant peculiares Ecclesias, quæ respectu vniuersalis Ecclesiæ non cognatæ sunt, sed filiæ siue partes. Quanuis ergo Regina & eius affines virgines ad Christi amplexus & coniunctionem accersantur: distinctio tamen Reginæ & propinquarum arguit distinctionem inter Ecclesias:

ita

Digitized by Google

ita vt vna sit ceterarum Princeps, Regina & caput. Atque hæc per excellentiam vocitatur vxor Agni, eiusque nuptiæ maximâ celebritate peraguntur. Illius Psalmi explicationem videre poterit lector l. 7. Atque ex eo valde confirmabitur, Romanam Ecclesiam in Apocalypsi vxorem Agni nuncupari quantunuis oblatrent Hæretici. A

Obiectio contra nostram sententiam soluitur.

Opponet tamen aliquis, ne quidquam ob nomen Reginæ, quæ vni sponsarum Christi attribuitur, eam ceteris præferri. Nam expressè dicitur Canticorum 6. 7. *Sexaginta sunt Reginæ.* Quòd si attenditur, sponsarum Christi figura (adumbrate enim fuerunt per sponsarum multitudinem, quas habuit Salomon) ex illis Reginæ fuerunt septingentæ, vt habetur 3. Reg. 11. 3. Respondeo, inter Salomonis sponsas, vnam sine dubitatione ceteris fuisse prælatam, vt earum Reginam, qualis fuit Pharaonis filia. Et septingentæ illæ, de quibus in 3. Reg. fit mentio, quanuis Reginæ vocentur, quia aliquo modo in eam dignitatem erant adscitæ, præcipua tamen Regina erat vna ceterarum Princeps. Quinimò in nostro textu 3. Reg. 11. 3. septingentæ non dicuntur absolutè Reginæ, sed *quasi Reginæ.* At Canticorum 6. 7. licèt scriptum sit, *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentarum non est numerus*: illico tamen additur, *Vna est columba mea, perfecta mea, electa genitrici suæ* Hæc igitur vna, quæ ceteris antefertur Romana Ecclesia est, vt in illius loci commentario planum faciam. Nec officit, multis aliis Christi sponsis nomen etiam Reginarum congruere. Nam quemadmodum sponsus est Rex regum & Dominus dominantium, ita etiam illius vxor est Reginarum Regina, per quam Romana Ecclesia indicatur. B

Quartò nostra roboratur expositio aliusque ad Canticum Canticorũ.

Quartò, in his ipsis Agni nuptiis, quarum Ioannes meminit, alluditur similiter ad illud Canticor. 3. 11. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius.* Vbi desponsationis nomen pro nuptiis vsurpatur, agiturque de Christi exultatione in publico Religionis Christianæ exercitio in vrbe Roma recepto, vt ex verissima ipsius contextus acoluthia in illius libri commentario probabimus.

Proponuntur difficultates aliquot aduersus præditã interpretationem.

Sed rursus obijciet aliquis, si Agni nuptiæ ad illud referantur tempus, quo Romanę Ecclesiæ fuit tradita in ceteras Ecclesias potestas & dominatio, hæc certè facultas non concessa est Romanæ Ecclesiæ, quo die fuit Romæ primò excepta Christianæ Religionis publica professio, sed quo Romana ipsa Ecclesia fundata & instituta est. Constat enim inter Catholicos, quòd Romanus Pontifex sit Christi Vicarius, & summus vniuersalis Ecclesiæ Pastor, quodque Romana Ecclesia sit ceterarum omnium caput, hoc, inquam, non primò incepisse à Constantini tempore, sed ab ea ipsa tempestate, qua B. Petrus suam Romæ Cathedram collocauit. Cùm hac verò constanti veritate non videtur vllo pacto cohærere, vt solennis nuptiarum Christi dies sit illa, cùm Romæ publica Catholicæ Religionis professio admissa est. Deinde nostræ explicationi videtur refragari nuptiarum parabola, quæ habetur Matth. 22. 2. ex illa enim patet, repulsos fuisse Iudæos, quia ad Christi nuptias aduenire noluerunt. Quis verò nesciat Iudaici populi excæcationem & obdurationem aliquot sæculis præcessisse, antequàm publicus Religionis Christianæ vsus Romam induceretur? Non igitur congruens est parabolæ à Matthæo adductæ, si dicamus, nuptiarum diem fuisse, quando publica Religionis exercitatio Romæ exorta est. C

Euodatio superiorum difficultatũ.

Pro harum difficultatum solutione animaduertendum est, quæ in nuptiis corporeis intra vnius aut alterius diei spatium contingunt, ea in mysticis Agni nuptiis plurium sæculorum tempora complecti. In nuptiis enim corporeis, rerum ad celebritatem spectantium præparatio, inuitatio amicorũ & ipsummet epulum, omnia breui peraguntur. In Christi autem parabola, cùm mysticæ nuptiæ per comparationem ad corporeas depingantur, necessarium fuit loquendi modum ad nuptiarum corporearum consuetudinem conformari. Enim verò si ad mysterium ipsum oculos conuertamus, nuptiæ à Christi passione erant præparatæ, & per Apostolorum prędicationem Iudæi multorum annorum spatio sunt inuitati, ob ipsorum autem tergiuersationes nuptiarum celebritas prolata fuit vsque ad magnam Gentium conuersionem, ac demum peractæ summâ celebritate sunt, quo die publica Religionis Christianæ exercitatio fuit Romam admissa.

Quanam per antonomasiam appellentur in hac vita Christi nuptiæ?

Verum quidem est, in ipsa parabola hanc generalem simul doctrinam contineri, quæ in hac & illa Ecclesia peculiari, in hoc aut illo sæculo verum tenet, nuptiarum nomine latiùs sumpto: si tamen illas imprimis attendamus, quæ per antonomosiam & stricti ori ratione appellantur Christi nuptiæ, ad quas euocatæ sunt Gentes post Iudæorum excusationes, quanuis nonnullis antea sæculis nuptiæ fuerant paratæ, Romana Ecclesia in Reginam electa, & summa illi potestas supra omnes Ecclesias tradita, in diuini tamen consilij dispositione, illa omnia sæcula pro paucis diebus, aut etiam horis reputabantur: nec dum nuptiarum celebritatis tempus aduenerat, quoad Romæ publica Religionis professio excepta est. Tunc enim maximè est impleta potens atque efficax Gentium omnium vocatio, quæ Matth. 22. 10. significata est verbis illis, *Impletæ sunt nuptiæ discumbentium.* Aliud ergo fuit, Romanam Ecclesiam constitui Reginam, aliud nuptias per generalem Gentium vocationem efficacem celebrari, Vt enim fieri apud nos sæpè contingit, Principis alicuius fœminæ electio in Regis sponsam, atque adeò in Reginam, & pactio interpositis verbis inita (qua iam reapse Regina iudicatur) antecedunt ipsarum nuptiarum celebritatem. Non aliter, quòd Romana Ecclesia, non solùm per Dei electionem, sed etiam per potestatis collationem regina & imperatrix ceterarum Ecclesiarum constituatur, id quidem præcessit eas. quæ propriè vocantur nuptiæ, id est celeberrimam frequentiam & conuiuia apparatissima, quibus vxor in viri domum deduci solet. Quis verò nesciat, si de materiatis domibus sermo sit, templum esse Dei domum? Priùs ergo, quàm Romæ publica extruerentur templa, aut etiam consecrarentur, quibus diuina officia Christiani celebrarent, nondum videbatur Romana Ecclesia cum debita pompâ ac celebritate, tanquam vxor sponsi, in ipsius domũ D

delata

Digitized by Google

A dilata. Quòd si generale conuiuium, in quo re ipsa *impleta sunt nuptia discumbentium*, repræsentat efficacem totius Imperii Romani vocationem: huius efficacitatis tempus fuit quidem post receptum Romæ publicum Christianæ Religionis exercitium. Atque hunc sensum postulat non obscurè Apocalypseos contextus & acoluthia.

Præter hæc, etsi Romana Ecclesia ab ipso suæ institutionis exordia magna illa potestate atque imperio supra omnes Ecclesias pollebat, dum tamen Ecclesiæ perexigui erant Christianorum cœtus, nondum Romanæ Ecclesiæ auctoritas ad summum fastigium peruenerat, atque hæc auctoritatis magnitudo, quæ ingentem fidelium multitudinem Romanæ Ecclesiæ ex omnibus mundi nationibus subiectam complectebatur, pertinet cum primis ad allegoriam nuptiarum potentissimæ alicuius Reginæ, quibus in nuptiis illa ab innumerabili subditorum cœtu colitur ac suspicitur.

Fi satis iis argumentis quibus suprà negotium pars huic nostræ expositioni contraria fulciebatur

Supereſt nunc respondere ad argumenta, quibus initio probabatur, per vxorem Agni non designari in Apocalypsi Romanam Ecclesiam. Ad primum ergo Respondeo, eandem omnino esse, quæ iam in hoc cap. quàm cap. 21. 9. vxor Agni nominatur. Quod autem hinc infertur. Romanæ Ecclesiæ est glorioſissimum, videlicet admirabilem illam c. 21. visionem agere de excellentissima gloria, quæ Rom. Ecclesiam in cælo manebat. Hoc verò esse illius capitis argumẽtum suo loco ostendemus. Ad Secundum, finis nuptiarum Christi cum Rom. Ecclesia, est spiritalis & arctissima sanctarum

B animarum vnio cum ipso Christo: ad quã vnionem non solùm Regina illa accitur, quæ vxor Agni nuncupatur, sed etiam ceteræ omnes Ecclesiæ, & singulæ fidelium animæ. Vt igitur, quanuis multæ sint Ecclesiæ ad Christi amplexus vocatæ, nihilominus vna est ceterarum Regina, vt manifestè Pſ. 44. & Canticorum libro traditur, sic etiam nuptiarum cum Regina initarum excellentia impedimento non est, quo minùs nuptiæ etiam cum reliquarum Ecclesiarum singulis, atque ideò cum singulis fidelium animabus celebrentur Præsertim, cùm ad cœnam celeberrimam in Reginæ nuptiis paratam Gentes omnes euocentur, vt infrà explicabimus. Ad tertium, in mysticis Romanæ Ecclesiæ nuptiis cum Christo celebratis nihil obstat, quin fœdus ipsum atque vnio Ecclesiæ cum Christo, viua fides, & magna Rom. Ecclesiæ auctoritas ob potestatem sibi à Deo collatam, hæc inquam omnia antecedant ipsarum nuptiarum celebritatem, vt satis iam explicatum est.

Pergit textus, ET VXOR EIVS PRÆPARAVIT SE] Vxoris nomen contendunt aliqui referendum ad gloriæ consummatæ statum in patria. Verùm si hoc verbo, consummatio matrimonii includitur, ex Canticorum libro discimus, allegoriam consummati matrimonii ab Scriptura transferri ad Ecclesiæ vnionem cum Christo in hac vita. Neque officit, quòd c. 21. 9. (vbi agitur de Ecclesiæ gloria in cælesti beatitudine) dicatur: *Veni, ostendam tibi sponsam vxorem Agni.* Potest enim is esse sensus. *Veni*, & tibi indicabo gloriam, quam Deus Romanæ Ecclesiæ in cælesti patria habet præparatam, illi inquam Ec-

C clesiæ, quæ in terra erat vxor Agni, id est Regina inter Ecclesias. Hoc amplius roboratur, quia ibi etiam additur. *Et ostendit mihi ciuitatem sanctam Ierusalem descendentem de cælo*, nec tamen idcirco denotatur, *descendere de cælo*, esse quid pertinens ad statum illius beatitudinis, quæ Ecclesiam manet in patria. Sed sensus est, ostensam fuisse Ioanni gloriam, qua in cælo fruetur ea Ecclesia, quæ nunc eleganter dicitur è cælo descendere. Quod ergo adducitur, vt probetur, nomen vxoris Agni non cõgruere in hac vita Rom. Ecclesiæ, nullius roboris est: Et suprà iam vidimus huiusmodi nomen mirificè Rom. Ecclesiæ aptari propter alluſionem ad librum Esther, ad Pſ. 44. & ad Canticorum librum.

Vxoris nomine non hic cõuinci, de conjummata in cælo gloria esse sermonem.

Alluſio ad præparationem Estherpriùs quam ad Assuerũ introduceretur.

PRÆPARAVIT SE] Alluditur in hoc ad Esther præparationem, quæ ipsius nuptias præcessit, de quo Esther 2. 12. *Ita duntaxat, vt sex mensibus oleo vngerentur myrrhino, & alijs sex quibusdam pigmentis, & aromatibus vterentur, ingrediente sq; ad Regem, quidquid postulassent ad ornatum pertinens, accipiebant.* Per huius figuræ comparationem rectè intelligitur spiritalis Rom. Ecclesiæ præparatio; tum vt cælesti Regi gratior, & purissimis illius amplexibus aptior fieret; tum vt eius contemplatio & odor cęlestis vocatos ad nuptias permulceret. Quod de animarum ædificatione per optimum exemplum accipi debere facilè intelligitur. Manifestum autem est, qua præparatione Esther Regi extitit gratissima, eandem effecisse. *Vt omnium oculis gratiosa & amabilis videretur*, Esth. 2. 15. Quamobrem eadem præparatio,

D qua se Rom. Ecclesia ornauit, & compsit, vt Christo sponso summoperè placeret; eadem fuit causa, vt in nuptiarum celebritate omnium oculis gratiosissima appareret; ac proinde apud Gentes valeret plurimùm, quò facilius eas ad Christi obsequium traduceret.

Sub pluribus Cantici Cãticorum comparationibus quid mysterij delitescat.

Reducitur hæc comparatio ad eximias atque præstantes Romanæ Ecclesiæ virtutes, quæ Cant. 4. sub elegantissimis comparationibus celebrantur: quibus omnibus significatur, in Romana Ecclesia mirum in modum excelluisse fidei castitatem, deuotionis excellentiam, eleemosynas diuitum, prædicationis efficacitatem, honestatem morum, Martyrum victoriam, mirabilem Euangelii ministrorum in persecutionibus sanctitatem, immaculatã in plerisque, conscientiæ puritatem, eximiam denique sapientiam; sed maiorem deuotionis & vitæ exempli laudem, & in ipsa prædicatione coniunctionem cælestis eloquentię cum vitæ sanctimonia. Hæ sunt Romanæ Ecclesię laudes, Cantic. 4. graphicè depictæ, vt in eius commentario constabit. Sed vt ad Esther præparationem redeamus; facilè cernitur, in oleo myrrhino mortificationem passionum, in ceteris pigmentis & aromatibus pulchritudinem reliquarum virtutum indicari.

ET DATVM EST ILLI, VT COOPERIAT SE BYSSINO SPLENDENTI ET CANDIDO] De Esther dicitur c. 2. 15. *Non quæsiuit muliebrem cultum: sed quæcumque voluit Egeus eunuchus custos virginum, hæc ei ad ornatum dedit.* Quibus forte respondet, quod hic de Romana Ecclesia dicitur, nimirum ad nuptiarum celebritatem, non eam selegisse ornatum, sed ab Spiritu sancto accepisse: *datum est illi.* Induit eam Spiritus diuinus recenti & splendenti byſſo, id est, splẽdore iustitiæ & sanctitatis per labores & ærumnas probatæ; sicuti byssus per iniurias & oppressiones candorem & splendorem acquirit. Atque huiusmodi

Vers. 8. *Collatio huius ornatus sponsæ dati, cum Regina Esther ornatæ.*

Digitized by Google

modi ornamenta Deo maximè placent, iuxta illud Psal. 92.5. *Domum tuam decet sanctitudo.* De significatione verò byssi diximus satis c. 1. Et muliebris hic mundus opponitur profano meretricis ornatui, de quo suprà c. 17. A

TEXTVS.

Vers. 9. Et dixit mihi, Scribe, Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt, & dixit mihi, Hæc verba Dei vera sunt.

COMMENTARIVS.

In verbo, Dixit, *quænam persona agens, siue loquens subintelligenda sit.*

ANTEQVAM longiùs progrediamur, nodum dissoluamus oportet. Quod, scilicet, sit suppositũ illius verbi, *dixit*? Est enim Angelus, ad cuius pedes se Ioãnes venerabũdus abiecit, vt habetur versu sequenti. Et quanuis interpretes hanc difficultatem prætereant, supponentes sermonem hic esse de Angelo, qui à Christo fuit missus, vt Ioanni Apocalypsin repræsentaret (sic enim cap. 1.1. *Significauit mittens per Angelum seruo suo Ioanni:*) verùm non ita comperta res est ac peruia, vt nonnulli putarunt, de hoc Angelo sermonem institui à Ioanne, cum ait, *Et dixit mihi.* Quanuis enim certò cõstet, per Angelũ cęlestis Hierarchiæ totam hanc Apocalypseos visionem Ioanni ob oculos proponi: B in hac tamen imaginaria visione multæ inducuntur personæ cum Ioanne loquentes. Et alij quidem sunt Angeli naturâ, alij officio, hoc est, aut veteris instrumenti propheţ, aut viri Apostolici ex nouo, aut ille, qui per excellentiam appellatur noui testamẽti Angelus, nempe Christus Dominus. Et quidem textus vbique solet distinguere, quisnã Ioanni appareat, aut loquatur. Quòd verò hic suppositũ verbi, *Dixit*, non exprimatur, hoc non probat, qui id Ioanni dixerit, esse Angelũ totius Apocalypseos actorẽ. Quoties enim prosequitur, & verbũ aliquod sine peculiari persona regente apponit, supplenda est verbi antecedentis persona: vt cap. 1.17. vbi dicitur, *Posuit dexteram suam super me dicens*, vbi persona agens illa ipsa est haud dubiè, quæ se priùs numero 13. filium hominis appellauerat. Similiter ergo in præsenti persona agens ex præcedenti contextu subaudienda est, & quanuis proximè antecedens non sit Angelus, sed *vox turbæ magnæ*, ceterum cælestis vox loquens c. 18. voces item quadruplicis Alleluia capitis 19 figurantur omnes tanquam quid dependens, & consectariũ ad ea, quę protulit magnæ potestatis Angelus, de quo mentio fit initio c. 18. Vnde qui nunc ait, *Et dixit mihi, Scribe*; non alius esse posse videtur nisi magnæ potestatis Angelus. Cõstat enim ex sequenti versu, personæ verba is thæc loquenti nomen Angeli tribui. Quòd si Angelus debet esse qui proximè antecedit, nullus est proprior, quàm Angelus magnæ potestatis. Aliæ autem voces, quæ interiectæ sunt: non peculiares agunt personas, quæ prope Ioannem assisterent, sed sunt voces è cælo resonantes consectariæ ad ea, quæ Angelus magnæ potestatis edixerat: qui Angelus dicitur è cælo descendisse. Quare hic esse videtur, qui Ioannem alloquitur. *Qui Ioanni nunc dicit, vt scribat, Angelum esse magnæ potestatis, ac proinde B. Petrum in eo figuratum.* C

Quoniam verò in superioribus ostensum est, illum magnæ potestatis Angelum esse Apostolum Petrum, si ille ipse Angelus est, qui hic ad Ioannem verba facit, sequitur Ioannem ad B. Petri pedes deosculaturũ procidisse. Simile quid narratur c. 22. 9. vbi Ioannes ait, *& postquam audissem, & vidissem, cecidi ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendebat*, vbi profectò designatur ille Angelus, qui Ioanni demonstrauit ciuitatem sanctam cap. 21. & fluuium eius cap. 22. Namque vt hic Ioannes ad Angeli pedes supplex atque humilis prosternitur, exultans prę gaudio ob nuncium felicissimum, qui antecesserat (nempe de Romæ conuersione, & felicissimo Romanæ Ecclesiæ successu:) ita etiam posteà cap. 22. affectu non absimili procumbit Ioannes ad Angeli pedes, qui illi indicauit summam beatitudinem, qua in cælorum regione fuerat eadem Christi sponsa futura.

His præstitutis, si probatemus Angelum, cuius se pedibus Ioannes submittit c. 22. esse B. Paulum; nihil cohærentius & verisimilius; quàm vt Angelus, cuius ad pedes nunc Ioannes prociduus sternitur, sit Apostolus Petrus. Illum enim in Angelo magnæ potestatis figurari, suprà probatum est. Reliquum igitur est, vt probemus eum Angelum, qui Ioanni ciuitatem sanctam c. 21. monstrauit, esse B. Paulum. Hoc autem meo iudicio validè comprobatur, quia in textu Angelus ille dicitur esse, *Vnus de septem Angelis habentibus phialas*, atqui vnus, idem est quod primus, de quo aliàs: hic verò sine dubio est Paulus, vt vidimus, c. 16. & 17. & infrà videbimus c. 21. D

Deinde, vt confirmetur, Petrum & Paulum denotari per duos hosce Angelos, quorum ad pedes cecidit Ioannes, non paruo argumento est, vtrumq; in sacram hanc Apocalypseos actionem induci, vt Prophetas de Romanæ Ecclesiæ felicitate vaticinantes. Quam verò ipsi rationem Ioanni reddũt, ne eos adoret, ea est, quia si ipsos propter prophetiæ spiritũ adorat, ipse quoque Ioannes est Propheta, & *Omnes qui habent testimonium Iesu*: quia testimonium Iesu est Spiritus prophetiæ. In quo supponitur, hos duos Angelos, quos Ioannes adorare voluit, Prophetas esse. Atqui Prophetæ nomen in sacris Literis nunquam cęlestis Hierarchiæ Angelis attribuitur, Petro autem & Paulo tribuitur aptissimè propter ea, quæ de Romæ conuersione, deque gloriæ magnitudine ipsam in cælo manente prænunciarunt. *Angelum, ad cuius pedes Ioannes se in hoc capite prouoluit, diuersum esse ab eo, ad cuius item pedes procidit Ioannes ipse, c. 22.*

Præterea, licèt ferè statuatur ab expositoribus, eundem esse Angelũ, ad cuius pedes se Ioãnes supplex volutauit c. 19.10 &c. 22.8. hæc tamen opinio non alio fũdamento nititur, quã aliquorũ in consiliorum, qui duos hos Angelos in textu distingui, non obseruarũt: quod si aduertatur, facile cernitur, multò congruentius esse, vt Angelus capitis 22. sit distinctus ab Angelo capitis huius 19. Nam in eodem ipso Angelo non multũ cõuenientiæ habet, vt postquã Ioannes semel ad eius se pedes abiecit, & ab eo fuit prohibitus verbis illis, *Vide, ne feceris, conseruus enim tuus sũ, & fratrũ tuorũ habentiũ testimonium*

Digitized by Google

A *monium Iesu*, adhuc tamen secundò ad eius pedes Ioannes procumbat, eademque verba ab Angelo prohibente exaudiat. Si tamen diuersi sint Angeli, plus decoris atque energiæ continet visio, in qua indicatur Ioannis studium & propensio ad eorum quemlibet adorandum: necnon vtriusque Angeli consensio in Ioanne eisdem verbis & eadem comitate arcendo. Huic sententiæ illud adstipulatur, quòd titulus *conseruus*, est Pauli proprius. Nam ad Coloss. 4. 7. Tychicum, qui fidelis erat minister, appellat *conseruum* suum. In eandem locutionem recidit illa Petri Epist. 1. cap. 5. 1. vbi cum Presbyteris loquens, vocat se *consenioren*, id est compresbyterum: quod eandem continet energiam.

SCRIBE: BEATI, QVI AD COENAM NVPTIARVM AGNI VOCATI SVNT] Multi verba hæc ad eam referunt æternæ patriæ felicitatem, qua Sancti post huius vitę decursum perfruũtur. Hic tamen sensus nostræ nuptiarum explicationi non quadrat. & alioqui etiam ad patriæ felicitatem non erat satis aptum cœnæ nomen. Quia cœna non appellatur ferè, nisi quæ de nocte fit, atqui in cęlesti patria noctis nomen non habet locum. Nobis igitur hæc cœna accipienda est de opiparo conuiuio iis præparato, qui sunt efficaciter vocati ad nuptias Romanæ Ecclesiæ cũ Christo in hac vita celebrandas, post mysticam Romæ veteris deflagrationem. Est autem animaduertendum in hac allegoria cœnæ nuptiarum, cœnam quidem antecedere mutuæ vnioni sponsi atque sponsæ in cubili. Vnde in Canticorum libro iterum atque iterum distinguuntur oscula & amplexus à vino, atque conuiuio, tanquam à re præcedenti. Vide caput 1. 1. *Meliora sunt vbera tua vino*, &c. 2. 4. *Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem*, id est epulum apparauit. Et posteà: *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. Sicut ergo oscula & amplexus ad animarum vnionem cum Christo referuntur: sic etiam conuiuium, quod præcedit, ad Christi cognitionem, & vini suauitas applicantur ad purissimam reuelatæ sapientiæ voluptatem.

Cœnam Agni non hic sumi pro cælestis patria felicitate.

B

Censeo igitur, quod Ioannes literis mandare iubetur de eorum felicitate, qui ad nuptias sunt vocati, significare, post Christianæ Religionis professionem publicam Romę receptam, Christi cognitionem & Ecclesiæ doctrinam ad magnum perfectionis cumulũ peruenturã: & eos qui huius conuiuij forent participes per cælestis sapientiæ in Romana Ecclesia florentis communionẽ, tanta sapientię eiusdem affluentia, tantiq; eiusdem sapientiæ delitiis cęlestibus fruituros, vt Beatorũ nomẽ, id est valdè felicium illis meritò tribuatur. Memini me audisse à viro quodã eximiæ sapientiæ & sanctitatis, cælestis felicitatis imaginem, quæ in terra reperitur. videri sibi non esse aliam, quam sacram Scripturam legere & intelligere. Et quidem meritò, eodem enim sensu vsurpauit Christus Dominus nomen Beati, cùm dixit Petro Mat. 16. 17. *Beatus es Simon Bar-iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est*. Et quanuis suauitate illa atque vbertate potita sit Romana Ecclesia ante nuptiarũ cum Christo celebritatem: si tamen fideliũ communis status perspiciatur, magnopere Sanctorum sapientia & diuinorũ mysteriorũ cognitio aucta est publica Christianæ Religionis Romæ professione. Nam persecutionum quidem, (vtpote belli) tempore, non ita ex professo sapientiæ & rerum cognitioni vacari potest. Quapropter negandum non est, quin post persecutionũ exitum, & post generalem totius Romæ conuersionem ad Christum, Deus Romanæ Ecclesiæ, eiusque doctoribus multò vberiorem sapientiam, quàm antea sit elargitus, Vnde Martyrum fortissimorum gloriæ successit felicissimus Doctorum & Conciliorum status.

Quæ sit hæc Agni cœna siue conuiuium.

C

Dum ergo coniiciuntur oculi in futurum sapientiæ Romana in Ecclesia incrementum, in sacrarum Literarum studium, & cælestium mysteriorũ notionem, aptissimè in conuiuij allegoria dicitur, *Beati qui ad cœnam nuptiarũ Agni vocati sunt*. Vt verò denotetur eorum securitas, qui, quo tempore adeò erat splendidum atque abundans sapientię conuiuium, ad Romanæ Ecclesię epulas accederent, ideo profertur, *Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt*. Si enim vxor Agni est Rom. Ecclesia, vt suprà ostendimus, qui ab illius commercio & societate separantur, vt hæretici & schismatici, neque illius fruuntur conuiuio, nec prædicantur beati. Porrò in hoc epulo verissimè & cumulatissimè impletur, quod Prou. 9. describitur, vbi sapientia dicitur miscuisse vinũ, & proposuisse mensam suam. Quòd si his in verbis Salomon eò respexit, templum scilicet à se structum, veræ etiam doctrinę fore scholas, & Israëlitici populi sapientiam per illius nobilissimæ academiæ frequentationem multiplici incremento auctum iri: facili negotio cernitur, templum illud fuisse non adumbratam modò, sed etiam expressam maiestatis Romanæ Ecclesiæ imaginem, atque adeò in ipsa Ecclesia mirum in modum excreuisse veram sapientiam sub pacis & Christianæ fidei professionis tempora, ita vt iure dici possit, *Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt*. Porrò de hoc eodem cælestis doctrinæ incremento & ornatu in Romana Ecclesia agitur elegantissimè sub alia allegoria Cant. 4. vers. 13. 14. & 15. Vt eo loci expendemus.

Quinam hic ab angelo prædicentur beati?

D

Præter hæc, in conuiuij allegoria tria cumprimis intelliguntur: hæc sunt, magna affluentia, mira varietas, meræ deliciæ. Quæ tria in splendidissimo sapientiæ epulo, quod inuitatis ad nuptias Romanæ Ecclesiæ cum Christo proponitur, affatim reperiuntur. Quò spectat concionũ admirabilium frequentia, librorum cælesti doctrina refertorum copia, colloquia cum viris sapientissimis habita, egregia spiritualium hominum institutio. Quæ omnia propriè conficiunt sapientiæ conuiuium, quodque ceteris omnibus antecellit, est interior diuini Spiritus illustratio per pias diuinarũ rerum commentationes, & frequentem ad Deum orationem, adhærendo semper Ecclesiæ Romanæ institutioni, & sacrorum Conciliorum, quæ pacis tempore celebrari potuerunt.

In hac conuiuij allegoria, tria potissimùm obseruanda.

In eâdem allegoria conuiuij, fortè haberi respectum ad Missarũ sacrificia.

Geterùm, præter hanc cœnæ explicationem, fortasse dici posset in nuptiarum Romanæ Ecclesiæ allegoria comprehendi Missarum & Sacramentorum frequentiam, quibus singuli homines frui potuerunt, postquam Christianæ fidei professio Romam fuit communiter inuecta. Ac præsertim potest in ea allegoria denotari sanctissimæ Eucharistiæ præsentia atque vsus, religiosæ vitæ facilis consuetudo propter erecta hominũ Deo sacrorum monasteria, templorum frequentia, imaginum

Digitized by Google

adoratio, veneratio sacrarum reliquiarum, ac diuinorum officiorum celebritas. Hæc namque omnia si sumantur quatenus præcedere solent, atque disponere hominum animos ad mutuam cum Deo coniunctionem, in cœnæ allegoria possunt coërceri, quæ cœna solet antecedere mutuam sponsi & sponsæ coniunctionem. A

Cur Petrus inducatur Ioannem hortans, vt hanc conscribat sententiam?

Quòd verò Petrus Ioannem hortetur, vt hanc conscribat sententiam; *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt*, in eo indicatur vehemens B. Petri desiderium, vt fideles permagni facerent felicitatem illius conuiuij, quod eis proponitur in Romanæ Ecclesiæ nuptiis cum Christo. Cùm autem huiusmodi nuptiæ ad illud referantur tempus, quo vniuersa Roma Christi fidem amplexa est, iure optimo inducitur Petrus (qui illud prædixerat) Ioanni præcipiens, vt id literis mandet, vt quasi veritatem ab Apostolis traditam fideles suscipiant, ac venerentur. Iam, si locum aliquem B. Petri inquiramus, vbi significet ingentem felicitatem, quæ reperitur in cælestis sapientiæ affluentia, quam Deus in hac vita suis familiaribus impertitur: nihil occurrit aptius, quàm verba illa 2. Petri 1.2. *Gratia vobis & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Christi Iesu Domini nostri.* In hac Petri benedictione fidelibus scripta detegitur, quanti B. Apostolus æstimarit splendidissimum conuiuium, quo, post triumphum de Roma ethnica actum, fideles in cœna nuptiarum Agni fruituros præsciebat.

Cur huiusmodi conuiuium appelletur cœna?

Fortè autem huic epulo nomen imponitur cœnæ, vt allegoria ipsa ad Iudææ consuetudinem, vel potiùs ad receptum in omni antiquitate morem conformetur. Nuptiæ enim apud veteres noctu celebrabantur, vt colligitur ex parabola Christi Matth. 25. vbi decem virgines cum accensis lampadibus opperiuntur sponsum ad nuptias venientem. Hoc autem ex Plutarchi problematis, & ex aliis veterum scriptorum locis liquidò constat. Atque eum fuisse communem antiquorum morem, ex eo licet colligere, quòd matrimonio tædæ nomen dederunt, vt constat ex illo Virgilij 4. Æneid. *Si non pertæsum thalami tædæq; fuisset.* Et quanuis obiiciat huic consuetudini Ribera, prandia etiam apud veteres vsitata fuisse; inde tamen non probat, epulas nuptiales ante noctem celebrari solitas. Adhęc, cœnæ nomini mysterium peculiare subesse potest. Mysticum enim conuiuium, de quo hic sermo est, in huius vitæ nocte potimur, antequàm æternæ claritatis dies eluceſcat. Atque hoc vitæ huius epulo fruimur ad Diuini Verbi nobis reuelati lucernam, dũ illi attendimus, *Quasi lucernæ ardenti in caliginoso loco, donec dies eluceſcat*, 2. Pet. 1.19. Fortè etiam cœnæ nomen exigit, vt post spiritales delicias ac refectionem sequatur contemplationis somnus, vt possit inuitatus dicere illud Ieremiæ 31.25. *Quia inebriaui animam lassam, & omnem* (id est totam) *animam esurientem saturaui: ideo quasi de somno suscitatus sum, & vidi, & somnus meus dulcis mihi.* B

Hæc prædictorum cõfirmatio quonam referenda sit?

Et dixit mihi; Hæc verba Dei vera sunt] Confirmatio hæc non solùm referenda est (opinor) ad eam sententiã, quam Angelus magnæ potestatis Ioannẽ scribere iussit (scilicet, *Beati, qui ad cœnam nuptiarũ Agni vocati sunt*) verùm etiam ad vniuersam prophetiã de mystico Babylonis supplicio, deque lætissima celebritate, quam Ecclesia in Agni nuptiis peractura erat. Quia verò omnia hæc in Romę vnius conuersione completa sunt, hæc ipsa Romæ conuersio rursus cõfirmatur diuinâ auctoritate, non vt tunc Ioannes credat (iam enim antea credebat,) sed vt solatium accipiat certissimo futuræ illius rei euentu, quæ tanti ad Romanam Ecclesiam intererat. Ita philosophatur Paulus ad Hebræos 6.18. in Dei iureiurando, *Vt fortissimũ solatium habeamus.* Hæc ergo est illorum verborũ vis; *Hæc verba Dei vera sunt.* In quibus licèt primò Epitheton *vera*, superuacaneum videatur (nã si Dei sunt, vera sint necesse est; *Impossibile enim est mentiri Deum.*) Hoc tamen, quod superare videtur, est veluti ipsius Dei iusiurandum, quod permagno solatio est. Quid, si *vera Dei verba* perinde sit, atque legitima & non adulterina, cui proinde fides habenda sit? Cùm autem hæc verba B. Petrus faciat, videtur hæc sententia deprompta ex eo, quod ipse scribit Epistola 2. cap. 1. n. 19. *Habemus firmiorem propheticum sermonem.* Similiter enim in præsenti Angelus magnæ potestatis affirmat, Dei esse prophetiam, quidquid præmonstratum est ab illis verbis, quæ ille dixit, nimirum: *Cecidit, cecidit Babylon.* C

TEXTVS.

Vers. 10. Et cecidi ante pedes eius, vt adorarem eum, & dicit mihi: Vide ne feceris, conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu. Deum adora. Testimonium enim Iesu est spiritus prophetiæ. D

COMMENTARIVS.

HORVM verborum explicationi annectenda est similium verborum explicatio ex cap. 22. n. 8. & 9. quæ sic habent: *Et ego Ioannes, qui audiui, & vidi hæc, & postquam audissem, & vidissem, cecidi vt adorarem ante pedes eius, qui mihi hæc ostendebat: & dixit mihi, Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum prophetarum, & eorum qui seruant verba prophetiæ libri huius. Deum adora.*

Vtroque in loco duo videntur statuere interpretes. Alterum, eundem omnino esse Angelum, ad cuius pedes procidit Ioannes tam cap. 19. quàm cap. 22. atque adeò Ioannem bis ad eiusdem Angeli pedes prouolutum. Alterum, hunc Angelum esse vnum ex cælesti Hierarchia, illum scilicet, quem Christus misit, vt Ioanni Apocalypsin ageret. Ego tamen (vt versu præcedenti dixi) mihi persuadeo, duos hos Angelos esse inter se diuersos; nec naturâ esse Angelos, sed officio, ac primum quidem esse B. Petrum; secundum, B. Paulum. Id quod licèt audienti, siue legenti nouum atque insolitum appareat: si tamen attentè rationes expenderit, quas superiori versu proposui, verisimilius ac probabilius illi visum iri confido.

Fruſtrà

Digitized by Google

A Frustra igitur laborant interpretes in reddenda ratione, cur Angelus non se à Ioanne adorari sit passus? Alij enim Dominicæ incarnationis reuerentiam causantur; quapropter nolint Angeli adoratione coli ab ijs, qui eiusdem sunt cum Christo homine naturæ. Ita Gregorius, Ambrosius, Haymo, Strabus, Rupertus, & Ansbertus. Sed contra est, quia non hanc reddit Angelus rationem, sed longè diuersam. Alij malunt, hanc adorationem respuisse Angelum sibi à Ioanne deferri, propter virginitatis in Ioanne elucentis excellentiam, sic Petrus Damianus. Alij referunt ad sacerdotis dignitatem quæ homines Angelis adæquat: sic Viegas. Alij ad Ioannis labores pro Christo fortiter toleratos. magnam quippe dignitatem esse pro Christo pati. Alij ad dignitatem Euangelici prædicatoris; quod munus homines Angelis reddit æquales. Baronius 1. Annalium tom. id propterea fuisse scriptum tradit, vt fideles probè essent instructi aduersus Cherinthi errorem, qui eodem ipso tempore plus dignitatis tribuebat Angelis, quàm re ipsa illis Scriptura attribuit. Aliis placet ea ratio, quia scilicet homines in cæleſti Beatitudine erunt Angelis æquales. Si tamen verum B est, per vtrumque Angelum adumbrari Petrum & Paulum, hæ omnes philosophandi rationes facilè corruunt.

Angelum, cuius ad pedes hic Ioannis procidit, esse diuersum ab eo, ad cuius item pedes c 22. procubuit.

Varia aliorum opiniones ac rationes de hac Ioannis adoratione referuntur obiter ac reiiciuntur.

Nihilo plus arridet illa suspicio (quanuis auctores valde graues, nempe Augustinus & Thomas eam adstruant) Ioannem videlicet credidisse, hunc Angelũ esse Christum Dominum, ideoq; ad eius pedes cecidisse, vt eum adoraret. Vide hac de re Salmeronem to. 16. in fine præludiorum in Apoc. & Viegam sect. 3. Huius autem suspicionis fundamentum illud esse videtur, quòd adorationis nomen accipiatur pro latria, quæ soli Deo defertur. Constat tamen ex sacrarum Literarum vsu, sæpè adorandi vocabulum latiùs accipi. Si autem Angelus, ad cuius pedes se Ioannes abiecit cap. 22. idem erat cum Angelo capitis 19. vt fert communis opinio; in cap. saltem 22 Ioannes ignorare non poterat, Angelum non esse Christum: siquidem ipsemet Angelus ille antea edixerat; *Conseruus tuus sum, & fratrum tuorum.* Cùm igitur tunc Ioannes rursus ad eum adorandum aggrediatur, argumento est, principio non eum adorare voluisse, quòd Christum esse reputaret. Nec est, cur Ioannem deceptum fuisse credamus, cùm potiùs ex textu constet, Ioannem agnouisse, quisnam esset ille Angelus, ad cuius hic pedes procubuit, quippe de illo tanquam sibi cognito fuerat locutus dicens, esse Angelũ magnæ potestatis c. 18. 1.

Ioannes minimè fuisse deceptum in huius angeli cognitione.

Dices: si Ioannes illum Angelum esse Petrum recognouit, illam ei voluit fortassis deferre adorationem, quam fideles omnes cuiuscunque dignitatis sint, summo Pontifici Christi Vicario tribuere solent: qua ratione verum quodammodò est, Ioannẽ ideo voluisse huic Angelo cultum & adora- C tionem offerre, quòd eum pro Christo habuerit. Nam Vicarium esse Christi, quodammodo est ipsum esse Christum, vtpote qui illum repræsentet. Ceterùm quanuis tota illa veneratio, quam Christianus populus supremo Christi Vicario attribuit, ipsius dignitati maxime debeatur, nihilominus verisimile non est Petro deferri à Ioanne adorationem tanquam Christi Vicario. Primò, quia eandem posteà reuerentiam Ioannes exhibet Paulo cap. 22. 8. Atqui Paulus non fuit Pontifex summus. Deinde, quia si Ioannes hoc in loco Petrum vt Christi vices agentem adoraret, non diutiùs differret ad eius se pedes abijcere, sed cùm primùm ei apparuit, protinus cultum deferret. At inter spatiũ illud, quo ei primùm Angelus apparuit, & aliud, cùm Ioannes ad eius pedes procidit, interceſſere illa omnia, quæ toto c. 18. & magna parte cap. 19. referuntur. Præterea, quanuis Pontificis Romani dignitas atque maiestas per se considerata non acceperit processu temporis incrementum, primis tamen Christianæ Religionis sæculis videtur aliqua extitisse causa vel ratio, propter quam adoratio summi Pontificis, quoad exterioris ceremonię ostensionem, non fieret communiter tanta reuerentia, quantam postea Christiana pietas ab omnibus fidelibus suo iure requisiuit: videlicet, quia dum Christi Ecclesia nondum publicum Religionis exercitium adepta fuerat, rationi erat consentaneũ, vt Romani Pontifices gererent se eo ferè modo, quo Principes ij, quia aliqua de causa priuatorum hominum habitu dissimulati incedunt, erga quos ij etiam, à quibus agnoscuntur, dissimulationi se accommodantes, & tempore seruientes, multò aliter se gerunt quoad reuerentię manifestationem, quàm posteà, cùm publicè eos in suæ maiestatis throno sedentes intuentur.

Alia explicandi ratio proponitur ac refutatur.

Vt ergo meam exponam sententiam, existimo, Ioannem ideo ad pedes Angeli magnæ potestatis primò, deinde ad alterius Angeli ciuitatem sanctã sibi ostendentem, fuisse prouolutum, quòd sum- D mopere fuerit lætatus expectatione omnino certa illius prosperitatis, quæ Ecclesiam tam in terris, quàm in cælo manebat. Plerumque enim videmus aliquos, cùm sibi felicissimus aliquis nuncius de re votis omnibus expetita affertur, simili cordis affectu permotos ab eo, qui id sibi renunciauit, manus osculandas (si tamen personæ illius dignitas patiatur) vehementer exposcere pro tanto illo beneficio, quo per nuncium eiusmodi cumulati sunt. Et quanuis humilior sit ac demissior Ioannis significatio, dum ad vtriusque angeli pedes venerabundus accidit, verùm tota hæc significatio in receptam Hebræorũ consuetudinem rectè cadit, necnon in magnam Ioannis demissionem & incredibilem lætitiæ voluptatem. Et fortè verba illa, *Cecidi ante pedes eius*, perinde valent, ac si diceret, se in genua prouolutum; simulque ab eis manus osculandas postulasse. Quòd si humilior adhuc fuit reuerentiæ & venerationis demonstratio, ita vt Ioannes se prosterneret eorum osculaturus pedes; nemini id nimium videbitur, qui & Ioannis modestiam ac demissionem, & vehementem impetum lætitiæ exuberantis, & foras prodire gestientis considerabit. Et quidem in manifestis comitatis, honoris ac reuerentiæ signis, eò cumulatior defertur honor, quò demissiùs se quisque gerit.

Vera auctoris sententia cur scilicet Ioannes ad vtriusque angeli pedes se abiecerit.

Cur Ioannes ad vnam da futura Ecclesiæ felici-

Ambrosius c. 22. 8. vt obseruatione dignum expendit, cur Ioannes non Angelum adorauerit; cùm ei ostendit thronum, viginti quatuor seniores, septem sigillorum resignationem, septem tubas, ac totidem phialas; sed solùm cùm de futura Ecclesiæ felicitate factus est certior: & similiter posteà

Digitized by Google

Iste enunciationem, non verò ad aliarum rerum sibi prædictarũ nuncium venerabundus procidisset?

sub finem visionis, cùm ei ostensa est Ecclesia in summa patriæ cælestis beatitudine? Ad quæ respõdet Ambrosius, duplicem esse Ecclesiæ cum Christo coniunctionem, alteram quotidie per fidem & opera: alteram post resurrectionem, quando in æternum illi tota simul associabatur. Hæc Ambrosij responsio, si eam paulò ampliùs explicemus, & ad præsens nostrum institutum accommodemus; in eo consistit, vt Ioannes tanquam Dei familiarissimus præ ceteris omnibus vehementer optarit summam Christi gloriam in Ecclesiæ felicitate fulgentem. Atque hæc gloria siue exaltatio bifariam accipi potest, alia enim temporaria est, alia æterna. Temporalia quidem in eo imprimis enituit, vt Roma ad Ecclesiæ pedes victa, supplexque procumberet; quo Christianæ Ecclesiæ felicitas verè admiranda in terris facta est. Æterna consistit in suprema illa & excellentissima æternæ felicitatis magnitudine, quam Christi sponsa in cælo possidebit innumerabili ciuium beatorum multitudine, & singulorum felicitate inexplicabili constipata. Si ergo in his duabus rebus magna Christi glorię exaltatio sita est: nihil mirum, si duplici hoc nuncio præ reliquis omnibus rebus in Apocalypsi conspectis Ioannes vehementi lætitiæ voluptate affectus ad vtriusque Angeli pronunciantis genua procumberet.

A

Verum quidem est, redemptionem humani generis & Christi assertoris nostri resurrectionẽ esse Ecclesiastici triumphi originem ac fontem, at humani quidem generis redemptio & sigillorum etiam mysterium, iam tunc re ipsa fuerant impleta. Quare id vnum Ioannes in votis maximè habebat nimirum vberrimos Christi redemptionis fructus & glorioßissimam ipsius Christi exaltationem in Ecclesiæ suæ magnitudine.

B

Difficultas contra prædicta expeditur.

Oppones, si hæc ratio extitit, cur Ioannes ad pedes vtriusque Angeli se prouolueret, eadem vrgebat etiam in diaboli alligatione per mille annos. Respondeo, hanc non fuisse nouam Christi gloriæ exaltationem, sed quasi eiusdem continuationẽ, & quid ad exaltationẽ temporalem consecutũ. Quapropter mirum non est, nullam lętitiæ nouæ significationem à Ioanne tunc exhiberi, satis enim est, cũ bis se prostrauit acturus Angelo gratias, vtrãque vicem ad duplicem Christi glorię exaltationẽ admirabilẽ pertinere. Et in qualibet sanè vice idẽ ipse affectus atque lætitia extenditur ad ea omnia quæ causam illam consequuntur. Sic in temporali exaltatione lætitiæ significatio protenditur ad dæmonis alligationem: in æterna, ad eius initium, nempe ad generalem resurrectionem & ad extremi iudicij diem.

Quo sensu Angelus Ioannem à sui adoratione arceat,

VIDE, NE FECERIS] Ad nostram expositionem non rectè aptantur eæ rationes, quas & interpretes cõmuniter reddunt, & nos suprà recensuimus; cur scilicet Angelus se à Ioanne adorari nõ sit passus? Illud tamẽ mihi magis placet, quod & nostro instituto congruentius est. Nam inter aulicos viros atque magnates ita vsus fert, vt cùm eorũ aliquis alterum suppliciter satis atque demissè excipiat, alter minimè patiatur illumque moneat, vt nimia illa humilitatis & submissionis documenta sanctissimæ reseruet Eucharistiæ. Quamobrem Angelus magnæ potestatis, & alter ille cap.22 Ioannem hortantur, ne illos adeò honorificè tractet tanquam superiores ac maiores, sed vt cum illis tanquam cum fratribus & conseruis agat, & vni Deo totam illam veneratione tribuat. Et quanuis respectu Petri, quatenus erat Christi vicarius, non esset nimia illa adoratio, quam ei Ioannes exhibebat, primis tamen illis Christianæ Ecclesiæ sęculis, (vt suprà expendimus) temporis ratio non ferebat, vt qui in absconditо erat Christi Vicarius, tanta (quoad exteriorem manifestationem) reuerentia coleretur.

C

Redditur alia ratio, cur Angelus se à Ioanne prohibeat adorari.

Notandum est insuper, cùm Ioanni reuelata fuit Apocalypsis, Petrum iam & Paulum indigetes cælesti beatitudine perfrui, ac proinde quacumque reuerentia sibi à Ioanne præstita dignos, nihilominus tamen decorè ac modestè recusasse, ne se Ioannes Christo dilectus ad eorum pedes aduolueret. Præsertim cùm ex contextu liqueat, ideo Ioannem tanta obseruantia & veneratione erga Petrũ & Paulum vti, quia prophetiæ donum in ipsis effulgens suspiciebat, propterea enim ipsi reuelarunt Ioanni mysticã Babylonis ruinam & gloriosam exaltationem, quam Deus Romanæ Ecclesiæ reseruarat. Hoc in eo apparet, quòd eam affert rationem Angelus magnę potestatis, ne se Ioannes adoret quia Ioannes etiam ipse, eiusque fratres & condiscipuli diuino erant prophetiæ spiritu afflati. *Testimonium enim Iesu est spiritus prophetiæ.* Et cap.22.n.10. addit Paulus (id est ille Angelus, qui ibi Ioannem alloquitur) *Conseruus tuus sum, & fratrum tuorum prophetarum, & eorũ, qui seruant verba prophetiæ libri huius.* Petrus itaque non ait, se esse conseruum eorum, qui verba prophetici huius libri obseruant: sed eorum, qui fratres appellantur Ioannis, eo quòd spiritum prophetiæ habent. Paulus verò addit, se esse conseruum fratrum Ioannis, id est prophetarum, siue eorum, qui habent spiritum prophetiæ, & eorum etiam, *qui seruant verba prophetiæ libri huius.*

D

Qua sit ratio diuersitatis in vtriusque angeli responsione ac prohibitione propriæ adorationis.

In hac distinctione, qui eundem esse putant Angelum vtrobique cum Ioanne colloquentem, eumque cęlestis esse Hierarchię: dicent etiam Angelum quidem initio contentum eo dicto fuisse, se nimirum conseruum esse eorum, qui prophetico spiritu sunt insigniti, posteà tamen, cùm Ioannes in sua illa submissione persisteret, addidisse eum Angelũ, ne se Ioannes ad eius pedes abiiceret: quòd Angeli conserui sint, non Euangelij modò prędicatorũ (qui sunt veluti ceterorũ fidelium parentes) sed etiam Christianorũ omnium: atque adeò licèt Ioannes Propheta & Euangelicus concionator non foret, minimè se tamen permissurũ illam Ioannis adorationem. In nostra tamen expositione, cùm diuersus sit, qui c.22. loquens inducitur ab eo, qui c.19. cumque alter Petrũ, Paulũ alter adumbret, ideo Paulus nonnihil addit, quo se plus quàm Petrus demittere videtur. Quia inter eos, qui de se humiliter ac demissè verba faciunt, decorũ & cõsentaneum est; vt qui postrenò loquitur, subiungat aliquid, quo se ampliùs abiicere videatur. Præsertim, quia cùm Paulus sit dignitate inferior Petro, in eo etiã decorum seruatur, vt postquàm Petrus se Euangelij prædicatorum conseruum professus est, subijciat Paulus, se non prædicatorum modò, sed fidelium etiam omnium esse conseruum.

Verùm

A Verùm totam hanc ſubtilitatem contemnent aliqui, exiſtimantes nomen fratrum Ioannis non Euangelicis ſolùm prædicatoribus in præſenti, ſed omnibus etiam fidelibus attribui. Quia *habere teſtimonium Ieſu*: non ſolùm prædicatoribus congruit, ſed vniuerſis pariter Chriſti fidelibus. Diſcutiamus ergo, quid ſit in præſenti *Habere teſtimonium Ieſu*, & quis inſuper ſit ſenſus eorum verborum, *Teſtimonium Ieſu eſt ſpiritus prophetiæ*. Aliquis teſtimonium Ieſu de doctrina Euangelica explicabit, ac proinde aſſeret, Ieſu teſtimonium cunctis ineſſe fidelibus. Nam in eo ſenſu dicitur c. 12. *Qui teſtimonium perhibuit verbo Dei, & teſtimonium Ieſu Chriſti quæcumque vidit.* Longè aliter exponit Ribera c. 1. §. 36. vbi ait, habere teſtimonium eſſe eorũ, de quibus alij bonum teſtimonium reddunt. In præſenti tamen aſſerit, teſtimonium Ieſu eſſe ſigna, quibus teſtantur omnes ſe eſſe ſeruos Ieſu Chriſti, & Ieſum eſſe Filium Dei. Ita Ribera. Et quidem complexum illud, *Spiritus prophetiæ*. Ribera & Viegas interpretantur de proprio prophetiæ dono, & pro hac explicatione adducunt Ambroſium, Bedam, Rupertum, & communem. Vnde inferũt, Angelum de illis agere Prophetis, qui peculiare donum propriæ prophetiæ in primitiua Eccleſia habebant, & ſimul etiam de antiquæ legis prophetis.

Quid ſit in hoc loco habere teſtimonium Ieſu. *Aliorum expoſitio.*

Enim verò exiſtimo, *Teſtimonium Ieſu* in præſenti nihil eſſe aliud, quàm Euangelij prædicationem, in qua teſtimonium redditur de Chriſto: & Euangelij prædicatores phraſi illà deſignari, *Qui habent teſtimonium Ieſu*; id eſt, quibus ex peculiari officio Euangelij prædicatio incumbit. Quod autem mox B ſequitur, *Teſtimonium enim Ieſu eſt ſpiritus prophetiæ*, denotat ſpiritum ac ſtudium Euangelij prædicandi eſſe nobiliſſimum quendam prophetiæ ſpiritum. Nam doctrina Euangelica eſt magna illa prophetia, quæ hominibus arcana Dei conſilia & bonorum ac malorum exitum detegit.

Vera auctoritas ſententiæ de teſtimonio Ieſu.

Ac primò nemo poteſt meritò in dubium reuocare, quin ſit recepta in ſacris Literis phraſis, qua Euangelij prædicatores appellentur prophetæ. Secundò, non permittit hic declarationem aliam contextus, cùm dicitur, *Teſtimonium Ieſu eſt ſpiritus prophetiæ*. Tertiò, quos hic textus deſignat, dum ait, *Qui habent teſtimonium Ieſu*, eiſdem perſpicuè Prophetarum nomen attribuit capite 22. numero 9. Ad id enim, quod in hoc loco dicitur, *Conſeruus tuus ſum & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu*, ibi reſpondet, *Conſeruus tuus & fratrum tuorum prophetarum*. Quartò non eſt ad rem in præſenti ſermo de peculiari prophetiæ dono. Contextus enim potiùs exigit, vt hi Angeli dicant Ioanni, ne exiſtimet tantam eſſe peculiaris prophetiæ doni excellentiam; quippe magnam & excellentem prophetiam eſſe doctrinam Euangelicam, proinde qui prædicatoris Euangelici ſpiritus inſignitus eſt, illi ſpiritũ ineſſe prophetiæ. Quamobrem, licèt Ioannes prophetiam de Eccleſiæ victoria ex Romano populo obtinenda, & gloriæ magnitudine in cælo eidem Eccleſiæ paratâ, videatur ab vtroque Angelo, id eſt à Petro & Paulo didiciſſe, & propterea illis aliquo modo inferior eſſe: communis tamen doctrinæ C Chriſtianæ inſtitutio ab Apoſtolis immediatè accepta ſatis eſt, vt illi omnes & reliqui Euangelij cõcionatores pro fratribus & in magna illa prophetia condiſcipulis reputandi ſint.

Quoſnam Angelus fratres Ioãnu nuncupet.

Illud etiam hic obſeruandum duco, quòd c. 22. 9. non bonis omnibus Chriſtianis eum defert Angelus honorem, vt eos Ioannis fratres nuncupet, ſed ſolis Euangelij prædicatoribus: ait enim diſtinctè, *Conſeruus tuus, & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum, qui ſeruant verba prophetiæ libri huius.* vbi planũ fit eos omnes, qui Dei verba & auribus & corde accipiunt, atque ſeruant, ab Angelo deſignari, cùm ait, *Et eorũ, qui ſeruant verba prophetiæ libri huius.* Quos licet Angelus vocare item poſſet Ioannis fratres, vtpote in eiuſdem fidei communione & charitatis coniunctione verſantes, Angelus tamen fratrum nomen hoc in loco ad concionatores Euangelicos reſtrinxit propter ipſius muneris ſocietatem: in hoc enim magnopere ceteris fidelibus antecellunt. Quapropter qui cap. 19. 10. dicuntur Ioannis fratres, quòd Prophetiæ ſpiritum habeant, iidem ipſi c. 22. 9. vocantur Prophetæ fratres Ioannis, atque ipſimet perſpicuè diſtinguuntur ab iis, qui Prophetæ non ſunt, ſed ſolùm Dei verba excipiunt atque cuſtodiunt.

Quò ſenſu angelus ſe appellarit conſeruum eorum, qui ſeruant verba prophetiæ libri huius.

In Ioannis verò commendationem ſubdit Angelus ille capitis 22. 9. (qui iuxta noſtram expoſitionem eſt Paulus) ſe non ſolùm reputare ſe ipſum ipſius conſeruum, eiuſque fratrum Prophetarum; ſed eorum etiam, *Qui ſeruant verba prophetiæ libri huius.* Quod perinde eſt, ac ſi diceret, Quinam tanto D me honore digner, ab eo præſertim exhibito, qui librum hunc adeò præſtantem & excellentẽ conſcribet, cùm me iure optimo eorum glorier eſſe conſeruum, qui libri ipſius doctrinam obſeruauerint? Expende obſecro, vt ſe Angelus hac in parte Ioanni quodammodo inferiorem recognoſcat: quandoquidem aſſerit, ſibi eſſe honorificam appellationem conſerui eorum, qui librum à Ioanne ſcriptum obſeruant. Qua verò ratione prædicentur beati, qui Prophetiam libri huius ſeruant, diximus cap. 1. 3.

Aliquis fortaſſe in ea phraſi, *Spiritus prophetiæ*; contemplabitur Chriſtianam doctrinam eſſe ſpiritum, ac medullam eius prophetiæ, quæ in ſacris quondam Vatibus enituit. Quod licèt verùm ſit, in Scripturæ tamen locutione; *Spiritus prophetiæ*, ſiue ſpiritus Prophetarum eſt ille ipſe ſpiritus, quem Deus ſuis Prophetis impertiuit. Et ſimplicius eſt hoc pacto accipi in præſenti; ita vt ſenſus ſit, ſpiritum concionatoris (id eſt donum prædicandi) eſſe Prophetæ ſpiritum, atque ita in huius ſententiæ repetitione, quæ habetur c. 22. 9. dicitur, *Conſeruus fratrum tuorum Prophetarum.* Vnde elicitur, habere ſpiritum prophetiæ eſſe idem, quod illos eſſe prophetas.

Digitized by Google

TEXTVS.

De duce & exercitu in equis albis.

*Vers.*11. Et vidi cælum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum vocabatur fidelis & verax, & cum iustitia iudicat, & pugnat.
12. Oculi autem eius sicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse.
13. Et vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocatur nomen eius, Verbum Dei.
14. Et exercitus qui sunt in cælo sequebantur eum in equis albis vestiti byssino albo & mundo.
15. Et de ore eius procedit gladius ex vtraque parte acutus: vt in ipso percutiat Gentes: & ipse reget eas in virga ferrea: & ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.
16. Et habet in vestimento, & in femore suo scriptum: Rex regum, & Dominus dominantium.

COMMENTARIVS I.

De sensu grammatico, & de huius visionis allusionibus.

Huius exercitus imperatori attribui quatuor nomina: & quæ sint.

HVIVS equitatus duci videntur in textu attribui quatuor nomina. Primum, *Fidelis & verax*, n.11. Secundum, *Nomen, quod nemo nouit nisi ipse*, idque in diademate scriptum, n.12. Tertium, *Verbum Dei*, n.13. Quartũ denique, *In vestimento, & in femore suo scriptum, Rex regum, & Dominus dominantiũ*, n.16.

Ducis nomẽ in diademate scriptum, diuersum esse à nomine Verbi Dei.

Ribera & Viegas & communior opinio secundum nomen cum tertio confundunt; aiunt enim nomen scriptum in diademate esse, *Verbum Dei*. Atque hoc ipsum esse nomen, quod nouerit nemo, nisi ipse Christus; quia id nomen creaturæ est incomprehensibile. Mihi tamen textus non obscurè distinguit nomen in diademate scriptum à nomine Verbi Dei. De illo enim ait, nemini esse notum nisi soli Christo (erat enim eiusmodi notis exaratum, vt à solo Christo legi posset,) de altero verò dicit, *Vocatur nomen eius verbum Dei* Cognoscere autem alicuius nomen, non est, ipsius mysteria comprehendere; sed solùm nosse ipsius appellationem. Qui autem Christum appellant Verbum Dei, omnes hoc illius nomen rectè norunt. Ceterùm præter hoc nomen, quod textus Christo attribuit, affirmat aliud prætereà nomen eidem Christo ineſſe in ipsius capitis diademate impressum, quod tamẽ nomen solus Christus agnoscat. In hoc ergo nomine, quod diadema inscriptum tenet, alluditur ad nomen *Iehoua* inscriptum in Aaronis diademate, vt infrà dicemus. Huiusmodi autem distinctio duorum nominum (ita vt Verbum Dei sit diuersum à nominẽ in diademate scripto) præterquàm quòd facilior & congruentior est, sensui etiam ipsi magis quadrat. Interim ipsa rei nouitas & insolentia haud parum negocij facessit. Nec verò putandum est vacare mysterio, quod textus ait, Christum scilicet nomen in diademate scriptum tenere, quod ipse solus nouit, ac proinde nomen illud, nec esse Verbum Dei, nec quoduis aliud ex iis, quæ nobis ipse enunciarit.

Vers.13. *In veste aspersâ sanguine habere respectũ ad Isaiæ ca. 63.*

ET VESTITVS ERAT VESTE ASPERSA SANGVINE] Hoc, vt apparet, mutuatum est ex Isaia c. 63.3. *Aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea.* Verum in Isaia mirum non est, agitur enim de Christo, postquam se de suis hostibus vltus est. Hic autem nouitatem & insolentiam præ se fert, vt cùm in aciem procedat, ante ipsum prælii congressum appareat *vestitus veste aspersa sanguine*. Et quidem ex Isaiæ loco deducitur, in Apocalypsi etiam esse sermonem de Christi hostium cruore, & manifestè assignatur discrimen inter ducem & totius exercitus milites. Dux enim suorum hostium sanguine respersus erat: equites verò non item. Nam textus eos inducit bysso albâ & mundâ vestitos.

Vers.15. *Mysticam hanc occisionem figurari vt à solo duce totius exercitus fiat. Quid sit, regere in virga ferrea.*

ET DE ORE EIVS PROCEDIT GLADIVS EX VTRAQVE PARTE ACVTVS; VT IN IPSO PERCVTIAT GENTES] His etiam ex verbis colligitur, equites Christum sequentes non in pugnam procedere pugnaturos, sed comitaturos Christum, & sectaturos. Dux enim militibus præit, & ipse est, qui gladio ex ore prodeunte stragem edit. Vnde ad huius capitis calcem, n. 21. dicitur de illis omnibus, qui in prælio occubuerunt; *Occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius.*

ET IPSE REGET EOS IN VIRGA FERREA] Desumpta hæc sunt ex Ps. 2.9. Quòd si *regere*, hic esset occidere, suspicari quis posset, gladio imponi nomen virgæ ferreæ. At vero *regere* nihil aliud hic est, quàm gubernare. Et ipsa quidem metaphora à pastoris officio petita est, nam ποιμαίνει, idem est, ac pascet. Virga autem est baculus, id est sceptrum. Quare nouitatem præ se fert hæc loquendi ratio, quòd priùs eos dicatur sui oris gladio occisurus, deinde ferreo sceptro gubernaturus. Quasi prius illos interficiat, postea gubernet: hic enim est ipsius textus ordo. Et sanè ad exercitus alicuius ducem nequaquam spectare videtur, suos hostes regere, ac pascere, donec eos debellarit. Si ergo in hoc loco vincere est, ipsos gladio trucidare, quinam dicitur posteà illos ferreo sceptro recturus, quod perinde est, ac durissimo imperio? Respondeat quispiam, alios quidem ex hostibus adduci occidendos, aut capiendos: atque hos ferreo sceptro fore gubernandos. Sed contrà, quia ex durissimo hoc prælio

atque

Digitized by Google

atque conflictu nullus omnino videtur incolumis aut superstes euasurus, nisi fortè Bestia, eiusque Propheta qui ad inferos viui detrudantur. Concludit enim textus, ex hostibus Bestiam & ipsius prophetam in infernum viuentes fuisse demersos, ceteros occubuisse gladio, quem ore habebat dux ille, qui equo albo vehebatur.

ET IPSE CALCAT TORCVLAR VINI FVRORIS IRÆ DEI] In Græco est *furoris & iræ*. Atque hac locutione exponitur, quod dictum fuerat de duce, qui *vestitus erat veste aspersa sanguine*. Sumitur autem metaphora ab eo, qui vuam vini rubri in torculari calcat. Necesse enim est, cum infici rubro musto, quod Scriptura vuarũ sanguinem appellat. Ait ergo textus, Ducem cælestẽ vestis maculas cõtraxisse, dum torcular iræ Dei calcauit: id est, dum suos hostes conculcauit, & diuinæ iræ cumulatè satisfecit. Solus autem Christus infectus sanguine fuit: nam vt ipsemet per Isaiam ait c. 63. 3. *Torcular calcaui solus, calcaui eos in furore meo, &c. & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui.*

IN VESTIMENTO ET IN FEMORE] Hæc verba non denotant bis fuisse nomen inscriptum, semel in vestimento, deinde in femore. Sed cùm dictum esset priùs, nomen illud siue stemma in veste ipsa esse impressum, mox assignat in qua vestis parte affixum fuerit, nempe *in femore*. Porrò *in femore* idem est ac, supra femur. Si vestis quidem esset ad earum normam, quibus homines hac tempestate vtuntur, *in femore* idem esset, atque in femoralibus. Aliquis opinabitur, *in vestimento, & in femore*, perinde esse quasi in superioris vestis parte, atque etiam in inferiore, locutione sat commodâ equitis vestimento, ad eum ferè modum, quo nonnulli solent tam thoracem, quàm femoralia opere plumario pingere, ac distinguere. *Vers. 16. Quid sit, nomen in vestimento ac femore esse scriptũ.*

REX REGVM ET DOMINVS DOMINANTIVM] Hoc erat proprium Persicorũ Regum cognomentũ, pro quo vide Alexandrum ab Alexandro l. 1. Genial. c. 28. & Pinedam nostrum lib. 1. vers. 1. n. 17. vbi multa adducit. Huiusmodi ergo inscriptionem Persarum Regibus vsitatam, Christi Redemptoris nostri propriam esse Spiritus sanctus affirmat. Vnde etiam dicitur c. 17. 14. Agnus, *Dominus dominorum, & Rex regum*. Idemque titulus Æterno Patri à B. Paulo assignatur, 1. Tim. 6. 15. *Beatus, & solus potens Rex regum, & dominus dominantium*. *Persicorum Regũ cognomentũ quod fuerit.*

IN CAPITE EIVS DIADEMATA MVLTA] Considerandum est quasi Turcici capitis integumentum, sic enim linteum lineum multiplici gyro capiti obuoluitur, & quilibet eiusmodi gyrus suæ ambitus est quasi diadema aut corona, iuxta antiquam consuetudinem.

COMMENTARIVS. II.

De præcipuo huius ænigmatis sensu.

POst publicam Christianæ Religionis exercitationem, successit admirabilis diuini Verbi victoria in Gentium innumerabilium conuersione, quæ se Euangelij iugo subiecerũt per prædicationem ministrorũ Christi, qui mox liberè & expeditè Euangelij veritatem absque vllo impedimento vbique Gentiũ dissẽminarunt. Huiusmodi expeditio glorioſissima ostensa est Ioanni sub specie copiosissimi exercitus cælestis, qui plurimo cõstabat equitatu; & equites quidem byſſo albâ ac mũda erant induti: equi verò niueo colore distincti. Hæc equitũ multitudo non figurat (vt nonnulli volunt) cælestes Angelos, sed Euangelij ministros, nimirum sacerdotes & Apostolicos concionatores. Inducũtur autem omnes equis aduecti, hoc est bellũ infidelibus inferentes; quia *equus paratur ad diem belli*. Veruntamen quia in hoc bello plus iam inerat triumphi, quàm difficultatis aut periculi, ideò finguntur equi albi. Fortè etiam propter rei ipsius celeritatem: si tamen verũ est, quod Turnebus ait lib. 24. cap. 31. olim fuisse creditum, candidos equos celeriores esse, quod ex Plauto & Virgilio probare conẽndit. Quòd si vt c. 6. diximus, equus albus imbecillitatis speciem præ se fert, dum Euangelij ministri equis albis inducũtur, perinde erit, quasi significetur, tantũ hoc, tamq; spissũ opus per instrumẽta primo aspectu debilia & imbecilla à Deo fuisse præstitũ. Enim verò infinita Dei virtus in hac infirmitatis specie delitescens infidelitatẽ glorioſissimè triumphauit. Percommodè etiam accidit, equum album, cùm debilitatis sit symbolũ, triumpho pariter atque ipsius Iouis currui aptissimũ fingi. Hic addo ex iis, quæ c. 2. notauimus, eos solere in equis apparere, qui ad saluandũ veniunt, atqui concionatores Euangelici aptè appellantur Saluatores. Deinde vestis byssina est sacerdotalis muneris & sanctitatis eximiæ insigne; & propterea concinnè & eleganter fingũtur cælestes hi equites amicti byſſo splendida & candida, peridoneo indumento ad fidelium conuersionẽ capessendam. *Exponitur visio atque series cælestis huius exercitus, quem Ioannes vidit. Quid per equos albos, quibus cælestes aduehũtur milites, figuretur.*

Multò tamen elegantioris concinnitatis fuit: totum hoc facinus præclariſſimum vni duci tribuere: ipsumque inducere præeuntem, & spiritalem illam stragem suo gladio prorsus edentem. Itaque ipsius comites & assecłæ, si attentè inspiciamus, non tam ad difficilem prælij congressum, quàm ad victoriam ac triumphum pergunt, necnon ad prædæ & spoliorum diuisionem. Hoc indicatur in eo, quod textus asserit, nimirum totum illud opus, quantumcumque est, ab ipso duce suo oris gladio præstari, atque equitum turmam ipsum comitari pariter & assectari. Id non secùs figuratur, atque strenuo alicui duci solet accidere, qui si filios habeat natu paruos, eos secum ad bellum velit deducere, illos tamen in tuto collocat, ac securòs præstat: solumque vult, vt ipsi tanti prælij atque victoriæ testes adsint, idque sit satis, vt ipsi tum spoliis opimis, tum victoriæ gloria potiantur. *Totius exercitus duci solùm tribui eádem in hostibus factam atque victoriam.*

Huiusmodi figura de Euangelij ministris suum ducem hostes omnes occidentem comitantibus respondet multis aliis, quæ sub eadem specie in pluribus Scripturæ locis describuntur: in quibus de

propriis

Plures alij Scripturæ loci apponuntur, in quibus victoria vni Deo adscribitur.

propriis bellis sermo est. Deut. 1. 30. sub ipsum promissæ terræ ingressum sic dicitur, *Dominus Deus, qui ductor est vester, pro vobis ipse pugnauit, sicut fecit in Aegypto, & in solitudine.* Iosue 23. 3. *Cernitis omnia quæ fecerit Dominus Deus vester cunctis per circuitū nationibus, quo modo pro vobis ipse pugnauerit.* Et n. 10. *Vnus vobis persequetur hostium mille viros, quia Dominus Deus vester pro vobis ipse pugnabit, sicut pollicitus est.* Achior etiam Iud. 5. 16. ait, *Ingressi sunt sine arcu & sagitta, & absque scuto & gladio; Deus eorū pugnauit pro eis, & vicit.* Vide rursus Iosue 10. 42. *Vniuersas iue Reges, & regiones eorum vno impetu cepit atque vastauit; Dominus enim Deus Israel pugnauit pro eo.* Alii insuper extant Scripturæ loci, quibus hoc idem adstruitur. Verum in his, quos adduxit, obserua, non eum esse sensum, quasi nihil omnino filii Israel effecerint; nec enim dubium est, quin ipsi omnes neruos & robur ad prælium contenderint: sed illud innuitur, tantum tamque admirabilem effectum inde subsecutum, vt manifestò constaret de singulari Dei prouidentia & præstantissimo ipsius auxilio. Quamobrem meritò Deus dicitur omnia efficere; eiusque milites nihil aliud ferè agere, quàm militari specie tanto prælio interesse; & victoriæ atque spoliis non secus potiri, ac si illā proprio robore & fortitudine reportassent. Porro in Euangelii prædicatione, (præsertim pacatis tranquillisque temporibus) magis adhuc proprie perhibetur animarum conuersio esse vnius Christi Domini effectio per sui verbi virtutem præstita; atque adeò concionator ipse paulò plus efficere, quā si prælio & victoriæ adesset. Nā Christus Dominus & ipsius virtutis efficacitas admirabile hoc facinus inchoat, & perficit; eiusq; ministri perinde videtur agere, quasi equis cādidis triumphātium similes procedant, honore & ducis fauore fruentes, & quos neque guttulæ sanguinis aspersérint.

Quo sensu, totius efficientia vni attribuatur Imperatori.

Quid hic cælum apertum significet.

Sed videamus oportet ipsius contextus ordinem, & quid in eo singillatim exprimatur de cœlestis huius equitatis duce. *Vidi cælum apertum.* Per cælum hic adumbratur Ecclesia; vt sæpe alibi in toto huius operis decursu, quòd verò cælum pateſcat, denotat, ante publicam Religionis Christianæ professionem cælum ipsum veluti occlusum videri: quippe Ecclesiæ doctrina vix mundo innotescebat. Ceterum postquàm reseratum fuit cælum, & per totius orbis compita ac plateas sese ingens prædicatorum numerus effudit, mirum in modum Euangelii prædicatio extare & eminere visa est.

Quis sit cælestis huius exercitus dux.

ET ECCE EQVVS ALBVS, ET QVI SEDEBAT SVPER EVM, &c.] In hac Ecclesiasticæ doctrinæ manifestatione primùm videt Ioannes magnū Euangelij prædicatorē ducem Christum Dominū. Ille enim est, qui præit, quē ceteri sequūtur, cuius robore ac virtute illi omnes nitūtur. Equus autē albus denotat gloriosam pugnandi rationē, & quàm sit de victoria certus, siquidē triumphali vectus equo prælium init. Qua verò parte equus albus debilitatis speciē præfert, indicatur pariter Christi virtus & efficacitas, quandoquidē iis instrumentis, quæ primo aspectu infirmitatē ostendunt, victoriam sibi certam pollicetur. & in hac imbecillitatis specie obequitat summa virtus, cui resisti non potest.

Appellatio fidelis ac veracis quid denotet.

VOCABATVR FIDELIS ET VERAX] Fidelitas ac veracitas consistunt in promissionis complemēto, id quod egregiè Christus præstat, dum victoriam suo exercitui comparat; efficitque vt sui concionatores de idololatria triumphent, ipso tamen in præliis præeunte. Hoc ipse suis fuerat pollicitus: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*, Matth. 28. 20. Vide illud Iosue 23. 10. *Vnus è vobis persequetur hostium mille viros, quia Dominus Deus vester pro vobis ipse pugnabit, sicut pollicitus est.* Vocatur item Christus *fidelis*, quòd Ecclesiæ persecutiones durare amplius non sit passus; sed potius effecerit, vt ipsa de suis hostibus triumpharet. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed dabit etiam cum tentatione prouentum*: Vt ait Paulus 1. Cor. 10. 13.

ET CVM IVSTITIA IVDICAT, ET PVGNAT] Græcè, *& in iustitia iudicat, & pugnat.* Hoc est æquissimo iure bellum infert peccato & infidelitati. Nec enim æquum est, ab illis occupari & iniustè possideri, quod ipsi Christo pro humani generis redemptione meritissime debetur.

Vers. 12. Quid per oculos flammarum instar ignitos indicetur.

OCVLI EIVS SICVT FLAMMA IGNIS] Indicatur his verbis Christi zelus de æterni Parentis gloriâ propagandâ, nec non iustissima aduersus peccatum, & singulatim aduersus idololatriam indignatio. Vide quæ diximus de oculis flammantibus c. 1.

Quid per capitis diademata.

ET IN CAPITE EIVS DIADEMATA MVLTA] Paulus ait 2. Tim. 2. 5. *non coronatur nisi qui legitimè certauerit.* Vnde multæ coronæ sunt victoriæ multæ; aut multa regna iusto bello expugnata. Quinimò priusquam mundi regna reapse superaret atque subiiceret, supremus iam eorum Rex per ius ac fas vocabatur: & virtute quidem propter suæ passionis meritum ea deuicerat. Quamobrē iure optimo hîc inducitur multis redimitus coronis ad significandum ipsius ius & æquitatem, qua regnat, atque victorias, quæ in eius obedientiæ excellentia includuntur. Præsertim quia iam reapse Romam Catholicæ fidei subegerat, & idololatriam funditus sustulerat.

In qua corporis parte dux nomen haberet scriptum, quod nemo nouit.

HABENS NOMEN SCRIPTVM, QVOD NEMO NOVIT, NISI IPSE] Quanuis textus per spicuè non exprimat nomen scriptum in diademate aut capitis pileo, siue integumento esse; id tamen indubitatum apparet. Dicitur enim scriptum habere nomen, cùm autem non alia pars explicetur, intelligendum est de qua parte sermo erat, præsertim quia in ipso vestimēto aliud habebat nomen, atque ita in ipso textu infrà expimitur. Si ergo per diademata denotantur regna atque victoriæ, compendiaria diadematis inscriptio, siue nota eiusmodi esse debet, quæ ad victoriæ magnitudinē, & ad Christi regnum imprimis conducat. Deinde, quod subditur; *Nemo nouit nisi ipse*: perinde erit, ac si dicatur solus ipse agnoscere, quot sint & quantæ ipsius victoriæ glorioſissimæ. Et fortasse nomen victoriis imponere, est definire quot sint à Christo superandi, id est, ipsius Euangelio subiiciendi, id quod ipse solus nouit.

In nomine hoc alludi ad nomen Iehoua.

Iam nomen in diademate scriptum, quod solus ipse, qui tenet, legat, videtur dictum per allusionem ad nomen *Iehoua*, quod summus antiquæ legis Pontifex gerebat scriptum in diademate: id est in illa aurea lamina, quam in fronte ferebat, soluſque Pontifex ipse notas illas siue compendiarios characteres legebat, quippe illi vni nomen *Iehoua* legebatur. Hoc autem innuit, præstantissimum illum ducem equo albo aduectum, esse summum ipsum Pontificem, atque vt Aaron in corona glorioſum

Digitized by Google

A rioſum Dei nomen gerebat, ita etiam Chriſtum Dominum in ſuo diademate geſtare notam ſiue ſignum ampliſſimæ ſuæ victoriæ, quod Deo Patri & Chriſto ipſi glorioſiſſimum eſt. Meminiſſe autem oportet ex c.1. nomine etiam *Iehoua* contineri magnitudinem victoriarum Chriſti; quod ad alluſionis elegantiam non parum conducit.

ET VESTITVS ERAT VESTE ASPERSA SANGVINE] In animarum conuerſione pateſcit maximè gloria, quæ ex Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri paſſione, deriuatur, atque hæc gloria in eo imprimis ſita eſt, quòd Chriſtus ſui ſanguinis effuſione, & diuinæ iuſtitiæ cumulatiſſimè ſatisfecerit & eam ex peccatoribus glorioſiſſime vindicauerit. Hoc vero mirâ elegantiâ figuratur, quaſi Chriſti paſſio atque mors nihil aliud foret, quàm ſi noſtrorum peccatorum ſanguine reſpergeretur: & quaſi verè & propriè illi eſſent occiſi, qui per Chriſti paſſionis virtutem moriuntur peccato, & veram gratiæ vitam adipiſcuntur. Et quemadmodum tunc ducis alicuius præſtantiſſimi nobilitatur victoria, cùm ipſe hoſtium occiſorum cruore reſperſus euadit, ita etiam glorioſiſſimum Chriſto eſt, quòd ſputis fuerit turpatus, quòd flagellatus, quòd proprio cruore infectus, quòd in crucem actus. Ad hanc verò ſignificationem apprimè vſurpatur allegoria calcantis in torculari, qui ſe effuſo muſto inſi.it. Quod indicat (præter ea, quæ diximus) non aliud fuiſſe, diuinæ iræ fieri ſatis in vindicta per Chriſti paſſionem de peccatis ſumpta, quàm ſi vinaria cæleſtis beatitudinis cella impleretur, vt in æternæ gloriæ
B conuiuio vinum affatim redundaret ad nouum illum calicem, quem Beati in cæleſti patria æternum potant. Ille enim calix Chriſti aſſertoris noſtri meritis exundat. Ac demum, dum Chriſtus depingitur infectus, & vuam calcans, quando magna totius mundi conuerſio ante oculos obuerſatur, innuitur ſic, ipſius conuerſionis effectum Chriſti paſſioni acceptum referri debere.

Vers. 13. *Quid ſit, ducem eſſe veſtitum veſte aperſa ſanguine*

ET VOCATVR NOMEN EIVS VERBVM DEI] Connexio macularum veſtis cum ea appellatione, *Verbum Dei*, in eo cõſiſtit, quod illæ Chriſti maculæ ideò fuerint ad totum mundum abſtergendum efficaces, quia ille ipſe, qui his maculis erat infectus verè ac propriè vocatur *verbum Dei*. Cùm autem Dei verbum tantæ virtutis & efficacitatis ſit (*nam ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit creata ſunt*, Pſ. 148. 5.) manifeſtum eſt nequaquam effectu ipſo caſſum & inane fore, quod ipſe Chriſtus adeò impensè curauit, vt vitam propterea effuderit.

Quæ ſit connexio macularum veſtis cum nomine verbi Dei.

ET EXERCITVS, QVI SVNT IN CÆLO] Satis hæc ex dictis explicata manent. *Et de ore eius procedit gladius*, hoc eſt, Chriſti doctrina & prædicatio, quam ipſe ſeruorum ſuorum ori admouet, ea eſt, quæ ſuæ paſſionis virtutem & cumulatum effectum perducit. *Et ipſe reget eas in virga ferrea.* Ex contextu ipſo deducitur, quos Chriſtus ſui oris gladio occidit, eoſdem ab ipſo poſteà ferreo ſceptro gubernari. Hoc autem ſceptrum ferreum perfectæ prouidentiæ eſſe ſymbolum, ſuprà explicuimus cap.1. notat.4. & 5. Cùm verò gubernatione hac & adminiſtratione ii fruantur ſolùm, qui verè viuunt, hinc
C fit, eos duntaxat, qui peccato mortui ſunt, verâ perfrui vitâ.

Vers. 14.

ET IPSE CALCAT TORCVLAR VINI FVRORIS IRÆ DEI OMNIPOTENTIS] Si Dei ira aduerſus peccatum eò peruenit, vt Chriſtus ipſe proprio ſe ſanguine tingeret, quò peccatum interiret, & hominibus peccato ipſi mortuis, ſatis diuinæ indignationi fieret: meritò hic Dei furor aduerſus peccatum conceptus vocatur furor *Dei omnipotentis*; quando ita gloriosè hoſtem fregit, ac diſsipauit, & tantam tamque illuſtrem ſuæ omnipotentię ſignificationem in hac victoria dedit. De torcularis metaphora, deque alluſione ad Iſaiæ locum ſatis in ſuperioribus dictum eſt.

Vers. 15. *Quis appelletur hic furor iræ Dei omnipotentis.*

ET HABET IN VESTIMENTO, ET IN FEMORE SVO SCRIPTVM REX REGVM, ET DOMINVS DOMINANTIVM] Per *Femur*, ſignificantur filii & nepotes: iuxta illud Gen.49. 10. *Dux de femore eius*: Vnde *in femore ſuo ſcriptum Rex regum*, &c. indicat ipſius filios verè eſſe Reges, ipſumque Regem illorum. In femore enim propagatio generis intelligitur ex Gregorio, Ansberto, & Beda apud Riberam num.29. & ex ſacræ Scripturæ locis, quia Chriſtus ſuos filios facturus eſt Reges, & ipſi etiam nationes iudicabunt. Adhæc; cùm in hoc ænigmate de mundi conuerſione agatur, præſenti inſtituto peropportunum fuit, ſignificare nobiliſsimam dignitatem, quæ Chriſti fidem amplexãtibus communicatur: necnon excellentem gloriam, quæ inde ad Chriſtum ipſum redundat. Dignitas quidem, quæ fidei ſectatoribus confertur, eiuſmodi eſt, vt verè ſint, ac dicantur filii Dei & Chriſti. Sic Ioannis 1.12. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri* Si ergo per eiuſmodi dignitatem Chriſti filii redduntur, quid aptius quàm Chriſtum appellari patrem filiorum Dei, hoc eſt patrem futuri ſæculi, & eorum, qui verè Reges ſunt? Atque id eſt geſtare in femore ſcriptum; *Rex regnum, & Dominus dominantium*. Quadrat hîc carmen iambi cum Thomæ Mori: *Princeps pius nunquam carebit liberis, Totius eſt Regni pater Princeps; Abundat ergo felicitiſsimus tot liberis, quot filiis.*

Vers. 16. *Quorſum in femore habeat ſcriptũ, Rex Regũ, &c.*

D

NOTATIO VII.

Vbi prædicta expoſitio de viſione ducis & eius exercitus in equis albis confirmatur, & cum aliorum expoſitionibus confertur.

Equos albos currui in triumpho quis olim adiunxerit

ECCE EQVVS ALBVS) Iouis currum Poëtæ fingebant equis niueis trahi; vt patet ex Suetonio in Auguſto c.94. vnde inuidioſus extitit Camillus, qui curru equis albis iuncto triumphans vrbem inuectus eſt; quòd ampliorem humano faſtigio vindicare honorem, patemque ſupremo Ioui videretur. Turnus etiam apud Virgilium libr.12. cum Ænea congreſſurus, ſibique triumphum promittens,

Poſcit equos, gaudetq; tuens ante ora frementes,
Qui candore niuis anteirent, curſibus auras.

Hinc Turnebus l.24. c.31. colligit (vt ſupra iam attigi) candentes equos celeriores extitiſſe; & Plautus in Aſinaria, quadrigas albas ad celeritatem refert.

Deinde equitare perinde eſt, atque ab humo ſublimẽ ferri in noua dignitate collocatum, ſiue aliis ſpectabilem proponi quaſi propriis operibus excelſum atque magni-

Digitized by Google

Quid per equũ figuretur.

magnificum. Equus autem albus denotat lætam ac festiuam exaltationem, victoriæ spem non dubiam, & nescio quid diuinitatis præ se ferentem. Dux candido equo portatus, totusque ipsius exercitus equis similiter albis aduecti innuunt, se in egregiis suæ virtutis operibus equitare. Et externa quidem facies debilitatem prætendit; hæc tamen imbecillitas de mundo, diabolo, & carne gloriosè triumphat. Vnde & albus equi color triumphum designat, vt suprà vidimus.

Equitis in equo albo sedentis, cæteroq; ducũ tis variæ traduntur aliorum expositiones.

VIDI CÆLVM APERTVM) Non est sermo de Christi aduentu ad iudicium: sed de descensu inuisibili Christi ad opem laborantibus ferendam. Ita Ribera ex Ambrosio, quod tamen ipse applicat ad auxilium præstandum aduersus Antichristum.

Aliquis in hac figura, seu visione contemplari posset speciem quandam Troiani, siue equestris ludi, qui ad celebrandas publicas Ecclesiæ nuptias peragatur. Et sponsa quidem considerari potest, quasi ad contemplationis fenestram posita. Tum diuinus sponsus è cælo prodiens candenti equo insidens. Huiusmodi autem B ludum siue prælii simulacrum in seria, atque in verum armorum congressum repentè conuerti; eo quòd sponsus ad maiorem sponsæ honorem decreuerit cum suismet hostibus congredi, & sub ludicri certaminis specie ipsos dissipare, atque conficere. Hinc ipsius oculos sui honoris zelo & indignatione succensos interminare, atque veste sanguine infecta indutum prodire, quòd huiusmodi colorem sponsę gratiorem fore putaret. Præterea, ad egregium illud facinus, quod Christus statuerat patrandum, ore fert gladium, id est sui verbi virtutem & efficacitatem. Etenim idololatria Romæ euersa, totius mundi conuersio per hunc Euangelicæ prædicationis gladium felicissimè perfecta est, & hac ratione mundi gentes ac nationes Christi iugum & imperium ferrea virga figuratum subierunt.

Maldonatus interpretatio de nomine in femore scripto, Rex Regum, &c.

Iam verò, quod attinet ad aliorum auctorũ expositiones, Maldonatus Matth. 27. 11. vbi de Christi regno, explicat Christum quatenus Deus est suapte natura Regem esse, & propterea in femore gestare scriptum, *Rex regum*, quia natura per femur significatur. In femore ergo, quia non est Rex vi, non tyrannide, non electione, non adoptione, sed naturâ. Hæc ille. Sed contrà est; quia femur non naturam vtcumque, sed naturam generatricem designat.

A VESTE ASPERSA SANGVINE) Ribera num. 23. non vult sanguinẽ esse Christi, sed ipsius hostium: & Isaiam ait agere de supplicio cruento ex inimicis sumpto, Ioannem verò de supplicio sumendo. Atque hoc ait esse, venire Christum ad vltionem sanguinis sanctorum: vt si quis ad amici nefariè extincti vltionem procederet, & eius pallium sanguine tinctum ferret, vt impiæ cædis memoria acriùs ac vehemẽtius refricaretur. Viegas verò contra Riberam sect. 1. §. 2. ait, hanc vestem esse Christi humanitatem olim effuso sanguine cruentatam, nunc relictis cicatricibus distinctam.

De veste sanguine cõspersa, aliorum expositiones.

EXERCITVS QVI SVNT IN CÆLO SEQVEBANTVR EVM IN EQVIS ALBIS) Gregorius, Ansbertus, & Viegas equos albos Sanctorum corpora intelligunt. Secus Ribera; qui de Angelis verba fieri putat, atque ita ait equum album esse bene parati, & triumphaturi symbolum, quia color est lætus. Et affert ex Zachariæ 1. Angelos hominum custodes in equis albis sedentes.

Qui sint cælestes exercitus ducẽ sequentes, ex Gregorio & aliis.

Per gladium acutum significari sententiam mortis, siue iussionem ore Christi proferendam, credit Ribera, B n. 26. Virgam ferreã Aretas non ad regendũ transfert, sed ad confringendũ. Ribera de durissimo explicat imperio. Idem, *torcular furoris*, exponit de supplicijs grauissimis. *In femore scriptum*, interpretatur Gregorius, id est in humanitate, per quam eius maiestas innotuit.

Quid per gladium acutum alij intelligunt.

EQVVS ALBVS) Viegas sect. 1. n. 2. ait: locus nõ patitur aliam explicationẽ, nisi communẽ, vt per equum humanitas Christi designetur, per equitem verò Verbum Dei. Et credit sermonem esse de aduentu ad iudicium. Idem, *in veste, & in femore scriptum Rex regum*, &c. sic exponit. *In veste*, id est in humanitate Christi cruentatâ. At *in femore* significari credit Christi incarnationẽ, ex Gen. c. 24 2. & c. 49 29. Et subdit. *Literalis ergo expositio est, quod non solum ex humanitatis assumptione, sed etiã ex passione habet Christus, quod sit Rex regũ, & quia Deus homo est, & quia passus est.* Atque hanc ait esse maximè propriam expositionem, & à beato Gregorio tradi.

Equus albus quid significet Viega.

Secunda expositio est Ambrosii, qui per vestem, C Sanctos, per femur, humanitatem Christi intelligit, nam & in suis, & in seruorum suorum operibus ostendit se esse Regem. Ambros. ipse femur explicat de veteris testamenti Patribus: ex quibus Christus. Pannonius denique in femore diuinam naturam, in veste humanitatem designari putat.

Quid sit in veste & femore scriptum esse titulum Regis Regum, &c. secundũ alios.

TEXTVS.

De Angelo in sole clamante.

Vers. 17. Et vidi vnum Angelum stantem in sole; & clamauit voce magna dicens omnibus auibus, quæ volabant per medium cæli, Venite & congregamini ad cœnam magnam Dei.

18. Vt manducetis carnes Regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & sedentium in ipsis, & carnes omnium liberorum, & seruorum, & pusillorum, & magnorum. D

De allusionibus, quæ in hoc loco continentur.

Quæ sint in duplici hoc versiculo ad alios Scripturæ locos allusiones.

ALLVDITVR hic ad ea Ieremiæ verba c. 7. 33. *Erit morticinum populi huius in cibos volucribus cæli, & bestiis terræ, & non erit, qui abigat.* Qui locus videtur omnino accipiendus vt sonat. Deinde Ieremię 12. 9. dicitur, *Venite congregamini omnes bestiæ terræ, properate ad deuorandum.* Sed præcipua huius loci allusio est ad cap. 39. Ezech. vbi Deus Gogo & Magogo edicit n. 4. *Super montes Israel cades tu, & omnia agmina tua, & populi tui qui sunt tecum feris, auibus omnique volatili, & bestiis terræ dedi te ad deuorandum.* Et infrâ n. 17. dum de eâdẽ victoria loquitur Deus, hęc ait Prophetæ, *Dic omni volucri & vniuersis auibus, cunctisque bestiis agri: Conuenite, properate, concurrite vndique ad victimã meam, quam ego immolo vobis, victimam grandem super montes Israel, vt comedatis carnem, & bibatis sanguinẽ. n. 18. Carnes fortium comedetis, & sanguinẽ principum terræ bibetis; arietũ, & agnorum, & hircorum; taurorumque & altilium & pinguiũ omniũ. n. 19. Et comedetis adipem in saturitatem; & bibetis sanguinem in ebrietatẽ, de victima, quã ego immolabo vobis, n. 20. Et saturabimini super mensam meam de equo, & equite forti, & de vniuersis viris bellatoribus, ait Dominus Deus.* Si hunc Ezechielis locũ cum Apocalyps. verbis conferamus; hęc discrimina reperiemus. Imprimis illa auis inuitatio apud Ezechielem fit in victoria quam Dei populus de Gogo & Magogo reportat. At apud Ioannẽ est mille annis antea accidit

Digitized by Google

A accidit enim priusquam ligaretur dæmon. Secundò, apud Ezechielem inuitantur ad epulas tam cæli aues, quàm bestiæ terræ: in Apocalypsi fit mentio duntaxat auium cæli. Tertio; Ezechielem iubet Deus ad conuiuium vocare aues & bestias terræ: in Apocalypsi Angelus in sole stans, eas inuitat. Quartò; in Ezechiele sacrificium vocatur magnum illa cædes; in Apocalypsi dicitur magna Dei cœna. Quintò; in eo Ezechielis conuiuio quæ eduntur carnes, sunt humanæ, equinæ, arietinæ, hircinæ, taurinæ, &c. in Apocalypsi humanæ solùm & equinæ carnes manducantur.

COMMENTARIVS.

SENSVS loci huius est, copiosum fore peccatorum conuersionem ad Christi fidem & gratiam; ac proinde splendidum Angelorũ conuiuium, & gaudium futurum. Etenim si gaudium est in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente; quid super totius mundi conuersione futurum putamus? Manifestum namque est, innumerabiles extitisse, qui abiuratâ idolorum superstitione ad Euangelium commigrarunt. Hæc explicatio fiet illustrior, reddendo rationem earum differentiarum, quæ suprà inter Ezechielem & Apocalypsin deprehensæ sunt. *Quod sit cœna huius magna Dei mysterium.*

Ad primam ergo respondeo; Ezechielem in Gogo & Magogo adumbrare Ecclesiæ persecutio-
B nes; tam eas, quas passa est à Romanis, quàm eam, quam ab antichristo patietur & ab eius assecla: atque victoriam de illis obtinendam significat victoria illa ac cædes, id est eorundem persecutorum conuersio. Huiusmodi autem conuersio & post Romani Imperij persecutionem successit, & succedet etiam post persecutionem Antichristi. Ioannes ergo in præsenti eam conuersionem depingit, quæ Romanorum Imperatorum persecutiones subsecuta est. Vt autem intelligatur, in ea comprobari Ezechielis vaticinium de Gogi & Magogi internecione, ideo assumitur hic figura conuiuii siue epuli, quod Deus cæli auibus apponit post magnam illam stragem, quæ in Gogi & Magogi exercitu fit. Deinde, vt percipiatur etiam Ezechielis prophetiam fore implendam in ea victoria, quam Ecclesia sub Antichristi tempora adipiscitur; idcirco post conuiuium à Deo apparatum cæli auibus, postque dæmonis alligationem per mille annos; inducitur Gogi & Magogi exercitus, quasi hac ratione nobis innuatur, cædem illam atque conuiuium non semel, sed sæpius euentura. Quamobrem ad significandam mundi conuersionem Constantini tempore futuram, accersit Apocalypsis picturam illam siue effigiem conuiuii auibus instructi, quod præstituit internecionem Magogi: posteà verò ad Antichristi persecutionem vsurpat figuram belli à Gogo & Magogo suscitati. Qua de re latè dicam ad caput 38. & 39. Ezechielis. *Cur inuitatio ad magnam in cœnã apud Ezech. c. 39. fit in victoria de Gogo & Magogo facta: nic verè mille annis antea?*

Ad secundam differentiam, tam iusti in terra, quàm Angeli in cælo collætantur, & exultant ob
C peccatorum conuersionem. Quòd si Angeli in auibus figurantur; in terræ etiã animalibus iusti viri in mundo degentes figurentur necesse est, vt videbimus in cap. 36. Ezechielis expositione. Et omnes quidem Ezechiel inuitat: Ioannes verò inuitationum auium solùm meminit per allusionẽ ad Christi verba, *Gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente*, Lucæ 15. 7. Cùm multo sit maior apud cæli Angelos iucunditas & lætitia, quàm apud iustos in terris commorantes. Et satis quidem fuit, Angelorum fieri mentionem, vt idem etiam de iustis adhuc viuentibus constaret. Vel potiùs, Ioannes ideo Angelorum tantum meminit; vt innuat, qui iusti propter peccatorum conuersionem lætitiæ voluptate gestiunt, eos Angelos posse merito appellari, quando & eorum lætitia propria Angelorum est. & conuersatio pariter illorum est in cælis. *Cur inuitantur ad cœnam, tam aues cæli, quàm bestiæ terræ: apud Ioannẽ vero solùm aues?*

Ad tertiam differentiam; sol, de quo in præsenti agitur, denotat Euangelij lucem, quæ toto terrarum orbe longè lateque diffusa est, iuxta ea Isaiæ verba c. 9. 2. *Habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis.* Est ergo sermo de fulgentissima doctrinæ Euangelicæ luce: quæ post Romanã potentiam deuictam toti orbi illuxit. Vide Sapient. 5. 6. vbi impii in inferno aiunt: *Iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis.* In hac ergo ingenti Euangelii claritate, quæ mundo oborta est post Romani Imperii persecutiones, minister Dei siue Angelus. qui aues ad lætissimum cõuiuiũ inuitat, mirificè exprimit Ezechielis prophetiam. Itaque qui hic inducitur Angelus, meo iudicio, aut Prophetam Ezechielem, aut ipsius etiam prophetiam repræsentat. *Cur apud Ezechielem Deus iubeat aues & bestias inuitari: hic autẽ Angelus in sole stans aues inuitet? Angelus in sole stans quem figuret.*

Ad quartam differentiam; vtrumque nomen eidem fini & scopo egregiè deseruit. Etenim perinde est magna Dei cœna, atque diuinum quoddam epulum & cælestis celebritas. Atqui ingens po-
D test sacrificium appellari victoria illa, in qua Christiana Religio & diuinis cultus exultant atque triumphant, & vtrumque denotat mundi conuersionem cælitibus ipsis festiuissimæ lætitiæ fuisse, nec non illustri diuinæ gloriæ exaltationi, magno holocausto, atque oblationi, in qua omnes, qui se ad Christum, eiusque fidem transtulerunt, gratissimum ei obtulere sacrificium. *Cur in Ezechiele vocetur illa cædes, sacrificium magnum: at in Apocalypsi, cœna magna?*

Ad quintam differentiam, in Apocalypsi quidem satis erat attingere, quàm Deo extiterit, quàm Angelis etiam glorioſum, vt non solum mundi sapientes ac literati Catholicam Religionem amplecterentur, verùm etiam rudes & imperiti, qui belluarum instar sunt. Sic Dauid. Ps. 35. 7. *Homines & iumẽta saluabis Domine*, Id quod in Apocalypsi mox iis verbis exponitur, *Omnium liberorum & seruorum.* Apud Ezechielem verò (vt in eius capitis explicatione videbimus) peculiaris extitit ratio; cur arietum, hircorum, taurorum mentio fieret; vt denotarentur auarorum hominum, turpium & superborum conuersio. *Cur in Ezechielis conuiuio edantur carnes humanæ, equinæ, arietinæ, hircinæ, taurinæ, &c. at in hoc Apocalyptico solum humanæ & equinæ?*

Non me latet, quàm sit Riberæ & Viegæ expositio in hoc loco diuersa; qui arbitrantur hæc verba, ita vt sonant, esse vsurpanda, & in illis sermonem haberi de ea victoria, quam Ecclesia de Antichristo reportabit. Sæpè tamen huiusmodi controuersia discussa est, & sæpe admonui, totius Apocalypseos acoluthiam, rei certitudinem, & significationis elegantiam pro me stare.

Digitized by Google

A

TEXTVS.

Vers. 19. Et vidi Bestiam, & Reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo, qui sedebat in equo, & cum exercitu eius.

20. Et apprehensa est Bestia, & cum ea pseudopropheta: qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem Bestiæ, & qui adorauerunt imaginem eius: viui missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure.

21. Et ceteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius, & omnes aues saturatæ sunt carnibus eorum.

COMMENTARIVS. I.

De sensu grammatico.

B

Tres hi versiculi (quod ad literam attinet) explicantur.

ET VIDI BESTIAM] In Græco præfigitur articulus, Vnde elicitur maris Bestiam capitis 13. & Bestiam coccineam c.17. vnam eandemque esse, vt expendenti constabit. Si enim essent duæ, minimè foret ad rem articulus, vt altera designaretur, nec verò percipi ac distingui posset, de vtra illarum sermo fieret. Porrò prælium hoc inter cælum & terram committitur, & equi albi sessor, eiusq; exercitus de cælo descenderunt. Ex parte verò terræ Bestia maris exercitum ducit, & cum illa Reges terræ atque eorum exercitus sociantur. Hoc quidem verbis ipsis exprimitur, sed facilè hinc colligitur, marinæ Bestię opem ac suppetias ferre ipsius fœderatos, nempe draconem & Bestiam terræ, quæ vocatur pseudopropheta. Ceterùm Bestia terræ singulatim nominatur, quia illa plus ceteris bellum propalam vrgebat. Pro cælesti verò exercitu diuinam virtutem, eiusque opem præsentissimam stare, dubium non est.

Vbi ad primum ipsum cōgressum peruenitur, dehiscens tellus Bestiam maris ac Bestiam terrę viuentes & videntes absorbet, ipsasque in ignitum stagnum detrudit, ceterosque omnes, qui earum partes fouebant, occidit eques ille, qui equo albo vehitur, idque gladio ex ipsius ore procedenti. *Et omnes aues saturatæ sunt de carnibus eorum.* Itaque ex vniuerso exercitu, qui cum cęlestibus phalangibus prælium commissurus aduenerat, nullus remansit omnino (vno dęmone excepto, de quo infra.) Nam duplicem Bestiam totius exercitus ductrices deuorauit terra, reliqui gladio interfecti occubuerunt.

C

Illud hic obseruatione dignum, bellum aduersus maris & terrę Bestias gestum prius confici quàm aduersus draconem. Etenim in hoc cap.19. tellus vtramque Bestiam deglutit, & earum milites occisione delentur, & cæli auibus pro pastu obiiciuntur. Posteà verò c.20. ligatur diabolus, qui deinde post mille annos bellum instaurat, & tandem n.10. ipse etiam in stagnum ignis miimttitur.

In his igitur tribus versibus innuitur, impletum fuisse, quod Angelus in sole stans portendebat. Tametsi enim phalanges terrestres numerosissimæ erant cum cælesti exercitu congressuræ; dissipatæ tamen sunt atque deletæ, qua ratione iam diximus. Vnde cælestes aues occisorum cadaueribus pastæ conuiuium durere lætissimum.

APPREHENSA EST BESTIA] Ribera ait hanc esse metaphoram à præliis petitam, in quibus aliqui viui capiuntur. *In stagnum ignis ardentis fulgure.* Hæc est vera loci huius lectio, non ea, quam adducit Primasius. Consule Riberam n.37. Porrò stagnum ignis esse inferorum locum, & cur sic appelletur, tractat optimè ipse Ribera n.32. Et verò ex Apocalypseos textu satis comprobatur. c.19.20. & c. 20. 15. & c.21.8. Iam, quod supplicii locus appelletur stagnum ignis, continet non veritatem solum, sed egregiam etiam elegantiam propter rationes symbolicas. Stagnum verò est veluti mare quoddam, vbi ignis & cruciatus, tanquam in proprio loco, nunquam deficiunt.

D

Dices, si stagnum significat inferorum regionem, cur dicitur cap.20.14. *Infernus & mors missi sunt in stagnum ignis:* Huic tamen dubio fiet satis cap.20. obserua tamen, Prosperum in codicem incidisse deprauatum, aut memoria lapsum fuisse. Nam in dimidio temporis c.5. & c.12. legit, *Apprehendit draconem, & Bestiam, & pseudoprophetas, isti viui missi sunt in stagnum.*

COMMENTARIVS II.

De sensu ænigmatico.

Proponitur difficultas, quæ iuxta nostram expositionem occurrit in verum ac temporis ordine & consequentia.

EX triplicis huius versus verbis deducent nonulli, fieri non posse, vt Bestia & Pseudopropheta Mundum & Carnem significent. Ait enim text. *Viui missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure.* Tunc autem dæmon non in eundem detruditur lacum, sed in abyssum, ibique alligatur: post mille verò annos soluitur, & prodit inde, seducit Gogum & Magogū, eos in prælium cogit, ipsi Ierosolymam obsident; *descenditque ignis de cælo,* &c. Quid ergo sibi vult Ecclesiasticæ pacis tempore (hi enim sunt mille pacis anni) constringi dæmonem, & Mundum atque Carnem apud inferos comburi? Etenim hoc pacto sub idem pacis tempus, quando dæmon alligatus est, vere dicentur mundus atque caro liberi esse atque soluti, & virtutē insectari. Qui ergo vere dici potest, Ecclesiæ bellum aduersus

mundum

Digitized by Google

A mundum & carnem susceptum absolui priùs, quàm aduersus dæmonem? jam, quid significat, nunc mundum & carnem ante extremi iudicii diem viuos exardere apud inferos; nec detrimenti quidquam Ecclesiæ importare posse? Quis porrò est huiusmodi ordo, mundum atque carnẽ prius viuos in inferorum ignem coniici, deinde dæmonem in abyssо, siue mari ligari: post mille verò annos, relictis adhuc apud inferos mundo & carne, solui dæmonem: posteà mitti etiam in stagnum ignis, ac postremò in ipsum stagnum detrudi infernum, mortem atque improbos? Demum, si dæmonis dissolutio sub Antichristi tempora est futura, cur non etiam tunc mundus & caro soluentur?

Primus modus soluendi prædictã difficultatẽ exponitur, nec probatur.

His nodis aliqui irretiti in eam fortassе opinionem deuenient, vt nullo alio modo huiusmodi quæstiones expediri putent, quam vt per Bestiam & Pseudoprophetam Antichristus & eius præcursor, siue propheta figurentur, hac enim ratione rite intelligitur post duplicis Bestiæ deuorationem sequi magnam Ecclesiæ pacem, & vltimum posteà Gogi & Magogi bellum.

Verùm enim verò, si res accuratè perpendatur, difficultas hac ratione minimè tollitur. Quippe Gogi & Magogi bellum non aliud est, quàm bellum Antichristi, secundùm communem & certam opinionẽ. Quod cùm ita sit, locus certò ipse multò adhuc difficilior & implicatior manebit. Dicendum namq; esset, Antichristum & eius prophetam ad inferos priùs dimitti viuos, deinde mille pacis annos succedere, posteà Antichristi bellum. Vt hanc implicationem Ribera atque alii deuitent,
B contextus ordinem omnino subterfugiunt atque confundunt. Existimant enim diuersas esse visiones, nec aliquem consequentiæ, aut temporis ordinem seruare inter se. Verùm hoc planè violentissimum est, nam textus (postquàm tres Christianæ Religionis hostes acerrimos, dæmonem, Bestiam maris & Bestiam terræ enumerauit,) voluit manifestè ipsius belli exitum per ordinẽ recensere. Quare priùs retulit Bestiam maris atque Bestiam terræ fuisse telluris hiatu absorptas, dein constrictum remansisse dæmonem, & mille annorum pacem subsecutam, posteà solutum dæmonem, & Gogi & Magogi bellum exarsisse. Hæc ergo ipsa rerum consecutio argumento est, planeque fortissimo, veram marinæ Bestiæ explicationem, iuxta literalem sensum, de Antichristo esse non posse.

Vera ad superiorem difficultatẽ expediendã via statuitur ac declaratur.

Assero igitur in Bestia & Pseudopropheta denotari mundum & carnem Christianæ Religioni infestos, & per Ecclesiæ victoriam, ac Romani mundi siue Imperii conuersionem ad Christum, dici meritò mundum atque carnem Ecclesiæ persecutores in inferorum ignem viuos fuisse deturbatos. Hoc tamen intellige in concreto (vt aiunt) id est Gentiles fidem Christianorum oppugnantes viuos descendisse ad inferos, simul cum mundi potentia ac superbia Christi fidei contrariâ, cumque carnis affectibus eidem fidei oppositis: viuos inquam descendisse, vt supplicium quo suorum scelerum pœnas luunt, in æternum persentiscant. Dicuntur autem viui tellure dehiscente fuisse deuorati, id est, ita vt in mundo nulla aut facies aut figura aut ferè memoria illius persecutionis remaneret. Vel
C potiùs dici possunt illi ipsi, in quibus mundus & caro viui perstiterunt, hac ipsi vitâ in inferos æternum fuisse demersi. Atque hoc est mundum & carnem in barathrum deiectos fuisse. Ceteros verò à mundo atque carne seiunctos (vel potiùs mundo atque carne ab iis separatâ) Christi gladius vita veteris hominis priuat, atque moriuntur quidem peccato, sed hac eadem morte cælites mirum in modum lætificant.

Mundum atq; carnem dupliciter considerari posse.

Præter hæc, mundus & caro bifariam considerari possunt, vno modo veluti contrarii atque infesti virtuti, modestiæ & honestati, & hac ratione semper manent in hac vita; altero, vt fidei & Christianæ Religioni oppositi, eam videlicet acriter oppugnantes, ac de medio tollere omnino cupientes. Et sanè iuxta hanc secundam acceptionem, iam eos terra deglutiisse videtur, neque ex iis quidquam siue partis siue figuræ remansisse. Priùs quidem tota mundi carnisque potentia omni virium contentione in bellum Christianæ Religioni inferendum incumbebat. Sed tota hæc belli machina Constantini tẽpore disiecta fuit. Quæ verò peculiares deinceps persecutiones acciderunt, minoris fuere momenti, nec in ipsis vniuersa mundi atque carnis potentia contra Christianam Religionem militauit, sed aliqua solùm pars, & in nonnullis orbis regionibus, vt quondam Maurorũ tempore Cordubæ, & nunc in Iaponiis insulis. Ceterùm post Iuliani tempora nusquam hactenus Christianæ fi-
D dei se opposuit communis mundi atque carnis potentia, hanc enim iam tellus absorbuit. Quare ex triplici hoste, vnus solùm reliquus est dæmon, isque ligatus, donec Antichristi tempore soluatur.

Occurritur alteri difficultati ex dictis subeuenti.

Sed dices: qua ratione dissoluendus est tunc dæmon, eadem soluendi sunt mundus & caro: non igitur aptè finguntur hi duo iam apud inferos concremari, sed simul cum ipso dæmone ligari. Respondeo, per maris Bestiam, si formaliter loquamur, non figurari mundum generatim sumptum, sed in illa Romani Imperii Bestia, quatenus Christi fidem persequitur, atque adeò per Bestiam terræ, nõ carnem in communi denotari, sed carnalem affectum, quatenus cum illa maris Bestia coniunctum: id est admirationem & existimationem maximam de antiquo illo Romano Imperio idolorum cultore & Christianæ Ecclesiæ hoste conceptam. Illi ergo antiqui Ecclesiæ aduersarii, nempe Romanum Imperium ethnicum & caro ipsius concubina ita sunt absumpti, vt in Christi Ecclesiam rursus consurgere nequeant: eorum tamẽ loco dæmon sub mundi finem Gogum & Magogum excitabit. Et verò Antichristus etiam, eiusque sectatores non ineptè possent in maris & terræ Bestiis adumbrari. Sed cùm alii sint futuri Ecclesiæ persecutores à primis illis longe diuersi, ideo congruenter in diuersa alia figura significantur: nulla autem aptior esse potuit, quàm Gogi & Magogi, de quibus apud Ezechielem cap. 38. & 39.

Vers. 21. Qui dicantur gladio ducis fuisse occisi.

CETERI OCCISI SVNT IN GLADIO SEDENTIS SVPER EQVVM] *Ceteri*, id est ii, qui in antiquo errore non perstiterunt, sed manus Euangelio dederunt. Hoc enim fuit eos Christi gladio iugulari: vt latè iam exposuimus: eorumque conuersio cælestibus spiritibus lætissimam celebritatem, & opiparum planè conuiuium instruxit.

Digitized by Google

Vers.20. IN STAGNVM IGNIS ARDENTIS SVLPHVRE] Fortè peccata ipsa sunt quasi inferni ignis sulphur atque materia & fomes, quo flamma illa perpetuò alitur. Nam & Hieronymus ait, inferni sulphur metaphoricè accipiendum esse. Id quod eo sensu velim dictum, quia ænigmatis proprius est, nempe allegoricus. An verò sit insuper verum apud inferos sulphur: id scholasticis discutiendum relinquo, eisque me libenter subiicio. Vide Abulensem Matth.25.q.560. Serarium in Iudith cap.16.q.2. & Riberam hìc. A

NOTATIO VIII.

De aliorum expositionibus circa illa verba, Viui missi sunt hi duo, *&c.*

Proponuntur aliorum expositiones ad prædicta verba, Viui missi sunt, *&c.*

ALIQVIS opinabitur, viuos descendere ad inferos, perinde esse, quasi in hac vita de præteritis sceleribus pœnitentiam agere; & inferorum pœnas vt suis flagitijs satis dignas considerare, iuxta illud Psa.54.16. *Descendant in infernum viuentes.* Vbi quidem sic philosophantur, *Descendant viuentes, ne descendant morientes.* Et quod attinet ad bellum cum duplici Bestia prius β confectum, cum tamen bellum adhuc aduersus dæmonē extet: suspicabitur quispiam, id planè esse, quod prope mortem accidere solet ægrotis: postquam enim nos mundus & caro derelinquunt, supereſt adhuc dæmon, qui nos acriter vel eo tēpore oppugnat, quando nec carnis suggestiones, nec inanis mundi opinio nos vrgent. Hæc tamen abs re sunt ad contextus seriem.

Antichristum eiusq; præcursorē viuos fore à terra absorbendos multi putant.

Antichristum & eius præcursorem viuos esse à terra absorbendos, exponunt hìc Ribera, Viegas, & communis. Et Ribera quidem nu.31 ait nullum esse dubitandi locum, quin sub Bestiæ nomine de Antichristo sit sermo. Porrò Reges terræ affirmat esse septem illos Reges, qui Antichristi vexilla sequentur. Quare, cùm terra (vt ipse Ribera supponit) sit deuoratura Antichristum & eius præcursorem viuentes: eam mox quæstionem mouet, & in dubium reuocat, quo scilicet pacto hoc vaticinium consentiat cum Pauli dicto 2.ad Thess.2. affirmantis, Antichristum a Christo forè occidendum. Ac primò affert Bedam, Anselmum, & Thomam: qui probabile putant, Antichristum & eius præcursorem esse interficiendos: dici tamen, mittendos esse viuos in stagnum ignis, vt acerbiores cruciatus significentur. Sed ipse Ribera prius num.24. sic explicat: Antichristum & eius præcursorem viuos esse in inferorum barathrum detrudendos, affirmati tamen illos interfectum iri, quia subito Christo iubente à dæmonibus rapientur. Nam iussio Christi est spiritus oris eius, ex Chrysostomo & Theophylacto. Conatur autem Ribera hanc locutionem emolire, vt *detrudere in infernum viuos,* sit *interficere*, ex loco Numer.16.33. & Psal.54.16. Postea tamen Ribera ipse nu.36. decernit, Antichristo euenturum, quod Dathan & Abiron, qui à terra absorberi cœperunt; sed mortui sunt antequàm ad infernum peruenirent: vti sentiunt Abulensis, Lyranus, Hugo, & Dionysius Num.16. dicentur verò viui descendisse, quia apparebit eos descendisse viuos, vt Psalm.54. *Descendant in infernum viuentes.* Haymo asserit, Antichristum in monte Oliueti in suo papilione moriturum, & refert eam esse Doctorum traditionem. Aretas dubitat, an Antichristus sit moriturus: & an superstes futurus sit aliquis post mortem Antichristi? Sibylla quædam significat, Antichristum cum suis subitâ flammâ rapiendum (vide Riberam §.36.) & nota hoc Sibyllæ dictum videri cohærere cum prophetia Apocalypseos de Gogo & Magogo: nam per eos designari Antichristū & eius exercitum ex vero est, & in Apocalypsi legimus (cap.21.9.) *Descendit ignis à Deo de cælo, & deuorauit eos.* Sed id suo loco explicabimus, & prædicta ex aliorū expositionib. attigisse satis est, cùm nostra expositio sit longè diuersa. Porrò de loco illo Pauli, 2.Thess.2. diximus c.14.not.3. C

LIBER

Digitized by Google

A

LIBER QVINTVS,

Tria postrema capita exponens, quibus sacræ actioni finis imponitur.

EXORDIVM.

QVEMADMODVM liber huius operis tertius finem fecit infelici illo exitu Iudæorum (de quibus Deus
B severissimam æquè ac meritissimã sumpsit vindictam, vt in cap. 11. calce describitur:) ita etiam libro quarto finem imposuit exitus felix vindictæ mysticæ, quâ Deus in Gentilicum populum animaduertit, per conuersionem non totius modò Romæ, sed etiam Imperii, vti in superioris capitis fine videre est. Sicut autem liber tertius octo complexus fuit capita, à quarto scilicet vsque ad vndecimum: ita similiter quartus liber totidem capitibus constitit, nempe à duodecimo, vsque ad vndevigesimum. Et quidem si per diuisionem capitum Apocalypseos iam receptam liceret, gauderem maximè, primos capitis vigesimi versus libro quarto pro colophone subnecti. Etenim tres hostes, qui peracri bello in Ecclesiam coniurarunt, ij fuerunt draco è cælo delapsus, Bestia maris &
C Bestia terræ. Cùm verò cap. 19. desinat in eam vindictam, quæ de maris & terræ Bestijs sumpta est: integra huius dicursus ratio poscebat, vt in eo tractaretur pariter de supplicio draconi inflicto, dum alligatus, & in abyssum detrusus est. Verùm in hac mei operis diuisione ego debui, eam ad communem capitũ Apocalyps. partitionẽ conformare. Præsertim cùm illa dæmonis, seu draconis alligatio supponat Ecclesiæ victoriam atque triumphum de Gentilico populo reportatũ, nec non idololatriæ ex toto Imperio expulsionem. Quare ligatio dæmonis non tam videtur ad belli finem & vindictam de inimicis sumptã reuocanda, quàm ad pacem ipsam in posterum stabiliendam post victoriam comparatam. Bene igitur habet,
D vt liber hic quintus à capitis 20. initio ducat exordium, & sacræ huius actionis epilogus tria omnino capita contineat, sicuti totidem prologus complexus est. Quorum expositioni dedimus secundi libri rationem, eo quòd primum occupauerant notationes proœmiales, & singulorum capitum paraphrasis. Hæc est igitur totius nostræ interpretationis diuisio.

Ratio, series, ordo & connexio quatuor superiorũ librorum cum quinto hoc & postremo.

Quòd si in quatuor superioribus libris nostra expositio, & ab aliorum interpretationibus longè diuersa, & Rom. Ecclesiæ splendori & magnitudini cum primis extitit honorifica: quæ sequitur in quinto hoc libro declaratio non erit, opinor, aut à vulgari sensu minùs remota, aut Rom. Ecclesiæ minùs glorioſa. Etenim hactenus non ita erat communi consensione receptum, in tribus cap. seqq. de Rom Ecclesia singillatim instituti sermonem, sed generatim de Ecclesiæ Christianæ pace, de Antichristi persecutione aduersus illam concitanda, deque gloriæ magnitudine, quæ post extremi iudicij diem, eandem manet Ecclesiam. Mihi verò omnino

Digitized by Google

perſuaſum eſt, (& ſpero me fore non obſcurè oſtenturum) Apocalypſeos contextum minimè pati, vt per triplex hoc caput de tribus ijs rebus generatim ſermo fiat, nec ad Romanæ Eccleſiæ tractationem ſingulatim deueniatur: quinimo verum ac germanum ſequentium capitum argumentum agere de diuturna pace Romanæ Eccleſiæ ceterarum Eccleſiarum capite, de bello eidem Eccleſiæ Romanæ per Antichriſtum inferendo, & de victoria per ipſam de eodem Antichriſto glorioſiſſimè comparanda, poſtremò de excellentiſſima gloria, quam in cæleſte beatitudine Romana Eccleſia conſequetur. A

Totum hoc dependet ex capitis decimi noni intelligentia, ac præſertim ex illarum nuptiarum vera & ſolida explicatione, cùm aliæ non ſint, niſi nuptiæ Romanæ Eccleſiæ cum Chriſto initæ. Hoc enim ſi vt fundamentum ſtatuamus, conſectarium eſt (vt videbimus) trium horum capitum ſcopum eum eſſe, vt in ijs agatur de triplici felicitate maxima Romanæ Eccleſię poſt expulſam toto Romano orbe idololatriã. Prima felicitas eſt, pax per mille annos durans. Secunda, victoria de Antichriſti perſecutione ac bello reportanda. Tertia, eximia illa & admirabilis ciuitas cęleſtis gloria eidem Romanę Eccleſię conferenda: quo demum ſacrę huic actioni finis imponitur. B

Poſtrema huius Apocalypſeos partis expoſitio quàm noua, quãque Rom. Eccleſia glorioſa ſit.

Quid ergo vulgi opinioni magis aut nouum, aut inuſitatum? Si enim compluribus reputandum eſt nouum & inſolitum, quod à capite duodecimo ad finem vſque decimi octaui in Apocalypſi continuata ſerie diſputatur de Romanæ Eccleſię inſtitutione, de bello in illam ſuſcitato, ac de victoria, quam illi Deus de Roma ethnica, deque Romano Imperio contulit: quantò inſolentius & inuſitatius videatur, totum trium capitum ſequentium argumentum agere ſingillatim de Romanę Eccleſię felicitate? Nam ſi in libro quarto nouitatem prę ſe fert Apocalypſeos ſeries & conſecutio: id ſaltem cõſtat, auctores extitiſſe grauiſſimos, veteres pariter ac neotericos, qui nos admonent per Babylonem in Apocalypſi Romam ethnicam antiquam denotari: quę Babylon tria ſibi vendicat capita, quibuſcum cetera connectenda erant. At vero in hoc quinto libro nullam aliam nouę interpretationi lucem afferre poſſumus, pręter continuatam totius contextus ſeriem & acoluthiam, quę minùs hactenus obſeruata fuerat. Et quamuis in eo ęnigmate, quod omnes nondum enodatum fatebantur, ridiculum eſſet, nouam quamlibet expoſitionem ob vnam nouitatis notam damnare: hoc tamen non obſtat, quin vulgo nouum & inuſitatum appareat, quod nullus hactenus perſtrinxerat. Quòd ſi hęc nouitas aliquem retardauerit, ea de re me refero ad ea, quę in notat. 19. proœmiali diſputaui. Spectat autem omnis mea explicatio ad antiquiſſimam Romanę Eccleſię auctoritatem illuſtrandam, & confirmandam. Cui Eccleſiæ quemadmodum ſummopere eſt honorificum, vt Apocalypſeos ſcopus à capite duodecimo vſque ad decimum nonum eò ſolùm tendat, vt ipſius Romanę Eccleſiæ erectionem, progreſſum atque victoriam depingat, & hanc eandem victoriam integro Canticorum libro, tot Dauidis Pſalmis, tot veterum Prophetarum integris capitibus concelebret: ita etiam manifeſtum eſt, plendorem hunc atque gloriam non parum excreſcere ſi tria vltima huius operis capita in Romanæ etiam Eccleſiæ laudationem impendantur: idque adeo ſingulari tractione, vt C D

nec

Digitized by Google

A nec in mille annorum pace, nec in Antichristi bello, nec in cælestis patriæ triumpho (quorum tanta pars ad ceteras etiam Ecclesias redundabat) aut generatim argumentum tractetur, aut ad aliã descendatur Ecclesiam, sed totiũ tractationis vis in vnã Romanã incumbat. Quo illud nobis innuitur, hanc esse potissimùm Ecclesiam, cuius (vt capitis ac reginæ) curam cælum ipsum susciebat, & pacem illam per mille annos duraturam non ceteris Ecclesijs, sed vni Romanæ promitti: aduersus hanc potissimùm bellum Antichristi & ipsius præcursorũ exarsurum: hanc diuino auxilio fultam de illis triumphatum: hanc denique cælo illaturam totum illum splendorem & amplitudinem, quæ describitur in extrema Apocalypseos parte, vbi cælestis Ierosolymæ maiestas depingitur.

B His animaduersis facile est intelligere, totam Apocalypsin ad Ierosolymæ comparationem cum Roma, & vnius felicitatis cum infelicitate alterius collationem reuocari. Nam tria prima capita prologum agunt: deinde vsque ad vndecimũ sermo instituitur de Ecclesia, quam Christus in Sione fundauit, ac de bello ab Ierosolyma rebelli eidem illato, nec non de belli huius exitu, qui non alius fuit, quàm manifesta diuinæ seueritatis in Iudæos significatio. A cap. verò 12 depingitur Romanę Ecclesię fundatio, & Romæ ethnicæ bellum aduersus illam susceptum, eiusque belli successus, qui Romanorum & totius Imperij conuersione, & clarissimo pariter Dei in Romanam Ecclesiam argumento terminatus fuit. *Totius Apocalypseos scopus quo potissimùm tendat.*

Cùm autem caput vndevigesimum desinat in vniuersi Imperij conuersionem; (quę non aliud fuit, quàm vniuersas gentes Eccl. Rom. subiicere) C appositè satis ad sacræ huius actionis coronidẽ seligitur, quod tribus postremis capitibus describitur de triplici Rom. Eccl. felicitate post victoriã de Gentibus partam. Atque hoc est libri huius quinti argumentum.

NOTATIO.

Ad cap. 20. in qua suus honor B. Augustini expositione tribuitur, & summa huius capitis proponitur.

Capitis huius vigesimi expositionem à B. Augustino in libru de ciuitate tradi.

HABEMVS super hoc cap. expositionem B. August. lib. 20. de Ciuit. a c. 7. vsque ad 15 quæ tanti est a ceteris interpretibus habita, vt eam omnes aut in cunctis aut in plerisque saltem sequerentur. Ita fatetur Ribera §. 1. Et hac de causa superiedet aliorum interpretum sententiis referendis, ac simul concedit, se in iis, in quibus à B Augustini sententia dissentit, ab omnium etiam interpretum consensu recedere. Ego verò etsi fateor, me non in omnibus ad S. Augustini expositionem in huius capitis commentario adhæresce re: cum tamen in præcipuis rebus sequor, in quarum plerisque ab eo discedunt alij. Quapropter in rebus maioris momenti locupletissimos habeo meæ sententiæ auctores Augustinũ & omnes, qui cum sequuntur. Atque hoc est vnum ex præcipuis meæ expositionis fundamentis: quia in tota Apocalypsi id ego omni ratione còntendo, quod alij fortasse neglexere: videlicet vt cetera omnio cohæreãt cum ea præcipuorum huius capitis punctorum expositione, quam & docuit Augustinus, & ab eo reliqui interpretes communi consensione didicerunt.

Quæ sint præcipua puncta in quibus nostra huius capitis explanatio eorum B. Augustini explanatione consentiat.

Præcipua verò puncta huius capitis, in quibus mea expositio reueretur & sequitur Augustinum, hæc sunt. Primum, alligationem dæmonis non esse ipsius detrusionem in inferos: sed potestatis illius cohibitionem.

Secundum, abyssum exponi debere metaphoricè, nec in præsenti significare infernum.

Tertium, maris bestiam non esse Antichristum, sed mundum paganum.

Quartum, qui Angelus alligauit dæmonem, nõ esse alium, quàm Christum Dominum.

Quintum, sedes, & qui sederunt super eam non hic referri ad vniuersalis Iudicij diem, sed ad Ecclesiæ gubernationem in hac vita.

Sextum, solui diabolum, perinde esse ac ei permitti vt Gentes seducat, easque ad bellum Ecclesiæ inferendum impellat.

Septimum, ciuitatem dilectam à Gogi & Magogi exercitu circunsessam, non esse terrenam Hierosolymam, sed Christi Ecclesiam.

Octauum, per Gogum & Magogum in Apocalypsi non peculiarẽ aliquam nationem aut singulares duces denotari: sed mundi nationes sub Antichristo futuras.

Nonum, *ignem de cælo descendere*, in hoc capite esse mysticè accipiendum.

In his omnibus punctis sanctissimi Doctoris declarationem veneror amplectorque. Verùm enim verò D illud insuper cernere aueo (quauis pumilio humeris tamen gigantes sublatus: (nimirum quæ sit principij capitis huius connexio & consequentia cum antecedentis capitis fine: quod in super sit verum mille annorum initium, quibus ligatus est draco: atque illud etiam, agi singulatim in hoc capite de Romana Ecclesia, & duplicem illius fælicitatem prædici: eæ sunt longa ac diuturna illius pax & nobilissima victoria, quam post huius pacis tempus consecutura est de Antichristo & de ipsius præcursoribus. Quod verò ad finem capitis additur de vniuersalis Iudicij die, id necessariò est interpositum ad sequentem tractatum de Romanæ Ecclesiæ triumpho in cælesti patria. Nam inter victoriam de Antichristo & Ecclesiæ Romanæ tertiam fælicitatem, hoc est triumphum in patria cælesti: necessariò interponendus fuit vniuersalis iudicij dies. Itaque huius capitis vigesimi summa continet duplicem Romanæ Ecclesiæ fælicitatem post idololatriæ expulsionem, & diem Iudicij, qui postremam fælicitatem antecedit.

Digitized by Google

A

CAPVT XX.

TEXTVS.

*vers.*1. Et vidi Angelum descendentem de cælo habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua.

2. Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus & satanas, & ligauit eum per annos mille.

3. Et misit eum in abyssum, & clausit & signauit super illum, vt non seducat ampliùs gentes, donec consummentur mille anni. Et post hæc oportet illum solui modico tempore.

COMMENTARIVS.

B

Connexio vigesimi huius capitis cum præcedente.

VARIIS huius annorum millenarij interpretationibus ad notationes reiectis, eam hic duntaxat subiiciam, quam veram & germanam reputo, cui non parum lucis affert connexio huius c. cum præcedente. In hoc.n. incipitur à dæmonis ligatione: in superiore verò habitus fuit sermo de nuptiis Agni. Meminisse autem oportet ex Tob. 8. 3. vt Sara tranquillè & pacatè suo frueretur matrimonio, necesse fuisse, vt Angelus Raphael dæmonem colligaret, nec Saræ nomen mysterio carere putandum est: idem enim sonat, quod *Domina*; nupserat autem Tobiæ, id est, *bono*, atque probo; & Tobiæ hoc est *boni* filio. Porrò suprà iam vidimus, vxorem Agni non esse aliam, quàm Romanam Ecclesiam; cui Dominæ ac Reginæ nomen aptissimè tribuitur. Huius ergo illigationis per mille annos mysterium eiusmodi est, vt scilicet Romanæ promittatur Ecclesiæ post victoriam de Roma Ethnica partam, & post Romani Imperij conuersionem (quod est capitis 19. argumentum) illam quietè ac pacificè suo sponso per publicam religionis Christianæ professionem diuturno tempore fruituram: nec huiusmodi otium & tranquillitatem ab aliquo fore perturbandam, quoad Gogi & Magogi bellum, id est, Antichristi persecutio adueniat: quam breui duraturam eâque peractâ potituram rursus Romanam Ecclesiam manifesta Christianæ fidei professione & ingenti fælicitate ad extremũ vsque vniuersalis Iudicij diem.

Quod sit mysterium, quæ significatio dæmonis per mille annos illigati.

C

Hactenus mea interpretatio paucis comprehensa. In qua illud imprimis noto: Romanam Ecclesiam non hîc pro Ecclesia vniuersali, sed pro illa, quæ ceterarum est caput, vsurpari. Hæc enim est vxor illa Agni, de cuius nuptiis cap. 19. agitur, Nec dæmonis alligatio aliò spectat, quàm vt ille non possit eius matrimonij, quod paulò antè descriptum erat, fælicitatem ac fructus interturbare. Cùm autem mysterium matrimonij atque nuptiarum, quæ cap. 19. celebratæ sunt, reducatur ad publicum Christianæ religionis vsum in ea ciuitate, quæ & orbis caput erat, & in Ecclesiarum caput electa est: sequitur hinc, per dæmonis constrictionem, (quæ ex contextu debet omnino intelligi respectu ipsius ipsmet matrimonij) illud imprimis promitti; Romæ nimirum semper publicum veræ religionis vsum permansurum: quoad Gogi & Magogi bellum, id est, famosi Antichristi persecutio immineat. Hæc autem promissio Romæ facta, vniuersali Ecclesiæ non item facta est. Nam in pluribus Ecclesiis peculiaribus potuit Dæmon, Deo permittente, per multa sæcula publicam religionis Christianæ consuetudinem impedire, atque adeò tollere. Quamobrem euidens est, hanc pollicitationem, nec Hispanicnsi Ecclesiæ, nec Anglicanæ, nec Alemanicæ, nec verò Ecclesiæ vniuersali, quæ ex peculiaribus coagmentatur, sed vni Romanæ Ecclesiæ factam esse: cui vni cælum singulari prærogatiua fauere, & clarissimum hoc munus deferre voluit; tum ad fidelium omnium solatium, tum ad singularem erga caput Ecclesiarum prouidentiam ostendendam.

Hanc dæmonis alligationem per mille annos non ad vniuersas orbis Ecclesias, sed ad vnam Romanam spectare.

D

Angelus, qui dæmonẽ constrinxit, quid significet.

Secundò noto in eo Angelo, qui dæmonem constrinxit, adumbrari medicinam Dei: qui horribilium persecutionum, quas Romana Ecclesia passa erat, contritionem sanauit: & securam reddidit, dæmonem ita esse cohibendum, vt publicam Christianæ religionis professionem in ea impedire non valeat vsque ad Gogi & Magogi bellum. Et sanè huius Angeli figura ex Tobiæ libro petita fuit: vbi Angelo inditum est Raphaëlis nomen, quod notat *medicinam Dei*. Atque hoc ipsum innuitur Psal. 146. 2. *Aedificans Ierusalem Dominus, dispersiones Israelis congregabit, qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.* Eò dem spectat illud Psal. 106. 20. *Misit verbum suum & sanauit eos.* Quòd si in hoc loco per nomen verbi Dei designatur Christus: optimè etiam cohæret, vti Angelus iste, qui draconem colligauit, Christum redemptorem nostrum indicet. Christi enim virtus dæmonem irretiuit, ne Romanę Ecclesiæ fælicitatem interpellaret. Quamobrem communior expositio in hoc Angelo Christum Agnoscit. Verùm nihil officit, quominus asseramus per hunc Angelum proximè designari Angelorum ministerium; quo Christus, vtpote verus Rex vtitur, vt militum famulantium obsequio ad dæmonis potentiam arcendam. Atque ita de Angelorum ministerio hunc Angelum interpretatur Gregorius lib. 4. Moralium cap. 13. Vbi non de singulari aliquo Angelo loquitur vt Ribera contendit: sed de communi Angelorum erga homines ministerio. Verum quidem est, si dæmonum alligatio Angelis vt ministris adscribatur, pari etiam ratione tribui eam posse peculiari alicui Angelo superiori, qui in egregio hoc facinore ceterorum sit dux & caput.

Angeli huius dæmonẽ vincientis figuram ex Tobiæ libro fuisse petitam.

Tertiò

Digitized by Google

A Tertiò noto, per abyssi nomẽ non assignari in sacris Literis ipsam inferorum regionem, sed profundam aquæ voraginem; vt vidimus cap. 9. notat. 2. vbi etiam obseruauimus in Apocalypsi figuram abyssi esse veluti puteũ altissimi, per eumque significari iustum & arcanum Dei iudicium secundum illud Psal. 35. *Iudicia tua abyssus multa.* Quæ cùm ita sese habeant, in Apocalypsi quidem non dicitur Angelus dæmonem in Tartarum abdidisse, vt nunquam inde exeat vsque ad Antichristi tempora: sed illum alligasse, & in abysso inclusisse, hoc est in æquissimo Dei iudicio. Cùm verò constringi dæmonem & concludi, sit ipsius impediri potentiam, quominùs impedire fidei Catholicæ professionem Romæ possit: dum fingitur abyssi puteus esse ipsius carcer, significatur imprimis, iusto Dei iudicio esse factum, vt per easdem persecutiones Romæ præsertim in Christianam religionem à dæmone incitatas, in eâdem vrbe Catholicæ religionis vsus adeò ratus, stabilis, firmusque persisteret; vt tota Dæmonis vis atque potentia Christianam religionem, eiusque receptam consuetudinem Romæ vsque ad Antichristi aduentum tollere, aut impedire non posset. Deinde, si abyssi nomen referatur ad inscrutabilem diuini consilii rationem, vt suprà dictus Psal. locus manifestè indicat, id etiam est valde notabile & admirandum, nempe in medio ipso crudelissimi belli Romæ à dæmone illati ardore, cùm hostes interdum ad eius mœnia peruaserint, & intrò etiam irruerint; nunquam tamen potuisse dæmonem in ipsa vrbe publicam religionis exercitationem impedire. *Quid per abyssi nomen figuretur.*

B Quod tamen in multis aliis ciuitatibus & prouinciis, Deo permittente, multorum annorum spatio obtinuit. Cùm tamen ipsius Romæ potentia, si rem humano iudicio metiamur, non adeò sit ingens ac fortis, sed superatu facilior videatur, quàm aliæ vrbes non paucæ, quas dæmon suæ ditioni subiecit.

Quartò, clauis, catena, & sigillum, quorum meminit textus, denotant certissimam superesse & securissimam spem dæmonẽ sui compotem desiderij numquam euasurum, vt Catholicæ religionis vsum Romæ impediat. In ipsa porrò alligationis figura alludi videtur ad hominem quempiam in carcere inclusum, qui vt tutiùs & securiùs in custodia possit retineri, in arctissima vincula & compedes strictissimas detruditur, atque supra ipsum claustrum imprimitur regium sigillum: nequis reserare custodiam, & vinctum educere ausit. *Quid clauis, catena, & sigillum denotent.*

Iam ad singula descendamus. *Clauem*, textus ait ad obserandam custodiam fuisse adductam. *Misit eum in abyssum, & clausit super eum*, quasi dicat, Claustrum insuper obseruauit & inclusit: id est, *interdixit ei, ne posset exire*; vt optimè Augustinus lib. 20. de ciuitate c. 7. Ita vt, donec permissionis à Deo statutæ tempus, aduenerit, ostiumque Dæmoni reseruerit, nequaquam prodire valeat ad publicam religionis exercitationem in Romana vrbe perturbandam. *Catena magna* idem est atque crassa & grauis. Quo innuitur, Dæmonem non solùm exire non posse, sed etiam omnino præpeditum atque C irretitum teneri: cuiusmodi esset vinctus aliquis ingenti religatus catenâ, quæ ipsum dimouere se, (ne dum prodire) minimè sinat. Andreas ait, catenam esse Dei operationem coërcentis malitiam Dæmonis. Ribera catenam hanc refert, ad firmissimam Dei voluntatem: Viegas ad potestatem Christi. Ego verò ad impedimẽta, quibus Dæmones veluti compedibus & catenis quibusdam vinciuntur: inter quæ impedimenta, videntur alia ex aliis necti, & euentus alii aliis attexi: ita vt dæmoni suum explere desiderium non liceat. *Quid sit, clauem angelo dari ad claudendam abyssum. Quid per catenam magnam adúbretur.*

SIGILLVM] Augustinus lib. 20. de ciuitat. cap. 7. ad eundem applicat effectum, qui in epistolis solet intendi, videlicet vt occultentur ea, quæ intus exarata sunt. *Significasse esse* (ait Augustinus) *mihi videtur, quod occultum esse voluit, qui pertinent ad partem diaboli, & qui non pertineant.* Verùm regium sigillum in ianuarum clausura non occultandi gratia imprimitur, sed vt regia interponatur auctoritas, & securus reddatur quisque, ausurum neminem obseratam ianuam reserare. Lege Danielis 14. 13. *Signantes annulo regis.* Et n. 16. *Saluane sunt signacula?* Ex quibus infero, per abysi clausuræ sigillum denotari Dei auctoritatem, quæ nos securos reddat, nullius siue Angeli siue hominis potestate, quidpiam fore præstandum, quo dæmon ex eo carcere, & potestatis compressione possit euadere. Ad hæc: si Dei insignia sunt quoddam sigillum siue parma, vbi impressa sint quatuor animalia, Aquila, Bos, Leo, & D Homo, (vt cap. 4. diximus:) fortasis hoc sigillo denotatur Dei Virtute, Sapientia, Beneficentia, & Æquitate, præstari omnino securam Rom. Ecclesiam de promissa sibi publica Christianæ religionis professione vsque ad Antichristi persecutionem futura. Iam, si in sigillo crucem Christi contemplemur: concinnè etiam & eleganter in hac parte ratiocinari possumus. *Quid per sigillum. In abyssi clausura sigillo quid imprimis insinuatur.*

Quintò mille annorum numerus non est propriè & strictè, sed metaphoricè & latè, capiendus. Constat enim Ecclesiam hactenus fuisse perfunctam plus mille ducentis publicæ religionis annis: & constat pariter alios præterea numeros figuratè item in Apocal. vsurpari: cuiusmodi sunt tres anni & dimidiatus, de quibus c. 11. & 12. & 13. & numerus etiam duodecim millium, de quo diximus c. 7. Supereſt tamen explicare, quæ sit figura vel phrasis, iuxta quam præsens mille annorum numerus accipiatur. Ribera §. 39. & 40. germanum esse sensum autumat, si numerus finitus pro infinito ponatur: quia eiusmodi locutione sæpè in sacris Literis dicuntur mille pro multis. Et sic etiam prophani plerumque scriptores loquuntur, vt Virgilius & Persius, quin imò Hispano etiam prouerbio dicitur, *Al cabo delos annos mil bueluen las aguas por do solian ir.* Vnde ænigma annorum mille, quibus dæmon erat in vinculis retinendus, ad similem posset reuocari sententiam: ita vt asseratur Roma publico Christianæ fidei exercitio per longam annorum seriem fruitura, ad demum grauissima rursus persecutio suscitanda; atque adeò aquæ rursus solitum decursum atque alueum repetituræ: sed, *aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem.* *Mille annorum numerum non propriè & strictè, sed latè & metaphoricè esse accipiendum.*

Existimo tamen, in Apocalypsi per millenarium numerum non designari solùm multitudinem, sed etiam plenitudinem temporis. Sicuti obseruarunt Augustinus lib. 20. de ciuitate c. 7. Gregorius lib. 19. *Annorum millenarius quo sensu in Apocal. vsurpetur.*

Digitized by Google

lib.19. Moral. cap.1. & lib.37.c.20. Primasius & Beda hic & plerique. Hæc assertio in eo cumprimis nititur, quòd millenarius numerus est denarij cubicus, in quo trina est dimensio. Nam si linea denarij quadretur; redditur quadrata superficies centenarii; & ex simili superficiei quadratura conficitur numerus solidus millenarius. Cùm autem denarius sit multitudinis symbolum (vt diximus c.12.& 13. vbi de decem cornibus) ad plenissimæ annorum multitudinis significationem, nihil congruentius est, quàm numerus mille annorum. In hac autem plenitudine illud innuitur, dæmonis solutionem fore euenturam post exactum multorum annorum numerum plenissimum, quem sapiens diuinæ prouidentiæ dispositio destinabit, simile quippiam annotauimus cap.7. in numero duodecim millium. Rectè verò vsurpatur mille annorum phrasis ad denotandum multorum annorum numerum, quem diuina prouidentia sibi proposuit. In quo obiter fit allusio ad id Psalm.89.4. *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præteriit*, quò etiam loquutione non absimili respexit Petrus epist.2.cap.3.8. A

Quæstio, Vtrùm ex ligatione dæmonis per mille annos facta, sequatur pacem plus mille annis subsequuturam?

Rogabis tamen, vtrùm ex vi huius locutionis, *ligauit eum per annos mille*, promissio fuerit Romæ facta, fore vt dæmon illi esset constringendus plus mille annis ante Gogi & Magogi bellum? Et prima quidem specie id non videtur asserendum, primò, quia sæpè vsu venit in his numeris (qui indefinitè pro multis accipiuntur,) aliquam subesse hyperbolen; & multò esse minus quod significatur, quàm quod verbis ipsis importatur: vt cùm Latini dicunt; *sexcenta huiusmodi*. Secundò, quia minimè videtur B expedire, vt in Scriptura ratum fiat, mille omnino annos ante extremi iudicij diem imò etiam ante aduentum Antichristi supereſſe: cùm potiùs appareat congruentiùs (vt multis aliis Scripturæ locis significatur) de mundi fine & extremi iudicij tempore nobis ignotum esse, an valde appropinquent, aut longissimè distent. Etenim quanuis oportuerit etiam, ne deciperentur fideles, existimantes paucis pòst annis diem iudicij aduenturum; idque in sacris Literis affirmari (propterea enim Christus Dominus, B.Petrus & B.Paulus nos admonent, hunc non esse sensum eorum Scripturæ verborum, quæ vltimi iudicii diem instare primo aspectu innuunt. Et eam ad rem similiter conducit huius capitis locutio de dracone per mille annos alligato:) nihilominus congruens etiam valde erat, vti fideles nescirent, tam longâ annorum serie & ordine sæculorum dæmonem sic constrictum iri. Ex huius enim rei ignoratione possunt vtilitatem percipere non exiguam. Et quidem loquendi modus non certè probat, mundum per mille annos, imò nec per quingentos duraturum. Quamobrem Augustinus lib.20. de ciuit. c.7. expresse aduertit ad horum mille annorum veritatem satis esse, vt pars pro toto sumeretur. Et infrà exponens verba illa, *Donec finiantur mille anni*, sic ait, *Mille, aut quod remanet de sexto die, qui constat ex mille annis.* Ac demum phrasis hæc indefinita est; quia finitus numerus pro indefinito ponitur. Atque ita ex hac loquendi ratione sicut minimè constat, dæmonem ligandum non fore plusquàm bis mille, aut ter mille annos: sic etiam constare non poterat, plus quingentis annis C eum ligandum esse.

Mille annorum veritatem quomodo intelligat B. Augustinus.

Verùm noster Ribera §.40. his non obstantibus, affirmat ex hoc cap. haud absurdè colligi, multos adhuc annos ad diem vsque iudicii restare: quia numerus millenarius indefinitè positus accipitur semper pro pluribus, quàm mille. In quo Riberæ pronunciato, quanuis rationem non probem, opinionem tamen ipsam verisimilem reor. Nam de Romani Imperii persecutionibus loquitur Apocalypsis, tanquam de re citò finienda. Ait enim c.22.10. *Ne signaueris verba prophetiæ libri huius: tempus enim propè est.* Quæ verba referri debent omnino ad tempus nuptiarum Agni cum Rom. Ecclesia pòst victoriam de Roma ethnica partam, vt eo loci constabit. Si ergo quod pòst ducentos ampliùs annos explendum fuerat, ait Apocalypsis citò euenturum, & tempus iam propè esse: hinc sequitur, quos illa appellat mille annos, temporis fore spatium millenario ipso multò maius: quantumuis hoc ipsum multorum annorum interuallum respectu Dei sit nimis breue & contractum: vt ex loco Psal. 89.4. asserit Petrus epist.2.c.3.8. vbi videtur habuisse respectum ad prophetiam, quæ illi priùs, quàm Ioanni fuerat reuelata de Romanæ Ecclesiæ felicitate illam annorum plenitudinem duratura, quæ per mille annorum phrasim denotatur. Atque ea reuelatione suppositâ, ait B. Petrus longum illud annorum spatium non obstare, quo minùs Iudicii dies sit citò appropinquaturus, non quidem in eo D sensu, quo dicitur in Apocalypsi Romana Ecclesia breui tempore perfectam de Roma ethnica victoriam adepturam (videlicet, quia considerata negotii magnitudine ducentorum annorum, aut etiam trecentorum spatium breue erat:) sed quia licèt diu multumque iudicij dies respectu totius mundi protrahatur: comparatione tamen cuiusque singularis verè & prudenter dicitur celeriter dies Iudicii adfuturus; vt expendimus c.1.n.1. Atque hoc significatur in iis Scripturæ locis, quæ indicant imminere diem Iudicii. Id insuper nos præscire oportebat, ne existimaret quispiam sibi posse multum differri diem Iudicii. Quod verò extremus Iudicii dies sit re ipsa per longam sæculorum seriem differendus: id Ecclesiæ esse ignotum non decebat: quando voluit Deus in Apocalypsi prænunciari reliquam fore annorum plenitudinem Ecclesiæ per millenarium significatam: idque ante Gogi & Magogi bellum, hoc est ante persecutionem ab Antichristo excitandam.

Responsio ad propositam difficultatem.

Oportuisse, vti diem iudicij per multa fore sæcula differendum, Ecclesia non esse initio ignotum.

Præterea in ea ipsa promissione, quæ Romæ fit de publico religionis Christianæ vsu ad Antichristi aduentum duraturo, inuoluitur etiam quidquid opus est, vt Romæ hic publicus vsus conseruetur, cuiusmodi est: vt bona Romani Imperii pars Catholicam retineat religionem. Nec enim Romæ diu posset publica fidei professio conseruari, si in ceteris omnibus prouinciis corruisset. Quapropter, quantumuis hæreses & in fidelium bella pestem & exitium Christiano populo machinentur; pro certo tamen habendum est ad Antichristi vsque aduentum, manifestam religionis Christianæ exercitationem conseruatum in: non Romæ solùm, sed etiam in ea Romani Imperii parte, quæ opus fuerit, vti Roma fidei sibi diuinitus præstitæ complementum assequatur.

Digitized by Google

A VT NON SEDVCAT AMPLIVS GENTES] Euidens est dæmonem non compedibus irretiri, quominùs vllas gentes absolutè decipiat. Quare verba isthæc respectiuè (quod aiunt) accipienda sunt, hoc est, *vt non seducat amplius gentes*, quantum opus est, vt vxor Agni felicitate sui matrimonij potiatur, cum publica Christianæ fidei professione, vt suprà explicatum est. Porrò hisce ex verbis liquet: dæmonis ligationem, de qua in præsenti agitur, non eam esse, per quam oportuit priùs ligari dæmonem, vt domus eius diriperetur (de qua alligatione sermo est Marci 3. 27.) sed eam esse, quæ cõsequuta est Ecclesiæ victoriam de Roma ethnica, deque Imperio comparatam. Et qua opus erat, vt Ecclesia Romana suarum nuptiarum felicitate pacificè frui posset per annos mille subsequentes, de hac verò duplici ligatione dicemus infrà. Vers. 3. *Quo sensu dicatur illigatus dæmõ ne seducat amplius gentes.*

Augustinus in his verbis, *vt non seducat amplius gentes*, gentium nomine prædestinatos intelligit: quam etiam expositionem sequitur Ribera, sed in ea non acquiescit animus. Sic enim semper esset religatus dæmon. atqui supponendum est, antequàm ligaretur, ipsum gentibus fucum facere solitum, scilicet ad Romanam Ecclesiam persequendam, & ad Christianæ religionis vsum impediendum. Constat etiam ex subsequenti contextu, post mille annos exactos soluendum esse Satanam, & seducturum gentes: vbi per gentes intelligi non possunt prædestinati. *Gentium nomine quinam hic intelligantur.*

ET POST HÆC OPORTET ILLVM SOLVI MODICO TEMPORE] Verbum illud *oportet*, non solùm affirmat, ita fore, sed etiam id maximè expedire: & ideo permittendum esse à Deo, quia conueniens valdè est ita ab eo permitti. Est ergo expendendum, in arcano diuinæ prouidentiæ consilio grauiorem persecutiouem ad extremum reseruari. Nam vt inter Romanorum Imperatorum persecutiones vltima fuit maxima ceterarum: ita etiam inter omnes excitatas hactenus, & in posterum excitandas, Antichristi persecutio sæuissima & immanissima exisset, vt sapienter considerauit Augustinus lib. 20. de Ciuit. c. 8. ex illo Matthæi n. 24. 22. *Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro.* B *Grauissimã omnium persecutionẽ consultò ad mũdi finem à diuina prouidentia reseruari.*

Cùm ergo diuina prouidentia hunc ordinem in persecutionum permissione & dispositione obseruet: haud dubiè congruentissimus est. Rationes quidem, quas Augustinus expendit, huiusmodi sunt: *Si nunquam solueretur diabolus, minùs appareret eius maligna potentia, minùs sancta ciuitatis fidelissima patientia probaretur, minùs denique perspiceretur, quàm magno eius malo tam bene fuerit vsus omnipotens Deus qui eum nec omnino abstulit à tentatione Sanctorum, vt eius oppugnatione proficerent, & ex parte alligauit, ne innumerabiles à fide deterreret Soluetur autem in fine, vt quàm fortem aduersarium Dei ciuitas superauerit, cum ingenti gloria sui Redemptoris, adiutoris, liberatoris, aspiciat.* His illud adiungo: sicut in exercitu tam prima, quàm extrema acies fortissimos quosque milites sortitur, & in medio ipso exercitu minùs validi, minùsque strenui milites collocantur, ita similiter in primoribus Christianæ Ecclesiæ militibus (id est, primitiuæ Ecclesiæ tempore) & in vltimis, qui Antichristi tempestate erunt superstites, virtus atque animi robur diuino suffragante auxilio & enituit, & enitescit. Certè, si cetera sint paria, præstantior C vis ac fortitudo in acriori conflictu & sæuiore persecutione spectatur. Nihilominùs tamen primi illi Ecclesiæ Christiani, vtpote qui difficillimam totius mundi expeditionem & conuersionem, præsertim Romæ atque Imperij, sunt aggressi, validiores essent necesse fuit. Secundùm illos tamen nulli alij poterunt virtute & constantia cum iis conferri, qui Antichristo sunt obstituri, vt ex grauissimæ tentationis magnitudine colligitur. Vnde optimè subiungit Augustinus, *in eorum, qui tunc futuri sunt, Sanctorum atque fidelium comparatione, quid sumus? quandoquidem ad illos probandos soluetur inimicus, cum quo nos ligato tantis periculis diuicamus.*

MODICO TEMPORE.] Consentanea sunt hæc verba cum iis, quæ Christus ait Matthæi 24. n. 22. *Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro.* Communis opinio est, Antichristi persecutionem tribus omnino annis & dimidio duraturam. De quo temporis spatio, deque eius mysterio diximus suprà cap. 11. verum quidem est, in quibus locis Apocalypsis agit de hoc trium annorum & dimidiati spatio, in iis non loqui directè saltem de Antichristo secundum eam expositionem, nec in ca. 11. nec in 12. nec in 13. Ex eadem tamen Apocalypsi validissimum depromitur argumentum, vt modicum hoc tempus pro annis perpaucis accipiamus. Cùm enim mille annos appellârit tempus illud, quod à dæmonis religatione vsque ad eius dissolutionem interiacet, tempus illius belli, & subsequentes dies ad vniuersalis vsque iudicij diem manifestè indicat pro nihilo posse reputari, siquidem D generalem resurrectionem assignat in mille horum annorum exitu, vt videbimus vers. 5. in iis verbis, *Ceteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni.* Sed de hoc latiùs suo loco. *Quid his per modicũ tempus innuatur.*

Hactenus meam proposui explicationem, in qua dæmonis colligatio nihil aliud est, quàm dæmonis potentiam teneri constrictam ac præpeditam, ne possit Romæ obsistere publico Christianæ religionis exercitio, nec propterea Christianos in eadem vrbe infectari. Atque adeò *draconem solui*, perinde erit, quasi Deus permittat, vt tunc præstare valeat, quod nunc minimè potest, nimirum vt Romæ rursus Christiana religio grauissimè oppugnetur. Iam verò, quod mea declaratio speciatim ad vnam Rom. Ecclesiam coarctetur, voluntarium non est, sed necessarium, tum ob nostram Apocalypseos acoluthiam, tum etiam ob allusionem ad Tobiæ locum. Ostensum namque hactenus est, vxorem illam Agni, cuius nuptiæ cap. 19. celebrantur, esse Rom. Ecclesiam, ceterarum omnium caput ac Reginam. Constat autem ex Tobiæ libro, per dæmonis religationem in nuptiarum mentione eã omnino significari securitatẽ, qua coniuges matrimonij felicitate tranquillè & pacatè fruuntur. *Quid sit, dæmonem solui modico tempore.*

Sed obiicies, in Apocalypsi non immediatè sequitur dæmonis ligatio nuptias Agni cum Ecclesia vxore. Nam post huiusmodi nuptias sequitur bellum illud, quod in posteriori parte capitis 19. memoratur. Vnde nulla ratio cogere videtur, vt dæmonis colligationem ad felicitatem nuptiarum Agni referamus. Respondeo tamen. hoc ipsum bellum manifestè pertinere ad ipsarum nuptiarum celebritatem. *Argumentum contra prædicta.*

Digitized by Google

Soluitur argumentum.

celebritatem. Etenim epulum illud, quod auibus apparatur, pertinet ad earundem nuptiarum celebrationem: & ipsamet nuptiarum allegoria complectitur prælium, illud tanquam ludicrum quoddam certamen militare, quod in ipso nuptiarum die petagitur. Quòd verò ad significationem spectat; si in eo prelio adumbratur vniuersalis predicatio, que Gentes Euangelio subegit post Ecclesiæ victoriam de Roma partam: manifestum est, hoc ipsum certamen esse efficacem Gentium vocationem, que ad Agni nuptias conuocate sunt. Quare in earum nuptiarum lętitia celebranda versabatur Apocalypsis in fine cap. 19. atque adeò dæmonis religatio, quæ initio capitis vigesimi exprimitur, cum nuptiarum celebritate proximè coniungitur. A

Ex nostra alligati dæmonis interpretatione validum desumi argumentum & ad Romanæ Ecclesiæ gloriam, & ad hæreum falsitatem demonstrandam.

Iam, si nostra interpretatio de dæmonis alligatione adeò certa est, vt mihi videtur, quid, obsecro, Rom. Ecclesię gloriosius potuit contingere, quàm hanc colligationem dæmonis esse conscriptam ad pacem & securitatem indicandam, qua fruitura erat ipsa Ecclesia publico Christianæ religionis vsu à Rom. Imperij conuersione ad Antichristi vsque tempore persistente? Quid insuper literarum monumentis tradi potuit, quod magis hęresum monstris repugnaret? Nam si in Apocalypsi asseueratur & celebratur magnifice publica veræ religionis in vrbe Romanæ professio ab expulsa idololatria vsque ad Antichristi persecutionem (qui publicum Christianæ fidei vsum omnino prohibebit) duratura, quid notius aut manifestius, quam omnium hæresum repugnantia & contradictio publicæ religionis exercitationi, quam Roma profitetur? Nostra igitur Apocalypseos acoluthia bellum hæreticis omnibus indicit: & mea quidem sententia acrius illis bellum infert vna Apocalypsis secundùm meam expositionem intellecta, quàm singulares omnes tractationes, quæ hęreseon singulas refutat. Etenim peculiaribus argumentis, quæ aduersus hanc vel illam hęresim scribuntur, mirum non est euasionem aliquam reperiri, aut etiam confingi. At verò illi argumento, quod vniuersas hæreses à Romana Ecclesia prorsus recedere, ac separari contendit, nulla alia adhiberi potest solutio, quàm vt ipsius negetur auctoritas. Quòd si etiam inficiari, perinde est, atque directè opponi totius Apocalypseos scopo & acoluthiæ: quid potuit hæreticis acerbius ac molestius accidere, quàm Apocalypseos filum & consequutionem fuisse inuentam; idque tanta perspicuitate, vt nemo prudens negare possit, quin admirabile hoc ęnigma mirificè congruat cum iis, que Catholici omnes de Romanæ Ecclesiæ auctoritate profitemur? Cùm autem hæc nostra Apocalypseos explicatio non vnum aut alterum ipsius operis symbolum, sed vniuersa simul quadret: quemadmodum euidens est, librum integrum, planéque ænigmaticum duorum & viginti capitum (qui tanta est symbolorum multitudine & varietate refertus) aptissimè applicari ad diuersum sensum ab eo, quem eius operis auctor intendit, ita etiam nihilo est incertius aut obscurius, toto cęlo aberrare illos, qui à Rom. Ecclesiæ sensu discedunt. B C

NOTATIO II.

De pluribus alijs explicationibus per diuersos auctores excogitatis de ligatione dæmonis.

NOSTRA interpretatio colligationem dæmonis eo ipso constituit tempore, quo Romana Ecclesia de Roma ethnica triumphauit, idololatria inde prorsus exterminata. Vt igitur diuersas aliorum expositiones recenseam, hunc ordinem seruabo; vt primò eas referam, quæ eidem tempori putabant dæmonis alligationem esse referandam, licèt multò aliter applicauerint. Deinde eas, quæ dæmonis religationem ad anteriora tempora reuocant, id est, ad tempus Christi passionis. Ac demum eas subiiciam, quæ ad posteriora tempora respexerunt, opinantes, hanc dæmonis ligationē aut multis sæculis post idololatriam ex Imperio depulsam accidisse, aut nondum euenisse re ipsa, sed in posterum reseruari. D

1. Expositio.

Qui nobiscum consentiunt in tempore quo liganduserat dæmon, ij verò duas in classes partiuntur. Alij enim sunt nimis antiqui, nempe Millenarij: alij valde neoterici, qui nomen etiam mille annorū accipiunt, vt sonat. Mirabitur fortasse aliquis, quòd Millenarios asseram de tempore alligati dæmonis mecum consentire, id est, eam applicare ad tempus illud, quo Rom. Ecclesia de Roma ethnica triumphum erat actura. Cęterùm, si ipsorum Millenariorum sensum solerter perscrutemur; næ ipsi ligationem dæmonis eodem ac nos tempore collocabunt. Etenim quamuis Millenariorū opinio fuerit, post Ecclesiæ triumphum de Antichristo reportatum, iustos mox reuicturos, & cum Christo in terris per mille omnino annos regnaturos, & toto hoc tempore dæmonem fore ligandum: Antichristus tamen, de quo ipsi loquebantur, futurus erat (secundùm ipsorum existimationem) Rom. Imperator & caput vltim. veteris illius Rom Imperij, quod Ecclesiam persequebatur. Quòd si eo superato, statim erat colligādus dæmon, tempus ergo colligationis à Millenariis assignatum illud propriè erat, quod mox sequeretur post Rom. Imperium Ecclesiæ subiectum. Atque hoc ipsum tēpus à nobis alligato dæmoni designatur.

Quinam Millenariorum fabulam ex veteribus secuti fuerint.

Hanc verò Millenariorum fabulam sequuti sunt Papias, Irenæus, Tertullianus, Lactantius, Firmianus, Victorinus, Apollinaris, Seuerus, Iustinus, Nepos, vt ex Hieronymo de scriptoribus Ecclesiasticis verbo *Papias* referunt Lud. Viues lib. 20. de Ciuit. cap. 7. & Ribera in huius capitis commentario §. 17. & infrà. Hoc tamen commentum non omnes eodem modo, sed longè diuerso tradiderunt: & alij aduersus alios scripserunt, vt Irenæus contra Cerinthum. Cerinthus enim persuadere conabatur, Sanctorum regnum in eo annorum millenario cum Christo regnantium futurum carnis & concupiscentiarum regnum. At Irenæus etsi corporeas nuptias cogitabat, ab illicitis tamen cupiditatibus abhorrebat. Alij deinceps successerūt, qui mille annorum fabulam amplectentes, non alias cogitabant delicias, præter spirituales. Atq. hac ratione aliquando placuit Augustino Millenariorum fragmentum, vt ipsemet fatetur libro vigesimo de Ciuit. cap. septimo.

Hæc tamen fabula posteà diuturnitate prorsus extabuit, & manifestè patuit illusos fuisse eos, qui corporum resurrectionem in Sanctis ante diem Iudicij futuram, statim post victoriam de Romano Imperio partam sperabant. Non tamē defuere, qui nostra etiam ætate crediderint, mille annos alligati dæmonis præcisè & strictè pro iusto milenarij numero vsurpandos forè: & numerandos quidem ab eo tempore, quo Constantinus Ecclesiæ permisit publicum Christianæ religionis vsum. asseruntq; ex eo tempore ad principium vsque maximæ potēti e, quâ domus Otomana viguit, præteriisse mille solùm annos, nimirum ab anno 300. ad annum 1300. Tunc verò aiunt solutum fuisse dæmonem

2. Expositio.

dæmonem propter ingentem potestatem, qua Deus Imperatorem Turcarum potentissimum Christianæ Ecclesiæ hostem pollere permisit. Sic frater Ferdinandus del Castillo in sua beati Dominici historia parte secunda, cap. 1. & nonnulli alii.

3. *Expositio.* Deinde Vbertinus Casalis vehementer exhorrens Pontificem Ioannem XXII. (qui obiit anno Christi 1334) considerat dæmonis colligationem Constantini Magni tempore accidisse, solutionem verò post mille annos præcisè, quando in Petri sede fuit collocatus prædictus Ioannes XXII. Ita Vbertinus tractatu de septem ætatibus Ecclesiæ c. 8. §. 24. dicens, se aliorum referre sententiam sic opinantium. Sed satis suam in hac parte mentem declarat; siquidem Pontificem illum appellat malam Bestiam, & eundem ait esse abyssi angelum & exterminatorem, cuius meminit Apocalypsis cap 9. Ita tradit ipse Vbertinus in prædicto tractatu cap. 3. §. 10. & 16. & deinde c. 4. ait eius Pontificis tempore videri interruptam mansionem, quoad regiminis Romanæ Ecclesiæ veritatem. Et iterum c. 4. §. 9. aduersus eundum Pontificem stomachatur. Et c. 6. §. primo, eum appellat mysticum Antichristum.

4. *Expositio.* Aliorum expositio est, ligationem dæmonis non esse speciatim referendam ad Romanæ vrbis felicitatem in publica Christianæ religionis professione; sed ad Catholicæ Ecclesiæ pacem, qua perfuitur postquàm ab orbe Romano post Iuliani mortem expulsa est idololatria. Nam ab eo tempore Christiana religio nunquam generali persecutione fuit oppugnata, quemadmodum fuerat ethnicorum Imperatorum Ecclesiæ hostium tempestate. Quamuis enim variæ deinceps hæreses contra Ecclesiam sint exortæ, & multa infidelium bella aduersus eandem exarserint: si tamen communem Ecclesiæ statum attendamus, fideles generatim saltem loquendo, non propterea oppugnantur, quòd Catholicam fidem profiteantur: quando in tot prouinciis securè possunt & pacatè in Christi fide transigere, sine aliqua, cuiusuis iniuria aut violentia. Atque hæc Ecclesiæ pax creditur ad Antichristi persecutionem duratura, ac proinde tota illâ temporis plenitudine quæ mille annorum nomine importatur.

5. *Expositio.* Hæ omnes expositiones eatenus cum nostra conueniunt, quatenus tempus ligati dæmonis illud assignant, quo expulsa est ab orbe Romano idololatria. Verùm alijs placet, hanc dæmonis religationem ad dominicæ passionis tempus referendum esse. Nam Christi passionis virtute & efficacitate factum est, vt dæmones omnes constricti remanerent, id est, ipsorum vis & potestas reprimeretur: non secus atque canis alligati; qui damnum inferre nequit ei, qui ad eum appropinquare non vult. Atque hæc dæmonum colligatio præstituitur ante Gentilitatis conuersionem; quia vt habetur Marc. 3. 27. ***Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere; nisi prius fortem alliget, & tunc domum eius diripiet.*** Hanc expositionem nonnulli adeò certam reputant, vt affirment dubium non esse, quin de hac saltem alligatione loquatur Apocalypsis. Et eandem expositionem sequuntur Augustinus, Gregorius, Primasius, Beda, Andreas & plerique Apocalypseos interpretes, qui existimant, mille annos, quibus dicitur ligatus esse draco, denotare vniuersum tempus à Christi passione vsque ad Antichristi persecutionem. Sic statuunt ex nostris Pererius lib. 15. in Danielem, Ribera hic §. 4. & Viegas sect. 1. n. 1.

6. *Expositio.* Ribera tamen & Viegas nonnihil à communi expositione recedunt. Tametsi enim in eo cum illa conueniunt, quòd draconem asserunt fuisse illigatum Dominicæ passionis tempore; & mille annos complecti totum tempus, quod à Christi passione ad Antichristi vsque tempora interiacet: in eo tamen à communi interpretatione discrepant, quòd dæmonis alligationem non accipiunt de omnium dæmonum potestate cohibitâ; sed singulatim de dæmoniorum principe, qui toto hoc tempore in inferorum carcere retentus sit, sitque in posterum retinendus; nullâ interim ei factâ prodeundi potestate, vsque ad Antichristi tempora. Pro hac autem expositione Ribera & Viegas asserunt Lactantium lib. 7. diuinarum institut. c. 24. & 26. Gregorium l. 4. Moral. c. 12. Et ex interpretibus Ambrosium & Andream. Adduntque in hoc loco arcanum quoddam Ecclesiæ prænunciari nimirum post Christi

A passionem illico singularem quendam Angelum è cælo descendisse, qui Satanam alligaret, & in inferos detruderet; nec amplius inde euadere permitteret ad tempus vsque persecutionis Antichristi.

Duæ itaque expositiones fuere, quæ ligationem draconis ad Dominicæ passionis tempus referrent. 7. *Expositio.* Non tamen defuit, qui suspicaretur, dæmonis colligationē fortè multò anteà fuisse. Nam Prosper in dimidio temporis c. 4. ait fortasse mille annos numerari ***ab exitu sermonis à Daniele dicto, vt illi quadringenti nonaginta anni, & isti, qui excurrunt ab aduentu saluatoris vsque in solutionem eiusdem diaboli, concludant mille annos.*** Sic Prosper.

Sed transeamus iam ad aliorum explanationes, qui religationem draconis ad posteriora tempora reducunt. 8. *Expositio.* Prima ergo opinio est Aureoli & eius sectatorum; qui ligationem dæmonis explicant de egregio illo facinore, quod Calixtus summus Pontifex præstitit anno Domini 1122. quando peruersum morem abstulit, quo Imp. Ecclesiasticam libertatem in electionibus impediebant. Quare hæc expositio affirmat,

B fuisse Calixtum, qui ligauit diabolum per mille annos, id est in sempiternum, quoad mundus duret.

Alij explicant de fælicissimo tempore, quo fruitura 9. *Expositio.* est Ecclesia statim post Antichristi necem. Aiunt enim, magnificas pacis & abundantis spiritus promissiones, quas Prophetæ Christianæ Ecclesiæ pollicentur, nondum fuisse perfectè impletas, si communis Ecclesiæ status attendatur; atque adeò illo potissimum tempore (quod ipsi Spiritus sancti vocant) implendas fore; ita vt optari amplius non possit vlla morum correctio aut informatio; nec remaneat hæresis aliqua aut hostis, qui Ecclesiam perturbet, aut bello fideles affligat.

Hanc sententiam tenet Vbertinus de Casalis tractatu de septem statibus c. 8. §. 21. & 23. Seraphinus de Fermo hic & Pannonius, qui etiam id fatetur in prologo. Item Bullengerus, qui id quoque in fine prolegomenon adnotarat. Huius expositionis auctorem esse suspicor Abbatem Ioachimum. Quamuis enim initio dicat, mille annos per recapitulationem ad totum Ecclesiæ tempus referendos: postea tamen ait

C Millenariorum opinionem, quamuis falsa sit, quoad mille annos præcisè sumptos; sed quod attinet ad Sabbathum, non tam opinionem esse, quàm serenissimum intellectum. Sabbathum porrò appellant Ioachimus & eius sectatores tempus illud, quo fruitura est Ecclesia post Antichristi mortem: in quo etiam expectant 12. alios Apostolos Sp. sancto plenos, & vberrimam eiusdem Spiritus copiam vniuersali Ecclesiæ generatim effusam, nec non maximam pacem ac requiem. Horum verò auctorum fundamentum, vt hunc sabbathismum ab Apocalypsi post Antichristi mortem collocari credant, illud est, quia sibi persuadent, c. 19. terminari Antichristi morte & victoria Ecclesiæ reportanda de omnibus illius sectatoribus. Deinde sequitur cap. 20. agens de dæmonis alligatione, deque mille pacis annis secundissimis. Quoniam verò communi consensione erat receptum, parum superesse temporis ab Antichristi morte ad diem vsque Iudicii, ideo ne felicitatem illam ad tantas temporis angustias redigere cogantur, pro viribus parte contendunt, protrahere annos illos siue tempora, quæ post Antichristi

D mortem successura sunt. Quin imò adducunt Iudæos & vnam ex Sibyllis, asserentes post Enochi & Heliæ neeem restare alios 350. annos ante extremi Iudicii diem, de quo vide Langium in Iustinum tomo 2. fol. 72. Vbertinus etiam in prædicto tractatu ad finem, trecentos illos quinquaginta annos duplicata summa ad septingentos extendit.

10. *Expositio.* Non tamen desunt alii, qui in animum sibi inducunt, necessarium esse, vti Ecclesia in hac vita fruatur felici illo sabbathismo. Sed ne arctissimo sabbathismi spatio coërceantur, asserunt falsò credi, mille pacis annos ab Apocalypsi expressos, de longinqua Ecclesiæ pace post Antichristum fore intelligendos: addúntque mille hos annos non post, sed ante Antichristum futuros, nec tamen appropinquasse adhuc dæmonis alligandi tempus. Ita Hortulanus in Cantica fol. 386. & infrà, vbi ait, se in eam propendere sententiam, vt ab Antichristi morte ad diem vsque extremi Iudicii quinque & quadraginta non amplius annos credat

Digitized by Google

interceſſuros. Et paulò pòſt Eccleſiæ ſabbathiſmi felicitatem depingit, qua ratione ipſe ſibi futurum perſuadet. *Tunc enim*, inquit, *maxime deletum erit peccatum. inducta per vniuerſum orbem iuſtitia, & tunc implebitur illud Iſaiæ, Populus tuus omnes iuſti, & tunc ſublatus erit omnis bellorum & perſecutionis metus, & pax erit altiſſima & tunc ſublatum erit omne impiorum regnum, omnis tyrannis atque omnis poteſtas, & ſolus Chriſtus regnabit, & erit in terris ſpecimen admirandum cæleſtis Monarchiæ, quam habebit Chriſtus in æternum: & nulli erunt hæretici, neque hypocrita, neque opus erit renouatione Eccleſiæ.* Atque hunc etiam ſtatum feliciſſimum ad mundi ipſius finem deſignat Hortulanus ipſe. Ait enim fol. 389. Sanctos qui in mundi fine degent, & magna illa fruentur felicitate, obuiam Chriſto in aëra rapiendos, nec priùs fore morituros. Ac demum quod Millenarij carnaliter ſperabât, ſpiritaliter Hortulanus in ſeptimo Eccleſiæ ſtatu in vita hac mortali expectat, & pro ſe afferre conatur Hieronymum ac Bernardum.

Tres expoſitiones poſtremæ ligationem dæmonis multò poſteà, quàm noſtra explicatio, aſſignant. Verùm aliæ ſunt explicationes, quæ dæmonis alligationem non ita accipiunt, quaſi ſemel aut factam aut faciendam, ſed veluti rem, quæ quotidie fit, & quæ comparatione aliorum, hodie fiat, aliorum comparatione, cras, aliorum verò, multis retro ſæculis. Hoc autem bifariam poteſt intelligi: primò reſpectu cõuerſionis ſingulorum, & hæc videtur fuiſſe Auguſtini expoſitio lib. 20. de Ciuitate, cap. 8. vbi ait, *Alligatio diaboli non ſolùm facta eſt, ex quo cœpit Eccleſia in nationes dilatari, ſed etiam nunc fit, & fiet vſque ad terminum ſæculi: quia vnicuique fidelium iſte fortis tunc alligatur, quando ab illo tanquam vas eripitur.* Sic Auguſtinus, qui manifeſtè dæmonis religationem accipit, tanquam id, quod præcedit, vel comitatur vniuſcuiſque conuerſionem, iuxta id Marci cap. 327. *Nemo poteſt vaſa fortis diripere, niſi prius alliget fortem.*

II. Expoſitio.

12. Expoſitio.

Secundo conſiderari poteſt multiplex alligatio reſpectu æternæ fælicitatis ſingularum animarum, quæ ad Dei viſionem perueniunt. Et hæc videtur eſſe explicatio Alfonſi de Caſtro lib. 3. contra hæreſes verbo *Beatitudo* hæreſi 2. ait, enim per mille annos deſignari æternitatem fælicitatis cæleſtis. Cui explicandi rationi illud accumulari poteſt, æternitatem nomine mille annorum compellari: quia qui æternam non viuit vitam, ante mille annos emoritur: nam nec Mathuſala ad mille annos peruenit. Vnde qui millenarium attingit, ſecurus de æternitate redditur. Hinc Iuſtinus libro de veritate religionis ait. *Ioannem in Apocalypſi agere de mille annis & lignum vitæ eſſe illoſmet mille annos: quia, vt Adæ dictum eſt, quo die de ligno vitæ ediſſet, eſſe moriturum; ſcimus illum mille annos non impleuiſſe, nouimus etiam illud, Dies Domini vt mille anni: nam ſecundùm dies ligni vitæ, dies populi mei erunt.*

Quod verò ſubiungitur, *Cùm conſummati fuerint mille anni, ſoluetur Satanas*; declarari poſſe videtur eâdem ratione, ac ſi diceretur dæmonis ſolutio ad terræ incolas decipiendos reſpectu Beatorum perinde eſſe, quaſi poſt æternitatem ipſam, qua fruuntur, accidat. Quod non ita eſt accipiendum vt ſonat: æternitas enim ſine omnino caret; atque adeò ridiculum eſſet de ijs agere, quæ poſt æternitatem ipſam euentura ſint. Sentius ergo eſſet, vt primùm anima gloriam poſſideat, certam iam illi eſſe & omnino ſecuram æternitatem. Imò etiam cùm æternitas ſit tota ſimul & perfecta poſſeſſio; nulli eam euentus interturbare poſſunt. Nec enim quidquam angoris aut ſolicitudinis poteſt accidere ijs, qui cum Deo prorſus coniuncti æterna perfruuntur beatitudine. Cùm ergo Satanas per mille annos conſtringi dicitur, deinde ſolui; ſignificabitur hoc pacto, dæmonem reſpectu Beatorum in perpetuum eſſe alligatum, & tamen ijs, qui in mundo adhuc degunt, ſolutum manere. Quod idem erit, ac ſi dicatur, cùm alij ad optatum beatitudinis finem peruenerunt, tunc aliorum bellum inchoari. Sic videtur intelligi vtcumque poſſe ſententia Alfonſi de Caſtro, quanuis Viegas ſect. 2. §. 11. Caſtrum interpretetur non de mille annis, quibus dæmon in abyſſo ligatus detineatur; ſed de mille annis, quibus Sancti dicuntur regnare. Viegas enim opinatur Ioannem in phraſi illa mille annorum variare; & prius quidem per annos mille ſignificari tempus à Chriſti paſſione vſque ad Antichriſtum; cùm verò dicuntur Sancti regnare per mille annos, tunc ſermonem eſſe de æternitate. Ita ſentit Viegas, infrà tamen conſtabit, Ioannem de ciſcem mille annis loqui.

NOTATIO III.

Vbi ſingulæ prædictæ explicationes breuiter examinantur, & quid in ſingulis occurrat, indicatur.

SECTIO I. *De mille annorum fabula.*

MIRVM ſanè eſt, tot tamque graues auctores hoc figmentum ſibi pro vero perſuaſiſſe. Eorum tamẽ error (ſicuti alijs etiam in rebus interdum accidit) inde effluxit, quòd ænigmatis ſiue allegoriæ verba, ita vt ſonant, vſurpanda eſſe cenſuerint. Cùm autem Apocalypſeos verba indicent ante generalem corporum reſurrectionem animas Sanctorum reuicturas, & per mille illos annos, quibus dæmon conſtringetur, regnaturas: nonnulli graues auctores hæc, vti ſonant, acceperunt; quos cum alij deinceps ſectarentur, hinc tanta huic fabulæ acceſſit auctoritas, vt illi ipſi, qui eam omnino falſam reputabant, damnare omninò nõ auderent, donec creſcente per temporis decurſum & augeſcente diuinæ lucis ſplendore Catholicæ Eccleſiæ elargito, luce meridiana clariùs patuit, errorum prorſus fuiſſe, quod multi firmiter antea tenuerant. Et quidem præter alios Scripturæ locos, qui attentè expenſi liquidò oſtendunt Sanctorum reſurrectionem non futuram, donec extremi iudicij dies aduenerit, vt eſt illud Iobi 19.25. *In nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum*, & illud 1. Theſſal. 4.15. *Ipſe Dominus in iuſſu & in voce Archangeli deſcendet de cælo.* vbi manifeſtè ſermo eſt de die nouiſſimo: & tunc ait ſurrecturos iuſtos & in æthere ſubleuandos; (quod etiam docetur expreſſè 1. ad Corinth. 15.) Præter hæc, inquam, Scripturæ teſtimonia; in hoc ipſo Apocalypſeos capite ad finem perſpicuè dicitur, pios & impios extremi Iudicij die omnes ſurrecturos. Et ſanè, vbi reſurrectionis primæ fit mentio, ſi rem ſolerter inſpiciamus, textus ipſe nos admonet, ſermonem nõ eſſe de corporum reſurrectione, ſed de animarum, (vt optimè expendit Auguſtin. lib. 20. de Ciuit. c. 9.) textus enim verba hæc ſunt; *Et vidi animas decollatorum propter teſtimonium Ieſu & eorum, qui non adorauerunt Beſtiam, & vixerunt, & regnauerunt cum Chriſto mille annis.* Vbi planè conſtat in ijs verbis, *vixerunt & regnauerunt*, ſuppleri nominatiuum *animæ*, ex iis, quæ paulò antè præceſſerant, *Et vidi animas decollatorum.* Si ergo ſermo eſt de animarum reſurrectione; textu ipſo edocemur, de corporum reſurrectione non agit. Falſa ergo perſuaſio fuit, Apocalypſin, dum prioris reſurrectionis meminit, de corporum reſurrectione verba facere. Vbi autem ſtatuamus, non haberi hic ſermonẽ de reſurrectione corporum, ſed de animarum ſanctarum; mox delucidè cernitur, reſurrectionem eam non corpoream eſſe, ſed ſpiritualem & allegoricam; ſiue tranſitus viatorum & militantium in hac vita ad comprehenſorum & Beatorum ſtatum appelletur reſurrectio prima; ſiue propter ingentem fructum & vtilitatem, quæ ex Martyrum ſanguine in fide conuerſorum ad Chriſtum percipitur, Martyres ipſi dicantur reſurgere; de quo infrà.

Quis fuerit Millenariorum error.

Prædictus Millenariorum error impugnatur.

Millenarij vnde ſui erroris anſam arripuerint.

Deinde, quamuis Millenarij in ſimplici hac allegoriæ exceptione; vt ſonat, prorſus aberrauerint; quòd vero ad Apocalypſeos acoluthiam & conſequutionem attinet, decepti minimè ſunt, quippe occiſionem capitis 19. exponebant ipſi de cæde & ſtrage in Antichriſti exercitu per Chriſtum ipſum edenda.

Millenarios, alioqui deceptos, in Apocal. tamen ſerie & acoluthia rectè proceſſiſſe.

Beſtiam

Digitized by Google

Bestiam enim in stagnum ignis immissam de Antichristo interpretabantur. Vnde draconis religationem & resurrectionem animarum sanctarum (quæ duo mox subsequuntur) accipienda esse quasi res post vindictam de Antichristo sumptam euenturas. Et certè, si Apocalypseos series & acoluthia obseruetur, non minùs ipse miror eos auctores, qui, in Bestia in ignis stagnum detrusa cùm Antichristum intelligant, draconis tamen colligationem ante mille annos constituunt, quàm eos, qui Millenariorum vestigiis institerunt. Etenim mea sententia euidens in ipso textu est, draconem & maris ac terræ Bestias (de quibus cap. 12. & 13.) aduersus Catholicam Ecclesiam conjurasse: huius autem belli exitum fuisse, vt maris Bestiam & Bestiam terræ dehiscens tellus deuoraret, eásque in stagnum ignis deiiceret, draco verò in abyssо mille annorum spatium ligaretur. Quamobrem manifestè ipsi contextus ordini repugnant, qui draconem in abyssо religant ante coniurationem & bellum, quod simul cum maris & terræ Bestiis aduersus Ecclesiam suscepit.

In eos, qui rerum seriem & consecutionem in Apocal. expositione non obseruarunt.

Millenarij igitur (esto, in errorem sint prolapsi) consequenter fuere loquuti. Existimantes enim per maris Bestiam Antichristum illum celebrem figurari, consequentiæ tenuerũt ordinem, dum Gogi & Magogi bellum esse aliud ab Antichristi bello, & eo posterius asseuerarunt. Absonum namque omnino est, in maris Bestia significari Antichristum, & tamen per Gogi & Magogi bellum adumbrari ꝑ suus Antichristi persecutionem.

Et quanuis nonnulli per occasionem fabulæ Millenariorum latè disputent, quo gradu sit habenda opinio illa, quæ mundi durationem sex mille annorum curriculo definit (de quo lege Maluendam libro 1. de Antichristo cap. 28. 29. 30.) Hac tamen quæstione consultò supersedeo. Nec enim arbitror ipsius enodationem ad Millenariorum fabulam discutiendam requiri: cùm potiùs Millenarij ab ipso mundi nascentis exordiò ad vniuersalis vsque Iudicij diem septem omnino annorum millia designent; nempe sex millia ad resurrectionem vsque Sanctorum, & mille deinceps ad generalem vsque resurrectionem. Enim verò, quod ad Apocalypseos expositionem spectat, sine sex annorum millia effluxerint vsque ad victoriam de Antichristo reportandam, siue multò plura vel pauciora, id quidem interpretationem non variat de draconc, post maris Bestiam ignito stagno demersam, alligato per mille annos, & de spiritali Sanctorum resurrectione vltimum Iudicij diem per totidem annos præcedente. Iam, quod nonnulli autumant de proportione & conuenientia, quæ inter septem annorum millia & inter primam mundi hebdomadam reperitur (dum dies vnus mille respondet annis) hoc, inquam, nihil est. Quid enim facilius, quàm fabulas & mera figmenta excogitare, quę proportionem aliquam cum veris rebus habeant?

Millenarij quot annos totius orbis durationi adscriberent.

Sectio II. *De secunda expositione.*

Iudicium de secunda expositione earum quæ suprà sunt recensita.

In secunda interpretatione, quam suprà ex Fratre Ferdinando del Castillo retulimus, illud imprimis reperio, eam non rectè contextui aptari. Exorditur enim ea computandi ratio à Constantino: deinde statuit, ab ea tempestate dæmonem colligatum fuisse ad Othomanæ vsque potentiæ primordia. Cùm tamen constet post Constantinum, eiusque filios perturbatã fuisse Ecclesiæ pacẽ crudelissima Iuliani persecutione. Quis ergo non fateatur, verisimilius multò & probabilius argumentum inueniri, vt Iuliani tempore expeditus fuisse dæmon ad Gentes contra Ecclesiã illiciendas asseratur, quàm Othomanæ domus atq; potentiæ initio? Deinde quanuis iusta videatur esse temporum series & annorum computatio à Constantini æuo ad Othomanæ vsque tyrannidis exordium: si tamen oculos conuertamus ad damnum & detrimẽtum Ecclesiæ illatũ; multò aptiùs dicetur extricatus fuisse dæmon, quando Mahometicæ sectæ impietas in lucẽ prodijt. Cùm enim Turcæ bello Christianos affligere cœperunt, iam tum multis incommodis & sanè grauioribus, Ecclesia fuerat per Mauros affecta, quod qui Africæ, Hispaniæ, Arabiæ, Syriæ & aliarum orbis partium historias peruolutarit, dubitabit nemo.

Alcasar in Apocal.

Verùm tamen re diligentiùs animaduersa, cùm Mauri atque Turcæ non generatim publico edicto prohibeant Christianos sibi subditos, quominùs suã retineant religionem; huiusmodi bella aduersus Christianos susceptа non directè de Religione & Dei cultu; sed de Imperio & dominatu agitantur. Et quidem nimia exaggeratio foret, si hoc Maurorum & Turcarum bellum Christianis illatum catholicam Ecclesiam eo angustiarum redigere diceretur, quò Diocletiani persecutiones redegerunt. Cùm autem dicitur dæmon post mille annos soluendus; constat his verbis indicari, persecutionem tunc grauiùs & vehementiùs exarsurã, quam veteres illius Romani Imperij Ethnici in eandem Ecclesiam susciterãt: id quod & Augustinus, & optimi quique Apocalypseos interpretes ita sentiunt.

Sectio III. *De tertia expositione.*

Iudicium ac censura de tertia explicatione.

Nimia fuit Vbertini temeritas & impudentia figuram mystici Antichristi ad Pontificem Ioannem xxii. velle applicare, atque asserere, ipsius Ioannis tempore vaticiniũ Apocalypseos de diaboli solutione post mille ãnos fuisse expletum. Neque enim licet tantoperè iracundiæ & furori indulgere, vt sacrarum Literarum vaticinia pro nostro libito siue indignatione potiùs ad ea detorquere velimus, quæ secundum spiritus Sancti mẽtem neutiquam fuisse constet. Hoc autem in hac explicatione ita esse facilè apparet. Primò, quia nugatorium planè est mille annorũ computationem à B. Syluestri Pontificis morte exordiri. Secundò, post demortuum Syluestrum accidit Iuliani persecutio. Et tamen ita excæcatur Vbertinus, vt Iuliani tempore solutum esse dæmonem non putet; sed id impletum esse arbitretur tempore illius Pontificis, qui Religiosis mendicantibus contrarius fuit. Ego quidem non omnia illius Pontificis acta probo; nec eius, aut patronum, aut iudicem ago: verum quæ temeritas aut dementia est, Ioannis xxii. tempestatem Ecclesiæ infæliciorem & calamitosiorem, quàm Iuliani & Rom. Imperij Ethnici reputare; Tertiò, Vbertinus cæco furore abreptus in mille annorum computatione manifestè peccat. Nam hic annorum numerus à Syluestri Pontificis morte inchoatus, neutiquam fuit completus in Ioannis xxii. electione; sed in Benedicti ipsius successoris; qui tamen monachis mendicantibus infestus non fuit.

Sectio IV. *De quarta expositione.*

Quid de quarta explicatione sentiendum sit.

Quarta interpretatio ligationem dæmonis referebat ad pacem & tranquillitatem, non vnius Romanæ Ecclesiæ & vrbis, sed Ecclesiæ vniuersalis. In hac explanandi ratione occurrit primò, quia cum dæmonis colligatio, vbi de nuptiis agitur, spectet omnino ad securitatem sponsæ significandam in eo, quòd sui matrimonij felicitate potiatur: si sponsa illa, siue vxor Agni, de qua agebatur (cuius etiam mentio fit cap. 19.) non erat vniuersalis Ecclesia, sed ea, quæ est Ecclesiarum regina, vt suo loco expendimus, non quidem de vniuersalis Ecclesiæ felicitate agetur in dæmonis religatione, sed de prosperitate illius, cuius ibi potissimum nuptiæ celebrantur.

Deinde vniuersalis Ecclesia ex Ecclesiis peculiaribus, vt corpus ex suis partibus, coagmentatur. Quare non est omnino verum, Ecclesiam vniuersalem triũphare tum sui matrimonij pace & felicitate per mille annos, si tamen huius temporis spatio in multis Christiani populi prouinciis infidelitas, atque hæreses extulere caput, & sublatus omnino est publicus Christianæ religionis vsus; quin imò in nonnullis vix vlla Christianæ fidei scintilla remansit. Quod verò opponitur, per hos saltem mille annos Christianam religionem in mundo vniuersè non fuisse oppugnatam: id satis non est, vt verè affirmetur dæmon toti vniuersali Ecclesiæ fuisse alligatus: Etenim alligatio dæmonis maximam denotat felicitatem in eo, quòd sponsa domo sponsi & mystica matrimonij coniunctione fruatur: atqui dum in tot Christianæ Ecclesiæ prouinciis adeò vehementer turbatur, qui verum perfectè esse potest, respectu totius Ecclesiæ vniuersalis dæmonem esse constrictum.

Digitized by Google

Sectio V. *De quinta expositione.*

Iudicium de quinta explicatione.

HÆc explicatio contendit Dæmonis colligationem de Christi passionis tempore intelligendam fore. Nititur autem illis verbis Marci 3. 27. ***Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi prius fortem alliget.*** Verùm licuti certum est, comparationem fortis alligati ab Spiritu sancto vsurpari ad efficacitatem Christi passionis denotandum; qui dæmonem constrinxit, vt vinctos ab eius potestate eriperet; ita etiam certum est, ipsummet diuinum Spiritum Tobiæ 8. 3. fuisse vsum dæmonis religati figura ad describendam Saræ & Tobiæ matrimonij securitatem. Ex his ergo duobus illius figuræ vsibus plerique putant in cap. 20. Apocalypseos ad Marci locum alludi. Mihi verò pro cõperto est, non eò, sed ad Tobiæ locum haberi respectum. Namque vt in Tobiæ libro alligationem dæmonis antecedit epulum & conuiuium, quod præcẽedti cap. id est, 7. describitur; sic in Apocalypsi epularum celebritas c. 19. antegreditur dæmonis alligationem: & hoc in loco nullo modo antecedit alligatio fortis viri ereptionem captiuorum ex dæmonis potestate: sed potiùs in ipso textu innuitur non obscurè Gentiles iam antea fuisse conuersos; atque adeò domum Satanæ direptam. Nec in hac alligatione directè sermo est de Satanicę domus direptione, sed de pace & securitate, qua sponsa Agni purissimis matrimonij fructibus per multa fruatur sæcula.

Duplex dæmonis alligatio in sacris Literis indicata.

Duplex igitur est in sacris Literis dæmonis colligatio: altera, vt eius diripetur domus: & hæc facta est passionis Christi tempore; altera, vt Agni vxor sui matrimonij felicitate pacificè diu perfruatur. Hęc autem dæmonis religatio executioni non est mandata, quoad ab vrbe Roma cultus idolorum fuit expulsus; vt videre est ex ijs, quę superiùs expẽdimus. Quamobrem asserendum est, quamuis Christus dæmonem constrinxerit, vt ei prædam auferret: posteà tamen eum aliquo tempore liberum ac solutum reliquisse, vt Ecclesiam persequi posset. Quãdo verò eò peruentum est, vt diabolus non iam posset receptam publicè Christianæ religionis consuetudinem Romæ impedire; tunc elegantissimè dicitur ligatus fuisse dæmon; ad eum modum, quo ligatus est Tobię 8. vt scilicet deinceps Tobiæ spõsa sui matrimonii felicitate frueretur.

De vita prædictarum alligationum loquatur Apocal.

Hoc ampliùs roboratur ex totius libri acoluthia. Nam si dæmonis colligatio, de qua Apocalypsis loquitur, fuisset passionis Christi tempore impleta; minimè esset ad rem, vt in hoc cap. 20. apponeretur: cùm manifestè constet, ex Apocalypseos exordio recenseri Synagogæ & Gentilitatis bella cum Ecclesia gesta: in quibus dæmon fuisse solutus figuratur; atque adeò exprimitur illius potentia aduersus fideles, quos reapse Iudæa expulit. Posteà verò quàm animaduertit, Ecclesiam sese per Gentilitatem inferre; cum maris & terræ bestiis fœdus iniit, & ipse vt totius belli atque exercitus dux ad maris littus stetit. In his ergo liquidò apparet draconem, siue dæmonem nondum fuisse illigatum; ac proinde ipsius ligationem fuisse totius belli exitum.

Sectio VI. *De sexta expositione.*

De sexta explanationis iudicium.

RIBERA & Viegas, qui sextam interpretationẽ de Dæmonum principis alligatione & ad inferos detrusione vehemẽter propugnant; ad eam roborandam affirmant illa nõmina, ***Serpens antiquus, diabolus & Satanas***, minimè conuenire, nisi dæmoniorum principi. Ad hæc, in Græco articulum dæmoni in hoc loco præponi: beatum item Prosperum in dimidio temporis sic legere, ***Draconem illum magnum, illum serpentem antiquum***; quibus verbis videtur græcos articulos exprimere. Ad hæc tamen respondeo;

Sexta interpretationis argumenta dissoluuntur

hoc etiam modo de aliquo exercitu sermonem instituisolere: sic enim Hispanè & in singulari & cum articulo dicimus, *el Frances, el Turco*. Et quamuis locutio ipsa supremum Turcarum Imperatorem designet, tamen quod de ipso dicitur, de ipsius etiam exercitu debet intelligi; vt si diceretur magnus ac supremus Turca fuisse deuictus. Quamobrem cùm hic Apocalypseos liber sit planè ænigmaticus, non video, A vnde inferant Ribera & Viegas de solo dæmoniorum principe sermonem haberi; ipsumque esse duntaxat, qui in barathrum fuit deiectus. Hoc namque arcanum, quod ipsi putant Ecclesiæ in hoc loco retegi, superuacaneum esset in Apocalypsi fuisse significatum; cum Riberæ & Viegæ expositionem sequatur nemo. Quare huius mysterii nihil denuò in hoc libro scitur, præterea, quæ priùs noscebantur. Omnes enim pari consensione hoc in loco in Augustini expositionem pedibus eunt, qui lib. 20 de ciuit. cap. 7. quid sit dæmonis alligatio exponens, affirmat, nihil esse aliud, quàm ipsius potestatem esse à seducendis hominibus coercitam atque frænatam. Et cap. 8. ait, ***Alligari est, non permitti exercere totam potestatem, quam habet ad cogendos homines in suam partem vi vel fraude.*** Vt ergo ligari dæmonem, ænigmaticè exponitur: sic etiam explicandum est tanquam ænigma, quod dicitur esse dæmonem detrusum in abyssum ibique clausum.

Prædicta expositio sexta impugnatur.

Iam, si ad rem ipsam attendamus; non magni ad- B modum Ecclesiæ intererat dæmoniorum omnium Principem apud inferos vinctum retineri. Nam ex eo loco, si sibi fieret potestas, qt àmplurimum posset inferre damni; bellum ipsum administrando, & militum acies acuendo. Nam dæmonibus quidem non procul inferorum locus distat; quo minùs pro libito ingredi, & egredi, ac ducem consulere possint. Atqui duces hoc pacto pugnare solent, procurando bellum, & instruendo, & vires animosque suis militibus addendo. Si autem Satanæ milites & administri sunt liberi & expediti, & ipse, quantumuis coniectus in vincula, eos flectit, moderatur, ac regit: parum Ecclesiæ refert, ipsummet dæmoniorum caput ac principem compedibus apud inferos irretiri. Lege historiam huic rei congruentem, quam Gregorius Magnus scribit libro 3. Dialogorum, cap. 7. de dæmone, qui suos satellites visus est in Apollinis templo instruere, & rationem ab eis exposcere.

Responsio pro sexta expositione vendicatur.

Quòd si aliquis respondeat, eum esse ducem ali- C quem, non tamen imperatorem ipsum saltem eo modo nocere potuisse dæmon in abyssio alligatus; sicut dux ille, si in eo Apollinis templo religatus esset. Præter hæc, Beatus Athanasius in vita S. Antonii narrat, dæmonem ipsum Antonio apparuisse enormi corpore, capite ad cælum vsque porrecto, ac dixisse, se suo imperio & armis fuisse spoliatum, postquàm cunctas prouincias nomen Christi personabat. Vnde Antonius grates Deo agens, quòd nos è variis Satanæ munierit incursibus, ait, En ipse diabolus, qui huiusmodi cum suis satellitibus exercet astutias, nihil se posse contra Christianos fatetur. Curæ ergo Christianorum sit, ne per eorum inertiam vires dæmonibus præbeantur.

Dæmonem suo Imperio & armis fuisse spoliatum, postquam Euangelij prædicatio toto orbe personuit.

Ex hac historia licèt coniicere, Satanam non eo modo esse ligatum, quo putauit Ribera, cùm constet, eum ipsum Antonio apparuisse: sed ea ratione, quam & explicat Augustinus, & diabolus ipse fassus est.

Refutatur adhuc prædicta expositio 6.

Nec solùm dæmoniorum principes, sed totus et- D iam tartareæ regionis exercitus eo modo vinctus & illaqueatus est, vt nec princeps ipse, nec exitiosa ipsius phalanx possint contra Rom. Ecclesiam prævalere, impediendo videlicet publicum Catholicæ religionis vsum. Quid enim hanc ad rem proficeret, eorum vnum in inferorum regione custodia inclusum detineri, si ex eo loco ceteros omnes administrat, regit, atque in prælium accendit, nec non ipsi soluti remanent, vt damnum idem ac detrimentum, quod antea, inferant. Denique illud ad huiusmodi alligationem permagni refert, Christi virtute & Angelorum ministerio vim ac potestatem dæmonum frænatam esse atque compressam. Enimuerò dæmoniorum principem in peculiari aliquo loco à singulari Angelo teneri cõstrictum; id sanè ad Ecclesiæ securitatem parui momenti erat. Ac proinde non est verisimile, eum esse huius ænigmatis sensum. Et quidẽ in bona phrasi non videtur aliquis Angelus posse detinere dæmonẽ alicui loco alligatum, quin ipse etiam Angelus ab eodem loco non recedat. Nimiæ autem simplicitatis esset, persuadere sibi Angelum, qui dæmonem alligauit, veluti alligatum in inferno per annos mille permanere; aut ænigma hoc accipere, vt sonat.

Sectio

Digitized by Google

SECTIO VII. *De B. Prosperi suspicione.*

De 7. explanatione iudicium.

DE hac suspicione satis est ostendere, eam solido fundamento non niti, quod sic facilè monstratur. Nam coniuratio illa, quæ Apocalypsis cap. 12. & 13. inter draconem & vtranque maris ac terræ Bestiam facta describitur, nullo modo refertur (vt constat) ad illud tempus, quod Christi passionem antecessit; sed ad bellum post Christi mortem in Ecclesiam susceptum, cuius belli exitus eiusmodi est, vt duplex Bestia in stagnum ignis detrusa sit, & draco in abyssum relegatur. Hæc ergo alligatio non potest intelligi facta, quo tempore Prosper suspicatur.

SECTIO VIII. *De Aureoli explicatione.*

Octava expositionis censura.

FIGVRARVM Apocalypseos accommodatio ad exigua atque minuta historiarum segmenta tolerari vtcunque potest; dummodo ne hæc fuisse præcipua Spiritus sancti mens asseratur. Hoc enim si crederetur; iniuria irrogaretur Ioanni, ne dicam ipsi Spiritui sancto. De hoc diximus in prolegomenis notat. 11. Et in præsenti quidem quis non videat in simpulo excitare fluctus (quod aiunt) qui in Calixti decreto asserit dæmonis per mille annos alligati prophetiam fuisse impletam? Deinde si huiusmodi foret sensus, dicendum necessariò esset, draconis & duarum Bestiarum conspirationem eò solùm spectare, vt Principibus sæcularibus potestas in Ecclesiasticis electionibus fieret; quod nemo sanus probabit. Postremò Aureoli & eius sectatorum expositio, quę mille annos accipit pro toto temporis decursu, quo mundus durabit, perspicuè textui refragatur. In eo enim vincitur exactis mille annis soluendis dæmon, vt Ecclesiæ rursus bellum inferat.

SECTIO IX. *De Vbertini & aliorum spe.*

Nona expositionis censura & impugnatio.

PRIMO; esto, ad tempus post Antichristi mortem futurum reseruetur maxima & præstantissima Ecclesiæ prosperitas spiritalis pariter ac temporalis. Contextus saltem Apocalypseos minimè patitur, draconis alligationem ad id temporis reuocari. Etenim simul atque Ecclesia ad Gentilitatis desertum perrexit (vt cap. 12. describitur) illico bellum moueri incipit, quod in eam vtraque maris ac terræ Bestia cum draconc coniuratæ gesserunt. Hoc autem bellum (vt sæpiùs diximus) postremò terminatur duarum Bestiarum ad inferos præcipitio, & draconis alligatione. Illud igitur bellum, quod Ecclesiæ fuit illatum, vbi primùm ipsa ad Gentilitatem migrauit, omnino confectum fuit, quando idololatria ex toto Romano orbe expulsa est. Quare nulla ratione cohæret eorum opinio, qui arbitrantur draconem hactenus non fuisse ligatum.

Secundum argumentum contra 9. expositionem.

SECVNDÒ, Apocalypsis asseuerat, colligationem draconis per mille omnino annos futuram, quod in breui annorum spatio verum comprobari non potest. Credere autem, mundum post Antichristi cædem tot sæcula duraturum, vt in ipsis mille annorum loquutio impleri verè possit: id sanè non modò communi doctorum consensioni reclamat, sed etiam ipsimet Apocalypsi: quippe in Apocalypsi adeò exiguum reputatur tempus illud ab Antichristi morte sequuturum, vt quod attinet ad loquendi rationem, non plus spatii ad diem vsque extremi iudicii constituat, quàm quod ad Antichristi persecutionem præfinit. Quare, quod nonnulli excogitarunt de trecentis quinquaginta annis, & alii de septingentis: hoc totum vanum prorsus & sine fundamento est.

Tertium argumentum contra eandem expositionem.

TERTIÒ, quicumque alligationem dæmonis existimant non fore implendam vsque ad Antichristi mortem; consequenter debent asserere, bellum Gogi & Magogi esse persecutionem aliam, quam Ecclesia mille annis post Antichristi mortem sit passura; quæ etiam singularis est opinio, minimeque probabilis. Quod enim Ecclesia pro certò habet, illud est; Antichristi persecutionem prope mundi finem exarsuram; ac proinde Gogi & Magogi bellum pro comperto esse debet, non aliud ab Antichristi persecutione esse.

Alcasar in Apocal.

A Quippe textus ipse mille annos terminat Gogi & Magogi bello. Porrò mille item annos Antichristi persecutione terminari, asserunt Augustinus 20. de Ciuit. cap. 7. Gregorius 9 Moral. cap. 1. & lib. 35. cap. 20. Primasius, Beda, & optimi quique Apocalypseos interpretes.

Quartum argumentum.

Quartò, illi etiam auctores sibi persuadent, dæmonem nondum fuisse constrictum: quia Ecclesia nondum ea pace & prosperitate spiritali & temporali potita est, quæ sibi in hac vitaerat promissa. Quæ in re parum grauiter & magnificè sentiunt de vera Ecclesiæ pace & felicitate, quâ in meliori sua parte est assequuta. Etenim diuini Spiritus copia & affluentia, quæ primitiuæ Ecclesiæ quondam, & deinceps spiritalibus viris affatim elargita est, magna cum energia & proprietate appellatur pulchritudo pacis & salutis abundantia. Et sane inter sæuissimas persecutiones fruuntur homines verè spiritales vberiore pace & Euangelica felicitate. Atque in hac doctrina diu multumque versatis compertum est, illustriorem multò & præstantiorem à Deo sanctitatem suis ferè impertiri in

Persecutionum tempore præstantiorem ferè sanctitatem suis Deus impertiri.

B medio ipso persecutionum æstu ac puluere, quàm in temporalis pacis otio atque vmbra. Quamobrem hallucinabitur profectò, qui existimarit, deficientibus Ecclesiæ hostibus & toto orbe Christi fidem amplexante, tunc sanctorum hominum & Dei familiarium sanctitatem fore clariorem. Non ita Augustinus existimauit, qui gigantum nomine dignos censebat eos, qui Antichristo essent obstituri. Simile etiam ratione asseuero, proceriss.mos fuisse gigantes, qui primitiuæ Ecclesiæ tempore sanctimonia & vitæ integritate floruerunt. Verum quidem est, Catholicam Ecclesiam iure optimo à summo ac præpotenti Deo pacem expoſcere, *vt quietam & tranquillam vitam agamus.* Nam immanis persecutionis tempore multi solent à fide deficere. Qui verò tunc firmi stabilesque persistunt; næ illi probatæ & spectatæ virtutis sunt. Et hanc ob rem Paulus dixit 1. Corinth. 11. 19. *Oportet & hæreses esse, vt & qui probati sunt manifesti fiant*: similiter oportet & persecutiones esse. E contrario autem pacatis & tranquillis temporibus experimento cõpertum est, intra paucos annos sanctitatis vigorem in multis remitti, & paulatim vitiosos mores serpere. Quapropter diuina

Veram fidelium virtutem ac pietatem, persecutionum tempore probari & spectari solere.

C prouidentia variam hanc telam ac versicolorem prosperitate & aduersitate sapientissimè attexit vt nec durante diutiùs persecutionum æstu, electi despondeant animos; nec pace & tranquillitate diu perseuerante, excellens virtus & sanctitas squalore situque obsita exoleſcat. Mille autem anni, quibus ligandus est dæmon, neutiquam de tanta tamque tranquilla pace accipiuntur, vt hostes desint omnino & hæretici, qui bello interdum Ecclesiam infestent: sed totus hic pacati temporis decursus eò redigitur, vt in Romana Ecclesia, depulso idololatriæ cultu, publica religionis Catholicæ professio per multa sæcula perseueret: vt hoc pacto peculiares Ecclesiæ facilius à suo capite institutionem, doctrinam ac lucem possint accipere, quam Deus voluit per Ecclesiam Romanam illis communicari.

Notandum insuper est, antequàm nuptiæ cum Romana Ecclesia per receptam publicè Christianæ fidei consuetudinem celebrarentur, cùm in aliis Christianis Ecclesiis per ordinem dispersis fidelium numerus

D exiguus fuerit, & ferè omnes sanctitate insignes; id circo non adeò fuisse necessarium, vt Romanæ Ecclesiæ communione facilè possent frui, rei namque difficultatem superbat egregia fidelium virtus & vitæ integritas, & paucioribus hominibus minùs frequens cum Roma communio satis erat. At verò, postquàm ad Christi fidem totius Rom. Imperii moles incubuit, cùm fidelium numerus in singulis Ecclesiis magnopere excreuisset, cumque in ingenti numero insignis illa virtus, quæ in paucis priùs elucebat, non ita facilè conseruetur; opus fuit Romanam Ecclesiam, vt ceterarum omnium caput, intentiores pro ipsis agere excubias, atque adeò ipsarum frequentiam & Romam recursum magis esse assiduum. Quam ad rem summi momenti fuit, vt Romæ publicus religionis vsus vigens persisteret.

Ecclesiasticæ pacis fructus & emolumenta.

Præter hæc, quamuis persecutionis tempore sanctitas & constantia viriliter pugnantium ma-

Digitized by Google

gis magisque spectetur, in pace tamen & tranquillitate potest multò magis monachorum & clericorum numerus augescere; quorum ope & adminiculo Romana Ecclesia ceteris oportebat ire consultum. Hanc ob rem vniuerso Christiano populo valde expedie bat, vt Rom. Ecclesia otio & tranquillitate frueretur: alioqui non posset copiosum religiosorum hominum & clericorum numerum in ceteras prouincias dimittere. Constat autem, tam eas Ecclesias, quæ pace & serenitate conquiescunt, quàm quæ intestina hæreticæ pestis lue iactantur (vt nunc Ecclesia Anglicana) maximis fuisse beneficijs cumulatas per eos ipsos monachos & clericos, qui ab Romana Ecclesia eò sunt destinati. Nam per religiones à summo Pontifice approbatas, plerunque sunt Ecclesiæ instauratæ, & ad pristinum sanctitatis florem reuocatæ. Idemque dixerim de nouis Ecclesiis, quæ diuino inspirante numine sunt denuo in ijs locis erectæ; vbi nusquam antea fuerant: sicuti apud Indos tam Orientales, quam Occidentales, apud Iaponios, aliasque complures infidelium regiones.

Religiosa familia quantum obsequij præstiterint Ecclesia in fidei propagatione & conseruatione.

Et quemadmodum initio plurimùm Romanæ Ecclesiæ interfuit, vti persecutionibus & aduersitatibus fundaretur & increbesceret, quòd magnus esset fidelium in vera sanctimonia feruor; non aliter postquàm charitas in Christianorũ vulgo refrixit, consentaneum maximè fuit, vt Romana Ecclesia ita pacata & tranquilla persisteret, vt semper in ea manifestus Christianæ religionis vsus vigeret. Nam hisce temporibus, quibus non ita charitatis æstus efferuescit, imminebat periculum, ne vehemens persecutionis ventus Christianæ fidei lucernam ferè extingueret in ea prouincia, vbi grassatur. Licet autem Deus, vt iudex seuerissimus soleat interdum in aliquas animaduertere Ecclesias, bellorum & persecutionum permissu, quibus fidelium numerus in eis prorsus extinguatur, & Christianæ Ecclesiæ in iis destruantur prouincijs: verùm cùm ex Romanæ Ecclesiæ constantia & firmitudine totius Christiani populi salus & incolumitas penderet; ideo Ecclesiæ ipsi Romanæ promissum à Deo fuerat, eius fidem nunquam defecturam. Et propterea, postquàm pristinus sanctitatis ardor refrigeratus fuit, non adhuc permisit Deus, Romanam Ecclesiam eò miseriarum deuenire, vt in ea publicum Catholicæ religionis exercitium deesset, vsque ad ipsa Antichristi tempora. Tunc enim vt Ecclesiæ extrema primis respondeant, & strenui milites agmen claudant, decreuit Deus, vt grauissima & generali persecutione Ecclesiæ ipsius virtus summopere spectetur; ita tamen, vt ipsa priùs firmissimo diuinæ gratiæ præsidio, & sanctissimorum religiosorum adminiculo fulta sit. Victoriam verò de hac persecutione ab Ecclesia comparandam proximè sequetur extremi iudicij dies.

Cur Romana potissimùm Ecclesia fidem nunquam Deus permiserit deficere.

Sectio X. *De opinione Hortulani.*

Iudicium de decima explicatione.

Cosmi Hortulani opinio deuitat quidem nonnulla incommoda, in quæ Ioachimi Vbertini, Seraphini, Pannonii, & Bulengeri opinio prolabitur. Nam draconis solutionem refert cum ceteris ad Antichristi persecutionis tempus; & de hac persecutione intelligit, quæ de Gogi & Magogi bello traduntur. Adhuc tamen valde aberrat Hortulanus, dum arbitratur, nondum aduenisse tempus, quo vaticinium de draconis alligatione & in abyssum inclusione compleatur. Constat enim ex continuata Apocalypseos serie ac filo, finem belli aduersus Ecclesiam gesti, postquàm ad Gentilitatis desertum migrauit, non esse alium, quàm vt duæ Bestiæ capitis 13. in ignitum stagnum; draco in vincula & in abyssi puteum conijciantur. atqui bellum illud negari non potest, quin multis adhinc sæculis sit prorsus confectum, certum igitur est ante annos quàm plurimos dæmonem fuisse ligatum.

Improbatur prædicta explicatio.

Secunda impugnatio decimæ expositionis.

Deinde, quamuis verum sit, allegoriam de alligato dracone ad magnam aliquam Ecclesiæ renouationem & reformationem applicari posse, & singillatim ad sanctissimarum religionum institutionem, & ad vbertimos fructus, qui ex illis percipiuntur, verum huiusmodi renouationum præteriere complures. aliam autem multò maiorem & communiorem sibi polliceri ante Antichristi aduentum, quæ sit mille annos aut longinqua sæcula duratura: id sane nec in sacris Literis, nec in verisimilibus coniecturis solidatur. Imò verò coniunctio illa externæ pacis maximæ diuturno tempore permansuræ, & eiusmodi status Ecclesiastici, in quo nihil instaurandum aut perficiendum reperiatur. Illa, inquam, coniunctio conficta omnino est, & quæ prudentibus viris nequaquam probetur. Illud enim certò solet accidere, vt post diuturnam pacem plurima sequantur vitia: deinde multa sint necesse & denuo reformanda & perficienda. Tametsi autem in otio ac pace sacræ religionis & diuinus cultus florere solent: at nec fideles omnes Religiosorum instituta profitentur, nec diuinis commentationibus se totos dedunt: nec verò cum ipsis religionibus melius & perfectiùs agitur longissimæ pacis & prosperitatis tempore; sicuti experientia sæpiùs docuit. Etenim in religiosas familias diutina pace & tranquillitate paulatim etiam se insinuat ignauia atque socordia; & naturæ nostræ infirmitas ac fragilitas ad deteriora semper vergit. Porrò maiorem nobis felicitatem in futura sæcula polliceri, quàm quæ in primis Ecclesiæ temporibus pace & prosperitate viguit, hoc certè nec diuturno experimento, nec prudentiæ consonum; *nam quid est, quod erit, nisi quod fuit.*

Denique quidquid prudenter sperari potest de sacrarum religionum institutione, de sacrificiorum & sacramentorum frequentia, totum id iuxta nostram expositionem includitur in promissione Romanæ Ecclesiæ facta, videlicet draconem illi constrictum & inclusum teneri, quoad Antichristus aduenias. Institutio enim religionum, Sacramentorum frequentia, & quæ inde subsequuntur, sunt quidam promissionis huius fructus & emolumenta. Dum enim communis Catholicæ fidei exercitatio Romæ vigeret, quæ Dei est clementia, instituendæ erant ab ipsa Romana Ecclesia Religiosorum familiæ, & Dei Spiritu confirmandæ, & aliis pristinum ardorem remittentibus aliæ subinde denuo erigendæ, atque hic fructus per totum terrarum orbem disseminandus. Ille autem Sabbathismus, quem vniuersæ Ecclesiæ in hac vita Hortulanus per longa sæcula pollicetur (in quo nihil sit, quod reformationem postulet) fictus omnino & commentitius est. Et sanè qui asserat ante aduentum Antichristi generatim fidelibus sese communicaturum abundantiori diuini Spiritus gratia, quàm primitiuæ Ecclesiæ tempore sese impertiit, næ illum censoria virga dignum reputarem. Tandem opinari, nondum accessisse tempus alligandi dæmonis, & tamen ante Antichristi aduentum per mille annos ligatum iri, id non aliud est, quàm mundo plures adhuc vitæ annos adscribere, quàm quispiam ei promittere potest.

Tertia eiusdem interpretationis impugnatio.

Sectio XI. *De multiplici alligatione, quam Augustini locus ad draconis alligationem applicat.*

De 11. interpretatione iudicium.

Non eo inficias, alligationis allegoriam sapienter posse accommodari ad id, quod Augustinus applicat. Ceterùm non hic esse potest germanus Apocalypseos sensus: quæ enim describitur alligatio durat mille annos. Et quamuis verum sit tunc vnicuique fidelium fortem verè alligari, quando ab illo tanquam vas eripitur; in hoc tamen sensu non singulis per mille annos alligatur. Quippe nec singulis draco soluitur, hoc est, vt ipsos re ipsa in fraudem inducat; nec enim fideles omnes posteà seducit; & respectu eorum, quos reapse decipit, non fuit per mille annos alligatus. Ex quo euidens est ligationem hanc, de qua Apocalypsis loquitur, non esse respectu vniuscuiusque fidelium, sed totius Ecclesiæ generatim loquendo. Et Augustinus quidem nullo modo Apocalypseos locum aliter explicat. Nam aliud est doctrinam huius loci aliqua ratione ad singulos applicare, aliud verò genuinam & cohærentem cum textu explicationem tradere.

Sectio XII. *De Alfonsi Castrensis expositione.*

Duodecima explicationis censura & refutatio.

Quae sit germana expositio eorum, quæ de animabus sanctis infrà dicuntur, nempe, *vixerunt & regna-*

Digitized by Google

& regnauerunt cum Chriſto mille annos, & de reliquis deinde, *Ceteri mortuorum non vixerunt, donec conſummentur mille anni*, dicemus de hoc ſuo loco: vbi planum faciam, hos mille annos eſſe illos ipſos, quibus draco conſtrictus eſt. Nihilominus tamen ex contextu ipſo manifeſtum eſt, draconis religationem non referri ad Beatorum ſecuritatem, & felicitatem (vt Alfonſus Caſtrenſis opinatur) ſed ad pacem ac tranquillitatem huius vitæ, & ad publicum Chriſtianæ religionis vtium. Etenim ſi, vt toties à nobis inculcatum eſt, bellum Eccleſiæ illatum deſinit in duarum Beſtiarum immiſſionem in ſtagnum ignis, & in dæmonis alligationem per mille annos, vltra quos ſoluitur, & Gogi ac Magogi bellum ſiue Antichriſti perſecutio ſequitur: quis in hoc contextu non videat, ijs ipſis, quibus anteà illigatus erat dæmon, poſteà diſſoluì poſt mille annorum curriculum? Si autem fieri non poteſt, vt ſoluatur ad beatorum felicitatem perturbandam; non ergo reſpectu ipſorum Beatorum dicitur A fuiſſe anteà per mille annos ligatus, ſed reſpectu militantis Eccleſiæ, aut alicuius partis ipſius. Violenta ergo eſt explicatio, & nulla ratione probabilis, quæ draconis alligationem ad Beatorum ſecuritatem refert.

Præterea hac ratione non deſcriberet Apocalypſis finem illius belli à dracone & Beſtiis contra Eccleſiam excitati. Nam ſi alligationis ſenſus foret bello militanti Eccleſiæ à dæmone inflicto non interpellari Beatorum tranquillitatem: hoc minimè eſſet promittere militanti Eccleſiæ in hac vita finem illius belli & pacem ac ſecuritatem ſucceſſuram. Quia licèt perſecutio nunquam habitura eſſet finem; adhuc verum erat, eo bello non interrumpi cœlitum quietem ac pacem. Demum illa interpretandi ratio, nimirum *poſt mille annos*, perinde eſſe, atque ſine vllo Beatorum felicitatis impedimento, violentam prorſus ſubtilitatem præ ſe fert, & cui nulla ratione intellectus acquieſcit.

NOTATIO IV.

De alluſione ad Iſaiæ locum in alligatione Dæmonis.

Explicatur Iſaiæ locus cap 24. n. 21. & 22.

TVrrianus noſter lib de Euchariſtia c. 31. contendit, in dæmone per mille annos religato alludi ad Iſaiæ locum c. 24. n. 21. & 22. vbi ſic habetur, *In die illa viſitabit Dominus militiam cœli in excelſo, & ſuper reges terræ, qui ſunt ſuper terram: & congregabuntur in lacum, & clandentur ibi in carcere, & poſt multos dies viſitabuntur.* vbi Septuaginta interpretes legunt, *per multas generationes viſitatio eorum.* Quæ verba exiſtimat Turrianus referri debere ad annos mille, quibus in Apocal. ligatus dicitur draco. Ea verò, *viſitabit ſuper militiam cœli*, affirmat impleta fuiſſe in idololatriæ expulſione, cuius præcipua pars aſtris (quæ in ſacris Literis vocantur militia cœli) cultum & veneratione deferebat. Quos autem Iſaias nuncupat *Reges terræ*, ait dæmones eſſe, qua ratione eos nominat Paulus *mundi rectores*. Ac demum aſſeuerat, *congregari in lacum, & in eo tanquam in carcere claudi*, idem eſſe, quod ſignificauit Ioannes, cùm dixit, draconem in abyſſum mittendum, & ianuam claudendam, atque ſignandam. Hæc Turrianus.

Obiectio contra propoſitam Iſaiæ expoſitionem.

Verùm aduerſus Turriani coniecturam primò obiiciet aliquis, non cohærere, vt Ioannes in præſenti ad eum reſpiciat locum. Nam illius cap. Iſaiæ argumentum minimè patitur, quod neceſſarium ad eam alluſionem videbatur omnino, nimirum vt concluſio illa militiæ cœleſtis & regũ terræ in carcere non ſit æterna, ſed poſt mille annos diſſoluenda. Argumentum enim eius capitis (vt videre eſt in Cyrilli, Hieronymi, & Procopij expoſitione) continet vindictam, quam Deus eſt de peccatoribus in extremo iudicio ſumpturus, quæ vindicta nullo vnquam fine terminabitur. Hoc ex eo roboratur, quòd Catholici doctores in eo loco errorem Origenis notant inde colligentis inferorum ſupplicium non eſſe æternum.

Solutio obiectionis.

Huic tamen obiectioni reſpondeo, verum ac ſolidum Iſaiæ argumentum c. 24. eſſe illud, quod perſpicuis verbis aſſerunt Euſebius, Theodoretus, Forerius, & Leo Caſtrenſis de reprobatione Iudæorum poſt Chriſti reſurrectionem, & de pœnis ex eis repetẽdis. Nec contra hoc facit expoſitio Hieronymi, Cyrilli, & Procopij. Quia ſæpe in ſacris Literis in ſupplicio de aliqua gente ſumendo, & præcipuè in Ieroſolymæ & Iudææ euerſione vſurpatur comparatio ab vniuerſalis Iudicij die: & propterea coniungi ſolet diſputatio de Hieroſolymæ vaſtitate cum extremi iudicij die, aut fortaſſe à priuato & peculiari iudicio tranſitio fit ad vniuerſale: qua ratione Arias Montanus (qui ſibi perſuadet, in illo Iſaiæ capite directè agi de clade per Nabuchodonoſorem Gentibus afferenda) ab eo excidio tranſit ad vniuerſalis iudicij diem, & de generali reſurrectione exponit verba illa, *Viſitabit Dominus ſuper militiam cœli in excelſo.* Ipſe tamen verã reputo Euſebii, Theodoreti, Forerij & Leonis Caſtrenſis ſententiam: qui pro illius capitis argumento deſignant Iudaici populi reprobationem poſt reſurrectionem Chriſti Domini. Quare quod v. 4. *dicitur, Relinquentur homines pauci*, & v. 3 *quomodo ſi pauca oliua, quæ re* B *manſerunt, excutiantur ex olea, & racemi, cum fuerit finita vindemia*, interpretantur hi auctores de paucis hominibus, quos Deus ex eo populo delegit, vt ipſis ſui Euangelij diuitias impertiret, vtque illi eaſdem Gentilitati communicarent. Atque ita de illis dicitur v. 14. *Hi leuabunt vocem, atque laudabunt, cum glorificatus fuerit Dominus hinnient de mari.* quod ad gaudium & voluptatem de Gentium conuerſione ſuſceptam reuocandum eſt; quia *aqua multa ſunt populi multi*, & maris ſymbolo Gentilitas in ſacris Literis deſignatur. Et confirmatur ex eo, quod v. 15 ſequitur, *Propter hoc in doctrinis glorificate Dominum in inſulis maris*: vbi certum eſt, remotas prouincias, vt Italiam, Hiſpaniam, Galliam, maris inſulas appellari.

Confirmatur, quia præcedente cap. nempe 23. quamuis figura ipſa deſumatur à Tyri euerſione per Nabuchodonoſorem exequenda: præcipuus tamen ſenſus propheticus reſpicit myſticam Romæ ethnicæ vaſtationem, cui Scriptura appellationem Tyri attribuit, C ſicut etiam Babylonis, vt notauimus cap. 18. Nænias enim, quibus Tyri euerſio prædicebatur eſſe lugenda, explicat Apocalypſis de lugubri lamento, quo proſequuturi erant Gentiles Romæ conuerſionem. Atque hic ipſe (vt inibi obſeruauimus) erat proprius & genuinus verborum Ezechielis ſenſus. Cùm igitur in cap. 23. Iſaiæ præcipuus ſcopus in Gentilitatis conuerſionem (cuius caput erat Roma ethnica) dirigatur, facilè cernitur, congruenter connecti tractatum de Iudæorum reprobatione & de Hieroſolymæ rebellis ſupplicio cum Gentilitatis conuerſione & cum myſtica vindicta de Roma ethnica ſumenda. Et ſicuti aliàs à Iudaici populi reprobatione fit tranſitus ad electionem Gentilitatis; ſic è contrario nonnunquam à Gentilitatis conuerſione aptiſſimè ad reprobationem ſynagogæ tranſitur. Nam vtraque ratione opportunè agitur, quàm fuerit diuerſa Iudæorum ſors à ſorte Gentilium, quamque contraria. Quòd autem aliis terræ nomen, aliis nomen maris applicetur (vt in contextu capitis 24. Iſaiæ apparet) miram continet energiam, atque elegantiam, vt ſæpe in Apocalypſi vidimus; præ- D ſertim capite primo & decimo. Demum cum hoc ipſo argumento capitis 23. & 24. conſonat optimè contextus capitis 25. vt legenti planum fiet.

Turriani expoſitio vt vera comprobatur.

Qua ratione Iſaias ſuperiore loco, & Ioannes hic, vbi de diaboli alligatione. ſe mutuo reſpiciant.

His præſtitutis, expendendum eſt diligenter, quo pacto conſentiat, vt in iis verbis, *Viſitabit Dominus ſuper militiam cœli in excelſo, & ſuper reges terræ, & congregabuntur in lacum, & clandentur in carcere, & poſt multos dies viſitabuntur*, reſpexerit Propheta ad illud ipſum, quod Ioannes Apocalypſis cap. 20. deſcribit, vbi de diaboli alligatione per annos mille. Pro huius ergo ſenſus explicatione neceſſariũ eſt (vt ex ipſo contextu patet) ſuppoſitum eorum verborum, *Claudentur in carcere, & poſt multos dies viſitabuntur*, eſſe cœli militiam, & reges terræ. Ex quo infero, explicationes Ariæ Montani & Leonis Caſtrẽſis violẽtas eſſe. Arias enim cœli militiam de aſtris, reges terræ, de regibus mortalibus explicat: quod verò ſequitur *clandentur*

Digitized by Google

in carcere, non ad aſtra, ſed ad omnes homines applicat, propter ſepulcra ipſa, quibus poſt mortem, quaſi vincti & incluſi retinentur: at *viſitari poſt multos dies*, interpretatur de generali reſurrectione. Eo enim die mortui omnes de ſepulcris egredientur. Leo etiam, cùm per cæli militiam intellexiſſet dæmones, & de ijſdem etiam Reges terræ explicaſſet: nihilominus quod dicitur, *Claudentur in carcere, & poſt dies multos viſitabuntur*, ad Iudæos applicat; qui poſt quàm multis retro ſæculis in infidelitatis carcere fuerint incluſi, ſub mundi finem in Eccleſiam introducendi ſunt. Hæc illi. Verùm vtramque expoſitionem coactam & violentam arbitror. Contextus enim exigit, vt de cæli militia & regibus terræ ſit ſermo, cùm dicitur, *claudentur in carcere, & poſt multos dies viſitabuntur*.

Apud Iſaiæ locum adductum duplicem viſitationem eſſe mentionẽ.

Secundò, veriſimile valde eſt, quamuis iidem ipſi ſint viſitati (cùm dicitur, *viſitabit Dominus ſuper militiam cæli, & ſuper reges terræ*: & cùm deinde additur, *& poſt multos dies viſitabuntur*) nihilominus diuerſas longè eſſe viſitationes. Nam viſitatio primà eſt ad comprehendendum & includendum in carcere; ſecunda, ad ſoluendum & liberandum. Ac primò, ita ſentiunt Forerius, Leo Caſtrenſis & Arias Montanus. Nam, *claudentur in carcere*, explicant (vt textus quidem ipſe neceſſariò exigit) de comprehenſione; illud verò *Poſt dies multos viſitabuntur*, interpretantur de compreheſorum è carcere liberatione. Nec eſt cur id nouum cuiquam videatur. Conſtat enim, apud ſacras Literas verbum *Viſito* vtrique ſignificationi deſeruire; & modò ad pœnam & ſupplicium, modò ad libertatem & impunitatem transferri. Vtraque autem ſignificatio in eiuſdem verbi repetitione pereleganter coniungitur. Præſertim quia cùm priùs dicitur, *Viſitabit ſuper militiam cæli*, manifeſtò mox exponitur viſitationem eiuſmodi perinde eſſe atque alligare & in carcerem detrudere. Cùm verò ſubditur, *Et poſt multos dies viſitabuntur*, congruẽtius eſt, vt *poſt dies multos* idem ſit, atque poſt dies multos ab incluſione & in carcere retentione. Deinde vinctum ſiue in carcere detentum, inuiſere, in recepta ſacrarum Literarum loquutione, idem eſt, atque ipſum de carcere educere ac liberare: vt patet ex illo Ieremiæ cap. 29. 10. *Cum cœperint impleri ſeptuaginta anni, viſitabo vos*. Et quamuis Septuaginta non verterint, *poſt dies multos*, ſed *per generationes multas*: dubitari tamen non poteſt, quin Vulgatus in hoc Hebraicam expreſſerit veritatem, vt ex Pagnini, Montani atque Foreij verſione conſtat.

Tertiò, cùm in prima illa viſitatione, vbi Propheta ait, *Viſitabit Dominus ſuper militiam cæli*, &c. ſermo ſit de tempore, quo Deus Iudæos erat repulſurus, & vocaturus Gentes (vt ſuprà ſtatuimus ex contextu ipſo, nec non ex Euſebio, Theodoreto, Forerio atq; Leone Caſtrenſi) probabile valde eſt, in iis verbis, *Viſitabit militiam cæli, & claudere eam in carcere*, contineri allegoriam, qua ſignificetur Deum ex toto orbe depulſurum idololatriam, nec paſſurũ, vt rurſus caput multa per ſæcula attolleret. Iam, quod Turrianus ait, per cæli militiam ſæpe in ſacris idololatriam & inanem idolorum impietatem denotari: id ex multis Scripturę locis manifeſtum eſt, in quibus militiam cęli adorare, vel ei ſeruire, idem eſt, atque idololatriç operam dare. Quippe hæc eſt communior ac receptior idolorum colendorum ratio. Lege Deuteron. cap. 27. & 4. Reg. num. 21. n. 3. & 5. & cap. 23. n. 4. & 5. & 2. Paralipomenon cap. 33. n. 3. Ieremiæ cap. 19. n. 13. Sophoniæ cap. 1. n. 5. Actium cap. 7. n. 42. Et quoad hanc partem manifeſtè Turriano fauet Cyrillus & alij.

Per cæli militiam in Scripturis idololatriam ſæpe ſignificari.

Quartò, ſi de idololatriæ expulſione ſermo eſt, ad eum ipſum ſenſum aptiùs fortaſſe dicetur Iſaias militiæ cælestis nomine in præſenti dæmones deſignare. Etenim ad hanc ipſam ſignificationem in Apocalypſi figuratur coniectus in vincula draco: quia ille in idolis adorabatur, & idolorum culturam omni ratione promouere ſtudebat. Nec inuſitatum eſt, dæmonibus nomen militiæ cæleſtis attribui. Sic enim in præſenti explicant cæli militiam Leo, Aluarez, & Thaddæus. Deinde quia Angelis nomen cæli militiæ adſcribitur 3. Reg. cap. 22. n. 19. & 2. Paral. cap. 18. n. 18. quibus in locis ait Michæas, *Vidi Dominum ſedentem in ſolio ſuo & omnem exercitum cæli aſſiſtentem à dextris & à ſiniſtris*. Vbi videtur Propheta à dextris bonos Angelos, malos

Militiæ cæleſtis nomine forte ab Iſaia dæmones denotari.

A à ſiniſtris conſpexiſſe. Nam eorum vnus procedẽs ait, *Ego ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum*. Similiter Iob cap. 1. 6 & c. 2. 1. *Cum veniſſent Filij Dei, & ſtarent coram Domino, affuit inter eos Satan*. Non eſt autem neceſſe, cùm dicitur *Viſitabit Dominus ſuper militiam cæli in excelſo*, cæli militiam diſtributiue (quod aiunt) pro omni militia cæli vſurpari. Agitur enim de viſitatione, quæ eo fine fit, vt aliqui includantur in carcere: qui autem comprehendendi erant, næ illi non amici Eccleſiæ erant, ſed inimici atque ita militia cæli nomen aptiſſimè pro ſiniſtra militia, id eſt, pro dæmonibus accipitur. Præterhæc, Paulus ad Epheſ. 6. 12. Dæmones vocat *Principes & poteſtates, & ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus*: quibus in verbis perpetuè loquitur de bello, quod Eccleſiæ inferebant. Quare dum eos nominat *Principes & poteſtates, & ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus*, perinde eſt, quaſi eos compelleret ſpiritalem militiam cæli, Eccleſiæ Chriſtianæ infeſtam. Simili etiam ratione Paulus ipſe loquitur ad Coloſſ. 2. 15. Vt autem in Paulo non vt nouum atque inſolitum miramur, nomen Principum & Poteſtatum cæli ſiue aëris peculiariter ad dæmones referri: ita etiam mirandum minimè eſt, cæleſtis militiæ nomen pro dæmonibus vſurpari, vbi non obſcurus eſt ſermo de militia Chriſtianæ Eccleſiæ aduerſa. Sicuti nomen etiam regum terræ, non poteſt generatim accipi pro vniuerſis terræ regibus, ſed pro illis ſolùm, qui & Eccleſiæ hoſtes, & idololatriæ fautores ſunt.

B

Per reges terræ quinam ab Iſaia ſignificentur.

Quintò neceſſarium non eſt, quos Iſaias in hoc loco reges terræ nominat, diuerſos ab iis eſſe, quos vocat cæli militiam. Dæmonibus enim aptè vtraque tribuitur appellatio; atque Leo Caſtrenſis vtroq; in nomine dæmones deſignari putat, qui in ſacris Literis dicuntur principes & poteſtates in cæleſtibus, & vocantur etiam mundi rectores ac principes. Quòd ſi ita cõſtituamus, facilè mox apparet, dæmones in carcerem detrudi, ſimul ac idololatria ex toto orbe fuit pulſa, eoſq; victos in lacu ſiue in cuſtodia detineri, & multis poſt annis fore ſoluendos, hoc, inquam, idem eſſe, quod Apocalypſ. capite vigeſimo aſſeueratur de draconẽ apud abyſſi cuſtodiam alligato, ibique retinendo mille annorum ſpatio, & poſteà ſoluendo. Iam, quod mox addit Iſaias. *Erubeſcet Luna & confundetur Sol, cum regnauerit Dominus exercituum in monte Sion & in Ieruſalem & in conſpectu ſenum ſuorum fuerit glorificatus*, appoſitè id explicatur de toto eo tempore, quo dæmon fuerat alligandus, & Deus erat in orbe terrarum ac præſertim in Romana Eccleſia ſeu noua Hieroſolyma regnaturus. Nec aliud eſt, quod Apocalypſis in verbis ſubſequentibus ſignificat, *Et vidi ſedes, & ſederunt ſuper eas*, vt infrà conſtabit. Si autem apud Iſaiam *militia cæli* Idololatriam denotat: quod ait, *Erubeſcet luna & confundetur ſol*, fortè indicat, quòd ex tota idololatria illuſtrius & ſplendidius fuerit, id quidem viliſſimum & abiectiſſimum fore, ſi cum Miſſæ conferatur ſacrificio, quo ſeniores, id eſt, presbyteri Deo laudem & gloriam deferunt.

C

Quid ſit apud Iſaiam, erubeſcere lunam & confundi ſolem.

In terræ regibus apud Iſaiam ſignificari etiam poſſe reges eos ethnicos, qui Chriſtianam oppugnarunt Eccleſiam.

Quòd ſi contendat aliquis, nomen regum terræ aptiùs ad eos reges terræ transferri, qui pro idolorum cultu aduerſus Romanam Eccleſiam dimicabant: illi etiam fortaſſe dici poſſunt cum dæmonibus aliqua ratione in abyſſo colligati. Quamuis enim ijdẽ numero non ſint, qui Eccleſiam olim exagitarunt, quique eam Antichriſti tempore poſt dæmonis ſolutionem affligent: rectè tamen poteſt hoc ita figurari, ac ſi iidẽ omnino eſſent; quia eadem prorſus priorum & poſteriorum mens futura eſt; & hoſtilis illa potentia, quaſi retenta & compedita erit, donec ſoluto dæmone ſoluantur pariter terreni reges, quos arcanum Dei conſilium repreſſos & illaqueatos tenebat. Poteſt etiam dici, Turcas hodie, & ceteros Eccleſiæ hoſtes, qui Romam inuadere, & inde Chriſtianam expellere religionem appetunt, à Deo reprimi & detineri.

D

Dæmonum comprehenſio & ligatio apud Iſaiam quonam ſit referenda.

Ad hæc, vt in Apocalypſi alligatio draconis ſingulatim refertur ad Romanæ Eccleſiæ ſecuritatem (vt in commentario vidimus:) ita ſimiliter apud Iſaiam, dæmonum comprehenſio & ligatio poſt Romæ conuerſionem recenſetur. Hæc enim Romæ conuerſio innuitur apud eundem Iſaiam cap. 23. ſub euerſionis Tyri allegoria, atque hæc eadem euerſæ Tyri allegoria ſuum etiam opportunum habet locum

Digitized by Google

cum Apocal. 18. Pari etiam ratione, sicuti lugubres in mysticæ Tyri excidio planctus apud Apocalypsin subsequuntur nuptiæ Agni cum noua Roma: non aliter apud Isaiam post prophetiam de Tyri mysticæ vastitate & post Hierosolymæ infortunium cum ipsa pariter coniunctum, sequitur mox gloria, quam Deo Gentilitas defert. *Hinnient de mari, propter hoc in doctrinis glorificate Dominum, in insulis maris nomen Dei Israel, à finibus terræ laudes audiuimus*; eas nempe Dei laudes, quas iteratum illud quater *Alleluia* Apocal. capite decimo nono designat. Deinde Iudaici populi miseria cum Gentilici felicitate rursus comparatur: ad quam felicitatem pertinet dæmonum alligatio & gloria, quam Deo ipsius presbyteri decantant, quo caput 24 terminatur. Huius capitis cum antecedenti connexio indicat, fundamentum eorum omnium, quæ cap. 24. dicuntur, esse mysterium de mysticæ Tyri vastatione, quæ Romæ conuersionem adumbrat. Atque ita totum caput 24. respicit Agni nuptias cum sua sponsa: qua nuptiæ, vt suprà latè disputauimus, consistunt imprimis in publica Christianæ religionis Romæ professione.

Connexio cap. 23. & 24. Isaiæ cum tribus seqq.

Ex iis, quæ diximus, intelligitur series atque connexio capitum 23 & 24. Isaiæ cum tribus subsequentibus. Illa etiam tria impenduntur in gratias Deo agendas ob præstantissimum illud facinus, quo Romam ethnicam deuastauit, & in nouam Sionem conuertit, eiusque obedientiæ Bestiam maris, id est, Rom. Imperium ethnicum subiecit. Vnde cap. 25. Isaiæ exorditur, *Domine Deus meus exaltabo te, & confitebor nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia: posuisti ciuitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam vt non sit ciuitas, & in sempiternum non ædificetur*, &c. Deinde cap. 26. *In die illa cantabitur canticum istud in terra Iuda, Vrbs fortitudinis nostræ Sion, saluator ponetur in ea murus & antemurale. Aperite portas & ingrediatur gens iusta. Vetus error abiit, quia incuruabit habitantes in excelso* (vox pro excelso ipsum Romæ nomen in Hebræo sequitur) *ciuitatem sublimem humiliabit. Conculcabit eam pes, pedes pauperis*, &c. Postea caput 27. incipit *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro & forti super Leuiathan, & occidet draconem, qui in mari est.* Vbi Leuiathan eandem habet, opinor, significationem quam Bestia maris apud Apocalypsin, nempe Rom. Imperij ethnici. Postremò mysterium in Apocalypsi tantopere celebratum de Iudaici populi reprobatione, & electione Gentilici (aut quod idem est, de reprobatione Hierosolymæ, & Romæ electione) hoc est arcanum illud de quo Isaias c. 24 n. 16. mentionem facit his verbis, *Secretum meum mihi, Secretum meum mihi.*

Atque hæc in præsenti indicasse sufficiat, quibus videor mihi coniecturæ Turriani nostri nonnihil lucis attulisse.

TEXTVS.

vers. 4. pars 1. Et vidi sedes, & sederunt super eas, & iudicium datum est illis.

COMMENTARIVS.

IN Græco pro *sedibus* legitur *throni*, qui sunt augustæ sedes cum hypopodiis, vti diximus capite 4. Ait ergo Ioannes, sedisse in his thronis: nec tamen verbo appositum siue suppositum addit, nec ex superioribus verbis subsitui posse videtur. Non enim hactenus in hoc cap. mentio facta est eorum, qui existimari possunt in his sedibus consedisse. Quare qui sint illi, de quibus dicitur, *Et sederunt super eas*, id disputant interpretes. Ribera credit, sermonem esse de omnibus Beatorum animabus; & eas in sedibus sedere dici, quia Dei visione fruuntur in cælo, & ibi cum Christo verissimè sedere, ac regnare dicuntur. Quod autem sequitur *Et iudicium datum est illis*, propterea id dici existimat Ribera, quia electi sunt destinati, vt mundum cum Christo iudicent in vniuersalis iudicij die: iuxta id Sap. 3. 8. *Iudicabunt nationes*: vbi de iustis sermo est. Quòd si obiicias non recte consentire, vt animæ beatæ dicantur super sedes sedisse; sequitur enim *& animas decollatorum*, siue Martyrum: non autem apposite dici, *Vidi animas Beatorum in sedibus & animas etiam Martyrum.* Respondet Ribera, locum ita esse construendum: *Vidi animas Beatorum in sedibus & peculiariter animas martyrum.* Ea phrasi, qua dicitur Marci vlt. n. 7. *Dicite discipulis eius & Petro.*

Quinam dicantur hæc à Ioanne in sedibus siue thronis sedere.

1. Sententia explicans de omnibus Beatorum animabus.

Dicet alius, congruentius fore, si animæ Apostolorum, qui præcipuum in cælo dignitatis obtinent gradum, Ioanni visæ sint in sellis sedentes. Si enim hic verba fiunt de ea beatitudine, qua Beatorum animæ perfruuntur, consentaneum videtur, vti hoc ordine numerentur, vt priùs Apostolorum animæ exprimantur, de quibus dicatur, *Et sederunt super sedes*: deinde Martyrum animæ, quæ verbis illis significentur, *& animas decollatorum*; tertiò Confessorum, de quibus mox additur, *Et qui non adorauerunt Bestiam.*

2. Sententia de Apostolis interpretans.

Viegas sibi persuadet, sermonem in hoc loco non institui de gloriæ sedibus, quibus Sanctorum animæ nunc potiuntur in cælo: sed de illis sellis, in quibus Sancti extremi iudicij tempore post generalem resurrectionem sunt concessuri. Qua ratione locus hic potest peculiariter de Apostolis intelligi, quibus speciatim dictum est, *Sedebitis super sedes iudicantes duodecim tribus Israel*, Matth. 19. 28. & Lucæ 22. 30. potest etiam id accipi de Apostolicis viris, qui cum Apostolis dicuntur iudicaturi vel de omnibus etiam Sanctis, quia de iustis omnibus dicitur Sap. 3. 8. *Iudicabunt nationes.* Verùm, vt cumque hoc sit, violentum planè esse existimo, has sedes ad extremi iudicij sedes referre. Etenim in contextu sermo instituitur de mille pacis annis, quos habitura erat Ecclesia ante Antichristi persecutionem. Quod verò sequitur, illud est, Sanctorum animas per illos mille annos regnaturas. Tum additur, *Hæc est resurrectio prima*: nondum ergo ad secundam resurrectionem peruentum est.

3. De iudiciaria potestate Apostolis & eius successoribus à Christo tradita.

Contra Riberæ explicationem inde etiam validum sumitur argumentum: quia præcedens contextus perspicuè loquitur de militantis Ecclesiæ pace. Eo enim spectat draconis ligatio per mille annos. Quarè cùm de militante Ecclesia sermo sit, cumque mox absque nouo alio verbi suppositio adiungatur, *Et vidi sedes, & sederunt super eas*, dissentaneum est, & prorsus absre, si ex Ecclesia militante ad triumphantem transisse Ioannem dicamus. Ad hoc enim oportebat aliquid exprimi, vnde coniici posset, non esse sermonem de ijs sellis, quibus Catholica Ecclesia in hoc mundo fruitur. Præsertim, quia cum Ecclesiæ pace, de qua in dæmonis alligati figura agebatur, mirificè consonat Episcoporum sessio in suis thronis. Vidit hoc acutissimè Augustinus, qui libro 2. de ciuitate cap. 9. *Non putandum est*, inquit, *hoc de vltimo iudicio dici, sed sedes præpositorum, & ipsi præpositi intelligendi sunt, per quos Ecclesia gubernatur, & quibus datum est iudicium.* Augustinum sequuntur Primasius, Beda, Rupertus, alijque complures.

Impugnatur 1. sententia.

Diui Augustini auctoritate refutatur eadem sententia.

Verum

Verum est tamen, Augustinum & eius sectatores non explicare, se de externa Episcoporum auctoritate, & de publico Christianæ religionis exercitio verba facere: quin imo videtur agere de ea, quam exercebant, potestate à primitiuæ Ecclesiæ tempore. Sed Augustinus saltem & reliqui hunc locum referunt ad Episcoporum & prælatorum auctoritatem. Si autem consequenter loquendum sit, (constituta iam ea declaratione quam in dæmonis alligatione sectamur,) omnino explicandus est locus de publica Episcoporum, & præcipuè Romanorum Pontificium auctoritate seu maiestate post publicam religionis Christianæ professionem. Porrò verba illa, *Iudicium datum est illis*, illam fortassis energiam habent; quasi dicatur, ipsi erant iudices, & potestatem è cælo habebant, verùm denuo fuit illis concessa publica suæ auctoritatis exercitatio, per magnitudinem ac maiestatem maximè congruentem. Itaq; gubernatores in sellis sedere, ita accipiendum est, quasi res protinus subsequuta ad draconis alligationem. Cùm verò huiusmodi religatio non alia fuerit, quàm ipsum draconem præpedire, ne publico Catholicæ fidei vsui obsistere posset in vrbe Romana; (vt toties à nobis dictum est,) hunc ipsum religionis Christianæ publicum vsum consequuta mox est Pontificum ac Prælatorum auctoritas & administratio: atque hoc est illos in sedibus seu thronis sedere, & potestatem à Deo sibi commissam exercere. Quamobrem dicere iure possumus, has sellas siue thronos vna ex parte esse thronos antiquos, de quibus c.4. agitur: ex altera verò esse quodammodo nouos, quòd noua sit externa maiestas & amplitudo. Hoc autem perinde est, ac si dicatur, veteres thronos in publico orbis loco fuisse collocatos; & tanquam cælestes ac diuinos maximi fuisse habitos ac veneratos.

Vera auctoris sententia & difficultatis enodatio.

Quàm sit prædicta expositio facilis, quàm ipsius contexтus consecutioni congruens.

Si hoc pacto accipiamus prædictum sedium locum, facilis intellectu est, & totius contextus consecutio manet aptissima; cùm tamen in aliorum explicationibus valde sit locus obscurus & implicatus. difficultatem autem satis ponderat Ribera, quam vero expositionem ipse tradit nec Viegæ placet, nec ipsiusmet Viegæ explanatio facilior est. Pro nostra autem explanatione non militat solùm ipsius loci facilitas & cohærentia; verùm etiam illa imprimis ratio, nimirum Apocalypsin silentio præmittere non debuisse rem adeò præstantem & insignem, qualis est sublimis illa maiestas, qua Pontifices in terra priùs abiecti atque demissi, postmodùm extollendi erant. Et eam fortassis ob causam contentus fuit Ioannes dicere, *Et vidi sedes & sederunt super eas*, nec vlteriùs exposuit, quinam in iis sedibus considerent? Ita enim innuit, eos ipsos, qui antea contempti atque despecti erant, tantâ post auctoritate & amplitudine in regalibus thronis considere. Ex præcedenti autem tractatu supplendum necessariò erat, sermonem hic esse de Ecclesiæ principibus ac præpositis. Nam, cum de Ecclesiæ pace ageretur, necessarium erat, tam thronos, quàm sessionem ad illud potissimum reuocari, quod in ea Ecclesiæ pace vel maximè elucere debebat; nimirum ad Pontificum auctoritatem, ad reuerentiam, ac venerationem, qua tanquam principes planè viri colendi & obseruandi erant.

1. Obiectio in nostram explanationem.

Duo tamè aduersus nostram expositionem opponi posse video. Primum, quia hic locus *Vidi sedes, & sederunt super eas, & iudicium datum est illis*, eundem habeat sensum necesse est, quem alij Scripturæ loci, quibuscum & similitudine & allusione communis est. Huiusmodi sunt; Sapien.3.8. vbi de iustis dicitur; *Iudicabunt nationes.* Matth.19.28. *In regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Lucæ 22.30. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater regnum; vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo: & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel.* Qui omnes loci communi ferè consensu explicari solent de Sanctis in die Iudicij vel in cælesti patria consessuris. Alterum est, quia contextus subsequens vrgere videtur, vt de animabus beatis sermonem esse credamus. Sequitur enim, *Et animas decollatorum propter verbum Dei, & eorum, qui non adorauerunt Bestiam.* Si hæc igitur omnia cum verbo *vidi* componuntur, & pars altera de Beatorum animabus manifestè loquitur: prior igitur pars ad cælestem patriam est itidem referenda.

2. Obiectio.

Diluitur prima obiectio.

Ad primam tamen difficultatem respondeo, si allusio adeò est certa, sicuti apparet: illud hinc elicio, quod mihi alioqui dubium non erat, & suprà me explicasse memini, videlicet eorum locorum legitimum sensum esse de ea auctoritate, quam Christus Dominus suis Apostolis in terra traditurus erat, dum eos Ecclesiæ suæ principes erat facturus, nec non illius imperii dominos, quo in terris populus sanctus erat fruiturus: iuxta illud Dan.7.27. *Regnum autem & potestas & magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, detur populo sanctorum Altissimi.* Sed Apostolis tamen, dum viuerent, concessus fuit principatus, non verò externa & communis maiestas, quæ propter ipsorum merita filijs deinde succedentibus elargita fuit. Quod perinde fuit, ac si Apostolis ipsis ea dignitas ac potestas in suis hæredibus traderetur. Et quanuis aliis in locis dubitatio exoriri possit, vtrùm sermo sit de imperio & gubernatione, quam suis Deus in orbe terrarum attribuit, in hoc saltem Apocalypseos loco diuersa alia expositio neutiquam cum ipso contextu congruebat, vt in superioribus adnotatum est.

Diluitur 2. obiectio.

Ad secundam difficultatem respondeo primò: quanuis pariter dicatur, *Vidi sedes, & sederunt super eius, & iudicium datum est illis:* & mox, *& animas decollatorum*, &c. In prima tamen parte, vbi non designatur, qui sint illi, qui sederint, omnino id ex superiore cõtextu colligendum est. Nam hoc ex subsequentibus coniectare, præter rationem est. Non est autem violentum, vt coniungat Ioannes Episcopos sibi visos in terra sedentis in thrones, & Martyrum animas cum Christo regnantes in cælis. Secundò respondeo: quod Ioannes addit, *Et animas decollatorum, & eorum, qui non adorauerunt Bestiam, & vixerunt & regnauerunt*; quanuis primo aspectu videatur non spectare ad pacem militantis Ecclesiæ: ceterùm si id attentè consideretur, facilè cernetur id quoque ad eiusdem Ecclesiæ militantis pacem cor ferre. Quod cùm ita sit (vt sequenti commentario examinabimus) hoc argumentum non modò contra nos non facit: sed ex consequenti etiam contextu confirmatur, verba illa, *Et vidi sedes, & sederunt super eas*, &c. spectare debere ad fælicitatem, qua in terris Romana Ecclesia potitur.

TEXTVS.

Digitized by Google

A

TEXTVS.

Vers. 4. pars 2. Et vidi animas decollatorum propter testimonium Iesu, & propter verbum Dei; & qui non adorauerunt Bestiam, neque imaginem eius, nec acceperunt characterem eius in frontibus aut in manibus suis; & vixerunt & regnauerunt cum Christo mille annis.

5. Ceteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima.

COMMENTARIVS.

Obscuritas & difficultas loci huius quanta sit.

QVANVIS Apocalypseos liber totius Scripturæ difficillimus semper fuerit reputatus: nullus tamen in toto hoc libro locus est hoc difficilior, & qui plus negotij interpretibus facessierit. Hic Millenarij miserè offendentes collapsi sunt. Quorum fabulam fugiens Augustinus resurrectionem primam explicuit de peccatorum remissione, per quam homines à suorum scelerum morte reuiuiscunt. Quæ tamen Augustini expositio tot difficultatibus referta interpretibus visa est, vt tanti Doctoris auctoritas & ingenium satis non fuerint, vt eam vero simile redderent. Quapropter Ribera §. 49. & 50. Viegas sectione 2. §. 15. & Pererius in Daniel. lib. 8. fine, ab Augustino discedunt: atque affirmant primam hanc resurrectionem de eleuatione sanctarum animarum ad æternam Dei visionem, intelligendam. Tunc enim dici animas resurgere, cùm ad beatam Dei visionem, atque adeò ad sempiternam felicitatem euehuntur. Sed in hac etiam explicatione maximæ occurrunt difficultates, vt infrà videbimus. Quas vt subterfugiant, Ribera aliam viam, aliam Viegas sectantur; & tamen locus adhuc intellectu remanet difficillimus. Cùm autem sacer hic liber sit prorsus ænigmaticus; dum non superatur difficultas, nec sensus perspicuè cernitur, nec horum verborum cum antecedentibus consequutio monstratur; nondum videtur legitima loci huius expositio satis esse percepta. Etenim si ingeniosissimum aliquod ænigma optimè explicetur; nulla debet superesse difficultas, neç aliquid remanere, quod ad ipsius ænigmatis concinnitatem & elegantiam non spectare videatur. Hoc ipse præstare imprimis aueo: quod vt facilius possim efficere, nonnulla priùs statuenda mihi sunt.

Præmittenda ante expositionem resurrectionis primæ.

Nonnulla ante obscurissimi huius loci interpretationem præmittenda.

C PRIMÒ igitur est statuendum, quod à nobis disputatum iam est & stabilitum, draconem scilicet eo tempore fuisse illigatum, quo idolorum cultus fuit Româ exterminatus, spatium autem mille annorum, quibus religatus est draco, esse plenitudinem temporis, quo Romana Ecclesia publico Christianæ religionis vsu ad Antichristi vsque tempora perfruitur.

Secundò, in his duobus versibus 4. & 5. instituitur sermo de tempore illo, quo illigatus fuit draco: & asseritur simul mille annos, de quibus hic agitur, eosdem esse cum illis, quibus dæmon religatus tenetur. Non me latet difficultas, quam in hac re deprehendit Viegas. Si tamen apta inueniretur declaratio, quæ illi planè satisfaceret, dubitaret nemo, vtrumque millenarium esse omnino eundem. Nam vtroque in loco, vbi annorum mille fit mentio, illis præfigitur articulus. Ex quo non obscurè conijcitur textum ipsum sese referre ad eosdem mille annos, de quibus facta fuerat in præcedentibus versiculis mentio. Nec aliquis ex hac dicendi ratione potest recedere, quin ipsi textui vim inferat.

Hoc mille annorum spatium idem met esse atque illud, quo illigatus peristit draco.

Tertiò, suppositum eorum verborum, *Vixerunt & regnauerunt cum Christo mille annis*, non solùm est illud, *Animæ decollatorum*, sed etiam, *Animæ decollatorum, & qui non adorauerunt Bestiam, nec imaginem eius.* Difficile id valde Riberæ apparet. Verùm si hic etiam reperiretur explicatio aliqua, quæ difficultatem eiusmodi solueret; negari non posset, quin hæ omnes animæ tam decollatorum, quàm qui non adorauerunt Bestiam, nec imaginem eius, dicantur viuere & regnare per mille annos.

Quod sit suppositum eorum verborum, Vixerunt, & regnauerũt, &c.

D Quartò; quod attinet ad mille annorum numerum, quibus Martyrum animæ, & qui non adorauerunt Bestiam, viuere & regnare perhibentur; non eam mihi facio potestatem vt partem pro toto accipiam, nec mille ipsos annos ad longius producam tempus, quàm quo dæmon illigatus est. Sed tam animabus Martyrum, quàm eorum, qui Bestiam non adorarunt, idem omnino regnandi tempus assigno, quo draco in vinculis retinetur. Noui quam sibi Beatus Augustinus sumat facultatem, l. 20. de ciuit. c. 13. qui animarum regnum ad illud etiam tempus protrahit, quo soluendus est draco: nec totum illud millenarij tempus concedit ijs, qui cum Christo regnare dicuntur per mille annos ait enim totum in hoc loco accipi posse pro parte. Nihilominus multò plus ad strictissimã ænigmatis rationem conformatur, qui nullo modo textus verba à propria acceptione ad illam detorquet. Quòd si iuxta hunc explicandi modum congruens reperiatur interpretatio; id sanè optandum maximè est.

Mille annorum tempus quomodo sit accipiendum.

Quintò; tam decollati, quàm qui non adorauerunt Bestiam, in hoc loco significantur ij, qui pro Christi nomine fortiter subiere mortem, quo tempore fuit draco constrictus: nec non ij pariter, qui in prioribus persecutionibus fidem firmiter retinuerunt; nec blanditiis aut minis adduci potuerũt, vt Bestiam cultu & adoratione prosequerentur. Itaque non agitur hoc in loco de illis, qui post solutum

Quinam sint denotati nomine decollatorum

Digitized by Google

Eorum, qui non adorarūt Bestiam

lutum draconem aut exagitandi sunt, aut etiam iugulandi. Sat scio, huic explicationi oppositam Riberæ manifestam videri: existimat enim, Antichristum in Bestia figurari, textus vero loquitur de Bestiæ adorationem respuentibus. Ceterùm non ita planum est, vt putat Ribera, famosum Antichristum, per maris Bestiam adumbrari: quinimò euidens ex textu ipso est, Bestiam illam non esse Antichristum, qui post draconis solutionem persecuturus est Ecclesiam. Etenim si mille anni quibus & iugulati & Bestiam non adorantes regnant, sunt illi ipsi, quibus constrictus est draco: implicatio est manifesta asserere, regnum per mille annos futurum ante solutum draconem esse, & regnum hoc esse præmium eorum, qui post solutionem draconis aut oppugnati, aut capite mulctati sunt. Quamobrem Augustinus nunquam eam sibi mentem potuit inducere, vt in Bestia celebrem illum Antichristum crederet significari, qui post liberatum draconem oppugnaturus est Ecclesiam.

Quid sentiendum sit de B. Augustini expositione referente dæmonis alligationem ad Christi passionis tempus.

At enim Augustini saltem opinio est ferè communis, dæmonis siue draconis religationem ad Christi passionis tempus esse referendam: cui opinioni ex directo opponitur id, quod in præsenti asserimus; nimirum pro Christo iugulatos, quorum hic mentio fit, esse illos, qui fortiter occubuerant, quo tẽpore draco in vincula coniectus est. Respondeo, illud mihi reputari certum, quod suprà disputaui, & rationũ momẽtis fulsi, videlicet illigati draconis tẽpus illud esse, quo Româ fuit expulsa idololatria, & inde mille annorũ spatiũ enumerari. Quod non parũ roboratur ijs, quæ hic textus affirmat, nempe animas decollatorum propter Christum, cum Christo ipso regnare eodem annorũ millenario; qui à dæmonis ligatione ad ipsius vsq; solutionem interiacet: quod enim planè significat textus est, illos per totum illud mille annorum tempus regnare. Non igitur draconis ligatio potest ad Christi passionis tempus referri: tunc enim plerique eorum non erant nati, nedum decollati. Et saltem si reperiatur explicatio apta, quæ non afferat vim textui, quis dubitet ipsam allis præferri debere?

Sub nomine eorum qui nõ adorarunt Bestiam, confessores Christi esse intelligendos.

Sextò; verba illa, *Et qui non adorauerunt Bestiam, nec imaginem eius*, de Christi confessoribus explicanda sunt; nec de illis solùm, qui iam abierant, cùm ligatus est draco, sed de ipsis etiam, qui in carne adhuc mortali degebant. Ad cuius explicationem aduerto, *adorare Bestiam & imaginem eius, & accipere characterem eius in fronte vel in manu*; nihil aliud esse, quàm se ignominiosè subijcere Romano Imperio ethnico, quando Christi nomen exagitabat; & aliquo modo persecutionem ipsam fouere, vt exposuimus cap. 13. Deinde aduerte, non hic vniuersè affirmari, quotquot ethnicorum impietatem sectati non sunt, eos omnes cum Christo mille annis regnaturos. Credibile namque est fuisse tunc aliquos, qui nec Christiano nomini, nec ethnicæ superstitioni erant addicti, ac proinde in eadem persecutionum communione cum idololatris versati non erant: siue quòd eas ignorarent, siue quòd paruâ ipsi ætate essent, siue alias ob causas. Hi ergo nulla ratione censendi sunt mille illos annos regnum cum Christo tenere. Quapropter certum esse debet, non hic haberi sermonem, nisi de illis, qui pro Christi nomine vehementer oppugnati, adduci tamen non potuerunt, vt adorarent Bestiam & imaginem eius, & characterem eius acciperent.

Vtrum hic de ijs solùm sit sermo, qui ante draconis, solutionem defuncti sunt?

Aliquis existimare posset, de ijs solùm sermonem in hoc loco incidere, qui vitâ iam erant defuncti, quando solutus est draco. Nam ad resurrectionem prærequiritur antecedens mors; contextus autem eos affirmat resurrexisse. Deinde, cùm dixisset Ioannes, *Vide animas decollatorum, & qui non adorauerunt Bestiam, &c.* Proinde addit, *Ceteri mortuorum vixerunt.* Ex quo deduci videtur, non eum in antecedentibus verbis de viuis ac superstitibus fuisse loquutum: nec enim post viuorum mentionem aptè subiungitur. *Ceteri mortuorum.* Quin imò sibi persuadebit quispiam, in ipsa literæ ordinatione aliquid necessariò supplendum: ita vt eiusmodi reddatur sensus; *Vidi animas decollatorum, & eorum, qui non adorauerunt Bestiam.* Nihilomius arbitror non hic subaudiendum esse *eorum*, sed, *eos.* illa enim locutio, *Qui non adorauerunt Bestiam*, æqualiter eos omnes attingit, qui persecutionis tempore firmiter in fide perstiterant: siue iam è viuis excessissent, siue adhuc viuerent. Quod autem textus generatim asserit nihil est, cur ad mortuos singulatim coarctemus, præsertim cùm graues auctores eandem loquutionem ad viuos etiam extendant: vt Augustinus 20. de Ciuit. cap. 9. & Iulianus in progn. lib. 2. cap. 37.

Pars negans sumitur.

Obiectio in contrarium adducta dissoluitur.

Et mihi quidem liceat saltem, obsecro, generatim accipere, quod textus generatim enunciat. In ænigmaris enim applicatione perspicietur, non casu ac temere sermonem de mortuis pariter & viuis incurrisse. Ad illa verò argumenta è contrario obiecta respondeo: ad primum quidem, ante resurrectionem supponi mortem: ad resurrectionem verò mysticam satis est, si in aliquo sensu dicatur verè, qui sæuam persecutionem tolerauerant, quanuis propriè loquendo superstites remanerent, nihilominus iuxta Scripturæ phrasim mortuos affirmari. Qui enim acriter impugnantur & affliguntur; ij inter mortuos quodammodo numerantur. Quare ex ea grauissima aduersitate & ærumna in prosperitatem & fælicitatem emergere; id sanè perinde est, quasi è morte ad vitam euadere. Atque in hoc sensu pereleganter dicuntur, qui ex magna persecutione incolumes euaserunt, prodijsse tanquam ex mortuis viuentes. Constat autem huiusmodi locutionem in multis sacrarum Literarum locis reperiri. Ad secundum respondeo: locutionem illam, *Ceteri mortuorum*, exigere vt sermo de mortuis antecesserit. Quòd autem nulla fuerit facta viuorum mentio, id minimè requiritur. Potuit enim Ioannes, postquàm de mortuis ac viuis egit, qui persecutionum tempore Deum sua confessione prædicauerant; mox aliquid de ceteris mortuis subiungere, non verò de ceteris viuis: quod tamen discrimen non absque mysterio erit.

De confessoribus tam mortuis, quàm viuis

Porrò, quanuis Christi Martyribus & Confessoribus commune fuerit, nec Bestiam, nec eius imaginem adorare: cùm tamen decollatorum nomine Martyres comprehendantur, verba illa, quæ subiunguntur, *Et qui non adorauerunt Bestiam, nec imaginem eius*, de Confessoribus tam mortuis, quàm viuis

Digitized by Google

A uis sunt vsurpanda, quasi diceret Ioannes, *Vidi animas decollatorum, & eos omnes, qui non adorauerunt Bestiam & imaginem eius.* Quod si (vt nuper dicebamus) non solùm de vitâ iam functis, sed etiam de ijs, qui quando ligatus est draco vitam agebant, sermo in hoc loco instituitur: affirmaturq́, qui Bestiam non adorarunt, eos omnes reuixisse, & cum Christo mille annos regnasse: hinc liquet, textum ipsum Millenariorum commento aduersari, nec non opinioni Riberæ, Viegæ, atque Pererij. Etenim Millenarii interpretabantur hunc locum de propria resurrectione: cùm tamen hæc absque morte propria antecedente esse non possit. Ribera autem ac Viegas volunt resurrectionis huius veritatem comprobare in ascensu ad perfruendam Dei visionem, in qua beatitudo sita est. Atqui Dei visionem iusti in corpore corruptibili degentes assequi minimè possunt. Quarè horum auctorum explicatio ad rem esse non potest, si Ioannes asserit, qui Bestiam non adorauerant, nec eius imaginem, aut eius receperant characterem, eos omnes siue viuos, siue mortuos surrexisse, statim ac religatus est draco, & mille annis, quibus draco constrictus est, cum Christo regnauisse.

Esse sermonem, cùm dicitur. Et qui non adorauerunt Bestiam.

Septimò, quod textus asseuerat, *Vixerunt & regnauerunt cum Christo mille annis* idem est, ac si diceret, *Resurrexerunt, & regnauerunt per mille annos prædictos.* Posteà enim subditur: *Ceteri mortuorum non vixerunt donec consummentur mille anni.* Vbi manifestum est, *viuere* idem esse ac *resurgere.* Vnde statim subijcitur *Hæc est resurrectio prima.* Quasi dicatur, dum alii resurrecturi dicũtur, vt mille illos annos cum Christo regnent, alii non item: non agitur de vltima resurrectione, sed de alia priore. Hunc existimo verum huius loci contextũ. Ex quo elicio, his in verbis 1. resurrectionẽ nõ esse idem, quod ex peccatis emergere. Si enim Martyrum animæ & ii, qui Christum persecutionis tempore glorificarunt, dicuntur reuixisse, & regnum cum Christo per mille annos tenuisse: non igitur resurgere hic est, è peccatis liberari. Nec enim tunc remissa illis fuere peccata: nec scelerum remissio fuit fructus ex tormentis pro Christo toleratis decerptus. Quanuis enim in alijs Scripturæ locis nomen mortis tribuatur peccato, & peccatorum remissioni tribuatur resurrectionis nomen: in Apocalypsi tamen peccati euersio appellatur cædes. Si autem peccato hic nomen mortis tribueretur: inferorum supplicia non secunda mors, sed tertia vocaretur, cum inter peccatum & mortem inferni æternam corporea mors intercedat. In dubium autem vocari non potest, quin in Apocalypsi inferorum pœnæ nominentur mors secunda.

Quid sit Vixerunt & regnauerunt cum Christo mille annis.

B

Quænam hic appelletur resurrectio prima?

Octauò; ea verba, *Ceteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni*; non solùm ceteris mortuis abnegant resurrectionem primam, quæ Christi familiaribus conceditur: sed innuunt etiam ex Christi hostibus nonnullos fore ad vitam reuocandos, quando draco è vinculis exeat; quod est ante generalem resurrectionem. Hoc me ipsius textus verba docent. Nec vereatur lector, nouam aliquam à me doctrinam à communi Ecclesiæ sensu alienam excogitari. Nec enim eam mea explicatio præfert, sed elegantissimam potiùs loquendi rationem & Apocalypsi dignissimam. Et quamuis fere dici soleat, ex Augustini doctrina, in ijs verbis, *Non viuent donec consummentur mille* anni; non denotari eos illico reuicturos, cùm draco soluatur; sed hanc locutionem vsurpari, quia generalis resurrectio paulò post futura est. quis tamen non videat, multò congruentius Apocalypseos verbis esse, vt in verbis illis, *Donec consummentur mille annis*, significari credamus, qui Ecclesiam quondam oppugnarunt, millenario annorum expleto, protinus resurrecturos? Iam si prima amicorum Christi resurrectio (de qua loquebatur textus) mysticè accipienda erat: negari non potest, quin aptius & elegantius sit, eidem familiarium Christi resurrectioni mysticæ, ex oppositio respondere mysticam pariter persecutorum Christi resurrectionem, nec non aliam regnandi rationem oppositam sanctorum regno mille annos permanenti. Hoc quidẽ modo, vt de Christi martyribus & amicis dictum est, *vixerunt, & regnauerunt mille annos*, eodem etiam sensu de Ecclesiæ persecutoribus dicetur, *non vixerunt, donec consummentur mille anni.* Vt autẽ expositio sit plenior & elegantior, multò aptiùs est, vt in vtraq; propositione viuendi verbũ pari ratione (id est de mystica resurrectione) accipiatur.

Quid innuatur ijs verbis, Ceteri mortuorum non vixerunt, donec, &c.

C

Dices, mysticus ille sensus, quem sceleratorum resurrectioni tribuimus, subsistere non potest, hinc enim sequeretur in Apocalypsi non sanctis solùm, sed etiam peccatoribus primam concedi resurrectionem. Cui assertioni manifeste repugnare videtur, quod statim subijcitur vers. 6. *Beatus & sanctus qui habet partem in resurrectione prima.* Respondeo, primæ resurrectionis nomen non ideò mysticæ peccatorum resurrectioni negari, quod nulli peccatorum mystica aliqua resurrectio tribuatur: sed quia sanctorum resurrectio mystica, de qua loquitur Apocalypsis, accidit mille annis ante mysticam peccatorum resurrectionem, quam ipsa Apocalypsis innuit. Quare prima resurrectio sanctorum est. Præter quàm quòd, sicuti in resurrectione propria, quanuis iusti pariter ac peccatores sint ad vitam reuocandi, in aliquibus tamen Scripturæ locis peccatorum resurrectio eleganter dicitur resurrectionis nomen non mereri; sic etiam in resurrectione mystica contingit. Licet enim nõ iusti solùm resurgant, sed suo etiam modo peccatores (vt infrà explicabimus) at resurrectioni iustorum iure optimo resurrectionis nomen singulariter applicatur. Atque in hoc sensu magna cum energia dicitur, *Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima.*

Difficultati contra prædictam expositionem occurrenti via præcluditur.

D

Nonò, putabit aliquis in Apocalypsi non generatim asseri, sanctos omnes resurrecturos forè, vt cum Christo per mille annos regnent; sed solùm eos, qui pro Christo ceruices gladio subiecere, aut se constanter gessere in persequutionibus aduersus Christianum nomen excitatis. Ij enim significantur illa phrasi, *Animæ decollatorum, & qui non adorauerunt Bestiam*, vt in superioribus explicuimus. Negari autem non potest, quin quo tempore idolorum cultus fuit Romæ extinctus, in cælo iam Beati permulti regnarent: qui nec pro Christo caput ferro obtulerant, nec pro Christiana religione persecutionem Romani Imperij perpessi erant. Nihilominus tamen interpretes omnes generatim supponunt, neminem sanctorum ex prima hac resurrectione excipiendum. Quòd si

Vtrùm omnes generatim sancti dicantur hic prima resurrectione victuri, & cum Christo regnaturi.

Digitized by Google

hoc accipiatur de sanctis, qui in viuis degebant, aut iam obierant eo tempore, quo draco in vincula coniectus est: bene habet, vt ex omnibus illis vnum corpus efficiamus, & ijs omnibus in mystica resurrectione locus tribuatur. Quare in huiusmodi numerum non eos solùm refero, qui pro religione persecutionem fortiter tolerarunt; sed eos etiam qui in viua Catholicæ religionis fide perstiterant: eo quod illi omnes mysticum vnum corpus conficiunt, & ad viuum Christi corpus mysticum pertineant. A

Cur, cùm omnes sancti sint primæ hac resurrectione & Christi regno fruituri, Martyrum spectatim hic fiat mentio, & eorum, qui in persecutionum tolerantia fortes fuerunt.

Adhuc tamen mysterio non vacat, eos singillatim in Apocalypsi designari, qui pro Christiana religione subiere martyrium, aut persecutionum tolerantiâ illustres Christi Confessores extiterunt. Est enim peculiaris ratio (vt inferiùs ostendemus) quapropter illi dicantur peculiariter resurrexisse, quando ligatus est draco. Vnde in ijs etiam verbis. *Ceteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni*; quibus tacitè innuitur peccatores etiam surrecturos esse suo modo, cùm solutus fuerit draco; innuitur pariter, in misera illa & infelici improborum resurrectione insignes cumprimis fore, qui Christianam religionem infestarunt: quanuis aliqua etiam ratione (propter suam inter damnatos omnes coniunctionem ad Christi & seruorum eius inimicitias atque odia) similiter dici debeat, non solùm insignes Ecclesiæ persequutores, vt Neronem & Diocletianum, resurrecturos esse; sed totam etiam Christi inimicorum & in lethali crimine mortuorum factionem. De peccatoribus enim adhuc viuentibus non agere in præsenti Apocalypsin, & suprà indicauimus, & clariùs explicabimus infrà.

Expositio nostra de resurrectione.

B

HIs omnibus ad maiorem distinctionem præmissis, illud in primæ resurrectionis explicatione, nec non mille annorum, (quibus animæ Martyrum, & qui non adorauerunt Bestiam regnare dicuntur) optandum maximè est, vt sensus ipse congruat cum ligatione draconis, eiusque mysterio, nempe cum Romanæ Ecclesiæ pace & securitate post publicam Christianæ fidei professionem eôdem inuectam. Ad hanc igitur rem non video, quorsum attineat vel Augustini interpretatio de peccatorum remissione, vel recentiorum expositio de beata sanctarum animarum visione. Præsertim cùm ostensum iam sit, nec Augustini explicationem, nec recentiorum, cum ipsius textus verbis concinere; sicut nec Millenariorum figmentum. Nostra verò explicatio, (nisi valdè me fallit animus) & textui accidit aptissima; & rem continet, qua nulla alia optari posset supràdicto mysterio draconis per mille annos alligati congruentior; vel quæ Scripturæ phrasim præsertim Apocalypseos, magis redoleat; vel quæ sacri huius ænigmatis elegantiam clariùs ob oculos proponat.

Qua sit demum Auctoris expositio de prima resurrectione, deque regno per mille annos cum Christo.

Vt ergo meam tandem expositionem subijciam; existimo in hoc loco sermonem esse de resurrectione, eodem omnino sensu, quo cap. 11. 11. de duobus Christi testibus dictum est, *Post tres dies & dimidium spiritus vitæ à Deo intrauit in eos: & steterunt super pedes suos.* Et cap. 13. 3. vbi sermo est de Nerone, qui erat *vnum* (id est primum) *de capitibus bestiæ*, & Ioanni visum est *occisum in mortem, & plaga mortis eius curata est.* Legantur ea, quæ ad vtrumque locum adnotauimus. Sensus namque vtrobique est de resurrectione mystica; in primo scilicet de ea, per quam sanctitas & doctrina Euangelica reuixere, quando prorsus consumptæ videbantur, tunc enim in religione ac feruore eorum, qui ad fidem conuersi sunt, resurrexit gloria & splendor illorum, qui pro Christo fortiter occubuerant. Et similiter in Domitiani persequutione reuixit Nero, eiusque odium intestinum, quo Christianam religionem fuerat prosequutus. Expendimus autem eo loco huius locutionis elegantiam Apocalypseos allegoriâ valde dignam, eamque ex aliis Scripturæ locis esse desumptam, nempe ex Ezechielis 34. fine, Danielis 12. 2. Malachiæ 4. fine. Lucæ 1. 17. indicauimus etiam similes locutiones Poëtis & sapientibus viris vsitatas: infrà verò subijcietur alius Isaiæ locus satis elegans, ad quem Ioannes in præsenti singillatim alludit. C

Explicatur amplius prædicta de mille annis & regno interpretatio.

Considerandum ergo est, quo tempore crudeles Romani imperij persecutiones, & præsertim Diocletiani, in Ecclesiam exarserunt; innumerabilem Christianorum numerum pro Christi fide occisos fuisse: qui verò in latebras abditi & huc illuc fugitantes viui tandem euaserunt, eos suarum saltem fortunarum iacturam fecisse, seque in subterraneis specubus ac sepulcris sepeliisse. Quare Christiani tunc omnes possent quodammodo cum mortuis computari. Cetertim illis accidit, quod frumenti grano: cuius ea est mira vis ac facultas, vt cùm mortuum sit & humatum; posteà tamen glorioſè resurgat, & pro grano vno demortuo centum oriantur: in quorum singulis eleganter dicitur reuiuiscere primum illud granum, quod priùs fuerat emortuum. Hanc comparationem nobis veritas ipsa proponit Ioan. 12. 24. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Quibus in verbis licet non expresserit Christus, ortum illius grani quod seminatum est, esse resurrectionem: Paulus tamen id clare indicauit 1. ad Cor. 15, 36. & infrà. Si ergo verissimum est, totius Romæ atque adeò Imperij conuersionem ad Christi fidem & diuturnam pacem, qua fruitur Romana Ecclesia & huius pacis fructus: omnia hæc accepta referri debere secundùm Deum, constantiæ ac fortitudini Christianorum, qui in tyrannorum persecutionibus fuere pro Christo aut reuerà occisi; aut ita mortificati, vt inter mortuos iure numerarentur: concinnè quidem & eleganter dici possunt, qui in prioribus persequutionibus sanguinem pro Christo fudere, in credentium posteà multitudine reuixisse: sicuti demortuum granum in ceteris ex se subinde nascentibus reuiuiscit. D

Et quanuis eodem ingruentis persecutionis tempore nonnulli Christi fidem amplecterentur maximâ

A maximâ cum Martyrum & Christianæ Religionis gloriâ: verùm cùm hi etiam illico ferè mortem subirent, & essent perpauci comparatione fructus vberrimi, qui deinceps fuerat metendus: idcirco resurrectionis allegoria in Apocalypsi speciatim ad illud tempus refertur, quo idololatria ex Romanis finibus fuit eiecta, & mundi Imperium Romanæ Ecclesiæ traditum: sicuti Daniel prædixerat cap. 7. 27. *Regum autem & potestas & magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, detur populo sanctorum Altissimi.* Tunc autem fuit prorsus expletum, eos, qui reuixerunt, resurrexisse; vt regnarent cum Christo mille illos annos, quibus in vinculis retinendus est draco. Etenim si verum est, Petrum & Paulum, ceteroſque Christi Martyres strenuos, & Confessores inclytos, qui aut mortui aut mortificati fuerant, reuixisse in ea gloria & amplitudine, quam ipsorum meritis Christiana nunc obtinet Ecclesia, sicut verum est resurrexisse mortuos; ita etiam est verum, illos ad regnandum surrexisse. Nam si ipsi in suis hæredibus viuunt; illi profecto sunt, qui in Christianæ Ecclesiæ regno (quod ipsum est Christi Regnum) omnino imperant. Atque hac ratione redditur aliquo modo verum, quod Augustinus docet 20. de ciuitat. cap. 9. nempe *regnare mille annis cum Christo*, ab Apocalypsi attribui triumphanti Ecclesiæ ac militanti.

Cur prima resurrectionis allegoria ad illud speciatim tempus referatur, quo idololatria fuit ex orbe expulsa.

Porrò resurrectionis allegoria ad grani frumenti similitudinem, exigit primò, vt quod mortuum videbatur, in sui simili resurgat: secundò, vt quod nascitur, oriatur tanquam verus illius fructus, quod sepultum & putrefactum est: tertiò, vt cum gloria & vbertate nascatur. Quæ tres rationes cumulatè complentur in mystica resurrectione eorum, qui pro Christo passi fuerant, quando vberrimus ipsorum constantiæ fructus perspectus fuit in publico Christianæ religionis vsu & in mille annorum pace & securitate. In mystica autem antiquorum Ecclesiæ persequutorum resurrectione, quæ sub Antichristi tempus futura est, deerit saltem secunda illa resurgendi ratio. Quòd enim tunc alij Ecclesiæ persequutores Neroni similes, aut etiam deteriores sint extituri; id quidem neutiquam nascturum est tanquam fructus ex Neronis morte. Deinde aliud etiam discrimen nec paruum deprehenditur: nam gloria ac regnum, quibus Romana Ecclesia potita est, sunt vera, solida atque germana, ac proinde in summum totius mundi beneficium redundant; at gloria Ecclesiam persequentium non vera est & sincera, sed maximum potiùs opprobrium, eiusque regnum tyrannidem manifestè præ se fert. Ex quo deducitur, meritò Ioannem resurrectionis nomen absolutè ad probos, non ad improbos transtulisse; quamtunuis innuat non obscurè, improbos etiam suo modo resurrecturos: vt soluti Dæmonis tempore cum ipso regnent.

Exponuntur ea, quæ ad primæ huius resurrectionis allegoriam conducunt.

Cur mystica antiquorum Ecclesiæ persecutorum resurrectioni non ita proprie allegoria resurrectionis aptetur.

Præter hæc, si in resurrectionis allegoria ad generalem alluditur extremi iudicij resurrectionem, & comparatione illius hæc appellatur resurrectio prima: hoc etiam propiùs accedit prædicta Iustorum resurrectio ad illam propriam, quam speramus, quòd in mille annorum regno nonnihil imitatur resurrectionis postremæ æternitatem. At verò mystica persequutorum Christi resurrectio paucorum annorum spatio futura est. Apocalypsis enim asseuerat soluendum fore draconem *modico tempore*. Quare hac etiam ex parte à ratione resurrectionis deficit mystica improborum resurrectio. C Similiter etiam discurri potest per ceteras gloriæ dotes, quæ sunt proprietates resurrectionis illius, quam & sperauimus, & prima Iustorum resurrectio adumbrat. Et quidem ex ea gloria, qua frumenti granum resurgit, philosophatur Paulus 1. ad Cor. 15. de gloriæ dotibus, quibus Sanctorum resurgentium corpora exornanda sunt. Vnde nos etiam similiter ratiocinari possumus in mystica resurrectione, de qua in præsenti sermo est.

Nostra declaratio quàm sit ipsi contextui cohærens.

Illud insuper hic expendendum est, nostram declarationem prorsus aptari ad ea, quæ textus affirmat. Omnes enim, qui resurrexerunt eo tempore, quo draco fuit illigatus, cum Christo regnant mille ipsos annos, quos etiam Ecclesia Romana imperitat. Quando verò Romana Ecclesia sub mundi finem rursus oppugnatur, & affligitur, ita vt publicum religionis exercitium omnino deficiat, & fideles generatim pro Christo trucidentur: tunc verissimè etiam dicetur regnum, quo fruebatur Romana Ecclesia, eo tempore non ab illa obtinendum esse, nec cum ea tunc regnaturos eos, qui alligato dracone reuixerant in suis successoribus regnaturi. Iam quòd tunc vere dicatur Romana Ecclesia non regnatura, id ex sacrarum Literarum phrasi perspicuè colligitur. Nam ob Gentilitatis conuersionem Psal. 92. & in alijs sequentibus canitur, *Dominus regnauit.* Non igitur antea regnabat, quando idolorum impietas in vrbe caput extulerat. Quare idem similiter dicendum erit de Christo & Ecclesia, quando iterum in terrarum orbe idololatria & Antichristi tyrannis regnant. Quòd verò D Romana Ecclesia, dum fruitur pace, verè regnare dicatur, id nemo prudens inficiabitur, nec id negat Ribera §. 28. & 29. dum ait, Ecclesiam non dici regnum cælorum, quòd ipsa regnet, sed quòd Deus in ea regnet.

Cur hic non dicantur resurrexisse Martyres Christi, sed ipsorum animæ? Cur non solùm Christi Martyres, sed etiam Confessores resurrexisse dicantur?

In nostra item explicatione facilè apparet, cur non dictum sit, resurrexisse Martyres Christi: sed resurrexisse ipsorum animas. Nec enim est corporalis resurrectio, sed mystica & spiritalis. Nam spiritus, religio, & sanctitas Martyrum Christi resurgit in eorum fide, qui ad Christum ipsum conuertuntur in Romanæ Ecclesiæ gloria & splendore.

Cernitur etiam, cur non solùm dictum sit resurrexisse Christi Martyres, sed etiam Confessores & eos ipsos, qui persequutionem sustinuerunt, adhuc tamen in carne mortali degebant. Namque vt Gentilitatis conuersio, & publica Christianæ religionis professio fuit fructus ex effuso Martyrum sanguine decerptus: ita etiam idem extitit fructus ex Confessorum constantiâ proueniens. Atque sicut in cælo iam beatam vitam agentes ingenti cumulati sunt lætitia propter Romæ & totius Imperij conuersionem: non secùs Sanctis in terra degentibus lætissimum ac iucundissimum fuit cernere Christi gloriæ propugnationem, & vberrimum suæ constantiæ fructum.

Videre est etiam in nostra explicatione, cur Ioannes mysticam expresserit Martyrum & Confes-

Digitized by Google

Cur Ioannes diuerſo loquatur modo de Sãctorum reſurrectione myſtica & de Eccleſiæ perſequutorum reſurrectione & quæ ſit diuerſitatis ratio?

ſorum Chriſti reſurrectionem, eorum etiam, qui ſuperſtites adhuc erant: cùm verò ad myſticam perſequutorum Eccleſiæ reſurrectionem deſcendit, ſolùm faciat mortuorum mentionem? Ratio autem eſt; quia hoſtium Chriſti, qui iam è viuis exceſſerant, quando illigatus fuit dæmon, correptio ſperari non poterat; quippè qui in inferorum regionibus incluſi erant, at eorum, qui viuebant adhuc, quantumuis improborum, correctio atque conuerſio poterat ſperari. qui ſi conuerterentur, odium in Chriſtum, eiusque ſectatores conceptum conuerterent in ipſius amorem & Chriſtianæ Eccleſiæ ac religioni obedientiam. Vnde cùm poſtea ſolueretur dæmon, & perſequutio aduerſus Chriſti Eccleſiam recrudeſceret; nihil erat, cur hi reſurgere dicerentur inter Eccleſiæ perſequutores. Nec enim aptè dicentur reſurgere contra Chriſtum, qui iam in ipſius amicitiam, imò verò in æternam gloriam ſunt recepti. A

Quàm ſit elegans myſtica huius reſurrectionis allegoria.

Nihil ergo eſt in noſtra hac explicatione, quod vim vllam afferat contextui, vel in quo aptior deſiderari poſſit explicatio. Nec verò inficiari poteſt quiſpiam, quin, ſi ſenſus à me his verſibus aſſignatus percleganti aliquâ allegoriâ exprimendus foret, ad hunc finem mirifica ſint verba, quæ in hoc Apocalypſeos loco continentur: & loquendi ratio ſit pariter alijs Scripturæ locis congruens, & eiuſdem Scripturæ dignitate ſatis digna. Iam, ſi attendamus ad ſanctorum reſurrectionis & regni mille annorum connexionem cum ligatione draconis, quæ anteceſſerat: quid aliud potuit magis aptum & idoneum afferri, quàm repræſentare totam Romanæ Eccleſiæ fælicitatem tanquam proprium Martyrum conſtantiæ & Chriſti Confeſſorum fructum, & ſimul indicare, in hac Chriſtianæ Eccleſiæ gloria veram comprobari Sanctorum reſurrectionem primam, vt cum Chriſto per mille annos regnent? Nihil profectò excogitari poſſet quod eſſet magis ad rem, aut quod maiorem vim & energiam haberet. Quòd ſi hanc declarationem cum alijs huc vſque receptis conferamus: certè minimè erat ad rem in hoc loco tractatio de peccatorum remiſſione, quæ Martyrum animabus conceſſa erat; nec de gloria, qua fruuntur in cælo. Prætermitto nunc, non ita facilè aliquem in ſacris Litteris locum reperiri, in quo reſurrectionis nomen tribuatur cæleſti Sanctorum beatitudini. Prætereo, nomen illi ipſi gloriæ in Apocalypſi inditum non eſſe aliud, quàm candidarum ſtolarum cap. 6. 11. Sileo, hanc Beatorum gloriam non ſuum cepiſſe exordium ab eo tempore, quo ligatus fuit draco, nec mille annorum exitu terminandam. Omitto violentiam, quam expoſitio illa textui affert. Id vnum velim lector aduerteret; quorſum cohæreat cum ligatione diaboli (quæ ad militantis Eccleſiæ pacem haud dubiè refertur) agere de gloria ſanctarum animarum, quæ multò antè ad cælum euolarant; deinde illius gloriæ ſtatum mille annorum cancellis cancellis circunſcribere; & poſt eoſdem mille annos ſoluendum eſſe ſatanam affirmare. Huius quidem loci difficultas fateor, multos in huiuſmodi tricas ac laqueos impegit. Spero tamen, deinceps minùs dubitatum iri de vera reſurrectionis primæ & regni per mille annos duraturi interpretatione. B

Ad Sanctorũ etiam regnũ ſpectare veneronem & adorationem, quæ ipſis deferitur in terris.

Illud demum adiungo: ad Sanctorum etiam regnum pertinere, vti colantur in terris ac ſuſpiciantur eâ ipsâ publicâ religionis Chriſtianæ profeſſione. Et quidem eos veneratur Eccleſia (quidquid obſtrepant & obloquantur hæretici) delubris, votis, imaginibus, & honorificâ eorum tam in Miſſę ſacrificio, quàm in ceteris diuinis officiis commemoratione. Si autem deſiderat quiſpiam, vt aliquis remiſſioni peccatorum locus in mea explicatione ſuperſit, nec non ſempiternæ gloriæ ac beatitudini, qua Sanctorum animæ fruuntur in cælo; hunc ipſe locum, quem præbere poſſim, reperio, nempe quòd Gentilitatis conuerſio, in qua Martyrum animæ reuixerunt, in ſe includat ſcelerum condonationem, quæ conceſſa eſt amplectentibus Chriſti fidem. Deinde, ſi Martyrum animæ reſurrectio complectitur eam notionem, quam de glorioſo ſuæ conſtantiæ fructu ſunt aſſequuti; hoc ipſo præſtituitur, eas iam Dei conſpectu potiri. Nam Dei viſio eſt clariſſimum quodam ſpeculum, in quo Sanctorum animæ perſpicuè cernunt fælicitatem, quæ Romanæ Eccleſiæ in terris degenti ineſt, tanquam potiſſimum ipſorum Martyrum conſtantiæ & Chriſti Confeſſorum fructum. Hinc tamen nequaquam infertur, beatarum animarum gloriam eſſe finiendam, quando draco è vinculis ereptus fuerit, quod eſt, cùm conſummati fuerint mille anni: ſed ipſæ in ſua illa æterna fælicitate aſpiciunt, ipſarum regnum in terra interrumpi, quando ſoluatur draco, quemadmodum Dei etiam regum in mundo tunc eſt intermittendum, in eo ſenſu, quo dicitur Deus ipſe, licèt rex ſit æternus, in mundo tamen regnare cœpiſſe, quando Româ expulſus fuit idolorum cultus; ſiue quando Gentiũ multitudo Chriſtianæ fidei radios excepit. Hoc enim eſt, *Parata ſedes tua ex tũc, à ſæculo tues.* quaſi dicat. Quanuis Deus ſit ęternus, ipſius tamen regnum tunc quodammodo incepiſſe. C D

NOTATIO V.

De alluſione ad locum Iſaiæ in prima Sanctorum reſurrectione.

Alluſio ad Iſaiæ locum.

IN 4. notatione aduertimus, alludi in ligatione draconis ad Iſaiæ cap. 24. Oſtendimus etiam conuenientiam & concinnitatem tam capitis 23. præcedentis quàm ſubſequentium, id eſt, 25. & 26 & 27. cum eo ipſo argumento. Conſentit ergo cum illa notatione progreſſio eiuſdem argumenti de Romæ cõuerſione, & expulſione idololatriæ; de quo agitur in illo cap. 26. quo celebre Iſaiæ canticum continetur. Vbi illuſtria quædam verba leguntur; ad quæ Ioannes per alluſionem reſpicit in eo, quod tradit de Martyrum animarum reſurrectione, & regno per mille annos duraturo, & de reſurrectione etiam improborum poſt decurſum illud mille annorum ſpatium. Iſaiæ verba ſunt cap. 26. 14 *Morientes non viuant, gigantes non reſurgant: propterea viſitaſti, & contriuiſti eos, & perdidiſti omnem memoriam eorum* Et infra, *Viuent mortui tui: interfecti mei reſurgent expergiſcimi & laudate, qui habitatis in puluere; quia ros lucis ros tuus, & terram gigantes detrahes in ruinam.* In his verbis omnino exiſtimo, Iſaiæ ſenſum eſſe eundem, quem Apocalypſeos verbis ineſſe diximus: nimirum Rom. Eccleſiam diuturnâ pace fruituram, quâ nullo modo poſſit dæmon, dum vinculis per mille annos conſtringitur,

Explicatur Iſaiæ locus cap. 26. n. 14. & n. 19.

Digitized by Google

ſtringitur, impedire: & longam hanc pacem eſſe fructum ex Martyrum conſtantia ac fortitudine perceptum, quare ipſiſmet Martyribus non iniuria attribui Eccleſiæ regnum ac proſperitatem, ipſosque verè dici reſurrectoros, quando idololatria ex Romano orbe expelleretur, & in terris longinqua ſæcula ad Antichriſti vſque ad perſecutionem regnaturos.

Iſaias de quo tẽpore in præcedẽti loco loquatur.

Primùm ergo, quòd Iſaias de eo loquatur tempore, quo idolorum cultus ab vrbe Roma fuit prorſus exactus; patet ex verbis in eodẽm cantico antecedentibus *Vetus error abijt: quia incuruabit Dominus habitantes in excelſo, ciuitatem ſublimem humiliabit.* Quo de loco ſuprà iam diximus. Deinde verba illa, *Gigantes non reſurgant*, ad longam Eccleſiæ pacem transferri debere, ex eo conſtat, quia præcedit numero tertio, *Domine ſeruabis pacem*, & rurſus numero duodecimo *Domine dabis pacem nobis*. Et mox ſequitur, *Morientes non viuant, gigantes non reſurgant*. Vbi gigantes haud dubiè compellat eos tyrannos, qui horribili furore ac potentiâ fideles perſequebantur. Quòd ſi Prophetæ mens ſolùm eſſet aſſerere, vti in inferis æterno ſupplicio ſuam tyrannidem ac rabiem aduerſus Chriſti ſectatores exercitam luerent; id quidem neutiquam conſentaneum erit, aut neceſſarium Eccleſiæ paci. Sermo igitur eſt, ne perſequentium tyrannorum impietas ac violentia reuiuiſcat. Et quanuis loquendi modus & ipſum prophetæ deſiderium poſtulare viderentur, ne gigantes myſticè ad vitam reuocarentur, ex ipſo tamen contextu euidens eſt, non id ſibi prophetam polliceri. Nam paulò infrà poſt longinquam Eccleſiæ pacem & myſticam iuſtorum reſurrectionem mirificâ elegantia celebratas, ſubiungit ipſe Propheta, diuturnæ paci horribilem perſecutionem ſucceſſuram, quæ tamen modico temporis interuallo duret. ait enim numero vigeſimo. *Vade populus meus intra cubicula tua, clande oſtia tua ſuper te; abſcondere modicum ad momentum, donec pertranſeat indignatio*. Quod meo iudicio indicat Antichriſti perſequutionem: hanc enim ait etiam Ioannes modico tempore duraturam. Atque adeò hac ipſa expectatione de perſecutione paululum duratura, deque ſupplicio in Antichriſtum immittendo, claudit Iſaias canticum dicens: *ecce enim Dominus egredietur de loco ſuo, vt viſitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum, &c.*

Quoſnam ſignificet Iſaias ſub gigantum nomine.

Nomine indignationis apud Iſaiã denotari Antichriſti perſecutionem.

Enim verò breuem hanc procellam longa ſubſequitur tranquillitas, poſt myſticam gigantum terræ (id eſt Eccleſiæ perſecutorum) euerſionem: & tunc facer vates decantat myſticam reſurrectionem eorum, qui in Romani Imperij perſequutionibus pro fidei confeſſione fortiter occubuerant: *Viuent* (ait) *mortui tui interfecti mei reſurgent: expergiſcimini & laudate, qui habitatis in puluere; quia ros lucis ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam*. Vti Chriſtiana Eccleſia videtur alloqui Chriſtum, eidemque dicere; Tui Martyres, Domine, qui ſunt interfecti mei, *viuent, atque reſurgent*. Mox ſermonem ad eos conuertit; *Expergiſcimini & laudate qui habitatis in puluere*. Et rurſus ſermone ad Chriſtum conuerſo reddit ſuæ fiduciæ rationem: *quia ros lucis ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam*. Id eſt, quia tibi virtus & potentia eſt, vt vitam Martyribus reſtituas, & tyrannos eorum perſecutores morti tradas. Porrò verba illa, *Quia ros lucis ros tuus*, miram continent elegantiam: in eis enim innititur, Martyribus euenturum, quod triticeo accidit grano, de quo Chriſtus dixit, Ioan. 12. 24 *Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Quaſi diceret, vt magna cum gloria & multiplici incremento reſurgat, priùs moriatur oportet; reſurrectio verò cæleſti ope, virtute & irrigatione fit. Ait ergo Eccleſia, ſemet non dubitare, quin Martyres, qui tanquam frumenti grana mortui erant, cum magna ſint gloria & vberrimo fructu reuicturi. Nam ros opis & auxilij, quo Chriſtus eos irrigat ac fœcundat, eſt ros lucis, id eſt, ſummoperè viuificans. Eſt enim Hebraica phraſis, vitæ tribuere lucis nomen, quæ etiam loquutio Latinis eſt familiaris, hinc illa ſunt, *prodire in lucem*; *lucis vſura frui*, & alia id genus. Senſus ergo eſt, rorem ac pluuiam Diuini auxilij, quo Chriſtus rigat ac fouet frumenti grana, quæ in eius fide ſunt terræ mandata, adeò eſſe efficacem, vt illa in lucem edere poſſit, & gloriosâ vitâ ac fœcunditate cumulare. Facit, quòd non ſemel in ſacris Literis fons vitæ cum luce vel lumine coniungitur vt Pſal. 35. n. 10. *Apud te eſt fons vitæ & in lumine tuo videbimus lumen.*

De qua reſurrectione hic verba faciat Iſaias.

Quo ſenſu ſit ab Iſaia dictum, Ros lucis, ros tuus.

Lucis nomen tam Hebraica phraſi, quàm Latina tribus aliquando vita.

Obijciet tamen aliquis legitimum Iſaiæ verborum ſenſum immeritò ad myſticam Martyrum reſurrectionem ante diem iudicij futuram detorqueri. Nec enim minoris momenti eſt propriæ reſurrectionis articulus, de quo communis interpretũ conſenſus Iſaiæ locum exponit. Et multò maioris ponderis eſt præcipua Chriſtianæ fidei dogmata locis Scripturæ ſtabilire & roborare, quàm myſticos ſenſus conſectari, quibus eneruari ſolent ſolida argumenta, quæ ſenſu literali innituntur. Ad hoc tamen Reſpondeo, imprimis vnum eundemque Scripturæ locum plures ſenſus poſſe admittere; atque adeò, qui affirmat vnũ, minimè negare alterum. Sed præter hæc, in eo ipſo ſenſu myſtico, quem ipſe Iſaiæ verbis tribuo, ſupponitur propriæ reſurrectionis veritas, quam Chriſtiana fides nos docet. Nam myſticæ reſurrectionis allegoria cõtinet comparationem à propria reſurrectione petitã, atqui comparatio vtramque veritatem amplectitur, vt notationibus prooemialibus explicauimus. Dum ergo reſurrectionis nomen imponitur fructui Eccleſiaſticæ pacis, quem Deus ex Martyrum interitu legit; affirmatur, quod vniuerſalis iudicij die in gloriola Sanctorum reſurrectione propriè complendum, eſt idem priùs myſticè in reſurrectione myſtica impleri. Quòd ſi hic eſt corũ Iſaiæ verborũ ſenſus; in eo certè alleueratur propria mortuorũ reſurrectio. Hoc in Apocalypſi manifeſtè conſtat in eo ſenſu, quem ipſe primæ reſurrectioni deſigno. Quis enim neſcit, in eo ipſo primæ reſurrectionis nomine reſpectum includi ad reſurrectionem ſecundam, ac proinde, dum dicuntur reuixiſſe Martyres, quando idololatria Romã fuit expulſa, eo ipſo affirmari propriam Sanctorum in extremo iudicio reſurrectionem? Nil ergo eſt, cur aliquis timeat, qui ſenſus huiuſmodi myſticos ſectatur, eum veritatibus fidei cor firmandis ſolida auferre argumenta. Nam in hac myſticorum ſenſuum ratione includitur, quidquid deſiderari poteſt ab ijs, qui ſe acerrimos literalium ſenſuum propugnatores profitentur; nimirum catholica veritas, ad quam alluſio ſiue comparatio ſit, ſed cum magno fœnore, maximoque ſolatio, quod prophetiæ contextus, acoluthia & fœcunditas planè intelligantur.

Obiectio contra prædictam Iſaiæ explicationem.

Reſponſio ad obiectionem.

Ex hactenus dictis referri poteſt, non eſſe imprudentiæ attribuendum (vt aliquis fortaſſe verebitur) ſi illum Danielis locum cap. 12. 2 *Et multi de his, qui dormiunt in terra puluere euigilabunt, alij in vitam æternam, & alij in opprobrium vt videant ſemper*, explicandũ ceuſeam de myſtica reſurrectione; & hũc eſſe genuinum illius loci ſenſum. Si enim qui myſticam reſurrectionem affirmat, propriam pariter, extremi iudicij reſurrectionem aſſeuerat, mea ergo expoſitio cõplectitur quidquid optabant ij, qui in Danielis verbis includi credebant illuſtriſſimam generalis hominum reſurrectionis confirmationem. Sed nonnulli minùs obſeruantes, quid exigat ipſe contextus; vehementer & parum fructuosè laborant circa ea verbis, *Multi de his, qui dormiunt in terra puluere euigilabunt*, contẽdunt vocem *multi* idem eſſe atque *omnes*: quod fortè violentum eſt. Quanuis enim nonnum non ſit, *multos* in aliquo Scripturæ loco pro *omnes* ſumi; ceterùm *multi de his qui dormiunt*, contextus non patitur, idem eſſe atque *omnes qui dormiunt*. Nec verò id opus erat, vt credatur Daniel eo loco generalẽ omnium reſurrectionem aſſerere. Nam ſi proprius & literalis ſenſus eſt affirmare ſub Antiochi perſequutione, & multò plenius ſub ijs, quæ aduerſus Chriſtianam Eccleſiam excitandæ erant (& in Antiochi perſequutione fuerunt figuratæ) multos fore myſticè reſurrecturos per ſimilitudinem quandam eorum, quæ in generali mortuorum reſurrectione euentura ſunt, ſi hic, inquam, verus eſt ſenſus; nihil opus erat phraſim illam vi pertrahere, vt *multi de dormientibus* perinde ſit, atq; *omnes dormientes*? Animaduerſione autem dignum eſt diſcrimen, quod inter Danielis & Iſaiæ loca verſatur. Daniel enim in plurimorum reſurrectione aliorũ ad vitam, & aliorũ ad opprobrium ſempiternũ, reſpexit

Danielis locus ex c.12.2 expenditur & explicatur.

Digitized by Google

summas Ecclesiasticæ persequutionis angustias. Nam in Mathathiæ zelo, verbi gratiâ, zelus Phinees instauratus fuit; & in Antiochi sæuitia antiquus Pharaonis furor impietas reuixit; & sic de aliis. Quippe verissimè dicitur in media ipsa persequutione resurgere virtus ac zelus antiquorum in iis, qui strenuos diuinæ gloriæ vindices & propugnatores sese exhibent. Et tunc quidem satis superque dicitur, si asserantur multi resurgere. Quin imò nimium esset, si iusti omnes dicerentur resurgere. Isaias verò & similiter Apocalypsis resurrectionem bonorum in illud tempus coniciunt, quo idololatria exterminata fuit: tunc autem maior apparet similitudo glorioſæ Sanctorum resurrectionis; iuxta ea, quę superiùs dicta sunt. Tunc A verò non vnus aut alter resurgunt, sed generatim loquendo *animæ decollatorum & qui non adorauerunt Bestiam*. Atque ita etiam Isaias loquitur vniuersè *interfecti mei resurgent*. Non ergo videntur Isaias & Daniel ad idem omnino tempus in prædictis locis aspexisse. Quanuis fortasse possit etiam explicari Daniel de vtroque tempore locutus & aduersitatis, & subsequentis prosperitatis, si consideretur in Mathathia reuixisse Phinees: & in fortitudine Iudæ & ipsius fratrum reuixisse fortitudinem Iosue, & insignium iudicum atque ducum, qui olim in Dei populo viguerunt: & in nonnullis etiam Cain & Nembrot resurrexisse dicantur.

Discrimen inter Isaiæ & Danielis loca adducta.

TEXTVS.

Vers. 6. Beatus & sanctus qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum illo mille annis.

B

COMMENTARIVS.

Quo sensu dicantur Beati & Sancti, qui habent partem in resurrectione prima.

VERBA isthæc videntur primo aspectu faciliorem præ se ferre explicationem, si prima resurrectio iuxta Augustini mentem de remissione peccatorum accipiatur; siue vt iuniores explicant, de visione Dei; quàm iuxta nostram explicationem. Etenim in Augustini sententia concinunt hæc verba cum illis Ioannis cap. 11. 26. *Omnis qui credit in me non morietur in æternum*. In recentiorum verò explicatione nihil certius, quàm eos, qui Dei visione fruuntur, non iam amplius morituros. Sed vtramque harum expositionem vel illud argumentum refutat: quia licèt verum sit, quod in eis asseritur, non tamen est ad rem, de qua agitur. Sermo enim est de Ecclesiæ pace, deque eorum fructu, qui belli tempore strenui depugnarunt, vitamque suam pro Christi nomine profuderunt. Verus ergo sensus est huiusmodi, qui, quòd acerrimè pugnauerint, partem habent in prima resurrectione (iuxta sensum suprà à nobis explicatum) ij sunt Beati & Sancti. Et quemadmodum in propria ad immortalem vitam resurrectione, qui à mortuis excitatur, non iam moritur, sed à secunda morte redditur omnino securus: ita resurrectionis mysticæ gloria & verum gaudium, quod inde ad Martyres Christi redundat, æterna sunt. Hanc autem gloriam ac lætitiæ voluptatem ex eo percipiunt quòd in suis successoribus sint Dei & Christi sacerdotes, & cum illo in terris mille annos suprà dictos regnent.

Difficultas in nostra expositione.

C

Dices, duas sententiæ huius partes non aptè inter se consentire: nam si mystica resurrectio ad regnum mille annis possidendum fit, (in quibus quantunuis magnus annorum numerus, finitus tamen designatur, ac demum finiendus) eidem ergo mysticæ resurrectioni aliquo modo secunda mors succedit. Si enim frumenti granum, quod mortuum fuit, in fructu à se prodeunte resurgit, ergo quando grana ipsa ex primo illo grano iam mortuo emoriantur, suo etiam modo primum granum morietur. Simili quoque ratione, si mystica resurrectio & regnum eorum, qui sua morte copiosum hunc fructum procrearunt, consistit in publico Christianæ religionis vsu, quo Roma securè fruitur: ergo illi ipsi, qui suâ morte hunc fœlicissimum produxere fructum, similiter morientur, quando publica ipsa Christianæ fidei professio intercidat.

Diluitur proposita difficultas.

Respondeo; gloriam, quæ triticeum granum manet, ex eo quòd mortuum reuixerit, nequaquam finiri, quando seminatur iterum, ac moritur. Fructus enim mortis in primo grano est, per suummet interitum propriam conseruasse speciem, & auxisse. Quare primum in secundi morte non moritur: sed potiùs hæc secundi mors prouehit gloriam ex primi resurrectione prouenientem; & quodammodo eam æternat. Et saltem in mystici frumenti granis id certissimum est: nimirum interitum eorum, qui in Ecclesiæ persecutione sub liberato dracone excitandâ occidendi sunt, hanc minimè esse mortem priorum granorum, quæ resurrexerunt, quo tempore idololatria mundo deturbata est. Resurrectio enim non corporea, sed spiritalis extitit: reuixerunt enim decollatorum animæ, non corpora. Quamobrem, licèt posteà mors in corpora fidelium sæuiat; spiritum tamen & gloriam non solùm non ea ratione extinguet, sed etiam magis illustrabit. Si autem in mysticæ resurrectionis gloria comprehenditur etiam peculiare gaudium, quo Christi Martyrum animæ perfunduntur ex publico Christianæ religionis exercitio, tanquam ex proprio ipsorum martyrij fructu: hæc ipsa voluptas nullo modo finienda, aut minuenda est sub Antichristi persecutione. atque ita cohęret optimè, vt vna ex parte mystica resurrectio fiat ad regnandum per mille annos: ex altera verò qui ita resurrexerit, exemptus omnino sit à quouis secundæ mortis genere.

D

Militantis Ecclesiæ felicitatem ad Sanctos etiã in cælo degentes pertinere.

Mirum præterea est, Ecclesiæ militantis fœlicitatem adeò pertinere ad Sanctorum animas in cælo existentes, vt quod propriè militantem attingit Ecclesiam, quo tempore publica religionis Christianæ exercitatio viget, id ipsum Martyrum animabus in cælo degentibus tribuatur; in eodem sensu quo verè dicitur animas Martyrum tunc resurgere, cùm erumpit fructus granorum, quæ fuerant terræ commissa.

Quando potissimum Ecclesia sit proprium

Porrò, *Esse sacerdotes & cum Christo mille annos regnare*, idem est, atque esse regnum sacerdotale. Quod elogium quanuis Ecclesiæ etiam tempore persecutionis conueniat: frequentia tamen & celebri-

tas

Digitized by Google

A tas Missarum & diuinorum officiorum, auctoritas item Imperij, qua in animarum salutem incumbitur; totum id illius est temporis proprium, quo & publica religionis exercitatio, & tranquillum Ecclesiæ Romanæ imperium vigent. Atque id innuitur verbis illis, *Erunt sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum illo mille annis.* In quibus verbis, animabus Martyrum refertur accepta omnis gloria & securitas Romanæ Ecclesiæ; sicuti mortuo frumenti grano eleganter tribuitur fructus ex eo oriens. Atque ita de singulis Martyrum animabus vere, sed mysticè dicitur, eos esse qui sacerdotale munus ac regale exercent, quo Romana Ecclesia à Deo imprimis condecoratur. Quod vt verum sit, non opus est fidelium singulos aut sacerdotes, aut Ecclesiæ principes esse.

hoc elogium, quo isti dicuntur sacerdotes & cum Christo mille annis regnaturi.

Obseruanda insuper est proportio & conuenientia, quæ inter verba illa, *Beatus & sanctus*, atque illa, *sacerdotes & regnabunt*, reperitur. Nam vox *Sanctus* respondet voci sacerdotes; & vox *Beatus*, respondet verbo *regnabunt*. Nam sanctitas proprium est sacerdotum ornamentum: beatitudo atque felicitas dignitatis principalis propria. Et quidem de sacerdotali regno latè diximus c.1. vbi vidimus quâuis allusio ad eos fiat, qui reges non erant, sed lectissima regni pars, nempe sacerdotes Ægyptij; ad eos tamen magna ex parte, tanquam ad regis familiares, regni ipsius administrationem pertinere. Demum sapienter adnotauit Augustinus in his verbis, *Erunt sacerdotes Dei & Christi*, aperte denotari Christum quoque esse Deum: quando iidem ipsi, qui Dei Patris appellantur sacerdotes, Christi etiam sacerdotes nominantur.

Peculiaris hoc in loco elegantia obseruatur.

B

TEXTVS.

Vers.7. Et cùm consummati fuerint mille anni, soluetur satanas de carcere suo: & exibit, & seducet Gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog & Magog, & congregabit eos in prælium: quorum numerus est, sicut arena maris.

COMMENTARIVS.

HOc Gogi & Magogi bellum nonnulli ad Hæreticorum bellum applicant, quod ipsi Ecclesiæ inferunt; dum ab ea se remouent, & fideles in fraudem inducere contendunt. Cui expositioni valde fauet Hieronymus Ezechielis *38.* vbi sic habet; *Gog interpretabimur Hæreticorum principes; & Magog, qui illorum suscepere doctrinam.* Eôdem spectat quod ibi sanctus Doctor addit: nimirum Iudaizantes quidem aliter interpretari; sed Ecclesiasticam explanationem esse, vt per Gog & Magog intelligatur omnis superbia & falsi nominis scientia, quæ contra veritatis notitiam sese extollit. Et ad finem eiusdem capitis subdit; illam esse viam regiam, à qua non sit declinandum ad dextram neque ad sinistram.

De Gogi & Magogi bello varia Auctorum interpretationes. *1. Interpretatio de hæreticis.*

C Nihilominus tamen in Apocalypsi saltem non potest hic esse verus & germanus huius prophetiæ sensus. Nam draconis liberatio, & Gogi atque Magogi bellum subsequuntur mille pacis annos. Constat autem Ecclesiam non minùs fuisse hæresibus infestatam tempore pacis, quàm in ipso bello & antiquis Romanorum persequutionibus. Quinimò antequàm pacis tempus ducentos omnino annos numeraret, hæreticorum perturbatio & tumultus fuit maximus, totque eorum fraudibus fuit appetita, vt verè dici potuerint Arriani fidelibus esse plures. Quòd si oculos ad nostri temporis hæreticos conuertamus, quos aliqui tanquam Antichristi præcursores contemplantur; non video, cur suspicandum nobis sit in Apocalypsi horum potiùs quàm Arianorum, Pelagianorum, Nouatianorum, & Donatistarum factam esse mentionem. Cur verò ad hæreses non descendat Apocalypsis; diximus notationibus proœmialibus.

Refutatur predicta interpretatio.

Aliorum opinio est Gogi & Magogi vaticinio prædici Maurorum & Turcarum bellum aduersus Christianam Ecclesiam susceptum. Et quidem quod ad Turcas attinet, suprà notatione *2.* diximus eam esse opinionem Fratris Ferdinandi del Castillo, 2. parte historiæ sui ordinis c.1. idemque ipsum antè coniectauerant Ioannes Annius & Hentenius (quam explicationem tribuit Hæbræis Genebrardus Psal.52.v.2.) quorum fundamentum præter mille annorum computationem, illud est; quia Iosephus lib.1. Antiquit.c.7. affirmat, qui in sacris Literis appellantur Gog & Magog, esse Scythas: quod etiam sequitur Theodoretus Ezech.38. nec non Ribera, Viegas. & alii in præsenti.

2. Interpretatio de Maurorum & Turcarum bello contra Christianam Ecclesiam.

D Quòd autem Turcæ sint ex Scythis oriundi, id in eorum historiis constat. Alij verò huiusmodi prophetiam non ad Turcas coarctant, sed generatim applicant ad bellum, quod Ecclesiæ inferunt Mahometi sectatores. Iam, si Mahometi ipsius atque Maurorum principium extitit in Arabia, fortassis huc spectat id, quod dicitur lib 3. Sibyllinorum oraculorum; & affert Ribera §.*69. Vae tibi regio Gog & Magog, quæ medium es Aethiopum fluuiorum.* Vbi fortè maris brachia nomine fluuiorum appellantur. Arabia enim inter Persicum & Arabicum maris sinum sita est.

Hæc tamen consideratio de Gogi & Magogi bello ad Mauros & Turcas applicato inanis est, vt expendimus notatione 3. Nec in ea verum comprobatur, hoc esse bellum breue post longam pacem. Nec verò propriè est bellum de religione generatim loquendo, sed de imperio. Quod verò somniarunt aliqui non alium peculiarem fore Antichristum, sed horribilem solùm persequutionem in Christi Ecclesiam, eiusque filios à Mauris & Turcis sub mundi finem excitandam: id à doctis Theologis, & præcipuè à nostro Pererio validissimè impugnatur. Hic verò omitto (quia pudet iterum referre) fuisse qui opinati sint, tunc solutum draconem, cùm Ioannes vigesimus secundus in Cathedra Petri sedit. Neque verò crediderim, delirium illud eò peruenisse, vt sibi aliquis persuaderet tunc adimpletam fuisse hanc prophetiam de bello Gogi & Magogi. Quis enim hoc non

Impugnatur 2. explicatio.

Alia obiter referuntur ac reiiciuntur explanationes.

Digitized by Google

rideat? Quare quod aliquis ausus est dicere, nempe eo tempore solutum fuisse draconem, hyperbolicam offensi animi loquutionem redolet. Qua simili phrasi, facile iratæ mulieres leuibus de causis dicere solent, euasisse diabolum ex abysso. A

Præterea notatione 2. & 3. in nona opinione (quam satis iam impugnauimus) ostendimus aliquos extitisse auctores, qui crediderint bellum hoc Gogi & Magogi non esse illud famosi Antichristi, qui Enochum & Eliam interfecturus est: sed post Antichristum sequi ligationem draconis: quo post mille annos soluto, bellum Gogi & Magogi exarsurum.

Vera Auctoris expositio de Gogi & Magogi bello ad Antichristi tempus relato.

Ceterùm his & aliis explicationibus reiectis, illa pro competta habenda est, draconis solutionem & Gogi atque Magogi bellum ad Antichristi tempus esse referendum: tunc enim præsertim dici dæmonem Gentes seducturum. Quamuis enim antea homines variis modis seduxerit: non tamen illi permissa est potestas, vt post inclusionem in abyssi carcere posset tantopere in Ecclesiam Catholicam, ac præsertim in Romanam, sæuire; vt publicum veræ religionis vsum de medio tolleret, & Christianos ipsos per tyrannos & Christiani nominis hostes generatim propter Christi ipsius religionem insectaretur. At sub Antichristi tempus nouissimo imminente iudicio, fidelium persequutio immanissima & generalis erit, atque vt omnium postrema, sic etiam grauissima omnium, quotquot Ecclesia vnquam perpessa est. Ita Augustinus lib. 20. de Ciuitate c. 11. & communis Ecclesiæ consensio, ac fere omnium libri huius interpretum. Et verò in nostra acoluthia hoc non solùm ea caret difficultate, quæ occurrit in opinione eorum, qui maris Bestiam esse etiam Antichristum arbitrantur, sed perspicuum potiùs apparet, necessarium esse, vt per Gogi & Magogi bellum Anti- B

Confirmatur nostra interpretatio serie & consecutione ipsius contextus.

christi persecutio figuretur. Etenim post persequutiones à marina Bestia id est, à Romano Imperio Ethnico in Christianam Ecclesiam suscitatas; post Ecclesiæ ipsius triumphum de ipsis persecutionibus actum, post Idololatriam ex vrbe atque adeo ex toto imperio deturbatam, mille anni religati dæmonis nihil aliud indicant, quàm securitatem, ocium ac tranquillitatem, quæ Romanam tenuit Ecclesiam in publica religionis Christianæ professione. Cùm autem huiusmodi pacem consequutura sit Antichristi persequutio, cumque Apocalypsis inter pacem illam & vltimum generalis iudicij diem nullam aliam interponat Ecclesiæ persecutionem, nisi Gogi & Magogi bellum, euidenter infertur, eam esse persequutionem Antichristi.

Ex eodem connexionis & acoluthia capite deducitur aliorum sententia refutatio.

Quod non adeò certum atque euidens est in beati Augustini & aliorum sententia, qui draconis religationem referunt ad Christi passionis tempus. Nam post ligationem eiusmodi acerrimè fuit Ecclesia exagitata & afflicta Ethnicorum Imperatorum Ecclesiam persequentium tempore. Quare cùm draconis solutio de grauissima aliqua persequutione explicanda sit: videbatur omnino asserendum, draconem, postquam in abysso fuit vinculis constrictus, non semel iam fuisse solutum. Et quamuis à Christi passione ad illas vsque persequutiones mille annorum tempus non interceserit; adhuc tamen non parum obscuritatis habebat, cur solutio ſſthæc & Gogi atque Magogi bellum vnam Antichristi persecutionem designent, si post alligationem futuræ erant multæ, eæque grauissimæ persequutiones. Res sanè in illa religationis expositione erat perobscura: nec alius apparere exitus videbatur, quàm vt diceretur, Antichristi persequutio tantò Diocletiani persequutione sæuior & immanior futura; vt comparatione illius dæmon Diocletiani tempore constrictus fuisse dicatur. Quod tamen violentum est. Nam licet multò crudelior sit futura extrema illa persequutio: si tamen dæmonis alligatio indicat, illi nequaquam permitti, vt Ecclesiæ securitatem, & sui matrimonii fælicitatem interturbet: non video, quo pacto tunc fuisse alligatus dicatur, quantuuis sub Antichristo maior illi potestas permittenda sit. C

Filium consecutionis & contextus facilè in nostra expositione ducitur.

In nostra tamen explicationis serie res est plana & expedita: fatemur enim, dæmonem sub Romani Imperij ethnici persecutionibus solutum extitisse, asserimus tamen, eius religationem accidisse, postquam idololatria ab vrbe, Imperioque Romano eiecta est: adhæc, per mille annos dæmonis illigati totum significari tempus, quo deinceps Ecclesia potita est, & potietur communi Christianæ religionis exercitio: quod ad Antichristi vsque persequutionem durabit. Tunc enim non dubito, quin in ipsa etiam vrbe Roma auferendum sit iuge sacrificium, & quidquid ad publicum Christianæ religionis vsum pertinet.

Virùm Antichristus sit Romæ publicam Christiana religionis professionem interdicturus.

Scio extitisse non neminem, qui existimarit, Antichristi etiam persecutionis tempore, licet bellum præsertim aduersus Romam gerendum sit; non tamen eò peruenturum, vt re ipsâ Antichristus publicum religionis vsum ab ea auferat: id quod in aliqua prophetia esse Romæ promissum autumat. Sed hoc mihi nulla ratione probatur, quæ enim in Apocalypsi est propriè vxor Agni, & ceterarum Ecclesiarum regina, non est alia, quàm Romana Ecclesia. Draconis autem religatio speciatim refertur ad huius sponsæ fælicitatem & securitatem, qua multis sæculis per publicam religionis professionem fruetur: hæc enim est fælicitas ipsius nuptiarum cum Agno. Si autem satis esset impunitas draconi permissa, vt in reliquis Ecclesiis auferat receptam publicæ Christianæ fidei consuetudinem, & eas ferè solo adæquet, id quidem in Ecclesijs compluribus magno cum Christianorum luctu draco iam præstitit. Quare, cùm alligatio nihilominus duret adhuc, sitque ad Antichristi tempus duratura, argumento est satis firmo, draconis solutionem eò potissimum referri, vt publicum religionis vsum non aliis solùm Ecclesiis; sed Romanæ etiam re ipsâ interdicat. Nec tamen propterea aduersus eam prævalebit, sicuti nec Diocletiani tempore prævaluit. Porrò ex communi totius Ecclesiæ consensu de futura Antichristi persecutionis immanitate atque horrore perspicuè colligitur, nihilo eum minus vis atque potentiæ aduersus Romanam Ecclesiam habiturum, quàm Imperatores quondam idololatræ habuerunt: quorum tamen tempore Romana Ecclesia publicè professione religionis Christianæ potita non est. Et certè tanti Romam à Deo D

Pars affirmatiua statuitur atq; probatur.

fieri,

Digitized by Google

A fieri, vt soluti dæmonis permissio singillatim referatur ad vltimam & sæuissimam ipsius persequutionem, id quidem multò Romæ ipsi glorioſius est, quàm si ab amplissima illa potestate Antichristo facta exciperetur. Præsertim quia Romana Ecclesia victoriam de Antichristo reportatura est, vt infrà videbimus. Honorificentius autem est, post maximam oppressionem, illam victricem ac superiorem euadere (sicuti Diocletiani tempore accidit) quàm si aduersus eum præualeret, qui illam non potuit opprimere.

Vidimus iam, quis sit Apocalypseos scopus in hoc versu, vbi diaboli solutionem & Gogi & Magogi bellum prædicit. Reliquum ergo est, vt ad belli huius figuram singulatim descendamus. Illud autē imprimis statuamus oportet, Gogi & Magogi bellum, eiusque exitum plenè & integrè ab Ezechiele describi cap. 38. & 39. Dubium verò non est, Ioannem in hoc loco alludere ad eam Ezechielis prophetiam: & mihi etiam sit certum, cùm Apocalypsis ad alicuius Prophetæ locum respicit, eum in eodem sensu accipere, quem Propheta ille directè intendit. Itaque ex Apocalypseos sensu in ea allusione, quam ad aliquos Prophetarum locos facit, solet iure optimo colligi, eundem fuisse sensum ab ipsis Prophetis præcipuè intentum. Atque hoc pacto ex Apocalypseos intelligentia plurimum oboritur lucis ad Prophetarum, Psalmorum, & Cantici Canticorum notionem. Verùm in allusione hac ad Gogi & Magogi bellum nihilominus mihi persuadeo, peculiarem fuisse elegantiam & concinnitatem, vt Ioannes belli huius figuram iuxta nouum alium sensum, nec ab Ezechiele in-
B tentum acciperet: & tamen (quod valde mirum est) ex Apocalypsi ipsa manifestò eliceretur, quem sensum Ezechiel potissimùm insinuaret.

Allusio in hoc Gogi & Magogi bello ad Ezechielis c. 38 & 39.

Ioannem in hoc loco ad Ezechielis quidem Gogum & Magogum respexisse, diuerso tamen sensu, probatur.

Ad cuius rei explicationem aduerto, Riberæ §. 58. inde probari prophetiam Gogi & Magogi apud Ioannem & Ezechielem esse eandem. Quia sicut Ioannes ait, *Venite & congregamini ad cœnam magnam Dei, vt manducetis carnes regum*, &c. ita etiam Ezechiel, *Dic omni volucri cæli, Conuenite, properate*, &c. Hæc est Riberæ mens. sed illud ex hoc argumento deberet inferre, conuiuium illud auibus in bello Gogi & Magogi apparatum, Ezechielis 39. 17. esse omnino idem cum illo, quod Apocalypseos auibus c. 9. 17. extruitur. Ex quo etiam deducitur, eandem esse belli huius significationem in Ezechiele, atque illius, quod Apocalypsis cap. 19. describitur. Sed ex hoc ipso colligitur meo iudicio non obscure, Gogi & Magogi bellum in Apocalypsi non esse idem, de quo loquitur Ezechiel cap. 38. & 39. Etenim si bellum Gogi & Magogi eodem sensu apud Ezechielem accipitur, atque bellum Apocalypsis 19. descriptum: cum hoc minime consentit, vt in Apocalypsi sit eadem significatio belli huius, quod cap. 20. recensetur. Manifestum namque est ex libri huius serie & acoluthia, post bellum capitis 19. sequi ligationem draconis mille annorum interuallo: quibus elapsis draco soluitur, & Gogum & Magogum in prælium cogit. Quamobrem fieri non potest, vt in Apocalypsi sit idem bellum, quod cap. 19. & quod cap. 20. narratur. Constat enim inter vtrumque mille omnino annos alligati draconis intercedere. Verùm cùm sibi Ribera persuadeat, in Apocalypsi nullam prophetiæ acoC luthiam & continuationem seruari: dissentaneum non iudicat, vt bellum cap. 19. commemoratum sit prorsus idem, quod cap. 20. refertur. Hoc tamen legenti contextum facilè constabit, esse valde violentum. Etenim exitus belli capitis 19. is fuit, vt in ignitum stagnum Bestia & pseudopropheta detruderentur, & eorum exercitus gladio Dei verbi occiderentur, nec non ligaretur draco per annos mille. at bellum cap. 20. descriptum terminatur igni cælitus demisso in exercitum Gogi & Magogi, atque draconis detrusione in illud ipsum stagnum ignis, vbi Bestia & pseudopropheta cruciabantur. Quid ergo violentius, quàm ex vtroque bello vnum, idemque conflare?

Gogi & Magogi bellum in Apocalypsi esse diuersum ab eo, cuius meminit Ezechiel.

Vt ergo quid sentiam, exponam; Apocalypsis capite 19. nos docuit verum sensum eorum, quæ de Gogi & Magogi bello Ezechiel tradidit, ad Romani Imperij bellum contra Ecclesiam gestum pertinere. Huius enim belli finis fuit cædes mystica, quæ capite 19. Apocalypseos describitur ad quam cæli aues inuitatæ sunt. Ex eo autem, quòd Apocalypsis ibi auium conuiuium inserat, nobis indicat, hunc eundem fuisse auium conuiuij sensum apud Ezechielem. Quare Eusebius libro 9. demonstrationis Euangelicæ capite tertio Hebræos vrget, inde probans aduenisse Messiam, quòd Gogi regnum in ipsius Christi (de quo Prophetæ loquuntur) aduentu augendum adumbret procul dubio ethnicorum Romanorum Imperium; quod sub Iesu Christi aduentum ad supremum conscendit dignitatis ac potentiæ fastigium: & paulò pòst crudeliter oppugnauit Ecclesiam, atque ab ea fuit superatum, sicuti Ezechiel prædixerat. Atque hoc profectò est argumentum duplicis illius capiD tis apud Ezechielem, vt in eius commentario videbimus libro nono. Nec obstat, vt quemadmodum Psal. 28. celebrantur Ecclesiæ victoriæ de Gentilitate reportandæ per comparationem ad Dauidis victorias ex vicinis nationibus comparatas, ita etiam Ezechielis 38. & 39. in sensu proximo agi de Antiochi bello aduersus Dei populum suscipiendo, deque gloriosa victoria, quam Dei populus de rege ipso fuerat adepturus. Quamuis enim hic sit proximus sensus, vt & Theodoretus videtur supponere, & egregiè probat Pererius tom. 2. in Genes. lib. 15. §. 12. 13. 16. 17. 18. & 21. verùm precipuus huius prophetiæ sensus planè respicit Romani Imperij in Antiocho figurati bellum Christianæ Ecclesiæ infligendum, nec non Ecclesiæ victoriam de ipso Imperio obtinendam. Sed de his suo loco latiùs.

De quo Gogi & Magogi bello loquatur Ezechiel.

Ostenditur discrimen inter prædictum Gogi & Magogi bellum, de quo Ezechiel, & inter hoc, de quo Ioannes loquitur.

Ceterùm bellum Gogi & Magogi Apocalyps. cap. 20. relatum non eandem habere significationem, quam habet Ezechielis 38. & 39. (præter prædictam rationem ex Apocalypseos acoluthia desumptam) probatur insuper efficaciter ex longè diuerso fine, quem in Apocalypsi habet hoc Gogi & Magogi bellum ab eo, qui scribitur in eo bello Ezechielis cap. 38. Etenim apud Ezechielem, belli illius exitus is fuit, qui in eo capite 38. num. 22. exprimitur, *Iudicabo eum peste & sanguine & imbre vehementi & lapidibus immensis, ignem & sulphur pluam super eum, & super exercitum eius.* Ad hęc, ex hastis, arcubus,

Digitized by Google

Ex vario vtriusque belli exitu probatur diuersum esse bellum de quo Ezechiel, ab eo,de quo Ioannes hic agit.

arcubus,& sagittis congeritur lignorum strues ad septem annos,agitur etiam de mortuorum ossibus humandis,deque septimestri spatio,quod præterire debeat,antequàm pollintoribus sepeliendi potestas fiat.Atque hæc quidem omnia eleganter significant,quod in Gentilitatis conuersione accidit(vt suo loco disputabimus:) quæ tamen minimè sunt apta ad victoriam significandam, quæ de Antichristo reportabitur:quam sic describit Apocalypsis capite 20.num.9. *Et descendit ignis de cælo,& deuorauit eos.* Quæ loca si inter se conferantur,manifestè constabit, in Apocalypsi consultò expressum fuisse discrimen inter belli finem Gogi & Magogi,quod ibi describitur, & inter finem illius,quod Ezechiel cap. 38.narrat.Præterquam quòd,si Apocalypsis expresserat,illud ipsum bellum ab Ezehiele scriptum ante mille annos fuisse gestum,vt suprà vidimus;nequaquam sibi constaret,si ipsius belli euentum post mille annos accidisse diceret. A

Quomodo cum exacta Apocal in allusionib. consuetudine stare possit, vt hic & illud Ezechielis bellum respiciatur, & tamen de alio diuerso sit sermo.

Videamus tamen,quinam cum exacta Apocalypseos consuetudine & allusione stare possit,vt in hoc loco & ipsum bellum Ezechielis 38.scriptum respiciat;& tamen in eo velit nouum aliud bellũ ab eo diuersum adumbrari. Verùm enimuerò,si contextus ipse seriò expendatur, non solùm id ab Apocalypseos consuetudine & exacta alludendi ratione non desciscit, imò potius Apocalypseos elegantia atque exactio poscebat,vti belli huius diuersa significatio esset.Dictum enim priùs fuerat, transactis mille annis resurrecturos mysticè Ecclesiæ hostes:is enim est sensus eorum verborum, *Ceteri mortuorum non vixerunt,donec consummentur mille anni,* vt in eorum explicatione iam vidimus. Si ergo sensus est,post mille annos reuicturos mysticè antiquos Romanos idolorum cultores,qui exagitabant Ecclesiam:si descripserat Ezechiel Romanorum ethnicorum persecutionem sub Gogi & Magogi figura:si ipsa Apocalypsis cap.19.indicauerat,illud Ezechielis vaticinium in Romani Imperii bello contra Ecclesiam gesto complendum fore:vt ergo consequenter loqueretur, congruenter asseruit,vt primùm solueretur draco, bellum Gogi & Magogi reuicturum. Euidens autem est,resurrectionem mysticam belli à Romanis ethnicis quondam illati, neutiquam esse veterem illam persecutionem,sed nouam aliam,in qua antiquum bellum mysticè renouetur. Vnde,si in hoc loco prædicit Apocalypsis mysticam belli Gogi & Magogi resurrectionem,eo ipso affirmat se non agere de Gogi & Magogi bello secundùm eum sensum, quo illud describit Ezechiel, sed quatenus est quædam mystica pristini illius belli ab Ezechiele scripti resurrectio:id est,quatenus Antichristi persecutionem complectitur;in qua Diocletianus, Nero,aliique Romani Imperatores Ecclesiam persequentes elegantissimè dicuntur reuiuiscere. Qui autem contendat, cùm Ioannes ait antiquum Gogi & Magogi bellum suscitandum, directè eum agere de illo ipso bello, ac de eodem omnino sermonem in ipso contextu instituisse; ille haud aliud conabitur,quàm si vellet,cùm dicitur, Antichristi tempore mysticè reuicturus Nero,non quidem tunc de nouo alio bello verba fieri;sed de eodem prorsus ipso,quod Nero commouit:atque adeò bellum hoc subsequi post mille annos ab alligato dæmone. B

Gogi & Magogi nomen ab Ezechiele Romanis ethnicis, à Ioanne verò Antichristi militibus attribuit.

Constat igitur,si Ezechielis 38.& 39.Romanis ethnicis tribuitur Gogi & Magogi nomen; iure optimo militibus Antichristi hoc ipsum nomen ab Apocalypsi imponi.Quare quod aliàs diximus, cùm Apocalypsis aliquem cuiusvis Prophetæ locum respicit, eandem Prophetæ illius mentem & significationem sibi adsciscere,hoc in loco patitur exceptionem:siquidem sub Gogi & Magogi nomine tractatur non de illo ipsomet bello,sed de mystica ipsius resurrectione. C

NOTATIO VI.

In qua refutatur noua Gogi & Magogi explicatio à Caluinistis conficta.

Caluinistarum insania per occasionem belli à Gogo & Magogo gesti confutatur.

IN variis belli huius interpretationibus, quas versu septimo proposui,nouam aliam à Caluinistis excogitatam de industria prætermisi: vt Catholicorum opiniones ab hæreticorum fæce & contagione secernerem. Nec tamen nouum hoc Caluinistarum figmentum integrè possum referre; non enim hæreticorum libri (& quidem satis meritò) in Hispaniam perferuntur. Quare id solùm ex noua hac explicatione excepi, quod potui colligere ex commentario, siue commentatione cuiusdam Caluinistæ, quam in quodam alio licro citatam memini me videre super hoc ipso Apocalypseos loco, vbi de Gogo & Magogo sermo est. Et quamuis ab eo auctore, cui commentatio isthæc adscribitur, verè fuisse conscriptum minimè credam, sed ab alio, qui ei fortassis voluit palpum obtrudere: quicunque tamen eam sibi explicationem arroget, licet atque adeò incumbit Catholico scriptori, quicquid contra Romanam Ecclesiam, procacibus scriptis euomitur, omni virium contentione refutare. Quòd si impugnatio foret eiusmodi, vt de expositionis illius commento & falsitate constaret: experimento iam deprehendimus, quo pacto se ipse purget, cui hoc tribuitur commentarium; & qua ratione satisfaciat ijs, quæ ex epistolis ipsius chirographo ac sigillo signatis ipsi obiiciebantur: suum enim à secretis ministrum eò adegit, vt fateretur, se absque illius iussu has epistolas conscripsisse, atque adeo subreptitias esse. Sed siue ipse, siue quiuis alius scripserit, facile est diuinare, quid in Caluinistæ commentario ad hosce Apocalypseos versus contineatur: aliquid scilicet, quod contra Romanam Ecclesiam, summumque ipsius caput ac Pontificem planè militet. Huc omnia hæreticorum iacula diriguntur, atque hac ratione Principibus viris hæreseos labe infectis ipsorum ministri blandiuntur. Et quidem qua impudentia Romanis Pontificibus applicant hæretici maris Bestiam capitis 13. eadem etiam bellum hoc Gogi & Magogi ad bellum Ecclesiæ Romanæ aduersus Caluinistas susceptum detorquent. Nec Gogum & Magogum alios esse asserunt, quàm Papas & Papistas. Atque huc fortassis accommodabunt, quod Eusebius lib.9. demonstrationis Euangelicæ cap.3. ait, Gogos scilicet & Magogos esse Romanos. His addent,si Apocalypsis indicat, Romanorum veterum ethnicorum persequutionem primitiuæ Ecclesiæ illatam mysticè fore instaurandam: hoc impleri iam in sacrarum imaginum adoratione, quam Romana Ecclesia complectitur: atque hanc esse idololatriæ veteris instaurationem. Hoc ipse suspicor esse illius commentationis argumentum. Similia enim sæpe effutiunt Caluinistæ: & vndique arripiunt ansam Romanos D

Caluinistarum error in belli Gogi & Magogi explicatione.

Ponti-

Digitized by Google

Pontifices carpendi. Et præsertim visum est eis in obscuritate Apocalypseos, ipsiusque figurarum varietate non esse difficile, aburi sacrorum verborum textu ad maledicendum absque metu responsionis, quæ alium esse Apocalyptis sensum euidenter ostendat.

Quod attinet ad Caluini dogmatum impugnationem, eam in hoc libro ex professo assumi non est necesse, nec Romana Ecclesia indiget meo hoc hæreticos refutandi labore. Alij ex nostra Societate sunt nec pauci, nec ignobiles: qui magno cum hæreticorũ furore pariter ac dolore hanc scribendi rationẽ adeò grauiter, copiosè & luculenter susceperunt, vt omnibus euidenter probarint, Caluini sectam dæmonis ipsius instinctu fuisse confictam, vt miseri homines sese laxis habenis in effrænatas atque intemperantes voluptates darent. Atque hoc prætereà à nostris satis probatum est, verissimam regulam obseruandam ab eo, qui errare nolit, esse, NIHIL IN DOCTRINA FIDEI NOVARE: & luce meridiana clarius esse ab Ecclesia Rom. nihil vnquam in doctrinã fuisse nouatum; & ab ea licentia semper abstinuisse, qua quotidie vtuntur qui non tam accipiunt, quàm fingunt fidẽ & religionẽ. Illud mei muneris est, qui Apocalypseos interpretem ago, vt ostendam, hoc sacrum Apocalypseos ænigma ad Caluinistarum figmenta neutiquam applicari posse. Licet autem auctor ille inaniter glorietur, in hisce ænigmatis suorum dogmatum confirmationem occultam delitescere: sed quia ex integra duorum & viginti capitum serie sex solùm versiculos sibi vendicat quos inani suspicioni accommodet; facilè cernitur, an ipse ad suum institutum totam Apocalypseos continuationem ac filum aptè applicare potuerit. Iam si præter sex illos versus, nihil aliud ad suam opinionem potuit detorquere: quid aliud magis ridiculum ac nugatorium, quàm suæ insaniæ confirmationem reputare, quòd sex Apocalypseos versus ad eam vtcumq; accommodet? Etenim si illum cum risu exploderemus, qui in Ouidij Metamorphoseon libris contenderet, Poëtam aut peculiarem aliquam historiam, aut mendacium nunc denuo confictum significare voluisse, quia sex aut septem Ouidij carmina ad illud possunt aptari, quantò irrisione dignius est, quòd sibi aliquis videatur sex Apocalypseos versiculos ad Caluini somnia applicare; ideo aptam sibi materiam oblatam credi, vt librum aduersus Romanam Ecclesiam conficiat, & versus illos in Papam atque Papistas explicari posse glorietur?

Si opinantur hæretici eum esse sincerum & germanum Apocalypseos sensum: ostendant oportet, quo pacto cetera, quæ Ioannes refert, cum sua illa sex versuum applicatione consentiant. Etenim illud eis imprimis oppono, ad meam de sex hisce versibus explicationem, & de ceteris omnibus, quæ ab Apocalypseos exordio ad exitum vsque pro Romanæ Ecclesiæ auctoritate interpretor, me potissimùm niti in apta totius libri applicatione & ænigmatis acoluthia. Atque illud maximè velim aduertant, hęc omnia à me applicari ad eam doctrinam, quam non ipse ex meo cerebro fingam; sed Romana Ecclesia vt firmissimam ac solidissimam amplectatur. Si autem hæretici ipsi inficiari non possunt, quin mea applicatio totius libri contextui congruens sit, profectò diuersum longè est argumentum, quod integra totius ænigmatis applicatione fulcitur, ab eo quod ex sex versuum applicatione desumitur.

Si verò respondeant, Caluinistas etiam extitisse aliquos, qui commentaria in totam Apocalypsin ediderint: eorum quemlibet (modò mediocri saltẽ polleat ingenio) iudicem assumere auderem, quænam sit ex suis ac meâ aptior & cohærentior totius Apocalypseos applicatio? Quapropter si iuxta meam interpretationem nullus potuit literis mandari liber Romanæ Ecclesię gloriosior & honorificẽtior vnâ Apocalypsi; si hæc ipsa explicatio violentiæ aut ineptitudinis argui nõ potest: perbellè Caluinistis accidisset, si Apocalypsin ad suorum dogmatum assertionem minimè reuocassent; & satiùs iis multò foret, si sacrum hunc librum ad eam rem ne nominassent quidem.

Enimuerò non satis mihi est, si eorum refutationẽ ad aptam totius libri applicationem referam. Licèt enim hæc sit vera ac solida ad ænigmatis significationem probatio: faciliora tamen argumenta nobis si petunt, quibus noua hæc de Gogi & Magogi bello commentatio refellatur. Hoc autem cõstabit, si liquidò ostendamus, hos sex versus ab eis non solùm non aptè applicari, verùm etiam textum ipsum, verumque ipsius sensum nouo Caluinistarũ glossemate prorsus euerti. Ad rem ergo ipsam aggrediamur. Si verum esset, doctrinam à Rom. Ecclesia traditam Euangelio aduersari, & Papas ac Papistas Gogi & Magogi nomine in Apocalypsi compellari: neutiquã verè dici posset dæmon per mille annos fuisse alligatus, & posteà per modicum tempus vinculis solutus; atque hoc ipso exiguo tempore bellum Gogi & Magogi durare; non igitur hic est verus Apocalypseos sensus. Huius argumenti si concedatur assumptio, manifesta est consequutio: expressè enim in textu dicitur dæmon mille annos esse ligatus; quibus exactis illum modico tempore solui oportere, & totum Gogi ac Magogi bellũ intra modicum illud spatium fore; cuius exitum cuiusmodi futurum, vt Deus igne cælitus demisso vniuersum Gogi & Magogi exercitum sit absumpturus.

Vbi ergo sunt mille pacis anni, antequàm Papistarum religio Romam & Rom. Imperium occuparet? Nam si mille annorum cõputatio fieri incipit, ex quo Constantinus Imperator Ecclesiæ pacem & tranquillitatem concessit: id quidem accidit Christi anno circiter 321. Nec enim sub Diocletiano pace fruebantur Christiani. Si autem ineatur annorum numerus ab Apostatæ Iuliani morte: ille perijt anno Christi 367. Ab eo igitur tempore, (quantũuis Caluinistæ in ipsas velint tenebras impingere) vbinam extant mille anni, quibus ipsorum secta pace potita est, antequàm Romana religio præualeret. Vbinã reperitur Bestiæ numerus 666. eo quòd anno illo inceperit Papistarum religio. Certè si ab hoc anno millenarij numerum exordiamur; mille anni nostri sunt, non ipsorum. & quacunque ratione enumerari velint; nullo modo inuenient, suam ipsorum hæresim mille annorum pace fuisse potitam, antequàm in orbe inchoaretur religio, quam Romana profitetur Ecclesia. Iam, si mille annorum numerum velint contrahere, & ad multò breuius temporis spatium redigere: multò plus contrahant necesse est tempus, quod modicum appellatur. Qui igitur mille anni tam citò ac velociter præteriere; & tot sæcula protenditur tẽpus illud modicum, quo soluendus erat dæmon, nec tamen interim ignis è cælo delabitur, qui Papistas prorsus exurat; Quæ tanta hæc amẽtia est, vt Caluinistæ velint mille pacis annos sibi arrogare, antequàm Romanæ Ecclesię religio in orbẽ fuisset inuecta: & simul pertinaciter defendant, quodcunque temporis Papistæ in mundo durant ac vigẽt, minus adhuc modico esse, comparatione eius temporis, quo ipsorum Caluinistarum floruit hæresis, antequàm inciperent Papistæ. Quod cùm perinde omnino sit, quasi quis sub meridiana luce meras esse tenebras peruicaciter cõtenderet; quonam pacto scribere audent Caluinistæ, in Apocalypsi nomen Gogi & Magogi Papistis attribui. Vtinam ipsorum proteruiæ medicinam adhibere ita facilè esset, vt eos erroris & stultitiæ manifestò conuincere in promptu est. Tunc enim nullo negotio eis euidenter demõstraretur, quæ Christi imagini defertur adoratio, non eam diaboli adorationem esse, sed Christi: nec quæ Sanctorum imaginibus reuerentia exhibetur, non Veneri nefandæ, aut libidinoso Cupidini; sed Christi familiaribus pietate & sanctitate insignibus præstari: atque adeò nouam doctrinam eorum esse, quæ Sanctorum imagines de medio tollat. Quippe nec Romana vnquam Ecclesia aliquid in veteri ac solida doctrina innouauit, nec quidquam est Romanæ Ecclesiæ consuetudini magis aduersum, quàm quælibet doctrinæ, quam profitetur, nouitas. Quæ vero fuerit Eusebij mens, cùm ait, Romanos apud Ezechielem in Gogo & Magogo fuisse significatos, satis id supra explicatum est.

Quæ diximus aduersus Caluinistas, adeo perspicua & manifesta sunt, vt omnino nesciam quam excusationis siue euasionis potiùs ansam arripiant, ne de ipsorum computationis falsitate atque mendacio liquido constet. Sed forsitan eo confugient, vt mille pacis annos asserant à Christi passionis tempore numerandos;

Sectarij hæretici suapte sponte ad nouandam religionem proclues.

Quàm sit irritus & inanis Caluinistarum in hac expositione conatus, ostenditur.

Ex totius Apocal. serie ac filo, quod hæretici ducere nequaquam possunt, ipsorum falsitas & error euincitur.

Caluinistarum expositio ad hominem (quod aiunt) falsitatis conuincitur.

Caluinistarum effugium præuertitur.

Digitized by Google

numerandos : ſicuti & Auguſtinus & Catholici alij multi fecerunt. Verùm eſto, id ita eſſe; quanam ratione Caluiniſtæ veriſimile reddent, peractis mille annis poſt Chriſti paſſionem, incepiſſe eam doctrinam, quam hodie ſequuntur Papiſtæ? Ipſi enim ſectarij planè reuincuntur, vt hoc quod ipſi Gogi & Magogi bellum vocant, ante octingentos annos cœpiſſe, atque adeò ſe eius exordium neſcire fateantur. Si ergo tantum temporis interuallum ab eius principio effluxit, quomodo illi poteſt congruere, quod textus ait, nempe *Modico tempore*, duraturum, ſi cum pacis diuturnitate comparetur? Quis autem ſibi audeat perſuadere, niſi inſana mente præditus, Diocletiani quidem temporе draconem fuiſſe illigatum, nunc verò eſſe ſolutum ratione belli, quod Rom. Pontifices cum Caluiniſtis gerunt? Certè Auguſtinum, qui perſecutionem Antichriſti affirmabat ceteris omnibus anteactis multo horribiliorem fore, mirum non eſt exiſtimaſſe, draconem ſub Diocletiano religatum extitiſſe, reſpectu belli crudeliſſimi Chriſtianis ſub Antichriſto inferendi. Verùm ſi Diocletiani bellum cum eo conferatur, quod nunc Papiſtæ in Caluiniſtas ſuſcipiunt: nemo delirus eſt, qui proferre auſit, hoc ita eſſe ſæuum & immane, vt ſi cum Diocletiani perſecutione comparetur, draco tunc fuiſſe ligatus, nunc verò ſolutus dicatur. Quantò veriſimiliùs & temporibus ipſis congruentiùs, quis poſſet aſſerere, poſt Romani Imperij perſecutiones, & idololatriam ex Imperio ipſo depulſam, pace & tranquillitate fuiſſe potitam Eccleſiam, donec Lutherus, Caluinus, eorumque aſſeclæ à Catholica Eccleſia perfidè defecerunt: ex ea autem tempeſtate rurſus dæmonem fuiſſe vinculis expeditum? Tametſi enim Antichriſti tempus nondum acceſſit: hi tamen ipſius prodromi in Chriſtianam Eccleſiam tam crudeli bello ſunt debacchati, tot gentes ac nationes in fraudes miſerè pellexerunt; vt ex prudentibus viris non defuerint, qui in his Antichriſti præcurſoribus ipſiuſmet Antichriſti perſecutionem Eccleſiæ inferendam incepiſſe credant. Nec adeò facilè eſt, hanc opinionem conuincere falſitatis. Nam mille annorum numerus, quibus illigandus eſt dæmon, ſaltem in hac opinione conſentit: nec tot præteriere anni ab huius Caluiniſtarum hæreſeos impietate, vt euinci poſſit, plus præteriiſſe temporis, quàm opus ſit, ad aſſerendam eorum verborum veritatem, *& poſt hæc oportet illum ſolui modico tempore*. Nec verò eſt, cur annuente Deo non præcedamus, huiuſmodi ſectam ante multos annos fore prorſus extinguendam; ſicuti & Ariana hæreſis abolita eſt, quando altiores egiſſe radices videbatur. Et huic ſaltem opinioni non parum fauet Hieronymus Ezechielis cap. trigeſimo octauo, vbi perſpicuè tradit, per Gogum & Magogum ſignificari hæreſiarchas, eorumque ſectatores. Atque hæc ad nouum Caluiniſtarum figmentum confutandum nunc dixiſſe ſit ſatis.

NOTATIO VII.

Vbi ſuſpicio quædam proponitur de eleganti nominis Gog fictione.

De nomine Magog quæſtio.

MAgogi nomen liquido conſtat non eſſe confictum ad huius myſterij ſignificationem. Patet enim ſecundum Iapheti filium appellatum fuiſſe Magogum, ſuoque nomine regionem aliquam nominaſſe, *Quia vocauerunt nomina ſua in terris ſuis*. Pſ. 48. 12. Vide Geneſ. 10. 2. *Filij Iapheth, Gomer, & Magog*. Et quamuis Ioſephus lib. 1. Antiq. c. 7. (quē Theodoretus ſequitur) affirmet, Scythas à Magogo Iaphethi filio genus ducere, & nonnulli hac in re Ioſephi veſtigijs inſtiterint; B. tamen Hieron. eos irridet, qui Ioſephum in hoc fuere ſequuti; eamque appellat Iudaizantium opinionem. Et Auguſtinus perſpicuum eſſe exiſtimat, Magog in Apocal. non eſſe peculiarem nationem Legimus enim, *Gentes quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ, Gog & magog*. Fateor his Apocal. verbis non probari Magogos non eſſe ſingulare aliquam nationē: nam de hoc non eſt dubitatio. Et Gogum quidē Ezechiel nominat *terram Magog*. cap. 38. 1. & mox n. 15. ad eum conuerſus ait, *Venies de loco tuo à lateribus Aquilonis*. Nihilominus tamen elegantiſſimè loqui poteſt Apocalypſis de ijs Gogis & Magogis, qui ſuper quatuor terræ angulos ſunt. Nam myſtici Gogi & Magogi non vnicam innuunt peculiarē gentem, ſed nationes omnes ſub Antichriſti vexillis militantes. Quamobrem nihil erat, cur Ribera & Viegas affirmarent præcipuā Antichriſti exercitus partem ex Scythis conflatum iri, & propterea totam illam perſecutionem per Synecdochen Gogi & Magogi bellum appellari. Incertum hoc eſt, & à grauioribus auctoribus explosum.

Scythas à Magogo Iaphethi filio genus ducere, ſecundùm Ioſephum.

Myſtici Gogi & Magogi qui ſint.

Hoc tamen non impedit, quin regio illo à prædicto Iaphethi filio dicta Magog, Iudææ comparatione ſit Aquilonaris ſiue Septentrionalis. Certum enim eſt, (vt in commentario capitis 38 Ezechielis conſtabit) vniuerſas illas nationes, quæ in eo capite recenſentur, vt partes illius exercitus inibi deſcripti, Antiochi imperio fuiſſe ſubiectas, & Iſraeliticæ terræ vicinas: nec minus certum eſt, Moſoch & Tubal (quæ cum terra Magog coniunguntur) eſſe etiam reſpectu Iudææ Septentrionales. Et ex Plinio ac Ptolomæo conſtat, vnā ex præcipuis Syriæ vrbibus proprio nomine Magog Syriacè nominari. Quare vrbem aliam Magog inueſtigare velle (cùm hæc & certa ſit, & in eo ſitu conſtituta, vbi opus eſt) id meo iudicio vanum eſt. Præſertim, quia vt infrà videbimus, congruentiſſimum erat de ciuitate illa eſſe ſermonem quæ Syriacè *Magog*, græcè *Hierapolis*, nec non *Bambyce* vocatur.

Vbi Magog vbinam fuerit.

De nomine Gog quæſtio.

De nomine autem *Gog* nulla alia nobis eſt cognitio, niſi quod reperiatur apud Ezech. c. 39. & 38. & Apocal. 20. Si verò aut regio aut natio foret aliqua huius nominis: id in aliis Scripturæ locis reperiretur, opinor, & aliquod extaret veſtigiū apud inſignes Geographos, vt Strabonē, Ptolomæū, Plinium: apud quos tamen nulla huius nominis mentio eſt. Nec ſatis eſt, nomen aliquod in aliqua inueniri prophetia, & genti alicui vel Principi applicari, vt inde colligamus id nomen fuiſſe illius gentis vel Principis propriū, cùm pateat ſæpe in prophetiis aliqua fingi elegantiſſima nomina: vt apud Iſaiam, *Ariel, & Cymbalum alarum*.

Videri probabile nomen Gog ab Ezechiele ſapienter fuiſſe confictum.

Illa igitur mihi in mentem venit ſuſpicio, nomen Gog ſapienter ab Ezechiele Propheta fictum; tanquam id, à quo nomen Magog ſit deriuatum. Quamuis enim Magog fuerit proprium filij Iapheti nomen (à quo videtur appellata Magog terra illa, vbi Magog ciuitas condita eſt) verùm qui Hebraicè literaturę peritus ſit, facilè aduertet nomen Magog eſſe deflexum à nomine Gog addito *Mem*: quod ſonat idem, quod apud Latinos *à* vel *ab*. Et ſicut Græci à Conſtantino deriuant Conſtantinopolin, ſic Hebræi vel Syri à nomine Gog deriuare poſſent nomen ciuitatis Magog. Itaque ex formā ipſa nominū aptè effingi poteſt, Gog eſſe quaſi ſubſtantiuum, Magog verò adiectiuum. Quantum verò elegantiæ in hac viſione lateat, dicemus infrà.

Obiectio proponitur ac ſoluitur.

Obijciet tamen quiſpiā, nomen Gog multò eſſe vicinius nomini *Goth*, quod proprium Gothorū eſt. Certè S. Ambroſius libro 2 de fide cap. vlt. hanc Ezechielis propheriam de Gothis exponit, qui Imperiū deuaſtarunt, cuius etiam explicationis meminit Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis in Geneſin. Reſpondetur, licèt ex ſoni affinitate, & ingenti ſtrage, quam Gothi in Imperio ediderunt, hæc ad eos propheria accōmodetur; euidens tamen eſſe, de illis nec Ezechielē, nec Apocalypſin loqui. Etenim Chriſtianæ religioni non adeò grauis Gothorū oppreſſio extitit, ſicuti Diocletiani perſecutio; nec potuit illa auferre ex vrbe Roma publicum Chriſtianæ religionis vſum; nec mille pacis anni ante illam Gothorum inuaſionem præterierant; nec ita breuis fuit, vt opus erat ad veritatem eorū Apocalypſeos verborū, *Poſt hæc oportet illum ſolui modico tempore*: nec verò fuit poſtrema perſecutio & grauiſſima omniū, quibus Chriſtiana Eccleſia affligenda erat. Præter hæc, nulla ratione cum ea explicatione cohæret, quod ait Ezech. c. 38. 1. vbi Gogum appellat terrā Magogi. Conſtat enim Magogum (cuius mentionem facit Propheta in ſenſu proximo) eſſe regionē Iudææ finitimam: ſicuti & in ſuperioribus perſtrinximus, & in eius capitis commentario latiùs explicabimus.

Pro

Nomina Gogi & Magogi cùm ab Ezechiele, tum à Ioanne accipi per analogiam ad Antiochi bellum.

Pro noſtræ ergo ſuſpicionis expoſitione primùm noto (id quod ex ſuperiori commentario infertur) tam apud Ezechielem, quam apud Apocalypſin vſurpari nomina Gogi & Magogi per analogiam ad bellum illud, quo Antiochus oppreſſit Iudæam: quare tam in præcipuo Ezechielis, quam in Apocalypſeos ſenſu reſpiciendum imprimis eſt, cuinam in Antiochi bello nomen Gogi, & quam ob cauſam: cui verò nomen Magogi tribuatur.

Nomen Gogi apud Ezechielem Antiocho tribui.

Secundò aduerto, in proximo Ezechielis ſenſu nomen Gogi Antiocho haud dubiè tribui. Ad cuius explicationem in præſenti non diſputo, ſed ſuppono potiùs, proximum illius prophetiæ ſenſum eſſe de Antiochi perſecutione in populum Iſraeliticum ſæuiente. Quo ſuppoſito, facilè cernitur, in eo bello per Gogum ſignificari principem. Primò enim textus ei non ſemel nomen principi dat. Deinde cuinam ea verba dici poſſunt, *Tu & multitudo tua*, niſi totius exercitus duci & imperatori? Præterea ex Hieronymi applicatione manifeſtum eſt, non dubitaſſe ſanctum Doctorem, quin Gogi nomine princeps illius belli ſignaretur. Applicat enim Magogi nomen ad hæreticos, nomen verò Gogi ad hæreſiarchas, aut hæreticorum principes. Scio diuerſe id applicari a Ticonio & Auguſtino lib. 20. de Ciuitate c. 11, quem multi ſequuntur) vbi Magogi nomen tribuit dæmoni, qui eſt improborum princeps; & nomen Gogi vniuerſo Satanæ exercitui. Sed in hac explicatione nonnihil eſt, quod infra amplectemur: quod verò in ea Hieronymo contrarium eſt, nempe Magogum eſſe principem, id eſt, dæmonem; id nulla ratione cum Apocalypſi poteſt conſentire. Dæmon enim Gogum & Magogum ſeducit. Vnde Magogus dæmon eſſe poteſt. Quæ etiam ratio militat contra Proſperum, qui in dimidio temporis c. 4. quod dici ſolet, Gog eſſe *tectum*, & Magog *de tecto*, ipſe de dæmone tecto atque detecto exponit: obſeruans priùs fuiſſe Gog, id eſt, tectum, cum erat ligatus, poſtea verò fore Magog, id eſt, detectum, cum exibit & ſeducet Gentes. Hæc tamen explicatio cum Apocalypſeos filo ſtare non poteſt.

Auguſtini opinio de Gogo & Magogo.

Gog & Magog etymologia.

Sub nomine Gogi non de ſolo principe, ſed de exercitu etiam eſſe ſermonem.

Tertiò, quamuis Gogi nomen Antiocho adſcribatur: in hac tamen loquutione ſermo non eſt de ſolo principe ſiue imperatore, ſed de ipſo cum vniuerſo ſuo exercitu. Simili enim phraſi cum dicimus, Turcam in Rhodon inſulam ſiue in Melitam irruere, non de ſola Turcarum Imperatoris perſona, ſed toto etiam ipſius exercitu loquimur. Et mihi quidem planum fit, Ezechielem hac ratione loqui; vt illius prophetiæ contextum legenti conſtabit. Vnde Ioannes per alluſionem ad Ezechielis vaticinium ait, dæmonem, vbi ſolutus fuerit, ſeducturam gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ, τὸν Γὼγ καὶ τὸν Μαγώγ. Vbi obſeruandum eſt, nonnihil difficultatis in ipſa grammatica ſeſe offerre. Græca enim vox, quæ reſpondet Gentibus, neutra eſt: articuli tamen, quos Ioannes apponit Gogo & Magogo, maſculini ſunt. Sed facilis eſt reſponſio: quia in Apocal. nomen Gogi, quod principem ipſum ſignificat, pro toto ipſius exercitu per Synecdochen ponitur: ſic enim frequenter loqui ſolemus. Atque hac ratione idem eſt Gogus, atque numeroſus Gogi exercitus. Quid verò ſit Magog nondum explicaui.

Magogi nomen quo modo apud Ezechielem ſumatur.

Quartò, apud Ezechielem non ſumitur Magogi nomen pro vrbe, ſed pro illius principe eiuſque exercitu, quemadmodum & nomen Gogi: quippe tam in Ezechiele, quam in Apocal. præponitur Magogo Græcè maſculinus articulus; ſicuti & Gogi nomini. Quapropter neceſſe eſt vtrumque nomen eodem accipi modo. Hinc tamen non infertur, quod aliquis voluit inferre: nimirum per duo iſthæc nomina Gogum & Magogum deſignari duos reges diuerſo, quos aſſerunt Antichriſto præcipuam opem laturos. Nituntur huius opinionis auctores in eo, quòd Apocalypſis hos duos reges perſpicuè diſtinguere videatur: ait enim draconem, poſtquam ſolutus fuerit, ſeducturum τὸν Γὼγ καὶ τὸν Μαγώγ. Huic tamen argumento paulò inferiùs faciemus ſatis. Primum enim ſtabiliendum eſt, hos non duos eſſe reges diuerſos.

Gogum & Magogum non duos eſſe reges diuerſos.

Id autem imprimis probatur: quia ſi diſtincti eſſent, ſequeretur inde Ezechielem non facere mentionem belli à Magogo aduerſus Dei populum inferendi: ſolùm enim nominat in obliquo Magogum;

A aſſerens Deum ſibi dixiſſe, *Pone faciem tuam contra Gog, terram Magog*, & quamuis in nonnullis codicibus legatur, *contra Gog & terram Magog*, coniunctio tamen & nec in Vulgata correcta, nec in Hebræa, nec in Chaldæa, nec in manuſcriptis correctis reperitur: atque ex ipſa prophetia conijcitur haud obſcurè, vaticinium illud non contra duas gentes pronunciari, ſed contra vnam: ita vt Gog dicatur eſſe terra Magog, id eſt, dominus terræ Magogorum. Tametſi autem grammatica conſtructio non adeò videatur iuxta Donati aut Priſciani regulas eſſe conſtata; is tamen eſt procul dubio ſenſus. Illud enim epitheton, quod ſequitur, *Principem capitis Moloch & Thubal*, non conſentit cum accuſatiuo *terram*, ſed cum *Gog*, vt patet ex capite 39. vbi repetitur *Vaticinare aduerſum Gog, & dices, Ecce ego ſuper te Gog principem capitis Moſoch & Thubal*. Cumque in ſequentibus capitibus nominentur gentes ac nationes, quas Gogus ſecus in bellum ducit, nulla fit inter eas Magogi mentio; nec enim diuerſi ſunt Gogus & Magogus, ſed eadē omnino gēs: & ſolùm nominatur poſteà Magog ſemel nempe cap. 39 numero 6. vbi legimus,
B *Immittam ignem in Magog*: ibi tamē LXX. non legunt Magog, ſed Gog: quod argumento etiam eſt, vtrumque pro eodem ſumi. Ac demum ſi prophetia aduerſus duos reges diuerſos enunciabatur, iniuria videbatur fieri Magogo, quòd tam parui duceretur, altero eius ſocio toties repetito. Hoc fortaſſis fundamento innixi plures & graues auctores exiſtimarunt, Gogum & Magogum non eſſe gentes diſtinctas, ſed eandem omnino nationem. Id enim manifeſte ſupponunt Ticonius, & ex illo Auguſt. l. 20. de Ciuit. c. 11. nec non Primaſius, Ambroſius, Beda, Ansbertus, Haymo, Rupertus, & Galatinus l. 5. de arcanis c. 12. Hi omnes vna voce aſſeuerant, id ipſum, quòd Auguſtinus, videlicet, *Si vtrumque nomen referamus ad inimicas gentes, ipſa ſunt Gog, id eſt, tectum, quia in eis nunc includitur dæmon: & Magog ipſa erunt, id eſt, de tecto, quando in apertum odium erumpent*. Quibus ex verbis manifeſtò elicitur complures eſſe atque graues auctores, qui Gogum & Magogum pro eadem gente accipiendos eſſe ſtatuant.

Fit ſatis obiectioni ſuperius facta contra doctrinam prædictam.

C Nūc reſpondeamus oportet ad id, quod nobis opponitur nempè eas in Apocal. diſtingui, cum de dracone dicitur, *ſeducet gentes, τὸν Γὼγ καὶ τὸν Μαγώγ* ſi tamen ſuppo namus Gogi nomen eſſe tertium, apparet mox non eſſe neceſſe, vt particula & duas hic res diuerſas coniungat: ſæpè enim eſt hexegetica ſine expoſitiua: idque in ſacris Literis frequentiſſimum eſt. Atque ſicuti Ezech. hexegeſeos cauſa, cùm dixiſſet, *contra Gog*, ſubiecit, *terram Magog*, vt poſſet minùs obſcurè intelligi, quē principem atq. nationē nouo gogi nomine ſignaret. Sic Ioannes ſimili hexegeſi nomini τοῦ Γὼγ, addidit καὶ τοῦ Μαγώγ.

Duplex proponitur difficultas.

Supereſt tamen duo explicare. Primum eſt, quorſum Ezechiel volens de Antiocho verba facere, & de bello, quod ipſe Dei populo erat illaturus, potiſſimum expreſſerit, illam eſſe principem ſiue dominum Magogi, quæ eſt ciuitas Græcis dicta Hieropolis, & Bambyce? Alterum, cur finxit nouum Gogi nomen, vt illo principem Magogi, eiuſque exercitum deſignaret.

Prima explicatur difficultas, cur ſcilicet Ezechiel de Antiocho verba faciens, eum appellet principem Magogi.

Ad primum ergo quamuis Antiochus aliis etiam vrbibus maioribus; aut ſaltem non minoribus dominatus fuerit, & quamuis Hieropolis ipſius Imperij metropolis non fuerit, vt tamen de illo bello inſtituerD tur ſermo, nihil potuit congruentius excogitari, quàm vt princeps ille tanquan Magogi dux conſideraretur. Etenim inter alia bella, quæ quondam aduerſus Iſraeliticum populum excitata ſunt, illud vnum eo fuit animo ac fine geſtum, vt veri Dei cultus tolleretur, & Iudæi ad idololatriam compellerentur. Propterea igitur, & quia in eo ipſo bello figurandæ erant perſecutiones, quas paſſura erat Chriſti Eccleſia: Spiritus ſanctus in ſuis Prophetis ſingillatim ad belli illius prædictionem deſcendit, ſicuti in aliquot Ezechielis & Danielis capitum commentariis planum fiet. Concinnè ergo & eleganter fingitur Magogi princeps magnam illam perſecutionem aduerſus Iſraeliticum populum ſuſcitaturus. Certum enim eſt, Magog fuiſſe idololatriæ metropolim in toto Antiochi Imperio. Patet hoc imprimis ex ipſo Hieropoleos nomine: ſic nāque vocabatur a templorū multitudine, vt Ptolomæus in quarta Aſiæ tabula adnotauit, vbi 7. ſolùm expreſſit inſignes Sy-

Magog vrbs idololatriæ metropolis.

Vrbs Magog cur fuerit appellata, Hierapolis.

Digitized by Google

riæ ciuitates & secunda earum est *Hieropolis à multitudine templorum sic appellata à Graecis, cùm proprium ipsius nomen sit Magog.* Et Plin.l.5.c.23.affirmat Magogi nomen esse proprium illius vrbis nomen Syrum,& subdit,*prodigiosa ibi colitur Derceto.* Constat autem idolum Derecetum fuisse humana facie,cetera piscem. Et fortè idem erat;qui in S. Literis appellatur Dagon; dag enim significat piscem. Quare & idolum illud traditur infernè piscis habere figuram. Quamobrem facile est videre,ad illius significationem belli,quod Antiochus non solùm vt tyrannus & hostis, sed etiam vt acerrimus idolorum cultor fuerat Iudæis illaturus , vt eos compelleret ad Magogi vrbis idololatriam sectandã;pereleganter agi in illius belli vaticinio de eodem Antiocho tanquam de vrbis Hieropoleos principe. Atque hoc ipsum repræsentari constat in eo, quòd Magogi nomen masculino genere eidem Antiocho tribuatur: sicut Gallus Galliarum regem Hispaniarum Hispanus significat.

Idoli Derceti figura qualis fuerit.

Quid lateat mysterij apud Ezechielem sub nomine Gogi & Magogi.

Verùm enimuerò non hìc prophetiæ elegantia substitit:longiùs progressa est,dissimulans Magogi nomen, & Gogum & Magogum substituens.Qua in re primum dissimulatur aliquo modo, quis esset princeps persecutionem illam contra Israelitas excitaturus : sic enim Spiritus sanctus expediens esse iudicauit, sicuti in aliis id genus prophetiis. Etsi autem obscuritatem nonnihil temperauit,addito verbo illo, *terram Magog*, adhuc tamen obscurus remansit de Antiocho sermo: siquidem ita pauci id obseruarunt post tot sæcula , quæ ab illius prophetiæ complemento præterierunt. Secundò,quod nomini *Magog* prima detrahatur syllaba nempe *Mem* cum suo puncto ; id quidem in Hebræo parum efficit discriminis. Nam significatio illius syllabæ *Mem* est eadem , quam latinè habet præpositio *à* vel *ab* : atque idem est,*Ioannes Stunica*,quòd *Ioannes à Stunica*. Verùm hoc paruum discrimen peculiarem in se continet elegantiam : denotat enim, Gog esse quasi nominis fontem,& originem,& Magog esse deriuatum. In quo innuitur,originem idololatriæ quam Magogi vrbs profitebatur,nec non belli à Magogi principe contra veram religionem suscepti non esse aliam,quam quæ nomine Gog significatur, nempe esse tectum , siue domicilium diaboli.Etenim ex eo, quòd homines sese in diaboli ditionem & potestatem miserè dent,oritur, vt dæmon ipse illos ad nefandam sui adorationem , & ad eorum , qui idololatriam damnant , persecutionem alliciat. Et quanuis nomen Gog expresè non totum hoc significet,(solum enim denotat tectum siue domum:) verùm facile est animaduertere, Magogi principi non ob aliam causam nomen tecti siue domicilii imponi , nisi vt dæmonis habitatio esse diceretur. Nec primus ipse nominis huius etymon obseruaui : hæc enim est antiquior ac receptior eiusdem nominis expositio, scilicet eos appellari Gog siue tectum, in quibus tanquam propria in domo habitat dæmon. Sic docent Ticonius, Augustinus l.20.de Ciuit.c.11.Primasius,Ambrosius,Beda, Ansbertus, Haymo,Rupertus,Galatinus l.5.de arcanis cap. 12. & alii multi.

Quod sit discrimen inter nomen Gog, & Magog.

Quid mysticè figuretur in nomine Gog.

Quinam mysticè vocentur Gog.

Vtrùm Magogi significatio ad apertam persecutionem congruenter referatur.

Fateor,hos omnes auctores pariter asserere, Magogi significationem ad apertam persecutionem esse referendam: quia Magog sonat de tecto , & tunc gentes de tecto exeunt , quando in apertum odium erumpunt. Ceterùm id,quod addunt, meo iudicio violentum est & minimè necessarium.vt enim Magogi nomen applicetur Antiocho, multò congruentius est , ipsum esse Magogi dominum , quæ ciuitas idololatriæ sit metropolis. Quare Magogi bellum erit illud , quod Antiochus tanquam Magogi dominus , atque adeò vt idololatriæ fautor gerebat: Quod si D.Augustino in mentem venisset, sensum proximum illius vaticinii spectare ad persecutionem , quam Antiochus aduersus Israelem excitauit , atque ciuitatem Magog fuisse vnam ex præcipuis Syriæ,cui ipse Antiochus dominabatur, eamque vrbem in ea prouincia fuisse idololatriæ metropolim : si hæc, inquam, Augustino in mentem venissent , proculdubio non quæreret mysterium nominis Magog in etymologia : nam in reipsa multò aptius mysterium huiusmodi solidatur.At in ficto nomine, quod illi est inditum Magogi nomine in Gogum commutato,qui videtur esse illius deriuationis fons,ibi quidem etymologiæ ratio eleganter habita est,sicut in omnibus nominibus,quæ mysterii causa finguntur;

Sunt qui velint,ideo duo nomina Gogum & Magogum coniungi, vt duo belli genera Ecclesiæ inferenda innuantur, occultum alterum , alterum apertum.quia Gog significare potest tectos hostes , Magog vero detectos. Sed licèt multi fuerint, qui asseruerint,Magog significare persecutionem in apertum prodeuntem : adhuc tamen violenta est eiusmodi explicatio. Transgreditur enim ab hoc termino , *de tecto* , qui est ablatiuus cum præpositione,ad participalem modum verbi *detego*, Et quanuis dici possit , qui de tecto prodit , in apertum prodire:vox tamen *Magog* solùm sonat *de tecto* vel *à tecto*. Et quidem discursus ille duplicis hostium generis,ex quibus alterum tectum, alterum retectum sit; nec in Antiochi , aut etiam Antichristi tempora,nec in ipsius textus seriem & consequutionem quadrat : cum ibi Gogus à Magogo , vt diximus , nequaquam distinguatur.

Vtrùm in duplici hoc Gogi & Magogi nomine duplex belli genus Ecclesiæ inferendum figuretur.

Nonnemo etiam in horum nominum mysterio philosophatus fuit , in persequutionibus aduersus Ecclesiam excitatis singulorum fidelium inimicos esse domesticos eorum , iuxta illa Christi redemptoris nostri verba, *Inimici hominis domestici eius.* Sed quamuis violentum non sit,si vox illa *de tecto*, ad domesticos referatur: hæc tamen Ezechielis mens esse non potest. Nam Antiochus, eiusque exercitus, de quibus Propheta in sensu proximo loquitur,non erant Israelitici populi domestici. Ad hæc, etsi præcipuus sensus belli Gogi & Magogi apud Ezechielem est de persequutione à Roma ethnica aduersus Ecclesiam excitanda;& in Apocalypsi de Antichristi bello:in his tamen sensibus attendenda est proximi sensus ab Ezechiele intenti analogia; nempe comparatio , qua vtitur Propheta, dum Iudaica tangens Christiana respicit.

Alia mystica expositio circa eadem Gogi & Magogi nomina expenditur.

Ex dictis potest facili negotio intelligi, in præcipuo Ezechielis sensu per Gogum denotari Romanos Imperatores ethnicos, & vniuersum idololatrum imperium contra Christianam Ecclesiam belligerantium:in Apocalypsi verò significari eodem Gogi nomine totum Antichristi exercitum, & quicunque ab illo decipiendi sunt. Vtrobique autem per Magogi nomen non aliam assignari gentem ab ea, quæ per Gogum denotatur: sed in Gogi quidem nomine innui eam gentem esse dæmonis domicilium;at in nomine Magogi, illud peculiariter addi, eos propterea in Ecclesiam sæuire, quia dæmonis habitatio sunt.

TEXTVS.

Vers. 8. Et ascenderunt super latitudinem terræ; & circuierunt castra Sanctorum & ciuitatem dilectam.

COMMENTARIVS.

Cur dicatur Gogi & Magogi exercitus ascendere super latitudinem terræ.

VERBA illa, ASCENDERVNT SVPER LATITVDINEM TERRÆ] præcedentibus respondent,nimirum Gogi & Magogi exercitum ex innumerabilibus Gentibus esse conflatum. Nam numerosissimi exercitus proprium est,latissimum terræ spatium occupare.

CIR-

Digitized by Google

A CIRCVIERVNT CASTRA SANCTORVM ET CIVITATEM DILECTAM] Hæc verba multi indiscriminatim accipiunt, quasi idē omnino sint castra Sanctorū & ciuitas dilecta. Beatus certè Augustinus vtrumque exponit de Dei Ecclesia per totum orbem diffusâ. Facit, quòd Catholica Ecclesia rectè nominatur *Castra Dei*, quia est Ecclesia militans, recte etiam ciuitas dilecta dicitur, quia *Diligit Dominus portas Sion*. Ribera tamen §. 68. ait germaniorem sibi explicationem videri de locis Iudææ & ciuitatibus Ierusalem: quia certum existimat, Henochum & Eliam in Iudæa esse prædicaturos, & in ipsa Ierosolyma occidendos. Quarè existimat præcipuum bellum Antichristi tempore gerendum in Iudæa fore aduersus Ecclesiam, & nationes hostiles de Scytharum regione esse venturas contra eos præsertim Christianos, qui in Iudææ locis, & in Solymorū vrbe degent. Atque hunc ait esse verum ac germanum Ezechielis sensum c. 38. & Ioannis Apocalypseos 20.

Castra Sanctorum & ciuitas dilecta, num pro eodem usurpanda sint? Ribera expositio.

In hac ipse explicatione, vt verum fatear, minime conquiesco. Ezechiel enim non agit directè de Antichristi, sed de Romanorum Imperatorum ethnicorum persequutione. Deinde Antichristi persequutio, de qua Apocalypsis agit, vniuersalis futura est aduersus totum Ecclesiæ corpus, ac proinde crudeliori bello & immaniori caput Ecclesiæ Romam exagitabit. Et quidem cum Apocalypseos argumento valde cohæret, vt hoc in loco nomen ciuitatis dilectæ tribuatur Romæ. Nam terrena Ierosolyma suprà iam reprobata ac repulsa mansit ad finem capitis 9. & Ecclesia ad Gentilitatem cō migrauit. Non dubito Iudæos sub mundi finem fore ad Christum conuertendos post Antichristi persequutionem: semper tamen Roma Catholicæ Ecclesiæ caput extitura est. Quare semper illa ciuitas erit Deo dilecta. Quod autem de instauranda Ierosolyma, deque Iudæis eò conuenturis dicitur, nescio quàm certum sit. Esto tamen, id ita fore: magna quidem Iudæorum conuersio post Antichristi mortem futura videtur. Quapropter nulla ratione consentit, vt quod de Antichristi exercitu dicitur ciuitatem dilectam obsessuro, ad Ierosolymam referatur. Porrò qui eam sibi mentem semel induxerit, vt Agni nuptias capitis 19. celebratas, credat esse Christi nuptias cum Romana Ecclesia, ceterarum Ecclesiarum capite: næ ille haudquaquam duditabit, hîc dilectam ciuitatem pro Romana Ecclesia accipi. Et consequenti etiam ratione castra Sanctorum dicentur reliquæ peculiares Ecclesiæ, quæ Romam vt caput venerantur. Nam loquendi ratio alludit ad veterem Ierosolymam, & ad reliqua Iudææ loca munitissima: sub ea enim similitudine de Roma, ceterisque Christianorum Ecclesiis agitur. Quare cap. 21. Roma, vt infrà videbimus Hierosolymæ nomine compellatur. Obsidio verò, de qua textus hic loquitur, non est solum intelligenda de materiali Romæ, & reliquarum vrbium obsidione: sed de præsentissimo discrimine, grauissimisque angustiis, in quas sunt Christiani redigendi, sublatâ de medio publicâ Christianæ religionis professione, quæ angustiæ tantæ erunt, vt *in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.*

Impugnatur superior expositio.

Ciuitatis dilectæ nomine Romam significari.

B

Quenam hic appellentur castra Sanctorum?

TEXTVS.

C *Vers.* 9. Et descendit ignis à cælo, & deuorauit eos: & diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris;

10. Vbi & Bestia & Pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.

COMMENTARIVS.

RIBERA nu. 69. & Viegas sectione 2. §. 16. contendunt, verba illa, *Descendit ignis de cælo*, accipienda esse vti sonant. Multò tamen aliter Augustinus l. 20. de ciu. c. 12. *Bene intelligitur*, (inquit) *iste ignis de cælo de ipsa firmitate sanctorum. Firmamentum enim est cælum, cuius firmitate cruciabuntur peccatores ardentissimo zelo; quoniam non potuerunt attrahere Sanctos Christi in partes Antichristi. Aut si appellauit ignem ipsam plagā, qua percutiendi sunt Ecclesiæ persequutores, veniente iam Christo; ij nempe quos viuentes inueniet super terram, quādo interficiet Antichristum spiritu oris sui; non est hoc vltimum suppliciū eorum.* Hactenus Augustinus. Nec difficile est cernere, sanctissimi Doctoris mentem in primā expositionem, quæ allegorica est, propēdēre.

Hic ignis è cælo descensurus virum materialiter, vt sonat accipiendus sit?

Ego igitur cum Augustino censeo, Apocalypsin in præsenti de mystico agere igne, sed aptissima cælestis ignis allegoria est, quod significatum fuit in cælesti igne, qui super Apostolos die Pentecostes descendit. Etenim si proprius gratiæ legis spiritus ille est, vt proprij ignis in ignem diuini spiritus conuertatur, vtque eiusmodi igne Deus se à suis hostibus vlciscatur: ad diuini operis colophonem & ad vltimam Euangelicæ efficacitatis demonstrationem in illis viris sanctissimis exhibenda, qui sunt Antichristo restituri, minimè est ad rem materialis ignis, qui omnes Ecclesiæ hostes absumat: sed vt cælestem diuini spiritus ignem Deus è cælo in mundum depluat: quo suis seruis ac familiaribus vberrimam suorum donorum copiam elargiatur, vt Apostolorum instar terram igne mystico inflamment; & ad Christi ditionem redigant. Concordat hic sensus cum igne illo, quo Roma ethnica arsit: de quo c. 17. & 18. nec non cum illo, quem ore eiectabant duo testes c. 11. Atque hic est Ecclesiæ persequutionum finis, & dignissima Apocalypsi prophetia. Et quanuis nonnullis hic sensus nimiū fortassis mysticus videatur; huiusmodi tamen obiectioni latè satisfeci notat. 23. proœmialium; & mihi quidem euidens est, in Apocalypsi plagas nouissimas, & quæ horribilem primo aspectu vindictam sonant, de mystica vindicta esse accipienda, vt pluribus in locis ostensum iam est. Iunat ignis allegoria iuxta Origenis, Ambrosij, Augustini, & Gregorij explicationem, qui de charitate interpretantur: & de Spiritus sancti doctrina exponunt pariter idemmet Origenes: & Ambrosius,

Pars negatiua pro vera statuitur.

D

De quo igne sermo hic sit.

Digitized by Google

nec non Hilarius & Hieronymus. Nec desunt, qui ipsissimet sanctis viris terram suo spiritu accendẽtibus, ignis appellationem tribuant; vt Arnobius atque Hieronymus. Denique quod alijs in locis est diuini verbi gladius, idem hic cælestis ignis. A

Victoriam de Antichristo comparandã in Romanæ Ecclesiæ gloriam ac triũphum redundaturam.

His, quæ dixi, duo libet adnectere. primum est, si Antichristi bellum contra Ecclesiam præsertim Romanam est exarsurum, victoriam ac vindictam mysticam de Antichristi sectatoribus sumendam in Romanæ Ecclesiæ gloriam potissimùm vergere. Nam si Roma est dilecta illa vrbs, quæ erat obsessa, eadem item Roma est, quæ non obsidione solùm liberatur, sed triumphatrix etiam & suorum hostium inflammatrix euadit. Alterum, quod dictis adiungo, illud est, hoc igne mystico non Gentiles modò, sed Iudæos etiam & Hæreticos exustũ iri. Omnes enim coniurabunt pariter Antichristi tempore aduersus Christianã Ecclesiam. Quare inter Gogi & Magogi milites, Iudæi etiam numerantur. Et tunc implenda illa B. Pauli prophetia ad Rom. 11. Totum scilicet Israelem conuertendũ & saluum forè. Cùm autem certum sit, post Antichristi persequutionem, de suis hostibus Ecclesiam triumphaturam, & sub Euangelij vexilla gentes omnes cogendas, totum hoc breuiter & eleganter perstringitur in hac allegoria ignis è cælo descensuri & Gogi ac Magogi exercitum deuoraturi.

Igne hoc cæli mystico & Gentiles, & Iudæos & Hæreticos accensum iri.

Præditus sensus mysticus de igne confirmatur.

Hunc sensum allegoricum magnopere confirmant verba, quibus Ioannes de hoc loquitur igne, ait enim, *Ignis à Deo de cælo*: quod idem est, atque ignis cælestis ac diuinus. Verbum autem *deuorauit* vsurpat Apocalypsis c. 11. 5. agens de igne ex duorum testium ore prodeunte. Iam in eo, quòd ignis de cælo descendat, alludo fit ad pristinum illud miraculum, quando ignis sæpè decidit è cælo, *& deuorauit holocaustum*: quod perinde erat, atque oblationem sanctificare. Compertum verò est, ignem altaris holocausti fuisse è cælo miraculosè demissum: ad quem ignem in hoc loco alluditur, sicuti etiã in pedibus ex ære ignitis c. 1. & c. 10. sed præter hęc, in naturalibus ignis proprietatibus mirifice reperitur ad allegoricam hanc significationem proportio, quarum tamen applicationem, ne longior sim, supersedeo. B

Difficultatis nodus cõtra nostram expositionem constr ctus laxatur.

Dicet tamen quispiam, non cohærere, vt cùm agitur de supplicio cælitus Gogo & Magogo inferendo, ad mysticum sensum confugiamus. Nam si Gogus, vt suprà dicebamus. Antichristum & eius exercitum repræsentat: dubium non est, quin Antichristus sit in æternam damnationem ruiturus: qua de re nullus fidelium dubitauit. Cum ipso autem quis neget multos ex ipsius sceleris & administris in sua obstinatione persistentes pariter fore damnandos? Respondetur mysticam hanc vindictam, de qua in Apocalypsi sermo est, haud dubie respicere ad Ecclesiastici triumphi tempus post ipsius Antichristi internecionem. Quamobrem, quando sermo de cælesti igne instituitur, non agitur peculiariter de Antichristi persona, sed de numerosa hominum multitudine, qui & ipsum sectaturi sunt, & Ecclesię bellum illaturi: hi enim in Gogi & Magogi exercitu denotantur. Et verò perspicuum est, de illis textum agere: non de Antichristo, aut de ijs, quos in suam ipse perniciem secum trahet. Nec enim ait *deuorauit eum*, sed *eos*, agens nimirum de ingenti multitudine, de qua paulò ante sermo præcesserat, hisce verbis, *Exibit & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog & Magog, quorum numerus est sicut arena maris.* C

Verbum deuorauit eos, *ad quos sit referendũ.*

Ex his igitur manifestè deducitur, *deuorauit eos*, referendum esse ad innumerabilem exercitus multitudinem. Quibus adiungo, dæmonis solutionem & plurimarum gentium seductionem interpositu Antichristi expletum iri. itaque Antichristus non ex seductis erit, sed seductor potiùs ac veterator, & fidissimus Satanæ minister. Imò verò, quoad hoc, adeò pari consensione dæmon & Antichristus conspirabunt, vt vtraque comprehendatur sub draconis figura, qui Gentes in fraudẽ illecturus soluetur. Quod autem textus ait, *Ignis à Deo de cælo deuorauit eos*, referendum est, vt patet, ad eos, qui in errorem à dracone seducti, cogendi sunt, vt bello infestent Ecclesiam. Supplicium verò de Antichristo sumendum includitur meo iudicio in ijs, quæ mox subijciuntur, *& diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris.* Nam ob maximam dæmonis & Antichristi coniunctionem pro eodem reputantur, quasi esset diabolus humana carne indutus: Hispane, *Vn demonio encarnado*, qui dæmon pariter atque homo esset. Aut fortasse Antichristus & ipsius ministri in æternum perituri nomine Bestiæ & Pseudoprophetæ significantur, vt statim dicemus.

Vltio de Antichristo sumẽd. quibus in verbis includatur.

Ignem è cælo descendentem d: animarum conuersione fore explicandum, ex ipso contextu probatur.

Iam, quòd ignis è cælo descendens & infinitam illam multitudinem deuorans, ad animarũ conuersionem sit referendus, efficaciter ex ipso cõtextu probatur huiusmodi enim vindictam de Gogo & Magogo sumendam proxime consequitur vniuersalis iudicij dies, non interposita Ecclesiæ fælicitate post magnam persequutionem euentura. Credibile autem non est, post horribilẽ illam persequutionẽ non esse subsequuturum maximæ felicitatis cumulũ, vberrimam animarum conuersionis messem, & glorioſissimũ Ecclesiæ in hoc sæculo triumphum ante sempiterna illa æternæ beatitudinis trophæa. Si ergo certum est triumphum ingentem ingenti persequutioni successurum: is sanè significatur eo effectu, quem cælestis ignis præstiturus est. Quippe ad efficacissimam aliquam conuersionem adumbrandam congruens valde est huiusmodi allegoria. vt in alijs sacrarum Literarum locis, & in hac ipsa Apocalypsi videre est. alioqui silentio inuolueretur omnino glorioſissimus sæuissimæ illius persequutionis finis in hac vita futurus, de quo fine & fructu non dubitabunt sapientes, & qui diuinæ prouidentiæ consuetudinem non ignorant. D

Diaboli detrusio in stagnum ignis vtrùm per anticipationem sit hic posita?

ET DIABOLVS, QVI SEDVCEBAT EOS, MISSVS EST IN STAGNVM IGNIS ET SVLPHVRIS] Ribera § 73. notat, hoc per anticipationem dictum, & auctores affert Ambrosium & Augustinum. Ego tamen non video, quorsum eiusmodi anticipationem accersere opus sit. mox enim sequitur extremi iudicij dies: & aprè ante iudicium ipsum intelligitur diabolus in stagnum ignis detrudendus. Nam, quòd nondum eò deturbetur, dum Christianæ militiæ Ecclesia durat; id ad fidelium exercitationem sapienter à Deo permittitur. Quapropter vbi nullus homo in mortali hac vita superstes sit;

tunc

Digitized by Google

A tunc veriſſimè intelligitur dæmon ad inferos deturbandus. Quare, cùm omnium hominum mors & reſurrectio debeant iudicium ipſum præcedere: nulla eſt anticipatio in eo, quòd ante generalis iudicij deſcriptionem deſcribitur dæmon in ſtagnum ignis detruſus.

Ribera quidem, qui exiſtimat abyſſum, vbi dæmon ad Antichriſti vſque perſequutionem in vinculis eſt retinendus, eſſe infernum ipſum; dicere poſſet, iteratam ipſius incluſionem poſt Antichriſti cædem eò dirigi, vt tempus, quod duraturus eſt mundus poſt extremam illam perſequutionem, Eccleſia pace & tranquillitate fruatur, atque hic forſan eſſe poteſt ſenſus detruſionis huius, quem Apocalypſis in præſenti commemorat, quantumuis inferorum carcer ab abyſſi cuſtodia diuerſus ſit. Quòd enim prius carcer ſub putei profundiſſimi ſpecie, nunc autem in ſtagni igniti figurâ depictus ſit, ideo fortè fit, quia poſt primam alligationem erat aliquando ſoluendus: poſt ſecundam verò non item. Et inferorum quidem locus proponitur tanquam carcer, vnde nunquam euaditur; quia *in inferno nulla eſt redemptio*. At abyſſus ita concipitur, quaſi locus, vnde hoſtis ſuggeſtiones & tentationes emergunt, vt locuſtæ capitis noni.

Mihi tamen magis placet, vt dæmonis in inferos deturbatio referatur ad conſummationem ſæculi. Qui verò hoc per anticipationem dictum putant; in eo nituntur, quòd detruſionem in inferos exiſtiment eſſe ſententiæ in iudicio latæ exequutionem. Ad quod tamen facilè reſpondetur, qui ad inferos ſunt in extemo illo iudicio damnandi, omnes iam antè ibi fuiſſe, vt norunt Theologi. Iam,
B ſi hæc verba non de dæmone ſolùm, ſed etiam de Antichriſto loquuntur (quem ita ſibi ſimilem redditurus eſt dæmon, vt dæmonis ipſius nomen ad Antichriſtum etiam extendatur, quaſi dæmon humanâ indutus naturâ eſſet:) tunc non modò nulla continetur in his verbis anticipatio; ſed aliqua etiam in eis eſt poſtpoſitio. Ignis enim, qui præcedit eſt Spiritus ſancti ignis myſticam ſumpturus vindictam de Eccleſiæ perſequutoribus, cùm eos ad veram fidem ac religionem conuertet, hic autẽ myſticus ignis mortem Antichriſti non antecedet, ſed ſubſequetur. Verùm, ſi iſte eſt ſenſus legitimus; congruenter vindictæ myſticæ addita eſt ſeueritas ſupplicii in Antichriſtum immittendi, cùm enim generatim dictum fuiſſet cæleſtem deſcendiſſe ignem, & eos ſanctificaſſe, qui Eccleſiæ prius erant infenſi: expediens fuit adiungere, ſanctificationis illius neutiquam fuiſſe participem Antichriſtum, cui diaboli nomen tribuitur. Nam Antichriſtus miſſus eſt in ſtagnum ignis cum Beſtia & Pſeudopropheta, de quibus ſuprà c. 19. 20.

Dæmonis deturbationem in inferos ad conſummationem ſæculi eſſe referendam.

Dæmonis ipſius nomen ad Antichriſtum poſſe extendi, vtpote ad ipſius dæmonis perſimilem.

Sed omittamus nunc hunc de Antichriſto ſenſum: fortè enim aptius eſt, vt in verbis ſequentibus de illo habeatur ſermo: & ſub diaboli nomine dæmonem ipſum dumtaxat intelligamus, qui fuit per draconem figuratus. Quo ita ſuppoſito, mox ex ipſo contextu cernitur, finem mundi fore, ſimul atque perfecta de Antichriſto victoria comparetur. Nam triumphus de crudeliſſima illa perſequutione adumbratur ſub ſpecie vindictæ cæleſti igne exercendæ: quam vindictam illico in ipſo contextu ſequitur ſæculorum conſummatio. Quippe dicitur draco in inferos deiiciendus, & cum hac dæ-
C monis detruſione in infernum coniungitur vniuerſalis iudicij dies.

Finem mundi fore vbi perfecta de Antichriſto victoria comparetur.

Quanto verò temporis interuallo cæleſtis ignis perfectam vindictam ſit ſumpturus de illis, qui ab Antichriſto ſeducti Chriſtianam perſequentur Eccleſiam, id quidem non exprimit textus. Ribera. §. 70. B Hieronymum ſequutus affirmat, & iudicij diem quinque & quadraginta poſt diebus futurum, iuxta id, quod ex quodam Danielis loco nonnulli referunt. Poſtea tamen id reuocat in dubiũ Ribera: ac demum n. 72. ſubiungit, valde eſſe probabile, poſt deuictum Antichriſti exercitum ſeptẽ annos integros vſque ad extremum iudicij diem futuros. Id quod colligere vult Ribera ex Ezech. 39 9. Ceterum legitimus horum locorum ſenſus, quibus huiuſmodi computationes nituntur, longe eſt diuerſus: vt de Danielis loco diximus c. 11. not. 3. & de loco Ezechielis dicemus in illius capitis commentario. Alij afferunt quoddam Sibyllinum oraculum, vt ſibi perſuadeant ab Antichriſti morte ad diẽ iudicij annos trecenos quinquagenos interfuturos: quem numerum alij ad ſeptingeteſimum annum duplicata ratione extendunt. Verùm ex his opinionibus nulla certo aliquo fundamẽto ſtabilitur, & ex hoc quidem loco illud ſolùm colligimus, mundi finem futurum ſtatim ac igne cæleſti myſtico Eccleſia de Antichriſti perſequutione perfectè triumphet. Sed hæc ignis allegoria non probat perſequutorum repugnantiam annis aliquot non fore duraturam, quia igne etiam cæleſti mundum Apoſtoli & eius ſectatores inflammarunt, cùm tamen mundi conuerſio aliquot annorum centenarijs durauerit. Cur autem gehenna appelletur ſtagnum ignis & ſulphuris? ſuprà iam diximus
D cap. 19. 20.

Vtrùm poſt deiectũ Antichriſtum poſſit certum aliquot temporis interuallum deſignari quo finito extremũ mox iudiciũ ſit futurum.

VBI BESTIA ET PSEVDOPROPHETA CRVCIABVNTVR] Hæc verba bifariam poſſunt accipi. Primò, vt ad mundi finem dæmon in eum detrudatur carcerem, in quẽ etiam duæ Beſtiæ cum illo priùs in Eccleſiæ perniciem conſpirantes coniectæ ſunt. Quia Beſtiæ illæ, vt c. 13. vidimus, figurant ſuperbiam Romani Imperij ethnici, nec non ſapientiam carnis. Quando autem Catholica Eccleſia perfectè Romanorum ſuperauit Imperium, ablegatâ prorſus ex ipſius finibus inanium Deorum ſuperſtitione; tunc duæ illæ Beſtiæ dicuntur ad inferos deturbatæ, vt c. 19. 20. expendimus. Et tunc etiam draco (qui tertius erat ex coniuratis) non ſimul cum illis fuit incluſus, ſed ſeorſum in Abyſſi puteum coniectus: vnde poſt mille annos exeundi ſibi poteſtas permiſſa eſt. Quare nunc, quando poſt Antichriſti perſequutionem aut in conſummatione ſæculorum dæmon in ſtagnum ignis inijcitur; dicitur in illud ipſum ſtagnum fuiſſe immiſſus, vbi Beſtia maris ac Beſtia terræ cruciabantur, & in ſæcula ſæculorum cruciabuntur. Qui ſenſus illud ſolùm ſuprà dictis addit, vt ſingillatim exprimat, de quo ſtagno ſit ſermo; & aduertat pariter, diuinâ tandem iuſtitiâ ac virtute draconem cum duplici Beſtia coniungi: vt plectantur ſimul, qui in Eccleſiæ perſequutionem ſimul conſpirarunt.

Duplex horũ verborum ſenſus propoſitur. 1. ſenſus.

Alter eorũdem verborũ ſenſus.

Huic tamen ſenſui alter poteſt adiungi; nimirum vt per Beſtiam maris & Pſeudoprophetam) quę

Digitized by Google

est terræ Bestia) in quibus c.13.& 19.Romanum Imperium ethnicum & carnalis veterum ethnicorum sapientia figurabantur; designetur nunc imperium Antichristi & carnalis item postremorum persequutorum sapientia.In quo nonnihil videmur eorum opinioni concedere, qui in maris Bestia Antichristum adumbrari autumant.Fortè aliquis existimet,si istheç explicandi ratio admittatur,plurimum inde perturbationis & confusionis in Apocalypseos intelligentiam deriuandum. Si tamen animum adertat, facilè intelliget , absque vlla recti ordinis permistione posse secundo huic sensui locum præberi. Voluit enim Apocalypsis indicare, Antichristi tempore antiquos Ecclesiæ hostes mysticè reuixisse.Si hoc igitur fuerat in Apocalypsi significandum,quis non videat, in eiusmodi discursu ritè comprehendi mysticam hanc marinæ Bestiæ & terrestris resurrectionem in extrema Antichristi persequutione? Cum hoc autem egregie consentit,vt cùm peruenitur ad glorioſum Ecclesiæ triumphum in vltima persequutione obtinendum,asseratur pariter,sicut persequutio prima desijt in vtriusque bestiæ proiectionem in stagnum ignis,& in draconis simul sub abyssi puteo inclusionem,nec non in reliquorum mysticam occisionem gladio Christi faciendam:ita etiam persequutionis Antichristi exitum fore,vt qui seducti sunt,cælesti illustrentur igne,& seductores ipsi (nempe nouæ maris & terræ Bestiæ & draco,qui ex abysso prodierat) æternis inferorum ignibus discrucientur.Hunc sensum Apocalypsi dignissimum iudico,& pulchre cõtinuat, quod priùs fuerat dictũ de mystica bonorum & malorum resurrectione post mille annorum religationem.Quod autẽ Ribera & plures alij existimant,eandem scilicet numero Bestiam,cuius mentio c.13.& c.19. antecesserat,esse illam,quæ post mille annorum alligationem in stagnum ignis deturbatur,hoc quidem Apocalypseos ordinem perturbat,& totius libri seriem & quasi neruos violenter incidit. A B

Vers. 10. *Quo sensu dicantur Bestia & Pseudopropheta die ac nocte cruciandi.*

CRVCIABVNTVR DIE AC NOCTE IN SÆCVLA SÆCVLORVM] Mirè ac nouè in inferorum pœnis videtur fieri diei ac noctis mentio.Et quamuis multi latis esse putent, si dicant *die ac nocte* esse loquutionem,quæ idem sonat,ac semper:ipse tamen suspicor,diem esse referendum ad Beatorum claritatem,& noctem ad inferorum tenebras:significationem autem esse, vtrâque ex re æternum & grauissimum tormentum ad damnatos redundare.Neque enim solùm eos torquet propriæ sortis miseræ & infelicis obscuritas,sed etiam rabies ac furor ex suorum aduersariorum claritate ac felicitate conceptus.

TEXTVS.

Vers. 11.Et vidi thronum magnum & candidum:& sedentem super eum; à cuius conspectu fugit terra & cælum, & locus non est inuentus eis.

COMMENTARIVS.

Extremi iudicij descriptio exordiatur.

EX triumpho glorioſissimo, quem Catholica Ecclesia de Antichristi persequutione actura est, gradum facit Ioannes ad vniuersalis iudicij figuram. Primùm ergo describit Iudicis thronum; quem depingit tanquam amplissimum pariter atque lætissimum;hoc enim est, *magnum & candidum.* C vbi pro candido Græcè legitur λεῦκον,id est,*album*,per solennitatis & lætitiæ significationem: eiusmodi enim significatio in Christi resurrectione tribuitur Angelis in albis sedentibus. Deinde addit Ioannes ea verba; *A cuius conspectu*)nimirum sedentis super thronum)*fugit terra & cælum,& locus non est inuentus eis.*Quæ verba Augustinus l.20.de ciu.c.14.& cum eo Primasius,Beda,Aretas,& Ribera hic existimant,de vera cæli & terræ commutatione in meliorem statum esse accipienda.Atque ita notat Augustinus,hoc per præoccupationem dici:quia peracto iudicio, & non antè, fiet supradicta mutatio;per quam verè dicentur cæli antiqui & antiqua terra disparuisse.Quamuis enim non sint vere interitura,sed in statum meliorem commutanda: hoc tamen satis est,vt antiqui cæli & terra antiqua figurentur,quasi nouis cælis & terræ nouæ cedentia.Sic Augustinus & qui eum sequuntur.

Quo sensu dicantur calum ac terra fugisse à conspectu sedentis in throno. D. Augustini & aliorum expositio.

Et quidem quod attinet ad huius doctrinæ intelligentiam,quo scilicet sensu cæli ipsi ac terræ elementum sint in melius commutanda,sapienter id ab Scholasticis Theologis disputatur, & explicatur.Quod verò spectat ad ipsam doctrinam,nihil in ea innouare est animus. Sed agendo de Apocalypseos explicatione,nullâ aliorum declaratione reiectâ, licet nouo interpreti expendere, quænam germanior explicatio videatur.

Expenditur & examinatur predicta explicandi ratio.

Mihi ergo imprimis durius apparet,vt vera cælorum ac terræ renouatio hic Apocalypseos verbis significetur.Nec video,quorsum hic per anticipationem agatur de illa cælorum & elementorũ D instauratione,quam docent Theologi.nec satis percipio,quorsum spectet renouatio illa ad id,quod manifeste in præsenti contextus significat. Etenim visio hæc siue figura eiusmodi fuit,vt cælum ac terra prorsus ex oculis euanescerent.Non quod ita,vt sonat,id esset complendum; sed quia ita fieri opus erat ad mysterii ipsius significationẽ. Nam quod in aliquo ænigmate dipingitur aut figuratur, non est ita ad strictã veritatis libellam exigendũ, vt omnino accipiatur,ac sonat : sed ita vt eiusmodi visio seu pictura sit congruentissima ad eius mysterij,quod intenditur,significationem. Si ergo eiusmodi fuit repræsentatio,vt cælum ac terra omnino aufugerent,mysterium quidem in hoc significatum non videtur esse de cælorum atque elementorum renouatione,id quippe ad grauissimum illud iudicium non est ad rem,nec recte actus ille figuratur cælorum ac terræ fugâ.

His addo;non hic solùm,vbi nouorum cælorum atque nouæ terræ mentio non fit,sed nec c.21.1. vbi incidit noui cæli & terræ nouæ mentio,ænigmaticum esse sensum de cælorum & elementorum renouatione.Nec ad huiusmodi sensum facit,quod ibi adiungitur,*& mare iam non est*; vbi textus ipse discrimen inter terram ac mare assignat:ait enim terram fore nouam,sed mare nusquam fore, siue

nouum

Digitized by Google

A nouum seu vetus. Ex quo non obscurè colligitur, eorum verborum significationem non esse eam, quam textus præferre videtur; sed aliud peculiare mysterium. Nam si directè de materiali elementorum renouatione sermo esset, neutiquam diceretur, mare iam non esse. Verùm de eo loco constabit, cùm ad eum perueniamus.

In præsenti autem non agit textus de ea renouatione, aut de nouis cælis aut terrâ nouâ: sed illud ait; à Iudicis in throno sedentis conspectu cælum ac terram funditus euanuisse. quod cùm dicatur tanquam ad ipsam iudicij actionem consentaneum, proprium picturæ huius atque visionis sensum eum esse reor, vt tanta illius iudicis integritas, tanta iuris, & æquitatis ratio sit futura, vt nullus ibi sit mysticorum cælorum fauor aut auxilium, nulla terræ mysticæ commiseratio, sed solùm ius atque æquitas, vt vnusquisque secundum propria ipsius opera iudicetur. Notandum ergo est, per cælos mysticos congruenter figurari cælestem potestatem, quam Christus redemptor noster ministris Ecclesiæ ad dimittenda peccata concessit, & virtutem pariter Sacramentorum, nec non Sanctorum intercessionem, qui antè quàm ad ipsum iudicij actum peruenirentur (loquor autem de vtroque iudicio tam vniuersali, quàm particulari) aduocatorum officio fungebantur, id quod cælorum influxu atq; illapsu fit. Hæc tamen omnia in extremo iudicio disparebunt. Prætereà si per terram mysticam significatur, quod sancti viri cũ terrena Adami natura cõmune habent: sub huius terræ nomine denotari videtur misericordia, qua secundùm humanæ naturæ conditionem tangi deberet pater in filij ærumna, vxor in viri, frater in fratris. Nec enim solùm hæc naturæ iura ac vincula solent homines in
B suorum miseriis ad pietatem & ad clementiam commouere, verùm etiam, si eiusdem aut patriæ aut regionis sint, hæc vna ratio homines ad pietatem propensos solet aliorum doloribus & calamitatib⁹ percellere. Ceterùm in extremo illo ac formidabili iudicio, hæc omnia, quæ cæli ac terræ nomine adumbrantur, ex oculis omnino auferentur, & nec cælum (quod vulgò peccatorum dici solet pallium & integumentum) vlla scelera conteget, nec tellus miserum peccatorem alicubi poterit abscondere. Ad cuius mysterii significationem concinnè & eleganter finguntur cælum ac terra ex iudicis in throno sedentis conspectu fugisse: ita vt nihil aliud spectantium oculis obiiceretur, quàm & iudicis thronus & personæ ab ipso iudicandæ, & libri etiam, ex quibus iudicium ferendum est.

Auctoris expositio de cælorum ac terræ fuga à iudicis sedentis conspectu.

Quid hic terra nomine figuretur.

ET LOCVS NON EST INVENTVS EIS] Ribera §. 75. obseruat, in sacris literis dici solere, locum non inueniri ei rei, quæ suo in loco non inuenitur. Mihi tamen magis placet, si eiusmodi loquutione asseratur, ita eam disparuisse, vt frustra quæratur vbi sit: quia nullibi est.

TEXTVS.

Vers. 12. Et vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni, & libri
C aperti sunt: & alius liber apertus est, qui est vitæ, & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundùm opera ipsorum.

COMMENTARIVS.

DISPARVIT cælum ac tellus (vt iam vidimus) vt qui iudicandi erant, nec cælum nec terram in suũ implorare possent auxilium. Ad hæc, mortui omnes parui atque magni absque vlla ætatis exceptione aut discrimine ad vitam reuocati sunt, & ante iudicis thronum expositi, vt propriam singuli sententiam audirent.

Porrò de libris, qui aperti sunt, variè philosophantur Doctores. Augustinus 20. de ciuit. c. 14. ait, librum vitę esse librum, qui cuiusque vitam & actiones contineat. futurum enim per diuinam potentiam, vt vniuscuiusque opera mirâ celeritate cernantur. Quod autem textus ait in multitudinis numero, *Libros fuisse apertos*, hos libros asserit B. Augustinus esse Sanctos, quia in illis planum fiet, quę præcepta Deus impleri iusserit. Hanc expositionem multis impugnat Ribera § 76. & 77. & certè eã esse violentam constat. Pro Augustino tamen stat, ipsius textum fuisse mendosum, sicut & alios nõnullos, atque pro *liber vitæ*, habuisse, *liber vitæ vniuscuiusque*: vt facile cerni est ex ijs, quæ & ibi notat Viues, & Beda hìc. Fuit insuper opus, vt liber hic à reliquis distingueretur. Cùm autém ad iudicium iu-
D ris & facti scientia necessaria sit, viuum ius Augustinus in ipsis Sanctis constituit. Si tamen sanctus Doctor non legeret, *Liber vitæ vniuscuiusque*, nulla ratione expositionem illam sequeretur. Nam statim num. 15. quod additur, *Quicunque non sunt scripti in libro vitæ*, interpretatur de eorum prædestinatione, quibus æterna conferetur vita.

Quinam sint hi libri, qui aperti esse dicuntur?

B Augustini expositio.

Hieronymus Danielis 7. significat duos in iudicio libros reserandos, vnum bonorum operum, qui erit penes Deum, alterum malorum, qui penes dæmonem. Et librum bonorum operum appellare videtur librum vitæ. Vnde Pererius Danielis 7. infert librum malorum operum aptè vocari librum mortis. Quod autem Augustinus & D. Thomas aiunt non dari librum mortis; intelligendum esse ait de libro, qui apud Deum sit. non quòd in Deo non detur exactissima reproborum notitia, sed quia iustam ob causam ea notitia non dicitur liber mortis, vt docet S. Thomas 1. p. q. 24. a. 2. Verùm hæc quoque Hieronymi expositio non satis facit. quia duos tantùm libros considerat: cum tamen textus libros in plurali exprimat, & deinde ab iis diuersum vitæ librum designet. Constat autem ex aliis sacrarum Literarum locis, & ex hac ipsa Apocalypsi, librum vitæ aliter vsurpari, quam pro bonorum libro.

Expositio B. Hieronymi.

Digitized by Google

Tertia expositio de libris ante iudicem apertis.

Viegas sectione 2.§.17.librum quidem vitæ exponit de libro prædestinatorum,sed libros qui in plurali numero dicuntur aperti,asserit esse libros reproborum,cùm autem qui saluantur,sint pauci, & qui damnantur multi,ideo prædestinatorum librum esse vnicum;reproborum verò libros multos,id quod sequenti etiam sectione confirmat.Sed meo quidem iudicio concionatur,non explicat. Nec enim verisimile est,reproborum libros ab Apocalypsi primo loco reponendos.

Quarta expositio.

Alii plures illos libros interpretantur de factorum libris.Nec deest, qui existimet, singulos singulorum libros seorsum considerari.Fauet huic explicationi Pererius Dan.7.l.8. notat enim in militia tres posse assignari librorum,seu codicum differentias,alium quidem eorum militũ,qui suum militiæ nomen dant,cui respondet liber vitæ,alium in quo vniuscuiusque merita ac demerita exarentur,cui aperti libri respondent secundùm communem expositionem, alium denique, in quo militiæ leges & instituta conscribantur; & de his exponit Beda. Communi autem interpretationi de libris vniuscuiusque gestorum videtur fauere contextus,ait enim,*Iudicati sunt mortui ex iis, quæ erãt scripta in libris secundùm opera ipsorum.*Et sic exponit Ribera §.76.& 77.

Quinta expositio.

Auctoris mẽs in horum librorum expositione.

Nihilominus si verba isthæc seriò expendantur,non cogunt,vt quæ in libris descripta erant, singulorũ esse opera intelligamus.Aptissimè enim dicitur rectus iudex ex ijs,quæ sunt in legibus scripta,iudicare vnumquemque secundùm opera ipsorum.Notitia autem cuiusque operum, non opus est ad libros reuocetur,quando alioqui manifesta est. Atque multò congruentius est, si in vniuersali illo iudicio credamus,per diuinam virtutem omniũ ac singulorum opera fore conspicua, & omniũ oculis exposita;quàm si existimemus cuiusque operum notionem in libris ab Apocalypsi repræsentari.Vbi enim eiusmodi operum cognitio(quod attinet ad repræsentandi rationem)ad libros redigatur,consequitur mox consideratio, quasi omnium libri ab initio ad finem vsque perlegantur: quod longissimum nobis iudicium & infinito tempore duraturum proponit ob oculos.Hoc autem minimè consentaneum est ad figurandam supremi illius iudicij auctoritatem ac breuitatem.

Beda interpretatio ceteris præfertur.

Propter hæc mihi persuadeo,Bedam in horum librorum expositione collineasse;dum credit hos libros,quorum hic meminit Apocalypsis,esse eos,quibus leges continentur ac præcepta; ex quorũ obseruatione homines iudicandi sunt,atque hos libros non esse alios,quàm sacram Scripturam,Et meâ quidem sententia plurimum in se habet decori, si rem ita mente & cogitatione comprehendamus;quasi opus non sit alijs libris aut scriptis vt vnusquisque suam ipsius causam ac litis decisionem euidenter agnoscat.

Liber vitæ quis sit.

Liber autem vitæ haud dubiè est eorum catalogus, qui efficaciter vocantur ad gratiam. Verùm illa hîc protinus occurrit dubitatio, quorsum liber vitæ proferatur in iudicium?tametsi enim admirabilis est & inter se maximè concinens diuinæ gratiæ & liberi hominis arbitrij concordia:iudicium tamen circa singulorum opera diiudicanda potissimũ versatur,vt ipso textu edocetur. Nihilominus sapienter satis in iudicium inducitur libri vitæ mentio.Primò,quia in magno illo die, mirandum in modum extabit,& eminebit diuinæ gratiæ atque electionis conuenientia cum libero hominis arbitrio,ac proinde liquidò constabit, hominum perniciem ac ruinam ex ipsismet hominibus;salutem & incolumitatem ex vno Deo proficisci.Secundò,quia hoc pacto melius & efficaciùs eluceſcet admirabilis ac planè diuina æternæ prouidentiæ ratio & infinita virtus, quæ electos suos in gratia ac Dei familiaritate degentes de medio sustulit;ita vt nullius fieret omnino iactura,idque iuxta integra & incorrupta diuinæ iustitiæ iura præstiterit. Tertiò, vt denotetur eo die nihil cuiquã profuturum,quòd aliquando in vitæ libro fuerit conscriptus per gratiæ & Dei amicitiæ collationẽ; si tamen non in ea permansit.In quo illud obiter asserо;in librum vitæ (qua ratione in Apocalypsi accipitur)non referri solùm,qui saluandi sunt;sed omnes etiam, qui ad Dei gratiam & familiaritatem aliquo tempore recipiuntur,ex eo autem deleri,qui propter sua flagitia per finalem impœnitentiam excæcantur & obdurantur.de quo diximus c.3.n.5.

Quomodo omnes, etiam paruuli secundum ipsorum opera iudicari dicantur.

SECVNDVM OPERA IPSORVM] Cùm ad vitam sint reuocandi non solùm prouecti ætate homines, sed paruuli etiam omnes,alicui fortè injciatur scrupulus, quinam omnes verè dici possint secundum sua ipsorum opera iudicari?Sed ex Theologiæ doctrina hic scrupulus euellitur,quippe Adami peccatum nobis etiam imputatur,quatenus in eo vt in capite continebamur virtute, & Christi etiam Redemptoris nostri merita nobis similiter applicantur, quando in Christi filios per iustificationem regeneramur.atque ita paruuli etiam secundum ipsorum opera iudicantur.

TEXTVS.

Vers. 13. Et dedit mare mortuos,qui in eo erant: & mors & infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant : & iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum.

COMMENTARIVS.

Quo sensu sint distincta one de mari, mortis & inferni mortuis sermo sit.

IN hoc versu Ioannes(sicuti interpretes omnes supponunt)non longius procedit, sed regreditur potiùs ad eorum,quæ dixerat,confirmationem de omnium tam puerorum,quàm adultorum resurrectione ac iudicatione.Vt ergo intelligatur,nullum ab ea generali regula excipi;idcirco hic singulatim explicat,mortuos omnes à mari,morte,& inferno fuisse exhibitos;vt omnes iuxta propria opera iudicarentur.Ceterùm hæc maris,mortis,& inferni coniunctio haud exiguam in se continet difficultatem. Quos enim absorbuit mare,ijdem etiam à morte & inferno possideri videbantur. Hæc igitur difficultas plures peperit,nimiumq; subtiles,aut etiã violentas explicandi rationes. Augustinus l.20.de ciuit.c.15.affirmat,mare in præsenti pro hoc sæculo vsurpari;& mortuos maris dici illos,

Digitized by Google

A illos, quos Christus in corpore adhuc degentes inueniet; & propterea asseri hic mare suos mortuos redditurum, quia illi cum mortuis pariter iudicabuntur: *Hos ergo mortuos* (inquit) *exhibuit mare, id est, hoc seculum exhibuit homines, qui nondum obierant, & sicut inuenti sunt, ita asseruerunt. Mors vero & infernus dederunt corpora, quoniam vita reuocauerunt. Et fortasse non satis fuit dicere, mors aut infernus; sed mors propter bonos, infernus propter malos.* Hactenus Augustinus, & similiter Ticonius, Haymo, & Anselmus. 1. explanatio B Augustini.

Alius Ambrosius, qui maris nomine Baptismum intelligit, & mortuos maris ait esse electos, mortem item redditurum impiorum corpora, infernum eorundem animas. 2. explanatio Ambrosij.

Aretas existimat quodlibet elementum, quod in se continebat, redditurum: ita vt mare (id est aquæ) dent humorem, qui ad se peruenerat: mors (id est terra) puluerem, infernus (id est aër & ignis) quod ad illos perseuerat. 3. Areta.

Thomas Anglicus ait, propterea de mari agi: quia quos mare demersit pisces deuorarunt: non verò de ceteris agi corporibus, quia si illa prima resurgent. quantò magis cetera? Quare quod sequitur, refert ille ad damnatorum animas. Sic enim explicat, mors, id est, diabolus, & infernus, id est, damnatorum locus, dabunt animas, quas detinebant. 4. Thomæ Anglici.

Exigua probabilitatis ratione, quæ in harum expositionum singulis apparet, excusor, quominus eas singillatim impugnem: & quidem illud imprimis maximè refert, vt expositionem aliquam, quæ huic difficultati satisfaciat, inuestigemus. Viegas postquam refutauit Riberam, in ea sententia, vt mare dicatur corpora, quæ in se continebat, restituisse, & mors corpora in terris humata, infernus verò animas. Enimuerò nemini dubium erit, quin consentaneum imprimis sit, vt mortuorum nomen eodem accipiatur modo, siue de ijs, quos mare reddidit, siue quos Mors, siue quos Infernus, sermo sit. Ita vsurpat Ribera hoc nomen eodem semper modo, vbi aduertit, Ioanni non animas hic mortuas, sed solùm corpora vocitari, & mortuum quidem reddere, perinde esse, ac viuum restituere corpus illud, quod erat exanime. Existimat autem illos inferni mortuos nominari, quos tellus viuentes absorbuit; ceu Dathan & Abiron: sicut etiam maris mortui appellantur ij, quos mare viuos demersit: ceteros autem, qui priùs obierunt, vel occisi sunt, quàm sepelirentur, meritò morti tribui. Sic Ribera. Vellem tamen, vt in eâdem expositione persisteret. Sequenti enim versu videtur ab ea discedere, vbi nomine mortis & inferni, arbitratur significari dæmonem, qui ad temporariam mortem & æternam perducit homines, quos miseræ peccati seruituti subijcit. In quo verum quidem est, eam Riberæ mentem esse, vt Mors & infernus sequenti versu iuxta diuersum sensum accipiantur. Sed hæc ambiguitas, quam ille post alios auctores admittit, nulla ratione mihi fit verisimilis. Imò verò non in his solùm versibus, sed in cæteris etiam Apocalypseos locis, vbi mors & infernus copulantur (nempe c.1.18. & c.6.8.) duo hæc nomina in eâdem semper significatione accipienda censeo. Significatio autem, (vt vidimus c.1. & c.6.) eiusmodi est, quasi duæ personæ tragicæ inducantur, quarum prima id est mors, consideretur corpus ab anima separare, secunda verò, nempe infernus, corpora pariter atque animas deglutire, nisi infinitâ præpotentis Dei virtute eripiantur. Quamobrem magna cum energia dicitur c.6. infernus mortem pone sequi, vnde colligitur, non solùm ab inferno detineri vinctos, quos terra viuentes deuorauit, sed etiam, qui primò mortui aut occisi fuerunt, deinde humati atque corrupti. Hæc enim est significatio illius phrasis, *infernus sequebatur mortem*; vt suo loco expendimus. Quare nec Riberæ expositionem probo, quatenus Mortis & Inferni mortuos in eo distinguit, quòd mortui inferni sint ij solùm, quos terra viuos absorpsit.

Reiiciuntur præcedentes expositiones. 5. explicatio Viegæ. *Mortem & Infernum in eâdem hic accipi sic ostenditur, atq; in ceteris Apocalypseos locis, vbi coniunctim ponuntur.*

Deinde, quanuis Apocalypsis distinguat mortuos maris ab illis, quos Mors & Infernus possidebant: quos tamen infernus habebat, ab ijs, qui in mortis erant potestate, non distingui. Sic enim legimus: *dedit mare mortuos, qui in eo erant: & mors & infernus dederunt mortuos suos.* Vbi sicut maris mortui distinguuntur ab illis, quos mors & infernus retinebant, ita hi ipsi à morte & inferno detenti inter sese coniunguntur. Et verò cùm mors & infernus mente concipiantur quasi duæ immanes personæ semper associatæ, & quos occidit mors, eosdem infernus deuorare dicatur: nihil est, cur ij, quos trucidauit mors, ab inferni mortuis discriminentur. Iam, si sacrarum Literarum consuetudo attendatur, eadem ipsa sepulchra, quibus veluti in custodijs quibusdam infernus suos mortuos fingitur retinere, appellantur etiam mortis carceres atque custodiæ, & quæ inferni vocantur portæ (id est tumuli & rictus, quos infernus ad deuoranda cadauera referat) eædem in alijs sacratum Literarum locis solent etiam portæ mortis appellari. *Auctoris sententia de distinctione inter maris, mortis & inferni mortuos.*

D Supereſt solùm explicare, quid differant mortui maris à Mortis & Inferni mortuis. Asſero igitur, ad illos ipsos, quos mare viuentes deuorat, non extendi considerationem illam duplicis personæ tragicæ, Mortis & Inferni, quæ homines occidere & glutire dicuntur. Quia mare ipsum immanis satis est fera, vt homines atque etiam solidas naues absorbeat. Et sic Poëtæ & sapientes de mari tanquam de bellua immanissima loquuntur, quæ cùm irascitur, non solùm homines sed naues etiam deuorat. Sic memini me legisse in Plotino. Quamobrem cùm vulgaris fictio Mortis & Inferni non adeos extendatur, quos deuorat mare, cumq; Ioannes significare voluerit, mortuorum neminem ab hoc iudicio excipiendum, sapienter addidit maris mortuos, nō cōtentus Mortis & Inferni vinctos recēsere. *Quid differant mortui maris à mortis & inferni mortuis.*

Atque vt illud etiam obiter attingam: locus hic, cum bona Augustini venia, non solùm eorum opinioni non fauet, qui arbitrati sunt, non esse opus, vt viui omnes anteæxtremum iudicium obirent mortem: verùm etiam deducitur ex hoc ipso loco satis verisimiliter, antequàm Christus iudicaturus descendat, mortales omnes morituros. Quippe de vniuersis, qui in iudicio sunt sistendi, loquitur textus tanquàm de ijs, qui iam è viuis excesserant. Et violentum valde est, illos appellari mortuos maris, qui superstites adhuc erant. Iam, quòd nonnulli in hanc sententiam allegant ex 1. Thessal. 4.16. *Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi: deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur* *Locum hunc minimè eorū fauere opinioni, qui viuos omnes non necessario ante extremi iudicij diem morituros opinati sunt.*

T

piemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera; nullo modo eam confirmare potest. Nouerat enim rectè Paulus, tam se, quàm reliquos eo sæculo degentes, multò ante extremi iudicij diem morituros; sicuti clarè innuit in 2. ad eosdem Thessalonicenses epistola cap. 2. n. 2. Quapropter quod ait, *Nos, qui viuimus*, manifestè eos cõprehendit, quos Apostolus multis ante iudicium sæculis sciebat morituros. A

Rapi obuiam Christo in aera, quo sensu dixerit Paulus.

In his ergo verbis Paulus quasi certum statuit, *rapi obuiam Christo in aera*, euenturum, postquàm mortui & ad vitam reuocati essent. Nam de seipso & de piis fidelibus tunc viuentibus sermonem instituit. Et quidem proprietas illa sese per aëra attollendi peculiaris est corporis glorioſi, atque gloria huiusmodi est illa, quam adquirit corpus ipsum, postquàm seminatum est, vt Paulus ipse docet 1. ad Cor. 15. 36. Quod verò difficultatis occurrit, dum Paulus videtur asserere, primò reuocandos esse ad vitam, qui antea obierant in Christo; facilis ad id responsio est. Quia apud Paulum nonnullis primus conceditur locus, non vt eos aut tempore, aut ordine priores esse affirmet, sed vt significet, eos nullo modo eximendos ex generali regula omnibus præscripta. Sic vulgari locutione, si quis rogaret, num equites etiam ac nobiles viri regi vectigal penderent? aptè responderetur, illos in vectigalis solutione esse primos, id est, nullo modo exceptos. Sic etiam edixit Paulus Euangelium ad salutem esse necessarium *Iudæo primum & Græco*, ad Rom. 1. 16. vt ostenderet, nec legem, nec philosophiam posse veram animæ salutem & incolumitatem hominibus afferre. Sensus igitur est, neminem à generali illa resurrectione eximendum, quantumuis multis retro sæculis obierit: antiquiorē enim fore primum, deinceps reliquos subsequuturos, id est omnes pariter ad vitam reuocandos.

Quid sibi velit Paulus, cùm ait. Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.

B

TEXTVS.

Vers. 14. Et infernus & mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda.

COMMENTARIVS.

Vtrùm per mortem & infernum idem omnino hic significetur.

SANCTVS Augustinus existimat, in hoc versu idem omnino significari duplici illo Mortis & Inferni nomine, nempe dæmonem, quia mortis & pœnarum inferni auctor est. Similiter Ribera §. 79. & Vieg. §. 19. qui ait esse communem explicationem. Sed contrà est primo, quia si duplex esset eiusdem personæ nomen, neutiquam diceret textus, *Missi sunt*, sed *Missus est*. Præterquam quòd non videtur satisfacere ea expositio, quæ duo ist hæc nomina ad aliam significationem trahat ab ea, quam & præcedenti versu & aliis etiam Apocalypseos locis habet. Eandem ob rem minimè apta est interpretatio, quæ hic per infernum dæmones omnes, per mortē, vniuersas pœnas intelligit. Nihilo congruentior est illorum explanatio, qui per infernum illos ipsos significari credunt, qui priùs apud inferos torquebantur, quasi sensus sit, qui antea in barathro erant, illuc redituros morte sociatos, quæ ipsos semper depascat.

Auctoris sententia de Mortis & inferni significatione.

His igitur omissis, accipienda sunt duo hæc Mortis & Inferni nomina iuxta eandem superioris versus & capitis primi ac sexti significationem, videlicet pro tragicis duabus personis, quarum munus est, vt altera vitam mortalibus auferat, altera deglutiat, & subterraneis specubus siue sepulchris vinctos detineat. His ita constitutis, pereleganter finguntur hæ duæ personæ horribiles, quæ exultabant in mundo ac seriò triumphabant post vniuersale iudicium simul cum damnatis ipsis ad ignitum inferorum stagnum descensuræ. Non autem fit mentio helluonis alterius, nempe maris, quia fingitur aptissimè post iudicium nusquam deinceps fore, id quod ita figurari opus erat ad appositā ipsius mysterij seriem, vt capite sequenti planum fiet. Duæ igitur personæ reliquæ, id est Mors & Infernus, congruenter eò mittuntur, vbi per omnem sæculorum æternitatem sese in ipsis damnatis pascant. ita vt non solum vere dici possit, *Mors depascet eos*, sed etiam, *Infernus depascet eos*. Nec verò contenti erunt Mors & Infernus miserorum cæde ac deuoratione, sicuti antea solebant: sed Mors semper eos occidet, Infernus semper abscondet ac deuorabit, nec Mors vnquam illos interficere desinet, quia Infernus eos semper viuos asseruabit, quò patiantur semper ac moriantur. atque hæc est mors secunda, quam dānatis Mors & Infernus pariter inferent. Itaque Infernus & Mors in ignitum mittuntur stagnum, non vt patiantur ab igne, sed vt in æternum Dei inimicos excrucient. C

Mors secunda qua dicatur.

TEXTVS.

Vers. 15. Et qui non est inuentus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.

COMMENTARIVS.

SVPPONITVR hic, eos qui extremi iudicij die in libro vitæ scripti inuenti sunt, cum Christo pariter ascendisse Beatorum felicitate fruituros. Quanta autem eorum fælicitas ac beatitudo sit, id sequenti capite elegantissimè figuratur. Nunc verò asseritur, qui in illud album relati non fuerāt, eos in æternas inferorū pœnas fuisse deturbatos. Non defuit qui hoc vellet etiam ad innocentes pueros sine baptismo decedentes extendere. Cuius tamen assertionis contraria certa est. Atque illud meo iudicio voluit Ioannes his verbis exprimere, vt homines ex æternis inferorū supplicijs euaderent, non fuisse satis, aliquo illos tempore in vitæ libro fuisse conscriptos, si tamen sub mortem ex eodē libro fuerant ipsorum nomina in commissorum scelerum supplicium deleta. In Apocalypsi enim, vt expendimus c. 3. non appellatur vitæ liber, prædestinatorum solus catalogus, id est eorum, qui in Dei gratia moriuntur, quique in eodem vitæ libro semper conscripti sunt: verùm etiam ij omnes, qui in Dei gratiam ac familiaritatem recipiuntur, quantumuis eam postea propter sua scelera sint amissuri. Quando autem dicantur de libro vitæ deleri, id c. 3. discussimus. D

CAPVT

Digitized by Google

A

CAPVT XXI.

PROLOGVS

SIVE

DISPVTATIO

De huius Capitis atque sequentis argumento.

De duorum capitum sequentium argumento varia sententia.

TRIVSQVE huius capitis visio reuocatur ad admirandæ ciuitatis & ipsius fluminis picturam. Licet autem communis Doctorum sententia sit, in hac ciuitate & eius flumine Ecclesiam in cælesti patria triumphantem adumbrari: non defuere tamen aliqui auctores, qui existimarent hanc esse effigiem ingentis illius felicitatis, quò militans in terris Ecclesia euehenda est. Quod illi imprimis opinati sunt, qui Ecclesiã putabant nondum fælicissimo illo sabbathismo fuisse potitam, qui eidem in sacris Literis prędictus est; atque adeò illam hac requie fruituram, aut post Antichristi aduentum, aut etiam antea, de qua nonnullorum persuasione diximus c.20.not.2.in opinione nona & decima. Seraphinus igitur de Fermo sibi persuadet, saltem in c.21.haberi sermonem de Ecclesia in terris instauratâ. In capite verò sequenti de patriæ cælestis gloria. Itaque ciuitatis picturam ad militantem refert Ecclesiam sub fęlicissimo illo statu, quo ipse Ecclesiam in terris fruitura diuinat: fluuium autem de triumphante Ecclesia interpretatur. Alij sine vllo discrimine vtrumque caput explicant de fortunatissimo illo, quẽ fore existimant, militantis Ecclesię statu. Qui tamen cùm receptissimam expositorum sententiã refellere non audeant de Ecclesiæ triumphantis gloria, vt vtramque explanationem concilient, affirmant, in his duobus capitibus vtrumque à Ioanne describi, & magnam illam Ecclesię fælicitatem in terra futuram, & æternam pariter patriæ cælestis beatitudinem. Ita Vbertinus de Casalis, tractatu de septem statibus Ecclesię c.8 §.2.vbi de huius capitis agens visione, hęc habet; *Nec totaliter refertur ad Ecclesiam præsentis vitæ, nec ex toto ad statum vitæ: sed mixtim nunc ad vnum, nunc ad alium statum aptatur.* Et citat pro se Richardum. Assentitur Hortulanus in id Cant.6.3. *Pulchra es amica mea, suauis & decora sicut Ierusalem.* Vbi affert illud Pauli ad Hebræos 12.21. *Accessistis ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum;* &c. & subdit Hortulanus. *His Pauli verbis persuasus inducor vt illis accedam, qui putent, quæ Ioannes in Apocalypsi sibi visa refert de Ierusalem ciuitate sancta & noua de cælo descendente, non tantum ad triumphantem pertinere, sed etiam magna ex parte ad illius temporis Ecclesiam, in quo maxima heroum frequentia illustrabitur: qui, quoniam non mortalium hominum, sed immortalium potiùs & diuinorum vitam ad viuum expriment; ciuitas Ierusalem cælestis dici merebũtur.*

1. *opinio explicans primum caput de Ecclesia militante, alterum de triumphãte.*

Noster item Turrianus tractatu de Eucharistia aliquid dicit, in quo ostendit, horum doctorum opinionem sibi probari. Ait enim hanc Apocalypseos visionem esse exponendam de cælesti Ecclesia cum militante copulata: atque hoc ijs verbis significari, *descendens de cælo*: quia cælestis Ecclesia descendit ad eam, quæ in terris est. Hęc ille, vt verba illa, *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis*, possint de Eucharistiæ mysterio exponi. His accedit Bulengerus: censet enim de vtraque Ecclesia militante & triumphante, sed pręcipuè de triumphante verba fieri.

Abbatis Ioachimi mens.

Ad hæc; Abbas Ioachimus huic vtriusque sensus coniunctioni nonnihil fauet. Licet enim præcipuam huius capitis partem de Ecclesia triumphante declaret, priores tamen versus exponit de militante; vt illud *cælum nouum, & terram nouum.* Et quod Ioannes, ait v.2. *Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem nouam*, credit non esse referendum ad vltimam Hierosolymæ gloriam, sed ad ipsius natiuitatem. subditque, non eandem esse visionem, quam Ioannes v.10.describit; vbi ait, *Ostendit mihi ciuitatem sanctam* Ierusalem: quòd verba illa, *Vidi Ierusalem nouam*, ad peregrinãtem pertineant, posteà verò triumphans sit Ioanni monstrata. Sic Ioachimus. qui in iis etiam, quæ de triumphante exponit, videtur magna ex parte respicere ad sabathismum illum, de quo suprà. Nam duodecim portas ex margaritis applicat Ioachimus duodecim spiritus sancti Apostolis, quos ait extremis illis temporibus futuros.

3. *exponendi ratio.*

Scio, non defuisse prætereà, qui sibi in mentem induxerint, Ioannem in hac capitis 21, & 22. visione non directè voluisse depingere gloriam triumphantis Ecclesię, nec eam fælicitatem, quam in terris Seraphinus, Vbertinus & Hortulanus præstolantur: sed amplitudinem ac maiestatem, quò peruentura erat in terris Romana Ecclesia, & qua pluribus sæculis potita est, postquàm idololatria ex Romano Imperio expulsa est, & multi nationes ad Christi fidem conuersæ sunt.

Opinio explicans de militante Ecclesia, duplici argumento probatur.

Vt ergo suspicari possit aliquis, in hac vltima Apocalypseos visione depingi fælicitatem, quam in terris adeptura erat Ecclesia, duo potissimùm argumenta sunt. Primum est, quia in hac visione fit allusio ad multa prophetarum loca, quorum literalis sensus respicit eam fælicitatem, quę Ecclesiæ in terris futura erat. Sic in nouis cælis & terra noua habetur respectus ad Isaiæ caput 65.17. & caput 66.21. *Et in tabernaculo Dei cum hominibus*, ad illud Ezech.37.27. *Et erit tabernaculum meum cum eis; & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus.* Item in verbis illis, *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum*, collinea-

tur

Digitized by Google

tur similis Isaiæ locus cap.25.num.8.vbi de felicitate sanctorum in hac vita manifestus sermo est, A
sicuti ex Apocalypsi etiam constat capite septimo,num.17. Iam,quod hic dicitur, *Ecce noua facio omnia*,desumptum est ex Isaia 43.19.vbi agitur de nouitate vitæ,quæ sanctis viris in hac mortali vita conceditur;siue de noua creatura,de qua Paulus 2.ad Corinthios 5.17.

1. argumentũ ex allusione ad plurima loca, quorum literalis sensus militantem Ecclesiam respicit.

Præterea descriptio ciuitatis in quadrum & duodecim portarum eius petita est ex Ezechielis 48. vbi per allusionem ad veterem Hierosolymam,agitur de noua & mystica Hierosolyma,quam Deus erat in terris conditurus.Flumen porrò & arbores ex vtrâque fluminis ripa plantatæ ex Ezechielis 47.12.deprompta sunt.ibi enim dicitur;*Et super torrentem orietur in ripis eius ex vtrâque parte omne lignum pomiferum:non defluet folium ex eo,& non deficiet fructus eius;per singulos menses afferent primitiua,quia aquæ eius de sanctuario egredientur*,Constat autem,ab Ezechiele illic prædici felicitatem,qua fruitura erat Ecclesia in hac vita.Nam torrens ille in mare mortuum influit,eiusque aquas sanat ac fœcundat, & in eis plurimam piscium multitudinem procreat;in ipsis etiam ingentes fiunt piscationes. Quod perspicuè spectat ad ea Christi verba discipulis dicta,*Faciam vos fieri piscatores hominum*. Gemmæ insuper ac margaritæ Ioanni visæ non sub ab ijs diuersæ,de quibus Tobiæ 13.n.17.vbi per respectum ad nouã & mysticam Ierosolymam à Deo in terris instaurandam,ait Tobias ipse,*Portæ Ierusalem ex sapphiro & smaragdo ædificabuntur,& ex lapide pretioso omnis circuitus murorum eius.*

Ad hæc;si Salomonis templum typicè Romanam figurauit Ecclesiam: quid mirum de illa mysticè dici,quod de templo illo proditur 3.Reg.7.10.*Fundamenta de lapidibus pretiosis.* Et Isaiæ 54.(vbi sermo instituitur de militante Ecclesia)nu.11.dicitur.*Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Saphiris;& ponam Iaspidem propugnacula tua,& omnes terminos tuos in lapides desiderabiles.* Verba insuper illa,*Ciuitas non eget sole,neque luna,& porta eius non claudentur per diem & nox vltrà non erit*, desumpta sunt omnia ex Isaiæ 60.qui de Ecclesia à Christo in terris erigenda loquitur.Deniq; vix est aliquid ex ijs, quæ Ioannes à se visa refert in hac vltima Apocalypseos visione, cui non inueniatur quid simile in illis,quæ de militante Ecclesia fuerant prædicta. B

2.argumentũ ex aliquot huius visionis partibus, quæ in triumphantem Ecclesiam non ita cadunt.

Alterum argumentum est,quia legitimus sensus rerum aliquot, quæ Ioannes à se conspectas in hac visione recensет,non aptum videtur locum in cælesti patria habere. Huiusmodi est sensus in duodecim fundamentis intẽtus,nam in fundamentis illis capita fidei figurantur,vt in eorũ explicatione planum fiet:atqui fides non manet in patria.Deinde,qui sensus solet tribui verbis illis,*Ambulabunt Gentes in lumine eius*, cohæret optimè cum veritate omnino certa,nimirum Romanæ Ecclesiæ doctrinam esse accensam facem, quam Deus vniuersis Gentibus in hac vita præluxit,vt in æternæ beatitudinis diem possint tutò assequi.Eadem autem verba applicata ad lumen gloriæ,quo Ecclesia trinmphans in patria fruitur,non parum difficultatis in sui explicatione habent. Duodecim etiam portæ cælestis Ierosolymæ cùm sint illi,qui portarum vice funguntur,& ad aliorum salutem incumbunt;hoc certè munus magis est eorum proprium,qui & Ecclesiæ Sacramentis administrandis, & Euangelicæ prædicationi vacant,quàm cælestium beatorum. Si autem fructus duodecim arborum ad fluminis ripam adstantium denotant totidem Spiritus sancti fructus : inter hos quidem annumerat patientiam Paulus;quæ videtur propriè ad huius vitæ labores tolerandos spectare.Demum si per arborum folia pij ac sancti sermones significantur , aut etiam Sacramentorum administratio: sancti viri hisce foliis cunctos hominum morbos in hac vita medicantur:non verò in cælesti patria, vbi nulla est mentis ægritudo,quæ curetur. C

Vera sententia & auctoris explicatio de æterna patria felicitate vtroque in capite descripta.

Cæterùm his nihil obstantibus, asserendum est, non modò certum esse visionem hanc capitis 21.& 22. potissimùm ad triumphantem Ecclesiam pertinere, sed etiam de illa omninò in hac visione agi,nec directè de militante esse sermonem,aut in tota hac figura,aut in aliqua eius parte. Hanc ipse assertionem pro certa statuo.Primò,quia non solùm hæc est communis grauium interpretum sententia;verùm etiam ab illis tantopere stabilita,vt Augustinus lib.20.de ciuitate,c.27. exponens, quænam sit noua Hierosolyma Ionni visa,cùm ait numero secundo, *Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem nouam*,hæc proferat verba,*nouam nempe,quia per iudicium nouissimum tanta eius & tam noua claritas apparebit,vt nulla remaneant vetustatis vestigia corporibus ad incorruptionem & immortalitatem transeuntibus.* Et subdit;*Hæc de isto tempore accipere impudentia nimia est:quia illa,Absterget Deus omnem maculam,&c. tantâ luce dicta sunt de sæculo futuro & immortalitate,atque de æternitate Sanctorum,vt nulla debeamus in Literis sacris quærere vel legere manifesta,si hæc putamus obscura.* Hactenus Augustinus:cuius sententiam hac in parte grauiores omnes ferè interpretes amplectuntur.Vt autem illam nimiæ impudentiæ notam euadamus, non satis est dicere cum Bulengero, verum quidem esse de triumphante Ecclesia præcipue hic institui sermonem,sed agi etiam pariter de militante.Augustinus enim contendit,non posse ad militantem Ecclesiam applicari quod de noua hac ciuitate affirmatur. Quòd si consideremus vnam eandemque Ecclesiam ex vtrâque coalitam in hac visione describi,satis esset,aliquem intra militantem Ecclesiam contineri,vt in vrbe etiam à Ioanne hic descriptâ vere includi diceretur , atque adeò fidelem esse nullum,qui peccata perpetret. Quippe Ioannes ait c.22.3.*Omne maledictum non erit amplius*& num.15.*Foris canes,& omnis qui amat & facit mendacium.* Qui verò asserat,ex Ioannis verbis alia quidem ad triumphantem Ecclesiam,alia ad militantem spectare,næ ille rem omnino improbabilem,& nouum quendam contextum neutiquam sibi constantem comminiscatur. Nec fit satis,si magna isthæc elogia dicantur ad fælicissimum quendam Ecclesiæ statum in hac vita futurum referenda,tunc que vera esse comprobanda,quæ nunc nondum veritatis complementum assequuntur. Fingere enim quoddam tempus in quo fidelium beatorum peccet omnino nullus,id quidem perinde est ac fingere,illos reipsâ beatos esse,antequam sint. D

Superiores expositiones obiter refutantur.

Secundò Apocalypseos series ac filum euidenter probat, horum duorum capitum visionem

trium-

Digitized by Google

triumphantis Ecclesiæ propriam esse. Nam in fine capitis vigesimi, præcesserat extremi iudicij dies, & æterna damnatorum supplicia: sequitur ergo necessariò tractatio de sempiterna fælicitate ac gloria, quam electi in cælo possidebunt. Quod verò sibi in mentem induxit Seraphinus (nempe caput vigesimũ primũ, agere de ea fælicitate, quam in terra adeptura est militans Ecclesia; & caput vigesimum secundum, de triumphantis Ecclesiæ gloria) id quidem prorsus irrationabile est. Etenim cap. 21. depingitur beata ciuitas; & cap. 22. fluuius atque arbores ciuitatis eiusdem. Quis ergo non videat, ciuitatem hanc, eiusque flumen ad diuersos status neutiquam pertinere? Præsertim cùm fluuius ipse mediam ciuitatem interfluat. *Nostra sententia ex præcedentium Apocalypseos capitum contextu probatur.*

A

Tertiò, quanuis Ioachimus voluerit ad Ecclesiã militantẽ applicare verba illa c. 21. *Cælum nouum, & terram nouam*; contextus tamen exigit, vt ad triumphantem solã, non verò ad militãtem aptentur. Hæc namq; verba ex eo dependent, quod in vniuersalis iudicij descriptione fuerat dictũ, scilicet cælum & terrã è iudicis in throno sedentis conspectu fugisse. Hoc enim præmisso, mox sequitur post peractum quidem iudicium, non remansisse mundum absque cælo ac terra; vetustis enim cælis ac terra ex oculorum obtutu subtractis successisse nouos alios cælos & nouam pariter terram. Ex quo contextu planum fit, hosce nouos cælum ac terram ante vniuersale iudicium non extitisse. *Tertium argumentum pro nostra sententia.*

Quartò, in ipsomet textu perspicuè asseritur, fælicitatem hanc, quæ in his capitibus depingitur esse eam, quæ promittitur victoribus, opppsitam æternis cruciatibus, qui Dei hostes & aduersarios manent. Sic enim dicitur num. 7. & 8. *Qui vicerit, possidebit hæc. Timidis autem & incredulis & execratis & homicidis & fornicatoribus & veneficis & idololatris & omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.* Quid ergo manifestius, quàm quæ hic victoribus promittuntur, esse beatitudinem illam cælestem, qua Sancti fruuntur in patriâ. *Quartum argumẽtum.*

B

Quintò, magnitudo nouæ huius Hierosolymæ, si cum ciuitate ab Ezech. c. 48. descriptâ comparetur, dilucide ostendit, si in Ezechielis descriptione militans figuratur Ecclesia; in Apocalypsi quidem triumphantem sine dubitatione adumbrari. Quippe Ezechielis ciuitas in quadrum patet calamis 4500. qui stadia conficiunt quinque & quadraginta. At hæc Apocalypseos Hierosolyma in quadrum protenditur stadia duodecies mille. Itaque muri longitudo, quam Apocalypseos ciuitas habet, eundem dicit respectum ad longitudinem muri ciuitatis ab Ezechiele depictæ, quem dicunt, $266\frac{2}{3}$ ad vnum; & consequenter area ciuitatis Apocalypseos se habet ad Ezechielis ciuitatis aream, sicut 71 U $111\frac{1}{9}$. ad 1. Ex hoc igitur tam immẽso discrimine facilè quivis animadvertet, Ioannis ciuitatem in se complecti non vnius temporis electos, sed omnium pariter sæculorum; atque adeò non esse militantem Ecclesiam, in qua multorum sæculorum electi nunquam copulatur: sed esse triumphantem, quæ sæculorum omnium electos complectatur. *Quintum argumentũ.*

Sextò, verba illa, *Templum non vidit in ea*, non parum vrgent, vt hoc in loco non de militante Ecclesia, sed de triumphante sermonem esse credamus. *Sextum argumentum.*

Septimò, quanuis in aliquo sensu posset fortasse dici de militante Ecclesia, noctẽ in ea non esse: illud saltem, quod c. 21. 4. affirmatur, de illa verè comprobari non potest, *Mors vltra non erit, neque dolor*, neque illud cap. 22. 5. *Et omne maledictum non erit amplius*, nec quod additur num. 15. *Foris canes, & omnis qui amat & facit mendacium.* Denique quod c. 22. 3. dicitur, scilicet huius ciuitatis incolas frui semper Dei & Agni conspectu, quis non videat esse triumphantis Ecclesiæ proprium? *Septimum argumentũ.*

C

Vt ergo duo illa argumenta pro opposita sententia initio adducta dissoluamus; primum quidem plures complectitur allusiones; quarum quælibet singillatim discutienda est, cùm ad eam in singulorum verborum commentario peruentum erit. Ad id verò, quod generatim edicitur, nihil fere de hac ciuitate à Ioanne pronunciari, cui non simile quid dictum de militante Ecclesia reperiatur. respondeo, qua parte militans Ecclesia imitatur aliquo modo in perfectissimorum saltem virorum sanctimonia triumphantis perfectionem, inde posse aliqua elogia vtriusque Ecclesiæ esse communia. multa tamen sunt, vt iam vidimus, quæ Ioannes de cælesti hac vrbe testatur, nulla ratione militanti Ecclesiæ communia. *Dirimitur primũ sententiæ oppositæ fundamentum.*

Ad secundum argumentum respondeo, in supernæ patriæ descriptione ac pictura congruentissimum habere locum militantis Ecclesiæ merita: & quidem quod in terra remansit, venustè & eleganter in cælo depingitur. Sic Laurentium cum ferrea craticula in cælo solemus depingere, Catharinam cum nouacularum rota: Petrum cum clauibus: cum gladio Paulum: non solum ad singulorum distinctionem: sed etiam, vt significemus illis in cælo gloriæ ac fælicitatis segetem inde prouenisse, vnde in terris labor ac dolor dimanauit. Simili etiam excogitatione nobiles ac primarij viri in suis stemmatum parmis siue scutis solent appingere clarissima suorum maiorum insignia, quibus illi immortalem nominis gloriam sibi suisque posteris popererunt. Hinc nobilissima Cordubarum familia lineas sanguine tinctas, pro insignibus gestat: hinc Stunicæ catenas. Et generatim cernimus in scutis atque triumphis illud sublimiùs & excellentiùs eminere, quod non præmij, sed antiqui promeriti & egregij facinoris symbolum extitit. Et quanuis actio ipsa, qua præmiũ egregius quisque vir in bello commeruit, iam præterierit: dum tamen honor, dum præmium ipsum perseuerat: durat etiam gloriatio de insignium symbolo: quibus clarissimi facinoris anteacti iucundissima refricatur memoria. *Diruitur alterum.*

D

Si ergo huiusmodi ratio exprimendi præteritorum laborum insignia ac de illis sub ipsa gloria atque triumpho gloriandi, nequaquam insolita nobis aut inusitata in aliarum rerum effigie atque figura apparet: multò minùs in Apocalypsi insolita futura est: cùm liber hic symbolicus omnino sit, & allegorijs atque ænigmatis plenissimus. Quin imò in cęlestis patriæ pictura id duplici de causa decorum imprimis est. Primò, quia præmium in se ipso consideratum ob ingentem sui magnitudinem vix potest aliquibus symbolis indicari: quapropter opus est meritorum vsurpare picturam, vt ipsius *Reddĩtur cõgruens ratio, cur in hac cælestis patriæ pictura appareant non*

Digitized by Google

nulla, quæ ad militantem Ecclesiam videantur spectare.

præmii effigies aliqua proponatur ob oculos, per modum saltem proportionis, suppositâ diuinæ potentiæ ac bonitatis infinitate. Secundò, vt denotetur, maxima Sanctorum promerita (quæ non satis dignè in hac mortali vita æstimata fuerunt; iuxta illud Pauli, *Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo,*) in cælo plurimi habita, & summis præmiis esse affecta: vtque ipsorum vestigiis insistentes discamus ea maximi facere, quæ mundus aspernatur, quandoquidem hoc ipsum nostris oculis obiicit Apocalypsis tanquam immensæ illius gloriæ materiam, & meritum tanto præmio dignum. A

Quamobrem, dum opponitur; multis, quæ Ioanni ostensa sunt, significari quod in cælesti beatitudine non reperitur, ad huiusmodi obiectionem respondetur, symbola earum rerum, quæ in cælo non sunt, congruentissimè adhuc in ipso cælo depingi, vt insinuetur gloriæ magnitudo, quę strenuis obsequiis per sanctos viros in terra præstitis respondet, vt iam satis explicatũ est. Ex his verò meritorum symbolis, quæ in cælestis gloriæ descriptione recensentur, illud emolumenti maximè percipitur. nam gloriæ ipsius effigies atque pictura mirum in modum expendit nobis atque depingit ingentia gratiæ dona, quibus Ecclesia militans in vita hac mortali potitur. Huiusmodi est duodecim articulorum fides, diuini verbi & Sacramentorum administratio, iustorum vita, ipsorum operum fructus, ac mirus etiam verborum effectus. Et sanè præter generalem eã rationem, quam suprà reddidimus in singulis etiam eorum, quæ afferuntur, peculiaris congruentia reperitur. Exempli gratiâ; in duodecim ciuitatis fundamentis, quibus totidem Apostolici symboli veritates adumbrantur, nõ solùm nobis proponitur earum veritatum fides tanquam Ecclesiæ meritorum fundamentũ, verùm etiam edocemur pariter, Ecclesiæ tam militantis, quàm triumphantis fabricam & structuram supra illa ipsa fundamenta à Deo erigi ac promoueri. Quin etiam proportio & congruentia, quæ inter fundamentum atque ædificium detur necesse est, nos instruit, fundamento ex gemmis duodecim pretiosissimis iacto ædificium tali fundamento dignum niti debere, quod perinde est ac si dicatur Beatorum gloria eiusmodi esse, quasi in diuini Verbi incarnatione, passione, resurrectione & Spiritus sancti missione solidata. Quamobrem mirum non est, ciuitatem in huiusmodi fundamentis innitentem ex auro perspicuo ac pellucenti esse constructam, nec non ex pretiosissimis margaritis montes magnitudine adæquantibus. B

Quomodo fuerit veritates in duodecim gemmis figurata sint cælestis ciuitatis fundamenta.

Prætereâ fidei veritates, quæ in Apostolico symbolo continentur, verum quidem est non in cælo manere, quatenus fidei sunt obiectum (sub hac enim formali ratione, rectâ rei ipsius euidentiâ, tegũtur) manent tamen, quatenus glorioſa sunt nobilissimi huius ædificij fundamenta: ideoque cognitionis obscuritas in claritatem gemmarum, splendorem ac perspicuitatem commutatur. Atque satis hic sit nonnihil de hoc symbolo perstrinxisse, vt ex singulari aliquo exemplo eliciamus, quàm decore & conuenienter in cælestis gloriæ visione siue pictura collocari potuerint symbola earum rerum, quæ ad militantis Ecclesiæ merita propriè spectant. Quòd si id duntaxat significare velint ij auctores qui huius capitis cancellis non triumphantis modò Ecclesiæ gloriam, sed militantis etiam magnitudinem meritorum circunscribunt: ipse illis libentissimè subscribam. Verùm me illis opposui, quia illi potissimùm contendunt, in hac visione directè sermonem institui de illius status magnitudine, quò Christiana Ecclesia in terris peruentura est. C

Totam cælestis gloriæ amplitudinẽ, de qua vtroq; hoc capite agitur.

Disputauimus hactenus, vtrùm quæ Ioannes hisce duobus capitibus tractat, sint prorsus ad cælestis patriæ beatitudinem reuocanda. Nonnihil tamen inexplicatum adhuc supereſt, quod ad visionis huius argumentum conducit, & Romanæ etiam Ecclesiæ glorioſissimum est: illud autem est omnem cælestis gloriæ magnitudinem, quæ in vtroque horum capitum celebratur, singulariter reuocari ad eam gloriam, quæ in cælo Romanam Ecclesiam manet. Pro huius explicatione notandum est, glorioſam hanc ciuitatem Ioanni visam nuncupari sponsam vxorem Agni. ait enim: *Veni, ostendam tibi sponsam vxorem Agni*: vbi singula nomina singulos habent in Græco articulos. Manifestum autem est ex ipso contextu, sponsam hanc vxorem Agni esse eandem, cuius nuptiæ c.19. celebratæ sunt. vbi probauimus, de Romana speciatim Ecclesia, Ecclesiarum omnium capite, verba fieri. Et c.20. vidimus ligationem draconis precipue referri ad illiusmet sponsæ felicitatem. Draconis namque relígatio eò tendebat, vt sponsa ipsa purissimi matrimonij fælicitate tranquillè frueretur per longa illa sęcula & temporis plenitudinem, quæ mille annorum phrasi denotatur. Deinde hæc eadem est dicta illa ciuitas, quam Gogi & Magogi exercitus singulariter oppugnauit, quæque de ipsis Gogo & Magogo triumphauit fælicissimè.

Quibus ita constitutis, quisque potest nullo negotio cernere, quàm sit consentaneum, vt in hac duorum capitum extremorum pictura ac descriptione, vbi Agni sponsæ gloria cælestis adumbratur, nihil aliud significetur, quam gloriæ magnitudo, quam Romana illa Ecclesia in cælesti beatitudine possidebit. His accedit, si hæc ita sese habeant, vt mea fert opinio, multò aptiùs & cohærentiùs libri totius filum ac seriem inter se connecti, id quod optabile imprimis erat. Et sic tota demũ rei summa atque caput deuoluitur ad Romæ comparationem Theologicam cum Ierosolyma. cum quo etiam stat, Ierosolymæ nomen in hoc loco Romanę attribui Ecclesiæ: atque ita innuitur veterẽ Ierosolymam propter suam duritiem & obstinationem, qua se opposuit Euangelio, pristinum amisisse nomen, illudque Romam nouam, id est, Romanam Ecclesiam comparasse, vtpote quæ antiquæ successit Ierosolymæ in eo, quòd fidelium omnium caput ac metropolis sit effecta. D

Apocalypseos finis & scopus quò & potissimum tendat

Difficultas contra nostram interpretationem opponitur.

Dicet aliquis; primò iniuriam ceteris fidelium Ecclesiis irrogari, quòd glorioſæ huius vrbis significationem ad vnam Romanam Ecclesiam coarctemus. Præsertim cùm textus ipse vniuersis victoribus generatim promittat æternæ beatitudinis possessionem, quam beatitudinem figurat ciuitas Ioanni ostensa: dicitur enim n.7. *Qui vicerit, possidebit hæc.* Quòd si singula eorum symbolorum, quę in cælestis huius vrbis effigie coalescunt, seorsim inspiciamus: ijs omnibus significantur res cæteris etiam

Digitized by Google

A etiam Ecclesiis communes. cuiusmodi sunt duodecim fidei capita, mysticus fluuius, arborum in ripis adstantium fructus, & sic de ceteris. Secundò illa ipsa ciuitatis magnitudo demonstrat, in ea nõ comprehendi solùm Romanæ Ecclesiæ electos, sed electos etiam ceterarum mundi Ecclesiarum. Alioquin nimia exaggeratio esset, si diceremus ex vna Roma Sanctorum numerum adeò magnum fore, quanto opus est ad eam incolendam, & occupandam vrbem, cuius quadrum duodecim stadiorum millia contineat.

Ad hæc tamen asserо, me nequaquam dubitare, quin omnes ex cunctis mundi Ecclesiis electi in hac vrbe comprehendantur. Quamuis enim Rom. Ecclesia, quatenus aliarum caput distinguatur ab illis, vt caput à reliquo corpore: sed in ipsius etiam capitis decus & ornamentum cedit debita totius corporis proportio & magnitudo. Quare quando de futura Rom. Ecclesiæ gloria sermo est, iure optimo figuratur quædam ciuitas ita ingens ac lata, vt omnes Ecclesiarum omnium electos capere possit; cùm omnes sint Rom. Ecclesiæ filij. Si enim Iudæi quondam per totam Iudæam, imò etiam toto terrarum orbe dispersi, si res familiaris supperebat,) proprias Hierosolymæ domos habere gloriabantur: quantò magis prædestinati omnes se Rom. Ecclesiæ filios esse iactabunt? Quòd si omnes illius sunt filii, si ipsa vniuersorum parens, quid mirum, vbi de matris gloriæ magnitudine agitur, electos è ceteris Ecclesiis repræsentari tanquam huius filios, & ad eius gloriæ magnitudinem conducentes? Atque hæc de omniũ Christi Ecclesiarum filiis. De earum verò patribus, cuiusmodi sunt A-

B postoli & Prophetæ, cùm Rom. Ecclesia eos omnes, vt patres veneretur, eorũ doctrinam excipiat, atque obseruet: meritò potest Rom. Ecclesia gloriari, quod Apostoli & Prophetæ in ipsa vrbe Roma, veluti ciues, domum ac focum possideant; & pariter honorem parentibus debitũ inibi habeant. Hinc igitur infero, post antiquæ Hierosolymæ reprobationem, qui ex ea electi egressi sunt, nouam Ierosolymam condidisse, id est. Rom. Ecclesiam, vt cæterarum esset caput ac metropolis. Quare Romana Ecclesia cælestis omnium Ecclesiarum electos in se complectitur.

Propositæ difficultati respondetur.

Ad argumenta ergò superiùs obiecta respondeo, illis quidem rectè probari, hanc gloriæ magnitudinem in hoc loco depictam prædestinatis omnibus esse communem: non tamen probari, ingentem electorum multitudinem ad Rom. Ecclesiæ gloriã & splendorem non pertinere. Quapropter si maximus electorum numerus in Romanæ Ecclesiæ decus & ornamentum redundat (quia electi omnes aut ipsius sunt filij, aut patres) congruentissima fuit eiusmodi sacra fictio, quæ cælestem quandam Romam adeò laxam & capacem depingeret, vt omnes pariter electos posset capere.

Alteri difficultati ex dicto subinde occurritur.

Verùm hinc nobis rursus opponet aliquis, si Rom. Ecclesia accipiatur, prout reliquas comprehendit Ecclesias, sic quidem earum non esse caput, sed omnium potiùs fidelium congregationem: atque adeò perinde esse in hoc sensu Rom. Ecclesiam, atque Catholicam siue vniuersalem. Vnde quæstio videtur esse de nomine non de re, cùm disputatur, vtrum ciuitas Ioanni visa sit Rom. Ecclesia triumphans, an Ecclesia vniuersalis? Respondeo tamen, quæstionem non esse de nomine, sed de

C maximi momenti re & ad Rom. Ecclesiæ ceterarum capitis gloriam plurimùm cõducente. Etenim si visio hæc solùm esset de gloria, quò electi omnes extollendi sunt, absque vlla ad Romanæ Ecclesiæ gloriam attributione: illud solùm in extrema hac Apocalypseos parte edoceremur, quàm scilicet ingens atque excellens sit electorum omnium gloria, & quàm sit numerosa eorum multitudo futura. Sed cùm hæc omnis gloria & maximus cælestium beatorum numerus nobis repræsentetur, veluti Rom. Ecclesiæ gloria: hoc ipso instituimur, primò innumerabilis electorum multitudinis gloriam Romanæ deberi Ecclesiæ, vtpote omnium Ecclesiarum parenti, quæ suæ doctrinæ lacte fideles omnes enutriuit, & per totum terrarum orbem complures dimisit operarios, & magnum Ecclesiarum numerum vbique terrarum erexit, atque in reliquas veram religionem, verumque Christi spiritum conseruauit. Vnde tantæ fidelium multitudinis electio ac vera animi salus in Romanæ Ecclesiæ decus & ornamentum maximè cedit. Ex quo etiam admonemur, qui in terris à Romanæ Ecclesiæ obedientia se seiungat, illi ad cælorum regionem aditu interdicendum.

Quibus adducti rationibus credamus de Romana comprimis Ecclesia gloriam hic esse sermonẽ.

Ad hæc igitur omnia significanda congruentissimum extitit, vti Ioanni Romanæ Ecclesiæ magnitudo in cælo monstraretur. Nec verò id à me confictum, aut excogitatum est, vt Romanæ amplitudini videar assentari: sed quod me Apocalypsis ipsa planè doceat. Primò, quia euidens est hanc Agni sponsam, quæ hic describitur esse eandem illam, cuius nuptiæ c. 19. celebrantur. Ibi autem validis argumentis probauimus de Romana Ecclesiæ singulatim reliquarum Ecclesiarum capite habe-

D ri sermonem. Secundò, totius Apocalypseos series & acoluthia minime patitur, hanc cælestis Ierosolymæ picturam aliter vsurpari. Nam totius Apocalypseos decursus ab exordio ad hunc vsque locũ continet, vt vidimus hactenus, Theologicam quandam nouæ Romæ & antiquæ Ierosolymæ comparationem. atqui ad clausulam & complementum splendoris & amplitudinis, quam Romæ contulit cælum, mirificè congruit hic finis de futura in cęlesti beatitudine Romę ipsius gloriã.

Qua ratione sub Romana Ecclesia nomine hic cetera omnia Ecclesiæ contineantur.

Iam ad id, quod opponitur Romanam scilicet Ecclesiam, prout omnes coërcet electos, sic ab Ecclesia Catholica non distingui: respondeo, hoc ipsum, ad Romanę Ecclesię gloriam maximè conferre (loquor autem de illa, quæ omnium est Ecclesiarum caput) vt vniuersos prædestinatos complectatur, qua ratione suprà explicatum est. Non tamen eos ita complectitur, quasi vnica sit congregatio, quæ concipiatur ex omnibus æqualiter & absque vllo discrimine composita; sed veluti mater suos complectitur filios. Et verò nonnulla sunt, in quibus Romæ gloria ad reliquas propagatur Ecclesias: nam fideles omnes Romæ sunt filij, atque ipsius etiam gloria. Alia verò sunt, quorum gloria & splendor Romæ cum aliis Ecclesiis communis non est, sed singularis ipsius Romæ prærogatiua; cuiusmodi est auctoritas ac potestas supra cæteras Ecclesias, & dæmonis alligatio per mille annos respectu ad ipsam Romam facta. Cetertùm vtrâque in re directè non agitur de omnibus generatim

Digitized by Google

fidelibus aut electis:sed singulatim de Romana Ecclesia & eius gloriâ.Fateor tamen,gloriam Ecclesiæ Romana multa habere cum electorum omnium gloria communia. Quemadmodum ad amplissimæ alicuius vrbis regiæ gloriam pertinet,quòd multarum magnarumq; vrbiū metropolis & dominatrix sit,cui reliquæ quidquid in se ipsis pulcri & speciosi est,submministrare debeant. Quæ cōsideratio licèt in obliquo ad omnes regni vrbes sese extendat;directe tamen ciuitatis regiæ magnitudinem respicit.Similiter ergo directè & in recto(quod aiunt)hic nobis ob oculos ponitur glorię magnitudo,quam Romana Ecclesia in cælo nanciscetur,quæ tamen in se etiā claudit electorum omniū splendorē,& propterea tanta est huius gloriæ magnitudo,quia omnes electos cōplectitur. A

Nostrā hanc de Romana Ecclesia gloria explanationem haretici molestiam iri.

Non me latet,quantum molestiæ hæc expositio Hæreticis allatura sit. Sed ideo mihi maximè placet,quòd illis displicituram certo scio. Ex Catholicis vero,si qui erunt, quibus videatur congruentius,ne in præsenti singulatim de Roma,sed de omnibus generatim agatur,ab eis peto atque contendo,vt iis expendant in mea declaratione comprehendi quidquid ipsi expetere valerent: quod autem additur(nempe de Romanæ Ecclesiæ magnitudine dit ecte hic esse sermonem)eiusmodi esse rem,quæ & communi expositioni nihil detrahat,& illud insuper adiungat, quod summi in se momenti est,quodque ad Apocalypseos seriem ac filum maximoperè conducebat, cùm ipse nos doceat contextus hanc ipsam Agni,sponsam esse,cuius nuptiæ c.19.descriptæ sunt.

Breuis enumeratio excellentiarum ciuitatis cælestis,quas proponit Apocalypsis in his duobus capitibus. B

Excellentiæ cælestis Hierosolymæ, quas Ioannes recenset.

DIXIMVS aliquid in genere de horum capitum argumento. Iuuabit tamen breui enumeratione complecti singulas ciuitatis huius,quam Apocalypsis describit,excellentias. Notandum ergo est in hac vna pictura copulari, quidquid humanum ingenium ad alicuius vrbis fælicitatem potuisset excogitare.Et forte ad id,quod in ipso situ atque ædificiis videtur alicuius ciuitatis esse proprium,adiungitur quod terrestris paradisi proprium erat, scilicet arbusta pulcherrima & suauissima ex arboribus pendentia poma,quod in magnificis etiam vrbibus solet optari : atque vt aliquo pacto huic desiderio satisfiat,studeant incolæ intra vrbem aut in eius pomerio frondosum aliquod populetum serere.

Prima cælestis Hierosolymæ excellētia.

Excellentiæ ergo ciuitatis huius,quam describit Apocalypsis,quo ordine in textu proponuntur, eiusmodi sunt.Prima ingens claritas ,qua semper fruitur ciuitas.Vocatur autem claritas Dei,& Iaspidi crystallizanti comparatur:aduertitur etiam,in hac vrbe semper diem esse, numquam noctem, nec sole ac lunâ ei esse opus,quod Dei & Christi claritate fruatur.

Secunda.

Secunda;vrbis murus admirabilis est,totusque ex Iaspide,patēs in altitudinem quatuor & viginti humanæ staturæ mensuras.

Tertia.

Tertia;portæ sunt ingentes,ternæ in singulis quadri lateribus : & portæ singulæ ex singulis fabricatæ margaritis adeo grandibus,sicut ad ingentis portæ structuram opus erat, nec vnquam obserantur. C

Quarta.

Quarta;muri fundamenta sunt ex gemmis pretiosissimis : duodecim verò sunt gemmæ eiusmodi ex ijs quæ maximi apud homines æstimantur.

Quinta.

Quinta;ædificiorum proportio admiranda prorsus est.Ciuitas enim in quadrum est digesta,situs excelsus quidem,sed planus vndique,murus æqualiter vndique sublimis,turres in altitudinem pariter æqualem prominent.In tota denique vrbe nihil est,quod ab exactissima & æquissima architectandi ratione minimùm dissonet.

Sexta.

Sexta;ciuitatis magnitudo perquàm ingens est.Nam quodlibet muri latus in longitudinem protenditur duodecim stadiorum millibus, id est, mille quingentis milliaribus,quæ ex nostris leucis quingentas efficiunt. Cùm tamen ciuitas aliqua,cuius quadrum vnius esset leucæ, inter maximas reputaretur.Nam,Hispalis,quæ in maximarum vrbium numerum refertur, vnius leucæ quadrum nequaquam attingit.Et quamuis Hispalis quadrum vnica constaret leuca, cælestis adhuc Hierosolymæ magnitudo ad Hispalis magnitudinem se haberet sicut 250.ad 1.

Septima.

Septima ; ciuitatis platea & tota interior ipsius ciuitatis facies ex purissimo ac perspicuo auro constat.

Octaua.

Octaua;fluuius mediam vrbem interfluens adeò est admirabilis,vt eius vnda vitalis sit.

Nona.

Nona; arbores in vtrâque fluminis ripa satæ plurimum ad sanitatem conferunt; estque inibi lignum vitæ,sicut in Paradiso.Porrò arboribus ipsis folia nunquam decidunt, nec desunt mensibus noui fructus. D

Decima.

Decima;huius vrbis ciues omnes Christi & æterni Patris familiares sunt,omnes quasi regis cubicularij,qui eius conspectu semper fruuntur, *seruient illi; videbunt faciem eius,& nomen eius in frontibus eorum*;nec aliud in ea ciuitate templum est,præter Deum ipsum & Christum: atque adeò in ipsum diuinitatis arcanum atque adytum omnes eum alloquuturi & perfruituri ingrediuntur, vide cap.21. 22.& cap.22.3.4.

Vndecima.

Vndecima;nulla culpa aut pœna in hac vrbe reperitur.*omne maledictum non erit amplius*,c.22.3.

Duodecima.

Duodecima;nihil pretiosum aut æstimatione dignum huic vrbi defit,cap.21.24.26.

Decima tertia.

Ac demum ciues vrbis huius vniuersi gloriosissimè viuunt ac regnant,c.22.5.

Quid significet ingens illa lux & claritas qua cælestis vrbs fruitur.

Hæc sunt excellentiarum capita. Quanuis autem in singulorum versuum commentario explicandum nobis sit ex professo,quidquid difficultatis occurret,visum tamen est,hic obiter duodecim horum capitum expositionem percurrere. Primò ergo ingens illa lux symbolum est fælicitatis summæ à diuina dimanatæ:nam hoc denotat phrasis illa,*Claritas Dei illuminauit eam.* Quòd autem cum

Iaspi-

Digitized by Google

A Iaspide crystallo simili cõparetur, significat reflexi visus varietatem; atque etiam innuit claritatem illam non futilem & in speciem solùm splendentem; sed solidam stabilemque esse: nec tamen idcircò minus, sed potiùs magis claresce re. Quod subditur, *Nox non erit illic*; indicat fælicitatis huius lucem nunquam nocte aliquâ, aut infortunii obscuritate interturbari. Nec enim terrenæ calamitates aut ærumnæ cælestem tangunt ciuitatem; nec ipsius lux ac fælicitas ex varia temporum vicissitudine pendet, *Non eget sole neque luna*: quia ipsius fælicitas ac lux à Christo & æterno ipsius parente proficiscitur, qui nunquam ex ciuium cælestium subtrahuntur aspectu. Illud hic, quasi per transennam aduertendum, in hac etiam mortali vita per aliquam cælestis fælicitatis imitationem ad mysticam hanc claritatem aliquo modo peruenire illos, qui rerum euentis siue prosperis siue aduersis superiores effecti, animi tranquillitatem ac fælicitatem à Christo & eius Patre illustrati non amittunt.

Secundò: altissimus & pretiosissimus murus denotat cælestis vrbis securitatem ab omni hostium, id est, dæmonum impressione. Huc spectat, quod murus ex Iaspide sit, quod securitatis est symbolum aduersus dæmones, vt suo loco videbimus. Quòd si murus referatur ad eam gloriam, qua in cælo sunt fruituri, qui in hac vita veluti Ecclesiæ murum egerunt, hoc munus Sacerdotibus in terris incubuit; qui excubias pro cæteris agentes, & Missæ sacrificium atque alias pias preces offerentes, Ecclesiam vndique tutati sunt. Et cum hac significatione mirificè concinit, quòd muri altitudo centum quadraginta quatuor cubitis constet, id est, quatuor & viginti humanic staturis (vt in tractatu de mensuris sacris dicetur) nam sacerdotalis status fuit in viginti quatuor senioribus siue presbyteris figuratus. Significatur verò huiusmodi symbolo, ex eorum omnium Missis atq; orationibus cõflarum fuisse Ecclesiæ murum, qui eam à dæmonis incursionibus defendit. Sic etiam Christo Domino, Isaiæ 26.1. tribuitur muri nomen: & Ieremias vocatur murus, c.1.18. Prophetæ item muri sunt, vt patet Ezech.13. 5. lege etiam Canticor.5.7. & Isaiæ 24. fine, vbi Septuaginta legunt, *liquefiet later, & cadet murus*. Vulgatus verò legit, *Erubescet Sol & Luna*. Est autem de presbyteris, siue senioribus sermo, vt manifestè ostendunt verba sequentia: *Cum Dominus glorificatus fuerit in conspectu senum suorum*.

Murus altus & pretiosus quid significet.

B

Tertiò, portæ denotant, neminem eo ingredi potuisse, nisi per viæ sanctimoniam ac puritatem, & per charitatem atque vnionem cum Romana Ecclesia. Totum hoc innuitur in margaritis, ex quarum singulis portæ singulæ fabricatæ sunt. Consonat illud Ps.142. *Ingreditur sine macula*, & Ps.23. 4 *Innocens manibus & mundo corde*. Sin verò per portas has adumbretur eorum gloria, qui in hac vita portarum Ecclesiæ officium præstiterunt, dum ipsorum interuentu homines ad Christum conuersi sunt, rectè cum hoc stat magnarum margaritarum symbolum ad eam insinuandam vnionem, quam inter sacræ cuiusque familiæ Religiosis intercedere necesse fuit, nec non inter Euangelij ministros, qui omnes vitæ puritatem & integritatẽ in margarita adumbratas profitentur. Quòd nunquam ciuitatis huius claudantur portæ, denotat quocunque tempore siue horâ ad cœlorum portas debitè, vt par est, dispositus quis accesserit, eas patentes inuenturum. atque ideo dicitur, *Nox non erit illic*. Alluditur enim ad receptam consuetudinem, qua vrbium portæ noctu obserari solent.

Quid per portas denotetur.

Quid sit, cælestis Ierosolyma portas nunquam claudi.

C

Quartò; admirabilia fundamenta innuunt, totam cælestis huius ciuitatis fabricam & structuram in duodecim Apostolici Symboli articulorum fide solidari, atque adeò in cælo visum iri, quàm sint pretio & æstimatione dignæ huius symboli veritates. Cùm autem murus ac portæ fundamentis nitantur, in hoc ipso docemur obiter, hanc in vrbem aditum patẽre non posse, nisi illis, qui Christiana firmentur fide, atque vt nobilissimo hoc & solidissimo fundamento niteretur, opus fuit securus hic à dæmonis incursione murus.

In verbis fundamentis quid adumbretur.

Quintò: omnium ædificij partium apta inter sese proportio & æqualitas pacem adumbrat, amicitiam atque concordiam electorum omnium, cum nihil in mystico illo ædificio sit, quod absque proportione extet aut promineat.

Ædificij partium proportio & æqualitas quid innuat.

Sextò; in capacissima huius vrbis laxitate perstringitur ingens prædestinatorum numerus in æternam fælicitatem cogendus. Constat autem ex suprà dictis glorioſissimum Romæ fore, quòd electorum numerus adeò sit copiosus futurus. Quòd, verò ciuitatis magnitudo in duodecim stadiorum millium in quadrum redigatur, hoc etiam duodecim Apostolorum gloria ac decus auget. Atqui tam Apostolorum, quàm Romanæ Ecclesiæ gloria in maximam Christi Domini laudem & cõmendationem cedit. Adhæc, quadrum duodecies mille stadiorum per allusionem respicit antiquæ Babylonis quadraturam, quæ centum viginti stadiorum erat, vt ex veteri ipsius descriptione compertum est. Cùm verò Babylon Romam ethnicam figurârit: vt indicaretur, quantopere Romæ magnitudo per Christianam fidem aucta & locupletata fuerit, eleganter fingitur, si vetus Babylon viginti stadia supra centum habuit in quadrum, cælestem quidem Romam Christianæ fidei fundamentis fultam duodecim stadiorum millia in quadrum patere, quod est singula ex quatuor cælestis vrbis lateribus centuplo esse longiora, quàm Babylonici quadri latera. Quod si quadri latus centies longitudinem Babylonis superat, sequitur aream siue capacitatem decies millies esse maiorem. Si enim centenarius numerus centies replicetur, decem millia conficiet.

Ingens cælestis vrbis magnitudo quid denotet.

D

Septimò; aurum plateæ perspicuum & ædificiorum etiam vrbis, perfectissimum patriæ cælestis triumphum repræsentat, vt in chrysoliti explicatione constabit. Denotat etiam Beatorum singulos ob mutuam inter sese charitatem perfrui ceterorum omnium gloriâ & felicitate; sicuti ædificiorum singula extrinsecus possent oculis auidè ac iucundè vsurpari, si omnia ex perspicuo & pellucenti auro constarent.

Quod per aurum plateæ & ædificiorum designetur.

Octauò, vitæ fluuius indicat verissimæ ac purissimæ voluptatis copiam & affluentiam in sapientia tamen fundatam, quæ flumine significari solet. Vide caput 22.17. & pariter obserua, has aquas gratis concedi, sicut fluuiales vndæ solent.

Quid vitæ fluuius indicet.

Digitized by Google

Quid adumbrent arbusta, & singulatim lignũ vitæ.

Nonò;per superna illa arbusta,& singillatim per lignum vitæ, immortalitas & incorruptibilitas figuratur.Lege c.2.n.7.& c.22.14. vbi constat, per vitæ lignum in Apocalypsi non significari iustos ipsos.Quippe esus ipse fructuum harum arborum pro præmio tribuitur ijs,qui *lauerunt stolas suas in sanguine Agni.*Porrò hæc duo fluuij & arbusti symbola respondent verbis illis, *Beati, qui esuriunt & sitiunt iustitiam:*nempe dicentes,*Vtinam saperent & intelligerent.* A

Cælestium ciuium apud suum regem fauor & gratia quibus rebus figuretur.

Decimò;fauor & gratia apud cælestem principem tribus præsertim in rebus figuratur. Primum (per allusionem ad regis Persidis cubicularios)quòd Sancti Deo familiarissimè seruiant, ad ipsius adyta admittuntur,eiusque fruuntur conspectu. Quemadmodum Raphael Tobiæ dixit, *Ego sum vnus ex septem, qui adstamus ante Dominum*;quem locum suprà accuratiùs expendimus. Simili phrasi dixit Christus, *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Cùm huiusmodi fauore recte cõsentit,quòd Dei nomen in frontibus habeãt inscriptum:hoc autem perinde est,quasi semet omnes Dei ipsius seruos ac familiares iactare.Secundò,fortè ad eandem summæ gratiæ ac fauoris significationem conducit illud huius vrbis cognomentum,nempe *tabernaculum Dei.* Forsan enim sensus est, Deum inibi cum suis Sanctis degere,quasi in tabernaculo quodam siue tentorio ; vbi omnes sicut parens cum filiis intra vnius papilionis ambitum absque vllo alio discrimine aut diuisione continẽtur. Tertiò,huc etiam spectat,quod in ipso textu exprimitur.nullum scilicet in hac vrbe templum esse:Deus enim & Christus templi vices gerunt. Quod perinde est,ac si dicantur Beati in cælo tantopere diligi à Deo & Christo,tamque familiariter tractari,vt Deum alloquuturi in ipsummet Deũ sese insinuent.Quid,obsecro,congruentius ad summæ familiaritatis ac fauoris significationem? B

Quid sit cælestium ciuiũ frontibus Dei nomen esse scriptum.

Denique in duobus vltimis symbolis non opus est aliâ explicatione præter eam, quæ in ipsis apparet.Demum præter ea quæ hactenus indicauimus,forte facit etiam ad rem,si in muris, portis, ac fluuio contemplemus Martyrum gloriam, qui veluti Ecclesiæ muri fuerunt; Virginum etiam,quæ fuerunt quasi portæ,ac Doctorum,qui fluminis instar cælestis doctrinæ torrente spiritales plantationes irrigarunt.Atque hæc breuiter attigisse sit satis.

TEXTVS.

*Vers.*1. Et vidi cælum nouum & terram nouam : primum enim cælum & terra prima abiit,& mare iam non est.

COMMENTARIVS.

Quinam appellentur hic cæli noui? quæ etiam terra noua?

IOACHIMVS refert hæc verba ad illam sabbathismi fælicitatem,quæ existimat Ecclesiam in hac vita fruituram:atque adeò Ecclesiam eorum Sanctorum,quorum conuersatio in cælis erit,hoc in loco cælum nouum appellari, terram autem nouam ceteros dici fideles, qui per Dei clementiam saluantur.Hoc sibi Ioachimus persuadet,quia opinatur,sequentia verba, (id est,*vidi ciuitatem Ierusalem nouam descendentem de cælo*) referenda esse non ad triumphantem, sed ad militantem Ecclesiam. C

1.expositio Abbatis Ioachimi.

Posset hanc suam explicationem ex eo confirmare,quòd antiqui cœli ac terra antiqua pro materialibus ipsis cælis ac terra sumuntur. quare noui cæli ac terra noua, pro mysticis capienda videntur. Verba autem illa,*& mare iam non est*,rectè congruunt tempori illius quietis ac pacis, quam Ioachimus & eius sectatores Ecclesiæ in hac vita futuram autumant. Tunc enim prorsus aberit infidelium multitudo,quæ terrore suo turbabat Ecclesiam,& persequutionum fluctus excitabat. Adde,in Apocalypsi mare pro Gentilitate sumi.Vnde cum Gentiles omnes ad Christi fidem conuolarint, tunc verissimè dicetur,*& mare iam non est.*Quòd verò hic versus ad triumphantis Ecclesiæ gloriã reuocari non debeat,inde videtur efficaciter probari;quia cælum hoc nouum & noua terra mutuata sunt ex Isa.65.17.*Ecce ego creo cælos nouos & terram nouam*,& c.66.*Sicut cæli noui & terra noua,quæ ego facio stare coram me,sic stabit semen vestrum.* Quod si ad vtriusque loci contextum oculos reflectamus,certum videtur in illis de ea fælicitate agi,quam in terris Ecclesia militans erat possessura.

Vera Auctorũ expositio.

Nihilominus tamen dubitari non debet, quin Ioannes in præsenti de triumphantis Ecclesiæ, non de militantis fælicitate sit locutus. Primò propter ea,quæ superiore disputatione diximus: ac potissimùm, quia nouum hoc cælum & terra noua, quæ Ioannes hic se vidisse testatur, connectenda sunt cum ijs,quæ cap.20.11.præcesserant;videlicet *à conspectu iudicis sedentis super thronum fugit terra & cælum.*Cùm autem euidens sit,illud ad extremi iudicij diem pertinere;nihilo obscurius debet esse hoc cælum ac terram nouam explicanda esse de Ecclesiæ fælicitate post vltimum iudicium futurâ. D

Confirmatur nostra expositio de cælis nouis ac terra noua ad triumphantem Ecclesiã referendis.

Quippe huius visionis cum superiori connexio in eo consistit,quòd quanuis cælum ac terra disparuerint,non tamen mundus absq; cælo & terra remanserit. Nam effectus ex iudicio subsequutus is fuit,vti Deus cælum nouum terramque nouã fabricaret.Huc accedit, quòd beatus Petrus optimus Isaiæ interpres,in sua 2.Epistola c.3.12. de iudicij die verba faciens ait;*Cæli ardentes soluentur, elementa vero ignis calore tabescent;nouos vero cælos & nouam terram secundum promissa ipsius exspectamus,in quibus iustitia habitat.*Et quamuis Ioachimus & eius asseclæ sibi fortassis persuadeant,Petrũ de illa agere spe, quæ Ecclesiæ sit iniecta,fore vt in hac vita sabbathismum illum,quem ipsi confingunt,potiatur; euidens tamen ex ipso contextu est, Petrum de vltimo iudicio verba facere,nec non de terra ac cælis nouis posteà subsequuturis.Etenim si Petrus ageret de cælo ac terra mysticis, quæ in hac vita esse possint; neutiquam diceret,*nouos cælos & nouam terram secundum promissa ipsius expectamus*,his enim terra ac cælis mysticis primitiua iam Ecclesia perfectiùs tunc,quàm Ecclesia deinceps posterior potiebatur. quapropter non diceret Petrus,*Expectamus*,sed *conspicimus*,siue *potimur.* Ad hæc,si Ioachimus in eo nititur,

A tur,quod noua Ieroſolyma mox ſubſequens non ſit Eccleſia triumphans,ſed militans:: paulò pòſt conſtabit de huius fundamenti falſitate, atque adeo contrarium eſſe certum, & conſequenter tam cælos nouos,quàm nouam terram de triumphantis Eccleſiæ fęlicitate accipi omnino debere.

Iam,ad id quod opponitur,antiquos ſcilicet cælos eſſe viſibiles,hos & materiales;nouos vero eſſe myſticos,reſpondeo, nouos quoque cælos materiales futuros ſecundùm Theologorum doctrinam,qui Petri locum explicant de cælorum materialium renouatione , deque elementorum, quę poſt ſæculorum conſummationem futura ſunt.Hactenus tamen nondum expoſuimus, vtrùm Apocalypſis de cælis materialibus,an myſticis inſtituat ſermonem? Si vero hoc in loco de myſticis cælis agatur: contextus ipſe vrget, ne cæli nomen hic accipiatur,qua ratione in alijs accipitur locis, vbi hæc cæli appellatio militanti Eccleſię propter cæleſtẽ conuerſationẽ tribuitur. quin imò oportet cæli nomen aliter vſurpari.Etenim in hoc loco ſermo eſt de nouis cælis,quos Deus extremi iudicij die conditurus eſt,cælum autem conuerſationis cæleſtis inſtitutum fuit per cæleſtem illum ſpiritũ, quem Deus in Chriſti Apoſtolos ac diſcipulos dimiſit.Opus ergo eſt,vt cæli, terrę, & maris nomina aliter hîc accipiantur,quàm in priori Apocalypſeos parte:vbi cælum militantem Eccleſiam figurabat;terra Iudęos;mare Gentilitatem. Nec enim hic iam agitur de Eccleſiæ comparatione cum Iudæis ac Gentibus. Quare non iam eſt ad rem prior illa ſignificatio. Illud ergo huic loco aptius & congruentius eſt,vt ſcilicet attentè expendatur,qui cæli,quæ tellus in illo extremi Iudicij die ex oculis euanuerint:qui porrò cæli,quę tellus ſint illis,quę tunc diſparebunt, ſucceſſura.

Soluuntur obiecti. ſententiæ argumenta ſuperiùs adducta.

B Ad obiectionem ex Iſaiæ contextu reſpondetur,licèt conſtaret prophetam ibi agere de militantis Eccleſię fælicitate; non tamen minùs eſſe certum,illum pariter de triumphante verba facere: quando Petrus Iſaiæ locis innitens, ait; *Nouos cælos,& nouam terram ſecundum promiſſa ipſius expectamus.* Atque vt hęc omnia conciliemus loca, fortè Iſaias de militantis Eccleſię tranquillitate & pace loquitur per comparationem à triumphantis fęlicitate petitam. Quare licèt contextus ipſe de cæleſti conuerſatione,deque otio ac tranquillitate militantis Eccleſię loquatur,idoneus tamen extitit locus,vt Petrus ad Iſaiæ verba alludens aſſereret ſpem militanti Eccleſię reliquam, fore vt in cæleſti patria nouis cælis & terrâ nouâ fruatur.

Cæli noui ac terra noua qua ratione ſint accipienda.

Hucuſque diſputatum eſt aduerſus Ioachimi & aliorum expoſitionem,qui in hoc verſu opinantur ſermonem eſſe de Eccleſię felicitate in hac vita futura: Videamus nunc oportet,qua ratione ſint accipiendi cæli noui & terra noua,quibus triumphans Eccleſia potitura eſt. Communis expoſitio eſt de accidentali materialium cælorum ac terrę renouatione per nouum quendam ſplendorem ac pulchritudinẽ ſub mundi finem illis à Deo ſuffundendam. Cui explicationi fauet Auguſtinus 20. de Ciu.c.16.*Primum* (inquit) *cælum & terra prima abijt, nempe mundanorum ignium conflagratione, elementorum corruptibilium qualitates ardendo penitus interibunt.* Circa illa autem verba, *Et mare iam non eſt*, hæc habet idem Auguſtinus: *Vtrum maximo illo ardore ſiccetur,an & ipſum vertatur in melius,non facile dixerim: fortaſſe tamen maris nomine intelligitur hoc ſeculum turbulentum, & procelloſum.*

Communis expoſitio de accidentali cælorum materialium ac terræ renouatione.

C Relinquo nunc doctoribus Scholaſticis eam diſputationem;quo ſcilicet modo materialis cælorum & elementorũ renouatio à Deo prędeſtanda ſit:atq; illud ab Auguſtino mutuor, ſanctiſſimum haud dubiè doctorẽ eam in partem magis propendiſſe,vti maris nomen allegoricè accipiendũ putaret , cùm dicitur , *Et mare iam non eſt.* Etenim veriſimile non eſt,in Apocalypſi affirmari poſt extremum iudiciũ, materiale hoc mare prorſus abſumptũ iri non ſolùm propter eam, quæ reipſa occurrit,difficultatẽ,verùm etiã,quia Apocalypſeos dignitas,& ænigmaticus ipſius ſtylus nos quodammodo impellunt,vti credamus,multò adhuc ſublimius & abſtruſius myſteriũ hiſce verborum inuolucris deliteſcere. Quòd ſi ſemel cum Auguſtino admittamus,maris nomen hic allegoricè vſurpari,facile quiſque cernet,quàm ſit optabile,vt noui cæli & nouę terrę nomina ſimili etiã allegoriâ intelligantur.Nec obſtat,in Apocalypſi ſupponi quod B. Petrus de materiali cælorum ac terræ inſtauratione affirmat.Sed in hac ipſa aſſertione ſubnixũ erigitur ænigmatis myſterium,ad cuius explicationẽ magis ſtatuendã Ioannes ſingillatim illud exprimit,quod Petrus non expreſſit;nimirum in hac cælorum ac terræ renouatione non ſolùm non renouari etiam mare,ſed nec omnino fore.

Mire hic cũ Auguſtino myſticè eſſe ſapiendum.

Auctorũ explanatio de cælis.terra ac mari myſtica.

Ego igitur mihi perſuadeo,vniuerſam hanc cælorum & terræ nouæ, atque maris nuſquam apparentis,ſignificationem eſſe prorſus myſticam.Huic ſenſui fauet non parum contextus.Quòd enim cælum ac terra ex Iudicis in throno ſedentis oculis euanuerint, non ſignificat, materiales cælos ac terrã ab eius conſpectu abſtrahenda,ſed myſticos cælos ac terram myſticam, vt eo loci oſtenſum eſt.Noui igitur cæli ac noua tellus,quæ prioribus illis è conſpectu abſtractis ſucceſſerunt,myſticè ſimiliter vſurpanda ſunt.Porrò,cum dicimus nouos cælos myſticos,& terram etiam myſticam nouã, non opus eſt,vt quoad ſubſtantiam noua ſint, ſatis eſt, eorum accidentia ſiue qualitates adeò eſſe nouas,vt terra ipſa ac cæli abſolutè poſſint appellari noui.Id quod nemini nouum videri debet. Nã communis expoſitio,quæ hæc verba ad cælos viſibiles atque terram refert,non poſtulat,vt noua etiam quoad ſubſtantiã ſint;ſed nouitatem hanc in qualitatibus ſiue proprietatibus ſolùm exigit. Simili ratione de cælis ac terra myſticis locum hunc arbitror accipiendum. Quapropter cùm homo ex anima atque corpore conſtet,cumque corpus ſit terrena inhabitatio,anima verò cæleſtis ſpiritus, ideo per cælum ac terram congruenter ſignificantur hominis tum anima,tum corpus. Atque vt propiùs ad myſticum ipſum ſenſum accedamus;Sanctorum animabus ob cæleſtem conuerſationẽ, cæli nomen inditum eſt:at corporibus terræ nomen fuit impoſitum propter terræ ipſius propinquitatem,& quia ex terrena hac mole viſibili,atque adeò ex eodem luto compactâ,ex vno Adamo è terra condito ſuam propagant originem.Hæc igitur eſt(vt ita loquar)cæli myſtici & myſticæ terræ ſubſtantia. Verùm eorum proprietates ante vltimum Iudicij diem adeò ſunt diuerſæ ab ijs, quas

Prima myſticorum cælorum qualitates cuiuſmodi fuerint.

Digitized by Google

Prima etiam terræ myſtica proprietates.

Sanctorum animæ & corpora ſunt habitura poſt æternæ beatitudinis adeptionem, vt iurè optimo dicantur antiqui cæli & tellus antiqua à Iudicis conſpectu diſparuiſſe; atque terræ ipſi & cælis myſticis antiquis alios cælos nouos, nouam aliam terram ſucceſſiſſe. Nam priorum cælorum qualitates erant eiuſmodi, in ſalutem animarũ incumbere, ſacramenta fidelibus adminiſtrare, preces ad Deum pro peccatoribus effundere, cæleſtis doctrinæ pluuiam in mundum emittere, & legitimam abſoluendi peccata poteſtatem exercere. Antiquæ verò terræ proprietates illæ erant, proximorum vicem dolere, & commiſerari, moleſtias & angores pati, voluntariam macerationem & caſtigationem ſuſcipere: quod perinde eſt atque exarari terram, & excolentium violentiæ & iniurię eſſe obnoxiam. Hi igitur cæli, hæc tellus, quæ prioribus illis proprietatibus, plurimum emolumenti peccatoribus afferebant, diſparebunt omnino ex Iudicis conſpectu. Nam in tremendo illo iudicio nemini proderit aut poteſtas à Deo ſacerdotibus facta dimittendi peccata, aut commiſeratione tangetur; nec ſuos aut propinquos aut familiares ope aliqua, auxiliove fouebit; nec ſuo in ſinu illos à Iudicis ſeueritate occultabit.

Quomodo cæli myſtici ac terra myſtica priores qualitates immutabunt.

Non tamen propterea mundus cælo ac terrâ ſpoliatus manebit. Nam myſticis cælis ac terræ ex Iudicis aſpectu ſubtractis ſucceſſerunt noui alij cæli & noua tellus: nimirum illi ipſi cæli atque terra, quoad ſubſtantiam, verùm qualitatibus adeò diuerſis affecta, vt iure noua poſſint nominari. Hæ autem nouę cælorum qualitates eiuſmodi erunt; vt pro cura, quam antea de animarum ſalute, & Dei gloria ſuſcipiebant, ſubeat cumulatiſſimus ipſorum laborum fructus ac præmium; quod eſt diuino frui conſpectu, & æterni luminis gloriâ perpetuò perfundi: & pro aſſiduo motu ac viciſſitudine, qua mundum vniuerſum ambiebant, vt eum illuſtrarent, ſubſequatur æterna quies & pax multò maioris lucis & claritatis capax. At verò nouæ telluris proprietates illæ erunt; vt paſſibilitatem ſubeat impaſſibilitas, immortalitas mortalitatem, quibus adde ceteras gloriæ dotes, de quibus late diſputant Theologi.

Quo ſenſu ſit dictum, Mare iam non eſt.

Cum hoc ſenſu mirificè ſequentia verba conſentiunt, *& mare iam non eſt.* Etenim damnatis in inferorum barathrũ detruſis atque concluſis, in ſuperiori viuorũ regione non iam ampliùs mare apparebit; hoc eſt, nuſquã metus, nuſquã formidines, nuſquã pericula; quę omnia per mare figurantur. Quia *qui nauigant mare, enarrant pericula eius*, Eccleſiaſtici 43. 26. Nec iam deinceps maris vndę terrã verberabunt aut quatient; nõ fluctus, non procellæ aut tẽpeſtates exurgent; non grandiores piſces exiguos piſciculos deuorabunt; non iam ſalſæ & amaræ pelagi vndæ longè lateque ſe extendent; non ſterilis arena ſuberit; non denique naufragij periculum erit, ſed quies, ſed ſecuritas, ſed ſtabilitas, ſed dulcedo. Quæ omnia eleganter coercuit paucis Auguſtinus dum dixit, mare in hoc loco allegoricè debere accipi pro hoc ſæculo turbulento & procelloſo.

Licèt autem beatus Petrus loco ſuperiùs allato videatur primo aſpectu de materiali ſolùm terræ ac cælorum renouatione loqui: ſi tamen eius verba prudenter expendantur, non obſcurè innuit etiam ſupra dictum ſenſum allegoricum: ideò enim ait, ſe agere de cælis ac terra, *in quibus iuſtitia habitat.* Conſtat autem, nouam terram materialem non fore Beatorum habitationem.

TEXTVS.

Vers. 2. Et ego Ioannes vidi ſanctam ciuitatem Ieruſalem nouam deſcendentem de cælo à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.

COMMENTARIVS.

Quid ſit hæc noua Ieroſolyma à cælo deſcendens.

NOVAM hanc Ieroſolymam, cuius meminit in hoc v. Ioannes, cenſet Ioachimus eſſe diuerſam ab ea, quam Angelus eidem Ioanni monſtrauit, numero decimo, (*& oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Ieruſalem deſcendentem de cælo à Deo*) atque adeò primam ex his eſſe militantem Eccleſiam, ſecundam triumphantem; ad eum ferè modum, quo Mezerus cap. 12. diſtinguit mulierem, quæ Ioanni in cælo oſtenſa eſt, ab ea quæ erat grauida atque parturiens. Suam verò opinionem conatur fulcire Ioachimus ea ratione, quia Ioannes v. 2. agit de noua Ieroſolyma, ac proinde de ipſius natiuitate.

Ioachimi expoſitio.

Cùm autem Angelus n. 11. Ioanni edixit: *Veni, oſtendam tibi ſponſam vxorem Agni*, iam aſpexerat Ioannes nouam illam Ieroſolymam: numero enim 2. dixerat, *Ego Ioannes vidi ſanctam ciuitatem Ieruſalem nouam.* Ex quo videtur inferri, quam Angelus Ioanni oſtendit ciuitatem, non eſſe prorſus eandem cum illa, quam Ioannes ipſe priùs aſpexerat.

Refellitur prædicta expoſitio.

Verùm enimuero hæc Ioachimi expoſitio probari nullo modo poteſt. Nam poſt extremi iudicii viſionem, omnino extra chorum eſt, demonſtrari Ioanni ſtatum militantis Eccleſiæ, vt latè in huius capitis prologo diſputauimus. Et verba ipſa, quibus Ioannes tum in hoc verſu, tum poſtea v. 9. & 10. vtitur, perſpicuè indicant, ſed de vna eâdemque viſione tractare. Quippe vtrobique appellat Hieroſolymam, *Ciuitatem ſanctam deſcendentem de cælo à Deo.* Et quidem ex iis argumentis, quibus in prologo probatum à nobis eſt, Ioannem non iam de militante Eccleſia agere, ſed de triumphante, efficaciora atque potiora hanc capitis huius partem æqualiter reſpiciunt: ſed potiſſimùm verba illa, *Qui vicerit poſſidebit hæc*, inferorum pœnis appoſita. Ea enim verba leguntur, antequàm Angelus Ioanni enunciet; *Veni, oſtendam tibi ſponſam vxorem Agni.* Quòd ſi diuerſæ forent viſiones; cum prima coniungi prorſus deberent verba illa, *Qui vicerit poſſidebit eam.* Conſtat autem, illam eſſe æternæ beatitudinis promiſſionem. Falsò igitur ad militantem refertur Eccleſiam, quod Ioannes in hoc 2. v. recenſet. Deinde ſupra iam vidimus, nouum cælum ac terram nouam, quorum verſu primo fit mentio, neceſſariò ad triumphantem Eccleſiam reuocari: idem igitur de ſubſequentibus dicendum eſt.

Auctoris explicatio.

Ioachi-

Digitized by Google

A Ioachimi autem fundamentum facilè euertitur. Namque vt noui cæli ac noua terra dicuntur ea, quæ triumphantis Eccleſiæ propria ſunt; ſic etiam ipſa ciuitas aptiſſimè noua Ieroſolyma compellatur. Ac licèt epitheton *noua* nihil aliud deſignaret, quàm nouum gratiæ ſtatum: exigit tamen ipſe contextus, vt credamus, nouam hanc vrbem Ioanni viſam fuiſſe glorioſam, ſicuti in cæleſti regno futura eſt: de quo tamen infrà. Iam, quod Ioannes primò dicat, *Vidi ciuitatem ſanctam Ieruſalem deſcendentem de cælo*: deinde verò addat, ſibi ab Angelo dictum; *Veni, oſtendam tibi ſponſam vxorem Agni*: id quidem minime probat diuerſas eſſe viſiones; nec ciuitatem nouam fuiſſe antea Ioanni viſam, quãdo ei Angelus edixit, *Veni, oſtendam tibi ſponſam vxorem Agni*. Sed hinc id ſolùm elicitur, priùs quidem viſionis ſummam & ſcopum (ſcilicet æternam fęlicitatem, quæ Dei ſeruis ac familiaribus in cælo parata eſt) primò recenſeri à Ioanne: deinde à principio viſionem eandem ab ipſo particulatim enumerari. Hoc verò in ſacris Literis receptiſſimum eſt, & aliis etiam ſcriptoribus atque oratoribus familiare, qui primùm in ipſa propoſitione ſummatim oculis rem totam ſubiiciunt, poſteà ſingulas partes ab initio ſeorſum deſcribunt. *Prioris ſententiæ fundamentum euertitur.*

VIDI IERVSALEM NOVAM DESCENDENTEM DE CÆLO] Superiùs dixi, triumphantem Eccleſiam poſſe nouam ciuitatem nuncupari propter nouum gloriæ ſtatum: ſicuti cæli dicuntur noui, & noua tellus. Et ſic accipit Auguſtinus epitheton *noua* lib.20. de Ciuitate c.17. de noua claritate gloriæ, in qua nulla prioris vetuſtatis veſtigia remanebunt. Ceterùm, vt hęc viſio directè beatitudinis æternę ſtatum aſpiciat, quo fruitura eſt Eccleſia, non opus eſt, epitheton, *nouam*, in hac acceptione vſurpari. *Cur Ieruſalem cæleſtis appelletur nouat*

B Nam licet vox *nouam* ad nouum gratiæ ſtatum transferatur; perinde erit dicere nouam hanc vrbem à Ioanne viſam fuiſſe glorioſam, *ſicut ſponſam ornatam viro ſuo*; ac ſi dicatur Ioannes ciuitatem nouam à Chriſto in terris fundatam conſpexiſſe fruentem iam æterna illâ gloriâ, quę ipſam in cælis manet. Similiter verba illa, *deſcendentem de cælo*, opus non eſt, ita accipi, quaſi ſupponant illam priùs in cælo degere viſione beata fruentem; atque inde ad terras deſcendere, vt eam conſpiciat Ioannes. Hoc, inquam, minime neceſſarium eſt, quia ob cæleſtis gratię ſtatum, quem Eccleſia obtinet in hac vita, vere & eleganter dicitur ciuitas è cœlo deſcendens. Et ipſe nihilominus contextus poſtulat, vt nouam hanc vrbem cæleſtem à Chriſto in terris erectam contemplatus ſit Ioannes in hac extrema viſione, eo gloriæ ſplendore conueſtitam, quem in cæleſti patria potietur. *Quo ſenſu noua Ieruſalem dicatur, è cælo deſcendere.*

Et quamuis huiuſmodi conſtructio noua videatur alicui: ſi tamen rem diligenter obſeruet, & cõſideret eandem Eccleſiam Deo in cælis fruentem eſſe, quæ priùs militauit in terra, nihil difficultatis inuenier, ſi noua ciuitas cæleſtis à Chriſto in terris inſtituta dicatur eadem cum illa, quam Ioannes hic cæleſti gloria amictam intuetur. Simili enim phraſi non inepte dici poſſet Filius Virginis, qui Hieroſolymę fuit paſſus, ad Patris dexteram in excelſo glorię ſolio à Ioanne fuiſſe conſpectus. Vbi ſtultum eſſet, requirere, *numne fuiſſe natum de Virgine & Ieroſolymæ paſſum*, priora ſint, quàm *ad dexteram Patris ſedere*: Illa ergo omnia, *Sanctam ciuitatem Ieruſalem nouam deſcendentem de cælo*, accipio de ſanctitate, de nouitate, de cæleſti ſpiritu, quę Chriſtianæ Eccleſiæ inerant, priuſquàm ad glorioſiſſimum cæleſtis patriæ triumphum conſcendere, qui triumphus innuitur verbis illis, *Paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo*: atque hunc ipſum triumphum duobus hiſce capitibus Ioannes enarrare vult. Nec officit, quod ad eam deſignandam gentem, quæ ad ſupremi huius triumphi gloriam aſcendit, deſignat *ciuitatem ſanctam, Ieruſalem nouam, deſcendentem de cælo*. Atque vt ciuitatem eſſe ſanctam, Eccleſiæ etiamnum in hac vita congruebat; ſic etiam eſſe nouam Hieroſolymam, & de cælo deſcendiſſe.

C Quòd autem nouæ Hieroſolymæ nomen aptiſſimè tribuatur Eccleſiæ, ſtatim ac in terris fundata eſt, id ex Scripturę phraſi perſpicuum fit. Nam ad ſpiritalis hominis diſtinctionem à terreno & carnali, vtitur plerunque Paulus hac phraſi, vt illum appellet nouum hominem: hunc hominem veterem, Vide ad Romanos 6.6. ad Epheſios 2.15. & cap.4.22.24. & ad Coloſſ.3.9.10. Similiter ergo ad ſpiritualem Hieroſolymam à terrena diſcernendam, eadem congruentiſſima phraſis vſurpatur. Iam, *deſcendere de cælo*, eandem habet energiam, atque *ſurſum eſſe*, ſiue *deſurſum*: quam loquutionem Chriſtus Dominus vſurpauit aliquando: & Paulus etiam ad Galatas 4.26. eadem loquendi ratione nouã Hieroſolymam à veteri, id eſt, Eccleſiam à Synagoga diſtinguit. Vbi ex contextu patêre videtur, de militante Eccleſia eſſe ſermonem. Et Apocal.3.12. eâdem phraſi nomen ciuitatis nouæ Ieruſalem, quæ deſcendit de cælo, ponitur in Eccleſiæ militantis laudem, vt inibi adnotauimus. *Noua Ieroſolyma nomen Eccleſia decens in terris fundata indi.*

Non mihi excidit, hanc Agni ſponſam, cuius meminit Ioannes, eſſe Romanam Eccleſiam, vt in prologo diſputaui, & eandem ipſam hoc in loco nouam Hieroſolymam nominari. Et quanuis poſſet aliquis aſſerere, epithetum *nouam* hic peculiariter apponi, vt Romana Eccleſia, à matre Sione, quæ illam peperit, & ab aliis Eccleſiis ipſius ſororibus diſtinguatur, hanc tamen diſtinguendi rationem non vſurpo, quia vt matri Sioni inderet etiam Paulus novæ Hieroſolymæ nomen. Deinde quia licet mater Sion & Romana Eccleſia poſſint, tanquam mater & filia, inter ſe diſtingui; hæc tamen diſtinctio hic non eſt ad rem. Nam Romanæ Eccleſiæ gloria, prout hic conſideratur, complectitur etiam matris Sionis & reliquarum Eccleſiarum gloriam. Et Romana Eccleſia matri Sioni ſucceſſit, ſicut primigenius filius hæreditario iure ſuccedit patri. Quare nouæ Hieroſolymæ titulum ab ea etiam quaſi hæres Roma accepit. Quòd autem de Romana ſingulatim Eccleſia ſermo ſit; id quidem conſentaneum valde extitit, vt ſupra expendimus. Non tamen propterea opus eſt ad ea hic recurrere, quæ matri Sioni cum Romana Eccleſia communia ſunt.

D DESCENDENTEM DE CÆLO] Arbitrabitur aliquis, propriam huius loquutionis eſſe vim, quaſi Ioannes viderit nouam Hieroſolymam de cælo deſcendere. Nam, *vidi illam deſcendentem de cælo*, perinde videtur, quaſi vidi illam deſcendere. Sicuti Ioannis 2. fine, *Videbitis Angelos aſcendentes & deſcendentes*, idem eſt, ac ſi diceret, videbitis eos aſcendere, & deſcendere. Maldonatus noſter Matthæi 25, ſic exponit, *Vtrum Ioannes nouam Ieroſolymam è cælo vide-*

Digitized by Google

rit deſcendere, id, his verbis indicet?

ponit. Vidi Eccleſiam triumphantem ad Iudicium deſcendere cum Chriſto. Aliam item Turriani explicationem ſuprà vidimus. Nihilominus in vrbe ſupra montem visâ extra rem eſt eiuſmodi cõſideratio, quaſi Ioannes illam deſcendere aſpexerit. Et ſanè ſiue ita concipiatur, quaſi deorſum verſus conuerſa deſcendat, ſiue mons pariter cum illa ſibi impoſita deſcendere conſideretur: vtrumque violentum eſt, & huic loco minimè aptum. Vbi autem ſemel ſtatuamus, ſanctitatem ac nouitatem huius vrbis ante ipſam viſionem ſupponi, nec non *deſurſum eſſe* (quod eſt, *de cælo deſcendere*;) facilè mox appatet, Ioanni non fuiſſe monſtratum huius ciuitatis deſcenſum, ſed ciuitatem hanc nouam, quæ de cælo deſcenderat, Ioanni fuiſſe viſam in eo triumpho atque gloria, quibus poſteà fruitura eſt: atque id indicatur verbis illis, *Paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* Quod autem ex Euangelio adducitur, nempe, *videbitis Angelos aſcendentes & deſcendentes*, aliud longè diuerſum eſt. Licèt enim in loquendi modo ſimile videatur: liquet tamen ex ipſo contextu illud in eo Euangelii loco prædici, nimirum Angelos aſcendere & deſcendere viſum iri; vel ſaltem eos aſcendiſſe & deſcendiſſe. Nec enim aliud additur, in quod vis illius verbi; *Videbitis*, deſinat. At verò in Apocalypſi Ioannis viſio terminatur in eo, quod verba illa exprimunt, *Paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* Si quis enim diceret, concionatorem ex Regis curia venientem à ſe fuiſſe conſpectum in ſuggeſtum aſcendere, non opus eſt, vt propterea intelligamus, eodem die ab illo fuiſſe viſum ex regia venire.

Pars negans ſtatuitur vt vera, & probatur.

Difficultas occurrens diſſoluitur.

Dicet quiſpiam, *deſcendentem*, eſſe præſentis temporis participium etiam in Græco: quare ſi hæc verba referenda erant ad gratiæ excellentiam Eccleſiæ communicatam, dicendum non fore, Deſcẽdentem, in præſenti tempore, ſed, Quæ deſcenderat, in præterito. Reſpondetur, ſicut res aliqua excelſa valde ac ſublimis eleganter dicitur è cælo delapſa, ſic etiam dici poteſt è cælo delabi atque deſcendere. Et fortè elegantiæ plenum eſt, quod dicitur in præſenti de cælo deſcendens: vt hac loquendi ratione denotetur, illam gratiæ dignitatem ac celſitatem ſemper è cælo deſcendere, ſemperque inde pendêre.

Vox à Deo *vtrùm cum conſequentibus, an cum antecedentibus copulanda ſit?*

A DEO] Hæc verba nonnulli componunt cum participio, *paratam*. Quæ tamen non eſt germana horum verborum conſtructio, ſed illa, *Deſcendentem de cælo à Deo*. Sic enim Græca in præſenti legunt, & n. 10. in noſtra etiam Vulgata habetur, *Deſcendentem de cælo à Deo*. Vbi manifeſtè patet, ablatiuũ *à Deo* non coniungi cum alio participio. Porrò, *Deſcendere de cælo à Deo*, perinde eſt, quaſi rem eſſe cæleſtem atque diuinam. Atque ita Auguſtinus l. 20. de ciuit. c. 17. *De cælo* (inquit) *dicitur deſcendere: quia cæleſtis gratia eſt, qua Deus eam fecit, & de cælo quidem ab initio ſui deſcendit, Spiritu ſanctò miſſo de cælo.*

Cur noua Ieroſolyma dicatur ſicut ſponſa ornata viro ſuo?

PARATAM SICVT SPONSAM ORNATAM VIRO SVO] Hoc eſt, tantâ gloriâ ac maieſtate conſpicuã, quanta decet Sponſam cæleſtis Agni. Qui loquendi modus ſimilitudine manifeſtus fiet. Si enim quis Hiſpaniarum Principis ſponſam conſpiceret gemmis & margaritis adeò pretioſis & collucentibus vndique diſtinctam, vt plurimis aureorum millibus, atque adeò millionibus eius ornatus æſtimaretur: næ illæ ſignificanter diceret, ſe Principis ſponſam vidiſſe eiuſmodi gemmis ornatam, quæ Principis ſponsâ dignæ ſint. Itaque ille dandi caſus *Viro ſuo*, idem eſt atque, *dignè viro ſuo*, Nõ tamen in eo ſenſu eſt accipiendum, quaſi dicatur illa ſic eſſe ornata, prout expedit ſponſæ Principi nupturæ: iam enim præſtituitur eſſe nupta. Sed intelligendum ita eſt, eam eiuſmodi gloriâ & ſplendore fuiſſe à Ioanne viſam, qualis decet eam fæminam, quæ viri ita diuitis ac præpotentis vxor eſt. Eôdem ferè recidet ſenſus, ſi ſic conſtruamus; *Sicut ſponſam ornatam viro ſuo*, id eſt, tanquam eam ſponſam, quam ſplendore & gloria Parens æternus exornauit ad Chriſti honorem ac decus. Quòd enim adeò ſit ingens & excelſa ea gloria, quæ Eccleſiam manet in cælo; id quidem in Chriſti ipſius gloriam redundat, atque eius meritis referri debet acceptum, Aut fortaſſe datiuus ille *viro ſuo* idem ſignificat, quod *à viro ſuo*. Nam datiuus apud Græcos ſæpè cauſam dicit agentem, vt apud Pindarum in Iſth. Ode 5. Πόλις ὀρθωθεῖσαν δυναις idem eſt, quod, *ciuitas erecta per nautas*. Idem etiam Latinis familiare eſt; quidquid Grammaticus nonnemo dicat. Sic enim Virgilius Æneidos 1. de ſuo Ænea in nubem abdito loquens.

Plures traduntur expoſitiones illius datiui viro ſuo.

Infert ſe ſeptus nebulâ (mirabile dictu!)
Per medios miſcetque viros; neque cernitur vlli.

Aut *ornatam viro*, id eſt, cuius ornamentum eſt ipſe Chriſtus, cui nupſit: *quia claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius eſt Agnus.*

Cur hic vtraque & ciuitatis & ſponſa allegoria copulentur.

Illud demum hîc obſeruandum, eleganter coniungi vtramque ſponſæ & ciuitatis allegoriam, tum vt ipſamet repugnantia, quæ inter ipſas allegorias reperitur, ſi materialiter ſumantur, nos ad ſpiritualem ſenſum extollat, tunc etiam vt quod altera allegoria non ſatis ſignificat, alterius ſubſidio ſuppleatur. Et vtramque ob cauſam Eccleſia duas has coniungit allegorias in hymnis; quos in Eccleſiæ dedicatione decantat.

TEXTVS.

Vers. 3. Et audiui vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis: & ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus.

COMMENTARIVS.

Ex quonam throno vox illa magna prodierit.

ANTEQVAM ad myſterii explicationem accedo, ea mihi dubitatio occurrit diſcutienda, videlicet quinã ſit thronus hic, ex quo vox illa proceſſit? quando eã Ioannes audierit? Exiſtimabit quiſpiã thronũ hũc eſſe eundẽ c. 4. in quo Deus ſedẽs inter viginti quatuor ſeniores cõſpectus fuit. Illius enim

Digitized by Google

A enim throni aliàs etiam facta est mentio. Dicet alius, thronum proximè præcedentem c. 20. 11. esse iudicis sententiam laturi sedem, *Et vidi thronum magnum candidum*: vnde congruentiùs videri, vt vox hæc ex eo throno erupisse credatur. Tum quia thronus ille reliquis propior huic throno est: tum quia ad vnum spectat iudicem, & impios ad æternum damnare supplicium, & probos sempiternis beare præmiis. Quamobrem, cùm caput 20. reproborum damnatione terminatum sit, (his namque verbis desiit, *Et qui non est inuentus in libro vitæ, missus est in stagnum ignis,*) mirificè consonat, vt ad electos, qui soli iam ante iudicis sedem remanebant, prodeat ab ipsius iudicis throno vox in hanc sententiam; *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, &c.*

Proposita quæstionis decisio, & Auctoris hac de re mens.

Aliter tamen videtur dicendum. Nam verba isthæc, *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus*, congruêtius est, vt gloriosam ipsam denotent vrbem, quam Ioannes in hoc capite describit; ac de illa, sicuti de re præsenti, loquantur. Quòd si ipsa ciuitas his verbis indicatur; probabilius est, vocem hanc exijsse ex eo throno, quem Ioannes in eâdem vrbe conspexit, ait enim c. 22. 1. ciuitatis fluuium procedere *à sede Dei & Agni*. vbi pro sede Græcè legitur thronus. Similiter c. 22. 3. vbi legimus, *Sedes Dei & Agni in illa erunt.* Si ergo Dei thronus & Agni intra ciuitatem erat: si vox è throno prodiens loquitur de ciuitate ipsa, tanquam de re præsenti (ideo enim ait *Ecce*;) perspicuum satis apparet, eam vocem ex illo ipso procedere throno, quem in vrbe Deus & Agnus habebant. Quapropter non videtur ad rẽ, vt hoc in loco de Iudicis agatur throno. hic enim intra ciuitatem non erat. Nam ab illius throni visione transgressus est Ioannes ad visionem gloriosæ ciuitatis, deductus ab Angelo in magnum &

B excelsum montem. Non tamen displicet, vt hic ipse thronus à Ioanne conspectus in vrbe idem esse cum c. 4. throno credatur; atque adeò eundemmet thronum, quem Deus in militante habebat Ecclesia senioribus vndique constipatum, in triumphante posse à Ecclesia Ioannes vidisse dicatur.

Quando fuerit magna hæc vox à Ioanne exaudita.

Hoc autem si admittatur; dicendum etiam est, vocem hanc à Ioanne non fuisse exauditam, donec & vrbem vidit, & ad eius medium ante Dei thronum accessit. Nec dissonum est, vocem hanc à Ioanne literis mandari, antequàm ad distinctam ciuitatis visionem recensendam perueniat. Satis enim est, in præcedenti versu se summatim affirmasse, visam à se fuisse *ciuitatem sanctam Ierusalem, paratam sicut sponsam ornatam viro suo.* Priùs enim quàm eam singillatim describat, potuit congruenter dicere, se de hac vrbe à se ipso describendâ velle primò enunciare, quod ex magna voce de throno prodeũte audiuit. Quippe congruens erit priùs animaduertere, quod vox illa protulit, vt fideles plenius possent percipere, quod de ciuitatis ipsius descriptione sequitur. Cælestis enim vox (quæ per quinque versus subsequentes continuatur) admonet, hanc esse vrbem illam, quam Deus suis electis destinauit, sicuti æternum reprobis parauit supplicium: atque hunc esse diuini operis finem & coronidem: quare neminem de huius vrbis fruitione diffidere debere, cùm tantum hoc præmium strenuis militibus conferatur.

Vox hæc magna quid innuat.

Vox MAGNA.] Vocis huius è throno prodeuntis contentio & magnitudo confert non parum, vt magnum huius visionis momentum expendatur. Quòd si hæc vox ex eo procedit throno, vbi Deus inter seniores considet: ita fieri opus erat, vt denotetur doctrinam hanc de cælestis fælicitatis ma-

C gnitudine tunc in mundo altiùs & contentiùs intonuisse, postquàm Deus in Christianæ Ecclesiæ throno consedit.

Ioannem hæc verba ab Ezechiele fuisse mutuatũ.

ECCE TABERNACVLVM DEI CVM HOMINIBVS.] Hæc verba sunt ex Ezechiel. c. 37. 27. deprompta. vbi legimus, *Et erit tabernaculum meum in eis; & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus. Et scient Gentes, quia ego Dominus sanctificator Israel, cum fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum.* Tametsi autem hæc verba apud Ezechielem pertinere etiam videantur ad Ecclesiæ sanctificationem per Spiritum sanctũ effectam, perfectum tamen eorum complementum in patriæ beatitudine possidebitur, cuius æternitatem denotat vox *in perpetuum.* Noui Turrianum nostrum contendere, vt verba isthæc accipiantur de maximo beneficio, quo Deus suam cumulauit Ecclesiam, quando apud eam in sanctissima Eucharistia remansit. Sed suprà iam vidimus, totam hanc visionem esse picturam illius fælicitatis, quam Ecclesia in cælesti patria consequetur.

Difficultati hic occurrẽti satis fit.

Sed opponet nobis aliquis, verbo *Tabernaculum* respondere in Græco, σκηνὴ, quæ vox non domicilium quodlibet, sed tentorium significat *Habitabit* verò est, σκηνώσει, quod est habitare in tabernaculo. Respondeo, ex ipso colligi contextu, hanc ipsam admirabilem prorsus vrbem Ioanni ostensam diuinâ voce appellari tabernaculum, quod fortassis innuit, tantam esse summi Dei maiestatem, vt tota illa supernæ ciuitatis magnitudo, comparatione infinitæ Dei celsitatis, perinde sit, quasi tentorium aliquod potentissimo monarchæ præparatum. Dignam enim sui habitationem Deus in se ipso

D habet. Et quanuis in Beatis etiam commoretur, & proprium possideat domicilium: hoc tamen non tam est iuxta infinitam ipsius magnitudinem, quàm iuxta amorem & beneficentiam. Fortè etiam, (vt suprà attigimus) tabernaculi siue tentorij nomen summam intus habitantium communionẽ denotat. Nam in vrbe aliqua, imò etiam in laxa & capaci domo possunt multi pariter incolæ seorsum degere: at in eodem tabernaculo commorantes in maxima vitæ communione sint necesse est. Nec enim vnus ab alio omnino abstrahi aut celari potest. Id ergo admirabile planè est in beatissima illa cælitum vrbe, perinde enim, quasi tentorium quoddam aut tabernaculum foret, omnes sese mutuò peruident & perfruuntur, nec cælestem vnquam regem inter ipsos placidissimè degentem ex oculorum conspectu amittunt. Atque hæc familiarissima Dei communio, quâ Beati fruuntur in cælo, verbis etiam sequentibus indicatur, *Et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* Ostendit autem Deus se Deum esse iis, quos beat, quorumque sinus siue animas potiùs, æternis donis & gloriâ circunfluẽti implet: vide infrà numero 7.

TEXTVS

Digitized by Google

TEXTVS.

Vers. 4. Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors vltrà non erit: neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà, quia prima abierunt.

COMMENTARIVS.

Alluſio ad Iſai. 25. 8.

DESVMPTA ſunt hæc ex Iſaia c. 25. 8. vbi legimus; *Præcipitabit mortem in ſempiternum: & auferet Dominus lacrymam ab omni facie.* Licèt autem videatur agere Iſaias de Chriſtianæ Eccleſiæ fælicitate in hac vita: cùm ij, qui viuâ fide in Chriſtum credunt, & omnia pro illo aſpernantur, verè dicantur non mori, quanuis moriantur re ipſa; & diuini ſpiritus ſubſidium mire ab huius vitæ laboribus homines eripiat (vnde Apoc. 7. 17. eadem Iſaiæ verba ad ſpiritalem hominum fælicitatem exprimẽdam vſurpantur:) nihilominus perfectum & cumulatum Iſaiæ vaticinij complementum ad cæleſtem beatitudinem reſeruari perſpicuum eſt. atque id in præſenti verſu edocemur, *Quia prima abierunt.* quaſi dicat, Non iam ampliùs ærumnarum aut miſeriarum tempus erit. prima illa militiæ ac laboris tempeſtas abijt; nihil iam deinceps, niſi pacis, tranquillitatis atque triumphi tempus reliquum eſt.

TEXTVS.

Vers. 5. Et dixit qui ſedebat in throno, Ecce non facio omnia. Et dixit mihi, Scribe, quia hæc verba fideliſſima ſunt & vera.

COMMENTARIVS.

Alluſio item ad ipſius Iſa. c. 43. 19.

CONSVLE Iſaiæ 43. 19. *Ecce ego facio noua,* & 2. Cor. 5. 17. *Ecce facta ſunt omnia noua.* Quibus ex locis infertur, in Chriſtianæ etiam Eccleſiæ fundatione, & in cæleſti ſpiritu per Chriſtum aſſertorẽ noſtrum Apoſtolis ac diſcipulis elargito, atque in Iudaici populi reprobatione, & electione Gentilici, poſſe ſimiliter verè affirmari, omnia facta eſſe noua. Verùm exacta atq; perfecta renouatio, in qua nulla antiquæ vetuſtatis veſtigia ſupererunt, in æternum illum Beatorum fælicitatis diem differtur, tunc enim Iſaiæ vaticinium cumulatè implebitur: cùm deinceps Sanctorum nouitas perfectiſſima & admirabilis planè fælicitas ſubſequutura ſit. Vt autem Deus ſuos ſeruos ac familiares certiſſimæ huius expectationis ſolatio recreet, ac reficiat; præcipit id literis mandari, ac rurſus ſuâ auctoritate confirmat.

TEXTVS.

Vers. 6. Et dixit mihi, Factum eſt. Ego ſum A & Ω. initium & finis. Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis.

COMMENTARIVS.

Quid ſignificet Factum eſt.

FACTVM EST] Id eſt, peruenimus iam ad vltimum operis à diuina prouidentia intenti finem & complementum: atque omnia ſunt tandem præſtita, ſicuti Deus ſapientiſſimè diſpoſuerat. Vel; ex hoc tempore id iam factum reputa; quia iam expenſæ factæ ſunt; & hoc eſt firmiſſimum omnipotentis Dei decretum, vt Romana Eccleſia ad ſupremum hoc felicitatis, & amplitudinis faſtigium conſcendat. Addit porrò Deus: *Ego ſum α & ω,* id eſt, vt ſequitur, *initium & finis* (de qua phraſi diximus ſuprà c. 1. n. 8.) Ac ſi dicat; Ipſe hoc fabricare cœpi ædificiũ, & prima ipſius ieci fundamenta; ipſe etiam perficiam, & ad vltimum perfectionis apicem perducam. Ipſe ſum ſempiternæ beatitudinis fons, qui me hominibus effundere cupio: nec aliud pretij requiro, quàm tanti, tamque immenſi doni precium & æſtimationem, ac verum illius potiundi deſideriũ. Hoc enim eſt, *Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis.* Atque vox *gratis* pariter denotat tam excellentes eſſe bonum Dei ipſius fruitionem; vt quantumuis plurimi hominibus ſtet, ſemper gratis eſſe dicatur. Etenim ſi cum immenſis illis diuitijs conferatur; quidquid homo pro ipſis aſſequendis impendit, totum hoc quaſi nihil reputabitur.

TEXTVS.

Vers. 7. Qui vicerit, poſſidebit hæc: & ero illi Deus, & ille erit mihi filius.

COMMENTARIVS.

Quomodo cum fonte aquæ vitæ gratis dato cohæreat id, quod nunc dicitur, Qui vicerit

DICTVM fuerat, æternam gloriam gratis concedi. Verùm nequis propterea curam abiiciat, & omnem prorſus ſolicitudinem deponat, nunc additur, quamuis æterna felicitas gratis detur, opus adhuc eſſe robore ac virtute, ne noſtra deſidia ac ſocordia è manibus dilabi patiamur, quod Deus nobis ſponte ſua offert. Neceſſe igitur eſt, dæmonem, mundum atque carnem proſternere: & victori *ero illi Deus, & ille erit mihi filius.* Scio alijs in locis victori præmium in hac vita promitti: hic tamen de æternæ vitæ præmio ſermonem eſſe non dubito. Hoc namque præmium è regione mox opponitur inferorum ſuppliciis, quæ Dei hoſtibus deſtinata ſunt. Quamobrem quod dicitur, *Ero illi Deus, & ille erit mihi filius,* nobis indicat, qua ratione ſe Deus cum Beatis omnibus gerat, vt ſcilicet

eis

Digitized by Google

A eis tanquam filiis beatissimæ illius felicitatis hæreditatem tradat: Itaque Dei filii nomen non hic ad gratiæ adoptionem, sed ad cælestis gloriæ possessionem referendum est: sicuti Lucæ c. 20. n. 36. *Sunt filii Dei, cùm sint filii resurrectionis.* *De æterna vitæ præmio hic esse sermonem.*

TEXTVS.

Vers. 8. Timidis autem & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.

COMMENTARIVS.

VOCI *Timidis* respondet in Græco δειλοῖς, id est, ignauis. Socordes enim & ignaui non solùm ea præmia amittunt, quæ strenui ac fortes reportant; sed etiam in inferorum pœnas incurrunt. Timidi ergo in præsenti dicuntur ii, qui labori ac difficultati, quam secum affert virtus, miserè succumbunt; & virtuti ipsi terga ignominiosè vertunt. Cum his ignauis siue timidis textus coniungit *incredulos*, id est, infideles, & *execratos*, id est, execrabiles, & *homicidas*, & *fornicarios*, & *veneficos*, id est, veneficiis atque præstigiis addictos, & *idololatras*, & *omnes mendaces*, id est, qui amant & faciunt mendacium, vt explicatur cap. 22. 15. Est autem Scripturæ phrasis, qua dicuntur mendacium facere illi B omnes. qui Dei mandata violant ac frangunt. Nam pro vitæ optimæ atque laudabilis fructu, quem ferre deberent, pessimos peccati fructus ferunt. Sic etiam de arboribus dicitur, *mentietur opus oliuæ.* Habac. cap. 3. n. 17. Nisi fortè dicamus mentiri hic idem esse, atque iniuriam alteri irrogare quauis ratione. *Quinam hic appellentur timidi.* Mendaces *quinam hic dicantur.*

PARS ILLORVM ERIT IN STAGNO ARDENTI IGNE ET SVLPHVRE, QVOD EST MORS SECVNDA) Liquidò ex his verbis constat inferorum pœnis nomen mortis secundæ tribui. Iam quod attinet ad stagnum igni & sulphure exardens, diximus suprà.

TEXTVS.

Vers. 9. Et venit vnus de septem Angelis habentibus phialas plenas septem plagis nouissimis, & loquutus est mecum dicens, Veni, ostendam tibi sponsam vxorem Agni.

COMMENTARIVS.

C CERTVM mihi est, vnum de septem Angelis perinde esse atque primum; sicut vnum de quatuor animalibus est leo. Vidimus autem cap. 16. primum ex septem phialarum Angelis esse B. Paulum. Vbi rationem reddidimus, cur Paulus congruenter inducatur, tanquam Ioanni prædicens admirabilem Romanæ Ecclesiæ in cælo maiestatẽ & amplitudinem, (quod postremæ huius Apocalypseos partis argumentum est) nimirũ quia Paulo, vt ipsius Romanæ Ecclesiæ fundatori simul cum Petro, reuelauit Deus magnitudinis & diuinitatis fastigium, quò Ecclesia in terris & in cælis fuerat euehenda. Quare Paulus ac Petrus (vt vidimus) adumbrati fuere in illis duobus Angelis, qui Ioanni totius Romæ conuersionem renunciarant. Nunc verò ad Paulum singillatim spectat Ioanni præmonsttare amplissimam Romanæ Ecclesiæ dignitatem in cælo futuram: quia huiusmodi magnitudo totius Gentiliatis conuersioni respondura est. atqui de Gentium plenitudine in Ecclesiam ingressurâ scripsit disertè Paulus. Et quidem de gloriæ magnitudine, qua Sancti fruituri sunt post generalem resurrectionem, nulla erat fusior in sacris Literis tractatio neque expressior, quàm illa Pauli 1. Corinth. 15. & 2. Corinth. 5, Porrò longiorem susciperem probationem, vt ostenderem huiusmodi Angelum, qui Ioanni sponsam Agni in sua gloria monstrauit, esse Paulum; nisi id latè disputassem cap. 16. & cap. 17. not. 3. Vbi etiam exposui, quàm fuerit consentaneum, prædicationis ad Gentes ducem atque signiferum esse illũm, qui inducitur magnitudinem gloriæ reuelans, quam Romana Ecclesia in terra atque in cælo possessura erat. diximus etiam ibi, glorioſum D valde eidem Paulo esse, quòd integra aliquot Apocalypseos capita occupet eius memoria. In huius autem capitis prologo explicuimus, quæ sit hæc sponsa vxor Agni, cuius gloriam Ioanni monstrauit vnus ex septem phialarum Angelis. *Vnum de septem angelis perinde esse, atque primum.* *Quis fuerit hic Angelus.* *Cur hic præ ceteris angelis Ioanni ostenderit Romana Ecclesia gloriam in cælo futuram?*

Digitized by Google



Digitized by Google

A

TEXTVS.

Vers. 10. Et sustulit me in spiritu in montem magnum & altum; & ostendit mihi ciuitatem sanctam Ierusalem descendentem de cælo à Deo,

Pars 1. *vers.* 11. Habentem claritatem Dei.

COMMENTARIVS.

EX dictis in versus secundi commentario elici potest (ne eadem repetamus) per verba illa, *Ostendit mihi ciuitatem descendentem*, non significari, ostensam Ioanni fuisse è cælo descendere, sed ciuitatem hanc sanctam (quæ dicitur è cælo descendens, ob egregiam ipsius sanctitatem & cælestem in terris conuersationem) Ioanni monstratam fuisse ab Angelo cum ea gloria & claritate, quam indicant verba illa, *Habentem claritatem Dei.* Vt autem sanctissimam hanc ciuitatem in eo gloriæ splendore, quem obtinebit in cælis, Angelus Ioanni ostenderet: illum in spiritu ad excelsi & magni montis culmen euexit.

B At enim quanam ratione mons hic concipiendus est? numne intra vrbem ipsam, vt inde tota ciuitas facilè conspici possit, sicuti vrbs aliqua ex sublimi turri in medio extructâ solet vndique spectari. Sic fortè huius montis situm excogitabit aliquis. Iuuat ciuitatis ipsius immensa laxitas, quæ suo ambitu ingentes montes ac plurimos facilè posset coërcere, Cùm mille quingentis milliaribus eius magnitudo constaret. Dicet alius, congruentius videri, vti mons hic extra vrbem positus, & ab ea aliquantulum seiunctus consideretur: ita tamen editus, vt tota vrbs inde possit facili negotio prospectari: sicut Moses olim in editissimum montem fuit euectus, quò promissam inde terram contemplaretur. *Mons, in quē Ioannes fuit euectus, qua ratione sit considerādus.*

Nihilominus tamen existimo, Ioannem nec de eiusmodi monte agere, qui in media vrbe situs ceteris illius ædificijs dominetur: nec de monte aliquo ab ipsa ciuitate disiuncto. Sed Ioannis mentem esse, huiusmodi vrbem in magno & excelso monte esse constructam, atque adeò vt cerni posset, eò conscendere fuisse opus. non quidem vt ex superiori aliqua vrbis parte posset tota conspici, sed vt in eam Ioannes ingrederetur, muros intueretur cominus, & portas, flumen, ceteraque omnia singulatim spectaret. Patet hoc ex ipso contextu. Angelus enim, qui Ioannem in montem sustulit, *habebat mensuram arundineam auream, vt metiretur ciuitatem & portas eius & murum. Et mensus est ciuitatem per stadia duodecim millia; & mensus est murum eius.* Si autem Ioannes cum Angelo pariter incedebat, & Angelus ipse ciuitatem ac murum dimensus est, vt Ioannes & muri altitudinem & longitudinem ciuitatis probe nosset: non ergo ciuitatem Ioannes ex superiore aliquo loco fuit contemplatus, sed totam eam lustrauit, vt eius dimensiones omnes perspiceret. *Expeditur præposita difficultas.*

C Hoc inde roboratur; quia nec eximiam vrbis huius celsitatem decet, vt montem illa editiorem fingamus, nec ipsius vrbis pulchritudini consonum est, vt mons adeò sublimis in medio eius situ emineat, nec magnitudo mille quingentorum milliarium patitur, vt tota ciuitas ex vnius montis fastigio conspici possit, nec ista contemplandi ratio distincta atque perspicua, sed obscura & confusa esset. Constat autem Ioannem distinctè admodùm totam vrbem fuisse contemplatum, ac proinde vniuersam perambulasse. Nec tamen fessus aut defatigatus remansit, quia non eam corporeo gressu, sed spiritali peragrauit. Et Ioannis quidem menti ac spiritui gratissima potiùs extitit & magni plena solatij hæc vrbis totius circuitio & contemplatio.

Præter hæc, vbi semel statuamus, sermonem esse de vno eodemque monte, in quo ea ciuitas extructa sit, facile mox apparet maximum hac in re discrimen inter cælestem hanc vrbem & alias in montibus ædificari solitas. Aliæ enim, licet pauca diametri milliaria contineant, suo tamen ambitu plures complectuntur montes: sicut terrena Ierosolyma, quæ Sionis montem coercebat, vbi Dauidis arx erat constructa, & montem etiam cui nomen Moria, vbi ędificatum est Salomonis templum. Ita etiam Roma plures simul montes complectitur. *Discrimen inter cælestem hanc vrbem & alias in montibus situs.*

Septemq; vna sibi muro circundedit arces. Virg. Æneid. 6.

Verùm spiritalis hæc Ierosolyma pariter ac Roma, quanuis tantò sit maior & capacior, huiusmodi inæqualitates, cliuos & salebras non habet, quas habeat necesse est vrbs aliqua in plurium montium culminibus erecta: sed tota cælestis ciuitas fundata est in æquissima vnius editi montis planicie, vnde altissima pariter ac planissima est, sicut opus erat ad eximiam proportionem ac concordiam significandam. Huc spectat, quod infrà legitur num. 16. *Longitudo & altitudo & latitudo eius æqualia sunt.* Vt inibi constabit.

D

Iam ciuitatis huius in excelso monte constitutæ significatio facilis intellectu est. Concinit Isaias cap. 2. 2. *Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium.* Et eisdem pene verbis Michæas capite 4. numero 1. Illud porrò in vtroque Propheta animaduersione dignum est: licet enim mons ipse sit sublimis, adhuc *fluent ad eum omnes gentes*, diuina enim gratia efficit, vt difficultas tantâ suauitate superetur, vt sursum conscendere, perinde sit, quasi ab ipso vndarum decurrentium fluxu sponte ferri. *Quæ sit hæc ciuitas in monte sublimi posita.*

Sed occurrit in hoc loco dubitatio: cur scilicet, cùm Ioannes in cælum ascenderit capite 4. militantem Ecclesiam visurus, nunc triumphantem inspecturus in montem, non in cælum tollitur? atque ipsa viciſſim cælestis ciuitas in monte apparet? Si enim cælestis erat, vrbs, multò facilius esset *Cur Ioan. c. 4. militantem inspecturus*

Digitized by Google

Ecclesiam tolli ur in cælum, nunc verò triumphantem visurus in mõtem terra sublimem euehatur?

Ioannem in cælum iterum conscendere (si iam inde descenderat) quàm vrbem ipsam simul cum muris ac fundamentis de cælo in terrã vel in montem detulisse. Posset aliquis respondere, Ioannem in terris nõ cælestem ipsam vrbem, sed ipsius modulum & quasi typum aspexisse. Hoc tamen non facit difficultati satis, neq; enim Ioannes exiguam ciuitatis normã, sed immensam quandã vrbem intuitus est: & muri ipsi dicuntur in altitudinem quatuor & quadraginta cubitis suprà centum mensurâ hominis patêre. Si autem ingens hæc ciuitas appellatur norma, eo quòd sit figura: quidquid Ioannes vidit pro norma etiam atque typo reputandum erit. Et tamen perstat adhuc eadem difficultas; cur scilicet Ioannes in cælum conscendat militantem inspecturus Ecclesiam: nunc verò, vt triumphantem contempletur, immensum ei ædificium monstretur in terra? Videbatur enim vice versâ visio illi fuisse ostendenda: militans enim Ecclesia in terris versatur, triumphans verò in cælis. Quare ergo ostenditur Ioanni in cælo ea, quæ in terris versatur: in terra autem ea quæ in cælis est? A

Propositæ quæstionis enodatio.

Respondeo primò; symbolica & ænigmatica visio non opus est vt singula suis in locis repræsentet, sed in ea proportione, quæ ad significationem potissimam confert. Secundò respondeo, plurimum elegantiæ & concinnitudinis subesse in mutua hac conuersi ordinis vicissitudine, vt ipsius mutationis nouitate & insolentia duo in primis aduertantur, quæ magni momenti sunt. Primùm est, Christiani professionem, quæ primo aspectu facilis & abiecta res videbatur, altissimam esse ac planè cælestem. Alterum, homines cum Deo in cælesti regione regnare (quod antea impossibile apparebat) rem iam esse eiusmodi, quam homines ambire & assequi possint: atque adeò quàm plurimos esse, qui reapse hanc fælicitatem sint adepturi. Primum ex his duobus perinde est, atque Christiano homini illud D. Leonis edicere, *Agnosce, ô Christiane, dignitatem tuam*, alterum est, illa Christi verba homini etiam pronunciare, *Regnum cælorum iam vim patitur, & violenti rapiunt illud*, quod idem est, ac si dicatur eiusmodi expeditio hæc esse, quam strenui & fortes assequantur. B

Explicatur primæ responsionis pars.

Ad horum igitur duorum primùm, quid potest congruentiùs effingi, quàm militantem Ecclesiam in cælo figurari? Nam & eius conuersatio in cælis est, & ipsius potestas ac sacramenta cælestia planè sunt. Atque ad hunc ipsum scopum dirigitur figura atque vmbra præcipuarum rerum, quæ in Salomonico templo visebantur, in superiori tamen alio templo inter nubes apparuerant: vt hoc pacto edocti simus mentem extollere ad sublimen Christianę Ecclesiæ & diuinæ prouidentiæ ipsam gubernantis considerationem, & ad ea, quæ in ipsis veteris instrumenti figuris reconduntur. Nam quòd candelabrum illud & Christianæ Ecclesiæ sacerdotes tolluntur in cælum, id certè nos docet, inter Salomonis templum & templum Christianæ Ecclesiæ non minùs interesse discriminis, quàm inter cælum & terram, inter veritatem & eius figuram interiectum est.

Explicatur secunda.

Ad alterum verò, (id est, vt intelligamus hominibus iam per Dei gratiam in cælorum regnum patere aditum) quid aptius, quàm vt cælestis ciuitas in terras descendat. Sic Deus *inclinauit cælos & descendit*, Psal. 17. 10. Cùm enim cælestes gloria adeò sit sublimis & excellens, ipsius celsitas videbatur aditum humanæ spei intercludere, & ab eius possessione homines prorsus arcere. Nostræ enim fragilitati & imbecillitati proponitur conscensus in cæleste regnum multo adhuc difficilior, quàm aut per aëra volitare, aut penetrare cælos, atque supernum orbem vi capere. Vt ergo nemo deinceps diffidat, nemo succumbat, nemo animum despondeat: eleganter depingitur cælestis ciuitas ad nos appropinquans: vt eam accessus ne nimium nobis difficilis in posterum videatur. C

Altera ad propositam difficultatem responsio.

Addo insuper in hac vtriusque Ecclesiæ (triumphantis scilicet & militantis) vicissitudine aliud insuper latêre mysterium: videlicet vt indicetur, in militantis Ecclesiæ consideratione posse nos aliquo modo ad ipsius celsitatem planè cælestem agnoscendam deuenire: at verò in Beatorum gloria consideranda, cùm quidquid in hac vita mente assequimur adeò sit exiguum & paruum, hinc fit nos in eius contemplatione non tam ad ipsius celsitudinis cognitionem pertingere, quàm ipsam atque eius magnitudinem ad nostræ tenuitatis modulum reducere & coarctare, nec non ad infirmas visibilium rerum comparationes; cuiusmodi sunt aurum, gemmæ & margaritæ; quæ si cum cælestis gloriæ diuitijs comparentur, abiectissima & contemptissima sunt. Itaque in ea cælestium rerum contemplatione, quam in hac vita assequi possumus, earum sublimitas & magnitudo plurimùm de sua celsitate descendit, dum à nobis non iuxta ipsius magnitudinem, sed iuxta nostram paruitatem concipitur. Atque illud est, quod in ijs rebus vel maximè cognoscimus, eas videlicet dignè, vt par est, à nobis cognosci non posse: ac proinde dum eas rudibus & impolitis comparationibus explicamus, perinde esse, quasi descendere ad cælum in terris contemplandum; ac demum quod ob sui magnitudinem nostræ mentis aciem omnino præteruolat, vt id meditatione attingere possimus, in terrenis ipsis rebus delineari & adumbrari necesse esse, id quod in maiorum & excellentiorum rerum ipsarum cælestium, quas aliter concipere non valemus æstimationem redundat. Constat enim cogitationem ac allegorias siue figuras ex rebus inferioribus desumptas descendere, propter earum rerum quas in eis describimus & veneramur celsitatem, & propterea etiam magis veneramur, quia ad altiorem earum rerum cognitionem ascendere non valemus. D

Cur cælestis ciuitas non in infima telluris planitie, sed in excelso monte conspecta sit.

His ita præmissis; rogabit quispiam, quando cælestis ciuitas mortalibus oculis sese in terris obiecit, cur non in infima telluris planitie, sed in editissimo montis culmine visa est? Facilis tamen est huius difficultatis enodatio. Sicut enim cælestis Hierosolymæ descensus in terram significat, iam diuina gratia suffultos posse homines in cælestem gloriam intrare, nec sibi prorsus impossibile esse: ita etiam dum cælestis hæc ciuitas in sublimi montis vertice collocatur, innuitur hominibus opus esse, vti sese excitent, & inflamment, atque omni virium contentione ad cliuosi tramitis difficultatem superandam adspirent. Quanuis id etiam diuino fauente auxilio fieri maxima suauitate

valeat,

Digitized by Google

A valeat: iuxta illa Isaiæ & Michææ verba, *Fluent ad eum omnes Gentes*, quæ supra iam expendimus. Enim verò, quia oportet imprimis nostros animos ac desideria à terrenis rebus attollere atque abstrahere; idcirco decreuit Deus, vt Hierosolyma & Sionis arx in editis montibus locarentur. Expende illa verba Psal. 23. 3. *Quis ascendit in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius?* Obseruandum est etiam, Ioannem hic dicere, *sustulit me in spiritu.* Spiritu enim & animi contentione eò ascenditur, nec tam corporis gressibus, quam spiritalibus nitendum nobis est, id est spiritali vita, qua homo ex communi mortalium vilitate tollitur, & ad gloriæ altitudinem tendit, gradiens *de virtute in virtutem*, donec videatur *Deus Deorum in Sion.*

Cur dixerit Ioannes se in montem fuisse sublatũ in spiritu.

Præterea animaduersione etiam dignum est; angelum Ioanni priùs dixisse. *Veni, ostendam tibi sponsam vxorem Agni*, deinde glorioſissimam illi vrbem demonstrasse. Quod similis est artificii cùm eo, quod c. 5. vidimus. cùm enim ibi Ioanni diceretur, *Ecce vicit Leo*, nihilominus illi ostenditur Agnus. Et generatim loquendo, quoties Ioanni aliud edicitur, aliud monstratur, perinde est, quasi admoneatur, quod ei fuerat dictum spiritualiter esse intelligendum; neque vnam esse satis comparationem. Ad hæc; in ipsa comparationum inter se diuersitate, atque etiam interdum repugnantia (sicuti in Leonis & Agni oppositione) denotari, eximiam fortitudinem in eo potissimùm viguisse, quòd se Christus veluti Agnus occidi sit passus. Similiter ergo in hoc loco, quòd Romana Ecclesia sit Agni cælestis sponsa (id est, Christo in crucem suffixo nubat, & Euangelicam amplectatur demissionem) propterea fuisse eò dignitatis euectam, vt ciuitas tam ingens, tamque splendida & glorioſa efficiatur.

B HABENTEM CLARITATEM DEI.] Græcè habetur, τὴν δόξαν τοῦ θεοῦ. Et quidem voci δόξα, Latinè respondere solet *gloria.* Vnde opinabitur aliquis, claritatis nomen in hoc loco metaphoricè esse sumendum: atque sensum esse, perspici & eminere in hac vrbe diuinæ prouidentiæ gloriam, quæ ciuitatem adeò glorioſam extruxit. Noster tamen interpres prudenter satis claritatis nomen, non gloriæ vsurpauit. Nam, quod attinet ad imaginariam visionem, sermo est de ipsa luce ac perspicuitate, quam Ioannes in ea ciuitate conspexit. Patet hoc infrà num. 23. vbi legimus, *Ciuitas non eget sole, neque luna, vt luceant in ea. Nam claritas Dei* (Græcè δόξα,) *illuminauit eam, & lucerna eius est Agnus.* Quibus ex verbis constat, propterea lumine solis & lunæ non egere ciuitatem, quòd duo alia luminaria splendidiora & fulgentiora cõtineat: quorum maius diuinitatem; minus, Christi Dõmini humanitatem repræsentat. Iam verò, qua ratione sint accipienda hæc ipsa duo luminaria, quod ad visionem siue figuram spectat, suo loco dicemus. Nunc id vnum affirmo, luminaris maximi (id est diuinæ claritatis) effectum ita esse concipiendum, quasi in tota vrbe non solùm sit maxima claritas, sed prorsus etiam admirabilis. Itaque genitiuus ille *Dei*, cùm dicitur *Claritatem Dei*, iuxta receptam Scripturæ loquutionem perinde est, quasi adiectiuum nomẽ denotans claritatem quandam omnino diuinam, hoc est clarissimam pariter & admiratione digniſſimam. Sunt enim claritatis maximæ effectus plane mirandi, & pulcherrimæ colorum varietates; vt licet colligere ex admirabili illa claritate, qua Christus vndique circunfusus in transfiguratione apparet, nec non ex conspicua luce, quæ per crystallinum vitrum triangulare transmittitur. Concipienda igitur est cælestis ciuitas admirabili quo-

C dam lucis fulgore perfusa, qui incredibilem quandam pulchritudinem & insatiabilem colorum varietatem spectantium oculis obijciat. Id enim significat claritas Dei, vt explicatur ampliùs verbis sequentibus: vbi de admirandæ huius claritatis mysterio.

Quæ vocatur hic claritas Dei.

Luminaris maximi effectus quomodo sit concipiendus.

TEXTVS.

Vers. 11. pars 2. Et lumen eius simile lapidi pretioso, tanquam lapidi Iaspidis sicut crystallum.

COMMENTARIVS.

PRo lumine in Græco legitur φωσφόρ, quod idem est ac luminare; vt patet Genesis primo 16. & ad Philip. 2. 15. Ex quo deducitur, per vocem *lumen* designari hic præcipuum luminare, quod totam vrbem illustrabat. Cùm autem textus duo ciuitati luminaria tribuat (quæ Soli & Lunæ respõdent) & affirmet, duo hæc luminaria esse claritatem Dei & Agnum: dubium non est, quin in maiori luminari diuinitas figuretur. Verùm oportet singulatim exponere, vbinam existimandum sit luminare hoc lapidi pretioso simile & diuinitatem significans existere? Ex quo facilè deinde constabit,

D vbi etiam secundum aliud luminare considerandum sit. Dicet ergo aliquis, præcipuum luminare non esse concipiendum quasi infrà intra eandem vrbem sit, sed supra ipsam in editissimo cæli loco: vt inde veluti sol terram, vniuersam illuminet vrbem. Hanc nobis cogitandi rationem persuadet ciuitatis ipsius magnitudo, cuius quadrum mille quingentis milliaribus protenditur. Etenim vt lux aliqua conclaue quatunuis laxum illuminet, inconueniens non est, vt in ipso pauimento aut paulò altior sita sit. Vt autem regionem adeò magnam simul collustret, nullo alio in loco luminare congruentiùs apprehendi potest, quàm in cælo.

Luminare hoc maius diuinitatem significans quo loco ac situ esse considerandum sit.

Arbitror tamen, in hac Ioannis visione vtrumque ciuitatis luminare non esse considerandum quasi in cælum ipsum sublata; sed infrà intra eandem vrbem, in eminentori ipsius mediæ loco. Hoc mihi vero similius fit; quia textus ipse ait cap. 22. 3. *Sedes Dei & Agni in illa erunt.* Et in figura quidem militantis Ecclesiæ, quæ cap. 4. in cælo visa est, thronus Dei in nubibus apparuit. Sed cùm triumphantis Ecclesiæ imago quasi in terra Ioanni ostensa sit, huic visioni consentaneum fuit, vt thro-

Vtrumque ciuitatis luminare non esse considerandum quasi in cælum elenata, sed intra ipsum vrbem posita

Digitized by Google

nus quem in ea habere visus est, in ipsa ciuitate figuretur, non verò supra ipsam in cælis. Id enim significat illa phrasis, *Sedes Dei & Agni in illa erunt.* Et confirmatur quia cap. 22. 1. dicitur Ioannes ciuitatis fluuium vidisse *procedentem à sede Dei & Agni*, Atqui violenta nimis consideratio esset fingere flumen ex cælo præcipitans: nec is fluuius esset, sed pluuia. Præterea admiranda hæc lux, quam Deus ciuitati cælesti in terra conspectæ impertitur, non ita consideranda est, quasi foris percipi posset, sed solùm intra ipsius vrbis ambitum. Quòd si luminare in cælo constituimus; tam foris, quam intus eius radij excipientur. Ad hæc, si ciuitas in terra concipitur & Dei thronus in cælo, sequetur hinc, in Ecclesiæ militantis figura Deum propiùs ad fideles accessisse, quàm posteà in Beatorum visione. Ibi enim suum thronum constituit Deus intra ipsorum seniorum sedes. Et verò, si seniores ad cæli culmen euehamus, glorioſam autem ciuitatem relinquamus in terris, id sanè cum beatæ ciuitatis vnitate non cohæret. A

Superioris difficultatis nodus extricatur.

Dicendum ergo est, illum ipsum thronum, quem cap. 4. in militante Ecclesia Deum habere vidimus, à Ioanne nunc in Ecclesia triumphante in media cælesti ciuitate fuisse visum, ita tamen, vt hic Deus & Agnus suam integrè gloriam Beatis retegant & communicent. Quapropter Iaspis & Sardius, ex quibus sedentis in throno principis constabat figura (quæ Deum Patrem figurabat, vt vidimus cap. 4. tantum nunc lucis atque fulgoris admirandi ex sese emittunt, vt de luminari maximo affirmet textus, *Lumen eius simile lapidi pretioso, tanquam lapidi Iaspidis, sicut crystallum.* Quasi dicat, illam Iaspidem, de qua cap. 4. dictum est (idemque est intelligendum de Sardio) in hac extrema visione adeò conspicuam & pellucentem apparuisse, vt tota supernæ ciuitatis immensa claritas inde refunderetur. Nam præterquàm quòd lux illa, quam ex se emittebat, erat maxima ac fulgentissima; referebat etiam lucem & splendorem iaspidis crystallizantis (sic enim sonant Græca) id est, adeò perspicui, vt totam suorum colorum varietatem detegat; nec solùm externam ostendat superficiem, sed omnem etiam intimam pulchritudinem, idque tantâ luce & claritate, quantâ opus est ad cælestem illam vrbem adeò ingentem lumine & gloria perfundendam. Hic obiter animaduertendum est, in luminaris huius comparatione cum precioso lapide, Græcè pro *pretioso* haberi, τιμιωτάτῳ, id est *pretiosissimo*; cùm tamen in subsequentium fundamentorum gemmis superlatiuum nomen non vsurpetur: quia hæc est, quæ plus ceteris emicat & splendescit. B

Declaratur adhuc amplius prædicta difficultatis responsio.

Sic congruenter intelligitur, quo pacto vtrumque ciuitatis huius luminare in eo ipso throno fuerint, de quo textus agit, scilicet qua ratione capite 4. pictus fuit æternus Pater in throno sedens, & iuxta illum Agnus. Cum hoc tamen discrimine, quia in ea capitis 4. visione non suam diffundebant claritatem, secus verò in hoc loco: atque ideo luminarium nomen hic eis tribuitur. Et maiori quidem luminari Iaspidis color ac pulchritudo adscribitur (sicut enim capite quarto,) minori verò noman Agni atque lucernæ. Patris verò claritas Soli comparatur, & Christi humanitas, Lunæ: ideoque lucernæ nomine compellatur Agnus. Græcè pro lucerna est λύχνος, Species autem Carbunculi reperitur, qui vocatur Lychnites. Quamobrem, cùm Agnus in hac visione splendidissimo fulgore collucens concipiatur, cumque Christus in assumpta carne Carbunculo comparetur (de quo infrà numero decimo nono in tertio ciuitatis fundamento) rite consentit, vt admirabilis lychnites sit ciuitatis huius lucerna, quæ lunæ respondeat; sicuti soli diuina Iaspis longè ipso sole excellentior. Ceterùm non ita debemus apprehendere vtramque hanc gemmam solis & lunæ vicem gerentes, quasi sphæricæ figuræ sint, sicuti sol atque luna: sed easdem debemus figuras concipere, quæ cap. 4. sunt expressæ. nimirum speciem humanam, quæ diuinitatem repræsentet; Agni figuram, quæ humanitatem. Huiusmodi enim erant figuræ cap. 4. descriptæ: & de illis ipsis textus in præsenti loquitur. C

Respondetur argumento suprà pro opposita sent. adducto.

Iam, ad id, quod suprà adducebatur, ne duo hæc luminaria intra ipsam locarentur vrbem, præsertim adeò magnam: Respondetur, vt eam cominus illuminent, & sua præsentia beent, congruentissimè luminaria intra ipsius vrbis ambitum considerari. Nec verò periculum imminet, ne lux per totam pariter vrbem diffundatur: nam & infinita est lux ipsa, & tota ciuitas intus perspicua; vt constabit infrà numero decimo octauo, vbi dicitur, *Ipsa verò ciuitas aurum mundum, simile vitro mundo.*

Cur maius ciuitatis cælestis luminare simili lapidi Iaspidi prohibeatur.

Sed illud ad extremum subiiciamus oportet, cur maius ciuitatis huius luminare Iaspidi crystallizanti simile fingatur? Ad hæc assero primò, præcipuam huius vrbis cælestis felicitatem esse illam, vt luminari maximo & initima ipsius claritate fruatur: & ea propter luminare hoc inter omnes ciuitatis excellentias Ioanni ostensas primo constituitur loco. Secundò Iaspidis similitudo diuinitatem innuit. Nam inter duodecim fundamentorum gemmas (quæ totidem Apostolici Symboli articulos adumbrant) prima est Iaspis, denotans Deum esse mundi artificem & conditorem, vt eo loci planum faciam. Mundi autem opifex & architectus est rerum omnium fons atque origo: in quo omnia eminenter continentur. Si ergo Dei visio consistit in fruitione internæ illius gloriæ, quam mundi conditor in se habet; eleganter maius ciuitatis luminare fingitur Iaspidi pretiosissimo simile; cuius luce ipsius solis radii præstringantur: simulque obseruatur, esse crystallizantem Iaspidem, id est, in eo internam ipsius claritatem (quæ bonorum omnium fons est) perspicuè cerni. Quid verò est esse pellucidum, nisi initimam ipsius conditoris essentiam penetrari, ac peruideri? D

TEXTVS.

Digitized by Google

A

TEXTVS.

Vers. 12. Et habebat murum magnum & altum, habentem portas duodecim: & in portis Angelos duodecim,& nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel.

13. Ab Oriente portæ tres, & ab Aquilone portæ tres, & ab Austro portæ tres, & ab Occasu portæ tres.

COMMENTARIVS. I.

De visione ipsa imaginaria.

Cælestis vrbis porta cur 12. numero sint 1. ratio ab aliis Doctoribus tradita.

DE muro dicemus posteà, cùm ad eius dimensionem deueniamus n.17. Nunc de portarum numero, inscriptionibus & custodibus. Numerum igitur duodecim portarum opinantur nonnulli respondere numero portarum, quas Hierosolyma terrestris habebat. Eas enim fuisse duodenas tradunt Adrichomius in Hierosolymę descriptione, Salmeron in prolegomenis tract. 20. & latissimè B Villalpandus tom. 3. in Ezechielem. Nec deest, qui vt portas duodecim terrenæ Hierosolymæ attribuat, afferat Augustinum in Psal. 86. qui tamen ibi manifestò agit de hac cælesti Ierosolyma, quam Apocalypsis describit: vel de ea quam depingit Ezechiel cap. 48. fine: quibus ex locis inferri non potest terrenæ Ierosolymæ duodecim fuisse portas. Si autem Scripturæ loci consulantur, qui de terrestris Ierosolymæ portis verba faciunt: non video, quinam ex iis possit hic duodecim portarum numerus colligi. Quæ enim 2. Esdræ 3. & 12. enumerantur, pauciores multò sunt. Tametsi verò Villalpandus ait, Nehemiam portarum omnium non meminisse; sed earum solum, quæ instauratæ ac renouatæ sunt (credit enim ceteras non fuisse dirutas, atque adeò earum renouatione non opus fuisse) aliis tamen multò aliter visum est. Nec dubitari potest, quin eædem portæ diuersa habeant diuersis in locis nomina. Quapropter Salmeron, qui tractatu 20. portas duodecim expressérat, posteà tractatu 42. eas ad nouem coarctat. Quorum locorum si alter cum altero conferatur; apparet clarè, propterea 12. priùs constituisse, quia ex tribus senas confecerat. Duas enim portas constituerat: alteram dictam *portam veterem*: alteram *portam iudiæ*. Posteà tamen aduertit, vtrumq. nomen eiusdem esse portæ. Eâdem ratione se gesserat in porta Ephraim. Nam portam equorum vt diuersam aliam assignauerat, cùm tamen posteà, eandem esse dicat cum Ephraim porta. Similiter priùs portam Beniamin à porta anguli distinxerat, quam deinde eandem esse fatetur.

Antiquæ Ierosolymæ quot portas habuerit.

Ierosolyma veteri portas ab aliis 12. ab alijs 9. assignari.

Itaque Salmeron eò demum vergit, vt Ierosolymæ portas designet nouem: atque idem sequitur Arias Montanus in sua descriptione. Inter eas verò portas, quas Adrichomius enumerat, constat nonnullas apponi ad duodenarium numerum explendum, quæ ciuitatis portæ non erant. In his sunt *Porta horti Dauidis, Porta horti Herodis, Porta palatij Pontificis.* Sed Adrichomius confundit etiam portam vallis cum porta gregis, quæ tamen ab aliis meritò distinguuntur ex Nehemiæ 3. & 12. Et quidquid sit de numero portarum terrenæ Hierosolymæ: constat saltem non illam habuisse tres portas ad Aquilonem; tres ad Meridiem; tres ad Ortum; tres ad Occasum. Quamuis enim Arias Montanus duas ad Austrum portas constituat, nempe portam gregis & portam vallis: vtraque tamen ab aliis ad Orientem ponitur. Et Villalpandus rectè probat, nullam Hierosolymæ portam ad Austrum spectare. Vnde ex portis duodecim, quas ipse designat, quatuor ad Aquilonem collocat; quatuor ad Ortum; quatuor ad Occasum. Si ergo certum est, terrenam Ierosolymam non ternis ad latera singula portis constitisse: frustra laborat, qui Ierosolymæ portarum numerum, quem Ezechiel cap. 48. & Ioannes in hoc cap. 21. describunt, respondere contendit portarum numero, quibus terrena Hierosolyma constituebatur. Liquet enim ab Ezechiele & à Ioanne eiusmodi ciuitates describi, quæ in quadrum perfectum sunt redactæ, & in laterum singulis ternas habent portas congruenti ordine inter se dispositas. Ex quo & ex multiplici præterea discrimine planum fit, non ab Ezechiele describi antiquam Hierosolymam; sed mysticam, quam Deus in terris fuerat erecturus: in qua sapienter figurantur portæ duodecim, tres per singula quadri latera dispertitæ: atque D his militantis Ecclesiæ portis respondent duodecim triumphantis Ierosolymæ quas describit Apocalypsis.

C

Ierosolyma porta ad quas mundi plagas spectarent.

Dicet quispiam portarum duodenarium non esse exiguum numerum in ea ciuitate, quam fingit Ezechiel. Nam muri laterum singula solùm habent quater mille & quingentos calamos in longitudinem, vndenon opus est, portas ipsas inter se distare calamis mille ducentis, qui duodecim stadia conficiunt iuxta meam rationem, at in ea ciuitate, quam hic Apocalypsis describit, mille portis singula latera constare debent. Habet enim in longitudinem quodlibet latus duodecim stadiorum millia, id est, mille quingenta milliaria: & satis inter se disiunctæ portæ essent, si inter vnam & alteram dimidium leucæ interesset. Respondeo in Apocalypsi quidem immensam haud dubiè ciuitatem figurari, quæ pro sua magnitudine exiguum portarum numerum contineat. Non tamen vacabit mysterio, quòd portæ duodecim non ampliùs sint, in cuius declaratione soluetur difficultas, quæ videtur menti obijci, cur portæ adeò inter se se sint remotæ, vt vna ab altera plus centum viginti leucis distet.

Difficultas in textu occurrens soluitur.

Portarum inscriptiones ait Ioannes esse nomina duodecim tribuum filiorum Israël. Id quod

Digitized by Google

Portarum 12. inscriptiones cuiusmodi fuerint. ex Ezechiele sumptum est: hic enim cap. 48. n. 31. ait, *Porta ciuitatis ex nominibus tribuum Israel.* Verùm nonnihil adhuc discriminis interesse debet inter eas tribus, quas Ezechiel nominat, & quas Apocalypsis. quippe Ezechiel inter portarum nomina refert Dan. Sic enim habet, *A Septentrione porta tres, Ruben vna, Iuda vna, Leui vna; & ad plagam Orientalem porta tres, Ioseph vna, Beniamin vna, Dan vna; & ad plagam Meridianam, porta Simeonis vna, Isachar vna, Zabulon vna; & ad plagam Occidentalem, porta Gad vna, Asser vna, Neptali vna.* Hactenus Ezechiel. Enimuerò nomina duodecim tribuum, quæ Apocalypsis inscribit, ea sunt proculdubio, quorum cap. 7. facta est mentio. Quare inter portas vrbis Apocalypseos numerari non debet porta Dan, sed pro illa substituenda est porta Manasse. Nam Ezechiel, vt & Leui & Dan recenseret, necesse fuit ne in portarum nominibus distingueret Ephraim à Manasse: quantumuis eos in sortibus distinxerit. Hoc igitur excepto discrimine, portarum nomina videntur in Apocal. eodem ordine accipienda, quem in eorum enumeratione obseruat Ezechiel. Ex quo etiam animaduertere potest lector, has portas portis terrenæ Ierosolymæ nequaquam respondere. Ezechiel enim ad Orientem ponit portam Ioseph & portam Beniamin: cùm tamen omnes Ierosolymæ descriptiones portam Ephraim ad Septentrionalem plagam spectare prodant. Constat verò eandem esse debere portam, quæ appellatur Ioseph & Ephraim in terrena Ierosolyma. Item portam Beniamin omnes ad illum reiiciunt angulum, vbi Orientale latus cum Aquilonari compingitur: qui locus Orientalem plagam non respicit. A

Discrimen inter portarum inscriptiones, quas assignat Ezechiel, & quas Apocalypsis.

Nec illud absque mysterio esse reor, quòd hæc duodecim tribuum partitio diuersa sit ab ea, quam Numerorum capite vndecimo legimus: quo in loco Oriens adscribitur Iudæ, Isachar & Zabulon; Meridies, Simeoni & Gad; Occidens Manasse, Ephraim & Beniamin; & Septentrio Dan, Asser atque Neptali. B

Tribuum nomina qua ratione portis assignentur.

In tribuum insuper nominibus, quæ portis assignantur, non ea seruatur consuetudo, quæ apud nostrates viget; qui Carmonæ portam, aut portam Cordubæ eas appellant, quibus ad ea opida itur ac reditur. Verùm secus apud Ezechielem esse, compertum est: nam in vrbe è regione Septentrionis octo collocat tribus, & è regione Austri quinque. Quòd si recta attendatur via; tres portas Australes comprehendit tribus Beniamin, atque eædem tres directè respiciunt quatuor illas tribus, quæ in Ezechiele post Beniamin sequuntur, nimirum Simeon, Isachar, Zabulon, & Gad. Eodem modo tres Aquilonis portæ spectant ad Leui & Iuda, & ad sex alias tribus, quæ omnes ad Aquilonem sequuntur. Quæ verò portæ ad Orientem & ad Occidentem sitæ sunt, nullam adspiciunt tribum, iuxta Ezechielis descriptionem. Nomina ergo tribuum portis inscripta non denotant, illac ad eam tribum iter dirigi, sed ab illius tribus hominibus portam eam fuisse constructam: quasi in eius vrbis structura singulæ ex duodecim tribubus portas singulas susceperint fabricandas. Atque ita Ezechielis cap. 48. n. 19. cùm dicitur eos, qui seruiunt ciuitati, & operantur, esse ex omnibus tribubus, Interlinealis explicat de iis, qui vrbis muros extruunt, & subdit, *Nullus se putet immunem ab operibus ciuitatis.* Huc spectat illud Psalmi 23. n. 7. *Attollite portas, principes, vestras.* Nec enim denotat, aperite seu reserate portas; sed portarum extructuram erigite, & ædificium ipsum exurgat: iuxta ea, quæ scribuntur Nehemiæ 3. C

COMMENTARIVS II.

De significatione portarum.

Portarum 12. significatio qua sit. IOACHIMVS contendit, has duodecim portas esse totidem Apostolos ab illis primis diuersos, quos ipse autumat à Deo in mundum mittendos, vt Hebræos ad Christianam religionem conuertant: *incertum* (ait) *an ex Gentibus, vel ex Hebræis ipsis.* Merum somnium. Nam, vt res certa esset, quis non videat triumphantis Ecclesiæ portas non Hebræis, sed omnibus etiam Gentibus esse apertas? Deinde Ioachimus ipse in sua præfatione cap. 20. conatur duodecim tribuum nomina totidem distinctis religionibus accommodare; ratus ad hunc religionum duodenarium reduci vniuersas Christianæ Ecclesiæ religiones: & singularem aliquam proportionem dari inter peculiare cuiusque religionis institutum, & eam Israelis tribum, quam respicit.

Responsio ad 1. difficultatis partem: cur scilicet ad omnes 4. mundi plagas porta obuersa sint. Enimuerò hæc portarum vrbis distributio, vt ad omnes quatuor mundi plagas versæ sint, significat hanc in vrbem omnes mundi nationes confluxuras. Vide illud Psalmi 86. 4, *Memor ero Rahab & Babylonis scientium me.* Si ergo vel ipsis Ægyptiis ac Babyloniis Dei populo infensis, vbi ad Dei peruenerint cognitionem, referantur portæ, & in cælitum albo locus ipsorum nominibus supereſt: manifestum est nulli ex vniuersi mundi nationibus aditum intercludendum fore. Vnde & in eo Psalmo sequitur, *Ecce alienigenæ & Tyrus & populus Aethiopum, hi fuerunt illic.* Nam opulentis pariter & egenis, potentibus & auro & purpura amictis, nec non nudis Æthiopibus portæ reseratæ patescunt. Quamobrem Christus Matthæi 8. 11. dixit, *Venient ab Oriente & Occidente.* qua phrasi nationes omnes eleganter significantur. Nam in Ezechielis visione omnes Israelitæ ad Aquilonem & Austrum obiacent; & nulla tribus ad Orientem vel Occidentem erat. Item Lucæ 13. 29. & Malachię cap. 1. n. 11. *Ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus.* D

Responsio ad 2. partem, quinam in portis adumbrentur. Vniuersis ergo nationibus portæ duodecim patefiunt. Atque hoc portarum symbolum illos nimirum attingit, qui auctores siue adiutores fuerunt ad Gentium ac nationum conuersionem. Licèt autem Augustinus, Hieronymus & Rupertus hoc ad solos Apostolos contrahant, textus tamen & portarum inscriptiones hoc ipsum portarum symbolum applicant tribubus 12. Vidimus autem c. 7. mysticas Apocal. tribus 12. esse omnes illos, qui ex Israelitico populo Christi fidem amplexi sunt: ij enim

Digitized by Google

A enim partiuntur in tribus 12. quarum Patriarchæ sunt 12. Christi Apostoli: & illi omnes sunt electi, vt Gentium conuersioni strenuam nauarent operam. De quo suprà cap. 14. Quapropter duodecim illa militum fortissimorum agmina propriè tangit duodecim portarum symbolum.

Cur in latissima hac vrbe non amplius sint porta.

Iam, quòd in capacissima hac vrbe duodecim non ampliùs sunt portæ; id quidem honorificentissimum est paucis illis, quos ex Israëlitico populo Deus totius mundi conuersionis ministros elegit. Etenim quamuis in Apocalypsi ad numerum centum quadraginta quatuor millium reuocentur: ad vniuersum tamen mundum Christianæ fidei præceptis imbuendum exiguus valde fuit hic numerus. Et sanè mirandum est, homines ita paucos ad egregium hoc & admirabile facinus fuisse aggressos. Et licèt paruus hic duodecim portarum numerus denotet, nonnullis multo constaturum labore, multisque anfractibus & itinerum sudoribus, cælestis ciuitatis ingressum: huiusmodi tamen laborem ac pondus illi potissimùm susceperè, qui mysticum portarum munus obierunt. Illi enim totum perlustrarunt orbem, & Euangelij lumen in remotissimas vsque mundi regiones inuexerũt. Quapropter hæ duodecim strenuæ phalanges militum robustissimorum & diuino præsidio munitorum ad tantum hoc prodigium satis fuerunt: idcirco igitur in tanta tamque immensa vrbe duodecim non ampliùs portæ constituuntur.

Cur apud Ezechielem sit porta Dan: apud Ioannem non item.

Quod in Ezechielis vrbe porta Dan exprimatur, non verò in Apocalypseos ciuitate: denotat, perditis Ecclesiasticis ac reprobis hominibus (qui in tribu Dan figurantur) in militanti Ecclesia portarum quidem esse locum & honorem: at in Ecclesia triumphante non item. Recole dicta cap. 7. vbi
B • notauimus, *Dan* significare condemnationem. Qui ergo suas miseras animas in æternam perniciem secum trahunt; quantumuis portarum munere in Ecclesia militante sint perfuncti, & in aliorum salutem incubuerint; nullam tamen sui laboris gloriam aut præmium in cælesti ciuitate assequuntur; quia *non coronabitur nisi qui & legitimè certauerit, & qui perseuerauerit vsque in finem.*

Cur angeli pro portarum ianitoribus assignati.

Angeli pro ianitoribus assignati ad ciuitatis ipsius felicitatem referendi sunt. Nam in terrenis vrbibus cùm præpositi portarum custodes, homines tandem, ac proinde fragiles & imbecilli sunt, facilè siue per fraudem, siue per auaritiam sese in vrbem insinuat, quod ipsi pestem ac perniciem importat. at triumphantis Ecclesiæ portis custodes præficiuntur angeli, quos in fraudem inducere nemo posset. Lege illud 1. Reg. 14. 20. *Sicut habet sapientiam Angelus Dei.* Itaque tutissima est cælestis illa ciuitas, ne eò penetret quidquam, quod ipsius gloriam, splendorem & securitatem minùs deceat.

NOTATIO I.

An præter Angelos, quos Ioannes in portis ciuitatis vidit, adspexerit etiam ciues? an potiùs vrbem ciuibus vacuam?

Vrbem Ioannes in hac vrbe ciues adspexerit, præter angelos ianitores? Pars affirmatiua suadetur.

EX ijs, quæ Ioannes se vidisse narrat, nempe custodes portis præpositos; volet fortassis elicere nonnemo, illum etiam intuitum fuisse, homines eò succedentes & vrbis ipsius ciues. aliter enim custodibus non opus esse videbatur. Dissonum enim apparet vrbem adeò ingentem Ioanni hominibus viduam ac prorsus desertam fuisse visam. præsertim cùm non explicet Apostolus, illam sibi apparuisse hominibus vacuam; sed potiùs dicat, *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populus eius erunt, & absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Addit etiam portas semper patefieri; quod eò videtur spectare, vt ingrediantur quicunque in ciuitatem perrexerint. alioqui quorsum portæ duodecim & omnes apertæ? Quin etiam dicitur, *Reges terræ afferent gloriam suam & honorem in illam.* Et infrà: *Non intrabunt in eam, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.* illuc igitur ingrediuntur electi. Quibus enim aliis in gratiarum arboribus poma pendebant? Item cap. 22. n. 3. habetur, *Sedes Dei & Agni in illa erunt, & serui eius seruient illi, & videbunt faciem eius, & nomen eius in frontibus eorũ.* Si ergo Agnus intra vrbem erat: vbi rex, ibi & curia: præsertim cùm scriptum sit, quò Agnus tenderit, eò-dem centum quadraginta quatuor millia cum comitaturos; de quibus cap. 7. num. 14 vt prætermittam quatuor animalia & seniores, qui circa Agni thronum considerent.

Nihilominus negans sententia præfertur & probatur.

Meo tamen iudicio certum est, Ioannem in hac extrema Apocalypseos parte vidisse quidem ciuitatem; non tamen ciues. Hos enim si cerneret, non id silentio inuolueret: sed obiter saltem aliquid recensere de ipsorum cultu, ornatu ac gloriæ dotibus. Agit quidem de hominibus in ea vrbe habituris: non tamen quasi de re, quam ipse viderit, sed quam audierit. Quamobrem, quod ait, *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus*, id ab alio loquente accepit; & loquente quidem vt de re futura, *Habitabit cum eis, Populus eius erunt, Absterget*
C *eis lacrymas.* Quod autem Ioannes infrà subiicit de Gentibus in eam vrbem ingressuris ac Deum visuris, id etiam totum futuri temporis est, *seruient, videbunt*, &c. Si verò Ioannes de re à se visa sermonem instituerat, præsentis quidem temporis verbo vteretur, non futuri; aut saltem præteritum vsurparet dicens, *seruiebant ei, videbant faciem eius.*

Oppositæ opinionis fundamentis fit satis.

Ad illud tamen quod opponitur, violentum nimirum & parum verisimile videri, quod Ioannes vrbem adeo magnam ciuibus spoliatam cerneret: respondeo: sicuti in tabulæ alicuius pictura absonum non est, vrbis ædificium depingi, nec tamen aliquos inibi homines figurari: sic etiam in visione imaginaria atq; symbolica id minimè dissentaneum est. Nam in huiusmodi visionibus symbolicis non ita res depinguntur, sicuti in se ipsis sunt, sed vt ad propositam rei ipsis significationem magis conducunt. Constat autem in supernaillacælitum vrbe, non alia esse ædificia, præter beatos ipsius ciues, eorumque gloriam. Quare ædificium,
D quod Ioannes adspexit, est quidem ipsorum Beatorum, eorumque gloriæ symbolum. Quod si ædificium ac ciues Ioanni pariter monstrarentur, perinde esset, atque illi bis idem ipsum ostendi. Accedit, quod ciues ipsos intueri, minimè esset symbolum aliquod siue ænigma ipsorum gloriæ cernere, sed eosdem beatos in se ipsis videre: quæ reuelandi ratio non est Apocalypsi apta, vbi omnia sunt symbolica: & oportebat partem vltimam cum reliquis superioribus consentire.

Tam in ciuitatis portis, quàm in muris ac fundamentis ipsos cælestis patriæ ciues sub ænigmatis inuolucris adumbrari.

Itaque in admirabili hac visione, tam portæ, quàm muri & fundamenta ciuitatis, ipsos cælestis patriæ ciues, eorumque fælicitatem sub ænigmatum inuolucris adumbrant: atque ita opus non fuit, Ioanni ciuitatem ostendi ciuibus confertam. Sed contrà obiiciet quispiam: si per huiusmodi ædificium ipsi figurantur ciues, non bene consentit, quod Ioannes supponit, nimirum Dei amicos ac familiares illam ingressuros

Digitized by Google

ingressuros vrbem, in ea victuros, ac Deum inibi semper conspecturos. Si enim ciuitas ipsa ciues siue incolas repræsentat, perinde erit in ciuitatem intrare, quasi semet in seipsos insinuare. Respondeo, in ædificio quidem denotari vniuersam Beatorum societatem, ac proinde non malè cohærere, si singulares homines, siue ciues dicantur eò intraturi, vt ceterorum gloriam participent. Si enim frequenter loqui solemus, cùm dicimus in aliquem hominum cœtum siue sodalitatem ingredi & insinuari illum, qui in aliorum societatem cooptatur. Per respectum ergo ad homines singulos dicitur, *Qui vicerit, possidebit hæc.* Cùm autem agitur indefinitè de ipsis ciuibus, & dicuntur in eam vrbem ingressuri, ibique Deo fruituri; in his omnibus loquutionibus agitur de singularibus hominibus consideratur enim in illo ædificio cœtus ille ac societas Beatorum omnium. & in hominibus siue ciuibus peculiares homines, qui eò sunt intraturi. Obseruandum portò est, peculiares ipsos siue singulares homines, non solùm Dei conspectu, sed etiam Beatorum societate frui: quæ societas & aliorum communio mirificè ciuitatis figurâ significatur. Præterea nihil impedit, quominus ipsa dissoluatur allegoria, & sub populi, gentis ac ciuium nominibus agatur de illis ipsis, quorum mentio sub allegoria ædificii facta fuerat. Hoc enim pacto loqui solemus de ijs, qui in sacram aliquam Religiosorum familiam recipiuntur, dum eam fingimus quasi amœnissimum quēdam hortum, siue viridarium, aut etiam vt magnificum regis palatium. Eodem recidet, si dicas eos ipsos, qui vrbem sunt ingressuri, æterna beatitudine fruituros. Et ciuitas quidem ipsa Ioanni ostensa repræsentat eam felicitatem, qua Beati in æterna patria fruentur. Verùm quia Beatorum singuli omnium societate & communione potientur; idcircò hæc Beatorum sodalitas atque conuictus consideratur quasi res, qua omnes perfruentur.

Postremum argumentum ex suprà positis diluitur.

Ad ea verò, quæ sunt initio obiecta, facilis est solutio. Atque ad postremum illud de Agni societate respondetur, quamuis ipse sit semper suorum electorum comitatu septus; non tamen esse inconueniens, vt in eadem visione ipse Agnus appareat; nec tamen simul cum eo electorum appareat multitudo. Quamuis, vt verum fatear Dei thronus & Agni posset eodem concipi modo, atque thronus capitis quarti, quod attinet ad animalia & seniores. Illa enim considendi ratio videtur appellari thronus. nec aliud erit discrimen, nisi quòd in hac visione thronus multò clariori & splendidiori gloria conspicuus Ioannis oculis fuerit vsurpatus.

B

TEXTVS.

Vers. 14. Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis nomina duodecim Apostolorum Agni.

COMMENTARIVS. I.

De ipsa visione imaginaria.

Quinam Ioannes muri fundamenta & nomina in eis scripta dispicere potuerit.

PRIMÒ subit animum difficultas, quinam Ioannes muri fundamenta & nomina in eis scripta aspicere potuerit? Hæc tamen facilè dissoluitur, si vrbis ipsius pauimentum consideremus reliquo monte sublimius & excelsius, prout opus fuerit; vt duodecim lapidum discrimina, quibus murus iaspideus fulciebatur, foris prospici possint. Atque in ea vrbe, quæ super solidam petram sit extructa, nihil obstat, quin foris dispici queant natiua lineamenta ipsius lapidis, qui mœnibus pro fundamento subest, & ipsius ædificij quasi basis ac fundamentum est. Et recta architectandi ratio exigit, vti fundamentum instar basis latiùs promineat. Quare in ipso loci interuallo, quod occupant portæ, considero ipse eosdem fundamenti lapides scalarum instar siue cliuosi tramitis, recto ordine dispositos esse; quà facilis pateat conscensus, donec ad præcipuum ciuitatis pauimentum perueniatur.

C

Duodecim hæc fundamenta quomodo sint mente concipienda.

Secundò in dubium etiam reuocare aliquis possit, vtrum duodecim fundamenta, ita sint mente concipienda, quasi vnum alteri impositum sit: ita vt sub qualibet mundi parte decem omnes lapides alii aliis impositi visantur? vel potiùs murus ipse quasi in duodecim diuisus partes consideretur; ita vt alia muri ipsius pars Iaspide innitatur, alia Sapphiro, & sic de ceteris, nec omnia in eodem libramento? Adhoc tamen videtur certò asserendum, ita esse fundamenta duodecim consideranda, vt vnum alteri sit impositum, & omnia eodem ordine prosequantur. Nam numero 19. fundamenta omnia per ordinem numerantur hunc in modum; *Fundamentum primum Iaspis, secundum Sapphirus*, &c. atque eiusmodo ordo primi, secundi ac tertii in ipsis fundamentis seruatus indicat non obscurè ex ipsis vnum esse ordine primum. nempe ceterorum infimum: deinde aliud suprà impositum, quod sit secundum: aliud insuper, quod tertium; & sic de reliquis. Infrà autem videbimus ad mysterium ipsum dispositionem hanc fundamentorum maximè conducere.

D

Apostolorum nomina qua ratione in ipsis fundamentis disposita & exarata Ioannes viderit.

Tertiò, Apostolorum nomina concipienda sunt in ipsis fundamentis dispartita; nimirum in primo fundamento, quod est infimum, nomen Petri: in vltimo, id est, sublimiori nomen Matthiæ. De ceterorum Apostolorum ordine dicemus inferiùs. Quòd verò Apostolorum omnium nomina non sint pariter in fundamentorum singulis figuranda, sed quo diximus ordine distributa: inde probatur, quia eadem phrasi, qua priùs dicuntur nomina tribuum duodecim in portis scripta, dicuntur etiam nunc in duodecim fundamentis, impressa *nomina duodecim Apostolorum Agni.* Vt igitur duodecim tribuum nomina erant per totidem portas distributa, non verò omnia simul in singulis: sic etiam de Apostolorum nominibus per duodecim fundamenta dispersis asserendum est. Illud tamen hic mihi expendendum occurrit, cuiusque Apostoli nomen non semel in suo lapide esse exaratum sed sæpiùs eodem in lapide repetitum, id est duodecies, aut etiam quater & vicies. Quippe aptior ad eiusmodi inscriptionem locus fuisse videtur is, qui est ad singularum portarum latus: ita vt quicunque ingrederentur vrbem, quacunque aditum pararent, oculis in fundamentum relatis possent facile duodecim Apostolorum nomina contemplari, quasi in ipsis lapidibus impressa, siue aureis characteribus exarata. Atque etiam venustiùs apparet, vti Apostolorum nomina non in altero solùm

Digitized by Google

A lum latere portę, sed in vtroque pariter sint inscripta. Quare auguror ipse nominum singula bis duodecies conscripta in fundamentis fuisse.

Quartò, quanuis textus non exprimat, hisce fundamentis aliud præter murum ipsum sustineri: existimo tamen totam ipsam ciuitatem in ipsis pariter nixam, hoc est, omnia ipsius vrbis interiora. Hæc namque fundamenta non ita debent considerari, quasi modici lapides sint; sed ex viuo lapide effecta, quem Latini crepidinem vocant, atque in ea vrbe, cuius mœnia viuo lapide innixa consurgunt, non ambigimus, eandem viui lapidis naturam in vrbis intima penetrare; ita vt vniuersæ vrbi & cunctis eius ædificijs pro fundamento subsitet. Ioannes igitur scripsit, quod viderat, id est, omnem in circuitu murum duodecim illis lapidum pretiosissimorum fundamentis esse fultum: atque illud obiter intellectu facile sapienti reliquit, scilicet duodecim illas lapidum varietates, ad intima etiam montis peruadere: ita vt tota ciuitas lapidibus eisdem pretiosis niteretur.

Quomodo cœlestis ciuitas 12. fundamentis ibi nixa considerauda sit.

Quintò; de ordine, quo Apostolorum nomina erant in duodecim fundamentis scripta, illud pro certo affirmari potest; Petro, vtpote in Apostolica ac pontificia dignitate præcipuo, primum adscribi fundamentum. Matthiæ (quippe qui post reliquos Apostolos fuit ad id muneris euocatus) vltimum. de ceterorum ordine vix aliquid certi constare potest. Nam quater proprijs nominibus Apostoli in nouo testamento nominantur; scilicet Matthæi 10. Marci 1. Lucæ 6. Actuum 1. Et quanuis semper primus tribuatur locus Petro, quintus Philippo, nonus Iacobo Alphæi, & duode-
B cimus Iudæ (cuius in locum suffectus est Matthias:) in ceteris tamen magna est ordinis diuersitas. Quamobrem miror ab aliquibus interpretibus definitum aliquem Apostolorum omnium ordinem quasi certum ac legitimum designari. Qui tamen ferè diuersum exprimunt ordinem ab eo, quem in sacris Literis legimus; & hac in re vnusquisque suo sensu ducitur, & suum pro libito ordinem fingit.

Quid dicendum sit de ordine, quo Apostolorum nomina fuerint in fundamentis scripta.

Ribera ordinem à Marco Euangelista præscriptum retinet; vno tamen excepto Andreâ, quem cùm Marcus quarto in loco constituat (sicut etiam Actuum 1. ponitur) Ribera in 2. conijcit locum, sicuti etiam ponitur Matthæi 10. & Lucæ 6. Et verò, quòd secundum Andreas locum obtineat in Apocalypseos gemmis, facilè assentior Riberæ. Vbi enim adeò clarè ac distincte assignatur quod sit primum fundamentum, quod secundum, quod tertium vsque ad duodecimum: & asseritur simul, duodecim Apostolorum nomina in ijs esse inscripta; verosimile mihi fit, post Petrum ceteros omnes, cuiusque vocationis ordine fuisse descriptos. Constat autem, si vocationis ordinem & antiquitatem attendas, Andream ceteris omnibus antecellere. Ceterùm nec de omnium vocationis ordine quidquam tradi potest certum, nec pro comperto est, in his duodecim fundamentis Apostolorum nomina vocationis ordine fuisse conscripta. Nec enim ineptus ad hoc esset meritorum ordo: aut fortè ille ordo ac dispositio, qua considebant Apostoli, quando fidei Symbolum ordinarunt (de quo
C infrà.) Denique licet liqueat, Ioanni per ordinem fuisse visa Apostolorum nomina inscripta: non tamen literarum monumentis ipse tradidit ordinem, quem inter se nomina habent: nec ex S. literis legitimus eorum ordo certò colligitur. Quin imò diuini Spiritus instinctu factum esse arbitror, vt quoties Apostoli in Scriptura nominantur, complurium ex eis ordo commutetur: vt non plurimum in eo momenti ponere mus, quod adeò paruj refert; nimirum quis fuerit Apostolorum vocationis ordo, aut quo ipsi ordine numerandi sint. Ex quibus deducitur, à nobis certò designari non posse, quinam ex pretiosis fundamentorum lapidibus congruat Thomæ, qui Matthæo, qui Ioanni, aut Simoni. Sed permagni adhuc momenti debet procul dubio esse hic duodecim gemmarum ordo, quando tam accuratè gemmis singulis suis in Apocalypsi numerus ac locus assignatur.

COMMENTARIVS II.

De legitimo 12. fundamentorum sensu.

In duodecim fundamentis Apostolos duodecim pro certo figurari

COMMVNIS est Catholicorum interpretum expositio, in his duodecim fundamentis duodecim item Christi Apostolos symbolicè figurari. Nec solùm inter expositores constat de huiusmodi interpretatione, sed de ipsius etiam euidentia. Vnde Maldonatus Matth. c. 16. 16 ait, *Disertis*
D *verbis & nullam hæreticorum interpretationem recipientibus explicauit Ioannes fundamenta Ecclesiæ esse Apostolos.*

Obiectio contra dictum soluitur.

Dices, Ex eo quòd Apostolorum nomina sint in fundamentis exarata, non sequitur significari hoc pacto eos esse Ecclesiæ fundamenta. Namque in ædificij cuiusque fundamentis illud solet inscribi, qui scilicet fuerint fundatores. Nec minus Apostolis honorificum est, eos Christianæ Ecclesiæ fundatores appellari, quàm fundamentorum nomine decorari. Respondeo tamen in symbolis & allegorijs plerumque abstracta à concretis non distingui. Leo enim fortitudinis pariter ac fortis symbolum est. Vnde in symbolica, siue ænigmatica significatione perinde est esse fundamenta, atque esse fundatores: nam fundamentorum symbolum & appellationem fundatoribus ipsis attribuimus. Atque vt duodecim tribuum inscriptiones, quas Ioannes in portis aspexit, denotant portarum symbolum adscribi duodecim tribubus, de quibus Apocalypsis loquitur (quæ noui Israelis tribus sunt) quia per ipsos Gentes in Dei ciuitatem intrarunt: sic etiam Apostolorum nomina in fundamentis scripta indicant Apostolis fundamentorum symbolum tribui, quia ipsi ciuitatis Dei fundatores extiterunt. Iam, quòd à tribubus ad Apostolos gradus fiat, perinde est, quasi non satis sit portarum symbolum (nouis tribubus collatum) nouis patriarchis assignari, nisi etiam mysticorum fundamentorum symbolum, vtpote nobilius & glorioſius, illis tribuatur, cùm tota ædificij machina videatur eorum humeris innixa recumbere.

Quòd

Digitized by Google

Quòd si arbitretur aliquis cum ænigmatico stylo in Apocalypsi vsitato non rectè congruere, vt fundamentis ipsis inscriptio suæ significationis apponatur: Respondeo, eâdē ratione titulum portis ac fundamentis inscribi. Et in sacra hac fictione operæ pretium fuit, nonnulla manifestè exprimi ac declarari, vt multis aliis rebus perobscuris lumen præferrent. Sed & hoc ipsum, quod explicari videtur, non exiguam difficultatem in se continet. Illud enim hic exprimitur, fundamentorum symbolum Apostolis applicari. Qua verò ratione id symbolum illis conueniat, hoc non admodùm explicatu facile est; sed plurimum potiùs difficultatis habet. Etenim textus ipse fundamentorum ordinem disertè explicat. Cùm autem ordo Apostolorum ignoretur; diuinare oportet, cui Apostolo locus septimus, cuiue octauus assignetur? cur huic Beryllus, illi Smaragdus tribuatur? Qua in re si exacte ac prudenter sermo instituendus sit, ita vt hominum menti & cogitationi satisfiat, & appareat singulas suis in locis gemmas collocari, nec earum ordinem inuerti aut immutari potuisse; id verò spissum sanè opus ac laborioſum est.

Quomodo cum ænigmatico stilo cohæreat, vt fundamentis singulis suæ significationis inscriptiones apponantur.

Communis philosophandi ratio gemmas duodecim inter Apostolos distribuit proportione aliquâ, quæ requiritur inter illius lapidis proprietates, & insigniores alicuius Apostoli virtutes. Adstipulatur huic ratiocinationi B Hieronymus epist. 128. vbi ait, eosdem esse lapides, qui leguntur in diademate Principis Tyri & in Rationali Pontificis & in Apocalypsi: & sub horum nominibus ac specie indicari vel virtutum ordinem, vel diuersitatem. Sic Hieronymus. Enim verò postquàm interpretum applicationes gemmarum singulis præscriptas perlegi, dum studiosè inquiro, qua ratione B earum singulas singulis Apostolis accommodem, per singularem aliquam virtutem in eorum singulis maximè enitentem: fateor nil mihi occurrere, quod auidam mentis sitim expleat. Tum quia in omnibus fere gemmis qua ratione peculiaris aliqua alicui applicatur Apostolo, posset etiam cuicunque alteri accommodari. Tum etiam, quia nihil solidum reperitur, vt credamus septimum fundamentum vni potiùs, quàm alij tribuendum fore. Quapropter quidquid hac de re excogitatur, aut falso nititur fundamento, aut certe parum firmo. Ad hæc, si applicatio harum gemmarum fieri debet secundùm peculiares cuiusque Apostoli virtutes: assignentur opus est 12. virtutes distinctæ, quarum vna in vnoquoque Apostolo præ ceteris singillatim splendeat. Eiusmodi verò virtutum excellentium duodenarius, propter quas Apostolis fundamentorum dignitas aptè tribuatur, non video quàm solidus esse possit.

Communis ac receptus modus explicandi duodecim fundamentorum gemmas quis sit.

Omissâ igitur eiusmodi applicatione, certum omnino mihi est, duodecim Christi Apostolis tribui symbolum fundamentorum ac fundatorum Ecclesiæ, quia ipsi condiderunt, & mundo vniuerso proposuerunt Christianæ doctrinæ summam, quæ in Apostolorum Symbolo continetur, atque incipit, ***Credo in Deum Patrem omnipotentem.*** Hoc vt mihi persuadeam, nitor imprimis, quia nihil est in sacris Literis casu aut temerè scriptum: quòd autem ita distinctè exprimatur ordo gemmarum duodecim, quæ sunt admirabilis huius ædificij fundamentum, argumento est, in hac duodecim lapidum dispositione habitum fuisse respectum ad certum aliquem ac notum duodenarium, de cuius ordine nulla superesse possit dubitatio. Quòd si applicatio debet fieri ad Apostolos, nec scitur, quis debeat seruari ordo in eorum enumeratione: ex hoc indicio colligitur, nullam fuisse habitam rationem ordinis, quo ipsi nominari debeant, sed alterius ordinis, qui in re aliqua ad ipsos vt ad Ecclesiæ fundatores spectante reperiatur. Duodenarium verò scitum & firmi ac stabilis ordinis de re ad ipsos Apostolos pertinente nullum omnino reperio, nisi fidei Symbolum, quod & Apostolorum vocatur. Hoc nempe Symbolum semper est ab Ecclesia receptum, veluti quædam veritatum duodecim coniunctio, quò nostræ fidei summa reuocatur. Semper verò compellatum fuit Apostolorum Symbolum, quòd ipsi composuerint, & in ordinem, numerumque digesserint. Quamobrem congruentissimè in duodecim ciuitatis huius fundamentis totidem figurantur Apostoli propter insignes illas duodecim veritates, quas veluti Christianæ fidei fundamentum toto terrarum orbi firmiter credendas proposuerunt. Ac statim facilè cernitur, nullius esse momenti, vt quo ordine sint Apostoli numerandi, nouerimus. Nam vt hunc ordinem non magni referre aduerteremus, ideo Spiritus sanctus videtur quater eos in Sacris literis diuerso semper ordine recensuisse.

Apostoli cur Ecclesiæ fundamentorum symbolum tribuatur.

Secundò, Apostolos esse Christianæ Ecclesiæ fundatores ac fundamenta, non in eo consistit, quòd illorum singuli in peculiari aliqua virtute maximè efloruerint, atque in ea cæteris anteceſſerint. Id enim nec est certum, nec magni erat momenti, quantunuis ita foret. Etenim licèt illi omnes in virtutum perfectione ac sanctimoniâ essent equales; non ideo minùs essent digni, qui Christianæ Ecclesiæ fundatores appellarentur, nec Ecclesia ipsa eo splendore atque gloriâ priuaretur, quòd in duodecim gemmis fulta ac solidata sit. Quapropter asserendum censeo, Apostolos ideo Ecclesiæ fundatores dici, quia admirabilem illam Catholicæ fidei summam edidere, & effusi cruoris testimonio, nec non prædicatione atque miraculis in hominum animis inseuerunt. atque idcirco tribuitur Apostolis duodecim gemmarum symbolum, quia gemmæ eiusmodi symbolicè figurant veritates duodecim Symboli ab ipsis compositi. Nec primus ipse Apostolici Symboli vetitates pro Ecclesiæ fundamentis accipio. Sic enim loquitur Augustinus de symbolo ad Catechumenos lib. 3. initio tom. 9. *Noueritis* (ait) ***Symbolum hoc esse fundamentum, super quod ædificium surrexit Ecclesia.*** atque idem esset dicere, harum veritatum fidem esse fundamenta: qua ratione loquitur Clemens Romanus epistola 1. ad Iacobum fratrem Domini. Et fortasse huc spectat illud Cypriani, siue Ruffini de symbolo fidei, vbi ea, quæ continentur in Symbolo, dicuntur esse, Munimenta fidei ex lapidibus viuis & margaritis dominicis ab Apostolis ædificata. Deinde Tridentinum sessione 3. in decreto de Symbolo, Apostolicum Symbolum appellat firmum

In quo consistat Apostolos esse Christianæ Ecclesiæ fundatores ac fundamenta.

Duodecim primici Symboli veritates siue fidei capita esse Ecclesiæ fundamenta.

Digitized by Google

A mum atque vnicum fundamentum, contra quod *portæ inferi non præualebunt.* Et sic etiam loquuntur alia Concilia & Patres. Hieronymus in id Psalmi 8. *Fundamenta eius in montibus sanctis*, affirmat fundamenta esse sanctissimæ Trinitatis mysterium; atque huiusmodi fundamentum à Paulo fuisse iactum; de quo loquitur ipse 1. Corinth. 3. 10. *Vt sapiens architectus fundamentum posui*, Apostolos item vocari fundamenta, quia hanc ipsam fidem disseminarunt. Hæc Hieronymus. Manifestum autem est Apostolorum Symbolum esse admirabilem quandam SS. Trinitatis confessionem. Quare idem ait Hieronymus, quod Augustinus. Quin etiam inter antiquissimos libros, qui nuper in sacro Granatensi monte simul cum sanctorum Martyrum reliquijs inuenti sunt, vnus eorum pro titulo habet *fundamentum Ecclesiæ.* Quod vbi famâ & auditione primùm accepi, priusquàm librum videre contingeret: illico apud me statui in eo nostræ fidei summam continere. Nec meus me animus fefellit: quippe vbi illius exemplar ad meas manus peruenit, manifestè comperi, breuem in eo Symboli Apostolici paraphrasim comprehendi. Hoc igitur ipsum Apostolorum Symbolum adumbratur in duodecim gemmas, quas describit Ioannes, & cælestis Ierosolymæ fundamenta vocat.

Liber inter alios plures in sacris montis Granatensis cauernis inuentus, cui titulus, Fundamentum Ecclesiæ.

Tertiò, ab ipsis nascentis Ecclesiæ incunabulis, id semper pro certo habitum fuit, Apostolorum mentem in Symbolo condendo fuisse, vti nostræ fidei capita ad duodecim veritates reuocarent, quas Apostolici Symboli articulos nominamus. Ita affirmat Clemens Romanus Epist. 1. ad Iacobum fratrem Domini, & Leo Pontifex Maximus epist. decretali 13. quæ habetur tom. 5. conciliorum.

Apostolorum mens in Symbolo condendo quæ fuerit.

B Atque id ipsum statuunt siue supponunt, qui Apostolorum Symbolum commentantur, dum illud ad propositiones duodecim reducunt. Habemus ergo articulorum Ecclesiæ duodenarium notissimorum, de quibus dubitari non possit, quin aptissimè fundamenta Ecclesiæ nuncupentur. Nequidquam igitur quæritur expositio in alio duodenario, in quo ratio fundamenti reperiri non possit. Quòd si quis obijciat, statim ac supponatur duodecim Symboli veritates esse fundamenta cælestis Ierosolymæ, consectarium esse, vt Apostoli non sint fundamenta, sed fundatores. ad hoc iam suprà dictum est, fundatoribus aptissimè tribui fundamentorum symbolum ac nomen.

Quartò, duodecim pretiosi lapides, quos Ioannes recenset, eo ipso ordine conueniunt mirificè cum duodenario articulorum. Quarè si applicationem prudens lector ita ad amussim quadrare iudicet, vt mihi semper visa est; nullo alio opus erit argumento, vt hanc fuisse Spiritus sancti mentem in gemmarum dispositione credamus. Nam meo quidem iudico adeò exactè sua singulis articulis gemma congruit; vt nec gemmæ ipsi veritas alia posset ita rectè applicari, nec veritas cum alterius gemmæ symbolo componi. Sed de gemmarum symbolis suo loco dicemus.

Gemmæ, ex quibus cælestis vrbis fundamenta constabant, mirificè duodecim fidei articulis seu veritatibus congruere. Apostolorum Symbolum quo ordine fuerit ab Apostolis ipsis compositum.

Nunc explicare oportet, quàm certum ac firmum sit fidei symbolum ab Apostolis fuisse compositum, singulis singulos articulos ex duodecim in ipsum symboli commune conferentibus. Ad hoc respondeo, ita expressè affirmari à Clemente Romano in epistola illa 1. ad Iacobum fratrem Domini: atque ita etiam legi in sermone quodam siue concione, quæ inter Augustini opera habetur; vbi

C Apostolorum Symbolum exponitur (esto, concionem illam à doctioribus non reputari pro Augustini germanâ, sed adulterinâ) præterea huic opinioni non solum indocti fauent, sed etiam Leo Papa, & Cyprianus siue Ruffinus. Nihilominus non adeò certum est, quin possit fortasse negari probabiliter. Fortè enim Clemens & alij veteres verbis illis, *Singuli contulerunt*, significare voluerunt inter Apostolos ipsos hac de re conuenisse, atque ex huiusmodi Apostolorum consulto symbolum fidei prodijsse compositum. Nam absque alia consultatione rem tanti momenti fuisse ab Apostolis compositam, singulis eorum articulos singulos conferentibus, difficultate non caret, aut etiam miraculi specie.

Tametsi autem potest affirmari, Spiritum sanctum, qui ipsos gubernabat, facilè singulis inspirare potuisse eam sententiam, quam ad congruentem Symboli ordinem ab ipso proferri oportebat: verùm absque peculiari aliqua necessitate aut ratione congruentissima Deus miracula edere non solet in ijs, quæ citra miraculum præstari possunt. Atque Apostolis ipsis difficile non esset, Symbolum ad duodecim fidei veritates redigere; in quarum numero cõsecraretur ac posteris traderetur recordatio vnionis & concordiæ eorum, qui eiusmodi Symbolum condiderunt. Posteà verò disponere prudenter potuerunt, quænam primo loco sententia, quæ secundo, quæ tertio traderetur.

Siue singuli Apostoli, singulas symboli veritates, siue cuncti cuncta condiderint, perinde esse ad nostræ expositionis firmitatem.

Verùm enim verò vtcunque hoc sit, non magni admodùm momenti est, nosse quænam ex ijs

D sententijs singulos attingat Apostolos. Quanuis enim omnes pariter Apostoli ad cuiusque sententiæ seu veritatis ordinationem confluxissent; nihilominus, quia ipsi erant duodecim, totidemque sententiæ, congruenter singulis singulæ partiuntur. Eadem ferè ratione distribuere solemus passionis Christi Domini insignia inter angelos totidem, qui ea supplices ac venerabundi manibus gestant. Nec laborandum nimis est, quis eorum crucem ferat, quis clauos, quis lanceam aut coronam. Licet enim ipsa passionis insignia, quod ad repræsentationem attinet, in plures dispartiantur; eadem tamen est in omnibus significatio: nempe ab omnibus Angelis illa summo obsequio ac veneratione coli. Demum quacunque ratione duodecim articuli inter Apostolos distribuantur, cuiusuis articuli auctoritas eadem est, quæ totius collegij Apostolici. Quod autem duodecim fundatorum nomina inter gemmas fundamenti duodecim dispertiantur: non ideo fit, quia omnes in gemmis singulis inscribi non possent: sed vt apta seruetur proportio, quæ exigit, vt duodecim fundatorum nomina inter gemmas duodecim diuidantur.

Digitized by Google

TEXTVS.

Vers. 15. Et qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundineam, vt metiretur ciuitatem & portas eius & murum.

COMMENTARIVS.

Calamus mensorius quàm fuerit magnitudinis.

GRæca vox arundineæ mensuræ respondens est calamus; idem scilicet nomen, quod legimus cap. 11. 1. vbi de eius mensura & diuisione diximus; asseruimusque ab Ezechiele sex cubitos ex maioribus cubito & palmo constantibus illi assignari; quanuis in speciem sex cubitos & palmum illi præscribere videatur. Verùm cubitus in sacris Literis siue maior sit, siue minor, non est quarta humanæ staturæ pars, vt plerique putant, sed sexta. Quarè calamus idem est atque humana dimensio: cum hoc tamen discrimine, quòd Ezechiel & Ioannes de eo calamo loquuntur, qui est antiquæ staturæ mensura; quæ ad posteriorem siue recentiorem mensuram se habet, sicut 5. ad 4. differentia autem illius calami capitis 11. ab hoc vno aureo calamo, cuius mentio in hoc loco fit, ea est; quòd calamus ille capitis 11. erat similis virgæ percussoriæ, & laborum mensuram significabat: hic verò calamus & aureus est, & gloriæ designat mensuram. Lege quæ de hoc discrimine diximus cap. 11. 1.

Cubitus in sacris cuius sit longitudinis.

In hac Angeli mensura ad quos Scriptura loquos fiat allusio.

Deinde cùm hic Angelus, qui Ioanni cælestem Hierosolymam demonstrauit, B. Paulum repræsentet (vt v. 9. explicatum est) verisimile valde fit, in hac mensura, quam habebat Angelus, respici ad Pauli locum ad Ephes. 3. 8. & 18. vbi primùm ait, *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, euangelizare inuestigabiles diuitias Christi in Gentibus*, id est, in Gentes effundendas. Et paulo infrà: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ corroborari per spiritum eius, vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo & longitudo & sublimitas & profundum.* In his Pauli verbis illud obseruandum est, magnum cælestis Hierosolymæ ædificium respondere Christi meritorum diuitijs. Quarè diuitiæ Christi perinde sunt, quasi mensura, qua magnum illud ædificium mensuratur. Et qui perspicuam de illis habuerit cognitionem, qualis inerat Paulo, ille poterit rectè comprehendere cælestis huius ciuitatis latitudinem, longitudinem, murorum sublimitatem, profunditatem fundamentorum, & æternæ gloriæ diuitias. Cur verò huiusmodi mensura repræsentetur in staturæ humanæ maioris calamo, dicemus infrà n. 17. & nonnihil etiam diximus cap. 11. 1.

Vtrùm Angelus portas ciuitatis sit dimensus?

Ait insuper textus, calami vsum fuisse, *vt metiretur ciuitatem & portas eius & murum.* Et quidem ciuitatis ac muri dimensionem, quam Angelus calamo fecit, exprimit textus: de portarum verò mensura nihil agit. Vnde nouitatem præ se fert, quòd mensura ipsa sit ad portarum dimensionem captandam; & tamen quantitas portarum silentio prætermittatur: quod citra peculiare mysterium esse non arbitror. Nam aut Angelus dimensus est portas, aut non; si mensus est, cur non earum latitudinem explicat? Si mensus non fuit, cur ait Ioannes, calamum in Angeli manu esse, vt metiretur portas ciuitatis? Arbitror igitur Angelum haud dubie portas fuisse dimensum: siquidem Ioannes exprimit, ideo illum habere in manu mensuram. Suspicor autem, propterea non explicuisse portarum dimensionem, quia angustæ admodum erant. Sic enim legimus Matthæi 7. 13. *Intrate per angustam portam:* & statim; *Quam angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam.* Et Lucæ 13. 24. *Contendite intrare per angustam portam.* Hoc ergo ipsum in Apocalypsi significatur, sed consultò suppressæ sunt portarum angustiæ, quia eorum expressio non erat ad rem, de qua præsens instituitur sermo, scilicet de magnitudine ciuitatis. Sufficienter tamen illud innuitur, dum dicitur mensura afferri ad muri longitudinem, latitudinem, & altitudinem metiendam, nec non ad mensurandas etiam portas, & tamen portarum quantitas non exprimitur.

Propositæ quæstionis dissolutio.

Duplex difficultas in nostra doctrina.

Dicet aliquis: vt portæ adeò sint angustæ, sicut opus est, vt de eis Christi verba à Matthæo & Luca prolata verè asserantur, necesse erit, vt vnico tantùm cubito earum latitudo constet, id est, sextâ humanæ staturæ parte, vt suprà dicebamus. Quod si adeò arctæ considerantur portæ, calamus ad portarum ipsarum latitudinem dimetiendam aptus non erit, cùm sex minimum cubitis longitudo calami constet. Deinde tanta portarum angustia non videtur cohærere cum ijs, quæ textus ait v. 24 & 26. videlicet, *Reges terræ afferent gloriam suam & honorem illam.* Ad primum respondeo: licèt calami longitudo sex habeat cubitos: ideo tamen appellatur calamus, quia cubitos ipsos habet designatos, sicuti arundo internodiorum signis distincta est. Vnde calamo mensurari commodè potest, quod vnum siue duos cubitos latum est aut longum. Patet hoc Ezech. 40. vbi totum illud ædificium dimensum fuit sex cubitorum calamo, cùm tamen n. 9. legamus, *Mensus est frontem duobus cubitis*, & n. 12. *Cubitus vnus finis vtrinque.* Ad secundum: Regum gloria, honor & splendor non in ijs rebus consistit, quæ inuehi non possint, quà homo possit intrare. Nec enim gloria ingens ac diuitiæ (quæ hanc in vrbem inferendæ dicuntur) ad rudes & informes res, sed ad pretiosissimas gemmas, ad margaritas, atque alia eiusmodi rediguntur. Hęc verò rectè & facilè possunt per ianuam angustam inuehi, quę tamen non adeò sit arcta, quin illâ possit homo ingredi. Non tamen ipse portarum ingressum ad eiusmodi refero angustias, sed ita angustas effingo, vt artis exigit ratio, quò arctę sint portę, per quas non ita facilè quis ingrediatur: id quod Christi Domini verba indicant. Et quanuis portę ita fingantur angustę, nihilominus postes ipsos, & quidquid ianuam vndique ornat ac decorat, eximij splendoris ac maiestatis considero, atque ex margarita conflatum, vt n. 21. constabit.

Soluitur prima.

Soluitur secunda.

TEXTVS

Digitized by Google

A

TEXTVS.

Vers.16. Et ciuitas in quadro posita est; & longitudo eius tanta est,quanta & latitudo: & mensus est ciuitatem de arundine aurea per stadia duodecim millia : & longitudo & altitudo & latitudo eius æqualia sunt.

COMMENTARIVS I.

De sensu grammatico.

VErba illa, LONGITVDO EIVS TANTA EST QVANTA ET LATITVDO] videntur primo aspectu præcedentium verborum repetitionem agere.perinde namque est,ciuitatem aliquam in quadrum esse dispositam,atque longitudinem eius tantam esse,quanta est latitudo.Verùm esto sit repetitio;illa tamen maioris declarationis ergò vsurpabitur,vt sæpè aliàs.si tamen originalia verba attendantur;nulla hic videtur esse repetitio:vbi enim nos legimus *in quadro*, Græcè habetur, *tetragonos*, id est quadrangulus.potest autem congruere,vt quadrangulus rectangulus sit,nec tamen perfecti quadri figuram habeat. Ideoque addidit Ioannes non solùm esse rectangulum, sed perfectum etiam

B quadrum.

Iam,quod attinet ad perfectum hoc ciuitatis quadrum.& ad quatuor muri latera, quatuor item mundi partes respicientia (scilicet Aquilonem, Meridiem, Ortum, & Occasum,)totum hoc exsumptum est ex ciuitate illa, quæ Ezechieli fuit ostensa cap. 46. 16. Ceterùm inter illam Ezechielis & hanc Apocalypseos vrbes duo intersunt discrimina. Primum est, quia Apocalypseos ciuitas suburbia non habet: bene tamen ciuitas Ezechielis : suburbiis enim est vndique cincta : quorum latitudo continet calamos ducentos quinquaginta, id est,(iuxta meam computationem) stadia duo cum dimidio. Alterum discrimen est, quia longitudo siue latitudo(eadem enim mensura est) Ezechielis vrbis calamos continet quatuor millia & quingentos. Quòd si suburbiorum mensuram adnectamus: sunt omnes calami quinquies mille, qui stadia quinquaginta exæquant. At Ioannis ciuitas patet in longitudinem stadia duodecim millia : qui numerus ad quinquaginta se habet, vt 240. ad 1. atque adeo quadrata Apocalypseos vrbis area se habet ad Ezechielis aream, sicut 57600. ad 1.

Perfectum cælestis vrbis quadrum & quatuor muri latera ex Ezechielis ciuitate desumi cum duplici tamen discrimine.

Dicet tamen aliquis,necessarium non esse, vt Ioannem singulis muri lateribus duodecim stadiorum millia præscripsisse credamus. Satis nanque est, omnium pariter muri laterum calamos esse duodecim mille, ita vt lateribus singulis ter mille calami obtingant. Sic enim Ezechielis 48. 35. dicitur, *Per circuitum octodecim millia*, prius autem fuerat dictum, singula muri latera calamis quatuor

C millibus & quingentis constare. Respondeo, Ioannem cùm duodecim stadiorum millia vrbi attribuit,de muri ambitu non agere, sed de longitudine, siue latitudine vrbis. Nam antecedentia verba hæc sunt, *Longitudo eius tanta est, quanta latitudo.* mox adiungit; *& mensus est ciuitatem per stadia duodecim millia*:loquitur ergo de ciuitatis ipsius longitudine. Accedit,quòd metiri ciuitatem, propriè est eius longitudinem ab vna vrbis porta ad alteram è regione oppositam dimetiri. atqui in quadrata omnino vrbe idem prorsus est, si cuiusque lateris longitudinem metiaris. Præterquàm quòd vbi in memoriam reuocemus, Babylonis antiquæ (cuius nomen, Romæ ethnicæ antiquæ applicatum est,) quadrum stadijs mille ducentis constare, vt veteres historiographi prodiderunt; facilè hinc cernitur,cùm stadia duodecim millia cælesti tribuuntur ciuitati,perinde esse atque cælestis Hierosolymæ murum centies longiorem muro Babylonis efficere; ac proinde singulis muri lateribus duodecim stadiorum millia designari; sicuti vnicuique lateri Babylonis stadia centum viginti ab historicis assignantur.Deinde,si murum centies grandiorem asseramus;consequenter area decies millies maior erit. Ex quo infertur,si Ioannis ciuitas comparetur cum alia, cuius quadrum vno milliari siue stadijs octo constet(quam mensuram Hispalis nobilissima Hispaniæ vrbs non excedit) cælestem Ierosolymam,quam Ioannes describit,se habere ad eam vrbem,sicut 2250000.ad 1. Etenim duodecim millia ad 8.se habent sicut 1500. ad 1. Quarè si latus millies quingenties maius est;sequitur aream ipsam 2250000. vicibus esse maiorem. Nec spatium duodecim millium stadiorum minus est, quàm quod

D inter Hispalim & Neapolim intercedit. Vnde ciuitas,quæ hic fingitur,est quadrum quoddam, cuius latus longitudine adæquet interuallum illud, quo Hispalis à Neapoli distat. præter illud interuallum, quo Scripturæ calamus sex Romanos pedes excedit; de quo dicemus in opusculo de mensuris sacris.

Quid dicendum sit de longitudine, quam Ioannes cælestis vrbi & singulis ipsis muri lateribus adscribit

Cælestis ciuitatis Ioanni visa quadrũ, quàm latè pateat.

LONGITVDO ET ALTITVDO EIVS ET LATITVDO ÆQVALIA SVNT] Nonnulli existimant, ad horum verborum veritatem necesse esse, vt turrium altitudo concipiatur esse tanta, quanta ciuitatis longitudo. Sed quid magis absonum in vrbe adeò capaci? Porrò quanta crassitudo huiusmodi turribus opus esset, vt altitudini duodecim millium stadiorum respónderet? Ad huiusmodi quidem turres, quanuis mediocris ipsarum numerus esset, vix tota ciuitatis area satis erat. Deinde, si textum ipsum attentè inspiciamus, facili negotio constabit, grammaticum sensum longè alium esse. Primò, quia ciuitatis altitudo non sonat id, quod turris aliqua extollitur. Secundò, quia iam dictum antea fuerat, *Longitudo ciuitatis tanta est, quanta & latitudo*; vbi nulla altitudinis mentio facta est. Cùm igitur phrasis mutetur, quando de altitudine agitur, nec dicatur, *altitudo*

Quomodo hic intelligẽdum, quod de vrbis æqualitate in longitudine, altitudine & latitudine dicitur.

Digitized by Google

tanta est, quanta & longitudo & latitudo, sequitur inde hunc sensum ab ipso textu non intendi. A

Proposita quæstio elucidatur. Præterea non videtur hic esse sermo de altitudine montis, vbi ciuitas sita erat. Quamobrem existimo, hisce in verbis non adæquari altitudinem cum latitudine aut longitudine: sed illud dumtaxat asseri, altitudinem scilicet esse totam æquabilem; sicuti & longitudo & latitudo erat. Itaque vox illa *æqualia* (græcè ἴσα) idem est, atque *æquabilia*: nec altitudo cum latitudine comparatur, sed quælibet ex his mensuris in se ipsa considerata affirmatur esse recta atque æquabilis. Quod perinde est ac si dicatur longitudo ciuitatis non esse maior vno ex latere, quàm ex alio, sed ex vtroque latere æqualis: idemque asseueratur de æquabili vndique latitudine. Muros item indicatur non solùm eiusdem esse in omnibus lateribus mensuræ (id est centum quadraginta quatuor cubitorum) sed etiam in eodem met libramento. Longè aliter, quàm in omnibus ferè terrarum vrbibus; quibus quia pauimentum æquabile vndique non est, magnam necesse est in muris ipsis inæqualitatem esse; & interdum mœnia nimium sublimia exurgere, interdum ob inæqualis pauimenti rationem nimiùm demitti: quantumuis muri dimensio eadem sit. v. g. quinquaginta cubitorum.

Æqualitas in vrbis mensuris qualis fuerit. At verò in vrbe, quam Ioannes vidit, quantumuis immensæ magnitudinis fuerit, pauimentum & murorum fundamenta æqualia prorsus erant, & ad libellam ac ad perpendiculum ita exacta; vt cùm murus omni ex parte altitudinem centum quadraginta quatuor cubitorum habuerit, ipsius muri corona æquabilis vndique perstiterit. Cæterùm non id à nobis ita est accipiendum, quasi hæc tanta æquabilitas turres suis interuallis dispositas detrahat: sine quibus longissimus murus pulchritudinem in se habere non potest; & Isaiæ 54. 12. de propugnaculis mentio fit. Sed æquabilitas hæc in eo consistit, quòd eadem proportionis & perpendiculi ratio seruetur, ita vt & ipsa muri species sit vndique ad amussim æqualis; & in turrium etiam altitudine par semper proportio sit, quæ ad ædificij pulchritudinem apprimè decet. Dici etiam fortasse potest, licèt in hoc versu altitudo cum longitudine & latitudine comparetur; voce tamen illâ *æqualia*, non hic æqualitatem in ipsis mensuris, sed æquabilitatem & congruentem proportionem denotari; quod tamen in idem recidit. B

COMMENTARIVS.

De sensu mystico.

Quadrata figura quàm sit ad ædificij rationem perfecta. QVamuis figura rotunda perfectior esse quadratâ dicatur; tamen quod ad ædificiũ spectat, quadratam aream aptiorem esse constat: namque & commodior, & fortior situs & pulchrior est: atque hæ sunt tres optimi ædificij proprietates. Quare perfecta architectura, nisi in quadrato solo, nõ est. Quãobrẽ, cùm Spiritus sanctus vellet in hoc ædificio perfectionẽ æternæ sanctorũ beatitudinis figurare; iure optimo quadratũ legit situm. Quin & hac ratione admirabilis proportio & partium conueniẽtia in mystico ædificio significatur. nam quadrata structura pluribus atq; exactioribus proportionibus inter se aptè respondentibus componitur absque eo quòd vlla pars situs amittenda sit. C

Quid per quatuor quadrati ædificij latera adumbretur. Deinde in quatuor quadrati ædificij lateribus congruenter adumbrantur principales quatuor diuinæ prouidentiæ perfectiones, quæ in admirando Dei opere æqualiter extant atque eminent. Illæ autem sunt Virtus, Sapientia, Æquitas & Beneficentia. Adhæc, in quadrato ædificio ipsamet proportio & partium inter sese respectus habet nescio quid oppositionis, ob quam ædificium ipsum & architectura plus eminet, & longè lateque conspicitur. Dicam clariùs, paries vnus è regione alterius omnino consurgit; & quatuor anguli sunt, vbi paries alter in alterum videtur impingere, eumque perrumpere velle. atque hoc ipso pulchrius & solidius redditur ædificium. Idem ferè suo modo accidit in ea oppositione, quam inter se videntur habere summa virtus & summa æquitas, nec non summa beneficientia & summa sapientia atque maiestas, de quarum admirabili inter sese concordia & societate diximus cap. 1. notatione 5. vbi de septem spiritibus.

Singula quadrata vrbis latera ad singulas mũdi partes spectantia quid significent. Harũ quatuor perfectionũ æqualitas in maximo illo Dei opere figuratur per quadrum perfectũ, cuius longitudo tanta est, quanta & latitudo. Quod verò ex quatuor lateribus vnũ Orientem respiciat, Occidentem aliud, aliud Septentrionem, & aliud Meridiem, fortasse denotat, cælũ non minùs Occidentalibus, quàm Orientalibus patère, nec plus Septentrionalibus, quàm Meridionalibus, D

Cur in cælesti hac vrbe suburbia non sint? Iam, quòd in ciuitate suburbia non sint, nos docet in æterna beatitudine non esse catechumenos, nec alios homines, qui defensione ac securitate per muros figuratâ non fruantur. Omnes enim perfecti sunt ciues, omnes cumulatâ pace & immunitate potiuntur. Quin etiam suburbia impedimento plerumque esse solent, ne planè atque integrè emineat murorum ac turrium pulchritudo & structura, id quod cælestem ciuitatem dedecebat.

Ingens ciuitatis magnitudo quid innuat. Immensa ciuitatis magnitudo nos reddit securos, fore vt nulli merenti desit in illa domicilium: quia *in domo Patris mei* (ait Christus) *mansiones multæ sunt*. significat insuper glorioſissimam Christo Domino & Apostolis futuram ingentem illam ciuitatis magnitudinẽ, vbi cùm innumerabilis sit ciuiũ multitudo, cuncti tamen ditissimi, sapientissimi, ac felicissimi erunt. Certè in summa ciuitatis magnitudine potuit facile Ioannes cognoscere, plurimam hominum multitudinem eò demum euehendam. Cùm enim tantam, tamque immensam fabricet vrbem, qui futurorum ciuium nomen probè nouit, id argumento est, maximam fore saluandorum hominum multitudinem,

Ex prædicta tanta vrbis magnitudine quid infera tur. Tanta hæc vrbis magnitudo si attentè expendatur, duæ præciduntur suspiciones, quæ nonnullos sollicitarunt. Prima est, mundum paucos admodum annos duraturum. Altera, exiguum valde saluandorum fore numerum. Ego quidem in neutra harum rerum nouam velim inducere doctrinam,

sed

Digitized by Google

A sed meam interpretationem ad receptum sapientium ac prudentium sensum conformare; atque id ex ipsius contextus coniecturis eruere. Si ad vrbem tantæ magnitudinis incolendam opus esse videtur maior ciuium multitudo, quam quæ occupare possit vicies centena millia vrbium Hispalim magnitudine adæquantium: quinam hoc stare poterit cum perexiguo illo prædestinatorum numero? & cum mundi duratione adeò breui defecturâ, vt nonnulli opinantur?

Verùm dicet aliquis, hac ratione plus æquo probari, licèt enim quotannis plures saluarentur homines, quàm qui opus essent ad viginti vrbes Hispalis instar incolendas: adhuc ad vicies centena millia, opus esset annis centies mille. Respondetur puerorum, qui saluantur numerum esse pene innumerabilem etiam inter Hæreticos & Schismaticos. Quod verò attinet ad homines iam adultos, viri aliquot valde pij ac spirituales affirmant, multò esse plures, qui saluantur, quàm aliqui existimant. Qui enim suum pro nobis sanguinem effudit, maximam adhibet diligentiam, ne animæ, quas ipse tanto redemit pretio, in æternam perniciem ruant. His accedit, quòd maxima hæc ciuitas non consideratur solùm, vt Sanctorum domicilium: sed etiam quasi ipsorum prædia, horti ac viridaria sint: quæ omnia ingenti illo murorum ambitu coerceantur, vt ab hostium incursionibus secura & pacata sint. Et quamuis ignoremus omnino, quot sæcula sit mundus duraturus: nouimus tamen inanem fuisse eorum timorem, qui orbem citò interituru metuebant. Aliquis etiam dictis posset adiungere, descriptam huius vrbis magnitudinem non accommodari solùm prædestinatis hominibus, sed etiam Angelorum numero, qui comparatione hominum perinde sunt, quasi oues nonaginta
B nouem respectu illius, quæ aberrauerat. Hoc tamen meo iudicio non est ad rem. nam maximus Angelorum numerus non est pars magnitudinis Romanæ Ecclesiæ, de qua in hoc capite agitur, vt in eius prologo disputatum est.

Difficultati ex dictis prouenienti occurritur.

Demum murorum & ædificiorum æquabilitas Beatorum denotat concordiam & societatem: in ea autem, maxima familiaritas & admirabilis proportio designatur. vbi enim ædificij desideratur æquabilitas, aut si vna ex parte laxius, quàm ex alia sit: cùm lineæ ac superficies non sint parallelæ, videtur inter ipsas societas & familiaritas non esse: quandoquidem altera ab altera descisit ac deuiat. Itaque vniuersalis conuenientia & concordia in ipsius ædificij æquabilitate mirificè adumbratur.

Quid in murorum & ædificiorum æquabilitate figuretur.

TEXTVS.

Vers. 17. Et mensus est murum eius centum quadraginta quatuor cubitorum mensura hominis, quæ est Angeli.

COMMENTARIVS.

C

QVemadmodum portarum symbolum adumbrat eorum gloriam, qui veluti portæ fuerunt, quibus Gentiles in Ecclesiam reciperentur, & fundamentorum symbolum denotat gloriam illorum, qui Ecclesiæ fundatores siue fundamenta fuerunt: sic etiam muri symbolum referendum omnino est ad eorum gloriam & splendorem, qui se Ecclesiæ propugnationi veluti muros præstiterunt. Verùm considerari oportet numerum centum quadraginta quatuor cubitorum, cui non quælibet fortassis explicatio bene aptatur. Alij muri significationem extendunt ad Prophetas omnes & concionatores. Alij ad eos, qui suis precibus pro muro Ecclesiæ fuerunt, Alij ad Martyres. Alij ad Doctores. Alij ad Ecclesiæ Prælatos & superiores. Alij ad Spiritus sancti dona, siue ad virtutes ac bona opera. Alij ad fidem. Alij ad Angelorum custodiam. Alij denique ad sacram Scripturam. Ego tamen mihi persuadeo, in hoc muri symbolo Christianos sacerdotes potissimùm figurari: nam sacrificium Missæ offerentes, ipsius sacrificij virtutem & patrocinium impugnationi dæmonum opposuerunt. Quæ explicatio mirificè consentit cum beati Gregorij dictis, qui asserit, Christum esse verum murum, nec non cum Ruperti sententia asserentis Eucharistiam esse murum Ecclesiæ. Ipse igitur, ratione sacrificij Eucharistiæ, applico huiusmodi muri symbolum Sacerdotibus Christianis. atque hoc mihi persuadeo ex numero centum quadraginta quatuor cubitorum, vt statim explicabo.

Quinam in muris siue mœnibus adumbrentur.

Varia aliorũ expositiones.

Auctoris expositio de sacerdotibus.

D Nonnulli contemplantur, numerum centesimum quadragesimum quartum esse illum, qui ex duodenario numero duodecies replicato consurgit, & huiusmodi numerum duodenarium in portis, in muro, in fundamentis, in ciuitatis longitudine (quæ duodecim stadiorum millibus constat) reperiri: atque hoc numero propterea diuinæ huius fabricæ architectum fuisse delectatum, vt Apostolos decoraret: qui post Christum Dominum sunt cælestis huius ciuitatis fundatores. Mihi tamen in centum quadraginta quatuor cubitorum numero congruentius videtur, vt considerentur quatuor & viginti calami: quorum singuli senos habent in longitudinem cubitos, vt in tractatu de mensuris sacris probabimus. Cùm autem, quilibet calamus vnius humanæ staturæ longitudinem contineat, cuius sexta pars cubitus in sacris Literis vocatur, rectè consonat, vti Sacerdotibus muri symbolum tribuatur. Nam in Apocalypsi Christiani figurantur Sacerdotes sub quatuor & viginti seniorum specie per allusionem ad viginti quatuor principes familiarum ex Aarone genus ducentium. Vt ergo significaretur proprium Sacerdotum esse munus, vti se Ecclesiæ murum præstarent, ideo congruenter muro tribuuntur viginti quatuor humanæ staturæ dimensiones, quasi sacerdotes omnes coniuncti inter se sint ad offerendum Eucharistiæ

Numerus 144. cubitorum, quibus murorum altitudo continebat, quid mysticè significet.

Digitized by Google

sacrificium, & ad Ecclesiam ea ratione communiendam. A

Existimabit aliquis, in hac muri altitudine (sicuti in ciuitatis etiam magnitudine) habitum fuisse respectum ad antiquæ Babylonis muros. Cæterùm, non rectè consentit cum hac allusione ipse cubitorum numerus. Nam antiqui scriptores (nisi forte hyperbolicè loquantur) ducentos cubitos in altitudinem Babylonico muro adscribunt.

Quid significet, Mensura hominis, quæ est angeli.

MENSVRA HOMINIS, QVAE EST ANGELI] Id est, hi centum quadraginta quatuor cubiti dimensi sunt humanâ mensurâ, quam Angelus manu habebat. Ex quo elicitur primò, calamum illum, quo Angelus hoc ædificium metiebatur, fuisse instam humanæ staturæ mensuram. Quin etiam manifesta allusio ad Ezechielis calamum cap. 40. 5. argumento est, hunc calamum in sex cubitos fuisse distinctum; atque adeò cubitum in Scripturæ phrasi non ita accipiendum fore, sicuti plerique existimant pro quarta staturæ humanæ parte; sed pro sexta, vt latiùs in opusculo de sacris mensuris. Secundò ex allusione ad Ezechielis calamum deducitur, quæ in hoc loco humana mensura, esse mensuram antiquam: quæ fortassis est aut Adami aut Noëi, quæ dupla est in potentia solida ad vulgarem mensuram posteà vsitatam; vt in eo opusculo fusè disputabitur. Quòd verò in præsenti instituatur sermo de maxima humanæ staturæ mensura (vt sapienter notauit Genebrardus Psal. 77. 30) ex eo constat, quòd Ezechiel cap. 40. 5. mensuram calami ait esse *sex cubitorum & palmo*; id est, sex palmi cubitorum, siue cubitorum sex maiorum ex iis, quorum singuli ad vulgares cubitos posteriores se habent, sicut 5. ad 4. quia *cubitus verissimus habebat cubitum & palmum*, vt docet idem Ezechiel cap. 43. 13.

Hanc mensuram arundineam sex cubitis constare.

De maxima humana staturæ mensura hic esse sermonem.

B

Tertiò, cùm in sacris Literis appelletur mensura hominis, & mensura virilis, & mensura prima, vetus illa mensura, quæ secundùm Adami aut Noëi staturam efficta erat: ideo sacrum hoc ædificium verissimâ illâ Adami siue Noëi mensura dimetitur Angelus; vt significetur, Angelum ipsum huius ædificij mensorem (qui, vt vidimus, beatum Paulum figurat) illud Christi mensura dimetiri: cuius mensuræ meminit ipse Paulus ad Ephesios 4. num. 7. & 13. quia Christus est mysticus Adamus atque Noëus. Iam, quòd Christi dimensione hoc ædificium mensuretur; denotat, ipsius fabricæ magnitudinem ex magnitudine meritorum Christi, & ex conuenientia & proportione cum ipsius gloria fuisse perceptam..

Quod sit mysteriosa humana mensura, qua Angelus ædificium dimetitur.

Aliqui ex his verbis, *mensura hominis, quæ est Angeli*, colligere volunt, eadem in cælo dimensione homines & Angelos commensurari. Verùm si hic Angelus Paulum, vt iam dixi, repræsentat; non bene infertur, hoc in loco sermonem haberi de ea mensura, qua cælestis Hierarchiæ Angeli mensurantur. Præsertim, quia nomen Angeli præfixum hic habet articulum; vt certius sit non hic de alio Angelo esse sermonem quàm de illo, qui Ioanni cælestem Hierosolymam demonstrabat; qui, vt suo loco probatum est, refert B. Paulum.

C

TEXTVS.

Vers. 18. *pars* 1. Et erat structura muri eius ex lapide Iaspide.

COMMENTARIVS.

Allusio in muro iaspideo, ad Isaiæ locum.

DEsumptum est hoc ex Isaia cap. 54. 12. *Ponam Iaspidem propugnacula tua.* Quòd si Iaspis (vt in primo ciuitatis fundamento, quod iaspideum est, videbimus, symbolicè Dei omnipotentiam adumbrat: hæc ipsa diuina omnipotentia cælestem vrbem tutam ac securam reddit omnino. Neque obstat, quod superiùs diximus, scilicet murum applicari sacerdotibus, qui suis sacrificijs quasi muris tutissimis Ecclesiam protegunt ac tuentur. Hoc, inquam, non obstat; quia sacerdotibus tribuitur muri symbolum, vtpote qui à Deo impetrarunt, vt catholicam Ecclesiam suâ omnipotentiâ ab hostili dæmonum incursione defenderet. Deinde significationi omnipotentiæ illud accedit, quòd Iaspis verus ac germanus (qui est gemma) olim ab antiquis pro amuleto ac tutela aduersus dæmones habitus sit; de quo in primi fundamenti explicatione. Quapropter, vt significetur cælestis ciuitas à dæmonum oppugnationibus esse omnino secura: eleganter ipsius murus ex Iaspide gemma constructus fingitur: quæ gemma credita olim est eam peculiarem habere proprietatem, vt dæmones procul amandet. Atque idem ferè significatur illis Isaiæ verbis cap. 60. 18. *Occupabit salus muros tuos.*

Quid muri Iaspis significet.

D

TEXTVS.

Vers. 18. *pars.* 2. Ipsa verò ciuitas aurum mundum, simile vitro mundo.

Vtrum cælestis ciuitas, præter externam murorum faciem, domibus etiam & ædificiis intus constaret.

COMMENTARIVS.

QVidam existimabat in hac Apocalypseos descriptione, licet cælestis ciuitas murorum ambitum habeat, interiora tamen vrbis non ita esse concipienda, quasi aliqua inibi sint ædificia: sed veluti murus ipse solùm esset extructus ad terrestrem paradisum ambiendum. Hanc opinionem primùm fulciebat, quia textus ipse nihil de domibus aut ædificijs agit, sed solùm de muro, de portis, de interiori arbusto. Deinde, quia domibus nihil opus est, nisi aut ad familiarum diuisionem, aut ad defensionem ab aëris intemperie, aut etiam vt ciues sibi ab alij caueant, & suas custodiant

I. sententia negans.

Digitized by Google

A diant fortunas: aut demum vt minùs verecundas actiones obtegant: quorum nihil in superna ciuitate locum habet. Pro cuius sententiæ confirmatione afferri possent verba illa, *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus*, quibus innuitur nullam esse distinctionem: sicut intra tentorium, siue tabernaculum non esse solet.

Verùm, meâ sententiâ, his verbis versus 18. validè hæc opinio refutatur. Nam verba illa, *ipsa verò ciuitas*, (quæ agunt de interiori vrbe, prouocat exterua murorum facie distinguitur) proculdubio accipienda sunt de interioribus ipsius ciuitatis ædificijs. Etenim si fundus aliquis siue hortus muro vndique ambiretur: postquàm de muro ipso actum esset, & ad interiora transgrederetur sermo: non rectè diceretur, *ipsa verò ciuitas*. Nec enim aut hortus, aut prædium, siue ager appellari possunt ciuitas. Quod si propterea de medio tolluntur ædificia, quia illis opus non est: tollantur etiam oportet muri, quorum nulla vrget necessitas. Si ergo muri propter significationem congruentissimè finguntur: eadem ratione domus etiam considerare debemus ad congruentem meritorum Christi distinctionem significandam: iuxta illud Christi dictum Ioannis 14. 2. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Domorum item pulchritudo atque distinctio apprime conducit ad ipsius vrbis decus & ornamentum. Ad hæc: ædes ipsæ symbolicæ æthereos ciues repræsentant, hæc namque ciuitas ex viuis & electis lapidibus fabricatur. Ad id verò, quod è contrario adducebatur, videlicet opus ibi non esse, vt alij sibi ab aliorum iniuria cauerent, nec inuerecundas celarent actiones: Respondetur, hunc non esse harum domorum scopum, siquidem ex perspicuo & pellucenti auro vitri instar clarissimi figurantur, nec conferunt ad ciuium defensionem, & à cæli inclementia

B cautionem, sed ad pulchritudinem, voluptatem, proportionem, & ad significandam etiam meritorum distinctionem.

Vera Auctoris sententia pro parte affirmatiua.

Contrariæ sententiæ fundamenta euertuntur.

Quamobrem, cùm verba hæc, *Ipsa verò ciuitas*, de interioris ciuitatis ædificijs agant; illud insuper addendum est, sapientissimè ædificia isthæc ex auro perspicuo fingi. Certè, quemadmodum dici solet, nihil vitro ad summam perfectionem defore, si fragile non esset: ita etiam id vnum auro deesse videtur, vt scilicet perlucidum ac perspicuum sit. Quod si haberet aurum, proximè ad Chrysolithi perfectionem accederet. Chrysolithus autem (vt in septimo fundamento tractabitur) symbolum est mirificum perfectissimæ gloriæ, qua Christus redemptor noster perfruitur. Quapropter, vt sanctorum gloria figuretur tanquam perfectissima, & à Christi Domini gloria ducens originem, eique maximè similis: concinnè & eleganter finguntur ex auro perlucido & perspicuo omnia ciuitatis ædificia, quæ cælestem sanctorum gloriam significant. His accedit, quòd in domorum perspicuitate innuitur, supernorum ciuium singulos omnium pariter gloriâ potiri, ob mutuam omnium inter sese vnionem & concordiam, qua alij de æterna aliorum fælicitate summopere lætantur.

Quid significet aurum perspicuum, ex quo interna ciuitas cit fabricata.

TEXTVS.

C *Vers.* 17. Et fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum, Iaspis: secundum, Sapphirus: tertium, Chalcedonius: quartum, Smaragdus.

20. Quintum, Sardonyx: sextum, Sardius: septimum, Chrysolithus: octauum Beryllus: nonum, Topazius: decimum, Chrysoprasus: vndecimum, Hyacinthus: duodecimum, Amethystus.

COMMENTARIVS.

OMNI LAPIDE PRETIOSO ORNATA] Ribera sic exponit, quasi singula fundamenta sint gemmis duodecim ornata quia in gemmis (ait) significantur virtutes & dona: & quanuis gemmæ statim distribuantur Apostolis singulæ singulis, vt eæ singulis assignentur virtutes, quibus quisque maximè floruit: nihilominus vnumquodque fundamentum dicitur ornatum omnibus gemmis, quia ita singuli suis virtutibus floruere, vt reliquis non carerent. Sic Ribera, & similiter nonnulli philosophantur in ijs verbis num. 21. *Duodecim portæ duodecim margaritæ sunt per singulas*, existimantes opus esse, vt in portis singulis duodecim inueniantur margaritæ. Hoc tamen contextui repugnare suo loco ostendemus. Nunc de fundamentorum gemmis. Et antequàm ad eorum mysterium

D accedamus; in ipsa visione imaginaria existimo non ita esse fundamenta consideranda, quasi singula gemmis alijs superadditis insignita sint. Nam fundamentum primum est Iaspis, merus inquam Iaspis, absque vlla Sapphiri vel Smaragdi permistione: secundum, merus Sapphirus; & sic de reliquis. Nec quispiam id in dubium reuocaret, nisi nonnihil difficultatis afferrent verba illa, *Fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso ornata.* quæ tamen nihil aliud significant, quàm ea esse pulchro ordine disposita. Verbum enim Græcum, κοσμέω, non significat solùm ornare; sed etiam ordinare, distribuere, atque componere, præsertim vbi ex ipsa dispositione decor & pulchritudo consurgit, vt in exercitu. Fundamenta ergo dicuntur omni lapide pretioso ornata; quia visa sunt Ioanni gemmarum sequentium ordine disposita admirabilem pulchritudinis speciem oculis obijcere. De qua constituendi ratione, nemo videtur posse dubitare, qui grammaticum græci textus sensum attentè legerit, atque perceperit. Quinimò in latina versione id satis probatur ex sequen-

Quo sensu dicatur muri fundamenta omni lapide pretioso ornata.

Aliorum expositio, Vera explanatio statuitur & probatur.

Digitized by Google

tibus verbis, *Fundamentum primum, Iaspis; secundum, Sapphirus*, &c. Cùm enim fundamentorum singula ex singulis gemmis ingentibus constent: absonum est, alias insuper ei gemmas inserere. Rudem quidem & impolitum murum pulcherrimi Iaspis varietate exornare interdum decet; vt videre est Romæ in sacellis nonnullis, quæ in Apostolorum Principis templo visuntur: at verò si totus paries gemmis pretiosissimis ac variis esset conuestitus, ineptum esset gemmas ipsas alijs insuper minoribus lapidibus adornare. A

Mysterium gemmarum duodecim, quæ muris pro fundamentis supponuntur.

Quod ad mysterium attinet; iuxta eum sensum, quem ipse sequor, & suprà versu 14. exposui; non solùm superuacaneum est, sed etiam prorsus dissentaneum, singulas cuiusque fundamenti gemmas reliquis alijs gemmis ornari ac distingui. mysterium namque duodecim Apostolici symboli veritatum (quæ in his significantur fundamentis) potissimùm consistit in ipsarum veritatum duodecim distinctione. Atqui manifestum est, in quolibet ex fidei capitibus siue articulis reliquos omnes non comprehendi.

Impugnatur 1. explicatio.

Porrò, si fundamentum quodlibet pretiosorum lapidum multitudine exornatum foret; quod textus ait, *Omni lapide pretioso ornata*, absolutè posset de omnibus gemmis intelligi; & non solùm de his duodecim, quæ statim enumerantur; quippe gemmarum specie multò sunt plures; vt videre est apud Plinium lib. 37. & omnes ad peculiarium virtutum symbola possunt aptari. Sed cùm in nostra expositione non alius sit ornatus, quàm apta & idonea duodecim fundamentorum dispositio: necesse est verba illa, *Omni lapide pretioso*, ad duodecim gemmas coarctari. Itaque grammaticus hic est sensus; *omni lapide pretioso ornata*, id est, ijs omnibus collucentia gemmis, quæ mox subijciuntur; nempe Iaspide, Sapphiro, Chalcedonio & reliquis. Opinabitur fortasse aliquis, non sine peculiari mysterio in Scriptura significari hos duodecim pretiosos lapides esse vniuersas orbis gemmas, ceteris quodammodo gemmarum nomine denegato. Sicuti Apocalyp. 7. omnes numerantur tribus, vna tribu Dan excepta, ad mysterij alicuius significationem. Verùm huiusmodi subtilitate opus non est: nam (vt interim de alijs taceam) Achatem Scriptura inter Rationalis gemmas annumerat: quæ tamen gemma inter has duodecim non reperitur. Quamobrem, licet ob peculiare mysterium hi lapides duodecim ad ciuitatis fundamenta, relictis alijs, vsurpantur (quantumuis Opalus & Achates inter gemmas pretiosissimas fuerint reputatæ:) nihil tamen opus est fingere, reliquas ab Scriptura in gemmarum numero non reponi. B

Virùm omnes sacrarum Literarum gemmæ ad hunc duodecim redigantur.

Quæ sint in harum gemmarum applicatione cõsideranda.

Supereſt nunc attentè considerare admirabilem Spiritus sancti sapientiã in duodecim horũ lapidum electione ad totidem Apostolici Symboli veritates adumbrandas. Oportet ergo imprimis expendere, quæ sit perfecta symboli huius Apostolici diuisio; deinde qui lapis in Scriptura vocetur Iaspis; qui Sapphirus; qui Chalcedonius: idemque de ceteris dictum esto: posteà diligenter obseruare, quàm aptè atque concinnè singuli componantur lapides cum articulis singulis, ad quos per ordinem spectant, de quo in sequentibus notationibus; maioris distinctionis ergo, seorsum agemus.

Quanta sit huius gemmarum symboli concinnitas & elegantia.

Sed ante eas notationes velim, vt lector consideret ea, quæ ad omnes communiter gemmas duodecim attinent. Atque in primis memoriam refricet oportet notationis 14. procemialis de summa libri huius perfectione symbolica. vbi expendimus, iure optimo à sapientibus viris coli ac suspici debere mysterium pariter & concinnitatem, quæ Deus in rebus creatis sub oculorum aspectum cadentibus copulauit. Quis verò dubitet, multò maius ac sublimius inesse mysterium in rebus corporeis maiori perfectione constantibus? Atque ex naturali perfectione, quæ corporeis sensibus percipi possit, nemo nescit, gemmarum pretiosissimarum perfectionem ceteris longo interuallo anteire. In his enim gemmis cælum pariter ac terra suas opes ostentare videntur, suam vim, potentiam ac virtutem in rem ita exiguam congerere: vt vnitæ simul tot naturæ dotes, & in re ita parua conglobatæ suam perfectionem clariùs ostendant. C

His igitur inferioris mundi stellis (quæ cum cælestibus ipsis syderibus de perfectione certare videntur) voluit summus præpotensque Deus in medijs mortalis huius vitæ tenebris lucem nobis impertiri, vt animadverteremus, quantò excellentiùs ipsius eminet prouidentia in eo repræsentando mysterio, quo animos immortales pascit, quàm in naturali vtilitate & emolumento, quo mortalia corpora fouet ac tuetur. Si enim curiosiùs perscrutari velimus, quænam commoda atque vtilitates hominum naturæ ac vitæ afferant gemmæ; vix, quod ad rerum ipsarum naturam spectat, insigne aliquod emolumentum comperiemus. Tantum indicium aliquod ac vestigium cælestis & æternæ sapientiæ deprehendimus, nec non certam quandam promissionem spem in earum rerum effectibus, qui tandem lubrici & incerti, aut saltem non omnino perfecti inueniuntur. Quinimò exiguum ipsum gemmarum corpusculum, & quantitatis paruitas nos quodammodo admonent, ad nullam fere aliam rem illas à summo rerum opifice procreatas, quàm vt vestigia quædam ac symbola præstantiorum & excellentiorum rerum sint. Nam ad huiusmodi vsum & vtilitatem quælibet quantitas, licet exigua, satis est. Et quidem si huiusmodi gemmæ ideò potissimùm fuissent à Deo conditæ, vt natiuis suis proprietatibus nobis inseruirent, & vsui atque vtilitati forent: ad id certè non videbantur nobis denegandæ prægrandes saxorum instar gemmæ, atque adeò earum fodinæ, vnde ingentes lapides pretiosos ad integras erigendas columnas & ædificia fabricanda effoderemus. Cùm ergo nobis solùm exhibeatur quoddam veluti indicium, vel desiderium potiùs admirabilis cuiusdam perfectionis, argumento est, diuinæ prouidentiæ scopum non eum esse, vt in infimarum rerum naturis cariſſima pignora ac perfectissima haberemus, neque id nobis valde expediebat: ne terrenarum rerum lenocinio ac titillatione nimium illiceremur. Sólùm igitur in gemmarum natura nobis videtur concedi, ac relinqui quoddam cælestium rerum ac diuinarum vestigium; vt nobis pro quibusdam characteribus ac lineamentis sit, quibus excitemur, D

Pretiosas gemmas ad symbolicam potiùs vtilitatem, quàm ad naturalem videri procreatas.

&quo-

Digitized by Google

A & quodammodo trahamur ad ea in rebus æternis ac diuinis perquirenda, quę figuræ ipsi ac symbolo desunt. Et sanè ex naturalibus dotibus ac proprietatibus non aliæ videntur in his gemmis duodecim reperiri, quàm quæ ad mysterium in ipsis figuratum possint conducere. Ideòque in harum gemmarum nonnullis parum satis natiuæ virturis inest: hæc enim sufficiebat ad vulgaris opinionis fundamentum, in qua potest congruenter mysterij significatio niti. Nam in symbolis plerunque communis opinio nihilominùs, quàm veritas ipsa deseruit.

Deinde ante ipsam gemmarum applicationem, illud etiam consideremus oportet; quàm sit rationi consentaneum, vt symbolica gemmarum pretiosissimarum significatio veritates item ingentis pretij, splendoris ac firmitudinis respiceret. Namque vt nobiliores comparationes sunt, quæ ex rebus illustribus atque conspicuis sumuntur: ita etiam huiusmodi res sunt dignæ, quæ in nobilissimarum veritatum symbola impendantur, quod cùm ita sit; facilè cerni potest, ad perfectissimas Apostolici symboli veritates nulla alia aptiora quàm gemmarum collucentium symbola vsurpari valere. Quam enim aliam in rem præstantiorem aut excellentiorem potuit hæc gemmarum nobilitas conferri? aut quæ aliæ veritates maioris pretij ac splendoris possunt reperiri?

Quàm hic rationi consonum, vt rerum pretiosarum symbola rebus item pretiosis figuratis aptentur.

Illud nunc expediens est, atque adeò necessarium, vt quælibet gemma cum sua fidei articulo adeò consonet, nulla vt alia ad eandem veritatem videatur ita rectè applicari potuisse. Qua in re ad sequentes notationes me refero. Id autem maximè mihi est in votis, vt ex his notationibus constet, nullius ingenij acumine potuisse tantam in harum gemmarum ordine ac dispositione proportionem reperiri, nisi Spiritus sancti mente collimatâ. quòd si satis mihi esse putarem eiusmodi applicationem, quam assignant aliqui in Apostolorum virtutibus per has gemmas vtcumque significandis (adeò parum de iusta proportione soliciti; vt qua ratione hæc gemma huic Apostolo tributur, eâdem facilè posset cuiuis alij Apostolo accommodari;) certè parum firmiter probassem, proprium ac germanum lapidum duodecim sensum me attigisse. Sed magna satis probatio videtur deduci ex eo, quòd (Apostolici symboli, nec non gemmarum duodecim ordinem sectando) tanta inueniatur in articulorum singulis proportio; vt nec gemma alia illi articulo, nec alius illi gemmæ articulus ita congruenter aptari potuerit.

B

Præterea receptum apud omnes est, has fidei veritates in vnum coactas semper ab Ecclesia *symbolum* fuisse dictas. Atque inter alias huius nominis rationes, illa probabilior apparet, quòd scilicet hoc sit veluti quoddam veræ fidei signum ac nota, qua Catholici ac fideles ab infidelibus & hæreticis discernantur. Quam enim Latini *notam* vocant, Græci *symbolum*, Hispani *sennal* appellant. Huic igitur symbolo respondent duodecim Apocalypseos gemmæ, quæ symbola item nuncupantur, quia sunt hieroglyphica quædam mysterij plena. Ac de annulis tradit Plinius lib. 33. cap. 1. eos tunc symbola vocari solitos. Ratio verò est, quia antiqua obsignandi consuetudo fuit, vt in gemma annulo inserta aliquod eiusmodi symbolum siue hieroglyphicum imprimeretur, (annuli verò ipsi iuxta receptissimum priscorum morem sigillorum vicem gerebant.) ex quo etiam colligitur, symbolicam significationem gemmis veluti annexam semper fuisse. Nam & gemmarum nomen à Latinis vsitatum satis indicat, præcipuum ipsarum vsum in annulis fuisse, vt humaniorum literarum studiosi probè norunt.

Cur fidei veritates in vnum veluti corpus coacta, symbolum appellentur?

Annulos olim pro sigillis frequentissimè vsurpari solitos fuisse.

C

Apparet ergo, nullum ferè alium reperiri quondam gemmarum vsum, quàm vt ad symbolorum consuetudinem vsurparentur: ac Spiritum sanctum nobis ostendere voluisse, gemmas ipsas absque vlla impressa figura pro symbolis aptissimè accipi posse. eo quòd eo animo creatæ sint à Deo, vt fidei symbolo egregiè deseruirent. Quare neque potuerunt præstantiori vsui designari, neque aptior potuit desiderari proportio. Quadrat enim vnicuique articulo sua gemma, sicut annulus digiti, cui inseritur, articulo. Ac denique symbolum Apostolorum est multis de causis omnium symbolorum præstantissimum. Gemmæ verò, quæ huic symbolo deseruiunt, sunt è nobilissimis, quæ excogitari potuerunt, symbolis: cùm inter sacra atque diuina symbola, veluti nobilissima connumerari possint, vtpote elegantia atque sapientiæ splendore referta. Illud insuper obseruandum est, duodenarium gemmarum respondere totidem illis gemmis, quæ in Rationali erant insertæ. Cur verò ex illis non omnes hic assumantur, cùrve ordo varietur, inferiùs disputabitur.

Præter hæc, lectorem obsecro, vti legat Platonem in Phædone propè finem, in ea fabula, quam refert Socrates: vbi aliud agens, obiter deseruijt fabulosa illâ narratione huic Apocalypseos tractationi. Agit enim ibi de duodecim pulcherrimis coloribus superioris terræ, & quòd lapilli, qui apud nos in pretio sunt, vt Sardius, Iaspis, Smaragdus, sunt particulæ quædam montium ac lapidum terræ superioris. Hæc ille, & duodenarius ille gemmarum superioris terræ, de quo agit, videtur ex eo profectus, quòd Plato nonnihil lectione aut auditione acceperit de duodecim Rationalis gemmis: nec non de communi Hebræorum assertione, qui in Rationali cælos figurari putabant.

Platonem huic gemmarum & mysteriam duodenario nonnihil (præter suam tamen opinionem) adstipulari in Phædone.

D

His addo dubitatiunculam quandam & eius solutionem. Difficultas igitur est in eo, quod Matthæus cap. 2. 11. scribit de Regum Magorum oblatione: ait enim, *Obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham.* Hi, si Reges erant, & Christo recens nato afferre voluerunt ex ijs quæ in eorum regione erant pretiosissima; cur non etiam gemmas obtulere, quibus nihil pretiosius, neque portatu facilius afferre poterant? Adde, quòd hic Gentilitatis aduentus ad Christum puerum adorandum videtur fuisse figuratus in aduentu Reginæ Saba ad Salomonem: de qua 3. Reg. 10. 2. *Ingressa est Ierusalem cum comitatu & diuitijs & camelis portantibus aromata & aurum infinitum nimis & gemmas pretiosas.*

Cur Magi reges Christo recèns nato non gemmas etiam inter alia munera obtulere, Mysticè.

Respondetur,

Digitized by Google

Respondetur, in Regina Saba symbolicè adumbratum fuisse, quidquid Gentilitas Christo obtulit postquàm instructa fuerat atque imbuta mysteriis fide, & Christi ipsius gratiam receperat. At, Magi Reges suis muneribus præsignificarunt, quod potuit offerre Gentilitas, antequam in rebus fidei probè esset instituta: quare & promptam voluntatem & pectoris deuotionem attulerunt. Verùm nondum pretiosas doctrinæ Christianæ gemmas habebant; donec posteà Christiana sacra edocti, & Dei gratia roborati mysticam etiam gemmarum oblationem fecerunt. A

NOTATIO II.

De perfecta Apostolici Symboli diuisione.

Fidei Symbolum duodecim veritatibus certò constare: non tamen constare de ipsarum veritatum inter se ordine ac diuisione.

EX Clemente Romano, Leone Magno, atque alijs multis constat, Apostolorum intentionem fuisse, vt in Symbolo summam fidei ad duodecim articulos redigerent. Et quidem, cùm duodecim fuerint Apostoli, qui Symbolum composuere: consentaneum fuit, vti ipsemet veritatum fidei numerus nos commoneface ret de Apostolorum duodecim auctoritate, deque ipsius doctrinæ concordiâ & vnitate. Illa ergo ex antiquitate ad nos deriuata est notitia, Apostolorum videlicet Symbolum, quo ordine à nobis recitatur, in duodecim capita partiri. Nulla tamen grauis & antiqua auctoritas reliqua nobis est, quæ singulatim assignet, qui sit quintus ex his articulus, qui decimus. Vnde locus relictus est, vt duodenario numero in his articulis seruato, aliqui in duos diuiderent articulos, eos qui ab alijs in vnum coniunguntur; & in vnum posteà conflarent, quos alij duos constituunt. Ipse quidem quatuor aut etiam plures diuersas possem indicare diuisiones: vnam inter Augustini opera in concione quadam, (quæ tamen inter aliena reputatur:) alteram in Glossa incognita: tertiam in catechismo Romano; & alias apud alios.

Quorũ nam imprimis interfit posse ismam Symboli diuisionem indagare, & seligere.

Decernere, quænam ex his sit potior ac præstabilior diuisio, parui illorum intererat, qui nihil curabant de fidei capitum applicatione ad duodecim Apocalypseos gemmas. Quarè nulla in eos transferri debet culpa, quòd parem huic numeri diligentiam non adhibuerint. Enim verò, si lapides cum fidei articulis connectere libeat; aberret prorsus necesse est, qui exactiorem ac perfectiorem diuisionem non seligit. Etenim si octauus articulus ex septimo aut ex nono fit; diuersus alius lapis non ei quadrabit articulo, cui septimus aut nonus lapis egregiè respondebat. Et diuinus quidem Spiritus haud dubiè in hac Apostolici Symboli significatione Symbolica, ad rectiorem & perfectiorem ipsius Symboli diuisionem respexit; quæ procul dubio illa erit, qua Apostoli vsi sunt, quamque sibi proposuere sectandam.

Ex dictis infertur in catechismis parum referre, vtrùm quam sequuntur diuisionem, ea sit optima omnium, quæ excogitari potuerunt. Nam ad suum institutum (quod propriè est verba Apostolorum Symboli exponere) tanti refert; hanc sectari diuisionem, quanti illam. In auctore Glossæ incognitæ aliquantò culpabilior est error: ille enim duodecim gemmas ad Symboli articulos applicare conatur: atque adeò vbi recta non seruetur diuisio, obliqua sit applicatio necesse est.

Qua regula vtendum nobis sit ad potiorem Symboli diuisionem seligendam.

Vt ergo in optimam Symboli diuisionem collineemus; illa aptior & securior regula tradi posse videtur, vt scilicet diligenter attendatur, quæ diuisio partes inter se magis diuersas partiatur, & quæ magis inter se coniunctas vniat. Quamobrem Dei omnipotentia & creatio in duos diuidi articulos non debent (vt perperam nonnulli fecerunt) sed in vnum coalescere. Deinde in secundo articulo coniungenda sunt ea verba, quæ magnam Christi dignitatem exprimunt. In tertio, quæ Incarnationem ac natiuitatem. In quarto quæ passionem. Hucusque rectè se gerunt tum Glossa incognita, tum catechismi. Posteà tamen vno eodemque articulo comprehendunt Christi descensum ad inferos & resurrectionem. Quare ad extremum vt duodenarium articulorum numerum conficiant, resurrectionem carnis & vitam æternam in duo capita partiuntur. Sed congruentiùs multò est, si duo hæc postrema in vnum cocant, & quintum in duo subdiuidatur. Etenim descendere ad Patrum limbum, ac tertiâ die resurgere, veritates sunt non adeò inter se coniunctæ, sicuti extremi Iudicij die cum immortalitate resurgere. Quod diluciḍè constat; quia immortalitas est quædam quasi proprietas atque conditio postremæ resurrectionis: nec aliud sunt *Resurrectio & Vita æterna*, quàm ad vitam æternam resurgere. Et Christus redemptor noster de iustis & electis verba faciens; verumque coniungit Ioannis 5. 29. ijs verbis, *& procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ*. Quapropter manifestum apparet, a Ioanne in duos articulos non diuidendum, quod ipsemet refert à suo præceptore Christo in eâdem simplici propositione ac veritate fuisse coniunctum. Quod ex eo ampliùs confirmatur; quia omnes (nullo excepto) in vno eodemque articulo coniungunt Christi Domini in cælos ascensionem & ad dexteram Patris sessionem. Ratio verò est; nam ascensus ille ideo fuit, vt Christus ad Patris dexteram consideret. Vt igitur Redemptor noster in cælum conscendit ad Patris dexteram æternùm confessurus; pari etiam ratione iusti resurgent æternam vitam victuri, & suo etiam modo damnari. Ex quo patet multò melius & congruentius esse, vti ex duobus postremis articulis, quos & Glossa incognita & vulgares catechismi tanquam res diuersas distinguunt, vnus coalescat. propterea enim videntur solum duos hos articulos seponere, vt duodenarium numerum expleant; cùm antea vnum effecerint articulum, qui in duos potiùs foret diuidendus.

Nec deest, qui in vnum cogat articulum tum Spiritum sanctum, tum Ecclesiam Catholicam. Sed nemo non viderit, duas has distinctas esse prorsus veritates, & earum coniunctionem inde fuisse profectam, quòd auctores ijdem primum Symboli articulum in duos fuerint partiti.

Auctor item Glossæ incognitæ per non curantiam in duos diuisit articulos, *Catholicam Ecclesiam*, & *Sanctorum communionem*. Vtramque tamen inconsiderantiam corrigunt omnes, quos quidem ipse viderim, catechismi, qui etiam *peccatorum remissionem* vt peculiarem articulum, seorsum apponunt.

Quàm sit congruens Symboli diuisio, quam nos sectamur.

Denique quam ipse diuisionem sequor, sapientibus hominibus, quos ipse hac de re consului, rectior & congruentior visa est: qui, sepositâ gemmarum applicatione, asserunt ipsam per se diuisionem esse omnium potissimam, quæ symbolo possint præscribi ad duodenarium ipsius veritatis numerum constituendum. Mirum verò est eam diuisionem (quæ seorsum sumpta conuenientissima erat) eandem ipsam à gemmarum applicatione postulari. Hoc non ita facilè potest cernere, qui qualibet applicatione se satisfacere suo muneri putat; quamuis ea non satisfaciat intellectu, nec ostendat huic articulo non potuisse accommodari aptè vllam gemmam aliam ab ea, quæ ex ordine illi obtingit. si tamen ego, qualem opto, applicationem afferam; ex ipsamet planum fiet, meam hanc diuisionem esse reliquis omnibus congruentiorem. Qui enim fictos aliquos (quos *cifras* vocant) characteres rectè explicare ac perlegere scit; eo ipso euidenter ostendit, characteres illos eo modo atque ea partium diuisione, quam ipse excogitauit, legendos & explicandos fore; quantumuis

ipse

Digitized by Google

ipse singularem aliquam notam correxerit. Euidens namque est, nisi scriptoris ipsius mens collineetur, notas illas siue characteres (aliàs incognitos) coniungi atque componi non ita posse, vt plenum atque integrum sensum reddant. Tunc autem elegantiæ potiùs est, nonnihil in ipsis notis exiguum emendare. Quod verò ipse corrigo, nil aliud est, quam leuis quædam inconsiderantia; quæ ex eo dimanauit, quòd symbolum in catechismis non ita exactè, vt par erat, fuerat in duodecim illas partes siue sectiones diuisum. Nec tamen propterea eos culpæ insimulo; quia ad eorum institutum id parui admodum momenti erat.

Nostra verò diuisio sic se habet.

Nostra Apostolici Symboli diuisio.

1. *Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cæli & terræ.*
2. *Et in Iesum Christum filium eius vnicum, Dominum nostrum*
3. *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine.*
4. *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus*
5. *Descendit ad inferos.*
6. *Tertia die resurrexit à mortuis.*
7. *Ascendit ad cælos sedet ad dexteram Patris.*
8. *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.*
9. *Credo in Spiritum sanctum*
10. *Sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem.*
11. *Remissionem peccatorum.*
12. *Carnis resurrectionem, vitam æternam.*

NOTATIO III.

An verba illa, descendit ad inferos, *fuerint addita ab Ecclesia, aut ab Apostolis posita?*

Verba illa, descendit ad inferos, *num ab Apostolis sint in Symbolo expressa, an ab Ecclesia deinceps addita.*

IN superiore notatione, dum Symbolum in duodecim articulos diuisimus, stabilitum est, quintum articulum contineri verbis illis, *descendit ad inferos.* Hinc tamen oriri potest dubitatio, vtrum diuisio illa à nobis assignata pro vera atque germana reputanda sit, & ab Apostolis intenta? Etenim si verum esset, verba illhæc, *descendit ad inferos,* ab Apostolis non fuisse in Symbolum inserta, sed addita ab Ecclesia, ex cap 4. 19. epistolæ Pauli ad Eph. *Descendit ad inferiores partes terræ,* consectarium esset, verba illa *descendit ad inferos* à resurrectionis articulo non debere distinguialioquin Apostolici Symbolici capita, secundùm Apostolorum intentionem & ordinem, vndecim non amplius forent. Quòd verò ab Apostolis non sint ea verba in fidei Symbolo expressa, inde videtur probari; quia antiqui Patres, dum verba Symboli referunt & exponunt, non meminere descensus; vt constat ex Irenæo lib. 3. cap. 2. Origene lib. Periarchon, Tertulliano initio libri contra Praxeam, Augustino de fide & Symbolo, & in quatuor lib. de Symbolo ad catechumenos. Huc adde, Ruffinum, quamuis ea verba legat & exponat, meminere tamen à Romanis & Orientalibus non legi. Et quod maius est, in Symbolo Nicæno nihil prorsus eis verbis respondet. Ex quo videtur constare, verba illa pro necessaria Symboli parte non duci: quando in Nicæno Symbolo prætermittuntur.

Fundamenta pro opinione asserente, eum articulum non fuisse ab Apostolis positum.

Auctorum mens, & quæstionis decisio.

Nihilominus ita censeo. Primò, nihil est, cur nobis opponatur Irenæus; quia multa etiam alia verba Symboli silentio inuoluit; & ex contextu liquet, ipsius non fuisse mentem, vt integrum ibi Symbolum recitaret, sed quædam ex eo præcipua.

Secundò rectè colligit Bellarminus, ea verba, etiam si non fuerint ab omnibus Apostolis vbique tradita, ab aliquibus saltem fuisse expressa; vt ex illa Ecclesiarum diuersitate ab ipso Ecclesiæ nascentis exordio satis constat.

Articulum de Christi descensione ad inferos fuisse ab Apostolo Ioanne in Symbolo expressum. Illum articulum de Christi ad inferos descensione ab aliquibus saltem Apostolorum in Symbolo fuisse expressum.

Tertio, verba illa ab Apostolo Ioanne fuerunt omnino tradita. Probatur id primo, quia Græcorum Ecclesiæ ea legebant in Symbolo; vt patet ex Cyrillo Hierosolymitano catechesi quarta, Chrysostomo homilia secunda de symbolo, & Athanasio. Qui omnes ea verba legunt & exponunt. Vnde quod de Orientalibus ait Ruffinus, euidenter constat, non esse de Græcis & Asianis accipiendum. Probatur secundo, quia constat ab aliquibus Apostolis ea verba fuisse expressa, vt optimè probat Cardinalis Bellarminus. Si ergo constat, aliquos saltem Apostolorum hæc verba expressisse: & ea ad perfectam duodecim articulorum diuisionem esse, valde consentanea; ad hæc, si verisimile valde est, Ioannem in duodecim gemis ad harum duodecim veritatum distinctionem respexisse, & ipsius Ecclesias, cæteraque Græcorum his verbis tanquam genuinà Symboli parte fuisse vsas: non igitur dubitandum est, quin Ioannes in Symbolo, quod ipse docuit, ea verba non prætermiserit. Imò vero proportio & cõuenientia gemmarum duodecim cum totidem Symboli veritatibus, & potissimùm quintæ gemmæ (quæ est Sardonyx) affinitas atque concentus cum hoc articulo quinto descensionis Christi ad inferos, pro valido argumento est ad horum verborum auctoritatem pariter ac vetustatem. Nam quod alioqui non erat adeò euidens, sed solùm probabile, clarum ac perspicuum fit ænigmatis ipsius declaratione; quando omnia hoc pacto mirificè consentiunt; sicuti probatum à nobis est notatione 10. proœmalium. Accedit quod Ruffinus Aquileiensis Ecclesiæ presbyter erat, in qua constat expressè legi in Symbolo Christi descensum ad inferos.

Cùm autem tunc in aliquot Italiæ Ecclesiis articulus hic non legeretur, bene tamen Aquileiæ; argumento est Aquileienses, cum Græcorum Ecclesiis (sicut etiam Rauennates) communicasse; vtraque enim ciuitas in Adriatico sinu maritimi portus erant. Quarè frequens Græcorum concursus illuc fiebat, quod etiam facit ad id, quod nuper dicebamus, Græcos scilicet in Apostolico Symbolo non omittere solitos Christi descensum ad inferos.

Quarto, vt Ruffinus ac Bellarminus tradunt, quæ Ecclesiæ hæc verba non legebant in Symbolo, implicitè contineri dicebant in articulo de Christi sepultura. Negari autem non potest, quin sepultura Christi magis sit cum eius descensu ad inferos coniuncta, quàm hic descensus cum eius resurrectione. Quantumuis ergo non ita verisimile foret descensionem Christi ad inferos esse expressa Symboli à Ioanne considerati verba; nihilominus non deberent ea sub intelligi in resurrectionis articulo, sed ad Christi sepulturam reuocari. Tunc autem posset articulus quartus, qui de Christi agit passione, nonnihil amplius coarctari; ita vt Christi solam mortem profiteretur. Deinde quintus esset articulus de sepultura; & sextus de resurrectione. Atque hoc pacto idem planè ordo eademque applicatio integrè constabat. Verùm nihil est dubitandum de eorum verborum antiquitate in symbolo: atque ita non est, cur Christi sepulturam ad eius morte separemus. Quantum verò de horum verborum auctoritate constet; inde etiam confirmatur, quòd Lutherani etiam & Caluinistæ non nisi fuerint ea verba ex Symbolo auferre, vt notat Bellarminus. Vide de hac quæstione Valentiam 3. p. disp. 2. q. 4. puncto 2.

Articulum de Christi sepultura magis esse coniunctum eum ipsius descensu ad inferos, quam cum resurrectione.

NOTA-

Digitized by Google

NOTATIO IV.

De cura ac diligentia adhibenda ad duodecim gemmarum Apocalypseos cognitionem, vt earum applicatio ad mysterium ab Spiritu sancto intentum rectè percipi possit.

VIdimus iam quas veritates gemmæ duodecim per ordinem respiciant. Ceterum vt congruenti applicatione quis iucundiùs perfruatur; non satis est distinguere, quæ sit veritas quinta, quæ sexta: nisi rite etiam cognoscatur, quæ gemma Sardonyx, quæ Sardius appelletur, & sic de ceteris. Nam vt ait Augustinus lib. 20. de doctrina Christiana cap. 16. ***Carbunculi notitia illuminat obscura librorum, vbicunque ponitur: & ignorantia Berylli vel Adamantu claudit plerunque intelligentia fores.*** quasi dicat, qui Carbunculi proprietates probè norit, illi plurimum lucis futurum, vt ea Scripturæ loca intelligat, in quibus hæc gemma occurrit, quantumuis obscura sint: qui verò Adamantis naturam ac proprietates ignorauerit, eidem ad Scripturæ intelligentiam ostium quasi adamantinis ianuis præcludi. Sic Augustinus; dum nos hortatur, vt gemmarum, quæ in sacris numerantur Literis, cognitionem assequi curemus: si Spiritus sancti mentem in ijs locis inclusam percipere optamus. Idem nos docet Hieronymus duobus in locis, scilicet Isaiæ 54. & Ezechielis 28. & vtrobique affert Apocalypseos locum, vbi duodecim nominantur gemmæ, atque eius difficultatem expendit: hortatur item sacrarum Literarum studiosum, vt gemmularij instar, gemmæ cuiusque naturam cognoscere diligenter curet: ita vt huius lapidum notitiæ fundamento firmo atque solido securè exurgat mysterij inibi contenti explicatio & structura.

Quantopere expediat gemmarũ naturæ ac proprietatũ cognitio ad exactam earum applicationem in singulu symbolis mysterijs.

Hæc duodecim gemmarum cognitio difficiliot nostra tempestate est, quàm Hieronymi & Augustini tempore. Tunc enim hi omnes pretiosi lapides communi hominum vsu recepti erant, & antiqua nomina retinebant; quin etiam eædem gemmarum species durabant, quæ Ioannis tempore fuerant, vsitatæ. Nunc earum aliquæ difficillimæ forent inuentu: atque in ijs, quæ facilè reperiuntur, quamuis eas quispiam rectè nouerit, earumque nomina, quæ hoc tempore singulis sunt imposita; adhuc tamen plurimum erit negotij in veteribus cuiusque nominibus dignoscendis; ob difficultatem maximam, quæ in hac potissimùm re præ ceteris inuenitur, & ob varias atque multiplices dissidentium auctorum opiniones, qui diuersa de lapidibus singulis signa tradunt. Ad hæc; nec signa ipsa aut indicia sunt valde perspicua; nec semper certum euadit experimentum earum proprietatum, quas apud veteres scriptores reperimus, vt in Adamantibus videre est. Siue quia vniuscuiusque gemmarum generis plures sunt species diuersis proprietatibus ac dotibus constantes; siue quia periculum in ijs facimus lapidibus, qui vetusti admodum & senio ac vetustate obsoleti sunt. Et fortè verum illud est, quod tradit Magnus Albertus lib. 2. de mineralibus tractatu 1. fine, post multum scilicet annorum interuallum, gemmarum deperire virtutem; nec illis præter colorem & externam faciem quidquam aliud superesse: nisi dicere etiam velimus, antiquos scriptores longiùs, quam par esset progressos fuisse in ijs de gemmarum natura scribendis, quæ ficta & commentitia ducere deberent.

Quàm sit hoc tẽpore difficilis cognitio harum gẽmarum: & quæ sit huius difficultatis causa.

Verùm vtcunque hoc sit; illud est imprimis obseruandum, sub vno, eodemque gemmæ nomine (vt sub Hyacintho, Sapphyro aut Chrysolitho) signa ac proprietates adeò inter se oppositas apud auctores passim reperiri; vt planum inde fiat, hæc nomina aut vocabula gemmarum non in eodem sensu ab omnibus vsurpari. Et quidem generatim loquendo maior diuersitatis huius pars eò reuocatur, quòd aliqui Plinij vsum & illius temporis scriptorum sequuntur: alij ad eos se conformant, qui multis postea sæculis scripserunt, vt Beda & Albertus. Hoc discrimen nonnulli non satis obseruant: atque ita videtur quasi certum præstituere,

Sub eodem gemmæ vnius nomine sæpè apud auctores proprietates valde inter se oppositas reperiri.

A gemmarum singulas latinè eo nomine semper fuisse appellatas, quod illis neoterici attribuunt. Nec deest, si Deo placet, qui si diuersa apud Plinium alicuius gemmæ signa ac notas deprehendat, imperitiæ & inconsiderantiæ illum accuset. Hanc Plinio notam securè nimis Dalecampius inurit in Sapphiro: & nonnemo etiam Sardonychos descriptionem ab eodem Plinio traditam irridet. Nec desit fortasse, qui me etiam irrideat, quod Plinij verbis & auctoritate nitar ad vera comprobanda signa, quibus gemmæ singulæ constare debent. Sunt enim, qui dicant nullam de Plinio ducendam esse rationem; quippe ipsius historiæ mendacia cum veritatibus ferè de multitudine & grauitate decertent: & clarè etiam constet, illum de multis gemmis verba facere, quas nunquam oculis vsurpârit, & sponte sua propendeat ad prodigiorum inanium scriptionem, cuiusmodi sunt ea, quæ de vino tradit lib. 14. cap. 18.

Plinio fides ab aliquibus immeritò derogari.

B Nihilominus si rem serio & grauiter expendamus; quamuis Plinius pro oraculo nobis non sit, illi tamen fides neutiquam derogari debet in ijs, quæ de pretiosis scribit lapidibus ipsius tempore vulgò vsitatis. Etenim solertem atque industrium maximè hominem, ita potestate, ita acri ingenio pollentem, qui præter singularem suæ historiæ diligentiam, peritissimum se ostendit gemmularium in accuratissima gemmarum singularum descriptione, credibile non est earum saltem gemmarum, quæ Romæ tum affatim erant, cognitionem non probè fuisse assequutum. De alijs quidem gemmis non ignoro ea referre Plinium, quæ apud alios auctores solùm legerat: at de communibus ac notis non adeò mentis erat inops, vt nomina ac proprietates inuerteret ac perturbaret. Quòd autem duodecim gemmæ, quarum Apocalypsis hic meminit, aut omnes, aut certè ex ijs plures, vulgò fuerint eo tempore cognitæ & vsitatæ, ex ipsis Plinij & veterum aliorum auctorum verbis perspicuum est; vt in singulari C posteà tractatione planum fiet. Præterquàm quod Sp. sanctum earum omnium symbolo fuisse in Apocalypsi vsum, argumento est, eas omnes gemmas tunc familiari vsu cognitas fuisse. semper enim in ijs comparationibus, quas Diuinus spiritus assumit, se ad eas res conformat, quarum eo tempore frequens erat notitia. Quòd si in aliqua ex duodecim gemmis sufficiens reperiatur fundamentum, vt Scripturæ vsum à Plinio nonnihil esse diuersum suspicemur: hoc nõ officit, vt Plinij auctoritatem hac in parte magnam esse inficiemur; atque eam plurimi esse habendam in gemmarum, quas Apocalypsis refert, cognitione. Et quidem ex iis, quæ Plinius affirmat, comperiemus nunc etiam facilè reperiri posse, quidquid satis est ad claram duodecim harum gemmarum cognitionem. Verùm opus est, ne sola librorum lectione aliquis contentus sit; oportet enim gemmarum, si fieri possit, omnium notitiam experimento ipso & oculis vsurpare; vt quæ D traduntur in libris, planiùs percipi possint. id quòd ipse demum aliquorum familiarium auxilio sum assequutus.

Cur Plinio fides habenda sit, in ijs præsertim, quæ de hisce gemmis tradit.

Spiritus sanctus in ijs, quas vsurpat, comparationibus frequenter se ad res eo tempore notas conformat.

In occultis lapidum proprietatibus dicet fortasse aliquis, licèt Plinius non ita se credulum præbeat, vt Solinus atque alij; ipsum tamen omnium, quæ asserit, periculum nõ fecisse: atque adeò in lapillis aliquot ad opinionem potiùs, quàm ad veritatem fortasse vergere. Ceterùm nobis etiam valde expedit, cognitionem assequi opinionis, quæ eo tempore in vulgus passim dimanabat: ita etiam fabulas, quæ de gemmis singulis vulgabantur. Nam in ænigmatibus ac hieroglyphicis interdum solet adiumento esse non minùs recepta ac vulgaris fabula, quàm vera & germana proprietas. Vbi autem semel ea nouerimus, quæ tunc communi

In harum gemmarum proprietatibus expedire non eorum solùm cognitionem, quæ vera sunt, sed & etiam eorum, quæ communem vulgi opinionem inflantur.

Digitized by Google

muni vulgi opinione iactabantur, facile mox est inquirere, vtrum firmo fundamento eiusmodi opinio nitatur.

Denique Plinium beati Ioannis tempore scripsisse, magni momenti esse debet, necnon has duodecim gemmas, aut ferè omnes ab eodem Plinio fuisse coniectas non in eum indicem siue catalogum, quem per alphabetum de gemmis vilioribus confecit; sed in præcipuas descriptiones, de quibus priùs agit ex professo. Certè videtur naturali huic scriptori præcepisse Deus, vt librum 37. suæ historiæ conscriberet, & verba ipsa ita metiretur, sicuti ad Apocalypseos mysteria enodanda opus erat. Porrò, quamuis Plinius latinè, Ioannes græcè scripserint: horum tamen lapidum nomina eadem in vtroque idiomate sunt: vbi autem peculiaris est difficultas, illius enodatio a nominis impositione minimè pendet.

Quantum fides & auctoritas beatus Hieronymus Plinio deferat.

Ad auctoritatem verò Plinij confirmandam pro nobis est beati Hieronymi auctoritas in duobus locis supra dictis: vbi postquàm Apocalypseos difficultatem, quod attinet ad duodecim fundamentorum gemmas, ponderauit: subiungit, de lapidum coloribus & qualitatibus quamuis plures alios scripsisse certò sciat, se tamen ad Plinium referre: *Qui in opere pulcherrimo naturalis historiæ trigesimum septimum librum gemmarum disputatione complexit.* sic Isaiæ 54. & similiter Ezechielis 28. vbi subdit. *Ad cuius lectionem diligens à nobis mittendus est lector.* Non inficior, à Hieronymo pariter commendari libellum beati Epiphanij de gemmis, vt hoc obiter decus & honorem suo familiari deferret, qui proprium volumen ipsi Hieronymo præsens tradidit. Hoc tamen non obstat, quominus Hieronymus Plinij descriptiones reputet certas: sed hinc potius elicitur, Hieronymum sibi persuasisse beati Epiphanij descriptiones a Plinianis non fore diuersas.

Plures veterum ex Plinio multa de gemmis transcripsisse.

Nihilo roboratur minùs Plinij auctoritas (quod ad gemmarum naturas attinet) aliquorum veterum auctorum, eorumque grauium testimonio: quos manifestè constat ex Plinio transcripsisse, quæ de lapidibus tradunt: ex quibus est Solinus, & nostræ Hispaniæ lumen beatus Isidorus, licèt non eodem vterque modo, sed alter in verborum elegantia cum Plinio decertans: alter verò contentus in summam redigere, quæ fusiùs scripta legebat. Vterque tamen nonnullis Plinij locis lumen præfert: in quibus aut de vera Plinij lectione, aut de germano verborum sensu suboriri posset dubitatio, atque hanc ad rem in sequentibus notationibus eorum vtar testimonio. Illa enim hisce in notationibus mihi mens atque animus est, vt veros ac proprios duodecim gemmarum colores & proprietates seriò ac diligenter examinem: quod vt meliùs præstare possim, cum Plinij verbis ea coniungam, quæ grauiores alij auctores describunt. Vbi autem difficilis aliquis nodus incurrat, ab eorum sententia stare conabor, qui lapidum naturas & qualitates litterarum monumenti prodiderunt: priusquam barbarorum incursus & irruptiones pretiosissimas ipsas gemmas ex Romano Imperio diriperent, earumque nomina confusa permistione turbarent.

Quid sit in gemmarum singulis indagandum, quid obseruandum.

Hanc ob rem in gemmarum singulis opus erit accuratè indagare & eruere propria gemmæ veteris indicia antiqua, & nomen illi à recentioribus inditum. Cùm autem multa soleat esse in gemmis sub eadem specie varietas: & aliæ ex Oriente sint, aliæ ex Occidente: aliæ ex Scythia, aliæ ex Arabia, aliisque ex orbis prouinciis: aliæ insuper fœminæ, aliæ mares sint (vt Plinius tradit) id est, aliæ viuido magis colore atque acri, aliæ languenti ac remisso colluceant: in tanta, tamque multiplici variantium gemmarum differentia, illas Apocalypsis seligat oportet, quæ perfectiores ac pretiosiores in qualibet specie reputantur: in huiusmodi enim gemmas oculos potissimùm debemus intendere. Si tamen fundamenta singula non ex vno singulari lapide, sed ex pluribus illius speciei compacta considerentur, tunc aptus inerit locus omnibus gemmarum differentiis, quæ sub eodem genere in pretio & æstimatione sint. Et eandem ob causam dici posset, licèt quodlibet fundamentum ex vnico lapide solido constet (vt vero similius est) illum tamen ita esse concipiendum, quasi optimis quibusque proprietatibus abundet, quæ in omnibus illius generis gemmis dispersæ sunt; si tamen inter se pugnantes non sint.

Vtrùm solidè sit di quirenda, in harum gemmarum applicatione, ea cuius q. gem:mæ species, quæ inibi, vbi Ioannes tunc morabatur fuerit notior.

Aliquis fortè diligentius perscrutari vellet, quænam in singulis speciebus gemma communior ac receptior fuerit in ea prouincia, vbi tunc degebat Ioannes? quod tamen meo iudicio non admodum refert. Nam Ioanni gemmæ huiusmodi è cælo fuerunt allatæ. Et quamuis ex ipsis terrarum regionibus conquisitæ fuissent; totum orbem (quod ad hanc rem attinet) perlustrauerat, qui Romæ, Hierosolymæ & Ephesi fuerat commoratus. Erat enim *Roma caput mundi*, vt loquitur Plinius lib. 3. cap. 5. & *Hierosolyma vrbium Orientis longe clarissima* (idem lib. 5. cap. 15.) & *Ephesus alterum Asiæ lumen*; eodem lib. 5. cap. 29. Quod igitur gemmarum pretiosarum genus, siue differentiam ab his tribus ciuitatibus abfuisse putandum est? Præsertim cum eiusmodi merces sint, quæ facillimè multa leucarum millia transcurrant; & eò demum inuehantur, vbi plus pretij & æstimationis reperitur. Nihilominus tamen Asiæ lapillos & Orientis potissimum attendere debemus. Nec enim verisimilitudine caret, inter lapidis species illam à Ioanne fuisse ad hoc symbolum delectam, quæ pretiosissima est, sed eius tamen coloris, qui tunc frequentior in iis erat regionibus, quas Ioannes meliùs nouerat; & præcipuè Hierosolymæ propter eam, quæ sequitur, rationem.

In Apocalypseos gemmis peculiarem contineri allusionē ad duodecim Rationalis gēmas.

In duodecim Apocalypseos gemmis peculiarem respectum fuisse habitum ad duodecim gemmas Rationalis, non minus est certum, quàm in Apocalypseos plagis ad Ægyptiacas factam fuisse allusionem. Atque ita statuit Hieronymus Ezechielis 28. & multi alij auctores. Nam vtrobique duodecim exprimuntur gemmæ: ex quibus octo idem omnino nomen vtroque in loco sortiuntur: Chalcedonium constat inter omnes esse quandam speciem Carbunculi. Sardonyx verò Onychis species est: Ligurium autem Hieronymus epist. 129. suspicatur esse Hyacinthum. Vnde solum omnino inter se differre videntur Achates & Chrysoprasus. Hæc proportio & conuenientia vtrarumque gemmarum inter sese exigit, vt has duodecim Apocalypseos gemmas cum gemmis totidem Rationalis conferamus, Hieronymi consilio acquiescentes. Licèt autem opinemur nonnulli (vt sequenti notatione dicemus) duodecim Rationalis lapidum notionem prorsus interiisse: qui tamen suam fatentur ignorationem, non propterea ignorantiam aliorum probant. Quòd si Hebraicorum nominum etymon idoneam satis lucem per se non afferat; afferent fortassis antiqui interpretes; quos saltem audire debemus & eorum auctoritatem examinare: atque in singulis lapidibus animaduertere, quo fundamento possint sub eadem specie comprehendi, quæ in Apocalypsi & in Rationali eodem nuncupantur nomine. id quod vtrarumque pariter gemmarum tractationem illustrabit.

Interdum ex mysterij ipsius cognitione exoriri posse lucem ad propriam illius gemmæ dignoscendam.

Præterea mysterij ipsius cognitio potest interdum plurimùm conducere (inter eas gemmas, de quibus dubitatio potest, ratione nominis, exoriri) vt certò doceamur de propria gemma, quæ in eo Scripturæ loco respicitur. Hoc ea ratione intelligendum est, si gemmæ omnes tanto ordine & proportione applicarentur, vt perspicuum fieret, mysterium ipsum fuisse cognitum, & scriptoris intentionem perspectam. Multum sanè interest inter hanc & illam applicationem, neque vt intellectui plenè satis fiat, satis est, vt aliquam veritatis speciem præ se ferat applicatio. Sed cùm appareat, cuilibet mysterio nullam aliam gemmam aptiorem applicari potuisse, quam quæ illi obtingit; & ipsa sensus consequentia, atque ordo postulare videntur, vt eadem disponantur serie: tunc sanè manifestum est, ex ipsa mysterij notione lucem posse refundi ad dubitationes aliquot, quæ de ipsis gemmis possent occurrere. Qui enim *tisram* aliquam (sic vocant Hispani) integrè exponit, eo ipso demonstrat ea, de quibus aliquis aliqua poterat esse dubitatio circa aliquam ex iis, quæ

quæ occurrebant literæ. Quandoquidem nisi mentem scriptoris ciftæ assequutus sis, minimè poteris ad sensum aliquem connectere characteres. Ex dictis ergo deducitur, posse interdum contingere, vt ipsa mysterij cognitio lumen præferat alicuius gemmæ cognitioni, quæ alioquin in dubium vocari possit. Cæterùm, ne gemmæ ipsius examen & inquisitionem cum applicatione permiscream: hoc argumento solum vtar aliquando, dum me ad ipsam applicationem remisero, & ex optima proportione ac variis Scripturæ locis fieri verisimilius dixero, quod in ipsa gemmarum natura examinanda assertum erit.

NOTATIO V.

An perierit notitia earum gemmarum, quæ in Rationali Pontificis singulis tribubus erant distributæ.

Disputatio de gemmis Rationalis, deq; earũ notione.

CONuenientia, quæ inter Rationalis, & Apocalypseos gemmas reperitur, suo quasi iure deposcit; vt singillatim disputemus, verùm verùm sit, quod aliqui opinati sunt; nimirum gemmarum Rationalis cognitionem ac notitiam omnino periisse. Quamuis enim apud Vulgatam legamus Exodi 28. num. 17. 18. 19. & 20. Rationalis gemmas hoc ordine fuisse dispositas, *In primo versu Sardius & Topazius, & Smaragdus: in secundo Carbunculus, Sapphirus, & Iaspis: in tertio Ligurius, Achates, & Amethystus: in quarto Chrysolitus, Onychinus, & Beryllus.* Nihilominus visum nonnullis fuit, minimè certo constare de horum nominum acceptione, iuxta eum sensum, quem Græci veteres ac Latini vsurpant: nec aliam ad nos eius rei notitiam dimanasse, quam duodecim fuisse gemmas diuersas, absque peculiari aliqua primæ, secundæ, tertiæ & reliqui ordinis cognitione. Ita videtur sentire Caietanus Exodi 28. cuius ea sunt verba: *De nominibus lapidum ne sis sollicitus; quia periisse aiunt apud Hebræos notitiam nominum propriorum lapidum.* Et harmonia mundi fol. 61. *Interpretationes lapidum incertæ sunt.* Noster item Pererius tom. 1. in Genes. *Nomina lapidum Hebræa in obscuro & incerto adhuc quid significent proprie; quo fit vt interpretes ea sæpè transtulerint, non qualia sunt Hebraicè.* Eidem opinioni docti aliqui viri subscribunt, vt Arias Montanus in Aaron: qui non dubitant suam suspicionem Vulgatæ anteferre: & asserere, quem Vulgatus in Exodo Iaspidem vocat, Adamantem esse: quem Beryllum, esse Iaspidem: quem Chrysolitum, aquam marinam: quem Carbunculum, Smaragdum: & sic de aliis.

Verùm certò constet de prædictarum Rationalis gemmarum nomine?

1. Sententia negans & eius auctores.

Fundamenta pro hac sententia negante. Primum.

Quæ verò pro hac opinione adduci possunt argumenta, sunt huiusmodi. Primum: quia Hebraicorum nominum etymologia non consentit cum iis nominibus, quæ gemmis singulis Vulgata tribuit. Vnde Hebraicæ linguæ periti in diuersas abeunt sententias, Chaldaicam sequentes paraphrasim, & Hebraicis radicibus innitentes.

Secundum.

Secundum: Hebraicæ linguæ Doctores, nec neoterici solùm, sed antiquiores etiam, affirmant se nihil certum de huiusmodi gemmis tradere posse, vt refert Abulensis Exodi 18. & citat Rabbi Salomonem, & Rabbi Abraham Abenezra.

Tertium.

Tertium: ex gemmarum Rationalis antiquitate colligunt, eas nõ esse fortasse ex his gemmarum generibus, quæ hodie in vsu sunt. Constat enim, diuersis temporibus diuersas reperiri gemmas: & alias quidem omnino intercidere, alias denuo in lucem prodire.

Quartum.

Quartum: adduci potest pro hac sententia varietas antiquorum interpretum, & ipsius etiam Vulgatæ: quæ pro, שהם *Soham* legit interdum Onycha, interdum Sardonycha: & LXX. aliàs eum vocant Smaragdum, vt in gemmis superhumeralis Pontificis; Exodi 28. 9. & cap. 35. 25. & cap. 39. 5. aliàs Beryllum, vt in Rationali, Exodi 28. 20. aliàs Sardonycha, vel Onycha, vt apud Iobum 35. 8. & aliàs Sapphirum, aliàs Sardium. Item Vulgarus pro *Tharsis* in Canticorum libro reddit Hyacinthum cum Aquila aut Symmacho, & Ezechielis 1. significat esse coloris marini: in aliis verò locis transfert Chrysolitum. Septuaginta etiam aliquando illum vocant Carbunculum: vt Ezechielis 10. atque aliæ varietates non absimiles reperiuntur, quas in singularum gemmarum tractationes videre erit. Ex his ergo videtur colligi, Septuaginta virorum tempore interiisse prorsus gemmarum Rationalis notitiam: siquidem ipsi tam varij in earum versione feruntur. Quòd si tunc nulla restabat eiusmodi certa memoria, quid de Hieronymi tempore dicendum erit?

Sextum.

His addent, ipsummet fateri Hieronymum se nescire, quæ gemma sit Ligurius, & suspicari eam esse fortassis, quam Latini Hyacinthum appellant. Ex quo perspicitur, sibi parui momenti fuisse visum, si nomen aliquod à se non satis intellectum verteret cum Septuaginta, quantumuis nosset, aliqua duodecim gemmarum nomina ab eisdem fuisse mutata. Quòd si in Ligurio facilè permittit Hieronymus, ne attendamus eam significationem, in qua nomen hoc à Græcis & Latinis auctoribus vsurpatur, sed Hebraici nominis vim, idem videtur concessurus in Beryllo & reliquis gemmis.

Septimum.

Iam, si illius opinionis auctoribus, qui gemmarum Rationalis nomina incerta esse putant, auctoritatem Vulgatæ editionis opponas: respondebunt in his minutiis, quæ ad fidem & bonos mores nihil conducunt, mirum non esse, siquid in Vulgata correctione dignum occurrat: siue etiam Vulgatum & Septuaginta potuisse prudenter gemmarum nomina, quæ ipsis luberet, apponere, quòd veterum gemmarum notio interierit, nec magni in eorum nominum mutatione interesit, quare id vnum significare voluisse, duodecim Rationalis gemmas fuisse diuersas: Ae ne quis nouum & insolitum reputet, in huius generis rebus vnum pro alio nomen à Vulgato substitui, adducent Tigridis nomen pro Leone positum, Iobi quarto 11. item vitrum pro gemma, Iobi 28. 17. Similiter ergo potuisse Vulgatum Iaspidis nomen pro Adamante usurpare. Cui licentiæ si semel pateat locus: nihilo certiores hac de re manebimus, quàm si Vulgatus & Septuaginta Hebraica gemmarum nomina inexplicata reliquissent.

Octauum.

Denique illud adiungent: cersum esse in vulgari vsu multarum gemmarum nomina hodie mutata iam esse; sicuti nomina Hyacinthi, Sapphiri, Chrysoliti, Chalcedonij, & Topazij. Atque vt in eadem regione seu prouincia gemmarum nomina multiplici temporum decursu commutata sunt; sic etiam in diuersis regionibus eodem tempore contingere potuisse, vt eadem confusio atque permistio in hisce nominibus extiterit; atque adeò alibi appellari, Chrysolitum, qui alibi vocatur Hyacinthus siue Topazius. Quam nominum vicissitudinem si consideremus, eadem omnino remanet apud Vulgatæ vsum dubitatio: cùm nesciamus, ad quem potissimùm consuetudinem se conformet interpres: vel vtrum diuersas mutare vices voluerit, & modò hanc consuetudinem, modò illam capiare, sicuti apparet ex eo, quòd non semper eadem ratione transferat.

In quo discrepent Septuaginta & Iosephus à Vulgata, quod attinet ad gemmarum Rationalis enumerationẽ.

Cæterùm has omnes sophismatum nebulas irradians veritatis lux dispellit ac dissipat. Sed videamus imprimis, an in duodecim Rationalis gemmis nonnihil à Vulgata discrepent Septuaginta & Iosephus lib 3. Antiquit. cap. 12. Perlectis igitur vtrorumque scriptis sicuti hac tempestate extant, tres omninò reperio differentias. Prima est, quia Iosephus quintam & sextam gemmam hoc ordine recensет, *Iaspidem & Sapphirum*: quas tamen nos è contrario collocamus, atque eodem modo in octaua & nona gemma, vbi nos legimus *Achatem & Amethystum*, Iosephus ordinem inuertit. Secundum discrimen est, quia Septuaginta extremas duas gemmas contrario ordine ponunt, atque Vulgatus: hic enim habet *Onychem & Beryllum*: illi verò *Beryllum & Onychem*. Tertium discrimen est, quia pro Sardio apud Iosephum legitur Sardonyx.

Existimo

Defenditur Vulgatus in Rationalis gemmis recensendis.

Existimo tamen has omnes differentias pro certò esse habendas vt errores apud Septuaginta & Iosephum: qui ex codice aliquo vel exemplari mendoso originem duxerint, ac proinde veram lectionem Septuaginta interpretum & Iosephi cum Vulgata Exodi lectione omnino consentire. Id quidem si ex meo ipse cerebro fingerem, nec solidis nixus coniecturis asseuerarem: ab aliis possem meritò irrideri. Sed meas, obsecro, coniecturas lector expendat. Primò, quis non videat, quam firma nobis sint fundamenta, vt Vulgatæ lectionis textum sincerum & incorruptum esse fateamur? & quantò verisimilius sit Iosephi aut Septuaginta textum esse deprauatum quam nostrum? Secundò, quid magis optabile, quam Vulgatam, Septuaginta ac Iosephum posse inter sese conciliari. Tertiò, in duobus primæ differentiæ locis euidens apparet, noluisse Iosephum à Septuaginta recedere. Nam Sapphiri nomen est idem omnino, quod in Hebræo reperitur: atque eius colorem exprimit Scriptura Exodi 24. 10. *quasi opus lapidis Sapphirini, & quasi cælum cùm serenum est.* Quod verò, *ahlama* sit Amethystus, conuenit inter omnes tam veteres, quam recentiores: nec eorum quisquam id in disceptationem vocauit. Quapropter duas hasce gemmas extra suum esse ordinem, manifesto est argumento; non id ex Iosephi mente, sed ex typographi incuria irrepsisse. Vbi ergo gemmæ singulæ ad suum referantur locum; necesse est omnes quatuor eodem ordine dispositas remanere, quo ipsas Beatus Hieronymus enumerat. Ex eo autem quod hisce in locis Iosephi lectionem ad Vulgatæ ordinem confirmandam esse appareat: verisimile valde fit, similem errorem in Septuaginta mutatione accidisse: atque adeò ab iis extremo loco Beryllum fuisse positum. Hanc suspicionem seu coniecturam illud non parum iuuat, quòd Hieronymus, qui adeò diligenter obseruare ac notare solet: quibus in locis à Septuaginta recedat, vbi de gemmis agit, & ait duas illas humerorum ab ipsis Septuaginta vocatas Smaragdos, a se verò Onychinas: haud dubiè assereret etiam, Septuaginta ipsos Beryllum cum Onyche commutasse. hoc autem à Hieronymo omnino subticeri, indicat manifestè in ipso Septuaginta interpretum textu legisse tunc Hieronymum gemmas duodecim eò dispositas ordine, quo ipse in Vulgata disposuit.

Septuaginta & Iosephus cum Vulgato conciliantur in Rationalis gemmis.

Hieronymus frequenter notare solet, quibus in locis à Septuaginta recedat.

Obiectio soluitur.

Poterit tamen aliquis afferre, vt probet gemmam vndecimam à Septuaginta pro Beryllo fuisse reputatam, ideo ipsos humerorum gemmas vocasse Smaragdos; nam, vt ait Plinius, eiusdem aut similis naturæ videtur esse Beryllus. Verùm si putarent ipsi שהם *Soham* esse Beryllum; neutiquam in eius locum substituerent Sardonycha, Iobi 28. 19. Nec enim verisimile est, Beryllum ac Sardonycha, (inter quos nulla est affinitas) à Septuaginta confundi; sed Onycha atque Sardonycha: quæ gemmæ assimile, inter se sunt, nec in sacrarum literarum vsu distinguuntur. Quòd autem Arias Montanus ait in suo Aaron, Beryllum esse vnam ex octodecim Onychum speciebus, id quicumque mediocrem nominum habuerit cognitionem, paradoxum planè reputabit. Quòd ergo gemmas in Pontificis humeris collocari solitas Septuaginta vocent Smaragdos, fortè id accidit, non coloris ipsius affinitate, sed vt eas gemmas valde esse conspicuas ac fulgentes significarent. Nam Smaragdus Græcè idem sonat, quod fulgens siue splendidum, vt suo loco constabit: Siue ergo hanc ob causam, siue ob aliam id acciderit, certè ratio non fuit, quia colorem Smaragdi similem gemmæ illæ habebant. Constat enim oppositum ex ipsorum Septuaginta versione alio in loco, & ex versione etiam ceterorum interpretum in Exodo, & in Iobo.

Alia via ad præsentem difficultatem soluendam, aut saltem mollienda.

Posset insuper aliquis in eam deuenire suspicionem, quamuis Septuaginta versio mendosa non sit, in ea tamen id solum dici: *In quarto Chrysolithus, Beryllus, & Onyx*: & eos quidem ita loqui rectè potuisse. licèt postremus fuerit Beryllus: cùm non intenderint exponere ordinem, quem inter sese tres istæ gemmæ seruabant: sed affirmare solùm, has tres gemmas in quarto versu contineri. Nec mirum est, si priùs duodecimum numerent, quàm vndecimum: non enim ita se ad ordinem & dispositionem vbique alligant. Et alibi quidem nempe Ezechielis 28. nouimus, vbi apud Hebræum & Vulgatam nouem non amplius gemmarum nomina referuntur, & diuerso etiam nomine Septuaginta tamen duodecim omnes gemmas exprimere eodem ordine dispositas, quem in Exodo seruauerunt. Demum Hieronymus, vt perspicuè constat, textus Hebraici ordinem sequitur, neque existimauit in aliqua ex Rationalis gemmis versionem Septuaginta suæ esse contrariam. Quare pro certo videtur habendum, in iis omnibus gemmis Hieronymum & Septuaginta concordare.

Alcasar in Apocal.

Sed age iam, quid de Iosepho dicemus? qui Sardium nomine Sardonychis compellat? Respondeo, Sardium à nonnullis appellari Sardinum, vt patet Apoc. 4. Vnde alicuius inconsiderantia factum fuisse videtur, vt Sardonyx pro Sardino scriberetur. Nec enim simile vero est, Iosephum hac in re à Septuaginta vestigiis voluisse discedere: præsertim cùm vndecimam gemmam nuncupet Onychem: cumque in sacris Literis Onyx & Sardonyx eadem gemma sit. Possumus ergo non iniuria affirmare, in duodecim Rationalis gemmis Septuaginta & Iosephum cum Vulgato consentire. Et certè manifestum apparet, Septuaginta & Iosephum à Hieronymo corrigi non potuisse: verisimile namque est, eos omnes sapiùs Rationale intuitos fuisse. Quòd si ipsummet Aaronis Rationale non viderint (hoc enim ad ipsorum tempora non peruenisse planum fit) satis est, illud ab ipsis fuisse conspectum, quod eorum tempore in vsu erat. Quis enim dubitet, totum Pontificis maximi ornatum atque vestitum, quoties resarciendus & instaurandus esset, omni studio ac diligentia ad prioris imitationem fuisse semper effictum? Sic enim fieri expediebat, quòd diuinò consilio fuerit primus ille confectus.

Probabilis coniectura ad Iosephi discrepantiam à Vulgato corrigendam.

Septuaginta ac Iosephum à Hieronymo non fuisse correctos in Rationalis gemmis enumerandis.

Licèt autem pro humerorum Sardonychis posteà Smaragdi forsitan fuerint suppositi: at in duodecim gemmis Rationalis verosimile non est aliquam interfuisse mutationem: cùm ipsemet Deus singulas partierit gemmas, & tribubus singulis singularem vnam addixerit, vbi sui nominis notam & inscriptionem imprimerent. Nec dubium, quin Iudæi tenacissimi suorum rituum obseruatores hanc consuetudinem accuratè retinuerint: in qua nitebantur varij ipsorum insignium & stemmatum colores: quibus in rebus ipsamet æmulatio instigat & cogit ad pristina illa antiquæ consuetudinis primordia conseruanda. Cum igitur Septuaginta & Iosephus oculati fuerint testes (vt credibile satis est) non potuit non Hieron. in re adeò nota ipsorum insistere vestigia: quinimò ipsos videtur in hoc duces habuisse: atque eorum auctoritate Ligurium septimò loco posuisse: quantumuis in epistola ad Fabiolam se nescire fateatur, quænam gemma isthæc sit. Id verò propterea sanctus Doctor ait: quia Plinius non admittit, quod alij de Ligurio, siue Lincurio tradunt. Et in gemmarum coloribus ac descriptionibus Hieronymus sese refert ad Plinium, vt videre est Isaiæ 54. & Ezechielis 28.

Quàm debeat esse grauis Septuaginta auctoritas in Rationalis præsertim gemmis assignandis.

Colligitur ex dictis, quanta sit, quamque grauis in hac parte Septuaginta interpretum auctoritas: quamque verisimile, ipsorum tempestate de singulis Rationalis lapidibus certò constare. Quamobrem non solùm, quia Hebraicam linguam melius ipsi percallebant, quàm dictionariorum Striptores: verùm etiam quia de re sibi cognita loquuntur, firma eis fides habenda est. Ad hæc, dubium non est, quin Ioannes omnes ferè duodecim Apocalypseos gemmas ex gemmis Rationalis desumpserit. In iis verò, quas eisdem compellat nominibus, quibus Septuaginta vsi sunt, perspicuum est ipsorum versionem à Ioanne probari. Atque gemmæ huiusmodi, in quibus cum Septuaginta Ioannes consentit, sunt octo: nempe Iaspis, Sapphirus, Smaragdus, Sardius, Chrysolithus, Beryllus, Topazius, Amethystus. In reliquarum verò quatuor singuli congruentissima reperitur ratio, quamobrem in Rationali, atque in Apocalypsi diuersæ sint. Itaque ipsius differentiæ ratio argumento est, nullum omnino dari discrimen, vbi eadem nomina vtrobique vsurpantur. Nam ex cohærente applicatione constabit, fuisse opus, vt ceteri lapides prorsus idem forent.

Digitized by Google

Argumenta pro contraria parte initio adducta occurritur.

Reliquum est, vt argumentis initio positis satisfaciamus. Ad Caietanum, Pererium, & Harmoniam Mundi, qui illius incertitudinis auctores sunt, respondeo: mirum non esse, si quam exquirunt lucem, in recentioribus linguæ sanctæ dictionariis non inueniant. Verùm si auctoritatem Septuaginta ritè expendant: sibi in hac dubitatione, si sapiant; satisfacient. sin autem, quosuis antiquitatis perscrutatores, quantumuis diligentes rogo: vtrum pro certo sibi habeant aliquid antiquitatem redolens, quod in Septuaginta grauibus auctoribus inueniant: qui eo tempore scripserint, cùm eius rei veritatem ignotare non potuerunt? præsertim si planum fiat, ipsos ea de re testes oculatos fuisse. Iam verò quis non videat, quantum muniatur ac roboretur Septuaginta interpretum auctoritas, tum Hieronymi, tum Iosephi approbatione atque consensu: nec non omnium antiquorum interpretum, videlicet Aquilæ, Symmachi, Theodotionis? &c. qui omnes in gemmarum Rationalis nominibus cum Septuaginta consentiunt: cùm tamen nihil vllius momenti in contrarium reperiatur. Certè qui tot tamque grauia testimonia posthabeat, & suam præferat coniecturam suam ipsius sententiam pluris æquo faciat necesse est. Iam, quod Hieronymus in Vulgata accipiat hæc nomina iuxta eundem Plinij sensum: ipsemet Hieronymus duobus in locis disertè testatur. Ridiculum ergo est, asserere in Vulgata non esse eo sensu accipienda duodecim gemmarum nomina: cum ipsius Vulgatæ scriptor expressè asserat, illas à se secundum eum sensum vsurpari.

Ad secundum argumentum respondetur.

Argumentum ab etymologia ductum spero, vbi ad nominum singula deueniamus: congruenter forte soluendum. esto tamen, ipsius nominis etymon non reperiri: ecquis homo prudens in rerum antiquarum inuestigatione tanti faciat ipsius nominis sonum aut etymologiam, vt propterea à communi sententia sibi discedendum putet? Quid magis frequens & quotidianum, quàm, cum vox aliqua videatur hanc significationem habere, si ipsius sonus spectetur certò tamen constare ipsius significationem multò esse diuersam? Nugatorium planè esset, si quis probare vellet quod Hispani vocant *Azeite*, Latinè non oleum, sed acetum propter soni affinitatem esse vocandum: vt alia interim sexcenta huiusmodi prætermittam.

Septuaginta interpretibus plus fidei, quàm Chaldaica paraphrasi esse habendum.

Iam, quæ prudentia est, pluris paraphrasim Chaldaicam, quam Septuaginta & Vulgati lectionem æstimare? præcipuè cum constet, Chaldaicam paraphrasim eo tempore conscriptam, quo Rationale non extabat: vnde paraphrasticus auctor non potuit testis gemmarum oculatus esse. Verùm enim verò esto, gemmas ipsas viderit, & earum naturas cognouerit, nunquid de nominum Chaldaicorum, quam de Hebraicorum significatione clariùs constat? Quæ ergo notitia aut cognitio remanere potest de eo lapide, qui Apantor siue Pantere vocatur? Et quamuis eiusmodi supereſſet cognitio? numne oraculi speciem præ se fert ista paraphrasis? Profectò, vt eam in lapidum interpretatione exploderemus, vel illud satis esset, quòd Onchelos & Hierosolymitanus sibi manifestè repugnant. Nam si Ariæ Montano habenda fides est: quem nos Amethystum vocamus, eorum alter oculum bouis, alter Smaragdum appellat. Ierosolymitani creditur esse Chaldaica paraphrasis, quàm in Bibliis regiis super Canticorum cantico habemus: & Onchelos ea, quam super Exodo. Et Canticorum 5.14. ponuntur duodecim gemmarum Rationalis nomina: simulque assignatur, quòd cuilibet Iacobi filio obtingat. Et præterquam quòd Isachar & Zabulon ante Dan constituit: duodecim gemmarum nomina hoc ordine recensetur.

Chaldaica paraphrasis auctores.

1. Ahmar.	7. Bairla.
2. Ghagig.	8. Esfor.
3. Ghaperam.	9. Toberg.
4. Cahali.	10. Perozag.
5. Izmorad.	11. Mirbag.
6. Ghiar.	12. Apantor.

Nomina autem Chaldaica eorundem lapidum quæ ponuntur Exodi 28. huiusmodi sunt.

1. Samecan.	7. Canerei.
2. Iarcan.	8. Tarcaia.
3. Barcan.	9. Ghinghenla.
4. Izmeragdin.	10. Iama.
5. Sabeziz.	11. Burla.
6. Sabhalon.	12. Panthere.

Conferat modò lector, si placeat, duas hasce paraphrases; & manifestè perspiciet eas inter se vix in vno nomine conuenire. Licèt enim concederemus, eandem esse gemmam, quæ ab altero paraphraste *Bairla*, ab altero *Burla* appellatur: apud alterum tamen *Bairla* septimum habet locum, apud alterum *Burla* vndecimum.

Chaldaica paraphrasim non sibi semper cõstare: ac proinde non magna admodum auctoritatis semper esse.

Ex hac vtriusque consensione, vel dissensione potiùs, colligi potest, eos planè hallucinari, qui hanc paraphrasim omnino sequuntur: & Hebræorum doctissimos meritò asseruisse, suis in libris nullam reliquam fuisse notitiam de singulis horum lapidum nominibus. Hinc tamen minimè infertur, nullam apud Græcos & Latinos hac de re lucem remansisse. In vtraque enim lingua tam Græcorum, quàm Latinorum exactæ reperiuntur & perantiquæ harum gemmarum descriptiones à viris apprime doctis confectæ. Et quidem translatio gemmarum Rationalis in græcum sermonem per eos scriptores fuit facta, qui hebraicam linguam optimè callebant: quique Rationalis gemmas viderant sæpiùs & rectè cognouerant, Hieronymi etiam tempore vigebat adhuc perspicua notitia propriæ significationis, quæ cuilibet harum gemmarum nomini inerat. Vnde apparet, nomina isthæc à Septuaginta & Iosepho fideliter fuisse translata. quando Hieronymus eos omnino sequitur, & in lapidum descriptione sese remittit ad Plinium. Et Augustinus etiam nos monet, vti Carbunculi proprietates diligenter obseruemus, cùm in Scriptura Carbunculum legerimus; idemque docet de Beryllo & reliquis. Constat igitur Hieronymum ac veteres alios minimè dubitasse, quin in versione Septuaginta, nomina Rationalis lapidibus assignata prorsus respondeant Hebraico fonti.

Responsio ad 3. argumentum.

Ad tertium argumentum respondeo, quamuis diuersis temporibus diuersæ vigeant & vsu terantur gemmæ, quæ alia tempestate non ita aut æstimentur, aut reperiantur; alias tamen semper in hominum vsu perstare, vt Smaragdos. Ex iis ergo, quæ semper extant, aut earum saltem notitia per omnes retinetur ætates, existimandæ sunt esse illæ, quas diuina condidit prouidentia, vt eis & in Rationali, & in Apocalypsi vteretur. oportuit enim esse ferè easdem, vna aut altera excepta; nec non eas vtriusque temporibus esse notas, ac temporum deinceps decursu earum notionem ad fideles dimanaturam.

Responsio ad 4.

Ad quartum: vt aliis in locis variatio subreperet, ob peculiarem aliam causam fieri potuit: siue quòd vnum idemque nomen, diuersas respiceret significationes: siue quòd vna gemma ibi non plus interesset, quàm alia (sicuti apud Iobum cap. 4. tanti refert tigridem apponi, quanti leonem) siue propter peculiarem aliam rationem. at verò in lapidibus Rationalis manifesta cognitio, quæ Septuaginta virorum tempore de singulis earum gemmarum speciebus habebatur: concordia item veterem omnium interpretum in singulis earum nominibus, nos manifestè docent, propriam cuiusque Hebraicorum nominum significationem lapidibus assignatam Exodi 20 esse illam, quæ græcis erat nominibus hebraicorum loco positis. Quam verò tunc Græca nomina significationem habuerint in omnibus ferè lapidibus, euidenter constat ex Theophrasto qui Septuaginta viros paululùm ætate præcessit, & Alexandro Magno penè fuit coæuus, ac Magni Aristotelis auditor. Vnde cùm Plinius, vt liquet. Theophrastum sequatur: apparet ipsius Plinij tempore, singula gemmarum nomina adhuc perstare. Quod dum singillatim expendit, & Plinij acrimoniam ac venustatem in dicendo considerat Vulgatæ scriptor, nempe Hieronymus non monet, omnia Rationalis & Apocalypseos gemmarum nomina se ipso accipi eodem sensu, quo Plinius accepit.

Tametsi autem id non omnino conuincit, ne in aliquo eorum nominum posit verisimile aliquod discri-

men

Digitized by Google

men inueniri: in iis præsertim gemmis, quas non admittit Plinius, vt in Chalcedonio ac Ligurio: conuincit saltem vt communiter loquendo, horum lapidum nomina in grammatico sensu iuxta eum modum ac rationem sumantur, iuxta quam Plinius, & alij eius temporis scriptores vsurpant: cùm constet in hoc eodem sensu accipi ea nomina à Vulgato, saltem in Aaronis Rationali & in cælestis ciuitatis fundamentis. De iis enim locis agit Hieronymus, quando se refert ad Plinium. Neque hoc ex eo infirmatur, quod Sardonyx in sacris Literis Onyx appelletur. Nam Sardonyx est quędam Onychis species: vnde generale nomen a peculiari restringitur & coarctatur. Porrò, vt iam vidimus, hæc non est ea gemma, quam Septuaginta Beryllum vocant; nec eadem procedit ratio in humerorum gemmis, licèt enim initio fuerint Sardonyches: postea fortasse immutatæ sunt. Et certè id vnum corrigit Hieronymus. reliqua non item; *exceptio* autem, vt dicitur, *firmat regulam.*

Ad quintum. Dubitationem de Ligury lapidis natura vnde Hieronymus contraxerit.

De Tharsis suo loco dicemus, ac de Ligurio. Nunc illud adiungo, illam de Ligurij lapidis natura dubitationem sumpsisse Hieronymum ex Plinio: vt vel hinc constet Hieronymum in nominibus, quæ duodecim lapidibus præscribit Septuaginta interpretum vestigiis insistere: atque eadem nomina, quo sensu Plinius accipit, vsurpare voluisse. Quamuis id, (vt supra aduerti) non cogat, nè in aliqua ex his gemmis possit discrimen aliquod in Scriptura fundatum reperiri: modò solido nitatur fundamento.

Num semper Scriptura verba sint in elegantissima Latina lingua significatione necessariò vsurpanda.

Iam ad id, quod dicitur, non semper necessariò Scripturæ verba in optima & elegantissima Latinæ linguæ significatione vsurpari debere: respondeo, id quidem verum esse, vt constat in nomine *hedera* Ionæ 4. atque aliis. cùm verò ipsemet Vulgatæ editionis interpres explicatè assereret, quo sensu vocem aliquam assumat: tunc quidem durum prorsus ac violentum esset: si in alium sensum detorquere velles. Ad id verò de Tigridis nomine pro leonis voce suppositio, iam diximus longè aliam esse rationem. Liquet enim eo in loco illud animal, exempli causâ, adduci: nec plus referre Tigridem, quàm Leonem. & fortè in Hebraicæ linguæ proprietate vox eadem Tigridem ac Leonem significat.

Ad sextum responsio.

Cur Iobi 28. vitri nomen pro gemma vsurpauit?

De vitri nomine Iobi 28. 17. fateor ibi vitrum esse lapidem pretiosum: sed, ni meus me fallit sensus, gemmas generatim appellat ibi Scriptura vitrum, siue vitri fragmenta per irrisionem eorum, quæ homines tantopere suspiciunt & admirantur. Itaque ibi fideliter fuit transcriptum, opinor; sed loquutio illa emphatica est accipienda. Scio etiam non deesse, qui putent Scripturæ hyssopum esse rorem marinum: vellem tamen id ab eis probari. De Hederæ nomine Ionæ 4. celebris est controuersia, eo quòd Septuaginta reddiderint *Cucurbitam.* Sed hac in re illud certum esse reor, quod Hieronymus tradit, Hebraicam scilicet vocem *Cicaion* esse plantam ab hedera & cucurbita diuersam, & Græci aut Latini vocabuli defectu aliud fuisse vsurpatum vnius plantæ ex iis, iquæ facilè ad cacumen serpere, & foliis opacantibus suppositos homines regere solent.

Quid sit dicendum, de nomine Hedera, siue vt 70. vertunt, cucurbita, Ionæ 4.

Denique interpretationis fidem non eleuat, vbi propriæ desunt voces, aliarum vsus ob proportionem aliquam, siue analogiam; vt Hispanis identidem accidit, qui Indorum Occidentalium plantis nomina accommodant earum plantarum, quæ sibi notæ ac familiares sunt; sic platani, sic pinei fructus, sic aliarum arborum ac fruticum nomina vsurpant. Id quod per cătachresim tropicè factum, ad elegătiam sermonis Rhetores interdum reducunt. Ad hæc, quamuis propriarum vocum copia fiat, ob peculiarem aliquam rationem potest interdum alienum accersiri nomen. Verum qui hac euadere contendit, debet congruentem sui reddere rationem: ne alioquin absonum quid & dissentaneum sectari videatur iter. Vt autem superiùs vidimus, nulla potest idonea afferri ratio, vt credamus Hieronymum & Septuaginta horum lapidum nomina accepisse in sensu adeò peregrino, vt nonnulli autumant.

Quãdo immutatio aliquam interpretationi fidem ipsius nõ eleuet.

Tolerabilius foret, quod aliis arrisit, nempe in singularum gemmarum descriptione Plinium, Solinum ac Theophrastum deserere; & sectari aliarum descriptio num vias, quæ in recentioribus auctoribus, & in aliis paulo antiquioribus inueniuntur: ex quibus sunt Nilus & Anastasius.

Qua alia ratione hunc argumẽto alij occurrant.

Verùm enim verò cum tempus hanc nominum varietatem in gemmarum prouinciam inuexerit: cum scriptores aliquot, ceteroqui grauissimi, exiguam de gemmarum natura notitiam sint assequuti; cum Theophrastus paulò ante Septuaginta ætatem floruerit; cùm Plinius ac Solinus fuerint beati Ioannis coæui, & in gemmarum notitia ac descriptione diligentissimi, postremò cum beatus Hieronymus se in gemmarum descriptione ad Plinium referat; facilè quisque perspiciat, quantò planiori incedat viâ, qui antiqua & certa amplectitur, quàm qui recentia ac lubrica sectatur.

NOTATIO VI.

De gemma Iaspide.

Gemmam, quæ in Exodo & Isaia vocatur Iaspis, Adamantem esse, aliquorum placitum.

NOnnullis visum est, quam gemmam Septuaginta & Vulgatus in Exodo & in Isaia Iaspidem vocant, adamantem esse. Sic Munsterus, Fagius, & Conradus in suo corollario verbo Iaspis. Primò, quia Hebræa vox est *Iahalom*, à radice *halam*; quod est ferire ac frangere. Secundò, quia duodecima Rationalis gemma Hebraicè vocatur Iaspis, & Chaldaicè Pantere, siue Apantor. Verùm superiori notatione ostendimus, credibile minimè esse, Septuaginta, Vulgatum, Aquilam, Theodotionem & Iosephum fuisse deceptos; qui omnes pro *Iahalom* vertunt Iaspidem. solus Symmachus commutauit aliquando nomen Iaspidis in Chalcedonium, vt Hieronymus testatur. Et Iaspidis viridis reperitur species, cui potest Chalcedonij nomen applicari: vt ex Plinio colligitur. Dictis illud adiungo pro veterum interpretum translatione in nomine *Iahalom*: validum scilicet argumentum desumi ex Apocalypseos conuenientia & respectu ad veteris instrumenti locos. Constat enim apud Isaiam mœnia & turres esse ex *Iahalom*: & in Apocalypsi murum esse Iaspideum. Atqui Ioannes Græcè scripsit, nec dicere quis poterit, ipsum pro Adamante Iaspidem expressisse.

Duplex pro hac opinione argumentum.

Oppositæ tamẽ sententiæ vt vera statuatur, & roboratur.

Ad primum ergo ex oppositis argumentis respondeo, eiusdem verbis significationem esse percutere, fla-

Alcasar in Apocal.

gellare & frangere, vt dictionaria ipsa testantur. Nec difficile est aduertere, quanto verisimilius sit, Iaspidem appellatum fuisse *Iahalom* propter eas maculas, quibus infectus, signatus & quasi dissectus est. Quòd si ad maius ipsius pretium & æstimationem requireretur, vt sanguineis esset maculis distinctus (de quo infrà) mirificè ei congruebat nomen flagellati, siue rimosi lapidis, ad modum odorati caryochylli maculis ac notis variis aspersi, quod Hispani appellant *clauellina disciplinada.*

Primum adiumentum oppositæ sententiæ dissoluitur.

Ad alterum respondeo, ex eo manifestè colligi, quæ gemma dicitur Hebraicè Iaspis, non esse eandem quam Latinè Iaspidem dicimus. quandoquidem eum omnes in Hebræo Iaspidem legerent, inter sapientes tamen interpretes conuenit *Iahalom* esse, quem Latini ac Græci non quem Hebræi Iaspidem vocant. Non absimilis differentia reperitur in vulgari Topazio & Latino, in Haicynthi ac Turdi nominibus & aliis compluribus: in quibus eum cum risu explodetemus, qui propter soni similitudinem optimos condemnaret interpretes. Nec vlla est Chaldaici paraphrastæ habenda ratio, vt propterea eum tot grauibus interpretibus opponamus: nec verò aliqua est certa ratio, vt Apantor siue Pantere Chaldaicè sit Iaspis: quod animal Græcè ac Latinè Panthera nuncupatum macu-

Dissoluitur secundus.

Digitized by Google

Iosam habeat pellem. Friuolum est hoc & minimè certum. Quare nulla ratione dubitandum est, quin *Iahalom* sit ea gemma, quam Græci & Latini Iaspidem nuncupant. in Apocalypsi autem qui Iaspidem diceret Adamantem esse, planè desiperet.

Expenditur, qua sit natura eius gemmæ, quæ appellatur Iaspis.

His ita positis examinare nunc oportet, quæ sit ea gemma à Græcis & Latinis Iaspis appellata. Nec enim Iaspis est quilibet lapis ex iis, quos Hispani sermone vernaculo vocant *Iaspis*: nam quodcumque marmor colorum varietate sit distinctum, vulgari hoc nomine Hispani appellamus. At Græcè ac Latinè Iaspidis nomen non tribuitur lapidi, qui gemma non sit. Quare & Plinius lib. 37. c. 9. vt rarum atque inusitatum refert, visum Iaspidem vncias vndecim appendentem. Et quamuis legatur etiam vnciarum quindecim (vt in aliquo libro habetur) maiores adhuc Smaragdi ac Topazij, aliiq. pretiosi lapides visi sunt, vt Plinius ipse refert.

Nomen Iaspidis plures sub se species complectit.

Itaque Iaspis non est, nisi gemma sit. Sed quænam gemma? Respondeo nomen Iaspidis generale esse, & plures sub se species complecti; vt videre est apud Plinium, ad quatuor tamen reducuntur: eæ sunt virides, cæruleæ, rubræ & candidæ. Ex viridibus aliæ confusum magis colorem præ se ferunt; aliæ Smaragdum referunt. Ex his appellatur *grammatias* ille Iaspis, qui lineam albam habet: qui verò plures, polygrammos vocatur. Ex cæruleis Cyprius est glaucopingui similis, veluti Cæsius densus. Persicum dicunt ad clarum cæruleum accedere, Thermodonteum planè cæruleum. Et rubris Plinius distinguit purpureum alium; alium violaceum; alium ex cærulo ac rubro mistum; alium roseum; alium colore Sardij similem. Ex candidis alius dicitur esse Crystallinus; alius niueus; alius salis colorem imitans: alius nubeus: fumeus alius. Meminit etiam Plinius Iaspidum, in quibus stellulæ quædam siue puncta dispiciuntur, *stellata rutilis punctis*: alios refert habere vngues: alios nomen à Terebintho impropriè mutuatos: atq, significat videri eos ex variis diuersorum Iaspidum frustulis compactos.

Inter tot, tamque varias Iaspidum species primo videtur aspectu perspicuè colligi non posse: quænam ex iis ad Apocalypsin fuerit à Ioanne selecta: non tamen idonea desunt pro viridi Iaspide argumenta. Primum sit, quia verba illa Plinij, *Viret Iaspis*, non significare videntur, esse peculiarem aliquam viridis Iaspidis speciem: sed hunc esse proprium Iaspidem: ad ceteros nomen idem per huius imitationem fuisse propagatum: vnde Adrianus Iunius ait, *Iaspis Plinio viridi colore est.* idemque asserunt Calepinus & alia dictionaria. Similiter Epiphanius nomen Iaspidis ad viridem constrinxit: atque adeò beatus ipse Hieronymus: siquidem Plinij & Epiphanij sententiæ subscribit, Isidorus adeò certum duxit, proprium Iaspidis colorem esse viridem, vt græcum ipse excogitauerit etymon, in quo idem sonaret Iaspis, atque viridis petra. Licèt autem etymologia ipsa non ita videatur solida: sanctissimi tamen Doctoris hac de re mentem satis explicat. Deinde, qui de Iaspidum natura agunt, omnes à viridi suam ordiuntur narrationem: ita proceduht non solum Plinius, Epiphanius & Isidorus, sed Dioscorides etiam lib. 5. & Hieronymus Isaiæ 54. nec aliquis est interpres, qui ad gemmarum colores, de quibus Scriptura agit, singillatim descendat, quin hanc complectatur opinionem.

Iaspidem viridem suapte naturâ esse latè probatur.

Ad Scripturæ vsum esse congruens, vti Iaspis viridis natura consideretur.

Iaspis olim pro amuleto gestari solitus.

Prætereà ad sacrarum Literarum vsum est valde consentaneum, vt illum consideremus Iaspidem, qui & in Palæstina & in toto Oriente frequentior erat. Cùm autem dixisset Plinius, *Hierosolyma vrbium Orientis longè clarissima*: posteà lib. 37. c. 9. de Iaspide verba faciens hæc habet: *Totus Oriens pro amuletis traditur gestare eam, qua Smaragdo similis est, & per transuersũ lineâ albâ pracingitur.* Scio non deesse, qui dubitet, num germanior sit lectio, quam ad marginem Dalecampius reiecit, quæ eiusmodi est: *Oriens Iaspidum sexdecim species traditur gestare: qua verò ex ijs Smaragdo similis est, & per transuersum lineâ albâ pracingitur, grammatias vocatur.* Sic legisse videtur Vincentius in speculo naturali. Sed licèt hanc admittamus lectionem: dum dicit Orientem sexdecim Iaspidum speciebus vti; dumque ex eis seligit vnam, quam propriâ descriptione & nomine distinguit: satis indicat, hanc Iaspidis speciem esse inter ceteras insignem. Hoc amplius cõfirmatur ex eo, quod de eâdem

A specie tradit Hieronymus Isaię 54. *Smaragdi habens similitudinem quo omnia phantasmata fugari autumant, vocatur grãmatias.* Opinio hæc peruagata eo tẽpore de viridis Iaspidis vi & efficacitate aduersus phantasmata eum fortè reddidit celeberrimum. Atq. hac loquutione videtur Hieronymus complecti huius lapidis virtutem aduersus veneficia, quam ei Plinius iuxta communem lectionem attribuit. Amuletum namque Latini volunt esse aduersus mala medicamenta remedium; & præsertim contra veneficia validissimum putatur, ab amoliendo dictum.

Iaspide omnia olim phantasmata fugari putabatur.

Non ignoro, Dioscoridem l. 5. c. 160. sic habere: *omnes Iaspides amuleta esse traduntur.* Plinius tamen & Hieronymus virtutem hanc viridi Iaspidi lineâ albâ præcincto adscribunt. Vnde illi potissimum, præ reliquis Iaspidibus singularis hæc proprietas videtur attribui. Atque eiusdem rei mentio est apud Dioscoridem. Licet enim ipse Asyrium siue Astrium vocet, lineę tamen albæ nota nos docet eum de viridi loqui.

B Isidorus itidem videtur potestatem hanc, quæ Iaspidi tribuitur: sic enim ait, *superstitionis est credere hanc gemmam esse gratia & tutela gestantibus.* Verùm multa huiusmodi reperiuntur figmenta, quę ex vero aliquo principio traxerunt originem. Ego quidem sic existimo, huius opinionis fundamentum fuisse derivatum ex vera virtute, quæ viridi inest Iaspidi ad stomachum confirmandum. Hanc ei efficacitatem disertis verbis adscribit Galenus lib. 9. de facultatibus simplicium, affirmatque se id experimento comperisse. quin etiam tradit rationem, qua Iaspis stomacho adhibendus sit. Quod si efficientia ipsa insignis & perspicua est: verosimile fit, Iaspidis vi ad sanitatem restitutos nonnullos stomacho languentes ex iis, qui philtris ac veneficiis affecti ac defecti tenebantur. Notum enim est, aliquos libidini & intemperantiæ deditos nimia effrænatæ cupidinis luxuria in huiusmodi morbum incidisse, qui vbi se fracto & debilitato stomacho cernunt, in veneficij suspicionem deueniunt. Potuit ergo hac ratione Iaspis nominis famam sibi cõparare aduersus Dæmonis vires inter homines nimiũ credulos; cuiusmodi Ethnici frequenter esse solebant. Hanc coniecturam probabiliorem reddit proportio ipsa & conuenientia: nam amuleti vis vni viridi Iaspidi, vt vidimus tribuebatur: cui etiam inter ceteros virtutem recreandi stomachum Galenus adscribit.

Iaspidis vim ad fugandã phantasmata à B. Isidoro pro cõmentitia reputari.

Quid hac in re possit probabiliter coniectari. Iaspidi inesse vim ad stomachum confirmandum.

C

Verisimile insuper apparet, Iaspidem Smaragdo similem adeò in Oriente vsitatum, in minori etiam Asia vulgarem ac frequentem fuisse: præcipuè cùm in regionibus finitimis magna ipsius esset copia. Hoc elicitur ex Plinio; qui postquam ita asseruit; *Smaragdo similem Indi ferunt*; addit, *Amysos India similem mittit.* Amysos autem portus est in Galatia & maris illius sinus: vt videre est in eodem Plinio lib. 6. cap. 3. Alij pro Amyso Thraciam legunt: & quanuis vtraque plaga ab Epheso & Asia non procul distent; ex verbis tamen Hieronymi prima stabilitur lectio. Et constat, loqui Plinium de eo Iaspide, qui lineâ albâ erat distinctus, ait enim *Grammatias reperitur in fontibus Thermodoontis fluminis.* qui riuulus est non procul inde erumpens, & per Amysi sinum in mare influit. Plinius itaque solùm affirmat, ex Amyso magnam viridis Iaspidis copiam exportari. Hieronymus verò subiungit, Iaspidem illum esse lineę candidæ, & in prædicti fluminis fontibus nasci. Prope eundem fluuium ait Plinius cæruleum Iaspidem exoriri; ceterùm vtrumque pariter stare potest. Nec mirum est, Hieronymum Plinij verbis nonnihil addere. Vnde ad ea, quæ Plinius tradit, nempe apud Phrygiam purpureum Iaspidem procreari, adnectit ipse Hieronymus; *Alius viridior mari, & tinctus quasi floribus in Phrygia Ida monte nascitur.* Omnia hæc capit Iaspidũ & gemmarum copia, quæ in regione reperitur, tanta namque extitisse dicitur, vt quas inde gemmarum opes asportauit Pompeius, Romanorum animos illexerint, atque pertraxerint ad rerum adeò pulchrarum desiderium, Plinius lib. 37. c. 1.

Iaspidem smaragdi similem in minori Asia esse frequentem probabili coniectura asseri.

D

Cùm ergo probabile admodùm sit, Iaspidis nomen (vbi nihil aliud peculiarius explicatur) de viridi accipiendum esse; cumque inter virides præstantissimus ille sit, cui alba linea transuersa est; congruentem habet locum argumentum, quod ex apta applicatione

Hieronymus de Iaspide loquẽs, quid Plinij verbis addat.

Qualis Iaspidis species Apocalypsos mysterio congruentior apparet.

Digitized by Google

catione sumi potest. Etenim si hæc Iaspidis species ipsi mysterio magis quadrat, & idoneam satis proportionem ostendit inter hunc Scripturæ locum atque alios, vbi eadem Iaspis vox reperitur; hæc ipsa congruentia atque proportio nos firmos stabilesque reddit in eo, quod ita ex sese erat verisimile nimirum, sermonem hic esse de celeberrimo Orientis Iaspide, qui grammatias nuncupatur.

Potior Iaspidis species viridis præstantior.

Nihilominus licèt hæc ita sint, subuereor tamen (vt Plinianæ id ferant) viridem Iaspidem purpureo & roseo anteponi. Plinij nanque censura est; *Optima quæ purpuræ quidquam habet; secunda, quæ rosa: tertia, quæ Smaragdi.* Ad hæc tamen respondeti potest primò, hac in re antiquitatem ipsi excellentiæ præstitisse; vt cùm nominatur Iaspis, nec aliud peculiare exprimitur de viridi sermonem fieri intelligamus: ita enim videtur ipsi Plinio magis consonum. Quemadmodum inter purpuras, cum Tyria Amethystinæ antecelleret, frequentius tamen Plinio est, purpuræ nomine Amethystinam denotari, vtpote in Romanorum vsu antiquiorem Secundò, quamuis Plinius & Romani purpureum Iaspidem pluris fecerint; ex eodem tamen Plinio colligitur, viridem cum alba linea Iaspidem Hierosolymæ & toto Oriente præ ceteris æstimari. atqui Scriptura, vt perspicuum est, ad Orientis vsum potiùs, quam ad Romanorum æstimationem sese accommodare debebat. Ita enim in sacris etiam Literis purpuræ nomen propter affinitatem pro Tyria videtur accipiendum, quamuis apud Plinium frequentiùs violacea vsurpetur.

Quid sit ad Plinij verba dicendum, quæ sacras operam vexatur.

Tertiò addi potest, si Plinio purpureus Iaspis magis arridet: alijs tamen viridem perplacere. Quin imò qui hac tempestate se imprimis gemmularios iactant, affirmant inter Iaspidum species primum hodie locum viridi notulis sanguineis aspersò concedi. Addo, quòd non ait Plinius, *optima purpurea*, sed, *optima, quæ purpuræ quidquam habet.* Ad hoc verò satis est, sanguine esse aspersam leuiter. Nam Tyria purpura sanguinea est. Vnde fortasis vtraque posset conciliari sententia, si primas illi Iaspidi daremus: qui, cùm viridis sit & candida linea insignitus, nonnullas tamen habeat sanguinis notas siue puncta. Cui opinioni videdetur fauere Magnus Albertus: ait enim, decem esse Iaspidis species: & inter eas præstantissimam esse viridem rubeum aliquid habentem. Atque hæc de Iaspidis colore.

Color Iaspidis naturæ nonnihil varius.

Vt autem ad proprietates alias gradum faciamus: prima illa est, quod quælibet Iaspidis species natiuum colorem nonnihil varium habet: ita vt viridis Iaspis non æqualiter eundem habeat colorem, nec cæruleus æqualiter cæruleum: idemque de reliquis dictum. Neque id solùm dixerim ob diuersi coloris maculas, quibus nonnulli sunt distincti (nec enim me latet, id generale omnibus non esse) sed propter colorem præcipuum, qui ad Iaspidis naturam opus est, vt variatus in se sit, & quasi maculosus; ita vt maculatus, siue venulosus dici possit, vt eum Abulensis vocat Exodi 28. Proprietatem hanc non exprimit Plinius, nec eam concedent, qui Iaspides esse affirmant lapillos aliquos, quibus idem omnino inuariatus est color. Ipse tamen non dubito, quin vt verus sit Iaspis, necesse sit eum aliqua varietate aspergi. Primò quia diuersæ Iaspidis species in re aliqua conuenirant oportet, siquidem omnes nomen Iaspidis comprehendit, atqui, si hanc coloris varietatem tollas, nulla inter eas affinitas reliqua sit. Secundò, Iaspides Smaragdo similes, ni varium præ se ferrent colorem, Smaragdi prorsus naturam viderentur induere, siquidem & Plinio Iaspides perspicui & perlucidi sunt. Quarè cùm diuersæ naturæ sint, eorum differentia ad maculosam illam coloris varietatem referenda videtur, atque adeò cùm dicitur Iaspis Smaragdo similis, non ita esse accipiendus, quasi viridis color ei prorsus æqualis sit, sed vt Iaspidis varietas Smaragdi colorem posset imitari. Porrò huiusmodi Iaspidem Smaragdo assimilem ait Theophrastus verum fore Smaragdum, si perfectè matuteseceret. Quod probat ex ipsa Smaragdi matrice: in qua magna est viridis coloris diuersitas, atque ita ei nomen Iaspidis quadrat.

Probatur prædicta assertio de Iaspidum colore nonnihil naturâ suâ vario.

His addo tertiò, multis lapidibus, vt Iaspides sint, nihil aliud desiderari, quàm vt variati sint sicuti Heliotropio accidit: cui licèt sanguineæ sint guttæ, vt Plinius asserit, siue puniceæ, vt Solinus: ab Iaspidis tamen natura defecit, quia viriditatem vndique æqualem habet. Eademque ratio militat in gemmis Prasio, Melochite, aliisque compluribus. Vt ergo verus detur Iaspis requiritur manifestè in ipso calore varietas. Quartò quam vim apud Hispanos obtinet hæc vox *Iaspeado*, eandem apud Latinos habet *Iaspideus*: vt videre est apud Plinium lib. 37. cap. 10. cuius ea sunt verba *Cepionides, alias vitrea, alias Crystallina alias Iaspidea.* Vbi *Iaspidea* significare non potest densas & opacas: cum Iaspides etiam translucidi sint, vt Plinius ipse fatetur. Quintò Iaspis nomen videtur esse contractum ex ἰάσεις & σπίλος: vt significetur ipsius maculas salutares esse ac medicas. nam ἰάσεις, idem est, quod *Salus*, & σπίλος, est *macula.* Facit, quòd in vestibus spilomata vocantur discolores notæ. Sextò denique Hieronymus manifestò videtur supponere Iaspidi plurimum varietatis esse. contemplatur enim in ipsius coloris varietate spiritualium gratiarum diuersitatem: *vt vniuersas*, inquit, *gratias spirituales in Ecclesia propugnaculis cognoscamus.*

1. *Difficultas contra prædictam assertionem de vario Iaspidum viridis colore: & ipsius difficultatis enodatio.*

Contra hanc tamen varietatem, quam in Iaspide requiro, opponet mihi aliquis, eam neque in Aerizusa, neque in Cyano reperiri: quæ tamen inter Iaspides connumerantur. Respondeo necessarium mihi videri, vt Aerizusa varietatem etiam in se habeat. Nam Plinius eam inter Iaspides refert. Nec teneor ipse ad credendum, hoc significari nomine, quam vulgari idiomate *Turquesam* appellamus. Cyanum esse Iaspidis speciem non ita constat, quin imo iis verbis *reddetur & per se Cyanos*, insinuat Plinius, se de Cyano secus agere velle; vtpote qui Iaspis non sit, licet à nonnullis Iaspis nuncupetur: in quo tamen variæ reperiuntur lectiones.

2. *Difficultas enodatur.*

Obijciet aliquis secundò Georgij Agricolæ opinionem, in eo scilicet omnes Iaspides consentire, quòd coagulati lapides siue opaci sint. Quanuis enim dixerit Plinius, *sæpè transluceat*: ait tamen Georgius, *sæpius non transluceat*: atque in hoc eum distinguit à gemmis perspicuis, quarum speciem gerit: vt Iaspidem viridem à Smaragdo, purpureum ab Amethysto, cæruleum à Cyano, Sardæ similem ab ipsa Sarda. Sic ille. Sed meo iudicio manifestè opponitur Plinio. Nam verba illa, *sæpè transluceat*, euidenter ostendunt, Iaspidis naturam non in eo consistere, quòd translucida gẽma non sit. Quid, quòd alij etiam lapilli non perspicui reperiuntur?

Iaspidis antiquitas maxima.

Alia Iaspidis qualitas est, eam gemmarum esse antiquissimam. Primò, de viridi Iaspide Plinius ait: *etiamsi victa à multis, antiquitatis tamen gloriam retinet.* Quod si pro multis pluſquàm duas intelligamus, vt communi acceptatione hæc vox, vsurpari solet, non solùm significabit, inter Iaspidum species: sed etiam inter alias generatim gemmas viridem Iaspidem antiquissimum esse. Et licet comparatio inter Iaspides solum accipi deberet verisimile valde est, Iaspidum antiquissimo gloriam item antiquitatis inter ceteras gemmas deferri. Quippe ferè omnes gemmas ita abstrusit & occultauit natura, vt ad eas indagandas & eruendas multo labore atq; industria opus sit. At Iaspidem in ipsa terræ superficie intuentur & agnoscunt, quicunque vel mediocrem ipsius cognitionem fuerunt assequuti. Et absque vlla terræ fossione in Hispania ad Escurialem delatum est, quidquid Iaspidis opus fuit ad insignis tabernaculi structuram. Quin imò in Mariano monte agnoscunt gemmularij multa pretiosi Iaspidis fragmenta. Vnde nulla ferè est in eo cognoscendo difficultas, sed in eo leuigando ac perpoliendo, quem laborem vt subterfugiant, ijdem ipsi, qui Iaspidem agnoscunt, intactũ prætermittunt. Demum hac gemmâ nos natura ipsa allicere & inuitare videtur; dum eam non in terrę viscera abdit, sed in summa tellure expositam omnibus offert. Quapropter generatim loquendo hæc fuisse videtur prima gemma, quam fortasis offenderunt primi illi, qui in gemmarum inquisitionem se impendere voluerunt, vt ex eis annulos conficerent. Nam Iaspidis antiquitas in eo videtur fundari, quod reliquis

Iaspis cognitu & inuentu facilis.

Digitized by Google

sit apertior & inuentu facilior: non iam apud eos, qui eiusmodi gemmas diuendunt, sed in ipsa etiam terra pluribus in locis. Quare Magnus Albertus ait: *in multis partibus inuenitur.*

Vim ad phantasmata abigẽdo illi Iaspidi esse impriimis propriam, qui grammatias dicitur.

Sed vt de multiplici Iaspidis virtute natiua singillatim agamus: inter alias celeberrima est, quæ illi attribuitur ad veneficia & phantasmata abigenda: qua de re suprà iam dixi, quid graues Scriptores memoriæ prodant, & quo niti fundamento potuerint: & hanc esse peculiarem Iaspidis viridis virtutem, illius præsertim, qui grammatias appellatur: quamuis vniuersè Iaspides omnes dicerentur amuleta. Pro hac Iaspidis vel virtute, vel de virtute saltem ipsius opinione facit, quòd in ea niti videatur sacra fictio de cælestis Hierosolymæ muris, qui ex Iaspide describuntur. Id quod Apocalypsis ex Isaia desumpsit, vt vidimus cap. 21.18.

Iaspidis virtus ad sanguinis fluxum sistendum.

Altera est Iaspidis virtus, vt sanguineum fluxum sistat: & fœminarum præsertim menstrua cohibeat. Ita obseruauit albertus Magnus, quem hac in parte recentiores omnes sequuntur affirmat autem, id pluribus experimentis fuisse compertum. Et quidem experientiam hac de re Cordubæ fuisse factam pro certo accepi per annulum quendam ex viridi Iaspide sanguineis notis dispersо, nec valde videntur aberrare, qui suspicãtur natiuas has sanginum notas fortassis à Deo huic lapidi fuisse impressas, vt peculiarem sistendi sanguinem vim color ipse præ se ferret.

A

B

Iaspis contra luxuriã vtilis.

Huic secundæ virtuti potest alia adiungi, quam refert Albertus his verbis. *Aiunt, quod gestantem, à luxuria prohibet.* Verisimile namque est, qui lapis sanguineum reprimit fluxum, eundem etiam reprimere venerem.

Iaspis gemma ad sigillorum vsum perapta.

Alias virtutes, quæ referuntur, consultò prætermitto; quod illæ neque antiquitatis prærogatiuâ, nec experientiâ nitantur. Illud tamen ex Plinio omittendum non censui: nimirum Iaspides ad sigillorum vsum esse aptissimos: ait enim, *Nec diuersa ab ijs Sphragida publico gemmarum domitio eis data: quoniam optimè signent.* Idem etiam tradit, pretiosiores Iaspides non spergere extra se fulgorem, sed in se continere. Et quamuis asserat Albertus, proprium Iaspidis ornatum & quasi amictum fieri ex argento: Plinius tamen eis aurum tradit; ita tamen vt incluſus lapis vtroque ex latere discerni possit: *Præstantiores* (inquit) *fundâ clauduntur patentes, nec præterquàm margine auro amplectente.* Qua in re illud imprimis spectabatur, vt lapidis ipsius virtus immediato ipsius contactu percipi melius ac sentiri posset. Demum illud pro colophone addam: ad hanc scribendam notationem plures mihi Iaspides videre contigisse. Et singillatim fui non parum oblectatus aspectu duplicis crucis Iaspideæ, quas habet templum maximum Cordubense: alteram ex viride Iaspide albâ lineâ distincto, qui grammatias vocatur: alteram ex roseo Iaspide.

NOTATIO VII.

Vbi primus Apostolici Symboli articulus cum prima gemma componitur.

Primus Symboli articulus eiusq; ad Iaspidem symbolum applicatio.

PRimi articuli verba sunt: *Credo in deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ.* Verba verò Apocalypseos hæc: *Fundamentum primum, Iaspis.* Veritas primi articuli perspicuè affirmat vnicum esse Deum: qui scilicet suâ infinitâ potentiâ mundum vniuersum architectatus est. Et quamuis nomen Patris Sanctissimæ Triados personam indicet, cui Creationis opus per attributionem adscribitur: ceterùm non hîc videtur ad personarum distinctionis mysterium explicandum deueniri; donec posteà dicitur æternus Pater Filium sibi consubstantialem habere. Interim Patris nomen Deo deferri videtur ratione creationis: siue quod suam naturam & substantiam à nullo alio accipiat. quorum vtrumque satis percipitur priùs quàm ad Trinitatis mysterij explicationem perueniatur. Infideles enim, qui personarum denegant Trinitatem, non inficiantur Deum à nullo alio suum esse recipere; sed fontem potiùs esse, à quo res omnes creatæ, quòd sint, quòd vigeant accipiunt: In primo igitur articulo illud stabilire sit satis; nimirum illam fictorum Deorum turbam, quàm Ethnici à fidei lumine aberrantes commenti sunt, neutiquam dari: sed vnum esse Deum omnipotentem, qui rerum omnium vniuersitatem condidit, & semper moderatur ac flectit. Hæc veritas iure optimo inter omnes Symboli prima est: quippe quæ ceteris articulis necessariò præstituenda. Atque hæc etiam veritas puros ac defæcatos exigit mores, & iis hominibus dignos, qui cultu ac veneratione prosequuntur, non impuram Venerem, lasciuum Cupidinem: sed totius mundi opificem & architectum: cuius leges & instituta pura & incorrupta sunt.

C

Quàm aptè Iaspis ad primum fidei articulus applicetur.

Pro huius veritatis symbolo nulla potuit alia inter gemmas vsurpari aptior, quàm Iaspis. Verum memoriam hic oportet refricare earum rerum, quas in superiore notatione examinauimus: nimirum quam gemmam in præsenti denotet Iaspidis nomen; quæ sint eius proprietates ac virtutes. Deinde tria sese offerunt in hoc primo articulo valde insignia, quæ in eius figura siue symbolo adumbrari opus erat. Primùm, quòd primus inter ceteros articulos. Alterùm quòd idololatriis omnibus & fictis Deorum superstitionibus opponatur. Tertium, quòd puros & candidos mores exigat; quales decent eiusmodi gentem, quæ totius mundi conditorem adorat.

Tria in primo articulo Symboli cõsiderãda, quæ omnia in Iaspide per ordinem ostendũtur figurata.

Quòd ergo hic articulus inter ceteras Symboli veritates prima sit, vt suprà diximus, fuit maximè expediens. Quamvis enim aliæ sint veritates, quæ profundiorem præferant Theologiam: nulla tamen reperitur, quæ ita necessariò, vt hæc, ceteris omnibus articulis & veritatibus debeat præmitti. Vnde & ceteris antiquior est, & ipsius cognitio tanti momenti semper extitit, vt minimè decuerit, eam abditam & occultam esse. ac propterea Deus illam antiquis Philosophis & iis omnibus, qui in meridiana luce cecutire, noluerunt, propalam ostendit. Satis namque est vel mediocri mentis facultate esse præditum ad perspicuam & manifestam huius Philosophiæ cognitionẽ. Quæ igitur gemma ad huius rei significationem posset elegantiùs vno Iaspide aptari? de quo, vt supra vidimus, ita Plinius: *Etiam si victus à multis antiquitatis tamen gloriam retinet.* Quasi dicat: alias quidem gemmas maioris æstimationis reperiri: antiquitate ceteris Iaspidem antecedere. Ratio verò est: quia reliquas natura abdidit & occultauit: Iaspidem in ipsa terræ superficie omnium ferè oculis obiecit. nec difficile est illum reperire: sed leuem ac tersum reddere. quod laboris ne suscipiant, multi ex iis ipsis, qui illum probè norunt, derelinquunt. Quid, quæso, aptius ad eam Pauli sententiam Rom.1,9, *Quod notum est Dei, manifestũ est illis. Deus enim manifestauit: ita vt sint excusabiles; qui cùm Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt.* Nonne Iaspidẽ perpolire ac tergere quodammodo ipsum glorificare est? Verùm non ita se gesserunt Philosophi, de quibus loquitur Paulus. Tamesi enim naturalis ipsa Philosophia hanc eis veritatem reddit conspicuam, & quasi in terræ superficie exposuit, ipsi tamen laborem & deprauatæ voluntatis cohibitionem subterfugientes veritatem hanc derelictui habuerunt.

D

Primum, quòd ad antiquitatẽ attinet, in Iaspide figuratũ.

Deinde hæc eadem veritas continet Creatoris omnipotentiam: cuius opera sunt creaturæ omnes variæ atque multiplices, quæ in tota rerum vniuersitate reperiuntur. Hoc autem egregiè repræsentat mira ac iucunda Iaspidei coloris varietas. Namque vt optima colorum distributio in tabula apprimè depicta ostendit pictoris ipsius peritiam & artificium: ita colorum varietas, quos Deus huic lapillo asperſit, indicat non obscure naturæ conditoris sapientiam ac potestatem.

Alterũ, de repugnantia cum idololatriis, in Iaspide item adumbratum.

Iam, ad eam significandam repugnantiam & oppositionem, quæ articulo cum omni Idololatriæ & impia superstitione inest nullum potuit excogitari symbolum.

Digitized by Google

bolum magis appositum, quàm ea gemma, quæ aduersus veneficia omnia atque phantasmata, pro præsentissimo amuleto habebatur. Id quod ex Dioscoride, Plinio, atque Hyeronymo retulimus. Quid ergo idola sunt, nisi quædam phantasmata & inania spectra? Quidve falsis præstigiis ac veneficiis repugnantius, quam huius articuli veritas? Præsertim cùm veneficiorum illud sit maximum & perniciosissimum, hominem scilicet idololatriæ miserè subiici, & *à diabolo teneri captiuum ad ipsius Diaboli voluntatem*: vt loquitur Paulus 2. Timoth. 2. 26. Quapropter si primi articuli veritas nobis proponit defensionem ac patrocinium, quod in rerum omnium conditore habemus, qui creatores suas tueri atque defendere potis est: sanè quàm eleganter huic significationi deseruit vetus opinio, quod Iaspis sit mirifica tutela gestantibus. Quam ad rem non requiritur necessariò, vti verum sit Iaspidem esse tutelam: satis enim est, eiusmodi opinionem in vulgus olim dimanasse. Quo alluſit Isaias cap. 54. 12. *Ponam* (inquit) *Iaspidem propugnacula tua.* Vnde & in Apocalypsi, muri structura ex Iaspide efficta est. Atqui manifestum est, muros, & propugnacula esse vrbis ipsius defensionem; atque adeò illa fingi Iaspidea, perinde esse; quasi ciuitas ab omni hostili incursione sit tutissima, vtpotè quàm ipsius Creatoris potentia muniat & sepiat: ita vt nec Dæmon, nec mors, nec infernus, nec quilibet alius hostis eam capere, aut expugnare possit. Porrò ad huiusmodi symbolorum rationem, dixisse me aliàs memini, non esse opus, vt symbolica ipsa significatio in vera aliqua naturæ proprietate fulciatur: cùm satis ad eam rem sit communis orbis opinio. Et quidem alluſio ad eam opinionem quantumuis falsam plurimum in se continet elegantiæ: perinde namque est, ac si dicatur ea virtus protegendi, & ab omni phantasmate ac demum machinatione tutandi in Iaspide mystico vera ac perfecta reperiri.

Iaspidem esse tutelam gestantibus quid mystici innuat.

Prætereà vbi supremi Conditoris potentia cognoscatur: ipsius etiam innotescit prouidentia, *& quia* A *remunerator est*; id est iustis & iniustis, pro cuiusque operibus Deum præmia seu supplicia redditurum. Ad hoc autem fortasse conducit coniunctio viridis coloris cum sanguineis maculis, quæ in prætiosissimis Iaspidibus esse solet. Nam viridis color spem innuit: sanguineus comminationem.

Coniunctio tò horis viridis cũ sanguineis notis in Iaspide quid innuat.

Ac demum ad figurandam eam vim, quam prima hæc Symboli veritas obtinet (si dignè vt par est, accipiatur) vt mores integros ac puros ingerat atque conseruet: apposita est virtus illa admirabilis Iaspidi insita sistendi sanguinis fluxum: qui referri frequenter solet ad vitæ impuræ & inquinatæ significationem: iuxta illud Isaiæ 64. 6. *Facti sumus, vt immundus, omnes nos, & quasi pannus menstruatæ omnes iustitiæ nostræ.* Et Esther 14. 16. *Tu scis, quòd detester illud, quasi pannum menstruatæ.* Cum hac proprietate possem alias coniungere quas Iaspidi tribuunt Beda, Vincentius, Bercorius & Rueus; nempe venereorum petulantem appetentiam retundere, oculos purgare & illuminare, & illorum aciem reficere. Verum non opus est, aut parum antiqua, aut minùs B certa virtutibus prædictis adiicere.

Tertiũ de partibus moribus in primo articulo requisitum quomodo in Iaspide figuretur.

Alia insuper virtutes ac facultates Iaspidi à multis assignata.

Linea alba Iaspidis apud Orientales insignis, qui vocatur grammatias, applicari congruenter potest ad eandem significationem puræ & illæsæ vitæ; quam postulat debita Creatori mundi adoratio: aut fortè aptè accommodabitur ad lætitię atque triumphi significationem. Hæc enim veritas de omni idololatria triumphat. Quod si aliquis exoptet vt in primi articuli Symbolo nonnihil subdit, quod conferat ad significationem dignitatis primæ personæ diuinæ, quæ est Pater: fortè hoc adumbratur in Iaspidis gemmarum primæ antiquitate. Quanvis enim æternus Pater non sit tempore prior: est tamen origine, vt loquuntur Theologi. id quod non aliter potuit vtcumque significari, quàm gemmam aliquo modo primam huic veritati aptando. Existimo tamen magis esse consentànem, ne in his primis Symboli Apostolici verbis applicationem nimis exiliter ad calculos reuocemus, vt initio huius notationis obseruauimus.

Dignitas prima personæ diuinæ, id est, Patris, quæ primo articulo prædicatur, quomodo adumbretur in Iaspide.

NOTATIO VIII.

Quæ sit ea gemma, quam Scriptura appellat Sapphirum.

Sapphirus quænam gemma sit

NOnnemo existimauit, Sapphiri nomen impropriè in sacris Literis vsurpari, & eo nomine fortasse significari vel crystallum, vel Adamantem, vel purpuream gemmam. Verùm ex iis, quæ notatione quarta & quinta diximus satis refellitur, quæcunque opinio pro Sapphiro in sacris Literis gemmam aliam accipiat ab ea, quam Græci & Latini veteres Sapphirum compellabunt. Et sanè præter illa, quæ in duabus illis notationibus genetatim disputauimus: pro Sapphiro peculiaris militat ratio, ne dubitemus Sapphirum Theophrasti ac Plinij esse eundem cum Scripturæ Sapphiro, Nam idem est nomen Hebraicè, Græcè & Latinè: & (quod maius est) ipsius color est in sacris expressus, Exodi 24. 10. *Quasi opus lapidis Sapphirini: & quasi calum cùm serenum est.* Necesse est igitur, Sapphirum esse gemmam cæruleam, & sereni cæli colorem referre.

Quam gemmã Græci & Latini Sapphirum vocent.

Altera est quæstio, cuiusmodi sit gemma, quam Græci & Latini Sapphirum vocabant. Quæ enim Plinius de Sapphiro signa & indicia tradit, non videntur iis congruere lapidibus, qui hodiè Sapphiri vulgò dicuntur. Etenim appellationem hanc nunc tribuit vulgus gemmis cærulæis pellucidis: & nonnulli adeò certum esse reputant, nullam in Sapphiri nomen mutationem fuisse inuectam: vt temerè Plinium sugillent, quòd signa ab eo assignata Sapphiro non iis quadrent, qui hac tempestate vulgò Sapphiri nomen sortiuntur. Certè Mathiolus in commentario Dioscoridis lib. 5. cap. 114. suspicatur errasse Plinium, quòd lapidem Lazuli pro Sapphiro acceperit. Mathiolum refert, & sequitur Forerius, Isaię 54. Dalecampius verò lib. 37. c. 9. non suspicatur modò, sed etiam miratur: *Satis* (ait) *mirari nõ possum, Plinium tam puerilitèr errasse, cùm de Sapphiris ea scribat, quæ de Cyano audienda sunt nimirum quod non pellucat: & aureis punctis conspergitur.*

Plinius in Sapphiri gemmæ natura desiguanda temerè à nonnullis sugillatur.

Ceterùm, si rem accuratè expendamus: imprudenC ter existimatur Plinius Sapphirum non agnouisse. quòd diuersa illi signa attribuat ab iis, quæ in nostro Sapphiro conspicimus. Nam ad propriam & germanam Latinæ vocis siue Græcæ significationem refutandam, ridiculum est recentiorum vsum antiquis veterum scriptorum iudiciis opponere. De Plinij auctoritate dixi iam notatione 4. Nunc illud addo, in huius gemmæ signis præscribendis nullum ex illius temporis antiqui scriptoribus à Plinio dissentire; nec verò coniecturam esse aliquam, quę illi possit opponi. Quare ipsum sequamur necesse est: adhibito præsertim earum confirmationum momento, quas mox subiiciemus. Enim verò non deest, qui ad hæc respondeat, Plinij auctoritate non reiecta, sed retenta, adhuc posse ipsius verba ita accipi & explicari, vt hæc ipsa species gemmarum, quas hodie Sapphiros nominamus, eadem sit cum Pliniani Sapphiri specie.

Plinius ab aliis iuxta antiquum calumnia affectus.

Qua de re certum fieri iudicium possit, ad Plinij indicia atque vestigia de Sapphiro prodita deueniD mus. Primum est; *Sapphirus aureis punctis collucet*. Hoc tamen eludere conantur nonulli asserentes non eam esse Plinij mentem, vt Sapphiro aurea puncta semper esse infixa velit; sed ipsum aureis micare punctis: sicuti aliquando gemma Cyanos aureo puluisculo internitet. adduntque vocem *aliquando*, quæ altero in loco exprimitur in altero etiam prudenter nec valde violenter subaudire posse aiunt ergo, non omnibus Sapphiris aurea fuisse puncta, sed nonnullis: quemadmodum visus est aliquando Smaragdus auro leuiter adspersus.

Sapphiri signa atque indicia à Plinio tradita.

Nihilominus quamuis Plinij verba non cogant, nequando possit Sapphirus absque aureis punctis reperiri; ex ipsis tamen colligitur præcipuos Sapphiros & maiori in pretio habitos aureis ferè punctis fuisse inscriptos. Non aliter; quam qui hac tempestate de

Nam Sapphirus aureis punctis collucet.

lapide

Digitized by Google

lapide Lazulo agunt, inter ipsius signa aurum annumerant: absque illo enim vulgares valdè & minoris pretij reputantur: vt tradit Mathiolus lib. 5. cap. 70. Atque vt egregios Sapphiros auro constare debuisse planum fiat, sunt duo alij insuper Plinij loci satis perspicui: alter lib. 33. cap. 4. vbi de auro verba faciens, *Quod puteis* (inquit) *foditur, canalitium vocant, marmoris glarea inhærens: non illo modo quo in Oriente Saphiro & lapide Thebaico, aliisque gemmis scintillat. sed micas amplexum marmoris.* De lapide autem Thebaico ait lib. 36. cap. 8. esse *interstinctum aureis guttis.* Locus alter habetur lib. 37. cap. 10. vbi loquitur de quadam Agathæ specie, quam vocat Coralloachatem additque *guttis aureis Sapphiri modo distincta.* Ex his Plinij locis manifestum est, proprium ac celebre significatum antiquæ vocis *Sapphirus* pro illo supponi, qui aureis punctis erat distinctus. Atque vt superiùs dicebamus absolutè loquendo congruenter dici Iaspidem esse viridem: ita etiam ait Plinius proprium & germanum Sapphirum aureis constare punctis. Excellentia fortassis in Sapphiro præstitit, quod antiquitas in Iaspidis nomine. Et saltem in Scripturæ Sapphiro haberi debet respectus ad Sapphirum Orientalem: cùm Ierosolyma fuerit vrbium Orientis longe clarissima: cumque omnes ferè huiusmodi gemmæ duodecim ex Pontificis Rationali mutuatæ sint, vt diximus notatione quinta.

Pars affirmãs de aureis Sapphiri punctis vt vera. seligitur, & Plinij sententia probatur.

Roboratur superior assertio Theophrasti testimonio, & aliorum.

Quòd de Sapphiri auro tradidimus confirmatur adhuc ex iis, quæ Dalecampius ex Theophrasto refert, qui eum expressè nuncupat χρυσόπαςον, quod idem est, ac auro distinctus. Propterea Dionysius de situ orbis versu 1105. ait, *Aureaque, cæruleaque pulchrum lapidem Sapphiri*, vbi vides pulchritudinem in eo poni, quod simul aureus atque cæruleus. Et Isidorus vniversè affirmat: *Sapphirus aureis punctis collucet.* De Hieronymo vidimus iam se ad Plinium referre in harum gemmarum signis præscribendis. Deinde affirmat Sapphirum cæli speciem præ se ferre: & in eo figurari hominem, qui eo conscendit, & cælo similis factus solem suis pedibus suppositum intuetur. Hoc asserit Hieronymus, quia sydera Sole altiora sunt. Idem sequitur Theodoretus Cant. 5. ex Psello in id; *Distinctus Sapphiris. Solis hic lapis* (ait Theodoretus) *cæli speciem & similitudinem obtinet.* Si autem cæruleum duntaxat colorem attenderet: neutiquam assereret solo Sapphiro cæli imitationem inesse. Vnde cæli speciei nomine intelligit stellati Olympi pulchritudinem. His consonat Etymologia, quam Hieronymus tradit de nomine Saphir; *Saphir* (inquit) *Hebræo Syroque sermone pulchra dicitur.* Et adiungit ad Samariæ pulchritudinem significandam, eam appellari solitam *Saphir*. In quo apparet per huiusmodi nomen à priscis illis intelligi aureorum punctorum distinctionem, & ornatum ad cælestium stellarum similitudinem. In hac Hieronymi etymologia de nomine סַפִּיר (*Saphir*) existimauit fortasse sanctus Doctor. ס (*Samech*) poni pro ש (*Sin*) ita vt radix fit שפר, *Saphar*; quod est pulchrum esse. Sed non est inepta etymologia à ספר. cum ס, quod significat numerum aut rationem propter stellarum, quæ in eo visuntur numerum.

Hieronymus auctoritate idem comprobatur.

Præterea hæc stellati cæli imitatio illustratur eo discrimine quod Plinius assignat inter aurum quod cernitur in gemma Cyano, & quod in Sapphiro (quantus ea sanctum Isidorum præterierit) Cyani aurum ait Plinius esse instar pulueris: aurum verò Sapphiri esse puncta notabilia atque distincta. Et capite decimo ea appellat aureas guttas. & lib. 33. cap. 4. aduertit non esse venas, sed scintillas. Vnde Plinianæ phrases, dum de Sapphiro incidit sermo, huiusmodi sunt: *Aureis punctis collucet: aureis punctis distinguitur: auro scintillat.* Aureus igitur Cyani puluis stellarum pulchritudinem & imitationem non attingit: illis enim cælum pulchra varietate distinguitur, & gratissimo splendore illustratur: venæ item aureæ diuersam figuram præ se ferunt. Quare vt Sapphirus mirifica esset cæli effigies, opus fuit quidquid de ilo Plinius affirmat: nimirum, vt ipsius aurum sit non puluis aut venæ: sed scintillæ in cæruleo spatio intermicantes.

Sed ad ipsum colorem iam perueniamus *Cæruleæ Sapphiri* (ait Plinius) *raroque cum purpura*. Et quidem de ipsius colore cæruleo conuenit inter omnes. Ita expressè docet Nyssenus oratione 14. in Cant. At circa verba illa, *raroque cum purpura*. aduertit Dalecampius ad Plinij marginem, in veteri manuscripto desiderari vocem *rarò*; & legi, *Sapphirorum, quæ cum purpura optima apud Medos*. Ceterùm aut communis lectio certa est, aut Mediæ Sapphiri ex præcipuis non erant. Nam mox Plinius addit: *quæ sunt cyanei coloris, mares existimantur*. Atqui Cyanum antea cæruleum effecerat absque vllo vel leuissimo purpuræ vestigio. Videtur ergo iuxta Plinij mentem, non esse insignis qualitas Sapphiri, sed defectus potiùs, quòd in violaceum colorem vergat. Id quod roboratur ex eo, quod sacræ Literæ tradunt Exodi vigesimo quarto decimo. *Quasis opus lapidis Sapphirini: & quasi cælum, cum serenum est.* Quibus ex verbis ferè colligunt interpretes, perfectum Sapphiri colorem esse cæruleum ad sereni cæli similitudinem, qua cæruleus color perfectior patescit, sicut aliquando inter diducta nubila ostendi solet. Perfectus verò cæli color cæruleus nullam offert purpurei similitudinem: sed exactissimam speciem cærulei purissimi vltra marini, cuiusmodi confici solet ex optimo lapide Lazulo: vt testantur Albertus Magnus de mineralibus cap. 19. Mathiolus lib. 5. c. 66.

Qualis sit proprius Sapphiri color.

Perfectus Sapphiri color, cæruleus.

Ex dictis elicitur illum planè decipi, qui cum Isidoro diceret, *cæruleus est cum purpura*, vbi omnino desideratur aduerbium illud *raroque*. Constat enim Isidorum id ex Plinio transferre voluisse. Diuersa multò est Alberti Magni mens in suo Sapphiro: non enim illi aurum tribuit: sed ait: *Optimus, qui nubes habet obscuras ad rubedinem declinantes*. Veruntamen vt Scripturæ Sapphirum dignoscere possimus, cum bona recentiorum venià antiquos scriptores sequamur necesse est. Eandem ob rem nihil est, cur nos Abulensis opinio remoretur, nempe Sapphirum esse gemmam cæruleam, & habere in medio stellam refulgentem. Sed hoc nullo antiquitatis momento fulcitur.

Isidori verba de Sapphiro quomodo corrigenda.

Nunc illud discutiamus oportet: num Scripturæ Sapphirus sit densus & opacus; an verò perspicuus & pellucidus? Communis Plinij lectio est *Optima apud Medos, nusquam tamen pellucida*. Sed inter varias lectiones adscribit Dalecampius vnam cuiusdam manuscripti sic habentis, *Nusquam enim sic pellucida*. Nonnulli ergo satis esse putant hanc correctionem, vt hoc in quæstionem vocetur. Et iuxta illam asserunt, optimam esse Plinij rationem, vt Medorum Sapphiros propterea ceterorum omnium asserat esse optimos: quod nullibi ita clari & perspicui reperiantur. His addent ad pulchritudinem à Hieronymo in Sapphiris commendatam requiri, ne sint opaci.

Verbum Scripturæ Sapphirus densus sit & opacus; an perspicuus & pellucidus? Esse opacum cum Plinio asseueratur, & inde probatur.

Verùm enim verò antiqua Plinij lectio pro certa & germana est habenda: idque multis de causis. Primò quia alterius lectionis nulla alia ad nos notitia dimanauit præter eam, quàm Dalecampius tradit. qui cum eam nihili faciat, quanuis ipsius faueat opinioni de antiquo Sapphiro, argumento est, eam ex libro autentico non fuisse petitam. Si ipse existimaret illius lectionis rationem esse habendam: nequaquam diceret mirari se ignorantiam Plinij, qui densum putaret Sapphirum. Videtur ergo nonnemo, vt Plinij verba ad hodiernum Sapphirum vulgarem detorqueret, textum pro libito immutasse. Ceterùm meliorum codicum consensione perspectâ, coactus fuit Dalecampius suum deserere votum; & Plinium potiùs carpere, quàm scriptores tot, tamque veterum originalium, quos præ oculis habebat.

Vetus Plinij lectio de Sapphiro defenditur.

Secundò, ad communem lectionem fulciendam magni momenti est auctoritas Isidori illam sequentis libro decimo cap. 9. Nec enim fidem solùm facit, eum in Plinio ita legisse, vt nos legimus: verum etiam Sapphirum ipsius Isidori tempore pro densa & opaca gemma reputari. Tertiò, quicunque Plinij verba referunt, ad Isidori sententiam se conformant: vt Vincentius, Rueus, Mathiolus, & Forerius. Quartò, esto, Sapphirus gemma non esset opaca: saltem pro optimo habendus esset, cuius cæruleus color perfectior

Isidorum atque alios hac in re pro Plinio esse.

foret.

Digitized by Google

soret. nam inter gemmas illæ vocantur mares, quarum, colores magis acres ac virides sunt. aitque Plinius; *quæ sunt cyanei coloris maris existimantur*. Quòd cùm ita sit quînam diceret Plinius meliores esse, quæmagis perspicuæ sunt: cùm inter Sapphirinas gemmas plus transluceant illæ, quibus cærulæi coloris minus est? Quintò, vbi ad Hyacinthum ventum erit, constabit: quicunque hodie vulgò Sapphiri vocantur. si antiquis scriptoribus standum sit; sub Hiacynthi nomine comprehendi. Fruſtra ergo desudat, qui recentes nostri temporis Sapphiros inter antiquos contendit numerari debere. Nec dignabuntur antiqui Hyacinthi, Sapphiri nomen sibi dari, cùm nobilior sit Hyacinthi appellatio.

Sextò, si Sapphiri essent translucidi; & quo clariores, eò nobiliores: certè discrimen inter Hyacinthos atque Sapphiros valde esset exiguum: & quod percipi vix, ac ne vix quidem posset. Hoc ergo qua ratione consentire potest cum iis, quæ Plinius & Hieronymus scribunt? Quis nesciat, Hyacinthum Amethysto, quàm Sapphiro affiniorem à Plinio constitui. Cùm nihilominus Plinius ipse asserat, *multum ab Amethysto distat Hyacinthus*. Quo etiam pacto miraretur iure Hieronymus, inter Rationalis gemmas nullum supereſſe Hyacintho locum; si adeò veterem referret Sapphirum, vt vix alia in re, quàm in auri sciutillis ab eo distingueretur: si fortè Smaragdus notis aureis distinctus inueniretur; quorsum alio vulgari opus esset? *Satis miror* (ait Hieronymus ipse in Epistola ad Fabiolam) *cur Hyacinthus lapis pretiosissimus horum in numero non ponatur*. Ex quo constat inter Hyacinthum & Sapphirum insigne reperiri discrimen.

Sapphirus inutilis sculpturæ, ex Plinio.

Septimò, optimis Sapphiri recentiores (i) nempe, qui vulgariter Sapphiri appellantur,) ex duriorum gemmarum numero sunt. non tamen de illis dicere posset Plinius, quod de Sapphiris tradit: *inutiles Sculpturæ interuenientibus crystallinus centris*. Nam durities nostrorum Sapphirorum vndique est æquabilis, & multò maior, quàm crystallini centri durities. quod in aliis lapidibus ostenditur: qui tamen ad sculpturam non inutiles, sed difficiles sunt. Nec difficultas in eo est, quod centrum vocatur, sed in ipsamet duritie, quam æqualiter habent. Hæc ergo Plinij videntur requirere, vt de lapide aliquo intelligantur, denso quidem & nonnihil molli, inæquali tamen propter centra, quæ in eo innasci solent, ac proinde inutili, vt aliqua inibi figura insculpi valeat. Nec tamen propterea existimandum est, nihil in eo polituræ percipi posse. Aliud namque est lapidem insculpere, aliud perpolire.

Qui tandem fit Sapphirus ab Scriptura & Plinio usurpatus, ex dictis hactenus elicitur.

Ex dictis reliquum fieri videtur, Scripturæ & Plinij Sapphirum esse speciem quandam illius, qui vulgò nunc appellatur lapis Lazuli, id est, qui nec venas nec aureum puluerem, sed scintillas seu guttas ex auro in cærulea planicie habet: atque adeò iuxta antiquorum vsum nobiliorem esse, quæ cæli sereni colorem absque vlla violacei mistione magis refert. Galeni autem & Dioscoridis Sapphirum non est, cur à Plinij Sapphiro diuersum esse reputemus. illi enim hanc gemmam non describunt: nec alia ipsius signa & indicia habemus, præter ea quæ tradit Plinius.

Sed dicitur quispiam, quas Sapphiro virtutes Galenus & Dioscorides attribuunt, in nostro vulgari Sapphiro, non in lapide Lazuli reperiri. Verum vtinam experientiæ ipsæ ita essent perspicuę, vt firmum ex ipsis argumentum peti posset. Vereor tamen, hisce in rebus non tam experimento ipso, quàm aliorum fide nos duci; & perpaucos esse, qui nostrum Sapphirum in puluerem redactum potauerint. Quæ à Galeno & Dioscoride virtutes adscribuntur Sapphiro, huiusmodi sunt: *Percussis à Scorpione haustum prodesse, & contra intestinas exulcerationes bibi, & ruptas membranas cogere: & excrescentia in oculis & pustulas inhibere.*

Naturales Sapphiri virtutes quæ sint.

Vulgarem nostrum Sapphirum cordi mederi non dubito, vt in Hyacintho videbimus: sed similiter est lapis Lazuli. Et Albertus Magnus lib. 2. de mineralibus hæc de illo prodit: *certissimè valet sumptus contra melancholiam & quartanam & humores melancholicos*. Non me latet, quod Mathiolus lib. 5. cap. 66. ex Auicenna refert, videlicet illum esse putrefacientis facultatis: sed refert pariter experimento constare, quòd si benè abluatur, parum lædit, & multum iuuat ad atram bilem deiiciendam.

Postremò, vt credamus Dioscoridem & Galenum Sapphiri nomine eundem intelligere, quem Theophrastus, & Plinius, ceterique antiqui scriptores accipiunt: non alio opus est argumento, quàm oppositum non satis probari. Atque vtinam horum effectuum probatio experientiâ ipsâ constaret: verum hactenus exploratè cognita non est, sed quamuis euidens esset, vulgari Sapphiro eas congruere proprietates, quas Galenus & Dioscorides suo Sapphiro tribuunt: non adhuc inde aptè probaretur, eos de hac gemmæ specie loqui. Constat enim pariter veteri Hyacintho virtutes non absimiles ab antiquis scriptoribus adscribi. Vaurem suo loco planum faciam: vulgaris noster Sapphirus apud Plinium & antiquos scriptores Hyacinthus est.

Quæ sit difficultas dijudicanda discrimen ad veteri Sapphirum dignoscendum ab eo, quem hodie vulgus Sapphirum vocat.

Porrò, quòd noui scriptores Sapphiri nomen adeò dirersè ab antiquis acceperint confusionem fortasse pariet in iis, quæ de ipsius natura traduntur: nisi aduerterimus, quæ Sapphiro proprietates veterum auctoritate tribuuntur, ad antiquum Sapphirum spectare: quas verò recentiores denuo addunt, esse vulgaris Sapphiri peculiares: qui vt iam diximus, & infe riùs probabimus, est Plinio & priscis auctoribus Hyacinthus.

Sapphirus quanta fuerit apud veteres veneratione.

Hoc cum ita sit de pristino Sapphiro debet accipi, quod Pierius tradit libro 41. *Sapphirus* (ait) *apud veteres magna semper in veneratione fuit: siquidem per eum imperium & summum Sacerdotium significari manifestum est*. Quod idcirco fortè Pierius autumat: quia Sapphirus eos fælices reddit ac fortunatos, qui huiusmodi dignitates ambiunt. quod tamen non videtur verisimile. Cum Pierio consentit Rueus, qui asserit, *Supremam olim Sapphirum apud homines auctoritatem habuisse, & apud Dios gratiam, ipsa perhibet antiquitas*. Qui etiam subiicit, Sapphirum adeò Diis gratum dici solitum. vt tunc illis iucundum & acceptum esset sacrificium, quando offerebatur in Sapphiro; atque Philosophorum etiam fuisse mentem, hanc gemmam inter ceteras regibus ac pontificibus conuenire. Sic ille. Hinc tamen ipse infero, Sapphirum non eam esse gemmam, cui hoc nomen vulgò imponitur, sed speciem lapidis Lazuli: quandoquidem in ea sacrificium offerri poterat. Et lapidis quidem Lazuli patina insolita & inandita non fuit: at ex cætulea gemma perspicua nullam veterum historiis accepimus ita magnam fuisse visam. Fortè tamen Rueus dicit tunc offerri sacrificium in Sapphiro; cùm is, qui sacrificium offert, gestat Sapphirum in annulo, verbi gratia.

Sapphirus Regibus ac principibus conuenire.

Ethnici olim absque Sapphiro responsa non reddi solita.

Abulensis etiam Exodi 24. sic ait: *Apud Gentilium Deos in magna fuit Sapphirus reuerentia: quod sine eo responsa non dabantur*. Idem refert Pierius, hanc scilicet Gentilium quondam opinionem fuisse. Et Abulensis ipse Exodi 28. refert, Sapphirum olim gemmam gemmarum appellari solitam, id est: inter gemmas excellentissimam.

Cur gemmæ, quæ vulgo appellantur Sapphiri, Pontificibus & Cardinalibus aptissimæ censeantur, dicemus in Hyacintho: nam priscum ipsius nomen Hyacinthus est. Sed fortassis hodierni Hyacinthi in veterum Sapphirorum locum suffecti sunt, quòd illis sit idem nomen inditum. Vnde, si prisca ferebat consuetudo, vti Pontifices veterem gestarent Sapphirum: huic priscæ consuetudini nostra recentior successit, vt nostri nunc eam gemmam gestent, quam vulgò Sapphirum vocant.

Ægyptij Sacerdotes olim Sapphirum collo appensum gestare soliti.

Præter hæc Sapphirum veterem Regibus ac Principibus imprimis conuenire, confirmatur etiam exiis; quæ Ælianus memorat de varia historia lib. 14. cap. 34. vbi de Ægyptiorum iudicibus agens affirmat Ægypti quondam sacerdotes fuisse iudices & magistratus: & summum inter eos Sacerdotem (qui & supremus erat iudex) gestare solitum collo appensam imaginem è Sapphiro, quæ appellabatur *Veritas*: atque innuit, hanc veritatis effigiem in ipso Sapphiro fuisse impressam. Nec deerit fortassis, qui suspicetur Sapphirum esse eum lapidem, cuius mentio fit Zachariæ 3. 9. *Ecce lapis, quem*

Digitized by Google

quem dedi coram Iesu. Super lapidem vnum seStem oculi: ecce ego calabo sculpturam eius. Sed de hoc loco constabit in eius capitis commentario.

Sapphiro proprietatem attribuit visum reficiendi.

Gregorius Nyssenus oratione 14. in Cant. eam cæruleo Sapphiri colori virtutem attribuit, vti visum reficiat ac recreet: *Sic naturâ comparatum est* (inquit) *vt splendor iste caruleus oculos reficiat: atque ita hoc anigma consulit, vt cor nostrum ea, quæ sursum sunt, velit ac respiciat, & isthic oculos oblectet.*

Sapphirum Carbunculo mistum interdum reperiri.

Dalecampius in Plinium lib. 37. c. 9. litera G. refert ex Garcia, qui de rebus Indicis scripsit, nonnunquam reperiri Sapphirum Carbunculo mistum: id est, vnam eandemque gemmam, quæ vna ex parte Carbunculum, ex altera Sapphirum reddat: eamque ab Indis appellari Sapphiro rubinum. Hæc ille. quod aliqui A existimabit esse aptissimum ad duas Christi naturas humanam ac Diuinam significandas. Nam si Sapphirus Diuinitatem, humanitatem Carbunculus adumbrat; vtriusque in eodem lapide coniunctio congruenter significabit humanitatis ac diuinitatis in eâdē personâ coniunctionem. Verùm huiusmodi symbolum non valdè curo: quem enim Garcia, Dalecampius & recentiores Sapphirum vocant, Plinio & Apocalypsi non est Sapphirus, sed Hyacinthus: in cuius gemmæ disputatione mysterium huius Symboli discutiemus. nam simili etiam ratione, quam Latini Sardam vocant, cum Amethysto contiguam siue continuam potiùs exoriri interdum videmus. nam eiusmodi gēmam ex Sarda & Amethysto constantem dono mihi dedit Dominus Georgius Portugallius Comitis Geluensis frater.

NOTATIO IX.

De secundæ gemmæ applicatione ad secundum Symboli articulum.

Secundus Apostoli Symboli articulus in secunda gēma, id est, Sapphiro figuratus.

VErba secundi articuli sunt: *Et in Iesum Christum Filium eius vnicum Dominum nostrum*. Apocalypseos verò hæc: *secundum Sapphirus*. Vt autem iam suprà aduertimus, quas antiqui scriptores de Sapphiro notas ac signa tradunt, non ei lapidi quadrant, quem hodie vulgò Sapphirum appellamus. Quanuis enim vtraque sit gemma cærulæa: Sapphirus tamen Theophrasti & Plinij est aureis scintillis distinctus; nec videtur fuisse gemma diaphana, sed opaca. Vnde fortassis est lapidis Lazuli species. Quod si cui minus arrideat? illud saltem concedendum est, Sapphiri colorem esse cæruleum aureis stellulis conspersum: ita vt cæli ipsius speciem referat. Atque huiusmodi lapis respondere debet secundo fidei articulo, quo asseritur Iesvs Christus esse vnigenitus æterni Patris filius, & Messias verus hominibus promissus. Nomine autem filij Dei significatur, illum verum esse Deum, & ab æterno parente suam Diuinam naturam accipere; atque adeò, vt verum filium, esse perfectissimam ipsius imaginem. At Messiæ nomen indicat summi regis summúque sacerdotis dignitatem: id quod indicat Christi nominis etymon; idem enim est, atque vnctus, nempe in regem ac Pontificem. Hoc autem nomen per antonomasiam denotat, Christum Dominum esse supremum inter reges monarcham, & summum inter Episcopos Pontificem non vicarium, non temporarium: sed proprium & æternum, vtpotè qui *est sacerdos in æternum*.

Quid in secundo articulo confiteamur.

Applicatur per ordinem Sapphirus ad secundum fidei caput.

Quid per cæruleum Sapphiri colorem denotetur.

Ad huius igitur articuli symbolum Sapphirus fuit eleganter selectus. Ac primò, vt Christus significetur esse Deus, & propterea à ceteris hominibus longè diuersus nullus color potuit aptior deligi, atque cæruleus, iuxta illud Pauli 1. Corinth. 15. 47, *Primus homo de terra terrenus: secundus homo de cælo cælestis*. Quod si, vt asserunt Philosophi, color hic cæruleus, quem in cælo suspicimus. nihil est aliud, quam maxima altissimæ lucis profunditas: & hæc ipsa absque alterius coloris mistione humanis obtutibus cæruleum obiicit colorem, vbi nullus datur visionis terminus; certè appositum valde est huiusmodi symbolum ad diuinam naturam significandam; quæ est immensum lucis incomprehensibilis pelagus, in cuius conspectu & cogitatione humanæ mentis acies videtur penitus euanescere: & conceptionem quandam rei cælestis, quam penetrare non possit, in se format. Deinde, si perfectus color cæruleus est ille, quem in cælo sudo atque sereno intuemur: quod aptius symbolum ac vestigium reperiri potest ad diuinitatem figurandam, quæ altissima ac serenissima est; nec ipsius beatitudinis æternitatē quidquam impedire, aut turbare potest? Atque hæc videtur esse ratio, quapropter Deus in Sapphiro fuit conspectus, Exodi 24. 10. *Sub pedibus eius quasi opus lapidis Sapphirini; & quasi calum, cùm serenum est.* Et Ezechiel 1. 22. *Quasi aspectus lapidis Sapphiri similitudo throni.* Et ca. 10. 1. *Quasi lapis Sapphirus, quasi species similitudinis soliꝫ.*

Cur Deus olim in Sapphiro fuerit conspectus.

Difficultas de cæli colore apparente: Vtrū scilicet ob nimiam soliꝫ lucem minus cæruleum appareat cælum.

Dices, cæruleum cęli colorem non posse symbolum esse profundissimæ alicuius luciꝫ. nam iuxta solem, vbi intensior est claritas, cælum non apparet cæruleum. Respondeo; quod cærulei non videatur esse coloris illa cæli pars proxima Soli, non ideo accidere, quia ibi plus lucis inest. Quod probatur efficaciter, quia ipsum B solare corpus, si quando interiecto aliquo instrumento siue adminiculo in illud oculos defigere contendas: aliquando in suæ lucis profunditate perfectissimum colorem cæruleum oculis obiicit: id quod ipse non semel experientiâ didici. Cum igitur in summo claritatis fundo perfectissimus color cæruleus cerni possit, atque adeò cernatur: fortè partes soli finitimæ propterea non solent cærulei coloris videri, quia tenuissimi aliqui vapores se interponunt, quos non ita facile humanus penetrat visus: & ipsius lucis refractio efficit, vt per ipsos aër diuersum referat colorem. Sicut etiam, quando cælum noctu interdum non perfectè cæruleum, sed subobscurum cernitur, licèt nubibus obductum non sit: id solet similiter prouenire ex obscuris vaporibus, qui puram ac defæcatam cæli lucem nobis interturbant: nec tamen adeò sunt crassi, vt stellarum auferant conspectum.

Cur cæli partes soli vicinores minus appareant cæruleæ, quàm remotæ.

Ex quibus infero, mutationem interiecti aëris per nebulas ac vapores tenues inductam efficere, vt aër ipse plus aut minus cæruleus nobis appareat: & interdum clarus, interdum etiam subobscurus. Verùm tota hæc varietas & vicissitudo in aëre resident, nec cælum attingit. Cælum enim ad ipsius Dei imitationem est pater luminum: *apud quem non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio*, Iac. 1. 17. Quapropter si cæli color cæruleus non est, sed quędam lucis profunditas, vbi oculorum acies finem omnino non inuenit: semper dies nocte que cælum ipsum altum ac sublime eiusdem in se est coloris: id est, quod ad ipsum spectat, semper idem in eo huius speciei fundamentum reperitur: ac semper præ se fert cæruleum cum stellis aureis spatium. Quòd verò interdiu non aspiciantur stellæ: non ideò fit, quia multa sit in ipso sublimi cælo lux: sed quia in inferâ hac aeris regione plurimum claritatis insit: cùm meridiano etiam tempore, qui in profundo sit puteo demersus, sydera inde videat atque distinguat: vt & Plinius lib. 2. ca. 14. & experientia ipsa testantur. Vnde effigies cærulei cæli aureis stellis conspersi symbolum est illius serenitatis, quam cælum ipsum semper in se habet, quò infimi aeris vicissitudines ne minimum quidem possunt pertingere; ac demum mirifica est pictura ipsius cæli vt in se est; atque adeo congruentissimum est symbolum ad diuinitatem figurandam. Et consequenter Sapphirus Christi diuinitatem apprimè repræsentat.

Vnde aër aliquando minus cæruleī coloris aliquando plus habere videatur.

His præmissis, videamus oportet, an Sapphirus idoneum sit symbolum ad Filij Dei personam figurandam: nam secundus articulus non affirmat solum Christum esse Deum: sed etiam secundam esse Sanctissimæ Trinitatis personam. Ad huius rei declarationem, docet vera Theologia Filium esse perfectam Patris imaginem. Quod si mysterium hoc in aliqua gemma adumbrari debebat: non in alia congruentius, quàm in veteri Sapphiro. Etenim quicumque eiusmodi gemmam cæruleam, & stellulis distinctam in manus sumpserit: si prudenter animaduertat, videbit se quandam cæli imaginem, & quasi ipsius substantiæ figuram manibus tenere: & primarium Sapphirum quodammodo cælum ipsum esse, secundarium gemmam: nec non à primo illo hunc alterum esse genitū, & ipsius similitudinem

Sapphirus quomodo Diuinam Christi personam symbolicè repræsentet.

Digitized by Google

dinem accepisse: quæ & eodem constat colore, vt Scriptura affirmat; & stellis etiam, vt Theophrastus & Plinius, aliique antiqui scriptores affirmant. Ac demum verus Sapphirus est vnica cœlestis Saphiri imago, qui primarius Sapphirus est.

Filij similitudinem cū æterno Patre quomodo Sapphirus adumbret.

Iam si, vt perfectè Sapphirus personam Filij figuraret, necesse erat, esse perfectam imaginem illius, a quo generatur: ad hoc congruens erat, vt in ipsa effigie simul reperiretur, quod in cælo etiam reperitur, videlicet eximius color cæruleus cum stellarum pulchritudine: vt expressa sit figura eorum omnium, quæ in patre generante, id est, in cælo ipso inueniuntur. Præter hæc, quod nuper dicebamus cæli nimirum colorem esse lucem maximam: cuius terminum oculi non attingant, mirificè concinit cum eo, quod recta nos docet Theologia, nil scilicet, esse, quod nobis Dei incomprehensibilitatem ita detegat, vt mysterium distinctionis in personis & vnitatis in essentia, quod hic nobis articulus proponit. Nam si cæli color est lux absque termino: quod symbolum potuit seligi magis appositum ad Dei incomprehensibilitatem indicandam; in cuius luce tanquam in immenso pelago humanus omnino captus obruatur?

Christi supremi omnium Pontificis dignitatem in Sapphiro figurari; nec non Regū Regum imperium.

Vidimus, quam aptè Sapphirus adumbret, Christum Dominum esse verum Deum, & in tribus Diuinis personis secundam, id est, Filium. Reliqua, quæ in hoc continentur articulo, spectant ad summi Pontificis dignitatem; nec non supremi Imperatoris & omnium Domini. Pro huius rei symbolo rectè fuit selecta ea gemma, quam semper antiquitas regni ac sacerdotij symbolum esse duxit. Vidimus enim in superiori notatione, id ex recentioribus affirmare Abulensem, Pierium, Rueum; & generatim loquendo, qui de gemmis scripsere, in eo (vt apparet) nitentes, quod ex Æliano retulimus. Et quidem, quod hi auctores affirmant, adeò est nostro instituto consentaneum, vt nihil possit aptius afferri. Etenim vbi in Sapphiro antiquo expressam illam de qua suprà dicebamus, cæli effigiem contemplemur; hæc ipsa imago nos instruit, cuiusmodi in principe debeat esse celsitas, perfectio, atque serenitas: ita vt Deum ipsum studeat imitari, & cum Diuinæ gloriæ zelo (cuius symbolum cæruleus color esse dicitur) maximarum virtutum splendorem coniungat; & omnibus fortunæ turbinibus ac varietatibus sese superiorem ducat; iuxta Serenissimi titulum, qui Principibus ac regibus tribuitur, & in eo figuratur, quod Scriptura de Sapphiro prodit, *Quasi cælum cum serenum est.* Atque suprema hæc maiestas & celsitas perfectissimè in Christo inuenta est. Vnde sicut Sapphirus videtur esse terris quoddam in cælum; ita Iesus Christus in carne visibili Deus est. Porrò, si verum est, quod Nyssenus scribit de solatio & oblectione, quam oculorum visus percipit ex Sapphiro: hæc etiam naturalis qualitas nobis in memoriam reuocat cælestem illam voluptatem, quam fidelis anima in Christi Domini contemplatione inuenit.

Sapphirus, quā Pontificia dignitatis proprius.

Denique ex magna æstimatione, quæ de veteri Sapphiro apud antiquos fuit: & ex Pontificiæ dignitatis symbolo, quod in hac gemma veteres illi agnoscebant, originem videtur duxisse; vt quam gemmam recentiores pro veteri Hyacintho substituerunt, & eodem nomine compellarunt; eadem sit ferè habita, vt Pontificum & Cardinalium propria. Quarè cuilibet ex purpuratis Patribus in Cardinalitiam dignitatem assumptis summus Pontifex Sapphirum mittit: atque ex eo constat vsitatus ab Episcopis anulus. Iam si verum foret, quod vulgò huic gemmæ tribuitur, scilicet quòd homines ad pietatem, constantiam ac pacem & effrænatarum appetitionum cohibitionem inclinet; hæc omnia essent satis ad rem, vt propria idcirco gemma Pontificum diceretur. Cæterùm verosimilius est, huiusmodi significationem in cæruleo colore & in stellis fundari. Hæc enim imago congruenter figurat, quales & Principis animus & vita Pontificis esse debeant. Nec absimilis erat coloris cærulei significatio in Hyacinthina Aaronis tunica.

Cuilibet Cardinali recens creato a Pontifice summus Sapphirum mittit.

Sapphiri opacitas sine defectu quid mystice adumbret.

Aliquis congruentius fore dicet, si Sapphirus pro secundi articuli symbolo electus, minimè densus esset, & opacus, sed perspicuus & transluces vt cœlum. Ad hoc respondeo primò, ad visibilem cæli similitudinem satis esse, ne visus eiusmodi discrimen discernat. Atque ex terrarum situ dignoscere non possumus aut dispicere, vtrùm cæruleus color in cælo appareus sit pellucidus. Quòd si rem summo & strictissimo iure velimus discutere, nec verus color cæruleus datur in ipso cælo. Secundò respondeo, ad Christum Dominum figurandum fortè congruentius fuisse vt gemma ipsa esset cærulea atque opaca, stellis aureis depicta; vt intelligamus, quidquid noster obtutus in Christi maiestate contemplanda assequi potest, esse valde exiguum, & quasi solam superficiem, nec totam ipsius celsitudinem posse penetrari. Quanuis enim priusquàm Deus humanam carnem sumeret, cæruleum diaphanum congruenter significaret ipsius diuinitatis sublimitatem, at postquam humilitatis nostræ opacitatem induit: quantumuis multæ perfectionum stellæ in eo distinguantur, nihilominus, quasi densus apparet Sapphirus, sed non ideo minus aut in se perfectus, aut nostris oculis iucundus.

NOTATIO X.

Quæ sit gemma, quam Apocalypsis appellat Chalcedonium.

Quæ sit Chalcedonij gemma natura.

PRimò inter eas gemmas, quæ Achatis varietatem nonnihil imitantur, hodie Chalcedoniam appellant vulgares gemmularij quandam gemmam, quæ in cæruleū colorem vergit: & aliam, quæ in pallidum. Enim verò nullum apparet vestigium, vnde coniciamus antiquos huiusmodi lapides hoc nomine compellasse. Nec inter veteres gemmarum scriptores aliqua inuenitur gemma, quam ipsi Chalcedoniam vocarent. Quamobrem nec Apocalypsis loquitur de ea gemma, quæ hodie vulgò Chalcedonia nuncupatur (vt conuenit inter doctos) nec facile est statuere, qui lapis sit in Apocalypsi Chalcedonius. Quinimò in ipsam etiam scribendi rationem nonnihil etiam irrepsit varietatis: quippe in alijs libris inscribitur *Calcedon*, in alijs, *Chalcedon*, in aliis e per ae græcum, in alijs per iota exaratur. Receptior tamen scribendi ratio est, χαλκηδὼν, quod est ipsummet nomen ciuitatis, vbi Chalcedonense concilium fuit habitum: quæ Constantinopolin ex altera Euripi parte è regione respicit.

Apocalypsin sub Chalcedonij nomine nō agere de ea gemma quæ hodiè Chalcedonia vulgò vocatur.

Qua ratione sit scribendum gemmæ huius nomē.

Chalcedonium, iuxta graniorum Doctorum sensum, esse emēdē.

Secundò, multi sunt atque graues auctores, qui sibi persuadent eandem gemmam in Pontificis Rationali Carbunculum appellatam, in Apocalypsi vocari Calcedoniam. Fundamentum eorum est; quia verisimile non videtur inter Apocalypseos gemmas non annumerari Carbunculum, qui inter Rationalis lapides (ad quos alluditur) adeò est insignis. Quod si in ijs reperitur Carbunculus, non alius esse potest, quam qui Chalcedonij nomine compellatur. Etenim cetera omnia nomina gemmas notas & à Carbunculo diuersas designant. Vnde Isidorus & Beda pro certo statuunt, Chalcedonium esse quandam Carbunculi speciem. Idem suspicatur Aretas: & aduertit prope Chalcedonis vrbem in desertorum littorum saxis & scopulis cuiusdam gemmæ speciem innasci eiusdem coloris cum Garbunculo, vt tradunt ij, qui de rebus Bithynicis scripserunt. Vocatur autem ea prouincia Bithynia. Suspicatur ergo Aretas, à Ioanne in Apocalypsi Chalcedonium vocari eam gemmæ speciem, cui idem color inest atque Carbunculo.

qui carbunculus.

Chalcedonium esse carbunculi speciem, iuxta aliquos.

Tertiò, admittendum non est, quod Gesnerus cum aliis coniectauit, nimirum pro Chalcedonio corrigendum ac substituendum esse Carchedonium. Quod propterea sibi persuadet; quia si hæc tertia gemma debet esse Carbunculi species; nonnulli inter Carbunculos sunt, quos Plinius Carchedonios vocat: nec tamen aliquos Chalcedonii nomine vsurpat. Verùm inanis est huiusmodi suspicio: nam Charcedonius idem est, quod Carthaginensis: & omnes Carthaginis gemmas eo nomine vocat Plinius. Vnde apud eundem reperimus

Hæc gemma Chalcedonium ne, an Charcedonius vocanda sit.

Digitized by Google

Smaragdos Carchedonios: & expresè affimat, Carbunculos & Smaragdos Carchedonios vilioris esse pretij. Vnde credibile non est, Carbunculum Carchedonium à Diuino spiritu pro huiusmodi symbolo fuisse assumptum. Præsertim, quia in græco maximum est in vtriusque scriptura discrimen, χαλκηδὼν, & καρχηδὼν. Et Carthago quidem longissimo inde interuallo dissita: at Chalcedon propè sita. Ad hæc, iuuat Aretæ testimonium affirmantis ad Chalcedonem enutriri gemmas colore Carbunculum referentes. quas non est cùr suspicemur Charthaginẽsibus ignobiliores fuisse: cùm Carthaginenses ipsæ sint, quas vulgari nomine vocant *granates*. His adnecti potest; fortè Carbunculos eos Chalcedonios esse, quos Plinius Thraciæ Carbunculos nominat. Nam de Carbunculis agens ait, *Nascuntur & in Thracia coloris eiusdem ignem minime sentientes*. quæ proprietas pretiosissimis Carbunculis peculiaris est. Et quanuis Thracia ex altera Bosphori parte sit, ex altera verò Bithynia: adhuc tamen constat, Thrachiæ nomen ad ipsam Bithyniæ: prouinciam aliquando fuisse extensum. Et fortè illa gemmarum species in vtroque Bosphori littore nascebatur.

Quæ soleant passim ficta de carbunculo iactari.

Quartò, de Carbunculo gemma solent multa passim ficta & commentitia iactari. Existimatur enim esse lapillus quidam in cuiusdam animalis fronte innatus, qui ardentis instar facis ex se lumen emittat. Verum inter eos, qui doctè & eruditè de gemmis scribunt constat Rubinos omnes carbunculi nomine nuncupari; nec non gemmas omnes, quæ ex Rubinorum genere sunt; vt eas, quas gemmularij appellant Spinelas, Balaxes, Granates, &c. Nec aliam Carbunculi speciem doctores agnoscunt; nec reperitur eiusmodi gemma, quæ propriè splendeat, & tenebras illustret. Licèt verum sit nobiliores Rubinos, exigua quamuis sit lux, eam in se colligere, ac per reflexionem reddere. Et propterea dicuntur in tenebris lucere. Qua loquendi ratione non imperitum modò vulgus vtitur, sed etiam sapientes, vt Augustinus libro 2. de doctrina Christiana capitul. 16. & Isidorus libr. 16. Originum capitul. 13. *Carbunculi fulgor nec nocte vincitur; colore ignitus vt carbo lucet in tenebris*. Et Abulens. Exod. 28. *Tenebras noctis vincit*.

Quæ gemma sub carbunculi nomine cõprehendantur.

Carbunculum in noctis tenebris lucere, vulgaris opinio?

Carbunculum (quod ad nomẽ attinet) idẽ esse, atque prunam ignitam.

Quintò, Carbunculi nomen Latinum, & quod ei Græcè respondet, scilicet *Antrax*, idem ambo significant, atque *prunam ignitam*. Quare proprius harum gemmarum color est, ignitæ prunæ species. Et qui harum gemmarum vnam attentè perspexerit, si ex optimis sit, facilè aduertet prunæ nomen illi mirificè aptari.

Carbunculi nomen ad quæ se extendat.

Sextò, quamuis Græci ac Latini Carbunculum non appellent gemmam, quæ rubra non sit: si tamen accensæ prunæ comparatio diligenter attendatur, non minùs conuenit Carbunculi nomen pretiosis Adamantibus, quam Rubinis. Constat enim carbones nimis ardentes nulla ratione rubere, sed omnino candere. atque ita in candẽri ferro apparet; quod vbi maximè ignitum est, ferrarij fabri appellant argentum: quia perfectè candidum est. Vnde mihi verisimile valde est, Carbunculi nomine in sacris Literis adamantes comprehẽdi, atque hinc obiter ea soluitur quæstio, cur in Scriptura Adamantis nomen inter gemmas pretiosas non referatur? nimirum, quia Adamas in sacris vocatur Carbunculus. Id quod fusiùs exposui atque probaui supra cap. 2. notatione 4. & 5. vbi vidimus, quam gemmam Isaias calculum & carbunculum nominat, a Ioanne calculum candidum appellari; vt significaret prunæ valde ignitæ colorem. quem ad locum remitto lectorẽ, ne idem sæpiùs repetam: ibi enim fortasse apparebit maximè verisimile, quod primo aspectu videtur paradoxum.

Carbunculi nomine in Scriptura adamantes etiam significari, videtur probabile.

Septimò, si semel concedatur, Adamantem esse pretiosissimum Scripturæ Carbunculum: inde fit maximè probabile, Chalcedonij nomen illi apprime congruere. Primò, quia Adamantem Cyprium (cuius plenior ad Hebræos notitia potuit dimare,) ait Plinius in æreum colorem vrgere. atque hæc est propria vis nominis Chalcedon: & fortè non alia est gemma eiusdem omnino coloris Quanuis enim lapis quidam apud Plinium sit Chalcites vocatus (quidem videtur cum Chalcedone) lib. 37. cap. 1. fortassis tamen Chalcites à Cyprio Adamante nõ differt. Secundò, sepè à Græcis nomẽ χάλυβος, accipitur pro ferro & chalybe, quia plerunque id nomen ad Homero vsurpatur pro securi, pro gladio siue ense, & pro aliis armis. Constat autem nobiliores Adamantes esse, qui colore calybea specula imitantur: hæc namque est perfectissimorum Adamantum descriptio, vt videre est apud Arphem in libello de gemmis: atque hos Plinius nominat Syderites & ferrei splendoris. Tertiò forte nomen *Chalcedonius* denotat esse eum lapidem, qui facilè quoduis metallum perfringit. nam ab æratiis officinis deriuatum dicitur Chalcidos nomen. Quarè si chalcos etiam comprehendit ferrum, Chalcedonij nomen rectè quadrabit in eam gemmam, quæ chalybem domat ac polit.

Chalcedonij nomẽ posse ad Adamantem applicari.

Ex dictis infero Chalcedonium in Apocalypsi esse idẽ, quem vulgò Adamantem vocant: verùm in hac ipsa gẽma esse etiam considerandas Carbunculi proprietates. Quam enim gemmam nos Adamantis nomine compellamus, Scriptura considerat vt Carbunculum pretiosissimum Facit, has duas gemmas esse inter se adeò in natura similes, vt vtrique commune sit igne non calefieri, & in tenebris splendescere. Fortè etiam Spiritus sanctus in Chalcedonis nomine peculiari aliquo mysterio vrbẽ Chalcedonem respexit. Eodem, namque nomine & Græci ciuitatem illam, & Ioannes hanc gemmam appellant. Quod qui mysterio non vacare credat, næ ille valde consentanea abstrusis huius libri mysterij affirmabit.

Chalcedonium in Apocalypsi videri eundem cũ Adamante.

NOTATIO XI.

An propterea (vt aliqui putant) Scriptura Adamantis nec in Rationali nec in Apocalypsi, nec alibi, vbi de gemmis agitur, meminerit, vt denotetur, quòd Adamas significat, id à Deo reprobari?

Vtrum Adamas, quatenus pretiosa gemma est, aliquando in Scriptura vsurpetur. Aliquorum sententia negans proponitur.

SI verum esse Adamantem idcircò inter Scripturæ gẽmas non ascribi, quòd symbolum sit eius rei, quam odio Deus prosequatur: nequidquam desudatum à nobis esset, vt suum etiam in Rationali & in Apocalypsi haberet locum, ibi sub Carbunculi, hic sub Chalcedonii nomine. Quod ergo de industria sit Adamas inter Scripturæ gemmas prætermissus, id nonnullis videtur manifestũ. Etenim si Scriptura illum vellet singillatim recensere facile esset illum proprio nomine compellare, atqui Adamantis nomen nec in Rationalis gemmis, nec in cælestis Ierosolymæ fundamentis, nec in Regis Tyri corona Ezechielis 28. nec inter eas, quarum mentio est Iobi 28. & Isaiæ 54. nec alibi, vbi de gemmis agatur, inuenitur: & præsertim vbi gemmæ cum Dei sapientia, aut cum diuino timore comparantur: sed solùm vsurpatur Adamas ad peccatoris duritiem significãdam, Ieremiæ 17. 1. & Zachariæ 7. 12. Cùm verò semel Adamantem Scripturæ vsurparit, vt significaret Ezechielem fore inexpugnabilem (cap. 3. 9.) nequis putaret, Adamantem, vt gemmam pretiosissimam ibi à Scriptura assumi, sed solùm ob ipsius duritiem, additur simul *vt adamantem, & vt silicem*. quasi dicat, non ideo Adamãtis memini, quòd gemma sit in maximo pretio habita, sed quia durissima, & quæ frangi aut domari non possit. Ita enim rigentem silicem possem accire.

Rationis fundatur prædictæ primo.

Dicet ergo aliquis, quod attinet ad symbola in gemmis considerata, æquum esse, vt Scriptura non tam hominum pretium & æstimationem, quàm bonam Philosophiam attendat, nec non fundamentum, quod reperitur, vt gemma alicui alicui applicetur virtuti aut veritati. Vnde si diligenter rem examinemus, videtur Deus Adamantem condidisse.

Digitized by Google

didisse, vt tyrannidis esset symbolum; & eam ad rem proprietates illi eiusmodi tribuisse, quæ eam significationem maximè adumbrent. Huc spectat, quòd acuminatus nascatur Adamas: & eo modo, vt Hebraicè Adamanti atque tribulo, siue senti idem imponatur nomen *Samir*, a radice *Samar*, quod *sibi cauere* significat, quasi ipsius significationis vis ea sit, quæ Hispanè sic exprimitur *Ouarte*, atque id ipsum sonat Hispana vox *abrojo, abe eljo, y guarte.*

Adamantis symbolum ad tyrannica potentia significationem elegantèr applicatur.

Deinde singularis illa Adamantis proprietas quod scilicet indomitus sit & inuictus (quod sibi tantopere arroganti tyranni) id etiam satis indicat. Certè Plinius eius virtutem describit, *inuictam & contemptricem duarum violentissima natura rerum ferri, igniquè*. Iam, quod a Magnete abstrahat ferrum (hoc enim Adamanti etiam Plinius attribuit) symbolum est insignis tyrannidis, quæ singulares omnes proprijs rebus per summam iniuriam spoliat. Præterea, vt significetur, qui in hoc sæculo maximi æstimantur, cùm inuisi omnibus ac detestabiles esse debeant, eos fœdissimæ voluptati turpiter subijci, rectè etiam dicitur Adamas calido hirci sanguine vinci ac molliri. qua in re, vt Cyprianus ait, figuratur, sicut, hircus olim pro peccato offerebatur, ita etiam Iesu Christi sanguine potentiam mundi atque tyrannidem infringendam & conuellendam fore. Neque obstat maxima Adamantis æstimatio, quæ apud homines est. Nam quòd hæc gẽma quasi princeps, & velut primogenita habeatur, id etiam conducit, vt eam sacræ Litteræ repellant & auersentur: sicuti Deus Esau, aliosque primigenios reprobauit. Odit enim eorum arrogantiam & contumaciam, qui imperium sibi & dominationem arrogant.

Item ad carnis sapientiam deuitandam.

Dicet alius, Adamantem esse terrenæ sapientiæ symbolum, quæ sapientiæ cælesti per alias gemmas significatæ opposita sit. Cui rei videtur imprimis Adamantis durities fauere: *legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest*. ad Roman. 8. 7. Sic Adamas nec igni cecidit, nec ferro. Expende illud Ieremiæ 23. 29. *Nonne verba mea quasi ignis, & quasi malleus conterens petras?* Ab hoc ergo igne, ab hoc malleo inuictam se & indomitam terrena sapientia præstat. Secundò cuspis, qua sese aduersus Euangelium armat, *inimica est Deo*; vt Paulus ibidem ait. Tertiò, obscuritas illa veluti terrea, quæ solet in Adamantibus aliqua ex parte notari (quamque Gemmularij appellant *Tarrazas*, & in pretiosioribus Adamantibus & splendidioribus inesse solet) denotat, licèt terrena sapientia splendescere videatur, eam demum terrenam esse, & rebus terrestribus infimis & abiectissimis refertam.

Adamantem, secundum alios, nonnullas proprietates quibus olim constabat, iam amisisse: & quod sit res huius mysterium.

Adde huc, quod nonnulli contemplantur, nimirum postquam Euangelium de terrena sapientia, deque mundi tyrannide glorioſum egit triumphum, veteres illas Adamantis proprietates deperijsse. Ita contemplatur antiquus auctor, cuius libri inter Origenis opera extant, l. 2. in Iobum. (is enim liber ex Erasmi, Sixti Senensis; & Genebrardi censura non Origenis; sed alterius antiqui scriptoris esse censetur) vbi ait; *Si quis dixerit, vbi eũ modo, vel vbi conspicitur lapu adamantinus? audi; hæc omnia typus fuerunt & vsque ad aduentũ Domini erant,* A *& visa sunt. Post aduentum verò Domini visa non sunt, vtpote figura: & ita abscondita sunt, Domino ipsas figuras adimplente*. Hæc ille. Quod licèt ad aliam significationem referat, si tamen Adamantis mysterium sit aut tyrannus, aut terrena sapientia; vt significetur, vtramque iam esse deiectam ac profligatam, cohæret optimè, ne iam in Adamante cernatur vetus illa proprietas, quæ & ferrum magneti detrahebat, & se exhibebat indomitam. Quòd si verum esset, quod aliquis affirmat, ligno scilicet conteri Adamantem posse; id mirifice significaret admirandam ligni crucis virtutem, quæ Adamantis duritiem perdormuit. Item, quod protulit Christus, *Omnia traham ad me ipsum*, eo potest referri, vt nullus iam reperiatur Adamas, quantumuis indomitus, qui Diuinæ magnetis mysticæ virtuti possit obsistere, quominus ad sese homines trahat.

Cæterùm, hæc omnia me non mouent; quin, consideratis iis, quæ cap. 2. notatione 4. dixi, pro certò habeam, quamuis Adamas ad tyrannides aut carnalis sapientiæ comparationem accersiri possit, rectiùs tamen in eam impendi significationem, quam sequenti notatione subiiciemus. Quare ex Scripturæ gemmarum consortio non excluditur Adamas, sed inter eas potiùs nobilissimo loco numeratur. Quod autem dicitur, nisi reprobaretur ab Scriptura, proprio nomine congruenter vsurpatum iri, ad hoc respondetur, Adamantis nomen non esse consentaneum ei significationi, quam illi tradit Scriptura in Rationalis & Apocalypseos gemmis. Adde, quòd si alia Scripturæ inspiciamus loca, in quibus Adamantis nomen exprimitur, non videtur esse nomen gemmæ, sed cuiusuis durissimi lapidis. Atque ita Ieremiæ. 7. numer. 1. mentio est styli ferrei in vngue adamantino (id est in duriusculo alabastro) scribentis. Amos item capit 7. 7. vbi nos legimus, *Ecce Dominus stans super murum litum, & in manu eius trulla cementaria*: secundùm versionem Septuaginta (quæ sic legit, *Ecce stabat super murum Adamantinum, & in manu eius Adamas: & dixit Dominus, Ecce ego pono Adamantem in medio populi mei Israël*) forsan non opus est, Adamantem ibi de pretiosissima gemma, sed de lapide præduro accipi. Quod enim ait Vulgata, non esse opus, vt murus rursus dealbetur, C id ipsum Septuaginta significant, dicentes, necessarium non esse vt reficiatur murus, quia semel factus remanebit firmissimus

Nihilominus sententia assirmãs præfertur, & adamantis, prout gemma, mentionem in Sacris esse statuitur. Adamãtis nomen, cùm in sacris vsurpatur, ad duritiem referri potius quàm ad gemma æstimationem referri.

Ad suprà dictas illas applicationes respondeo, quæ Adamanti in bonam partem attribuuntur, esse exactiores, vt infra videbimus. Præterquam quòd inter Adamantem ad tyrannidem aut carnis sapientiam applicandam nonnulla statuuntur incerta, cuiusmodi sunt ipsum ligno molliri, & comminui posse, & veteres ipsius proprietates in diuersas alias abiisse quorum primum commentitium est; alterum parum verisimile. Et credibilius apparet quod de Adamante priùs tradebatur, per nimiam exaggerationem dictum & falsò creditum fuisse, quàm eandem gemmæ speciem priscis qualitatibus amissis nouas alias induisse.

Nonnulla, quæ de Adamante traduntur, aut falsa esse, aut parum certa.

NOTATIO XII.

In qua tertia gemma, nempe Chalcedonius, ad tertium articulum aptatur.

Tertium Apostolici Symboli caput.

TErtius symboli articulus sic habet. *Qui conceptus est* D *de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine*. Sic verò Apocalypsis; *Tertium Chalcedonius*. Atque, vt in decima notatione disputauimus, Chalcedonij nomen Carbunculo Rationalis respondet: vnde in hac gemma Carbunculi proprietates consideremus oportet. Sed Scriptura inter Carbunculos enumerat eum, quem Græci ac Latini Adamantem vocant, qui est Plinio candidus carbunculus. Et singillatim habetur hic respectus ad Cyprium Adamantem, cui virtus magis salutaris ac medica indita est, & cui optimè conuenit Chalcedonis nomen: quod tamen nomen est alioqui proprium eius ciuitatis, in qua Calcedonense Concilium fuit postea celebratum.

Quid in tertio hoc fidei articulo profitemur.

Tertius hic articulus de Iesu Christi Redemptoris nostri incarnatione & natiuitate agens, nos docet, Christum Dominum non solum verum esse Deum, sed etiam verum hominem, propter admirabilem illam vnionem, cuius interuentu diuina Verbi persona sanctissimam illam humanitatem assumpsit: atque adeò absque alicuius viri commercio in illibatæ Virginis vtero diuini Spiritus virtute hominem fuisse factum, & eius matrem Virginem integerrimam perstitisse. Notum autem Theologis est, Deum sese nostra carne induisse (quod perinde fuit, quasi nostram infirmitatem assumere) vt salutem humano generi daret, & infinitæ suæ virtutis ac fortitudinis clarissimum exhiberet documentum.

Applicatur per ordinem Chalcedonius seu Carbunculus ad tertium fidei articulum.

Ad hunc incarnationis articulum appositissimè accipitur ea gemma, cui Carbunculi nomen ab ardentis prunæ specie tribuitur. Etenim vt tradũt qui de gemmis disputant, quicunque Carbunculum attentè inspexerit, existimabit ignitum se lapidem instar prunæ ardentis aut ferri succensi & flammantis videre. Cùm

Digitized by Google

ergo, vt sacræ testantur Literæ, Deus sit ignis: quid aliud erit. Christi humanitatis gemmã secum intrinseco vnionis hypostaticæ vinculo copulare, quàm ipsam Christi carnem veluti deificare? Porrò vt in ardenti formace ferrum in ignem, ignis in ferrum quodammodo transire videtur: ita in carbunculo, & gemma videtur esse ignis; & ignis, gemma. Quare in huiusmodi lapillo figuratur eleganter illa personalis vnio, in qua verè ac propriè dicimus, Deum iam hominem: hominem iam esse Deum. Ignitæ prunæ comparatione ad hoc significandum mysterium vtuntur Iustinus quæstione 44, ad Orthodoxos, Cyrillus lib. de Incarnatione vnigeniti c. 8. Damascenus l. 4. de fide Orthodoxa cap. 14. ardentis vero ferri similitudinem ad hoc ipsum mysterium vsurpant Origenes lib. 2. Periarchon c. 6. in illud, *Venit Princeps mundi huius, & in me non habet quidquam.* & Basilius oratione de Natiuitate Christi, quæ est 2. ad populum, & Damascenus lib. 3. cap. 15. 17. & 26. Verumtamen elegantior adhuc est Carbũculi gemmæ, quàm prunæ aut candentis ferri comparatio: idque ob admirabilem illam speciem, qua exardere, nec consumi videtur. Quod Mosis etiam rubrum effecit Dominicæ Incarnationis symbolum ac figuram; vt docet Nazianzenus in priore expositione ad Elidon. dialogo 1. & interpretes Exodi 3. 2.

Ignitus carbunculi color quid innuat.

Carbunculum in tenebris lucere quid symbolice denotet.

Secundo, si quod extitit fundamentum, vt verè dici possit, quod & Augustinus & Isidorus de Carbunculo tradunt, eum scilicet in tenebris lucere: id etiam mirificè deseruit ad incarnationis mysterium, de quo dum Ioannes in suo Euangelio agit capite 1. ait de Christo, *Et lux in tenebris lucet.* quasi dicat, Christum esse mysticum Carbunculnm; in quo verè ac propriè reperiatur illa qualitas lucendi in tenebris, ita vt eum tenebræ non comprehenderent.

Carbunculum cùm sursum attollitur, plus lucere quid innuat.

Tertio, tunc lucem Carbunculus magis detegit, quando sursum attollitur, vt tradit Plinius: id quod miram continet applicationem. Nam Christo in crucem sublato mundi totius illustratio referri debet accepta. His accedit, quod ipsemet Plinius affirmat, si Carbunculus in acetumperacre inijciatur; id etiam conducere vt posteà magis splendescat: ita vt, quod Carbunculi lucem extinguere videbatur, hoc ipsum reddat illustriorem. Subijcit idem auctor de nonnullis carbunculis; *aquis perfusi exardescunt.* Quod in Christo Domino verum tenet: sic enim de ipsius charitate Cant. 8. n. 6. scriptum est; *Lampades eius, lampades ignis atque flammarum.* (quod est dicere, carbunculum esse perfectissimũ) mox adiungitur; *Aqua multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.*

In carbunculo quomodo adumbretur Diuini Verbi incarnatio.

Quarto, cùm in Carbunculo symbolicè figuretur æterni Verbi Incarnatio: aliquid huic gemmæ inesse oportuit, quod rem aliam adumbraret satis miram, quã Deus cum præcipuo incarnationis mysterio coniunxit & quam etiam cum eodem mysterio Apostolorum Symbolum copulauit: videlicet Diuinum hoc incarnationis opus alienum omnino fuisse atque immune ab eo, quod in aliorum hominum conceptione accidit: siquidem in Christi conceptione nullus concupiscentiæ extitit ardor aut quidquam aliud, quod illibatum matris pariter ac Virginis florem vel leuiter adspergeret. Quid ergo huic mysterio congruentius, quã quod Aristoteles 4. Metheor. textu 48. & Plinius cap. 7. asseuerant, Carbunculum scilicet ignibus non incalescere?

Carbunculum imbre diuino alicubi nasci, nonnulli putarunt.

Quinto, facit quod Plinius idem eodem capite 7. de Carbunculo ait, *Nascitur in montibus apud Nasamonas, vt incolæ putant, imbre diuino.*

Dei incarnati efficacitas in carbunculo figurata.

Sexto, si verum esset, quod alioqui de Carbunculo tradunt nimirum si cum illo obsignetur, ceram ipsam liquefieri: id quoque maximè conferebat ad Dei incarnati efficacitatem in dijsiciendis suis hostibus exprimendam: iuxta illud Psalmi 67. 3. *Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.* De Lychnite (quæ species Carbunculi est) scribit Solinus c. 65. *dum signa exprimit, quasi quodam morsu partem cera retentat.* Et Plinius cap. 7. *Partem cera in signo tenet.*

Carbunculum ceræ olfactum ad se trahere putatum, quid significet.

Septimo, Plinius ait, Carbunculos aut Sole aut digitorũ attritu excalefactos ad se trahere paleas & chartarum fila, quod est symbolum ad sese per animi propensionem alliciendi, vt Plutarchus exponit. Hoc autem, quod Plinius de aliqua carbunculorum specie affirmat, aliqui ad eum coarctant, qui Chalcedonius appellatur. Sic sane Isidorus, Albertus, Bartholomæus Anglicus & Pandectarius: atque vt ceram liquefacere symbolum est potentiæ ad hostes dissipandos: ita etiam palearum & filorum attractio adumbrat efficientiam qua Christus ad se prædestinatos, palearum ac filorum instar trahit.

Atque hæc de Carbunculi consideratione sunt dicta. Verum vt capite 2. notat, 3. probauimus, sacræ Literæ tribuunt Carbunculi nomen illi gemmæ, quam Plinius Cyprium Adamantem appellat, inter ceteros Adamantes salutarem, vt Plinius ipse fatetur. Et quanuis idem auctor censeat alios dari Adamantes maioris æstimationis atque duritiæ: Scriptura tamen videtur habuisse respectum ad eum Adamantem, qui & Hebraico populo notior, & hominum saluti erat vtilior. Facile vero est omnem in eo duritiem ac fortitudinem considerare, quæ pretiosioribus Adamantibus tribuebatur. Cum ergo Scriptura inter Carbunculos numeret Adamantas, quia ignitæ, prunæ colorem melius, quam Rubini imitantur: cumque in hoc Apocalypseos loco de Carbunculo Chalcedonio singillatim agatur: valde verisimile est, qui in hac parte consideratur, Carbunculum esse candidum, siue calculum candidum: & Chalcedonium nuncupari, siue quia in æreum vergit colorem, vt de Adamante Cyprio tradit Plinius, siue ob illius fortitudinem ad infringenda metalla. Propter hæc oportet, vt Adamantis etiam proprietates consideremus, & Deo incarnato applicemus.

Primum igitur, cum sanctissima Virgo cælorum regina de Incarnationis ageret mysterio, mirè expendit, Deum humana carne fuisse vestitum (quod est indutum infirmitate) vt suam infinitam potentiam, ostenderet: *fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui,* Lucæ 1. 51. Si ergo Beatissima Virgo id protulit, quia per incarnationis mysterium Deus gloriosissimè triumphauit de infestissimo bello, quod ei Dæmones, Iudæi, atque Gentiles intulerunt: ad hoc significandum pereleganter Verbum incarnatum in Adamantis symbolo exprimitur Lege, quod de Adamantibus Plinius docet, *Incudibus deprehenduntur ita respuentes ictum, vt ferrum vtrinque dissiliat, incudesque ipsa dissiliant: quippe duritia inenarrabilis est, simulque ignium victrix natura, & nunquam incalescens.* Iam, ad explicandam facilitatem, qua Dei Filius carne indutus corda hominum quantuuis durissima transfixurus erat: est maximè ad rem cuspis illa, qua Adamas innascitur: *Laterum sexangulo lauore turbinatus in mucronem, quo nullam non duritiem facillimè rumpit.* Sic Plinius.

Diuina potentia quamopere in Incarnationis mysterio emineret.

Quanta sit, quamq; indomita Adamantis duritia.

Mundi quidem flagitia atque scelera videbantur Christum infractura ac domitura. Verũ inde reliquum fuit, vt ipsius Christi potentia magis extaret, & emineret in conterendis peccatoribus, id est, ad veram cõtritionem euocandis, ac sibi perfectè subijciendis. Atque hic locum habet illa antiquitatis credulitas, quam Plinius de Adamante refert: *Hircino sanguine recenti calidoque rumpitur.* Nemo enim nescit hircum animalium fœdissimum (sic eum Plinius vocat) esse peccati symbolum. Tradit tamen ipsemet, postquàm confractus est Adamas, tunc maiora suæ potentiæ argumenta dare: *quia cùm faliciter rumpi contingit, in tam paruas frangitur crustas, vt cerni vix possint. eaque expetuntur à scalptoribus, ferroque includuntur, nullam non duritiem ex facili cauantes.* Notum vero est Adamantino puluere quemuis lapidẽ quantuuis durissimũ facilè prærumpi.

Christi potentia ad peccatores conterendos & conuertendos quomodo per Adamantem figuretur.

Quod autem olim iactabatur, & Plinius etiam refert Adamantem in ferro trahendo esse magnete ipso potentiorem, & ipsius virtutem illi auferre, in mystico saltem Adamante, id est, in Christo Domino mirum in modum comprobatur: respectu cuius virtus naturalis magnetis debilis admodum & imbecilla est. Etenim admirabilis efficacitas ad mysticum ferrum trahendum illa propriè est, quam Christus habet; iuxta ipsius Redemptoris verba, *Omnia trahã ad me ipsum.* Quarè quod Plinius ait, *Adamas magneti iuxta positus, aut admotus,* applico ipse ad eam comparationem, quæ inter mysticum Adamantem & magnetem fit.

Adamantem olim magnete ipso potentiorem in ferro trahendo fuisse habitum, & quid in hac vi adumbretur?

Porro, quod Plinius affirmat de Adamante Cyprio, *in medicinis efficacissimus est,* aptissimè deseruit ad significan-

Digitized by Google

Adamas in medicina salutaris quid denotet.

Adamantis virtutes.

ficandam veram animi salutem, quam in Verbo incarnato habemus. Virtutes autem eius quas ibidem Plinius memorat, huiusmodi sunt: *Adamas & venena irrita facit, & lymphationes abigit, metusque vanos expellit à mente.* quæ verba mirifica sunt ad miras Christi Domini in hominum animis effectiones.

Murus Adamantinus (de quo Amos 7. 7 iuxta Septuaginta) Christo applicatur.

Ad hæc; si Adamas, cuius mentio sit Amos 7. 7. iuxta iectionem Septuaginta, Christum Dominum repræsentat; optimè habet, Christum vocari murum Adamantium, eiusque robur ac fortitudinem esse tantam, vt murum ipsum instaurare aut reficere neutiquam opus sit.

Cur huic gemmæ nomē Chalcedonij Apocalypsis tribuatur?

Illud modo explicemus, reliquum est; cur Spiritus sanctus huic gemmæ indiderit Chalcedonij nomen? Græca vox est Chalcedon; quæ apud antiquos Scriptores, qui de gemmis agunt, minimè reperitur. Potuit tamen huiusmodi nomen ei gemmæ imponi propter B eas, quas notat. 10. rationes tradidimus. Quod si nonnihil adhuc nouitatis & insolētiæ in eo appareat, quòd Carbunculus candidus siue Adamas Cyprius hoc nomine compelletur: idcircò fortassis hoc nomen inusitatum in hoc loco vsurpatum est; vt sic facilius deueniremus in eius rationis indagationem, ob quam tertia hæc gemma tertium item Symboli articulum adumbrans eodem vrbis Chalcedonis nomine vocaretur: in qua vrbe fuerat postea celebrandum Chalcedonense Concilium. Fortè, vt meditatur Aretas, habitus fuit respectus ad eum carbunculum, qui in ea regione nascitur. Quod siue pro certo statuamus, siue non: illud

Chalcedonense Concilium.

A mihi saltem veri præferre similitudinem videtur, diuinū scilicet Spiritum voluisse in hoc nomine alludere ad Concilium in ea ciuitate postea peragendum pro hoc articulo de Christi Domini humanitate stabiliendo & confirmando.

Concilium Chalcedonense quem præsertim ad finem fuerit celebratum.

Qua in re obseruandum est, Chalcedonense Concilium esse ex generalibus vnum, quod Græci per excellentiam vocant magnam Synodum. Nec aliam ob rem fuit hoc Concilium coactum, quam vt firmè & stabiliter Catholica assereretur veritas de diuini Verbi Incarnatione aduersus Eutychem & Dioscorum illam impiè abnegantes. Si ergo ciuitas vocabatur Chalcedon, & tertiæ gemmæ potuit nomen Chalcedonis imponi: quid mirum, qui certò præscierat eiusmodi articulum in ea vrbe fore stabiliendum, ipsummet Chalcedonis nomen ad tertiam gemmam assignandam vsurpare voluisse? vt hoc pacto denotaretur; vrbem illam veluti gemmam fore pretiosissimam quæ in medijs tenebris lumen veritati præferret, vt de Carbunculo traditur. Hæc consideratio alicui fortassis primo aspectu nimiā ingenij subtilitatem redolebit. Sed qui altissima Diuinæ prouidentię consilia, & sacrarum Literarum elegantiam accuratè perpendat: non dubito, quin hanc gemmæ atque vrbis in eodem nomine communionem non casu & temerè, sed summa ratione atque consilio factā esse fateatur: atque adeò diuinam prouidentiam idcirco suauiter dispositisse, vt in ea regione gemmæ huiusmodi ardentes innascerentur, quæ ignitæ prunæ colorem referrent, vt prodit Aretas.

NOTATIO XIII.

De gemma, quę Smaragdus vocatur.

De Smaragdo, quarta Apocalypseos gemma. Et imprimis de Hebraico ipsius nomine.

HEbraicum nomen, quod Smaragdo respondet C Exodi 28. 17. (vbi hæc est tertia gemma in primo Rationalis versu) est *barequet*, quod fulgurantem gemmam sonat. Pagnino non placet versio Septuaginta & Hieronymi; *quia non quadrat color.* Vnde existimat, non esse Smaragdum, sed Chrysolythum: quanuis ab alijs Hebræis Carbunculus reputetur. Sed consulantur quæ diximus not. 5. nec dubitabitur, quin *Barequet* sit eadem gemma, quam Græci & Latini Smaragdum nūcuparunt. Verum licet de tertia illa Rationalis gemma non constaret, constat tamen de hac Apocalypseos quarta: nam Ioannes græcè scribens, eam vocat Smaragdum. Sed nec de tertia Rationalis gemma superesse potest dubitatio, quin Smaragdus sit. Et Pagnini obiectio facile diluitur: nam pretiosi Smaragdi apud veteres magnopere fulgurabant; vt constat ex ijs, quæ antiqui tradunt auctores: nam Athenæus l. 3. c. 8. asserit Smaragdum melius dici posse maragdum; nam ex splendore nomen adipisci. Constat autem in nonnullis priscis nominibus additum fuisse in principio sigma. Quam D ad rem etsi satis videbatur esse, quod gemma sit pellucida: cæterum quod Græcè & Hebraicè splendens seu fulgurans nominetur, argumento est veteres Smaragdos multo fuisse splendidiores, quam nostros. Colligere etiam hoc licet ex ijs, quæ Plinius lib. 37. cap. 5. his verbis recensēt. *Ferunt in Cypro tumulo reguli Hermia iuxta Cetarias marmoreo leoni fuisse inditos oculos ex Smaragdis ita radiantibus etiam in gurgitem, vt territi instrumenta refugerent thynni, diu mirantibus nouitatem piscatoribus, donec mutauere oculu gemmas.* Accedit, quod Plinius ipse ibidem tradit, Smaragdos nimirum esse semper radiantes. Et de Scythicis singillatim hæc habet: *quantum Smaragdi ab elijs gemmis distant, tantum Scythici cæteris Smaragdus.* De nobiliorum vero Smaragdorum duritate

Smaragdus quantopere sit lucidus.

Index Smaragdos Scythicos præstantiores.

sic ait; *Scythicorum, Aegyptiorumque tanta duritia est vt nequeant vulnerari.* Præterquam quod propter magnam de Smaragdis olim æstimationē nullus ferè Smaragdus cælabatur, *Decreto hominum eis parcitur scalpi vetitis.*

Smaragdi color quantam hominū obtutui voluptatem afferat.

Deinde eleganter ponderat Plinius ingentem voluptatem atque solatium, quod humanus visus ex Smaragdi conspectu percipit. *Nullius coloris aspectus iucundior est. Nam herbas quoque virentes auidè spectamus: Smaragdos vero tanto libentius, quoniam nihil omnino viridius cōparatum illu viret Soli gemmarum contuitu oculos implent nec satiant: quin & ab intētione alia obscurata aspectu Smaragdi recreatur acies; scalpentibusque gemmas nulla alia gratior oculorum refectio est. Ita virids lenitati lassitudinem mulcet.* Similiter Solinus cap. 27. vbi adiungit fabulam de Gryphis Smaragdos contra Arimaspos tutantibus: cuius etiam meminit Plinius lib 7. cap. 2. Dictis Plinius ipse addit, ad maiorem visus oblectationem, Smaragdos solitos elaborari concauos, vt visum colligant.

Ex Smaragdo mira fieri specula.

Idem tradit, mira ex Smaragdo fieri specula: *quorum corpus extensum est, eadem qua specula, ratione supinis imagines reddunt.* Atque huiusmodi officium Smaragdus tanto cum oculorum solatio præstat, vt Nero Princeps gladiatorum pugnas in Smaragdino speculo spectaret.

Smaragdos in æreis fodinis reperiri solere.

Obseruatione etiam dignum est, Smaragdos æri quasi affines atque cognatos esse. ait enim Plinius eos in æreis fodinis reperiri solere. & quod mirabilius est, in lydio lapide si lineam Smaragdo ducas, æreum colorem linea ipsa refert, vt experentia notum est.

Epiphanius aduertit, Smaragdi saporem esse acerbum & amarum. Plinius item considerat Smaragdos longinquo amplificari visu, inficientes circa se repercussum aera: & satisfit hæc de Smaragdo adnotasse, eo quod sit gemma omnibus notissima.

NOTATIO XIV.

De Smaragdi proportione & conuenientia cum quarto articulo.

Quartus fidei articulus quid in se contineat.

QVartus Symboli articulus iuxta nostram diuisionem est eiusmodi; *Passus sub Pontio Pilato; crucifixus, mortuus, & sepultus.* Cui hæc Apocalypseos verba respōdent: *Quartū, Smaragdus.* De gēma nonnihil iam superiori notatione diximus. Illud hic imprimis obseruo, Smaragdū Apocalypseos esse concipiendum cum tota illa perfectione & splēdore, quē antiqui Scriptores Scythico adscribunt Smaragdo. Cum hac gēma copulandus est, & cōponendus quartus symboli articulus, qui de Iesu Christi Redemptoris nostri passione agit: quod fuit excellentissimū illud sacrificium pro mūdi sceleribus ad æterni Patris iram placandam oblatū.

Altasar in Apocal.

Digitized by Google

Quare vt Christi redemptio, iuxta Regium Psalmi, copiosissima foret, congruentissimum fuit, vt ipsius assertoris passio summopere acerba & ignominiosa esset, atque adeò patientia Christi fuisset admiranda. In hac Christi Domini morte vertebatur totius mundi salus, & in ipsa Christiani hominis spes ac fiducia nititur, hoc est, pretiosum quoddam virtutum omnium speculum. Vnde qui singulari Dei beneficio intentis animi obtutibus contemplatur atque cognoscit admiranda prorsus mysteria, quæ Diuina prouidentia in Christi Domini cruce occultauit; nulla alia in re ex ijs, quas præpotens Deus in vniuersa mundi machina fabricauit, tantum Diuinæ virtutis, sapientiæ ac fortitudinis deprehendet, quantum in hac vna, quæ infidelium oculis est abscondita, vt sapienter expendit Paulus 1. ad Cor. 1.

Quàm aptè Smaragdus cũ prædicto articulo componatur.

Optaret aliquis, vel obscura aliqua aut sanguinea gemma ad huius articuli symbolum seli geretur. Cæterum habenda fuit ratio nõ solùm de ipsa mortis figura; sed de alijs etiam rebus quamplurimis, quas nobis hic articulus proponit ob oculos. Ad quarum omnium significationem nulla potuit gemma Smaragdo aptior & congruentior assumi.

Iris suprà c. 4. tota ex Smaragdo, Christi passionis symbolum.

Hoc, vt ampliùs declaretur, obserue primò; iridem Ioanni visam cap. 4 3. (cùm ait; *Et iris erat in circuitu sedis*) esse totam Smaragdinam. atqui vt eo loci expendimus, propria illius iridis significatione passionem Christi Domini repræsentat, ex Isaiæ 54 8. & 9. vbi sic habetur; *In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit redemptor tuus. Sicut in diebus Noe istud mihi est, cui iuraui, ne inducerem aquas Noe vltra super terram sic iuraui, vt non irascar tibi. Montes commouebuntur, & colles contremiscent: misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur, dixit miserator tuus Dominus.* Cùm igitur cælestis arcus sit mirificum symbolum certissimæ spei, quæ nobis est iniecta, diuinam indignationem nusquam ita inundaturam, vt mundum prorsus exsorbeat; respecturam enim pignus, quod nobis tradidit, atque ita demum fore placandam: cum hoc, inquam, ita sit, quis non videat Christi Domini passionem verum esse pignus nobis datum, quo iustam Deus mitiget iram, nec insceleratos homines excandescat? Christi ergo passio atque mors est vera illa iris, siue cælestis arcus, qui Dei thronum ambit, vt cap. 14. vidimus. Quod autem illa iris thronum circundans tota ex Smaragdo fingatur, propterea factum est, quia Smaragdus est symbolum huiusce articuli, quo de Christi Saluatoris nostri passione, atque adeo de firmissimo spei nostræ adminiculo agitur, Quin etiam arcus ille totus ex viridi Smaragdo erat, absque vlla sanguineæ vindictæ aut pallidi metus permistione, quibus coloribus iris hæc, quam oculis in cælo crebrò spectamus, constare solet.

Christi passionẽ esse nostræ spei firmissimum adminiculum.

Smaragdi reflexione carnis fibrã tigua colorem remitti atque frangi.

Secundo obserue, cùm Smaragdus sit eiusmodi gemma, quæ plus ceteris aspectum permulceat; esse pariter eius naturæ, quæ præ ceteris remittit atque debilitat carnis sibi contiguæ colorem. Notum est, qui viridis cuiusquis lapidis splendore perstringatur, pallẽtis omnino coloris eum videri. Si ergo viridis color carneum infringit colorem; nulla res ita illum decolorabit, atque Smaragdus, habita quantitatis proportione. Nam vt Plinius ait nullus est lapis, qui ita inficiat, *circa se repercussum aëra* & ideo Smaragdi *longinquo amplificantur visu*. Hinc fit, quæ gemma plus spectantis reficit ac recreat, eadem decolorari ac pallidam reddi illius carnem, qui gemmam ipsam amplexus est. Quem etiam participabit effectum, qui Christum caput ac ducem imitatus, crucem ipsius amplectatur atque in humeros tollat. Huc spectat, quod Epiphanius de amaro Smaragdi sapore tradit: quo nobis innuitur, summo solatio nostrum visum atque spem affici ex ipsius rei conspectu, quæ gustata Christo ipsi, adeò amara fuit.

Christi passio ad carnis petulantiam coërcendam efficax.

Christi patientia interverbera & clauos per Smaragdum figurata.

Tertiò, facit etiam ad rem Scythicus Smaragdus ad summæ patientiæ & constantiæ significationem; quia *Scythicorum, Aegyptiorumque tanta durities est, vt nequeant vulnerari*. Vnde claui ac verbera, quæ Christi carnem discinderunt, ipsius constantiam & patientiam neutiquã læsere. Atque hæc magna durities cum viridi Smaragdi colore perfecto sociata repræsentat constantiam atque patientiam cum copiosissimi fructus expectatione, quẽ Christus Dominus præuidit ex sua ipsius passione sanctissimâ præcipiendum.

Quartò, Smaragdus ab omnibus artis medicæ peritis pro mirifico contra venenum antidoto reputatur. Itaque Smaragdi puluis admiscetur confecturæ ex Hyacinthis effectæ, alijsque omnibus antidotis. Hoc ipsum in Christi Domini passione mysticè accidit: cuius egregia ac singularis virtus imbibitur atque intenta est per remedia omnia, quæ nobis aduersus peccati venenum diuinitus reserata sunt, vt in Sacramentis notum est.

Smaragdus præsens contra venena antidotum.

Christi passionis meditatio aduersus omnia vitia remedio.

Quintò, quam oculi oblectationem ex Smaragdo oppolito percipiunt, ea est Ecclesiastici verbis consentanea cap. 40. 22. *Gratiam & speciem desiderauit oculus tuus, & super hoc viridescationes*. quasi dicat, ad oculorũ solatium viridem præstare colorem, quàm egregiam quamlibet pulchritudinem. Si ergo viridis color tanto visum oblectamento perfundit, nihil est Smaragdo viridius, vt optimè notat Plinius. Atque, vt illud etiam obiter perstringam, hæc oculorum voluptas, dum in viridi pascitur colore, coniuncta semper esse solet cum illa etiam voluptate, quam venturi fructus spes in agrorum viriditatem experitur. Itaque viridis color vna ex parte visum recreat ac reficit; ex altera certam spem symbolicè repræsentat: quod vtrumque in Smaragdo rerum omnium viridissimo egregiè figuratur. Namque vt nihil est quod cum Smaragdo compositum videatur viroris nomen promereri: ita etiam nihil ferè aliud pro nostræ spei adminiculo videtur æstimandum, si cum erecta fiducia ex Christi passione in nos dimanante comparetur. Et qui aliarum rerum consideratione, se mœstum, anxium, & in angustias redactum experitur; qui aut fulgentissimum virturis splendorem, quo destituitur, assequi se posse desperat; aut ingruentes labores vel dæmonis suggestiones exhorrescit, aut rectissimum Dei iudiciũ reformidat; aut etiam inferorum pœnas suis flagitijs debitas extimescit: quicunque (inquam) alicuius ex hisce rebus aspectu & consideratione debiles ac defatigatos animi habet obtutus; protinus mentem recreat & relaxat, vbi ad passionis Christi Smaragdum viridissimum reflectit oculos, *ab huiusmodi intentione fatigata, aspectu Smaragdi recreatur acies*, vt loquitur Plinius. Hinc Christus lassos omnes ac defatigatos ad se vocans, *Ego* (inquit) *reficiam vos*. Ac si appertiùs diceret; quicunque aliarum rerum pondere pressus atque adeò oppressus fuerit, perfectum inueniet solatium, si ad verum crucis Smaragdum mentis aciem conuerterit.

Christi passio quàm sit efficax ad mœstos & afflictos recreandos.

Sed ait Christus, *Venite ad me*: quibus verbis nos per viuam fidem, & peccatorum detestationem ad se propiùs iubet accedere; nisi falsâ & fucatâ rerum specie decipi velimus. Hoc propterea dixerim; quia procul Smaragdi præfert speciem, quod re verâ Smaragdus non est, quam vanæ securitatis ansam nonnulli stultè prensantes, dum in flagitiorum cœno sponte volutantur, seipsos solantur nequidquam diuinâ misericordiâ & Christi Domini passione: ac proinde Smaragdum sibi pro libito confingunt ex eo, quod nihil in se præter inanem aëra & meras nugas habet. Verùm enim verò inficiari nemo potest, quin hæc ipsa improborum hominum deceptio nobis retegat, quàm ingens sit vera consolatio ex Christi cruce ad nos redundans: siquidem stulti atque insani falsam inde suæ securitatis occasionem captant. Id quod in ipsomet Smaragdo solet contingere; cuius color viridis adeò est intensus, vt aër etiam ambiẽs viridem quoque præ se ferat colorem, & procul spectãntium lumina deludantur.

Contra insanam eorum spẽ, qui in Christi passione plus æquo fidentes se laxis habenis voluptati propterea vadunt.

Sextò, cùm optimum speculum (vt præcedenti notatione vidimus) ex Smaragdo conficiatur; aptissimè concipitur Christi passio quasi speculum quoddam clarissimum ex Smaragdo conflatum; in quo mirum in modũ figuratur ac refertur virtutis pulchritudo, peccati fœditas charitas Dei, & defectus etiam ac næui illius, qui per se spectatus innocẽs videbatur & sanctus.

Christi passio, clarissimum ad nostra vitia diuinæ iustitiæ speculum.

Septimo, mirus Scythici Smaragdi splendor, quem supra expendimus, egregiè concinit cum insigni admirabilium virtutum perfectione, quæ in acerbissima Saluatoris nostri passione enitescunt; necnon cum septem lucis radijs, quos Ioannes Apocal. 5. in Agno mortuo fuit contemplatus: quibus denotantur septem maximi splendores, quos diuina prouidẽtia septemplici spiritu

Mirus Scythici Smaragdi splẽdor quid figuret.

Digitized by Google

spiritu complectitur. Iam, quod admirabiles huiusmodi radij prorsus deliteſcant, & abſcondantur ab eorum oculis, qui myſterium hoc non altè ac profundè meditantur; id etiam Smaragdus abumbrat: quem vt inueniant, atque eruant; alte terram defodiant oportet, qui in eius inquiſitionem incumbunt. Reperiuntur enim valde abſconditæ huiuſmodi gemmæ, & quaſi in ſecreto burſæ cuiuſdam repoſitæ.

Etheſijs ventis Smaragdos reuoluta arenâ ſolere detegi, quid myſticè innuat.

Verum eſt tamen, Plinium & Solinum aſſerere, Etheſijs ventis Smaragdos reuoluta arena detegi ſolere. Vocantur autem Etheſiæ, qui ab Oriente perflare ſolent certis ac ſtatis anni temporibus; quos dicunt eſſe Solanos ventos, qui ſub caniculæ exortum oriuntur. Hoc fortaſſis applicari poſſet ad labores, ærumnas, & aduerſæ fortunæ flatus, qui nobis cognitionem ingerunt fœlicitatis, quâ in Chriſti Domini paſſione reperimus.

Alia Smaragdi proprietates: & myſtica earum ſignificatio.

Octauò, Albertus Magnus, Abulenſis, Berchorius, Vincentius & alij, quis his ſubſcribant, miras de Smaragdo proprietates prædicant, aiunt enim Smaragdo reddi verba perſuaſoria, id quod in Chriſti crucis Smaragdo certum eſt: quippe illa Euangelicæ prædicationi vires, atque animos addidit. Tradunt enim Smaragdi poſſeſſores valde locupletes fieri; turpium ac fœdarum actionum conſpectum prorſus auerſari, dæmones item A Smaragdo fugari, atque alia id genus, quæ per exaggerationem videntur dicta. Fortè tamen diuina prouidentia huiuſmodi tractationes permiſit, vt earum ſcriptores nec opinantes Chriſti crucem hiſce præconijs extollerent.

Crucis figuram egregiè ex Smaragdo compingi.

Ex hactenus dictis elicio, Smaragdos egregriè impendi in crucis figuram conficiendam, quæ collo appenſa geſtetur. Cum vero æneus ſerpens, quem Moſes, Numer. cap. 21. 9. fabricauit, Chriſtum in crucem ſuffixum typicè expreſſerit, vt communis fert Eccleſiæ, atque doctorum conſenſus: myſterij expers non eſt, quod ſuperiùs attigimus de Smaragdi affinitate cum ære; ita, vt in Lydio lapide linea æreo inſtrumento ducta eundem prorſus referat colorem, ac ſi Smaragdo duceretur. Similiter enim, quod æneo figurabatur Serpente, idem etiam in Smaragdo figuratur.

Illud mihi exciderat, quod tamen hic prætermitti non patiar, memini enim me apud Theophraſtum legere, viridem laſpidem eſſe Smaragdi matrem, quod vſui fortaſſis eſſe poteſt, vt ſignificetur Chriſti paſſio inde ſuam duxiſſe originem, quod ipſos homines, quos poſtea per redemptionem reparauit, antea per creationem condidiſſet. Vnde primæ creationis opus fuit veluti primarium redemptionis fundamentum.

NOTATIO XV.

De gemma Sardonyche.

Onychũ à Sardonyche in ſacra Literu non diſtingui.

PRimum aduertendum eſt, in ſacris Literis non diſtingui Onychem à Sardonyche. Nam in veteri Teſtamento Sardonychem ſolum legimus apud Iobum, cap. 28. 16. vbi Septuaginta poſuerunt Onychem: Hebraicè verò eſt idem nomen *Soham*, quod duabus tribuitur gemmis in vtroque Pontificis Aaronis humero collocatis (quas Onyches appellamus) itemque vndecimæ Rationalis gemmæ. Sed cùm Apocalypſis eam appellet Sardonycha per alluſionem ad vndecimam gemmam Rationalis: cumque Vulgatus interpres Iob 28. 16. eodem illam nomine vſurpet, hinc ſatis probatur, ſermonem eſſe de eo lapillo, quem Græci ac Latini Sardonycha nominarunt: qui multo pretioſior eſt, quam qui propriè & ſtrictè nominatur onyx, vt conſtat tum ex annuli Polycratis hiſtoria (quam referunt Cicero lib. 5. de finibus, prope finem, Plinius lib. 37. cap. 1. & Solinus, cap. 46.) tum etiam ex illo epitheto, quod ei in Scriptura tribuitur Iob 28. 16. cùm dicitur *Sardonyche pretioſiſſimo*. Potuit autem Vulgatus, & potuêre etiam Septuaginta lapidi Sardonychi nomen Onychis indere. Hoc enim nomen poteſt bifariam vſurpari: Primò, pro ſpecie illa, quam Plinius appellat Onychem, prout à Sardonyche diſtinguitur: ſecundò, prout commune eſt earum gemmarum nomen, in quibus lapis vnus ſuper alium videtur impoſitus, vt vnguis eſt ſuper carnem, atque hoc pacto Sardonyx inter Onychas præſtantiſſima eſt.

In Apocalypſeos Sardonycha alluſio ad vndecimam Rationalis gemmam.

Onychem poſſe bifariã vſurpari.

Quæ fuerit vocata gemma Sardonyx in prima ſui nominis impoſitione.

In prima autem nominis impoſitione Sardonyx vocabatur gemma quædam, cuius ſubſtratum (ſic Plinius vocat inferiorem lapidis partem, quæ nigri coloris eſt) ſimile erat Sardæ, quæ eſt veluti caro tranſlucida, & ſuperior pars vnguem referebat, vt docet Plinius lib. 37. cap. 6. *Velut carnibus vngue hominis impoſito, & vtroque tranſlucido.* Poſtea tamen Sardonyches nuncupatæ ſunt gemmæ illæ, quibus præter ſubſtrati nigrorem nihil D erat cum Sardis commune, & quibus ſuperior vnguis ita rubebat, vt candor in minium tranſiſſe videretur. Vnde Plinius ait in Sardonychibus illud valde æſtimari, quod ſuperior facies eſſet locuſtarum maris cruſtis rubentior. Conſtat etiam inter ſubſtratum nigrum, & rubentem ſuperficiem optimas Sardonychas candenti linea diſtingui: itaque poſtquam læuigatæ ac politæ ſunt in media extimæ ſuperficiei parte minium ſiue rubeus color (qui ex ceruſſa & minio quaſi miſcetur) eminebat. Mox in circuitu veluti zona quædam candidiſſima ducebatur; infrà verò ſubſtratum, nigrum, imo, & nigerrimi coloris, vt Plinius tradit. Quamuis aliæ huiuſmodi gemmæ pro ſubſtrato nigro habuerint cæruleum valde obſcurum, cuiuſmodi ſolet eſſe atramenti in cæruleum vergentis color.

Deſcriptio gẽmæ Sardonychi.

Coniunctio hæc triplicis coloris, nigri, albi, atque rubri clarius adhuc colligitur ex Plinio lib. 37. cap. 12. fine, vbi de gemmis factitijs, ait enim, *Glutinatur ex aliis gemmis, aliunde nigro, aliunde candido, aliunde minio ſumptis, ſingulis in ſuo genere probatiſſimis.* Eoſdem ternos colores exprimit dilucide Solinus, cap. 36. ait enim, *Superficies probatur ſi meracius rubeat, medietas circuitur limite candido: reliqua nigro finiuntur.* Et quamuis gemmæ huiuſmodi hodie non magnopere expetantur, ideoque reperiantur paucæ, cum tamen hæc literis mando, in conſpectu mihi eſt Sardonyx quædam, in qua perſpicuè cernitur triplicis coloris diſtinctio, nempe in infima parte nigri, in media albi, & rubri in ſuma. Facile autem eſt videre, ſi in vmbonis figuram, vt docet Plinius, expoliatur, poſſe quidem limitem album remanere non in deiectu gemmæ, ſed in ipſo vmbone, ita, vt minium ſiue ſub rubrum vnguis colorem ambiat.

In gemma Sardonyche triplicem contingit colorum.

Ad hæc, in Sardonyche maxime probatur, *Vt nihil in ſua ſede alieni interpellaretur*, id eſt, vt & album nihil haberet alterius coloris admiſtum, idemque in reliquis coloribus accideret, atque adeo vt alba zona eſſet zona perfecta, & nulla ratione ſe funderet, ſed ad minij ambitum in circuli figuram ſe colligeret. Color verò mediæ ſuperficiei, licet dicatur valde ruber futurus, accipiendum tamen eſt, qua ratione ceruſſæ & minij permiſtio pati poteſt. Sic Hiſpanum vulgus dicere ſolet, *Como el ennes de la roſa*, candore in nimium tranſeunte, vt Plinius ait.

Qua modo ſine figurâ Sardonyx olim ſcalperetur.

Triplicem ergo colorem in hac gemma habemus, inferiorem nigrum, medium cãdidum, ſupremum rubentem: vt expreſsè etiam diſtinguit Iſidorus, Marbodæus & cæteri, qui de gemmis ſcripſere. Ita tamen ſcalpebatur, vt in ipſo vmbone rubeus maneret color candida zona coronatus: quod etiam ad vnguis humanæ imitationem nonnihil refert, in vngue enim, aut in eius ſaltem extremitatibus aliquantulum extat candidi. At in hac gemma non ſolum candor hinc inde diſtinguebatur, ſed continuus etiam limes per circuitum tanquam zona vel circulus albus mediam partem rubentem omni ex parte complectens.

Sardonychas lapillum eſſe opacum, nõ perſpicuum.

Porro in Sardonyche pretioſiore tradunt Plinius & Solinus nihil perſpicui, & pullicidi fore. Hinc Plinius ipſe ait, cæcas ſiue opacas Sardonychas abſtuliſſe nomen, id eſt, nomen Sardonychum ſibi per excellentiam vindicaſſe. Gemmæ iſtæ Romanis fuere imprimis gratiſſimæ ad anulorũ, id eſt, ſigillorũ vſum: quoniam *ſola propè gemmarum ſcalptæ* (ait Plinius) *ceram non auferrent.*

Rubentem ipſius ſuperficiem contemplatur Plinius

Digitized by Google

nonnihil in purpuram tendere; *non sine quadam specie purpuræ candore in minium transeuntę*. In circulo autem quantumvis candido considerat etiam inesse *quandam arcus cælestis anhelationem*.

Sardonyches proprietates à nonnullis traditæ.

De aliis huius gemmæ qualitatibus nihil graue & antiquitate fultum occurrit. Rueus ait, ea reprimi animi A fastum: alijs placet esse valde salutarem, & animo hilaritatem adducere. Abulensis vero Exodi 28. scribit multos esse Onychis effectus noxios ac pernicioſos, vt tristitiæ, formidinis, odij atque bellorum. alij volunt in Sardonyche figurari insana, tetra & horrenda visa, illam etiam rixas ac lites excitare.

NOTATIO XVI.

Vbi gemma quinta ad quinti articuli mysterium accommodatur.

Quintus fidei articulus cum Sardonyche componitur.

VErba quinti articuli hæc sunt pauca; *descendit ad Inferos:* Apocalypseos vero illa: *quintum, Sardonix.* Vidimus iam in superiori notatione Sardonychem esse gemmam opacam, cui tres sunt circuli siue lineæ: infima nigra, media candida, summa rubens (quod idem est atque esse candidam & rubicundam.) porro in hoc lapide sculpto iam & perpolito album remanere colorem, quasi rubentis coronam; sicut zona alba medium vmbronem rubentem complectens. B

Quid in se includat articulus Symboli quintus.

Articulo autem quinto edocemur Christum redemptorem nostrum, simul ac sanctissimum Patri spiritum tradidit, corpore in cruce relicto ad inferos descendisse vt iustos omnes in Patrum sinu detentos ad veram libertatem & gloriam assereret ac reuocaret, tanquam copiosissimum suæ passionis & mortis fructum. In hac symboli veritate considerandæ est maximè diuersa omnino sors ac differentia inter eos, qui apud inferos tenebantur. Nam iustis ac Dei familiaribus eam inferorum partem incolentibus, qui vocatur limbus, fuit luxilla omnium fœlicissima, quæ expectari aut cogitari possent. Improbis vero in barathrum detrusis non longè loco dissitis tristissimus ac deploratissimus dies extitit, propter vtrorumque sortis ac status discrimen: cum ipsissimet in summa miseria & infœlicitate æternum remanentibus, ipsorum vicini ad glorioſissimam libertatem sunt educti. Iam, quod attinet ad doctrinæ huius certam ac stabilem veritatem & ad ipsam impugnantium confutationem, consuli possunt Scholastici doctores, & præsertim Valentia 3. p. disp. 2. q. 4. puncto 2. C

Sardonychis colores quo modo ad hoc mysterium applicentur.

Pro huiusce articuli symbolo Sardonyx fuit inter gemmas delectus. In quo mihi persuadeo, superiorem eius partem (id est rubentem superficiem) esse symbolum Christi redemptoris nostri: limitem siue circulum candidum, qui vt zona extimam superficiem rubentem complectitur, iustorum in Patrum sinu siue limbo commorantium; substratum nigerrimum, damnatorum, qui in ima inferorum parte, id est, in barathro torquebantur.

Quid niger Sardonychis color, quid candidus adumbrent.

Primo ergo cum articulorum ordo deposcat, vt quarta gemma Christi passionem, sexta resurrectionem adumbrent: facili negotio quisque cernet, per quintam congruenti ordine significari Christi ad inferos descensionem. Deinde, cum inferni nomen eam denotet partem, quæ infima est: si qua ratione id potuit in gemma aliqua figurari, in ea certè repræsentandum erat, quæ sub facie summa duas alias continet partes, quæ quasi inferiora loca sunt. Tertiò, quæ distinctio in infetis erat regionibus, (damnatorum quidem in inferiore parte, in superiore iustorum,) aptissime figuratur in eo, quod Sardonychis substratum sit nigerrimum, medius vero limes candidus. Quemadmodum enim summa infœlicitas in atro atque obscuro colore innuitur: ita etiam vitæ candor & innocentia in candido. Huc accedit vsitatum fuisse antiquorum morem, vt per nigrum lapillum, diem infœlicem; fœlicem, per album significarent. Cuius consuetudinis plura passim testimonia apud antiquos Scriptores præsertim Poetas occurrunt. Quarè copulatio albæ lineæ cum substrato nigerrimo mirificè confert in Sardonyche ad illud significandum, quod in Christi descensu ad inferos accidit. Iustis enim quasi candidus cum sorte fœlicissima lapillus obtigit: iniustis in infimo loco relictis ater ac tristis cum summa miseria.

Christi ad inferos descensus qua ratione in Sardonychis symbolo figuretur.

Sed videamus, qua ratione superficies insigniter rubens repræsentet Christum ipsum, qui ad inferos descendit. Atque imprimis vidimus iam in præterita notatione, colorem extimæ superficiei in Sardonyche esse candoris ac minij permistionem, vt Plinius expressit. Quod perinde est, quasi superficies illa sit pariter candida & rubicunda: atqui de Christo Domino dicitur Cant. 5. 10. *Dilectus meus candidus & rubicundus.* Secundò, si per hæc ipsa Canticorum verba (vt eo loci disputabimus) significatur vna ex parte maxima vitæ puritas & sanctimonialia (cum candor siue albor immaculatam vitæ sanctitatem denotet;) ex altera vero ingens alacritas & vigor (nam rubicundus color sanguinem, in quo vita consistit, repræsentat.) si hoc, inquam, ita est; vt significaretur, qui occisus fuerat prius, non quidem sceleratum fuisse, aut à morte ipsa superatum, sed peccati ac mortis triumphatorem, quid conuenientius, quam symbolum summæ sanctitatis, & vegetæ atque integræ vitæ proferri? Ea quippe ratione denotatur, Christum Dominum ita fuisse à peccato immunem, vt ipsammet præ se ferret sanctitatem, ita à mortis triumpho liberum, vt ipsam potius glorioſissimè triumpharet. Quod verò rubicunda superficies candidæ ac nigræ sit imposita, ostendit Christi imperium ac dominationem in ipsas inferorum regiones. Iam, si linea candida & substratum nigerrimum rectè inferorum locum adumbrant, vt figuretur, eò Christum descendisse, quid congruentius, quam ipsius Christi symbolum, videlicet rubentem superficiem candido circulo ambiri, qui substrato nigerrimo contiguus est? D

Rubicunda Sardonychis superficies candida ac nigra imposita quid mysticè innuat.

Limbus non Sanctorum Patrum sinus dictus, quid significet.

Præter hæc, nomen, quod iuxta communem acceptionem tribuimus infero sanctorum Patrum loco, est *Limbus*: quo nomine catechismi omnes vtuntur. Quid igitur aliud limbus est, quàm ora siue ambitus? Ergo qui attentè Sardonychem inspexerit, planè aduertet, candidum illum circulum esse veluti limbum & quasi ambitum inter supremam superficiem rubentem & nigerrimum substratum. Atque illud etiam, quod præcedenti notatione diximus, circulum candidum esse rubentis superficiei coronã, hic pariter cohæret aptissimè. Etenim si superficies illa Christum repræsentat, Christus ipse inter iustos in Abrahæ sinu commorantes medius apparuit, vt lætificaret omnes, summa & fœlicitate bearet. Quin & sanctissimus ille Patrum cœtus Christum in limbo circundans fuit quædam maximi triumphi ac celebritatis corona eundem triumphatorem redimiens atque ornans.

Altera nomini Limbus acceptio.

Quod si aliquis dicat, hoc nomen *limbus*, quando ad sanctorum Patrum sinum aptatur, accipi non in oræ siue ambitus significatione, sed pro *obscurus*, ita vt *limbus*, idem sit, atque γίμβος, quod idem est, ac tenebricosus & obscurus, tunc quæ inferorum pars ex obscura & caliginosa fuit præsente Christo clarissima ac lucidissima reddita, hæc per circulum album significabitur. Quæ verò in summa obscuritate permansit, & in extrema miseria atque infœlicitate, hæc per substratum nigerrimum indicabitur.

Sardonyches ad sigillorum vsũ esse aptã, quid innuat.

Obseruandum præterea est, quod suprà diximus, Sardonychas maiori ex parte ad sigillorum vsum aptari. Nam peculiaris est illi proprietas, nihil vt ceræ ad sigillum ipsum adhæresceat. Si ergo iuxta hanc consuetudinem pretiosum consideremus Sardonychem, in cuius rubentis superficie imago aliqua pulcherrima insculpta sit, elegantissimè concipi potest eiusmodi figura, quasi Christi victoriam referat. Quando enim Christus sanctis Patribus propalam visus est, in ea dilucidè perspexerunt victoriam, quam nuper de peccato, dæmone ac morte comparauerat, nec non gloriæ magnitudinẽ, qua ipsorum animos mentesque compleuit.

Christi anima non fuisse indignum ad Patrum limbum triumphatricem descendere.

Quod autem nonnulli huic articulo opponunt videri rem Christi anima indigna, vt post victoriam in cruce partam ad inferos per se ipsa descenderet, cum nullus dignaretur imperator ad obscuras & tenebricosas

Digitized by Google

cosas teterrimi carceris subterranei scrobes descendere. Hoc, inquam, egregiè refutat ac depellit mira illa Sardonychis proprietas cuius Plinius atque alij meminere; scilicet si pro sigillo vsurpetur, eam nihil aut ipsius ceræ aut vaporis aut maculæ contrahere. Et propterea Plinius ipse ait, Sardonychas apud Romanos in pretio haberi cœptas, qui illis pro sigillis vtebantur. In hac igitur Sardonychis proprietate eleganter innuitur, quod ad prædictæ obiectionis solutionem opus erat. Nam gemma illa, quæ aliquid ex cera auferre solet, aut labe aliqua seu macula infici, hæc a ceræ contactu & ab alia qualibet contagione seruetur necesse est. At verò, quæ ab huiusmodi periculo est immunis, non solum à ceræ impressione non est abstrahenda, verùm etiam in id munus debet impendi ad suam ipsius munditiem, læuorem atque decorem ostentanda. Quid enim magis glorioſum aut honorificum, quam suum conseruare splendorem ac venustatem, vbi alijs deperit?

Christum ex descensione ad inferos nihil labis ac sordis contraxisse: sed suam potius nihi potera dm ostendisse.

Terreni igitur principes mirum non est, si ad obscura, tetra atque immunda loca descendere refugiant. Illis enim periculum imminet ex ea miseria atque pædore aliquid contrahendi. Veruntamen Christi animæ sanctissimæ nihil erat eiusmodi extimescendum. Quod si ingens ipsius charitas eam inuitabat, vti ad inferorum caliginosa loca descenderet ad suos ex vinculis educendos: clarissima ipsius maiestas id non solùm non impediuit, sed potius opportunam nacta est occasionem, vt suæ gloriæ ac splendoris egregium præberet argumentum: quando ita liberè ac securè poterat infimũ illum locum miserum & infælicem penetrare. Ingressus igitur fuit Saluator noster inferorum regiones, & suæ omnipotentiæ sigillo effigiem atque insigne suorum gestorum ibidem reliquit impressum: & in tetro illo atque obscuro loco sese vniuersalem rerum omnium dominum cognoscendum exhibuit. Quinimò ipsimet dãnati, licèt inuiti ac renuentes, ad sanctissimum ipsius Redemptoris nomen genua flectũt. Nec solum ab omni fuit ceræ, id est, caliginis illius & immunditiæ contagione securus; sed potius maiori inde gloria suspiciendus exiuit, quod vt triumphator gloriosissimus se in ijs inferorum ergastulis maiestate atque imperio præpotentem ostenderit.

Non parum priscis Poetis gloriæ ac dignitatis assequuti visi sunt duo illi aut tres egregij duces, quos illi ad inferorum loca descendisse, vt suos inde amicos eriperent, confinxerunt. Hinc Latinus Poeta eleganter A cecinit, sub Æneæ Troiani persona, Æneid. 6.

Si potuit manes arcessere coniugis Orpheus
Threicia fretus cithara, fidibusque canoris:
Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itque. reditque viam toties: quid Theseа, magnum
Quid memorem Alciden?

Si ergo huiusmodi commenta fuere excogitata ad virtutis maximæ & auctoritatis picturam: quanto præstãtior & excellentior erit vera gloria, quæ splendescit in ea certissimæ historiæ veritate: qua docemur Christum assertorem nostrum ac vindicem, non iam per somnia & incantationes, sed re ipsa suo diuino robore ac fortitudine armatum ad ea loca teterrima descendisse? suos familiarissimos ex indigno carcere educturum?

Quæ à nonnullis qualitates Sardonychis attribuũtur, quæ ratione huic ipsi mysterio deseruire possint.

Inter oppositas atque contrarias proprietates, quas Abulensis & alij de Sardonyche sine Onyche scribunt; B forte dici posset, quòd gemma hæc, si, qua parte substratum habet infernum, ad aliquem applicetur, mœstitiam atque odium affert, & rixas contentionesque mouet: si verò penes superficiem & circulum candidum applicetur, firmam valetudinem & solatium ac pacem lætitiamque præstat. Quod si ita esset, facilis applicatio foret: nam ex vna parte denotabitur furor ac rabies qua damnatos omnes per occasionem descensus Christi corripuit: ex altera verò innuetur sanctorum Patrum lætitia atque voluptas, quam ex glorioſa hac Christi descensione acceperunt, Iam, quod à Rueo traditur Sardonyche fastum animi reprimi; non abs re est. vt significetur per huiusmodi descensionem Christi, iactantiam ac superbiam Dæmonis repressam, atque adeò contritam fuisse.

Species purpuræ in Sardonyche quid mysterii adumbret.

Denique species illa purpuræ, quam Plinius in Sardonyche contemplatur, apposita est ad eam significationem; vt gloria illa, quam Beatorum animæ in limC bo repentè acceperunt, sit etiam certissimum carnis resurrectionis pignus: quod mysterium, vt in gemma duodecima probabitur, per Amethysti purpuram significatur. Cælestis vero arcus anhelatio siue æmulatio (quam etiam Plinius in Sardonyche speculatur) mirifica est huic instituto; namque vt cælestis arcus post generale illud diluuium reliquum nobis est pignus, fore vt nunquam deinceps homines inundatione absorbeantur: ita similiter Christi descensus ad inferos iustos illos reddidit securos, quod iam imbres tristitiæ & laborum abijssent, & nihil eiusmodi sibi in posterum esset extimescendum.

NOTATIO XVII.

In qua disputatur, An Petrus in Epistola prima cap. 3. agat de descensu Christi ad inferos.

VErba textus, quæ magis facessunt, sunt quæ seD quuntur.

19. *In quo & his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicauit.*

20. *Qui increduli fuerant aliquando, cum fabricaretur arca.*

Quinam expositores hunc Petri locum explicent.

Loci huius interpretes habemus Clementem Alexandrinum, Oecumentum, Bedam, Glossam, Albertum, Hugonem, Thomam, Dionysium, Caietanum, Titelmanum, Vatablum, Clarium, Gagneium, Zegerum, Ariam, Hesselium, Salmeronem, Sa, & Erasmi notas.

Explicant etiam ex professo Augustinus Epistola 99. Thomas 3. parte q. 52. art. 2. ad 3. Castro de Hæresibus, Mendoza in quodlibetis, Diegus de Paiua, Bellarminus tom. 1. lib. 4. c. 13. Turrianus lib. 4. pro epistola Pontificum, Suarez tom. 2. Valentia tom. 4. Pererius tom. 2. in Genes.

Præter hos obiter locum explanant Hieronym. Isaiæ 54. Clemens Alexandrinus lib. 6. stromatum, Epiphanius, Athanasius, Cyrillus, Hilarius in Psal. 118. Ambrosius ad Roman. 10. Ruffinus in Symbolo.

Quo sensu explicandus sit B. Petrus asserens, Christum spiritibus, qui erãt in carcere, prædicasse.

Et locus quidem ipse expressè affirmat, Christum spiritibus incredulis prædicasse. Contextus vero difficultas occasionem præbuit, vt expositiores in varias atque multiplices sententias abierint. Etenim primo explicatur hic locus de prædicatione, quam Christus per se ipse effecerit ante suam incarnationem, nempe Noei tempore. Secundo, de prædicatione à Christo post incarnationem, sed ante passionem facta. Tertio, de prædicatione in limbo post ipsius mortem, cum ad inferos descendit. Quartò, de prædicatione in Ecclesia facta à Christo postquam ascendit ad cælum. Ecce quatuor expositiones; in quarum ferè singulis plurimum etiam variatur.

Quadruplex difficilis huius loci explicatio.

Nonnulli existimantes, tertiam declarationem ceteris solidiorem esse (scilicet de Christi ad inferos descensu) hoc ex loco niti[untur] hæreticos reuincere, qui Christi descensionem ad inferos inficiantur. Nec tamen huiusmodi expositores grauissimam contextus difficultatem soluunt. Ego è contrario sic statuo, primo rationi videri consentaneum, ne plurimum virium in hoc loco aduersus hæreticos adhibeatur. Secũdò, quod ad Catholicos attinet, me contextus difficultati satis fortasse facturum, in tertia ipsa expositione de Christi descensione ad inferos.

Vtrùm ex hoc Petri loco reuinci possint efficaciter hæretici negantes Christi descensum ad inferos?

Propterea autem existimo, hæreticos hoc loco validè reuinci non posse; quia duplici ratione possumus redargui. Prima, quia si interpretum auctoritatem æqua lance pensemus; non minus ponderat eorum opinio ac censura, qui hoc in loco de Christi descensu ad inferos sermonem non esse contendant. Altera, quia ijs auctori-

Digitized by Google

auctoribus, qui de descensione Christi ad inferos hunc locum explicant, non omnibus securè niti possumus. Nonnulli enim hæc verba applicant ad concionem à Christo apud inferos factam, vt damnatos saluaret. De singulis ergo expositionibus seorsum nonnihil dicamus.

Prima expositio ex quatuor præcipuis expenditur de prædicatione temporibus Noëi facta.

Prima expositio est, non agi in hoc loco de Christi descensione ad inferos; sed de prædicatione, quam Dei Sapientia ante Incarnationem præstitit temporibus Noëi. Hanc opinionem sectatur Clemens Alexandrinus in Commentarijs, quæ habentur tom.1 Bibliothecæ. Hieronymus expressè Isaiæ 54. Augustinus Epist.99. Beda, Albertus, Glossa ordinaria, & interlinealis, atque Lyranus; D. Thomas in Commentarijs, & 3.p.quæst.52. art.3.ad 2. Hugo Cardinalis, Dionysius Carthusianus, Diegus de Paiua. Eandem fatetur Lyranus esse communem Doctorum opinionem, & laudat etiam Mendoza in quodlibetis.

Duplex interpretationis prædictæ fundamentum.

Duo sunt opinionis huius argumenta. Primum si locus hic de Christi ad inferos descensione disputaret; neutiquâ coarctaret prædicationem ad incredulos sub Noëi tempora. Huic obiectioni nihil respondent testiæ declarationis auctores, quod difficultati plenè satisfaciat. Alterum, dum dicitur Christus Euangelium incredulis prædicasse; si de prædicatione apud inferos facta sermo est, perinde esse videtur, ac si dicatur ad se Christus conuertisse atque saluasse eos, qui in mortali peccato decesserant. Id quod videtur supponere Euodius ad Augustinum Epist.98. & perspicuè tenent Clemens Alexandrinus lib.6. stromatum, Nicetas, Nazianzeni interpres, Caietanus hic, & Isidorus Clarius, licèt aliquantulum obscurè. Consule Mendozam in quodlibeto, vbi etiam affert Hieronymi, Damasceni, & aliorum loca, qui id sibi persuaserunt. Vide item, quid Augustinus dicat Epist.99. ad Euodium.

Argumenta contra superiorem expositionem.

Vidimus primæ expositionis contra tertiã argumenta. Contra primam quidem opponit Bellarminus, minimè esse ad rem in eo loco tractationem de prædicatione sub Noëi temporibus facta. Responderi tamen potest, cohærere potiùs optimè cum antecedentibus & subsequentibus, vt infrà ostendam.

Secundò opponit verba ipsa textus, quæ primæ expositioni violenter applicantur: cuiusmodi est vox illa. *Veniens*? item, *prædicauit spiritibus, qui erant in carcere*. Quamuis enim Augustinus, & eius sectatores spirituum in carcere detentorum nomen transferant ad animas peccatorum, quæ in carcere siue infidelitatis siue mortalis corporis erant detentæ; simulque asserant ipsosmet homines, sicut, & animas, ita etiam vocari posse spiritus: durior adhuc remanet loquutio. Quamobrem non defuit, qui legere voluerit *in carne*, pro *in carcere*, vt Beda. Alij carceris seu custodiæ nomen ad Noëi arcam referunt, vt Arias Montanus. Qua in re illud præstimitur, qui simul cum Noëo se in arcam receperunt, priùs ipsius Noëi prædicationi se incredulos præstitisse; quod tamen merè gratis dicitur. Alijs placet, incredulos, quibus Noëus prædicauit, spiritus in carcere appellari; quia quando B. Petrus Epistolam conscripsit, eorum animæ iam apud inferos torquebantur. Ita Diegus de Paiua apud Mendozam, & Beza apud Bellarminum; qui hæreticus nostram explodit Vulgatam, asseritque non fore legendum, *qui in carcere erant*, sed, *qui in carcere sunt*.

Verbalia, prædicauit in Spiritu, quomodo ab aliis exponantur.

Deinde, verba illa, *Prædicauit in spiritu*, alij exponunt de Christi Spiritu (qui est siue Spiritus sanctus, siue diuina sapientia) per Noëum loquente. Alij putant, tunc etiam Verbum æternum sub visibili specie apparuisse & prædicasse, vt de antiquis alijs apparitionibus accepimus. Qua de re legatur Mendozæ quodlibetum. Quod autem Christi spiritus per Noëum prædicasse feratur, asserent fortasse consentaneum esse loquutioni eiusdem Petri Epist.1. cap.1. 11. vbi ait, Christi spiritum per veteres Prophetas fuisse loquutum. Cùm verò fuerit hæc Christi spiritus prædicatio; aptè dici poterit ad hominum spiritus fuisse facta: sicuti Paulus loquitur de quodam cœtu non corporeo, sed spirituali: *Congregatis spiritu meo, & vobis*, 1. Corinth.5.4. quod idem est, atque *Spiritu meo, & spiritibus vestris*.

Dimanat post-

Demum prima hæc expositio nihil in se facilitatis habet: & apparet quidem, eam idcircò fuisse excogitatam, vt tertiæ opinionis difficultatem auctores subterfugerent. Quapropter, vbi nodus ille apprimè soluatur, id ad primæ expositionis impugnationem satis erit. Licèt Augustinus dicat, se earum difficultatum solutionem optare, vt ad tertiam declarationem adhæresceat. Non tamen propterea primam inficiabitur, cùm & ex illa nihil dissonum aut dissentaneum subsequatur, & idem Scripturæ locus plures expositiones literales admittat.

tio prædictam probatur.

Secunda explanatio est de prædicatione à Christo facta, dum in corpore mortali degebat. Hanc sequitur Zegerus, & eam Augustino tribuit. Constructio autem est huiusmodi. Christus aduenies prædicauit etiam spiritibus conclusis corporis (vel ignorantiæ) carcere, ijs, inquam, qui increduli erant ad similitudinem eorum, qui sub Noëi tempore fuerunt, &c. Hæc expositio faciliùs explicat vocem *aduenies*: in ceteris est prorsus violenta. Cùm enim dicat textus, Increduli erant, cùm fabricaretur arca; exponit, eos fuisse incredulos ad eorum modum, qui sub Noëo quondam fuerunt.

2. Interpretatio de prædicatione à Christo facta, dum in carne mortali degeret, examinatur. Reijcitur 2. explanandi via.

Tertia expositio est de Christi descensu ad inferos. Huic ex antiquis subscribunt Clemens Alexandrinus, Epiphanius, Athanasius, Cyrillus, Hylarius, Ambrosius, Ruffinus, Oecumenius. Ex iunioribus Lyranus, Caietanus, Castrius, Clarius, Zegerus. Ex nostris Salmeron, Turrianus, Bellarminus, Pererius, Suarez, Valentia, & Emanuël Sâ. Cæterùm non omnes eodem modo procedunt. Nonnulli enim volunt, hoc in loco sermonem institui de Euangelio ad damnatos prædicato, vt reapse resipiscerent, & saluarentur. Alij de prædicatione ad eos habita, qui Noëi prædicationem increduli priùs respuerant; posteà verò vbi diluuium aspexerunt, se ad veram fidem conuerterunt, & in solida peccatorum detestatione morientes ad sanctorum Patrum sinum fuerunt delata. Alij, vt Turrianus, ex hoc colligunt loco Purgatorij veritatem: atque adeò asserunt in præsenti agi de prædicatione habita ad eos, qui in Purgatorio morabantur.

Tertia expendendi ratio de Christi ad inferos descensione.

Verumenim verò existimo imprimis nihil opus esse, vt in præsenti sit sermo de prædicatione, per quam salui sint facti; qui Noëi tempore, cùm fabricaretur arca, duros se, & obstinatos præbuerunt. Etenim verbum, *prædicauit*, potest ritè vsurpari pro notum fecit: atque hoc pacto damnatis in ipsa adhuc miseria, & infœlicitate perpetuò manentibus, suam Christus prædicauit victoriam; quandò ad inferorum ergastula descendens, sanctorum Patrum animas inde eruit. Similiter exponunt pro damnatorum redargutione sanctus Athanasius, sanctus Thomas, & Dionysius Carthus. in 3.distinct.22.q.6. apud Mendozam; & eâdem etiam ratione explicat Suarez. Ipse quidem nihil modò statuo, vtrùm damnati fuerint omnes, qui Noëi tempore sub arcæ fabricationem se incredulos præbuerunt. Sed illud tamen improbabile reputo, asserere generatim loquendo, qui priùs se incredulos præstiterant, à suis sceleribus resipuisse, & pœnitentiam egisse, atqui verba ipsa vniuersè procedunt de spiritibus, qui tenebantur in carcere, & duri atque increduli extiterant. Præsertim cùm in Græco per articulum legamus τοῖς πνεύμασι. Quamobrem, cum asseuerandum non sit, qui lethali scelere præpediti è viuis excesserant, eos à Christo fuisse in æternam salutem assertos; nec etiam est affirmandum fuisse à Christo ex illo carcere eductos, qui fabricationis arcæ tempore fuerant obstinati. Ad quod tamen parum referret, eos in limbo siue in aliquo purgatorij recessu deponere; si esset probabile tam longum purgatorij tempus; quod à Noëi ætati ad Christi vsque Passionem duraret. Cæterùm, vt ab hoc supersedeam, existimo Petri verba generatim agere de illis, qui Noëi tempore incredulitatem prætulerunt. Quare probabilius est, verbum *prædicauit*, nihil aliud esse, quàm *notum fecit*.

3. Expositio prædicta ab auctore probatur, & explicatur. Prædicare hic idem, quod notum facere.

Dicet aliquis, huic loco respondere verba capitis sequentis: videlicet 1.Petri 4.6. *Et mortuis Euangelizatum est*. Ex quo videtur inferri, *prædicauit*, perinde hic esse quasi, *Euangelizauit*: atqui Euangelizare est bonum afferre nuncium; qui tamen neutiquam bonus ac lætus nunciatur ijs, qui in inferorum regione retinendi

Difficultas contradicti solvitur.

adhuc

Digitized by Google

adhuc erant. Respondeo, verba illa, *& mortuis Euangelizatum est*, hunc ad locum non spectare. Nam contextus ipse postulat, vt in sensum valdè diuersum accipiantur, sicuti seorsum ostendam. Præterquam quod, si sensus esset, bonum de Christi victoria nuncium ad sanctos Patres in Abrahæ sinu degentes fuisse delatum; in hoc quidem peculiaris erat proportio & cõgruentia cum priore loco, scilicet, *Veniens prædicauit his qui in carcere erant, spiritibus*, non quod *prædicauit* sit idem, atque Euangelizauit, sed quia damnatis ideo nuncius de Christi victoria fuit auditus, quia Christus ipse ad inferos descenderet nuncium fœlicissimum suis amicis perlaturus, eosque ex illis tenebris eductus.

Respondetur ad obiectionem suprà oppositam contra tertiam expositionem.

Supereſt nunc respondere præcipuæ difficultati, quam tertiæ huius sententiæ oppugnatores aduersus eam obijciunt; nimirum, si Christus ad inferos descendens suæ victoriæ nuncium omnibus ibi cõmemorantibus euulgauit, cur Petrus non alios designat, præter eos, qui increduli fuerant. cùm arca Noë fabricaretur? Ad hoc respondeo, primò huic loco plus energiæ & elegantiæ subesse, quã primo aspectu apparet. Nam vox illa *per aquam* denotat, ipsã diluuij aqua Deum fuisse vsum ad arcæ exaltationem, & ad humani generis incolumitatem, quod in illis perpaucis hominibus in area, inclusis fuit asseruatum. Itaque aqua, quæ terrarum orbem inundauit, & arcam obruturа videbatur, ea ipsa fuit medium instrumentum, vt, & arca valde extolleretur, & per arcam generi humano salus esse posset. Secundò, mens diui Petri ea est, vt asserat, Christum, cùm ad inferos descendit, effecisse, vt veteres vmbræ & figuræ in eo esse impletæ, & veritatem accepisse viderentur.

Cur, cùm Christus ad inferos descendens suã victoriã nuncio omnibus notũ fecerit Petrus eorum singillatim hic meminerit, qui Noë tempore vixerunt.

Antiqua Noë arca quid typicè figuraverit.

Tertiò, hanc ad rem selegit Petrus pro exemplo, arcæ antiquæ figuram, quæ eadem diluuij vnda fuit euecta, atque eleuata. Quæ figura, & antiquissima est, & nobilissima, & Petri intentioni appositissima. Significat enim cuiusmodi extiterit orbis, & quomodo pœnarum ac suppliciorum diluuium, quo mundus ob sua scelera demergitur, in Christum recidens ac depluens, contulerit maximè ad veram ipsius Christi exaltationem & humani generis salutem.

Cur hic solum fiat mentio incredulorum sub Noë tempore.

Quartò, quamuis huius figuræ complementum euidenter fuerit ostensum omnibus, qui in inferorum cauernis erant, siue damnatis, siue indemnibus, siue antiquis, seu recentibus; nihilominus aptè, & elegantèr siletur de reliquis, & solùm exprimuntur ij, qui fuerunt increduli, cùm arca fuit extructa. Dum enim ita affirmatur, perinde est, ac si dicatur, licet omnibus id fuerit nunciatum, peculiariter tamen diuinæ prouidentiæ gloriam in eo splendescere, quòd eos singillatim cõfusione ac pudore affecerit, qui minimè credebant, arcam illam humani generis salutis instrumentum fore; vt hac ratione animaduerterent (qui arcam olim irridebant) eam non solum fuisse instrumentum, vt homines ex illa eluuione incolumes euaderent: verùm etiam fuisse egregiam quandam picturam hominum redemptionis, quam Christus Dominus posteà iuxta illius figuræ mysterium compleuerat. Fortè etiam ea tempestate Noëus non modò prædicauit saluatum iri eos, qui ad arcam se reciperent, sed etiam, quod esset mysterium arcæ, & cuius rei esset figura.

Et quidem modus hic vnum aliquem dumtaxat exprimendi, cùm tamen multis quidpiam enuncietur; plerumque solet eleganter vsurpari ob peculiarem aliquam considerationem. Exempli gratia: regina filium parit, pulsantur concitato atque festiuo pulsu cymbala, vt illius nuncij lætitia omnium aures animosque peruadat. Si quis fortè Astrologus antea prædixisset, reginam non fore paritutam, tunc significanter diceretur cymbalorum pulsus fuisse editus, vt reginæ partus ad falsi illius Astrologi peruenirет aures, &, vt pudore atque rubore suffunderetur. Simili etiam ratione noui Pontificis electi indictio & promulgatio, quæ toti Romæ fit, dicetur eleganter esse nuncius ad peculiarem aliquem delatus; qui aut de illius electione se incredulum ostenderat, aut illam vtpote amicus ac familiaris ambierat. Itaque cùm peculiaris exigit ratio, vt singularis aliquis exprimatur, multo plus significatur cùm dicitur ad eum singulatim nuncius aliquis fuisse perlatus, quàm si omnibus diuulgatus perluberetur.

Elicitur ex dictis tertiæ explicationis facilitas pariter & elegantia.

Ex dictis liquet, non solùm tertiæ expositionis difficultates solui; sed etiam exponi pariter ipsius sententiæ elegantiam & concinnitatem: atque adeò explicationes ceteras ex eo fuisse ortas, quod non satis tum contextus ipse, tum tertiæ huius expositionis elegantia perciperentur. Nam vbi hæc expositio rectè expendatur; facilè apparet, eam esse propriam ac simplicem; atque in ea comprehendi, quod prima asserit de Dei sapientia, quæ incredulis per Noëum prædicauerit: & addi insuper Christi descensum ad inferos, & singulatem ipsius gloriam in eorum confusione, qui priscis figuris fidem adhibere noluerunt. Singula item verba idonèe ad hanc intelligentiam aptantur, vt mox singula percurrendo, constabit.

Quarta superiorum locorum expositio de gentium vocatione.

Prius tamen faciam obiter mentionem quartæ expositionis, quæ de Gentium vocatione intelligit Petri verba. Huius explanationis auctor est Hesselius: & addit aliam de prædicatione, quæ fit ijs, qui in extremo mortis discrimine versantur. Vtraq; tamen interpretatio meo iudicio est valde coacta: nec explicari possunt in aliqua ex ijs verba illa, *Cùm fabricaretur arca*; nisi fortè per similitudinem exponantur, vt suprà vidimus in secunda expositione: quod nihilo facilius est, quamuis figura incredulitatis eorum, qui arcæ fabricam illudebant, sit satis venusta ad eorum obstinationem denotãdam, qui in sua perseuerant incredulitate, dum fabricatur Ecclesia. Hoc tamen non video quàm aptè Hesselius applicet ad contextum. Ex ea tamen, & ex ceteris colligi potest quanta esset tertiæ expositionis difficultas; quando ad eam vitandam viri docti in eos anfractus se conijciebant.

Redeamus tamen ad grammaticam constructionem, & a num. 18. principium repetamus. Textus igitur sic habet:

18 *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis; vt nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu.*

19 *In quo, & his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicauit.*

20 *Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cùm fabricaretur arca: in qua pauci, id est, octo anima saluæ facta sunt per aquã.*

21 *Quod & vos nunc similis forma saluos facit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bona interrogatio in Deum, per resurrectionem Iesu Christi,*

22 *Qui est in dextera Dei, deglutiens mortem; vt vitæ æternæ hæredes efficeremur: profectus in cœlum subiectis sibi Angelis, & potestatibus, & virtutibus.*

NOTÆ

Ad constructionem.

VT NOS OFFERRET DEO] Græcè προσαγάγῃ id est, adduceret ad Deum, vel reconciliaret Deo, cui infensi, & infesti eramus. Hæc est propria vis Græci verbi.

Quid sit apud Petrum nos offerre Deo.

MORTIFICATVS QVIDEM CARNE, VIVIFICATVS AVTEM SPIRITV] Hæc est vera lectio atque correctio ex Vaticana editione, ex Græco, & ex Patribus. Quamuis Arias Montanus, & alij voluerunt eorum sustinere lapsum, qui per accusandi casum plurales efferebant *mortificatos & viuificatos*.

De qua spiritus vivificatione hic sermo sit.

VIVIFICATVS SPIRITV] Nonnulli verba hæc referunt ad Christi Resurrectionem. Alij, vt Hesselius, & Bellarminus, opinantur, *Viuificatus spiritu*, nihil aliud esse, quàm Christi animam viuam per sit. Et Scripturæ locos afferunt, vbi iuxta eam phrasim ponitur, *viuificare*. Cæterùm manifestum est, non solùm his verbis asseri, Christi animam viuam perstitisse (id enim de quolibet homine mortuo verum est;) sed Christum victorem euasisse. Cum autem in ipsa morte Christus extiterit victor, ideo videndum est, num statim ac fuit mortuus, verè dicatur, viuificatus spiritu ante ipsam etiam resurrectionem. Sequitur enim, eum ad inferos descendisse: atqui priusquam resurgeret, eo descendit.

Nomen *Spiritus* nonnulli de diuinitate explicant.

Alij

Digitized by Google

Quomodo spiritus varijs hic à Doctoribus exponi possit.

Auctoris mens de acceptione spiritus.

Alij de Spiritu sancto (qui est Spiritus Christi) alij de Christi anima. Alij de ipsius efficacitate. Ego de anima interpretor, sequitur enim *Spiritibus prædicauit*, vbi spiritus pro animabus sumuntur. At *spiritum vinificari*, intelligo quoad efficientiam, & suorum spirituum manifestationem: spirituum, inquam, quia diuinæ prouidentiæ, & Christi spiritus sunt septem, vt ex alibi non semel disputatis constat.

Porrò nomen spiritus non ita pro anima accipio, vt naturalis Philosophus acciperet; sed pro intima ipsius animi portione; iuxta eam distinctionem, quæ inter animam, & spiritum fieri solet: in qua nomen spiritus animam denotat, non quatenus corpus informat, sed quatenus spiritalem virtutem apprehensiuam, & affectiuam.

IN QVO] quidam sic explicauit, *in quo*, id est, *Spiritu* Quæ videtur esse communior expositio licet non desit, qui aliter explicet, vt Isidorus Clarius & Zegerus Mihi tamen magis arridet, vt illud *in quo* ponatur pro *quod*, vt sit ablatiuus cum præpositione loco accusatiui; vt constabit infrà. Et constat, ea phrasi sæpe vti sacram Scripturam.

PRÆDICAVIT] id est, notum fecit, vt suprà vidimus.

SPIRITIBVS] Ita legendum: non *spiritu*, & de sensu supra iam satis diximus.

Carcer hic pro inferorum loco sumendus.

QVI IN CARCERE ERANT] *In carne* voluit legere Beda, vt ipsius expositio minus esset violenta. Sed in carcere esse legendum dubium non est. Græcè, τοῖς ἐν φυλακῇ, id est, *iis, qui in custodia*, quod Arias refert ad Noëi arcam, & quidam apud Bellarminum hæreticus ad vigiliam, & expectationem: alij ad sinum Abrahæ, & alij ad Purgatorium. Sensus tamen legitimus est de inferno.

QVI INCREDVLI EVERANT ALIQVANDO] Græcè ἀπειθήσασι, qui est pluralis Aoristi primi datiuus perspicuum autem est, casum hunc connecti cum *spiritibus*.

Quid hic sit, expectare Dei patientiam.

QVANDO EXPECTABANT DEI PATIENTIAM] Non placet hic Erasmi correctio, qui vult in Græcum inferere ἅπαξ, siue *semel*, quod tamen ad præsens institutum arbitror non spectare. Augustinus, & alij multi legunt, *quando expectabat Dei patientia*. Et lectio quidem Græca vtrique Latinæ aptari potest; est enim verbum commune, & sensus erat clarior. Vulgati tamen lectio videtur esse, *expectabant Dei patientiam*. Et sensus est, incredulos exspectasse, id est confisos esse, Deum semper patienter toleraturum, & ipsorum peccata dissimulaturum: ideoque pro nihilo esse ducendam Noëi prædicationem.

PER AQVAM] Gagneius, & alij exponunt, *per aquam*, id est ex aquis diluuij: quæ tamen phrasis violenta est, simplicius est, *per aquam*, id est per medias ipsas diluuij. Et sensus quidem pulcherrimus est, vt supra vidimus.

QVOD ET VOS NVNC SALVOS FACIT BAPTISMA] Grammatica constructio implicata est: facile tamen sensus intelligitur, qui perinde sit, quasi diceret. *Quod, & nunc facit Baptisma, vos faciens saluos.* Vide quid simile ad Philippenses 2.18. *Idipsum autem, & vos gaudete*, id est, id ipsum facite gaudentes, &c. Græcè aliquanto clarior est nexus. Sonant enim, *Cuius antitypon, id est Baptisma, vos facit saluos*, ὃ ἀντίτυπον, id est cui, vel cuius antitypon, atqui voci artitypon respondet in nostra vulgata *similis formæ*, de quo infra.

Baptismi nomen in qua sit hic acceptione sumendum.

Baptismi autem nomine communiter in præsenti intelligitur baptismi Sacramentum. Ita Cyprianus explicat tribus in locis. Obsecro tamen, ne mihi succenseat lector, quod nomine baptismatis in hoc loco baptismum sanguinis intelligam, id est tribulationis, & martyrij: nam de huiusmodi baptismate in eo contextu agebatur, vt infra videbimus. Nec repugnat baptismatis nomen, vt patet ex Christi verbis, *Baptismo habeo baptizari, &c.* Ad hæc, sequentia verba; scilicet, *Conscientia bona interrogatio in Deum*, non aquæ baptismo quadrant, sed sanguinis. In alluſione item ad diluuij aquas, quibus diluuium passionis significatur, optime habet, vt passio ipsa, & tribulatio baptismatis nomine compellatur, quippe baptismus est ablutio, & diluuium quidem abluit mundum, atque tribulatio spiritum eluit ac purificat, vt inferius explicabitur. Et nequa de me sit iusta querimonia, patebit in mea expositione locus, vt asseramus etiam Petrum ad Sacramentum baptismatis respexisse.

Probatur prædicta baptismi expositio in hoc loco, de baptismo scilicet sanguinis.

Pro quo obseruandum est, quamuis ipsius contextus filium de tribulatione, & sanguinis baptismate agat; obiter tamen, dum Petrus tribulationem vocat baptismum, nobis in memoriam reducere, quod nobis obligationis pondus imposuimus, quando sacri baptismatis vndis tincti sumus, nam tunc nos sanguinis baptismati obtulimus atque addiximus. Baptismi item Sacramentum fuit adumbratum in arcæ exaltatione per quas diluuij facta. Baptismus igitur in voto continet, quod in martyrio accedit. Vnde ibi se offert Christianus simul cum Christo tribulationum ac dolorum eluuioni, sperans se cum ipso pariter Christo reuicturum. Id, quod figuratur in antiqua illa ac sancta cerimonia submersionis, & emersionis in ipsa aqua factæ, quæ in sanctissimæ Trinitatis honorem, & confessionem ter, vt replicaretur, institutum fuit.

Eandem doctrinam sine etiam modo posse ad fideles omnes iustos extendi.

Demum, quamuis Petrus peculiariter agat de ijs, qui reapse pro Christo patiuntur: potest nihilominus eadem extendi doctrina aliquo modo ad iustos omnes fideles, qui omnes ad Christum, veram Noëi arcam, adhærescunt, & suæ passionis diluuium siue calicem partic pant: atque hoc pacto Deo ipsi maximè probantur. Accedit, quod *omnes qui piè volunt viuere in Christo, persecutiones patiuntur.* Et Christiani omnes in baptismo semet cum Christo tribulationibus, & laboribus obtulerunt. Atque etiam propter appetitionem, & cupiditatum compressionem pro Christo patiuntur, atque moriuntur iuxta Beati Petri loquutionem sequenti capite, & in eo etiam loco, *& mortuis Euangelizatum est.*

SIMILIS FORMÆ] Græcè antitypon; quasi dicat, baptismum, de quo agitur, esse formam ac veritatem, quæ respondet similitudini typi, vel antiquæ figuræ, vt multi optimè explicant, adi Erasmum, & Salmeronem.

Quid sit hic, conscientia bona interrogatio.

CONSCIENTIÆ BONÆ INTERROGATIO] Video varias circumferri explicationes. Illam tamen reputo veram, vt interrogatio pro examine, & probatione ponatur. Vide illud Psal. 138 23. *Proba me Domine, & scito cor meum; interroga me, &c.* Vbi pro synonymis ponuntur interrogatio, & probatio. Vera igitur probatio, qua integra, & recta conscientia examinatur, quænam alia est, nisi tribulatio? *Notum* est illud, *Aurum probat ignis, &c.* Item, *Tribulatio patientiam operatur, patientiam autem probationem.*

IN DEVM] Nonnulli ita connectunt; *Interrogatio in Deum*, id est, quæ fit Deo. Legitima tamen constructio est, *Probatio, siue interrogatio in Deum*, id est, coram Deo. Consule thesaurum Græcum in dictione, ἐς, vbi constabit, eam esse genuinam eius dictionis phrasim.

Resurrectionem Iesu Christi his pro fide resurrectionis ponit.

PER RESVRRECTIONEM IESV CHRISTI] Multi putant, his in verbis Resurrectioni Iesu Christi attribui Baptismi effectum eluendi animas, & abstergendi: ac Theologis remittunt disputationem, quo scilicet modo accipiendum sit, quod Scriptura docet, nempe Christi resurrectionem esse nostræ iustificationis causam. Ego aliter in præsenti explico, *per Resurrectionem Iesu Christi*, id est, per fidem resurrectionis, quod perinde est, ac si dicatur bonæ conscientiæ laboribus, & ærumnis probatæ constantia ac firmitudo niti potissimum in fide resurrectionis Iesu Christi. Ideo enim fideles Christi seruus labores, & calamitates pro Christo tolerare non refugit, quia sperat se cum illo in vitam immortalem reuicturum.

DEGLVTIENS MORTEM, VT VITÆ ÆTERNÆ HÆREDES EFFIGEREMVR] Hæc verba in Græcis codicibus desiderantur; dubium tamen non est, in antiquioribus fuisse scripta, vt ex nostri Vulgati, Augustini, & aliorum lectione facilè deducitur. Verbum autem *deglutiens*, non est, opinor, in eam partem accipiendum, quasi nunc in cœlo Christus mortem deglutiat, sed quasi eam in terris degens glutierit, vt nobis æternam mereretur.

Digitized by Google

meretetur vitam. Quam ad rem obseruandum est, Græcum participium præteriti siue Aoristi transferri frequenter Latinè in præsentis temporis participium, penuria actiuæ vocis in participiis præteriti: sic suprà num. 19. *Veniens prædicauit*; vbi *veniens* Græcè est, πορευθεὶς, id est cùm venisset. Similiter ergo in præsenti *deglutiens* ita post accipi, quasi diceret, deuorata morte; id est postquam acerbam mortis potionem hausit: atque ita accipi postulat ipse contextus. Demum *profectus in cælum*, est; quia hac via in cælum conscendit ad Patris dexteram concessurus.

Hac mortem deglutiendi phrasis quid significet.

Totus B. Petri locus suprà positus paraphrasticè explicantur.

Porrò huius loci acoluthia atque nexus, iuxta meam expositionem, est eiusmodi.

Præcipuus beati Petri scopus in hoc loco est exponere felicitatem eorum, qui afflictiones & tormenta pro Christo tolerant. Nam de hoc in præcedentibus sermo erat: ad idemque fit regressio, tum in huius capitis fine, tum in subsequentis initio. Hanc ergo ad rem Petrus eiusmodi rationes affert.

Num. 18. *Christus mortè pro nobis pertulit, vt nos Deo reconciliaret. Et quanuis corporis vitam amiserit: virtutem tamen & efficacitatem sapienter ac fortiter operandi, quæ spiritus propria est, minimè emisit. quinimo per Christi mortem, ipsius virtus mirum in modum excitata atque erecta est.*

19. *Quare simul ac sanctissimam efflauit animam, vt victor ac triumphator gloriosissimus ascēdit protinus, vt suam victoriam in ipsis etiam inferorum regionibus promulgaret.*

20. *Sicq; effecit, vt qui tempore fabricationis arcæ se incredulos ad Noei prædicationē exhibuerunt, planè perspicerent, ingens fuisse ac reconditum veteris illius arcæ mysterium, atque adeò recognoscerent in Christi passione solidam illius figura veritatem fuisse completam. Quippe tumentes vndæ diluuij passionis ac mortis, quod in Christum recidit, adiumento potius & instrumento fuerunt ad ipsius Christi exaltationem & ad humani generis incolumitatem. Qua in re fuit admirabiliter impletum, quod in arca adumbratum fuerat: quæ ex communi illa mundi eluuione euasit incolumis, & ipsismet diluuij vndis fuit erecta & exaltata, & Noeus, eiusq; familia in ipsa aqua superstites remanserunt.*

21. *Quod ergo, fratres, infernus ipse locus in Christi passione completum aspexit; idipsum quoque impleiur in ijs, qui ad Christum firmiter adhærentes pro illo labores constanter tolerant. Quemadmodum enim diluuij vnda arcam extulit, & præstitit incolumem: ita etiam illos afflictio pro Christo perpessa extollit; quæ, inquam, afflictio ac tribulatio est admirabilis instar baptismi; qui, quanuis corpus non eluat, spiritum tamen ac mentem absterget: & apud Deum euidenter ostendit probatam & spectatam eorum virtutem, qui in viua resurrectionis Iesu Christi fide nituntur.*

22. *Hi autē alacriter sese excitant ad acerbissimum passionis calicem pro Christo constanter exhauriendum: dum sedulò expendunt, Christum, qui ad dexteram nunc Patris considet, amarissimam prius mortis potionem pro nostra salute obbibisse: atque hac ipsa accliui & salebrosa via conscendisse ad suum regale solium, in quo nunc gloriosus sedet ab vniuersa cælitum curia suspectus ac venerabilis.*

Proponitur difficultas contra nostram declarationem.

Verùm contra hanc nostram declarationem, illud opponere quis poterit; verbum *prædicauit*, non rectè hic vsurpari pro *natum fecit* seu *euulganit*. nec enim est ad rem dicere, *Christus aduenies manifestauit*; nisi quid notum fecerit explicetur: id quod textus nequaquam exprimit.

Difficultatis enodatio.

Pro huius solutione notandum est, prædicandi verbum dupliciter in sacris Literis accipi. primò accusatiuè (vt aiunt) & transitiuè, id est, adijciendo prædicationis materiam; vt prædicare Dei potestatem; prædicare quid factum sit, prædicare & dicere *bene omnia fecit*, &c. Secundò absolutè & intransitiuè, nihil adiiciendo, quo prædicationis materia designetur; *misit illos prædicare* Sic enim ponitur Matt. 11. 1. Marci 1. 38. 39. & cap. 3. 14. & cap. 7. 36. & cap. 16. 20. Item Lucæ 4. 44. Prædicandi ergo verbum primo modo acceptum non semper refertur ad salutem eius, cui prædicatur; vt patet Isaiæ 3. 9. *Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt.* Et similia sunt Iudicum 7. 3. & 2. Esdræ 6. 7. & cap. 8. 15. Iudith 11. 16. Esther 14. 10 Danielis 3. 99. & cap. 5. 29. & 1. Machab. 5. 49. & cap. 10. 63. & 14. & 2. Machab. 8. 36. & Apoc. 5. 2.

Occurritur secundo difficultati ex prima solutione suborta.

Dices: saltem cùm prædicandi verbum absolutè ponitur, semper ad salutem ponitur illius, cui prædicatur: vt patet ex locis suprà allatis. Cum ergo Petrus absolutè dicat, Christum prædicasse spiritibus, qui erant in carcere; omnino debet exponi de prædicatione ad eorum salutem ordinata.

Pro responsione primò assero, nos non ita strictè ad phrasim aliquam coarctandos fore, vt inde prauam doctrinam eliciamus: cuiusmodi esset, Christum ad inferos descendisse, prædicaturum & conuersurum illos, qui in peccato mortali decesserant. Quòd si receptum vsum verbi *prædicare* absolute positi attendamus; non aptum habet locum in ea notione, quam de se Christus communicauit ijs, qui erant in Iymbo. Etenim non proprie est prædicare, gloriosum in limbum ingredi, Patribus humani generis redemptionem nunciare, & suam ipsius gloriam impertiri; nisi pariter asseratur Christus aliquam habuisse ad eos concionem: vt eos ad fidem, siue ad pœnitentiam, vel ad aliam bonam mentis affectionem hortaretur. Ac demum sicuti necessarium non est, vt a Christo habitam fuisse credamus concionem ad Patres in sinu Abrahæ commorantes: multò minùs credendum est, illum fuisse concionatum ad eos, qui sibi erant omnino infensi & inimici. Siquidem dicendum non est, eos à Christo tunc conuersos, & ex infælici illa miseriarum voragine extractos.

Verbum prædicare, quomodo hic sumendum.

Secundo assero, verbum *prædicare* (vt patet ex dictis) non esse hic accipiendum iuxta eam propriam phrasim, in qua sumitur, cum absolute ponitur, atque adeo necessario vsurpandum pro eo quod est euulgauit, seu notum fecit. Quod vero opponitur, nullum scilicet hic esse accusatiuum: aut quidquam aliud æquiualens, quo prædicationis materia designetur. Respondeo ex contextu ipso suppleri debere, quid prædicauerit Christus, siue enunciauerit. Ac meo quidem iudicio, idem hic debet subaudiri tanquam à Christo enunciatum, quod præcesserat: nimirum ipsum secundum carnem fuisse mortuum, viuificatum vero spiritu. Id enim est, quod Christus ipse apud inferos manifestum reddidit. Nam, cum cum omnes gloriosum in tenebricosa illa loca atque triumphantem succedere viderunt; manifestè agnouerunt, licet in carne fuisset mortuus, ipsius tamen spiritum victorem ac triumphatorem esse.

Iuxta aliam verbi prædicare acceptionem, alia item exponendi ratio subjicitur.

Tertio, huiusmodi intelligentiam amplectenti verisimile mihi fit, vocem illam *in quo*, non ita esse ordinandam, vt frequenter accipi solet, in quo scilicet spiritu: sed hoc pacto, *in quo & prædicauit*. id est, *quod & prædicauit, seu manifestauit spiritibus, qui erant in carcere.* Ac nequis hanc constructionem nouitatis arguat: notum est in hebraica phrasi, ablatiuum cum præpositione *in* pro accusatiuo non raro collocari: *vt aspicite in gentibus*, pro *aspicite gentes* De qua loquutione vide Iansenium in concordia cap. 85. & Gueuaram in Habacuc cap. 1. vers. 5. §. 63.

Quarto, qui nihilominus verbum *prædicauit* absolutè vsurpare voluerit: hunc in modum potest accipere: Christus apud inferos suo ingressu quoddàm edidit præconium, nimirum ostendendo & euulgando antiquas in eo figuras fuisse impletas. Vbi illud obiter obserua, Græcum verbum proprie significare præconium edere atque idcirco prædicatores siue concionatores appellantur, qui Christum prædicant, quia

Digitized by Google

ipsius sunt præcones. huic ergo phrasi simile est, si dicatur Christus in infernum ingressus prædicasse, id est, manifestasse suam gloriam & vaticiniorum complementum. Quam ad rem opus non est, vt Christus intelligatur concionem habuisse: quia prædicare non semper est concionari; sed publicum facere, quoquo modo id fiat.

In nostra Petri explanatione & absonis omnibus pracludiviam, & faciliorem litera decursum comprehendi.

Vt meam ergo loci huius explanationem concludam, obsecro à Lectore, vt expendat in ea nullam fidei veritatem excludi à sua possessione. Comprehendit enim mea expositio Christi descensum ad inferos, & Sacramenti baptismi virtutem: cumque nihil violenter exponat, aut parum aptè ad Græcum contextum, vel ad Scripturæ phrasim applicet: nihilominus argumentis, quæ contra eam opponuntur, videtur facere omnino satis, & ipsius contextus filum ad eundem scopum fæliciter ducere. Item, in hac expositione nullus lectionis error admittitur: & nihil incerti admiscetur, quam enim in ea lectione præstituimus, ea est, correcta Vaticana: nec præterea affirmamus, qui cum Noeo sunt in arcam ingressi, ad ipsius prædicationem incredulos extitisse, nec Christum eduxisse ab inferis eos, qui in mortali abierant.

NOTATIO XVIII.

De altero beati Petri loco epist. 1. cap. 4. n. 6. & 7. vbi nonnullis videtur, agere de descensu Christi ad inferos.

Num. 6. VErba Petri sunt, *Propter hoc enim & mortuis euangelizatum est, vt iudicentur quidem. Secundùm homines in carne, viuant autem secundum Deum in spiritu.*

7. *Omnium autem finis appropinquauit. Estote itaque prudentes & vigilate*, &c.

Aliorum expositiones de hoc B. Petri loco.

Hunc locum Oecumenius ita exponit, mortuis scilicet euangelizatum fuisse per Christi descensum ad inferos. Sed contrà est, quod textus ait, *vt iudicentur quidem secundùm homines in carne, viuant autem secundum Deum in spiritu* Quæ verba nec ad sanctos Patres, nec ad damnatos aptari possunt. Vide hac de re Hesselium.

1. expositio Oecumenij.

2. expositio Bellarmini.

Bellarminus & alij intelligunt de iis esse sermonem, qui sub antiquo diluuio cum peccatorum contritione mortui sunt: quippe & corporali morte suorum flagitiorum pœnam luerunt, & veram in suis animis vitam lætissimo Christi conspectu apud limbum adepti sunt. Sed contra hoc est primò, quia huiusmodi historiâ ita incertâ non benè probatur, quod in se multò certius est, videlicet Christum esse viuorum atque mortuorum iudicem. Secundò contextus ipse postulat, Euangelij esse affectum, *vt iudicentur secundùm homines in carne*; atqui quam illi mortem subierunt, non illa fuit effectus boni nuncij, quem Christus eis in limbo vulgauit. nec diceret contextus, *vt iudicentur*; sed, *vt iudicati sint*. Tertiò suprà iam impugnata est illa alterius loci explicatio, in quo nituntur; nimirum, *Spiritibus veniens prædicauit, qui fuerunt increduli*, &c.

3. expositio B. Augustini.

Augustinus per mortuos intelligit infideles. quod & plerique sequuntur. Verùm non concinit contextui: paulò enim priùs mortuos Petrus appellabat eos, qui mundo & proprio amori moriuntur. Hanc eandem Augustini explicationem priùs amplexus fuerat Clemens Alexandrinus.

4. expositio Hesselij.

Hesselius ait, probari Christum esse iudicem viuorum ac mortuorum; quia Euangelium prædicatur iis, qui ante Christi iudicium moriuntur: vt licèt moriantur more humano, antequàm Christus in iudicium adueniat; virtute tamen Euangelij viuant spiritu apud Deum. Idem Hesselius per mortuos intelligi vult eos, qui iam morituri in extremo versantur discrimine.

Hactenus aliorum explicationes obiter attigi. Sed quia in eis non conquiescit animus; proponam eam, quæ mihi occurrit, vt de illa iudicent doctiores.

Auctoris mens, & prædicti loci explicatio. Mortui hic in quo sensu sumantur.

Primò ergo existimo, mortuorum nomine Petrum intelligere eos, qui & mundo & amori proprio mortui sunt. Colligitur ex eiusdem capitis initio, quod sic orditur; *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini: quia qui passus est in carne, desijt à peccatis: vt iam non desiderijs hominum, sed voluntati Dei viuat. Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam in luxuriis, desideriis*, &c.

Quibus verbis Petrus (vt facilè expendenti constabit) hortatur Christianos, vt moriantur cum Christo, nec iam ampliùs mundo & proprio amori viuant. Mox ait, Christianos ab Ethnicis irrideri; quia non sicut & ipsi, mundo & inordinato sui amori militabant. Et subdit, Ethnicos ipsos de huiusmodi irrisione rationem reddituros viuorum ac mortuorum iudici. Vbi aduerte, licet alia in significatione dici soleat Christus esse viuorum ac mortuorum iudex, in alio tamen sensu verum quoque id esse, nempe Christum esse iudicem, tam eorum, qui mundo ac proprio amori viuunt, quam qui eisdem moriuntur, atque in hoc sensu, ni me fallit animus, Petrus fuit in his verbis loquutus. hoc enim erat ad rem.

Sequitur deinde; PROPTER HOC ENIM ET MORTVIS EVANGELIZATVM EST) &c. vbi, quod ad constructionem attinet, *propter hoc*, non cum antecedentibus: sed cum subsequentibus connectendum est, hunc in modum; *Propter hoc vt iudicentur in carne viuant autem in spiritu*. id est, adhoc vt iudicentur, &c. At suppositum illius verbi, *euangelizatum est* non est aliud, quàm id, quod præcedit, scilicet Christum esse viuorum ac mortuorum iudicem. Itaque constructio est eadem, ac si Petrus diceret, Christus iudicaturus est viuos ac mortuos: sic enim Euangelizatum est mortuis (id est, pios fideles euangelium fælici hoc atque hilari nuncio solatur) ad hoc vt patienter ferant, se cruciari & occidi propter Christum. Dum enim pro ipso secundum carnem condemnantur, & occiduntur, spiritu viuificantur. Vnde vt alacriter ac fortiter mortem pro Christo oppetant, & in ipsa occisione ipsorum spiritus excitetur, & hilarescat; idcircò bonus eis nuncius diuulgatus est, quod Christus sit iudex eorum, qui mundo & inordinato amori succumbunt: & eorum etiam, qui fortiter obsistunt: quodque propè sit tempus, cùm singulis secundum cuiusque meritum præmia distribuantur, Hunc esse reor verum ac germanum sensum: atque hoc pacto mirè connectitur, quod sequitur: *Omnium autem finis appropinquauit*. In hac vero ratiocinatione regreditur Petrus ad illud, quod superiori capite tractauerat de fælicitate eorum, qui pro Christo labores ac tormenta tolerant. Vt autem ait, Christum secundum carnem quidem in sua passione fuisse mortificatum, viuificatum vero spiritu: ita etiam asserit, eos, qui pro Christo patiuntur, damnari secundum carnem, & secundum spiritum viuificari. Atque ex ea lætitia, qua se in tormenta sponte dedunt, colligit Petrus, Euangelium ipsum illis solatium afferre: & huius Euangelii veritate probat Christum esse viuorum & mortuorum iudicem.

Quod sit hic suppositum verbi illius, Euangelizatum est

Iam,

Digitized by Google

Mortuos hic pro illis sumi, qui amori proprio & voluptatibus depositionibus mortui sunt.

Iam, quòd mortui in hoc loco dicantur, qui mundo & amori proprio vale dixerunt: non id facis Literis nouum, aut inusitatum est. Notum est illud Pauli ad Coloss. 3. 3. ***Mortui enim estis.*** Item illud Isaiæ 26. 19. ***Viuent mortui tui interfecti mei resurgent: expergiscimini, & laudate, qui habitatis in puluere***, &c. Quæ omnia eandem ad rem spectant. Denique postea eosdem ipso alloquens Petrus, qui mundo morientes nouam spiritus vitam adepti sunt, eos admonet, teneri ipsos, vtpote spiritualem vitam agentes, ad prudentiam in omnibus seruandam & ad vigilantiam: quæ duo sunt proprij spiritalis vigoris ac vitæ effectus.

Duplex propomnitur obiectio contra superiorem interpretationem.

Nihilominus in hac expositione duo possunt scrupuli alicui injici: primus est, sententia illa (videlicet Christum esse iudicem viuorum & mortuorum) optabile esse, vt iuxta communem ac receptum sensum vsurpetur: cum tamen viuorum ac mortuorum nomen in alia ipse acceptione sumam Alter est eiusmodi; verba illa, ***Mortuis euangelizatum est***, simplicius ita accipi videntur, vt morti iam fuerint, quando Euangelium illis promulgatum est: quod tamen in mea explicatione secus accidit; nam Euangelij prædicatio non supponit, ipsos homines spirituales iam esse, & frænatas animi appetitiones habere; quinimò vt eò perfectionis perueniant, ideo illis Euangelium promulgatur.

Soluitur 1. obiectio.

Ad harum difficultatum ptiorem respondeo, nequaquam mutari sensum illius sententiæ (quòd scilicet Christus sit viuorum ac mortuorum iudex) ita vt diuersa veritas, quod ad substantiam attinet, reddatur. Non enim alia est diuersa veritas, sed eadem. Nam siue nomen viuorum ac mortuorum sumatur, vt frequentius sumi solet; siue accipiatur pro illis, qui mundo & amori proprio viuunt, & pro illis, qui eisdem mortui sunt: vtrouis modo semper eadem veritas quoad substantiam permanet; nimirum totius humani generis iudicem esse Christum. Cùm ergo præcipua ipsa veritas hic illæsa maneat; aptius multò atque adeò optabilius est, nec non Apostolicâ sapientiâ dignius, vt verba ipsa iuxta eum accipiantur modum, qui magis quadret cum præcipuo illius tractationis scopo. Quamobrem, cùm in superiori contextu præcesserit sermo de illis, qui spiritualiter mortui sunti & de illis, qui carnaliter viuunt; omnino videtur congruentius, vt eodem vsurpetur modo distinctio viuorum ac mortuorum, cum subditur Christum esse paratum iudicare viuos & mortuos. Præsertim cùm ea ratione melius cohæreat, quod sequitur; id scilicet mortuis euangelizatum fuisse.

Non semper probatur eam esse expositionem, quæ & simplicior sit, & nihil prorsus immutet.

Aduertendum insuper est, in ijs, quæ ad rem aliquam afferuntur, non sapientiorem esse continuò ac prudentiorem loquendi rationem; quæ & simplicior ex se est, & in allata sententia nihil prorsus immutat: imò potius maiorem afferre voluptatem & oblectamentum, & maioris etiam prudentiæ videri, qui absque vlla præcipuæ rei varietate ad suum institutum accommodat, tantillâ mutatione adhibita, quod pro sua affert expositione.

Soluitur 2. expositio.

Ad secundam difficultatem. Quanuis ideo prædicetur Euangelium, vt auditores in spiritales viros & carnis macerationi deditos euadant: verùm formaliter loquendo ad Euangelij rationem cumulatè non peruenit eiusmodi prædicatio, nisi respectu ad illos, qui iam spiritalem vitam & rebus cælestibus deditam agunt. His enim propriè iucundus est nuncius & gaudium cumulatum. Quapropter, licèt antiqua sit prophetia, (vt verbi gratia Isaiæ, quæ ad spirituales viros dirigitur) iure optimo eiusmodi prophetia dicetur quasi præstituere, illos iam esse homines rebus spiritalibus addictos. Non, quòd iam ad eum perfectionis gradum conscenderint, quando eiusmodi doctrina aut conscripta, aut promulgata sit; sed quia ad eos sermo habetur, qui postea eam sanctimoniam assequentur. Quarè formalissimè loquitur Petrus, cum ait, mortuis euangelizatum esse Nam hic nuncius fœlicissimus non prorsus cumulatè fuit euulgatus, nisi pro eo tempore, quo homines acrius ac vehementis in res spiritales se impenderint. Ad eos verò, qui iam ad illud sanctitatis fastigium euecti sunt, Euangelium propriè est Christiana fides, hoc est, prædicatio perfectum afferens solatium Atque adeò sapientissimè ait Petrus, qui mundo & proprio amori mortui sunt, iis propriè tanquam fœlicissimum nuncium, qui eos maximopere consolatur. prædicatum esse Euangelium illud, nempe Christum esse iudicem viuorum & mortuorum. Atque hac cogitatione & consolatione armati minimè illi refugiunt: imò ardenter exoptant, pro Christo in hac vita ærumnas & persequutiones tolerare.

NOTATIO XIX.

De gemma sexta, quæ est Sardius.

Virum Sarda Plinij gemma & Sardius Scriptura sint eadem, an diuersa species.

QVam aliqui differentiam præscribunt inter Plinij Sardam & Sardium Scripturæ, ea mihi nullam videtur habere similitudinem. Quarè pro certo statuo, Sardium siue Sardinum Scripturæ (vtroque enim modo inflectitur) esse concipiendum eiusdem omnino speciei cum Sarda, quam Plinius, Solinus, & alij veteres scriptores describunt. Quod verò ad pretium

De Sardij gemmæ valore & æstimatione quid dicendum.

& æstimationem attinet, licebit quidem multò eam gemmam pretiosiorem considerari. Hoc propterea dixerim, quia Plinius cap. 7. & Solinus cap. 17. vltimum fer locum inter gemmas Sardæ attribuunt. Verumtamen in singularum gemmarum æstimatione, non inter diuersas modò nationes, sed apud eandem etiam gentem solet vario temporis decursu varium item ac multiplex discrimen obrepere. Quæ enim aliquo tempore plurimi fiebant, postea vili penduntur, & è contrario. Quin etiam in eisdem regionibus, eodemque tempore, quæ gemmæ eiusdem speciei reperiuntur, solent nõ magnæ admodum æstimationis esse cum in alijs prouinciis, aliisque temporibus pretiosissimæ eiusdem speciei gemmæ inueniantur. Id quod videre est in Smaragdis; ex quibus antiqui æstimabantur quadraginta nummis aureis in singula minuta pondera, quæ vulgò vocantur *Quilates*, at noui æstimantur dimidio vilius. Brasilienses verò Smaragdi vix viginti argenreis in singulos Qui-

Alcasar in Apocal.

lares æstimantur: antiquissimi verò nempe Scythici, Rubinis essent hodie pretiosiores. Nihil igitur prohibet, Scripturæ Sardam adeò reputari pretiosam, vt optimus quisque Carbunculus siue Smaragdus habetur. Huc spectat, inter Rationalis gemmas primum Sardio locum concedi: eademque Rubeo primogenito obtingere. Ex quo verosimile sit, huiusmodi gemmam non vulgarem, sed ex nobilioribus fuisse. His consonat, quod Plinius de eodem lapillo tradit: ***Hac gemma superbiunt fabula apud Menandrum & Philomenem*** Quod argumento est olim magno in pretio fuisse habitam.

Quæ sit Sarda gemmæ species & natura.

Quoad gemmę huius speciem, constat Sardam esse quæ vulgari nomine dicitur *Cornerina*: hanc namque appellationem illi hodie gemmularij tribuunt. Verum illud mihi non obscurâ coniecturâ sit certum, hoc nomen *cornerina* esse corruptum, & pro *carnerina* irrepsisse. Etenim constat, proprium ipsius colorem esse ad translucidæ carnis similitudinem: atque hanc definitionem pariter & similitudinem ei gemmæ præscribit Plinius lib. 37. cap. 6. Et quicunque consideratus homo cornerinam aliquam siue Sardam ex pretiosioribus in manus sumpserit: facile aduertet natiuum ipsius colorem ac similitudinem esse instar carnis perspicuæ ac pellucidæ: non aliter, quàm si humana caro, natiuo manente colore, in gemmam trans-

Quo vulgò nomine appelletur.

Sarda color translucida carni persimilis.

Digitized by Google

lucidam abiisse. Vnde Plinius de gemma Sardonycha agens ait: *Olim intelligebatur candore in Sarda hoc esse, vt unguis carnibus unguis hominis impositus, & utroque translucido.* Ex quo planè colligitur, propriam Sardæ definitionem esse carnem translucidam. Quid, quod in Hebræo appellatur אדם *Adam*; vt significetur, eiusmodi gemmam esse rubram, & humanæ carnis referre colorem?

Pretiosioribus Sardis mirum inesse splendorem.

Præter hæc Sardis nobilioribus mirus inest splendor; Plinius namque ait; *Indice perlucent.* & infrà; *Mares excitatiùs fulgent.* Et Abulensis Exod. 28. ait esse lapidem nimium fulgentem.

Plinius idem sic habet; *Laudatissima Sarda inuenta est, cùm lapidicinæ aperirentur, harens in saxi corde.* Ex quibus intelligitur hanc esse generationis rationem in pretiosis Sardis, quod nimirum in saxi corde procreentur. Iam, de ipsius proprietatibus sic Plinius. *Nulla gemma tardiùs suffuso humore habetur*; quasi dicat, gemmam hanc procul esse ab omni macula siue vapore, quæ ipsius splendorem hebetet & imminuat. *Quænam Sardæ sint virtutes ac proprietates.*

Epiphanius addit; *Sarda vulneribus ferro inflictis & tumoribus medetur.* Vincentius, item Abulensis & alij tradunt, *Sarda gaudium accendi* Aretas Apocal. 4. de eâdem gemma hoc asserit; *Feris terrorem incutit.* Hæc sunt quæ apud probatos auctores de Sarda reperio, sed illud postremò animaduerto, Sardam haud dubiè esse quasi matrem & originem Amethysti: vt manifestò apparet in nonnullis gemmis, quæ inueniuntur: in quarum altera parte Sarda, in altera Amethystus cernitur. Atque ex his vnam (vt supra attigi) primarius vir ac nobilissimus mihi dono dedit.

NOTATIO XX.

De sextæ gemmæ proportione & conuenientia cum sexto Symboli articulo.

Sextum Symboli caput quidnobis credendum propenat.

VT præmittamus de more tam Symboli, quàm Apocalypseos verba sibi mutuò respondentia; sexti articuli ea sunt: *Tertia die resurrexit à mortuis*: Apocalypseos verba illa: *sextum Sardius* Illud nobis in hoc articulo proponitur. Transacto iam eo tempore, quod opus erat, nequis existimare posset, Christi mortem veram ac propriam non fuisse, ipsius anima sanctissima splendore & gloriâ circumfluens ad sepulchrum venit, & rursus se cum sacro corpore per vnionis vinculum colligauit: nec solùm ei vitam impertiit: sed etiam totam eam pulchritudinem & gloriæ dotes, quas habere oportebat primigenium inter omnes, qui ad immortalem vitam sunt excitandi. Cum hoc gloriæ & splendoris ornatu Christus è sepulchro fuit egressus dæmonibus horribilis ac formidabilis: & eos benignissimè inuisens, qui ipsius resurrectionis testes erant ab æterno Patre destinati, tantâ eos lætitiæ voluptate suo aspectu perfudit, quantâ prius mœstitia ipsius mors affecerat. Cum hoc articulo quàm eleganter componantur Sardo, facilè quisque potest deprehendere. Sed quanuis applicationem vtpote valde facilem prudenti lectori possem omittere: nihilominus operæ pretium duxi, hæc paucis adnotare.

Applicatio Sardij ad sextum fidei articulum.

Primò lectorem obsecro, vti perlegat, quæ dixi ad versum tertium cap 4. vbi vidimus, æterni Patris imaginem Ioanni in throno sedere visam, magna cum energia confingi ex Iaspide & Sardio compositam: nempe à lumbis & deorsum ex Iaspide: & à lumbis & sursum ex Sardio. Cuius symboli mysterium eò spectat, vt inter admirabilia opera, quæ summo Parenti sacræ Literæ attribuunt, illustrissimè emineant duo, videlicet rerum omnium creatio & Christi Domini ab inferis excitatio. Et quidem tantam adhibet curam ac diligentiam Scriptura, vt secundum hoc opus tribuat æterno Patri, vt vicies & quater id repetat, quòd res sit Patri imprimis gloriosa. Cùm ergo hæc duo opera Patris æterni omnipotentiam mirum in modum prædicent: cumque alterius symbolum sit Iaspis, alterius Sardius: quid congruentius, quam eam Patris imaginem Ioanni ostensam ex duplici gemma compactam Iaspide & Sardio effulgere? Enim verò cap. 4. Lectorem reiecimus ad ea, quæ de illarum gemmarum vtraque in his notationibus disputanda nobis erant. Et quidem de Iaspide suprà iam suo loco vidimus. Nunc superest de Sardio dicimus, & eum obiter ad Christi resurrectionem applicemus.

Æternus Pater cur suprà ca. 4. ex Iaspide compositus & Sardio fuerit, Ioanni visus?

Color Sardij carni translucidæ similis quid mysticè signet.

Secundo: si verum est, quòd diximus de Sardio humanam carnem translucidam ita propriè referente, vt si Sardius attentè inspiciatur, videatur humana caro pretiosi lapidis naturam cum luce, incorruptibilitate & gloria indura: quid obsecro magis aptum atque elegans potuit ad Christi resurrectionem figurandam excogitari? Nonne Christi resurrectione est iustorum resurrectionis exemplar? Nònne clamat Paulus 1. Cor. 15. 42. *Seminatur in corruptione surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate surget in virtute?* Hæc igitur omnia apprimè exprimit Sarda, cùm propria ipsius definitio sit, vt quasi caro appareat in gemmam splendentem ac pellucidam conuersa. Et verò illud obseruatione dignum est, inter Carbunculum & pretiosum Sardium (quorum colores inter se sunt affines) eiusmodi discrimen à Deo fuisse inditum: vt cùm Plinius & alij velint Carbunculi colorem exprimere, ignitam esse prunam dicant: cùm Sardij, carnem translucidam. Ita vt attenta vtriusque gemmæ consideratio scriptores ipsos adegerit ad ea verba efferenda, cuiusmodi nobis opus erant: vt altera Deum carne indutum, altera eundem ab inferis excitatum figuraret.

Quod Plinius ait, Sarda fabulas veteres superbire, quò sit symbolicè referendum.

Tertio, Christi resurrectionem Ethnici verò fidei lumine priuari irridet, & commentitiam reputant. Verùm id ipsum, quod ab eis diluditur, Christianæ fidei fundamentum est. Huc aptatur, quod ex Plinio de Sarda retulimus, eâ scilicet fabulas superbire. Sed quod Ethnicis obcæcatis fabulosum apparet, id nobis fidei lumine præditis verissima gloria est. Nec frustra hæc gemma inter duodecim Rationalis primum obtinet locum, & primogenito tribuitur. Nam & Christi resurrectionis symbolum est, & Christus prodiit ex mortuis primogenitus omnis creaturæ;

In Sarda vulneribus medente quomodo Christi resurrectio figurata.

Quarto, si verum est, quod Epiphanius Sardæ adscribit, nempe *vulneribus ferro inflictis & tumoribus medetur*, quid aptius ad Christi resurrectionem, per quam glorioscè admodum & miraculoscè sanctissimi corporis Christi vulnera ac tumores sanati repente & in admirandam pulchritudinem conuersi sunt?

Sardas suffuso humore non hebetari, quid mysticè.

Quintò: vt significetur, postquàm Christus ad immortalem vitam reuixit, nihil iam esse, quod ipsius infuscare gloriam aut interturbare possit; mirificè quadrat Plinianum illud, *Nulla gemma tardiùs suffuso humore habetur*, quam proprietatem duabus gemmis Plinius idem adscribit, Sardonychi & Sardæ: quarũ altera Christi animæ gloriã, altera corporis adumbrauit.

Sarda intra saxũ generata Christi regenerationem in sepulchro adumbrari.

Sextò: si inter Sardas nobilissima intra saxum generatur, vt Plinius ait: appositum id satis est symbolum ad miram Christi Domini in lapideo sepulcro regenerationem. Sic Paulus de Christi resurrectione explicat illud Psal. 2. *Ego hodie genui te*

Sarda gaudium accendi, quid mysticè.

Septimò: quod Sarda, iuxta Vincentium & alios, gaudium accendat; maximè facit ad eum explicandum effectum, quem Christi resurrectio in discipulorum animis præstitit: in quibus gaudium ac lætitia Christi morte erant extincta: sed eiusdem iam suscitati gloriosus conspectus ea accendit. Hinc Ecclesia eo tempore illud sæpius iterat ex Ioannis Euangelio petitum: *Gauisi sunt discipuli viso Domino*

Terrorem dæmonibus in Christi resurrectione incussum per Sardium figurare.

Octauò: ad significandum terrorem atque formidinem, quibus Dæmones ipsos Christi resurrectio perculit:

Digitized by Google

perculit; mira est illa Sardæ proprietas, quam suprà ex Areta retulimus, nimirum *feris terrorem incutit.*

Denique agilitatis ac subtilitatis dotes planum fit lapidi non oportuisse indi. At cetera omnia, quæ ad Christi resurrectionis symbolum possent optari, sapientissimè diuina prouidentia in vno Sardio coniunxit; & ad gloriæ dotes significandas satis videtur esse, quod in hac gemma conspicimus.

Christi resurrectionem esse primã & causam resurrectionis iustorum in Sardio etiam omnes.

Illud pro colophone desiderari videbatur, vt Sarda Christi resurrectionem à resurrectione iustorũ distingueret. Licèt enim iusti per Christi gloriæ imitationẽ sint ad beatam vitam excitandi; in hoc tamen articulo non de iustorum resurrectione, sed de Christi Domini agitur: & iustorũ resurrectio ad duodecimum Symboli articulum reseruatur. Ad hoc igitur, quid aut elegantius aut congruentius, quàm pro Dominicæ resurrectionis symbolo eam gemmam fuisse selectam, quæ mater & origo sit illius gemmæ (nempe Amethysti) quæ duodecimum articulum figurat? Sardam igitur esse Amethysti matrem in superioribus vidimus.

NOTATIO XXI.

De gemma Chrysolitho.

Chrysolithum gemmarum à Chrysolica distingunt.

ALiquis nominum affinitate deceptus existimabit fortasse Chrysolithum gemmam, de qua nunc loquimur, esse eandem cum vulgari gemmulariorum Chrysolicâ; cuius color est viridis dilutus; & multis angulis læuigari ac poliri solet, vt excitatius fulgeat. Vnde in eam quispiam fortè cogitationem deueniat, vt opinetur in hac gemma esse aliquam viridis coloris, & auri permixtionem; atque adeò, quà aurum refert, Chrysolithi nomen sortiri. Verum, qui attentè Plinium, vetereſque alios auctores peruolutarit, ignorationem obtendere non poterit; quin gemma, quam ipsi appellant Chrysolithum nihil aut viriditatis aut coloris alterius præter aureum habeat: quemadmodum & ipsius etiam nomen præ se fert. Nam Chrysolithus idem est, atque gemma aurei coloris: vnde & Propertius eum appellat flauum. Plinij verba sunt; *aureo colore translucet.* Addit insuper, nobilioribus Chrysolithis auri colorem adeo esse accensum, vt in eorum conspectu ipsummet aurum à proprio colore desciscere, & in argenteum degenerare videatur. *Aurum in collatione albicare cogit quadam argenti facie.* Ex quo intelligitur, Latino Chrysolithi nomine duo gemmarum comprehendi genera, quæ vulgò & Topazij & Hyacinthi nuncupantur. atque hæ posteriores accensum nimis auri colorem referunt; ex ijsque reperiuntur Orientales aliquæ adeò pretiosæ, vt in ipsis verum planè comprobetur, quod Plinius ait; vt oculis ipse sæpè sum contemplatus, dum aliquam ex his gemmis cum auro contuli.

Chrysolithi gemma natura & color.

Sub Chrysolithi nomine duo gemmarum genera comprehendi.

Difficultas contra traditam Chrysolithi naturam & colorem ex Hebraico nomine Tharsis.

Dices; quanuis hic sit Plinianus vsus, vt Chrysolithum appellet gemmam illam, cui nullus alius ineſt color, præter auri translucidi; nihilominus in sacrarum Literarum vsu, videtur necessarium, vt Chrysolithus diuersum alium habeat colorem. Nam inter Rationalis gemmas nomini Chrysolithi respondet Hebraicè Tharsis. Et quanuis pro Tharsis Exodi 28. Septuaginta & Vulgatus transferunt Chrysolithum; & sic etiam nominat Iosephus: ipsum tamen nomen Tharsis reddit Vulgata Hyacinthũm, Cantic. 5.14. vbi legimus, *Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ Hyacinthis.* Et Ezechielis 1.16. eidem gemmæ respondet nomen maris. Sic enim legimus, *Quasi visio maris.* Et ipsi maris nomini respondet Hebraicè Tharsis. Idem etiam nomen reperitur Ezechielis 10. 10. vbi habetur, *Quasi visio lapidis Chrysolithi.* Ex quo manifestum est, idem esse debere, *quasi visio maris*, &, *quasi visio lapidis Chrysolithi.* atque adeo necessario videtur dicendum, Scripturæ Chrysolithum marini esse coloris. Id quod ita arbitrantur B. Isidorus: ait enim, Chrysolithum gemmam esse marini coloris similitudine, *Auro similis est* (inquit) *cum marini coloris similitudine* qua in re videtur sanctus doctor habuisse respectum ad illa Vulgati verba, *quasi visio maris*

Septuaginta viri Ezechielis primo nomen Tharsis retinuerunt: at cap. 10. 10. illud Carbunculi nomine reddiderunt. Hieronymus tamen & Theodoretus Ezech. 10, 10. vbi legimus Chrysolithum, obseruarunt, pro Chrysolitho aliquos ex antiquis interpretibus vertere Hyacinthum: quod Hieronymus Aquilæ, Theodoretus Symmacho attribuunt. Præterea Atias Montanus contendit, quæ gemma hebraicè vocatur *Thar-*

Alcasar in Apoc.

fis eam esse, quam gemmularij dicunt aquam marinam hancque nonnulli existimant esse, quam Plinius & antiqui Beryllum nuncuparunt: *probatissimos* enim *Beryllos* (ait Plinius) *esse eos, qui viriditatem maris imitantur.* Neque valde diuersi coloris sunt Beryllus & Hyacinthus. Nam de nonnullis Beryllis ait Plinius eos esse Hyacinthizontes: quod est ad Hyacinthi colorem vergere. His illud etiam adiungi potest, quod ex Hebraicæ vocis Tharsis nomenclatura difficultatem affert. Hieronymus enim notat, nomen Tharsis significare propriè mare. Nec vero color aureus quidquam habet cum marino commune; cùm tamen magnam habeat conuenientiam maris color cum colore illius gemmæ, quæ marina aqua vocatur: itemque cum eo, quod Plinius de Beryllo tradit.

Ex hac ipsa difficultate, quæ in colore gemmæ Tharsis occurrit, ansamaliquis arripiet, vt asserat, eandem ipsam nostri interpretis & Septuaginta varietatem argumento esse, propriam significationem eorum nominum Hebraicorum, quæ gemmis Rationalis erant indita, ex hominum iam memoria fuisse delata; atque adeo quando Vulgatus aut septuaginta transferunt Chrysolithum vel Hyacinthum, non esse eorum mentem, vt hæc nomina strictim vsurpentur: sed pro quadam gemmæ specie confusè sumpta, quasi Chrysolithi, siue Hyacinthi nomen solum exempli gratia ponatur. Ceterùm hanc opinionem suprà notatione quinta valdè impugnauimus: vbi ostendimus auctoritatem septuaginta virorum & antiquorum interpretum, Hieronymi, & Augustini vrgere, ne dubitemus, quin in Rationali gemmarum nomina vsurpentur iuxta eum sensum: quo & Græci & Plinius, ceterique antiqui scriptores accipiunt. id quod ita affirmo de Rationalis gemmis, vbi necessarium erat, ne nomina immutarentur. Quod verò commutentur alibi nomina gemmarum quarundam, id ad studiosorum virorum exercitationem Deo sic disponente, videtur factum. Atque interpres ea purgat ratio, quod vbi gemmarum Rationalis distributio & earundem euidens cognitio non cogebat ad eas proprijs nominibus distinguendas, potuit aliqua irrepere varietas: siue quia in Græcorum vocabulorum vsum erat inuecta: siue in aliquot locis parui erat momenti, vtrùm hæc potiùs gẽma, quàm illa exprimeretur; siue etiam quia interdum aliena vox & translatitia significãtiùs, quam propria, substituitur. Vt si in Ezechielis rotis, aliquando fortasse appositum Carbunculi nomen eandem haberet vim, ac si dicerentur rotæ ipsæ aurum referre adeo fulgens atque conspicuum, vt currus ipse auream quandam prunam imitaretur. Sic enim Hispani aliquando loqui solemus, *Hecho vn ascua de oro.*

Vtrùm septuaginta Chrysolithũ ab Hyacintho expressè distinxerint.

Cur aliquot gemmarum nomina in sacris immutata interdum reperiantur.

Iam, quod nomen *Tharsis* in Rationali expressum non possit de Hyacintho explicari, sed de gemma, quæ aureo colore translucet; id ex Hieronymi admiratione planum fit. Sic enim ait, *Satis miror, cur Hyacinthus pretiosissimus lapis in horum numero nõ ponatur?* Certum igitur Hieronymo erat, Chrysolithum non esse posse Hyacinthum. Deinde, si euidens est duodecim Apocalypseos gemmas gemmis totidem Rationalis respondere: nihilo ineuidentius, Rationalis

Nomen Tharsis in Rationali pro Hyacintho accipi non posse.

Digitized by Google

Difficultatis supra posita sit solu.

Chrysolithum non fuisse Hyacinthum; cùm in Apocalypsi duo sint omnino diuersi lapides Chrysolithus & Hyacinthus. His ipsis argumentis probatur, votem *Tharsis* in Rationali positam, cui respondet Chrysolithus, aliam à Beryllo, à Carbunculo & à reliquis esse debere.

Responsio ad id, quod ex Vulgato Can. 5. adducebatur supra.

Quod autem adducitur ex Vulgato, qui Canticorum 5. Hyacinthos pro Chrysolithis posuit; respondeo Hyacinthi nomini duplicem fortè significationem etiam olim fuisse: alteram iuxta vulgarem vsum hac tempestate receptum, in quo Hyacinthus nihil est aliud quàm pretiosus Chrysolithus; ea scilicet gemma, quæ aureo colore transluce: alteram prout Hyacinthus Chrysolitho opponitur. Et in Exodo quidem, atque in Apocalypsi nomen Hyacinthi pro Chrysolitho vsurpari non poterat: quia tunc alia erat gemma Chrysolithus appellata. At in Canticorum loco non hæc militabat ratio. quarè potuit ibi nomen Hyacinthi pro Chrysolitho vsurpari. Illud autem Hieronymus miratur inter Rationalis gemmas non esse proprium Hyacinthum, qui Chrysolitho opponitur, nam in altera significatione, qua Hieronymus ipse vtitur Canticor. 5 satis nouerat vbi erat Chrysolithus, & Hyacinthum esse: siquidem in ea significatione idem sunt. Quòd si objicias, hunc vsum esse recentem: respondeo, nouum item videri vsum, quo Topazius vocatur quædam Chrysolithi species: cùm tamen huiusmodi vsum, qui nouitatem videtur præ se ferre, nonnulli Strabonis esse credant, l. 16. Geographiæ, vbi sic habet; *Topazius est lapis pellucidus colore aureo refulgens.* quibus verbis non de nitore, sed de proprio ipsius colore videtur agere; de quo tamen latius infrà in Topazio. Porrò si idem esset vsus Psalmi 118. vers. 127. *ideò dilexi mandata tua super aurum & Topazion*; optima erat coniunctio. Nam in ea gradatione ab auro opaco ad aurum translucidum ascenditur; & vtrique Dei mandata præferuntur. In Hebræo tamen non est ibi *Tharsis*. sed *mipaz*.

Responsio ad difficultatem supra ex Ezechiele petitam.

Ad illud Ezechielis 1.16. *Quasi visio maris*, Respondeo nomen maris Hebraicà phrasi tribui auro & Chrysolitho; non quidem propter colorem, sed quia ex transmarinis locis asportabantur (nam & Plinius tradit pretiosiores Chrysolithos esse eos, qui ex India afferebantur.) Vnde *quasi visio maris* non ibi significat

A maris colorem illius gemmæ, cui Hebraicè nomen Tharsis (quod sonat mare) attribuitur. Constat enim Ezech.10.10. de gemma Chrysolitho sermonem instituì: nec verisimile est, gemmam coloris marini nomine Chrysolithum appellari. Si autem nomen maris apud Ezech.c.1. propterea solum ponitur, vt Hebraici nominis etymologia indicetur: nouum non est, nomen aliquod ratione etymi imponi illi rei, cui nihil est commune cum eo, quod nomen ipsum sonat, sic hispanicè albi lateres atqui lutei vocantur, *Azuleios*.

Si vero adhuc vrgeret aliquis, apud Ezechielem marino colore esse debere gemmam, quæ Chrysolithus nominatur: in gemmis saltem Apocal. pseos (& consequenter in Rationalis) perperam Chrysolithi nomen in alio accipitur sensu ab eo, quem Plinius & alij auctores antiqui Græci atque Latini vsurpant, quemque Græca ipsa vox sonat. Præsertim si attendatur allusio bis in hoc capite à Ioanne facta ad Chrysolithi

B gemmam; scilicet n. 18. ijs verbis; *Ipsa vero ciuitas aurum mundum, simile vitro*, Quæ est veluti descriptio præseferens id quod Chrysolithi nomine importatur. Et similiter n.21. *Platea ciuitatis aurum mundum tanquam vitrum pellucidum*. Et fortè in hoc distinguuntur Chrysolithus & Chrysolampis (cuius meminit Plinius, & de eo asserit, *Aurum videtur esse*) quia Chrysolampis pellucidus non est.

Chrysolithi proprietates, quas Rueus, Berchorius & alij plures tradunt, sunt huiusmodi; *Valde confert aduersus pusillanimitatem, & contra motus n. elucholicos.* Addit Rueus, se frequenter expertũ, valde etiam contra nocturnos timores atque molestias prodesse. Abulensis Exodi 28. adiungit (pro quo etiam veterem citat auctorem) valere item aduersus Dæmones.

Chrysolithi vis aduersus pusillanimitatem & timores nocturnos.

Isidorus de Chrysolitho sic scribit; *de die videtur aureus, de nocte igneus* Id quod etiam refert Abulensis Exodi 28. Quo quidem videtur alteri, Chrysolithum in nocte plus, quam in die suum splendorem detegere.

C Quod etiam Topazio lapidi tribuunt alij. Nam Eustachius in commentario Dion. Afri cap. 141 agens de Topazio affirmat, eum noctis tempore egeri solere, quo lucescit clarius; ac die enim à sole extingui solere. Idem Plinius attribuit Chrysolampi cap. 10. ait enim; *Chrysolampis in Æthiopia nascitur pallidi coloris die, noctu igneus.*

Chrysolithum die aureum de nocte igneum videri.

NOTATIO XXII.

De gemmæ septimæ ad septimum articulum applicatione.

Septimi Symboli articuli declaratio, & Chrysolithi ad eum applicatio.

ARticulus Symboli septimus sic habet; *Ascendit ad cælos sedet ad dexteram Patris.* Apocalypsis verò sic; *Septimum, Chrysolithus.* Docet nos articulus, Christi ascensionis diem, ipsius etiam coronationis diem fuisse. Et quanuis a mortuis excitatus è sepulchro prodierit rerum omnium Monarcha declaratus (ad Roman.1.4.) nihilominus quemadmodum postquam summus Pontifex est electus aliqui transiguntur dies, priusquam coronetur; ita etiam Christi Domini coronationem per dies quadraginta fuisse protractam: quoniam ita fieri oportebat ad firmandam & roborandam Apostolorum, discipulorumque fidem, & ad multa Catholicæ Ecclesiæ instituta stabilienda. Hisce autem diebus, licèt externa Christi Domini facies conspicua & admirabilis fuerit: vt tamen ad agendum cum discipulis apta foret; dubium non est, quin minorem præ se tulerit splendorem ac maiestatem, quàm postea retecturus erat. Verùm vbi tempus atque hora peruenit, quæ ad glorioſum ipsius triumphum, & ad regni coronam ac possessionem capessendam ab æterno Patre erat destinata: tunc quanta fuerit, quamque excellens gloriæ & amplitudinis demonstratio, nullis verbis exprimi potest. Propter hunc ipsum maiestatis & gloriæ diem, dixit Ioannes in primo sui Euangelij capite: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre* Nam nullo alio die fuit tanta tamque perfecta & integra Christi gloriæ ostentatio,

D nec adeò ipsius personæ auctoritate consentanea. Quam omnem gloriæ & amplitudinis excellentiam non solùm in ipsa Ascensione Christus accepit, sed etiam in omnem sæculorum æternitatem possidet. Quin etiam dum hæc rerum creatarum vniuersitas integra & erecta consisteret, in Christo ad Patris dexteram sedente habemus Christiani omnes clementissimum pariter ac potentissimum aduocatum, qui semper pro nobis diuini Parentis misericordiam solicitet. Atque huiusmodi fauore, & patrocinio excitati omnes formidinem debemus expellere, quam ex propriorum scelerum conscientia possemus contrahere.

Aureus Chrysolithi color quàm sit appositus ad Christi in cælos ascendentis gloriam & maiestatem figurandam.

Ad huiusmodi articulum figurandum proponitur nobis Chrysolithus: qui (vt præcedenti notatione vidimus) gemma est aureo colore translucens. Inter colorum autem varietatem, licet alij alijs maximè aptentur rebus ac symbolis (vt viridis spei: cæruleus cælesti significationi: albus sanctitati) ad gloriam tamen, maiestatem & splendorem indicanda nullus alius color reperiri potest aptior, quàm auri: cuius proprium est epitheton, quod micans sit. Ad huius igitur rei symbolum tantum color aureus ceteris præstat coloribus, quantum vestes ex auro elaboratæ sericis omnibus præstant. Atqui vestis aurea appositа valdè est, vt glorioſissimum sit principum indumentum. Vnde vt Reginam quandam debitâ

Digitized by Google

debitâ sibi maiestate visendam Dauid depingeret, sic ait Psal. 44. ***Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato***. quasi diceret vulgari Hispanorum idiomate, ***vestida de brocado de tres altos***. Quò etiam Latinus fortasse Poëta respexit Æneid. 1.

Cùm venit, aulæis iam se Regina superbis,
Aurea composuit sponda, mediamq; locauit.

Et eam ob rem mystici Salomonis reclinatorium est aureum Cant.3.10.quod haud dubiè indicatur in perantiquis picturis etiamnum Romæ extantibus, vbi Christus Dominus in sella ac throno sedens, & luteâ indutus veste conspicitur per coloris aurei imitationem; sicuti à pictoribus aureus color referri potest. nam & is color luteus à pictoribus vocatur auripigmentum.

Plinio colorem aureum (immerito tamen) argento posthabenti.

Non ignoro, Plinium lib. 33. cap. 3.ne nimis auri cupidus videatur, propensiorem se ad argenteum colorem ostendere; quòd argentum ipsum & clarius esse dicat, & diei similius, & longiùs ipsius splendorem enitescere. Verùm enim verò quidquid hac de re Plinius dicat, Sol rel:quorum luminum princeps nobis auratis radijs euidenter ostendit, nullam perspicuitatem auro clariorem reperiri, neque aptiorem ad gloriæ, maiestatis & splendoris symbolum; vtque quicunque aurato est indutus amictu, videatur ***amictus lumine sicut vestimento***. Atque hæc saltem est communis, & ab omnibus recepta consensio, aurum videlicet ceteris siue coloribus, siue metallis esse gloriosius.

Aurum triumphale à Plinio vocari.

Quapropter Plinius ipse lib.9.cap.36. Aurum appellat triumphale; inuenio, opinor triumphatores olim auro amiciri solitos. Ex quo intelligitur ad Christi triumphum & gloriam figurandam appositissimè colorem aureum desumi.

Aureus Chrysolithi color quid mysticè nobis insinuat.

Ad hæc; quemadmodum Chrysolithus aureum nobis colorem obijcit ob oculos; ita etiam eo ipso repræsentat quæcunque in auri proprietatibus adumbrantur; nempe æternitatem, summam perfectionẽ, munditiem maximam, aliaque complura à nobis expressa capite 1.notat. 12. Quapropter dum Spiritus sanctus Chrysolithum (quæ aurea est gemma) ad septimi articuli significationem vsurpat, nobis indicat Christi solium esse æternum; regnum & summè perfectum & ab omni defectu prorsus alienum: aureus item illius color symbolum est perfectè fælicitatis & abundantiæ.

Mystica consideratio discriminis inter aureum Chrysolithi colorem & colorem ipsum auri.

Prætercà Chrysolithus auro addit perspicuitatem, atque vt ita dicam, diaphaneitatem quod discrimen Ioannes obseruasse videtur; quando adeò accurate semel atque iterum dixit; ***Ipsa ciuitas aurum mundum simile vitro***. Et infrà; ***Platea ciuitatis aurum mundum tanquam vitrum pellucidum***, siue ***diaphanum***. (vt est in Græco.) Quibus verbis Ioannes innuit, ciuitatis ac plateæ aurum ad Chrysolithi imitationem esse translucidum. Cuius rei mysterium illud esse suspicor: cùm auri color & splendor congruenter gloriam atque triumphum designent; vt perfecta omnino gloria & omnibus absoluta numeris denotaretur, perspicuitatis, siue diaphaneitatis ratio addita fuit. Quemadmodum enim id vnum in vitro optari posse videbatur, ne fragile foret: ita etiam illud in auro optandum maximè erat, vt perspicuum esset. Vt igitur significetur Beatorum gloriam (quam ipsi ex Christi gloria participarunt (perfectam esse & cumulatam, atq; omnia animi vota explentem; idcircò Ioanni ciuitas tota ex auro pellucido fuit ostensa. Quod autem Christi gloria non in auro translucido, sed in Chrysolitho sit figurata; id denotat Christi gloriæ excellentiam, præ qua suum splendorem ac pretium gloria Sanctorum videtur amittere: sicuti aurum cum nobilissimo Chrysolitho comparatum, quasi degenerat; vt suprà ex Plinio retulimus.

Chrysolithi vis ad expellendum timorem quid symbolicè representet.

Iam, quos animos ac vires Christiano homini suggerat Christus ad Patris dexteram aduocatus sedens, aduersus timorem ac trepidationem ex peccatorum conscientia conceptam; id apprimè explicuit Ioannes epistola 1.cap. 2.n. 1. ***Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum***. Ad huius rei significationem optimè conducit illa Chrysolithi proprietas, qui (vt suprà meminimus) aduersus pusillanimitatem & melancholicos motus imprimis valet. Nec abs re est, quod ex Ruei experimento tradidimus de ipsius gemmæ vi contra noctis timores ac molestias. Nam conscientiæ scrupuli ac morsus eò deducunt, quod lobus significat cap.7.14. ***Terrebis me per somnia***. quas tamen formidines ac terrores mysticus expellit Chrysolithus. Quod si quispiam tantoperè animi scrupulis & anxietatibus premitur, vt vixdum respirandi locus sibi superesse videatur (vt Gregorius Magnus de quodam Monacho prodit) confert etiam quod gemmularij de Chrysolitho tradunt, eum respirationi imprimis prodesse, atque ipsius ope maximè recreari, qui pectoris premuntur angustijs.

Difficultas dilucidatur.

Denique Diuina prouidentia in vno coniunxit Chrysolitho, quidquid ad Christi gloriæ triumphum, ad perfectam beatitudinem, ad nostræ deiectionis solatium poterat symbolicè figurari. Dicet tamen aliquis ad clarissimam hanc significationem non parum conducere videri, vti Chrysolithus maioris esset æstimationis gemma. Respondeo, ad huiusmodi symbola eleganter exprimenda non tam vulgare pretium attendi debere, quàm fundamentum in optima proportione ac philosophia firmatum, vt huiusmodi Hieroglyphica congruenter diuidantur. Præterquàm quod Orientalis Chrysolithus pretiosissimus iure optimo inter nobiliores gemmas computatur. Et quidem, quod ad pretij diuersitatem attinet, pro temporum varietate & Principum libito solet multa induci vicissitudo. Ceterùm esto, Chalcedonius (siue Carbunculus sit, siue Adamas) & Smaragdus etiam sint gemmæ multò ex se pretiosiores: certè gloriæ & maiestatis species ac figura in Chrysolitho magis enitescit. Quod & harum gemmarum mysterio conuenientissimum est, cùm Christi Domini incarnatio, atque passio sint ex semet præstantissima Dei opera: quemadmodum nobilius est facinus victoria, quam triumphus, quantumuis triumphus ipse maiorem præ se ferat amplitudinem & gloriam.

NOTATIO XXIII.

De Beryllo octaua gemma.

Nulli Beryllus & Smaragdus sint eiusdẽ coloris. Pars affirmans proponitur.

SVnt, qui putent Beryllum & Smaragdum eiusdem esse coloris, cum eo dumtaxat discrimine, vt Smaragdinus color sit lucidior, at color Berylli sit ex se surdus, vt Latini loquuntur, & propterea fuisse opus olim, vt multis angulis poliretur ad ipsius colorem magis excitandum. Fulcitur hæc opinio Plinij verbis, qui lib.37. c.5. postquam de Smaragdis verba fecit, mox subdit, ***eandem multis naturam aut certe similem habere Berylli videntur***. Et paulò infrà, ***Poliuntur omnes sexangula figura artificum ingenijs, quoniam hebescunt, ni color surdus repercussu angulorum excitetur*** Ad hæc, quemadmodum Smaragdus & Beryllus eo solùm inter se distinguuntur, vt alteri color excitatior, alteri languidior sit: sic etiam cap. 8. Plinius priùs recenset Topazios porraceos, magni tamen splendoris: deinde Prasios enumerat, qui eundem habent colorem, viliores tamen sunt. Atque in Topazijs sunt & Prasoides & Chrysoprasij: ita etiam inter Prasios & merè Prasij reperiuntur & etiam Chrysoprasij.

Pars tamen negans ab Auctore statuitur.

Ceterùm existimo, inter Smaragdum atque Beryllum manifestam reperiri differentiam, non in splendore solùm atque fulgore, sed in ipso etiam colore. Etenim Smaragdum nemo vocabit, opinor glaucum: at Beryllum appellat glaucum Tryphiodorus in poematio de Troiano excidio: vt referunt

Digitized by Google

Scapula, & Adrianus Iunius in suo Nomenclatore. Solinus item cap. 65. de Beryllis agens sic ait; *Iuximij interuirente glauci & cærulei temperamento, quandam præ se ferunt puri maris gratiam.*

Explicatur amplius assertio prædicta.

Hoc tamen vt amplius intelligatur, discutiamus oportet, qui color propriè glaucus nominetur. Multi enim glaucum colorem cum cæruleo & cyaneo confundunt: nec eo inficias, solere aliquando confundi. Verùm exactius est, discrimen inter glaucum & cæruleum assignari. Constat hoc primò ex Aristotele lib. 5. de Generatione animalium initio: vbi explicat, qui oculi vocentur glauci, qui cærulei. Et quidem pro glaucis interpres cæsios transtulit; & sic habet; *Cæsij, qui parum habent humoris, vt in mari etiam cernitur. Etenim quantum eius satis transpicitur, cæsium apparet* (græcè glaucum) *quantum minus, aquosum* (græcè Hydratodes) *quantum præ gurgite alto non præfinitur, id opacat, & nigrum aut cæruleum* (græcè Cyanoides) *sensitur.* Vides manifestum discrimen inter glaucum & cæruleum colores.

Discrimen inter glaucum & cæruleum colores.

Deinde, ex Solini verbis liquet, duos hosce colores esse inter se diuersos: ait enim, perfectissimum esse, vt Beryllus *sit temperatus ex glauco & cæruleo.* Tertio, Dictionaria omnia supponunt glaucum colorem esse viridem: sic nanque definiunt; *Glaucum quod admistum habet quendam viridi colori alborem.*

Quarto Robertus Constantinus in suo græco latino lexico, verbo χαροπὸς, ait; *Glaucus color nonnihil à cæruleo diuersus est, vterque ad viridem tendit: dilutior est glaucus ad album vergens: saturior, intensiorq; cæsius & lucidior in confinio fului positus. Itaque fit, vt propter affinitatem aliquando sumatur glaucus pro cæsio.*

Nomen viridis apud Latinos ad cæruleum aliquando extendi.

Aduerte insuper, apud Latinos nomen viridis ad cæruleum etiam, vt videtur extendi. Gellius enim lib. 2. c. 26. refert de Virgilio; *Colorem equi significare viridem volens, potuit cæruleum dicere magis, quam glaucum: maluit tamen glaucum dicere.* Hæc ille; cuius loci gratiâ non deest, qui viridem maris colorem cum cæruleo velit permiscere; asserens nimirum magnam esse vtriusque inter se cognationem. Et manifestum est, sub glaucorum oculorum nomine comprehendi tum virides, tum quos Hispani appellamus *Zarcos*, qui sunt cærulei. Nam Plinius inter colorum discrimina, quæ in hominum oculis obseruat, neutiquam distinguit virides ab ijs, quos cæruleos, siue *Zarcos*, dicunt: atqui constat virides oculos reperiri.

Beryllo color quomodo à Plinio & Solino exprimatur.

Enim verò vt res se habeat, qua Plinius & Solinus vtuntur comparatione ad Berylli exprimendum colorem, ea est à puri maris viriditate petita. Plinius cap. 5. *Probatissimi sunt, qui viriditatem puri maris imitantur.* & Solinus ca. 65. *Eximii quandam præferunt puri maris gratiam.* Certè ad Smaragdi colorem significandum hac illi comparatione nequaquam vterentur. Tametsi enim mare viriditatem sæpè ostentet; illæ tamen color viridi claro componitur in cæruleum nonnihil vergente, vt fatentur, qui id attentè considerarunt. id quod Solinus in prædictis verbis indicat. Si verò diligenter expendatur Plinij & Solini phrasis, dum de Beryllo loquentes eum puri maris viriditati comparant; illa puri maris loquutio ad illud referri tempus videtur, cùm cæli color in ipso mari non imprimitur: tunc enim, cùm mare cælo speculi instar sit, cæruleum præ se fert colorem, qui cæsius propriè est: quippe etsi aliqui contendunt, cælum etiam nonnunquam viride apparere: id tamen rarissimum est. At in mari placato atque tranquillo sub solis occasum frequenter viridis cernitur color, vt experti testantur. Tunc autem locum habet illa puri maris loquutio, quasi alieno colore minimè infecti. Porrò illud viride, quod tunc in mari dispicitur (præsertim vbi non est magna aquarum profunditas) perspicuitatem habet vergentem in cæruleum: atque hic est proculdubio legitimus eximij Berylli color, vt ex suprà allatis constat.

De quo puri maris colore Plinius & Solinus loqui videantur, cùm ei colorem Berylli comparant.

Quæ sint gemmæ, quæ dicuntur aquæ marinæ.

Inter eas verò gemmas, quarum hodie nobis sit copia; quædam reperiuntur, quas vulgari appellatione aquas marinas dicunt; easque gemmularij volunt, veros esse Beryllos. Ego tamen doctis expendendum relinquo, an ijs gemmis conueniat, quod Plinius & Solinus de Beryllis memoriæ prodiderunt. Aliæ

A sunt gemmæ, quas vulgò dicunt Chrysolicas; ex autem sunt viridi colore perspicuo, diuerso prorsus ab Smaragdino. Huiusmodi Chrysolicas ipse autumo esse speciem Berylli; quia ipsarum color est viridis clarus, nec absimilis oculorum viriditati; qui color propriè est glaucus, vt in superioribus ostendimus. Et quanuis in ijs Chrysolicis, quas ipse viderim, non discernam illam cærulei misturam, quam requirit Solinus, illud tamen Beryllis commune est, vt glaucus eorum sit color, qui viridis est clarus, admistumque habeat virori quendam alborem: atque hoc ipsum in Chrysolicis reperimus cum similitudine viriditatis, quam in mari puro intueri licet: esto, in hodiernis Chrysolicis (quas quidem mihi videre contigit) non inueniatur eximia illa glauci & cærulei permistio.

Chrysolica gemma quæ sint.

Quòd autem Chrysolicæ sint Berylli species; inde videtur conijci, quòd huiusmodi gemmas omnes compluribus angulis politas in superiori gemmæ parte siue vmbone cernimus. Vnde colligitur ipsius colorem esse surdum, vt Plinius ait; atque ad eum amplius excitandum totâ illâ angulorum multitudine, opus esse, iuxta Plinij & Solini de Beryllis præceptiones. Nam Solinus similiter ait: *Beryllas in sexangulas formas attorserunt, vt hebetem coloris lauitatem angulorum repercussu excitent ad vigorem.*

Chrysolicas videri species esse Berylli.

Præter hæc; vt glaucum esse viride clarum confirmetur, obseruandum est, quas Latini res glaucas appellarint, nimirum oliuas, salices & alia huiusmodi, quorum viriditas claritate diluitur, & nonnihil in cæruleum tendit. Atque hactenus de Beryllorum colore, eorum præsertim, qui probatissimi censebantur. Alias enim species ignobiliores omitto, de quibus consulat, qui volet, Plinium & Solinum.

Glaucum colorem esse viridem clarum.

Nunc ad figuram, qua poliebantur Berylli, pergamus. Receptior, aut saltem pluris habita erat in speciem columellæ sexangulæ & oblongæ, quoniam *summa commendatio in longitudine*, vt Plinius ait. Cui etiam concinit Solinus, cuius ea sunt, *Iudici reges hoc genus gemmarum in longissimos Cylindros auuant fingere.* Et quanuis Cylindri nomen non præferat angulos, eos tamen manifestè præscribit Solinus.

Quam in figura Beryllo olim calam soleant.

Ex hisce Solini verbis elicitur, eximios Beryllos æstimari quondam solitos pro gemmis Regum proprijs: & speciatim nouimus illis Regum sceptra exornari solere. Quintus enim Curtius lib. 9. affirmat sceptrum aureum, quod Alexandro Sophites dono dedit, Beryllis fuisse distinctum, *Baculum aureum*, ait, *Beryllis distinguebant.* Et Regis Porsenæ Berylli meminit Augustus in Epistolis ad Mæcenatem.

Eximios quondã Beryllos pro gemmis regum proprijs fuisse habitos.

In vsu insuper erat, ne Berylli auro siue argento inducrentur, sed nudi insererentur: quod inter gemmas omnes Beryllus crederetur meliùs & venustiùs apparere nudus. Vnde Plinus, *Solos gemmarum esse prædicant, qui carere auro malunt.* quasi diceret proprium ipsorum vsum, & eorumdem naturæ magis consentaneum esse; ne aliquo siue auri siue argenti indumento exornentur.

Beryllum olim non auro vsdni solitum, & quam ob causam.

Duas alias proprietates multi de Beryllo tradunt. Prima est, *prodesse eum pugnantibus, & contra segnitiem pollere.* Altera, perutilem esse aduersus nimium humorem, qui ad oculos & guttur solet effluere.

Beryllum contra segnitiem valere, & prodesse pugnantibus.

Adrianus Iunius in suo Nomenclatore affert Marbodiæ versum, in quo de Beryllis agit. Et quamuis communis eius lectio sit,

Eximios oleo similes, lymphæue marinæ.

Ipse tamen quendam manuscriptum sectatus, contendit legendum fore, *Eximios viola similes.* Ceterùm expensis ijs, quæ Plinius & Solinus de Berylli colore attestantur, ipse legerem, *Eximios oleæ similes* Licèt enim Beryllum tradant oleacei coloris reperiri: hic tamen non est probatior, nec qui in violaceum colorem declinat. Quod si aliquis datur huic colori affinis: violæ tamen esse similem Amethysti proprium est. Oleæ verò tribui solere, sicut & Beryllo, glauci epitheton, iam supra notauimus.

Vt autem certò statui posset, quisit propriè glaucus color, magni interesset noctuarum oculos attentè inspicere. Noctuæ enim vocantur glaucæ, &

Color glaucus oculorum noctuæ proprius.

ex co-

Digitized by Google

ex colore, qui ipsarum inest oculis, nomen ad alia transfertur. Verùm quis nouit, num omnes noctuæ eundem oculis habeant colorem? & vtrùm noctuæ regionis huius Athenienſium oculos eodem colore imitentur?

Palladi cur glauci oculi à Poëtis olim tributi.

Palladi priſcæ fabulæ glaucos oculos tribuerunt, vt ſæpè apud Homerum & Heſiodum. Huius figmenti ratio illa occurrit. Quia glauci oculi terrorem incutere dicuntur: atque ita Deam armipotentem decebat. Dracones item glaucis oculis ſunt. Et Cornelius Tacitus ſcribit Germanis oculos eſſe truces; & huiuſmodi etiam oculos Neroni fuiſſe tradunt. Licèt autem affirmet etiam Ariſtoteles eſſe cæruleum oculorum colorem, qui timiditatis indicium

Glaucos oculos ad terrorem incutiendum valere.

A ſit: ſed proprius Berylli color fortaſſe refert leoninos oculos, aquilinos & Palladios, qui terrorem incutiunt.

Aduerſus id, quod ſuprà dicebamus, proprium maris colorem viridem eſſe, cùm alieno colore non inficitur, obijciet aliquis ſemper mare eſſe veluti ſpeculum: atque adeò ſemper alienum colorem referre. Huic obiectioni reſpondeo, ſaltem illam videri communem vel opinionem, vel loquendi conſuetudinem; vt conſtat phraſij Plinij atque Solini de viriditate puri maris.

Georgius Agricola. 6. foſſilium fol. 285. agens de Beryllis, *Color (ait) eſt illis viridis, ſed multum dilutus.*

NOTATIO XXIV.

De octauæ gemmæ cum articulo octauo comparatione.

Octauus Symbolis articulus quid nobis credendum proponat.

OCtauus articulus ſic habet; *Inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos* Apocalyps. *Octauum, Beryllus.* Quod ad articulum ſpectat, in eo nobis proponitur Chriſtum aſſertorem noſtrum ac vindicem tandem venturum, vt vniuerſos homines (tam eos qui viuunt tempore legis gratiæ, quàm eos, qui priùs è viuis exceſſerant) de propriis factis ſiue bonis ſiue malis iudicet. Vbi non de ſingulari cuiuſque iudicio, quo ſub ipſum animæ egreſſum è corpore iudicatur; ſed de vniuerſali ſub mundi finem futuro agitur. Quanuis enim vniuſcuiuſque cauſa ante extremum illum diem iam fuerit deciſa, & ſententia lata, atque exequutioni mandata: verùm vt de ſingulorum cauſis atque ſententijs apud vniuerſos conſtet; vtque euidenter appareat in ijs omnibus, quantopere Dei gloria, æquitas & integritas effulſerint; idcircò diuina prouidentia ſtatuit, ac præfiniuit certum quendam iudicij vniuerſalis diem: in quo omnium ac ſingulorum cauſis inter ſeſe collatis, diuinæ iuſtitiæ perfectio & arcani ipſius conſilij celſitudo emineant. Hic eſt diuinæ prouidentiæ ſcopus: in cuius operis conſideratione protinus mentem ſubit illius extremi iudicij cum æquitas, tum horribilitas. Neminem enim tunc alicuius aut fauor aut gratia aut præſidium tuebitur: ſed omnes pro ſuæ cauſæ meritis integrè & incorruptè iudicabuntur.

Octauo ficti articulo Beryllus applicatur.

Vidimus prolixius articuli ſymbolo Beryllum accerſiri; cuius color viridis eſt, quem maris puri vocant, vt Plinius & Solinus loquuntur. Atque hanc gemmam antiqui glaucam nuncuparunt; ſicuti præcedenti notatione diſputatum eſt.

Glaucus Berylli color ad extremi iudicij ſeueritatē & horribilitatem innuēdam aptus.

Imprimis ergo ad eius diei horribilitatem innuendam congruentiſſimè aſſumitur inter gemmas illa, quæ glauca eſt. Communi enim conſenſione receptum erat, glaucos oculos, quanuis alioqui pulchros, terribiles tamen eſſe, id eſt, terrorem atque horrorem inferentes, nam eiuſmodi ſunt draconum oculi, leonum & aquilarum; & ijdem etiam notati ſunt in Nerone. Quin & Palladem bellorum præſidem antiquitas glaucis oculis (vt diximus) effinxit, vt eius ſeueritatem innuerer. Vnde & verbum græcum γλαυκιᾶν idem eſt, atque terribilibus oculis intueri; quod Homerus & Heſiodus leoni adſcribunt. Si ergo glauci oculi pro terrificis ac formidandis ſunt habiti; quis color eſſe potuit aptior ad eius proprietatem gemmæ, quæ extremi iudicij diem repræſentat, de quo Ioëlis 2. num. 11. dicitur; *Dies Domini terribilis valde.* Lege item Iobi cap. 16. 10. *Collegit furorem ſuum in me, terribilibus oculis in me intuitus eſt*

Quòd Beryllus auro indui ſolerent, quid ſymbolicè in hoc articulo denotet.

Secundò, ad vniuerſalis iudicij ſeueritatem ſignificandam, cùm omnes iuxta ſua tantùm merita abſque alicuius fauore iudicandi ſint; mirificum eſt illud, quod de Beryllo tradit Plinius; *Solos gemmarum eſſe tradiderunt, qui carere auro malint.* Si ergo Beryllus non admittit aut aurum indumentum, aut argentum; elegantiſſimè ad extremi iudicij ſymbolum vſurpatur: in quo ſinguli ſecundùm propria merita ſunt iudicandi, nec alicui gratia ſeu fauor cuiuſquam adumento erit. Pretioſis quidem lapillis, ex auri ſo-

B cietate nonnihil ſolet ſplendoris & claritatis refundere: extremo illo vniuerſalis iudicij die totus orbis Berylli inſtar erit omni prorſus alieni ſplendoris fuco ſpoliatus. Omnes enim ante ſupremum illud tribunal ſumus ſiſtendi aliorum ope & auxilio deſtituti.

Marīs puri color Berylli attributus quid adumbret.

Ad hanc ipſam ſignificationem conducit communis antiquorum conſenſio, qui vt proprium Berylli colorem rectiùs exprimerent, ſimilem eſſe dixerunt viridi puri maris colori. Et verò animaduerſione dignum eſt, mare purum à priſcis non appellari, cum cæruleum refert colorem; ſed quando Beryllum imitatur. Quo ſi illud innuere veteres voluerunt, tunc ſcilicet mare non alieno colore, ſed propria amictum conſpici: quid aptius, vt figuretur humanum genus poſtremo illo die puro ac proprio ſuorum ſiue meritorum ſiue demeritorum colore viſum iri; non verò alienæ gratiæ aut fauoris colore infectum. Ad vniuerſum illud nationum omnium cœtum indicandum appoſita eſt maris figura. Deinde vt ſignificentur omnes puro ac natiuo meritorum colore,

C non alienis pigmentis eò producendi, mirificus eſt Beryllus; quæ gemma eſt nullum alterius metalli indumentum admittens, & puri maris referens colorem.

Beryllus pluribus angulis calari ſolitus quia myſticè indicet.

Præterea, quòd Berylli pluribus angulis ſoleant cælari, vt lucis repercuſſus omni ex parte retegat ſplendorem, qui antea non ità percipi poterat; idinquam maximè facit ad rem, vt adumbretur diuinæ prouidentiæ conſilium, quæ homines vniuerſos in iudicium coget, vt omnium ac ſingulorum cauſis inter ſeſe collatis, diuinæ iuſtitiæ præſtantia, & ipſius conſiliorum celſitas innoteſcant. Huc ſpectat, quòd gemmularij ſplendorem, quem gemma angulorum repercuſſu excitata recipit, vocare ſolent, *Irillar*, quod deriuari videtur à *Beryllare*, quod eſt imitari Beryllum, dum lucis radiorum pariter confluentium reflexu, lucidus ac ſplendidus apparet. Quanta autem diuini iudicij gloria & ſplendor ſint eo die futura ex cauſarum omnium concurſu & inter ſe comparatione, id Theologi rectè expendunt, pro quo lege Ioſephum Acoſtam de nouiſſimis temporibus lib. c. 8.

Hiſpanicum verbum brillar vnde detorqueatur.

D Ex ipſa viridis coloris in Beryllo apparentis perſpicuitate prouenit, vt ſi maximè tranſlucidus, & oculorum obtutibus facilè peruius, quod congruit cum maxima illius diei euidentia de ſingulorum conſcientijs.

Beryllum & prodeſſe pugnantibus, & contra ſegnitiem valere, quid adumbret.

Iam, quod de Beryllo traditur, cum ſcilicet & prodeſſe pugnantibus, & contra ſegnitiem valere, ad illud poteſt aptari emolumentum, quod ex attenta vniuerſalis iudicij commentatione percipitur. Ea enim conſideratio efficax imprimis eſt ad inertiam atque ſegnitiem depellendam, & ad viriliter pugnandum aduerſus infeſtos animi hoſtes. Sic ſibi ipſi prodit Hieronymus meditationem huiuſmodi maximè vtilitati fuiſſe, quippe qui ſemper ſibi auribus videretur excipere horriſonum illius tubæ clangorem, quo mortui omnes ſunt excitandi, & ad iudicium euocandi. His etiam concinit, quod ex Rueo, Berchorio & alijs docuimus, Beryllū ſcilicet eſſe perutilē aduerſus

Extremi iudicij meditatio quam ſit efficax.

eos

eos morbos, qui ex nimio humore in oculos atque guttur defluente contrahuntur. Ecquis enim est noxius humor, nisi effrænatæ cupiditates ac vitia, quæ nobis mentis aciem obducunt, & strangulationem, A atque adeò spiritalis vitæ iacturam minitantur? Quibus ex hostibus nos facilè eripit seria & intensa horribilis illius diei recordatio.

NOTATIO XXV.

De gemma Topazio.

Topazius vtrum viridis coloris sit.

PRima de Topazio gemmâ dubitatio est, vtrùm necesse sit viridem illi esse colorem. Quos enim hodie Topazios vocant, & Daciæ Topazios esse dicunt (sic enim tradit Georgius Agricola lib. 6. fossilium) nihil habent viriditatis. Et quod amplius est, Strabo lib. 16. de eisdem Plinij Topazijs agens (vt ex ipso patet contextu) non eis viridem colorem, sed aureum potiùs tribuere videtur: ait enim Topazion esse Chrysoidem. Nihilominùs tamen ex Dionysio Afro, ex Orpheo, ex Theophrasto, ex Plinio, B & ex ceteris, qui ex eorum scriptis decerpserunt, certum est, Topazion, de quo veteres loquuntur, viridem esse gemmam, vt ex infrà dicendis planum fiet.

Vulgarem hodie Topazion ab eo esse diuersum, cui veteres hoc nomen indiderunt.

Ex quo duo eliciuntur: primum est, vulgarem Topazium non habere locum inter eas gemmas, quibus veteres nomen Topazij indiderunt. Alterum, quanuis Strabo viridem Topazij colorem non exprimat, eum tamen haud dubiè supponere. Quinimò quantumuis Topazius sit viridis; cum hoc stat, eximium Topazium esse pariter Chrysoidem, id est auri fulgorem ex se emittere, de quo infrà. Plinius enim, qui viridi Topazios colore esse tradit, aliquem eis simul splendorem aureum attribuit. nec solùm alteri Topazij speciei, cui nomen Chrysopasios; sed etiam alteri, cui Prasoides. Nam expressè ait, Chrysopasium esse magis aureum, quàm alteram Topazij speciem, quæ Prasoides nuncupatur. Ex quo intelligitur, vtramque gemmę huius speciem nonnihil aurei coloris habere: alioqui comparatio esset inepta. Fortè etiam Strabo de secunda Topaziorum specie sermonem instituit, quam Plinius Chrysopasio similem esse tradit.

Quodnam viridis coloris genus sit proprium Topazio. Topazij colorem esse porraceum.

Altera de hac gemma dubitatio esse potest, quod genus viridis coloris illud sit Topazio à veteribus tributum? Omnes ad eius colorem explicandum, porri comparatione vtuntur. Vnde cum duplicem tantùm Topaziorum speciem Plinius tradat; in vtriusque nomine exprimit, ipsius colorem esse porraceum. Nam græcum porrorum nomen est *πράσον*: & ex Topazijs altera species *Prasoides*, altera *Chrysopasios* vocatur. Ex quo liquet, in vtraque specie colorem porri distingui.

Topazij color num porri folia, an succum imitetur?

Verùm suboritur hinc quæstio; vtrùmne Topaziorum color, folia porri, an ipsius succum imitetur? Plinius certè sic habet; *Eius similitudo ad porri succum dirigitur*. Tametsi autem hæc verba non referat aliquis ad vtramque Topazij speciem, sed tantùm ad secundam: ceterùm de vtraque specie sunt citra dubitationem intelligenda. Et sic Plinium intellexit Georgius Agricola lib. 6. de fossilibus. Sed quid est apud Plinium porri succus. Existimabit aliquis comparationem sumi ex colore eiusdem succi, qui ex porris ipsis exprimitur: nam eiusmodi color notus videtur antiquis fuisse. quippe porrorum succus medicas habere vires credebatur, vt ex eodem Plinio conijcitur lib. 19. cap. 6. vbi de porris & de eorum succo disputatur.

Quid sit apud Plinium porri succus dum de Topazij colore agit.

Mihi tamen multò sit verisimilius, in ea Plinianorum verborum comparatione non esse sermonem de succo, qui ex porro elicitur; sed de liquore aliquo, cui idem inesset color, quo porri folia constant. Quod idem est, ac si diceretur Topazius suo colore referre siue repræsentare aspectui liquorem eodemmet tinctum virore, qui in folijs porrorum cernitur. Sensus hic genuinus est visus nonnullis viris doctis, quos super hac re consului. Etenim si eiusmodi similitudo siue comparatio de ipsomet porri succo intelligenda foret: hic certè succus, aut viriditatis nihil, aut saltem minimum retineret. Quarè nec Topazij vocarentur Prasoides, nec Chrysopasij; cùm tantillum porracei coloris in succo ex ipsis porris expresso remaneat.

Cum de porrorum colore est sermo intelligendum esse de colore foliorū.

Accedit, quòd quando de ipsorum porrorum colore habetur sermo, plana intelligentia est de foliorum colore tunc agi. Quanuis enim porri caput sit album; in plantis tamen receptum est, vt cùm de singularum agitur colore, de colore foliorum accipiatur sermo: hic enim est color, qui primò se in plantarum conspectu oculis offert. Verùm, si de succo ex porris elicito ageretur, tunc verisimilius esset, id accipi de eo succo, qui ex porris ad medicinam conficiendam exprimi solebat. nec eliciebatur, opinor, succus eam ad rem ex folijs solùm; sed aut ex solo capite (quod est album) aut ex capite simul at folijs. Atque experientia ipsa docet, aut nihil esse peculiare viriditatis in hac succi ratione, aut certè adeo parum, vt inde comparatio minimè peteretur. Nisi fortè coniectaret aliquis huiusmodi comparationem vsurpari, vt denotetur eam viriditatis rationem ita esse tenuem & quasi spiritalem, vt vix dum sensibus percipiatur. Enimverò si Topaziorum viror adeò exiguus esset, non eos antiquitas aut Prasoides aut Chrysopasios compellaret. Nam Prasoides nihil aliud sonat, nisi quod speciem porri oculis offert; & Chrysopasius, quod auri fulgorem vrà cum porri specie repræsentet. Manet ergo id statutum, in vtrâque Topaziorum specie veram esse similitudinem atque respectum ad foliorum porri colorem, non ad succi ex porris expressi: quantumuis Plinius dixerit eleganter, Topazij similitudo ad porri succum dirigitur.

Topaziorum colorem porru similem, de foliis porrorum esse intelligendum.

Topazij viriditas quomodo debeat explicari.

His ita præstitutis; vt optimè Topazij color viridis agnoscatur, oportet probè cognoscere porrifoliorum colorem: est enim peculiare quoddam viriditatis genus; nec nisi oculis ipsis cernatur, rectè ipsius peculiaris ratio concipitur. Nonnullis ea explanandi via satis esse videtur; si dicant viride illud valde clarum. Sed lactucæ viriditas clarior multò solet esse; & tamen est valde diuersa. Georgius Agricola, postquàm de Beryllis dixerat, *Color eis est viridis quidem sed multum dilutus*: mox de Prasio ait, *Viridis color est magis dilutus, quàm Beryllo*. Nec minus debet esse dilutus Topazij color, quàm Prasij. Aliis placet, porrorum colorem nonnihili ad luteum vergere: alij malunt in cæruleum inclinare. Mihi nulla alia potior videtur declaratio, quàm ipsamet porra oculis vsurpare. Dionysius Afer versu 1121 ait, *γλαυκιόεντα λίθον καθαρὸν τοπάζου*, quæ verba in antiquiore versione sunt depravata. Robertus Stephanus sic vertit; *Glauco splendentem colore lapidem nitidi Topazij*. Suspicor tamen Dionysium non glaucum omnino colorem Topazio tribuere; nam distinctione vsus Beryllo quidem epitheton glauci apponit: at Topazium vocat *γλαυκιόεντα*, id est vergentem in glaucum colorem.

Topazium esse diaphanum siue translucidum.

Illud etiam de hoc lapillo constat, eum esse diaphanum siue transluçidum. Quanquam enim Plinius id non explicat, bene tamen Strabo, & Eustachius in Dionysii Afri commentario. qui auctores nisi id asseuerarent, parum auctoritate Georgii Agricolæ mouerer: quia hic auctor Prasium etiam & Callaidem facit translucentes; in quo meâ sententiâ à Plinio discedit. Hic enim capiti octauo eum præfigit titulum; *De Topazio & Callaide & gemmis non translucentibus*.

Topazium quid ex auri colore siue fulgore habeat.

Quod auri Topazius habet, non id ex ipsius auri colore, sed ex fulgore accersitur; quia *non translucet modo, sed mirificè etiam fulget, exitq; eius fulgor in colorem auro similem*; vt loquitur Georgius Agricola quę

auri

Digitized by Google

auri splendorem siue fulgorem (quantumuis color sit viridis) in quibusdam exiguis animalculis aurum viride referentibus quotidie spectamus & in auium aliquot pennis nescio quæ auri viridis species discernitur: vbi non tantùm nihil est coloris veri aurei, sed nec propriè viridis; nisi externâ quadam facie per certi cuiusdam visus reflexum. Id quod fortasse Plinius asserit; nempe Chrysoprasium esse, χρυσόπρασον, vel vt alij legunt, χρυσόπτερον ex quibus alterum *est magis deauratum*; alterum *cum pennis aureis*. Vtcunque hoc sit, ex duabus Topazij speciebus, quas Plinius recenset, altera minus habet auri, quæ vocatur Prasoides, id est, porri speciem præ se ferens. Altera plus habet auri, quæ est Chrysoprasio similis, quam videtur describere Ambrosius Psalm. 118. ad illa verba *super aurum & Topazion* serm. 16.

Quantus sit Topazij splendor.

De Topazij splendore illud singulare affirmat Strabo lib. 16. *Splendore* (ait) *tanto refulget, vt interdiu videri non possit; vsque adeo circunfusus eo noctu aëre videatur ab iis, qui eum colligunt. ij nota causa signo aliquo apposito desinunt.* quæ verba tranctipsit Eustathius in Dionysij Afri commentario. Georgius Agricola id interpretatur, dum de Topazium quærentibus ait: *non ita facilè eum de die agnoscunt, eo quod radij solis ei similes circunquaque resplendeant. at noctu conspicitur ab iis, qui illum colligunt*, suspicatur item Georgius, eandem esse gemmam Plinio dictam *Chrysolampidem pallidi coloris de die, & de nocte igneæ.*

Topazij etymon.

Si ad Topazij etymon respiciamus; Plinius ait, hoc nomen significare *quæsitam*, siue *aptatam*, pro quo affert Iubam: asseritque appellari quondam Topazion insulam, vbi huiusmodi gemmæ inuenichantur, quia tenebris abscondi & occultari solebat. Et quidem Troglòditarum linguâ *Topazium* idem est, quod *quærere*. In Græcò τοπάζειν est collocare, aut conijcere & suspicari.

Topazium quatuor cubitis longum aliquando fuisse inuentum.

Duo sunt in hoc lapillo cum primis insignia. Primum est, hanc esse gemmarum amplissimam; atque adeò quatuor cubitis (quæ humanæ staturæ dimensio est) fuisse inuentam, vt Plinius testatur. Alterum, eam esse delicatissimam: quia *sola prope nouilium gemmarum limam sentit, & vsu atteritur*. Sic Plinius.

Addit Strabo, Ægyptios reges maximam hominum multitudinem mercede conductam ad horum lapidum collectionem, custodiamque collocasse.

Hæc sunt, quæ ex antiquis auctoribus memoriæ prodita accepi de Topazio. Recentiores (vt Vincentius & Berchorius) addunt: *Omnium gemmarum superat claritatem, maximè lucens cum Solis splendore tangitur.* Et Abulensis Exodi 28. *Topazius* (inquit) *ante Solem positus supra cæteras omnes gemmas lucet.* Id quod videtur ex Ambrosio desumptum in Psal. 118. ad illa verba *super aurum & Topazion*: vbi sic ait; *Splendenti similis est, maximè cum Solis splendore percutitur.* Legit etiam ibidem Hilarium. His adnectunt Vincentius, Berchorius, Abulensis, & Arnoldus. *Topazium valere contra passionem lunaticam & contra phreneſim.* Quidam insuper asserit; *Valet contra iram sedando illam.* Alter; *iram restinguit & cohibet iracundiam.* Alius; *Luxuriam reprimit & venerea cohibet.* Alius; *valet contra tristitiam.* Ac demum Vincentius & Arnoldus generatim loquentes aiunt; *Valet contra nexios motus*, id est, contra prauarum appetitionum perturbationes.

Naturales Topazij qualitates.

Topazius contra quos corporis & animi morbos valere dicatur.

His adiungunt Vincentius, Arnoldus, Berchorius, & Rueus Topazio magnopere attemperari feruentis aquæ ebullitiones; nec eam efferuescere pati, quantumuis plurimum admoueatur ignis. Quibus adnicit Vincentius: *si supra rem bullientem suspenditur, cessant ampullæ.* Quin & Rueus tradit; *si annulum ex Topazio effictum quispiam in manu teneat, posse eum intra feruentis aquæ lebetem manum seruè inijcere.*

Topazius feruentis ac bullientis aquæ ampullas sedari.

Berchorius item ait; *est pulcherrima gemmarum.* Vincentius, *Quo rarior, eo pretiosior*, & vterque his adnectunt; *In thesauris regum nihil pretiosius inuenitur, & nihil est charius regibus in diuitiis.* Hoc autem videtur dictum propter antiquam de Topazij æstimationem. Nam vt de illo Plinius memorat; *Cum repertus est, omnibus gemmis prælatus fuit.* Et de sua ætate impensatis pretio tubicit; *Egregia etiamnum Topazio gloria est.*

Topazij pulchritudo ac pretium.

Postremò Vincentius & Berchorius sic habent, *Si politur, obscuratur, si natura sua relinquitur, clarior est.* Quod videtur petitum ex Ambrosij loco supertus citato; vbi sanctus doctor ait: *Natura Topazii huiusmodi est, vt si polire & lauigare eum velis asperetur magis, cum ipse sit sumpte natura euglyphus*, id est, optimæ formæ; ad si esset bene scalptus. Ibi etiam affirmat Ambrosius; quidquid Plinius de Topazio scribit, se apud Xenocratem in libro de gemmis legisse.

Topazius si politur obscuratur.

NOTATIO XXVI.

Vbi gemma nona cum nono articulo comparatur.

Nouum fides caput quod nobis proponat.

SYmboli articulus nonus eiusmodi est: *Credo in Spiritum sanctum.* Apocalypseos verba illis respondentia; *Nouum, Topazius.* In articulo quidem profitemur omnes, tertiam Sanctissimæ Trinitatis personam ex Patre ac Filio procedere, quam proprio nomine appellamus Spiritum sanctum. Huic diuinæ personæ attribuitur animarum sanctificatio, vberrima spiritalis lucis affluentia, veritatum supernaturalium penetratio, rerum æternarum æstimatio, temporalium contemptio, alacris & erecta voluntas ad euangelicæ vitæ perfectionem amplectendam, & magna Spiritus vis atque efficacitas ad hominum mentes in diuinum obsequium illiciendas.

Topazij applicatio ad nonum articulum Sanctissimæ Trinitatis mysterium comparatione solis, radij ac lucis à Patribus explicati.

Ad hunc articulum Topazius gemma accitur, idque satis congruenter. Nam imprimis trium diuinarum distinctionem explicant sancti Patres per comparationem ex sole, & eius radio ac lucis à radio dimanantis petitam. Sic exponunt Tertullianus aduersus Praxeam, Lactant. lib. 4. diuinarum institutionum, cap. 29. Athan. de decretis Synodi Nicænæ, Nazianzenus orat. 5. de Theologia ad finem, & in epistola ad Euagrium, Nyssenus de differentia essentiæ, & hypostasis, & ad Simplicium, Eusebius Emissenus hom. 1. de Symbolo, Augustinus tractatu 20. in Ioannem, Cyprianus in Symbolum, & Antonius Constantiensis epistola ad Arcadium. Quæ cùm ita sint, si Spiritum sanctum respicit comparatio lucis, quæ ex sole ac radio procedit; mirificè electa est ad Spiritus sancti symbolum ea gemma, in qua adeò est insignis & mirabilis lux à solis radio in eam deriuata. Hoc autem superiore notatione adnotauimus ex Abulensi & alijs, quorum ibi verba retulimus. Id ipsum voluit significare Strabo; dum Topazium radio solis tantopere esse similem dixit, vt nullum ferè diu vtriusque discrimen appareat. Secundò, mysterio non vacat, gemmæ huius colorem ita porraceo assimilari; vt ad eam describendam antiqui scriptores porri comparationem vsurpent, & quæ nomina speciebus Topazij) attribuant, in ipsis eadem imbibatur comparatio. Nam Topazij species sunt, vt vidimus, Prasoides & Chrysoprasios: atqui in vtraque prasius reperitur color, id est, porraceus. Quod argumento est, non aliam reperiri vocem proprio Topazij colori designando aptiorem. Qua in re nos diuina prouidentia docuisse videtur, in Topazio porri succum in gemmam commutatum inueniri, atque adeò Topazij significationem fore in porri qualitatibus inuestigandam, quemadmodum Chrysoliti mysterium in auri proprietatibus, Carbunculi, in prunæ, Hyacinthi, in Plantæ, Amethysti, in purpuræ, Berylli, in maris puri naturâ & qualitatibus indagatur. Quippe huiusmodi res sunt, quas gemmæ istæ nobis ob oculos ponunt. Quibus positis, illud est obseruandum, antiquitati porrum maximè fuisse salutare, & inter res medicinæ vsibus accommodas plurimi habitum, vt eliti

Topazij fulgor à Solis radio deriuatus quid mystice figuret.

Porraceus Topazij color cuius rei sit symbolum.

Digitized by Google

vt elici poteſt ex ijs, quæ Plinius tradit lib. 19. cap. 6. & lib. 20. cap. 6. Et quidem videntur ſingulari Dei prouidentiâ illi inditæ virtutes, quæ imprimis erant appoſitæ ad eos ſignificandos effectus, quos diuinus Spiritus his animabus præſtat, quibus ſeliberaliter impertit.

Porri virtutes ac proprietates, & ſymbolica earum conſideratio.

Primò enim magnopere celebratur porri virtus ad pectus & pulmones ſananda; *Tuſſi etiam veteri, ac pectoris & pulmonis vitijs medetur, etiam phthiſicis & ſanguinem exſcreantibus & diſtillationibus longis*, ait Plinius. Et infrà; *Pulmonis & arteriæ vitia ſanat.* Quæ omnia ſunt maximè congruentia diuini Spiritus efficientiæ in intimis animi præcordijs ſanandis, & veteſtis ab ea morbis prorſus depellendis. Quid enim aliud pectoris interiora deſignant, quàm animam? Deinde porri ſuccus fuit permagni habitus tanquam efficaciſſimus in ſerpentum ſcorpionumque ictus & beſtiarum morſus, nec non in aquam intercutem ſiue hydropiſim, in icteron & renum dolores.

Serpentum ergo virus ſymbolum eſt, vt omnibus conſtat, veneni in flagitio atque ſcelere deliteſcentis: hydrops auaritiam, icteros peſſimum exemplum; renum morbus turpes ac fædas cupiditates ſignificant. Hæc verò omnia mirandum in modum ſanat ſancti Spiritus communio. Tribus item verbis Plinius totidem eximias porri virtutes perſtringit; *Voci* (inquit) *facunditati, ſomnoq; multum confert.* Et quidem quod ad vocis emolumentum attinet, valde eſt ab antiquis celebratum; eo quòd *Nero dederit porro auctoritatem vocis gratia, ſtatis menſium omnium diebus nihil aliud ac ne pane quidem veſcendo.* Extitit Nero ſuauis & canoræ vocis ſtudioſiſſimus: conſtat autem porrum addere ſplendorem voci, ea tenus, vt Ariſtoteles aſſerat, ideo perdices adeò eſſe argutas & canoras, quòd porri edaciſſimæ ſint. De fæcunditate verò inſigne eſt Plinianum illud ex Hippocratis auctoritate petitum, *Vuluas contractas aperire, & facunditatem mulierum augere.*

Porrum voci facunditati & ſomno vtile eſſe.

Myſtica prædictarum qualitatum conſideratio.

Horum omnium facilis eſt applicatio. Quis enim neſciat diuinum Spiritum, quibus ſe communicat, miram etiam verborum ſuauitatem conferre; vt myſticę vocis dulcedine homines ad ſeſe trahant, ſicuti de Orphei & Amphionis concentij Poetarum fabulæ prodiderunt. Et propterea Spiritus ſanctus in linguis igneis fuit viſus, vt euangelicæ prædicationi diuinam efficacitatem ſuggereret.

Deinde, quis neſciat, Diuinum etiam Spiritum Chriſtianæ Eccleſiæ fæcunditatem tribuiſſe, vt ſpiritales filios innumerabiles Deo procrearet. Quid inſuper aliud eſt ſomnus myſticus, niſi contemplationis quies, de qua Ieremiæ 31. n. 26. *Somnus meus dulcis mihi.* Quis autem eſt ad huiuſmodi ſomnum conciliandum potens, niſi diuini Spiritus virtus, quæ homines diuinarum rerum meditationi & contemplationi addictos efficit.

Porro hauſto mortem facilius perferri; & quid myſtica ſignificationis habeat.

Omitto, ne longior ſim, aliarum virtutum in porro elucentium applicationem; cuiuſmodi ſunt aurium ſanare vitia, & ſitim ſedare. Illud tamen præterire non poſſum, quod de porro Plinius aſſeuerat lib. 19. ca. 6. nimirum *eo hauſto mortem ſine vllo cruciatu perferri.* Quam ad rem illud aliorum famâ vulgatum refert de quodam equite Romano, cui nomen Mela; qui *cùm eſſet reus ex proſcriptione, Tiberio principe, ſucco porri ad trium denariorum pondus hauſto, ſine vllo cruciatu expiranit.* Et quanuis fama iactauerit, illum porro enecatum: hoc tamen veriſimile non apparet, cùm porrum ſit valde ſalutare. Quarè illud à porro videtur præſtitum, ne mortem perſentiſceret. Quis ergo effecit Chriſti Martyres in medijs ipſis cruciatibus atque tormentis, non ſolùm ſine cruciatu, ſed maxima etiam cum voluptate mortem ſubire, niſi vna ſanctiſſimi Spiritus virtus. Quidve admirabilius & magnificentius orbis conſpexit, quàm tantam Chriſti Martyrum frequentiam ita alacriter ac penè ſine ſenſu ad mortem non tam per carnifices ipſos trahi, quàm diuini Spiritus virtute duci.

Martyrum robur ac fortitudinem ab Spiritu ſancto emanaſſe.

Animaduerſione inſuper dignum eſt, eximiam & excellentem horum omnium effectuum manifeſtationem ex eo tempore palàm fuiſſe factam, quo Chriſtus ſuum Spiritum in Eccleſiam miſit. priùs enim.

A *Nondum erat Spiritus datus, quia Ieſus nondum fuerat glorificatus.* Antea enim nec adeò miræ cernebantur conuerſiones, quibus ægrotantia hominum pectora atque animi curabantur; nec voces ita ſuaues & efficaces exaudiebantur; nec tanta in concionatoribus aſpiciebatur ſpiritalis fecunditas; nec homines adeò ſe contemplationis ſomno tradebant; nec demum ita facilè vita & ſanguis pro Chriſti fide prodigebatur.

Aureus ſplendor cum colore praſio in Topazio quid innuat.

Fortè etiam aureus ſplendor cum colore praſio in eximijs Topazijs coniunctus, conducit, vt hac ratione ſignificetur, per diuini Spiritus communionem in hac gemma adumbratam nonnihil nobis retegi ex clariſſima Chriſti gloria, & ex nobiliſſimo ipſius ad Patris dexteram ſedentis triumpho, inde enim ſanctum emiſit Spiritum: & quia ipſe Chriſtus in cælum conſcenderat, ideò Spiritus ſanctus, in terram deſcendit. Quòd ſi Chriſti Aſcenſionem & ipſius throni gloriam Chryſolithus aureo colore perſpicuus repræſentat: dum in Topazio, communionis Spiritus ſancti ſymbolo, pellucidi auri ſplendor effulgeſcit, id nobis B videtur innui, in diuini Spiritus largitione regnum atque gloriam Chriſti Ieſu reddi manifeſtam. Nam & ipſamet ſacri Spiritus communicatio in ſacris Literis vocatur regnum Dei: & eò ſpectant illa orationis Dominicæ verba, *Adueniat regnum tuum.* vt explicauit Nyſſenus. imò vero vt videtur legiſſe, ipſa Dominicæ orationis verba; ſic enim legit, *Adueniat ſpiritus tuus.*

Excellentia lucis, qua in Topazio cernitur cuius rei ſit Symbolum.

Iam, ſi lux illa admirabilis, quam Diuinus Spiritus ſpiritalibus viris affatim impertitur, eſt principium beneficiorum omnium, quibus eos ipſemet ſpiritus eumulat: ad lucis huius ſignificationem quid congruentius, quàm excellentia lucis eius, quæ in Topazio diſpicitur, Hoc enim eſt cæleſte quoddam miraculum, quo Dei filij ab Ægyptiis diſtinguuntur; nimirum copioſa lux ſpiritalis, qua iuſti viri potiuntur, mundanis ac libidinoſis hominibus in obſcura caligine deliteſcentibus. Exodi 10. 22 & Sap. 17. 2. & c. 18. 1. Quod vero addit Strabo Topazios de nocte faciliùs reperiri, quàm de die; conducit etiam ad id deC ſignandum, quod Spiritualibus eſt valde manifeſtum, hanc ſcilicet myſticam gemmam promptiùs in aduerſitatis nocte, quam in proſperitatis die inueniri.

Topazium lunaticis & phreneticis prodeſſe quid adumbret.

Præter hæc; vbi plurimum eſt ſpiritalis lucis, ibi etiam vera eſt ſapientia atque prudentia ab omni mundanæ viciſſitudinis impreſſione immunis, quam lunæ varietas in phreneticos & manibus mundi curis immerſos immittit. Ad virorum ergo ſpiritalium cæleſtem innuendam prudentiam, mirifica eſt ea Topazij proprietas, quam ex Abulenſi & alijs adduximus in præcedenti notatione, nimirum *contra paſſiones lunaticas & phreneſim valere.* Quanto autem imperio ſpiritales homines ſuis animi appetitionibus dominentur, ritè adumbrant aliæ Topazij proprietates, quarum ibidem meminimus, videlicet eum prodeſſe aduerſus iram, cohibere iracundiam, &c.

Iuſtorum pax in rebus aduerſis quomodo per Topazium demonſtretur.

Pax etiam atque tranquillitas iuſtorum ac piorum hominum in grauiſſima quauis rerum aduerſarum procellâ, eleganter indicatur in eo, quod Vincentius D & alij tradunt de nimio aquæ feruore per annulum, cui Topazius ſit inſertus, temperando: cuius rei mentionem fecimus ſuperiore notatione. Quod licèt per exaggerationem videatur dictum: nihilominus quod tot aſſerunt auctores, in aliquo fortaſſis experimento ſtabilitur. Et quæ tis admirandæ huius virtutis inchoatio ſatis eſt, vt per eam aſcendamus ad virtutem multò mirabiliorem contemplandam, quam Diuinus Spiritus præſtat in pace & ſecuritate, qua ſpiritales viri inter ſæuientes contrariarum rerum turbines tranquilli & pacati exiſtunt.

Topazij pulchritudo & pretium quid myſtich.

Ex hactenus dictis facilè cerni poteſt, quàm ſit dives & opulentus hominis animus, qui myſticum diuini Spiritus Topazium poſſideat; & quàm ſit exiguum quidquid in diuinæ huius gemmæ pretium impendatur. Pro cuius ſignificatione facit, quod multos ex prædictis auctoribus tradidiſſe vidimus; hanc ſcilicet eſſe gemmarum pulcherrimam; & quo rariorem, eò pretioſiorem: nec in regum theſauris quid-

Digitized by Google

quidquam inueniri pretiosius, aut ipsis regibus in diuitijs charius qua de re vide plura in superiore notatione. Et verò eiusdem etiam gemmæ splendor ac fulgor causa fortassis extitit, quòd tanti fuerit ab antiquis habita, vt ex Plinio docuimus. Quæ omnia possunt conducere, vt intelligamus, quantumuis mundus ipse non agnoscat ingentem thesaurum, qui in Topazio mystico (hoc est in Spiritus sancti communicatione) occultur; ipsum tamen colere & obseruare. Nam vt ait Plinius, *Egregia etiamnum Topazio gloria est.*

Ad ea Pauli verba 1. Thessal 5. 19. *Spiritum nolite extinguere*, facit fortassis illud Berchorij & Vincentij quod à nobis est notatione antecedente allatum de Topazio, qui *si politur, obscuratur; si natura sua relinquitur, clarior est.* Nam & spiritales magistri docent, reperiri interdum viam aliquam, qua piorum spiritus opprimatur, si nimiis aut regulis aut præceptis violenter coarctetur.

Gemmarum solum Topazius sentire limam, quid significet.

Quam verò sit Spiritus delicatus, & quantopere oporteat summam de illo curam haberi, indicatur in eo quod ex Plinio suprà docuimus de hac gemma, quę nobilium sola & limam sentiat & vsu atteratur.

Topazin, Græcum verbum quid significet, & quid etiam mysterij habeat.

Significatio verbi *Topazin* (id est quærere & inuestigare) nos instituit, quam accuratè petere & indagare debeamus, vt tandem inuenire & consequi possimus: iuxta illa Christi verba, Lucæ 11. 9. *Quærite & inuenietis.* Et infrà; *Dabit spiritum bonum petentibus se.* Hæc autem inquisitio atque petitio debet orationibus fieri, per quas pulsamus, vt exaudiamur tandem ac nobis aperiatur. Facit etiam quòd hæc gemma Simeon obtigerit; cuius nomen sonat exauditionem.

Topazij color nonnihil in glaucum vergens quid figuret.

Illud postremò mysterium quæ rendu m est: cur Topazij color nonnihil in glaucum declinet iuxta Dionysij Afri versum in notatione antecedenti relatum? Quod si ita est, huius coloris significatio petri debet ab ea, quam in glauco Berylli colore expressimus esse seueritatem & horribilitatem; vt vidimus notatione 23. & 24. Propterea enim Beryllus glaucus fuit destinatus ad supremi iudicij significationem. Glauci igitur coloris imitatio, quam Dionysius in Topazio fuit contemplatus, aptissima est, ad innuendam maximam seueritatem ac rigorem, quem Spiritus sanctus spiritalibus viris ingenerat, vt semetipsos seuerè & asperè tractantes, opes, delicias, vitamque ipsam contemnant. Qua enim acriori seueritate posset tyrannus quispiã vti aduersus eos, quos misera seruitute opprimeret, quàm quæ ab Spiritu sancto diuinitus in eorum animis imprimitur, quas ad sese allicit ac trahit? Huc spectat illud Canticorum 8. 6. *Fortis est, vt mors dilectio, dura sicut infernus, æmulatio.* Et infrà; *si dederit homo omnem substantiam suam pro dilectione; quasi nihil despiciet eam.* Quòd si glaucus Berylli color congruenter deseruit ad vniuersalis iudicij significationem: in Spiritus diuini aduentu fuit mysticè impletum, quod postea in extremo iudicio reapse complendum est. Vnde Ioëlis 2. coniunguntur extremi iudicij signa cum Spiritus sancti aduentu, explicante Petro Actor. 2. 17.

NOTATIO XXVII.

De gemma decima Chrysopraso.

Chrysoprasius decima Apocalypseos gemma. quod habeat propriè nomen.

PRimò hæc decima Apocalypseos gemma non vocatur *Chrysopassos*, id est, aurum fulgens; vt aliquis falsò existimauit: sed Chrysoprasos, vt legunt omnes correcti codices simul cum Vaticano.

Gemmarum diuersitas quibus apud Plinium hoc nomen tribuatur.

Secundò, tres aut quatuor apud Plinium gemmæ reperiuntur (quæ diuersæ videntur esse) quibus hoc inditur nomen licèt autem nonnulli, vt eas discriminent, terminationem varient; & vnam quidem appellent Chrysoprasum, aliam Chrysoprasium, & aliam in neutro genero Chrysoprasion: sed manuscripti codices Plinij, non eam obseruant disunctionem, nec in hoc earum discrimen consistit. Quæcumque enim gemma nominatur Chrysoprasos, vocari etiam potest Chrysoprasios, siue Chrysoprasion.

Expenditur singulatim qua gemma sit Chrysoprasius.

Plinius igitur libro 37 cap. 5 hoc tribuit nomen cuidam Beryllorum generi pallidiori, quod etiam facit Solinus. Et Plinius ipse posteà capite 8. dum verba facit de Topazio, asserit duo esse Topaziorum genera: alterum, cui nomen Prasoides, alterum, cui Chrysoprasos, moxque subdit, *Eius enim tota similitudo ad succum porri dirigitur*, quæ verba ad secundum Topazij genus à nonnullis referuntur, melius tamen intelligentur de Topazio generatim sumpto prout specie vtramque complectitur, ita vt Plinius in illis verbis rationem non reddat de vtrâque illius nominis parte, id est, *Chryso* & *Prasios*; sed secundæ tantùm partis, quæ vtrique Topaziorum generi communis est. Nã auri quidem reddi non potest apta ratio per similitudinem siue comparationem ad succum porri. Vnde Georgius Agricola vtrique Topaziorum generi ait esse commune, quòd eius similitudo ad succum porri dirigatur.

Ad hæc; præter Berylli & Topazij species, quibus ob similitudinem nomen Chrysoprasij communicatur, alia etiam apud Plinium inuenitur gemma, cui magis propriè videtur nomen Chrysoprasij attribui. Nam in eodem illo capite 8. postquam de Callaide, & tribus Prasij speciebus Plinius egit, subdit? *Præfertur his Chrysoprasius porri succum & ipsa referens, sed paulo declinans à Topazio in aurum.* Et meo quidem iudicio tam hic Chrysoprasius, quàm tres Prasij species, quas cum illo Plinius coniungit, gemmæ sunt omnes opacæ, & minimè transluentes (quidquid Georgius Agricola dixerit) nam ille capitis Pliniani titulus est, *De generibus Topazii & Callaide, & de gemmis viridibus non translucentibus.* Sub hac autem vltima tituli parte necesse est, comprehendi tria genera Prasij & Chrysoprasium, qui illis subiicitur. In quo differt hoc Chrysoprasii genus à duobus antecedentibus. Nam duo illa sunt perspicua, vtpotè ex Beryllorum & Topaziorum genere: tertium verò est opacum. Ait autem Plinius, hanc esse Indicam gemmam, & ex ea tum cymbia, tum longiusculos cylindros fieri solitos.

Idem etiam Plinius cap. 13. ait, *Chrysolampis in Æthiopia nascitur pallidi coloris die, nocte igni.* Similiter Solinus cap. 31. de Æthiopia agens; *Vbi Hyacinthus, ibi & Chrysolampis apparet, quem lapidem lux celat, produnt tenebræ. Hæc enim in eo diuersitas, vt nocte igneus sit, die pallidus.* Sed tam in Plinio, quàm in Solino pro Chrysolampi legunt aliqui Chrysoprasos, vt notat Ioannes Grial in notis ab B. Isidorum lib. 5. cap. 14. & Dalecampius in notis ad locum Plinij: vbi ait, *Chrysoprasium vocat Isidorus & Marbodæus, Chrysoprasion Albertus, Chrysoprasin alij.*

Receptior tamen Plinii & Solini lectio in hisce locis est *Chrysolampis*, quamuis apud Isidorum legatur *Chrysoprasius*, vbi constat, voluisse sanctum Doctorem Solini locum transferre: nam totidem penè verbis ait, *Chrysoprasius Aethiopicus est, quem lapidem lux celat, prodit obscuritas: nocte enim igneus est, die aureus.* Sic Isidor. l. 5. c 14. vbi de gemmis ignitis. Et cap. 7. vbi de viridibus gemmis, in earum numerum adscribit Chrysoprasum tertium Plinii, qui est Indicus, sed confusè loquitur: eum enim confundit cum illo, qui Berylli species est: & aureum quidem splendorem non ei æquabiliter attribuit, sed penes aureas tantum guttas, quas interuenientes appellat. Verùm cùm hac in parte Isidorus è Plinio exscribere voluerit; secutus est, quod ipsamet Plinii verba præ se ferunt.

Digitized by Google

De qua gemma sint Apocalypseos verba in decimo fundamento explicanda.

Quæ cùm ita se se habeant; videtur primo aspectu non posse constare, de qua gemma sit explicanda Apocalypsis, dum ait; *Decimum, Chrysoprasius*: cùm quatuor sint diuersarum gemmarum genera Chrysoprasij nomine vsurpata. Verius tamen existimo, decimam Apocalypseos gemmam esse intelligendam de Chrysopraso Indico, quem Plinius tribus Prasij speciebus præponit, quia ex duobus primis Chrysoprasijs alter est Berylli species; alter Topazij. Quarè cùm in Apocalypsi vtriusque gemmæ, nempe Berylli & Topazij, mentio præcesserit: vero simile non est alicuius ex his speciebus iterari mentionem. Præsertim, quia secundam Topazij speciem Plinius non absolutè vocat Chrysoprasium; sed ait esse Chrysoprasio similem. Vt verò duodecim Apocalypseos gemmæ plus inter se habeant discriminis: optimè habet, vt hæc decima sit Chrysoprasius opacus. Eiusmodi enim est illa, de qua Plinius cap. 8. post Prasios lapides meminit.

Æthiopicam verò Chrysolampim existimo nulla ratione esse ad rem: nec enim certum est, fuisse appellatam Chrysoprasium, quo tempore Ioannes & Plinius scripserunt: nec est, vnde colligamus, tunc ei Prasij fuisse colorem. Quod enim Plinius & Solinus tradunt, id vnum est; nocte eum videri igneum, die pallidum. Textus autem Apocalypseos requirit in gemma decima colorem prasium siue porraceum: alioqui non eam appellaret Chrysoprasum.

Chrysoprasi color qualis sit.

Huius igitur gemmæ decimæ color debet idem esse, qui porri; eum auri tamen splendore. Quemadmodum exigua quædam animalcula cernimus viridis coloris, sed tali addito splendore, vt proprium ipsius coloris nomen sit viridis auri. Quam ad rem nihil opus est, colorem ipsum ex viridi & pallido siue luteo esse permistum: namque pura ipsa viriditas potest splendorem in se aureum habere & in gemma opaca (cuiusmodi est Chrysoprasus) id nullius difficultatis est. Si quis autem contenderit, Topazium & Chrysoprasum, quos simul Apocalypsis coniungit, esse duas Topazij species apud Plinium expressas, nempe Prasoidem & Chrysoprasum; non admodùm tergiuersarer. Tunc tamen iuxta Theophrasti, & Plinij consuetudinem (qui mares vocant gemmas acrioris & excitatioris coloris; fœminas verò, quæ hebeti & minùs acri sunt) dicerem, ex duabus speciebus Prasoidem, cui magis viuidus inest porri color, esse marem: at Chrysoprasum esse fœminam, quia paululum à porraceo colore in aureum declinat.

In Chrysoprasio Chrysolithum & Topazium quodammodo copulari.

Præterea in hac gemma decima illud est obseruandum, Chrysolithum & Topazium in ea quodammodo copulari. Si enim Chrysolithi color est prorsus aureus; si Topazij, prasinus seu porraceus: vtroque colore coalito Chrysoprasius inde consurgit. Quòd si gemma foret translucens, in ea videntur simul penetrari Topazius & Chrysolithus. Sin autem, vt ipse opinor, densa est & opaca; in ea saltem iunguntur aureus Chrysolithi splendor & porraceus Topazij color.

Natiua Chrysoprasi proprietas ab auctoribus tradita.

Illa Chrysoprasij proprietas imprimis ab auctoribus celebratur, quam illi Arnoldus, Berchorius, Rueus, alijque complures adscribunt, nimirum *oculorum imbecillitatem finire*; quod est mederi debilitati oculorum; qua aliqui impediuntur, quominus figere possint attentos in re aliqua obtutus.

Auctores iidem tradunt, Chrysoprasium *genuinum colorem per solas tenebras ostentare*. quod tamen videtur desumptum ex eo, quod Plinius & Solinus de Chrysolampi memorant, vt suprà vidimus. Aiunt insuper, Chrysoprasio esse familiare, vt nimiam diuitiarum cupiditatem & auaritiam reprimat, & liberalitatem iis ingeneret, qui huiusmodi gemmam gestant.

Apocalypsis Chrysoprasio respondere Achatem Rationalis.

Est etiam obseruandum, huic lapillo in Pontificis Rationali respondere Achatem. Octo enim gemmæ ex duodecim cædem sunt in Rationali & in Apocalypsi, vt videre est Exodi 28. Apocalypseos verò Chalcedonius respondet Rationalis Carbunculo, Sardonyx Onychi; vt suis locis adnotauimus: Hyacinthus Ligurio, vt Epiphanius & Hieronymus obseruarunt, & nos infrà expendemus. Vnde à sufficienti partium enumeratione reliquum fit, vt Apocalypseos Chrysoprasus Achati Rationalis respondeat.

Diuersitas inter Chrysoprasum & Achatem.

Sunt autem duæ istæ gemmæ inter se valde diuersæ. Nam Chrysoprasus porraceum præfert cum aureo splendore colorem absque alia varietate: at Achates est diuersicolor, & multam colorum ac figurarum diuersitatem habet: ac tota ipsius pulchritudo & pretium in eo consistit, vt venulæ natiuo ductu ita in hac gemma sint dispositæ, vt quidpiam aliud repræsentet; atque hac ratione reddit species fluminum, nemorum, iumentorum, & essseda seu vehicula & equorum ornamenta. Quin & aliqua huius speciei gemma fuit quondam percelebris, in qua suapte naturâ cernebantur nouem Musæ & Apollo, sua omnes musica instrumenta manibus tenentes. fides sit penes Plinium l. 37. c. 1. & 10. qui etiam asseuerat, miram esse lapidis huius virtutem aduersus araneorum & scorpionum ictus. & subdit medicos coticulas inde facere: & spectasse; Achatem prodesse oculis, & Achatibus in os additis sitim sedari. Omitto alia valde fabulosa, quæ refert. Illud tamen postremò notandum, quod c. 10. addit, *Achates in magna fuit auctoritate: nunc in nulla est.*

Achatis genesis naturalis.

NOTATIO XXVIII.

Vbi gemmæ decimæ respectus ad decimum articulum ostenditur.

Decimus Apostolici Symboli articulus proponitur & explicatur.

Articulus his verbis præfinitur, *Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem.* Apocalypsis hic; *Decimum Chrysoprasius.* In decimo igitur articulo Catholicæ Ecclesiæ nomen denotat vniuersalem Ecclesiam, quę omnes in se nationes complectitur, & toto terrarum orbe sese extendit. Nomen verò *communio* (vt clariùs in Græco conspicitur) designat idem, quod societas, siue sodalitas. Quapropter continet hic articulus. Catholicam Ecclesiam esse quandam rempublicam, & fidelium omnium toto orbe dispersorum societatem. Quamuis enim valde sint inter se dissiti atque remoti, eadem fides, eademque Sacramenta illos omnes vnum in corpus atque rempublicam congregant: & summus Ecclesiæ Pontifex fidelium omnium est pater & caput.

Cetera, quæ Theologi latè disputant, qua scilicet ratione Christiani homines inter sese alij aliorum opera ac merita participent, quomodo etiam locupletissimus Ecclesiæ thesaurus per Indulgentias fidelibus distribuatur, licèt hæc omnia certissimam in se contineant doctrinam, & in ipsa fidelium communione ac societate solidatam: nihilominus expressa huius articuli verba non videntur exigere, vt omnes ad exactam tot rerum singularium notionem teneantur.

Illud nobis perspicuè in hoc fidei capite proponitur, Catholicam Ecclesiam esse sanctam, hoc est, ipsius leges ac cerimonias & doctrinam sancta esse, nec posse quenquam veram sanctimoniam ac Dei gratiam adipisci, quin Ecclesiæ sit filius. Ideo enim Ecclesia ipsa Spiritus sancti sponsa vocatur, qui in ipsa cõmoratur, & ipsius decreta ac statuta suo singulari influxu stabilit ac firmat. Ac demum populi sancti nomen denotat hanc esse veram Dei plebem: qua etiam in re innuitur,

Digitized by Google

innuitur, ipsius spes esse ingentes ac certas; quas tamen non sint assequuturi, nisi qui se in Christi obsequio, & Catholicæ fidei professione probos & integros præstiterint. Nam licet fideles generatim appellentur Sancti, quia in sacro baptismate gratiam & sanctitatem acceperint: eadem tamen Ecclesiæ sanctimonia requirit, vt qui Christi fidei, quam profitetur, consentaneam non agit vitam, Sanctorum gloriam non consequatur.

Chrysoprasus ad decimum articulum aptatur.

Pro articuli huius symbolo inter gemmas reliquas vsurpatus fuit Chrysoprasus; & quidem satis meritò. Etenim si certum foret, Apocalypseos Topazium esse Prasoidem, Chrysoprasum verò alteram Plinij speciē: tunc iuxta illius temporis phrasim marem aget Topazius, Chrysoprasus fœminam, vt suprà dicebamus.

Ecclesiam esse Spiritus sancti sponsam quomodo per Chrysoprasum adumbretur.

Cùm ergo Topazius sanctum Spiritum adumbret; eleganter Ecclesiæ accommodatur Chrysoprasius: vt significetur, eam esse Spiritus sancti sponsam. Cùm enim inter gemmas illæ sint mares, quibus magis viuidus & excitatus est color, illæ verò fœminæ, quæ nonnihil ab eo colore desciscunt: de Chrysopraso quidem Plinius ait; ***Paulum declinat à Topazio in aurum:*** vnde hæc reputabitur fœmina comparatione Topazij. Et certè ad symbolum Ecclesiæ, quæ & Spiritus sancti est sponsa, & in sacris Literis regina nuncupatur, mirificè conducit splendor auri additus: iuxta illud Psalmi 44. n. 10. ***Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato.***

Chrysoprasi color prasinus quasi mystice signet.

Color autem prasius, (qui, vt in præcedenti articulo vidimus, refert Spiritum sanctum) in Chrysopraso denotat, ipsummet esse sanctum Christianæ Ecclesiæ Spiritum, in ea degere, & quidquid illa statuit ac decernit, esse Spiritus sancti decretum. sicuti significarunt Apostoli Actuum 15. 28. dicentes, ***Visum est Spiritui sancto & nobis.*** Quod si concedatur, Chrysoprasum esse gemmam opacam, id etiam optimè deseruit ad Christianæ Ecclesiæ significationem: nam opacum est ex se aptum ad naturæ humanæ symbolum. Qua enim parte corpus habet, opaca est. Et quemadmodum in densa gemma externæ superficiei species cernitur, cùm tamen corporei oculi intimas ipsius partes non possint penetrare: ita etiam corporis luminibus cernuntur ea signa, quibus apparet diuinum Spiritum in Ecclesia fixisse domicilium, & ex sanctissimis ipsius Ecclesiæ cærimoniis atq; decretis sit internæ pulchritudinis ac fœlicitatis, quam cum Spiritu sancto possidet, coniectura.

Chrysoprasi opacitas quid symbolicè indicet.

Forte etiam huius lapidis opacitas non perperam denotare potest, Christianam Ecclesiam in terris militantem ex mortalibus hominibus conflari, qui ignorantiis ac defectibus sunt obnoxii. Vt autem indicetur humanam conditionem culpis & ignorantiis expositam, nihil obstare, quominus Ecclesiæ statuta sint ipsius diuini Spiritus decreta: idcirco inter opacas gēmas ea fuit delecta, cuius color prasius esset aureus. quo significatur, sanctissimum Spiritum in Ecclesia degere, illi dominari & supremam facere potestatem.

Chrysolythi & Topazij velut coniunctio in vno Chrysopraso, cuius rei sit symbolum.

Iam, illa veluti penetratio, quæ ex Chrysolithi auro & Topazij viriditate in Chrysopraso cernitur, optimam insuper habet congruentiam ad significandā Christi gloriæ, & sancti Spiritus fauoris coniunctionem, quæ Christianam Ecclesiam maximâ gloriâ & amplitudine cumulat. Etenim si Chrysolithus Christi gloriam adumbrat, si Topazius, diuini Spiritus personam: quid aliud erit duplicis huius gemmæ in vno Chrysopraso connexio, quàm nobis ostendi, qui eam gemmam (id est Ecclesiam in ea figuratam) contemnit, Christum etiam & Spiritum sanctum inibi habitantes contemnere, qui verò è contrario ipsam audit, Christo etiam & Spiritui sancto audientem esse?

Dices: si auri color siue splendor Christum Dominum, si prasius color Spiritum sanctum figurat, nihil aliud in Chrysopraso sit reliquum, quod Ecclesiam repræsentet. Respondeo: in generali concilio, & in summo Ecclesiæ Pontifice non est respiciendum qua parte mortales homines sunt, sed qua diuini Spiritus assistentiam & Christi virtutem habent: vnde concinnè & eleganter ad Ecclesiæ symbolum ea vsurpatur

Alcasar in Apocal.

A gemma, cui nullus alius sit inditus color præter duplicis illius gemmæ colores, ex quibus altera Christi gloriam, altera diuinum Spiritum adumbrat.

Præter hæc, sicut in Ecclesiæ auctoritate non humanam potentiam aut sapientiam, sed Christi & ipsius Spiritus sapientiam & omnipotentiam recognoscimus: non aliter in Christianæ Ecclesiæ Sacramentis, cærimoniis, legibus atque doctrina, & in vera etiam sanctitate, quæ in multis fidelibus enituit, agnoscimus planè non humanam aut sapientiam aut virtutem, sed Dei Spiritum & potentiam ac virtutem Christi suam Ecclesiam gubernantis.

Quod sit mysterium in eo, quòd Achates Rationalis gēma in cælestis ciuitatis fundamentis sit in Chrysoprasum mutata.

Hæc cùm ita sint; facile inde percipitur concinnitas & artificium, quo Achates Rationalis gemma in Chrysoprasum fuit commutata. Quanuis enim Achates fuerit congruens ad Synagogæ, id est, Ecclesiæ antiquæ, significationem: ad Christianam tamen Ecclesiam hic lapis non erat idoneus. Nam tota Achatis gloria & splendor sita sunt in repræsentatione earum rerum; quæ in ipsomet figurantur, vt suprà diximus, vnde gemma ista hæc ad synagogam significandam erat appositā; quia ***omnia in figurâ contingebant illis,*** cumque nondum Christum haberet Synagoga, nec sibi diuini Spiritus effusio communicata foret, non erat ad rem Chrysoprasi symbolum, in quo & Christi gloria, & diuini Spiritus communicatio figurantur. Ante ipsarum quidem figurarum complementum, ***Achates in magna fuit auctoritate*** (vt Plinius inquit) ***sed iam in nulla est***: quia figuræ in veritatem ipsam abierunt. Quapropter antiquas modò cerimonias accersere, perinde esset, atque mysticum Achatem Chrysopraso mystico anteferre, & inanes iam ac futiles veterum cæremoniarum vmbras captare, Christi redemptoris nostri gloriâ & Spiritus sancti plenitudine posthabitis.

Chrysolithi & Topazij consociatio in Chrysopraso quid mystice.

Eadem item consociatio Chrysolithi atque Topazij in Chrysopraso poterit fortasse conferre ad innuendas Christiani populi spes ingentes. Nam si Chrysolythus consummatæ gloriæ est symbolum, & viriditas spem hieroglyphicōs adumbrat, aurum in viridi quid aliud, quàm maximam in spe gloriam indicabit? Hic ergo est Ecclesiæ militantis status: quia vt Paulus ad Rom. 8. 24. ***Spe salui facti sumus***: atque adeò Christiani populi maiestas, cùm sit amplissima, nondum tamen apparet, quia occulta adhuc & in expectatione est. ***Nunc filij Dei sumus; & nondum apparuit, quid erimus,*** 1. Ioan. 3. 2. quid vnquam commune aut simile habuit, quod tanti apud homines quondam fiebat, vt quispiam ciuitate Romanâ, aut senatu, vel etiam consulatu donaretur? quanto gloriosius & excellentius est, Dei esse filium & hæreditario iure Christi gloriam expectare? Addehuc, aurum, charitatis, viriditatem, spei esse symbolum. Charitas ergo Dei erga populum Christianum, & maxima certissimæ expectationis pignora eidem collata aptissimè indicantur in coniunctione auri & coloris viridis in gemma Chrysopraso. Et quidem in Eucharistiæ Sacramento, quo nunc Christiana fruitur Ecclesia, vtrumque mirum in modum elucet.

Mystica Chrysoprasi proprietatum considerata.

Quod oculorum imbecillitatem Chrysoprasius finiat, appositum est, vt significetur varietas & inconstantia falsarum opinionum, quibus nos Ecclesiæ auctoritas eximit, nec non remedium efficacissimum, quod nobis in ipsa Ecclesia præsto est ad mentis aciem in nostræ fidei scopo figendā atq; firmandam.

Ad hæc si Chrysoprasus (vt vidimus) genuinum splendorem per tenebras magis ostentat, id etiam mirum in modum Christianæ vsu venit Ecclesiæ, quæ in persequutionum & aduersarum rerum densissima caligine suam magis magisque gloriam & splendorem retexit: nam per afflictiones & oppugnationes veri ipsius filij integerrimam animi virtutem & Christiani nominis gloriam ostentarunt.

Denique, quod ad cohibendam diuitiarum cupiditatem spectat, id quoque ad Christianæ Ecclesiæ spiritum ac virtutem plurimum facit, nec minus ad significandam repugnantiam, & oppositionem, quæ inter rerum temporalium æstimationem & Christianæ Ecclesiæ professionem reperitur.

Digitized by Google

NOTATIO XXX.

De variis coloris purpurei differentiis ex Plinio lib. 9. cap. 36.

QVæ reliquæ sunt gemmæ. Hyacinthus & Amethystus, eas Plinius purpureas appellat. Ait enim lib. 37. cap. 9. *Alius ex hoc ordo purpureus dabitur,* & mox Amethistos & Hyacinthos describit: atque in vtriusque lapidis descriptione purpureus ponitur color. Quod ne cuipiam negotium facesseret: ideo operæ mihi pretium visum est, ante peculiare Hyacinthi examen, peculiares purpurei coloris differentias præmittere. A

Varia purpurei coloris differentia traduntur ex Plinio.

In primis ergo, quicunque pisces suam secum domum portant (cuiusmodi sunt, quos Hispanum vulgus appellat, *Caracoles del mar, erizos, ostias, ostiones, almeias*, appellari posse videntur Latinè *Concha, chonchylia, vel muricis*. In his duo sunt cochlearum genera, quæ olim à piscatoribus diligentissimè conquirebantur ob liquoris valde pretiosi guttulam, quem in candida quadam venula mediis in faucibus habent: quo succo inficiebatur olim lana ad Regum, Senatorum Romanorum, & aliorum hominum potentissimorum vestes aptanda. Alterum ex his generibus dicebatur propriè *purpura*, siue *pelagia*; illud scilicet, cui quasi prominentes aculei sunt. Alterum dicebatur *buccinum* ab antiquæ buccinæ similitudine. quanuis purpuræ etiam nomen ad vtramque speciem se extendat, & Plinius de vtraque verba faciat l. 9. Vbi docet, tam purpuræ, quam buccino tot esse orbes, quot habent annos: & pelagiam quidem septem esse clauatâ aculeis, *qui non sunt buccino* Addit etiam hisce piscibus linguas esse veluti subulas, *tanta duritia aculeo est, vt pascatur perforando reliqua conchylia.* Docet insuper eos dulci aqua protinus emori, & extra mare propria saliua per dies quinquaginta vitam extrahere. Hæc omnia tradit Plinius cap. 36. B

Lana olim purpura quomodo tingeretur.

Flos ille, siue pretiosus liquor coagulabatur, indeque massa quædam conflabatur, quam Plinius medicamentum vocat, cui nonnihil salis aspergebatur. Huius autem pelagiæ massæ pondo denarios non amplius sexaginta, buccini verò centum valebat. Nihilominus lanea vestis ingenti pretio constabat ob magnas impensas in eius tinctura insumptas. Vnde Plinius. 35. fine, *luxuria* (inquit) *purpuris paria penè margaritis pretia fecit.* in centum quasque huiusmodi floris libras sextarius immittebatur salis, & per triduum aqua madefiebat. Et singulis iuris amplioris centum quinquaginta libræ ex eo flore admiscebantur: totum id in plumbeo vase efferuescebat, vt despumarentur carnes: ac decimo tandem die infundebatur lanæ; *bibebatq; lana saniem quinis horis, rursusq; mergebatur carmina a, donec omnem ebiberet sanguinem.* C

Purpura nomen cui potissimum colorum tinctura datum.

Sed vt ad ipsius panni colorem deueniamus, quanuis purpuræ nomen tribuendum videretur ei, qui solo pelagio flore siue massa erat infectus, certum tamen ex Plinio est, purpuræ nomen sibi arrogasse eam lanam, quæ tingebatur flore siue massa ex vtriusque muricum specie permistione infusa: per imitationem pretiosi cuiusdam Amethisti, cuius color est violaceus perfectissimus. Ad eum verò colorem probè imitandum asserit Plinius, experimento compertum fuisse, bene succedere si ducentæ floris buccini vnciæ cum centum & vndecim pelagiæ miscerentur. Buccini flos per se solus valde erat puniceus: non tamen eo solo fieri solebat tinctura, quippe qui facilè desciscere, *Buccinum per se damnatur, quoniam fucum remittit* Flos autem pelagiæ, licet eò æstimaretur pluris, quo obscurior erat (*quia rubeus in illa color nigrante deterior*) opus tamen erat floris ipsius colorem excitare: quam ad rem tanta buccini infundebatur copia, vt *eius nimia nigritia daret austeritatem illam, nitorem que, qui quærebatur cocci,* id est, vt nonnihil ex ea cocci acrimonia & splendore acquireret, quale reperitur in pretioso violaceo, ita permistis viribus *alterum altero excitatur, & alterum restringitur.* D

Purpura Tyria quæ diceretur.

Quam puram Tyriam vocant, diuersa est, conficiebatur enim lana prius solius pelagiæ tinctu, deinde solius buccini infecta. *Laus est summa color sanguinis concreti, nigricans aspectu, idemq; suspectu refulgens.* Atque hæc videtur esse Scripturæ purpura ob Tyri, (vnde nomen Tyria purpura traxit) affinitatem. Et in hanc respicit Homerus, cum sanguinem purpureum appellat.

Quæ fuerit dibapha.

Dibapha est bis tincta, siue violacea sit, siue Tyria vestes namque in summo pretio habitæ Plinianis tẽporibus bis inficiebantur. nonnullæ etiam primò ad Amethysti imitationem, deinde ad Tyriam normam tingebantur, qui color dicebatur Tyrio amethystus.

Hisginum quanam purpura infectio dicereturè

Hisginum est Tyria infectio supra coccineam cadens, ita vt pretiosus terræ color pretioso item muricum marinorum colore operiatur, Et cocci defectu flos Hyacinthinus siue rubiæ adhibebatur, ex Plinio lib. 35. cap. 6. & lib. 21. cap 26.

Violacea purpura Romæ antiquitate præstabat, & purpurea quidem lana centum denariis in libras singulas pendebatur. Huic purpuræ rubra Tarentina successit, postea Tyria dibapha, cuius vsus sub Marci Tullij tempus vigere cœpit, & libræ singulæ millenis denariis & eo amplius constabant.

Quanam ex prædictis antiquior purpura infectio vsurpatur fuisse.

Omnes huiusmodi purpuræ infectiones, (nempe violacea, Tyria, & Hisginum) cùm plus adhuc artificij in se habuerint, videntur profecto dubio minus antiquę esse, quam quæ solo pelagiæ flore fiebat, cui vni potissimum purpuræ nomen deberi videbatur. Verum contentafuit communi conchylii siue conchyliati nomine (a communi conchæ nomine deriuato, illudque retinuit. Infectionem hanc scribit Plinius cap. 39. fieri solitam eodem purpuræ flore, (sine buccino tamen & vrina) singulis aquæ amphoris dimidio minus admisto, quam ad violaceam tincturam miscebatur. Atque hoc pacto imbibebat lana certam quamdam cærulei coloris speciem, quàm Plinius cap. 36. his verbis exponit, *Virus graue in fuco, color austerus in glauco, & iracenti simillimus mari* Additque, supra huiusce modi colorem ab aliquibus Tyrium inijci, *cum confecere conchylia, transire melius in Tyrium putant.* Et cap. 39. conchyliatum colorem vocat pallidum. *Sic gignitur,* (inquit) *laudatus ille pallor, saturitate fraudata.* Idem lib. 21. cap. 8. tria conchyliati huius coloris discrimina assignat: primum flori Heliotropij simile, quod est cæteris obscurius: aliud Maluæ florem referens, quod nonnihil ad purpuram vergit, Tertium ad similitudinem Violarum, quas serotinas vocant.

Pelagia siue conchylij infectio cuiusmodi fuerit.

Pelagiæ floris color qualis fuerit.

Ex hactenus dictis elicio, pelagiæ florem eo constare colore, qui quasi ex violaceo & cæruleo sit mixtus, satis tamen obscurus, quare vt plus ruboris acquireret, opus erat in fucum vrinam infundere, quæ tamen si non iniciebatur, sed sola miscebatur aqua & minor floris siue massæ mensura, tunc lana ex tinctura prodibat colore inter cæruleum & violaceum medio, siue cæruleo nonnihil in violaceum desinente. Et quidem quando perfectus purpuræ violaceæ color conficiebatur per admistionem floris pelagiæ cum buccini flore puniceo: cæruleus color cum minio coniunctus violaceum conflabat. Vnde pictoribus nullus alius violacei coloris modus innotescit, nisi ex cęrulei atque punicei mistione: atque adeò cæruleus color vocari potest purpura dilutior, præsertim si aliquantulum in violaceum tendat. De hac cærulei ratione loquitur Plinius c. 39. cum ait: *Sic gignitur laudatus ille pallor saturitate fraudata.* Vbi aduerte, cæruleum colorem comparatione violacei, nescio quid pallidi ac decoloris habere; quia illi deficit punicei coloris vigor & acrimonia.

Deinde, quanuis affirmet Plinius pelagiæ colorem esse nimiæ nigritiæ; non est tamen intelligendus de colore absolutè nigro, sed de cæruleo valde obscuro.

Patet

Digitized by Google

Patet hoc manifestè ex supra adductis; & præsertim, quia ad Tyriæ purpuræ infectionem color buccini supra pelagiæ colorem immittebatur: atqui in nigro colore nullus alius rectè insidet.

Violaceus color Latine, & Ianthinus Græcè idem atque purpureus.

Porrò, cùm Plinius lib. 21. cap. 28 ait cocci colorem & Tyriæ etiam purpuræ diuersos rosarum colores imitari; asserit pariter, propriæ colorem purpuræ (id est amethystinæ) habere in se violæ imitationem. Vnde violaceus color latinè, & ianthinus græcè est idem atque purpureus.

Purpuræ laus ex Plinio.

Purpuræ laudes apud Plinium cap. 36. huiusmodi sunt; *Huic fasces, securesq; Romana viam faciunt: eademq; pro maiestate pueritia est, distinguit ab equite curiam, diis aduocatur placandis, omnemq; vestem illuminat, atque etiam in triumphali miscetur auro.* Quæ tamen Plinius haud dubiè asserit tam de Tyria purpura, quàm de Amethystina; cum eam conchyliato colori solùm opponat, asserens nescire se, cur ita cato væneat; quandoquidem nulla in eo ex prædictis rationibus reperitur.

NOTATIO XXX.

De Hyacintho gemma vndecima.

Hodie vocari Hyacinthos qui olim Plinio & aliis eximij erant Chrysolithi.

GEmmarios Plinij Chrysolithos hodie gemmularij vocant Hyacinthos. Vt autem credamus, eos etiam hoc ipso nomine fuisse quondam appellatos; non leui argumento est, Hyacinthi nomen pro Chrysolitho aliquando fuisse positum à Vulgata; vt vidimus suprà notatione 21. Et fortè aliquis pro huius rei confirmatione afferet Dionysij Afri verba; *ac rubeo crines similes Hyacintho*, qui color crinium videtur esse rufus Chrysolithi colorem referens. Verùm non est, cur huius hemistichij habeatur ratio: apposuit enim è suo interpres *crines*, & Dionysius ipse de crinium colore non agit. quippe ipsius verba sunt, εἰδομένας δ' ὑακίνθῳ, quod est, *similes Hyacintho.* vbi Dionysius loquitur de Indorum cute, vt bene aduertit Eustathius. In coloris autem humani comparatione solet per exaggerationem sermo institui, vt cum hominem aliquem dicimus esse caruleum, Hispanè, *Verdinegro* Sic ergo videtur Dionysius Indos describere, quasi eo infectos colore, qui in cæruleum & violaceum vergat. Ceterùm, quidquid hac de re sit, certum est in his Apocalypseos gemmis Hyacinthum pro Chrysolitho non vsurpari: siquidem datur præterea Chrysolithus Quarè Apocalypseos Hyacinthus eisdem proprietatibus considerandus est, quibus a Plinio, Solino, Isidoro, & alijs describitur.

Hyacinthos verè esse eos, qui nunc vulgò Sapphiros vocantur.

Existimo ergo, quæ gemmæ vulgari nomine Sapphiri hodie vocantur, eas esse Plinio & Solino Hyacinthos. Sic sentiunt doctiores, qui de gemmis nostra tempestate scripserunt; vt Rueus & Georgius Agricola, qui ait Solinum confundere Cyanum cum Hyacintho: & Cyanum Germanice appellari Sapphir.

Hyacinthi colorem qui Plinius describat.

Enimverò, vt id clarius pateat, examinemus oportet, quæ apud Plinium & Solinum hac de re legimus. Plinius quidem de colore sic: *Ille enitens in Amethysto fulgor violaceus dilutus est in Hyacintho.* Ex quibus posset aliquis elicere, proprium veteris Hyacinthi colorem non esse cæruleum, sed violaceum dilutiorem, ita vt Amethystus sit coloris perfectè violacei minimè diluti: & Hyacintho solum sit exigua aliqua eiusdem coloris pars.

De Hyacinthi colore quæstio agitatur.

Hæc tamen opinio reuinci potest falsitatis, primò ex ipsomet Plinio, qui dilutiorem Amethystum inter species amethysti enumerat, *quintum* (ait) *genus ad vicinam crystalli descendit, albicante purpura deiectu, vel defectu.* Ipse insuper expressè obseruat, inter Hyacinthi & Amethysti colores, quantumuis vicinos, multum esse discriminis: sic enim ait, *Multum ab ea distat Hyacinthus à vicino descendens.* Si autem Hyacinthus coloris violacei diluti foret, non vtique Plinius diceret multum eum ab Amethysto distare, præsertim cũ proximè antea dixisset, dari Amethystos adeò dilutos, vt crystallini ferè coloris sint.

Hyacinthi colorem ab antiquis auctoribus vocari caruleũ.

Deinde ex aliis auctoribus id etiam fit planum, qui Hyacinthum appellant cæruleum. Solini descriptio est, *Hyacinthus nitore caruleo lapis pretiosus, si quidem inculpabilis inueniatur.* Beato etiam Hieronymo dubium non est, quin Hyacinthus innotuerit: quando admiratur epist. 128. hanc gemmam in Rationali non inueniri: *Satis miror* (ait) *cur Hyacinthus pretiosissimus lapidum horum numero non ponatur.* Atque Hieronymus ipse Ezechielis 1. huius lapidis colorem ait esse cælesti similem: alibi aërio comparat colori, quòd etiam Gregorius Nyssenus, Gregorius Magnus & Eucherius affirmant.

Præterea, quis neget, gemmæ huius colorẽ Hyacinthinæ vestis colori similem esse? Constat autem Hyacinthinam Aaronis tunicam fuisse cæruleam. Itaque Iosephus, Philo, & Gregorius Nyssenus asseuerant, per illam Aaronis tunicam siue cælum, siue aëra ob caruleum colorem figurari.

Proponitur obiectio contra prædicta de Hyacinthi colore.

Sed colorem hunc cæruleum, quem nos Hyacintho tribuimus, ita oppugnabit aliquis, primò quia Plinius non solùm non cum cæruleum vocat, sed etiam, postquàm de cæruleis gemmis disputauit (nempe de Cyano & Sapphiro) ait, *alius ex hoc ordo purpureus dabitur*, quem in ordinẽ solum adscribit Amethystum & Hyacinthum. Hyacinthinus ergo color violaceus esse debet, non cæruleus. Secundò negabit nemo, colorem gemmæ esse Hyacintho flori persimilem, qui flos est vnus ex tribus, quos Homerus commendat, vt notauit Plinius lib. 21. cap. 7. atqui flos hic videtur aut violacei, aut punicei coloris esse. Nam Dioscorides eum appellat purpureum. Et Virgilius Eglogâ tertiâ, *Suaue rubens Hyacinthus*, idemque alibi eum appellat ferrugineum. Imò verò certum apparet, huic flori sanguineum fuisse colorem: nam alioqui quomodo apte fingeretur, eum ex Aiacis cruore fuisse ortum? Quam fabulam receptam fuisse, tradit etiam Plinius lib. 21. cap. 11. Ad hæc, quis non asserat, florem quondam in fuco pro cocco vsurpatum, fuisse manifestè rubeum? legantur, quæ Plinius tradit lib. 21. cap. 26. *Hyacinthus in Gallia eximiè prouenit: hoc ibi pro cocco hi ginum tingitur.* His accedit Pausanias, qui scribit Salaminiorum Hyacinthum esse candidum & modicè rubentem, & duplici constare litera, A. I. quæ sunt Hyacinthi floris notæ.

Tertiò, ijdem ipsi, qui Hyacinthinæ Aaronis tunicæ significationem aëris attribuunt, præstituere videntur eam non fuisse cæruleam. Alij enim exponunt *Hyacinthinam*, id est, *violaceam*, sic Ribera. Alij eam aëris instar fuisse nigram tradunt, sic Philo. At Gregorius Nyssenus sese ex hac quæstione subducit: *Ego autem* (inquit) *vtrum habeat aa aëreum colorem flos Hyacinthus affinitatem, an non, nolo contendere.* Nec desideratur, qui hunc aereum colorem, si quis fortè ei inesset, contempletur fuisse rubeum, quòd aeri ex humoribus sanguineus respondeat Quartò, Solinus, qui Hyacinthum clarius caruleum esse dixerat, deinde parum sibi videtur constare: subdit enim, *Optimus in illo tenor, si ex vtroque temperamento lucu & purpura moderatum inaniter fluorem trahat.* Quæ verba Isidorum videntur coegisse, vt in Hyacinthi definitionem insereret cærulei & violacei misturam: ait enim, *caruleus est, purpuraq; refulgens.*

Nihilominus asseritur, qui nunc Sapphiri vocantur, esse veros Plinij & Solini Hyacinthos.

Hæc tamen omnia non vrgent, quominus pro certo habeam, gemmas vulgò nunc Sapphiros appellatas, quondam a Plinio & Solino vocatas fuisse Hyacinthos. Etenim differentiæ omnium gemmarum, quas vulgo Sapphiros vocant, distinctè numerantur à Solino inter Hyacinthos. Nam cùm generatim dixisset, earum colorum esse cæruleum, aduertit nonnullas prorsus in violaceum vergere, alias ita diluras reperiri, vt ad colorem aqueum penè deflectant, alias

Digitized by Google

ad nubeum ac denique alias, valde accensi coloris, & parum transluciadas; & alias, in quibus perspicuitas atque color ad iucundam mediocritatem reducuntur. Solini verba sunt; *Vitijs est non parcè obnoxium: nam plorumque aut violaceo diluitur, aut nubilo obducitur, aut albicantiùs in aquaticum eliquescit: Optimus in illo tenor, si nec densiori fuco sit obtusior, nec propensa perspicuitate detectior.*

Qualis sit colorꝭ tenor in Hyacintho perfecto obseruandus.

Deinde, quanuis Solinus in Hyacintho vitio vertat, quod valde in violaceum tendat (id vocat ipse, *violaceo dilui*) nihilominus, quando violaceus color exiguus est, & qui solùm cæruleo temperando admisceatur; ita vt maneat adhuc propriè cæruleus, blandus tamen ac suauis, nonnihilo minij permisto; tunc quidem non solùm id vitio non est dandum, sed etiam proprius est tenor in perfecto Hyacintho obseruandus, vt infrà constabit.

Illud interim asseuero, singulis in sua arte fidem esse habendam: & in colorum temperamento nullius sententia potior est, quàm egregij alicuius pictoris. Talis est, qui me certum reddidit, generatim loquendo, quæ gemmæ vulgò Sapphiri, nominantur; nonnihil in violaceum tendere colorem; ita vt ad proprium ipsarum colorem imitandum, necesse sit cæruleum vltramarinum cum exiguæ minij portione miscere. Verùm dicet aliquis, hanc minij permistionem, quam Apelles aliquis in hisce gemmis deprehenderet, esse adeò subtile picturæ artificium, vt illud pingendi artis ignari non assequantur; atque adeò adiumento esse non posse ad Hyacinthi veteris cognitionem. Nec enim credibile est, Plinium aut Solinum de hisce coloribus scripsisse, ceu in pingendi arte peritissimos; sed vt prudentes atque industrij homines, quantumuis picturatæ mistionis ignari, scribere debuissent. Præsertim, cùm eiusmodi signa atque indicia de Hyacintho non solis tradant pictoribus, sed omnibus, qui ipsorum scripta perlegerent: & generatim loquendo, quæuis ex his gemmis nobis apparet cærulea, nec quippiam admisti minij in ea distinguimus.

Obiectio contra superiorem doctrinam.

Occurritur propositæ obiectioni.

Respondeo, non quidem omnes planè nosse ad subtilis picturæ amussim redigere discrimen, quod inter colorem purè cæruleum & aliquam ex istis gemmis reperitur; ad differentiam tamen inter vtrumque notãdam nec plurimo artificio, nec peracri ingenio, sed attentâ solùm consideratione opus esse. Præcipuè, quia si vterque color simul oculis expositi conferantur; facilè cernitur in cæruleo puro siue cyaneo perfectè colorem cælestem, quà purior est, repræsentari: harum verò gemmarum colorem molliorem esse & nonnihil temperatum, atque à cæruleo aliquantulum desciscere: non solum, quia non adeo cæruleus est harum gemmarum color; sed etiam quia nonnihil diuersus. Quòd si vterque iuxta violaceum ponatur, mox discernetur, gemmam ab eo non adeò distare, sicut ab eo distat cæruleus color, quem vltramarinum appellant.

Cæruleum colorem esse violaceo affinem.

Præter hæc; quanuis harum gemmarum color esset omnino cæruleus, adhuc verè affirmaretur esse violaceo finitimus, & cum eo habere cognationem. Etenim nisi hi duo colores essent affines; non ita facilè foret, violaceum ex cæruleo conficere. Cùm tamen compertum sit pictoribus, nullum alium violaceum vsurpari colorem, nisi qui ex cæruleo & miniato admistis conflatur: cuius aut intensior vis, aut remissior ex maiori, vel minori minij copia admista redundat. Cæruleus igitur color est veluti fundamentum violacei.

Ex purpura siue pelagia tinctura, quæ lana colorem imbiberet.

Vt autem constet, quàntopere hæc veritas antiquis generatim innotuerit, sicuti nunc nostris pictoribus est manifesta, statuendum est sanie illâ, siue flore purpuræ aut pelagiæ, (quæ in toto orbe tunc erat percelebris) si solus adhiberetur, aquam siue lanam cæruleo tingi colore; qui propriè tunc conchyliatus vocabatur, quasi diceretur ex cochlea siue ex conchula fieri. Atque vt fucus siue infectio violaceum illum redderet, qui purpurei nomen sibi assumpsit; opus erat cum pelagiæ flore bonam floris buccini partem permiscere, qui buccini flos ex semet rubeus erat. Cùm ergo Plinianis temporibus vterque color ita esset in pretio ac deliciis habitus (vt Plinius ipse libro 9. testatur) quis tunc ignoraret vtriusque inter sese coloris affinitatem?

Cærulei & violacei coloris discrimen comparatione explicatur.

Intelligitur ex dictis, duplicis huius coloris discrimen rectè explicari per duorum hominum comparationem, quorum alter valde sit rufus, siue rubeus, alter decolor ac pallidus. Rubeus enim non est planè puniceus, licèt ipsius coloris habeat plurimum, quo albus exciteretur color, & rubei illius coloris defectu, qui eo caret, pallidus ac decolor appellatur. Quamobrem Plinius de conchyliato colore loquens lib. 9. cap. 39. *Sic gignitur* (inquit) *laudatus ille pallor saturitate fraudata.* Perspicuum verò est, Plinij mentem non esse, vt colorem illum propriè pallidum affirmet. Nam eam coloris ipsius definitionem tradit, *color austerus in glauco*: vbi apparet glaucum colorem à Plinio pro cæruleo poni. Verum quidem est, sicut Hyacinthum dicimus ita esse cæruleum, vt habeat aliquid minij admistum: ita etiam conchyliatum tunc nonnihil à puro cæruleo diuersum existimari, plus minus, iuxta vtriusque coloris misturam: vt videre est in diuersis ipsius generibus, quæ Plinius exprimit libro 9. cap. 8. Sed cùm nullum ex ijs generibus ad purè violaceum accederet: omnia pro decoloribus siue pallidis reputabantur: eademque ratione color hyacinthinus significanter satis dilutior purpura nuncupabitur, quippe eum habet coloris tenorem, qui in cærulei & miniati permistione consistit. Alia tamen ratione Hyacinthus, qui plurimum vergit in violaceum, dicetur viuidum cærulei vigorem non habere, sed cum violaceo temperatum, sic enim Solinus ait; defectum esse, si violaceo diluatur. Quia licèt mistio illa plus habeat excitati coloris, in ea tamen cæruleus color, quà cæruleus est, plurimum de suo vigore deperdit.

Ad primum ex argumentis contra nostram sententiã suprà additis, respondetur.

Verùm age iam, argumentis suprà oppositis occurramus. Ad primum respondeo: rectè probat, cæruleum Hyacinthi colorem non ita purum esse debere, vt vltramarinum. Quod cùm ita sit, ex dictis perspicua manet ratio, quare inter purpureas gemmas numeretur, & cum Amethysto componatur. Ceterùm animaduerti pariter oportet, eos esse colores inter se diuersos: quanuis enim interdum antiquus Sapphirus aliquid purpuræ, admistum habeat: nihil tamen habere purpuræ, sed esse purè cæruleum, magis in eo placebat. Hanc ob rem priùs agit Plinius seorsum de gẽmis purè cæruleis: deinde de violaceis, aut in violaceum colorem desinentibus: easque omnes vocat purpureas: cùm idonea fuerit ratio, vt nomen ad omnes extenderet, quod tamen mox strictè loquens ad Amethystum contrahit. Restat insuper explicata illa Plinij de Hyacintho definito: *Fulgor ille violaceus, qui emicat in Amethysto, in Hyacintho dilutior est*, quibus significat, intensum Amethysti colorem in Hyacintho remitti: non secus ac si violaceo admiretur ferè quidquid minij habet admistum, quo suum magis excitabat colorem. Tunc enim necesse est, eum languentem ac decolorem remanere, quanuis cæruleus adhuc maneat.

Responsio ad 2. argumentum.

Ad secundum argumentum respondeo primò, sub nomine floris Hyacinthini (cuius color inter cæruleum & violaceum medius est) plurimum laxitatis includitur, ex eo quòd magis aut minùs excitatum habeat colorem, quarè hoc ex flore non potest certò elici, qui sit magis proprius Hyacinthi tenor ac modus. Præsertim, cùm non sit vna species, sed multiplex eorum florum, qui hoc solent nomine nuncupari: vt videre est apud Mathiolum: in quibus floribus nec duæ apparent litteræ A. I quibus constare deberent nec etiam si hæ literæ in ipsis cernantur, certos nos de colore legitimo reddent, propterea quòd vtriusque characteris nota in diuersis reperiatur floribus, sicuti de puniceo quodam testatur lib. 1. Pausanias, quem refert Dalecampius in Plinium lib. 21. cap. 11. litera F. Et sanè verisimile est, vt florea Caryophylla, atque alij flosculi intra eandem speciem reperiuntur diuersorum inter se colorum: ita etiam eandem in Hyacinthis varietatem fuisse. Secundò ad eandem difficultatem respondeo: nomina interdum ex vna specie in vniuersum deriuantur genus, quòd

Digitized by Google

quòd si hoc satis est; haud dubiè inueniri poterunt Hyacinthi tam gemma, quam flos colore persimiles. Plinius tamen colorem lapidis ex floris colore non elicit: fortè quòd non certa deducatur norma ex frequenti floris colore ad colorem lapidis probationem. Quamobrem nihil obstat, floribus generatim plus inesse rubei, quam gemmis. Et tamen suspicor, quem Plinius Hyacinthorum fucum nominat, plus ad cæruleum, quam ad violaceum propendisse: nec oppositum probatur, quòd is pro cocco ad hisginum vsurparetur. Constat enim ex Plinio in hisgino priùs colorem coccineum siue Hyacinthinum separatim induci; deinde Tyrium subire, qui obscurum sanguinem refert: qui etiam color supra cæruleum solet induci, vt ipsemet perspicuè testatur: *Quidam, cùm confecere conchylia, transire melius in Tyrium putant.*

Responsio ad 3. argumentum. Ad tertium argumentum: verosimile apparet, Hyacinthinam olim tunicam (quam cæruleam fuisse constat) solo pelagiæ flore fuisse tinctam: qui color est eximius ille cæruleus, quo veteres vtebantur. Si verò ad eorum expositionem velimus accedere, qui hyacinthinam ac violaceam eandem esse putát: accipiendum id erit de colore violarum, quas Plinius serotinas vocat; quas cæruleas esse, verisimile mihi est. Sunt namque eius coloris, qui sub conchyliati generibus comprehenditur. Nec mirum est violas dari cæruleas: Plinius enim candidarum etiam violarum meminit. Præter hæc; diximus iam cæruleum Hyacinthi colorem nonnihil ad violaceum inclinare, ac propterea dubitat non immeritò Gregorius Nyssenus, vtrum puro cæli colori cæruleo, aut aëreo sit similis? vterque enim color apud veterum scriptorũ vtum pro eodem vsurpatur; vt euidens est in Plinio, Philone, ac Iosepho, quia de eo loquuntur colore, quem nobis superus repræsentat aer, qua purior ac serenior cernitur. Quod autem Philo asserit, nempe ad nigrum vergere, sicuti superiorem aerem: id per exaggerationem dixisse videtur, vt significet, non adeò perspicuum remanere, atque in se ipse est; sed potius subobscurum inducere colorem, quem crystallini comparatione nigrum appellat. Sicuti candidi hominis respectu, nigrum vocamus alium, cui minus candoris inest.

Responsio ad 4. Ad quartum argumentum respondeo: non ita explicandus est Solinus, vt sibi ipse repugnet. Quarè aut purpuram accipit pro cæruleo colore, cuius antea fecerat mentionem (hic enim, vt iam vidimus, potest vocari purpureus; siquidem erat proprius ex floris purpuræ infectione elicitus absque alterius coloris consortio) aut fortè purpuræ nomen significat, quod superiùs adnotauimus; scilicet cæruleum Hyacinthi colorem non ita esse purum, quin habeat aliquantulum minij permistum. Dixi aliquantulum: nam vt ex Solino aduertimus, vitium est in Hyacintho, si violaceò diluatur, quando magna illi pars admiscetur.

Cuiusmodi color fuerit probatior apud veteres in Hyacintho. Verùm ad huius iam gemmæ qualitates gradum faciamus oportet. Ac prima illa sit, pluris eam fuisse habitam, si color nec adeò esset tenuis ac subtilis, vt non planè perciperetur; nec adeò pinguis, vt oculos omnino impleret; *nec densiore fuco* (ait Solinus) *sit obtusior, nec propensa perspicuitate detectior.* Et Plinius; *primo aspectu sit gratus & euanescat, antequàm satiet: adeoq; non impleat oculos, vt penè non attingat.* Id quod potest hoc exemplo explicari. Accidit interdum, vt Petrus, verbi gratia, nonnihil alium vultu ipso referat; ita vt primo aspectu ipsum exprimat ad viuum: vbi tamen attentiùs eum aspexeris, nihil in eo inuenies insigne, quod ad eam similitudinem assumas. Sic igitur asserit Plinius, pretiosum Hyacinthum ita esse debere, vt primo aspectu cæruleum præ se ferat & satis mollem colorem: at verò si accuratiùs inspexeris, non tantum in eo cærulei reperias coloris, quantum initio apparebat: & quodammodo oculorum aciem eludat, & quasi ex ipsorum conspectu euanescat. Aut fortè Plinius loquitur de exigua illa violacei coloris specie, quæ in omnibus ferè eiusmodi gemmis cernitur; quam tamẽ, si seriò ac diligenter indagare velimus, videtur quodãmodo effugere, & ipse ex oculorum obtutu subtrahere. Itaque siue alterutra de causa, siue vtraque, addit Plinius; *celerius nominis sui flore marcescens.* alludit nimirũ ad id, quod dixerat lib. 21. cap. 11. dum de ipsomet Hyacinthi flore verba faceret: *Hyacinthus maximè durat, & viola alba*, quasi diceret, florem Hyacinthum gemmâ ipsâ videri stabiliorem in eo colore retinendo, quem primo offert aspectui. *Hyacinthi gemma colorem facile marcescere.*

Hæc eadem floris comparatio potest conducere ad aliam proprietatem, quam Solinus huic gemmæ adscribit hisce verbis: *Hic est, qui sentit auras: & cum calo facit mutationem: nec æqualiter rutilat, cùm aut nubilosus est aut serenus dies.* Idem confirmat Isidorus, aliique permulti. Hæc igitur gemma tristi & nebuloso cælo tristitiam pariter ac mœrorem inducit, & quodammodo extinguitur. Cuius mutationis ratio deduci videtur ex ipsius coloris tenuitate. Nec enim mirum est, temporis vicissitudine mutari, qui nimis ex se tener ac delicatus est. *Hyacinthi gemma colore cum cæli colore mutari.*

Verùm enim verò, quanuis hanc colore ipso teneritudinem præ se ferat: longè aliter se habet ipsius gemmæ natura atque substantia: est enim summæ duritiæ ac penè adamantinæ: *Scalpturis* (verba sunt Solini) *minimè accommodatus; vt qui attritum respuat: nec tamen penitùs inuictus est, nam Adamante scribitur & notatur.* Item beatus Isidorus: *scalpturis durissimus nec tamen inuictus.* Solum adamante scalpi posse Hyacinthum affirmant: atque hac ratione ipsemet etiam Adamas alio sui generis lapide atteri ac poliri valet. Cum hac duritie illud coniungitur: inuentam fuisse rationem, vt cæruleus color illi prorsus ignis efficacia auferatur. Vnde si ad Adamantis consuetudinẽ scalpatur, adeò difficilè ab Adamante distinguitur, vt ipsimet lapidariæ artis periti in eo decipiantur. Hinc fortè ortum habuit fabula, quam quidam recenset auctor, nimirum ex hisce geminis vnam incudi impositam ingentis mallei ictus respuisse. *Hyacinthi durities.*

Hyacinthus insuper difficilè incalescit: quinimò Solinus & Isidorus de eo sic habent: *in os missus magu fri get*: itaque oris calore videtur ampliùs refrigescere, id quod eò mirabilius est, quòd hæc gemma, vt à Plinio, Solino & aliis obseruatur nascatur in Æthiopia. *Hyacinthum difficile incalescere.*

Illud etiam peculiare medici de Hyacintho prædicant: illum cordi maximè mederi. Vnde in venenatis morbis vsitatum satis est à medicis, vt ex Hyacinthis potionem, (quam confectionem Hyacinthorum vocant,) ægrotis præscribant. Non inficior, quæ nunc gemma vulgari nomine Hyacinthus nuncupatur, esse quandam Chrysoliti speciem aurei coloris valde accensi, quæ diuersa prorsus est à veteri Hyacintho. Propterea tamen cõqueritur Mathiolus lib. 5 Dioscorides cap. 114. vbi asserit: ideo huius potionis effectus non esse mirabiles, quia pharmacopolæ pro antiquo Hyacintho (qui Amethystũ colore ipso deberet quadam ex parte referre) vulgarem subbstituunt Hyacinthum, qui aureo colore est. *Hyacinthum cordi mederi.*

Liquet igitur priscum Hyacinthum, qui est cæruleus, verum esse ac celebre illud antidotum: eiusque desiderio a pharmacopolis aliam accersiri gemmam, quam eiusdem virtutis partem aliquam arbitrantur habere: illique vt hoc pacto deferant nouo inuento auctoritatem, indidisse nomen Hyacinthi. Ex quo manifestè cernitur huius commutationis auctoribus satis innotuisse, verum Hyacinthum esse eum, cui fama præstantissimi contra venenum antidoti adstipulatur: quandoquidem, vt aliam nobilitarent gemmam, Hyacinthi nomine nuncuparũt. Hinc Rueus affirmat, Hyacinthi veteris esse proprium, *Virtutes* (cordis præsertim) *tueri à populatim sæuiente peste: ideoq; suspendi collo è regione cordis.*

Pro virtutis huius confirmatione aduerte, recens esse inuentum, gemmam coloris aurei nũcupari Hyacinthum. Nam Magnus Albertus, & post eum nonnulli alij sub eodem Hyacinthi nomine perspicuè de cæruleo loquuntur. Et quanuis Albertus eum dicat flauum: iuxta ipsius tamen loquutionem, flauus idem est ac cæruleus: vt colligitur ex iis, quæ disputat de lapide Lazuli & de Sapphiro. quin semet ipse satis explicat in Hyacintho: ait enim alios esse aqueos, alios sapphirinos. Et subdit: *Sapphirini virtus est contra toxicum, & contra pestiferas regiones.* *Recens esse inuentum, gemmam coloris aurei appellari Hyacinthum.*

Hinc videtur duxisse principium ea nominum

Digitized by Google

corruptio, qua Hyacinthus fuit vulgò appellatus Sapphirus: quippe cùm auctores eum vocēt Hyacinthum sapphirinum: vulgus inde paulatim substantiuum nomen suppressit, & solum adiectiuum vsurpauit:(sicuti in multiplici alia nominum structura consueuit)hincque Sapphiri appellatio in vulgarem hominum vsum dimanauit. Fortè etiam, cùm Plinius dicat, *Hyacinthos Æthiopia mittit & Chrysolithos aureo colore translucentes*: suspicatus est aliquis, aureum illum colorem ad vtramque gemmam eo loci referri, atque ab hoc errore dimanare potuit vulgaris Hyacinthi appellatio pro gemma,cui color aureus ineſt,aut melleus:fauente præsertim flaui nomine, quod Hyacintho tribuit Albertus, quamuis flaui nomen aliter ille vsurpet.nec solùm ille, sed fortasse etiam alicubi Virgilius.

Hyacinthi proprietates.

Rueus tradit, à nonnullis eam Hyacintho virtutem attribui, vt gestantem præstet à fulminibus securum A Albertus addit,quà frigidus valde est lapis,inditam illi esse vim gestantis corpus roborandi: itemque experientiâ constare, illo conciliari somnum.Idem adiungit. *Tutum reddit peregrinum & gratum hospitibus.* Item: *aiunt etiam, conferre ad diuitias & ingenium & latitiam.*

Sapphiri recentiorum(quæ & veteris hyacinthi) proprietates.

Quæ recentiores Sapphiro attribuunt virtutis indicia, videntur esse Hyacinthi propria: cùm verum ipsi Hyacinthum, nomine Sapphiri compellent. Huiusmodi sunt: *roborare cor & visum: contra timorem & venenum valere: vinctos è carcere soluere: tollere inuidiam: facere victorem amorem castum deligere: fluxum sanguinis sistere.* Ex Abulensi Exodi 28. illa etiam ad Hyacinthum spectant, quæ Rueus Sapphiro attribuit: *inclinare ad deuotionem, pietatem, pacem & constantiam: & inordinatas animi affectiones frenare.*

NOTATIO XXXI.

De Ligurio, quæ septima est inter Rationalis gemmas.

Vtrùm Apocalypseos Hyacinthus Ligurio Rationis respondeat? & sententia affirmans.

CVm duodecim Apocalypseos gemmæ gemmis totidem Rationalis respondeant: cumque ex his octo eadem vtrobique fortiantur nomina:ex reliquis verò Onyx cum Sardonyche, Chalcedonius cum Carbunculo, Chrysophrasus cum Achate componantur, vt suis locis aduertimus: valde verisimile est Hyacinthum Apocalypseos Ligurio Rationalis respondere. Ita opinatur Hieronymus Epist. 128. ad Fabiolam, & Epiphanius in libello de Gemmis. Enim verò, cum bona Doctorum ita grauium venia, nequaquam credibile est, Ligurium Rationalis esse gemmam illam, quam Græci ac Latini Scriptores Hyacinthum nuncuparunt. Nam si illa esset Hyacinthus; supina satis incuria & oscitantia foret tam Septuaginta interpretum, quam ceterorum Græcorum, atque etiam Vulgati, qui eum appellarēt Ligurium.Primò,quia nullus auctor tradidit Hyacinthum in Liguria nasci.Deinde, quia alia est gemma valde diuersa,cui conuenit Ligurij nomen; quòd Theophrasti sit opinio & aliorum, eam apud Liguriam exoriri Quinimò Strabo ait, Ligures abundare Lincurio, quod quidem electrum vocant.

2.sententia negans, quæ & Auctoris probatur.

Succinum à Plinio inter gemmas recensetur.

Notandum ergo est, inter gemmas recenseri à Plinio Succinum libro 37.cap.2. cui etiam electri nomen est inditum, refertque figmenta,quæ de ipsius origine vulgari solebant; nimirum eas esse lachrymas Phaëtontis sororum, quas in populus fuisse conuersas, poëtæ fabulantur. Aliam item adducit fabellam, electrum scilicet ex vrina lyncum gigni, & propterea à Demostrato vocari Lyncurium His alium subiungit apologum; quo iactabatur eum esse fructum quarundam Liguriæ arborum: sic enim Sudines & Metrodorus credidere. Inter eos autem, qui succinum esse fossile putarunt, Theophrastus affirmat,id in Liguria effodi solitum fuisse. Quapropter mirum non est,succino à veteribus nomen Ligurij fuisse impositū; priùs quàm constaret illud esse bitumen, quod aliquibus in locis mare ad littus eiectat.

Fabulosa quædam de succino tradita.

Species succini colore igneo & valde duri.

Porrò inter succina quoddam reperitur coloris valde ignei, & adeò durum, vt posset scalpi. Hoc prisci scriptores Lyncurij nomine dixerunt, affirmantes ex lyncis vrina gigni, & veram esse gemmam. Alij illud appellarūt *langurium*, fingentes in Italia ex bestiarum quarundam languriarum nomine vrinâ eam gemmā coalescere. Licèt autem Plinius hæc omnia commentitia esse ducat; asseratque sua ætate gemmam huiusmodi non fuisse inuentam; ait tamen cap.3. veterum de hac gemma scribentium pertinacia coactum se in illius mentionem incidere.

Mihi ex eis, quæ Plinius refert, videtur certum, gemmam hanc ita à veteribus reputatam, genus esse B aliquod succini: Nam ipsius colorem Plinius, iuxta antiquiores auctores, affirmat esse,qualis in igneis succinis cernitur. Et Lyncurio tribuebatur etiam ea vis trahendi ad sese fila, folia & stramenta. Quin etiam per exaggerationem dicebant,illud etiam trahere tenuem ferri siue æris laminam. Ex quo simile vero mihi fit, hoc Lyncurium ab antiquis auctoribus inter gemmas relatum,quandam esse succini speciem Ad hæc:constat à nonnullis nomen Lyncurij illi fuisse inditum, quod ex lyncis vrina concrescere existimarent. Hac ergo fabula reiecta, & Theophrasti atque Strabonis assertione admissa, qui Ligures succino abundasse affirmarunt (siue mare ibi ad littora illud eiecerit; siue Liguriæ fœminæ fuerint succini studiosissimæ, quæ monilium vice gestarent, vt tradit Plinius: (prudentissimè Septuaginta interpretes eam gemmam vocarunt Ligurion; quia Lyncurij nomen imbibitam in sese fabellam præferebat: at in nomine Ligurij nihil erat huiusmodi.Nobis ergo Ligurius est genus electri. C nam ex antiquis Plinius, & ex neotericis Georgius Agricola, & Conradus gemmam aliam Lyncurium non agnoscunt. Quòd si hac tempestate succinum ob ipsius copiam inter gemmas non reputatur: constat antiquitus in earum numerum fuisse adscriptum Lyncurium, quod est succini species. Vnde probabile fit, hoc fuisse aliquod succini genus ceteris durius ac pretiosius & rarius. Ipsius color magis videtur fuisse accensus,quam qui in nostro succino cōspicitur. Quippe Plinius lib.8.cap.38. ex aliorum sententia loquens refert Lyncurium ex lyncis vrina generatum, *esse gemmam Carbunculo similem,& igneo colore fulgentem.* Vbi tamen Plinius ipse indicat, quod de Lyncurio vulgabatur, ad omnia succini genera ab aliis extendi.

Lyncurium fuit Ligurium esse genus quoddam succini.

Lyncurij gemmæ etymologia.

Cur septuaginta septimam Rationalis gemmā Ligurium, non Lyncurium vocarint?

Existimo ergo, Rationalis Ligurium non esse eam gemmam, quam auctores antiqui Hyacinthum indigitarunt;sed quam ipsi Lyncurium vocabant. Ea enim prudenter potuit appellari Ligurius; & nulla ratione debuit à Scripturæ interpretibus Lyncurium vocari. D Nec temere & casu, sed summa ratione atque consilio existimandum est,in Apocalypsi pro Ligurio Hyacinthum multò nobiliorem gemmam substitui: cuius mysterij explicatio ad sequentem notationem pertinet.

Rationalis Ligurium non est Hyacinthus.

Illud hîc notandum est, quanuis Plinio fabulosum sit,quidquid de Lyncurio,siue Ligurio iactabatur; fateri tamen ab antiquis auctoribus prodi huius gemmę virtutes eiusmodi: *Calculos vesicæ eo poto elidi: & morbo regio occurri si ex vino bibatur, aut si portetur etiam:* idem tradit Solinus cap. 8. Constat autem regium morbum esse eum, quem Græci icteron appellant, Hispani *Tericia*:

Lyncurij siue Ligurij proprietates.

NOTA-

Digitized by Google

NOTATIO XXXII.

De conuenientia gemmæ vndecimæ cum vndecimo articulo.

Vndecimus Symboli articulus explicatur.

SYmboli articulus his duobus continetur verbis, *Remissionem peccatorum*, quibus totidem in Apocalypsi respõdent; *Vndecimum, Hyacinthus.* Quam gemmam constat ex præcedentibus notationibus Plinio & Solino, ac reliquis Scriptoribus antiquis eandem fuisse, quam hodie vocant Sapphirum. Quod attinet ad mysterij explicationem; considerandum est, in hoc articulo inter alia contineri maximam Christiani populi fælicitatem ac ius ad æternam beatitudinem, quo fideles Christi Ecclesiæ filij euocantur. Ceterum cùm in hac misera & calamitosa vita difficilè admodum sit, hominum aliquem longo annorum tractu in Dei gratia persistere ob plurima pericula, & peccandi occasiones, quibus vndique est circũseptus, pauci ex ipsimet iustificatis cælestem cõsequerentur beatitudinem; si post primam iustificationem Deus venia & indulgentiæ ianuam lapsis obseraret. Immensa tamen Dei pietas & clementia non solùm hunc miseris peccatoribus aditum non præclusit; verùm etiam, nequis animum despondeat, vult ac præcipit, peccatorum remissionem esse vnum ex fidei capitibus, quæ Christiani vniuersi debeant nosse & profiteri: quo articulo instruimur & edocemur, quantumuis plurima & grauissima sint hominis cuiusque flagitia; Dei tamen pietatem & commiserationem esse multò maiorem, qui verâ animæ medicinâ atque remedio peccatorem pestiferâ lue infectum semper iuuitat: ea tamen lege, vt per veram ac legitimam pœnitentiam de anteactis sceleribus resipiscat. Hic est vndecimus articulus: atque eundem Apostolici Symboli ordinem (quo peccatorum remissio post Ecclesiam Catholicam proximè ponitur) obseruauit Paulus ad Coloss 1. n. 13. & 14. *Transtulit nos in regnum Filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem per sanguinem crucis eius, remissionem peccatorum.*

Vndecimi articuli doctrina in Hyacintho figurata monstratur.

Videamus nunc, oportet, quàm appositè Hyacinthus præ cæteris gemmis indulgentiam peccatorum symbolicè repræsentet. Vt ergo in Topazio colorem porri, in Chrysolitho auri, in Carbunculo prunæ considerauimus, sic etiam in Hyacintho gemma florem Hyacinthum spectare debemus. Nam gemma hæc flori ipsi concolor est: atque adeò videtur flos ipse in gemmam conuersus nostris oculis obijci

Remissio peccatorum quomodo per Hyacinthum adumbrata. Litera, A. I. in Hyacintho à natura inscripta quid innuant.

Cum igitur peccatorum remissio nobis imprimis proponat immensam Dei clementiam & de hominum peccatis commiserationem: clementiæ quidem & misericordiæ congruentissimè color Hyacinthinus tribuitur. Primò, quia Hyacinthus flos natura ipsa habet duas illas literas inscriptas, A. I. *Ita discurrentibus venis, vt græcarum literarum figura A. I. legatur inscripta*; vti Plinius obseruauit lib. 21. cap. 11. & quamquam verum extet, quod ibi Dalecampius aduertit, non eas esse venas, sed quasi maculosas notas, ad præsens tamen institutum perinde est. Nec solùm hæc est Plinii obseruatio; sed etiam Pausaniæ libro 1. & aliorum auctorum tum veterum, tum recentiorum. Illæ autem duæ literæ A. I. eandem græcè vim habent atque Hispanicè nimirum vicem habent interiectionis in dolente aut commiserante. Illa item interiectio Græcanicè non solùm est dolentis & miserentis propria, sed etiam optantis; quemadmodum apud Latinos hæc dictio *Vtinam.* Ex quo apparet, in hoc flore quodammodo fieri, cælum ipsum nostris dolere miseriis, & illis remedium optare. Et sanè videtur diuino consilio fuisse factum, vt flori Hyacinthino interiectio illa Græcè foret impressa; quò facilius mysterium ipsum possent collineare Græci, quibus cælum ipsum peracrem ingenii aciem impertiui, iuxta Horatianum illud in Arte; *Graijs ingenium*, &c.

Mollis ac tener Hyacinthi color quid symbolicè denotet.

Huc accedit, ipsum Hyacinthi colorem mollissimum esse: vnde Virgilius Hyacinthos *Languentes & moll s* vocat Ecloga 6 & Æneidos 11. quasi ipsos diceret teneros & commiserantes. Idem Ecloga 3. *Et suauè rubens Hyacinthus.* Forte per allusionem ad huiusmodi significationis mysterium, Deus in veteri præcepit lege, vt Pontificis summi tunica foret Hyacinthina ad Christi Domini clementiam figurandam. Et Christus ipse à nostris pictoribus tunica eiusdem coloris indutus effingitur, ad significandam ingentem illam misericordiam, qua humani generis defectus prosequebatur eatenus, vt sæpe in lachrymas erumperet.

Fabula Hyacinthi pueri & Aiacis, qui in florem Hyacinthum fingunturconuersi, fortè in floru huius naturæ fundari.

Deinde in duplici illa Hyacinthi floris litera & coloris suauitate ac mollitudine forte innixæ sunt duæ illæ fabulæ, quas commenti sunt Poetæ, dum finxerunt Deos commiseratione fuisse tactos ob interitum infælicem pueri, quem tenere diligebat Apollo; nec non Aiacis Telamonii: quorum vtrumque propterea in flores Hyacinthos à Diis ipsis fuisse conuersos. Meminit vtriusque fabulæ Plinius lib. 21. c. 11. & Ouidius Hyacinthi pueri apologum describit. 10. Metamorph. & Aiacis Telamonii lib. 13. Quòd si eiusmodi figmenta (vt credibile est) ingeniosè excogitata fuere: respexerunt procul dubio veteres cæli pietatem & clementiam quæ in Hyacinthi flore figuratus. Quam ad rem congruens valde est, si attentè inspiciamus, quomodo in huius floris colore, cæruleus, id est, cælestis color, leuiter miniato sit aspersus (quo minij colore sanguis innuitur) quod nobis repræsentat cælum ipsum nostris miseriis condolere, molliri, & quodammodo affici. Hoc autem quam sit ad peccatorum remissionem appositum, nemo non viderit.

Hyacinthi floru virtus ad medicinam efficax quid mystica denotet.

Cum Hyacinthi literis & ipsius coloris suauitate coniungitur etiam virtus ad medicinam efficax, qua flos ipse pollere dicitur. Plinium adi lib. 21. cap. 12. vbi sic ait; *Torminibus & araneorum morsibus resistit, & contra serpentes & scorpiones, morbumq; regium semen eius datur* In quo facilè cernitur cæli clementiam esse nostris miseris medicandis efficacem. Et grauiores quidem nostri animi morbi, id est, peccata aptè figurantur in serpentum & scorpionum veneno ad intimos cordis recessus peruadente; nec non in regio morbo, siue icterio, qui ad externam morborum speciem prodit: horum autem vtrumque mirificè à Deo per peccatorum remissionem curatur.

In Hyacintho gemma commiserationem & suauitatem figurari.

Sed transeamus ad ipsam Hyacinthi gemmam. Ac primò suauitatem illam & commiserationem in floris literis atque colore adumbratam indicat etiam gemma tum eodem ipso floris colore, tum etiam mira illa proprietate, quam ex Solino & aliis recensuimus, quòd scilicet nebuloso & caliginoso cælo turbetur ipsa, & quasi mœreat; hilarescat verò, & oblectetur sudo atq; sereno quo quid mollius, & ad misericordiam significandam opportunius?

Potionem à Hyacintho gẽma cordi prodesse quid innuat.

Iam, si flos est ad cordis medicinam perutilis, & præstantissimum affert aduersus cordis venena remedium, id sanè multò magis in gemma reperitur, pro quo vide superius dicta in alia notatione de Hyacinthina potione à medicis præscribi solita. Huc spectat, quod Rueus scribit, nimirum Hyacinthi proprium ille, *Virtutes* (cordis præsertim) *tueri à populatum sæuiente peste.* &c. Item quod ex eodẽ retulimus de Hyacinthi efficacitate ad cæli fulmina præcauenda. Nã in cæli fulminibus Dei ira atque indignatio nobis significatur: atqui peccatorum remissio homines ab horum fulminum ictu præmunit ac liberat.

Si autem verum foret, quod opinantur nonnulli, scilicet gemmam Plinio & Solino dictam Hyacinthum esse eandem, quam Dioscorides & Galenus Sapphirum appellant: huc etiam spectabunt, quę Dioscorides lib. 5. cap 157. & Galenus de Simplicium facultatibus lib. 9. memoriæ prodiderunt, dum Sapphiri virtu-

Digitized by Google

virtutem aduersus scorpionum vulnera & omnem veneni malitiam celebrant.

Cur Apocalypsis pro Rationali Ligurio Hyacinthum substituerit Mystice.

Reliquum est, vt reddamus rationem, cur cùm Apocalypseos Hyacinthus Ligurio Rationalis respondeat; non tamen eadem gemma, sed diuersæ sint, & Apocalypseos quidem gemma pretiosior? Pro huius discriminis ratione affero, vtramque gemmam aptè satis ad remissionem peccatorum significandam vsurpari: sed, vt significetur maius diuinæ clementiæ argumentum legis gratiæ tempore, quam legis scriptæ, propterea in Rationali Ligurium eleganter fuisse appositum, qui Apocalypseos Hyacinthum è regione respiceret. Præcipua quidem virtus ex ijs, quæ Ligurio tribuuntur, traditur esse aduersus icteron siue regium morbum, vt suprà vidimus: & potissima Hyacinthi vis cernitur in cordis medicina aduersus venenum. Quid ergo congruentius ad inuendum discrimen inter nostra & legis veteris Sacramenta? In illis enim vix aliud videbatur agi, quam externa sanctificatio A atque mundtia, quod est quasi regium morbum in vultum prodeuntem curare: in nostris autem Sacramentis præcipuè agitur de animæ remedio & curatione, deque totius veneni ex imis præcordiis expulsione. Licèt enim pessimi exempli lues in æternam aspectantium faciem erumpens expelli curetur (pro huius enim rei significatione virtus inest Hyacintho ad regium morbum sanandum,) præcipuè tamen cordis ipsius sanitas procuratur: id quod celebris Hyacinthi virtus denotat. Non tamen ideo inficiamur, in veteri etiam lege (licèt non adeò perfectè) de grauiù animæ peccatorum remediis agi. Nam etsi *omnia in figura contingebant illis*; nihilominus Dei amici & familiares tunc admissorum scelerum scrupulis vexabantur, & pro eorum curatione Diuinâ clementiam ac pietatem implorabant. Vt autem hoc etiam in Ligurio adumbraretur, vidimus iam suprà, ipso non solùm regium curari morbum, sed etiam calculos vesicæ eo poto elidi. B

NOTATIO XXXIII.

De Amethysto gemma duodecima.

Amethysti gemma natura examinatur. Qualis sit eius color.

COnuenit inter omnes, Amethystum gemmam esse diaphanam, siue perspicuam & colore violaceo. Quamobrem licèt Plinius quinque Amethystorum species describat, de omnibus tamen generatim tradit, *Perlucent omnes violaceo colore*. Hunc ipsum Amethysti colorem alij exponunt vini comparatione. Theophrastus enim ait, hunc lapidem esse, οἰνοπὸν τῇ χρόᾳ, id est, *vini colore*. Et ex Theophrasto videtur id mutuatus esse Epiphanius in suo de gemmis libello, dum ait; *Amethistum vini similitudinem vibrare*. Fortè comparatio isthæc desumitur ex rubro vino, quod Hispani vocant *haloque*, siue ex alio vino purpureo, quod etiam in vsu est. Album enim vinum constat non esse ad rem. Nihilominus tamen ipse etiam Plinius in Amethysto vini æmulationem considerat: nec solùm in quarto genere, de quo absolutè dicit, *Vini colorem habet*, sed etiam in vniuersum loquens, ait namque, *Amethystum vsque ad vini colorem accedere, sed in violam desinere, & fulgorem quendam purpura in illa cerni, non ex toto igneum, sed in vini colorem deficientem*.

Indicum Amethistum (qui & cæteru præstantior) purpura colore constare.

Quòd si in Amethystorum optimum oculos conijcere velimus; nobilissimum ait Plinius esse Indicum: *Indica absolutum falicis purpura colorem habent: ad hanc & tingentium officina dirigunt vota*. Hæc est vulgaris Plinij lectio? quanuis Dalecampius referat in antiquis manuscriptis pro illa dictione *falicis*, legi, *Phœnicis*: quod est Tyriam purpuram indicare. Tyrus enim est veluti Phœniciæ metropolis. Atque hæc manuscriptorum veterum lectio satis mihi fit verisimilis: nam Tryphiodorus, vt refert Hadrianus Iunius in suo Nomenclatore, exponens Amethysti colorem D eum vocat αἱμαλέην, id est, sanguineum atque cruentum. Vidimus autem in superioribus, Tyriæ purpuræ colorem esse concreti sanguinis & splendentis proprium. Verum sanguineus hic color, qui Tyrię purpuræ & pretioso Amethysto conceditur, debet intra violacei coloris limites contineri; quippe de omnibus Amethystis generatim Plinius loquens; *Violaceo* (inquit) *colore perlucent*. Et infrà; *Præcellens debet esse in suspectu velut ex Carbunculo refulgens quidem in purpura leuiter roseus nitor*. Hac ratione conciliatur sanguineus color quem Tryphiodorus Amethysto attribuit, cum colore vinaceo, quem eidem adscribunt Theophrastus & Epiphanius, & cum purpureo, quę eidem Dionysius Afer concedit, agens de Indico Amethysto, ᾧ γλυκέρῳ ἀμέθυσον ὑπνρέμα πορφυρέουσαν, *atque dulcem Amethystum leuiter purpurascentem*.

Pretiosi demum Amethysti color cuius modi sit.

Ex dictis colligitur in pretioso Amethisto vinarij coloris imitationem cum purpura copulari. Si verò speciatim Tyriam attendamus purpuram, id ad sacrarum Literarum consuetudinem est aptissimum, quia ob Phœnicis viciniam videtur Scripturæ purpura explicanda esse de Tyrio. Præsertim si aduertamus, antiquam Tyri nobilitatem eò fuisse deuolutam, vt communem purpuræ officinam ageret. Lege Plinium lib. 5. cap. 19 vbi de Tyro loquitur; *Nunc omnis eius nobilitas conchylio atque purpurâ constat*.

Amethystum quàm sit grata ac iucunda gemma.

Porrò, quàm sit Amethystus aspectu gratus ac iucundus, facilè deducitur ex nobilibus cognomentis, quibus eum antiqui scriptores insigniunt. Dionysius Afer eum vocat dulcem: Plinius ex multorum consensu gemmam Veneris, subditque nomen hoc maximè decere & specie & colore extremo gemmæ.

Amethysti gemma etymologia.

C Iam, si ad Amethysti etymologiam oculos reflectamus: huic nomini duplex est significatio: altera, *non ebrius*; altera *ebrietatem* prohibens. Ex hisce significationibus primam gemmæ attribuunt Plutarchus & Plinius, existimantes hallucinari eos, qui gemmæ nomen datum putant à præsidio profligandæ temulentiæ, & credentes dictam esse Amethystum, quasi non ebriam, quòd ipsius color non valde accensus sit, sed temperatus: nam à vini colore priusquam eum degustet, in violam desinit. Notum tamen est, omnia aduersus ebrietatem remedia Græcè appellari Amethysta, atque hac ratione Dioscorides & alii loquuntur. Eandem virtutem multi huic gemmæ inesse dicunt. Quin & Rueus hanc opinionem Aristoteli attribui censet, licèt ipsius locum non citet. Plinius tamen hãc deridet virtutem, asseritque id esse Magorum figmentum. Verùm siue ratione nominis, siue coloris, siue virtutis, id iam est vulgari consensu receptum, vt hæc gemma & eius color designent sobrietatem, vt affirmat Plinius lib 41.

Amethystum ad se quodammodo trahere quod in eius conspectu est.

Plutarchus libello de audienda poetica, initio, eam Amethysto virtutem tribuit, vt ad se trahat, quod in eius conspectu est, *Is lapilli* (ait) *qui vocantur Amethisti, vim quandam attrahendi, dum labore fatigati accenduntur, nacti sunt*. Et addit, se optare hanc suo libro virtutem imprimere, vt lectus atque in manibus gestatus animos ad se alliciat. Alciatus Emblemate quodam asserit colorem ianthinum (qui est Amethystinus) esse proprium eius, qui rerum suarum statu contentus est: *Quisquis sorte sua contentus, Ianthina gestet*.

Sardam gemmam esse veluti Amethysti matrem.

Præter hæc; de Sarda agentes diximus, eam esse, quasi Amethysti matrem, atque ita nonnullas inueniri gemmas, vna ex parte Sardas, ex altera Amethystos. Atque vt Sardam aduertimus in saxi alicuius corde reperiri solere: ita etiam Theophrastus tradit, Amethystum etiam, sicut Sardium, quibusdam petris confractis inueniri.

Alia proprietates Amethystis attributa.

Huic itidem gemmæ rueus adscribit, quòd vigilantes eos reddat, qui eam gestant. Hæc opinio fortassis

Digitized by Google

tassis traxit originem ex Hebraico Amethysti nomine *Chalmach*, quod Grammatici deriuant à *Chalos* quod somnium significet. Licet enim suspicentur Hebræi, huius nominis rationem esse, quod qui hunc lapidem gestat semper somnia videat: hoc tamen aut vanum est, aut somnium est inchoatio vigiliæ. Idem etiam Rueus in hac gemmâ significationem totius prosperitatis contemplatur.

NOTATIO XXXIV.

De respectu & conuenientia gemmæ duodecimæ cum duodecimo articulo.

Duodecimum Symbolo caput imponitur.

EXtremi articuli mysterium his verbis continetur; *Carnis resurrectionem, Vitam æternam.* His in Apocalypsi respondent, *Duodecimum Amethystus.* In articuli verbis duo includuntur sensus; alter bonorum & improborum communis; alter iustorum proprius. Primus est, omnes animas cum suis rursus corporibus vniendas fore, nunquam deinceps separandas. Secundus sensus est, de discrimine in generali resurrectione inter iustos & iniustos futuro. Etenim in Scripturæ locutione rectè dicuntur iusti solùm reuicturi, & æternâ beatitudine fruituri: quia damnatæ animæ cum suo corpore copulatio non quidem vitæ, sed nouæ mortis initium erit: atque adeò resurrectionis nomen non meretur; cùm id potius sit denuo corruere, quàm surgere; nec tunc vitæ sint initium auspicaturæ, sed æternam incepturæ mortem.

Fateor ergo, in duodecimo articulo vtrumque coërceri sensum: ni ilominus congruens esse reor, vt huius articuli symbolum directè ad secundum duntaxat respiceret: vt hæc duodecim gemmarum corona pro coronide atque exitu haberet triumphum atque gloriam Beatorum: vnde indirectè etiam indicatur æterna damnatorum miseria. Cùm enim vtrique sint in vniuersali illo iudicio sistendi; cumque iustorum triumphus ac regnum æterna sint futura: ex hoc ipso intelligitur, impiorum etiam damnationem & cruciatus sempiterna fore: atque vt iusti corpore pariter & animo perpetuam beatitudinem possessuri sunt, sic etiam ipsorum aduersarios animâ & corpore æterna supplicia luituros. Directè tamen gemma duodecima ad sempiternam Sanctorum fælicitatem applicanda est.

Hyssus Amethysti considerata lib. 12. cap. vltimo.

In Amethysto ergo considerabant antiqui coniunctionem coloris vinatij cum purpura ac viola, vt iam vidimus. Quapropter vt in Hyacintho philosophati sumus ex flore vnde nomen traxit, sic in Amethysto, quem ad duodecimi articuli significationem diuina prouidentia voluit vsurpari, ex vino, purpura & violâ philosophandum est. Quod cùm ita sit quis nesciat, in vino cordis lætitiam & malorum omnium obliuionem denotari? Vide 3. Esdræ 3 20. *Omnem mentem conuertit in securitatem & iucunditatem; & non meminit omnem tristitiam* Porrò in Euangelio nemo nescit torrentem illum voluptatis, quo sunt iusti in æterna beatitudine inebriandi, per vini allegoriam explicari; Matthæi 26. 29. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei.*

Vini etiam translatione significari solet, fluxorum & caducorum bonorum vanitate homines inebriari. Hinc Ioannes (vt suprà suo loco vidimus) depingit Babylonem, id est, veterem Romam ethnicam, tenentem manu calicem, quo gentes inebriare volebat. Præcipit autem Salomon, vti ab eo præcaueamus vino, quia euertit animam, Prouerbiorum 23. 31. *Ne intueaeris vinum quando flaueseit.* Si ergo bonorum mundanorum species oculis obiecta inebriandi vim habet: efficacissimum aduersum eam ebrietatem remedium est, oculos in spiritale cælestis beatitudinis vinum inijcere: vt hoc pacto fluxa ac peritura contemnentes ad æterna ac solida aspiremus.

Ad huius rei mysterium iure optimo nobis ob oculos ponitur Amethystus vini colorem præferens; sed eiusmodi vini, quod non modò non mentem deijciat, sed etiam ab omni ebrietate liberet: quò Græcum ipsum Amethysti nomen spectat, vt superiori notatione expendimus. Hoc autem nihil aliud est, nisi nobis indicere, vt mentis oculos à vino illo flaueseente atque illiciente auertamus, & in illud æternæ fælicitatis vinum conuertamus, si sobrij esse velimus. Simili fere ratione dixit Hieronym. *Quotiescunque sæculi te vana delectabit ambitio, quotiescunque aliud videris gloriosum: ad paradisum mentem transgredere.* Atque hoc pacto futuræ vitæ meditatio est veluti verus Amethystus, siue *ebrietatem prohibens.* Quid, quòd Amethystus violam etiam repræsentat? & de violis quidem Plinius scribit lib. 21. c. 19. *Crapulam & grauedines capitis impositis coronis olfactuue discutimus* Quod autem crapulam arcet, ardorem etiam à vino inductum refrigerare potest. Vnde æternæ vitæ commentatio extinguit incendium, quod in nostris animis fluxorum bonorum excitat appetentiam. ad quod etiam conducunt ipsius Plinij in eodem capite verba; *Purpurea viola refrigerant, & contra inflammationes illinuntur stomacho ardenti: imponuntur & capiti in fronte.*

Cælestis beatitudinis consideratio quanta sit voluptatis.

Ad magni solatij significationem, quod iusti ex speratæ beatitudinis consideratione percipiunt, confert illa Amethysti appellatio; qua dicebatur *dulcis, & Veneris gemma.* Ad hæc: vt Amethystus *digitorum attritu calefactus habet vim attrahendi*: non aliter carnis resurrectionis meditatio, & sempiternæ etiam vitæ, quam in cælo speramus, animos illicit, & mirum in modum afficit. In huius etiam vitæ laboribus & anxietatibus, ne earum fluctibus obruamur, sed doloris abstergeamus lacrymas: suauis pariter atque efficax est commentatio sempiternæ fælicitatis, quam nobis Deus in cælesti regione præparauit. Hanc in rem Plinius eodem illo capite affirmat, purpureas violas esse salutarem medicinam *contra anginas, & oculorum priuatim epiphoras & suppurationes.* Atqui angina gutturis præclusionem & suffocationem minitatur: Epiphoræ autem sunt oculorum delacrymationes, cùm assidui humoris illapsus oculos angit: suppurationes verò sunt vlcera. His addit Plinius, quod in violis est purpureum, comitialibus morbis mederi: & semen violæ scorpionibus aduersari. Sed, omissâ viola, ad purpuræ considerationem transeamus.

Amethystus à veteribus dictus dulcis, & Veneris gemma quid symbolicè significet.

Amethystinus purpura perfecta color cuius ratio sit symbolata.

Perfectum purpuræ colorem fuisse Amethystinum, iam in superioribus vidimus: & ad eam in officinis dirigi vota, vt Plinius loquitur. Neminem igitur latet, purpuram præsertim Tyriam regũ ac principum fuisse vestem. Hinc liquet, nullam gemmam reperiri potuisse aptiorem amethysto ad inuendum fælicissimum illũ Iustorum statum in cælesti patria: vbi omnes reges ac principes erunt, & filiorum Dei dignitate fruentur.

Discrimen verò maximum, quod inter æternum illud regnum & hæc terrena ac temporalia interest, eleganter figuratur in Amethysto, qui eandem pretiosæ purpuræ colorem in nobilissima gemma retinet, quod perinde est, quasi purpuram à tinea & corruptione intactam asseruare: & illi firmitudinem, splendorem ac perspicuitatem conferre. Optabile quidem terrenis regibus foret, vt ipsorum purpura Amethystum imitaretur. Verùm maximum interest inter vtrumq; discrimen. Nam purpura demum lanea est: Amethystus gemma pretiosissima. Ita illud debet pro vero ac solido regno reputari, quod Beatorum est proprium: præsertim post generalem omnium resurrectionem: vt dicitur Apocalypseos 22. 5. *& regnabũt in sæcula sæculorũ.*

Beatorum felicitas quomodo in Amethysti colore adumbretur.

Quòd si verum est, quod ex Alciato retulimus, colorem Amethystinum esse eorum proprium, qui sua sorte contenti sunt: hæc certè fælicitas in vna Beatorum patria cumulatissimè possidetur: nam in terris multò secus accidit. mirum quod Horatius ait lib. 1. Satyra prima,

Digitized by Google

-------Vt nemo, quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu fors obiecerit, illa
Contentus viuat, laudet diuersa sequentes.

Porrò, si in Amethysto (vt diximus) innuitur perfecta felicitas: hæc ad illam vsque transactâ resurrectione beatitudinem non omnino videtur expleta: tunc enim Beati corporis pariter, animique gloriam possidebunt, nec quidquam sibi amplius remanebit optãdum. Cùm autem Christi Saluatoris nostri resurrectio sit generalis iustorum resurrectionis exemplar atque principium: ad huius rei significationem maximè facit, Sardam (quæ Christi resurrectionis est symbolum) esse quasi matrem & originem Amethysti, vt in eius gemmæ explicatione notauimus. Ad hæc, quemadmodum Plinius ait Sardam intra Saxi cor generari: ita etiam ex Theophrasto obseruauimus, perinde accidere Amethysto. Quorum vtrumque nos docet, vt Christus ex lapideo sepulchro glorioſus & incorruptus processit; ita etiam iustos ex suis sepulchris glorioſos prodituros, quod suo modo erit, quasi si resurrectionis iusti gemma intra ipsius sepulchri saxum generetur.

Item de Amethystino purpura colore symbolicè.

Iam, quod certum omnino est de generali iustorum resurrectione magno futura ornamento Christi triumphi; id etiam in veteri, quam accepimus, consuetudine significatur, quando triumphantium vestis, licet aurea fuerit, purpura tamen ornabatur. ait enim Plinius de purpura, *in triumphali miscetur auro.* Quare cùm Chrysoliti aurum sit Christi gloriæ symbolum vt ex alibi dictis cerni potest) cumque Amethysti purpura iustorum resurrectionem & glorificationem adumbret, iure optimo vtrumque admiscetur.

Ad fælicem etiam beatitudinis statum pertinent, vt iusti nõ solùm reges sint, sed etiam sacerdotes, iuxta vsitatam illam Scripturæ phrasim de sacerdotali regno. Pro hoc autem nouimus purpuram non regum modò fuisse olim insigne, sed etiam Pontificum, vt Plinius asseuerat lib 9. cap. 36. dum ait; *Dys aduocatur placandis*, quasi dicat, ad rem diuinam faciendam Pontifices ethnicos purpura indui solitos Nec opus est ea de re ad Gentilium vsum confugere: id nos sacræ Literæ docent, dum præcipit Deus Ephod Pontificis sacrum simul cum purpura intexi. Vnde Amethysti color sacerdotalem dignitatem cum regia connectit, quo significet cumulatiùs Beatorum in cælo fælicitatem.

Postremò, quòd Amethystus faciat vigilantem eum, qui ipsum gestat, id nos symbolicè monet, futuræ gloriæ confideratione iustos alacres & erectos reddi, ne se segnitiæ atque socordiæ dent. quippe dæmon communis aduersarius, *non dulci declinat lumina somno*, sed, *circuit quærens, quem deuoret*, quemque à futura illius status possessione deturbet. Quam Amethisti proprietatem si cum altera sobrietatis, quæ ipsius nomine præfertur, componas, videtur huius articuli Amethystus nos illis Petri verbis excitare atque hortari: *Fratres sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus*, &c.

Quòd Amethystus sit gestatorem reddat vigilatem, quid significet mystice.

NOTATIO XXXV.

Disputatio de partitione duodecim Rationalis gemmarum inter duodecim tribus Israëlis.

Quæstio de partitione duodecim gemmarum Rationalis. Vbi earum series & ordo expenditur.

EXodi 28. exponitur ordo lapillorum duodecim Rationalis, & dicuntur in eis fuisse inscripta nominà duodecim tribuum Israëlis: *singuli lapides nominibus singulorum per duodecim tribus.* Non tamen deerit, qui existimet, minimè constare, quod nomen cuique gemmæ fuerit insculptum. Primò, quia nonnulli interpretes in gemmarum ordine differunt à Vulgata. Ordo enim gemmarum in Vulgata huiusmodi est. 1. *Sardus*, 2. *Topazius*, 3. *Smaragdus*, 4. *Carbunculus*, 5. *Sapphirus*, 6. *Iaspis*, 7. *Ligurius*, 8. *Achates*, 9. *Amethystus*, 10. *Chrysolythus*, 11. *Onychinus*, 12. *Beryllus*. Et præter diuersas opiniones, quas notatione 4. expressimus, Chaldaicæ Paraphrasis interpres Cant. 5. 14. gemmas duodecim hoc ordine recensет: 1 *Sardium*, 2. *Topazium*, 3 *Sapphirum*, 4. *Carbunculum*. 5 *Smaragdum*, 6. *Iaspidem*, 7. *Beryllum*, 8 *Achatem*, 9. *Amethystũ*, 10 *Chrysolithum*, 11. *Onychinum*, 12. *Ligurium*. Hæc itaque versio à Vulgata in eo differt, quòd Smaragdum cum Sapphiro, Ligurium cùm Beryllo permutet.

Deinde, dicent aliqui minimè conuenire inter interpretes de ordine, qui in duodecim tribuum nominibus in Rationali: scriptis fuit seruatus. quare licèt constet de septima gemma, cùm septimum nomen sit ignotum, constare non posse de nomine in eâdem gemma insculpto. Quòd verò certus non sit ordo, quo fuerint ea nomina in Rationali conscripta, inde videtur posse probari, quia Scriptura non semper tribuum duodecim nomina eodem ordine recensет, licet consentiant omnes de filiorum Israelis ordine, si eorum attendantur natalitia. Constat enim eos hoc ordine in lucem susceptos: primò quatuor primos Liæ filios, nempe 1 *Ruben*, 2. *Simeon*, 3. *Leui*, 4. *Iuda*. Deinde Balæ duos filios, 5. *Dan* 6. *Nephtali* Mox duos Zelphæ, 7. *Gad*, 8. *Asser*. Posteà duos alios Liæ, 9. *Isachar*, 10. *Zabulon*. Denique duos Rachelis 11. *Ioseph*, 12. *Beniamin* Veruntamen in Iacobi benedictione ad filios diuersus eorum ordo præscribitur Gen. 49 priùs enim nominatur Zabulon, quam Isachar: & vterque præponuntur filiis duarum ancillarum. In harum item ancillarum filiis ordo similiter immutatur, hac ratione: *Dan, Gad, Asser, Nephtali*, cùm tamen natiuitatis ordo sit: *Dan, Nephtali Gad, Asser.*

Filiorum Iacobi ordo, secundum cuiusq; natiuitatem.
Genes. 29.
Genes. 30.
Genes. 35.

Præter hæc; in Mosis benedictione Deut. 33. longè alia series exponitur, hoc pacto: 1. *Ruben*, 2. *Iuda*, 3. *Leui*, 4. *Beniamin*, 5. *Ioseph*, 6. *Zabulon*, 7. *Isachar*, 8. *Gad*, 9 *Dan*. 10. *Nephtali*, 11. *Asser*. In qua benedictione omittitur *Simeon*. Porrò Num. 1. bis enumerantur Israelis tribus, & singulis vicibus ordo variatur, Primò sic, 1. *Ruben*, 2. *Simeon*, 3. *Iuda*, 4. *Isachar*, 5. *Zabulon*, 6. *Ephraim*, 7. *Manasse*, 8. *Beniamin*, 9. *Dan*, 10. *Asser*, 11. *Gad*, 12. *Nephtali* Secundò verò sic: *Ruben*, 2. *Simeon*, 3. *Gad*, 4. *Iuda*, 5. *Isachar*, 6. *Zabulon*, 7. *Ephraim*, 8. *Manasse*, 9. *Beniamin*, 10. *Dan*, 11. *Asser*, 12. *Nephtali*. Sed alia insuper enumerandi duodecim tribus ratio recensetur Num. 2. vbi exprimuntur, quæ tribus ad Orientem fuerint, quæ ad Occidentem, &c. Alia enumerationis series traditur Ezechielis 48. vbi in portas duodecim totidem tribus dispartiuntur. Alius etiam ordo numeratur Apocalypsis 7. quo in loco Dan prætermittitur, & cæteris immutatur ordo. Ad hæc; Chaldaica Paraphrasis, vt duodecim tribubus gemmas Rationalis accommodet, eas Canticorum 5. 14. hoc ordine recensет 1. *Ruben*, 2. *Simeon*, 3. *Leui*, 4. *Iuda*, 5 *Isachar*, 6. *Zabulon*, 7. *Dan*, 8. *Nephtali*, 9. *Gad*, 10 *Asser*, 11 *Ioseph*, 12. *Beniamin*. In hoc ordine priùs sex filii Liæ per ordinem numerantur Deinde ancillarum filii suo etiam ordine: posteà duo Rachelis. Hæc enumerandi diuersitas & opinionum multiplicitas in significatione Hebraicorũ nominum, quæ Scriptura Rationalis gemmis imponit Exodi 28. videntur primo aspectu tollere omnem firmitatem, ex qua possit constare de nomine singulis gẽmis insculpto. Accedit, quòd non deest, qui opinetur nomen Leui inibi in aliqua gemmarum non esse inscriptum, sed Ephraim & Manasse in duabus distinctis gemmis. Sic sanè Ribera lib. 3. de Templo cap. 11. contra communem opinionem, quam exposuit Abulensis Exodi. 28. Et contra Chaldaicam paraphrasim Cant. 5 quæ nomen Leui in vna gemma apponit.

Constare de nomine singulis Rationalis gemmis inscripto.

Nihilominus certo existimo, constare de nomine cuiuis lapidi inscripto: atque adeo tam nominum, quam gemmarum distributionem esse eam, quæ sequitur, 1. *Tuben* in Sardio, siue Cornerina, 2 *Simeon*, in Topazio, 3. *Leui*, in Smaragdo, 4. *Iuda*, in Carbunculo, 5. *Dan* in Sapphiro, 6. *Nephtali* in Iaspide,

7. *Gad*

7. *Gad* in Ligurio, 8. *Asser* in Achate, 9. *Isachar* in Amethysto, 10 *Zabulon* in Chrysolitho, 11. *Ioseph* in Onyche, id est Sardonyche (quæ est Scripturæ Onyx,) 12. *Beniamin* in Berillo.

Stabilitur & probatur superior assertio.

Quam pro hac distributione rationem afferam, in duas diuiditur partes. Prima: gemmarum nomina sunt rectè per vulgarem interpretem translata: id quod satis à nobis probatum est. Altera meæ rationis pars est eiusmodi: quia in duodecim Rationalis gemmis insculpta sunt tribuum nomina per proprium cuiusque natiuitatis ordinem; id est in prima, qui primò fuit natus; in secunda, qui secundò; in tertia, qui tertiò, & sic de reliquis. Eadem ratione, qua in conuiuio vndecim fratribus per Iosephum apparato, *Sederunt (illi) coram eo, primogenitus iuxta primogenita sua, & minimus iuxta ætatem suam*, Genes. 44. 33. quod vbi certum esse statuamus, multò adhuc certior est natiuitatis ordo, vt iam expendimus. Quòd verò natalitiorum ordine fuerint eorum nomina in Rationali exscripta, docent Iosephus lib. 3. Antiquit. cap 11. Epiphanius in suo libello de gemmis prope finem, Hieronymus Epist. 128 & Abulensis Exodi 28. verum est tamen, ab Epiphanio Beryllum attribui Iosepho, & Onycha Beniamino, quia hoc ordine gemmas ipse perlegit in Septuaginta editione.

Obiectio contra prædictam assertionem.

Dicet aliquis quemadmodum natiuitatis ordo non obstitit, quominùs Iacobus suis filijs diuerso ordine benedixerit, vt habetur Genes. 49. quemadmodũ etiam Moses Deuter. 33. eandem natiuitatis seriem inuertit. Sic etiam fieri potuit ob rationem aliquam nobis ignotam (vel forte, vt nominum in gemmis impressus ordo ad Iacobi benedictionis ordinem aptaretur) aliam enumerandi rationem à natiuitatis serie diuersam seligi potuisse. Præterea verisimile non est, antiquis Hebræis fuisse ignotum ordinem, quo Rationalis nomina erant inscripta: qua de re expressam Chaldaicæ paraphraseos auctoritatem habemus, quæ diuerso ordine nomina inter gemmas partitur. Nam vt sex Liæ filios simul coniungat, Isachari & Zabuloni quintum & sextum locum præfinit, quantuuis iuxta natalitiorum rationem nonus & decimus eis obtingerent, deinde Dan, Nephtali, Gad, & Asser, qui locum quintum, sextũ, septimum, & octauum iuxta natalis ordinem occupare debebant, occupant tamen septimum, octauum, nonum, & decimum, atque adeò sex tribus è suis natiuitatis locis atque ordine excluduntur.

Diluitur prædicta obiectio.

Respondeo tamen, Chaldaicam Canticorum paraphrasim non esse tanti, vt eâ nimium niti possumus, cùm multa habeat falsa & commentitia, & in eodem gemmarum ordine Chaldaicæ Exodi paraphrasi repugnet; vt liquidò constat ex eo, quòd in Exodo quarta gemma est Smaragdus, cùm tamen in Cantico Canticorum, sit quinta. Ordo item, quo in Canticorum paraphrasi numerantur tribus, irrationalis est. Nec enim aliqua vrget ratio, cur Liæ filij debeant simul numerari. Nam si in hoc dignitas attendatur, cur in extrema loca Rachelis filij reiiciuntur? Sin autem dignitatis ratio non habeatur, cur Liæ filij apponuntur: cùm certum sit, inter primos quatuor & duos postremos fuisse natos quatuor ancillarum filios? Ad id verò, quod opponitur, alijs in locis enumerari tribus nullo antiquitatis ordine seruato, respondeo, mirùm non esse, si ad sermonẽ de illis instituendum non semper ætatis ordo retineatur: præsertim si qua peculiaris ingruat ratio, qualem credibile est extitisse, vbi diuerso numerantur ordine. At vt nomina duodecim in gemmis insculpantur (cùm Deus solùm præcepit ea in duodecim gemmis inscribi, & gemmarũ ordinem expresserit) ille tantum ordo germanus ac legitimus videtur, qui ipsos Israelis filios in natalitiorum vicissitudine discriminauit. Nam vt alio ponerentur ordine, opus esset, id ita fuisse à Deo præceptũ, si præcepisset, explicasset vtique Scriptura: quòd cùm non exprimat, haud obscuro est argumento, eundem nouitatis ordinem in nominum inscriptione fuisse seruatum.

Hoc ipsum validè confirmatur ex sequenti notatione, in qua constabit, idoneam reperiri congruentiam & proportionem ad gemmarum nominum partitionem à nobis supra positam: alioquin non apta assignaretur ratio, cur (verbi gratia) Nephtali octaua rationalis gemma, nempe Achates obtigerit Zabuloni sexta, id est, Iaspis, idemque de ceteris dictum esto.

NOTATIO XXXVI.

In qua explicatur, quàm congruenter duodecim gemmæ sint tribubus duodecim distributæ.

PRæmitto 1. ex præcedenti notatione, veram ac legitimam gemmarum distributionem inter duodecim tribus Israelis esse eam, quam ibidẽ expressimus.

Gemmarũ Rationalis rationẽ & partitionem ex Apocalypseos gemmarũ significatione esse petendam.

Secundò etiam aduerto, congruentissimam rationem & sacris Literis dignissimam, quæ ad hanc gemmarum partitionem reperiri potuit, desumendam esse ex ea significationẽ, quam Apocalypsis in cælestis ciuitatis fundamentis vnicuique harum gemmarum attribuit. Si enim significatio gemmarum duodecim, quam hactenus in Apocalypsi vidimus, deprompta erit ex gemmarum Rationalis significationes, id quàm maximè erat optandum. Neque id impedimento est, quominus in vna aut altera gemmarum Rationalis congruentia fortassis alia subesse potuerit, vt illi tribui fuerit eiusmodi gemma applicata. Sed huiusmodi rationes aliunde petitas, quàm à significatione in Apocalypsi tradita, frustra in vniuersis gemmis inquiremus: si verò Apocalypseos significationem attentè perscrutari velimus, in gemmarũ singulis congruentissimam reperiemus rationem, vt ex infrà dicendis constabit.

Cur in Rationali gemmæ nõ fuerint eodem ordine scriptæ atque in Apocalypsi?

Tertiò aduerto, vbi in Rationalis gemmis eum respectum ad Apocalypseos gemmarum significationem admittamus, eam potinus difficultatem occurrere, nimirum cur non fuerint huiusmodi gemmæ conscriptæ, eodem ordine, qui in Apostolici Symboli articulis fuit ab Apocalypsi seruatus? Respondeo tamen, in Rationalis gemmarum distributione illie potissimũ scopus fuit propositus, vt in duodecim Israelis tribus gemmæ congruenti ordine partirentur. Cum hoc autem stare non poterat, vt tribus ipsæ ordine antiquitatis conscriberentur: & tamen singulis ea gemma obtingeret, quæ illis maximè quadrabat. Deinde in veteris instrumenti figuris necesse non erat, eundem seruare ordinem, quem testamenti noui veritates per easdem figuras adumbratæ inter se seruant. Nam legitima rerum series ac dispositio ad veritates ipsas reseruabatur, & in ipsismet figuris congruentius erat, illum enumerationis ordinem retinere, quem historia ipsa requirebat. Atque ita permutato postea ordine, vt testamenti noui veritates postulabant, deprehenduntur antiquæ figuræ congruere significationi in eis contentæ. Patet hoc in Habacuc cantico; vbi verè ac propriè prænunciatur instauratio veterum operum admirabilium, quæ Deus in suo populo patrauerat: & tamen, quo prædicuntur ordine non idem omnino est, qui in antiquorum prodigiorũ efficientia fuerat seruatus, sed secundùm eam rerum seriem figurantur, qua postea legis gratiæ tempore fuerant illa prodigia renouanda, quæ series erat longè alia ab ea, qua antiquæ figuræ contigerunt. vt in eius cantici commẽtario planum fiet. Notandũ item est, Spiritui sancto conuenientissimum fuisse visum, vt postea immutaretur ordo, vt ipsamet noua enumerandi ratio arq; ordo nos in ipsius significationis deduceret cognitionem, & ad eam facilius assequendam

Digitized by Google

illustraret; iuxta ea, quæ in Habacuci cantico disputabimus.

Singulis tribubus singulæ aptantur gemmæ, & cuius rei ratio redditur.

His ita constitutis, per singulos Patriarchas breuiter discurramus oportet. Primò *Sardius* congruenter adscribitur Ruben. Nam hæc gemma Christi resurrectionem repræsentat. Et Ruben fuit Iacobi primogenitus. Ipsius pater Gen:49.3. *Ruben* (inquit) *primogenitus meus, prior in donis, maior in imperio.* Constat in Scripturæ loquutione nomen primogeniti Christo tribui ob gloriam ac maiestatem, qua ex mortuis victor resurrexit, nec non ob imperium ac dominationem in res omnes creatas. Lege ad Rom.8.29. *Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus,* & ad Col.1.15. *Primogenitus omnis creaturæ.* Et num.18. *Primogenitus ex mortuis.* Ad Hebr.1.6. *Cùm iterum introducit primogenitum in orbem terrarum.* Apoc.1.5. *Primogenitus mortuorum.*

Sardius aptatur Ruben.

Topazius, Simeoni.

Secundò Simeoni adscribitur *Topazius*, qui Symboli articulum de Spiritu sancto adumbrat, quippe diuini Spiritus communicatio erat reseruata ad illud tempus, cùm Christus resurrexisset. Iuxta illud Ioannis, *Nondum erat Iesus glorificatus.* Vbi autem resurrexit, mox ad discipulos fuit loquutus: *Accipite Spiritum sanctum.* Cùm ergò Simeon fuerit natu secundus à Ruben, atque ipsum Ruben primogenitum mox cõsequutus, aptè cohæret vt sortiretur Topazium, quod est symbolum diuini Spiritus in filios Ecclesiæ fideles post Christi resurrectionem effundendi. Facit quòd Simeon sonat *exauditionem.* Cùm autem Deus suum fidelibus spiritum impertiuit, vtique exaudiit eam sanctorum Patrum orationem: *Emitte spiritum tuum, & renouabis faciem terræ.* Atque hanc eandem orationem ille Ecclesiæ hymnus continet, *Veni creator spiritus,* &c.

Smaragdus, Leui.

Tertiò, *Smaragdus*, passionis Christi symbolum, ad Leui aptatur satis meritò: quia ad tribum Leui spectabat offerre legis sacrificia, quibus veluti lineamentis quibusdam & vmbris figurabatur purissimum illud noui testamenti sacrificium, quod in Christi passione fuit æterno Patri oblatum.

Carbunculus, Iuda.

Quartò Iudam respicit *Carbunculus*, id est, gemma incarnationis articulum significãs, vt innuatur, Christum ex Iudæ tribu humanam carnem assumpturum, atque adeò Verbum incarnatum fore illum *catulum Leonis Iuda*, de quo Gen.49.9.

Sapphirus, Dan.

Quintò, *Sapphirus* repræsentat secundum Symboli articulum, qui Iesum Christum esse verum Dei filiũ, verumque Messiam profitetur. Hæc gemma quadrat in Dan, vt ea tribus hoc afficeretur honore per allusionem ad ea Iacobi verba, quæ in filii Dan benedictione continentur, *salutare tuum expectabo Domine.* Quibus in verbis, quamuis ipse pater Iacobus loquens inducatur, peculiaris tamen aliqua extitisse videtur ratio, cur ea in Dan benedictione (quæ septima est) potiùs quàm in ceteras insererentur. Sed vtcumque se res habeat, fuit saltem honorificum Dan, vt verba illa ipsius benedictioni propria forent. Fortè hac in re diuinus Spiritus attendit Samsonem ex tribu Dan oriturum, qui suum liberaret populum, & incolumen præstaret admirandis prodigiis: in quo Christi Domini figuram adumbrauit.

Iaspis, Nephtali.

Sextò, Iaspis quadrat Nephtali. Ea gemmâ primum creationis articulum indicat. Et fortè habitus fuit respectus ad nomen Nephtali, quod sonat æquiparationum. Atqui creatio omnes ex nihilo productos reddit æquales, ita vt de nulla alia nobiliori origine, aut atauorũ gloriâ quàm de ipso nihilo gloriari possimus.

Ligurius, Gad.

Septimò, Gad conuenit Ligurius, qui est Lyncurius Plinio, vt vidimus in Hyacintho, vndecima Apocalypseos gemma. Etenim Hyacinthus in Apocalypsi fuit congruentissimè pro Rationalis Ligurio, suffectus. Vtraque autem gemma apposita est ad peccatorum veniam ac remissionem indicandam: atque ideo Gad attribuitur gemma huius articuli & mysterii symbolum. Quia Gad significat fælicem siue beatum, & scriptum est, *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: Beatus, cui non imputauit Dominus peccatum,* Psal.31.1. Fortè huc spectat illud, *Benedictus in latitudine Gad,* Deut.33.20.

Achates, Asser.

Octauò, Asser in octaua Rationalis gemma erat inscriptus, nempe in Achate, quam non sine peculiari mysterio Apocalypsis in Chrysoprasum commutauit. Etenim veteris testamenti figuris successit Christianæ Ecclesiæ Spiritus, & Christi Domini regnum in ea stabilitum. Videtur ergo Achates ad tribum Asser fuisse aptata: quia Asser fælicitatem sonat. Et magna Hebraici populi fælicitas sita erat in mysteriorum legis gratiæ repræsentatione. Eo fere modo, quo gemmæ Achatis fælicitas in eo consistit, vt rerum verarum imagines ac similitudines sint in ipsa gemma expressæ; vt arborum, animalium, &c. Vnde celebris est gẽma illa Achates Pyrrhi Epirotarum regis, in qua nouem Musæ & Apollo citharam tenens spectabatur; non arte, sed sponte naturæ, de quo Plinius lib.37. cap.1.

Amethystus, Isachar.

Nonò Isachar Amethystus applicatur; quæ gemma postremam Apostolici Symboli veritatem, id est, præmium æternæ fælicitatis, iustis in cælo conferendum proponit. In quo videtur haberi respectus ad Isachar nominis etymon; quod perinde est ac *præmium* seu *merces.*

Chrysolithus, Zabuloni.

Decimò Zabuloni obtingit Chrysolithus, qui Christi ascensionem figurat, quod nobis innuit prophetiam illam de Zabulonis tribu: quæ licet primis temporibus non magni fuerit habita, postea tamen ad sublimem fuerat dignitatem euehenda, iuxta Isaiæ vaticinium. cap.9.1. *Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & nouissimo aggrauata est via maris trans Iordanem Galilea gentium: populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis,* &c. Et quamuis fiat ibi patriter mentio Zabulonis & Nephtali; Zabulon tamen priori loco memoratur. Sensus autem loci huius spectat haud dubiè fælicissimam sortem, quæ Galilæos manebat, quod ex ea regione homines essent ad Apostolicum culmen extollendi: in qua dignitate & ascẽsione, quodammodo Christi ascensio adumbrabatur. Idemque mysterium in Mosis benedictionibus continetur Deuter.33.18. *Lætare Zabulon & Isachar, populos vocabunt ad montem, ibi immolabunt victimas iustitiæ. Inundationem maris quasi lac sugent, & thesauros absconditos arenarum.* Quod ad Gentium conuersionem per Christi discipulos factam referendum est.

Sardonix, Iosepho.

Vndecimò, Iosepho respondet Sardonix: ea est, quæ inter Rationalis gemmas appellatur Onyx. Cùm autem Christi descensum ad inferos repræsentet, meritò ad Iosephum transfertur, qui descensionem Christi ad limbum figurauit, quando missus est in cisternam veterem. Genes.37.24. Siue etiam quando suis fratribus se obtulit cognoscendum, ac dixit; *Ego sum Ioseph frater vester* Genes.45.4;

Beryllus, Beniamin.

Duodecimò Beryllus (symbolum Christi ad Patris dexteram sedentis, & inde tandem ad extremum iudicium venturi) in Beniaminum quadrat mirificè, nam Beniamin sonat idem quod *filius dexteræ.* Vnde quia Christus est filius Dei, qui ad Patris dexteram sedet, propterea *inde venturus est iudicare viuos & mortuos.* Fortè cum hoc eodem mysterio concinunt verba illa, quæ de Beniamino dicuntur, Genes.49.27. *Vesperè diuidet spolia* Nam ad iudicem supremum diuisio spoliorum spectat. Non me latet, commutato tam gemmarum, quàm tribuum ordine, Chaldaicam paraphrasim assignare Beryllum tribui Dan, cuius nomen sonat iudicium, quod valde conuenire videbatur cum gemmarum Apocalypseos mysterio, vt gemma supremum iudicium repræsentans aptaretur Dan, cuius nominis significatio ipsum importat iudicium. Verùm minimè licet aut gemmarum seriem, aut Patriarcharum natales inuertere. Nec satis est, congruentiam aliquam in vno, aut altero ex duodecim nominibus reperiri, vbi cetera omnia applicari non possunt.

De ordine, quo gemmæ Rationalis in quatuor versus sunt distributæ.

Diximus hactenus de conuenientia distributionis gemmarum in rationali. Consideratis tamen quatuor ipsius versibus, elucet etiam aliquid consideratione dignum. Obseruandum ergo est, gemmas duodecim in quatuor Rationalis versibus hoc ordine fuisse dispositas incipiendo à dextera ad sinistram, vt mos erat Hebræis.

Sma-

Digitized by Google

Smaragdus	*Topazius*	*Sardius*
Iaspis	*Sapphirus*	*Carbunculus*
Amethystus,	*Achates*	*Ligurius*
Beryllus	*Sardonyx*	*Chrysolithus.*

Considerata verò significatione in quadruplici Rationalis angulo, continentur quatuor illustrissima nostræ fidei capita, nempe Christi Assertoris nostri *Passio, Resurrectio, Ascensio,* & ad extremum iudicium *Aduentus.* In centro autem (vbi Sapphirus & Achates sedem habent) includuntur Christus per Sapphirum, Ecclesia per Achatem figurati: supra Christum Spiritus sanctus in Topazio, sub Ecclesia limbus Sanctorum Patrum in Sardonyche expressi sunt. Porrò Christus ad vtrumque latus habet creationem & incarnationem; quia *omnia per ipsum facta sunt, & Verbum caro factum est.* Ecclesiæ vero vtrumque constipant latus hinc remissio peccatorum ad hanc vitam, inde æterna gloria ad cælestem beatitudinem. Nam Ligurius ad remissionem peccatorum refertur, quod est gratiæ: & Amethystus ad vitam æternam, quod est gloriæ.

De ordine gemmarum Apocalypseos.

Multò tamen exactior est gemmarum ordo in Apocalypsi seruatus, vt doctrinæ Euangelicæ perfectione decebat. Quòd si alicui placeret ex gemmis hisce duodecim totidem emblemata effingere, quibus duodecim Apostolici symboli figurarentur articuli (sicuti ad pilei seu galeri ornamentum solent hodie pretiosa ex auro atque gemmis cingula elaborari) concinnum satis atque elegans esset inuentum cinguli huiusmodi cogamentati ex gemmis duodecim, Iaspide, Sapphiro, Smaragdo, & reliquis per Apocalypseos ordinem numeratis. At, si cui magis arriderent Christi & Ecclesiæ imagines: ille primos octo Symboli articulos posset recte figurare in duplici Christi Domini effigie? altera stante, & iaspideam globosi mundi imaginem læua tenente, ac dextra smaragdinam crucem: huic intima esset vestis Sapphirina, extima ex Carbunculis & Adamantibus constans (nam Adamantes etiam in Scriptura inter Carbunculos numerantur.) Atque in hac imagine quatuor primi fidei articuli possent non ineptè effigiari. Quatuor autem sequentes articuli poterunt figurari in alia Christi effigie: cui hypopodium sit ex Sardonyche; & imago ipsa interius indusium ex Sarda; exterius ex Chrysolitho habeat, & in manu Beryllum gestet.

Ad tria Symboli capita sequentia, effingi potest Ecclesiæ simulacrum stantis Topazio coronatæ & intrinsecùs Chrysoprasijs, extrinsecus Hyacinthis amictæ.

Denique extremus articulus congruenter significabitur per alteram ipsius Ecclesiæ imaginem sedentis, quæ Amethystis induta ac redimita sit. Omnes autem hæ quatuor effigies in eadem tabula possunt hoc ordine depingi.

4 Imago sedentis Ecclesiæ	2 Imago Christi sedentis.
3 Imago Ecclesiæ stantis	1 Imago stantis Christi

TEXTVS.

C *Vers. 21. pars. 1.* Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt per singulas: & singulæ portæ erant ex singulis margaritis.

COMMENTARIVS.

Quomodo intelligi debeat, duodecim margaritæ per singulas.

DVODECIM MARGARITÆ PER SINGVLAS] Multi sic videntur intelligere, vt portæ singulæ ex duodenis margaritis sint compactæ (& similiter etiam autumant fundamenta fuisse gemmis duodecim ornata, quod suprà refutatum est). Sed huic expositioni manifestè repugnat: quod statim sequitur; videlicet *singulæ portæ erant ex singulis margaritis.* atqui prophetica visio membra inter se pugnantia complecti non potest. Adde, duas illas voces *per singulas in* latino textu fuisse appositas, & nihil eis in Græco respondere. Quamobrem, ne loci huius explicatio Græcum textum & Latinum conuellat; oportet cùm dicitur, *duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt per singulas,* sic explicare; per singulas, id est, *singulæ ex singulis,* vt mox disertissimis verbis ipse contextus exponit.

Singula portæ quinam sint considerandæ ex singulis margaritis factæ.

At enim, quinam qualibet porta consideranda est ex vnica margarita constans? Hac in re duæ esse possunt explicandi viæ extreme oppositæ. Prima est, vt ipse ianuæ aditus consideretur perinde atque exiguum foramen, quod in aliqua margarita, vt cum aliis inferatur, fieri solet. Huc spectare videtur Christi verba Matthæi 19. 24. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum.* Nam margaritæ foramen arctius adhuc & strictius esse solet, quàm foramen acus. Quarè vt
D Christi comparatio fuit aptissima, ita etiam non ineptè fingi potuisse videntur cælestis ciuitatis portæ ad margaritæ foraminis similitudinem.

Duplex explicandi ratio.

Altera extrema via est, si has portas ita laxas ac patentes concipiamus, vt singuli bini aut terni calami minimùm pro latitudinis dimensione sint. Pro cuius confirmatione illud potest adduci, portarum cùm longitudinem, tum altitudinem & ædificij magnitudini & altitudini muri respondere debere: & in textu quidem ipso exprimi, quem calamum manu tenebat Angelus, esse dimensionem ad portas mensurandas.

Auctoris mens & expositio.

Inter duo hæc extrema illud mihi videtur asserendum, postes ipsos præaltos atque sublimes, esse considerandos, cuiusmodi præcipuæ insignium ciuitatum portæ esse solent, nihilominus tamen portarum ingressum siue aditum adeò esse contractum, vt difficilè possit quispiam per aliquam ex ijs portis ingredi, vt si mente concipiamus portas singulas pede vno aut sesquipede in latitudinem patere. Nec contra hoc est, quod in textu asseritur, Angelum scilicet portas calamo fuisse dimensum: tum quia potest erant amplissimi; tum etiam, quia calamo, cuius meminit Ezechiel, Angelus in ea visione spatia vnius tantùm cubiti dimensus est. Qua autem ratione adducar, vt portas has Ioanni visas (id est, ipsarum aditus) arctas valde esse existimem, explicui supra, num. 15. Ceterùm conceptio mentis non adeò debet esse violenta; vt propterea considerentur ostia tanquam acuum foramina: id enim nec portarum ratio admittit, nec ipse permittit textus, qui & ipsas appellat portas, & calamo mẽsuratas esse indicat, & per eas ingredi ait eos, qui saluãtur

Digitized by Google

nec non diuitias omnes atque opes regum, &c. Hæc omnia exigunt, vt quanuis arctæ & angustæ, portæ tamen sint. Christi autem comparatio, cùm ait, *Facilius est camelum per foramen acus transire*, non agit de portis, sed de re, quæ omnino nisi per Dei miraculum fieri nequeat. Quapropter paulò pòst Christus ait; *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.* A

Veruntamen si duodecim portæ (esto, arctæ & strictæ) verè portæ erant; si ipsarum postes amplissimi & magnificentissimi: quod dicitur singulas portas singulis constare margaritis, postulat, vt margaritæ ipsæ adeò ingentes considerentur, vt opus esset si ex vnica margarita foret fabricanda porta ingens cum suis postibus ac liminibus, cumque debita amplitudine & maiestate (qualis videtur esse ianua templi Pantheonis Romani) id quod considerationi facile erit repræsentare, nec eiusmodi fictio abs re erit.

Aduertendum insuper est, nullo hominum inuento aut artificio fieri potuisse, vt margarita aliqua in duas aut plures partes dissecta, eum tamen, qui expetitur, splendorē retineret. Enim vero cùm glorioſæ, huius vrbis portæ ex margaritis fingantur, considerandæ pariter sunt post sectionem & cęlaturam miro splendore remāsisse, quemadmodum gemmæ sectæ atque politæ pristinum tamen retinent splendorem, atque adeò maiorem accipiunt.

Portarum ex margaritis & earum mysterium. Sed vt ad mysterium deueniamus; vidimus iam in superioribus duodecim illas mystici Israëlis tribus, hoc est delectos ex Hebraico populo viros, qui Christi Euangelium acceperunt, & se Apostolorum adiutores in Gentilitatis conuersione præstiterunt; hos inquam, significari conuenienter in duodecim portarum symbolo. Quòd autem portæ sint ex margaritis effictæ, nobis innuit eorum gloriam in margaritæ proprietatibus mirum in modum figurari. Etenim gloria ipsa respicit gratiæ & meritorum proportionem, & Apostolicorum virorum vitam, vt infrà explicabimus, mirè repræsentat margarita. Ex quo deducitur, qui primitiuos illos Christianos imitantur, se ipsos diuinæ gloriæ & proximorum saluti consecrando, in eos etiam idem symbolum portæ ex margarita factæ quadrare; idque propter similitudinem; vt, verbi gratiâ, in sacras Religiosorum hominum familias, quæ se in aliorum salutem impendunt: idemque dixerim de probis clericis, deque Euangelij concionatoribus, quantunuis regulares non sint. Ceterùm pro huius doctrinæ claritate in sequenti notatione applicabimus margaritæ symbolum ad Religiosos homines: vnde simili ratione de mysticis alijs portis philosophari licebit. B

Mysterium in margaritarum magnitudine delitescens. Vt autem margaritam ita grandem Deus conflet, vt opus est ad ingentem portam tanti ędificij fabricandam. Ecclesiasticos viros suę vineę cultores Deus ipse arctissimo charitatis vinculo inter se colligat. Nam media hac vnione ingens coalescit margarita, quæ propriè appellatur Vnio. Vbi autem ipsi sint effecti *cor vnum & anima vna*, tunc eum poterunt hominum animis fructum & vtilitatem afferre, quæ per cælestis portæ symbolum adumbrantur. Hoc perspicuè cernitur in vberrima animorum messe, quam in Domini horrea demerit sacra aliqua Religio, quando ipsius Religiosi inter se, & cum capite sunt vnionis nexu copulati. Verùm admirabilis hæc vnio est præstantissimus quidam effectus ex Christi omnipotentia dimanans, sicuti in tanta margaritarum magnitudine repræsentatur. C

Iam, quòd ingens margarita in portæ similitudinem poliatur ac cæletur, nec tamen splendorem amittat, sed admittat, potiùs & augeat, id sanè perinde videtur esse, atque in Ecclesiastico dicitur Hymno; *Tunsionibus, pressuris expoliti lapides*, scilicet corporis maceratione; cupiditatum compressione & optimis institutis, atque adeò vitâ ipsa (si opus fuerit) pro Dei honore profusa, huiusmodi enim cælaturâ læuigantur ac perpoliuntur glorioſæ istæ margaritæ, ita vt multis sint ad Ecclesiæ & cæli ingressum portæ.

Tobiæ 13. 21. finguntur Ierosolymæ portæ ex Sapphiro & Smaragdo, sed elegantiùs ac significantiùs conspiciuntur ex singulis margaritis fabricatæ. Ac de eisdem portis hac ratione formatis forsam potest intelligi illud Isai. 54. 12. *Ponam portas tuas in lapides cultos.* Nam & margaritæ vocantur etiam lapides ac gemmæ. Certè Martialis vocat eas Erythræos lapillos, *& gemmas Erythræis erutas vndis.* D

NOTATIO XXXVII.

De margaritæ comparatione cum religiosorum hominum vita.

Margarita symbolum ad religiosorum vitam. EX cæli rore conflati margaritas tradunt; cælique eis maiorem societatem esse, quàm maris. Ita Plinius lib. 9. cap. 33. quin & in margaritis ipsis videre est quandam cælorum in multiplici cute imitationem. hoc nobis innuit religiosæ & Ecclesiæ vitæ originem fuisse cælestem, & tanquam rem è cælo dilapsam, ipsius esse imaginem, & cum ipso cognationem habere. Est enim cælestis quidam ros, qui in mundi huius mare illapsus, in eo coagulatur atque constringitur. Sed vt cælestis res in hoc inferiori orbe quandam ipsius cæli effigiem præse fert. Et cùm Christus variis in locis rori comparatur, forsan ad vnionis generationem alluditur. Deinde, margaritam multiplici cute constare, potest id multùm extendi. Etenim sicut cælum super hos quatuor elementorum globos septem priùs Planetarum orbium veluti pallia extendit, mox firmamentum, primum mobile, ac cælum ipsum empyreum: ita etiam religiosa vita supra inferiora isthæc, quibus humana corpora procreantur & aluntur, multiplici virtutum quasi chlamydę & indumento ornatur. Atque in ipsa allusione & proportione virtutum septem ad totidem planetas, & in alijs id genus permultis multus se se aperit ingenio campus. Adde hic, Origenem, Clementem Alexandrinum, Hilarium, Augustinum, Chrysostomum & Basilium margaritæ symbolum de Christo, Apostolis & Prophetis explicare, eo nempe sensu (vt mea fert opinio) quod in Christo & Apostolis religio-

Margaritam multiplici cute constare, cuius rei sit symbolū.

Margaritas ex cæli rore cōflari, quid innuat.

Digitized by Google

religiosæ atque cælestis vitæ exemplar mirificè resplendeat.

Margaritarum pretium & æstimatio, quid mysticè designet

Principium & culmen omnium rerum pretij margarita tenent. Sic Plinius, vbi supra. Obserua ergo optimè expendenti, & cognoscenti nihil in hac vita esse pretiosius & excellentius religiosâ & Ecclesiasticâ vitâ. per illam quippe cælum spiritalibus diuitiis ac diuinis opibus terram locupletat. Quamobrem sapiens ac prudens negotiator, qui hanc inuenit margaritam, *vendit omnia quæ habet & emit eam*, Matthæi 13.45. Vile satis pretium est, licèt omnia quis, & se ipsum insuper diuendat, quo pretiosissimam hanc margaritam assequatur. Pro re magni pretij & æstimationis dixit Sapiens, Prouer. 25. 12. *Margaritum fulgens, qui arguit sapientem & aurem obedientem.* Horatius meminit cuiusdam vnionis, cuius indicatio plus viginti scutorum millibus fuit. Et Plinius muliebrem Lolliæ Paulinæ mundũ margaritis constantem plus octingentis millibus æstimat. Et duas illas Cleopatræ margaritas tantopere ab antiquis & iure optimo celebratas Plinius ipse pluris duodecies cẽtenis millibus facit. Quis ergo non videat, hæc omnia esse veluti obscura quædam delineamenta & meras vmbras, si cum spiritali hac margarita conferantur? de materiali ipsa margarita dixit Plinius; *æterna propè possessionis est*: at de spiritali verissimè ac meritissimè dicitur, *æterna omnino possessionis est*. Si igitur hic vnio ex cælesti rore conflatus tanti est, & cælum ipsum nobis impertiat, oportet: rectè huc illa Isaiæ verba aptari possunt, *Rorate cæli desuper.*

Margaritæ candor, eiusq; symbolum.

Omnis dos in candore, magnitudine, orbe, læuore, pondere: non promptis rebus Plinius ibi. candor hic est candidus ille splendor planè mirabilis. *Summa laus coloris est* (ait Plinius ipse) *exaluminatos vocari*. Ec quod aptius assumi potest symbolum ad angelicam castitatẽ ac vitam culpæ & sceleris prorsus expertem? Margaritæ candor nullam patitur labem, nullam item labem Religiosa vita & Ecclesiastica patitur. *Exaluminatus candor* est absque vlla obscuritatis nubecula, sed summa puritas & splendor. Magnitudo est a Plinio expressa, vt ostendat margaritã non debere esse exiguam ac minutam; si summum assequi pretium velit. Quid hoc nobis, quid aliud, quam animi magnitudinem denotat? Vt religiosus vir magno & excelso animo sit, & res ludi cras ac parui momenti tanquam puerorum crepundia despiciat. *Princeps quæ sunt dignæ principis cogitabit*: & Religiosus magnas res ac sua professione dignas.

Rotunda margaritæ figura quid denotet.

Addit Plinius in superioribus verbis *orbis*, id est, orbiculata, siue rotunda figura. Satis apta, vt facili negotio mouerí ac circunduci, quoquo versus possit. Obedientiæ sanè imaginem ad viuum expressit. Quid enim religiosæ vitæ magis proprium, quam inferioris submissio atque subiectio suo superiori; per quam sit promptus & expeditus, vt si opus sit, quamuis in partem tendere ac ferri facilè possit? Cum *orbe* iungitur

Margaritarum nuditas quid adumbret.

nuditas nam vt perfecta margaritæ rotunditas vsui esse possit, oportet eam esse nudam. vnde pretiosos vniones filo serico aut aureo insertos nouimus: id quod peridoneum est ad voluntariam religiosorum hominum paupertatem.

Quid Læuor.

Læuor est tersa quædam politura absque vllo tumore aut scabritie. Spectat id ad quietam atque pacificam Ecclesiastici & religiosi viri vitam; ita vt absque alterius cuiusuis querimonia transigatur. Hæc autem est peculiaris quædam dos & ornamentum religiosorum hominum, qui se ad sui instituti rationem totos conantur effingere.

Quid pondus.

His adiungit Plinius ipse *pondus*. Nam inter margaritas maior illis æstimatio est, quibus pondus grauitas; & propterea pluris fieri solent Occidentales margaritæ (quas nostri expiscantur in eo promontorio, cui nomen est *El cabo dela vela*.) quàm Orientales. In hoc igitur vnionum pondere eleganter exprimitur religiosæ vitæ pondus, grauitatis, modestia atque prudentia: sine quibus illa derisui ac ludibrio sæcularibus foret. Ex hac ipsa allegoria factum est, vt grauis res illa appelletur, cui auctoritas inest: leuis, cui parum momenti est, lege illud Isaiæ cap. 9 1. *Primo tempore allenata est terra Zabulon*. quasi dicat, parui habebatur: & no-

A *uissimo aggrauata est via maris*; id est magnum illi dignitatis & auctoritatis pondus cælitùs accreuit.

Concludit Plinius, *Non promptis rebus*, quasi diceret, rarò has omnes margaritæ dotes in perfectione dibitâ simul reperiri. vnde vnionis nomen. Magnum itaque, excellens ac rarum est, religiosus vir, & omnibus (quod aiunt) numeris absolutus: atque adeò vt res rarò inueniri solita, plurimi debet fieri.

Alia margaritarum proprietates ac virtutes ad religiosos, religiosamq; vitam applicatæ.

Pergit in eodem capite Plinius, *Partus concharum margarita est pro qualitate roris accepti. Si purus influxerit, candor conspicitur: si turbidus, sordescit & fœtus: atque idem pallet cælo minante conceptus: inde nubilus trahitur color, aut pro qualitate matutinâ serenus. Si tempestiuè sationtur concha, grandescunt & fœtus: si fulgurat, comprimuntur; ac pro qualitate ieiunij minuuntur. Si tonuerit, abortiuntur concha speciem inflatam sine corpore, quæ vocant physemmata.* In huiusmodi Philosophiæ ratione nobis diuina prouidentia ad viuum exprimit, quantoperè Dei auxilio & vocatione indigeamus ad

B religiosæ & Ecclesiasticæ vitæ institutum capessendum: si quidem ex cælestis roris qualitate & copia reapse dependet tota margaritæ natura. *Si purus influxerit, candor conspicitur*: si in prima vocatione ad religiosam vitam sereni cæli ros non affluit: quid mirum vitam deinceps puram ac religiosos mores non esse? *Si turbidus, sordescit & fœtus.* Si aliqua animi turbatione & iracundia delatus in religionem sit: quid mirum margaritam, non puram & candidam postea reperiri? *atque idem pallet cælo minante conceptus*: qui metu ac formidine impulsus religionem iniit: mirum non est, ipsum vitæ colore pallescere. Nec magis mirandum, eos in religione non crescere, qui ad copiosa cæli auxilia non confugiunt: si enim tempestiuè non sationtur conchæ, quomodo grandescent fœtus? Et qui per orationem & rerum diuinarum commentationem, diuinam gratiam assiduè non solicitat: næ ille exiguos, vel nullos potiùs faciet in religione progressus. Id enim esse videtur, *pro qualitate ieiunij minui*. Ad hæc, si nullus est vere religionis spiritus, sed

Prima religiosi vocatio qualis esse debeat.

C futilis tantùm & inanis externi conuictus species; perspicuum est, tunc non solidam fore margaritam; sed ex iis, quæ physemmata vocantur: qui sunt inanes quidam vniones absque fruge, ob meram vanitatem & hypocrisim: iuxta illud Iacobi 1. 26. *Huius vana est religio*. Nam id sonant ea Plinij verba: *Si tonuerit, abortiuntur concha speciem inflatam sine corpore.*

Mira eorum mutatio, quos diuina gratia ad portum religionis appellit.

Addit idem auctor; *In aqua mollis vnio, exemptus protinus durescit*: qua in re edocemur admirabilem vicissitudinem & conuersionem, quam diuina gratia in eo efficit, quem re ipsa ex mundo eiusmodi in religionem transfert. Quanuis enim antea cælestem rorem exceperit concha, & homo sancta à Deo desideria admiserit, & per Ecclesiasticam vitam iam in margaritam exierit: ceterùm cùm adhuc in mundo fuerit, nondum erat omnino concretus atque coactus: sed tener ac debilis. At vbi diuino aspirante numine ex mũdi mari fuit egressus cælestis eum fortitudo tenuit,

D & robur quoddam planè admirabile, vt qui priùs facilè desciscere ac deficere solebat: posteà vegetus ac robustus eam præ se ferat firmitudinem, vt in difficillimo quouis conflictu, Marpesiæ instar cautis, infractus & integer extet. Aptè satis hanc ad rem Plinius de ipsis vnionibus: *eorum corpus solidum esse manifestum est, quòd nullo lapsu frangantur*. Fortè id symbolicè præ se tulit Moses; qui ex maris vndis eductus ad magnam posteà & sublimem fortunam peruenit. Et Apocal. 15. depingitur mystici Israëlis libertas atque felicitas post maris rubri traiectum.

Margaritarum felicitas quid mysticè figuret.

His subiungit ipsemet Plinius; *vsu atteri non dubium est: colorémque indiligentia mutari*. Et infra: *Sole rubescunt, candoremque perdunt*. Ecce curam ac solicitudinem, quam de propriæ conscientiæ integritate gerant necesse est Ecclesiastici ac Religiosi: nec non de suis subditis superiores, ne nimiùm fidant, quòd margaritæ sint: nam & has custodiri & asseruari oportet, ne solis æstibus expositæ pristini valoris ac splendoris iacturam faciant. Nec quisquam sibi securiùs indulgeat, quod in religione proiectus iam ætate sit senex: nam

Religiosi quàm debeãt à rerum secularium vsu & communione esse abstracti.

Alcasar in Apocalyps.

Digitized by Google

& de vnionibus subiicit Plinius, *flaueſcunt in ſenecta, rugisq; torpeſcunt.*

Margaritas aceto reſolui, quid ſymbolicè ſignet.

Proſequitur; *aceti aſperitas viſq; margaritas in tabem reſoluit*: id eſt, atterit atq; conſumit. Id quod Horatius affirmat, nempe margaritas dilui aceto, & liquefieri, ac bibi poſſe. Idem docent Macrobius, Valerius, Suetonius, & Briſſonius. Sic Cleopatra alteram ex duabus illis margaritis pretioſiſſimis in acre acetum iniectam & reſolutam potauit: *Et Clodius Æſopi filius, vt experiretur, quid ſaperent margaritæ, ſimile quid Roma fecit: atque vt mirè placuere ne ſolus hoc ſciret, ſingulos vniones conuiuis abſorbendos dedit.*

Hæreſeos lues ac peſtis.

Hoc poteſt nõ perperam applicari ad hæreſim, quæ Eccleſiaſticam prorſus vitam ac religioſam labefactat, demolitur, atque euertit. Nam per acetum Origenes, Auguſtinus & Beda apud Lauretum intelligunt hæreticorum doctrinam. Atque iſta margaritæ dilutio per hæreſim poteſt bifariam intelligi: primò quia hæretici omnem religioſæ vitæ formam, vt infeſtiſſimi ipſius hoſtes, è medio tollunt. Secundò, quia Schiſmatici & Hæretici, quanuis monaſticam & Eccleſiaſticam profiteantur vitam, tota adhuc ipſorum religio corrupta eſt & inquinata, vbi nulla eſt fidei ſinceritas. Nam hæreſeos vis & acrimonia margaritam diluit atque conſumit. Quod autem de hæreſi aſſeritur, ſuo etiam modo poteſt ad lethalis flagitij corruptionem & acerbitatem extendi, & præſertim ad odij & iræ acerbitatem.

Si quis autem optet bonam in partem accipere mirum hoc naturæ experimentum, vt res adeò pretioſa ac dura, ſicuti vnio, poſſit reſoluta ebibi; hic ita poteſt accipere, vt margaritæ potio aut conſideretur reſpectu ad hæreticos ac dæmones, atque id erit maximum vnionis infortunium: aut reſpectu ad Chriſtum & ipſius familiares: id quod in maximam margaritæ fælicitatem redundabit. Et quidem peracri ſuæ paſſionis aceto illud Chriſtus admirabile facinus præſtitit, vt religioſam vitam, quæ multis antea duriſſima videbatur, plures iam Chriſti Domini exemplo allecti facilem, ſuauem & cæleſtibus diuitiis plenam iudicent. Ipſemet aſſertor noſter religioſam priùs vitam fuit expertus, atque vt mirè ei placuit, ſingulis conuiuis vniones potandos dedit.

Margaritam in ſenecta rugis torpeſcere, quid ſignificet.

Flaueſcunt ſenecta margaritæ, rugisq; torpeſcunt, nec niſi iuuentâ conſtat ille, qui quæritur, vigor: ſic Plinus. Videtur hoc commodè aptari, vt animaduertamus decipi poſſe eas vel Religioſorum familias vel Eccleſias, quæ nimium de ſua antiquitate gloriantur. Etenim decurſu temporis (quæ eſt hominum fragilitas) primus ille vigor infirmatur. Et experientiâ compertum eſt vigorem illum non tam florere in ſenecta, quàm in iuuentute vel religionum, vel Eccleſiarum. Imò verò in ipſa etiam catholica Eccleſia conſtat, robuſtiorem fuiſſe virtutem primitiui cleri. ad hanc ferè rationem conducit Orientales margaritas olim ſummo in pretio habitas: nunc citra controuerſiam pluris Occidentales duci. Sic etiam Orientales Eccleſiæ, quæ quondam floruere, & plurimi æſtimatæ ſunt, nunc defloruere iam, & priſtinum amiſere ſplendorem: & tota æſtimatio atque pretium ad Occidentales tranſijt Eccleſias: inter quas Romana verum ſemper dignitatis & auctoritatis pondus retinet. Præter hæc; ſi ita ſe res haberet, vt Plinius, Suetonius & alij tradunt, Orientales vniones acero liquefieri, Occidentales non item ob ſuam firmitatem; id nobis poſſet ſymbolicè repræſentare, Orientales Eccleſias hæreſeon aceto diluendas, & abſumendas fore: Occidentales, & Romanam præſertim nequaquam, ſed ſemper hæreſi reſtitutas.

Margaritam clara luce illuſtratam intus nonnihil rubeſcere id quid rei ſit ſymbolum.

Singularis gratia eſt margaritam clara luce illuſtratam intus rubeſcere ac veluti animam ſanguineam. Id non obſeruauit Plinius; fortè quia in antiquis vnionibus non hæc qualitas deprehendebatur. Sed in huius temporis margaritis, præſertim Occidentalibus, res eſt manifeſta. Licèt enim valde ſint candidæ; ſi tamen attentè inſpiciantur (præſertim radijs ſolaribus illuſtratæ) videntur neſcio quid coloris punicei intus habere. Si ergo margarita nobiliſſima eſt perfecta vita Religioſa, quis non aſpiciat intimam vitæ huius partem Chriſti cruore notatam? Id quod Ambroſius de Eccleſia animaduertit. Ad hanc igitur ſignificationem nihil potius aut aptius, quàm ſanguinea anima, quam margaritæ habere videntur. Nam ſanguineus Chriſti colòr, eſt quaſi religioſæ vitæ anima, atque adeò in admirabili Religioſorum profeſſione Chriſti ſanguis ſplendeſcit. Aliquis exiſtimabit fortaſſe, id à Plinio ſignificatum verbis illis; *Ad ſolem rubeſcunt.* Verùm id Plinius vitio vertit margaritis, quæ diu ad Solis radios expoſitæ natiuum deperdunt candorem, ſicuti humanum corpus. At animam eſſe Chriſti ſanguine rubeam, id ſingularis gratiæ eſt.

Margaritæ poliri poſſunt & detergi, at verò ſi ſcindantur, priſtinum candorem & puritatem amittunt. Hoc poteſt admonitioni eſſe, ne religioſi aſperè & acerbè nimis tractentur. Vniones vt vſui eſſe poſſint, priùs transfodi ac perforari ſolent. Nam religioſi viri & Eccleſiaſtici, vt proximis & Eccleſiæ adiumẽto eſſe poſſint, opus eſt, vt ſint probatæ & ſpectatæ virtutis.

TEXTVS.

Vers.21.pars.2. Et platea ciuitatis aurum mundum, tanquam vitrum pellucidum.

COMMENTARIVS

Platea ciuitatis quid hic ſignifi-cet.

SVprà verſu 16. dictum fuit de ædificiis; *Ipſa verò ciuitas aurum mundum, ſimile vitro mundo.* Porrò præſentia verba non continent illiuſmet ſententiæ repetitionem. Nec enim erat peculiaris ratio, cur illa præ ceteris ſententia geminaretur. Nec platea in hoc loco eſt idem atque ciuitas. Quippe nomen ciuitatis (vt ibi vidimus) ad ædificia transfertur, id eſt, ad domos ipſas: at plateæ nomine deſignatur hic lata ciuitatis via, ipſum nempe viarum pauimentum. Hiſpane quidem nomen *Plaça* non ſumitur pro via, quæ vrbem totam diſcriminat, quamuis lata & ſpatioſa ſit. Sed græcis & latinis auribus (vt notat Hadrianus Iunius in ſuo Nomenclatore) platea eſt idem, quod via lata: vnde pro conſulari via ponitur. Ratio eſt, quia πλατεῖα propriè loquendo fœminea terminatio eſt adiectiui nominis πλατεῖος-α-ον, quod eſt latus, lata, latum, & cùm abſolutè ponitur, ſubauditur ὁδὸς, quod eſt ſimiliter nomen fœmineum, & viam ſignificat.

Confirmatur ex cap.22.1. vbi ponitur fluuius in media ciuitatis platea, & ex vtraque parte lignum vitæ. Nec veriſimile eſt, fluuium & arbores in aliquo ciuitatis foro ſolùm conſtitui, ſed in omnibus ciuitatis viis: ſicut Venetiis mare vias omnes præterfluit. Si enim ciuitas duodecim ſtadiorum millibus in quadrum patet: parca nimis conſideratio eſſet, in aliquo ciuitatis foro ſiue angulo dumtaxat fluuium tranſeuntem conſiderari. Quapropter certum exiſtimo, plateæ nomine ſignificari omnes ciuitatis vias: cùm nulli in iis angiportus, ſed viæ omnes laxæ & capaces ſint

id quod

Digitized by Google

A id quod plateæ nomine indicatur. Et sanè ita opus erat, vt meliùs textus verba percipiantur, nimirum mediam viam præterfluere flumen, & vtrinque arbusta esse plantata; & tamen vtrâque ex parte solidum supereſſe pauimentum minimè arctum. Cùm ergo versu 18. dictæ fuerint huius vrbis domus omnes ex auro perspicuo constructæ: nunc additur, non domus solùm, sed spatiosam viam, id est, vias ciuitatis omnes, quæ latæ sunt, ex auro esse pellucido.

Aurum perspicuũ quid significet.

De auri perspicui mysterio diximus in eo versu 18. vbi ostendimus in eo adumbrari consummatam fælicitatem & Christi gloriæ participationem. Distinctio autem inter domos & vias ita videtur accipienda, vt domus designent fælicitatem eorum, qui in illa eminent ciuitate, sicuti ædificia supra pauimentum ipsum extant atque eminent: at viæ significent id, quod est in ciuitate humillimum, quodque nemini denegatur. Sensus ergo redditur eiusmodi; tanta est cælestis Ierosolymæ gloria, vt ad Christi (qui Chrysolithus est) gloriæ proportionem non effingantur modò, qui insignes & erectas ciuitatis illius partes agunt, sed etiam minores, quibus nihil peculiare est præter id quod est omnibus commune. Cuiusmodi sunt ij, qui sola sacri baptismatis gratia ornati, ante vllam proprij meriti accessionem, in cælestem euolant regionem: nam & hi tantâ fruuntur fælicitate, vt ipsorum etiam gloria meritò per aurum dilucidum figuretur. Fortasse etiam coniugatorum gloria in ciuitatis platea denotatur: quod eorum status non ita sit sublimis & excellens.

Distinctio in symbolica viarum & domorum cælestis Ierosolymæ significatione.

B Hæc expositio præstituit id, quod superiùs probauimus, videlicet per vrbem, eiusque ædificia ipsosmet Beatos denotari. Vidimus autem suo loco, per aurum diaphanum siue transluciduin eleganter innui, quanta sit cuiusque beatorum gloria. Nam perspicuum aurum magnoperè imitatur Chrysolithi perfectionem, quod est perfectissimæ Christi gloriæ symbolum. Quarè, dum tota ciuitas ex auro diaphano fingitur, pariter denotatur omnes glorioſissimæ illius vrbis ciues perfectâ & absolutâ beatitudine & admirabili Christi Domini participatione potiri, ad quam Beati omnes extolluntur. Nam licet in hac vita iusti viri laboribus & ærumnis excrucientur, prædictum tamen est à Paulo ad Philip. 3. 21. dum de Christo agit, *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Hoc autem significate eam similitudinem ac proportionem, quæ auro translucido cum Chrysolitho est.

Auri diaphani siue perspicui symbolum.

His addi potest, si supponatur aurum esse symbolum charitatis (de quo diximus cap. 1.) consectarium esse, vt dicamus, aurum diaphanum esse aptum symbolum eius fælicitatis, quæ in Dei amore & visione sita est. Si enim aurum est charitas; diaphanum esse, non erit aliud, quàm intra se lucem recipere, nihilque in eo esse, quod visum arceat: atque adeò non solùm amore erga Deum, sed etiam eius luce & claritate frui per visionem. atque hoc est cõmune omnibus beatis, ijs etiam qui in plateæ symbolo designantur. Portò vias esse valde latas, designare videtur magnum eorum numerum, qui C per baptismalem solùm gratiam ad æternam illam fælicitatem perueniunt, aut eorum, qui ex numero coniugatorum vitam æternam consequuntur, nam ij etiam fortasse per plateæ symbolum designantur.

TEXTVS.

Vers. 22. Et templum non vidi in ea: Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, & Agnus.

COMMENTARIVS.

IN cælesti eâ ciuitate ita sancta, ita ingenti ac penè immensa, primo videtur aspectu plurima templorum multitudo futura. Textus tamen nullam esse asserit: Dei enim claritas & Agni vniuersis ciuibus vice templi erat, Et quanuis ciuitas ipsa fuerit latissima, ipse tamen Dei & Agni splen- D dor totam prorsus & omnes ipsius ciues perlustrabat. Vbi autem Dei præsentia perspicuè & euidenter cernitur, nullo alio templo est opus. Templum enim est separatus locus, quo se quis ad orandum & cum Deo se vniendum recipiat: at, si Dei & Christi claritate manifestè frui conceditur, claritas ipsa cor ad se se trahit ac rapit, & cum Deo perfectè venit. Quare, vbi nihil potest mẽtem ab ea perfecta vnione & contemplatione distrahere, superuacaneus est quiuis alius locus, ad quem se quisque recipiat.

Cur hoc potissimũ loco Deus appelletur Omnipotens.

Notanda verò est emphasis illius adiectiui *Omnipotens*. Nam in Beatis ipsis gloria atque æterna fælicitate cumulandis suam Deus omnipotentiam ostentat. Iam, dum non solùm Deus omnipotens dicitur illius ciuitatis esse templum, sed etiam pariter Christus: innuitur Christum ipsum esse similiter Deum, atque ipsius Patrem. Quanuis fortè non desit, qui existimet, de Christo quatenus homine hic esse sermonem, & Dei claritatem concipi, quasi respondeat templi loco appellato *Sancta sanctorum*; & Christi claritas ei parti, quæ dicitur *Sancta*.

Digitized by Google

NOTATIO XXXVIII.

Cur in visione Ezechielis templum fuerit à ciuitate seiunctum?

In Ezechielis visione templũ extra ciuitatem esse.

QVod dicitur in superiori versu Apocalypseos, in ciuitate Hierosolyma non esse templum, videtur per allusionem respicere ad Ezechielis visionem; in qua templum extra ciuitatem est, & ab ea separatum calamis quindecim millibus; qui quasi vnius diei iter conficiunt, vt in tractatu de mensuris sacris dicemus. Nam quadrum primitiarum, Ezechielis 48. habet in latitudinem ac longitudinem quinq; & viginti calamorum millia. Et à Septentrione ad Meridiem tribuuntur Leuitis decies mille calami: totidem sacerdotibus, & reliqua quinque millia ciuitati: eiusque suburbijs destinantur. Templum autem siue sanctuarium in media ea parte constituitur, quæ sacerdotibus adscribitur. Itaque templum à ciuitate recedit per calamos quindecies mille.

Cur templum Ezechieli fuerit extra ciuitatem visum?

Consideratione ergo dignum censeo, in terrestri Hierosolyma templum intra ipsa vrbis mœnia fuisse fabricatum: in Ezechielis autem visione à ciuitate remoueri per vnius diei iter (eâdem ferè distantiâ, qua celeberrimum S. Laurentij templum à Matrito separatur:) at in cælesti Apocalypseos Hierosolyma nullum omnino esse templum. Et quamquam suprà iam est à nobis expositum, quod ad cælestem Hierosolymam spectat, cur in ea templum non fit: restat tamen adhuc explicare, vtrùm in hoc fiat allusio ad eam ciuitatem Ezechieli sine templo visam. Quod ex illa etiam quæstione dependet; cur scilicet, cùm Salomonis templum intra vrbis Hierosolymæ muros fuerit constructum, Ezechieli tamen templum ab vrbe remotum apparuerit.

Proposita quæstio explicatur.

Pro huius rei enodatione sic respondendum existimo: vt significaretur perfectissimus religionis cultus, quo Deum Christiana prosequitur Ecclesia,) Romana præsertim, quam illa Ezechielis ciuitas adumbrat) idcirco Prophetæ fuit ostensum templum à ciuitate remotum. Quo indicatur, quam Dei veneratione Christiana profitetur Ecclesia, multò esse nobiliorem ac perfectiorẽ, quàm illam veteris Synagogæ ante Christi aduentum. Etenim ad offerenda veteris legis sacrificia, & ad ceteras antiquas cæremonias, non opus erat, vt à se quisquam longiùs recederet, aut exiret, at vt Deo spiritale euangelicæ legis sacrificium offeratur; opus est Christianum hominem se ipsum abnegare, à se egredi, se relinquere, & ad Deum quærendum prodire. Atque hæc exacta propriarum appetitionum & cupiditatum mortificatio eleganter figuratur in ea visione templi procul à ciuitate dissiti. Quo non innuitur, vrbem Ezechieli visam non esse sanctã: oppositum enim constat ex ipso contextu & ex nomine, quod illi fore imponendum Propheta prædicit, nimirum *Dominus ibidem.* Quinimo, quia Deus in ea habitat, ideo ciues ipsos permouet, vt à semetipsis egressi spiritale Deo sacrificium oblaturi adeant. Et verò hæc à se ipsis egrediendi ratio non est ab Ecclesia recedere; sed potiùs verum ac fidelem Ecclesiæ filium agere. Sicuti qui mentis deuotione compulsi peregrinantur, & pium aliquod cuiuspiam Sancti templum aut sacellum inuisunt ab vrbe remotum; non ideo semet ab eorum obedientia eximunt, qui eos ad peregrinandum dimittunt.

Quod sit mysterij in vnius diei itinere, quo Ezechielis templum ab vrbe distet.

Hoc ergo mysterium esse existimo Ezechielis templi procul ab ipsa ciuitate visi. Porrò illud vnius diei iter indicat, opus esse, viam ipsam matutino tempore atque opportuno capessere, vt ante Solis occasum possimus accedere ad spiritale sacrificium Deo offerendum. Nec opus est (vt ex se liquet) huiusmodi iter corporeis gressibus metiri: *quia venit hora & nunc est* (ait Christus Ioan. 4. 23.) *quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate*: idque vbicunque locorum. Ceterùm solet etiam non parum adiumenti esse ad Deo accuratiùs vacandum, si quis sua domo atque ex suorum commercio digressus sese in Religionis asylum recipiat, quò etiam Ezechielis visionis mysterium protenditur. At in cælesti patria, cùm nihil possit Beatos à Dei vnione & visione dimouere; ideo nec intra mœnia, nec extra habeat templum, necesse est.

Quam ob rem si in Apocalypsi continetur allusio atque respectus ad illam Ezechielis visionem; non ideo fit, vt significetur eadem de causa vtrobique templum ab vrbe abesse: sed potiùs vt vtriusque vrbis discrimen in hac parte indicetur. Nam in Ezechielis quidem vrbe templum erat, licèt ab ea segregatum: at in cælesti Hierosolyma Ioanni visa nec intus, nec extra cernitur templum, quod vbi Dei & Christi claritas immensa Beatos tenet in sui contemplatione defixos, superuacaneum omnino sit templum.

TEXTVS.

Vers. 23. Et ciuitas non eget Sole neque Lunâ, vt luceant in ea, nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius est Agnus.

VErba hæc explanata iam à nobis sunt & expensa suprà cap. 12. versu 1. vbi obseruauimus pariter allusionem ad Isaiæ locum cap. 60.

TEXTVS.

Vers. 24. *pars* 1. Et ambulabunt gentes in lumine eius.

COMMENTARIVS.

ISaias ad Christianam Ecclesiam verba faciens cap. 60. 3. ei prædicit; *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui.* Vbi Forerius affirmat, loci huius sensum esse, ingentem lucem priùs Iudaici populi electis exortam, per eos ipsos ad omnes mundi nationes inuectum iri.

Allusio ad Isaiæ locum cap. 60.

Nil tamen prohibet, quominus Isaiæ verba primogenitæ Ecclesiæ, id est, Hierosolymitanæ militanti præfata, Ioannes nunc ad triumphantem Ecclesiam significanter applicet; atque adeò asseueret, ea luce, quæ ex triumphante Ecclesia in hac mortali vita ad gentes refunditur, gentes ipsas ac nationes ad cælestem illam patriam properare. In plerisque codicibus Græcis, vbi nos legimus *Gentes*, habetur τὰ ἔθνη τῶν σῳζομένων, id est, *Gentes, quæ saluatæ sunt*. Non tamen agitur de illis, qui iam ad fælicem patriæ terminum peruenerunt. Nam *ambulare*, proprium viatorum est. Præterquàm quòd in ipso contextu manifestè agitur de illis, qui ad gloriosam pergunt ciuitatem; sequitur enim

mox;

Digitized by Google

A mox; *& reges terræ afferent gloriam suam & honorem in illam*; atque adeò portæ ipsæ dicuntur nunquam obserari, sed semper patescere.

Hæc propter arbitror, in his verbis, *ambulabunt gentes in lumine eius*, sermonem haberi de iis, qui adhuc in hac vita degentes ad cælestem iter faciunt Ierosolymam. Animaduertendum tamen est, ciuitatem illam, de qua Ioannes loquebatur, visam fuisse supra montem: luminaria verò ipsius intra ciuitatem, siue in medio ciuitatis erant. Significatur ergo, licet qui ad eam vrbem tendunt, non possint vtrumque cernere luminare, donec eò ingrediantur; eximium tamen fulgorem ac splendorem, qui supra muros ipsos extat atque eminet, ita esse ingentem, vt longè lateque prospiciatur, & illuc gradientes ductare possit. Ad eum ferè modum, quo in atrio aliquo vndique clauso maxima accenderetur fax siue pyra: tunc enim quantumuis ob murorum aut ædificij vndique cingentis altitudinem flamma ipsa cerni ab aliis extrà positis non posset; lucis tamen fulgentissimæ splendor supera ad conuexa delatus satis esset, vt pro duce ac lumine illi foret, qui eam in domum pergeret. Similiter ergo duo magna cælestis vrbis luminaria ab hominibus extra vrbem gradientibus ob murorum sublimitatem cerni non possunt (alioqui viatores essent beati, si Dei claritate in seipsa frui

B possent:) fulgor tamen mænia ipsa superans adeò est splendidus, vt possit in eam ciuitatem ducere illos, qui eò suum iter dirigunt, atque hoc de sensu grammatico.

De quibus sit sermo dũ dicitur, Ambulabunt gentes in lumine eius.

Fortè scholastici hanc visionem ita interpretabuntur, vt fidei ac Theologiæ doctrina sit in hac vita quædam cognitio cognitioni Beatorum euidenti subalternata. Verùm ea explicatione (vtpote subtiliori) relicta; aliter ipse rudi Minerua allegoriam explicabo. Quarè sic censeo, quod Euangelica prædicat doctrina de admirabili fælicitate, quam Deus suis electis præparauit, esse veluti fulgur & splendorem ab ipsamet Beatorum luce deriuatum. Nam prædicatio veritate ipsa innititur, ac proinde est veluti fulgor egrediens ex clarissimis illis luminaribus, quæ in se ipsis cerni à mortalibus non possunt. Quam autem nobis cognitionem doctrina euangelica impertitur de cælesti fælicitate, quam Beati potiuntur in patria; hæc ipsa tot gentes ac nationes allicit, inuitat, ac trahit, vt Christianæ vitæ gressibus recta illuc tendant.

De quo lumine hic sermo habeatur.

Quod autem Isaias primogentiæ prædicit Ecclesiæ, *& ambulabunt Gentes in lumine tuo* eadem ferè ratione aut eadem analogia debet intelligi, scilicet quod infidelibus prædicatur de spiri ali fidelium fælicitate in hac vita, deque christianæ fidei celsitate, id totum esse veluti splendorem, qui in eos refunditur ex fidei luce, antequàm fidem ipsam complectantur. Et hæc ipsa prædicatio eos illuminat ac dirigit, vt ad Ecclesiæ montem conscendant. Quando enim infideles proferunt illa

C Isaiæ verba cap. 2. 3. *Venite, ascendamus ad montem Domini & ad domum Dei Iacob*; nonnihil iam lucis ac splendoris prospexisse videntur, siquidem ad iter in Dei montem ac domum capessendum sese excitant: cùm tamen nondum eò peruenerint, vt ea tunc fidei dotiantur luce, qua fideles illustrantur. Quippe si ea fruerentur, iam intra Iacobi domum essent, nec de ea petenda, sed de retinenda deliberarent.

Isaiæ locus huic ipsi Apocalypseos respondens explicatur.

Illa igitur verba; *Ambulabunt gentes*, tam in Isaia, quàm in Apocalypsi, sunt intelligenda de profectione ad ciuitatem Ierosolymam ab iis facta, qui lucis splendore foris inspecto ducuntur. Sed Isaias sub Ierosolymæ nomine de militante Ecclesia (id est de primogenita,) Apocalypsis de triumphante loquitur.

Si quis autem optauerit, fulgorem extrà apparentem non solùm inniti in ea luce, qua intùs Beati perfunduntur (qua ratione doctrina in ipsa rei veritate solidatur) sed etiam ab ipsa luce efficienter produci: dici potest lux ipsa, quam Beati in cælo possident, efficere vt Beati ipsi obnixè Deum exorent pro Gentium cæcutientium illustratione: quò ipsæ etiam illa eadem gaudia tandem potiantur. Necnõ possumus similiter asserere, quam Deus ingentem lucem sanctis viris in hac vita impertitur, huius instinctu illos assiduas & efficaces ad Deum preces effundere pro fidelium conuersione: atque ita ex luce illa, qua directè fruuntur qui intra Ierosolymæ (siue triumphantis siue militantis) mœnia degunt, oritur lux illis communicata gentibus, quæ ambulant, id est, iter adipsam Ierosolymam faciunt.

D Aliquis fortasse verba hæc, *Ambulabunt gentes in lumine eius*, de mortuis explicari posse putabit: atque adeò hoc pacto cuidam fieri satis quæstioni, quinam mortui ad glorioſam illam vrbem Ioanni descriptam possint contendere? Nam, vbi è viuis excesserunt, mox in mortis tenebras & caligi-ginem videntur sese abdere: cùm tamen lucis ductu sit opus ad viam ex terris in cælum peragrandam. Ad hoc autem respondebunt hisce Apocalypseos verbis, asserentes eadem cælestis patriæ luce iustos ad fælicem illum terminum deduci. Hęc tamen expositio minimè arrider, nam postquàm iusti viri anima ex hac vita (aut etiam ex Purgatorio, si quid fortè leuis culpæ inhæserat) migrauit: vt ad cęli peruenia beatitudinem, non opus est, eam aut iter suscipere, aut aliquam ex semet actionem præstare: sed statim ab Angelis deducitur, & ad Dei omnipotentiam in cælestem transfertur paradisum. Quarè non rectè consideratur animam è corpore eductam foris cernere supernę patrię lumen, & illuc ab eo deduci.

Vtrùm hæc verba de mortuis possint congruenter explicari

TEXTVS.

Vers. 24. pars 2. Et reges terræ afferent gloriam suam, & honorem in illam.

COM-

Digitized by Google

A

COMMENTARIVS.

Quinam hic sint Reges terræ, quæ ipsorum gloria & splendor?

HOc verba allegoriæ huius sonant: reges terræ quidquid glorioſi, pretioſi, & honorifici poſſident, in vrbem hanc nobiliſſimam conuectabunt. Quod tamen ad præcipuum attinet ſenſum, non eſt neceſſe regum terræ nomine ſingillatim deſignari eos, qui nunc ab hominibus reges vocantur. Nam regum huiuſmodi gloria, diuitiæ, & theſauri vilia prorſus, & nullius æſtimationis ſunt ad cæleſtem illam Ieroſolymam. Quamobrem, conſonum rationi eſt, vti reges in hoc loco appellentur ij, de quibus ſcriptum eſt Pſal. 44. 18. *Conſtitues eos principes ſuper omnem terram.* Imò verò non Apoſtoli ſolùm atque Pontifices, ſed omnes etiam iuſti reges meritò in ſacrę Scripturæ loquutione nuncupantur, qui reges (vt conſtat) in cæleſtem illam Ieroſolymam ſecum deferunt ſuam omnem gloriam & honorem, id eſt, ſuorum meritorum theſaurum, qui ipſis glorioſiſſimus & honorificentiſſimus eſt. Huc ſuas virtutes omnes, huc ſapientiam, huc ingenium, huc denique ſua omnia vera bona congerent.

Huic ſenſui addi fortaſſe poſſet, multos etiam etiam ex ijs, quos mundus reges appellat, in cælum aduecturos vniuerſas ſuas opes atque theſauros, dum eas pro Chriſto deſpiciunt, & in pauperes ac indigentes erogant, aut etiam in diuini cultus obſequium impendunt: eâ enim ratione omnes mundi opes ac facultates in cælum transferri, atque adeò æternitate donari poſſunt.

B

TEXTVS.

Vers. 25. Et portæ eius non claudentur per diem: nox enim non erit illic.

COMMENTARIVS.

Cur Iſaias militantis Eccleſiæ portas prædixerit die ac nocte non claudendas: Ioannes vero in triumphantis portis ſolum diei meminerit? Dubitationi occaſio ſoluitur.

ISaias, qui (vt vidimus) de militante Eccleſiæ directè agit cap. 60. 11. de ipſius portis ait; *Die ac nocte non claudentur.* Fortè vt ſignificet, non ſolùm in proſperitatis die, ſed etiam in perſequutionum & aduerſitatum nocte multos fore ad Chriſti fidem conuertendos; quod eſt ſpiritalem ingredi Ieroſolymam. Ioannes autem, qui in præſenti ſermonem de cæleſti patria inſtituit, reſpiciendo ad Iſaiæ locum, & inde quod ſibi vſui erat, decerpendo, ſignificanter ſatis dixit, *Non claudentur per diem.* Quaſi diceret; Iſaias prædixit, portas die ac nocte non claudendas: mihi tamen nihil eſt, cur de nocte agam: nam in cæleſti illa Ieroſolyma nulla vnquam erit nox: & propterea ſolùm expreſſi, *Non claudentur per diem, nox enim non erit illic.*

C

Ex his ſoluitur quædam obiectio, quæ hiſce verbis opponi videbatur poſſe, quippe noctem nuſquam fore, non eſt apta ſatis ratio, vt ideo probetur portas diu non claudi. Conſtat, inquam, facilis ex dictis reſponſio: quia Ioannes probare non contendit, idcirco portas diu non obſerari, ex eo quòd ibi non ſit nox; ſed verbis illis, *nox enim non erit illic,* reddit rationem, cur non, ſicuti Iſaias, dicat, *Die ac nocte non claudentur,* ſed ſolùm, *non claudentur per diem.* Et eam huiuſce loquutionis ac differentiæ rationem adducit, quòd ſcilicet in cæleſti ea Ieroſolyma ſibi oſtenſa nulla ſit nox.

Præter hæc: ex huius verſiculi contextu facile intelligitur, tam in antecedenti verſu, quàm in ſubſequenti diſputari, non de illis, qui iam intra cæleſtem Ieroſolymam poſiti, ipſius gloria & fælicitate beantur, ſed de illis, qui eò ſuum iter dirigunt, & ſecum omnia terræ glorioſa & honorifica aſportant. Horum enim comparatione dicuntur cæleſtis Ieroſolymæ portæ nunquam eſſe claudendæ illis, qui meritis eam ad rem requiſitis ornati eò accedunt, poſtquàm debita omnia, ſi qua contraxerant, ſoluerunt. neque hoc ampliùs explicare opus eſt.

Vers. 29. Et afferent gloriam & honorem gentium in illam.

D

COMMENTARIVS.

Quanam gloria & honor gentium dicantur hic ad cæleſtem Ieroſolymam afferenda.

SVprà verſu 24. prædictum fuerat; *Reges terræ afferent gloriam ſuam & honorem in illam.* Hic verò agitur de gentium gloria atque honore. Sepè enim nonnulla extant, quæ decora ſunt & honorifica ipſis prouincijs, nec tamen peculiarem regibus honorem aut ſplendorem afferunt, cuiuſmodi ſunt recta membrorum proportio in ipſis ciuibus, ac venuſta partium omnium lineamenta, egregiæ indoles, peracuta ingenia, artes, ſcientiæ, aliaque id genus ſexcenta. Vt ergo ſignificetur, nihil in toto terrarum orbe aut locuples aut opulentum aut etiam æſtimatione dignum reperiri, quod (ſi defectus & imperfectiones detrahas) in ea cæleſti Ieroſolyma non cumulatè reperiatur, idcirco qui in cæleſtem hanc vrbem aduenient, dicuntur omnes in eam conferre quodcunque optimi, glorioſi & honorifici in tota rerum vniuerſitate reperitur.

Poſſet hoc primùm eò referri, vt omnibus mundinationibus ac veram Chriſti religionem traductis, Chriſtiana Eccleſia ſit pro ſuis rebus habitura, quæ in vniuerſo mundo bona florebant, nec non ipſam Græcorum eruditionem atque ſapientiam, ingenia, artes, ſtudia, diſciplinas. Quod autem Eccleſiæ ſubijcitur, conſectarium eſt, vt ad cæleſtem ipſam patriam referatur, atque adeò in cæleſti Ieroſolyma, detractis imperfectionis næuis, nihil eorum deſiderabitur, quæ apud clariſſimam quamque ciuitatem in pretio & æſtimatione ſunt.

Magis

Digitized by Google

A Magis tamen probo, vt regum atque gentium distinctionem referamus ad Ecclesiæ principes, & ad eos qui ipsorum curæ sunt crediti. itaque gloria ac decus regum potentissimorum referatur ad copiosissimos thesauros meritorum, quibus ipsi Ecclesiæ principes circunfluunt: gentium autem honorem & gloriam de subditorum meritis ac virtute explicemus. Nec parum hanc distinctionem fulcit, quòd eam Isaias significet cap. 60. 11. (quò hic respicitur) *Afferetur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducentur tibi.* Sed primum etiam sensum adiuuat Isaias ibidem. Subdit enim; *Gloria Libani ad te veniet, abies, & buxus, & pinus simul.* & infrà; *Suges lac gentium, & mamilla regum lactaberis. Fortitudo gentium veniet tibi, aurum & thus de Saba.* & infrà, *Argentum eorum, & aurum eorum cum eis*, &c.

TEXTVS.

Vers. 27. Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.

COMMENTARIVS

B

Summa cuiusuis vrbis felicitas in quo sita sit.

SVmma alicuius vrbis felicitas in eo est imprimis sita, nequid in ea ex rebus bonis aut pretiosis desit, nequid ex prauis & infestis adsit. Quapropter ijs omnibus, quę de ciuitatis huius felicitate & copia sunt hactenus prænunciata, modò adiungitur hic versus, in quo innuitur nihil in ea vnquam fore, quod ab eximia eius perfectione degeneret. Porrò quanuis neutro genere hęc assertio efferatur; de rationalibus tamen creaturis dumtaxat est sermo. Nam *abominationem facere & mendacium*, vtique in creaturam à rationali distinctam non cadit.

Aliquod coinquinatũ, quid significet: & cur in neutro genere dictum.

Non deerit forsan, qui neutrum genus hoc in loco in eam partem accipiat, vt generatim aut distributiuè (quod aiunt) propositio enuncietur, iuxta alias Scripturę loquutiones. Mihi tamen neutrius generis ratio illa esse videtur, quod ἔθνος (id gentem significat) Græcè neutrius generis est. Quapropter, cùm superiori versu dictum fuerit; *Afferent gloriam & honorem gentium in illam*, quod subditur neutro genere, *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum*, referendum videtur ad nomen ἔθνος subauditum. Sic sæpè in libro Sapientiæ & Ecclesiastico inducitur sermo de natione nequam & de natione Sanctorum. Sic etiam plerunque Christus Dominus Iudæos alloquens, *Progeniem viperarum* C eos compellat. Simili ergo phrasi hic dicitur, in cælestem illam coloniam nihil improbum, nulla iniqua progenies, nullum animal noxium & immundum ingressurum; explicationis autem gratia subiungitur, *Abominationem faciens aut mendacium.* Et quidem nemini ignotum est, iuxta sacrarum Literarum phrasim peccatores ipsos interdum abominationes & mendacia nominari. Demum subijcitur; hanc in vrbem nullos recipi alios, nisi qui in librum vitæ sint relati; qui appellatur etiam liber Agni, quia ab ipso electi sunt. De libro autem vitæ diximus suprà cap. 3. 5. & cap. 13. 8. & cap. 20. 15.

Allusio ad aliquot Isaiæ loca.

Notandum insuper est, in hoc versu allusionem contineri ad illud Isaiæ 60. 18. *Non audietur vltrà iniquitas in terra tua, vastitas & contritio in terminis tuis.* & num. 21. *Populus tuus omnes iusti.* & cap. 52. 1. *Non adijciet, vt pertranseat per te incircuncisus.* Quibus in locis stultum esset intelligere, Christianos omnes catholicam fidem retinentes esse iustos ac sanctos. Hunc vt sensum subterfugerent, eò nonnulli interpretes sunt appulsi, vt crederent Isaiam in ijs verbis respicere ad fœlicissimum quoddam tempus, quo Ecclesia post deuictum Antichristum sit fruitura: tunc que autumant fore vaticinium illud implendum. De qua opinione diximus c. 20. notat. 2. & 3. Mihi illud verisimile sit: quanuis Isaias primò de Ecclesia militante loquatur; cùm tamen quæ in hac vita militat, in cælesti sit triumphatura; idcirco prospiciens Isaias supremæ fœlicitatis statum, quo Ecclesia fruitura est in patria, ei prædicit, tandem aliquando affore tempus, cùm in Ecclesia reperiatur omnino nullus, qui iustus non sit, nec illa ab vllo prophano conculcetur, aut aliquod à Deo supplicium extimescat. Qua ratione nulla remanet in locis prædictis difficultas.

Quo sensu sit Isaias explicandus cùm omnes Christianos populos iustos dixit.

Altera eorundem Isaiæ locorũ explicatio.

D Si tamen adhuc aliquis expetat, vt Isaias loquatur etiam de primigeniæ Ecclesiæ fœlicitate in hac vita, illum ipse reijcio ad Forerij in his locis declarationem: vbi ait, *Omnes* idem esse solere, quod *Plurimi*, atque id significari *omnes iustos.* Quemadmodum de religiosa aliqua familia, quę, in primitiuo sui instituti vigore perstat, dicere solemus, *Omnes ipsius religiosos esse sanctos* (id est fere omnes, nec enim aliquis vnquam desit Iudas). Sic videtur explicare Forerius, & aliorum locorum difficultatem similiter mollire. Qui tamen apud se statueret, Isaiam in ijs locis de primitiuę Ecclesię tempore loqui, vel etiam de vniuersis Ecclesię militanti temporibus; hic etiam posset aliter explicare. Nam verba illa, *Populus tuus omnes iusti*, possunt significare quotquot iusti sunt, eos omnes esse Ecclesię populum: id est, nullum dari iustum, quin Ecclesię Christianę sit filius. Prętereà verba illa capitis 52. 1. *Non adijciet, vt pertranseat per te incircuncisus, & immundus*, possunt explanari, sicut illa Pauli ad Rom. 8. 1. *Nihil damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu.* Dum autem dicitur Ierosolyma non esse ab improbis conculcanda; perinde erit, ac si illis inferior non esse dicatur: *Calcari enim non potest* (ait Augustinus) *nisi inferior: sed inferior non est, qui quanuis corpore multa in terra sustineat, corde tamen fixus in cælo est.* Ad hæc; verba illa, *non erit vastitas & contritio in terminis tuis*, de Romana Ecclesia sunt explicanda: cui promissum à Christo est, eam nunquam fore deuastandam. Iniquitatis item nomen pro vastitate & supplicio nonnunquam accipitur. Atque hęc de Isaiæ verbis indicasse sit satis. Nam Ioannis verba (quę de triumphanti Ecclesia constat explicari debere) nullam in se continent difficultatem.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT. XXII.

TEXTVS.

Vers. 1. Et ostendit mihi fluuium aquæ vitæ, splendidum tanquam crystallum procedentem de sede Dei & Agni.

COMMENTARIVS.

Fluuius à sede Dei & Agni procedens qua ratione sit cõcipiendus.

SVperiori capite exposui, quemadmodum concipi debeat thronus Dei Patris, & Christi Domini in hac ciuitate, quæ Ioanni est per visum ostensa, nimirum in medio ciuitatis situ, & in eminentiori loco, vt fluuius ex throno procedens per omnes posset ciuitatis vias fluere. In hac enim quasi pictura indicatur, omnes nobilissimæ huius vrbis ciues fluuij ipsius vndas potare, & arborum ad fluuij ripas consitarum poma edere. Quapropter vt omnibus ad manum sit & aqua ad potum, & ad esum fructus; atque tota ciuitas amœnissimi paradisi speciem præ se ferat: concipiendæ sint viæ omnes laxe satis & spatiose (id enim, vt vidimus, denotat tam græcè, quàm latinè plateæ nomen): & per omnes copiosus valde aqueductus deduci ex ipsis fluuij fluentis, atque ad vtramque fluminis ripam per omnes ciuitatis vias arbusta viridissima, deinde capax satis, ad deambulandum, inter arbores & ædificia spatium sit reliquum.

Quid in hoc fluuio figuretur.

Aquæ perspicuitas comparatione crystalli maximè declaratur. Ipsius autem excellentiam significat imprimis genitiuus ille *vitæ*, id est vitalis. Deinde quod mox adiungitur, hoc scilicet flumen à Dei & Agni sede procedere. Vt enim mirifica denotaretur esse vnda, & præclarum in modum vitalis, nihil aliud potuit fingi, quo aptiùs repræsentaretur, quàm asserendo, hunc fluuium ex diuino illo fonte dimanare. Nam si ea est illius origo atque fons, aquam ipsam qualem fore putandum est.

Huius fluuij significatio denotare debet aliquid, quod electis omnibus in præmium promittatur, Dicitur enim infrà, num. 17. *Qui sitit, veniat, & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* Quibus ex verbis elicio, non esse ad rem in hoc loco eam fluuij significationem, quæ Doctorum ac Magistrorum gloriam peculiarem adumbret. Quamobrem censeo, in hoc fluuio symbolicè indicari cælestis voluptatis copiam, qua Sanctos omnes visio beatifica perfundit: iuxta illud Psalm. 35. 9. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Cui explicationi haud obscurè adstipulatur Hieronymus Ezechielis 47. qui fluuium illum, cuius ibi Ezechiel meminit, & ad quem in hoc loco alluditur, de aquis doctrinæ interpretatur. Atqui certum est, Ezechielem de militante Ecclesia, Ioannem de triumphanti agere, & fluuio doctrinæ militantis Ecclesiæ respondere fluuium beatæ sapientiæ, qua Sancti omnes in cælesti patria fruuntur. Quòd verò Sapientia per fluuium figuretur, id sacris Literis nouum non est. lege Ecclesiastici 24. 40. *Ego sapientia effudi flumina, ego quasi fluuij dioryx, & sicut aquæ ductus exiui de paradiso: dixi, Rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum.*

Fluuium esse sapientiæ Symbolum. Cælestem beatorum sapientiam duplici claritatis & fluuij symbolo non ineptè significari.

Obijciet tamen aliquis hunc in modum: Visio beata, in qua essentialis Sanctorum beatitudo consistit, suprà iam per Dei claritatem erat figurata, atque adeò non videtur congruens, vt quod antea in Dei claritate, tanquam in superæ illius vrbis sole, fuerat indicatum, id ipsum nunc per fluuij symbolum designetur. Respondeo; nouum non est, multiplicari symbola ad vnius eiusdemque rei significationem, præcipuè quando nullum satis est aptum ad eam rem satis explicandam; & tamen expedit altero symbolo suppleri, quod energiæ deerat in primo.

Ad hæc licèt claritatis symbolum sit ad eximiæ gloriæ significationem mirificum; non tamen explicabat, quod in nouo hoc fluuij vitæ symbolo explicatur; nimirum Beatorum sitim expleri, & animos summa perfundi voluptate. Prætereà, si in mystico illo Mardochęi somnio potuit magna cum energia fons & fluuius in lucem ac solem conuerti (dicitur enim Esther 10. 6. *Paruus fons creuit in fluuium, & in lucem solemque conuersus est, & in aquas plurimas redundauit:*) nihil ergo absoni, sed plurimum potiùs concinnitatis habebit, vt ad eiusdem rei significationem diuinus Spiritus prius hic summæ claritatis symbolum, deinde fluuij vitalis vsurpet. Quòd si per fluuium illum in solem conuersum significata fuit Esther, quam sibi Assuerus Rex duxit vxorem: quid mirum, cælestem sapientiam, quam spiritali connubio Beati omnes ducunt, similiter per solem atque per fluuium adumbrari?

Cur vnda huius fluuij appelletur aqua vitæ?

Huius fluminis vnda appellatur aqua vitæ: ad eum fere modum, quo Itali vini distillationem vocant aquam vitæ, quod est veluti spiritus vitalis. Aut forsasse *vita* in hac phrasi summam fælicitatem significat, quia vita in sacris Literis sæpe idem est quod beatitudo. Quarè *fluuius aquæ vitæ* perinde erit, atque beatus fluuius, seu potiùs beatificans. Arbor item vitæ seu lignum vitæ similiter sunt accipienda. Expende etiam, hunc fluuium esse aquæ vitæ: quia sapientia est vitæ ac fælicitatis initium; iuxta illud Ioannis 14. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* Adde, quòd ex huius fluminis aqua proueniebat, arbores duodecim ex se fructus producere, nec folijs vnquam spoliari.

Hæc insuper fluuij vnda est crystalli instar perspicuæ: ingens enim claritas est sapientiæ propria. Nam propterea huic fluuio apponuntur aquæ turbidæ, de quibus Ieremiæ 2. 18. *Quid tibi vis in via*

Digitized by Google

A *in via Aegypti, vt bibas aquam turbidam?* Iam si turpis ac fœda voluptas rectè aquæ turbidæ & immundæ comparatur: iure optimo voluptas illa purissima atque sanctissima, cuius torrente Deus Beatos potat conuenientissimè denotabitur per aquam illam splendidam tanquam crystallum. Verùm non solùm in beatæ visionis sapientia, sed etiam in ea sapientia, cuius Deus vsuram suis familiaribus in hac vita impertitur, obseruatione dignum est, quanta sit claritas ac perspicuitas, qua ipsius sapientiæ interuentu veritatem ipsam excipiunt. Aliud namque est multa vera cognoscere, quod spectat ad ingenium, aliud ea penetrare per lucem illam quam Deus suis amicis largitur: id quod ad Sanctorum pertinet prudentiam. *Cur fluminis huius vnda, crystalli instar esse perhibeatur.*

His addo, optimè cohærere, vt quæ vitalis sit aqua, eadem & clarissima sit. Quippe cum ingenti luce sociatur rectè spiritalis vita & vberrimi pariter virtutum illustrissimarum fructus. Quare sæpè in sacris Literis copulantur vita ac lux: vt in Psalmo illo 35. 10. *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*, & Ioannes 1. 4. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* *Vitam ac lucem sæpè in sacris, nec sine mysterio, copulari.*

Circa verba illa, *Procedentem à sede Dei & Agni*, aduerte Ecclesiastici locum cap. 1. num. 6. 8. *Radix sapientiæ cui reuelata est? vnus est altissimus creator omnipotens, & rex potens sedens super thronum.* Cuius constructio meo iudicio eiusmodi est, quasi dicat, sapientiæ radicem esse Deum in suo throno magnificentissimo sedentem. Et verò genetatim loquendo quis nesciat Deum esse totius sapientiæ fontem? Quis, veram sapientiam in Dei & ipsius Filij Iesu Christi cognitione consistere? Sicut ergo in hac vita, sapientia viatorum perfecta in eo sita est: sic etiam in cælesti patria perfecta Beatorum sapientia. *Ecclesiastici locus obiter elucidatur.*

B Nota præterea fluuium, de quo hic est sermo, non esse concipiendũ quasi ex ciuitate egredientem. In ciuitate enim adeo magna, quæ mille & quingenta milliaria habet in quadro, non est coactum vt fluuius, qui è medio vrbis oritur, & in tot brachia, quot sunt viarum strata, diuiditur, in quandam veluti paludem desinat, quæ ipsam vrbem intra mœnia ambiat.

NOTATIO I.

De allusione ad fluuium Ezechieli ostensum capite 47.

Allusio & disparatio inter Ioannis fluuium & fluuium Ezechielis.

IMprimis allusio ipsa cuidens est, primò quia quẽadmodum fluuius Ioanni visus à sede Dei & Agni prodibat, ita etiam Ezechielis flumen ex interiori templi parte erumpebat, nempe ex oraculo, quod *sancta Sanctorum vocatur*: vbi Deus suum habebat thronum. ait enim Propheta num. 1. *Ecce aquæ egrediebantur subter limen domus ad orientem, & descendebant in latus templi dextrum ad meridiem altaris.* Secundò quæ Ioannes arbusta ad vtramque fluuij ripam conspexit, ab Ezechiele sunt citra dubitationem mutuata, qui num. 12. sic habet: *Super torrentem in ripis eius ex vtraque parte omne lignum pomiferum, non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius, per singulos menses offeret primitiua, quia aqua eius de sanctuario egredientur, & erunt fructus eius in cibum, & folia eius ad medicinam.*

Quæ reperiantur differentia inter vtrumque Ioannis & Ezechielis fluuium. Prima differentia. Secunda.

Cetèrùm, quanuis de allusione ipsa dubitari non possit: aliquot tamen inter vtramque prophetiam differentiæ satis apertæ reperiuntur, de quibus rationem reddamus oportet. Prima ergo differentia est, apud Ezechielẽ torrens, apud Ioannem fluuius nuncupatur. Secunda, Apocalypseos fluuius ciuitatem ipsam lætificat, & medias vias omnes præterfluit, at fluuius Ezechielis nec intra vrbem habet originem, nec ipsam interfluit. Nam sanctuarium conspexit Ezechiel à ciuitate per calamos quindecies mille seiunctum, vt suprà iam expendimus, & torrens ex ipso egrediens sanctuario in mare mortuũ influit. *Tertia.* Tertia, Ezechielis torrens primò exiguus est, sed ita paulatim excreuit, vt ad mille cubitorum spatium aquæ ad talos vsque prophetam attigerẽt, post mille alios cubitos vsque ad genua, post alios mille vsque ad renes ac postcà *intumerunt aquæ, ita vt transnadari non possent*. in Apocalypsi verò fluuius nullà ratione dicitur excrescere. *Quarta.* Quarta, Ezechielis fluuius vbi ad mare mortuum fuit delatus, ipsius sanauit aquas, piscesque quàm plurimos procreauit, & maris mortui littora nonnullosque paludes in sua amaritudine reliquit; vt ex amara aqua conficeretur Psal. fluuius autẽ, quem Ioannes aspexit, nihil huiusmodi effecisse dicitur.

Redditur prædictarum differentiarũ ratio.

Vt harum differentiarum rationem reddam, illud breuiter præmitto, quod suprà iam ostẽdi, Ioannem nimirũ agere de flumine sapientiæ, quæ Beatis inest, at Ezechielem de sapientia, quam Deus in hac vita fuerat Ecclesiæ suæ largiturus.

C Ad primum ergo discrimen sic statuo: quanuis non magni admodum momenti videatur esse, vt apud Ioannem fluuius, apud Ezechielem torrens appelletur (hæc nanque diuersitas iuxta lectionem Septuaginta non reperitur, qui in Ezechiele nomen fluminis vsurparunt) nihilominus appositè Vulgatus interpres torrentis nomine fuit vsus. Nam ex ipso liquet contextu, riuum ex sanctuario prodire primò mediocrem: sequidem, postquàm augeri cœpit, adhuc post mille cubitos prophetæ talos non superabat. Sic ergo reapse accidit; nam sapientiæ euangelicæ flumen, quod Deus in militantem Ecclesiam effudit, paruum initio cœpit, sed velociter excreuit, quarè iure optimo vocatur initio torrens, deinde fluuius ingens. At in cælesti beatitudine Sancti tempore ipso non accipiunt incrementa; sed ab ipsomet suæ beatitudinis exordio fruuntur totâ sapientiæ affluentiâ & copia, quam fluminis magni nomen requirit. *Ad primam differentiam.*

D Quòd si opponas, sapientiam in hac vita euangelicam ab Apostolis, virisque Apostolicis duxisse exordium, & inde ad cæteros deriuatam: & in ipsis quidem Apostolis maiorem fuisse hanc sapientiæ profunditatem, quàm in ceteris aliis, qui ipsos posteà subsequuti sunt. Ad hoc respondeo: in ipsismet Apostolis fluuius sapientiæ fuit multiplici accessione paulatim auctus per nouas reuelationes, quas quotidie à Deo accipiebant: vt in Apostolorum Actibus videre est. Et quanuis Apostoli atque discipuli Christi fuerint maximo sapientiæ incremento à Deo locupletati: nihilominus suus adhuc superest fluuij nomini locus: quòd initio magistri & concionatores perpauci extiterint, item, quòd aliud sit agere de sapientiæ communicatione Apostolis ipsis factâ, aliud agere de communicatione per eosdem Apostolos effectâ vniuerso Ecclesiæ corpori. Et verò dubium non est, Ecclesiam ipsam temporis decursu hac in re auctam & locupletatam fuisse, sicuti lux diei ab aurora ad meridiem vsque excrescit, vt habetur Prouerb. 4. 18. Quod verò Salomon ibi sub lucis *Difficultas & prædicta doctrina expeditur.*

allegoria affirmat; id etiam docet Eccleſiaſticus ſub allegoria fluminis id quod ab Ezechiele mutuatus videtur. Cùm enim cap. 24. 40. Eccleſiaſticus ipſe dixiſſet: *Ego quaſi trames aquæ immenſæ de fluuio*: ſubdit, *dixi, Rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum. Et ecce factus eſt mihi trames abundans, & fluuius meus appropinquauit ad mare.* Itaque ſapientia, quæ prius erat *dioryx & aquæductus* hortum plantationum rigans, quando aqua ipſa hortorum tellure videbatur penitus imbibenda, tunc magis excreuit: erat enim *trames aquæ immenſæ*, id eſt, torrens inexhauſtus, qui ipſamet horti irrigatione tantum accipit incrementi, vt ex paruo riuo ſine aquæductu concreſcat in flumen adeò ingens, vt mari æquiparetur. Nam eò ſpectant verba illa, *& fluuius meus appropinquauit ad mare.* Creſcit ergo ſapientiæ flumẽ ſui ipſius communicatione; ad eum ferè modum, quo Cicero Offic. dixit ex Ennio de lumine.

Qui alteri accendit lumen de ſuo lumine,
Facit, vt nihilo minus ipſi luceat.

Ad 2. diſſertationem. Ad ſecundum diſcrimen: quanuis Ezechiel ſanctuarium viderit à ciuitate diſtractũ (vt intelligeret Chriſtianæ Eccleſiæ in Deum religionem & cultum ita fore excellentem & admirabilem, vt homines ipſos extra ſe poneret, & longè à ſe ipſis abſtraheret:) hoc tamen ipſum ſanctuarium citra dubitationem ſpectat ad vrbem ipſam Ezechieli oſtenſam. Vnde ſapientiæ fluuius ab Ezechiele conſpectus ad ſanctam etiam pertinet ciuitatem. Verùm qua ratione ſanctuarium fingitur ab vrbe procul poſitum; eâdem etiam inducitur fluuius vnà cum ſanctuario ab vrbe diſſitus. Vt innuatur, flumen illud ſapientiæ ſpeciatim communicari illis, qui ſua omnia ac ſemetipſos pro Chriſto contemnunt, ac ſe diuino cultui totos dicant, & conſecrant. Atque hoc eſt, ſe diuino obſequio & religioni ſeparare, qua ratione in Nazaræorũ ſeparatione figuratum erat. Qui verò eâ ratione ſe domino ſeuocant & addicunt, hi ſingulariter fruuntur cæleſtis Sapientiæ flumine myſteriorum Chriſtianæ fide intelligentia ac ſuauitate.

Ad hæc, in Eccleſia Chriſtiana nouimus gratiſſimã Deo eſſe huiuſmodi ſeparationem: nimirum qui Deo magnopere placere ſtudet, ne ſibi ſatis eſſe putet, ſi Chriſtianus ſit, ſi ſanctæ huius vrbis ciuis: ſed ſe inſuper Deo conſecret, ac ſeparet per ſuam ipſius abnegationem. Nam qui hac ratione à ſemetipſis recedũt, illi profectò de Gentilium conuerſione diligenter agunt: atque ideo fluuius è templo exoriens: inde recta properat ad mortui maris aquas ſanandas. At verò in cæleſti Beatorum patria omnes Deo perfectè dicati & conſecrati ſunt; nec opus illis eſt ſui ipſorum abnegatione, nec ad eorum munus incumbit Gentilium prædicationem ſuſcipere. Quare fluuius Ioanni viſus oportuit, ne à ciuitate glorioſa procul eſſet poſitus, ſed vt intra ipſius mœnia oriretur, atque inibi remaneret.

Quàm ſit in Chriſtiana Eccleſia laudabile hominem à mũdi commercio ſeparari vt ſe Deo totos conſecrent.

Ad tertium diſcrimen patet ex ijs, quæ de primo diximus, nec ampliùs eſt quidquam addendum. *Ad tertiam differentiam.*

Ad quartum conſtat etiam ex dictis ad ſecundum. Id vnum adiuugo, in cæleſti beatitudine opus non eſſe vt aliqua ſit amaritudo, in hac tamen vita ſummoperè iuſtis expedire vt contrariarum rerum acerbitate & amaritudine exerceantur, nam ex huiuſmodi amaritie myſticum generatur ſal, quo Deus ipſos ab omni corruptione intactos aſſeruat. Quamobrem, licèt in intimo maris mortui ſpatio ſit potens fluuius ex ſanctuario naſcens amaras medicare aquas, & acerbitate abſumpta fœcundas ac piſcibus quàm plurimis abũdantes reddere: ceterum quia magni refert, ne deficiat afflictionis & perſequutionis ſal, quo iuſti aduerſus vitiorum corruptionem condiantur, idcirco ſapientiſſimè fingitur, in maris mortui littoribus, & in aliquot lacunis, quæ ex maris ipſius vndis ad terram conficiũtur, amaras aquas remanere, vt ſalis copia & affluentia in ipſis littoribus eſſet, quemadmodum piſcium etiam abundantia, & dulcis aquæ copia in medio ipſo mari ſuperabat. Atque hæc indicaſſe ſit ſatis, obtundetur enim fortaſſe prophetici eloquij ſapor, ſi ampliùs rem exprimere & explicare velimus. *Ad quartum.*

TEXTVS.

Verſ. 2. In medio plateæ eius & ex vtrâque parte fluminis, lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum, & folia ligni ad ſanitatem gentium.

COMMENTARIVS.

VIdimus iam in ſuperioribus plateæ nomine non forũ aliquod deſignari: ſed vniuerſas glorioſæ ciuitatis vias: eaſque omnes eſſe latiſſimas: vt ipſo plateæ nomine tam græco, quàm latino importatur. Licèt autem textus in hoc verſu directè de ſolis arboribus loqui videatur: ſi tamen per quamlibet ciuitatis viam duplex arborum ſeries per ordinem erat diſpoſita ad vtramque fluminis ripam; fluuius ipſe per medium vtrarumque arborum callem, ſiue aquæductum pariter influxiſſe putandus eſt per omnes vrbis vias. C

Lignum vitæ hic per Synecdochen pro pluribus vſurpari. Deinde ſatis conſtat, nomen *lignum* hîc apponi collectiuè pro maxima arborum multitudine. Familiare enim eſt tum ſacris Literis, tum humanioribus, ſingularem numerum pro plurali per Synecdochen vſurpari. In eo Ezechielis loco, ad quem hic alluſio ſit, nempè cap. 47. num. 7. expreſſè dicitur, *Ecce in ripa torrentis ligna multa nimis.* Et num. 12. *In ripis eius ex vtrâque parte omne lignum pomiferum: non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius: per ſingulos menſes afferent primitiua.* Ex horum autem locorum collatione planum fit, non eſſe ſermonem de vna arborum ſpecie, ſed de multiplici arborum pomiferarum natura: quibus omnibus hoc in loco nomen arboris vitæ tribuitur. In hoc verò magnopere paradiſus hic cæleſtis primo illi terreno antecellit: illic enim non omnes arbores nomine ligni vitæ inſigniuntur, ſed vnica ſolum arborum ſpecies. Sic etenim legimus Geneſ. 2. 8. & 9. *Plantauerat autem Dominus paradiſum voluptatis, in quo poſuit hominem, quem formauerat: produxitq; Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue: lignum etiam vitæ in medio paradiſi, lignumq; ſcientiæ boni & mali.* Vbi ex contextu liquet, quod ligum vitæ appellatur, vt peculiarem ſpeciem, diſtingui ab aliis arboribus pomiferis, quæ in paradiſo erant. At in Apocalypſi cùm de vniuerſis arboribus ad vtramque fluminis ripam conſitis, ſpecie etiam diuerſis, ſermo ſit, omnibus tamen ligni vitæ nomen imponitur, quod perinde eſt, ac ſi dicatur ſingularis illa virtus hominum vitam producendi, ſiue immortalitate donandi, quæ vni ſiue arbori ſiue ſpeciei in terreſtri paradiſo indita D

Digitized by Google

A dita erat, hæc eadem fuisse erga omnes gentes vniuersis arboribus, quas Ioannes, in cælesti illa ciuitate ad fluminis ripas conspexit. Et sic sanè oportebat in vrbe adeò ingenti ac penè immensâ, vt hoc pacto significaretur, immortalitatis possessionem (qui vitalis arboris effectus est, ciuibus ipsis nullo labore constare: cùm per vias omnes, vitales huiusmodi arbores fuerint duplici ordine dispositæ.

Regionum aliquot fœcunditas.

Quòd arborum folia nunquam decidant, & bis per annum proferant fructus, id quidem de regionum aliquot arboribus traditur. Consule Plinium lib. 16. cap. 21. fine, vbi sic habet: *Locorum tanta vis est, vt circa Memphim Aegypti & in Elephantine Thebaidis, nulli arborum decidant folia, nec vitibus quidem.* Et memini me Genuâ tranieuntem sub brumam vidisse arbores pomis ac fructibus onustas: vt prunis, alijs quidem maturis atque decoctis, aliis viridibus & acerbis. Porrò à poëtis, & Homero præsertim, celebrantur biferi Alcinoi horti, quibus nunquam folia, nunquam poma, decidebant. Et quanuis quod Homerus de Alcinoi hortis asserit, videatur (vt Iustinus Martyr in admonitorio ad gentes censet (dictum per imitationem eorum, quæ Moses de terrestri paradiso prodidit: cuius notionem Homerum ab Ægyptijs hausisse sentit idem Iustinus, cæterùm ex ijs, quæ in aliquot orbis partibus cernuntur, potuerunt ansam arripere poëtæ ad illos Alcinoi hortos eâ ratione confingendos.

Quod Poeta de Alcinoi hortis finxerunt, fuisse eos mutuatos ex ijs, quæ Moses de terrestri prodidit paradiso.

B Nihilominus nec Alcinoi horti, nec quæcunque alia fictio fuit à poëtis excogitata, exæquant hanc sacram de vitalibus arboribus fictionem, quæ & duodecim quotannis fructus per singulos menses proferant, & folia ad Gentium sanitatem perutilia habeant. Hoc quidem Apocalypsis ad Ezechielé desumpsit, nec ipsius Ezechielis notitiam assequi potuit Homerus. Licèt enim de tempore, quo Homerus vixit, multiplex sit scriptorum dissensio, vt in Eusebij Chronico videre est, inter omnes tamen conuenit Homerum Ezechiele fuisse antiquiorem. Nonnulli Homerum Sauli primo Israëlitarum regi coæuum efficiunt, alij ipsius ætatem multis posteà sæculis assignant. Omnes tamen multò ante Babylonis captiuitatem. atqui Ezechiel propheta eodem captiuitatis tempore floruit, & capitis 47. visionem textus exprimit accidisse anno vigesimo quinto à transmigratione Ioachim.

Homerus Ezechiele antiquior.

Sed vt ad rem regrediamur, cùm *lignum vitæ* dicitur, genitiuus ille *vitæ* perinde est, atque adiectiuum *vitale*, vt suprà dicebamus. Quod nomen ligno vel arbori adiunctum denotat immortales eos fieri, qui ipsius fructum edunt. Id quod compertum est ex allusione ad vitæ lignum Paradisi, de quo Genes. 2. 9. & cap. 3. 22. vbi Dominus ait: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum. Nunc ergo, ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ & comedat, & viuat in æternum. Et emisit eum Dominus de paradiso.*

Cur lignum hoc vitæ dicatur.

C Aliquis forsan opinabitur, hanc promiferarum arborum multitudinem Ioanni ostensam symbolum esse iustorum, qui in alijs Scripturæ locis arboribus huiusmodi comparantur. vt Psalm. 1. 3. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo: & folium eius non defluet: & omnia, quæcunque faciet, prosperabuntur.* Verùm tamen textus ipse non patitur, lignum vitæ in hoc loco iuxta eam accipi significationem: dicitur enim nu. 14. *Beati, qui lauant stolas suas in sanguine Agni: vt sit potestas eorum in ligno vitæ.* Ex quibus verbis manifestum est, esum ex arboris vitæ fructu pertinere ad iustorum beatitudinem. Vnde, cùm lignum vitæ in aliis Scripturæ locis immortalitatem adumbret (vt Genes. 2. & 3. & Proverb. 3. 18. & cap. 13. 12. & cap. 15. 4.) germana significatio est, vt in eodem sensu præsens hic locus accipiatur. Præsertim, quia in eadem Apocalypsi vsurpatur lignum vitæ secundùm hanc acceptionem: nimirum capite 2. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Vbi ad postremam hanc libri visionem respicitur.

Verùm per cælestes has arbores pomiferas iusti figurentur.

In præsenti ergo *fluuius aquæ vitæ*, & *lignum vitæ*, non duo sunt symbola omnino diuersa. Quemadmodum enim, (quod ad visionem attinet) aquæ ipsius felicitas perspicitur in arboribus vtrinque consitis, nec non in copia & bonitate fructuum ac virtute foliorum, quibus ornantur pariter & onerantur: sic etiam (quod ad mysterium spectat) sapientiæ à Deo suis familiaribus impertitæ tribuitur effectus ipsos beandi, & omnia cordis vota implendi, ac summa voluptate inebriandi, quod

D symbolicè denotat fluuius aquæ vitæ. Eidem etiam sapientiæ adscribitur immortalitas ipsismet collata, quæ per ligni vitæ symbolum importatur. Quippe visionem beatificam (qui perfectissimus est sapientiæ actus) necessariò consequitur summa voluptas, nec non immortalitas. Atque hæc duo aptissimè per potum vitæ ac cibum vitæ figurantur. Quia ex potu & cibo, potus quidem aptior videtur ad voluptatem indicandam, cibus autem ad vitæ sustentationem. nam in potione maior voluptas, in victu robustior alimonia reperitur.

Allusio in hoc Apocalypseos arbusto ad Ezechielis arbores. & quod sit vtrorumque discrimen.

Præter hæc, quanuis Apocalypseos arbustum arboribus Ezechielis respondeat, nihilominus Ezechielis visio (vt superiore versu vidimus) directè ad militantem Ecclesiam, at visio Ioannis ad triumphantem refertur. Quamobrem, quæ immortalitas per Ezechielis arbores adumbratur, tribuitur in hac vita per gratiam, quæ immortalitas est, (vt ita dicam) in semine & in virtute. Immortalitas autem, quam vitæ lignum in Apocalypsi significat, est propria immortalitas, qua Beati fruuntur: quod tamen non obstat, quominùs vocetur etiam immortalitas suo modo, quæ per gratiam confertur, & sic sæpè Christus in Euangelio loquitur.

Duodecim fructus, quos lignũ vitæ producit, quid significent.

Duodecim fructus applicari frequenter solent ad eos, quos Paulus ad Galatas 5. 22. appellat Spiritus sancti fructus, vbi duodecim enumerat per allusionem, vt videtur, ad Ezechielis locum. Huic tamen explicationi obstat, quòd Spiritus sanctus simul duodecim illos fructus communicat, atqui fructus duodecim Ezechielis & Apocalypseos per singulorum mensium successionem apponuntur. Quapropter aptior videtur fructuum duodecim significatio, vt per ipsos

Digitized by Google

denotetur, arbores semper nouis fructibus oneratas; huiusmodi enim solent gustui iucundiores esse. Mysterium autem inibi indicatum eiusmodi erit, in militanti Ecclesia (de qua Ezechiel loquitur) esse remedia, quibus semper perfecta ac noua renouatio mystica fiat, ita vt nihil pristinæ vetustatis omnino remaneat, item, in cælestis patriæ beatitudine (de qua Apocalypsis verba facit) immortalitatis renouationem esse semper ita perfectam, ac primo die, absque vllo vetustatis vestigio. A

Cur in cælo, vbi nulla infirmitas folia arborum dicantur ad sanitatem gentium? Prima difficultatis proposita solutio.

ET FOLIA EIVS AD SANITATEM GENTIVM] Hoc etiam ab Ezechiele petitum est, qui ait, *& folia eius ad medicinam*. At enim in cælo, inquies, nulli morbi, nullæ ægritudines sunt. Vnde licèt hæc foliorum virtus in Ezechielis visionem (quæ militantem adumbrat Ecclesiam, ritè quadret, in hac tamen extrema Apocalypseos visione, vt in Ecclesiæ triumphantis symbolo, non ita videtur ad rem.

Ad hanc difficultatem respondeo primò, meliora ac nobiliora medicamenta sunt, quæ ab omni morbo corpora animosque præmuniunt. Et ad perfectam immortalitatem, quam lignum vitę repręsententat, conducit patiter sanitatem conseruare: id ergo indicari potest per foliorum virtutem ad sanitatem gentium. Præterquàm quòd beatitudinis cælestis immortalitas Sanctorum corpora sanat à quolibet morbo aut cicatrice, quæ ipsis in hac mortali vita inerat, sicut etiam ab omni spirituali imbecillitate: ad quam virtutem significandam deseruit aptissimè mira foliorum medicinalium virtus. B

2. solutio.

Secundò respondeo, apud Ezechielem videntur folia referenda ad pia & efficacia verba, atque etiam ad Sacramenta. Quippe & in Sacramentis ac sacris cærimonijs & in verborum sanctorum efficacitate locum habet aptissimum foliorum sacrorum virtus ad Gentium sanitatem. Quamuis autem in cælo nec cerimoniæ nec Sacramenta nec hominum ægritudinem curatio per sancta & efficacia verba reperiantur: reperitur tamen gloria ijs omnibus respondens. Cumque vterque effectus ex admirabili sapientiæ euangelicæ virtute dimanarit, congruenter fingitur beatæ sapientiæ fluuius in suarum riparum arboribus eximia illa folia producere, quæ symbolicè repræsentent gloriam pijs huius vitæ cęremonijs, sanctisque verbis respondentem.

In foliis ligni vitæ sacras etiam cærimonias ac pia verba denotari.

His adiungo, fortè in medicis istis foliis, quæ paradisi cælestis arboribus adscribuntur, illud significari, sanctas nimirum cerimonias ac pia verba, quibus Catholica Ecclesia in hac vita decoratur, esse quodammodo folia vitalis arboris, qua perfruuntur Beati. Sic enim dixit Petrus, verba Christi esse vitæ æternæ verba, id est, quasi folia ligni vitæ, quod æternæ & immortalis vitæ gerit symbolum. Similiter etiam sancta Ecclesia Sacramenta ac cerimoniæ sunt quodammodo vitę æternæ cęrimoniæ & Sacramenta. Certè nemo prudens negabit huiusmodi loquutionem elegantiæ & energiæ esse plenam. Atque id ipsum, quod per hanc loquutionem significamus, potuit non ineptè figurari ex eo, quòd arbori vitæ in cælesti patria cõsitæ folia tribuantur salutaria, quibus Ecclesia militans fruitur; quasi inde ad nos cælestia hæc folia mittantur. Mirificè autem congruit, quòd sacris cærimonijs pijsque verbis symbolum foliorum tribuatur: folia enim & fructus conseruant, & arbori pulchritudinem addunt. ita etiam gratiæ immortalitas sanctis cærimonijs externo cultu & sanctis etiam verbis conseruatur: quæ omnia in mirum Ecclesiasticæ sapientiæ & sanctitatis ornatum redundant. C

TEXTVS.

Vers. 3. Et omne maledictum non erit amplius, sedes Dei & Agni in illa erunt, & serui eius seruient ei.

COMMENTARIVS.

Vtrùm verba isthæc à Ioanne in propria persona an ab Angelo ipsi alloquente proferantur.

DVbitari posset, vtrùm in hoc versu & in duobus sequentibus loquatur Angelus, qui hæc Ioanni ostendebat, an verò Ioannes ipse ex ijs, quæ viderat, has sententias elicuerit atque expenderit. Verùm textus ipse omnem dubitationem tollit: ait enim versu 6. *Et dixit mihi: Hæc verba fidelissima sunt.* Vnde constat, cum Ioanne sermonem conferere Angelum illum, qui extremam hanc visionem illi indicabat. Illa ergo verba priora, *omne maledictum non erit amplius*, aptissimè connectuntur cum ijs, quæ de medicinali foliorum virtute prædicta erant. Si enim tanta est, tamque salutaris foliorum efficientia (cuius significationem in priori explicatione expressimus): in cælo ergo nullus membris aut oculis captus, nullus morbus aut ægritudo, non fœditas, non peccatum, non mors, non debilitas reperientur, non denique aliquid ex illis, quę sub maledicti nomine comprehendi queunt, id est, quę diras alicui deuouendo homines imprecari aut solent, aut possunt. Sicut enim, qui alteri benedicit, omnia ei bona potest precari, ita etiam qui maledicit, potest quodvis imprecari malum. D

Deinde maledicto opponitur perfecta benedictio, id est bona omnia, quæ ad vera gratię & glorię bona rediguntur. Magna autem gratia ea est, Christum & ęternum eius Patrem in Beatis suum habere thronum, & ab ipsis perfectè & cumulatè suspici atque coli. Atque id explicatur in reliquis huius versiculi verbis, scilicet *sedes Dei & Agni in illa erunt, & serui eius seruient ei.* Sequenti verò versu in summam reducitur ingens iustorum gloria, id est glorię bona.

Digitized by Google

A

TEXTVS.

Vers. 4. Et videbunt faciem eius & nomen eius in frontibus eorum.

COMMENTARIVS.

HVius versiculi cum præcedenti nexum iam suprà explicuimus. Et quidem cùm Beatorum gloria in Dei visione consistat, qui ipsum in cælesti patria vident, illi eum perfectè glorificant, & se ipsius seruos imprimis profitentur. Id quod significatur Dei nomine in eorum frontibus inscripto, vt sæpiùs dictum est. Videntur tamen (vt id obiter attingam) hæc verba alludere ad summi Sacerdotis antiquæ legis laminam, quam fronte gestabat: de qua Exodi 28. 36. *Facies & laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere calatoris, sanctum Domino. Erit autem lamina semper in fronte eius, vt placatus sit ei Dominus.* Qua ratione fortè denotatur, Sanctos in cælesti patria degentes patronos esse & aduocatos eorum, qui in hac mortali vita morantur, & hanc ad rem ipso Aarone potentiores esse. Hanc autem Sacerdotalem dignitatem mox regia consequitur.

Dei nomen, in Beatorum frontibus impressum quid significet.

B

TEXTVS.

Vers. 5. Et nox vltrà non erit: & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis: quoniam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in sæcula sæculorum.

COMMENTARIVS.

HÆc sententia superiùs est explicata. Solùm hic obseruanda ipsius cum præcedenti connexio, nam in gratiæ atque gloriæ bonis perfruendis nulla est in cælesti patria intermissio aut abruptio, illa enim glorioſissima fælicitas nunquam aut finienda est, aut intermittenda.

TEXTVS.

Vers. 6. Et dixit mihi: Hæc verba fidelissima sunt & vera. Et Dominus Deus spirituum prophetarum misit Angelum suum, ostendens seruis, quæ oportet fieri
C citò.

COMMENTARIVS.

QVanquam vniuersa Apocalypsis concipienda est veluti spectaculum quoddam siue actio, cuius fuit vnus editor, nempe Angelus ille, de quo sermo est capite 11. huius tamen spectaculi variæ sunt partes & veluti scenæ, atque adeò varij sunt Angeli, qui in admirabilem hanc actionem inducuntur, vt liquidò cernitur in tubarum Angelis, & in Angelis phialarum. Porrò vidimus iam in superioribus, duos fuisse Angelos diuersos, qui Ioanni Babylonis ruinam prædixerunt, videlicet Paulum & Petrum: & horum primum fuisse, qui Ioanni cælestem ostendit Ierosolymam. Paulus ergo est, qui in præsenti cum Ioanne loquens inducitur. Quod autem ait, *Hæc verba fidelissima sunt & vera*, videtur peculiariter spectare ad superiorem de cælestis patriæ fælicitate sermonem: & de huiusmodi prophetia loqui existimandus est, cùm ait, eam citò fore implendam. Quanuis enim verè etiam dici potuerit totius Romani imperij conuersio citò esse præstanda, consideratâ rei ipsius & expeditionis magnitudine: hic tamen Ioannē alloquitur, qui supernæ ciuitatis gloriam ei ostendebat: tanquam vaticinium de ea gloria, quæ in cælo Romanam manebat Ecclesiam: qui gloriæ triumphus erat proximus ijs ipsis, qui tunc in hac vita degentes, mox cælesti beatitudine erant in cælo fruituri. Cum ergo ad hunc Apocalypseos scopum spectabatur, perinde erat quasi spiritum ac medullam complurium veterum prophetiarum intendere. Ideò enim Angelus eà vtitur phrasi, *Dominus Deus spirituum prophetarum*, &c.

Horū verborum fidelitas ab angelo asserta quorsum spectet?

D

TEXTVS.

Vers. 7. Ecce venio velociter. Beatus, qui custodit verba prophetiæ huius libri.

COMMENTARIVS.

VErba sunt Domini Dei spirituum prophetarum, de quo Angelus in versu antecedente loquebatur. Sensus autem est, immensam ipsius maiestatem citò ac properè venturam, vt iustorum singulos ipsius causâ ærumnosè & ignominiosè ab inimicis acceptos, debitis præmijs remuneret, & secum ad æternam illam fælicitatem deferat, quæ in extrema libri huius visione continetur. Hunc esse loci huius sensum liquet ex verbis infrà positis num. 12. *Ecce venio citò, & merces mea mecum est.* Iam quod subijcitur, *Beatus qui custodit verba prophetiæ libri huius*, explanatum à nobis est cap. 1. vers. 3.

Quem ad finem dicat Deus se venire velociter.

Digitized by Google

A

TEXTVS.

Vers. 8. Et Ego Ioannes, qui audiui & vidi hæc. Et postquam audijssem & vidissem, cecidi vt adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendebat.

9. Et dixit mihi, Vide ne feceris: conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum prophetarum, & eorum, qui seruant verba prophetiæ libri huius. Deum adora.

COMMENTARIVS.

Verba illa, Et ego Ioannes, qui audiui, &c. esse quasi proprij nominis subscriptionem.

PRiora illa verba; ET EGO IOANNES QVI AVDIVI ET VIDI HÆC,] sunt veluti proprij nominis subscriptio, quâ ad tabulæ calcem suppositâ confirmat scriba atque testatur, quidquid in toto codice aut tabella scriptum continetur. Quod autem sequitur, Ioannem venerabundum ad Angeli pedes procidisse, & ab eodem fuisse prohibitum, id iam expositum suprà est capite 19. 10. vbi aduertimus, quod ibi cum Petro accidit Ioanni, idem hic cum Paulo accidisse.

B

TEXTVS.

Vers. 10. Et dicit mihi, Ne signaueris verba prophetiæ libri huius: tempus enim propè est.

COMMENTARIVS.

Allusio ad Danielis locum per oppositum sensum facta.

DAnielis 8. 26 legimus: *Tu ergo visionem signa, quia post multos dies erit.* Quam autem visionem Danieli præcipit Angelus vt signet, est vaticinium de victoria Alexandri ex Antiocho comparanda, nec non de persequutione contra Israeliticum populum excitandâ per vnum ex Alexandri successoribus, nempe Antiochum Epiphanem: de qua persequutione Daniel in sensu proximo loquitur cap. 12. atque illi edicitur num. 4. *Claude sermonem & signa librum.* Et subditur num. 9. *Clausi sunt signati sermones vsque ad præfinitum tempus.*

Difficultas in vtriusq; loci tam Ioannis, quam Danielis, intelligendi tia,

Ex his ergo locis consurgit in præsenti difficultas. Etenim si signari iubetur vaticinium de rebus post annos circiter trecentos explendis: multa continet Apocalypsis, quæ nec trecentis annis, nec etiam quadringentis erant implenda. Adde, quòd Ieremiæ 32. 10. & 11. signatur scriptura possessionis agri, quem emit Ieremias: quia scriptura illa non erat vsui futura, donec populus Israeliticus ex Babylonis captiuitate rediret: id quod post vnum, & septuaginta annos accidit, Tabulæ enim confectæ sunt anno decimo regis Sedeciæ, vt ex ipso contextu deducitur. Patet ergo ex illo Ieremiæ loco. ad codices signandos satis esse annorum octoginta dilationem. Cur ergo iubetur, Ioannes, ne Apocalypsin obsignet, cùm constet multa inibi contineri, quæ plus ducentis annis non erant implenda? Præterea Apocal. 10. 3. edicitur Ioanni, *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua.* Qui ergo nunc ei præcipitur, *Ne signaueris verba prophetiæ libri huius, tempus enim propè est?* nam hæc temporis appropinquantis ratio videbatur etiam vrgere in septem tonitruorum prophetia, quæ inter Apocalypseos prophetias est vna, atque adeò ex ijs, quæ citiùs erant implendæ. C

Nonnulla ante proposita difficultatis enodationē præmittenda.

Vt de horum argumentorum enodatione clariùs constet, & Ioannis verba pleniùs intelligantur, aduerto primò, ex Ieremiæ & Danielis locis constare, scripturas earum rerum quæ citò erant operæ præstandæ, non obsignari solitas: quæ verò in longinquum protrahebantur tempus, eas vtique signari consueuisse. Secundò aduerto, quanuis in Daniele & in Apocalypsi ad veterem alludatur morem: non tamen de proprio sigillo in eis fieri mentionem. Nec enim iubetur Daniel suam prophetiam ita obsignare, ne legi ab alijs possit. Sed sub hac allegoria docetur Propheta, fidelem populum ex ea reuelatione nihil sibi emolumenti percepturum, nec eam intellecturum, quoad multi præterean anni: nimirum quando aut ipsum compleatur vaticinium, aut posteà fortassis. Ex quo reijcitur Aretæ & aliorum expositio. qui putant, cùm Ioanni imperatur, ne hanc signet prophetiam, perinde fuisse, ac si iuberetur Apocalypsim propalam omnibus legendam proponere: quasi verò non etiam Daniel suum vaticinium ab alijs legendum conscripserit. Tertiò aduerto, si fortè expediret, scripturam aliquam quotidie legi, & mox ex ea fructum percipi, congruens tunc maximè esse, ne signaretur, quantunuis post annos plurimos foret ipsius prophetia exequutioni mandanda. Quartò denique, quòd Scripturæ alicuius lectio magni intersit, in eo consistit, vt ex eo ipso tempore possit emolumentum ex ipsa lectione percipi. D

Obiectioni suprà posita satisfit.

His ergo præmissis ad obiecta respondeo: illa Danielis prophetia erat quidem liber Israelitico populo obsignatus, quoad ipsius veritas in Alexandri victoria atque triumpho, nec non in Antiochi persequutione fuit reapse comprobata. At Apocalypsis licèt clausa & obserata sit, ipsius tamen lectio erat ab eo ipso tempore Christianæ Ecclesiæ vtilissima. Quamuis enim non satis percìperentur ipsius series ac filum, nec legitimus sensus multarum ex ijs prophetijs, quæ inibi continentur: semper tamen fidelibus compertum fuit in hoc libro contineri multa, ex quibus singulares homines possunt vtilitatem capere: quippe quas in se prophetias complectitur, licèt ex ijs aliquę respectu totius Ecclesiæ essent intellectu difficiles, & in longinquum tempus differrentur, singulorum tamen hominū comparatione terminus ipse breuissimus est: nec minùs est euidens fælicitas

quæ

Digitized by Google

A quæ in hoc libro promittitur Christi seruis, nec non supplicium grauissimum, quod ipsius hostes manet. Huius autem doctrinæ solatium atque vtilitas generalia sunt Quapropter vt constaret, quãtunuis obscurus videretur liber, plurimum tamen fidelibus consolationis & emolumenti habere, ideo Ioanni indicitur, ne librum obsignet.

Cur Danieli edicatur, vt librum obsignet, Ioanni verò, ne obsignet prophetiam?

Iam, quòd dictum Danieli sit, vt librum obsignet, Ioanni verò, ne obsignet prophetiam, ratio discriminis est: quia licèt Daniel non adeò sit obscurus, vt Ioannes: eo tamen tempore conscripsit, quo pro obscuris habebantur vel ipsa, quæ ex se perspicua erant: & ex ea prophetiæ parte, quam signare iubebatur, non tunc erat fructus decerpendus, sed futuris posteà temporibus, Ioannes autem quanuis obscuriùs suam prophetiam literis mandauerit, eo tamen scripsit tempore, quo Deus suæ sapientiæ lucem Ecclesiæ communicarat; & quando obscuriora etiam ex hac Dei luce splendorem accipiebant, & vtilitatem pariter atque solatium afferebant Ecclesiæ. Quamobrem dum Danieli præcipitur, vt suam obsignet prophetiam, perinde est ac si iubeatur patienter ferre, donec tandem decursu temporum fideles ex ipsius vaticinio emolumentum percipiant. Dum autem prohibetur Ioannes signare prophetiam hanc, admonetur pariter, ne existimet ipsius librum, quantunuis ænigmaticum & intellectu difficilem, non ideo perutilem fidelibus fore. Quare à Daniele patientia exigitur: Ioanni verò ingentis lætitiæ materia præbetur. Atque vt hypothesin ad thesin reuocemus, Scriptura Sacra & cælestis sapientia erat magna ex parte clausus liber, atque signatus ad Christi vsque aduentum: at postquam Christus suæ Ecclesiæ cælestem impertiuit Spiritum, obscurior Scripturæ & diuinæ sapientiæ pars pro libro iam aperto ob rationes prædictas reputatur. Ad hæc, in Apocalypseos filo deducendo, & verâ totius libri intelligentiâ, percipienda, non dubito; quin Ioannis discipulis & illius temporis Doctoribus fuerit à Deo lux oborta. Itaque liber non omnino restitit clausus: quanuis verum sit, qua ratione Apocalypsin fuisse vulgò obscurissimã, eadem etiam oportuisse, ne Ioannis discipuli de huius libri ænigmatum expositione multa conscriberent.

B

Quid in hoc libro obsignatum permanserit.

Denique illud in hoc libro resignatum permansit, ipsius scilicet doctrinæ substantia ac veluti summa, id est, singularis Dei prouidentia de Christianæ Ecclesiæ successibus, nec non ipsius Ecclesiæ victoria de suis hostibus comparanda, & Iustorum præmium à Christo Iesu conferendum. Propterea igitur Ioanni dicitur *Ne signaueris verba prophetiæ libri huius*: quia licèt obscurissima libri huius ænigmata permanserint, ipsius tamen doctrina non remanebat signata: quando illam Deus suæ Ecclesiæ ita plenè & cumulatè tum in hoc libro, tum in alijs impertierat. Eandem etiam ob causam dicitur in ipso Apocalypseos limine atque vestibulo, Deum Christo Domino Apocalypsin reuelasse, *vt palam faceret seruis suis, quæ oportet fieri citò.*

Ad illud quod ex cap. 10. 3. suprà obiectum est, *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua*, Respondeo, signandi verbum ibi æquiuocè poni. agitur enim de silentij sigillo, vt patet ex contextu: namque statim additur, *Et noli ea scribere.* Et fieri quidem potuit, vt peculiaris vrgeret ratio, cur aliquid inuolueretur silentio, quanuis citò foret implendum. Præterquàm quod per septem illa tonitrua figurabatur oppugnatio, qua Deus Gentibus & ipsarum capiti Romæ Ethnicæ illaturus erat bellum, quoad ipsam Ecclesiæ subiiceret. Quod quanuis pro expeditionis ipsius magnitudine citò fuerit implendum, multò tamen citiùs erat euenturum, quod ad singulos spectabat. Atque id indicat illa Apocalypseos vox *prope*, vt ab ipso Christo explicatur nu. 12. dum ait, *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundùm opera sua.* Certè illud *vnicuique* ad singulos homines habet respectum,

C

TEXTVS.

Vers. 11. Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc: & qui iustus est, iustificetur adhuc: & sanctus, sanctificetur adhuc.

12. Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundùm opera sua.

D

COMMENTARIVS.

Quo sensu dicatur. Qui nocet, noceat adhuc &c. Prima aliorum explanatio.

QVI NOCET, NOCEAT ADHVC, &c.] Ribera & Viegas ita explicant, vt dum mortalis hæc vita durat, vnicuique facultas sit agendi quidquid iubeat. hoc est, aut magnos in virtute progressus faciendi, aut vitijs se ac sceleribus laxis habenis tradendi. Addit Ribera, sub ijs verbis, *Qui nocet, noceat adhuc*, &c. latère ironiam, sicuti Ecclesiastes 11. 9. *Lætare ergo iuuenis in adolescentia tua, & ambula in vijs cordis tui*, &c. In hac tamen explicatione non conquiesco. Si enim agitur de libera potestate cuique permissa, cur potiùs de libertate ad perseuerantiam in bono siue in malo, quàm vt ex bono in malum aut ex malo in bonum transeat?

2. Interpretatio, quæ & Auctori probatur.

Quapropter ita existimo, Christũ hoc in loco verba facere ad suos fideles, (qui tunc ab Ethnicis oppugnabantur) eosque ad perseuerantiam accendere certissima ingentis præmij citò conferendi expectatione. Ait ergo Christus, quemadmodum persequutores in sua obstinatione pertinaces iram sibi in dies thesaurizabant, ita etiam iustos ipsos ad perseuerantiam excitari atque incendi debere, vt plurimum sibi meriti atque præmij in dies singulos thesaurizent. Itaque phrasis illa, *qui necet, noceat adhuc*, comparatiua est, & sensum reddit huiusmodi: sicut ille, qui nocet, nocere

Digitized by Google

pergit, sic qui sanctus est, sanctificari pergat. Aliquando enim imperatiuus non præcipientis est, sed comparantis, aut id quod fieri solet, indicantis. Sic Hispano prouerbio dicitur, *Haz mal, y guarte.* perinde ergo est, ac si dicatur quando aduersarius & persequutor deteriùs se & immaniùs gerit, tunc iustus vir in sanctitate magis magisque crescere & eminere studeat. hoc enim pacto tum persequutorum supplicium, tum præmium iustorum ad suum tandem cumulum perueniet. A

Duplex sceleratorum, & duplex etiam iustorum genus hisce in verbis assignari.

Præter hæc, hac in comparatione duo peccatorũ hominum genera, & totidem iustorũ attinguntur. Ex peccatoribus quidem alii non sibi solùm sunt improbi in peccatorum sordibus se volutando, sed etiam in alios iniusti atque tyranni, damnum ac perniciem Reipublicæ inferentes: alij verò licèt alteri non noceant, vitia tamen ac libidines ita amplectuntur, vt in ipsis turpiter inhæreſcant, atque de his dicitur, *Qui in sordibus est, sordescat adhuc.* His autem duobus prauorum hominum generibus opponuntur duo alia genera iustorum: quorum alij Iusti vocantur, alii Sancti. Hi autem postremi sunt, qui minimè contenti iniuriam nemini irrogare, aut nullum diuinæ legis violare præceptum, rebus in omnibus ad maiorem perfectionem & sublimiorem Dei gloriam adspirant. Vtramque igitur iustorum sortem Apocalypsis hortatur, vt quælibet pro suæ vocatione ratione diuinæ gratiæ respondeat & merita diligenter accumulet, quemadmodum improbi in sua nequitia persistentes demerita atque flagitia quotidie congerunt. B

Vers. 12. ECCE VENIO CITO, &c.] Verba hæc suprà iam explanauimus. Porrò contextus ipse, vt patet, aptissimus est. Nam ad iustorum exhortationem, vt in sua iustitia perseuerent, nihil aptius, quàm Christum citò esse venturum, vt singulis secundùm cuiusque opera reddat. Particulam autem *citò* ad particulare iudicium constat referendam.

TEXTVS.

Vers. 13. Ego sum A. & Ω. primus & nouissimus, principium & finis.

COMMENTARIVS.

DE his verbis vide suprà dicta cap. 1. versu 8. vbi diximus horum verborum sensum hunc esse, scilicet Christum esse, qui suæ Ecclesiæ fundamenta iecit, ipsumque suum opus prouecturum: nam qui cœpit, ipse perficiet. Quo quid aptius ad fidelium solatium in mediis persequutionibus. C

TEXTVS.

Vers. 14. Beati qui lauant stolas suas in sanguine Agni, vt sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem.

COMMENTARIVS.

Verba illa in sanguine Agni, exprimi in textu debere.

VErba illa, IN SANGVINE AGNI] deerant in plerisque codicibus: eaque non esse huius contextus propria, senserunt Louanienses. existimantes illa ex cap. 7. huc fuisse translata. Pluris tamen facienda est Vaticana correctio, quæ verba hæc textui restituit. Et quidem cùm vera lectio sit, *Qui lauant stolas suas,* Agni sanguis est, quasi smegma siue sapo, quo abluuntur ac detergentur; & quamuis expressum id in textu non foret, subaudiri saltem deberet. Vnde meliùs habet, si ita expressè legatur, sicuti cap. 7. 14. Quòd autem verba illa, *in sanguine Agni*, fuerint ab hoc textu detracta, inde videtur exortum: quòd nonnulli suspicati fuerint, veram Græci textus lectionem hic non esse πλύνοντες τὰς στόλας αὐτῶν, vt legit Vulgatus, sed ποιοῦντες τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ, id est *qui faciunt præcepta eius*, quæ frequentior est apud Græcos codices lectio, quam Cyprianus & Aretas sequuti sunt. Verùm Latinorum omnium codicum in hac re consensio manifestè indicat veram legitimamque Græcorum lectionem fuisse πλύνοντες τὰς στόλας id est, *qui lauant stolas.* Tametsi autem vtrique lectioni suus sit sensus non ineptus, Latina tamen editio sensum Christo Domino gloriosiorem continet. Cùm autem nemo sit, qui non ob naturæ fragilitatem delinquat, inde est nobis omnibus opus esse, quò in cælum ingredi possimus, vt nostrorum peccatorum maculas sanguine Agni eluamus: alioquin nemini in cælum patebit aditus. D

VT SIT POTESTAS EORVM IN LIGNO VITÆ] Cum his verbis cohærent, quæ diximus suprà versu 2. Potestas verò in præsenti est ius fruendi ligno vitæ, quia Græcè est, ἐξουσία

ET PER PORTAS INTRENT IN CIVITATEM] His indicatur, ab Angelis ad vrbis portas adstantibus aditu fore interdicendum ijs, qui stolam in sanguine Agni ablutam non attulerint. Memini autem me suprà dixisse, quamuis frequentior Latinorum vsus stolam non vocet, nisi vestem muliebrem, in sacris tamen Literis sæpè pro virili veste vsurpari: præsertim cùm de honorata & gloriosa veste sermo est. Præterea suspicabitur aliquis, in hoc versu contineri hysteron proteron, siue præposterum ordinem, quia prius est in ciuitatem ingredi, posterius frui ligno vitæ. Respondeo tamen prius esse ius fruendi ligno vitæ, quàm ipsum in ciuitatem ingressum.

TEXTVS.

Digitized by Google

A

TEXTVS.

Vers. 15. Foris canes & venefici & impudici & homicidę & idolis seruientes, & omnis qui amat & facit mendacium.

COMMENTARIVS.

IN terrenis vrbibus patêre solet aditus, vt eò ingrediantur canes, in cælesti & glorioſa ciuitate nõ item. Notandum tamen est in hoc versu, nomen canis metaphoricè, cetera propriè vsurpari. Vnde aliquis fortasse coniectabit, canis metaphoram per nomina sequentia explicari. Magis tamen placet, vt canes appellentur ij, qui Christianæ religioni oblatrabant, id est, persequutores omnes, qui rabie efferati in Catholicam Ecclesiam acerrimè inuehebantur, & sacri baptismatis aquam oderant. Rabies enim in ea aquæ odio ac detestatione consistit. Sensus ergo est, *foris canes*, id est, persequutores Ecclesiæ, & foris etiam omnes *Venefici & impudici & homicidæ*, &c. Licet etiam non persequantur. Quòd verò per canes appositè designentur ij, qui in Christum & eius Ecclesiam tenacissimè latrant, adnotatum est ab Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Hilario, & Eucherio, apud Lauretum in Sylua verbo, *Canis*. *Quinã hic canum nomine significentur.*

B

Ribera existimat eorum vitiorum maximè meminisse Ioannem in præsenti, quæ Antichristi tempore magis vigebunt. Hoc tamen perinde est, atque statuere præcipuum Apocalypseos argumentum de Antichristi temporibus esse, à quo sensu nostra acoluthia valde abhorret. generatim ergo loquitur Ioannes.

TEXTVS.

Vers. 16. Ego Iesus misi Angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesijs. Ego sum radix & genus Dauid, stella splendida & matutina.

COMMENTARIVS.

VT Christus confirmet, quæ antecesserant de incredibili iustorũ fælicitate in cælesti patria & impiorũ exclusione, ait nunc, misisse se suum Angelum, id est eum, qui Ioanni cælestem Ierosolymam ostendit: quem fuisse B. Paulum aliàs diximus. Et tam in hac reuelatione, quàm in suis epistolis & concionibus, satis confirmat Paulus gloriæ magnitudinem, quæ iustos omnes in cælesti regione manet.

C

EGO SVM RADIX ET GENVS DAVID] Ambrosius, Rupertus, & alij complures interpretantur, Christo, qua Deus est, congruere esse Dauidis radicem, quòd Dauidem creauerit: esse verò ex Dauidis genere, illi quadrare, quà homo est: quia Dauidis extitit filius. Hanc tamen distinctionem Aretas & Ribera non probant. Nam si genus esse Dauidis, idem est, atque ex Dauidis esse genere, esse radicem Dauidis idem similiter erit, quod esse ramum ex Dauidis radice. Christum autem appellari Dauidis genus, quòd prout homo à Dauide ducat originem, fatentur etiam Ambrosius & Rupertus; & constat loquendi modum esse in sacris Literis receptum. Qua ratione Virgilius suum Æneam Deorum genus plerunque vocat. Adhuc tamen difficultate non caret phrasis illa *radix Dauid*, vt significetur Christus ex Dauide genus ducere. Nam imprimis videtur loquutio non ita in sacris vsitata. Deinde quorsum hìc cum stellæ matutinæ metaphora coniungitur Christum esse radicem & genus Dauidis? Nec enim satis est, vt doceat explicatio, Christum esse verè radicem atque genus Dauidis, verè etiam stellam matutinam nominari: nisi ostendat quoque duo hæc appositè copulari, & huiusmodi coniunctionem esse ad præsens institutum aptissimam. *Quo sensu Christus appellet radicem & genus Dauid.*

Consulat lector, quæ diximus cap. 5. num. 5. vbi Christus similiter nuncupatur *radix Dauid*: & inibi etiam diximus, Christum in hac loquutione comparari generosæ radici sub terram abditæ & suo tempore eximium producenti fructum, significari autem hoc pacto, cùm Dauidis regnum videbatur extinctum, tunc reconditam superesse radicem, vbi minùs suspicabantur homines: & contemptam licet ab ipsis atque protritam, fructum tamen deinceps procreasse, ipsius virtute & diuino vigore satis dignum, atque ab ipsa fælicitatis arborem exortam fuisse. Hunc sensum roborat duplex Græcus articulus duplici radicis & generis nomini affixus. Quibus articulis denotatur Christus esse ille Dauidis filius promissus, cui Dauidis ipsius solium erat destinatum, & ad quem etiam spectabat eorum omnium complementum, quæ in Dauidis regno & in eius filio Salomone figurabantur. Videat etiam lector, quæ de stella matutina scripsimus, c. 2. n. 28. vbi statuimus Christum propterea nuncupari stellam matutinam, quia in medijs ipsis laboribus & persequutionibus suos reficit & consolatur firmissima Solis quàm mox orituri expectatione, id est, maximæ prosperitatis spe citò subsequutæ. *Quam inter se habeant proportionem duplex hoc Christi elogium radicis & generis Dauid.*

D

His ita præstitutis, duo illa Christi elogia (nempe & esse radicem ac genus Dauidis, & stellam esse matutinam) miram inter se congruentiam, & proportionem cum toto Apocalypseos scopo seruant, & præsertim cum horum duorum capitum visione. Vt enim corroboretur spes iniecta de futura Christianæ Ecclesiæ magnitudine, asseritur imprimis Christum esse verum Messiam, cui promissum

Digitized by Google

promissum erat mysticæ Hierosolymæ regnum in Dauidis imperio figuratum: ac proinde nihil dubitationis superesse, quin mysticæ Hierosolymæ amplitudo prophetiæ huius libri sit responsura. Et A
benim, si *omnia in figuris contingebant illis*, si Hierosolymæ item maiestas & rerum affluentia fuit adeò ingens, vt Christianam adumbraret Ecclesiam: ad Dei fidelitatem pertinet, vt Christi Ecclesia ad totam illam perueniat amplitudinem, quæ in huius libri vaticinio fuit hactenus significata. Pro huius ergo rei significatione mirificè Christus Dominus hanc claudit visionem, asserens se esse illã Dauidis radicem atque genus: in quo & antiquæ figuræ, & Dei pollicitationes sint reipsa cumulatissimè implendæ. Et iuxta hunc sensum potest etiam explicari, quòd Christus sit filius Dei, vt exponunt Ambrosius, Rupertus, & alij quippe Messias non ex qualibet oriturus erat radice, sed de illa, ex qua dimanauit tota illa virtus ac vigor, quem præ se tulit Dauidis regnum sub ipsius Dauidis ac Salomonis tempus: vt hac veluti vmbra figuraretur fœcunda mox proles inde nascitura.

Quid figuret hic stella matutina, & qua ratione radicis translatione subiungatur.

Ceterùm transeamus oportet ad stellam matutinam: & videamus qua ratione hæc metaphora priori subiungatur? Si ergo, vti diximus, stella matutina innuit solis claritatem propè esse, ac proinde Ecclesiam quantunuis oppugnatam, Christi tamen doctrina ac promissione securam reddi de suæ gloriæ magnitudine quàm mox futura, nihil potuit ad eam rem significantius adduci, quàm stellæ matutinæ symbolum. Et quanuis hæc metaphora præcipuè referatur ad magnæ claritatis atque gloriæ promissionem, qua Ecclesia in cælesti regno perfruetur, extenditur etiam significatio ad promissionem ingentis gloriæ, quæ Christi Ecclesiæ futura erat in terris post deuictam Romam Ethnicam & Romanum Imperium subiugatum. Si enim stella matutina promittit claritatem solis: hæc eadem solis claritas vtramque ad rem protenditur, vt vidimus ca. 1. 16. in ijs verbis, *& facies eius sicut sol lucet in virtute sua.* B

TEXTVS.

Vers. 17. Et Spiritus & Sponsa dicunt, Veni. & qui audit, dicat, Veni. & qui sitit, veniat. & qui vult accipiat aquam vitæ gratis.

COMMENTARIVS.

Spiritus hic & sponsa quid denotent.

STellæ matutinę nomen, quod superiore versu fuit inditum Christo, ostendit maximam Ecclesię felicitatem, tum in hac vita, tum in cęlesti futuram. Vtraque autem felicitas congruenter per Christi aduentum indicatur. Nam in Romę & Romani Imperij conuersione significanter dicitur Christus ad suam Ecclesiam illustrandam aduenisse, & in Sanctorum etiam obitu aptè dicitur aduenisse Christus, ad eos in cęlum perducendos. Optare ergo atque precari, vt Christus adueniat, ad vtrumque debet aduentum referri. Christus igitur in hoc loco ait, ab Spiritu sancto è cęlo in Ecclesiam misso, & ab spiritu etiam huius libri atque Ecclesię doctrina nos edoceri, vt duplicem illum Christi ipsius aduentum vehementer exoptemus, qua doctrina auditorem excitari, vt totius Ecclesię clamorem suis votis ac precibus comitetur, atque in eodem Christi sensu dicat, *Veni Domine Iesu.* C

ET QVI SITIT, VENIAT] Quasi dicat, dum Christum deprecamur, vt ad nos appropinquet, nos pariter ipsos debemus per ipsius gratiam & erigere & excitare, vt spiritalibus gressibus illi procedamus obuiam, accensi & inflammati ipsius glorię desiderio, nec non auiditate aquam vitę potandi. de qua suprà n. 1. & Isaię 55. 1. Qui autem huiusmodi siti ac vehementi desiderio æstuauerit, ei promittitur aquę vitę potus. Atque obiter perstringitur, illius aquę potum tantę felicitatis esse, & nobis tam vili constare, vt iure optimo dicatur nil aliud laboris ac difficultatis in ea aqua acquirenda nobis superesse, quàm vt sitientes ad eius potum properemus.

TEXTVS.

D

Vers. 18. Contestor enim omni audienti verba prophetiæ libri huius: Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.

19. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate sancta, & de his, quæ scripta sunt in libro isto.

COMMENTARIVS.

Horum verborum cum præcedentibus connexio qua sit.

NOnnihil difficultatis habet horum verborum consequentia cum antecedentibus. Vt autem difficultatem subterfugiat, non deerit, qui particulam *enim* asserat non hîc causalem esse, sed affirmatiuam. Enimuerò si causalis vim illi demas, nulla videtur superesse connexio inter horum verborum sententiam & superiorum, vt animaduertet, qui textum sine illa particula legerit, & consuluerit interius aurium iudicium. Videtur autem opus esse, vt hęc sententia cum precedentibus aliqua ratione connectatur.

Censeo igitur, particulam *enim* causalem hic esse, iuxta frequentiorem ipsius vsum, ac proinde referri ad id, quod proximè antecessit de aqua vitæ gratis volenti & poscenti elargita. Potest enim huiusmodi

Digitized by Google

A huiusmodi esse contextus; Qui voluerit, accipiet aquam vitæ gratis, accipiet, inquam, gratis quia in hoc libro asseueratur, ciuitatem cælestem vitalis aquæ flumine frui, eamque fælicitatem volenti & optanti gratis offerri, & quidquid hoc in libro continetur, adeò certum est, vt verissimè pronuncietur, Væ, aduersus eum, qui eius verbis aliquid aut addere, aut minuere ausit. Prudentissimè verò cum affirmatione illius sententiæ de aqua vitæ volenti gratis oblata coniungitur eorum omnium affirmatio, quæ liber iste complectitur. quippe ad libri huius calcem congruenter apponitur magna hæc & generalis omnium in eo scriptorum affirmatio.

Sed dicet aliquis, valde esse rigidam hanc comminationem, quam subijcit textus. Respondeo, non esse intelligenda de quolibet additamento seu detractione, quæ absque vlla pertinacia in vno aut altero verbo fiat, sed de additione seu diminutione, quæ huius libri doctrinæ opponatur, adijciendo, aut subtrahendo verba aliqua siue doctrinam, quæ doctrinæ euangelicæ, quam Catholica profitetur Ecclesia, aduersetur. Et quamuis alia possent exempla proponi, nullum tamen est magis idoneum, quàm quod spectat ad præcipuum libri huius scopum de suprema Romanæ Ecclesiæ magnitudine & auctoritate, qua ceteris orbis totius Ecclesijs dominatur. Hæc enim est libri huius doctrina. Vnde qui Romanæ Ecclesiæ auctoritatem abnegant aut derogant, illi adimunt de libri huius verbis, qui verò alijs peculiaribus Ecclesijs eam volunt auctoritatem deferre, quam liber hic attribuit Romanæ, illi ad verba libri huius apponunt. Similiter dico de ijs, qui libri huius auctoritatem inficiantur (vt Lutherani) nec non de illis, qui ad sedem Apostolicam detorquent ea, quæ in eodem
B libro de maris Bestia dicuntur. Omnes denique Hæretici, siue addendo, siue detrahendo, huius libri doctrinæ repugnant. Quarè grauissimæ comminationes hoc in loco aduersus addentes vel diminuentes pronunciatæ, contra hæreticos omnes iactantur. Comminatio autem est. Deum illis bellum illaturum ijs plagis, quæ sunt in hoc libro descriptæ, nimirum plagis tubarum. Licèt enim directè fuerint immissæ in rebelles ac perfidos Iudæos (qui primi fuerunt hæretici), huius tamen libri doctrina nos docet, Deum non secus actorum aduersus eos, qui eorum apostasiam & pertinaciam imitantur. Demum, quod additur, *Auferet Deus partem eorum de libro vitæ*, denotat, si fortè anteà fuerant in vitæ librum relati, ex eo fore delendos (iuxta ea quæ diximus cap. 3. 5.) videlicet quia per finalem impœnitentiam repellentur, & à cælestis ciuitatis fælicitate in hoc libro descripta, excludentur, nisi maturè resipuerint.

Comminationes hic scriptæ contra addentes aliquid vel detrahentes quo sensu sint accipiendæ.

TEXTVS.

Vers. 20. Dicit, qui testimonium perhibet istorum, Etiam venio citò, Amen. Veni, Domine Iesu.

COMMENTARIVS.

C

ARetas suspicatur in ijs verbis, Dicit. *qui testimonium perhibet istorum, Etiam venio citò*, Ioannem fortasse loqui de se ipso. Ceterùm nouum non est asserere, à Christo veritatem confirmari. Et quidem cum ijs, quæ paulò antè præcesserant de Christo mittente Angelum suum *testificari hæc in Ecclesijs*, optimè consentit, vt Christus etiam testificari dicatur, quod Angelus ab eo missus ipsius iussu testatur. Porrò vt grauissima addatur auctoritas comminationi superiùs factæ, appositè additur, Ioannem non illam ex suo capite fingere, sed ipsummet Christum Dominũ ita affirmare, qui suum Angelum misit, vt hanc eandem doctrinam Ecclesijs testificaretur. Huic explicationi suffragatur non solùm communis expositorum consensio, sed ipse etiam contextus. Nam verba illa, *Amen. Veni, Domine Iesu*, omnino indicant præcedere Christi affirmationem de suo aduentu quàm mox futuro. Etenim cùm dicitur, *Amen. Veni, Domine Iesu*; ostenditur magnum solatium ex eo maxime prouenire, quod paulò ante fuerat affirmatum, & Christi affirmationi Ioannem suum votum adiungere. De quo autem Christi aduentu sit sermo, iam suprà explicatum est.

Vtrùm qui hic dicitur istorum perhibere testimonium, sit Ioannes, an Christus.

Nihilominus in ipsa adhuc constructione nonnihil desiderari videtur, quia si verba illa, *Dicit, qui testimonium perhibet istorum*, ad superiorem sententiam referantur, ad subsequentium quidem nexum, verbum aliquod videbatur addendum, cuiusmodi esset; *Et ait, Etiam venio citò*. Quare si quis malit verba illa, *Dicit qui testimonium*, &c. referri ad ea, quæ sequuntur, nempe, *Etiam venio citò*, non admodum repugno, nec video cur non possint ad vtrumque referri. Quod autem repetatur *Venio citò*, em-
D phaticum est, vt plus solatij ac voluptatis iusti dulcissima hac promissione percipiant. Illud verò, quod Ioannes adiungit, *Etiam veni Domine Iesu*, perinde est, quasi nos Ioannes suo exemplo instituat de eo, quod superiùs manifestè expresserat, dum ait, *Qui audit, dicat, Veni*,

TEXTVS.

Digitized by Google

TEXTVS.

Gratia Domini nostri Christi Iesu cum omnibus vobis. Amen.

COMMENTARIVS.

Toti Apocalypsi in epistolæ normã conscriptæ, more Apopostolico, Dei gratia & initio fuit præposita, & modo postponitur.

CVm Apocalypsis quandam epistolæ normam contineat, congruentissime terminatur eo fine, qui solet Apostolicis literis imponi, quę hinc incipiunt, & hic terminantur. Atque ipse tandem hic finem imponam, immortales Deo gratias agens, quòd suam mihi opem auxiliumque præstiterit; vt hisce commentarijs & primam manum & vltimam admouere potuerim. In quo labore valde optaui germanam & cohærentem totius Apocalypseos interpretationem collineare: & maxima sum voluptate perfusus, quòd Deo fauente perspexerim, quàm sit hic Apocalypseos liber Romanæ Ecclesiæ gloriosus, cuius censurę me meaque omnia subijcio.

Finis cap. XXII. atque adeò totius Apocalypseos.



Digitized by Google

VESTIGATIO VERITATIS IN SACRIS PONDERIBVS AC MENSVRIS.

Nauabat studiosis LVISIVS AB ALCASAR *Hispalensis, è Societate* IESV.

EXORDIVM.

QVÆ sit in sacris Literis cubiti mensura, quæ calami, examinare magnopere expedit: non ad exactã solùm intelligentiam harum vocum, quæ sparsim in Apocalypsi vsurpantur; (vbi non semel fit mẽtio cubiti & calami) sed ad agnitionem etiã mysterij quod diuinus Spiritus per cubiti & calami symbolũ voluit indicare. Etenim si nititur significatio in eo quòd cubitus sextã humanæ staturæ partem, calamus æqualem toti staturæ antiquæ mensurã designet; nec non in proportione & congruentia quæ inter antiquã illam staturam & inter mensurã postea vsurpatam reperitur: quî poterit mysterium penitus intelligere, qui ignoret de quonam cubito aut calamo loquatur in Apocalypsi Ioannes cùm ait (verbi gratiâ) [a] *mensura hominis quæ est angeli*? Deinde si mysterium quod latet in [a] *centum quadraginta quatuor cubitis*, pendet ex eo quòd ille cubitorum numerus, omnino contineat quatuor & viginti humanæ staturæ antiquæ dimensiones; quomodo id percipiet, qui sacræ Scripturæ cubitum sextam esse humanæ staturæ partem (quantumuis hoc primâ specie paradoxum videatur) ignoret? Præterea in [b] *mille sexcentis stadiis*, ac in [c] *duodecim stadiorum millibus* fortassis ad mysterium præcipuum ieiunus ac planè hospes accedet qui nesciat proportionem humanæ staturæ cum Hebraico cubito & cum calamo.

Mensurarũ notitia mysteriorum intelligẽtiã conducit.

a Apocal. 21. 17.

b Apocal. 14. 20.

c Apocal. 21. 16.

B. Atque in iis saltem rebus quas sacra Scriptura seriò expendit, non parui refert, mentis conceptionem in eis non admodum ab scopo aberrare. Sanè si discrimen in cubiti sacri mensurâ foret exiguum, parui quoque momenti esset nostra inuestigatio. Ceterùm tanta est tamque ingens opinionum diuersitas, vt grandia volumina sint conscripta, quibus Salomonici templi magnitudo expenditur, eâ cubiti mensurâ, veluti fundamento præcipuo præstitutâ, quæ illum æqualem ferè facit Romanis palmis decem ac semissi. Si tamen cubitus sacer nihilo est maior quàm mihi persuasum est; maiori sacræ Scripturæ cubito digitus ac tertia pars digiti desunt ad quinque palmorum mensuram: minor autem eiusdem Scripturæ cubitus eadem est omnino mensura cum tertiâ Hispanæ vlnæ seu virgæ parte. Ex quo fit vt Mare æneũ quod aliorum opinione Romanas amphoras capiebat 4000. (quibus etiam ex supino calculo, alias 214. amphoras, & nonnihil amplius adiecisse conuincuntur) iuxta meam rationem 209. amphoras integras non capiat, sed præcisè 208½. Hinc etiam oritur, aream templi (tam eius quod est à Salomone ædificatum, quàm illius quod Ezechieli ostensum est) concipi à quibusdam triplo maiorem, ab aliis etiam quincuplo quàm ipse putem. Et quidem in ipsa materiæ vi & copia ex qua construuntur parietes, ac in operarum mercede, multo adhuc maius discrimen reperitur. Etenim vnius parietis soliditas, iuxta mensuram Hebraico cubito à nostro Marianâ desi-

Immane opinionum discrimen in mẽsuris.

Digitized by Google

gnatam, est plusquam quincuplo maior eâ quam ipse veram existimo: & iuxta opinionem nostri Villalpandi est vndecies maior, quàm ego reputo. Aç calamus ipse non parum præterea protenditur ab eodem Villalpando, dum sex cubitorum mensuræ addit quartam vnius cubiti partem. Iam in eo quòd templi ædificationem ad summam tollit altitudinem, mirum est quantoperè augeantur expensæ. Æqualem enim parietis mensuram in editissimâ extruere turri, id verò multo maiori precio stat, quàm si supra pauimentum, aut mediocri altitudine ædificetur. Quare si operæ pretium visum est, volumina adeò ingentia conscribi ad Salomonici templi magnificentiam explicandam; non debet videri exigui momenti disputatio, quę ostendere conatur, tum illius templi, tum aliarum sacræ Scripturæ descriptionum magnitudinem, mensuræ immanitate supra verum fuisse amplificatam. Nec verò nostra vestigatio nimis excrescet: nec in mea sententia siue Salomonis siue Ezech. tẽplum minori amplitudine ac magnificentiâ constabit quàm sacræ Literæ significant. A

Aliqua talentorum sũma multò minoris æstimanda quàm sonant.

C. Porrò in quibusdam etiam auri & argenti summis contendo, valdè hallucinatos esse aliquos in earum æstimatione. Quia quamuis talenti Hebraici pondus contineat vncias mille quingentas; aliquando talenti nomen ad valorem talenti referendum est: qua ratione 124. auri vnciæ, appellantur auri talentum, eo quòd æquẽt valorem argentei talenti: & valor etiam talenti ærei 60. argenti siclis communicauit talenti nomen. Præterquam quòd in ipsa vnciarum tum auri tum argenti æstimatione adeò excesserunt nonnulli, vt cuidam talentorum summæ plusquam ducentos & octoginta nostrorum ducatorum milliones merè gratis addiderint. B

Paradoxa non omnia cõtemnẽda.

D. Scio in huius opusculi lectione multis visum iri, omnes ferè propositiones quæ post 8. probandæ proponuntur, nouas esse ac mera paradoxa. Veruntamen eâ lege in huiusmodi rebus scribitur, vt si quid minus probatum fuerit, id vt inane explodatur. Sin autem idonea afferatur ratio, rei ipsius nouitas ad probationem eiusmodi examinandam inuitat. Iam si paradoxum ipsum & certum esse, & magni etiam momenti reputetur; eo ipso pluris faciendum erit, quo magis incredibile apparebat. Ad hæc si fortè ipse nouæ huius lucis splendorem excepi, id ex eo mihi fateor accidisse, quod animaduerterim, Ezech. calamum esse iustam humanæ staturæ mensuram: id quod Apoc. intelligentiæ acceptum refero. Fateor etiam me plurimum in hac parte debere iis à quorum sententiâ discedere cogor. Multa enim ex iis quæ notant ipsi & rationum momentis fulcire conantur, maximo mihi fuêre ad indagandam veritatem adiumento. Ita solet contingere vt temporis ipsius decursu complura extrahantur ad lucem quæ in obliuionis tenebris obruta priùs iacebant. Facit enim solers & accurata disputatio, vt ex contrariorum repugnantiâ scintillæ veritatis exiliant, sicut ex duorum lapidum conflictu atque tritu ignis elicitur. & sanè vehemens aliquorum contentio quâ sacri cubiti moderationi acriter obstiterunt, non parum conduxit, vt veritas ipsa patescat, si modò eam ipse attigi.

Apocalypsis mensuris lumen attulit.

Auctores aliquos repugnando nobis profuisse.

E. Non afferam ad aliquem auctorem oppugnandum quod ipse de se fatetur ingenuè, [a] se nimirum apud alios vt nimium Hebraicarum dimensionum exaggeratorem atque amplificatorem traduci. quam vt à se expellat suspicionem, dat libenter vt debilia atque infirma argumenta, quæ mensuras Hebraicas contrahere & extenuare contendunt, potiora sint ac superiora iis validioribus quibus ipsas augendas fore probatur. Ego huiusmodi pactione atque adeò gratiâ facilè supersedeo, ac me rationum æquitati subiicio. Atque in argumentorum & rationum examine non dubitarem eiusdem auctoris censuræ me submittere. C

[a] Tom. 3. fol. 354.

Confidentia eiusdem de suarum rationum pondere.

F. Initio huius disputat. certas aliquas ponam propositiones circa pondera ac mensuras Romanas, tum de amphoræ capacitate, tum etiam de ipsius aliarumque proportione cum mensuris Hispanis; quo faciliùs de Hebraicis loqui deinde possimus per comparationes ad mensuras nobis notas, & quia tractatus hic magnâ ex parte est Mathematicus, Mathematicorum more in ipso me geram, ad quarundam propositionum probationem vniuersum opus reducens. Placuitque illas esse 24. iuxta numerum seniorum quos vidit Ioan. Apoc. 4. Per illos enim designantur sacerdotes quos sacræ Literæ constituunt *super omne pondus atque mensuram*. Atque vt totius opusculi seriem & summam facile complectatur lector, subiiciam primum indicem propositionum, quæ mihi sunt explicandæ atque probandæ. D

1. Paral. 23. 29.

Index

Digitized by Google

A

Index Propoſitionum huius opuſculi.

1. *Pondus vnius vnciæ ex iis quæ Romæ & in Hiſpania hodie ſunt in vſu, idem omnino eſt cum antiqua Romanorum vncia, & idem cum octo drachmis Atticis.*

Corollarium. In antiquis aridorum & liquidorum menſuris capacitas, quam eis tribuit Capellus, multò minor eſt quàm prima fronte apparet. Reducit enim eas ad Romanas vncias, quas ipſe minores fuiſſe putat iis quæ hodie ſunt in vſu.

2. *Romani pedis antiqui longitudo perſpecta atque cognita eſt: ac Hiſpani pedis ad ipſum proportio eſt ferè ſicut 12. ad 13.*

B *Corollarium. Jacobus Capellus totâ errat viâ in menſura quam Hiſpano tribuit pedi.*

3. *Cubus Romani pedis capit 960. aquæ vncias, quæ eſt amphora Romana.*

4. *Ex proportione Romanæ amphoræ, cognito latere cuiuſuis cubi, cognoſci poteſt quantum aquæ capiat ille cubus. & e conuerſo ex quantitate aquæ quam capit cubus, cognoſci poteſt illius lateris longitudo.*

5. *Quemadmodum Romanus pes eſt cubicum amphoræ Romanæ latus, ita etiam communis pes Græcus erat cubicum latus metretæ communis Græcæ, quæ vncias capiebat aquæ 1080.*

6. *Ex proportione Romanæ amphoræ, cognitâ cuiuſuis ſphæræ diametro, cognoſci poteſt quantum aquæ capiat ſphæra illa: & è contra, ex quantitate aquæ quam capit ſphæra, cognoſci poteſt diametri longitudo.*

C 7. *Ex proportione Hiſpani pedis cum aliis vel pedibus, vel cubitis, vel calamis, cognoſci poteſt proportio quam habent quadratæ areæ nec non cubi vel ſphæræ, quæ ex Hiſpano pede fiunt, cum iis quæ ex aliis vel cubitis, vel pedibus, vel calamis conficiuntur.*

8. *Nomina quæ architecti tribuunt iis menſuris quas interualli ſiue linearum appellãt, ſumpta ſunt ex proportione quam inter ſe habent humani corporis menſuræ. Id tamen non eſt vſquequaque exactum. Naturali enim proportioni congruentius foret nomen cubiti tribuere ſextæ humanæ ſtaturæ parti, iuxta vſum Hippocratis, Ariſtotelis, Galeni, Medicorum & Anatomiſtarum, & fortaſſe etiam Homeri.*

9. *Menſura cubiti in ſacra Scriptura & in Ioſepho pro ſexta humanæ ſtaturæ parte ponitur, non pro quarta.*

Corollarium 1. Ezechielis calàmus non continet ſex cubitos & palmum; ſed
D *ſolùm ſex cubitos ex maioribus.*

Corollarium 2. Hebraici cubiti quos ponit Capellus, non rectè conſentiunt cum eo quòd cubitus ſit Hebraici calami (ſiue ſtaturæ) pars ſexta.

10. *Duo Hebraici cubiti, maior & minor, hanc inter ſe habent proportionem, vt maior cum minori comparatus ſit duplus in potentia ſolida.*

11. *Menſuras & pondera ſacra apud Hebræos fuiſſe dupla reſpectu vulgarium, non eſt veroſimile.*

12. *Sicut conſtat Mare æneum fuiſſe perfectum hemiſphærium, ſic etiam certum eſt Lutéres fuiſſe cylindros, quorum altitudo & craſſitudo erat quatuor cubitorum. Ex quo veriſimile valde fit, tam Mare æneum quàm Lutéres fuiſſe primarias Iſraëlitici populi menſurarum formas.*

Corollarium. Valdè aberrat Capellus in dimenſione Maris æneí ac Lutérum.

Digitized by Google

13. *Sicut 500. ad 96. ſic capacitas Maris ænei ad ſingulos Lutéres: & ſicut 48. ad 5. ſic ſinguli Lutérum bati ad eos batos, ex quibus Mare æneum duo millia capiebat.* A

14. *Pro certo habendum eſt maiorem batum & ephi in ſacra Scriptura eſſe inter ſe æquales, & eiuſdem capacitatis cum Romano quadrantali, quod vncias aquæ capiebat 960.*

15. *Duo millia batorum Maris ænei, continent ſinguli centum aquæ vncias, nõ amplius; & tria millia batorum ſeu metretarum Maris ænei capiunt ſinguli vncias 66⅔.*

16. *Cubitus quo ſacra Scriptura metitur Mare æneum ac Lutéres, eſt diameter ſphæræ vnciarum aquæ 400. Ex quo efficitur Mare æneum & Lutéres non menſurari in ſacrâ Scripturâ, maiori cubito ſed minori.*

COROLLARIVM 1. *Hebraicus cubitus minor erat eadem menſura cum tertia Hiſpanicæ vlnæ ſeu virgæ parte quæ continet Romanos digitos 14⅔. Maior verò cubitus Hebraicus patebat in longitudinèm Romanos digitos 18⅓. & inter duo hæc extrema medij interiacent tum Romanus pes conſtans digitis Romanis 16. tum pes Græcus continens digitos Romanos 16⅓.* B

COROLLARIVM 2. *Menſura quam Villalpandus tribuit cubito ſacro, eſt multo maior iuſto, & menſura etiam Marianæ excedit iuſtam.*

COROLLARIVM 3. *Menſura Villalpandi poteſt aliter valide confutari: & oſtendi etiam poteſt, illum nonnihil excedere ſupra id quod intendebat.*

COROLLARIVM 4. *Menſura quam Mariana tribuit cubito ſacro, alia ratione ſeorſum confutatur.*

COROLLARIVM 5. *Ad argumenta quæ obiici poſſe videntur contra eam menſuram quam nos Hebraico cubito maiori tribuimus, non eſt difficile reſpondere.*

17. *Ex menſura quam nos Hebraico cubito maiori tribuimus, ſequitur ingens diſcrimen in Salomonis templi magnitudine. Ea tamen illi remanet quam ſacra Scriptura ſignificat.* C

De areis & ſolidis.

De Mari æneo.

18. *Antiquæ Græcorum, Romanorum atque Hiſpanorum menſuræ videntur ex menſuris Hebraicis deriuatæ.*

19. *Sicli Hebraici pondus fuiſſe quatuor drachmas Atticas, non ſolùm aſſeritur à Joſepho & Philone, ſed ab omnibus etiam Græcis ſacræ Scripturæ editionibus. Siclus tamen aureus aliquando ponitur pro Atticæ drachmæ pondere.*

20. *Mina Hebraica maior pendebat triginta vncias: ſed & eius partes, quas deſignat Ezechiel* a *dicebantur etiam minæ; & præſertim in pecuniâ, mina erat 25. ſiclorum ſiue drachmarum Atticarum 100.* D

a cap. 45. 2

21. *Antiquum ſacræ Scripturæ talentum, ter mille ſiclorum fuit; non maius.*

22. *Aliquando ſiclus auri ponitur pro eo auri pondere quod valet argenti ſiclum. Atq; hæc phraſis ad talenta etiam quandoque extenditur, qua ratione valde minuuntur quædam talentorum ſummæ.*

23. *In deſignando valore integri talenti argentei nonnihil exceditur à quibuſdam.*

24. *In deſignando valore integri talenti aurei non parum exceditur ab eiſdem.*

Synopſis ponderum Hebraicorum.

Synopſis menſurarum Hebraicarum.

PRO-

Digitized by Google

A

PROPOSITIO I.

Pondus vnius vnciæ ex iis quæ Romæ & in Hispania hodie sunt in vsu, est idem omnino cum veteri vncia Romana, & idem cum octo drachmis Atticis.

EXPLICATIO.

A. NOmen vnciæ in ponderibus cõmune est in Europa, quamuis omnium prouinciarum vnciæ æquales inter se non sint. Etenim, si verũ est quod Capellus scribit, vnciæ Lugdunẽses adeò sunt Neapolitanis minores, vt quinque Neapolitanæ tantum pendeant, quantũ sex Lugdunenses. Et alia minora discrimina ab eodem plurima cõmemorantur. Verùm vnciæ quæ hodie Romę vsurpatur põdus videtur esse in Europa communius atq; receptius. Est enim idem quo tota Hispania vtitur (vt infrà videbimus) quodq; Parisiis & per omnẽ ferè Galliam in vsũ est, vt asserit Capellus; *a* atq; eadẽ est vncia Veneta, vt idẽ Capellus affirmat. *b*

Vncia hodie non eadem vbique: sed Romana, Hispana, Parisiensis & Veneta eadem.

a l. 2. §. 9.

b l. 1. §. 89.

B. Cùm ergo loquendum sit de antiqua vncia per comparationem cum vnciæ nobis nunc cognitæ pondere; assumo veluti fundamentum vnciam illam quæ nunc Romæ in vsu est. Qui verò diuersam pondere vnciam habuerint, vt nostræ vestigationis sensu fruantur, nouerint imprimis oportet suæ vnciæ proportionem cum ea quæ Romano, Parisiensi ac Veneto vsu recepta est. Exempli gratiâ; vncia Neapolitana (si Capellus vera tradit) habet se ad Romanam hodiernam sicut 600. ad 576. aut (quod idem est) sicut 25. ad 24. Quare vigintiquatuor vnciæ Neapolitanæ faciunt hodiernas Romanas 25.

Sicut 24. ad 25. sic vncia Neapolitana ad Romanam.

C. Vnciam Hispanam putauit Laguna esse Romanæ recenti inæqualem: & nouissimè Capellus *d* statuit 16. vncias Toletanas eiusdem esse ponderis cum Romanis antiquis septemdecim. Cùm autem idem Capellus opinetur antiquam vnciam Romanam cum hodierna Romana se habere sicut 504. cum 576. *e* (quod est sicut 7. cum 8.) hinc sequebatur Hispanam vnciam cum eâ quæ nunc Romæ est in vsu habere se sicut 119. cum 128. atque adeò Hispanas vncias 128. non plus efficere quàm recentiores Romanas 119. quæ tantum pendent in eiusdem Capelli sententiâ quantum 136. ex antiquis. Hoc tamen quod Capellus affirmat, falsum planè est. Constat enim vnciam hodie in Hispania atque Romæ esse eiusdem omnino ponderis: vt manifestum est omnibus qui Hispaniensem bessem (siue 8. vnciarum marcum) cum Romano compararunt. Cuius rei clariorem probationem petere licet ex Villalpando, qui id accuratè examinauit.

d fol. 190.

e ff. §. 86. & 89.

Hispana vncia eadẽ cum Romana.

D. Capellus præterea refert, *f* Budæum, Agricolam, Stanislaum & alios credidisse, Parisiensem vnciam eiusdem esse ponderis cum veteri Romana. Ex quo eliceretur, adhuc vigere in communi vsu Romæ, Parisiis, Venetiæ, & in Hispania, veteris vnciæ Romanæ pondus. Hoc autem Capellus ipse falsum esse contendit. Romanamque vnciam veterem credit cum hodierna Parisiensi eandem habere proportionem quam 7. cum 8. atque ita 7. vncias Romanas ex recentioribus idem pendere quod 8. antiquas. Sic ille. Alij (vt Lucas Pœtus & Touarius) illud sibi saltem persuaserunt, exiguum aliquod interesse discrimen inter veterem ac recentem vncias Romanas. Verùm Budæi, Agricolæ, Stanislai & nostri Marianæ sententia vera est, & quidem certior quam ipsi putarunt; videlicet Romæ adhuc durare veteris vnciæ Romanæ pondus, nec minimam accepisse varietatem. Huius rei certitudo & examinatio debetur nostro Villalpando; nec non congiis veteribus Romanis qui ad nostrum vsque tempus asseruantur, habentque inscriptum, *Mensura exacta in Capitolio pondo decem*, (quæ sunt decem libræ quarum singulæ 12. constant vnciis) fidelissimâque trutina examinata res est coram ipso Luca Pœto, multisque grauissimis testibus ad eundem Pœtum reuincendum congregatis; deprehensumque est, vnum ex iis congiis omnino capere aquæ pluuiæ vncias 120. ex eis vnciis quæ Romæ atque in Hispania nunc in vsu sunt. Ex quo euidens fit deceptum fuisse Capellum, nam si ipsius opinio esset vera, congius ille antiquus non plures quàm 105. vncias ex Romanis recentibus capere posset. Si enim octo vnciæ ex antiquis non plures quàm septem ex nouis conficiunt, necesse est vt ex antiquis 120. solùm fiant 105. nouæ, atque adeò vt Romana amphora antiqua, 840. recentibus vnciis tantùm constet, cum ex antiquis capiat 960. Deinde huius rei examinatio fuit adeò exactè facta, vt euidens appareat, nullum omnino discrimen inter Romanam vnciam veterem ac nouam reliquum esse. De quo videri potest Villalpandus noster tom. 3. fol. 351. & 390. & ante diligentissimam ipsius inquisitionem, Marianæ quoque nostri coniecturæ magni roboris atque momenti erant.

f lib. 1. de ponderibus §. 89.

Vncia Romana antiqua eadem cum hodiernâ.

E. Porrò huius rei accurata inuestigatio non leuis erat momenti. nam in veteribus mensuris, tum in maximis rebus quæ ad historiam pertinent; tum etiam in paruis quæ ad Medicinæ disciplinam, non patui refert sed magni, ne illis octaua ponderis pars subtrahatur. Quamobrem iure quidem optimo, considerato Dosis momento in ijs quæ ad artem medicam spectant, prudentissimâ Philippi II. pragmatica sanctione decretum est. ne pharmacopolæ Hispani minoribus aliis vnciis vtantur (quibus vti quondam solebant) sed communibus tantùm quæ æquè respondent priscis vnciis, siue octonis drachmis Atticis.

Vncia antiqua examẽ res erat nõ parui momenti.

Digitized by Google

Vnciæ Romanæ pondus erat idē quod octo drachmarū Atticarum.

F. Certum namque est priscam vnciam Romanam eodem prorsus pondere constare, quo drachmæ Atticæ octo. Etenim quamuis drachmæ nomen fuerit aliquando vsurpatum pro denarij consularis pondere, quod erat septima vnciæ pars: veruntamen in communi acceptione, drachmæ Atticæ nomine non significatur consularis denarij pondus, sed centesima minæ Atticæ pars; mina vero Attica duodecim vncias cum dimidiâ iustè pendebat: vt constat ex Fannio. & ex multis quæ afferunt Villalpandus, Mariana, Pœtus, Capellus & alij. vnde planum fit, octo drachmas Atticas conficere iustum vnciæ Romanæ pondus. Quare drachma Attica est id pondus quod Hispani octauam appellamus. A

Siliquæ naturalis octodecim grana pondere drachmam Atticam, siue octauā vnciæ partem.

In confirmationem prædictæ æqualitatis inter nostram vnciam & Romanam antiquam, sæpiùs animaduerti, siliquarum (quas *Garrouas* appellamus) grana esse pondere æqualia, ita vt vix discrimen dignosci valeat. Veteres autem scriptores decimam octauam drachmæ partem appellant siliquam siue ceracium (quæ sunt vocabula seminis siliquarum.) Memini verò me sæpissimè vnius vnciæ pondus siliquis ponderasse, & imperceptibili ferè discrimine semper inuenisse, vnciam integram pendere siliquas 144. ac semissem vnciæ siliquas 72. drachmam verò 18. Quapropter miror sanè quòd Hispalensis noster Benedictus Arias Montanus scribit in suo Tubalcain, in volumine Ephron siue de siclo, nempe se periculo facto deprehendisse, granis siliquæ 20. in altera stateræ lance, & siclo suo in altera appensis, pondus vtrinque ferè conuenisse. Suum autem siclum pendere ait quatuor regales argenteos, id est ferè dimidiam vnciam. Sed in pondere granorum siliquæ valdè admodum errat. Sicut etiam ex opposito Waserus libro secundo, de nummis cap. 3. vbi asserit vnius siliquæ pondus idem esse quod grani hordeacei. B

Postquam ergo lector sibi persuaserit Hispanam vnciam, Parisiensem, Venetam & Romanam eodem esse pondere cum Romanâ antiquâ; vt speculationem ipsam recta apprehensio practica comitetur; velim bessem seu marcum 8. vnciarum exquirat, animaduertatque quodnam pondus appelletur vncia; & quod octauam vnciæ partem conficiat, hoc est drachmam; quod etiam pondus sit dimidium drachmæ, ab Hispanis *adarme* appellatum: præterea quod sit 12. vnciarum pondus, id est, Romana libra: quod vnciarum 16. (quæ est communis libra Castellæ:) quod vnciarum 32. (quam carnariam libram Bætici vocamus:) quibus etiam libris constet Hispanum talentum, siue *Arroba*: quibus denique Hispanum centum pondium siue *Quintale*. Ijs verò quibus alia pondera præ manibus non sint, argentei nummi Hispani poterunt vice ponderum deseruire; si aduertant 8. argenteos paulo minus quàm vnciam vnam pendere. Etenim ex octo argenti vnciis, conflantur argentei numi 67. atque ita vncia iusta continet pondus argenteorum 84.

COROLLARIVM PROPOSIT. I. C

In antiquis aridorum & liquidorum mensuris capacitas, quam eis tribuit Capellus, minor est quam prima specie sonat. Eas enim reducit ad Romanas vncias quas ipse putat fuisse recentibus minores.

EXPLICATIO.

HEbraico bato dat Capellus aquæ vncias 1440. quæ non sunt plures 1260. ex iis quæ hodiæ Romæ sunt in vsu; nam sicut 8. ad 7. sic 1440. ad 1260.

Simili ratione quamuis Romanæ amphoræ tribuit vncias Romanas 960. hæ tamen vnciæ Capelli non plures conficiunt quàm 840. ex recentioribus Romanis. Quare Romanum pedem & Græcum consequenter minuit, vt quadrantal non plus aquæ capiat quàm vncias 840. ex iis quæ Romæ & Parisiis hodie sunt in vsu. D

Duæ

Digitized by Google



Mensura pedis Romani antiqui in quatuor palmos diuisi, ex Villalpando tomo 3. folio 508.

A



B

Mensura pedis Hispani, siue tertia pars virgæ Castellanæ mensoriæ, in quatuor palmos diuisa.

C

D

Duæ mensuræ pro secunda propositione.

QVarum longitudinem iustissimam describi, diligenter curatum est in prototypo. Sed quia variis ex causis accidere potuit vt in libris impressis aliquantulum longiores aut breuiores prodirent quàm rei veritas postulabat; ideo non promittimus quod præstari fortasse non potuit, nempe adeò exactas prodire has mensuras, vt neque latus pilus additus sit in eis aut detractus de iustissima longitudine. Satis fuerit si non adeò sit erratum, vt sensus errorem percipere valeat. Subtilissima enim discrimina ratio mensurat, non sensus. Atque de hac re oportuit lectorem semel fuisse admonitum, ad eas subtilitates quæ non semel occurrent in hac nostra vestigatione.

A

PROPOSITIO II.

Romani pedis antiqui longitudo perspecta atque cognita est: & Hispani pedis proportio ad ipsum est fere sicut 12. ad 13.

EXPLICATIO.

Romani pedis antiqui longitudo quomodo innotuerit & proportio illius ad Hispanum & Græcum.

A. DE Romani pedis antiqui longitudine non satis inter peritiores constabat. ideoque certò cognoscere optabant iustum antiquæ vnciæ Romanæ pondus, vt inde ad veram Romani pedis mensuræ cognitionem deuenirent. Sic sanè Mariana. Atque ita cùm constet iam antiquæ vnciæ pondus idem cum hodiernæ Romanæ pondere esse, mirum non est, perfectum cubum fuisse formatum qui iustas 120. vncias capiat; ex eoque semissis pedis Romani dimensio cognita sit, quæ est ipsius cubi latus, vt statim explicabimus. Verùm enimvero Villalpandus nobis confirmat, dimidium pedem quem ipse edidit (& nos suprà apposuimus) in Farnesiano congio esse signatum, estque ille tantillo maior quàm dimidium pedis Colatiani & eius quem assignat Pætus: aliquantulum verò minor quàm dimidius Porphyreticus; qui omnes apud Marianam & alios reperiuntur. Proportio autem & conformatio dimidiati illius pedis cum 120. vnciis in cubo, omnino confirmat hodiernam vnciam esse eandem cum priscâ; illumque esse dimidiatum pedē antiquum. Vtrumque autem seorsum, absque alterius ex altero consequentiâ, nobis constat ex antiquo illo congio: & vtrumuis ex iis satis erat, vt de vtroque constaret.

B

B. Experimentum quod fecit Mariana facto cubo ex pede Porphyretico, propiùs ad veritatem accessit. Ceterùm si dimidius ille pes quem Villalpandus profert, est in eodem congio impressus, ille procul dubio est antiqua mensura; & in Marianæ inuestigatione error quispiam exiguus subrepsit; quod minimè est mirandum, cùm difficillimum sit perfectum cubum efficere. Sed vtcumque hoc sit, parua satis est differentia: siquidem Villalpandus & Mariana in eo vterque conueniunt, quòd Hispanus pes (hoc est, tertia pars vlnæ seu virgæ mensoriæ Castellanæ) se habet cum Romano pede antiquo, sicut 12. cum 13. Et verò iis qui mensoriam Castellæ virgam habemus, hæc satis debet esse proportio, vt nosse possimus quam longitudinem Romano pedi antiquo præscripturi simus, eam nimirum quæ conficitur ex Hispano pede ac duodecima eius parte. Vbi autem Romani pedis longitudo agnoscatur, facilè est Græcum inde pedem dimetiri, qui se habet cum Romano comparatus sicut 25. cum 24. quod idem est atque Romano pedi vigesimam quartam illius partem adiungere. vnde sicut pes Hispanus ad Græcum, sic 12. ad $13.\frac{12}{24}$

C

C. Atque hoc est quod visu percipi potest. Verùm cùm huiusce rei perscrutatio atque dimensio humanis sensibus fuerit effecta; mirum non est, nonnihil adhuc esse discrepantiæ; adeo tamen exiguum vt humanis oculis deprehendi non valeat. Quamobrem adhuc relinquitur locus, vt si qua efficaci ratione probetur ad prædictam proportionem inter 12. & 13. & ad aliam inter 24. & 25. addendum esse aut subtrahendum aliquid penè indiuisibile (verbi gratiâ, vna ex mille quingentis vnius lati digiti partibus) ea subtilitas respuenda non sit, quia subtilissima mensurat ratio non sensus. de quo latiùs infrà.

Pes naturalis est minor quã sexta statuæ pars.

D. In huiusmodi pedum differentiis (nempe Græci, Hispani ac Romani) obseruandum est, pedem in eis omnibus esse sextam humanæ staturæ partem, atque adeo staturam humanam ab aliis maiorem, ab aliis minorem considerari. Sextæ autem parti fuit nomen pedis datum, opinor, per approximationem, siue propinquitatem; ac fortasse calceamenti etiam ratione habita, ne architecti nudis pedibus ędificiorum spatia metiantur. neque enim naturalis pes iuxta rectam proportionem, sextam staturæ partem adæquat. Cùm quilibet homo reperiatur habere in longitudinem ex suis pedibus ferè sex atque dimidium.

D

COROLLARIVM PROPOSIT. II.

Iacobus Capellus valdè aberrauit in mensurâ quam tribuit Hispano pedi.

Capelli error in mensura pedis Romani & Hispani.

A. QVam assignat Capellus pedis Hispani proportionem ad Romanum, ea est, sicut 120. ad 144. quæ perinde est atque inter 5. & 6. Hæc verò fuit ingens oscitantia. nec dubium quin ei nunquam fuerit pedis Hispani mensura ostensa. Commensurato enim Hispano pede (id est tertia Castellanæ virgæ mensoriæ parte) cum illa pedis Hispani mensura quam impressit in suo libro Capellus, inuenitur verus pes Hispanus fere se habere ad illam sicut 140. ad 120 siue vt 7. ad 6. Quare septimam partem detraxit Capellus veræ Hispani pedis mensuræ.

B. Ex quo primum infero, si veræ sunt Hildebergici pedis, Hetrusci & Sedanensis mensuræ (quas idem ponit) Hispanum pedem quolibet eorum esse maiorem. Nam Toletanus pes pro 120. habet 140. Hildebergius 137. Hetruscus 138. Sedanensis 139. Secundò infero Romanum pedem antiquum quem assignat Capellus non esse verum pedem Romanum. Nam Hispani pedis proportio ad Romanum antiquum est pæne sicut 12. ad 13. vt constat ex diligenti Villalpandi collatione. Quod

si 12. pa-

Digitized by Google

A si 12. pariunt 13. sequitur 140. paritura esse 151¼. Cum tamen Romano pedi tribuat Capellus 144 Si verò cum eâ mensurâ Hispanus pes conferatur, certum est iustam mensuram Hispani pedis esse ferè 140. Iam cùm tam magna sit Capelli siue inconsiderantia siue ignoratio, nihilominus in prologo de mensuris interuallorum carpit ipse alios vt Georgium Agricolam, & multo magis Marianam nostrum de incuriâ & negligentiâ in bene examinandâ ac depingendâ Parisiensis pedis, atque Romani mensurâ, ac tandem asseuerat pedem Romanum omnino esse eundem cum Colatiano. Constat autem ex ijs quæ Villalpandus scripsit, verum pedem Romanum esse Colatiano maiorem. Vbi aduertendum est quod Capellus ait, nempe pedem Colatianum esse aliquanto maiorem illo quem Mariana proponit. Ex quo infertur quàm sit mendosus Capelli typus. pes enim Romanus quem ipse constituit, est multo maior pede Colatiano Marianæ. Nam ex 144. minutis quæ Romanus Capelli pes sortitur, dimidio Colatiano Marianæ pedi obtingunt 75. & consequenter integro pedi 150. Si tamen verus pes Colatianus est longior quàm à Mariana designatur, ac Romanus pes est Colatiano maior, non mirum est verum pedem Romanum habere 151¼. vt supra dicebamus, aut certè paulò minus.

B

PROPOSITIO III.

Cubus Romani pedis capit aquæ vncias 960. quæ est amphora Romana.

EXPLICATIO.

SVppono lectori planè innotescere, quæ sit figura cubi siue quadrantalis. Fuit autem politicæ prudentiæ consentaneum, conuenientiam ac proportionem inueniri inter mensuras interualli siue longitudinis, & inter capacitatis. Quare verisimile est, vnde Romani mensuram amphoræ acceperunt, inde etiam pedis mensuram accepisse. Constat autem eos sumpsisse amphoram ex talento Ægyptio quod pendebat vncias 960. (vt ex Varrone affirmat Plinius lib. 33. c. 3.) & constat etiam olim in Ægypto capacitatis mensuras fuisse conformatas cũ mensuris longitudinis. Serapidis enim capiti impositus erat modius & cubitus. Scio Ruffinum l. 2. hist. c. 23. & Iulium Firmicum Maternũ libro de erroribus prophanarum religionum c. 14. non facere mentionem cubiti supra verticẽ Serapidis, sed solùm modij. verùm Suidas (verbo Serapis) expresè ait, idolum illud habuisse *modium in capite & cubitum, videlicet aquæ mensuram.* Sic ille. vbi verba illa, *videlicet aquæ mensuram* manifestè referuntur ad cubitum: quia modius ad frumentum spectat. Atque ita non solùm tribuebantur Serapidi & capacitatis & longitudinis mensuræ; sed etiam dum notatur cubitus esse aquæ mensura, significatur, modum & copiam frumenti in Ægypto (ac proinde anni vbertatem) Nili incremento respondere, quod incrementum cubitorum notis per puteos obseruari solitum erat, re ad numeros redacta. Obseruatum enim fuerat, sexdecim cubitorum incremento respondere summam anni vbertatem; ac incremento minori quam cubitorum quatuordecim respondere annonæ caritatem & famem, vt tradunt Plinius l. 5. c. 9. & l. 18. c. 18. Solinus c. 35 & Mela lib. 1. c. 9. Licet ab eorum traditione nonnihil discrepet Strabo l. 17. Nihil ergo aptius quam vt modius ad frumentum spectet: cubitus verò ad mẽsuram incrementi fluminis. Vt verò denotaretur obseruationem illam tot cubitorum incrementi fluminis, ad futuram vbertatem vel inopiam prænoscendam, sapientiæ Serapidis fuisse gloriosam (aut quia ipse primus docuerit eam, aut quia in ea correspondentia elucere crederetur ipsius Serapidis prouidentia & sapientia) eapropter Serapidis vertex ornatus fuit modio & cubito. Sapientiam enim capite denotari quis nesciat? An verò Ægyptij in Serapide colerent Iouem, aut Iosephum, aut quemuis alium, non decerno. Legat qui volet ea de re Suidam, Maternum atque Ruffinum, à quibus D desumpsêre iuniores; videlicet Goropius l. 1. Hieroglyph. & Giraldus syntagmate 6. Historiæ deorum. Iterum tamen moneo, vnde Romani quadrantal acceperunt, inde etiam pedem accepisse; & vnde quadrantal, inde etiam modium, (qui tertia quadrantalis est pars:) ac vnde pedem, inde etiam cubitum. Quod si modius ille ac cubitus, qui erant in vertice Serapidis; mensurarum Ægyptiarum erant primariæ formæ (vt coniectare licet ex aliis infrà notandis) verisimile est cubitum illum fuisse diuisionum signis distinctum; id est, palmorum ac digitorum, & quantitatẽ etiam seu longitudinem lateris cubici, tum talenti Alexandrini, tum etiam modij fuisse ibidem signatam, & alia eiusmodi. Sed progrediamur vlterius.

C *Conformatio mensurarum interualli cũ mensuris capacitatis.*

Scripserat Oribasius, decem aquæ vncias ponderales in duodecim mensurales diuidi. Id ergo arripiens Georgius Agricola existimauit 960. vncias quas antiqui tribuerunt amphoræ Romanæ forsitan fuisse mensurabiles, non ponderabiles. Ceterum ex Scriptoribus antiquis & ex Farnesij congio euidentissimè liquet eas ponderabiles fuisse. Manifestum verò est sermonem esse de aquæ aut vini albi vnciis, quæ æqualis ponderis sunt, & nominatim loquuntur Scriptores de aquæ pluuiæ pondere. aquas enim aliquo momento ponderis inter se distare communis opinio est, & licet Plinius lib. 31. c. 3. & Villalpandus noster to. 3. pag. 50. B. asserant, post exactam obseruationem inueniri discrimen aquarum in pondere, ab stomacho solùm discerni non à trutina; pro communi tamen opinione citatur Fannius, & Seneca l. 3. c. 2. & Athenæus l. 2. vt obseruat Dalecampius in notis ad Plinium & posset addere Fannium, cuius sunt versus subsequentes.

Vncias aquæ ponderales non debere distingui à mensuralibus præsertim in aqua pluuia.

Namque

Digitized by Google

Nanq; nec errantes vndis labentibus amnes,
Nec mersi puteis latices, aut fonte perenni
Manantes par pondus habent, non denig; vina.

A

Deinde notum est, vas quod capiat decem aquæ vncias, non plus capere olei quàm nouem. De proportione autem ponderis in melle, metallis atque frumentis refero lectorem ad ea quæ post magnam & exquisitam diligentiam copiosè tradit noster Villalpandus tom. 3. p. 2. l. 1. c. 5. propositione 16. Si verò eorum summâ sit contentus lector, ea est huiusmodi.

Proportio ponderis aquæ cum oleo, melle & singulis metallis.

In æquali quantitate si oleum pendeat nouem vncias,

aqua pendet	10.
mel	15.
stannum	75.
ferrum	$80\frac{13}{17}$.
æs cupreum	91.
argentum	104.
plumbum	$116\frac{1}{2}$.
argentum viuum	150.
aurum	$187\frac{1}{2}$.

B

Sic ille. Mihi tamen non satis constat, sub eadem vnius metalli specie non reperiri vnum grauius alio. Sanè si ita est, miror Plinium lib. 33. c. 3. scripsisse, *aurum non præferri veteris metallis pondere aut facilitate materiæ, cum cedat per vtrumque plumbo*. Nec video cur non possit in auro vel in argento contingere, quod in margaritis notissimum est; nempe alias nasci valdè grauiores aliis in eadem magnitudine. Equidem eam ob rem vniones Americæ valdè anteponuntur ijs quos mittit Orientalis India. & vtcunque sentiendum sit de æqualitate vel inæqualitate ponderis in singulis metallis; saltem humanæ diligentiæ in faciendo periculo & conferendo metallorum pondere non est quod adeò fidamus, vt minutiis etiam superiùs assignatis quasi oraculis adhibenda sit fides, & sine dubio credatur, naturalem v.g. plumbi ad ferrum proportionem non esse sicut 116. ad 80. vel ad 81. sed sicut $116\frac{1}{2}$. ad $80\frac{13}{17}$. itaque hæc non adeò certa saltem in fractis atque minutiis.

Amphoræ Romanæ diuisio.

D. In materia verò quæ sit omnino eiusdē ponderis demonstratio mathematica est, si vnius pedis cubus cōtinet 960. vncias; semipedis cubo octauam partē (nempe 120.) contineri, qui est Romanus congius: ac in vnius palmi cubo, ex quatuor digitis constantis, (quæ est quarta pars pedis) octauam congij partem comprehendi, videlicet vncias 15. In cubo autem duorum digitorum, drachmas quindecim, (quod Plinius acetabulum appellat lib. 21. fine.) in cubo denique vnius digiti Romani drachmam vnam & $\frac{1}{2}$. alterius. Porrò congius Romanus diuiditur in sextarios sex, quorum singulis iustè obueniunt 20. vnciæ ponderabiles. Semisextarius autem nuncupati solet cotyla vel hemina.

C

Diuisio amphoræ Hispanæ.

E. Amphora Hispana aquæ aut vini (quæ cantara siue arroba mensurabilis nuncupatur) capit vncias 512. partiturque in æumbres octo, quorum singuli continent vncias 64. eorumque quartarij habent singuli vncias 16. hoc est nostræ consuetudinis libram vnam. Vnde Romana amphora antiqua continet iustos quindecim æumbres ex nostris. congius verò Romanus quartarios nostros $7\frac{1}{2}$.

Medimni Romani capacitas & diuisio.

F. Medimnus Romanus capacitatem habet duplam respectu Romanæ amphoræ; diuiditurque in sex modios: quorum quilibet capit ex aqua tertiam amphoræ partem: nempe vncias 320. eandemque quantitatem capiunt duo Hispani modij siue celemines, quæ est communis Hispaniæ mensura, nam vnus celemin capit aquæ vncias 160. & saltē non dubiū quin ea fuerit nostrorum in ea mensura intentio. Neque enim tantum est discrimen quantum putauit Villalpandus qui celemino vni tribuit capacitatē 168. aquæ vnciarū. Ego sanè accurata obseruatione & experiētia vix reperi 163. & Mariana 160. tantum se deprehendisse testatur. Itaque nostra faneca est medimnus Romanus; ac semifaneca eadem mensura cum amphoreo, qui est eiusdem capacitatis cum Romano quadrantali. celeminique mensura est eadem cum hemiecto, (qui est duodecima medimni pars,) vocarique potest semodius Romanus, vel Hispanus modiolus. Quatuor itē celemines capiunt aquæ vncias 640. siue duos Romanos modios: quæ est earum lagenarum mensura quas Hispani nauiculatores appellant *botijas peruleras*: continentque singulæ mensurabilem arrobam & quartam insuper alterius partem.

D

Olei arroba eadem ponderalis ac mensuralis.

G. Communior olei mensura Hispana ad ponderabilem arrobam reducitur. Nam mensurabilis arroba olei pendet iustam ponderalem arrobam, hoc est vncias 400. quę libras nostras 25. conficiūt.

PROPOSITIO IV.

Ex proportione Romanæ amphoræ, cognito latere cuiusuis cubi, cognosci potest, quantum aquæ capiat ille cubus: & è conuerso, ex quantitate aquæ quam capit cubus, cognosci potest lateris illius longitudo.

EXPLICATIO.

A. MAthematicæ facultatis perito facilis est huiusmodi computatio suppositis ijs quæ stabilita sunt propositione 3. littera D. qui verò Mathematicas disciplinas ignoret, is eam hic legendo defatigabitur. ideoque prætermitto, contentus aliquot exempla subiicere quibus deinceps opus erit. Eorum verò probationem qui nosse velit, si Arithmeticæ peritiam non habuerit; huiusce facultatis gnarum consulat.

B. Si

Digitized by Google

A B. Si latus cubi duos habeat pedes Romanos, cubus ipse octo amphoras Romanas capit. Si tres habeat pedes latus, capit cubus amphoras 27. Si quatuor pedes habeat, amphoras capit 64. Si sit quinque pedum, amphoras 125. capiet: si sex pedum, capit 216. Si decē pedum, capit mille amphoras. *Ex latere cubi cognosci capacitatem eius.*

Si verò latus semipedem habeat in longitudinem, cubus continebit congium. Si pedem cum semisse, congios 27. Si duos pedes cum dimidio, congios 125. si tres pedes cum dimidio, congios 343. Si pedes $\frac{1}{2}$. congios capiet 726.

Sin autem latus sit longum quatuor digitos Romanos (qui est palmus) capit vncias 15. si tribus sit palmis, capit vncias 450. si quinque palmis, vncias capit 1875.

Præterea si latus duos continet digitos Romanos, continebit cubus drachmas 15. si sex digitos, continebit drachmas 405. hoc est vncias quinquaginta & quinque drachmas.

Adhæc si lateris longitudo sit vnius digiti Romani latitudo, cubus ipse capit aquæ pondus in grana 90. (pendet autem drachma grana 48.) Si trium sit digitorum, capit pondus granorum 1U430. hoc est 50. drachmas & grana triginta: seu (quod idem est) sex vncias & grana 126.

Et quidem Arithmetices periti non solùm in perfectis siue integris numeris computabunt, sed etiam in fractis atque minutiis. Verbi gratia, si cubi latus habeat Romanos digitos $3\frac{3}{4}$. capiet cubus drachmas aquæ ferè $98\frac{1}{3}$.

B C. E contrariò etiam ex aqua quam capit cubus, elici potest quod pedes Romanos siue digitos habeat cubi latus. Ceterùm cùm ad numeros qui vocantur surdi acceditur; quamuis per approximationem in infinitum possit magis ac magis ad verum punctum accedi; sæpè tamen magnæ numerorum minutiæ ad praxim inutiles sunt. Et tunc prudentiæ est rem non nimis exiliter ad calculos reuocare. Exempli gratia, Ad cubum qui capiat 18. amphoras Romanas, satis est si dicatur ipsius latus habere digitos Romanos ferè $41\frac{41}{44}$. Etenim quamuis noster Villalpandus vt aliquanto propius accedat, asserat cubi latus fore Romanorum digitorū $41\frac{1111}{1717}$. (quod est paulo plus quàm $41\frac{41}{44}$. veruntamen huic etiam Villalpandi lateri, sicut & nostro, nonnihil deest, & in tam paruis minutiis nihil refert maiorem fieri approximationem, quandoquidem nullius acies quantumuis perspicacissima potest id discriminis deprehendere. Si enim latus est longum digitos $41\frac{41}{44}$. desunt illi ad 18. amphoras fere $\frac{1}{3}$. vnius drachmæ. *Cubans capiens amphoras Romanas 18.*

D. Similiter ad cubum capientem aquæ vncias 1080. satis mihi erit, si dicam. cubicum eius latus habere ex Romanis digitis pæne $16\frac{1}{3}$. Licet enim videam cubum, cuius latus habuerit digitos Romanos $16\frac{1}{3}$. capere aquæ vncias 1085. & insuper vnius drachmæ $\frac{1}{3}$, adeò tamen est exiguum quod lateri detrahendum est, vt non capiat plus quàm 1U080. vncias, vt clarior ac rectior exponendi ratio sit, dicere, ferè $16\frac{1}{3}$. Nec visus erit cuiuspiam adeò acutus, qui differentiam discernat inter $16\frac{1}{3}$. & inter C latus cubicum vnciarum aquæ 1U080. *Cubus capiens aquæ vncias 1U080.*

E. Eadem ratione vt cubus duas aquæ amphoras Romanas (id est, mensuram medimni Romani, quæ eadem est cum Hispana faneca) contineat, dicere mihi satis sit, cubicum latus habiturum Romanos palmos prope $5\frac{1}{17}$. Quod latus cum Romano pede eandem habet proportionem quam habent $5\frac{1}{17}$. cum 4. seu (quod idem est; quæ reperitur in 126. cum 100. quandoquidem cubus palmorum Romanorum $5\frac{1}{17}$. vix capit drachmas tres supra duas amphoras, quarum cubum quærebamus. *Cubus capiens duas aquæ amphoras Romanas.*

F. Cubus cuius latus sit Romanorum pedū $3\frac{3}{4}$. continet Romanas amphoras 30. & $\frac{3375}{1172}$ huiusmodi autem est cubitus primarius Hebraicus quem ponit Capellus. Cubus autē cuius latus sit Romanorū pedum $2\frac{7}{12}$. capit Romanas amhoras $9\frac{77}{1728}$. Atque hic est primarius pes Hebraicus à Capello designatus. Cubus denique cuius latus habet vnum pedem Romanum & insuper quartam pedis partem (qui est iuxta Capellum ciuilis pes Hebraicus) capit duas Romanas amphoras, subtractis vnciis 45.

G. Præterea latus cubicum vnius modij Romani, aut (quod idem est) Alexandrini, continet digitos Romanos ferè $15\frac{5}{16}$. quæ mensura (vt infrà constabit) est ferè eadem cum quarta Hispanæ virgæ mensoriæ parte, antiquissima quoque mensura. *Cubus capiens modiū Romanum.*

PROPOSITIO V.

D *Quemadmodum Romanus pes est cubicum amphoræ Romanæ latus, ita etiam communis pes Græcus erat cubicum latus metretæ communis Græcæ, quæ vncias capiebat aquæ 1080.*

EXPLICATIO.

A. QVanquam Gellius initio sui libri notat, diuersas Græci pedis mensuras quondam fuisse (pro quo refert Pythagoram & Plutarchū) liquet tamē ex Plinio l. 2. c. 23. communē Græciæ pedē fe habuisse cum Romano, sicut 25. cum 24. Eapropter Romani stadio assignabant pedes Romanos 625. vt sexcentos pedes Græcos æquarent, quos Græci stadio præscribebant, vt tradit Herodotus l. 2. Iuxta hāc computationē habet Græcus pes digitos Romanos $16\frac{1}{3}$. Nā sicut 24. ad 25. ita 16. ad $16\frac{2}{3}$. *Pes Græcus communior.*

B. Si tamen politica Romanorū industria eò peruenit, vt sui pedis ad suam amphorā congruentia seruaretur: quis non videat verisimile non esse, quin similis congruentia inter pedē Græcū & metretam Græcam non defuerit? Existimo igitur pedē Græcū fuisse cubicum latus communis metretæ Græcæ. Verum huic opinioni duo videntur obstare. Alterum est quod minimè probetur, communem Græciæ metretam fuisse vnciarum aquæ 1U080. Alterum quòd si latus cubicum habet Romanos digitos $16\frac{1}{3}$. cubus ipse non solum capit aquæ vncias 1080. sed 1085. & vnius insuper drachmæ $\frac{1}{3}$.

C. Circa

Digitized by Google

C. Circa primum aduerto Fannium quidem Atticæ amphoræ tribuere sesquiamphoram Romanam. Quod quamuis Lucas Pætus aliter interpretetur; ipse tamen non inficior fuisse Athenis aliquam mensuram sesquiamphoræ Romanæ æqualem; eamque appellatam fuisse amphoram Atticã capacem sextariorum 72. eorum scilicet qui Italicis sextariis erant æquales, & singuli capiebant vncias viginti. Nihilominus assero, huiusmodi Atticam amphoram, de qua Fannius agit, fuisse nouam amphoram, quæ post Athenas Romanorum imperio subactas inuenta atque effecta fuit, vt se Attici ad Romanorum vsum effingerent in sextarij mensura. Etenim licet admiserint sextarium viginti vnciarum; in amphoræ tamen siue metretæ nomine generalem Græciæ consuetudinem retinuerunt: vt scilicet sextarius esset septuagesima secũda metretæ pars. Quare laxato sextario, laxata quoque amphora est. Verùntamen id non obfuit quin antiqua mensura suum quoque retineret nomen, & Atticus sextarius appellaretur quindecim aquæ vncias capiens. Constat hoc ex libello de ponderibus & mensuris qui Galeno tribuitur, & ex libello etiam Cleopatræ. Ambo enim Græcis metretis sextarios 72. prescribunt; id est duodecim χόας siue congios Græcos: asseruntque sextarium Atticum esse quindecim vnciarum: atque adeò chus siue congium Græcum vnciarum 90. Idem autem est, vnciæ 1080. atque quindecies 72. Quamobrem nulla potest superesse dubitatio, quin communis Græciæ metreta fuerit vnciarum 1080. & confirmatur, quia in prædicto Galeni libello, postquam fuerat dictum, *Sextarius pendere debet drachmas aquæ pluuialis* 120. (id est, quindecim vncias) subditur infra, *Atque his mensuris maior pars Græciæ vtitur*. Eandemque mensuram Cleopatra tribuit sextario. Plinius item libr. 21. fi. exprimit iuxta communem Græcorum vsum & Atticorum consuetudinem heminam (id est semisextarium) continere drachmas 60. & Mariana noster certum esse fatetur ex Fannio & Cleopatra fuisse apud Atticos sextarium quindecim aquæ vnciarum. His accedit quòd Galenus in libro quem nemo suum esse inficiatur, confirmat appendisse se diligenter vnius cotylæ siue heminæ oleum, inuenisseque illud pendere præcisè vncias septem atque dimidiam, id est, drachmas sexaginta. Itaque dubium non est communem sextarium Græcum capere quindecim vncias ponderabiles. Tametsi autem verum est, vbi quindecim olei vnciæ capiuntur capi ex aqua 16⅔. attamen ex libellis iis qui Cleopatræ & Galeno tribuuntur, & ex Plinij l. 21. fi. liquet heminam etiã aquę pendere drachmas 120. Vnde infero communẽ sextarij mensuram, siue aquę, siue vini, fuisse proculdubio in Græcia minorem quam olei sextarium; idque quatenus opus erat, vt pondere essent æquales; quemadmodum hodie tum Romæ, tum alibi in vsu est. Et quamuis in libello illo qui Galeno adscribitur, explicetur quantum olei capiat sextarius aquæ; hinc tamen minimè infertur, diuersam olei mensuram non fuisse. Nam & in mensuris quæ tum hodie Romæ sunt, tum etiam apud antiquos fuere Romanos, affirmare similiter licet, vini sextarium viginti vncias capientem, capere ex oleo 18. & sic de aliis. Atque ita verum est, metretam 1080. vnciarum olei capacem, continere 1200. ex aqua aut vino. Enimverò si absolutè sit loquendum, communis aquæ seu vini metreta non plures quàm 1080. ponderales continebat. Et verò illud saltem negari non potest, communi quondã Græciæ consuetudine, sextarium vini, quindecim vnciarum fuisse, ac proinde vini metretam vnciarum 1080. Quamobrem tametsi certum sit magnam in mensurarum nominibus ambiguitatem & confusionem inesse; aliasque etiam metretarum & sextariorum mensuras fuisse; ceterùm metreta ex 1080. vnciis non potest recusari. Atque hanc mensuram contendo ipse fuisse quondam in Græcia communem: quia cum Græco pede congruit; vt & Romana amphora cum pede itidem Romano.

Capacitas metretæ & eius partes.

C. Ad alterum argumentum ex supra positis, respondeo; Quamuis communiter olim tribuebantur Græco pedi Romani digiti 16⅔. hoc tamen non obest, quin latus pilus ab ea longitudine auferri possit. Est autem ita exiguum quod illi est detrahendum, vt cubus non plus capiat quam vncias aquę 1080. vt nulla oculorum acies id possit discriminare, quemadmodum in quarta propositione dictum est, littera D. Quapropter ipsius nomen est ferè 16⅔. Et nota valde fuisse operæ pretium vt pedis mẽsura responderet aquæ mensuræ. Aqua enim est prior & communior inter omnes liquores. Ad hæc si communis metreta contineret aquæ vncias 1200. communis pes Græcus esset habiturus in longitudinem aliquanto plus quàm digitos 17. Romanos: quod est multo plus quàm id quod Plinius affirmat.

PROPOSITIO VI.

Ex proportione Romanæ amphoræ, cognita cuiusuis sphæræ diametro, cognosci potest quantum aquæ capiat ea sphæra: & è contra ex quantitate aquæ quam capit sphæra, cognosci potest diametri longitudo.

EXPLICATIO.

Sphæra ad cubum proportio.

A. PRopositio hæc supponit, si sphæræ diameter sit æqualis lateri cubito, demonstratum esse ab Archimede cubo capiente viginti vnum, sphæram capere ferè 11. & quamuis per numeros ad exactissimam proportionis designationem non possit perueniri; sufficit tamen, illud per demonstrationem constare, nimirum si cubus vncias capiat 5964. absque integrâ discriminis vncia affirmari verè, sphæram tunc capere vncias 3123. Est enim euidenti demonstratione probatum, capere plusquàm 3122. & minus quàm 3124. Id quod ad praxim satis superque est. Deinde demonstratum etiam est cylindrum cuius altitudo & latitudo æquales sint inter se: tantum capere quantum sphæram & dimidiam eiusdem altitudinis.

B. Iuxta

Digitized by Google

A B. Iuxtà hæc ergo quæ diximus, qui rationes supputandi fuerit peritus, non dubitabit cum Romani pedis cubus contineat aquæ vncias 960. sphæram Romani pedis continere pluſquàm 502 ¼ & minus quàm 502 ⅚. Inter quæ extrema medium penè locum tenebit qui ponat sphæram capere 502 ⅓. vel 502 ⅜. vnde deducitur diametrum sphæræ quæ contineat aquæ vncias 500. esse Romano pedi prope æqualem. Ecquis enim valeat visus perspicacitate discernere diametrum sphæræ capientis vncias aquæ 502 ⅜ à diametro sphæræ quæ 500. præcisè contineat? Quod si sphæra capiat 500. cylindrus capiet 750. quod est pondus Attici talenti. Sphæræ autem diameter quæ capiat vncias aquæ 62 ½. est propemodum æqualis dimidio pedi Romano. *Sphæra capiens aquæ vncias 500 & cylindrus capitis 750.*

C. Item diameter sphæræ capientis cantaram vini seu mensurabilem arrobam Hispaniensem, (id est, vncias ponderales 512.) est paululum maior Romano pede. Atque adeò diameter sphæræ quæ capiat Hispanum congiolum (qui dicitur *açumbre*) est etiam tantillo maior quàm dimidius pes Romanus. Nam Romani semipedis sphærâ penè capit vncias aquæ 62 ⅝. Diameter item sphæræ semiquartarij (qui octo continet vncias aquæ seu vini) satis parum excedit Romanum palmum, palmi enim sphæra capit ferè 7 ⅝. Si autè sphæra capit octo; cylindrus capiet 12. quæ est Romana libra. Præterea sphæra vnius vnciæ ex aqua satis parum superat duorum digitorum Romanorum sphæram. Etenim sphæra duorum digitorum Romanorum drachmas ferè continet 7 ⅝. Postremò vnius digiti B Romani sphæra capit ferè ⅛ vnius drachmæ. Et sphæra duorũ digitorum, ferè ⅛. vnius vnciæ. Sphæra etiam quatuor digitorum Romanorum propè continet ⅛. vnius bessis, siue marci vnciarum octo, & sphæra semipedis, penè ⅛. vnius açumbre. Sphæra denique vnius pedis continet ferè ⅛. vnius cantaræ seu arrobæ mensurabilis. *Sphæra capiens vnam cantaram, & eius diuisiones.*

D Ex dictis infertur, ad sphæram nouem amphorarum Romanarum satis esse si diameter contineat digitos 4 ⅓. Si autem pro vnius sphæræ diametro sumatur cubi latus qui 18. Romanas amphoras capiat; euidens est sphæram ipsam præter nouem illas amphoras Romanas capere pluſquam 405. vncias, ex Archimedis demonstratione. Quamobrem licet in Hebraici cubiti sphæra constaret contineri nouem amphoras Romanas; non minùs etiam constaret supra has nouem amphoras, addidisse nostrum Villalpandum pluſquàm 405. vncias; eo quòd ad Hebraici cubiti mensuram elegerit latus cubi capientis 18. amphoras Romanas. Vnde fit Mare æneum iuxta Villalpandi mensuram capere pluſquam 202 U 500. vncias aquæ supra id quod caperet, si vnius cubiti sphæra non caperet pluſquam nouem amphoras Romanas. *Sphæra capiēs nouem amphoras Romanas.*

E. Iuxta illam Archimedis regulam (nempe si cubus capit 21. sphæram capere fere 11.) si cubus continet 18 U 000. amphoras Romanas, sphæra continebit amphoras pene 9 U 428 ⅝. atque adeò hemisphærium capiet ferè 4 U 714 ⅓. Ex quæ efficitur Villalpandum dum asserit se velle facere hemisphærium quod præcisè capiat Romanas amphoras 4 U 500. illud tanto maius effinxisse, vt suprà amphoras illas 4 U 500. capiat etiam ferè 21 ⅜. & meâ quidem sententiâ totum Mare æneum non amplius capiebat quàm Romanas amphoras 208 ½. (hoc est, vncias 200 U 000.) vt infrà ostendam. *Maris ænei capacitatē fuisse autiam, maiorem in modum.*

F. Ad sphæram verò quæ quatuor Romanas amphoras capiat non debet pro diametro sumi latus cubi capientis amphoras octo, sed aliquanto minus. Etenim octo amphoræ Romanæ efficiunt aquæ vncias 7 U 680 Si autem cubo capienti 20. respondent in sphæra propè 11. cubo qui capiat 7 U 680 respondebunt sim liter in sphæra pene 402 ⅜. Quatuor verò amphoræ tantùm cõtinent vncias 3840. Quapropter ex eo quòd Mariana cubito sacro binos in longitudinem Romanos pedes tribuerit; sequitur in vnius cubiti sphærâ, vltra quatuor illas amphoras, quas sphæræ vnius cubiti tribuere volebat (vt sphæræ quingentæ quas continet Mare æneum, faciant amphoras Romanas 2 U 000.) superesse vncias penè 182. Quare in Mari æneo (præter illas bis mille amphoras) continebuntur ferè vnciæ 91 U 428 ⅝. quæ faciunt pluſquàm 95. amphoras Romanas. Asserò igitur, si sphæra quatuor amphoras capiens conficienda sit, auferendum esse de duobus Romanis pedibus ferè semidigitum Romanum: ita vt supersit paulo pluſquam Romani digiti 31 ½. *Sphæra capiens amphoras quatuor.*

G. Deinde ad faciendam sphæram quæ mille aquæ vncias capiat, proximum est vt diameter con- D tineat digitos Romanos 20 ⅓. Si enim hic numerus cubicetur; & ex eo numero cubico ad alium retrocedatur, vt à numero 56. ad 55. peruenitur ad numerum drachmarum 8 U 000. (qui quæritur) & supersunt paulò pluſquam quinque drachmæ. Si autem hic diameter continens digitos Romanos 20 ⅓. in decem æquales partes diuidatur; sphæra vnius decimæ, vnicam capit vnciam: sphæra duarum decimarum capiet vncias octo: sphæra trium, capiet 27. sphæra quatuor decimarum capiet vncias 64. & sphæra quinque decimarum capiet vncias 125. *Sphæra capiens mille vncias aquæ, & eius partes.*

H. Vt fiat sphæra vnciarum aquæ 400. diameter habere debet Romanos digitos penè 14 ⅔. quam mensuram ego existimo esse tertiam partem Hispanicæ vlnæ seu virgæ mensoriæ. Nam iuxta eam proportionem quam Villalpandus inter Hispanicæ vlnæ tertiam, & Romanum pedem assignat (quę est vt inter 12. & 13.) tertia nostræ mensoriæ virgæ pars sortitur Romanos digitos 14 ⅓. Si autem, vltra id, addatur decimaoctaua pars vnius digiti Romani (quod est satis exiguum) capiet vncias 400. Sphæra autem cui pro diametro essent Romani digiti 14 ⅔. continet vncias ferè 395 ½. cumque adeò sit exiguum quod deest: ego mihi persuadeo, eum fuisse huius mensuræ scopum vt vncias 400. contineret, quæ ponderabilem arrobam efficiunt. Atque hac ratione congruet omnino pes Hispanus cum sphæra vnius arrobæ ponderabilis ex primo liquore, hoc est, ex aqua. Quòd si planum fecero, diametrum sphæræ vnciarum aquæ 400. esse minorem cubitum Hebraicum; hoc valide confirmabit, eandem esse nostri pedis mensuram. Constat enim nostrum pedem non fuisse à Gothis in Hispaniam inuectũ (cum sit antiquior) nec à Romanis, siquidem ab ipsorum pedis longitudine differt. *Sphæra capiens vncias aquæ 400. habet pro diametro pedem Hispanum.* *Pedis Hispani antiquitas.*

Digitized by Google

Quare si nostri pedis mensura sub Romani Imperij tempus iam erat inducta (vt curiosi architecti ex antiquis ædificiis obseruarunt) nec ipsi Romani eam primùm induxerunt; argumento est, illam esse antiquiorem. vnde si illi mensuræ respondet qua Hebræi quondam vtebantur; verisimile est, quemadmodum etiam nunc retinent Hispani antiquissima pondera, ita similiter mensuram cubiti ab eis retineri quam in Hispaniam intulerunt primi post diluuium conditores: atque adeò eandem ponderibus & mensuris Hispanicis esse originem quam Hebræis. A

I. Nec verò primus ipse sum qui putem tredecim nostræ vlnæ tertias continere paulo plusquam duodecim pedes Romanos. Etenim Mariana, quamuis ad eam inclinet sententiam, vt Romanũ pedem eundem esse putet cum Porphyretico (qui est non nihil maior vero pede Romano Farnesiani congij) nihilominus deprehendit tredecim tertias Hispanicas cum duodecim pedibus Porphyreticis adæquari.

L. Quòd si nostri pedis sphæra capit aquæ vncias 400. cylindrus eiusdem, capiet omnino sexcentas: quæ sunt quinque octauæ partes Romanæ amphoræ, hoc est quinque congij Romani.

Cubus Hispani pedis quantum capiat.

M. Ex dictis sequitur, nostri pedis cubum continere aquæ vncias fere 764. quæ si essent 768. explerent duodecim açumbres. Si tamen aliquis efficiens cubum ex Hispano pede, reperit non tantum capere: suo illum experimento oportet non nimis confidere. In his enim rebus, vt experientiæ fidere liceat, opus est valde accuratè fieri periculum. Nam quantumuis sit minuta contractio, multum de capacitate detrahitur. Et quidem si noster pes eam omnino haberet proportionem ad Romanum, quam ei tribuit Villalpandus, nempe vt 12. ad 13. (quod est habere digitos Romanos $14\frac{10}{13}$. cubus ex illo caperet 755. aquæ vncias, cui mensuræ vix ego addo vncias nouem. Itaque cubo nostri pedis ex aqua, ad 12. açumbres desunt iuxta Villalpandum vnciæ ferè 13. iuxta meam verò mensuram non desunt ei quinque integræ vnciæ, sed quatuor & nonnihil amplius. B

Sphæra capiens aquæ vncias 800.

N. Iam vt sphæra 800. aquæ vncias contineat, diameter habere debet ex Hispana tertiâ (seu pede) palmos ferè $5\frac{1}{17}$ (illum appello palmum qui quatuor digitis constat, siue quartam pedis partem.) Si autem sphæra quatuor palmorum capit vncias 400. (vt explicatum est suprà) euidens est in sphæra palmorum $5\frac{1}{3}$. contineri duplum & paulo plus, vt vidimus propositione 4 litera E. Porrò ad sphæram vnciarum 800. opus est diametrum non nihilo maiorem esse Romanis digitis $18\frac{1}{3}$. Nam sphæra digitorum $18\frac{1}{3}$. continet drachmas aquæ $6388\frac{8}{9}$. vnciæ verò 800. continent drachmas 6400. Quare assignatæ sphæræ deerat ferè sesquivncia. Ac 800. vnciæ petunt pro diametro sphæræ, radicem cubicam numeri $6516\frac{1}{11}$. Numerus autem $18\frac{1}{3}$. est radix cubica numeri $6504\frac{8}{17}$. Si autem sphæra capiat vncias 800. cylindrus capiet 1200. si verò quarta pars illi in altitudinem addatur, capiet aquæ vncias 1500. quod est Hebraici talenti pondus.

Sphæra pedis Græci.

O. Sphæra cuius diameter sit pes Græcus, vncias continet ferè $565\frac{7}{9}$ quia cubus capit 1080. vncias, (vt suprà explicatum est propositione 4. & 5.) & sicut 21. ad 11. sic 1080. ad $565\frac{5}{7}$. vnde sequitur cylindro Græci pedis contineri vncias ferè 850. G

Cylindrus capiens amphoram Romanã.

P. Sphæra cuius diameter sit digitorum Romanorum $17\frac{1}{3}$. capit aquæ vncias penè 640. Atque adeò cylindrus eiusdem altitudinis & latitudinis capiet aquæ vncias ferè 960. quæ est Romana amphora. Sunt autem penè idem Romani digiti $17\frac{1}{3}$. & Hispani $18\frac{1}{4}$. sed præcisus numerus est Hispanienſium digitorum $18\frac{15}{16}$.

Sphæra vnciarũ 900. Sphæræ quædam maiores.

Q. Sphæræ capacis vnciarum aquæ 900. diameter debet esse paulo minor quàm digiti Romani $19\frac{1}{3}$. Nam si diameter sit $19\frac{1}{3}$. sphæra continebit vncias aquæ $905\frac{1010}{11200}$.

R. Sphæra cui pro diametro sint Romani pedes $3\frac{1}{8}$. (qui est iuxta Capellum, primarius cubitus Hebraicus) continet Romanas amphoras aquæ ferè 16. & cylindrus ferè 24.

S. Sphæra cui pro diametro sint pedes Romani $2\frac{1}{2}$. (qui est pes primarius Hebraicus, iuxta Capellum) continet ferè Romanas aquæ amphoras $4\frac{3}{4}$. cylindrus autem ferè $78\frac{3}{8}$.

T. Sphæra quæ diametrum habet longum pedes Romanos $1\frac{1}{4}$. (qui est Capello ciuilis pes Hebraicus) continet aquæ vncias 982. Caperet autem mille, si exiguum quid diametro adderetur; nempe si longitudo diametri esset digitorum Romanorum ferè $20\frac{1}{3}$.

D

Scholion ad sextam propositionem pro Iosepho Scaligero.

Iosephi Scaligeri gloriatio de Archimede à se impugnatio ridicula est.

OMnia quæ in hac sexta propositione à nobis dicta sunt, supponunt tres illas Archimedis demonstrationes in libello de dimensione circuli, esse veras & solidas. Alioqui enim ruunt ea quæ super eo fundamento ædificantur. Nec me latet Iosephum Scaligerum ausum esse contra eas Archimedis demonstrationes scribere tantâ confidentiâ, vt appendici ad cyclometrica sua hos in fine addiderit versus,

Fama beatus qui super vixit sua,
Illisq; meruit interesse laudibus,
Quas vita non dat, funus ac cinis darent.
Bona liceret, si liceret per malos,
Vitis negata gloria, viuis frui.
Sed si bonorum iudicia de me, mei
Tardauit eui liuor ac malignitas;
Meam loquentes gloriam nepotibus,
Iniuriam horum non tacebunt posteri.

Sed

Digitized by Google

A Sed ride, aut potiùs miserare, lector, hæretici hominis inanem iactantiam; cuius libellus tot scatet hallucinationibus & paralogismis, vt vel leuiter mathematicâ disciplinâ tinctus facile eius ignorantiam animaduertat. Demonstrationes verò Archimedis, quas nos supponimus, nihil opus est ab hoc glorioso milite defendere; cùm eas solidissimas esse, euidentissimè ostenderit noster Clauius maximus nostri sæculi Geometra, in sua Geometriâ practicâ l. 4. c. 6. vbi eas explicat & illustrat. Quàm verò tum in prædictis propositionibus reiiciendis, tum in insectando Archimedem, iniquissimus fuerit Scaliger, satis superque constat ex refutatione Cyclometriæ, quæ ab eodem Clauio edita est Moguntiæ anno 1609. quæ adiuncta est responsioni ad conuitia & calumnias Ioseph Scaligeri in Kalendarium Gregorianum, vbi in præfatione etiam citat Franciscum Victam Gallum, & Adrianum Romanum Belgam. Prioris libri titulus est, *Mummen aduersus nouæ Cyclometricæ ex Geometricis Schediasmatis Francisci Vietæ, Parisiis apud Iametium Mettayer Typographum regium*, 1594. Posterioris autem titulus est huiusmodi, *In Archimedis circuli dimensionem expositio & analysis, apologia pro Archimede ad Iosephum Scaligerum, auctore Adriano Romano, Viceburgi anno* 1597.

PROPOSITIO VII.

B *Ex proportione Hispani pedis cum aliis vel pedibus vel cubitis vel calamis, cognosci potest proportio quam habent quadratæ areæ, nec non cubi vel Sphæræ quæ fiunt ex pede Hispano cum ijs quæ ex aliis vel pedibus vel cubitis vel calamis conficiuntur.*

EXPLICATIO.

Cubiti Villalpandi ad pedem Hispanum proportio.

A. HEbraicus cubitus quem nobis Villalpandus describit, ferè continet Romanos digitos 42. qui ex Hispanicis faciunt 45$\frac{1}{2}$. Itaque nostri pedis proportio cum Hebraico illo cubito est sicut 16. cum plusquam 45. Quadrata autem illius cubiti area est plusquam decupla respectu areæ pedis Hispanensis; & cubiti illius solidum ad solidum ex nostro pede ferè se habet sicut 23. ad 1.

Cubiti Mariana ad pedē Hispanum proportio.

B. Quem verò Hebraicum cubitum Mariana designat, is est duorum pedum Romanorum: qui cubitus ad Hispanum pedem eam habet proportionem quam 26. ad 12. Quadrum autem numeri 12. est 144. ac numerus 26. habet quadrum 676. & sicut 144. ad 676. ita 36. ad 169. atque ita etiam 1. ad 4$\frac{1}{2}$. & nonnihil amplius. Atque hæc est arearum proportio. Deinde cubus numeri 26. est 17576. quod est

C pluſquàm decuplum respectu eius cubi quod fit ex radice cubica numeri 12. Eaque est solidorum proportio.

Vnde sumpsit Mariana mensurā cubiti, & vnde Arias Montanus.

C. Notandum verò est mensuram hanc quam Hebraico cubito præfinit Mariana, desumptam fuisse ex Glossa ordinaria, aliisque antiquis Scriptoribus qui affirmant tres Hebraicos cubitos esse iustam humanæ staturæ mensuram. Constat autem sex Romanos pedes esse mensuram staturæ humanæ. Similiter Hebraicus cubitus quem affert Arias Montanus ex Misnaioth, videtur esse tertia pars humanæ staturæ, vel paululum maior. Arias enim singulis cubitis palmos sex; singulis palmis quatuor digitos; singulis digitis, sex hordei grana præscribit, quo videtur Hebraico digito sesquidigitum Romanum tribuere. Quare Hebraico Montani cubito obtingunt Romani digiti 36. hoc est, duo Romani pedes & palmus. Verùm non sibi constat Arias (nisi præli mendum esse velimus.) nam vulgari vnius pedis mensuræ duos tantùm Hebraicos palmos attribuit (cùm ipsi cubito sex palmos deferat.) ex quo deducitur, singulis cubitis tres ab illo pedes assignari. quod perinde erit, ac Hebraico cubito dimidium vulgaris staturæ humanæ tribuere: cui paulo minus adscribit Villalpandus.

Proportio cubiti Villalpandæi ad mensurā cubiti maioris à nobis assignatam.

D. Hebraicus cubitus maior in mea sententia continet Romanos digitos 18$\frac{3}{4}$. Dixi Hebraicum

D cubitum maiorem, ad distinctionem alterius minoris, qui est eadem mensura cum pede Hispano, id est, cum tertia nostræ virgæ mensoriæ. Hebraicus ergo cubitus maior quem ipse assigno, cum illo quem Villalpandus designat (42. Romanis digitis constantem) eam habet proportionem quam 4. cum 9. Verum est suo cubito non præscribere Villalpandum Romanos digitos 42. integros; sed tantillum minus, eius tamen subtilis minutiæ nullam in præsenti rationem duco, quia exigua valdè est. Si autem meus cubitus cum Villalpandi cubito se habet vt 4. cum 9. quadrum quidem numeri 4. est 16. & quadrum numeri 9. est 81, Quare cubiti Villalpandæi area continet quinque areas eius cubiti quem ipse designo: solida verò se habent sicut 1. cum 11$\frac{5}{11}$.

Calami mēsura, & proportio.

E. Præterea, calamus cubitorum sex Hebraicorum ex iis qui à me assignantur, si comparetur cum Villalpandi calamo continente ex illius cubitos 6$\frac{1}{4}$. habet se ad illum sicut 24. ad 56$\frac{1}{4}$ quod est maius discrimen quàm inter 3. & 7. reperitur. At in areis discrimen est, veluti inter 9. & 49$\frac{1}{8}$. In solidis autem proportio est qualis datur in 25. ad 343. & nonnihil amplius, quæ est veluti 1. ad 12$\frac{5}{7}$. & eo plus.

F. Denique calamus Hebraicorum sex cubitorum iuxta meam de cubito sententiam, staturam sex pedum Romanorum superat vno pede: staturam verò sex pedum Hispanicnsium pluſquàm sesquipede excedit.

Digitized by Google

A

PROPOSITIO VIII.

Nomina quæ Architecti tribuunt illis mensuris quas interualli seu linearum appellant, sumpta sunt ex proportione quam inter se habent humani corporis mensuræ. Id tamen parum exactè. Naturali enim proportioni congruentius foret, nomen cubiti tribuere sextæ humani corporis parti, iuxta vsum Hippocratis, Aristotelis, Galeni, Medicorum & Anatomistarum, atque ipsius forsan Homeri.

EXPLICATIO.

A. MEnsuras quas interualli appellant, nationes omnes effingunt ac redigunt ad eam quam pro humanæ staturæ mensurâ seligunt; nec non ad proportionales ipsius partes. Quapropter mirum non est inter pedem (verbi gratiâ) Romanum, Græcum & Hispanicum inæqualitatem reperiri. Ex eo enim quòd pro staturæ humanæ mensurâ alij hanc, alij illam assumant; inde necessariò sequitur, acceptâ pedis mensurâ pro sexta staturæ parte, Græcum, Romanum atque Hispanicum pedes inter se inæquales esse. Architecti igitur nomen pedis tribuunt sextæ humanæ staturæ parti: nomen verò palmi, quartæ pedis parti: & palmi quarto nomen digiti: cubitum autem appellant quartam staturæ partem: quod est sesquipedem cubito tribuere. Ita Vitruuius, Hesychius, Suidas, Pollux, aliique permulti: atque is vsus communiter receptus est. Norunt tamen eruditi isthæc nomina naturali humani corporis proportioni non respondere exactè. Primò, nam quilibet homo, si debitam habeat altitudinis proportionem, ferè sex pedes & dimidium ex suis altus est; cùm tamen nihilominus nomen pedis pro sextâ staturæ parte ponatur. Secundò, quia grandis valdè debet esse pes & angusta satis manus eius, cuius pes quatuor palmos ex suis adæquet: imo nec tres & dimidiatum & fortasse propius ad iustam proportionem naturalem (in hominibus saltē robusto corpore præditis) pedis longitudo in tres palmos diuideretur. Etenim vt pes possit quatuor palmos complecti, oportet digitorum latitudinem penes extremam sui ipsorum partem qua operiuntur vnguibus desumi. Quod autem Herodotus scribit l. 1. n. 32. vulgarem nempe cubitum à regio tribus digitis superari, fortasse significat excessum esse vnius palmi, quem nos in quatuor digitos diuidimus. Neque enim tenebatur Herodotus ad agendum de digitis ita exilibus cuiusmodi sunt ij qui ab Architectis considerantur. Et facit quòd vbi Herodotus agit de corpore Orestis inuento, videtur cubitum pro mensura septem palmorum accipere l. 1. Ergo apud eum tres digiti (crassiores scilicet) æquant vnius palmi mensuram. Tertiò, vt cubito quarta humanæ staturæ pars assignetur, haud dubiè cubiti nomine comprehenditur manus extensa, in qua significatione, si congruens corpori proportio naturalis attentè inspiciatur; apparebit, quatuor cubitos ex iis in quolibet homine bona corporis proportione prædito, efficere septem eiusdem hominis pedes; vt constabit ei qui aptam corporis proportionem in hominū multis dimetiri volet. Vnde non admodum exactè iuxta naturalem humani corporis proportionem sesquipedi nomen cubiti assignatur. Nec vero prima nominis cubiti significatio fuit ea quæ manum etiam extensam sub cubiti nomine comprehendit. Etenim cubito respondet græcè πῆχυς, cuius nominis primariam significationem Græca dictionaria ponunt eam quam Hippocrates, Galenus & communis Medicorū & Anatomistarum consuetudo sequuntur; qui omnes cubitum appellant præcipuum brachij os, quod ab ima manu vsque ad brachij curuaturam protenditur, (atque huic ossi adiungitur tanquam comes aliud, quod radiolum appellant,) illud autem animaduertit Galenus in commentariis ad Hippocratis libellum de articulis: & ex illo notauit etiam Gorræus in definitionibus medicis, & Henricus Stephanus in suo Thesauro & addere possent auctoritatem Aristotelis l. 1. de historia animalium c. 15. vbi brachium diuidit in lacertum, cubitum & manum: ex quo intelligitur manum non comprehendi ab illo in cubiti appellatione. Præterea hanc eandem cubiti acceptionem dictionaria tribuunt Homero.

Communior brachij acceptio nō satis exactè respondit proportioni naturali.

Aliter accipiunt cubiti nomen Hippocrates, Galenus, Aristoteles, &c.

B

C

D

Cubitus pro osse ab ima manu vsq; ad curuaturam brachij, est sexta pars humanæ staturæ.

B. Quod si proportionem naturalem humano corpori idoneam considerare velimus, certum est, præcipuum illud brachij os, quod cubitum antiqui auctores appellant, valde admodum sextæ humanæ staturæ parti exæquari; vt facilè animaduertere poterit, cui humanam optimæ proportionis staturam plurimorum hominum metiri libeat. Atq; hoc insuper præstat illud os pedi aut manui, quod veluti os insigne & vndique solidum, proportionem magis æqualem in hominum corporibus, quā aut pes aut manus habeat. Etenim in digitis vtpote in extremis partibus, multo maior longitudinis discrepantia in diuersis hominibus reperitur: quorum aliis breuiores digiti, aliis productiores sunt, ceteris paribus. At in eo quòd os illud sit sexta staturæ pars, multo maior constantia ac similitudo à naturâ ipsa in corporibus hominum cernitur, si in quolibet eorum comparetur illius ossis longitudo cum totius corporis longitudine.

C. Ex dictis infero, si comprobaretur Hebræos (atque adeò sacram Scripturam & Iosephum) cubitum vocasse sextam staturæ humanæ partem; tunc quidem vsum huiusmodi minime nouum & insolitū fore reputandum; cùm constet ab auctoribus grauissimis pariter & antiquissimis manum in nomine cubiti non includi; & eâ exclusâ, congruentius bonæ corporis proportioni naturali esse, si sextæ parti staturæ tribuatur cubiti nomen, quam si pedis. Iam verò si vsitatis mensuris nomina per

analo-

Digitized by Google

A analogiam ad humani corporis proportionem attribui res est quæ ab ipso Adamo traxit originem; næ verisimilius est, Adamum (quippe qui sapientissimus erat) sextæ humani corporis parti nomen illius ossis potiùs quàm pedis accommodasse: siquidem hoc est rectæ proportioni naturali aptius & conuenientius.

PROPOSITIO IX.

Mensura cubiti in sacra Scriptura & in Iosepho pro sexta parte humanæ staturæ ponitur, non pro quarta.

PROBATIO.

A. NOn me latet propositionem hanc multis paradoxã visum iri: non solùm quia Græcorum & B Latinorũ vsus fert, vt sesquipedis mensura nuncupetur cubitus (quam mensuram expressè tribuit cubito Herodotus in Euterpe §. 65. & post eum Vitruuius atque alij multi) sed etiam quia qui de sacræ Scripturæ cubito agunt, omnes definiunt, eum esse quartam humanæ staturæ partem. Quare beatus Hieronymus Ezechielis 40. perspicuè tribuit cubito sex palmos, dum de cubito & palmo agit, quorum ibi propheta meminit versu 5. Idemque refert Arias Montanus ex Misnaioth; idemq; sequuntur Glossa ordinaria, & alij interpretes antiqui & vno ore recentiores omnes. *Cubitum poni pro quarta humana statura parte est valde receptum.*

B. Accedit quòd iuxta Villalpandi nostri rationem sacer cubitus necessario videtur esse diameter sphæræ quatuor batorum ex illis bis mille quos Mare æneum capiebat. Quamuis autem batus non esset Romana amphora capacior; necesse est diametrum sphæræ amphorarum quatuor Romanarũ esse fere æqualem duobus Romanis pedibus, vt vidimus propositione sexta, litera F. Quare si Scripturæ cubitus longior non fuisset quam sexta staturæ pars, sequeretur inde Hebraicam staturam esse fere duodecim pedum Romanorum, quod nimium satis atque adeò incredibile est. Præterquam quod ex verbis tum Cleopatræ, tum etiam interpretis Nicandri liquet, Syram metretam (quæ pro bato Hebraico solet capi) fuisse æqualem Romanis amphoris $2\frac{1}{2}$. & quamuis Cleopatræ locũ emendare velimus cum Villalpando, ac Stanislai opinionem sequi (quæ in Scriptura sacra & in Fannio videtur niti, videlicet, batum capere Romanas amphoras $2\frac{1}{2}$.) ad diametrum tamen sphæræ quæ C quatuor eiusmodi batos contineat, necessarij sunt Romani palmi ferè $10\frac{1}{2}$ vt posuimus propositione sexta, litera D. Si autem hæc esset cubiti sacri mensura, & cubitus ipse esset sexta pars staturæ antiquæ, hinc sequeretur, antiquam staturam habuisse penè 63. palmos Romanos, qui conficiunt pedes Romanos $15\frac{3}{4}$. & eo amplius, quod incredibile omnino est.

C. Nihilominus censeo cubiti nomen tam apud Scripturam quàm apud Iosephum non pro quarta staturæ parte, sed pro sexta accipi: ac proinde Scripturæ cubitum non in sex palmos, sed in quatuor partiri: eundemque esse sacræ Scripturæ & Iosephi vsum, quem Hippocratis, Aristotelis & Galeni, quem Homero tribui, quemque à medicis & Anatomicis vsurpari vidimus (propositione 8. litera A.) qui omnes cubiti nomine non comprehendunt manum, sed solùm os illud præcipuum ab ima manu ad brachij vsque curuaturam exteosum. In primis igitur aduerte, Latinorum Architectorum atque Græcorum vsum minimè conuincere aut persuadere, eundem fuisse vsum Hebræorum ac sacræ Scripturæ. Quemadmodum ex Latinorum consuetudine, qui passum vnum pro quinque pedibus accipiunt, non rectè probatur Græcos etiam de passu iuxta eandem proportionem agere. Deinde, vidimus iam primariam ac præcipuam Græci nominis πῆχυς significationem eam esse quæ designat os illud sexta humanæ staturæ parte in longitudinem constans. Quamobrem non est cur arbitremur, Septuaginta interpretes in ea acceptione vsurpare hoc nomen non potuisse, ipsorumque vestigiis nostrum institisse Vulgarum. Ad hæc Lucas Pœtus in tractatu de mensuris alias cubiti significationes affert, aliam scilicet pro mensura 18. digitorum, aliam pro 10. digitorum mensura: & diuersa alia significata in vno cubiti nomine apud Origenem & Augustinum reperiuntur. Nihil igitur est cur tanquam certum statuatur, cubitum in sacra Scriptura sex palmis constare; si aliquæ rationes & argumenta sint quæ quatuor solùm palmis illum comprehendi persuadeant. *Cubitum in sacra Scriptura poni pro quarta humana statura parte non debet supponi.*

D. Primò igitur quamuis beati Hieronymi auctoritas in suis commentariis magna sit, maior tamen est & firmior eiusdẽ Hieronymi in Vulgatæ textu auctoritas, vbi certiorem diuini spiritus habuit instinctum ne aberraret, & vbi ad certam adhæsit sententiã quam antiqui interpretes fuerant sequuti. Cernimus autem in Vulgata 3. Reg. 7. 26. pro *topah* (quod est Hebraicum vocabulum significans palmũ quatuor digitorum) legi *tres vncias*. Sic enim habet textus, *Grossitudo Labrii trium vnciarũ erat*. Atqui compertum est tres vncias idem esse quod tres duodecimas (scilicet vnius cubiti) & has idem esse cum quarta parte huius numeri 12. ergo *topah* est quarta pars cubiti, vt scripsit Conradus Kircherus in Græcis concordantiis, verbo *topah*. Quod si respondeat aliquis, tres vncias siue tres duodecimas appellari non respectu cubiti sed respectu pedis: contra hoc est quòd contextus agit de Maris ænei mensura quod Scriptura per cubitos metitur; & neque ibi mensuræ alterius est mensio, neque alibi vnquã Scriptura pedibus sed cubitis mẽsurat. Quare necesse est, tres vncias siue tres duodecimas de cubiti duodecimis intelligi debere. Si verò alius secundo opponat, licet Hebræorũ nomen *topah* frequenter ponatur pro quatuor digitorũ palmo; benè tamen posse accipi aliquando pro sesquipalmo, *Cubitum esse sextam humanæ staturæ partem, multis probatur argumentis.* *Topah quã mensurat*

Digitized by Google

hoc est, pro sex digitis (sic enim intelligit ille palmi nomen Ezech. 40. 5. cùm dicitur. calamus esse *sex cubitorum & palmo*) hæc quoque responsio neutiquam facit satis, tum quia valdè coactum est, nomen *topah* alicubi pro sesquipalmo vsurpare: tum etiam quia in Maris saltem ænei dimensione, nec Villalpandus, nec alius quispiam eam sibi mentem induxit. Si autem Villalpandus Ezechielis 40. 5. eò fuit deductus vt non dubitaret palmi nomen pro quarta cubiti parte inibi sumi; illud hinc fuerat illaturus, semper scilicet in sacris Literis palmum *topah* pro quarta parte cubiti desumi. Atque adeò cubitum in Scriptura quatuor in palmos diuidi. Fingere enim Hebraicum nomen *topah* alibi pro quarta parte, alibi pro sexta capi; id verò quo probabili fundamento affirmari possit, omnino non video. A

D. Secundò, Ezechielis calamus erat staturæ humanæ mensura, & in sex cubitos diuidebatur: ergò cubitus non quarta staturæ pars est, sed sexta. Maior propositio comprobatur ex Apocalypsi c. 21. 17. vbi Ioannes per allusionem ad Ezechielis calamum, ait illum fuisse *mensurâ hominis*, id est, staturæ humanæ mensura, vt eo loci vidimus. Minor autem ex Ezechielis verbis patet cap. 41. 8. *ad mensuram calami sex cubitorum spatio*. Sed de hoc plenius infrà in huius propositionis corollario primo.

Locus Ezechielis 41. 6. explicatus.

E. Tertiò, Ezechielis 41. 6. legimus, *latera autem, latus ad latus bis triginta tria*, vbi Hebræa sonant, *triginta tria Pegamim*. Tametsi autem vox *Pegamim* poterat significare vices (vt explicat Rabbi Ionathan, triginta tria per vices, hoc est vndecim cubicula in quolibet pauimento; quæ in tribus pauimentis conficiunt 33.) Vulgatus tamen de mensurâ pedum intellexit. Et quia in duali legit *Pegamaim*, ideo dixit, *bis*. Atque ita accipit noster Villalpandus. Quia ergo Vulgatus Hebraicam vocem in eo sensu accepit; inde infero ipse mensuram cubiti in sacra Scriptura non esse aliam à mensurâ pedis. Textus enim tantùm dicit, *bis triginta tria*: quæ autem mensuræ præcedunt & quæ subsequuntur, omnes cubitorum sunt. Quamobrem cùm nullum aliud substantiuum nomen annectatur verbis illis *triginta tria*, ipsemet textus nos veluti manuducit, vt de 53. cubitis sermonem esse intelligamus. Adde huc, latine dici cubitum in neutro genere. Sin verò de alia mensurâ intelligendum foret, teneri videbatur Vulgatus ad peculiarem illius explicationem, vt lectores de cubitis non acciperent. Præter hæc non ex Vulgatâ modo, sed ex contextu etiam colligitur fieri non posse vt in Scriptura duo cubiti ex tribus pedibus fiant. Cùm enim semper sacer scriptor, cubitorum vtatur dimensione, tam in iis quæ antecedunt quàm in his quæ subsequuntur, cumque posset dicere 22. cubitos: quorsum phrasi aliâ diuersâ fuerat vsurus, vt 22. cubitorum dimensionem significaret? Certè cubiti synonymum vsurpare minimè dissentaneum est. At diuersam accipere mensuram, nulla ratione, fundamento, aut necessitate suadente, id sanè perinde esset, quasi vnâ mensurâ primò dimetiretur quispiam; moxque illâ temerè ac repentè abiecta aliam minorem sumeret, quod nulla ratione verisimile est. B

Locus Ieremiæ 51. 13. expensus.

F. Quartò, vt credamus cubitum in sacrâ Scripturâ esse sextam humanæ staturæ partem facit, quòd Hebraica vox est *amah*, quæ ex alio deriuatur nomine quod significat caput. Constat autem proportionem capitis ad totam hominis staturam esse vnius sextæ partis. Et confirmatur, quia pro voce *amah* Vulgatus substituit pedalis nomen Ieremiæ 51. 13. Ergo in Scriptura non est diuersa mensura cubiti à mensura pedis, sed vtraque est sexta humanæ staturæ pars. C

Totius Ierosolymæ gyrus quàm.

G. Quintò, si ex Iosepho constaret, illum nomine cubiti pro sexta staturæ parte vti; iam quæ posset residere dubitatio, quin hæc fuisset Hebraica phrasis & consuetudo, ac proinde à sacris Scriptoribus recepta? Apud Iosephum ergo cubitum pro sexta humanæ staturæ parte accipi, meo iudicio euidens est. Ille enim Græcè scripsit. Atqui dubium non est apud Græcos passum senis pedibus constare, & stadium idem esse quod centum passus, siue centum staturæ humanæ mensuras, aut (quod idem est) sexcentos pedes, & tamen Iosephus non tribuit stadio 400. cubitos, vt putauit Villalpandus, sed sexcentos. Patet hoc l. 6. de bello c. 6. vbi tres Ierosolymæ muros describit: asseritque turres cubitis viginti in latitudinem singulas protendi, & subdit; *Eiusmodi turres nonaginta tertium murum habebat: earum autem interualla cubitos ducentos: medius autem murus in quatuordecim turres, & antiquus in sexaginta diuisi erant. Omne autem ciuitatis in gyro spatium triginta tribus stadiis finiebatur*, hæc ille. Dubitari autem non potest quin murus totam vrbem cingens fuerit ille nonaginta turrium; vt constat ex ipsiusmet Villalpandi descriptione. Quapropter necessarium est, verba illa Iosephi, *Omne autem ciuitatis in gyro spatium triginta tribus stadiis finiebatur*, intelligi de muro qui ciuitatem circundabat, vt verba ipsa sonant. Atque hic est murus qui 90. turribus constabat. Hoc ita cõstituto, ratio ipsa & computatio perspicuè ostendit, singulis stadiis sexcentos cubitos obtingere. Nam quælibet turris lata erat 20. cubitos, quodlibet interuallum ducentos, ita vt vnaquæque turris cum suo interuallo 220. cubitos contineret, qui nonagies multiplicati conficiunt 19800. cubitos. D

200.
90.
19800.

Hic autem numerus in tria & triginta stadia partitus stadiis singulis sexcentos omnino cubitos distribuit.

0.
010.
19800.
600.
33.

Si verò consideretur murus ille nonaginta turrium non totam in gyro ciuitatem complecti, sequeretur murum illum qui vniuersam circuit vrbem, esse adhuc longiorem altero, cui nonaginta turres inerant, & qui tribus & triginta stadiis sexcentorum cubitorum constabat; & nihilominus omne

ciui-

Digitized by Google

A ciuitatis in gyrò spatium triginta tribus stadiis quadringentorum cubitorum finiri: si vnicuique stadio quadringenti solùm cubiti tribuendi sunt, hæc verò manifestam inuoluunt repugnantiam. Porrò iste Iosephi locus (quo adeò accuratè meritur Ierosolymæ sibi notissimæ circuitum, & in summâ colligit triginta tria stadia, quod silentio inuoluêdum non erat (conuincit, meo iudicio, exaggerata esse ea quæ ab aliis à longè referuntur, videlicet quinquaginta stadia Hecatæi Abderitæ; quadraginta Aristææ; & octoginta aliorum, qui etiam nonaginta muri turribus alias decem addunt, vt murum faciant longiorem. De quibus videre poterit lector Villalpandum l. 2. de vrbe Ierosolyma c. 21.

H. Sextò, idem Iosephus agens de Gentilium atrio quo templum omni ex parte erat circumdatum, ait quoque libro sexto de bello capite 6. *Omnis gyrus earum porticuum sex mensura stadiorum cum Antonia concludebatur.* Constat autem turrim Antoniam fuisse ad porticus angulum, gyrumque illâ non parum excrescere. Sin autem quodlibet stadium quadringẽtos tantũ cubitos haberet; solæ porticus absque Antoniâ plus sex stadiis constarent. Nam quodlibet porticuum latus, (vt videre est apud Villalpandum) patet in longitudinem calamos 110. qui per totum gyrum conficiunt calamos 1440. & quamuis vnicuique calamo sex tantum cubitos tribuamus, summa cubitorũ erit 2640. in qua computatione, si stadiis singulis 400. cubiti dentur, habemus stadia 6⅔. Moxque Antonia turris addat necesse est in gyro plusquam stadium. Etenim quanquam turris siue Castellum nominatur; non tamen
B simplex erat turris, sed arx potiùs amplissima, cui quatuor erant insignes in angulis turres, ingentia præterea atria atque conclauia, & (præter pontificis palatium) aptum præbebat domicilium quingentis militibus qui ad arcis præsidium inibi perpetuo degebant. De quo vide Villalpandum to. 3. f. 95. & 96. ex Iosepho, Egesippo, & Aristæa. Ex his ergo manifestè constat, cubitum apud Iosephum non quartam staturæ partem esse, sed sextam.

I. Septimò, quâ ratione probatur luteres illos quibus abluebantur carnes, fuisse cylindros, quatuor cubitis latos & totidem altos (de quo infrà propositione 12.) eâdem probatur validissimè; cubitum in sacris Literis sextam esse staturæ partem, non quartam. Nam (vt infrà constabit) ex eo principio infertur, cylindrum vnius cubiti non plus capere quàm quinque vnius bati octauas partes: atque adeo Hebraicum cubitum non posse esse ita magnum, vt ad quartam humanæ staturæ partem sufficiat. Alioqui Hebraica statura pumilionum potius erit, & Hispanensi multo minor. Tametsi verò hîc non satis perspici possit, quanta sit huius argumenti vis, constabit tamen postea eam esse fortissimam. Etenim si batus est Romanæ amphoræ æqualis, Hebraicus cubitus minor non potest longior esse pede Hispanico. & quamuis batum duabus amphoris & semis æqualẽ fuisse fingamus, cubitus tamen maior Hebraicus longior esse non potest Romanis digitis 20½.

C L. Reliquum est vt respondeamus ijs quæ initio obiecta sunt nobis. Ad primum, respondeo, mihi quidem constare illius opinionis esse sanctum Hieronymum in suis commentariis. Sed quid mirũ, si sanctissimus doctor hanc quæstionem non nimis ad libellam expenderit, & communi Latinorum consuetudine se ferri sit passus? Aliorum, qui adduntur doctores, non eam habeo rationem quam Hieronymi: illius enim vestigia absque peculiari alia obseruatione sectati sunt. Iam verò quod Arias Montanus affert ex Misnaioth, ad hoc respondeo, librum illum, vnde transcripsit Arias, in hac re nullius esse auctoritatis. Quippe sibimet manifestè repugnat, dum cubito, sex palmos, pedi duos tantùm assignat, quod est cubitis singulis ternos pedes adscribere. Si ergo Hebraicam traditionem indagare velimus, locupletior sanè auctor est Iosephus: nam Misnaioth ab inscitis & ignaris Hebræis ac minus antiquis conscriptus fuit. Quid autem mirum, illos præteruolasse, Hebraicum cubitum esse sextam humanæ staturæ partem; (eorumque vestigiis Latinos ferè institisse.) illudque insuper nugatorium planè addidisse, nimirum vnius pedis mensurâ duobus constare palmis? His accedit quod ijs quæ & Hieronymus docet, & Hebraica traditio ex Misnaioth) nempe batum fuisse Romanæ amphoræ æqualem) euertitur Hebraici cubiti magnitudo, vt inferiùs constabit.

M. Ad secundum argumentum initio positum, ita statuo; si certum esset Hebraici cubiti sphærâ quatuor batos ex maioribus contineri, ipse planè manus darem. Ceterùm quàm illud sit incertum, infrà fiet manifestum.

D

COROLLARIVM I. PROPOSIT. IX.

Ezechielis calamus non continet sex cubitos & palmum; sed tantùm sex cubitos ex maioribus.

A. VNum ex ijs quibus nitimur fundamentis, vt pro certo habeamus, cubitum in Scriptura poni pro sexta humanæ staturæ parte, illud est. Ezechielis calamum in sex precisè cubitos diuidi, Ioannemque vsurpato Ezechielis calamo affirmare, (Apoc. 21. 17.) illum esse mensuram hominis, id est, staturæ humanæ antiquam mensuram. His opponet quispiam, non videri Ioannem de calamo Ezechielis loqui: quod enim ei nomen tribuit non est nisi mensura arundinea, vt patet c. 21. 15. Nihilominus dubium non est, quin ad Ezechielis calamum Ioannes respectum habuerit; cùm alius non sit in sacris Literis ad quem alludere potuerit. Ad hæc, vbi nos legimus mensuram arundineã, græcè est eadem vox *calamus* quæ apud Ezechielem legitur. eâdemque vtitur Apocalypsis c. 11. Atq; ad mysterij significationem, cui calamus in Apocalypsi deseruit, nihil congruentius quàm vt sit iusta antiquæ staturæ mensura, vt suo loco expendimus.

Ioannem Apoc. 21. 17. ad calamum Ezechielis respexisse, ac declarasse illum esse mensuram staturæ humanæ.

Digitized by Google

Calamus sacer in sex partes æquales diuiditur.

B. Præterea valde est rationi consona & veluti naturalis consuetudo, vt mensuræ integræ quibus pleræque vtuntur nationes, ex staturæ humanæ magnitudine in sex partes diuisa petantur; quæ sint veluti sex calamorum internodia, Cui consuetudini peculiaris etiam Hispaniæ vsus consentit, vbi, ad interualla mensuranda, dimidiâ staturæ humanæ mensurâ vtimur, quam mensoriam virgam nuncupamus. Qua in re simul præstituitur integram staturam duplici virgâ eiusmodi mensorià constare. Atque vt ad minores res dimetiendas idoneum est dimidium staturæ; ita ad grandiorum rerũ dimensiones, vt ædificiorum, nihil commodius quàm calamus integer & metiẽtis staturam adæquãs. Nam si mensura esset multo longior, neutiquam esset ad mensurandum apta. Ex quo etiam confirmatur, Ezechielis ac Ioannis calamum esse iustam humanæ staturæ mensuram, & cubitos esse sextas illius partes. Nam calamus nouem pedes longus nequaquam idoneus est vt aliquis possit eo ædificiũ commodè dimetiri. Cur verò qui Ezechielis metitur ædificium, & angelus Ioanni visus, staturæ esse antiquæ, (id est maioris) sacrâ visione effictum sit, id in Apocalypseos cõmentatio explicatũ manet.

Mensuræ interuallorum desumuntur ex humana statura mensuris.

C. Iam si Ezechielis calamum iustam esse antiquæ staturæ mensuram statuamus; apparet illico quàm congruenter diuisio in sex æquales partes fiat. Id quod tam Græci quàm Romani vt aptum atque conueniens imitati fuêre, tum propter senarij perfectionem, (qui suis omnibus partibus aliquotis simul sumptis componitur) tum etiam quia cùm sit humanæ staturæ diuisio, oportuit caput, præcipuam corporis partem attendi. Capitis autem dimensio, si congruenti proportione, magnitudini totius corporis respondeat, sextam continet totius staturæ partem. Si respiciatur insuper Hebraici nominis etymon, quod cubitum significat, verisimile satis fit, pro eo quod nunc sex cubitos sonat, voluisse antiquos sex capita significare. Postea tamen illud ipsum nomen ei ossi fuit inditum quod Hippocrates etiam, Aristoteles & Galenus cubitum vocant. Cui idcirco nomen capitis fuit impositum in Hebraico idiomate, quia eiusdem est cum capite longitudinis. Quia verò cùm calamus mensorius non est ad manum, nihil promptius quàm pedibus interualla metiri; & pedis quoque calceati eadem ferè est longitudo quæ capiti & quæ ossi præcipuo brachij, ideo obtinuit etiam vt sexta humanæ staturæ pars pedis haberet nomen.

Amah *nomen quã analogia significet caput & cubitum.*

Mensurarũ diuisiones in sex partes, ex Hebraica consuetudine deriuatæ.

D. Vt autem credamus humani corporis staturam ab Hebræis in sex diuisam fuisse partes, præter ea quæ hactenus diximus, illud etiam non parum iuuat, nimirum diuisionem in sex partes valde esse in Hebraicis mensuris frequenti vsu receptam. Sic batus in sex hines partitur; satum in sex cabines; cylindrus vnius cubiti in sex batos minores, & multa eiusmodi. Quam etiam diuisionis rationem Græci atque Romani complexi sunt; qui congium & chus in sextarios diuiserunt: & Græci cotylam in sex cyathos, drachmam in sex obolos sunt partiti, vt de aliis interim taceam. His accedit quòd calamo respondet in Hebræo *cana*, ex qua voce deriuatum videtur, vt apud aliquas gentes staturæ humanæ mensura vocetur *cana*, vt in Aragonia & aliis prouinciis.

E. Quòd si opponat nobis aliquis, diuisiones supradictas mensuræ maioris in sex minores inde ad Græcos & Latinos deriuari potuisse, quòd Hebræi in sex pedes humanam staturam partirent: ad hoc respondeo, si pes & cubitus pro eâdem accipiantur mensurâ; id sanè, nec alius à me contendi. Sin dicatur in lingua sancta nomen significans pedem pro duabus tertiis partibus accipi illius mensuræ quæ vocatur Hebraice *amah*, id est, cubitus; ad hoc aio, mensuram pedis quę duas cubiti sacri tertias contineat, nusquam in totâ Scriptura reperiri.

Locus Ezechielis cap. 40. 5. sex cubitorum & palmo, enodatus.

F. Restat duabus satisfacere obiectionibus quæ aduersus hoc corollarium possunt opponi. Prima est huiusmodi; Ezechiel cùm suum calamum primò describit c. 40. 5. ait, *In manu viri calamus mẽsura sex cubitorum & palmo.* Contendit autem Villalpandus palmum illum sex cubitis adiungendum fore, ita vt calamus contineat cubitos $6\frac{1}{4}$. Respondeo tamen, ex eadem phrasi quam vsurpat Vulgatus (*sex cubitorum & palmo*) apertè colligi, palmũ non esse quid diuersum sex cubitis additum. Ad hãc enim significationem dixisse oportebat, *sex cubitorum & palmi*. Quare cùm hic non possit esse verus sensus; nihil congruentiùs quàm vt sic interpretemur, *sex cubitorum & palmo*, id est, sex cubitorum nõ quorumcunque sed eorum qui vulgarem cubitum superant vno palmo. Notum enim est maiores cubitos sacræ Scripturæ, vulgaribus esse vno palmo maiores, vt perspicuè testatur Ezechiel propheta cap. 43. 13. & quamuis phrasis illa, *sex cubitorum & palmo*, sit aliquanto obscurior & restrictior; ceterum Hebręa ad verbum sonant, *sex cubitorum in cubito & palmo*, phrasi valdè diuersa ab ea qua Goliat Gethæi statura dicitur fuisse, *sex cubitorum & palmi*, 1. Reg. 17. 4. Diuiditur ergo calamus in sex palmi cubitos. Nec parum nostram hanc explicationem confirmat quòd alibi absolutè sex tantum cubiti calamo tribuãtur. Lege Ezechielis 41. 8. *Ad mensuram calami sex cubitorum spatio.* Etenim cùm capite 43. esset explicaturus Ezechiel se agere de cubitis maioribus, non opus fuit in capite 41. nomen palmi adiungere. Imò verò conueniens fuit vt vtramque loquutionem assumeret, alteram in vno loco & alteram in alio; vt inde non obscure eliceretur, palmum quem c. 43. addidit, non esse additum sex cubitorum longitudini, sed in ipsis cubitis vtpote maioribus inclusum. His adde ad Villalpandi declarationem fulciendam necesse esse vt palmi nomen æquiuoce pro sesquipalmi mensurâ sumatur: quod, vt suprà expendimus, violentum est.

Nihil opus est, calamũ esse totius ædificij modulum.

G. Secunda obiectio est, quia calamus ille cùm sit inductus ad dimetiendum ædificium illud Ezechieli monstratum, oportet vt sit veluti totius ædificij modulus, hoc est, vt ex eius multiplicatione consurgat totius ædificij mensura. Si autem calamum sex cubitorum & quadrantis esse dicamus, mirificè huic numero congruet ædificium. Nam si duplicetur calamus efficit $12\frac{1}{2}$. si quadruplicetur 25. quæ est quarta pars numeri centesimi. hæc verò est atriorum mensura, & quinta pars quingentorum cubitorum, quæ est longitudo & latitudo totius ædificij. Respondeo, quamuis modulus sex cubitorum & quadrantis esset aptus ad partem aliquotam centum cubitorum; ad alias tamen mensuras

Digitized by Google

A suras non rectè aptatur (cuiusmodi est templi longitudo sexaginta cubitorum; cui tamen rectè conuenit calamus sex cubitorum. Cùm autem calamus suas diuisiones & veluti internodia peculiaribus notis discriminet, nihil interest totius calami multiplicationem ad vniuersum ædificium non accommodari perfectè. Quemadmodum in Hispaniâ & virgâ trium pedum, & calamo sex pedum solemus vti ad metienda ædificia, & quamuis ædificium centum pedibus sit latum aut altum, nemini venit in mentem diuersæ alterius mensuræ, quæ aliquota sit totius ædificij pars. Satis enim est pedem esse partem aliquotam, eumque in virgâ seu calamo peculiari esse notâ distinctum.

Præter hæc Ezechielis calamus non ad fabricam construendam, sed ad dimetiendam eam quæ iã constructa videbatur, fuit prophetæ ostensus. Et quamuis architecti interdum ad ædificandũ, suos peculiares modulos structuræ ipsi congruentes efficiant; at verò ad constructum iam ædificiũ mensurandum nemo vnquam vsus fuit alia mensura ab ijs quæ in suâ republicâ receptæ sunt. omnesque receptæ mensuræ in vniuersum reducũtur ad humanę staturę mensuram. Atque illa quidem humani corporis mensura, quæ staturam quodammodo gigãteam referat ad præcipuam Spiritus sancti mẽtem in visione illa, satis est plena mysterij, vt vidimus Apocalypseos c. 11. 1. Verùm mensura sex cubitorum & quartæ alterius cubiti partis, esto ad architecturam commoda, ad mysterium certè inutilis erat, atque adeo indigna sacræ Scripturæ grauitate.

B Denique ex dictis in hoc corollario colliges valdè distare à vero mensuram eam quam calamo tribuit Strabus Ezechielis 48. vbi viginti quinque millia calamorum ait esse milliaria 61. & passus insuper 667. ac proinde calamum æquat passibus 2½. Verius diceret viginti quinque milia calamorum esse milliaria 31¼. quia calamus est humanæ staturæ mensura: centumque calami stadium complenti ac proinde cum milliare vnum constet octo stadiis; viginti quinque millia calamorum stadia sunt 250. siue milliaria 31¼.

Viginti quinque millia calamorũ quot milliaria faciant.

COROLLARIVM II. PROPOSIT. IX.

Hebraici cubiti quos ponit Capellus, non rectè consentiunt cum eo quòd cubitus sit Hebraici calami (siue staturæ) pars sexta.

EXPLICATIO.

C A Pet suadet sibi Capellus, Israelitico populo duas fuisse mensuras; alteram staturæ antiquæ, qui est primarius pes; cuius proportionem cum pede Romano illam esse ait, quam habent 25. cum 12. Alteram fuisse dicit pedem vulgarem, eiusque proportionem cum Romano pede esse veluti 15. cum 12. Deinde Hebraicum cubitum, siue primarium siue secundarium bifariam accipi tradit: primò pro sesquipede, atque id esse τριτημόριον: & iuxta hanc acceptionem habere se primarium cubitum ad pedem Romanum sicut 37½. cum 12. quod est patere in longitudinem tres Romanos pedes & duos insuper digitos; qui omnes complent 50. digitos Romanos. Cubitus autem ciuilis Hebraicus ad pedem Romanum erit sicut 21½. ad 12. Altero modo vsurpari dicit Hebraicum cubitum non pro sesquipede, sed pro pede & quartâ alterius parte (quæ mensura à Græcis appellatur πυγών) & viginti digitis non amplius constare, atque hac ratione Hebraicum cubitum primarium se habere cũ Romano pede sicut 31¼. cum 12. Ciuilem autem cubitum Hebraicum eius esse proportionis cum pede Romano quæ inter 18¾. reperitur cum 12. Sic Capellus.

Aberrat Capellus in mensuris cubitorum Hebraicorum.

Cetertùm omnia isthæc falsitatis manifestæ redarguuntur, si certum sit, cubitum Hebraicâ phrasi, pro sextâ humanæ staturæ parte sumi, vt propositione nonâ probatum est. Capellus enim supponit Hebraicum cubitum dupliciter vsurpari: primò pro pede & semis; deinde pro pede & quarta alterius parte. Si verò Hebraica phrasis non patitur cubitum in alia acceptione desumi, nisi pro ea mẽsurâ quam alij pedem appellant (id est, pro sextâ staturæ parte) tunc sanè tota Capelli structura penitus corruit.

D B. Præterea in prologo de mensuris interuallorum num. 9. affirmat Capellus humanam staturam, Adami & Noei temporibus fuisse duplo maiorem eâ quæ sub Moysis tempus hominibus erat. hoc autem minimè cohæret cum eo quod ciuili pedi Hebraico tribuat ½. Romani pedis; & primario pedi ⅔. Nam 25. non est duplum respectu 15.

C. Salomonici templi cubiti iuxta Capellum alii sunt primarij, alij ciuiles. Primarij vt viginti illi quos habet sancti sanctorum quadrum. Si autem primarij sunt, singulorum mensura est sesquipedis, & primarius quidem pes Hebraicus se habet ad Romanum pedem, vt 37½. ad 12. vnde sancti sanctorum longitudo & latitudo habebit Romanos pedes 62½. qui ex Hispanicis efficiunt 67. Altare item holocausti viginti etiam cubitis patet in quadrum; quamuis Ariel (quæ est superior altaris pars) duodecim tantum habeat apud Ezechielem; qui iuxta Capellum, Romanos continent pedes 37½. & totidem habebit etiam Ariel in altitudinem.

PRO-

Digitized by Google

A

PROPOSITIO X.

Duo Hebraici cubiti, maior & minor, hanc inter se habent proportionem, vt maior cum minori comparatus sit duplus in potentiâ solidâ.

EXPLICATIO ATQVE PROBATIO.

A. VOlo dicere, eum cubum qui habeat pro latere cubitum Hebraicum maiorem esse duplũ eo cuius latus sit cubitus Hebraicus minor eâdemque ratione quæ sphæra maiorem cubitum pro diametro habet, est dupla respectu illius sphæræ cui minor cubitus pro diametro est.

B. Notandum verò est, Ezechielis 43. 13. disertè explicari vulgarem cubitum vno palmo superari à cubito magno, qui appellatur cubitus primæ mensuræ 2. Paralip. 3. 3. Verùm cùm cubitum alij pro quarta humanæ staturæ parte, alij pro sexta accipiant: suspicabitur forsan aliquis, ex duobus illis cubitis. quorum meminit Ezechiel, maximum esse quartam staturæ partem, minimum verò sextam. Sed non ita se res habet. Primò, quia maioris excessus est vnius palmi, qui quatuor digitis constat, vt patet ex Hebraica voce *topah*; at excessus quo pars staturæ quarta sextam superat, est duorum palmorum. Deinde, quia maiorem cubitum probauimus fuisse sextam staturæ maximæ partem in Hebræorum consideratione. Quare certum est, vt duplex erat apud illos cubitorum mensura, minoris alia, alia maioris; ita etiam duplicem fuisse staturæ humanæ mensuram; maiorem scilicet atque minorẽ. vnde quemadmodum cubitus maior, maioris calami sexta pars erat; ita similiter minor cubitus sexta itidem erat minoris calami. B

C. Excessum maioris cubiti respectu minoris explicat Ezechiel fuisse palmum vnum. Aliqui autem intelligunt hoc de cubiti maioris palmo. Cùm verò ipsi vt certũ statuant cubitũ sex in palmos secari, consequenter affirmant minorem cubitum quinque palmorũ fuisse. At ego in primis assero; cùm vterque cubitus tam maior quàm minor, sint sexta humanæ staturæ pars, cubitum vtrunque in quatuor diuidi palmos; ceterùm palmos cubiti maioris aliquanto esse palmis minoris cubiti longiores, sicuti Græci pedis palmi nonnihil sunt longiores palmis Romani pedis, atque ij pedis Hispanici palmis maiores. Etenim in communi tam Græcorum quàm latinorum acceptione, palmus est quarta pedis pars; eodemque modo in Hebraica phrasi *topah* quartam cubiti partem denotat.

D. Secundo assero, excessum maioris cubiti ad minorem esse minoris cubiti palmum. Etenim si palmus idem est quod quarta pars, minorem cubitum vno palmo superari à maiori, perinde erit ac in quarta parte ab ipso superari: cuiusmodi loquutio de quarta minoris parte ferè solet intelligi: ita vt duo Hebraici cubiti habeant inter se eandem proportionem quam habent 5. & 4. C

Locus 3. Reg. 7. 10. decem siue octo cubitorum explicatus.

E. Pro cuius rei cõfirmatione vide 3. Regum 7. 10. vbi textus agens de marmoribus pretiosis quæ collocata fuerant in fundamentis illius domus quam filiæ Pharaonis extruxit Salomon, sic ait, *Fundamenta de lapidibus magnis decem siue octo cubitorum*; Non est autem verosimile scriptorem sacrum quasi dubium & incertum dixisse, *decem siue octo cubitorum*, sed cum præcisione posuisse hæc verba, quasi diceret, *decem cubitorum ex communibus, aut* (quod idem est) *cubitorum octo ex antiquis*. Ex quo infertur palmum illum quo cubitus minor à maiori exceditur, esse quartam minoris cubiti partem. Atque adeo minorem cubitum partem esse sextam vulgaris staturæ, siquidem singulis cubitis, quatuor sunt palmi tantùm.

F. His ita constitutis, obseruandum est, cùm duorum cubitorum Hebraicorum proportio sit, sicut 5. ad 4. maiori deesse tantillum, vt eorum solida se habeant sicut duplum & subduplum. Nam solidorum proportio eadem est quam habent inter se numeri cubici. Atqui cubus quaternarij est numerus 64. quinarij verò 125. Duplum autem numeri 64. erat 128. Quare cùm adeo paruum discrimen sit, si tantillum maiori cubito additur erit in potentia solida duplus. Nam cubus numeri $5\frac{1}{27}$ est tantillo maior quàm 128. Proximum ergo est vt maiori cubito tribuamus minoris palmos fere $5\frac{1}{27}$. vt sit in potentia solida duplus. Nam radix cubica numeri 128. est numerus (vt appellant) surdus, qui excedit numerum $5\frac{1}{27}$. nec accedit ad $5\frac{1}{27}$. Quamobrem cùm ita fit minutum quod additur palmo, adhuc manet illi palmi nomen, tum in Scripturæ phrasi, tum etiam in communi loquendi ratione. Etenim exiguam illam particulam singulatim velle exprimere, id verò ad solos Mathematicos spectat. D

G. Cùm igitur differentia inter 5. ac minus quam $5\frac{1}{27}$. si ita exigua, cumque ex Scriptura constet, minorem cubitum vno palmo superari à maiori: cùm etiam tantilla additio à palmi nomine non respuatur; mihi pro comperto est eandem proportionem esse inter maiorem cubitum & minorem, (quæ inter radices cubicas dupli & subdupli reperitur, quæ eadem fere est quam habet $5\frac{1}{27}$ ad 4. Fundamentum autem quo innitor illud est: quia vterque cubitus erat Reipublicæ illius sane quàm politicæ proprius, & nationes quidem ita politicæ & vrbanæ magnopere contendunt congruentiam sui pedis aut cubiti & eius partium, cum liquidorum & aridorũ mensuris (vt suprà vidimus in pede Romano & in Græco,) inter Hebræos autẽ certũ est mensuras fuisse duplas & subduplas, vt fatetur Epiphanius, in nomine hin (fuisse scilicet hin nouem sextariorum, & alterũ duplo maiorẽ) & apud Romanos amphora capiebat duplũ vrnæ & medimnus duplũ amphorei. Quapropter cũ apud Hebræos duplex esset cubitorũ mensura, & maior minorẽ quarta minoris parte excederet; ratio ipsa dictat valde esse rationi consonũ, vt quã habebat congruentiã minor cubitus cũ subduplis mẽsuris, eandem

Digitized by Google

A eandē cum duplis maiorem cubitum habuisse credamus. Atq; vt appareat quāta sit huius sententiæ probabilitas, fingamus, sicut Romani habuerunt pedem qui erat cubicum latus quadrantalis, ita & pedem alterum habuisse, de quo nihil aliud nobis innotesceret, quam quod communem pedem Romanum vno excedebat palmo: ac de ea quidem re nobis constare ex grauissimi cuiusdam scriptoris auctoritate, quem sciremus non agere Mathematicum, sed ad communem loquendi rationem se accommodare. Tunc (inquam) si aduerteretur minorem pedem Romanum esse latus cubicum quadrantalis; & Romanum medimnum esse duplum respectu quadrantalis siue amphoræ; quisnam prudens & cordatus homo dubitaret maiorem pedem Romanum esse duplum latus medimni? Ad hoc enim nihil aliud opus erat, nisi vt cum Romano pede eam haberet proportionē, quam habent $5\frac{1}{21}$. (& aliquanto etiam minus) cum 4. Quare si constaret fuisse apud illos pedem, qui vno palmo minorem pedem superabat; in dubium vocari non poterat, quin non solùm palmo excederet, sed ferè palmo vno & $\frac{1}{21}$. hoc enim palmi nomine comprehendi potest. Deinde ex eo quòd medimnus esset quadrantalis duplū, & quòd capacitatis mensuræ cū mensuris longitudinis congruentē & omnino exactā haberent correspondentiā planū fiebat, quemadmodū Romanus pes communis erat cubicum latus quadrantalis, ita etiam maiorem pedē esse cubicū latus medimni. quæ est nostra faneca. est enim hæc mēsura à Romanis accepta; & hodie etiam eandē ferè figuram cubicam adhuc retinet.

B H. Quàm vero exiguum sit id quo numerus iste $5\frac{1}{21}$. est maior quàm opus erat, vt sit duplus in potentia solidā respectu quaternarij; id hac ratione expendi potest. Sicut 4. ad $5\frac{1}{21}$. sic 50. ad 63. cubus autem numeri 50. est 124∪000, & cubus numeri 63. est 250∪047. vbi solùm abundāt 47. ad rationē dupli. Numerus autem 47. minor est quam vna ex 5∪320. partibus numeri 250∪047. & per consequens si fiant duo cubi, vnus palmorum quatuor, & alter palmorum $5\frac{1}{21}$. & maior pendeat vncias 5∪320. non erit vna integra vncia maior quàm opus erat vt esset duplus respectu minoris. Quòd si discrimen in cubo est adeò exiguum; quanto erit in radicibus minor differentia?

I. Existimabit forsan aliquis propositionem hanc decimam, à nobis eo modo explicatam fauere aliquorum opinioni, qui putant pondera & mensuras sacras fuisse duplo maiora iis mensuris ac ponderibus quibus Hebræi vulgò vtebantur. Hæc tamen opinio mihi non incerta solùm est, sed etiam planè falsa, vt infrà explicabo. Ad decimæ autem propositionis veritatem non opus est considerare, mensuras sacras respectu vulgarium fuisse duplas. Nam etsi Romanis alia esset maioris pedis mensura, quæ foret cubicum latus medimni; non inde inferretur, medimnum esse sacram mensuram, quadrantal verò prophanam; nec erat necesse mensuras duplas & subduplas eiusdē esse nominis. Quantumuis enim diuersa sortiantur nomina (vt sunt amphoræ & medimni) adhuc tamē cubicum latus medimni considerati potuit vt duplum in potentia solida lateri quadrantalis. Quapropter vterque ille cubitus permagno erant Reipublicæ Hebræorum emolumento, quamuis duplæ mensuræ diuersum à subduplis nomen haberent. Nec inficior in aliquot mensuris reperiri nomen idē attributum duplæ & subduplæ. sed non ideo dupla erat sacrā, & subdupla vulgaris. certiùs enim est mensuram subduplam reputatam fuisse vt sacram, quam è contrario, vt infrà videbimus.

C L. Porrò ex duobus cubitis Hebraicis certum est maiorem fuisse magis antiquum. Appellatur enim mensura prima 2. Paral. 3. 3. vnde fit verisimile maiorem cubitum habuisse congruentiam seu proportionem cum bato & Ephi, quę sunt veluti metreta Hebraica & medimnus Hebraicus. Nō tamen opus est eam congruentiam reperiri in figurā cubicā. Nam Hebraicæ mensuræ non erant cubicæ. Atque ita satis erit proportionem in aliquo regulari cylindro reperiri, vt dicetur inferiùs. Præcipuæ enim capacitatis mensuræ erant lebetes siue cylindri.

PROPOSITIO XI.

Mensuras & pondera sacra apud Hebræos fuisse dupla respectu vulgarium, non est verisimile.

D

EXPLICATIO ET PROBATIO.

A. RAbbi Salamon sibi persuasit pondera & mensuras tam sacras quàm prophanas eadem Hebraice nomina habere (vt siclum, talentum, batum, hin, &c.) in sacris tamen ponderibus & mensuris reperiri duplam proportionem respectu vulgarium. Salomonem sequuntur Georgius Agricola, Quarsuuias, Carolus Molinæus, Lipomanus in Exodum, Marianus Victorius, Abulensis, Stanislaus, Pagninus in suo thesauro, verbo Mina, Mercerus verbo Siclus & verbo Talētum, citatq; Rabinum Kimhi: idem sequuntur noster Delrius Genes. 23, 14. Capellus de ponderibus & mensuris §. 64. & 68. Vuaserus de nummis, & alij. Eandemq; opinionem refert Mariana non semel in suo libro de ponderibus & mensuris; neque ei valde videtur displicere, vt in talento, mina, & siclo. *Auctores duplicantes sacra pondera atque mensuras.*

B. Huius opinionis fundamenta sunt; in primis, quia hac ratione conciliantur varij sacræ Scripturæ loci ac diuersæ translationes, nec non multa ex Iosepho testimonia. Ex his est illud 2. Reg. 14. 26. vbi de cæsarie Absalomi quam Vulgatus ait appendisse 200. siclos pondere regio seu publico: Septuaginta autem interpretes ponunt siclos centum. Sic ait Mariana, verùm correcta 70. interpretū editio ducētos siclos habet, quemadmodū & Vulgata, nec in notationibus fit alterius lectionis mētio. *Secundò*, l. 1. Mach. c. 10, 42. Demetrius ait se remittere Iudæis quinque siclorum millia. Iosephus autem *Argumenta quibus videtur probare pondera sacra esse duplicia, & similiter mensuras sacras.*

Digitized by Google

autem l. 31. c. 5. pro quinque millibus scribit decem millia. *Tertiò*, Septuaginta siclum nominant didrachmum, & cum eis Epiphanius & Theodoretus. Constat autem ex Philone & Iosepho sanctuarij siclum quatuor fuisse drachmarum. Atque ita fateatur Epiphanius necesse est. Ait enim Hebraicum talentum esse librarum 125. & ex sacris Literis perspicuè elicitur talentum continere tria siclorum millia. *Quartò*, liquet etiam fuisse quondam siclos drachmarum quatuor: nec credibile videtur de siclis eiusmodi esse sermonem 1. Reg. 17. 6. cùm dicitur thorax gigantis Goliath pendendisse quinquies mille siclos. Si enim penderet bis mille & quingentas vncias (quæ plusquàm sex arrobas ponderabiles efficiunt) impossibile esset hominem aliquem quantumuis robustum tanto pondere grauatum in prælium procedere. *Quintò*, communem batum affirmat Iosephus habuisse 72. sextarios: quod si sextariis singulis tribuamus cum Galeno vncias $16\frac{2}{3}$. habebit communis batus vncias aquæ 1200. Manifestum est autem fuisse olim batum capacem vnciarum 2400. Nam & Cleopatra & Nicandri interpres asseuerant metretam Syram capere Italicos sextarios 120. qui sunt 2400. vnciæ aquæ vel vini. *Sextò*, Ezechiel tribuit minæ siclos 60. qui conficiunt vncias 30. vt bene ibi Hieronymus; & Iosephus l. 4. c. 13. expressè idem ei pondus vnciarum 30. assignat. *Mina* (ait) *apud nos duæ & semis libræ æstimantur*. Quòd verò etiam minæ nomen significet 15. vnciarum pondus, patet ex eodem Iosepho lib. 3. cap. 3. vbi affirmat candelabrum pendere talentum vnum, quod centum minis constat. Si autem 1500. vnciæ in 100. minas distribuantur, singulis minis obtingent vnciæ quindecim. *Septimò* talento sacro constat à sacra Scriptura tribui siclos 30000. qui complent vncias 10500. Nec minus constat talentum Atticum fuisse vnciarum 750. quæ talenti ratio si in aliquot sacræ Scripturæ locis admittatur, subductæ summæ credibiliores fient. *Octauò*, Cleopatra & Nicandri interpres sextarium Syrum appellant illum qui continet viginti sextarios Italicos, id est vncias aquæ 400. Constat verò commune hin vocari etiam sextarium, eo quòd sit sexta bati pars; nec capit plusquam 200. vncias. si batus habet 1200. *Nonò*. si datur batus duplo maior bato communi, consequenter dari debet duplus corus. Corus enim decem continet batos: quod idem de reliquis mensuris dicendum esset. *Decimò*, Lethec (vt affirmat Epiphanius, & Arias etiam Montanus ex Misnaioth) erat iustum vnius asini onus seu sarcina. Id verò non potest esse verum de Lethec magno, quod dimidium cori continet: hoc enim esset graue nimis pondus. *Vndecimò*, confirmatur eadem opinio ex eo quòd suprà à nobis assertum est, nimirum cubitum Hebraicum maiorem, si cum minori comparetur, esse duplum in potentia solidâ. Cùm ergò videatur constare, cubitum sacrum esse maiorem, consequenter dicendum erit mensuras sacras esse eas quæ cubito sacro respondent; vulgares verò quæ respondent vulgari cubito. Etenim linearum mensuræ habent cum mensuris capacitatis conuenientiam seu congruentiam. Quare cùm sacer cubitus sit respectu vulgaris duplus in potentiâ solidâ: sacræ etiam mensuræ tam liquidorum quam aridorum videntur esse duplæ cum mensuris vulgaribus comparatæ. *Duodecimò*, hæc eadem opinio inde etiam probatur, quod Scriptura interdum de pondere sanctuarij interdum de pondere publico loquatur. Ex quo inferri videtur ea esse diuersa. Decimo tertio, Vulgatus aliquãdo explicat corum esse 30. modios. Apud Ioseph. verò legimus corum sexaginta modiis constantem. Ait enim 15. Antiquit. cap. 11. Corus habet medimnos Atticos decem. Liquet autem sexaginta modios esse idem quod decem medimnos Atticos: quamuis aliter loquatur de coro idem Iosephus lib. 3. fi.

C. Nihilominus opinio hæc Rabbi Salomonis, qua mensuras sacras cum vulgaribus comparatas facit duplas, (& similiter pondera sacra;) falsa mihi prorsus est, neque aliquâ ratione verisimilis, vt ante me multi viri docti censuerunt. Hoc mihi vt pro comperto sit, illud in primis persuadet, quia hæc opinio auctorem Rabbi Salomone, aut Rabbino Kimhi antiquiorem habet neminem. Quin imò prisci auctores non modo eam non significant, sed perspicuè affirmant nonnulla quæ cum eiusmodi opinione manifestè pugnant. Etenim Epiphan. expressè ait, hin maiorem continere 18. sextarios, hin autem sacrum non ampliùs nouem. Ad hæc communem congium esse sextariorum octo; at congium sanctum (quæ est duodecima pars metretæ,) sextariorum sex. Deinde Hieronymus & in Vulgata & in commentariis huic opinioni manifestè reclamat. Nam Ephi commune, quòd est bato æquale, exponit esse idem quod tres modios. agit autem proculdubio de modiis Romanis. quippe is est planus illorum verborum sensus, Ruth 2. 17. *inueni hordei, quasi ephi mensuram, id est, tres modios*. Vbi, vt explicaret, quænam esset mẽsura ephi, ea verba subiunxit, *id est, tres modios* Quod si modij nomen in communi at peruagata Romanorum acceptione non vsurparet, nihil explicabat Vulgatus. Hoc ergo ita constituto, non minus est certum ephi sacrum ac batum item sacrum, eodem modo, per trium modiorum nomen ab Hieronymo declarari, Ezechielis 45. 11. Si autem mensuræ illæ Ezechielis 45. non sunt ex sacris; idem posset de ceteris omnibus dici.

D. Eâdem similiter ratione explicatur in Vulgata mensura ephi & bati Isaiæ 7. 5. Nam pro coro qui continet decem batos, siue decem ephi (vt patet Ezechielis 45. (transfert Vulgatus 30. modios. Nec diuersum habet sensum lectio LXX. interpretum, qui sex artabas posuere. Nam Ægyptiæ artabæ capiunt singulæ modios quinque Romanos, vt expresse habetur in eo libello qui Galeno adscribitur. Et quamuis aliæ sint maiores artabæ; illa tamen quinque modiorum, est aridorum mensura. Et fortasse aliæ artabæ maiores erant mensuræ liquidorum. Vt in mensuris Hispanis contingit, in quibus nomen *arroba* est ambiguæ significationis. Arroba enim ponderis vt frumenti siue farinæ, minor est quàm aquæ seu vini arroba, quæ alio nomine cantara appellatur. Accedit Epiphanij obseruatio in suo libello, vbi dum coro triginta modios præscribit, animaduertit Romanum modium eundem omnino cum modio Hebræorum esse, & modii tam nomen quam mensuram Romanos ab Hebræis mutuatos fuisse. Cùm autem Epiphanius perspicuam faciat mensurarum

sacrarum

Digitized by Google

A sacrarum mentionem, nunquam tamen eas facit duplas; sed potiùs earum aliquas non semel prophanis esse minores tradit.

E. Præterea ex ijs quæ Arias Montanus affert, constat in Misnaioth distinctionem illam inter sacras & prophanas mensuras nusquam reperiri. Neque enim ibi est Ephi aut Batus maior quàm 432. ouorum, quæ est mensura bati communis, vt suo loco videbimus. Quare manifestè conuincitur hanc mensurarum sacrarum duplicitatem respectu vulgarium, fuisse recenti inuentione excogitatam: siquidem nulla illius mentio neque vestigium apud 70, apud Vulgatum, apud Misnaioth, apud Hieronymum, apud Epiphanium, apud Iosephum aut Philonem reperitur.

F. Præterea eiusmodi inuentum aperte constat nulla antiquorum traditione niti; sed in eo solùm fundari quod existimarint aliqui, varias Scripturæ, Septuaginta interpretũ, & Iosephi summas quæ viderentur contrariæ, hoc pacto conciliari. Quæ inuenti ratio si liceat, quis non videat, ad eundem modum varia annorum genera posse confingi, vt 70. interpretes cum Vulgato cõcilientur. Si ergò huiusmodi inuentio doctis hominibus ridicula iure videretur? & congruentius ducitur, si asseramus varias annorum summas apud Septuaginta esse mendosas: cur non similiter iudicabimus, quando summa aliqua apud Iosephum reperitur verbis Scripturæ repugnans, tunc Iosephi summã esse sub mendo? Adde quòd qui existimant summas ea ratione conciliari, perspicuè in præcipuis ea-

B rum decepti sunt; cuiusmodi est, Septuaginta interpretes duas drachmas siclo tribuisse. Asserere enim didrachmum esse siclum prophanum, non verò sacrum, hoc (inquam) nullum habet locum. Nam ipsi Septuaginta agentes interdum de siclo sacro, appellant illum didrachmum, vt Exodi 30. & Leuitici vlt. Quare non ea potest assignari concordia quòd de prophano seu vulgari siclo loquantur cùm eum didrachmum nuncupant. Deniq; optima prædictæ opinionis impugnatio est, apta argumentorum eius solutio: cùm constet opinionem hanc nulla solida auctoritate niti; sed recentiorum tantùm inuento ad eas res conciliandas quæ inter se videntur opponi.

G. Ad Primum ergo argumentum Respondeo; editio correcta Septuaginta interpretum non ibi legit centum siclos, sed 200. sicut & Vulgata. At de cęsarie Absalom dicemus infrà.

H. Ad Secundum: verisimile non est Demetrium de siclis sanctis agere. & Iosephum de prophanis. Cur enim Demetrius de siclis sanctis? Fortasse enim apud Iosephum mendosa est summa. Ipse enim non semel exponit siclum quatuor drachmis constare. Si autem fuit etiam siclus subduplus; id sanè perinde esset, vt apud nos sunt semisses argenteorum, & argentei simplices, duplices, quadruplices & octuplices, quod in nummis nullam efficit distinctionem sacrorum à prophanis, sed solùm probat diuersam conflandi & cudendi rationem. Nec tamen inficior. fortassis sicli nomen aliquando pro minori pondere capi, vt Epiphanius aduertit, dum meminit quoque sicli vnius drachmæ,

C atque 2. drachmarum Verum id nequaquam probat, vulgaris sicli à sancto distinctionem: sed aut tẽporum aut saltem ponderum discrimen.

I. Ad Tertium, compertũ est siclum sanctum à Septuaginta interpretibus nominari didrachmũ. Nam tametsi pendebat quatuor Atticas drachmas, hæ tamen quatuor adæquant duas Alexandrinas, vt perspicuè ostendemus propositione 19. vbi etiam palam fiet, eos sic debuisse loqui.

L. Ad Quartum, fortasse fuerunt sicli vnius drachmæ aut duarum vt suprà dicebamus, & propositione etiam 19. de ea re iterum videbimus, vbi de siclo ferri, & præsertim de thorace Goliathi. sed vtcumque id sit, ex eo non probatur distinctio sicli sancti à prophano in pondere.

M. Ad Quintum; incertum est, metretam eam quam Cleopatra Syram vocat, esse Hebraicam. Nam *caput Syriæ Damascus*. Et quemadmodum in ijs libris talentum Syrum reperitur quod valde est ab Hebraico diuersum (vt conuenit inter doctos) ita etiam pro certo haberi debet, Syram illam metretam non esse batum Hebraicum. Sin autem esset perperam asseritur Ezechielem c. 45. agere de bato prophano, & Cleopatram de sacro; sed potius è contrariò. Quamobrem licet daremus, metretam Syram fuisse duplo maiorem bato Ezechielis (quem exponit Hieron. esse tribus modiis æqualem) hinc tamen illud inferebatur potiùs, metretas sacras fuisse minores, vt de quibusdam aliis mensuris tradit Epiphanius suprà laudatus.

D N. Ad Sextum; ex illo Iosephi loco l. 3. c. 3. alij volunt deducere, talentum Exodi habuisse sex millia siclorum, quæ sunt tria vnciarum millia, siue drachmarum Atticarum 24000. Ceterùm hoc ex S. Scriptura validè refutatur, vt videbimus propos. 21. Quare verius ac facilius est si dicamus apud Ioseph. eo loco minarũ summam esse vitiatã, & ibi eum non loqui de minis maioribus sed de minoribus. non tamen inde elicitur minores fuisse vulgares, maiores verò sanctas. Vide infrà propositione 20. vbi de mina; & propos. 21. vbi iterum de prædicto Iosephi loco.

O. Ad Septimum; quamuis constaret, viguisse etiam inter Hebræos vsum talenti Attici; non inde fieret, Atticum fuisse vulgare, & sacrum fuisse duplo maius. Præterquàm quòd minimè est certum Israelis populum talento Attico nisi pro dimidiato talento vsum fuisse.

P. Ad Octauum; sextarii nomen nihil probat, quidquid enim sex in partes distribuitur, sex habet sextarios. Atqui (vt iam vidimus) nullo fundamento asseritur. Cleopatram de sextario sancto agere. Quod verò attinet ad mensuram *hin*. Epiphanius dilucidè affirmat *hin* sanctum fuisse subduplum respectu prophani siue vulgaris. Et quamuis Epiphanius ipse *hin* sancto nouem sextarios tribuat. verum aut vitiosus est locus, aut Epiphanius de allis mensuris loquitur, quæ apud Samaritanos suos ciues fortasse erant in vsu. Quippe certum est *hin sancto* sextarios sex, non amplius fuisse. Atque (vt suo loco dicemus) *hin* capiebat aquæ aut vini vncias 160. Neque obstat quod Hieron. ac Iosephi tribuant mẽsuræ *hin* duas Atticas choas (quæ capiunt aquæ vncias 180.) In huiusmodi enim attributione propinquitatem potiùs, siue (vt ita dicam) approximationẽ quam exactam veritatẽ sequuntur.

Digitized by Google

Q. Ad Nonum; si fuit batus duplus in comparatione ad batum communem, ille duplus non erat sanctus, vel sancti ambo, vel forsan solùm minor. A

R. Ad Decimum; non nimium est validi iumenti onus corus dimidius: neque enim plus conficit quàm medimnos seu fanecas duas & semis, qui sunt Romani modij quindecim. Atque hoc est Gomor magnum siue Lethec, vt docet Epiphanius. Nec fuit aliud Lethec maius.

S. Ad Vndecimum; minimè probatur inter mensuras minorem cubitum reputatum fuisse vulgarem siue prophanum, maiorem verò sanctum: sed vterque sacri erant, & vterque prophani & in ædificiis maior cubitus vsurpabatur, in aliis rebus minor. Quod inde colligo, quia tam mare æneum quàm Luteres minori cubito Scriptura metitur, vt suo loco probabitur. Quare distinctio inter vtrumque cubitum non ea est, vt sanctus sit alter, alter prophanus, sed vt alter sit antiquus (qui ideo dicitur mensura prima) alter verò recentior siue posterior. Quamuis autem non negem, posteriorem cubitum inuentum fuisse vt esset latus mensurarum subduplarum; hoc tamen in sacris etiam mensuris habet locum. Neque ostenditur vllum fuisse discrimen inter mensuras sacras & prophanas. Sin aliquod fuit; non ideo infertur sacras mensuras fuisse duplas, cùm saltem cubitum sacrum nemo dixerit ex duplici prophano coalescere.

T. Ad Duodecimum; quòd sæpe Scriptura dicat, *pondere Sanctuarij*, non probat diuersum esse communem siclum, vt suprà ostendimus: sed vt pondus omnino æquum & iustum significet, dicit esse pondus sanctuarij. Nam pondera & mensuræ in templo asseruabantur, vt patet 1. Paralip. 23. 29. Itaque phrasis illa, pondere sanctuarij perinde se habet, atque dictio illa in Hispania vsurpata, cùm dicimus. Ex Abulensi mensurâ: quod idem est atque ex mensura iusta. Vnde ex eo quòd certum sit primarias mensurarum omnium formas in templo seruari solitas, plane intelligitur, fabulosam esse & commentitiam sacrarum mensurarum à vulgaribus distinctionem. B

V. Ad Tertiumdecimum; aut summa apud Ioseph. mendosa est, aut si fortè fuit corus alter duplus respectu communis cori, sanctuarij quidem corus erat subduplus, vt patet ex dictis. Etenim nec est quidquam cur intelligamus Ioseph. eo loci ad sacras mensuras sese accommodasse, nec inauditum mensuras sacras fuisse minores, vt ex Epiphanio in nonnullis indicauimus. Quapropter cùm liqueat Scripturæ corum triginta modiis constare, si fortè fuit alter sexaginta modiorum, næ ille Scripturæ corus non erat. Ad hæc alter Iosephi locus non obscurè ostendit, aut Iosepho subesse mendum in iis locis in quibus de cori mensurâ loquitur, aut Iosephi tempore aliam cori rationem vsitatam fuisse ab Scripturæ coro diuersam.

PROPOSITIO XII.

Sicut constat Mare æneum fuisse perfectum hemisphærium, sic etiam certum est Luteres fuisse cylindros, quorum latitudo & altitudo erat quatuor cubitorum. Ex quo valdè verisimile est, Mare æneum & Luteres fuisse primarias Israëlitici populi mensurarum formas. C

PROBATIO.

Mare æneũ fuisse hemisphæriũ.

A. PErerius lib. 10. in Genesim disputat. 4. contendit Mare æneum fuisse capacioris figuræ quàm est figura perfecti hemisphærij: tantum ne concedat diametrum decem cubitorum esse adeò magnum vt Villalpandus opinatur. Ceterùm quamuis Mari æneo figura perfecti hemisphærij permaneat, diameter ipse contractior etiam remanebit quàm Pererius optabat, vt infrà planum fiet. Perfecti autem hemisphærij figura Mari æneo denegari nequaquam potest, quippe quam ei attribuit Iosephus lib. 8. Antiquitatum cap. 2. vbi in Græco bis vtitur hemisphærij nomine. Quod verò Scriptura ait 3. Reg. 7. 23. *rotundum in circuitu*, de perfecti hemisphærij figura intelligunt Rabbi Salomon, Theodoretus, Hugo, Abulensis & Dionysius quos affert Villalpandus tom. 3. fol. 474. D

B. Neque obstat labium lilij repandi. Nam curuatio illa lilij effingi potuit in externa facie, manente integra & illæsa perfecti hemisphærij figura intrinsecus. Vel si curuatura ab interna facie incipiebat, ita molliter ac suauiter erat, adeò insensibili figuræ hemisphærij perturbatione, vt alteratio illa contemni meritò debeat, eo quòd parum pro nihilo reputetur. Deinde impedimento non est resticula triginta cubitorum quæ cingebat Mare. Quamuis enim si diametro cubitorum decem (quæ est diameter Maris ænei ex parte concaua) addatur hinc & inde palmus (quæ est crassitudo Maris ænei) necessariò futura sit diameter à parte conuexâ cubitorum decem & semis: & deinde diametro cubitorum decem & semis respondeat circumferentia triginta trium cubitorum ex regula Archimedis: hoc (inquam) non obstat. Nam resticula quæ Mare cingebat, non ita intelligenda, quasi labium ipsum cingerent: sed paulo inferius, vt vas ipsum concinnius & elegantius quasi limbo vndique obeunte redderet. Atque ita, resticulam ipsam non amplius triginta cubitis constare, id argumento sane est Mare æneum non fuisse cylindrum. cylindri enim latitudo non minuitur paulatim deorsum, sicut latitudo hemisphærij. Scio aliter respondeti à nostro Villalpando; videlicet, expressum ab Scriptura fuisse maiorem numerum (qui est 30.) & minorem numerum esse suppressum. Sic enim solet aliquando loqui. Verùm si hæc phrasis

Digitized by Google

A phrasis in Maris ænei dimensione admittatur, non constabit interiorem diametrum esse decem præcisè cubitorum. Deinde in num. 33. minimè decebat prætermitti tria. Ac in aliis quidem rebus licebit interdum minus exactè & minus præcisè loqui. At in Mari æneo, quòd (vt mox dicemus) erat primaria mensurarum ratio seu forma; nequaquam oportebat de ipsius circuitu adeò confusè & negligenter loqui. Verisimilius ergo est, resticulam triginta cubitorum non esse in superiori ambitu seu circumferentiâ. Nec me latet, Theodoretum legere, *resticula triginta trium cubitorum erat*. In quo Græcos aliquot codices sequitur & de superiori circumferentia interpretatur. Veruntamen germana lectio non habet nisi triginta cubitos. Quare aptius & facilius est, resticulam aliquantulum demittere.

C. Prætereà perfectæ hemisphærij figuræ non officit, quòd Septuaginta scribant de Mari æneo, στρογγύλον κύκλῳ τὸ αὐτό. Nam quamuis dictio στρογγύλος, significat aliàs figuram cylindri; extendi etiam solet ad quamlibet figuram rotundam. Et vox illa κύκλῳ, (id est, in circuitu) efficit vt vox στρογγύλον, siue rotundum ad hemisphærij figuram applicetur. Atque hactenus de Maris ænei figura.

D. Transeamus iam ad Luteres. In eorum enim figuræ consideratione (ex qua multum lucis poterat mensuris Hebraicis exoriri) video multos dormitasse. Persuadent namque sibi, siquidem Lu-
B teres singuli quadraginta solum batos capiebant, eorum figuram fuisse parum profundam. Quinimo Staniſlaus contendit, illos quadraginta batos non esse plures quàm quatuor ex magnis batis, quamuis appellentur quadraginta bati, nomine decimæ ipsius bati parti applicato. Sed quàm sit hoc falsum infrà constabit. Mihi certum est, Luteres fuisse perfectos cylindros; eosque, quatuor cubitos in altitudinem, in latitudinem totidem habuisse. Hoc verò ita dilucidè affirmat Iosephus 8. Antiquit. cap. 2. vt qui in diuersa adhuc sententia hæreat, debeat plane ostendere, quo nixus fundamento Iosephum in Luterum figura mentitum credat. Etenim nulla potest subesse dubitatio quin Iosephus eos perfectos faciat cylindros. Nam illos vocat στρογγύλας χυτρογαύλας, & verbum στρογγύλω, quamuis non semper significet idem quod teres instar cylindri; in hoc saltem loco aliam admittere significationem non potest. nam vox χυτρογαύλω, (qua etiam vtuntur in Luteribus Septuaginta interpretes 3. Reg. 7.) componitur à χύτρος, quod est lebes, & ἀπὸ τοῦ γαύλου, quod significat vas siue cymbium in quo mulgetur lac: quare χυτρογαύλος non est aliud quàm lebes mulgendo lacti idoneus; cuiusmodi lebetes, ne lac facilè effundatur, solum habent omnino planum, quale requirit cylindri figura: itaque Luteres describuntur à Iosepho lebetes teretes ac rotundi cum solo siue pauimento plano. Atque hæc est communior figura mulctralium in quibus lac mulgetur. Licet enim in aliqua regione (vt in Bætica) versus inferiorem partem mulctralia dilatentur, is tamen vsus peculiaris est; nec conuenit ea figura cum iis quæ Iosephus tradit de luteribus,
C nec cum apta pulchritudine & proportione, & in aliis prouinciis (certò scio) vasa illa siue cymbia in quæ mulsum lac infunditur, cylindri sunt perfecti. Deinde quam affert Iosephus rationem capacitatis Luterum siue cylindrorum, petitur ab eorum tum latitudine tum profunditate. *Capiebant* (ait) *singuli 40. batos: altitudo enim erat 4. cubitorum & tantundem spatij patebat inter margines.* Quæ ratio quasi certum statuit siue supponit, in cylindro 4. cubitis lato & totidem alto, 40. batos, nihilo plus aut minus contineri. Sed de hoc infrà.

Luteres fuisse cylindros.

E. Descriptio Iosephi confirmatur ex iis quæ de Luteribus Scriptura prodit. Nam in primis huiusmodi lebetum vsus erat ad lauandas carnes quæ in sacrificiis offerebantur. Nec verisimile est eos quos fabricauit Salomon fuisse diuersæ figuræ ab illis qui antea eidem ministerio erant deputati. Atqui Scriptura eos qui antea fuerant effecti, lebetes appellat. vide 1. Reg. 24. *habebat fuscinulam tridentem in manu, & mittebat in lebetem*, hoc est, in luterem, vt ipse etiam Villalpandus exponit. Certum autem est non dici lebetes nisi eos qui habent cylindri figuram. Hebræa etiam vox quæ respondet voci illi *lebetem*, est Çhior. Atque hoc ipsum est nomen quo sacra Scriptura luteres compellat 3. Reg. 7. 38. adde quòd numero 40. pro eadem voce Vulgatus ipse transtulit lebetes.

D F. Secundò, quod textus ait, 3 Reg. 7. 38. *erant q, quatuor cubitorum*, congruentissimè ita exponitur, vt scilicet quatuor haberent cubitos in latitudinem & totidem in altitudinem (vt Iosephus expressit.) Neque enim est cur verba illa ad latitudinem potius quàm ad profunditatem referenda sint. Et verò cùm altitudo & latitudo æqualia sunt, distinctione opus non est, vt in cubis contingit, cum dicimus cubum aliquem esse quatuor digitorum aut sex, absque vlla prætereà distinctione. Alioquì minutè fuisset loquutus sacer Scriptor, cùm dixit eos esse quatuor cubitorum, nulla facta profunditatis mentione quam de Mari æneo loquens distinctè expresserat. Quòd verò luteres essent teretes, id etiam manifestè ex Scriptura ipsa colligitur, lege 3. Reg. 7. 35. *In summitate autem vasis erat quadam rotunditas ita fabrefacta vt Luter desuper imponi posset.* Atque sedis huius rotundæ (in qua erat Luter impositus) altitudo exprimitur fuisse dimidium cubiti. Sic enim legit Vulgata correcta ex Hebræo. Quæ altitudo ad duas res vel maximè necessaria erat, nempe vt & ipsa sedes firma esset; atque vt eadem Luteri pro basi aptè & concinnè supponeretur.

G. Prætereà, si quilibet Luterum capiebat Romanas amphoras 90. (vt opinatur Villalpandus) aut quadraginta amphoras præcisè, (vt nos infra probabimus;) ad vasa adeò ingentia atque capacia (cuiusmodi ab Scriptura fuisse asseruntur) & quæ basibus illis veluti plaustris aut pegmatis erant imposita, minimè est ad rem vt Luteres ipsi existimentur fuisse vasa parum profunda. Nonaginta enim amphoræ Romanæ (quæ est mensura Villalpandi) faciunt Hispanienses cantaras 168¾. & quadraginta Romanæ amphoræ (quæ est nostra mensura) complent omnino

Digitized by Google

Hispanensis mensuræ cantaras 75. vim certè & quantitatem satis magnam ad dolium aliquod non exiguum. A

Concha nomen non repugnare figuræ cylindri.

H. Nihilominus aduersus cylindrorum figuram qui quatuor cubitos in altitudinem & totidem in latitudinem pateant, duæ obiectiones occurrunt. Prima est quòd huiusmodi figura non rectè consonet cum nomine concharum quod eis Scriptura tribuit 2. Paralip. 4. Secunda quòd cum illa profunditate non cohæreat vt quilibet Luterum 40. solùm batos capiat, cùm Mare æneum caperet duo millia.

I. Ad primam difficultatem respondeo, Hebræam vocem quæ respondet conchæ esse *Chior*; quòd nomen dubitari non potest, quin in profunda concauitate locum habet; nam suggesto quòd sibi extruxit Salomon quod dicitur fabricatum fuisse in pulpiti rotundi figuram (vt hac tempestate pro concionatoribus fieri solent) illi (inquam) suggesto tribuitur nomen *Chior*, 2. Paralip. 6. 13. Quod si Vulgatus Luteribus dat concharum nomen, eosdem etiam appellat lebetes, vt suprà vidimus. Lebetis autem nomen postulat vt intelligamus non defuisse illis communem lebetum profunditatem. Nec dissentit à conchæ nomine lebetis profunditas, vt patet ex verbis Plin. l. 9. c. 33. vbi ait, *Magna est ludentis naturæ varietas in concharum figuris, planis, concauis, longis, lunatis, in orbem circumactis*, &c. Atque ego quoque confirmare possum visas à me fuisse conchas longiusculi cylindri figuram habentes. B

Capacitas 40. Luterũ non pugnat cum figurâ cylindri.

L. Ad secundam difficultatem respondeo, certum non esse, vnâ eademque mensurâ duo batorum millia Mari æneo, & quadraginta singulis Luteribus tribui. Si autem batorum æqualitas non bene cum cylindrorum figura consentit; illud hinc debet inferri, batorum æqualitatem non esse certam. Nam figura cylindrorum quæ habeat quatuor cubitos in latitudinem & totidem in altitudinem, certissima est. Quinimo tantùm abest vt cum huiusmodi figura cylindri, quatuor cubitos alti & totidem lati non cohæreat quadraginta batorum mensura; vt potiùs eius capacitatis rationem reddat Iosephus ex ipsa Luterum figura & profunditate, quemadmodum suprà notauimus.

Batus non opus est vt sit eiusdem mensuræ in Mari æneo, & in Luteribus.

M. Verùm adhuc opinabitur aliquis fortassis, vt credatur textus agere de eadem batorum mensurâ tam in Mari æneo quàm in Luteribus, illud non parum vrgere, quod scilicet, in eodem capite, & sub eodem locutionis tenore dicat Scriptura de Mari æneo 2. Reg. 7. 26. *Duo millia batos capiebat*: & in Luteribus versu 38. *Quadraginta batos capiebat Luter vnus*. Ad hanc obiectionem Respondeo: Vanum quidem esse amphibologiam siue æquiuocationem sine necessitate fingere. Sin ratio aliud persuadeat, & nos cogat diuersa ratione accipere ea quæ in vno eodemque capite videntur eodem modo referri; tunc nullius momenti est ad similem intelligentiam persuadendam, quòd simul & similiter vtrumque dicatur. Scimus enim fieri posse vt communis alicuius linguæ aut regionis consuetudo ferat, simul & sub eodem locutionis decursu de inæqualibus ponderibus vel mensuris esse sermonem in eiusdem dictionis repetitione dum diuersis rebus applicatur. Exempli gratiâ: in Bætica, qui suo dispensatori siue obsonatori præcipit vt quatuor bubulæ carnis libras & quatuor etiam vuarum libras emat: hic sanè de libris æqualibus nequaquam loquitur. vsus enim fert, vt in carnibus maior libra, in fructibus minor vsurpetur. Simili ergo ratione in Hebræo sermone, quando sermo est de mensuris in hemisphærij figuram effictis, batus vnus, mediocris mensuræ capacitatem denotat: cùm autem de mensuris in cylindri figuram agitur, batus vnus idem est, quod metreta siue amphora Hebraica; quæ (vt postea videbimus) Romanæ amphoræ erat æqualis. Neque hoc apud Hebræos in nomine bati (quod idem sonat ac mensura) plus habet difficultatis, quàm apud Hispanos in nomine ponderis, cuius vsus multifariam accipitur. Nam si quis diceret, se vnicum argenti pondus, (*vn peso de plata*) pro vnico piscium pondere impendisse; non opus est eum de æqualibus agere ponderibus, sed in argento de eo quod vocari solet, *vn peso de plata*, id est, de octo numis regalibus: in piscibus autem de eo pondere quod in piscium venditione solet vnicum pondus appellari; hoc est, de duabus aut quatuor libris. hoc autem ex vsu & consuetudine omnino pendet. Ad rem ergo vt veniamus, quando agitur de batis quos Mare æneum capiebat; eò ipso quod de Mari æneo in hemisphærij figuram conflato fit sermo, accipiendum est batorum nomen pro iis qui mensurâ hemisphærica mensurabantur: at in Luteribus quibus cylindri figura erat, batorum nomen ad eos batos est referendum qui cylindræis mensurabantur mensuris. Quòd verò huiusmodi mensuræ à nobis inæquales asserantur, id neutiquam est absque ratione confictum, sed potiùs per Mathematicam demonstrationem illatum ex iis quæ Scriptura sacra & Iosephus tradunt de Mari æneo & Luteribus: ac de numero batorum quos Mare æneum & quos Luteres capiebant. Nec verò est cur hoc alicui aut nouum aut insolitum videatur, vno eodemque vocabulo repetito diuersas res posse simul denotari. Hoc enim qui negat, non satis considerauit multa esse id generis in variis linguarum idiomatis. In Castellana quidem Hispanorum linguâ cum vir aliquis nobilis dicitur annuos octingentos habere, de nummis aureis sermo est. Sin autem dicatur octies centies millia, de totidem marauedinis accipitur. Nam centenarius millium nisi aliud exprimatur, solet de marauedinis capi. Similiter vnica tritici faneca duodecim continet Hispanos modiolos siue çelemines; ex aliis verò seminibus faneca vna çelemines 18. Quare qui asserit se quatuor frumenti fanecas emisse & totidem fanecas ciceris siue fabarum; de æquali mensura non loquitur. Item duodenarius tabularum in magna summa (Hispana phrasi) tabulas comprehendit centum viginti. Et qui tabularum duodenarium emit viginti nummis aureis. verè dicere potest, se deinde duodenarium earundem tabularum tribus aureis nummis vendidisse, & nihil dispendij aut iacturæ in ea fecisse emptione & venditione. Denique multa eiusmodi in vulgaribus C D

linguis

A linguis exempla suppetunt, quæ æquiuocationis difficultatem auferunt nomini bati. Statuere autem nullam huiusmodi ambiguitatem subesse, id planè erit cylindri figuram Luteribus denegare ac quatuor batorum profunditatem: quod perinde est atque ob inanis metus vmbram, oculos claudere veritati.

N. Porrò vt perspiciatur nullum esse inconueniens in bati nomine ambiguitatem admittere, aduertendum est, Stanislaum & alios, cùm Luterum figuram non obseruassent, in nomine bati amphibologiam concessisse. In eo tamen hallucinati sunt, quòd Maris ænei batos maioris esse mensuræ, ac Luterum batos minoris esse crediderunt: cùm constet Mathematica demonstratione batorum mensuram in Luteribus esse ferè decuplam respectu batorum Maris ænei, vt seq. proposit. demonstrabitur. Ex quo infertur, falso niti fundamento eos qui ad designandam sacri cubiti magnitudinem, præstituunt quasi omnino certum illos bis mille batos Maris ænei quos Scriptura commemorat esse ex Hebraicis batis maiorib. Sed de hoc infrà.

O. Nunc adnotasse satis sit, si admittamus Luterum figuram fuisse cylindri quatuor cubitorum in altitudinem & totidem in latitudinem, euidens esse mensuram vnius bati ex 40. quos capiunt Luteres singuli, esse multo maiorem, quàm mensura vnius bati ex 2Uooo. quos Mare æneum capiebat. Atque adeò iuxta Hebraicæ linguæ loquutionem, duo illa batorum millia intelligenda esse
B de mensurâ alia multo minori: siue quia mensuræ hemisphæricæ batis minoribus deseruiebant, siue ob aliam rationem. Obseruandum verò est Scriptorem sacrum minimè obscuritatem affectasse, dum in bati nomine ambiguitate vsus fuit. Illis enim qui Luterum magnitudinem & cylindrorum figuram cernebant, euidens erat 40. batos qui singulis Luteribus tribuebantur fuisse ex maioribus; ac duo millia Maris ænei ex minoribus. Manifestum etiam erat alios extitisse præterea adhuc minores, ita vt ex duorum batorum millibus Maris ænei fierent tria millia illius mensuræ quæ postea fuit vsu inuecta, vt videbimus infrà ex 2. Paralip. 4.5 & ex Iosepho. Itaque sacer scriptor in huiusmodi æquiuocatione noluit obscuritatis tenebras effundere, sed lucem potiùs afferre eius proportionis, quæ inter maiores batos atque minores intererat. De qua neutiquam nobis constaret, si de eâdem ipse batorum mensurâ semper loqueretur.

P. Quod autem hanc inter vtrosque batos proportionem nobis sacer historicus indicare voluerit, congruentissimum esse constabit, si quiddam peculiare aduertatur quod mihi valde verisimile sit: nimirum Salomonis regis mentem eam fuisse, vt Mare æneum ac Luteres, præter communem vsum cui erant addicta, tum vt se eluerent sacerdotes in Mari æneo, tum etiam vt in Luteribus carnes in sacris offerendæ abluerentur; præter hunc (inquam) vsum, essent publicæ ac primariæ normæ illius præcisæ quantitatis ac proportionis quibus mensuræ populi Israëlitici fieri & constare
C deberent. Hoc vt mihi persuadeam adducor ea ratione: quia Romani, Græcorum imitatores (Græci autem ab Ægyptiis atque Hebræis hausere quàm plurima) in Capitolio primariam sui quadrantalis normam atque mensuram (*patron y marco* vt Hispani loquimur) collocarunt. Ita affirmat Fannius in suis versibus;

Mare æneũ & Luteres fuisse primarias normas mensurarum Hebraicarũ.

Amphora fit cubus: quam ne violare liceret
Sacrauere Ioui, Tarpeio in monte Quirites.

Et Farnesij congius (quem Villalpandus noster describit tom. 3. f. 501.) hos habet inscriptos characteres;

Imp. Cæsare Vespasiano VI.
Tito Cæsaris Augusti filio IIII. *conf.*
mensura exacta in Capitolio pondo decem.

Mensuras & pondera consueuisse seruari in templo.

Iustinianus item Imperator mensuras & pondera in sacratissimâ cuiusque ciuitatis Ecclesiâ asseruari mandauit. Qua de re legendus est Lucas Pætus f. 14. (vbi alia affert huc spectantia) & Mariana de ponder. c. 24.

Q. Censeo igitur huiusmodi consuetudinem mensuras ac pondera in templo collocandi, ab Israëlitico populo effluxisse. Nec dubito quin Salomon ea in suo templo constituerit. Iam enim ipsius parens Dauid templi sacerdotes ponderibus ac mensuris præfecerat: vide 1. Paralip. 23. 29. *Sacerdotes autem super omne pondus atque mensuram.* Quæ verba non solum agunt de iusto pondere ac mensura rerum illarum quæ fuerunt Deo offerendæ (vt nonnulli explicare videntur) sed generatim de reipublicæ ponderum ac mensurarum custodia loquuntur. Si ergo norma ipsa & quasi prototypus mensurarum erat in templo collocanda, vt esset præscripta regula exactæ magnitudinis ac proportionis quæ illis inesse debebant: deinde si sacerdotes futuri erant iustis mensuris præfecti; quid quæso potuit congruentius effici, quàm vt ipsummet Mare æneum atque ipsi Luteres, essent pariter integræ & incorruptæ mensurarum normæ? Iam quod vasa hæc in propatulo essent, ac ob suam magnitudinem, materiam & formam, nec non ob loci religionem adeò tuta forent ab omni hominum iniuria & violatione: hæc omnia conuenientissima erant tum ad ipsorum vasorum conseruationem, tum etiam ad communem ac publicam omnium notionem. Atque etiam vt sacerdotes ipsi qui mensuris erant præpositi, primariam ipsam formam sanctam haberent ob oculos simulque iustitiæ & æquitatis symbolum, & eam retinendi obligationem. Id quod tum potissimum memoriæ refricarent, quando & seipsos & sacrificia abluerent: quo innuebatur, ad culpam eluendam, & ad sacrificia pura & immaculata Deo offerenda, esse cum primis necessarium, rationem & æquitatem amplecti, iniquitatemque ac proximi iniuriam detestari.

D

R. Pro horum omnium confirmatione animaduerte, ex eo quod Mare æneum ac Luteres erant primariæ formæ mensurarum populi Israëlitici, rationem reddi congruentem duarum rerum quæ

Digitized by Google

alicui forsan scrupulum possent iniicere. Altera est cur Mare æneum in hemisphærij perfecti figurâ, & Luteres ad normam perfecti cylindri fabricata sint. Vtrumq; enim videtur primo aspectu affectatum planè & parui momenti. Ceterum, si aduertamus, eas fuisse primarias illius populi mensuras, & hemisphæria atq; cylindros figuras esse mensuris aptissimas; his animaduersis, facilè redditur congruens vtriusq; figuræ ratio, & planè cernitur nullam aliam figuram adeo fuisse illis vasis aptam. A

Cur Mare æneum fuit factum in perfecti hemisphærij figuram, & Luteres in cylindri figuram.

S. Secundò, hinc etiam agnoscitur causa, cur Scriptura adeò accuratè & singillatim Maris ænei ac Luterum altitudinem, longitudinem, capacitatem & figuram descripserit, nec non batorũ maiorum atq; minorum distinctionem. Etenim dum nobis dicitur Mare æneum esse hemisphærium 10. diametri cubitis constans, & 2. batorum millia capiens; perinde est ac si doceamur, sphæram vnius cubiti Hebraici capere 4. batos ex minoribus, & hemisphærium vnius cubiti, batos capere 2. Præterea dum explicatur Luteres in cylindri figuram fabrefactos; 4. esse cubitis latos & totidem altos, singulisq; 40. batos contineri, id etiam nobis generalem præscribit regulam, quòd scilicet, cylindrus vnius cubiti capiat quinque octauas partes vnius ex maioribus batis. Ex quo insuper apparet iustã aliquam fuisse mensuram cylindri 1. cubito constantis, & similiter etiam sphæræ vnum itidem cubitum habentis pro diametro. Et nunc quidem sufficiat obiter attigisse harum mensurarum proportionem, prætermissâ nunc maiori expositione, & in opportuniorem locum reiecta.

Nulla melior mensurarum figura quam sphæra & cylindrus.

T. Cùm ergo animaduerterimus præcipuam mensurarum Romanarum normam fuisse cubum; Hebraicarum autem fuisse hemisphærium ac cylindros: obseruandum est, licèt Romanis non defuerit ratio aliqua ad cubum eligendum, sapientiæ tamen Salomonis fuisse seligere ad primarias suarum mensurarum normas, ex diuersis figuris eas quæ ad duo potissimum valde conducerent. Alterum vt mensuræ ipsæ facili negotio possent perfectæ & integræ effingi. Alterum, vt maiorum mensurarum ad minores proportio esset exacta, & tam factu quàm intellectu facilis. Circa primum satis constat quanta sit difficultas in cubica aliqua mensura perfectè efficienda. Et noster Villalpandus id optimè expendit, dum refert quanto studio & diligentiâ sibi steterit edere Romæ perfectum Romani semipedis cubum; vt periculum faceret, contineretne aquæ vncias 120. eius ponderis quod hodie Romæ & in Hispania vsitatum est. At verò ad perfectum cylindrum aut hemisphærium effingendum facilis est ac certa per circinationem ratio. B

V. Quod autem ad secundum attinet; sphæratum ac cylindrorum mensuræ id habent peculiare, multum conducens ad proportionis facilitatem inter minores, & maiores mensuras. Etenim demonstratione constat, cylindrum eiusdem latitudinis ac profunditatis quam habeat sphæra, sesquialterum esse ad sphæram; nec non triplum respectu coni qui habeat eandem basim & altitudinem. cylindrus item eiusdem altitudinis cum hemisphærio capit sesquialterum ipsius hemisphærij, & triplum quàm conus. Atque hac ratione, & effectu ipso qui ex duplicatis diametris sequitur, dum solida octuplicata fiunt, magna hinc prouenit facilitas in mensurarum diuisione. C

X. Quòd si Romani in suo congio designabant sui pedis magnitudinem & præcipuas ipsius diuisiones, nec non ea magnitudinis interualla quibus suæ tam liquidorum quàm aridorum mensuræ constare deberent (vt noster Villalpandus in Farnesiano notauit congio) verisimile est in Luteribus fuisse etiam Hebraicas omnes mensuras præcisè & exactè notatas.

COROLLARIVM PROPOSIT. XII.

Valdè aberrat Capellus in dimensione Maris ænei ac Lutérum.

EXPLICATIO.

A. ÆNeo quidem Mari non tribuit Capellus 10. diametri cubitos in concauitatem, sed palmum ex quolibet latere detrahit, hoc est ipsam Maris ænei crassitudinem. Ipsos autem 10. cubitos existimat singulos esse vnius pedis & quartæ alterius partis, qui sunt 5. palmi: nec verò ex maioris pedis Hebraici palmis, sed ex minoris, qui iuxta Capelli ipsius opinionem se habet ad Romanum pedem sicut 15. ad 12 Itaq; concauitatis diameter continet ciuiles pedes Hebraicos 12. qui Romanos pedes 15. exæquant. Hæc ille. Ego verò sic argumentor; Cubus Romanus pedum quindecim capit Romanas amphoras $3\bigcirc,75$. Ergo sphæra capiet $1\bigcirc 767\frac{5}{7}$, & hemisphærium non ampliùs capiet quàm 889. Valde igitur aberrat Capellus dum ait Mare æneum (quod erat hemisphærium) capere circiter batos $2\bigcirc 300$. & singulis batis ineſse aquæ vncias $1\bigcirc 440$. D

B. Deinde Luteres quemadmodum & Mare æneum, facit Capellus hemisphæria: 4. autem cubitos quos eis Scriptura præscribit, affirmat intelligendos fore de dimidiato circuitu seu circumferentia, quæ ipsius Capelli computatione, ex Hebraicis cubitis 5. palmorum continet $4\frac{4}{22}$, sed fractum numerum ait ille ab Scriptura contemni. Tribuit verò singulis Luteribus batos $45\frac{1}{3}$, ac diametro dat Hebraicos pedes $2\frac{1}{3}$. Sic ille. Verùm hæc descriptio tum Scripturæ, tum Iosepho repugnat, estque ad libitum & sine fundamento conficta. Quod si Capellus aduerteret Mare æneum & Luteres fuisse præcipuas & primarias Hebraici populi mensurarum normas, non vtiq; Mari æneo quidquam de decem cubitorum concauitate detraheret: nec in singulis Luteribus adderet aliquid supra cubitos quatuor & batos 40.

C. Acce-

Digitized by Google

A C. Accedit quòd Capellus tribuit diametro singulorum Luterum pedes $3\frac{1}{7}$, qui complent omnino 4. pedes Rom. Cubus autem 4. Rom. pedum capit omnino amphoras 64. Atque adeò sphæra cuius diameter 4. Rom. pedibus constet, capiet Rom. amphoras $33\frac{1}{3}$. & nonnihil amplius: hemisphærium verò minùs quàm 17. amphoras Rom. quorum omnium demonstratio est. Asserit autem Scriptura singulos Luterum capere 40. batos: & Capellus vnicuique bato sesquiamphoram tribuit: & 40. batis addit alios fermè 4. Quare in Capelli opinione quilibet Luter capit amphoras Romanas 66. Capacitas tamen quam eis ipse designat 17. amphoras non capit.

PROPOSITIO XIII.

Sicut 500. ad 96. ita capacitas Maris ænei ad singulos Luteres: & sicut 48. ad 5. ita singuli Luterum bati ad batos eos, ex quibus Mare æneum duo millia capiebat.

PROBATIO.

B A. CVm Mare æneum sit hemisphærium perfectum, eiusque diameter 10. cubitorum; euidens est ipsum esse capax 500. sphæratum vnius cubiti. Nam sphæra 10. cubitorum omnino capit quantum capiunt mille sphæræ cubiti vnius, vt norunt Mathematici; vnde compertum est hemisphærium capere 400. Eademque ratione perspicuum est, si Luter sit cylindrus cubitorum 4. in altitudinem & totidem in latitudinem, ipsum iustas capere 96. sphæras, cubus enim quaternarij est 64. Quare cylindrus prædictus continet eandem aquæ mensuram quam caperent 64. cylindri vnius cubiti. Deinde demonstratione etiam Archimedis constat, cylindrum esse sesquialterum ad sphæram sibi inscriptam: atque adeo 64. cylindros idem omnino capere quos sphæra 96. Cùm igitur constet Mare æneum continere 500. sphæras vnius cubiti, & quemlibet Luterem sphæras 96. sequitur inde sicut 500. ad 96. ita Maris ænei capacitatem se habere ad singulos Luteres, quod erat probandũ.

B. Ad hæc si sphæræ Maris efficiunt bis mille batos, sphæræ etiam 96. cuiuscunque Luteris complebunt 384. batos eiusdem mensuræ. Si autem hi bati 384. ad numerum 40. maioris mensuræ reducantur (qui sunt bati in singulis Luteribus contenti) quilibet ex batis maioribus capiet $9\frac{3}{5}$. ex minoribus, vt constat per partitionis regulam. & sicut $9\frac{3}{5}$. ad 1. ita 48. ad 5. Atque adeò euidens est singulos Luterum batos habere se ad eos batos ex quibus Mare æneum duo millia capiebat sicut 48. ad 5. quòd secundò probandum fuerat. Singuli autem bati ex 40. quos quilibet Luter capiebat, se habent ad batos illos, quorum 3. millia capiebat Mare æneum, sicut 48. ad $3\frac{1}{3}$. Nam 5. ad $3\frac{1}{3}$. perinde sunt vt 3. ad 2. & sicut 48. ad $3\frac{1}{3}$. ita 72. ad 5. C

C. Ex dictis patescit quàm aberret ab scopo, qui totam Salomonici templi, nec non cubiti sacri magnitudinem in eo stabilire contendit, quòd 2. millia batorum Maris ænei sint ex batis maioribus, cùm demonstretur illam batorum mensuram quæ 40. batos singulis Luteribus dat, non secus ad illam aliam mensuram se habere quàm se habent 48. ad 5. Verùntamen multò adhuc oscitantiùs hallucinatur Staniſlaus, qui 40. batos singulorum Luterum efficit decimas batorum Maris ænei partes, quòd perinde est ac dicere, Mare æneum se habere cum quolibet Lutere sicut 2000. cũ 4. Cùm tamen certò constet Mare æneum paulò plus capere quàm 5. Luteres. Quippe Mare æneum capit tantùm 500. sphæras vnius cubiti; & quilibet Luter capit sphæras 96. ac proinde quinque Luteres continent sphæras vnius cubiti 480. Quare excessus Maris ænei ad quinque Luteres solùm est viginti sphæratum vnius cubiti.

D. Huiusmodi computatio adeo certa est, vt illam confirmare velle superuacaneum sit. Enimuerò auet adhuc animus quendam diuellere scrupulum qui videtur residere. Hæc namque ratiocinatio & numerorum supputatio multò rectius & congruentius se haberet, si vnusquisque batorum maiorum esset exactè seu perfectè decuplus respectu minorum, ita vnus ex maioribus 10. minores omnino adæquaret. At continere tantum $9\frac{3}{5}$. id vero insolentiam & nouitatem præ se fert. Præsertim quia decimam bati partem appellari batum, id iam affirmarat Staniſlaus f. 185. & ex Iosepho atque Eupolemo comprobarat. Verùm appellari ab Scriptura batos mensuras alias quæ decimæ illorum partes exactè non sunt, sed aliquanto maiores, ita vt maior batus in nouem minores partiatur. & tres quintæ alterius partes supersint; hoc sane cùm nemo alius in mentẽ sibi induxerat, tum nouum, & insolitum est. D

E. Respondeo in proportione aliarum mensurarum cum aliis (vt & numismatum cum aliis item numismatis) minime esse incõueniens, vt supputatio eiusmodi, numeros fractos & amputatos contineat, quando precisa computationis ratio hoc persuadet. v. g. dimidiatus argenteus regalis Hispanicus, in 4. quadrantes (Hispanicè *quartos*) diuiditur, & vnus supereſt marauedinus. Integer etiam argenteus in 8. quadrantes diuiditur, & duplex marauedinus supereſt. Item ducatus Hispanicus argenteos valet 11. & restat marauedinus 1. Similiter aureus Hispanus quem *Scudum* appellant, hactenus 11. valebat argenteos & marauedinos 26. iam 13. argenteis æstimatur, sed deest illi duorum marauedinorum valor. Huiusmodi amputationes & minutula additamenta inde videntur exordium duxisse, quòd in prima horum numerorum institutione non fuit interdum principum mens nummum ipsum siue maiorem mensuram in tot minores, nec ampliùs partiri, sed cuilibet nummo vel mensuræ maiori, certam quandam marauedinorum siue vnciarum aut alterius cuiuscunq; rei summam

Digitized by Google

mam vel quantitatem tribuere. Exin verò necessarium fuit in aliorum numismatum cum aliis comparatione minutias has atque segmenta reperiri, si id supputationis ratio postulet. In batorum ergò institutione (vt ad rem redeam) qui hemisphærio mensurabantur, existimo cylindrum vnius cubiti ex minoribus in sex æquales partes fuisse primitus diuisum, quibus batorum nomen est datum: atque ita factum est vt hemisphærium vnius cubiti duos caperet batos. Maioris autem bati institutio eò tetendit, vt maioris cubiti cylindro detraheretur quinta altitudinis pars, vt commodior lebetis forma fieret; eique mensuræ datum est bati nomen. Perinde verò est quod attinet ad capacitatem vt cylindro minoris cubiti tres insuper quintæ partes altitudinis addantur. Sic enim 64. cylindri quos capit Luter vnus, explent omnino 40. batos: atque ita quilibet batus sortitur cylindrum vnius cubiti minoris & tres prætereà quintas alterius partes. His igitur suppositis, vt necessariò supponenda sunt, necesse fuit in maioris bati ad minorem proportionè non ita se habere illos inter se sicut 10. ad vnum, sed sicut 9⅔. ad vnum. A

F. His adiungo, vt batorum maiorum summa cùm minoribus aptè componatur, ad 24 ex magnis si vnus insuper addatur, hac ratione magnorum batorum ratio siue summa, appositò deinde zero, nos ad summam minorum deducet. Quod forsan apud Hebræos fuit in vsu, sicut in laneo vel lineo panno apud Hispanos singulis virgis mensoriis solet addi pollex. Quòd si verum esset Iosephum & Eupolemum singulis maiorum batis denos ex minoribus tribuere, hoc pacto posset ratio ipsa rectè B constare: vel potiùs vt inter argenteos nummos & scudos aureos inter Hispanos solet accidere, qui singulos scudos nunc ad 13. argenteos redigunt, quantumuis ratiocinatio non admodum exacta sit, paruâ scilicet differentia contemptâ.

G. Fundamentum quo Stanislaus nititur vt affirmet fuisse quondam batos decima tantùm parte maiorum batorum constantes, illud est, quia Iosephus 8. Antiq. c. 2. agens de iis rebus quas Salomon quo annis ad regem Tyri mittebat, in versione Gelenij ex Græco (nam Ruffini lectio eo loci corrupta est) affirmat misisse Salomonem annis singulis bis mille batos olei & totidem vini. At 2. Paral. 2. 10. dicitur misisse Salomon olei sata 20 U. & totidem vini metretas. Constat autem ex Hebraicis codicibus satum ibi & metretam accipienda esse de batis. nam vtrobique in Hebræo legitur ibi nomen *bath*. Vt ergo Iosephus cum Scripturæ narratione conueniat, oportet in Scriptura bati nomen pro decima maioris bati vsurpari. Veruntamen harum opinionum, quæ in eo nituntur, vt Iosephus cum Scriptura concilient, non admodum habenda ratio est. Liquet enim quàm facilè scribentium incuria (sic volo dicere) summæ apud Iosephum vitiatæ sint. Ad cuius rei probationem non opus est alia è longinquo argumenta accersere. Nam in hac ipsa Historia habemus ex Scriptura Salomonem misisse regi Tyrio coros tritici 20 U. eaque de re duæ extant Iosephi lectiones, Ruffini altera quæ habet 30. millia coros tritici, altera Gelenij quæ habet coros tritici duo millia. Ad horum autem locorum concordiam velle comminisci coros etiam Iosephi esse decuplos respectu illorum quos S. Scriptura refert, næ id nimiæ fictionis opus est. Præsertim quia Eusebius de præparat. Euangelica l. 9. c. 4. in Græcis codicibus refert ex Eupolemo. tam tritici coros quàm vini fuisse quotannis decies mille. nisi fortasse velit singulis mensibus 10. millia coros fuisse asportatos, ac proinde singulis annis 120 U ooo. quarum tamen summarum neutra cum verbis Scripturæ consonat. Quamobrem non est nobis valdè elaborandum, aut de Iosephi summa, aut de illa quam Eupolemus & Eusebius referunt. C

Summas aliquas in Iosepho esse depravatas.

H. In eo tamen fides Iosepho derogari non posse videtur, quòd ait mensuram batorum vini atq; olei quos Salomon ad Hiram mittebat, 2. & 70. sextariorum fuisse. Atque ita bati de quibus mentio fit 2. Paralip. 2. 10. non possint esse decimæ partes eius mensuræ batorum ex quibus Mare æneum 12. millia capiebat. Ac quamuis Iosephus in aliis summis seu computationibus nimis excedat in aliis aliquid detrahat (siue id describentium ob negligentiam acciderit, siue ob aliâ rationem) atque adeò ipsius libri hac in re non magna admodum auctoritate polleant, quòd Scripturæ interdũ aduersentur: ceterùm in bati mensura magnam habet Iosephus auctoritatem, quemadmodum & in Maris æneiatq; Luterum figura. In his enim rebus nullus est alius scriptor qui tantâ nobis lucem afferre possit ad S. Literarum intelligentiã: præsertim cùm eiusmodi sint res in quibus per errorem D aut imprudentiam lapsum fuisse Iosephum, verisimile non sit, neque mendacia texere voluisse, & contraria illis scribere quæ & Israelitici populi sacerdotibus erant manifesta, & ferè omnes vrbis Hierosolymæ incolas oculatos habebant testes.

Auctoritas Iosephi in bati mensura est magna.

I. Alio argumento vtitur Stanislaus vt probet 40. batos Luterum esse multò minores batis Maris æneiIllud autem est huiusmodi, 70. interpretes pro 40. batis trãsferunt 40. congios. & similiter Iosephus exponit l. 8. Antiquit. c. 2. (quamuis in Ruffini lectione corruptè legantur 40. cori.) Argumentum hoc videtur primo aspectu validissimum, eius tamen enodatio est, tam 70. quàm Iosephũ, potuisse rectè nomen congij bato magno tribuere. Imò verò hoc ipsum congij nomen fuisse aptum vt edoceremur batos luterum multo esse maiores quam Maris æneibatos, ideoque appellatos fuisse congios ad batorum aliorum distinctionem. Etenim nomen χοῦς bifariam accipitur, primò strictè pro duodecima Græcæ amphoræ parte, vel pro octaua parte amphoræ Rom. quæ congius vocatur. Secundò latiùs pro vase valdè capaci; Deriuatur enim à verbo χέω vel χείω, id est, capax sum, vt notant Græca dictionaria. Et ea propter hoc nomen fuit applicatum ad eam mensuram quæ senos sextarios, aut duodenas cotylas capit. Si ergo de luteribus loquamur, examinata seriò ingenti ipsorum capacitate (cum 4. cubitis in latitudinem, totidemque in profunditatem constent) fieri non potest vt nomen χοῦς ponatur in his batis pro congio qui sex Atticos sextarios capit. Vnde manifestò apparet per respectum ad etymologiam nominis χοῦς, tam 70. quàm Iosephum propriè eo nomine fuisse

Cõgij nomẽ dupliciter accipi, & aliquando magna capacitati aptari.

Digitized by Google

A fuisse vsos agentes de batis Lutorum, vt significarent discrimen inter eos batos, & batos Maris ænei. Ideò enim illos appellarunt χόας, id est, capaces. Confirmatur id, quia hodie in Italia ea vini mensura quæ capit vncias 512. Hispanicæ cantaræ æqualis, appellatur *congius*, vt notant Pæuus & Villalpandus. Quod autem appelletur congius perinde est, quasi vocetur mensura capacior & maior. Similis ambiguitas accidit in nomine sextarij, quod ferè sumitur pro sexta congij minoris parte. Cùm verò Cleopatra & Nicandri interpres de metreta Syra agunt, afferunt in ea sex Syros sextarios comprehŏdi, id est, Italicos 120. Si ergo sexta pars metretæ Syræ sextarius dicitur, quantumuis capiat 20. sextarios Romanos, quid mirum maiori bato dari nomen congij, licèt 8. congios Rom. contineat? Præsertim cùm constet vim græcæ vocis χοῦς, idem sonare quod capax. Atque ideò forsan ad maiorem batum à minori distinguendum hebraicè nuncupabatur *Rahabath*, id est batus capax, quod idem est ac batus maior. Inde enim videntur deriuata nomina hæc *Araba*, & *Arroba*, quæ sunt magnarum mensurarum appellationes.

PROPOSITIO XIV.

Pro certo reputandum est, maiorem batum & ephi, æquales esse mensuras, ac
B *eiusdem capacitatis cum Romana amphora, quæ capiebat aquæ vncias 960.*

PROBATIO.

A. MAnifestum est bati nomen ab Scriptura diuersis mensuris dari. Primò, quia Mari æneo alibi duo millia batorum, alibi tria millia metretarum dantur. eæque metretæ in Hebræo nominantur bati 2. quia vt probatum est propos. 13. quadraginta bati Lutorum, mensuræ sunt multò maioris quàm bis mille bati Maris æneo. Sed in præsenti propos. omisso Maris æneo bato, de maiori solo instituimus sermonem, de quo Ezechielem loqui constat cap. 45. 11. cum ait, *Ephi & batus æqualia & vnius mensuræ sunt; vt capiat decimam partem cori batus, &* 10. *ephi.* Quare in traditionibus Misnaioth quas refert Arias Montanus non fit mentio alicuius bati maioris, quàm qui decimam partem cori contineat. & hic est batus qui in 6. hines diuiditur. atque ita post mentionem bati meminit etiam Ezech. sextæ illius partis, prædicto loco.

B. De hoc igitur bato (qui est maior batus Hebraicus,) in præsenti disputatur, cuiusnam fuerit capacitatis. Qua in re variæ sunt auctorum sententiæ. Primò enim nonnulli sibi persuaserunt Hebraicum batum esse metretam illam Syram, cuius meminit Cleopatra in suo libello, aiuntque similiter loqui Nicandri interpretem. Communis autem lectio illius libelli Cleopatræ concedit metretæ Syræ sextarios Italicos 140. id est aquæ vncias 2400. Villalpandus tamen noster, Stanislai opinionem secutus contendit non esse legendum in illo Cleopatræ loco 120. sed 108. sextarios Italicos, qui continent vncias 2160. vt hac ratione proportio bati ad metretam Græcam sit velut ternarij ad binarium. Hoc autem sibi persuadent ex eo quòd Mari æneo in quodam Scripturæ loco tribuuntur duo millia batorum, in alio tria millia metretarum. Deinde quia Fannius metretæ Græcæ dat sextarios Italicos 72. hoc est vncias 1440. & sicut 3. ad 2. ita 2160. ad 1440. Pro huiusmodi autem correctione astruenda, notant, græcè facilem esse commutationem inter 20. & 8. quia characteribus non admodum dissimilibus notantur, nempe κ. & η.

Metreta Syranam sit idem quod batus & cuius capacitatis fuerit metreta Syra.

C. Hæ duæ opiniones (quarum prima tribuit bato vncias 240. & secunda vncias 160. (si eo nituntur fundamento quòd pro certo habeant, metretam Syram (de qua agunt Cleopatra & interpres Nicandri) esse maiorem Scripturæ batum; leuissima ducuntur coniecturâ. Neque enim solidius est fundamentum vt metretam Syram credamus esse batum Hebraicum, quam vt credamus Syrum talentum (cuius meminit Pollux) esse magnum Scripturæ talentum. Quare cùm hoc sit perspicuè falsum, illud item pro vero reputandum non erat. & falsum quidem esse quod ad talentum spectat, indefit planum. quia talentum maius Scripturæ certum est pondere vncias 1500. Syrum vero talentum octauam tantummodo partem, nempe drachmas 1500. quæ faciunt vncias 187½. Ad hæc non idem sunt Syria & Iudæa: quia *caput Syriæ Damascus.* Quapropter quod Cleopatra de Syra metreta cõfirmat, minimè fidem adstruit, vt illa credatur esse Hebraici bati mensura: nisi probetur mensuram illam conuenire cum iis quæ de Hebraico bato tradunt grauiores auctores, qui batum ipsum proprio nomine compellant, deque eius capacitate agunt.

D. Si autem Stanislaus & Villalpandus respondeant, ipsorum fundamentum esse quòd ex Scriptura constet duo millia batos idem esse quod 3. millia metretas Græcas; & quod ex Fannio liqueat metretam græcam continere vncias 1440. ad hæc dico, euidens esse (vt probaui propos. 13.) illos bis mille batos non esse ex maioribus, sed decimas maiorum batorum partes. aut paulò plusquàm decimas. Ex quo infertur metretæ nomen non posse pro Græca amphora vsurpari, cùm Mari æneo tribuuntur tria millia metretarum. Nec est cur hoc nouum aut insolitum appareat. Constat enim metretæ nomen dupliciter accipi solere, 1. pro Græca amphora (quæ fuit varia, vt suprà notauimus,) 2. quatenus significat idem quod hoc nomen mensura, & sic mensuræ cuilibet accommodatur. Quamobrem eo solùm niti, quod quidam bis mille bati conueniant cum 3. amphorarum millibus, quæ sint ex Atticis Fannij amphoris, & huiusmodi persuasione ductos, velle Cleopatræ locum corrigere; & in huiusmodi Maris æneo mensurâ, magnitudinem Hebraici cubiti fundare, hæc inquam)

quam) omnia ex fallaci persuasione sunt orta. Euidens namque est, ter mille Maris ænei metretas A
non esse Græcas amphoras, sed paruas mensuras, quæ se habent cum maioris bati mensurâ, sicut 5. cum 72. vt probatum est propositione 13:

E. Ex dictis deducitur, vt maiori bato vnciæ 2160. concedantur, non esse ad rem quod Stanislaus & Villalpandus afferunt, nimirum batum maiorem se habere cum minori, sicut 3. cum 2. & Iosephum l. 8. Antiquit. c. 2. dum agit de rebus à Salomone ad regem Tyri missis, dicere in singulis batis contineri sextarios 72. quod ipsi putant intelligi debere de 2. bato (qui habeat se cum primo vt 2. cum 3.) Iosephumque agere de Rom. sextariis, ex quibus 72. capiunt vncias 1440. ac proinde sicut 2. ad 3. ita 1440. ad 2160. hæc ille. Quæ tamen omnia falso nituntur fundamento. Existimant enim duo millia batorum Maris ænei esse ex maioribus, & metretarum tria millia esse ex batis secundis. Vtrunque tamen falsò, vt supra ostendimus. Quamobrem minimè probabile est, Ioseph. de batis secundis agere, sed de primis. Neque est aliquod fundamentum vt credamus, Iosephum loqui de Rom. sextariis, sed de hebraicis. Siquidem compertum est, sextarij nomen cunctis ferè nationibus fuisse commune, non tamen mensura erat Romanæ æqualis (vt docet Galenus lib. de Simplicibus) sed in aliis prouinciis siue regionibus continebat 15. vncias, in aliis plures, in aliis pauciores. Iam verò quot vncias Romans capiat Hebraicus sextarius, quamuis ibi Iosephus non exprimat, alij tamen auctores non minùs graues diserte exponunt, & Iosephus etiam ipse alibi lucem nobis B
præferet vt infrà constabit.

F. Sed faciamus gradum ad aliam sententiam quæ videtur esse Ioseph. lib. 15. Antiquit. c. 12. Licet enim ibi non loquatur explicatè de bato, agit tamen de coro, & constat batum esse decimam cori partem. Ait ergo inibi Iosephus vnum corum ex 10. medimnis Atticis componi, ex quo videtur colligi Hebraicum batum Attico medimno esse æqualem. Certum est autem medimnum Atticum duplicis amphoræ Romanæ esse capacem. Vnde iuxta hanc Iosephi mentem, batus capiet aquæ vncias 1920. Suprà tamen vidimus, aut hunc Iosephi locum esse corruptum, aut ipsius Iosephi tempestate receptum fuisse vt cori nomen duobus coris antiquis tribueretur. Nam vt posteà planum fiet, indubitatum est, Scripturæ eorum quinque tantum medimnos Atticos continere. Quam ad rem præsto etiam nobis erit ipsius Iosephi testimonium.

Batum esse æqualem amphoræ Romanæ.

G. Denique vt meam sententiam exponam, Batus & Ephi inter se sunt omnino æquales, & vtrumuis eorum eiusdem capacitatis cum amphora Romana, quæ præcisè capiebat aquæ vncias 900. Hanc sententiam tenet noster Mariana lib. de ponderibus & mensuris c. *16.* Atque eadem est expressa Epiphanij & Hieron. mens. Epiphanius enim affirmat corum esse idem quod triginta modij Rom. & tam nomen quàm mensuram modij Romanos fuisse ab Hebræis mutuatos. Quare exactè capit Ephi (& similiter batus) tres modios Romanos. Constat autem modium capere aquæ vncias 320. atque adeò tres modij capiunt vncias 960. quæ est capacitas amphoræ Romanæ. Idem expressè docet Hieron. Ezechielis 45. in commentario. Porrò nec Hieronymus, nec Epiphanius maioris alterius bati vnquam meminere. Nec verisimile est, ipsorum tempore capacitatem bati fuisse obliuione obrutam. C

H. Secundo, cum hac Epiphanij & Hieronymi sententia concordat traditio Misnaioth (quam refert Arias Montanus) tribuit enim bato capacitatem ouorum 432. ouorum (inquam) ex gallina. Et Mariana quidem refert, se periculum feciſse ouis gallinaceis, deprehendisseque nouem ouis contineri aquæ vncias iustas 20. Ac per regulam trium, si nouem oua capiunt 20. oua 432. capient vncias aquæ 960. Aduerto tamen ad eiusmodi experimentum debere eligi oua ex grandioribus quæ gallinæ pariunt. & fortasse vulgaria Palestinæ oua erant æqualis magnitudinis cum maiusculis nostræ regionis.

I. Tertiò huic nostræ sententiæ adstipulatur quoque Iosephus 8. Antiquit. c. 2. Ait enim batum capere sextarios 72, neque dubium quin de Hebraicis loquatur sextariis, (vt suprà dicebamus qui Hebraicè appellantur *logines:* & Misnaioth (vt refert Arias) expressè etiam bato tribuit logines *72.* & eorum singulis capacitatem sex ouorum. Si autem oua nouem ad summum continent aquæ vncias 20. sex oua præcisè capient vncias $13\frac{1}{3}$. vt rectè colligit Mariana. Atqui numerus $13\frac{1}{3}$. bis & septuagies repetitus complent vncias 960. Certè huiusmodi log mensura non est valde diuersa à cõmuni Græciæ sextario, qui erat vnciarum quindecim, vt suprà ostensum est. D

L. Quartò hæc eadem sententia expressa est in vulgata bibliorum versione. Nam Ezechielis 45. 11. legimus ephi & batum esse æqualia; Vulgatus autem Ruth 2. 17. dilucide affirmat, quæ mensura sit ephi: sic enim ait, *ephi mensuram, id est tres modios.* vbi nomen modii necesse est accipi, vt Latini accipiunt pro sexta medimni parte. siquidem vt declaretur quænam sit ephi mensura, adduntur illa verba, *id est tres modios.* Iam autem vidimus tres modios vni amphoræ Rom. esse æquales. Præterea Isaiæ 5. 10. legimus in Vulgata, *triginta modios,* vbi Hebraicè legitur *hhomer,* quod idem est atque corus. Et secundum hanc rationem tam ephi quàm bato tres obtingunt modij. Atque ibidem etiam posuit Vulgatus tres modios pro Hebræo nomine epha.

M. Quintò, ad hanc eandem sent. se conformant 70. interpretes Isaiæ 5. 10. Nam pro hhomer (id est, pro coro) vertunt illi *artabas sex.* Atqui vidimus suprà ex libello Cleopatræ, & ex Galeno, artabam Ægyptiam modij 5. Rom. fuisse æqualem. Ibidem etiam pro epha 70. interpretes legunt mensuras 6. id est, *6.* hines. Nam batus in sex hines diuiditur. & quamuis hin sit mensura liquidorum, alia tamen erat mensura aridorum eiusdem capacitatis. Atque ea mensura Celemino Hispana est æqualis, quæ sexta est semifanecæ pars.

N. Sextò ab hac sententia non discrepat ea mensura quam Iosephus lib. 3. capit. *12* & Hieron. Ezech. 45

A Ezech. 4. præscribunt Hebraico Hin. Asserunt quippe ei respondere duos χόας Atticos. Chus verò Atticus capit 90. aquæ vncias, vt suprà vidimus. Tametsi autem hin, quæ est sexta bati pars, tantùm capiat aquæ vncias 160. (quæ sexta pars est vnciarum 960,) differentia tamen inter 160. & 180. non est admodum magna: & propter vicinitatem accommodarunt se veteres ad nomen duplicis chus: quia chus Atticus est duodecima Græcæ amphoræ pars, hin verò est Hebraicæ amphoræ (id est, bati) non duodecima sed sexta. Discrimen autem inter Græcam amphoram communem & inter Hebraicam est satis paruum. Atque ita hin ferè duobus chois respondet.

O. Nec verò officit huic sententiæ quòd LXX. interpretes hin appellant chus. Nam nomẽ chus ad capaciores mensuras applicatur, vt maiori bato, quemadmodum diximus propos. 13. litera I. & similiter applicatur sextario magno quod est proprium Hebraici hin nomen, quia est sexta bati pars. Quare interdum pro hin vertit Hieronymus sextarium. Hin verò maius Epiphanij, fortasse est suæ patriæ, id est, Samariæ mensura. Cùm autem hin sancto nouem tribuit sextarios, fortassis agit de sextarijs 18. ferè vnciarum, de quibus & agitur in libello qui Galeno adscribitur.

P. Tandem optima huius sententiæ confirmatio est, quòd per eam concilientur 70. interpretes, Vulgatus, Epiphanius, Hieronymus, Iosephus & Misnaioth. Nec enim credibile erat eos omnes inter se esse contrarios: quemadmodum & in sicli pondere infrà constabit, Septuaginta, Iosephum, Philonem, & sanctum Hieronymum inter se consentire.

B

PROPOSITIO XV.

Bis mille bati Maris æneiꝰ continent aquæ vncias: ter mille bati (sine metretæ) Maris æneiꝰ capiunt etiam singuli vncias 66⅔.

PROBATIO.

A. CVm hactenus fuerit grauissimorum auctorum testimonio stabilitum, maiorem batum fuisse æqualem Rom. amphoræ, capienti aquę vncias 960. nec non maiorem batum se habere cum ea mensura quæ Maris æneo duo batorum millia tribuit veluti 48. cum 5. ex his euidenter sequitur singulos ex duobus batorum millibus Maris æneiꝰ capere centum vncias. Nam sicut 48. ad 5. ita 960. ad 100. Pari etiam ratione, cùm statuerimus ter mille batos (quos noster interpres metretas nuncupauit) se habere cum batis maioribus sicut 5. cum 72. inde deducitur eorum singulis inesse aquæ vncias 66⅔. Nam sicut 72. ad 5. ita 960. ad 66⅔. C

B. Nec verò sit cur aliquis tanquam nouum & peregrinum reiiciat, quòd nomen bati mensuris adeò paruis tribuatur. Siquidem constat, aliquando 70. pro bato substituisse chœnicem, & aliquando cotylam. (Vide Apocal. c. 6. notat. 7. de verâ mensurâ chœnicis) quod argumento est. Hebraicè in bati nomine contingere quod Græcè in nomine metretæ, quod interdum accipitur pro amphora græca, & interdum in generali mensuræ significatione, qua ratione accommodatur cuilibet peculiari mensuræ. Cuius ratio est quòd nome *bath* in Hebræo eandem habet fortasse vim, qua Græcè metreta & Latinè mensura. Ex dictis autem constat nihil esse quod Mariana aut Villalpandus irrideant quòd nomen bati communicetur decimæ parti maioris bati. Certè bis mille bati Maris æneiꝰ paululum maiores erant quàm decimæ maiorum batorum: & ter mille bati paulò maiores quàm quinta decima bati maioris pars. *Metreta & batus varie accipiuntur.*

C. Porrò infrà videbimus duo batorum millia Maris æneiꝰ fuisse sextarios eius cylindri, cuius altitudo & latitudo esset vnius cubiti maioris Hebraici: aut duodecimas partes eius cylindri qui ad eandem firmam ex cubito maiori fieret. Tria autem millia batorum Maris æneiꝰ erant veluti sextarij sphæræ cubiti minoris. Quod verò sacer scriptor libri Paralipomenon mensuram vsurpauerit diuersam ab ea quæ posita fuit, atque adeò vsitata in batis hemisphærij, quando liber tertius Reg. fuit scriptus; forsan id accidit, quia illa alia mensura, communior iam erat seu magis vsitata quando liber ille paralipomenon scriptus fuit. *Maris æneiꝰ capacitas non est tam ac nonnulla putant.* D

D. Ex his quæ diximus infertur, Mare æneum iuxta nostram computandi rationem tantùm capere vncias aquæ 200∪. quæ complent Romanas amphoras 208⅓. ex nostris verò cantaris plusquã 390. Quòd si quispiam dicat sibi eiusmodi quantitatem ad Maris nomen exiguam valdè videri: Respondeo, hebraicum Maris nomen sese extendere ad quamlibet plurimæ aquæ congeriem: veluti ad ingentem paludem, deinde per analogiam facilè cernitur, ad vnicum vas magnam satis aquarum capedinem esse, quæ cantaras 390. contineat. Præsertim, quia hemisphærij forma illud aspectui grandius & capacius reddebat, eo quòd valde patulum esset. Pro cuius confirmatione adducito, hoc vas duodecim bobus æneis fulciri, quilicet ærei essent, nihilominùs non adeò dissentanea debebat esse proportio, vt singulis bobus mille aquæ cantaræ responderent. Et in mea quidem computatione cuilibet boui respondẽt plusquam 32. cantaræ, præter ipsius vasis æneiꝰ pondus quod grauissimum erat. Notum verò est architectis optimã symmeteriam & proportionem exigere, vt in vasis & ædificij non solùm firmitas insit, verùm etiam vt aspectui appareat fundamentum, quo tanta moles solidatur, minimè esse debile & infirmum.

E. Villalpandus noster (vt suprà notauimus) voluit in Mari æneo contineri Romanas amphoras 400500. quibus per additamentum vncias aquæ adiecit plures quàm 205∪000, qua ratione singulis

singulis bobus obtingunt amphoræ Rom. 392. & eò ampliùs, & sola adiectio quam ille per incudiâ addidit capacitati quam proposuerat sibi, maior est capacitate illâ quam ipse toti Mari æneo tribuo. A

PROPOSITIO XVI.

Cubitus quo sacra Scriptura metitur Mare æneum & Luteres, est diameter sphæræ vnciarum aquæ 400. Ex quo infertur ea vasa in Scriptura non mensurari maiori cubito Hebraico, sed minori.

EXPLICATIO ATQVE PROBATIO.

PRopositione 13. demonstratum est, 64. cylindros vnius cubiti, esse capaces 40. batorum ex maioribus. Hoc supposito necessarium est, cylindrum vnius cubiti capere omnino $\frac{5}{8}$. vnius bati. Nam 40. sunt $\frac{5}{8}$. respectu numeri 64. Quare cùm propositione 14. probatum sit in maiori bato contineri aquæ vncias 960. hinc sequitur euidenter, cylindrum vnius cubiti capacem esse vnciarum aquæ 600. quia sicut 5. ad 8. ita 600. ad 960. Quinta ergo pars numeri 600. (quod idem est atque quinta pars cylindri vnius cubiti.) est octaua pars bati: ac proinde Romanæ amphoræ, cuius octaua pars est congius, capiens aquæ vncias 120. & hæc est pars quinta numeri 600. B

B. Vbi autem statuamus, cylindrum vnius cubiti capere aquæ vncias 600. hinc per Archimedis demonstrationem patet, sphæram vnius cubiti capere iustè vncias 400. atque adeò Hebraicum cubitum, (quo Mare æneum & luteres mensurantur,) esse diametrum sphæræ capientis vncias aquæ 400. Porrò eadem mensura est tertia pars Hispanicæ vlnæ seu virgæ mensoriæ, vt vidimus propos. 6. Nec mirum est eam mensuram quam Architecti pedem appellant, vocari in sacra Scriptura cubitum. Nam (vt probatum est propos. 9.) cubitus in Scriptura non capitur pro 4. staturæ parte, sed pro sexta.

Duæ cubiti mensuræ in populo Israel.

C. Cetcrùm aduertendum est, duas fuisse in Israëlitico populo cubiti mensuras: minoris aliam, aliam maioris. Et quamuis templi ædificium dimetiatur Scriptura maiori cubito (vt constat Ezechielis 48. 13. & 2. Paralip. 3. 3.) veruntamen Mare æneum & luteres, certum, meo iudicio, est, ab Scriptura per minorem cubitum mensurari. Nam cubitus quo mensurantur Mare æneum & luteres, est diameter sphæræ vnciarum aquæ 400. quod idem est atque Hispanicæ virgæ mensoriæ pars tertia: quam constat esse partē sextam staturæ Hispanicæ, eius videlicet staturæ quæ planè mediocris est. Quapropter cùm maior cubitus excedat communem cubiti mensurā nonnihil ampliùs 4. parte: necesse est, maiorē Scripturæ cubitum (qui est 6. pars staturæ antiquæ) esse multo maiorem Hispanici pedis magnitudine. Vnde infertur tam luteres quàm Mare æneum non mensurari in Scriptura per maiorem cubitum, sed per minorem. Atque adeò falso Villalpandum existimasse, Maris ænei cubitos esse eiusdem mensuræ cum iis quibus ædificium templi mensuratur. C

D. Obiiciat tamen aliquis, nouitatem & insolentiam maximè redolere quod dicimus, Mare (scilicet) æneum & Luteres non mensurari eadem cubitorum mensura, qua templi ædificium Scriptura dimetitur, sed alio minori cubito. Respondeo id nouum & peregrinum videri illis qui Mathematica disciplina imbuti non sint, nec computationis rationem inierint. Verùm si euidens est ratio ac computatio quàm suprà exposui, nihil est cur paradoxum mihi esse obiiciatur. Si autem in eo solùm hæreat aliquis, quòd durum videatur, nomen cubiti ambiguè in Scriptura accipi, dum tam ædificium quàm Mare æneum & Luteres cubitus metitur. Respondeo, similem amphibologiam maiori adhuc inæqualitate necessariò in bati nomine esse admittendam. Nam (vt suprà ostendimus) certum est batos Maris ænei esse paulò plus quàm decimas eorum batorum quibus constant Luteres. Atqui sacer scriptor (vt ibi notauimus) dictionem obscurare minimè voluit, sed nobis proponere batorum discrimen, & iis loqui verbis, quibus in vulgari illius discriminis loquutione homines frequenter vtebantur. Dico igitur similiter sacrum scriptorem in cubito minimè voluisse obscurè loqui, sed ea phrasi fuisse vsum quæ vulgò in cubitorum ratione vsurpabatur. Etenim in ædificiis nomen cubiti sumebatur pro cubito antiquo, in aliis verò rebus, vt in liquidorum mensuris, cubiti nomen ad minoris significationem restringebatur. Id quod ipse non ex meo cerebro fingo; sed elicio ex illa ipsa capacitate quam S. Scriptura tribuit Luteribus & Mari æneo. D

E. Præter hæc, meo quidem iudicio, sacer scriptor satis innuit hac vtriusque cubiti differentiam. Nam in Mari æneo & in Luteribus expressit numerum cubitorum quibus ipsorum Luterum & Maris tum altitudo tum latitudo constabat; nec verò dixit se de maioribus cubitis loqui. In ædificio autem neutiquam contentus nomen cubitorum apposuisse, addidit se de primæ mensuræ cubitis agere, atque adeò dimetiri calamo sex cubitorum maiorum, quorum singuli minoribus sunt vno palmo longiores. Hoc igitur quod textus in ædificio exprimit, absque fundamento extenditur ad Maris æuei & Luterum mensuram. Etenim ideo in ædificio explicatè apponitur, quia inibi diuersa erat cubiti mensura. Legantur (obsecro) quæ diximus propositione 12. circa diuersam batorum mensuram Maris ænei atque Luterum. Omnia enim illa exempla hic possunt vsui esse. Atque in mensurarum locutione possunt alia sexcenta exempla à communi consuetudine petita adduci, quæ omnē protsus difficultatem expediant.

F. Cetcrùm satis erat certa ratio qua constat cylindro sexaginta quatuor vnius cubiti, capere præcisè 40. batos ex maioribus, vt inde inferamus, cubitos illos ex maioribus esse non posse. Cuilibet enim

Digitized by Google

A bet enim cylindro obtingunt quinque octauæ partes vnius bati. Cùm autem batus sit amphoræ Hebraica, poscebat apta ratio, vt quemadmodum Romanus pes aptam habet cum Rom. amphora conuenientiam, ita similiter Hebraicæ amphoræ cubitus responderet antiquus in communi lebetis figura quæ vsui est accommodata ad liquidorum mensuras, & inter Hebræos vsitata erat. Nec verisimile est, secundùm primam institutionem decretum fuisse vt cubitus primæ mensuræ non responderet integro bato, sed quinque octauis illius.

G. Notandum ergo est, maiorem cubitum (vt vidimus propositione 10.) fuisse antiquum. Porrò minoris cubiti mensuram fuisse inuentam, vt solida ex ipso essent subdupla respectu solidorum cubiti maioris. Quamobrem cùm cylindrus (cuius altitudo & latitudo sint vnius cubiti ex minoribus) contineat aquæ vncias sexcentas, cylindrus vnius cubiti maioris continebit vncias 1200. Si autem huiusmodi cylindro quinta altitudinis pars detrahatur, remanet congrua lebetis figura: nam lebetes commodiores sunt, qui paulò minùs sunt profundi quàm lati. Hæc igitur videtur fuisse 1. institutio: videlicet vt bati Hebraici mensura esset cylindrus, cuius latitudo constaret integro cubito Hebraico antiquo, altitudo verò cubito non integro, sed dempta quinta illius parte. Sic enim capit omnino vncias aquæ 960. Nam si ex 1200. subtrahimus quintam partem, remanent 960.

Veruntamen quamuis prima bati institutio ad cubiti antiqui normam facta fuerit, nihilominùs
B cùm ad communem mensurarum vsum in liquidis, & ad plures alias res, minor posteà cubitus in vulgarem consuetudinem paularim irrepserit; hinc fuit cubiti nomen in liquidorum mensuris pro minori cubito vsurpari, quamuis in ædificiis, maioris cubiti vsus perstiterit, & fortasse mansit etiam in stadiis, milliaribus ac leucis. Sed de hoc alias.

COROLLARIVM 1. PROPOSIT. XVI.

Hebraicus cubitus minor erat eadem mensura cum parte tertia Hispanæ vlnæ seu virgæ mensoriæ, quæ longa est digitos Romanos $14\frac{1}{3}$. *& maior cubitus Hebraicus patebat in longitudinem Romanis digitis* $18\frac{1}{3}$. *& inter hæc duo extrema medij interiacent tum Romanus pes constans digitis Romanis 16. tum pes Græcus continens digitos Romanos* $16\frac{1}{3}$.

EXPLICATIO.

C

A. CVm probatum sit hactenus, Hebraicum cubitū minorem esse diametrū sphæræ vncias 400. capientis, & maioré cubitum esse diametrum sphæræ habentis vncias 800. eo ipso probatū remanet, minorem cubitum eiusdem esse magnitudinis cum nostra tertia Hispanæ virgæ parte: & cubitum maiorem constare digitis Romanis $18\frac{1}{3}$. Ita enim opus est vt minor cubitus sit sphæræ capientis aquæ vncias quadringẽtas, & maior itẽ sphæræ capientis octingentas, vt ostensum est prop. 6. Cùm autem Hebraica vox *amah* quæ respondet cubito, non significet 4. staturæ partem, sed sextam, (vt stabilitum est propositione 9.) mirificè cohæret, minorem cubitum esse 6. Hispanicæ staturæ partem, & à cubito maiori Hebraico non superari Græcum pedem, nisi duobus tantùm digitis Romanis. Namque si certum est, Hebræis duplicem in mensurarum vsu fuisse staturam, vtramque inter se adeò diuersam, vt maior quarta parte minorem excederet: facilè hinc apparet, vt nec maior cubitus, nec minor (sumpti vterque pro sextis staturarum partibus) valde discrepent à mensura quæ reperitur in hominibus in illo brachij esse quod cubitus appellatur, ad hoc (inquam) congruens esse, vt intelligamus inter hosce duos cubitos Hebraicos, interiectos esse Romanum pedem & Græcum: ita vt maior cubitus Hebraicus fuerit Græco pede longior, ac minor cubitus Hebraicus fuerit Romano pede breuior. Nam Romanus pes & Græcus respectu frequentioris staturæ humanæ, nec
D curti sunt, nec admodum longi. Atque ita verisimile est, eos esse interiectos inter cubitum maiorem & minorem Hebraicos. Cùm verò pes Græcus sit maior Romano, & Hebraicus cubitus maior verisimiliter existimetur fuisse sexta pars staturæ Adami aut Noei & primorum illorum hominum (qui grandiores nobis fuerunt) quid verisimilius, quàm id quod nobis prædicta computatio & ratiocinatio persuadet? iuxta quam Hebraicus cubitus maior Græcum pedem excedit eâdem fere quantitate, quâ pes Græcus superat Hispanum; qui Hebraico cubito minori æqualis est. Etenim cubitus maior Hebraicus superat Græcum pedem digitis duobus Romanis: Et tantundem ferme Græcus Hispanum pes excedit.

Hebraicus cubitus minor est eadē mensura cum pede Hispano.

B. Deinde Hebraicus cubitus minor (quod verisimile valde esse, quisq. per se facile cernet) erat sexta pars communis Israëlitarum mensuræ. Ex Scriptura autem liquet Israëlitas procera corporis statura non fuisse: siquidem cum Philistæis comparati se ipsi locustas compellarunt. Numerorum 13. 34. Quid ergo congruentius quàm paruo cubito Hebraico (id est, sextæ vulgaris Israëlitarum staturæ parti) eandem tribuere mensuram quam habet pes Hispanus? sextam videlicet Hispanicæ staturæ communis partem, quæ nec breuior est, nec longior.

C. Præterea, Hispani pedis mensuram constat esse mensuram antiquissimam qua vtebantur Hispani. Etenim antiquorum Romanorum tempore eadem erat Hispanis in vsu mensura quæ nunc est, vt eruditi obseruarunt, atque probarunt auctores ex Romanorum ædificiorum reliquiis, quæ etiam nunc in Hispania visuntur. Vnde constat Hispanici pedis mensuram esse in Hispania

Digitized by Google

antiquiorem quàm Romanorum in eadem imperium. Siquidem ista ipsa mensura erat ea quâ tunc Hispani vtebantur, nec à Romanis huc allata, cùm ab eorum mensura diuersa sit. Magna igitur est profectò dubio Hispanici pedis antiquitas, & verò siue eius mensura sit in Hispaniam à Carthaginensibus inducta, siue ab Hebræis, qui apud Hispanos mercaturam exercuerunt, siue ab aliquo ex Noei nepotibus: huius certè pedis vetustas & constans vsus qui ipsum in Hispania semper retinuit (vt & antiquam vnciam) argumento est, ipsius originem à vetere cubito Hebraico duci, & nihil do recentius quàm vt sit subduplus ad illum in potentia solida. Id quod ita esse oportebat (iuxta ea quæ superiùs probata sunt) vt Hebraicus cubitus minor & pes Hispanicus sint eiusdem omnino mensuræ.

Hebraicus cubitus maior est statu magnus.

D. Ad hæc si Hebraico cubito maiori Romanos digitos 18. ½. tribuamus (vt reapse tribuimus) constabit antiqua statura Romanis pedibus septem: quæ procera satis corporis magnitudo est, ac fere gigantæa: & Hispanos pedes habebit in lõgitudinem septem & semis, ac proinde Hispanam staturam semiulna Hispanica superabit. Et mihi quidem credibile satis sit, sex cubitos maiores Hebraicos fuisse Adami vel Noei staturam. Nam 2. Paralip. 3. 3. cubitus maior vocatur primæ mensuræ cubitus; & calamus cubitorum sex maiorum nominatur in Apocalypsi *mensura hominis*, quod idem esse potest ac mensura Adami. & primos illos homines certum est magna corporis proceritate fuisse, quandoquidem statura primæ mensuræ excedit staturam posteriorem sesquicubito.

E. At enim (dicet quispiam) non rectè consideratur primorum hominum statura communis fuisse tanto maior illa qua hodie homines constant: hinc enim sequeretur humanam staturam perpetua diminutione ac detrimento assiduo ad minorem & minorem quantitatem semper tendere; ex quo illud consectarium; nimirum si mundus per alia quatuor aut quinque annorum millia duraret, hominum tandem staturam pumilionum fore, quod nequiquam dicendum est. Maior ergo cubitus Hebraicus non erat ea quam diximus mensura, aut saltem non erat sexta pars staturæ Adami aut priorum hominum. Respondetur, Eandem auctoritatem qua permoti credimus, ante diluuium homines tot sæcula vixisse, eandem nobis nunc adesse, vt pro certo habeamus antiquæ staturæ mensuram fuisse in quarta parte superiorem posteriori mensuræ, vt suprà expendimus. Quod verò opponitur, quòd scilicet, si mundus multa alia duraret sæcula, homines perexigui forent, ad hoc (inquàm) præter aliorum solutiones, notum est Mathematicis, si diminutio ac decrementum per partes (quod aiunt) proportionales fiat, esse quidem diminutionem initio notabilem valde, postea tamen per particulas adeò exiguas fieri, vt vix aut ne vix quidem percipi sensu possit, quantumuis aliquot annorum millia deinceps decurrantur. Quod si ex peculiari aliquo tempore faciendus erat descensus siue imminutio per partes proportionales ab statura summa ad infimam, infimaque contineret (v.g.) Hispanicæ aut Gallicæ staturæ mensuram, summa autem magnitudo constitisset quondam octo pedibus Romanis: tunc sanè per proportionales partes posset ex pedibus sex Romanis ad sex pedes Hispanos ita paulatim fieri contractio ac decrementum, vt nunquam talis diminutio prædictos sex pedes posset versus minimam quantitatem transilire. Quod Mathematicæ disciplinæ vel mediocriter erudito euidens est. Si vero non probatur, vt re vera minimè probatur, eiusmodi diminutionem in proportionalibus partibus fieri non posse, argumentum hoc nullius roboris aut momenti est.

Ex cubiti diminutione nõ sequi futuros aliquando homines pumiliones.

COROLLARIVM 2. PROPOSIT. XVI.

Confutatio nimiæ longitudinis quam aliqui tribuunt cubito maiori Hebraico.

Argumenta contra nimiam cubiti longitudinem.

PRæcipua impugnatio mensuræ quam Villalpandus cubito sacro præscribit, petenda est ex certitudine earum propositionum quas hactenus probauimus. Villalpandus enim dat cubito sacro Romanos palmos fere 10½. Si autem certum est cubitum Hebraicum non esse quartam antiquæ staturæ partem, sed sextam; sex cubiti in Villalpandi mensura efficiunt ferme Romanos palmos 63. id est, pedes Rom. ferè 16. quæ est humanæ staturæ magnitudo longè superans omnem credibilitatem. Præterea si Luteres erant cylindri quatuor cubitos lati & totidem alti, & cubitus vnusquisque constaret Romanis digitis pænè 42. singuli Luteres caperent fere mille amphoras Romanas, quod esset singulis batis tribuere Romanas amphoras 25. id quod maius multo est quàm credi possit. Si autem Luteres minori cubito mensurentur, adhuc batus vnus capacitatem duodecim amphorarum Romanarum superaret.

B. Enim verò ad maiorem nostræ mensuræ confirmationem libuit nonnulla alia argumenta hic subiicere, ex quibus conuincatur, cubiti Hebraici mensuram à nostro Villalpando assignatam longiorem esse quàm ratio permittit. Et in primis lectus ferreus Og regis Basan secundùm Villalpandi dimensionem haberet Romanos pedes 32. habebat enim in longitudinem nouem cubitos (Deuteron. 3. 11.) In nostra verò sententia ij sunt pedes Romani 10½. ex Hispanica autem mensurâ fere 11½.

C. Secundò, si templi Salomonici contignatio crassitudinis erat decem cubitorum, vt Villalpandus describit, hi decem cubiti in ipsius dimensione continent pedes Hispanicos 28. Atque hanc totam crassitudinem considerat Villalpandus ex solida materia, absque vllo interiecto vacuo, quod magnam dispendij partem atque ponderis eleuaret, & multis aliis rebus vsui esse posset.

D. Tertiò,

Digitized by Google

A D. Tertiò, si Hebraici cubiti adeò ingentes considerantur, summæ aliquot præ sua magnitudine incredibiles omnino euadent. huiusmodi sunt templi Hebraici fores 55. cubitos altæ. ex Iosepho 6. de bello cap. 6. Quæ iuxta Villalpandi mensuram continerent Hispanicos pedes plus 150. cùm tamen totæ essent ex auro. forent etiam fide & opinione omnino maiores portæ illæ quas paulò inferiùs describit Iosephus 40. cubitorum in altitudinem, quæ ex Hispanicis pedibus plusquam centum explerent. Iam lapides fundamentorum ait Iosephus eodem capite habuisse in longitudinem 40. cubitos vel etiam 45. qui ex nostris pedibus essent plusquam 120. Item exedrarum columnas affirmat ibidem Iosephus fuisse crassitudine 12. cubitorum, qui pedes Hispanos adæquarent tres & triginta.

E. Quartò, contendit Villalpandus 400. cubitos maiores Hebraicos vocari à Iosepho stadium, quia Græci stadium vocant Græcos cubitos quadringentos. Aduerte igitur ex 400. cubitis maioribus Hebraicis in sua opinione confici plus mille pedes Græcos. Si ergo ita res habet, quînam credibile est à Iosepho Græcè scribente appellari stadium interuallum quod plus mille pedibus Græcis constabat? Si Romani vt cum Græcis consentirent, stadium nuncupabant pedes Romanos 625. (vt Plinius confirmat) quia scilicet hi pedes Romani eandem reddunt longitudinem quam pedes Græci sexcenti: quis eam sibi possit mentem inducere; vt cùm Iosephus græcè conscribat
B historiam, cumque ipse cupiat (vt in prologo testatur) à Græcis intelligi, stadium nihilominus appellet id interuallum quod amplius mille pedibus Græcis constat? An verò intendebat ipse sui templi atque vrbis amplitudinem cælare Græcos, & non potiùs amplificare, & miris præconiis extollere?

F. Deinde si (vt propositione nona probatum est) Iosephus stadio tribuit 600. Hebraicos cubitos, ac cubitus maior Hebraicus continet fere 42. Romanos (vt contendit Villalpandus) illud certè Iosephi stadium tria ferme Græcorum stadia exæquaret. Et quantumuis asseramus sexcentos illos cubitos Iosephi, esse ex minoribus, si Villalpando habenda est fides, idem spatium complent quod 500. ex maioribus, qui in ipsius opinione æquales sunt Græcis pedibus 1258. atque adeò plusquam duo Græcorum stadia. Singula enim constabant pedibus Græcis 1200. Quis ergo non videat probabile neutiquam esse, Iosephum cùm Græcè scribat, stadiis nomen ei tribuere interuallo quod à Græcis duo stadia appellaretur? Quasi verò Iosephi mens foret, Ieroſolymæ ac templi Hebraici magnitudinem, & existimationem de ipsis conceptam imminuere. Dubium profecto non est, quin si quod fuit Iosepho peculiare studium ac propensio, eo potiùs incubuit vt res patrias exaggeraret. Lege prologum ipsius in libros de bello Iudaico. Vbi manifestè prodit hanc amplificandi voluntatem: & ibi etiam ait, se illam historiam literarum monumentis mandare quò Græci
C ac Romani veritatem assequi possent. Ad hoc ergo perspicuum est non fuisse appellandum ab ipso vnicum stadium quod à Græcis ac Romanis duo stadia & eo amplius appellaretur. Quamuis enim in antiquo vsu stadium esset mille pedum, vt notat Villalpandus. constat tamen Iosephum de his antiquorum stadiis non loqui, vt fatetur etiam Villalpandus ipse.

G. Quintò, quindecim altitudinis cubitos partitur Iosephus in gradus scalarum vnde viginti. 6. de bello cap. 6. Ex quibus si vera est Villalpandi mensura, singulis gradibus bini pedes Romani, & eo amplius obtingunt in altitudinem. Quod quàm sit dissonum & ab omni scalarum proportione abhorrens, nemo non viderit. Et quidem gradus ipsi non sunt plures quàm 19. Nec altitudo minor est quindecim cubitis Hebraicis. Nam (vt ait Iosephus) *Licet parietis templi altitudo fuerit 40. cubitorum, tamen gradibus celsitudo tegebatur, atque ita interior celsitudo 25. cubitorum erat, quoniam in altiori loco per gradus edificata, non tota pars interior cernebatur.* Itaque gradus ipsi quindecim cubitos altitudinis occupabant. Gradus autem plures non sunt quàm 19. Ex quibus alibi erant quatuordecim, & alibi quinque, vt videre est in Iosepho, eodem capite.

H. Sextò, si præstituamus quod inficiari non potest Villalpandus, Ezechielem in descriptione terræ quam diuidit tribubus duodecim, sese accommodare ad longitudinem & latitudinem terræ illius quam filij Israel quondam incoluere: si hoc (inquam) supponamus, validissimè inde impu-
D gnatur mensura illa quam Villalpandus calamo Ezechielis adscribit. Etenim Israelis tellus ac regio quam Ezechiel considerat, tota inter Iordanem fluuium & mare Mediterraneum interiacet. Liquet hoc ex ipso textu cap. 47. 18. *Plaga orientalis Iordanis disterminans.* Hebraicè, *Inter Galaad, & inter terram Israel Iordanis à termino super mare Orientale*, id est, super mare mortuum. Hoc igitur suppositò aduerte, in terræ illius latitudine (nempe à Iordane fluuio vsque ad mare Mediterraneum) contineri calamos 25U. in latitudinem, & multum adhuc terræ superaturum. Vide cap. 48. 8. *A plaga orientali vsque ad plagam maris, viginti quinque millia latitudinis sicut singula partes à plaga orientali vsque ad plagam maris*, & præter hos 25U. calamos, supereſt adhuc multum terræ ab Oriente & Occidente. Nam 25U calamorum in latitudinem consignantur primitiis (hoc est sacerdotibus, Leuitis & ciuitati sanctæ) quod autem reliquum est ex 25U. calamorum in principis possessionem & hæreditatem adscribitur. Atqui soli calami 25U. (secundum Villalpandum in vltimâ tabulâ tom. 3.) complent Romana milliaria fere 82. Nam calami quinquagies mille sunt (in illâ tabulâ) Romani pedes 8. 8U980. cuius numeri dimidiata pars est 409.U490. qui faciunt Romana milliaria fere 82. & quâuis ad principis possessionem residua sint non ampliùs quam milliaria 18. constabit latitudo terræ promissionis à Iordane vsque ad mare Mediterraneum centum milliaribus Romanis. Id autem est manifestè falsum, vt planum fit ex iis quæ scribit Hieronymus epistola 129. *Pudet dicere* (ait) à Ioppe vsque ad Bethleem quadraginta sex milliaria sunt. Et notat Arias Montanus longitudinem terræ Israeliticæ fuisse triplo maiorem latitudine, longitudo autem erat milliarium 160. Vt Hieronymus

Digitized by Google

& Arias obseruarunt. Et quidem licet longitudini demus 200. milliaria, nihilominus latitudini non remanebunt septuaginta. A

I. Longitudo insuper quam Ezechiel vniuersæ illi regioni à Meridie vsque ad Septentrionem tribuere videtur, continet calamos 145U. Primitiis enim dat calamos 25U. ac singulis deinde tribubus calamos 10U. omnesque duodecim tribus successiuo ordine disponit. Quare longitudo quam considerat Ezechiel, est calamorum 154U. qui, si computatio Villalpandi vera esset, efficerent plusquàm 464. milliaria. Hæc autem longitudo minime congruit cum iis quæ sanctus Hieronymus, Plinius & alij (qui de illius regionis longitudine agunt) literis prodidere. Nullus enim plusquàm 200. milliaria longitudini terræ illius præscribit. Ex quo euidens est, longitudinem cubiti vnius assignari à Villalpando duplo maiorem quàm fuerat assignanda, & eo amplius.

L. Sed dicat aliquis, in nostra etiam mensurandi ratione calamos 145U. maiorem esse longitudinem quàm par erat. hi enim reddunt milliaria Romana 217. Terra autem illa non erat adeò longa. Respondeo; quamuis si considerentur terræ Israëliticæ termini à Dan vsque ad Bersabee, non adeò longa esse atque extenta videatur; Ezechiel tamen iure potuit terminos vtrinque protendere. Suo autem loco videbimus rationem & computationem rectè congruere, & parum esse discriminis inter Ezechielis mensuram, & eam quam tradunt qui de illius terræ longitudine scripsere. Atque ea de re nonnihil diximus ad caput 14. Apocalypseos, in fine. B

M. Præterea, altare holocausti quod erat in templo, 20. cubitis Hebraicis in longitudinem patebat: hæc autem mensura in Villalpandi computatione maior multo est quàm altaris proportio & conuenientia patiuntur. Nam vt illa computatio fert, viginti cubiti sacri faciunt Hispanos pedes 56. & eo ampliùs, cubiti autem duodecim quibus altaris altitudo constabat, complent Hispanos pedes 34. quæ sanè altaris moles & machina omnem superant iusti altaris proportionem.

N. Altare item holocausti quod fecit Moyses, Exodi 27.1. continet quinque cubitos in quadrum, & in altitudinem tres: cubiti autem quinque iuxta eam mensuram respondent Hispanicis pedibus 14. ac tres cubiti pedibus ampliùs octo. Quis igitur non videat hanc altaris magnitudinem esse nimium grandem, si animaduertat illud fuisse altare portatile quod humeris hominum asportabatur.

O. Præterea ex nimia cubiti sacri longitudine redundat, ephi etiam mensuram esse omni proportione maiorem. Et quamuis Villalpandus tertiam ei detraxerit partem ex quantitate & mensura quam illi tribuere optabat; nihilominus cùm singuli panes propositionis facti fuerint ex duabus decimis ephi; 12. panes continent integram frumenti fanecam & semis secundùm Villalpandum l. 3. de mensuris c. 12. Atque adeò singuli panes ex nostris mensuris continebant sesquiceleminem. Quæ magnitudo in pane nimia est, nec patietur tanta moles panem bene decoqui. Nam ex frumenti sesquicelemine fieri possunt viginti panes singuli vnciarum sexdecim. Adde quod Dauid (qui absque vllo comite accessit ad Achimelech sacerdotem 1. Reg. 21. 1.) dati fuere panes propositionis, quòd si omnes duodecim, non minus sesquifaneca oneratus est iuxta Villalpandum, sed de panibus propositionis, vide Scholion in fine huius corollarij. C

P. Præterea Esther 5. 14. & cap. 7. 9. fit mentio patibuli nonaginta cubitos alti, qui ex Villalpandi mensura sunt plures quàm 250. pedes Hispanici. Vnde ergò adeò longæ trabes aduehi potuerunt ad tantam patibuli altitudinem?

Q. Ad hæc tabulæ tabernaculi (de quibus Exodi 26. & cap. 36. 21.) fuerunt singulæ decem cubitos longæ, latæ verò cubitum vnum & semis. Atque adeò secundum Villalpandi mensuram, latitudo vnius tabulæ æquabat Hispanicos pedes 4. ¾. cuiusmodi latitudo ægrè admodum reperitur ad mensam aliquam. in tot verò tabulis, iisque adeò longis nulla ratione verisimilis est.

R. Denique latitudo murorum Ecbatanis erat cubitorum 70. quæ mensura in opinione Villalpandi æquat Romanos pedes 180. Hispanos verò 195. Quis credat?

Scholion de panibus propositionis. D

Panes propositionis singulos nò pependisse pluſquam 24. vncias.

EX Leuitici 24.5. constat singulos panes ex duobus assarionibus fieri solitos, hæc enim est Hebraica vox, cui respondent in Vulgata nomen decimæ. Et Villalpandus quidem censet decimam partem Ephi (quæ Ghomor peculiari nomine appellatur) esse mensuram quam eo loco designat assarionis nomen, duplicem Ghomorem æquat sesquimodio nostro, quod suprà est impugnatum. Sed fortasse decimæ nomen (id enim sonat Hebræa vox assarion) ad decimam Ghomoris contrahi potest: & cum Ghomor in nostra opinione capiat vncias aquæ 96. duæ eius decimæ capient vncias 19⅕. Ex tritico autem Palæstino (quod Villalpandus tradit esse aquæ in pondere æquale) ex ea mensura fieri potest panis qui 24. vncias pendeat, quoniam vt auctor est Plinius lib. 18. cap. 7. *lex certa naturæ vt cuicumque pani militari tertia portio ad grani pondus accedat*. Sed obijcies Iosephum 3. Antiquit. cap. 9. singulis assarionibus aut saltem binis septem cotylas Atticas tribuere, quæ capiunt vncias saltem 51⅓. Respondeo vitiatum esse locum. Nec enim cum vlla computatione consonat: & multo minus cum Villalpandi mensura. Præterquàm quod panis non mensuratur cotylis.

COROL:

Digitized by Google

A

COROLLARIVM 3. PROPOSIT. XVI.

Villalpandus non parum excedit suprà in quod intendebat in cubiti sacri mensura.

IN cubiti sacri mensura necesse est magnum esse discrimen inter Villalpandi sententiam atque meã. ipse enim eo nitor fundamento quòd cubitus maior Hebraicus sit diametet sphæræ capientis aquæ vncias 800. Villalpandus autem contendit cubitum maiorem Hebraicum esse diametrum sphæræ quæ capiat Romanas amphoras nouem, id est, aquæ vncias 8640. Ceterùm ad hoc ipsum quod volebat consequendum, nonnihil excedit, in eo quòd cubito sacro tribuit Romanos digitos ferè 41. $\frac{11}{17}$. Euidenti enim demonstratione probatur, sphæram quæ eum habeat diametrum non solùm capere illas 9. amphoras Romanas quibus capiendis essingebatur, sed insuper etiam vncias 405 $\frac{1}{13}\frac{1}{17}$ hoc est, sextarios Romanos plusquam 20$\frac{1}{2}$. Computatio autem huiusmodi est. Cubus cuius latus habeat Romanos digitos 41. $\frac{11}{17}$. capit Romanas amphoras 18. vt à Villalpando demonstratur. *Proportio sphæra ad cubum quæ sit.*

B Deinde ex Archimedis demonstratione, (quam Villalpandus ipse adducit) si cubus capit 21. sphæra capit plusquàm 10. $\frac{11}{17}$ minus autem quàm 11. Ex quo euidenter infertur sphæram cuius diameter sit æqualis lateri supradicto, capere plusquam nouem amphoras Romanas & vncias 405. $\frac{1}{13}\frac{1}{17}$ minus autem quàm amphoras nouem & vncias 411. $\frac{8}{17}$. Euidentia huius computationis non potest à Villalpando negari. quare manifestum est illum amplificandi libentia minimè contentum fuisse diametro sphæræ capientis nouem amphoras Romanas, & vt aliquantulo longiorem cubitum faceret, quæ fisse latus cubi octodecim amphorarum: & eius latitudinem Hebraico cubito tribuisse.

B. At dicat aliquis, valde exiguum esse id quo latus cubi amphorarum 18. excedit diametrum amphorarum 9. atque adeò nullius fere momenti esse incrementum quod ea ratione accepit cubitus à Villalpando assignatus. Huic obiectioni dico 1. prædictum discrimen non esse admodum exiguum. Nam ex Archimedis demonstratione, vt sphæra capiat 9. amphoras Romanas, satis est quòd diameter sit longus Romanos digitos 41$\frac{8}{17}$. cui magnitudini Villalpandus superaddidit duas tertias vnius digiti Romani. Maior sic probatur. Sphæra capiens vndecim amphoras Romanas habet diametrum æqualem lateri cubi capientis amphoras 21. (reiecta interim perexiguâ minutia:) & vt 11. ad 21. ita 9. ad 17. $\frac{8}{17}$. Ac proinde diameter sphæræ quæ nouem contineat amphoras, erit latus cubi capientis amphoras 17. $\frac{8}{17}$. est autem computatio certissima quòd latus cubi capientis amphoras 17. $\frac{8}{17}$. contineat Romanos digitos 41. $\frac{8}{17}$.

C C. Secundò dico, quamuis exiguum sit quod additur diametro, sphæræ incrementum non esse exiguum. Quare cautior & strictior debuit esse Villalpandus, ne Hebraico cubito illud adderet quod satis fuit vt sphæra vnius cubiti supra id quod quærebatur caperet vncias 405. & eo amplius, & consequenter in vno & viginti millionibus in fabricam impensis, integrum millionem adiiciet Villalpandus. Cùm enim Archimedis demonstratio sit, sphæræ vndecim vnciarum respondere in cubo vncias 21. Villalpandus computationem ad viginti duas extendit. quare in illa millionum summa quam dixi, vnum proculdubiò addit millionem.

D. Tertiò dico me ab ipso Villalpando edoceri, ne parui momenti esse ducam, si cubito sacro duæ tertiæ vnius digiti Romani addantur supra debitam longitudinem. Video enim quàm religiosè se gerat ipse in designandis minutiis. Decernit enim sacrum cubitum esse radicem cubicam numeri 73$\cup$728. Quam ad rem ego fortassis satis mihi esse existimarem, si dicerem, radicem eam esse 41$\frac{11}{17}$. Nam numerus cubicus qui ex hac radice procedit est 73$\cup$735. $\frac{11}{17}$. Quem numerum non nego fere in 8. excedere respectu numeri 73$\cup$728. Sed in summa adeò magna, nihili ego ducerem adeò exiguam differentiam: quæ in ipsa radice nulla ratione percipi valeat. Villalpandus tamen rem adeò exiliter ad calculos reuocare conatur, vt studio propiùs accedendi, designet pro radice 41$\frac{12}{17}\frac{13}{17}$.

D Etenim cubicus numerus ex hac radice proueniens est 73$\cup$727$\frac{14}{17}\frac{14}{17}\frac{13}{17}\frac{4}{17}\frac{12}{17}$. cui numero fere nihil deest ad 73728. Si hoc igitur tantoperè attenuatur & in minutissima momenta redigitur: quo pacto ferendum nobis erit, quòd exiliter nimis & strictissimè procedatur in eo quod non sint omninò digiti Romani 41$\frac{8}{17}$ sed tantillo minùs, ad idque tot fractorum numerorum & amputatorum calculationes adhibeantur: nec tamen vlla habeatur ratio manifestæ euidentiæ quæ postulabat vt pro diametro sphæræ nouem amphorarum designaretur numerus alius, duabus fere tertiis Romani digiti minor quàm radix cubica numeri 73$\cup$728.

E. Quartò, verum est in vulgaribus ratiocinationibus, quo faciliùs computationis ratio constet, contemni solere valde exigua momenta. Verùm non est valde exiguum in vnius cubiti sphæra adiicere vncias 405. & aliquid amplius. Neque agebatur de maiori computationis facilitate, sed de assignanda præcisa cubiti sacri mensura.

F. Quintò, vt Villalpandus eam à se depelleret suspicionem, qua creditur plus æquo mensuris Hebraicis tribuere, consultius foret minutias negligere subtrahendo quàm addendo. Si verò, quemadmodum Hebraico cubito manifestè addit duas ferè tertias vnius digiti Romani supra id quod opus erat ad capacitatem sphæræ quam cogitabat, ita contrà, duas potiùs septimas (quæ minùs sunt quàm vna tertia pars) detraheret, remaneret mensura digitorum Romanorum 41. quæ multò propiùs accederet ad ipsius Villalpandi cogitationem & opinionem: scilicet vt sphæra vnius cubiti caperet nouem amphoras Romanas.

Digitized by Google

COROLLARIVM 4. PROPOSIT. XVI.

Mariana etiam non parum excedit supra id quod cogitabat, in cubiti sacri mensura.

Cubitus Hebraicus maior non æquabat 2. Rom. pedes.

MVlta ex iis argumentis quæ Villalpando suprà obiecimus, militant etiam contra mensuram eam quam cubito sacro tribuit Mariana. Etenim licet ille cubitum sacrum duobus Romanis pedibus longum esse velit, id est, digitis Romanis 32. (cui mensuræ Villalpandus decem fere digitos adiungit) ea etiam mensura multas ex prædictis summis videtur reddere incredibiles. Atque si semel statuamus, cubitum in Scriptura sextam esse humani corporis partem, non quartam (vt suprà ostensum est) certè si cubitus duobus Romanis pedibus æqualis esset, antiqua statura 12. pedes Rom. fuisset alta, quod credi non potest. Et (quod caput est) vera Hebraici cubiti longitudo non debet esse diameter sphæræ capientis Rom. amphoras quatuor (vt forsan opinabatur Mariana) sed diameter sphæræ quæ 800. vncias aquæ solum capiat. Quare Mariana etiam deceptus fuit, dum credidit bis mille batos Maris ænei ex maioribus fuisse, cùm ex collatione luterum cum Mari æneo manifestè constet illos 2000. Maris ænei batos paulo esse maiores quàm decimas Hebraicę amphoræ seu bati maioris.

B. Præter hæc, quemadmodum Villalpandus pro diametro sphæræ amphorarum nouem, accepit cubicum latus amphorarum 18. sic Mariana ad sphæram quatuor Romanas amphoras capientem sumpsit pro diametro latus cubicum amphorarum octo Romanarum: qua in re aliquid etiam adiecit suprà id quod sibi fuerat in votis. Euidens quippe est, in cubo cui duplex sit pro latere pes Romanus, contineri Romanas amphoras octo, id est, vncias aquæ 7680. Et demonstratione pariter constat sphæram duorum pedum Romanorum capere aquæ vncias 4022$\frac{4}{7}$. hoc est, non solùm quatuor Romanas amphoras, sed vncias 182$\frac{4}{7}$. & nonnihil amplius.

C. Lectus etiam regis Og, iuxta Marianam longus est Romanos pedes 18. siue Hispanos 19$\frac{1}{2}$. Fores etiam 55. cubitorum constarent Romanis pedibus 110. Columnæ duodecim cubitos crassæ haberent pro diametro crassitudinis 2$\frac{1}{2}$. pedes Romanos. Stadia 600. cubitorum paterent in longitudinem Romanos pedes 1200. cùm tamen in Romanorum computatione stadium constet pedibus 625. Prætereà vnde viginti graduum altitudo esset triginta pedum, & gradus singuli fuissent alti plusquam sesquipede Romano.

D. Denique cùm planum sit luterum singulorum latitudinem pariter & altitudinem fuisse quatuor cubitorum Hebraicorum in cylindri speciem: nec luteribus singulis plures quàm baros quadraginta contineri; si quilibet cubitos duos haberet pedes Romanos, profectò vnusquisque batus capacitate decem Romanas amphoras superaret. Nam cylindrus duorum pedum Romanorum capit amplius sex millia vnciarum aquæ; & cylindrus octo pedum capit vncias 384000. & eo amplius, quæ si inter 40. diuidantur, obtingent singulis 9600. vnciæ, hoc est, amphoræ Rom. decem.

COROLLARIVM 5. PROPOSIT. XVI.

Ad argumenta quæ obiici posse videntur contra eam mensuram quam nos Hebraicò cubito tribuimus, non est difficile respondere.

Argumenta quæ obiici posse videntur contra ea cubiti mensuram.

PRimum nobis opponi potest traditio Misnaioth (quam refert Arias Montanus, de mensuris sacris, verbo *kumah*) humanam scilicet staturam tribus tantummodo cubitis constare: cui tamen nos sex tribuimus. Hanc autem Hebræorum traditionem sequuntur Glossa ordinaria & Beda Exodi 27. 1. ad ea verba, *tres cubitos in altitudine.* Imo Hieronymus etiam Ezechielis 40. Hebraico cubito tribuit sex palmos, quod est illi tribuere sesquipedem, & staturæ humanæ quatuor tantùm cubitos. Si ergo in maioris bati mensura propter sancti Hieronymi & Hebraicæ traditionis auctoritatem, affirmamus eam esse Romanæ amphoræ æqualem; quid est cur Hebraica ipsa traditio & sancti Hieronymi auctoritas in Hebraici cubiti dimensione sint apud nos minus ponderis habitura?

B. Secundò, si admittamus Hebraicum cubitum esse sextam staturæ humanæ partem; necesse est in cubiti mensura non includi manum. Atqui hoc videtur Scripturæ repugnare. Legimus enim Deuteron. 3. 11. *Ad mensuram virilis manus.*

C. Tertiò, fenestræ Salomonici templi spacium non relinquunt, vt tres cellarum ordines templo contigui, plus in altitudinem pateant singuli quàm quinque cubitis. Quare si cubiti eius mensuræ essent quam nos existimamus, cellæ illæ in auium potiùs & brutorum animantium viuaria, quàm in hominum domicilia, extructæ videbuntur. Et quidem ordines singuli plus quinque cubitis alti esse non possunt. hanc enim eis mensuram Scriptura præfinit 3. Reg. 6. 10. *Aedificauit tabulatum super omnem domum quinque cubitis altitudinis.*

D. Quartò, Iosephus 6. de bello cap. 6. agens de turri Hippicos, ait, *desuper eam minæ quidem binis, propugnacula vero ternis cubitis ambiebant.* Si duo igitur Hebraici cubiti non excedunt Romanos digitos 21$\frac{1}{3}$ minæ forent adeò humiles, vt hominem tegere non possent. Siquè tres Hebraici cubiti paululùm excedunt Romanos pedes tres & semis, ridicula planè erunt propugnacula trium cubitorum.

E. Quintò,

Digitized by Google

A E. Quintò, eodem capite Iosephus meminit cuiusdam loricæ in templo, quæ vnicum tantùm cubitum habebat altitudinis. *Templum* (ait) *aramque cingebat gratissima loricæ vsque ad cubitum surgens.* Non ergo cubitus mensuræ adeò exiguæ ac nos statuimus. Adde quod Ezechielis etiam 42. 4. mentio est cuiusdam viæ vnius cubiti: quę, si cubitus non est maior pede, adeò erit angusta, vt nemo per eam ingredi possit.

F. Sextò, turris ea quæ Antonia appellabatur, ante se murum prætentum habebat trium cubitorũ, vt prædicto capite refert Iosephus. hi ergo tres cubiti æquabant staturam humanam: aliter enim murus ille esset valde humilis, nec posset homines tegere.

G. Septimò lapidei cancelli quos Iosephus ibidem describit fuisse in transitu, à porticu ad templum, tribus duntaxat cubitis alti erant. & similiter lib. 8. Antiquitatum c. 3. *Cancellus* (inquit) *altus tres cubitos, ab ingressu templi ceteros prohibebat, & solis sacerdotibus hoc licere significabat.*

H. Octauò, si sexcenti cubiti quos Iosephus singulis tribuit stadiis, ex minoribus sunt, & Hebraicus cubitus minor est æqualis Hispanico pedi: Iosephi quidẽ stadio multum deerit vt stadij Græci mensuram adæquet. Nam Græcorum stadium constat Græcis pedibus 500. qui ex Romanis faciant 625. iisque ex Hispanica mensura respondent 677. Si autem dicamus, Iosephum loqui de maioribus cubitis Hebraicis, nimium certè spatium stadio designabitur; si 600. maiores cubiti tribuantur ei: Æquant enim Græcos pedes 672. Ergo ea mensura quam nos cubitis Hebraicis assignamus B non bene conuenit cum Iosepho, vbi stadio sexcentos tribuit cubitos. Nam si de minoribus cubitis agere dicatur, singulis stadiis daturus erat cubitos 677. Sin autem de maioribus agebat, vix poterat stadiis singulis cubitos 536. assignare.

I. Nonò, si tantopere cubiti sacri mensuram contrahamus, contrahetur etiam plus æquo capacitas arcæ Noei; nec debita ei remanebit proportio vt tantam animantium multitudinem & idoneum illis omnibus victum capiat.

L. Decimò, Cyrus 3. Esdræ 6. 25. fertur iussisse vt Ierosolymæ templum ædificaretur, & decem cubitos haberet in altitudine. Ergo cubitus Hebraicus maior erat quàm à nobis designatur. Ea enim ratione decem cubiti non æquant Romanos pedes 13.

M. Vndecimò, mensis quibusdam ad holocaustum paratis tribuit Ezechiel (cap. 40. 42.) altitudinem cubiti vnius; longitudinem autem & latitudinem sesquicubiti. ergo necesse est vt cubiti mensura sit maior multo quàm à nobis descripta est.

N. Duodecimò, nostra opinio non videtur cohærere posse cum expressis sacræ Scripturæ verbis, in quibus agitur de Goliath Gethæo quem occidit Dauid, & de Ægyptio quem occidit Banaias. Vtrumque enim supponit Scriptura fuisse valde procerum, & vtriusque hastas asserit fuisse sicut liciatoria texentium (quod de nullo alio dicitur, nisi de his duobus ac de quodam Gethæi fratre.) Al- C titudo autem Goliath apud Septuaginta in editione Complutensi & Vaticana, est *cubitorum quatuor & palmi.* & in Vulgata, *sex cubitorum & palmi* (1. Reg. 17. 14.) Ægyptij verò à Banaia occisi non maior quàm cubitorum quinque (1. Paralip. 11. 23. Si igitur hæ sunt valde proceræ staturæ, necesse est vt cubitus in Scriptura pro quarta humanæ staturæ parte accipiatur: non pro sexta: secus enim & Ægyptio illi ad iustam staturam deerit integer cubitus, & Gethæus quatuor solùm digitis iustam staturam superabit.

§. 2. *Responsio.*

Responsio ad argumenta obiecta aduersus veram cubiti mẽsuram.

AD Primum; vt credamus, maiorem batum Hebraicum esse æqualem amphoræ Romanæ, non solum pro nobis est auctoritas Hieronymi & Misnaioth; sed etiam concordia Epiphanij, Hieronymi, Iosephi, Vulgatæ editionis, & Septuaginta interpretum, vt suprà vidimus. Atque ita nemini dubium esse potest, quin nostra sententia sit eruditorum persuasio, testata totius superioris memoriæ testimonio. At verò vt Hebraico cubito sex palmi siue *Topahnes* attribuantur, solùm habemus ex antiquitate auctoritatem Hieronymi & traditionem Misnaioth. Et contra eam sententiam satis vrgent, primum ipsius sacræ Scripturæ textus, deinde ipsius Hieronymi auctoritas ac Iosephi testimo- D nium; nec non magna verisimilitudo quòd illa non sit antiqui Misnaioth traditio, sed alicuius compilatoris deceptio. Etenim vidimus iam propositione 9. quantum vrgeant Scripturæ verba, & Iosephi, vt Hebraicus cubitus credatur non esse quarta pars staturæ, sed sexta. Deinde eo ipso quod Hieronymus asserat, Hebraicum cubitum maiorem esse Romanæ amphoræ æqualem, (suppositis iis quæ Iosephus de Luterum figura tradit) per ipsum nobis Hieronymum licet ab ipsius opinione discedere in eo quod de Hebraici cubiti mensura affirmat, quia illa duo pugnant inter se: & quam tradit Hebraici bati mensuram, ea est communi antiquitatis consensione recepta, & in ipsa vulgata sacræ Scripturæ lectione testata. Quamobrem, si ad batum attendamus; certum est Hieronymum cum traditione Hebraica consentire. In cubiti autem mensurâ non mirum est deceptum fuisse Hieronymum, dum putauit nomen cubiti in Scriptura vsurpari iuxta eam acceptionem in qua à Græcis & Latinis frequenter sumitur. Quam opinionem absque dubio Hieronymus deponeret, si per demõstrationem mathematicam initet rationes summasque subduceret. Nec mirãdum est si sanctus Doctor altioribus intentus, minora hæc non ita diligenter attenderit. Quòd verò attinet ad Misnaioth, si mihi persuasum esset in antiquo Misnaioth expresè contineri sacræ scripturæ cubitum constare sex palmis seu *topahnis*, tunc sanè non inficiarer me illius libri auctoritate non parum vrgeri. Quamuis enim nouerim librum Misnaioth à multis summis pontificibus esse prohibitum (nempe à Gregorio nono, Innocentio quarto, Benedicto 13. & Paulo quarto) nihilominus in hoc traditionum Hebraicarum genere, nonnihil ei fidei habendum erat. Ceterũ antiquum Misnaioth nescio an aliquis

De Misnaioth iudicium.

Digitized by Google

hac tempestate viderit: & quem Arias Montanus assequi potuit, illum esse suspicor quem perhibent ex antiquo Misnaioth ante annos 400, per Rabbi Moysen Beniamin fuisse collectum. Atque ex iis ipsis quæ recenset Arias, videor mihi manifestè colligere, mensuram illam cubiti non esse ex antiquo Misnaioth, sed ex iis quæ confusè coaceruauit qui Hebraicam traditionem cum frequenti Architectorum vsu conciliare volebat. Vnde ortum est, vt secum pugnātia diceret. Nam vna ex parte sex palmos dedit cubito, ex alia verò pedi duos solùm palmos tribuit, quod fuit cubito tres assignasse pedes. Alia præterea deprehendo in iis quæ Arias Montanus in eo libro refert, quæ (meo iudicio) nugatoria sunt. Huiusmodi est, Ezechielis calamum constare sex cubitis & semisse, item 20. siliquarum grana pendere semunciam, (cùm tamen octodecim siliquæ grana non plus pendeant quā drachmam, de quà re diximus suprà propositione prima. Quas ergo traditiones ex libro Misnaioth refert Benedictus Arias, bonæ sunt eæ quidem si cum granium auctorum societate copulentur, si tamen solæ per se sumantur, fidem non admodum firmam merentur, & multò minus, si gravibus auctoribus contrariæ sint, in quibus meritò numeratur Iosephus, apud quem cubiti nomen pro sexta staturæ parte poni euidens esse reor. Qui verò auctores in ea sunt sententiâ quæ humanæ staturæ tres Hebraicos cubitos præscribit, illi hac videntur coniectura niti; Quatuor vulgares cubiti vsitatā staturam adæquant; cubitus autem maior Hebraicus vulgarem superat vno palmo: si ergo tribus cubitis vulgaribus totidem palmi virilis manus adiiciantur, efficient ferè quatuor cubitos vulgares, quæ est communis staturæ dimensio. Et quidem si Hebraicus cubitus foret quarta staturæ pars, non valde aberrabant: sed eum esse sextam & non quartom satis suprà probatum est. A B

B. Ad Secundum; textus ille non probat in cubiti mensura manum etiam includi, sed cubitum diuidi in palmos, & antiquum cubitum in eos palmos qui sint ex hominis robusti manu; ad minoris cubiti discrimen, cuius palmi valde sunt anguſti.

Quid sit tabulatū super omnem domum, Reg. 6. 10

C. Ad Tertium, si contextus serio inspiciatur, constabit liquidò non esse ibi sermonem de cellis quæ erant orationi dicatæ, (de his enim actum erat versu quintò, vbi dicuntur fuisse *tabulata per gyrum super parietem templi*) aliud ergo est *tabulatum super omnem domum*. Ipse intelligo de interiecto aliquo pauimento ex iis quæ fieri solent non quidem ad habitandum, sed ad maiorem inter superiora & inferiora diuisionem. Sic enim in religiosis aliquot domiciliis fit aliquando, vt inter peculiaria religiosorum cubicula tum inferiora tum superiora, relinquatur humile aliquod spatium interiectum, vt superioris cubiculi strepitus & murmur in inferiori non exaudiatur. Quam ad rem satis est si spatia eiusmodi interposita, duos aut tres pedes concauitatis habeant. Ad templi ergo religionem ac reuerentiam (quia in superiori ipsius templi parte conclauia aliquot, sacerdotum domiciliis deputata erant) inter superiora illa conclauia & templi ipsius tectum, fuit interiectum pauimentum aliud, quod nullius esset habitationi aptum, sic enim expediebat. Fortasse autem quinque cubiti in altitudinem ideò dati sunt interiecto illi spacio, vt exiguis aliquot foribus at feneſtellis inibi apertis, quasi thecæ quædam essent superiorum conclauium quibus multa vasorum pretiosorum gaza asseruaretur. Ad id verò quòd opinatur Villalpandus, nempe ipsius templi feneſtras fuisse apertas in pariete templi adeò excelsas, vt tres ipsi cellarum ordines quæ ad templum erant applicitæ manerent inferiores feneſtris, respondetur; quâ Villalpandus putat feneſtras fuisse fabricatas, parum lucis templo communicari potuisse. Nam vt ille existimat, porticus non erat valde anguſta, & feneſtræ in superiore porticus parte erant valdè vicinæ tecto. Si autem cellæ considerentur anguſtæ, multò aptius est vt non sint valde humiles, sed potius editæ & altæ: atque vt feneſtris ingentibus ipsæ ad atrium prospectent, & in aliquot ex ipsis cellis aliæ sint feneſtræ quâ parte templum aspiciunt; (quarum vtræque sint clathris munitæ.) Sic enim lux per vnam feneſtram irradians in aliam sese diffundet congruenter satis, & iuxta eam lucis mensuram quæ reuerentiæ & veneration congruat. Et, nisi fallor, Iosephus huic meæ coniecturæ adstipulatur libro sexto de bello capite sexto, vbi enim de orationis loco agit, perspicuè affirmat totam templi parietum altitudinem in tres cubiculorum ordines fuisse diuisam, atque editioris ordinis extremos parietes ad tectum vsque ascendisse medios verò non item, sicque orationis locum in supremo ordine fuisse satis laxum. Huc adde, id ipsum egregiè congruere mysterio quod in eo ædificio figurabatur. Qui enim ad excelsum contemplationis verticem conscēdunt, næ illi latitudinis atque solatii affatim inueniunt. C D

D. Ad Quartum, pinnæ siue minæ non opus erat vt militem à pedibus vsque ad pectus contegerent. Nam interior muri pars, vnde milites ipsi pugnant, solet esse demissior. Quod verò consurgit ab illa interiori parte muri, quæ demissior est, vsque ad minas, id videtur Iosephus appellare propugnaculum, nempè muri partem qua proteguntur milites pugnantes suprà murum. Hoc verò propugnaculum satis est fuisse tres cubitos altum; sic enim ex summis minis vsque ad pauimentum cui milites insistebant, distantia erit quinque cubitorum ex maioribus, qui sunt paulò plus sex cubitis vulgaribus. Hoc verò interuallum satis erat vt miles, præsertim in excelso positus loco, se posset obtegere.

E. Ad Quintum; si lorica illa fuisset murus ad propugnantium defensionem; quāuis cubitus foret eius magnitudinis quam ei tribuit Villalpandus, ridicula adhuc esset. Si autē est aliquod diuisionis signum, aut aliquid ad ornamentum spectans, non potest inde colligi, altitudinem eius fuisse maiorem vno cubito ex iis quos ipse statuo. De viâ autem illâ arctissima (id est cubiti vnius) quæ Ezechieli ostensa est, dico primò, fortasse mysterij causa adeò arctam fuisse prophetæ menti obiectam per quam vix posset vnus homo penetrare. Ad hoc enim satis fuisset latitudo cubiti vnius ex Hebraicis qui continet pluſquam viginti Hispanos digitos. Alioqui verò vnius cubiti mensura, etiamsi cubitus effingatur quantus à Villalpando ponitur, non satis esset ad iustam viæ latitudinem. Secundò dico fortasse E

A eo fortasse nomine viæ vnius cubiti, designari eo loco podiolum aliquod; in quod desinebat paries quem ostia gazophylaciorum spectabant. Simile certè podiolum ego è regione meæ cellulæ cerno, quod angustius est potiùs quàm latius via illa cubiti vnius cuius meminit Ezech. Propheta.

F. Ad Sextum, non ibi est sermo de muro pone quẽ sese abderent homines, sed de hypopodio seu basi totius ædificij. Ad hoc autem bene apta est dimidiæ staturæ antiquæ altitudo.

G. Ad septimum. Iosephus ipse libro octauo Antiquit. capite tertio explicat, diuisionem illam idcirco fuisse interpositam, vt signum esset, *quod significaret solis sacerdotibus licere cancellos illos prætergredi.* huic ergo vsui non opus erat altiori quàm trium Hebraicorum cubitorum diuisione ex iis quos ego assigno. Et sic etiam cancelli siue clathri pectore tenus alti deseruire quoque poterant, vt ad eos homines adhærerent siue incumberent.

H. Ad Octauum: cùm Iosephus singulis stadiis sexcentos cubitos tribuat: si cubitus esset eius magnitudinis quam Villalpandus, aut etiam eius quam Mariana ponit; discrimen à legitima Græci stadij mensura esset multò maius quàm in nostra mensura. Iuxta quam si Iosephus de minoribus cubitis censeatur agere, mirum non est. quemadmodum Græci stadium vocant, centum staturæ Græcæ calamos. ita Iosephum nomen idem tribuere totidem calamis vulgaris Hebraicæ staturæ. Præsertim cùm constet, Iosephum ad Hierosolymæ ac templi amplificationem nonnihil propendere. Sin autem
B Iosephus de maioribus cubitis agat; tunc etiam non magnum admodum esset discrimen. Ego tamen priorem explicationem magis probo.

I. Ad Nonum, in mensura arcæ Noei quanuis cubitis singulis ea detur longitudo quam Villalpandus designat; adhuc tamen difficile satis apparet, quo pacto illa arcæ capacitas, tam varias ac multiplices animalium species potuerit capere; & quidem de singulis generibus quatuor indiuidua, duos scilicet mares & totidẽ fœminas; atq; ex iis quæ ab Scriptura animalia mũda appellantur quatuordecim indiuidua vniuscuiusq; generis; hoc est septem tauros & totidẽ vaccas; arietes septem & septem oues; leones quatuor, totidem elephantes, nec pauciores rhinocerotes, & sic de ceteris. Præsertim cùm tot sint animalium species, vt ceruorum octo genera aut decẽ numerari valeant, & canum fortasse quinquaginta. Et quidem antequàm animalium plurima genera nobis antea ignota, denuò in nouo orbe reperta nostris hominibus innotescerent; hoc argumentum beato Augustino tantum facessit negotij; vt sibi persuaserit, nomen cubiti in arcæ Noei dimensionibus non esse capiendum eodem modo quo in ceteris Scripturæ locis vsurpatur, sed pro sex cubitorum longitudine. pro qua sententia sanctus doctor affert Origenem. Et vterque affirmant, apud Ægyptios sex cubitorum mensuram appellari solitam cubitum Geometricum. Hæc igitur Augustini & Origenis sententia est quæ difficultatem omnem euacuat. Et in nostra quidem opinione (quę nomine cubiti sextam staturæ partem in ceteris Scripturæ locis intelligit) Augustini sententia multo adhuc verisimilior est. Sic enim
C quilibet cubitus in Noei arca, longitudinem vnius staturæ humanæ continet, quæ mensura nomen calami obtinet in Scriptura. Et facit quod Ezechielis 42. 20. bis cubitorum nomen ponitur; vbi Hieronymus notat, non esse sermonem de propriis cubitis sed de calamis. Et certè (præterquam quòd mensura hæc & magnitudo quam Scripturæ calamo tribuimus, non est adeò ingens, vt in aliis foret opinionibus) id etiam congruentiæ pro se habet quòd idonea sic ratio ac via aperitur, ne valde violentum sit vt sex cubitorum mensuræ tribuatur aliquando cubiti nomen. Nam extentis tam brachiis quàm cubitis efficiunt cubiti eandem mensuram, quæ reperitur in staturâ humanâ. Quare Vitruuius vlnam appellat senorum pedum mensuram, id est integræ staturæ humanæ longitudinem, cùm alioqui Suetonius nomen vlnæ pro ea mensura accipiat, quæ solet cubiti nomine intelligi. Ecce ergo in vlnæ nomine eadem pene reperitur ambiguitas & æquiuocatio quæ in nomine cubiti; cùm interdum pro quarta vel sexta staturæ humanæ parte, interdum pro totius staturæ mensura ponatur, quæ in sacræ Scripturæ phrasi sex continet cubitos. Nota ergo Hebraicum calamum in mea sententia se habere cum Hebraico Villalpandi cubito, sicut 8. cum 3. Etenim quilibet Hebraicus cubitus (vt ipse reor) habet digitos Romanos 18¾. Atque adeò calamus sex cubitis constans, æqualis est digitis Romanis 112. Et Villalpandus Hebraico cubito præscribit ferè digitos Romanos 42. sicut autem
D 8. ad 3. sic 112. ad 42. Vnde rursus elicitur Noei arcæ capacitatem esse multò maiorem in nostra quã in Villalpandi explicatione. Excessus autem est sicut 512. ad 27. nam solidum respectu octonarij est 512. solidum autem ternarij 27. Et quia sicut 19. ad 1. ita 512. ad 27. Noei arca quam ego considero se habet ad capacitatem arcæ quæ à Villalpando concipitur sicut 19. ad vnum. Vt verò audeam singulis arcæ cubitis tribuere calamum sex cubitorum, auctores habeo Augustinum & Origenem; & vsum Scripturæ in loco Ezechielis suprà notato, sic exponente Hieronymo; & similem amphibologiam in nomine vlnæ ex Vitruuio & Suetonio; & maiorem vim rationis post repertam innumerabilem diuersorum generum varietatem, quam nouus orbis & remotissimæ insulæ hoc æuo nobis perfecerunt.

De mensura cubiti in arca Noe.

L. Ad Decimum; respondeo tertium illum Esdræ librum apocryphum esse. Nec bene conuenire latitudinem sexaginta cubitorum cum altitudine decem. Ex illa tamen latitudine sexaginta cubitorum (si uera est historia) satis colligitur cubitum non esse eius mensuræ quam illi assignat Villalpandus. Quod si verum esset, tunc temporis non fuisse permissum à Cyro vt templum magnificè admodum ædificaretur, sed humile & cuius contignatio à decimo muri cubito consurgere inciperet; si hoc (inquam) recipiatur; quid contra meam cubiti mensuram, quæ decem cubitos Hebraicos æquat tredecim Hispanicæ mensuræ pedibus?

M. Ad Vndecimum dico, mensas illas non aliud esse quàm lapides quadratos marmoreos, quibus imponendæ essent carnes per holocaustum offerendæ. Cui vsui satis videtur esse, vt lapidis area qua-

Digitized by Google

area quadrata esset sesquicubitalis, hoc est duorum ferè nostrorum pedum. A

De statura Goliath Gethæi, & Aegyptij qui interfecit Benaias.

N. Ad Duodecimum dico Primò, in editione Vaticana Septuaginta interpretum notari, alios codices legere *sex cubitorum & palmi*: quemadmodum legit Vulgatus. & illa est proculdubio vera lectio. Deinde dico sex illos cubitos ac palmum, quos sacra Scriptura tribuit Goliath Gethæi altitudini iuxta nostram computationem esse Romanos digitos 126. quia pro palmo in Hebræo hic non est topah, sed zareth, & in Græco spithame, quæ est mensura palmi extensi (nempe duodecim digitorum. (atque ita statura Goliath Gethæi erat Romanorum pedum 7½. ex Hispanica verò mensura plusquam 136, digitorum, atque adeo pedum octo cum semisse. Quis ergo non videat, hanc esse adeo mirandam proceritatem, vt possit meritò pro gigantea reputari: si tamen valde procera statura concipienda sit, non tamen fabulosa? Imo verò ex mensura ipsa sex cubitorum & palmi quam Scriptura tribuit Goliath Gethæo, videor mihi colligere validum argumentum aduersus nostri Villalpandi opinionem de cubiti sacra mensura. Ille enim tribuit cubito sacro digitos Romanos fere 42. Ex quo infertur Goliathi staturam fuisse digitorum Romanorum 271. qui staturæ Hispanicæ tres integros calamos non solùm æquant, sed etiam excedunt. Id verò nulla ratione asserendum videtur. Quia in hominum statura vnius pedis excessus res est proculdubio prodigiosa. Quare sufficit Goliathi staturam concipi adeo grandem vt duos integros pedes cum semisse sit staturâ Hispanicâ maior. Excessus enim duodecim pedum non iam erit gigantis, sed turris excessus. B

O. Atque vt Philistæus ille non adeò procerus esse credatur, vt à nonnullis effingitur, non leui argumento est, Dauidem ipsius ense non solùm fuisse vsum, sed etiam dixisse, *Non est huic alter similis*, (id est, adeò mihi aptus) *da mihi eum*. 1. Regum 21, 9.

P. Transeamus ad Ægyptium quem occidit Banaias. Cubiti quinque qui ei dantur ab Scriptura, in nostra mensura æquant digitos Romanos 93½. Hæc verò statura non est quidem procera, sed nec exigua: excedit enim staturâ Hispanam plusquàm digitis quatuor. Et Hispanus qui plusquàm digitis quatuor superet duas virgas mensorias, à nemine reputabitur exiguæ staturæ. Non tamen eo inficias quin eiusmodi statura digitorum Romanorum 93½. non sit digna vt ab Scriptura pro gigantæa aut insignetur procera designetur. Quare difficultas eò videtur reuocari, vt expendatur, an certum sit, in sacra Scriptura significari vel supponi Ægyptium illum quem occidit Banaias fuisse insigniter procerum. quamuis enim id tanquam certum videantur nonnulli supponere, eo quòd cubitum sacrum sibi persuaserint esse antiquæ staturæ partem quartam; ac tribus cubitis sacris communem staturam adæquari: nihilominus hoc quod supponitur non probatur, sed eius oppositum videmur nobis validis argumentis confirmasse. Supereſt tamen huic obiectioni de quinque cubitorum mensurâ in staturâ prædicti Ægyptii, respondere.

Q. Primum ergo noto, ex illa Scripturæ comparatione, *hasta eius sicut liciatorium texentium*, minimè colligi staturæ proceritatem eximiam. quia comparatio illa non refertur ad hominis proceritatem aut hastæ longitudinem; sed ad hominis vires ex hasta crassissima colligendas. Constat enim liciatorium non esse lignum valde longum; sed ea duntaxat longitudine quæ talæ latitudini respondeat. oportet tamen id esse satis crassum, vt tela quæ texitur, ad illud facile colligatur. C

R. Secundo aduerto, ex valde crassæ hastæ vsu, insignes militis vires intelligi. Ad eam tamen fortitudinem virium robustarum non est necessaria gigantæa corporis proceritas. Sæpè enim videmus homines robustissimos, nec tamen insigniter proceros. Atque id est (meo iudicio) quod sacra Scriptura de Aegyptio illo (quem occidit Banaias) significare vult, nempe illum quamuis non esset valde procerus, sed mediocris staturæ, nihilominùs fuisse robustissimum. Cùm enim non esset altus plusquam quinque cubitos sacros (quæ statura neque exigua est neque valde procera) erat tamen adeò fortis viribus, vt facile gereret crassam adeò lanceam, vt liciatorio, texentium meritò comparari posset. Facit pro hac explicatione quod Goliath Gethæo tribuit sacra Scriptura cubitum & palmum supra huius Ægyptij staturam; nec tamen crassiorem tribuit hastam Philistæo quàm Ægyptio. Ergo non id reddebat insignem & glorioſum Ægyptium, quòd esset valdeadmodum procerus; sed potiùs æqualitas virium robustissimarum cum Philistæo, quantumuis proceritate corporis longe esset inferior. His accedit quòd nullum aliud verbum sit in sacro textu ex quo possit D colligi, magnam Ægyptij illius fuisse proceritatem. quia sacer textus solùm ait, eum fuisse quinque cubitos altum, hastam autem eius sicut liciatorium texentium. Et quamuis in lectione Septuaginta interpretum legamus, *hominem conspicuum quinque cubitorum, in cuius manu erat lancea tanquam liciatorium*: nihil tamen cogit, vt conspicui appellatio ad corporis proceritatem referatur: conspicuus enim is dicitur qui insignis est: & insignis homo verissimè dicitur is qui cum statura sit alioqui non admodum procera, viribus tamen adeò præstat, vt mira lanceæ crassitie non minus facile vtatur quàm alij arundine leuissima. Non me latet, pro conspicuo in Complutensi editione legi ἐυμήκη, hoc est, grandem: vera tamen & genuina Septuaginta interpretum lectio non est illa, sed *conspicuum*, vt patet ex editione Vaticana. Præterquam quòd, is verè dicetur 5. cubitos grandis, qui sit altitudine 5. cubitorum, licet minime procerus sit. Eadem enim phrasi diceretur 3. solum cubitos grandis qui eiusmodi esset statura. Re igitur attentè inspecta nulla ratione colligitur ex allato Scripturæ loco Ægyptios à Banaia occisus fuisse valde procerus. Potiùs enim significatur, eum cùm 5. solùm cubitos haberet altitudinis, viribus tamen adeò præstasse, vt comparari posset Goliath Gethæo, cuius statura erat sex cubitorum & palmi. Cùm ergo constet ex Sacro textu, Ægyptium fuisse æqualibus cum Gethæo viribus, statura autem longè inferiorem: non videtur res satis expendi ab eo qui ex comparatione à liciatorio texentium desumpta inferre vult. Ægyptium quoque fuisse valde procerum. Præsertim cùm constet vires admirandas & peregrinas non rarò elucere in corporibus non

admo-

Digitized by Google

A admodum proceris. Quod & ad mysterii significationem aptissimum mihi videtur. Sed nunc simpliciſtaturæ Ægyptii consideratione contentus, non aliud adiicio; quàm ad eam minimè proceram ſtaturam cogi me abiis omnibus, quæ ſuprà adduxi, vt oſtenderem cubitum ſacrum eſſe ſextam ſtaturæ antiquæ partem, non quartam: antiquumque cubitum non fuiſſe longiorem digitis Romanis 18½.

PROPOSITIO XVII.

Ex menſura quam ipſe tribuo Hebraicis, ſequitur ingens diſcrimen in Salomonici templi magnitudine. Ea tamen illi remanet quam ſacra Scriptura ſignificat.

c

EXPLICATIO.

Et primùm de linearum menſura.

HEbraico cubito maiori ipſe tribuo Romanos digitos 18½. Vnde in mea computatione ſex cubiti Hebraici exæquant ſeptem pedes Romanos: & ex Hiſpanicis laxè 7½. In mea enim ſen- *Magnum diſcrimen in templi Salomonis magnitudine ex varia cubiti menſura.*
B tentia Hebraici cubiti maiores reducuntur ad pedes Hiſpanicos, addita quarta numeri parte, & inſuper addita vnitate ſingulis centenariis. Ad pedes autem Romanos fit reductio, ſi ſingulis 25. cubitis adiiciantur quatuor. verbi gratia legis 200. cubitos maiores Hebraicos, additis 50. fiunt 250. & additis duobus & ſemis fiunt 252½. ducenti igitur cubiti Hebraici maiores ſunt pedes Hiſpanici 252½. ſi verò eoſdem ducentos cubitos velis ad pedes Romanos reducere, diuide 200. per 25. & inuenies 8. ſume hunc numerum quater, & erunt 32. hoc ergo numero addito ducentis fiunt 232. Romani pedes.

B. Villalpandus ſingulis cubitis aſſignat fere 42. digitos Romanos, ex quo infertur octo Hebraicos cubitos maiores idem fere eſſe quod pedes Romanos 11. vel Hiſpanos 12½. Mariana autem ſingulos cubitos ſacros facit æquales duobus Romanis pedibus.

C. Hinc fit, Villalpandum porticibus quinquaginta cubitos latitudinis habentibus tribuere Romanos pedes 130. Marianam 100. me autem 58½. qui faciunt pedes Hiſpanos 63. Hoc verò ſpatium ſatis ſuperque eſſe ad ampliſſimarum porticuum latitudinem quis non videat?

C. Atriorum impluuiis quadratis cubitorum centum, tribuit Villalpandus Romanos pedes fere 260. Mariana 200. ego 117. qui ex Hiſpanicis faciunt 126. Erant autem Iſraelitici atrij impluuia ſeptem, & eiuſdem atrij porticus non minus occupabant, quam impluuia ſexdecim.

E E. Quadro ſancti Sanctorum tribuit Scriptura 20. cubitos. Hos facit Villalpandus pedes Romanos 52. Mariana 40. ego 23½. qui ex noſtris pedibus ſunt plus quàm 25. ſed eò ſolus ſummus ſacerdos, idque ſemel in anno ingrediebatur.

F. Cubiti 120. quos turris templi habebat altitudinis, mihi reddunt Romanos pedes 140. Hiſpanos 150. & eo amplius. idque altitudinis ſupra montem erigebatur. Villalpando tamen 120. cubiti dant pedes Hiſpanos pluſquàm 3 /6.

G. 300. cubiti profunditatis quos admiranda illa ſubſtructio habebat, mihi faciunt pedes Hiſpanos 375. quæ profunditas, meo iudicio, ſatis eſt, vt admirationi ſpectantibus ſit; Villalpandus tamen eam extendit ad pedes Romanos 780. qui faciunt Hiſpanicos 850.

H. Cubiti 500. quos atrij murus habebat in quadrum, Villalpando ſunt pedes Hiſpanici 1050. mihi 625.

I. Longitudinem muri ambientis atrium gentium, quæ calamorum 110. definitur, ipſe arbitror fuiſſe Hebraicorum cubitorum 660. qui faciunt pedes Romanos 770. ex Hiſpanicis verò 800. Villalpandus tamen numerat Hebraicos cubitos 687½. Hiſpanos verò pedes ſupra 1800.

L. Singula peribolilatera cubitis conſtant 781. qui nobis vix mille pedes Hiſpanicos reddunt; Villalpandus tamen extendit ſummam ad 2225.

D M. Decem cubitos Maris ænei de maioribus cubitis accipiunt plerique: eoſque facit Villalpandus Romanos pedes 26. & eo amplius: Hiſpanicos verò 28. Mihi decem illi cubiti ex minoribus ſunt & Hiſpanicis pedibus æquales, vt latè ſuprà probatum eſt.

Pars ſecunda, de areis & ſolidis.

MVltò adhuc maior eſt in areis & ſolidis differentia. Cubiti enim menſura quam aſſignat Villalpandus, habet ſe ferè ad eam quam ego aſſigno ſicut 9. ad 4. In areis verò diſcrimen eſt veluti 5. ad 1. ac in ſolidis veluti 11⅓. ad 5. vt propoſitione ſeptimâ explicatum eſt. Quare ex lignis, lapidibus, ceteraque materia, vbi vnus mihi millio ſatis eſt ad impenſas, Villalpandus amplius vndecim millionibus opus habet. In iis verò quæ per calamos menſurantur, aream à Villalpando cogitatam ad aream quam ipſe cogito ſe habet vt 49. ad 9. Et ſolidum à Villalpando cogitatum ad ſolidum quod ego concipio, ſe habet vt 12½. ad vnum, vt explicatum eſt propoſitione 7.

B. Aliquanto minus eſt nobis cum Mariana diſcrimen: adhuc tamen illius area ad meam ſe habet ſicut 4½. ad 1. Et ſolida ſicut 10. ad vnum, vt in eadem propoſitione ſeptima probatum eſt.

De Mari æneo.

IVxta meam menſuram capit Mare æneum aquæ vncias non amplius 200∪. hoc eſt Romanas amphoras 208½. At ſecundùm Villalpandi opinionem debebat capere Romanas amphoras 4∪500, quibus per incuriam adiecit aquæ vncias 205∪000. quod additamentum omnino ſuperat totam eam

Digitized by Google

Magnum discrimen in mensura maris æneiⓒ eius capacitate.

eam capacitatem quàm ipse Mari æneo tribuo. Oritur discrimen hoc ex eo quòd decem cubiti Maris æneiⓐ, vt ipse opinor, ex minoribus sint; & sphæra vnius cubiti minoris iustè capiat 400. aquæ vncias. Sphæra autem vnius cubiti ex Villalpandæis, capit aquæ vncias 9050. & sicut 1. ad 22½. ita 400. ad 9050.

PROPOSITIO XVIII.

Antiquæ Græcorum, Romanorum atque Hispanorum mensuræ videntur ex Hebraicis deriuatæ.

EXPLICATIO.

AD propositionis huius veritatem minimè necessarium est, Hebræos cetetis orbis nationibus suas præscripsisse mensuras. Fortassis enim illæ antiquiorem habent origenem; & ad communis vsque terrarum eluuionis tempora seruatæ sunt in orbe mensuræ ab Adamo traditæ filiis suis ac nepotibus; post diluuium verò fortè Noe filij voluerunt eadem pondera atque mensuras ab Adamo receptas conseruare: & ex illis deriuatæ sunt quæ quondam Græcis ac Romanis in vsu fuerunt, & quæ hactenus à nostris Hispanis retentæ sunt. Hoc vt mihi tanquam probabile persuadeam, adducor imprimis, quia cubitum maiorem Hebraicum Scriptura vocat mensuram primam. 2. Paral. 3. 3. Ⓑ Et Noei arcam cubitis demetitur. Vnde apparet illam cubiti mensuram qua mensuratur arca, aut esse veterem cubitum Hebraicum, aut calamum sex constantem cubitis (de quo suprà): siquidem mẽsuræ primæ nomen cubito maiori Hebraico tribuitur. Confirmatur hoc, quia antiquus cubitus recentiorem siue minorem excedit vno palmo (id est quarta parte) & nonnihil ampliùs, vt supra notauimus. Quapropter cùm mensura cubiti fuerit ex cubito humano desumpta, verosimile est, cubitum illum à quo vulgaris cubitus vno palmo superatur, ex mensurâ cubiti priscorum illorum hominum desumptum fuisse. Credibile namque est illorum staturam & corporis molem vastiorẽ fuisse multò & grandiorem, nostrorum hominum magnitudine.

Origo prioris cubiti.

B. Iam cùm maior cubitus Hebraicus (esto ab ingenti & robusta hominum statura sit deriuatus) ex gigantum mole & ingenti magnitudine vsurpatus non fuerit, probabile mihi fit illum iuxta Adami mensuram fuisse assignatum. Nec enim credibile est Adamum (qui primus fuit mundi rex, isque sapientissimus) suis posteris mensuras ac pondera non tradidisse. Ad hæc cùm mensuræ ad humanæ staturæ proportionem conformandæ essent; æquum satis est & rationi consonum, mensuræ antiquæ calamum ad Adami ipsius staturam fuisse conformatum, nec non cubiti mensuram ad eiusdem cubitum mensuratum fuisse. Et facit quòd illa ipsa quæ prima appellatur mensura, vocatur etiam mensura hominis Apocalypseos 21. 17. Ⓒ

C. Porrò si Adamus mensuras ac pondera præfiniuit; verisimile est eos ex posteris suis qui veram religionem ac iustitiam retinuerunt, pondera etiam & mensuras ab Adamo acceptas retinuisse; & ab illis ad Hebraicum populum peruenisse: quin imò ex his ipsis ponderibus ac mensuris antiquis, Græcorum, Romanorum atque Hispanorum pondera fuisse orta. Coniectura hæc inde fulcitur, quòd ad nostra vsque tempora in Romana vncia & Hispanensi antiquum Romanæ vnciæ põdus, item drachmarum Atticarum, & duorum Israelis siclorum conseruetur, quod est veluti vestigiũ communis omnium ab vno homine propagationis, ac ponderum, mensurarumque deriuationis à parentibus ad filios.

Origo posterioris cubiti.

D. Secundi cubiti siue posterioris inuentio tunc orta fuisse videtur, quando homines multò iam erant prioribus illis minores. Tunc enim cùm viderent cubiti nomen non quadrare iam cum ea statura qua homines prædita erant; ac simul viderent ad hominum communionem atque commerciũ congruens esse vt cubitus alter statueretur qui mensuræ subduplæ ex solidis esset diameter, tunc (inquam) primò, videtur inductus posterior cubitus Hebraicus, cum eiusmodi ad priorem proportione, vt esset duplus in potentia solida, & sextam partem mediocris staturæ (cuiusmodi est Hispana) exæquaret.

E. Præterea congruentia & correspondentia quæ reperitur apud nationes politicas (vt apud Græcos, Romanos & Hebræos antiquos) inter sextam staturæ partem & inter liquidorum & aridorum mensuras; argumento est, hoc etiam à communi aliquo & generali principio, vt ab Adamo siue Noe deriuari. Iam vbi admittenda erat congruentia atque proportio inter pedes seu cubiti mẽsuram & inter mensuras liquidorum; cùm aqua sit primus liquor & ceteris communior & magnæ insuper æqualitatis in pondere (vt suprà notauimus) consentaneum valde fuit attendi potissimùm ad mensuram aquæ quam capiebat vas quod ex cubiti vel pedis mensura fieret. Quod verò attinet ad vasis figuram quæ pro mensura eligenda erat; credibile est, antiquiores sapientes selegisse sphæras ac cylindros ob eas rationes quas propositione 12. considerauimus. Quod si verùm est hanc fuisse apud Hebræos antiquam mensurarum normam ac figuram; hoc ipsum est indicium quòd antiquissimæ mensuræ eiusdem figuræ fuerint. Nam si apud gentem aliquam seruatæ sunt atque retentæ priscæ mensuræ; quis dubitet, apud eos præsertim seruatas ex posteris Noe qui veram religionem & iustitiam retinuerunt?

F. Sphæra primi cubiti, hoc est maioris, capit aquæ seu vini vncias. 800. vt propositione 16. ostensum est. Deinde sphæra semicubiti capit omnino vncias 100. Atque hæc est mensura illius bati qui Mari æneo duo millia batorum tribuit. cuius sextarij singuli capiunt vncias 16⅔. hæc autem est Græci sextarij antiqua mensura, vt nonnulli probant ex Galeno.

G. Chœnix vnciarum 25. est quarta pars bati capientis vncias centum. Atque hæc Chœnix appellata

Digitized by Google

A pellata fuit etiam mina. Et huiuſmodi minas ſexaginta continet talentum Hebraicum.

H. Sphæræ cubiti vnius maioris reſpondet cylindrus vno cubito altus ac latus circunſcribens ſphæram (vt loquuntur Mathematici) qui capit iuſtas aquæ vncias 1∪200. Ea verò eſt antiquiſſima metreta, & reſpondet ſextario vnciarum $16\frac{2}{3}$. Nam ſi vnciæ 1200. inter 72. menſuras diuidantur (quæ eſt antiquiſſima partitio, & apud Hebræos & Græcos vſitata) ſingulis obueniunt $16\frac{2}{3}$.

I. Origo amphoræ 960. vnciarum (quæ eſt Hebraicus batus, & quadrantal Romanũ ex talento Ægyptio, vt ex Varrone tradit Plinius lib. 33. c. 3.) videtur fuiſſe eiuſmodi, vt antiquo vnius cubiti cylindro, detraheretur pars quinta altitudinis, vt conformaretur ad commodioris lebetis figuram, vt explicatum eſt ſuprà.

L. Si verò fiat cylindrus ſemicubito latus atque altus, continebit omnino aquæ vncias 150 quæ decies replicatæ reddunt 1∪500. & fortaſſe hæc eſt origo antiqui talenti, quod 1500. vncias conſtat. Pondus enim menſurarum aquæ fuit prima ponderum norma. Nouimus autem iuxta antiquiſſimum vſum decem coniungi menſuras, atque illis nomen cuncta comprehendens imponi, vt nomen cori decem batis.

M. Et fortaſſe (quemadmodum cylindro vnius cubiti dempta fuit quinta altitudinis pars, vt ad commodiorem lebetis figuram reduceretur,) ſic cylindro dimidiati cubi fuit etiam dempta pars al-
B titudinis quinta: & ex 150. vnciis remanſerunt 120. qui eſt Rom. congius. Et fuit etiam Ægypti menſura, vt colligitur ex Plinio. Et probabile eſt menſuram etiam Hebraicam fuiſſe, ſiquidem octaua eſt Hebraici bati pars. Cùm autem hæc menſura 120. vnciarum fuiſſet quatuor in partes diuiſa, vnicuique parti impoſitum fuit nomen minæ Hebraicæ, nempe ſingulis vnciarum tricenarijs quæ eſt $\frac{1}{10}$ vnius bati.

N. Præter hæc, cùm Ægyptij recepiſſent menſuram amphoræ 960. vnciarum, voluerunt eam ad cubicam figuram reducere. Et ab eis Romani & amphoram & cubicam illius figuram deſumpſere: nomenque Romani pedis cubico amphoræ lateri dedere. Atque hæc videtur fuiſſe Romani pedis origo. Cùm enim compertum ſit Romanos ab Ægyptijs amphoram fuiſſe mutuatos, veriſimile valdè eſt quadrantalis etiam figuram ab eiſdem accepiſſe. Vide quæ ſupra diximus propoſitione 3. de modio (ſcilicet in figura cubica) Serapidis vertici impoſito ab Ægyptiis.

O. Ex quadrantali verò (id eſt amphora cubica) ortus fuit congius cubicus, octaua ſcilicet amphoræ pars; aſſumpto pro latere cubico, dimidio pede Romano. Et hinc etiam orta eſt 15. vnciarum menſura, quæ Rom. palmi cubus eſt. Atque hæc 15 vnciarum menſura fuit à Græcis pro ſextario vſurpata, vt Galenus & Plin. tradunt. Suam tamen ipſi metretam non conſtituerunt ex 48. ſextarijs (quemadmodum Romani) ſed ex 72. vt & Hebræi. Atque ita communis Græciæ metre-
C ta fuit vnciarum 1080. Ac lateri cubico huius metretæ indiderunt Græci pedis nomen, vt explicatum eſt ſuprà.

P. Sphæra minoris cubiti Hebraici capit omnino aquæ vncias 400. hoc verò videtur fuiſſe Hiſpani pedis initium ſiue origo, & Hiſpanienſis arrobæ ponderabilis quæ vncijs 400. conſtat.

Q. Iam, ſi forte Syra vnquam metreta extitit vnciarum 2400. eius ſextarius erat noſtra arroba ponderabilis. Sphæra autem alia, (cui ad ſphæram 800. vnciarum ſit eadem proportio, quam habet maioris cubiti Hebræi ſphæra ad ſphæram cubiti minoris) eiuſmodi (inquam) ſphæra capiet iuſtas 1600. vncias. eiuſque cylindrus 2400. Atque hæc potuit eſſe Syræ metretæ origo.

R. Libra Romana fortaſſis orta fuit ex diuiſione congij in decem partes quæ iuſtæ appellatæ libræ, & deinde libra diſtributa eſt in partes duodecim, eæque ſunt appellatæ vnciæ.

S. Mina Attica centum drachmarum, orta videtur ex diuiſione bati (cius qui pendet 100. vncias) in octo partes: eiuſmodique minæ quadrat pondus aquæ quam capit ſphæra vnius palmi ex maiori cubito Hebraico. Atticum autem talentum factum fuit diuiſo in duas partes antiquo talento. Atque vt talentum antiquũ ad maiorem cubitum Hebraicum, ſic talentum Atticum ad minorẽ cubitum.

T. Hebræorum Hin eſt ſexta bati maioris pars continens aquæ vncias 160. Eademque eſt noſtri celemini menſura. Romanus verò modius duos habet hines ſiue celemines, atque adeò capit
D aquæ vncias 320. Huiuſmodique modios ſex continet medimnus Atticus, qui & Romanus. Cui ſi detur figura cubica, eiuſmodi cubus erit duplus reſpectu quadrantalis ex Romano pede, atque adeò cubicum eius latus habebit eandem proportionem cum pede Romano, quam Hebraicus cubitus antiquus cum pede Hiſpano. Porrò hæc ipſa medimni menſura hodie etiam in Hiſpania in vſu eſt, appellaturque fanega.

V. Sanctus Epiphanius affirmat Romanos ab Hebræis deſumpſiſſe nomen atque menſuram modij. Quòd ſi, vt ipſe Epiphanius vult, vulgaris Hin aliquando extitit qui duos ſactæ menſuræ hines exæquaret, eadem menſura debet eſſe modij & vulgaris illius Hin. Nam ſacer hin capit aquæ vncias 160. modius verò 320.

X. Vncia duos omnino ſiclos appendit (vt infrà videbimus) vnde veriſimile eſt pondus vnciæ eſſe antiquiſſimum. Præſertim cùm conſtet Abrahami tempore pondus ſicli & dimidij etiam ſicli fuiſſe in vſu (vt videbimus propoſitione ſequenti.) Fortaſſe ergo vnciæ prima origo fuit, quòd batus ſphæræ ſemicubiti Hebraici antiqui in decem partes ſit diuiſus primùm, & deinde quælibet decima in alias decimas. Atque ita pro pondere vſurpata eſt centeſima prædicti bati pars, cui vnciæ datum eſt nomen à Romanis, eo quòd ſit duodecima ſuæ libræ pars. Eadem ratione Attici minam, (id eſt octauam illius bati partem) in drachmas centum diſtribuerunt, & ſimiliter ceteri omnes Græci, ſuas quinque minas ſecuerunt in drachmas item centum. Drachma enim eſt centeſima minæ pars. Et ex minarum inæqualitate orta eſt drachmarum inæqualitas.

Origo vncia, & aliorum ponderum.

Y. Arrobæ mensurabilis (quæ *cantara* etiam appellatur in Hispania, Romæ autem hodie *cangio* & capit aquæ seu vini vncias 512.) principium videtur fuisse iustum vnius vnciæ pondus, facta enim vnius vnciæ mensura ex aqua, facilè mox fuit mensuram octo vnciarum facere (vt norunt Mathematici) atque huius octo vnciarum pondus Latinis appellatur bes, nostris vulgo *Marco*. Duplicatisque lineis eadem facilitate facta est mensura vnciarum 64. quæ nobis dicitur *Azumbre*. Et iterum duplicatis facta est mensura vnciarum 512. A

Z. Libra Hispaniæ vnciarum 16. sub nomine minæ refertur à Cleopatra. Vnde patet eam quoque esse antiquam mensuram.

PROPOSITIO XIX.

Sicli Hebraici pondus fuisse quatuor drachmas Atticas, non solùm asseritur à Iosepho & Philone, sed ab omnibus etiam Græcis sacræ Scripturæ interpretibus. Sed fuit quoque vnius drachmæ siclus.

PROBATIO.

A. SVpponendæ hic sunt 1. & 11. propositio, quibus statutum est, pondus vnius vnciæ ex iis quæ hodie Romæ & in Hispaniâ sunt in vsu, esse idem prorsus cum antiqua Romanorum vncia, quæ 8. drachmas Atticas pendebat: ac pondera sacra non fuisse dupla respectu vulgarium, quemadmodum à nonnullis receptum erat. Ac deinde notandum. Hebraica pondera fuisse hæc quatuor, Obolum, Siclum, Minam, Talentum: de quibus nonnihil per ordinem dicemus. Sed de obolo satis sit annotasse, drachmæ pondus ab Atticis solitum fuisse diuidi in sex obolos: ab Hebræis autem idem omnino pondus in quinque tantum obolos fuisse diuisum. Ex quo efficitur obolos Hebraicos esse tantillo maiores Atticis; quamuis eis obolorum nomen ex vicino accommodatum sit ab interpretibus. Constat enim in S. Scriptura siclum viginti obolis æstimari. Quare obolum sacrum esse quintam drachmæ Atticæ partem, eandem habebit certitudinem, quam siclum esse iustum semunciæ pondus. B

Septuaginta interpretes non bene ab aliquibus offensi in didrachmi vsu.

B. In eo tamen magna occurrit difficultas in conciliandis 70. Interpretibus cum Iosepho & Philone. Iosephus enim & Philo quatuor illi drachmas apertè tribuunt: at Septuaginta sæpe eum didrachmum vocant: & eodem modo loquuntur Aquila, Symmachus, Theodotio & ceteræ omnes Græcæ editiones, & cum eis antiqui Patres, & præsertim Epiphanius ac Theodoretus. Quamuis Procopius Genes. 42. 14. siclo quatuor apertè tribuit drachmos. Huic difficultati vt satisfaciant nonnulli, respondent vulgarem siclum fuisse didrachmum, tetradrachmum autem siclum sanctum. Enimuerò perspicuum est siclum sanctum à Septuaginta didrachmum appellari, vt patet Exodi 30. 13. & Leuit. 27. 25. & apud Ezechielem cap. 45. 12. eum vocant σάμτον, siue staterem. Sicli autem vocem retinent Numer. 3. 47. & cap. 18. 16. Alij volunt hoc apud Septuaginta per incuriam & negligentiam irrepsisse, & pro tetradrachmo fuisse negligenter suppositum didrachmum. ita Georgius Agricola & Couarruuias. Villalpandus autem quamuis Septuaginta interpretes negligentiæ insimulare non audeat, saltem ait eos de iusti ponderis declaratione minimè curasse, contentosq. fuisse apponere nomen alicuius monetæ vulgaris pro sicli nomine, eo quòd rem parui momenti esse duxerint, iustum sicli pondus explicare. Additque eiusmodi consuetudinem, pondera alia pro aliis & mensuras pro mensuris aliis substituere, Septuaginta interpretibus indubitato fuisse. Mariana capite sexto affirmat, fuisse olim siclos duarum drachmarum, & siclos etiam tetradrachmos; frequentiores tamen fuisse didrachmos, atque inde proueniisse, vt promiscuè vterque siclus à Septuaginta didrachmi nomine compelletur, quemadmodum apud Hispanos familiare est, quoddam genus politorum laterum, vocare *azulejos*, quod cæruleolos sonat, non solùm eos qui cærulei reuera sunt, sed etiam ceteros omnes, licet albi sint aut virides, quia frequentiores solebant esse cærulei. C

C. Veruntamen quamuis magna sit B. Hieronymi, Philonis atque Iosephi auctoritas; si tamen Septuaginta in sicli pondere diuersam haberent sententiam, sola Septuaginta interpretum auctoritas maioris foret in hac re momenti, quàm auctoritas sancti Hieronymi, Philonis, Iosephi, & aliorum multorum, & quàm rationes illæ quæ ad probandum siclum sanctum tetradrachmum fuisse adduci possent. Tum quia multum interest quod attinet ad numerum testium inter Septuaginta, & inter tres siue etiam triginta, tum etiam quia Septuaginta fuere multò antiquiores, nec dubium quin rerum antiquarum maiorem adepti fuerint cognitionem. Deinde Septuaginta interpretes incuriæ aut ignorantiæ arguere, id verò perperam omnino fit. Ac nihilo plus satisfaciunt Villalpandi ac Marianæ responsiones. Cùm enim non minùs facilè sit, dicere tetradrachmũ quam didrachmum, cumque in promptu esset nomen quod sicli ponderi exactè responderet, magnæ certè oscitantiæ foret, illud vsurpare nomen quod ponderis ipsius dimidium significaret, si didrachmus singulatim denotabat duarum Atticarum drachmarum pondus, quod est dimidium ponderis sicli sancti. Non inficior in rebus aliquot parui referre, vtrùm vnum pondus pro alio ponatur, necne, si eiusmodi pondus aut mensura exempli gratia ponatur, vt, si prohibeatur, ne quis falsum batum, aut falsum chænicem apud se habeat. At verò cùm dicitur vnusquisque semissem sicli soluisse, tunc semissi dimidium pondus auferre, dato illi drachmæ nomine, id certè contra historiæ veritatem esse videretur. Dum autem fingitur nomen drachmi promiscuè & confusè tam ad duarum drachmarum quàm ad quatuor pondus accommodari, quod frequentiùs communi consuetudine, sicli D

duarum

Digitized by Google

A duarum drachmarum vsurparentur) id profecto non aliud est quàm duo supponere quorum neutrum subsistit. Alterum, siclos duarum drachmarum fuisse vsitatiores: alterum in communi vsu viguisse vt siclorum minorum nomen ad maiores extenderetur.

Drachmam Alexandrinam fuisse duplum respectu Attica.

D. Relictis ergo prædictis solutionibus, si deprehendatur nomen drachmi siue duarum drachmarum absolutè positum, omnino congruere ad semunciæ (quæ quatuor drachmas Atticas continet) significationem; constabit etiam Septuaginta debuisse didrachmi nomine vti ad quatuor drachmarum Atticarum pondus significandum, & tunc Philonis, Iosephi atque Hieronymi sententia, Septuaginta interpretum auctoritate validè confirmabitur. Noto ergo ipse, falli eos qui putant Septuaginta interpretes (qui Alexandriæ scripserunt) teneri ad hoc, vt drachmæ nomine de drachmæ Atticæ pondere loquerentur. Hoc enim perinde esset, quasi exigeretur ab eo qui Hispali scribit & cum Hispalensibus sua phrasi loquitur, ne carnium libram appellet eam quæ 32. vnciis constat (cuiusmodi libra apud Bæticos in vsu est:) propterea quòd Madriti & Salmanticæ triginta duabus vnciis non datur nomen vnius libræ, sed duarum. Quare vt propiùs ad rem ipsam accedamus, si constaret, Septuaginta interpretum tempore, Alexandriæ appellari solitam drachmam vnam, id pondus quod Attici duas drachmas appellabant, non alia certè responsio posset aprior optari ad vtramque sententiam conciliandam. Obseruandum est ergo Africanum & Iulium Pollucem (quo-

B rum verba referuntur in dictionariis, verbo Talentum) tradere, quamuis respectu drachmarum Atticarum huic talento tribuantur sexies mille drachmæ; illi plures, alij pauciores: omnia tamen talenta in hoc conuenire quod vnumquodq. habeat sex millia drachmarum sui generis: hoc est, vt talentum Æginæum sex mille drachmas Æginæas contineat, Babylonium totidem Babylonias, idemque de ceteris. Quam autem proportionem inter se habeant diuersa talenta, eadem etiam erat inter diuersas drachmas, verbi gratia, drachma Æginæa se habebat ad drachmam Atticam sicut 10. ad 6. pendebat enim decem obolos Atticos. Id quod communi eruditorum consensu receptum est, vt videre licet apud Marianam capite septimo. Et quidem varia esse drachmarum pondera notat expresè Plinius libro vigesimo primo, capite 34. notumque est drachmas à Dione accipi pro assibus. Nec minùs certum est drachmas ab aliquibus poni pro septimis vnciæ partibus. Quæ cùm ita se habeant, certum mihi est Septuaginta interpretes omnino debuisse drachmæ nomen pro duarum Atticarum drachmarum pondere vsurpare, ac proinde nummum eum qui quatuor drachmas Atticas pendebat, appellare didrachmum. Hoc (meo iudicio) validè probatur, quia Scripturæ talentum (de quo Septuaginta loquuntur) duodecim millia drachmarum Atticarum pendebat; ergo Scripturæ drachma duas Atticas drachmas continet. Huius argumenti consecutio ex authoritate Africani, Pollucis, atque omnium qui de drachmis scripsere, legitima est. Quamobrem id

C vnum supereſt probandum, talentum scilicet Scripturæ esse duplum respectu Attici talenti; atque adeò pendere drachmas Atticas 12 M. Id verò auctoribus probatur locupletissimis, non Epiphanio solùm & Doctoribus Ecclesiasticis, sed iis etiam omnibus qui asserunt talentum magnum respectu talenti Attici esse duplum. Sic autem tradunt Vitruuius, Halicarnassæus, Suidas, Hesychius apud Marianam cap. 7. Deinde Scripturæ talento minus ponderis attribui non potest, si admittamus, quod Iosephus affirmat, talentum scilicet Scripturæ constare centum minis (de quo infrà) & quod ait Epiphanius, nempe pendere libras 125. libras scilicet Romanas; & quod alii aiunt, nempe talentum Scripturæ esse 120. pondo, accepto pondo nomine pro centum drachmis Atticis.

E. Superest examinare vtrum hæc magni talenti consuetudo, atque adeò magnæ drachmæ (quæ respectu Atticæ sit dupla) viguerit apud Alexandriam, vbi Septuaginta suam scripserūt editionem? Ego verò ex ipsomet didrachmi nomine (quod Septuaginta interpretes tribuerunt ponderi quatuor drachmarum Atticarum) videor mihi certò colligere, talentum magnum (cuius meminerunt Vitruuius, Halicarnassæus, Suidas & Hesychius) fuisse talētum apud Alexandrinos vsurpatum. Constat enim ex Scriptura ter mille siclos efficere vnum talentum, (vt docti conuincunt efficaciter ex capite Exodi 38.) quapropter ea authoritas, quę probat Israëlis siclum fuisse pondere quatuor drachmarum Atticarum, ea ferè omnis persuadet hoc fuisse Alexandrinum talentum. Quandoquidem

D Septuaginta interpretes in ea vrbe scribentes siclo nomen didrachmi tribuunt. Etenim cùm constet, extitisse olim drachmas respectu Atticarum duplas, & Septuaginta de duplis drachmis loqui, sicut & de talento duplo, nihil poterat esse verisimilius, quàm eos, dum ponderi quatuor drachmarum Atticarum nomen didrachmi tribuunt, accommodasse sermonem ad eius prouinciæ, in qua scribebant, consuetudinem. Sed habemus præterea expressam Festi auctoritatem perspicuè asserentis Alexandrinum talentum pendere duodecim denariorum millia, quod idem atque duodecim millia drachmarum. Hoc autem ex Festo transcripsit Alexander ab Alexandro in suis Genialibus, vbi ait Alexandrinum talentum pendere 12 M. drachmas Atticas. Quare rectè ait Capellus libro de numis § 67. drachmā Iudaicam esse pōdus duarum Atticarum. Idem affirmat Ribera noster Amos 8. 15. & Pererius Gen. 23. 14. Facit quòd Epiphanius obseruat, sextarium Alexandrinum duas ex oleo libras capere. Probabile enim est, vbi sextariorum mensuræ erant magnæ, magna etiam fuisse talenta, & consequenter magnas drachmas.

F. Decipiuntur ergo planè qui putant drachmæ nomen apud Septuaginta de Atticæ pondere esse accipiendum, ignorantes in hoc drachmæ nomine non minorem græcè amphibologiam latere, quàm in nomine libræ apud Hispanos. Imo verò tanta fuit drachmarum diuersitas, vt oboli vnius Attici pondus (id est, sexta Atticæ drachmæ pars) Ægyptiæ nomine drachmæ fuerit aliquando appellatum. Constat hoc ex libello illo Cleopatræ; consonatque cum talento illo quod extitit olim mille drachmarum Atticarum; quod numismaticū fuit appellatum, de quo videri potest. Stanislaus fol. 63.

Huc præterea spectat Hispanorum consuetudo qui nomen *adarme*, quod idem est cum drachmæ nomine nonnihil corrupto, vsurpant pro semisse drachmæ Atticæ. Cur ergo similiter non credamus Atticos drachmæ nomine appellasse Alexandrinæ drachmæ semissem? Porrò quòd Hispani drachmæ nomen semidrachmæ Atticæ tribuamus, inde fortassis ortum est, quòd pondus vnciarum 375. consideretur vt paruum talentum. & facit quòd olim Marauedini dicuntur fuisse vnciales; & quod summam Marauedinorum 375. nuncupamus ducatum. huiusque valoris aurea superioribus annis fuere numismata. Adde quod Syracusanum talentum constat appendisse Romanas vncias 375. A

G. Quæ verò fuit olim in nomine drachmæ & talenti significationis varietas, eadem cum debita proportione extitit in nomine stateris & sicilici. Nam quamuis iuxta pondus Attici talenti duarum drachmarum Atticarum pondus appelletur sicilicus, nomen tamen sicilici deriuatum videtur ab Hebraico nomine sekel, quod est nomen sicli. & sicilicum appendentem semunciam, qui omninò respondet hebraico siclo, ponit Dioscorides agens de Veterinariorum ponderibus. Ac licet *stater* sit frequenter pondus drachmarum quatuor Atticarum; reperitur tamen stater duarum drachmarum. vt probat Stanislaus ex Polluce fol. 58. fi. Denique sicut in drachmæ pondere varietas extitit, ita etiam in pondere sicilici. Atque ita Xenophon l. 1. de Cyro meminit sicli pendentis Atticos obolos 7½. & Epiphanius meminit etiam sicli pendentis holcen, hoc est, drachmam Atticam (cum quo siclo consonat nostrum adarme nomen, siquidem sicilicus duplicis drachmæ nomen est.) Hesychius item Persicum siclum refert pendentem Atticos obolos octo, id est, drachmam vnam & tertiam alterius partem. B

H. Drachma igitur generatim loquendo est talenti $\frac{1}{6000}$ pars: & didrachmus siue sicilicus, quod est Hebraicum nomen ex *sekel*, iuxta morem Græcorum aut Latinorum inflexum, est vnius talenti $\frac{1}{3000}$. Quamobrem cùm talentum tam Alexandrinum quàm sacræ Scripturæ contineat vncias mille quingentas, necessarium erat didrachmi nomine, apud Septuaginta, semunciæ pondus denotari. Idem est enim didrachmus quod sicilicus. nempe vna ex tribus millibus vnius talenti partibus. Quod autem Iosephus & Philo magna tum distinctione, tum etiam inter se consensione variis in locis nobis ediderunt, illud est, drachmas duas sicli Israelitici idem pẽdere quod drachmas Atticas quatuor. Philoni verò non fuit satis id semel dixisse, nisi etiam ad peculiares summas descenderet ac diceret, 30. Israelis siclos esse 120. drachmas Atticas. Hoc tamen nequaquam Septuaginta interpretibus repugnat; sed potiùs exponit æqualitatem ponderis de quo ipsi agebãt. Iam quòd drachma talenti sacri fuerit $\frac{1}{6000}$ pars (id est vna ex partibus sex mille) eiusdem talenti, & quòd illa fuerit antiqua drachma, inde validè confirmatur quòd Hieronymus in re adeò insigni nusquam Septuaginta interpretes obiurgat, quamuis expressè affirmet, Israëlis siclum pẽdere Atticas drachmas quatuor. Sic enim ille docet Ezechielis 45. & Matth. 17. Septuaginta quoque interpretes recte fuisse de sicli pondere loquutos ex eo etiam confirmatur, quòd ceteræ etiam Græcæ editiones omnes cum illis mirificè consentiant. C

I. Præterea, quamuis Epiphanius confusè & promiscuè videatur fuisse loquutus (ait enim siclum fuisse didrachmum, & quartam vnciæ partem pendere: nec non fuisse olim siclum qui holcem siue drachmam vnam Atticam appendebat:) nihilominus disertis atque perspicuis verbis testatur, *talentum sacrum esse libras* 125. hoc est vncias 1500. Atque ita non potuit sanctus Doctor ignorare, Israëlis siclum esse semunciam. Certissimum enim est ex sacrâ Scripturâ, talentum esse idem quod ter mille siclos: neq; id ignotum esse potuit Epiphanio. Quamobrem quod asserit de siclo duarum drachmarum Atticarum, & de siclo etiam vnius drachmæ, intelligendum est omnino non de siclo integro argenteo, sed de nummis qui semisiclum argenteum, vel quartam eius partem pendebant. Huiusmodi enim nummi non probant integrum Israëlis siclum argenteum (loquor de antiquo) fuisse duarum drachmarum Atticarum, vel vnius drachmæ. Quemadmodum semiargentei quos videmus signatos, non indicant eos esse integros regales. At fortasse etiam loquitur Epiphanius de siclis auri ac fetri, de quo infrà.

L. Simili ratione explicari posse suspicor Theodoretum. Expende, quæso, verba eius in Leuiticum in fine, *didrachmum* (ait) *valet obolos viginti, tametsi nonnulli didrachmum staterem vocarunt.* quod est dicere, siclus quem 70. vocauere didrachmum, non est duodecim obolorum, quemadmodum didrachmus Atticus; sed viginti obolorum. Atque ita quamuis stater (pondus nempe quatuor drachmarum Atticarum) appelletur didrachmus; in ea tamen appellatione non est sermo de drachmis Atticis, sed de aliis maioribus, cuiusmodi erant Alexandrinæ. D

M. Nullus igitur superesse videtur grauis auctor qui probetur existimasse Israëlis siclum duas Atticas appendisse: drachmas, & conciliatio atque concordia Iosephi, Philonis, Procopij, Hieronymi & Septuaginta interpretum, euidenter ostendit verum sicli pondus fuisse quatuor drachmarum Atticarum. Iosephi loci sunt libro 3. Antiquitatum cap. 12. (aliàs 10.) & 7 de bello cap. 26. fi. Et quamuis prior locus addito mox libræ nomine videatur obscurari: græcè tamen & in Gelenij versione non est libræ nomen. Philonis locus insignis est tomo 2. lib. de decalogo, vbi de specialibus legibus. ibi verò pro 50 siclis ponit 200. drachmas: pro 30. siclis drachmas 120. & similiter in aliis summis, licèt autem in Latina versione non sit nomen drachmarum, sed argenteorum solidorum: Græcè tamen nomine drachmarum vtitur Philo. Locus Procopij est Genes. 23. 14. Beatus autem Hieronymus (Ezechielis 45. & Matth. 17.) disertè ait, siclum esse idem cum stratere, quatuorq; illum pendere drachmas: octo verò drachmis Romanam vnciam componi. Similiter exponunt Hesychius & Cleopatra nec non antiqui Rabbini, vt Rabbi Iechaias in tractatu de monetis, vbi ait, *Cognouimus ex Kabalà siclum sanctum pendere trecenta & viginti grana hordei.* Hæc ille quem refert Gaspar Waserus. & verò

certum

A certum est hordei grana 320. explere Atticarum quatuor drachmarum pondus Præterea in hoc eodem sicli pondere conueniunt Antonius Augustinus, Masius, Arias Montanus, Marianus Victorius in indice Hieronymi Romanæ editionis verbo Siclus, & noster Villalpandus.

N. Præterea, hi postremi auctores quinque, eo in primis argumento nituntur, quòd antiquos siclos apud se habuerint atque appenderint. Certè Villalpandus confirmat septem siclos antiquos se habuisse, quorum nulli quidquam deerat ad iustum semunciæ pondus. Verum enimuerò hæc omnia numismata arbitror non tanti esse, quanti auctoritatem & consensum Iosephi, Philonis, Hieronymi & LXX. interpretum. Nec enim illi aut veritatem ignorare potuere, aut si diuersi inter se forent, adeò facilè à nobis conciliari potuissent. Numismata autem illa posset suspicari quisquam, vel omnia vel pleraque illorum esse noua & pro antiquis supposita. Atque id ipsum quod tanti Villalpandus facit, (scilicet nullum eorum septem numismatum quæ ipse habebat, aliquâ vel minimâ semunciæ ponderis parte destitui) nonnullis suspicionem facit, non solum illa antiqua non esse, verùm neque satis callidè fuisse pro antiquis conficta, ab eo qui illa Villalpando aut suis amicis obtrusit. Etenim ad tectam fraudem congruentius foret, si eorum pondus nonnihil esset imminutum, vt post bis mille annorum decursum, futurum fuisse videbatur. Quamobrem Ariæ Montani & Mariani Victorij numismata verisimiliora fortasse sunt; vtpote quæ nonnihil erant attenuata & exesa. adeò vt ipsi persuaserint sibi, iustum antiqui sicli pondus non fuisse integræ semunciæ, sed aliquantillo minus. Ita sanè Arias: qui id ponderis reducit ad pondus 4. drachmarum ex iis quibus superiori æuo pharmacopolæ vtebantur. hæ enim aliquanto erant minores octauis vnciæ Romanæ partibus. & Marianus Victorius ea quatuor Iuliis Romanis comparat, qui sunt etiam octauis vnciæ minores.

B

O. At enim quamuis pro certo constaret, illa numismata vera esse & antiqua; ex illis tamen non video qui posset probari ea fuisse simplices siclos. vt enim nunc argentei simplices regales cuduntur, nec non duplices, quadruplices & octuplices, ita credi fortasse posset siclos quondam & simplices & duplices fuisse cusos. & facit quòd Arias Montanus ex Rabbi Moyse Gerundensi adducit, nempe illum apud se duo Hebraica antiqua numismata habuisse, quorum alterum drachmas duas, alterum quatuor pendebat. Tametsi autem Moyses iste Rabbinum Salomonem sequutus sibi persuaserit siclum quadruplicis drachmæ fuisse integrum & simplicem: alterum verò sicli semissem: verùm qui opinaretur Septuaginta interpretes integro siclo duas non ampliùs drachmas Atticas tribuisse, posset respondere, nummum illum qui duas pendebat drachmas Atticas fuisse siclum integrum ac simplicem: qui verò quatuor pendebat, fuisse duplicem. Idemque posset opponi numismatis Villalpandi, nisi fortè in eis ipsis explicetur simpla illa esse & non dupla. Sed quis hoc ex characteribus poterit euidenter colligere? Multo ergo solidior est comprobatio quæ ex tot tamque gratiis auctoribus vnà conspirantibus desumitur. Sed *vtrumque simul melius.*

C

Additio de distinctione siclorum, siue de maioribus & minoribus siclis.

A. SVpereſt expendere an vncia quoque integra appellata sit siclus, & an quarta eius pars, & octaua quoque (id est drachmæ Atticæ pondus) sicli nomen obtinuerint, & primùm non videtur inconueniens, vt sicut mina diuersimodè accipitur, nimirum pro quindecim siclis, pro viginti, & pro 25. atque etiam pro sexaginta, vt sequenti propositione constabit; sic etiam siclus variè vsurpatus sit. Deinde vnciam integram sicli nomen obtinuisse auctor est Hieronymus in quæstionibus Hebraicis in Gen. c. 24. Ab Hieronymo autē accepere Isidorus & Beda qui siclū vncialem faciunt. Ea verò opinio videtur cōfirmari posse ex ipso textu Gen. 24. 22. vbi legimus *inaures aureas appendentes siclos duos.* Nam prō duobus siclis hebraicè est nomen *bace* quod dimidium sicli sonat. Est enim eadem vox Exod. 38. 25. vbi agitur de dimidio siclo quē singuli milites obtulerunt. Ac vt Vulgata lectio nō discordet à sensu Hebraicæ lectionis, dici solet duos siclos quos legimus in Vulgata, esse pondus ambarū inaurium, accepto sicli nomine pro pondere quatuor drachmarum Atticarum; vt sensus sit ambas inaures pependisse integram vnciam. dimidium autem siclum lectionis Hebraicæ esse dimidium sicli vncialis, atque id fuisse pondus singularum inaurium. & saltem in ære & ferro sicli pondus fuisse vnciale & interdum maius, opinio est Stanislai ex Rabbi Kimhi. quibus fauere videtur ferrum hastæ Iesbibenob 2. Regum 21. 16. quod pendebat 300. vncias ibi enim 70. interpretes posuere siclos 300. verùm hæc ponderis concordia non admodum probat: quia Hebraica neque sonant vncias neq; siclos: & sæpe aliàs in numeris non parum differt Vulgatus à 70. interpretibus.

D

B. Vtcunque id sit, vnciali siclo proxima est Ioannis Theutonici sententia, qui siclo tribuit pondus septem drachmarum Atticarum, vno obolo excepto. nititurque in eo quòd iuxta suam computationem vna drachma pendet tres obolos ex illis viginti quos pendet siclus.

C. Nihilominus istæ opiniones quæ siclo tribuunt vel octo drachmas integras, vel septem fermè; non videntur recipiendæ. Quia manifestè aduersantur Iosepho, & Philoni, Septuaginta interpretibus, & Hieronymo ipsi duobus in locis suprà indicatis, & vno verbo vniuersæ fere antiquitati. Quare Hieronymi locus qui pro vnciæ pondere citatur, omnino videtur vitiatus librariorum errore; nisi fortasse fuit ipsius Hieronymi incogitantia, aut memoriæ lapsus. Isidorus autem & Beda decepti sunt putantes eam fuisse Hieronymi sententiam: cùm tamen ipse semel & iterum siclum definierit esse quatuor drachmarum Atticarum pondus. & nec probari alicunde possit ex sacra Scriptura siclus maior tetradrachmo; neque locus ille Genesis 24. 22. ei sententiæ fauet, vt constabit infrà. Nihil verò minùs verisimile quàm siclos æris ac ferri fuisse vnciales. sequeretur enim loricam illam Philistæi (cuius meminit Scriptura 1. Regum 17. 5.) pependisse vncias 50. *De lorica Philistæi, 1. Reg. 17. 5*

hoc est arrobas ponderabiles 12½ (quas vix validus mulus portare posset) idque onus vix fuisset dimidia pars ponderis armaturæ vniuersæ quam gerebat Philistæus ille. Simul enim gerebat cassidem æream super caput, ocreas æreas in cruribus, clypeum æreum, & hastam cuius ferrum pendebat siclos sexcentos. A

D. Sanè ex hac ergo armatura potiùs colligerem fortasse siclum æris & similiter ferri siclum, duas solùm pependisse drachmas Atticas. Nam ei quoque ponderi sicli nomen fuisse communicatum autor est Epiphanius & alij non pauci. & si quis etiam optet inuenire rationem qua lorica prædicta non plus pendeat quàm arrobas tres octauam & alterius partem; non erit admodum difficile ei voto satisfacere, quia licet argenteus siclus in sacra Scriptura frequentissimè ponatur pro dimidiæ vnciæ pondere; in aliis tamen metallis verisimile est non semel poni pro octaua vnciæ parte quam drachmam Atticam appellamus. Certè in auro id mihi non solùm verisimile apparet, sed etiam fetè certum. Primò quia cùm Epiphanius asserat fuisse apud Hebræos siclum qui non plus pendebat quàm holcen siue drachmam, ratio postulat vt ad maximè pretiosum metallum, & cuius minor est copia, eiusmodi vsum præcipuè referamus. non quòd nunquã siclus auri quatuor drachmarum fuerit, sed quòd non semel aureus nummus, octauam vnciæ pendens, siclus auri appelletur. Secundò, quia prædicta concordia vulgatæ lectionis cũ *bace* Hebraico (Genes. 24. 22.) coacta est; tum quòd supponat rem minimè probabilem (nimirum siclum vncialem) tum quòd velit interpretem loqui de ambabus inauribus simul sumptis, Hebraicum verò textum de singularum pondere. Adde quòd supponit etiam *bace* eo loci poni pro semuncia; Exodi verò 38. 25. pro quarta vnciæ parte. Sane optabile est inuenire rationem quæ aptè conciliet vulgatam lectionem cùm Hebraica, & vtramque exponat de pondere singularum inaurium, ac nomen *bace* accipiat pro eodem Genes. 24. 22. & Exodi 38. 25. Hæc autem omnia mirificè cohærent, si dicamus vtrobique *bace* esse quartam vnciæ partem, siue dimidium communioris sicli: & hoc ipsum pondus significatum fuisse à Vulgato, cùm dixit, *appendentes duos siclos*: quia nouerat sicli nomẽ in auro accipi solere pro holce siue drachma, qua ratione duo aurei sicli tantundem omnino pendent ac bace, siue dimidius argenti siclus. In hac autem phrasi videtur Vulgatus imitari voluisse eam Septuaginta interpretum versionem, quam Hieronymus refert in quæstionibus Hebraicis in Genes. c. 24. nempe *tulit vir inaurem auream, didrachmum pondus eius*. Vbi manifestum est vnicuique inauri tribui duas drachmas. Non me latet Sixtinam Septuaginta interpretum lectionem in textu ponere, *sumpsit homo inaures aureas singulas drachmarum ponderis*: & sic quoque legisse S. Ambrosium. Sed ista lectio non continet diuersum sensum. quia vt suprà vidimus, Septuag. duabus drachmis Atticis solent quoque vnius drachmæ nomen dare ea phrasi qua siclum argenteum, quatuor drachmas Atticas pendentem solent appellare didrachmum, eo quòd drachma Alexandrina duas Atticas penderet. Atq; ità explicationis gratiâ substituit aliquis eam lectionem quam Hieronymus vidit ac refert. B C

Siclus in auro aliquando est idem quod drachma Attica.

Bace Hebraeo quid sit Gen. 24. 22.

E. Suspicor desiderari adhuc à lectore locum alium qui clariùs demonstret octauam vnciæ partem appellari aliquando siclum. Expectet (quæso) tantispet commodiùs enim à me id explicabitur in fine propositionis vigesimæ. Interim dico, non videri dubitandum quin sicut hodie cuduntur in Hispania aurei simplices, & duplices quoque, sic etiam apud Hebræos cuderentur olim. Nec desunt qui putent eiusmodi aureos nummos (quorum singuli duas Atticas drachmas pendebant) esse illos qui frequenter appellabantur aurei sicli: atque adeo, vbi occurrat aureorum siclorum numerus, ad eiusmodi aureos plerumque referendum esse. Sanè apud Romanos constat aureorum nomen non aliter accipi solere quàm de didrachmis, atque adeò vnum aureum Romanum vigintiquinque denariis æstimatum testatur Dio l. 48. Vnde decies sestertium, idem est quod decem aureorum millia, siue denariorum 250. vtrumuis enim idem valet quod decies centena millia sestertiorũ, quod propriè significat phrasis illa præcisa. Sed redeo ad aureos didrachmos. Grsepsius opinatur idem fuisse pondus siclorum aureorum apud Hebræos quod apud Romanos in nummis aureis. Sed non video quàm solidè id ab eo probetur. Mihi enim constat siclorum auri numero aliquando denotari drachmas Atticas. Nec verò dubito quin frequentior vsus fuerit vt sicli aurei nomine intelligeretur pondus drachmarum quatuor, quemadmodum & in argento. Nec satis esset ad confirmandam Grsepsij opinionem quòd reperirentur aliqui aurei Hebræorum nummi didrachmi. cuduntur enim nummi didrachmi & semisses & duplices, & nihilominus in communi vsu numerus non sumitur ex semissibus, neque ex duplicibus, sed ex simplicibus integris. D

Aureus Romanus antiquus duas pendebat drachmas.

PROPOSITIO XX.

Mina Hebraica maior pendebat triginta vncias, sed eius partes quas designat Ezechiel c. 45. 12. dicebantur etiam minæ.

A. LOcus Ezechielis sic habet, *viginti sicli, & viginti quinque sicli, & quindecim sicli minam faciunt*. Ex quo loco perspicuum esse videtur libram seu minam Hebraicam (quæ appendebat sexaginta siclos, vt expresè docet Hieronymus ibi & Iosephus l. 14. c. 13.) tribus distinctis constare ponderibus, quorum vnum pendebat 15. siclos (id est vncias 7½) aliud 20. siclos, & aliud 25. vt bene Pagninus, verbo מנה. Appositè autem diuidebatur in illa tria pondera, vt illis ponderari commodè posset duodecima pars minæ. nec non sexta, tertia, quarta & ceteræ vsq; ad ½. & addito ponduſculo quinque siclorum ponderantur partes omnes singulatim ab vna vsque ad duodecim.

Minarum diuersitas & origo.

B. Deinde ex tribus illis ponderibus originem duxisse videntur celebres Græcorum, Romanorum, & Alexandrinorum mensuræ. Nam in primis mina Attica pendet 25. siclos Hebraicos, hoc

est

A est centum drachmas Atticas. Secundò hemina siue cotyla Alexandrina in aquæ aut vini mensura adæquat omninò pondus 20. siclorum qui reddunt vncias decem. Eademque est mensura Romana semisextarij. Tertiò cotyla Attica illius libelli de ponderibus & mensuris qui Galeno & Dioscoridi solet adscribi, in mensura aquæ seu vini prorsus æquiparat pondus siclorum 15. nempe vncias $7\frac{1}{2}$. Quartò cotyla siue hemina attica, (cuius fit mentio in veris Galeni libris) in oleo idem pondus vnciarum continet, septem & semis.

C. Quemadmodum insuper apud Hispanos nunc & in aliis prouinciis mensuræ liquidorum cum ponderibus confirmantur (nam & vini quartarius, & olei mina Hispana, vulgo *panilla*, pondus æquant vnciarum 16. quæ est Hispana libra: ita etiam antiquæ Hebræorum, Græcorum & Romanorum mensuræ similiter conformantur cum aliquo ex tribus illis Hebraicæ minæ ponderibus, vel cum illius partitione aut multiplicatione. & in nomine quidem minæ à Græcis & à Romanis recepto; atque etiam in nomine heminæ, seu dimidiæ minæ, aliquod restitit vestigium ex quo appareret pondera & mensuras Græcorum ac Romanorum ab Hebraicis ponderibus dimanasse. Nam minæ nomen Hebraicum est, & pondus siue numerum significat. ac in numeri significatione habitus fuit respectus ad numerum siclorum quos mina pendere debet.

D. Pagninus verbo מנה affirmat laicam minam fuisse siclorum sexaginta. minam verò sanctuarij
B fuisse duplam, hoc est siclorum 120. hæc tamen distinctio inter pondera sacra & prophana, iam suprà impugnata est propositione vndecima. Præterquàm quod vanum est omnino existimare, Ezechielem de mina prophana & de siclis agere sanctis, cùm statuit minam pendere sexaginta siclos.

E. Adhæc non solùm Græci ac Romani suis ponderibus & mensuris nomen minæ indiderunt; sed Hebræi etiam videntur non solùm minam nuncupasse pondus 60. siclorum (quæ sunt vnciæ triginta) sed etiam pondus siclorum quindecim; ac pondus 20. & pondus 25. siclorum, vnumquodque seorsum acceptum. Sic videmus in Hispaniâ vocari libram quæ vnciis constat sexdecim, & apud Gallæciam eôdem nomine nuncupari eam quæ 20. pendet vncias: & apud Bæticos eam quæ est vnciarum 32. ac demum in regno Nauarræ libra est vnciarum 36. Apud Hebræos autem peculiaris extitit ratio in nomine minæ. quia *mina* etiam illis idem significat quod Latinis pars (qua de re multa in thesauris Hebraicis exempla.) Quare non fuit coactum quod partes minæ eôdem minæ nomine ab illis appellarentur. vsus verò illorum ex Iosepho constat. Ille ergò l. 14. c. 13. *Mina* (inquit) *apud nos duæ & semis libræ existimantur*, hoc est vnciis 50. & l. 7. c. 8. agens de Absalonis cæsarie quæ ducentos siclos appendebat, (vt habetur 2. Reg. 14. 26.) ait, pondus siclorum 200. facientium 5. minas: vbi liquet singulis minis Iosephum eo loci siclos 40. tribuere Idem l. 3. c. 10. loquens de candelabro à Mose facto quod vncias 1500. siue ter mille siclos pendebat, ait pondus illud
C vocari talentum. pendere autem 100. minas. vbi singulis minis obueniunt quindecim vnciæ. nisi fortasse in hanc summam mendum obrepserit (de quo infrà.)

F. Postremò aduerte, prædicta illa tria pondera ab Ezechiele distincta eam inter se proportionem seruare quam habent hi tres numeri 3. 4. 5. His verò Hebraica mina in duodecim partes æquales (singulas siclorum quinque) partitur. vnde duxit fortassis originem diuisio libræ apud Romanos in partes duodecim quas vncias appellarunt. Sic enim quinque sicli (quibus redimebantur primogeniti) pars erant minæ duodecima. & forsan Hebræi in ea diuisione ad tribus duodecim habuere respectum.

De mina argenti & auri.

G. QVamuis verum sit minæ nomen quadrupliciter accipi posse, nempe pro pondere 15. siclorum, pro 20. pro 25. & pro 60. siclis: vbi tamen sermo est de mina pecuniæ; omnino videtur receptum fuisse apud Hebræos vt mina frequenter acciperetur pro mina 25. siclorum. Sic expressè docet paraphrasis Chaldaica Ezechiel. 45. 12. ait enim, *Tertia pars minæ 20. siclos habet; mina argentea 25. siclos; quarta pars minæ 15. siclos habent, omnes sexaginta sunt mina magna.* In argento ergo (id est, in pecunia; nã argenti nomen etiam aureæ pecuniæ tribuitur (eadem erat apud Hebræos mina quæ apud Atticos,
D quibus mina fuit drachmarum centum pondus, idem nempe quod siclorum 25.

Mina pecuniæ eadem apud Hebræos quæ apud Atticos.

H. Confirmatur hic vsus ex pondere auri quo erant tectæ peltæ illæ de quibus 2. Regum 10. 17. vbi quamuis in plerisque Vulgatæ editionis libris legamus, *trecenta mina auri vnam peltam vestiebant*, eum tamen locum librariorum incuria esse vitiatum, iam alij *ante me obseruarunt, non dubitantes quin Vulgatus interpres *tres minas* posuerit; non trecentas. Idque non solum ex eo probant; quòd tres solum minas legamus in Hebraicis, Græcis & Chaldaicis codicibus; sed etiam ex ipsa Vulgata 2. Paralipom. 9. 16. vbi manifestè de eisdem clypeis siue peltis est sermo, & sic legimus, *Trecentis aureis tegegantur singula scuta.* Quo loco si trecenti aurei accipiantur de totidem drachmis optimè conuenit aureorum numerus cum tribus minis quæ eorum loco ponuntur 3. Regum 10 17. accepto minæ nomine, quemadmodum in argento & auro plerunque accipiebant Hebræi. Nihil autem vsitatius quàm aureorum nomẽ absolute positũ ad nummos siue drachmas aureas referri. Adde quod contextus cogit vt 300. aurei sint trecenti nummi, non solùm quia violentum est & nullibi vsitatũ, *vt aureus* minam denotet. sed etiam quia irrationabile est, vt aureorum nomen aliter accipiatur in clypeis & aliter in hastis, de quibus ibidem agitur hoc verborum tenore, *fecit Rex Salomon ducentas hastas de summa sexcentorum aureorum qui in singulis hastis expendebantur*, vbi in confesso est non tribui singulis hastis sexcentas auri minas, sed sexcentorum nummorum pondus. ergo eodem modo accipiendum est aureorum nomen, cùm subditur *trecentis aureis tegebantur singula scuta.* Adde, quòd ratio ipsa palam ostendit prorsus esse incredibile trecentarum minarum pondus in singulis clypeis. Hæc enim sum-

3 Reg. 10. 17 non esse legendum, trecentæ minæ, sed tres minæ. *Mariana de ponderibus fol. 43.

ma, vt minimum pendet duo talenta Hebraica, vt fatetur Villalpandus to. 2. fol 526. & alibi obser- A
uat ipse, eiusmodi pondus ab vno homine portari non posse. Neq; satisfacit dum ait, eos homines qui adeò graues clypeos portabant, fuisse valdè robustos iuuenes equis insidentes. Primum enim, ex 2. Paralip. 12. 10. constat, hæc scuta data fuisse principibus scutariorum qui custodiebant vestibubum palatij; illosque eis scutis insignitos solitos fuisse comitari regem cum introibat in domum Domini: ergo pedites, non equites. Deinde, siue peditibus siue equitibus intolerabile scutum esset quod duo penderet talenta, hoc est arrobas nostræ consuetudinis septem & semis. Adde quòd si aurum singulorum clypeorum duo penderet talenta, necesse esset vt clypei singuli plus penderent quam talenta 4. (hoc est arrobas 15.) constat enim ea scuta non appellari aurea quòd nullam aliam haberent materiam, sed ideò solum quòd tecta essent aureis laminis. Patet hoc primò ex ipsa Vulgata 2. Paralipom. 9.16. vbi legimus *Singula scuta trecentis aureis fuisse tecta.* ac de laminis quibus ea tegebantur expressa est mentio 3. Regum 10. 16. Deinde ex Hebræo id etiam manifestè constat, ex quo si verbum verbo, legimus, *ascendebant super vnum clypeum* 300. *aurei* & similiter transtulerunt Septuaginta interpreres 2. Paral. 9. Ergo scutum ipsum ex alia erat materia, quamuis aureis laminis tectum esset: atque adeo, vt minimum penderet quatuor talenta, si aureæ laminæ quibus tegebatur duo talenta pendebant. Atqui neque robustus mulus tantum oneris portare potuisset. Ergo vera lectio Vulgati interpretis 3. Regum 10. 17. non est, trecentæ minæ, sed, *tres minæ auri vnam peltam vestiebant.* Nullæ autem aliæ fingi possunt, quæ faciant trecentos aureos, nisi minæ 25. siclorum: (ex B
quibus tres minæ sunt eadem summa quæ drachmarum auri trecentarum.) ergo de huiusmodi tribus minis, ac de eiusmodi trecentis aureis loquitur Vulgatus.

I. Habet iam lector (nisi fallor) quod in præcedentis propositionis fine promisimus, nempe locum aliquē quo efficaciter probetur siclum auri aliquando poni pro nummo aureo pendēte drachmam Atticam, quales ferme cuduntur hodie. Animaduertat ergo sic legi in Vulgatâ, *Fecit rex Salomon*
2. Paral. 9. versu 15. & 16. *ducentas hastas de summa sexcentorum aureorū quæ in singulis hastis expendebantur. trecenta quoq; scuta aurea trecentorum aureorū quibus tegebantur singula scuta.* In hoc contextu quis non videat idem genus nūmorum aureorum designari in summa sexcentorum aureorum, & in trecentis aureis quibus tegebantur singula scuta? Ergo cum efficaciter probatum sit, trecentos aureos esse drachmas aureas, negari non potest, quin sexcenti quoque aurei sint totidem drachmæ, atqui ijdem sexcenti aurei appellantur à Vulgato *aurei sicli* 2. Reg. 10. 16. ergo aliquando *aureus siclus* ponitur pro nummo aureo drachmam pendente, quod nos probaturos recepetamus. Si quis verò obiiciat, prædicto loco non esse in Hebræo nomen sicli, sed solum aurei nomen; satis mihi est inde colligere, nummos auræos Hebræorū fuisse eiusdem fere ponderis cum nostris, & eos à vulgato interptete appellatos fuisse siclos 3. Reg. 10. 16. C

L. Sed morabitur fortasse aliquem discrimen aliud quod non spectat ad massam vel aureorum summam: sed ad hastarum figuram. nam quæ appellantur hastę ducentæ 2. Paral. 9. 15. eædem appellantur ducenta scuta 3. Reg. 10. 16. & quidem vtrunque in ipsa Vulgata. Villalpandus noster, vt hos conciliet locos, tomo 2. fol. 526. suspicatur hastas (de quibus 2. Paral. 9. 15.) non esse aliud quàm scuta quæ in vmbonibus ipsis singulas habeant cuspides, cuiusmodi hodie etiam sæpe visuntur. Verùm coactum valde est ipsa scuta appellari hastas propter vmbonum cuspides. Quare ego potiùs dixerim, sub altero nomine comprehendi alterum, phrasi apud nos vsitatâ, & vtrumuis dicas, vtrumque intelligi. Qui enim audit in fronte alicuius exercitus positas fuisse ducentas longiores hastas. (*doscientas picas*) non aliud concipit quàm si audiret, ducentos ferreos thoraces, (*doscientos coseletes.*) ijdem sunt qui gerunt thoraces ferreos & hastas longiores. Similiter ergo hasta & scutum. erat integra vnius hominis armatura. Atque vt intelligeretur & hastas & scuta illorum ducentorum fuisse auro tecta, cum bis eadem historia narranda foret, alibi expressæ sunt hastæ, & alibi scuta: vtrumque enim voce Hebraica comprehendebatur. Et similiter cum trecentis peltis, (hoc est minoribus scutis & lunatis fortasse) aliud quoque armorum genus intelligendum est, quod hastis vel gladiis respondeat. Suetonius in Nerone c. 44. coniungit peltas & secures. D

M. Verùm maius est mihi cum amico discrimen in auri pondere. Ille enim conatur persuadere, sexcenta sexaginta sex talenta insumpta fuisse in ducentas hastas ac trecentos clypeos. Et quoniā non inuenit qua ratione pendere possent plusquàm 640. auri talenta; existimauit reliqua 26. talenta fuisse mercedem laboris aurificibus datam. Pondus autem talentorum auri 26. est idem quod nostrorum aureorum 231U500. excedit hoc (fateor) meam fidem. & totum aurum quo ducentæ hastæ ac trecentæ peltæ sunt vestitæ, non plus pendet quàm auri drachmas 210U. siue talenta Hebraica $17\frac{1}{2}$. Neque ad hastam & scutum eius auro tegenda parum mihi videntur drachmæ sexcentæ, quia auri laminas non oportebat esse crassiores, sed potius admodum subtiles, ac operis & artificij admirandi. Quoniam verò peltæ sunt multo minora scuta. ideo illarum singulis auro tegendis satis fuit dimidium auri ponduſ respectu scutorum atque hastarum.

PRO-

Digitized by Google

A

PROPOSITIO XXI.

Antiquum sacræ Scripturæ talentum, ter mille siclorum fuit, non maius.

EXPLICATIO ATQVE PROBATIO.

A. SI vera esset eorum opinio, qui siclos vnciales fuisse putant; talentum quoque pari ratione apud Hebræos fuisset trium vnciarũ millium; hoc est arrobarum 7½. Sed ex libro Exodi in quo prima est talenti mentio, satis probatum est siclos semuncias esse, ac vnicuique talento obtingere tria siclorum millia ex eo probatur efficaciter, quod trecenta siclorum millia faciunt talenta centum, (vt docti censent expressum esse Exodi 38. 26. 27. & 28.) Etenim 603 U 500. milites semisiclum singuli obtulere, ac summa oblationis fuit talentorum centum, & insuper siclorum 1 U 775. Atque ita necesse est vt 600 U. semisicli (id est 300 U. sicli) faciant talenta centum, atque adeò vt singulis talentis obueniant 3 U. sicli, Neque contendi potest ab aliquo reperiri in sacra Scriptura talentum aliquod maius quàm illa Exodi talenta, de quibus videri possunt eo loci interpretes; nec non Stanislaus opusculo de siclo & Villalpandus noster Ezechielis tomo 3.

B

B. Cohæret cum hac computatione quòd sicilici nomen omnino videatur deriuatum à nomine Hebræo *Sekel*. Ac quamuis Attici sicilici pondus sit subduplum respectu Hebraici *Sekel* (quemadmodum etiam drachma Hebraica, sicut & Alexandrina, pendet duas Atticas drachmas) semper tamen seruatur eadem proportio, nimirum vt tria millia sicilicorum, talenti appellationem habeant: videlicet vt talentum Atticum constet 3 U. sicilicis Atticis, Hebraicum Hebraicis, & sic de ceteris. Accedit quòd 4. Reg. 5. 23. singulis pueris imposita sunt talenta singula præter vestis pretiosæ donum. Si verò talenta singula penderent vncias 3 U. (hoc est arrobas Hispanicas) septem & semis, onus foret intolerabile.

C

C. Manet ergo sacrum talentum pendere vncias mille quingentas: atque adeò decepros proculdubio fuisse quicunque ei dedêre tria vnciarum millia. Oportet tamen vt ab eorum argumentis nos expediamus Primum argumentum desumitur ab auctoritate Iosephi qui cùm 3. Antiquit. c. 10. dixisset candelabrum aureum quod fecit Moyses, centum minas ponderis habuisse; atque hoc centum minarum pondus appellari hebraicè *Cicar*, græcè talentum: postea 14. Antiquit. cap. 12. (aliàs 13.) ait Hebraicam minam duas & semis pendere libras, atque adeò 30. vncias, siue siclos sexaginta, vt habetur Ezechielis 45. 12. Si ergo singulæ minæ continent vncias triginta, plane centum minæ (quæ faciunt iustum talenti pondus) continebunt tria vnciarum millia, siue drachmas Atticas 24 U. Ad hoc argumentum respondetur, non potuisse ignorari à Iosepho; Exodi talentum esse idem quod tria siclorum millia. Quare quod ait, talentum pendere 100. minas, ita exponi aut corrigi debet, vt sacræ Scripturæ non aduersetur. Primum ergo probabile est, Iosephum ibi de minis quindecim vnciarũ loqui, vt explicat Villalpandus noster. Et harum etiam minarum diserte meminit Dioscorides, vbi de ponderibus Veterinariorum. Atque ab antiquis temporibus conseruabatur apud pharmacopolas in Hispania eiusmodi mina vsque ad Philippi II. tempus, ipsorum enim libra quindecim pendebat ex communibus vnciis, quamuis eam ipsi in sexdecim suas vncias diuiderent, quarum singulas deinde in nouem partiebantur drachmas. Vidimus autem propositione 20. quàm sit verisimile, ab Hebræis olim minæ appellationem non solum fuisse tributam ponderi sexcentorum siclorum, sed etiam singulis illis tribus partibus quas assignat Ezechiel, hoc est, 15. siclis. 20. siclis, ac 25. Forsan ergo similiter appellabant minam pondus 30. siclorum. siue vnciarum 15.

Quot minas tribuat Iosephus talento.

D

D. Secundo respondeo, proximiùs verò mihi videri Iosephi textum eo loci, impressorum incuriâ vitiatum esse; & vbi legimus *centum minas*, legitimam lectionem esse 120. *minas*. Ac primùm nemo mirari debet, Iosephi textum non paucis scatere mendis in summis quas refert. libro enim 3. c. 12. (vbi siclo tribuit quatuor drachmas Atticas) dum refert numerum eorum qui dimidium obtulêre siclum, eos ait fuisse 605 U 550. vbi certo certius est debere legi non 5 U. sed 3 U. Præterea 8. Antiq. c. 6. dum refert auri talenta Salomoni donata à Regina Saba, ait, ea fuisse *viginti*, vbi manifestũ est debere legi centum viginti; & plerisque aliis mendis scatere Iosephi codices, præsertim in summis numerorũ, notarat Villalpandus to. 3. fol. 411. fi. Deinde quindecim vnciarum mina neque videtur vsu recepta fuisse ab Hebræis, neque à communi Græcorum consuetudine. Quia neque Ezechiel meminit minæ triginta siclorum; neque ex Græcis videtur fuisse ab aliis vsurpata quàm à Veterinariis. Postremò constat Iosephum sic voluisse iustum Hebraici talenti pondus exponere, vt à Græcis intelligeretur. Quare necesse est, vt cùm ad eam expositionem vtatur minarum nomine, omnino credendus sit non aliter accepisse nomen minæ quam communiter ab Atticis accipiebatur, quorum linguâ & loquii & intelligi volebat. Alioqui enim Iosephus non exponebat rem. Neque satis est quod alibi doceat Hebraicam minam pendere duas libras & semis. Quemadmodum enim oportuit vt eo loci nomine libræ vteretur ea ratione qua à Græcis & Romanis accipi consueuerat, nimirum pro 12. vnciarum pondere (quandoquidem per numerum librarum declarare volebat Hebraicæ minæ pondus) sic etiam cum Hebraici talenti pondus exponere voluit, atque ad eam rem vsurpauit minarum summam, neque aliud expressit, debuit proculdubio nomen minæ eo loci non aliter accipere quàm communiter ab Atticis accipiebatur.

E. His ita constitutis si in prædicto Iosephi loco legamus, talentum Hebraicum pendere centum minas, hæc lectio non solùm non tribuet Hebraico talento tria vnciarum millia, sed neque mille quingentas. Constat enim Atticæ minæ iustum pondus esse vncias Romanas duodecim & semis:

Digitized by Google

mis: atque adeò centum minas Atticas non esse plusquàm Romanas vncias ıU250. Quare vehemẽter suspicor, Iosephi textum, in quo legimus talentum Hebraicum pendere minas centum, non esse per substractionem corrigendum, sed potiùs per additionem: ac pro 100. minis ponendas esse centũ viginti. Quia is Atticus minarum numerus est qui æquat pondus ȝU. siclorum, quem omninò exponere volebat Iosephus, vt Exodi textui se conformaret. A

Quid sint decẽ millia solidorum. *1. Par. 29. 7*

F. Supereſt aliud argumentum quod nobis obiiciunt ij qui talenti sacri pondus contendunt fuisse maiùs quàm ȝU. siclorum, nimirum quod alioqui vnum talentum esset minùs quàm solidi 10U. Solet enim solidi nomen accipi (vt norunt docti) pro sexta vnciæ parte. Quare decem solidorũ millia sunt plusquàm 1666. vnciæ. Constat autem ex 1. Paral. 29. 7. decies mille solidos nõ æquare vnius talenti pondus. ergo certum est talentum Hebraicum esse maius pondus quàm vncias 1500. imò vero maius quàm vncias ıU666. Huic argumento respondetur primò forsan in eo loco decem millia solidorum non esse decem millia aureorum solidorum, sed eam auri quantitatem quæ valorem contineat decem millium argenti solidorum vel æris. Hanc enim phrasim non esse à sacra Scriptura alienam; videbimus propos. 22. Sed ne ad eas nunc angustias redigamur, respondetur secundò, etiamsi constaret, non agi ibi de valore solidorum argenti vel æris, sed de pondere solidorum aureorum; non opus esse vt solidus accipiatur pro sexta vnciæ parte. Aliquando enim ponitur pro octaua, hoc est pro drachmæ Atticæ pondere; vt vidimus propositione prima. Et facit quòd pro solidis Hebraicè ibi legamus *adarconim*, quod aliqui suspicantur esse nomen drachmæ Quod si quis rursus obiiciat, drachmam Hebraicam pendere duas drachmas Atticas, (vt supra stabilitum est) ad hoc dico, fortasse *adarcon* idem significare quod drachmæ dimidium, quemadmodum apud Hispanos, hoc nomen *adarme*, quod ab illo Hebraico deriuatum videtur, non aliud significat quàm drachmæ dimidium. B

PROPOSITIO XXII.

Aliquando siclus auri ponitur pro eo auri pondere quod valet argenti siclum. Hæc autem phrasis latiùs patet quàm nonnulli putarunt, & valdè minuit aliquas summas.

PROBATIO.

Quot millionibus æstimetur ab aliquibus prior Dauidis oblatio.

A. Mille millia talentorum argenti quæ templo ædificando præparauit Dauid (1. Paral. 22. 14.) æstimantur à nostro Villalpando, nostrorum ducatorum millionibus ıU. 88. & centũ millia talentorum auri, millionibus 1485. Atque adeò vtriusque metalli pondus; millionibus 2U673. Cum hoc autem auri & argenti pondere coniũgit amicus quidam gemmas pretiosas quæ in corona Melchom effulgebant (1. Paral. 20. 2.) existimans eas quoque cum prædicta auri & argenti summâ fuisse consecratas templo quod erat ædificandum. Eas verò tanti æstimat, vt oblationem illa auri, argenti, atque gemmarum dicat propè accedere ad tria millionum millia ex Hispanicis ducatis: qua ratione prædictis gemmis videtur tribuere valorem millionum nostrorum ducatorum fere 317. quæ in Villalpandi computatione desiderabantur ad trium millium milionum summam. Inuehitur autem adeò acriter prædictus amicus in eos qui de computationibus Villalpandi; & antiquarum diuitiarum æstimationibus aliquid demere præsumunt, illarum magnitudinem incredibilem iudicantes, vt vereat ne magnæ audaciæ notam subeam, si tria prædicta millionum millia coner probare nõ fuisse 150. Excusabit tamen me desiderium discendi ab illo & à quouis alio: atque eo animo proferam dubitandi rationes quæ mihi occurrunt, non parui momenti nisi me valde fallo. C

fol. 164. 1. D.

fol. 153. 2. & 231. 1.

Gemmæ coronæ Melchon non sunt oblatæ templo ædificando.

B. Primùm ergo doceri vellem, quamobrem cùm illis centum auri talentorum millibus, ac mille millibus argenti, coniungantur gemmæ coronæ Melchom, atque eæ dicantur fuisse omnis generis lapilli pretiosissimi. Sacra enim Scriptura non ait coronam illam fuisse consecratam Deo, sed potiùs Dauidem inde sibi fecisse diadema 1. Paral. 20. 2. Neque vllibi ait eius coronæ gemmas diuersorum generum fuisse. Deinde quamuis constaret gemmas illas fuisse à Dauide futuri templi thesauris dicatas, non video vnde colligi possit eas fuisse tam immensi valoris, vt coniunctæ cum auri & argenti millionibus 2U673. constituant fere tria millionum millia. Et cùm constaret non paucos neque parum graues esse scriptores qui nulla ratione admittant singula illius oblationis talenta, quæ commemorantur 1. Paral. 22. 14. pependisse vncias mille quingentas: & cùm animaduerti potuisset eorũ aliquos post Villalpandi editionem scripsisse; aut nouæ erant afferendæ rationes, aut mitiùs cum amicis agendum. D

Maluẽda de paradiso. Siguẽsa to. 3. & alij.

C. Præterea, etiamsi dubitari non posset quin singula aurea illius oblationis talenta fuerint vnciæ auri mille quingentæ (& similiter de argenteis,) adhuc fortasse poterant plusquàm 180. milliones de valore à Villalpando assignato demi absque vlla audaciæ nota, vt conabimur ostendere propositione 23. & 24. Quare non erat stultitiæ condemnenda quæuis demptio ex computationibus Villalpandi, aut ex tribus millionum millibus.

D. Tertiò, quamuis verum sit Villalpandi labores esse maximi faciendos, meminisse tamen oportebat, non esse prudentis consilij, computationibus illius adeò confidere vt propter ipsius auctoritatem, condemnentur qui in prædicta summa longè ab illo abeunt. Contingit enim virum alioqui doctum aliquando allucinari, nec peruidere quàm magna & prorsus incredibilis sit ea quam affirmat summa; quamque immensum eius pondus, aut quantum loci occupatura esset.

E. Si verò prædictus amicus dicat, se non sola Villalpandi nostri auctoritate niti; sed etiam computatio-

A putationibus siue demonstrationibus ab ipso allatis ad æstimandas diuitias à Dauide relictas; vereor an de eiusmodi computationibus rectè is iudicare possit qui non sit in arte Arithmetica versatus. Et quamuis ipse doctissimus Theologus iure optimo reputetur; nihilominus reipsa constat, illum (quemadmodum & multos alios grauissimos Theologos) non admodum curasse de arte numerandi, neq; in illa se vnquam exercuisse. Licet hoc cernere in vno ipsius folio, vbi tria coniungit manifestè inter se pugnantia: ait enim primò, tria millia talentorum auri ex Dauidis peculio (quæ commemorātur 1. Paral. 29. 4.) facere milliones 108. Ac deinde, totidem talenta, quæ protulit Hyrcanus ex Dauidis sepulcro, esse aureorum scutorum milliones 44. & insuper scutos 550 U. & statim subdit, tantundem ab Herode ex eodem sepulcro fuisse prolatum; id est, alia tria talentorum millia: ex eo verò inferri, summam scutorum ab Hyrcano & ab Herode prolatam fere accedere ad mille milliones. Persuadet autem sibi, ex thesauro ibi à Salomone recondito, vix quartam fuisse partem quàm Hyrcanus & Herodes inuenêre, hoc est, singuli octauam. & concludit adeo immensum fuisse sepulchri illius thesaurum, vt pene fidem & cogitationem superare videatur. Rectè sanè, si thesaurus vt computare videtur, non erat minor quàm millionum quatuor millia. Minorem enim diuitiarum summam non adeo miraretur, qui paulo anteà primam Dauidis oblationem tribus millionum millibus æstimauerat. Porrò similem varietatem reperio dum agit de prædâ quam reportauit Alexander superato Dario. Primum enim ait, eam fuisse talenta 157 U. atque hanc summam efficere ex nostrâ B monetâ milliones 89. & insuper 650 U 558. ducatorum. & post pauca, oblitus prioris summæ, ait, prædam illam fuisse talenta 180 U. atque ex iis fieri milliones 213. & insuper 40 U. Hispanorū ducatorū. Sanè adeò magnarum varietatum admiratio suspicari facit, fortasse eas esse typographorum errata, quamuis non sint Scripturæ numerorum notis, sed distinctis singularum literarum characteribus. Et vtcunque hoc sit, si in valore trium millium talentorum auri à Dauide ex proprio peculio oblatorum, animus erat Villalpandum sequi, æstimatio Villalpandi non est, valere illa milliones 108. sed ducatorum 44. 550 U. & quamuis cum hac summa coniungantur septem millia argenti talenta simul oblata à Dauide, vtriusque metalli summa in Villalpandi computatione minor est quàm 53. ducatorum milliones. Illa verò tria talentorum millia quæ refert Iosephus fuisse ab Hyrcano in Dauidis sepulcro reperta, non video vnde colligantur fuisse aurea: cùm neque id Iosephus scripserit, neque Petrus comestor. Quare satis superque erat cogitare valorem trium millium argenti talentorum, partim in pecuniâ & partim in gemmis & aurea supellectile, cui cogitationi apertè fauet Iosephus 16. Antiquit. cap. 1. Quod si omnino constaret Hyrcanum inuenisse tria millia auri talenta, atque ea ad scudorum aureorum numerum reuocanda essent; singula talenta non plus pendent quam aurei scudi Hispanici 12 U 750. Atque adeo tria talentorum millia non plus pendent quàm scudorū milliones 39 ¾. Quare octo illi fabulosi, in sepulcro Dauidis, loculi pecunia repleti, non continebunt C pluſquàm 300. scudorum milliones, qui pendent arrobarum 90 U. Atque istam etiam summam siue pondus aureæ pecuniæ (meo iudicio) nemo prudēs qui satis animaduertat, putabit recondi potuisse, quemadmodum dicitur, in Dauidis sepulcro. Quamuis enim aurea sphæra solida non minus pēdeat quàm octodecim aquæ aut vini sphæræ eiusdem magnitudinis (ex periculo à Villalpando facto) aureæ tamen pecuniæ summa quam capit dolium aliquod, vix pendet duodecies quàm vinum quo idē impleatur dolium. Pondus autem arrobarum ponderalium 90 U. omnino est idem quod vini cantararum siue arrobarum mensuralium 70 U 312½ quibus capiendis opus est tribus ac septingentis doliis magnis, ex iis quorum singula capiunt centum cantaras. Porrò duodecima pars numeri 703. maior est quàm 58. Atque adeò nonaginta millia arrobarum aureæ pecuniæ prorsus implebunt dolia maxima 58. ex superius descriptis: ex quibus singulis loculis (si illi erant octo) obtingent pluſquàm septem maxima dolia capientia cantaras vini septingentas. Quis ergo iam non videat fieri non potuisse vt in vnius sepulchri latebris 58. tantæ magnitudinis dolia pecuniâ repletâ absconderetur adeò secretò, vt nulla vis ab auri siti excitata difficultatem inueniendi superare potis fuerit? Quod si hoc est incredibile; quantò magis in eodem sepulcro abscondita fuisse quatuor millia millionū, quibus capiendis non sufficient quingenta prædictæ capacitatis dolia? Omitto stultitiam eximiam quæ tribuitur regi sapientissimo, si dicatur tot millionum millia adeò abscondita reliquisse, nulli alij vsui, D nisi vt Antichristo seruarentur (sic enim tradit Petrus Comestor 3. Reg. 3.) & saltem absque vllo animæ Dauidis bono: subditorum autem tam ingenti malo, vt illius absconditi thesauri inutilitate coactus fuerit Salomon grauissimum posteà vniuerso Israeli iugum imponere: ex quo deinceps decem tribus à Roboamo desciuere, vt habetur 3. Regum 12. His verò malis quàm facilè occurreretur, si quatuor illa millionum millia depromi possent, regi atque regno beandis? Certè nemo prudens hodie regi alicui consuleret quod in Salomone adeò magnificatur. Adde quòd quingenta maxima dolia auro repleta, non poterant adeò secretò abscondi, vt res non innotesceret. Neque fingi potest, si vera est historia, rem nulli innotuisse. Etenim ad aures Petri Comestoris peruenisse asseritur. Quis ergo credat potuisse sibi homines tot sæculis temperare, vt scientes latere in viscetibus montis Sīō tot millionum millia, in aureâ pecuniâ cribrata & in octo loculos digesta, totum montem non millies tenebrarent, donec reseratis dolijs suam explerent sitim? Nec enim quingenta maxima dolia res erat quæ inter digitos præterire posset & fallere fodientes.

Sæpe contingere vt grauissimus Theologus sit expers Arithmeticæ.

f. 253. 255.

F. Quòd si octo illorum loculorum pecuniâ repletorum nullus est alius auctor nisi Comestor, (3. Regum 3.) miror nostrum amicum, cui Comestor est bene notus, & à quo is meritò aliquando reiicitur eo quod Rabinorum sectetur fabulas; nihilominus adeò illi credere in thesauro sepulcri Dauidis, & in octo loculis beatis, vt non vereatur eam narrationem suo testimonio confirmare, & asserere ex illis octo loculis vnicum tantùm fuisse ab Hyrcano apertum, & tantundem ab Herode in al-

Digitized by Google

in altero repertum. Quid quòd Petrus ipse Comestor & Iosepho (quem solum potuit eius historiæ habere auctorem) & sibi quoque ipsi aduersatur? Iosephus enim libro 16. c. 11. ait, *depositas in eo sepulcro pecunias non fuisse* ab Herode inuentas, sed magnam ornamentorum vim. Neque vnquam meminit octo illius sepulcri loculorum quos inuenit Comestor. Sed & in re somniatâ non fuit constantis memoriæ. Cùm enim 3. Regum 3. asseruisset vnicum solummodo ex octo loculis sepulchri fuisse ab Hyrcano reseratum; postea 2. Mach. 3. ait duos fuisse loculos quos spoliauit Hyrcanus. Quod si Herodes, vt dicitur, tantundem inuenit ac Hyrcanus, dicendus erit ipse quoque duos alios aperuisse loculos. Atque adeò solùm supererunt Antichristo quatuor reliqui. Cumque summa pecuniæ ab Hyrcano & ab Herode inuenta non excedat sex talentorum millia; non erit cur credamus, plusquã 12U. talentorum à Salomone in parentis sepulchro fuisse reposita. Neque fuit vllus auctor ante hos 20. annos, qui tria millia talentorum quæ dicitur Hyrcanus reperisse, putauerit fuisse talenta auri. Quare satis superque erat, si concederem, summam illam fuisse talentorum argenti. Neque erit cur integer ille sepulcri Dauidi thesaurus pluris æstimetur quàm 12U. argenti talentis, quæ Villalpando quoque teste non plus valent quàm milliones septem ac 128. ducatorum millibus. Ac de hac etiam summâ fas esset auferre dimidiam partem. quia non est cur Iosephus ibi credatur agere de talentis Hebraicis, & non potiùs ad summum de Atticis: cum eadem omnino phrasi libro 12. cap. 4. dicat, Iosephum quẽdam ciuem Ieroſolymæ, habuisse Alexandriæ apud procuratorem suum 3U. fere talenta. & ab eius filio emptos fuisse centum pueros talento singulos. & totidem puellas pari precio. vbi non esse sermonem de Hebraico talentorum pondere, quis non videat? ergo neque in tribus talentorum millibus quæ Hyrcanus protulit ex Dauidis sepulcro. Cùm verò *thesauri absconditi* in sepulcro *nulla sit vtilitas* (Ecclesiastici 20. 32. neque vllus possit proferri auctor qui de illo magnificentiùs aliquid scripserit; dabit mihi hanc veniam amicus, vt neque ego plus mihi persuadeam, interim saltem, dum eius rei aliquis antiquus & bonus auctor non profertur.

De diuitiis à Dauide, hæredi suo relictis.

G. Diximus satis de Dauidis sepulcro, ex quo nisi fallor manifestè constat plus æquo auctas fuisse à nostro amico diuitias à Dauide relictas, Verùm ille non solùm contendit, Dauidem templo ædificando reliquisse tria millionum millia, & quatuor alia millia millionum quæ in suo sepulchro conderentur, sed multò plura in sui hæredis vsum. Ad hoc verò persuadendum huiusmodi est ipsius argumentatio. Dauid asserendus est suo hæredi maiores diuitias reliquisse quàm ab vllo vnquam rege relictæ sunt: constat autem ab aliis regibus plus quam duodecim millionum millia fuisse collecta: ergo thesaurus Salomoni à Dauide relictus non est credendus fuisse minor. Ratiocinatio legitima est: & maior propositio disertè asseritur à Iosepho libro 7. Antiquit. cap 12. sub his verbis, *Tantas Dauid hæredi reliquit diuitias, quantas nullus alius rex vel Hebræorum vel aliarum gentium*. Minor verò constat ex antiquis historiis fide dignissimis multa eiusmodi continentibus: ex quibus est Sardanapalũ in suam pyram coniecisse plusquàm sedecim millia millionum. Sic ille Mihi autem, vt hoc primum dicam. non satis est auctoritas Iosephi, vt neque illud hyperbolicè ab eo dictum credam, neque suspicer ignoratas forte fuisse ab illo immensas illas Sardanapali & aliorum diuitias, neque vt mihi persuadeam, si planè & apertè Iosephus diceret, maiores diuitias relictas fuisse à Dauide Salomoni quàm Sardanapalo in rogum coniectas; id tanquam oraculum fuisse recipiendum, neque suspicandum potuisse Iosephum excedere. Imo verò compertum mihi est, sæpe Iosephum à vero abire, dum res Hebraicas suprà modum amplificat. (nisi fortasse sint Typographorum errata.) Patet hoc lib. 8. Antiquitat. cap. 2. vel 3. vbi de aureâ & argenteâ supellectili quam Salomon templo à se ædificato consecrauit. Enumerat enim, *aureorum candelabrorum Mosaico similium* 10U. *phialas & pateras aureas* 20U. (*quibus postea addit alia* 10U.) *lancium aurearum* 80U. *craterarum quoque aurearum ad offerendam similam oleo subactam* 60U. *mensurarum aurearum vnius hin* 20U. *& multa huiusmodi, præter tubas* 200U. *& instrumenta musica ex electro* 40U. Qui vero nosse velit quantum hæc à Iosepho fuerint aucta legat libri 3. Regũ cap. 7. & libri secundi Paralip. cap. 4. & inueniet aurea candelabra à Salomone facta non plura fuisse quàm decem, & totidem mensas. phialas verò aureas non plures quàm centum; & paucis aliis commemoratis adiici verba hæc; *Sicq; completum est omne opus quod fecit Salomon in domo Domini*, 2. Paralip. 4. fi. Quærat alius concordiam inter sacræ Scripturæ atque Iosephi narrationem; non ego, qui satis animaduerterim Iosephum, alioqui grauem historiographum, valde sibi indulgere in rebus Hebraicis amplificandis præsertim antiquis.

Summæ apud Iosephum sæpe esse mendosæ.

Locus 1. Paralip 29. 22 explanatur.

H. Deinde conatus ille adeò extollendi diuitias à Dauide relictas, vt multò plus ille reliquerit sepulchro suo, & hæredis sui vsibus, quàm templo ædificando; omnino mihi aduersari videtur ipsius Dauidis verbis. Ait enim 1. Paralip. 29. 22. *Ego totis viribus meis præparaui impensas domus Dei mei.* Quomodo enim vere dicetur suas omnes vires impendisse in illius templi impensas, si multo maiorem diuitiarum suarum partes in alios vsus deriuauit? Accedit quòd amplificatio illa diuitiarum à Dauide relictarum pugnare videtur, (vt infra expendemus) cum iis quæ de Salomonis diuitiis in sacrâ Scripturâ legimus. & vtcunque id sit, si adeò certum est, totum fere aurum & argentum quod à Dauide fuerat congregatum, fuisse ab illo destinatum atque legatum templo ædificando, aut diuitiæ Sardanapali & aliæ similes censendæ sunt fabulosæ; aut inanis eorum conatus qui persuadere volunt, thesauros à Dauide relictos fuisse multo maiores ijs quæ ab vllo vnquam rege ad hæredem peruenerunt.

I Verùm multò inanior erit iste conatus, si ratio euicerit, ea ipsa talenta auri & argenti, quæ (1. Paralip. 22. 14.) à Dauide sunt oblata templo ædificando, non debere æstimari centum quinquata nostrorum ducatorum millionibus. Sic ego plane sentio, & quamuis scio meam sententiam ab aliquo irrisum iri; libentissimè rem eidem deferam iudicandam, si rationes velit attentè perpendere, nec se

Digitized by Google

A nec se in computationibus ab aliquo in fraudem induci patiatur. Primùm ergo, quoniam auctoritas Villalpandi apud eum ipsum maxima est, velim vt animaduertat, non posse ire inficias Villalpandum, quin phrasis sacræ Scripturæ ferat, vt aliquando duodecima pars talēti aurei (hoc est, vnciæ auri 125.) appellentur auri talentum, eo quòd æstimabantur argenti talento. Si roges cur hoc non possit à Villalpando negari; respondebo, quia tom. 3. fol. 414. constrictus necessitate conciliandi duos locos sacræ Scripturæ in speciem pugnantes, fatetur, 1. Paralip. *21. 25.* vbi legimus, *sicles auri iustissimi ponderis sexcentos*, illos sexcentos siclos non esse plures quàm integros 50. auri siclos, qui valent siclos argenti sexcentos: quia 2. Reg. 24. 24. eidem summæ (quoniam eadem est historia) tribuitur 50. siclorum nomen: & quamuis Villalpandus priùs referat varias, aliorum concordias, eas tamen ipse impugnat, atque decernit, phrasim esse procul dubio Scripturæ, quòd valori sexcentorum argenti siclorum in auro, tribuatur appellatio sexcentorum auri siclorum. Hac ergo phrasi semel in siclis admissa, quis non videat eam similiter in talentis habere locum? Atque adeò fieri posse vt integra auri talenta 8U $333\frac{1}{3}$. appellentur centum millia talentorum auri. Accedit quòd negare non possumus, similem phrasim esse familiarem atque frequentem in linguis vulgaribus. Certè in Hispana, *el iusto poso de vn real de vuas*, idem prorsus est quod *el valor de vn real en vuas*. Vulgari enim loquutione sæpè ponitur genitiuus pro ablatiuo cum præpositione in. Atque ita non mirum est poni siclos auri sexcentos, B pro sexcentis in auro siclis argenteis, hoc est pro horum valore. Facit quòd in prouincia Perüana ponderi duarum argenti drachmarum tribuitur tomini nomen; inde fortasse quod tominus auri, id est, quadringentesima bessis, seu marci octo vnciarum pars, duobus argenteis regalibus æstimabatur, qui duas ferè drachmas pendent, scilicet cùm bes auri octingentos regales valebat, & in Mexicana prouincia (vt audio) singuli argentei regales appellantur *tomini*, quod aliam similem originem habere suspicor.

Siclũ auri in sacra Scriptura aliquando esse idem quod pondus auri quod valeat argenti siclum.

L. Iuxta hæc cùm auri talenta centum millia æstimentur à Villalpando, ducatorum millionibus 1U485. ad duodecimam nunc ponderis partem reuocata, non æstimabuntur ab eodem pluris quàm millionibus $123\frac{1}{4}$. à qua etiam æstimatione nonnihil non ampliùs auferemus, proposit. 24.

M. Est autem valdè notandum, sapientissimè Spiritum sanctum fuisse vsum vtroque dicendi modo, nempe sexcentorum auri siclorum, & quinquaginta siclorum in eadem historia, vt necessitas conciliandi locos in speciem pugnantes, de sacræ Scripturæ phrasi nos redderet certiores, & per eam possemus ab errore liberari in aliquarum summarum intelligentia. Certè si primo Paralip. 21. 25. legeremus siclos argenti sexcentos; & 2. Regum 24. 24. auri siclos quinquaginta; sensus erat idem, resque planissima. Verùm ea lectio non deseruiret aliorum locorum intelligentiæ. Cùm verò commutata phrasi, post Vaticanam etiam correctionem, alibi legamus, *siclos auri sexcentos*, alibi, *siclos argenti quinquaginta*, vexatio dedit intellectum, & coegit argenti nomen accipere pro C pecunia, etiam aurea, id quod vel ex ipso contextu constabat 1. Paralip. 21. 25. ac deinde genitiuum illum, *auri*, accipere pro ablatiuo, sic enim sexcenti in auro sicli non est aliud quàm quinquaginta sicli aurei.

N. Ea verò phrasi semel admissa, non video cur non liceat eam ad nonnullas alias extendere summas, quas ratio persuaserit non debere accipi, vt sonant. Ex his fortasse est quòd legimus secundo Regum 14. 26. nempe, Absalomi capillos quos semel in anno tondebat, pependisse ducentos siclos. Si enim licet siclum auri accipere pro auri pondere, quod siclum argenti valeat, ergo licebit ducentorum siclorum nomine intelligere siclos auri $16\frac{2}{3}$. hoc est vncias $8\frac{1}{3}$. Ac nisi fallor, non parum vno anno crescet cæsaries ei, cuius capilli detonsi pendeant plusquàm 8. vncias. Optimè verò conuenit auri pondus ad sacram oblationem. Eo enim fine Absalomi capilli appensi fuisse videntur, vt pondus eorum offerretur Deo pro ipsius salute.

Absalomi capilli quãtum pendebant.

O. Præterea, si phrasis Hebraica fert vt siclus auri aliquando accipiatur pro duodecima aurei sicli parte propter valorem integri sicli argentei; cur non liceat similiter suspicari, talentum argenti alicubi poni pro quinquagesima, verbi gratia, talenti argentei parte, hoc est, pro triginta vnciis, siue siclis sexaginta, propter valorem integri talenti ærei? Certè rationis paritatem inficiari iure D nemo poterit. Quod verò in Palæstina solitum fuerit quondam æris pondus æstimari quinquagesima argentei ponderis parte, colligebat non nemo ex parabola decem talentorum Matth. 25. 20. Hieronymus enim & Ambrosius, ac doctissimi recentiorum censent eandem omnino esse parabolam decem minarum Lucæ 19. 12. Maiores autem minas Hebraicas constat pendere siclos 60. qui sunt quinquagesima integri talenti pars. Atque hoc pacto conciliatio decem talentorum cum decem minis, confirmare videtur quod talenti nomine aliquando significatur ea ponderis argentei pars quæ æreum talentum valore adæquet. Hac igitur ratione accipiuntur mihi illa mille millia talentorum argenti quæ legimus 1. Paralip. 22. 14. pro totidem argenti minis Hebraicis, & si de maioribus minis accipiantur, erunt integra argenti talenta 20U. cui argenti ponderi tribuit Villalpandus noster valorem millionum 23. ac 760U. ducatorum. Si verò hæc summa coniungatur cum millionibus $123\frac{1}{4}$ quos fecimus ex centum talentorum auri millibus quæ eodem loco legimus, conficiemus ex vtraque summa milliones $147\frac{1}{2}$ ac decem ducatorum millia. Ex qua etiam æstimatione aliquot à nobis milliones auferendi sunt, vt constabit propositione 23. ac 24. Optimè verò cohæret, vt sicut 1. Paralip. 22. talenta auri renocantur ad valorem argenteorum, sic quoque talenta argenti quæ ibi memorantur, ad valorem æreorum reuocentur. Ex his enim tribus metallis fit pecunia, & sicut argentum proximè sequitur post aurum, sic etiam æs succedit argento.

Talẽtum argenti quæ ratione pro mina aliquando ponatur.

P. Diximus de oblatione illa auri & argenti, quæ habetur 1. Paralip. 22. 14. sed quid de illa quam adiecit Dauid ex suo peculio cap. 29. 4. *Tria millia*, ait, *talenta auri de auro Ophir, & septem millia talentorum*

Digitized by Google

De oblatione secunda ex peculio Dauidis.

argenti probatissimi. Si in hac oblatione, vt in priori, auri pondus reuocetur ad partem duodecimam; argenti autem ad quinquagesimam; erit vtriusque metalli valor iuxta Villalpandi tabulas, quatuor fere millionum. & dicat fortasse aliquis, verba illa, *ad deaurandos parietes templi*, prohibere vt textus accipiatur de integro talentorum pondere. Alioqui enim opus erit crustam auri & argenti adeò crassam concipere, vt crassitudinem palmi quatuor digitorum excedat. quod ipsis etiam Hebraicarum rerum amplificatoribus vix probari poterit. Verùm fortasse hæc ratio parum probat: quia illa verba, *ad deaurandos parietes templi*, videntur extenuandæ suæ oblationis gratia, à Dauide dicta, ea phrasi qua de aliquot aureorum millibus heroinæ alicui donatis dicere solet donator liberalis, ad emendas aciculas, siue soleas se offerre paruulum illud munusculum. Fortasse ergo non est cur hanc secundam oblationem aliter accipiamus ac sonat, præsertim cùm valor eius iuxta Villalpandi tabulas sit aliquanto minor quàm milliones 53. ex quo etiam valore aliquid nos auferemus proposit. 23. & 24. Sed interim vtraque Dauidis oblatio 200. milliones non æquat. & ex priore quam noster amicus æstimat tribus ferè millionum millionibus, constat qua ratione dempti sint à nobis plusquam 2U852. milliones, cùm eam æstimemus minoris quàm millionibus 148. A

Quæ ratione quidã magis adhuc minueret oblationis Dauidis ea summã.

Q. Suspicor tamen non defuturos qui optent adhuc inuenire rationem aliquam, per quam conseruata distinctione talenti à siclo, & tribus siclorum millibus vnicuique talento assignatis, summa illa ;U. millionum ad centesimam illius partem redigatur, vel etiam ad minorem. Eiusmodi ego votum neque satis probo, neque si probem dicere ausim, ne quis mihi succenseat. Referam tamen qua ratione quidam ei voto putabat posse satisfieri, vt de hac quoque computatione lector iudicium ferat. Dicebat ergo, phrasim illam quæ duodecimæ auri talenti parti communicat aliquando auri talenti nomen propter valorem talenti argentei, aperuisse viam vt sexeentesimæ quoque aurei talenti parti (hoc est quinque siclis aureis, siue drachmis 20.) detur aliquando talenti nomen propter valorem talenti ærei. Si enim quinque aurei sicli æstimabantur 60. siclis argenti, & singuli argentei æreis quinquaginta; plane quinque aurei sicli æstimabantur tribus æreorum siclorum millibus, hoc est, integro æris talento. Nec est cur valor talenti ærei non possit communicare auro talenti nomen, si valor argentei id præstare potuit. Aiebat ergo non debere à sacræ Scripturæ phrasi alienum reputari, vt in maximis præsertim summis, æris valor non solum argento, sed similiter auro nomen talenti tribuat. Qua ratione talentum auri, ac talentum argenti & æris quoque talentum eiusdem prorsus valoris erunt (cum eâ phrasi efferuntur,) ponderis autem valde diuersi. Facit quòd aliquando vsurpatur talenti nomen absque vllo genitiuo materiam indicante. Ex quo verisimile apparet idem fortasse contingere Hebraica phrasi in nomine talenti, quod in Hispanâ, cùm dicimus, *vn millon, dos millones, vn quento, dos quentos*, &c. hac enim phrasi nemo dubitat ad summæ valorem respici; ac eundem esse valorem millionis siue argento, siue auro, siue ære numeretur, quamuis pondera sint inæqualia. Cur ergo (aiebat) in hac peruulgata vulgarium linguarum phrasi nostræ peregrinentur aures? & alienum à sacra Scriptura reputemus sic quandoque loqui, sicut omnes nationes loquuntur; & sicut ipsam Scripturam alicubi loqui non solùm est verisimile, sed ab ipso etiam summo rerum Hebraicarum amplificatore receptum? Hac verò ratione *centum millia auri talenta*, quæ legimus 1. Paralip. 22. n. 14. vix æstimabuntur millionibus duobus cum semisse: argenti autem talenta quæ ibidem commemorantur millionibus 2 ¾ (vt suprà notabamus) atque adeò tota illa auri & argenti oblatio paulo pluris quàm millionibus 26. Cui adiuncta est postea secunda Danidis oblatio, quam de suo quoque principes auxere 1. Paralip. 29. Sed considerata priori oblatione absque vllo incremento, non desunt prudentes rerum æstimatores, quibus nulla ratione ea videatur parua: præsertim cùm expendunt quàm sit hodie difficile, etiam maximis reipublicæ Christianæ monarchis, (quibus nouus orbis subest) tantum auri & argenti ad vnicam oblationem coaceruare. B C

R. Aiebat enim, non esse difficile inuenire rationem, per quam eadem summa multo adhuc magis minuatur, & vix ad duodecim millionum valorem pertingat. Quia si licet talentum argenti pro mina argenti accipere supra dicta phrasi; nulla verisimilior argenti minæ acceptio quàm pro 25. siclis, vt vidimus propositione 20. qua ratione mille millia talentorum argenti non sunt plura quàm integra argenti talenta 8U3 ⅓ ⅓. & quia duodecima pars siclorum argenti viginti-quinque, sunt drachmæ 8⅓. si auri talentum ponatur pro valore ærei talenti in auro, centum millia talentorum auri, eadem phrasi, non erunt plura quàm auri talenta integra 69⅓. Quòd si eodem modo accipiantur talenta illa auri & argenti quæ oblata sunt à Dauide de suo peculio, & à principibus (1. Paralip. 29.) summa eorum esset minor quàm ducenta daachmarum aurearum millia. D

S. Si tamen harum computationum summa sapientibus videatur angustior quàm par est, consideratis iis quæ in sacra Scriptura narrantur de diuitiis à Dauide congestis ac de magnitudine admirandi illius templi cui ille præparauit impensas: saltem computatio prior non debet prudentibus propter summæ paruitatem displicere: quia quamuis in prima Dauidis oblatione, auri talenta reuocentur ad duodecimam ponderis partem, argenti autem talenta ad quinquagesimam; nihilominus manent iuxta Villalpandi tabulas milliones fere 148. Quibus ex secundâ oblatione accedunt milliones fere 53. Atque adeò vtriusque oblationis talenta conficiunt plus quàm ducentos milliones. Quid autem nos cogat vt priorem saltem oblationem ad prædictum valorem restringamus iuxta sacræ Scripturæ phrasim; id in responsione ad argumenta quæ nostræ computationi obiici posse videntur, commodiùs explicabimus.

T. Interim nota in prædicta phrasi (quæ in maximis summis valori vnius talenti tribuit talenti nomen,

Digitized by Google

A nomen, licet pondus sit inæquale) in hac, inquam, phrasi elucere singularem sacræ Scripturæ prudentiam. Quia cùm fortasse talenti nomen variè vsurpari potuisset, prudentis consilij fuit, in magnarum summarum significatione, talenti nomine vti non in amplissimo significatu, sed in angusto & exiguo; ne periculum esset minuendæ summæ, si talentum in angustiore significatione acciperetur. Sic phrasi Hispanica octingenta millia reddituum de marauedinis intelligi solent, non de aureis; annui autem octingenti, de aureis non de marauedinis, & sic etiam in sacrâ Scripturâ quadraginta bati de maioribus, duo autem millia batorum de minoribus intelligenda fuere, vt vidimus suprà in collatione capacitatis luterum cum Mari æneo, propos. 13.

§. 2. *Argumenta quæ obiici posse videntur contra nostram computationem in priori Dauidis oblatione.*

Argumenta quibus probatur, talenta auri & argenti in Dauidis oblatione accipienda esse vt sonant.

A. PRimum sit, quòd velle antiquas diuitias imminuere ex eo oritur quòd alioqui reputentur incredibiles, si collatæ cum huius temporis diuitiis valde maiores fuisse inueniantur. Hoc autem non potest apparere nodum atque difficile nisi iis qui nunquam legerint ea quæ à grauissimis
B auctoribus scripta sunt de immensis antiquorum thesauris atque diuitiis, Persicis, Medis, Assyriis, Chaldaicis, nec non Græcis atque Romanis. Adde quod in statuâ Nabuchodonosoro ostensâ (Danielis 2. 32. 33.) manifestè significatur, quemadmodum valde præstat aurum argento, argentum æri, & hoc ferro, sic diuitias antiquas Chaldaicas, Persicis & Medis excellere, Persicas Græcis, & Romanis Græcas. Si verò antiqua Romanarum opum admiranda magnitudo & opulentia, aurique & argenti copia cum omnibus millionibus Perüanis & Mexicanis in Hispaniam hoc quo aduectis conferantur, constabit planè ad fictiles pedes statuæ deuentum esse, & hanc quæ nunc videtur esse copia, magnam esse inopiam antiquis diuitiis comparatam. Cùm ergo ipsa Romæ olim triumphantis opulentia, si cùm Assyriorum ac Chaldæorum thesauris conferatur, non minus superetur ab eis quàm ab auro ferrum, stultum videtur esse ex hodiernis diuitiis velle de Dauidicis iudicare, & id censere incredibile de antiquis quod in Mexicanis & Perüanis esset impossibile.

Secundum argumentum.

B. Alterum argumentum est, quòd diminutio talentorum quæ Dauid scribitur templo ædificando reliquisse, viam sternit vt similiter diuitiæ Salomonis minuantur: quas tamen absque dubio
C asserendum est fuisse immensas & supra modum admirandas, vt inæstimabiles Christi diuitias adumbrarent. Atque ita de Salomone scribitur Eccles. 47. 20. *Collegisti quasi aurichalcum aurum, & vt plumbum compleſti argentum*, & 3. Reg. 10. 21. *Argentum nullius precij æstimabatur in diebus Salomonis.* In quibus verbis agnoscit conciüis noster hyperbolem; sed ait eam esse moderatam & temperatam: sicut etiam in verbis subsequentibus eodem cap. n. 27. *Fecit vt tanta esset abundantia argenti in Ierusalem quantâ & lapidum.* Id quod reperitur 2. Paralip. 9. 27. *Præbuit rex tantam argenti copiam quasi lapidum.* & hoc etiam non parum augetur cap. 1. n. 15. vbi dicitur, *Præbuit argentum & aurum in Ierusalem quasi lapides.* Iosephus etiam 8. Antiq. cap. 2. ait, *Fortunas regis ac gentis adeò fuisse amplas vt in commerciis nullum fuerit argenti precium*, & Petrus Comestor 3. Reg. 25. *Sedilia*, inquit, *pro foribus domorum plurima in Ierusalem fuisse argentea.* His adde illam Dei promissionem 3. Reg. 3. 13. & 2. Paral. 1. 12. vbi de diuitiis Deus loquitur & ait, *Faciam vt nullus in regibus nec ante te, nec post te fuerit similis tui.* Atque ita *magnificatus est Rex Salomon super omnes reges terræ*, vt habetur 3. Reg. 10. 23. & quamuis Abulensis atque Carthusianus comparationem eam non adeo amplè exponant, amicus tamen noster contendit eam esse generalissimam: & per eam præponi Salomonis diuitias, cuiuscunque alterius regis aut monarchæ opibus ac thesauris, siue ex præteritis, siue ex futuris. Atque vt ea ratione comparatio sit vera ac solida, per-
D suadet sibi Salomonis classes ex sinu Arabico soluentes, & promontorium Bonæ spei præterue-ctas, totius Africæ ambitu peracto frequenter in Bæticam peruenisse, & inde per fretum Magellanicum in prouinciam Perüanam & in Taprobanam insulam: ac demum vniuerso orbe in orbem (aliquod annorum millibus ante nauem Victoriam) nauigato; aurique copiâ vndequaque collecta, redire solitas fuisse in portum vnde primum soluerant, auro, argento, margaritis ac gemmis oneratas. Ac ne hoc incredibile reputetur, conatur ostendere, vsitatissimam ac frequentissimam fuisse olim nauigationem ab Hispania ad sinum Arabicum, & è conuerso per promontorium Bonæ spei commercij gratiâ.

Tertium argumentum.

C. Tertium argumentum contra nostram talenti acceptionem in prima Dauidis oblatione, desumitur ex iis quæ congerit Villalpandus, vt probet, talenti multiplicis acceptionem esse figmentum Grsepsij; neque vnquam in sacris Literis talenti nomen aliter accipi quàm pro vnciarum 1500. pondere. Alioqui enim prorsus ignoraremus quæ sit ea summa quàm sacer textus certo talentorum numero expresso, significare volebat.

Digitized by Google

Quartum argumentum.

tom. 3. f. 411.

D. QVartum denique argumentum est quod valde vrget Villalpandus, eos, scilicet, qui minuere velint pondus centum millium auri talentorum ac mille millium argenti, quæ Dauid obtulit templo ædificando, non satis expendisse immensam illius fabricæ & ornamentorum eius magnitudinem, ac incredibiles expensas quibus ad rem consummandam opus erat. Censet autem Villalpandus facilè quemuis deinceps à minuendo illorum talentorum pondere deterrendum, si animaduertat, quot hominum millia in illo opere per septem annos assiduo labore versata sint, & quid eis rependerit Salomon. Primum enim 3. Reg. 5. fit mentio 30U. operariorum ex omni Israël, ac 70U. proselytorum portantium onera, & 80U. latomorum in monte, ac 3U300. propositorum, quibus alij trecenti adduntur 2. Paral. 2. 18. His verò omnibus adiungendi sunt cæmentarij Salomonis, & cæmentarij Hiran, & Giblij præparantes ligna & lapides (de quibus 3. Reg. 5. 18.) Ac præter omnes eos quos sacra Scriptura commemorat, Eupolemus (apud Eusebium de præparatione Euangelica l. 9. c. 4.) addit 80U. Ægyptiorum quos misit Pharao Salomoni ad eandem templi fabricam; & totidem Phœnicum quos eidem Salomoni misit Rex Tyri. Ex quo intelligitur eos qui in eo versabantur opere, fuisse vt minimum 343U600.

nimirum operarij ex omni Israël	30U.
portantes onera	70U.
latomi in monte	80U.
præpositi	3U600.
Ægyptij atque Phœnices	160U.
	343U600.

Additque Eupolemus singulos Ægyptios atque Phœnices, cùm in suas domos remissi sunt, accepisse à Salomone denos auri siclos. vnde facilè colligitur ceteros similiter non abiisse indonatos, cùm absoluta est templi fabrica.

§. 3. Responsio ad primum argumentum.

Diuitiæ vnius sæculi non esse ex alio sæculo cõputãdas.

A. FAteor primùm non esse rectam iudicij regulam, id iudicare incredibile de antiquo aliquo sæculo, quod de alio posteriori fidem omnino excederet. Quia ante centum annos multo difficilius proculdubio erat, mercatorem Hispanum possidere in numerata pecuniâ duo aureorum millia, aut 20U. argenteorum regalium, quàm hodie centies tantum. Constatque Romanos plusquam quingentos annos ab Vrbe condita, auro & argento signatis omnino caruisse; eosdemque posterioribus sæculis valde admodum vtraque abundasse pecunia; vt facilè quiuis animaduertat ex iis quæ scribit Plinius l. 33. c. 3. & 4. vbi sigillatim Asturiæ nostræ meminit; eius (inquam) prouinciæ, cui nunc etiam post Peruanas diuitias in Hispaniam translatas, tanta est auri & argenti penuria, vt non cuiuis Asturi eam videre contingat: Plinij autem æuo adeò eadem abundabat auro, vt nulla esset in orbe prouincia quæ Asturiæ fertilitati in auro gignendo non deferret primas: Hispanæque auri fodinæ eo tempore tantum auri Romanis præbebant per singulos annos, quantum duo scudorum aureorum milliones hodie pendent. Dico igitur, non propterea reputari à me incredibile, tria millionum millia relicta fuisse à Dauide templo ædificando, quod hodie à nullo Europæ rege decima earum diuitiarum pars coaceruari posset. Non ea potissimum nitor ratione, sed aliis multo vrgentioribus, vt infrà constabit.

Quosdam esse propensos ad amplificanda ea quæ scribunt.

B. Secundò dico, quemadmodum reperiuntur aliqui valde admodum in rebus magnis & admirandis increduli; sic etiam alios esse adeò propensos ad ea quæ scribant amplificãda & exaggeranda, vt facilè se ab hoc affectu duci patientes, ea pro certis & indubitatis vendant, quæ nec vera sunt, nec vlla ratione verisimilia. Huiusmodi esse reor, Sardanapalum in suum rogum coniecisse sexdecim millionum millia: & Basilium Imperatorem Constantinopoli habuisse in thesauris millionum tria millia atque sexcenta. Optarim sanè, vt qui hæc nostris temporibus scribunt, animaduerterent, non satis esse, aliquid ab eis fuisse lectum quod eiusmodi summas ipsis continere videatur. Neque enim cuiuis auctori, neque cuiuis computationi fidendum erat. & quidem quod ad Sardanapalum attinet, etiamsi disertis atq; perspicuis verbis immensæ illius diuitiæ scriptæ essent à Iustino, Herodoto, aut Diodoro (in quibus nihil eiusmodi inuenio) nihilominus ab eruditis fabulosæ reputari deberẽt. Cõmuni enim doctorum suffragio receptum est, Græcas historias, ante Olympiadas fabulosas esse, vt auctor est Varro (quem refert Censorinus libro de natali die Romanorũ) & Iulius Africanus (quem citat Eusebius de præparatione Euangelica capite vltimo) & idem asserit Eusebius ipse in chronico in prima olympiade, & Iustinus Martyr in Parænetico. Basilij verò infinitum thesaurum à Zonara accepit Iustus Lipsius, & acceptum ab auctore Græco, non admodum ab amplificatione abhorrente, auxit etiam ipse plusquam debuit, vt admiranda scriberet. Optarim autem ab illo doceri, vnde sibi persuaserit, ea omnia testimonia quibus probari poterat antiquas diuitias non fuisse adeò immensas sicut à nonnullis prædicantur, esse deprauata; nullum autem errorem irrepsisse in locos qui easdem diuitias supra nubes euehunt. Vellem præterea vt hi admirandorum scriptores in Arithmetica se aliquantulum magis exercuissent, ne cùm ex talentorum numero milliones computant, labi eos contingat. & lapsus etiam est (fortasse calami) velle videri computatores in iis quæ computari non possunt.

De historia Sardanapali, & eius immensis diuitijs.

Digitized by Google

A possunt. verbi gratia: legunt in Plinio, Iulium Cæsarem produxisse ex ærario, aureorum laterum viginti sex millia: & statim, quasi certò constaret, quot libras penderent singuli lateres, adiiciunt, *facili negotio eam auri summam ad milliones retrocari: quia idem est pondo quod libra.* Denique animaduertere debuissent, in diuitiarum mentione, multa per hyperbolen solere enunciari; & quædam etiam per metonymiam, quæ, cum de vniuersâ aliquâ prouincia affirmari videantur, ad nobiliores quasdam domos solùm spectant. Quâ ratione non erat opus multis millionibus ad eas diuitias quæ montes aureos requirerent, si de vniuersis omnino eius prouinciæ domibus intelligendæ forent. Huiusmodi sunt dolia & præsepia argentea antiquæ Bæticæ, & tanta priscæ Hispaniæ argenti copia, vt saburra etiam nauium esset argentea, & anchoræ ipsæ. Certe hodie, non absimili ratione verè de Hispali affirmari posset, adeò illam abundare argento, vt mensæ, lebetes, prunaria ingentia & huiusmodi alia vasa argentea sint. Cùm tamen omnia hæc maxima ex argento vasa, vix, aut ne vix quidem duobus aureorum millionibus æstimari possint. Quare ex pulice iacit elephantem qui ex huiusmodi loquutionibus colligit, nõ esse magis incredibilia multa millionum millia in antiquis diuitiis, quàm in hodiernis, senos aut plures milliones ex nouo orbe singulis annis inuehi in Hispaniam. Colligo igitur non esse æstimandas antiquas diuitias ex vno aut altero loco seorsum acceptis; sed attentè inspiciendum an eæ summæ quæ ex illis locis colligi posse videbantur, cohærent cum eiusdem tempo- *f. 235. c. d.*

B ris historiis. Alioqui enim non facile à prudentibus recipientur, vt illud Lipsij, Asiam prouinciam Antonio triumuiro in vno annno 120. milliones in vsum militum tribuisse: eumque illam summam imperantem dixisse, se non maximam pecuniam postulare, sed eam quâ audita libenter acquiescerent. *l. 2. de Admirandis c. 2.*

C. Dico Tertio, ad impugnandam opinionem eorum qui sibi persuadent, antiquas diuitias fuisse suprà modum maiores quàm hodiernas, non leue argumentum desumi ex auro ipso quod hodie in Romano orbe reperitur. Quò enim antiqua auri opulentia abierit, dici non potest: cùm plane videatur certum, multo maius esse auri pondus quod vel denuo in ipso orbe Romano semper etuitur, vel aliunde importatur, quàm quod vel omnino perit, vel in deaurando consumitur. Quare cùm non euehatur in Indiam aut Americam; & ipsa auri natura sit adeò pertinax, ac tutò etiam in incendiis ac rogis duret; nulla ratione verisimile apparet, multo plus auri in orbe Romano antiquis temporibus fuisse quàm hodie est: nec valde à vero aut saltem à verisimili aberrant qui post Persianas diuitias in Hispaniam adductas, existimant, magis hodie abundare auro Romanum orbem quàm olim Romam triumphantem. Huic argumento daret manus, ni fallor, Lipsius. Nec enim contendit, plus auri quondam fuisse, neque minus hodie à subditis conferri; sed propterea minores esse principum opes; quia quamuis magna contribuantur, magna summa ad vnum non

C redit, sed in multas diuiditur partes quæ non coniunguntur. Sic ille lib. 2. cap. 7. Nostri tamen amici non credent, etiamsi in vnum aceruum iungatur omne aurum quod hodie vniuersi vrbis Romani incolæ possident, pertingere posse ad semissem vnius ex summis antiquarum opum quas ipsi verissimas reputant. Si enim totius Hispaniæ aurum hodie minus est quam pondus 30: aureorum millionum: quis credat in orbe Romano esse hodie aureorum milliones sexcentos? Vellem igitur doceri, quo abierint illa antiqua tot millionum millia. Præsertim cùm inopinabile sit, plus auri in vno Romani Imperatoris thesauro aliquando fuisse quàm in toto orbe Romano, eo ipso tempore dispersum. Si quis forsasse roget, cur in hac consideratione non fecerim argenti mentionem, sed auri tantum; respondeo, satis mihi fuisse aurum ad rationis pondus: ac de auro non posse dici quod de argento nonnulli iactant, maximam nempe eius partem, ex orbe Romano euehi vt ad Sinas commercij gratiâ deuehatur.

D. Dico Quarto, in distinctione illa metallorum in statua Nabuchodonosoro ostensâ (Daniel. 2. multo aliam fuisse Spiritus sancti mentem, quam designare discrimen quatuor Monarchiarum in diuitiis. Nam neque huius discriminis prophetia tanti erat momenti, etiamsi verum esset ac solidum) neque Daniel cui reuelata est significatio, eo modo exposuit, sed potiùs de discrimine potentiæ ac de imperandi diuersitate. Ait enim, *Post te consurgit aliud regnum minus te.* & infra. *Regnum quartum erit veluti ferreum. Quomodo ferrum comminuit & domat omnia, si comminuet & conteret omnia hæc.* Per illam ergo metallorum distinctionem voluit Spiritus sanctus significare, semper subsequentis monarchiæ violentiam futuram maiorem, & quoniam res humanæ plerunque in peius ruunt; primam monarchiam si cùm secundâ comparetur, auream posse appellari; & blandiorem ac suauiorem visum iri; secundam autem respectu tertiæ argenteam; tertiam æream & magis humano generi aduersam; quartam porrò minus sibi cohærentem (quemadmodum ferrum & lutum ægrè admodum miscentur) sed validiorem ceteris omnibus, & omnia regna violentè admodum contrituram. Hic est proculdubio legitimus sensus distinctionis metallorum statuæ. Nec scio an amicus noster sibi etiam persuaserit quod videtur dicere, nempe tantum præstasse diuitias prioris monarchiæ Romanis opibus, quantum aurum præstat ferro & luto. credat qui volet, non ego. Nam eùm Salomon (vt ille vult) multo fuerit ditior quàm quiuis Assyriorum aut Chaldæorum monarcha, nihilominus maxima pars diuitiarum quas ille comparauit fuêre annua 666. talenta (vt infrà expendemus:) quæ non æquant pondus octo atque semissis millionum ex nostris aureis scudis. Atqui vna sola Dalmatiæ fodina Neronis tempore, singulis diebus præbebat, quingenas libras, hoc est auri vncias 6000. quæ integro anno euoluto faciunt plusquam 18. milliones aureorum. vide Plinium libro 33. cap. 4. vbi multa alia congerit quæ digerit & expendit Lipsius in suis Admirandis. Sanè quantumuis extenuare conemur Romanas opes, ac Salomonis diuitias in cælum extollamus; adhuc multo maius erit discrimen auri *De vero sensu quem designabat distinctio metallorum in statua Nabuchodonosor.*

Digitized by Google

à ferro & luto. Sexdecim enim vnciæ ferri, absq; vlla luti mixtura æstimantur ferè argentei nummi semisse: sedecim verò auri vnciæ conficient aureos nostros 136. hoc est plusquam 3U500. semisses argentei nummi. Quare vt excessus diuitiarum monarchiæ Babylonicæ ad Romanam comparatæ esset idem qui auri respectu ferri, opus erat vt singulis Romanorum millionibus responderent in Chaldæorum monarchiâ plusquam 3U00. milliones. A

E. Dico Quintò, in ipsa sacra Scriptura multa reperiri, quæ cogant, illa centum millia auri talenta & mille millia argenti (quorum fit mentio 1. Paralip. 22. 14.) aliter accipere ac voluit Villalpandus (præsertim postquam satis ostensum est, negari non posse, quin sacræ Scripturæ phrasis ferat vt aliter accipiantur.) Ex multis autem quæ adduci possent, ponam exempli gratiâ, nonnulla. Primò, in confesso est, vt latè probat Pineda noster, Salomonem multo maiores diuitias cumulasse quàm Dauidem. Atqui si respiciamus ea quæ sacra Scriptura de Salomonis diuitiis distinctè narrat, non posset ille totis centum annis coaceruare centum auri integrorum talentorum millia: ergo non sunt integra auri talenta illa 100U. quæ Dauid reliquit templo ædificando. Argumentatio legitima est, si minor propositio bene probetur: eam autem ego sic ostendo; summum quod de aureis Salomonis diuitiis sacra Scriptura distinctè narrat, est illi afferri solita singulis annis talenta 666. vide 3. Regum 10. 14. & Pineda lib. 4. cap. 24. notat nauigationem in Ophir esse potissimam causam diuitiarum Salomonis à sacra Scriptura indicatam, & illa 666. talenta auri esse summam quæ ex Ophir simul & ex Tharsis afferebatur, & fol. 250. 1. Et refert ex Abulensi, tum Israëlitarum, tum aliarum gentium tributa sub illa 666. talentorum auri summa fuisse comprehensa, & quamuis ipse aliter sentiat, fatetur tamen tantam esse illius summæ opulentiam, vt non mirum sit, minores alias summas fuisse prætermissas. Ergo vix credibile erit Salomonis annuas auri opes ad mille talentorum maiorum summam accessisse, & per consequens ad coaceruanda centum millia talentorum auri, opus illi vt minimum fuisset centum annorum spatio. B

Salomonem totis centum annis non potuisse coaceruare integra 100U. auri talenta.

F. Deinde aurum quod Regina Saba attulit Ierosolymam ait sacra Scriptura fuisse infinitum nimis, 3. Regum 10. 2. Ex quo nemo ambiget, plusquàm dimidiam ponderis partem Salomoni ab ipsa fuisse donatam. Atqui non dedit Salomoni plus auri quàm 120. talenta (3. Regum 10. 0.) ergo non attulerat plusquàm 240. talenta: nimirum quantum pendent tres nostrorum aureorum milliones, & insuper aurei 36U. Si ergo hæc auri summa, Salomonis tempore existimabatur esse aurum infinitum nimis, ergo non erant eiusdem ponderis illa 100U. talentorum auri, quæ Dauid templo ædificando reliquerat. Non enim cohæret, si vtraque erant eiusdem rationis talenta, vt 240. reputentur aurum infinitum nimis, vbi (præter 666. talenta, singulis annis Salomoni allata) centum millia fuerant ei à patre relicta pro templo ædificando: præter alia tria millia secundæ oblationis, & præter alia 5U. à principibus oblata. Vide 1. Paralip. 29 num. 4. 7.

Expenditur locus 3. Reg. 10. 2.

G. Præterea non videtur rationi consonum, vt talentum auri sit maius auri pondus in 100U. talentis oblationis Dauidicæ, quàm in corona regis Ammonitarum, quæ auri talentum pendebat, vt habetur 2. Regum 12. 30. & 1. Paralip. 20. 2. vbi etiam subditur, Dauidem sibi eam assumpsisse, & imposuisse capiti suo. Quis verò non videat, non esse suspicabile Dauidis caput fuisse oneratum 1500. auri vnciis, hoc est arrobis nostris tribus, & ½. Huic argumento respondet quidam, coronam illam fuisse non hominis mortalis, sed idoli Ammonitarum, cui nomen *regis eorum* tribuitur: ea enim est etymologia nominis Melchom, & constat sic fuisse appellatum idolum quod Ammonitæ colebant, vide 4. Regum 23. 13. Id ergo idolum ait Villalpandus fuisse colossum ingentem, ac propterea dici Dauid eius idoli coronam suo capiti imposuisse; quia ex aliqua illius aureæ coronæ parte fecit sibi diadema. Hæc ille. Verùm hanc expositionem nulla ratione admittit textus. Si enim ex diademate quod pendebat vncias mille quingentas, non sunt acceptæ ad Dauidis diadema plusquam vnciæ 20. aut 30. quomodo verum erit, eam coronam quæ pendebat 1500. vncias impositam fuisse super caput Dauidis? Sic autem legimus 2. Regum 12. 30. *Diadema regis eorum pondo auri talenti impositum est super caput Dauid.* Constat ergo talentum auri eo loco ad summum esse duodecimam integri talenti partem, hoc est libras Romanas decem & vncias quinque, & sic etiam diadema est satis graue, sed tolerabile homini robusto. Coronam enim nouem librarum auri legimus in Plinio libro 33. cap. 3. quæ proportione ad Claudij Imperatoris triumphaturi caput effecta est. Alioqui enim non ausa fuisset Gallia tam paruum ei munus offerre: nempe tantum auri quantum pendent aurei nostri 868. Corona ergo talantæa, cuius meminit sacra Scriptura, hominis erat mortalis, non colossi: erat enim corona regis Ammonitarum. Neque obstat, quod in Vulgatâ appelletur ille Melchom (1. Paral. 20. 2.) Id enim factum est per elegantissimam irrisionem Dei Ammonitarum, quoniam enim deuicto rege eorum, ea victoria cedebat in dedecus & ignominiam Dei quem colebant; scitissimè vsus est sacer scriptor ipsius idoli nomine (quod sonabat *regem eorum*) in regis mentione; vt ea ratione, & regi eorum & idolo quem ille colebat, insultaret. Melchom igitur eo loco regem Ammonitarum denotat; qui cùm robustis polleret viribus, coronam fecit suo capiti minime leuem (vtpote quæ valorem argentei talenti haberet in auro) illo autem deuicto, cùm Dauid quoque robustus esset, eandem sibi coronam assumpsit victoriæ iure, delectatus fortasse talenti supra caput regis impositi mysterio. Quid autem per talentum symbolicè designetur, memini me in Apocalypseos commentario tetigisse. C

De corona Regis Ammonitarum talentum pendente.

H. Vidimus tres insignes sacræ Scripturæ locos, ex quibus constat non semper accipi talentum auri pro integro talenti pondere. His addo contextum ipsum (1. Paralip. 22. 14. vbi agitur de illa priori Dauidis oblatione) si attentè inspiciatur, nobis apertè fauere. Ibi enim post expressum talentorum auri & argenti numerum, subditur, *Aeris verò & ferri non est pondus. vincitur enim numerus magni-* D

De aris pondere à Dauide relicto.

Digitized by Google

A magnitudine. In quibus verbis quis non videat, manifestè significari, pondus æris (de quo ibi est sermo) fuisse plusquàm decuplum respectu argenti? Quoniam ergo argenti talenta erant decies centena millia expendamus quanta sit moles æris quæ contineat centies centena millia talentorum (ex ijs quæ pendent 1500. vncias) Si enim probetur hanc molem esse suprà omnem fidem, consequens erit, non esse eo loco sermonem de eiusmodi talentis. Quis ergo credat, Dauidem tantum æris reliquisse templo ædificando, quantum penderent quatuor æris sphæræ solidæ adeò magnæ, vt singularium diameter longior esset Hispanis pedibus 101. At enim si tantillo minores sint, non pendebunt centies centena millia talentorum ex magnis; vt facile comperiet Mathematicus qui nouerit aquam esse nouies ære leuiorem, ac sphærã aquæ cuius diameter sit pes Hispanus iustas pendere vncias 400. Quorsum autem tam stupenda æris moles, cùm euidentissimum sit, ad ea omnia quæ facta sunt ex ære (hoc est, ad mare æneum, ad columnas, altare holocausti, lebetes, phialas & ceterã æream supellectilem) satis superq; æris esse in vnica sphæra, cuius diameter quinquaginta pedum, quæ est octaua pars vnius ex quatuor sphæris supradictis? Contextus ergo ipse exigit vt illa centũ millia talenta auri ac mille millia argenti non existimentur esse ex talentis integris. Alioqui oportebit, æris quoq; pondus respectu ponderis argenti infinitum crescere, & quatuor prædictas sphæras siue monter æreos, fingere: ac nescimus quid fieri potuerit de adeò stupenda mole.

B I. Superest ferri consideratio, quod similiter requirit contextus vt sit decuplum saltem ad argẽti pondus. Ac ferri molem oportet esse æris mole maiorem: quia ferrum octies est grauius aqua, non nouies sicut æs. Atque centies centena millia talentorum ferri ex magnis plus penderent quã sphęræ quatuor solidæ ferreæ, quarum diametri sint longæ pedes 105. *De æris pẽdere à Daniele relicto.*

L. Iam si æs & ferrum non concipiantur in illis maximis sphæris solidis, sed æs in caminis & ferrum in vectibus & perticis eâ formâ quâ vendi solet rude & infectum; vniuersa templi Salomonici magnitudo vix capere posset tam ingentem molem, præsertim cùm templi area fuerit multò minor quam putauit noster Villalpandus, vt explicatum est supra, propos. 17.

§. 4. *Responsio ad argumentum secundum.*

A. PRimum dico, nulla ratione à me diminui pondus talentorũ auri quæ sacra Scriptura enumerat vbi de Salomone sermo est: quia nullibi sunt plura quàm 666. omnino comprehensibilis summa, & quam oportet de integris auri talentis accipere, consideratis ijs quę de mirandis Salomonis diuitiis sæpe in eadem Scriptura repetuntur. Nec enim integra auri talenta 666. plus pendent quàm nostrorum scudorum milliones octo cum semisse, sed tantillo minus. Arque eadem ratione C 120. auri talenta Salomoni donata à Regina Saba pendent paulo plus quàm eorumdem scudorum millionem cum semisse. Paremque summam Tyrius Rex ad eundem misit Salomonem. His ita cõstitutis: per reductionem talentorum auri ad valorem argenti in prima Dauidis oblatione, & similiter per reductionem argenti ad æris valorem, non solùm non aperitur via ad extenuandas Salomonis diuitias: sed potiùs ex eo quod necesse est, Salomonis diuitias fuisse valde admodum maiores Dauidicis, fuit etiam necessarium, Dauidis oblationem non accipere de integro talentorum auri & argenti pondere, sed de supradicto valore. *De Salomonis diuitiis & earum æstimatione.*

B. Secundò dico, ea quæ de admirandis Salomonis diuitiis nullo talentorum numero designato scripta sunt; accipienda esse tanquam hyperbolicè dicta. Constat enim Salomonis tempore, aliquo in pretio fuisse argentum, nec illo exiguo; cùm pretium equi optimi (ait enim Iosephus 8. Antiq. c. 2. Salomonis equos fuisse omnium pulcherrimos ac velocissimos) nõ fuerit eo tempore maius quàm siclorum argenti 150. hoc est drachmarum 600. quæ non plus pendent quàm Hispani regales 618½. Comparationes autem cum regibus terræ aut non comprehendunt magnos orbis monarchas; aut forsan etiam sunt hyperbolicæ, phrasi in encomiis assidua, alioqui enim non caneret Ecclesia in singulis sanctorum Confessorum festis: *Non est inuentus similis illi qui conseruaret legem excelsi*. Hyperbolem verò, aiebat Sapiens quidam, quo maior est, eo esse securiorem, sic enim se ipsa prodit, & D hyperbolem esse manifestat. Quare non rectè sentit qui in hyperbole modum & temperantiam requirit, nec is est sacræ Scripturæ stilus; vt patet Ioan. 21. 24. His addo maiorem esse hyperbolem *aurum infinitum nimis*, quàm, *aurum & argentum quasi lapides*: & priorem legimus 3. Reg. 10. 2. in auro à Regina Saba allato, quod paulo plus quàm tres nostrorum scudorum milliones pependisse non negabit ipse Villalpandus. Parcat autem nobis Comestor, si illa argentea sedilia pro foribus domorum Ierosolymæ somniata nobis videantur, cùm supradictum equorum regiorum pretium eis palam aduerserur.

C. Tertio dico, hyperboles sacræ Scripturæ non requirere vt tantam auri molem, quantam aliqui cogitant, coaceruauerit Salomon. Vera enim regula ad quantitatem auri in thesauris Salomonis designandam non desumitur ex hyperbolicæ loquutionis tenore (cùm tam magna hyperbole locũ habeat in auro à Regina Saba Ierosolymam allato) sed ex numero talentorum auri quæ sacra Scriptura expressè asserit singulis annis afferri solita Salomoni. Nullibi autem sunt plura quàm sexcenta sexaginta sex. & hanc oportet fuisse maximam diuitiarum Salomonis regis partem, vt suprà expensum est. & vt concedamus aurum ad mille talenta annua pertigisse; hæc auri summa non pendet plus quàm nostrorum aureorum milliones 12½. Satisque fuerit, si argenti annui pondus accessisse dicamus ad 12U. talentorũ: atque ita vnam auri vnciam duodecim argenteis æstimantes ex vtraque summa faciamus plusquàm viginti quinq; annuos aureorum milliones. Si quis autem huic computationi obijciat, Romanæ monarchiæ & ceterarum imperatores multo locupletiores fuisse: inde

Digitized by Google

ego si res sit certa potiùs colligam, ea verba quę Salomonis diuitias ceteris regibus præferunt, non esse accipienda adeò rigidè ac nonnulli volunt. A

D. Dico quartò, eam auri & argenti summam ad quam ego Salomonis opes videor reuocasse, satis esse, vt illæ fuerint aptissima inæstimabilium Christi diuitiarum figura. præsertim cùm præter auri & argenti copiam, gloriæ Salomonis cumulo multa alia accesserint non minus admiranda. videlicet, incomparabilis sapientia, ædificiorum maiestas, curruum & equorum innumerabilitas, ministrorum & omnis apparatus copia & pulchritudo, regum & reginarum amicitia & admiratio, ac denique quæ ipse Salomon describit Eccles. c. 2.

De nauigationibus classium Salomonis.

E. Dico quintò, de nauigationibus classium Salomonis per interpretationis speciem addi multa, quæ, meo iudicio, non solùm solida non sunt, sed neque vlla ratione verisimilia. Nimirum eas, è sinu Arabico soluentes, ac Bonæ spei promontorio flexo & superato in Bæticam peruenire solitas, & orbis vniuersi ambitu consummato in eundē Arabicum sinum redire. Certè sacra Scriptura duos tantùm designat locos, vnde classes Salomonis aurū ei attulerint, nēpe Ophir & Tharsis. Quare frustra fingitur, illis classibus vniuersi orbis ambitus nauigatus; vt ex alijs quoque locis aurum deferrent. Neque pondus auri quod expressè narrat sacra Scriptura à classibus allatum, maius est quam vt ex sola Ophir adduci potuerit. Non enim excedit pondus talentorum 450. (vt constat 2. Paral. 8. fi.) Tantundem verò pendent nostrorum scudorum milliones 5. & insuper 727500. scudi aurei. Ac Dalmatiam multo plus auri vno anno præbuisse Neronis tempore, auctor est Plinius l. 33. c. 4. B

Africa non fuisse frequenti vsu circumnauigata antiquis temporibus. fol. 147.

F. Deinde non est inuidenda Lusitanis gloria illis debita, ex eo quòd primi imperij amplificandi gratia, atq; commercij, Bonæ spei promontorium suis classibus superarint, ac frequenti nauigatione vniuersæ Africæ ambitum seriò patefecerint. Sic plane sentio. Atque vt hoc ego mihi persuadeam, sufficiunt mihi ea ipsa Plinij & Strabonis testimonia, quibus oppositam opinionē adstruere nititur amicus noster. Primo enim loco non aliud aiūt, quàm Tyrios atq; Phœnices (vt fama de eis ferebat) esse colonias eorū qui Erythræi siue Rubri maris littora incolebant. Hinc verò (ô bone Deus) vnde colligitur, vniuersæ Africæ Australis ambitum nauigari solitum? aut Tyrios per promontorium Bonæ spei in Hispaniam itasse atque in sinum Arabicum redijsse? Nunquid à litore sinus Arabici ad litus Mediterranei maris aliter colonia duci nō potuit, nisi supradictâ nauigatione frequentatâ? Sanè si hoc tempore postquam ea nauigatio singulis annis peragitur, colonia aliqua deducenda esset ab Asion Gaber (quod fertur esse in sinu Arabico) ad litus proximū maris Mediterranei (verbi gratia Damiatam vel Ioppen) nemini in mentem veniret longissimæ illius nauigationis, cui vix sufficiat annus integer; cùm terrestri itinere triduo possint pueri etiam & fœminæ à littore sinus Arabici ad litus maris Mediterranei peruenire. Quare fateor me esse ex eo cœcorum numero qui non videam qua ratione apertè Plinius faueat prædictæ nauigationis frequentiæ, cùm ait, Tyrios esse oriundos ab iis qui maris Rubri litora incolebant. C

fol. 193.

G. Secundo autem loco, quamuis cursiua (quod aiunt) litera, hoc est alio characterum genere, tanquam Plinii verba scripta sint, *à gadibus ambitu Mauritaniæ nauigari vsque ad Arabicum sinum*, & quāuis in loci Pliniani indicatione erratum sit; mihi tamen, cui Plinius sæpe in manibus, notus est verus locus, & vera Plinij verba, nempe l. 4. c. 27. vbi ait, *A latere Gadium ab eodem Occidente magna pars Meridiani sinus, ambitu Mauritaniæ nauigatur hodie.* vbi omninò desunt illa verba quæ illi à nostro amico affingūtur, *vsque ad Arabicum sinum*. Neque proferri poterit codex Plinianus, vbi ea superioribus copulentur. quomodo enim non totum Africę meridionale latus, sed solum magna pars meridiani sinus, si vsque ad Arabicum sinum? & qui tanquam rem scitu dignam scribit, magnam partem meridiani sinus, ambitu Mauritaniæ à Gadibus iam nauigari, non testatur apertè se prorsus nescisse quod illi adscribitur? nempe, totius Africæ ambitum frequentissimè tunc nauigari solitum?

H. Sed expendamus cetera omnia quæ ex Plinio adducuntur l. 5. c. 1. refert Plinius commentarios Hannonis Chartaginensis, in quibus scribit, florente Chartagine sibi imperatū, vt totius Africæ exploraret ambitum: eamq; nauigationem à se in commentarios esse relatam. Hannoniſque auctoritatem scriptores aliquos sequutos *quædam fabulosa, & vrbes multas ab eo conditas prodidisse, quarum nec memoria vlla, nec vestigium extat.* Hæc Plinius. Eritne qui ex hoc loco suspicari possit Plinij æuo eā nauigationē frequentissimam & visitatissimam fuisse? & non potiùs Plinium suspicari fabulosum esse quod ab Hannone scriptum est? Sed videamus cetera l. 2. c. 67. ait Plinius. hæc quatuor, Primò, *In Arabico sinu Augusti tempore signa nauium ex Hispaniensibus naufragijs feruntur agnita*, Secūdò, *Hanno Chartaginis potentia florente à Gadibus ad finem Arabia nauigationem eam prodidit scripto.* Tertio, *Nepos Cornelius auctor est, Eudoxum quendam sua ætate, cum Lathyrum regem fugeret, Arabico sinu egressum, Gades vsque peruectum.* Quartò, *Celius Antipater auctor est, vidisse se qui nauigasset ex Hispania in AEthiopiam commercij gratia.* Hæc Plinius. Atque his maximè nititur amicus noster. verùm ego ex iis ipsis censeo manifestè constare, prorsus fuisse ignoratum à Plinio, quòd ea nauigatio vel antiquis temporibus vel suo frequentata fuerit; aut cōmercij gratia visitata. Nam, vt narrationes illæ omnes (quas non affirmat, sed refert Plinius verissimæ sint, & à Plinio creditæ; nihil minùs continent quàm frequentatam totius Africæ ambitus nauigationem. Primum enim, Hispanicum aliquod nauigium tempestate abreptum per varia discrimina ad sinum Arabicum appulisse, probabit mari Oceano ambiri vniuersam Africam: non tamen probabit ambitum illum solitum fuisse nauigari. Eodem enim capite refert Plinius, Indos ex India commercij gratia nauigātes, tempestatibus abreptos Septentrionali circuitu in Germaniam peruenisse. Vnde nemo sanus colliget, eam maris Septentrionalis nauigationem fuisse vnquam visitatam & frequentatam. Quare cùm Plinius non aliter loquatur de nauigatione Oceani ambientis Africam; nō est quod aliter explicetur. Deinde, vt vera fuerit Hannonis nauigatio, multò aliud est, mare illud exD

plorandi

A plorandi gratiâ aliquando fuisse nauigatum litoribus legendis, quàm eam nauigationem vsitatissimam fuisse. Si enim frequentari solita esset, non erat cur tanquam res admiranda ac propemodum fide maior Hannonis audacia scriberetur. Præterea, etiamsi Cornelius non fuerit fortasse deceptus ab eis qui Eudoxi fugam ipsi narrarunt; ex eâ nihil aliud colligitur, quam Eudoxum vel tentasse id quod nemo alius tentauerat; vel fugientem tempestate abreptum, per varios casus Gades vsque fuisse delatum, ex qua narratione potiùs constat eo sæculo nondum fuisse prædictam nauigationem vsitatam. Alioqui enim non referret Plinius tanquam rem nouam & peregrinam, quam Cornelius scriptam reliquerat. Denique quod Cælius asserebat, visum à se qui nauigasset ex Hispania in Æthiopiam commercij gratiâ; tantum abest vt amici nostri opinionem confirmet, vt vix aliquid adduci posset quod magis ei aduersetur, quia Æthiopia illa; in quam ex Hispania nauigabant pauci aliqui commercij gratiâ, non est Orientalis Æthiopia, sed occidentalis; vt constat ex Strabone libro 1. vbi pro se adducit Homerum; ac disertè notat, eam Æthiopiam quam adibant ij qui Gadibus egressi occiduũ Africæ latus lustrabant, esse eam quæ est in ipso occiduo Africæ latere. nempe vbi est promontoriũ illud quod hodie Viride appellant. Equidem miror, amicum nostrum, qui hunc Strabonis locum viderat, & locum etiam Plinij libr. 2. c. 9. nihilominus existimasse, Cælij narrationem sibi fauere. Cùm potiùs ex eâ ipsâ constet, adeo sæculis illis fuisse ignotam totius Africæ Australis circuitionem per

B Bonæ spei promontorium, vt tanquam res admiranda narretur quòd aliquis Gadibus soluens commercij gratiâ peruenerit in Æthiopiam occiduam, hoc est in promontorium Viride quod hodie sane pro nihilo ducitur. Concludo igitur ex illo Plinij cap. 67. libri 2. & ex quatuor subsequentibus apertè constare, Pliniano æuo nondum commercij gratiâ ab Europæis vel Asianis vel ab ipsis Africæ incolis, fuisse Bonæ spei promontorium flexum, nedum eam nauigationem frequẽtissimè vsurpatam.

I. His addo, si tunc frequenter Australis Africæ latus circumnauigaretur (sicut hodie) non futuram fuisse tunc adeò ignotam totius Africæ ad Europam proportionem: neque diceret Plinius quòd ait l. 6. c. 33 fi. nempe ex tribus terræ partibus quæ tunc agnoscebantur (Europâ, Asiâ, Africâ maximam earum esse Europam, vtpote quæ respectu totius terræ contineat partem tertiam & insuper octauam: cùm tamen Africa non sit maior quàm quinta & sexagesima. Sic ille. Si autem vere, vt putabat; Europa esset duplo maior quàm Africa: Partitâ enim vniuersa terræ superficie in parte 6∪720. obtingerent Europæ 308. Africæ autem non amplius quàm 1∪456. hoc est minùs quam semissis Europæ: cùm tamen cõstet Africam reuera esse multò maiorem Europâ. Liquet ergo prorsus ignorasse Plinium id quod asseritur apertè docere. Quem verò adeò fefellit spes quam in Plinio collocarat, non est quod metuamus securius in Herodoti patrocinio confidere. præsertim cùm testimonia eius quæ profert, ipsi etiam proferenti infirmiora videantur. & propterea eis refellendis supersedeo:

C nec aliud dico, quam ex is ipsis nostram sententiam egregiè confirmari. & omitto probationes aliàs, ex quibus idem euidenter constabat, vt ex tabulis Ptolomei, qui fuit posterior Herodoto Strabone & Plinio.

L. Dico Sextò, meâ nunc non admodum referre vbi gentium fuerint Ophir & Tharsis; vnde autum & argentum allatum est Salomoni, vellem tamen vt qui id examinandum suscepêre, animaduerterent, a b ipsa Tyro quæ est in mari Mediterraneo potuisse naues mitti ad sinum vsque Arabicũ absque vllo totius Africæ circuitu. Quamuis enim sinus Arabicus, 62. milliarium interuallo distet à Nilo; (vt auctor est Plinius l. 6. c. 29.) & paulo ampliùs à mari Mediterraneo, scimus tamen aliquãdo, triremium multarum materiam omnem, atque (vt ita dicam) membra omnia postea compingenda (nẽpe tabulas, transtra, remos, mala charchesia, antennas, vela, gubernacula, puppes etiam & proras in aliarum nauium ventre delata fuisse in aliquem portum, vt inde terrestri itinere ad alium vbi eis opus erat deferrentur. & cum neque Salomonis atque Hiram ministris deesset industria, neque infinitus numerus portantium onera, non est cur reputetur impossibile, classes magnas à Tyro fuisse delatas, in aliis nauibus Damiatam vsque vel Ioppen; & inde terrestri itinere vsque ad Asion Gaber. Hac ergo ratione nulla erat difficultas in eo quod legimus 2. Paral. 8. fine, nempe *Salomonem abijsse ad Asion Gaber ad oram maris Ruòri; & illuc missas ei fuisse naues à rege Tyrio, & nautas gnaros maris, vt cum seruis Salomonis abirent in Ophir.* quæ est in India Orientali, vt auctor est Iosephus l. 8. Antiq. c. 6.

Qua ratione potuerit rex Tyri mittere classem in sinum Arabicum, vt habetur 2. Paral. 8. f.

D M. Deinde noto, non cohærere cum sacræ Scripturæ narratione quod excogitatum est ab amico nostro; nempe classem Salomonis eadem nauigatione ad Ophir & inde ad Tharsis nauigasse, aut è conuersò. Non cohæret (inquam) quia sacra Scriptura tãquam de diuersis nauigationibus loquitur. & in Ophir quidem non videtur nauigatum à Salomonis classe, nisi semel aut bis: in Tharsis verò sæpius; quia quartò quoq; anno. & quod nõ frequentiùs, ego non longinquitati itineris, sed prudentiæ tribuo, ne merces importatæ vilescerent, siue vt auri & argenti bona copia iam esset coaceruata cùm classis appelleret. Nam quod Tharsis ad quam ibatur ex Asion Gabet (sic enim constat ex 2. Paral. 20.) non multorum dierum nauigationem à sinu Arabico distaret, ex eo colligo quòd Tyrus illius Tharsis colonia fuerit. quia Isaiæ 23. 10. vbi legimus *filia maris*, pro mari hebraicè legitur *Tharsis*. & omnino videtur opus esse vt magna illa pars Oceani, quæ appellationem maris Erythræi producit extra sinum Arabicum, sit eadem quæ à Iosepho & ab aliis appellatur mare Tharsicum. Atque ita idem erit Tyrum esse filiam sine coloniam Tharsis, quod esse coloniam eorum qui litora Erythræi maris incolebant, quod traditur à Plinio l. 4. c. 22. Strabone l. 1. & à Dionysio Afro v. 906. & cohæret etiam eorum loquutio cum translatione interpretis. Vulgati Isaiæ 23. 10. vbi Tyrum apellat filiam maris Similiter enim loquitur Plinius. *Tyrij ab Erythreo mari orti feruntur*, & Strabo, *ex Oceano in coloniam ducti sunt Tyrij. & quia à mari Erythreo sunt. Erythrei etiam ipsi vocantur* Dionysius quoque ait. *Tyrios esse eorum hominum ex genere, qui maris Erythrei accolæ fuerunt.* Quod verò propriè fuerint colonia vrbis Tharsis

Non erat eadem nauigatio in Tharsis & in Ophir.

Quid sit, filia maris. Isa. 23. 10.

Digitized by Google

Tharsis Erythrææ, ex eo confirmatur, quòd suas ipsi colonias, Tharsis nomine indigitauerint, & Erythræas etiam appellari voluerint. Eo (scilicet) affectu, quo sæpe patres filiis auorum nomina imponunt. Cõstat autem Carthaginem Africæ, Tyriorum fuisse coloniam: & quòd Tharsis etiã sit appellata, auctores sunt Septuaginta interpretes atq; Vulgatus, qui Tharsis nomẽ de Carthagine interpretantur: illi sæpiùs, Vulgatus autem Ezech. 27. 12. quod & aliorum testimoniis cõfirmare possemus & antiquis etiam numismatibus. In confesso est etiam, in Bæticâ Tartesium siue Gadirem, (coloniam Tyriorum.) dictam quoq; fuisse Erythiam, eo quòd Tyrij eorum aborigines ab Erythræo mari orti ferantur. vide Plinium l. 4. c. 22. Deniq; optima nostræ sententiæ confirmatio est, quod à sinu Arabico (vnde soluebat classis Salomonis quæ ad Tharsis nauigabat) verisimile non sit ad aliam Tharsis occidentalem nauigatum esse: cùm promontorium Bonæ spei adhuc non esset flexum ac superatum; vt suprà ostendimus. Noua autem quorundã opinio qui Asion Gaber ad mare Mediterraneũ transferũt, & ab aliis est validè impugnata, & ex dictis etiã (nisi fallor) satis refellitur. vide etiam Ioseph. l. 8. Antiq. ca. 6. (alias 2.) vbi Asion Gaber (ex qua soluebat classis Salomonis) ait esse in sinu Arabico, & vocatam fuisse postea Berenicem, de qua etiã Berenice Plinius l. 6. c. 29. vbi eam etiam ponit in sinu Arabico. vide etiam Numer. 33. 35. & Deuter. 2. 8. A

An Ionæ in ventre ceti vniuersam Africã circumierit.

N. Dico Septimò, confutata eorum opinione, qui totius Africæ ambitu australi censent olim frequentissimè nauigatum fuisse à sinu Arabico in Hispaniam; facile etiã euanescere prodigiosam illã Ionæ in ventre ceti nauigationem à Ioppe vsq; in Arabicum sinũ totius Africæ circuitu triduo peractã. Nam hæc opinio in eum videtur præcipuè finem excogitata, vt minus miraremur; naues olim eum cursum integro anno conficere solitas, quem triduo cetus consumasset, non à Gadibus solum, sed à Ioppe profectus. Eius verò rei Ionas ipse producitur testis, qui c. 2. 6. ait, *pelagus operuit caput meũ*: vbi pelago respondet in originali *suph*, quod solet esse maris Rubri, siue sinus Arabici epitheton. Adiiciturq; id fuisse expediens, vt postea Ionas in sinus Arabici litus eiectus, vicinior esset Niniuæ, quàm si ad litus Mediterranei prodiisset. Citantur etiã pro hac opinione nescio qui Rabbini, quos, meo iudicio, debuisset noster amicus omittere: tum quia ipse agnoscit & fatetur eos quos profert esse nugiuendulos; tum quia eorum verba quæ adducit, aliud omnino significant; nimirum, Mediterraneum quoq; mare appellari mare suph siue caricosum (quod mihi fauebat amico nostro:) aut trãsiri posse per Nilum à Mediterraneo ad sinum Arabicum: Est enim quoddã genus hominũ qui nunquã animo informarunt dispositionem orbis terrarum quã mundi mappa ponit ob oculos, neq; vbi sit Arabicus sinus; neq; an misceatur mari Ægyptio, vel ab eo diuidatur. Omissis ergo illis non satis videtur rei difficultatem perpendisse qui deuorat rem adeò mirandam, nẽpe quod triduò cetus plusquam decem aut fortasse duodecim milliarium millia confecerit, ex quibus, quamuis tres dies naturales, viginti quatuor horarum singuli, computentur; vnicuique horæ obtingent plura quã 138. milliaria, aut etiam plura quàm 166. Si hæc adeò incredibilis celeritas miraculo tribuitur per Dei omnipotentiam; non erat opus tam longo circuitu; cùm à Deo posset cetus transferri ab vno mari in aliud sine vlla mora aut ambage. quẽadmodum translatus est Habacuc à Iudæa in Babylonem, non per eam viam qua iter illud ab ipso propheta diebus aliquot confici posset, sed *in impetu spiritus*. (Dan. 14. 15.) Si verò asseritur cetus ipse qui à sinu Arabico adductus fuerat, naturæ instinctu, statim ac ei permissum est, quanta potuit velocitate eodem rediisse; atq; ita potuisse post triduum Ionam euomere ad litus maris Rubri prope Asion Gaber, vellem vt qui hoc asserit cogitaret, maiorem à se velocitatem tribui ceto, quam pilæ ferreæ à bombarda eiaculatæ, & eo mirabiliorem quòd nõ aëre libero, sed pelago multis insulis breuibus, scopulis ac locis vadosis eundem erat cum manifesto impactionis & illisus, in minori etiam celeritate, discrimine. Sed Deus (inquient) prouidebat ne piscis in medio itinere alicubi impingeret. Bene; sed quo (quæso) fine tam prodigioso circuitu in sinum Arabicum deferebatur Ionas? Sanè non alio, nisi vt in litus eiectus, propiùs abesset ab vrbe Niniue, quam si in litus Mediterranei: Quid ita? Nunquid vt breuiùs posteà posset in eam vrbem peruenire? ad hoc igitur, quanto minùs violentum erat, eiectum Ionam ab angelo capillo capitis sui portari & poni ad Niniue vrbis portam? (vt contigit Habacuco Daniel. 14.) vel rapi ab spiritu, vt contigit Philippo qui inuentus est in Azoto? (Actuum 8. 40.) Deinde doceri etiam vellem quot milliaria sit propior Assyria Niniue cui Ionas erat prædicaturus) respectu maris Rubri, quam respectu Mediterranei. Nam à litore Tyri non video multo maiorem distantiam ad eam vrbem quàm ab Asion Gaber. Si autem tota difficultas ad illa verba Ionæ reuocatur. *Pelagus* (heb. *suph*) *super caput meum*; facile erat ab ea se difficultate expedire. Primùm enim eo loco verbum *suph* non est adiectiuum siue epithetum maris. neque aliter vnquam designat mare Erythræum nisi vbi est est maris adiectiuum. Cùm verò substantiuè ponitur, finem aut perditionem significat; vt ex ipsa Vulgata notum est eruditis. In ea ergo significatione credi potest acceptum fuisse à Vulgato Ionæ 2. 6. quasi dixerit Ionas, se mortem iam deuorasse quam suo capiti insidentem sentiebat, eò quod nimis profundo pelago esset obrutus, & in ceti vẽtre inclusus. Certè ad hunc sensum exprimendum perinde erat dicere, *pelagus super caput meum*, ac, *perditio super caput meum*. Quare ex Vulgata neque pilus pro totius Africæ circuitu. Sed ex abundanti, demus prophetam disertis atque perspicuis verbis dixisse, *Mare rubrum super caput meum*, & expendamus, quanto minus violentum sit, maris Rubri appellationem Phœnicum mari accommodare, quam cogere cetum ad prædictum totius Africæ circuitum triduo peragendum. Equidem negari non potest, quin maria à terris quas alluunt, distinctionem & appellationem accipiant. Sic enim dicimus mare Tyrrhenum, Ionium, Hispanum. Quid ergo mirum, aut nouũ, Phænicum mare Erythreum siue Rubrũ appellari, si Phœnices ipsi Erythræi dicebantur. Imò verò si Phœnices, non est aliud quam rubri, vt auctor est Strabo. Sic enim necesse erit vt mare quod vocatur Phænicum, eo ipso, valeat appellari rubrum B C D

A rubrum à litoris appellatione. Sed perinde est appellari Erythræum; Tyrios autem Erythræos esse dictos, suprà confirmauimus ex Plinio, Strabone atque Dionysio. Ascendente autem pisce à Ioppe versus Phœniciam, deseruiebat Dei voluntati, vt qua parte Mediterraneum mare minus ab Assyria distabat, Prophetam in litus euomeret, sine alio nouo miraculo minimè necessariò.

§. 5. *Responsio ad argumentum tertium.*

A. DIco Primò, si argumentum supponit, nullum esse in sacrâ Scripturâ verbum quod variis in locis variè accipiatur, reclamabunt vno ore vniuersi sacrarum Literarum interpretes. Si verò eiusmodi significationis varietas in aliis vocibus admittitur: quo priuilegio contenditur non debere recipi in talenti nomine? Si verò concedatur nobis æquiuocatio in quibusuis aliis, exceptis omnibus ponderum & mensurarum nominibus: quis nesciat id quoque explodi, non ab interpretibus modo, sed ab ipso etiam sacræ Scripturæ textu, in quo manifesta diuersa batorum mensura, cubitus maior & minor mina siclorum sexaginta & altera siclorum viginti quinque? Sin autem Villalpandus non ampliùs velit, quam vt sine vrgente ratione, talentorum diuersitas non admittatur in sacris Literis; huic ego voluntati non resistam. Sed quemadmodum ea mensura quam sacra Scriptura tribuit Mari æneo atque Luteribus, coëgit nos vt non dubitaremus mensurâ illorum quadraginta batorum

B quos singuli capiunt Luteres, esse multo maiorem eâ mensurâ quæ Mari æneo dat duo batorũ millia: sic comparatio diuitiarum Salomonis cum Dauidis opibus cogit talenti nomen in eis diuersimodè accipere. Neque est cur hoc alienum à sacræ Scripturæ consuetudine reputetur. Quis enim nesciat in vulgaribus quoque linguis multa reperiri similia? verbi gratiâ, in libræ nomine, quæ in Hispania, & in Bætica præsertim nunc pro sexdecim vnciarum pondere capitur, nunc pro vnciis triginta duabus, nunc pro certa pecuniæ summa quæ argenteos regales quatuor non excedit. Quid ergò mirum similem æquiuocationem in sacris Literis reperiri in talenti nomine? præsertim cum scriptores ceteros variare & expressè distinguere talentum maius à minori, negari non possit; nec dubitari quod Suidas ex Homero confirmat, videlicet aliquando talentum accipi pro paruula quadam drachmarum summa.

Talentum variè accipi nõ est inconueniens.

B. Dico Secundo, diuersitatem talenti aurei quæ à me asseritur, (videlicet vt aliquando sit pondus vnciarum auri, 1500. aliquando vero id auri pondus quòd totidem argenti vncias valeat) non tã esse æquiuocationem quàm analogiam (vt loquuntur Dialectici) & sacræ Scripturæ phrasim quam inficiari nequit Villalpandus, cùm eam in sicli nomine recipiat atque confirmet. Euidentissimum quippe est ipsius argumenta, si aliquid probant, non minus esse efficacia in siclo quàm in talento.

C. Dico Tertiò, reuocato auri talento ad valorem talanti ponderis alterius metalli, quemadmo-

C dum à nobis reuocatur; in eo ipso apparere & elucere rationem & conuenientiam eius diuersitatis quæ esset alioqui irrationalis. Neque enim ego pono, vt ponit Grsepsius (forsan absque solido fundamento) talentum auri in sacris Literis non pendere vncias 1500. sed 750. iuxta Atticorum consuedinem Neque assero (quod alius fortasse non sine aliqua verisimilitudine asserere posset) satis esse vt talentum auri in sacra Scriptura pendeat vncias 960. eiusmodi enim fuisse talentum Ægyptiacum (vt ex Varrone refert Plinius) & verisimile videri Israëlitas ab Ægypto exeuntes, Ægyptiis ponderibus atque mensuris fuisse vsos. Neque contendo veram esse Marianæ nostri & aliorum opinionem, qui talentum aiunt aliquando confundi cum siclo. Nullam ergo istarum opinionum defendo, argumentis enim Villalpandi me constrictum video, vt minimè credam eiusmodi talenta in sacris Literis vsurpari. Quare solùm aio, aliquando minori nobilioris talenti ponderi nomen talenti cõmunicari propter valorem integri ex altero metallo, neque posse ire inficias Villalpandum, quin ea sit sacræ Scripturæ phrasis ab ipso recepta atque confessa, & in ea phrasi elucere (aio) rationem & conuenientiam eius quod alioqui irrationabile videbatur, Sed explicemus hoc postremum exemplis. A Iulio Polluce l. 9. octaua pars talenti Hebraici appellatur talentum Syrum. Videbitur id alicui merè voluntarium fuisse. Si tamen in ea loquutione sermo esset de auro cui bona pars alterius metalli esset admixta, (verbi gratia pars tertia,) rationale erat vt singulæ vnciæ illius auri æstimarentur octo argenti vnciis, atq; adeò 1500. drachmæ, integro talento; & per consequens vt donarentur talenti nomine, & fortasse eiusmodi erat aurum pecuniæ Syrorum. Deinde quod Suidas ait, apertè in Homero talenti nomen poni pro paucarum drachmarum numero; id, auro ad valorem æris reuocato cohæret optimè, vt notabamus suprà §. 1. litera R. & S. Postremò, quod in aliquo sacræ Scripturæ loco reperimus, quinquaginta auri siclos, appellari sexcentos; constat esse rationale, si de valore sexcentorũ argenti siclorum interpretemur. Hac ergò admissa phrasi, in ea videtur acquiescere intellectus. Nec mirum, si in aliquo loco non satis constet quomodo ibi accipi debeat talenti nomen. similis enim difficultas sæpe in aliis vocibus occurrit, neque id Spiritui sancto visum est inconueniens.

§. 6. *Responsio ad quartum argumentum.*

A. PRimum, suspicari licet, ex infinita illa hominum multitudine quæ refertur, assiduè fuisse in opere versata, auferri posse centum sexaginta millia (hoc est dimidiam fere partem) quia quos sacra Scriptura proselytos appellat, eos putauit Eupolemus missos fuisse à regibus Tyrio & Ægyptio. Sane mihi verisimile est, Ægyptios & Tyrios qui à suis regibus ad Salomonem missi dicuntur, non admissos fuisse in operarios aut latomos sacri ædificij, vel in quoduis illius sacri operis ministerium, priusquàm veri Dei religione imbuerentur, & proselyti fierent. Atque ita iidem mihi sunt quos Eupolemus commemorat. & quos sacra Scriptura numerat latomos & portantes onera, & numerus cohæret optimè, vt patet ex ipsa obiectione. fuere enim latomi 80U. & portantes 70U. & alioqui

Quot millia hominũ versata fuerint assiduo labore in tẽpli Salomonis ædificatione, & qui sumptus facti in eorum mercede.

Digitized by Google

alioqui non fuissent in sacris Literis præteriti quos Eupolemus adiicere dicitur. A

B. Deinde valdè verisimile est, quemadmodum ex triginta illis operariorum millibus ex omni Israël, non omnes toto anno in opere versabantur, sed tantùm decem millia singulis mensibus, (vt habetur 3. Reg. 5.) sic de reliquis intelligendum esse. Hac verò ratione, quamuis omnes operarij fuissent 343U600. nunquam operarum simul in opere versantium numerus accessisset ad 120U. neque ad octoginta millia, si auferamus illos 160U. quos proximè dicebamus bis numeratos videri. Sic verò valde admodum minuetur impensa & admiratio. Quia quadraginta hominum millia in vnicâ solùm Hispanæ Carthaginis fodinâ assiduè in opere versabantur: vt scribit Polybius. Neque erat opus aureorum millione ad mercedem iis soluendam.

C. His adde prædicta operariorum millia assiduè in opere versantium, (siue fuerint 120U. siue 80U. tantum) non fuisse necessaria toto ædificationis tempore; sed vno solùm aut altero anno: videlicet ad montem Moriam complanandum, excidendum & æquandum, ad substructiones ingentes, ad ligna cędenda & conuehenda, & alia huiusmodi; quæ oportuit primo aut secundo anno esse facta, ne minus commodè postea fierent. His verò consideratis operarum impensæ fortasse non remanebunt maiores, quàm si toto septennio 40. hominum millia assiduè in opere versarentur.

D. Quid quòd merces operariis non ex auro vel argento à Dauide relicto, sed aliunde soluenda erat? Sane sic censet noster Pineda f. 165. 2. C. D, Opinatur enim Dauidem non alias impensas B
præparasse, quàm totius ædificij & ornamentorum eius materiam. Operariorum verò mercedem à Salomone fuisse vel de suo solutam, vel indicto vectigali prouisam. Huic equidem opinioni manifestè fauet Eupolemus ipse apud Eusebium: neque enim alius quotidianæ operariorum mercedis meminit, quàm panis, vini & olei ad victum: & hæc, ait, ab vniuersis vrbibus Salomoni subiectis fuisse contributa, vt templum Domini commodissimè ædificaretur. Facit quod regi Tyrio, cuius serui ligna cædebant in Libano, nulla est à Salomone missa pecunia (imò verò ille ad Salomonem misit auri talenta centum viginti) sed vinum, frumentum & oleum. Quod si operariis addebatur etiam obsonium aliquod, non minus id erat à Salomonis subditis contribuendum, quàm frumenti, vini & olei copia.

E. Sed demus, præter victum, quotidianam aliquam mercedem pecuniariam singulis operariis solutam esse. ex aliis sacræ Scripturæ locis constat, ad eiusmodi sumptum non fuisse opus tam immensis thesauris quàm sunt ij quos aliqui suspicantur. Sanè centum argenti talentis conduxit Amasias centum millia robustorum ex Israël (2. Paral. 25. 6.) atque vt illa solùm fuerit vnius mensis merces; ad mercedem integri anni satis superque fuissent argenti talenta 1200. quę non pluris æstimantur quàm centum auri talenta, Malè igitur computat Salomonis templi sumptus, qui ad eos opus fuisse putat centum millibus integris auri talentis, ac mille millibus argenti. Præter hæc obsecro à C
lectore, vt expendat verba illa quæ legimus 3. Reg. 9. 15. *Misit quoque Hiram ad regem Salomonem* 120. *talenta auri. Hæc est summa expensarum quam obtulit Rex Salomon ad ædificandam domum Domini, & ad domum suã & Mello, & murum Ierusalem, & Heser, & Mageddo & Gazer.* Ex quibus verbis ego colligo, ad eorum omnium ædificiorum impensas, nihil aliud de suo contulisse Salomonem, nisi illa 120. talenta auri: cetera aliunde suppeditata fuisse, nempe ex subditorum contributione. Non me latet Hebraicũ textum aliter transferri à Pagnino, Aria & aliis, nempe de vectigali annuo à rege impositio ad illorum ædificiorum sumptus & expensas. Sed Vulgata expositio & meliorem habet auctorem & multo meliùs cohæret cum contextu præcedenti. & hactenus de mercede operariis debita.

F. Sequitur vt dicamus de donatiuo illorum decem siclorum, quos Ægyptiis atque Phœnicibus in domos suas reuertentibus datos esse commemorat Eupolemus. & primùm ex abundanti do, eam historiam esse certissimam, & largitatem donatiui extendo etiam ad Israelitas operarios, nec non ad ceteros proselytos, nec aufero nunc ex illorum numero illa 160. millia quæ auferre poteram, hoc est dimidiam ferè multitudinis partem. (de qua suprà litera A.) sed sint omnes eo beneficio affecti 343U600. vt cotendebat argumentum. Certè ea ratione non pertinget summa ad siclorum milliones tres cum semisse. & quoniam certum est aureas drachmas appellatos fuisse siclos auri (vt ostendimus prop. 19. & 20.) non plus efficiet argumentum quàm Salomonem in illo donatiuo largitum esse tantum auri quantum pendent nostrorum scudorum milliones tres, & insuper 650U750. scudi D
aurei. hæc enim summa scudorum pendet idem omnino quod decies 343U600. drachmæ. & dato quod Eupolemus omnino esset intelligendus de quatuor drachmarum siclis; adhuc plus pendent ex nostris scudis aureis milliones quatuordecim cum semisse, quam vniuersum illius donatiui aurum. Suprà autem concessum est à nobis, maiores fuisse annuos Salomonis redditus. Nec est cur contendere possit aliquis Salomonem non fuisse largitũ de suo donatiuum illud; quia donatiua saltem non sunt impensæ quæ præparatæ fuisse dicuntur à Dauide.

G. Vtcunque hoc sit, si illa centum talentorum auri millia, ac mille millia argenti (de quibus 1. Par. 22. 14.) non sunt relicta soluendæ operarum mercedi; (vt ex prædictis colligitur) neque deaurandis parietibus (quia huic ornamento seorsum relictum est aliud sufficientissimum auri & argenti pondus 1. Paralip. 29. 4.) neque emendis lapidibus & reliquæ materiæ, (quia vnà cum auro & argento reliquit Dauid pro templi ædificio, immensum æris ac ferri pondus, ligna & lapides.) oportebit vt vniuersum illud auri pondus & argenti fiat templi supellex; hoc est vt supellex aurea & argentea non minus pendeat, quam illa summa auri & argenti quæ refertur 1. Paralip. 22. 14. Velle autem, vt aurea supellex pendeat arrobarum ponderalium 375. millia; & supellex argentea decies tantum (quod est pondus illorum talentorum, qualia cogitantur à Villalpando,) hoc meo iudicio omnem excedit fidem. præsertim cùm supellex à Iosepho relata fabulosa sit, & sacræ narra-

Digitized by Google

A narrationi aduersa vt suprà expendimus. Satis ergo superque videri debet rem prudenter æstimanti, & ad sacræ Scripturæ narrationem attendenti; quòd supellectilis aureæ pondus sint arrobæ ponderales 31U250. argentea verò supellex viginti arrobarum millia pendeat. hæc verò est prædictorum talentorum summa in nostra computatione. Iuxta quam si vniuersa illa aurea & argentea supellex in alium locum esset mulis imposita deferenda, opus esset 4U270. mulis, iusto singulis onere distributo, nimirum arrobis duodecim.

H. Si quis verò contendat, prædictam auri & argenti talentorum summam non solùm fuisse relictam, vt ex ea fieret templi supellex; (hoc est vasa aurea & argentea & cetera huiusmodi) sed etiam ad vniuersos ædificij sumptus. hoc etiam dato, respondeo, non mirum esse quod mihi satis sit multo minus auri & argenti pondus quàm Villalpando: quia mensura cubiti sacri quam ipse assignat est pluſquam dupla respectu meæ. ex quo infertur impensas totius ædificij in mea computatione esse duodecimam fere partem impensarum Villalpandi, (vt suprà expendimus propos. 17. §. de areis & solidis.) Bene ergo habet vt duodecimâ ego auri parte contentus sim, si Villalpandæi ædificij expensæ sunt ferè duodecies maiores.

B

PROPOSITIO XXIII.

In designando valore integri talenti argentei nonnihil excedituꝛ à quibusdam.

EXPLICATIO.

A AD explicationem propositi huius, operæpretium erit, qualitatem legalem, pondus atque valorem argenteorum Hispaniæ explicare prius, vt reductio talenti ad nostros argenteos regales pleniùs intelligatur. Legalis ergo qualitas argenti quod in Hispaniâ cuditur huiusmodi est. Septuaginta septem purissimi argenti vnciis miscentur quinque æris vnciæ: atque ea ratione fiunt legalis argenti vnciæ septuaginta duæ, vocaturq; id argentum dinerorũ vndecim & granorum quatuor: dato *dineri* nomine, duodecimæ ponderis partis, ac singulis duodecimis in viginti quatuor grana partitis. Atq; ita argenti legalis bes (siue marcus vnciarum octo) habet argenti puri grana 268. æriſq; 20. Notandumq; est idem esse grana 268. ac quater 67. sicut viginti sunt idem quod quaterquinq. Potrò ex singulis bessibus cuduntur argentei regales 67. diuiduturque singulorum valor in partes triginta quatuor quæ appellantur marauedini, ac proinde bes argenti signati valet marauedinos 2U278.

Legalis argenti quod in Hispania cuditur qualitas & valor.

67
24
268
201
2178

C B. Idem pondus argenti legalis non facti æstimabatur antiquis legibus argenteis regalibus 65. hoc est, marauedinis 2U210. Verùm ab anno 1366. ex singulis argenti bessibus qui cudantur, soluuntur regi marauedini 50. appellatur id vectigal Dominatus (*Señoraje.*) Atque ita quamuis argenti non facti bessi, nomine tenus idem valor manear; sed reapse non valet iam argenteos 65. sed minoris quinquaginta marauedinos, hoc est, non iam marauedinos 2U210. sed duntaxat 2U160. Quia non plus recipit qui bessem argenti legalis vendit: manent enim in emptoris potestate ceteri 50. Sicque fieri necesse est post impositum dominatus vectigal. Alioqui enim mercatores argenti qui emunt illud non factum ac deinde cudi procurant, non solùm nihil haberent lucri ex eo negotio; sed etiam in singulis bessibus integrum ferè argentum de suo amitterent. Ex argenti enim besse non cuduntur plures argentei quam 67 atque hinc soluendus est regi dominatus, & soluenda opera monetariis, & facienda fundendi metalli expensa. In his verò tres fere argenteos regales insumi necesse est: nimirum in vectigali dominatus 50. marauedinos; & in operâ monetariâ à lege taxatâ marauedinos 40½. & in fundendi expensis, vt minimum, octo. suntque omnes 98½. qui à tribus argenteis regalibus parum distant. Atque adeò ex 67. argenteis, mercatori ferè non manent nisi 64. Quare in singulis bessibus singulos pene amitteret argenteos, si pro besse argenti legalis daret ipse 65. Manifestum ergo est, ab

D anno 1566. argenti legalis non facti bessem non valere iam argenteos 65. sed marauedinos 2U160. hoc est, argenteos 63. ac præterea marauedinos 18.

C. Atque hoc fere pretio argentum legale emunt fabri argentarii. Verùm illi ab emptore argenti facti & laborati, præter sui laboris mercedem, pro singulis argenti bessibus computant deberi sibi argenteos 65. cùm vt ea ratione recuperent quod ex argenti pondere, fundendo aut limando consumi solet; tum vt laboris merces minus cara emptori videatur; ac demum vt ex pecunia locanda in emendo argento aliquid lucelli proueniat fabro præter facturæ mercedem. Ex hac tamen argentificum astutiâ (cui prædictum dominatus vectigal occasionem dedit) non infertur, argenti legalis bessem plus reuerâ valere quàm quod ipsi pro eo soluunt; sed solum vllos callidè inuenisse viam, per quam in ipso argenti pondere in centum argenteis lucrentur fere 2½. Emunt enim bessem marauedinis 2160. & hac impensa lucrantur 50. At sicut 100. ad 2½. ita 2160. ad 50¾.

D. Sed dicat aliquis nũmos argenteos, qui ex argenti legalis besse cuduntur, esse integros 67. qui valent marauedinos 2U278. nec aliud reperiri discrimen inter argentum non factum, & argentum signatum, nisi impensam dominatus, funditionis & operæ monetariæ: quibus omnibus soluendis satis superque sunt tres argentei regales. Ergò pretium bessis argenti non facti, vt minimum sunt reliqui 64. Respondeo, per legem quæ taxauit argenti non facti pretium, prouisum fuisse, vt lucellum aliquod superesset ei qui suum argentum cudi & signari procurat; nempe centesima fere ipsius argenti pars. Lex enim quæ argento non facto certum constituit pretium, est multo antiquior vecti-

Digitized by Google

gali dominatus: pretium autem ab ea decretum, erant 65. regales pro singulis bessibus, hoc est, ma- A
rauedini 2U210. facta autem atque signatâ pecuniâ ex vno besse, accedit valor summæ ad marauedinos 2U278. Ex quibus eo tempore tantum soluenda erat impensa funditionis & operæ monetariæ. Atqui impensa operæ à lege definita sunt marauediui 40⅔. & funditioni tunc satis esse videbantur marauedini 5⅓. Atque ita præter argenti precium (quod erat 2U210.) centesimam lucrabantur qui illud cudi faciebant, nempe marauedinos 22⅓. & quidem post latam etiam vectigalis dominatus legem, adhuc centesimam fere lucrantur qui suum argentum cudendum curant. Nam 50. illi marauedini qui nunc soluuntur regi, ex argenti pretio minuuntur: & funditionis impensa si nunc pro tempore est aliquanto maior, pecunia etiam quæ nunc in argenti bessem impenditur est minor; nempe non iam 2210. sed 2160. huius autem numeri pars centesima sunt 21⅗. itaque legalis auri bes post indictum dominatus vectigal non plus valet quàm marauedinos 2U160.

E. Et ne parum alicui videatur; notandum est, rationi consentaneum esse vt hic quoque valor noua lege minuatur, eo fine vt mercatores argenti, eo signando nonnihil amplius lucrentur. Iam enim post pragmaticam sanctionem quæ prodiit Decembri 1612. bes auri non plus valet quàm marauedinos 28U800. lucranturque mercatores in besse auri signando, marauedinos 523. (vt propositi. 24. palam fiet.) hoc est non solum centesimam, sed in singulis centenis plusquam 1⅗. Postulat ergo rationis paritas, vt argentum legale non plus valeat quam marauedinos 2142. (hoc est regales ar- B
genteos 63.) sic enim lucrum quod mercatori argenti supererit, erunt marauedini 37⅗. qua ratione proxime accedetur ad proportionẽ lucri in auri besse concessi. quia per regulam trium si 28U800. lucrantur mihi 523. æquum erit vt 2U142. lucrentur mihi ferè 39. id est plusculum etiam quàm ego petebam.

§. 2. *Quantum valeat bes purissimi argenti.*

A. Illi quibus ex officio incumbit, auri & argenti probatio (*ensayadores*) in designando argenti probati pretio, nihil omnino auferunt ratione dominatus prædicti qui soluitur regi: satis esse putantes, si id in venditione detrahatur. Atque ita legali argento imprimunt huiusmodi notam 2210. Purissimum vero argentum (dinerorum vt vocant duodecim) cuiusmodi fere est quod ex Mexicana & Perüana regione in Hispaniam nauigat, hanc solet afferre impressam notam 2380. quod est dicere singulos eius argenti besses septuaginta regalibus æstimari.

B. Et sit sane nomine tenus is argenti valor. Si tamen subtiliùs examinare velimus, quantum re ipsa valeat purissimi argenti bes, consideratis hodiernis Hispaniæ legibus & sumptibus, ex prædicto marauedinorum numero ego omnino aufero plusquam 60. marauedinos, atque adeò contendo verum valorem non accedere ad marauedinos 2U320. Tres enim summæ ex prædictis 2U380. neces- C
sariò auferendæ sunt, quæ faciunt marauedinos 60. & eo amplius.

C. Primùm enim deducendus est valor æris quod miscendum est argento puro vt fiat argentum legale. Cùm enim legalis argenti bessi assignatus est valor marauedinorum 2U210. non solùm habita est ratio granorum 268. argenti quæ in eo insunt, sed etiam 20. granorum æris: vtrumque enim metallum pecunia emitur, & qui in domum monetalem adducat 67. argenti purissimi besses, opus habet simul quoque adducere besses æris quinque qui non minoris emi solent in Hispania quã marauedinis 160. (singuli nempe besses marauedinis 32.) Si verò prædictos 160. marauedinos partiantur ex æquo socij 67. (tot enim erant puri argenti besses) obtingent singulis marauedini 2⅖. Ergo hæc summa auferenda erat ex prædictis 1U380. qui dati sunt argenti purissimi bessi ex proportione ad valorem argenti legalis.

D. Secundo, ex valore prædicto singulorum bessium deducendi etiam sunt marauedini 5⅔. quos negligentior computatio per errorem aut contemptum adiecerat argento puro. Constat enim sic se habere argentum purissimum ad argentum legale, sicut 72. ad 67. & per regulam trium, si 67. non plus valent quam 2U210. necessariò efficitur, vt 72. non plus valeant quàm 2U37.4⅔. Ergo per errorem adiecti sunt in computatione, marauedini 5. ⅔. seu potiùs ex opulentiâ prouinciarum Perüanæ & Mexicanæ, quæ eiusmodi est, vt nihil in computatione addidisse videatur qui paucos illos addit D
marauedinos, eo fine vt summa redigatur ad integros 70. regales. nec enim minutior moneta quam regalis argenteus in illis prouinciis cuditur: & 70. regales conficiunt marauedinos 2U380.

E. Tertiò, ex eodem valore auferendi sunt etiam, ratione dominatus qui soluitur regi marauedini 53⅔. bes enim argenti purissimi se habet ad bessem argenti legalis, sicut 72. ad 67. Ac per regulam trium, si de 67. regalibus soluuntur regi marauedini 50. de 72. oportebit soluere 53⅔. Quod verò hãc summam probatores argenti non deducant ex pretio quod assignant argento, in causa est quòd ante legem quæ præscribit vectigal dominatus, nihil eiusmodi deducebatur ex precio: postea verò licet nomine tenus maneat argento antiquum precium; in venditione tamen re ipsa minuitur: quia manet in potestate emptoris id quod regi soluendum est, quandocunque ex argento illo argentei nummi signentur.

F. Conficiunt tres prædictæ summæ auferendæ ex precio bessis argenti purissimi, marauedinos 61⅔. Atq; adeò reapse iuxta hodiernas leges pretiũ bessis argenti puri non sunt marauedini 2U380. (neq; 2U376. vt computat Villalpandus) sed 2U318⅔ Quamuis verum sit huic precio posse aliquid addi ab emptore si minori lucro sit contentus, quam quod illi à lege conceditur, vel si speret se reperturum aliquam auri partem in ipsis argenti lateribus, vt sæpe contingit in iis qui ex fodinis Mexicanis aduehuntur. Si tamen de legali puri argenti valore agendum est (videlicet ex proportione valoris quem leges præscribunt argento legali) diligenti computatione euidenter probatur

bessem

Digitized by Google

A bessem argenti purissimi non valere hodie marauedinos 2U320. neque valiturum plusquàm 2U300. marauedinos, si bes argenti legalis non plus valeat quàm marauedinos 2U142. vt hodie par esse diximus suprà in hac eadem propositione §. 1. littera F.

§. 3. *Quanti æstimari debeant singula argenti talenta Hebraica ex iis quæ habent vncias argenti 1500.*

A. PRopositione 22. conati sumus ostendere, in aliquibus argenti talentorum summis, pondus argenti non esse maius, quam totidem minarum pondus, hoc est, quinquagesimam ad summum partem eius ponderis quod alij cogitant. Atque adeò integra argenti talenta, quæ verbi gratiâ videbantur esse millies mille, non esse plura quàm 20U. Nunc addo, aliquid etiam esse demendum de valore qui vni integro argenti talento assignari solet, tum quia non constat sacram Scripturam in quauis talentorum argenti summa agere de argento purissimo; tum quia non parum exceditur in argenti purissimi valore. Nota ergo à nonnullis supponi, omnia talenta argenti quæ in sacra Scriptura legimus, cogitanda esse purissima absq; vlla alterius metalli mixtura, & quia talentum in- *Talentũ argenti quanti æstimari debeat.*

B tegrum continet besses 187½ & argenti puri bessem æstimari credunt 2U380. marauedinis, non dubitant integrum argenti talentum æstimandum esse nostris regalibus 13U125. Ab hac summa aufert Villalpandus noster regales 22. ac duos insuper marauedinos; quia ex valore singulorum bessium demit marauedinos quatuor, sed maiusculam nos demptionem meditamur.

B. Dico ergo Primò, merè gratis supponi argenti talenta quæ in sacra Scriptura reperiuntur, omnia esse purissima (cuiusmodi est argentum quod 12. dinerorum dicitur) quia vix vnquam argentum adeò purum à natura gignitur; sed vel plumbo, vel stanno, vel ære mixtum, neq; argenti appellationem ab eo tollet quęuis alterius metalli particula quę adhuc in illo remaneat, antequã omnino excoquatur. Adde quòd patua aliqua æris mixtura congruit firmitati ipsius argenti, & propterea etiam in magna argenti opulentia non solet cudi purum, vt patet ex legibus Hispanis. Si ergo gentes omnes vix aliter vtũtur argento, nisi admixta aliqua æris particula, & illud omnes absolute argentum appellant, cur ab ea loquutione sacram Scripturam abhorrere putabimus? Dices fortasse, aliquando in sacra Scriptura expresè agi de talentis argenti probatissimi, vt 1. Paral. 29. 4. atq; id satis esse vt de simili argento ceteros intelligamus locos, quia par est ratio. Imò verò, ex eo ipso colligitur mille millia argenti talentorum non esse accipienda de argento probatissimo; quia hoc epithetum non est adiectum illis, vt patèt 1. Paral. 22. 14. sed millibus septem c. 29. 4. Si enim vtraque probatissima fuissent, par

C erat vt potiùs id exprimeretur in mille millibus quàm in millibus septem. Adde quod fortasse probatissimum non est idem quod purissimum. Quia argentum legale in Hispania iterum atque iterum probatur & examinatur, ne plus æris admixtum habeat quàm à lege præcipitur; & tamen non id agitur per examen & probationem, vt purissimum sit, siue dinerorum 12. sed vt dinerorum sit vndecim & granorum quatuor.

C. Atque vt demus, argentum probatissimum in sacris Literis esse idem quod purissimum, sanè illa mille millia talentorum non appellantur pura neque probata, atque ita non est cur credantur fuisse puriora quam nostrum argentum legale. Qua ratione, si illa fuissent millies mille talenta integra argenti, nihilominus de valore quem eis assignat Villalpandus, demi poterant plusquam centũ milliones nostrorum ducatorum. Quia duo marauedini deducti de valore vnius bessis, auferunt de integro talento ducatum integrum, besses enim vnius talẽti sunt 187½. & totidem binarios marauedinorum habet vnus ducatus Hispanus. Quare si valor vnius bessis minuitur plusquã 200. marauedinis; talenti quoq; valor minuitur plusquã centum ducatis, & mille talenta plusquam ducatis centũ millibus, & millies mille talenta, plusquam centum ducatorum millionibus. Constat autẽ Villalpãduni (to. 3. f. 4 8) bessi argenti puri tribuere valorẽ marauedinorum 2U376. ac bessem argenti legalis in nostra computatione non plus valere quam 2U160. inter quas summas reperitur discrimen marauedinorum 214. ergo discrimen valoris in maxima illa talentorum summa non esset minùs quam

D Hispanorum ducatorũ milliones 107. Et erit adhuc maius discrimen, si bes argenti legalis non plus valeat quàm marauedinos 2U142. (iuxta ea quæ supra diximus) nam ea ratione auferentur de eâdẽ summâ nouem alii milliones.

D. Quoniam verò prędicta mille millia talentorum nos non putamus fuisse integra talenta; & conati sumus ostendere, illius summæ pondus non fuisse maius quã talentorum 20U. adiiciamus etiã in viginti talentorum millibus, quid interfit inter valorem quem eis assignat Villalpandus, & inter eum quem tribuit illis nostra computatio. Viginti igitur argenti talentorũ millia in Villalpandi tabula faciunt milliones 23. ac præterea 760U. ducatorum, ex qua summâ nostra cõputatio prorsus aufert milliones duos & ducatorum 140U. nimirum quia satis esse putamus, cogitare argentum illud fuisse eiusdẽ qualitatis cum nostro legali, cuius bes non plus valet re ipsa quã marauedinos 2U160.

E. Si verò cogamur de eâdem talentorum summâ loqui, tanquã de argento purissimo, tunc in viginti talentorum millibus, de Villalpandi valore demuntur à me in singulis talentis aurei ducati 27. & in totâ summâ 540U. In summâ verò mille millium talentorum integrorum, de valore quem assignat Villalpandus, aufero ego milliones 27. Hæc autem discrimina intelligo, si cogitemus sermonẽ esse de pondere argenti non facti neque signati. Nam si sermo esset de pecunia ex argẽto purissimo signatâ absque vllâ æris mixtura; tunc parum admodum demi posset de valore quem in suis tabulis ponit Villalpandus.

Digitized by Google

F. Quoniam verò neque constat sermonem esse de argento purissimo, neque de pecuniâ signatâ; prudentiæ esset (meo iudicio) nihil de valore decernere absolutè loquendo: ac satis putare si argenti pondus agnoscatur ac numerus drachmarum designetur. Definito autem integrorum talentorum numero, nihil facilius quàm inde drachmarum numerum colligere. Constat enim singula talenta Hebraica pendere drachmas Atticas 12U. siue mille duodenas drachmarum. Atque hac duodenarum phrasi libenter ego vterer: quia agnito talentorum numero, facillimè agnoscitur quot sint duodenæ drachmarum: & singulis duodenis respondet valor vnius drachmæ aureæ. Verbi gratiâ, vnicum talentum habet mille duodenas drachmarum argenti, atque adeò meritò æstimatur mille aureis drachmis viginti ergo talentorum millia, viginti millionibus aurearum drachmarum æstimabuntur, quia totidem duodenas drachmarum argenti pendent. A

G Et quidem de numero drachmarum argenti res est liquida. & si quis malit idem pondus explicare per nostrorum regalium numerum, constat talentum integrum (siue 12. drachmarum millia; idem pendere quod pendent regales nostri 12U;62½. Ad valorem autem argenteorum siue ad qualitatem argenti non descendo, quia non satis constat in qualibet talentorum summa, quale esset argentum de quo sacra Scriptura loquitur. & nihilominus duodecim drachmis argenti respondet in mea computatione vnica auri drachmarum, quia ea erat antiqua æstimatio; tum quia ab ea æstimatione non longe abeunt nostri æui variæ æstimationes. Neque obstat, quòd diuersæ argenti qualitati respondet diuersum auri pondus, quia prædicta reuocatio duodecim drachmarum argenti ad vnicam auri drachmam, ea ratione intelligenda est, vt puro argento respondeat purum aurum; & minus puro minus purum eadem proportione. & in his quæ non possunt, aurificis, vt aiunt, statera ponderari, satis est si trutinâ vtamur populati. B

PROPOSITIO XXIV.

In designando valore integri talenti aurei, non parum à nonnullis exceditur.

EXPLICATIO.

IN huius propositionis explicatione eundem ordinem quem in præcedenti seruabo, iis suppositis, quæ ibi iam explicata manent.

§. 1. *De qualitate auri legalis, ac de pondere & pretio scudorum Hispaniæ.*

Qualitas, pondus & pretij scudorum aureorum Hispania.

A. CONstat, in Hispaniâ, antequam regnaret Carolus V. Romanorum Imperator, in quibusdam nummis aurum purum aut fermè purum solitum fuisse signari. Sed post Caroli leges, legalis auri qualitas requirit vt duabus ac viginti puri auri vnciis, duæ æris vnciæ misceantur: qua ratione fiunt tres besses auri legalis quod *22. quilatum* appellatur, dato *quilatis* nomine vigesimæ quartæ ponderis parti. Cuduntur autem ex vno besse aurei 68. quos scudos appellamus: quorum singuli regnante Carolo V. æstimabantur marauedinis 350. hoc est argenteis regalibus decem ac totidem marauedinis. Eisdem tamen per sanctionem Philippi II. (latam anno 1566.) datus est valor marauedinorum 400. Ac demum anno 1610. à Philippo III. auctus est eorum valor marauedinis 40. atque ita æstimantur hodie marauedinis 440. Hinc est vrbes scudorum aureorum (nempe scudi 68.) æstimatus sit, sub Carolo, marauedinis 23U800. (siue regalibus argenteis 700. & sub Philippo II. marauedinis 27U106. siue regalibus 800.) nunc verò marauedinis 29U910. siue regalibus 880. Deceptus est ergo proculdubio Villalpandus qui tempore Philippi II. besse m auri legalis (quod 22. quilatum appellant) putauit æstimari marauedinis 27U225. cõputatio enim manifestè ostendit, scudos 68 (quorum singuli non plus valebant quã marauedinos 400.) nõ plus efficere quàm marauedinos 27U200. Itaque de suo addidit ille marauedinos 25. in besse; & in *castellano* semissem marauedini. Est autem *castellanus* quinquagesima pars bessis, quæ sub Carolo æstimabatur in auro signato, regalibus quatuordecim, sub Philippo II. regalibus 16. nunc autem marauedinis 598. qui faciunt regales 17. & præterea marauedinos 20½. Atque hactenus de valore auri signati. C D

tom. 3. f. 417.

400
68
3200
2400
27200.

§. 2. *De valore auri legalis non facti neque signati, sed in massa auri.*

De valore auri legalis non facti.

A. ARgento legali in massa (hoc est rudi, & neque facto neque signato) definitus est valor per leges Hispaniæ (vt præcedenti propos. explicatum est.) Auro verò rudi non erat designatus valor vsque ad 14. diem Decembris anni 1612. Quamuis enim Philippus II. (l. 6. tit. 12. lege 13. declarationum) præceperit vt Castellanus (quilatum 22.) sexdecim argenteis regalibus æstimaretur; constat tamen eam legem loqui de castellano auri signati. Neque ad hoc necesse erat, nummum aliquem esse qui omnino penderet iustum castellani pondus (cùm posset sermo esse de vero valore quem habet quinquagesima pars bessis signati; quemadmodum de valore tertiæ aut quartæ partis vnius scudi aurei;) sed compertum etiam est à Ferdinando rege fuisse cusos eius ponderis & qualitatis nummos aureos, atque de eis nummis manifestè agitur in Hispanis legibus sub Castellanorum nomine; vt videre est l. 5. titul. 21. lege 13. & titul. 22. lege 2. & 9. & 15. Ex computatione autem manifeste patet in prædictâ Philippi II. lege non considerari castellanum in massa auri antequam signetur, quia in eadem lege constituitur quadringentorum marauedinorum pretium singulis scudis, quod fuit signati auri besse dare octingentorum regalium valorem; ex hoc autem pretio, castel-

Digitized by Google

A caſtellano ſignato obtingunt regales 16. Si verò de caſtellano in maſſa auri ſermò eſſet, neceſſariò fuerat ei minus pretium aſſignandum; quemadmodum argento rudi præſcribitur à lege minor valor quàm argento ſignato.

B. Non videntur ad hanc rationem animaduertiſſe qui animum regis in ea lege fuiſſe credunt, id præcipere, quod deinceps ab auri mercatoribus inuentum eſt & vſu receptum: nimirum vt legalis auri, non ſignati beſſi, nomine tenus idem tribuatur valor qui auro ſignato; hoc ſubintellecto arcano, vt 22. quilates auri non ſignati reuocentur ad $22\frac{1}{2}$. addito nimirum eo auri pondere quod ad eius rationis æqualitatem ſatis ſit. Verùm nulla ratione veriſimile eſt, à rege ſeu lege illam arcanam reductionem quilatum 22. ad $22\frac{1}{2}$. (de qua non meminerit) fuiſſe præceptum. Verba enim legis non ſunt alia, quàm, *eſtimetur deinceps regalibus ſexdecim caſtellanus quilatum 22.* Atqui ſi pro 22. quilatibus computentur $22\frac{1}{2}$. is caſtellanus prorſus erit quilatum $22\frac{1}{2}$. nec de eo loquetur lex. Præterquam quòd nihil præſtaret præcipere vt ſignati & non ſignati idem ſit pretium nomine tenus; re ipſa tamen hoc minoris væneat; ac diſcrimen in arcano aliquo conſiſtat. Lege enim non definiente (vt verè non definit) quota pars auri addenda ſit in auri rudis emptione; mercatorum arbitrio relinquebatur an 22. quilatibus addendus eſſet dimidius vel tertia, vel quarta pars, vel duæ tertiæ: neque lex illa foret aliud quàm pallium quo auri mercatorum aſtutia tegeretur, vt illi valeant quo voB luerint pretio aurum emere, neque eorum arcana, ipſorum facultatis ignaris reuelentur; eo quod eorum lucris interſit ea ſemper eſſe velata.

C. Cùm igitur certum ſit, vſq; ad finem anni 1612. nullam fuiſſe legem quæ maſſæ auri legalis pretium definierit, operępretium erit diſtinctè explicare, quo pretio hactenus ſoleret emi bes auri legalis in maſſa. Conſideratâ igitur praxi illâ reuocandi 22. quilates ad $22\frac{1}{2}$. & reſerato mercatorum auri arcano, cõſtat illos ſolitos fuiſſe emere 45. auri legalis beſſes in auri maſſa, eo pretio quod erat per legẽ tributũ 44. beſſibus auri ſignati. Quare pretiũ auri legalis in maſſa auri habebat ſe ad valorem auri ſignati ſicut 44. ad 45. Ex quo, ſi ea praxis fuiſſet ſimiliter vſu recepta tẽpore Caroli, Philippi II. & Philippi III. conſequens erat, vt pretium vnius beſſis auri legalis in maſſa auri, Caroli tempore eſſent marauedini $23\mathrm{U}27\frac{1}{2}$ & ſub Philippo II. $2\mathrm{U}59\frac{3}{4}$. Nunc verò $2\mathrm{U}255\frac{1}{2}$. Verùm ego perſuaſum habeo, prædictam praxim (reuocandi ſcilicet viginti duos quilates ad $22\frac{1}{2}$.) non fuiſſe receptam neq; inuentam, niſi ab eo tempore quo aurei ſcudi aſcenderunt ad 400. marauedinos. Nam eo ipſo anno impoſitum eſt dominatus vectigal. Inuentum autem illud reuocandi 22. auri quilates ad $22\frac{1}{2}$. proculdubio fuit eo fine introductum, vt ex illa vnius quilatis ſemiſſe ſolui poſſet nouum vectigal, & præter impenſas funditionis & operæ monetariæ, aliquid lucri ſupereſſe mercatori. Vectigal enim dominans ſolui ex eo ipſo quod prius erat ſolidum lucrum mercatorum auri, incredibile eſt. Atque adeò non dubitandum, quin praxis illa reuocandi 22. quilates ad $22\frac{1}{2}$. hoſque emendi pretio eodem C quod per legem præſcribitur auro legali, Caroli tempore vſitata non fuerit. Hoc verò ipſum duplici argumento confirmo. Primum quod Hiſpali poſt aſcenſum aurei ſcudi ad marauedinos 440. quidam cenſuerint, beſſem auri legalis in maſſa in priſtino valore remanſiſſe, abſq; vllo incremento: alij verò nouum pretium inuexerint, nimirum vt caſtellanus in maſſa auri valeret argenteos regales $17\frac{1}{2}$. Qua ratione pretium beſſis auri in maſſa, quinq; regalibus erat minus quàm valor auri ſignati. Alterum argumentum eſt, quòd praxis illa reuocandi 22. quilates ad $22\frac{1}{2}$. vſurpari ſolebat ab iis quorum arte aurum aſperum lenitur vt oportet ad quæuis opera ex illo elaboranda: deinde verò aurum lenitum lenitores ipſi eodem fere pretio quo emerant (redactum ad quilates $22\frac{1}{2}$.) legali poſtea qualitate (hoc eſt quilatum 22.) ceteris aurificibus vendebant. Quare aurificibus ementibus aurum iam linitum vt ex eo facerent torques, annulos, inaures & quæuis monilia, nullum remanebat lucrum ex ipſius auri emptione & venditione, ſed ſolùm facturæ merces. Toto autem prædicti ſemiquilatis auri valore fruebantur linitores auri, tum pro linitionis labore & impenſis, tum pro fructu pecuniæ in auro locatæ. Valor verò ſemiquilatis in auro ſignato eſt quadrageſima quarta portio valoris totius: atque adeò in centum aureis pluſquam $2\frac{1}{2}$ quod eſt æquale ferè lucrum ei quod (præter mercedem facturæ) habent fabri argentarij, dum ementes argentum in maſſa deducunt ex pretio ſingulorum D beſſium 50. illos prædictos marauedinos; vendentes autem argentum factum, pro ſingulorum beſſium pondere faciunt ſibi ſolui regales 65. Sed exceſſum iſtum lucri quo fabri argentarij ac linitores auri, videntur feliciores aurificibus ceteris, veriſimile eſt ſufficienter compenſari eo facturæ pretio quod exigunt aurifices ex operibus aureis quæ vendunt.

D. Vtcunque hoc ſit, regula veri valoris in argento & auro non facto, non eſt pretium quo illud emunt ac vendunt aurifices & fabri argentarij. Illorum enim parum intereſt aliquantulo carius emere, ac tanti vendere quanti emerant; præſertim cùm poſſint augendo facturæ pretio paria facere, omnibus penſatis. Quare quamuis aurifices ſoliti fuerint pro auri legalis atque liniti caſtellano ſolucre regales $17\frac{1}{2}$. inde non probatur, illud eſſe pretium legitimum, quia illa aurificum conſuetudo non poterat contra rationis euidentiam præualere. Ac planè manifeſtum eſt (quemadmodum iuſtum atque legitimum argenti non facti pretium eiuſmodi debet eſſe, vt argenti emptio ad cudendum ſiue ſignandum lucro ſit, non iacturæ) ſic legitimum auri pretium non eſſe quod ementibus ad ſcudos aureos ex eo ſignandos nullum relinquat emolumentum. Si verò hodie bes auri legalis conſtaret 875. regalibus (quemadmodum aurifices ipſi ſolent à linitoribus comparare) emptio auri ad cudendum illud fieri non poſſet ſine damno. quia ex beſſe non plures fiunt ſcudi aurei quàm 68. neque hi plus valent quàm regales 880. Impenſæ autem neceſſariò faciendæ in 68. ſcudis ſunt ferè regales 20. Atque adeò de ſuo amitterent mercatores in eo negotio quindecim ferè regales in ſingulis beſſibus.

Digitized by Google

E. Vt verò hoc clarius innotescat, iuuabit computare distinctè sumptus qui sub Carolo & qui sub Philippo II. fiebant, & qui nunc fiunt, vt ex vno besse auri prodeant scudi 68. Caroli ergo tempore impensa non erat maior quam marauedinorum 127. Auro enim fundendo satis sunt 8. marauedini, & opera monetaria à lege taxatur duobus tominis, qui tunc valebant marauedinos 119. (diuiditur enim bes auri in tominos 400.) Nec erant vlli præterea sumptus. Ab anno autem 1566. sub Philippo II. impensa erat maior, videlicet marauedini 544. Aucto enim scudorum pretio, valebant duo tomini, debiti operæ monetariæ, marauedinos 136. & additum est vectigal dominatus, integer nempe scudus, id est, marauedini 400. quibus si addas funditionis impensam, summa erit 544. Ac tandem sub Philippo III. ab anno 1610. impenduntur in scudis 68. marauedini 597$\frac{3}{7}$. nempe 8. in funditione: 440. in soluendo vectigali dominatus: ac 149$\frac{3}{7}$. in soluendis duobus tominis pro operâ monetariâ. A

F. Iuxta hæc, si in tribus prædictis temporibus pari ratione fuisset vsu receptum vt pretium auri legalis in massâ auri, esset idem qui auri signati, viginti duabus quilatibus ad 22. $\frac{1}{2}$. redactis: Caroli tempore quo bes quilatum 22. emeretur, vt suprà computauimus, marauedinis 23∪271. $\frac{1}{2}$. addita 127. marauedinorum expensâ; ex valore scudorum 68. (qui tunc erat 23800.) remanerent mercatori marauedini 401$\frac{1}{2}$. hoc est in singulis centenis in auri emptione locatis ferè 1$\frac{1}{4}$.

G. Sub Philippo autem II. post annum 1566. bes quilatum 22. emebatur (vt suprà vidimus) in massa, marauedinis 26∪595$\frac{1}{7}$ additisque expensis 544. non plus remanebat lucri quàm marauedini 60$\frac{1}{7}$ (ex valore scudorum 68. qui tunc erat 27∪200.) nempe minus quàm 2$\frac{1}{4}$. in singulis millenis. B

H. Denique sub Philippo III. ab anno 1610. bes quilatum 22. emebatur (vt computatum est suprà) marauedinis 29∪255$\frac{1}{7}$. adiectisque 597$\frac{1}{4}$. (qui in auro signando nunc insumuntur) non lucraretur mercator duos integros argenteos regales: hoc est paulo plusquam 2$\frac{1}{3}$. in singulis millenis.

I. Porrò si ratio poscit (vt expendimus in argento propos. 23.) vt pretium bessis auri non facti eiusmodi sit, vt factâ ex eo pecuniâ non solum paria fiant, sed maneat etiam mercatori centesima suprà pecuniam in auri massa locatam: ergo sub Carolo V. (quando valor bessis auri signati erant marauedini 23∪800. & expensa marauedini 127.) bes auri legalis non facti non pluris æstimari debebat quàm 23∪440. vt lucrum mercatoris esset 233. qui sunt centesima pecuniæ pro auro datæ. Qua ratione valor bessis non facti 22. quilatum, quinque fere regalibus excederet pretium quo re ipsa emeretur, si 22. quilates reuocarentur ad 22$\frac{1}{2}$. & sic pro eo daretur integer bes auri signati. Lucrum verò eo esset minus quo auri pretium foret maius.

L. Eâdem ratione sub Philippo II. quando bes auri signati æstimabatur marauedinis 27∪200. & in eo cudendo expendebantur 544. bes auri legalis non facti deberet emi 26∪293. marauedinis, vt mercator lucraretur 263. atque adeò sex argenteos regales amplius quàm per dictam reductionem. C

M. Pari ratione sub Philippo III. post annum 1610. (quando bes auri signati valet marauedinos 29∪920. & expensæ sunt 597. æstimari deberet bes auri legalis non facti 29∪033. vt mercatori supereressent 290. atque adeo marauedini 222. supra reductionis prædictæ lucrum.

N, Re verò maturiùs expensa visum est tandem supremo senatui, non satis esse vt mercatores auri centesimam lucrentur respectu pecuniæ in auro locatæ: atque ita 14. die Decembris 1612. noua lex prodiit, quæ auri legalis non facti bessem præcipit non pluris vendi quàm marauedinis 28∪800. (& consequenter castellanum non pluris quàm 576.) & cùm expensæ quæ in besse cudendo fiunt, hodie sint 597. lucrum quod manet mercatori sunt 523. hoc est plusquàm 1$\frac{1}{2}$. in singulis centenis. Atque hactenus de valore auri legalis.

§. 3. *Quantum valeat bes auri purissimi siue 24. quilatum in auri massa.*

De valore auri purissimi.

A. QVidam non aliud cogitant quàm aurum 22. quilatum habere se ad aurum purissimum, sicut 11 ad 12. aurum autem quilatum 22. non minus valere quàm aureos scudos 68. atq; adeò auri puri bessem valere idem quod scudos aureos 74$\frac{3}{11}$. Ex quo inferunt, sub Carolo debuisse auri puri bessem æstimari marauedinis 25∪963.$\frac{1}{11}$. & sub Philippo II. marauedinis 29∪672$\frac{8}{11}$. & in hodierno scudorum valore, marauedinis 32∪640. & consequenter castellanum auri puri sub Carolo valuisse 5·9$\frac{3}{11}$. sub Philippo II. 593$\frac{5}{11}$. nunc verò 652. marauedinos. D

B. Sed in hac computatione duplex est error. Primus quòd auri purissimi massam non comparat cum massa auri legalis, sed cum besse auri signati: cùm tamen manifestum sit, bessem auri signati plus valere quã eiusdem auri massam; & inter vtriusq; auri massas reperiri proportionem quæ est 11. ad 12. Quantũ autem valeat bes auri legalis in massa, satis suprà explicatum est. Quare iuxta phrasim illã reuocandi quilates 22. ad 22$\frac{1}{2}$. de prædictis quoque pretiis auri purissimi demenda erat quadragesima quinta pars. Si verò id pretium reputandum esset legitimum quod mercatori relinquit centesimam lucri; & deinde ab auro legali ascendamus ad aurum purum, sicut à numero vndecimo ad duodecimum; consequens erit, bessem auri puri sub Carolo V. æstimari debuisse 25∪570$\frac{8}{11}$. & sub Philippo II. 28∪791$\frac{4}{11}$. & in hodierno scudorum valore, 31∪662$\frac{6}{11}$.

C. Alter prioris computationis error est, quòd nullam habeat rationem æris quod in auro legali est admixtum. Constat autem vndecim puri auri bessibus misceri integrum æris bessem, qui 32. marauedinis æstimatur. Si verò 32. marauedini soluendi sint ab vndecim sociis, tres ferè à singulis soluendi erunt, ergo ij quoq; demendi erant de valore quæ singulis auri puri bessibus assignatur. Quare

tempore

Digitized by Google

A tempore Philippi II. (cùm valor vnius scudi erant marauedini 400.) etiamsi massa auri legalis eodem foret æstimanda pretio, quo par auri signati pondus, nihilominus verum erat, singulis auri puri bessibus tribuisse Villalpandum vt minimum 30. Marauedinos suprà verum valorem, quia bessi auri legalis adiecit 25. marauedinos surà 68. scudorum valorem. & quia per regulam trium sicut 11. ad 12. ita 25. ad 27 $\frac{3}{11}$. consequenter bessi auri puri adiecit marauedinos 27 $\frac{3}{11}$. præter alios tres quos de pretio debuisset demere propter valorem æris qui auro legali miscetur. Sed multo maior computationis error fuit in principio cui innititur; dùm bessem auri legalis in massa tanti æstimat quanti 68. scudos aureos; nulla habita ratione reductionis ad 22 $\frac{1}{2}$ neque centesimæ lucri quæ mercatori relinquenda erat.

D Ac denique cùm ex sanctione pragmatica quæ prodiit Decembri 1612. constet, hoc tempore (quo singuli aurei scudi æstimantur marauedinis 4400.) bessem auri legalis in massa non pluris debere æstimari quàm marauedmis 28U800. seruatâ eâdem proportione, legitima computatio est, vt eo tempore quo aurei scudi valor erant marauedini 400. bes auri legalis in massâ æstimaretur marauedinis 26U181. $\frac{8}{11}$. Qua ratione, tribuisse illi 27U225. non fuit aliud quàm supra verum valorem adiicere marauedinos 1043. $\frac{8}{11}$ Quòd si hodie verus valor vnius bessis auri legalis in massa sit 28U800. vix valebit bes auri puri marauedinos 2 1U416. quia sicut 11. ad 12. sic 28U800. ad 31U418 $\frac{2}{11}$. & hinc
B demendi sunt ferè tres marauedini pro valore æris. Atq; eadem proportione sub Philippo 2 postannum 1U560. bes auri legalis in massa non pluris æstimari debuisset quàm marauedinis 26U181 $\frac{8}{11}$. neque auri purissimi bes pluris quàm 28U560, cui valori addit Villalpandus marauedinos 1140. Illo enim tempore scripsit, auri puri bessem valere 29U700.

E. Si cui in nostra computatione non aliud displiceat, nisi quòd ea demat aliquid de auri puri valore; propter valorem æris quod inerat auro legali; is animaduertat (quæso) in metallorum permixtione, necessariò habendam esse vtriusque metalli rationem ad vitandas fraudes, vt euidentissimè patet in auro, cui argentum insit. Si enim (verbi gratiâ) quis vendat bessem auri quindecim quilatũ; neque habeatur ratio argenti admixti, sed tantummodo quilatum auri; fiet proculdubio vt venditor defraudetur trium argenti purissimi vnciarum pretio. Neque erit huius damni sufficiens compensatio quòd mercator respectu quilatum auri, videatur carius emisse: quia *cùm recesserit gloriabitur*. Mitor autem hoc non fuisse animaduertùm à nostro Villalpando in tabula illa quam ponit to. 3. fol. 47. v- *Prou. 20. 14.*
bi valorem bessis auri quilatum 15. (verbi gratia) ad valorem bessis auri quilatum 14. ponit sic se habere, sicut 15. ad 14. quasi tres vnciæ argenti quæ insunt in bessi auri quilatum 15. nihil omnino valeant. Neque admodum mirarer, si tres vnciæ alterius metalli quæ insunt bessi auri 15. quilatum, semper essent æreæ. Sed constat eas fere semper esse argenteas: atque adeò non debuit contemni earum
C pretium. Multo autem erit exactior computatio, si metalli admixti semper habeatur ratio, siue sit argentum siue æs,

§. 4. *Quanti æstimari debeant singula auri talenta Hebraica ex iis quæ habent auri Vncias 1500.*

A. NOn disputamus nunc an semper in sacræ Scripturæ summis talentũ auri ponatur pro 1500. auri vnciis. Iam satis de ea re, propos. 22. Nunc verò de integri ponderis valore agendum. Qua in re primùm noto, persuasum habere aliquos, omnes sacræ Scripturæ summas in quibus talenta auri numerantur, accipiendas esse de auro purissimo. Hoc autem merè gratis supponitur (sicut in argento dicebamus propos. 23.) quia licet aurifices & probatores auri nouerint quâ ratione valeat illud omnino excoqui ac depurari, quousque purum purum euadat, vix tamen aurum purum à naturâ gignitur: quoniam vt ait Plinius l. 33. c. 4. *Omnis auro ineſt argentum vario pondere, alibi dena, alibi nona, alibi octaua parte, & vbi trigesima sexta portio inuenitur, id omnibus anteponitur.* Cùm ergò aurum rarò aut nunquam nascatur purum, sed plerunque aut semper argento mixtum; non erit cur de purissimo auro agi suspicemur, vbi sacræ Literæ nihil eiusmodi significant. (verbi gratiâ 1. Paral. 22. 14. vbi de *Quanti æstimari debeat talentũ auri.*
D centum millibus auri talentis.) & confirmatur quoniam vbi auri excellentiam designare vult sacra Scriptura, addit notam, vt 1. Paral. 29. 4. meminit enim trium talentorum auri millium, & addit notam, *de auro Ophir.* Ergò quando nullam puritatis notam apponit, merè gratis supponitur, sermonem esse de auro purissimo. Adde quòd ars separandi argentum ab auro, absque argenti iactura, est valde nouitia; & antè eam artem non erat prudentis consilij centum millia auri talenta (quæ cum bona argenti portione nata fuerant) maximo sumptu, & paruâ vtilitate, amisso totius argenti pretio, omnino excoquere. Præsertim cùm posteà oporteret ipsi auro; iterum miscere argenti aut æris proportionem aliquam. Facienda enim erant ex illo auro vasa plurima in templi ministerium; in quorum plerisque ad firmitatem opus fuisse aliqua argenti aut æris mistura, testabuntur aurifices industrii atque periti. Facit fortasse, quod 1. Paral. 29. 4. additur, nempe pondus illud auri & argenti quod de suo peculio Dauid obtulisse asseritur, deaurandis parietibus fuisse consecratum. ergò natiua vtriusque metalli commixtio compendifaceret miscendi laborem, & nomen auri non amitteret. Nam deaurare non est aliud quàm auro tegere. quare si auro & argento erant deaurandi parietes, aurum & argentum mixta appellantur aurum.

B. Iuxta hæc, de illis centum talentorum auri millibus (1. Paral 22. 14.) quamuis fas non esset minuere pondus, de quo suprà, fas erat aliquam valoris partem demere. Non enim constat illud aurum fuisse purius atque perfectiùs auro Hispaniæ legali. Valde autem distat valor quem nobilis scriptor tempore Philippi 2. tribuebat auro purissimo, à valore quem (nostrâ sententiâ) habebat aurum

Digitized by Google

legale eodem tempore. Nam ille tribuebat auri puri bessi valorem 29∪700. marauedinorum; ego autem auro legali tunc vix marauedinos 26∪181. Nec discrimen est minùs quàm marauedinorum 3∪518. in singulis bessibus, & per consequens ducatorum 1∪759. in vno talento; millionum autem 175. & insuper ducatorum 900∪. in summa centum millium talentorum auri, si talenta integra cogitentur. Nunc verò postquàm auro adiecta est decima pristini valoris portio, prædictus scriptor bessem auri puri æstimaret marauedinis 32∪670. ego autem legalis auri bessem non pluris quàm 28∪800. esseque inter nos discrimen in vno besse, marauedini 3870. atque adeò in talento, ducati 1935. & in centum talentorum millibus, milliones 193. & insuper ducatorum Hispaniæ 300∪. A

C. Præterea, dato & non concesso quòd omnia illa talenta essent auri purissimi, adhuc discrimen incertos in singulis auri bessibus, essent hodie marauedini 1∪154. in talento ducati 627. & in magnâ illâ summâ milliones 62. ac ducatorum 700∪. Quia ille adiectâ pristini valoris decimâ æstimaret hodie puri auri bessem marauedinis 32∪670. ego verò non pluris quàm 31∪416. Philippi autem II. tempore, ego de valore bessis auri puri, quem prædictus amicus assignat, non plus auferre quàm marauedinos 1∪140. Quia ille dicebat 29∪700. ego 28560. (vt supra explicaui) quare in singulis talentis demerem ego ducatos aureos 570. & in summa illa magna milliones 57.

D. Deniq, & in auri puri valore non parum differimus, & multò magis in qualitate auri illorum centum talentorum millium: Quamuis enim certum non habeam, illa fuisse eius qualitatis quã habet aurum legale Hispaniæ; ac multo verisimilius putem, argento quàm ære illa fuisse mista: diuinare tamen non possum, an portio argenti fuerit octaua vel dena; & ex sacrâ Scripturâ non videtur colligi posse, aurum illud fuisse pretiosius legali nostro. Addo etiam ipsum aurum de Ophir in sacris Literis celebratum, fortasse non fuisse puriùs Albicrarensi, quod ceteris omnibus antepositũ fuisse asserit Plinius, eò quòd trigesima sexta solùm argenti portio ei inesset. Si enim omni auro inest argẽtum à naturâ; vix credam, ante nouitiam artem separandi argentum ab auro absque illius iactura, consueuisse homines maxima auri pondera ad purum excoquere, & ab illa natiuâ nobilis metalli mistura secernere. Alioqui non erat cur commendationis gratia appellaretur Ophirinum vel Albicrarense, cùm quoduis aurum excoquendo fieri possit Albicrarensi pretiosiùs. Neque obstat auri purissimi frequens mentio. Meritò enim Albicrarense diceretur purissimum respectu eius metalli cui octaua vel dena inerat argenti portio; & ab omni vel plumbo vel stanno vel etiam ære excoctum erat. B

E. Vtcumque hoc sit, cùm in plerisque talentorun auri summis quas legimus, non satis constet de auri qualitate; & cùm in auri, etiam puri valore pro temporum ratione & principum decretis adeò varietur; prudentis consilij est sobriè sapere, & drachmarum auri numero constituto, vlteriùs non procedere. Definito autem integro talentorum numero, facile computabimus drachmas, cùm constet singula talenta Hebraica, pendere 12∪ drachmarum Atticarum; quæ sunt nostrarum vnciarum octauæ, Quare idem est omnino pondus scudorum nostrorum aureorum 12∪750. An verò valor sit æqualis, maior vel minor, ex incerto pendet, cùm qualitas auri de quo agitur, comperta nõ sit. & quamuis comperta esset qualitas, adhuc variari satis poterat in valoris increments quo auri massa superatur ab auro signato. Nam in signaturæ pretio pro temporum varietate non parum variant leges. Valeant ergo subtiliora valoris examina, quia valet hîc illa sapientissima Pauli paronomasia, μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν. C

SYNOPSIS HEBRAICORVM ponderum.

A. NOn est verosimile pondera sacra fuisse maiora vulgaribus, nec ab eis diuersa. & idem dico de mensuris tam aridorum quàm liquidorum.

B. Siclus argenti eiusdem erat omnino ponderis cum semuncia Romana: atque adeò cum quatuor drachmis Atticis, siue quod idem est cum duabus Alexandrinis. Vncia verò quæ hodie in vsu est Romæ, Parisiis, venetiis; & in vniuersa Hispania, est omnino eiusdem ponderis cum antiqua Romana vncia. Quare pondus sicli argentei erat tantillo maius quadruplici regali argenteo ex iis qui cuduntur in Hispania. Quia ex vno argenti besse, (hoc est, ex octo vnciarum marco) cuduntur regales 67. videlicet, quadruplices sexdecim, & præterea tres regales simplices; Hebraicis autem siclis sexdecim nihil deerat ad iustum bessis pondus. D

C. Obolus Hebraicus erat vigesima argentei sicli pars, atque adeò quadragesima respectu integræ vnciæ. Quare obolus Hebraicus erat tantillo maior obolo Attico, qui erat sexta pars drachmæ Atticæ, ac proinde vigesima quarta semunciæ.

D. Siclus auri aliquando est eiusdem ponderis cum siclo argenteo prædicto, aliquando verò est quarta eiusdem ponderis pars; nempe drachmæ Atticæ pondus? cui ferè æquatur scudus aureus Hispanus: quia ex vno besse auri, qui vncias octo pendet, (siue drachmas Atticas 64.) cuduntur scudi Hispanici 68.

E. Verisimile quoque est in aliis metallis (vt in ære & ferro) aliquando drachmæ Atticæ pondus appellari siclum sicut & in auro.

F. Mina Hebraica maior pendebat vncias 30. sed quarta quoque illius pars, & similiter tertia fruebantur minæ nomine & multò magis (præsertim in pecunia) pondus vnciarum 12½. siue drachmarum Atticarum centum; quæ est mina Attica, ab Hebræis (vt videtur) accepta.

G. Talentum Hebraicum erat pondus vnciarum 1500. hoc est pecuniarium minarum 120. Hebraicarum verò maiorum quinquaginta. Quare talentum Hebraicum pendebat duo Attica talenta.

Phrasis

Digitized by Google

A Phrasis tamen sacræ Scripturæ fert, vt in talentis quemadmodum & in siclis) ea pars auri appelletur aliquando auri talentum, quæ valet talentum argenti: & similiter ea pars argenti aliquando argenti talentum appelletur quæ æris talentum valet. qua ratione valde minuuntur nonnullæ sūmæ. Ac de valore etiam quem integro talento assignant aliqui, (cum nostris scudis vel regalibus eum comparantes,) fas est non parum demere.

Synopsis mensurarum Hebraicarum ac primò, de calamo & cubito.

A. CAlamus sex præcisè cubitos est longus estq; iusta humanæ staturæ mensura. Atq; adeo cubitus non est quarta staturæ pars; sed sexta: ac proinde in quatuor tantum palmos diuiditur.

B. Hebraicus cubitus antiquus pedem Romanū superat sexta parte, ita vt sex cubiti ex antiquis Hebraicis, pedes Romanos septem æquiparent. Hebraicus enim cubitus longus est digitos Romanos $18\frac{1}{2}$. Quare sex cubiti Hebraici antiqui continent Romanos digitos 112. qui sunt septem Romani pedes. Pes autem Græcus continet Romanos digitos $16\frac{1}{2}$. cùm pes Romanus in sexdecim digitos præcisè diuidatur.

C. Posterior cubitus Hebraicus est Hispanicæ tertiæ seu pedi æqualis. Constatque Romanis digi-
B tis $14\frac{1}{3}$ Atque hoc cubito minori mensurat Scriptura & Luteres & Mare æneum.

D. Antiquus cubitus Hebraicus cum posteriori cōparatus, est duplus in potentia solida. Antiqui enim sphæra capit vncias aquæ 800: sphęra autem posterioris capit 400. Antiquo autem cubito metitur sacra Scriptura, templi Salomonis ædificium.

E. Singuli horum cubitorum in suos quatuor palmos diuiduntur, ac cubitus maior verè dicitur excedere minorem vno palmo: quamuis subtiliori scrutatione reperiatur proportio minoris ad maiorem ea esse quam habent quatuor palmi ad ferè $\frac{5}{27}$.

F. Tres palmi ex iis qui quatuor continent digitos, complent vnicam palmam, siue vnicum palmum extensum, qui alio nomine vocatur spithama, hebraicè *zereth*. Nam palmus quatuor digitorum appellatur *topah*.

§. 2. *De mensuris liquidorum.*

A. LIquidorum mensuræ sunt log, hin, batus maior & corus. Ex his corus continet batos decem ex maioribus: batus sex hines; hin duodecim logines. Corus autem appellatur hebraicè *Cor* siue *Hhomer*, & ab aliquibus corruptè vocatur *Ghomor*.

C B. Batus maior est amphora Hebraica, Romanæ amphoræ æqualis; quæ vncias aquæ capit 960. Corus capit 9∪600. Hin, vncias 160. Log, vncias $13\frac{1}{3}$.

C. Mensura maioris batus est cylindrus qui in latitudinem habeat cubitum vnum mensuræ antiquæ; & in altitudinem $\frac{1}{3}$ vnius cubiti partes: quæ est idonea satis lebetis figura. pro bato autē aliquando in Vulgatâ legimus *Lagunculam*; & aliquando etiam *Satum*.

D. Hin est æqualis capacitatis cum hemiecto siue semodio Romano. Atq; eandem capacitatem. Hispani suo çelemino tribuere voluerunt. Porrò hin duabus chois Atticis est fere æquale. Nam duæ choæ Atticæ capiunt vncias aquæ seu vini 180. Hin verò capit 160. Atque ista est hin sancti mēsura: quāuis Epiphanius asserat fuisse etiam aliud vulgare *hin* duplo maius. Sed prius Hin est quod appellatur sextarius à Vulgato Leuitici 19. 36. eo quod respectu bati maioris sit verè sextarius.

E. Log est paulo minor sextario Attico vnciarum quindecim. quippe aquæ seu vini capit vncias $13\frac{1}{3}$. appellaturque sextarius leuitici 14. 15. Licet enim sextarius Romanus contineat vncias viginti aliarum tamen regionum sextarij diuersæ erant mensuræ, & Atticus vncias tantum capiebat 15. vt obseruauit Galenus. & ab hoc sextario Attico valde parum distabat Hebraicus, vocaturque sextarius respectu dimidiati Hin. Nam cum integro Hin comparatus non est sextarius, sed duodenarius. Ac batus maior capit 72. Logines

D F. Præter suprà dictas mensuras aliæ etiam extitere, quæ vocabantur bati. Contigit enim in bati nomine, quod in nomine Græco *metreta*, quod aliquando ponitur pro amphora Græca, & aliquādo pro quauis mēsura, vt auctor est Aristoteles. Batus ergo maior (id est Hebraica amphora) illa est mēsura quam Ezechiel ait esse æqualem cum Ephi. Atque ex his batis sunt quadraginta illi quos singuli Luterum capiebant. Erant tamen diuersi alii bati, quos distinctionis gratia, nomine secundi, tertij & quarti discernemus.

G. Secundus igitur batus centum aquæ vncias capiebat, ex quibus batis duo millia capiebat Mare æneum. ipsiusque mensura est sphæra semicubiti ex antiquis. Nam si vnius cubiti antiqui sphæra vncias capiebat 800. sphæra semicubiti capiebat octauam partem. Minoris autē cubiti sphæra quatuor capiebat eiusmodi batos, cylindrus autem sex.

H. Tertius batus capax erat vnciarum $86\frac{2}{3}$. ex his autem tria millia capiebat Mare æneum. horumque batorum mensura videtur fuisse vsitata eo tempore quo liber Paralipomenon scriptus est. suntque huiusmodi bati sextarii respectu sphæræ cubiti minoris.

I. Quartus batus erat pars quarta bati secundi, atque adeò 25. capiebat vncias. Respondetque huic bato in capacitate communis Græcorum chœnix. Quare septuaginta pro bato interdum chœnicem posuere.

L. Quintus batus fuit dimidium mensuræ Log, nempe vnciæ $6\frac{2}{3}$. Aliquando enim pro bato Septuaginta substituunt cotylam, quæ non est aliud quàm communis sextarij dimidium. & hactenus de ba-

Digitized by Google

de batis, vt omittam amphoræ nomen aliquando accipi videri à Iosepho pro tertia amphoræ parte. In historia enim cuiusdam Ioannis mercatoris olei (quam bis repetit) amphoræ tribuit non amplius 20. sextarios. cui proximum est quod tradit Epiphanius, videlicet modium ab Hebræis diuidi solitũ in sextarios viginti duos.

§. 3. *De mensuris aridorum.*

A. ARidorum mensuræ Hebraicæ erant Kabus, satum, ephi, lethec & gomor. ex quibus ephi est eiusdem capacitatis cum bato maiori, capitque idem quod amphoreus, id est semimedimnus Romanus, siue Atticus. Atque eadem est nostræ semisanecæ mensura. Si tamen verum est quod aliqui aiunt, has scilicet omnes aridorum mensuras solitas esse cum suo cumulo mensurari; eo cumulo, dicendum esset, batum superatum fuisse ab ephi. Ceterùm quia cumulus ille aut non ita certus est, aut saltem quantus fuerit ignoratur; ideò de hisce omnibus mensuris perinde loquar, ac si rasæ mensurari consueuissent; vt cum liquidorum mensuris sic eas faciliùs comparemus.

B. Corus vnus continet decem ephi, hoc est quinque medimnos Atticos, aut (quod idem est 30. Romanos modios, qui sanecas quinque nostrates faciunt.

C. Vnum ephi tres capit modios, sicut amphoreus Romanus. Atque eadem est mensura bati maioris; nec non semisanecæ Hispanicæ. Vtrùm verò ephi appelletur aliquando modius, videri potest apud Franciscum Lucam 1. Reg. 1.

D. Satum vnum capit tertiam partem vnius ephi, atque adeò Romano modio æquale est; ac meritò à nostro Vulgato appellatur modius. Qui autem asserunt, satum esse idem quod sesquimodium aut modium cum quadrante; ii accipere videntur modium rasum, satum verò cum suo cumulo, vt ex Epiphanio colligitur. Nisi fortè aliud præterea extitit satum capiens sesquimodium, hoc est dimidiatum ephi.

E. Kabus est decima octaua pars ephi. atque adeò sati sexta, eiusdemque capacitatis est cuius logines 4. qui capiunt vncias aquæ $5\frac{1}{3}$.

F. Gomor (עֹמֶר) est vnius ephi pars decima, atque adeò cori centesima. vide Exod. 36. 16. vbi dicitur Gomor esse decima pars ephi; & propterea appellari solet absolutè *assarion*, id est. decima. Capitque tantum quantum tres quintæ partes vnius hin, hoc est aquæ vncias 96. Sed assarionis nomen Gomoris quoque decimæ fortasse tribui diximus in scholio corollarii secundi ad propositionem decimam sextam.

G. Lethec capit semicorum, hoc est duas ferè sanecas & semis. Sonatque Lethec eleuationem, eratque onus quod iumento in Palestina imponebatur. Estque eiusmodi sarcina quam vegetus adolescens asino potest imponere.

FINIS.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX

PLVSQVAM DVCENTARVM NOTATIONVM,

Quæ commentario Apocalypſeos adiunctæ ſunt.

Primum locum occupant proœmiales.

1.	I.	*In qua expenditur quanti momenti ſint notationes iſtæ, quæ ante Commentarium præmittuntur atque earum ſcopus & ſeries ob oculos ponitur.*
2.	II.	*De auctoritate & auctore Apocalypſeos; & cur Caluiniſtæ eam recipiant.*
3.	III.	*De tempore quo ſcripta fuit Apocalypſis: & qua ratione potuerit Ioannes per futurum enunciare ea quæ iam præterierant.*
4.	IV.	*De titulo quem Eccleſia huic libro appoſuit,*
5.	V.	*De obſcuritate Apocalypſeos.*
6.	VI.	*De varijs opinionibus circa argumentum Apocalypſeos.*
7.	VII.	*De Argumenti noſtri & acoluthiæ indicatio.*
8.	VIII.	*Eiuſdem argumenti confirmatio à dignitate.*
9.	IX.	*Secunda confirmatio à coherentia & continuata totius libri ſerie.*
10.	X.	*De egregio fructu ex filo apte deducto à principio libri vſque ad finem: vbi per occaſionem, de enigmatis explicandi ratione.*
11.	XI.	*De hæreticorum confutatione ex eodem filo apte deducto.*
12.	XII.	*Confirmatio tertia ab obſeruatis tum indicijs à Ioanne datis, tum etiam antiquorum Patrum veſtigijs.*
13.	XIII.	*Supradicta indicia atque veſtigia non videri obſeruata ab ijs qui diuerſa Apocalypſeos argumenta excogitarunt.*
14.	XIV.	*De præcipuo ſcopo huius ſacri libri, & cur obſcurißime fuerit ſcriptus.*
15.	XV.	*De ſumma perfectione ſymbolica huius ſacri libri.*
16.	XVI.	*De energia perfecti ſymboli, & an claritate deſeruiat.*
17.	XVII.	*Ex clariori antiquæ doctrinæ perceptione colligi interdum multa quæ prima ſpecie videantur noua.*
18.	XVIII.	*Apocalypſim veteris Scripturæ locis ac libris facem præferre.*
19.	XIX.	*Reſponſio ad ea quæ noſtro argumento obijci poſſunt; & primo ad nouitatem expoſitionis.*
20.	XX.	*Reſponſio ad ſecundam obiectionem de grauiſſimarum expoſitionum iniuria, & per occaſionem, de multiplici ſenſu literali eiuſdem loci.*
21.	XXI.	*Reſponſio altera ad eandem obiectionem, & noſtri argumenti cum receptis explicationibus conciliatio.*
22.	XXII.	*In qua reſpondetur peculiari cuidam obiectioni, eorum nempe qui ſuſpicari poſſent, noſtra interpretatione iniuriam fieri ijs expoſitionibus quæ quibuſdam Dei amicis reuelatæ fuiſſe produntur.*
23.	XXIII.	*Reſponſio ad aliam obiectionem, ſcilicet, de rerum magnarum omiſſione.*
24.	XXIV.	*Reſponſio ad obiectionem aliam de nimia myſtici ſenſus conſectatione.*
25.	XXV.	*De nonnullis ſacræ Scripturæ locis, ex quibus conſtat phraſim eſſe Spiritus ſancti, per verba ſonantia vindictam agere de peccati deſtructione in conuerſione peccatorum.*
26.	XXVI.	*De interpretibus ſacræ Apocalypſeos.*

Sequuntur Notationes ad Caput I.

27.	I.	*De titulo quem Ioannes huic libro præpoſuit.*
28.	II.	*Ad illa verba,* Palàm facere ſeruis ſuis quæ oportet fieri citò.
29.	III.	*Ad illa verba,* Qui eſt, & qui erat & qui venturus eſt, *vbi de nomine Iehouah.*
30.	IV.	*An Tobiæ 12. n. 15. Sermo ſit de proprio ſeptenario quorundam Angelorum, per quos Deus mundum gubernat.*
31.	V.	*De ſeptem virtutibus ſiue Attributis in quibus conſiſtit integra Prouidentiæ perfectio.*
32.	VI	*Ad illa verba,* Ecce venit cum nubibus, & plangent ſe ſuper eum; *vbi de loco Zachariæ 12. à num. 16 vſque ad finem eiuſdem capitis.*

Digitized by Google

33. VII. De symbolo nubium.
34. VIII. Ad illa verba, Principium & finis, vbi de titulo Psalmorum, in finem.
35. IX. De tuba symbolo.
36. X. Consideratio candelabri aurei quod olim Deus fieri iussit.
37. XI. De symbolo lini, ac de tunica bissina sacerdotali.
38. XII. De symbolo auri ad charitatis significationem.
39. XIII. Ad illa verba, Pedes eius similes aurichalco, vbi examinatur quid sit aurichalcum in hoc sacræ Scripturæ loco & in aliis.
40. XIV. Ad alia verba, Sicut in camino ardenti, vbi de significatione symbolica ignis, ac de alluſione ad ignem altaris.
41. XV. De loco Matthæi 16.18. Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.
42. XVI. De clauibus mortis & inferni: ac de claue Dauidis (de qua capite 3.) & de claue domus Dauid, de qua Isaiæ 22.num.22.
43. XVII. Comparatio eius figuræ quæ ostensa est Ioanni cum ea quam describit Daniel cap. 10.
44. XVIII. De loco Eccles. 12.13. Hoc est enim omnis homo.

Ad Caput II.&III. proœmiales

45. I. Qui sint Angeli ad quos Ioannes scribere iubeatur.
46. II. Quorsum in Apocalypsi inserantur epistolæ ad septem illos Asiæ Episcopos.
47. III. De septem Conscientiarum generibus, quæ in Christianis hominibus reperiuntur: & quàm apte consentiat hæc diuisio cum ijs quæ de septem Asiæ Episcopis asseruntur in Apocalypsi.

Ad Caput II. sigillatim.

48. I. De mysterio manducationis de idolothytis.
49 II. De calculo Isaiæ 6.6. ad quem Ioannes in præsenti alludit.
50. III. An calculi candidi, siue carbunculi candidi appellatio conueniat Adamanti in sacra Scriptura.
51. IV. De virga ferrea quæ ter in Apocalypsi geminatur ex Psalm. 2.
52. V. Iterum de virga Christi ferrea, consideratis ijs quæ ferro à magnete communicantur.

Ad Caput III.

53. I. De alluſione ad columnas Booz & Iachin.
54. II. Cur Ezechiel viderit templum à ciuitate separatum, vide infra cap. 21. notat. postrema.

Ad Caput IV.

55. I. De scala Iacob, de qua Genes. 28.
56. II. De throno quem describit Isaias cap. 6.
57. III. De sedente in throno, ac de Seraphinorum Trisagio, Isaiæ 6.
58. IV. De electro & igne sedentis super thronum, Ezechielis 1.27.
59. V. De iride, quam vidit Ezechiel.
60. VI. De alluſione ad supremam Angelorum hierarchiam cælestem.
61. VII. De etymologia & significatione nominis Cherub.
62. VIII. De figura Cherubinorum templi.
63. IX. De eorundem templi Cherubinorum significatione.
64. X. De figura Seraphinorum Isaiæ.
65. XI. De eorundem Isaiæ Seraphinorum significatione.
66. XII. De figura siue specie animalium Ezechielis.
67. XIII. De significatione animalium Ezechielis.
68. XIV. De alluſione Capitis quarti Apocalypseos ad Salomonis templum.

Ad Caput V.

69. I. De alluſione ad librum Ezechielis scriptum intus & foris, & ad librum Isaiæ signatum.
70. II. De magnis absconditæ Prouidentiæ conuenientijs.
71. III. De sacro thymiamate.

Ad Caput VI.

72. I. De necessitate nouæ expositionis in septem sigillorum distinctione.
73. II. Mysterium quatuor equorum capitis sexti non esse aliud quam venisse Deum ad saluandum populum suum, & perfectam ei salutem attulisse.

De ne-

Digitized by Google

74. III. De necessitate quatuor equorum ad distinctam perfecta saluationis significationem.
75. IV. De quatuor personis sedentibus super equos.
76. V. De non quærenda alterius instrumenti significatione in quatuor equis, ac de illorum coloribus.
77. VI. De ratione cur in repræsentatione primi & tertij sigilli magis appareant Fortitudo & Aequitas, quàm in secundo Beneficentia, ac in quarto Sapientia.
78. VII. De vera mensura Chœnicis cuius Ioannes in hoc capite meminit.
79. VIII. De locis in quibus depingi videntur prodigia diem iudicij præcessura, ad quos alluditur in sexti sigilli apertione.

Ad Caput VII.

80. I. De scopo visionis capitis septimi.
81. II. De renouato miraculo quo Deus diuisit Israelitas ab Aegyptijs.
82. III. De crucis figura in signo illo cuius meminit Ezechiel cap. 9. & Moyses Exodi 12.
83. IV. An sacra Scriptura significet Antichristum futurum ex tribu Dan.
84. V. Iudicium de quadam noua expositione numeri, centum quadraginta quatuor millia,

Ad Caput VIII.

85. I. De connexione silentij cum septem tubis.
86. II. De pisce Tobiæ & eius iecore ac felle, & de dimidia hora ad quam alluditur Apoc. 8.
87. III. De septem plagarum mysterio.
88. IV. De personis septem Angelorum quibus datæ sunt tubæ.
89. V. De allusione ad plagas Aegypti.
90. VI. De allusione ad locum Ezechielis 10.

Ad Caput IX.

91. I. De argumento huius capitis.
92. II. An abyssus in sacra Scriptura ponatur aliquando pro inferno.
93. III. Cur aquæ obtinuerint terram 150. diebus, (vt habetur Genes. 7. 24.) & quid mysterij lateat in eo quod Christus dixit Samaritanæ, quinque viros habuisti, &c. Ioan. 4. 18.
94. IV. De mysterio eius quod scriptum est, Luc. 1. 24. Concepit Elisabeth, & occultabat se mensibus quinque.

Ad Caput X.

95. I. De argumento Capitis decimi & vndecimi.
96. II. De allusione Angeli habentis pedem dextrum super mare ad illum Angelum de quo Danielis capite decimo, ac de triplici discrimine obseruando.

Ad Caput XI.

97. I. De lucta Iacobi cum Angelo, quæ refertur Genes. 32. 14. Sapientiæ 10. 12. & Oseæ 12. 8.
98. II. An grauissima illa religionis prohibitio, quæ facta est Ierosolymis ab Antiocho, duraverit sex annos & tres menses.
99. III. Varia expositiones illorum Danielis verborum, Tempus & tempora & dimidium temporis.
100. IV. De mysterio quadraginta duorum mensium, vel trium annorum & sex mensium.
101. V. Explicatio loci difficilis, 1. Corinth. 3. vers. 12. 13. 14. & 15.
102. VI. De solido fundamento eius traditionis quæ docet Eliam & Enochum prædicaturos esse tempore Antichristi.
103. VII. Collectio multorum symbolorum quibus significatur coniunctio sapientiæ & sanctitatis.
104. VIII. De mystica significatione decem plagarum quibus Deus percussit Aegyptum.
105. IX. De ratione propter quam Ierosolyma tributa est Sodoma appellatio.
106. X. De mysterio trium dierum atque dimidij, quibus duo corpora testium Christi dicuntur iacuisse insepulta.
107. XI. De genuino sensu eius decimationis quam refert Isaias cap. 6. 13.
108. XII. De loco Zachariæ 12. 2. Ecce ego ponam in Ierusalem, &c.
109. XIII. De summa & scopo eorum quæ ad septimam tubam spectant.
110. XIV. De genuina significatione arcæ testamenti, & eorum quæ ad illam pertinebant.
111. XV. In qua ponuntur exempla grandinis magnæ.
112. XVI. De mystica grandinis magnæ significatione.

Digitized by Google

INDEX NOTATIONVM.

Ad Caput XII.

113. I. De præstantia symbolorum Solis, Lunæ & stellarum ad significationem Diuinitatis, humanitatis, & Apostolorum Christi.

114. II. De secundaria significatione Lunæ quæ mulierem sustentabat ; hoc est, de eodem symbolo respectu beatæ Virginis.

115. III. De significatione symbolica Eclipsium siue defectuum Solis & Lunæ.

116. IV. De mirabili efficacia Lunæ in æstuum maris accessu atque recessu.

117. V. In qua explicatur ex quibus Scripturæ locis desumptum sit hoc Lunæ symbolum , quod Christo tribuitur.

118. VI. Ad quem Scripturæ locum alludatur in pugna Michaelis cum dracone.

119. VII. De sensu illius Prophetiæ Danielis 12.1. In tempore illo consurget Michael, &c.

120. VIII. De qua pugna loquatur Apocalypsis.

121. IX. Quæ personæ designentur per nomina Michaelis & Angelorum ipsius.

122. X. De secundaria significatione Michaelis & Angelorum eius per allusionem ad Mathathiam & ipsius liberos & exercitum.

123. XI. An mentio prælij Michaelis & Angelorum eius faueat eorum sententiæ qui existimant propterea dæmones è cælo ruisse quia Christum tanquam caput recognoscere detrectarunt, eiusque diuinitatem ambierunt.

124. XII. De illis Christi verbis (Ioannis 12.31.) Nunc princeps huius mundi eijcietur foras.

125. XIII. De secundaria significatione duarum alarum quæ datæ sunt mulieri vt in desertum volaret.

Ad Caput XIII.

126. I. Disputatio de huius capitis argumento.

127. II. An in septem bestiæ marinæ capitibus alludatur ad bestias quatuor, de quibus agitur Danielis 7.

128. III. In qua nonnullæ expositiones duorum Bestiæ terrestris cornuum expenduntur.

129 IV. De quibusdam locis in quibus Apostoli loquuntur de sapientia carnis.

130. V. In qua explicatur quænam inter aliorum opiniones de nomine bestiæ & de nominis numero aptior videatur.

Ad Caput XIV.

131. I. De allusione ad id Isaiæ 16 1. Emite Agnum Domine dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion.

132. II. De loco Pauli 2. Thessal. 2. vers. 3. 4. 5. 6. & 7. Nisi venerit discessio primum, &c.

133. III. De verbis quæ superioribus adnectit Paulus, vers. 8. Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui.

124. IV. In qua conferuntur epist. 2. Petri & epistola Iudæ Apostoli, vt manifeste cernatur Iudam quàm plurima ex epistola Petri desumpsisse, & alterius epistolam per alteram explicari.

135. V. De duplici sensu fumi ascendentis in sæcula, & de Isaiæ loco (cap. 34.10.) cum locis Apocalypseos conferendo.

146. VI. Cur in Isaia & in aliis Scripturæ locis Idumæa designet Romanum Imperium ethnicum, quod Christianæ Ecclesiæ se opposuit : & cur etiam mystica Aegypti nomen tribuatur Iudæis rebellibus qui Ecclesiam sunt persequuti.

137. VII. De vera Moabitarum & Ammonitarum significatione mystica.

138. VIII. De comparatione vindemiæ huius capitis cum ijs quæ de eadem vindemia habentur Ioelis 3.13.

139. IX. De longitudine Palæstinæ, hoc est illius terræ quam filij Israel possederunt.

Ad Caput XV.

140. I. De serie & ordine plagarum septem quæ in totidem phialis significantur.

141. II. De ratione septenarij in phialarum plagis.

142. III. De ipsis Angelis effundentibus phialas.

143. IV. De sensu mystico cantici Moysi, quod habetur Exodi 15. Cantemus Domino , gloriosè enim, &c.

144. V. De legitimo sensu illorum Ieremiæ verborum cap. 50. 25. Aperuit Dominus thesaurum suum & protulit vasa iræ.

145. VI. De secundaria phialarum expositione ad Christi Domini sacrificium spectante.

146. VII. De discrimine claritatis magnæ à nebula & fumo.

Ad Caput XVI.

147. I. De alia expositione duorum Angelorum de quibus in tertia plaga fit mentio,

148. II. De historia siccati olim Euphratis, vt per eius alueum Cyro & Dario pateret aditus ad occupandam Babylonem.

De aliis

Digitized by Google

149. III. De aliis explicationibus trium vanarum præter eam quam ponit Commentarius.
150. IV. De etymo vocis Armagedon.
151. V. De maximæ gloriæ & splendoris luce quæ Romæ ex Apocalypseos interpretatione oboriatur.

Notationes prolegomenæ ad Caput XVII. & XVIII.

152. I. De significatione Babylonis in his capitibus memoratæ.
153. II. De quo supplicij genere sit accipienda Babylonis euersio quam proponit Apocalypsis,
154. III. Qui sint illi duo Angeli qui Ioanni annunciant vindictam de Babylone sumendam.
155. IV. De alluſione in duobus Angelis qui Ioanni ruinam Babylonis annunciant, ad duos illos quorum meminit Isaias cap. 21. 7.

Notatio peculiaris ad Caput XVII.

156. I. Variæ aliorum expositiones de decem cornibus.

Ad Caput XVIII.

157. I. De huius capitibus partitione & cohærentia.

Ad Caput XIX.

158. I. De huius capitis argumento.
159. II. De legitima lectione in quibusdam huius capitis locis.
160. III. De alluſione quadruplicis Alleluia ad viginti Psalmos.
161. IV. In qua respondetur cuidam obiectioni aduersus ea quæ præcedenti notatione sunt stabilita.
162. V. De alio sensu qui sumo ascendenti in secula posset assignari.
163. VI. De duplici alia alluſione inclusa in voce de throno exeunte, & in voce quartum Alleluia personante.
164. VII. De alluſione ad septem Psal. in illis verbis, Quoniam regnauit Dominus Deus noster.
165. VIII. In qua nostra expositio ducis & exercitus in equis albis sedentium confirmatur, & cum aliorum expositionibus confertur.
166. IX. De locis ad quos alludit in auium inuitatione.
167. X. De aliorum expositionibus circa illa verba, Viui missi sunt hi duo, &c.

Ad Caput XX.

168. I. In qua sunis honor tribuitur beati Augustini expositioni, & summa huius capitis proponitur.
169. II. De duodecim interpretationibus à diuersis auctoribus excogitatis circa ligationem dæmonis.
170. III. Vbi singulæ prædictæ explicationes breuiter examinantur, & quid in singulis occurrat indicatur.
171. IV. De alluſione ad Isaiæ locum in alligatione Dæmonis.
172. V. De alluſione ad locum Isaiæ in prima Sanctorum resurrectione.
173. VI. In qua refutatur noua Gogi & Magogi explicatio à Caluinistis conficta.
174. VII. Vbi suspicio quædam proponitur de eliganti nominis Gog fictione.

Ad Caput XXI.

175. I. Seu prologus in quo disputatur de huius capitis atque sequentis argumento.
176. II. Breuis enumeratio excellentiarum ciuitatis cælestis quas proponit Apocalypsis cap. 21. & 22.
177. III. An præter Angelos quos Ioannes in portis ciuitatis vidit, aspexerit etiam ciues, an potius vrbem ciuibus vacuam.
178. IV. De perfecta Apostolici Symboli diuisione.
179. V. An verba illa descendit ad inferos, fuerint addita ab Ecclesia, aut ab Apostolis posita.
180. VI. De cura ac diligentia adhibenda ad 12. gemmarum Apocalypseos cognitionem.
181. VII. An perierit notitia earum gemmarum quæ in Rationali singulis tribubus erant distributæ.
182. VIII. De Gemma Iaspide.
183. IX. Vbi primis Apostolici Symboli articulus cum prima gemma componitur.
184. X. Quæ sit ea gemma quam Scriptura appellat Sapphirum.
185. XI. De secundæ gemmæ applicatione ad secundum Symboli articulum.
186. XII. Quæ sit gemma quam Apocalypsis vocat Chalcedonium.
187. XIII. An propterea (vt aliqui putant) scriptura Adamantis, nec in Rationali, nec in Apocalypsi, neque alibi, vbi de gemmis, agitur, meminerit, vt denotetur reprobari à Deo id quod Adamas significat.

Digitized by Google

188. XIV. *In qua tertia gemma, nempe Chalcedonius, ad tertium articulum aptatur.*
189. XV. *De Smaragdo.*
190. XVI. *De Smaragdi conuenientia cum quarto articulo.*
191. XVII. *De gemma Sardonicha.*
192. XVIII. *Vbi gemma quinta ad quinti articuli mysterium accommodatur.*
193. XIX. *In qua disputatur, an Petrus in epist. 1. cap. 3. agat de descensu Christi ad inferos.*
194. XX. *De altero loco Petri epistola 1. cap. 4. numero 6. & 7.*
195. XXI. *De gemma sexta quæ est Sardius lapis.*
196. XXII. *De sextæ gemmæ proportione cum sexto Symboli articulo.*
197. XXIII. *De Chrysolitho.*
198. XXIV. *De Chrysolithi ad septimum articulum applicatione.*
199. XXV. *De Beryllo, octaua gemma.*
200. XXVI. *De octauæ gemmæ cum articulo octauo comparatione.*
201. XXVII. *De gemma Topazio.*
202. XXVIII. *Vbi nona gemma cum nono articulo comparatur.*
203. XXIX. *De Chrysopraso, gemma decima.*
204. XXX. *Vbi gemmæ decimæ respectus ad decimum articulum ostenditur.*
205. XXXI. *De variis coloris purpuræ differentiis.*
206. XXXII. *De Hyacintho gemma vndecima.*
207. XXXIII. *De Ligurio, quæ septima est inter Rationalis gemmas.*
208. XXXIV. *De conuenientia gemmæ vndecimæ cum vndecimo articulo.*
209. XXXV. *De Amethysto gemma duodecima.*
210. XXXVI. *De conuenientia gemmæ duodecimæ cum duodecimo articulo.*
211. XXXVII. *De partitione duodecim Rationalis gemmarum inter duodecim tribus Israelis.*
212. XXXVIII. *In qua explicatur quàm congruenter duodecim gemmæ sint tributus duodecim distributæ.*
213. XXXIX. *De Margaritarum comparatione cum religiosa vitæ statu.*
214. XL. *Cur in visione Ezechielis templum fuerit à ciuitate se iunctum, vbi alia redditur ratio præter eam quæ reddita est cap. 2. notatione 2.*

Ad Caput XXII.

215. I. *De allusione ad fluuium Ezechieli ostensum.*

Digitized by Google

INDEX COPIOSISSIMVS RERVM AC VERBORVM QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

Vbi duplex numerus apparet, primus paginam declarat, & secundus columnam.

A.

ITERÆ A. I. in Hyacinthi flore à natura inscriptę, quid innuant. 933.1.c
variæ Doctorum expositiones de A. & Ω. 167.a
Patris ne, an Filij sint verba, *Ego sum* A. & Ω. ibid.
in Christi persona dicitur Apoc. 1.8. *Ego sum* A. & Ω. ibid.
quomodo se vocet Christus A. & Ω. ibid.d
primum & nouissimum idē esse quod A. & Ω. principium & finem. 102.c
in Catholicorum sepulchris, dum vigebat Arriana hæresis, incidi solita, A. & Ω. & cur? 160.b

Aaron.

Aaronis corona gemmis fulgens. 576.1.a
quid significetur per Aaronis virgam. 563.2.b

Abdicatio.

perfectam de diuitiarum cupiditate victoriam in rerum omnium Abdicatione sitam esse. 405.1.a

Abominatio.

quæ sit Abominatio & immunditia, quibus plenus erat Calix meretricis magnæ. 754.c
cur Roma ethnica vocetur mater Abominationum terræ. 755.a

Abrahamus.

Abrahamo duplicem à Deo promissionem de posteritate esse factam. 201.b
Abrahamus quo tempore natus. 487.2.a

Abstractum.

in sacris sæpè Abstracta pro concretis ponuntur. 167.a

Abyssus.

quid per Abyssi nomen figuretur. 813.a
Abyssi nomen pro alto puteo sumi Apocal cap. 11. 548.d
vtrùm Abyssus in nouo Testamento sumatur in sensu proprio pro inferno. 481.1.b & seq.
vocem Abyssi Hebraicam semper accipi pro aquarum multitudine. ibid.2.c
reducere de Abyssis terræ quid sit. 482.1.2.b
puteus Abyssi, quid adumbret. 481.a
in Abyssi claustræ sigillo, quid imprimis innuatur. 813.c
quid sit clauem Angelo dari ad claudendam Abyssum. ibid.b
bestia quæ cap. 11 7. dicitur de Abysso ascendere, quęnam sit. 548.c
quo in sensu fumus ex Abysso prodire dicatur. 483.c
quomodo Sol & aër fumo Abyssi obscurati dicantur. ibid.
quo sensu Dæmones Christum rogarint, ne in Abyssum mitterentur. 482.1.c

Accentus.

apud Græcos quando penultima acuto notatur Accentu, vltima est longa. 655.d

Achates.

Achatis gemmæ natura. 926.2.b
Achates aptatur Asser. 938.2.a
diuersitas inter Achatem & Chrysoprasum. 926.2.b
Achatem Rationalis respondere Chrysopraso Apocalypseos. ibid.
quod sit mysterium in eo quòd Achates Rationalis gemma in cœlestis ciuitatis fundamentis sit in Chrysoprasum mutata. 927.2.a

Actio.

in Actionis prologo auditores de fructu ex ipsa actione percipiendo admoneri. 178.c

Acus.

Acui nauticæ quando Magnes imprimat qualitatem suam. 248.1.b
Acum nauticam esse sapientiæ symbolum. 247.2.c

Adamas.

Adamantum figura cuiusmodi apud Plinium. 237.1.c
Adamantis figuram tribuli esse, cui & Hebraicum quadrat nomen. 238.1.a
Adamantem ferri ictibus in aliud ferrum impacti solum cedere, & quid per hoc figuretur. ibidem 2.a
ferrum Adamante tactum volui ad Septentrionem. ibid.
Adamantis inuicta vis. 235.1.c
Adamantis durities. 236.2.d. 904.2.b
Adamas olim perpaucis cognitus. 235.2.d
Adamas igne non incalescens, quid significet. 238.1.a
de Adamantium qualitatibus coniecturæ. 237.1.a
Adamantem, aliqui volunt esse gemmam, quæ in Exodo, & Isaiæ vocatur Iaspis. 893.1.d. Oppositum verò statuitur & roboratur. ibid.
Adamantis mentio aliqua vtrùm sit in sacra Scriptura. 235.2.d
Adamantem in sacra Scriptura nunquam inter gemmas numerari. ibid.1.d
vtrùm Adamas quatenus pretiosa gemma est, aliquando in sacra Scriptura vsurpetur. 902.1.d
Adamantis mentionem prout gemmæ in sacris esse. 903.2.a
Adamantem etiam nomine Carbunculi in sacra Scriptura comprehendi probabile est. 236.1.c
Adamantis nomen cum in sacris vsurpatur, ad duritiem potiùs quàm ad gemmæ æstimationem referri. 903.2.b
Aliqua quæ de Adamante traduntur aut falsa esse aut parum certa. ibid.c

Digitized by Google

Adamantem nonnullas proprietates, quibus olim constabat, secundùm aliquos, iam amisisse, & quòd sit rei huius mysterium. ibid 1.c
Adamantem olim magnete ipso potentiõe in ferro trahendo fuisse habitum,& quid in hac vi adumbretur. 904 2 d
Adamantis symbolum ad tyrannicæ potentię significationem eleganter applicatur. 903.1.a
Adamas etiam ad carnis sapientiam denotandam est symbolum. ibid.b
quomodo per Adamantem figuretur Christi potentia ad peccatores conterendos, & conuertendos. 904 2 c
Adamas in medicinis salutaris quid denotet ibid d
ad Adamantem applicari non posse Chalcedonij nomen. 902.2.a

Adonai.

Adonai pro Iehoua substituitur. 145.1 c
Adonai substitui pro Iehoua non superstitiosè factum. ibid.2.a

Adoratio.

Adoratio seniorum & animalium quid innuat. 390.c
per Adorationem seniorum,de qua cap.11.num.16. quid significetur. 561.a

Adsto.

quinam in sacra Scriptura dicantur Adstare coram Domino. 707.d

Aduersitas.

Aduersitatibus homines à Deo molliri & mansuefieri. 460.2.a
Aduersitatibus maioribus à Deo probari, qui in diuino obsequio prouectiores sunt. 532.1.a

Ædificium.

Ædificia Ezechielis & Salomonis non omnino inter se congruere,idque mysterij causa. 372.2.b
Ædificium Ezechielis num cum antiquo illo Salomonis omnino conformetur? ibid.a
Ædificij ad rationem, quadrata figura quàm sit perfecta. 880 a
Ædificij partium proportio in cælesti Ierusalem quid innuat. 857.c
quid per quatuor quadrati vrbis cælestis Ædificij latera adumbretur. 880.c
de quo spiritali Ædificio Paulus loquatur 1. Corinth.3.12. 532.2.d
expenditur locus, 1.Cor.3.12. de spiritalis AEdificij extruendi ratione. ibid.

Ædifico.

AEdificare qui dicantur iuxta Pauli mentem. 533.1.a

Aër.

Aër vnde aliquando minus cærulei coloris,aliquando plus habere videatur. 900.2 b
Aër quomodo abyssi fumo obscuratus dicatur. 483.c

Ægyptius.

AEgyptij quomodo Iudæos adumbrarint. 681 2.c
AEgyptios fuisse in mari demersos,quid mystícè significet. 682.1.c
qui Deus significare voluerit tanta plagarum multitudine in AEgyptios effusa. 548.2.a

Ægyptus.

AEgypti nomen cur imponatur Iudaico populo. 681.1.d
in AEgypto apud Ioelem Iudæos adumbrari. ibid.c
in AEgypto sacerdotes fuisse iudices. 158.c
in AEgypto terra sacerdotalis libera olim & immunis. ibid.b
num AEgypti nomine significetur Hierosolyma. 548 c
Vide plaga.

Æmulor.

AEmulari quid sit. 283.b

Ænigma.

cùm de AEnigmatis est sermo ipsorum significationem per verbum substantiuum denotari. 213.1. b
AEnigmatis inscribendi duplex ratio. 136.1.b
AEnigmatum peculiare artificium ostenditur. 51.1.a
in AEnigmate longo non obstare quo minus sensus alicubi nimis ænigmaticus, alicubi nimis grammaticus sit. 473.a
AEnigmaticum propheticorum quæ sit ratio. 22.1.c
AEnigmata ad res alioqui notas non ad ignotas significandas compoñi. 655.a
res inanimatas per prosopopœiam quasi animatas in AEnigmatis induci minimè nouum videri debere. 65.2.a
in AEnigmatis humanis duplex sensus vitiosus, in Diuinis non item. 48.2.c
in AEnigmatis aliud verbis perstringi, aliud sensu innui. 158 d
inter AEnigmatis & parabolæ interpretationem quid interfit. 36.2.d
in AEnigmatis sacri explicatione satius esse nostram ignorantiam, quàm aliquam eius partem minùs aptam fateri. 37.1.a
AEnigmatis sensum illum esse propriè, quicumque ei optimè quadret 48.1.d
AEnigmatis solutio ex apta omnium partium applicatione euidenter constat. 21.2.c
AEnigmatum exponendi ratio. 34.1.b1.a
sensus totius AEnigmatis libri Apocal.à Ioanne fuit perceptus. 134.a
AEnigmatum solutio ad opinionum probationem non aptè vsurpata. 40.2 b
ingens ex diuini AEnigmatis solutione solatium. 21.1.c

Æqualitas.

AEqualitatem interdum importat in sacris vox Quasi. 351.2.a

Æquitas.

AEquitatem sub specie inquitatis plurimum enitescere. 380.2.b
AEquitatem Christi in primis Christianis facilè omnibus fuisse conspicuam. 411.1.a
cur inferiores moderatores expediat suæ gubernationis AEquitatem patefacere: Deo verò id non sit necesse. 381.2.a

Æs.

chalcolibanum pro AEris specie accipiendum. 195.2.b
cur pedes primæ figuræ Apocal. ex AEre sint effecti. 194 b
cur pedes ijdem fuerint ex AEre montis Libani. ibid.
num Angelus Danielis pedes etiam ex AEre candenti habuerit. 210.2.b
cur qui templum apud Ezechielem metitur habeat speciem quasi speciem AEris. 701.b
cur Daniel in sua visione viderit brachia vsque ad pedes quasi speciem AEris candentis. 210.2.b
quid per brachia ex AEre adumbretur. ibid c

Æstus.

discrimen inter furiosos irarum AEstus, & blandas cupiditates. 499 a
quid sit AEstu affligere homines. 726.b
de maris AEstuum accessu & recessu mystica consideratio. 580.2.d

Æthiops.

AEthiopas crucem pro Tau scribere. 438.2.c

Agnus.

in Agno tanquam occiso allusionem fieri ad antiquæ legis sacrificia. 388 a
in Agno occiso adumbrari Missæ sacrificium. ibid.b
Agnum etsi occisi speciem præ se ferebat,librum tamen accipere, & aperire voluisse quid denotet. ibid.d
Agnus quomodo in medio throni,seniorum & animalium steterit. 387.a

Digitized by Google

Agnus quo sensu dicatur stare. ibid.
Agni septem cornua qua ratione sint considerandа. ibid b
quorum nomina dicantur non esse scripta in libro vitæ Agni. 642.d
quod subsit mysterium in eo quod Agnus librum aperuerit, & rursus liber clausus apparuerit. 390. a
Agno cur animalia & seniores gloriam & honorem tribuant. ibid.c
Agni sponsam statuitur esse Romanam Ecclesiam. 791 a
Agni nuptiæ quænam per antonomasiam in hac vita appellentur. 792 c
quam sibi Agnus per nuptias ducit sponsam, quæ sit. 790.d
de quibus Agni nuptiis instituatur sermo Apoc. 19.7. ibid.b
Agnus cur in medio throni & seniorum constituatur 387.b
Agni cornua septem totidemque oculi quid figurent. ibid c
Agni septem oculi qua ratione sint constituendi. ibid
quid sit cornua siue senatores cum Agno pugnare. 759 a
sub Agni specie cur Christus apparuerit in Sionis monte. 659.d
Agni cœnam non sumi pro cœlestis patriæ felicitate. 795.a
Agni cœna de qua Apoc. 19. quæ sit. ibid b
Vulgata lectio Isa. 16. 1. *Emitte Agnum*, defenditur. 661.1 a
Agnus & 144 millia vtrum in Sione monte pedibus niterentur, an non? 663.a
cur illa 144. millia dicantur primitiæ Deo, & Agno. 666.a

Ala.

Alas binas tantùm fuisse singulis Cherubinorum templi. 352. 1 d
Alarum fulgor quid adumbret. 348.b
Alarum duarum mulieris mysterium quod sit. 611 a
Alarum duarum fœminæ secundaria significatio. 612 1 a
Alarum duarum mentionem non absque mysterio fieri 611.a
Alæ quæ quibus volant Seraphini Isaiæ, & Ioannes animalia quid significent. 347.d
quot Alis constarent Ioannis animalia deque earum significatione. 346.c & seqq.
Alæ ingentes duarum aquilarum Ezechielis, de quibus cap. 17. agit, quid significent. ibid d
Alarum vera interpretatio ex Dionysio Areopagita desumpta. 347.b
Alæ aquilæ, non columbæ cur mulieri affingantur. 61. .2.c
Alæ numquid datæ sint mulieri antequam se fugæ mandare cœpisset, an post fugæ initium. 610.d
cur Apoc. 12. dum de Alis mulieris agitur, Pauli & Barnabæ mentio fiat. 612.2.a
cur Ezechielis animalia Alis quatuor, Ioannis verò animalia senis constarent 347.c
Alæ quem ad finem animalibus Ezechielis additæ. 365.2.b
cur Isaiæ Seraphini præter brachia sex haberēt alas. 356.2 b
Vide Animal.

Album.

vtrùm Album pro splendenti purpureo. an pro candido sumatur, cùm dicitur *Amicti stolis albis*. 448. c

Alfonsus.

Alfonsus Hispaniæ Rex septem Partitas ex totidem sui nominis literis inchoauit. 33.2.c

Allegoria.

in Allegoriis qua ratione soleat designatus aliquis numerus accipi. 519.1.d
Allegoria Tobiæ connubij, ac dotis. 460.2.b
Allegorias interdum appellari applicationes etiam, & accommodationes. 445.1.a
Allegoria mysticæ resurrectionis quàm sit elegans. 832 a
Allegoria eadem tempestatis, quomodo conuersionem aliorum, aliorum obstinationē pariter complecti possit. 742 b

Alleluia.

Alleluia quadruplex quorsum apponatur in cap. 19. Apoc. 779.d
in quadruplicis Alleluia distinctione quid sit obseruandum. 780 a
vera sententia de quadruplicis Alleluia explicatione relata ad quadruplicem laudem Deo ab Ecclesia tributam. ibid.c
in quatuor hisce Alleluia respectum haberi ad eos Psalmos, quibus pro titulo est *Alleluia*. 783.1 c
syllabus eorum Psalmorum qui pro titulo habent Alleluia. ibid d
Psalmos 20. quibus inscriptio est *Alleluia*, in quatuor series partiri, & quæ sint. ibid.2.d
Alleluia prædicta quomodo his Psalmis 20. per ordinem respondeant. ibid.
Alleluia primum quid in se includat, & quomodo ad textum ipsum aptetur. 781.b
Alleluia primum quomodo lineæ primæ, siue ordini Psalmorum respondeat. 784.1 c
Alleluia primum quosnam prædictorū Psalmorum respiciat, quos item secundum, & sic de ceteris. ibid a
Alleluia secundum & laus quam in se continet explicantur. 781.a
Alleluia tertij, & laudis quam in se includit explicatio. ibid b
Alleluia tertium quot & quos Psalmos respiciat. 781.2.a
Alleluia quartum, & quarta pariter laus Deo inde redundans exponuntur 78 c
Alleluia quarti finis & scopus. 786.2.b
Alleluia quartum ad quos Psalmos alludat. ibid. 1.a
Psalmos qui ab hoc quarto Alleluia respiciuntur, peridoneos esse ad Ecclesiæ victoriam de Roma celebrandam, & ad laudes propterea Deo concinendas. ibid.
in sex Psalmis quos quartum Alleluia respicit, elegāter describi primitiuorum Christianorum spiritum. ibid.c
quem finem spectent nouem Psalmi inter tertium & quartum Alleluia inserti. ibid.2.b
quod habeat mysterium nouenarius Psalmorū qui inter tertium & quartum Alleluia sunt interpositi. ibid.a
secundus Psalmorum ordo, quibus inscriptio est *Alleluia*, & quomodo secundo Alleluia respondeat 784.2.d
Alleluia quæ in aliquot Psalmorum titulis apponuntur in Hebræo varia & diuersa dispositione inscribi. 787.1.a
Vide Psalmus.

Altare.

Altare thymiamatis cur desideretur in visione cap. 4. 371.2.c
Altare thymiamatis cap. 8. quid figuret. 468.d
Altare de quo cap 8. n. 3. cuiusmodi sit considerandum. 467.c
Altare holocausti quod Ezechiel vidit, quid significet? 519.c
Altare Ezechielis qua ratione possit de Eucharistia explicari. ibid.c
Altare metiri cur iubeatur Ioannes. ibid.
Altare holocausti cur in visione cap. 4. desit. 371. 2 b
sub Altari cur animæ dicantur clamare. 423.a
qualis sit sub Altari martyrum clamor. ibid.b
Altare vnde vox prodiit, de altari thymiamatis esse intelligendum. 495.b

Digitized by Google

ab Altari cur proficiſcatur querimonia, ſiue vltio de Iudaico populo ſumenda? ibid.c
Altare Iſaiæ viſum figurat Chriſtum 234.1.c
Altare qua ratione ſit conſiderandum in cap. 11. Apocal. 519.a
Altare cur primò non Angelus, ſed Ioannes dimetiatur, at poſtea cap. 21. Angelus metiatur. 518 c
Altaris per circuitum animalium immolatorũ ſanguinem effundi ex Dei præcepto ſolere. 719.c
Altaris vox quid propriè poſtulet. 496.d

Altitudo.

Altitudines Satanæ quæ dicatur. 240 a
Altitudines Satanæ pro profunditate & calliditate. 242.d

Ambulo.

Ambulare in albis quid ſit. 256.d

Amen.

Amen quid ſignificet. 274.d 398.c

Amethyſtus.

Amethyſti gemmæ natura examinatur: & qualis ſit eius color. 934.1.b
Amethyſtum Indicum (qui & ceteris pretioſior) purpuræ colore conſtare. ibid.c
Amethyſti pretioſi color cuiuſmodi ſit. ibid.d
Amethyſtus quàm ſit grata, ac iucunda gemma. ibid 2.b
Amethyſti gemmæ etymologia. ibid.
Amethyſtum ad ſe quodammodo trahere quod in eius eſt conſpectu. ibid.d
veluthi Amethyſti matrem eſſe gemmam Sardam. ibid.
Amethyſti proprietates aliæ. ibid.
Amethyſti myſtica conſideratio ad duodecimum articulum Symboli Apoſtolorum. 935.1.c
Amethyſtus à veteribus dictus dulcis, & Veneris gemma, quid ſymbolicè ſignificet? ibid.2.a
Amethyſti purpuræ perfectæ color cuius rei ſit ſymbolum? ibid.c.936.1.b
Amethyſti colore quomodo adumbretur Beatorum felicitas. 935.2.d
Amethyſtum ſui geſtatorem reddere vigilantẽ quid ſignificet? 926.1.c
Amethyſtus aptatur Iſſachar. 938.2.a

Ammonitæ.

quonam reſpiciant Prophetæ, quando de victoria ex Ammonitis reportanda agunt. 683. 1.c
per Ammonitas quinam myſticè figurentur. 682. 2.b
cur Deus ſuo populo præceperit vt Ammonitis ingreſſu Eccleſiæ interdicerent? 683.2.b

Amor inordinatus.

de Amore proprio inordinato poſſe etiam congruenter locuſtarum regem explicari. 494.b
Amores quatuor inordinatos eſſe mũdi hominumque tyrannos: & quinam ij ſint? 404.1.a
Amoribus his quatuor inordinatis primas quatuor diuinæ prouidentiæ virtutes directè opponi. ibidem d.
Amor proprius inordinatus quàm nos aſſiduè oppugnet. 497.d

Angelus.

Angeli nominis etymologia. 215.1 a
Angeli ſeptem ad quos Ioannes ſcribere iubetur, qui fuerint. 214.1.d
Angeli ſeptem quibus Ioannes iubetur ſcribere, num ſint ſeptem Eccleſiæ. 215.1.a
Angelorum ſeptem mentio in ſacris quid ſignificet. 146 b
Angelorum numerus ſeptenarius in ſacra Scriptura quò reſpiciat. ibid.c
Angelorum peculiarem ſeptenarium qui negent. 150.1.a
Angelorum ſeptenarium qui aſtruant. ibid.2.a
de Angelis ſeptem locus Tobiæ expenditur. 151.1.a
Angelorũ ſeptenarius cur toties in Scriptura vſurpatur. ibid.b
Angelorum ſeptenarij altera expoſitio. ibid.2.b
Angelos in Scriptura ſæpè ex perſona Dei loqui. ibid.c
Angeli nomini quæ voces in Hebræo reſpondeant. ibid.d.
Angelorum ſeptenarius quo ex tempore in Scriptura vſurpetur. ibid.1.c
inter Angelorum nouem choros diſtinctio cur in Scriptura minus ſit perſpicua. 358,2 b
Angeli cur in Apocal. ſeptem Deo laudes tribuant. 155. 2.b
Angelo clauem dare ad claudendum puteum abyſſi, quid ſit? 819.b
Angelis tribus de quibus Apoc. 14. fit mentio, quinam figurentur? 667.a
A tribus Angelis vocum prolatarum myſterium quodnam ſit? ibid.
Vide alterum Angelum, quo ſenſu ſit accipiendum. ibid.b
in Angelo per medium cæli volante Ioannem Euangeliſtam figurari. ibid.c
Angelus primus cap. 14. cur non ad primæuos Chriſtianos, ſed ad Gentes ipſas verba faciat 669.b
Angelos licet Scriptura ſpiritus appellet, non tamen ſolet appellare ſpiritus Dei. 147.b
Angelorum ſymbolum, nubes. 165.1.c
Angelos pro plagarum numero congruenter fuiſſe ſeptem. 700.c
Angelum ſecundum cap. 14. eſſe Pauli figuram. 671.b
in Angelo tertio qui ad vindemiatorem clamauit figurari Eliam. 689.d
Angeli tertij vox de qua cap. 14. 9. quomodo contra Beſtiam terræ iactetur 675.a
Angelus qui exiuit de altari, quiſnam ſit. 692.a
Angelus qui apparuit Danieli quis fuerit? 211. 2.d
Angelus Danieli viſus cur mirabili adeo figura apparuerit? 208.1.b & ſeqq.
Angelum illum Danielis 12. eſſe eundem quem cap. 10. ſub Dei perſona viderat. 507. 1.d
Angelus Danielis 12. cur ſuper aquas pedibus nitatur? ibid 2.c
Angelus Danielis num pedes ex ære candenti habuerit. 210 2.c
Angelus qui apparuit Danieli, cur neque canos habuerit in capite, neque ſtellas in manu, neque gladium in ore. 211 2.a
in Angeli facie cur Daniel viderit fulguris ſpeciem. 210.1.d
Angeli corpus cur Daniel viderit quaſi chryſolithum. ibid.b
Angelum egredi de templo, cap. 14. quid innuat? 687.a
Angelus qui cap. 14. è templo exiſſe dicitur, quem figuret? 686.d
Angeli primi cap. 14. vox vnde ſit deprompta. 669.d
ab Angelo primo cap. 14. quorſum dicatur, *Hora iudicij?* ibid.b
Angelus qui Ioelem figurat cur dicatur tãtùm exiſſe de templo? 691.a
ab Angelo nuncius allatus cap. 14. 4. cuiuſmodi ſit? 664.a
ad Angelorum & Dæmoniorum antiquum illud prælium reſpici per alluſionem in Apocalypſeos, & Danielis prælio. 604.2.d
per Angelum aquarum figurari Moſem: qui vindemiatoris figuram agit. 690.a
per Angelos aquarum & altaris quinam adumbrentur? 712.a
Angelum aquarum, & Angelum altaris Deo laudem tribuiſſe, quid ſit? ibid.
in Angelis duobus Apoc 17. & 18 & Iſaiæ 21. aſſeritur Petrum & Paulum figurari. 747.1.d
Angeli duo qui Ioanni annunciant vindictam de Babylone ſumendam, qui ſint? ibid c
in hoc Angelorum pari fieri alluſionem ad Iſaiæ cap. 21. ibid.d

Digitized by Google

Angelus Ioannis cur non brachia ærea habuerit. 210.2.d
Angelos Iacobo visos per scalam ascendere sine alis fore considerandos. 291 1.d
Angelos non summitatem scalæ solùm conscendere, sed cælum etiam ingredi. ibid. 2 a
Angeli Iacobo visi per scalam ascendere, qui sint? 292 1.b
Angelus quid intenderit, dum cum Iacobo fuit luctatus? 520.1.d
Angelus cur Iacobi femur tetigerit. ibid.2
Angelus quo sensu dicatur Iacobum superare non posse? ibid.b
Angelus à Iacobo de proprio nomine rogatus, dum per interrogationem respondet, quid innuat. 522 2.c
de Angelis septem vnus de quo Apoc.17.1 quis sit? 751.c
in Angelo, de quo Apoc 17 7 figurari Paulum. 756.a
Angelus quo sensu Ioannem à sui adoratione arceat? 798.b
cur Angelus se à Ioanne prohibeat adorari? ibid.c
de adoratione qua Angelum Ioannes adorare voluit, variæ opiniones referuntur: & reiiciuntur. 779. a Et vera auctoris sententia statuitur. ibid.c
in Angeli cognitione ad cuius pedes procidit Ioannes eundem minimè fuisse deceptum. ibid b
Angelus in Sole stans quem figuret? 805 c
Angelus in sole stans cur aues solùm inuitet: apud Ezechielem autem Deus iubeat aues & bestias inuitari. ibid.
Angelus cap 19. quosnam Fratres Ioannis nuncupet. 799.c
Angelus quo sensu se appellauerit conseruum eorum, *qui seruant verba prophetiæ libri huius.* ibid.c
in Angeli vtriusque cap. 19.& 22 responsione ac prohibitione propriæ adorationis, quæ sit diuersitatis ratio. 798.c
Angelos ascendere & descendere super filium hominis, quid? 202.2.c
Angelis an actiuè vel passiuè tribuatur nomẽ Thronus. 308.2.d
Angelorum quaternarius cur inducatur Apoc. 7.4. 35. 1.a
Angelos figurari in Ezechielis animalibus. 312.c
Angelorum nomina quæ Hebræorum fabulis nituntur refpuenda. 153 2.a
Angelum ignem mittere in terram, quid sit? 469.a
Angelus habens thuribulum quid significet? 468 c
Angelus offerens thymiama cap. 8. an Christum repræsentet? ibid.d
Angelorum vniuersam militiam per Mosis Cherubinos figurari, verius tenendum est. 354.1 c
Angelorum vniuersa militia quomodo in Cherubinorum binario possit figurari? ibid.2.a
de Angelis septem vnum, perinde esse atque primum. 865 c
Angelus vnus quis fuerit, qui Ioanni ostendit vxorẽ Agni? ibid.
cur Angelus hic præ ceteris ostenderit Ioanni Ecclesiæ Romanæ gloriam in cælo futuram. ibid.
Angelum vindemiatorem symbolum esse Mosis. 692.d
Angeli duo vindemiæ, quinam fuerint? 689.c
Angelus vtrùm portas ciuitatis sit dimensus. 878 b
Angeli cur pro portarum ianitoribus sint assignati. 873.b
Angelus qui dæmonem constrinxit, quid significet. 812.d
Angeli dæmonem vincientis figuram ex Tobiæ libro fuisse peritam. ibid.
Angeli quatuor tenentes ventos quomodo nocere terræ dicantur? 433.b
Angelos quatuor veluti ventorum Æolos esse concipiendos. ibid.d
Angeli quatuor cur ad nocendum hominibus designentur. 434.a
per Angelos quatuor de quibus Apoc.7. quid figuretur. ibid.b
Angeli magna clamantis vox quid significet 437.c
Angeli quatuor quo sensu exspectare, & a ventorum ac terræ nocumento parumper abstinere iubeantur? ibid.
Angelus ascendens ab ortu solis quo sensu dixerit, *signemus.* ibid.
de Angelo ab ortu solis ascendente variæ opiniones. 435.d
Angelum ab ortu solis ascendentem nec de Alia, nec de Constantino commodè posse exponi. 436.c
in Angelo ascendente ab ortu solis posse præterea Spiritum sanctum figurari, quin imo Spiritus sancti gratiam. ibid.
Angelum ascendere ab ortu solis, quid sit? ibid d
Angelorum multitudo cap. 5. nu. 11. visa quæ sit? 394.d
Angelos in circuitu throni, & seniorum dupliciter posse considerari. 395. b
Angelorum vox ingens, de qua cap. 5. 12. quid innuat. ibid.c
Angeli quatuor in Euphrate illigati, quinam sint? 496.c
Angelos quatuor alligatos in Euphrate non posse inter bonos numerari. ibid.
Angeli quatuor in Euphrate alligati cur fingantur ante plagam sextam tubarum solui? ib d. d
Angeli quatuor cur in Euphrate sint alligati. ibid d
Angeli quatuor alligati an congruenter possint de quatuor ventis exponi? 497.a
Angeli quatuor ligati cur dicantur fuisse parati in horam, diem, mensem, & annum? ibid.c
Angelis quatuor alligatis commissa facultas cuiusmodi sit ibid.d
quæ Angelorum nouem choris nomina assignantur, non eadem distinctione & ordine in Scriptura vsurpari. 308.1.b
Angelorum nouem choros non eadem distinctione Patres designare. ibid.d.
distinctionem inter Angelorum & hierarchias, & choros non adeò clarè in Scriptura contineri. 309. 1.c
in Angelorum tribus hierarchiis ordo distinctionis. ibid.d
inter Angelos excellentia inferioris chori in superioris excellentia includitur. ibid. 2.d
cum Angelo Danielis comparatio figuræ Ioanni visæ Apoc.1. 206.1.d & seq.
præter Angelorum tria nomina in Concilio Romano cetera excluduntur 152. 2. c Et Concilij Romani verba quo sensu accipienda. ibid.d
per Angelos septem tubarum quinam figurentur? 462.1 b
inter Angelos & tubas distinctio apponenda. 463. 1 a
per Angelos tubarum qui denotentur? ibid b
cur Angeli, siue Prophetæ per eos figurari ad septenarium reuocentur? ibid.c
differentia inter Angelos tubarum, & phialarum, ibid.2.a
de Angelis septem Apoc.8.2. cur dicatur, *Qui in conspectu Dei sunt.* 465.a
Angelis septem quando sint tubæ datæ. ibid.
Angeli septem phialarum quare ex sancto Sanctorum prodire dicantur. 707.
Angeli phialarum cur non ex templi Salomonici, sed ex Mosaici tabernaculi oraculo prodire dicantur ibid d
Angelis fuisse datas phialas antequam ex tabernaculo exirent. 708.b
in Angelorum phialarum cultu & vestitu quid innuatur? ibid. b
Angelis phialas dedisse cur leo dicatur? ibid d
Angelos phialas in manibus tenere quid sit? 709.c
Angeli phialarum, quinam sint? 700. a
Angelum ad cuius pedes Ioannes se c. 19. prouoluit, diuersum

Digitized by Google

diuersum esse ab eo, ad cuius pedes item procidit cap. 22. 794.d 797.a
Angelum magnæ potestatis esse qui Ioanni dicit cap.19. *Scribe.* 794.b
in Angelo magnæ potestatis c.18.figurari S.Petrum. 820.a & qua ratione. ibid.c
in Angelo tertio de quo Apocal. 14. 9. figurari etiam B. Petrum. 676.d
in Angeli fortis clamore ad quem Scripturæ locum allusio fiat? 381.d
in Angelo forti Oseam signari videtur probabile. 382.a
Angelus fortis è cælo descendens quis sit? 504. a & seq.
cur Christum adumbret? ibid b
cur vocetur fortis? ibid.c
quo sensu dicatur de cælo descendere? ibid.
eum nube amictum descendere, quid sit? ibid.d
iris in eius capite cuius fuerit figuræ, & cuius significationis? ibid.
per Angeli fortis faciem solis instar fulgentem quid figuretur? 505.a
per Angeli fortis pedes ignearum instar columnarū, quid figuretur? ibid.
eius pedes quomodo sint considerandi? ibid.
Angeli fortis figura qua ratione concipienda? ibidem.b
Angelus dum dextrum pedem in mari ponit, quid insinuet? 507.a
Angeli pedem in mari positum non mergi, quid indicet? ibid.b
Angeli fortis allusio ad Angelum Daniel. 12. expenditur. ibid.1.c
Angelus Ioannis cur super mare, at Danielis Angelus super flumen steterit? ibid.2.d
Angelus Ioannis cur alterum pedem super aquas, alterum super terram, Angelus verò Danielis vtrumque super aquas habeat? 508.1.b
Angelus Danielis cur vtramque manum iuraturus, Angelus verò Ioannis alteram tantùm attollat. ibid.2.a
in Angeli fortis pedum igne allusio ad ignem sacrificij Eliæ, ibid.1 c.& ignem Nehemiæ 2.Machab.1. ibid.
Angeli fortis magno clamori septem tonitrua echo instar respondere. 510.a
Angeli fortis iuramenti periphrasim esse subiectæ materiæ congruentē, & quid per talem periphrasim significetur? 511.b
Angelus cur addat sæpiùs, *Et ea quæ in eo sunt?* ibid.c
in Angeli fortis iuramento quorsum sæculi sæculorum mentio? ibid. d
Angeli fortis iuramenti perpetuitati non obstare Iudæorum conuersionem sub mundi finem futuram. 512.b
Angeli fortis iuramentum respondere iuramento Angeli Danielis. ibid.c
Angelus fortis cur in manu libellum apertum habuerit? 514.b
cur in libri mentione quem Angelus fortis habebat, diminutiuo vtatur Ioannes? ibid.a
in Angeli fortis libello fit allusio ad librum Ezechieli traditum, vt eum deuoraret. ibid.b
in Angelo forti Ieremiam figurari. 776.d

Angulus.

Anguli quatuor terræ num de vniuersa terra, an de sola Iudæa sint intelligendi? 433.a
Anguli quomodo considerandi sint. ibid.

Anima.

cur Apoc. 20. 4. non dicantur resurrexisse Martyres Christi, sed ipsorum Animæ. 831. d
de Animarum conuersione esse explicandum ignem Apoc.20.de cælo descendentem. 844.c
Animam hominis nuncupari halitum siue spiraculum Dei. 732.b
omnis Anima viuens quo sensu dicatur fuisse mortua in mari. 720.c
Animæ hostium pugna in quo consistat? 628.c
ad Animarum veram salutem ordinari Hierosolymæ excidium in Ezechielis curru adumbratum. 334.b
Animæ cur dicantur sub altari clamare? 423.a
Anima Christi non fuisse indignum ad Patrum limbum triumphatricem descendere. 908.1.d
Animam suam non diligere vsque ad mortem, quid sit? 608. c
Animarum saluti qui incumbunt, qua contentione & studio se debeant gerere? 583.b

Animal.

Animalium significationem non rectè ad quatuor personas coarctari. 333 a
Animalia cur in Ioannis visione in medio throni, & in circuitu throni sint? ibid.c
Animalibus fuisse suppositas Ezechielis rotas. ibid.c
Animalia sua Ioannes vtrùm inter se omnino similia effingat? 328 d
de Animalium facibus Ezechiel loquens quo pacto sit intelligendus? 329.b
de Animalibus num Ezechiel & Ioannes eodem modo loquantur? 328.d
Animalium nomen non cogere, vt ea veluti animalia irrationalia consideremus. 324.d
Animalia, cur Ezechiel suos Cherubinos vocet? 325.a
Animalia Ezechielis & Ioannis, Cherubinis templi similia esse debere, exceptis iis quæ ipsi aliter exprimunt. ibid.
Animalia Ezechielis & Ioannis constare humanâ figura. ibid.b & seq.
Animaliū Ioannis num alæ sint sex absque brachiis numerandæ. 330.b
de Animalium senis alis Ezechielem & Ioannem in sensu proprio esse intelligendos. ibid.b
Animalium alæ quibus corporis partibus affictæ considerandæ sunt? ibid.c
Animalium Ezechielis pedes fuisse pennatos, quo sensu accipiendum sit? ibid.d
Animalia Ioannis vtrùm pedes vitulinos habuerint? 331.b
de Animalium interpretatione sententiæ. ibid.d
Animalia Ioannis Apostolos, eorumque successores Episcopos adumbrare. 332.b
Animalium symbolum non esse ad quatuor Euangelistas restringendum. ibid.b
Animalia Ioanni nuda fuisse visa. 327.b
inter Animalia Ioannis & Ezechielis discrimen, 332.c
in Animalibus Ezechielis Angelos, in Ioannis, sanctissimos homines figurari. ibid.
per Animalia Ioannis viros maioris perfectionis ac dignitatis quàm per seniores, designari. ibid.d
Animalia Ioannis quomodo potuerint plena esse oculis in circuitu, & intus? 322.c 327.b
Animalia Ioannis vtrum quatuor facies strictè sumptas habuerint? 327.c
de facie strictè sumpta loqui Ioannem agentem de Animalibus, verior est sententia. ibid.d
in Animali quarto cur Ioannes addat, *Volantis.* 328.a
Animalium facies dupliciter accipi posse. 327.d
Animalium expositio de quatuor præcipuis curiæ cælestis principibus refellitur. 344.b
Animalium Ezechielis significatio. ibid.c
Animalia Ioannis cur quatuor fuerint, non tamen singula quaternis facibus prædita. 345 a
Animalium quaternarium sæpius in Ioannis visione repetitum apparuisse verius videtur. 322.b
per Animalia quatuor Apocal. 4 quid designetur? 310.1.a
de Animaliū Ezechielis pedibus quo sensu dictum. *Et pedes eorum pedes recti.* 355.2.c
Animalium Ezechielis mysterium. 311.2.a

Anima-

Digitized by Google

Animalium quatuor symbolum quid figuret? ibid. 1.d.
Animalium Ioannis continuatio in trisagio repetendo, quomodo intelligenda? ibid.d
Animalia enumerandi ordo cur in Ioanne & Ezechiele diuersus sit? 345 c
Animalium ordo quem Ioannes obseruat, expenditur. ibid d
Animalium Ezechielis ordo, eiusque ratio traditur. ibid.
Animalibus solùm Ezechielis vitulinas plãtas fuisse proprias, non cum templi Cherubinis communes. 353.1.d
Animalium oculos fuisse veros, non pictos probatur. 327.a
Animalia Ioannis quot alias constarent, deq; earum significatione. 346.c
Animalia Apoc an respondeant duplici Cherubinorum pari qui in templo erant? 310.2.a
Animalia cur coram Dei throno non sedeant, sed stent? 311.2.d
Animalia Apoc. sunt symbola Fortitudinis, Beneficentiæ, Æquitatis & Sapientiæ. 154.2.a
inter Animalia Ioannis & Ezechielis discrimina. 343 b. conuenientiæ item. ibi.d.c.
Animalia Ezechielis quo sensu dicantur non reuerti cum ambularent? 361.1.b
Animalia Ezechielis quomodo in quatuor partes gradi dicantur? ibid 2.a
Animalia Ezechielis cur alis quatuor, Ioannis vero, senis constarent? 330 c
Animalia Ioãnis cur singulatim ad singula quatuor prima sigilla conspicienda eundem accersant, non verò ad reliqua? 403.1.b
Animalia quatuor cadere, quid sit? 789.2.a
in Animalibus singulis Ioannis cur vnica facies fuerit, peculiaris ratio redditur. 345.a
Animalibus singulis Ezechielis cur quatuor manus affictæ? 348.b
Animalium Ioannis symbola singulis Apostolis aptari. 336.c
de Animalium symbolis Dionysii & aliorum Patrum mens. ibid.d
Animalia Ioannis cur alis vultum contegant, Ezechielis verò Animalia non item? 347 c
de Animalium significatione Auctoris sententia confirmatur. 341.a
Animalia Ezechielis in specicm militum armatorum fuisse visa. 363.1.b
Animalis primi soliùs vox cur dicatur tonitrui similis? 406.1.a
ab Animalibus cur Ioannes vocetur ad quatuor sigillorum contemplationem? ibid.
Animal non vnum duntaxat Ezechieli quadriforme, sed quatuor fuisse visa. 360.1.a
Animalibus Ezechielis cur vitulinæ plantæ affictæ? 365.2.a
de Animalibus Ezechielis veterum Græcorum interpretatio. 362 2.d
Animalium clamor cur præcedat Seniorum adorationem? 368.d
in Animalibus Ioannis gubernationis optimæ virtutes præcipuas figurari. 324 c
Animalia Ioannis qua forma soleant vulgò depingi? 323.a
Animalia Ezechielis & Ioannis esse eadem multorum opinionem videri. ibid.b
Animalia Ioanni visa in conspectu sedis cur fuerint quatuor? 311.1.c
Animalia Ioannis die ac nocte clamasse quo sensu accipiendum? 366.a
in Animalium Ioannis trisagio mysterium Trinitatis adumbrari. ibid.b
Animalibus quatuor, præcipuas diuinæ prouidentiæ partes symbolicè figurari. 317.d
Animalia Ezechilis, & Cherubinos templi non fuisse omnino similia. 351.2 d
Vide Ala, Cherubim, Facies, Pes.

Annus.

Annos tres & dimidium cur Daniel ad mille ducentos nonaginta dies reducat 526.1.d.
Anni tres & dimidiati Danielis vtrùm sint intelligendi de duratione persecutionis Antiochi? ib.1.c
ad Annorum trium & dimidiati spatium cur Daniel dies mille ducentos nonaginta, Ioannes mille ducentos sexaginta designet. 529.1.a
oportere concordiam quærere in multis Scripturæ locis, qui in Annorum computatione variare videntur. 527.1.d
Annorum mille numerum non propriè & stricte, sed latè & metaphoricè esse accipiendum. 813.d
Annorum mille tempus quomodo sit accipiendum? 827 d
Annorum mille veritatem quomodo intelligat B Augustinus 814.b.
Annorum millenarius quo sensu in Apocal. vsurpetur? 813.d
Annos mille pacis Antichristi bello debere præcedere. 620. d
Annorum mille spatium de quo Apoc. 20. idem esse atque illud quo alligatus perstitit dæmon. 817 c
Annorum mille interpretatio de quibus Apocal. 20. quàm sit difficilis. ibid.a
quàm congruenter diuina prouidentia persecutionẽ Antiochi, & nonnullas alias in Ecclesiam concitatas ad Annorum trium & semis spatium contraxerit. 530.2 d
in Annorum trium & dimidio spatio, quo res aduersæ sæpè durauerint, quid lateat mysterij? ibid.1.c
siue Annis tribus & semis, siue tribus diebus & semis persecutio durare dicatur perinde esse quoad sensum mysticum. 552.1.b
Annorum trium & semis spatium quàm aptum sit ad Ecclesiæ persecutionum breuitatem denotandam? 530.2.b
ad Annos tres & dimidiatum spatium aduersitatis à Deo non sine mysterio coarctari. ibid 1.a
quid sit, *vixerunt, & regnauerunt cum Christo mille annis.* 829.a
vtrum ex ligatione dæmonis per mille Annos facta, sequatur, pacem illis mille Annis subsecuturam. 814 b
Anni Iubilei mystica consideratio. 532.1 c
Vide Iubileum, Antichristus.

Antichristus.

Antichristus num sit ex tribu Dan oriturus? 444 1.b
Antichristus num sit ex tribu Dan aliquos in dubium vertere. ibid.1.b
Antichristum futurum ex tribu Dan non constare ex Ecclesiæ traditione. ibid.1.d
Antichristum futurum ex tribu Dan minimè fundari in Apocalypsi. ibid 2.b
Antichristum ex tribu Dan futurum fortè in antiqua aliqua allegoria fundari. ibid.d
Antichristus num sit Babylone nasciturus? 445 1.b
Antichristus vtrum sit maris bestia? 619.c
de Antichristo marinam bestiam exponentibus Patribus quid respondendum. 621.b
quod Antichristi aduentum remoraretur, quid esset? 672 1.b
Antichristi aduentum retardari quomodo cohæret ex eo quòd mysterium iam operetur iniquitatis. ibid.c
ad Antichristum posse extendi dæmonis nomen 844.c.845.b
Antichristi persecutionem iuxta aliquos tres annos cum dimidio duraturam. 512 d
ad Antichristi tempus per comparationem respicere familiare esse Ioanni, in aliqua Ecclesiæ persecutione. 577.d
de Antichristi ministris num sermo sit in commentitijs signis de quibus Apoc 13. sermo est. 648.c
de Antichristo vltio sumenda quibus in verbis includatur? 844.c

Digitized by Google

Antichristi bellum non esse præcipuam huius libri partem. 31.2.a
Antichristi persecutionem denotari apud Isaiam indignationis nomine. 833.1.b
de Antichristo sermonem esse non posse in sexto sigillo. 424.c
ad Antichristi tempora an referantur draconis capita 7. & cornua decem. 587.a
de Antichristo victoriam comparandam in Romanæ Ecclesiæ gloriam redundaturam. 844.a
de Antichristo perfecta victoria vbi comparetur finem mundi fore. 845.b
Antichristus non potest intelligi, cum dicitur Apoc. 13 *Numerus nominis*. 654.c
Antichristus vtrùm sit Romæ publicam Christianæ Religionis professionem interdicturus. 836 c
de qua Antichristi nece loquatur Paulus ad Thessalonic. 674.1.a
de Antichristo quo sensu dixerit Paulus, *Quem Dominus Iesus interficiet* &c. 673.1.d
auctoritatem Millenariorum de Antichristo explicantium maris Bestiam, hac in parte fidem non facere. 621.a
opinionem de toto orbe in decem Reges sub Antichristo diuidendo, non adeo esse certam vt aliqui opinantur, & Augustini mens. 587.b
an sit Ecclesiæ traditio Henochum & Eliam esse sub Antichristi tempus venturos ad prædicandum. 540.1.b
quod sit in Scriptura fundamentum ad Eliæ & Enochi aduentum sub Antichristo affirmandum. 538.1.d
Antichristum eiusque præcursorem viuos fore à terra absorbendos multi putant. 808.1.b
post Antichristum deuictum vtrùm possit certum aliquod temporis interuallum designari, quo finito extremum mox iudicium sit futurum? 845.c
Vide Bestia, Antiochus.

Antiochus.

Danielis prophetia de Religionis vsu Hierosolymis post Antiochi persecutionem instaurando. 526.1.b
quæ sit inter Danielem & librum primum Machabæorum conciliatio de persecutionis duratione sub Antiocho. 527.1.d.2.a
sub figura persecutionum Antiochi Danielem agere, cap. 12. de Ecclesiæ persecutionibus. 528.1.b
in Antiochi Epiphanis persecutione adumbrari persecutiones in Christi Ecclesiam excitatas. 599.b
quo argumento conuicti asserant multi Danielem à persecutione Antiochi ad Antichristi persecutionem subitò transgredi. 526.2.c
secundum Iosephi sententiam idololatria sub Antiocho tres annos cum dimidio Hierosolymis duravit. 527.1.b.
circa Antiochi persecutionis durationē, sacræ Scripturæ & Iosephi conciliatio. ibid.c
bis mille ter centum dies à Daniele assignatos Antiochi bello rectè cum trium annorum ac dimidij spatio consentire. 528.2.d
Antiocho tribui apud Ezechielem nomen Gogi. 841.1.a
per analogiam ad Antiochi bellum accipi tum ab Ezechiele tum à Ioanne, nomina Gogi, & Magogi. ibid.
de Antiocho Ezechiel verba faciens cur eum appellet principem Magogi? ibid.2.a
Vide Annus.

Antipas.

Antipæ martyrium quod fuerit. 228.b

Antiphonæ.

Antiphonæ illius sensus ab Ecclesia assumptæ in sancti Michaelis officio, *Factum est silentium in cælo, Michael*, &c. 457.a.463.2.b

Antiquitas.

Antiquitatem ab omnibus maximè suspici. 488.a

Anulus.

vt Anulorum gemmas septem stellas rectè considerari. 199.c
Anuli septem mirè ab Hiarcha Principe compacti. ibid.d
Anulorum gemmis veteres pro sigillis fuisse vsos. 200.a
in Anuli gemma insignia cælari solita. 232.b
Annulos olim pro sigillis frequentissimè vsurpari solitos fuisse. 865.b

Apocalypsis.

Catholici qui olim non recipiebant Apocalypsin. 3.1.a
de Apocalypseos auctore quosdam dubitasse. ibid.2.b
de Apocalypseos auctore non licere dubitare. ibid.c
Apocalypseos libri excellentia inter sacros. 41.a
circa Apocalypseos auctoritatem sententia Patrum Græcorum. ibid.c
Apocalypsim cur Caluinistæ recipiant. ibid.2.a
Apocalypsis quo tempore fuerit conscripta. 5.1.c
Apocalypsi non futura solùm, sed præterita contineri. ibid.
in Apocalypsi quomodo conueniat prophetiæ nomen cum præteritorum narratione? ibid.2.a
Apocalypsis priùs Christo quàm Ioanni ostensa. ibid.d
Apocalypsim non scriptam à Ioanne ante Hierosolymæ excidium. 6.2.a
Apocalypsis anno 14. Domitiani scripta. 7.1.b
Apocalypsis scripta quinque & viginti annis post euersam Hierosolymam. ibid.
de tempore quo Apocalypsis fuit scripta Hieronymens. ibid.c
Apocalypsis secundùm Hieronymum est vox sacris Literis peculiaris. ibid.2.d
Græca vox Apocalypsis cur sit ab interprete relicta? 8.2.a
in voce Apocalypsis singulare quid deliteſcit. ibid.c
Apocalypseos obscuritas ex interpretum consensu. 9.1.b
Apocalypsim à Ioannis discipulis intellectam credere par est. 10.1.b
de Apocalypsi vniuersa Ticonij expositio. 11.1.a
de Apocalypsi vniuersa Montani expositio. ibid.b
de Apocalypseos totius intelligentia Salmeronis, & Pererij sententia. ibid.c
de Apocalypseos vniuersæ expositione Lirani & aliorum opinio. ibid.2.a
de Apocalypseos vniuersæ expositione Ioachimi & aliorum opinio. ibid.b
de Apocalypsi Millenariorum opinio omnino fabulosa. 12.2.a
Apocalypseos argumenti præstantia. 15.1.b
Apocalypseos argumenti excellentia Patrum testimonio comprobatur. ibid.d
Apocalypseos argumenti excellentiam in hoc commentario non desiderari. ibid 2.d
Apocalypsim aliqui plures in visiones partiuntur. 18.1.a
in Apocalypsi vnicam visionem fuisse probatur. ibid.c
in tota Apocalypsi vnicum expositionis filum attexere, quàm sit optabile. ibid.2.b
qui in Apocalypseos interpretatione ordinem perturbant, quas deuorent difficultates. ibid.c
de tempore quo Apocalypsis fuit scripta, quid senserit Epiphanius? 7.2.b
Apocalypseos nostrum argumentum quantum ab ordinis perturbatione abhorreat. 18.2.d
in Apocalypsi nec rerum nec temporum ordinem seruari, nonnullis placuit. 19.2.b
in Apocalypsi ordinem seruari constat. 20.2.b
ex Apocalypseos totius continuata serie fructus perceptus. 211.b
ex Apocalypseos ordinata & consequenti interpretatione validum ad confutandos Hæreticos argumentum sumitur. 231.d

in Apo-

Digitized by Google

in Apocalypſim arrogantes Hæreticorum inſcriptiones. 24 1.b
in Apocalypſeos interpretatione diſcrimen inter Catholicos & Hæreticos. ibid.2.a
Apocalypſi auctoritatem Lutherani derogant. ibid.
argumenti noſtri Apocalypſeos confirmatio ex indicijs à Ioanne Apoſtolo obſeruatis. 25.1.d
ad Apocalypſeos interpretationem quæ Ioannes indicia conducentia reliquerit? 26.1.b
ad Apocalypſeos expoſitionem duo indicia à Ioanne data. 27.1.b
ad Apocalypſim intelligendam indicia etiam à Patribus obſeruata. ibid.c
de Apocalypſeos interpretatione quid Hieronymus ſenſerit. ibid.2.b
de Apocalypſeos interpretatione quid Irenæus ſenſerit. ibid.c
aliorum de Apocalypſi interpretationes impugnantur. 28.1.a
ſcopus Ioannis dum Apocalypſim ſcripſit. 30.2.d
Apocalypſis quatuor in partes diuiditur. 31.1.a
Apocalypſis quàm ornatè deſcribat finem belli à Roma ethnica in Eccleſiam ſuſcepti. ibid.d
Apocalypſeos præcipuus ſcopus eſt Romæ ad Chriſti idem conuerſio. ibid.2.a
Apocalypſeos liber Romanæ vrbi glorioſiſſimus. 32.1.b
Apocalypſeos liber cur adeò obſcurè conſcriptus? ibid.c
Apocalypſeos obſcuritas nihil vtilitatis Chriſtiano populo detraxit. ibid.2.a
Apocalypſeos libri cur tanta obſcuritas. ibid.c
Apocalypſeos obſcuritas in Romanæ Eccleſiæ vtilitatem maximè redundat. 33.1.a
tempus quo Apocalypſim Deus ſuæ Eccleſiæ reſeret appropinquare piè credere par eſt. ibid.b
in Apocalypſeos ſymbolis quid requiratur. 34.1.d
Apocalypſeos varia ſymbola proponuntur. 36.1.b
in Apocalypſeos figuris nihil eſt quod non ad ænigmatici ſenſus normam redigatur. ibid.2.a
exempla de eleganti ſymbolorum Apocalypſeos ſignificatione. 36 1.b
ex Apocalypſeos explicatione magnam accipit lucem ſpiritualis doctrina. 39.1.a
ex Apocalypſi ad moralem doctrinam magna lux refunditur. ibid.b
in Apocalypſeos ſymbolis obſcuris magnam lucem delitescere. ibid.c
Apocalypſeos reuelationibus an Ioannes fuerit nouas reuelationes edoctus. ibid 2.a
ex Apocalypſeos noſtra interpretatione multa non noua ſed nouè colligi. 40.1.a
in Apocalypſeos tota hac interpretatione nihil in doctrina aut nouum aut minus certum ſtatuitur. ibid 2.a
ex obſcuriſſimæ Apocalypſeos interpretatione multa in difficillimos veteris Teſtamenti locos refunditur lux. 41.1.c
ex Apocalypſeos intelligentia qui aliorum Scripturæ locorum explicatio colligatur. ibid 2 d
ex Apocalypſi qui Scripturæ loci lucem accipiant. 42.1 c
qui nouam expoſitionem Apocalypſi quadrare, & tamen ex Ioannis mente non eſſe dicat, is ſanè Spiritui ſancto derogat 48.1.b
in Apocalypſi quot verba tot ſacramenta 49.2.a
Apocalypſeos noſtra explicatio nouitatem cum antiquitate coniungit. 51.1.a
Apocalypſeos doctrina generalis eſt. ibid.2.a
Apocalypſeos receptam intelligentiam in aliquibus locis in noſtra explicatione minimè reijci. 52 1.b
Apocalypſeos artificium quo pacto in rebus futuris ſæpè fundetur. ibid.c
Apocalypſim explicandi ratio, quænam cenſetur optima. ibid.2.c
Apocalypſeos partium ſingularum recepta doctrina qua ratione in noſtra expoſitione locum habeat. ibid.d
de B. Brigittæ reuelationibus circa Apocalypſim quid dicendum. 53.1.c
Apocalypſeos doctrina de tribus Eccleſiæ bellis ad alia extendi poteſt. 57.1.c. & quo pacto. 58.1.d
in Apocalypſi cur prætermittatur Religioſorum ordinum pulchritudo. ibid.2.c
Apocalypſis cur meminerit Nicolaitarum Hæreſeos, non verò aliarum. 59 2.a
in Apocalypſi interpretationem nimium literalem Hieronymus reprehendit. 60 1.c
Apocalypſim iuxta veterum Patrum mentem ſpiritualiter explicatum iri. ibid.d
Apocalypſeos bella myſticè eſſe intell genda & contextus & euentus cogunt. 64 2.a
Apocalypſeos mirum artificium apparet ex myſtica bellorum interpretatione. ibid.d
Apocalypſis Ieſu Chriſti cur appelletur hæc prophetia. 133.d
Apocalypſis latinè Reuelatio. 135 1.b
Apocalypſeos ſeu reuelationis nomen quid innuat. ibid 2.d
Apocalypſis Ieſu Chriſti, duplicem ſenſum habere poteſt. 136.1.a
Apocalypſeos argumenti præcipuam partem eſſe peccatorum conuerſionem. 159.c
Apocalypſeos argumentū duo bella complecti. 173.d
Apocalypſeos prima figura quo pacto totius argumenti ſummam complectatur. 178 b
Apocalypſeos primæ figuræ & eius partium collatio cum præcipuis totius Apoc partibus. ibid.d
Apocalypſi lux ex Iſaia data. 204.b
Apocalypſi eſſe indignum vt ſingularis fœminæ mentio adeò peculiaris fiat. 239 b
ex Apocalypſeos doctrina non parum lucis in tractationem de Angelis deriuari. 311.2 b
Apocalypſim de ingenti annonæ caritate agere. 82 d
quod ſit 8.capitum Apocal.argumentum. 566 c
in Apocalypſeos cap.12.18. an legendum ſit. *Steti*, an *ſteti*. 615.d
in Apocalypſeos explicatione rerum transgreſſionē, & ordinis permutationem minimè rectè admitti. 620 b
Apocal.capitis 14.ſeries qua ratione cum præcedentibus connectatur. 658.c
Apocalypſim quanti debeat Roma facere. 745.1.a
quæ ex Apocalypſi lux in Scripturę cognitionem & intelligentiam refunditur quanti ſit æſtimanda? 786.2.d
Apocalypſis quo ſenſu aſſerat, Dominum Deum regnaſſe. 789 1.d
Apocalypſeos partis poſtremæ expoſitio quàm noua, quamque Romanæ Eccleſiæ glorioſa ſit. 810.b
Apocalypſeos cap. 20 expoſitionem à B. Auguſtino in lib.de ciuitate tradi. 811 1.c
quæ ſint præcipua in quibus noſtra cap.20. Apocal. explicatio cum B. Auguſtini explicatione conſentiat. ibid.d
ex Apocalypſeos totius ſerie & filo, quod Hæretici ducere nequaquam poſſunt, ipſorum falſitas & error expenditur. 839.1.c
Apocalypſeos ſcopus quo potiſſimum tendat. 854 d
toti Apocalypſi in Epiſtolæ normā conſcriptæ mors Apoſtolico Dei gratia & initio fuit propoſita, & tandem in fine poſtponitur. 960.b

Apoſtolus.

Apoſtolis quomodo tribuat Apoc.ſtellārum ſymbolum 201.2
Apoſtolis promiſſio à Chriſto facta de conceſſione & iudicandi poteſtate quo ſenſu intelligēda. 246.2.b
Apoſtolis ſingulis aptari quatuor Ioannis animalium ſymbola. 336.c
Apoſtolorum interrogatio ad Chriſtum, *quod ſignum aduentus tui*, quorſum facta. 430 1.c
Apoſtolos eſſe intelligendos ſub duodecim tribuum nominibus. 440.d

Digitized by Google

Apostolorum symbolum stellæ duodecim. 575.2.d
Apostoli bases terræ dicuntur. 578.2.a
non Apostolos, ac discipulos, sed eorum tantum filios includi in numero [illegible]U. 664.b
Apostolorum nomina qua ratione in ipsis fundamentis ciuitatis disposita & exarata Ioannes viderit. 874.d
Apostolorum prædicationem vbique gentium antè Romæ conuersionem fuisse quasi dispositionem præuiam ad generalem conuersionem Romæ conuersa futuram. 743.1.c
de ordine quo Apostolorum nomina fuerint in fundamentis scripta, quid dicendum. 875.a
Apostolos duodecim in fundamentis 12. pro certo figurari. ibid.c
Apostolis cur Ecclesiæ fundamentorum symbolum tribuatur. 876.b
Apostolos esse Christianæ Ecclesiæ fundatores ac fundamenta in quo consistat. ibid.d
Apostolorum Symbolum quo ordine fuerit ab ipsis Apostolis compositum. 877.c
Apostolorum mens in Symbolo condendo quæ fuerit. ibid.a
siue Apostoli singuli singulas Symboli veritates, siue cuncti cunctas condiderint, perinde esse ad nostrę expositionis firmitatem. ibid.d
num ab Apostolis sint in Symbolo expressa verba illa *descendit ad inferos*; an ab Ecclesia addita. 887.1.b

Aqua.

quis sonitus Ioanni auditus similis Aquarum multarum. 172.d
Aquarum multarum sonitum multipliciter accipi posse. 173.a
hæc verba, *Aquarum multarum*, quomodo accipienda sint. ibid.
Aquas multas & mare sæpè in sacris synonyma. ibid.b
inter Aquarum multarum & tubæ sonitus ad belli significationem, quid interfit. ibid.c
Aquarum multarum sonum ad multarũ nationum bellum referri. ibid.
Aquarum multarum voce bellum Gentilitatis exprimitur. ibid.d
sono Aquarum multarum cur Christi vox similis figuretur. 174.a
Aquarum multarum sonum in Scriptura interdum in flumine, interdum in mari significari. ibid.c
Aquarum multarum voce confusionem designari. 177.2.c
Aquarum multarum vocem cur Ioannes à fronte audierit. 180.b
de Aquarum multarum voce variæ expositiones. 198.b
Aquarum multarum sonus quid sit apud Ezechiel. ibid.c
cur Ioannes prius audierit vocem tubæ, deinde Aquarum multarum. 172.a
Aqua tepida cur stomacho non retineatur. 280.c
Aquæ in absinthium versæ quomodo intelligantur. 475.b
Aquæ factæ fuisse amaræ quo sensu dicantur. 476.a
Aquarum multarum congregatione denotari generationum multarum multitudinem. 506.c
quando Aquæ igne arserunt in Eliæ & Nehemiæ sacrificiis, quem sensum mysticum Spiritus sanctus intendisse videatur. 509.1.a
quid per Aquam sancto igni contrariam figuretur. ibid.
Aquarum multarum vox cur Ioanni sit è cælo exaudita. 665.d
Aquarum multarum vox cur cum voce tonitrui coniungatur. ibid.
Aquarum fontes, & mare Deus fecisse cur dicatur. 669.d
Aqua maris quomodo confideretur in sanguinem conuersa. 720.a
Aquæ & sanguinis ex Christi latere fluentium mysterium. ibid.d
per Aquarum multarum vocem quid Apocal. 19. figuretur. 782.d
super Aquas multas sedere, quid sit. 751.c
in Aquis multis, super quas mulier sedet, vtrùm sit sermo de aquis fluminis, an de aquis maris. 760.c
cum Aquæ vitæ fonte gratis dato quomodo cohæreat id quod dicitur, *Qui vicerit*, &c. 864.d
Aqua vitæ cur appelletur vnda fluminis capitis 22. Apoc. 948.d
Aquarum Angelus. *Vide* Angelus.

Aquila.

Aquilæ similitudinem ad alas solùm referre quàm sit violentum. 328.b
Aquila sapientiæ ac prudentiæ symbolum. 336.a
Aquilæ perspicax visus. ibid.
pro sapientia in Aquila figuranda duplex aliud veterum insigne. 341.c
Aquilæ & draconis pugna. 342.a
Aquilarum alæ ingentes de quibus cap. 17. agit Ezechiel, quid significent. 346.d
Aquilæ facies cur fuerit supra ceteras posita in Ezechielis animalibus. 365.1.a
Aquila facies cur nusquam in templo fuerit cælata. ibid.c
Aquilæ vox ter repetentis væ, quid sibi velit. 477.c
Aquila c. 8. Apoc. cur per medium cæli volare dicatur. ibid.d

Arbor Arbustum.

per Arbores cælestes, de quibus Apo. 22. an Iusti figurentur, necne. 951.b
in Arbusto Apoc. 22. allusio ad Ezechielis Arbores, & quod sit vtrarumque discrimen. ibid.d
Arborum folia cur in cælo dicantur ad sanitatem Gentium vtilia, cùm inibi nulla sit infirmitas. 952.a
Arbusta cælestis quid adumbrent. 858.a

Arca.

Arcam testamẽti nec ab Ezechiele nec à Ioanne sub Dei throno fuisse visam, & quare. 300.a
Arcam num Ioanues viderit in visione cap 4. vel quidquam aliud ei respondens. 369.2.d
Arcam fœderis nomine gloriæ Dei aliquando in sacra Scriptura significari. 370.1.a
Arcæ loco itidem Ioanni fuisse visam. ibid.b
Arca fœderis cur in visione cap. 4. sit in arcum cælestem conuersa. ib c. 371.1.a
Arca testamenti in cælo visa quid significet. 562.c
intra Arcam testamenti quid fuerit, quid iuxta. 563.1.a
Arca testamenti quomodo in cælo fuerit Ioanni visa ibid.b
Arca testamenti quid significet. ibid.
per Arcæ propitiatorium quid figuretur. ibid.2.a
per Arcæ testamenti Cherubinos quid significetur. ibid.b
Arca Noẽi antiqua quid figurauerit. 911.1.b

Arcus.

Arcus cælestis noui & æterni fœderis symbolum. 300.a
Arcum aptiorem fuisse visioni cap. 4. quàm arcam. 370.1.d
Arcus potentiæ symbolum. 404.2.b

Arena.

per Arenam in qua draco constitit, quid denotetur. 616.d

Arius.

Arii Lacedæmoniorum regis insigne, eiusq; ad Domini Nostri Pauli V. stemmata accommodatio. 341.c

Armagedon.

in Armagedon campum congregari quid sit. 735.d
Armagedon nominis etymologia multiplex apud Hieronymum & alios. 736.1.a & seq.

Articulus.

quòd Articulum habeant in Græco triticum & hordeum, vinum verò & oleum non habeant, quid innuat. 417.d
Articulum Græco nomini præpositum non semper

peuc-

Digitized by Google

peculiare habere mysterium, nec è contrario semper abesse mysterium, cùm ille abest. 647.c
Articulum de Christi sepultura magis esse coniunctum cum ipsius descensu ad inferos, quàm cum resurrectione. 887.2.c
Vide, Fides, Symbolum.

Arx.

in Arcis Sionæ instaurationem fuisse impensum sesquimensem à Daniele additum. 528.2.b
In Arcem Romanam quomodo se insinuauerit Religio Christiana. 730 d

Asinus.

per Asini & cameli ascensores in Isaia, figurari Petrum & Paulum Apostolos. 748.1.c.749.1.c
Asinus & camelus cur currum illum trahere fingantur de quo Isa. 21.7. 748.1.d
Asinum cur Christus detulerit in Hierosolymæ ingressu. ibid.2.a
Asino & camelo vecti cur fingantur Petrus & Paulus. ibid.d
Asini natura, & consideratio ex Plinio. 749.1.a
inter Asinum & Camelum, & eorum sessores quoad symbolicam significationem, nullum esse discrimen. ibid.2.a

Aspicio.

verbum Aspicere, apud Zachariam quid significet? 161.2.d

Asser.

tribui Asser aptatur Achates gemma. 938.2.a

Assyrius.

Assyriorum monarchia quo tempore initium duxerit? 487.1.d
Assyriorum imperium quomodo in Danielis statua figuratum? ibid.2.b
Assyriorum Monarchiæ electrum applicatur. ibid.c
in Assyriorum imperio iustitiam & æquitatem viguisse, coniecturis elicitur. ibid.d
Assyriorum Monarchiæ studium æquitatis ac iustitiæ cumprimis proprium fuisse. 488.2.a

Atrium.

de quo Atrio Ioannes loquatur Apoc.11. 523.a
Atrium gentium cuiusmodi fuerit. ibid.
Atrium gentium quodnam fuerit, & cur ita dictum? ibid.
Atrij gentium Ezechielem minimè meminisse in sua templi descriptione. ibid.b
Atrium ejice foras, quid sibi velit iuxta sensum grammaticum? ibid. Et quid sit mysticè ibid b.c
ab Atrij gentium dimensione cur Ioannes prohibeatur. ibid.c
per Atrium quid significetur c.11.Apoc. 524.a
quòd Atrij gentium dimensio Ioanni interdicatur, dimensio verò templi imperetur, quid habeat mysterii. ibid.c
Atrium sacerdotum, & atrium Israelis complecti nomine templi apud Ioannem. 522.d

Auaritia.

Auaritia quomodo mercatoribus applicetur. 773 c

Audacia.

Audaciam esse sessorem equi secundi de quo Apoc.6 415.a

Auis.

Aues cur solùm inuitet Angelus in sole stans, apud Ezech. autem iubeat Deus aues & bestias inuitari? 805.c

Aurichalcum.

de Aurichalco variæ opiniones. 192.d
Aurichalco cur similes pedes primæ figuræ Apocal. 193 b
Aurichalci nomine quid intelligendum sit. 195.1.b
de Aurichalco opinio Antonii Nebrissensis. ibid.
de Aurichalci nomine quid dicendum. 196.2.d

Aurum.

in Auri symbolo nouem considerationes. 189.1.c
Aurum charitatis symbolum. ibid.c
Aurum argento mistum inueniri. ibid
in Auri generatione quid mysticè figuretur. ibid.d
per Auri splendorem quid significetur. ibid.2.d
Auri proportio in pondere ad cetera metalla. ibid.
Aurum ceteris metallis ponderosius. ibid.
per Auri pondus quid significetur. 190.1.a
Auri facilitas quanta sit præ plumbo & ceteris metallis. ibid b
per Auri facilitatem quid figuretur. ibid d
Auri quàm minimum vsu deteri. ibid.2.a
per Auri constantiam quid significetur. ibid.
per Auri munditiem quid significetur. ibid.b
per Auri remedia & medicinas quid significetur. ibid.
Aurum liquescens iniectis gallinæ membris consumitur. ibid c
Auri, & gallinæ antipathia. ibid d
per Auri miracula quid figuretur. ibid.
per Auri æstimationem quid figuretur. 191.2.a
per Aurum ignitum quid denotetur. 282.b
Aurum obryzum quod sit ex Plinio. ibid.
per Aurum ignitum doctrinam Euangelicam figurari. ibid.c
quinam Aurum & argentum ædificare dicantur. 533.1.a
per Aurum, argentum & gemmas quid intelligat Paulus 1 Cor.3.12. ibid.b.c
per Aurum plateæ & ædificiorum cœlestis Ierusalem quid significetur. 857.d
Aurum perspicuum ex quo interna ciuitas est fabricata quid significet. 883.b 943.a.b
Aurum vocari à Plinio triumphale. 919.1.b

Babylon.

quænam sit Babylon ex qua numerosissimus exercitus contra Hierosolymam erumpere fingatur? 496.a
Babylonis conuersio licet in antiquis Prophetis propriæ vindictæ speciem præferat, eam tamen de mystica vindicta esse intelligendam. 744.2.a
Babylonem in Apocalypsi pro Roma ethnica sumi. 567.a
in Babylonis ruina allusio ad Isaiæ & Ieremiæ loca. 670.b
vino iræ Babylonis opponi vinum iræ Dei. 675.d
Babylonem mysticam esse Romam. 729.d
vtrum Babylon nomine ciuitatis magnæ indicetur. 738.b
Babylonem in memoriam ante Deum venisse, quid denotet. 740.a
sub nomine filiæ Babylonis Romam intelligi. 744.1.a
de Babylonis vastitate à Prophetis prædicta grauis difficultas, quomodo scilicet sit accipienda? ibid.2.b
Babylonis nomine quid significetur in Apocalypsi. 745.1.c
Babylonis nomine Romam denotari. 746.1.d
sub nomine Babylonis num intelligatur Constantinopolis. ibid.a
Babyloni supplicium inflictum quo sensu accipiendum sit. ibid.d
Babylonis antiquæ infamis consuetudo de virginibus ante matrimonium prostituendis. 755.a
Babylonis nomen qua ratione Romæ conueniat. 758.c
Babylonis antiquæ vastitas de qua Prophetæ fuere locuti, quo pacto sit accipienda. 760.b
Babylon cecidit, quid sit. 764 d
de Babylonis euersione, & dæmoniorum inibi habitatione prolata ab Angelo verba Apoc, 18. in mystico sensu esse accipienda. 765.a.b
de Babylonis excidio triplex ratio. 766.a.778.a
vt ex mystica Babylone egrediantur fideles quo sensu admoneantur. 768.a
Babylonis peccata ad cælum peruenisse quo sensu dicantur. 769.a
Babylonis fumus ascendens in sæcula sæculorum quid mysticè adumbret. 782 a
Vide Roma.

Balaam, Balac.

Balac & Balaam historia mysticè explicatur. 683.1.a

Digitized by Google

Balac Moabitarum & Ammonitarum Rex. 682.1.d.

Baltæus.

quid per Baltei & podêris coniunctionem denotetur? 209.2.d

Baruchus.

Baruchi nominis etymon 154.2.a

Beatitudo, Beatus.

Beatitudinis cælestis consideratio quantæ sit vtilitatis? 935 2.a
Beati quinam prædicentur Apoc.19. 795.c
Beatorum felicitas quomodo in Amethysti colore adumbretur? 936.2.d
Beatorum cælestem sapientiam duplici claritatis & fluuij symbolo non ineptè significari. 948.c
in Beatorum frontibus nomen Dei inscriptũ quid significet. 953.d

Bellum.

Bellum septem tubarum vnicum esse, non plura. 26.1.d
Bellum duplex in Apoc. alterum cum Synagoga, alterum cum Gentilitate. ibid.1.c
Bellum Antichristi non est præcipua huius libri pars. 31.2.a
Bella Iudæorum, Gentilium, & Antichristi cur Ecclesiæ reuelari oportuerit, alia Hæreticorum & Maurorum non item. 57.1.a
de tribus Ecclesiæ Bellis doctrina ad alia etiam extendi potest. ibid.2.c
Bella Apocalypseos mysticè esse intelligenda, & cõtextus & euentus cogunt. 64.2.a
ex Bellorum mystica interpretatione mirum Apocalypseos artificium apparet. ibid.2.d
Bellum Synagogæ sono tubæ, bellum Gentilitatis voce aquarum multarum exprimitur. 173.d
Bella duo complecti Apocalypseos argumentum. ibid.
in Bellis litui, tubæ, & cornuæ vsitata. 177.1.d
Bella Machabæorum præ ceteris veteris testamenti fuisse Christianæ Ecclesiæ persecutionum figuram. 209.1.b
Bellum à Romanis in Iudæam gestum in secunda tubarum plaga indicari. 474 a
in Belli similitudinem proponi sextam tubarum plagam. 495 d
cuius Belli sit symbolum maris tempestas. 506.d
Bellum facere contra duos testes quàm rectè dicantur locustæ. 549.b
Belli ratio potissima ab Euangelii concionatoribus facti contra idololatriam, item Mathathiæ aduersus Antiochum. 605.1.a
Bellum à tribus hostibus dracone, Bestia terrestri, & marina in Ecclesiam gestum quomodo aptè ad bellum trium animæ hostium applicetur. 616.c
discrimen inter Bellum Gogi & Magogi de quo Ezech. & inter hoc de quo Ioannes loquitur, cap. 20. ostenditur. 837.d
ex Belli vtriusque vario exitu probatur diuersum esse bellum de quo Ezechiel ab eo de quo Ioannes Apoc.20. loquitur. 838 a
quomodo cum exacta Apocalypseos in allusionibus consuetudine possit stare, vt c.20. Bellum Ezech. respiciatur, & tamen de alio diuerso sit sermo. ibid.

Vide Aqua, Gog, Magog.

Beneficentia, Beneficium.

Beneficentiæ obiectum quod sit. 380 1.c
Beneficentiam sub maleficentiæ simulatione maximè eminere. ibid.
Beneficentia Christi quomodo carnis oculis esset abdita. 411.1.c
Beneficium per vindemiæ allegoriam figuratum quodnam fuerit. 680.c

Vide Bos.

Beniaminus.

Beniamini sors quare commutetur in Ezechielis descriptione? 274.1.a
Beniamino aptatur Beryllus. 93 8.2.c

Beryllus.

Beryllus & Smaragdus num sint eiusdem coloris. 9192.c
Berylli color quomodo à Plinio & Solino exprimatur. 920 .c
Berylli species videntur esse Chrysolicæ. ibid.2.a
cum Berylli color comparatur colori maris puri à Plinio & Solino, de quo puri maris colore loquantur. ibid.1.d
Berylli quam in figuram olim cælari solerent. ibid.2.a
Beryllos eximios quondam pro gemmis Regũ prorijs fuisse habitos. ibid.c
Beryllum olim non auro indui solitum, & qua de causa. ibid.
Beryllum contra segnitiem valere, & prodesse pugnantibus. ibid.d
Berylli glaucus color ad extremi iudicij seueritatẽ, & horribilitatem innuendam aptus. 921.1.d
Beryllus octauo fidei articulo applicatur. ibid.
quòd Berylli non auro indui solerent, quid symbolicè denotet. ibid.2.b
Beryllo maris puri color attributus quid adumbret. ibid.
Beryllus pluribus angulis cælari solitus, quid mysticè indicet. ibid.c
Beryllum & prodesse pugnantibus, & contra segnitiem valere quid denotet. ibid.d

Bestia.

in Bestia Danielis quarta, quid significet tria capitis cornua ab alio eminentiore deiici. 636.a
Bestia quæ Apocal.11. dicitur de abysso ascendisse, quænam sit. 548.c
Bestiæ characteris cur nulla mentio fiat Apoc.15.2 703.b
Bestiam desolatura & spoliatura decẽ cornua quomodo dicantur. 759.b
Bestia quo sensu dicatur die ac nocte crucianda 846.b
ex Bestiæ Danielis comparatione cum marina bestia reuincitur Hæreticorum insania. 622.c
Bestiæ caput vnum quasi occisum quid significet. 639 d
de Bestia quo sensu dicatur & octauam esse, & esse de septem. 757.b
qui Bestiæ charactere signati non erant, quid sit prohiberi ad emptione, & venditione. 652 a
de Bestiæ decem cornibus variæ opiniones. 761.1.a
per decem Bestiæ cornua qui figurentur. 758.a
Bestiæ decem cornua quid significent. 635.a
in Bestiæ septem capitibus cur non fiat mentio persecutionis Iulianj? 631.a
in Bestiæ capitũ septenario indefinitè sumpto quid innuatur. 632.c
Bestiæ nomen quodnam sit vel expressum literis, vel numeris impressum. 652 c
in Bestiæ capitibus decem cornua quomodo considerandа. 634.d
per Bestiam de qua cap. 17. 8. quid adumbretur. 756.b.
Bestiam vincere quid sit, & imaginem & numerum eius. 703.b
Bestiæ sedes quænam appelletur. 716.c
Bestiæ victores qui sint, & imaginis eius, de quibus Apoc.15.2. 703a b
Bestia coccinea vtrùm sit eadem cum Bestia maris. 755.a
Bestiæ maris à dracone data potestas vtrùm referri possit ad facultatem falsa patrandi miracula 639.c.
Bestiæ marinæ cornua cur coronentur. 589.c
Bestiæ maris significatio. 617.2
Bestiam marinam de dæmone rectè explicari non posse. 619.b
Bestia maris an sit Antichristus. ibid.d
de Bestia maris Millenariorum mentem (si rectè inspiciatur) ad interpretationem de Romano Imperio satis inclinare. 621.a

expo

Digitized by Google

exponentibus Bestiam marinam de Antichristo, quid respondendum, & quid de explicationibus idem dicentibus sentiendum. ibid.b
Bestiam marinam opiniones exponentes de peculiari aliqua persona impugnantur. ibid.d
de Bestiæ marinæ expositione Hæreticorum deliramentum. 622.a
opinio Bestiam maris exponens de Turcarum imperio explodituir. 623.a
Bestiæ marinæ vera interpretatio de Romano Imperio idololatra statuitur. ibid.b.& seq.
Bestias maris & terræ cum dracone aduersus Ecclesiam fuisse fœderatas. 627.d
Bestiæ marinæ ascensum è mari perinde considerari quasi draconis effectum, idemque de terræ Bestia dicendum. ibid.
Bestiam è mari ascendere quid sit. 628.a
Bestiam alteram è mari, alteram è terra consurgere quid sit. ibid.b
per Bestiæ capita septem quid figuretur. 629.b
Bestiæ marinæ septem capita qua rerum vicissitudine intelligenda sint sibi succedere. 630.a
inter Bestiæ capita distinctionem non inferri ex personali Imperatorum inter se distinctione. ibid.
in Bestiæ marinæ capitum septenario numero difficultas non exigua. ibid.b
in Bestiæ marinæ capitum septenario haberi respectum ad exactum Ecclesiæ persecutionum numerum; exceptis tamen Neronis & Iuliani persecutionibus. 631.a
in Bestiæ marinæ capitum septenario cur Neronis persecutionis mentio nulla sit. ibid.b
de Bestiæ marinæ septem capitibus secunda expositio. 632.a
in Bestia marina non posse significari quatuor mundi Monarchias. 634.b
Bestiæ marinæ collatio cum quarta Danielis Bestia, quam respicit ibid.a
Bestiæ capitibus impressa blasphemiæ nomina quæ sint. 636.b
Bestiæ maris cur figura noua & insolita appareat, nec veri alicuius animantis similitudinem præferat. ibid.d
Bestiam marinam ex quatuor Danielis bestiis quodammodo conflari. 634.c
significatio partium ex quibus Bestia marima compingitur. 638.a
in Bestiæ marinæ pedibus cur luxuriæ, in corpore auaritiæ, in ore superbiæ symbolum collocetur, ibid.b
in Bestia marina vrsi, pardi, & leonis symbola esse petenda ex trium primarum Danielis Bestiarum significatione. ibid.c
in Bestia marina ex pardo, vrso, & leone compacta cur Romanum adumbretur Imperium. 639.a
potestatis Bestiæ maris à dracone concessæ alia traditur expositio. ibid.c
Bestiæ maris caput occisum qua ratione dicatur reuixisse. 640.b
Bestiæ marinæ primi capitis reuiuiscentia, vtrùm tamquam ipsius bestiæ miraculum referatur. 641.a
post Bestiam maris admirata quomodo vniuersa terra dicatur. ibid.b
de qua Bestiæ maris adoratione sit sermo, cùm dicitur, *Adorauerunt Bestiam*. ibid.c
Bestia maris qua ratione dicatur in Dei tabernaculum maledicta congessisse. 642.b
de quo Bestiæ maris bello atque victoria sermo sit Apoc. 13.7. ibid.c
de qua Bestiæ marinæ imagine sermo sit Apocal. 13. 14 15. 650.a
Bestiæ marinæ imagini quo sensu anima indita esse dicatur. ibid.b
partes ex quibus Bestia marina compingitur ad superbiam omnes reuocari. 652.d
Bestiæ marinæ rectè superbiam attribui. 653.d
Bestiæ marinæ nomen literis vel numeris notatum quod sit. ibid.b
Bestiæ nomen quo sensu alij accipiant; alij nominis numerum. ibid.
Bestiam qui adorare nolunt, quo sensu dicantur humano interdici commercio. ibid.d
de Bestiæ maris nominis numero referuntur, aliquorum expositiones. 657.1.a b & seq.
Bestiæ terræ significatio. 617.a.645.c
Bestiæ è terra ascendentis interpretatio quæ sit. 624.c.
de Bestia terræ quid singillatim textus exprimat. 644.b
Bestia terrestris vtrum sit humana specie concipienda. ibid.c
Bestia terræ num præter ea quæ textus exponit, fuerit in ceteris marinæ Bestiæ persimilis? ibid.d
Bestiæ terrestris duo cornua similia Agni quid significent? 645.c
in Bestiæ terræ sermone alludi ad astutiam serpentis Euam decipientis. 647.b
Bestiam terræ loqui vt draconem quid sit? ibid.a
Bestiæ terræ cornuum tertia expositio applicatur ad Simonem Magum & Apollonium. 646.2.b
duo Bestiæ terrenæ cornua esse Agni similia, quid innuat? 645.d
Bestiæ terrestri cur duo Agni cornua potiùs quam marinæ apponantur? 646.a
Bestia terræ qua ratione effecerit vt terra primam Bestiam adoraret? 646.b
à Bestia terræ signa patrata quænam sint? ibid.d
à Bestia terræ signum de cælo per speciem demissum posse etiam de falso religionis cultu suo modo explicari. 649.a
Bestiæ terrestris secundum miraculum explicatur. ibid.c
à Bestia terræ signa fieri in marinæ conspectu quid sit? 650.b
Bestia terræ quomodo faciat omnes habere characterem in fronte? 651.c Et quo sensu? 652.a
contra Bestiam terræ quomodo tertij angeli vox de qua Apoc. 14.9. iactetur? 675.a
Bestiam terræ quoad mysterium attinet, bifariam considerari posse. ibid.b

Bilibris.

Bilibres tritici denario, quid sit. 417.c
Bilibres tres hordei denario quid sit. ibid.

Booz columna.

nominis Booz & Iachin columnarum etymon 271.2.b
Vide Columna.

Bos.

in Bobus duodecim mare æneum sustinentibus qui figurentur? 318.c
Bos seu vitulus beneficentiæ symbolum. 335.a
Bos non viuus modò, sed & occisus & corruptus humano generi vtilissimus. ibid.
ex Bobus putrefactis apes & bombyces procreari. ibid.b
de Boue philosophiæ dictæ ad beneficentiam applicatio. ibid.c

Brachium.

Brachia vsque ad pedes quasi speciem æris candentis, cur Daniel viderit in sua visione. 210.2.b.
per brachia ex ære in Danielis figura quid adumbretur? ibid.c
Brachia ærea cur non habuerit Ioannis Angelus? ibid.d

Brillar.

Brillar Hispanum nomen vnde deriuetur. 921.2.c

Byssus.

Byssus quid propriè sit? 186.1.b
Byssi Iudaicæ pretium ac valor. 187.1.d

Cado.

CADERE pro subiici Christo, sæpè in sacris. 554.c.

Cædes.

cur in Ezechiele vocatur Cædes sacrificium magnũ, & in Apocalypsi cœna magna? 805.d

Cælum.

Cælum quo sensu sumatur mitio capitis 4. 288.b
in Cælum cur euocetur Ioannes. ibid.c
in Cælo cur appareat militans Ecclesia. ibid.
Cælum Ioanni patescere quid denotet. 289.a
in Cælum quomodo Ioannes euocetur & ascendat. ibid.b
in Cælum ascendere, atque descendere quid sit. 291 2.a
Cælum ascendisse Ioannem & Paulum absque scala quid sit? 293.2.c
Cælum in templo figuratum apud Isaiam. 297.2.a
Cælum Apocal. 4. respondere Salomonis templo. 369 1.d
Cælum quo sensu Apoc. 5 3. accipiendum. 393.c
in Cælo libri instar conuoluto allusionem ad Isaiæ locum contineri. 427.b
Cæli conuoluti significatio ænigmatica quæ sit. ibid. c
Cæli virtutes idem quod exercitus cæli. ibid d.
Cæli nomine quid intelligare, cùm Apoc. 14. dicitur, *Audiui vocem de cælo.* 663.c
ex Cæli noxio influxu sæpè contagionem pestiferam trahi. 475.c
distinctione Cæli, & eorum qui in eo sunt, quid innuatur. 608 d
per Cæli medium volare quid sit. 667.c
Cælum apertum Apoc 19 quid significet. 802.b
Cælum quo sensu dicatur à conspectu sedentis in throno fugisse. 846.c
Cæli noui quinam appellentur. 858.b
Cæli noui qua ratione accipiendi sint. 859.b
Colorum mysticorum primæ qualitates cuiusmodi fuerint? ibid.d
Cæli mystici quomodo priores qualitates immutauerint. 860.a
Cælum vtrùm minùs cæruleum appareat ob nimiam solis lucem. 900 1.d
Cæli partes soli viciniores cur appareant minus cæruleæ, quàm remotiores. ibid.2.a

Calamitas.

Calamitates Deum in suos immittere vt eos probet. 460.1.a
Calamitates patienter sustineri debere. ibid b

Calamus.

Calamus cur vocetur mensura Ioanni tradita Apoc. 11. initio. 510.b
in Calamo Ioanni dato allusionem ad Ezechielis calamum contineri. ibid.
Calami mensorij duplex acceptio in sacris. ibid.
Calamus Ioanni datus cur dicatur similis virgæ? ibid.d
Calamum mensorium Ioanni ab Angelo forte fuisse datum. 517 b
per calamum mensorium Ioanni traditum, quid figuretur. ibid c
Calami dati Ioanni mensura cur magnæ staturæ æqualis concipiatur. ibid d
Calamus Ioannis cur non sit aureus, sed virgæ similis 518.d
Calamus maior & calamus minor quod ad mensuram attinet, quotæ essent longitudinis. 695.2.b
Calamus mensorius de quo Apocal. 21. 15. quantæ fuerit magnitudinis 878.a

Calculus.

Calculus candidus vincenti promissus quid sit. 30 d
Calculos interdum in Scriptura appellari pretiosos lapillos. ibid.
de Calculi significatione. 231.a
in Calculi symbolo quanta sit elegantia. ibid.c
in Calculo Apoc. fieri allusionem ad calculum Isaiæ. ibid.
promissionis de Calculo candido quis sit sensus? ibid. d & seq.
Calculum candidum siue pretiosam gemmam in manus alicui tradere, quid sit. 232.a
Calculo insculptum nomen nouum quod sit? ibid.b
nomen quod in Calculo Pergameno promisso inscribitur Iesus est. ibid.
in Calculo inscriptum nomen quomodo nemo nouit, nisi qui accipit. ibid.b.c
Calculus candidus ad sacram Eucharistiam accommodatur. ibid.c
Caculus Isaiæ 6.6. cuiusmodi fuerit. ibid 1.d
de Calculo Isaiæ Hieronymi sensus. 233.1.c
Calculi nominis tam Græci quàm Hebraici etymologia. ibid.d
Calculo ignito Deum mundasse labia Isaiæ quo sensu dicat Ecclesia. ibid.2.c
Calculus Isaiæ num fuerit ignis cauterium: 234. 2.c
Calculi nomine cur Isaias vtatur, non carbunculi? 235.1.a
Calculi nomine cur Ioannes sit vsus. ibid.2.a

Caligo.

differentia inter Caliginem Aegyptiorum, & Iudeorum, & discriminis ratio. 476.d

Calix.

Calicem veneni appellari pœnam siue supplicium. 740 a
Calicis inaurati color quid adumbret. 714.b
Calix meretricis qua abominatione & immunditia plenus erat. ibid.c.& seq.

Caluinistæ.

Caluinistarum insania per occasionem belli à Gogo & Magogo gesti confutatur. 838.1.d
Caluinistarum error in Gogi & Magogi expositione. ibid.2.d
Caluinistarum conatus in Gogi & Magogi expositione quàm sit irritus. 839.1.b

Camelus.

Cameli natura & consideratio ex Plinio. 749 1 2
in Cameli sessore figurari B. Paulum. ibid.c
Vide Asinus.

Caminus.

Caminus ignis quid per allusionem respiciat. 195.a

Candelabrum.

Candelabrum templi respiciebat propositionis mẽsam & cur. 181.2.b
Candelabri lucernarum significatio mystica. ibid.d
Candelabri malogranatorum significatio mystica. 183 2.a
Candelabri liliorum significatio mystica. ibid.
Candelabri scyphorum significatio mystica. ibid c
Candelabri infusoriorum significatio mystica. ibid d
quid per iustum talenti pondus, quo Candelabrum constabat, figuretur. 184.2.a
in medio Candelabrorum cur dicatur Christus ambulare. 220 d
Candelabrum mouere de loco suo, quid sit. 222.a
Candelabri commotionis doctrina ad singularem cuiusque vtilitatem applicatur. ibid.c
in Candelabro duplici Apoc. 11. 4. fit allusio ad Zachariæ locum. 543.c
in Candelabro & mensa templi adumbrari distinctionem inter doctrinam & sanctitatem. 544 a
Candelabra septem Ioanni visa cuiusmodi formæ sint excogitanda. 180.d
cùm Candelabra decem fuerint in Salomonis templo, cur tamen Zachariæ vnum, & Ioanni septem sint visa. 181.a
Candelabri aurei, quod in templo erat, consideratio. ibid.1.b

in Can-

Digitized by Google

in Candelabro templi quæ fuerint ſpherulæ. ibid.d
in Candelabro templi, quæ fuerit liliorum forma? ibid. 2. b
in Candelabro templi, quæ fuerit ſcyphorū forma. 182.1.a
Candelabrum templi an ductile, vel tornatile fuerit. ibid. b
cum Candelabro emunctoria etiam coniungenda. ibid. c
Candelabrum templi quot auri pondo habuerit. ibid.
Candelabrum templi cauum fuiſſe, non ſolidum Ioſephus tradit. ibid.
Candelabri templi ſignificatio myſtica. ibid d
per Candelabrum templi quid figuretur. 371.2.a

Canicies.

Canicies quid ſignificet in Apocalypſi. 191.b

Canū.

Canum nomine Apoc. 22.15. qui figurentur? 957.c

Canticum.

Canticum quod Agno decantatur Apoc. 5. 9. cur dicatur nouum. 393.c
Canticum nouum à 144 ℧. vſurpatum, quod ſit. 664.c
ad quod Canticum Moſis fiat alluſio, cùm Apoc. 15. 3. dicitur, *Cantantes canticum Moyſi.* 704.a
Canticum Moyſi, & Canticum Agni, quid ſibi velit. ibid b
Cantici Moſaici ſummam complecti debere myſtico ſenſu verba quæ victores Apocal. 15. 3. canunt. ibid. c
Cantici Moſaici myſtica interpretatio vtrùm pro literali debeat recipi. 705 1.d
Cantici Moſis contextum non vrgere, vt myſticus ipſius ſenſus pro literali habeatur. 706.1.a
ſub pluribus Cantici Cāticorum comparationibus, quid myſterij deliteſcat. 793 d

Capillis.

Capillorum nomen Apoc. 1. quò ſe extendat. 191.b

Caput.

Capite obtecto adorandi veterum conſuetudo. 358. 1.b
Caput quaſi mortuum, de quo Apoc. 13.3. vtrùm pro verè occiſo ſumatur. 639.d
Vide Beſtia.

Carbunculus.

Carbunculus incarnationis ſymbolum. 231.d
Carbunculi pretium 234.1.c
Carbunculo admoto labia Iſaiæ mundari, quid ſit? ibid.d
Carbunculi ad ignitam prunam ſimilitudo. ibid. 2.b
Carbunculum igne non incalēſcere. ibid.
Carbunculus cur Iſaiæ & Ioanni ſit viſus, Ezechieli verò ignita pruna. ibid.d
num ſit Carbunculus gemma de qua Apocal. 1. 17. Ioannes loquitur. 235.1.b
Carbunculi nomine adamantem in Scriptura comprehendi probabile eſt. 236.1.902. 2.a
Carbunculum in animalis fronte naſci & facis inſtar effulgere vulgi errore ita crebuit. 236.1.c
Carbunculorum variæ ſpecies. ibid.d
Carbunculi candidi ſpeciem ab aliquibus tradi. ibid.
Carbunculi optimi analogia. ibid.2.a
Carbunculorum varia nomina vulgaria. 237.1.d
Carbunculus igne non incalēſcens quid ſymbolicè ſignificet 238.1.a
de Carbunculo quæ ſoleant paſſim ficta iactari. 902. 1.b
ſub Carbunculi nomine quæ gemmæ comprehendantur? ibib.
Carbunculum in noctis tenebris lucere vulgaris eſt opinio. ibid.
Carbunculum quòd ad nomen attinet, idem eſſe atque prunam ignitam. ibid.c.
Carbunculi nomen ad quæ ſe extendat. ibid.
Carbunculi ignitus color quid innuat. 904.1.a
Carbunculum in tenebris lucere quid denotet. ibid. b
Carbunculum cùm ſurſum attollitur plus lucere quid innuat. ibid.b
in Carbunculo quomodo adumbretur diuini Verbi incarnatio. ibid.c
Carbunculum diuino imbre alicubi naſci nonnulli putarunt. ibid.d
in Carbunculo figuratur Dei incarnati efficacitas. ibid.
Carbunculum excalefactum ad ſe trahere paleas, quid ſignificet. ibid.
Carbunculo cur nomen Chalcedonij Apocalypſis tribuat. 905.1.a
Carbunculus aptatur Iudæ. 938.1.c

Cardinalis.

Cardinali cuilibet recèns creato à Pontifice ſummo Sapphirum mitti. 901.2.a

Caro.

Carnes in Eliæ ſacrificio oblatæ quid adumbrent? 509.1.d
Carnes fornicariæ manducare, quid ſit. 759.b
Carnem dupliciter conſiderari poſſe. 807 c
ad Carnis etiam ſapientiam denotādam ſymbolum eſt Adamas. 903.1.b

Carpus.

Carpum fuiſſe Thyatiræ Epiſcopum quo tempore Ioannes ſcripſit Apocalypſim, non ſatis conſtare. 216.2.a

Caſtra.

Caſtra ſanctorum, & ciuitas dilecta num pro eodem vſurpanda. 843.a
Caſtra Sanctorum quænam appellentur. ibid.b

Catena.

Catena magna quid adumbret. 813.c

Chœnix.

Chœnix quid ſit. 417.c. 418.1.c. & ſeq.

Chalcedonius.

Chalcedonij gemmæ nomen cum aſpiratione ſcribendum. 237.2.b
Chalcedonij gemmæ etymon. ibid.
Chalcedonij natura quæ ſit. 901.1.c
ſub Chalcedonij nomine non agere Apocalypſin de ea gemma quæ hodie *Chalcedonia* vulgò vocatur. ibid.d
Chalcedonium iuxta grauium doctorum ſenſum eſſe eundem qui carbunculus. ibid.
Chalcedonium eſſe carbunculi ſpeciem, ſecundùm aliquos. ibid 2.c
an ſit nominanda hæc gemma Chalcedonius, an Carchedonius ibid d
Chalcedonij nomen poſſe ad adamantem applicari. 902. 2.a
Chalcedonium in Apocal. videri eundem cum adamante. ibid.c
Chalcedonius applicatur per ordinem ad tertium Symboli articulum. 903.2.d

Chalcolibanum.

Chalcolibanum in Apocalypſi nō pro ſpecie thuris, ſed pro æris ſpecie accipiendum. 195.2.b
per Chalcolibanum quæ æris ſpecies denotetur. ibi d.d
ex Chalcolibano cur Ioannes viderit pedes figuræ. 210.2.b

Chaldæus.

Chaldæorum Monarchia quo tempore cœperit. 487.2.c
Chaldæorum Monarchiam ſapientia ac literarum æſtimatione eminuiſſe. 488.1.d
Chaldæis cur leænæ ſymbolum attribuatur. 638.c

Character.

vt Characterem marinæ beſtiæ omnes habeant quo ſenſu faciat beſtia terræ. 652.a
Characterem omnes habere in fronte quomodo faciat beſtia terræ. 651.c
Character nomen, & numerus beſtiæ vtrùm tria ſint inter ſe diuerſa. 650.c

Characterem alij, alij nomen cur accipiant. 652.b
quibus Characteribus apud Græcos numeri designẽtur. 651.d

Charitas.

Charitate constrauit, quid sit. 233.2.a

Cherub.

in Cherub etymo scientiæ plenitudinem includi communis Patrum sententia est, 350.1.a
Cherub (id est quasi puer) quomodo etymologia deducatur ibid.2.b
in nomine Cherub potentiam etiam includi. 351.1.c
duplex nominis Cherub etymon iuxta Hebræos. 350.2.b
Cherub quasi magister, & quasi puer. ibid.
Cherub nominis etymon iuxta Mercerum. 349.1.c
Cherub idem sonare quod animal curule ex Prado. ibid.d
Cherub nomen esse genericum ex Rabbi Abenhezra. ibid.b

Cherubin.

super Cherubin Deum sedere est locutio Scripturæ familiaris. 309.1.b
Cherubin quomodo potuerint iure appellari picturæ templi artificio plenæ. 350.1.c

Cherubinus.

Cherubini Mosis an propitiatorium manibus tenerent, vel eo potiùs pedibus niterentur. 353.1.d
Cherubinos se mutuo respicere versis vultibus in propitiatorium quo pacto conciliandum sit. ibid.2.b
Cherubini paruuli quomodo propitiatorium tegere potuerint. ibid.
Cherubini magni Salomonis qua positione in templo fuerint. ibid.
de quibus Cherubinis sit mentio, cùm dicitur Deus sedere super Cherubin. ibid.c
in Cherubinorum significatione assignanda vtrùm binarij, & quaternarij ratio habenda sit. 354.1.a
Cherubinorum Mosis significatio quæ sit. ibid.c
per Cherubinos Mosis vniuersalem angelorum militiam figurari verius tenendum. ibid.c
Cherubinorum, & throni figura quorsum spectaret. ibid.d
in Cherubinorũ binario quomodo tota angelorum militia possit figurari. ibid.2.a
in Cherubinorum binario binarium denotari perfectionum quæ angelis sunt communes. ibid.a.b
Cherubinorum singulis templi binas tantùm fuisse alas. 352.1.d
Cherubini templi vtrùm fuerint nudi. ibid.2.a
Cherubini cur depingantur ferè nudi. ibid.b
Cherubinos templi qua ætate fuisse effictos credibile sit. ibid.c.
Cherubinos in Sancto saltem sanctorum nudos potuisse exprimi. ibid.c
Cherubini templi vt credãtur nudi fuisse nil cogere. 353.1.a
Cherubinos Mosis & Salomonis eiusdem esse figurę. 351.1.d.
Cherubinos Mosis & Salomonis figura humana fuisse præditos. ibid.
Cherubinos Mosis brachia habuisse. ibid.2.d
Cherubinos templi, & Ezechielis animalia non fuisse omnino similia. ibid.
Cherubinis singulis templi non quaternas, sed singulas tantùm fuisse facies. 352.1.b
Cherubinis templi quomodo possit congruenter aptari vtraque pueri & magistri etymologia. 351.2.b
de Cherubini etymologia Pagnini opinio. ibid.1.a
Cherubini nomen in Scriptura non ita strictè sumi pro vno ex primæ Hierarchiæ choro. ibid.
in Cherubini etymologia pueri seu magistri nomen quo sensu sumendum. ibid.b
inter Cherubinos Mosis & Salomonis magnitudinis discrimen non arguit sanctitatis differentiam in rebus ipsis significatis. 355.1.b
Cherubini magni Salomonis quo sensu Deum præcedere existimentur. ibid.d
ex Cherubinis paruis alterum è regione alterius esse quid sit. ibid.
in Cherubinorum aliis nuditas, aliis vestitus quid innuat. ibid.1.a
in Cherubinis templi vitulina facies quid significet. ibid.b
Cherubini parui quorsum suprà propitiatorium collocati. ibid.c
per Cherubinos paruos Mosis quid denotetur. 310.2.b
Cherubinorum symbolum quibus tribuatur in Ecclesiastica hierachia. ibid.c
in Cherubinis duobus sapientiam & sanctitatem adumbrari. 354.2.b
in Cherubinis duobus templi duas rationales naturas Angelicam & humanam denotari. ibid.c
de Cherubinorum nomine & etymologia. 348.d & seq.
Cherubinos acu pictos fuisse in tabernaculi cortinis, & in templi velo. ibid.1.d
de Cherubinis cortinarũ & veli Hieronymi opinio. ibid 2.d
Cherubini qui in velo & cortinis erant expressi, eiusdem fuisse figuræ cum arcæ Cherubinis. 349.1.a
opinio de duplici sexu in templi Cherubinis refellitur. 353 1.b
Cherubini magni cur viscera oleagina haberent. 311.1.b
Cherubinis thronos esse superiores in Ecclesiastica Hierarchia. 309.1.c
per Cherubinos arcæ testamenti impositos quid significetur. 563.2.b
Cherubinos suos Ezechiel cur animalia vocet. 325.a
duplici Cherubinorum pari qui in templo erant, an quatuor Apoc. animalia respondeant. 310 2.a
præter Cherubinos duos paruos in templo Salomonis, cur alij fuerint ingentes. 311.1.a
Cherubinus Ezech. cur prunam manu apprehenderit. 358.1.b
Cherubini Mosaici & Salomonici cur in Salomonis templo visantur pariter. 355.1.a
Cherubini Ezechielis cur retectas habuerint facies. 365.2.c.
ex Cherubinis Dei sella quomodo concipiatur. 310.1.d
ex Cherubinorum duplici pari, Mosis scilicet & Salomonis, quadrigam non posse componi. 326.a
Cherubinorum templi forma qualis fuerit secundùm Iosephum, omnino ignorari. ibid.b
in Cherubinis templi cur Ezechiel hominis & leonis facies viderit, vitulæ & aquilæ non item. 365.1.c
Cherubinis Ezechielis cur facies fuerint humanæ, templi verò Cherubinis vitulinæ. 363 2.d
ex Cherubinorũ quatuor faciebus cur facies aquilæ nusquam in templo fuerit cælata. 365 2.a
per Cherubinos ingentes Salomonis qui figurentur 355.1.a
peculiaris difficultas in sculptura Cherubinorum templi, quorum meminit Ezechiel. 363. 2.a
Cherubinorum basim fuisse propitiatorium, nec aliud ab arca distinctum. 370.2.a
per Cherubinos propitiatorij quid figuretur. 295.d
Cherubinis templi facies fuisse vitulinas. 349.2.b
Cherubini templi vtrùm mas & fœmina fuerint. 271.1.b
Seraphinos Cherubinis, hos Thronis dignitate antecellere ex Dionysij Areop. doctrina non constare. 308.2.b
Cherubinorum Ezech. præcipuas ac proprias facies fuisse humanas. 363.1.a
Cherubini Salomonis cur ad Mosaicorum similitudinem facti. 344.b

Cheru-

Digitized by Google

Cherubinorum magnorum quos fecit Salomon significatio. ibid.a
ad Cherubinos magnos templi haberi respectum in Isaiæ Seraphinis. 311.1.c
ex Cherubinis tẽpli Salomonis ethnicos fuisse mutuatos victoriæ simulacrum ac figuram. 270.1.a
Vide Animal.

Christianus.

quatuor mortis modi quibus olim Christiani primitiui moriebantur. 421.d
Christianorum persecutio licet plures annos durauerit, posse adhuc aptè silentio dimidiæ horæ denotari. 456.d
Christianorum primitiuorum feruor, & ardens ad perfectionem contentio. 781.a
in Christianis primitiuis mortificationis studium. 405.1.d
Christiani omnes primitiui cur Israëlitarum nomine notati? 442.b
Christianos fuisse signatos ne illos plagæ contingerent, quomodo sit verum? 432.1.a
à Christianis primitiuis tria edita sanctitatis documenta ante Iudæorum supplicium. 468.c
Christianos primitiuos ante Hierosolymæ obsidionem, vrbe egressos in oppidum Pellam concessisse. 437.1.c
Christiani primitiui ex septem tubarũ plagis quomodo euaserint incolumes. ibid.d
Christiani omnes primitiui vtrùm fuerint illa Dei viui nota musti. 436.d
Christianos primitiuos fuisse signatos quo sensu dici potest? 437.a
Christianorum triplex gradus. 444.a

Christus.

Christi aduentus de quo Paulus cùm dicit, *Illustratione aduẽtus sui*, an possit ad vltimum iudicij diem referri? 674.2.a
Christus in mistica messe, cur sit qui falcem mittit, & in vindemia non Christus sed mysticus Moses? 690.c
Christum in Euangelio agere de minis Iudaico populo intentis per comparationem ad extremi iudicij signa. 425.a
Christi aduentus quænam illustratio dicatur apud Paulum. 674.1.b
Christi diuinitas luminare maius, humanitas verò luminare minus. 574.1.d
Christi consilium suos hostes latuisse. 411.2.a
Christo cur Apoc. 5. gratiæ agantur ob peccatorum conuersionem? 393.c
Christi virtus præsertim veteres fideles per iudicij proprij abnegationem decreuit conuertere. 404.2.b
Christus cuiusmodi salutem & saluandi rationem nobis attulerit? ibid.1.c
Christi fortitudinem ac iustitiam plus apparuisse hominum oculis in perfecta eorum salute, quàm beneficentiam ac sapientiam. 411.1.a
Christi diuinitas colligitur ex his verbis, *Ego sum primus & nouissimus.* 204.b
Christi exemplum ad pellendam ex animo formidinem efficacissimum. 225.d
Christus quorsum dicatur Apoc. 2.18. filius Dei, habere oculos flammeos, & pedes ex chalcolibano? 240.c.d
Christi animæ superior portio in ipsa passione immensa Dei gloria fruebatur, 579.1.b
vt Christus imo in loco quasi sustinens ac fulciens Ecclesiam effingatur, minimè indecorum esse. 573.b
qui pro Christo cùm opus fuerit succumbere firmiter apud se statuerunt, quanta perfruantur pace. 684.d
Christi virtus ac fortitudo quomodo facilè vel ipsis hostibus innotuerit. 411.1.a
à Christo euomi quando aliquis dicatur? 280.d
Christo Apocalypsis priùs quàm Ioanni ostensa. 5.2.e
Christum esse verum Israelem qui Deo præualuit. 440.d
Christum cœnare cum aliquo quid sit? 283.c
in Christi miraculis mysteria inclusa contineri, 490.1.c
Christus cur suos arguere & castigare dicatur? 283.a
Christus cur dicatur in medio candelabrorum aureorum ambulare? 220.d
Christo cur Apocal. 5.12. septem laudes tribuantur? 155.2.b
Christum septem stellas in manu gestare, quid sit? 221.a
Christus cur se Laodiceno potissimum testem fidelem asseueret? 275.a
Christus cur ad Philadelphium scribens, se sanctum & verum vocet? 259.b
Christum sui oris gladio pugnare quid sibi velit? 229.d
Christus quo sensu dicatur pugnare cùm sui pugnant? ibid.d
Christus cur se principium creaturæ Dei vocet? 275.a
cum Christo sedere in eius throno quid sit? 284.b
Christus cur Sardensis improbitatem permiserit? 253.a
Christi dexteræ vis ac potentia. 204.a
Christus ad Laodicenum cur se solùm nominet principium? 275.b
Christi omnium pontificis dignitatem in Sapphiro figurari. 901.1.b
Christi num totum corpus, an sola facies effulserit in transfiguratione 202.d
Christi ira cur in ipsius oculis exprimatur. 192.c
Christus cur à Ioanne testis fidelis vocetur? 157.b
Christi vox primò voce tubę, deinde sono aquarum multarum cur figuretur? 174.a
Christi vox licèt similis tubæ, & aquarum multarũ voci, cur articulata tamen sit? ibid.b
de Christo & Ecclesia aliquando Scripturam loqui vt de vna persona. 179.b. Et quàm aptè. ibid.d
Christi beneficentia quomodo carnis oculis esset abdita? 411.1.c
ad Christi varia mysteria posse extendi septem spirituum doctrinam. 136.2.d
Christo recens nato cur Reges non gemmas inter alia munera obtulere. 885.d
Christus in epistola ad Philadelphium quater vocat Deum, Deum suum, & quod sit repetitionis huius mysterium. 267.d
Christus cùm se principium & finem appellat, quid sibi velit. 167.a
Christus cur in figura humana apparuerit 184.d
Christus cur in Hierosolymæ ingressu asinum & pullum detulerit. 748.2.c
Christi miracula recondita mysteriorum significatione plena fuere. 352.d
Christus ad Sardensem quorsum vtatur hac phrasi, *qui habet septem spiritus Dei*, &c. 252.a
in Christi ferreo imperio duo consideranda. 247.1.c
Christo symbola perfectissima esse debere. 34.1.d
Christus quo sensu se appellet radicem & genus Dauid. 385.c.859.d
Christo tubam tribuere nõ ita decorum, secus ipsius concionatoribus. 177.1.b
Christus in terram descendit, vt homines ascendant in cælum. 288.d
Christus per altare Isaiæ visum figuratus. 334.1.b
Christi potentia ad peccatores conuertendos, quomodo per Adamantem figuretur. 904.2.c
Christi patientia inter verbera per Smaragdum figurata. 906.1.d
Christus quo sensu dicatur Philadelphium ab hora tentationis liberaturus. 264.b
Christus cur in Sionis monte sub specie agni apparuerit. 659.d

Digitized by Google

Christi vultus cur fulgere dicatur. 202.d
Christo applicatur murus adamantinus de quo Amos 7.7. iuxta Septuaginta. 905.1.a
Christi figuram esse Eliacimum. 207.1.d
Christi vultus splendor qua ratione considerandus? 203.d
Christo quàm aptè conueniat Propitiatorij symbolum. 370 2.d
Christo obuiam rapi in aëra quid sit? 850.a
Christi duplex elogium radicis & generis Dauid quam inter se habeant proportionem? 958.b
in Christi persona dicitur Apocal. 1. *Ego sum* A. & Ω. 186.b
Christus quomodo se vocet A. & Ω. ibid.d
Christum aperuisse primum sigillum quid sit? 413.c
Christum aperuisse secundum sigillum in quo consistat? 415.c
Christus quid doceat suos in tertij sigilli resignatione? 418.a
Christus quid suos doceat in quarti sigilli apertione? 422.c
Christus quid nos doceat in quinti sigilli apertione? 423.d
Christi passio clarissimum ad nostra vitia dignoscenda speculum. 850.a
Christi passio ad carnis petulantiam coercendam efficax. 906.1.d
Christus in sua passione cur tantam voluerit infirmitatem præ se ferre - 380.1.b
Christus cùm extra portam passus sit, quomodo dicatur vere? *In qua Dominus crucifixus est.* 550.a
Christi passio figuratur per iridem à Ioanne visam Apoc. 4.3. 299.c
Christi passionem primam laborum mensuram esse. 518.b
Christi passionis symbolum iris ex Smaragdo. 906.1.b
Christi passionem esse nostræ fidei firmissimum adminiculum. ibid,
reprehenditur eorum inanis spes qui in Christi passione plus æquo confidentes se laxis habenis voluptati propterea tradunt. ibid.2.c
Christi passio quàm sit efficax ad mœstos & afflictos recreandos. ibid.b
Christi passionis meditatio aduersus omnia vitia remedium. ibid.a
Christi mystica transfiguratio. 537.a
Christus in sua transfiguratione cur inter Mosem & Eliam medius apparuerit? ibid.b
in Christi transfiguratione vtrùm Moses in proprio corpore apparuerit? ibid.
Christi ad inferos descensus qua ratione in Sardonyche figuretur? 908.1.d
Christum ex descensione ad inferos nihil labis ac sordis cõtraxisse, sed suam inibi potiùs potentiam ostendisse. 909.1.a
de Christi descensione ad inferos articulum fuisse à Ioanne in symbolo expressum. 887.1.d
Christi resurrectionem apud Petrum sumi pro fide resurrectionis. 912.2.c
Christi resurrectionem in sepulcro adumbrari Sardâ intra saxum generata. 916.2.d
Christi resurrectio quomodo figuretur in Sarda vulneribus medente. ibid.c
Christi resurrectionem spiritalis Ecclesiæ resurrectionis esse exemplar. 157.b
Christi resurrectionem esse primam, & causam resurrectionis iustorum in Sardio item innui. 917.1.a
Christi resurrectionem eminere inter opera Deo Patri attributa, 298.d

Chrysolithus, Chrysolica.

Chrysolithus aptatur Zabuloni. 938.2.b
Chrysolithum à Chrysolica distingui. 917.1.a
Chrysolithi natura & color. ibid.b
Chrysolithi nomine duo gemmarum genera comprehendi. ibid.c
Chrysolithum ab Hyacintho vtrùm Septuaginta expressè distinxerint? ibid.2.c
Chrysolitho cur non similis apparuerit prima figura Ioanni visa? 210.1.b
Chrysolithus quid symbolicè significet? ibid.
Chrysolithi aureus color quid mysticè innuat? 919.1.b
inther Chrysolithi aureum colorem, & colorem ipsum auri mystica discriminis consideratio ibid.c
Chrysolithi vis aduersus pusillanimitatem, & cõtra melancholicos. 918.1.d
Chrysolithi vis ad depellendum timorem quid innuat? 919 1.d
Chrysolithum de die aureum, de nocte igneum videri. 918.2.a
Chrysolithi aureus color quam sit appositus ad Christi ad cælos ascendentis gloriam, & maiestatem figurandam. ibid.d
qui Chrysolithi erant olim Plinio & aliis, hodie vocari Hyacinthos. 929.1.b
Chrysolithi applicatio ad septimi Symboli articuli declarationem. 919.2.b
quasi Chrysolythum cur Daniel viderit angeli corpus: 210.1.b
Chrysolicæ videntur esse species Berylli. 920.2.a

Chrysoprasus.

Chrysoprasus decima Apocal. gemma quod habeat propriè nomen? 915.1.b
Chrysoprasis tribuitur apud Plinium gemmis diuersis. ibid.c
Chrysoprasus quæ sit gemma expenditur. ibid.
Chrysopraso color qualis sit? 926.1.b
Chrysopraso color prasinus quid mysticè signet? 927.1.a
in Chrysopraso Chrysolithum & Topazium quodammodo copulari. 926.1.b
in vno Chrysopraso Chrysolithi & Topazij veluti coniunctio cuius rei sit symbolum? 927.1.c 2.b
Chrysopraso natiuæ proprietates ab auctoribus traditæ, 926.2.a
Chrysopraso opacitas quid significet? 927.1.b
Chrysoprasus ad decimum articulum aptatur. 926.1.c
diuersitas inter Chrysoprasum & Achatem. ibid.2.b
Chrysopraso Apoc. respondere Achatem Rationalis. ibid.a
quod in Chrysoprasum sit mutatus Achates, Rationalis gemma, quid contineat mysterij 927.1.d
per Chrysoprasum quomodo fit adumbratum Ecclesiam esse Spiritus sancti sponsam. ibid.1.a
Chrysopraso proprietatum mystica consideratio. ibid,2.b

Cithara.

Citharæ quem ad vsum animalibus & senioribus attributæ. 390.a
per Citharas & voces quid denotetur. ibid.
per Citharas & laudes sacrificium Missæ adumbrari. ibid.c
cum Citharistarũ concentu cur humanæ voces consocientur. 664.a
Citharæ Dei cur appellentur? 703.d
in Citharis c. 15. fit allusio ad Exodi c. 15. vbi de Maria Mosis sorore. ibid.
Citharas habuisse tam animalia quàm seniores. 390.a

Citharœdus.

Citharœdi pulsantes, de quibus Apocal. 14. qui sint. 662.d
Citharœdorum vox an à Ioanne sit è cælo audita. ibid.
per Citharœdorum & vocum concentus quid significetur. 663.d
Citharœdi cur dicantur cantare ante thronum Dei. 664.a

Ciuis.

de Ciuibus recensendis Athenienſium consuetudo. 258.a
Ciues an aspexerit Ioannes in vrbe de qua Apoc. 21. præter angelos ianitores. 873.1.c

Ciues

Ciues patriæ cęleſtis ſub inuolucris ænigmatis figurari tam in ciuitatis portis (de qua Apocal. 21.) quàm in muris, ac fundamentis. ibid. 2. d
Ciuium cæleſtium apud ſuum regem fauor & gratia quibus rebus figuretur. 858. a
Ciuium frontibus Dei nomen eſſe inſcriptum, quid ſit. ibid.

Ciuitas.

Ciuitas Ezechielis quæ ſit. 273. 2. a
Ciuitas cæleſtis quomodo duodecim illis fundamẽtis nixa conſideranda ſit? 875. a
Ciuitatis cæleſtis magnitudo, quid innuat? 880. d
Ciuitas duplex in Apocal. Eccleſiæ bellum indicens ſunt Heroſolyma & Roma antiqua. 26. 1 c
Ciuitas cæleſtis cur non in infima telluris planitie, ſed in excelſo monte conſpecta ſit? 868 d
Ciuitas Gentium ceciderunt. quo ſenſu accipiendum ſit? 739. c
Ciuitatis cæleſtis Ioanni viſæ quadrum quàm latè pateat. 879. d
Ciuitatis magnæ nomine vtrum Babylon, an Heroſolyma indicetur? 738 b
Ciuitatis dilectæ nomine Romam figurari. 843. a
Ciuitas cæleſtis vtrum præter externam murorum faciem domibus atque ædificiis intus conſtaret 882 d
Ciuitatis platea Apoc. 11. 8. quo ſenſu accipiendæ? 550. b
de Ciuitatum myſtica ruina non de propria ſermonem eſſe cùm dicitur *Ciuitates Gentium ceciderunt.* 739. d
in Ciuitatis cæleſtis muris qui adumbrentur? 881. c
Ciuitatis cuiuſque fælicitas ſumma in quo conſiſtat? 947. b
ex Ciuitatis cæleſtis magnitudine quid inferatur? 880. d
in Ciuitatis cæleſtis murorum & ædificiorũ æquabilitate quid figuretur? 881. b
Vide, Vrbs.

Claritas.

Claritas Dei (de qua Apocal. 21. 11.) quæ vocetur? 869 b
Claritatis magnæ diſcrimen à nebula & fumo 714. 1. a. integra notatione.

Claudo.

Claudit & nemo aperit, quid ſibi velit? 261. a

Claues.

Claues regni cælorum Petro traditæ quæ fuerint? 208. 2 a
de Claue templi aurea à Pontifice geſtari ſolita Iudæorum fabella. 260. a
Claues mortis & inferni habere quid ſit? 207. 1. b
Clauis domus Dauid quæ dicatur apud Iſaiam? ibidem c
Claues mortis & inferni quæ dicantur? 205. a
Clauis qua Dæmon obſignatus eſt, quid ſignet? 813. b
Claues mortis & inferni eaſdem eſſe cum claue cæleſtis Dauidis. 207. 2. d
Clauem putei abyſſi ſtellæ dari quid ſit? 480. c
Clauis domus Dauid cur dicatur apud Iſaiam, in Apoc. vero Clauis Dauid? 207. 2. c
Cur dicitur Deus dare Eliacimo claues domus Dauid ſuper humerum eius? ibid. 1 d
Clauis Dauid quid ſit? 259. d
Clauis Dauid cur mentio fiat ad Philadelphium? 260. c
Clauis potius Dauid cur ad Philadelphium Chriſtus meminerit, quàm clauium mortis & inferni? ibid. d

Cœna.

Cœna in epiſtola ad Laodicenum de Euchariſtiæ epulo explicatur. 283. c
Cœna duplex an promittatur Laodiceno, vel vna? ibid.
Cœna ſecunda ad quam Chriſtus animam inuitat, quæ ſit? ibid. d
Cœnam agni non ſumi cap. 19. pro cæleſtis patriæ felicitate. 795. a

Alcazar in Apoc.

Cœna Agni de qua Apoc. 19. quæ ſit? ibid. b
Cœnæ magnæ Dei de qua Apoc. 19. quod ſit myſterium? 805. a
ad magnam Cœnam inuitatio cur apud Ezech. ſit in Victoria de Gogo & Magogo parta, apud Ioannem vero mille annis antea? ibid. b
ad Cœnam cur in Ezech. inuitentur tam aues cæli, quàm beſtiæ terræ, apud Ioannem verò ſolum aues? ibid.
Vide, Agnus.

Coinquinatum.

aliquod Coinquinatum quid ſignificet? & cur in genere neutro dictum? 947. b

Collyrium.

Collyrium ſpirituale oculorum quod ſit? 282. d

Colonia.

Coloniarum Romanarum olim inſigne. 341 b

Color.

Colorem glaucum eſſe viridem clarum 920. 2. b
Coloris purpurei differentiæ variæ ex Plinio. 928. 1. 2 b
Colorem cæruleum eſſe violaceo affinem. 930. 1. c
Color violaceus latine & græce Ianthinus idem atque purpureus 929. 1. 2
inter Colores glaucũ & cæruleum diſtinctio. 920. 1. 2
Colores duo ſedentis in throno Apoc. 4. 3. non promiſcuos ſed diſtinctos eſſe ſecundùm diuerſas partes. 298. b
Color niger cur aliis addatur Zach. 6. 409. 1. d
Coloris albi vtramque ſignificationẽ & apud Zach. & apud Ioannem recte inter ſe copulari. ibid. 2. d
Colores qui ſoleant in Iride apparere? & quo ordine. 296. b
per varios Colores in tentoriis ſubinde mutatos, quid Tamorlanus innuerit? 410. 2. c
Colores laſpidis & Sardinis ad ſedentem in throno, colorem Smaragdi ad Iridem ſpectare. 298. b
Color oculorum glaucus noctuæ proprius. 920. 2. d
Vide, Equus.

Columna.

ad quas Columnas templi Salomonis fiat alluſio cum ad Philadelphium dicit Chriſtus, *faciam eum columnam*, &c. 269. 1. 2
Columnæ duæ, cur ad templi valuas poſitæ. 271. 2. b
Columnarum duarum templi firmitas ac robur. ibid. a
Columnam eſſe in templo Dei, quid ſit? 265. c
Columnæ officium num Deus Philadelphio promittat in militanti Eccleſia, vel in triumphanti. ibid d
in Columnis templi cur lilia cum malogranatis coniuncta fuerint. 270. 2. b
in Columnis Booz, & Iachin inſcriptiones, quæ probabili coniectura videntur poſitæ. 269. 1. c
Columnarum duarum templi quæ fuerit figura. ibid. d
Columnæ Booz, & Iachim num aliquam templi partem ſuſtinuerint. ibid 2. a
Columnarum duarum templi longitudo & craſſitudo. ibid. b
Columnas Booz & Iachin ad trophæa erigenda ſtructas videri. ibid
in Columnis templi quomodo trophæa fuerint expreſſa? 270. 1. c
in Columnarum capitellis cur malogranata efficta. ibid. d
per duas Columnas templi quid figuretur. 271. 1. a
Columnas Herculis multo ante Salomonis ætatem fuiſſe erectas 270. 2. c
Columnas in Machabæorum ſepulchro erectas trophæa fuiſſe ibid.
Columnam onere ipſo quo premitur firmam reddi. 267. a
in Columnarum capitellis quomodo lilia figurata. 270. 2. a
Columnæ promiſſionis applicatio ad Sacram Euchariſtiam. 266. b
ad columnam vtramque Booz & Iachim fit potiſſimùm

Digitized by Google

fimum allusio cum Christus dicit, *Faciam illum columnam.* 271.2.c
Columnæ Booz & Iachin in porticu templi an fuerint. 271.2.c
Columnæ mysticæ quis sit titulus à Christo inscribendus. 267.c

Comœdia.

in Comœdiis qui prologum agit, totius argumenti summam paucis debere complecti præcipit Aristoteles. 178.c

Comminatio.

Comminationis diuinæ symbolum. 155.1.c
Comminationes scriptæ in fine Apoc. contra addentes aliquid & detrahentes quo sensu sint accipiendæ? 959.b

Comparatio.

in Comparationibus iis quas Spiritus sanctus vsurpat frequenter se accommodat ad res eo tempore notas. 888.2.c
per Comparationem explicandi ratio nihil grammatico sensui adimit. 50.2.b
Scriptura pluribus in locis duo asserit, alterum per modum Comparationis, alterum vt præcipuè intentum. 50.1.d
per Comparationem explicandi modus non est pro allegorico sed pro literali habendus. 502.a
in Comparatione libri inuoluti quid denotetur? 417.d
Comparationes lanæ & lini quorsum coniunctæ? 191.d
Comparationem tacitam contineri in Dei throno de quo Apoc. 4. cum eo quem Deus in templo Salomonis habuit. 313.a

Concilium.

Concilium Chalcedonense quem præsertim ad finem fuerit celebratum? 905.1.b
in Concilio Romano præter tria angelorum nomina cetera excluduntur. 152.2.c
Concilii Romani verba quo sensu accipienda? ibid.d

Concionator.

ad Concionatores euangelicos stellarum symbolum posse accommodari. 200.d
Concionatoris euangelici symbolum nubes. 165.1.c
Concionator euangelicus quomodo dicatur peccatores diuerberare? 546.1.c
Concionatorum meritis non semper fructum respondere. 263.c
ad Concionatoris efficaciam exprimendam significanter dici eum ex ore ignem euomere. 544.c
Concionator optimus cuiusmodi esse debeat. 292.1.d

Concupiscentia.

ex Concupiscentiæ fomite quot mala dimanent. 492.a
Concupiscentiæ quàm crudeles sint hostes expenditur. 478.2.b
Concupiscentiarum plaga cur præcedat subtractionem tertiæ partis lucis? 547.1.c
Concupiscentiæ cur antecedant iras in Iudæorum plagis. ibid.

Confessor.

de Confessoribus tam mortuis quàm viuis esse sermonem cùm dicitur, *& qui non adorauerunt bestiam.* 828.d
cur non solum Martyres Christi, sed etiam Confessores resurrexisse dicantur? 831.d
Confessores Christi esse intelligendos sub nomine eorum qui non adorauerunt bestiam. 828.b

Conscientia.

Conscientiæ bonæ interrogatio quid sit? 912.2.c
Conscientiarum septem genera quæ inter fideles reperiuntur. 217.1.b
Conscientiarum generum applicatio ad septem Asiæ Episcopos. 218.1.a
Conscientiarum diuisio tradita in septem genera num sit adæquata? 253.d
vestimentum mysticè pro Conscientia accipi. 256.b
quod Conscientiæ genus Philadelphio fuerit. 259.a
Conscientiarum omnibus generibus salutarem doctrinam contineri in septem Epistolis. 219.1.a

Conterere.

Conterere in Psal. 2. quo sensu accipiendum. 247.1.a

Conuiuium.

in Conuiuijs olim frigidam & calidam poni solitam. 276.a
in Conuiuii allegoria de qua Apoc. 19. tria potissimùm obseruanda. 795.d
in Conuiuii dicta allegoria forte haberi respectum ad Missarum sacrificia. ibid.
Conuiuium de quo Apoc. 19. cur vocetur cœna? 796.b
cùm in Conuiuio apud Ezech. edantur carnes humanæ, equinæ, arietinæ, hircinæ, taurinæ, cur in Apocalypsi solum humanæ & equinæ? 805.d

Cor.

Cor & iecur apud Tobiam indistinctè accipi. 458.2.d
Cordis desideria designari per locustas. 483.d
Cordis desideriorum bellum quàm sit acerbum. 484.d
vt Cordis desideriorum plagæ grauitas ponderetur, rectè cum communi orbis eluuione comparatur. 486.c

Corona.

Corona vitæ promissa Smyrnensi quid sit? 226.c
in Coronæ nomine plus energiæ quàm in præmii contineri. ibid.d
per Coronas aureas seniorum quid figuretur? 307.c
in Coronis aureis seniorum sit allusio ad aurem summi sacerdotis laminam. ibid.d

Cornu.

Cornua in bellis vsitata. 177.2.d
cornua septem agni qua ratione sint considerandæ? 387.b
per Cornua agni cur septem diuinæ prouidentiæ virtutes figurentur? ibid.c
Cornua cum agno pugnare quid sit? 759.a
Cornua decem quo sensu dicantur odio habitura fornicariam. ibid.b
Vide Agnus, Bestia.

Cortina.

in Cortinis tabernaculi fuisse cherubinos acu pictos. 348.1.d
Vide Cherubinus.

Creatio.

de Creatione & iustificatione mentionem contineri cùm Apoc. 4. dicitur, *Quia tu creasti omnia.* 369.b.c
Creationem inter opera Deo Patri attributa eminere. 298.d

Creatura.

Creaturæ Dei principium cur se vocet Christus? 275.a
Creaturæ nomen sæpe in sacris pro spirituali sanctitatis opere in hominum animis per Deum effecto sumi. ibid.b
vt de Creaturarum vitæ fonte Scripturam de Dei vita loqui solere. 368.c
post Creaturas quæ in mari esse dicuntur cur addatur, *& quæ in eo?* 398.b
Creaturæ omnis nomine quas alii auctores intelligant? 397.b
Creaturæ omnis nomine rationales intelligi creaturas vt verius affertur. ibid.
quæ Creaturæ dicantur esse in cælo? quæ super terram? quæ in mari? quæ sub terra? ibid.c
Creaturæ habentes animas in mari, quænam sint? 474.c

Crudelitas.

Crudelitas tyrannorum quàm sit Martyribus vtilis. 387.c

Crux.

Crux veluti Christi clauis. 260.a
de Crucis signo intelligendum Ezech. Tau. 438.1.c
Crucis formam habuisse Thau, probatur. ibid.d
Crucis signum in Thau irridentium Hæreticorum proteruia. ibid.c

Crucem

Digitized by Google

Crucem pro Thau Aethiopas scribere. ibid.2.a
Crucis figura apud Aegyptios vitam venturam figurari ibid.
Crucis Christi potestas in Gentium conuersione. 581.1.a
Crucis figuram egregiè ex Smaragdo compingi. 907.2.a

Cubitus.

Cubitus in sacris cuius sit longitudinis? 878.a

Cupiditas.

discrimen inter blandas Cupiditates, & furiosos irarum æstus. 499.a
Vide Dæmon.

Currus.

Currus Ezechielis significatio. 198.d
Currum Ezechielis fuisse bellicum. 333.d
è Curribus Reges dimicare solitos. ibid.
in Curru Ezechielis adumbratum Ierosolymæ excidium ad animarum salutem ordinari. 334.a
Currus falcati quid Zachariæ 6. significent. 408 2.a
Currus ille biiugus Isaiæ visus cap. 21. quomodo sit concipiendus? 748.1.d

Dæmon.

DAemonem iis dominari qui suas cupiditates non frenant. 459.1.d
Dæmonem fugari fumo iecoris quid denotet? ibidem, 2.b
per Dæmonis alligationem in Aegypti deserto quid innuatur? ibid d
Dæmones quo sensu Christum rogarunt, ne in abyssum mitterentur? 482.1.c
Dæmonis cauda trahi tertiam stellarum partem, quid sit? 590.a
Dæmon quo sensu dicatur sciens quia modicum tempus habet? 600.c
Dæmon vnde coniectare potuerit parum sibi superesse temporis? 610.a
Dæmon quo sensu dicatur fratrum accusator? 607.c
Dæmon quo sensu homines die ac nocte accusare dicatur? 608 a
Dæmon cur non dicatur accusator noster, sed fratrum nostrorum? ibid b
Dæmonis per mille annos illigati mysterium, quod sit? 812.b
Dæmonis alligationem per mille annos non ad vniuersas orbis Ecclesias, sed ad vnam Romanam spectare. ibid.c
qui Dæmonem constrinxit Angelus quid significet? ibid d
Dæmonem vincientis Angeli figuram ex Tobiæ libro fuisse petitam. ibid.
clauis catena & figillum quibus Dæmon illigatus est, quid significent? 813.b
Dæmon quo sensu dicatur illigatus ne seducat amplius Gentes? 815.a
Dæmonem solui modico tempore, qui sit? ibid.d
ex nostra Dæmonis illigati interpretatione validum desumi argumentum & ad Romanæ Ecclesiæ gloriam, & ad Hæreticorum falsitatem demonstrandam. 816.a,& seq.
de Dæmonis alligatione plures explicationes. ibid.1. c. sequent. Quæ examinantur & impugnantur. 818.1.c.
Dæmonis duplex alligatio in sacris indicata. 820 1.b.
Dæmonem suo imperio & armis fuisse spoliatum postquam Euangelij prædicatio toto orbe personuit. ibid.2.c
Dæmones forte ab Isaia denotari militiæ cælestis nomine 824.1.c
Dæmonum comprehensio & ligatio apud Isaiam, quonam sit referenda? ibid.2 d
quid sentiendum sit de Augustini expositione referentis Dæmonis alligationem ad Christi passionis tempus? 828.a
Dæmonis deturbationem ad inferos ad consummationem sæculi esse referendam. 845.a

Alcazar in Apoc.

Dæmonis nomen ad Antichristum posse extendi. ibid.b
Dæmonibus incussum timorem in Christi resurrectione per Sardam figurari. 916.2.d

Dæmonium.

quæ sint Dæmonia, & simulacra aurea in sexta tubarum plaga? 501.b
Dæmoniorum nomine qui Apoc. 16. significentur? 732.d

Damnatus.

Damnatorum pœnas ex Dei & Angelorum conspectu magis augeri. 678.c
Damnatorum apud inferos pœnæ obiter ponderantur. ibid.

Dan.

Dan nominis etymon, & cur inter ceteras Israelis tribus non numeretur? 441.a
Dan quare ex filiorum Israel albo desideretur? 443.c
tribum Dan plus ceteris vergere ad aquilonem, & longius à Hierosolyma & templo distare, idque non sine mysterio. ibid c
an verum sit nullum ex tribu Dan sub mundi finem ad Christum conuersum iri? 445.2.a
porta Dan cur sit in ciuitate apud Ezech apud Ioannem verò non item? 873.b
Dan aptatur Sapphirus. 938.1.c
Vide Antichristus.

Daniel.

Danielis nominis etymon. 154.2.a
comparatio figuræ Apoc. 1. cum Danielis Angelo. 208.1.b
Danielis capitum 10. 11. & 12. contextus, series, & explicatio. 209.1.a
Daniel cur steterit super genua & super articulos manuum? 211.2.c
quis fuerit scopus figuræ quæ apparuit Danieli? 209.2.a
Daniel cur dicatur in visione cap. 10. oculos leuare? ibid.b
Daniel cur viderit viri qui ei apparuit renes accinctos auro? ibid.d
Daniel cur viderit corpus Angeli quasi chrysolithum. 210.1.b
Daniel cur audierit vocem multitudinis? 211.1.b
à Daniele quo sensu dicantur multi de iis qui dormiebant euigilaturi? 528.2.b

Dauid.

Dauid nominis etymologia. 163.2.b
Dauidi quas Semei diras denouerit? 141 2.c
Dauid domus quænam appelletur in sacris? 207.2.c
Dauidis victoriam fuisse figuram victoriarum Christi, & Ecclesiæ. 270.2.d
Vide Clauis.

Decimatio.

Decimatio ab Isaia prædicta quo in sensu accipienda sit? 556.1.c

Decollatus.

Decollatorum nomine qui sint denotati, & eorum qui non adorauerunt bestiam? 827.d

Delitiæ.

Delitias fuisse dominatas in Medorum & Persarum imperio. 488.1.d
virtus Delitiarum Babylonis, quæ appelletur? 765.d

Denarius.

Denarius multiplicationis numerus. 441.2.d. 635.b 589.a
Denarius pro multitudine in sacris sumitur. 216.b

Desertum.

in Desertum volatus mulieris quid significet. 26.2.a
Desertum esse symbolum Gentilitatis. 596.c
in Desertum fugere mulierem quid sit? ibid.d
in Desertum Ioannem deferri quid sit? 752.d

Desiderium.

Desiderium rerum quantopere mentem excruciet? 489.1.a
Vide Cor.

Digitized by Google

Denoro.

verbum *Deuorabit eos.* cap. 20. 9. ad quos fit referendum? 844 c

Deus.

Dei gratia & initio & in fine Apoc. ponitur. 960.b
Deus ex infinitis rerum naturalium speciebus quas condere potuisset, cur has potius, quàm illas elegerit creandas. 35.1 d
Deo quorsum Apoc 4. detur gloria &c. ab animalibus 368.
Deum quater vocat Christus Deum suum ad Philadelphium,& quod sit repetitionis huius mysterium. 261.d
Deus quo sensu dicatur apud Ieremiam aperuisse suum thesaurum,& vasa iræ protulisse. 711.1.a
Deus suos vt probet in eos calamitates immittit. 460.1.a
Deus in supplicio parcus, in misericordia liberalis. 710.c
Deo dedisse gloriam & in timorem versi, qui dicantur. 555.d
Deus quomodo in excidio Hierosolymæ clementiam cum indignatione coniunxerit. 303.2.b
Deus cur dicatur fecisse mare & fontes aquarum. 669.d.
Dei currus nubes. 164 1.a
Deus quem ad finem dicat se venire velociter. 953.d
Deus quo sensu dicatur labia Isaiæ mundasse calculo ignito. 233.2.c
Deus quid laboribus in nos immissis intendat. 460.1 c
nos offerret Deo, quid sit apud Petrum. 911.2 c
Dei nominis explicatio cur & qua ratione Apoc. 16. plagæ phialarum tertiæ adiungatur. 712.c.
Deus cuiusmodi thronũ in Ecclesia habeat. 196. 2.c
Deus quo sensu dicatur habitare super suos. 451.a
Deus non permittit vt iustus aliquis cadat,& damnetur, quin alium eius loco substituat. 265. b
quæ gratiarum actio sit? *Salus Deo nostro.* 449.c
Deus cur dicitur Eliacimo dare claues domus Dauid. 207.1.d
Deus quid significare voluerit in tanta plagarum multitudine in Aegyptios effusa. 548.2.a
Deus cur plerumque improborum supplicium differat. 423.d
Deus cur Apoc. 15.4 dicatur pius. 705. a
Deum significandi,& iurandi ratio. 511.b
Deus cur Apoc. 11 22. vocetur omnipotens. 943 d
Deus suorum pericula cælestis suauitatis copia eleuat. 230.b
Deus cur decreuerit visibilem Hebræorum fidelium ab infidelibus separationem ante Hierosolymæ obsidionem. 432.2.d
Dei quanta virtute fuerit opus ad homines primitiuæ Ecclesię tempore ad Christi fidem traducendos. 404 2.a
Deum num Iacobus in superiori scalæ parte an in inferiori viderit. 291.1.b
Deus cùm loquens inducitur in Prophetis, familiare est tribui locutionem Patri. 162.2.a
Deum accipere virtutem quid sit. 369.b
verbum Dei quo sensu accipiendum Apoc. 1. 134.a
Dei nomen Hebraicè quid sonet. 154.1 c
Deus cur appelletur principium & finis. 168.2.a
Deus quo sensu venire dicatur. 222 a
de Dei vita Scripturam loqui solere vt de creaturarum vitæ fonte. 368 b
Deus cur Rex sæculorum appelletur. 704.d
Deus quomodo renum & cordium scrutator dicatur. 242.a
Deum quo nomine Plato appellauerit 140.1.d
Deum sui vultus claritatẽ ostendere quid sit. 203. b
Deus quem in finem creaturas produxerit. 34 2.b
Deus cur ad imam scalæ partem sit in visione Iacobi. 292.2.a
Deus Pater. *Vide* Pater.
Deus Filius. *Vide* Christus.
Deus Spiritus Sanctus. *Vide* Spiritus.
Deus Trinus. *Vide* Trinitas.
Vide etiam, Ira. Misericordia. Patientia. Potentia, Seruus, Signum, Spiritus, Thronus.

Diabolus.

Diaboli nomen quid sonet. 606.a
Diaboli detrusio in stagnum ignis vtrùm per anticipationem Apoc. 20. posita sit. 844 d
Diaboli angeli quo sensu cum illo dicantur in terram missi. 606.c.
Vide Dæmon.

Diadema.

per Diademata capitis de quibus Apoc. 19. quid indicetur. 802.c
in nomine scripto in Diademate alludi ad nomen Iehoua. ibid d

Dies.

Dies 45. à Daniele additi quem ad sensum sint referendi. 528.2.c
Dies Domini 1. Cor. 3. 13. quid significet. 533 1.d
Dies Domini quo sensu dicatur declaraturus vnius cuiusque opus. ibid.2.b
per Dies 1260 quibus mulier in deserto erat pascenda, quid figuretur. 597 c
Diei nomine aliquando in sacris dicm tribulationis & aduersitatis indicari 533 2.c
per Diem ac noctem quid figuretur in 4. tubarum plaga. 477 a
Dierum 1260. num. quomodo accipiendus 538.b
vnus Dies apud Deum sicut milie anni, quid sit. 135. a
Diem magnum de quo Apoc. 16. non pro vno solum die esse sumendum. 733 b
Ne pluat diebus prophetiæ ipsorum, quo pacto sit intelligendum. 545.b
Dies magnus omnipotentis Dei, quinam dicatur. 733.c
Dierum trium & dimidiati mysterium in duorum testium resurrectione. 552.1 b
Dierum trium & dimidii spatium congruentius quàm trium annorum vsurpari ad duorum testium resurrectionem. ibid 2.c
in Dierum trium cum dimidio numero de quo Apoc. 11.9. ad quem Scripturæ locum alludatur. ibid. 1.d
Dies decem pro exiguo temporis spatio sumi. 226.b
in Diei vnius itinere quo Ezech. templum ab vrbe distat, quod sit mysterium. 944 2.a
Dies 1260 num. tres annos cum dimidio conficiant 526 a
Dies 2300. à Daniele assignatos bello Antiochi rectè cum trium annorum ac dimidii spatio consentire. 526.2.d
Vide Annus.

Discessio.

Discessionis nomine quid Paulus significet. 671.1.d

Discipulus.

Discipuli vtrùm toto terrarum orbe, an solùm per Iudæam & Samariam sint dispersi post Stephani martyrium. 596.d

Discordia.

Discordiis atque odiis quantus hominum numerus intereat. 498.b

Diuinitas.

Diuinitatis symbolum est Sol. 726.a

Diuisio.

Diuisio totius operis. 128.d
Diuisionis superioris ratio. 129.a
Diuisionis in tres partes figura, de qua Apoc 16. 19. quomodo concipienda. 738.d

Diues.

Diuitem se esse quomodo Laodicenus iactaret? 281 c

Diuitiæ.

Diuitiæ quo sensu dicantur destitutæ? 775 d
Diuitias in Epistola ad Smyrnensem pro spiritualibus diuitiis accipiendas esse. 225.d
de Diuitiarum cupiditate perfectam victoriam in rerum omnium abdicatione sitam esse. 405.1.a

Domi-

Digitized by Google

Dominator.

Dominatori vniuersæ terræ assistere quid sit? 543. c

Domitianus.

in Domitiani persecutione cur dicatur Neronis persecutio reuixisse? 640.d

Domus.

distinctio in mystica viarum & Domorum cælestis Herosolymæ significatione. 943.a

Domum repleri fumo quid sit apud Isaiam? 713.b

Vide Dauid

Donum.

Donorum Spiritus sancti ratio congruens vnde fumi possit 155.2.c

Draco.

Draco quo sensu dicatur suam virtutem & potestatem dedisse marinæ bestiæ. 639.b

de signi magni appellatione auctoris explicatio ad Draconem describendum. 584.a

Draco cur in cælo apparere dicatur? ibid.

Draconis symbolum an solum denotet Dæmoniorum principem, an vniuersum Dæmonũ agmen? 586.c

Draco cur alios dentibus discerpere, alios percutere, & opprimere dicatur, & quæ sit huius discriminis ratio? 591.a

per Draconis caudam quid significetur? ibid.b

Draco quem in sensum dicatur spectare vt nascturum filium mulieris deuoraret? ibid.c

Draconis Apoc. 12. figura cuiusmodi fuisse fingatur. 583.c

Draco cur inter maris & terræ bestias interiectus fingatur? 617.a

Draconis persecutio vtrum fugam mulieris antecesserit? 610.b

Draco dum dicitur persecutus mulierem, quæ peperit masculum, quid innuatur? ibid.

quorsum Draconis & duplicis bestiæ bellum spectet 627.b

à Dracone potestatis concessæ bestiæ maris expositio alia traditur. 638.c

Draconis & aquilæ pugna. 342.a

Draco cur in maris littore stetisse dicatur? 616.b

Draco quo sensu dicitur Apoc. 12. in terram proiectus, 605.

Draconis magni appellatione quid innuatur? ibidem.d

Draconis & ipsius angelorum locus non amplius in cælo fuisse inuentus, quo sensu dicatur. 602.d

Draco & angeli eius qua ratione in cælo stetisse dicantur. ibid.

de Draconis expulsione prophetia quomodo considerandæ sit fuisse impleta? 603.b

Draconis visum cur vocetur à Ioanne signum magnum? 586.a

qui sint reliqui de mulieris semine quibus Draco bellum intulit. 615.a

an Draconis capita septem & cornua decem ad Antichristi tempora referantur. 587.a

Draco quo sensu dicatur è cælo deiici? 586.a

Draco cur appelletur rufus? ibid.b

an Apoc. 20. 4 sermo sit de iis qui ante Draconis solutionem defuncti sunt? 828.c

Draconis capita cur fuerint coronis redimita, & Bestiæ marinæ non capita, sed cornua coronentur? 589.c

per Draconis capita septem capitalia vitia figurari. 588.c

per Draconis cornua decem quid figuretur? ibid.d

Duplum.

Duplum miscere quid sit? 770.b

Dux.

Ducem vestitum esse veste aspersa sanguine quid sit? 803.a

Dux cur apud Zachariæ equo rufo, apud Ioannem albo vehatur? 410.1.b

Dux cælestis exercitus de quo Apoc. 19. quis sit? 801.b

Dux in qua parte nomen haberet scriptum quod nemo nouit? ibid.d

occisionem mysticam (de qua Apoc. 19.) figurari vt à solo Duce totius exercitus factam. 800.d

Ducem cæliştes exercitus sequentes Apoc. 19. qui sint? 804.2.a

Duci totius exercitus solum tribui cædem in hostibus factam, atque victoriam. 801.d

Duci vni quo sensu tribuatur totius exercitus efficientia? 802.a

Dux quorsum in femore habebat scriptum Rex regum 803.c

Ducis gladio fuisse interfecti qui dicantur? 807.d

Ducis nomen (de quo Apoc. 19.) in diademate scriptum esse diuersum à nomine verbi Dei. 800.b

Ecclesia.

ECclesiam primitiuam appellari cælum. 506.a

Ecclesiam parturientem Christo subnixam perinde esse quasi veræ Lucinæ ope & auxilio adiutam. 573.b

Ecclesia militans in cælo cur appareat? 288.c

Ecclesiam militantem esse terrenum Dei paradisum. 226.d

symbola quæ triumphantis Ecclesiæ præmia figurant, suo etiam modo præmia militantis ecclesiæ applicari. 225.a

Ecclesiæ totius cursum ex prosperis pariter & aduersis contexi. 530.1.d

Ecclesiæ persecutiones quot & quæ fuerint ex Augustino? 630.b

Ecclesiam per labores & persecutiones de Synagoga reportasse victoriam. 511.2.a

Ecclesia in cælo cur apparuisse dicatur. 570.b

Ecclesiam figurari in muliere Apoc. 12. ibid.c

Ecclesia quare radiis solis amicta, stellis coronata, & lunam pedibus premens apparuerit? ibid.d

Ecclesiæ cur Deus voluerit prænunciari, persecutiones fore amplius septem, non tamen præfinitum omnium numerum reseruerit? 633.b

in Ecclesiæ splendorem Romæ veteris magnificentia cessit. 311.2.d

oportuisse diem iudicij per multa sæcula differendum Ecclesiæ non esse initio ignoratum. 814.d

Ecclesiæ ministrorum dignitas. 157.c

de Ecclesiæ tribus bellis Apocalypsis doctrina ad alia etiam extendi potest. 57.2.d

Ecclesiæ grauiores euentus oportuisse ipsi reuelari. 56.2.c

Ecclesiæ cur reuelari oportuerit Iudæorum, Gentilium, & Antichristi bella, Hæreticorum & Maurorum non item? 57.1.a

de victoria per Ecclesiam reportanda ex Romano Imperio cur Paulus obscurè fuit locutus. 673.2.a

ad Ecclesiæ persecutionem à Romano Imperio ethnico olim excitatam sextam Phialarum plagam esse referendam. 729.c

Ecclesiæ historias respicere sub Iudaicarum historiarum cortice Prophetis fuisse familiare. 705.2.d

Ecclesias particulares, & præsertim Religiones per loca malogranatis confita figurari. 163.2.a

Ecclesiæ recens in terris fundatæ indi nomen nouæ Hierosolymæ. 861.c

Ecclesiæ bellum indicens duplex ciuitas fuit Hierosolyma, & Roma antiqua. 26.1.c

in Ecclesiæ aliqua persecutione familiare esse Ioanni per comparationem respicere ad Antichristi tempus. 537.d

Ecclesiæ persecutionum tempus recte indicari potuisse per trium annorum & dimidij tempus, quo Antiochi persecutio durauit. 530.1.a

Ecclesiæ militantis portas cur Isaias dixerit die ac nocte non claudendas, Ioannes verò in triumphantis portis solùm diei meminerit? 946.b

ad Ecclesiæ persecutionũ breuitatem denotandam quàm aptum sit triennij & semianni spatium. 530.1.b

ad Ecclesiæ propagationem quanti interfit B. Virginis auxilium. 578.2.c

in Ecclesia quàm sit laudabile homines à mundi com-

Digitized by Google

commercio ſeparari, vt ſe Deo totos conſecrent. 950.2.a
Eccleſiam militantem dici è cælo deſcendere,& cur. 266.c.
in Eccleſiæ perſecutionum numero referendo ſententiarum varietas 630.c
Eccleſia Thyatirēſis num potuerit eſſe fundata poſt ſcriptam Apocalypſin? 240.d
Eccleſiæ fundamēta eſſe duodecim Apoſtolici Symboli veritates. 876.d
in Eccleſia cuiuſmodi thronū Deus habeat. 296.2.c
Eccleſiæ baſis B. Virgo. 578.2.a
Eccleſiæ militantis felicitatem ad Sanctos etiam in cælo degentes pertinere. 834.d
in Eccleſiæ primitiuæ fidelibus quantus feruor pietatis,& aliorum ſalutis procurandæ. 313.b
Eccleſiam primogenitam figurari Sionis nomine. 659.d
Eccleſiæ figuram fuiſſe Salomonis templum. 354.2.d
Eccleſiæ quantum præſtiterint obſequii religioſæ familiæ. 822.1.a
de quo Eccleſiæ ſtatu ſit ſermo ſub fœminæ parturientis allegoria. 582.c
nonnulla quæ ad militantem Eccleſiam videntur ſpectare,cur in cæleſtis patriæ pictura appareant. 853.d
ab Eccleſia additæ inſcriptiones multorum ex libris canonicis. 7.1.d
de Eccleſiæ perſecutionibus agere Danielem cap. 12.ſub figura perſecutionum Antiochi. 528.1.b
in Eccleſiam excitatas perſecutiones in Antiochi Epiphanis perſecutione adumbratas. 599.b
Eccleſia Thyatirenſis vtrum Ioannis tempore erecta fuerit? 215.2.d
Eccleſiam è mediis perſecutionibus ad maiorem gloriam euehi. 206.a
Eccleſiæ gloriam in perſecutionibus & martyrum tormentis delitescentem vel Dæmones ipſos latuiſſe. 383.a
Eccleſiam dici regnum ſacerdotale. 306.b
in Eccleſiæ Romanæ gloriam ac triumphū redundaturam victoriam de Antichriſto comparandam. 844.a
Eccleſiam Romanam eſſe ſponſam agni ſtatuitur. 791.a
quàm Eccleſiæ Romanæ glorioſa ſit poſtremæ Apocalypſeos partis expoſitio. 810.b
ad Eccleſiæ Romanæ gloriam validum deſumi argumentum ex noſtra alligati dæmonis interpretatione. 816.a
Eccleſiæ Romanæ excellentia & primatus inter Eccleſias ceteras. 594.a
in Eccleſiæ Romanæ vtilitatem obſcuritas Apocalypſeos maxime redundat. 33.1.a
præ Eccleſiæ Romanæ victoria ab Imperio Romano parta ceteræ omnes minoris momenti. 38.2.a
de Eccleſiæ imprimis Romanæ gloria eſſe ſermonē in cap. 21.& 22.Apocalypſis quibus adducti rationibus credamus. 855.c
ad Eccleſiam potiſſimum Romanam ſpectare totam cæleſtis gloriæ amplitudinem de qua Apoc. 21.& 22.agitur. 854.c
ſub Eccleſiæ Romanæ nomine qua ratione ceteræ Eccleſiæ contineantur. 855.d
de Eccleſiæ Romanæ gloria noſtram c. 21. & 22. explanationem Hæreticis moleſtam viſum. 856.a
cur Eccleſiæ potiſſimum Romanæ fidem numquam Deus permiſerit deficere. 821.1.b
Vide Apocalypſis, Apoſtolus, Beſtia.

Eccleſiaſtes.

totius libri Eccleſiaſtis epilogus. 214.1.a

Egredior.

non amplius Egredi foras quid ſit. 266.d
quid promittatur eis verbis, *foràs non egredietur amplius.* 267.b

Electrum.

per Electrum quid figuretur in figura Ezech. 306.1.b
per lucem in Electro clauſam quid ſignificetur in Ezech figura. ibid.
an ex Electro fuerit Ezechielis figura. 300.1.d
Electro lucidior prouerbium eſt. 301.1.a
Electri ſignificatio pro metallo quàm ſit antiqua. ibid.c.
Electri metalli natura quæ ſit. ibi. 2.a
cur ex Electro potius quàm ex mero auro & alio metallo Ezechielis figura viſa ſit. ibid.
Electrum ad lucernarum lumina clarius argento ſplendere. ibid.b
Electri vis ad deprehendenda venena. ibid.
Electrum natiuum quanti pretii fuerit. ibid.c
Electri natiui mira proprietas. 190.2.c
Electri proprietatum myſtica ſignificatio. 302.2.a
Electrum cur in Ezech figura ſuprà appareat ibid.b
Electrum an Ezech.1.27. pro metallo ſumatur, an verò pro ſuccino 300.2.c & fuiſſe metallum probatur. 301.1.b

Eleëmoſyna.

Eleëmoſynæ ſymbolum galbanus. 393.1.a
Eleëmoſyna quomodo commendetur in primo miraculo Tobiæ. 459.2.c

Eliacimum.

Eliacimum Chriſti figuram fuiſſe. 537.b
Eliacimus qua ratione Chriſti fuerit typus. 260.b

Elias.

in Elia figurari ſanctitatem 537.b
Elias num fuerit in cælum æthereū ſublatus. 293.1.c
de Eliæ aduentu ſpiritali quomodo poſſit intelligi locus Eccleſiaſtici 48.11. 539.1.a
de Elia quo pacto ſit intelligendus Malachiæ locus. ibid.c
de Eliæ ſpiritali aduentu explicatur idem Malachiæ locus in B Ioanne Baptiſta. ibid.2.a
Eliam figurari in tertio angelo qui ad vindemiatorem clamauit. 689.d
cur Elias videatur priùs deſignatus Apoc. 11.6. deinde Moſes 545.a
Elias & Moyſes cùr non ſuas proprias perſonas ſed fictas agant in viſione c.14.17.18.Ioel verò ſuammet ipſius perſonam agat. 690.d
Eliæ & Moſi cur quadret nomen duorum teſtium. 537.a
Elias & Moſes quomodo in hoc ſacro ænigmate inducantur. ibid.
Eliam & Moſem in duobus angelis vindemiæ figuratos,eſſe ſapientiæ & ſanctitatis ſymbola. 690.a
ad Eliæ & Enochi aduentum ſub Antichriſto affirmandum quod ſit in Scriptura fundamentum. 538.1.d
Eliam & Enochum eſſe ſub Antichriſti tempus venturos ad prædicandum, an ſit Eccleſiæ traditio. 540.1.a.b
Eliæ & Enochi aduentum futurum non ab omnibus æquè certum reputari. ibid.
de Eliæ & Enochi futuro aduentu quo fundamento nitatur Eccleſiæ traditio. ibid.d
de Enochi aduentu non minus conſtare quàm de Eliæ. ibid.1.b
Eliæ & Enochi aduentum non certò probari ex Apocalypſeos loco præcisè ſumpto. ibid.

Elizabetha.

Elizabethę etymologia. 490.1.d
Elizabetha cur Ioannis filii conceptum menſibus quinque occultauerit ibid.1.c
quinque menſes quibus ſuum Elizabetha grauiditatem occultauit quid myſticè ſignent. 491.1.b
Eliſabethæ grauiditatem ante quinti menſis finem fuiſſe cognitam in ipſo textu innui. ibid.
Eliſabethæ grauiditas ſub quinti menſis finem manifeſtata quid typicè adumbret. ibid.c

Elohim.

Elohim quid propriè Hebræis ſonet. 151.2.d

Endymion.

Endymionis tum hiſtoria,tum fabula. 573.1.d

Epiſcopus.

diſcrimen inter Smyrnæum & Philadelphium Epiſcopum. 263.c

Digitized by Google

ad Asiæ septem Episcopos quorsum in Apocalypsi inserantur Epistolæ. 216.1.c
Episcopi propria munera vigilare & confirmare. 255.a
Episcopos adumbrari per quatuor Ioannis animalia. 332.b
ad Episcopos Asiæ septem conscientiarum genera applicatio. 218.1.a
Episcopi Asiæ de quibus arguuntur ipsorum esse propria peccata 215.1.d
Episcopi quanta cura debeant suum munus præstare. 310.1.d
Episcopo Philadelphiæ quod conscientiæ genus fuerit. 259.a
Episcopo Ephesino quæ sit cohortatio adiecta, & quorsum. 223.d
Episcopo Thyatirensi cur non intendantur minæ, si secus faxit. 241.a
Episcoporum munus quo plus habet dignitatis, eo plus laboris ac solicitudinis habere 311.2.c
Episcoporum nomina cur in epistolis subticeantur. 220.c
remissio de qua Episcopus Ephesinus obiurgatur cuiusmodi sit intelligenda. 221.d
Episcopus Thyatirę cur imprudentiæ arguatur? 240.a
Episcoporum Asiæ ad septem planetas applicatio. 219.1.a
de Episcopo Sardensi quis scilicet Ioannis tempore fuerit non constat. 216.2.a
in Episcopo Ephesino quid notetur. 218.1.a. Quid in Smyrnensi. ibid.b. Quid in Pergameno. ibid. Quid in Thyatirensi. ibid. 2.a. Quid in Sardensi. ibid. Quid in Philadelphio. ibid. b. Quid in Laodiceno. ibid.
in Episcopo Ephesino quid commendetur. 221.b.
Ephesini Episcopi prudentia commendatur. ibid.c
Ephesinus Episcopus vtrùm de charitate amissa obiurgetur. ibid.
Episcoporum dignitas, sacerdotum maior. 306.c
Episcopus Pergamenus quis fuerit Ioannis tempore. 216.1.b
ad Episcopi etymologiam respici quodammodo in nomine viuentis 254.b
quis fuerit Episcopus Laodicenus sub Ioanne num conueniat. 216.2.b
Episcopus Sardensis vtrum aliquo occulto peccato fuerit infectus. 254.b
Episcopos septem per stellas totidem figurari. 199.b
peccata Episcopi Sardensis quæ fuerūt, num conuici possit. 254.c
Episcopi Sardensis cur Christus improbitatem permiserit. 253.a
diuinæ prouidentiæ ratio in septem Episcopis, de quibus Apocalypsis agit, seligendis. 218.2.c

Epistola.

Epistolas septem Ioanni dictari ab eodem qui Apocalypseos prologum agit. 216.1.c
Epistolarum connexio cum cetera Apocalypsi quæ sit. ibid.d
Epistolæ ad septem illos Angelos quorsum in Apocalypsi inserantur ibid. tota notat.
in Epistolis septem ad quemlibet fidelium peculiarem epistolam contineri. ibid.2.d
in Epistolis septem septem hominum classes considerari. ibid.
in Epistolis quem Ioan. ordinē seruauerit. 217.1.d
in Epistolis salutarem omnibus conscientiarum generibus doctrinam contineri. 219.1.a
in Epistolarum aliis cur sola laus, aliis sola reprehensio, aliis obiurgatio laudi admista contineatur. ibid.d
Epistolarum harum doctrina quàm sit viris spiritualibus vtilis. ibid.b
Epistolæ cuiusque initium vnde & cur sumatur. 220.c
Epistolæ primæ titulus cur ei affigatur. ibid.a
num in præmiis & admonitionibus ad Epistolarum calcem additis sermo sit cum singulis Episcopis. 223.a
Epistolæ ad Smyrnensem præmium quam aptè cum ipsius doctrina consentiat. 227.b
in Epistolis Petri Apostoli doctrinam contentam suo etiam modo ad omnes Christianos depranatæ vitæ posse applicari. 677.a
collatio inter Epistolam Petri secundam, & Epistolam Iudæ Thadæi. ibid.b
in Epistolis B. Petri nonnulla difficilia loca ex B Iudæ epistola eiusque contextu explicantur, ibidem 678.1.a,b

Equus.

Equitem equo vectum esse salutis symbolum historiis tam veris quàm fictis probatur. 401.2.a
Equitum sextæ plagæ tubarum loricæ quomodo dicantur esse igneæ, hyacinthinæ, & sulphureæ. 500.a
Equitum dictorum loricarum ignis, hyacinthus, & sulphur quid significent. ibid.b
in Equitibus dictis cur loricæ igneæ & hyacinthinæ. ibid.c
Equitis in equo albo sedentis, ceteroſque ductantis variæ traduntur expositiones. 804.1.a

Equus.

Equi quatuor primorum sigillorum vtrum eandem ad rem vel ad contrarias spectent. 400.1.d
Equum esse symbolū salutis siue saluationis 401.2.a
Equi descriptio perelegans ex Iobo. ibid.c
Equorum varium colorem non obstare quominus ad eandem significationem pertineant. 402.1.a
Equos quatuor sigillorum eundem ad finem referendos probatur ibid.b.
Equi cur apparuerint in primis quatuor sigillis, in reliquis non item, congruentem in nostra expositione reddi rationem non verò in aliis ibid.2.c
cur Equi in quatuor primis sigillis conspiciantur, non verò in reliquis redditur ratio. ibid.d
Equi quatuor in septem sigillis non plures nec pauciores cur appareant 403.1.b
in Equorum quatuor figura causam saluationis adumbrari ibid.2.c
in Equorum quaternario effectum etiam saluationis innui ibid.d
de Equorum quatuor sessoribus variæ opiniones. 406.1.b
Equorum omnium sessor an sit Christus. ibid.
in Equis omnibus an possit idem sessor aptè concipi. ibid.c.
Equorum omnium sessorem Christum quodammodo dici posse. ibid.2.d
Equum & equitem in singulis sigillis eiusdem esse significationis. ibid.
Equorum sessores qui sint. 407.1.a,& seq.
Equorum omnium sessores coniunctim enumerantur. ibid.d
quod attinet ad trium posteriorum Equorum sessores plures auctores nobiscum esse. ibid.2.a
Equis vectæ cur fingantur quatuor personæ fictæ. ibid.b
in Equis quatuor vehi cur non fingantur virtutes prout tales sunt. ibid.c.
in Equo albo veritas equitare num possit aptè dici. ibid.
an quilibet ex his qui in Equis sedent Saluator dici queat. 408.1.a
Equo & sessori vtrum diuersa significatio debeat assignari? ibid.
Equus num possit esse eorum symbolū, qui à Christo saluantur? ibid.c
Equorum quatuor colores cuiusmodi sint? ibid.d
inter Equorum Ioannis & Zachariæ colores discrimen, & discriminis ratio. ibid.
inter Equorum sessores quos vidit Ioannes, & quos Zacharias, quæ sit differentia. ibid.2.a
Equi occulti inter myrteta quid significent apud Zachariam. ibid.
inter Equos Ioannis & Zachariæ, colorum differen-

Digitized by Google

tia traditur. ibid.b
in Equis Zachariæ colorum apparentium quæ sit significatio? ibid.d
per Equi album colorem quid apud Zachariã significetur? 409.1.a Quid per rufum equi colorem? ibid. Quid per varium colorem? ibid.b Quid per nigrum colorem? ibid.c
in Equis Zachariæ inter myrteta abditis cur colores tantum rufi, varij, & albi sint? ibid.d
Equorum Zachariæ visio quò potissimùm spectet? ibid.2.a
per Equorum Apoc. colores quid figuretur? ibid.b
Equos albos mitiores & mansuetiores esse. ibid.c.
Equis albis lenem, & mollem esse pilum. ibid.
Equorum Ioannis colores eorumq; significationes paucis coercentur. ibid.d
in Equis Zachariæ cur varius color apparuerit, in Ioannis non item? 410.1.a
in Equis Zachariæ cur pallidus color defuerit? ibid.
dux Equo rufo apud Zachariæ apud Ioannem albo cur vehatur? ibid.b
Equorum colores in Apocalypsi quo potissimum spectent. ibid.c
Equi secundi sessorem esse audaciam. 415.a
Equi tertij sessorem esse paupertatem. 417.b
Equi albi sessorem esse fidem. 413.a
Equi albi sessor quo sensu dicatur arcum habere? ibid.b
Equi quarti sessor quis sit? 421.a
Equum in prælium paratum perinde videri, atque cataphractum equitem. 492.c
Equorum in prœlium paratorum sub figura quid adumbretur? ibid.
per Equos & equites in sexta plaga tubarum quid figuretur. 499.a
in Equis sextæ plagæ tubarum leonina capita quid denotent? ibid.b
Equis furiosis sextæ plagæ tubarum cur serpentes pro sertis dati? ibid.d.
vsque ad Equorum frenos sanguis exisse quò sensu dicatur. 693.b
Equi diuinæ prouidentiæ qui sint. ibid.c
de quibus Equis sit sermo cum Apocalypsi 14. dicitur, *Sanguis exiuit vsque ad frenos equorum?* ibid.b
per Equos albos quibus cælestes aduehuntur milites, quid figuretur. 801.c
Equos albos in triumpho quis olim currui adiunxerit 803.1.d
per Equum album quid figuretur. ibid.2.d
Vide Quadriga.

Esau.

Vide Iacob.

Euangelista.

ad quatuor Euangelistas non esse restringendum quatuor animalium Apoc. symbolum. 332.b

Euangelium.

Euangelii prædicatio in toto orbe & mox futura consummatio à Christo prædicta quo sensu accipienda. 430.1.d
Euangelium æternum quid sit. 667.d
cur Euangelium æternum appelletur nuncius de idololatriæ expulsione. 668.d

Eucharistia.

ad sacram Eucharistiam accommodatur calculus candidus. 232.c
ad Eucharistiam aptè referri id Apoc. 7. 15. *qui sedet in throno habitabit super illos.* 451.a
ad Eucharistiam applicatur manna absconditum. 270.b
ad Eucharistiam applicatur stella matutina. 251.2.d
de Eucharistia explicatur cœna de qua ad Laodicenum. 283.c.
de Eucharistia exponitur lignum vitæ. 224.b
Eucharistiæ effectum esse liberationem à morte secunda. 227.b
pro Eucharistiæ Sacramento vestimenta alba vsurpari. 257.a
de Eucharistia qua ratione possit explicari altare Ezechielis. 519.c
ex Eucharistia fructus percipiendus cur Ephesino promittatur. 224.b
de Eucharistia sermo quàm sit opportunus in præmio promissio Ephesino Episcopo ibid.c
Eucharistiæ veritas aduersus hæreticos asseritur. 214.1.b
ad Eucharistiã columnæ promissio applicatur. 266.b

Euomo.

Euomere ex ore, quo sensu sumatur? 280.c
Euomere te incipiam quid sit? 281.b

Euphrates.

quid per Euphratem figuretur? 496.c. 729.d
Euphratis exsiccati per cyrum & Darium historia. 728.1.b
Euphratis exsiccati mysticam renouationem in sexta phialarum plaga affirmari. 729.b
de qua Euphratis siccati renouatione Apoc. 16. 12 sit sermo. ibid.
Euphratis ab orientis regibus exsiccati, quænam sit spiritualis renouatio? 730.b
Vide Angelus.

Exercitus.

Exercitus equestris numerus in sexta tuberum plaga ceteris numeris in tota Scriptura positis maior 498.d. & quorsum. ibid.
Exercitus dictus quorsum fingatur equestris. 499.a
Exercitus myrtici Pharaonis in mari demersus quis sit? 706.1.b
Vide Dux.

Expositio.

Expositionis noua ratio exemplo cõprobatur. 45.1.a
Expositio nostra qua ratione receptas complectatur. 51.2.d
Expositionis nouæ duplex genus. 46.1.c
ad Expositiones nouas indagãdas nos Christus hortatur. 44.2.c
Expositiones aliquot quæ mysticæ vocantur esse literales. 49.1.c
in Expositione nostra minimè reiici receptam in aliquibus Apoc locis intelligentiam. 52.1.c
pro expositione sacrarum literarum noua astruenda insignis locus Gregorii Magni. 44.2.a
Expositiones multas à Patribus inuentas. ibid.1.c.
de Expositionis nouitate obiectioni satisfit. ibid.a
Expositio nostra etsi aliqua non omni ex parte noua. 46.2.a
Expositio nostra nouitatem cum antiquitate coniungit. 51.1.a
Expositionis nouæ congruentiam nouus interpres debet ostendere. 45.1.d
reuelationes quæ nostræ Expositioni oppositæ circumferuntur. 53.1.b
Expositionem nouam qui & Apocalypsi quadrare & tamen ex Ioannis mente non esse, dicat, is sanè Spiritui sancto derogat. 48.2.b
Expositio noua deseruit interdum ad fidei confirmationem, 45.2.b.
Expositionum nouarum licentia coërcenda. 43.2.d.
Expositionis nostræ fundamenta perantiqua sunt. 46.2.d
contra Expositionem nostram obiectiones. 43.1.d
ad Expositiones nouas indagandas nos Patres hortantur. 44.2.b
Expositionem non semper probatiorem, quæ & simplicior sit, & nihil prorsus immutet. 915.2.a

Ezechiel.

Ezechiele Homerus antiquior. 951.b
Ezechielis nominis etymon 154.2.a
Ezechielis loci duplicis in speciem pugnantis conciliatio 361.1.a.& seq.

Facies.

FAcies non semper sumitur pro vultu. 361.2.d
Facies rotarum Ezech. qua ratione sint considerandæ. 329.d
de Faciebus quatuor animalium, Vatabli & Hebræorum opinio 361.2.b
Faciem Seraphinorum Isaiæ non totam omnino tectam

Digitized by Google

tectam esse debere. 357 2.a
Facies quatuor & quatuor pennas & vituli plantam vt res diuersas ab Ezechiele enumerari. 362.1.b
Faciei humanæ in vituli corpore antiquum insigne, & eius significatio. 341.b
in Facie aquilina Ezechielis, num vox *desuper* abolenda in textu, an retinenda sit. 360.1.d
an suas ipsorum Facies, an Dei vultum alis obtexerint Seraphini Isaiæ. 356.2.d
de Faciebus animalium veterum Græcorum interpretatio. 362.2.d
Facies num tantùm vna singulis Isaiæ Seraphinis sit affigenda. 356.2.
per Faciem Angeli fortis solis instar fulgentè quid figuretur. 505.a
in Facie quadruplici cur Ioannis, & Ezechielis animalia conueniant. 343.d
in Facibus animalium cur prouidentiæ partes figurentur. ibid.c
Facies animalium Ezechielis qua ratione sint considerandæ. 360.1.b. & qua forma & dispositione. 363.1.a
Facies cur fuerint vitulinæ in Cherubinis templi. ibid.2.d
Facies quadruplex Ezechielis animalibus cur fuerit, Ioannis verò simplex. 364.1.a
Facies quatuor animalium quod ad significationē attinet, primis quatuor Apocal. sigillis respondere. 365.1.b
Vide Animal, Aquila, Cherubinus.

Factum.

quid significet phrasis illa, *Factum est.* 737.c

Falx.

Falcem mittere quid sit apud Ioëlem. 686.a
Falci cur in vindemia quater addatur epitheton acutæ, semel verò in messe. 689.a
Falx quid significet, quam manu portat angelus egrediens de templo quod est in cælo. 691.a

Fames.

de qua Fame sit sermo Apoc. 7.16. 451.b

Familia.

quænam Familiæ Nathan, Leui, & Semei apud Zachariam. 160.2.d

Fel.

Fellis mystica significatio. 459.1.a
mystica significatio secundi Tobiæ miraculi de Felle virtute. 460.1.a
Vide Pisces.

Felicitas.

Felicitas mystica Israëlis id est Christiani populi in quo sita sit. 448.a
Felicitatis æternæ symbolum numerus octonarius, 656.d
Vide Beatus.

Femur.

in Femore esse scriptum nomen, & in vestimento quid sit? 801.a

Ferrum.

Ferrum quo magis accensum, eo minus rubescit. 136.2.a
Ferrum adamante tactum volui ad Septentionem. 238.2.a
in Ferri proprietatibus figurari diuinæ prouidentiæ Spiritus. 246.1.c
In Ferro fortitudo seu potentia figuratur, ibid. Item beneficentia. ibid. Item æquitas ibid.d. Item sapientia. ibid. Item patientia. ibid. Item comminatio. ibid 2.a. Item punitio. ibid.
Ferrum quo læuius, eo magis aptum vt à magnete trahatur. 248.1.c
Ferrum quanto maius pondus magnete contactum quàm magnes ipse attollat. 240.1.a
Ferrum magneti adiunctum, si aliud ei ferrum admoueatur magnetem deserit, ac ferro applicato adhærescit. ibid.c

Fidelis.

Fideles primitiuos Ecclesiæ denotari per illa 144 millia cap. 14. Apocal. 659.a.664.d
Fideles in rerum supernaturalium cognitione per meliorem veritatis creditæ perceptionem illustrantur. 38.2.b
Fidelis & veracis appellatio quid denotet. 802.b
Fideles quo sensu dicantur empti de terra. 665.a
Fidelibus primitiuæ Ecclesiæ quantum feruor pietatis & aliorum salutis procurandæ. 33.b
Fidelium veterum constantia in Christi fide suscipienda, & profitenda. 404.2.c
Fidelium primitiuorum voluntaria paupertas & rerum abdicatio. 405.1.a

Fides.

Fidem esse equi albi sessorem. 413.a
Fidei Christianæ procurandæ studium virorum Apostolicorum. 366.a
Fidei Symbolum duodecim veritatibus certo constare, non tamen certo constare de ipsarum veritatum inter se ordine, ac diuisione. 886.1.a
ad Fidei confirmationem noua interpretatio interdum deseruit. 45.2.b
Fidei veritates in gemmis figuratæ quomodo sint cælestis ciuitatis fundamenta. 854.b
Fidei veritates in vnum veluti corpus coactæ cur Symbolum appellentur. 885.b
Fidei cur corona detur 413.b
Fidei Symbolum Onyx. 392.2.a

Filius.

Filius masculus quo sensu dicatur omnes gentes in virga ferrea regere. 594.d
Filius masculus qua ratione dicatur ad Deum, eiusque thronum raptus. 595.a
per Filium masculum quid figuratur. 592.b
in Filio masculo qui populus seu gens adumbretur. ibid.d
Filium masculum esse peculiarem aliquam Ecclesiam, non vniuersalem fidelium cœtum. 593.b
Eamque esse Romanam. ibid.d
Filius masculus cur ad Dei thronum assumptus, mater verò in solitudine fuisse dicatur? 596.a
super Filium hominis angelos descendere & ascendere quid sit. 297.2.c
Filio hominis similem, quid sit. 184.b
in Filio hominis simili quisnam figuretur. ibid.c
Filio hominis similis num immotus, an deambulans Ioanni apparuerit. ibid.b
Filij verba sint an Patris æterni, *Ego sum* A. & Ω. 166.b
Filii Israël quinam vocentur Apocal. 7.4. 440.b
Filii Israël cur neruum in animalibus non ederint, 522.1.a

Finis.

nomen, Finis, Hebraica phrasi & Victoriæ, & Vincenti tribuitur. 168.1.c.d
inscriptio *In Finem* cur pluribus Psalmis desit 169.1.a
in Finem initio Psal. positum quid significet. 167.1.c
huius vocis *In Finem* quadruplex explicatio. ibid.
Psalmus quicunque titulum habet *in Finem*, aptè supremo Victori Christo tribuitur. 196.1.a

Flumen.

per Fluminis fluxum & cursum quid adumbretur 496.d
Fluminis Apoc. 22.v.1. vnda cur crystalli instar esse perhibeatur? 948.d
Fluuium esse sapientiæ Symbolum. 948.c
Fluuius à sede Dei & Agni procedens qua ratione sit concipiendus? ibid.b
in Fluuio hoc quid figuretur? ibid.
inter Fluuium Ioannis & Ezechielis quæ reperiantur differentiæ? 949.1.c
Fluuius ex ore draconis procedens vtrùm humanam significet eloquentiam? 613.c
Fluuius vitæ ciuitatis Ierusalem quid indicet? 857.d
Fluuius ex ore draconis prodiens vtrum persecutionem Neronis designet? 614.b

Fœdus.

Fœderis noui & æterni Symbolum arcus cælestis. 300.a

Digitized by Google

Fœmina.

vt Fœminæ singularis mentio adeo peculiaris fiat Apocalypsi esse indignum. 239 b
in Fœmina parturiente allusio ad Isaiæ locum. 582.a
Fœminam mysticam Apoc. 12. parturire, quid sit? ibid.d
Fœminæ parturientis clamores quid significent? 583.a

Fœnum.

Fœni nomine omnia sata esse intelligenda, quę viridia adhuc sunt. 473.c
Fœnum omne exuri quid sit? ibid.
per Fœnum quid intelligat Paulus. 533.1.c

Fons.

Fontes ac flumina cur sanguine perhibeantur tincta? 721.d
Fontis salientis in vitam æternam sensus tum literalis, tum mysticus. 489.2.c

Fornicaria.

Fornicariam quo sensu dicantur decem cornua odio habitura? 759.b

Fornicatio.

Fornicationum mater cur Roma ethnica vocetur? 755.a
Fornicatio in sexta plaga tubarum pro mystica & spirituali vsurpatur. 591.b
Fornicationis ira quænã denotetur Apoc. 14. 671.a

Fortitudo.

Fortitudinis obiectum quod sit. 380.1.a
Fortitudo sub imbecillitatis specie quantopere eluceat. ibid.

Frater.

Fratres Ioannis quos nam Angelus nuncupet? 799.c

Frigidus.

inter Frigidum & tepidum discrimen. 278.b
Frigidum esse aut calidum Laodicenum cur malit Christus, quàm tepidum? 279.c
explicatur cur Frigidum aut calidum esse præstet, quàm esse tepidum. 280 a.b

Frons.

in Frontibus quomodo dicantur signari serui Dei? 437 d
Frontis potissimum signãdæ cur mentio fiat? 438.a
Ioannem non vidisse corporeis oculis signum illud in Frontibus signatorum impressum, idque cuius mysterij gratia? 447.a
in Fronte meretricis nomen scriptũ quid sit? 754.d
in Fronte scriptum nomen quid denotet. 755.a

Fructus.

quodecim Fructus quos lignum vitæ producit, quid significent. 951.d

Fulgur.

Fulgurum ac tonitruorum philosophiæ mysterium 314.a
per Fulgura, voces, & tonitrua Apoc. 16. 18. quid figuretur. 312.b.737.d
cum Fulguribus cur voces humanæ sociatæ fingantur. 313.c
Fulgura & tonitrua de Dei solùm throno non de seniorum processisse. 312.a
Fulgura, tonitrua & terræmotus post ignem in terram missam, quid significent. 469.b
Fulgura & voces Apoc. 11 19. quid sibi velint. 562 d
Fulgura, voces, & tonitrua cur alibi, Apoc. verò 11. 19 solum fulgura & voces coniungantur. ibid.
de Fulgurum ac tonitruorum mysterio aliorum opinio. 312.b
Fulguris tonitruiq; coniunctio quid denotet? 313.c

Fumus.

Fumus quo sensu ex abysso prodire dicatur. 483.c
Fumo abyssi quomodo Sol & aër obscurati dicantur? ibid.
Fumus Babylonis ascendens in sæcula sæculorum quid mysticè adumbret. 782.a
in Fumo sæpe Dei iram figurari. 712 b
Fumus cuius rei sit symbolum. 715.1.
Fumum in Scriptura à nebula seu nube distingui. 714.1.a
Fumi in sæculi ascendentis proponitur alia expositio. 788.1.b
Fumi symbolum ad diuinam indignationem posse aptari. 789 1.a
Fumus in sæcula duraturus quomodo vere dicatur. ibid.b
distinctionis inter Fumum & nubem redditur ratio 714.2.b
Fumi & nubis coniunctio in monte Sina quid adumbret. 715.1.b
Fumus cur dicatur prodire à maiestate Dei, & de virtute eius. 712.a
Fumus à maiestate Dei & virtute eius quo sensu dicatur prodire. 713.a
Fumus quid significet ex auctoris placito. 712.c
de Fumo ascendente in sæcula, disputatio. 679.1.b
Fumus sempiternus Apoc. 14 & 19. quo sensu sumatur. 680.1.b
per Fumi allegoriam quid adumbretur? ibid.d
Fumi ascendentis in sæcula sensus duo, quomodo in vnum coalescere possint. ibid.2.a
Fumi Symbolum quomodo possit aptè de Dei gloria exponi. ibid.b
Vide Abyssus.

Fundamentum.

Fundamenta duodecim vrbis quomodo sint mente concipienda. 874.b.c
Fundamenta muri, & nomina in eis inscripta quinam Ioannes dispicere potuerit. ibid.b
quomodo cum ænigmatico stilo cohæreat vt Fundamentis singulis suæ significationis inscriptiones apponantur. 876.a
Fundamenta muri quo sensu dicantur ornata omni lapide pretioso. 883.c
in Fundamentis 12 Apostolos pro certo figurari. 879.c
in quo consistat Apostolos esse Ecclesiæ Fundamenta. 876 c
Fundamentorum Ecclesiæ Symbolum cur Apostolis tribuatur. ibid.b
in Fundamentis cælestis Ierusalem quid adumbretur. 837 c
Fundamentis illis nixa quomodo consideranda sit ciuitas. 875.a
Fundamentum Ecclesiæ est titulus libri inter alios inuenti in sacri montis Granatensis cauernis. 877.a

Fur.

cùm Apoc. 16. 15. dicitur, *Ecce venio sicut Fur*, de quo Dei aduentu sit sermo. 736.b
Furis aduenientis comparatio in Scriptura frequẽs vbi de Domini aduentu ad Iudicium. 734.b
Ad quod tempus sint referenda verba illa, *Ecce venio sicut fur.* 735.b

Furia.

per Furias quid figurari existimet Cicero? 478.1.a

Furor.

Furorum & irarum fons & origo. 496 d
Furore & ira correptos sibi potius quàm aliis nocere. 496.d
Furor iræ Dei omnipotentis quis appelletur? 803.c

Gabriel.

GAbrielis etymon. 152. 1.a

Gad.

Gad tribui Ligurius aptatur. 938.1.d

Galbanus.

Galbanus quid sit? 392 1.d
Galbanus misericordiæ Symbolum, & eleemosynæ. 395.1.a.

Gemma.

Gemmæ cur non fuerint eodem ordine in Rationali scriptæ, atque in Apocalypsi? 937.1.d
Gemmas duodecim fundamentorum explicandi modus communis ac receptus quis sit? 876.a
Gemmarum & mysteriorum duodenario Platonem præter suam intentionem nonnihil adstipulari in Phædone. 885.d
in Gemmarum singulis quid sit indagandum, quid

Digitized by Google

quid obseruandum? 889.1.d
in Gemmarum applicatione num solum sit disquirenda ea vniuscuiusque gemmæ species, quæ inibi vbi Ioannes tunc morabatur, fuerit notior? ibid.2.a
de ordine Gemmarum Apocalypseos. 939.1.b
pro Gemma cur Iobi 28. vitri nomen vsurpetur? 893.1.c
Gemma de qua Apoc. 2. 17. num. sit Carbunculus vel Adamas? 235.1.b.
de ordine quo Gemmæ Rationalis in quatuor versus sunt distributæ. 938.2.d
Gemmarum natura ac proprietatū cognitio quanopere expediat adexactam earum applicationem in singulis Symboli mysteriis. 888.1.a
Gemmas ex quibus cœlestis vrbis fundamenta constabant mirificé duodecim fidei articulis congruere. 877.b
in Gemmis Rationalis enumerandis Septuaginta & Iosephum ab Hieronymo non fuisse correctos. 891.2.b
in Gemmis præsertim Rationalis assignandis quàm debeat esse grauis Septuaginta auctoritas. ibid.d
de Gemmarum Rationalis partitione quæstio, vbi earum series & ordo expenditur. 936.1.c
Gemmæ singulæ Rationalis singulis tribubus aptātur, & cuiusque ratio redditur. 938.1.a
Gemmarum rationalis Rationem & partitionem ex Apoc. gemmarum significatione esse petendam 937.1.c
de nomine Gemmis singulis Rationalis inscripto constare. 936.2.d
in Gemmis Apoc. peculiarem contineri allusionem ad Rationalis gemmas. 889.2.b
ex mysterij ipsius cognitione exoriri posse lucem ad propriam illius Gemmam dignoscendam. ibid.c
Gemmæ Rationalis quo ordine numerentur in Exodo? 890.1.a
de Gemmis Rationalis disputatio deque earum notione. ibid.
de Gemmarum Rationalis nomine vtrum certò constet? ibid.b
quod attinet ad Gemmarum Rationalis enumerationem in quo discrepent Septuaginta & Iosephus. ibid.2.d
in Gemmis Rationalis recensendis defenditur Vulgatus. 891.1.a
in Gemmis Rationalis Septuaginta & Iosephus conciliantur cum Vulgato. ibid.
Gemmæ omnes Scripturæ vtrum ad duodecim redigantur de quibus Apoc. 21.19.20.884.b
in Gemmarum applicatione quæ sint considerandæ? ibid.
Gemmarum huius symboli quanta sit concinnitas & elegantia? ibid.c
Gemmas pretiosas ad symbolicam potiùs vtilitatem, quàm ad naturalem videri procreatas. ibid.c.d
Gemmarum aliquot nomina cur in sacris immutata interdum reperiantur? 817.2.c
Gemmarum duodecim mysterium, quæ muris pro fundamentis supponuntur. 884.a
sub Gemmæ eodem nomine sæpè apud auctores proprietates valde inter se oppositas reperiri. 888.1.d
quinam Gemmas ædificare dicantur? 533.1.a
per Gemmas, aurum, &c. quid intelligat Paulus 1.Cor.3.12. ibid.b
in Gemmarum proprietatibus expedire non eorum solum cognitionem quæ vera sunt, sed sæpe etiam eorum, quæ communi vulgi opinione iactantur. 888.2.d
Gemmæ quæ dicuntur aquæ marinæ quæ sint? 920.1.d
Gemmæ chrysolicæ quæ sint? ibid.2.a
Gemmarum Apoc. quàm sit hoc tempore difficilis cognitio, & quæ sit huius difficultatis ratio? 888.1.c
de Gemmis plures veterum ex Plinio multa transscripsisse. 889.1.c
de qua Gemma sint Apoc. verba explicanda in vndecimo fundamento? 915.2.d
Vide Anulus.

Gens.

de Gente signatorum ac numero variæ opiniones. 439.d
quid ijs verbis innuatur? *Quoniam datum est gentibus.* 523.d
Gentium nomine Iudæos esse intelligendos Apoc. 11.2 524.c
Gentium electio & Iudæorum obstinatio diuinæ prouidentiæ consilio fuit coniuncta. 560.c
ad Gentium conuersionem referri sæpe in Scriptura, regnare Deum & Christum eius in mundo. ibid.
Gentium Apostoli Paulus & Barnabas ab Spiritu sancto destinati. 612.1.b
à Gentibus olim Romæ diuini honores tributi. 639.c
Gentes omnes bibisse de vino iræ fornicationis Babylonicæ quid significet? 765.b
Gentium nomine quinam Apoc. 20.3. intelligantur? 815.a
Gentium quænam gloria & honor denotentur Apoc. 21.26. ad cælestem Hierosolymam afferenda? 946.d
cùm dicitur, *Gentes ambulabunt in lumine eius*, de quibus sit sermo? 945.a
Vide Atrium.

Gentilis.

quorsum Apoc. 5.13. fiat mentio Iudæorum, Gentilium, Dæmoniorum, sub nomine terræ & maris? 397.c
Gentiles, Iudæos, & Hæreticos igne cæli mystico de quo Apoc. 20. accensum iri. 844.a
Gentilium rebellium obduratio quomodo in phialarum plagis diuinæ prouidentiæ consilio deseruierit? 742.b
Num de Gentilibus an de Iudæis Apocal. 11. 9. sit sermo? 551.c
Gentiles quo sensu dicantur præ dolore linguas suas commandueare. 726.d

Gentilitas.

Gentilitatis plagis phialas aptè respondere. 174.d
Gentilitatem semper in deterius ruisse. 488.2.b
Gentilitatis symbolum esse desertum. 595.c
Gentilitatis typum fuisse Samaritanam. 489.1.b
Gentilitatis vocationem in Dei decreto ex Iudæorum reprobatione pependisse. 514.a
duplex in Apoc. bellum, alterum cum Gentilitate. 262.c
Gentilitatis conuersio quantopere ex Romæ vnius conuersione penderet. 743.1.b
Gentilitatem nomine maris appellari solitam. 506.a.c

Gigas.

sub Gigantum nomine quos nam significet Isaias? 833.1.a

Gladius.

de Gladio ex ore Christi procedente aliorum placita. 201.b
Gladii ex ore Christi procedentis pictura qualis debeat esse? 202.a.b
Gladius cur anceps esse fingatur? ibid.a
Gladium esse gladium Spiritus, quod est verbum Dei. 201.c
per Gladium acutum de quo Apoc. 19. quid alii intellexerunt? 804.2.b
Gladius magnus sigilli secundi quid significet? 415.b

Gloria.

Gloriæ Dei discessum in montem apud Ezech. non esse de Hierosolymæ derelictione explicandum. 471.1.c
Gloriæ Dei egressus ex sancto Sanctorum ad limen domus apud Ezech. quid significet? ibid.c.d
Gloriæ Dei secessio in oliuarum montem quid significet? ibid.d

Gloriæ inanis duplex genus. 279.c

Gog, Gogus.

de nomine Gog, quæstio. 840.1.d
nomen Gog ab Ezechiele sapienter fuisse confictum videtur probabile. 840.2.c
Gog & Magog etymon. 841.1.b
in nomine Gog quid mysticè figuretur? 842.1.b
Quinam mysticè vocentur Gog. ibid.c
de Gogi & Magogi bello variæ interpretationes. 835. b. Et vera auctoris expositio proponitur. 836.a
in Gogi & Magogi bellis allusio sit ad cap 38. & 39. Ezech. 837.a
Gogi & Magogi bellum in Apoc. esse diuersum ab eo cuius meminit Ezechiel. ibid.b
de quo Gogi & Magogi bello loquatur Ezechiel? ibid.c
Gogi & Magogi nomen ab Ezechiele Romanis ethnicis, à Ioanne verò Antichristi militibus attribui. 838.b
Gogi & Magogi mystici qui sint? 840.1.c
de Gogo & Magogo Augustini opinio. 841.1.b
sub Gogi nomine non de solo principe, sed de exercitu etiam esse sermonem. ibid.c
Gogum & Magogum non duos esse reges diuersos. ibid d
sub nomine Gogi & Magogi quid lateat mysterij apud Ezechiel. 842.1.a
vtrùm in duplici Gogi & Magogi nomine duplex belli genus Ecclesiæ inferendum figuretur? ibid.2.a
Gogi & Magogi exercitus cur dicatur ascendere super latitudinem terræ? 842.d
inter nomen Gog & Magog, quod sit discrimen. ibid.1.b
Vide, Antiochus, Caluinistæ.

Gomorrha.

Gomorrham post cælestem ignem in mare mortuum euasisse. 550.1.d

Græci.

Græcorũ imperiũ floruisse opibus ac diuitiis. 488.1.c
apud Græcos quæ sit numeros & assignandi & computandi ratio? 654.a
apud Græcos quando pœnultima acuto notatur accentu, vltimam esse longam. 655.d
Græcorum computandi ratio in milliaribus, stadiis, & passibus. 695.1.a
Græcis cur Pardi seu Pantheræ symbolum applicetur? 638.d

Grando.

in Grandine & igne allusio sit ad 7. Aegypti plagam. 472.b
inter Grandinem primæ plagæ tubarum, & grandinem septimæ, diuersitatem in textu ipso innui. 473.a
Grando in Aegyptios è cælo demissa qualis fuerit? 563.2.d
Grandinis magnæ varia exempla. 564.1.a
Grando nucis instar cum ea inscriptione Iesus Nazarenus ibid.
per Grandinem in sacris quid denotetur? ibid.1.c
Grandinis symbolum ad seueriſſimum obdurationis supplicium applicatur. ibid.d
Grando magna quænam in Apoc. verè nuncupetur? ibid.2.d
Grando magna sicut talentum quid innuat? ibid.
Grandinem horribilem qua Deus percutit, coniungi aliquando cum magna Dei ipsius in alios beneficentia, & huius discriminis mysterium. 565.1.b
Grando magna sicut talentum quid sit? 741.a
Grandinis magnæ instar talenti quod sit mysterium? ibid.c
Grandine magna instar talenti quid figuretur. 741.b

Gratia.

Gratia & pax apostolica est salutatio. 138.a
Gratia & pax apostolica salutatione quid significetur? ibid d
Gratiæ diuinæ vis ad apostolicos viros in Euangelii prædicatione roborandos. 234.1.b
Gratiæ cur ab animalibus & senioribus actæ prius referantur quàm quæ ab Angelis? 390.d

Gryphus.

Gryphi antiquum insigne & eius significatio. 341.a

Gubernatio.

quatuor Gubernationis optimæ virtutes præcipuas in quatuor Ioannis animalibus figurari. 334.c
suæ Gubernationis æquitatem patefacere cur inferiores moderatores expediat, Deo verò id non sit necesse? 381.2.a

Gubernator.

Gubernatoris virtutes quæ appellentur? 153.1.b
Gubernatores optimi virtutes quę & quot sint? ibid.
Gubernatoris virtutes primariæ ab Isaia expressæ. 154
Gubernatoris quatuor primæ virtutes in quatuor maiorum Prophetarum nominibus adumbrari. ibid 2.a
Gubernatoris primarias virtutes quatuor non amplius esse. ibid.c

Hæresis.

Hæreseos lues & pestis. 942.1.a
aduersus Hæreses aptari posse quod contra Iezabelem dicitur. 240.c
Hæresis Nicolaitarum quæ fuerit? 211.d
Hæresis Nicolaitarum num Nicolaus auctor extiterit. ibid.

Hæreticus.

Hæreticorum deliramentum de marinæ bestiæ expositione. 622.a. Quod refutatur ex ipsa contextus serie & consequentia. ibid.b
Discrimen inter Catholicos & Hæreticos in Apocalypseos interpretatione. 24.2.a
Hæreticorum arrogantes inscriptiones in Apocalypsin. ibid.1.b
Hæreticorum superbi tituli ipsorum insciciam retegunt. ibid.c
Hæretici vtrum reuinci efficaciter possint negantes descensum Christi ad inferos ex verbis primi Petri 3.19. 909.2.d
Hæretici sectarij sua sponte ad nouandam religionem prochues. 839.1.a
ad Hæreticos confutandos validum argumentum sumi ex ordinata & consequenti Apoc. interpretatione. 231.d
Hæreticorum amentia figuris Apocal. abutentium. 342.b
Hæreticorum in suo errore confusio, inconsequentia, & ordinis perturbatio. 622.c
Hæreticorum reuincitur insania ex collatione Danielis bestiæ cum marina Apoc. bestia. ibid.

Hebdomada.

Hebdomadam siue dierum siue annorum esse vniuersi temporis symbolum, & quæ sit ratio. 530.2.a
Hebdomades Danielis qua ratione sint explicandæ? 531.1.b

Hebræus.

Hebræorum reprobationis figura fuit Hierosolymæ excidium. 364.2.c

Hedera.

de nomine Hederæ quid sit dicendum, siue de nomine cucurbitæ, vt Septuaginta vertunt Ionæ 4. 6. 893.2.a

Henochus.

Henochum non fuisse mortuum de fide constare. 540.1.c
de Henochi morte quid senserit Chrysostom. ibid.d
Vide Elias.

Hercules.

ab Herculis columnis vsurpari solitum *Plus vltra* in Hispanorum Regum stemmatis. 270.2.c
Herculis columnas multo ante Salomonis ætatem fuisse erectas. ibid.

Herodes.

Herodis nomen quid sonet? 591.d

Hierarchia.

in Hierarchia Ecclesiastica quibus conueniat Seraphinorum symbolum 310.2.d

in

Digitized by Google

in Hierarchia Eccleſiaſtica quibus conueniat Cherubinorum ſymbolum. ibid.c
in Hierarchia Eccleſiaſtica quibus conueniat Throni ſymbolum. ibid.
in Hierarchia Eccleſiaſtica eſſe philoſophandum eo modo quo de Sanctis in cœlesti. 309.2.d
Hierarchiæ primæ tres choros non eodem ſemper ordine à Dionyſio numerari. 308.2.d
Quid de chororum diſtinctione in ſingulis Hierarchiis dicendum? 309.2.a
ex Hierarchiæ Eccleſiaſticę choris non poſſe ſuo modo in choris cœleſtis philoſophari. ibid.b.d

Hieronymus.

Hieronymi mens de tempore quo Apocalypſis fuit conſcripta. 7.1.c
Hieronymus notare ſolet quibus in locis à Septuaginta recedat. 891.1.b
ſecundùm Hieronymum vox Apocalypſis ſacris Literis peculiaris. 7.2.d
Hieronymus interpretationem nimiùm literalem in Apocalypſi reprehendit. 60.1.c
Hieronymus quid ſenſerit de Apocalypſeos interpretatione? 27.2.b

Hiſtoria.

Hiſtoriæ Tobiæ myſterium. 437.1.a & ſeqq.
Hiſtorias aliquot ſacras ænigmatum inſtar reconditum in ſe myſterium habere. ibid.1.c
Hiſtoriæ Tobiæ arcanum myſterium coniici ex verbis Angeli ad eundem Tobiam. 458.1.d

Homo.

Homines à Deo molliri & manſuefieri aduerſitatibus. 460.2.a
Hominum quantus numerus diſcordiis intereat. 498.b
Homines vt aſcendant in cælum Chriſtus in terram deſcendit. 288.d
per Hominum caſum eorundem conuerſionem in Scriptura myſticè figurari. 854.c
cur dicat Ioannes Apoca. 11. 13. *Occiſa ſunt nomina hominum*, non vero homines. 555.d
Hominum 7000. occiſionem de eorum conuerſione explicatum iri. ibid.b
in Hominum 7000. occiſione alludi ad locum 3. Regum 19.18. ibid.b
Homines in quos phiala ſexta fuit effuſa qui ſint. 718.b
per Hominum partem tertiam occiſam quid doceamur. 498.b
Homo peccati, quid ſit apud Paulum. 671.2.d
Homo rationis & æquitatis ſymbolum. 335.d
Homines æſtu affligere quid ſit. 326.b
Homines à Deo in cordis deſideria tradi quàm graue ſit ſupplicium. 478.1.d
Homines ſanctiſſimos figurari in Ioannis animalibus. 332.c
hoc eſt omnis Homo quid ſit. 213.1.d
Hominis menſura, quæ eſt Angeli, quid ſignificet. 882.a
Hominem nullum (licet ſibi alias videatur) ſecurum ac negligentem fieri debere. 443.d
Hominum Chriſtianorum conſcientias ad ſeptem diſcrimina reuocari. 41.2.a
Vide, Filius.

Hora.

vna Hora poteſtatem accipere, quid ſit. 758.b
Hora Iudicii, quorſum ab Angelo primo cap. 14. dicitur. 669.b.
per Horam integram, & per dimidiam quid figuretur. 456.d
Hora tentationis quæ appelletur. 264.e
nomen Hora apud Græcos latiùs patet quàm apud Latinos. ibid.d
per Horam dimidiam quid figuretur. 460.a
Vide, Silentium.

Hoſtis.

Hoſtes populi Dei deſignari ſæpe in Scriptura ſuperborum nomine. 652.c
in Hoſte triplici Apocal. alluſio ad Satanam, Leuiathan & Behemoth de quibus Iob. 626.d
Hoſtes præcipui Euangelij Simon magus, & Apollonius Tyanæus. 646.1.e
Hoſtium trium animę pugna in quo conſiſtat. 628.c
ad Hoſtes animæ quomodo ranæ poſſint accommodari. 732.c

Hyacinthus.

pro Hyacintho accipi non poſſe nomen Tharſis in Rationali. 917.2.d
Hyacinthos verè eſſe qui nunc vulgò Sapphiri vocantur. 925.1.c.2.d
Hyacinthi colorē quomodo Plinius deſcribat. ibi f.d
Hyacinthi colorem ab antiquis auctoribus vocari cæruleum. ibid.
in Hyacintho perfecto qualis ſit coloris tenor obſeruandus. 930.1.a
in Hyacintho cuiuſmodi color fuerit probatior apud veteres. 931.1.c
Hyacinthi gemmæ colorem facilè marceſcere, & cum cæli colore mutari. ibid.2.a
Hyacinthi durities. ibid.
Hyacinthum difficilè calefieri; & cordi mederi. ibidem,b
gemmam coloris aurei vocare Hyacinthum recens eſt inuentum. ibid.d
Hyacinthi proprietates. 932.1.a
vtrùm Hyacinthus Apocal, Ligurio Rationalis reſpondeat. ibid.b
Hyacinthum non eſſe Rationalis Ligurium. ibid.2.c
in Hyacintho figurata monſtratur vndecimi articuli fidei doctrina. 933.1.c
per Hyacinthum quomodo remiſſio peccatorum adumbretur. ibid.
Hyacinthi color mollis ac tener quid denotet. ibidem.d
Hyacinthi pueri fabula & Aiacis qui in florem Hyacinthi finguntur conuerſi, fortè in floris huius natura fundatur. ibid.2.a
Hyacinthi floris virtus ad medicinam efficax quid myſticè denotet. ibid.b
in Hyacintho gemma commiſerationem & ſuauitatem figurari. ibid.c
potionē ex Hyacintho gemma cordi prodeſſe quid innuat. ibid.d
in Hyacintho flore literæ A I. à naturæ inſcriptæ, quid innuant. 933.1.c
Hyacinthum cur Apoc. ſubſtituerit pro Rationalis ligurio. 934.1.a

Hydra.

Hydra ſerpens inuidiæ ſymbolum. 592.a

Hypocriſis.

quæ Hypocriſis ſit periculoſior. 279.a
Hypocriſeos duplex genus. ibid.

Iacob.

IAcob num Deum viderit in ſuperiori ſcalæ parte an in inferiori. 291.1.b,
Iacobo Regnum Dei oſtenſum quod ſit. 292.1.a
Iacobi filiorum nomina eorumq; etymologia. 441.b
per Iacobi ſcalam quid figuretur. 292.2.a
viſionis Iacobo per ſcalam oſtenſæ finis & ſignificatio. 291.2.d
Iacobi filiorum ordo ſecundùm cuiuſque natiuitatem. 936.1.d
Iacobi lucta noctu cœpta & ſub auroræ lucem confecta quid myſticè. 522.1.b
qui cum Iacobo luctatus fuit, quis fuerit. 520.1.b
Iſraelis nomen Iacobo inditum quid ſignificet, & quid eo nomine illi Deus præſignificauerit, ibid.c
Iacobus quid ab Angelo fuerit precatus. ibid.
quod de Iacobi lucta dicitur, *Videns quod eum ſuperare non poſſet*, quomodo ſit intelligendum. ibid.d
dum cum Iacobo fuit Angelus luctatus, quid intenderit. ibid.
Iacobi femur cur Angelus tetigerit. ibid.2.a
Iacobum ſuperare non poſſe quo ſenſu Angelus dicatur. ibid.b
Iacobi luctæ cum Angelo quod ſit myſterium. ibi.c.
Iacobum, dum fratrem fugit, cum Deo luctari quid

mysticè adumbret. 521.1.a
per Iacobum & Esau figurari Christianum & Iudaicum populum. ibid.
vt Iacobus & Esau essent gemelli quàm rectè acciderit ad mysterii significationem. ibid.b
cur Iacob Christianum populum, Esau Iudaicum figuret. ibid.c
per Iacobi luctam quid figuretur. 522.1.c
Israelis nomen Iacobo impositum quid mysticè incet. ibid.2.a
Iacob quorsum ab Angelo ipsius nomen requisierit. ibid.b
quos Iacob vidit angelos per scalam ascendere & descendere, sine alis considerandos. 291, 1. d. Et cur. 292 1.c
in visione Iacobi cur Deus ad imam scalæ partem sit. ibid.2.a

Iaspis.

per Iaspidem quid figuretur. 298.d
cur ex Iaspide sit pars inferior sedentis in throno. 299.a
Iaspidi simile cur perhibeatur luminare maius ciuitatis cælestis. 870 d
Iaspis muri ciuitatis quid significet. 882.c
Iaspis ad sigillorum vsum perapta. 896.2.a
ad Iaspidis symbolum applicatio primi fidei articuli ibid. 1.c
Iaspis quam aptè ad primum fidei articulum applicetur. ibid d
coniunctio in Iaspide coloris viridis cum sanguineis notis quid significet. 897 2.a
Iaspidē esse tutelā gestantibus quid significet. ibi. 1.a
Iaspidis aliæ virtutes & facultates. ibid.2.a
Iaspidis quæ sit natura. 894.1.a
Iaspis nomen plures sub se species complecti. ibid.
Iaspidem esse viridem suapte natura latè probatur. ibid.c
vt Iaspidis viridis natura consideretur ad Scripturæ vsum. ibid. d
Iaspis olim pro amuleto gestari solitus. ibid.
Iaspide omnia olim phantasmata fugari putabatur. ibid. 2.a
Iaspidis vim ad fuganda phantasmata à B. Isidoro pro commentitio reputari ibid
Iaspidi esse vim ad stomachum confortandum. ibi.b
Iaspidem Smaragdi similem in minori Asia esse frequentem probabili coniectura asseri. ibid.c
Iaspidis qualis species Apoc. mysterio congruentior appareat. ibid.d
inter Iaspidis species, viridis est præstantior. 895.1.a
color Iaspis natiuus nonnihil varius. ibid.c
Iaspidis antiquitas maxima. ibid 1.c
Iaspis cognitu & inuentu facilis. ibid.
Iaspidi illi esse imprimis proprium habere vim ad phantasmata abigenda, qui grammatias dicitur. 896.1.a
Iaspidis virtus ad sanguinis fluxū sistendum. ibid.b
Iaspis contra luxuriam vtilis. ibid.2.a
Iaspis aptatur Nephtali. 938.1.d

Idololatria.

Idololatriam sæpe in Scriptura significari per cæli militiam. 8:41.c
Idololatriam nunquam posthæc in mundum deinceps inuehendam, ne dum ipso Antichristi tempore. 668.d
vtrum de propria Idololatria, an de mystica sit sermo in sexta tubarum plaga. 500.d
opinio de Roma ad Idololatriam reditura sub mundi finem probabilitate caret. 30.1.b
Idololatrię mystica acceptio Paulo etiā vsitata. 65.1.c
Idololatria in Scriptura spiritualis fornicatio appellata. 751.d

Idolothytum.

Idolothytorum esus & fornicatio, quomodo Apoc. c.2, v.20. accipienda. 241.b

Idolum.

Idolorum inanium cultus quando in orbem inuectus. 487.2.a

Idumæa.

in Idumæa Romanum Imperium ethnicum figurari. 681.1.b

Idumæus.

Idumæos Dauidi fuisse subiectos quid mysticè significet. 681.1.a
quomodo Idumæi Romanos adūbrarint 681.1.c.2.c
in Idumæis quomodo figuretur Imperii Romani potentia. 682.1.d

Iecur.

de Iecoris fumo mystica significatio. 459.1.d
ex Iecoris fumo afflato dæmonem fugari quid denotet. ibid 1.b
Iecur concupiscentiæ sedes ibid.
per Iecur occulta desideria adumbrantur. ibid.
si Iecur deesset in Ethnicorum auguriis, pro infelici augurio haberi. ibid.c
Iecoris mystica significatio. ibid.a

Iehoua.

Iehoua nomen innuitur illis verbis, *qui eſt, & qui erat*, &c. 140.1.b
Iehoua nominis etymon desumi à verbo substantiuo. ibid.c
Iehoua nomen tria tempora complectitur. ibid.d
nomine Iehoua omnes temporis differentias comprehendi. ibid.1.c
Iehoua nulla simplici voce Græca vel Latina exprimi posse. ibid.d
Iehoua nomen ænigmaticum & symbolicum 141.1.a
Iehoua nomen quatuor literas continet. ibid.b
Iehoua nomen in aurea Pontificis lamina impressum. ibid.
quatuor Iehoua literis aliud præterea scribi apud Hebræos nefas. ibid.c
cur nominis Iehoua literis nulla propria puncta subscribi possint. ibid.2.a
Iehoua nomen cur dicatur ineffabile. ibid.& 145.2.a
Iehoua nomen quomodo explicet Galatinus. 142.1.a
Iehoua nomine comprehendi verbum substantiuum. ibid.b
In nomine Iehoua Trinitatis mysterium indicatur. ibid.d.& quomodo. ibid.2.a
Iehoua cur personas diuinas in tertia persona explicet. ibid.d
nomen Iehoua vt plures dictiones, & vt vna legi possit inuariata essentiali significatione. ibid.
nominis Iehoua duplex etymon 141.1.a
nomen Iehoua quo pacto ad diuinæ prouidentiæ opera referatur, ibid.c.d
in nomine Iehoua cur Ioannes temporum ordinem inuerterit. ibid.2.a
nominis Iehoua cur Ioannes meminerit in dedicatoria epistola. ibid.c
in nomine Iehoua cur futurum tempus per periphrasim Ioannes enunciauerit. 144.1.a
num in eo ordine à Ioanne seruato in nomine Iehoua locum habeat mysterij Trinitatis significatio. ibid b
nominis Iehoua significatio quæ sit iuxta Masium. ibid. 2.b
de nominis Iehoua significatione aliorum placita. ibib.
Iehoua à nullo alio deriuari, sed esse ipsum verbum substantiuum ibid.c
de punctis nomini Iehoua subscribendis quid sentiendum. ibid.
nominis Iehoua Græca scribendi ratio. 145.1 a
nominis Iehoua varia apud Græcos scribendi ratio. ibid.
nomen Iehoua proferri solitum primis sæculis ad Esdræ tempora. ibid.
nominis Iehoua proferendi religio quo ex tempore increbuerit. ibid.c
pro Iehoua nomen Adonai substituitur. ibid.
pro Iehoua substitui Adonai non superstitiosè factum, vt putauit Forerius. ibid.2.a
de nominis Iehoua prolatione probabilis coniectura. ibid.b

Digitized by Google

Ieremias.
Ieremiæ nominis etymon. 154.2.a
Ieremiam figurari in angelo forti Apoc.18.20. 776.d
Ierusalyma.
Ierosolyma euersa est anno Christi 72. 7.2.b
an de Ierosolyma agat Ezechiel in ea vrbis descriptione quam tradit. 272.1.c
ad Ierosolymam ac templum respexisse Ezechielē in suæ vrbis ac templi descriptione. ibid.d
in Ierosolymæ excidio quomodo clementiam Deus cum indignatione coniunxerit. 303.2.a
Ierosolymæ excidium in Ezechielis curru adumbratum ad veram animarum salutem ordinari. 324.b.
Ierosolymæ excidium figura fuit Hebræorum reprobationis 364.2.c
num Ierosolyma figuretur Aegypti & Sodomæ nomine. 549.c
Ierosolymæ quadrare nomen ciuitatis magnæ, & nomen etiam Sodomæ. ibid.d
Ierosolymā cur Ioannes non proprio nomine compellarit. 550.a
Ierosolymæ decimæ partis ruina quo sensu accipienda. 554.b
Ierosolymæ conuersionem sub supplicii & vindictæ specie figurari. 555.a
Ierosolymæ cælestis excellentiæ quas Ioannes recenset. 856.b
Ierosolymę cælestis magna illa lux quid innuat ibi.
Ierosolymæ cælestis murus altus & pretiosus quid significet. 857.a
Ierosolymæ per portas quid denotetur. ibid.b
Ierosolymæ cælestis portas non claudi quid sit? ibid.
eius fundamentis, quid adumbretur. ibid.c
Ierosolymæ cælestis ædificii proportio & æqualitas quid innuat. ibid. eius magnitudo ingens quid innuat. ibid.
per Ierosolymæ cælestis aurum plateæ & ædificiorū quid figuretur. ibid. d eius vitæ fluuius quid indicet. ibid. eius arbusta, & vitæ lignum quid adumbrent. 858.a
Ierosolyma noua de cælo descendens quæ sit. 880.c
Ierosolyma cælestis cur appelletur noua. 861.a
Ierosolyma noua quo sensu dicatur de cælo descendere. ibid.b eam vtrum Ioannes è cælo descendere viderit ibid.d
Ierosolyma antiqua quot portas haberet. 871.b
discrimen inter Ierosolymam cælestem & alias ciuitates in montibus sitas. 867.c
Ierosolymæ veteri portas ab aliis duodecim, ab aliis nouem assignari. 871.b
Ierosolymæ portæ ad quas mundi plagas spectarent. ibid c
Ierosolyma noua de cælo descendens quæ sit. 268.b
Iesus.
Iesus est nomen quod in calculo Pergameno promisso inscribitur. 232.b
Iesu Christi testimoniū habere quid sit. 615.b, 799a
Iesus nomen græcè quem numerum conficiat. 656 c
Iezabel.
quænam sit quæ Iezabel à Christo vocatur 238. a
Iezabelis nomine Synagoga Iudæorum indicatur. 239.c
quod contra Iezabelem dicitur posse etiam aduersus Hæreses aptari. 240.c
Iezabel mystica quo sensu Dei seruos seducere dicatur. 241.b
Iezabel qua ratione in lectū dicatur mittenda. ibid.d
Iezabelis filiis comminatio intenta quæ sit. 242.a
Ignis.
quo sensu iuxta Paulum ille cuius opus arserit, saluus dicatur futurus *sic tamen quasi per ignē.* 533.2.d
quasi per ignem, num de igne Purgatorii sit explicandum. ibid.
Ignis Purgatorii quomodo possit etiam locum habere in verbis Pauli. *sic quasi per ignem.* 534.2.a
Ignis de cælo descensurus Apoc 20. vtrum materialiter sit accipiendus. 843.c
Alcazar in Apoc.
dum dicitur Ignis exire de ore eorum, allusio sit ad ignē quem ter Elias de cælo descendere fecit. 544.b
Ignis è duorum testium ore prodiens de quo igne explicandus. ibid.
in Igne pedum angli fortis alludi ad ignem sacrificii Eliæ & ad ignem Nehemiæ. 508.1.c
ab Igne miraculoso in Mosaici tabernaculi dedicatione vsque ad ignem item miraculosum in Salomonici templi dedicatione primaria, quot anni sint intercepti. 531.1.d
Ignem de cælo descendentem Apocal. 20 de animarum conuersione esse explicandum ex ipso contextu probatur. 844.c
per Ignem tum in Mosaico tabernaculo, tum in templo sub Salomone & sub Nehemia miraculosè accensum quid figuratum sit. 531.2.b
per ignem & sulphur quid in Apoc signetur 670.a
Ignem Domini siue sanctum aquis extingui non potuisse. 508.1.d
Ignem altaris Domini fuisse miraculosum. ibid 2.b
Ignis cur infrà appareat in Ezechielis figura. 302.2.b
per Ignem inferiori patri, figuræ Ezechielis subiectum quid. ibid.1.b
Ignis proprietates & symbolica significatio. 197.1.b
Ignis fulminis ad interiora penetrans. 165 2.c
Ignis metaphoram pro tribulatione in Scriptura esse frequentem. 533.2.a
Ignis probatio apud Paulum 1. Cor. 3. 17. quid significet. ibid.1.d
de quo igne sit sermo Apocal. 20. 8. 842.d
Ignis altaris holocausti significatio mystica. 127.2.d
quid per sanctum Dei ignem figuretur. 509.1.a
Ignem Domini esse in Sion, & caminum in Ierusalem quid sit. 531.2.b
per Ignem cælestem quid figuretur tum in Mosis tabernaculo tum in Salomonis templo accensum. 531.2.d
Ignorantia.
Ignorantiam appellari in sacris Spiritum soporis, & spiritum mendacii. 4.. b
Ignorantia figuratur in quarta plaga tubarum 476 b
Iudæorum ignorantia cuiusmodi fuerit. ibid.d
Ignorantiam Iudæorum illis à Mose fuisse multo antè prædictam. 477.a
Ignorantiæ Iudæorum symbolum. ibid.
in Ignorantia Iudæorum quomodo aptè considerari possint tres claritatis & cognitionis partes. ibid.b
Ignorantiæ plagam ad rebelles omnes Iudæos sese extendere. ibid.
Ignorantiæ plaga vtrùm sit grauior subsequente necne. ibid.d
Ignorantia quæ inter Iudæorum plagas quantum habet locum qualis sit. 547..b
Imperium.
ad Imperij vnius durationem vnius lunæ tempus symbolicè referri. 487 1 b
in imperio Christi ferreo duo considerandā. 247.1 c
Iub imperi durissimi speciem adumbrari Euangelicam perfectionem. 245.2.a
Imperii Romani potentia quomodo in Idumæis figuretur. 682 2.d
Imperium Romanum in Idumæa figurari. 681.1.b
Imperio Romano ethnico Ecclesiam persequenti quo sensu congruat victoris nomen. 658.1.a
Imperio Romano cur Idumææ nomen imponatur. 681.1.d
Vide, Bestia.
Improbus.
Improborum supplicium cur Deus plerumque differat. 423.d
Incarnatio.
Incarnationis symbolum Carbunculus. 231.d
Incarnatio diuini Verbi quomodo adumbretur in Carbunculo. 904.1.c
In Incarnationis mysterio diuina potentia quantopere enituerit. ibid.2.b
Incensum.
Incensum de quo Apoc.8. esse thymiamata. 487 d

Incenſi oblatio & proiectio prunarum in terram quid ſignificent. 468.b

Indignatio.

Indignationis nomine apud Iſaiam denotari Antichriſti perſecutionem. 833.1.b

Infernus.

Infernus quo ſenſu ſumatur in quarto ſigillo. & quomodo in primos Chriſtianos ſæuiſſe dicatur. 421.c

per infernum & mortem vtrùm idem omnino ſignificetur Apoc. 20 14. 850.b

Infernum & mortem in quarto ſigillo vt perſonas tragicas induci. 421.a

Infernus & mors in ſacris aliquando vt diuerſæ perſonæ, aliquando vt eædem inducũtur. 207.2.a

Inferni & mortis claues eſſe eaſdem cum claue cæleſtis Dauid. ibid.d

Infernum & mortem eſſe inſtrumenta Chriſti ad veram ſuorum viam. 421 c

Infernum & mortem in eadem accipi ſignificatione quoties in Apoc. coniunctim ponuntur. 849 b

Infernus in Scriptura quo pacto accipi ſoleat. 206.1.c

Inimicus.

Inimicorum conculcatio quo pacto accipiatur in Apocalypſi. 194.d

Inſcriptio.

Inſcriptiones portarum duodecim de quibus Apoc. 21. cuiuſmodi fuerint. 872.a

diſcrimen inter Inſcriptiones portarum quas aſſignat Ezechiel, & quas Apoc. ibid.

Inſula.

per Inſulas & montes quid denotetur. 428.a

in Inſularũ & montiũ fuga quid denotetur. 740.d

in Inſularum & montium motione alludi ad extremi iudicij ſigna. 428.a

Interficio.

vt ſe inuicem interficiant, quo ſenſu dicatur. 415.b

Interpres.

Interpretibus Septuaginta plus fidei quàm Chaldaicæ paraphraſi eſſe habendum. 892.1.c

Ioachimus Abbas.

Ioachimi liber vaticinium de ſummis Pontificibus continens iure à ſapientibus exploditur. 23 2 a

de Ioachimi reuelationũ veritate non cõſtare. 54.1.c

Ioachimum in Trinitatis myſterio erraſſe. ibid.

Ioannes.

Ioannes cur fleuerit neminem fuiſſe inuentum qui librum reſeraret. 382.d

Ioannes an ſit, vel Chriſtus qui dicitur omniũ quæ dicta ſunt perhibere teſtimonium. 959.d

Ioannem plorantem cur vnus de ſenioribus conſoletur. 384.c

Ioannem quo ſenſu Angelus à ſui adoratione arceat. 798 b

Ioannes quænam ſcribere iubeatur. 212.c

Ioannes cur in cælum euocetur, ac tollatur. 288.c

Ioannẽ Apoc. 17. in deſertum deferri quid ſit. 751.d

Ioannes quem ordinem ſeruauerit in ſeptem Epiſtolis. 217.2.d

Ioannis dignitas ex Angelo qui ad eũ mittitur. 133.d

Ioannes quid ſcribere voluerit Apocal 10.4. 510.c

Ioannes quomodo in cælum euocetur, & aſcendat. 289.b

viſionis Ioannes narrationem de qua Apoc. cap. 15. cur à poſtrema ordiatur parte. 696.b

Ioannes quem ordinem ſeruaret in ſeptem vrbium enumeratione. 180.c

Ioannem oportere iterum prophetare quomodo accipiendum. 515.c

Ioannẽ abſq; ſcala ad cælũ aſcẽdiſſe quid ſit 293.2.c

Ioannem Euangeliſtam figurari in angelo per medium cæli volantem. 667.c

Ioannes cur in ſua viſione conuertat oculos 209 2.b

Ioannes cur ad vnam de Eccleſiæ futura felicitate enunciationẽ, non verò ad aliarum rerum prædictarum nunciũ venerabundus procederit. 797.d

Ioannem ad Chriſti pedes procidere quid ſignificet. 203.d

Ioanni quænam promittantur initio cap. 4. oſtendenda. 289.b

Ioannes cur dixerit, *fecit nos regnum*, & non, *fecit nos reges*. 157.d

à Ioanne duo indicia data ad Apocal. expoſitionem. 27.1.b

Ioannes cur dixerit, ſe in ſpiritu fuiſſe in montem ſublatum. 869.2

Ioannes cur viſiones in cælo habuerit, veteres verò prophetæ in terra. 293.1.a

quæ Ioanni apparuit figuræ, quis fuerit ſcopus 209. 2.a

Ioannes quæ indicia ad Apocal. expoſitionem conducentia reliquerit. 26.1.a

de Ioannis adoratione qua angelum adorare voluerit, opiniones variæ referuntur & reiicũtur. 797.a

& vera auctoris ſententia ſtatuitur. ibid.c

à Ioanne fuit perceptus ſenſus totius ænigmatis Apocalypſi. 134 a

Ioannẽ ad Chriſti pedes proſterni non tam ad reuerentiã quàm ad trepidationem referendum. 203.2.a

Ioannem non ſcripſiſſe Apocalypſin ante Heroſolymæ excidium. 6.2.a

Ioannes cur toties iteret *duodecim millia ſignati*. 442.a

Ioannes cur Apocal. 4. militantem inſpiciens Eccleſiam tollatur in cælum, & triumphantem viſurus in montem euehatur. 867.d

Ioannes cur in nomine Iehoua temporum ordinem inuerterit. 143 2.c

Ioannem minimè fuiſſe deceptum in Angeli cognitione ad cuius pedes procidit. 897 b

verba illa Apoc. 22.8. *Et ego Ioannes qui audiui, & vidi hæc*, eſſe quaſi proprij nominis ſubſcriptionẽ 954.a

Ioannes ex huius Apocal. libri ſymbolis magis illuſtratus euaſit 39.1.c

Ioannes cur priùs audierit vocem tubæ, deinde vocem aquarum. 211.1.b

Ioannes vtrùm Apocal. reuelationibus fuerit nouas veritates edoctus. 39 2.a

Ioannis nominis etymologia. 490.1.d

Ioannes cur viderit in facie primæ figuræ lucem ſolis. 210.1.d

à Ioanne ſe adorari cur Angelus prohibeat redditur alia ratio. 798.c

Ioas.

Ioas quid ſignificet. 585.a

Iobel.

Iobel quid in ſacris ſignificet. 176.1.a

Iobel, id eſt buccinæ, etymon, ex Maſio. ibid.

Ioel.

Ioel cur non dixerit, *mittite falces & vindemiate*, ſicut Ioannes in Apocal. 692.2.b

Ioel ad quos ſermonem conuertat in ſua vindemia. cap. 3. ibid 1.b

Ioel in ſua vindemiæ allegoria qua de re ſermonem inſtituat. ibid.c

Ioſephus.

Ioſepho Sardonyx aptatur. 938.2.c

Ioſias.

Ioſias rex vbi fuerit occiſus. 160.2.d

Ira.

Ira myſtica cur dicatur iracundia Dei viuentis in ſæcula. 710.

Iræ Dei lacus magnus quid ſit. 692.d

quæ Dei Ira præſtantior? 62.1.a

liquor qui vocatur Ira Dei quiſnam ſit. 709.c

Ira Dei duplex in Apocalypſi. 192.b

quænam Ira fornicationis denotetur Apoc. 14. 8. 971 a

Iræ Dei quoties in Apocal. mentio fiat, & qua diſtinctione ac myſterio. 701.d

Iræ nouiſſimæ ratio in omnibus phialarum plagis quomodo eluceat. 725.d

Vide, Furor, Deus, Chriſtus.

Irenæus.

Irenæus quid de Apocal. interpretatione ſenſerit. 27.2.c

Irenæus num fuerit Thyatiræ Epiſcopus ad quem Ioannes ſcripſit. 215 1.d

Digitized by Google

Iris.

Iris & tempestatis & tranquillitatis prænuncia. 300.b
per Iridem Ioanni visam Apocal. 4. passio Domini figuratur. 299.a
Iridem loco arcæ Ioanni fuisse visam. 370.1.b
Iris à Ioanne visa ex solo viridi colore cur constaret. 299.c
in Iride qui soleant colores, & quo ordine apparere. ibid.b
Iris in capite Angeli fortis cuius fuerit figuræ, & cuius significationis. 504.d
per iridem quid figuretur 269.c
Iris Apocal. 4. tota ex Smaragdo Christi passionis symbolum. 906.1.b
Iris Ezechieli visa quo pacto sit concipienda. 302.2.a
Iris Ezechielis num ex igne prodierit, ab ipso Propheta non explicatur. 303.1.b
Irim ex ignis splendore oriri non solere. ibid.c
Iris & pacis & indignationis symbolum. ibid.2.a

Isachar.

Isachar aptatur Amethystus. 938.2.a

Isaias.

Isaiæ nominis etymon. 154.2.a
Isaiæ Trisagion quid significet. 296.1.d
Isaiæ locus cap. 16. 1. explicatur. 660.1.d
Isaiæ cap. 21. argumentum proponitur. 378. a
quem Isaias in throno sedentè vidit quis fit. 897.1.b

Isis.

Isidis nomen, quid etymor, quid significatione importet. 140.2.b

Israel.

Israelis nomine cur Christianus populus denotetur. 440.c
Israelis & singularum tribuum nomina mysticè item sumi debere. ibid.c
inter Israelis tribus cur Dan non numeretur. 441.a

Israelita.

Israelitæ spirituales cur vndis non submergantur. 703.a

Iubileum.

Iubilei annus vnde dictus. 176.1.a
Iubilei annum olim bellicis tubis promulgari solitum apud Hebræos, & huius rei mysterium 174.d

Iuda, Iudas.

Iudæ nomine quid innuatur Zachar. 12 2. 558.1.d
Iuda & Israel pro eodem sumi solere post Babylonicam captiuitatem. ibid. 2.a
in nomine Iuda apud Zachar. 12.4. non comprehendi Iudæos qui obstinati perstiterunt. ibid.c
Iudas quo sensu dicatur pugnaturus aduersus Ierusalem. ibid.1.c

Iudæa.

terram pro Iudæa accipi Apocal. 8.7. 472.b
Iudæam palmis abundasse præ ceteris regionibus. 270.1.b

Iudæi.

Iudæorum populo cur nomen Aegypti imponatur. 681.1.d
Iudæorum conuersionem sub mundi finem futuram non obstare iuramenti Angeli fortis perpetuitati. 512.c
in Iudæorum lamentis viri seorsum mulieres seorsum plangere consueuerunt. 169.2.a
Iudæorum derelictio & ad Gentes commigratio vbi, & quomodo acciderint. 560.c
Iudæorum animos quantus timor occuparit in Romanorum aduentu. 428.c
Iudæos dicturos montibus, *Cadite super nos*, quo sensu prænunciauerit Christus. ibid.
Iudæorum desiderium mortis non ex præsentis mali tristitia, sed ex impendentis formidine proficisci. ibid.d
Iudæi quales quondam fuerint, quales modò postquam diuinitus supplicio affecti sunt. 550.1.d
cum Iudæorum obduratione quorsum Apoc. 11. 15. subiectio regni mundi Christo, & regnum ipsius Christi perpetuum componatur. 560.b
de Iudæorum rebellium morte non agi in quarto sigillo, sed de morte eorum qui Christum sunt secuti. 407.1.c
Iudæos intelligi per nauigantes. 474.d
Iudæi increduli quo sensu Deo gloriam dedisse perhibentur. 556.a
Iudæorum plagis tubas aptè respondere 174.d
falsus rationis prætextus quem Iudæi suo in Christianos furori prætendebant. 499.a
Iudæos apud Ioelem in Aegypto adumbrari. 681.1.c
Iudæos sub Idumæorum nomine ab Isaia intelligi & quare. 479.b
quomodo Iudæos adumbrarent Aegyptij. 681.2.b
in Iudæorum supplicio ostendisse Deum qua fit ratione in hæreticos animaduersurus. 479.2.a
traditur vera septimæ plagæ interpretatio de Iudæorum obduratione. 559.2.d
ingens fructus in Iudæorum conuersione ex Iacobi minoris prædicatione perceptus. 553.c
Iudæorum obstinatio & gentium electio diuinæ prouidentiæ consilio fuisse coniuncta. 560.c
Iudæorum excitas & amentia. 551.b
Vide, Gentilis, Ignorantia, Plaga.

Iudicium.

Scripturæ loci in quibus videtur esse sermo de extremi Iudicii diei signis. 429.1.b
Iudicii extremi meditatio quàm sit efficax. 921.2.d
non ita aptè diei Iudicii quadrare Mysterii nomen. 513.b
Iudicia Dei quo sensu dicantur iusta & vera. 781.d
Iudicii diem præcessura signa qua ratione sint reapse complenda. 425.c
de B. Vincentii persuasione circa Iudicii extremi diem quid dicendum. 542.b
Ioëlis loci qui diem Iudicii sonant, quomodo intelligendi. 430.1.b
ad extremi Iudicii diem vtrùm referatur laus quæ Apoc. 5. 13. Deo defertur. 397.d
ad Iudicii extremi signa alludi in montium & insularum motione. 428.a
Iudicium execrabile portare quid sit. 678.2.a
ad vltimum Iudicii diem vtrum possit referri Christi aduentus de quo Paulus cùm dicit, *Illustratione aduentus sui.* 674.2.a
Iudicii extremi descriptio exorditur à v. 11 cap. 20. Apocalypsi. 846.c
ad Iudicii extremi diem an sint referenda hæc verba, *In diebus vocis septimi angeli.* 513.b
vbi de Domini aduentu ad Iudicium frequens est in Scriptura comparatio furis aduenientis. 733.c
vtrum post deuictum Antichristū certum aliquod temporis interuallum possit designari, quo finito extremum mox Iudicium sit futurum. 845.c

Iudico.

verbum *Iudicari* Apoc. 11. 18 ad quid referatur. 562.a

Iulianus.

cur Iuliani persecutionis mentio in septem bestiæ capitibus non fiat. 631.b

Iuramentum.

Iuramenti Angeli fortis periphrasim esse subiectæ materiæ congruentem, & quid per talem periphrasim significetur. 511.b
in Iuramento Angeli fortis quorsum sæculi sæculorum siue æternitatis mentio. ibid.d
Iuramentum angeli fortis respondere iuramento angeli Danielis. 512.c

Iustificatio.

de Iustificatione mentionem contineri, cum Apoc. 4. dicitur, *Quia tu creasti omnia*, &c. 389.b

Iustus.

Deus non permittit vt Iustus aliquis cadat, & damnetur, quin alium eius loco substituat. 265.b
Iusti veri reges dicti. 284.a
Iustus quomodo nulla ex septem plagis contingat. 436.b
quo sensu sit Isaias explicandus cum omnes Christiani populi Iustos dixit. 947.c
Iustorum duplex genus assignari. 956.a

Labium.

LAbia Isaiæ carbunculo mundari quid sit. 234.1.d

Labor.

Laborum & calamitatum ingens solatium. 205.d
Labores per noctem denotari. 522.1.b
Laboribus in nos immissis quid Deus intendat. 460.1.b

Lacryma.

Lacrymas à suorum oculis abstergere quo sensu dicatur Deus. 451.c

Lacus.

Lacus iræ Dei magnus quis sit. 692.d
Lacum extra ciuitatem calcari quid sit. 693.b

Lamentatio.

quo pacto Ezechielis locus de Lamentationibus & Væ, sit intelligendus. 377.2.b

Lampas.

Lampades septem à Ioanne visæ quomodo sint concipiendæ. 314.d
Lampadum earundem significatio. ibid.

Laus.

Laudis septemplicis Apoc. cap 5. collatio cum laude item septemplici cap. 7 396.a
in Laudum septenario cap. 5. & 7. cur ordo immutetur. ibid.b
Laus omnium creaturarum quæ Deo defertur Apocal. 15. 13. vtrùm ad extremi Iudicij diem deferatur. 397.d
Laudes quatuor quas Agno vniuersæ tribuunt creaturæ Apocal. cap. 5. ad primorum quatuor sigillorum mysterium referri. 398.a
Laudem quatuor quæ Deo & Agno deferuntur Apocalypseos cap. 5. 13. quæ sit interpretatio ibid.
Laudes decantatæ Deo ab angelis, Apoc. 7. 12. vtrùm sint septem, an octo. 449.d
in Laudibus Apocal. 7. 12. cur addatur in principio, & fine *Amen*. 450.a

Læna.

Lænæ symbolum cur Chaldæis attribuatur. 638.c

Leo.

Leo magnanimitatis symbolum. 334.d
Leonem vincere & aperire librum quid sit. 385.a
in eo quòd Leo vocetur qui mox agnus appareat, elegans antithesis. ibid.b
Leonem & tigridem eadem voce originali vsurpari interdum in Vulgata. 637.b
Leonis os Apocal. cap. 13. 2. quomodo accipiendum. ibid.c
Leonis os ad eius rugitum esse referendum. ibid.d
Leo superbiæ symbolum. 638.a
Leo cur dicatur phialas angelis dedisse. 708.d

Leui.

Leui aptatur Smaragdus 938.1.b
Leui nominis etymologia. 193.2.b

Libellus.

Libellum in manu apertum cur Angelus fortis habuerit. 514.b
in Libello Angeli fortis fit allusio ad librum Ezechieli traditum vt eum deuoraret. ibid.
Libellus Ezechieli & Ioanni ad deuorandum traditus, cur in ore fuerit dulcis. ibid.c
Libellus prædictus vterque cur insuper in ventre redditus fuerit amarus. ibid.d
Libellus cap. 10. cur cum virga cap. 11. coniungatur. 517.a

Liber.

Liber à Ioanne visus Apoc. 5. cuiusmodi fuerit? 372.b
Librum fuisse intus & foris scriptum quando potuerit Ioannes aduertere. ibid.
Libri sigilla quomodo sint consideranda. ibid.
Liber prædictus quid significet. ibid.d
Libri dicti expositio de sacra Scriptura vtrum sit liberalis. 373.a
in Libri ostensi Ioanni symbolo quæ Scripturæ pars figuretur. ibid.
ad Libri signati plenam intelligentiam quorum mysteriorum cognitione opus sit ibid.b
Liber signatus Ioanni visus quid sit. ibid.c
Librum signatum in dextera Deum habere quid sit. ibid.
Liber cur signatus fuerit, donec ab agno reseratus fuit. ibid.d
Libri visi à Ioanne significationē non ad vetus modò Testamentum, sed ad nouum se extendere. ibi.
Liber signatus vtrùm omnes totius Scripturæ partes complectatur. 374.a
in Libro signato mysteria clausa quæ sint præcipuè. ibid.b
Librum esse scriptum intùs & foris quid sit. ibid.d
in Libro signato quorsum paginæ exterioris & interioris mentio. 375.a
in Libri externæ & internæ paginæ distinctione aliquid mysterij latere coniecturis probatur. ibid.b
Liber signatus Apoc. respicit ad locum Ezech. 2. 9. & Isaiæ 29. 11. 377.1.a & seq.
Libri Ezechielis mysterium vtrum idem sit cum mysterio libri signati Apocal. ibid.b
in Libri Ezechieli ostenso non solum supplicia sed beneficia etiam contineri ibid.c
in Libro Ezechieli viso sufficiens esse fundamentum ad suppliciorum & beneficiorum distinctionem. ibid.d
inter Libros Ezechieli & Ioanni visos discrimen. ibid. 2.c. 378.1.a
Liber Ezechieli ostensus cur non sit signatus. ibid.d
Libros Ezech & Ioannis esse distinctos peculiari discrimine quàm sit congruenter. 378.1.a
Libro Isaiæ signato qua ratione Ioannis liber per allusionem respondeat. ibid.b
Librum aperire quid sit, dissentiunt auctores. 382.b
Librum aperiendi vera ratio & explicatio. ibid.c
Liber cur Ioanni clausus adhuc & obsignatus repræsentaretur. ibid.
Librum aperire quo sensu grammatico accipiendū. ibid.c.d
neminem fuisse inuentum qui Librum reseraret cur Ioannes fleuerit. ibid.d
qui à signato hoc Libro veteris Testamenti prophetias excludunt, minimè scopum attingere. ibidem c. 383. a.b
Librum aperire nemo poterat quid sit. ibid.b
Librum respicere quo sensu dicatur. ibid.d
Librum videre bifariam accipi posse. ibid.
agnum quasi occisum Librum accipere & aperire voluisse, quid denotet. 388.d
in eo quod agnus Librum aperuerit, & rursum liber clausus apparuerit, quod subsit mysterium. 390.a
in Libri inuoluti comparatione quid denotetur. 427.d
Libri Tobiæ præcipuam intelligentiam ad illius historiæ mysterium esse referendam. 457.1.b
in Libri mentione quem Angelus fortis habebat, cur diminutiuo vtatur Ioannes. 514.a
Liber cur perhibetur apertus antequam sigilla dicantur resignata. 389.a.b
de Libro vitæ deleri quid sit. 257.
ex Libris canonicis multorum inscriptiones non ab ipsis sacris scriptoribus, sed ab Ecclesia additæ. 7.1.d
ex Librorum sacrorum obscuritate vtilitas. 32.1.a
in Libro vitæ agni quorumnam nomina dicantur non esse scripta. 642.d
Libri qui Apoc. 20. 12. dicuntur aperti, qui sint. 847.c
Liber vitæ de quo Apoc. 20. 12. quis sit. 848.b
Liber inter alios in sacris montis Granatensis cauernis inuentus, cui titulus Fundamentum Ecclesiæ. 877.a
cur Danieli dicatur vt Librum obsignet, Ioanni verò ne obsignet prophetiam. 655.a
in hoc Libro Apocal. quid obsignatum permanserit. ibid.b

Libido.

Libidinē ferè comitantur crapula & ebrietas. 229.1.a
Libido ac luxuria Nicolaitarum ibid.b

Lignum.

Lignum vitæ quo pacto sumatur Apoc. cap. 2. 224.a

Li-

Digitized by Google

Lignum vitæ de sacra Eucharistia exponitur. ibid.b
Lignum vitæ in cælesti Ierusalem quid adumbret. 858.a.
Lignum vitæ Apo.22.pro pluribus vsurpatur. 956.c
Lignum Apoc.cur dicatur *vita*. 951.b
in Ligno vitæ Apoc.22 quid adumbretur. ibid.c
in Ligni vitæ foliis sacras cæremonias ac pia verba denotari. 952.b

Ligurius, Lyncurius.

pro Ligurio Rationalis cur Apocal. Hyacinthum substituerit. 934.1.a
Ligurio Rationalis vtrùm Hyacinthus respondeat. 932.1.b
Ligurium cur Septuaginta Rationalis gemmam vocarint, non Lyncurium. ibid.2.b
Ligurium Rationalis non esse Hyacinthum. ibid c
Ligurij siue Lyncurii proprietates. ibid.d
Ligurium siue Lyncurium esse genus quoddam succini. ibid.b
Lyncurii gemmæ etymologia. ibid.

Lilium.

Lilium exaltationis symbolum. 270.2.b
Lilia cur cum malogranatis in templi columnis fuerint coniuncta. ibid.

Limbus.

Limbus nomen sanctorum Patrum sinui inditum quid significet. 908.2.c
alia nominis Limbus acceptio. ibid.c
ad Limbum Patrum triumphatricem descendere non fuisse Christi anima indignum. ibid d

Linum.

Lini proprietates, & mystica earum significatio. 186.2.d
Linum albi coloris nimiùm tenax. 187.1.a
Lini robur ac fortitudo. ibid. eiusdem tolerantia. ibid. b. eiusdem mira tenuitas. ibid. c. eiusdem vtilitas in nauigatione. ibid.
Lini Achaici ingens æstimatio. ibid.d

Litera.

primas tantum Literas nominis compendiosè scribi solitas in publicis inscriptionibus. 141.2.b

Locusta.

per Locustas designari cordis desideria. 483.d
Locustæ ex fumo putei quo sensu prodire dicantur. ibid.
Locustæ natura & consideratio. 484.a
Locustam impinguari quid sit apud Ecclesiastē. ibid.
Locustas esse cæcas ex Plinio. ibid.b
Locustis potestatem dari, ficut habent scorpiones terræ quid sit. ibid c
inter locustas Apoc & Aegypti discrimen. 485.b
Locustæ Aegyptiacæ vtrum Aegyptios ipsos, an ipsorum tantum fata & arbores inuaserint. ibid.
Locustarum plagam quomodo effugiant Dei stigmate insti. ibid c
Locustarum plagas suo etiam modo posse ad Christianos suis concupiscentiis deditos, atque adeò ad imperfectos Religiosos applicari. 486.d
Locustarum Apocal. per quinque mensium durantium allusio ad communis diluuii tempus, illustratur amplius. 488.2.d
Locustæ quo sensu similes equis ad bellum paratis dicantur. 492.b
Locustis quorsum coronæ super capita affingantur. ibid.c
Locustis quorsum datæ facies hominum. ibid.d
Locustis cur dentes leonum afficti. ibid.
Locustæ quomodo stridorem edant. 493.b
per Locustarum vocem alis editam quid adumbretur. ibid.
Locustarum rex quisnam. ibid d
Locustæ & ipsarum rex cur ex abysso prodire dicantur. 494.a
Locustarum regem de inordinato amore proprio posse etiam congruenter explicari. ibid b
Locustis nomen bestiæ in scriptura familiare 548.d
Locustæ quàm rectè dicantur facere bellum contra duos testes. 549.a

Longinus.

Longinum qui Christi latus perfodit, visum sanguine & aqua Christi lateris recepisse ait Nazianzenus. 162.2.c
Longinus Martyr fuit. ibid.

Loquela.

Loquelam dæmonis, mundi & carnis in tribus ranis adumbrari. 712.b

Loqui.

Loqui palàm, & ænigmaticè sunt inter se opposita. 136.2.d
Loqui magna, quid sit. 641.d

Loth.

Loth filii Moab, & Ammon. 682.1.d

Lucas.

Lucam Euangelistam in vno è senioribus Ioannem solante fortè adumbrari. 384.d

Lumen.

de quo Lumine sermo sit, cùm dicitur, *ambulabunt gentes in lumine eius*. 945.a

Luminare.

Luminare maius cælestis ciuitatis cur simile iaspidi perhibeatur. 870.c
Luminaris maximi effectus quomodo sit concipiendus. 869.b
Luminare maius diuinitatem significans quo loco ac situ esse considerandum sit. ibid.d

Luna.

Lunam pro Christi humanitate accipi. 426.b
Lunæ pars tertia quo sensu dicatur percussa. 476.c
Luna pedibus mulieris supposita qua ratione pingi debeat. [illegible]
Luna pedibus mulieris supposita, num pro re vili sit sumenda. ibid.c
Luna in Apoc. symbolum humanitatis Christi. 571.a
Luna Christi humanitatem significans cur sub mulieris pedibus supponatur ibid.d
Luna quo sensu dicatur facta vt sanguis. 426.c
Lunæ symbolum quàm aptè congruat ad Christi humanitatem significandam, expenditur. 574.1.a
Lunæ symbolum ad Christi humanitatem ex quibus locis Scripturæ desumatur. 581.1.c
Lunam minui in consummatione quid sit. 574.2.d
Lunæ influxus in inferiora corpora. 575.1.a
Lunæ spiritalis, id est Christi influxus in suos fideles. ibid.c
in Luna summam Christi humilitatem & exaltationem figurari. ibid.
Lunæ symbolum quinam ex Patribus ad Christi humanitatem applicent. ibid.2.a
Luna sub pedibus mulieris vtrum considerandæ sit accrescens, vel decrescens. 576.2.a
Lunæ symbolum ad B. Virginem secundariò applicatur. ibid.1.c
Lunæ symbolum ad Virginem à Patribus applicari. 577.1.d
in Lunæ symbolo denotatur admirabilis in B Virgine virginitatis & fœcunditatis coniunctio. 578.1.c
Lunam ab Ethnicis castam vocari. ibid.
Lunā simul cum sole fœcunditatis esse originē. ibid.
per Lunam indicari B. Virginis excellentiam inter omnes Sanctos. ibid.2.a
in Lunæ symbolo figurari præcipuam Virginis excellentiam, quòd sit mater Dei. ibid 1.d
Lunæ eclipsis vnde proueniat. 579.1.a
Lunæ & solis eclipsis symbolum Christi passionis, & Iudæorum excæcationis. ibid.
Lunæ efficientia expenditur in maris fluxu & refluxu, & symbolica illius repræsentatio. ibid.d
in Lunæ etiam defectu circa Christi passionem philosophari pariter posse. ibid.c
à Lunæ efficientia duas veluti cruces in Oceani aquis imprimi sub singulis polis singulas. 580.2.b
Lunam erubescere quid sit apud Isaiam. 824.2.c

Lunaticus

de Lunaticis deque mystico eorum symbolo considerando. 581.1.a

Lunaticis Topaziũ prodeſſe quid adumbret. 924.2.c

Lutherani.

Lutherani Apocal. auctoritatem derogant. 24.2.a

Lux.

Lux quam initio creauit Deus quid myſticè. 378.2.c
Lucem ac vitam ſæpe in Sacris nec ſine myſterio copulari. 949.a
per Lucem in electro clauſam in figura Ezechielis quid ſignificetur. 302.1.b
Lux illa ingens qua cæleſtis Ieruſalem fruitur, quid ſignificet. 856.d
Lucis nomen tam Hebraica phraſi quàm Latina tribui aliquando *viæ*. 833.1.d

Luxuria.

Luxuria quomodo nautis applicetur. 773.c

Machabæi.

MAchabæorum nominis origo. 141.2.c
Machabæorum bella fuiſſe Eccleſiæ perſecutionem figuram, & cur. 209.1.b
in Machabæorum ſepulchro erectas columnas, trophæa fuiſſe. 270.2.b

Madian.

vox Madian quid ſonet. 683.1.b

Madianitæ.

per Madianitas quid ſignificetur. ibid.

Magiſter

Magiſtri etymologia quomodo templi Cherubinis poſſit aptari. 351.2.b

Magnes.

Magnetis duplex facultas. 247.2.b
Magnes quomodo nauticæ acui imprimat qualitatem 248.1.b
Magnes natura ſua cæli polos & ventorum plagas deſignat, quæ proprietas priſcis hominibus fuit ignota 247.2.c
Magnetis hæc natura, quando in ipſo deprehendi ſoleat. ibid.d
Magnetis partem alteram directè ad Septentrionem, alteram ad Meridiem reſpicere. 248.1.a
Magnes quomodo nauticæ acui imprimat qualitatem quam habet reſpiciendi polos. ibid.b
Magnetem præſente adamante ferrum dimittere, nec ad ſe trahere putarunt veteres, aliis item viſum eſt, vim ſuam amittere, vtrumq; verò falsò, ibid.d
Magnetem hac virtute priuare poſſe ignem, & quomodo? & ſymbolica prædictorũ ſignificatio. ibid d
de Magnete locus inſignis Platonis. ibid.2.b
Magnetis vtramque virtutem in ferro illi adiuncto multò maiorem ineſſe. ibid.c
Magnetis, eiuſque proprietatem myſtica ſignificatio. 249.1.c
ferrum Magnete contactum quanto maius pondus, quàm Magnes ipſe attollat. ibid.a
Magnetem vitro conficiendo admiſtum, eiuſque rei ſymbolum. 319.b
Vide, Ferrum.

Magog, Magogus.

de nomine Magog quæſtio. 840.1.b
vrbs Magog vbi fuerit ſita. ibid.d
vrbs Magog cur fuerit appellata Hieropolis 841.2.d
vrbs Magog idololatriæ metropolis. ibid.
nomen Magog quomodo apud Ezechielem ſumatur. ibid.1.c
Magogi ſignificatio vtrùm ad apertam perſecutionem congruenter referatur. 842.1.c
Scythas à Magogo filio Iaphethi genus ducere ſecundum Ioſephum. 840.1.b
Vide, Antiochus, Gog.

Malogranata.

Malogranata cur in columnarum capitellis efficta. 270.1.d
Malogranata in qua capitelli parte fuerint expreſſa. ibid.
cum Malogranatis cur lilia in columnarum capitellis fuerint coniuncta. ibid.2.b

Malum.

de Malis benefacere melius Deo viſum, quàm nulla mala eſſe permittere. 380.1.d

Mamilla.

ad Mamillas præcinctum quid propriè ſit. 188.b,c

Manna.

Manna abſconditum quid ſit. 230.a
Manna abſconditũ ad Euchariſtiã applicatur. ibid.b
Manna abſconditi nomine vtrùm de cæleſti beatitudine agatur. ibid.c

Mare.

Mare dupliciter in Scriptura accipitur. 316.a
Mare ante Dei ſedem viſum veri maris referre ſimilitudinem multis placet. ibid.b
Mare viſum à Ioanne fuiſſe maris ænei ſimile vt verius affirmatur. ibid.
quod Mare in eodem libro ænigmaticè accipiatur nihil obſtare. ibid.c
Mare viſum à Ioanne ob veri vitri ſimilitudinem dici vitreum. ibid d
Mare vitreum qua ratione conſiderandum ſit. ibid.
Mare æneum vtrum ſit perfectè hemiſphæricũ. ibid.
de Maris vitrei myſterio variæ auctorum ſententiæ. 317.a
Mare vitreum ſumi pro pœnitentiæ Sacramento. ibid.d.
in Mari æneo non bene omnia Sacramenta figurari. 318.a
Mare æneum quem ad finem fuerit inſtitutum. ibid.
in bobus Mare æneum ſuſtinentibus quid figuretur. ibid.c
pœnitentia per Mare vitreum figurata non ad ſacramentalem tantùm, ſed ad pœnitentiam etiam in voto extendenda eſt. ibid.d
Mare viſum à Ioanne, cur non abſolutè cryſtallinum, ſed vitreum cryſtallo ſimile fuerit. ibid.
per Maris vitrei capacitatẽ quid adumbretur. 319.c
per labium Maris vitrei ad modum lilij repandi quid ſignificetur. ibid.
Mare æneum ex mulierum ſpeculis factum, quid figuret ibid.
Salomonis templi Mare æneum cur Ioanni viſum fuerit vitreum 318.c
cur Apocal. 15. vbi Maris vitrei fit mentio non addatur, *ſimile cryſtallo*. 319.b
Maris mirabiles elationes quæ ſint. 174.c
per Mare Gentiliſmum denotari in Apocalypſi. 506.a
Maris tempeſtas cuius belli ſit ſymbolum. ibid d
Maris mortui bitumen eiuſque natura. 550.2.d
Maris fluxus & refluxus vnde proueniat, & quo tempore ac modo contingat. 579.2.d
in Maris fluxu & refluxu peculiaris conſideratio. 580.1.a
qui Maris receſſum & acceſſum referunt in humiditatem quæ à Luna in partem aeris & aquæ ipſi lunæ ſubiacentẽ deriuetur, improbantur. ibid.2.a
de Maris æſtuum acceſſu & receſſu myſtica conſideratio. 581.1.a
Maris nomine quid ſignificetur. 609.b
per Mare ſignificari mundum. 628.c
Mare vitreum prius Ioanni viſum, poſteà ſeptem Angelis phialarum. 696.b
Maris vitrei cum ſeptem tubarum plagis quæ ſit connexio. ibid.
ſub Maris vitrei nomine Apocal. 15. quid myſterii deliteſcat. 702.c
Mare cur ad priſci Iſraelis tranſitum ſuas vndas diffiderit, nouus verò Iſrael myſticus ſuper vndas gradiatur. 703.a
ſuper Mare ſtãtes Apoc. 15.2. quo ſenſu dicatur. ibid.c
Maris vitrei nomen Apocal. 15. pro veri maris ſimilitudine, ac Apocal. 4. pro vaſe æneo vſurpari, & quæ ſit huius diſcriminis ratio. 702.b
Mare Apocal. 21. cum Auguſtino myſticè eſſe accipiendum. 859.c
Mare iam non eſt, quo ſenſu dictum. 860.b
quaſi Maris ipſius plagam ſanguinis colorem, & piſcium interitum concipiendum eſſe. 721.a
quo ſenſu dicatur omnis anima viuens fuiſſe mortua in mari. 720.c.721.a

Digitized by Google

Margarita.

Margaritæ pretioſæ vnde æſtimentur. 190.1.a
Margaritæ duodecim per ſingulas, quomodo intelligendum. 939.c
ſingulæ portæ ciuitatis Apocal. 21. 21. quinam ſint conſiderandæ ex ſingulis Margaritis factæ. ibid.
in Margaritarum magnitudine myſterium deliteſcens. 940.b
Margaritæ ſymbolũ ad Religioſorũ vitam. ibid.1.d.
Margaritas ex cæli rore confici quid innuat. ibid.
Margaritam multiplici cute conſtare cuius rei ſit ſymbolum. ibid.
Margaritarum pretium & æſtimatio quid myſticè deſignet. 941.1.a
Margaritæ candor eiuſque ſymbolum. ibid.b
Margaritæ rotunda forma, quid ſignificet. ibidem, c. quid nuditas. ibid. quid læuor, ibid.d. quid pondus. ibid.
Margaritarum aliæ proprietates ad Religioſos applicatæ. ibid.2.a
Margaritarum ſoliditas quid ſignificet. ibid.d
Margaritas aceto diſſolui quid innuat. 942.1.a
Margaritam in ſenecta rugis torpeſcere quid ſignet. ibid.c
Margaritam clara luce illuſtratam intus nonnihil rubeſcere, idque cuius rei ſit ſymbolum. ibid.2.b

Maria Virgo.

in Mariæ duplici etymo, virginis tum humilitatem tum exaltationem indicari. 577.2.d
Maria ſonat ſtilla, ſiue gutta maris. ibid.
Maria idem quod excelſa. 578.1.a
Mariæ nominis etymon quatenus guttam ſonat, ad margaritarum procreationem poſſe aptè applicari. ibid.b
Maria Virgo Eccleſiæ baſis. ibid.1.a
de Maria Virgine vt de hominum mediatrice aptè enunciari quæ de Chriſto vt de præcipua bonorum noſtrorum cauſa dicuntur. 576.2.d
Multa ex his quæ Eccleſiæ de Maria Virgine cantat, ad Chriſtum primariò, ſecundariò ad Virginem referri. ibid.
Diſſentaneum non eſſe, ſed valdè conſentaneum, vt de Chriſto, & eius matre Maria in eodem loco agatur. ibid.b
Mariam ſanctiſſimam in ſuo cantico ad Ioannis, Zachariæ & Elizabethæ nomina, eorumque etymologiam alluſiſſe. 490.1.d
Mariam virginem cur Chriſtus poſt ſuam aſcenſionem tandiu in terris reliquerit. 578.2.c
Mariæ virgini applicatur Eccleſiaſtici locus, *Minuitur in conſummatione.* 577.2.b
Mariæ virginis auxilium. quanti ad Eccleſiæ propagationem interſit. 578.2.c
Viue, Luna.

Martyr.

Martyribus quàm ſit vtilis tyrannorum crudelitas. 387.c
ad Martyres aptè referri coccineum colorem. 753.d
Martyres eſſe glorioſos Chriſti athletas. 227.a
Martyrum mors quaſi ſacrificium pro peccatoribus oblatum. 551.b
Martyrum cædem ſignificari per vindemiam. 688.d
Martyrum ſub altari clamor qualis ſit. 423.b
in Martyrum occiſione diſſimulatæ quomodo fuerint diuinæ prouidentiæ quatuor partes. 693.d
Martyrũ ſanguine ebria cur dicatur meretrix. 755.c
de quibus Martyribus ſermo ſit in ſigillo quinto. 423.a
Martyrum cur ſpeciatim fiat mentio, cum omnes Sancti ſint prima reſurrectione, & cæleſti regno fruituri. 830.a
Martyrum robur ac fortitudinem ab Spiritu ſancto dimanaſſe 924.1.d
Martyres Chriſti cur non dicantur reſurrexiſſe, ſed ipſorum animæ. 831.d
Martyrum omnium in terra occiſorum ſanguis cur vni Romæ ethnicæ adſcribatur. 778.c
in Martyrum cæde quomodo ſuam Deus iram oſtendat. 689.b
ad Martyrum ſanguinem figurandum expreſſione multi in vindemia eſſe appoſitam. ibid.

Medi.

in Medorum ac Perſarum Imperio delitias ac blandimenta corporis fuiſſe dominata. 488.1.d
Medis ac Perſis cur vrſi ſymbolum accommodetur. 638.d

Mendacium.

Mendacium non eſſe inuentum in ore eorum quo ſenſu dicatur. 666.b

Mendax.

Mendaces quinam dicantur. 865.b

Menſa.

Menſa templi quid ſignificet. 181.2.a
Menſam propoſitionis reſpiciebat candelabrũ templi, & cur. ibid.b.c
Menſæ propoſitionis cur nulla mentio in viſione Apocal.4 fiat. 371.1.c.2.b
Menſa propoſitionis quid ſignificaret iuxta Philonem. ibid.1.d.
per Menſam propoſitionis quid myſticè ſignificetur ibid.2.a

Menſis.

de Menſiũ quinque ſpatio, eorumq; myſterio. 485.d
in Menſium quinque ſpatio quo loculſtarum plaga duraſſe dicitur, quid innuatur. 486.c
alluſionis ad Noei diluuium in quinque menſibus factæ quis ſit ſenſus ibid.
hæc Menſiũ quinq; ſpatii alluſio vnde cõſtet. 487.1.a
Menſes quinque quibus communis terræ durauit eluuio, quid ſignificent. ibid.c
Menſes quadraginta duo quomodo Apocal. 11. ſint accipiendi. 525.
in ſenſu myſtico eſſe accipiendos. ibid.b
Menſibus ſingulis in Apoc. non dari amplius triginta dies. 526.1.c

Menſura.

Menſuras ſingulares ſacræ Scripturæ quando ſpeciatim examinare oporteat. 418.1.b
Menſuram humanæ ſtaturæ ab aliis maiorem conſiderari. 516.c
Menſuram arundineam cap 20. Apocal. ſex cubitis conſtare. 882.a
de menſura humanæ ſtaturæ maxima eſſe ſermonem, Apoc.21. ibid.
Menſuræ humanæ qua angelus ædificium dimetitur, quod ſit myſterium. ibid.b

Mercator.

Mercatores quinam nuncupentur Apoc.18. 767.a
Mercatorum lamentationes Apoc.18. quo pacto ſunt accipiendæ. 772.d
in Mercatoribus Romam lamentantibus quinam figurentur. 773.a
in Mercatoribus plorantibus Babylonem quomodo denotetur auaritia. ibid.c
Mercatores quo ſenſu dicantur longè à Romæ incendio ſtare. ibid.
in Mercatorum fletu congruenter inferi nimium delitiarum & ſumptuum exceſſum. 774.a
Mercatores cur Apoc 18. flere dicantur. ibid.b
quaſi ad Mercatorũ ſingulos dicta ſint cõſideranda illa verba, *Poma deſiderii*, de quibus Apoc.18. 775.a
de quibus Mercatoribus ſit ſermo Apoc.18. dum dicitur *Mercatores horum*, &c ibid.c
Mercatoribus quidnam cæleſtis vox edicat, quod ad myſterium attinet. ibid.

Meretrix.

poculum in Meretricis manu poſitum quid ſignet. 754.b
Meretricis magnæ nomen Romæ imponi. 751.c

Meſſias.

ad Meſſiæ aduentum probandum eſſe congruentem quatuor ſigillorum repræſentationem. 405.2.b

Meſſis.

in Meſſe myſtica cur Chriſtus ſit qui falcem mittit, & in vindemia non Chriſtus ſed Moſes myſticus. 690.c.d

Michael.

ſub Michaelis & angelorum eius nomine qui figurentur. 601.a
Michaelis tum figura, tum nomen Chriſto ſymbolicè quadrare. ibid.c
Michaelis nomen olim apud Iudæos vſitatum, eoque multos ex ipſis fuiſſe vocatos. ibid.d
quorſum dicatur, *Michael & angeli eius præliabantur*, & non, *draco pugnabat, & angeli eius.* 602.c
Michaelis & eius angelorum ſecunda ſignificatio. 604.1.a
cùm Daniel ait, *In tempore illo conſurget Michael*, de quo tempore agat. 598. c. & ſeq.
Michaelem eſſe Mathathiæ figuram apud Danielem 599.a

Miles.

antiqua conſuetudo Milites in cute ſcribendi puncturis. 651.c

Millenarii.

Millenariorum opinio de Apocalypſi omnino fabuloſa. 12.2.a
Millenariorum explicantium maris Beſtiam de Antichriſto, auctoritatem in hac parte fidem non facere 620 a
Millenariorum de Beſtia maris mentem, ſi rectè inſpiciatur, ad interpretationem de Romano Imperio ſatis inclinare. 621.a
Millenariorum error quis fuerit. 818.1.c
Millenarij vnde ſui erroris causã arripuerint. ibi.2.a
Millenariorum fabulam quinam ex veteribus fuerint ſecuti. 816.2.c
Millenarios alioqui deceptos, in Apoc. tamen ſerie, & acoluthia rectè proceſſiſſe. 818.2.d
Millenarij quot annos totius orbis durationi tribuerint. 819.1.b

Milliare.

Milliare vnum quot ſtadiis conſtet iuxta Romanorum numerandi rationem. 695.1.a
Milliaria quibus Palæſtina protenditur ad Græcorum computationem, non ad Romanorum eſſe reuocanda. ibid.1.b

Mina.

Minæ quas tertius angelus Apocal. 14. 9. intendit, contra quos potiſſimùm iactentur. 675.c

Miſceo.

Miſcere in Scriptura interdum ſumi pro infundere. 676.a

Miſericordia.

Miſericordiæ ſymbolum eſt oleum. 311.1.b. 543 b
Miſericordiæ ſymbolum galbanus. 393.1.a
Miſericordiam in baculo figurari. ibid.b
Miſericordia Dei in ſupplicio inferendo. 469.d
Miſericordia Dei in Eccleſiam quanta fuerit. 781.c
Miſericordia Dei magna, cuius & ſanctiſſima Virgo, & Zacharias in ſuis canticis meminere, in quo conſiſteret. 490.2.d
Miſericordiam magnam deliteſcere ſub myſticæ vindictæ nomine. 245.1.d

Miſſa.

Miſſæ ſacrificium adumbrari in agno occiſo. 388.b
Miſſæ ſacrificium adumbrari in ſeniorum adoratione Apocal. 4. 368.c
Miſſæ ſacrificium adumbrari per citharas & laudes. 391.c
de Miſſæ ſacrificio ſecundaria phialarum expoſitio. 711.1.b
ad Miſſarum ſacrificia fortè haberi reſpectum in allegoria conuiuij 795.d

Moabita.

cùm de vindicta de Moabitis ſumenda Prophetæ ſermonem inſtituunt, quonam potiſſimum finem dirigant. 683.1.b
cur Deus præceperit Iſraelitis vt Moabitis ingreſſu Eccleſiæ interdicerent. ibid.2.b
per Moabitas quinam myſticè figurentur. 682.2.b

Monarchia.

in quinque diluuii menſibus figurari mundi miſeriam ſub quinque Monarchiis. 488.2.d
Monarchiæ præcipuæ orbis quæ fuerint. 487.1.c
inter Monarchias illas veteres gradatio, & quid imprimis in earũ ſingulis floruiſſe videatur. 488 1 b
Monarchias quatuor mundi non poſſe in marina Beſtia ſignificari. 634.b
Vide, Aſſyrius, Chaldæi.

Mons.

Mons Libanus vnde dictus. 196 1.b
Mons Oliuarum ad Orientem verſus quid ſignificet. 471.2.a
Mons magnus in mare miſſus quid denotet. 474.2
Mons cur fingatur in mare dejectus. ibid b
Mons in quem Ioannes fuit euocatus, qua ratione ſit conſiderandus. 867.b
Vide, Inſula.

Morior.

Mori in Domino quid ſit. 685.a

Mors.

Mors & infernus in ſacris aliquando vt diuerſæ perſonæ, aliquando vt eadem inducuntur. 207.2.a
Mors ſecunda quæ ſit. 227.a.850.c
A morte ſecunda liberationem eſſe effectum Euchariſtiæ. 227 b
Mors quo ſenſu ante pedes ire Dei dicatur. 402 1 a
de Morte eorum qui Chriſtum ſunt ſecuti agi in quarto ſigillo. 407.1.c
Mortem ſeruis Chriſti eſſe viam ad veram vitam. 421 b
Morti poteſtatem dari ſuper quatuor partes terræ, quid ſit. ibid d
explicandi Mortium quatuor genera ſimplicior modus, quas primi Chriſtiani patiebantur. 422 b
Mors cur equo vehatur, cur infernus ſubſequens pedeſter. ibid
Mors pro vera ſui mortificatione interdum in Scriptura ſumitur. 684.a
Viue, Clauis, Infernus.

Mortificatio.

cum Mortificatione orationẽ cõiungi debere. 459 2.b
Mortificationis ſtudium in primitiuæ Eccleſiæ Chriſtianis. 405.1.d
doctrina de vera requie quam iuſti per ſui Mortificationem aſſequuntur ſpiritualium virorũ propria. 685.b

Mortuus.

Mortui maris quid differant à mortis & inferni mortuis. 849.d
Mortuos appellari eos qui amori proprio, & inordinatis appetitionibus mortui ſunt. 915.1.a
de Mortuis maris, mortis, & inferni quo ſenſu, ſiue diſtinctione ſermo ſit. 848.d
quid innuatur iis verbis, *Ceteri mortuorum non vixerunt.* 829 b
Mortui qui in Chriſto ſunt reſurgent primi, quid ſit 850 d
cum dicitur, *Beati mortui*, quinã dicãtur mori. 683 d
quod appelletur tempus Mortuorum iudicari. 561.c

Moyſes.

in Moyſe figurari legem. 537.b
Moyſes vtrum in proprio corpore apparuerit in Chriſti transfiguratione. ibid.
Moyſem figurari per angelum aquarum. 689 d
Vide, Elias.

Mulier.

Mulieris volatus in deſertum quid ſignificet. 26.2.a
Mulieres duæ amphoram portantes apud Zachariam, quid ſignificent. 271.1.c
ſuper Mulieris caput cur ponantur ſtellæ quæ Apoſtolorum ſunt ſymbolum. 575.2.d
in Ioannis de Muliere amicta ſole viſione, aliquam eſſe ſolis eclipſis ſpeciem, & quæ ſit eius ſignificatio. 579 2 6.
Mulierem myſticam Apoc. 12. eſſe eandem, quæ in ſacra Scriptura vocatur Sion. 581.b
appellatur Ieruſalem cæleſtis. ibid. eius fœturam non de vno ſolum filio, ſed de pluribus eſſe accipiendam. ibid.c
Mulierem in deſertum fugere, quid ſit. 596.c
Mulieris in deſertum fuga quando acciderit. 597.a

Digitized by Google

Mulier vtrùm cum Luna pedibus ſuppoſita fugiſſe cenſenda eſt. ibid.b
Mulier quandiu in deſerto degiſſe dicatur. ibid.c
Mulieri num alæ ſint datæ antequam ſe fugæ mandare cœpiſſet, ante poſt fugæ initium. 610.c
Mulieris alarum duarum quod ſit myſteriũ. 611.b
dum de Mulieris alis agitur Apocal 12. cur Pauli & Barnabæ mentio fiat? 612.1.a
Mulierem ali à facie ſerpentis quid ſit? 611.c
Mulieri cur alæ aquilæ, non columbæ affingantur? 612.2.c
Mulierem quomodo terra adiuuerit? 614.c
de mulieris ſemine qui ſint reliqui, quibus Draco bellum intulit? 615.a
vtrùm in aquis multis ſuper quas Mulier ſedet, ſermo ſit de aquis fluminis, an de aquis maris? 760.c
Vide, Eccleſia, Fœmina.

Mundus.

ab origine Mundi Apoc. 13. 8. quo ſenſu intelligatur? 643 b
Mundus per Tobiæ piſcem figuratus, quomodo ſuperandus? 458.2.c
Mundum dupliciter conſiderari poſſe. 807.c
Mundi princeps eiicietur foras, dupliciter explicatur. 606 1.d
Mundi finem fore, vbi perfecta de Antichriſto victoria comparetur. 845 b

Murus.

Murus altus & pretioſus cæleſtis Ieruſalem, quid ſignificet? 857.a
numerus cubitorũ 144. quibus ciuitatis Murorum altitudo conſtabat, quid myſtice ſignificet? 881.d

Myrrha.

Myrrha ſymbolum pœnitentiæ. 392.2.c

Myſterium.

ex Myſteriorum ſacrorum noua comparatione, noua ipſorum cognitioni lux oboritur. 40 1.b
Myſterii Dei nomen quadrare in ſacris Iudæorum reprobationi, & electioni Gentium. 513.b
Myſterium iniquitatis, quid ſit apud Paulum? 672.1 c
Myſterij quid lateat in quater iterata negatione, *Non audietur in te.* 777.d
quæ Myſteria in Triſagio includantur? 297.2. d
Myſterium numeri 490. 532.1.c

Nabũ hodonoſor,

NAbuchodonoſoris ſuperbia auream ſtatuam fabricare præcipientis vnde occaſionem ſumpſerit? 487.1.b

Nares.

in Naribus indignationis & iræ indicium. 392 2.b

Nathan.

nominis Nathan etymologia. 163.2.b

Nauigans.

per Nauigantes intelligi Iudæos. 474.d

Naues.

per Naues quid figuretur in ſecunda tubarum plaga? ibid.

Nauta.

in Nautis Romam lamentantibus quinam figurentur? 773.a
Nautæ quo ſenſu dicantur longè à Romæ incendio ſtare? ibid.c
Nautarum lamentationes Apoc. 18. quo pacto ſint accipiendæ? 772.d

Nehemias.

à Nehemiæ ſacrificio & templi dedicatione ad diem Penteceſtes Hebdomadum Danielis ſpatium iuſte fluxiſſe. 531.1.c
à Nehemia reædificatio templi facta & celebri ſacrificio conſecrata, quo anno ac menſe fuerit? ibid.

Nephtali.

Nephtali aptatur Iaſpis. 938.1.d

Nero.

Neronis perſecutio quo prætextu inceperit. 614. b
Neronis perſecutionis initium non toto Imperio commune, ſed Romæ peculiare. 615.c
Neronis perſecutio quandiu durauit? 530.1.c
Nero veneficiis addictiſſimus. 614.b
Neronis perſecutio cur ſpecialiter per flumen Draconis figuratur? ibid
Neronis perſecutionis mentio cur in beſtiæ marinæ capitum ſeptenario nulla fit? 631 b
inter Neronis perſecutiones, & reliquas ſubſecutas diſtinctio. 616.c
Neronis perſecutionem deſignat fluuius ex ore Draconis prodiens. 614 b

Nicolaita.

Nicolaitarum hæreſeos cur Apocalypſis meminerit, non verò aliarum? 592 a
Nicolaitæ in quo doctrinam Baalami ſint ſecuti? 228.c
de Nicolaitarum erroribus quæſtio. ibid.1.d
Num ſint accipienda ſpiritualiter quæ de fornicatione, & idolothytorum eſu Nicolaitis tribuuntur? ibid 2 d
Nicolaitarum libido atque luxuria. 2. 9.1.b
de Nicolaitis cur ſimpliciter fiat ſermo, de Synagoga verò ſymbolicè? 239.c
Vide, Hæreſis.

Nigror.

Nigror cuius rei ſit ſymbolum? 409.1.c

Noceo.

qui nocet, noceat adhuc, quo ſenſu dicatur? 955.d

Noe.

incredulorum ſub Noei tempore cur ſolùm fiat mentio, 1. Petri 3. 20. 911.1.a

Nomen.

Nominum Hebraicorum alia complexa, incomplexa alia. 140.2 b
Nomen in anuli gemma cælari ſolitum. 232 b.c
Nomen nouum in calculo inſcriptũ quod ſit? ibid.b
Nomen in calculo inſcriptum quomodo nemo nouit, niſi qui accipit? ibid.c
Nomen viuentis habere quid ſit? 254 a
in Nomine viuentis quodammodo reſpici ad Epiſcopi etymologiam. ibid.b
ſed habes pauca Nomina quo ſenſu dicatur? 255.d
Nomen quando poſſit eleganter poni pro re cuius eſt nomen? ibid.
Nominis Chriſti virtus non in characteribus ipſis, ſed in rei veritate conſiſtit. 268.c
in Nominis Ieſu characteribus variatio. ibid.
Nominis numerus quid ſit? 651.c
cùm dicitur Apocal 13. *hominis numerus*, non poteſt intelligi Antichriſtus. 654.c
numerus hominis quid dicatur? ibid.b
de Nominis numero referuntur aliorum expoſitiones. 657.1 b
quod Nomen eo numero 666. adumbretur? 655.b
Nomen Dei in Beatorum frontibus inſcriptũ quid ſignificet? 953.a
Vide, Character.

Nouitas.

quæ Nouitas explicandi Scripturam ſit laudabilis? 441.c
de Nouitate expoſitionis admittenda vel reiicienda, controuerſi magni momenti eſt. 45.2.c
in Nouitatis cenſura requiritur prudentia, ibid.d
quæ exponendi Nouitas damnanda? ibid.2.b
Nouitatem cum antiquitate coniungit noſtra Apocalypſis explicatio. 511 a

Nouum.

Noua cur aliqua pleriſque videantur, alioqui antiqua iam & recepta? 40.2 c

Nubes.

antitheſis inter Nubes, & verbum Videndi. 159. d
Nubis myſtica ſignificatio. 163.1.c
Nubium natura ac proprietates. ibid.
Nubes Dei currus. 164..a
Nubis multiplex vſurpatio in Scriptura. ibid.1.d
præcipuæ Scripturæ hiſtoriæ in quibus Nubium fit mentio. 164.1.a
de Nubis columna quæ populum præcedebat. ibid.b
Nubes in monte Sina ad legis promulgationem viſa. ibid.

Nubes

Digitized by Google

Nubes in Mosis tabernaculo & Salomonis templo apparens. ibid.c
Nubes in Christi transfiguratione. ibid.
Nubes præcipuum diuinæ prouidentiæ instrumentum. ibid.2.a
in Nubibus mirè effulgent septem diuinæ prouidentiæ spiritus. ibid.
Nubium duplex consideratio. ibid.c
Nubes partim tegendo, partim detegendo diuinam designant prouidentiam. ibid.b
Nubes in Christi transfiguratione, ascensione, & Iudicio quomodo accipiendæ? ibi.c
Nubes prouidentiæ præsertim supernaturalis symbolum. 165.1.b
Nubes Angelorum symbolum. ibid.c
Nubes Euangelici concionatoris symbolum. ibid.
Nubes Euangelicæ prædicationis symbolum. 553.d
Nube Deum circunuestiri quid significet? 714.2.b
in Nube lucida quid figuretur? quid in obscura? ibi.
quomodo per Nubem lucidam Diuinæ prouidentiæ opera denotentur? ibid.c
Vide, Fumus.

Numerus.

Numerus septenarius an vniuersalitatem significet, & quomodo? 138.a
Numerus septenarius Angelorum in Scriptura quò respiciat? 146.c
Numerus denarius pro multitudine in Scriptura sumitur. 226.b
Numerum in symbolis non semper veritati significatæ respondere. 356.1.d
Numerum 144∪ pro vniuersitate sumi. 441.b
in Numero 144∪. strictè loquendo non Religiosos solũ, sed omnes Christianos intelligi debere. 442.d
Numerum 144∪. mystice esse accipiendum. 440.b
de Numero præfinito 144∪. quid dicendum? 660.a
de Numero 144∪. singularis expositio. 452.1.a
Numeri 490. mysterium. 532.1.c
Numeri duodenarij consideratio & mysteriũ. 441.c
Numerus quadratus quid significet? ibid.
Numerus octonarius æternæ felicitatis symbolum. 656.d
Numeri in sacris mysterij pleni. 531.2.a
Numerus 144. cubitorum quibus mutorum ciuitatis altitudo constabat, quid signet? 881.d
Numerus aliquis designatus qua ratione accipi soleat in allegoriis siue ænigmatis? 529.1.d
Numerus singularis pro plurali frequens in Scritura. 548.d
Numeri apud Græcos quique designentur characteribus? 651.d
in aliquot Numeris certum aliquando pro incerto poni. 632.b

Nuncius.

Nuncius ab Angelo allatus Apocal. 14. 4. cuiusmodi sit? 668.a

Nuptiæ.

de quibus Nuptiis instituatur sermo Apocal. 19. 7. 790.b

Oculus.

OCulos glaucos ad terrorem incutiendum valere. 921.1.a
Oculi glauci cur Palladi olim à poetis tributi ibid.
Oculi septem Domini apud Zachariam quid significent. 183.1.a
Oculi vt flamma ignis, quid innuant? 192.a
Oculorum spirituale collyrium quod sit. 282.d
Oculi cur in Ezechiele rotis non animalibus affingantur. 334.a
Oculi septẽ agni quia ratione sint constituẽdi. 387.b
Oculis plena in circuitu & intus quomodo potuerint esse animalia Ioanni visa. 327.b
per Oculos flammarum instar ignitos quid indicetur. 802.c
Oculos animalium non fuisse pictos, sed veros probatur. 327.a
de Oculorum flammis à Daniele & Ioanne in figuris visis. 210.2.b
Oculi rotarum Ezech. qua ratione possint concipi ita vt terram non contingant. 327.a
per Agni oculos & cornua cur septem diuinæ prouidentiæ virtutes figurentur. 387.c
Oculos cur Ioannes in prima sua visione conuertat. 209.2.b
Oculos cur Daniel dicatur eleuare in visione cap. 10. ibidem.

Odor.

per Odores Deo accensos, & se in sublime efferentes quid figuretur. 392.2.c
cuiusmodi sint Odores de quibus Apoc. 5. 8. 390.b

Oleum, Oliua.

Oleum misericordiæ symbolum. 311.1.b. 543.b
Oleum & vinum in quo sensu accipienda sint Apocalypsi 5 d 6. 416.a
Oliuæ duæ à Zacharia visæ quid significent. 542.c
Oliuas duas Zacharia in sensu proximo ad Zorobabelem ducem, & ad Iesum sacerdotem esse referendas. ibid.d
in Oliuis Zachariæ ad duos magnos Cherubinos haberi respectum. 543.a

Onesimus.

Onesimus successit Timotheo in Episcopatu. 215.2.c

Onyx.

Onyx fidei symbolum. 392.2.d
Onyx vnde sibi odorem acquirat. 393.1.a
Onyx quid sit. 392.1.c
Onychem posse bifariam vsurpari. 807.1.c
Onychem à Sardonyche in Scriptura non distingui. ibid.1.e

Opus.

Opera prima fac, quid sit. 222.c
Opera quæ dicantur plena coram Deo. 255.b
secundum Opera sua, quomodo omnes etiam paruuli iudicari dicantur. 848.c
quænã Opera Sardensis Christus se scire dicat. 253.c
duplicare duplicia secundum Opera eius, quid sit. 769.d
Opera illorum sequuntur illos quo sensu dicatur. 685.b

Operor.

verbum *Operatur* apud Paulum, & actiuè & passiuè posse sumi. 672.2.a

Oratio.

Orationis symbolum thus. 392.2.c
de Orationibus Sanctorum dare, quid sit. 467.d
Orationes primorum Christianorum quorsum spectent ante plagarum immissiones. 469.c

Ordo.

Ordo in Prophetarum vaticiniis non Diuinæ Sapientiæ contrarius, sed illi potius consentaneus valdè est. 20.2.a
Ordo ac prioritas in Diuinis actibus. 265.b
Ordinis perturbatio in Prophetis ad solatium ignorantiæ explicationis inuenta 21.1.a
Ordo cur immutetur in cap. 1. positus in iis verbis, *Qui erat*, &c. 367.d

Orichalcum.

Orichalcum quid sit? & eius pretium. 196.2.a

Origenes.

Origenis mens de symbolica rerum significatione. 35.1.a
Origenes de allegorica nimium interpretatione non bene apud Hieronymum audit. 59.1.d

Oseas.

Oseam in sorti Angelo Apoc. 5. signari videtur probabile. 382.a

Ostium.

Ostium apertum in cælo quid sit. 293.1.a
Ostium apertum in epistola ad Philadelphium quid sit. 261.a

Ozias.

Ozias quid sonet. 296.2.c

Palæstina.

PAlæstinæ quota sit longitudo. 694.1.d

Palma.

Palmæ in manibus positæ quid figurent. 447.b
in Palmis allusio ad hieronicas veterum certaminum. ibid.c

Digitized by Google

Palma victoriæ ſymbolum. 270.1.b
quænam ſit victoria per Palmas in Apocal. figurata 449.a
Palmis Iudæam abundaſſe præ ceteris regionibus. 270.1.b

Panthera.

Pantheræ nominis etymon. 637.b
Vide Pardus.

Parabola.

de Parabolarum veritate Damaſceni mens. 37.2.a
quæ Parabolæ in ſacris appellantur, omnes eſſe fictas non neceſſe eſt. ibid.1.d

Paraphraſis.

Paraphraſis Chaldaicæ auctoritas. 891.1.d
Paraphraſim Chaldaicam non ſibi ſemper conſtare, ac proinde non magnæ admodum auctoritatis ſemper eſſe. ibid.2.a

Pardus.

Pardi animantis natura & eius conſideratio. 637.a
Pardus vtrùm ſit ſpecie diuerſus à panthera. ibid.
Pardi nomine in Scriptura tigrim & pantheras comprehendi. ibid.b
Pardus cupiditatis & auaritiæ ſymbolum. 638.a

Pars.

Partitum inter ſe proportio pulchra. 19.1.c

Paſſus.

Paſſus Romanus quod pedibus conſtet. 695.1.a

Pater æternus.

Patrem æternum eſſe qui Ioanni fuit in throno viſus. 295.a
inter Deo Patri opera attributa creationem, & Chriſti reſurrectionem eminere. 298.d
Filij ſimilitudinē cum Patre æterno quomodo Saphirus adumbret. 901.1.a
Deum Patrem eſſe qui ab Iſaia fuit viſus in throno. 297.2.c
an Patris æterni verba ſint, *Ego ſum* A. & Ω. 166.b
Patris æterni dignitas quæ in primo articulo fidei prædicatur quomodo adumbretur in Iaſpide. 897.2.b
ad Patrem æternum referenda verba illa, *qui eſt, & qui erat*. 140.a
Pater æternus cur Apoc.4. ex Iaſpide compoſitus & Sardio Ioanni fuerit vnus. 916.1.d

Patientia.

Patientiam Dei in perfidos eſſe quinti ſigilli ſcopum. 423.a
Patientiæ Dei ſymbolum. 155.1.c
Patientiam Dei ſpectare, quid ſit. 912.1.c
Patientiam indicari in Scriptura ſilentiꝫ nomine. 456.a
de cœli ſilentio ad Patientiam relato vera explicatio. 455.d
de qua Patientia primorum Chriſtianorum ſit explicandum mediæ horæ ſilentium. 456.b
per Patientiam ad præmium peruenire. 346.c
Patientiæ Chriſti quod ſit conſilium ſiue præceptum. 264.a
Patientiam obliuionis, aut conniuentiæ ſpecie ſapienter obtegi. 381.1.a

Paulus Apoſtolus.

Paulum figurari in cameli ſeſſore. 749.1.c
Paulum figurari in Angelo de quo Apoc.17.1. 756.a
Pauli eſſe figuram ſecundum Angelum Apocal. 14. 671.b
Paulus quid innuat, Theſſalonicenſibus ſe dixiſſe. 672.1.a
Paulus de quo ſpiritali ædificio loquatur 1.Cor.3.12. 532.a.d
Paulus quid intelligat, 1.Cor.3.12. per ligna, fœnum, & ſtipulam. 533.1.c
iuxta Pauli mentem qui ædificare dicantur. ibid.a
Pauli locus expēditur de ſpiritalis ædificiꝫ extruendi ratione. 532.a.d
apud Paulum quid ſit? *tantum vt qui tenet nunc teneat.* 672.2.a
Paulum & Petrum figurari in Iſaia per aſcenſores aſini & cameli. 748.1.c

Alcaſar in Apocalyp.

cur Petrus & Paulus aſino & camelo vecti fingantur. ibid.2.d
Petrum & Paulum aſſeritur figurari tam in Iſaiæ cap.21. quàm in duobus Angelis Apocal.17.& 18. 747.1.d

Paulus V. Pont. Max.

Arij Lacedæmoniorum regis inſigne, eiuſque ad D. Noſtri Pauli V. ſtemmata accommodatio. 341.c

Paupertas.

Paupertatem eſſe ſeſſorem tertij equi. 417.b
Paupertas voluntaria fidelium primitiuorū. 405.1.a
Paupertati cur ſtatera in manus detur. 417.b

Pax.

Pacis nomine in Scriptura proſperitatem denotari. 154.1.d
Pace quanta perfruantur qui pro Chriſto cùm opus fuerit ſuccumbere firmiter apud ſe ſtatuerunt. 684.d.
Pacis Eccleſiæ fructus & emolumentum. 821.2.d
Gratia & Pax Apoſtolica eſt ſalutio. 138.a
Pax Iuſtorum in rebus aduerſis quomodo per Topazium denotetur. 924.2.c
Pacis nomen in Scriptura pro abundantia ſumitur. 138.d
Gratia & Pax Apoſtolica ſalutatio quid ſignificet. ibid.

Peccator.

quod Peccatorum ſupplicium propriè ad prædicationem Euangelicam ſpectet. 545.2.d
Peccatorum conuerſionem eſſe præcipuam Apocal. partem. 159.c
Peccatoribus lucem intellectus inditam interdum per occaſionem in grauiorum ipſorum damnationem conuerti. 725.b
Peccatorum conuerſionem in antiquis ſummæ ſeueritatis exemplis ſæpè ſignificari. 60.2.e
idem Patrum auctoritate roboratur. 61.1.b
Peccatorū conuerſionem per militiæ ac bellici congreſſus comparationem denotari, communis & quotidiana eſt locutio, ibid.c. metaphoræ huius ratio & congruentia, ibid.d. eadem locutio humaniorum literarum ſtudioſis vſitata, ibid.2.a. nec ſacris Literis inſolens. ibid.e

Peccatum.

Peccata Sardenſis quæ fuerint. 253.a
Peccati lethalis ſtatus intelligitur pro tempore de quo inſimulatur Laodicenus. 276.b
Peccata venialia parui ducere quanti ſit periculi. 281.a
Peccata Sardenſis quæ fuerint, vtrum conīci poſſit. 254.c
Peccato aliquo occulto vtrùm Sardenſis fuerit infectus. ibid.b
Peccata noſtra in profundum maris à Deo proīci eleganter dici iuxta Scripturæ phraſim. 777.a

Pelagia.

Pelagiæ ſiue conchiliꝫ infectio cuiuſmodi fuerit 928.2.b
Pelagiæ floris color qualis fuerit. ibid.c

Pella.

Pellæ vrbis etymon & myſterium. 432.1.d
Pella quid Luſitana lingua, quid Caſtellana ſonet. ibid.2.c

Perſecutio.

Perſecutionem ingentem in Scriptura per fluuium inundantem deſignari. 613.b
Perſecutiones inter Neronem & Iulianum interiectæ, quomodo ad ſeptem reuocentur. 631.c
Perſecutionem omnium grauiſſimam conſultò ad mundi finem à Diuina prouidentia reſeruari. 815.b
Perſecutionum tempore præſtantiorem ſanctitatem ſuis ſeruis Deum impertiri. 821.2.a
Perſecutionum tempore veram fidelium virtutem ac pietatem probari & ſpectari ſolere. ibid.b
Perſecutionum numerum certum cur Angelus Ioanni non declarauerit. 633.a
Vide, Antiochus, Antichriſtus, Eccleſia, Nero, Draco.

Persona.

cùm de Personis generatim agitur, neutrum pro masculino poni vsitata Scripturæ phrasi. 255 a

Pes.

Pedes figuræ cur Ioannes viderit ex Chalcolibano. 210.2.b

Pedum discrimen in Ioan. & Ezech. animalibus. 346.b

Pedum nomen in Scriptura ad tibias & femora extendi. 330.d

ad Pedes Christi Ioannem procidere, quid significet. 203.d

per Pedes Angeli fortis ignearum instar columnarum, quid figuretur. 505.a

Pedes Angeli fortis quomodo sint considerandi. ibid.b

Pedum in camino ardenti significatio. 193.d

Pedes primæ figuræ Apocal. cur ex ære sint efficti. 194.b

per Pedes ex ære in Danielis figura quid adumbretur. 210.2.b.c

ad Pedes Christi Ioannem prosterni ad trepidationem referendum. 203.d

an Pedes bini sint assignandi singulis Isaiæ Seraphinis. 356.2.c

quo sensu dictum de animalibus Ezech. *Pedes eorum pedes recti.* 364.2.a.365.2.c

Pedes in prima Apoc. figura cur similes aurichalco. 193.a.b

Pedes nũ ex ære liquefacto, an solido apparuerint. 193.b

Pestis.

Pestem indicari in tertia tubarum plaga. 475.a

ad Pestis significationem stellæ influxus quorsum apponatur. ibid.c

S. Petrus Apostolus.

S. Petrum figurari in Angelo potestatis magnę. 764.2

Petro qua ratione conueniat Angeli magnę potestatis symbolum. ibid.d

ad Petrum secunda Michaelis significatio relata. 604.1.a

Petrus directè circunfionis siue Iudæorum Apostolus. 749.1.c

Petro quam sit glorioſum c.18. Apoc. argumentum. 762.c

Petrum in asini sessore adumbrari. 749.1.c

Petrum tertio Angelo Apoc. 14.9. figurari. 676.d

Petro quàm aptè conueniat quod Apoc. 18.1. dicitur, *Terra illuminata est à gloria eius.* 764.b

Petro claues traditæ quæ fuerint. 208.2.a

Petrus cur eorum singulatim meminerit qui Noëi tempore vixerunt, cùm Christus ad inferos descendens suæ victoriæ nuncium omnibus notum fecerit. 911.1.b

Petrus cur inducatur Ioannem hortans, vt conscribat hæc verba? *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt.* 796.a

Petrus quo sensu explicandus asserens, Christum spiritibus, qui erant in carcere prædicasse. 909.1.d

Vide, Paulus.

Pharao.

Pharao ab Scriptura appellatus Draco. 591.d

per Pharaonem quid mysticè figuretur. 706.2.b

Phiala.

Phiala quid propriè sit. 390.b

in Phialarum sexta plaga affirmari mysticam exsiccati Euphratis renouationem. 729.b

Phialarum plagæ tertiæ scopus atque significatio. 721.c

Phialarum sextam plagam ad Ecclesiæ persecutionem à Rom. Imperio excitatam esse referendam. 729.c

Phialarum plagæ qua proportione respondeant tubarum plagis. 697.c

Phialas aptè respondere plagis Gentilitatis. 174.d

Phialam in sedem bestiæ effundere quid sit. 726.c

per Phialas aureas quid adumbretur. 391.d

Phialæ primæ significatio, quæ sit. 717.d

Phialarum plagæ secundæ mysterium, & significatio. 720.a

Phialarum quarta plaga quò potissimùm spectet. 725.a

in Phialarum quartæ & quintæ plagis virorum Apostolicorum scopus quis fuerit: quis finis subsecutus. ibid.

per Phialarum plagam sextam quid significetur. 728.a

Phialarum plagæ septimæ significatio. 737.b

in Phialarum plagis ratio septenariꝰ redditur. 699.b

in Phialarum effusione quomodo concipiatur veluti quoddam Christi sanguinis sacrificium, explicatur. 709.d

Phialarum effusionem quasi quoddam sacrificium considerari. ibid.b

Phialas effundere, quid sit. 717.b

Phialarum plagas de quibus Apoc. 15 & 16. mysticè esse accipiendas. 697.a

in Phialarum quartæ & quintæ plagis quid contineatur. 724.d

Phialarum plagæ septimæ connexio cum præcedenti. 738.a

Phialarum plagæ quam fuerint Romæ glorioſæ. 742.2.d

in Phialarum plaga sextæ non esse sermonem de supplicio aliquo propriè sumpto 734.d

Phialas Angelos in manibus tenere quid sit. 709.c

in Phialarum plagis primis duabus cur non dicantur Deo laudes attributæ, secùs in tertia. 722.b

Phialarum plagæ cur dicantur nouissimæ? & illis ira Dei consummata. 700.d

Phialam primam quis effuderit. 717.d

Phialas fuisse Altaris vasa, & earum vsus in sacrificijs. 709.a

Phialæ quæ sint, & vnde dictæ. 708.d

Vide, Angelus, Plaga.

Pictura.

ob Picturæ venustatem non esse à veritate recedendum. 362.2.c

Piscis.

Piscis Tobiæ quid significet. 458.2.b

Piscis vranoscopi nomen non esse abs re ad Tobiæ piscis significationem. ibid.c

Piscis immanis carnibus Tobiam iuniorem fuisse alitum quid significet. 460.2.c

Piscis qui Tobiam deuoraturus prodijt cuiusmodi fuerit. 457.2.c.d

Piscis vranoscopi fel ad quid vtile. ibid.d

Piscis vranoscopus pedalis est. ibid.

Piscem Tobiæ fuisse prægrandem ex ipso textu planum fit. ibid.

Piscium plurium fel medicandis oculis vtile. 458.1.a

Piscis felli effectus attributus fuit miraculosus. ibid.

Piscis Tobiæ interiores partes ad duas reduci ab Scriptura. ibid.2.d

Pisces ingentes aquæ copiam efflantes. 613.a

Plaga.

Plagæ septẽ quibus Deus obstinatos percutit. 41.2.b

ex Plagarum ipso ordine colligi eas esse mysticè accipiendas. 771.a

in aliqua ex septem Plagis exprimi, quod in ceteris sit subaudiendum. 431.2.b

Plaga & clangor idem quod attinet ad significationem. 472.a

in Plagarum serie non temporis, sed prioritatis ordinem seruari. 498.b

Plagarum nouissimarum series & ordo, & ordinis ratio. 698.a

de Plagis nouissimis aliorum expositiones, & auctoris placitum. 697.b

in Plagis nouissimis consummationis nomen posse etiam ad perfectionem referri. 701.c

in tribus postremis Plagis Iudæorum, septem Ægypti includi. 547.1.b

Plagis Iudæorum tubas aptè respondere. 174.d

Plaga ignorantiæ an sit grauior subsequente. 477.d

inter

Digitized by Google

inter Plagas tubarum & phialarum quid interſit? quod ad effectum attinet. 741.d
quem exitum Plagæ phialarum & tubarum habuerint, declaratur. 742 1.d
inter Plagas tubarum & phialarum diſtinctio maximè obſeruanda. 710.b
de Plagis eius non accipere, quid ſit. 768 b
Plagas tubarum quando exiſtimandus eſt Ioannes vidiſſe. 468 a
Plagæ tubarum qua ratione plagis Ægypti reſpondeant. 475.1.d
Plagæ ſeptem tubarum num ad ſeptimum ſigillum pertineant. 431.1.a
Plagæ ſeptem tubarum quæ ſint. 460.1 d
Plagæ ſeptem in Iudæos rebelles immiſſæ quæ ſint. 461 1 c
de Plagis tribus, fame, bello, & peſte in Scriptura & apud Ioſephum conſtare. ibid c
de Plagis tribus poſtremis, concupiſcentia, ira, & obduratione vnde conſtet. ibid.d
Plagæ tres poſtremæ ceteris grauiores ſunt. ibid 2 a
diſcrimen inter Plagas tubarum & phialarum. 462. 2 a
Plaga prima tubarum quid ſignificet. 472.b
in Plaga prima tubarum quorſum ſanguis in deſcriptione famis. ibid.c
in Plaga prima tubarum cur non omnes, ſed tertia pars fame interierit. 473.d
in Plaga prima tubarum cur ſanguis, grando, & ignis coniungantur. 47 .d
in Plaga ſecunda tubarum quid ſignificetur per naues. 474 d
in eadem bellum à Romanis in Iudæam geſtum indicari. ibid.a
in eadem ſanguis ad quos ſit referendus. ibid.
in Plaga tertia tubarum peſtem indicari. 475.a
in Plaga quarta tubarum ignorantia figuratur. 476 b
in Plaga quarta tubarum ad nonam plagam Ægypti alludi. ibid.
de Plaga quarta, id eſt, ignorantia agitur Deut. 28. 28. 461.1.d
in Plagæ quarta tubarum quid per diem ac noctem figuretur. 477.b
de Plaga quinta tubarum doctrinam poſſe etiam ſuo modo ad alios extendi. 498.a
Plagæ ſextæ tubarum interpretatio quæ ſit. 495.b
Plagam ſextam tubarum in belli ſimilitudinem proponi. ibid.d
cur Plagæ ſextæ tubarum tractatio ſit ad cap. 10. & 11. extenſa. 502.1.a
Plaga ſexta tubarum cur præ ceteris à Iudaicæ vindictæ poſtulatione exordiatur. 495 c
Plagæ nouiſſimæ nomẽ non ſingulis ſeorſum phialarum plagis, ſed omnibus coniunctim ſumptis conuenire. 701 c
in Plagis Ægypti delineaſſe Spiritum ſanctum, quod poſtea per plagas Apocalyp. fuerat effecturus. 465.2.d
Plagarum vtrarumque Apoc. effectus. 466.1.a
differentiæ inter Plagas tubarum, & Ægypti. ibid. 2.a
Plagæ Ægypti cur fuerint decem. ibid.c
in Plagis Apocalypſeos, & Ægypti cur varietur numerus. ibid.
in Plagis Apocalypſeos cur aliquæ varientur ex Ægyptiacis. 467.1.a 2.a
Plagæ AEgypti & Apocalypſeos quem ad finem ſint referendæ. ibid 2.a
de Plagis omnibus AEgypti ſermonem eſſe cum Apocal. 11.6. dicitur, *percutere terram omni plaga*. 545.c
Plagæ de quibus Apoc. 11 6. quo ſenſu ſint accipiendę ibid.
ad Plagas AEgypti alluſionem cur Apocal. vſurpet. ibid 1 d
Plagæ decem AEgypti per ordinem enumeratæ. 546.1 b
Alcaſar in Apocal.
Plagarum AEgypti myſtica ſignificatio quæ debeat indagari. ibid.
Plagarum numerus denarius appoſitus ad plagarum in peccatores immiſſarum multiplicitatem. ibid 2.a
de Plagarum AEgypti myſtica ſignificatione auctoris ſententia. ibid.b
Plagarum ſingularum myſticarum redditur apta ratio, & cum proprijs AEgypti plagis per ordinem conferuntur. 547.1.d
cur cùm Plagas primam, & ſecundam malefici AEgypti fuerint imitati, reliquas imitari non potuerint. ibid 2.c
Vide Phiala.

Planctus.

de quo Planctu agat Zacharias cap 11. 161.1.a

Planeta.

Planetarum ſeptem applicatio ad ſeptem Diuinæ prouidentiæ ſpiritus. 156.1.a
ad Planetas ſeptem, ſeptem Aſiæ Epiſcoporum accommodatio. 219.1.a
ad Planetas ſeptem, ſeptem ſtellarum applicatio. 200.d

Planta.

Plantę vitulorum cur animalibus Ezechielis affictę. 365.2 a
Plantas vitulinas animalib. Ezechielis ſolum fuiſſe proprias, non cum templi Cherubinis communes. 353.1.d

Platea.

Platea ciuitatis Apoc 21.21 quid ſignificet. 942 d

Plenilunium.

Plenilunij acceſſus, & receſſus interlunij quid ſignificent. 581.1.b

Plinius.

Plinio colorem aureum (immeritò tamen) argento poſtponit. 919.1.a
Plinio quantum fidei & auctoritatis S. Hieronymus deferat. 889.1.a
Plinio fidem ab aliquibus immeritò detrahi. 888.2.a
Plinio cur fides adhiberi debeat in ijs præſertim quæ de gemmis tradit. ibid.

Poculum.

Poculum in meretricis magnæ manu poſitum, quid ſignet, 754.b

Podêris.

per Podêris & baltei coniunctionem quid notetur. 209.2.d
de Podêre ſeu byſſina vtriuſque viſionis à Ioanne, & Daniele viſæ. ibid.c.d
Podêris veſtis quæ fuerit. 185 2
per Podêrem quid figuretur. ibid.d.
Podêrem byſſinã eſſe ſanctitatis ſymbolum. 186.1.a

Pœnitentia.

Pœnitentia per mare vitreum figurata non ad ſacramentalem ſolùm, ſed ad pœnitentiam in voto extendenda. 318.d
pro Pœnitentiæ ſacramento ſumi mare vitreum. ib.
Pœnitentiæ ſymbolum myrrha. 392.2.c

Poëta.

quod Poëtæ de Alcinoi hortis ſcripſerunt, fuiſſe eos mutuatos ex ijs quæ Moſes de terreſtri prodidit paradiſo. 951.a

Polycarpus.

Polycarpum fuiſſe Smyrnæ Epiſcopum cui Ioannes ſcripſit probabile eſt. 216.1.a

Pomum.

verba illa, *Poma deſiderij*, Apocal. 18. eſſe conſideranda quaſi è cælo ad mercatorum ſingulos dicta. 775.a
vtrùm Poma deſiderij poſſint commodè explicari de fructibus quos mercatores Babylonis Babylone extrahebant. ibid.b. quæ appellentur Poma deſiderij. 774.c
Poma Sodomæ poſt inflictum ſupplicium cuiuſmodi ſint. 550.1.d

Pondus.

quo ſenſu Chriſtus dicat, *ſe aliud Pondus non miſſurum*. 239.d.

non mittere aliud Pondus, quid sit. 243.a
Pontifex.
Pontifex summus legis veteris qua ratione Deum consuleret. 541.2 d
Pontificis dignitatis quam sit Sapphiro proprius. 901.2.a
Pontifici se Summo speciali voto astringunt Professis Societatis Iesu. 33 .a
in Pontificis Rationali (quod erat præcipuum illius insigne) cur voluerit Deus inscribi illa duo verba Vrim, & Thumim. 541.1 a
Pontificem supremũ veteris legis fuisse veluti vmbram Summi Pontificis, qui Christi Vicarius, ac Romanæ Ecclesiæ caput est. ibid.
Populus.
quis sit sensus eorum verborum Apocal.18. *Exite de illa populus meus.* 768.a
Porrum.
Porrũ voci, fœcunditati, & somno vtile esse. 924.1.b
Porri virtus & proprietates, & symbolica earum significatio. ibid.a
Porro hausto mortem faciliùs perferri. ibid.c
cum de Porrorum colore est mentio, intelligendum est de foliorum. 922.2.a
Vide Topazius.
Porta.
Portæ cælestis vrbis cur duodecim numero sint. 871.a
Portarum duodecim significatio quæ sit. 872.c
Portæ in latissima vrbe de qua Apoc.21. cur duodecim non amplius sint. 873.a
Portæ singulæ dictæ ciuitatis quinam sint considerandæ ex singulis margaritis factæ. 939.c
per Portas cælestis Ierusalem quid denotetur. 857.b
Portas cælestis Ierusalem nunquam claudi, quid sit. ibid.
Portis qua ratione tribuum nomina assignentur. 872.c
Portarum ex margaritis factarum mysterium. 940.b
pro Portarum ianitoribus cur Angeli designati. 873.b
Portas ciuitatis vtrùm Angelus sit dimensus. 878.b
Portæ inferi quæ dicantur. 206.1.c
Potentia.
Potẽtia Dei in hominibus à periculis eruendis. 781.b
Potestas.
cùm dicitur Apoc.13.4. *Potestas facere*, quid sit. 642.a
Potestas super gentes à Deo promissa Apocal. 2. 27. quæ sit. 244.b
Potestatis summæ symbolum effectus accessus & recessus maris. 580.2.d
Prædestinatus.
signatorum nomen vtrum sit pro Prædestinatis sumendum. 443.a
Prædicatio.
Prædicationis Euangelicæ lux in primo etiam suo exortu quanta fuerit. 603.d
Præcinge.
altè se Præcingere, quid mysticè significet. 188.d
Prælium.
in Danielis & Apocalypseos Prælio per allusionem respici ad antiquum illud Angelorum & Dæmonum prælium. 604.2.d
ad quem Scripturæ locum alludatur cùm Apoc.12. 7 dicitur *factum est prælium magnum in cælo.* 598.2
de qua pugna sermo sit cùm Apoc.12.7.dicitur, *Factum est prælium magnum in cælo.* 599.c
Præmium.
num Præmium epistolæ quartæ sit de præsentis vitæ præmio an de futuræ intelligendum. 243.c
Præpositio.
eadem Hebræa Præpositio cur in eodem titulo variè sumatur. 169.2.c
Preces.
Precum à Christianis primitiuis effusarum effectus. 469.d
Primitiæ.
cur dicantur 144 U. Primitiæ Deo & Agno. 866.a
Princeps.
virtutes in Principe necessariæ indicantur. 152.2.c
in Principe quæ primariæ gubernandi partes, quæ secundariæ. ibid d
Principis optimi insigne siue stemma. 155.1. a
in Principe secundariæ virtutes quot & quæ sint: 155.1.b
ad Principes totidem Sanctuarij alludi in senioribus viginti quatuor. 305.a
Princeps huius mundi ejicietur foras dupliciter explicatur. 606.1.d
Propheta.
Prophetis familiare Iudaica tangere, Christiana respicere. 52.1.d 208 2 d 706.2.d
quæ conuenientiæ, quæ discrimina in Prophetarum visionibus soleant reperiri. 234.2.d
quinam Prophetarum nomine Apocal.16. compellentur. 713 c
Transitiones quæ apud Prophetas reperiuntur ordinatè fiunt. 201.b
Prophetis familiarem esse locutionem de supplicio Iudæis intento per comparationem ad extremi iudicij diem. 415.b
Prophetis familiare præteritum pro futuro. 561.c. 735 c
Vide Ordo.
Prophetia.
In Prophetijs rerum ac temporum ordinem nullum seruari nonnullis placuit. 192 b
cur Danieli edicatur vt librum obsignet, Ioanni verò ne obsignet Prophetiam. 955.2
Prophetia huius verba seruari, bifariam accipi posse. 134 c
qui Prophetias veteres excludunt à Libro signato, minimè scopum attingere. 383.2 b
Propitiatorium.
Propitiatorium quid significet. 295 c. 370.2.c. 563.2.a
Propitiatorium fuisse Cherubinorum basim. 370.2.a
Propitiatorij veluti effigiem fuisse thronum. 295 b
Propitiatorium fuisse conspectum à Ioanne Apoc.4. vnde colligatur. 370.2.b
Propitiatorium cur fuerit Ioanni ostensum 371.1.b
Propitiatorium (licèt non arcam) fuisse visum à Ioanne Apoc.4. 370.1.d
Propitiatorij symbolum quàm aptè Christo conueniat. ibid.2.d
Propitiatorium fuisse à Septuaginta pariter appellatum propitiatorium & operculum. ibid.
Vide Cherubinus.
Prouidentia.
diuinæ Prouidentiæ septem perfectiones in septem primi cap. Apoc. spiritibus adumbratæ. 40.1 c
doctrina de diuinæ Prouidentiæ spiritibus viris spiritualibus valdè vtilis. 41 2.a
ad diuinæ Prouidentiæ opera quo pacto nomen Iehoua referatur. 142.1.d
diuinæ Prouidentiæ virtutes quatuor enumerandi ordo alius apud Isaiam, atque apud Ioannem, & cur. 155 2.c d
diuinæ Prouidentiæ posteriorum trium spirituum consideratio. ibid.d
ad septem diuinæ Prouidentiæ spiritus septem planetarum applicatio. 156.1.a
diuinæ Prouidentiæ spiritibus opponuntur septem capitalia vitia. ibid.b
diuinæ Prouidentiæ perfectio in quo consistat. ib b
diuinæ Prouidentię præcipuum instrumentum nubes. 164.2.a
diuinæ Prouidentiæ spiritus in nubibus mirè effulgent. ibid.
diuinam Prouidentiam designant nubes. ibid.b
Prouidentiæ supernaturalis præsertim symbolum nubes. 165.1.b
diuinæ Prouidentiæ spiritus in ferri proprietatibus figurati. 246.1.c
Prouidentiæ pręcipuas quatuor partes in animalibus figurari. 338.a
Prouidentiæ quatuor partes cur pręcipuè in animalium

Digitized by Google

malium facibus, non item in toto corpore figurentur. 343.c
diuinæ Prouidentiæ duplex ratio, eiusque discrimen. 378.1.c
Prouidentia Dei, vt est auctor naturæ quàm sit omnibus perspicua ac manifesta. ibid.d
Dei Prouidentia expenditur quàm sit recondita in rerum humanarum administratione. 379.1.a
diuinæ Prouidentiæ cognitio in mundi gubernatione quanti Christianorum interfit. ibid 1.b
ad Prouidentiæ perfectionem requiri vti abscondita sit. ibid.c
summas Prouidentiæ virtutes sub contrariorum vitiorum specie dissimulare quàm sit gloriosum. ibid.d
Dei Prouidentia quanuis in mundi administratione sit sæpè occulta, semper tamen sui vestigia hominibus in rebus ipsis relinquit. 381.2.b
Dei Prouidentiæ supernaturalis æquitatem constare euidentia credibilitatis ex multis argumentis petita. ibid.c
rationem qua se diuina Prouidentia cùm improbis gerit, in Apocal ad Iudæos speciatim coarctari. 401.2.a
primas quatuor diuinæ Prouidētiæ virtutes directè opponi quatuor inordinatis amoribus 404.1 d
diuina Prouidentia quàm congruenter persecutionem Antiochi, & nonnullas alias in Ecclesiam concitatas ad trium annorum & semis spatium contraxerit. 530.2.d
diuinæ Prouidentiæ singulos spiritus in singulis plagis phialarum enitescere. 699.d
diuinæ Prouidentiæ ratio in mysticæ Romæ ethnicæ supplicio, siue conuersione. 759.d

Prunæ.

Prunæ ignitæ apud Ezechielem ab Angelo in ciuitatem effusæ quid significent. 470.1 b
Prunas apud Ezechielem in vrbem, apud Ioannem in terram immissas eiusdem esse significationis. ibid c
ratio discriminis inter Ioannis & Ezechielis locos de Prunis in terram & in vrbem missis. 471.2.c
Ioannis & Ezechielis loci vbi de Prunis agitur, inter se conferuntur. 470.1.b

Psalmus.

Psalmi 67. argumentum cum argumento Apocalyps. idem. 179.b
Psalmi 28 argumentum quod sit. 510.c
Psalmorum 134 & 135 argumentum. 785 2.a
Psalmorum senarij mysterium. 786.1 d
Psalmorum exordium *Dominus regnauit*, &c. quid significet. 636.d
Psalmi nouem cur ad secundam Dei laudem desumantur. 785.1.c
Psalmorum nouem prædictorum quis sit scopus. ibid.
Psalmi cur tres intercedant inter primam & secundam Psalmorum laudem. ibid.2.d
Psalmorum 107.108.109 quis sit sensus. 786.1.a
Psalmi omnino quindecim cur interijciantur inter secundam & tertiam Psalmorum classem. 785.2 b
de Psalmorum varia dispositione, quæ in nostra Vulgata lectione, atque Hebraica originali reperitur quid sentiendum. 787.2.a
in Psalmis Hebræorum dispositio impugnatur, quatenus nostræ Vulgatæ refragatur. ibid b
Vide, Alleluia, Finis.

Pseudoprophetia.

Pseudopropheta quo sensu dicatur die ac nocte cruciandus. 846.b

Puer.

Pueri etymologia quomodo templi Cherubinis possit aptari. 351.2.b
Pueri seu ministri nomen in Cherubim etymologia quo sensu sumendum. ibid.1.c
Puer in sacris pro valido iuuene & pro seruo sumi. 350.2.c
Puer pro filio interdum in sacris. 351.2.a

Pulueris.

quo sensu à Daniele dicantur euigilaturi multi ex iis, qui in terræ puluere dormierant. 599.d

Punitio.

Punitionis seueræ symbolum. 157.1.c

Purpura.

Purpuræ Hebraicum nomen quid sonet Valuerdio. 141.2 d
Purpura lanæ olim quomodo tingebantur. 928.1.b
Purpuræ nomen cui potissimum colorum tincturæ datum. ibid.d
Purpura Tyria quæ diceretur. ibid.2.a
Purpura dibapha quæ fuerit. ibid.
Hisginum quænam Purpuræ infectio diceretur. ibid.
Purpuræ infectio quænam ex prædictis antiquior fuisse videatur. ibid.b
Purpuræ laus ex Plinio. 929.2.a
ex Purpuræ, siue pelagiæ tinctura quem lana colorem imbiberet. 930.1.d

Puteus.

Puteus abyssi quid adumbret. 481.a
pro alto Puteo sumi Apoc. 11.7. Abyssi nomen. 548.d
Putei nomine quid intelligatur. 480.d

Quadratus.

Quadratus num Ioannis tempore fuerit Philadelphiæ Episcopus. 216.2.a

Quadriga.

Quadrigam esse triumphi symbolum. 401.1.c
Quadrigam aut equum perinde esse ad saluationis symbolum exprimendum. ibid.2.a
Quadrigas Zachariæ c.6. & equos capitis primi esse eiusdem significationis. ibid.c

Quatuor.

Quatuor in sacra Scriptura interdum esse idem quod quaterna. 321.c

Querimonia.

Querimonia seu vltio de Iudaico populo sumendo ab altari cur proficiscatur. 495.c

Rana.

Ranæ tres quo sensu dicantur procedere ad reges totius terræ. 731.c
per tres Ranas quid figuretur. ibid.d
Ranæ græca vox vnde dicta. ibid.
Ranæ cur appellentur Spiritus immundi. 732.a
in Ranis tribus adumbrari loquelam trium animæ hostium. ibid.b
Ranæ tres quomodo ad tres animæ hostes possint accommodari. ibid.c
Ranæ cur dicantur spiritus dæmoniorum. ibid.d
de quibus Ranarum signis Apoc.16 fit sermo. ibid.
Ranæ quorsum ad reges totius terræ dicantur procedere. 733.a
de Ranis aliæ expositiones. ibid.1.d

Raphael.

Raphaelis etymon. 152.1.a

Rationale.

Vide Gemma, Pontifex.

Redimo.

Redimere quid propriè significet? 393.d

Regeneratio.

Regenerationem pro spirituali hominum renouatione in sacris vsurpari. 246.2.b

Regio.

Regio Sodomitica qualis olim fuerit. 550.1 d
Regionis Sodomiticæ, ac telluris color qualis. 551.1.a
Regionum aliquot feracitas. 951.a

Regnum.

Regnum Dei Iacobo ostensum quod sit, quę Sanctorum scientia illi data. 192.1.a

Relatiuum.

Relatiuum reciprocum à non reciproco in Hebræo, & in Græco non distingui. 357.1.a

Religio.

Religio Christiana quomodo se in Romanam arcem insinuauerit. 730 d
Religionis Christianæ antiquitas. 191.d

mira eorum mutatio quos diuina gratia ad Religionis portum appellat. 941.2.c
Danielis prophetia de Religionis vsu Hierosolymis post Antiochi persecutionem instaurando. 526.1.b

Religiosus.

Religiosorum ordinum pulchritudo cur in Apocalypsi prætermittatur. 58.2.c
Religiosorum periculum qui ad perfectionem niti non student. 280.c
Religiosi prima vocatio qualis esse debeat. 941.2.b
ad Religiosos applicatur signatorum doctrina 451.d
Religiosorum vitæ encomium. ibid.
Religiosos die ac nocte diuino cultui esse deditos. ibid.
Religiosorum vita quàm longè à cupiditatum siti esse debeat. ibid.
Religiosi quàm debeant à rerum secularium vsu, & communione esse abstracti. 941.2.d
Religiosorum familiæ quantum obsequii præstiterint Ecclesiæ in fidei propagatione & conseruatione. 822.1.a
ad Religiosorum vitam Margaritæ symbolum. 940.1.d
ad Religiosos aliæ margaritarum virtutes applicatę. 941.2.a

Requies.

Requiem non habere die ac nocte, quid sit. 678.d
Requiem per lucem denotari. 522.1.b

Res.

Res eadem ad varia rerum symbola solet vsurpari. 235.2.b
Rei cuius defectus in Philadelphio notetur. 261.d
vt Rebus pretiosis significandis symbola pretiosarum rerum aptentur, quàm sit rationi consonum. 885.a

Respondeo.

Respondere, quid sit in Hebræorum phrasi. 450.b

Resurrectio.

Resurrectio prima quænam appelletur. 829.b
de Resurrectione prima quæ sit auctoris expositio? 830.b
Resurrectionis primæ allegoria cur ad illud speciatim tempus referatur, quo idololatria fuit ex orbe depulsa. 831.a
quo sensu dicantur beati, qui habent partem in Resurrectione prima. 834.b
de sanctorum Resurrectione mystica cur Ioannes diuerso loquatur modo, & de Ecclesiæ persecutorum resurrectione, & quæ sit diuersitatis ratio. 832.a
Resurrectionis mystica allegoria quàm sit elegans. ibid.
primæ Resurrectionis interpretatio de qua cap. 20.4. quàm sit difficilis. 827.a
Resurrectionem Iesu Christi apud Petrum sumi pro fide resurrectionis. 912.2.c

Reuelatio.

de Reuelationibus B. Brigittæ circa Apocal. quid dicendum. 54.2.a
de Reuelationibus S. Hildegardis, quæ à Taulero referuntur, quid dicendum. 55.1.a
de Reuelationibus S. Michaelis quid dicendum. ibid.a
Reuelationem singularium euentuum futurorum non expedire Ecclesiæ. 56.2.a

Roma.

Romæ miranda gloria & splendor quo olim fruebatur depingitur. 754.a
Romæ veteris quanta fuerit amplitudo. 31.2.c
Romæ veteris magnificentia in Ecclesię splendorem cessit. ibid.d
Romæ ad fidem conuersio vnde potissimùm penderet? 758.c
Romæ imponi nomen meretricis magnæ. 751.c
Romam figurari ciuitatis dilectæ nomine. 843.a
Romæ gloriosissimus liber Apocalypseos. 33.1.b
Romam intelligi Psal. 136. sub nomine filiæ Babylonis. 744.1.a
Romæ quàm fuerint glorioſæ Phialarum plagæ. 742.2.d
Romæ quanta lux & splendor redundet ex Apocal expenditur. 743.1.d
Romæ ad Christi fidem conuersio est scopus præcipuus Apocalypseos. 4. 31.2.b
belli finem à Roma ethnica in Ecclesiam susceptι quàm accuratè describat Apoc. ibid 1.d
Romæ nullam laudem gloriosiorem posse accidere, quàm quæ ei ex Apoc. prouenit. 743.2.b
opinio de Roma sub mundi finem ad idololatriam reditura probabilitate caret. 30.1.b
de Roma ethnica interpretatur diuisio ciuitatis in tres partes de qua Apoc. 16. 739.b
Romam ethnicam figurari per septem bestiæ capita Apoc. 13. & per fœminam bestiæ insidentem Apocal. 17. 670.d
de Romæ mystica ruina intelligenda, quæ de Tyri excidio à Prophetis enumerantur. 772.a
ad Romæ inuasionem mysticam quod Deus instrumentum vsurparit. 730.c
Roma prout in Apoc. per Babylonem figuratur sub quo statu sit consideranda. 746.1.d
Vtrùm Antichristus sit Romæ publicam Christianæ Religionis professionem interdicturus. 836.c
Romæ mentio sub nomine Babylonis quàm frequens fuerit apud Prophetas. 743.2.a
Vide Babylon.

Romanus.

Romanos in Idumæis adumbrari apud Ioelem. 681.1.c
Romanos quomodo Idumæi adumbrauerint. ib.2.c
Romani cur ad vnius stadij dimensionem pedes 25. adijciant. 695.1.a
in Romanorum imperio honorem & ambitionem maximè viguisse. 488.1.c
Romanos Augusto Cęsari solem, lunam vxori ipsius per adulationem attribuisse. 571.b
apud Romanos litera T. signum erat vitæ. 438.2.d
Vide Bellum.

Romphæa.

de qua Rhomphæa Apoc. 2.12. agatur. 228.a
Romphææ bis acutæ quorsum mentio. ibid.

Ros.

quasi cælestis Ros Euangelica doctrina. 545.b

Rota.

Rotas Ezechielis animalibus fuisse suppositas. 333.c
Rotarum Ezech. facies qua ratione sint considerandæ. 329.d
Rotæ figura exprimi eleganter inferiorum ad superiores subiectionem. 333.d
Rotarum Ezech. oculi qua ratione possint concipi, ita vt terram non attingant. 327.a
Rotis in Ezech. cur oculi, non animalibus affingantur. 334.a

Ruben.

Ruben aptatur Sardius. 938.1.a

Rusticitas.

Rusticitas sancta sibi solùm prodest ex Hieronymo. 262.a

Rex.

Regum lamentationes Apoc. 18. quo pacto accipiendæ. 772.d
Reges olim è curribus dimicare solitos. 333.d
in Regum Hispaniarum stemmatis *Plus vltra* ab Herculis columnis vsurpari. 270.2.c
Reges Magi cur Christo gemmas non obtulere. 885.d
Reges terræ de quibus Apocalyps. 22. quinam sint. 946.a
Regum Persarum cognomẽtum quod fuerit. 801.b
Regum Orientalium symbolum quibus aptetur. 730.a
per Reges terræ quinam ab Isaia signentur. 824.2.b
in Regibus plorantibus Babylonem quomodo superbia denotetur. 773.c

opinio-

Digitized by Google

opinionem de toto orbe in Reges decem ſub Antichriſto diuidendo non adeò eſſe certam. 587.b
in Regibus Romam lamentantibus quinam figurentur. 773.a
Reges quo ſenſu dicantur longè à Romæ incendio ſtare. ibid.c
Regi nullo alio tantam auctoritatem comparari, quàm optima ſapientiæ exiſtimatione. 154.1.c
Rex ſæculorum num ſit legendum, an *Rex gentium*. 704.c.
Regibus ſuperbia quomodo applicetur. 773.b
in Regibus terræ apud Iſaiam ſignificari etiam poſſe reges eos ethnicos, qui oppugnarunt Eccleſiam. 824.2.c.

Sacerdos.

SAcerdotum veſtes olim ex lino. 186.2.a
Sacerdotes in AEgypto fuiſſe iudices. 158.c
Sacerdotes Eccleſiæ in 24. ſenioribus figurari. 306.b
Sacerdotum veſtis linea cur vocaretur ſtricta. 187.2.b
Sacerdotum cur fuerit propria veſtis byſſina. 186.2.c
Sacerdotes per tibicines figurantur. 176.2.c
Sacerdotum principes in veteri lege fortè coronam geſtare ſolitos coniectura elicitur. 305.d
Sacerdotum dignitas. 306.b
Sacerdotes quanta cura ſuum munus debeant præſtare. 310.1.d
Sacerdotes in Scriptura Angelos vocari. 215.1.a 292.1.c

Sacramentum.

Sacramenta omnia non rectè in mari æneo figurari. 318.a

Sacrificium.

Sacrificium quoddam myſticum eſſe prædicationis Euangelicæ officium. 509.1.b
Sacrificium nouendiale apud ethnicos quod diceretur. 563.1.d
Vide Miſſa.

Salomon.

Salomonis multo ante ætatem columnas Herculis fuiſſe erectas. 270.2.c
ex Salomonis templi Cherubinis ethnicos victoriæ ſimulachrum ac figuram fuiſſe mutuatos. ibid.1.a
Salomonis templi parietes quorſum palmis & Cherubinis fuerint ornati. ibid.
collatio ſingulorum viſionis Apoc.4. cum præcipuis Salomonis templi partibus. 371.2.d
in Salomonis templo quare trophæa fuerint erecta. 269.2.d
in Salomonis templo cur & Moſaici Cherubini & Salomonici pariter viſantur. 355.1.a
ad Salomonis templum quibus in rebus Apoc.4. alludatur. 369.1.d
Salomonis templum fuiſſe Eccleſiæ figuram 354.2.d
Salomonis templo reſpondere cælũ Apoc.4. 369.1.d
Vide Templum Cherubinus.

Salus.

Salutis nomine Apoc.12.10. quid ſignificetur. 607.b
cuiuſmodi Salutem & ſaluandi ratione nobis Chriſtus attulerit. 404.1.c

Samaritana.

Samaritanam fuiſſe gentilitatis typum. 489.1.b
de Samaritanæ quinque viris verba Chriſti Domini quomodo accipienda. ibid.c
Samaritanæ quinque viros non illi legitimo matrimonio, ſed illicito pellicatu copulatos fuiſſe. ibid.
per Samaritanæ quinque viros typicè quinque Imperia orbis indicari. ibid.d
per Samaritanæ quatuor præcedentes viros quid myſticè figuretur. ibid.d
quòd Samaritanæ Chriſtus dixit, ſuum vt virum vocaret, quid myſticè ſit. ibid.b
in Samaritanæ infami concubitu quid adumbretur. 490.1.a

Sanguis.

Sanguinem animalium Deo immolatorum per altaris circuitum effundi ex Dei præcepto ſolere. 719.c
Sanguinis & aquæ myſterium ex Chriſti latere fluẽtis. 720.c
Sanguis ad quos ſit referendus in ſecunda tubarum plaga. 474.b
Sanguine cur perhibeantur tincta flumina ac fontes. 721.d
Sanguinem hoſtiæ in lebetem infuſum cum aqua miſceri ſolere veriſimili coniectura deducitur. 719.d.
Sanguis tanquam mortui, quid ſignificet. ibid.b
Sanguis illitus in Hebræorum poſtibus, & ſuperliminari quam in formam fuerit factus. 430.1.b
in Sanguinem aqua maris conuerſa Apoc. 16. quomodo confideretur. 720.a
Sanguis quorſum in prima plaga tubarum. 472.c
Sanguis, grando, & ignis cur in prima tubarum plaga coniungantur. ibid.d

Sanctitas.

Sanctitas ac perfectio Chriſtianæ vitæ primis præſertim temporibus. 774.b
Vide Symbolum.

Sanctus.

Sanctorum nomine quinam Apoc.16. compellentur. 723.c
ad Sanctorum etiam regnum ſpectare venerationem, & adorationem, quæ ipſis defertur in terris. 832.c
Sanctorum vitæ decurſum ex proſperis pariter & aduerſis contexi. 530.1.d
vtrũm Sancti omnes generatim dicantur prima reſurrectione victuri, & cum Chriſto regnaturi. 829.d

Sapientia.

Sapientia argento ſignificatur. 189.1.d
pro Sapientia in aquila figurandi duplex veterum inſigne. 341.c
Sapientiæ ac prudentiæ ſymbolum aquila. 336.a
Sapientia etiam ſignificatur græca coloris varij voce. 409.1.b
Sapientiæ ſymbolum fluuius. 948.c
Sapientiam ſub ſtultitiæ ſimulatione magnoperè perfici. 381.1.a
Sapientia in paruis Cherubinis figurata, vtrùm ſit eadem quæ per aquilam adumbratur. 338.d
Sapientiam cæleſtem beatorum duplici claritatis & fluuñ ſymbolo non ineptè ſignificari. 948.c
Sapientiæ ſymbolum eſſe nauticam acum. 247.2.c
Sapientiam Chriſtianam in rerum æternarum æſtimatione imprimis elucere. 405.2.a
Hic ſapientia eſt, quid innuat. 654.a

Sapphirus.

Sapphirus quænam gemma ſit, 897.1.c
Sapphirum quam gemmam Græci & Latini vocent. ibid.
in Sapphiri gemmæ natura aſſignanda Plinius à nonnullis temerè fugillatur. ibid.d
Sapphiri ſigna atque indicia à Plinio tradita ibid.2.c
Sapphirus num aureis punctis colluceat. ibid.
Sapphiri qualis ſit proprius color. 898.2.a
Sapphirus Scripturæ vtrùm ſit denſus & opacus, an perſpicuus & pellucidus. ibid.b
Sapphirus inutilis ſcalpturæ ex Plinio. 899.1.b
Sapphirus ab Scriptura, & Plinio vſurpatus qui ſit. ibid.c
Sapphiri naturales virtutes quæ ſint. ibid.d
ad Sapphirum veterem dignoſcendum ab eo quem hodie vulgus Sapphirum vocat, quæ ſit adhibenda diſtinctio. ibid.2.a.
Sapphirus quantæ fuerit apud veteres venerationis ibid.b
Sapphirum Regibus & principibus conuenire. ibid.c
abſque Sapphiro ethnicis olim reſponſa non reddi ſolita. ibid.

Digitized by Google

Sapphirum collo appensum gestare soliti AEgyptij sacerdotes. ibid.d
Sapphiro proprietatem attribui visum reficiendi. 900.1.a
Sapphirum Carbunculo mistum interdum reperiri. ibid.
in Sapphiro figuratur secundus Apost. symboli articulus. ibid.b
Sapphirus applicatur per ordinem ad secundum Symboli Apost. articulum. ibid.c
per Sapphiri colorem cæruleum quid denotetur. ibid.
in Sapphiro cur Deus olim fuerit conspectus. ibid.d
Sapphirus quomodo diuinam Christi personam symbolicè repræsenter. ibid.2.d
Sapphirus quomodo adumbret filij similitudinem cum Patre æterno. 901.1.a
in Sapphiro figurari Christi omnium Pontificis dignitatem necnon regis regum imperium. ibid.b.
Sapphirus quàm Pontificiæ dignitatis proprius ibid. 2.a
Sapphirum cuilibet Cardinali recens creato à Pontifice summo mitti. ibid.
Sapphiri opacitas siue dēfitas quid adumbret. ibid.b
qui nunc Sapphiri vocantur, verè esse Hyacinthos. 9.9.1.c 2.d
Sapphiri recentioris proprietates 932.2.a

Sarda.

Sardam gemmam esse veluti Amethysti matrem. 934.2.d
Sardam suffuso humore non hebetari, quid signet. 916.2.c
in Sarda vulneribus medente quomodo Christi resurrectio figuretur. ibid.
quod ait Plinius, Sarda fabulas veterum superbire, quo sit symbolicè referendum. ibid.b
Sarda gaudium accendi, quid mysticè. ibid.d
Sardâ intra saxum generata Christi resurrectionem in sepulchro adumbrari. ibid.

Sardius.

Sardius Scripturæ, & Sarda Plinij verùm sint eiusdem speciei. 915.1.c
per Sardium figurari terrorem dæmonibus in resurrectione Christi incussum. 916.2.d
de Sardij valore, & æstimatione quid dicendum sit. 915.1.c
Sardij species & natura quæ sit. ibid.2.d
Sardius, vel Sarda quo nomine vulgò appelletur. ibid.
Sardij color translucidæ carni persimilis. ibid.
Sardis pretiosioribus mirum splendorem esse. 916. 2.a
Sardæ virtutes quæ sint. ibid.2.a
Sardij color carni translucidæ similis quid mysticè adumbret. ibid.1.d
per Sardium quid figuretur. 298.d
Sardij applicatio ad sextum symboli articulum. 916. 1.c
ex Sardio cur sit pars superior sedentis in throno Apoc. 299.a

Sardonyx.

à Sardonyche in Scriptura non distingui onychem. 907.1.b
in Sardonyche Apoc alluſio ad vndecimam Rationalis gemmam. ibid.
Sardonyx quæ fuerit gemma vocata in prima sui nominis impositione. ibid.c
in Sardonyche triplicem coniungi colorem. ibid.2.b
Sardonyches gemmæ descriptio. ibid.1.d
Sardonyx quo modo siue figura olim scalperetur? ibid.2.c
Sardonyx lapillus est opacus non perspicuus. ibid.d
Sardonychis proprietates à nonnullis tradi. 908. 1.a
Sardonychis colores quomodo ad quintum articulum Symboli applicentur. ibid.1.b
Sardonychis niger color, quid candidus adumbret. ibid.c
cum Sardonyche componitur quintus articulus fidei. ibid.b
Sardonychem ad sigillorum vsum esse aptum quid intuat. ibid.2.d
in Sardonyche species purpuræ quid mysticè adumbret. 909.2.b
Sardonyx aptatur Iosepho. 938.2.c

Satanas.

Satanæ etymon. 606.b
Vide Altitudo.

Scala.

Deus cur in ima Scalæ parte sit in visione Iacobi. 292.2.a
per Scalam Iacobi quid figuretur. ibid.a
Vide Iacob.

Scientia.

Scientia de rebus naturalibus vera quæ sit iuxtà Scripturæ phrasim. 35.1.b

Scorpio.

Scorpionum natura & consideratio 484.c
Scorpionū veneni vis in quos potissimùm sit acrior. ibid.
Scorpionibus in cauda dentes esse ex Plinio. ibid.
Scorpioni blandum vultum & quasi virgineum inesse ex Gesnero. ibid.d

Scriptura.

Scripturam aliquando de Christo & Ecclesia vt de vna persona loqui 179.c
sacræ Scripturæ quanta sit reuerentia deferenda. 233.2.d
Scripturæ aliorum locorum explicatio qui ex Apocal. intelligentia colligatur. 41.2.d
Scripturæ verba num semper sint in elegantissimæ Latinæ linguæ significatione necessariò vsurpāda. 893.1.b
Scripturæ qui loci ex Apoc. lucem accipiant 42.1.c
in Scriptura præterito pro futuris vti est familiare. 561.c
Vide Liber, Sensus.

Scrupulus.

Scrupulos ad animorum medicinam à Deo sæpè immitti. 548.1.a

Sedes.

in Sede Dei Apoc. 4. perfectam cognitionem, & sanctitatem figurari probatur. 310.1.b
per Sedem Dei, quid Apoc. 4 significetur. 309.2.d
in Sedibus siue thronis sedere quinam Apoc. 20. 4. dicantur. 825.b
in medio Sedis, & in circuitu Sedis, quo pacto conciliāda. 321.b

Sedile

Sedilia viginti quatuor qua ratione considēranda? 305.b

Sella.

Sella Dei ex Cherubinis quomodo cōcipiatur? 310.d

Semei.

Semei nominis etymologia. 163.2.b.

Senator.

Senatores Romanos reges vocari, & cur. 718.b
Senatores abortiui qui dicerentur. 441.a
in Senatorum veterum animis & ad Christiana sacra traducendis, & in pietate roborandis diuinæ virtutis efficientia. 758.d
Senatorum honorificam mentionem qui ad Christi olim fidem fuerunt conuersi in Apoc. fieri 760.a

Senior.

in Senioribus viginti quatuor sacerdotes figurari. 306.b
per Seniorum coronas aureas quid figuretur. 307.c
è Senioribus vnus qui Apoc. 7. loquitur cum Ioanne est idem qui Apoc. 5. 450.c
per Seniores Apoc 4 quid significetur. 305.d. 310.1.a
Seniorum coram Deo sedentium dignitas. 310.2.c
Seniorum adorationem cur præcedat quatuor animalium clamor. 368.d
Seniores cur tantùm viginti quatuor sint. 306.d
cur sedentes appareant. 307.b
per Seniorum albas vestes quid figuretur. ibid.c

Seniorum

Seniorum consessus num sit in circuli figuram necessariò concipiendus. 305.c
n ijs alludi ad totidem principes sanctuarij. ibid.a
iSeniores, nomen est in Apoc. dignitatis, non ætatis. ibid.b
n Seniorum adoratione Apocal.4 sacrificium Missæ i adumbrari. 368.c
è Senioribus vnus cur plorantem Ioannem consoletur. 384 c
ex Seniorum adoratione Apoc.4 quid ad sacrificium Missæ spectans colligatur. 3 8.d
in Seniorum aureis coronis fit allusio ad auream summi sacerdotis laminam. 307.b

Señor.

Hispanum nomen *Señor*, vnde deducatur. 305 b

Sensus.

Sensum duplicem literalem eidem Scripturę loco inesse posse. 48.1.a
Sensus literalis multiplex num in vno non solùm Scripturæ loco, sed in libro integro esse possit. 49.1.a
de Sensu duplici literali discrimen inter Doctores Scholasticos & Scripturę interpretes. ibid.c
Sensus duplex in humanis ęnigmatis vitiosus, in diuinis non item. 48 2.c
de Sensu duplici literali admittendo sententia restringitur. 50.1.b
de Sensus mystici consectatione quid dicendum? 52.1.b
Sensus mysticus triplicitèr accipi potest. 59.2.d
inter Sensus mystici triplicem acceptionem quid interfit. 60.1.a

Separatio.

Separationis nomen interdum in Scriptura pro deuotione & consecratione diuino cultui accipi. 273.2.b

Septenarius.

Septenarij multi Apocal. vniuersitatem significant. 138.a
per Septenarium quando & quomodo vniuersitas significetur. 151.1 b
Septenarium Apoc.17. indefinitè esse sumendum ex Angeli verbis colligi. 63 2 c
Septenarium ad indefinitum rerum sibi succedentium numerum denotandum congruenter vsurpari. ibid.b
per Septenarios spirituum, lampadum, cornuum, oculorum & sigillorum idem omnino significari. 387.d

Septuagies.

Septuagies septies quid sit in sacris. 532 2.c

Sepulcrum.

in Sepulcris Catholicorum dum vigebat Arriana haresis, incidi solita, A & Ω. & cur. 166.c

Seraphinus.

Seraphini Isaiæ quid innuant in Trisagio. 297.2.d
in Seraphinis Isaiæ haberi respectum ad magnos templi Cherubinos. 311 1.b c
Seraphini Isaiæ cur alis vultum contegant, animalia verò Ezech. non item. 347.c.358.2.a
Seraphinos plures quàm duos, num Isaias conspexerit. 356.1.a
Seraphinos si fortè plures duobus vidit Isaias, eos saltem vidisse binos. ibid.b
Seraphini Isaiæ quomodo suprà solium steterint. ibid.
Seraphini num sint ab Isaia visi intra templum, vel supra. ibid.d
Seraphini Isaiæ quo sensu dicendi sunt stetisse supra templum. ibid.2.a
Seraphini Isaiæ vtrùm præter brachia sex haberent alas. ibid.b
Seraphinis singulis Isaiæ num facies tantum vna, binique pedes sint assignandi. ibid.c
Seraphini Isaiæ suas ipsorum facies, an Dei vultum alis obtexerint ibid.d
Seraphinorum Isaiæ non totam faciem omnino tectam esse debere. 357.2.a
de Seraphinorum Isaiæ significatione variæ opiniones. ibid 1 c
per Seraphinos Isaiæ viros Apostolicos figurari. ib.d
Seraphinus Isaię cur prunam forcipe apprehenderit. 358.1.b
de Seraphinis Isaiæ auctoris expositione minimè Theologorum fundamentum labefactari. ibid.2.a
per duas alas quibus Isaiæ Seraphini volant, quid significetur. 347 d
Seraphinorũ Isaiæ Trisagion quid significet. 357.2.d
Seraphinorum Isaiæ celsitas quid innuat. 358.2.b

Series.

ex Serie continuata fructus perceptus. 21.1.b

Sermo.

in Sermone terrenæ Bestiæ alludi ad astutiam serpentis Euam decipientis. 647.b
in Sermone & mystico, & historico locutionẽ eandem esse, significationis verò modum diuersum. 60.2.b.

Serpens.

Serpentes quædam dictæ Boæ. 591.d
Serpentes aliquot magnitudinis prægrandis. 583.c
Serpentis Hebraicum nomen quid propriè significet. 605.d

Seruo.

verbi *Seruare* vsus duplex apud Ioannem. 264 c

Seruus.

Seruorum Christi nomine quinam comprehendantur? 137 1.c
Serui Dei quomodo in frontibus signari dicantur. 437.d
Seruis suis palam facere, quid sit. 133.a

Sessor.

Vide equus.

Sexus.

opinio de duplici Sexu in templi Cherubinis refellitur. 353.1.b

Sigillum.

Sigillorum septem resignatio quam sit difficilis. 286.a
Sigillis primis quatuor Apocal. respondere (quod ad significationem attinet) quatuor animalium facies. 365.1.b
Sigilla septem Apoc. quid significent. 375.d
in Sigillorum apertione signa ostensa quid significent. 376.a
Sigillorum mysteria quàm fuerint recondita & abstrusa. ibid.b
ex mysteriorum in septem sigillis delitescentium consideratione quot & quæ possint vtilitates percipi. ibid.
inter Sigillorum reseratorum numerum, & septem laudum nomina, quanta sit proportio. 395.d
ad primorum quatuor Sigillorum mysterium referri quatuor laudes, quæ Apoc.5. Agno tribuuntur. 398 a
Sigillorum idonea explicatio quàm sit optabilis. 399.1.a
Sigillorum septem quanta sit difficultas. ibid
ad Sigillorum explicationem cuiusmodi sit eligenda materia. ibid.b
Sigillorum septem apta explicatio quas debeat habere conditiones. ibid.c
in Sigillis interpretandis quanta sit doctorum & expositorum varietas. ibid.2.a
nouæ Sigillorum expositionis via necessariò inuestiganda. 400.1.c
summam auctoris de Sigillis explicationis grauissimorum doctorum auctoritate fulciri. ibid.2.a
Sigillorum septem partitio, eorumque argumenti de prouidentia tam erga fideles Iudæos quàm erga rebelles. 402. 1.d
nostra de Sigillis expositio ex argumenti totius consecutione confirmatur. ibid.1
quatuor Sigillorũ repræsentationem esse congruentem ad probandum Messiæ aduentum. 405.2.b
eadem Sigillorum doctrina ad quatuor virorum Apostolicorum virtutes applicatur. ibid.c

cur

Digitized by Google

cur ad quatuor Sigillorum contemplationem Ioannes ab animalibus euocetur. 406.1.a
in singulis Sigillis tam equum quàm equitem eiusdem esse significationis. ibid.2.d
in Sigillo quarto non agi de morte rebellium Iudæorum sed de morte eorum qui Christum sunt secuti. 407.1.c
inter Sigilla primum & tertium, quid sit discrimnis & inter secundum & quartum. 410.1.d
Sigillum primum Christum aperuisse quid sit. 413.c
Sigilli secundi gladius magnus quid significet. 415.b
Sigillum secundum Christum aperuisse in quo consistat. ibid.c
in Sigilli tertij resignatione, quid Christus suos doceat? 418.a
in Sigilli quarti apertione quid suos doceat Christus. 422.c
in Sigillis tribus vltimis quid argumenti contineatur. ibid.d
Sigilli quinti scopum esse Dei patientiam in perfidos. 423.a
in Sigillo quinto de quibus Martyribus sermo sit? ibid.
quinti Sigilli dilatio de supplicio quousque sit intelligenda. ibid.c
in Sigillo quinto de quorum vindictæ proeraſtinatione sermo sit. ibid.d
in Sigilli quinti resignatione quid nos doceat Christus. ibid.
Sigilli sexti explicationes quatuor, & quid de eis sentiendum 424.b
in Sigillo sexto sermonem de Antichristo esse non posse. ibid.c
de Sigillo sexto Ambrosiii interpretatio aliqua ex parte probatur. ibid.d
Sexti sigilli vera explicatio. 425.a.d
ad sextum Sigillum an capitis septimi visio pertineat, vel ad septimum. 431.1.a
ad Sigillum septimum num pertineant septem plagæ tubarum, necne. ibid.b
in Sigillo septimo quid propriè contineatur. ib.2.b
an Sigilli septimi figura in cæli silentio terminetur. 453.1.c
quid per Sigillum adumbretur. 813.c
in abyssi clausuræ Sigillo quid imprimis innuatur. ibid.
ad Sigillorum vsum Iaspis peraptus. 890
Vide, Equus.

Signaculum.

Signacula soluere & aperire pro eodem sumi. 382.b

Signatus.

Signatorum nomine quinam propriè & strictè intelligendi sint. 443.d
Signatorum nomen vtrùm sit pro prædestinatis sumendum. ibid.a.
Signati 144U.c.7. esse eosdem 144U. de quibus cap. 14. 440.b
de Signatorum numero aliorum opinio. 443.a
Signatorum doctrina ad Religiosos applicatur. 451.d

Signum.

Signum Dei viui quo serui Dei signantur, quodnam sit. 436.a
Signo Dei quinam signentur. ibid.
Signum Dei viui cur dicatur. 437.b
Signum Dei qua ratione (frontibus imprimendum) sit accipiendum. 438.b
Signi magni nomine quid denotetur. 570.a
Signum magnum cur vocetur draconis visum. 586.a
in Signis commentitiis de quibus Apoc. 13. vtrùm sermo sit de Antichristi ministris. 648.c
Signa à bestia terræ patrata quænam sint. ibid.d
Signum à bestia terræ de cælo per speciem demissum posse etiam de falso religionis cultu suo modo explicari. 649.b
Signa fieri à terræ bestia in marinæ bestiæ conspectu quid sit. 650.b
Signum magnum & admirabile cur Apocal. 15. dicatur. 700.c

Silentium.

Silentium Apoc 8. cum sequentibus tubis earumq; mysterio copulari. 455.a
Silentium quomodo cum tubarum mysterio cohæreat. ibid.b
de silentio cæli vera expositio ad patientiam relato. ibid.d.456.a
Silentium mediæ horæ de qua Christianorum patientia sit interpretandum. 456.b
in Silentii dimidia hora alludi ad dimidiam horam Tobiæ. ibid.
Silentij nomine sæpè in sacris patientiam indicari. ibid.a
Silentio dimidiæ horæ posset adhuc denotari persecutio primitiuorum Christianorum, licet plures annos durauerit. ibid.c d

Simeon.

Simeoni aptatur Topazius 938.1.a

Simon.

ad Simonem Magum applicatur tertia cornuum explicatio. 646.2.b

Simulacrum.

Simulacri ab Ezech. visi inferior pars cuiusmodi fuerit? 301.2.d

Sion.

in Sione monte vtrùm pedibus niterentur Agnus, & 144U an non? 663.b
Sionis nomine primogenitam figurari Ecclesiam. 659.d

Sitis.

de qua Siti sit sermo Apoc. 7.16. 451.b

Smaragdus.

de Smaragdi Hebraico nomine 905.1.c
inter Smaragdos Scythici præstantiores. ibid.d
Smaragdi color quantam humano obtutui voluptatem afferat. ibid.2.a
Smaragdus quantopere sit lucidus. ibid.1.c
Smaragdos in æris fodinis reperiri solere. ibid.2
Smaragdi reflexione carnis sibi contiguæ colorem remitti atque frangi. 906.1.c
Smaragdus quàm aptè cum quarto Symboli articulo comparetur. ibid.a
per Smaragdum Christi patientia inter verbera & clauos figurata. ibid.d
Smaragdi color oculos recreans quid mysticè? ib.2.a
Smaragdus præsens contra venena antidotum. ibid.
Smaragdi Scythici mirus splendor quid figuret? ibid.d
Smaragdos arena etesijs ventis reuoluta solere detegi quid mysticè innuat? 907.1.a
Smaragdi aliæ proprietates, & mystica earum significatio. ibid.
ex Smaragdo crucis figuram egregiè compingi. ibid.2.a
Smaragdus aptatur Leui. 938.2.b

Societas Iesu.

in Societate votorum renouatio bis quotannis instituta. 221.d
Societatis IESV professi speciali se voto summo Pontifici adstringunt. 33.2.a

Sodoma.

Sodomam post cælestem ignem in mare mortuum euasisse. 550.1.d

Sol.

Solis lucem cur Ioannes in primæ figuræ facie viderit? 210.1.d
Solem fieri nigrum tanquam saccum cilicinum, quid sit. 426.b
Solem pro Dei fauore & gratia accipi. ibid.c
Solis pars tertia quo sensu dicatur percussa. 476.b
per Solem, Lunam, ac siderum coniunctionem quid in Apoc figuretur? ibid.c
Sol quomodo fumo abyssi obscuratus dicatur. 483.c
Solis defectus in Christi passione, & symbolica ipsius significatio. 579.1.a
ob Solis nimiam lucem vtrùm minùs cæruleum appareat cælum. 900.1.d
Solem confundi, quid sit apud Isaiam. 814.2.c

Solis

Solis eclipsis aliquam esse speciem in Ioannis de muliere amicta Sole visione, & quæ sit eius significatio. 579 2.b
Solem in Apoc. esse symbolum diuinitatis 572.a
Soli vicinniores cæli partes cur minus appareant cæruleæ quam remotiores. 900 2.b
per Solis symbolum significari quòd superior Christi animæ portio in ipsa patrone immensa Dei gloria fruebatur. 579.1 b
Solis symbolum Monarchas & Imperatores sibi arrogasse 487 1.b
Solis eclipsis vnde proueniat. 579.1.a

Spatium.

Spatium illud in quo Ioannes thronum & in eo sedentē conspexit qua ratione sit cōsiderandū 322.c

Spiritus.

de Spiritibus septem Apoc. variæ opiniones. 145 d
eorum expositio de Spiritus sancti donis reiicitur. ibid.
quinam sint. 146 d
Spiritus ab Angelis Ioan in Apoc distinguit. 147.b
in Spiritum septem mentione Ioannes Apocalypseos argumentum respexit. ibid.
Spiritum septem expositio de peculiari aliquo Angelorum septenario nequaquam solida. ibid d
opinio exponentium Spiritus septem de Spiritus sancti persona valide refutatur. ibid.
de Spiritibus septem longam in Apocal. institui tractationem. 148 b.
Spiritum sumi interdum pro ea virtute quæ in alicuius gubernatione emineat. ibid.c
ad Spiritum septem doctrinam intelligendam illustris Pauli locus. ibid.
Spiritus septem Dei qui sint demum. 149.b
Spirituum trium posteriorum Diuinæ prouidentiæ consideratio. 155.2.d
Spirituum septem doctrina ad varia Christi mysteria posse extendi. 156 2.d
quorsum vtatur Christus ad Sardensem hac phrasi, *Qui habet septē Spiritus Dei, & septem stellas.* 252.b
Spiritus oris Christi quis dicatur apud Paulū. 674 1.b
de qua Spiritus vitificatione agat Petrus prima canonica c. 3. Vers. 18. 911 2.d
Spiritus & sponsa Apoc. 22. 17. quid denotent. 958.b
Vide Prouidentia.

Spiritus sanctus.

Spiritui sancto derogat, qui nouam expositionem & Apocalypsi quadrare, & tamen ex Ioannis mente non esse dicat 48.2.b
ab Spiritu sancto dimanasse Martyrum robur ac fortitudinem. 924.1.d
Spiritum sanctū posse figurari in Angelo ascendente ab ortu solis, quinimo Spiritus S gratiam. 436.c
Spiritus sancti efficacia in Roma ad fidem traducenda. 781.c

Sponsa.

quę sit Sponsa quam sibi Agnus per has nuptias ducat. 790.d

Spurius.

Spurij vnde dicti. 141.2.c

Stacte.

Stacte quid sit? & de eius natura. 392.1.c

Stadium.

de Stadijs mille sexcentis quibus sanguis è lacu inundauit variæ auctorum expositiones. 694 a
per stadia 1600 quid mystice designetur. ibid.b
Stadia & milliaria quibus Palæstina protenditur, ad Græcorum computationem non ad Romanorum esse reuocanda. 695.1.b

Statera.

Statera cur paupertati in manus detur. 417.b
Statera quid denotet, & quem ad finem tertij equi sessori data. ibid.c

Statua.

in Statua Danielis quomodo Assyriorum imperium figuretur. 487. 2.b

Stella.

de Stellis septem variæ sententiæ. 199.a
per illas totidem Asiæ Episcopos figurari. ibid c
rectius vt annulorum gemmas considerari. ibid.
eas in manu Christi esse positas quid sit. 200.b
cur in Christi dextera collocentur. ibid c
illarum symbolum ad quos item possit extendi. ibid.b
illarum septem applicatio ad septem Planetas. ibid.c
Stellarum symbolum ad omnes etiam concionatores posse accommodari. ibid.d
Stellarum symbolum quando Apostolis tribuat Apocalypsis. 201.a
Stellas septem Christum in manu gestare quid sit. 221.a
Stella matutina quæ sit. 250.c. & ad quem locum sacræ Scripturæ alludat Ioannes. ibid.
Stellæ matutinæ nomine de quo sit sermo apud Ecclesiasticum. ibid.d
in Stellæ matutinæ præmio quid Christus promittat. 251.b
Stella matutina ad Eucharistiam applicatur. ibid d
Stellas è cælo cadere super terram quid sit. 426.d
Sub stellarum nomine de discipulis sit sermo. 417.a
Stellæ magnæ casus quid innuat. 475.b
Stellæ influxus quorsum apponatur ad pestis significationem. ibid e
Stellarū tertia pars quo sensu dicatur percussa. 476.c
per Stellam ablinthium quid figuretur. 475.d
per Stellam Apoc. 9. è cælo cadentem quid significetur. 479.c.
Stellæ dari clauem putei abyssi quid sit. 480.c
Stellæ 12 Apostolorum symbolum. 575.2.b
Stellæ quæ Apostolorum sunt symbolum cur super caput mulieris ponantur. ibid d
Stella matutina de qua Apoc. 22. quid figuret, & qua ratione radicis translationi subiungatur. 958.a

Stola.

Stola quid sit, & in qua acceptione in sacris vsurpetur. 448.b
Stola cuius rei sit symbolum. ibid.
Stolam pro sacerdotali velte sumi. ibid.
Stolæ albæ quid in beatis, quid porro in spiritualibus viris significent. 447.b
cùm dicitur *amicti Stolis albis*, vtrùm album pro splēdenti purpureo, an pro cādido sumatur 448.c

Sub.

præpositio, Sub, quid propriè significet. 572.d

Substantiuum.

Substantiuo cuiusque generis adiectiuum interdum neutrum reddi apud Græcos. 329 c

Succinum.

Succinum quod nobilius ex Plinio. 301.1.a
Succinum à Plinio inter gemmas recensseri. 932.1.c
de Succino fabulosa quædam iactata. ibid.
Succini species colore ignei, & valde duri. ibid.d

Sulphur.

Sulphuris quorsum mentio Apoc. 14. 10. fiat. 676.b
Sulphuris natura ex Plinio. ibid.
Sulphur apud ethnicos in sacris adhibitum, & ad expiandas suffitu domos. ibid.

Superbia.

in nomine *Superbia vitæ* quid mysterij lateat, per numerum 666. figurato. 656.b
Superbiæ præsertim occultæ periculum. 280.a

Superbus.

Superborum nomine in Scriptura hostes populi Dei, ac veræ religionis designari. 658.c

Superliminare.

Superliminare crapulæ quid significet apud Zachariam. 557.2.a. & quomodo sit accipiendum. ibid.c

Supplicium.

Supplicia ac minas sapienter sæpe occultari. 381.1.b
Supplicium quàm graue sit homines in cordis desiderio tradi. 478.1 d
Supplicium Babyloni inflictum de quo Apoc 17. quo sensu sit accipiendum. 746.1.d

Suppositum.

quod sit Suppositum eorum verborum *Vixerunt, & regnauerunt*, &c. 827.c

Digitized by Google

Sustineo.
verbum *Sustinere* quid significet in Tobia. 460.1.c
Symbolum.
Symbolorum perfectio in quo consistat. 33.1.d
qui hæc Symbola Apoc. non summè perfecta esse arbitratur, iniuriam non Ioanni modò, sed & Christo, & Spiritui sancto irrogat. 34.1.a
in Symbolorum explicatione quid præstare debeat interpres. ibid.b
Symbola Christi perfecta esse debere. ibid d
in Symbolis Apoc. quid requiratur. ibid.
Symboli explicandi optima ratio quid exigat. ib.2.a
Symbola cuiusque rei quænam propria. 36.1.a
Symbola varia Apocalypseos proponuntur. ibid.c
Symbola quàm aptè debeant quadrare rebus, quibus deseruiunt. ibid.d
de Symbolorum Apoc eleganti significatione exempla. 38.1.b
in sacris Symbolis quantus campus ingenijs pateat. 38.1.c
Symbolorum fæcunditatem & breuitas & perspicuitas comitantur. ibid 2.a
in Symbolis obscuris Apocalypseos magnam lucem delitescere. 39.1.c
ex Symbolis huius libri Ioannes multo magis euasit illustratus. ibid.
Symbolorum sacrorum duplex modus. 214.2.a
ad varia rerum Symbola res eadem solet vsurpari. 235.2.b
Symbola varia sanctitatis & sapientiæ. 271.1.a
Symbola tot cur fuerint sanctitatis & sapientiæ in templo Salomonis. ibid.d
in Symbolis concreta ab abstractis ferè non distingui. 311.d
in Symbolis inferior locus plerumque magnæ dignitatis. 573.a
Symbolum Apostolorum.
in Symbolo condendo Apostolorum mens, quæ fuerit. 877.a
Symbolum quo ordine fuerit ab Apostolis compositum. ibid c
in Symbolo num sint ab Apostolis expressa, an ab Ecclesia deinceps addita verba illa, *Descendit ad inferos.* 887.1.b
siue singulas Symboli veritates singuli Apostoli, siue cuncti cunctas condiderint, perinde esse ad nostræ expositionis firmitatem. 877.c
ad potiorem Symboli Apost. diuisionem eligendam, quæ regula interdum nobis sit. 886.1.d
Symboli Apostol. potissimam diuisionem indagare quorum sit. ibid.b
Symboli Apostol. diuisio quam nos sectamur quam congruens sit. ibid.2.c
in primo Symboli articulo tria consideranda. 896.1.d
in secundo Symboli articulo quid confiteamur. 900.1.b
in tertio Symboli articulo quid profiteamur. 903.1.d
quartus Symboli articulus quid in se contineat. 905.1.d
articulus Symboli quintus quid in se includat. 908.1.b
sextum Symboli caput quid nobis credendum proponat. 916.1.b
octauus Symboli articulus quid nobis credendum proponat. 921.1.b
nonus Symboli articulus quid nobis credendum proponat. 923.1.c
decimus Symboli articulus proponitur & explicatur. 926.1.d
vndecimus Symboli articulus explicatur. 933.1.a
duodecimus Symboli articulus explicatur. 935.1.a
primus Symboli articulus eiusque ad Iaspides symbolum applicatio. 896 1.c
secundus Symboli articulus in Sapphiro figuratur. 900.1.b
ad tertium Symboli articulum applicatur per ordinem Chalcedonius, 903.2.d
cum quarto Symboli articulo quàm aptè Smaragdus componatur. 906.1.a
ad sextum Symboli articulum Sardij applicatio. 916.1.c
septimi Symboli articuli declaratio, & Chrysolithi ad eum applicatio. 918.1.c
ad nonum Symboli articulum Topazij applicatio. 923.1.d
ad duodecimum Symboli articulum mystica consideratio Amethysti. 935.1.b
Vide, Apocalypsis, Apostolus, Aurum, Fides.
Synagoga.
de Synagoga cur fiat mentio symbolicè. 239.c
Synagoga indicatur Iezabelis nomine. ibid.
Tabernaculum.
TAbernaculum testimonij quid sit. 707.b
Tabernaculum cur sit in cælo conspectũ. 708.a
Talentum.
Talenti Græca vox quid propriè sonet. 741.c
per Talenti iustum pondus quo candelabrum constabat, quid significetur. 184.2.a
Templum.
quid hac locutione, *de Templo cæli*, denotetur. 737.c
Templi nomẽ Apo. 15.8. & ad sancta, & ad atrium extendi. 711.d
Templi separatio à ciuitate apud Ezech. quid significet. 273.2.a
per Templum interdum in Scriptura oraculum siue sanctum Sanctorum aut tabernaculi aut templi significari. 707.a b
Templum tabernaculi quodnam appelletur. ibid.a
Templum Isa. 6.1. quid propriè in Hebræo. 296.2.d
qui Templum Ezech. cum Salomonis templo æquiparare prorsus contendunt, impugnantur. 272.2.d
Templum & altare qua ratione sint considerandа in c.11. Apoc. 519.a
Templum & altare cur primò non Angelus, sed Ioannes dimetiatur, ac postea Apoc. 21. Angelus metiatur. 518.c
Templum extra ciuitatem esse in Ezechielis visione. 944.1.a
Templi reædificatio à Nehemia facta & celebri sacrificio consecrata quo anno ac mense fuerit. 531.1.b
Templum cur in Ezech. fuerit extra ciuitatem visum. 944.1.a
Templum Ezechieli visum quid significet. 273.2.a
Templum Apoc. 14. 17. 18. quid significet. 691.b
Templi dimensio tam apud Ezech. quàm apud Ioannem quò spectet. 523.c.d
Templum apud Ezech. quàm longè à ciuitate distet. 272.1.a
qui Templum apud Ezechielem metitur cur habeat speciem quasi æris. 518.a
Templi picturæ quomodo potuerint Cherubim appellari. 350.1.d
in Templum nemo posse introire quo sensu dicatur. 713.b
Templum Ezechieli visum multo magnificentius esse Salomonico templo. 519.a
Templum quod Ioannes mensurare iubetur, quid significet. ibid.b
Vide, Candelabrum, Columna, Salomon.
Tempus.
Tempus non amplius erit quid sit. 511.d
Tempus & tempora quid significet apud Daniel. 526.1.c 529.1.b
de quo Tempore agat Daniel c.12. cùm ait, *in illo tempore consurget Michael, &c.* 598.c
Tempus qua ratione propè esse dicatur. 134.d
Tempus mortuorum iudicari, quod Apoc. 11.18. appelletur. 561.c
per modicũ Tempus Apoc. 20. quid innuatur. 815.c
Tenebræ.
Tenebræ exteriores quarum sæpè in Euangelio fit mentio, quid sint. 483.2.b
Tenebræ ex quintæ Phialæ effusione prouenientes quid significent. 726.c
Tentatio.
Tentationis hora quæ appelletur. 264.c.d

Digitized by Google

Tentationis duplex genus per aduersitates & prosperitates. 608.b
Tentatio quando sit maximum à Deo beneficium. 254 b
à Tentationis hora liberare Philadelphium quo sensu dicatur Christus. ibid.

Tepor. Tepidus.

Tepidorum status qualis sit, quamque periculosus. 277. c
Tepidum sui tepôris non ignarum esse. 278.a
inter Tepidum & frigidum discrimen. ibid.b
Tepidi maximum periculum. ibid c
Tepidi quid sit proprium prout ab improbo distinguitur. 279.a
Tepidi qua ratione se ipsi decipiant, & obcæcent. 281.d
frigidum aut calidum cur Christus maluerit Laodicenum quàm Tepidum. 279.c
explicatur cur frigidum aut calidum esse præstet, quam esse Tepidum. 280.b
pro Tepôre de quo insimulatur Laodicenus, status peccati lethalis intelligitur. 276 b
Tepôris ratio in quo consistat. ibid.c
quæ Tepôris metaphora vltimæ epistolæ conueniat. ibid.d
Tepôris nomine quid propriè intelligendum. 277.c

Terra.

Terra noua quæ appelletur. 858.b
Terræ mysticæ qualitates primæ. 860.a
Terræ nomine quid significetur. 609.b
per Terram adumbrari terrenos affectus. 628.c
Terra demissa ejt, quo sensu dicatur. 687.b
Terra & subtus terram quo sensu accipienda, Apoc. 5. 3. 383.c
Terra sacerdotalis in Ægypto libera olim & immunis. 158 a
Terra mystica quomodo priores qualitates immutauerit. 860.b
Terra vniuersa quomodo dicatur post bestiam admirata. 641.b
Terra quo sensu dicatur à conspectu sedentis in throno fugisse. 846.c
Terræ nomen Apoc 16.1. quid significet. 717.c
Terra noua qua ratione accipienda sit. 859 b
in Terra quinam dicantur habitare. 423 b
Terræ nomine quid innuatur cùm Apoc. 12. dicitur *terra adiuuit mulierem*. 614.d
Terra sancta in tribus diuisa apud Ezechielem quid adumbret. 273.2.a
Terræ nomine quid figuretur Apoc.20.11. 847.c
Terram Gessen vbi filij Israel habitabant ab Ægypti plagis fuisse immunem. 432.1.b
quomodo miraculum illud in Terra Gessen pro filiorum Israelis incolumitate patratum sit in primitiuorum Christianorum liberatione instauratum. ibid.
Terræ tertiam partem fuisse combustam quomodo accipiendum. 473.b
Terram pro Iudæa accipi Apoc.8.7. 472.b

Terræmotus.

Terræmotus sexti Sigilli resignationem subsecutus, cuiusmodi sit. 426 a
per Terræmotum quid figuretur, Apoc.11.13. 554.b
discrimen inter terræmotum tubæ septimæ, & terræmotum septimæ phialæ. 742 a
per terræmotum maximum quid signetur. 737.d

Tertullianus.

Tertulliani mens de rerum creatarum fine. 35.2 a

Testamentum.

ad vtrumq. Testamentum se extendere libri signati visi à Ioanne significationem. 373.d
discrimen inter Testamenti veteris Patres, nouique Sanctos. 293. 1. a
Vide Arca.

Testes.

Testem fidelem cur se Christus vocet. 275.a
de duorum Testium interpretatione quatuor auctorum sententiæ. 534.c

Alcasar in Apoc.

in explicatione quam auctor tenet circa duos Testes Apoc.11. non infirmari traditionem communem de Henocho, & Elia, sed confirmari potius: 535.d. 539.a
duorum Testium nomen quàm aptè conueniat Sapientiæ & Sanctitati. 536.c
in hoc Testium nomine alludi ad duos templi Cherubinos ingentes. ibid.
in Testibus duobus allusionem etiam contineri ad Mosem & Eliam. ibid.d
duorum Testium nomen cur Mosi & Eliæ quadret. 537 a
de duobus Testibus quid senserit Hieronymus. 535.c 538 a
dabo Testibus meis & prophetabant. quid sit. 538.b
in duobus Testibus alludi ad Henochum & Eliam sub Antichristo venturos. 537.c
Testes duo cur saccis amicti dicantur. 538.c
Testes duo qua ratione cælum dicantur claudere. 545.a
duo Testes quo sensu dicantur terram omni plaga percutere. 546.1 a
quàm rectè dicantur locustæ facere bellum contra duos Testes. 549.a
in duorum Testium miraculis Apoc. 11. 6. manifestè ad Mosis & Eliæ miracula respici. 544.d
potestas duobus Testibus data claudèdi cælum quomodo sit explicanda. 545.a
duo Testes quo sensu dicantur cruciare eos qui habitant super terram. 552.a
in duorum Testium prædicatione & occisione ad Christi prædicationē & passionem alludi. ibid.2.c
quomodo intelligendum quod dicitur de duorum Testium occisorū cadaueribus inhumatis. 553.1.a
duo Testes quando existimandi sunt in Hierosolymæ plateis occisi iacuisse? ibid b
duo Testes quando surrexisse dicantur. ibid.c
duo Testes quomodo rediuiui ad cælum cōscendisse dicantur? ibid.d
quo sensu dicantur Iudæi aspexisse Testes in cælum abeuntes? ibid.

Testimonium.

Testimonium Iesu Christi qua umque vidit, quid sit? 134.b
iis verbis, *Cùm finierint testimonium*, quid innuatur? 548.b
Testimonium ponitur pro doctrina. 423.b

Tetragrammaton.

Nomen Tetragrammaton qua ratione scriberetur? 144 1.d
nominis Tetragrammati originē Hebræi se nescire fatentur. ibid.2.a
de nominis Tetragrammati etymo Oleastri opinio. ibid.b

Textus.

Textus Græcus qua ratione intelligatur in vers. 4. cap.1.Apoc. 139.c

Tharsis.

nomen Tharsis in Rationali pro Hyacintho accipi non posse. 917.2.d

Theologia.

Theologiam symbolicam non esse argumentatiuam quo pacto intelligendum. 22.2.a

Thronus.

cuiusmodi sit forma sedentis supra Thronum? 296.a
Thronus quem in templo habet Deus qua ratione sit considerandus? 370.2.b
Ioannem Apoc. 4. 3. ad Ezech. Thronum allusisse. 298. c.
animalia cur in medio, & in circuitu Throni sint? 333. c
quem Isaias in Throno sedentem vidit, quis sit? 297. 1. b
qui in Isaiæ Throno sedebat non esse Christum. ibid.d
Thronum fuisse veluti effigiem propitiatorij. 295 b
per Thronum Isaiæ ostensum quid denotetur? 296. 1.c 592. c

Throni forma in qua Ioannes Deum vidit cuiusmodi fuerit. 295.2
Thronum Dei Isaiæ visum esse eum quem Deus in Ecclesia Christiana habet. 234.1.2
Thronus Dei à Prophetis visus qua forma fuerit. 295 b
Thronũ Deus cuiusmodi in Ecclesia habeat. 296.2.c
Throni Dei ab Isaia visi dignitas. ibid.
Throni Dei amplitudo, quid significat. ibid.d
de Throno Dei cur voces humanę procedant. 315.b
de quo Dei Throno sit sermo Apoc.4. 295.d
in Throno Dei Apoc.4 contineri comparationem tacitam cum eo quem Deus in templo Salomonis habuit. 313.a
quibus Throni Dei symbolum quadret in Ecclesiastica hierarchia. 310.2 c
nomen *Thronus* actiuè an passiuè Angelis tribuatur. 308 2. d
Thronos Cherubinis esse superiores in Ecclesiastica Hierarchia. 309.1.d
Vide Deus.

Thuribulum.

Thuribuli nomine quid Apoc.8. intelligatur. 467.1.d
per Thuribulum aureum quid denotetur. 468.d
Thuribulũ esse sacerdotalis dignitatis insigne. 469.b

Thus.

Thus quid sit & eius natura. 392.1.d
Thus vbi nascatur. 396.1.b
Thus masculum quid propriè vocetur. 195.1.c
Thus orationis symbolum. 392 2.c
Thurę nationes omnes diis suis supplicasse. ibib.1.d

Thyatira.

Thyatira quid sonet. 242.c

Thymiama.

Thymiamatis eiusque partium singularium significatio. 392.2. b
Thymiamatis quatuor partes quo ordine numerentur? & eius ordinis mysterium. 393.2. a
Thymiama ex quibus aromatibus constaret. 392.1.b
Thymiama cutus rei sit symbolum. ibid.
Vide Altare.

Timidus.

quinam appellentur Timidi. 865 a

Timotheus.

Timotheus vtrùm fuerit Ephesi Episcopus ad quem Ioannes scripsit. 215.2.d
Timotheum Onesimo in Episcopatu successisse. ib.c

Tobias.

ad Tobiæ miracula cur Deus eas vsurpauerit res, quibus aliquid naturalis virtutis inerat. 458.1.d
Tobiæ aduersitas cur in cæcitatis curatione per semihoræ spatium duraſſe dicatur. 530.1.a
Tobiæ connubij ac dotis allegoria. 460.2.c
Tobiæ locus expenditur de septem angelis. 151.1.a
Vide Historia, Piscis.

Tonitruum.

per Tonitrui vocem quid figuretur. 663.d
Tonitrua cap.10 4. quid denotent. 510 a
in Tonitruis septem cap. 10. allusionem ineludi ad Psal.28. ibid.c
Tonitrui sonitus ac fulgetri lux vnde incrementa accipiant. 314.2
verba illa Apoc. 10. 4. *Signa quæ locuta sunt tonitrua*, quid innuant. 510.d
Tonitrua simul cum vocibus humanis fuisse audita. 312.a
Tonitrua ac voces cur ex solo Dei throno procedere dicantur. 313.c
Tonitrua septem echo instar respondere magno Angeli fortis clamori. 510.a
Vide Aqua, Fulgur.

Topazius.

Topazius vtrùm sit coloris viridis. 922.1.a
Topazium hodie vulgarem ab eo esse diuersum, cui veteres hoc nomen indiderunt. ibib.b
quodnam viridis coloris genus sit proprium Topazij. ibib.c
Topazij colorem esse porraceum ibid.
Topazii color num porri folia, an succum imitetur ibid.
quid sit apud Plinium, dum de Topazii colore agit, porri succus. ibid.d
Topaziorum colorem porris similem de foliis esse intelligendum. ibid.1.a
Topazii viriditas quomodo debeat explicari. ibid.
Topazium esse diaphanum, siue transluciduin. ib.d
Topazius quid ex auri colore & fulgore habeat. ib.
Topazii etymon. 923.1.b
Topazii quintus sit splendor. ibid.a
Topazium quatuor cubitis longum aliquando fuisse inuentum. ibid.
Topazii naturales qualitates quæ. ibid.c
Topazius contra quos corporis & animi morbos valere dicatur. ibid.2.a
Topazio feruentis ac bullientis aquæ ampullas sedari. ibid.b
Topazii pulchritudo ac pretium. ibid.
Topazius si politur, obscuratur. ibid.c
Topazii fulgor à solis radio deriuatus quid signet. ibid.1.d
Topazii color porraceus cuius rei sit symbolũ. ib.2.c
excellentia lucis quæ in Topazio cernitur; cuius rei sit symbolum. 924.2.b
in Topazio aureus splendor cum prasio colore quid innuat. ibid.a
Topazium lunaticis & phreneticis prodesse quid adumbret. ibid.c.
per Topazium denotatur lustorum pax in rebus aduersis, & quomodo. ibid.d
Topazii pulchritudo & pretium quid significet. ib.
Topazium solum gemmarum sentire limam quid significet. 925.1.a
Topazii color nonnihil in glaucum vergens quid signet. ibid.2.a
Topazius aptatur Simeoni. 938.1.a

Τοπάζειν.

Τοπάζειν verbum Græcum quid significet, & quid etiam mysterii habeat. 925.1.b

Transitio.

Transitio in familiari sermone quæ probanda, quæ verò non. 161.2.a

Tribulatio.

ex Tribulatione magna veniſſe qui dicantur. 450.c
Tribulationem habere diebus decem, quid sit. 226.a

Tribus.

Tribuum duodecim nominibus Apostolos esse intelligendos. 440 d
Tribubus singulis singulæ aptantur gemmæ Rationalis & cuiusque ratio redditur. 938.1.a
Tribus terræ qua ratione dicãtur plancturæ. 430.2 b
Tribuum nomina qua ratione portis assignentur 872.b
cur cuilibet Tribui siue Apostolo duodenarius millium assignetur. 442.a

Trinitas.

Trinitatis mysterium in nomine Iehoua indicatur. 142.1.d quomodo? 142.2.a
Trinitatis mysterium in Trisagio animarum Ioannis adumbrari. 366.b
in Trinitatis mysterio Ioachimum errasse. 542.c
Tribus diuinis personis quomodo verba illa, *Salus & gloria & virtus*, per attributionem accommodentur. 781.c
Trinitatis mysterium comparatione solis, radij, ac lucis à Patribus explicatur. 923.1.d
in Trinitatis mysterij prædicatione assiduitas. 366. d. a
Trinitatis mysterij prædicatio quanti sit momenti. 367.
Trinitatis mysterij prædicatione. & Dei maiestatẽ, & in nos charitatem explicari. ibid.b

Trisagion.

in Trisagio repetendo continuatio animalium Ioãnis quomodo intelligenda. 365.d
Trisagion apud Isaiam cur præcedat commotionem superliminarium 352.1.a

Digitized by Google

Trisagion Seraphinorum Isaiæ quid significet. 296. 1 d ,57.2.d
in Trisagio animalium Ioannis mysterium Trinitatis adumbrari. 366.b
in Trisagio quæ mysteria includantur. 297 2.d
in Trisagio animalium Ioannis non mysterium modò Trinitatis, sed totum etiam Apostolorum Symbolum includi. 367.c
Trisagio cur addatur, *Dominus Deus omnipotens.* ibid.

Trophæum.

Trophæa fuisse columnas in Machabęorum sepulchro erectas. 270.2.b
quomodo Trophæa in templi columnis fuerint expressa. ibid 1.c
Trophæa olim in loco etiam à pugna disiuncto erigi solere. 269.2.c
Trophæa quare in Salomonis templo fuerint erecta. ibid d.

Tuba.

Tubæ clangorem ad vnius populi bellum aptè referri. 173.c
Tubæ duplex genus in Scriptura vsitatum. 172.c
Tubæ in bellis vsitatę. 177.2.d
Tubarum symboli difficultas in quo sita sit. 462.2.d
per Tubas quid figuretur. 463 1.a
per tubarum clangorem quid figuretur. ibid.
Tubas 7 cap.8 respondere tubæ cap.1. 465.b
in Tubarum septenario alludi ad septem Iosue buccinas. ibid.
Tubæ vox Ioanni audita initio c.4 quæ sit. 289.a
Tubis bellicis olim annum iubilei promulgari solitum apud Hebræos & huius rei mysterium. 174 d
Tuba quibus nominibus in Scriptura vocetur, & quibus in locis. 175.1.b
Tubæ Hasosera descriptio ex Iosepho. ibid.d
Tuba Sophar olim cuiusmodi fuerit. ibid 2 c
Tubam Christo tribuere non ita decorum, secus tamen ipsius concionatoribus. 177.1 b
Tubas eiusdem olim fuisse vsus, atque hodie tympana. 173.c
Tubæ vocem cur Ioannes à tergo audierit. 179.d
inter Tubę,& aquarum multarum sonitum ad belli significationem quid interfit. 173.c
Tubę voci cur Christi vox primò similis figuretur. 174 a
inter Tubas & Angelos distinctio apponenda. 463.1.a
Tubæ Sophar vsus in bellis frequens. 176.1.c
Tubæ Sophar sonum fuisse terrificum. ibid.
Tubæ Ioanni auditæ symbolica significatio. ibid.d
Vide, Angelus, Silentium, Vox, Plaga.

Turba.

quo sensu dictum, *Post hæc vidi turbam magnam.* 446.d
Turba magna quam vidit Ioannes vtrùm sit eadem cum illis 144U. signatorum. 445.c
quæ Turba innumerabilis dicitur, esse eos omnes qui dicuntur 144U. signati. 440 b

Tyrannus.

Tyrannos hominum esse quatuor inordinatos annores. 404.1.a
Tyrannis his quatuor quomodo Christus fideles primæuos eripuerit. ibid.c

Væ

VAE cur non de Ecclesia afflicta, sed de ipsis affligentibus prædicetur? 609.c
Væ vtrùm extendatur etiam ad Christianos debiles & infirmæ virtutis. ibid.

Vas.

Vasis nomen in Scriptura aliquando ad altare eiusque vasa extenditur. 196.1.d

Velum.

in Velo templi fuisse Cherubinos acu pictos. 348. 1. d
de Veli Cherubinis Hieronymi opinio. ibid 2 d
Vid., Cherub.

Veneficium.

Veneficium in sexta plaga tubarum in quo sensu sumatur. 501.b

Venter.

Venter appetentiæ symbolum. 484.2.a

Ventus.

Ventos tantùm quatuor veteribus fuisse notos. 433.b
Ventorum non retentione sed immissione damnum fore inferendum, confirmatur. 435.b
tempestas per quatuor Ventos in Iudæos excitanda cuiusmodi fuerit. 434.c
Vide, Angelus.

Verbum.

verba pro rebus accipi Apoc. 1.3. 134.c
in Verbis Christi ad Laodicenum antitheta elegantia. 28 a
Verbum seruare, quid sit apud Ioannem. 564.a
quomodo dicatur beatus qui audit & seruat Verba prophetiæ Apocalypseos. 134.c 136.2.b

Verum.

Verum sæpe in sacris non tam opponi falso, sed imperfecto. 259.c

Veritas.

Veritates nouas an Ioannes fuerit edoctus Apoc. reuelationibus. 39.2.a
per Veritatis creditæ meliorem perceptionem illustrantur fideles in rerum supernaturalium cognitione. 36.2.b

Vestimentum.

Vestimentum mysticè pro conscientia accipi. 256. c
Vestimenta inquinare quid sit. ibid.
quorsum mentio fiat Sardensium nõ inquinantium Vestimenta sua. ibid.
quo sensu sit accipiendum quod Apoc. 16. 15. dicitur de Vestimentorum custodia. 734 d
Vestimenta alba pro Eucharistiæ Sacramento vsurpari. 257.a
Vestimenta alba quæ dicantur ad Laodicenum. 282. d

Vestis.

Vestis talaris perseuerantiæ symbolum. 188.2 a
Vestis linea stricta quæ fuerit. 187. .b
de Veste sanguine conspersa aliorũ opiniones. 804.2.a
Vestis podęris quæ fuerit. 185.a
Vestis hyacinthina quæ fuerit. ibid.b
per Vestes albas seniorum 24 quid figuretur. 307.c
Vestes hyacinthinæ nobilium olim propriæ. 500.b
Veste omnino aurea Tarquinius & Agrippa vsi. 190 1. c
in Veste aspersa sanguine haberi respectum ad c. 63. Isaiæ. 800.c
Vide Sacerdos, Senior.

Vigilans.

Vigilantem esse quid sit in Epistola ad Sardensem. 254. d

Vincens.

Vincentis nomine quis intelligatur. 230.a 257.a
Vincentis nomine quem Rupertus, & alij intelligant. 223.b
Vincenti calculus candidus promissus quid sit 230.c
Vincens vt vinceret, quid sit. 413.c

Vindemia.

beneficium per Vindemiæ allegoriam figuratũ quod fuerit. 688.c
Vindemia mystica cur attribuatur cælesti sapientiæ seruorum Christi. 690.b
in Vindemia cap 14. vtrùm sit sensus de propria vindicta an de mystica. 687.c

Vindicta.

Vindictam ad obstinatos non extendi. 245.1.d
sub Vindictæ mysticæ nomine maximam misericordiam delitescere. ibid.

Vinum.

Vinum iræ Dei opponi vino Babylonis. 675.d
num idem sit poculum siue Vinum, quod vinum prostitutionis, & vinum iræ fornicationis vocatur. 751.d

Vir.

duo viri apud Danielem ad vtramque ripam fluminis stantes quid significent. 507.2.d.

Viros Apostol. figurari per Seraphinos Isaiæ. 357.1.d
Virorum Apostolicorum studium infatigabile Christianæ fidei prædicandæ. 366.a
Viri spirituales quo sensu dicantur cum Christo in cælum ascendisse. 284.b
Virorum spiritualium status trãquillus cælesti beatitudini quodammodo similis. 447.b
Viros maioris perfectionis ac dignitatis per Ioannis animalia designari, quàm per seniores. 332.d
ad Viros insignes sanctitate per analogiam debere extendi quod de euangelica perfectione in Scriptura dicitur. 354.2.d
mysticus sensus eorum Christi verborum ad Samaritanam, *quinque viros habuisti.* 489.1.b
Viris spiritualibus valdè vtilis doctrina de septem diuinæ prouidentiæ spiritibus. 41.2.a
Vide Samaritana.

Virga.

Virgæ ferreæ symbolum & eius significatio. 244.1.c
Virgæ ferreæ significatio quo sensu sit accipienda, variant doctores. ibid.
Virgæ ferreæ locutione summam seueritatem importari. 245.1.a
sub Virgæ ferreæ allegoria quis lateat sensus. ibid.c
in Virga ferrea imperij durissimi speciem denotari. ibid.d
Virgæ ferreæ imperium viris Apostolicis cur concedatur super Gentes, at verò Romanæ Ecclesiæ, super omnes Gentes. ibid.2.c
Virgam ferream in Christiana obedientia & subiectione habere locum. ibid.d
Virga Christi cur fingatur esse ferrea. 248.1.a
in Virga ferrea regere quid sit. 800.d

Virgo.

Virginum nomen vtrùm in sensu proprio, vel allegorico sit vsurpandum. 665.b
qui appellantur Virgines Apocal. 14. quinam sint. 442.c
Virgines sequi agnum quocumque ierit, quid sit. ibid.c
infamis consuetudo Babylonis antiquæ de Virginibus ante matrimonium prostituendis. 755.a

Viridis.

nomen Viridis apud Latinos ad cæruleum aliquando extendi. 910.1.b

Virtus.

Virtutis modicæ sed à Deo protectæ descriptio. 259.a
nomine Virtutis quid significetur Apocal. 12. 10. 807.b
Virtutes præcipuas gubernationis in quatuor Ioannis animalibus figurari. 334.c
Virtutes in principe necessariæ ratiocinatione indicantur. 153.2.c
Virtutẽ nominis Christi non in characteribus ipsis, sed in rei veritate consistere. 268.c
Virtutem modicam habere quo sensu Philadelphius dicatur. 261.c
Virtutem Deum accipere, quid sit. 369.b
Vide Gubernator, Prouidentia.

Viscera.

per viscera affectionem commiserationis in Scriptura significari. 515.a

Visio.

num in Danielis cap. 10. & 11. & initio 12. eadem continuetur Visio. 208.2.c
Visio Ezechielis de templo & ciuitate cum Apocalypseos loco conciliatur. 274.2.a
Visiones duas sacræ Scripturæ in nonnullis similes, & in aliis diuersas esse sæpe contingit. 324.c

Vita.

Vitæ aliquando tribui lucis nomen tam Hebraica phrasi quàm Latina. 833.1.d
Vitam sæpe cum luce in sacris nec sine mysterio copulari. 949.a
per Vitam quid figuretur. 459.1.a
Vide Liber, Lignum.

Vitium.

Vitia septem capitalia totidem diuinæ prouidentiæ spiritibus è regione opponuntur. 156.1.c

Vitrum.

Vitro conficiendo magnetem admistam eiusque rei symbolum. 319.b
Vitri materia, ac proprietates, earumque mystica explicatio. ibid.a
per Vitrum ex quo mare visum à Ioanne constabat, quid. 318.c

Vitulus.

Vitulos Ieroboami aureos nonnihil fuisse similes Cherubinis probabile est. 352.1.d

Vlcus.

Vlcera vesicarum exorta fuisse ex cinere de camino in cælum aspersо (de quibus in sexta AEgypti plaga) quid mysticè significet. 718.c

Vnum.

Vnum esse idem quod primum. 413.a

Vocalis.

Vocales natura longas olim apud veteres duplicari consueuisse. 655.c

Vox.

Voces humanæ cur de Dei throno procedant. 314.c
Vocem inter animalia auditam in tertij sigilli reignatione quis emiserit. 417.c
Vox illa de qua Apoc. 21.3. ex quo throno prodierit. 862.d
Vox dicta quando fuerit à Ioanne exaudita. 863.b
Vox hæc magna quid innuat. ibid.
Vocem quomodo Ioan. Apocal. 12. è cælo exaudierit. 662.c
Vocem tubæ cur Ioannes prius audierit, deinde vocem aquarum multarum. 211.1.b
per Vocem multitudinis quid apud Danielem significetur. ibid.c
Vocem gaudij, & Vocem sponsi cur Ieremias c. 25. 10 coniunxerit. 777.c
Vox Ioanni audita, num voci tubæ fuerit per similis & quo modo. 172.a
Vox audita Ioanni, quæ dixit *Beati mortui*, &c. cur dicatur esse de cælo. 685.a
Vox magna Ioanni audita de templo, de qua Apoc. 16.1 quid denotet. 717.b
cur dicatur *in diebus Vocis septimi angeli.* 513.b
Vox altaris quid proprie postulet. 496.d
Vox magna quam Ioannes exaudiuit Apoc. 12. 10. à quo fuerit prolata. 607.b
Vocem multitudinis cur Daniel audierit. 211.1.b
Voces humanæ cur cum fulguribus sociatæ fingantur. 313.c
Vocem videre quid sit Apocal. 1.12. 180.c
per Vocem turbæ magnæ, aquarum multarum, tonitruorum magnorum quid Apocal. 19. figuretur. 782.d
Vox ingens angelorum de qua Apoc. 5. 12. quid innuat. 395.c
Voces humanæ cum citharārum concentu cur consocientur. 664.a
Vox Ioanni audita cui tubæ fuerit similis. 172.d
Voces magnæ è cælo exauditæ Apoc. 11. 15. quid significent. 560.d
Vocis magnæ auditæ à Ioanne Apoc 5. 2. mysterium quod sit. 381.c
Vide, Aqua, Aquila, Christus, Tuba.

Vrbs.

in Vrbe cælesti cur suburbia non sint. 880.d
in Vrbium septem enumeratione quem ordinem seruarit Ioannes. 180.c
Vrbis symbolum Malogranatum. 270.2.b
in Vrbis mensuris æqualitas qualis fuerit. 880.a
Vrbis Ezechieli visæ sanctitas maior quàm Hierosolymæ. 273.1.c
Vrbis cælestis singula latera ad singulas mundi partes spectantia quid significent. 880.c
Vrbis cælestis perfectum quadrum. & quatuor muri latera ex Ezech. ciuitate desumi cum duplici tamen discrimine. 279.b

quod

Digitized by Google

quod de Vrbis æqualitate in longitudine, altitudine & latitudine dicitur, quomodo sit intelligendum. ibid.d
de longitudine quam Vrbi cælesti, & singulis eius muri lateribus adscribit. quid dicendum. ibid.b

Vriel.

Vriel Angeli nomen recipitur ab Ambrosio & aliis. 152. 2. d

Vrna.

per Vrnam Manna quid innuatur. 563. 2. b

Vrsus.

Vrsorum naturæ consideratio. 637 c
Vrsus animal valdè libidinosum. ibid.
Vrsus luxuriæ symbolum. 638.a

Vnum.

Vnum esse idem cum alio multifariam dici posse. 323. d

Vua.

Vuæ vineæ terræ quo sensu dicantur esse maturæ. 691.d

Vulgata.

Vulgata probatur & defenditur in Apocal. 5. 13. 397.a

Vultus.

de Vultus claritate quid alij sentiant. 202.b
vera Vultus claritatis significatio ex ipso contextu probatur. ibid.c
Vultus Christi fulgere cur dicatur. ibid.
sui Vultus claritatem Deum ostendere, quid sit in sacræ Scripturæ phrasi. 203.b
splendor Vultus Christi qua ratione sit considerandus. ibid.b

Vxor.

Vxoris nomine non conuinci de consummata in cælo gloria esse sermonem. 793 b

Zabulon.

ZAbulon aptatur chrysolithus. 938.2.b

Zacharias.

Zachariæ etymologia. 490.1.d
Zachariam in suo cantico allusisse ad etymologiam nominis sui, vxoris, & filij. ibid.2.c

Zona.

Zona aurea quid significet. 188.d
Zonæ mystica significatio ibid.e
Zonam auream cur Ioannes in sua prima visione viderit ad mamillas viri. 209.2.d



Digitized by Google

INDEX

PECVLIARIVM SACRÆ SCRIPTVRÆ locorum, qui in hoc opere sparsim explicantur & illustrantur, præter alios plures, quos passim offendet Lector vel indicatos, vel exempli gratia cateruatim occurrentes.

GENESIS.

CAp. 1. Vers. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram.* 143.1.d
4.24. *De Lamech verò septuagies septies.* 532.2c
13.16. *Faciam semen tuum sicut puluerem terræ.* 201.d
15.5. *Suspice cælum & numera stellas, si potes, sic erit semen tuum.* ibid.
28.12. *Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum, angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes.* 291.1.a
49.9. *Catulus leonis Iuda, ad prædā fili mi ascēdisti* 385.b
17. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita.* 445.1.a

EXODVS.

Cap. 3.14. *Ego sum qui sum.* 143.2.d
6.3. *Nomen meum Adonai non indicaui eis,* ibid.
8.22. *Faciam mirabilem terram Gessen.* 432.2.b
9.4. *Faciet Dominus mirabile.* ibid.
10. *Factaque sunt vlcera vesicarum turgentium.* 718.b
12.7. *Sument de sanguine eius ac ponent super vtrumque postem & in superliminaribus domorum.* 439.1.b
13. *Erit autem vobis sanguis in signum in ædibus in quibus eritis, & videbo sanguinem, & transibo vos, nec erit in vobis plaga &c.* 431.1.d
23. *Transibit enim Dominus percutiens AEgyptios, cumq; videris sanguinem in superliminari, & in vtroque poste, transcendet, ostium domus, & non sinet percussorem ingredi domos vestras.* 439.1.b
25.22. *Loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim.* 370.2.a
38.8. *Fecit & labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi.* 319.c

NVMERI.

Cap. 7.89. *Moyses audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio quod erat super arcam inter duos Cherubim.* 370.2.a
11.34. *Vocatusque est ille locus sepulchra concupiscentiæ* 494.a
14.17. *Magnificetur ergo fortitudo Domini sicut iurasti* 380.1.a

DEVTERONOMIVM.

Cap. 28.28. *Percutiat te Dominus amentia & cæcitate, ac furore mentis, & palpes in meridie sicut palpare solet cæcus in tenebris.* 477.a
30.11. *Mandatum hoc, &c. non supra te est, &c. nec in cælo situm, vt possis dicere, quis nostrum valeat ad cælum ascendere.* 291.2.a
33.18. *Lætare Zabulon in exitu tuo, & Issachar in tabernaculis tuis.* 938.2.b
19. *Populos vocabunt ad montem, ibi immolabunt victimas iustitiæ, qui inundationem maris quasi lac sugent, & thesauros absconditos arenarum.* ibid.

1. REGVM.

Cap. 5.6. *Aggrauata est manus Domini super Azotios, & demolitus est eos, &c.* 718.c

3. REGVM.

C. 2.8. *Qui maledixit mihi maledictione pessima.* [illegible]
7.20. *Malogranatorum ducenti ordines erant in circuitu capitelli secundi.* 270.2.a
36. *quasi in similitudinem hominis stantis.* 350.2.c & 353.2.c

1. PARALIPOMENON.

Cap. 15.21. *Pro octaua canebant Epinicion.* 168.1.d
18.8. *De quo fecit Salomon mare æneum, & columnas & vasa ænea.* 196.1.d
26.27. *De bellis & manubiis præliorum quæ consecrauerant ad instaurationem, & supellectilem templi Domini.* 269.2.d

II. PARALIPOMENON.

Cap. 18 18. *Vidi Dominum sedentem in solio suo, & omnem exercitum cæli assistentem ei à dextris, & à sinistris.* 824.1.d

TOBIAS

Cap. 6.4. *Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te.* 458.2.c
5. *Exentera hunc piscem, & cor eius & fel, & iecur repone tibi, sunt enim hæc necessaria ad medicamenta vtiliter.* ibidem d.
8. *Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus Dæmoniorum, siue à viro, &c.* ibid.
8.2. *Recordatus Tobias sermonum Angeli protulit de cassidili suo partem iecoris, posuitque eam super carbones viuos.* ibid.
Tunc Raphael Angelus apprehendit Dæmonium, & religauit illud in deserto superioris AEgypti. 459.2.d
12.7. *Sacramentum regis abscondere bonum est, opera autem Dei reuelare & confiteri honorificum est.* 458.2.a
8. *Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna magis quàm thesauros auri recondere.* ibid.
9. *Quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & faciet inuenire misericordiam.* ibid.b
11. *Manifesto ergo vobis veritatem, & non abscondam à vobis occultum sermonem.* ibid.a
12. *Ego obtuli orationem tuam Domino.* 459.2.d
15. *Ego sum Raphael angelus, vnus ex 7. qui astamus ante Dominum.* 150.1.a

IOB.

Cap. 7.1. *Militia est vita hominis super terram.* 265.a
26.3. *Prudentiam tuam ostendisti plurimam.* 334.c
28.17. *Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum.* 893.1.c
36.32. *In manibus abscondit lucem.* [illegible]
33. *& annunciat de ea amico suo.* 379.1.d
38.32. *Nunquid producis Luciferum in tempore suo* 250.d
42.5. *Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te.* 460.1.c

PSALMI

Ps. 2.9. *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* 244.1.c 247.1.a
8.6. *Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius.* 307.c
14.2. *Qui ingreditur sine macula.* 857.b
17.9. *Ascendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exar[illegible]*

Digitized by Google

sit, carbones succensi sunt ab eo. 62.1.c
10. *Et caligo sub pedibus eius.* 714.2.a
12. *Posuit tenebras latibulum suum.* 378.1.c
22.4. *Nam etsi ambulauero in medio vmbra mortis, non timebo mala.* 451.b
23.4. *Innocens manibus & mundo corde.* 857.b
7. *Attollite portas principes vestras.* 872.b
44.6. *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadēt in corda inimicorum regis* 404.2.b 407.1.c
47.8. *In spiritu vehementi conteres naues Tharsis.* 62.2.c
67.11. *Animalia tua habitabunt in ea, parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* 324.d
18. *Currus Dei decem milibus multiplex, millia lætantium, Dominus in eis in sancto.* 395.a
22. *Deus confringet capita inimicorum suorum.* 62.2.d
24. *Vt intingatur pes tuus in sanguine.* ibid.
71.3. *Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam.* 418.a
72.16. *Existimabam vt cognoscerem hoc, labor est ante me, &c.* 813.d
73.1. *Iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ.* 712.c
14. *Tu confregisti capita draconis.* 583.d
74.4. *Ego confirmaui columnas eius.* 271.2.b
77.66. *Percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis.* 718.c
79.5. *Quousque irasceris super orationem serui tui.* 712.c
80.13. *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum.* 478.1.d
92.2. *Parata sedes tua ex tunc, à sæculo tu es Deus.* 295.d
4. *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.* 174.c
96.2. *Nubes & caligo in circuitu eius.* 378.1.724.c.2.a
3. *Ignis ante ipsum præcedit, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* 62.2.d
4. *Illuxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit & commota est terra.* 312.c
98.5. *Adorate scabellum pedum eius quoniam sanctum est.* 295.d
103.2. *Amictus lumine sicut vestimento.* 378.1.c & 714.2.c
35. *Deficiant peccatores à terra, & iniqui ita vt non sint.* 63.1.a
104.1. *Confitemini Domino & inuocate nomen eius, &c.* vsque in finem Psalm. 784.1.d
105.1. *Confitemini Domino quoniam bonus, &c.* vsque in finem Psalmi. ibid.2.a
106.1. *Confitemini Domino quoniam bonus, &c.* vsque in finem Psalmi. ibid.c
106.32. *Et in cathreda seniorum laudent eum.* 305.c
107.01. *In Idumæam extendā calceamentū meum.* 682.1.b
109.1. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* 284.b 385.d
117.20. *Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.* 439.2.b
138.23. *Proba me Domine & scito cor meum interroga me, &c.* 912.2.c
149.6. *Gladij ancipites in manibus eorum.*
7. *Ad faciendam vindictam in nationibus increpationes in populis.*
8. *Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.*
9. *Vt faciant in eis iudicium conscriptum: gloria hæc est omnibus Sanctis.* 65.1.b 201.d

PROVERBIA.

Cap. 1.12. *Deglutiamus eum sicut infernus.* 206.1.c
9.2. *Immolauit victimas suas.* 421.c
5. *Comedite panem meum & bibite vinum, quod miscui vobis.* 182.2.a
11.1. *Statera dolosa abominatio est apud Dominum.* 50.1.d
20.29. *Dignitas senum canities.* 191.c
21.31 *Equus paratur ad diem belli, Dominus autem salutem tribuit.* 401.1.d
23.31. *Ne intueatis vinum quando flaueſcit, cùm splenduerit in vitro color eius, ingreditur blande, sed in nouissimo mordebit vt coluber, &c.* 484.d
25.22. *Prunas congregabis super caput,* siue vt Paulus Rom. 12.10. vertit, *carbones ignis congeres super caput eius.* 61.2.c
30.4. *Non noui scientiam Sanctorum? quis enim ascendit in cælum atque descendit?* 191.2.a 293.2.b
16. *Infernus & os vulua.* 206.1.c

ECCLESIASTES.

Cap. 1.18. *Qui addit scientiam addit & laborem.* 489.1.a
7.11. *Ne dicas, Quid putas causæ est, quòd priora meliora fuere quàm nunc sunt. Stulta enim est huiusmodi interrogatio.* 488.1.a
12.5. *Florebit Amygdalus, impinguabitur locusta, & dissipabitur cappar is.* 184.a
13. *Deum time & mandata eius obserua, hoc est enim omnis homo.* 213.1

CANTICA.

Cap. 1.3. *Adolescentulæ dilexerunt te. curremus in odorem vnguentorum tuorum.* 665.d
2.4. *Introduxit me rex in cellam vinariam.* 283.d
5.1. *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructus pomorum suorum.* ibid.c
2. *Vox dilecti mei pulsantis, aperi mihi soror mea, amica mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* ibid.b
8.2. *Dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum.* ibid.c

SAPIENTIA.

Cap. 5.21. *Acuet duram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* 406.1.d
10.10. *Hæc profugum iræ fratris deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam Sanctorum.* 291.1.a
16.9. *Illos locustarum, & muscarum occiderunt morsus.* 485.b
18.14. *Cum quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus, &c.* 379.2.a

ECCLESIASTICVS.

Cap. 1.6. *Radix sapientiæ cui reuelata est?* 949.a
8. *Vnus est altissimus creator omnipotens, & rex potens sedens super thronum.* ibid.
6.21. *Quàm aspera est nimium sapientia indoctis, hominibus, & non permanebit in ea excors, quasi lapidis virtus probatio erit in illis, &c.* 265.a
9.1. *Ne ostēdat super te malitiam doctrina nequam.* 334.c
288. *Corona senum multa peritia.* 191.c
12. *Beatus qui inuenit amicum verum.* 259.c
36.7. *Innoua signa & immuta mirabilia, glorifica manum & brachium dextrum.* 63.2.d
26. *Mulier bona columna vt requies.* 271.2.b
39.17. *Obaudite me diuini fructus, date odorem, & frondete in gratiam, date nomini Dei magnificentiam in canticis labiorum & citharis.* 450.d
40.22. *Gratiam & speciem desiderabit oculus tuus, & super hoc virides sationes.* 916.2.a
43.7 *Minuitur in consummatione, & crescit mirabiliter in consummatione.* 574.2.d. 577.2.b

13. *Grauit celum in circuitu gloriæ suæ.* 370.1.d
44.15. *Henoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, vt det gentibus pœnitentiam.* 539.2.c
45.14. *Corona aurea super mitram eius expressa signo sanctitatis, & gloria honoris, & opus fortitudinis.* 307.c
48.11. *Beati sunt qui te viderunt, & in amicitia tua decorati sunt, nam nos vita viuemus tantum, post mortem autem non erit tale nomen nostrum.* 539.1.a
49.10. *Ezechiel vidit conspectum gloriæ, quam ostendit illi Deus in curru Cherubim; nam commemoratus est inimicorum in imbre benefacere illis qui ostendunt rectas vias.* 334.b
50 6. *Quasi stella matutina in medio nebulæ.* 250.d.251.d

ISAIAS.

Cap.1.18. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum quasi nix dealbabuntur.* 757.c
24. *Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis,* &c. vsque ad versum 30. 63.2.a
2.2. *Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium.* 867.d
3.3. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem,* 582.b
4.5. *Creabit Dominus super omnem locum montis Sion nubem per diem, & fumum & splendorem ignis per noctem.* 715.2.b
6.1. *In anno quo mortuus est Rex Ozias, vidi Dominum sedentē super solium excelsum, & eleuatum.* 296.a & 1.e
4. *Commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis, & domus repleta est fumo.* 713.8.
6. *Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus quem forcipe tulerat de altari.* 232.1.d
13. *Et adhuc in ea decimatio, & conuertetur* 556. Not. integra.
8.18. *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus.* 351.2.a
9.1. *Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephtali, & nouissimo aggrauata est via maris trans Iordanem Galilææ gentium.* 938.2.b
2. *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis.* ibid. 941.1.d
6. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis,* &c. vsque ad vers.8. 154.1.a
10.12. *Consummatio abbreuiata inundabit iustitiam, consummationem enim & abbreuiationem faciet Dominus in medio terræ.* 514.a
11.4. *Spiritu labiorum suorum interficiet impium.* 674.2.b
13.20. *Non fundabitur vsque ad generationem, & generationem, nec ponet ibi tentoria Arabs. nec pastores requiescent ibi, sed requiescent ibi bestiæ,* &c. vsque ad finem capitis. 765.c
14.7. *Conquieuit & siluit omnis terra, gauisa est & exultauit.* 45.6.a
16.1. *Emitte agnum dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion,* &c. vsque ad finem capitis. 660. *tota Notat.*
19.1. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem & ingredietur in Ægyptum.* 165.2.c
21.7. *Vidit currum duorum equitum ascensorem asini, & ascensorem cameli,* &c. 748.1.c
21.22. *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius & aperiet, & non erit qui claudat.* &c. 207.1.b
24.21. & 22. *In die illa visitabit Dominus super militiam cæli in excelso, & super reges terræ, qui sunt super terram, & congregabuntur in locum, & claudentur ibi in carcere, & post multos dies visitabuntur.* 823.1.b
23. *Erubescet luna & confundetur sol cum regnauerit Dominus exercituum in monte Sion, & in Ierusalem & in conspectu senum suorum fuerit glorificatus.* 824.2.c 857.b.
25.8. *Auferet Deus lacrymam ab omni facie.* 447.b *Præcipitabit mortem in sempiternum.* 864.a
26.5. *Incuruabit habitantes in excelso.* 744.1.d
14. *Morientes non viuant, gigantes non resurgant, propterea visitasti, & contriuisti eos, & perdidisti omnem memoriam.* &c. 832.2.d
19. *Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent, expergiscimini & laudate qui habitatis in puluere, quia rex lucis rex tuus, & terram gigantum detrahes in ruinā.* ibi.
29.11. *Erit vobis visio sicut verba libri signati.* 478.1.b
31.9. *Dominus, cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Ierusalem.* 531.2.c
34 2. *Indignatio Domini super omnes gentes,* &c. vsque ad versum 11. 63.2.a *Complicabuntur sicut liber cæli.* 417.b
6. *Victima Domini in Bosra, & interfectio magna in terra Edom.* 710.a
10. *Die & nocte non extinguetur, in sempiternum ascendet fumus eius.* 679.1.b
11. *Possidebunt illam onocrotalus, & ericius, ibis, & corui habitabunt in ea,* &c. 765.d.
13. *Et erit cubile draconum & pascua struthionū.* ibi.c
38.10. *Vadam ad portas inferi.* 206.2.c
40.6. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri.* 473.c.
41.4. *Ego primus, & ego nouissimus, viderunt insulæ & timuerunt, & vnusquisque dices fratri suo, Confortare* 204.b
43.19 *Ecce ego facio noua.* 864.b
44.3. *Effundam benedictionē meam super stirpē tuā.* 442.b
6. *Ego primus, & ego nouissimus, & absque me non est Deus.* 204.b
45.8. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum.* 165.2.c
15. *Vere tu es Deus absconditus.* 379.1.c
23. *Mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua.* 398.d
47.8. *Quæ dicis in corde tuo, Ego sum,* &c. *non sedebo vidua. & ignorabo sterilitatem, venient tibi duo hæc, sterilitas, & viduitas.* 770.d
15. *Ab adolescentia tua negotiatores tui, vnusquisque in viam suam errauerunt.* 767.b
48.12. *Ecce ego excoxi te, sed non quasi argentum,* &c. *Ego ipse, ego primus, & ego nouissimus, manus quoque mea fundauit terra,* &c. *Ego vocabo eos, & stabunt simul.* 204.c
49.10 *Non esurient neque sitient, & non percutiet eos æstus,* &c. 451.b *Quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos.* ibid.
51.9. *Vita mea appropinquans erat in inferno deorsum.* 206.2.c
52.1. *Non deijciet vt per transeat per te incircuncisus.* 947.d
54.8. *In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna miserti sum tui,* &c. 299.d
10. *Sicut in diebus Noë istud mihi est, montes commouebuntur, & colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur.* 370.1.c

Digitized by Google

12 Ponam iaspidem propugnacula tua. 897.1.a
60.3. Ambulabunt gentes in lumine tuo. 945.a
18. Non audietur vltrà iniquitas in terra tua, vastitas & contritio in terminis tuis. 947.c
21. Populus tuus omnes iusti. ibid.
63.3. Torcular calcaui solus. 688.a
64.4. Oculus non vidit Deus absque te quæ præparasti exspectantibus te. 149.a
65.16. In quo qui benedictus est benedicetur in Deo Amen. 274.d
66.7. Antequam parturiret peperit, antequam veniret partus eius, peperit filium masculum. 581.a
8. Quis audiuit vnquam tale & quis vidit huic simile, nunquid parturiet terra in die vna, aut parietur gens simul, quia parturiuit & peperit Sion filios suos, &c. ibid.

IEREMIAS.

Cap.1.11. Virgam vigilantem ego video. 387.d
2.21. Omne semen verum. 259.c
34. In alis tuis inuentus est sanguis animarum pauperum & innocentum. 778.b
8.16. A Dan auditus est fremitus. 445.1.b
23.29. Nonne verba mea quasi ignis, & quasi malleus conterens petras. 903.1.c
31.22. Fœmina circundabit virum. 45.1.a
50.25. Aperuit Dominus thesaurum suum, & protulit vasa iræ. 711.1.a
51.7. Calix aureus Babylon in manu Dei inebrians omnem terram, de vino eius biberunt omnes gentes, & commota sunt. 754.b
63. Cumque compluueris legere librum istum, ligabis ad eum lapidem & proijcies illum in medium Euphratem, & dices. Ric submergetur Babylon, & non consurget à facie afflictionis quam ego adduco super eam, & dissoluetur. 776.d

THRENI.

Cap.3.18. Periit finis meus. 167.2.d

BARVCH.

Cap.4.36. Circunspice Ierusalem ad Orientem, & vide iucunditatem à Deo tibi venientem, 471.2.a
5.5. Exurge Ierusalem, & sta in excelso, & vide collectos filios tuos ab oriente sole. ibid.

EZECHIEL.

Cap.1.1. Aperti sunt cæli, & vidi visiones Dei. 293.a
8. Manus hominis sub pennis eorum. 360.2.d
12. Nec reuertebantur cum ambularent. 361.1.a
14. Animalia ibant & reuertebantur. ibid.
24. Audiebam sonum alarum quasi sonum aquarum multarum. 198.d
27. A lumbis eius & desuper, & à lumbis eius vsque deorsum vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu. 298.c.300.notat. integra. 28. Velut aspectum arcus cum fuerit in nube in die pluuie, hic erat aspectus splendoris per gyrum. 299.d.302.d
2.9. Scripta erant in eo lamentationes, carmen, & va. 375.a.377.notat. integra.
10. Ecce manus in qua erat scriptus liber inuolutus, & expandit illum coram me qui erat scriptus intus & foris. 372.b.377.1.b
3.3 Comedi illud, & factum est in ore meo sicut mel dulce. 4. Et abii amarus in indignatione spiritus mei. ibid.
8.2. A aspectu lumborum eius, & deorsum ignis, & à lumbis eius & sursum quasi aspectus splendoris, vt visio electri. 298.c
9.4. Signa Th. super frontes viuorum gementium abominationes terræ. 438.1.c
5. Transite per ciuitatem, & interficite vsque ad internecionem, omnẽ autem super quem videritis Thau, ne occidatis. 312.a
10.2. Imple manum tuam de prunis ignis, quæ sunt inter Cherubim & effunde super ciuitatem. 470.1.b
7. Et extendit Cherub manum ad ignem, qui erat inter Cherubim, & sumpsit & dedit in manus eius qui indutus erat lineis. 233.1.a.2.c.d
3. Nubes impleuit atrium. 4. & repleta est domus nube. 165.1.b
23.31. Dabo calicem eius in manu tua. 754.b
36.25. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. 318.b
39.17. Concurrite ad victimam meam, quam ego immolo vobis. 709.b
43.2. Vox erat ei quasi vox aquarum multarum. 198.d

DANIEL.

Cap.3.65. Benedicite omnes spiritus Dei Domino. 147.b
7.9.13.22. Antiquus dierum sedit. 191.c
10.5. Leuaui oculos meos & vidi, & ecce vir vnus vestitus lineis, & renes eius accincti auro obryzo, &c. vsque ad 10. inclusiuè. 208.1.b
12.1. In tempore illo consurget Michael princeps magnus, &c. 598.c
2. Multi de his qui dormiunt in terra puluere euigilabunt, alii in vitam æternam, & alij in opprobrium, vt videant semper. 833.2.c
7. Per viuentem in æternum, quia in tempus, & tempora, & dimidium temporis complebitur dispersio manus populi sancti. 512.c

IOEL.

Cap.3.13. Mittite falces quoniam maturauit messis, venite & descendite quia plenum est torcular, &c. 692. integra notat.

AMOS.

Cap.7.7. Ecce Dominus stans super murum litum, & in manu eius trulla cementaria, &c. 903.2.b

IONAS.

Cap.4.6. Præparauit Dominus Deus hederam. 893.2.a

MICHÆAS.

Cap.7.19. Proijciet in profundum maris omnia peccata vestra. 777.a

NAHVM.

Cap.1.9. Non consurget duplex tribulatio. 63.2.d

HABACVC.

Cap.2.4. Iustus ex fide viuet. 134.d
3.1. Domine audiui auditionem tuam & timui, Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud, in medio notũ facies, cum iratus fueris misericordiæ recordaberis:
5. Ante faciem eius ibit mors. 402.1.a.b (530.2.c
8. Ascendes super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio. 286. c.401.2.b.402.2.b
9. Suscitans suscitabis arcum tuum, iuramenta tribubus quæ locutus es. 402.2.b

ZACHARIAS.

Cap.4.3. Et duæ oliuæ super illud. 542.c
14. Isti sunt duo filii olei. 311.1.b
6.5. Isti sunt quatuor venti cæli, &c. 401.1.c
10.3. Visitabit Dominus exercituum gregẽ suũ, & posuit domum Iudæ quasi equum gloriæ suæ in bello. 401.2.b
12.1. Dicit Dominus extendens cælos, & fundans terram, & fingens spiritum hominis in eis. 139.c
2. Pone Ierusalem superliminare crapulæ omnibus populis in circuitu, sed & Iudæ erit in obsidione contra Ierusalem. 557.notat. integra.
6. Ponam duces Iudæ sicut caminum ignis in lignis, & sicut facem ignis in fœno, &c. 64.1.a
10. Effun-

10. *Effundam super domum Dauid & super habitatores Ierusalē Spiritū gratiæ & precij, &c.* vsq; ad v. 15. 160. 1. c
13. 1. *Erit fons patens domui Dauid in ablutionem peccatoris & menstruatæ.* 318. d

MALACHIAS.

Cap. 4. 5. *Antequam veniat dies domini magnus et horribilis* 19. 2. a (*tres eorum ibid.*
6. *Conuertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres.*

I. MACHABEORVM.

Cap. 3. *Siluit terra in conspectu eius.* 456. a
3. 48. *Expanderunt libros legis, de quibus scrutabantur Gentes similitudinem simulachrorum suorum.* 270. 1. a
13. 29. *His circumposuit columnas magnas, et super columnas arma ad memoriam aternam, et iuxta arma naues sculptas, quæ viderentur ab omnibus nauigantibus mare.* 270. 2. c

II. MACHABAEORVM.

Cap. 2. 8. *Apparebit maiestas Domini, et nubes erit sicut et Mosi manifestabatur.* 165. 1. a

MATTHAEVS.

Cap. 5. 6. *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam.* 422. a
7. *Beati misericordes, etc.* 311. 1. b
6. 9. *Sanctificetur nomen tuum.* 391. 2. d
7. 5. *Hypocrita eiice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis eiicere festucam de oculo fratris tui.* 279. b
11. 28. *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos.* 906. 2. c
12. 28. *Peruenit in vos regnum Dei.* 291. 1. b
13. 26. *Cum autem creuisset herba, & fructum fecisset.* 473. b
45. *Simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas, &c.* 405. 2. a
52. *Omnis Scriba doctus in regno cælorum similis est patrifamilias qui profert de thesauro suo noua & vetera.* 44. 2. d
16. 18. *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* 206. 1. c
19. *Tibi dabo claues regni cælorum.* 208. 2. a
17. 10. *Quid ergo Scribæ dicunt, quod Eliam oportet primum venire, at ille respondens ait, Elias quidem venturus est, & restituet omnia, Dico autem vobis, quod Elias iam venit, & non cognouerunt eum* 539. 1. d
18. 22. *Sed septuagies septies* 532. 2. c
19. 24. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum* 940. a
28. *In regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.* 226. 2. a
25. 30. *Inutilem seruum eiicite in tenebras exteriores.* 483. 2. b
26. 28. *Qui pro vobis effundetur.* 388. d

MARCVS.

Cap. 4. 11. *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei.* 292. 1. b
28. *Terra fructificat primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.* 473. b
16. 15. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* 369. c

LVCAS.

Cap. 1. 54. *Recordatus est misericordiæ suæ, sicut locutus est ad patres nostros.* 490. 1. d
24. *Concepit Elizabeth & occultabat se mensibus quinque.* 451. 1. b
8. 10. *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei.* 292. 1. b
31. *Rogabant illum ne imperaret illis vt in abyssum irent.* 482. 1. c
10. 18. *Videbam Satanam tanquam fulgur de cælo cadentem.* 479. c
11. 20. *Peruenit in vos regnum Dei.* 292. 1. b
28. *Beati qui audiūt verbū Dei. & custodiūt illud.* 134. c
17. 21. *Regnum Dei intra vos est.* 292. 1. b

IOANNES.

Cap. 1. 9. *Erat lux vera.* 259. c
51. *Amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis.* 292. 2. c. 293. 1. b
3. 13. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, &c.* 291. 2. a. 293. 2. b
4. 14. *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* 489. 2. d
87. *Quinque viros habuisti, & hunc quem habes non est tuus vir.* 489. 1. c
23. *Veri adoratores.* 259. c
47. *Incipiebat enim mori.* 281. b
5. 27. *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* 207. 2. d
6. 32. *Panem de cælo verum.* 259. c
48. *Ego sum panis vitæ, patres vestri manducauerunt manna & mortui sunt, &c.* 224. b
12. 31. *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* 601. d. 606. c *notat. integra.*
32. *Ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipsum.* 249. 2. d
41. *Hæc dixit Isaias quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo.* 296. 1. c
14. 23. *Paracletus autem Spiritus sanctus ille vos docebit omnia.* 531. 2. c
15. 1. *Ego sum vitis vera.* 259. c
15. *Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius, vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* 367. b
21. 1. *Mane cum adhuc tenebræ essent.* 251. a

ACTA.

Cap. 1. 15. *Erat autem turba hominum ferè centum viginti.* 256. a
2. 5. *Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi viri religiosi ex omni natione quæ sub cælo est.* 445. d. 447. d
13. 46. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vita, ecce conuertimur ad gentes.* 505. c
25. 28. *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris.* 239. d

AD ROMANOS.

Cap. 1. 16. *Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Iudæo primum & Græco.* 850. a
24. *Tradidit eos Deus in desideria cordis eorum.* 478. 1. d
3. 25. *Quem proposuit Deus propitiationem.* 370. 2. d
81. *Nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Iesu qui non secundum carnem ambulant.* 432. 2. a. & 436. b
7. *Legi enim Dei nō est subiecta, nec enim potest.* 903. 1. b
9. 6. *Non quod exciderit verbum Dei, non enim omnes qui ex Israel sunt Israelitæ.* 440. d
22. *Sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum &c.* 149. c
27. *Isaias clamat si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ saluæ fient: verbum enim consummans & abbreuians in æquitate.* 514. a [*vā. ib.*
28. *Quia verbum breuiatum faciet Dominus super terram.*
30. *Gentes quæ non sectabantur iustitiam apprehenderunt iustitiam ex fide Israel vero sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit.* *ibid.*
10. 6. *Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cælum, id est, Christum deducere.* 291. 2. b
7. *Quis descendit in Abyssum.* 483. 1. a (447. d
18. *In omnem terram exiuit sonus eorū & in fines, &c.*
11. 25. *Nolo vos ignorare mysterium hoc, vt non sitis vobis ipsis*

Digitized by Google

ipsis sapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Israel donec plenitudo gentium intraret. 513.b
16. Et sic omnis Israel saluus fieret. 445.2.a
33. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, &c. 286.c
12.21 *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* 771.a
15.15. *Data est mihi gratia, vt sim minister Christi Iesu in Gentibus sanctificans Euangelium Dei.* 709.d
16. Propter gratiam quæ data est mihi vt sim minister Christi Iesu in gẽtibus sanctificans Euangelium Dei, vt fiat oblatio gentium accepta & sanctificata in Spiritu sancto. 509.1.b

I. AD CORINTHIOS.

Cap.2.6. *Sapientiam loquimur inter perfectos,* &c. vsque ad vers.15. 148.c
3.12. *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc,* &c. vsque ad finem vers.15. 532. *Notat. integra.*

2. AD CORINTHEOS.

Cap.1.20. *Quotquos enim promissiones Dei sunt in illo est, & per ipsum, Amen Deo.* 371.1.a
22. Qui confirmant nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos Deus, qui & signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris. 436.a
3.6. *Littera enim occidit, spiritus autem viuificat.* 64.1.d.
4.7 *Vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis.* 263.b
5.17. *Si qua ergo in Christo noua creatura.* 275.b
11.2. *Desponsi enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo.* 665.c
13. *Eiusmodi pseudo apostoli sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi,* &c. 242.d
12.4. *Audiui arcana verba quæ non licet homini loqui* 784.2.a
9. Virtus in infirmitate perficitur. 379.2.c

AD GALATAS.

Cap.4.26. *Illa autem quæ sursum est Ierusalem libera est mater nostra.* 582.c
5.13. *Vos enim in libertatem vocati estis fratres, tantum ne libertatem in occasionem detis carni.* 243.a

AD EPHESIOS.

Cap.1.13. *Signati estis spiritu promissionis sancto.* 436.a
2.6. *Conuiuificauit nos cum Christo & conresuscitauit, & condere fecit in cælestibus.* 284.b
14. Ipse est pax nostra qui fecit vtraque vnum, medium parietẽ soluens, vt duos cõderet in semetipso, &c. 504.d
19. Estis ciues sanctorum & domestici Dei. 258.a
3.4. *In mysterio Christi, quod nunc reuelatum est, gentes esse cohæredes, & concorporales, & comparticipes promissionis eius in Christo.* 513.b
8. Mihi omnium Sanctorũ minimo data est gratia hæc euangelizare inuestigabiles diuitias Christi in gentibus. 878.b
10. Vt innotescat principatibus & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei. 450.b
14. Flecto genua mea ad Patrem Domini mei Iesu Christi, ex quo omnis patrinetas in cælis, & in terra nominatur, vt des vobis secundùm diuitias gloriæ suæ, &c. vsque ad vers.18. inclusiuè. 878.b
4.30. *In spiritu sancto Dei signati estis.* 436.a
6.12. *Aduersus spiritualia nequitiæ in cælestibus.* 584.c
6.19. *Vt detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia notum facere mysterium Euangelij, vt in ipso audeam prout oportet me loqui.* 228.a

AD PHILIPPENSES.

Cap.2.1. *Si qua viscera miserationis.* 311.1.b
15. *In medio nationis praua & peruersa lucetis sicut luminaria in mundo.* 200.b
18. *Idipsum autem & vos gaudete.* 912.1.c

AD COLOSSENSES.

Cap.1.55. *Mysterium quod absconditum fuit à sæculis, nunc autem manifestatũ est sanctis, quibus voluit Deus notas facere diuitias sacramenti huius ingentibus.* 513.b
3.4. *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* 721.a (1.b
12. Induite vos sicut electi Dei viscera misericordiæ. 311.
14. Quod est vinculum perfectionis. 189.a
4.3. *Vt Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi, vt manifestem illum, ita vt oportet me loqui.* 228.b

I. AD THESSALONICENSES.

Cap.4.16. *Mortui qui in Christo sunt resurgent primi, deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera.* 849.d

II. AD THESSALONICENSES.

Cap.2.3. *Ne quis vos seducat vllo modo, quoniam nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati,* &c. vsque ad finem vers.7. 671.b *tota Notat.*
8. Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui. 673. *tota. Notatione.*

I. AD TIMOTHEVM.

Cap.1.9. *Lex iusto non est posita, sed iniustis, & non subditis impiis & peccatoribus,* &c. *& si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur.* 480.c
3.15. *Quæ est Ecclesia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis.* 271.1.a
6.9. *Desideria mergunt homines in interitum & perditionem.* 494.b
19. Vt apprehendant veram vitam. 259.c

AD HEBRÆOS.

Cap.11.34. *Conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello.* 521.2.c (&c.195.2.b
12.1. *Ideo nos tanta habentes impositam nubem testium,*
12.2. *Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio.* &c. 167.a
22. Accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam. 395.a.582.b

IVDAS.

Cap.1.2. *Misericordia vobis & pax,* &c. vsque ad finem capitis. & totius epistolæ. 677.2.c

I. PETRI.

Cap.3.1. *Si qui non credunt verbo per mulierum conuersationem sine verbo lucrifiant.* 313.b
18.19.20.21.22. In quo & his qui in carcere erant spiritibus veniens prædicauit, qui increduli fuerãt aliquando, cum fabricaretur arca, &c. 909.1.c *Notat. integra.*
4.1. *Christo igitur passo in carne & vos eadem cogitatione armamini,* &c. vsque ad finem vers. 3.914.1.d
6. Propter hoc enim & mortuis euangelizatum, vt iudicentur quidem secundum homines, &c. vsque ad finem vers.7 *ibid.* 1.b. *Notat integra.*
5.12. *Hanc esse veram gratiam Dei.* 259.c

II. PETRI.

Cap.3.8. *Vnus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies vnus.* 135.a

IACOBVS.

Cap.1.26. *Huius vana est religio.* 941.2.c

I. IOANNIS.

Cap.2.8. *Verum lumen iam lucet.* 259.c

II. IOANNIS.

Cap.6.27. *Quem Pater signauit Deus.* 436.a

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google